AVREOLI
PHILIPPI THEOPHRASTI
PARACELSI
BOMBAST AB HOHENHEIM

MEDICI ET PHILOSOPHI CELEBERRIMI,
Chemicorúmque PRINCIPIS,

Operum

VOLVMEN SECVNDVM

OPERA CHEMICA ET PHILOSOPHICA
Complectens;

PRÆFATIONE, LIBRORVM ELENCHO
& INDICE *generali instructum.*





GENEVÆ,
Sumptibus Ioan. Antonij, & Samuelis De Tournes.

M. DC. LIIX.
CVM PRIVILEGIO.

aug. disc. pau.





FRIDERICI BITISKII

AD LECTOREM

Præfatio Secunda, in qua impugnantur errores Galenicorum & defenditur PARACELSVS.



QVAM facilè existimationi nostræ fœda aspergatur labes, Lector Candide, & quantum sine fine discrimen famæ honestissimi cuiusque nequitia inuidorum, concepto semel odio, intentet, illustri THEOPHRASTVS docet exemplo. Fatendum quidem virtutem, innocentiam, & rerum peritiam, de superatis ac domitis inuidia, calumnia, & inscitia, tandem trophæum erigere; sed id non nisi diuturna post prælia, nec proprio semper Marte; minimè diffitendum. Vtrinque acriter pugnatur, & hac orci progenie in subsidium Acheronta mouente; illis cœli filiabus, sæpe inermibus, Olympi Moderator Heroes quosdam Tutores suscitat, Herculea qui authoritatis suæ claua fertilem monstrorum cædunt atque prosternunt syluam, illas autem clypeo suo contra densas venenatorum telorum segetes tegunt. Talium virorum debetur laboribus, & Principum quorundam curæ PARACELSI nomen, cum scriptorum inæstimabili gazâ, non numerari inter ea quæ fuerunt; qui & publicas gratiarum actiones à genuinæ Physices Medicinæque assertoribus promerentur; quòd magnanimi aggerem cęco ardentis odij posuerunt impetui, & istos ingenij partus vindicarunt à crudelioris sententiæ executione. Vsque adeò periculosæ res plena est aleæ supra vulgum sapere, & erroneo palantis plebeculæ labyrintho pedem explicasse, vt exitiosum plurimis Greciæ antiquæ eximiisque exstiterit viris, & æternam ferè ignominiæ notam PARACELSO impresserit. Erat iste ingenio ad summa quæuis natus, institutioneque Parentis & Præceptorum Doctissimorum instructione, vix Ephœbus, vniuersâ liberaliori disciplinâ imbutum animũ ad medicam appulerat facultatẽ; quam fluxis niti videns fundamẽtis deseruerat, circumueniendis artem hanc putans inuentam mortalibus, donec Christi verbis, vt ipsemet in Præfatione ad Chirurgiam testatur, sanos non egere Medico sed ægros, dicentis reuocatus, denuoque illi se addicens, diurna nocturnaque assiduitate latentia multis abhinc sæculis priscæ Medicinæ rudera detexit; & partim ex illis, partim ex nouâ à se inuentâ & aduectâ materie exstructo ædificio; suis id exornauit coloribus. Alta verò itentidem clamabat voce, Galenicam artem, suâ magni æstimatam tempestate, neutiquam posse, quam sibi arrogauerat, nominis maiestatem adimplere; nihil esse quod requisitæ sustineat formæ decus; pictis præstigiis mortalium imponere oculis; &, si fucatis cornicula spoliatur pennis, turpissimam pudendamque manifestis experimentis detegi nuditatem. Frequentibus scripta sua perspergebat admonitionibus, vt relictis Medici libris, Naturę rerum studerent, reipsa deprehensuros, nullam aut imperfectam corporis humani Anatomen sibi acquisiuisse notitiam; Pathologiæ, morborum, cum causis, symptomatibus, signisque, minimè perspectam intus & in cute essentiam; Vulgari Methodo medendi potestatem sanitatis inimicos ab arce corporea arcendi, aut forte strategemate negligentiaque custodum illapsos certò, tutò, citòque abigendi, falsò attributam; Pharmacologiam tandem remediorum delectum, facultatum cognitionem, ingeniosamque grauissimis in depellendis affectibus spectatam

Marginalia: Principes viri Paracelsum imprimi curarũt. — Parac. deseruerat Medicinam — Vnde Medicinam suã desumpsit. — Quos defectus in Medicina vulgari notabat.

Odij causa.

præparationem, gloriosè magis, quàm verè, iactare. Quæ sola causa inuidiam odium, persecutionesque Medentum in eum mouit, deturbari se ab eminentibus, quas tanto cum gloriæ splendore tenuerant, sedibus ægrè ferentium. Respondebant enim adhortationibus nostri authoris Courtin verbis: *Nullus est tam incultus in medicinâ locus, qui non sit fructuosissimus, & veterum diligentiâ bene subactus. Nullus tam obscurus tamque desertus, qui non veterum lepore splendescens, frequentique satione luxurians, nos ad opes legendas inuitet. Nihil est in quo pedem ponere, nihil in quo possis elaborare; quod non sentibus & elenchorum spinis à veteribus accuratè repurgatum enitescat.* Queis idem addit: *Fremant licet omnes, dicam quod sentio; Quidquid conamur, quidquid agimus, si quid noui nos afferre, quod intactum veteribus prætermissumque fuerit putamus, amore nostri nimium occæcati peccamus, in iudicando fallimur, & cogitando malitiosius erramus; actum agimus, immutamus, deprauamus, inuertimus, transponimus, contrarietates inter se, similitudines, dissimilitudinesque committimus, tabulam suis coloribus exquisitè depictam, aliquot lineis temerè superinductis deformamus &c.* Et vt paucis comprehendam, quæ ille diffusâ prosequitur oratione: Nihil intactum, nihil non inuentum ab antecessoribus suis Galeni Asseclæ Paracelsi temporibus sibi aliisque persuadebant. Author noster, aliorum credulitati suum iungere assensum nolens, videbat ingentem morborum incurabilium catalogum apertæ vanitatis & iactantiæ eos arguere, & crassissimæ ignorantiæ in singulis Medicinæ partibus conuincere: vnde excellentissima quæque remedia, his curandis accommodata morbis, altissimis delitescere adhuc tenebris, nec ab antiquitate in lucem esse protracta, feliciter augurabatur. Neque enim persuaderi poterat, infinitæ bonitatis & totum ex maternis affectibus compositum Deum voluisse genus humanum tam crudelibus torqueri languoribus, absque vlla remedij spe, atque illam peccati sobolem in malis luxuriasse producendis, Altissimi exhaustam virtutem, extinctum amorem, potentiam defectuosam, in armis victricibus vitæ hostium cudendis, exstitisse. Ille, inquam, Deus, qui filium vnigenitum ex beatitudinis sinu in hanc miseriarum vallem misit, innumerisque calamitatibus & morti ignominiosæ submisit, vt animæ in peccatis moribundæ vitam restitueret, non medicinam è terra creasset, grauioribus affectibus, in filios hominum, suas delitias, sæuientibus, depellendis? Subodoratus igitur, quod res erat, Medentes in principiis noscendi curandique morbos fuisse lapsos, nec ignorans minimum impedimentum initio radij visiui oculo integrum montem occultare, vt experientia optica eleganti demonstrat artificio; Gnarus quoque Philosophos indesinenter clamare: vno posito falso infinitas in quauis vera scientia vel arte (si Regulam Falsi & diuinam Algebram exceperis) sequi falsitates; vno absurdo, plurima absurda; vno commisso errore, ingentes errorum copias, tanquam ex Equo Trojano, in excidium veritatis, prodire; principia atque radices, tam Physicæ quàm Medicę facultatis, sedulò contemplanda censuit. Vidit vtriusque fundamenta dubia, vacillantia, falsa, Medicisque ac ægris, in illorum spem ædificantibus, ruinosa. Perspexit, nihil scholas præclari verique in his scientiis nisi per transennam vidisse, & mouisse antiquos Scholarum patres in illas pedem, promouisse aut parum, aut nihil. Quæ ratio illum ex lycæo abegit, aliamque semitam sciendi medendique inquirere coëgit. Istâ tandem tot sudoribus & vigiliis repertâ, turbam deviantem in regiam naturæ viam & admonitionibus, & increpationibus, reuocare nitens, quò faciliorem ad obsequium haberet, dicteriis quibusdam tanquam stimulis excitare, negligentiam in inquirendis naturæ mysteriis, delirantem de possessa omnium rerum cognitione persuasionem, aucupium leuissimæ gloriolæ ponderosiq; metalli, exprobrare vix vnquam cessabat. Non sufficere, frequens aiebat, præproperâ manu immaturam Doctoratus lauream decerpsisse, nec licere opinione falsa se in Apollinis filios adoptatos sibi persuadentibus, nullâ interim firmatis & fultis experientiâ, mortalibus illudere, & de corio humano liberè & absque vllo conscientiæ scrupulo solo Doctoris sub nomine ludere. Certiorem corporis humani notitiam, quam quæ hactenus per cadauerum anatomiam obtenta fuerat, aliam causarum indagationem, medendi methodum, certiorem scientiam virtutum & potestatum medicaminis vniuscuiusque, tum præparationum

Medici veteribus totam Medicinam cognitã putarũt.

Deus cuique morbo suum remediũ creauit.

Ex Principiis falsis multa sequuntur falsa.

Admonet Paracelsus Medicos de defectibus Galenic. artis.

parationum rationis requiri; ac ista vniuersa apud ipsos esse incerta, dubia, incognita. Quandoquidem vero admonitiones has & alias aduersarij aut Idiotismo authoris, aut iactantiæ adscripserunt, ideòque contempserunt, præcipue quod earum nullas solidas afferat rationes; idcirco nobis hic singula diligentiùs pensiculanda veniunt, & euidentissime demonstrandum, Philosophos naturæ lumine instructos videre quamplurima; quæ illis à scholâ tarda sæculorum reuolutio tandem detegit.

Propositio præfationis.

PARACELSVS pluribus monumentorum suorum locis Medicos instigat, vt, derelictâ mortuorum corporum Anatomiâ, viuæ studeant; quod in extinctis, vitalium facultatum sedes, origines, progressus, functiones, in quarum scientia, regimine, conseruatione, atque restitutione, totus Medicinæ cardo versatur; cum vita abierint; præcipitque vt maiorem mundum anatomizando, cum minori conferant; similitudinemque obseruando, in curationibus applicent. At gloriosi illi Thrasones, nihil exactissimos cadauerum scrutatores latere; totam Aruspicinam iam Galeni sæculo detectam; plenis buccis, ad astra vsque, certitudinem Anatomiæ suæ extollere; arcem longâ annorum serie firmatam, & iam inexpugnabilem asserere: donec nostra ætas, albo ea propter notanda calculo, cæcitatemne anatomicorum an deceptionem passiuam appellem; omnium oculis, & quorumlibet risui exposuerit. Affirmabant Medentes PARACELSI tempestate, omnibusque retroactis sæculis, Chylum per Mesaraicas in portam, ac inde in hepar deportari: sed vaniloquentiæ, vel imposturæ, eos conuincit ocularis demonstratio, felix anni, supra millesimum sexcentesimum, quinquagesimi inuentum, quæ luce lucidius exhibet, chylum per lacteas in receptaculum sub Mesenterij medio deriuari, atque ex inde non ad venam portæ, vel hepar, sed ad cor rectâ tendere. Iactabant, adhuc octennio abhinc, Hepar sanguificationis esse officinam: at hodie cordi hanc gloriam deberi, nemo nisi pertinaciter insulsus, vel planè anatomes ignarus, dubitat. Constanter asseuerabant, vrinam in hepate à sanguine separari, attrahentibus renibus: at laudando Pecqueti, aliorumque post illum, constat experimento, illam mox à Chyli receptaculo ad Renes, per emulgentes, deferri. Mordicus tenebant defendebantque sententiam, à centro corporis sanguinem per venas, veluti tubos, ad circumferentiam, partibus in alimoniam, ferri: nunc à peripheria ad centrum his semitis tendere nemo non fatetur. Persuadebant vulgo, ipsi antea persuasi, bilem atque melancholiam secundæ digestionis esse excrementa: hodie in tertiis consistit; quibus secundus à Principe non conceditur locus. Olim sanguini solum arterioso, seu in hepate confecto inque corde spiritu vitali imprægnato, domicilium erant arteriæ: hodierno die canales sunt cruoris primigenij è sola cordis culina prodeuntis. Antehac exordium venarum statuebatur hepar: nunc extremitates arteriarum radices illis præbent. Præterito sæculo nullum arteriarum erat commercium cum venis: nostro, mutua amicitiæ vbique figunt oscula, & matricum sibi loco, eiectum inuicem excipientes recondentesque sanguinem, existunt. Nuper hepar principem obtinebat locum in chylo digerendo atque pingendo: iam infimæ sortis muneri dicatum, transcolatorio scilicet, iniustè vsurpatum Diadema Regium amittit, cordique in triumphum cedit. Hinc videre est, qui omnem scientiam anatomicam ad vnguem se tenere putabant, in alphabeto allucinatos esse, nutrimentorumque domicilia, vias, motum, præcipuorum viscerum vsum atque facultatem, ac denique totam humani corporis œconomiam, ignorasse. Dum scribo, stupeo, (& fortassis aliqui eorum mecum) mirorque, tam constanter, tam intrepidè, vnâque omnium sæculorum voce, ipsos asseruisse, tam erronea, tam falsa, tam sensibus obuia; vt nesciam an decipere mundum ipsis fuerit animus, cum de certa horum cognitione oculorum testimonio confirmatâ gloriabantur; an ipsimet decepti oculorum vsum neglexerint. Et tamen illi sunt, qui, albæ se filios gallinæ æstimantes, cristas arrigunt, supercilium attollunt, Paracelsum Chymicosque despiciunt, doctrinam eorum ratione suæ nuce cassa habent, admonitionesque sinceras & amicas rident & aspernantur. Respondent præterea, PARACELSVM eodem cum ipsis errore fuisse, circulatione sanguinis illo viuente nondum repertâ, nec verâ sanguificationis officinâ

Anatomia veterum cur reijcienda.

Ætas nostra errores veterum Anatomicorũ detexit.

Enumerantur errores veterum vt & recentiorum experimẽta.

Veteres Anatomiæ Alphabetũ nesciuerunt.

Excusatio Galenic.

Resp. cognita. Quibus nos: non eâdem Philosophos indagando naturæ abdita incedere semitâ, quâ vulgus; & potuisse THEOPHRASTVM ista nosse ex notitiâ, quâ excellebat, Processus generalis Matris Naturæ, quæ mediante circulatione alimenti omnia sua producta nutrit. Neque enim vaporum in aërem attractio, concretorumque in aquam relapsus, aliud quidpiam est, quam circulatio perpetua. Vt & fontium ortus ex mari, per venas terræ expressio, ac per fluuios iterum in mare recursus, nihil est quam plantarum atque mineralium alimenti circulatio; nam aqua tam pluuialis, quam fluminea, sanguis terræ est, generatorumque cunctorum & materia & nutrimentum. Profert quoque PARACELSVS in Tractatu de Phlebotomia non obscura indicia circulantis notitiæ sanguinis. Ibi locorum rationem reddens non effluentis è vena sauciata, quod sæpe fit, cruoris, defectum venti in venis accusat, quo absente sanguinem ineptum esse ad exitum refert; additque, *quòd istarum venarum sanguis viam intrò, non foràs, conuertat.* dicit autem *venarum istarum*, quò illas distinguat ab arteriis, quas etiam venas Germani appellant. Et ibidem, postquam per venæ sectionem morbus aliquis est mitigatus, impediendum iubet sanguinem, ne retrolabatur in corpus, vt fit per continuum illius circuitum. Circulationis & effectum, & transcolatorium jecoris munus, manifestius quoque asserit per triplicem, quam statuit, vrinam; vnam vocat cruoris, quòd ista cum sanguine circulata per venas ad hepar cum eodem venit, vbi separatur, in renesque & vreteres protruditur; atque de hac loquitur quoties ex lotio de hepatis constitutione iudicat: hæc n. albam crudamque (de qua mox) vrinam, absque hepatis contactu in vesicam delabentem, in flauedinem tingit. Cordis sanguificationem eum cognouisse ex plurimis scriptorum suorum locis animaduertere licet. In prędicto enim tractatu de phlebotomia dicit: sanguinis mittendi indicationem non desumi ab hepate, nec tam leuem causam, qualis refrigeratio est hepatis, scalpello inhibendo sufficere; quod sanè nunquam protulisset, si fontem sanguificationis in iecore credidisset. Confirmat hanc notitiam Tractatu de Purgatione in phlebotomia: vbi, phlebotomiam cælestibus morbis, purgationem terrenis, destinat. Cælestes vero morbos vocat, qui in venis consistunt. Cor enim fabricat sanguinem cælestium ope influentiarum quas in aspiratione trahit; istæ, si infectæ, sanguinem quoque inficiunt, & morbos generant. Morbi terrestres ex cibis oriuntur, terræ productis, atque in ventriculo, mesenterio, & intestinis hospitantur; ideoque purgatione expellendos atque curandos imperat. Quî vero potuit clarius asserere cor sanguinis officinam, & malè meritum hepati adimere munus, quam cum in Fragmentis de modo Pharmacandi, Tractatu secundo, de varietate digestionum agens inquit: *Post digestionem stomachi sequitur alia, quam vbi sit nemo nouit, & tamen adscribitur hepati, minus vere; Per hanc vrina producitur.* Cruda ista est vrina, quæ per Diabeten, in compotationibus largioribus, & mox post digestionem stomachi prodit, atque cruori nunquam miscetur: hanc fieri in Receptaculo Chyli,) ita vt statim inde ad renes & vesicam, minimè hepar transiens, per emulgentes tendat) cùm nouissimis Anatomiæ obseruationibus constet, illis obscura olim Theophrasti sententia patescit & effulget. Deinde pergens: *prædictam digestionem alia sequitur,* (inquit) *illa nimirum, qua sanguis efficitur; huius verò excrementum est interior mucus pulmonis & pectoris. Hoc stercus à sanguine est, eo loco genitum & separatum à natura ex emunctoriis suis.* Nonne astitisse videtur Pecqueto curioso Receptaculi Chyli, separationis vrinę, nec non officinæ sanguificationis indagatori; ille enim mucus, qui screatu & tussi proiicitur, generatur, cum sanguis è dextro cordis ventriculo per venam arteriosam in pulmones ascendit, ac hinc per arteriam venosam in sinistrum cordis sinum descendit, quo itinere læues arterias subiens, inde per asperam expellitur. *Quot enim digestiones* (ait) *tot separationes, & tot stercora.* Non video qua ratione aliquis Philosophico stylo solis scientiæ filiis scribens apertius hæc dicere potuisset, nisi planè detegere illa (vt sunt hodie) animus fuisset, quod quidem illi nunqam in mentem venit. Alia inueniet non obscura vestigia huius notitiæ, (vt cum asserit vrinam a circumferentia ad vesicam peruenire quod Helmontius imperite tribuit Idiotismo & sanguinem ex musculis in venas meare, vt sentit quoque Pecquetus &c.) quicunq; dili-

Paracelsus nouit circulationem sanguinis.

Et sanguificationem cordis.

diligentius scripta ipsius euoluet. Quod si non apertius sententiam suam explicuit, ligonem dicendo ligonem, familiari attribuendum est rationi scribendi, quæ hæc talia in plebem seminari prohibebat. Satis tamen aperte vulgarem Anatomiam in corporibus iamdiu defunctis dissecandis occupatam non approbasse tum aliis testimoniis cōstat, tum quod sæpius inculcet, ex viuis de viuis debere iudicari & instructionem desumi: Quæ doctrina quam veritati sit consentanea patet, quod Galenici hodierni procul dubio veterum errorum tenebris occęcati in hunc diem mansissent, nisi Pecquetus experientias suas in canibus adhuc semiuiuis fecisset. Non ergo absque ratione Aruspicinam & Aruspices ignorantiæ & inaduertentiæ taxauit Theophrastus, quamuis illi publicè priuatimque olim de iniuriis his conquererentur. Et quomodo, obsecro, non errassent, Galenum non minus elatum, quam inexpertum secuti ducem, centies & sedecies à Vesalio excellenti Anatomico nunquam cadauer humanum dissectum conspexisse, sed simię fortassis, (è cuius cerebro plexum illum, seu rete mirabile, emendicauit, ac in hominis caput mendaciter intrusit) dispertiuisse, conuictum. Incognita autem præcipua corporis humani anatomia, quo, cedo, causæ morborum scholis patuissent modo? Allubet in eorum origines diligentiori mentis conatu inquirere. Traduntur celebrati illi quatuor humores omnium contra naturam affectuum fontes, è quorum temperatâ proportione prospera valetudo, disproportione aduersa, ab illis deriuatur. Quærenti cur non plures vel pauciores quam quatuor statuerint, responsum dant: Ex quatuor elementis omnia constare mixta, & ex his, à nobis in cibum assumptis, virtute naturali & separatoria nostræ digestionis totidem humores, vt singuli cum singulis elementis symbolizent, nec plures nec pauciores constitui. Sed instet non nemo: separatrix hominis facultas plures quatuor è cibis secernit: nempe, præter sanguinem, phlegma, vtramque bilem, alui quoque fæces, vrinam, serum, &c. cuius hæc elementi symbola, & cur in catalogum humorum non referuntur? Sunt quidem excrementa nobis, sed non ratione mixti comesti, cuius pars erant essentialis; ideoque partes elementi cuiusdam, cum ista sint simplicia, nullisque excrementis sordida. Quid quod flaua bilis sub hepate purum est excrementum, cum nullam corporis partem, ne quidem vesiculam suam alat; & tamen humoris dignitate à vobis æstimatur. Si vsum hæc habet, quod excretionem promouendo aluum lubricet; nec scoriæ penitùs illo frustratæ, dum sua mixtione impediunt ne penetranti fel amarore lædat intestina, vel Lienteriam, Dyarrhæam, Dysenteriam, morbum Cholerám, producat. Quapropter imperitè aut iniustè ex humorum sede alui excrementum eijcitur, commodiùs & veriùs nomen remque sustinens humoris terrestris; sanguine melancholico; in terram enim facilè conuertitur, eam stercorat, impinguat, & fertili segete luxuriare efficit; cum ex opposito ille acidus tellurem fermentet, corrodat, sterilem, & fructibus ferendis ineptam, reddat. Referent illi se loqui de secundæ digestionis fabrica quatuor humorum, interrogabunturque, cur fluidam inde expellant vrinam, & an non eodem iure sibi titulum vendicet humoris, quo flaua bilis. Habet vtraque suam vesicam, è corporis Oeconomia ambę totæque excernuntur, hæc excrementa alui euehit, illa renum mucilaginem tartaream, vreterumque & vesicę sordes, hęc amaritie, illa acredine pungit, gaudet vtraque eodem separatore Iecinore, & tandem tam hęc quam illa eadem digestione producitur. Quod si subtilissimo & actuosissimo elementorum suum in corpore humorem deficere piaculum rentur, quare non potius vrinę illud munus decernunt, quæ vno gradu calidior, vt pote acria inter telata, salem Spagyriâ prodit, cui subtilitate & vi vrendi nihil par natura, vel ars, hucusque reperit? Sed quid in oppugnatione quaternarij humorum diutius laboro; euertunt illi ipsi assertionem suam; dum, nunc sex, nunc quinque, sibi contradicentes statuunt: tres nimirum succos laudabiles, cum quarto sanguine, in venas protrudendos; duos autem planè excrementosos, ideoque totâ sui indole à tribus (secundum aliquos) vel quatuor nutrientibus liquoribus differentes; horum tamen, terrestrem lieni alendo plurimi aiunt esse aptum, igneum cystidi suę planè ineptum. Et hac ratione numerum quaternarium, tam commodè in Medicinam introductum, tam speciosè elementis protectoribus stabilitum, multiplicant.

Galenus nunquã vidit Anatomiã humani corporis

Galenicis quatuor humores causæ morborum.

Ratio quaternarij numeri.

Oppugnatio numeri quaternarij.

Flaua bilis tota excrementitia.

Comparatio cũ fæcibus alui.

Comparatio vrinę cum felle.

Sal vrinæ vim habet vrendi.

Inconstantia Galenicorum.

multiplicant, nec non plura inueniunt elementorum symbola, quorum quędam nutrire possunt, quędam autem non. Humor quippe biliosus, seu Ignis Microcosmicus, in sanguine latens, nutritioni est accommodatus; alter, in vesicula, nequaquam.

Bilis alimentaria differt specie ab excrementitia.

Neque enim responsio, quam afferre possent, quia fel gradu stat nimis eminenti, & corporis nostri temperamentum excedenti; vt idcirco assimilari ipsi nequeat, quicquam valet ad biles has vniendas sub identitate specifica, & effugiendũ multiplicationem humorum: quia, siue opinionem foueant, nec in formis, nec qualitatibus elementorum magis minusque admittentium, siue illorum qui gradus agnoscunt, vtrinque vapulant: nam secundum priorem vtraque bilis erit alendo, aut nulla; vno scilicet ambę genitore prognatæ, germanæ sorores, & vniuocæ substantiæ: vel secundum aliam intensus gradus fellis poterit remitti, atque hoc in alimentum tandem conuerti, & ille in venis biliosus succus in excrementum degenerare: atque ita non nisi superfluitate peccabit fel, vt a venoso igne distinguatur, quod globus Medentum negat; aut diuersis symbolizabunt cum elementis, quod nemo ipsorum concedit; aut tandem duplicem statuent in natura ignem, vnum excrementitium, alium nutrientem, vt duo bilis flauæ fundamenta, quod falsum & absurdum.

Ergo plures quam quatuor humores.

Sic inter se & cum seipsis pugnant Galeni milites, & Galenus ipse Dux, sui immemor, quadrangularem suam destruit aciem, fulcrum humorum, a quaternario elementorum in cibis desumptum, disrumpens, inquiendo, comestum mel (corpus experientiâ testificante perfectè mixtum) à calido iecore in meram bilem conuerti.

Galenus destruit numerũ quaternarium humorũ.

Vbi astruit iecur præcipuam causam quatuor humorum; atque hac consecutione temperatum iecur ex euchymis escis, v.g. pane triticeo fermentato, non nisi sanguinem conficiet purum, lienque alimento destitutus ieiunabit; aut hepate calido, nutrimentis in bilem meram cõuersis, sanguineæ partes omnes famelicę sensim flaccescent & extenuabuntur, nutritionis penu à caloris gradu excedenti combusto, & in bilem mutato; iuuabit quoque extenuationem venter iusto liberior, ab abundante cholera stimulatus, & cibos semicoctos ad excretionem cogens. Ex aduerso, hepar frigidum ex bubulâ, ceruinâ, pane azymo, aliisque cibis melancholicis, nullam bilem generabit, atque ita scoriæ alui nunquam exturbabuntur, vesicula fellis, aliàs semper turgens, concidet, morbusque ileus, dolores capitis, aliaque symptomata, continuò affligent: quæ quam falsa & experientiæ contraria sint quis non palpando sentit? Stetere tamen celebres hucusq; scholastici, & omnium morborum causam facilè inde deduxere: sed quam verè, exempla aliquot adducta patefacient.

Absurda ex Galeni sententiâ.

Febris tertianæ exquisitæ rogati causam, bilem flauam, superuacaneam, putrescentem, in capsula sua vel circa illam hospitantem, producunt. Quo quid per Deum immortalem a veritate alienius dici potest? Bilem flauam, humorem igneum, ideoque siccum & calidum, nec non sincerum & non permistum, putredinis iniuriam persentire, quis concipiat? ignem, quis fidem adhibeat, vel fomitem in humana natura igneum humoremq; siccum & calidissimum, corruptione putridâ fœtere, absque vlla humidi mixtione? quam si admittunt, iam non erit exquisita tertia, sed in compositarum & notharum febrium classem referenda.

Causas morborum nescit schola.

Causa scholarũ febris tertianæ falsa & absurda.

Cui quoque fidem faciant, quartanam sinceram ex terreo, siccissimo & frigido, humore putrefacto nasci affirmantes? Quomodo enim in summo gradu sicca putrefierent? Quem denique inducant, vt existimet, hypochondriacum morbum ex vaporibus terrestris humoris, ad cor & caput expirantis, progenerari? cum certum sit, siccissimam & fixam terram tam leni calore, qualis in hypochondriis, non posse subleuari.

Quartanæ absurda.

Item Melancholiæ Hypochondriacæ.

Causas periodorum statutarum in febribus intermittentibus interrogati, vnus ad diuersam, qua quilibet humor putrescit, rationem confugit; alius, tot phlegmatis vno die, quot bilis flauæ duobus, aut ternis nigræ, coaceruari, quasi ponderum pręfectus in humano fuisset corpore, perperam effatur; alius denique, in latibulis, tanquam in ignorantiæ asylo, abditarum causarum se occultat, & satisfecisse officio suo existimat, si dixerit, quod quiuis è triuio rusticus, occultam febrilis circuitus latere causam.

Pugnant in Causis periodorum febrium.

Podagræ, opprobrij medicorum, scaturiginem, caput aliqui existimant; tenui inde pituita per summa corporis in articulos deflua, & commoditate loci intra hos stabulante; quidam, ab errore viscerum prognatum aiunt humorem, inque

Diuersi in Causis Podagræ.

venas

venas cum sanguine elutriatum, robore partium expellentium in ignobilem de-
poni locum; nonnulli tandem, subtili ligamentorum, nec minus acri, excremen-
to peccatum attribuunt: atque sic dubij quouis vento feruntur, mutuis vulneri-
bus dogmata & sectam suam conficiunt, certant, & adhuc, grauissima & pericu-
losissima sub mora, sine iudice lis est. Vnde sæpissimè reprehenditur Galenus ab
Galen. Arabes, Neoterici pugnant.
Arabibus, & Neotericis, præsertim Fernelio horum Principe, quod nunc ab Hip-
pocrate, Platone, nunc a veritate discesserit; iste ab aliis, diuerso nomine, &
inter alia, propter bilem inter Paralysis causas relatam; hi iterum censores alio-
rum vexantur censura, & fit, quod adagio fertur: Altercantibus Medicis ægrum
plerumque fatis concedere. Tam incertis & fallacibus causis, certiora ne sequun-
Signa morborum fallacia.
tur signa? Quantæ Deum bonum hallucinationes & dubia in morbis compositis
& implicitis, imo in simplicibus, non communibus! Quoties symptomata infir-
mitatum pauperes ægri melius sentiunt, quam Doctores sciunt! Quoties cadauer
dissectum partem affectam, nomenque morbi, inutiliter medicantibus aperuit,
cum antea corpus spirans diu frustraneis medicationibus afflictum fuisset! Aut
quot ipsorum ignorantias cœmeteria tegunt! Quàm sępè mola, intumescente
ventre, hydropisin mentita: & contrà quàm sæpè Ascites, vel Tympanitis,
euanidum conceptum, simulauit! Venti colum inflantes tumidi lienis ludicra
indicia non semel prębuerunt: & hepati error attributus, qui à stomacho patratus
erat. Pertinax renum vel vreterum obstructio, calculum vesicę imitata, cru-
dele ferrum, exploratorem, interfęmineo infixit, & inutili vulnere ægrotum
miserè afflixit: ita vt non mirum, si Medicorum collegium ad consultandum
considens opinionibus plerumque longissimè dissideat. Nec de nihilo Michael de
Michael de Monte ridet Medicos.
Monte, Author Gallus emunctæ naris, Medentes salsè ridens amissorum assi-
milat pręconibus, notas rei perditę perfectè scientibus, at rem ipsam, si reperta il-
lorum oculis exponatur, minimè agnoscentibus.

Destructis igitur quatuor humorum columnis, totum ruit causarum ædificium:
Ruit tota ars Galenica.
hoc cadente, tota medicorum Galenicorum ars concidit. Cum enim contrarie-
tatem inter illos fingentes, ex iustæ proportionis temperatione sanitatem, ab ex-
cessu vero vnius vel alterius, in qualitate aut quantitate, atque inde consequente
victoria, acies morborum suspicarentur; numero hoc destructo deinceps imagina-
ria humorum pugna duplexque duellum cessabit, & alibi causæ morborum in po-
sterum quærendæ, aliaque palæstra instituenda ad hostes laruatos, & ne de no-
mine quidem bene notos, cædendos. Incognitis enim naturâ, robore, virtute,
numero, statu, loco, armis, pugnandique genere, hostium, inconsultè & stolidè am-
biguum prelium cum illis committitur: sic ignotis morborum causis, ratione, pote-
state, sedibus, cum monstris pugnatur imaginationis vi exsculptis. Ferarum
vestigia dum vertagi acuto non discernunt odoratu, operam perdunt in lustro in-
uestigando: & Doctores, signis affectuum pathognomicis nequaquam cognitis,
frustra ad non visum collimant scopum. Forte fortuna tamen (dubitando quis-
piam tacitè secum sermocinari posset) in reliquis Medicinæ partibus Galenici
Doctores Medicorum partes melius egerunt: imo ferè peius, & ad minimum
Remedia apud Galenic. æque incerta.
æquè vacillanti & lubrico gradu ad remedia accedunt, quam ad morborum in-
dagationem. Herbæ sunt paucissimę ex quorum figura de nomine ipsis constet,
cum plurimas, aliter Plinius, aliter Dioscorides, aliter Theophrastus &c. descri-
bat, vnde hic illam Plinij, alius Dioscoridis, &c. esse dicit: ideoque non nisi du-
Disputat de herbarum figuris ex herbariis desumpta.
bitabundi eam adhibent, ac nescij an hæc vel illa sit planta, cui Dioscorides
tantas virtutes tribuat, & an certum ex illius vsu sperandum sit auxilium. Nolo
his immorari; Herbaria exactiora qui vult euoluat, ad aperturam fere libri al-
tercationes cuius sit authoris planta, quoue nomine proprio gaudeat, reperiet.
Verùm postquam passibus ambiguis in horto medico perquam diu errarunt, &
quęsitam Galeni aut Dioscoridis herbam inuenerunt, ipsâ repertâ, & compositis
de nomine pugnis, è forma externa internam cum vniuersis, (cogitet æger ali-
quis Galenici opem expectans) facultatibus agnoscunt; quandoquidem intima
Naturæ penetralia summi morborum artifices adierunt; aut ad minimum, si cum
aliquibus pharmacis, in quibus causæ occultæ pręsidarij milites Medicorum cu-
riositatem ab introitu arcent, nullum ipsis est commercium, primas secundasque

qualitates, vt liberos suos, norunt, viresque illarum per euidentia rationum momenta probant & stabiliunt. Sed, heu pudet effari, in obscura adhuc cognitio hæc latet abysso, & fidei alienæ credulas aures præbentes, Botanicorum veterum iussis subscripserunt in aliquibus; in aliis continuo adhuc prælio pugnant; fluctuantibus interim in hanc vel illam partem, pro spe victoriæ, discentium animis.

Regula Galenicorum pro noscendis qualit. prim.

Didicerant ab antiquis, primas qualitates gustu indicante notescere; atque sic dulcia, salsa, amara, acria, in calidorum numerum; acida, austera, acerba, infrigidorum, adscripsêre. Quæ quidem regula aliquandiu generalis absque exceptione stetit: at post, mutato consilio, eam coarctârunt & communi suffragio è grege amarorum, acrium, salsorum, nonnulla ad frigida ablegantes armenta, horum auxerunt quantitatem ampliato stabulo.

Except.

v.g. Opium, missis aliis, amaritudine insuaui & insigni, quartæ classi frigidorum imposuere, gummi camphoræ singulari acrimonia, vno subsellio inferiùs, in tertiam constituentes. At rationem tam longinquæ proscriptionis nullam hucusque validam & philosopho dignam attulêre. Miseret deplorandi illorum fati quamplurimos, frustra causam tam inhumanæ sententiæ inuestigantes.

Iniuria fit exceptis.

Dolent opium amarum, sulphureæ substantiæ, & inflammabilis olei plenum, imo totum fere combustibile, ab igneæ familiæ productis exclusum, & in exiliũ relegatũ. Afficiuntur plures intimo animi dolore, Camphoram pungentem & vrentem, gratissimum flammæ pabulum, aquæ supernatando aëris vel ignis naturam æmulantem ac referentem, ab ipsa quoque aura sensim sine sensu, tanquam à simili, attrahi atque resolui solitam, idem expertam fatum, ac pari violentiâ nemine patrocinante damnatam. Quæ ista Tyrannis obnoxios ciues patrio expellere solo? aut quæ tam grauis causa pœnæ? leuissima aliàs ipsis semper habita, nempe experientia: Opium enim est somniferum, atqui non nisi frigida soporem conciliant. Camphora dosi minimâ frigidis vnguentis admista vehementer virtutes exaltat infrigidantium: E. concludunt, ista eximiè sunt frigida. Non vacat nunc dispicere an ad lydium satis examinatæ lapidem istę experientiæ, causam veram manifestauerint; quærere saltem libet, quo impulsu ad experientiam tanquam sacram anchoram confugiant Medici Dogmatici, nulli doctrinæ nisi per suas causas demonstratæ adhęrere profitentes?

Medici Dogmatici hîc Emperici fiunt.

Nonne explosioné promeruerunt ab equis ad asinos desultantes? Qui in prima acie Dogmaticorum pugnarunt, nunc transfugæ, in Empiricorum iam olim illis contempta se recipiunt castra! Itane tacitè recipitis palam reiecta, & rationibus obnubilare assueti sensus, nunc experimentis vestras euertitis ratione stabilitas regulas?

Contrarij in assignandis primis qualitatibus mixtorum. Exẽpla.

Non pauca alia sunt de quibus minime conueniunt, motibus contrariis agitati, & quorum qualitates sapor hucusque detegere absque controuersia nequiit. Fumaria amara, ab aliquibus frigida inter refertur vegetantia, ab aliis calida habetur. Nicotiana nonnullis secundo, aliis tertio, quibusdam quarto, calida; non paucis vero frigida censetur. Rorem Solis perpetuo rore, etsi feruentissimo Soli expositum, madentem, hoc frigidis accensente, ille quarto calidorum reponit, adeo vt & internum prohibeat vsum. Rubia Tinctorum pudore rubescit nescia an tingendo calefaciat vel frigefaciat. Borax his in calidorum, illis in frigidorum ordinem reponitur. Argentum viuum hucusque tremulum stetit & incertum, an sub Cancro vel Capricorno, natalitiorum locũ sibi designaturi essent.

Nõ merentur fidem quãuis inter se conueniant.

Eodem censu reliqua metalla habeas, & sexcenta alia, nec in aliis quibuslibet mixtis facilè nostram sub iugum mittent fidé, quamuis ea vnanimici voce inter frigida vel calida reponant, cum his exemplis & plurimis aliis hîc non commemorandis fallacias regularum suarum nobis detegant; ita vt etiam ad Experientiam rerum magistram nobiscum confugere non erubescant.

Galenus ipse fit Empiricus.

Tametsi Galenus iam olim Empiricus factus, & nouis huic sectæ suppetias tulit copiis, docendo purgatricium facultates Medicamentorum non nisi Experientiâ Doctore apprehendi, & vires queis certum alliciunt humorem à tota mixti substantiâ exeri, ideoque qualitatum occultarum sedibus locari. Non omnes quidem huic placito calculum adijciunt; sunt enim, qui à vehementi & exuperanti calore pharmacorum humores dissolui atque liquefieri, & deinde ab eodem innata sibi virtute attrahi, quatenus omne eximiè calidũ aduocare humores, asserunt; quia vero medicamentum naturę molestum, ab illa extra corpus,

cum attracto humore, exturbari. En nouę pugnę, instructa hinc & inde acie præliantur, posterioris sententię sectarij sub Ducibus Aristotele, Erasistrato, & veteribus aliis; primi sub Galeno, & copiosiori Medicinæ procerum manu. At vtrinque non nisi cum vmbris pugnas cient. Nesciuerunt quidem alias, in hunc vsque diem, Medicorum turba pharmacorum purgantium causas; at ambę falsę fictęque, & posterior, si foret, periculi plena. Quippe, si pharmaca totâ sui substantiâ, quę ex elementorum coalescit connubio, cum humore purgando conueniunt, tam primis & secundis qualitatibus, quam tertiis (& quartis secundum aliquos) assimilari necesse est, sed frequentior posterioris falsitas probatur productione plurimorum medicaminum primis & secundis qualitatibus, nempe calore, frigore, &c. sapore, colore, consistentia, ab humoribus diuersorum; Quare Galenus causa cadit. Senna, omnium concessu, humorem melancholicum, id est, frigidum & terrestrem, nigrum & acidum, purgat, illa tamen est calida, vt omnia purgantia, tenuis substantię, extrà viridis, internè sanguinis instar rubra, & gustu ab acido longissimè remoto. Polypodium sapore suaui, & calido dulcore, cum aërea leuitate, introrsumque rubens, eundem expurgat humorem, in tanta primarum secundarumque qualitatum inter purgans & purgatum diuersitate. Nihil hîc de dulcedine mannę, acrimoniâ Scammonij, bilem amaram expurgantibus, & plerisque aliis, sensu iudice, cum humore purgando pugnantibus, quę Galeni opinionem falsitatis redarguunt. Istud, quod maius atque euidentius, quæram: cum inueniantur quę diuersos, imò contrarios, eiiciant humores vna eademque purgatione, an & ista totâ naturę substantiâ cum vtroque humore absurdissimâ absurditate conuenire affirmabunt? Quę calori eminenti in purgationibus primas tribuit opinio, pręterquam quod vero contrariatur, discriminis quoque est plena. Etenim, si excellenter calidum facultate pollet dissoluendi, liquefaciendi, (quod verum si addidissent dispositam materiam, nam calor indurat lutum) separandi heterogenea, conuenientia & disconuenientia attrahendi, illaque, si naturæ noxia, expellendi; cur anisum tertio, vel piper quarto, calidum, non laxatiuis accensentur? si respondent, requiri præterea vt calidum purgaturum sapore vel odore sit ingrato, naturæque humanæ non ferendo, oppono, & naribus appono, asam fœtidam, tertio calidè siccam, exspuendam gustanti, odoranti fœtentem, gummosam scammoneæ instar; causam nunc promant defectûs purgatorię facultatis: quę si illos latet, aut incognitam occultamque faciunt ream, iam in eandem incurrunt reprehensionem quâ Galenum notârunt. Sed demus sanè proximam & immediatam purgandi effectricem esse caliditatis exuperantiam, hęc certè in proximum subiectum agens, intenso gradu, obuia quæque alimenta dissipabit, quò calidum humorem sibi familiarem, vel consanguinitatis fœdere iunctum, attrahat, atque eo fruatur: vel quemuis alium aduocando vi illâ quâ calida omnium etiam dissimilium sunt attractiua, hac ratione optimum sanguinem corrumpet, in cadauerosum fœtorem fundet, euchymos succos dissoluet, & tandem naturæ acceptum alimentum subtrahens, occultisq; cuniculis, hostili animo, in pomœria corporis se insinuans, illud totum vastabit, diruetque. Patet igitur ex istis quàm bene atque tutò illi, qui scientiæ opinione per ora plebis volitant vulgaris auræ lati alis, quæstuosæ artis suæ posuerint fundamenta; imo quam imbecillibus & flexibilibus eam sustineant fulcimentis, ex prædictis plus satis patet. Sequitur vt videamus laudatam eorum methodum, singulari dubio procul certitudine nec minori artificio dispositam. Difficile licèt sit creditu tota fere Reipublicæ humanæ directione, vt supra monstratum & mox amplius patescet, ignotâ, causis præcipuis & signis, nomine, facultateque pharmacorum incertis, applicationem debitam, certam in quouis morbo remedij quantitatem, vtendique rationem, ex consideratione speciei affectûs, symptomatum impetu, temperamento ægri, & partis cui insidet conditione, dependentem, nosse ac perspexisse. Non permittit Theophrasti suscepta defensio tacitè ista prætereire, sed an euidentius quid, & mortalium conseruationi vtilius, hîc repererint, inquirere iubet. Gloriantur quidem complures, vnicuique morbo suum dari remedium, & tot remediorum genera, quot morborum constituunt, vnde versiculus: Mille mali species, mille salutis erunt. at spes

Nouæ pugnæ Dogmaticorum.

Galeni opinio refutatur.

Aristot. Erasist. & aliorum veterum assertio refellitur.

Inductiones.

Absurda & pericula ex admissione opinionis secundæ.

Methodus medendi necessario incerta quando Anat. causæ, signaque morb. & facult. remed. incognita & incerta sunt.

hæc

hæc hucusque ægros delusit, ac efficax hianti ore pharmacum expectantes aurâ euanida pauit. Sileo iam de morborum remediis, de quibus apud illos altum est silentium, sc. Cancri, Lepræ secundi tertiique gradus, Epilepsiæ (nondum 25. annorum natum sola natura sæpe curat) Scrophularum, Hydropisis confirmatæ sub schirroso iecinore, febris quartanæ, Podagræ, &c. quibus nedum hodie remedium repererunt, pl erisque ipsorum prædicta mala è curandorum albo expungentibus, ita ut methodus non sit, vbi nulla sunt remedia. In illis, quorum falsò curandi notitiam sibi arrogant, nimirum tot Febrium, Vlcerum exedentium in cruribus, Paralysis, Odontalgiæ, Hemicraniæ, Phthisis &c. methodi veræ haud fuisse gnaros, curationum susceptarum infelix exitus testatur. Confirmat idem trepida, in quibuscunque affectibus, generaliorum remediorum, purgationis & phlebotomiæ præscriptio, vbi semper in defectu quam excessu peccare malunt, quia certum medium nescientes extremum periculosissimum fugiunt, quod in obscuro corporis humani carcere laborantibus, non omnia sint pellucida, nec quæ via tenenda illuni nocte pateat. Quanta verò apud illos est controuersia, quo pharmacum purgans tempore in febribus adhibendum? In duas hic diuisi partes medici, aduersâ fronte pugnant. Conspiciamus eorum hac in lucta primò inter se, & deinde cum veritate, congressum. Ex vna parte, in accessione febrium nihil mouendum, sed abstinendum esse, cum Hippocrate multi sentiunt, nec tum pharmacum porrigere audent. Ex alia, purgandum tunc temporis esse reclamant, tuto scilicet purgationem fieri, quando materia turget, turget autem in accessione, quod natura tum expulsionem moliatur, quæ sapientissima nihil moueret, nisi materia cocta, separata, & ad expulsionem apta foret: quocirca tum commodissime naturam iuuari dicunt. Illi, naturam imbecillem vix morboso insultui resistere, & victricem euadere, atque idcirco alium inimicum illi oppugnandum adiicere, traditoris esse, non medici; omne autem medicamen purgans naturæ esse hostem, illamque debilitare, experientiâ confirmant. Isti respondent, Medicum, naturæ ministrum, illi in adiutorium debere venire, purgationemque adhibere, hâc viam monstrante, & sæpe in initiis febrilium symptomatum per vomitum, in fine per sudorem se exonerante; adduntque verendum nisi in accessibus commota euacuetur materia, ne in partem aliquam principem ruat, & in cerebro delirium, in corde syncopem, in venis febres continuas excitet & pro se experientiam stare vrgent. Illi, nesciri quò motus naturæ tendat, idcircóque sæpius à medicamento in contrarium trahente impediri, frustraneamque reddi saluberrimam eius intentionem: & sic pugnant pugnabuntque quamdiu mundus durabit. De crudis morbis agentes aliqui dicunt, in his nihil mouendum, quia non obsequuntur morbi nondum cocti, & separati: replicant alij, vacuationem in principio adhibendam, quamuis crudâ existente materiâ, vt natura melius reliquum vincat. Hi clamant quâuis posse institui horâ diei purgationem in febribus, quia quâuis horâ mouentur humores, vt ex accessibus quarumcunque febrium constat: Certas quilibet humor, referunt illi, motus, predestinationes, certumque tempus habet, teste Soreno Ephesio, & post illum Galeno; sanguis sc. ab hora noctis nona ad tertiam matutinam, inde bilis, vsque ad nonam; dominium exercet; ab hac, vsque ad tertiam pomeridianam, melancholia; & hinc, ad nonam phlegma: ideoque terminos hos, vt motus naturæ adiuuemus, noctu sanguinem purgando, manè choleram &c. in medicamentis præbendis obseruandos precipiunt. Iterum, alij statuunt in intermittentibus rectè præcipi venæ sectionem, quod causa morbi in minoribus venis & habitu corporis contenta, secundum Galenum, ita euacuetur: Non rectè fit, inquiunt plurimi, quia huius generis febrium causa est extra vasa, in capacitate ventris, circa precordia, vt docet Fernelius: qui fatetur, ob incognitam veram causam, eiusque sedem, ad suum vsque æuum, nullius intermittentis febris veram curationem esse perceptam; sed solutionem sponte potius, quam arte successisse: quod de totâ morborum legione, fortè haud mendax, affirmare potuisset. In pleuritide inquiunt Arabes, inconsiderate in affecti lateris brachio tunditur vena, quia euacuatio humorem in latus id, iam affectum & debile ideoque obnoxium incursui malorum (quia naturæ assuetum in debiles partes se exonerare

Morbi, quos Galenici fatentur incurabiles.

Hos falsò sibi curabiles gloriantur.

Methodus incerta in Phleb. & purgat.

Controuersia Galenicorũ an in accessione febrium purgandum.

An crudis morbis purgandum

An quauis hora diei purgandum litigant.

Item, an in intermittentibus vena secanda. Fernelij ingenua confessio.

Controuersia inter Arabes & Galenũ de phlebott. in pleurit.

rare perfluxionem allicit. Galenus cum toto hodie agmine reclamat, & solui sic, si tempestiue, minui, si tardius adhibeatur clamat. Et vt finem his imponam, tẽpus enim volẽtem contradictiones in medendi methodo prosequi me deficeret, ad alia pergens dico; commiseratione ægros, scommatibus medicos, esse dignos, quod nihil adhuc de tertianâ febri, quotidiano nobis hospiti, inter se certi statuerint: sanguinis missionem enim approbant alij, parte mali abscedente ex venis cum sanguine: dissuadent alij, quod sanguinem frænum bilis (quam febris huius statuunt materiam) esse constet. Vidimus inter se belligerantes medicos, videamus nunc concordes cum natura & veritate castra conferre. Scalpellum admittunt vno ore in phlegmonibus, pleuritide, peripneumoniâ, meningum, hepatis, lienis, cæterarumque partium inflammatione, in synochis putridis, vt etiam è puro sanguine accensis, in omni continua febri, denique, vbi vel vacuandus humor in venis contentus, reuellendus, aut deriuandus est: Ego, veritate suffultus, in nullo horum affectuum, præterquam in simplici plethorâ è sincero sanguine, id conuenire statuo; imo noxium esse, aut si quandoque profuit felicem illum euentum plane fortuitum, causa non cognita, fuisse assero. Quo autem planius hæc deducantur, notandum primò, quam confusè vocabula illa deriuationis & reuulsionis, causas nimirum, si Deo placet, solutionis morborum adhibeant, vt rem ipsam dubiam maioribus confusionibus inuoluant. Pulmonis inflammationes reuelli atque deriuari, sectione interioris venę cubiti sinistri asserunt, quod originaria sit ex sinistro latere. Pectoris & Diaphragmatis inflammationi, reuellendo atque deriuando, eandem, si aperiatur, venam conferre. Et tamen reuulsio atque deriuatio terminos habent contrarios & oppositos. Reuulsio enim est humoris ab illa, in quam naturæ suæ impetu fertur, parte reuocatio; deriuatio verò à recto tramite & prono alueo leuis deductio, vel vlterior, quam natura pellit, prolectatio. Et dum inquiunt capitis dolores, scapulis humero applicatis, & capitis vertiginem præscissis, quæ pone aures sunt, arteriis deriuari, annon falluntur? reuelli longè tutius dicerent illos; spiritibus vero viam præcidi in caput meantibus, arteriis dissectis, cum veritate loquerentur. Sed iam ad rem. Impugnârunt aliqui periculosam hanc praxin, qua cruentissima victoria leuissimi interdum morbi superantur, argumentis & validis & firmis: ego vnico, ex nupera obseruatione circulantis sanguinis desumpto, inuicto nimirum, & oculis & sensibus stabilito, illud hic locorum euincam. Cacochymiam in venis contentam non absque effusione sani cruoris cum corrupto fieri nemo illorum negare audet, cum nunquam tota sanguinis massa sit corrupta, nisi omni vitæ spe decollata, atque sic, cum vna vel altera vncia tabi, sex vel septem boni sanguinis euacuantur; quod est crudeli manu amicos tres vel quatuor iugulare, vt vnum cum ipsis perdas inimicum. In praxi ordinaria, venam aperiunt plerumque versus extrema, (v. g. in pleuræ inflammatione) vt reuulsionem faciant, & sanguinem detrahunt donec color mutetur; tum coniiciunt officio suo satisfecisse, extincta inflammatione, & extrauasato sanguine in venas iterum elutreato, huiusq; colorem certũ suæ opinione indicem faciunt. In lienis obstructione saluatellam (vt vocant) vulnerant. Capitis affectus à plenitudine retrahendo exhauriunt, inter pollicem & indicem venis sauciatis &c. At insignem ista omnia sanguinei circuitus inscitiam arguunt, & summum patiens hac methodo coniicitur à medico in discrimen. Nec enim pertusâ venâ vnquam parte ab affecta, qualiscunque sit reuulsio; quia sanguis semel emensas nunquam repetit vias, vt sol nunquam à meridie in orientis plagas, nisi supernaturali virtute, regreditur; animaduerti hoc potest ex brachio vinculo arctissimè constricto, vbi venę versus extremitates quidem intumescunt, versus humerum vero tantum inflari abest, vt potius subsideant, & non nisi leuissimas præsentiæ notas præ se ferant. Mouetur enim (vt supra dictum,) sanguis à circumferentia per venas versus centrum, ab exterioribus ad interna, non verò contrario motu, vt hucusque creditum; Itaque variatio cruoris quæ nonnunquam conspicitur venâ incisâ progredi, ex cordis immatura, nec satis accuratâ, ob angustias temporis, concoctione procedit. Quandoquidem enim exhaustis sanguine venis arteriæ vbera præbent, & copiosior effusio has quoque vacuat; cor potentissime è lacteis chylum attrahens, temporis interuallo

In tertianaan sanguis mittendus disputant.

Galenicorũ concordium pugna cum Veritate.

Quibus morbis adhibeat phlebot. Galenic.

Galeni confundunt deriuat cũ reuulſ.

Argum. vnicum, inuictũ.

Galenici 4. amicos iugulant vt vnum hostem perdant.

Nunquã in venæ sectione fit reuulsio.

Vnde variatio cruoris in pleuritide & aliis.

conuertendi eum in sanguinem prærupto, in arterias effundit indigestum, hæque talem in venas; vel etiam ex vena caua crassiorem arreptum sanguinem, nondum vitalis spiritus mixtione attenuatum, protrudit, qui in patinam receptus mutatione sui inflammationem dissolutam Medicis imponit. In nulla itaque inflammatione viscerum, vel interiorum partium, sanguis, eo quo præscribũt loco, missus quidquam profuit; quia nunquam reuellitur nisi metu vacui, quod tota abhorret natura; nec vllum hîc timendum, quamdiu in arteriis habitat sanguis, & cor officio suo fungens, systolemque & diastolem perficiens, attrahendo & expellendo materiam isti profluuio subministrauerit. Iam cum in crure, Phagedæna existente, varices prope genu præsciderunt suam protulerunt similiter ignorantiam, putantes viam præscidisse nutrici vlceris corrupti; nescientes, remeare iam ab vlceris regione sanguinem versus internum cubile, non vero hinc illuc proficisci. In affectibus venarum domicilium tenentibus minus commodè venæ sectio adhibetur, si corruptionis vitio sunt inquinati; quia, plus boni succi (vt supra) quam mali euacuando, naturam debilitat: In reliquis verò, radice extra vasa existente, vt febribus quibusdam, aut aliis morbis, humore ventriculum, mesenterium, pancreas, regionem hepatis, lienis, renum, &c. vel etiam peripheriam corporis occupante, atque excluso è venis hospitante, scalprum vetat periculũ, ne, deficiẽte intra cor sanguine, ex mesaraicis lacteis chylus vi rapiatur & euellatur, hic vero ex stomacho, & intestinis; vel cor ex venâ cauâ, hæc autẽ ex iecore, cysti fellis, liene, arripiat putredinosos succos, & in vno angulo latens virus per totum corpus spargat. Ergo in sola ex purissimo sanguine plethora, quę omniũ rarissima visitur, ægrorum vtilitas atque euidentes suadent phlebotomiam rationes. Nam in quocunque morbo, etiam in hac, quam liceat exquisitam plethoram nominare, purior sanguis primus elicitur, vt pote, qui nunc primùm ex cordis cohobatione & rectificatione (sit vocibus chymicis venia) tanquam ex officina, vbi & confectus & interpolatus fuit; per arterias in venas effusus prodit, nec ad interiora membra, morborum hospitia, adhuc, à depuratione cordis, gradum retulit. Quapropter nihil hucusque intempestiuis cruoris effecerunt profusionibus, quàm vitæ thesaurum exhaurire, & ægros sæpè in syncopem animi, pulsuum deprauationem, & repentinam mortem, vt non semel vidimus, coniicere, prauis humoribus per id tempus in cor affatim ruentibus, vitæ sedem inquinantibus, herumque interficientibus. Exulet igitur frequentior venæ sectio ab eorum praxi quibus bona existimatio, conscientiæ puritas, rationis dictamen, salusque cordi est ægrorum. Secunda nunc prodeat veritatis acies, & cum purgantibus, & vacuandi per pharmaca methodo, laureatas à recenti victoria manus conserat. Non conuenire statuunt illi in frigidis morbis purgationem, & inde tacitè, ac nil minus cogitantes morbum nullum frigidum, quoad talem, posse curari affirmant; Quippe in calidum mutatus tota specie à priori differet, cùm calidum, frigidum &c. in morbis, apud illos, fere differentias specificas constituant. Quin & contra illos addimus, feliciorem esse in frigidis purgationem, & minus incommodi secum ferre, quam in calidis; Quando enim omne, secundum illos, purgans est calidum, humorem, corpusque ab isto iam calefactum, exagitans, & accessione sui calorem præter naturam intendens, inflammationes partium nobilium, synochum, causum, producet; in frigido nihil tale verendum, quia pharmacum, calore suo, concretum frigore morbum temperat, calefacit, liquat, ac tandem eundem tutò excludit. Idem tenendum de crudis, queis purgatione interdicit Galenus; cum enim sint magis naturæ inimica coctis, illa libentiùs in hæc insurgit, ac è finibus suæ ditionis excludit. Expectandam concoctionem in morbis longis sectarij Galeni, nec festinanti manu purgans poculum propinandum, existimant. Sed qua ratione morbi melancholici omnium pertinacissimi concoquentur, vt faciliori sint obsequio trahenti medicamento? cum ex crassa & terrea progeniti materia, diutius cocti magis siccescant ac indurentur, donec acredinem ex nimio calore contrahentes, in adustam, non naturalem, atram bilem degenerent, quæ nunquam sine noxa corporis humani excernitur. Qui autem dicunt, concoctionem illam fieri mixtione humoris alicuius medicamentosi per Syrupos, Iulepos, &c. eò delati, crassitiemq; & frigiditatem temperatis,

Perperã in viceribus crurum varices præscinduntur.

Phlebot. non cõuenit in morbis quorum causa in venis.

Nec in illisquorũ causa extra venas.

In omni phlebot. purior sanguis exit morboso manente.

Damna ex frequenti phlebotom.

Pugna naturę & veritatis cũ Galenicis quoad methodum purgãdi.

Tutior & melior purgatio in morbis frigidis quam calidis.

An in morbis chronicis concoctio ad purgationẽ expectãda. Melancholia nõ concoquitur.

scientiam inconsultè pharmacis tribuunt noscendi sedes humoris sibi infesti, vt rectâ ad illum debellandum tendant, præteritis omnibus aliis in via obuiis. Accedit, cum melancholiæ in splene habitaculum contigerit, longum syrupo spatium emetiendum, & per stomachum, duodenum, glandulas mesaraicas, lacteas, cor & arterias, atque hinc, per venas in hepar meandum, vt per illud, tanquam militum præfectum, legetur in splenem, vbi inimicus humor stationem elegit, cum mandato, vt, si nequeat hostem superare pugnando, amicitiæ nomine se cum illo misceat, venturum potentiorem Polyphæmum, purgans videlicet, & ambos iam amicos eiecturum. Quin & suspicandum, per tot digestiones, quibus itinere durante subijcitur antequam ad lienem perueniat, illum plane antiquam naturam exuere, si melancholiæ ibi residenti initiò forte esset temparandæ. Verum enimuero, leuiores hę sunt velitationes; ad ipsum robur militiæ accedamus, & reseruatos veteranos, vincere hucusque assuetos, aggrediamur: particularia hæc, ad generaliora pedem moueamus. Absque omni sanitatis damno & periculo, imò cum emolumento, humores noxios in circumferentiâ, minoribus & maioribus venis, totoque corpore diffusos, in renibus, hepate, liene, inflammationibus quoque pleuræ, pulmonis, cerebri, &c. post concoctionem, medicamento aluum soluente exturbari, & optime ac tute hucusque factum esse vnanimes Galenici asserunt: ego, cum insigni & euidenti vitæ sanitatisque discrimine morbi causâ in prædictis partibus existente, per inferiora vel superiora purgationem institui, veritate adstipulante, affirmo. Ratio est, quod tetri illi humores, acres, amari, putrescentes, corrupti, fœtidi etiam à concoctione, & sæpius venenosi, non aliam habeant semitam ad stomachum nisi per cor, retrogradiendo nimirum ex circumferentia in venas, atque inde in cor, donec ad intestina veniant per mesenterium; atque, ideò non possunt non inficere nobile viscus substantiâ suâ infectâ & contaminatâ, dum illius sinus subeunt, & euidens minitari grauissimorum morborum periculum, dum cor impressâ impuritatum labem seruat, atque illâ postridie vel aliquot abinde diebus, perlabentem purum sanguinem inficit, totoque corpore humoris morbosi semina spargit; vnde etiam semper nonnisi aliquot à purgatione diebus, debile corpus pristinum robur colligere animaduertimus. Sin autem morbi quædam subleuatio persentitur, fit id ex accidente, & præter metam Medico propositâ, nec non ex ignota ipsi ratione; nimirum quatenus humor tota latitudine corporis disiectus, facilius seipso vnito domatur, & insensibiles per transpirationes à natura efflatur. Transire vero necessariò prædictis viis, humorem purgandum, nec non penetrare necesse est, cum nullæ aliæ pateant, omnesque Galenici vna voce, ante detectam circulationem sanguinis, & sanguificationem cordis, ex venis ad hepar atque inde per venas mesaræas in intestina eum deuolui affirmarint, reuocare non audebunt nunc sententiam, nouosque excogitare canaliculos, quamuis iecori cum mesenterio nullum intercedere commercium, & illos turpiter lapsos esse, exactior anatomia detexerit. Solæ igitur ægritudines in gula, oesophago, ventriculo, intestinis ac Mesenterio, commodè & nullo discrimine Galenicis purgantibus emunguntur, quod vicinior stomacho materia in primis viis existens, cor nulla molestia afficiat, nec qualitate inimicâ vitale promptuarium inficiat. Neque verò si fortè dicant, bilem per orificium, quo in intestina exoneratur, à tractrice medicamenti facultate pellici, aut lienis excrementa per vas breue, quo ille acorem in stomachum euomit, trahi, quicquam se respondisse existiment. Naturæ vias, potentiam, & partium mutua officia obeuntium imperium, ignorare se testantur, qui talia proferunt. Ratum enim habeant stomachum aliis partibus concreditum nutrimentum, seu vitiosum, seu laudabile fuerit, nulla alia posse repetere viâ, quam eadem quâ misit, etsi illud ea ipsa superioritatis vi è postliminio ipsi accersere licet quâ ab legauit: at cum iam semel bilis flaua in cystide sua fixit tentorium, hospes vesiculæ in expellenda illa totus sui iuris est, nec stomacho, per obliquam, seu oppositam viam illam reuocanti, aures præbet. Eadem sit de splene sententia, quod ille nutritur, ventriculo debet; quod hic gratam aciditatem fruitur, illi gratias agit, & beneficium totum agnoscit acceptum. Hæc genuina corporis est Oeconomia, ita Respublica humana subsi-

Via Syrupori ad splenem lōga.

Digestionibus ipsorum facultas mutatur.

In quibus affectibus nō conuenit purgatio.

Ratio.

Cur interdum subleuatio quædā post purgat. in dictis morbis.

In quibus affectibus conuenit purgat.

Quæ potestas sit stomachi in purgat.

Quem statum politi cum refert corpus humanum.

stit; quælibet nimirum pars ignobilior principi partim subiacet, partim sui est iuris; ignobilissimæ, vtrisque obediunt, domesticæ tamen vtilitati prospiciunt, & sic Corpus humanum minime Monarchiam, sed statum Monarchico-Aristocratico Democraticum refert. Patet id, quod vitia primæ digestionis non emendantur in secunda, nec huius in tertia, vel aliis. Si occultas vias Galenici, vt vim argumentorum nostrorum effugiant, quærunt, quibus tracti humores superflui stomachum petant, permittimus libenter vt in illis cuniculis se abdant, nobis patenti & regia via incedentibus obscuri non placent labyrinthi, nam de abditis non disputat, aut statuit genuina quidpiam Medicina. Audire mihi hîc videor aduersarios murmurantes: Quandoquidem, per te, purgantia nocent in omnibus corporis humani affectibus, stomachi, Oesophagi, mesenterij, panniculi & intestinorum exceptis; & sanguinis profusio damnosa, præterquam in plethora exquisita, THEOPHRASTVS & Chymici quoque peccarunt, dum purgationes in morbis à materia dependentibus, & vltra cor prouectis, præscripserunt; ac ferrum in aliis, quam plethora pura adhibuerunt. Aperiant hîc aduersarij oculos, & quam diuersa ab illis, securiorique incesserint semita, animaduertant. Purgarunt nostrates, id est veri Chymici, (neque enim turbam illam absque naturæ cognitione, sola praxi distillatoria instructam, hoc nomine comprehendo) nonnunquam in morbis quibus purgationem haud conuenire demonstraui; at qualia, obsecro vos, adhibuerunt purgantia? sane nullatenus tractrice vi humores inuitos rapientia, verùm, naturæ grauatæ & torpescenti stimulos addentia, alacriter vt in morbum insurgendo eum expelleret, non in ventrem accersitis causis, more Galenicorum, sed per proximam & commodissimam scientiæ suæ notam viam. Vnde quotidie videmus Antimonialia, Vitriolata, Mercurialia &c. vsitata illis remedia, diuersas in diuersis suppositis, & corporum morborumque dispositionibus, exhibere vires; ac nunc vomitus ciere, nunc per aluum deiicere, iam copiosiorem profundere vrinam, sæpe per sudores euacuare, ac non raro per transpirationes insensibiles grauissimos extrudere affectus; imò idem pharmacum, eadem dosi, eodem in morbo, iisdemque personis sæpius exhibitum, diuersissimas, & diuinas plane, obseruauimus exerere virtutes. Initio enim, dum in stomacho aut primis viis noxium quid hæret, vomitione aut deiectione pellit; his mundatis, in diureticum abit, & tandem Diaphoreticum confortatiuumque euadit. Ludit sic benigna mater natura cum homine & in homine, vt semper diuersam se exhibeat, votisque, beneplacito, & voluptati præcipui artis suæ speciminis complaceat. Nota sunt quę dixi, & notiora quam vt probatione vlteriori indigeant, vel inimicorum vereantur oppositionem ac refutationem. In Phlebotomia quam caute THEOPHRASTVS & Chymici procedant, & quam rarissime morbos sanguine purpurato superari velint scalpello, cognitum, quod nihil fere aliud in ore habeant, quàm vitæ Thesaurum in sanguine contentum conseruandum, aliisque modis morbi mineram effodiendam; & nihil magis nostratibus stomachum moueat, vel THEOPHRASTO ansam reprehendendi Galenicos præbeat, hâc ipsâ frequentiori venæ pertusione. Adeo vt non absque ratione autumare liceat eum circulationem nouisse sanguinis, & cordis munus, licet ea clarissime non explicuerit; vt etiam plura, in hunc diem in eius scriptis obscura, tandem clara dies aperiet. Si tamen nonnunquam in prędictis morbis nostrates sanguinem profuderunt rarissime nec nisi semel factum, exiguoque pondere, nimirum vt sciscitarentur quonam in corpore sanguis modo valeret, & an nulla corruptionis, inflammationis &c. vestigia in illo apparerent, quò certiùs & faciliùs opem medicam quibusuis morborum affectibus, de statu sanguinis certi, adhibere possent. In illis igitur non pro salutis adminiculo cruoris effusionem acceperunt, sed tantum pro signo; nempe vt istis vestigiis morbi essentiam, locum, potestatem, &c. inuestigarent.

Obiect. aduers. — Respons. — Qualia purgantia Chymici adhibuerunt. — Vires ad mirãdæ purgatiuorum Chimicorum. — In phlebotomia Chymici cauti — Cur in dictis morbis interdũ phlebot. adhibuerunt.

Explosis iam præcipuis in arte Galenica remediis, purgatione scilicet, & venæ sectione, abusuque, periculo, & temeritate, in methodo practicandi vulgari detectis; speculemur nunc vtrum alterantia ratione euidentiori, & successu meliori, administrarint. Tantum abest, vt, si cæcæ fortunæ ductu in illis a veritate deducti, prosperos sunt experti aliquando curationum suarum euentus; in his

plane

plane Deæ illius infensam senserunt contrarietatem; adeò vt quos ibi in sinu vtroque amplexos lacerto molliter fouerat, illis tergum hîc irata vertat, & in tantam lucem protrahat gypsatam hucusque scientiam; vt fucus nemini non facilis sit cognitu. Exemplis monstraui superius fallaces frigiditatum, caliditatũ &c. notas, suo se Medentes mutuò iugulasse gladio, & loquacem dentibus momordisse linguam, dum destruere particularis experientia videtur, quam vniuersalis regulam absque exceptione fecerat: sed hîc sole nullis nubibus obscurato clarius demonstrabo, eos inscitiâ crassissimâ; fere nunquam infrigidasse cùm id agere propositum erat; & non raro calefecisse cum morbus frigidum remedium postulabat; aut ad minimum casu metam, vt cæci iaculatores, attigisse, si tamen attigerunt; eosdem non rarò obstruxisse cum resoluere tentabant; incrassasse cum incidere conabantur; &, contrà, morbo attenuantia indicante non semel compressisse & infarsisse &c. nisi quantum experientiam secuti, illius beneficio interdum ab erroribus exempti Empiricos egerunt; quoties verò doctrinã suam & theoremata sequi constituerunt à vero eos aberasse, vt inextricabilibus erroribus inuoluti diuturnas aut mortiferas infirmitudines reddiderint; palam hîc faciam. Duo accipiamus exempla communissima, Iecoris intemperiem calidam, & splenis obstructionem. Chronici sunt morbi, patienter remedium expectant; extra sentiuntur, ita vt externa adiutoria internorum aduocari possint, & effectus vel symptomata habent tam fæda in vultu; vt curatio ab ægrotis magno redimeretur pretio. Notæ autem patentes calidi hepatis sunt facies, præcipuè vero nasus, intensè rubens, crebrisque pustulis asper; obstructionem lienis plumbeus subliuidusq; color prodit, omittens alia signa minus oculis obuia. Volo hîc vt in præcedentibus, semperque aliàs, inducere exempla vulgaria; cuicunque obuia, etiam plebi nota, vt hæc quoque tam euidentibus conuicta demonstrationibus manus det, atque à remediis Galenicorum abstemia ad meliores pecuniam vsus, quàm ad deprauatores suæ sanitatis ditandum adhibeat: quoad enim vulgi crumena auaris ipsorum manibus patebit, eousque splendida Galenicæ artis circumuentio subsistet, hâc occlusâ, solidæ Medentes scientiæ, Deo, conscientiæ, hominibusque approbandæ, & cuius, vbiuis, & cuiuis, poterunt cubicas reddere rationes, operam nauabunt. Ad hepar iam & lienem reuersi dicimus, ad nostra vsque tempora in hepatis refrigerio oleum eos adhibuisse, & perdidisse; in liene autem ab infarctione eluendo laterem continuò lauasse, rerum teste magistra. At vnde hoc? artisne ægritudines hæ superant media, an in desperatorum sedem referendæ? minime verò, sed ignorantiæ suæ Doctores solvunt tributum, digni qui rubore ægroti erubescant. Iactant illi pro refrigeratione hepatis suum Cichorium, tanquam arcanum sympatheticum hepati refrigerando, laudant gramen, acetosam; endiuiam lactucamque conditas adhibent, & eidem vsui fotus & epithemata conficiunt ex rosarum endiuiæ &c. aquis aceto permixtis. Extollunt pro lienis extenuatione lupulum, fumariam, thamaricis corticem, trochiscos è capparibus, syrupum scolopendrij, illitus ex oleo de capparibus, & ingentem segetem: nec tamen pustulas morphæamque ex facie etiam Topicis adhibitis auferre norunt, ruboremque diminuere, vel saturnino colore abacto roseum restituere. Quid causæ quod ista frigida, conuenientia, & hepatica, suum viscus non refrigerant? aut illa splenetica non infarctu liberant lienem? Digestiones sunt tam stomachi quam aliarum partium, quas nunquam intellexerunt, & quibus minimè gentium attenderunt; nescientes digestionem plane rem immutare, & fere nouum ens producere, quanto magis qualitates primas vel secundas conuertere in alias. Etenim cum digeruntur siue potentia siue actu calida vel frigida, nequaquam talia permanent, qualia ante fuerant. Si saltem vinum, poma, vel alios quoscunque fructus obuios considerassent, perspicue vidissent, immaturas uvas austeras, astringentes, frigidasque esse, quæ tum externa solis digerentis virtute, tum interni spiritus coctione dulcescunt; calefiunt, laxant. Cernitur idem in omni crudiori fructu sensim per digestionem incalescente: & ecce prima digestio. Secunda in dolio fit, iam expresso vino, & spiritu liberiore compedibus botri soluto digestionem perfectiorem efficiente, expulsis impuritatibus & fæcibus: per hanc vinum redditur purum & limpidum,

Galenici non feliciores in alterantibus quã purgantibus.

Raró scopum attigerunt.

Duo exempla quæ id conuincunt.

Quando verè Medicinæ studebũt Galenici.

Refrigerantia Hepatis Galen.

Attenuantia splenis.

Ratio cur prædictos morbos curare nesciuerint.

Vis digestionum.

Vuarum & vini exemplum.

Digestio prima.

Secunda.

nutritioni aptum, confortans, & cordiale. Accedente tertiâ digestione fit acetum, leni iuuante externo calore, & spiritu in interiora se abdente. Nam non penitus euanescit, vt falsa plurimorum est opinio, siquidem ex aceto ingeniosè, per expertum Chymicum, nouâ mediante digestione, spiritus ardens potest separari, vt ex vino, & tamen acetum iam longè alius est naturæ quam merum, frigidum scilicet, astringens, tenue, penetrans, incidens, minimeque nutriens: Diuersæ igitur digestiones, diuersas, imò fere contrarias, qualitates producunt, ad quod aduertendum erat hepatis refrigeratoribus, lienisque ianitoribus. In stomacho enim naturâ suâ calida sæpe in frigida abeunt; & contra, hæc illorum assumunt naturam. Exemplum de vino per simplicem digestionem nullo accedente fermento id satis demonstrat. De stomachi vero digestione arduum quid magis sentiendum. Hîc iterum Galenicus populus in plusquam Cymmeriis tenebris hucusque est versatus, dum, præcipuum primumque naturę humanæ operationis modum ignorans, (quid de implicatioribus putandum?) digestionem hanc solo calore stomachi perfici contendit; ideoque calidum stomachum, optimè digerentem; tardum verò in digestione, frigidum vocauit. Verùm insigniter decepti Doctores fuerunt: Non enim calor ventriculi, sed acor ex liene (qui tantùm famis causa ipsis hucusque fuit) in eum eructatus, principem locum in digerendo obtinet. Exemplis res clarescet. Struthiocamelus ferrum deglutitum digerit, non certè calore stomachi, cum illud ne quidem violentissimis flammis, mille struthionis stomachos in fauillas redigentibus, cedat; sed illa aciditate, quâ melancholicum animal abundat. Atribilares (sic nominant scholæ) quis scobem chalybis crudum ventris calore dissoluere contendat? Dissoluunt autem, multiplici experientiâ teste, & illo obstructiones hepatis & lienis soluunt; abundant enim succo illo acido, lienis ob molem, quæ in huius temperamenti hominibus magna. Acida vero dissoluere ferrum constat, ex aceti ad puluerem chalybis affusione, & huius in crocum reductione. Crocus ferri astringens diuturnis vstus flammis, Antimonium reuerberatum in rubedinem, vel fixum album, magnum experta ignem, dum admirandas in corpore exerunt facultates, an calorem ventriculi illa de potentia in actum deducere sanus quis asserat? Aciditas igitur præcipua digestionis est causa, quæ alterantibus illis hepaticis & aliis permixta, cum illisque digesta, qualitates eorum alterat, obtundit, infringit, immutat; acida quippe non solum calidis contrariantur, sed etiam frigidis non paucis: imo vna aciditas alteri bellum infert; vnde in mixtione duarum aquarum acescentium tanta vidimus prælia, vt non solum vas continens, antea frigidum, tenentis manus usserit, sed etiam ex aquis flamma, nouo prodigio, exilierit. Digestionum igitur ratione, scholis incognita, non mirandum si frigefecerint frigida, & adusserint antea calida: ac credant pro certo, quòd, quam diu numerum digestionum, causas efficientes, loca, modumque ignorabunt, tamdiu in medicinę hærebunt limine; & quamuis cani & edentuli, semper tamen tyrones erunt; Illa vero nunquam cognoscent nisi Chymiæ nomen dent, & sub vexillis eius militent. Hęc n. sola est, quæ naturam, tam in Macro quàm Microcosmo laborantem, in digestionibus, separationibus, transmutationibus, exaltationibus, in dissoluendo & coagulando, præparando, fermentando, & nutriendo, perfecte imitatur, & absque huius intimâ (non superficiariâ quam vulgares Chymici possident) cognitione Physicum velle aut Medicum agere, idem est, ac velle nare sine cortice. Extremum quod pensiculandum restat, compositiones sunt pharmacorum, quæ an labenti naturæ restaurandæ efficaciora præparatione sua fecerint, quam natura mater produxit, hîc examinandum foret; verùm, latissime hac se diffundente parte, breui stylo nunc perstringi nequit, cum iam constitutos præfationis limites excesserim, materia sub calamo crescente; alibi fortè spatiosior campus huic amplitudini exponendæ dabitur. Quapropter Colophonem imponam prefationi, postquam admonuero lectorem, de litibus & pugnantibus Galenicorum opinionibus, nec non à veritatis norma aberrationibus, etiam in quibus optime conueniunt, hîc leuiter transeundo attactis, singularem facillimè posse exarari librum; quæ, si liberet, plenius prosequi, liceret, propiori vestigio omnes illorum in medicina gressus premendo, in apricumque

Ex aceto aqua vitæ elicitur.

Longe difficilior cognitio digestionis stomachi.

Non calor præcipua causa digestionis in stomacho sed acor.

Acida etiam frigidis & aliis acidis contrariantur.

Chymia quid præstet.

Nullus verus Physicus vel Medicus absque Chymiâ.

De præparationibus Galen. remediorum alibi tractabit præfator.

Errores Galenicorum innumeri.

cúmque singula errata in curatione singulorum morborum commissa producendo, non minus apertè quam verè demonstrare, vix tot infirmitates, quot ostia sunt Nilo debita methodò conuenientibusque pharmacis fuisse medicatas. Alterum est, certiorem vt faciam legentem, me nequaquam animo offendendi totum Medicorum corpus hæc scripsisse; noui enim permultos, qui sectæ Galenicæ nomen dederunt & adhuc sustinent, secretò Chymicorum castra sequi; inter amicos pro his tanquam pro laribus suis pugnare; tam in methodo practicandi horum statuta sequi, quam medicaminibus propinandis segnitiem Galenicorum stimulo aliquo è spagyria mutuato excitare; vel etiam in morbis obstinatis nonnisi huius manu præparatis vti remediis, &, tandem, reipsa esse puros putos chymicos, nomine verò tenus Galenicos, quòd vix alius, quàm qui Doctoratus scholastici pileolo insignis, licet aliàs doctoribus doctissimis longè doctior, in classes aggregatorum Medicorum admittatur. Non cum his, aio, mihi res est, sed cum illis, qui nasuti sibi ipsis videntur, quique, dummodò velis opinatione adeptæ Medicorum scientiæ turgidis per plebeias ferantur vndas, mox superbo gradu doctorem notante incedentes, in holosericis togis more pauonum in lucidissimis plumosi choragij speculis, se ipsos contemplantur, adspiciunt, & suspiciunt, Chymicos expertissimos caracalla indutos, & fumo carbonum tetros, ipsamque Chymiam Vulcani scholam, abominantur, reiiciunt & despiciunt; qui fauore vel numerata pecunia, sæpe adepti lauream, iam Æsculapium multis stadiis à tergo reliquisse sibi imaginantur, ex tripode loquuntur, & dicta sua vniuersa pro oraculis, absolutissimi Dictatores Recipe, volunt obseruari. Istis, inquam, hæc scripta volo, qui vigilando insomniis omniscientiæ sibi blandientes PARACELSVM & Chymicos Cyclopum famulos, ignarum & non nisi luto & cineribus tractandis assuetum vulgus, prę se nihili æstimant, cum tamen ipsimet requisita cognitione, ad genuinam Medicinæ Theoriam vel Practicam spectante, omnino sint orbati. Non ignorantes hîc noto, verùm superbiæ cum sua inscitiâ nubentes, quosque litera (secundum Apostolum) inflat, reprehendo. Optans interim & vota faciens vt retrogadi ex illâ inferni ianua ad Chymicam lucernam artis suæ scabiem & vlcera agnoscant, ex chymiatriaque petitis remediis curent; aureum sic sperans rediturum seculum, si illi nobiscum, nos cum illis iunctis animis & spiritu, omnes pariter, in mutuam concordiam, morborum excidium, ægrorum salutem, Medicæ facultatis emendationem & perfectionem, in Diuinæ tandem Bonitatis Gloriæque manifestationem, conspiremus.

Non omnes hic taxat Galenicos præf.

Galenici plurimi reipsâ sunt Chymici.

Superbos notat Galenicos.

Votum.

FINIS.

ELENCHVS LIBRORVM
IN SECVNDO VOLVMINE OPERVM
Theophrasti Paracelsi contentorvm.

De Sulphure

Astronomia

Horum omnium librorum extat Index generalis in fine secundi voluminis qui (secundùm editionem Francofurtensem) inscribitur: In libros Sex Posteriores Medico-Chimicos.

NOBILIS-

NOBILISSIMI, CLARISSIMI ac probatissimi Philosophi & Medici,

D. AVREOLI PHILIPPI

THEOPHRASTI BOMBAST, AB HOHENHEIM, DICTI PARACELSI.


Operum Medico-Chimicorum SIVE PARADOXORVM, Tomus Genuinus Sextus,

E Chymicis Primus, Continens, Processus & præparationes Spagyricas rerum naturalium ad vsum Medicinæ: multáque alia de Tinctura Physicorum, & cœlo Philosophorum: de Cœmentis item & gradationibus.

Recenter Latinè factus, & in vsum Asseclarum Nouæ & Veteris Philosophiæ foràs datus.

a ELENCHVS

ELENCHVS OMNIVM LIBRORVM IN SEXTA PARTE OPERVM PARACELSI CONTENTORVM.





ARCHIDOXORVM D. THEOPHRASTI PARACELSI,

LIBER PRIMVS.

De Mysterio Microcosmi.

Miseria humana quanta.



SI miseriam nostram consideremus Charissimi filij, per quam in graui domicilio moramur, & obscuro, fami, nec non plurimis vndiquaq; ac variis accidentibus obiecto, quibus obruimur, & circumdamur, vt florere nobis minimè, imò vix viuere licuerit hactenus, quamdiu Medicinam ab antiquis præscriptam imitati sumus. Nam multis subinde calamitatibus amarisque circumuallabamur conditionibus, ac diris detinebamur catenis, indies quoque peiùs omnia cessura nobis erant, vt plurimis aliis, qui pari nobiscum bilance ponderati sunt, quos etiam antiqui suis iuuare libris minimè potuerunt hactenus, aut sanare. Varias itaque eius mali causas hoc loco non adducimus: hoc solum dicimus Doct. plurimos, eâ scriptorum veterum viâ sibi diuitiarum plurimum, cum iis verò laudis, aut honoris acquisiuisse ac meruisse minimum, sed mendaciis vtique meris tantas opes comparasse. Quo considerato Memoriale nostrum hoc opusculum elaborare conscribereque voluimus, vt ad maiorem, fœliciorem, practicam peruenire possemus, vbi occurrunt nobis illa, quæ magis admiranda quàm vt inuestigari possint vnquam Naturæ Mysteria. Quapropter nobis considerandum venit quînam ars ipsa cum naturæ Mysteriis conueniat, contra hos qui ad artem peruenire minimè potuerunt hactenus.

Medicinæ veteris incõmoda & imposturæ.

Mysteria Naturæ sublimia.

Mysteria Naturæ qui se habeant. Alchimiæ præstantia

Mysterij Naturæ vires non aliter suis corporibus impediuntur, quàm vinculis & compedibus in carcere detentus sit: cuius animus liber est. Operibus námque Mysterium hoc, simile est igni cupiam in ligno viridi, quod ardere cuperet, verùm ob humiditatem nequit.

Cùm igitur impedimentum à rebus illi proueniat, ab eis vt liberetur videndum erit: quo libero, non aliàs ars ista separationum ad Aromatariorum artem, quàm lumen ad tenebras comparanda est. Quod quidem non cum arrogantiâ dicimus, sed quia pessimè nos habent enormes illæ nequitiæ quæ fiunt in pharmacopoliis, & Medicis instituuntur. Quamobrem non immeritò vocamus tenebras, aut latronũ & impostorum speluncas: cùm in eis plurimi curentur ob pecunias per ignaros homines: quas si non haberent, sani vel in principio illicò iudicarentur, cum scient illi, nullum in suis consultationibus esse remedium vel auxilium.

Medicorũ veterũ auaritia notatur.

Ars quæ vero sit.

Cùm igitur ars illa sit meritóque dici debeat, quæ naturæ Mysteria docet scil. per Quintam essentiam curare contracturam atque sanare dierum spatio 4. quæ quidem aliàs in mortem vsque perseueraret: item vulnus horis 24. ad curæ suæ finem perducere, quod fieri totidem dieb. per corpora nequiret; Mysteriorum naturæ separationem ab impedimentis corporum per experientiam alacriter iam deinceps aggrediamur. Primò autem est considerandum, quidnam homini sit omnium vtilissimum, & quid excellentiss. nempè Naturæ Mysteria cognoscere, per quæ perpendere potest, quidnam Deus, & quid homo sit, quid in vtroque valet vsus cognitionis eorum, cœlestis videlicet æternitatis, infirmitatisque terrenæ. Ex quibus Theologiæ, Iustitiæ, veríque (*al. Rhetoricæq;*) notitia perbellè nascitur: item quòd Mysteria naturæ solùm vita sunt hominum, & hæc tamen imitanda, quæ ex Deo tanquam æterno bono sciri, nec non impetrari possunt. Nam etsi miranda quædam in Medicina, ac in Mysteriis naturæ longè maiora deprehendantur, nihilominùs post hanc vitam æternum est Mysterium, cuius quod aut quale sit, aliud nullum habemus fundamentum, quàm per Christum nobis manifestatum est. Indè quidem oritur ignara Thheologorum stolitidas, eorum, qui Dei Mysteriorum interpretationes depromere conantur, ex eo, cuius minimum apicẽ non intelligunt, quódq; nobis hominibus innotescere minimè potest, quænã fuerit voluntas eius, qui dedit. Verùm illi verbũ eius ad superbiam & auaritiã contorquent, vnde seductiones ortæ sunt, ac indies magis inualescunt, vt in Monarchia ponimus. Quare nos Rationem minimè fundatam in Mysteriis visibiliter, vilipendimus, imò nihili facimus. Itidem Iuristæ iuxta suas opiniones leges sanciunt, vt ipsis nihil depereat, licet Reipub. prorsum in periculo vtilitas versetur.

Mysteriorum cognitione nihil excellẽtius.

Mysteriũ æternũ, &c.

Theologi taxantur.

Iuristæ reprehenduntur.

Cùm igitur in huiusmodi facultatibus tã vana negotia præter æquitatem veniant in vsum, eas missas faciamus in suum vsque tempus. Nec eorum stultiloquia curemus, qui plura de Deo loquuntur, quàm ipsis ille patefecit, cúmque pariter intelligere volunt, ac si fuissent à consiliis eius, nos interim vilipendentes, naturæq; Mysteriis detrahentes, nec non Philosophiæ, quorum tamen omnium toti ignari sunt. Clamor improbus horum potissima scientia est, quo sese fore præsumunt illos, à quib. fides integrè dependeat, & sine quib. cœlum atque terra perirent. O hominum vesaniam nec non imposturam

imposturam maximam, cuius loco potius æquum foret se nullos inutilésque seruos vt existimarent. Quamuis & nos per vsum hos imitantes, vnà cùm ipsis nostri Doctoris & Conditoris vnici verbum ad superbiam nostrâ inflectere, facilè discere possemus. Verùm, cùm verbum non exactè nobis cognitum, solâ fide sit apprehendendum, & nullâ terrenâ, quantumuis apparente ratione stabilitum sit, hoc onus, imò iugum potius abiiciamus, & naturæ Mysteria inuestigemus, in quibus finis veritatis fundamentum approbat nec ista solùm, verùm etiam illa Mysteria, quæ summam charitatem adimplere docent. Atque iste thesaurus ille summi boni est, quem in ista nostrorum Archidoxorum conscriptione materialiter intelligimus, & spirituale Monarchiæ nostræ committimus.

Archidoxa quid considerent.

Ex prædicto fundamento Medicinam depromimus per experientiam, quâ certi reddimur ad oculum cernentes rem ita se penitus habere. Practicam igitur aggredientes, Archidoxorum librum hunc nostrum decem in partes diuidemus, nobis ad memoriæ subsidium quoddam, vt ea non obliuiscamur, & simul ita loquamur apertè, vt intelligi queamus à nostris, & non à plebeis, quibus vltrò ista minimè volumus esse manifesta. Nostrum siquidem animum, cogitationes, & cor surdis illis aperire nolumus, vt nec impiis hominibus, sed arcana istis muro procludere forti clauéque studiosè conabimur. Et si fortè labor hic noster ab istis Idiotis, qui verarum artium omnium sunt inimici, tutus satis non foret, decimum librum de præcedentium vsibus minimè scriptum esse volumus, ne filiorum panem canibus exhibeamus. Nihilominùs alij nouem à nostris abundè satis intelligentur.

Archidoxa quibus scribantur.

Theoph. decimū librū cur nō scriptus sit.

Et vt de his loquamur artibus apertiùs, in hoc de Microcosmo tractatu sciendum est, in eo probari demonstrarique singula tum ea quæ continet, medicinámque recipiunt, tum quæ huic permiscentur. Item ille non aliter à Medicinâ vincitur ac regitur, sequens eam, quam sequitur ducentem frenatus equus, aut vinculis constrictus canis rabiosus. Ad hunc modum intelligo Medicinam attrahere naturam, ac omne quod vitam habet. In eo tria nobis occurrunt, quæ demonstrant, quibus talia viribus compleantur & fiant. *Primò*, quâ ratione quinque sensus à naturæ mysteriis adiuuentur, cùm à naturâ non proueniant, nec oriantur naturaliter, vt herba quæpiam ex suo semine: verùm ibi materia non est, quæ producat illos. *Secundò*, corporis mobilitas considerada venit, vndè nam procedat; & à quo moueatur vel agitetur, & quo modo subueniatur ei? *Tertiò* virium omnium in corpore diuisionis cognitio necessaria, & quænam vnicuique membro conueniant, & iuxta naturam eiusmodi membrorum transmutentur, cùm tamen ab initio natura sint vnica.

In Microcosmo quæ cōsideratu digna sint.

De his itaque primùm dicemus prout de visu, auditu, tactu, gustu, & odoratu, Exemplū tale docet. Oculi materiam habent ex quâ constant, vt de corporis compositione traditur. Sic etiam de aliis: Verùm ipse visus non est ex eo semine, de quo procedit oculus: nec auditus ex tono, vel ex eo, de quo nascuntur aures, neque tactus ex carne, gustus non ex linguâ, neque odoratus ex naribus, non magis quàm ex cerebro prouenit ratio sed organa sunt illa corporea, vel scrinia potius in quibus nascuntur sensus. Nec etiam intelligendum eos à creatoris gratiâ dependere, sic vt non sint ex natura hominis, sed infusa solum à gratia Dei præter naturam omnem, hoc fine, vt, si quandoque cæcus nascatur, magnalia Dei nobis innotescant. Hoc loco non ita censendum. Nam prædicta suum corpus habent insensibile, impalpabile, sicut cæterum corpus tangibile contra existit. Omnis enim homo ex duobus componitur, ex corpore materiali videlicet, ac spirituali. Materia corpus, sanguinem & carnem dat: Spiritus autem dat auditum, visum, sensum, tactum & gustum. Quùm ergo surdus nascitur, ex domicilij defectu id fit, in quo debet morari auditus. Nam spirituale corpus operationem suam non perficit in loco malè disposito, cuius causam de generationibus hominum ponimus.

Sensuū quæ materia.

Cæci cur nascatur.

Homo ex duobus corporibus constat.

Surdi cur fiant.

In eo cognoscuntur ergo Magnalia Dei, quod corpora duo sint, æternum videlicet, & corporale in vnum conclusa, prout etiam patet de generatione Hominum. Medicina autem in domum operatur, eam repurgando, quo spirituale corpus actiones in ea suas perficere queat, non secus ac si beta in munda vel incontaminata camera.

Postmodùm ad motiuam facultatem corporis venientes, inquiremus, vnde ea sit, & suam originem accipiat, quod scil. corpus vniat se medicinæ, vnde virtus augetur motiua. Res sic intelligenda est. Omne quod viuit, suum à natura motum habet. Hoc satis per se probatum est, quoad naturalem motionem. Sed motus ille, quem putamus, declarandus est, vt qui fit ex arbitrio, prout si bracchium subleuem, quibus viribus id fiat quæri potest, cùm organum aliquod non videam, quo ipsum attraham, sed tantùm id ita fiat, quâ sic fieri cupiam. Simile de saltationibus, ambulationib. & cursu, nec non aliis iudicandum est, quæ contra vel prêter naturæ motum fiunt: cùm ex propria natura nil, sed ex accidente fiat. Hæc originem habent ex eo, quod intentio magistra potens existat supra motum meum, ad hunc modum scil. Intentio vel imaginatio incendit virtutem vegetatiuam, sicut ignis lignum, &c. vt de imaginatione peculiariter scribimus. Nullibi ergo potentior est in alio quopiam operationes adimplere suas, quàm in proprio suo corpore, cui inest, & in quo viuit. Item in omni corpore nihil incensu facilius est anima vegetatiua, quod ista per se currat & vadat, & ad hæc diposita sit. Sicut enim coopertus aut sepultus ignis, quamprimùm nudatur, aërémque habet, ardet: Sic & meus animus ad rem aliquam videndam intendit. Non possum oculos dirigere manibus quò velim, sed imaginatio mea conuertit eos, quocunque respicere mihi libitum est. Idem & de itione iudicandum est. Si enim progredi cupiam, idque arbitrariò mihi proponam: iam meum corpus dirigitur ad hunc aut locum illum mihi præsumptum. Et quo magis id in imaginatione cogitationeque meâ fuerit impressum,

Motiua vis vnde.

Imaginationis vis quāta ad motum.

Imaginatio promouet corpus.

impressum, eò celerius curro. Hâc ratione mei cursus imaginario est motrix. Non secus medicina corpora mundat, quibus inest spirituale, quò fit vt illa motio faciliùs perficiatur.

Tertiò intelligendum est, in corpore distributionem fieri, in omnia membra, ex omnibus illis, quæ aut foris aut intùs offeruntur. In distributione illa fit mutatio, quâ res ita cõmutantur, vt pars vna complexioni cordis inseruiat, alia cerebri naturæ accommodetur. Et sic etiam de reliquis. Duobus autem modis corpus ad se trahit, internè scilicet, externéque. Internè attrahit, quicquid per os assumitur. Externè attrahit aërem, terram, aquam & ignem. Res autem ita constituenda & definienda est. Ea quæ introrsum recipiuntur, haud sunt scriptu necessaria, cùm per naturæ fundamentum nota sint, quæ distribuantur, prout infra de diuisione. Exteriùs verò sic intelligendum est, quod corpus ab externis quatuor elementis per totã cutem attrahat sibi necessarium. Quod nisi fieret, internum alimentum haud sufficere posset ad sustentationem hominis. Quandoquidem humor, in corpore non inexistens per consuetudinem, per ipsum extrahitur ex aquâ, prout etiam fieri potest, vt quamdiù quis in eâ steterit aut sederit, sitim vt extrà non sit opus extinguat. Non quidem eo modo hoc fit, quòd per aquam extinguatur calor, velut ignis, sed calor internus attrahit humorem extrinsecum ad se, bibítque non aliter, ac si foret intrinsecus. Hinc fit, quòd vaccæ per integram æstatem in Alpibus absque potu manere valeant: aër siquidem illis potus existit, vel eius supplet vices. Idem & de homine statui debet.

Tractio corporis duplex.

Vaccæ in alpibus tota æstate non bibunt.

Natura præterea hominis etiam absque cibo sustentari potest, cùm pedibus in terrã plantatus fuerit. Sic vidimus quendam qui sex mensibus absq; cibo vixit, eóque solo sustentatus fuit, quòd super stomachum terræ partem glebámq; gestaret, eâque siccatâ nouã & recentem subinde assumeret. Is eo tempore integro nunquam famere se protulit: cuius rei causam de appetitu naturæ ponimus.

Famis remedium terræ vẽtri imposita.

Sic & per medicinam vidimus, quendam seipsum sustentasse multis annis, per quintam scilicet essentiam auri, sic vt in singulos dies vix ℈ß. illius assumeret. Hinc fuerunt etiam alij multi, qui plurimis annis, vt viginti nihil ederunt, quales temporibus nostris vidisse memini. Probitati pietatiq; personarum hoc ipsum, atque etiam Deo solet à nonnullis tribui, quod impugnare minimè cupimus, aut iudicare. Naturale tamen hoc est, vt pote mœstitiam, melancholiam animíque desponsionem famem atque sitim adimere, sic vt per corporis attractionem ad se multis annis istud sustentari valeat. Quandoquidem cibus & potus ita non sunt ordinati, vt necessariò panem aut carnes edere, vinum aut aquam bibere debeamus, verùm etiã aëre, nec non terræ glebis vitam sustentare nostram possumus: & quicquid in cibum ordinatum est, id vt tentemus & gustemus, factum esse credendum est: quod latiùs in Monarchiâ Dei declarabimus. Quamuis id concedamus, fieri non posse propter labores nostros & similia, vt temporali corporalique cibo careamus, idque plurimis de causis. Quare cibus ordinatus fuit ad hoc, vt medicina contra morbos.

Inediæ exempla.

Mœstitia famẽ ac sitim sedat.

Cibus non tantum panis, vinũ aut aqua.

Cibo cur homo carere nequeat.

Distinctionem rerum in corpus intrantium, ad hunc modum igitur faciemus, quòd per eius partes omnes distribuantur, non aliter quàm si vinum ardens in aquam effundatur, tota concipit odorem illius, quia per totum corpus eius diffusum est: itidem cùm atramentum in vinũ iniicitur, nigrum hoc illo totum efficitur. Sic etiam in humano corpore humor vitæ statim diffundit ea quæ recepta sunt, ac citiùs quàm exemplis istis proposuimus. Qua forma verò transmutetur assumpta substantia, huius natura solùm consistit in membris, quæ recipiunt, eámque digerunt in sui similitudinem, non aliter quàm si panis traiiciatur in hominem, caro fit hominis, & in piscem, caro fit piscis, &c. Similiter intelligendum, quòd à naturæ membrorum viribus assumptæ res transmutentur, iuxtaque naturam assumentium partium approprientur. Id ipsum de medicinis similiter etiam iudicandum est, istas in membra transmutari secundum horum proprietates. Nam suas vires & virtutes à propriis medicinarum substantiis accipiunt, iuxta bonam aut malam dispositionem earum, subtilémue aut rudem, prout medicina fuerit. Vt si est de Quinta Essentia, fortior potentiórque transmutatio eius futura est. Si verò crassa, talis etiam manet, non aliter quàm imago suum à coloribus ornatum, pulchritudinem, vel deformitatem habet: qui si nobiles fuerint, & illa similis erit. Quapropter vt experientias nostras in illis, qui nobis occurrerunt, in similibus colligamus, ac in delectione memoriamq; nostram congeramus, vt cùm indiguerimus illis, in promptu nobis sint: Nouem hos libros conscribemus, decimum in occipitio nostro clausum reseruantes propter ingratos idiotas. Nostris autem nihilominùs hæc satis declarata erunt. Et nemo nostræ doctrinæ scholam admiretur: quæ licet contraria sit cursibus ac methodis antiquorum, in experientia tamen, quæ rerum omnium est magistra, per quam etiam artes omnes probari debent, firmissime fundatur.

Forma rei trãsmutãda vnde pendeat.

Finis Prologi & Microcosmi Libri primi Archidoxis ex Theophrastia.

LIBER SECVNDVS ET TERTIVS ARCHIDOXIS EX THEOPHRASTIA PARACELSI THEOPHRASTI.

De Separationibus Elementorum.

PRIVSQVAM elementorum separationum declarationem aggrediamur, quædam (etsi de generationibus rerũ scripta, separationibus etiam elementorum non vsque adeò consona sint) pro maiore & clariore eiusmodi separationem intelligentia explicabimus. Conuenientiùs namq; res omnis ad finem suum perducitur, vbi maturo prius intellectu, quis finis eius existat, consideretur. Eò siquidem practica dilucidior euadit. Dicimus igitur in omnibus rebus Elementa quatuor vna existere, ex quibus cuilibet oritur prædestinata sua res. Qua ratione tamen ista quatuor elementa sibi mutuò contraria, concordare, simúlque morari

Elementa 4. rebus omnibus insunt, & quomodo.

citra sui destructionem queant, ad hunc modum intelliges. Cùm elementorum mixtio in prædestinatione ita vnita & corroborata est: talis existat in eis nullum pondus habetur, sed vnius quàm alterius in rebus dominatio maior existit. Ex quo quidem intelligitur, quòd in digesto fermentóque prædestinationis, fortissimum prædominetur, aliaque vincat & subiuget elementa. Hoc modo tria cætera elementa ad suam perfectionem minimè perueniunt, sed ad illud perfectum Elementum se habent, tanquam in ligno leuis materia. Quapropter Elementa vocanda non veniunt, cùm perfecta non sint omnia, sed solùm vnum. Non igitur, cùm de quatuor elementis loquimur, quæ finaliter rebus omnibus insint, definitiuè sic intelligendum est, quòd quatuor in eis perfecta sint, sed finitum vnum tantùm inest, reliquis imperfectis manentibus propter vires præcellentis elementi. Hinc fit, vt ea simul conuenire & consistere possint, quòd in tribus nulla sit perfectio. Quare nec vlla corruptio per contrarietates dominari potest. Præterea, quod Elementum in vno genere prædominatur, id in hoc prædestinatum est. Et ideò nulla corruptio neque permixtio potest eis adhærere, prout de generationibus ponimus.

Cùm ergò tantùm vnicum in vnaquâque re sit particulariter elementum non opus est, in rebus elementa quærere quatuor, cum tria non sint in perfectione positâ. Finaliter itaq; nobis intelligendum est 4. in omnib. elementa rebus existere, sed non actu 4. complexiones. Res ita se habet. Substantia continet elementum Aquam, & tunc Nenufar est. Præter hoc in ipso nulla terra, nec aër, neque ignis existit. Item in eo nulla similitudo caloris neque siccitatis est. Peculiarem enim nullam operationem habet, sed eius prædestinatio est Aqua, ac vnicum elementum aquæ est, sub quo nulla siccitas, nulla caliditas est secundum agnatam suam naturam. Quanquam autem ita se hæc omnia habent, adhuc tamen penes ipsum tria sunt alia elementa, sed non ex tribus illis, quæ scilicet perfecta non sunt enata, neque principium aut auxilium ex ipsis habentia, sed ortum suum nanciscuntur ex prædestinato Elemento, quod ei generi vnitum, & impressum est.

Et quamuis id contra communem Philosophiam pugnet, videlicet prædestinatum vnum Elementum ex suâ naturâ cætera tria habere sibi adhærentia: credibile tamen est, quòd elementum & substantia sint inter se differentia. Idque sic intelligendum: Substantia non est ex illo Elemento, quod substantiam tingit ac elementat: nec etiam hæc Elementa ex substantia sunt, sed pariformiter simul conueniunt, vt corpus & anima. Iam verò vnumquodque corpus veluti crescentis alicuius, complexionem habet: similiter & Elementum. Quanquam Elementum ipsum in crescentis corpore visibile non est, nec tangibile, nec demonstrabile, ideò, quia Elementum hoc propter suam subtilitatem fortius est, & crescentis alia Elementa subiugat. In corpore tamen omnia insunt, sed imperceptibiliter, vti cù aqua permisceretur aceto, huic illa similis fit. Et licèt acetum illius immutàrit essentiã omnem, aquæ tamen complexio nihilominus incorrupta manet, nec est acetũ eâ de causâ, verũ æquè ac priùs aqua. Et quamuis aquæ virtutes non exerat, per hoc tamen non stat, quin eas adhuc habeat.

Istis propositionibus declarare cupimus, quâ viâ separationes Elementorum fieri debeant, vbi duæ practicæ nobis intelligendæ veniunt: vna, cui conuenit Elementi prædestinati separatio, quam in libro de Quintâ Essentiâ declarabimus. Altera, ad quam Elementa quatuor substantialia pertinent in crescentibus existentia. Per id intelligitur, prædestinatum Elementum Quintam Essentiam existere, nec à sese mutuò separari posse, tantùm à tribus Elementis, vt infrà de Quinta sequitur Essentia. Verùm vbi de quatuor Elementorum separationibus loquimur intelligimus quatuor illa, quæ sunt in corpore essentialiter. Hinc varij surrexerunt errores, quòd in prædestinato Elemento quatuor Elementa quæsita fuerunt, & præterea etiam Quinta Essentia, quod minimè potest fieri. Separationis practicæ duæ sũt.

Porrò sciendum est etiam, cùm Elementa corporũ separanda sunt, vt vnum ignis existat, aliud aqua, tertium aëri simile sit, quartum verò terræ, iuxta suas complexiones, quòd Elemẽta interdum cũ suis formis appareant nonnunquã cum cõplexionibus, ceu aqua velut aqua, aër vt aër, terra vt terra, & ignis prout ignis. Hæc subtiliter intelligenda sunt, tum demum per similitudinem benè fieri posse, si illa pro vnione sumantur Elementorum, non visibiliter aut in actu, neque iuxta naturam ignis Elementi, sed vt complexio calida & sicca, tanquam ignis. Hoc modo cuique Elemento sua natura, essentia & conditio tribuitur, non corrupta proprietate. Non enim putatur, quia calida plurimùm herba quæpiam sit, vt vrtica, quòd ob id plus ignis in se contineat, sed potiùs existimatur, ipsius Quintam Essentiam esse calidiorem Essentiâ Quinta chamomillæ, quæ quidem caloris minùs habet. Verùm Elementa corporis minùs aut magis accipiunt ex sua substantia, prout lignum plùs ignis in se continet quàm herbæ: similiter lapides habent in se plùs siccitatis & terræ, quàm resinæ. Vrtica quo modo chamomilla calidior.

Notato ita pariter gradus multitudinem & quantitatem in Quinta Essentia oriri ex Elemẽto prædestinato. Et intensio gradus Elementorum corporalium emergit ex specie substantiæ, quæ dissimulis est.

Sed ad separationis corporalium Elementorum à cæteris rebus omnibus faciendæ practicam veniendum est, quæ duplex habetur: Vna quidem ex puris Elementis tria elementa docet elicere, vt ex igne ardente, inuisibili aëre, ex vera terra, similiter ex aqua naturali, quæ similem originem, vt præcedentia non habent. Practica separationis duplex.

Altera quidem est eorum, ex quibus illa quatuor existunt, vt supra diximus, cum differentia tamen tali, quòd hoc plùs exhibet elementi ignis, aquæ, terræ, vel aëris, cum essentialium elementorum formæ similitudine. Cùm ad hunc modum separata fuerint non possunt dissolui ampliùs vnquam, vt scilicet

licet corrumpantur vltra complexiones.

Elementorū Essentiæ formales per separationē inueniūtur.

Animaduertendum etiam Elementa, per separationem ad similitudinem essentialium elementorum inueniri formaliter. Nam aër vt aër apparet, qui minimè concludi potest, quod aliqui falsò putant, hac de causa, quia statim in momento separationis exaltat se, nec non ventus erumpit aliquando, cùm aqua sursum ascēdit, cum terra nonnunquam & aliàs cum igne. Exaltatio siquidem aut eleuatio in aëre plurimum est admiranda. Veluti si ex Essentiali aquę elemento aër separandus sit, bullitione illud fit. Qua quidem incipiente, mox ab aqua separatur aër, secúmque leuissimam aquæ substantiam defert, & quantùm minuitur aqua, tantùm ipse aër etiam iuxta suam proportionem & quantitatem imminuitur.

Aer ab aqua separatur bullitione.

Notandum igitur hic est, nullum Elementorum citra aërem concipi vel haberi posse, licèt aliorum quoduis sine alio. Quare non suscipimus onus aërem separandi seorsum, cùm sit in aliis tribus, vt in corpore vita. Nam à corpore cùm separatur, omnia pereunt, vt clarè de separationibus docemus in sequenti practicâ. Quatuor hoc loco viæ considerandæ sunt: vna quidem est in aquosis corporibus, id est herbis, quæ plùs aquæ quàm aliorum Elementorum vllum habent. Secunda est in igneis corporibus: talia sunt ligna, resinæ, olea, radices, &c. quæ plùs in se continent igneæ substantiæ, quàm aliorum. Tertia de Terreis corporibus est intelligenda, quæ sunt lapides, luta, nec non terræ. Quarta verò de aëreis, & hoc in tribus aliis omnib. vti meminimus. Pariformiter etiam de puris elementis totidem viæ considerandæ sunt, ad modum eundem vt supra de quatuor præcedentibus dictum est.

Aer elementorū vita.

Separationes metallorum &c.

Hinc iam cognitu facile est, quænam Elementa, & quî separanda sint. Inter quæ primùm ex metallis elementorum separationes occurrunt, quibus prædestinatæ virtutes insunt peculiares quæ Elementis cæteris deficiunt. Etsi enim Elemēta similia sint omnia, formâ, caliditate nempe, frigiditate, humiditate, siccitatéq;: Non tamen in vno prout in alio siccitas aut humiditas, vel caliditas & frigiditas eadem existit: nam in aliquibus est Appropriatiua, in aliis verò Specifica, variis ad hunc modum viis, vti sunt in vnoquoque genere quæque naturatæ peculiariter, & essentialiter: cùm nullum genus elementorum virtutibus alteri simile sit.

Elemēta quomodo inter se similia & dissimilia.

Sic etiam de separationibus Marchasitarum statuendum est, quæ similiter in practicâ, nec non elementari naturâ differunt ab aliis. Nam vnum quodque genus est in peculiari separatione positum, & particulariter practicari debet. Postea lapides & gemmæ suã demonstrare debent elementa, nulla similitudine cum aliis apparentia.

Separat. Marchasitarum, lapidum &c.

Deinde Salia peculiaris existunt & excellentissimæ naturæ, plurium etiam proprietatum, quàm in aliis percipiuntur. Est & in Herbis essentia diuersa, quæ cum ipsis mineralibus nulla via conueniunt: nec possunt similia esse, quod ad ipsorum naturam attinet. Postea lignorum, fructuum, corticum, & similium, singularis est proprietas: item carnis, potuum, & ciborum omnium comestibilium, & non bonorum atque mundorum, malorum & impurorum, quæ separari debent in Elementa.

Salium proprietates plurimæ. Herbarū & mineralium natura diuersa.

Istius separationis, quam putamus duæ reperiuntur viæ: quarum vna fit separatione cuiuslibet elementi, per se in peculiare vas cōclusi præter virium ipsius corruptionem, aëre excepto.

Separationis rerū vt duplex.

Altera separationis via est puri ab impuro quatuor in Elementis, ad hunc modum scilicet. Postquam Elementa separata sunt, vnum ab alio nempè, crassam habent substantiam adhuc, ea de causa alia quidē separatorū elementorum eiusmodi sequitur separatio. Quare practicam istarū omniū declarare volumus. Primò namque sciendum, rerum Quintam Essentiam hac via separandam & extrahendam esse: quòd scilicet elementa ex corporibus in Essentiæ Quintæ natura non subiugentur, sed cum eis relinquantur. Itaque illa tingere potest Elementa, vel fortiùs vel leuiùs. Hoc ita intelligendum venit, quòd elementis vires ob id non depereant, cùm prædestinatum elementum, hoc est, Essentia Quinta extrahitur, quæ pariter & ipsa elementalis existit, & separabilis, quoad formam elementalem, sed non quoad diuersas naturas, vt patet de quinta essentia.

Ess. 5. natura.

Per eiusmodi separationes, omnes elementales infirmitates ex vna simplici curari possunt, ad hunc modum videlicet, si prædestinationes illæ contra istas pugnant, vti de prædestinationibus ponimus. His itaque satis initium separationum deteximus; quapropter ad practicam earum est accelerandum, quarum decupla est varietas: Vna *Metallorum*, secunda *Marchasitarum*, tertia *Lapidum*, quarta *Oleaginosorum*, quinta *Resinarum*, sexta *Herbarum*, septima *Carnium*, octaua *Succorum*, nona *Vitreorum*, decima verò *Fixorum*. Ad istas elementorum separationes viæ tres habentur: vna per *Destillationes*: secunda *per Calcinationes*: tertia *per sublimationes*. Huc faciunt omnia exercitia, vt manuum applicationes ad ignem, atque labor, & quæ necessaria alia ponentur in sequentibus.

Separationis practicæ tres sunt.

Separationis modi [illegible] Metalla soluendi ratio.

De separationibus Elementorum ex Metallis.

AD Elementorum separationem ex metallis, opus est optimis instrumentis, labore, diligentia, cum artis experientia, manuum ad opus hoc aptitudine.

Aq. fortis ad metallorum solutionē.

Primò fac aquam fortem ad hunc modum.

Accipe *salnitrum, vitriolum, & alumen aqualibus partibus, quæ destillabis in aquam fortem.* Hanc rursus ad suas fæces affundes, iteratóque in vitro destillabis. In hac aqua forti clarifica argentū, & postea in ipsa sal Ammoniacū solue. His peractis accipe *metallū in laminas redactū & in aquā resoluas ibidem, id est, in eadem aqua: tandē separa per balneū Mariæ: rursum affunde, hoc itera toties donec in fundo repertum sit oleum, ex Sole vel auro spadiceum, ex Luna lazuri[illegible]m, ex Marte rubeum & valdè obscurum: ex Mercurio album, ex Saturno liuidum atque plumbeum, ex Venere viride prorsus, & ex Ioue fla[illegible]um.*

Præparatio diuersarũ metallorum diuersa.

Quanquam non omnia metalla sic in oleum reducuntur, nisi quæ præparata prius fuerint, vt *Mercurius est sublimandus, Saturnus calcinandus, Venus florificanda, ferrum crocificandum, Iupiter reuerberandus*: at Sol & Luna facilè se dedunt.

Postquam ad hunc modum in liquidam substantiam reducta metalla fuerint, eáque se disposuerint ad elementorum suorum disiunctionem (quod in metallica natura minimè fieri potest: nam vnaquæque res prius ad vsum cui conuenit præparanda, postmodum ad huius olei partem vnam adde, recentis aquæ fortis partes duas, & simul optimo vitro clausa, ponas in fimum equinum per mensem. Indè pòst igne lento prorsum destillabis, vt materia coaguletur in fundo. Et aqua fortis, quæ ascendit, si per balneum destilletur ad hunc modum, duo simul elementa inuenies. Sed non ex omnibus metallis eadem Elementa relinquentur. Nam ex auro manent in balneo terra & aqua, sed aër est in omnibus aliis tribus, & elementum ignis manet in fundo, quia substantia, nec non tangibilitas auri ex igne coagulata est: ergo substantia conueniet in substantiali. Ex Lunâ manebit in fundo elementum aquæ & in balneo elementa terræ & ignis. Nam ex frigido & humido enascitur substantia, nec non corporalitas Lunæ, quæ quidem est fixæ naturæ, quæque non potest eleuari. Ex Mercurio manet ignis in fundo, & terra & aqua sursum eleuantur. Ex Venere manet etiam ignis, & ambo nempe terra & aqua manent in balneo. Ex Saturno manet elementum terræ in fundo, ignis & aqua habentur in balneo. Ex Ioue manet aër in fundo, & ignis aqua & terra eleuatur ab eo.

Auri quę elemẽta subsidãt.

Argenti quæ Elementa.

Mercurii quę Elementa Veneris quæ elementa Saturni, Iouis &c.

Notandum igitur, aërem in Ioue corpus præstare, & in nullo alio quoquam metallo: cuius quamuis aliqua pars etiam vnâ ascendat, ac inseparabiliter tribus cæteris Elementis permixtus maneat: is tamen corporalis non est aër, sed aliis adhærens & concurrens, ac ab eis inseparabilis.

Iam notandum est emanentiam illam, hoc est, elementum corporale, quod in fundo remansit, cum forti aquâ recente per balneum in oleum reduci debere. Et sic perfectum erit hoc elementum, quod seruabis pro parte vnâ. Cætera per balneum hoc modo separabis. Ea pones in arenam, vrgebísque leuiter, primò quidè eleuabitur ac exibit aqua, postmodùm ignis, quod ex colore dignoscitur, vbi illa duo supersunt, Verùm si elementa terra & aqua remansissent, primò sursum ascendet aqua, posteà verò terra. Si tamen terra & ignis forent, primò terra, postmodùm eleuatur ignis. At si aqua, ignis & terra simul essent, aqua primò sursum ascendet, pòst ignis, & postremò terra. Hæc elementa peculiaribus vitris ita seruari poterunt, quodlibet secundum suam naturam: vt ex Sole calidum & siccum, sine quâuis aliâ proprietate: similiter frigidum & humidum, & frigidum atque siccum. Sic de aliis intelligendum. Ignorandum non est, corrosiuam aquæ fortis naturam extrahendam ita esse, prout in libro de *Quinta essentia* tradimus.

De separationibus Elementorum ex Marcasitis.

Marcasitarũ solutionis modus.

POsitis antea separationibus elementorum ex Metallis, ad eas quæ de marcasitis fieri possunt, est vt veniamus, quæ tales existunt.

Accipe *Marcasita cuius speciei velis, siue Bisemuti seu talci vel cobalti, aut granati, vel cuiuscuis alterius libram vnam: salis nitri tantundem, contunde minutissimè, adurendóque simul deduc per alembicum extra cucurbitam, & quicquid liquoris ascenderit, serua.* Quod autem in fundo manet, hoc tritum aqua forti resoluatur in aquam, huic prius aggregatam aquam affundes, & in oleum destillabis, sicuti prius de metallis dictum est. Eodem processu separabis etiam elementa. Sic erit aurea marcasita prout aurum intelligenda, nec non argentea sicut Luna, Bisemutica sicut plumbum: Zinetus, vt cuprum, Talcum vt Iupiter, Cobaltum vt ferrum, &c. Hæc de separatione marcasitarum sufficiant in omnibus generibus.

De separatione elementorum à lapidibus.

Lapidũ solutionis ratio.

LApidum & Gemmarum elementorum separatio hac via venit intelligenda. Accipe *lapidem optime tritum, cui duplum viui sulphuris addes, & mixta omnia simul in lebete lutato ponantur in Athonar horis quatuor, vt sulphur prorsum absumatur: postmodùm abluatur quod superest à facibus & sulphure, & siccetur.* Calx eiusmodi lapidea, in aquam fortem etiam ponatur, & cum ea procedatur, vt *antea de metallis diximus.* Comparantur itaque lapides metallis: vt claræ gemmæ, non albæ, nec fuscæ auro comparantur, albæ, ceruleæ, glaucæque argento seu Lunæ: posteà communiores lapides aliis metallis, vt *Alabastrum Saturno, marmor ferro, silex Ioui.* Dulech autem Mercurio.

De separatione elementorum ab oleaginosis.

Oleaginosa vt separentur.

OLeaginosa reputantur omnia *olea, ligna, radices, semina, fructus,* & similia, quæ naturam flagrabilem & incensioni idoneam habent, Estque duplex eorum separatio, corporum scilicet oleaginosorum & oleorum purorum,

Oleaginosorum corporum separatio talis est.

Accipe corpus hoc tusum, tritum, aut quocunque modo poteris comminutum, id inuolutum linteo, ligatumq; ponas in fimum equinum donec omnino putrefactum sit, quod in vno quàm in altero citiùs accidit. Postquam putrefactum erit, in cucurbitam ponatur, eique superfundatur communis ardentis aquæ tantùm, vt supereminеat quatuor digitis latis, & in arena destilletur omne quod ascendere poterit. Nam ascendunt omnia præter ipsam terram, elementa, quæ cognosces ex coloribus, sed tamen ascendat primò ardens aqua, postmodùm aër, deinceps aqua, & postremò ignis, & in fundo terra manebit. De puris oleis tamen intelligendum ista non indigere putrefactionibus, sed solitaria absque additione esse destillanda, postmodum eorum elementa, *prout supra de aliis dictum fuit,* separanda, quæ suis etiam coloribus dignoscuntur. Non aliter cum Resinis liquidæ substantiæ faciendum est, vt *pice, resina, therebentina, gummi,* similibúsque.

similibúsque. Sed quæ resinæ corporales existunt velut sulphur, prius præparandæ sunt hoc modo.

De separatione elementorum in resinis corporalibus.

Resinæ corporales vt soluātur.

ACcipe *Sulphur minutißimè contritum, hoc in duplo olei lini coquatur in hepaticum, quod conteres, & inclusum vesicæ pones in fimum equinum ad putrefaciendum quatuor septimanis. Postea destilletur per alembicum lentè super nudum ignem. Aër & aqua primùm ascendunt diuersis & pallidis coloribus aucto postmodum igne; sursum ascendit ignis, terra verò manet in fundo.* Colores apparent puri, vt aër flauus: aqua spissi lactis instar, vt à lacte vix dignosci queat: ignis vt Rubinus ardens cum transparentiâ, & omnibus igneis indiciis: terra verò nigra prorsùm & adusta. Et quatuor elementis ad hunc modum separatis, quodlibet est in suâ elementali complexione perfectum, & absque permixtione, sicuti supradictum est.

De separatione elementorum ab herbis.

Herbæ vt separentur.

SIc & in herbis elementum aquæ plurimùm habetur, quùm frigidæ eæ sunt, at vbi fuerint aëreæ, prædominatur id elementum. Similiter de igne etiam intelligendum est. Eorum elementorum separatio talis est.

Accipe *Saluiam & eius folia contere, postmodùm in putrefactionem pones, vt antea dictum est, indè per ventrem equinum destillabis, & primùm ascendet elementum ignis, tamdiu donec immutentur colores, & aquæ spißitudo: postea terra succedet, ac eius aliqua pars in fundo manebit, quæ quidem fixa est.* Hanc aquam in Sole destillato sex diebus, & postea in balneum ponito: tùm ascendet elementum aquæ primùm, quod paucum est, gustúque percipitur: postquam variatur color, ascendit elementum ignis, donec etiam gustus alteretur: tandem pars terræ sursum eleuatur, valde pauca tamen quæ cum aëre permixta reperitur in fundo. Itidem de aëreis & aquaticis herbis intelligendum est, quarum aër primus ascendit, postmodum aqua, & postremò iuxta processum de saluiâ positum, sequitur ignis.

De separatione elementorum à Carneis.

Carnea vt separentur.

ELementorum à carneis corporibus & illis quæ cum sanguine viuunt, separatio sic intelligenda venit, quòd prædominans in illis elementum copiosiùs & potiùs reperiatur postremò, vt in piscib. aqua, & in vermibus ignis: item in [commestibilibus] carneis aër, principalia sunt elementa, prout nos de generationibus animalium scribimus.

A piscibus separatio elementorum talis est.

Piscium separatio quæ.

PVtrefac *optimè pisces postea destilla per ventrem equinum, & aquæ plurimùm ascendit, putrefactionem hanc atque destillationem iterabis ac augebis, donec aqua nulla velit ampliùs ascendere. Quod reliquum est, postea destilla per arenam, tum demum ascendit ignis in olei forma, terra verò manet in fundo.* Sic tota piscium substantia separatur in elementa. Nulla de pinguedinibus atque medullis est habenda consideratio, sed vnum quodq; separari per putrefactionem, & in elementa sua diuidi iudicandum est. Pariter etiam de vermibus intelligendum, excepto quod ex eis aqua tantùm non exeat, sed ignis plus, nisi vermes aquei forent, vti serpentes, quorum in destillatione plura obueniunt admiranda, quàm dici queat. De commestibilibus animalibus ad eundem modum intelligendum erit, quæ sua peculiariter etiam patefaciunt elementa per separationem.

Vermes sūt ignei: Serpentū distill. ato mirabilia prodit.

De separatione elementorum ex vndosis.

Vndosa quæ sint, & vt separētur.

DE succosorum vel vndosorum separatione in sua elementa, vel eorum quæ formam vndositatis habent, vt vrina, stercus, aqua, &c. hunc notato processum.

Recipe *vrinam eámque prorsum destilla: simul ascendent aqua, aër atque terra, in fundo verò manet ignis. Confunde postea simul omnia, destilláque rursus & quater ad hunc modum, & in quartâ destillatione, primò sursum aßcendet aqua, demum aër & ignis, terra verò manet in fundo.*

Concipe *tandem aërem & ignem peculiari vase, quod ponas in locum frigidum, & congelabuntur stiriæ, quædam, quæ sunt elementum ignis.* Quamuis inter destillandum illæ etiam congelentur, in frigore verò magis.

De separatione elementorum ab aquâ.

Aqua.

BVllire fac aquam per ventrem equinum, & in fundo subsidet ipsa terra, quod ascēdit putrefiat suo tempore, & postea destilletur per balneum, & ascendet aqua priùs, & postmodùm ignis. Stercora vitriolum, tartarum, & quod huiusmodi succorum est, vt *alumen, salia,* & idgenus alia per cinerem destillanda sunt, eo calore, ac tamdiu, donec ascendere nolint ampliùs, & ascenderūt aqua & aër, terra mansit in fundo: postea per ignem ascendet ignis. Notandum hoc loco, quod licet elemēta quatuor separata sint in terrâ tamen maneant adhuc elementa quatuor occulta, tanquā fixa: prout à vitriolo manet caput mortuū, hoc ipsum sublima cū sale Armoniaco, sic prodibit oleum, in quo sunt aqua & ignis. & ipsa terra substātialiter manet: separa quæ sursum ascenderunt, ascēdetq; rursum aqua, & ignis manebit in fundo. Sic etiam de tartaro nec non de salibus intelligendū erit. Et quamuis liquorū plures separationes existant, latiùs tamen illas de transmutationibus declarabimus. Notandum enim, in corrosiua terrâ plura Elementa inesse, quàm in cinere. Separatio ergo facienda est per sublimationem, vti demonstrabimus.

Stercora, &c.

Caput mortuū.

De separatione elementorum à vitris & eis quæ vitrea sunt.

Vitrea vt separentur.

PRout supra ponimus de resolutionibus marcasitarum, hoc loco pariter de vitris intelligendum, ac summè considerandū est videlicet, vt cum sulphure prout lapides calcinentur, postmodum abluantur, & cū sale petræ & aquâ forti, &c. prout antea declarauimus, &c. Eorū elementa cognoscuntur etiam per colores in destillationibus non vt oculis se exhibent, quibus ista conclusa volumus.

De separatione elementorum in fixis.

Fixa vt separentur.

FIxorum elementorum separatio fit per sublimationem, vti de salibus & liquoribus docemus, hoc discrimine tamen, quòd ista cū sale nitro calcinanda sint, & postea sublimanda. Et quanquam alia multa sunt, quę non ponuntur hoc loco, nihilominùs intelligendum est rerum

omnium separationes his decem viis iam declaratis fieri debere. Latiùs de separationibus quatuor elemẽtorum notandum est, quodlibet iterum separari posse, scilicet ignem vt ignẽ, aërem vt aërem, aquam vt aquam, & terram vti terram, prout sequitur de singulis illorum separationibus.

De separatione ignis.

Elemẽta separata vt denuo separentur. Ignis, &c.

SCiendum etiam ex elemento ignis elementa quatuor separari posse ad hunc modum. Quùm ignis violẽtissimè incẽditur vel ascendit, receptaculo vel reseruaculo optimè clauso excipe, & pone in fimum equinũ per mensem, & in vno reperies elemento quatuor elementa, quæ aperto vase, in Recipientem indito, sic ascendet vapor atque aër in vas recipiens. Posteà quod superest per balneum destilla, sic ascendet aqua: deinde per cineres ascendet ignis, & terra manebit in fundo. Quæ elementorum horum vires existant, & quare hoc loco sic declarentur, aliis libris exponemus latiùs.

De separatione aëris.

Aer, &c.

AEris elementum optimo vitro receptum & per sigillum Hermetis conclusum, Soli per integram æstatem est exponendum, ac dirigendum: circulando permutatur aër in aquositatem indies magis crescentem. Quantitatem hanc separabis ad hunc modum, Putrificetur in fimo equino septimanis quatuor, postea per balneum destillabis, vt ignem. De ipsius viribus alibi plura dicuntur.

De separatione aquæ.

Aqua, &c.

EAm vitro pleno prorsum, nec tantillum vacuo, per sigillum Hermetis concluso calido Soli per mensem exponas, vt quotidianum similèmque calorem habeat, ac si bulliret, verùm propter plenitudinem haud potest. Eo tempore transacto putrefiat quatuor septimanis, post aperi, destillàque per alembicum triũ rostrorum: hâc viâ tria separantur elementa, & in fundo manet eius aquæ terra. Huius natura virtutum plurimarum in casibus multis esse prædicatur.

Alembicum triũ rostrorũ.

De separatione terræ.

Terræ. &c.

TErræ processus idem, vt in aquâ seruandus est, excepta solùm destillatione. Similis enim est hęc illi quę fit in igne, & eâdem viâ perficitur. Hanc elementorum separationem hoc loco multis de causis ponimus, non tantùm quòd in Philosophiâ, verùm etiam in Medicina valde sit vtilis. De separationibus elementorum hactenus abundè satis scripsimus, licèt plura scribi queant, haudquaquam verò necessaria admodum.

Iam separationem puri ab impuro, secundum decreti nostri propositum declarabimus: Quæ quidem fit eâdem viâ, quàm de Arcanis & Auro potabili docemus: quare huc non adducenda. Quamuis iste processus ab initio, prorsum idem nõn sit cùm eo qui de arcanis & magisteriis ponitur, nihilominùs præparationis viam eandem finaliter assumo per elementorum separationem. Quandoquidem ista separantur, hoc loco, postmodum quodlibet ab immunditiis existentibus in eo repurgatur, vt ex eis nullum deforme oriatur aut impedimentum, quod alias facilè fieri posset.

Finis Archidoxorum Libri Secundi & tertij, de separationibus Elementorum.

LIBER QVARTVS
ARCHIDOXIS EX THEOPHRASTIA PARACELSI MAGNI.

De Quintâ Essentiâ.



ANTEA mentionem fecimus Essentiæ Quintæ, quæ rebus inest omnibus. Iam initio huius tractationis intelligendum, quidnam ea sit. Est igitur Essentia Quinta materia quædam, ex omnibus, quæ natura produxit & ex vnoquoque vitam in se habente corporaliter extracta, & ab omnibus impuritatibus, & mortalitate separata, mundata subtilissimè, nec non ab omnibus elementis separata. Ex his patet vtique, Quintam Essentiam esse tanquã Naturam, vim, virtutem, & medicinam, rebus quidem olim inclusam, sed iam domicilio & extraneâ incorporatione omni liberam. Eadem est etiam color, vita, proprietatésque rerum. Est Spiritus similis spiritui vitæ, hoc discrimine, quòd spiritus vitæ rei permanens est, hominis verò mortalis. Vnde colligi potest, ex hominis carne vel sanguine quintam Essentiam extrahi non posse: hâc de causâ, quòd spiritus vitæ, qui spiritus etiam virtutum est, moritur, & in animâ vita existit, quæ deinde in re non est.

Essentia Quinta quid.

Eadem ratione & animalia quia spiritum suum vitæ amittunt, ideóque omnino mortalia sunt, & Quintam Essentiam nullam exhibent. Nam Essentia Quinta spiritus est rei, quæ quidem ex sensatis extrahi non potest prout ex non sensatis. Spiritum enim vitæ habet in se Melissa, qui virtus eius existit, vísque atque medicina: & quamuis à sua radice separata sit, adhuc tamen inest ei vita virtutésq;, hac de causa, quod fixæ illa prædestinatio sit. Quapropter ab ea potest extrahi Quinta essentia, nec non cum vita conseruari sine corruptione, prout æternum iuxta suam prædestinationem. Si verò nos ad hunc modum præter corruptionem vitam cordis extrahere possemus, vt ex insensatis possibile nobis est, absque dubio, mortis, morborúmque perceptione perpetuò viuere possemus, quod fieri minimè potest. Quare nobis ex eo mors expectanda venit.

Homo & animalia Quintã Essentiã nõ dant.

Cùm igitur essentia Quinta rerum virtus existat, primò nobis dicendum venit, qua forma virtus & medicina rebus insint, ad hunc modum. Vinum in se continet magnam essentiam quintam, à qua illud mirandas operationes habet: operationis tamen tantum non est, quantum vini, vt patet. Fel in aquam iniectum, totam reddit amaram, etsi fel quantitate centuplicata superetur ab aqua. Sic croci pondus minimum, ingentem copiam aquæ tingit, quæ tota tamen crocus non est. Sic pariter est statuendum de Essentia Quinta ipsius paruam esse quãtitatem, in ligno, herbis

Quinta Essentia quomodo rebus insit.

Quinta Essentiæ rerū quasi hospes est.

herbis, lapidibus, aliísque similibus hospitis instar latentem. Reliquum est purum putum corpus, de quo scribimus lib. de Separationib. elementorum. Nec putandum est Quintam Essentiam Quintum Esse quoddam supra elementa existere, cùm ipsamet Elementum sit. Posset etiam existimare quispiam, temperatam eam Essentiam fore; non frigidam, non calidam, non humidam, neq; siccam, cum tamen talis non existat. Nihil enim est, quod in temperaturâ tali consistat, per quam ab elementis prorsus alienetur: sed omnes Essentiæ Quintæ secundum Elementa naturam habent; vt Essentia Quinta Auri secūdum ignem, Lunæ secundum aquam, Saturni secundum terram, & Mercurij secundum aërem.

Quinta Ess. non est ens supra quatuor Elemēta, sed ipsamet Elementū. Quinta Essentia non est temperata.

Quòd autem Essentia Quinta morbos omnes curat, non fit ex temperaturâ, sed ex insitâ proprietate, magnâ munditiâ puritatéque, quâ admirando modo corpus alterat in munditiam, & immutat. Sicut enim ab oculo macula, vel pellicula, tollitur, qua prius occæcatus ille erat: sic etiam vitam Essentia Quinta mundificat in hominem. Nec vnius & eiusdem omnes Essentiæ necessariò inter se naturæ sunt. Nec quæ igneæ sunt, ob id easdem operationes edunt, ratione complexionis: veluti si quis existimaret, Anacardi Quintam Essentiam similem ac eandem operationem habere, cum Auri Quinta essentia, quòd ambæ sunt igneæ: is longè seduceretur: quia virtutum discrimen facit prædestinatio & dispositio. Sicut enim animal omne spiritum in se vitæ continet, attamen in omnibus eadem virtus non existit, ideò quòd ex carne & sanguine constent omnia: sed vnum ab altero differt, vt gustu, ita virtute: Sic & quinta Essentia se habet: quæ virtutem non accipit ab elementis intelligendo simpliciter, sed ex proprietate in elementis existente, prout etiā de generatione rerum ponimus. Inde quidem fit, stypticas esse nonnullas Quintas Essentias, aliquas Narcoticas, Attractiuas alias, aliquas verò somniferas, amaras, dulces, acetosas, stupefactiuas, & aliquas in iuuentutem renouare corpus, alias eius esse conseruatiuas in sanitate, purgatiuas, aut constipantes alias, &c. quarum virtutes innumeræ sunt, hîc quidem non comprehensæ sed tamen à medicis optimè cognoscendæ.

Quintæ Essentiæ virtus vnde depēdeat. 5. Essentiarū quę differentiæ.

Quùm igitur Essentia Quinta separetur à non Essentia Quinta, vt anima à suo corpore, & ipsa intrò in corpus assumatur: quænam infirmitas huic tam nobili naturæ, puræ, potentíque resistere poterit, aut nostro corpori vitam adimere, præter mortem, quæ prædestinata corpus & animam nostram separat? vt de vita & morte docemus. Hoc loco pariter considerandum, vnumquemque morbum indigere sua peculiari Quinta Essentia: quamuis aliquas doceamus, quæ ad morbos omnes aptæ sunt. Qua ratione tamen id fiat, suo loco dicetur.

Quint. Essent. nullus morbus resistere potest. Essentiæ Quintæ duplices vniuersales & particulares.

Porrò autem testamur, Quintam essentiam auri quantitate minimam existere, quod reliquum est eius, leprosum corpus existit, in quo dulcedo nulla, nec acetositas nulla virtus neq; vis remansit, præter mixtionem quatuor elementorum. Et hoc arcanum latere nos minimè debet elementa nempè ipsamet sine Quinta Essentia nulli posse morbo resistere; sed hoc solū & aliud nihil efficere, quàm absque viribus vilis calefacere vel frigefacere, prout si morbus calidus foret, frigiditate is pellitur, at non à viribus destituta, vt aqua, niueque frigidis: quæ licet frigidæ satis existant, in eis tamen Quinta Essentia non habetur, cuius viribus morbus expelli posset. Quapropter auri corpus inualidum est per seipsum, at eius Essentia Quinta solum, existens in eo corpori, nec non suis elementis, vires in ipso conditas, præbet. Sic etiam in aliis omnib. rebus, Quinta solum est earum essentia, quæ curat, sanat, ac tingit corpus totum, vt Sal cibum aliquem optimè condit. Est igitur Essentia Quinta quæ colorem exhibet, vti est virtutem, & postquam aurum suo colore priuatum est, Quinta simul Essentia idem caret. Non secus de cæteris intelligendum est metallis, quod vbi color eis ademptus fuerit natura sua priuata sint.

Auri 5. Essentiæ mola exigua.

Nullus morbus sine 5. Essentia pellitur.

Essentiæ 5 vis & laus.

Color Essent. 5. substantia est.

Similiter in lapidibus & gemmis, vt Essentia Quinta corallorum est cum rubedine pinguedo quædam, & corpus eorum album. Item Smaragdi Quinti Essentia, succus est vridis, & corpus eius etiam album. Non aliter de cæteris omnibus lapidibus iudicandum est, eos nempe naturam suam, essentiam & proprietates cum coloribus amittere, prout in extractionibus illorum docemus peculiariter.

Id ipsum & de herbis, plantis, & aliis productis crescentib. intelligi debet. Itidem de carne sanguinéque, de quibus nulla Quinta Essentia potest elici, ex rationibus antea positis. Sed tamen similitudo quæpiam Essentiæ Quintæ potest ab eis extrahi per nos, ad hunc modum. Carnis frustum, vitam adhuc habet in se, quia caro est omni sua natura viribúsque adhuc instructa. Quapropter in ea vita est, quæ licèt vera vita non sit, nihilominùs est vita præseruata, tamdiu, donec putrescat. Quarè discrimen hoc notandum venit: quò quidem herbæ siccæ, similiáque carnis loco habenda sunt. Nam eis deperiit spiritus ille viridis, id est, vita. Possunt igitur emortuæ res ad emortuam Quintam Essentiam assumi, prout caro potest omnes suas de se virtutes emittere, peculiariter in partem vnam segregatas à suo corpore, sic & sanguis, ac herbæ siccæ. Quæ quidem, etsi non sint viuæ Quintæ Essentiæ: nihilomiuùs demonstrant, quomodo emortua Quinta Essentia aliquas virtutes exerat. Metalla verò, nec non lapides, perpetuam in se vitam & Essentiam habent nec moriuntur, sed quandiu metalla sunt, aut lapides, tamdiù ipsorum vita durat. Quare perfectas etiam Quintas Essentias exhibet, quæ pariter ex illis extrahi possunt.

Ess. 5. similitudo vt ex carnib. extrahatur. Vita qualis in carne.

Metalla semper viuūt & ob id perfectas Essent. 5. dant.

Qua via iam Essentia Quinta sit extrahenda porrò videndum. Multæ quidem viæ sint: aliquæ fiunt per Additiones, vti per spiritum vini: aliæ per Balsamita: quædam per separationes Elementorum, ac plures alios modos, quos hîc seorsim non percensemus.

Essent. 5. quot modus extrahātur.

Quocunque autem modo fiat, Essentia Quinta non debet extrahi per mixtionem rerum non conuenientium, aut per additionem: sed elementum Quintæ Essentiæ solùm est extrahendum à corpore separato: similiter

similiter per separatum id, quod extractum est. Varij modi reperiuntur, per quos Essentia Quinta potest extrahi, videlicet per Sublimationem, Calcinationam, per aquas fortes, per corrosiua, per dulcia, per acerba, &c. quâcunque viâ fieri potest. Vbi hoc simul curandum est, vt omne, quod ad Essentiam 5. admixtum fuerit ob necessitatem extractionis, id ipsum rursus extrahatur, & ita maneat Essentia 5. sola, nullis coinquinata rebus aliis aut permixta. Fieri namque nequit, vt à metallis, & præsertim ab auro, quod non per se potest superari, extrahatur Essentia 5. quin adhibeatur corrosiuum aliquod aptum, quod ab eo postmodum separari iterum valeat. Sic Sal, quod aqua fuit, iterum ab aquâ extrahitur, vt hæc sale careat. Vbi hoc considerandum tamen venit, scil. omne corrosiuum ad hoc idoneum non esse quòd non omnia separari possunt. Si enim Vitriolum aut alumen aquæ permisceatur, neutrum ab eâ postmodum absque detrimento vel corruptione separari potest iterum, quin asperam post se remanentiam relinquant, eâ de causa quod aqueum vtrumque sit ac similia duo concurrant: quod hoc loco fieri non deberet. Quapropter satagendum est, vt aquosum ad aquosum non assumatur, aut oleatum nullum ad oleatum resinatum nullum ad resinatum; sed contrarium vtique separare debet 5. Essentiam, & extrahere illam prout aquæ, oleaginosorum Quintas Essentias (vti de metallis traditur) extrahunt; & oleaginosa Quintas Essentias aquosorum, ceu de Quintis Herbosorum Essentiis discere possumus. Sunt igitur post separationem & extractionem Essentiæ 5. separanda iterum corrosiua: quod factu facile fuerit. Nam oleum & aqua leuiter separantur: at oleum ab oleo non, nec aqua similiter ab aquâ sine permixtione extrahi potest: quod quidem relictum in Essentiam 5. damnum inuehere posset maximum. Oportet enim Quintam Essentiam claram & immaculatam, absque permixtione cuiusuis esse collectam, ut vniformem substantiam habeat, quâ totum penetrare corpus valeat. Subtilitas etenim eius & vires inuestigari funditus nequeunt, non magis, quàm eius origo vnde primò processerit, plenè cognosci potest. Multos enim illa gradus habet: vnum contra febres, vt opiatorum: vnum contra hyposarcam, vt Essentia Tartari: vnum contra Apoplexiam, vt Auri: vnum contra Epilepsiam, vt vitrioli: quorum numerus infinitus, & per experientiam inexplorabilis est. Quamobrem summè considerandum ac elaborandum, vt vnicuique morbo suus verus inimicus assignari queat. Sic enim incredibile Natura præstabit auxilium: quod in sequentibus meliùs declarabitur. Non possumus de gradibus eius loqui, prout simplicibus medicinâ gradus assignantur, ea de causa, quòd Essentiæ 5. graduum ad simplicium gradus nulla fieri comparatio possit, nec debeat. Sed cùm gradantur, vnius quàm alterius excellentia ac virtus maior innuitur, & non complexio. Nec enim statuendum est, 5. Essentiam Anthos esse calidiorem Essentia quinta Lauendulæ, vel 5. Essentiam Veneris, Lunæ Quinta sicciorem Essentia: sed gradus alicuius

Ess. 5. extrahitur contrariis.

OL ab oleo, & aqua ab aqua ægrè separatur.

Ess. 5. debet esse solitaria.

Ess. 5. gradus quot.

Ess. 5. gradibus carent.

rei ex magnis & excellentioribus virtutibus decerni debet, ad hunc modum videlicet: Essentia Quinta Antimonij lepram curat, & Essentia 5. corallorum spasmum & torsiones pellit. Vt iam cognoscatur, vtra nam harum meliùs & altiùs gradata sit, aliud indicium esse non potest, quàm Antimonij 5. Essentiam esse potiorem & altiorem, ex eo quòd lepra grauior infirmitas existat, quàm colica sit cum suis annexis. Iuxta proprietatem igitur, quam habet contra morbos diuersos, gradus eius considerantur. Quin etiam in vno & eodem morbo. Sic enim Essentia vna alterâ ad lepram curandam validior est. Ipsam namque & Essentia 5. Iuniperi pellit, & 5. Essentia Ambræ, & 5. Essentia Antimonij, nec non Auri Quinta Essentia. Iam etsi quatuor istæ Essentiæ omnes curent lepram, cum differentiâ tamen id præstant, cùm ad eiusmodi curam in eodem gradu non existant. Nam Essentia Iuniperi morbum hunc pellit per summam repurgationem & mundationem, quam inducit in sanguine: & ita venenum consumit vt non tam perceptibile sit. Itaque in istius curæ primo gradu numeratur. Quinta Essentia Ambræ venenum etiam adimit, & magis. Pulmonem enim corque & membra lepræ subiecta mundat. Quare secundus ei gradus tribuitur. Antimonij 5. Essentia vltra ambas virtutes iam dictas etiam mundat cutem, & corpus totum acuit ac renouat mirum in modum. Quamobrem tertium gradum obtinet. Solis autem Essentia Quinta has operationes omnes exequitur sola, tum radicitus omnia lepræ signa tollit, ac renouat corpus, vti mel & cera mundantur, & à suo fauo repurgantur. Hâc de causâ quartum gradum occupat.

Hoc modo gradus Essentiæ 5. cognosci, & vnus ab alio discerni potest, hoc est quænam eorum altior seu excellentior existat. Item simplicia suis in proprietatibus cognosci debent. Qualis enim ipsorum proprietas in simplici forma talis etiam ipsorum est Ess. 5. non ignauior sed multò fortior & præstantior.

Porrò iam autem Essentiarum Quintarum cognoscamus differentias. Nam aliquæ Iecinori, morbis eius omnib. resistendo, plurimùm inseruiunt: nonnullæ capiti, renibus aliæ, pulmoni quædam, & aliquæ spleni, similibúsque: item in sanguine quædam solùm operantur, aliæ solùm in phlegmate, quædam in melancholiâ tantùm, aliæ solùm in choleram quædam aliæ suas operationes tantùm in humoribus habent: quædã in spiritu vitæ: nonnullæ in spiritu nutritiuo, quædam in ossibus operantur, in carne quædam aliæ, quædam in medullis, in cartilaginibus aliæ, quædam in arteriis; sunt & aliæ quæ solùm contra quosdam operantur morbos & contra nullos alios, vt contra paralysim, caducum, contracturam, contra fluores, hydropisim, &c. Narcoticæ quædam etiam reperiuntur, aliæ quidem anodinæ, quædam somniferæ, quædam attractiuæ, purgatiuæ, mundificatiuæ, incarnatiuæ, confortatiuæ, regeneratiuæ, nonnullæ stupefactiuæ, &c.

Quædam aliæ reperiuntur, quæ renouant & restaurant, hoc est, corpus, sanguinem & carnem transmutant. Aliquæ pro conseruatione diuturnitatis,

Ess. 5. gradus vnde decernatur.

Antimonij Ess. curat lepram: corallis spasmum.

Lepra ut curetur ab Ess. Iuniperi.

Ambræ.

Antimonij

Auri.

Ess. 5. differentiæ quæ.

diuturnitatis vitæ, quædã pro retinẽtia & seruatione iuuẽtutis, quædam per trãsmutationẽ, aliquæ per accensionem. Quin hoc etiam intelligendum est aliquas habere formam specificam, alias appropriatam, influentem alias, alias naturalem. Summatim, plures earum virtutes existunt, quas describere valeamus: & earum operationes in medicina plurimum admirandę nec non imperscrutabiles, vti variis modis contingit, aliquas Essentias 5. 100. annorum hominem, reddere similem ei qui vigenarius tantùm existit, idque suis viribus & potentiâ. Quisnam verò inter homines tanti mysterij posset originem inuestigare? Vel vnde naturaliter oriantur materiæ primæ perquirere? Supremi nostri Creatoris est, ista vel ita facere, vel omittere. Quis enim instruet nos vt cognoscamus, quibus viribus Antimonij 5. Essentia pilos eiiciat, & nouos excitet? Item cur essentia 5. Melissæ dentes eruat, vngues manuum, pedúmque eradicet, ac nouos reddat; & Essentia 5. Rebis cutem distringat & renouet? Chelidoniæ verò Ess. 5. corpus immutet & renouet in bonum & melius, non secus ac imaginem colores renouant. Longè plures his sunt & aliæ, quas hîc omittimus, capitulísque suis propriis declarandas reseruamus.

Ess. 5. vis & operationis modus imperuestigabilis.

Antimonij Ess. crines veteres destruit & recentes albos generat. Ess. 5. Melissæ &c. Ess. 5. Rebis. &c. Chelid. Ess. 5. &c.

Qua ratione tandem fieri posset, vt nobilem istam Philosophiam atque Medicinam possemus relinquere, cùm Natura nobis in & ex eis tam admiranda præbeat experimenta; quibus Facultates reliquæ omnibus destituuntur, adeóque nuda in cauillatione positæ sunt; Cur nos hoc ipsum non delectet nempe quòd 5. Essentia Carlinæ vires adimit alteri, præbétque eas huic qui vtitur ea: Item quòd Auri 5. Essentia leprosum totum inuertit, ac lauat, vt intestinum aliquod in macello abluitur, & cute pariter eum scabra expoliat, nouámque reddit, soluit organa vocis, totam leprosam complexionem aufert, & efficit talem, ac si recens ex sua matre prodiret.

Carlinæ Ess. vis quæ Auri Ess. 5. vis quæ contra lepram

Quapropter ad eiusmodi Quintarum fabricationem Essentiarum animum conuertemus, Viam extractionum seu compositionum earum dirigentes, vnam ad Metalla, aliam ad Marchasitas, aliam ad Salia, ad Lapides & Gemmas aliã, aliam ad Ardentes, aliam ad Crescentes, aliam ad aromata, aliam ad comestibiles & potabiles quas omnes cũ suis annexis iusta serie declarare conabimur. Notandũ tamen, in quintarũ Essentiarũ practica, Theorices & Naturaliũ bonã cognitionẽ requiri, sed Theoricę tamen, videlicet rerũ proprietatum ad naturales morbos. Nec etiã ignorãdũ, inter 5. Essentiã Aurũ potabile, Arcana, Magisteria nec nõ idgenus alia differentiã esse, talẽ videlicet, quòd Essentia 5. nõ possit iterùm in suum corpus reduci: at Aurum potabile bene in suum corpus metallicum rursus transmutatur: quare longè nobiliores in Essentia Quinta virtutes existunt, quàm in aliis.

Ordo tractandorum 5. Essentiarum.

Ess. 5. cur auro potabili præstantior.

Dũ ita de 5. Essentia loquimur, vnius ad alterã cognoscenda est differẽtia, tũ etiã quid ipsa sit. Ac quãuis antea satis eã explicuerimus: tamen practica aliâ nos viâ euocat, per quã ipsã quoq; Essentiæ 5. conditio atq; natura inueniri potest. Quamuis enim istæ non appareant in forma 5. Essentiæ, nec etiã ad eundẽ fiãt modũ, nec solũ in vno consistãt elemẽto, prout Essentiã 5. esse decet: nihilominus tamen de istarum rerum 5. Essentia iudicandum est, quòd plus sit, quàm vt Essentia 5. vocari debeat. Et potius appellãda est arcanũ & mysteriũ quoddã de quo plura scribẽda forent, quàm de quinta scripsimus essentia. Cũ tamen id in libris Paramiri declarauerimus, hoc loco præterimus. Arcanorum & Mysteriorũ artis eiusmodi numerus est infinitus & imperscrutabilis, ac eorum viæ multæ occurrunt hominum ingeniis perspicacissimis attẽdendæ. Inter quæ arcana tamen quatuor huc adducimus. Arcanorum istorum primũ est Mercurius vitæ, secundũ est materia prima, tertium est Lapis Philosophorũ, quartũ verò Tinctura. Quanquàm verò hæc Arcana relatu magis Angelica quàm humana sint, nihilominùs tamen ab eis non abhorrebimus, sed potius indagare Naturæ vias conabimur, & omne quod ex Natura procedit, naturaliter etiã intelligi posse statuemus. Profitemur ergo de Mercurio vitæ, quòd non sit Essentia 5. sed Arcanũ, quia in eo multæ virtutes ac vires existũt, quæ præseruant, restaurãt, ac regenerãt, vti libro de Arcanis scribimus.

Arcana quadruplicia.

Arcanorum operatio diuina.

Merc. vitæ cur sit Arcanũ.

Similiter etiã prima Materia, non saltẽ in viuentibus, verùm etiã in mortuis corporibus ad modũ eundẽ plus, quàm naturaliter fieri posse putatur, operatur. Itidẽ & Lapis Philosophorũ efficit: qui corpus tingens id itã ab omnibus subleuat morbis, vt metalla quæuis à suis impuritatibus emundãtur. Sic etiã tinctura: quæ sicut Lunam in Solem transmutat, non aliter morbum mutat in sanitatem. Hæc ipsa pariter & alia Magisteria faciunt, & Elixiria, nec non Aurum potabile, de quibus singulis suis libellis agitur.

De Extractione Quintæ Essentiæ ex Metallis.

BReuibus itaque Quintarum Essentiarum extractionem à metallis absoluemus. In eis enim multi plurima tẽtãrũt & experti sunt nostris temporib. quib. tamen occurrerunt multa, vt alias easq; varias vias ingredi coacti fuerunt. De metallis igitur intelligendũ, ea duas in partes diuidi, scil. in suã quintam essentiã, & in suũ corpus, ambo liquida & potabilia sunt, quæ simul non permiscẽtur, sed impurũ corpus 5. Essẽtiã eiicit ad suã superficiẽ, prout à lacte colostrũ. Fiũt hac via duæ pinguedines aut viscosi liquores ex metallis, qui separãdi sunt. Corporis pinguedo alba semper existit ex metallis omnibus, at eorum Essentia 5. colorata, sicut anteà de metallis septem explicuimus. Habent etiam processum eundem omnes, qui talis est.

Metallorum partes duæ sunt.

Metallum in aquam soluatur, postmodùm hoc solutum per balneum destilletur & abstrahatur, putrificetúrque tamdiu donec in oleum reducatur, quod è phiolis paruis aut cucurbitulis per alembicum destilletur, & pars vna metalli manebit in fundo, hoc iterum in oleum vt priùs, reducatur, ac destilletur tam diù, donec omne metallum ascenderit: postea putrificetur iterum per mensem: lento demum igne rursus destilletur, & vapores primùm ascendent, atque defluent in Receptaculum, quos amouebis. Tandem ascendent obscuri duo colores, vnus albus, alter verò iuxta metalli naturam & conditionem. Et cùm ascenderint omnino, separantur in recipiente, sic vt essentia quinta maneat in fundo, calor autem

Processus extractionis essentiæ 5. ex metallis.

autem albus corporis natet superius. Hæc duo separato per tritorium, ac phiolâ aliâ excipe 5. Essentiam, cui vinum ardens affunde purificatum, & maneat cum ea tamdiu, donec prorsus acuatur, postea coletur vel separetur ab Essentia Quinta,& recens iterum affundatur: hoc toties feceris donec acuitatem nullam percipias ampliùs. Tandem aquam bis destillatam affundas, quâ quidem abluatur, & ad suam dulcedinem perducatur: Ita asseruato. Hâc viâ præparatur Essentia Quinta metallorum. Album verò si reduxeris, habebis inde malleabile corpus album & metallicum, quod cognosci nequit, sub qua specie contineatur. Plures aliæ viæ reperiuntur ad extractionem Essentiæ Quintæ, quas quidem subticemus, quòd à nobis extractiones veræ Quintarum Essentiarum non existimentur, sed tantùm transmutationes, in quibus extractio nulla fit nec venit in vsum.

De Extractione Quintæ Essentiæ ex Marchasitis.

Ess 5. extrahēdæ modus ex marchasitis.

IN marchasitis etiam variæ reperiuntur ad earum Essentiæ Quintæ extractionem, quas tamen Essentias Quintas veras minimè iudicamus. Et tametsi maioris virtutis illæ existant, quàm earum Essentia Quinta, prout etiam de Arcanis, Magisteriis, & Elixiriis docemus: Noster tamen hic 5. Essentiam ab omnibus metallicis marchasitis extrahendi modus & vsus, est similis metallorum veris extractionibus. Cur autem antea dixerimus, 5. Essentiam esse rerum supremas vires, cum tamen econtrà hic de Arcanis inculcemus, quòd maiora ipsis Essentiis Quintis existant, ratio hæc est, quòd Arcana omnia contineant in se 5. Essentias, & vltrà tantam ad subtilitatem & acuitatem reducta sint, vt inde virtutē accipiant Essentiā quintā longè maiorem. Idē statuitur etiam propter Appropriatum eorum & specificū. Processus autem extractionis Quintæ Essentiæ ex Marchasitis talis est.

Ess 5. extrahēdæ modus ex marchasitis.

Accipe *Marchasitæ minutissimè contritæ libram vnam: Comedentis aquæ libras duas. Simul in Pellicano permixta maneat in digestione mensib. duobus aut tribus, & reducentur in liquorem: hunc destillabis omnino per ignem & transcendet in oleum, quod vná putrificabis in ventre per mensem: postea destilla sicut metalla, & duo pariter, vt ex illis, colores ascendet, albus vnus, alter Essentia 5. genuinus.* Album relinque, nisi sit ex Bisemuto aut alba marchasita tum à spissitudine cognoscas vnum ab altero. Inferius accipe, & ad suam dulcedinem redige, *vt supra de metallis.* Ad hunc modum extraxisti Essentiam Quintam à Marchasitis, absque virium aut virtutum vlla corruptione.

De Extractione Quintæ Essentiæ ex Salibus.

Ess 5. extrahēdæ modus ex salib.

QVintam Essentiam à salibus extrahendi modus, fit peculiari via quadam, vt eorum vires non imminuantur, ad hunc modum.

Accipe salia, *quæ calcinabis optimè: si volatilia sint, adures:* postmodum resoluantur in tenuitatem, & in aquam destillentur. Aquam hanc in putrefactionem ponito per mensem, & per balneum destillato, & ascendet aqua dulcis, quam abiice. Quod ascendere noluerit, iterum in digestionem ponas per mensem alium, & destilla sicut priùs, ac toties, donec ampliùs dulcedo nulla percipiatur. Hâc viâ iam habes 5. Essentiam Salis in fundo, ex adusta vel calcinata salis vnâ librâ, vix duas vncias. Huius salis ad hunc

Ex calcinati salis ℔ j. vix ℥ ij. Ess. extrahūtur.

modum extracti, etsi commune fuerit, vncia semis plùs condit cibos quàm alterius libra semis: Nam eius Essentia quinta duntaxat adest, & corpus ab ea per liquidam solutionem abstractum est.

Hac ratione Quinta separatur Essentia salium omnium. Sed ab Alumine Vitrioloque per aliam viam extrahitur, ad hunc modum. Ista calcinari se non permittunt ad fluorem, ceu salia: Quapropter post eorum calcinationem opus est vt aduras ea, resoluásque iuxta practicæ tenorem: & postquam resoluta sunt, aquas iterum affunde, quæ processerunt ab eis, & iuxta processum de salibus datum progredere. Nam Essentiæ multum ascendit cum humiditate, quæ sic iterum ad fundum residet in compositione & putrefactione, & ita simul in vnū conueniunt.

Ex alumine & vitriolo.

De Extractione Quintæ Essentiæ ex lapidibus, gemmis, & vnionibus.

EX lapidibus, gemmis & vnionibus quorum omnium processus idem est, 5. Essentiam extrahendi modus omnium excellentissimus, & admodum subtilis ac industrius existit in opere. Minima quantitas istius Essentiæ Quintę potest haberi ex gemmis: & quantò gemma subtilior ac purior, tantò Essentia paucior. Vix labore dignum est, ex crassis magnis vilioribúsque lapidibus, vt Essentiam quintam extrahamus, cùm in eis parùm virtutis existat, quo fit etiam, vt parùm admodùm ab eis exeat. Processus autem eiusmodi est. Accipe *gemmas aut margaritas, vel vniones; contundas in fragmenta crassiuscula, non in puluerem; & in vitrum positis acetum radicis affunde, vt quatuor aut quinque digitis latis supereemineat, & integro mense digerantur in Ventre Equino, quo peracto, materia tota Liquida apparebit.* Hanc alio radicato leuabis aceto, concutiendóque simul permisceto: sic recipit acetum in se lapidis colorem. Coloratum in vitrum aliud effundes; acetum rursus affunde prout antea, toties donec amplius non coloretur. In isto colore continetur Essentia Quinta, residuum est corpus. Accipe deinde colores, & in siccitatem lentè coqui finito, postmodùm aquâ destillata sæpiùs abluito, quousque dulce id fiat, vt supra. Tandem hunc puluerem super marmor solui permitte: gemmarum & vnionum ad hunc modū habebis 5. Essentiā. Est autem quod animaduertas in vnionum colorib. ipsæ nāq; resoluuntur in colore spissi lactis, & corpus eorum est arenosū & viscosū: Eo dignosci potest vnū ab alio. Simile de Crystallo etiam statuendum: eius Essentia 5. supereminet, viscoso corpore quodam remanente, ex quo extractionum eiusmodi sufficientia cognosci poterit.

Ess 5. extrahēdæ modus ex gemmis.

De Extractione Quintæ Essentiæ ex Ardentibus.

Ess. 5. extrahēdæ modus ex ardētibus.

ARdētia dicuntur omnia, quę nec ad cibū, neq; potū vsui sunt, & ex sua natura ardēt & ignē alūt in substātia corporali. Quorū Essētiæ 5. processus extractionis hic est. Accipe *corpus minutissimè concisū, & in ollā vitreatā pone, vt plena sit, sigilloque sapientiæ ipsam occlude ne expiret, igne circulatorio per viginti quatuor horas vrito, sic vt in æquali calore maneat, olla candente prunarum instar. Ab igne postmodum extractum, putrificetur in fimo septimanis quatuor, postea destilla, quicquid ascendere volet hoc in equino ventre ponatur ad humiditatem ab eo omnem destillandū, & rur-*

Ardētia quæ dicantur.

& rursus ad putrificandum, quousque nulla humiditas amplius exeat: cuius tum demum, quod acceperas Essentia Quinta manet in fundo. Hâc viâ extrahitur Essentia quinta ex omnibus rebus oleum in se continentibus, aut resinam, picémue aut similia, prout ex Terebintho, Abiete, Iunipero, Cupresso &c. similiter & ex seminibus omnibus, fructibus & similibus. Notandum longè plures extrahendi quintam Essentiam ab istis, alibi tradi, quoque vias atque modos quibus illa odorifera, subtilis & clara prorsum exit. Verû isti modi non sunt extractiones Essentiæ quintæ, sed Magisteria quædam earundem rerum, per quas ex parte aliqua Quinta simul Essentia in permixtione sursum ascendit. Non est tamen Essentia Quinta perfecta. Lignorum enim essentia pinguedo quædam est, aut resina spissáque Substantia, vnde in Magisteriorum formâ non extrahitur. Sed huius rei & hæc causa est: nempe quinta Essentia Terebinthi arboris sanat vulnera, sed vbi modo supradicto fuerit extracta ab aliis Magisteriis, ea non curat, quod fundamentum Essentiæ quintæ non habeat in se. Magisteria siquidem à Quintis Essentiis hac ratione separantur quòd solùm complexiones & elemẽta quatuor concernant, quæ tamẽ Essentiarũ Quintarum natura non est. Itẽ illa spiritualiter istam recipiunt, & non in essẽtia propria materialiter, vt patet in capitulis.

Essentia & Magisteria vt differãt.

De Extractione Quintæ Essentiæ ex Crescentibus.

Crescentia quæ dicantur.

CRescentia dicuntur hoc loco nobis illa, quæ decidunt, & rursum crescunt, vt herbæ, frondes & similia: quorum Extractionis Quintæ Essentiæ varij modi etiam reperiuntur per aliarum additionem rerum. Sed absque mixtione vllius extrahi debent, ita vt retineatur ipsorum gustus, color, nec non odor, ac in ipsis augeatur, non diminuatur. Sic ex Musco, Ambra & Zibeto, si Essentia Quinta extrahitur, eorũ corpus fœtet postea, sic vt nullius momẽti sit amplius, neq; in gustu, nec in odore, nec in natura. Sic de cæteris eius generis omnib. intelligendũ est, quoad 5. Essentiarũ extractionẽ. Sed de Musco, Ambra & Zibeto hoc capitulo nõ disserimus ideò, quia de illis peculiariter alibi scribamus, ac solùm de crescentibus agimus in præsentia, prout sunt Liliũ, Spica, folia, quorum extractionis Essentiæ talis est processus.

Ess. 5. extrahendæ modus ex cresc. centibus.

Recipe *Crescẽtia cõtusa per quã optimè, quæ ponas in vas aliquod aptũ & hoc in ventrẽ equinũ septimanis quatuor. Postea destilla per balneũ: iterum ponantur in fimũ equinum dieb. octo, & rursus per balneum Maris destillentur. Ita ascendet Essentia 5. per alembicũ, corpus verò manebit in fundo. Si quid Essentiæ 5. restitisset in fundo, putrefiat vlteriùs, & fac vt priùs. Accipe tandẽ aquã destillatã hac, eãq; ad crescens hoc iterum adde, ac ita per pellicanum digerantur simul diebus sex inde color spissus fiet, quem per balneum maris abstrahes, & recedet corpus, in fundo Quintâ Essentiâ remanente. Hanc separa iuxta retortiuum processum, aliàs Pressorium à facibus, & finito Quintam Essentiam hanc digeri diebus quatuor.* Ad hunc modum habebis eam in odore, succo, gustu, virtutéque perfectam, & in spissâ substantia consistentem.

Essentiæ extrahendæ modus ex aromatibus.

De extractione Quintæ Essentiæ ex aromatibus.

QVintam Essentiam ex Aromatibus, vt Musco (*al. Muscato*) zibeta, camphora, similibusq; modũ extrahendi iam docebimus. Primò Essentia Quinta debet in aliã formã redigi, & ab ea tandem separari. Quinta Essentia reperitur in eiusmodi separatione, prout sequitur.

Accipe *oleum amygdalinum, cui corpus aromaticum admisceatur, & in vitro simul digerantur in sole, suo tempore, donec in pastam redacta sint: Postmodum à suis facibus exprimuntur. Ad hunc modum separatum est corpus à Quinta Essentia, quæ sic oleo permiscetur*, ab eóque hac via separatur.

Accipe *vinum ardens rectificatum, quo perfundatur oleum supradictum, & in digestione sex diebus relinquantur; postmodum per cineres destillentur: ascendet vinum ardens & Essentia Quinta cum eo, remanebit oleum in fundo sine omni Essentiæ Quintæ remanentia. Postremò destilletur vinum hoc per balneum maris, & in fundo manebit Essentia Quinta in olei formâ à similibus omnibus separata.*

De extractione Quintæ Essentiæ ex comestibilibus & potabilibus.

Essent. 5. extrahẽd modus ex comestibilib.

ESsentia Quinta comestibilium non aliter esse debet, quàm simili forma cum ipso, quo nempe cibandum est, vti carne. Nam essentia Quinta comestibilium optimum est nutrimentum. Et quamuis à carne, prout antea diximus, nulla Quinta Essentia trahi potest: nihilominus ab ea bene possumus extrahere, quoad suum esse, quod æquipolleat Essentiæ Quintæ, prout sequitur.

Accipe *comestibile concisum, & in vas aut cantharum optimè lutatum ingere, & bullire finito per tres dies, posteà quod in cantharo fuerit cola, &* per balneum destilla. Ita, *ascendet primò quædam aquositas, quæ postquam tota pertransiuerit, in fundo relinquetur Essentia Quinta.* Summum est hoc nutrimentum præ cæteris omnibus, quæ ponere possimus vel declarare. Et respectu nutricationis, id Essentiæ Quintæ simile est. Potest etiã ex potabilibus extrahi Quinta Essentia variis modis: at verus hic est processus, quem ad opus hoc potissimum existimamus idoneum & commodum.

Accipe *quoduis potabile, pellicano conclusum, vt est cum tota sua substantia, digeríque, per mensem in equino fimo permitte, melius tamen erit per annum aut ampliùs & inuenies in pellicano digestum quid. Hoc ipsum per balneum separato, postmodum per cineres, & postremò per ignem.* Ad hunc modum habebis tres Quintas Essentias, quæ pariter omnibus potabilibus insunt, multis de caussis, vti de generationibus eorum ponimus.

His tribus Quintis Essentiis extractis, & peculiari quaque suo vase repositâ, duæ posteriores latiùs digerantur, & in balneum inde Mariæ ponantur, & ascendet plus essentiæ Quintæ prioris: idipsum toties facito, quousque prioris ampliùs nihil prorsus ascendat, hoc modo per quam optimè separatæ sunt. Quod ita breuiter Quintam essentiam docuerimus omnium, breuémque viam extractionis eius, non est quòd miretur quispiam festinanter currentem manum aut calamum nostrum. Quandoquidem singula bene & sufficienter ita tradita sunt, & non ita succinctè Quinta per nos Essentia scripta est, quin opus & labor ad eam necessaria, clarissimè demonstrentur. Quid multis opus est scriptis, quæ nobis atque lectoribus nauseam excitent, si non consideremus exercitium & vsum

vsum, docere singula. Quàm autem admirandæ virtutes | atque vires eius existant, si prædicto extracti modo fuerit, etiam ex parte aliqua nos docuimus, & latiùs vltimis libris quod ad hanc Archidoxorum partem attinet elucidabimus: & ita Quintam rerum omnium Essentiam abundè satis enarrauerimus. Et quamuis ante nos multi, variis documentis grandia quædam scripserint de Quintis Essentiis, nihilominùs eorum scripta pro Quinta non existimamus Essentia, cuius causam antea satis adduximus. Ex illis etiam percepimus, æris viride Quintam Essentiam Veneris existimatam esse, cùm non sit: sed Crocus Veneris est Quinta Veneris essentia, sic intelligenda. Flos æris est trãsmutatio cum substantia, crassa & subtilis simul, & ex omni cõplexione Venerea extracta. Quare nulla Quinta potest essentia esse, sed crocus Veneris, vt docuimus, vera est Quinta Essentia, cũ sit potabile quid, sine corrosione permixtioneq; diuisum à corpore, valde subtile, magis etiam quàm hoc loco scribere lubet, ad euitandam prolixitatem. Sic etiam crocus Martis & eius ferrugo pro Quinta fuit Essentia hactenus existimata, cum non sit. At crocus Martis est oleum Martis. De his plura ponimus de transmutationib. in nostra Philosophia. Essentia 5. quidẽ ad hunc modũ intelligenda est, eã scil. aliud nihil esse, quàm separationẽ quandã virtutũ à corpore, vbi medicinæ virtus omnis inest & essentia. Quid verò flos æris, & Martis existant, ac similia plura, loco de Magisteriis traditur.

Æris viride non est Quinta Essentia Mercurij.

Crocus Veneris est ipsius Essentię Quintæ.

Crocus Martis nõ est Essẽtia Quinta.

Non aliter etiam de vegetabilibus ac herbis & similibus iudicandum est, quàm de Metallis. Et quamuis arduas admodum multásque Essentiæ Quintæ virtutes proposuerimus nihilominus earum virium & qualitatum pars minima recitata fuit, sed hoc præcipuè declarauimus, quinam intelligenda ista sint: omnium autem minimè, quæ quantæque vires & virtutes earum existant. Ex quo innotescere poterit maxima potestas, quam habemus in manibus, modò ea probè sciamus vti. Hinc etiam causa patet, cur homo creatus, & ei cuncta subiecta sint in terris, item cur nullum, siue bonum siue malum sine causa proueniat, quod nos de rerum natura clariùs declaramus. Istud namque fundamẽtum fidem secum adfert in creatorem intẽtam, & spem eius erga nos amoris, tanquam optimi patris erga suos filios. Quare nobis nulla alia vmbratilis & vana fides arripienda est, sed solũ Deum, naturam & artem naturæ nos intueri fas est. Quapropter meritò eum solum in hac vita, nec non in perpetuum inuocamus, idque solùm credimus, quod videmus ita esse: nihil quod naturæ non conuenit, aut præter ipsam est, recipientes, aut approbantes.

Finis Quintæ Essentiæ: Libri Quarti Archidoxis.

LIBER QVINTVS ARCHIDOXIS EX THEOphrastia Paracelsi Magni.

De Arcanis.



DECLARATIS Essentiis Quintis, ad Arcana conferemus nos ex ordine conscribenda, cum de his plus intelligamus quàm Essentiarũ Quintarum viribus, inter quas nos docet experientia differentiam esse maximam ob potentissimas operationes, per quas nobis apertissimis demonstratur indiciis, quæ meliora sint, vtiliora, vel minora viribus. Possumus itaque vnum alterius loco iuxta rei competentiam pro medicina assumere. Sæpiùs quidem veteres iudicârunt, Arcana esse Quintas Essentias, qui longè subtiliora viderent ea crassioribus substantiis, ac subtili natura mirum in modum eadem operari cognoscerent. Error tamen hic fuit eorum, non à ratione, sed practices inopiâ potius ortum habens, cùm determinatæ graduum altorum differentiæ notitia nulla penes eos fuerit, sed quemuis altiorem aut supremum gradum Quintarum Essentiarum loco habuerint. Quod tamen non solùm ex practica, verùm etiam & potius ex Medicinæ operationibus cognosci ac definiri debet.

Arcana & Essentia vnde differant.

Error veterum circa Arcana.

Priusquàm igitur Arcana tractemus, videndum atque sciendum, cur ita vocentur, & quid Arcanum sit, cùm tam excellens nomen habeat, haberéque non immeritò debeat. Arcanum autem vocatur incorporeum, immortale, vitæ perpetuæ, supra omnem Naturam intelligibile, cognitúque non humanum. Ad corporea ergo nostra comparata quidem Arcana, iudicanda sunt incorporalia, nec non essentiæ nostra longè excellentioris, quale discrimen est inter album ad nigrum. Potestatem habent ea nos transmutandi, alterandíque, & restaurandi, sicut arcana Dei iuxta suam inductionem. Et quamuis in nostris arcanis æternitas, aut cœlestis illa symphonia non sit, nihilominùs ad nos comparata, veluti cœlestia iudicanda sunt: cum nostra corpora magis quàm naturæ sit possibile vel perscrutabile, conseruent, in eísque mirum in modum operentur suis virtutibus. Non aliter igitur naturalia hæc Arcana, quod ad Medicinam attinet, ad corpora nostra, quàm arcana Dei, ad illa comparanda sunt. Nec etiam verebimur scribere hæc Arcana nobis ipsis superiora esse, maioráque, ac in nobis vitam instaurandi potestatem habere maximam, vt illa quatuor quæ ponemus testantur. Neque fabulas inanes inutilium istorum Deuniculorum mancipiorũ quicquã curabimus; existimãtes eos non magis intelligere, quã cœcos videre. Vnũ ergo est arcanũ in Vna Essentia. Alterũ est arcanũ ipsius Naturæ. Arcanũ enim est omnis virtus rei millies istã excellens. Possumus itaq; citra trepidationẽ disserere, arcanũ hominis esse omne eius donũ & virtutẽ, quã retinet in æternum: sicut in altero libro huius Archidoxis docemus. Duobus ergo mod. arcanũ intelligẽdũ venit: vnũ est perpetuũ, alterũ verò pro perpetuo. Hoc quasi perpetuũ simile iudicamus perpetuo iuxta sui existimationẽ & prædestinationẽ. Arcanorũ autẽ 4. solũ nob. à puerilib. annis innotuerũt, quib. libellũ cõplebimus hũc, nobisq; satis laudabilem memoriã efficiemus, vt horũ nũquã obliuiscamur, supremum Deum orantes, vt humanam nostrã carnẽ, ad multos annos peruenire concedat suâ misericordiâ, quò possimus ætati nostræ longæuã & mitem requiem ponere, fideliter in eo sperare, nullaque ratione dubitare, quin ipse, cum humanitatem assumere dignatus sit, eâ nos frui daturus sit, vt spe nostra nequa-

Arcanũ quid & cur ita dicatur?

Arcanorum vis & dignitas.

Arcana sunt maiora homine.

Arcani duo genera.

Arcanũ hominis quod sit?

Arcana 4. tantũ Theophrasto nota.

quaquã frustremur, quod firmiter expectamus.

Arcana 4. quibus conueniant.

Hæc itaque spe freti principiò declarabimus, quænam sit inter ista quatuor arcana differentia, cùm secundum laborem, tùm artem, denique virtutes. Ad hæc vniuscuiusque virtutum cognitio finalis & conclusiua requiritur, hoc modo. In genere primùm corpus in sanitate conseruant, ab eo morbos arcent, ac pellunt, exhilarant mœstum animum, hunc ab omni tristitia liberantes: præseruant ab ægritudinibus omnibus, corpúsque suam in prædestinatam vsque mortem feliciter perducunt, quæ nullum terminũ habet, nisi per consũptionis diminutioné, vti de vita & morte ponimus.

Arc. 4. quibus differãt.

Et quanquam virtutes eorum generaliter iam declarauerimus, atque naturam; nihilominus inter se particulariter & maximè differunt, vt nullum alteri consimiliter operetur, aut suas virtutes perficiat, sed modo formaque diuersis, quódque nempe sibi propriis, & peculiaribus. Est itaque prima Materia primum Arcanum: secundum Lapis philosophorum: tertium est Mercurius vitæ: quartum verò Tinctura, prout etiam eorum practicam ex ordine ponemus, postquam eorum operandi modos exposuerimus, vt sequitur.

Arcanorum 4. nomina.

Primæ materiæ vis & natura.

Principiò de prima notandum est materia, quòd suam prædestinationem, adquam prædestinata est integram, primaque ab origine ad finem vsque descriptam, vel exemplificatam præbeat. Vt semen herbam integram dat ex se cum ronouatione virtutum omnium, & consumptione veteris essentiæ, sic vt inueterata substantia, natura, nec non essentia, operationem nullam ampliùs habeat: Ita nos de materia prima loquimur, quòd ex semine vno nascamur, velut crescens in agro secundum naturam crescitiuam. Iuxta prædictum exemplum, prima materia nouã iuuentuté homini introducit, veterem absumendo, non secus ac noua herba à nouo semine estate noua & ãno emergit.

Lapidis philos. vis ac natura.

Lapis philosophorum, qui secundum arcanum existit, operationes suas in aliã formâ perficit, in hunc modum videlicèt. Prout ignis extrinsecus adurens maculatam Salamandræ cutem, hanc prorsus mundam efficit vt recenter natam: sic etiam Lapis hic Philosophorum totum corpus humanum repurgat, & mundat ab omnibus suis immundiciis, introductione iuniorum & nouarum virium, quas naturæ hominis adiungit.

Salamãdræ squalor igne emendatur.

Mercurii vitæ vis & natura. Halcyon quotannis deplumatur.

Mercurius vitæ, qui tertium est arcanum, suarum operationum demonstrationes eis similes exhibet, quas Halcyon patefacit: quæ quidem auis annuo tempore suo renouatur, plumísque nouis induitur. Non secus arcanum hoc ab homine manuum & pedum abiicit vngues, pilos, cutem, ac omne quod ei subiectũm fuerit: vtque iterum crescant efficit, corpúsque totum renouat, vt supra de Halcyone dictũ est.

Tincturæ vis & natura.

Tinctura verò, quæ quartum à nobis arcanum ponitur, suas operationes ad Rebis modũ patefacit, quod ex Luna & metallis aliis Aurum seu Solem efficit. Non enim aliter hominis corpus Tinctura tingit, eique suam corruptionem & impedimenta adimit: omnia transmutat in summam puritatem, nobilitatem, atque permanentiam, &c.

Quâ ergo ratione tandem fieri posset, vt à nobili medicinâ recederemus, aut ab ipsâ Philosophiâ, cum tamen luculenter earum vires ac potestatem videamus, quæ solæ nos confirmant, vt fidem eis maximam adhibeamus, & meritò. Non enim ad ea credendum, addiscendum, aut imitandum induximus animum, quæ verissimis ac certissimis, cùm experientiâ, tùm practica coniunctis rationibus probari confirmarique nequeunt. Quo tempore Christus in cruce pependit, si non compassione quâdam affecta fuissent Sol & Luna, ita, vt lumine suo priuarentur, obscurarentúrque, terráque ipsa simul horrendo concussâ tremore fuisset: & cætera signa per ipsius natiuitatem non manifestata essent: nemo vtique verè in ipsum iam crederet. Ipsum tamen Videre & Scire, naturaliter nos docent, Iesum Christum esse Deum, & humanitatem assumpsisse. Idem etiam dicere possumus de his Arcanis, eà nos credentes efficere, cogereque, vt ab eis in mortem vsque non recedamus, sed strictè potius & assiduè multis interpellationibus, singulis diebus pergamus Deo gratias agere. Sic neque Eclipsis, neque Luna quicquam nobis detrahet. Practicam igitur & elaborationem apponere volumus quatuor istorum Arcanorum, quibus accidentia & corruptelas pellere valeamus nostræ iuuentutis, nec non in eis gaudere, prout æternum nostrum Arcanum in æterna vita sua iubilat, &c.

Theophr. non credit, quæ non experitur.

De Arcano primæ materiæ.

Materiã primæ quod fũdamentum sit.

POstquam de Materia prima satis, vnde proueniat, & quidnã ea sit, indicauimus: intelligendum est, ipsam nedum super homines, verùm etiam omnes creaturas corporales fundatam esse, hoc est, super omne quod ex semine quopiam nascitur. Vnde concludi potest, eam, si quouis in creato corpore suam operationem habeat, & perficiat, ut antea declarauimus, arbores etiam à corruptione né pereant, herbas ab exiccatione, metalla pariter ab ærugine ferrugineque præseruare posse, de quibus hoc loco non aliter quàm de hominibus, & brutis intelligitur. Arbor itàque iam ætate consumpta ferè, necnon ad sui corruptionem indies magis vergens, non ex defectu radicis, neque nutrimenti, sed propriæ virtutis, à materia sua prima renouari potest, vti nos de cute Salamandræ locuti sumus, & ita etiam ad alteram ætatem peruenire, iuxta suam prædestinationem, etiam in tertiam, quartam & plures. Hac ratione virtutes illi contribuendæ sunt, videlicet, vt eius corruptio destructióque longo temporis successu subinde renouetur. Non minus id etiam de herbis intelligendum, quæ per annum tantùm vnum durant, quòd earum prædestinatio longior non sit. Illæ enim: & quum exiccari iam incipiunt, per primam suam materiam, renouantur, vt virides atque recentes maneant in alteram ætatem annuam, & tertiam, quartámve & vltra. Idipsum de animalibus etiam intelligito brutis, prout ouibus antiquis, &c. quæ renouari possunt in alteram ætatem, virtutibus, lacte, lanaque iuuenum ouium receptis. Pariter & homo potest ex vna in aliam ætatem adduci, prout antea diximus. Notandum iam ex hisce est, quidnam materia prima sit, quoad suam

Materiæ primæ quæ facultates.

Salamãdræ renouatio

Materia prima quid sit

Essentiam. In creatis corporeis insensatis, cuiusq; rei semen est. In creatis corporeis sensatis, eorum sperma est. Sciendum etiam, non esse materiam primam assumendam ab eo, de quo creatum hoc productum est, sed ex producta generataque materia. Tales namque vires habet materia prima, vt non permittat corpus in consumptionem transire, quod natum est ex ea, sed abundè satis exhibet in complementum necessitatis omnis. Quandoquidem ex destructione solùm, vel infectione spiritus viui mors oritur. Ille quidem ex spermate vel semine crescit, & spermatica prorsus materia est. Quare simili potest ei subueniri. Nam vbi simile datum est auxilium, introducitur ætas noua multis de causis, quas hoc loco minimè ponimus, at in Philosophia nostra declaramus. Porrò quamuis de sustentationibus & renouationibus arborum hoc libro scribere non proposuerimus, cùm medicinam humani corporis tantùm tractandam susceperimus: illa de arboribus ac idgenus aliis transmutationibus ponantur; parabolicè tamen, & per exempla nostram intentionem clariorem intellectúque reddere faciliorem conabimur. Seminis vrticæ (al. Lauendulæ) Quinta essentia, si ad herbæ suæ radicem affusa fuerit, vt ista tincturam eius recipiat, eâq; tingatur, altero permanet anno prout priore, non putrescens, donec annus alter completus fuerit.

Res vt per Essēt. s. sin: cōseruēdæ.

Itidem & Quinta Essentia seminis Citoniorum vbi fuerit ad radicem affusa Citoniæ, virens permanet arbor ad alterius anni finem, flores quoque producit & fructus. Pariter Quinta cerasorum Essentia duabus ætatibus, arbores eorum bis fructus edere suos efficit, vna cerasorum æstiuorum arboris, est æstas media: reliqua medietas, æstas altera priori similis est.

Cerasus quomodo bis fructus ferat. vno ano.

Non solùm igitur de Quinta spermatis Essentia loqui nos decet, verùm etiam de spermatis Arcano, ex quo longè admiranda magis prodeunt, iam prout indicauimus.

Practices huius processum itaque primò declaremus. Is primò inter homines, ac bruta similis existit. Secundò ex prima Materia solùm fit ad hunc modum vti iam sequitur.

Recipe *Materiam prima flacco digeri permittas, in digestione resolutiua per mensē. Cui tum additio Monarchiæ iungatur, æquali pondere, digeríque sinantur iterum ex vno in mensem alterum. Postmodum hanc destilla materiam,* tu l f *per & quod asi enderit, arcanum erit materia primæ,* de quo scribimus hoc loco. Nec est quod admiretur quispiam ob viā aut processum adeò breuem. Multitudo namque multum erroris adfert.

Arcani primæ materiæ qualis practica sit.

Lapidis Philosoph Arcanū.

De Arcano lapidis Philosophorum.

Illius Philosophorum lapidis, qui describitur ab aliis diuersimodè, auctor non sum, nec executor, minùs indagator in eo, tanquam de hoc loquerer ex auditu vel ex lectura. Quare cùm eius nullam certitudinem habeam, processum illius relinquens meum prosequar, vt eum qui à me, cùm per vsum, tùm practicam repertus est. Eúmque voco lapidem Philosophorum, quòd instar illius hominum corpora tingat, vti de suo scribunt illi. Verùm meus iuxta processum eorum præparatus non est, cùm illum hoc loco non intelligamus, nec etiam cognoscamus.

Lap. Philos aliàs decantatus Theophrast. incognitus.

Operationis processum in hac nostra practica minimè ponimus, cùm antea meminerimus eius principio libri, quum scriberemus vires, & operationes eius, quas habet ex separatione.

De hoc vtique latiùs notabitis penetrationis ingressum, quo totum corpus ac omnia, quæ huic insunt, ille penetrat. Ista namque penetratione restaurat & renouat illud: non quòd amoueat prorsus, & nouum introducat in locum: aut quòd vt prima materia, spermaticum Arcanum suum etiam infundat, sed quòd vetus ita purgat, vt Salamandræ cutis absque læsione tamen vel defectu mundatur, & nihilominus antiqua cutis in essentia formáque manet. Similiter lapis hîc Philosophorum corpurgat omniáque membra capitalia, nec non intestina medullas, & quicquid ipso corpore continetur. Non permittit aliquem in corpore pullulare morbum, sed ab eo fugiunt Podagra, Hydropisis, Icteritia, Colica passio, nec non à quatuor humoribus ægritudines omnes prouenientes eiicit, corpora quoque repurgat, vt similia reddantur, ac si tùm primò nata essent. Refugit omne quod naturam destruere conatur. Non aliter quàm vermes ignem: ita infirmitates quæcunque renouationem hanc fugiunt.

Lap. Phil arcani quæ facultas.

Quos morbos fuget.

Huiusmodi vires Lapis hic philosophicus habet, quibus tot ac tam admirandos morbos expellit, non ex suà complexione, vel ex formâ specifica, neque suâ proprietate, vel accidentali quâpiam qualitate, sed ex subtilis practicæ viribus, quæ induntur illi à Præparationibus, Reuerberationibus, Sublimationibus, Digestionibus, Destillationibus, & postmodum variis Reductionibus, & Resolutionibus, quæ quidem operationes omnes eiusmodi Lapidem in tantas virium subtilitates & acuitates adducunt, vt mirum sit. Non quòd ab initio habuerit eas, sed quòd ipsi tum demum attribuantur. Simile quid intelligendum in melle quod Eleuationibus suis omni aquâ forti & corrosiuo longè fit acutius, ac sublimato quouis penetrantius. Talem à Natura proprietatem acuitatis non habet, verùm ex Eleuatione, quæ totum hoc mel immutat in corrosiuum. In efficacibus istis Arcanis etiam animaduertendum, eos qui vtuntur illis, velut & liberos ab eis progenitos, postea tanta sanitate præditos viuere, vt in eorum corporibus ægritudo nulla, neque contrarietas, aut simile quid accidere vitii possit: Verùm ita subtili mundaque naturæ complexione, conditionéque prorsum ornantur, vt nobiliorem complexionis conditionem minimè possibile sit induci. Nam istiusmodi medicina selectissima, nec non excellentissima plurimùm instaurat, mundat incorruptibilémque vitam introducit, quæ nullâ vitâ contaminari possit. Nihil quicquam ea flaccescere sinit, sed vt in summa nobilitate Naturæ homines vt viuant, efficit, ac eorum prolem, ad decimam vsque generationem prouehit. Lapis ille philosophorum non solùm pondus vnum transmutat, sed istud mutat iterum aliud, & hoc porro aliud, &c. ita vt in infinitum penè mutationes illæ extendantur, prout etiam vnum lumen accendit alind, & istud

Lap. Philos. arcani vnde.

Mel eleuando corrosiuum fit.

istud iterum aliud. Pariter de hoc Lapide philosophorum intelligendum est, quoad sanitatem: vt etiam ex arbore bona semen bonum & surculi nascuntur boni, è quibus iterum arbores bonæ producuntur. Vis atque potentia lapidis philosophici mirum in modū exaltatur, vt indagari minimè queat, quînam id ipsum naturaliter fieri possit. Et nisi paterent oculis euidentissima signa, incredibile foret, homines talia támque miranda perficere posse cum virtus istius operis ex generatione trāseat in generationem sine corruptione. Dei contra misericordia in vno corpore consistit, ac tandem aliis iuxta meritum eorum vel denegatur, vel ex gratia conceditur.

Iam nostri lapidis Philosophici processum ponamus ad hunc modum.

Lap. Phil. præparatio quæ.

In nomine Domini: Sume Mercurium aliàs elementum Mercurii, & separa purum ab impuro: postmodùm reuerberetur vsque in albedinem, quam sublimato per sal Armoniacum, tam diù, donec resoluatur: id calcinetur & soluatur iterum, ac in pellicano digeratur vno mense, tandem coaguletur in corpus: hoc non vritur amplius, nec vllo modo consumitur, sed in eodem statu permanet. Corpora quæ penetrat, per cineritia permanentia sunt, & in nihilum reduci minimè possunt, aut alterari, sed lapis à sensilibus & insensilibus, vt supra narrauimus, qualitatem omnem superfluam adimit. Et quamuis breuem admodum viam posuerimus, laborem tamen prolixum requirit multis circumstantiis difficilem, ac nullo tædio affectum operatorem, sed summè diligentem & expertum exposcit.

De Mercurio vitæ.

Deinceps etiam scribere de Mercurio vitæ volumus, cuius virtus, duorum præcedentium virtutes longè superat. Non enim in arte virtus ista, nec in opere, sed in Mercurio vitæ ipso consistit cui simile simplex nullum cognouimus, quod vspiam existat. Quandoquidem agnata illi natura ac proprietas illa existit, non ex viribus Essentiæ Quintæ, nec elementorum, sed ex specifica suæ prædestinationis qualitate. Non quòd solùm virtutes habeat personas nec non alia essentialia transmutandi, verùm etiam ex veteri qualitate in nouam renouandi crescentia quæuis, & similia: in hunc modum videlicet, quòd Mercurius vitæ Martem in Materiam primam suam reducat, iterúmque suam in materiam perfectam ita transmutet, vt ex eâ ferrum iterum fiat. Eodem modo Aurum etiam renouat. quod in Mercurium proprium atque tincturam reducit, iterúmque digerit in aurum, vt metallum priori simile euadat.

Mercurii vitæ quãta præstantia sit

Mercurii vitæ quæ virtutes sint.

Nec verò in metallis tantùm, verùm etiam in aliis, vt herbis similiter operatur. Quum radices earum eo perfunduntur, flores atque fructus secundos adferent. Si primum semen deciderit, illo tempore si perfundantur illæ eodem, vt supra, flores & fructus secundos proferent, absque respectu temporis vllo.

Non aliter de brutis, quàm de hominibus & aliis hoc etiam est intelligendum; quibus vbi Mercurius hic fuerit applicatus, eorum membra singula renouat inueterata consumptaque, ac in iuuenile corpus vel domicilium vires deficientes & amissas refundit, ita vt in anubus menses atque sanguis æquè ac in iuuenibus mulieribus naturaliter fluant. Item vetulas ad similem naturæ perfectionem reducit, in quâ iuniores existunt.

De Arcano vitæ latiùs notandum est, eius vires in forma specifica tam potentes existere, vt vetus à recenti, vel senectutem à iuuentute separent, quam posteriorem augent, ac ita renouant ætatem. Vnde colligitur, iuuentam eiusque vires in senectutem minimè deficere, sed in senibus æquè atque in iunioribus existere. Verùm corruptio, quæ penes iuuentutem excrescit, ita roboratur, vt isti vires adimat, vnde vetustas cognoscitur.

Postquam igitur eiusmodi corruptio separatur à iuuenta, hæc postea iterum manifestatur citra inimicitiam, ac impedimentum. Ad hunc modum intelligendum, id est, scilicet, vbi (al. cadauer) corpus aliquod putrefit, non est hac de causâ Quinta Essentia eius putrefacta, sed recens & inconsumpta est, ac separatur in aërem à cadauere, nōnunquam in terram aut in aquam spargitur, vt in illum locum deueniat. Nam Essentiæ Quintæ nulla destructio fieri potest, quod summè notandum & in admirationem trahendum est, prout nos de corruptione & generatione docemus. Sic etiam rosa in fimum putrefacta, retinet in se vel in fimo suā Quintam Essentiam. Etsi fœteant omnia putridaque sint, nihilominus in separatione puri ab impuro, Quinta viuit Essentia sine defectu vel maculâ: corporáque fœtida sunt cadauera. Ita ergo de Mercurio vitæ constituimus, eum separare corruptionem, vt à ligno, quod putridum est, separatur. Tam potens est etiam in homine, vt, postquam corruptum ab eo separatum fuerit, moueatur iterum Essētia Quinta, viuátque prout in suâ iuuentâ. Sic nimirùm hoc est intelligendum: non quòd Mercurius vitæ nouam Essentiam excitet, prout nonnulli nostram opinionem & experientiam interpretari malitiosè possent, sed quòd Essentia, iuuenilísque spiritus, ex quo vires iuueniles exeunt, nihilominus manent inconsumpta, quámuis oppressa pro mortuâ habeatur. Mercurius itaque vitæ semouet impurum, quo fit, vt inueterata vita suas, vt antea, vires efficacissimè recuperet. Quandoquidem supra de Halcyone loquentes indicauimus, istam autē post mortem renouari, hâc de causa, quia non recedit à suo domicilio eius Quinta Essentia. Quòd si hospitiū id à putredine dissoluatur, tunc Essētia 5. in id recipitur, supra quod iacet. Quare sæpiùs admirandæ reperiuntur in crescentibus naturæ conditiones, non ex eorum existentes naturâ, sed ex accidente simili, sicuti de generationibus ponimus. Hâc viâ quidem hoc est intelligendum. In fimo variæ corruptiones concurrunt, & accumulantur, vt ex herbis, radicibus, fructibus, aquis, & similibus aliis rebus. Vndè fit, vt ex eo pingues & fertiles reddantur agri, non propter corruptionem, sed propter Quintam Essentiam existentem in eo, quæ se recipiens in radices, vires exhibet crescētibus, euanescente quidem corpore, hoc est, fimo, & in nihilum redacto, nec non in substantia sua consumpto. Quapropter humanum stercus ma-

Essent. 5. cadauerum non putrefit aut destruitur.

Halcyonis renouatio post mortem fit.

Fimus cur fertiles reddat agros

Stercus humanū cur magnarum sit virtutum.

magnarum est virtutum, quia nobiles in se cōtinet Essentias, vt cibi & potus, de quibus admiranda scribi possent. Nam corpus aliud nil ab eis præter nutrimentum recepit, non autem essentiam, vt nos de nutrimentis scribimus.

Proprius igitur iam ad vitæ Mercurij praxim accedemus, qui prout antea diximus, modo admirando suas operationes perficit, velut manuum & pedum vngues eiiciendo, & pilorum canorum radices euellendo iuuentutem roborat, vt corruptio senectam per signa ea demonstrare nequeat, nisi ad sequentem ætatem vsque iterum descendatur.

Practicam eius aggredientes iam, cum Alchymistis agamus paucis. His enim scribere multa, concionarique prolixè non est opus. Prætensores autem ac insipientes excludemus prorsum. Eius practicandi modus hic esto.

Mercurius vitæ vt præparetur.

R. *Mercurium Essensificatum, quem ab omni superfluitate suâ separato, sicut purum ab impuro: postmodum sublima cum antimonio sic vt ascendant ambo, nec non vnum fiant. Deinde resoluantur super marmor, & ad quartam vsque vicem coagulentur. Eo peracto, Mercurium vitæ, quem antea declarauimus habebis, quo quidem senectutē nostram consolabimur tanquam Arcano.*

De Arcano Tinctura.

NOn secus Arcanum Tincturæ venit intelligendum, id nempè tollere senectutem omnem inconuenientem, quoscunque morbos, quicquid sanitatem corrumpit, & contra hanc inclinatum est. Istud Arcanum Tinctura quædam existit huiusmodi proprietatum & cōditionum, vt operetur, & sanitatem introducat, non eodem, quo præcedentia tria, modo, sed iuxta nomen suum. Tinctura enim bonum & malum tingit, crassum & subtile. Non secus ista quoque in corpore suas operationes perficit, vt corruptas & indispositas complexiones in sanas transmutat, instar tincturæ, quæ ex Mercurio Lunam efficit, malum ab ea non separat, verum tingit bonum atque malum, vt simul optima finaliter euadant. Sic etiam Tinctura hæc tingit hydropicum & ictericum corpus in sanum: non quòd hydropisis tollatur, origo pellatur vel separetur à bono, sed in bonitatem transmutatur, prout ipsam oportet in summo suo gradu nec non optimo constitutam esse, quemadmodum fimus corruptus per subtilem artis corruptionem in Elixir adduci potest, quod corruptionem pellat omnem, istâ quidem non separatâ, sed integrâ substantiâ transmutatâ in aliam qualitatem atque naturam.

Tinctura quid.

Tincturę efficacia vnde.

Idipsum de Tincturâ hac quoque censendum est, eam tingere corpus citra omnem à bono mali separationem, aut expulsionem essentiæ primæ hominis, sed per istius renouationem.

Attamen sciendum est, corpus illud tinctum in veteri forma non amplius viuere, sed instar metalli transmutari in aliud, veluti cuprum aut aliud. Item Saturnus veterem qualitatem in se non habet, sed ipsius tincturæ. Non aliter sentiendum etiam est de tinctis corporibus, quæ tincturam ad se Tincturæ iam receperunt, vt non ampliùs in vitâ pristina, à qua per tincturam transmutata sunt, existant, sed longè nobilior, melior, & sanior corporis & formæ sit conditio, quàm eius origo natiua fuit, ac instar auri à Natura per tincturam ex ferro facti, vt etiam de transmutationibus scripsimus. Si igitur Tinctura hæc transmutatrix est corporum ad melius, sicut illa metallorum, paucis cognita & explorata: tot iam ac tam variæ eiusmodi corporeæ tincturæ erunt, quot sunt metallicæ: quarum vt vna semper melior est altera: sic & corporales. Animaduertendum est, aliquas à natura tingere tincturasque esse, prout crocus, flos sulphur: nonnullas arte factas, vt lapis, realgar, &c. Hæc intellectu summè necessaria, quòd initium ad illas, & introitum exhibeant non exiguum. Notandum insuper, tincturas istas fieri debere pro septem membris principalibus, & vnicuique suam proprietatem attribui, darique, vt cordi, quæ huic inseruiunt; cerebro, quæ illi conueniunt, easque parari ex metallis, herbis, & similibus, quæ propria sunt. Sic fiet, vt per istas integrum corpus tingatur. Nec per vnam tingi solùm tincturam satis erit: sed prout vna tinctura tantùm vnum metallum tingit, ita idem etiam de his iudicandum est. Tincturæ practica talis esto.

Tincturarū differentię.

Tinctura vt præparetur.

Recipe *Membrorum essentiam, à qua separabis elementa: postmodum ignem eorum in digestione positum relinques tantisper, donec in fundo nihil amplius resideat, ibidémque nulla materia penitus eius appareat substantialiter:* Deinceps *accipe materiam & vitrum ad hunc modum perlutatum luto Hermetis, & in locum humidum frigidúmque repone, in quo quidem iterum in materiam visibilem resoluentur.* Ista materia, visibilis est ea, de qua scripsimus. His paucis concludimus. Nam si plura de hac scriberemus; Stoicis derisionis ansa illa forent: qua nos exemptos & solùm Alchimistis esse locutos volumus.

Finis libri Quinti Archidoxis ex Theophrastia de Arcanis.

LIBER SEXTVS ARCHIDOXIS EX THEOPHRASTIA PARACELSI MAGNI.

De Magisteriis.

Magisterium quid sit.



RÆCEDENTIBVS de medicamentis excellentissimis absolutis libellis, hunc de Magisteriis tradentem addere proposuimus: & primò declarare quid sit Magisterium. Est igitur hoc id, quod præter separationem, aut elementorum præparationem omnem à rebus extrahi potest: at tamen per alicuius rei additionem vires atque virtutes rerum in illam materiam attrahuntur, & conseruantur. Ex natura minimè procedunt, quod ad operationem attinet, neque ex specifica virtute, sed permixtione, qua vires extrahuntur eiusmodi. Si acetum in vinum effusum totum istud reddit acetum: hoc iam est magisterium. Vbi vinum ad mel affusum fuerit, in hoc illud non omninò transmutatur: quare magisterium non est. Ea ergo cōsideranda sunt, quæ ad magisterium perti-

pertinent, vti quæ vina ad acetum. Nam quæ perfecta, vel, vt esse conuenit, ad hoc apta minimè sunt, ea nec magisterium possunt efficere. Quapropter naturæ considerandæ rerum veniunt. Extractionum pariter magisteriorum differentia notanda, prout ex metallis, marchasitis, lapidibus, herbis, & similibus materiis, per ea quæ metallica non sunt, nihilominus similia metallis fiunt, non secus ac vinum aceto simile efficitur viribus, virtutibus & sapore. Quod vinum ab aceto non apparet alienum, eius causa quidem est, quòd aceti natura similis ibidem etiam existit: quo fit vt eadem sit earum naturarum apparentia. Si metallorũ natura simili modo pura foret, pariformiter apparet in magisteriis: cuiusmodi tamen ea non est proprietatis.

Magisteriorum subiecta varia.

Porro autem tradendum est, de additionibus. Ea, quæ hunc in vsum assumentur, etsi non sint vnius & eiusdem complexionis, potestatis vel actus, nihilominùs in præparatione conueniunt, quòd appropriatum, & non complexionatum sit illud quod ex eiusmodi viribus resultat. Per ista, sua magisteria præbent ipsa metalla, quæ quidem non minùs, quàm Essentiæ Quintæ sunt existimanda iuxta suas virtutes. Aurum in magisterium deponit omnem suam qualitatem, & complexionem in vnâ Essentiâ. Propterea non existimandum, quia corpus nullius est momenti, reliquum etiam infectum eo fore: nam illius lepra minimè hoc loco nocet, verùm id integrè bonum est. Saccharum nimirum est integrè dulce, dum adhuc in suo corpore manet, ac nõ separatũ est: potest etiam in dulcedine suâ persistens ita præparari, vt longè dulcius & efficacius euadat, quã antea fuit: verùm abstracta Quinta Essentia dulcior non est, quàm in vel cum suo corpore. Quare hoc illi minimè damnum infert. Attamen eius separata virtus à corpore, nobilior est quàm in vel cum eo præparata: magisteriũ autem id magis emendat, quam naturæ tribuendum sit.

Magisteria effectis inferiora nõ sunt.

Magisteria rerũ qualitates augent.

Idipsum de lapidibus etiam ingredientibus magisteria, nec non de corporibus eorum est intelligendum, nempè, quod assumitur in eorum vsum, virtute suâ non deficere, sed forte satis magisterium esse. Hoc ita intelliges, velut quũ sulphur accenditur, prorsùmque exuritur minimum est id, quod adurit illud: ita & lapides ceu est crystallus, quum in magisterium reducitur, omnes lapides in primam suam materiam adducit, conteritque mirum in modum non secus ac ipsius Essentia hâc de causâ, quòd tingatur corpus per Quintam Essentiam, & pro Essentiâ possit haberi, non aliter quàm acetum & vinum, quorum vnum aliud sibi simile præter omnem defectum efficit. Pariformiter, in lapidibus non solùm, verùm etiam in metallis eiusmodi tinctura fit: vt Auri Quinta Essentia, corpus omne suum in puram Quintam Essentiam tingit, quod quidem magnum, & nimis magnum existimamus, nempe lumẽ Secretorum omnium Archidoxis nostræ. Quapropter alacri carbones accendimus animo, vt finalem conclusionem istorum Naturæ Magnalium inuestigemus. Instructionem ex comprobatis experientiâ nobis exemplis depromimus, vt in Magisteriis, & potissimum auri, quod corpus & Quintam essentiam continens, æquè ac Essentia Quinta est ab eo tracta. Quapropter peculiaribus dotata viribus nobis Magisteria nota sunt, & ea conscribimus, nobis etiam ad laudem in mortem vsque.

Itidem etiam de Herbarum loquimur Magisteriis, quæ quidem efficacia sunt adeò, vt eorum vna semis plùs operetur quàm ipsarũ corporis vnciæ centum, ideò quòd vix centesima pars Essentia Quinta sit. Quare cùm istius tam pauca sit quantitas, illius maior foret adhibenda moles, quod in magisteriis non requiritur. Nam in istis integra quantitas herbarum in magisterium reducitur, quod tum non est inferius ipsâ extracta vera per suum artificium Essentia Quinta naturali iudicandum. Huius vna pars adhibita plùs prodest quàm partes centum similis corporis, ea ratione quia præparata sunt magisteria, tum ad summum acuta facta, & ad Essentiæ parem qualitatem adducta, quibus vires omnes & potentiæ corporis insunt, & suum huic oritur ex eis auxilium. In eis namque penetrabilitas & vis integri corporis existunt, ex permixtione cum eo facta. Nam corpus nihil cũ desiderio recipit horum, præter quàm ea, quæ ad ipsum spiritualia sunt. Quo fit, vt Magisterium istud attrahat, & cum eo se permisceat, non aliter quàm aurum ipsum vitæ Mercurium ad se trahit, ac ei commiscetur (quod ferrum non facit, ideò quòd inter se conuenientia non sunt in compositione) sic et corpus eius & magisterium hoc simul amalgamentur vnùmque fiant: cuius quidem exempla multa reperiuntur, hoc loco non adducenda.

Rel vix centesima pars Essentia est.

Magisteria cur tantopere efficacia.

Marchasitarum etiam aliquæ sui medicaminis operationem ad eundem modum perficiũt, licèt cum differentia, videlicet, quia suum corpus deserunt, & optimum ex eis, vt succus, extrahitur, & nihilominus magisterium existit, etsi corpus ab eo separatum est. Est tamen intelligendum, corpus illud non esse Marchasitæ, sed potius terræ vel mineræ, cui quidem inest marchasita. Virtus eius, ita non est efficax per seipsam, vt separaretur à terra vel minera, sed in ea remanet prout in marchasita, qualis etiam existimatur. Quapropter ad magisterium declarandum, quid sit, ex quo fiat, & quibus virtutibus præditum, volumus practicam eius in sequentibus adferre, nec non artificium præparationis describere. Processus tamen hic vna generali explicatione concludi nequit, sed particulariter de singulis tractandum est, vti de metallis per se, de marchasitis etiam peculiariter, item de lapidibus & herbis. De Sanguine pariter singulare magisterium habetur, quod etiam peculiari formâ docetur & modo. In eo consideratur, quæ virtutes ac vires hominis existant, & quid eius in se natura contineat; in quibus defectum patiatur, &c. sine diminutione tamen creationis ipsius naturalis, sed vt ceu partibus suis completum & perfectum opus, vt auis cum plumis suis omnibus consideretur.

Magisteriorum docendorum quę series. 1. 2. 3. 4. 5.

De extractione magisterii ex metallis.

PRincipiò Magisterium ponemus è metallis, idque declarabimus, quod miris virtutibus

sese palam facit, iuxta suæ Essentiæ tenorem cognoscendis. Eorum processus fieri citra omnia corrosiua debet, ac omnia quæ contra metalla complexionata sunt. Nam ex contrariorum coniunctione mixtionéve corrumpuntur Essentiæ, sic vt ob hunc errorem virtutum nihil exerant, alio vincente prædominantéve contrario.

Magisteriū metallorum vt preparandum. Et cur.

Cùm ergo maximè concordantiæ sit habenda ratio. Solum temperatum ei conueniet. Iam ergo quid temperatum sit, sciendum est, Est autem Temperatum complexionatum quid. Hoc in se ipsum recipit aliud, & incorporatur cum eo, cui fuerit adiunctum, sic vt veterem & suam complexionem haudquaquam patefaciat amplius, sed virtutes tantùm illius, quod ei fuerit additum. Sic nimirum vinum ardens in se plenam atque perfectam complexionem habet. Sed quod in ipsum imponitur, id multò vberiùs, vt ita loquar, complexionat, operationem suam ita perficiens secundum illius, quod impositum erat, vires.

Temperatum quid sit.

Cùm igitur alienas virtutes attrahat suásque domet, hâc ratione temperatum esse dicitur, & meritò vocatur. Hic cùm differentiæ quædam notandæ veniant, elementa tantùm intelligimus, sic vt possumus de oleo etiam loqui, quod alienas ad se naturas trahit, elementúmque suum abscondit. Ex simili quopiam his, Magisterium fieri debet, vt metallorum vires in eiusmodi temperatum transeant, & cum eo mundentur ac purificentur, in terminumque suum destillentur. Simile Magisterium postquam perfectum fuerit, potabile vocabitur, ideò quòd in potum assumi valeat: quo fit, vt auri magisterium Aurum potabile nominetur: Lunæ autem Argentum potabile: sic & ferrū, plumbum, argentum viuum, &c. potabilia fieri dicíque poterunt, & iuxta suas complexiones describi: secundū quos processus operationes habent longè maiores, quàm nos scribere deceat. Ad hunc modum vnico temperato vnóque processu, nec non vnâ practicâ, septem metallorum Magisteria omnia confici possunt. Sed practica talis est.

Magisterium potabile quid. Aurum potabile quid sit, &c.

Recipi *circulatum optimè, nec non ad summā Essentiam repurgatum, cui tenuißimas laminas metallinas impones, aut limaturas, cuiuscunque metalli libuerit optimè subtilißiméque melleati, nec non mundati.* Hæc duo simul pondere sufficienti congesta septimanis quatuor circulentur, & per Temperatum hoc laminæ reducentur in oleum, & formam pinguedinis supernatantis, iuxta conditionem sui metalli coloratæ, quam per Attractorium agenteum separabis à circulato. Hoc ipsum est Aurum, vel Argentum potabile. Simile cum cæteris metallis etiam extrahetur, quod absque detrimento sumi potest in potum, vel vna cum cibo.

Magisterij Auri, &c. potabilis quæ præparatio.

Extractio Magisterij ex perlis vel vnionibus, & corallis atque gemmis.

MAgisterium ex lapidibus pretiosis ad eundem modum intelligendum, prout ex metallis quoad virtutes, quas vnusquisque lapis iuxta suam naturam habet. Notandum autem est ad lapides opus non esse Temperato, nec Additione quapiam, quòd istorum solutio nō sit eadem cum resolutione metallorum, sed aliâ viâ magisterium eorum extrahitur. Quorum in practicâ tres processus intelliguntur, vnus ad gemmas, alius ad marchasitas, & ad coralla tertius: secundùm quos lapidea crescentiâ quæque suum in Magisterium adduci possunt. In processu lapidum colores obseruandi non sunt, nec etiam claritas existimanda, cùm eorum omnia magisteria colorem album habeant. Similiter & vniones, exceptis corallis, quæ suum in magisterio colorem singulariter retinent. Quare color in eis maximè notandus. Nam istorum Magisterium vnà cum corpore nec non elemento, ac essentiâ totâ absque corruptione extrahitur per additiones: & nihilominùs tamen in suam perfectionem restitui possunt iterum. Quare quoad generationem & naturam, lapidibus comparari nequeūt, lapideam tamen conditionem habent. Fieri tamen & hoc potest, vt ex corallorum corpore totus color extrahatur in aliud medium, & postmodum ex eorum corpore forma confletur vel formetur prout ex luto: postque formationem hanc iterum color infundi poterit, vt corallum sit æquè ac prius. Hoc de perlis aut vnionibus fieri minimè potest, nec de gemmis, quæ simili ratione in suam perfectionem redire non possunt amplius, sed in magisterio manent essentiâ suâ non corruptâ. Vidimus etiam, istam penetrasse vitra, nec non instrumenta, iuxtáque suam naturam ea informasse. Nempe Magisterium Magnetis ad se traxit, forma modóque Magnetis materialis: & postmodum in vitrum fixit, illúdque tinxit, vt hoc etiam attraxerit acus atque paleas. Non secus de reliquis intelligendum. Quare conseruanda sunt auro solo. Plura horum quàm credibile sit occurrerunt nobis, quorum nos memoriale hîc tantùm condimus, vt hoc ductu plures etiam inuestigentur artibus ac Magisteriis. Cum ergo peculiarem præter alias extractiones demōstrationem exhibeant: istorum practicam iam docebimus ad hunc modum. Primò dicemus de Gemmis.

Temperatum cur in lapidibus extrahendis opus non sit.

Lapidū tres ordines.

Corallorum quæ vnionū alia conditio.

Recipe, *Gemmas primò contritas, & calcinatas iuxta reuerberatoriam conditionem, & salnitrum commune, pondere quidem æquali, nempe libræ, quæ simul in calcem optimè combarantur, & postmodum abluantur ardente vino tamdiu, donec ampliùs materia nulla superflua sit reperta. Post ablutionem rursus hanc materiam calcina, & per omnia fac, vt prius; & sic totum in vinum ardens transit.* Hoc per bullitionem euaporare sinito, sic habebis Alcali, quod resolutum in aquam, seruato. Huius administrationis vsum non est, quod abhorreas, licèt vtcunque sit acutum & calcineum, cùm eâ quidem acuitate solum in id operetur, quod sibi reluctatur: estque tam subtile, vt gutta vnica sola totum corpus tingat in singularem virtutem.

Magisteriū Gemmarum quale.

Alcali.

Vniones etiam in aquam reducendi sunt, ad hunc modum videlicet. ℞. *Correctum acetum, cui tritos vniones imponito, pérque mensem in eo digeri sinito: sic in aquam resoluentur. Destilla tandem & per balneum, acetum separato, quo peracto reperies vniones in fundo resolutos in aquā: hoc est magisterium Perlarum vel vnionum.* Et quamuis huius practices via breuis & facilis pro-

Magisterium vnionum vt fiat.

processus existat, experto nihilominùs adhibe fidem. Mirifica siquidem ipsorum est operatio, non tamen fit per artem hæc virtutum actio, sed in naturâ ipsarum posita est, quæ occultatur in substantiâ crassâ, propter quam operari non potest, sicut mortuum corpus, sed resolutione facta vinificabitur eius corpus: de quo satis. Coralla tamen conterenda calcinandáque veniunt ab initio cum sale nitro, postmodum, vt gemmæ præparanda, resoluenda quoque: Sic habes Magisterium corallorum, cuius ego maximè peculiariterque virtutes admiror, quas Deus crescenti huic tribuit, quæque tam potenter operantur & admirandè, prout etiam crescunt.

Magisterium corallorum vt fiat.

De hoc vide Tomo 3.

Extractio magisterij ex Marchasitis.

DE Magisterijs Marchasitarum hoc est scitu necessarium, eas tantum esse Mineras. Quare minerale non adducitur in suum magisterium, sed solùm vera Marchasita, prout de metallis, etiam constat, quæ non transeunt in suum magisterium, nisi prius à suis mineris separata sint. Et quamuis Marchasitæ non benè possint ab eis separari, nihilominùs in magisterijs tamen id fieri potest. Genera Marchasitarum quidem varia sunt, vt aurea, argentea, talch aureum, album & purpureum, stannea seu Bisemutica, antimonium, granatina, similiáque alia, quorum tamen omnium vnica extractio conuenit omnibus. Ipsorum similiter vires & potentiæ quoque in medicinâ iuxta metallicarum operationum conditiones sese exerunt. Et quamuis metalla non existant, nihilominùs tamen earum proprietates habent. Quare hâc de re pauca iam ponimus, quòd eius latior de extrinsecis mentio fiat. Differentia quidem est notanda, prout simul particulariter conueniunt & concordant, vt aurum & marchasita, antimonium & plumbum, quæ quidem in sui fabricatione constellatione que sibi mutuò comparantur: in virtute nihilominùs separantur. Nam in nonnullis marchasitis plùs virtutum existit, quàm in consimilaris metallis. Hoc videmus accidere plumbo, & Antimonio, quorum hoc curat, leprosos, Morpheam, Alopeciam, & similia; scabies omnes & cicatrices, Leoninam, Elephantiam, Tyriam, &c. quod plumbi seu Saturni magisterium non efficit. Quare proprietates huiusmodi notandæ sunt, quæ non tantùm in magnis, verùm etiam in minoribus quandoque latent abundantiùs. Rationem ergo hanc inuestigare pergamus, cur antimonium plùs virtutum habeat, quàm suum metallum. Corpus nimirum eius fixum non est, & non satis in sui perfectionem digestum, vt Saturnus, vnde volatilem proprietatem assumit. Verùm ipsa materia, ex qua nascitur (vti de generationibus ponimus) spoliatiua est, & mundificatiua à naturali sua proprietate, quę ita remanet incorrupta. Hinc fit, vt aurum & argentum purget magis quàm ignis aut aliud elementum. Indéque prouenit, vt corpus mundet ac purget, prout argentum & aurum ab omnibus impuritatibus suis per ipsum liberantur. Magisterium antimonij lepram expellit magis, quàm de ipso credibile sit. Non secus de aliis etiam intelligendum.

Marchasitarum quot genera.

Antimonium quos morbos curet.

Antimonium cur suo metallo plus virtutum habeat.

Iam practicam aggrediamur, qua Magisterij ex iis omnibus præparationes doceamus, ad hunc modum:

Recipe *Marchasitam subtilissimè tritam, & aquæ Soluentis tantum, vt sex digitis latus supereemineat, soluatur, & postea putreficetur vno mense, destilletur postmodum & separetur, vti de metallis docuimus.* Quo peracto, magisterium habebis eius marchasitæ, quam acceperis.

Magisterii Marchasitarū præparatio qualis.

Extractio magisterij de substantiis pinguedinosis.

NOn aliter de pinguedinosarum substantiarum Magisterii extractione censendum est, vt sunt pinguedo Carabis, Resinarum, oleorum, ac aliorum, vt in similibus substantiis materialibus apparent: De quibus etiam ad extractionem eiusmodi magisteriorum viæ tres habentur: peculiaris vna de carabe, de resinis alia, & alia de pinguedinosis, vt oleis, seuis, butyro similibusque. Carabe namque pati minimè posset extractionis pinguedinosorū processum, quòd vires eius ita perirent. Similiter ipsa Resinata carabis ferre practicam non valerent, quòd eis damnosa foret. Tribus ergo modis præparationes istorum magisteriorum docebimus, cùm tam excellentes in pinguedinosis virtutes appareant, & hoc multifariam. Vbi nihil operari possunt essentiæ, iuuant ipsa pinguedinosa, cùm habeant eam rationem propter virtutem specificam, & sibi appropriatam, quæ in aliis non ita perfecta reperitur, nec est: non secus ac de corallis ad gemmas comparatis, sic de illis etiam intelligendum est: quorum practica talis est, & primò de carabe.

Pinguedinosorum tres ordines & processus.

Recipe *Carabis optimè triti quantum videbitur, & circulati, quod sufficiat, in Flacco digerantur in cineribus diebus sex. Postea destilletur inde circulatum, & rursus affundatur; toties id fiat, quousque reperiatur oleum in fundo, quod quidem est carabis magisterium.* Hoc nobis admirandas suas virtutes patefecit. Sic maneat.

Magisterij carabis processus quis.

Ipsa resinata suum ad magisterium hoc modo reducuntur.

Recipe *Terebinthinæ, gummi, vel Resinæ, quantum voles. Id lutatum in vitrum positum mense digeratur per se in digestione calida: postea coquatur in ardente vino media tantùm horâ, cum aqua soluente mixtum. Deinceps per alembicum cæcum destilla, die tandem vno stent.* Sic inuenies olea quædam in seipsis distincta, quæ separato: quodlibet enim est magisterium in suâ naturâ.

Magisterij Resinatorū processus qualis

Sed oleorū magisteria fiunt, citra aquarum soluentium additionem, quæ similiter vires habent suæ materiæ virtutibus correspondentes.

Magisterii oleorum. quis processus.

Extractio Magisteriorum ex Crescentibus.

SI de crescentibus loquimur: Crescentia quidem intelligimus ea, quæ virent & postmodum arescunt, iterúmque suo tempore virent vt priùs, tum etiam illa, quæ florent vt arbores, herbæ similiaque. Horum diuersimodè Magisteria fiunt, & ab eis extrahuntur, vt ex arboribus aliter, aliter & ex herbis: quorum differentia indè pēdet, quòd hoc est Lignum, aliud verò putrefactibile. Folia igitur floresque præparantur vt herbæ: Quapropter hæc magisteria ponemus separatim. Lignorum autem præparatio magisterij talis est.

Crescentia quæ.

Recipe *lignum minutè satis concisum, quod in ollam vitreatam & in igne constantem & optimè cooper-*

coopertam positum, igne carbonum horis 4. aduratur, exemptúmque putrificetur in vitro per mensẽ, post per cineres vrgeatur vsque ad vltimos spiritus, quibus perceptis mox cessa, ne magisterium fœtorẽ ab igne concipiat. Hâc viâ ligni magisterium eius habebis, quod præparandum susceperis.

Magist. Lignorũ quale sit.

Item radicum corticũ &c.

Sic semina possunt etiam, radicésque & cortices, & similia, quæ continent oleum in suâ materiali substantiâ, extrahi. Maius in extractionibus istis latet artificium quàm dicitur aut intelligitur, quamuis integrè processus hîc demonstretur.

Magisterij Herbarum quis modus.

Herbæ verò, nec non id genus alia, sunt ardenti vino permiscenda, ac cum eo putrefienda per mensem vnum. Postea per balneum maris destillanda: quod verò destillatum est iterum affundendum, sicque tam diu procedendum, quousque tota quantitas ardentis vini quater succis herbarum minor sit. Hoc ipsum destilla per pellicanum nouis cum additamentis vno mense, tandem separato. Quo peracto Magisterium eius habebis materiæ vel herbæ, quam accepisti.

Extractio Magisterij in vino.

Magisterij ex vino extrahendi ratio duplex.

VIni Magisterium declarare iam volumus, quod quidem innumeris virtutibus dotatum apparet: cum eiusmodi naturam à plurimis in terra latentibus virtutibus accipiat, vti de vini generatione ponimus. Iam sciendum huius magisteria duabus viis fieri, quanquã vnã silentio præterimus, quia cõmunis existit eius processus. quali in multis vinis extrahẽdis vtimur. Nõnullæ viæ practicæ magisterij vini hîc ponuntur. Aliqui dum adhuc recens est vinum & ebullit, extrahere conantur inter purgandum. Alij sepeliũt centúmque diebus (*al. annis*) ita relinquunt. Plerique illud citra ignem separant. Quocunque modo fiat id, scribere hîc minimè volo. Tradam saltem eam quam experientiâ comprobatam viam habeo. Primò sciendum in vino spiritum valde subtilem, at paucum, & multo phlegmate contentum esse. Et quamuis hic Essentia Quinta sit, nihilominus ex eo fit magisterium, sed maiori practica processuque adhibito.

Vini extrahendi multi modi.

Vinum ex tractionum quod optimum

Sciendum etiã, plures maiorésque vires in eo vino existere, quod Tartarum suum nondum posuit, cum in tartaro nonnunquam plus virium existat, quàm in vino ipso. Vetustas etiam vini laudabilior quam iuuenta, vel eius recentia, quod spiritus magis digeratur successu temporis longioris quàm paucioris. Animaduertendum præterea est vinum, hunc in vsum conferendum esse, defodiendum in terram frigidam, vase interius ac superius optimè conclusò absque vllo respiraculo. Sic multis centenis annis absque tartaro conseruatur. De prolixo quidem tempore loqui hîc nolumus, cùm tædiosum id foret, nihilominùs memoriæ id mandetur. Non est etiam vini magisterium, quod ex musto vel recenti vino trahitur, sed musti. Nec est artis id, cum fæcibus aut phlegmate suo destillare, prout vinum ardens, quod hâc via spiritui vires depereant, quæ sunt in eius essentia. Hoc ipsum fieri minimè conuenit. Sic quo sæpiùs acetum optimum destillatur, eo remotius à vini spiritu recedit. Quapropter animaduertendum summâ diligentia, ne quo modo Quinta corrumpatur in magisteriis Essentia, sed potiùs, vt viribus augeatur atque fortificetur. Quum etiam sine igne separatum est, haudquaquam potest esse Magisterium, quòd ei substantia deficiat. Sciendum itaque vini spiritum cum substantia esse conseruandum, & non cum phlegmate. Nam in vino duæ substantiæ reperiuntur, vnã quidem vinosa, cui, Spiritus inest vini, & à qua separi non potest: altera phlegmatica est quæ fæcibus & aqua dulci permiscetur, quæ à vera substantia separari debent, vt à sua minera vel terra metallum.

Vinum vt 100. annis tartaro conseruatur.

Vini sub. stantia duplex.

De vino sciendum est fæcem, phlegmáque eius esse mineram & vini substantiam esse corpus in quo conseruatur Essentia, prout auri in auro latet essentia. Iuxta quod practicam nobis ad memoriam ponimus, vt non obliuiscamur, ad hunc modum.

Fex & phlegma vini mineram &c.

♃. *Vinum vetustißimum & optimum quod habere poteris, colore saporéque ad placitum, hoc in vas vitreum infundas, vt tertiam eius partem impleat, & sigillo Hermetis occlusum in equino vẽtre mẽsibus quatuor, & in cõtinuato calore teneatur, qui non deficiat.* Quo peracto, hyeme, quum frigus & gelu maximè sæuiunt, his per mensem exponatur, vt congeletur. Ad hunc modum frigus vini spiritũ vnà cum eius substantia protrudit in vini centrum, ac separat à phlegmate. Congelatum abiice: quod verò congelatum non est, id spiritum cum substãtia esse iudicato. Hunc in pellicanum positum in arenæ digestione non adeò calida per aliquod tempus manere sinito. Postmodũ eximito vini magisterium, de quo locuti sumus. Qui plures existunt processus, & in vsum veniunt, latiùs cum de Elixiriis agemus, declarabimus, & hîc finem imponentes. quorumuis aliorum processuum vini, qui minimè placent, obliuiscemur.

Vini præparatio.

Extractio Magisterij ex sanguine.

NOstram etiam opinionem de sanguine explicare volumus, cui plurimæ virtutes insunt ac admirandæ supra quàm credibile sit, & satis omnino euidentes, ideò maximè, quòd sanguis ex optima radice fontéque potiori cordis existat (vti nos de compositione hominis declaramus) in quo defectus nullus existit, nec esse potest, cum iuxta cordis naturam suas conditiones habeat, & naturæ totius, ac eius omnis, quod in ea viuit, præciosus thesaurus sit. Hîc instare quis possit sanguinẽ scilicet vbi ex venis profluxerit, eiusmodi viribus, quæ sanguinem renouant & sustẽtant necessariò priuatum iri; sed hoc non est. Nam in essentia conseruari potest, vt infra trademus. Nos ergo consideremus, paucos homines corpore & sanguine sano viuere. Quare videndum, vt eiusmodi homines in renouatam qualitatem & essentiam adducantur per Arcana & Quintam Essentiam, vt meminimus antea, quo sanguis incorruptus & sanus ab eis effluat. Nec solùm de sanguine loquimur hominis, verùm etiam de sanguine spermatis quem in secretis nostris describimus, cui nullus morbus inest, nec alteratio, sed plurimùm admirãdus ex hominis spermate sanguis

Sanguinis cur admirãdæ vires sint.

Sanguis alius hominis, ali' spermatis, alius panis.

sanguis, quem hoc loco sumere prætendimus, & hoc multis de causis, hîc non appositis. Loquimur etiam de sanguine panis, qui ad eundem vsum, & pariformiter assumendus est. Sunt enim in eo virtutes quas perscrutari vix possumus, nec etiam id ad summum faciendi onus suscipimus. Itidem intelligi potest de nutrimentis aliis, & comestibilibus, in quibus omnibus habetur sanguis, quamuis hunc in illis non videamus, non magis quàm in pane, qui nihilominus per putrefactionem, vt in stomacho & hepate, sanguis fit. Sic pariter omne, quod cum eo sumitur in obsonium, ad eundem modum immutatur, vt in corpore. Hoc de sanguine latiùs aut prolixiùs scribere nolumus, præsertim quod nemini rem gratam eo facere posse, quàm nobis ipsis videamus. Quiescere dormientes itaque volumus, éque somno dulci postmodum expergefacti. hoc de sanguine loqui pergemus. Valeat quodlibet, quantum potest in suis viribus, & quantũ in eo fuerit. Nã ex bono boni multũ sequitur, quod nobis considerandum semper prostat. Nec verò solum de sanguine comestibilium, sed etiam potabilium, quæ simpliciter corpori nostro sanguinem exhibent, loquemur. Possunt etiam ex sanguine Quintæ Essentiæ, non minùs quàm Arcana trahi, de quibus hoc loco minimè loquimur, sed solum de magisteriis agere proposuimus, & hoc vno singula concludere; ℞. *sanguinem, quem pellicano conclusum, transcendere super ventrem equinum tamdiù sinas, donec tertia pellicani pars impleatur, nam sanguis omnis in sua rectificatione dilatatur iuxta quantitatem, & non secundum pondus. Hoc tempore peracto, rectificabis ipsum per balneum. Hac via phlegmata recedunt, in fundo Magisterio manente, quod quidem Retortâ sigillo Hermetis conclusâ nouies destillato, prout libro de præparationibus docuimus.* Hâc viâ sanguinis Magisterium habebis.

Magisterij sanguinis quæ ratio sit.

Finis Libri Sexti Archidoxis ex Theophrastia de Magisteriis.

LIBER SEPTIMVS ARCHIDOXIS, EX THEOPHRASTIA PARACELSI MAGNI.

De Specificis.

SVPEREST iam de specificis etiam loquamur, quibus admirandæ plurimum & magnæ virtutes insunt, quæ non ex naturâ suam sumunt originem, quatenus calidæ sunt, neque frigidæ, sed præter istas qualitates vnicam habent Naturam & Essentiam, prout multis locis meminimus. Specificum eiusmodi sumit originem suam ab externis, vt quum lignum aliquod in ignem proiectum vritur, id iam non est propriæ naturæ eius, sed ligrum esse. Nascuntur itaque etiam specifica ex coniunctione, prout vbi mastix & colophonia simul diriguntur, fit attractiuum, quod neutrum eorum est per seipsum: aut cùm therebenthina coagulatur, inde fit lapis qui ferrum instar magnetis ad se trahit. Similia plura sunt, quæ tales virtutes habent tamen à suis compositionib. & ab extra. Elleborus etiam ex liquore lapidis & terræ compositus est. Per istorum duorum compositionem emergit specificum. Sic cerasorum oleum cum aceto post suam digestionem fiurit laxatiuum, quorum ex suâ naturâ neutrum tamen laxat. Quare specifica eiusmodi nascuntur ex propriâ suâ naturâ per compositionem elementorum & propriæ materiæ, non secus ac tinctura colórue, qui non ex frigore, & calore oritur, sed compositione, prout gallæ cum vitriolo producunt atramentum, cùm neutrum ipsorum nigrum existat. Sic etiam sal armoniacum & vrina colorem nigrum efficiunt, cùm tamen ambo sint alba. Idipsum de specificis intelligendum est, ea suam originem pariformiter scil. accipere, sed quædam, quæ ab extra eiusmodi virtutes assumunt, in qualibet herba existere queunt, non in vno genere tamen, quod ad hunc modum intelligendum est. Vbicunque Magnes creuerit, quoddam attractiuum est, vt colocynthis purgatiuum, & papauer anodynum. Hoc prouenit ex compositione in eis existente. Quo fit vt Magnes omnis attractiuus existat, & colocynthis quæuis purgatiua. Non ita se verò res habet cum ab extra specificis. quorum conditio talis est. Nempe si Magnetis virtutes haberet silex, & alius ei similis non haberet eas, iam hoc specificum foret externum.

Specificorum vires vnde depẽdeant.

Mastix & colophonia attracti- uum sit.

Helleborus purgat. Cerasorum ol. & cum aceto laxat.

Accidere autem rarò solet, peculiarem in vnâ herbâ reperiri conditionem, & non tamen æquè in alia sibi simili. Tum etiam, licèt specifica multa similia ex Influentiis oriantur, nihilominùs tamen ex eisdem illa procedere aut non procedere, nos hîc multis minimè disputabimus: sed hoc suis locis in Physica reseruare, & hîc supersedere malumus. Porrò Specifica multa reperiuntur, vt odorifera. quæ suam originem ex compositione, digestionéque sumunt, vt aqua vitrioli cum sale armoniaco destillata, musci refert odorem, quorum tamen similem per se neutrũ habet. Plura talia sunt, quæ fiunt odorifera, cùm antea non essent, odorémq; nobilem concipiunt, vt rosa vel lilium, quibus ab initio nullus odor inest, at labore, digestione, separationéque tandem excitatur. Similiter vaccinus fimus, est excrementum fœtens, quod si tamen eleuatum fuerit, ambræ concipit odorem: verùm in fundo residua materia manens, humano fœdiùs oleto fœtet.

Specif. multa genera.

Specifica odorata.

Specifica nonnulla sunt diaphoretica sudorem prouocantia, quæ similem ex compositione virtutem accipiunt; vt ardens pruna pingui terræ superposita vaporem emittit. Ita & zingiber in corpus traiectum, vrit, exstinguitúrque, vt calx aquâ perfusâ.

Specif. diaphoretica.

Calor hic zingiberi contingit ex acuitate vel asperitate, quam in se continet, ac cum elemento calido coagulatur tanquam lapis, qui per ignem ad eiusmodi calorem adducitur. Diaphoreticum omne siquidem est calx liquoris terræ, vti de generationib. ponimus. Pariter ex compositione prodeunt ipsa purgatiua, prout Reubarbarum, quod etiam calx liquoris existit, certâ tamen differentiâ interueniente, vt enim Tartarus haustus in aquam resoluitur, & cum eo quicquid liquidi secum habet, vbi loco repositum humido fuerit,

Diaphoretica sunt calx liquoris terræ.

rit: sic etiam de Rhabarbaro, nec non aliis purgatiuis iudicabis, quæ suam originem, vt calx terræ multifariam accipiunt. Nonnulla siquidem soluunt choleram, vt Rhabarbarum: quod simile est Tartaro calcinato: Quædam soluunt phlegma, vt *Turbith*, ideò quod defuit verbum in authographo cum eis realgar soluitur, & non aliud. Alia melancholiam, vt *sena*, quod intelligendum, videlicet est ad nitri modum, quod secum lapides resoluit, & non aliud. Nonnulla sanguinem, vt Manna, instar Arsenici, quod resoluit sublimata. Sic de rerum istarum differentia censendum est, vti sunt in seipsis diuisæ, quod iam meminimus. Quædam etiam confortatiua, oriuntur ex compositione, vti sperma carens virib. ex quo nihilominus per naturam glandula nascitur ex suâ prædestinatione. Sic ergo ipsum confortatiuũ est prædestinatum quoddam ex prædestinatione compositionis. Verùm *Carlina*, quæ non ad hunc modum nascitur, aliarum ad se virtutes herbarum trahit, eisque vires adimit, quas tum sola possidet, prout sol humorem ad se trahit è ligno, sicut latiùs de generationibus declaramus.

Specif. purgatiua.

Specif. confortatiua.

Carlinæ consideratio.

Pariter aliqua etiam mundificatiua per suam compositionem eiusmodi virtutem acquirunt, vt mundificent, veluti cùm calx terræ transmutatur in aliam formam per liquidum, ceu *Resinam, mel, gummi, picem &c.* Florib. Veneris similes eæ alterationes existunt, qui primò purgatiuum sunt, vti calcem esse decet; postmodum igne reducuntur in stypticũ, sic vt purgandi vi amissâ mũdificent. Corrosiua etiã similiter habẽtur, quæ salia sunt, & aliquando calcinata in terra aliquando iterum substantionata (vt ita loqui liceat) in vnam materiam, vt nos de generib. salium ponimus. Variæ multæque sunt eiusmodi proprietates in rebus, quas de proprietatib. rerum tractamus, & hoc iam loco satis declarauimus. Et cur nonnulla dura, mollia contra quædam existant, hîc detegere nolumus. Nec enim nostræ Archid. tractant de toto principio; sed de specificis tamen componendis & ad supremum naturæ gradum adducendis, de quib. iam consequenter agemus, eorum experientias nobis proponentes, & angulares illos concionatores post tergus relinquentes, qui de Deo loquuntur, & aliud nihil intelligunt præter hypocriticos ritus ac similes fabulas, qui his arcanis & artibus addictis sunt inimici, capitib. mersi quidem in gloria mundi, fabulantes & cauillantes multiloquio præditi, quo ferunt in vtroque (vt aiunt) humero, adulanturque, ac sese tanquam sapientes existimant, cùm stolidi sint, & fatui, nec non hominum impostores ob mundanas opes. Iam deinceps nos de specificis agere pergamus, prout nobis in vsu sunt, & Vniuersitatum illos Medicos, qui tantùm legunt ac opinantur, siue benè siue malè succedat, in nos fremere dentibus, vt volent sinamus.

Specif. mundatiuæ.

Specif. corrosiua.

De Specifico odorifero.

Specif. odoriferũ quid sit.

IAm ergo de specificis odoriferis loquamur, qua via formaq; fiant: & primò quod ad vires eorum attinet. Est itaq; specificum odoriferum, materia: quæ morbos ægris aufert, non secus ac Zibeta stercora pellit suo odore. Notandũ vtiq; specificum hoc malo odori sese permiscere stercoris. Et stercoris fœtor nec nocere, nec manere potest: sed odore bono tingitur hic fœtor eius, vt, quantum antea fœtuit, tantũ iam odore bono valeat, cùm nihil sit, quod zibetæ vel musco bonum odorẽ adimere possit: transmutatur tamen vt multis probamus locis. Quo fit vt aliquãdo musco nonnihil admisceatur oleti, quòd hoc penetret magis lilio quouis promptiùs cum omnib. operationibus suis. Quandoquidem notum est plùs odoris mali quàm boni reperiri. Prout etiam Tyrus in Theriacam assumitur ad summè penetrandum statim omnia mẽbra cum aliorum viribus: ita similiter etiam de specifico censendum odorifero putamus.

Stercus moschi venicalum.

Tyrus cur Theriacæ indatur.

Iam constituendũ hîc est, per odorifera pelli morbos ab eis, qui medicamenta ferre minimè possunt, prout in Apoplexia, vel Epilepsia: multi siquidem odores existunt, qui releuant Epilepticum, ac multi qui subleuant Apoplecticũ, non quòd omnino curent, sed viam tamen præparent. Nam vis eiusmodi: quæ corpori præbetur, statim odore sanguinem excitat, & hunc ad cor protrudendo magis quàm scribi possit, refocillat. Quapropter proponemus odoriferum, ex quo fundamentũ accipiamus ad alios morbos omnes odorifera componendi, cuius processus hic est:

Odoriferis magni morbi pelliũtur, & qui.

Specif. odoriferi præparandi exẽplum

℞. *Liliorum alborum.*
Anthos,
Basiliconis, (Carbon)
Cardamomi,
Rosarum ana M. j.
Spicæ M. ij. Contunde crasso modo in pastam. Cui addantur succi pomorum arantiorum duæ quartæ. Hæc omnia simul in pellicanum posita mense vno digerantur, postmodum à suis fæcibus manib. vel pressorio, quod melius est, separentur. Huic in pellicanum rursus posito statim addantur.

Macis,
Caryophyllorum,
Cinnamomi ana ℥ j.
Ambræ ℥ ß.
Musci ʒ ij.
Zibetæ ʒ j. Terenda minutissimè terãtur, & in dictum pellicanum posita cum aliis in fimo degerantur. Deinceps adde gummi Arabici *dissoluti* ℥ ß.

Tragacãthi etiã dissoluti ℥ j. & ita clauso vitro cum clareto albuminis ouorum indurescant. Mox atq; videris ad modum vitri factum esse, exime fracto vitro lapidem hunc, & specificum odoriferum, de quo iam scriptum satis, habebis. Quamuis addere bonum foret, aurum potabile.

De specifico Anodino.

Specificorum Anodynorũ mira efficacia.

AD scribendum etiam de Specifico hoc Anodino multæ causæ nos inducũt: Cùm nobis morbi quidã occurrerint, in quibus Arcana quæuis deseruêre nos, accepto soli Anodyno specifico: quod miraculosa præstitit. Nec id ipsum admiramur, cùm videamus aquam ignem extinguere: non aliter Anodynum specificum extinguit morbos, & hoc multis de causis, quas iam quiescere sinimus.

Quod enim quiescit vel dormit, non peccat etiã naturaliter. Paroxysmus si dormit, non sentitur: si verò non dormit, eius operatio, perficitur.

ficitur. Consolamur autem nos in eo, quòd anxiæ multæ sollicitudines & melancholiæ dormitione tollantur.

Notandum vtique hoc loco, dormire non debere necessariò hominem, sed morbum ipsũ. Quare specificum quod contra morbum solum pugnet componimus, & non cõtra plenum hominem, sicut de febribus intelligitur, & in illis vsurpatur. Nos verò proponimus, quæ sunt in pleno homine mortalia, sed in pleno morbo salutifera. Quapropter morbum ipsum aggredimur, & hoc elaboramus, vt is in corpus nullam operationem habeat, nec habere possit, ad hunc modum:

Specifici Anodyni præparatio.

℞. *Opij Thebaici* ℥ j.
Succi pomorum aranciorum,
Citoniorum ana ℥ vj.
Cinnamomi,
Caryophyllorum an. ℥ ß. Contusa perquàm optimè simul omnia, mixtáq; ponantur in vitrum cum suo coopertorio cæco, digerantur in sole vel in fimo per mensem, postmodum exprimantur & imponantur iterum cum sequentibus.

℞. *Musci scrupulum semis.*
Ambræ scrup. iiij.
Croci ℥ ß.
Succi corallorum, & magisterij perlarum ana scrup. j ß. Commisce, póstq; digestioné eorum mense factam, adde 5. Essentiæ auri scrupulum vnum & ß. qua permixta cæteris Anodynum specificum erit ad auferendum quoscunque dolores internos & externos, vt nullum torqueatur vel corripiatur membrum vlterius.

De Specifico Diaphoretico.

Specificũ Diaphoreticum quid sit. Cassatũ 20. annor. sanatum specif. diaph.

IAm de specifico Diaphoretico loquamur, quo morbus omnis curatur, qui potest vel debet ex sua natura proprietatéq; sanari sudoribus. Is hoc præ cæteris medicamento pellitur. Diaphoretico siquidé frigidus morbus incalescit, & eo calore tollitur. Sæpiùs enĩ vt nobis cõtigit, Cassatũ annorum 20. per Diaphoreticũ sanatum fuit, ac alij morbi plurimi, quos intercutaneos vocãt, aut qui in medullis hærẽt, in quibus Essentia Quinta nihil effecit & minus Arcanũ confortatiuum: ea de causa præcipuè, quòd in corde nullus tã potens existat vigor, quo cassatum pelli queat nisi Diaphoretico solo id fiat. Nam vti sol calefacit gelatũ lapidem, & glaciem duram liquefacit, non secus Diaphoreticũ suas vires exerit in morbũ, qui nullis potest aliis curari viribus quantumcunq; nobilib. & bonis. Et quamuis Flãmula calidissima sit herba, nihilominus calor eius ad Solis naturæ minimum punctum, haudquaquam est comparandus: non secus maximè inter se differunt calida quæuis & ipsa diaphoretica. Quamobrem hoc loco specificum diaphoreticum ponimus, quod diapho reticas virtutes comprehendimus.

Specif. diaphor. exemplũ & compositio.

℞. *Zingiberis* ℔ j.
Piperis longi,
Nigri, ana ℥ ß.
Cardamomi ℨ iij.
Granorum paradisi ℥j. Conterantur in puluerem & ponantur in vitrum cum vncia semis optimæ tritæ camphoræ, nec non aquæ soluentis vnciis duabus. Sigillato vitro maneat in arena pro suæ digestionis consumationis tempore. Separa tandem ab eis aquam Soluentem, & putrefiat vno mense, vnáque septimana circuletur. Postmodum exprimes atque seruabis: hoc est, optimum & potentissimum diaphoreticũm vehementiùs agens quàm sit credibile, tum in cassatis, tum in aliis morbis grauissimis, de quo satis.

De specifico purgatiuo:

Est etiam quòd scribamus de Specifico purgatiuo. Et licèt complexiones considerandæ quidem forent ac similia: nihilominùs fundamento solidiori corroboramur, accipientes ea quæ morbos tollunt, & nõ particulariter vnum aut alterum, sed omne malũ auferunt. Vnde colligitur, quicquid ex cholera superfluũ est, nulliúsq; momenti, per id recedere. Similiter etiam de phlegmate, melancholia, sanguinéq; peccãtibus intelligendum erit, velut & apostematibus, ac aliis corruptionib. quæ iuxta cõplexiones purgari nõ possunt, nec purgationib. resolui prout eiusmodi morbi multi reperiuntur.

Quare materiam peccantem solùm extrahere conamur, siue corrupta sit, siue non, siue sit cum apostemate, siue complexione, siue quacũque permixtione. Medicorum autẽ Vniuersitatũ prolixos & inutiles sermones minimè curantes, sanitatem ipsam expendemus, & pro hac nostra medicamẽta exstruemus. Tale sci. est Tartarum, quod ex sua natura proprietatéq; putrefactiones omnes tollit, & nõ inclinatur ad choleram, nec melancholiam, nec phlegma, neq; sanguinem, sed omne quod inutile est corpori, nec non huic inferre damnũ potest, aufert. Pariter vitriolum tales occasiones omnes, è quibus infirmitates multæ nascuntur, purgat. Considerandum vtique nobis, colocyntidem omnem choleram non expurgare vel quicquid oritur ex ea. Neq; etiam Reubarbarum id facit. Nec Turbith omne quod ex phlegmate procedit, arripit, nec euacuat: neq: lapis Lazuli melancholiæ quæuis impedimenta: neque Manna sanguinem contrarium totum expellit: sed ista duo, nec non alia plura hîc non assignata specifica purgatiua nostra id faciunt, principaliter in his omnib. putrefactionibus, & superfluis fæcibus corporis, vndecunque proueniant, quas non aliter purgant quàm aqua pannos abluit lineos, & sapo eos clarificat à nocumento, & impedimento cuiuscunque naturæ. Sic enim Singulariter in singulos morbos agunt. Et ita pharmacum specificum ponamus quoad nostrum sensum iam dictum ad hunc modum.

Tartari facultas.

Vitrioli quæ facultas.

Colocynthis & Rhabarb. nõ omnem bilẽ purgant Sic nec &c.

Specifici purgatiui compositio.

℞. Magisterium Tartari, Magisteriúmque vitrioli, quæ simul in vnum commisceto, postmodum adde partes æquales Essentiæ Quintæ croci: demùm pellicano contenta per mensem in arena digerantur, & pharmacum, de quo dixi per quam diligentissimè seruetur. De cæteris ad hæc necessariis apud eruditos quàm ignaros intelligentia maior existit.

Nec solùm homines ad hunc modum, sed arbores etiam & herbæ repurgari possunt à suis morbis & superfluitatibus. In crescentibus enim æquè ac in personis infirmitates habentur, & eis etiam remedia sua creuerunt, prout alibi meminimus. Anthos defectus, cùm non perfectè vegetari potest, vitrioli magisterium sanat, & vt egregiè

Vitrioli magisterũ medicina Anthos.

egregiè crescat postmodum efficit, vti de plantis ponimus. His paucis igitur ista iā concludimus.

De specifico Attractiuo.

VT antea de specifico cœpimus Attractiuo dicere, iam deinceps sciendum. Specificum Attractiuum omne quod in corpore superfluum est ad se trahere, quódque huic adhæret mali, vt multis locis ponimus educere vt sæpiùs accidit & probabilibus demonstrationibus conuincitur. Attractiua pariter specifica nonnulla sic ad carnem appropriata fuerunt, vt centum libras carnium ad se traxerint, non secus ac magnes ferrum. Euenit etiam tempore nostro, vt attractiuum simile pulmonem è corpore traxerit in os & ita hominem suffocauerit. Item accidit, vt alteri pupilla fuerit oculi de suo loco tracta vsque ad nasum, & inde nunquam moueri potuerit. Non enim solùm ad ferrum attractiua sunt & reperiuntur, sed etiam ad lignum, herbas, carnes & aquas. Vidimus enim emplastrum quod attraxit aquæ tantum, vt labrum impleri posset, ac non aliter quàm à tecto quopiam domus ab emplastro aqua deflueret. Similiter plumbum, stannum, cuprum, argentum, & aurum per attractiuorum compositionem attrahi possunt. Fieri potest etiam, vt his attractiuis ab arboribus rami lacerentur, aut in altum vacca subleuetur, & multò plura quæ nostris in secretis indicauimus pro Thesauro, vt nos tantùm in his admiraremur illum solum, & veneraremur, qui singula tam admirando creauit artificio, vt res tam variæ reperiantur, incredibilia demonstrantes opera, longè naturam, prout est in seipsa illa constituta, superantia.

Spècif. attractiui quæ virtus sit. Specif. attract. quæ differentiæ fiat. Attract. mitæ operatio. nis.

Quapropter ad corpus nonnullas virtutes ponemus attractiuas, quibus ex eo malum & corruptum extrahi, nec non à bono separari possit, ad hunc modum videlicet, vt attractiuum super emunctorium ponatur eo loco quidē: vbi defectus apparuerit, aut super vlcus, quod pro emūctorio habetur similiter, & si glādula oboriatur, ipsa emunctorij instar priùs aperienda est. Experientiâ enim notum est nobis, attractiuum eiusmodi pestilentiam extraxisse magis quàm scribere nos deceat hoc loco. Ab hoc medicamento nullus æger vnquam interiit, quantumuis graui morbo laboraret. Receptum attractiui specifici hoc est.

Attract. in peste vtilia. Specif. attract. descriptio.

℞ *Quintæ Essentiæ gummi omnium in omni genere ana quartam vnam.*
Magisterij Magnetis quartam ß.
Elementi Carabis ignei ℔ j
Elementi ignei, masticis,
Mirrhæ, ana quartam j & ß.
Elementi Scamoneæ ℥. x.

Fiat inde cerotum cum cerâ, gummi tragacanto, & terebinthinâ, hoc vtere sicut supra dictum est.

De Specifico styptico.

NVnc de specifico styptico loquendum, cuius multæ virtutes existunt, ac plures quàm de aliis intelligitur. Cùm enim admiranda naturæ nobis opera qualitatésque rerum eiusmodi præ oculis obuersentur, gaudio summo quidem exhortantur nos vt ab iis non desistamus, sed eorum potius omnium, quæ nobis oblata sunt ab artibus ipsis, memoriam recolamus. Et si fortassis de rerum naturâ quidpiam ab antiquis Medicis & Philosophis scriptum reperiatur (quòd nobis minimè constat) id tamen haudquaquam nos commouet, cùm cœca sint omnia, quæ scripserunt, sed in ipsa Naturâ Magna, quæ sese nobis admanus offert delectamür: & illorum veterum labores, qui pro cœcis habendi sunt iure negligimus, vt multis meminimus locis.

Stypticorum specificorū multæ differentiæ sunt.

Non autem admiremur styptica tam vehementia esse, quæ suis in Quintis Essentiis, Arcanis & Mysteriis tantas vires habeant, vt ferri duo fragmenta ita agglutinent, quæ postmodum nisi per ignem separari nequeant; Quod autem maius, est, cuprum vnum etiam alteri cupro per styptica similia sic agglutinatur, vt necamplius igne se iungi, necaquâ possint; Item attractiuo simili styptico lapidum aceruus in molem ingentem rupis instar conglutinari potest. Similiter arena cálxque per eiusmodi styptica possunt in compactionem concrescere æternam, ipsóque marmore duriorem. Hæc de duris diximus. Agamus etiam iam de aliis. Vidimus eâdem ratione folia simul coniuncta, quæ pro naturali concreto fuerunt habita, prout lilij folium cum folio rosarum in vna compactione. Itidem fabri ferrarij sua ferramenta simul consolidârunt suasu meo, ita compactè ac si verâ consolidatione conglutinata fuissent.

Stypticorum miravis.

Vidimus etiam, per ea, styptica specifica, labia oris ita contracta fuisse lotura sola, vt postmodum non nisi instrumentis aperiri per vim potuerint sanguine, latè promanante. Anus etiam nonnullis ioco per istiusmodi styptica fuit compressa adeò, vt propter necessitatem exonerationis opus fuerit ipsam aperiri terebris. Non secus in vulneribus & in ruptura vesicæ talem vidimus compactionem, vt istius postmodum nulla meis & illorum temporibus apertura reperta fuerit amplius. Quodcunque membrum stypticum hoc materiale contigerit, os ipsum aut nudas carnes ita contrahit, vt absque limâ deradi minimè queat. Nam aqua nulla emollit eiusmodi stypticas vires, quarum quidem longè plures existunt quàm ponimus. Verùm quod ad medicinam attinet, stypticum specificum ponemus, vt sequitur.

Labia stypticis glutinata.

Anus stypticis tota occlusa.

Specif. styptici descriptio.

℞ *Quintæ essentiæ boli, item Ferri,*
Quintæ essentiæ Carabis (alias cathebes) ana libram vnam. Digerantur in cineribus vno mense: postmodum tartari exiccati libram impone semis. Corpus eo curato, vbi opus. Hoc & similia styptica suis in corporibus non perscrutabilia sunt, at in separatis substantiis supra quam credibile sit, attrahunt, natura conditionéque suæ maximæ siccitatis. Quare styptica specifica dicuntur tanquam styptica supra quæuis alia.

De specifico corrosiuo.

NVnc specificum corrosiuum describere addereque volumus, cui mirandæ vires insunt à naturâ. Mirabile siquidem hoc est ad antiqua corrosiua comparatum, quòd metalla prorsus in nihilum absumat, vt in eis nullum corpus amplius inueniatur, prout lignum

Specifici corrosiui quæ facultas.

lignum disparet in igne. Quamuis aquis fortibus metallorum etiam consumptiones fiant, manent ea nihilominus pondere suo non imminuta, & essentiâ non mutata, sic vt iterum igne reduci possint in primum suum corpus atque materiam, id verò non fit post consumptionem à corrosiuo specifico factam, ea de causâ, quòd nulla materia hoc loco reperiatur ampliùs, quæ valeat vllâ reduci via rationéque ad metallicam naturam, non magis quàm cineres ad ligna Sciendum præterea, corrosiuum hoc in carnem operari, sic vt nullum ei comparari queat. Nam velocitas eius in momento manum perforat instar subulæ.

Hæc pro Medicinis hoc fine recensemus, quod in corpore carnis putridæ supercrescentisque plurimum vlcerum (vt fistularum, cancri scrophularum) oriatur quod omne per eiusmodi corrosiua curari potest. In eo siquidem stypica virtus existit maximis cum viribus, per quas peculiares curandi proprietates acquirit. Quanquam ignis potius vocari, quàm medicamentum posset, cum ferreas catenas consumat, & seras promptius quàm credibile sit aut scribi queat. Quapropter ei breuissimè receptum hoc assignamus. *Ignis Gehennæ.*

℞. *Aqua fortis à capite mortuo rectificata libram vnam.* *Specif. corrosiui descriptio. Adamas eiis corrosiuo specifico solubilis.*

Mercurij sublimati quartam semis.

Salis armoniaci ℥ ij. Hæc omnia simul permixta consumi finito, deinceps aquam admisceto mercurialem æquali pondere seruato. Nullus huic adamas corrosiuo resistere potest. Quanquam etiam idipsum de Quintâ Essentiâ, & Arcano potest intelligi, videlicet vt cuipiam istiusmodi cauterio cutis adimatur, & eius loco noua superducatur, vt in lepra, morpheâ, serpigine, lentigine, panno, &c. Contra quæ specificum hoc in vsum venit corrosiuum, sed ob eius vehementiam omittimus, & mixturam hanc assumimus, quâ cutis ablui debet, sic decidit ac nudatur: postmodum consolidari prout moris est, potest. Mixtura talis esto.

℞. *Succi flammulæ* ℔ j.

Cantaridum iiij. ß.

Ignis gehennæ prædicti ℥ ij. *Permisceto & fac vt supra.*

De Specifico Matricis.

Dicendum tandem est etiam de specifico matricis, & hoc variis de causis, propter varios affectus eius. Verùm hoc loco minimè loqui volumus de elementis calefacientibus eam aut refrigerantibus, cum ista per magisteria nec non arcana facienda sint. Hic verò duo specifica ponimus, vnum in suffocatione matricis, alterum in menstruis prouocandis aut restringendis. Intelligendum itaque suffocationem alio nullo quàm specifico renouari posse, licèt non elementato nec ad hoc præparato, sed in communi formâ vel essentiâ, vt crescit, in vsum assumpto, prout est ficus cutis. Quamprimum fumus huius per vuluam intrat, morbus expulsus est. Quod sanè miratu maximè dignum est ob hoc vile simplex, quod etsi præparatum fuerit, non deperit tamen fumi eius essentia, cum virtus in ea sola sit. *Specifica matricis, quæ & quot sint. Ficus cutis remediũ suffocationis.*

Verùm ad menstrua prouocandum, specificum ex splene castrati bouis in magisterium vel Quintam essentiam adducto remedium est, cuius prouocatio cùm in iuuenibus, tùm in antiquis excellentissima est. *Splẽ castrati bouis ad prouocãda menstrua.*

Sic etiam ad restrictionem, Quintam coralliorum Essentiam, aut oleum ferri, vel ferrum potabile, quod præ cæteris mirum in modum restringit, excellentissimum fore, sciendum est remedium. Plures istiusmodi proprietates scribere minimè necessarium est, quòd in Archidoxis nostris nimis id prolixum foret. Notandum, sub antedictis compositionibus, tamen incarnatiuis, conglutinatiuis & specificis comprehendi laxatiua, mundificatiua, nec non similia, sub ipsis purgationibus, sic de cæteris vt deoppilatiua sub purgatiuis & attractiuis. His libellum de Specificis conclusum esse volumus, in subsidium memoriæ, ne horum obliuiscamur. Confortatiua similiter etiam in singulis capitibus percensentur. *Mẽstrua suppressa coguẽ cuientes.*

Finis Libri Septimi Archidoxis, ex Theophrastia Paracelsi Magni de Specificis.

LIBER OCTAVVS ARCHIDOXIS, EX THEOPHRASTIA PARACELSI MAGNI.

De Elixiriis.



Post multa secretissima naturæ mysteria, de Elixiriis etiam per compendium scribere volumus, nec frustra, quòd videamus in eis maximam conseruationem latere, quæ nos cogit animum ad ea conuertere sine requie. Nam vnumquodque Elixir est corporis præseruatiuum internum in Essentia suâ, quod arripuerit, non secus ac balsamum extrinsecum est præseruatiuum extrinsecum corporum omnium à putrefactione, & à corruptione, quod manifestò patet in balsamo, hoc nempe; conseruationem existere corporum, vt ista multis annis centenis & millenis sine corruptione vel mutatione maneant. *Elixiriorum natura qualis.*

Cùm igitur simile donum videamus in balsamo, quod mortua corpora præseruat & conseruat in incorruptibilitate; pariter intelligendum est in hoc ipso dono siue mysterio sanum ac viuum corpus longè meliùs ac vtiliùs commodiúsque præseruari posse. Hoc verò iuxta naturam non habemus, vt Mysteria naturæ supráque naturam constituta, quibus corpus intrinsecus & extrinsecus ab omni contrarietate conseruare possimus, cognita nobis existant: sed in illis multa nobis occurrunt aliis occultissima.

Sciendum vtique de Elixiriis, ea suas operationes à naturâ non habere, nec à complexione, sed mysteria esse magis quàm specifica, summam in Conditoris admirationem per multas demonstrationes. In ipsâ naturâ tamen plantata sunt, vt in ea sint, prout in balsamo videtur. Si sit ergo possibile, mortua præseruare corpora, multò magis ipsa viuentia. Nec est in eo, quod curemus aduersariorum verba vel argumenta, sed vt nostra soluamus, quò nos ad verum intrinsecã *Elixiris vnde de suas operationes habeant.*

trinseci balsami fundamentum studemus dirigere non curantes eorum nugas inutiliáque verba, qui de termino mortis, & eius prædestinatione loquuntur, & eam suis determinatis punctis concludunt. Nam Deus pater noster, vitam nobis tribuit, & cum ea medicamenta, quib. eam defendere sustentaréque valeamus. Si terminus ergo mortis ad præcisa puncta positus esset, alterum fore falsum oporteret, quod non est. Verùm quamdiu possumus ac scimus, potestatem habemus vitam sustentandi nostram. Adam enim ad tantam peruenit ætatem non ex propriâ naturâ suæ proprietatis, seu conditione, sed ea de causâ tantùm, quòd tam doctus ac sapiens fuerit Medicus, qui singula cognouit in ipsa naturâ, quibus etiam tanto se tempore sustentauit. Sic pariter alij plurimi, qui similibus vsi remediis fuerunt.

Mortis termini ad præcisa puncta nulli.

Adā cur ad tantā ætatem peruenerit.

Multi mortui sunt Adæ temporibus, qui ad eius ætatem non peruenerunt, & nonnulli nostram ætatem non attigerunt, prout iam post diluuium constituti sumus, qui non secus ac nos mortui sunt, ideò quòd has artes ignorauerint (quo factum, vt ante sua tempora vitâ priuati fuerint, nec iuuerunt ipsos cibi neque potus) quas Adam & cæteri calluerunt.

Adæ ætatem cur non omnes attingant.

Cùm igitur ex similibus inuenire naturaliter possimus, quòd vita vetus ex natura procedat: inuestigare volumus quid natura donúmque Dei sint. Aliqua siquidem corpus mortuum conseruant à putrefactione tantùm vnum annum, vt *oleum laterinum*. Alia decem, vt *oleum Philosophorum correctum*. Nonnulla viginti, prout *aqua mellis*. Quædam alia quinquaginta, vt *præseruatiuum destillatum*. Aliquæ verò seruant in perpetuum sine fine, prout *balsamus*. Nonnulla solùm diebus octo, sicut *sal*. Alia per noctem, vt *aqua destillata*. Diutiùs aliqua, prout *vinum ardens*. Sunt etiam alia quædam quæ præseruant à corruptione corpus, in essentia recenti fortique natura, quum homo iuxta suam complexionem eis confirmatur, vt *aloës citrinum & myrrha*. Nonnulla corpora à putrefactione tuentur, ob maximam suam tincturam duntaxat, quæ tam potens existit, vt mali nihil admittat, aut crescere, vel subintrare sinat, vt *Aurum Saphyrus, vniones, arcana, magisteria*, nec non similia, prout anteà de his scriptum est.

A putrefactione corpus præseruātia varia.

Præseruatiuum igitur scribere volumus contra corporis viui corruptiones omnes atque mortui. Consideratur autem, præseruatiuum corporis viui, sumendum esse per os, ac totū corpus penetrare debere, sic vt nullum in corpore membrum sit, quod non eiusmodi præseruationem percipiat, eiúsque donum attrahendo per idipsum informetur. Notandum insuper, spiritus stercorum in intestinis existentes æquè vehementes esse, vt contra præseruatiuum pugnent, ea de causâ, quòd putrefactū nullum balsamari, vel præseruari possit. Non habet enim essentiam in se, veluti recens caro mortua, quæ balsamatur: at illud cum præseruatiuo non aliter conuenit, quàm vermes optimis cum herbis, & putrefactum cum incorruptibili. Putridum enim corrumpi non potest, nec alterari, cùm nullius momenti sit. Contra præseruatiuum putrefieri minimè potest: nam instar auri quod æruginem haud cōcipit vnquam, existit. Separantur à se mutuò, sic vt quodque suam proprietatem adimpleat. Hæc enim ideò dicta sunt, quia stercora successu temporis præseruatiua superare vincere que valent, quod in mortuis corporibus fieri non potest, quia sunt infecta, vel si nondum infecta, coagulata quidem à morte, prout sanguis recedens à venis coalescit.

Præseruatiuū corporis viui per os sumendum.

Stercora in intestinis cōtra præseruatiuum cur pugnēt.

Stercora successu tēporis præseruatiua superare possunt.

Vocamus hoc præseruatiuum Elixir, tanquam fermentū, quo panis fermentatur, quem corpus digerit. Eius virtus est præseruatiua corporis in eo statu quidē, in quo hoc ipsū inuenit, eisdem in viribus & essentia. Quandoquidem hæc est natura præseruatiuorum, videlicet vt à corruptione tueantur, nihil tamen emendando, sed præseruando solùm. Quod autem ipsa morbos etiam tollunt, hoc fit per subtilitatem quam habent. Item non solùm præseruant, sed etiam conseruant. Est enim duplex labor, vt pote preuenire morbis, & essentiam ipsam in statu suo conseruare. Nec solùm in corporibus humanis existunt, verùm etiam in omnib corporibus sensibilibus. Emortuum enim lignum æquè potest à corruptione præseruari, vt à Balsamo conditum aliquod corpus. Non minùs etiam herbæ conseruari possunt in essentia sua, quàm viuum corpus aliquod. Quandoquidem illæ conseruationes, quæ fiunt ad herbas, conseruant eas in eadem essentia, in qua illas arripiunt, sic vt vireant, ac recentes æquè maneant, prout in agris, hortis, &c. in quintam aut sextam ætatem: si cum floribus eas arripuerint, illos etiam conseruant: si cum fructibus, istos.

Elixir quid sit. Virtus eius quę. Præseruatiuorū natura.

Ligna vt à putrefactione præseruanda. Herbæ quomodo in sua essentia conseruādæ.

Nec ista mireris, cùm possibile sit emortuum lignum rursus viuere, nec non figi ferrum, vt ferruginem ampliùs non concipiat, similiter incombustibile fieri sulphur, quæ contra simplicis hominis intellectum sunt. Causam horum omnium ponimus de conseruationibus latiùs ac fundatiùs. Nec impossibilia sunt existimanda, sed multò plura, quæ iudicantur impossibilia, fieri maximè possunt. De Balsami conseruatione volumus igitur per distinctiones ætatum loqui, prout sequetur.

Impossibilia fiunt possibilia.

De præseruatione & conseruatione per Elixiria.

DE primo iam Elixirio scribere volumus, quod corpus in ea conseruat essentia, prout ipsum reperit, putrefieri non permittit, nec infirmari, sed in spiritu vitæ conseruat, vt nullum accidens ei superuenire queat. Item in tertiam aut plures ætates adducit. Quoad vsum alia est operatio quidem in mortuis corporibus: illa siquidem noctes atque dies in balsamo iacere debent, cum viua sanáque hoc minimè facere debeant aut possint. Quare hoc Elixir ad vitam vsui fore solùm intelligendum, ad cor, & ea loca potissimum, in quibus vita maximè viget, quod est ad spiritum vitæ per vniuersum corpus dispersum, & custodit Spiritum vitæ in hac virtute, qua corpus vel cadauer mortuum à putrefactione custoditur: quia si vulnus, aut vlcus extrinsecùs potest à putredine & malo custodiri, ita etiam intrinsecum corpus ab

Elixiorū in corporibus mortuis & viuis diuersus vsus.

Elixiri operatio qualis.

ab omni aduersitate custodiri dispositum est. Quamobrem ordinamus Elixir, quod in spiritum vitæ, non secus ac fermentum in pastâ operatur, & in corpus, vti quum arbor in radice tingitur, sic vt nunquam eiusmodi color ab eo recedat. Ad hunc modum corpus totum custoditur, cum in cuncta membra tinctura magis aut minùs spargitur & penetrat, non secus ac metallum totum in aurum tingitur, & fit, aut ab ærugine custoditur. Sic etiã in corpore conseruato nullum membrum habetur, quod non Elixirio plenum sit.

Postquam per totum corpus dispersum, illius virtutem receperit, & iamiam operationem per ipsum exercet: nihil ei per appositum accidere corruptionis potest, quod vniuscuiusque membri vita plena sit Elixirio, prout corpus tinctum Balsamo plenum est. Intelligendum vtique non opus fore, vt corpus totum balsamatum sit per assumptum Elixir. Nam vbi spiritus vitæ solû in sua radice circundatus fuerit, quoad ad corporis conseruationem sufficit.

Corpus non totum Elixirio balsamandum.

Iam ad practicam eius veniendum est, primúmque tradendum de Elixirio, quod Balsami virium conditionibus, totum corpus defendit à putredine. Deinde de eo quod salis potentialibus viribus præseruat corpus. *Tertiò*, de Elixirio dulcedinis, quod in conseruatione sustentat. *Quartò*, docebimus de Elixirio, quod Essentiæ quintæ viribus humanum corpus ingreditur. *Quintò*, subsequetur aliud, subtilitatis suæ maximæ viribus verè nobile. Inimicis enim resistit Naturæ omnibus: qua resistentia corpus in morbos dilabi permittit neutiquam. Colophonis loco addemus illud, quod ex propriæ suæ naturæ viribus, eiusmodi conseruationibus donatum est.

Ratio methodi

De Elixirio primo, Balsami scilicet.

Elixirij balsami præparatio & facultas.

RECipe, *veri ac optimi Balsami nobis optimè cognit; libram vnam, hoc ponatur in vitrum coopertum alembico cœco, & vnà cum eo duas vncias Essentiæ Quintæ auri, & Essentiæ circulati maioris vnciam semis infundas, quæ simul omnia digerantur igne lento, sic vt noctes atque dies vapores ascendant. Postmodum augeatur ignis, vt guttæ quædam adhæreant, decidántque guttatim, duobus mensibus. Tandem in equino fimo quatuor mensibus maneant, vt absque intermissione suam digestionem habeant.* Quo peracto completum est Elixir. Intelligendum hoc balsamum aut Elixir, fieri fermentum, quod in radice vitæ coquitur & immiscetur, potestatémque regendi vitam habet in Essentia bona, sic vt natura nulla resistere valeat. Non secus ac arsenicum naturam in malum vincit, Elixir hoc in bonum ex aduerso illam superat, corpora defendens. Mortuum corpus ab odore tutum est eo, sic ut putrefieri minimè valeat, quum in sepulturam positum cooperitur, ne possit euaporare. Multò magis viuo corpori suæ virtutes manent, quod hoc loco satis explicuisse volumus.

De Salis Elixire, cuius viribus conseruatur corpus.

Elixirii salis præparatio & facultas.

NOn minor sali vis atque virtus inest quàm balsamo, de quo diximus, ea de causa, quòd caro sale conseruatur à putrefactione, dies, annos atque tempora multa. Idque variis modis. Vna etiam magis alterâ. Eodem fundamento possibile fuerit conseruare corpus & præseruare: non quòd sale velimus, eo modo, quo in mortuis carnibus vti, sed inde Salis Elixirium componere oportet, quod spiritum vitæ penetrat materialiter, vt in sale viuat, prout caro salsa. Nam Elixirium hoc adeò est subtile, vt spiritui vitæ comparari queat. Ista duo adeò arctè in vnâ coniunctione conueniunt, vt etiam vnum altero ad perfectionem temperetur, æquè ac sal cibum aliquem perficit ad saporem, sine quo aliàs perduci minimè ad perfectionem in vnitatem posset. Est itaque notandum, Salis Elixirium esse fermentum, in quo tinctura quædam existit, per quam totum corpus penetratur. Est etiam res inconsumptibilis, quæ cum naturalibus in corpore per digestionem haudquaquam absumitur, sed est fixa velut in igne vitrum, quod coctione minimè perit. Elixir hoc fixum ita corpus fixat, vt in vitâ permanens fiat, non aliàs, quàm vbi metallum aliquod figitur, vbi nulla postmodum humiditas, corrosiuum nullum, aut simile quid ei nocere potest, aut in æruginem adducere. Colligi potest igitur ex his, Elixir esse corpus fixum vt aurum, in quod nihil immundum penetrare potest, quod ei nocere queat. Practicam itaque Salis Elixirij ad hunc modum ponere volumus.

Elixir quid.

Accipe *Sal optimè præparatum, albiss. & mundissimum: hoc in pellicanum ponatur cum aqua soluentis tanta quantitate, quæ sexies pondus illius superet. In fimo digerantur equino simul vno mense: postea separetur aqua soluens per destillationem & rursum affundatur ac separetur vt priùs, idque toties, donec sal in oleum conuertatur: cui quidem auri quinta iungatur essentiæ pars octaua, simúlque digerantur in pellicano & in equino ventre per quatuor menses, & postmodum circulentur per mensem, addatúrque pars altera vini circulati. Sic maneant in ascensione per mẽsem adhuc.* Eo tempore peracto, salis elixir habebis, de quo nobis memoriale per canonẽ fecimus ad antiquos dies nostros subleuandos.

De tertio Elixire nempe dulcedinis.

Elixirii, dulcedine præparatio & facultas.

CErtò nobis constat, per dulcedines à corruptione præseruari posse corpora. Verũ quib⁹ id viribus fiat, tradimus de *generationibus mellis, saccari, mannæ, throni, ac similiũ, quæ hoc loco recẽsere nolumus ob antiquorũ scripta.* Possumus itaq; dulcedines in Elixir trãsmutare, cuius præparatio corpus viuidũ conseruat magis, quã languidum in essentia conseruatã. Nam proprietas est omniũ specificarum dulcedinũ, vt non corrumpantur, nec etiam corrumpi sinant hoc, nisi per contraria fiat obnoxia corruptioni, prout ex melle & pane vermes & formicæ nascuntur: itidem ex saccharo & lacte coagulato: ex mannâ & aquâ fit instar fimi corruptio: Plures eiusmodi cõpositiones fieri possunt, quibus dulcedines in corruptionẽ transeunt. Vt huic obueniatur, est hæc intẽtio nostra, nec nõ experientia, videlicet vt in ista cõpositione tale quid assumatur, quod essentiâ sua propria manere dulcedinẽ haud impediat, & sine rerum aliarũ corruptione sit. Hac via virtutẽ balsami habet ad mortua cadauerum corpora carnea, vel alia conseruandũ. Nã similis

Dulcedinũ specificarum proprietas quæ. Vermes ex melle & pane. Formicæ ex melle & aqua.

lis dulcedo balsamus est terræ, & aliæ nonnullæ rerum, quod in eis originem ducat. Iam igitur ex Throno ponemus Elixir, ideò quòd nulla dulcedo comparari huic valeat, plura quoque mysteria contineat, quàm credatur, prout in Generationibus ponimus. Ex istius præparatione colligi viæ possunt aliarum dulcedinum præparationis: Throni talis esto.

Elixirii dulcedinis laus.

℞. *Throni quantum voles, quod in pellicano positum sit ad digestionem in Sole duobus mensibus, melius tamen per æstatem. Postmodum addatur Essentiæ Quintæ auri pars quarta, & ita simul circulentur duobus mensibus. Hoc serua.* Quamuis hæc via breuis admodum existat, nihilominus admirandum hoc per eam factum Elixir est in valdè senibus.

De quarto Elixirio, quod est Essentiarum Quintarum.

SImiliter Essentiæ Quintę possūt in Elixir adduci, quod instar balsami viua, nec non mortua corpora conseruet: eius hoc loco mentionē admodum paucam facimus, quòd antea in de Quintis Essentiis processū demonstratū sit. Quare latiùs progredientes ea ponemus, quorum ad præseruationem & conseruationem facientium sumus memores. Postmodū ex istorum processuum Elixiriis, vnius Elixirij compositionem docebimus, æquè ac tria præcedentia corpori proficui. Intelligendum vtique hoc Essentiarum Quintarum Elixir arcanam in se virtutem habere quæ quidem indies ad restaurationem tendit & corpus totum renouare conatur ac restaurare. Quare magis quàm conseruationem operatur, quod etiam renouet, non tamen ita perfectè, prout suprà de Quintis Essentiis & Arcanis meminimus, sed virib. minoribus, ideò quod istorum conseruatio & renouatio, simul existere minimè valeant, sed hâc via renouatio disponitur in conseruationem, ad hunc modum:

Elixir Essent. Quint. qualesit

Elix. Ess. 5. præparatio & vsus.

℞. *Quintæ Essentiæ chelidoniæ,*
Melissæ ana ℥. ij.
Quintæ Essentiæ auri,
Quintæ Essentiæ Mercurij ana ℥ ß.
Quintæ Essentiæ Croci.
Mirobalanorum omnium ana ℥. j.
Omnia permixta simul in digestione Solis clausa cœco maneant alembico mense bino. Postmodum adde.

Quintæ Essentiæ vini, & eius magisterij ana ℥ j. ß. & iterum digerantur per mensem vt suprà: tandem in Thesaurum seruato, nec dum ad præseruationem tantùm, sed etiam ad restaurationem.

Quintum Elixir, dicitur Subtilitatis.

MOdò puritatis vel subtilitatis Elixir ponendum esse duximus, quòd magnæ mūditiæ suæ viribus conseruat, vt est *Oleum Philosophorum correctū*: hoc nihil putrescere sinit, quod eo fuerit inunctum. Idem *Oleum* efficit *laterinum correctum*, & pleraque alia, quibus tamen proprietas non est, vt à putrefactione præseruent, at hoc ipsum acquirunt, & in proprietatem assumunt ex præparatione laboreque: prout vinum adustum & correctum etiam putrefieri non permittit, neque digestum, igne minimè tamen immutatur hoc.

Elixir subtilitatis quomodo operetur.

Aqua mellis præparatione sui putrefactioni resistit, quod ad sensibilia corpora pertinet, id eius cruda substantia non efficit, sed putrefactioni subiicitur omni. Quare subtilitatis Elixir ponimus, quoquidem, (non aliter quam ipse Mercurius, qui volatilis existit, aqua sua figitur permanensque fit) corpus humanum etiam fixatur in constantiam & permanentiam. Quamquam hoc ipsum per alia plura, quàm ponimus, fieri potest, nihilominus ea solùm adducemus, quæ per experientiam nobis cognita sunt. Nec ea de causa volumus aliis quicquam detrahere: tantùm hoc dicimus, ad nostram notitiam experientiamque ea omnia nondum peruenisse. Huius Elixirij hîc esto processus:

Aquæ mellis vis.

Mercurius ab aqua propria figitur.

Elix. subtilitatis præparatio & vsus.

℞. *Olei oliuarum,*
Mellis,
Vini ardentis ana ℔. j.

Destilla secundum Alchimisticum vsum omnia simul, & hoc ter. Postmodum separa phlegma totum ab oleis, quæ coloribus distinguuntur multis. Hæc olea omnia in pellicanum pónas, & iis addas Essentiæ Quintæ Melissæ, Chelidoniæque tertiam partem, digerantur vno mense: Postea seruabis ad vsum. Sensibile corpus nullum ei resistere potest, nec insensibile, multas ob causas & proprietates, quas hoc loco minimè ponere volumus.

Sextum Elixir quod Proprietatis est.

PAriter ex rebus naturalib. elici potest Elixir perfectum vt ex *Myrrha, Croco, & Aloepatico.* Sed ex quibus viribus id proueniat, ponimus de generationibus eorum. Processum hîc tantū adferimus, origine relicta de qua alibi frequenter tradimus.

Elixir proprietatis compositio & vsus.

℞. *Myrrhæ,*
Aloepatici,
Croci ana quartam vnam, quæ simul in pellicanum & in arenam posita mensibus duobus ascendant lenissimè. Separa tandem per alembicum oleum à faecib. præter adustionem. Oleum hoc vnà cum circulato per mensem digeri permitte, pōdere quidem æquali, post serua. In hoc virtutes omnes balsami naturalis insunt, quin & virtus conseruatiua in senibus ampliùs quàm assignare fas sit: quia non vna tantùm ætas ab eo procedit, sed quatuor, septem, vel decem, &c. Vim & naturas eius exprimere, vix possibile: sed quò ad nostrum ingenium, satis à nobis dilucidatum est, ampliore interpretatione id indigere non putemus.

Finis octaui libri Archidoxis.

LIBER NONVS ARCHIDOXIS, EX THEOPHRASTIA PARACELSI MAGNI.

De Extrinsecis.

POSTQVAM de morbis intrinsecis præcedētibus tractauimus libris, iā de his quæ extrinsecus emergūt est quod scribamus ac ad eos ponamus remedia. Quamuis de morborū istorum origine cùm internorum tùm externorum his libris nihil inseramus: origines tamen medicamentorū eorum nihilominus ponemus, & postmodū remediorum similium ad morbos externos cōpositiones. Nonnulla sunt ad vulnera tantū, quibus vulnus vigintiquatuor horis curari possit, quod sic intelligendū. Incisū vulnus alio nō indiget, quàm

Argumētū libri.

Vulnera curandi quis modus.

quàm vt iterum connectatur vel coniungatur, eo modo, quo quidem asseres duo colla connectantur. Nullo modo vulnera patere sinas, sed ea replere carnibus coneris: nam rusticum hoc potius quàm medicum est. Considera, cùm vulneris labia prout asseres collâ cohærentes iuncta sunt, ea iam medio plus sanata fore: quod medicamento quodam fieri necessarium est, vtrumque latus ita simul contrahente, vt meliùs aptiúsue id fieri nequeat. Indè sequitur, vbi labia sese contingunt naturam iuuante medicamenti compressione, sanationem complere, sic vt nullum vulnus in quo fractum os non fuerit, adeò prauum sit quod non 24. horis facilè sanetur. Verùm ossa non permittunt se, prout carnes, connecti, quare de illis hoc loco minimè loquimur. Exemplo rem. sic intelliges. Cùm aliquod membrum planè præcisum est, priusquam venæ mortuæ sint, calentes adhuc atque recentes eæ, mox isto medicamento humectentur vulnúsque coniungatur, & sic eius latera non aliter connectentur, quàm baculi duo collâ conglutinati, sanantur & coalescunt. Hoc operatur medicamentum, quod natura tam citò curet ob eiusmodi resiccationem, vique sanet eâ, de quâ anteâ diximus. Non ignorandum etiam, ad vulnera medicamentum incarnatiuum esse minimè debere, non mundificatiuum, nec attractiuum, quòd ista fluxus putridos omnes in multam saniem extrahant. Præterea pator seu cauitas vulneris carnib. replenda est, quod tardissimè fit, & per consequens valdè periculosè, ac sine magisterio. Id ipsum in vlceribus antiquis etiam intelligendum, quæ longo tempore fluxibus onusta sunt, quo fit vt non sine multis accidentibus difficultatéque maxima curari, quandóque nunquam possint. Quapropter eorum maximè fore deberet medicamentum ex eis, quæ diximus, quæque similiter vi quâdam cutem & amplitudines comprimunt.

Vulnus omne 24 horis sanari potest. Præcisorum membrorum qualis cura.

Vulnera quæ medicamenta requirant. Vulnerũ cauorũ quæ cura. Vlcera antiqua cur cura in difficilia.

Similiter considerandum in vlcerum curationib. carnis generationem esse necessariam, quod istud fieri compressione minimè queat, sicut de vulnerib. diximus, tàm in vlceribus, quàm in fistulis & similibus: quæ quidem omnia per vim eiusmodi medicamentorum curanda veniunt. Quare curationum eiusmodi fundamenta duo ponimus ad cutis apertionem, alterum est incarnatiuum, alterum exiccatiuum.

Vlcerum cauorum quæ cura.

Vulnerũ omnia remedia duplicia.

Iam de cutis etiam deformitatibus cæteris loquamur, vt sunt *cicatrices, morphea, serpigines pannus, maculæ, nec non lepra*, ac similes morbi prouenientes ex cute, quos ad hunc modum curari volumus. Primò quidem auelli cutem ordinamus, vt vitulo solet caro nudari: postmodum nouam indui conuenienti medicamento. Colligitur enim medicamento quodam auferri debere cutem, & nouam alio puram immaculatam, colore quopiam generari, prout eo quod sequitur, vt carnis humorísque non multum attrahatur eo, sic maculæ quæuis, vt iam exposuimus, auferuntur. Earum originis ablationis hoc loco per nos mentio nulla fit ab exordio, quæ alibi tractata sit, ac nobis ad hanc nostram intentionem vel doctrinam vtilitatis nihil adfert, neque damni. Sunt & alij morbi veluti cancer, bubones & istiusmodi, quæ peculiare suum requirunt medicamentum ad originis extractionem, & immunditiarum omnimodam expurgationem, quæ specifico perquam optimè fiunt attractiuo: postmodùm opus est consolidatione, quam de Fistulis aliisque similibus posuimus.

Cutis morbi & deformitates vt curentur.

Ossium rupturæ tamen ac similia, styptico solum attractiuo consolidari debent, quod hic recensere nolumus, cum alibi dictum sit. Similiter crescentiæ multæ superfluæ reperiuntur, prout strumæ, glandulæ, &c. quæ quidem euacuari primò debent, ac posteà curari.

Ossiũ fractorũ quæ cura.

Chirurgiam igitur diuidemus in tres partes aut curas: vnam ad vulnera, aliam ad vlcera, tertiam ad maculas referentes. Cancrum autem curabimus attractiuo specifico solùm, postmodùm his quæ docebimus infra medicamentis.

Externorũ morborum genera tria.

Remedium ad vulnera.

SI tale medicamentum haberi debeat, quod ex propriâ naturâ labia vulnerum aut latera connectat non aliter quàm colla duos asseres: id per maximam siccitatem atque stipticitatem fieri necessum est, quæ solùm ad carnem inseruiat, vt sequitur.

Accipe *Samech optimè combustum & in albedinem calcinatum, cui circulatum adde minus. Destilla postmodum, vt siccissimum caput maneat in fundo mortuum, vtq; vitrum omnino candeat. Posteà recens affundes iterum vt prius: tamdiu id feceris, donec circulatum ab eo dulce prorsum recedat, vt est in seipso: tandem resolui sinas per seipsum.*

Vulnerũ remediũ est Balsamus. Balsami quæ præparatio.

Quod resolutum erit, hoc est remedium ad vulnus, quod balsamum ad vulnus intitulari potest, quia in vulgari nostro sermone Germanico, Balsam idem est, ac si dicatur, Baldtzusammen, hoc est, *mox coniunctum*, & non iuxta Latinorum idioma. Istius medicamenti virtutes hîc singulariter prædicare nolumus, sed generaliter ad omnia vulnera id facere, asserimus, vt quo per solam ablutionem centena multa vulnera curauimus, supra quam per naturam fieri credibile sit.

Balsamus cur ita dicatur Germanis.

Remedium ad vlcus.

VLcera quoque pariter comprimenda esse vi medicamenti simul cum virtute generatiuâ nobis intelligendum est, nec scripta veterum nobis imitanda fiunt, vt quæ malitiosa quidem sunt & nequam. Hoc igitur considerandum videlicet: Intrare compelle, idque ad hunc modum.

℞ *Dicti priùs ad vulnera Balsami, nec non ex rubigine facti similiter Balsami, prout ex Samech ana ℔ j. simul his permixtis adde libram semis olei ferri.* Mixta simul omnia superponantur vlceribus, istáque lauentur indies, vt expedire videbitur, & emplastrum consolidatiuum apponatur, quod nos ad vlcera docemus. Ligaturas itaque prosequeris in finem vsque sanationis. Animaduertendum etiam, ligamentis esse comprimenda membra, quod quidem aliis locis amplè satis docuimus. De vlceribus dictum sit hactenus.

Vlcerum remedij præparatio.

Macularũ cura corrosiuum specificum.

Remedium contra Maculas.

Cutis auulsionem de corrosiuo specifico satis explicuimus, & penes illud cauterii, quod postmodum faciendum, & in vsum assumendum est. Postquam ablata cutis & macula cum eâ fuerit, eius cura talis est, vt sequitur.

℞. *Suprà dictum balsamum ad vlcus: huic addes,*
Terebinthinæ lotæ,
Lumbricorum ac ouorum oleorum partes æquales.

His nudatam suâ cute carnem lauabis omnem. Post curam hanc nulla requiritur amplius. Eius námque medicamenti proprietas est, vt nouum cum cute nouâ colorem inducat, ac duritiem naturalem, sic vt præcedentibus maculis contaminari latiùs nequeat.

Quanquam autem aquis multis eiusmodi maculæ tolli queant, vt ex *floribus fabarum, sigillo Mariæ, similiúmq;, nec non stercore humano:* hæc tamen instituti nostri non sunt, cùm intentio per illa non semper à nobis obtineatur: & multò perfectiùs maculæ omnes istis auferantur, quæ iam posita sunt.

Nec est, quòd miretur quispiam, nos totius chirurgiæ tam pauca, támque breuia remedia ponere, cum chirurgicas vias non imitemur, quas antiqui scripserunt, & moderni iam vt illi suos in vsus assumpserunt. Quandoquidem per eiusmodi medicinam, cùm nos eam sequeremur, fundari nihil néque certi reperiri potuit vnquam aut percipi. Verùm secundum experientiam vsi nostris fuimus remediis, & hâc viâ comperimus optima totius chirurgiæ medicamina, prout hoc loco tribus tantùm comprehendimus.

Medicina vetus incerta.

Et quamuis plures morbi reperiantur quã hîc meminimus, vt bullæ, alopecia, &c. sub maculis nihilominus & cicatricibus concluduntur, & iuxta processum eorum curari debent, multis de causis hîc non adductis, at apud nostrum vsum relictis: non tamen obliuiscimur earum. Nam postquam viderimus vulnera (quorum centena & millena multa præ manibus habuimus) tam citò his remediis & admirandè plurimum sanata fuisse: cur igitur longos antiquorum processus imitabimur inanes, obliti proximorum nostrorum? Quare mundificatiuis, loturis, suturis, ligaturis, corrosiuis & similibus vtemur, quæ quidem omnia vulnerib. inimica sunt, ac ea miserrimè deprauant & perdunt; causas libro de vulneribus amplè satis explicamus. Quid est, quod emplastra diuersa, cerota, vnguenta, & similia, vel in vlcerum curam assumimus? item ligationes, vnctiones, &c. quæ recensere tædet, cùm non nisi prolixam, intricatam, & fatuam viam ingredi (cuius finis est multa per fatuitatem accidentia quærere, nec non inuenire) doceant, ex eo quòd antiquis fidem per nostram superstitionem adhibuerimus? In chirurgiâ siquidem considerare, quid fistula, cancer, quid vlcus, & similia sint: item vnicuique suum peculiare medicamentum assignare, vaniloquium & scripturæ frustranea, quæ papyri iacturam compensare nunquam possunt, cùm vnico tantùm omnia medicamento satis exactè curari sanarique valeant, vt lepra exterior, alopecia, serpigo, macula, nec non alia similia, pustulæ, pruritis & cicatrices, quæ per vnicum abundè satis medicamentum & vnicâ tantùm practicâ tolluntur: item artetica, iaculationum, telorum, & globulorum ac alia vulnera. His paucis Chirurgiam nostram conclusam esse volumus, eique finem imposuisse.

Veterũ remedia vana & inidonea.

Finis libri Noni Archidoxis ex Theophrastia Paracelsi Magni de Extrinsecis.

LECTORI SALVTEM.



EN tibi beneuole Lector decimum Archidoxorum librum iam pridem Philochymicorum votis expetitum, nec tamen hucusque operibus Paracelsi insertum, quòd paucorum manibus tritus, tanquam thesaurus pretiosissimus & arcanis refertissimus inter secreta habitus fuerit. Olim quidem Moguntiæ vernaculâ authori linguâ fuit excusus, sed inuidia quorundam qui toruo oculo mysteriorum in eo patefactorum reuelationem intuebantur maiorem partem exemplarium suppressit, & plurimos artis chymicæ & scriptorum Theophrasti studiosos ipsum describere coëgit. Nos vt publicis commodis consuleremus, eum latio à viro tam linguæ germanicæ quàm rerum tractatarum peritissimo donatum, nouem libris antehac editis subiungere consultum duximus, vt in posterum describendi labore ingenia scientiæ huius cupidâ supersederent, & Archidoxa omnibus numeris absoluta prodirent. Negârat author diuersis huius operis locis se librum hunc conscripturum, ne vniones ante sues proiiceret, nec arcana hæc ad notitiam indignorum & impiorum peruenirent; sed sententiam mutauit suasu atque precibus amicorum, qui æquâ lance incommoda ob mysteria hæc in vulgus emissa cum commodis ex communicatione eorum in genus humanum deriuandis examinantes, hæc illis longè præponderare viderunt; ideóque vt paucis quibusdam sibi familiaribus ea traderet tandem obtinuerunt. Patet id ex præfatione quam præfixit, in quâ sacramento omnes & singulos quibus copia huius libri fieri posset

posset obstringit vt secretissimè tantum naturæ & artis thesaurum custodiant, nec cum auaris chymicis, aut ambitiosis & inuidis Galenicis communem habeant. Nec absque ratione author diuulgationem eius prohibuit, cùm iure merito clauis titulo gaudeat, quâ obseratæ præcedentium librorum fores recluduntur, & repagula remouentur, quò omnibus aditus ad sacra & secretiora diuinæ artis chymicæ penetralia pateat. Minimè tamen putandum, quemlibet leuiter saltem in Vulcani scholâ versatum hoc libro tradita concepturum, qui nihil præclari in nobilissimâ hâc arte nisi per transennum vidit, aut eius fructus non nisi primis labris degustauit, falsâ opinione seipsum nequaquam decipiat, nec sibi hæc scripta esse nimiâ credulitate persuadeat. Non igitur præscriptis formulis receptorum in effectum deducendis manum admoueat, nî cum phrygibus serò sapere audire velit. [Nemo cibum planè & plenè sibi hoc libro præmansum putet, nucem æquè hoc atque alijs nostri authoris scriptis frangere debet qui nucleum esse vult, & tandem dulcissimos Chymiæ fructus degustabit.] Non tyro, sed veteranus miles; non leuiter tinctus, sed planè encheiriis chymicis imbutus; non puluere scholastico, sed fumo carbonum & cineribus sordidus; non vanis & subtilibus magis quàm proficuis velitationibus asuetus, sed veræ & sanioris Philosophiæ gnarus & praxeos chymicæ peritissimus his rebus exequendis se accingat, profanum verò vulgus quàm longissimè recedat. Genuinum hunc esse authoris fœtum si quispiam est qui dubitet, huic stylus & ratio scribendi Theophrasto peculiaris omnem scrupulum eximere debet; cùm & in promissa in præcedentibus libris facta, atque hîc præstita id euincant & extra omne dubium ponant. Nec quenquam moueat quòd decimum librum in scrinio pectoris, aut vt verbis ipsius vtar, in occipitio se conseruaturum dixerit, sententiam enim tum charitas tum amicorum preces mutare suaserunt. Tu igitur beneuole lector de hoc legitimo Theophrasti pignore certus, labore & munere tanti viri fruere, ac studium nostrum in conquirendis Magni nostri Doctoris opusculis atque in lucem emittendis grato animo accipe. F. B.

THEOPHRASTI PARACELSI
BOMBAST AB HOHENHEIM, &c.

CLAVIS,
SEV DECIMVS ARCHIDOXORVM LIBER
è M. S. Codice germanico vetustissimo.

PRÆFATIO.



QVAMVIS Archidoxa nostra, nec non libros alios Medicinam concernentes, paulò quàm factum est clariùs dilucidiùsq; conscribere nobis animus fuerit, quia tamen arcana summa medica vniuersalia sine veris chymicis Encheirijs parari ac in expetitam graduum exaltationem deduci nequeunt; notum verò sit plurimis, quomodò totus ferè Mundus diuitijs opibúsque mundanis deditus Tincturas duntaxat & Metallorum transmutationes vt Auri Argentique plurimum corradant, magna vi insectetur; ad quod assequendum veris præparationibus chymicis oppidò egerent, quas in Archidoxis nostris breuiter & sine opera inuenire lubenter vellent. Eapropter vt huic tanto, quod inde posset oriri malo simulque eorum malitiæ obuiam eatur, sententiam nostram in libris illis, pro veteri consuetudine philosophica & cabalistica ratione celauimus: probis nihilominus ac perfectis clarè, contemptoribus verò & impijs obscùrè illam satis ostendentes.

Absque Chymicis encheiriis arcana medica præparari nequeunt.
Cur obscurè scripserit Ratio

Etsi non solùm Auro inhiantes Lachrymistæ, sed & Galeni ac Auicennæ pars sectatorum maxima, in causa quoque sint cabalisticæ nostræ scriptionis philosophicæ: namque libenter Medicaminibus & arcanis nostris vterentur, vt chronicos Morbos, sibi alias more galenico incurabiles, depellerent, si modò ad illorum præparationem & administrationem, breuem, certam ac facilem methodum, nedum abnegato veteri Ethnicorum & Pseudo Christianorum errore, reperire, & honores, famam, diuitiasque quas inde obtinerent, solùm scriptis galenicis, sibique tribuere, indeque ex inuido animo meum nomen ac præclarè gesta supprimere, suisque scriptis vendicare, remque ipsam, quod scilicet ars illa ex me proficiscatur, clam habere possent.

1. Auaritia chymicorum.
2. Inuidia & ambitio Galenicorũ.

Etenim ipsi, tanquam veteres Doctores, videri nolunt ac si craßioris Heluetij ac iunioris Discipuli (cui omnes inuident, quod eorum fundamenta subuertat) iam prouecta ætate Discipuli esse deberent & se tales publicè profiteri. Ob hanc illorum pigritiam, ambitionem, inuidiam & odium, nec non ingratitudinem, in archidoxis & aliis meis libris, modo præfato, mihi placito, quemque coram Deo & Conscientia mea in nouißimo die probabo, docui & philosophatus sum, vt ij qui ad fundamentum Archidoxorum meorum pertingere volunt, se Theophrasticos publicè dicant, me suum Monarcham agnoscant, me laborando sequantur, scholam meam frequententur; & viceuersa veteres suos Patres sub scamnum abiiciant. Licèt autem clanculum à misero quodam simplici Rusticulo vel aliunde Experimentum aliquod nanciscantur, magna tamen Medicamentorum meorum administrandorum arcana non intelligent, atque adeò plus dedecoris quàm honoris inde consequentur. Quocircà quamuis ab Anicula ostensum sit eis, Hyrundinum pullos, Cranium, viscum, quernum &c. certam esse Caduci curam, vt est re verâ, hoc ipso tamen non curabis. Vnde hoc, & quæ causa est? illud scilicet, quod modum administrandi & magnum Ilech non intelligis, neque ex Galeno tuo addisces, nisi scholam meam frequentaueris, ac didiceris Philosophiam secundum Christum & non secundum Fiscum. Cùm ergo viscus quernus opem tibi non præstat, putas illum per se nimis esse debilem, quapropter cum aliis herbis illum corrigis, compositúmque magnum conficis ex sexaginta vel pluribus partibus, quas digeris & stercus purgas, Morbum verò hoc ipso non expelles, quia neque simplex, neque Compositum, neque administrationem intelligis.

Absque cognitione magni Ilech medicina infelix.

Si verò Doctrinam meam cum gratiarum actione accepissent & rubrum Pileolum vel Morionum Pallium, à Galeno acceptum, retrò Ianuam abiecissent, símulque se sub meâ Disciplinâ submisissent, ego illis meliorem Pileolum, imò Fortunati ipsius, in quo plus artis quàm in aliis omnibus scriptis latet, imposuissem. Vt coram nemine opus habuissent eum deponere, sed Morbos chronicos æquè ac Fortunatus Regis filiam restituit, curare potuissent.

Verùm indigni sunt illi melioribus, suæq; noxiæ insimulandi, quod nempe nihil nouerint de Magnalibus ac Mysteriis sanctuarij Naturæ, neque de cœlesti Thesaurinella quæ vltimis istis gratiæ temporibus supernè mihi liberaliter reuelata est, quæquidem verum Adamum & Paradoxum Medicum, secundum Enochianos dies, faciunt, in noua generationis intellectu. Isti verò Ignorantes gloriosi id recusarunt, quare illorum me porrò non miseret, sed illos in Ignorantiâ suâ relinquo.

Cælestis Thesaurinella supernè authori reuelata.

Quia verò indubium est, in tantâ multitudine Hominum, de quibus mentio fit in Esdræ quarto, Dominum Deum sibi paruulum Electorum quorundam numerum reseruaturum, qui cupidi erunt Theophrasticæ meæ Doctrinæ fideliter sectandæ, veritatis amandæ, adiuuandorúmque Proximorum in suis necessitatibus ac Morbis, ex vero Christiano & non ficto, amore, neque ob lucrum vel ambitionem, sed ob amorem Dei purum, nec non vt ex Naturæ quoque lumine Dei mirabilia manifestò appareant (licet non omnes sub tali Constellatione nati sint, vt librorum nostrorum sensum, quamuis incumbant sedulò, absque Dei auxilio percipere poßint.) Propter synceram ipsorum intentionem & amorem, vt verum fundamentum præcipuorum nostrorũ scriptorũ & arcanorum Medicinæ comprehendã, perueniántque ad finem felicem, nec preciosißimus Naturæ Thesaurus, quem mihi Deus reuelauit, apud me planè sepeliatur, hunc idcircò libellum illis conscribemus, & in eo fundamentum nostrorum Archidoxorum & vniuersalium, clarâ luce ostendemus, docebimúsque singularia arcana, Quintam Essentiam, Prima Entia, & Magisteria præparare.

Qui veri medici.

Quæ author hoc libro docebit.

Ne autem hoc ipsum clarum lumen ad Ingratos & Indignos perueniat, hortor omnes quibus huius libri sit copia, maximo sacramentò & Iureiurando quod Deo in Baptismate dedisti te adstringens, vt omnia hæc clanculum & velut nobilißimum Naturæ Thesaurum abscondas; nec vllum Indignum, admittas, sed vt illo ipso venereris, tanquam beatißimo Talento, & Proximo in neceßitatibus eo subuenias.

Deus benedictionem & gratiam largiatur, vt quilibet huius particeps, eo rectè vtatur.

DECIMVS LIBER ARCHIDOXORVM THEOPHRASTI,

in decem separatis Capitulis comprehensus.

CAP. I.

De separationibus Elementorum.

IN omnibus rebus commixta sunt, iuxta se, quatuor Elementa, sed in in re quâlibet vnum ex illis quatuor perfectum ac fixum est. Illud est Elementum prædestinatum, in quo Quinta Essentia, virtus & Qualitas habitat; reliqua verò Elementa sunt imperfecta, & simplex Elementum, in quibus nulla alia virtus est quàm in alio simplici Elemento; súntque illa omnia tanquam habitaculum veri, fixi ac perfecti Elementi, quare etiam Res qualificatæ appellantur. Quòd verò quidam opinantur Corpus verum Elementum & qualitatem esse, nec non virtutem veri Elementi aliquo modo ostendere, ea quidem Causa est, quòd Corpus, vt & tria Elementa imperfecta, à fixo, perfecto & prædestinato Elemento, vel Quinta essentiâ, velut Incola suo, tinctum & qualificatum est, quodlibet secundum suam Naturam.

Elementum prædestinatũ quid?

Exempli gratiâ, in quibusdam prædominanatur Elementum aquæ, in aliis corporibus præcellit Ignis, in nonnullis Terra, in aliis quoque aër. Si igitur fixum prædestinatum Elementum separandum sit, opus est vt domus confringatur

confringatur: hęc autem Domus confractio seu dissolutio multis modis peragitur, sicut in Metamorphosi meâ de Morte rerum clarè dicitur. Si Domus per aquas fortes, calcinationes & similia dissoluitur, semper obseruandum est, quòd dissolutum sit à fixo, per vulgares distillationes separandum: Tum enim Quintæ Essentiæ Corpus in modum Phlegmatis transcendit, Elementum verò fixum in fundo permanet. Sed cùm parum de Domo seu habitaculo simus solliciti, solum Incolam perquirentes, illum in fixo prædestinato Elemento inuenire oportet, indéque secundum Quintæ Essentiæ modum extrahere, adeò vt fixum istud Elementum, per alia validiora artificia quàm per Calcinationes, sublimationes &c. dissoluatur & purum ab impuro separetur: Purum est Quinta Essentia; Impurum verò est superfluum tartareum, quod in quacunque generatione permixtum est, de quo vide librum de Morbis Tartareis.

Modi separandi elementum fixũ à quintâ essentiâ.

Cùm autem Theoria mea in aliis libris Archidoxorum, Metamorphoseos, Paramiri generationum &c. prolixiùs diducatur, idcircò nolo, ne minimum quidem tędium afferre, sed Practicam breuiter ostendere. Metallum, iuxta processum de Morte rerum præparatum, reduc in liquidam substantiam cum aquâ forti, secundùm modum quem in libro separationis Elementorum docuimus; & separa per plurimas cohobationes & putrefactiones, tria imperfecta Elementa; túmque Elementum fixum permanet in fundo, cuiuscunque generis sit, & sic Elementa illa quatuor rectè separata sunt.

Modus separandi elemẽta in metallis.

CAPVT II.
De Quintá Essentia.

ABstrahe volatile (quod in Elementorum separatione transcendit) sępius à fixo, vt Quinta Essentia quæ partim cum Phlegmate fuit eleuata, iterum coüniatur. Accipe fixum Elementum, quod post trium imperfectorum separationem permansit, cuiuscunque sit generis; deinde solue in aqua sua appropriata, quodcunque secundùm suam naturam, quemadmodum de Quinta Essentia in Archidoxis diximus, contine in Putrefactione maxima; distilla per cohobationem, reliquum per descensum; Putrefac adhuc parum, distilla & coniunge omnia, & distilla in Balneo Mariæ ad oleositatem. Tum corrumpe cum subtili spiritu vini, bulliendo; decidet impurum in fundum, & purum supernatabit; illud separa per tritorium, vtque naturam aquæ fortis simul amittat, maiorem spiritus vini quantitatem affunde, quem sæpiùs abstrahe, donec Quinta Essentia dulcis euadat. Postremò ablue aquâ communi frigida. Pari ratione intelligendum est de Marchasitis, Lapidibus, Resinis, Herbis, Carnibus, vndosis & fixis, vt primùm juxta Doctrinam libri separationum, tria imperfecta Elementa separentur; posteà cum Elemento fixo, secundum Doctrinam libri Quintæ Essentiæ vlterius procedatur.

Qua Essentia qui extrahatur.

Sub aquâ comedente vel corrodente, intellige acetum cum spiritu vini mixtum, & qui sæpe à salis nitri spiritu abstractus in acetum facescerit. In eo fixa Marchasitarum Elementa solui debent, putrefieri & per alembicum eleuari; ac demùm cum spiritu vini corrumpi, vt impurum decidat in fundum, & à puro se separet.

Aqua corrodẽs quid?

Marchasitarum essentia.

Circa Gemmarum Essentiam, sub aceto radicato intellige, vt acetum acre aliquoties ab aceti Matrice tartarisatâ cum lateribus correctum habeas. Gemmas primò per sulphur calcinatas, in eo soluas, putrefacias, & tunc purum ab impuro per corruptionem cum spiritu vini separes.

Gemmarum.

Ex fructibus, Herbis & Radicibus Essentia facilè perficitur, adeò vt imperfecta Elementa per summam arcanam Putrefactionem summi coloris dissoluas; deinde in fimo putrefices, per descensum omnia quæ exire possunt expellas; inde corpus humiditatis nociuum imperfectũ per distillationem in Balneo abstrahas. Tum remanebit in fundo Elementum prædestinatum; illud separa ab impuro superfluo per corruptionem cum proprio spiritu, vel cum spiritu vini, quem abstrahe & habebis Quintam Essentiam puram.

Fructuũ & Herbarum.

Quintæ Essentiæ extractio è salibus (puta ⊕. ⊖. ⊕ ♀. &c.) fit hoc modo. Cohoba cum proprio suo liquore vel aquâ sæpiùs, putrefac cum Phlegmate, & inde corpus abstrahe in modum Phlegmatis vsque ad spiritum fixum. Hunc solue in aquâ vel vnda sua propria & in feruore separa, cum spiritu vini, purum ab impuro.

Salium

CAPVT III.
De Magisterio.

MAgisteria meritò appellãda sunt Mysteria ob magnas tincturas quas ostendunt in appropriato, nẽpe in aceto, in vino: & sicut ibi mentionem fecimus, ita etiam hîc præcipimus solùm esse attendendum ad concordantias quę ad Magisteriorum extractiones cõmodæ sunt. Etenim si acetum distillatum acceperis, non aquam, sed vinum tinges in acetum, siquidem Tinctura vel acetum ex vino confectum fuit. si Aceti Magisterium benè rectéque cognoueris, librum etiam Magisteriorũ satis intelliges.

In Magisteriis conficiẽdis ad concordantias attendendum.

In Aceti Magisterio considerandum est, vt ex vino corrupto, per fermentum quod illi ex natura cognatum est, exempli gratia per tartarum, Tincturam primò, idest Acetum conficias; deinde cum exiguâ quantitate eiusdem Aceti maximam copiam vini anteà corrupti & putrefacti, breui tempore, in optimum acetũ prorsus tinges. Si ergo Metalla intendis in Magisterium conuertere & totum corpus planè in Essentiam tingere, oportet vt accipias præcipuum & apertum Metallum, cui reliqua omnia in naturâ cognata sunt. Idque in sua Matrice, quæ in aqua sita est & Mater omniũ Metallorum appellatur, corrumpas, à superfluis Elementis expurges, & in primum Ens liquidum reducas, hoc est acetum acerrimum metallicum. Quoties in eo Metalla omnia digeruntur, necessariò per id in acetum, id est in Quintam Essentiam transmutantur. Quemadmodum verò vinum iam ante quodammodo corruptum esse debet, si quidem bonum acetum inde citò parari debet; pariter & metallica Corpora ante quoque corrupta seu putrefacta & mortificata esse debent, prout in Metamorphosi de Morte rerum dictum est,

Magisterium aceti.

Similitudo.

Applicatio ad metalla.

tumque verè potabilia appellantur.

Magisteria Marchasitarum. Hoc modo quoque Magisteria Marchasitarum, in quibus plus ferè virtutis quàm in Metallis reperitur, sicut & alia Magisteria paranda sunt; & sub aquâ soluête nostrâ, aqua salis intelligenda est.

Gemmarum. Magisterium verò è Gemmis est, vt illas primùm cum sulphure calcines per quatuor horas, reuerberes ac posteà cũ nitro comburas, demùm cum aqua simplici coquas horis octo, filtres, coagules & cum vini spiritu extrahas.

Resinarum. Magisterium ex Gummis & Resinis, exêpli gratiâ, ex Terebinthinâ & Carabe, hoc modo fit, Primò coque in spiritu vini: deindè corrumpe in nouo spiritu vini aquæ soluenti, putà salis, commixto, inde distilla.

Herbarum. Magisterium herbarum similiter, item & omnium aromatum fructuúmque ita peragitur. Imprimis instar Musti fermententur; abstrahe posteà spiritum velut à vini fæcibus. In eo spiritu herbam putrefactã digere sæpe cum nouis herbis renouatam, quousque spiritus quantitate quadrupla euenerit. Quoniam autem in Archidoxis nostris sæpius mentio fit Primorum Entium, cumque fundamentum præcipuũ in iis sit absconditũ, hîc vnà breuiter adjungemus præparationem aquæ nostræ salis Circulati quæ illîc requiritur & obmissa fuit.

Præparatio salis Circulati.

In aliis nostris libris satis ostendimus & declarauimus, quod verum Elementum sit aqua seu Mare, tanquam vera Mater omnium Metallorum, & ex suo Primo Ente sperma trium Primorum accepit, cuius nemo ante me fecit mentionem, sed modò ex sulphure & Mercurio Principia sua posuerunt, Tertij Principij, videlicet salis, quod in Mari jacet, neglecta mentione. Quoniam verò experimentis edoctus ego, in aliis quoque libris attigi Primum Ens, seu Quintam Essentiam Elementi aquæ esse Centrum Metallorum & Mineralium, & alibi quoque adiunxi quòd quilibet fructus mori debeat in eo in quo vita est, vt nouam postea vitam meliorem recipiat, & sic per depositioné veteris corporis in primum Ens reducatur. Idcircò hîc extractionem Centri aquæ, in qua Metalla corpus amittere debent, adiiciemus.

Primũ Ens a quæ est centrum metallorum. Recipe primò verum Elementum aquæ, vel eius loco aliud sal quod nondum planè ad siccitatem coctum sit, vel etiam sal gemmæ depuratum: affunde partes duas aquæ mixtæ cum modico Raphani succo; putrefac in digestione accuratâ, quò longiùs eò meliùs; sine postea congelare & putrefac denuò per mensem; deindè per retortam distillâ; residuum per ignem validum vrge, vt fluat; reuerbera in retortâ igne continuo; solue in marmore; aquam hinc defluentem affunde desuper, & putrefac iterũ; distilla denuò vsque ad oleositatem; coniunge cum spiritu vini & impurum in fundo decidet, quod separa; purum verò in frigido cristallisetur; affunde iterum distillatum & toties cohoba, donec oleum fixum in fundo remaneat, & nihil dulce posteà transgrediatur. Digere porrò per Mensem, deinde distilla tamdiù donec arcanum salis per alembicum transcendat. Nec peniteat diutini laboris, namque hæc est tertia pars omnium arcanorum quæ in Metallis & Mineralibus abscondita sunt, & sine quâ nihil frugeferi, nihilq; perfecti perfici potest.

Absque sole circulatã nihil frugi in Metallis & Mineralibus fit. Quanquam autem plures sint viæ ad extrahendum Ens primum salis, hæc tamen vtilissima & expeditissima; & post hanc, alia illa via est, cuius de Elixire salis mentionem fecimus. Vt nempe sal recens cum aqua soluente, quæ est spiritus salis distillatus, permixtum putrificetur, & tamdiu distilletur, donec tota salis substantia soluatur ac in oleositatem perpetuã reducatur, corpore Phlegmatis in modum ipsi subducto. Hac quoque ratione arcanum vel Magisterium vitrioli & Tartari conficiendum docetur, vt & ex omnibus aliis salibus.

CAPVT IV.

De primis Entibus, & primò de Extractione Quintæ Essentiæ, seu primi Entis Mercurij vulgi.

SI Mercurius vulgi in primum Ens liquidum reduci debet, tunc est antè mortificandus, & ex formâ suâ deducendus: idque fit per varias sublimationes cum vitriolo & sale communi, vt postremò fiat instar fixi cristalli. Deinde solue illum in suâ matrice, nempe in primo Ente salis; putrefac per mensem; corrumpe cum nouo arcano salis, vt impurum eius in fundũ præcipitetur; purum verò in cristallos vertatur. Lapillos sublima in Reuerberio clauso; cum sublimatum est, inuerte semper quousque in ruborem deueniat. Sublimatum hoc extrahe cum spiritu vini ad summum rectificato; separa spiritum vini; reliquum solue super marmore & digere per Mensem, affunde nouum spiritum vini, digere ad tempus & distilla. Tunc arcanum primi Entis Mercurij in liquida substantia transcendet, quod à Philosophis acetum acerrimum metallicum, & in nostris Archidoxis circulatum maius appellatur. Idémq; de Antimonio, Gemmis & Herbis intelligendum est. Acetum acerrimũ philosophorum.

CAP. V.

De Arcanis.

QVod de Arcanis dicimus, ita accipiendum est, vt ea nihil aliud sint quàm Quinta Essentia graduata, Magisterium vel Ens Primum. Et sub primò arcano primæ Materiæ, intelligi volumus primam Materiam siue primum Ens Limbi humani. Item primam Materiam Mercurij salis, námque ipsa proximè conformis est. Quapropter secundùm processum Primi Entis, cuncta in liquidam substantiã reduces, ac deinde cum Monarchiâ, tanquam cũ viuente rei istius corpore irreducto denuò cõiunges & ad distillationem promouebis. Arcanũ quid. Arcanũ primæ materiæ.

Quid de Lapidis arcano sentiamus, in sequẽti Practicâ declarabitur. Sub Mercurij vitæ verò arcano Ignem viuenté innuimus, adeò vt Mercurius vulgi cum Quinta Essentia salis essentificetur, & cum primo Ente antimonii, tanquam cœlesti vitâ viuificetur. Arcanum autem Tincturæ seipsũ explicat, quare hîc omittimus. Mercurius vitæ Paracelsi quid.

CAP. VI.

De arcano Lapidis siue cœli Metallorum.

QVod hinc inde theoricè de Lapidis arcano proposuimus, hîc omittimus, solúmq; dico Lapidis arcanum in ♀ Antim.?

Lapidis arcanum in ☿ Antimonij.

dico hoc arcanum non in rubigine, quam multi flores falsò nominauerunt, sed in antimonij Mercurio quærendum esse. Isque antimonij Mercurius, cum ad perfectionem suam perductus est, nihil aliud est quàm Metallorum Cœlum, quòd semper sua ipsius virtus vitalis est, nihilq; aliud nisi perfecta pura Quinta Essẽtia; quapropter & in Diluuio nulla virtus vel efficacia illi adempta fuit; Cœlum enim, tanquam ipsa vita potest à nullo minori destrui. Huius præparationem breuiter hîc appono.

Accipe Antimonium, purga à scoriis & realgare, in vase ferreo, quousque Mercurius coagulatus Antimonij, albus & insignis appareat. Et quamuis sit Elementum Mercurij, & in se veram vitam occultã habeat, hæc tamen omnia in potentiâ sunt & non in actu.

Ignis viuẽs seu Acetum metallicum.

Si verò in actum deducere vis, oportet vt illã vitam suscites cum suo simili Igne viuente, vel aceto Metallico, in quo Igne à pluribus Philosophis multifariam processum fuit. Quoniam verò in fundamento consenserũt, omnes tamẽ ad scopum destinatum peruenerunt. Etenim vnus ex Mercurio coagulato Quintam Essentiã labore multo extraxit, & cum illo Antimonii Mercurium in actum deduxit; alii verò perspexerunt vniformem essentiam in aliis rebus mineralibus, exempli gratia, in fixo vitrioli sulphure, in magnetico lapide, indeque eandem Quintam Essentiam extraxerunt; & eâdẽ Mercurium suum vel Cœlum maturauerunt, seu in actum deduxerunt. Et quoniam Essentiam suam quintam ex lapidea Materia extraxerunt, idcircò Magisterium istud Lapidem appellauerunt, eorumq; opinio recta quidem est. Ignis tamen ille seu corporalis vita, in vulgi Mercurio multò perfectiùs ac sublimiùs reperitur, quod manifestè suo fluxu testatur, esse nempe in eo summum Ignem cœlestémque vitam absconditam;

Ignis cœlestis in ☿ vulgi.

Quapropter quicunque metallicum suum Cœlũ ad summum graduare cupit, & in actum reducere, ipse debet primò ex corporali vita (Mercurio vulgi) primum Ens liquidum, (tanquam cælestem Ignem) Quintam Essentiã solis, & acerrimum acetum metallicum extrahere, per solutionem cum suâ Matre, id est, arcano salis, & cum stomacho Anthionis, id est spiritu vitrioli, permiscere, in eo Mercuriũ Antimonij coagulatum soluere, digerere & postremò in cristallos reducere, vt similis fiat cristallo flauescenti, de quo in Manuali nostro mentionem fecimus.

CAPVT VII.

De Arcano Mercurij vitæ.

Qvemadmodum ex herbis, veluti ex vite Essentia temperata educitur, qua ex omnis generis herbis & radicibus Essentia sua extrahi potest, adeò vt Mercurius vini, non suam propriam naturam, sed eius cum quo essentificatur, ostendat; pari ratione ex Metallis & Mineralibus; similis enim Mercurius vel spiritus ex aperto & medio Metallo (Mercurio) extrahitur.

Ex spiritus ☿ extrahitur Essentiam ex metallis.

Si cum eo ipso spiritu ex perfectis Metallis Essentia extrahitur; tuuc posteà iste Mercurius essentificatus, cum cœlesti Quintæ Essentię Balsamo coniungitur, in Reuerberio clauso, per quod vitam impetrat, & idcircò Mercurius vitæ appellatur. Cuius virtutes nobis admirabiles videntur, & quominus contemnantur, à nobis taceri & abscondi debent.

CAPVT VIII.

De Composito magno secretorum nostrorum in Medicinâ maximo.

IN scriptis nostris Paramiricis clarè satis, quantum scilicet Philosopho vel Medico opus est, declaratur, si totum corpus humanum, non solum in corporali terreáq; suâ massâ, sed & in cœlesti balsamica parte præseruari & curari ab omnibus cœlestibus & terrestribus Morbis debeat, quòd in Medicamento talis cõpositio sit oporteat, quę non in numero ingredientium consistat. Exempli gratiâ, si quis putaret aquam & vinum confundẽdo veram mixtionem esse, hoc falsum; námque pars vna ab alterâ sine læsione alterutrius separari potest; quod in composito nostro magno secus est: Hic enim fit vniformis & concordans mixtio, adeò, vt duo natura & proprietatibus distincta vniantur, & neutrum ab altero sine læsione separari queat, ob insignem concordiam; sicut accidit in semine Masculino & Fœminino. Si ergo tale compositum, quod homini proportione cœlestium & terrestrium conforme in statu, parari debet, considerare conuenit nomẽ Microcosmi, & quòd homo sit paruus Mundus. Quare si vniuersaliter ab omnibus Morbis curari debet, id suo simili fieri necesse est. Circà quod Hermes Trismegistus dixit, oportere eũ qui hoc compositum intendit facere, nouum Mundum creare: & quemadmodũ Deus Cœlũ & Terram creauit, sic & Medicũ debere Mundũ Medicinalem fabricare, separare & parare. Et vt discipulis suis fideliter satis ostenderet, qua ex re, seu Materia, hoc compositum fieri oporteat, & quomodo cœlestium virtutum concordantiæ quoque apud nos in valle tenebrarũ reperiantur, paulò pòst adiicit verè & prudenter. Quod est inferius esse sicut superius, & inferiora cum superioribus se habere vt virum & vxorem; & melioris Intellectus gratia, docet cœlum per se conuenire cum Elemento aquę, quod primam suam Materiam spermaticam in aqua habuerit, & quod Elementum terrę eius ex spiritualitate in corporalitatem & terrestreitatem coagulatũ seu mutatum, sit simile Planetis & aliis stellis, quæ Materiam suam spermaticam quoque ab origine in Cœlo sortitæ & indè per separationẽ, ex cœlesti pellucidâ natura, in corpus densũ coagulatum transierunt seu mutatę sunt.

Microcosmus ab omnib' morbis suo simili curatur.

In prima Creatione superiora, & inferiora; superius & inferius Cœlum seu aqua; superior coagulata natura seu astra, & inferior terrestris, omnia in vnum commixta & res vna fuerunt. Deus verò subtile à crasso separauit, vt ex vna aqua duę fierent; superior aqua erat subtilis, masculinus sexus æstimandus ad inferiorem crassiorem fœmininam aquam. Quemadmodum verò Deus aquam superiorem vlteriùs diuisit & separauit, vt subtilis aërea pars in stellas ordinaretur, adeò vt corpora cœlestia seu stellę ad Cœlum se habeant velut filij ad Patrem: pari quoque ratione Deus concordantem cũ superiori separationem instituit in Corporibus crassioribus, fœmininis videlicet aquis, in valle tenebrarum; illásque in duas etiam partes diuisit. Septimam clariorem partem appellauit aquam, reliquas

Aqua superior masculo inferior fœminę accõpatur.

Aqua Septima pars terræ.

reliquas sex partes exiccatas, [illegible] coagulũ appellauit Terrã, quæ in se comprehẽdit omnes specificatos fructus & planetas, qui originẽ primã in aquâ, velut cœlo suo habuerunt. Sicut Metalla, Mineralia, Gemmæ quæ respectu aquæ censentur velut filiæ respectu Matris suæ. Ita superius Cœlum sui similem naturam & proprietates habet in fœminina sua natura, Cœlo nẽpe inferiore seu aquũ, necnõ superiora corpora terrestria vel astra, tanquam filij Patris (id est Cœli) parem concordantiam & cognationem cum sororibus corporibus terrestribus habent. Et quantum propinquâ cognatione superiora cœlestia Corpora vel astra Patri suo Cœlo coniuncta sunt: pari quoque seu æquali cognatione inferiora terrestria Mineralia & Metalla Cœlum suum tanquam Matrem aquam attingunt. Inde veritas sententiæ Hermetis patet, quam & nostris Doctrinæ filiis hisce commendamus, quòd scilicet totus Microcosmus, quantùm ad massam comprehensibilem, & ad viuentem, mouentem, corporeum, generantem spiritum attinet, ex inferioribus istis Elementis, tenebrosis aquis; nobilissimis suis Essentiis cogi & componi debeat. Quoad verò arcana mentalia, per quæ Mens sana in corpore sano consistat, illa ipsa ex superioribus cœlestibus aquis, earúmque astralibus Influentiis spiritualiter, modo mentali, per mentem Imaginis, & eiusmodi Gamahelis attrahi, & si minùs nobis placent, declinari debent. Prout hæc in libris de vitâ longâ prolixè & clarè satis nostris demonstrauimus. Quoniam & aliis in locis, præsertim in Paramiris, magni huius compositi Theoriam complexi sumus, idcircò his acquiescimus & ipsam potius Practicam adiungimus, quomodò videlicet Mundus inferior seu Cœlum cum Terrâ suâ, vel sol cum Cœlo vniri & componi debeat. Quia verò cœli præparationem anteà præmisimus & sub arcano lapidis docuimus, eam hîc omittimus. Cùm autem per se solum, sicut virile semen, nullam vtilitatem in humano corpore possit afferre, sed solùm partes cœlestes, humorem nempe radicabile seu Balsamum vitæ restauret, ea propter cum massâ suâ terrestri corporali coniungi oportet & in concordantiam deduci, vt & massa carnalis in homine reficiatur & restauretur, & non solùm Membrum vnum, sed totum corpus sanitati restituatur. Idcircò corporalis massa talis accipiatur, quæ in naturâ æqualis sit soli superiori, & omnium stellarum proprietates in se comprehendat. Impossibile quippe est stellas omnes subterraneas, coagulatáque corpora simul in numero Ingredientium comprehendere. Coagulata hæc Cœli essentia, id est sol, in essentiâ suâ & Elemento temperato adeò eleuata & graduata est, vt etiam proprium domicilium, id est, Elementa superflua, secum figat, ita vt à nullo Elemento possit destrui, & Incola seu Balsamus, corporalis in eo absconditus possit æternus permanere. Si ergo verè, vt antea dictum est, Microcosmus totus curari debet, corporalis coagulatus Balsamus cum spirituali Cœlesti Balsamo coünandus est, & inter Elementa solis discordia concilianda, adeò vt Elementa superflua à fixo prædestinato separentur prorsúsque moriantur, & æternum fixũ Elementum, velut suum Incolam, solum relinquãt. Si hoc solis corpus mortuum, à superfluis posteà mundetur, & in volatilem spiritualem naturam deducatur, tunc verus Mercurius sublimatus & resolutus solis (non verò horezontalis ille quem multi cum Mercurio vulgi & sale ammoniaco parare conantur) perfectus est.

Similitudo cœli cum aquâ.

Corporea hominis ex aquâ inferiori.

Mentalia ex cœlesti constant.

Virile semẽ quid vtilitatis corpori præstet.

Vt totus Microcosmus curetur quid legendũ?

☿ vsfublimatus Solis.

CAPVT IX.

De Balsamo corporali, seu Mercurio solis.

VT discordiam inter Elementa solis, vel domicilij auri concitare possis deducas oportet solem in solutione forti per Ignem phlegmaticum seu Quintam essentiam Tartari, in feruorem proprium. Per quod Elementum aëris in sole maximè augetur, & per aërem aggredientem fixum solis Elementum, ceu proprius Ignis, adeò graduat, vt reliquorum trium domicilium vincere & destruere possit. Putrefac destructionem hanc, cum Quintâ essentia Tartari & struthione, per propriam sublimationem in materiam Mercurij conuerte, & tunc permanebit fixum mercuriale Elementum solis, solum absque domicilio. Quoniam verò adhuc cum Tartaro suo superfluo permixtum est, idcircò hic indè amouendus est. Solue ergò in aquâ salis circulatâ, corrumpe, & Tartarus præcipitabitur. Purum sublima in Reuerberio clauso Athanoris; solue super marmore, & putrefac. Sic Mercurius sublimatus, graduatus & in primam materiam solis resolutus, ac in summo gradu præparatus est.

Quomodo aurũ soluendum

Ignis Phlegmaticus etiam quinta E. Tartari.

CAPVT X.

De compositione Balsami spiritualis & Balsami coagulati corporis.

SIcut in Manuali commemoratum est, compositio hæc fit in ouo Philosophorum. Et ita huic operi magno in Dei nomine, ad eius laudem & gloriam, finem imponimus.

FINIS.

LIBER DE RENOVATIONE ET RESTAVRATIONE, THEOPHRASTI, GERMANIÆ PHILOSOPHI ET MEDICI, dicti Paracelsi Magni.

PRINCIPIO quid *Restauratio Renouatióque* sint, quæ sintea, quæ instaurant ac renouant, quidetiam hoc sit quod renouari queat ac instaurari quarumuis in creatione rerum intelligendum nobis venit. Mineralia quidem omnia sic ad iuuentutem adducuntur, innouantur, & instaurantur, vt ferrum æruginosum in recens ferrum iterum possit reduci & ærugo vel æris flos rursum in suum cuprum; item minium in plumbum, & Saturnus in Mercurium. (al. calx. Iouis in stannum.) Est igitur hoc loco renouatio & instauratio, quæ destructum aut æruginosum aut consumptum

Renouatio quid? Renouatio est multiplex.

ptium ad iuuentutem atq; perfectam suā Essen. reducit. Hæc renouatio tamen quā adduximus comparari minimè potest restaurationi renouationíue, quam prætendimus exponere: Nam etsi ferrugo vel ærugo non sit metallū: nihilominus in suâ essentia metallica nondum penitus periit vel consumpta est. Quapropter in cōparationem assumi hoc loco non potest ad explicationem de restauratione renouationéque institutam illa renouatio, quòd in humano genere ferrugines tales minimè contingant, nec ablutiones. Quo fit, vt eiusmodi reductione prorsus non indigeant homines.

Ad hunc modum si de crescentia homini seni vel decrepito velut ferrugo quædam substantiæ eius accidere intelligatur, tunc non secus istius corpus à decrepito suo gradu reduci poterit ad iuuentutem, ac à morbo quouis in sanitatem est reductio: de hâc tamen re in pręsentia scribere nolumus. Porrò pro quâdam restauratione id etiam poterit existimari, cum ex sale, sulphure, Mercurióque fit metallum naturaliter. Adimpletâ perfectione hâc & in metallum perfectùm adductâ, benè poterit istud iterum in sua prima tria redire, vt sal, sulphur & Mercurius eius iterum appareant, prout in sui prima generatione fuerunt, sic vt essentia metallica prorsum transeat, nullúmque metallum sit amplius. Sic etiam accidere potest, vt materia trium primorum in metallum redeat vti prius, videlicet si ex tribus primis cupri, rursus cuprum fiat, &c. Hæc in metallis etiam est restauratio vel renouatio, cùm regeneratio quædam existat ex completo prius metallo rursus in perfectum & completum. Sed non est ista renouatio neque restauratio, si comparetur ad hominem, existimanda, quòd in tria nostra prima reduci minimè queamus, aut redigi in sperma nostrum, ex quo iterum possemus renouari & instaurari prout supra de metallis. Sic enim fieret, vt potestatem haberemus emendandi nos per secundam generationem, meliorem quàm prima fuit, vel vt ferrum quod in sua tria prima reducitur, & postmodum in argentum vel in aurum, & incorruptibile fit hoc ipso: vel vt Saturnus, qui rursum ad Mercurium suum reducitur, in metallum incorruptibile tandem mutatur. Non secus & nos in corruptibilem creaturam ex nobis efficere vel creare possemus, cuius tamen nullam habemus potestatem. Eiusmodi enim materia primâ caremus & in irreducibilem constituti, retrorsum ire non possumus sed progredi nos oportet vt incepimus, & nullâ ratione hoc ipsum recuperare vel habere, ex quo processimus, valemus.

Renouatio impropriè de homine dicitur. Homo ad sua tria prima non redit.

Est ergo Restauratio vel Renouatio duplex: Vna quam de metallis attulimus ac declarauimus: Altera cū imago vetus nouis coloribus renouatur, vt recens & noua, sicut priùs fuerat, appareat. Non ea de causa tamen intelligendum hoc loco materiam ex veteri nouam esse factam, sed palliatam esse veterem imaginem vt appareat noua: quare hæc etiam restauratio dici non potest, iuxta renouationem & restaurationem hominis. Ad hunc autem modum Restauratio & Renouatio debent intelligi, vt radicalis eius humor, vitæ spiritum agens & exercens non diminuatur vel retrorsum agatur, sed potiùs viribus augeatur & promoueatur, vt arbor cui datur auxilium ad florum & fructuum suorum productionem quibus decidentibus atque transactis, iterum vt priùs procreantur alij. Quamuis autem omni ex parte hoc assumptum exemplum, prætensam opinionem declarare nostram non valeat, nihilominùs tamen intelligentiam exhibet humoris vitæ radicalis promotionem faciendi, prout in arborę demonstrauimus. Nos vtique restaurationem & Renouationem ad hunc intelligi modum volumus, eam scilicet in humore radicali non fieri, sed in eo quod ex humore dicto nascitur, ac suam originem ducit materialiter & corporaliter. Vti enim campana per fusionem formata, clangorem ex tono minimè recipit, sed ex corpore: sic Restauratio vel Renouatio suam operationem in spiritu vitæ non accipit, sed in eo quod ipsum efficit, hoc est vnum est materiale, substantiale alterum. Vbi tamen hoc omne cui radicalis humor inest, mandatum fuerit, eius tonus pariter mundabitur, & quantò melior tonus eius exstiterit corpus tantò melius erit. Et quando dicimus, radicalem humorem ex corporibus & membris procedere id hunc in modum intelligimus, quòd humor ipse radicalis, & id quod ex eo prouenit, existant, non secus ac radix & arbor, quorum vnum sine altero minimè potest viuere, aut subsistere.

Restauratio quotuplex.

Restauratio hominis quid.

Renouatio in quo fiat.

Pariter hîc intelligendum, hæc duo sic esse vnita coniunctáque, vt separari nequeant. Humor itaque radicalis: & spiritus vitæ, cum humore vitæ, corporibus & membris inest, prout in metallo tonus qui non videtur, sed auditur solùm. Verè enim ita etiam insunt corporibus vitæ spiritus, & radicalis humor. Fatuū ergo foret, si conaremur eum emendare, vel per ipsum renouare corpus: sed ęquum est corpus & materiam, quæ ex & cum ipso nascuntur & oriuntur restaurari & renouari. Colligi potest inde, restaurationem & renouationem esse membrorum transmutationē existentiū in corpore ex superfluitate: sic vt omne quod ex corpore, nec non ex humore radicali prouenit, decidat, & nouum eius loco renascatur, prout intelligimus de arbore, de qua frōdes omnes, flores, fructus, atque fungi decidunt & nascuntur iterum, & tamen ipsum lignum nihil mutatur, vt etiam decidat & aliud renascatur, sed manet: ita manet humor etiam radicalis, hoc est in corpore vita, & corpus cum ea reiiciunt à se capillos, vngues, dētes, & similia postmodū ea renascuntur. Hæc est ergo Restauratio & Renouatio, qua hoc ipsum quod restaurandum & renouandum est, restauratur, & renouatur. Nam vnaquæque Restauratio, & Renouatio, fit in superfluitatibus, & in illis, quæ ex substantia oriuntur, atque nascuntur. Quanam via corpus ergo restaurari renouariq; valeat, satis intelligi potest, ex demōstrationibus quas fecimus, & à superfluitatibus, quæ quidem in materias non excrescunt, vti capilli, dentes, cutis & vngues: sed in corpore sunt vt superflua quædam, quæ non in materias aut substantias corporales abeunt sed sua manent in essentia, prout complexiones (al. humores.) 4: existunt, quarum vna prouenit ex frigi-

Humor radicalis & vita vt membris insideat.

Renouatio quid.

Complexiones 4. vnde.

frigiditate & humiditate, quæ retenta est in toto corpore, nataque peculiarem non habens locum, neque aliquod exordium aut initium à quo proueniat, vti de 4. probatur complexionibus. Alia prodit ex priori contrariis, videlicet ex calore & siccitate, quæ & ipsa in corpore similiter est, & peculiarem non habet mansionem aut originem, ac liquorem etiam facit. Tertia quidem est frigida & sicca, via enascens eadem. Quarta calida & humida, prout aliæ procedens & ipsa.

Humores omnes non sẽper in omnib' corporibus. Vita etiã sine humorib'. Humores sunt fœces corporis. Complexiones sunt in nullo corporis mẽbro.

Hîc notandum est accidere, vt quatuor humores isti non omnes in omnibus corporibus semper existant, sed nonnunquam vnicus tantùm, aliquando duo, tres quandoque, aliàs quatuor. De his etiam animaduertendum, eos in renouatione & restauratione consumi expellique, hâc de causâ, quòd natura, hominisque vita bene persistere valeant absque ipsis, & eis prorsus non indigeant, cum superfluitates tantùm existant, non secus ac fæces in vino, vel spuma tempore vindemiarum ab eo defluens.

De quatuor itidem complexionibus apparentibus in homine censendum est, eas non renouari neque restaurari, quòd ex nullo membrorum neque maiorum, neque minorum oriantur. Non sunt etiam in sanguine, neque in carne, vel in similibus aliis. Nec verum est, sanguineam complexionem ex hepate sanguinis copiâ plurimùm abundante procedere, aut *Melancholiam* ex splene, vel *Choleram* ex felle: nec non ex cerebro *Phlegma*, similibusque, prædicta siquidem membra nulli præbent homini suam complexionem, sed complexiones adueniunt in ipsâ natiuitate, ac in mortem vsque permanent. Quæ quidem hoc loco disputanda non suscipimus, cùm à textu nostro de Renouatione Restaurationé que nimiùm aliena sint.

Cùm igitur nulla complexionũ quatuor in dictis corporibus locum aut originem habeat. Sed existant illæ in spiritu vitæ & humore radicali, renouari non possunt, vtique nec restaurari complexiones. Verùm vbi corpus clarificatum fuerit, earum etiam natura clarificatur.

Textu nostro pariter hoc quoque significamus complexionum diuisionem secundùm ætatem, regionem, & regimen haudquaquam curandam esse, quòd ex his tribus corpori nullæ complexiones imprimantur. Euenire quidem potest, vt senectus corporibus tristitiam inferat, non est tamen complexio. Phlegma Regio etiam similiter inducere potest, non est tamen propterea complexio illa phlegmatica. Bilis etiam efficere potest, vt quis flauum colorem concipiat, quæ tamen hoc loco minimè discutienda veniunt, cùm declarentur vbi de constructione corporis agitur. Ad huiusmodi diuisionem peculiaris intellectus requiritur, quo notandum, non esse tantùm humores, sed aliquando etiam Mineralia, quandoque corruptiones, quæ quidem omnes contra naturam & virtutem superfluitates existunt. Similiter de membris principalibus dicendum, quæ renouationi resistunt, & restaurationi, hâc viâ scilicet quod

Cõplexiones nullæ in ætate, humoribus &c.

eas non percipiant: nam ad se illas non recipiunt: at omne quod per ea transit, & cum eis præparatur, non aliter quàm nutrimentũ suscipiunt, & non medicamentum. Vbi autem fortassis humores aut superfluitates in eis fierent expellerentur. Sic de cæteris membris, æquè etiam intelligendum erit, ossibus nempè, medullis, cerebro, corde, iecinore, pulmone, renibus, liene, stomacho, intestinis, cartilaginibus, musculis. Et de sanguine sciendum est corruptionem vel superfluitatem in ipso esse, quod tantùm est accidens. Ac sic æquè etiam de carne. Hoc accidens vtique purgatur in renouatione & restauratione. Non quòd alius fiat sanguis sed quòd prauum ab eo amoueatur & bonum præseruetur ac prædominetur. Idem etiam de carne iudicium est.

Breuibus vt explicemus, quænam illa sint, quæ restaurari nec non renouari queant, *Lepra*, *Caducus*, *Mania*, *Pustula*, *Podagra*, *Chiragra*, *Arthetica*, nec non alia plura similia, tolluntur in renouatione restaurationé que, ni fortè morbus aliquis foret, ex natiuitate sumens exordium. Is non aufertur.

De leprâ verò, aut si quis alius morbus eâ grauior existat scire conuenit eiusmodi fieri transmutationem in corpore, non vt fit puri separatio ab impuro, sed quòd lepra conuertatur in sanitatem, prout cuprum aut ferrum in aurum. Ob quam quidem conuersionem haud mirari quispiam debet. Nam renouatio & restauratio consumunt, non aliter quàm ignis in argento vel in auro suas falsitates vel impuritates, eáque munda relinquit. Eâdem viâ Caducus & Podagra tolluntur: nam renouantur ibidem omnia quæ sunt in toto corpore, sanguis & caro cum cæteris, quæ concluduntur in eo. Vt enim Alcali mundat leprosum Mercurium in optimum argentum sic etiam renouatio & restauratio corpus in bonam transmutant essentiam, vt supra dictum est.

Lepræ renouatio qualis.

Renouatio caduci & podagræ qualis.

Superfluum igitur in corpore quodque nec non incongruum naturæ pellit renouatio & restauratio, mutátque hoc omne, quo natura non indiget, aut momenti nullius, quod fuerit in bonum: Item omnia restituit, & vt crescant iterum efficit, vt suprà diximus, integrum corpus in iuuentutem reducit, &c. hâc de causâ, quòd eis nihil, eorum quæ sunt in ipsa natura, queat resistere.

Renouationis vis quãta.

Qua via iam restauretur ac renouetur corpus, videndum est: accensione videlicet renouantis & restaurantis medicamenti, quam habet in spiritu vitæ & in humore radicali, per quam accensionem operationes præscriptæ fiunt, vrticæ virium instar adurentium. Quis tam sagax est, qui vires eiusmodi ritè queat inuestigare, cùm nobis actu non appareant materialiter, prout sensibiliter deprehenduntur. Ad hunc modum etiam ipsa renouatio & restauratio naturæ sunt accessiones, virib. à nobis haud exprimẽdis factæ. Id verò palã nobis innotescit, omne videlicet quod est

Renouatio vnde & qui fiat.

est visibile, mundari per ignem & repurgari. Natura siquidem exigit, hoc ipsum per ignem, & non per quidpiam aliud fieri posse. Quare duplicem ignem intelligimus, vtpotè materialem & essentialem, materialis operatur per flammam: Essentialis per essentiam atque virtutes, instar cantharidum, cutem adurentium & in bullas eleuantium, prout violentissimus ignis facit, cùm tamen ignis minimè sint, nec vt ignis sensu percipiantur. Idem facit etiam Flammula ac vrtica, ceu sæpiùs diximus.

Ignis causa renouationis.

Pariter nobis constat, renouationem & restaurationem hac via suas operationes quùm in corpus veniunt aut in eo per vnioné coniungũtur, perficere, quodsimilis fiat ibidé operatio, vt in Mercurio Saturni aut Martis fit, qui suis cum realgaribus mittuntur in ignem, & quamuis neutrum eorum calidum aut igneum existat, vt lignum tamen aduruntur, & in fundo metallum perfectum inuenitur, quod priùs omniuo leprosum apparuit.

Item quis penitus idipsum indagare vel inuestigare poterit, qua ratione fiat, vt quùm *Migdalio* per vitriolum vehementissimè liquefactum fuerit, cuprum fiat, in omnibus & per omnia cupro verò similis, cùm tamen cupri nullam prius similitudinem habeat. Non aliter renouatio & restauratio nobis intelligendæ sunt, quàm quòd suas operationes perficiant, vt calx, quæ per aquam extinguitur, seipsámque purificat, & eius vires ac acrimonia per ignem essentialem tolluntur & extinguuntur.

Renouatio & restauratio nostræ naturæ nõ aliter se habet, quam in Halcyone, quæ quidem auis renouatur ex propriâ sua natura, Hinc & alia plura similia reperiuntur, quæ potestatem id faciendi habent, quorum diuersimodè nostris in Archidoxis mentionem facimus, & multò magis in Secretis nostris, ex quibus possent adduci plurima, nisi nimium à textu nostro de renouatione & restauratione distarent, vbi quæ demonstramus, eadem & hoc loco pariter de renouatione veniunt intelligenda dum iterando dicimus, nõ satis cognoscere nos posse, quînam ignis operetur, etsi videamus eum absumere lignum, quòd is nempe vehementi suo calore superet quæuis alia, & absumat. Sed hoc relinquentes, iam aliò nos conferamus.

Halcyon quotannis renouatur.

Postquã abundè satis de renouationis & restaurationis initio locuti sumus hactenus: deinceps iam demonstremus etiam ea, quæ renouant & restaurant illa, quidem in Archidoxis præparare scriptis docuimus, & suis nominibus intitulauimus, vt cognoscantur atque notentur. Iam compositiones ponere volumus eorum, & primò quidem pocessus. Dum autem de Simplicibus & Arcanis docemus, intelligẽdum est, eorum operationes diuersimodè fieri: Quædam enim inueniuntur, quæ violenter mundant per renouationem & restauratio em lepram, & latiùs nullum alium morbum: Ent tamen nihilominus in renouatione & restauratione perfecto sunt, præterquam in distinctionibus morborum huius generis sunt *Essentia Quinta, Magisterium, & Elementum Antimonij*, quod corpus à lepra mundat, non aliter quàm argentum & aurum in ipso liquefacta, in quibus immundi nihil relinquit.

Arcana variè operantur Renouantur arcanorum Catalogus. Lepræ curatio quibus perficiatur.

Similiter Elementum Solis, & eius Essentia Quinta, nec non oleum eiusdem, & Aurum potabile lepram vnà cum omnibus morbis auferunt, renouant, & restaurant. Sic etiam Quintæ Essentiæ Ellebori, Chelidoniæ, Melissæ, Valerianæ, Croci, Mannæ; & Betonicæ renouant corpus exceptis iis morbis quorum supra meminimus: hos enim haudquaquã diminuunt.

Item Quinta Essentia Perlarum, vel vnionum, Smaragdorum, Saphyrorum, Rubinorum, Granatorum, Hyacinthorum, corpus etiam renouant & restaurant in omnem perfectionem: tollunt morbos Tartareos, vt calculum, arenam, podagram, chiragram, artheticam, & congelata ac coagulata, ac similes morbos omnes ex tartaro ortos. Sic etiã Quinta Essentia Magisteriáque Mineralium & Liquorum, totum corpus renouant & restaurant, absque defectu quopiam ac liberant à Caduco, Syncope, Suffocatione, ac omnibus morbis, qui cum priuationibus sensuum incidunt, vt Mania, vitista & similibus.

Tartari Arcana quę sint, Sensus priuati arcana quę sint

Magisteria & Essentia Tartari, nec non Alcali corpus etiam renouant cum perfectione restaurationis, Apostemata quæuis tollunt, & Humorum putrefactiones ac grossitiem emendant.

Apostematum arcana quæ.

Essentiæ pariter, Extractiones & Magisteria de pharmacis maioribus integrum corpus renouant & restaurant, febres vtpote quotidianas, quartanas, Synochas, Ephemeras tollunt. Item primæ Submargaritarũ possunt renouare & restaurare corpus totum, & mulieribus omnes morbos tollere cum eorum accidentibus, & fœcundum hominem vtrumque reddere, nempè virum & vxorem. Arcana eadem similiter omnes diuturnos & incurabiles morbos auferunt per renouationem & restaurationem corporis in supremas suas vires.

Febrium arcana quæ. Fœcũditatis arcana quę

Non secus Essentia quoque Quinta de Balsamo tracta renouat ac restaurat corpus: item pleureses & pestilentias tollit admirandis operationibus & perficiendi viribus. Huius census alia plura sunt, quæ alibi etiam recensentur, multò virtutis maioris, quàm ipsis attribui possit.

Pleures. & pestis arcana.

In his tamen animaduertendum ac intelligendum compositiones sedulò obseruanda esse. Nam etsi plurimæ illarum sunt, nulla tamen in genere sufficiens est omnes per se curare morbos, qui per ea medicamenta renouationis pellendi sunt. Modum igitur & practicam intentionis nostræ demonstrare volumus ad finem. Quamuis omnes processus minimè ponamus, quòd id necessarium non sit. Qui nos enim intelligit, scripta nostra percipiet: qui verò non, scriptis nostris docibilis non est, nihilominùs abundè satis omnes processus ponemus. Verùm graue nobis foret, scribere videlicet ea, quæ per multos scripta sunt, aut sciuntur iam antè. Melius tamen doctrina hæc omnis tradi nequit quàm per Ens primum, cui singularis inest in corpus operandi natura, tum Essentiam eius transmutandi. Ipsum namque primum Ens est compositum im-

Ens Primũ quid

imperfectum, ad finem aliquem certum, & materiam corporalem prædestinatum. Et quia perfectum non est, potest omne, cui fuerit incorporatum, alterare, vt Mercurius qui similis est Enti primo imperfecto quoad imperfectionem. Is quamquam determinatus sit ac finitus, nihilominùs ab imperfectione non mutatus est, sed in eâ finitur.

Mercurius cui similis.

Mercurius potestatem etiam habet corpus totum renouandi, quòd in eo sit admiranda maximè vis laxatiua, nec non alteratiua, quæ satis indagari nequit. Et tamen nihilominùs imperfectus totus, & inutilis in operatione suâ est, quia scilicet Mercurius est, & primum Ens eius in corpus aliud prædestinari non debet. Nam qualis is est, eius talis est perfectio. Nos tamen loquimur de primo Ente, quod perfectum est ad renouandum & restaurandum corpus totum, vt est Primum Ens Auri: isque hâc de causa, quòd Auri spiritum prorsum occupat; & subtilissimum existit, ac ipso corpore vero, scilicet auro, longè subtilius.

Mercurij mira vis laxatiua & alteratiua.

Ens primũ auri subtilissimum.

Hinc Etiam Ens primum Solis vel Auri est penetrabile, prout Mercurius in metallis, & in se non continet spiritum Salis, per quem coaguletur. Spiritus enim Salis, Primum Ens coagulans, vires tantas accipit, vt aurum pro centesimâ parte, non sit ita potens in suis viribus, ac ipsius Ens Primum est. Non secus & vinum generosum gelu coagulatum ad pristinas vires denuò non redit.

Spiritus Salis aurũ multis partibus minuit.

Vt autem perfectè loquamur de renouatione & restauratione, scribamúsque, sciendũ est, Ens primũ, id est, auri primã cõpositionẽ, quę liquor adhuc existit nondũ coagulatus, renouare ac restaurare quicquid arripit; nec solùm hominem, verùm etiam omnes pecudes, fructus, herbas & arbores. Quod non aliter intelligendum venit, quàm alicuius metalli minera, quæ longè maioribus virtutibus est suo metallo dotata: cum in eâ sit spiritus Arsenici & Salis Sulphuris & Mercurij, quæ quidem in purgatione metalli recedunt omnia, manente solùm in vna essentia dicto metallo.

Ens auri primum omnia obuia renouat.

Idipsum similiter etiam intelligendum est de primis Entibus Marcasitarum, vt Antimonij, quod non minùs quàm auri primum Ens est cognoscendum. In Antimonij siquidem Ente prim o talis virtus existit, vt omne, quod arripit, hoc ipsum per se ex propria natura transmutet, non aliter quàm Antimonium ipsum per ignem efficit. Nam eiusmodi virtus à corpore separat omne, quod ex humore radicali nascitur, corpúsque dictum penitus renouat ex vero fundamento: quod ipsius Ens primum in ea prædestinatione situm sit, vt eo ex talis essentia procedat, ac exeat, vt calor ex igne. De Resinarum Ente primo non aliter intelligendum est. Primum Ens Sulphuris est integra quasuis in renouationes & restaurationes corporis transmutatio: quòd ita vehemens existat, vt omnia metallorum Entia prima tingat in suã essentiam, eorum operationes adimat, iterumq; ad primam suam materiam reducat, & postmodum in corpus perfectũ nouum reducat. Quandoquidem Ens primum ex Sulphure productum, in corpus hominis tantas vires habet, vt humores in eo radicales omnes renouet, in quibusuiseius locis atque partibus.

Entis primi Antimonij quãta vis.

Ens primũ Sulphuris quale.

Pariformiter etiam de primis Gemmarum Entibus loqui possumus, quæ quidem essentia prima sua potentissimę corpus totum suis viribus pristinis restituunt, idque emendant ab omnibus impuritatibus ac renouant & restaurant, non aliter quàm ignis plumbum in vitrum mutat purissimum. Smaragdi namque primum Ens seipsum regenerat, & renouat, quod ab initio perfectum corpus exstitit. Prout Marmor viride, quod ex prædestinatione propria naturam talem habet, vt ipsum se renouet ab omnibus immunditiis & impuritatibus, secundóque se coagulet, quousque purum euadat: quandoque sic tertiò quartóque sese renouat & reducit in iuuentutem: & quantò sæpiùs ad hunc modum se regenerat ipsum, tantò purius fit & constantius. Quantum ergo mihi primorum Entium virtutes cognitæ sunt, istæ certè cæteras omnes longè præcellunt.

Entis primi Gẽmarũ quæ vis.

Smaragdi Ens primum seipsum renouat. Marmoris viridis natura.

Sic etiam de primis Entibus Salium notandũ est, iuxta spirituales vires, quàm in sua perfectione longè esse maiora. Sic primũ ens Vitrioli, alba quæcunque metalla permutat in rubea, nec non hæc in alba, superátque ac vincit omnes, perfectiones, in ipsis comprehensas: renouat & restaurat omnia corpora metallorum imperfecta, vt stannum in suum primum Ens, & iterum in stannum, cui plus virtutum inest quàm in stanno veteri.

Entia prima Salium Entis vitrioli vis quæ.

Ad eundem modum reducit in humorem radicalem, quicquid ex humoribus radicalibus prouenit, ac renouationem restaurationémque ipsam perfectiorem, copiosiorem & pleniorem efficit. Nullum enim aliud in humorem radicalem tam vehementer operatur.

Non diuersa etiam herbarum & arborum Entia prima sunt, quæ ante quàm suum corpus, caulem siue truncum acceperunt millies potentiora suis in virtutibus sunt quã incorporata. Prout Melissæ primum Ens rerenouat & restaurat corpus totum, longè potentiùs quàm in naturalibus videtur posse fieri. Noscendum enim est, Halcyonem ex sua natura sic non renouari nec restaurari, sed quia natura eius talis est, vt nutriatur & viuat ex primis entibus, ad hunc modum: Vbi corporibus herbarum, aut seminum vescitur ac similium, stomachus eius per digestionem ad primum Ens illa reducit, & postmodum ex Ente primo, suæ renouationis & restaurationis operationes perficit. Nam eius digestio solùm ad Entia prima prædestinata fuit naturaliter, quo fit vt cibum suum & potum omnem priùs in primum Ens transmutet. Quamobrem etiam iis corporibus tantùm vescitur, quæ regenerant, atque restaurant, quibus etiam ab initio exclusionis suę semper præparatur, & alitur à parentibus. Ipsius interim natura hæc est, vt post mortem renouetur & restauretur, ideò scilicet quia entia prima progessum in aue suum, dum viuit, habere minimè possunt, cùm

Entia prima arborum & herbarum qualia.

Halcyon quomodo renouetur.

Halcyon quibus vescatur.

cum anis huius vitæ vires illius omnes adimat, illas in sanguinem & carnem conuertendo. Quùm verò moritur, iuxta tempora viret annua. Et non aliter quàm Entia prima sese proferunt in terrâ: sic pariter & in ipsa aue sese tunc exerunt, adeóque renouant, & restaurant mortuam cutem, quod quidem in ipsâ natura est admirandum maximarum virium, atque virtutum ipsius argumentum. Quæ nisi paterent oculis, incredibiles forent, etsi multis describerentur. Hâc de causa etiam euenit, quòd inæqualibus temporibus Halcyones, sese renouent, aliquæ tempestiuiùs, aliæ tardiùs, prout Entia prima tardiùs aut citiùs comederint. Nam aliis aliæ etiam citiùs vel tardiùs nascuntur & prodeunt. Item plurimi vermes renouantur & restaurantur, eâ de causâ, quòd ex primis Entibus aluntur & nutriuntur, dum in terrâ sũt adhuc imperfecti. Miranda multa nobis occulta sunt ac longè plura quàm internotescunt, aut palam explorata sunt, de quibus etiam copiosiùs scribi posset, nisi remotè nimis à textu libri de Renouatione, & restauratione distarent.

Vermiũ regeneratio vnde.

Et quamuis nos Entia prima, sicut scripsimus, non vsque adeò bene possumus accipere, vel in eâdem essentia, prout antea demonstrauimus, habere, nihilominùs est tamen id nobis possibile. Nam si cognoscimus vbi minera lateat auri, primum Ens etiam eius inueniemus ibidem, si ante perfectionem venerimus. Signa siquidem habentur, ex quibus cognosci potest, quomodo metalli forma sit posita. Sic nimirum dum adhuc est in primo suo Ente, frugiferas arbores, & fundum, nempe terram fertilem efficit, renouat arbores veteres, quæ à viginti iam annis fructus nullos produxerunt. Vbi enim Auri primum Ens arripuerit eas, aut radices, iterum incipiunt viuere florereque sicut priùs. Etsi verò multò plura de primo Ente auri admiranda fiant, quàm scribimus: ad Entis primi demonstrationem tamen sufficiunt hæc illud ibidem esse.

Entis primi signa quę.

Ens primum auri arbores steriles fœcũdat.

Verùm vbi flammæ vel scintillæ visæ fuerint, iudicandum est atque notandum, ex Ente primo fieri metallum, quod in coagulationem sese receperit. Signa hæc de origine mineralium habentur, quæ ad aurum, ad argentum, vel ad alia metalla pertinent. Similia etiam aliorum habentur Entium primorum signa de origine ipsorum, &c.

Quùm huiusmodi signum visum aut inuentum fuerit, intelligendum est, hoc ipsum Ens primum in vno minimè congregatum aceruo esse, vt est quùm in suâ perfectione iacet: sed per totam terram in eo loco dilatatũ. Quare terra hæc est in viribus Entium primorum, ex quâ quidem ista eliciuntur: vti de chelidonia, quum nondum est composita, primum Ens eius est in terra, in qua situm habet. Hac de causa terra similis accipi debet, ac ab ea tandem extrahi, vti de chelidoniæ viribus demonstrauimus. Notandum est inter Ens primum, & perfectionem, esse differentiam hanc, videlicet quòd primum Ens renouare possit ex rationibus antea dictis. At perfectum virtutes Naturarum tantùm habet, vt eò propendeat, non tamen perfectè. Inde colligendum est, si virtutes eiusmodi primorum Entium ab istis haberi velint, tum necesse est, vt à sua coagulatione remoueantur corrumpantúrque, prout in Arcanis & Quintis essentiis demonstratur. Quod tamen omne in Ente primo vires maiores habet. Nec hoc miretur Philosophus, quòd etiam ex terra quadam, in qua herba nascitur essentialiter, antequàm incorporetur, herbæ illius omnes virtutes extrahi possint, ita, vt virtutes asseruentur, & terra in suum locum reponatur, ita, vt deinceps mera terra sit nec vllam fœcunditatem in se habeat, quòd ei primum Ens iam ademptum sit, quod in terra latierat.

Ens primum & perfectio vt differant.

Entis primi mira extractio.

Inde fieri solet, vt Entis primi vis eiusmodi vitro concludatur, eóque perducatur, vt in seipsa crescat eiusdem herbæ forma citra omnem terram: & postquàm omnino creuit, corpus nullum habeat, at corpori tamen simile quid formatum: cuius causa est, quòd terræ liquorem nullum habeat. Quo fit, vt stirps ipsius non sit aliud quàm apparens visui quiddam, quod rursum in succum obteri digito possit, instar fumi, qui substantialem formam demonstrat, sed nullo tactu perceptibilem. In eiusmodi crescentibus est Essentia Quinta prorsus incorrupta, & in summa perfectione, prout in terra.

Entis primi vis in vitrũ cogi potest.

Quamobrem ex Ente primo Auri nascitur ad hunc modum aurum conclusum, quod tactu simile est aquæ rubeæ, commouetúrque & exaltatur in modum auri.

De his hactenus: Ad practicam eorum deinceps nos conferamus, quæ renouant & restaurant, si præparentur ex artis possibilitate & præscripto. Quæ licet breuiter à nobis conscripta sint satis intelligentibus tamen patefecta, qui scilicet Medicinæ Philosophiæque bonam instructionem habent.

Cognoscenda sunt igitur ea primùm quæ renouant & instaurant, vt etiam demonstrauimus, eorúmque primum Ens extrahendum, & per id renouandum atque restaurandum est. Pro argumenti huius deductione Mysteria quatuor proponimus, scilicet Mineralium, Gemmarum, Herbarum, atque Liquorum, vt sequitur.

Mysteria summa 4.

Primum Ens Mineralium.

Entis mineralium pręparatio qualis.

Accipe *mineralis Auri vel Antimonij minutißimè triti libram vnam. Salis circulati libras quatuor. Mixta simul digerantur in equino fimo per mensem: inde fiet aqua, cuius ab impuro separetur purum: hoc in lapidem coagulato, quem vino cenisiato calcinabis, & separabis iterum, & super marmore solues. Aquam hanc putrefieri sinito per mensem, inde fiet liquor, in quo signa fiunt omnia, vt in Ente primo Auri, vel Antimonij. Quare meritò primum Ens vocamus earum rerum. Non secus de Mercurio, nec non aliis intelligendum erit.*

Primum Ens Gemmarum.

Entis Gemmarum pręparatio.

Accipe S*maragdorum optimè tritorum* ℥j. *calcina in sale soluto quousque in albedinẽ conuertantur: postmodum soluatur, & in phiolâ Hermetis luto clausâ ponatur super nudũ ignẽ, vitro nudo materiáque suspẽsa in altũ, vt fundũ nõ attingat, idq́; tãdiu, donec à spirituali naturâ conditioneq́; decidat* ad

ad fundum in corpus, vt liquor mellis. Hoc exhibet Smaragdi virtutes. Quare primum Ens Smaragdi iure vocari potest.

Primum Ens Herbarum.

Entis herbæ præparatio.

Accipe Chelidoniam vel Melissam, & in pultes tontusas, vitróque luto Hermetis clauso reconditas; in fimum equinum per mensem digerendas pone. Post modum separa purum ab impuro: purum in vitrum effundes cum sale soluto, quod clausum exponatur soli per mensem, quo tempore finito, reperies in fundo liquorem spissum, & sal desuper natans, hoc separato, Melissæ vel Chelidoniæ virtutes habebis vt in Ente primo suo sunt, quæ Melissæ vel Chelidoniæ prima quidem Entia dicuntur & sunt.

Primum Ens liquorum.

Entis liquorum præparatio.

Accipe mineram Sulphuris & Salis soluti, & per se resoluantur in aquam omnino, quam destillato quater: primò sursum ascendit albedo quædam, quæ virtutes omnes Entis primi sulphuris demonstrat. Quare meritò loco primi Sulphuris entis eam habere possumus, ac ita nominare.

Entium summorũ quis vsus.

Scriptis itaque primis 4. Entibus in suo genere, porrò etiam notandum est, quinam vsus arripiendi sint ad eorum virtutes percipiendũ, ad hunc modum videlicet, vt eorum Entium primorum quoduis in vinum bonum ponatur, tantâ quantitate, vt eo tingatur: quo facto, præparatum est in hoc regimen. De hoc vino singulis diebus manè bibatur circa auroram, donec decidant primò digitorum in manibus, postmodũ in pedibus vngues inde pili detésq;: postremo cutis exiccetur, & noua renascatur.

His peractis omnibus ab isto medicamento vel potione cessandum est. Et iterum nascuntur vngues recentes, pili, dentésque noui, nec non cutis noua recedúntque morbi corporis & mentis, vt supra declaratum est. His libellum nostrum de Renouatione & Restauratione conclusum volumus.

LIBER DE VITA LONGA.

Argumẽtum & introitus libri.



CVM reperiantur Medicinæ, quæ corpus humanum in alteram & plures ætates conseruent ac à morbis, corruptionibus superfluitatibus & aliis diminutionibus optimè præseruent, nec non vbi similes infirmitates & corruptiones iam irrupissent, auferant: summoperè cuiuis eæ medico sunt considerandæ, fundatissiméque perdiscendæ. Multi siquidem & innumeri morbi prolixissimi, nec non accidentia plurima, per vitæ longæ conseruationem auferuntur, & radicitùs exstirpantur.

Vitę longę præcepta duplicia sunt. Vita an prolõgari possit.

Quare cùm de præparatione scribere proposuerimus, ad vitam longam duobus id modis facere nos intelligendum est: vno theoricè, practicè quidem altero: quibus viis ambabus vitæ longæ substantia potest intelligi. Nec est quòd quispiam vel Medicus admiretur vitam prolongari posse, duabus de causis: vnâ quòd nullus terminus positus sit nobis, vt aliquo determinato mori die nos oporteat, nec hoc ipsũ in potestate nostra sit relictum: alterâ, quòd Medicinam habeamus ab eo, qui nos creauit, ad conseruandum corpus nostrum in suâ sanitate creatam, aut ab eo morbos expellendum.

Vnde colligi potest, mortem nullum introducere morbum, aut huius causam esse: nec contra morbum vllum efficere mortem. Et quamuis ambo simul forent, sunt nihilominùs sibi mutuò comparanda non magis neq; minùs quàm ignis & aqua. Nã familiariùs & amiciùs illis vtrisq; inter se minimè conuenit. Naturalis enim ægritudo mortem odit, ac omne corporis membrum ipsam fugit. Diuersum quid igitur à morbo mors est. Quod ad hanc nostrã intentionem attinet, cum nostris tamen hîc iã loqui volumus per experientiam, quibus etiam rerum proprietates cognitæ sunt, quæ maximis tantùm artibus, & vsu cotidiano reperiũtur ab eisdem. At putatitiis & præsumptuosis Medicis illæ occultæ sunt prorsus & incognitæ. Quare nostris duntaxat & nõ illis hæc scribimus. Certo certius est, restaurationem & renouationem fieri, quibus totum corpus in melius transmutari potest. Similiter oculis manifestũ est, omnia corpora metallorũ purgari, vt ab ærugine tuta sint, item ligna corporáq; mortua cadauerum balsamari, sic vt non putrescant amplius.

Morbus & mors dissentiunt instar ignis & aquæ.

Restaurationẽ esse probatur exemplis Naturæ.

Quapropter si talia in dictis artibus factu possibilia naturę sint, non est cur scripta nostra cum suis exemplis, etsi breuiter posita, quisquã abhorreat, aut ab eis se retrahat, quia corpora metallorum & hominum inter se cõparamus: Nec enim putamus vnum & idem illa esse, sed longè diuersa: verùm in ambobus eandem esse conseruationis atque præseruationis viã: quod etiam per experientiam ratum est: si nempe corpus mortuum balsamo conseruari, quantò magis viuum potest.

Vita lõgæ diuisio secũdùm tres ætates.

Primò sciendũ igitur, conseruationes quoad hominem in tres ætates diuisas considerari, videlicet in iuuentam primam, in mediam ætatẽ & in postremam: in quibus differentia faciẽda est, quoad illa quæ cuique magis conueniunt. Ex his namque debet intelligi, cur à iuuentute sit incipiẽdum, ab ætate media, vel à senectute, nullo temporis vel ætatis expectato quopiã termino determinato. Breuiter intelligendum est, vitam longam in tres partes esse diuisam, vt supra de tribus ætatibus dictum. Vita iuuenis aliquando corrumpitur in ventre matris, nonnũquam in cunabilis, aut in crescendo, vel per inordinatum cibum & potum, quibus natura sic deprauatur, viribúsq; suis destituitur, vt ad verã hominis ætatem pertingere minimè valeat. In eiusmodi iuuene corpore cùm à Medico simile quid perceptum erit, eius ætas senectuti cõparanda venit, quod æquè ac ista sit illa defectuosa, naturáq; diminuta. Cum igitur, (vt sæpiùs euenire solet,) infantes in ventre matris viribus diminuti nascuntur imbecilles, mox atq; prodeunt in lucẽ, conseruatiuis sunt imbuẽdi, matris vberibus illis perlitis, prout in sua practica dicitur latiùs. His æquè benè vires & ætas protrahi possunt, ac senibus, quibus simile quid ab infãtia minimè contigit: Verùm iuxta vires, dierum terminus antiquorũ est intelligendus, & sui iuuenilis tẽporis ætatem, in qua nonnũquam ita corrumpuntur, vt ad senectutẽ peruenire non possint, nisi tẽpus hoc eis fortificetur.

Ætas iuuenilis quæ sit?

Vitæ lõgæ quæ cura in pueris.

Ætas media quæ sit.

Ætas media consideratur, cum corpus cres-

cere

cere desiit vsque ad canitiem: eo tempore si quid inciderit, quo debilitaretur aut corrumperetur hæc ætas, inordinato quopiam exercitio, crapula, vel simili petulanti corruptione, præternaturale damnum: cum similibus incipiendum erit ante senectam. Quandoquidem si diutiùs expectetur, istam vix attingere poterunt quòd serum ipsis auxilium sit futurum.

Vitæ longæ quæ conseruatio in ætate media.

Ætas postrema sumit exordium à canitie nec non durat in mortem vsque. Si hæc ætas in debilitate vel corruptione reperta sit, cum ea vt supra de aliis tempestiuè scilicet agendum erit: Verùm eorum vbi natura virésque sanæ, fortes & validæ fuerint, conseruatione iuxta necessitatem vtendum erit. Est igitur vitæ partitio triplex, vt meminimus, & in quacunque ætate vsus conseruationis inceperit, noua pariter ætas incipiet à iuuentute, singula tempora per suos terminos discurrendo.

Ætas vltima quæ sit.

Eius quæ conseruatio.

Porrò etsi quidem cum nostris loquamur, tamen inter cætera ab Empiricis hoc argumentum obiici nobis posset. Cum nos eiusmodi media habeamus ad vitam longam attingendũ, item ad morbos atque mortem pellendum: quînam fiat, vt tot principes moriantur ante maturum tempus, Imperatores, Reges & alii multi potentes viri plures, quàm ad ordinariã hominum huius sæculi perueniant ætatem, vt morte nondum matura non liberentur? Item cur infirmitatibus quàm sanitate magis abundent, cùm tamen hanc auro nec non argento redimere, atque mortem accelerantem tardare vellent? Idiotica nimis hæc obiectio, necnon illiterata nostros haudquaquam monet, cum eis optimè caussæ notæ sint cur id fiat, ac tam ignari prorsus argumenti solutio non lateat. Verùm vt illis ex æquo respondeamus, qui similia quærunt: Nos temporibus nostris minimè vidisse, nec antea præteritis hactenus legisse vel audiuisse, Principem aut Regem his remediis, prẹter vnicum Hermetem Trismegistum vsum esse, dicimus. Et quamuis alij plures extiterint, prout supra de restaurationes meminimus, terrenis tamen ignoti sunt. Nec ista volumus in argumenti solutionem esse, vel existimari, sed hoc videlicet, Imperatorum, & aliorum Principum Medicos, longè minùs intelligere medicinam ipsis Rusticis in agris degentibus: quo fit vt sæpiùs ad mortem quàm ad vitam suos Principes vel Heroës promoueant ac ducant. Cùm igitur similium vtantur consilio Medicorum, impossibile foret eos ad suam ætatem peruenire posse: hæc solutio concernit Medicorum ignorantiam, qui solum nomen gerunt. Nec satis eorum argumentum solutum esse hâc responsione volumus, sed etiã inordinatam vitam Principum adducimus, quâ sibimet eam partim abbreuiant: quandoq; punitionis præmio magis, quàm pietatis. Alij multi etiam Principes reperiuntur, quibus hęc & similia minimè cognita sunt remedia.

Obiectio.

Responsio. Reges & Principes cur hodie moriantur.

Quare tribus istis occasionibus argumentum soluimus nobis obiectum.

His quæ proximè dicta sunt, indicare volumus, nedum illam tripartitam ætatum diuisionem tantùm esse considerandam, verùm etiam aliud longè fortius quid ac maius, idque duabus viis: vnâ videlicet, quâ corpora sese morbis afficiunt per vitam inordinatam, vnde prodeunt Hydropysis, Icteritia, Podagra, Caducus, Pleuresis, & similes alij plures morbi, diuturni, vel acuti. Hæc non est ætatum partitio, sed quisque morbus per se peculiariter intelligendus est.

Morborũ causæ quæ sint.

Alterâ viâ quidem à tempore, nec non accidentibus in vitam inordinatã incidunt morbi, vt pestilentia, mania, similésque vitam pariter adimentes: His duabus viis, per vitę longæ processum præuenitur. Ad hæc intelligendum, qui morbi proueniant ex naturâ, quíque ex naturalibus extrinsecis? tum qui suam originem præter naturam habeant, vt ex incantationibus & superstitionibus, de quibus vltimis plura forent intelligenda. Nam vbi talis morbus accidit, ad pœnam immitti quandóque iudicandus, & eâ de causa non curabilis est. Excipimus igitur, & nostros admonemus, vt à similibus abstineant. Quod autem ex natura procedit, hocisum iuxta naturam curare conseruaréque docemus.

Quanquam scimus & recordamur annulorum, imaginum & similium, quæ omnia præseruant à morte vitam: hoc tamen loco non ponimus, sed præterimus, quòd Astronomiam concernant. Verùm aliàs loquimur de his, aliáque viâ procedimus optimè notandâ.

Morbi non prouenientes ex natura corporum, vel ex debilitate, sed aliunde, prius tollendi sunt, ante conseruationis vsum: item ægritudines occultæ pertransiuisse debent. Si morbi tamen fuerint vt Podagra, Chiragra, Caducus, &c. non eâ ratione tollendi illi, sed conseruatiuis assumptis curandi sunt. Morborum itaque differentiæ tres habentur: longorum vna conditio est, vt febrium, Hyposarcæ, Icteritiæ, nec non similium: alia morborum egestorum, vt Pestilentiæ, Pleuresis, Apostematum, &c. Tertia morborum diuturnorum, vt podagræ, caduci, ac similium aliorum. Primos pertransire necessum est: alteros curari: tertios in conseruationem ordinari, conseruatiuis vt absumantur.

Morborum triplex cõditio & quæ cuiuslibet cura.

Non prætereundi morbi qui proueniunt ex mentibus, & æstimatione propria, ex imaginationibus, alterius, ex incantatione, ex superstitione, & similibus.

Horum diuisio talis intelligenda, quî se habeant in conseruatione, videlicet, vt qui procedunt ex mentalibus, mentali modo pariter & forma simili tollantur: qui sunt ex æstimatione propria, per obiecta: qui ex imaginatione, per imaginationes: qui ex incantatione, per incantationes contrà directas: & qui ex superstitione, per superstitiones contra superstitiones curandi sanandíque, sunt. Et postquam à corporibus eiusmodi fuerint ægritudines expulsæ, mox inde sequantur septem conseruationes: vna quidem ad naturales vires aut imbecillitates: alia contra morbos casuales vel accidentales, & similes ad arcendum eos in futuris: tertia contra mentales ægritudines: quarta contra incantationes: quinta contra imaginationes: sexta contra æstimationes: & septima contra superstitiones.

Morbis similia remedia debẽtur.

Nullam

Nullam in his complexionum fieri mentionem haud miremini, cùm totius corporis ad vitam longam conseruatio non consistat in eis, nec in suis proportionibus at in virtute naturæ solùm, ex quâ reliquæ virtutes omnes oriuntur. Nam vnica virtus est, quæ resuscitat ac refocillat humores, quos 4. esse dicunt, & quorum in medicinâ ratio nulla habenda est. Nemini meliùs comparari Medicus potest, qui naturæ viribus ex complexionibus medetur, quàm extinguenti flammam ignis, prunis ardentibus adhuc relictis. Magis enim considera tu dignum est, quomodo arboris ipsam radicem possis conseruare, quàm ramos, cùm ex illâ vires proueniant. Si casu tamen ramis quid eueniat (prout radici vitæ potest ex complexionibus & humoribus, hoc ipsum est accidens, quod sanitatem nullo modo præbet, sed aufert: id arcendum esse diximus, vbi de tribus morborum generibus locuti sumus, cum intentione resuscitandi refocillandiq; vitam radicis, nec non vnà ramis ex istâ suum alimentum sumentibus prout complexæ qualitates remedia sua demonstrant. Cùm vitam breuem ad longam conferre debeamus, scitu necessarium est, quid vita, & vbi sit, quo minui vel augeri queat: item eam esse rem quandam audituì similem visui, tactui, gustui ac odoratui. Iuxta naturam impossibile scire nobis foret, quidnam illud sit, quod visum efficiat, & quinam id præstet, prout benè de corporalibus rebus ponimus, quæ per naturam & ex ea explorari possunt, vnde corpus habeant. Non sic de vitâ, cum ex semine naturali minimè nascatur, sed ex eo spiritualiter oriatur, naturali tamen origine. Sicuti cum silex ad chalybem concutitur, ignis prosilit, cùm in eorum neutro sit ignis, attamen inde oritur: igneæ naturæ non sunt etiam, neque ex elementis, neque ex complexionibus non sunt etiam adustibilia corpora, sed igni resistunt magis, quàm alij lapides aut vlla metalla, prout videtur de transmutationibus, vbi nullus ignis elicitur, nec haberi potest. Non aliter vita suam originem sumit ex re quâpiam, cui nulla tamen inest, vt ex semine, radice, spermate, similibúsque, vt ignea scintilla quædam ex silice per vim Entis, & non Esse. Sic etiam ex Ente hominis vita prouenit.

Medicus complexionalis cui similis?

Vitæ origo vnde?

Iam in considerationem venit vtrum ea produci queat, emendari, vel fortificari cùm sit incorporea, résque volatilis, igni perquàm similis, cui quanto plùs ligni datur, tantò vehementiùs flagrat. Vita similiter quò plùs humoris vitæ habet, eò magis in vitâ vitæ spiritus abundat. Quâ ratione quidem ignis à re quâpiâ in qua nullus inest prosiliat, scire nobis impossibile: quamuis multi putent ex duritie procedere; quæ tamen sit causa, quòd illa de se præbeat id, quod in ea minimè continetur, hoc loco non declaratur, in quo de vita solùm agendum.

Cum igitur vitam esse videamus, vt ardentem ignem atque viuentem, hoc ipso materialiter nobis præfiguratur & oculariter, quod vita sit sub igne, & cognoscimus ignem in ligno viuere, pariter in resinis & oleaginosis. Non aliter hominum vita iuxta bonitatem aut malitiam est recens aut imbecillis: quicquid ignis ibidem vt in ligno boni maliue sit, ex natura possumus emendare, vel addere hoc in quo gauisus erit aut refocillabitur, iuxtáque placitum nostrum regere, forte fortiúsq; dare, cùm vnum defecerit, aliud in locum surrogare, non secus ac ignis qui recenti ligno renouatur, etsi ferè prius ad scintillas vsque fuerat extinctus, iterum accenditur, ac magis ardet quàm antea: per additiones idipsum augetur, & per aliquod registrum ex arbitrio nostro.

Vita igni similis.

Vt ignis ligno: sic vita ad actiona morbus attendi tur.

Nec est quòd existimemus nos oportere præcisè hoc vel illo die mori, pòst vel antè, cũ à Christiano sit alienum putare, non posse neque debere nos vitam nostram producere medicamentis, ad hoc nobis à Deo creatis. Imò prorsus idololatricum, & idioticum est, non credere, hoc ipsum in potestate nostra situm esse, prout suprà de igne locuti sumus. At solùm defectus noster est, quòd minimè ligna cognoscamus, per quam vitam accendere nostram possemus. Non est contra naturam nos viuere vsque in mundi renouationem, at solùm vltra contráque nostrum intellectum. Pro maiori parte priuamur sapientiâ, sic vt iudicare nequeamus quid vtile nobis existat, præsertim cùm potestatem nostram hac in re penitus ignoremus. Adam, quem inter mortales omninm sapientissimum existimamus, harum rerum optimam notitiam habuit. Quanquam autem ligno vitæ postea priuatus sit: non tamen ad Theologiam, sed Medicinam id referri debet: Est enim lignum naturaliter, quáuis etiam animæ lignum sit.

Vitæ prorogatio est in hominis potestate.

Adam omniũ sapientissimus.

Cùm itaque de vita longa scribamus ac doceamus hoc loco deinceps etiam sciatur, quòd regna, regiones, ciuitates, & valles hę nempe illis ad vitam longam plùs minúsue conferant, aliis & vtiliora, plúsq; producant gaudij, aëris, & humorum ipsi vitæ salubrium. Penes quæ nonnullæ etiam causæ nobis ad hoc intelligendæ sunt, nempe terræ, elementorum, ventorũ, astrorum, &c. quorum omnium cuilibet ex sua natura possibile est longiorem vitam efficere, quàm sit communis hominum ætas. Ex terra námque nascitur omne quod corpus nostrum alit & sustentat: item quod hoc destruit ac interimit. Inde colligitur malum non solùm corpori nostro creatum esse prout venenum & opiata, verùm etiam id, quod ab istis maximè tuetur, vt aurum & melissa. Nec solùm iudicandum, ad morbos creata esse medicamenta vt Tyrus contra venenum: aliàs concluderetur, in sanis corporibus nullam operationem habere. Sciendum igitur, ad corpus in sanitate sua conseruandum, æquè benè creuisse multa, vt ad sanitatem auferendum. Possumus etiam cibis atq; potibus cotidianis vt labefactare vitam nostram, ita etiam augere pariter, & sanam conseruare secundùm vsum aut abusum. Quo quidem vtimur ex elementis, iuxta receptionem vtile nobis aut nociuum est. Nam omne quod in nobis absumit ignis adurendo, id restituit ignis extinguendo. Quicquid vterq; nobis damni profert, aër ipse compensat, qui vitam nullo pacto recusat, nec deserit nos, at ipsi nos ipsum, ab eo recedentes: Hâc ratione quod nobis vnũ aufert elementũ, aliud

Terra vna altera salubrior.

Terra nõ minus remedia quàm venena gignit.

Elementum vnũ alterius damnũ pensat.

aliud conseruando restituit: & per eiusmodi vicissitudinem temperantur; vt nobis nocere minimè, sed prodesse possint.

Coelum & Elementa vitā hominis & lædunt& conseruant.

Et quamuis aër nos etiam interimere valeat infectione suâ, quâ nonnunquam contaminatur, id tamen in eo cognoscere, ac ad bonum alio nos conferre possumus. Nam is est particularis, & vniuersalis, vno bonus, alio verò loco malus, prout etiam terra quædam altera melior existit. Cum aquâ non secus comparatum est, quæ & ipsa nobis vt aër aliquando fugienda venit, item ignis. Nam ex vno ligno melior saniórque flamma prosilit quàm ex alio. Sic etiam Influentiæ, nec non astra superna cognosci debent, quæ potestatem habent vitam nostram diuersimodè corrumpendi, nobisq; sanitatem adimendi. Similiter in his notandum, ea sanitatem adferre, vitámq; producere posse. Nam secta nulla, species aut genus nullum est æquè malum quin bonum etiam existat: licèt ea pro nostro torquere superaréq; non possimus arbitrio, sicut nobis Iouem appropriare valeamus, & reiicere Martem, aut alias nobis eligere stellas vtiles & commodas, prout in herbis, quas jam eligimus, jam abiicimus. Eiusmodi potestatem in superiora non habemus, eadem vel arcendi vel conducendi: verùm id bene possumus, videlicet ex eorum inclinatiuâ virtute per medium aliquod efficere, vt operentur & postmodum in nos vti per annulos planetarum, imagines & alia, quæ latiùs & clariùs scribentes explicabimus. Vlteriùs etiam considerandum ex prædictis ac similibus vitam nostram aliquando pendere, minui vel produci posse. Volumus ampliùs dicere quid boni maliue nobis ex eis euenire valeat, vt possimus Dei virtutes & creationem intelligere cognoscereque, non quòd eas funditùs perscrutari præsumamus, aut ab origine satis contari, sed ab eis dispersè decidere.

Influentiæ vim vt homo effugere possit.

Considerandum latiùs de vitâ longâ quâ forma vel essentia regimen, medicinæ, regiones, & superiora suas in nobis operationes adimpleant, quò valeamus virtutibus, quas in se continent, potiri, vitámq; producere nostram, ac intelligere quæ sint virtutes eorum, & quî prodesse nobis valeant auxiliarique. Virtus eorum nostram longè superat, eò, quòd subiecta minùs existat virtuti sensibili, nos quoque iuuet vt lignum quod ardere non potest, nisi oleitatis aliquid superstes habeat. Dictarum rerum virtutes nostras longè superant in summis etiam viribus ad hunc modum. Earum essentia proprietásque, natura & qualitas incorruptibiles & permanentes existunt, sic vt non moriantur prout sensibilia corpora, vel vt homo qui vitâ priuatur & virtutibus omnibus exuitur, corpore facto cadauere. Sed herbæ similiaque non pereunt in Essentia sua. Nam istarum substantia rerum & materiali corpore putrescente, manet essentia quidem in terra non corrupta, rursum in suum simile transiens vsque in consumptionem terræ remanentis: verùm in vsum assumptæ sunt, earũ essentia transit per putrescentia corpora similiter in terram. Virtus autem, essentia, nec non proprietas humana haudin cadauere manent, sed à putredine recedunt.

Astrorũ virtus qualis ad hominẽ.

Ex his colligitur nos herbarũ Essentiam & similium in corpora nostra concipere posse, quarum virtutibus augeantur & nutriantur illa: non quòd istarum proprietates ita vna recipiant, vt si quis Ellebori Quintæ Essentiæ libram sumat, corpus quoque id similiter laxet, vt herba hæc, aut si comedat aurum, propterea etiam corpus fiat aureum. Haudquaquam: duæ námque differentiæ sunt ibidem, appropriata scilicet vna, & altera materialis in corpore, in quo virtutes eius omnes manent. Hæc est essentia, non proprietas, sed Esse quoddam, ex quo nascitur Essentia multis & variis proprietatibus & appropriatis naturalibus pollens. Talis essentia postquam corpus ingressa est, permiscetur humoribus ad spiritus vitæ sustentationem. Est itaque hæc Essentia humor, in quo vita rei consistit, & hac ratione duo concurrunt humores in vnum, & concordant in permixtione, sic vt intrinsecum recipiat extrinseci esse. Hoc illi perincorporationem vinitur inseparabiliter, vt vinum alteri vino commixtum. Notandum insuper ex eo corpore prodire consumptionem; quòd humores humani semper mortales & consumptibiles existant: quo fit vt Essentiæ maculentur & in posterum debilitentur. Sunt igitur in hoc vno duo contraria, quorum vnum corruptibile est, vt humor vitæ: reliquum verò fixum Essentiæ rerum sunt, humores atque liquores. Fixum hoc tamdiu iuuat, donec absumatur, non aliter quàm Talcum, cui nocere nihil potest ignis, temporis nihilominùs longo successu consumitur aliâ ratione. De vitâ longâ plurimùm conquerimur, quòd priuati simus intellectu, sic vt ignoremus quid nobis assumendum sit, vbi debilitas fixam substantiam arripit, ac imbecilles simus leonis instar, qui nimiâ pugnâ fessus est, & ampliùs nullo robore pollet, aut quùm igni deficienti non habemus quod addamus lignum. Quapropter ad perpetuum est quod conferamus nos, & hoc describamus in posterum.

Essentiis rerum corpora nutriuntur.

Essentia corpus nutriens quid sit.

Talcum igne inuiolabile.

Haud nobis ignotum est, quasdam esse medicinas & regiones in quibus rerum nullus est interitus, in aliis tardus, & ætates longissimæ sunt, ideò quòd concordantiæ producentes vel prolongantes humorẽ vitæ, sint in eiusdem locis abundantissimæ. Quanquam inibi nonnulli mortales quidem sint sed longissimè tamen viuunt, de quibus hoc loco scribere nolumus latiùs. Sciendũ etiam immortales quosdam esse: ex quo mortale quid sit, & immortale cognoscendum est. Item qui mundi gradus magnæq; vires naturales eius existãt, & quàm egregiè homo vitâ longâ beetur. Duobus modis id intelligendum: nempe mortale hoc est, quod mundi consumptionem expectare non potest: & immortale, quod consumptionem expectare potest quamuis ipsa mortalia sint. Interium mundus nihilominus permansurus est ad terminum in sua substantia: quod in ipsis tamen est ac nascitur, vt mortale nec non immortale diuiditur iuxta naturalia loquen-

Mortale & immortabile quid sit.

do. Non tamen ex æquali mũdo hoc prouenit, sed ex regionum partitionibus, vt Paradisus & Externus: in quo posteriore viuimus ex gratiâ, & spe, prout possumus. At in Paradiso qui mundus alter existit, nullus est interitus: non ex miraculo quopiam, sed naturaliter, quod eius natura hoc ipsum possit. Prout aurum nostrum à leprâ conseruat & præseruat, sic Paradisus à morte, non per miracula. Neq; sic intelligendum hoc est, ac si mortuum corpus resurgeret, quod miraculum foret, sicuti de cœlo & mundo ponimus. Hoc scitu maximè necessarium est, nempè quòd in Paradiso nascitur, id æquè in suâ substantiâ immortale esse. In externi porrò Essentiâ nihil habemus, præter essentiam fixam & corruptibile corpus, quæ quidem ambo conseruantur in Paradiso. De hoc tamen scribere multa nostræ non est experientiæ, vltra quàm docet nos Essentia terræ, quæ centrum præbet. Non est etiam de his disputandum quæ in eo sunt, cum nostram longè peregrinationem superent, ac omne quod ordinem Paradisi cognoscere vult in terris. At spirituali modo potius in somnio de hoc loquimur quàm vigilantes, ea ratione tantùm, vt hoc loco significaremus, vitã eius esse perpetuam, vsque ad consummationem vel vltra fortassis, hoc tam nobis occultum est.

Quicquid igitur est ex Paradiso, immortalem nobis vitam efficere potest, nisi Nilus idipsum ablueret, eâque virtute nos priuaret. Sumus itaque materialibus & regione artibusq; vi quadam priuati sumus quare non est quod vlterius de his scribamus. De vita longa tamen quantum in nobis erit inquirere studebimus ac docebimus in sequentibus, illa relinquẽtes quæ habere nõ possumus, ac vniuscuiusq; rei prædestinationẽ considerantes potius.

Sanitatis ratio est a Mente & Ente. Vt fundatiùs de vita longa scribamus, ponderantes omne quod vitam longam in sanitate conseruat, eámque tuetur, vtiq; sciendum quòd antea docuerimus, duas esse vias, quibus vel adimitur sanitas aut conseruatur, vtpote Mens & Ens: In his duobus totius vitæ nostræ sanitas consistit & omne quod exercemus. Ex mente regunt nos ea quæ sua sunt, & ex ea nascuntur, vt incantatio, imaginatio, æstimationes, & influentiæ, quæ quidem in hac operantur. Ex Ente nos gubernant quæ ex Ente nascuntur complexiones, qualitates, membra, ossa. Sciendum vlteriùs ac intelligendum, incantationem, æstimationem, & imaginationem in animo nostro submergi, quum nostræ cogitationes ita copiosæ fortésque sunt, vt rationem & animum superent. Sic etiam ex potentissimis viribus imaginationis, æstimationis, & incantationis ratio submergitur, velut odor ex rosa: quo fit vt syncopem & amentiam in influentias introducat, ac in mente sic regnet, hanc superet ac dominetur ei: non quòd in mente nata sit, prout aliæ tres illæ præcedentes: sed in ea tam potenter inclinat, vt illam in bonum aut malum vertere possit, prout Sol qui vitrum aliquod penetrans, id iuxta suam naturam tingit, quod illo continetur: non aliàs animus noster transmutatur secundum naturalem vitam nostram, instar à Sole glaciei liquescentis. Ex Ente verò quæ procedunt, corporales infirmitates nobis adferunt ex complexionibus & qualitatibus: quæ complexiones ab exordio nascuntur ex Ente, quod ab humoribus conseruatur, vt de constructione corporis.

Haudquaquam necessarium est eiusmodi morbos considerare, neq; mentis & entis origines, vel initia, seu essẽtias: nec etiã quid cholera sit, phlegma, sanguis, aut melancholia, sed in genere tantùm procedere, prout infra demõstrabitur. Prius igitur practicam nostram aggrediemur & naturalia, quòd ista mentalibus nihil conferant, nec econtrà. Quare iam corporalibus in substantia Medium suum assignabimus, ac demonstrabimus, tantisper de mentalibus tacentes, quoad curam. Intelligendum igitur, substantiam corpoream in solo humore vitæ esse conseruandam, vt in quo vita est, & ex quo cęteræ complexiones reguntur, &c. Non sunt complexiones aut qualitates renouandæ, neque purgandæ, hepatis vel splenis damna consideranda: Nam conseruatio hæc omnia tollit, & extinguit vitia quæque similia, nec non omne quod in corpore superfluum est, ac id ad æqualitatem redigit. Eiusmodi conseruatio sic non operatur ex magno suo specifico, sed ex essentia sua plurimùm incorruptibili. *Conseruatio qua vi agat.*

Superiorum igitur obliuisci tantisper volumus, & practicam vnà cum ordine suo demonstrare, cui suum primò regimen seruandũ est, postea corporis dispositio consideranda: tertiò medicina: iuxta hæc tria conseruatio instituenda est. Regimen à quo sumimus exordium quoad regiones minimè venit in vsum inter alia, cum ex tribus istis minimè curæ conseruationis existant, sed solùm ordo cõueniens, ac dispositio medicinæ. Spem itaque nostram in ea medicina, quæ non solùm in iuuentute cõseruat, vti hominem arripit, sed etiam animalia bruta, positam habemus. Eiusmodi magna quidem essentia, duæ rebus naturalibus inest, tam excellenti virtute corpus accendit, vt fortitudo nulla, neque virilitas ei deficere queat: item morbus nullus incidere vel accidere possit, cum nihil putrefieri sinat ob iuuentutis conseruationem, ex qua putrefactio nulla, morbúsque nullus oritur. Non permitit etiam excrescere superfluitates: quo fit, vt ex abundantia morbus aliquis procedere non posit: corrumpi similiter non sinit, & ita nihil ex corruptione mali potest oriri: Corpus deniq; adeò tuetur, vt affluentes morbi nequeant in illud per imaginationem aut impressionem intrare. Similiter ex tartaro prouenientes adhærere minimè possunt, & si quid adhæserit antea, prorsum auellitur. Recepta quę proponimus ad vitam longam, non est quod ex communi sensu cupias intelligere, cum nos intentionem tantùm nostram patefaciamus illis, qui bonam artis atque magnam cognitionem habent. *Conseruationis quæ facultas.* *Theophr. quibus scribat.*

Iam practices artem & vsum, quantò breuiùs fieri poterit, explicabimus, etsi communioribus non intelligibiles. His enim solùm scribimus, qui magis quàm communi pollent igenio.

Eius Practica talis est, vt istius conseruationis drachma sumatur vna singulis mensibus semel in optimo vino, si natura non vsque adeò per senectutem debilitata sit. At in declinationem si illa venisset, singulis septimanis drach- *Conseruationis quæ dosis & vsus.*

Conseruationis dosis quibus augeda.

drachma sumatur vna: pariter si nonaginta vel centum anni attingantur, singulis ternis diebus tantundem sumendum erit, vt supra. Summè notandum est, si quis viribus destitueretur virilibus, vt pondus iuxta necessitatem augeatur. Nam vis naturæ hominis in suo gradu virilis est, in vno magis quàm in alio potentior ad patiendum: conseruationibus considerandum venit, eâ de causâ, quam in præcedentibus indicauimus. Aliquoties hominis propria natura tam imbecillis est, vt conseruari nequeat, velut in illis qui bonum à natiuitate fundamentum non habent, neque radicem. Et vt spongia non potest ceu lignum ignem admittere: ita nec illi prout alij bene fundati conseruationem admittunt. Quare licet medicina perfecta sit, tamen ob defectum compositionis & perfectionis in subiecto, quæ requiruntur ad naturam, operatio debilitatur.

De fœmineo sexu pariter intelligendum, interea dum illis confortatiuum hoc adhibetur, menstruum in alteram ætatem non deficere, nec fœcunditatem ad concipiendum & pariendum, dum tamen ex suâ naturâ mulieres ad hoc aptæ sint. Spiritus enim vitæ qui in ipsis est, expellit ab eis quod contrarium existit, & conformat omnia prout oportet.

Similiter de fœtu nondum nato iudicandum est, si nascatur in simili conseruatione, maximè sanam acquirere complexionem contra morbos omnes, & in conseruationem longam.

Vita lōga in tribus consistit.

Cùm igitur vita longa nostra consistat in tribus, vt in spiritu vitæ, qui nobis omnibus vitam conseruat: in humoribus vitæ, qui renouant illum: vnde post modum oriuntur aliæ complexiones & qualitates, non secus ac truncus & rami ex vnâ radice: receptum conseruationis in eo solùm fundamus, & hoc ipso conamur spiritum rationis per naturæ conseruationem ab accidentibus defendere, quæ possent ex complexionibus illis procedere, prout mœstitia vel nimia lætitia, prouenientes ex eis, quæ sunt ex humoribus, quos quatuor ponunt, vt complexiones & qualitates, &c. Item sciendum peculiarem his non adhiberi medicinam: quo fit, vt si spiritus vitæ solus conseruatus est etiam humores alij vitæ conseruati sint, quibus absque defectu quopiã existentibus, inde peruersi nihil oriri potest, vti complexiones. Hâc ratione corpus bonũ ac sanum redditur, & omne quod est in eo. Quo fit etiam, vt spiritui rationis accidere mali nihil possit ex aggrauatione corporis, sed in Esse bono conseruatur & natura, sicuti de visu, auditu, gustu, &c. simpliciter intelligi potest, videlicet ad hunc modum in æquali proportione conseruari. Processum igitur conseruationis, cuius antea meminimus, duâbus viis conscribimus: vnâ de simplicibus: alterâ de arcanis. Quanquam simplicia minimè separata fore cupimus ab arcanis, at illa simul iungimus, cùm per se quidem eiusmodi simplicia virtutes ac vires hbeant admirandas, vt nonnulla quadraginta conseruent annis, alia centum, quòd æquiparamus virtutibus arcanorum quoad conseruationem. Essentiam eiusmodi simplicium tantam ætatem exhibentium arcano haud minorem existimamus, vt *folia Dauræ*, quæ non ante centum & viginti annos mori sinunt eis vtentem, quorum virtutes de naturâ rerum ponimus, & hoc loco pro maiori parte reticemus ob hominum incredulitatem. Non secus flos Sectæ Croæ centum annos adfert vtentibus eo, minoris ætatis & maioris. Horum longè plura sunt non minùs suspicienda, quæ non ponimus hoc loco. Arcana verò maiores conseruandi vires habent, quàm simplicia quæ diximus, eò quòd magis confortent ac nutriant radicales humores illis, nempe simplicibus: non aliter ac caro & herbæ, quæ nutriunt hominem, sed inæqualiter, cum vnum plus virium habeat altero, sic vt natura magis gaudeat illo quàm isto, maiorique id recipiat vtilitate. Receptum igitur conseruationis ad duas vel tres ætates in viris & mulieribus ponimus ad hunc modum, qui sequitur.

Conseruationis processus via duplex.

Simplicia quas vires habeant.

Dauræ folia 120. annis hominē conseruant.

Arcana quas vires habeant.

Conseruationis præparandę modus.

℞. *Florum sectarum* ℥ j.
Foliorum Dauræ ℥ v.
Essentiarum auri,
Perlarum an. ℥ ß.
Quintæ Essentiæ. *Croci*,
Chelidoniæ,
Melissæ an. ℥ v. Mixta simul omnia secundum Artistarum morem, & in compositum vnum, organis vitreis ad vsum, vt supra, seruabis. Hæc medicina sufficiens est etiam ad curam expulsionis morborum accidentalium, qui veniunt in futuris.

Iam de Mentalibus est quod loquamur, cuilibet causæ peculiarem curam assignantes. Morbi siquidem ex mente, vel in mentem venientes rationibus diuersis, inter se differentibus, accidere possunt & inæqualibus, vt meminimus antea. Primò de mentalibus agemus, quibus morbos ex astris prouenientes concludemus. Et quamuis originem & naturam exactè superiorum cognoscere non possimus, cùm nostris inuisibilia sint oculis & suis mansionibus, & per consequens virtutibus: nihilominus de his tantùm loquimur, quæ videmus per ipsa, nec non illorum operationes, quas nobis demonstrant: & iuxta has practicam nostram ponimus, dicentes, eorum operationes in spiritu mentis fieri tantùm (vt meminimus aliàs) sic vt in eis mens nostra mergatur, &c.

Cœlestibus quot modis homo resistere possit.

Cœlestibus cursum impedire suum nolumus neque possumus, sed illis resistendi potestatem habemus, non secus ac murus fortis bombardis atque tormentis, idque duobus modis: non aliter quàm Sol Influentiam in lapidem imprimit, quòd si iacuerit in aqua lapis ille, non poterit in eum Sol vires suas immittere, & hac ratione lapis est præseruatus. Similiter in hominem Influentia dupliciter intrare potest: vno modo per informationem impressa, quæ non potest impediri, tum prout gramen in pratis absque Sole superiorum vegetari crescereque minimè potest, cuius causam alio loco ponimus: pariter est vna quæ nos conseruat & sustentat Influentia, tanquam nutrimentum corpus, non secus & con-

constellationes. Altera quidem est accidentalis, quæ potest nocere nobis impediendo priorem, sic vt in nos exercere suas operationes huiud valeat, vti de Planetis & similibus scimus, contra quos præseruationes & conseruationes opponimus, vt effectus earum in nobis nihil possint. Eiusmodi conseruationes fiunt Planetarum annulis & imaginibus secundum influentias constructis. Quos nos de Imaginationibus ponimus, notandum est: sic vt annuli Planetarum vires atque naturam habeant nos ab accidentibus tuendi, quod ad vitam longam attinet. Verùm non placent variis de causis: Hoc sciendum, influentiam ex mente nempe dirigendam in aliud: prout si Mars perdere me dispositus foret, inclinatióque foret eius in mente meâ, quâ possem in mentis ægritudinem incidere: homunculum exstruo meum, vt illius operatio huius in imaginem transeat, quò liber euadam. Nam in homunculo facilius est subiectum, in quod Planeta cum delectatione suam leuiùs potentiam absque resistentiâ complere potest. Quare se dirigit in facilius, relicto difficiliore, cum vna sit materia per apertionem, ad quam inclinatus est vt meam perdat naturam: ideò sumit exordium à faciliori, sed in eo satiatur ac manet. Quamuis causæ plures huius assignari queant, quas non adducimus, cùm ad conseruationem in vitam longam sint inutiles.

Homunculi quæ vis sit.

Hâc via Mentis igitur fit conseruatio, videlicet vt superiora torqueantur in aliud minùs resistens, vt animo liberemur à superiorum graui iugo, per quod sæpiùs mors irrumpit.

Contra Incantationes etiam aliquid proponere volumus, ne per eas vita longa nobis adimi queat. Eiusmodi remediorum aliis multis locis meminimus, non tamen quòd conseruationes existant, sed curæ potius Incantationum. Idem autem hîc intelligimus, quod suprà de Mente ex astris peruersis, ad eundem scilicet modum Incantationes auertendas esse, vt Influentias priùs in homunculum. Similis operatio fit per contrarium, quæ mentes nostras, ac membra mentalia, necnon entalia nostra constringit, cuius fundamentum est in animo nostro, prout de incantationibus dicimus: in aliud subiectum etiam dirigenda est, & non in illud quod habemus de astris, sed ad incantationem suam in hunc modum. Homunculum ex cera iuxta meum vsum exstruo, quem suo loco repono. Iam quicquid incantatiuè contra me attentabitur, id in hac imagine complebitur. Nam ex mea mente id progreditur, item & Incantatione ex sua mente, sic vt mentes concurrant, & ab vtraque parte nihil in alterutram damni fiat, aut operationis. Iam hac forma declarauimus per imagines incantationibus resistendi præueniendique modum.

Incantatio vt auertēda per homunculum.

Homunculi preparatio & vsus.

Non secus imaginatio per contra directam imaginationem destruitur. Accidere potest, vt per alterius imaginationem occidar: talis imaginatio quæ compleri debuisset in me, torqueri debet aliò, ne sanitas & longa vita mihi per eam adimantur, quod hoc exemplo sic declaramus. Si quis inimicitia maxima contra me sic foret affectus, vt summo desiderio mortem assiduò meam optaret, nec esset incantator, sed inuidentissimus inimicus, quod quidem ignotum foret mihi, ac eius contra me pessimus animus occultus: Ego verò contrà, pono meum animum in suam requiem quam maximè possum, hac ratione vindictam quærens, vt nemini sim infensus, nec alicui noceam: propter eiusmodi pietatem, inuidia magna hæc adimpleri minimè potest, quæ contra me dirigitur. Est itaque pietas contra prauas imaginationes maxima summáque conseruatio, quæ fieri queat.

Imaginatio vt per imaginationem auertatur.

Pietas summa conseruatio cōtra imaginationem.

Æstimatio quoque pariter operari potest, quæ est in nobisipsis. Vt quùm æstimo plùs quàm mea ratio ferre potest, mihi talis æstimatio, rationis meæ submersio erit, sic vt cum æstimatione rationem amittere possim ex inordinata permixtione, prout etiam de æstimatione diximus alibi. Contra similes æstimationes optima conseruatio est, rationi plura non imponere quàm ea ferre possit, qua via tales æstimationes adimplentur. Aliâ conseruationem ponimus: vt quum de Deo æstimaremus, quod rationem superaret nostram, ad homunculum contra astra positum confugiamus, qui est eiusdem naturæ, cuius & nos sumus, & ita speculatio nostra superflua transit in homunculum, quæ nos corrumpere posset. Nam ibidem nulla resistentia fit, quin eiusmodi speculationes sine damno compleantur, ex repartitione sensuum existentium in me & in homunculo, cùm differentia perfectionis & imperfectionis.

Æstimatio vt cōseruetur.

Per æstimationes & imaginationes adimplentur multæ superstitiones, quæ non sunt impressiones, non incantationes neque æstimationes, sed superstitiones, exemplo simili quidem intelligibiles. Hac superstitione me pono imbutum, vt quum super tecto meo crocitare coruos audiam, indicium fore mortis alicuius æstimarem (similia multa reperiuntur exempla non recitanda) superstitio hæc ægrotum reddere me potest, aut ægrum occidere, cuius causam ponimus de Superstitionibus. Mea conseruatio hæc est, nempè vt eiusmodi crocitationem credam esse naturalem, & non iuxta stultam opinionem hominum & meam operari: hoc ipso iam superstitio mea destruitur: nam in dubio posita est cum stultitiæ meæ tribuo. Nihil enim superstitiones magis destruit, quàm considerare ipsam meram stultitiam esse. Ita iam ablata noxa erit. Nam consensus facit actum, qui hac ratione labefactatur, dum simplicitatem considero meam, & fatuitatem inanis eiusmodi fidei. Nec solùm de coruis id euenire solet, verùm etiam de aliis omnibus, hoc loco de vita longa recitatu minimè necessariis, nec vtilibus. De conseruationibus satis hactenus dictum sit.

Superstitionis quæ cura & conseruatio sit.

Quod autem de his difficulter intelligimur, hoc solùm illis accidit, qui nec nos, nec naturam ipsam percipiunt, in quibus momenti tamen nullum situm non est. Nam

qui

qui non intellexerint nos, de vitâ longâ, nolumus eos docere clariùs. His tamen qui fundamentum habent, processus nostros scripsisse, nec non abundè satis aperuisse nudéque detexisse volumus.

Conseruatio vt fiat per cibum & potũ. De cibi ac potus regimine si quid scribendum est, hoc solùm ponemus, quod ad vitam longam facere scimus, reliquum locis aliis & alio modo tractandum reseruantes. Primò sciendum vtique cibos iuxta processum alium, veluti cum Medicinâ præparatos esse debere, vt possint superfluitates humorum expellere, qui latent in corpore, necnon in eo crescunt. Isti per conseruationem cum cibo & potu prorsum auferuntur. Postmodum scitu necessarium est, internarum ægritudinum omnium curas conuenientibus medicamentis accelerandas ac promouendas esse, vel etiam 5. Essentiis. De morborum originibus, & medicamentis hîc nihil ponimus, quòd in Physicâ multis locis exstent: hoc solùm tradimus, quòd ad vitam longam regiminis optimus ordo sit, moderata diæta, quam non declaramus, cùm vnicuique medico satis illa nota sit. Diæta vitæ longæ mater. Vnicum hoc addemus, videlicet à sua separandos esse immunditia cibos, vti de separationibus elementorum docuimus. Separatorum eiusmodi ciborum vsus cum moderata diætâ, vitæ longæ miram sustentationem & conseruationem exhibet, carnem atque sanguinem instaurat, vt morbus nullus per cibos externos corpori damnum adferre valeat: quod quidem alij cibi & potus minimè faciunt. Ciborum eiusmodi separationis vsum, ad vitæ longæ fundamentum pro illis ponimus, qui vitam longam viuere cupiunt, multis de causis, hoc loco scriptu minimè necessariis. Hoc affirmamus hîc, regimen esse, quo sanguinis & carnis complexiones aluntur. Conseruatio tamen ad vitæ spiritum, & eius humorem pertinet. His regimini vitæ longæ fecisse satis nos arbitramur.

Separationes autem ciborum & potuum in Archidoxorum nostrorum tractatu descibimus de Separationibus Elementorum, & puri ab impuro: similiter de Regimine ponimus ibidem, quod sit id ad vitam longam optimè commodissiméque tenendum. Hoc loco non repetimus quod de illo satis abundè scriptum sit alibi.

Qui tamen aër, & quæ terra nec non elementa meliora sint, ad hunc modum indicabimus, videlicet in ignis elemento, nullum aquaticum oriri posse morbum, nec è contrà: sic de terra nec non aëre idem etiam est intelligendum. Item quod in igne viuit, liberum est ab aliis infirmitatibus, præterquam ignis.

Quapropter consideranda venit, & in vsum assumenda necessariò est æqualitas aliqua mediis ex elementis petita, in qua vita longa sit. Quod quidem in labore Sophiæ tantùm consistit, in quo fiunt operationes Elementorum cum virium suarum perfectione, sic vt conclusus ignis homini morbos omnes adimere valeat, ac ab eo pellere nec non quàm longissimè arcere. Labor Sophiæ est alter paradisus. Laborem Sophiæ tamquam huius mundi paradisum alterum existimamus, in quo morbus nullus pullulare potest, nec manere, nullum venenosum animal habitare, nec intrare: neque sanitas vlla corrumpi. Hoc optaremus à Domino Deo nobis concedi videlicet, vt liberè, ac sine Idiotarum contemptu de labore Sophiæ liceret scribere ea solùm, quæ nos docuit experientia. Verùm propter istos nobis tacendum est cum patientia de miraculis, & magnalibus Sophiæ Laboris, in quo terra  reseruatur. Cum igitur ea tacere nos oporteat, in secretis nostris ista describere dumtaxat volumus, vt in perpetuum nobiscum sepulta maneant absque termino vitæ. De vita longa dictum sit hactenus, pro nostris ac illis Philosophis, qui felici nec non subtili sunt ingenio prædit.

Finis Libri de Vitá longâ.

THEOPHRASTI EX HOHENHEIM VTRIVSQVE MEDICINÆ DOCTORIS, DE VITA LONGA, Liber Primus.

CAP. I.

Argumẽtũ quod huius libri. Vita quid sit. SI de Vita longa Theophrastum philosophari fas est, Necessarium primò, scitúque dignum, quid vita sit, existimo, maximè verò immortalis: quem locum Prisci prorsus integrum reliquerunt, credo incognitum, aut non satis intellectum. Hinc est cur alteri solùm, mortali scilicet, consultum voluerint hactenus. Verùm vt tandem quid vita sit, definiam: Nihil, me herclè, vita est aliud, nisi Mumia quædam Balsamita, conseruans mortale corpus à mortalibus vermibus & eschara, cum impressa liquoris salium commistura. Præterea vita nostra, vita nempe longa est, quam nec spiritus, nec lumen naturæ breuem esse aiunt. Ignorantium verò breuis, cum arte longa. Vitaquorum sit breuis, & longa. Breuius arte quid? Vita verò quid longius, inter mortales saltem non superstitiosos? Porrò diutius, sanis, viuaciúsque quid Balsamo? Velocius, debilius, mortalius corpore Physico quid? Temperamentum quippe est breue à longo, & à breui rursus longum. Cur longa igitur vita & cur breuis? Veruntamen ea vita, quæ supercœlestis Physica, apud nos canones non habet, nostræ auctoritatis pompa, mortale solùm corpus indicat, ac regulatur (vt sic dixerim) ab arte in tertium vsque terminum, imò quartum etiam & quintum. Hæc de viuo. Mors quid. Quid inde de morte? Mors namque quid est? Nihil certè aliud, quàm balsami dominium, Mumiæ interitus, salium vltima materia.

Quibus ex immortalibus separatis à mortalibus, mortalium membrorum transiturum inducit regressum. Hæc itaque est vita longa ab exordio dicta. Hæc etiam est vita breuis, de morte videlicet dicta. Mors apud nos mors est, non vita. Longior verò hac morte ars. Hæ res vitæ dissolutiones, digestæ quoque separationes puri, longæ & sanæ, cùm mortalis, tum immortalis, quam dies natalis coniungit ac copulat, idque ab vtrisque corpo-

ribus. Nam omnis coniunctio rerum mortalium, maximè diuersarum, adfert secum dissolutionem. Quemadmodum omnem coniunctionem rerum naturalium, & earum quæ præter naturam sunt, sequitur dissolutio. Sic vitæ quæ coniuncta est, comes est dissolutio. Mortis enim causa bellum empiricum est, non aliud ferè, nisi duellum quoddam, ductum à mortalibus & immortalibus. Atque hoc est planè quod dicitur, Pugnat quisque pro patriâ. Morbus verò quasi ia lulum, & Anthos belli lorica, præter lites in his, quid aliud? Hinc est huius mali fons & origo, generatio morbi, quam continuò insequitur mors. Ex quibus facilè colligere licet, quid vita sit tum mortalis, tum immortalis. Quâ ratione vtraque conseruari debeat, id quod infrà etiam in fine Physici corporis latiùs patebit.

Morbus quid.

CAPVT II.

SVpradicta omnia vt clariùs innotescant, principiò de Physico corpore dicendum esse existimo. Omnium quippe quæ tractantur per nostra argumenta, sustentatio, Physici corporis causa est. Atqui generalis quidem praxis in Physico corpore in hunc fieri modum oportet. Principiò considerantur partes eius, & hæ ex locali anatomiâ per locum totius Physici corporis cum intellectu medullarum, conditionum, vsus ligamentorum, formarum ossium & cartilaginis, neruorum, carnis proprietatum, septémque principalium membrorum virtutum, idque vniuersum, vt quid acturus sis in Physico, teipsum intelligas ad hanc regulam. Principiò oportet probè cognitam habeamus vniuersam rationem atque naturam, cùm Physici corporis, tum Physicæ vitæ. Corpus siquidem vitáque physici, mortales. Ex mortali verò nihil potest elici, quod pariat vitam longam, sed ea quæ possunt haberi ex his, sanum reddunt corpus, & sic neque corpus, neque vita mortalis, in hac nostra monarchia debent considerari pro sententia Arcani, vel Elixir. Extra namque corpus est vita longa, & à corpore conseruatur, corpúsque inferius ab eâ. Præterea interueniente corpore, exoritur dissolutio vitæ vtriusque. Vbicunque enim mortalitas non est coniuncta immortalitati, illic dissolutio esse nequit. Hoc loco plurimum laborauit empirica Musa, & Sophistæ Medici, Spagyrorúmque, quâ scilicet ratione corpus tanquam balsamum conseruarent, ne causarentur mortem, cùm balsamum sit vitæ Mumia, non corporis, haud memores interim in vita mortem non esse. Nihil enim aliud vitæ mors est, nisi dissolutio quædam ab immortali, quæ vbi accidit, tum demum moritur corpus. Atqui huc omnia sua excerpta retulit Hippocrates, corpusculúmque illud præ manibus sumere, tanquam subiectum longæ vitæ, & mortale mortali conseruare decreuit: cùm in eo nulla vnquam fuerit vita, quæ ex illius fonte manârit. Corpus enim creatura est, at non vita, nihilque minus mortis filia. Igitur ex Archâ ea descendit, quæ est immortalis. Non prorsus referenda est, inquies. Hippocratica Musa, ad mortalitatem. Esto; at multò faciliorem viam ad sanitatem inuenias, quandoquidem è

Mortale immortale nihil facit.

Vita longa res est extra corpus.

Vitæ mors quid sit. Hippocr. tagitur.

Vita non est creatura &c.

superis descendit Magnale istud. Nihil enim præter ea quæ creaturæ sunt, Hippocrati tribuit Deus, imò nec ei ea plenè, quæ creaturæ sunt, insignia Mysteria dedit: sed ad rem. Huic corpori Deus adiunxit aliud quoddam, puta cœleste, id quod in corpore vitæ existit: de quo THEOPHRASTVS Ego: Hoc opus hîc labor est, ne in dissolutionem quæ mortalium est, & huic soli adiuncta, erumpat. Etsi in corpore isto caduco accidere potest dissolutio, atque adeò colligi ex ea amissio cœlici corporis, tamen vitæ longæ obesse nequit, propter restaurationem, quæ subinde fieri debet, vt prorsus omni defectu careat corpus. Sicut enim ignis tantisper, dum ligna adsunt, viuit: sic vita longa dum adest corpus ex archâ; quod corpus vt corpus conseruandum est, interueniente corpore, quod extrinsecus conualescit. Inde enim conseruari potest. Nihil enim aliud est corpus, nisi subiectum, in quo longa vita corporis æterni gliscit.

Corpus Physicû cœlico sustentatur.

Corpus quid sit.

CAP. III.

HActenus de Physico corpore: nunc quâ ratione materiam huius ab omni corruptione conseruari oporteat dicendum. Principiò, quicquid in seipso corpus corrumpit, idem alieno corpore est recuperandum, ita, vt monarchia Spagyrorum non admittat peruulgatam balsami naturam, qua corpus conseruare laborat. Sicut enim fieri nequit quin lignum absumatur igne: ita fieri non potest quin corpus aliquando corrumpatur vita. Quare minùs admittendi sunt Essentialium rerum periti, qui longam vitam balsamo comparari autumant. Cùm potiùs hęc sit natura balsami, vt corpus à corruptione eiusdem conseruet, ne in corpore vacuum insit. Nam omne vacuum eius loci morbus est, siue ægritudo in corpore, & quasi atrophia quædam vitæ longæ. In perfecto enim corpore locum habet vita longa: In imperfecto, in continuum defectum ad mortem vsque dissoluitur. Scimus enim physicum corpus sustentari posse à morte, & illud ipsum ex vi suæ mumię innatæ. Hæc ad vitam sanam, non longam, qui terminus pro physico est corpore. Operę pretium autem est, antequam vitam longam declaremus, sanam vitam exhibeamus ac præstemus. Sunt autem illa, quæ à morbis defendunt. Vt in Persico igne perit membrum non citra dispendium vitæ, quandoquidem iste morbus membri est mors; deinceps causa vitæ cordis, & hoc ab accidente, potest tamen & per physicum balsamum tolli. In Mola & Herniâ eleuatur vita longa tantisper, dum desinit idem humor. Similiter in carbunculo, & saphyro plus æquo gliscit. Obseruandum igitur est corruptionem à corpore auferendam, & quod in vita longa exarsit, in refrigerium denuò redigendum. Quare hoc loco Specifica Naturæ, quę in hoc sunt adornata, corpus vndecunque morbo confectum, muniant necesse est, id quod Medicorum esse debet. In vitâ autem longâ nihil eiusmodi requiritur. Leonina enim ad vitam longam, ex æquo cum eo, qui à morbis alienus est, potest reduci. Similiter Lithiasis & Tympanites: sed hæc de vita longa. Nunc ad breuem vitam (Testalem, scilicet)

Balsami natura qualis?

Vita quibus seruanda.

Testalis vitæ &c. remedia.

scilicet) Quicquid in Hyposarcha sustinet corpus, interueniente præcipiolo administrandum Rustenna ænea in epilepsia. Perla grandis in gutta. Sardiniana in matrice, & in id genus aliis. Tesiana in Thyra: Thutia in ophthalmia; Perstitella in Erisypela externa, Hypericon in aliis offensionibus. Hæc atque alia, quamuis probè confecta & absoluta, nihil tamen prorsus ad longam vitam faciunt, sed in hoc solùm adhibentur, vt conualeat corpus. Parui enim refert, quod ad longam vitam attinet, consulatur febribus necne, Ephemeræ, Causoni, Phthisi, Ethicæ, & id genus aliis. Tantisper enim dum spiritus naturæ manet, corpus cœleste seruat, manétque vita longa vnà cum cruciatu morborum. Hîc non præstò est mors. Quatenus enim corpus in tutelam medico committitur, mors est, at non cœleste corpus. Ex corpore autem diffluit venenum in vitam, quam adeò accendit, vt prorsus in Escharam erumpat, quandoquidem à corrosiuis mors ducit originem, & arsenicale in vniuersum quoddam Realgar est, ideò nec desinit à naturâ veneni, quousque satisfaciat suæ naturæ, donec & reddat consumptum corpus, idque tamdiu, vsque in Escharam incineratum conuertat, nec post finem cessabit à suâ malitiâ in eâ. Quare duplex praxis aggredienda est. Hæc, vt vitam conserues: alia vt reprimas corpus, ac places & idipsum in dies propter corruptionem, quæ quotidie accidit.

Vita corporis cõtagione afficitur.

Vitæ longæ praxis duplex.

CAP. IV.

CVm pro naturâ creationis corpus & eius physica vita tanquam vna pars in compositionem formæ transit, & quia physicum corpus dimidium est, cum cœlesti totum: plus igitur medico considerandum, vnde & ex quibus maior homo conseruandus sit. In maiore siquidem vitâ consistit vita longa: At in minore, mortalitatis subiectum, & hoc inseritur iuxta prædestinationem, cùm corpus, tum vita cœlestis physico corpori, quæ velut indiuiduus comes sequitur hanc coniunctionem. Ex quâ quidem de prædestinatione sciendum, quòd quæ innumera sunt, aliud coniunctio, aliud oportet, aliud rerum esse, aliud vita, aliud mors, omnia tamen illa absque prædestinato termino vel puncto deputato, quandoquidem sub manu priuilegiatâ hunc tenere conditor decreuit, vt statutum apud se habeat, possitque absque reuocato iudicio liberè, quod vult, quódque visum est, disponere. Porrò redactâ coniunctione aliâ harum duarum formarum, naturalis videlicet, & eius quæ præter naturam est in formam naturæ, idque omnino in cellâ matricis elicitur, genitores duos, filium vnum, genitrices etiam duas, & filiam vnam, has quatuor personas gignere. Parit hoc semen cœleste cum mortali id animal, quod genitum apparet, elementale semen & super cœleste simul. Nam hoc loco verè operatur corporale semen, id quod in prædestinatione ductus naturalis conseruari oportet. Ea autem quæ præter naturam est forma, in primis considerari debet, ita, vt per illa etiam, quæ præter naturam sunt, seruentur. Sic duplicium bonorum hæres inscribitur puer, Naturæ & Essentiæ, quæ à natura existit, iuxta præscriptum creationis quæ simul oboritur, idque ab eo, qui præter naturam est, parente, qui corpus regit ac gubernat. Ex duobus, quippe his parentibus superius sequitur matrimonij coniunctio diuinitus. Nam Adamus neque ex creatione est aliquid adsequutus, neque ascendentibus signis, neque aliis rebus obnoxius factus. Nihil igitur ex Astris quatuor cum homine participes. Indiuisa sunt enim astra & homuncula; sed ex eo quod præter naturam est vitam longam accepit. Verum vt habeat medicus, quod vsurpet, neque passim sequatur imperitorum nugamenta, qui frigidissimè hâc de re scripserunt, principiò admonendus Medicus, vt plus ad ea, quæ præter naturam sunt, quàm ad ea quæ secundum naturam fiunt, animum adiungat: Deinde vt prædestinationem pulcrè calleat. Ex hâc enim tanquam ex fonte potius scaturit ea Monarchia, quæ præter naturam est, quàm specificum & Qualificatum. Atque hinc est peruulgatus ille error, quo non pauci inducti, sic statuunt consulere corpori, vt multò plura corpori, quàm quæ corpori sunt tribuant. Hæc vt clariùs innotescant, similitudinem hanc cape. Videmus in eo quem somnus oppressit, vitam naturæ duntaxat inesse, fatúmque spirituum cum eo colludere vnà. Vbicunque igitur præsens vita existit, non plenè, atque adeò citra vim existit. Ea quamuis mortua sit, quia non operatur, tamen corpori insita est. Item in eo qui iugulum gladio præbet, ictus vitam longam aufert. Quicquid porrò in corpore subsultat viuum adhuc, ingenita vita naturæ est. Hæc prorsus non est obseruanda, sed ea quâ corpus reuiuiscit. Præterea vita longa tanquam homo existit nobis, vt igis ligno insitus, quo redintegrascit homo.

Corporis physici quæ ratio generationis.

Medici est, plus considerare quæ præter quã quæ secundũ naturam sunt.

Vita hominis ignis similis.

CAP. V.

SEd vt magis dilucidè appareant ea quæ de parente diximus, qui præter naturam est, & naturali iuxta præfinitum insitus. Quæ causa est duplicis vitæ, ac corporis Naturalis, & eius, qui præter naturam est, parentis. Ex quibus facilè liquet hominem duplici semine nasci. De his omnibus sic breuiter habeto. Iam inde ab Adamo immutata est complexio vnà cum naturâ generationum in carne, propter importunas & intempestiuas operationes personarum in earum natura contraria. Palam enim est; neque melancholiam principiò nobis ingenitam, neque sanguineum, neque cholericum, neque phlegmaticum fuisse. Ex melancholia enim & cholera, similiter ex aliis, nulla vnquam orta est plena complexio. Nam semine contrario semel confuso periit vnà natiua complexio: adeò, vt nemo cholericus plenè ac perfectè dici possit. Quod si sola, & in gradu suo permansisset, porrò etiam apud nos præcelleret cholera. Quare medicus prorsus de quatuor complexionibus nihil sentire debet. In Adam enim non fuerunt, multò autem minùs in eius prole, & nec simul consistere possunt ista quatuor inter se diuersa. Præterea sicut interueniente partu intempestiuo singulæ complexiones corrumpuntur, & id

Complexionatus homo nõ est natus.

Complexio Medicis negligida. Complexio quid sit.

id ipsum non sine iacturâ liberorum (quid enim est complexio? parentis natura est, idque sine calido vel frigido, nigro, vel albo) sic etiam in eo, quod præter naturam est, corpore, semen quoddam hæreditarium existit. Et si duo eiusdem complexionis homines copulantur, tamen supernaturale semen, sub quo cùm sapientia, tum vita delitescit, nunquam verè coniungitur. Duplex ergo est matrimonium, aliud quod humana ratio persuasit, aliud quod Deus coniunxit. Illud proprè matrimonium non est, nisi quatenus oculi & captus naturæ sinunt. In illo, quamuis vndecunque dispiciat homo, quod sibi ac pueris prætexat, spiritum Dei qui eos copulârit, requirat, honestũ prætendat, nihil tamen nisi hypocrisis est. Argumento est subinde noua mutatio locorum. Hoc autem quod Deus coniunxit, propriè matrimonium existit, & ad vitam longam refertur, propter diuortium, quod hoc loco accidere nequit, id quod nemo nisi interuenientibus liberis, intelligit. Propterea multi, vel in vtero matris sunt sanctificati. Hi sunt, quos Deus copulauit, vt eam, quæ fuit Vriæ, & Dauid, quamuis ex diametro, (sic enim sibi humana mens persuadebat) cùm iusto & legitimo matrimonio pugnaret hoc. Quia tamen vterque præter id, quod naturæ erat, quasi hęreditariò vitam longam adeptus est, propter Salomonem, qui aliundè nasci non potuit, nisi ex Bethsabeâ, coniuncto Dauid semine, quãuis meretrice, coniunxit Deus. Adeò quicquid est præter naturam, velut naturæ thesaurus est Deo commissus, id quod apud Spagyricæ artis peritos palam est, vitæque longę mirum in modum consentaneum. Hæc prescribuntur in hoc, vt quæ præter naturam sunt, physico plenè appareant.

Matrimonium duplex est.

Bethsabæ cur Dauidi iuncta.

Præter naturalia Thesaurus sũt Dei.

CAP. VI.

Diuisâ igitur duplici praxi, alia in physicam aliâ in longam vitam, quatenùs vtriusque inciderit vsus, ex fine indicabit physicus. De hâc autem vitâ, quæ præter naturam est, qua de in præsentia loquimur, videndum num fieri possit, vt aliqua ratione adsequamur illam in physica vita, quando extra vires, quæ secundùm naturam sunt, existit, & sub illa longæ vitæ arcana delitescunt. Nam hoc loco palam fiunt impressiones, quæ præter naturam sunt, vt vt scilicet in supernaturalem vitã simul concurrunt, vt vt etiam firmamentum in corpus, quod secundùm naturam est, concurrit. Et si Impressiones supernaturales appareant, tamen obscura est illarum cognitio. Hinc est cur Impressiones ab aliis dici cœperũt, ab aliis incantationes, ab aliis superstitiones, ab aliis aliter iuxta præscriptũ Magicæ artis. Nam ex his fluit ea, quę Græcis Magiria est, ea præter Impressiones, quas Incantationes & superstitiones appellant, aliud nihil tractat, & idipsũ in corpus supernaturale. Quare operepretiũ est de corpore supernaturali in impressionibus suis loqui. Cũ totã Magiã ab Astronomis etiam in alienum vsum torqueri videam, & perperam ab omnibus applicari superstitiones, & pharmaceutriam quandam. Quemadmodum Necromantiam & Nigromantiam, hûc omnino retulerunt, vt vtraque Idololatria quædam esse credatur. Quæ, nisi interueniat Influentia, prorsus silescunt. Quamuis enim quaqua versum respondeant, aut loquantur Manes, tamen non nisi ea, quæ præter naturam est, Influentia interueniat, accidit: id quod perperam impostura Satanæ creditur: quia impossibile hoc sit homini, cùm facilè assequi liceat, vt in Exorcismis Phantasticorum spirituum fieri videmus. Nam tota Cabalistica Magia hoc in se claudit, vt palam faciat corpus, quod secundùm naturam est, à corpore quod præter naturam existit, & nobis velut imago insitum, sustineri & administrari, vt diuersos & longè dissitos sensus, puta Orientalem & occidentalem æquales, cogitationésque incognitas, cognitas absens reddat. Quanquam difficile admodum sit cognitu his, qui huius artis Cabalisticæ prorsus rudes ac imperiti sunt. Cùm ab his etiam, qui hanc artem apud omnes iactauerunt, longè erratum sit, id quod translatio eorum ex Hebræo & Spagyrorum canones indicant. Quare de praxi longæ vitæ concludimus in hunc modum. Ex Influentia supernaturali non modo Incantationes, verùm etiam imagines, & Gamahæas fluxisse. Hanc quidem Philosophastri in Astra firmamenti retulerunt, & ex carbonibus cœli Martem & Iouem finxerunt, qui corpus illud quod præter naturam est, regerent & administrarent: cùm tamen non sit iis porrò, nisi in res mortales, quæ prorsus nihil ad longam vitam faciunt. Quare ex supernaturalibus corporibus, non naturalibus, elicienda sunt, quibus ad longam vitam vtaris. Tota enim vis illa supernaturalis Magica est, & omnis Magus Influentiam, quæ præter naturã est, vnà cum corpore, sub quo vita delitescit, deprehendit. Corpus, inquam, quod in se gerit homo, inuisibile homini, quemadmodum de generatione habetur, &c.

Cabalistica Magia quid sit.

Influentię & Gamahææ ex influentia supernaturali ortæ.

CAP. VII.

Vt autem exactè intelligas, ex quibus rationibus Incantationes, siue Manes superstitionum considerata sint, & quo pacto hactenus in abusum venerint, vt nec Manes dici, nec Superstitiones debeant: hæc est ratio, quia à protoplasto primum seducit exordium, qui corpus supercœleste & mortale, simul in vitam suam longam coniunxit: reliqui verò, qui memorantur, item: id quod ab aliis deinceps aliquatenus subintellectum, est, iuxta veram tamen rei naturam nondum satis, vt oportebat, cognitum. Eandem enim quoque artem agressi sunt, sed quia longè latéque errabant, sinistro sanè auspicio, hac eis via penitus non successit. Vniuersa namque Phantasia & Imaginatio, principale est ac præcipuum in corporibus supercœlestibus. Quemamodum se corpus mortale in sua conseruat substantia, sic supernum illud, in imaginatiua. Nam quicquid ad phantasiam attinet, ex eo duntaxat est corpore, quin & corpus ipsum est. Vbi sciendum, quod quicunque eiuscemodi corpus supercœleste aliquò coacturus est, probè cognitum habeat oportet, vt imaginationi quidẽ resistat. Quãtò enim frequẽtior est ei corpori cum

Incantationes vnde dici cœptę.

cum mortalibus consuetudo, tantò vertiginosius (*vt sic dixerim*) perniciúsque ea corpus comitantur. Hoc superârunt planè protoplasti illi. Cæterùm posteri illorum, cùm eius nullam habuerint solidam ac perfectam cognitionem, semetipsos infatuârunt & se duxerunt, proque deliris ac stultis, neque id immeritò, sunt æstimati. Præterea etiam corpus illud supercœleste, Astris quodammodo ex igne non vsque quaque dissimile est: ex quibus equidem inuisibilibus, nebula exurgit visibilis. Sic etiam proprietas ac natura corporum est supercœlestium, vt ex Nihilo planè imaginationem constituant corporalem, quod corpus esse solidum existimetur. Eiusmodi est enim Ares, vt si lupum speculatio referat, lupus appareat. Quod quidem vniuersum simile est generationibus ex quatuor elementis, ex quibus aliquid nascitur, quod primo tamen suo nequaquam æquale est, nihilo tamen ob id minùs ipsum Ares in se gestat. Huiusmodi quidem naturam & rei ingenium, rudes illi atque imperiti ex peruersâ artis persuasione toto errantes (quod aiunt) cœlo, cùm penitùs ignorarent, & fundamenti, & ortus eius nescij, Manes quasdam esse finxerunt, quas alij quidem Fatum appellârunt, posteriores verò Incantationes & Superstitiones. Ex hisce namque super cœlestibus corporibus, tàm Nigromantia, quàm Necromantia, suam ducit originem: similiter & Geomantia quoque & Pyromantia, Hydromantia, & ipsa denique Speculia. Ad hunc itaque modum & virgulta efficiuntur: & ex hâc eâdem virtute se clauis quoque vertit, cribrúmque & eius generis, quæ de superstitionibus continentur, innumera alia.

Ares naturæ quæ

Ares est natura prima rerum.

CAP. VIII.

SEd vt Physicus omnia habeat planè, ac perfectè, videamus exempla seniorum, qui in hâc Magiâ plurimum laborauerunt, vt adsequerentur vitã longam, & idipsum citra omnẽ admistionem Hermaticæ repuerascentiæ, citráque artem Spagyricæ Experientiæ, quæ solius est corporis. Videamus ergo ætatem Adæ & Mathusalem, qui bona pars sunt principiorum Magicæ artis. Quanquam hoc vulgo persuasum est, maximam ętatem habuisse protoplastum, minimam habiturum hominem.

Spagyrica experientia in quo cõsistat.

Postremum id quod efficax argumentum est in scholis eorum, nullo tamen pacto approbari debet, quemadmodum de ætate virorum habetur. Tantæ ætatis Adami causa fuit Magia, ex cuius Influentiâ semper vixit. Miseram ergo & posteris semper deplorandam mortem Adæ: non tam propter lapsum, quàm propter scientiã, quæ vnà cũ illo interiit, qui Spiritũ summę vitę præter, id quod naturæ erat, solus retinuit. Itidẽ de Mathusalẽ, qui proximus Adæ fuit, iudicandũ. Quamuis alij non ignobiles viri maioris ætatis fuerint, vt Moses, qui centum & viginti annos compleuit, at non pro ratione Magiæ, sed potius physicæ vitæ, cui natura quædam valida ità fuit coniuncta, vt istuc ætatis nullo negotio attingeret. Iterum alij complures, quorum nomina hoc loco referre longum est, id quod etiam apud nos, vt ad nostra tempora veniam, heri videmus, & porrò etiam videbimus, vsque in finem mundi. Alij, qui 150. annos transmiserunt, secundùm Magiæ verò naturam vixerunt. Sunt etiam qui plura transegerint sæcula, quàm pro ratione naturæ credi par sit: idque adiunctâ vi Naturæ, quæ planè in metallis, cæterisque, rebus, quas Mineralia vocant, existit, quæ corpus supra complexionem & qualitatem ingenitam erigit, ac conseruat. Cuiusmodi est Tinctura, & Lapis philosophorum, quod (&c.) ex Antimonio elicitur. Similiter Quinta Essentia, quemadmodum in eorum præparationibus habetur. Hæc atque alia complura Spagyricæ artis Arcana reperiuntur, quæ corpus senectute confectum pristinæ iuuentuti quaqua versum restituunt, & ab omni ægritudine liberum reddunt, id quod huius monarchiæ peritis constat.

Longæuitatis Adami causa fuit Magia.

Longæuitatis Moysis causa fuit physica vita.

Tinctura, &c. Lõge vitę hodie causa.

CAP. IX.

EST insuper alia ratio longæ vitæ cõseruãdæ, quam Mahumet secundùm Magiam populo suo præscripsit, & multis ãnis donauit, neque id ipsum ex Deo, sed ex eâ, quæ præter naturam est, Influentiâ. Hanc praxin quia Mahumet tanquam Magus imperito vulgo non sibi, aliquandiu exercuit, nomen immortalitatis meruit. Archeus aliquot annos supra centum seipsum conseruauit, id quod sibi vitio versum est, & inter idololatriam relatum. Ex æquo enim cum tribus Magis illis Sabæis, qui Magicâ non naturali, vi equorum ad Bethleemitas venerunt, Cabalisticæ artis peritus fuit: non solùm in eo, quod vitæ longæ erat sed eius etiam, qui præter naturam est Intellectus. Hęc omnia ex supernaturali Influentia, quæ corpus regit atque gubernat, fluunt. Hos Magos postea sunt secuti, qui se falsò hoc nomine penè deuino vendicarunt, inter quos fuit Hippocrates, qui filiã suã quam maluisset in præsenti forma perpetuò permanere, extra naturalem Influentiam in corpus ab omni Natura alienum transformauit, id quod euidens argumentum Incantationis esse potest. Eodem modo Serellus longam vitam retinuit, & Metamorphosi naturę animum adiunxit. Istorum origo & scientia suis locis indicabuntur. Porrò in conseruatione eius, quod pręter naturam est, corporis, plerique fuerunt ęquales Mathusalem, sed in transformationibus longè errauerunt. Nam operatio eorum in Phantasticum corpus abiit, propter inscitiam rerum Physicalium. Quare multi sunt, quorum vita longa in nouissimum vsque diem existit: fiunt tamen eiusmodi metamorphoses citra longam Vitam. Quemadmodum in Lupis marinis accidere videmus eiusdem vitę cum reliquis Lupis. Id genus animantia, si pristinę formę restituuntur, mortalitati rursus obnoxia fiunt. Similiter & de corpore Phantastico iudicandum, interueniente cibo, aut hominis osculo. Hęc omnia Delticę Impressioni obnoxia fiunt. Priusquam tamen in Impressionem Delticam abeunt, non adest mors, nisi quatenus Phantasticum corpus admistum admittitur: id quod narcoticam formam gignit, perseuerantem in annum Ignis. Prætereà vixerunt multi vitã alienã, idq; iuxta prescriptũ Delticæ

Hippocr incantatione filiam suã transformauit.

Serellus longæuus.

Corpus phantasticũ &c. Deltica Impressio. &c.

Delticæ naturæ, inter quos fuit Styrus, qui cum de vitâ laboraret, robusti cuiusdam adolescentis; qui cum forte assistebat, vim atque naturam attraxisse dicitur: idque per Imaginationem sic est consecutus, vt sensus, cogitationes, denique animus ipse in alium transferretur. Per hanc imaginationem Archasius vniuscuiusque eruditi atque prudentis hominis scientiam atque prudentiam attraxisse dicitur. Tanta est vis animi, in quo supernaturalis ille vigor existit, vt aliquoties ardenti atque adeò gliscenti concupiscentiæ satisfiat. Hinc est contemptus ille Imaginum & Gamahæarum apud eos qui ad internecionem vsque hàc Imagine sunt abusi. Hinc sunt verba illa, characteres, signa, formæ ac figuræ manuum, imprecationes atque orationes, quæ potissima sunt causa Incantationis, atque edeò verborum, quæ vulgò ad vulnera cæterósque morbos adhiberi solent. Denique quicquid in hanc formam fieri potest, vi eius, quod præter naturam est, corporis nobis insiti fit. Porrò ex his quæ præter naturam sunt, impressionibus, erumpunt etiam Astra firmamenti, Venus & Saturnus, cæterique Planetæ, ita vt ea, quæ præter naturam est, Influentia, astra inferiora regat ac gubernet. Quicquid ergo in Gamahæâ & Imaginationibus fit, accedentibus Planetis ac signis, totum hoc quicquid est, ad superiora signa referri debet. Quare quæ caduca sunt corpora, atque adeò morti obnoxia, supernaturali illâ vi, à morte liberari facilè possunt. Donauerunt præterea Venus & Saturnus, Mars atque Mercurius, in superiori firmamento cursum suum exercentes, plerosque mortales immortalitate, & idipsum citra vllam operam humanam, accedentibus Imaginationibus. Ex quibus non pauci cùm in aquis, tum etiam in terris existunt visibiles & inuisibiles. Quorum aliqui per Delticas etiam Impressiones eò peruenerunt, neque prorsus Nymphæ: quemadmodum de generationibus animalibus habetur. Hactenus de his. Reliqua quę hoc loco requiruntur, alibi in Archidoxis indicabimus. Nunc ad duplicem praxin longæ vitę, in quâ, quæ ad Spagyricum attinebunt, plenè dicitur.

Styri historia.

Archasius, &c.

Corpora vt immortalia fiant ab Astris.

FINIS LIBRI PRIMI.

DE VITA LONGA
LIBER SECVNDVS.
CAP. I.

IN superiori volumine, quæ de vitâ longâ tractauimus in genere, hîc in specie tractabimus, puta singularem quandam medendi rationé, id quod interuenientibus Arcanis specificis, & id genus aliis fieri consueuit, & extra vitam longam, vt in Apoplexiâ, Vulneribus, & id genus aliis. Integram enim, atque adeò sanam vitam longæ præferas necesse est, vt innotescat fundamentū, cui omnis valetudo vitáque longa innititur. Est igitur huius secūdi libri status, ac summa, vt integra vita conseruetur, neque vnquam in corruptionem erūpat. Hinc est cur primo loco Virtus Arcani, deinde natura Balsami requiratur. Nā vniuscuiusq; Arcani comes est sanitas. In hāc sentētiā subiectū vitæ longæ accipias oportet. Bifariam ergo distinximus librū secundum: Aut enim firmum est, aut firmum corpus. Si firmum, in eâdem valetudine conseruandū est: Sin infirmū, aut aliqua ratio ægritudinis in illo delitescit, singula genera vnà cū speciebus ad insigné aliqué canonem medicum, quem *Magisterium* vocant, reducas oportet. Ea est singularis medendi ratio, quamuis multo iustiore nomenclaturâ sed alia ratione Vniuersalis dici possit, propter species, quæ si sub vnum genus congeruntur, iam non singularem, sed vniuersalem curam conficiunt. Tamen communius quiddam est id, quod in calce huius libelli dicetur, quod omnia genera in vnum complectitur, quemadmodum particularia, species. Cuiusmodi est ratio medendæ febris, quæ in se includit Synocham, Ephemeram, Hecticam, Causona, cæterásque species. Similiter hydropiseos, quæ Asciten continet, Tympaniten & Hyposarcan. Item Guttæ, Lethargicum, Torturam, Paralysin, Apoplexiam. Magis vniuersale autem in se claudit Guttam, Febrim, Hydropysin cæterósque morbos vniuersos. Estque illud, Arcanum, quod in Archidoxis Parrhisiis dedicauimus. Et Tincturæ, quæ leprosū humoré metallorum pellit, haud dissimiliter operatur, fulgétque ad elementum redactum quaqua versum, veluti ignis, qui quicquid corripit, consumit. Neque enim species vllæ sunt, neque genera vlla, quin igni corripiantur. Hūc respexerunt Spagyricæ artis professores, qui tum demum medicamina corpori accommodanda dixerunt, in Ignem redacta. Per hoc enim Elementum omnis ægritudo consumi debet à quolibet Medico. Quanquam aliàs de auro potabili, similiter de 5. Essentia mentio fiat, tamen hîc singula ad Cheyri, & ad Sapphyricū Anthos referemus, id quod non paucos fellit, inter quos est Arnoldus vnà cum æmulis suis, qui sub Lunaria hoc produxerunt. Nos in hoc secundo lib. singularem medendi rationem in vtraque medicina, adiunctis rationibus, quibus inuenias illud, circa morborum originem descripturi sumus. Ad finem sunt adiecta Cheyri, Balsamúmque, quæ peritissimum huius rei Lectorem requirunt.

Argumētū huius libri.

Vita sana. Longæ præstatior.

Arcanū pater sanitatis.

Magisteriū quid.

Ignis omnia consumit: ita etiam generale remediū morbos.

Arnoldus carpitur.

De Podagrâ. Cap. I.

TRia sunt, quæ ad perfectam podagræ curam requiruntur: Purgatio, apertio, deinde cura, in hanc sententiam. Principiò purgetur omnis podagricus plena ac perfecta purgatione, & idipsum Arcano Corallino, quo interueniente, eliciuntur fluxus podagræ, adeò vt ne locus porrò relinquatur podagræ. In hoc Corallino quod ex Essentia auri est, tanta vis, ac virtus inest, vt eam, nisi hac puagatione à medico deprehendi impossibile sit. Fiat ista purgandi ratio sexies, aut septies pro vetustate siue duritia, siue natura podagræ. Porrò si supersunt reliquiæ, aut podagricus alioqui infirmior est, quàm qui purgationem hanc ferre possit, aperiatur in hunc modum: illic vbi centrum podagræ delitescit, aperi, & idipsum

Podagræ cura tribus perficitur. Arcani Corallini vis.

Alcali spiritui, apertiuū.

idipsum interueniente Alcali Spirituum. Sub hanc apertionem continuò oritur tumor, subtus quem quicquid centro inseruit, confluit, & in abiectione Escharæ erumpit. Porrò vbi fluxus podagræ desiit, tum demum integram curam, atque adeò consolidationem aggredere, scilicet cataplasmatis, quæ sunt ex mumia Hæc sunt quę podagram medicantur. Quanquã Liquor ex mumia temperatus, si morbus recens est, neque indurauit, citra apertionem etiam cutet, vi tamen natiuâ potiùs hoc fit, vt per Specificam Naturam.

Tertia ratio medendę podagræ est per mumiam reductam in vltimam materiam Alcalizatam & liquorem de mumiâ, in hanc sententiam: Indies podagricos artus inunge, idque ad vij. aut viij. hebdomadas pro ratione ac naturâ podagræ. Triplex ista medendi ratio quicquid mutilum, quicquid denique mancum est, pristinæ sanitati restituit. Nona hæc est, certò scio, pellendi morbi ratio, maximè apud insulsos & medicos indoctos, & contra canones eorum, vt isti cauillantur, qui medicâ professione præter inanem titulum, cæterùm nihil prorsus reportauerunt.

De Guttâ. Cap. II.

Guttæ species quæ.

Guttæ cura qualis sit.

AD propellendas ægritudines, quæ oriuntur ex Guttâ & speciebus Guttę cuiusmodi sunt morbus Lethargicus, Paralysis linguę, membrorum, &c. Apoplexia, Oris tortura, & aliæ species, requiritur cura generalis. Nam in his omnibus, nihil aliud præter vim naturæ considerari oportet. Neque purgatio, neque simplex confortatiua, neq; vnctio, neq; aliud quicquam, in quo tantopere laborauerunt, cùm Valescus de Tarantâ, tum etiam ii, qui ante Valescum fuerunt. Principiò igitur obseruandum, in quâ valetudine naturæ vis illa qua Guttæ consultum volumus, reperiatur. Priusquam tamen ad illa perueniamus, sciendum Guttam, quod ad quantitatem attinet, non plùs scrupulum vnum in se contineri Apoplexiam ad scrupulum I. non prorsus ascendere nihil igitur est, quòd obseruemus tam prolixos Auicennæ canones, cùm pauca admodum de substantia in se habeat morbus. Neq; fieri potis est, vt illius loca adque dolores comprehendantur. Quare ad hunc modum adornari debet confortatiua, quæ scilicet naturam expellat, & ex sui natura vincat. Quoties enim Gutta cannas in pulmone præfocat, toties apoplexia vnà cum præfocatione continuò sequitur, quam non nisi Arcana tollunt. Hinc satis liquere puto, vel tantillum in re medica Mysterij pluris fieri quàm vniuersas Auic. Fennas quàm vniuersum Myropolium, quàm vtraq; Lumina, & præpositum, vnà cum insigni Experientâ, quam Thesaurus præscribit, quibus hactenus penè vniuerso orbi illusum est. Sed vt redeamus ad Arcana: Duplex est Arcanum, aliud Vitriolatũ, aliud Mercurius Auri, quem vulgus Salernensiũ medicorũ *Aurum potabile* falsò appellat, adducti opinone Hermetis, quã suæ ignorantiæ prætexunt, adeò vt Horizontẽ pro auro potabili acciperent, egregij scilicet homines, qui Hermetem

Valesc. de Taranta carpitur.

Guttæ quantitas ℈.j. non excedit.

Arcanũ Guttæ duplex est. Salernẽses carpuntur.

ex eorum inscitiâ iudicant. Cætera Arcana extrinsecus vsurpanda, cuiusmodi sunt, Balsamũ, Aloës, Myrobalanorum Chebulorum, Belliricorum, Indorum, &c. in Nucha sunt administranda. Hæc sunt quæ Arnoldini & Rupiscissani nunquam sunt assecuti, qui in additione extractionis Elementorum, quæ nulla sunt, frustrà sæpiùs laborauerunt. Qui ergo in hac re medicus insignis esse studeat, animum ad Separationem Spagyrorum adiungat, idque propter Extractionem Mysteriorum. Alioqui fieri nequit, vt consulatur cùm paralysi, tum speciebus quæ sunt de Gutta. In hanc sententiam propelle contractionem. Nam vtcunque morbum vi quadam sanari necesse est. Dosis Vitriolati, grana tria: Dosis Horizontis, grana quatuor.

Dosis vitriolati & Horizontis quanta.

De Lepra. Cap. III.

SIngulę species Lepræ, Leonina videlicet, Elephantia, Alopeția, Thyra, Morpha, & Vndimia ad eandem medendi rationem, aquæ est per regenerationem, referuntur. Omis enim Lepra frigidior existit natura, atque præpinguior: neque fieri potest, vt vnquam cum medicaminibus concilietur.

Lepra cura est per Regenerationem. Lepra quid?

Quod enim est oleum ad aquam, hoc idem est medicina ad lepram: quare plenam atque perfectam curam aggrediamur oportet, præparationem regenerationis, & idipsum iuxta præscriptum Spagyricæ Tincturæ, in hunc modum: Principio mundanda sunt metalla leprosorum interueniente Tinctura, in qua duplex Tinctura, & duplex Lepra delitescit, rubea scilicet & alba, hanc Lunarem, illam Solarem appellant Spagyrici: prior ex Tinctura Solis, posterior ex Tinctura Lunæ accipitur. Hîc non puto operæpretium esse obseruari ea, quæ veteres de origine lepræ scripserunt, cùm eadem Praxis adferat. Quare hoc loco Spagyricè agendum est, neque prorsus obseruandum, quæ de origine lepræ à veteribus scripta sunt. Porrò qui velit Spagyricè consulere lepræ, videat ne cum his, qui Mercurium Solis, quem plerique Spagyricorum primam materiam appellant (*aurum potabile.* falsò crediderunt) aberret. Quibus imposuit euentus, quemadmodum Archelaus habet: nos autem hoc loco asserimus rubeam lepram à Mercurio Solis, albam à Merc. Lunæ sanari. Hoc opus, hîc labor est, vt Mercurium exactè conficias. Postremò etsi Mercurius ad tingenda metalla non prorsus sufficeret: valeret tamen in corpore, vt illud sanitati restitueret. Sunt prætereà alia quædam Arcana, quorum alibi de vita longa fit mentio, quæ lepram ex æquo tollunt.

Trinctura Lepræ duplex.

De Epilepsiâ. Cap. IV.

PLena atque adeò perfecta medendæ Epilepsiæ ratio, bifariam fit, neque ipsum sine peritissimo huius rei viro propter Arcana & Praxin Chirurgicam, quæ Epilepsiæ inseruiunt. Principio deprehenduntur arduæ quædam, atque adeò supernaturales Essentiæ, idque per præparationem, vt in *Vitriolo, Camphorâ Spodio Monocerote*, & id genus aliis, quæ citra hunc captum subtiliter nullo pacto eò redigi possunt:

Epilepsiæ curatio duplex. I. Chirurgica quæ modis duobus fit.

Maxi-

Maximè verò bona pars in Narcoticis, & quædam alia, quæ extra Naturam & Essentiam supra naturalem. Influentiam in paroxysmo epileptico vim suam exercent, ac habent: cuiusmodi esse potest Pæonia, Sanguis vnà cum membris, in quibus oritur morbus. Hæc omnia, vt vt sunt, curantur ad hunc modum, partim iuxta physicam rationem, partim iuxta chirurgicam, neque idipsum sine subtili captu Spagyrorum. Quod ad chirurgicam attinet, duplex ratio est, prior ad præparandum emunctorium caducum, posterior ad eliciendum humorem Epilepticum pertinet in hanc sententiam: Aperi cranium idoneis ad id instrumentis: Deinde argentea canna suo loco impositum consolida, vitæque pristinæ restitue. Iam omnis morbus caducus eiusmodi emunctorio adornatus in paroxysmum abire nequit. Hæc de priore via. Nunc ad posteriorem. Resolue membrum Epilepsia corruptum, aut superiorem partem membri, puta, ligamenta, arterias in circuitu, idquè corrosiuo Narcotico sale, corrodente citra dolorem vsque ad ossa. Deinde rursus consolida: nascuntur continuò ligamenta narcotica, arteriæ, denique caro ipsa, quæ porrò non sinunt morbum in paroxysmũ erumpi. Hactenus de ratione chirurgica. Nunc ad physicam.

2. Physica.

℞. *Oleum vitrioli correctum & aurificatum, vel per phlegma formâ circulari temperatum, vel per oleum rubeum, siue viride; quod sub Colcothar delitescit: vtrumque liberat à morbo caduco*, id què præter eam ætatem, quam Hippocrates præscribit. Atque hinc colligitur Hippocrat. vnà cum interpretibus suis non satis intellexisse ea, quæ Epilepsiam pellunt. Porrò iuncta pars Memorialis Balsamo, quod est de Hederibus, idque post paroxysmum, similiter morbum pellit. Præterea inunctum occiput Balsamo Eleni, & idipsum in vehementissimo paroxysmo, morbum ex æquo sanat. Sunt insuper alia, quæ huic morbo nõ parum conferunt, vt Arcanum Sanguinis, cæteraque membr... Sed illa, quia quædam sunt quæ desiderantur, præteribimus, & in his solùm, quæ prima ac optima sunt, immorabimur.

Hippocratici reprehenduntur.

Balsamũ de Hederibus cõtra epilepsi. Bal. Eleni, &c.

De Febribus. Cap. V.

DE febribus breuiter sic habeto: Principiò fiat purgatio febrilis: deinde cura Specifica, & minutio causalis, ita vt Diaceltatesson præcedat secundum medicamen. Nam hâc purgatione pellitur omnis febris in materiâ peccante. Porrò si non dilatatur morbus, iam neq; cura neq; minutio requiritur. Plerunque enim Diaceltatesson, integram curam complectitur. Sin in membra spargitur, sequitur continuò Opopyron Laudani, id quod febrim vnà cum dilatatione propellit. Minutio autem siue Saluatellæ, siue Cephalicæ, siue ea, quæ per spinam dorsi fieri consueuit, materiam peccantem in sanguine, idque intra cutem & carnem tollit. Quare hoc loco tria sunt, quæ sub vnam medendi rationem clauduntur, singula per se perfecta. Postremò ne plus minusue, quàm par est, adhibeat medicus, diligenter obseruet, quid dilatatum, quid non sit dilatatum. Nolim quenquam hoc loco deterreant Canones medicorum, qui à nobis dissentiunt: neq; enim id permagni referre arbitror. Et quorum quemq; reperias eruditum medicum, qui his canonib. immoritur?

Febris cura quæ sit. Diaceltatesson &c. quãdo opus sit in cura febr.

Opopyron Laudani, &c.

De Apostematibus. Cap. VI.

PRincipiò de Apostematibus obseruabis duplicia esse Apostemata. Quædam sunt, quæ vnà cum paroxysmo mortem inducunt. In his plurimum laborârunt medici, dum imponerent hominibus. Miseram ac credulam nationem mortalium, quæ tam apertis nugamentis, quæ de Epidemiis, & id genus aliis Apostematibus annotata sunt, passa est se circumueniri. Alia sunt quæ paroxysmum citra mortem adferunt; ea medicinæ subiicimus. Vtraque in Anthrace concurrunt: similiter in Saphyro, in Carbunculo, in Pleuresi, in Peste, in Bubone & aliis compluribus. In quibusdam nulla mors inest. Vt in Cancere, & id genus aliis Apostematibus: quæ in mammis mulierum sunt. In his omnibus sequitur cura in hanc sententiam: Præter Sonath, cui virtus expulsiua inest, cæterum nihil recipe. Huius enim virtute ac vi, singula Apostemata pelluntur. Hoc resoluit, mitigat, denique expellit Apostemata ex corde. Vnà ergo adsit oportet Chirurgica praxis, interuenientibus Maturiatiuis, quibus in emunctoriũ redigas Apostema. Maturatiua autem cũ attractiuis ita sint coniuncta, & Expulsiuum Attractiuum sequatur. Directo igitur Sonath in virtutem suam Expulsiua sequitur Thyriaca, sub quâ delitescit Arcanum in omni veneno propter virtutem vsurpandum. Reliqua experimenta vndecunque corrasa relegamus ad eos, qui sese passim apud omnes homines venditant, & in hoc solum incumbunt, vt gloriolam aliquam per fas & nefas sibi aucupentur.

Apostemata duplicia sunt.

Apostematum, cura quibus fit Sonath, &c. in Apostemat.

De Hydropisi. Cap. VII.

DVo sunt, quæ ad curandam Hydropisim requiruntur. Specifica purgationis, & specifica Tumoris. Elice principiò Essentiam ex Alandahal, vnà cum composito: deinde confunde cum Aquilâ præcipitatâ: porrò administra purgationem pro ratione morbi, & idipsum tantisper dum abit morbi origo. Interim administra etiam indies Essentiam Tartari, Vitrioli, & Diacubebe. Sub hæc adorna cataplasma ex Rebis Columbarum in acero rosaceo. Deinde impone, dum prorsus consumatur morbus. Post hæc insequitur summum Specificum, Spiritus vitæ ex auro extractus, quo aliquandiu etiam vti licebit. Energia enim atque adeò vi naturæ sanari vult hydrops, quæ tum demum inquiritur, cum iam causa morbi desiit. Varia ac multa sunt huius morbi specifica, quorum maxima pars hoc loco nobis est annotata, quæ super hâc re empirici in medium adferunt, credo nemini non esse manifestum.

Hydropisis cura quæ sit. Ess. et Alandahal, &c. quila præcip. siteratio.

Rebis Collumbarum, &c.

De Dissolutis. Cap. VIII.

IN dissolutis verò summum atq; adeò excellentissimum medicamen in Auro est, & in Laudano Perlato. Primum verò ac summum notabile apud medicos veros puto, de confortatiuis esse debet. His enim indiget natura in hoc morbo: quibus porrò sequatur Constrictiuũ. Nam

Dissolutorum cura qualis.

per hunc modum eiuſcemodi morbus, ſiue Hypoſarcha, Icteritia, ſeu Aſcites expellitur. Deſcriptionem autem in confortatiuis talem habeto. Ex Auro non planato fit, nec permiſto re aliâ incongruâ, fitque per Athanar & Rubellam cum adminiſtratione rubeæ eſſentiæ. Doſis ex tribus Guttis componitur, vel ſecundùm diſpoſitionem ſubiecti. Ex hoc auro omnes dyſenteriæ ſpecies, Ictericiæ, & Diarrhoeæ, atq; alij fluxus ventris, vel mineralium, iuxta, ritum medicum optimè curantur. Sed cura ex conſtrictiuis talis eſt: Recipe *Olei Martis ex croco drachmam j. Laudani ſcrupulum ſemis, Thyriacæ drachmam vnam ſemis, mumiæ ſcrupul. j. ſ. fiat Bolus.* Drachma ſemis eſt doſis. Hanc obſerua regulam in omnibus diſſolutis confortatiuum eſſe adminiſtrandum. Quia in principiis & Cacetia ſumma deliberatio, aliàs per conſtrictiua in ſecundam generationem alterius morbi abit.

In diſſolutis cõfortatiua quæ ſint Athanar, &c. Rubella &c. Quæ cõſtrictiua, &c.

De Vermibus. Cap. IX.

GEnera quoque vermium quocunque modo nata, vel ex ſpermate infuſo, vel alieno, ſiue ſpermatis reſoluti, ſiue putrefacti, ſeu tranſuerſi in ſuis regionibus, aut ex re minerali putrefacta aut chymo, aut eiuſmodi, etiam qui vermes de matricis naturâ ſunt. Omnium horum cura, res debet eſſe Specifica, nequaquam naturalis, idque in hunc modum: Recipe *Poroſi, Madennæ ana manipulum: liquefacito in bitumine, & ſuper fundum emunctorij huius generationis applica*: pellit enim vermes tam deorſum, quàm ſurſum, nempè iuxta orificium Emunctorij illius. Quòd ſi autem Emunctorium pro egreſſione non foret aptum, aut locus compreſſus, vermes neca cum ſpongiis ſyluanis, & putrefactum pelle per centauream, vel per peſſarium propter matricem, vel clyſterium propter inteſtina inferiora, vel per os propter ſtomachum & inteſtina ſuperiora. Optima verò eſt centaurea cum Poroſa commiſta, cum additionibus iuxta proceſſum medicum ex Collodio, vel Ellenio adiuncto.

Vermiũ cura fit per ſpecifica. Poroſũ. Madenna, &c.

Collodiũ, &c. Elleniũ, &c.

De Cancro. Cap. X.

POrrò cancri medela ſic ſe habet: primùm eſt rei renouatio, id eſt venarum ſeparatio ab impuris. Huius ſeparationis medicamen eſt tale. Accipe *expurgati Althoi a Minera plumbi ℥ j. Parthenionis ſucci ℥ vj. Plantaginis ℥ x. commiſceantur cum modico Alcohol vini, adminiſtra de ſexta in ſextam.* Madefacito periculum panno, vel ſpongiâ ex aqua Parthenionis ſuperpoſita: his peractis poſt triduum applica Oppodeltoch ex præparatis ſimplicibus confectis in cerotum mellinum abſque alumine rocho, donec in manſuetum dolorem abeat, & declinet à rubedine.

Cancri cura quæ ſit.

Eſt viniũ ardens rectificatum.

Tandem commune noſtrum Oppodeltoch ſuper locum applica à duodecim horis in ſequentes vſque. Porrò ſi laſciuum Eſthiomenum occurreret, cum liquoribus aſſignatis expelle, reitera proceſſum à centro in vlceris perditionem. Hæc curæ deſcriptio, fiſtularum, canceris ex hæmorrhoidibus, ex mammillis, prauæ tentiginis, Eſthiomenæ prauitatis, vera medicina eſt.

De Syronibus. Cap. XI.

SYronis cura ex hac fit ſententia. *Spermiolæ liquefacta cape cum mucilagine lumbricorum de nitris, & oleo Squamino: facito ex his viſcum in loco frigido*, vtere ſic: Inunge locum & cataplaſma eius deſuper impone ad triduum, dehinc abſterge locum, cataplaſma, cutem, & Syrones depone, ac Oppodeltoch Meloum adminiſtra ab occaſu in auroram, quo facto, aduoca morbum in balneum albugineum, toties, donec album illud membrum fixúmque appareat. Hæc cura in Syronibus, Cicatricibus, ſpeciebus Morpheæ, cutis Leproſæ ſumma ac perfectiſſima eſt: quin & totam vngulam, pruritum, ſcabies, & primæ ſpecies alopeciæ tollit, pellítque roſaceam guttam.

Syronis cura quibus perficiatur. O cum ſquaminũ &c. Meloũs, &c vermiculi.

De Puſtulis. Cap. XII.

IN ſpeciebus Gallici morbi, tria obſeruabis, purgationem, curam, & conſeruationem. De quibus hæc paucula notato. Purga principiò puſtuloſum Ceniotemio quo pellitur cauſa morbi, vnà cum materiâ peccante. Cauendum autem ne interim à doſi & quantitate huius purgationis longiùs, quàm pars eſt, aberres. Porrò ſi puſtulæ adhæſerint cuti extrinſecus, aut alioquin dolor iuncturarum altiùs inſederit corpori, inunge oleo, quod eſt ex Realgare, & conualeſcet ęgrotus. De vlceribus autem, nodis, tuberibus, ſiue extra corpus, ſiue in corpore, quę inde exoriũtur, iuxta præſcriptum Praxeos, quæ de Vlceribus eſt, agito.

Gallici morbi curatrib. perficitur. Ceniotemium, &c purgat Gallicos.

Ol. Realgaris, &c.

De Vlceribus. Cap. XIII.

PRincipiò quicquid eſt fluxuum, aut humorum, ſi ad Emunctorium erumpit, ad eandem medendi formam redigitur in hanc ſententiam: *Mortifica primùm: deinde mundifica: poſtremò conſolida*: De mortificatione ſic habe: Recipe *Alcali, quod eſt ex Realgare.* Hoc quicquid in corpore corruptum eſt ac mancum, mortifica. Mortificatum ab Eſcharâ libera gummi, liberatum priſtinæ ſanitati reſtitue, & idipſum interueniente Mumiâ. Quanquam ſunt vlcera quædam, quæ prorſus non indigent mortificatione. Alia, vt Eſthiomena mortificationem vehementiùs etiam deſiderant. Tamen hæc omnia, vt vt ſunt, Chirurgico exiſtimanda relinquimus. Sunt inſuper alia innumera medicorum Recepta, quibus, quia non ſemel hominibus impoſuerunt, ſuiſque inuentis perierunt ij, qui hæc commenti ſunt, non video cur vtaris. Hæc de vlceribus. Purgationem, quæ propter conſeruationem corporis iure prima eſſe debet, prudenti medico committo in eam ſententiam, quam ſupra de puſtulis præſcripſimus.

Vlcerum cura quæ ſit.

De Vulneribus. Cap. XIV.

TRiplex eſt ratio ſanandorum vulnerum. Naturalis, vt *Balſami*: Specifica, vt *Braſſidellia*: Characteriſtica, vt *Magorreo.* Priuſquam tamen ad illa perueniamus: principiò, quæ miraculi vice erunt his, qui harum rerum imperiti ſunt, indicabimus, neq; genus, neque locum vllum in vulneribus eſſe obſeruandum, id quod veteres diſputatione admodum prolixa

Vulnerũ curandorum modus triplex.

prolixa disseruerunt: Num videlicet ea sint sananda nec ne, quæ sunt cerebri, intestinorum, item vesicæ: & idipsum hac ratione, quia videmus cùm confossa, tum alio modo confecta vulnera illic vbi vitæ locus esse nequit: nihilominùs tamen consequi mortem. Quare de Mortiferis vulneribus, nihil prorsus dicemus in præsentia, cum sua sponte sese offerunt illa. Porrò hæc prima cautio est, ne Chirurgicus ex eo, quod medicabile vulnus est, immedicabile atque adeò mortiferum faciat. Hoc igitur opus, hîc labor est, vt probè agnoscas triplicem hanc sanandorum vulnerum rationem, longè saluberrimam, neque interim audias eos, qui alicunde rogant, nescio quæ vanissima commenta, imò precibus etiam à Barbitonsoribus mediastynis cæterísque idgenus hominibus leuissimis, contendunt, inter quos sunt, Landfrancus, Pet. de Argilato, qui multa ac varia, vel nuce non æstimanda, de Vulneribus in vnum congesserunt. O verè pileatos Doctorculos, qui præter pileolum subrubrum, & titulum, cæterum nihil insigne geritis, qui ex pumice Nilum exundantem petitis. Cœcus sequitur cœcum, & cascus cascam. Hinc est, cur ij, qui montem Pessulanum sunt secuti, triplicem hanc medicinam, quæ est de Vulneribus, in alienum vsum verterint? Naturalem scilicet quæ Balsami est, in putrefactionem præposterè.

Landfrãcus, Petrus de Argilato carpuntur.

Specificum ad ea loca, quibus minimè competit, non sine periculo torserunt. Characteribus ita sunt abusi circumforanei, vt in contemptum prorsus abierint. Nos autem quæ de his verè habentur, apertè trademus in hanc sententiam.

Balsamū naturale ex quibus constet.

Balsamum naturale potionis vice administratum, aut alioqui vulneribus infusum, nihil aliud est, nisi hypericon, centaurea & prunella, quæ non modò ea, quæ extrinsecus, sed etiam quæ intrinsecus sunt, vulnera curat, & hoc propter virtutem, quæ in Balsamo existit.

Colatēnæ vrinæ vis ad vulnera. Brassatella vis ad vulnera.

Quicquid autem est de Specifico, multis partibus superat Balsami naturam. Nam collatenna sub potione administrata cùm externa, tum interna vulnera sanat propter virtutem, quæ adeò firma atque adeò fixa inesse solet, & tantisper operatur, dum vulnus est apertum. Brassatella, si modò attigerit vulnus, neque porrò opus habet aliquo medicamine. Sunt præterea alia complura Specifica, quæ ad eundem modum operantur: neque id ipsum ad 12. aut 24. horas. Horum tanta vis est, vt fixum, atque adeò perpetuum medicamentum subministrent, vel semel vsurpata, & idipsum in finem vsque vulneris. Hoc loco Experimenta Specifica recensenda erant, de quibus quia in Archid. mentionem fecimus, prætereundum censeo.

De Characteribus, quæ tertia forma est, sic habeto. Characteres, Benedictiones, cæteráque idgenus vulneribus præsens, absens, adiuncta, singula vulnera sanant, & id ipsum citra omnem Synouiam. Sunt etiam quæ synouiam albam sistunt, cuiusmodi est *Staraphaxat*: alia sanguinem, vt *Rist & Riss*, & id genus alia innumera, quæ alibi in Archid. recensentur. Hæc sunt vel sola, quæ medicum nobilitant. Quare in hâc triplici sanandorum vulnerum ratione generalem curam iuxta præscriptum adhiberi oportet, neque interim eos, quæ vniuerso orbi imposuerunt, audire.

Staraphaxat Rist & Riss. Synouiā sistunt.

FINIS LIBRI SECVNDI.

DE VITA LONGA LIBER TERTIVS.

CAP. I.

POSTQVAM de particularibus Arcanis, quæ corpus morbis confectum pristinæ sanitati restituunt, diximus, inde vbi superiora desierint, auspicabimur. Vt ea, quæ in superioribus libris tradita sunt, tandem à nobis absoluantur, & corpus physicum tanquam Balsamum conseruetur, & si particularia Arcana & huius tertij libri materies ad idem corpus referuntur. Porrò etiam vna eadémque præparatio existit: tamen Praxis in hoc tertio Elixiro alia est à singulari illa medendi ratione. Quare in hoc tertio libro primas obtinent, Flos Cheiry, & Anthos. In hoc enim absoluitur Elixiridum Arcanum, & idipsum vi, atque adeò virtute totius Quintæ Essentiæ. Principiò igitur vt singula clariùs innotescant, quid Quinta Essentia sit, paucis indicabo in hanc sententiam. Quatuor Elementa procreat natura, ex quibus temperata quædam Essentia conficitur à Spagyro, quemadmodum Flos cheyri exprimit.

Flos Cheyri & Anthos, &c. Essentia, quid sit.

Hoc loco parui referre arbitror, quæ super hâc re ars Lullij habeat, cùm plus sedecim pedibus, vt dici solet, ab vniuersâ Monarchiâ, quam Archidoxa præscribunt, aberret. Aliud enim est Extractio, aliud Confortatio, aliud Melioratio, vt istorum hominum vocabulis vtar, quorum Raymundus in eo libello, qui inscribitur, Ars Lullij, meminit, & ex his falsò Quintam Essentiam æstimauit. Hæc quia magis sunt argutiæ, quàm vera, silentio præteribimus. Flos Auri autem, Flos Amethysti: denique quicquid est diaphineæ naturæ, Margaritarum, Sulphurearum, Cachymiarum, postremò etiam quicquid est Aluminosorum Zerebothinorum, & id genus aliorum, quæ aqua gignit, Carabarum, Corallorum: Hæc, inquam, omnia Quintæ Essentiæ sunt obnoxia, pro ratione temperationis, quæ interueniente corruptione Elementorum à Spagyro fieri consueuit.

Ars Lullij erronea.

CAP. II.

PORrò totius rei summa in hoc est, (quando ea, quæ hoc libro de Elixiro dicuntur, singula ad vitam longam sunt referenda) vt vniuersa natura redigatur in Spagyricam misturam, seu temperationem, quæ nihil aliud est, præter naturæ bonitatem, cui nihil, quod corruptibile est, nihil denique aduersi inest. Etsi aliâ ratione, ac variâ, eadem naturæ bonitas deprehenditur in Tinctura iuxta præscriptum naturæ, quæ in Lapide Philosophorum existit: in Antimonio secundum Corui naturam, in Sulphure iuxta Lunariæ effectum, & in idgenus aliis; tamen in his omnibus est vna eademque temperatio,

Elixiria tēperata quæ sint.

temperatio, quæ inter metalla sub Mercurio delitescit: (*Mercurium* dico, qui omnibus Metallis inest) inter Gemmas, sub Crystallo: inter Lapides, sub Zeloto, inter Liquores, sub Carabe: inter Herbas sub Valerianâ: inter Radices, sub Peucedano: inter Amara, sub Vitriolo: inter Silices, (rectius autem inter Marcasitas) sub Antimonio. Porrò sicut ☿ metallis inest singulis, sic Antimonium silicibus, (rectius Marcasitis) Vitriolum Sali, Melissa Herbis. Hæc sunt nomina Elixiri temperati. Obseruandum igitur, in Elixiris insequentibus Sulphur eorum, quæ isti *Mineralia* vocant, Quintam Essentiam esse, *Mercurium Metallorum*, ex quibus elicitur natura corporis. Nam Cheyri Veneri præstat, Anthos Marti: quorum vis ac natura est, non tam vt morbos pellant, quàm vt corpus illud vitæ longæ, quæ inferiori Influentiæ obnoxia est, reseruent. In hanc sententiam Elixira Longæ Vitæ, multis ac variis nominibus comprehendi volumus, cum vna eademque vis sit eorum: Nobis autem (si forsan miraris, hanc tractandi rationem) visum est interim ludere in vocabulis.

Cheyri Veneri, Anthos Marti præstat.

CAP. III.

EX vniuersis Elixiris summum ac potissimum est Aurum. De hoc igitur principiò tractabimus: Nam huius rationem si noueris, aliorum quæ à corpore separantur, noueris. Reliqua, quæ à corpore non separantur, infrà vbi de vino mentionem faciemus, indicabuntur. De Elixiro igitur Auri, quod ad praxin attinet, sic habeto: Resolue Aurum vnà cum omni substantiâ Auri, corrosiuo, & idipsum tantisper: dum fiat idem cum corrosiuo. Neque interim abhorreat animus ab istâ tractandi ratione: Auro enim quatenus Aurum est, corrosiuum præstat, & citra corrosiuum mortuum est. Quare Quintam Essentiam auri citra corrosiuum inutilem esse asserimus. Sequitur ergo, resolutionem denuò per putrefactionem esse remouendam, & si corrosiuum tenaciùs etiam adhæreat: nam si tanta vis Auri est, vt corpus seruet, ac liberum reddat ab omni ægritudine, neque id corrumpi sinat, quantò magis seipsum, idque citra omnem infectionem: Corrigit enim, ac emendat, quicquid non est syncerum. Corrosiuum igitur in Auro nullo pacto corrosiuum appellari debet: Vis enim Arcani superat omne Venenum: Nam omne Realgar moritur in elixiro Auri, & in Tincturam abit Medicinæ præstantem. Atqui in hunc modum gignitur Aurum potabile post putrefactionem. Hanc dosim, seu mauis Harmoniam quandam præscribit peruulgata Spagyrorum Praxis. Postremò obseruabis de Elixiro, Cuicunq; confertur elixir, idem ita transmutat, vt haud dissimiliter sibi fixum porrò maneat.

Elixirur Auri præparatio.

Aurū citra corrosiuū nihil est, & mortuū.

Auri quæ vis sit.

Corrosiuum auro nihil cur incōmodet.

Aurū potabile quid sit.

De Perlis. Cap. IV.

SEd vt ea, quæ de Quintâ Essentiâ diximus, clariùs elucescant, obseruandum, nihil magis esse Auro propinquum Perlis. Quatuor igitur Elementa, quæ Perlis insunt, eadem ratione cum Auro in temperationem redigas oportet, id quod verè existit Quinta Essentia citra amissionem substantiarum. Porrò si iuxta præscriptum Perlas in Quintam Essentiam transmutare velis, pro ratione Quintæ Essentiæ age, neque quicquam immuta præter principium, in quo vltimam materiam, quæ in conficienda Quinta Essentia Solis prima materia existit, adiungi necesse est. Ea ex eiusmodi Recepto elicitur. Principiò redige Limonem in liquorem, denuò reeleuatum, in quo Perlę calcinationem arripiunt, exiccatæ resoluuntur, quæ resolutio in Elementum, cui prorsus nulla complexio inest, erumpit. Est enim huius vis vniuersa, similis Quintæ Essentiæ. Nolim hoc loco admittas rationem Extractionis, quam Archelaus præscribit, neque id genus alias separationes Spagyricas: Nam superior transmutatio non modo ea membra quæ debilia sunt, pristinæ valetudini restituit, sed ea etiam quæ valida sunt, ac robusta, in eodem vigore conseruat. Hinc est cur Perlæ pluris, quàm reliqua Spermata fiant: inter quas longè præstantissimas Ostrearum esse affirmo. Quanquā hoc loco non minimas partes ferat, quemadmodum Archidoxa habent, Homunculus, quem Necromantici Alreonam, Philosophi Naturales, Mandragoram vulgò appellant: tamen non nisi in communem errorem abiit, propter chaos illud, quo isti obscurauerunt verum homunculi vsum. Origo quidem spermatis est: per maximam enim digestionem, quæ in ventre equino fit, generatur homunculus, similis ei per omnia, corpore & sanguine, principalibus, & minùs principalibus mēbris, à quo prodiit. Quare hoc loco præteribimus huius virtutes, quandoquidem nō vt Perlæ, apud huius rei peritos innotuit.

Perlæ auro proxime cognatæ.

Perlarū Essent. 5. præparatio.

Archelaus notatur.

Perlæ Ostrearum præstantiss.

Homunculi Alreonæ seu Mādragoræ vsus quis

Homunculus vnde & qui generetur.

De Extractione Quintæ Essentiæ ex Herbis. Cap. V.

SVprà mentionem fecimus Quintæ Essentiæ, quæ citra vllam Extractionem fieri debeat, id quod in hanc sententiam accipias oportet. In Elixiro, quo de in præsentia mentionem fecimus, Quinta Essentia nullo pacto elici potest ex Herbis citra Extractionem, propter diuersitatem Essentiarum, quæ vni substantiæ insunt. Hæc ita sunt segregāda, vt Herba maneat Herba, & Quinta Essentia maneat Quinta Essentia. Etsi in qualibet herba sūt quatuor Elementa duplata: Quinta tamen Essentia non adest duplata sed altera pars solùm. Alterā, quæ est Substantiæ, relegamus ad eas artes, quæ particulares sunt, & quod Elixiri est, tractabimus; id quod exēplo Melissæ clariùs innotescet. Digere Melissā philosophico mēse in Athanar, deinde ita separa, vt duplata elementa seorsum appareant, continuò elucescet Quinta Essentia, quæ Elixir est vitæ. Similiter vino generoso, & idipsum variè: in Nepitâ acerba; in Lollio, lutea: in Tincio, nigricans: in Lupulo, tenuis ac alba: in Cuscuta, austera: in aliis similiter iudicandum, iuxta Experientiæ præscriptum.

Melissæ Ess. præparatio. Athanar est furnellus.

Porrò extracto spiritu isto, & ab altero separato, Ecce vinū salutis, in quo philosophi aliquot sæcula obnixè laborauerūt, nihil tamē vnquā sunt assecuti. Et bona pars eorū qui Raimundū sunt

Vinū salutis quid.

secuti, aliquot dolia releuarunt, dum elicerent Quintam Essentiam vini, nihil prorsus tamen deprehenderunt præter vinum adustum, quo perperam pro spiritu vini vsi sunt. Quæ hoc loco requiruntur, alibi in Philosophia de Generationibus reperiuntur. Sufficit enim admonuisse Spagyrum, qua ratione Herbis Quinta Essentia insit, denique quæ in his sunt inuestiganda.

De Antimonio. Cap. VI.

Antimonij vis quæ sit.

SIcut Antimonium finit aurum, sic eadem ratione, ac formâ finit corpus: in illo enim est Essentia, quæ nihil impuri cum puro confundi sinit. Neque quisquam Spagyricæ artis peritus, deprehendere potis est vim atque adeò virtutem Antimonij. Nam in principio rerum eò deuenit Antimonium, & inter Metalla, quæ aquæ sunt, sic est relatum, vt porrò etiam diluuio exacto vis huius genuina, atque adeò virtus permanserit, ita vt sese ex Influentiâ semper dirigat, neque aliquid de vi, ac virtute natiua vnquam decesserit. Merito igitur omnia quæ Mineralium sunt, quorum summum, ac potissimum Arcanum in se claudit Antimonium, huic vni tribuimus. Mundat seipsum vnà cum reliquis, quæ immunda sunt. Porrò si nihil omnino sani adest, immundum corpus in mundum transformat. Quemadmodum in expositione Lepræ habetur: quæ omnia palam declarat, ac indicat Spagyrica praxis. Sed ne longiùs quàm par est digrediamur, & tandem ad præparandam Antimonij virtutem (cuius vel apex vnus, aut iota omnibus codicibus, qui in vestra professione sunt, præstat) perueniamus, sic habe: Principio vide ne corrumpatur Antimonium, sed totum hoc, quantum est, integrum maneat, citra vllam amissionem formæ. Sub hac enim delitesci. Antimonij Arcanum, id quod per Retortum impelli debet sine omni capite mortuo, ac denuò in tertium Cohob tertiam naturam reduci. Tum demum erumpit Dosis eius gr. iiij. Quintæ Essentiæ melissæ administrata. Huic præterea nihil tribuit Archeus terræ.

Antimonij virtus imperuestigabilis.

Antimonij mira præ omnibus præstantia.

Antimonii virtutis præparatio.

Antimonii præparatio Dosis gr. iiij.

De Sulphure. Cap. VII.

PRincipiò ardua res est, & nominibus celebranda, tantam inesse vim atque naturam terræ, quæ Balsamum procreet, cuius est hæc natura, vt porrò nihil putrescere sinat. At consideres Resinas, quarum potissima pars est Sulphur, nihil est quòd superiora laudes. In sulphure Balsamum est, quo de nemo non variarum artium studiosus meminisse debet. Nam in eo sunt Liquores Balsami, qui neque viuum, neque mortuum quicquam putrescere sinunt, sed corpus ita conseruant, vt nulla neque Influentia, neque naturalis corruptio, vel impressa in corpore deprehendi possit. Nemo miretur hoc loco tantam inesse vim in Resinis terræ, neque maiorem prædicationem huius, quàm quæ Balsami sit super terram crescentis, & huius vim atq; virtutum declarantis. Nam in his, quæ occulta sunt multò plura deprehendũtur, quàm in his, quæ manifesta sunt. Sic in Sulphure multò plura deprehenduntur, quàm in cæteris Resinarum partibus. De Sulphure autẽ, vt ad tractandi rationẽ perueniamus, sic habe: Eleua Sulphur à Colcothar, Spagyrico more, idq; tantisper dum non superat ignis, id quod natura Colcathar Sulphuri tribuit, idem spiritus fixus est Balsamus terræ de quo hoc loco paucula admodum scribimus. Huius enim virtus experientia patet: & si aliqua de Gummi, quædam etiam ex Resinis, cæteraq; id genus eiusdem naturæ sunt cum Balsamo, tamen inter illa primũ, ac optimum esse puto Sulphur, &c.

Balsami Natura quæ. Sulphur pondus Balsami.

Sulphur resinarũ præstantissima.

Sulphuris præparatio Spagyrica.

De Mercurio. Cap. VIII.

ELixir ex Mercurio eâdem ratione, quâ ad transmutanda Metalla adornatur, confectum plurimum valet ad pellendam mortem. Nam eius Rubigo, quam Lullij sectatores falsò Florem appellant, nil nisi mors est. Sicut enim Mors consumit ac conterit corpus, sic Rubigo metallum. Quicquid ergò Tinctura illa tingit, longæ vitæ plurimùm inseruit, & idipsum tantò efficaciùs, ac fortiùs, quantò altiùs (absit inuidia dicto) gradum Veneni attigerit, quantò acriùs etiam, ac subtiliùs in præparatione reiteratum fuerit. Neminem deterreant Rupiscissæ fabulamenta, qui suo more temerè, ac frigidè super hac re scripsit, videl. in Tinctura corporis Aurum & id genus alia, quæ Mercurij sunt: deniq; quicquid ex spiritu Salis, aut Arsenici confectum est, prorsus esse fugiendum. Ad Tincturam Mercurij (cuius virtus est ex subtili acrimonia, quamquam à naturâ Archei habet) propiùs accesserunt Albertus, ac Thomas: in coagulatione autem nimia & gradu Reiterationis, quibus totum negotium obruerunt, falsi sunt. Quamuis in adornanda Tinctura eorum quiddam est, quod veræ Tincturæ finitimum est, in hanc sententiam: Sicut metalla transmutantur ac plenè figuntur, sic etiam corpus ad hunc modum: Reduc Mercurium in eleuatione tantisper, dum in fixum crystallum abeat: deinde in resolutionem, ac coagulationem digere, & cum Auro coniunge, ita vt fermentum eius hoc ipsum fiat. Proinde iuxta præscriptum Hermetis age vsque in finem lapidis, cuius dosis est granum 1. Huius vis, ac virtus corpus reseruat integrum.

Elixir ☿ non est Rubigo seu Flos Lullij.

Rupiscissa taxatur.

Albertus & Thomas circa Tinct. ☿ vbi lapsi sint.

Elixir. ☿ præparatio & Dosis.

De Spiritu vini. Cap. IX.

SVpra vbi Essentiæ Herbarum memini, nihil aliud nisi vinum esse, ostendi, id quod sic accipias oportet. Spiritus vini à substantiâ eiusdẽ prodit: nam huius subiectio existit vinum, sicut Marrubium proprij ac natiui vini. Quare vt spiritum vini tanquam Essentiam, quæ verè Elixir est, habeas, sic accipe: Sicut Persicariæ libra 1. ℈ ij. vini emittit: Sic vini libra 1. plus scrupulo 1. non capit. Reliquum est phlegma vini, id quod ad præsens Elixir parum confert. Porrò inquisitio huius Essentiæ, fiat ad hunc modum: Digere vinum Pellicano infusum fimo equino, idq; bimestre spatium continuò, videbis adeò tenue, ac purum, vt pinguedinem quandam, quæ spiritus vini est, in superficie vltrò eliciat. Porrò quicquid sub hâc est, Phlegma citra omnem vini naturam existit. Pinguedo autem sola phiolæ inclusa, & per se digesta, summæ energiæ est ad vitam longam. Non modò autem ad vitam longam, sed etiam ad alia Praxis illa torqueri potest, & idipsum interuenientibus Cinnamomo, Xylobalsamo,

Essentiæ vini extractio.

Xylobalsamo, Myrobalanis, & id genus aliis in hunc modum. Confunde, ac interueniente digestione ita coniunge, vt Elixiro, quo de hoc loco mentionem facimus, Auroque adiuncto medicina adornetur, quæ omnem contractionem tollit, ac membra resoluit.

Extractio Mumiæ. Cap. X.

Mumia quomodo & vnde præparetur. VIrtutum verò ex Mumiâ extractio magistraliter, vt eo verbo vtar fit per commistionem eius cum Essentia Vini, ex Chelidoniâ quidem sumpti, nempe, si ad decem vsque dies sic digeres, in quinque autem destilles. Porrò verò digeratur ex integro rursus, eò vsque quò se Mumia in liquorem vertat: quo facto tam superno, quam inferno, separatis nempe seorsim à medio, addatur huic sedecima pars Balsami de lignis, terræque sigillatæ Pauladadi pondus duodecimum, ac tantundem Horizontis Liquoris: digerantur simul ad sui mensis spatium, quo conclusum ita sese reuerberaret. Hoc enim pacto in summum vsque gradum ascendit. Quod quidem eorum omnium, quæ venenis dominantur, potentissimum atq; efficacissimum est.

Satyrionis extractio. Cap. XI.

Satyrionis extrahendi modus. QVicquid autem ex Satyrione elici debet, per separationem fiat necessum est. Vis namq; in Satyrione delitescit Saturniana, quæ quidem clam virtutem, qua de gloriari Satyrion debebat, suffuratur ac debilitat, fitque sic eius Exaltatio triginta granis minor. Quo fit, vt non raro opem vsurpatus deneget Satyrion. Quare in eius separatione considerari operæ pretium est, vt non forma quidem, sed virtus duntaxat separetur, id quod in hanc fit sententiam: Indigeratur in Pane siliginis Satyrion, idque ipsum in Ventre Equino ad suum nempe mensem: quo peracto, ipsum quidem è pane excipe, abiectis quippe fæcibus. Deinceps Sanguinem Satyronis probè digeri, despumarique sinito: quo sedato, tum demum medicinam nactus es, quæ cæteras, omnes quæ ad conceptionem attinent, facilè post tergum relinquat.

Extractio Primi Metalli. Cap. XII.

Primi Metalli extrahendi modus. PEr Primum Metallum summæ atque adeò præcipuæ fiunt conseruationes corporis, neque tamen ex natura propriæ suæ confortationis tam est efficax, sed potius ex virtute mineralium, quæ in se continet. Nam vt vitam longam conserues, ex principe mineralium hoc proficiscatur necessum est, quandoquidem Mineralia Physicum corpus existunt. Atque hoc temperamentum illud est, quod solum atque vnicum Corrosiuis resistit, operaturq; tam per Chymicum, quàm Archeïcum Ares, squin etiã robustissimum quodque corpus cum debilissimo temperat in vno gradu. Robur siquidem præter roboris Ares perinde est, atque debilitas infra gradum Ares roboris existens: firmiori quidem adimit, quod imbecilliori præstet, ac vtrunque in medium tandem redigit diametrum, id quod in hunc modum fit: Liquorem Corallinum accipito, eum nempe qui probè diaphinus existat, cui adiunge eius quidem Vitrioli, quod est ex Venere, quintam partem: digerantur in Balneo Maris ad mensem suũ. Hoc enim pacto separat se vinum Metalli primi in summitatem, cæterum quicquid de fæcibus vini est, Vitriolum Veneris occupat. Sicque fit Primus ille Metallus, perspicuum, diaphanum, ac rubinum planè vinum, cuius præcipua virtus, ac potestas in omnibus est Mineralibus totius Physici corporis.

FINIS LIBRI TERTII.

DE VITA LONGA LIBER QVARTVS.

CAP. I.



SED ne in vita longa quicquam silentio prætereatur, in hoc libello obseruari conuenit, quòd intra testam, vltra etiam Quintum illud Esse, conclusum est aliquid, ex quo coniunctio quædam cùm corporalis, tum eius quod præter corpus est, extra Quintum illud, in longam vitam corpus producit. De quo sic habe: Nihil planè esse, ac inuisibile: in ipso tamen corpore eximium, quod non Microcosmico solùm corpori longam vitam præstat, sed etiam ipsum Dardo in trigesimum annum vsque integrum conseruat, ipsumq; Anthos ac insigniem illum Cheyri vsque in tertiam custodit ætatem. Hoc namque cùm Antheras, ac folia sustentet Microcosmicum, quod per vniuersam quatuor Elementorum Anatomiam perdurare in sua conseruatione debet. Quocirca in hac quidem positione notandum medico est, quòd vniuersa quatuor Elementorum Anatomia, in vnicam Microcosmi Anatomiam contrahi debeat: non autem ex corporali, sed potiùs ex eo, quod corporale conseruat: quod quidem supra Quintum illud, cùm hoc, tum reliqua quatuor sustentat. Et si Nomenclaturam ei iustam, ac veram dare oporteat, Balsamum ipsum vocare, ex quo vita conseruatur iure possum, qui se à corporis Balsamo iure separat: & talis est Balsamus, qui ipsam quoque naturam antecellat, idque ipsum tamen quoq; naturam antecellat, idque ipsum tamen per corporalem operationem. Dardo, &c.

CAP. II.

POrrò eius quidem Balsami, quo de iam dictum, qui longam exhibere vitam debet, declaratio duobus modis fit: Vno qui eiusce modi virtus clam, & à casu accidens ex eo sequitur, quòd plerisq; longa quidem vita tribuitur, qui tamen ipsam, qualis, in se est, agnoscunt minimè. Alter autẽ modus per artes fit, eis nempe, qui illam adipisci coniunctionem possunt: neq; tamen idipsum fieri citra mediũ aliquod potest. In hoc enim planè sita est rei summa, quòd in eo Iliastro, cùm longa, tum breuis etiam vita reperitur. Nã quæ Herbis adiuncta est, terminũ suum habet: Similiter etiã suum habet terminũ, quæ Mineralium est aquæ: eodẽ modo Tereniabin quoq;, nec dissimiliter & Nostoch. Præter tamen hæc omnia, talis ac tanta ipsius est coniunctions vis atq; potestas, vt omne id, quodcunque ex quatuor Elementis productum fuerit, supra primum illum terminum suum conseruetur: & is est terminus Iliastri. Quo Tereniabin, &c. Nostoch.

quidem etiam superatum volumus, subtilem illum virum, qui terminum transgredi non posse ait, quod quidem sin minùs fuerit, ac transgrediatur, fieret hoc vel in altero saltem. Eorum namque sunt duo: quorum alter quidem transgredi nequit (est enim terminus in Microcosmi naturam positus) alius autem etiam in naturam Elementorum, alius verò in Quintam Essentiam quoque, præterea & alius ex vltimo Iliastro. Ij quippe termini in medici potestate consistunt, qui in his mutare pro suo potest arbitrio quod vult, præter solum fixum, vbi finem vna cum suiipsius quoque mutatione expectare ipsum oportet.

CAP. III.

Iliaster triplex, &c.

HVnc itaque Iliastrum ad eum modum intellige, quandoquidem hîc triplices præter Quintam Essentiam virtutes reperiuntur. Est enim Iliaster Sanctitus: alter verò Iliaster Paratetus: tertius autem Iliaster ille Magnus. De priore sic accipe: Quòd Sanctitus ille longam vitam præstat, idque secundum eius qui ipso vtitur, industriã: alter verò id ipsum dispẽsat iuxta fauorem: Sed tertius illæsus, citraque noxam in vita longa consistit. Hinc igitur Iliastrũ hoc in loco comprehensum expende, quòd primus, secundus, & tertius simul omnes microcosmo subditi sunt, ita vt in vnum eos Gamonynum redigere possit. Alter verò cogitur nequaquam, sed quemadmodum fauori conuenit, acquiritur. In tertio perinde habet, vt in Enochdianis ac Heliezatis, non secus, atque de Aquastro patet. Primumque ita ex Elementis suam ducit originem, veluti testa concludit, ipsisq; Arcanis supra Quintum Ess. attribuitur. Secunda verò Magnalib. adscribitur. Et tertius ex propriis Specificis suis. Ex quo sequitur Terrelatos, Nymphydicas, Aërdados, Soladinos longam vitam suam accipere singulos in aliena Essentia. Illius enim tertij Iliastri mors est, & tempus & arbitrium: isque est, qui Spicæ vltrà, quàm ipsa quoq; per se natura ferat, tribuit, quin & Myrrhæ fragarantiã roburq; in Leris. Atqui vtut sese habeant, considerandum medico est, vt eiuscemodi coniunctio non dissimili modo contingat in corpore, nempe quemadmodum arbor maris, semel fixa, atque adeò sui iuris ab illo facta est, fusulq; Cheyri probatus ac constans: si per eandem coniunctionem in Microcosmo idem quoque potest fieri.

Sãctitus. Paratet'. Magnus.

Gamonynum, &c. Enochdiani ac Heliezati. &c.

Terrelati. Nymphydicæ. Ærdadi. Soladini, &c.

CAP. IV.

Iliastri primi species vltra 1000.

CÆterùm de primo illo Iliastro, pacto se habeat in hunc modum accipe, quòd eius vltra mille sunt species: non tamen quòd aliud præcellat alio, verùm potius iuxta hoc, vt quilibet Microcosmus peculiarem suam, atque adeò perfectam coniunctionem habeat, quilibet, inquam, vtrinque perfectam suam ac propriam virtutem. Tanta siquidem est Iliastri virtus ac potentia, vt per eum corpus quidem mortuum cõseruetur viuum, in eo nempè quo primus illo terminus transmutatur. Quæ quidem vitæ longæ conseruatio supra vires nostras existit, non autem præter vires superiorũ: fitq; sustentatio eius ad hunc modum, quòd vitã longam tribuit, citra tamen expulsionẽ morbi: vitam quidem præstat, non autem bonam valetudinem: nonnunquã verò & vtramq;. Sed eiuscemodi quippè vita longa, quæ ab illo proficiscitur Iliastro, annuatim quidem durat ac propagatur: vt alij quidem, in decimum vsque annum porrigitur, qui in quinto obiisse debuerat, alij in vigesimum, qui in decimo. Similiter in quinquagesimum, qui in trigesimo: nonnullis in octuagesimum, qui in quinquagesimo: aliis in centesimum, quos in octuagesimo, vel septuagesimo vitã oportuerat esse functos. Maximum autem in centesimum, ac vigesimum. Alij verò in tertium, quartum, vel quintum & sextum (sicq; deinceps indifferenter) vsq; diem, vltra suum terminum prolongatur: id quod vniuersum tum ex superiore, tum inferiore coniunctionibus, perinde atque hæ duæ conueniunt, accidit.

Iliast primi quæ natura & vis.

CAP. V.

SEd de vero illo Iliastro sic se rés habet, quod eiusmodi quid, citra vel significationem, vel necessitatem quandam erga maiorem illum Iliastrum fieri nullo pacto potest. Quod quidem in hanc sententiam intellige, Iliastrum illum eiuscemodi vitam longam iam iam productur ũ, præstare id minimè gentium posse illic, vbi eius vitæ longæ locus nullus est. Quare obserua, tale quid non nisi cum transmutatione tam loci, quàm elementorum, fieri, sic nempe: Quemadmodum quatuor elementa in testa mortalia sunt, omni momento nouam conficientes generationem, morti eam exhibent. Sic è regione alia quoque est in suo firmamento fixa, atque ideo inconcussa perdurans, quæ nec morbum causatur nec mortem. Quã de re sic philosophari licet: Quod spiritus illi fixi nihil planè interire sinunt, quorum longa vita immobilis est ac firma vsque in transmutationem eorundem, rursusq; in primam. Similitudo siquidem ex texta sumitur, quod secundùm fixationem (vt sic dixerim) firmamenti, longa vita in vno quidem confirmamento prolixior est, quàm in alio: tametsi ad primum solummodò terminum singula attinent. Veruntamen eiuscemodi transmutationem nonnulli quoq; comitantur incolæ (sic enim vocare libet) in decimam, vel duodecimam vsque. Quorum mors in destructionem quidem sequetur magni illius Firmamenti, quando vtraque corpora tam cœlestia, quàm terrestria commouebũtur, quin & supercœlestia quoque. Quanquam hoc citra Naturæ discrimen fit. In prima namque minuta, quando eiusmodi mutationes accidunt, naturæ orditur putrefactio, fitque superstite ac viuente adhuc corpore proprio.

CAP. VI.

VT autem porrò id quod maximè necessarium est in hoc processu erga Iliastrum describamus: Principiò, vt impurum animatum, depuretur citra separationẽ Elementorũ, quod fit per tuam ipsius imaginationem, cùm ea in animi tui confirmamento consistit, præter omnẽ corporalem ac mechanicum laborem. Quæ quidem dispositio ex eo contingit, quo sese homo gradatur in animo, vt æqualis reddatur,

Enochdianis.

Enochdianis. Non quod Enochdianam agere vitam cupiat, animo tamen ab ea per diametrũ distet. Quare microcosmum in sua interiore Anatomia reuerberari oportet in supremam vsque reuerberationem. Per hanc enim reuerberationem sese impurum consumit: fixum autem, quod ab impuro destruitur, sine ferrugine permanet. Nec tamen ignis est, cui Salamandrina adesse possit essentia Melosinicúmve Ares, sed potiùs retorta quædam destillatio ex medio centri, supra omnes carbonum ignes. Facta autem eiusmodi reuerberatione in vltimo quidem termino fulmẽ exhibet physicum, non secus atque separant sese ab inuicem Saturni fulmen, & Solis. Itaque quicquid per hoc fulmen incedit vitæ longæ est, magni nimirum illius Iliastri. Atque hæc quidem fulminatio, & præcedens eius reuerberatio nihil quidem ponderi adimit, sed magis turbulentiæ corporis, idque ex colorum diaphinorum ratione.

CAP. VII.

PRæterea verò ab Iliastro primæ potestatis eiuscemodi vita longa non est. Inferiorem enim gradum præbet. Sed is tamen est, qui eo in loco separat, & perinde, vt res fixa non fixam seruare potest, à morte Microcosmum defendit: quandoquidem eius operatio non est, vt separet, verùm potiùs, vt per Arcana illa perspicua indigestum vincat, quò minùs succedat eius perditio: Similis ei, qui mala bonis superat. Velut Mumia, quæ vnà cum corpore à partu procedit, ipsa quidem per se bona, corpus autem malum ac putridum. Quamcunque igitur vitam corpus viuit, ex sola viuit Mumia: proprium enim eius ac natiuum est, vt putrescat, rursusq; in stercus, cuius membrum est, abeat, id quod continuum eius studium est. Cæterùm Mumia non item: nequitiam enim illi suam frangit, atque suo ipsum proprio conseruat arbitrio, quò minùs id quod conatur aliquando efficiat. Quamobrem sic sonat eius Receptum, quod mumia supercœlestis Microcosmum plùs, quàm propria eius Mumia sustẽtat. Quoties enim Mumia, totius item alius terminus: tametsi neque tempus, neque numerus in huiusmodi terminis repertus est: perdurat enim eò vsque quò secundam euitare generationem non potest ampliùs: nam in hoc peritus esse physicus debet, quòd quælibet prima materia vltimam quidem expellat. Quare generatio vermium hîc orditur, vbi vltima materia physici corporis sese ostendit: hunc igitur Iliastrum obserua, quod vermium generationem non modo non destruit, verùm etiam cùm earum adsit materia, generationem ne impediat quidem, quam tamen præuenire mumia debet.

Mumia supercœlestis hominem plus sustentat propria.

CAP. VIII.

AD horum omnium conclusionem, principiò nota, quod naturalis Mumia extrinsecus illis Antimoniis componi debet, quò peregrinus Microcosmus physicum corpus gubernet: id quod extrinsecus fieri necessum est, siue per Elementum aquæ, velut per eius Metalla, salia, & id genus: seu per Elementum terræ, vt per eius herbas siue boletos: aut in Tereniabin, vel Nostoch: nam hæc omnia mansiones sunt rerum supercœlestium. Quamobrem nemo miretur, quod ingentes passim Melissæ virtutes describuntur. Quando enim in hac supercœlestis coniunctio sese vnit, quis virtutem ei quantumuis eximiam abneget? Atque hæc quidem sunt Magnalia, quæ in se Bamahemi quoque continent, atque is planè Ilech est, qui ex vero compositus Aniado, eidem Elementato adimi nullo pacto potest, id quod fit per exaltationes vtriusque mundi: perinde atque vrticæ exaltationes adurunt, nitetq; ac splendet flammulæ color. In huiusmodi tamen exaltationibus virtus eorum traduci in aliud potest. Ad hunc igitur modum dignoscere exaltationes discite, quæ vrticâ longè potiores existunt, idq; ipsum, vt in vero Maio, vbi Aniadorum exaltationes ordiuntur, easdem colligatis. Neque enim virtutum exaltationes in matricibus duntaxat sitæ sunt, verùm etiam in supercœlestibus. Vulgaris quippe ac velut nihili Idæus is esset, qui vnam solummodo rem visui subiectam fabricare nôsset, nec præter ea, quæ tangi possunt, creasset maiora quædam. Enimuerò alium quẽdam Maium construxit, vbi se flores exaltant supercœlestes, in quo extrahi Anachmus debet, ac seruari, non secus atque muscus in pomambra: & sicut auri virtus in Laudano delitescit: cuiusmodi quidem Anachmi virtutes quando colliguntur, tum demum de longâ vitâ lætari meritò potes.

Mumiæ Naturalis compositio vnde.

Bamahemi, &c.

Anachmus, &c.

FINIS LIBRI QVARTI.

DE VITA LONGA LIBER QVINTVS.

CAP. I.



SVPRA in primo libro fundamenta ieci vitæ longæ, ea hoc loco absoluemus. Non enim video, cur ea, quæ ad integram vitam atque adeò sanam pertinent, hîc denuò repetam. Cùm in superioribus libris, secundò & tertio, de his à nobis satis abundè dictum sit: quare in hoc quinto libro supremam manum imponam his, quæ supra in primo libro, de ea, quæ præter naturam est, vita, incœpimus: & idipsum pro ratione Theorica. Principiò proponimus vniuersis Spagyricis, cùm Adæ, tum Mathusalem ætatem, id quod in secundo capite sequenti indicabitur. Antequam tamen ad illa perueniamus, priùs de vita longa, quæ in manu illius maximi Iliastri est, exactè dicemus, idque pro ratione Magnalium. Vbi plurima de libero arbitrio arripienda esse admoneo, quàm quæ nos ex Elementis administrare possumus. Hæc, vt clariùs ac rudiùs innotescant, principio oportet fingamus Enochdianos, quam Influentiam si in mente nostra, perinde ac ignem in ligno, non sine vulgari virtute gesserimus, fieri potest, vt ad hanc vitam perueniamus, vel nullo negotio: id quod exemplo Iohannetis palam fit, cuius natura, neque vnam ætatem solùm, neque sæculum vnum duntaxat comprehendit. Sed ne his meis Paramiricis libellis præbeam calumniandi

Iohannetes, &c. lõgæuus.

mniandi ansam his, qui scripturas variè torquent: nihil certi hoc primo capite definiemus de vita summi Iliastis: num hic in corporalibus Elementis sit, aut porrò etiam in Quinto viuat, vbi nullum corpus occurrit, vbi non modo ij, quibus de mentionem fecimus, viuunt, sed etiam ij, quos somno sepultos credimus. Hæc, inquam, omnia sublimioribus spiritibus tantisper existimanda relinquimus, dum infrà ad illa venerimus. Porrò si impelletur Iliastes ille summus, aut aliquo saltem haberet opus, facile eò, quidquid esset Enochdianum perueniret, vbi vniuersa vita nostra lõga suis locis in æthere, ac nubibus collocaretur. Sed semel saturauit se Iliastes. vt porrò non careat, neque aliquo habeat opus. Quare in hoc libro vltimo singula pro ratione primi libri tractabimus.

Cap. II.

Vitę longæ terminus quis. Vires hominis sunt duplices.

SEd vt tandem ad finem deducamus ea, quæ de vita longa tractare incœpimus, principiò indicabimus, quid vita longa sit. Terminus vitæ longæ complectitur inter se 1000, aut 900. aut ad minimum 600. annos. De scaturigine autem huius, quæ præter naturam est, vitæ, sic accipe. Duæ sunt in hominis potestate vires; Vna Naturalis, qua de dictum est vsque ad natiuum finem: Alia aëria, in hac enim nihil est corporale. Quare incorporalia hunc nostrum libellum absoluunt. Miseros hoc loco mortales, quibus primum ac optimum thesaurum (quem naturæ Monarchia in se claudit) natura recusauit, puta, naturæ lumen. Ne porrò in hâc laboremus frustrà. In philosophia autem, quia desinit ac abit natura Aniadum, recordabimur, neque porrò mentionem faciemus philosophiæ. Missas igitur faciamus res naturales, missa etiam facimus quæcunque sunt ex Elementis insuper etiam gesta Helisemidan: deniq; quæcunq; supra diximus, quæ sub chao id quod summus Iliastes existit, delitescunt. Et in manus ea, quibus de mentionẽ in 1. libr. facere cœpi, tandem accipimus. Vt igitur ad annum Aniadin, aut etiam vltrà perueniamus, obseruandæ sunt regulæ sequentes.

Nymphidida. Guarini. Saldini. Salamãdrini. Melosina, &c.

Neminem offendant, quæ hoc loco de Nymphidida dicturi sumus, quo loco simul indicabitur vis ac natura Guarinorum, Saldinorum, deniq; Salamãdrinorum, & quicquid est Melosinæ. Porrò si quem præsens locus abalienaret, neminem offendat, sed potiùs finem huius opusculi adeat, vbi singula videbit.

Cap. III.

Vita longa quomodo à Natura Soli, Loci corporis, &c.

SEd vt simul innotescant cùm locus, tum corpus in his rebus, quod certâ quâdam cõcordantia ordinari debet, ac disponi. Principiò obseruanda est soli natura, quod Iliastis est: nam aliud ad 300. vsque ad 600. annos conseruat, id quod ad eos codices relegamus, qui tractant de naturâ Elementorum. Porrò quicquid ex sui natura simul etiam loci naturam admittit, haud dissimiliter priori sæculo in vnam conclusionem cogitur. Vbicunque verò coëũt, cùm loci tum corporis natura simul illic vel nullo negotio peruenitur ad 600. annum: quorum aliquot, qui istuc ætatis attigerunt, commemorare possem, nisi aliò properaret calamus. Sunt præterea, qui aliquandiu clam, atque adeò furtim sunt seruati, idque per vitam longam. Quorum ratio, quia nulla, nisi quatenus Iliasti tribuerunt, & hoc loco prætereundum censeo. Sic quicquid non est aëriæ vitæ, hoc loco tollitur. Sequuntur ergo qui vitam aëream vixerunt, quorum alij à 600. annis ad 1000. & 1100. annum peruenerunt, id quod iuxta præscriptum Magnalium, quæ facilè deprehenduntur, ad hunc modum accipe: Compara Aniadum, idque per solum aëra, cuius vis tanta est, vt nihil cum illo commune habeat terminus vitæ. Porrò si abest iam dictus aër, erumpit extrinsecus id, quod in capsulà delitescit. Iam si idem ab illo, quod denuò reuertatur, fuerit refertum, ac denuò in medium prolatum, scilicet extra id, sub quo prius delitescebat, imò adhuc delitescit, iam vt res trãquilla prorsus non audiatur à re corporali, & vt solum Aniadum Adech, deniq; & Edochinum resones. Porro etiam hæc tria, & quod in hæc tria vergit, non quatuor, sed vnum sint, habebis longissimam vitam delitescentem. Hinc est natiuitas magni illius Aquastri, qui præter naturam natus est. Hoc & si id quod intrinsecus erat, nequaquã deprehendere potuit: tamẽ hîc præbuit occasionẽ id, quod extrinsecus Iliastes fuit, &c.

Cap. IV.

REstat adhuc in hac Monarchia, cuius nos magnus ille Zenio maximopere commonefacit, videlicet longè aliam esse vitam ab eâ, nos plenè præscripsimus: quæ tunc alia nos perstringit, cùm singula transibunt, qui calcat, & qui calcatur, nihilominùs tamen vtraque manebunt, id quod non satis intellexerunt hactenus Aliani. Tum demum erit quando simul omnia desinent, quæ vnà mecum indagastis, iam indè à primo ad nouissimum vsque. Sed par est, vt semel etiam probemus ea, quæ tractare incœpimus, idque non physica ratione, sed Essentiâ ipsâ, quæ vel sola hoc loci, cuius meminimus, plurimum valebit. Hoc loco quo de plenè loquimur, miraberis forsan, ac quæres: Num vita sana possit esse coniuncta cum vitâ longâ? De hoc igitur hæc paucula notato. Duplicem esse Essentiam, alteri sanitatem & fixam: alteri ægritudinem & similiter fixam inesse. Quod autem ad locum & immutationes istorum attinet, nihil prorsus immutamus. Porrò quorsum attinet frustra his immori, quæ nobis lumen naturæ recusauit? Præterea ille, qui ex animi libidine nobiscum agit, indicat, ac rursus hiantes nos deserit. Quare hoc loco præteribimus, quæ vires nostras superant, & creaturas aliquot, vitæ mirabiliter longæ, & eas sine fato commemorare incipiemus. Inter quos sunt Laureus, Siconius, Hildonius, & alij plerique, quorum natiuitatem, siue mortem naturalem nemo vnquam neque deprehendit, neque audiuit. Adde naturam & Essentiam illorum, & quotũmquemque reperias, qui vel apiculum de his scripserit? Quanquam Paramirica scripta nonnihil de his habeant: tamen sicut semel hoc fuit, ac rursus desiit, ita etiam vnà intellectus abiit. His igitur

Zenio, &c.

Aliani.

Vita sana & longa an congãan cõiungantur?

Laureus &c. Siconi' &c. Hildonius, &c.

Necrolici, &c.

igitur concludimus, quicquid est vitæ longæ, idq; extra Necrolicos, quemadmodum in sequentibus patebit.

CAP. V.

NOn pili fecerim eum, qui sub Lullianis artibus se falsò, vt Necrolicum vendidat, & improbat in quod id quatuor Sciolis comprehenditur, & me vt summum Sciolum prędicat, ita vt pro ratione Cedurinorum possim adoriri Necrolias artes. At ego vel hydros Sciolis vnà cum æmulis inuideo. Quid dicam hoc loco de his, quæ Musa sagax in canonibus suis vnà cum matrice quatuor Sciolarum complectitur, quæ vobiscum indormiscunt, temporaq; in vobis Anodynica reddunt. Et ego vos etiam atque etiam in tantum stuporem adduco, vt in notitiam papaueris redigamini. Sed missa facio illa, & in hoc solùm laboro, quod in superioribus lib. hactenus monui, in cosmographica scil. vita, vbi cùm locus tum corpus Iesihach apparent. Porrò etiam quæ præscribo, præter loci ac corporis vires, idque Spagyricæ præscribo, Hydromanticæ, & Pyrotenchus. Sed quid attinet hæc commemorare vobis omnibus, quorum ne nomina quidem noui? qui & si Necrolios agitis, & in Cyphanto nonnihil experti, tamen indormiscunt pulsatiles. Hæc omnia ego absolui, ea quisquis intelligit, optimo iure se Spagyri nomine venditet: ac tum demum quintum cap. ediscere laboret, in quo me plurimum offendunt Sciolæ. Nam in his nulla inest mortalitas. Sub hæc igitur concludo totius rei summam, & affirmo eum esse immortalem, quicunque pro ratione Sciolarum vixerit, id quod per Enochdianos, & sui sequaces probo. Neque hunc locum infringet Aquaster. Porrò si pro ratione Necroliorum Sciolis insererer, esset quod excipiendum ducerem, id quod maximus ille Adech anteuertit, & propositum nostrum, at non modum deducit: Quod vobis Theoricis discutiendum relinquo. Atque ad hunc modum abiit è Nymphididica natura interuenientibus Sciolis in aliam transmutationem permansura Melosyne, si difficilis ille Adech annuisset, qui vtrunque existit, cùm mors, tum vita Sciolarum. Annuit prætereà prima tempora, sed ad finem seipsum immutat. Ex quibus colligo supermonica figmenta in Cyphantis aperire fenestram. Sed vt ea figantur, recusant gesta Melosynes, quæ cuiusmodi sunt, missa facimus. Sed ad Naturam, Nemphididicam, Ea vt in animis nostris concipiatur, atque ita ad annum Aniadin immortales perueniamus, arripimus characteres Veneris: quos & si vos vnà cum aliis cognoscitis, minimè tamen vsurpatis. Idipsum autem absoluimus eò, quòd in prioribus capitibus indicauimus, vt hanc vitam securè tandem adsequamur, in qua Aniadus dominatur ac regnat, & cum eo, cui sine fine assistimus, permanet. Hæc atque alia Arcana, nulla re prorsus indigent. Et in hunc modum vitam longam conclusam relinquimus.

Melosyne, &c.

Theophrasti ex Hohenheim, librorum quinque de vita longa finis.

FRAGMENTA LIBRI PRIMI DE VITA LONGA.

CAP. I.



ANTEQVAM de vita Longa Philosophari incipiam: Primò quid vita sit, scitu dignum existimo, maximè verò immortalis: Quem locum alij prorsum integrum reliquerunt, credo incognitum, aut non satis intellectum. Hinc est, cur alteri solùm, mortali scilicet, consultum voluerint hactenus.

Vita est duplex.

Quæ omnia vt clariùs innotescant, Principiò de Physico corpore dicendum esse existimo. Generalis Praxis in Physico corpore fit ad hunc modum. Principiò considerantur partes eius, tot & tam variæ Medullæ, Ossa, Cartilagines Ligamenta, Nerui, Carnes, Membra: Denique quicquid est Principalium membrorum; Cor videlic. Hepar, Cerebrum, Vesica, Splen. Prætereà quicquid est exteriorum membrorum, Musculi, Lacerti, & id genus alia, quæ Physicam vitam complectuntur. Sed ad ea priusquàm perueniamus, quid Mors sit, quid Ægritudo; paucis indicabimus. Mors est dissolutio vitæ, cùm mortalis, tum immortalis, quam dies Natalis coniungit ac copulat. Nam omnis Coniunctio rerum mortalium, maximè diuersarum, affert secum dissolutionem. Quemadmodum omnem coniunctionem rerum Naturalium, & earum, quæ præter Naturam sunt, sequitur dissolutio. Sic vitæ, quæ coniuncta est, comes est dissolutio. Hinc est huius mali fons & origo, generatio Morbi, quam continuò insequitur mors. Ex quibus facilè colligere licet, quid vita sit, tum mortalis, tum immortalis: qua ratione vitaque conseruari debeat: id quod infrà etiam in fine Physici corporis latiùs patebit.

Corpus Physicũ, quæ cõstituant.

Mors quid.

Vita quid v. traque sit.

CAP. II.

PRincipiò oportet probè cognitam habeamus vniuersam rationem atque naturam cùm physici corporis, tum Physicæ vitæ: etsi neque corpus neque Vita corporis hoc loco considerari debent. Ex mortali enim nihil potest elici, quod pariat vitam longam. Extra corpus est vita longa, & à corpore conseruatur.

Mortale nullum ad vitã longam facit.

Præterea interueniente corpore exoritur dissolutio vitæ vtriusq;. Vbicunque enim mortalitas non est coniuncta immortalitati, illic dissolutio esse nequit. Hoc loco plurimum laborauit Hippocritica Musa, qua sc. ratione corpus tanquam Balsamum conseruaret, nec causaretur mortem, immemor in vita mortem non esse. Nihil enim aliud Mors est, nisi dissolutio quædam: quæ vbi accidit, tum demum moritur corpus. Atque huc omnia sua excerpta retulit Hippocrates, corpusculumq; illud præ manibus sumere, & mortale mortali conseruare decreuit: quum in ea nulla vnquam fuerit vita, quæ ex illius fonte manarit. Corpus est creatura, at non vita. Non prorsus referenda est, inquies, Hippocratica Musa ad mortalitatem: Esto: At multò faciliorem viam ad sanitatẽ inuenies:

Hippoc. conatus irritus, &c.

Mors quid.

Corpus est creatura non vita.

nies. Nihil enim præterea, quæ creaturæ sunt, Hippocrati tribuit Deus. Sed ad rem. Huic corpori Deus adiunxit aliud quoddam, puta cœleste, id quod in corpore vitæ existit. Hoc opus, hic labor est, ne in dissolutionem, quæ mortalium est, & huic soli adiuncta, erumpat. Etsi in corpore isto caduco accidere potest dissolutio, atque adeò colligi ex eâ amissio cœlici corporis: tamen vitæ longæ obesse nequit: propter Restaurationem, quæ subindè fieri debet, vt prorsus omni defectu careat corpus. Sicut enim Ignis tantisper, dum ligna adsunt, viuit. Sic vita longa, dum adest corpus. Quod corpus, vt corpus, conseruandum est interueniente corpore, quod extrinsecus conualescit: Inde enim conseruari potest. Nihil enim aliud est corpus, nisi subiectum, in quo longa vita gliscit.

Vita, quā diu duret, &c.

FRAGMENTA

LIBRI SECVNDI DE VITA LONGA.

CAP. I.

De Curâ Podagræ.

Podagræ cura, in quibus cōsistat.



AD perfectam podagræ curam tria requiruntur, nimirum Purgatio, cutis apertio, & eiusdem sanatio. Processus is est. Podagricus primò plenè perfecteque per Arcanum corallinum purgandus est. Per hoc fluxus podagrici vsque adeò expurgantur, vt locus illi morbo ampliùs non detur. In isto siquidem corallino, quod ex Essentiâ Auri præparatum est, facultas adeò insignis latet, vt impossibile sit, Medicum citra illam purgationem Podagram inquirere. Purgatio ea sexies vel septies interanda est, prout Podagra vel inueterata, vel grauis & contumax est. Quòd si tamen à purgatione morbi aliquid adhuc residuum fieret, aut æger propter imbecillitatem purgationi sustinendæ, non sufficeret: Cutis ei aperienda est, hoc modo. Vbi sedes præcipua vel centrum Podagræ est, ibi cutem aperi per Alcali ex spiritib. Apertionem illicò sequitur tumor, ad quem confluit, quod ad centrum Podagræ spectat: Illud postea effluit, si caro emortua remouetur. Fluxu porro podagrico desinente, curam reliquam accessoriam aggredere per Emplastra de Mumia. Et his remediis podagra curatur. Cæterum Liquor ex Mumiâ contemperatus, etiam citra apertionem cutis sanat, morbo adhuc recenti existente, nec dum inueterato: & hoc ex singulari congenitâ Naturâ ac proprietate fit. Tertia curandi podagram ratio perficitur Mumia, si in vltimam materiam Alcalizatam reducitur, idque per Liquorem Mumiæ, hoc modo: Podagrica membra quotidie inunge spatio septimanarum septimanarum septem vel octo circiter, prout Podagræ conditio postulat. Et hisce tribus modis sanatur, quicquid contractum & dissolutum est. Hæc podagram sanandi ratio noua planè & inaudita est, imperitis cumprimis Medicis, qui per calumniam istam rationem medendi veris regulis aduersari clamitant, cùm tamen ipsimet interim nihil nisi inanem titulum Medicorum habeant.

Arcani corallini vis quæ.

Cutis aperitur Alcali ex spiritibus.

Podagrā curandi, alia ratio.

FRAGMENTUM ALIVD LIBRI SECVNDI DE VITA LONGA.

De Apostematibus.



VT in Apostematibus curandis ex vero & genuino fundamento procedatur, hæc cumprimis tenenda Regula est, quòd Apostematum genera duo sint. Nonnulla sunt in quibus Mors & Paroxysmus vnà insultant. De his multi Medici anxiè laborârunt. Quòd si verò Morti manus ac pedes fuissent: vidissent illi vtique, quòd mendacia de Epidemiis scripta exstarent velut & de Apostematibus cæteris. Regula secunda est eorum Apostematum, in quibus mors cum paroxysmo non insilit. In hæc quæ potestas medici sit, deinceps subnectemus. Vtræque regulæ concurrunt in Anthrace, in Saphyro, in carbunculo, in Pleuresi, in Peste, in Bubone & cæteris. In nonnullis mors non concurrit, vt in cancro & similibus, quæ mammillas fœminarum affligunt. Horum omnium curæ modus is est, vt nihil adhibeatur, quàm SONATH, in quo virtus Expulsiua consistit. Hâc enī facultate Apostemata vniuersa expelli debét. Resoluit, mitigat, & à corde expellit. Huic adiungi debet practica Chirurgica, quâ per Maturatiuain Emunctoriū materia coërceatur. Ea maturatiua debent simul etiā esse Attractiua, ita tamen, vt expulsiuū attractiuū sequatur Sonath hoc modo in virtutem expulsiuam directo, sequitur deinde de Theriacâ vitæ, in quo Arcanum omnium venenorum est, roborandi causâ vsurpandum. Cætera Experimenta hinc indè conquisita, medicis relinquimus, qui per illa suas culinas infarciunt, & hinc inde gratiam aucupantur.

Apostematum genera duo.

Apostematum cura qualis.

SONATH quæ facultas.

DE VLCERIBVS.

OMnes fluxiones, humores, &c. sub curâ vnâ comprehenduntur, si in Emunctorium per se incumbant, hoc est, si vlcera efficiant in locis illis, ad quem emunguntur. Omnium cura vna est, & talis quidem. Primò est Mortificandum. Secundò, Mundificandum. Tertiò sanandum. Mortificatio est, quâ per Alcali ex Realgar vlcera, & quicquid læsum est, mortificantur: deinde per Gummata ab Eschara liberantur: Deniq; per Mumiam consolidantur. Quanquam vlcera nonnulla mortificationem nullam poscant, vt sunt Vlcera Esthiomena. Quorum vtrum faciendum vel omittendum sit, decernendū relinquimus chirurgis. Porrò etsi quidem vtrique illi Medici Remedia multa inuenta proposuerint: omnis tamen illorum doctrina ea fundamentis caret, & à desperatis Medicis, qui nec sibi, nec suæ arti fidere tutò possunt: proficiscitur. Sed hæc iam de omnibus vlcerum generibus dicta satis sint. Purgatio præcedat, loco conseruationis: quam peritis Medicis relinquo. Quæ de pustulis sequuntur, spectant etiam ad vlcera.

Vlcerum cura per quæ fiat.

Vlcera quę mortificāda.

DE PVSTVLIS.

MOrbi Gallici species, & morbus ipse per se, curā sui ad tria reuocat, ad purgationem, curationem, & conseruationem. Compendium

Gallici morbi curaque. Cautionis ... res quæ.

dium est, vt quilibet Morbo Gallico laborans, per Ceniotemium purgetur in principio. Ceniotemium enim omnem causam & materiam peccantem aufert. Modus iste purgandi Medico probè cognitus esse debet, vt Dosin & quantitatem iustam præscribat. Posteà, si quid extrinsecus in cute erupit, vt sunt pustulæ: hæ per oleum ex Realgar illini & erodi debent. Quòd si contractura manet: debet & ipsa oleo ex Realgare inungi & curari. Denique quotannis purgatione instituta, conseruatio quærenda est. Vlcera, nodi, bubones, & excrescentiæ similes aliæ, remediis in Vlceribus nominatis curari debent.

DE VULNERIBUS.

Vulnerũ remedia triplicia. Balsamus, &c. Brassidellia, &c. Magorreo, &c.

SAnandorum vulnerum vniuersorum Remedia tria sunt: Naturale, vt Balsamus, Specificum, vt Brassidellia: Characteristicum, vt Magorreo. Hæc remedia priusquam explicemus, sciendum est de vulnerib. quòd ipsorum nec species nec locus considerandus sit. Prisci quidem Medici, multa de vulneribus cerebri, intestinorum, vesicæ, &c. nugati sunt, an curationem admittant, nec ne. Cùm tamen visus doceat, etiam illa vulnera, quæ in partibus vitam non concernentibus hærent, mortem importare: nos de illis lethalibus vulneribus verba nulla faciemus, cùm de illis ipse euentus testaturus sit. Hoc saltem Chirurgus agat, vt quod vulnus lethale non est, lethale ne faciat. Diligenter ergo processus illi cognoscendi sunt, per quos vulnera ad statum meliorem reducuntur. Cæterum, Medici illi, qui in Academiis nascuntur, magnam suæ scientiæ partem emendicant à balneatoribus & tonsoribus, nullius pretij hominibus, vt sunt Lanfrancus & Petrus de Argillato, vnà cum huius formæ aliis Monachis, &c. qui nullos quidem curandorum vulnerum modos tractant, sed solidi fundamenti penitus ignari sunt. Horum rubri pilei multò rectiùs balneatores ipsos ornarent. Hi, quòd vno ore latè vociferantur, nullum vulnus sine pure sanandum esse: cùm rectiùs artem non didicerint, vitio id ipsis admodùm dare non possumus. Ex hac tamen ignorantia, triplex falsa vulnerum curatio enata est. Vnam commenta est Schola Monspeliensis, naturalem scilicet sanationem ex virtute Balsamea, ad putrefactionem cum * decocta. Similiter quod specificum præstat, à * chirurgis locis non conuenientibus, ac ipsi specifico inepsis adhibitum. Sic etiam processus charactericus à Campesiis in falsa verba consecrationes, & * commutatus est. Cùm verò processus illi falsi * reperiantur: nostrum est, imitari veros & genuinos, nimirum hos, quòd Naturalis Balsamus in vulnera infusus, aut bibitus, nihil aliud sit, quàm Hyptericon, Centaurea, Prunella, &c. quæ Balsamea virtute & potentia non externa solùm, verùm & interna vulnera consolident. Specificum autem supra Balsamum est. Collatenna * enim bibita, quodlibet vulnus, internum & externum sanat. Facultas namque & vis ipsius fixa & constans est, & operatur, quam diu vulnus apertum est. Brassatella, si vulnus semel tantùm attigerit, illo ampliùs tractato opus non habet. Huiusmodi operationem finalem specifica multa habent, vt non 12. aut 24. horarum spatio applicata, sed semel tantùm admota, vsque ad finem vulneris medicina fixa sint. Et conueniret quidem huic loco, vt Experimenta illa specifica exponerem. Sed cùm in Archidoxis illa recenseantur, labori isti hîc supersedere volo. De vulnerum characteribus, sicut processus tertius docet, sic statuendum est, quod characteres, &c.

Landfrãcus, & P. de Argillato carpuntur.

Balsam⁹ vulnerariusquid sit.

Collatẽna vires.

Cætera desunt.

LIBER TERTIUS DE VITA LONGA.

CAP. I.



PRÆMISSIS hactenus particularibus Arcanis, corpus ægrum ad sanitatem reducentibus: quod iam superest, hoc tertio libro de corpus præseruantibus differemus, quibus physicum corpus veluti Balsamo ita conseruetur & præmuniatur, vt nullum in ipso vitium oriatur. Etsi verò particularia Arcana & hoc tertij libri subiectum corpus vnũ, vna præparatio sit: hoc tamen distant, quòd practica in hoc tertio Elixirio aliter instituatur, quàm cura particularis docet. Quâ de causâ etiam Flos Cheyri & Anthos per hunc tertium librum prædominantur. Perficitur enim in eo Arcanum Elixiridum ex virtute totius Quintæ Essentiæ, vnde maioris intellectus gratiâ initiò docere visum est, Quidnam Quinta Essentia per se sit, nimirum, quòd Natura quatuor Elementa operetur, & ex quatuor illis Spagyrus temperatam Essentiam producat, sicut Flos Cheyri demonstrat. Nos quidem nihil afficit Raymundi Scientia, Ars Lullij appellitata. Raymundi namque methodus longè exorbitat extra Monarchiam, quæ de Archidoxicis scientiis tractat. Aliud est Extractio, aliud Confortatio, aliud Melioratio, de quib. Raymundus explicat. De Quintâ autem Essentiâ is nihil intellexit: sed in hoc lapsus est, quòd Extractionem, Meliorationem, &c. pro Quintâ Essentiâ habuit. Nostrum ergo est, illius scripta non magni facere. Subtilitates enim istas Spagyrus pro ludicris admittit. Flos Auri, Flos Amethisti, & quicquid in genere Diaphano est, velut & in Marcasitis, quæcunque inquam sunt Sulphureæ Cachymiæ, & aluminosæ, Zerebothina, & quæ alia aqua genuit, vt sunt Carabe & Coralli: hæc omnia Quintæ Essentiæ subiecta sunt, secundum id tamen, quòd Spagyrus eadem per dissolutionem Elementorum temperare possit.

Ess. 5. quid sit.

Ars Lullij reprehenditur.

Quintæ Essentiæ quæ subiecta sint.

CAP. II.

QVandoquidem ergo tertius hic liber Elixiriis ad vitam longam facientibus dedicandus est: ars in eo versatur, vt Natura ad Spagyricam temperationem reducatur. Hæc temperatio nihil est aliud, quàm insignis Naturæ bonitas, in qua nihil dissolutionis aut contrarietatis est. Ea autem bonitas in multis reperitur: in Tinctura, sicut Natura Lapidis Philosophorum docet: in Antimonio, sicut naturam

Elixiriorum tẽperatorũ quot sint genera.

tutam coruus habet: in sulphure, sicut Lunaria operatur: denique in aliis pluribus. Quotcunque verò sint, vnica illa est temperatio, quæ inter metalla consistit in Mercurio (Mercurium intelligimus illum, qui metallis omnibus inest) inter Gemmas in Crystallo: inter lapides in Zeloto: inter liquores, in Carabe, inter herbas in Valeriana: inter radices, in Peucedano: inter salia in vitriolo: inter Marcasitas in Antimonio. In his omnibus, sicut Mercurius in quibuslibet metallis latet, ita Antimonium in quâlibet Marcasitâ: vitriolum in quolibet sale: Melissa, in qualibet herbâ. Et hæc temperatorum Elixir nomina sunt. De his Elixiriis porrò sciendum est sulphur Quintam Essentiam esse mineralium, & Mercurium metallorum. Vnde genus & natura sui corporis desumenda est. Cheiri enim plùs est, quàm Venus, & Anthos plùs quàm Mars. Horum omnium vis non in curandis morbis posita est, sed in præseruando ad longam vitam corpore, secundùm vitæ longæ naturam, inferiori influentiæ subiectam. Sic ergo hoc libello, sub variis appellationibus, vitæ longæ Elixiria complectemur, quod Spagyrico admirationi non sit. Ita enim nobis nomina arrident, & tamen vis eadem est.

Sulphur est Ess. 5. mineral. & Mercurius Metallorum.

CAP. III.

De Auro potabili.

INter omnia Elixiria Aurum summum & maximum est. Ex hoc enim processu reliqui omnes intelliguntur, qui à corpore non separantur. Qui autem separantur, Magisteria de vino continent. In hoc Elixirio Auri processus & practicæ ratio hæc est. Initiò aurum cum omni suâ substantiâ per fortissima corrosiua resoluendum est, vt corrosiuo illi simile fiat. Hunc processum nemo formidet. Corrosiuum enim plùs est, quàm aurum per se. Vnde patet, aurum sine corrosiuo operationem nullam habere. Quâ de causâ etiam Quintam Essentiam Auri sine corrosiuo nullius pretij esse existimamus: sed & hinc colligitur, resolutionem illam per putrefactionem iterum remouendam esse. Quicquid tamen fiat, verum corrosiuum non adimitur, quod iure ita fit. Nam, si aurum corpus à dissolutione præseruare potest: multò magis seipsum à veneno præseruare potest. In principio enim corrigit in seipso, quod bonum non est. Vnde corrosiuum in auro corrosiuum vocandum non est. Arcana namque vis venenum quodlibet superat, Realgar enim quoduis in Elixirio auri moritur, & fit tinctura, potior quâuis Medicina. Itaque post putrefactionem Aurum potabile paratum est: cuius Dosin & ordinem triuiales Spagyrorum practicæ definiũt. Hoc Elixir rem quamlibet mutat & sibi assimilat, cum quâ concordat, illámque sui ipsius instar fixam reddit.

Auri potabilis, quę præparatio. Aurum sine corrosiuo est mortuum.

Quinta Ess. auri sine corrosiuo est nihil.

Corrosiua cur essentiæ Auri nõ obstent.

CAP. IV.

De Perlis.

VT de Quinta Essẽtia adhuc clariùs doceamus, notandum est, auro nihil propiùs æquiparari posse, ac perlæ. Quatuor ergo Elemẽta, perlis insita, eodem cum auro processu reducí debent ad temperaturam vnam, quæ vera est Essentia perlarum, citra vllius substantiæ decessionem. Spagyrus autem si pro hac informatione perlas in Quintam Essentiam transmutaturus est, processum Essentiæ 5. Auri teneat, nihilque in illo mutet, quàm initium, vt vltimam materiam (quæ materia prima est) Quintam essentiam Solis faciat. Huius modus is est, vt Limonium in liquorem reducatur secundò reuelatum, in quo Perlæ calcinationem subeant, & deinde aridæ seipsas resoluant. Ea resolutio est id Elementum, in quo nulla complexio hæret, sed meræ vires insunt ad Quintæ Essentiæ similitudinem. Nequaquam verò Archelaicus processus extractionum & cæterarum Spagyricarum separationum adhibendus est. Ex hàc enim transmutatione non solùm morbida membra sanescunt, sed & sana in suo statu conseruantur. Itaque perlæ longè diligentiùs, quàm cætera spermata asseruantur. Et ex omnibus optimæ sunt Ostrinæ. Quanquam, quod Archidoxis tradit, Homunculum, quem Necromantici Alreonam nominant, Naturales, omnia confundentes Mandragoram certo errore vocitauerunt. Origo & causa etsi quidem spermati assignetur: abusus tamen ab arte pendet. Generatio enim Homunculi fit per magnam digestionem in ventre equino, & similis ille apparet ei, ex quo prodiit, secundum carnem & sanguinem pauciorum vel plurium membrorum. Cùm verò is non æquè ac perlæ apud artis conscios notus sit: virtutes eiusdem hoc loco describere omittimus.

Perlarũ Ess. 5. vt fiat.

Perlæ ostreatũ præstantissimæ. Alreona. Alreonæ ortus vnde.

CAP. V.

Extractio Quintæ Essentiæ ex Herbis.

DE Quinta Essentia antea dictum est, debere eam citra omnem Extractionem præparari. Id quidem ita intelligi debet, vt huc referri non possit. Hoc enim Elixir sine extractione Quintæ Essentiæ ex herbis comparari nequit. Causa hæc est, quòd duæ Essentiæ in substantia vna consistant. Duæ ergò illæ à se inuicem separandæ sunt, ita, vt herba velut herba, & Quinta Essentia velut Quinta Essentia seorsim maneat. Etsi autem in qualibet herba, Elementa quatuor geminata insint. Quintas tamen Essentias geminas non dant, sed ex dimidio in Essentia vna, ex altero dimidio in altera insunt. Quantum ad ipsam substantiam attinet: rem particularibus scientiis committimus. Ipsum Elixir nobis proponentes, Exemplum de Melissa afferimus, quæ initiò digerenda est in Athanare mense Philosophico, & posteà separanda, vt duplicata Elementa separetur: & præstò erit Quintæ Essentiæ Elixir instar vini nobilis, licèt varia forma & specie. Nam in Nepita erit acidum: in Lollio coccineè rubrum, in Tincto, rubrũ ex nigro: in Lupulo, subtile & cãdidũ, in Cuscuta, acre. Sic & varia specie in aliis, vt ipsa experiẽtia docet. Spiritu hoc extracto, & à spiritu cætero separato, Spagyrus vinum salutis prom ptum habet, quod multi Philosophorum inquirentes & captantes, turpiter errarunt. Raymundi etiã discipuli vini multa dolia inaniuerunt Quintam vini Essentiã inquirẽdo & preparando,

Vinũ salutis quid sit.

rando, sed nihil tamen inuenientes & tempus inutiliter triuerunt, & vinum adustum erroneè pro vinispiritu inuenerunt. Quæ huc alia pertinent in Philosophia de Generationibus traduntur. Et hæc ita in gratiam Spagyrorū dicta sint: quomodo Quinta Essentia in herbis lateat, & quid ibi quærendum sit?

CAP. VI.

De Magisterio Antimonij.

Antimonij facultas quæ.

QVemadmodū Antimonium purgat aurū: ita purgat etiam corpus. Continet enim in se Essentiam eam, quę nihil impuri relinquit in puro: nec vllus est vsque adeò in scriptis Archidoxeos peritus, aut tam insignis Spagyrus, qui vires & facultates Antimonij plenè indagare queat. In prima enim Yle Antimonium adeò exaltatum, & inter mineras Elementi aquæ prędestinatum est, vt facultas & virtus eius nullo diluuio instar cæterorum aqueorum crescentium imminuta aut absorpta sit, adeóque his omnibus Antimonium longè præstet. In prędestinatione illud ita se habet, vt se Influentiæ accommodet, nulla facultate aut dote eius diminutâ aut infirmata. Itaque ex omnibus mineralibus summi Arcani laudem obtinet. Hoc seipsum purgat, & vnà secum etiam alia. Quòd si nihil boni in subiecto reperitur, impurum corpus transmutat in purum, sicut de lepra notum est: quod vniuersum per Spagyricam practicam comprobatur. Sed vt virtutes eius preparare doceamus, iam diu absconditas, de quibus litera vnica omnibus vestræ professionis codicibus prestantior est: sciendum est, processu ipsum tali tractandum esse, vt nihil in sua illud forma dissoluatur. Forma enim, ipsius arcanum est, quæ per Retortam transadigi debet citra omne caput mortuum, & ad tertium vsque Cohob deduci. Ita preparati Dosis est granorum 4, quale per se est, in Essentia Quinta Melissæ sumptorum. Plura Archeus terrę ei addere non potest.

Antimonij vires omnes imperscrutabiles

CAP. VII.

De Sulphure.

Balsami quæ natura.

SVblime hoc est Magisterium, quòd ex terra extrahitur Balsamea Natura, quę nihil putrescere permittit: ex quibus omnibus nihil est, nisi sola Resina. Omnium horum principale est sulphur, in quo Balsamus, de quo quilibet artifex tractare debet, latet. Sulphur enim Balsameos liquores in se continet, qui nihil putrescere sinunt, siue mortuum siue viuum sit, tantáque potentiâ corpus præseruant, vt nulla influentia aut naturalis corruptio corpori imprimi queat. Nemo autem admiretur, in terra Resina tantas vires conditas esse, nósque eam longè pluris facere, quàm vllum ex terra enatum Balsamum, qui suas quidem vires exserat. In absconditis longè plura, quàm in manifestis deprehenduntur. Sic etiam in sulphure plura, quàm in alia Resinarum parte, inueniuntur. Processus eius est, vt Spagyrico more de Colcothare sublimetur tam diu, donec ab igne non superetur, quod à conditione Colcotharis habet. Fixus ille spiritus est Balsamus terrę, de quo paucissima hîc commentamur. Ipsa enim experientia virtutes eius prodit. Et licèt quidem Gummata & Resinę aliquæ, ceu Mirrha, &c. Balsameam quoque Naturam habeant: inter illas tamen omnes principale sulphur est.

Balsami in sulphure plurimū

CAP. VIII.

De Mercurio.

QVod ex Mercurio preparatur Elixir, in practica Spagirica ea, forma & specie, qua transmutatur, præseruandi à morte vim habet. Ipsius enim rubigo, quem Lulliani florem appellant, Mors iustiùs vocanda est. Est enim consumptio illius metalli. Vnde & mors hominis illi assimilanda est, quam tinctura ea sequitur. Medicus autem nullus nobis vitio det, quòd asseramus, omnia, quæ tingunt, quò altioris gradus veneni sunt, quóque acutiùs & subtiliùs in præparatione reiterantur, eò prestantiora, nobiliora, & ad vitam longam accurādam potentiora existere. Et neminem deterreant inanes nugę Rupescissę, qui more suo temeraria & tumultuariâ scientia raptus, in tinctura corporis, ab Auro, & si quę alia Mercurialia sunt, aut ex salium vel Arsenicorum spiritibus preparata, sedulò cauendum & abstinendum esse, scripsit: hic autem in tinctura Mercurij, quæ omnem suam virtutem ex insigni subtilíque acrimonia adispiscitur, quam ex Natura Archei contrahit (sicut Albertus & Thomas malè hoc posuerunt) gradum reiterationis, & multitudinem coagulationis intendit. In preparanda quidem tinctura earum quiddam est, quód veræ tincturę finitimum est, hoc modo. Sicut Metalla transmutantur, & perfectè fixantur, vt ita loqui liceat: ita & fixatur corpus, ea ratione, quòd Mercurius in sublimationem ad fixum Crystallum, &c.

Rupescissa carpitur.

Reliqua desiderantur.

DE PRÆPARATIONIBVS.

LIBER PRIMVS.

De Mineralibus Indigestis.

TRACTATVS I.

De Antimonio, Marcasitâ Argenti,
De Cachymia Alba & Rubea,
De Talko Fluido & Spisso,
De Thutia, Calaminari, Lithargyrio.

DE ANTIMONIO.

Antimonii vires quæ sint.

Virtutes Antimonij sunt in { Morphea, Lepra, Elephantia, Vulneribus, Vlceribus. }

Præparatio Antimonij in speciebus LEPRÆ *est ista.*

Antimonii præparatio ad Lepræ omnes species.



ECIPE Antimonij optime triti ℔ j. destillati fortissimè ℔ iij. Tartari crudi albi ℔ ß. Reduc in puluerem subtilem ad instrumentum Phiolæ, distilla per Retortam & exibit oleum rubeum.

Antimonium aliam subinde habet processum. Si enim ipso morbus alius curatur, alia semper præparatio requiritur, vt alia in Vulneribus, alia in Lepra. Et sic in cæteris. Nam si vsurpares Antimonium in Lepra, vt in Vlceribus, esset maximum erratum.

Præparatio ELEPHANTIÆ.

Est vt in Lepra Antimonii.

Præparatio antimonii in MORPHEA.

Antimonii præparatio ad Elephant. Antimonii præparatio ad Morphæam

℞. Antimonii optime triti ℔ ß. Tartari calcinati, Aluminis, an. Fac stratum super stratum: reduc in ignem reuerberationis vsque ad quartum gradum: deinde distilla & exibit oleum per se rubeum spissum.

Stratum super stratum quid.

Stratum super stratum est, quando series vna de Alumine & Tartaro, postea de Antimonio series alia ponitur.

Tertia Præparatio in VVLNERIBVS.

Ant. præp. ad vulnera.

♃. Antimonii, Tartari calcinati, an. ℔ß. Alcool vini, Kist vnum. Fiat mixtura: destilla per Alembicum vsque ad resolutionem Rei: cuius Rei dissolutæ ℞ ʒj. Alcool Vini ʒ iiij. Exsicca per coagulationem, reduc in oleum super porphyrium.

Nulla est præstantior Cura in Vulneribus, quàm ex Antimonio, exceptis vulneribus capitis. Debet autem ita præparari, vt Antimonium tamdiu sursum destilletur, donec inferiùs aquosum fit.

Ant. prep. ad vlcera.

Præparatio Antimonii in VLCERIBVS *est ista.*

♃. Antimonii, Colcotar, Floris æris, ana ad placitum, reduc S.S.S. ad gradum reuerberationis. Fiat extractio cum vino rubeo, reduc in Alcali.

Hoc Alcali cum oleo oliuæ in Vnguentum redige, & circa Vlcera illine, curat maximè.

ADDITIONES *Antimonii in* LEPRA.

℞. Huius Antimonii ℥j. Olei de fæcibus Vini ʒj. Olei Amygdalarum amararum, ad pondus omnium. Fiat mixtura.

Si Raucedo vocis abest; in septimana semel vel bis inungendum est. Si autem raucedo adest, nihil iuuat.

Additio in MORPHEA.

♃. Huius Antimonii ℥j. cum Kist. id est, Alcool vini, Tragaganti ʒij. Mucilaginis consolidæ regalis, seminis Psyllii, Gummi Arabici an. ʒij. Fiat in modum vnguenti.

In Alopecia & Morphea est vnus processus. Vnguentum illinendum est manenti in hypocausto, in septimana semel vel bis. Sic emerget crusta: quæ si deciderit, tunc cura cum isto Vnguento.

℞. Spermiolæ, Camphoræ an. ʒiß. Olei de cerussa, ad pondus omnium. Fiat vnguentum.

Post delapsam crustam locus hoc vnguento diebus octo illinendus est.

Additio in VVLNERIBVS.

♃. Huius Antimonii præparati ʒvij. Succi Tartari candi, Olei myrtillorum an. ʒv. Fiat mixtura.

Hanc alternis diebus semel illine, & nulla Accidentia metuenda erunt.

NOTA *In æstate Camphoram adde quid placet.*

In VLCERIBVS *Additio.*

℞. Antimonii huius præparati ℥ iij. Olei Colcotarini ℥ß. Olei Lentiscini, ad pondus omnium. Fiat Vnguentum.

Circumcirca inungendum est: sic non Cancrum, nec Elephantiam, nec Esthiomena curat. Oleum Lentiscinum est oleum ex Corticibus de Silere montano.

DE LITHARGYRIO.

Lithargyrii fines quæ.

Virtutes Lithargyrii sunt istæ: In
- CANCRO & FISTVLIS.
- TENTIGINE PRAVA.
- ESTHIOMENSIS.
- ICTERITIA RVBEA.
- IGNE PERSICO.
- VVLNERIBVS.

Præparatio Lithargyrii in CANCRO *est ista.*

Lithar. præpar. ad cancrum.

♃. Lithargyrii triti ℔ß. Aquæ salis, Aluminis, an. ℔j. Aceti albi ℔ iij. Reduc super carbones vsque in consummationem aquarum istarum: Cuius Lithargirii ♃. cum aqua fontis ana, reduc ad colores per noctem, & exicca.

Sic etiam in fistulis præparatum Lithargyrium istud, prodest.

Præparatio in ESTHIOMENIS.

Lithar. præpar. Esthiomen.

♃. Lithargyrii ℔ j. Tartari calcinati ℔ß. Aquæ fortis vel fuliginis an. q. s. salis cõmunis fusi, Aluminis de rocho an. ℥ vj. Reduc in quartum gradum Reuerberationis cum aqua prædicta, in modum Alcali.

(Aqua Fuliginis est aqua ex fuliginosis tectis stillans tempore pluuiarum.

Præparatio in ICTERITIA *rubea.*

Litharg. præparat ad icteritia rubea. Ad vulnera,

♃ Myrrhæ, Thuris an. ℥j. Lithargyrii ℥iiij. Aceti fortissimi ℔ß. Reduc in decoctionem.

Præparatio vulnerum.

♃. Lithargyrii cum aceto quater albificati ℔ß. Succi parthenconis, Consolidæ minoris, Aristolochię rotundæ, an. Fiat mixtura cum mucilagine lumbricata.

Præparatio Lithargyrii in Tentigine praua.

Ad Tentiginem prauam.

Recipe Lithargyrii abluti ℔ j. Aluminis rochi ℔ j ß. Fiat mixtura: Optime trita pone ad quartum gradum reuerberationis, per horas 4. deinde extrahe Alcali cum aqua fontis cum reliquo Lithargyrio & Alumine rocho, ana: procede vt suprà, vsque in finem Lithargyrii.

Præparatio fit, quando Lithargyrium per horas quatuor in Alumine rocho ponitur. ♃ *. deinde huius Alkali distillati, aquarum fontis, fuliginis an.* ℔ *ß. misceantur simul.*

Præparatio Lithargyrii in igne Persico.

Ad ignem Persicũ.

♃. Lithargyrii ℔j. Realgaris rubei ℥ ij. Salis armoniaci ℥ ß. Misceantur & diponantur ad Sublimatorium.

Hoc decies vel duodecies faciendum est. Tandem aqua calida infundatur, & separabitur lithargyrium.

Additio in Tentigine praua.

♃. huius Lithargyrii ℥ j. Realgaris communis ʒj. Succi vel aquæ Chelidoniæ q. s. Fiat in modum Vnguenti.

Hoc tenuissimè inungatur, & quater vel quin-

quinquies imponatur. Ita rubefiet cutis, & fœtor abibit. Postea hoc Recepto vtere.

♃. huius Lithargyrii ℥j℔. mucilaginis de fœnogræco, de lumbricis nitri an. q. s. Fiat vnguentum.

(Lumbrici nitri sunt vermes in fimo reperti.)

Additio in Vulneribus,

♃. huius Lithargyrii ℥ iiij. Olei de Camphora ℈ j. Croci Martis ℈ iiij. Fiat in modum vnguenti.

Hoc in vulneribus vsurpandum est, quotidie semel, aut bis ad summum inunctum.

Additio in Esthiomenis.

℞. huius Lithargyrii ℥iij. Pulueris Chelidoniæ, Gallarum an. ℥ij. Fiat puluis.

♃. huius Lithargyrii ʒ iij. Mucilaginis de consolida, Mucilaginis de nitri lumbricis, Olei Myrthini an. q. s. in modum Vnguenti, deinde curatur.

Additio in Cancro.

℞. Succi Marrubii, Persicariæ, an. ℥j. Lithargyrii præparati ℥ij. Olei ex vitellis ouorum q. s. Fiat in modum Vnguenti.

Additio in Icteritia Rubeâ.

℞. huius Lithargyrii præparati ʒß. Aluminis de rocho vn. .ij. Aquæ salis ℥ß.

Additio in Igne Persico.

℞. Vitrioli electi ℥ iiij. Gallarum ʒß. Thuris ʒj. Lithargyrii præparati ad pondus omniũ, Vini & Aceti quantum sufficit.

Quamdiu æstuat, tandiu vsurpari debet. Et quò magis pes æstuat, eò meliùs est.

DE MARCASITA.

Marcasitæ vires quę sint. *Marcasita aurea vel argentea instar tessera angulata est.*

Virtutes Marcasitę sunt in { Restrictione Sanguinis, Menstrui & Hęmorrhoidarũ.

Præparatio Marcasitæ.

Marcasitæ præparat. ℞. Marcasitæ ʒiiij. Picis, Colophoniæ ℥ vj. Resinæ abietis ad pondus omnium, reduc in calcem.

Reducere in calcem est, si in laterem posita vritur, vt resina effluat, bis vel ter, donec candescat.

Ad restrictionem. *Præparatio in Restrictione.*

℞. Marcasitæ optimè tritæ ʒij. Olei lini ℥vj. Si duo ista coniunguntur, accendi debent & manebit vera materia.

Ad Hæmorrhoidẽ. *Præparatio in Hæmorrhoidibus.*

♃. Marcasitæ ʒj℔. Alcool vini optimè exiccati ℔ j. Misceantur.

Additio in restrictione sanguinis.

℞ Huius Marcasitæ ʒj. Corallorum ʒ ß. sem. Plantag. ʒ ß. Fiat puluis subtilis.

Vulneribus inspergendus, aut cum aceto permiscẽdus, & infra vulnus deligandus est, ita cohibebit. Qui ex casu sanguinem spuunt, illum bibant.

Additio in Menstruis.

℞. Huius Marcasitæ ℥ß. Olei Sandrachiæ quantum sufficit. Fiat in modum vnguenti.

Si Menstruum nimis fluat, bis vel tertiò vmbilico inungatur.

Additio in Hæmorrhoidibus.

℞. Huius Marchasitæ ʒiij. Salis gemmæ, Mumię, an. ʒj. Fiat puluis.

Inspergendus est hæmorrhoidibus tumidis, prius incisis.

DE KAKIMIA.

Kakimię vires quæ. Virtutes Kakimię sunt in { Dysenteria. Diarrhœa. Lienteria.

Præparatio in Dysenteria.

Kakimię preparatio ad dysẽteriam. ♃. Kakimiæ benè tritę ʒvj. Ferruginis ferri ʒ ß. Reduc in secundum gradum ignis, per horas sex aut septẽ, postea excipe, reduc in Alcali.

Ad Diarrhœam. *Præparatio in Diarrhœâ.*

℞. Kakimię pręparatæ, vt suprà, Olei nucis muscatæ q. s. pro incorporatione, reduc ad secundum gradum in forma boli.

Ad Lienteriam. *Præparatio in Lienteria.*

℞. Kakimiæ præparatæ, vt supra, Gummi Arabici dissoluti in aquâ Plantaginis. Fiat Bolus, reduc ad secundum gradum.

Additio in Dysenteria.

♃. Huius Kakimiæ ʒß. columbæ assatę q. s.

Additio in Diarrhœa.

℞. Huius Kakimiæ ʒj. Theriacæ ʒiij. Terræ sigill. ʒß. Fiat Bolus dosis a ʒj. vsque ad ʒij ß. tribue manè, meridiè & serò.

Triduò abstine. Postea repete. Et sic ter fac.

Additio in Lienteria.

℞. Kakimiæ præparatæ ʒj. Croci Martis ʒij. Corallorum rubeorum ʒß. Theriacæ q. s. Fiat Bolus: dosis a ʒij. vsque ad iij. vel iiij. manè & serò.

De hoc detur quotidie.

DE THVTIA.

Thutiæ vires quæ. Virtutes Thutiæ sũt. { In Maculis oculorum. In Albugine & Nodis & Strumis.

Præparatio ad Maculas oculorum.

Thut. ad prępar. maculas oculorũ. ♃. Thutiæ ʒj. Vitrioli albi, Succi Euphragię, ana. Fiat in modum Boli cum Gummi arabico, duc ad secundum gradum ignis.

Fit vnguentum, quod prodest ad oculos.

Ad albug. ocul. *Præparatio in Albugine oculorum.*

Præparatio est, vt Thutia in lacte extinguatur, & per noctem in aquam rosaceam ponatur. Hac aqua albugini imposita, eam tollit.

Ad Strumas. *In Strumis.*

℞. Thutię ℥ iiij. Salis fusi, Calcis viuæ, an. ℥ vj. S.S.S. ad quartum gradum ignis, reduc in Alcali.

Additio in Maculis oculorum.

℞. Huius Vitrioli ʒ ß. Visci Ranarum ʒij. Olei laterini ℈ß. Fiat collyrium.

Si macula in oculo lutea apparent & splendent, reuertuntur.

Additio in Albugine.

℞. Huius Thutiæ ʒj. Vitrioli albi ʒ vij. Camphoræ tritæ ℈j℔. Fiat mixtura cum aqua Rosarum vel Fœniculi.

Hic morbus animalia omnia, quæ pedes habent, tentat. Albugo inuadit oculos in capris, & cæteris animalibus & hominibus. In hominibus cum Camphora, si inflammatio accidat, adhiberi debet.

Additio Strumæ.

℞. Huius Thutiæ ʒj. Salis Anatri siue fellis vitri, Salis fusi, an. ʒj. Vrinę distillatę ℔ ß. & ℥ iiij. Fiat mixtura.

Processus est iste, vt strumosis bibenda hac mixtura offeratur manè ac serò per septimanas tres vel quatuor. Medicina hac strumas omnes tollit præterquam Grisonum.

DE TALKO.

Talci virtutes.

Virtutes Talk { In Vlceribus & Vulneribus humidis

Præparatio in Vulneribus.

Talci præparat ad vulnera.

♃. Talck ℔j. Cineris fabarum & auenæ, ana ad pondus par, reduc in quartum ignem per diem & noctem, ablue & exicca.

TalcKum exiccat fundum seu basin vulneris, vt in fistulam non abeat. Sic etiam in vlceribus potenter exiccat. Vltra triduum vsurpari non debet.

Additio in Vulneribus & Vlceribus.

℞. Huius Talck ℥j. Liquoris mumiæ, terebinthinæ lotæ an. q.s. pro vnguento.

Curat Esthiomena, Cancrosa, Vlceráque alia manantia.

DE CALAMINARI.

Calaminaris virtutes quæ.

Virtutes Calaminaris ad { Emplastra. Collyria & Ignem Persicum.

Tam vlceribus, quàm vulneribus adde calaminarem. In Emplastris, vbi incarnandum est. Ad Collyria, si nec Albugo, nec macula oculorum adsint, vt in rubentibus oculis, vbi summum Experimentum est.

Præparatio Calaminaris ad Emplastra.

Calamin præpar. ad Emplastra.

♃. Calaminaris abluti [id est puri] ℥j. Colcothar, Sulphuris viui, an. ℥ß. S.S.S. ad quartum ignem per diem & noctem, reduc in secundam ablutionem.

Præparatio ad vnguenta.

Ad vnguenta.

℞. Huius Calaminaris præparati ℥iij. Olei de vitellis ouorum ʒj. Fiat bolus cum Gummi Arabico, reduc ad ignem secundi gradus per horas quatuor, reduc in ablutionem.

Ad Oculos.

Ad oculos.

℞. Calaminaris huius præparati ℥j. Aceti distill. ℥vj. Fiat extractio, dein exicca istud.

Præparatio in Igne Persico.

♃. Calaminaris crudi ℔ß. Aquæ de nenuphar ℥vj. Aluminis plumosi ℥. ß. Reduc in digestionem vitri per spatium hebdomadæ, destilla.

Est descriptio Geberi: Errat in ista descriptione Petrus de Archilata. Est enim medicamen in pandaricia, non vtendum in combustionibus.

Ad ignẽ persicũ.

♃. Emplastri Apostolici ℥vj. huius Calaminaris ℥ß. Camphoræ ʒj. Fiat Emplastrum.

In Vnguentis.

♃. Vnguenti Agrippini ℥iij. Vnguenti de flore æris ℥ß. Calaminaris huius ʒx. Fiat mixtura.

Optimum in Vlceribus, in Pruritu, in Scabie.

Additio in Collyriis Oculorum.

♃. Huius Calaminaris ℥j. Aquæ eufragiæ, fœniculi, rosar. an. ʒiij. Fiat collyrium per noctem.

Additio in Igne Persico.

℞. Huius Calaminaris ʒvj. Aquæ Vitrioli & Gallarum.

Nonnulli vsurpant atramentum Sutorium, etiam in Igne Persico & Icteritia Rubeâ.

TRACTATVS II.

De Hæmatite. Saxifrago,
De Arsenico, Auripigmento,
Sulphure.

DE HÆMATITE.

Hæmatitis virtutes quæ.

Hæmatitis virtutes vel arcana principaliora sunt hæc: In { Sanguinolentis Vlceribus Menstruis Resolutis Profluuiis Matricis non maturis Dysenteria laxa, Diarrhœa.

Præparatio in Sanguinolentis Vlceribus.

Hæmatitis præparatio ad vlcera sanguinol.

♃. Hæmatitis ℥iij. luti Lephantei, [id est, argillæ, ex qua cucurbitulæ fiunt,] boli Armeni, an. ℥iij. Fiat bolus cùm Traganto dissoluto in aceto: Reduc ad quartum gradum reuerberationis, deindè extrahe Alcali.

In Vulneribus, in Lupo, in Herpete fluente cruor Hæmatitis valdè prodest, Constringit Venas, vt fluor desinat. Inspergitur partibus.

Præparatio Hæmatitis in Menstruis.

Ad Menstrua.

℞. Hæmatitis ℥iiij. Masticis dissoluti ʒx. Carabe ℥ß. Fiat mixtura, cum decoctione aquæ Aluminis, reduc in ablutionem.

Menstrua illa sistenda sunt, à quibus pallescunt vultus, vsus eius tutus est, & sanat integrè. Decoctione facta ad horas 7. ex Hæmatite fit Lutum, ex quo fiant trochisci pro menstruis

Præparatio in Profluuiis non maturis est ista.

Ad profluuia non matura.

℞. Hæmatitis ℥j. Olei nucis muscatæ, olei de granis Actis, petrolei an. ʒiij. Reduc in compositum, dosis ℈j. Debet cum Aqua rosarum decocta cum radicibus plantaginis administrari, siue cum aqua plantaginis.

Hæmatites Profluuium, sine torsura sistit. Si autem torsiones adsint, est generatio lapidis.

Præparatio in Dysenteria laxa.

In Dysent. laxa.

♃. Hæmatitis, corallorum rubeorum, Spodij, an. ʒ.v.ß. Tanaceti, ad pond. omnium, fiant trochisci cum mucil. de visco botin, dosis ʒ.ß.

Præparatio in Diarrhœa.

♃. Aluminis glaciei, Hæmatitis, croci Martis ana. Fiant trochisci cum Gummi Arabico dissoluto in aqua plantag. Dosis a ʒ.j. vsque ad ʒj.ß.

Aqua Plantaginis a Radicibus & Herbis extrahatur. Carniolus si manu gestetur, sistit sanguinem non autem Hæmatites.

Additio in sanguinolentis. Vlceribus.

♃. Huius præparati Hæmatitis ʒ.ß. (al. ʒ. j.) Gallarum ℈.ß. Seraphini ℈.j. ß. Olei de Kerua (Keyri) de floribus violarum q.s. pro incorporatione fiat vnguentum in vlceribus acutis.

Adde in loco olei Keyri liquoris mumiæ, vt est in herpete, in Esthiomenis, in Cancrenis.

Additio in Menstruis.

♃. huius Hæmatitis ʒ.j. Piperis longi, Nucis Muscatæ an. ʒ.ß. Cineris Ranarum foliculorum ℈.iiij. Fiant trochisci cum aquâ menthæ, dosis ℈.j. vsque ad ℈.ij.

Additio in Profluuiis non maturis.

♃. huius Hæmatitis ʒ.j. & Traginam Kist, aquæ Marrubij, succi melissæ, an. ʒ.j. Fiat mixtura, dosis ab ʒ.ß. vsque ad ʒ.j.ß.

Additio in Dysenteria.

Tribuatur Hæmatitis præparati in vino rubeo.

In ea extinguatur Ferrum, aut cum Tyriaca tribuatur.

Additio in Diarrhœa.

♃. huius Hæmatitis. ʒ. iij. Perlarum ℈.ß. Mumię liquefactæ, ad pondus omnium, Fiat mixtura, dosis a ʒ.iij. vsque ad iij. vel iiij.

DE

DE SAXIFRAGO.

Est lapis quilibet pellens Tartarum, Vsneam, Arenam, Pruinam.

Saxifr. vires, quæ.

Virtutes Saxifragi sunt quæ tollunt. { Arenam. Vsneam. Pruinam. Grandines & cætera Tartarea genera.

Saxifrag. quid propriè.

Saxifragus est propriè Crystallus pallens. Lapis Citrinolus vel citrinus dicitur. Citrinus Lapis est medius inter Crystallum & Berillum flauum. Fiat liquor in modum alkali Dosis ℈.ß. in vino bono.

Saxifr. præparat. prima.

Præparatio Arenæ, Vsneæ, Pruinæ, Grandinis, prima.

℞. Saxifragi ℥j. Boracis ʒ.ij. Salis gemmæ ʒ. vj. Salis fusi ℥. j. Reduc S.S.S. ad ignem reuerberationis per 4. gradum ab occasu in auroram, reduc in alcali, dosis ʒ ß. cum vino albo.

Secunda Præparatio Vsneæ, Arenæ, Pruinæ, Grandinis.

Saxifr. præparat. secunda.

℞. huius Saxifragi ℥.j. Reduc per se ad quartum gradum reuerberationis: Cuius reuerberati ℞. ℥.j. Cineris ex radicibus Raphani maioris ʒ j. Alcali ex radicibus Petroselini ℈.j. Fiat mix. per se: dosis a ℈. j. vsque ad ℈.iij. vel iiij.

Additio Prima.

℞. huius Saxifragi ʒ.j. Milii Solis ʒ.ij. Vini albi ℥.x. Dosis ab ℥.iiij vsque ad vj.

Additio Secunda.

℞. huius Saxifragi ʒ .j. ß. Seminis Apii, Erucæ an. ʒ.j. Medonis clarificati ℥.x. dosis ab ℥.iiij. vsque ad vj. vel vij.

Sub forma Tartari, quandiu vrina profluit, instandum est.

DE ARSENICO.

Arsenici vires. Arsenicus quid.

Virtutes Arsenici sunt in { Vlceribus Vulneribus & aliis Aperitionibus.

Arsenicus est fuligo ex metallis & præcipuè ex plumbo defluens, & est Realgar vel Fulgur (fuligo) à Metallis.

Præparatio prima, est reductio Arsenici in Mumiam.

In Præparatione Venenum auferendum est. Nulla res perfectiùs sanat Vlcera & Vulnera, quàm Arsenicus præparatus. Syrones etiam curat, ac omnia Vlcera, Cancrenas, Fistulas.

Arsenicus ex plumbo optimus est, & ex Luna, deinde ex Stanno est optimus Arsenicus. Postea, qui ex ferro effumat ac cupro similis est.

Secunda Asenici præparatio, est reductio Arsenici in Balsamum. Tertia, est reductio Arsenici in Liquorē.

Arsenici præparat. triplex. Prima in Mumiā.

Tres habet præparationes Arsenicus, in { Mumiam Balsamum, & Liquorem.

Prima præparatio est ista in Mumiam.

℞. Arsenici albi ℥.vj. Salis fusi, Colcothar an. ℥ j ß. Fiat mixtura, reduc ad secundum gradū reuerberationis, per horas tres vel quatuor, & excipe.

Quinquies vel sexies supernè auferendus, tundendus, & iterum præparandus, vt suprà est. Et hoc quinquies iterari debet.

Secunda in Balsamum

Præparatio Balsami.

℞. Arsenici albi ℥. x. Talci ℥. iiij. Calcis viuæ ℥.xv. Fiat mixtura subtilis, reduc ad 4. gradum reuerberationis per 24. horas.

Si adhuc supereemineat, supernè tollendus est. Instar vitri est, & venenum in fundi calce hæret. Quod supernè demptum est, teratur & indatur vitro, ponatur in cellam sic prodibit oleum siue Balsamus.

Oleum Arsenici siue Realgar. Tertia in Liquorē.

Præparatio Liquoris.

℞. Arsenici crudi aut albi ℔.ß. Salis nitri ℔.j. Salis gemmæ ℥.ß. Fiat puluis subtilis, reduc in Reuerberatorium apertum per horas 24.

Si iuncta hæc ponantur ad ignem Reuerberationis, Arsenicus tribus horis ardet: postea liquescit. Liquefactus fundatur in aquā, & coaguletur in modū Alcali.

Additio in Mumiam Arsenicalem.

℞. huius Mumiæ ℥.j. Liquoris Myrrhæ, Botin an.ij Fiat in modum Olei.

Istud Oleum est optimum in Vlceribus & in Vulneribus. Siue enim sint Esthiomena siue alia Vlcera, maximum Mundificatiuum, & maximum Incarnatiuum est illud Oleum.

Additio Balsami.

℞. huius Balsami ℥.iij. Olei Vitellorum ℥.x Terpenthinæ distillatæ ʒ j. Fiat mixtura.

Vt Mumia, sic etiam Balsamus singulis horis 12. vsurpandus est.

Additio liquoris.

℞. huius liquoris ℥.xv. Corticum granatorum ʒ.vj. Corticum thuris .ʒij. Mucilaginis de botin, ad pondus omnium, fiat mixtura.

DE AVRIPIGMENTO.

Auripigmentum est, Minera flaua vt Aurum.

Auripigm. menti vires quæ. Auripigm. præparat ad Fistulas.

Virtutes Auripigmenti in { Fistulis Cancro & Esthiomenis.

Præparatio ad Fistula.

℞. Auripigmenti ℥.j. Tartari calcinati ℥.iij. Fiat S.S.S. reduc ad quartū gradum reuerberationis per horas 24. id est, per diem & noctē.

Si ita decoquatur, diffluit. Eximatur iterum, & cōtundatur ac effūdatur in aquam, & puluis albus in fūdum subsidebit, qui est præparatum Auripigmentum.

Si indatur in vitrum, oleum fiet, quod iniiciatur in fistulam, aut panno imposito applicetur. Puluere autem vlcera aspergantur.

Ad Cancrum.

Præparatio ad Cancrum.

℞. Auripigmenti ℥.v. Fuliginis ℥.ß. Salis armoniaci ℥iij. Reduc ad quartum gradum reuerberationis per diem & noctem, reduc in Alcali.

Alcali in cancro summum est Arcanum.

Ad Esthiomena.

Præparatio in Esthiomenis.

℞. Auripigmenti ℥.iij. Aluminis calcinati ℥.vj. Reduc ad ignem vt suprà, cum extractione Alcali.

Additio Fistularum.

℞. huius Auripigmenti præparati ʒ .ß. Resinæ pini ℥.j. Ceræ, ad pondus omnium, fiat in modum Ceroti.

In Fistulis id imponendum est.

Additio in Cancro

℞. huius Auripigmenti præparati ℥.v. de Cineribus fimi columbini, olei vitellorum ouorum q.s. in vnguentum.

Huius vsus in Cancro est.

Additio in Estiomenis.

℞. huius Auripigmenti ℥.v. Liquoris mumiæ ℥.ij. Olei rosacei ℥.j. ß. Mucilaginis sem. psylii ad pondus

pondus omnium, fiat in modum vnguenti aut cataplasmatis.

Si de ardore conqueruntur ægri, illinendum est oleum Camphoræ priùs, quàm remedium imponatur.

DE SVLPHVRE.

Sulph. vires quæ.

Virtutes sulphuris sũt in { Apostematibus peracutis, Asthmate, Conseruatione Sanitatis.

Apostemata peracuta sunt, Pleuresis, Pestis, & his similia.

Præparatio in Apostematibus Acutis est ista.

Sulph. præparat. ad Apost. acuta.

♃. Sulphuris viui ℔ .j. Colcothar, Salis fusi, an. ℔. ß. Fiat puluis subtilis, reduc in sublimationem.

Si sublimatum semel est, sumatur, & denuò addatur, ac ter sublimetur vt supra.

Sulphur Viuum est, si in fragmentis cohæret, nec dum solutum est.

Præparatio in Asthmate.

Ad Asthma.

♃. Sulphuris fusi ℔. j. de Flaxis Sandalorum rubeorum, cupressi & pini, ana ad pondus sulphuris, fiat stratum, reduc ad ignem reuerberationis, tandem in alcali: Cuius alcali ♃. ℥. x. Myrrhæ ℥. v. Sublima.

Velut omnia Medicamina.

Præparatio conseruationis Sanitatis.

♃. Sulphuris ℥ iiij. Croci orientalis, Myrobalanorum chebulorum, belliricorum, an. ℥. j. Olei de gr. Iuniperi q. s. pro incorporatione, reduc in sublimationem igne lentissimo.

Additio in Apostematibus peracutis.

℞. Sulphuris huius præparati ℥. ß. Olei nucis Muscatę. ʒ. j. Aquæ Veronicæ præparatæ, ad pondus omnium. Fiat haustus.

Additio in Asthmate.

♃. huius Sulphuris ʒ. ß. Thebani correcti ʒ. iij. Tyriacæ q. s. Fiat bolus: dosis ℈. j. vsque ad duas vel tres.

Additio in conseruatione Sanitatis.

℞. huius Sulphuris ʒ. ß. Myrrhæ rubeæ, Croci orientalis, an. ʒ. ß. & ℈. j. Aloe epatici ad pondus omnium. Dosis a ℈. ß. vsque ad ℈. j.

TRACTATVS III.

De Gemmis perspicuis & non.
De Corallis.
De Magnete.
De Crystallo, Rubinis, Granatis.
De Sapphyris, Smaragdis, Hyacinthis, &c.

Gemma, est lapis quilibet, Virtutes in Medicinâ habens.

DE CORALLIS.

Corallor: vires quæ.

Virtutes Corallorum sunt ad { Menstruum & ad Profluuium. Venenum ab intra assumptum. Tonitruum, seu rugitum ventris. Incantatũ, si quis maleficiatus est. Obsessum, si quis Maniacus est. Timidum, si quis meticulosus est. Melancholicos, qui sibi sapere videntur, & stulti sunt.

Vna eadémque in eâ re est virtus & substantia. Virtus est res per se, Coralli simplices restringunt vrinam & sedes, post longuum quoque tempus Menstrua sine præparatione. At præparatum subitò operatur & sine periculo.

Præparatio Corallorum ad restringendum Menstruum & Profluuium.

Corall. præpar. ad Menstruum.

℞. Corallorum ℥ ß. Olei Myrtillorum ʒ. j. (al. ℥. ß.) Olibani ℥. j. ß. Salis fusi ℥. ij. Fiat mixtura, reduc in calcinationem per quartum gradum reuerberationis ad horas 12. vel vltra: postea reduc in ablutionem cum aquâ Plantaginis.

Coralli vrinam restringunt, nõ autem Menstruum.

Præparatio Corallorum contra Venenũ assumptũ.

Ad Venenum.

♃. Corallorum optimè [tusorum] tritorum ℥. ij. Aquæ Ligustici ℔. ß. Salis gemmæ, Vitrioli albi, an. ℥. ij. Reduc ad digestionem in secundum gradum ignis per mensem: Rubeum excipe & coagula.

In Venenis medicamen sine corpore sit. Nam & venenum sine corpore est. Rubrum quod in fundo subsidet, bonum est contra venenum.)

Præparatio in Tonitruis. Tonitrua id est rugitus intestinorum.

Ad Tonitrua.

♃ Corallorum ʒ vj. de cineribus. Cumini Romani, Fabarum, an. ʒ. iij. Aluminis præparati ad pondus, ana. Fiat mixtura, reduc ad digestionem cũ ℔. ß. Alcool vini exiccati ad digestionem per duos vel tres dies, exicca.

Vndiquâque fit flauum. Istâ præparatione Corallorum debet vti ad diacyminum. Ille est color Coralli præparatis, fit sanguineus. Separa & exicca.

Præparatio Corallorum contra Incantatum, Obsessum, Timidum & Melancholicum.

Ad Incantationẽ.

♃. Corallorum ℥. ij. Visci quercini, Hypericonis, ana ℥. iiij. Storacis calamitæ, Laudani, gummi, an. ʒ. j. ß. Vrinæ destillatæ ℔. ij. Reduc in decoctionem clauso alembico, per diem & noctem, destilla, & resuperfunde vt supra.

Coralli si eo modo præparentur, rubescunt & valdè indurescunt. Ideóque primum terendi sunt.

Additio in Menstruis.

℞ Corallorum præparatorum ʒ. j. ß. Tanaceti. Plantaginis. an. ℈ j. ß. Pip. longi, nucis muscatæ, an. ℈. ß. Fiat puluis: dosis ℈. j. in ouo temperato.

Cum Sale iniiciatur in ouum, & edatur, alias non iuuat.

Additio Corallorum contra Venenum.

℞. Corallorum præparatorum ℈. v. Theriacæ ℥. ß. Radicis lapathii maioris ad pondus omnium, Alcool vini exiccati ℔. ß. Reduc ad digestionem per septimanam: dosis a gr. xv. vsque ad ℈. ij.

Qui venenum hausit, ei propinentur Aqua prunellæ aut rosarum ʒ. ij id multoties iteretur, vt sudet, donec nihil amplius mali sentiat.

Additio in Tonitruis.

♃ Corallorum istorum ʒ. ij. Specierum Diacymini ℥. iiij. Sanguinis hirci præparati ad pondus omnium. Fiat tragea cum Saccharo, dosis ad placidum

Hircus quid.

Hircus est pullus cuniculi castratus apud Spagyros Educatur cum herbis diaphoreticis, deinde bonum est.

Additio in reliquis tribus speciebus.

℞. huius Coralli præparati ʒ. viiij ostrutti plantati. i. Angelicæ ʒ. v. Visci quercini ℥. j. ß. Fiat mixtura cum aqua Hypericonis: dosis ab ʒ. ß.

ʒ.ß. vſque ad ʒ. vj.

Optimum medicamen in principio Tympanitidis.

DE MAGNETE.

Virtus in vulneribus & vlceribus cum flaxis & ramentis.

Magnetis vires quæ. Magn. præpar. ad vulnera, &c.

Præparatio in Vulneribus & Vlceribus cum flaxis aut ramentis.

♃. Magnetis ℥.j. Calcis ouorum ℥.ij. Fiat S.S.S. ad 4. gradum ignis reuerberationis per diem & noctem.

Aufer calcem ouorum.

Alia præparatio.

Accipe Magnetis ℥.j. Calcis ouorum ℥. vj. Fac S.S.S. in crucibulo, pone ad 4. ignem Reuerberationis per diem & noctem, & extrahe, eritque præparatus.

Alioquin non præparatus contudendo veram efficaciam extrahendi amittit. Sic verò priùs præparatus, deinde contusus & mixtus Oppodeltoch, egregiè operatur.

Additio in Vulneribus & Vlceribus cum flaxis aut ramentis.

♃. Magnetis ℥. ß. Karabe ℥. ij. Fiat puluis subtilis cum Emplastro Oppodeltoch siue Emplast. Apostoliconis ℔.ß. Reduc in Vinum per agitationem.

Hoc Emplastrum impositum extrahit ossa & glãdei bombardarum ex vlceribus & cæteris vulneribus. Si contundas non præparatum, tum Magnes perdit vires: si verò præparas, & deinde contundas & commisceas Apostolico, extrahit per se: sine præparatione nil facit.

DE GEMMIS.

Crystalli vis quæ sit. Gemmarum præp. par. est quadruplex.

Crystallus hanc naturam habet, vt mulieribus propinatus ad intra, generet lac abundanter.

Gemmarum præparatio à Diaphanitate.

Præparatio Gemmarum quadruplex est. Prima per reuerberationem. Secunda per Calcinationem. Tertia per eleuationem, & quarta per destillationem. Fœmina opus habet plus ℔. j. Cristalli, antequam lac sentiat. Itaque præparato Crystallo opus est.

Reuerberatio Crystalli.

♃. Crystalli ℔. j. Aquæ Entali ℔. ij. Fiat mixtura per imbibitionem. Reduc ad reuerberationem per 24. horas

Sic ex ℔. j. relinquitur verto (est genus ponderis.) Dosis ʒ ij.

Calcinatio Crystalli.

Crystalli reuerberatio. Crystalli calcinatio. Athanar quid. Crystalli eleuatio quid.

℞. Crystalli ℥. iiij. Masticis, Colophoniæ, Sulphuris, an ℥. ij. Reduc in Athanar. Dosis ʒ. j. (*Athanar est furnaculus, in quo res vruntur.*)

Eleuatio Crystalli.

℞. Crystalli ℥. j. Salis armoniaci ℥. iij. Reduc in puluerem ad Sublimatorium.

Sublimatio hæc quinquies vel sexies iteranda, & Crystallus semper adimendus est.

♃. huius eleuati Crystalli ℥. ß. Aquæ communis destillat. ℥. iiij. Reduc in Alcali. Dosis ʒß.

Crystalli destillatio.

Destillatio Crystalli.

♃. Crystalli eleuati ℥. j. Aquæ Nitri & Aluminis sine destillatione, an. ℥. ij. Reduc in digestionem ad dies 3. vel 4. deinde destilla, & destillatum coagula, coagulatum resolue.

Coagulatio debet fieri super ignem lentum ac paruum. Coagulatum hoc si ponatur in cellam, abit in aquam, quæ est vltima Crystalli præparatio. Dosis. ℈. j.

Et sic de omnibus gemmis pretiosis præparatio, vt in Crystallo.

Rubinorum præparat. vsus & Dosis.

Summa virtus in Rubinis est in Dysenteriâ: & eius dosis est ℥. j. si fuerit crudum. Sed si reuerberetur, deinde dosis ʒ. ij. Post calcinationem, dosis ʒ. j. Post eleuationem, dosis ʒ ß. Post destillationem ℈. j.

Item Granati sic destillati, est potentissimum Collyrium ad maculas oculorum.

Granat. præparat vsus & dosis. Smarag. præparat vsus & dosis Sapphir. prep. vsus & dosis.

Smaragdi si fuerint præparati per destillationem prosunt Hemoptoicis.

Sapphyri si fuerint præparati, ad tertiã vel quartam præparationem, tremorem cordis tollunt. Sapphyrus tremorem cordis, si fuerit præparatus in distillationem, tollit: dosis: gr. v. tollunt Synthenam & palpitationem. Sic etiam de cæteris gemmis. Bartholomeus Anglicus plura de Gemmis scripsit & pretiosis lapidibus.

Additiones, pro generatione Lactis Crystallorum.

℞. huius Crystalli præparati ʒ. ij. de spermate Cœti, Sem. Lactucæ ℥. iiij. & ß. Fiat puluis cum administratione aquæ amygdalarum.

Additio Granatorum in Tremore cordis & Hæmoptoicã passione.

Granatorum ℥. ß. Aloë hepatici ʒ. iij. Sulphuris præparati ʒ. j. ß. Fiat mixtura cum Zuccaro clarificato: dosis a ʒ. ij. vſque ad ʒ. ij.

Cum hâc Medicina instandum est, eáque continuanda etiam ad dies quinque, licèt tremor cordis abierit.

Additio Sapphyri.

♃. Sapphyri ʒ. iij. Ambræ dissolutæ ʒ. j. ß. Storacis calamitæ ℈. j. Fiat mixtura: dosis a ℈. j. vſque ad ℈. j. ß.

Smaragdus, confortat mulieres in suis doloribus & est in illis ægritudinibus summum Arcanum si fuerit præparatus in distillatione vt Crystalli.

℞. huius Smaragdi præparati ℈ j. Liquoris Melissæ ʒ j. Abrotani ʒ ij Fiat mixtura, dosis à gutta tertia vſque ad sextam.

Additio in Hyacinthum præparatum.

♃. Hyacinthi præparati ℈ j. ß Laudani, id est Gũmi ℈ j ß. Fiat mixtura. Est summum Arcanũ in febribus ex putrefactione aquæ & terræ.

Febres eiusmodi si familiares sint, bibant in nouilunio quinque aut quatuor guttas, tunc certi sunt, quod non inficiuntur à febre bis in anno & semper in Nouilunio.

TRACTATVS. IV.

De Salibus.

De sale Gemma,	*De sale Nitri,*
De sale Entalico,	*De sale Anatron,*
De sale Peregrinorum,	*De sale Terra,*
De Aluminibus,	*De Vitriolis,*
De Alcali.	

Omnia salia sunt ex Elemento Aqua: velut omnia Alumina ex Elemento Aquæ etiam sunt.

DE VITRIOLO.

Vitrioli vires quæ.

Virtutes in { Speciebus Caduci. / Suffocationibus Matricis, / Siphirâ stricta, seu noctambulonibus, / Gutta, Corporibus plethoricis. }

Præparatio Vitrioli in speciebus Caduci. (Id est. in Analentia, Catalentia, Epilentia, &c. Non est differentia in Vitriolo.)

Vitrioli præparat ad caducum.

♃. Vitrioli cuperosi ℔. j. Reduc ad separationem à phlegmate, cuius phlegmatis suas partes

tes reduc super Colcothar suum destilla Reitera in quartum gradum ignis: dosis a. ℈ß. vsque ad ℈j. ante & post paroxysmum.

Si Morbus ex Elemento Vitrioli oritur, cura fiat per Vitriolum. In sale Vitrioli est morbus Caducus.

In die paroxysmi debet tribui medicina & sub paroxysmo. Epilepsia est morbus mineralis, cura etiam mineralis tota est in salibus Vitrioli atque spiritibus ante & post paroxysmum. Ante paroxysmum est in ebullitione corpus. Post paroxysmum dormiunt. Igitur post somnum danda est medicina, cum corpus adhuc bullit: cùm corpus est sanum, non danda est Medicina.

Ad suffocationem uterinam.

Praparatio, in suffocatione Matricis, Vitrioli.

℞. Vitrioli à Phlegmate & Colcotar purgati ℥ ij. pulegii ℥iij. Alcool vini ℥ß. Reduc per destillationem: dosis ℈ß. vsque ad ℈j.

Et est potentissimū medicamē in suffocatione Matricis.

Ad guttam & Siphitā.

Praparatio in Gutta & in Siphita stricta.

In Gutta ℞. Vitrioli præparati prædicti ℥ij. Alcool vini ℥ ij. Aluminis Iameni [instar cretæ cādidū est, & subdulce] ℥ß. Reduc in liquores per quartum gradum ignis: dosis ab extrà ʒß. ab intrà à gran. vj. vsque ad ix.

Ab extrà, super locum Syntheomatis. Et locus ille est, vbi morbus incipit: hoc est in pulsu. Hoc Syntheoma eius est. Quod si tamen agri nihilominus ambulent, medicamen pulsui tum carpi, tum colli superligandum est.

In SIPHITA *parua, verberare, medicina quidē est. Sed in siphita stricta seu chorea viti, medicina id nō est.*

In Gutta medicamē anteriori lingua administrandum est. Paralysi ergo correpto, medicina ori & lingua addenda est. Et istud est optimum medicamen.

Additio in Epilentia in speciebus Caduci.

℞. Vitrioli huius præparati ʒ j. Liquoris visci quercini cum Orisontis an. ℈ß. & gran. iij. Fiat mixtura.

Syntheoma Caduci est in Nucha. In iuuenibus post paroxysmum: in Nucha inunctio pinguedinis castorei, optimum medicamen.

Additio in Siphita stricta.

℞. Huius Vitrioli præparati ʒj. Hypericonis seminis ℥ß. Ambræ gran. vj. Reduc in mixt.

Semen hypericonis tollit Siphitam strictam.

Additio in suffocatione Matricis.

℞. Huius Liquoris vitrioli gran. vij. Granorum Actis ʒj. Alcool vini ad pondus omnium, reduc in compositum.

Sin locus est in vmbilico, ibi imponatur. Suffocatio cū Vomitu si molestet, vsurpanda sunt catera etiam medicamina ab intrà, vt dictum est in suffocatione Matricis.

Summa praparatio vitrioli est, vt separetur à colcotar, dein addetur alcool vini aequalis libra: Eo facto Panem adustum (Panis iste est ex furfure scalino, qui siccatur, vt in mortario teri possit) pone in liquorem Vitrioli, dein per mensem ad Fimum Equinum positū, post separa à Pane per distillationem, denique prepara Alcool per Balneum primi gradus a Vitriolo. Si Vitriolum suam acetositatem perdidit, vis nulla superest.

DE VITRIOLO ALBO.

Sunt species exteriores, vt Scotomia & oculorum macula.

Vitrioli albi vires quæ. Neutha quid.

Virtutes vitrioli albi { Ad oculorum partes exteriores. In Neuthâ.

Est quando cuticula supernascitur aut oculis aut auribus in partu puerorum. Neutha sūt pellicula, ex partu vbicunque obnascentes, velut in facie, in vulua, in ore, in oculis, & cateris.

Vitriolum album est summum medicamen in istis, in Neutha & ad exteriora oculorum.

Vitrioli præpar. ad oculorū dolores, &c.

Praparatio ad dolores Oculorum Exteriores.

℞. Vitrioli albi ℥v. Olei de siligine ℥ß. olei de camphora ʒij. Reduc ad putrefactionem per fimum equinum ad mensē, distilla per descensū.

Oleum siliginis.

Oleum ex siligine fit, siligine in ferream candentem laminam imposita: tunc enim in circuitu pinguedo quadam oritur, qua est oleum siliginis, ad oculorum dolores exteriores. Ex partu si pellicula oculo obnata sit, exactissimè tribuatur cum aqua Eufragia, rosarum aut foeniculi, cum istis aquis, illud lymphandum est.

Ad Neutham.

Praparatio Vitrioli in Neutha.

℞. Vitrioli albi ℥j. Olei tartari ʒ vj. Olei laterini ʒv. Distilla simul.

Neutham (Teutham) nemo erodere debet.

Additio in vitriolo ad exteriores dolores Oculorum.

℞. Præparati vitrioli ℈j Liquoris Euphragiæ ℈ij. Papaueris rubei ʒj. Fiat collyrium.

Additio in Neutha.

℞. Huius Vitrioli præpar. ʒß. Liquoris iusquiami ʒ ij. Olei Nucis Muscatæ gran. vij. Fiat collyrium.

ALVMEN DE ROCHO.

Aluminis Rochi vires quæ.

Virtutes in { Vlceribus cauernosis, Scabie & pruritu, Esthiomenis, Vlceribus putridis & lasciuis: Vlceribus humidis.

Preparatio prima Aluminis ad omnia ista Vlcera.

Aluminis Rochi præpar. ad vlcera.

℞. Aluminis rochi ℔ ij. Aceti albi ℔ß. Salis fusi, vertonem vnum: fiat mixtura cum ebullitione vsque in coagulationem, destilla.

Vlcera cauernosa, si praparata hac aqua lauentur, est mirabile experimentum. Et qua hac cura non sanantur, ea nulla alia sanantur.

Alia praparatio ad omnia ista Vlcera.

℞. Album. ℔x. Succi chelidoniæ, plātaginis, an. ℥ j. Parthenionis ℔ß. destilla. ℞. ℔j. istius aquæ, & aquæ communis ℔x. Fiat lixiuium.

Ad Alopeciam, Tineam & in Vlceribus, in ea admodum calida lauandum est.

ALVMEN PLVMOSVM.

Aluminis plumosi vires quæ.

Virtutes in { Paralysi Dorbo lethargico Membris stupefactiuis.

Alum. plumosi præp. ad paralysin.

Praparatio in paralysi, Aluminis Plumosi.

℞. Alum. plumosi ℥vj. Colcotarini resoluti ℥iiij ß. Salis armoniaci ʒiiij Reduc in resolutionē

Ex plumoso Virtus insensiua oritur: igitur optimum Medicamen in Paralysi.

Additio in paralysi in morbo lethargico & membris stupefactis.

℞. Huius præparati aluminis ℥j. Sanguinis draconis ℥iij. liquoris Mumiæ ʒ vij. Fiat in modum vnguenti.

Locus est etiam in Occipite, in Nucha.

DE ENTALI.

Entali vires quæ

Virtutes in PROFLVVIO: HÆMORRHOIDIBVS.

Entali præpar. ad profluuium & hemorrh.

Praparatio in Profluuio & Hemorrhoidibus

℞. Tartari communis, Entali an. ℥ij. Karabe ℈j. Masticis ℥ij. ß. Reduc in reuerberationem ad secundum gradum: Postea reduc in alcali.

Locus in profluuio in vmbilico, locus in hamorrhoidibus in spina dorsi.

Additio in Profluuio.

℞. Huius Entali præparati ʒj. boli adusti ʒiij. Hæmatitis correcti ʒ j ß. Fiat mixtura.

Additio

Additio in Hæmorrhoidibus.

♃. Huius Entali præparati ℥iij. Corallorum præparatorum ℈ iiij. Olei nucis muscatæ q.s. in modum vnguenti.

Locus in spinâ dorsi, in fine vngendus est.

DE ANACHTHRON.

Est sal, crescens in Petris, & est in modum vsneæ. Ea vsnea si decoquitur, fit sal, hoc est, fel vitri. Anach. thron quid.

Virtutes in { Fistulis, Cincilla vel cintillâ, (diarrhœa) Scropulis.

Cintilla ex diaphragmate est, & cura est ex puro Anatro.

Preparatio in Fistulis, in Cincillâ, & Scrophulis. Anachtri vires q.

♃. Anatron ℥ vj. (al. ʒj.) Cinerum fabarum ℥jj. calcis ex testis ouorum ℥ iij. Reduc in quartum gradum reuerberationis ad horas duodecim, extrahe alcali. Anath. præpar ad fistulas.

Anathron cum axungiâ cerui mixta, bonum ad Cincillas.

Anathron habet in se Mercurium volatilem, quem debemus corrigere, qui sic corrigitur. (& est additio in fistulis, in Cincillis & scrophulis.)

℞. Huius Anathri ℥ ij. Butyri crudi ʒ iiij. Pinguedinis Murmetorum ℥ iij. Fiat vnguentũ.

Et istud vnguentum est optimum ad fistulas, ad Cintillas & Scrophulas.

DE SALE GEMMÆ.

Sal Gemmæ est dictum sal Granatum à Spagyricis & sal lucidum.

Virtutes: { Laxatiuum salis acuti, id est, choleræ & est similis Coloquintidi. Curat ictéritiam, Curat Hydropisin citrinam, & dolores superuenientes ex sanguine putrefacto. } Sal Gemmæ quid.

Præparatio salis Gemmæ in Hydropisi & ictéritiâ. Sal gemmæ vires quid. Sal Gem præpar ad Hydropem & Ictérit.

℞. Salis gemmæ, succi Tithymali, id est, Esulæ maioris [al. minoris] an. ʒj. Gummi ex Cerasis ad pondus omnium. Fiat bolus, reduc in tertium gradum reuerberationis per horas duas, extrahe alcali, dosis à gran. viij vsque xij.

In loco diagridij potes vti, & addere trochiscos albandal.

Additio.

℞. Salis gemmæ ℈ ß. Rebotij (est vera mumia) liquoris centaureæ, an. ℈ iiij. Reduc in compositum, dosis a gran. iiij. aut v. vsque ad x. aut xij. in Ouo.

Præparatio in cæteris morbis.

♃. Huius Salis gemmæ ℥ j Succi Cataputiæ ʒj. Farinæ tritici ad pondus omnium. Fiat panis tostus, id est, concoctus, dosis a ℈ j. vsque ad ℈ ij.

DE SALE PEREGRINORVM.

Virtutes { In confortatione digestionis in Stomacho, Contra aëris infectionem. Contra Apostemata futura.

Descriptio Hermetis.

♃. Salis nitri fusi, salis gemmæ, an. ʒj. Galangæ, Macis, Cubebarum an. ℈j. Fiat puluis, dosis in aurora gran. iij. Sal. peregr: vires quæ.

Hoc sale qui in Mari vtitur, non vomit. Etiam ad senes vsui est ad Longam Vitam.

Præparatio Salis Peregrinorum. Sal. peregr. præparat.

♃. Istius Salis ℥ iij. alcool vini exiccati ℔ ß. Fiat extractio Alcali. Huius Alcali ℞ ʒj. Liquoris granorum Iuniperi, Kist vnum, reduc in compositum, dosis gr. j.

Illud est Præparatio & Additio Salis peregrinorũ

DE SALE NITRI.

Virtutes in { Pleuresi Vlceribus Cauernosis.

Præparatio in pleuresi. Sal. nitri vires quæ.

♃. Nitri salis ℔ ß. Tartari crudi ℔j. Distilla in sextũ alembicũ, Dosis a ℈j. vsq; ad ℈jß. in Aquâ fôtis, vel bono vino, manè, nocte, in mediâ nocte. Sal Nitri præpar ad pleuresin.

Sæpè dandum est: per vrinam purgat.

Præparatio in Vlceribus Cauernosis.

℞. Nitri Aluminis, an. ℔ ß. Aquæ fontis ℔ ij. Distilla in aquam.

Additio contra Pleuresin.

℞. Huius Nitri ℈ ij. Aquæ Cæsaris siue Regis ℈ ß. Alcool vini exiccati ʒ v. Fiat mixtura, dosis ʒ ß. vel ʒj ß.

Additio in Vlceribus Cauernosis.

℞. Aquæ plantaginis, chelidoniæ, de quercuum foliis an. ℔ jß. Fiat ad crura:

Id est, contra dolores crurum.

TRACTATVS V.

De Metallis.

De Auro, Argento, Stanno, Cupro, De Ferro, Plumbo, Mercurio.

DE AVRO.

Virtutes in { Paralysi, Synthena, Febribus, Tremore Cordis, Doloribus Matricis Ethicâ, Peripneumoniâ, & in Acutis.

Præparatio ad paralisin, & in tremore Cordis, & Synthena.

℞. Auri puri & purgati à mineralibus suis ʒ ij. Aquę salis gemmæ ℥vj. Reduc in vnum cum separatione alcool vini, deinde ♃. Croci ʒ ij. Alcool correcti ʒ vj. Fiat mixtura, dosis à granis tribus vel quatuor, vsque ad vj. Auri pr. ad paralysin, tremore & c.

Præparatio in Febribus & in Acutis.

♃. Foliorum auri liquefactorum ex aquâ mellis ʒj. Alcool vini ℥ ij. Reduc in separationem à melle, dosis a ℈ ß. vsque ad ℈j. Ab Fedres & Aeutos, &c.

Præparatio ad dolores Matricis, Ethicam & Peripneumoniam.

℞. Auri extincti ab aquâ chelidoniæ ʒ xiij. Myrobalanorum Indorum, Chebulorum, an. ʒj. Reduc ad digestionem per hebdomadam cum separatione aquæ, aquositatis superfluæ, dosis a ℈ j. vsque ad ʒj. Ad Dolores matricis &c.

Additio in Paralysi, Tremore Cordis, & Synthenâ.

℞. Huius præparati Auri ℈j. Aquæ lauendulæ cum alcool vini correcti, atque Spiculæ an. ʒj. Dosis ℈j.

Additio in Febribus & Acutis.

♃. Huius præparati Auri ℈ iiij. Succi centaureæ & saluiæ an. ℥ ij. Dosis a ℈ß. vsque ad ℈ß.

Additio in Doloribus Matricis, Ethica & Peripneumonia.

♃. Olei nucis muscatæ ℥ß. Olei Caryophyllorum ʒ j. Huius auri præparati ℈ j Dosis à ℈ß. vsque ad integrum.

Descriptio Aquæ Salis Gemmæ. Aq. Salis Gemmæ descriptio.

♃. Salis gemmæ ℔ ß. Aquæ pluuialis ℔ j. Distilla

stilla per retortam vsque in consummationem totius Salis substantię.

Purgatio Auri.

℞. Auri ℥ß. Antimonii, ℥ij. aut iij. Funde in Regulum.

Hoc modo Antimonium assumit impurum & Aurum in fundo manet:

DE ARGENTO.

Argent. vires quę

Virtutes in { Doloribus Cerebri, Splenis, Hepatis, & Retentione profluuii.

Præparatio in doloribus Cerebri, Splenis & Hepatis.

Argent. præpar. ad dolores cerebri.

♃. Argenti laminati ʒ.iij.Salis gemmę ʒvj. Fiat S.S.S. Reduc ad quartum gradum reuerberationis per horas 24. & extrahe alcali.

Alcali hoc tribus vel quatuor diebus ponatur in vinũ sublimatum, & argentum fiet instar vini ipsius. Stet & euaporet: sic Alcali in fundo subsidebit, quod vitro exceptum, in loco frigido liquescat. Dosis a gr.v. vel vj. vsque ad xij.

Præparatio in profluuio.

Ad profluuium.

♃. Argenti limaturę ℥j. Reduc in calcem per aquam Regis. Huius calcis ℞.ʒij. tartari crudi ʒiiij. Reduc ad quartum gradum reuerberationis cum extractione Alcali.

Descriptio Aquæ Regis.

Aq. Regis descriptio.

♃. Nitri Aluminis, vitrioli an. ℔ß. Destilla in aquam dulcem.

Modus extractionis Alcali.

Alcali extractio.

℞. Huius argenti q.s. Alcool vini, aquæ chelidoniæ an. ℥x. Reduc vt supra. Dosis a ℈j. vsque ad ℈jß.

Si profluuio rubeum exit, signum est, profluuium cohibitum iri. Et tunc huius Aquæ ʒj. proponenda est.

Præparatio Argenti ad omnia ista, hoc est in cerebri, splenis, hepatis profluuio.

♃. Argenti laminati ℥j. Sulphuris purgati ʒiiij. Resinæ pini ʒij. Reduc in Bolum accende & reduc ad pręparationem cum aquâ fontis. Dosis ℈j. vsque ad ℈jß.

Præparatum hoc ad omnia prodest. Sed alterum est efficacius.

DE STANNO.

Stanni vires quæ.

Virtutes in { Icteritia, Asclite, Vermibus.

Præparatio in Icteritia.

Stanni præparatio ad Icteritiã.

℞. Stanni calcinati ℔j. Salis ℥v. Cineris fabarum ℔ß. Reduc in Lithargyrium per ignem reuerberationis. Huius lithargyrii ℞.℥x. Alcool vini ℔ß. post resolutionem reduc in Alcali. Dosis a gr.vj. vsque ad gr.x. vel xij.

Præparatio in Asclite.

♃. Stanni purgati ℥j. Antimo. ℥ij. Limaturæ cineri ad pondus omnium. Reduc in calcẽ per reuerberationem per horas 24. Deinde ℞. huius calcinatæ materię ℔j. Alcool vini ℔jß. Reduc in Alcali. Dosis a ʒj. vsque ad ʒjß.

Præparatio in vermibus.

℞. Stanni ℥iij. salis communis ℥iiij. Asphalti ℥j. Fiat puluis cum adustione. Dosis a ʒß. vsque ad ʒiij.

Additio in Icteritiã.

Ad Asclitem.

♃. Huius præparati Stanni ℈iiij. Aliptæ muscatæ ℈j. Bdellii ℈ij. Dosis a ℈j. vsque ad ℈ij.ß.

Additio in Asclite.

℞. Huius præparati Stanni ʒß. Sang. draconis ʒij. Liquoris tapsi ℥j. Fiat mixtura. Dosis ʒß.

Additio in vermibus.

Ad vermes.

℞. Huius Stanni præparati ʒj. Seminis colocinthidis, plantaginis an. ʒ vj. Fiat puluis. Dosis ab ʒj. vsque ad ʒjß.

DE CVPRO.

Cupri vires quæ.

Virtutes in { Vlceribus. Vulneribus. Vermibus. Oris Vlceribus.

Præparatio in Vlceribus.

Cupri præpa. ratad Vlcera.

♃. Cupri ℔j Botri immaturi ℔.v. Aceti ℔.j. Salis Armoniaci ℥ß. reduc in digestionem clauso vase per mensem, postea reduc in ablutionem, & in Salem Alcali.

Hoc est viride æris in vlceribus.

Præparatio in Vulneribus.

Ad Vulnera.

♃. Cupri ℔.ß. Terpentinæ destillatæ ℔j. Salis communis ʒ.j. Vitrioli ʒij. Fiat mixtura in vitrum clausum per menses tres.

Si sumatur lamina cupri, & ita præparetur, Balsamus optimus fit. Postea sumatur ʒ.j. Floris æris, & ℥.j. olei communis.

Præparatio in Vermibus.

Ad vermes.

♃. Veneris calcionati ℥.j. Aquę Hypericonis, centaureæ, an. ℥.vj. Aquæ plantaginis, vini acetosi an. ℥.iij. Reduc in digestionẽ per dies 7. vel 8. Reduc in Alcali. Dosis a ℈.j. vsq; ad ℈.iiij. vel v.

Præparatio in oris Vlceribus.

Ad vlcera oris.

♃. Veneris laminatę (al. Cementatæ) ℥.ij. Cãdi Aluminis vsti, Rochi, an. ʒ.vj. Aceti distillati ℔.j. Fiat extractio Alcali per diem & noctem.

Additio in Vlceribus.

℞. Huius floris æris ʒ.j. vnguenti Agrippini ℥.j. Lumbricorum terrestrium ʒ.iij. F. vnguentum secundùm formam.

Alia Additio in Vlceribus communibus.

℞. huius floris ʒ.v. Aq. Aluminis ℥. xv. F. mixtura in modum Lauamenti.

Additio in Vulneribus.

♃. Huius floris præparati ℥.j. Ol. Anethini ʒ. iij. Olei vitellorũ ouorum ℥.F. mixtura in modum olei.

Alia in Vulneribus.

♃. huius floris pręparati ʒ.ß. Aloë hepatici ʒ.j. Liquoris consolidę ℥. iiij. F. in modum visci

Additio in Vermibus.

♃. Huius floris æris ʒ.j. Zuccari Taberzet, Succi liquiritiæ an. ℥. ij ß. F. puluis. Dosis a ʒ.ß. vsque ad ℈.i.

Additio in oris Vlceribus.

♃. huius pręparati floris ℥.j. Aq. Chelidonię ℥.iij. Aq. Aluminis ℥.j. F. Gargarismus vel lauamentum oris.

DE FERRO.

Ferri vires quæ.

Virtutes Ferri { Styptica. Constrictiua. Exiccatiua.

Præparatio in virtute Styptica.

Ferri præp. Styptica.

♃. Limaturæ ferri ℔.j. Salis communis ℔.v. Aq. fortis q.s. pro incorporatione. reduc in spatium temporis ad mensem, deinde per reuerberationem vsque in formam pulueris.

Incorporatio quid.

Incorporatio est, qua cum aqua subigitur, vt formam pultis nanciscatur.

Præparatio in Constrictiuis.

Ferri præp. constrictiua.

℞. Limaturæ ferri ℔.ß. Aq. Aluminis ℔.j.ß. Aceti

Aceti distillati ℔.ß. Reduc in digestionem per mensem. Posteà reduc per ablutionem, deinde per reuerberationem vsque ad formam croci.

Preparatio in Virtute Exiccatiua.

♃. Limaturæ ferri ℔ ij. Aq. vitrioli ℔.ß. Reduc in digestionem per mensem cum reuerberatione vsque in formam pulueris.

Ferri præparatio.

Virtus Styptica est, quæ claudit & exiccat, Fistulas, Cancros.

Constrictiua est in Lienteria, Dysenteria, Diarrhoea.

Exiccatiua, vt in Phlegmaticis.

Additio in virtute Styptica.

♃. huius croci ℥. j. Boli adusti ℥.iij. Terræ sigillatæ ℥.v. F. puluis.

Puluis hic in omnibus vlceribus & vulneribus incarnandi gratiâ administrari potest. Si intrinsecus sumendus est, eius ℥. j. bibatur.

Additio in Constrictiuis.

℞. huius Croci Martis ʒ.j. Myrrhę ʒ. ß. Croci Orientalis ℈j.F. puluis. Dosis a ℈.ij. vel iij. vsque ad iiij.

Additio in Exiccatiuis.

♃. huius croci ʒ.iij. Balaustarũ ʒ. j. Succi de Acaciis ad pondus omniũ. F. in modũ Electuarii.

DE SATVRNO.

Virtutes sunt *Pro Incarnatione.*

Preparatio Incarnationis.

♃. Cineris Saturni (id est plumb.) Reduc ad decoctionẽ cũ aceto per horas tres vel quatuor.

Plumbi vires quæ. Plumbi præparatio ad incarnationẽ. Cerussa vnde fiat.

Et est prima præparatio: Sanat vulnera, incarnat, & solidam carnẽ gignit. Cerussa quoq; ex plumbo fit, si cum aqua lauetur ad Solem. Ex cerussa in lebete decocta fit miniũ. Omnia medicamina in vulneribus & vlceribus ex præparatiuis sunt ex metallis: & erunt optima.

DE MERCVRIO.

Virtus Mercurii est { Incarnatiua & Laxatiua.

Preparatio pro Incarnatione.

Argenti viui vires quæ. Arg. viui præpar. ad incarnationẽ.

♃. Mercurii præparati in puluerem ℥. ij. Aq. Cæsaris ℥.x. Reduc in destillationem balnei aliquoties per diem, & conuertetur in oleum.

Vlcera & vulnera incarnat citissimè. Cautelas duas habet: aliud ...ẽt, & cerussam gignit. Qua causa ferè reiicitur & fastiditur. Aliàs citò & rectè consolidat.

Preparatio Laxatiuorum.

Ad Laxationem.

℞. Mercurii coagulati ab alumine ouorum ℥.j. Aq. Aluminis ℥.vj. Reduc in destillationem per cineres, & f. puluis. Dosis a gr. iij. ad iiij. vel v.

Quæ ægritudines o...ũtur ex leprosa humiditate, sicut in pustulis, paralysi, speciebus guttę, in hydropisi humida: in his potẽs purgatiuũ est.

LIBER SECVNDVS.

De Nascentibus ex Terra.

TRACTATVS I.

De Preparationibus Terebenthinarum & Gummorũ.

Nomina sunt ista: Ex *Gummis*, Opopanacum, Galbanum, Serapinum, Bdellium, Storax vtraque, Laudanum, Mastix, Mirrha, Thus.

Ex *Resinis*, Balsamum, Terpentina, Resina.

Resina est liquor Arboris. Terpentina est, quod ex arboribus stillat.

DE TERPENTINA.

Virtutes in { Vermibus. Vlcerationibus vesicæ. Vlceribus. Vulneribus.

Terpentinæ vires quæ. Eius præpar. ad vermes.

Preparatio in Vermibus.

℞. Terpentinæ ℔ j. Aq. Centaureæ ℔.ß. Reduc per ablutionem, cuius ℞. ℥.j Agarici ʒ ij. Aloëpatici ʒ.ß. Fiat mixtura. Dosis a ʒ j. vsque ad ʒij. vel ʒ.iij.

Preparatio in Vlcerationibus.

Ad Vlcerat. &c.

℞. Terpentinæ ʒ. iij Succi Alkakengiæ ʒ. vij. Reduc per ablutionem cuius ℞. ℥. iiij. Thuris ℥.ß. Gallar. ℥ j.ß F. mixtura. Dosis a ʒ vsque ad ʒ.j.

Preparatio Terpentinæ.

♃. Terpentinæ ℔.j. Aristolochię rotundę ℥.iiij. Lumbricorum terrestrium ℥. vj. distilla.

♃. Terpentinę ℔.ij. Olei communis vertonem vnum. Ol. Lauri ℥j. destilla.

Additio in vlceribus.

Huius Terpentinę ℥ij. Olei destillati non ardentis ℥.j.ß. Visci lumbricorum terrestrium ℥.v. F. in modum vnguenti.

Additio in Vulneribus.

♃. huius Terpentinæ ℥ij. Consolidę maioris ℥.ß. Aristolochię rotundæ recentis, Aloë epatici an. ℥. iij. F. in modum Cataplasmatis.

Additio in Vlceribus & Vulneribus vesicæ.

♃. Terpentinæ destillatæ ℔.j. Croci Veneris croci Martis an. ℥.j. Reduc ad digestionem per septimanam.

Vsus eius est, vt quotidie bis superligetur.

DE MASTICE.

Virtutes Masticis in { Doloribus Stomachi. Vlcerationib. interioribus. Doloribus Luncturarum.

Masticis vires quę. Mast. præpar. ad dol. stomachi. Ad vlcera interna. Ad dol. iuncturarum.

Preparatio in Doloribus.

♃. Masticis ℥.iij. Alcool vini ℔.ß. Galangæ ʒ.j. Destilla per Alembicum Dosis ℈ß.

Preparatio in Vlceribus interioribus.

♃. Masticis ℥j ß. Hermodactylorum ʒ.ß. Distila simul. Dosis à gr. iiij. vsq; ad x. in bono vino.

Preparatio in doloribus iuncturarum.

♃. Masticis ℥.vj. Terpentinę ℥. ij. Galbani ℥.v. Destilla per Alemb.

Additio in doloribus Stomachi.

℞. Huius preparati Masticis ℥.ij. Masticis olei, croci Orientalis, Galãge. an. ℥.j.ß. Dosis à ℈.ß. vsque ad ℈.j.

Additio in Vlceribus interioribus.

℞. huius Masticis præpar. ℥.j. olei laterini ʒ.j Olei Masticis ℈.j ß. Dosis a gr. viij. vsque ad xij. vel ℈.j.

Additio in doloribus iuncturarum.

℞. huius Masticis ℥.vj. Ol. Lauri destillati ℥j. Vini ardentis, aceti an. ℥.j. F. in modũ vnguenti.

Additio communis in Vlcerib. interioribus & exterioribus.

℞. Masticis per se ʒ.x. Terpentinę ʒ.v Petrolei ʒ.j. Destilla simul. Dosis ad intra ℈.j. est, ab extrà manè & serò secundum vsum.

Reliqua desiderantur.

PROCESSVS ET PRAEPARATIO SPIRITVS VITRIOLI

Quo morbi quatuor curantur, vt Epilepsia, Hydrops, Pustulæ & Podagra.

Pro declinandis erroribus, à Philosophis, Artistis & Medicis admitti solitis.

EX vitrioli minera extrahitur spirit⁹ per Colcothar, quod ineptũ & nullius artis est. Quod enim ipsi phlegma vocãt, id spiritus est omnium nobilissimus, cui virtutes omnes assignandę sunt.

Etsi verò oleũ de Colcothar plurimæ quidẽ virtutis sit in arena & Lithiasi, velut & in Alopecia, nullius tamen momẽti est ad prædictos morbos quatuor, quibus tamen adhiberi solet.

Hip-

Hippocrates quidem, cui cæteri plerique adstipulantur, certas ætates & signa tradit, secundùm quæ Epilepsia, velut & podagra incurabiles censeri debeant. Qui tamen quoniam de spiritu vitrioli experientiæ nihil habuerunt: sermo ipsorum iure Vulturno committendus erit.

Principiò, extractio spiritus ex vitriolo fieri debet per potentem ignem in erecta cucurbita, ita vt in nouum Alembicum impellatur, & exquisitissimè per Reuerberium, in Athanari stantem diebus & noctibus 4. agatur. Sic spiritum vitrioli præparatum habebis.

Postea Colcothar per iacentem in Athanari phiolam ad triduum summo igne, lignis & carbonibus destillandum est tandiu, donec in Recipiente ex Colcotharis libra vna ʒ.vj. appareant, quod coccineo colore tinctum sit.

Hoc præstito, ex capite mortuo extrahendum est Alcali, quod 4. vel quinquies resolutum, denique coaguletur. Sic tria quæ vitriolo insunt, extracta & separata erunt.

PROCESSVS.

IN epileptico morbo procedendum hoc modo est, vt semper à Paroxysmo ʒ.j. ægro administretur. De oleo ex Colcothar manè & vespere propinetur dosis g.4. ex aqua pœoniæ. Et ordo iste seruandus vsque ad paroxysmum 15. est. Quòd si paroxysmi adeò præcipites non sint, dimidia dosi dies 30. insumendi sunt.

In podagra prædicta dosis 30. dierum spatio assumi debet. Postea locus dolens spiritu illo vitrioli vsque ad finem podagræ inungendus est. Si podagra inueterata est, spiritui illi vitrioli Liquor de Mumia parte quarta addatur, & pro membris podagricis inungendis asseruetur.

In Hydropisi spiritus vitrioli scrupulus semis ex liquore de Serapino propinari debet, dosi illa ter quaterue, plusue minúsue pro ratione morbi iterata. Si Serapini liquor fors desit, loco eius Liquor Tartari crudi substituẽdus est.

In pustulis is ordo & modus teneatur, vt omnes sedes & loca cutis affectæ spiritu vitrioli vsque ad diem nonum illinantur. Si verò cutis vlceribus squalet, oleum de Colcothar cum suo Alcali permixtum imponi debet secundum methodum chirurgicam, vinculis tamen ante diem sextum minimè religatis.

Regiminis & diętę ratio conditione personę accommodari debet. Curę namque Rhombus omnis non in victu, sed Medicina positus est. Sedulò ergò Medicina Administretur. Hoc enim modo prænominati 4. morbi funditus & radicitus exscinduntur ac curantur.

DE NATVRA RERVM LIBRI NOVEM PHILIPPI THEOPHRASTI HOHENHEMII, DICTI PARACELSI.

HONESTO AC PRVDENTI VIRO IOANNI WINCKELSTEINER FRIBVRGENSI AMICO SVO INTIMO ac fratri charissimo, Teophrastus Paracelsus salutem.



AEquum est amice intime, & carissime frater. vt amicis ac assiduis precibus ac petitionibus tuis, quibus me crebis literis tuis aggressus es, satisfaciam: & quoniam in postremis literis tuis summoperè & humanissimè rogas, vt adhuc semel ad te veniam si modò mihi sit commodum, non possum te profectò celare, quòd per multa impedimenta id fieri nequeat. Sed quod ad alteram petitionem tuam: quam à me petiisti, vt tibi de illa bonam & claram instructionem dē, non volo, neque possum tibi repugnare sed tibi in eo gratificari cogor. Optimè enim animum tuũ bonum noui: scio etiam, quòd libenter aliquid noui & mirabilis in hac arte audis & vides: scio quoque quod in vita tua multum in artes insumpseris, & maximam partem tui curriculi in illis consumpseris, &c. Quoniam igitur mihi non solum beneuolentiam, sed & fraternam fidelitatē præstitisti, meritò huius fidei & beneficiorum obliuisci non possum sed gratus esse cogor, & tibi, si fortassis te in persona mea non amplius videam, fraternũ vale relinquere, tibi & tuis in mei monumentum. Nam hic tibi non solùm ad illa puncta, de quibus me consuluisti, & vt frater rogasti, respondebo, & te clarè instituam: sed tibi propter illa puncta peculiarem librum dedicabo; quem nominabo, DE NATVRA RERVM, *& illum in nouem libellos diuidā. In hoc libro omnibus petitionibus tuis satisfit, & amplius quam à me petiisti. Quanquam summoperè de hoc miraberis, & fortasse multum dubitabis, an hæc omnia se sic habeant, sicut hic describo. Sed id ne facias, imò credas non esse speculationes & theorias, sed praxin & procedere ab experientia. Et quamuis non omnia ipsemet expertus sim, tamē ab alijs & per alios habeo & probaui, & noui ex experientiâ, & ex luce naturæ. Si autem in quibusdam locis non satis quid dicam intelligas, & in vno vel pluribus processibus ampliorem à me requiras explicationem. Scribe ad me secretò, & clarius tibi rem proponam, & sufficientem instructionē & intellectum dabo. Quanquam credam non opus futurum, & te alias benè intellecturum, cùm sciam te à Deo artibus & bono sensu tam egregiè dotatum. Præterea nosti animum & sensum meum: Quare me citò & facilè intelliges. Omnino autem spero, nec dubito, te præsens opus respecturum, & vt decet commendatum tibi habiturum, & prorsus non euulgaturum, sed solummodo pro te & tuis in magno secreto retenturum, sicut profectò occultus & magnus thesaurus, & nobilis gemma, & res preciosa est, qua non obijcienda est suibus, hoc est Sophistis, & contemptoribus omnium bonorum naturalium, artium & secretorum, qui neque digni sunt vt legant, multò minus vt habeant, sciant & intelligant. Et quanquam iste libellus, valde paruus sit, & pauca & breuia verba habeat, plenus tamen est multis magnis Arcanis. Nam hic non scribam ex speculatione vel theoria sed practicè, ex luce naturæ & experientia ipsa, nec te onerabo, & tædiosum reddam multis verbis &c. Quapropter charissime amice & intime frater, quoniam tibi soli ex amore hunc libellum scripsi, & nulli alii præterea, rogo te, velis eum, vt rem charam & secretam conseruare, & vsque ad mortem tuam à te non remouere, & ante mortem tuam simili modo tuis liberis vel hæredibus man-*

Omnia probata hic scribit.

Commendatio.

mandare, vt ipsi secreto hunc librum retineant, quod & ego singulariter ab ipsis peto, vt tantummodò in tua familia maneat, & nullo tempore tam vulgaris fiat, vt in Sophistarum & derisorum manus perueniat, qui omnia, quæ ipsis non consonant, contemnunt, & ad summum calumniantur: quib. & tantùm illud quod suum est, placet, sicut omnes stulti solent, quibus tantummodo sua claua, & sua tintinnabula placent, alterius autem non, qui & omnem sapientiam oderunt. Quapropter omnem sapientiam parui æstimant imò pro stultitia reputant, maiori quam sua est, in suo scilicet capite: quia, nihil ipsis prodest, nec sciunt vsum. Sicut vnus opifex alterius instrumenta tractare nescit, ita stultus nullus armis meliùs vti potest, quàm suâ clauâ, nec vllus suauior sonus est auribus eius, tinnitu suarum campanarum. Quare charissime frater fideliter esto monitus, sicut te rogaui, & fac id, quodde te spero, ita facies rectè & benè. Vale in tutela Dei. Datum Villaci, anno 1537.

DE NATVRA RERVM LIBER PRIMVS.

De Generationibus rerum naturalium.

Nat. rerũ generatio est duplex.



ENERATIO omnium rerum naturalium est duplex; vna quæ natura fit sine arte: altera quæ fit arte, nempe per Alchymiam. Quanquã in genere dici posset, naturâ omnia ex terrâ generari auxilio putrefactionis. Nã putrefactio est supremus gradus & primũ initiũ ad generationem. Putrefactio autem initiũ suum sumit ex humido calore. Nam perpetuus humidus calor parit putrefactionem: & transmutat omnes res naturales à prima sua forma & essentia, similiter & viribus & efficaciâ, in aliud. Nam sicut putrefactio in ventriculo omnes cibos in stercus transmutat & redigit, ita etiam extra ventriculum putrefactio in vitro, omnes res transmutat ab vna forma in aliam, ab vna essentia in aliam, ab vno colore in alium, ab vno odore in alium, ab vna virtute in aliam, ab vna vi in aliam, ab vna proprietate in aliam, & prorsus ab vna qualitate in aliam. Nam euidens est, & quotidianâ experientiâ probatur, multas bonas res, quæ sunt salubres & Medicina, post putrefactionem malas, insalubres & merum venenum fieri. Ita contra multæ sunt malæ, insalubres, venenosæ, & nociuæ res, quæ post putrefactionem suam fiunt bonæ, perdunt omnem suam malitiam, & fiunt nobiles Medicinæ. Quia putrefactio res magnas parit, sicut huius pulcrum exemplum in sacro Euangelio habemus vbi Christus dicit: Nisi granum tritici in agrum proiiciatur, & putrefiat, non potest centuplum fructum ferre. Ex hoc sciendum est, multas res in putrefactione multiplicari, ita vt nobilem fructum pariant. Putrefactio enim est mutatio & mors omnium rerum, & destructio primæ essentiæ omniũ rerũ naturalium, vnde nobis prodit regeneratio & noua generatio millies melior, &c.

(Putrefactione omnia nasci. Putrefactionis caussa calor humidus. Putrefactionis vis & natura quæ. — Putrefactio quid sit.)

Cùm igitur putrefactio sit primus gradus & initium ad generationem; summè necessarium est, vt putrefactionem benè cognoscamus. Sunt autem multiplices putrefactiones, & vna generationem suam aliter quàm altera profert, vna quoque citiùs quàm altera. Diximus etiam humidum & calidum esse primum gradum, & initium ad putrefactionem, quæ omnes res procreat, vt gallina sua oua. Quapropter per & in putrefactione omne mucilaginosum phlegma & materia viua fit, quidcunq; tandem id sit. Exemplum videris in ouis, in quib. est humiditas mucilaginosa, quæ quolibet perpetuo calore putrefit & animatur in pullum viuũ, non solùm calore gallinæ, sed quolibet tali calore. Nam in tali gradu ignis possunt oua in vitro & cinerib. maturari, & viua auicula fieri: etiam quilibet homo sub sua axilla ouum maturare potest, & pullum procreare tam benè ac gallina. Et hîc notandum est aliquid maius, nempè, si ista auis viua in sigillata cucurbita in puluerem vel cinerem comburatur tertio gradu ignis, postea ita clausa putrificetur putrefactione summa Ventris Equini in phlegma mucilaginosum, tunc iterum illud phlegma maturari potest, atque ita renouata & restaurata auis fieri: nempe si illud phlegma rursum in priorem suam testam vel receptaculum includatur. Hoc est mortuos reuiuificare per regenerationem & clarificationem quod quidem magnum & profundum miraculum Naturæ est. Hoc processu possunt omnes aues occidi & iterum viuificari, renouari & restaurari, & hoc est summum & maximum miraculum & mysterium Dei, quod Deus mortali homini patefecit. Sciendũ etiam est hoc modo posse generari homines sine naturali patre & matre, hoc est, non ex muliere naturali modo, sed per artem, & industriam periti Spagyrici potest homo nasci & crescere, sicut postea dicetur.

(Putrefa. est initiũ ad rerũ generationem. Putrefactio est multiplex. — Pullorũ gallinacio ũ generatio Artificialis. A cinerib. Ab axillis. — Resuscitatio mortuæ auis. Hominis generatio spagyrica.)

Possibile etiam est naturæ homines nasci ex animalibus, & hoc habet causas naturales sed tamen sine impietate & hæresi id fieri nequit: nempe si homo commisceatur animali, & illud animal vt fœmina sperma viri cum appetitu & libidinem in suam matricem receperit, conceperit, & concluserit: tunc sperma necessariò putrescit, & per continuum calorem corporis rursum homo & non animal indè nascitur. Nam semper quale est semen seminatum, talis etiam fructus inde nascitur, & nisi hoc fieret, contra naturalem lucem, & contra Philosophiam fieret. Quare quale semen est, talis herba nascitur indè. Ita ex semine cepæ rursum gignitur cepa, non rosa, non nux, non lactuca, &c. Ita ex farre nascitur far, ex hordeo hordeum, ex auena auena. Ita fit & cum omnibus aliis fructibus, qui semen habent & seminantur, &c.

(Hominis generatio per bruta. — Semen quale, talis fructus.)

Similiter etiam est possibile, & non contra naturam, ex muliere & viro nasci animal irrationale. Neque est hîc de muliere iudicandum vt de viro, hoc est non propterea debet haberi pro hæretica, quasi contra naturam egisset, sed imaginationi ipsius id est tribuendum. Nam imaginatio ipsius est sæpissimè in causa. Et prægnantis mulieris imaginatio est tam efficax, vt in concipiendo semen in corpus suum, fœtum variis viis transmutare possit: quoniam astra ipsius interiora tam fortiter diriguntur in fœtum,

(Imaginatio muliebris quid possit.)

fretum,vt pariant Impressionem & Influentiã. Quare infans in vtero materno in formatione suâ positus est in manu & voluntate matris suæ, sicut argilla in manu figuli, qui inde format & facit quod vult, & ipsi libet: ita mulier prægnans format fructum in corpore suo iuxta suam imaginationem, prout astra ipsius sunt. Ergo sæpè accidit, vt ex semine virili pecudes aut alia horrenda monstra gignantur, prout imaginatio matris fortiter in embrionem dirigitur, &c.

Sicut autem iam audiuistis per putrefactionem multas & varias res generari & viuificari, ita etiam sciendum est, quòd ex multis herbis per putrefactionem varia nascantur animalia, quod harum rerum periti sciunt. Hîc quoque sciendum est, quod talia animalia quæ in & ex putrefactione nascuntur & fiunt,omnia aliquid veneni contineant, & venenosa sint, attamen vnũ longè plus & efficacius altero,& vnũ in alia forma quàm alterum,vt videtis in serpentibus, viperis, bufonibus, ranis, scorpionibus basiliscis, araneis: apibus syluestribus, formicis; multiplicibus vermibus, vt erucis, muscis,bruchis, &c. quæ omnia in & ex putrefactione nascuntur. Nascuntur etiam multa monstra inter animalia. Sunt autem & monstra illa, quæ non per se ex putrefactione nascuntur, sed per artem fiunt in vitro, vt dictum est, quia illa sæpissimè in valdè mirabili specie & horrenda aspectu formâ apparent, vt sæpè cum multis capitibus,multis pedibus, multis caudis, multis coloribus, sæpè vermes cum caudis piscium, vel pennis prædîti, & aliâ inusitatâ formâ, ita vt similes visi non sint. Propterea non solùm omnia animalia, quæ parentes non habent & ex sibi similibus non nascuntur monstra sunt, sed etiam quæ ex aliis rebus nascuntur. Ita videtis de Basilisco, qui etiam est monstrum, & quidem monstrum super omnia monstra, & quo nullum est magis metuendum, propterea quòd quemuis hominem solo aspectu & visu occidere possit: quia habet venenum super omnia venena, cui in toto mundo nihil comparari potest: & hoc venenum occulto modo gerit in suis oculis, & est imaginatum venenum, non valdè absimile mulieri menstruosæ, quæ etiam occultum venenum gerit in oculis, ita vt solo adspectu ipsius speculum maculas acquirat & inficiatur. Ita etiam si vulnus vel vlcus inspiciat, inficit illud simili modo, & curam eius prohibet: ita etiam suo afflatu, vt visu, multas res inficit, corrumpit & inualidas reddit, & sic tactu. Nam videtis si tractet vinum tempore menstrui, quod illud citò mutetur & pendulum fiat: acetum quod tractat, perit & nihil valet: ita etiam vinum ardens suam vim amittit: similiter zibetta, ambra, muscus, & similia benè olentia ab ipsarum mulierum gestatione & attractu suum odorem amittunt:ita etiam aurum,& coralli suum colorem, etiam multæ gemmæ,vt specula,inde maculantur, &c. Vt autem ad propositum meum redeam scribendi de Basilisco,qua ratione & quo modo venenum in suo aspectu & oculis gerat, sciendum est, quòd istam proprietatem & istud venenum habeat ab impuris mulieribus,vt suprà dictum est. Basiliscus enim nascitur & crescit ex maxima impuritate muliebri, nempe ex menstruo, & ex sanguine spermatis, si illud in cucurbita vitrea ponatur, & in ventre equino putrefiat, in qua putrefactione basiliscus nascitur. Quis autem est tam alacer & audax,qui velit eum facere,vel eximere, & rursum interficere,qui non prius se speculis vestiat & muniat? Nemini suaserim, imò omnes hîc monitos velim, vt sibi caueant.

Animalia ex putrefactione orta omnia venenosa.

Monstra quæ & quid sint.

Basilisci generatio artificialis.

Basilisci venenũ incertissimum.

Mulieris mẽstruosæ venenũ quantum.

Sed vt in tractatione de monstris pergã, sciatis quòd monstra inter animalia, quæ ex aliis rebus & non ex sibi similibus nascuntur, rarò diù viuant, præsertim si iuxta vel inter alia animalia viuere velint: quoniam ex ingenitâ natura & diuina ordinatione omnia monstra odiosa sunt sibi similibus rectè natis animalibus,&c. Ita etiam monstra hominum, quæ ex hominib. nascuntur, rarò diù viuunt. Et quò sunt mirabiliora & honorabiliora, eò citiùs mors ea insequitur, ita vt ferè nullum excedat 3. diem inter homines, nisi statim in loca secreta portetur, & ab omnib. hominibus segregetur. Porrò sciendum est, Deum abhorrere ab eiusmodi monstris, & ipsi ea displicere, & quod nullum ex istis saluari possit, cùm non gerant similitudinem Dei: vnde nihil aliud coniici potest, nisi quòd à Diabolo ita sint formata, & quòd in Diaboli potiùs seruitium, quàm Dei sint nata, quoniam ex nullo vnquam monstro opus bonum fluxit,imò potiùs omne malũ, omne peccatum,omnes astutiæ diabolicæ. Nam sicut carnifex notat suos filios, eo quod ipsis abscindit aures, oculos expungit, buccas exurit, digitos, manus, & caput amputat: ita & diabolus suos notat filios per imaginationem matrum, quam ex malis cupiditatibus, libidinibus & cogitationibus in conceptione hauriunt. Propterea omnes homines fugiendi sunt, qui membro vno abundant,vel eo carent,aut aliàs duplum membrum aliquod habent. Est enim id præsagium Diaboli, & certissimum signum occultæ nequitiæ & astutiæ, quæ ex ipsis sequitur. Quare & rarò absque carnifice. vel saltem nota à carnifice moriuntur.

Monstra non diu viuunt.

Monstra ex Diabolo nascuntur.

Monstra fugiẽda.

Sed nec generationis Homunculorum vllo modo obliuiscendum est. Est enim huius rei aliqua veritas, quanquam diu in magna occultatione & secretò hoc habitum sit, & non parua dubitatio & quæstio inter aliquos ex antiquis Philosophis fuerit, an naturæ & arti possibile esset, hominem gigni extra corpus muliebre & matricem naturalem. Ad hoc respondeo, quòd id arti Spagyricæ & naturæ nullo modo repugnet, imò benè possibile sit. Vt autem id fiat, hoc modo procedendum est: Sperma viri per se in cucurbita sigillata putrefiat summa putrefactione ventris equini per quadraginta dies, aut tandiu donec incipiat viuere & moueri ac agitari, quod facilè videri potest. Post hoc tẽpus aliquo modo homini simile erit, at tamen pellucidum & sine corpore. Si iam posthâc quotidie Arcano sanguinis humani cautè & prudẽter nutriatur & pascatur, & per quadraginta septimanas in perpetuo & æquabili calore ventris equini conseruetur, fit inde verus, & viuus infans,habens omnia membra infantis,qui ex muliere natus est, sed lõgè minor. Hunc nos Homunculum vocamus, & is postea

Homunculi generatio artificialis.

eo modo

ma diligentia & studio educandus est, donec adolescat & sapere & intelligere incipiat. Hoc iã est vnum ex maximis secretis, quæ Deus mortali & peccatis obnoxio homini patefecit. Est eñi miraculum & magnale Dei, & arcanum super omnia arcana, & meritò in secretis seruari debet vsque ad extrema tempora, quando nihil erit reconditi, sed omnia manifestabuntur, &c. Et quanquam hoc hactenus, hominibus notum non fuerit, fuit tamen Syluestribus & Nymphis & Gigantibus ante multa tempora cognitum, quia inde etiam orti sunt. Quoniam ex talibus Homunculis cum ad ætatem virilem perueniunt, fiunt gigantes, pygmæi, & alij homines magni miraculosi, qui instrumenta sunt magnarum rerum, qui magnas victorias contra suos hostes obtinent & omnia secreta & abscondita nouerunt: quoniam arte acquirunt suam vitam: arte acquirunt corpus, carnem, ossa & sanguinem: arte nascuntur, quare etiam ars ipsis incorporatur & connascitur, & à nullo opus est ipsis discere, sed alij coguntur ab ipsis discere, quoniam ab arte orti sunt & existunt, vt rosa aut flos in horto, & vocantur Syluestrium & Nympharum liberi, ob id quod vt & virtute sua non hominibus, sed spiritibus similes sint, &c.

Syluestres Nymphæ Gigantes. &c. ex Homunculis.

Hic quoque opus esset dicere de generatione metallorum, sed quoniam in libello de generatione metallorum satis de illis scripsimus, breuissimè hîc rem tractabimus, & tantummodò quæ in dicto libello omisimus, hîc breuiter indicabimus. Hoc modo sciatis, quòd omnia septem metalla nascantur ex triplici materia, nempe ex ☿, Sulphure & Sale, attamen distinctis & peculiaribus coloribus: Ob id Hermes non malè dixit, ex tribus substantiis omnia septem metalla nasci & componi, similiter & tincturas & lapidem Philosophorum. Illas tres substantias nominat, spiritum, animam & corpus: sed non indicauit quomodo hoc intelligendum sit, aut quid per hoc velit, quanquam fortassis etiam tria principia potuit sciuisse, sed non facit eorum mentionem. Quare non dico eum hîc errasse, sed tantùm reticuisse. Vt autem istæ tres substantiæ distinctæ rectè intelligantur, nempè spiritus, anima, corpus, sciendum est, quòd nihil aliud significent, nisi tria principia, hoc est, Mercurium, Sulphur, salem, ex quibus omnia septem metalla generãtur. Nam Mercurius est spiritus, sulphur est anima, sal est corpus, metallum verò inter spiritum & corpus, de quo & Hermes dicit, est anima, quæ quidem est sulphur, quod ista duo contraria corpus & spiritum vnit & in vnam essentiam mutat, &c. Hoc autem non ita intelligendũ est, quod ex quolibet ☿, quolibet sulphure, & quolibet sale septẽ metalla illa generentur, aut similiter tinctura aut lapis philosophorum per Alchymistæ artem & industriam in igni, sed in montibus per Archeum terræ oportet generari omnia septem metalla: Nam Alchymista faciliùs metalla transmutabit quàm generabit aut faciet. Nihilominùs ☿ viuus mater est omnium septem metallorum & meritò mater metallorum dici debet. Est enim metallum apertum, & sicut in se continet omnes colores, quos in igni ex se reddit, ita etiam occultè in se omnia metalla continet, quæ extra ignem ex se non præbet, &c. Sed regeneratio & renouatio metallorum fit ita: Sicut homo in matris suæ vterum redire potest, hoc est in terram ex qua primus homo fuit, & ita denuò nasci in vltimo die: ita etiam omnia metalla in ☿ viuum redire possunt & ☿ fieri, & per ignem regenerari & clarificari, si per 40. septimanas in perpetuo calore, vt infans in vtero materno permaneant. Ita iam nascuntur, non communia metalla, sed tingentia metalla. Nam si ☽ vt dictum est, regeneretur, tinget postea omnia alia metalla in ☽, ita aurum reliqua metalla in ☉, & similiter de omnibus aliis metallis intelligendum est. Quòd autem Hermes dixit, quòd sola anima sit illud medium, quod coniungat spiritum corpori non ineptè sensit. Cùm enim sulphur sit illa anima, & sicut ignis, omnes res maturet & excoquat, poterit etiam spiritum ligare cum corpore & vnà incorporare & vnire, ita vt inde valdè nobile corpus gignatur. Quanquam non vulgare combustibile sulphur pro anima metallorum habendum est, sed anima est aliud quidquàm corpus combustibile & corruptibile. Quare à nullo igni comburi potest, cum sit tota ignis: & reuera nihil aliud est quàm Quinta Essentia Sulphuris, quæ ex reuerberato sulphure per spiritum vini extrahitur, & coloris rubei & pellucida existit sicut rubinus: quod quidem magnum & præstans Arcanum est ad transmutandum metalla alba, & ad coagulandum ☿ viuum in fixum & probatum ☉: hoc tibi pro thesauro ditescendi commendatum habeas, & meritò hoc vnico arcano in transmutatione metallorum contentus esse debes. De generatione minerarum & semimetallorum nihil aliud sciatur, quàm quod initio de metallis dictum est, nempè quòd simili modo ex tribus illis principiis, nempe ☿, sulphure, & sale nascantur, quanquã non vt metalla ex perfectis, sed ex imperfectioirbus & tenuioribus Mercurio, sulphure & sale, & tamen cum suis distinctis coloribus.

De tribus principiis: Mercurius Spiritus, Sulphur, Anima, Sal, Corpus.

Metalla an arte per ignẽ fieri queant.

Mercurius viuus metallorum mater.

Regeneratio metallorũ in tincturas.

Anima est mediũ. quo spiritus corpori iungitur.

Anima metallorũ quid sit.

Metallorum generatio vnde.

Generatio gemmarum fit & fluit ex subtilitate terræ ex pellucido & Crystallino Mercurio, sulphure, & sale, etiã iuxta suos distinctos colores. Sed generatio vulgarium lapidum est ex subtilitate aquę, ex mucilaginoso Mercurio, sulphure, sale. Nã ex mucilagine aquæ nascuntur omnes lapides, quin & calculi & arenæ inde in lapides coagulantur, quod oculis patet. Nam quiuis lapis in aqua positus citò ad se mucilaginẽ trahit. Si iam ista mucilaginosa materia à talibus lapidibus accipiatur, & in cucurbitâ coaguletur, fit inde lapis talis, qualis in ista aquâ (sed longo tẽpore,) per se nasceretur & coagularetur, &c.

Gemmarũ generatio vnde

Lapidũ generatio quæ.

Lapidũ generatio artificialis.

LIBER II.

De crescentibus rerum naturalium.

SAtis manifestum est, & cuilibet notum, quòd per caliditatem & humiditatem omnes res naturales crescant & maturentur, quod satis demonstratur ex pluuiâ & sole consequente. Nemo enim negare potest pluuiam terram fœcundare, & fatendum est omnibus à sole omnes fructus maturari. Cùm igitur iuxta ordinationem diuinã hoc naturæ pos-

Calor & humiditas crescentium rerum caussæ. Artificiosa rerum maturatio.

sibile sit, quis repugnabit vel non credet etiam hominem hoc posse per prudentem & solertem suam industriam artis Alchymisticæ, ita vt infrugiferum frugiferum, immaturum maturum reddat, & omnia crescere & augeri faciat. Dicit enim scriptura, Deum homini omnia creata subiecisse, & tanquam rem propriam in manus eius tradidisse. vt illis ad suam necessitatem vteretur, vt dominaretur piscibus maris, volucribus cœli & omnibus reb. in terris, nullâ re exceptâ. Quare homo meritò gaudere debet, quòd Deus ipsum in luce Naturæ adeo illustrârit & donarit, vt omnes creaturæ Dei ipsi obedire & subditę esse cogantur, & pręcipuè tota terra, & omnia quæ in ea & super ea nascũtur, viuunt & mouentur. Quandoquidẽ igitur oculariter videmus, & quotidiana experientia docemur, quòd quo sæpius & copiosiùs pluuia terram humectat, & illam Sol suo calore & feruore iterum exiccat, eò citiùs fructus terræ prodeant & maturentur, etiam omnes fructus ita crescant & augeantur, quodcunque sit tempus anni: nemo deinceps miretur, quòd Alchymista quoque multiplicibus imbibitionibus & distillationibus idem facere possit. Quid enim aliud est pluuia quàm imbibitio terræ? & calor & æstus Solis, quid est aliud quàm distillatio Solis, qui tales humiditates rursus attrahit? Propterea dico possibile esse per talem cooptationem in media hyeme pulchras virentes herbas, flores & alios fructus producere, per terram & aquam, ex semine & radice. Si iam hoc fit in herbis omnibus & floribus, fiet etiam in multis similibus rebus, nempè in omnibus mineris, quarum imperfecta metalla per aquam mineralem maturari possunt per Alchymistæ solertis industriam & artem. Similiter possunt omnes Marcasitæ, Granati, Zinera, Arsenica, Talka, Cachimiæ, Bisemuta, Antimonia, &c. quæ omnia immaturum ☉ & ☽ secum vehũt, ita maturari, vt ditissimis auri & argenti venis æquari possint, tantùm per talem cooptationem, &c. Ita etiam Elixir & Tincturæ metallorum maturantur & perficiuntur.

Homini à Deo omnia subiecta.

Generatio artificialis fructuũ.

Maturatio minerarum.

Cum igitur vt dictum est, humiditas & caliditas omnia maturent & crescere faciant, nemo miretur, quòd homini malefico in patibulo aut rotâ, post longum tempus, barba, capilli, & vngues nascantur, neque pro signo innocentiæ ipsius habeatur, vt imperiti iudicant, hoc enim naturale est, & ex naturalibus causis fluit. Nam dum humiditas in homine est, crescunt ipsi vngues, barba & capilli: & quod maius est, homini sepulto in terra ipsa nascuntur vngues, barba & capilli, vsque ad secundum annum vel vsque ad putrefactionem ipsius, &c.

Barba quid notet crescens in mortuis.

Sciendum etiam est multas res in perpetuum crescere & augeri in magnitudine, pondere & virtute, in aqua & terrâ, in quibus etiam bona & efficacia permanent, vt sunt metalla, marcasitæ, cachymiæ, talka, granati, antimonium, Bisemuta, gemmæ, perlæ, coralli, omnes lapides & argillæ. Ita etiam effici potest, vt ☉ crescat & augeatur in pondere & corpore, si tantum modo in terra ☉ rientem spectante sepeliatur, & semper recenti vrina hominis & stercore columbino fœcundetur.

☉ Augmentatio.

Possibile etiam est aurum per industriam & solertiam periti Alchymistæ eò impelli, vt in cucurbita more arboris crescat, cũ multis mirabilibus ramusculis & frondibus, quod quidem iucundũ aspectu & valde admirabile est. Proceditur autem sic: Aurũ calcinetur per aquã regis, vt fiat calx cretacea, quã impone in cucurbitam, & infunde bonam & recentem aquã regis, & aquã gradationis, ita vt quatuor digitos trãsuersos supermineat, & iterum abstrahe in tertio gradu ignis, donec nihil amplius ascendat. Aquam distillatam, iterum superfunde, & iterum distillando abstrahe vt antea. Hoc tamdiu fac, donec videas ☉ surgere in vitro, & crescere in forma arboris habẽtis multos ramos & frondes: atque ita fit ex ☉ mirabilis & iucundus frutex, quem Alchymistæ herbam auream & arborem philosophorum appellant. Ita etiam proceditur cum ☽ & aliis metallis, sic tamen vt calcinatio aliter fiat, & alia aqua fortis accipiatur, quod quidem tuæ experientiæ relinquo. Si Alchimiæ peritus es, rectè te in his geres.

Auri generatio in cucurbita vt fiat. Quomodo fiat arbor philosophorum

Sciatis quoque quemlibet silicem sumptum ex aquâ fluuiatili & positum in cucurbita, superfusa suâ aquâ fluuiali, vt impleatur cucurbita, quæ iterum inde destillando abstrahatur dum aliqua gutta ascendit vsque dum lapis arefiat, & hac aqua cucurbitą iterum impleatur, & rursũ abstrahatur, & hoc tandiu fiat donec cucurbita sit plena illo lapide. Hoc modo Alchymisticè in paucis diebus valde magnum lapidem fieri posse videbis quod Archeus aquarum in multis annis vix faceret. Si postea vitrum in saxo frangas habebis silicem in forma cucurbitæ, quasi in vitrum fuisset infusus: & quanquam hoc tibi nil prosit, sit tibi tamen pro re mira.

Formatio lapidis artificialis.

LIBER III.

De conseruationibus rerum naturalium.

VT res conseruari & à nocumento defendi possit, necesse est primùm omnium bene ipsius hostem cognosci, vt ab illo præseruari possit, ne ab ipso lædatur & corrumpatur in sua substantia, virtute, vi, aut quomodocunq; damnũ illud nominari possit. Multum igitur in hoc situm est, vt hostis omnium rerum naturalium cognoscatur. Quis enim sibi à damno & aduerso casu cauere possit, qui ignoret suũ hostẽ: nemo certè. Quare necessarium est, vt is benè sit cognitus. Sunt enim multiplices hostes. Præterea tam necessarium est nosse mala, quàm nosse bona. Quis enim bonũ absque cognitione mali cognoscere potest? nemo profectò. Ita nemo scire potest, quantus thesaurus sit sanitas, qui nunquã ægrotauit. Quis scit quid gaudium sit, qui nunquam mœstus vel tristis fuit? Et quis rectè sciret, quid Deus esset, qui nihil sciret de diabolo? Quare cùm Deus nobis notum fecerit hostem animæ nostræ, nempe Diabolum, etiam nobis significat hostem vitæ nostræ, nempè mortem quæ est hostis nostri corporis, nostræ sanitatis, hostis medicinæ & omnium rerum naturalium: notum etiam nobis facit, quomodo & per quid fugari debeat. Nam sicut nullus morbus est, contra quem non etiam sit creata & inuentą medicina, quæ illum curet & expellat:

Hostes rerũ cognoscendi.

Mors rerum hostis.

Cõtrarietas mutuæ in reb. omnibus.

ita etiam semper vna res est contra aliam posita, vna aqua contra alteram, vnus lapis contra alterum, vna minera contra alteram, vnum venenum contra alterum, vnum metallum contra alterum: ita in pluribus rebus, quas non opus est omnes hîc recensere.

Conseruatio rerum quibus fiat, & quomodo.

Quomodo autem & per quid quælibet res præseruetur, & à damno custodiatur, sciendum est, multas res in terra conseruari oportere, & præcipuè omnes radices in terra longo tempore efficaces & incorruptæ manent: similiter & herbę & flores & omnes fructus in aqua incorrupti & virides manent: ita etiam multi alij fructus & poma in aqua conseruari possunt, & præseruari ab omni putredine, donec noua nascantur poma.

Cõseruatio carnis & sanguinis quibus fiat.

Ita etiam caro & sanguis, quæ quidem citissimè putrescunt & rancida fiunt in frigida fontanâ aquâ conseruari possunt; & non solùm hoc, sed & cooptatione renouatæ & recentis aquæ fontanæ in Quintam Essentiam transmutari, atque in perpetuum à putredine & malo odore sine omni Balsamo conseruari. Non solum autem ista carnem & sanguinem conseruat, sed & alias carnes & sanguines (vt ita dicam) conseruat; & præterea corpus hominis ab omni putredine & multis morbis, qui ex putredine oriuntur, meliùs quàm vulgaris Mumia. Vt autem sanguis per se à putredine & odore graui conseruetur, & non vt Quinta Essentia, & ita vt etiam alium sanguinem sicut iam dictum, conseruet, hoc processu vtaris: Separetur sanguis à suo phlegmate, quod per sese mouetur, & in superiorem partem expellitur. Hác aquam subtili inclinatione vasis abstrahe, & tantundem aquæ salis sanguini adiice, quam quidem aquam in nostra chirurgia docemus conficere: illa aqua statim miscetur sanguini, & ita conseruat sanguinem, vt in perpetuum non putrescat vel raucescat, sed semper recens & egregiè rubens maneat post multos annos tam bene vt primâ die, quod quidem magnum miraculum est. Quod si aquam satis non scias conficere, vel non habeas in promptu; tantundem optimi & præstantissimi balsami superfunde, qui idem præstat. Talis iam sanguis est Balsamus Balsamorum, & vocatur Arcanum Sanguinis, & est tam mirabilis & tantæ virtutis, vt incredibile sit dictu: quare pro magno secreto in medicina occultabis.

Arcanũ sanguinis humani, vt paretur.

Cõseruatio metallorũ quib. fiat.

Metallorũ hostes qui.

In conseruatione metallorum primùm cognoscendi sunt hostes ipsorum; vt eò meliùs à damno conseruari possint. Sunt igitur præcipui hostes metallorum, omnes aquæ fortes, omnes aquæ regis, omnia corrosiua, omnia salia, sulphur crudum, antimonium & mercurius. Vt autem specialiter sciamus, quomodo ista omnia suam inimicitiã exerant, dico, quòd aquæ fortes, aquæ regis, corrosiua, & salia suam inimicitiam ostendant in eo, quòd omnia metalla mortificent, dissoluant, calcinent, corrumpant & in nihilum redigant. Sulphur crudum suam inimicitiã ostendit suo fumo: nã suo fumo adimit Veneri suum colorem & rubedinẽ, & albam reddit. Metallis albis vt Lunæ, Ioui, Saturno & Marti aufert suam albedinem, & rubefacit ea, vel colorem ruffum ipsis inducit. Auro detrahit pulcram & amabilem suam flauedinem & aureum colorem, & nigrum reddit, & planè deforme, vt deformius esse non possit.

Sulphuris fumus, vt metalla afficiat.

Antimonium.

Antimonium suam inimicitiam in hoc ostẽdit, quòd omnia metalla, cum quibus in igne liquefit, & cũm quibus miscetur spoliat, aufert & prædatur, & præterea non absimiliter sulphuri, suo fumo metallis genuinum & naturalem colorem furatur & alium substituit.

Argentũ viuum.

Argentum viuum verò suam hostilem vim erga metalla in eo exercet, quòd metalla cum quibus coniungitur, inuadit & soluit, ita vt amalgama ex illis faciat: præterea fumus ipsius, quẽ nos fuliginem mercurij nominamus, omnia metalla immalleabilia, fragilia reddit & calcinat, & omnia rubra nec nõ aurei coloris metalla albat. Ferri autẽ & chalybis summus hostis est. Nam si ☿ vulgi perticam ferream attingat, vel illa oleo Mercuriali vngatur, illa pertica postea vt vitrum frangetur & decurtabitur, quod quidem magnum secretum, & valde occultandum est. Similiter & magnes à ☿ custodiri debet & seruari: nam cum eo similiter vt cum ♂ inimicitiam exercet. Nam quilibet magnes, quem ☿ vulgi attingit, aut qui oleo Mercuriali vngitur, aut solummodo in Mercurio ponitur, postea nullum ferrum attrahit in perpetuum. De hoc autem nemo miretur. Habet enim hæc res causas naturales, nempe tales, quòd Mercurius extrahat spiritum ferri, quem magnes in se latentem continet: quare & spiritus ferri in magnete corpus ♂ ad se trahit: & hoc non solum in magnete fit, sed in omnibus aliis rebus naturalibus, ita vt semper peregrinus spiritus, qui in alieno est corpore, quod non est naturæ suæ, naturæ suæ conueniens corpus attrahat: & hoc non solùm de magnete sciendum est, sed & de omnibus rebus naturalibus, vt mineris, lapidibus, herbis, radicibus, hominibus & animalibus.

Magnes vt perdatur.

Metallorum antipathia qualis.

Post hæc sciendum est etiam, quòd metalla inter se inimicitias exerceant, & se inuicem oderint ex ingenita natura, vt videtis in ♄, qui Solis summus hostis est, ex congenita natura: nam omnia auri membra disrumpit, reddit illud deforme, inualidum, & perdit & corrũpit illud ad summum vsque ad mortem, plusquam vllum aliud metallum. Stannum etiam odit, & hostis est omnium metallorum: nam reddit ea degenera, immalleabilia, dura, inepta, si misceatur illis in igne & fluxu.

☉ Præseruatio, vrinæ puerorũ.

Quoniam igitur iam audiuistis de hostibus metallorũ, cognoscite porrò ipsorum præseruatiua & conseruatiua, quæ metalla ab omni damno & corruptione custodiunt, & præterea in ipsorum natura & virtute confortant, & in colore altiùs graduant. Primò igitur de auro sciendũ est, quòd non possit illud meliùs & pulchriùs conseruari, quàm in vrina puerorum, in qua dissolutum sit sal armoniacum, aut in solâ aqua salis armoniaci. In istis cum tempore tam altum gradũ coloris acquirit, vt altiùs peruenire nequeat. Argentum nõ meliùs præseruari & cõseruari potest, quam si coquatur in aqua vulgari vel aceto in quo tartarus & sal sint resoluta: ita quodlibet argentũ vetus, denigratum & maculatum renouatur, si in his excoquatur. Ferri & chalybis conseruatiua & preseruatiua optima & vtilissima sunt recens lardũ non salsum ex sue castrata

☽

♂

castratâ, quod quidem omne ferrum & chalybem à rubigine custodit, si singulis mensibus eo semel vngantur. Similiter si ferrum cum Arsenico fixo liquefiat, & aliquoties fluat, ita renouari & fixari potest, vt in perpetuum non contrahat rubiginem, sicut argentum. Cuprum verò conseruari & reseruari potest, si solummodo cum ☿ sublimato misceatur, aut oleo salis inungatur, ita vt in æternum nullum vitriolum vel viride æris ex se præbeat aut virescat.

♄ Magnetis cõseruatio limatura ferri. Plumbum meliùs conseruari non potest, quàm in terra frigida & in loco humido, qualis est ipsius natura. In conseruatione autem magnetis nihil est melius limaturâ ferri vel chalybis: nam nullius magnetis vis, si in hac ponatur, infirmatur, imò quotidie augetur in virtute sua.

Salium conseruatio. De conseruatione verò salium & omnium eorum quæ salsæ naturæ sunt, & sub nomine salis comprehendi possunt, quorum quidẽ plus quàm centum sunt, sciendum est, quòd in calido & sicco loco conseruanda sint, & quidem in ligneis thecis, & bene ab aëre custodiri, & neq; in vitris, lapidibus, neq; in metallis reponi debeant. Nam in illis resoluuntur & fiunt aqua & amalgama, quod in ligno non fieri potest.

Liquorũ & oleorum cõseruatio. Porrò etiam cognoscenda est conseruatio quarundam aquarum & liquorum ex herbis, radicibus, & omnibus aliis fructibus & crescentibus expressorum, quæ facilè situm & mucorem contrahunt ita vt quasi pelles ipsis inducantur. Istæ igitur aquæ vel liquores reponantur in vitro superiùs augusto, inferiùs amplo, & impleatur vitrum vsque ad summum, demum aliquot guttæ olei oliuæ addantur, ita vt aqua vel liquor totus contegatur: ita oleum supernatabit, & liquorem vel aquam per longum tempus à situ vel mucore conseruabit. Nulla enim aqua vel liquor, si oleo tegatur, vnquam potest mucida vel maleolens fieri. Possunt hac ratione etiam duæ aquæ, duo liquores, duo vina in vno vitro separatim conseruari, ita vt non misceantur, & non solùm duplicia, sed & triplicia, quadruplicia, quintuplicia, & adhuc plura si tantummodo oleum intersit: nam ab oleo discriminantur, vt à muto, qui non sinit ea coniungi & vniri. Nam oleum & aqua sunt duo contraria, & neutrum alteri misceri potest. Sicut verò oleum aquas vniri non permittit, ita contrà aqua olea non misceri sinit.

Vestes, vt conseruandæ. Conseruatio autem & præseruatio panni & vestium ne arrodantur à tineis, néue in illis habitent, nulla est melior, quàm mastix, camphora, ambra, muscus: optima verò est zibetta, quæ non solùm à tineis conseruat, sed & tineas vnà cum aliis vermibus, pulicibus, pediculis & cimicibus pellit & fugat.

Ligna vt conseruanda. Possunt & omnia ligna, vt in ædificiis, pontibus nauibus, & vbicunq; sint, cõseruari, ita vt in æternum non putrescant, siue sint in aquis, siue sub aquis, vel extra aquam, etiam in terra, sub terra vel extra terram, siue sint posita in pluuia vel vento, aëre, niue vel glacie, æstatis vel hyemis tempore præterea ne cariosa fiant, néue vlli vermes in illis generentur, quandocunq; etiam sint cæsa. Conseruatiuum autem istud est magnum Arcanum contra omnes putrefactiones, imò tam insigne secretum, vt nullum ei comparari possit. Est autem nihil aliud, quàm oleum sulphuris, cuius processus talis est: Puluerisetur vulgare flauum sulphur, & ponatur in cucurbita, cui superfundatur fortissimæ aquæ fortis tantum, vt quatuor transuersos digitos supereemineat, hanc abstrahe per distillationem ter vel quater, vltimò vsque ad siccitatem. Sulphur quod in fundo remanet nigri & ruffi coloris, ponatur in marmore vel in vitro, & facilè in oleum soluetur: quod magnum secretum est in conseruatione ligni, vt in perpetuum non putrescat, & à vermibus præseruetur. Nam si sulphur eo modo quo dictum est, præparetur, & in oleum vertatur, tingit postea lignum eo perunctum, ita vt non possit ex illo elui. Possunt & multò plura in hoc oleo sulphuris conseruari & præseruari à putredine, & præcipuè restes & funes in nauibus & malis nauium, in curribus, retibus piscatoriis, nassis aucupum & venatorum, & omnia similia, quæ sæpè in aquis & pluuiis vsurpantur, & aliàs facilè corrumpuntur & franguntur, ita & linteamenta & alia multa similia. *Oleum sulphuris est.*

Potabilia quid sint, & vt conseruentur. Est & notanda conseruatio potabilium, sub quibus intelligimus *vinum, cereuisiam, hydromel, acetum & lac.* Si iam ista quinque sine noxa & in sua virtute conseruare volumus, summè necessarium est bene nosse ipsorum summum hostem: qui quidem non est alius quàm impuræ mulieres tempore menstrui fluentis. Nam illæ dictas res, si eas tractent, circa eas versentur, eas inspiciant & anhelitu tangant, corrumpunt. Vinum enim mutatur & fit pendulum, cereuisia & hydromel acescunt, acetum infirmatur & acredinem suam amittit: lac etiam acescit & coagulatur. *Mẽstruosæ mulieres potabilium hostes.*

Vinum conseruatur Sulphure, &c. Hoc igitur bene sciendum est priusquàm specialiter de vniuscuiusque illorum conseruatione dicatur. Porrò vini summum conseruatiuum & præseruatiuum est sulphur & oleum sulphuris, per quod omne vinum diutissimè conseruari potest, ita vt nec fiat pendulum, nec alio modo alteretur.

Cereuisia conseruatur oleo garyophillorum. Hydromeli cõseruatur oleo zuccari. Cereuisiæ conseruatio est oleum Garyophillorum, si aliquot eius guttæ iniiciantur, ita vt vna mensura tres aut duas guttas habeat: melius tamen est oleum Benedictæ Garyophyllatæ, quod cereuisiam ab acetositate præseruat. Hydromel conseruatiuum est oleum zuccari, quo vtendum est vt oleo Garyophyllorum vel Benedictæ.

Acetum & lac, quibus conseruentur. Aceti conseruatiuum est oleum zinziberis: lactis conseruatiuum est oleum amygdalarum expressum: ista duo, vt dictum est, vsurpari debent.

Caseorũ conseru. est hyperico &c. Caseorum conseruatiuum est herba hypericon vel perforata, quæ omnes caseos à vermibus tuetur & custodit. Nam si iuxta caseum ponatur & illum attingat, nullus vermis in illo nascitur & si iam aliqui ibi nati sunt & habitant, omnes emoriuntur, & ex caseo cadunt.

Mellis summus hostis panis. Mel verò nullum peculiare conseruatiuum habet, nisi quod à suo hoste præseruandum est. Est autẽ summus ipsius hostis panis. Nam si panis ex farre parùm tantùm iniiciatur vel cadat, mel totum vertitur in formicas & totum perit.

LIBER

LIBER IV.

De vita rerum naturalium.

Aeris vsus vita rerum. NEmo negare potest, aërem omnibus rebus corporalibus & substantialibus, quæ ex terrâ nascuntur & generantur vitam dare. Quid autem & qualis sit vita vniuscuiusque rei specialiter, sciendum est, vitam rerum nihil esse aliud quàm Essentiam spiritualem, inuisibilem & impalpabilem rem, spiritum & spiritualem rem. Propterea nihil corporale est quin habeat in se latentem spiritum, & vitam, quæ vt dictum est, nihil est aliud quàm res spiritualis. Non autem solùm viuit id quod mouetur & agitatur vt homines, animalia, vermes terræ, aues sub cœlo, pisces in mari, sed & omnes res corporales & substantiales. Nam hîc scire debemus, quòd Deus in principio creationis omnium rerum, nullum omnino corpus abque suo spiritu creauerit, quem occultè in se continet. Quid enim esset corpus absque spiritu? nihil prorsus. Propterea spiritus continet in se occultè rei virtutem & potentiam & non corpus. Nam in corpore est mors, & corpus est subiectum mortis, neque aliud in corpore quæri debet quàm mors. Potest enim variis modis perdi & corrumpi, spiritus verò non. Nam semper manet spiritus viuus, & est quoque vitæ subiectum. Viuum quoque suum corpus conseruat, sed in euersione corporis ab illo separatur & mortuū corpus relinquit, & redit in suum locum vnde venerat, nempe in chaos & aërem superioris & inferioris firmamenti. Ex his patet varios esse spiritus, sicut varia sunt corpora. Sunt enim Spiritus Cœlestes, Infernales, Humani Metallici, Mineralium, Salium, Gemmarum, Marcasitarum, Arsenicales, Potabilium, Radicum, Liquorum, Carnium, Sanguinis, Ossium, &c. Quapropter & sciatis spiritum esse verissimè vitam & balsamum omnium rerum corporalium. Iam verò pergemus ad species, & peculiariter cuiusque rei naturalis vitam vobis hîc quàm breuissime describemus.

Vita rerū quid sit. — *Vita quib. rebus insit.* — *Spiritus & corporis quæ diuersitas sit.* — *Spiritus nunquā moritur.* — *Spirituū diuisio secundū varietatē corporū.* — *Spiritus est vita rerū corporearū.*

Vita hominum quid. Vita igitur omnium hominum nihil aliud est quàm Balsamus quidem astralis, balsamica impressio, & cœlestis ac inuisibilis ignis, inclusus aër, & tingens spiritus salis. Euidentiùs appellare non possum, quanquam multis & pluribus nominibus proponi posset. Cùm verò præcipua & optima à nobis hîc indicata sint, reliqua minora reticebimus.

Vita Metallorum quid. Vita metallorum est latens pinguedo, quam à sulphure acceperunt: quod ostenditur ex fluxu ipsorum, quia omne quod in igne fluit ob occultam suam pinguedinem fluit. Nisi, ea esset, nullum metallum in fluxum redigi posset, sicut videmus in ferro & chalybe, quæ minimum sulphuris habent & pinguedinis inter omnia metalla, quare sicciories naturæ sunt, quàm alia metalla omnia.

Vita Mercurij quid. Mercurius est similis vesti pelliceæ, &c. Vita Mercurij nihil aliud est quàm interior calor & exterior frigiditas, hoc est interiùs is calefacit, exteriùs frigefacit, & meritò vesti pelliceæ comparari potest, quæ etiam vt Mercurius calefacit & frigefacit. Nam si talis ab homine eâ induto gestetur, calefacit eum & custodit eum à frigore. Si autem pars calua nudo corpori applicata gestetur, frigefacit & valet contra nimium calorem quare vetutissimis temporibus vsitatum fuit & adhùc in multis locis vsitatum est, vt tales vestes pelliceæ æstatis simul & hyemis tempore gestentur, tam contra frigus, quàm contra calorem, in æstate partem glabram interiùs, pilosam verò exteriùs vertunt; tempore verò frigoris in hyeme, partem pilosam interiùs & glabram exteriùs gerunt. Sicut igitur iam de veste pelliceâ audiuistis, ita & de Mercurio vsurpari potest.

Sulphuris vita est combustibilis maleolens pinguedo. Nam dum flagrat & malè olet, potest viuum dici. *Vita Sulphuris quid.*

Vita verò omnium salium nihil aliud est quàm spiritus Aquæ fortis. Nam abstracta ab ipsis aquâ, quod in fundo remanet, terra mortua dicitur. *Vita Saliū quid.*

Vita gemmarum & corallorum est solus color qui ipsis per spiritum vini adimi potest. Perlarum vita nihil est aliud quàm splendor earum, quem in sua calcinatione amittunt. Vita magnetis est spiritus ferri, qui ex ipso vino ardenti rectificato vel spiritu vini extrahi & auferri potest *Vita Gēmarum, &c. quid. Vita Magnetis quid. Marcasitarū vita quid.*

Vita verò silicum est materia mucilaginosa: vita marcasitarum, cachymiarum, talci, kobalti, zinzi, granatorum, zuuitter, Wismat, antimonii est tingens metallicus spiritus.

Arsenicalium, auri pigmenti, opermenti, realgaris & similium materiarum vita est minerale & coagulatum venenum. *Realgaris, &c. vita quid.*

Vita vndosorum, hoc est, omnis stercoris hominum & animalium, est ipsorum grauis & fœtens odor. Nam hoc amisso mortua sunt. *Stercoris, &c. vita quid.*

Rerum aromaticarum vita, quales sunt muscus, ambra, zibetta, & quicquid fortem odorem, bonum & suauem præbet, est nihil aliud quàm odor ipse gratus: nam si hunc amittant sunt res mortuæ & inutiles. *Aromaticar. rerum vita quid.*

Vita rerum dulcedinosarum vt sacchari, mellis, mannæ, fistulæ cassiæ & similium, est tingens & subtilis dulcedo: nam si ipsis ista dulcedo distillando vel sublimando adimatur, sunt res mortuæ & fatuæ, quæ nihil amplius valent. *Vita Dulciū quid.*

Vita verò Resinarum vt carabæ, terebinthinæ, gummi, est mucilaginosa, nitens pinguedo, quæ omnia egregium vernicem dant, cum autem vernicem non ampliùs præbent, & nitorem suum amittunt, mortuæ sunt. *Vita Resinarum quid.*

Herbarum, radicum, pomorum, & aliorum eiusmodi fructuum vita nihil aliud est quàm liquor terræ, quem sponte amittunt, si tantùm carent aquâ & terrâ. *Vita herbrum quid.*

Ligni vita est resina quædam: nam quoduis lignum si resina careat non ampliùs virere potest. *Vita Lignorum quid.*

Ossium vita est liquor mumiæ: carnis & sanguinis vita nihil aliud est quàm spiritus salis, qui ea à fœtore & putredine conseruat, & sponte, vt aqua ab ipsis separatur. *Vita Ossium quid.*

De vitâ verò Elementorum sciendum est, vitam aquæ esse cursum eius. Nam cum per frigus firmamenti coagulatur, & in glacié congelatur, tum est mortua & malitia ei omnis adempta est, cum nemo ampliùs in ea suffocari possit. *Vita Aquarum quid.*

Vita Ignis quid.

Ita ignis vita est aër: nam aër ignem vehementiùs & maiori cum æstu flagrare facit. Procedit etiam ab omni igni aër quidam, ita vt candelam exstinguat, vel leuem plumam sursum agat, vt oculis patet. Quare omnem viuum ignem, hoc est, ignem flammarum, si obturetur, vel aërem suum emittendi facultate priuetur, suffocari necesse est.

Aëris & terræ vita quid.

Aër per se & ex se viuit, & omnibus aliis rebus vitam dat. Terra autem per se est mortua, sed elementum ipsius est inuisibilis & occulta vita.

LIBER V.

De Morte rerum naturalium.

Mors quid.

MOrs omnium rerum naturalium nihil aliud est quàm alteratio & euersio virium & virtutum, prædominatio malitiæ & bonitatis, oppressio & deletio prioris naturæ, & generatio nouæ & alterius naturæ. Nam sciendum est multas res in vita sua bonas esse & habere suas virtutes, mortuas verò nihil aut parùm virtutis suæ retinere, sed planè fatuas & inualidas apparere. Ita econtrà multa in vita sua sunt mala, sed in morte vel postquam mortificata sunt multiplicem vim & efficaciam ostendunt, & multum prosunt. Exēpla multa hîc recensere possemus, sed id planè non est nostri propositi. Vt autem videatis me hîc non ex verisimili opinione meâ scribere, sed ex meâ experientiâ, oportet me afferre vnū exemplum, quo sedabo & mutos faciam Sophistas qui dicunt, quòd ex rebus mortuis prorsus nihil accipi possit, nec aliquid in ipsis quæri vel reperiri debeat. Causa verò est, quòd Alchymistarum præparationes nihil æstiment, per quas multa eiusmodi magna Secreta reperiuntur. Nam inspicite Mercurium, Sulphur viuum & crudum, & Antimonium crudum, ita vt ex fodinis afferuntur, hoc est, dum viuunt, quàm parua sit ipsorum virtus, quàm leuiter & tardè efficaciam suam exerceant, imò plus mali quàm boni afferant, & potius venenum sint quàm medicina. Si verò per solertis Alchymistæ industriam, in prima suâ substantiâ corrumpantur, & prudenter præparentur (nēpe ☿ coaguletur, præcipitetur, sublimetur, resoluatur & in oleum vertatur: sulphur sublimetur, calcinetur, reuerberetur, & in oleum vertatur: similiter ♁ sublimetur, calcinetur, reuerberetur, & in oleum vertatur) videtis vtique quantam vtilitatem, quantam vim & virtutem, & quàm celerem efficaciam præstent & ostendant, vt nemo eam satis eloqui aut describere possit. Nam ipsorum multiplices virtutes sunt imperuestigabiles, nemoque omnes indagare potest. Quare quilibet Alchymista & fidelis Medicus, in his tribus rebus per totam vitam suam quærere debet, & vsq; ad mortem suam in his ludere & tempus terere. Nam certissimè omnes ipsius labores, studium & sumptus egregiè compensabunt.

☿ sulphuris ♁ & præparationes.

Sed ad specialia veniamus & specialiter scribamus, mortē & mortificationem vniuscuiusq; rei naturalis, quid sit mors eius & quâ ratione mortificetur. Sciendum est igitur primùm de morte hominis quòd sine dubio nihil aliud sit, nisi finis operis diurni, ablatio aëris, euanescentia balsami exstinctio lucis naturalis & magna separatio trium substantiarum, corporis, animæ, & spiritus, & reditus in vterum maternum. Nam quoniam naturalis terrenus homo ex terrâ est, terra quoque mater eius erit, in quam redire eum oportet, & inibi terrenam naturalem carnem amittere, & ita in vltimo die in nouâ cœlesti & clarificatâ carne regenerari, vt Christus Nicodemo dicit, cum noctu ad ipsum veniret. Nam ita vt dictum est hæc verba sunt intelligenda de regeneratione.

Mors hominis quid.

Mors metallorū quid.

Mors autem & mortificatio metallorum est ablatio compaginis corporis ipsorum, & sulphureæ pinguedinis, quæ ipsis multis modis adimi potest, vt per calcinationem, reuerberationem, resolutionem, cæmentationem, & sublimationem. Calcinatio verò metallorum non est vniusmodi. Vna enim fit per sal, vna per sulphur, vna per aquas fortes; vna per Mercurij fuliginē & Mercurium viuum. Calcinatio per sal est, vt metallum tenuissimè lamineтur, & cum sale stratificetur & cæmentetur. Calcinatio verò per sulphur est vt metallum lamineтur, cū sulphure stratificetur & reuerberetur. Calcinatio per aquas fortes est, vt metallum granuletur & in aqua forti resoluatur & præcipitetur in ea. Calcinatio per Mercurij fuliginem est talis, vt etiam lamineтur metallum: Mercurius verò ponatur in terreo vase superiùs angusto, inferiùs amplo, & postea in ignem mediocrem carbonum qui parùm sufflетur, donec ☿ incipiat fumare & alba nebula ex ore vasis egrediatur tū laminatum metallum ori vasis imponatur, ita Mercurius vulgi penetrat metallum & fragile reddit sicut lapidē carbonarium. Calcinatio verò per Mercurium viuum est, vt metallum in paruas particulas scindatur, lamineтur vel granuletur, & cum Mercurio amalgametur, postea per pellem Mercurius exprimatur, & remanebit in pelle metallum in forma calcis vel arenæ. Vltra has autem mortificationes metallorum, destructiones & albationes vitæ ipsorum, sciatis etiam alias plures esse mortificationes metallorū. Nam præterquam quod ferrugo omnis ferri & chalybis mors est, alia sunt quæ pluris sunt facienda. Sciendum enim est quodlibet vitriolum, aut etiam æs vstūm, esse cuprum mortificatum: quēlibet præcipitatum, sublimatum, calcinatū, cinnabarim, Mercurium mortificatum esse: quamlibet cerussam, quodlibet minium vel flauum plumbi, mortificatum plumbum: quemlibet lazurium mortificatum argentum: ita etiā quodlibet ☉, cui tinctura sua, Quinta Essentia, resina vel crocus, vitriolum vel sulphur detractum est, mortuum est, quia non amplius, formam habet auri, sed est metallū album, simile ☽ fixæ.

Calcinatio varia metallorum. Calcinatio per Sal quid. Calcinatio per sulphur quid. Calc. per aquas fortes quid. Calc. per Merc. vulgi quid. Calc. per Merc. viuū quid.

Aliæ mortificationes metallorū. Ferrugo mors ferri, &c.

Sed pergamus vobis proponere quâ ratione mortificatio metallorum fiat. Primùm igitur de ferro sciendū, quòd hoc modo illud mortificetur & in crocum redigatur. Lamina tenuissimè chalybem, has laminas candefac & exstingue in optimo aceto ex vino, hoc fac toties donec videas acetum insignem rubedinem contraxisse: cùm verò satis aceti rubri habes, omne confunde & distilla inde humiditatē aceti, residuū coagula in puluerem siccum. Is est valdè nobilis Crocus Martis. Est autē & alia ratio Crocū Martis faciendi, quæ partim priorem superat, & longè minori

Crocus ♂ duplex & vtriusque præparat.

gè minori sumptu & labore fit, nempè ita: Stratifica tenuissimas laminas chalybis cum sulphure & tartaro ana; postea reuerbera, hoc parit pulcherrimum crocum, qui ex laminis demi debet.

Similiter sciatis quamlibet laminam ferri vel chalybis, si aqua forti illinatur, etiã pulchrũ crocum reddere. Ita etiã fit cũ oleo vitrioli, aqua salis, aqua aluminis, aqua salis Armoniaci, aqua salis nitri, Mercurio sublimato, quæ omnia ferrum mortificant, & in crocum redigunt, sed nullus ex istis modis superioribus duobus est comparandus: nam solummodò in Alchimia vsurpari possunt, & prorsus non in medicina, quare vtaris duobus primis modis, & reliquos omitte & fuge.

Mortif. cupri vt fiat.

Mortificatio verò cupri, vt illud scilicet redigatur in vitriolum, viride æris, vel æs vstum, etiam variis modis fieri potest: & sunt varij processus in hoc; attamen vnus longè melior altero, vnus vtilior altero. Quare opus erit optimos & vtilissimos hîc annotare, & reliquos reticere. Optimus igitur, facillimus & iustissimus modus cuprum in vitriolum redigendi est iste: Illinantur laminæ cupri aqua salis aut salis petræ & suspendantur vel ponantur in aëre, donec laminæ incipiant virescere, quod quidem citò fit, hanc viriditatem elue aquâ clara fontana, laminas sicca panno aliquo, & iterum inunge aqua salis, vel salis petræ & iterum fac vt anteà, tamdiu donec aqua planè viridis fiat vel multum vitrioli in superficiem emittat: tunc aquam inclinando remoue vel exhalando, & habebis nobile vitriolum ad medicinam. In Alchymia non est pulchrius, nobilius vel melius vitriolum, quàm quod fit per aquam fortem, aut aquam regis, aut aquam salis armoniaci. Proceditur autem ita: Inungantur laminæ cupri vna ex dictis aquis, & quàm primùm viriditas extracta fuerit, & laminæ siccæ fuerint, viriditas pede leporino, aut alia ratione pro libitu dematur, vt cerussa de laminis plumbi raditur: iterum inungantur vt antea, donec laminæ prorsus consumantur, inde fit vitriolum pulcherrimum, vt non possis non mirari.

Vitriolũ cupri dub. modis fit.

Aqua salis petræ & salis armoniaci, vt fiat.

Aqua verò salis petræ fit ita. Purifica sal petræ, liquefac & pulueriza postea in vesica in aqua bulliente per se resolue, ita habes aquam salis petræ. Aqua salis Armoniaci fit ita. Calcina sal Armoniacum, & super marmore in cella resolue, hæc est aqua salis armoniaci.

Viride æris duobus modis præparatur.

Viridis æris medici præparatio.

Vt autem ex cupro fiat viride æris, sunt variæ quoque viæ, quas non opus est hîc recensere. Tantùm igitur duas describemus, attamen duplici præparatione, vnam scilicet ad medicinam, alteram ad Alchimiam. Viride igitur æris, quod in medicina vsurpandum est, talem habet processum: Accipe laminas cupri, quas inunge sequenti materia: Recipe mellis & aceti ana, & salis tantùm, vt ex his tribus pultem crassiorem facere possis, bene miscendo: postea pone in reuerberatorio aut furno figulino, tandiu donec figulus vasa sua torruerit, & videbis materiam adhærentem laminis nigram esse, sed hoc ne tibi pariat sollicitudinem nec te teneat. Nam si aërem suspendas vel ponas laminas illas, tota materia nigra in paucis diebus viridis fiet, & fiet pulcherrimum viride æris, quod Balsamus cupri appellari possit, & summè laudatum est ab omnibus medicis. Sed neq; hoc mirari debes, quòd istud viride æris in aëre primùm viride fit, & quòd aër colorem nigrum in tam pulchrum viridem transmutare possit. Nam hîc sciendum est, quod & quotidiana experientia in Alchymia demonstrat, quòd quælibet terra mortua vel caput mortuum quamprimùm ex igne in aërem venit, citissimè alium colorem acquirat & suum colorem quem in igne assumpserat, relinquat. Mutationes autem istorum colorum sunt variæ. Prout enim materia est, fiunt quoque colores quanquam plerunque ex nigredine terræ mortuæ fluant. Nam vos qui Alchymiæ periti estis, videtis quòd quælibet terra mortua pulueris fluxus, vel aquæ fortis, nigra ex igne veniat, & quò plura sunt ingredientia, eò magis variè ostendunt se colores in aëre: interdum videntur rubri tantùm, sicut quidem vitriolum facit, interdùm solùm flaui, albi, virides, cœrulei: interdùm mixtum, vt in Iride vel Cauda pauonis. Isti colores omnes post mortem se ostendunt & ex morte: nam in omnium rerum naturalium morte videntur alij colores & à primo colore in alium mutantur, quilibet iuxta suam naturam & proprietatem.

Balsamus cupri.

Aer mutat colores re...stiarum.

Viridis æris Alchimici præparatio.

Porrò dicemus & de viridi æris, quòd Alchymiæ dedicauimus. Eius autem præparatio & processus talis est: Lamina tenuissimè cuprum, quod cum sale, sulphure & tartaro ana tritis & mixtis stratifica in tigillo magno posteà reuerbera viginti quatuor horis forti igne, ita tamen ne fluant laminæ cupri, postea exime, tigillum frange, laminas cum adhærente materià acri expone aliquot diebus, & conuertetur materia in laminis in pulcherrimum viride æris, quod in omnibus aquis fortibus, aquis gradationum, & in cæmentis & auri colorationibus aurum & argentum alto colore tingit.

Æs vstũ vel croc. ♀ vt paretur.

Vt verò cuprum æs vstum fiat, quod & crocus cupri appellatur, tali modo procedendum est: Laminetur cuprum, & vngatur sale, cum optimo aceto in pultem redacto, postea ponatur in magno tigillo, & collocetur in furno venti & per quadrantem horæ forti igne vratur, ita tamen ne fluant laminæ: hæ laminæ ita candentes in aceto restinguantur, in quo sal Armoniacum sit resolutum, in libra aceti semper vna semuncia: iterum candefiant laminæ, & in aceto restinguantur vt antea: semper autem squamas, quæ post restinctionem adhærent laminis in acetum radito, vel pulsando deiicito, aut vt potes: Hoc tandiu fiat, donec laminæ cupri bonâ ex parte inde absumantur: iam verò destillando abstrahatur acetum, vel aperto vase exhalet, & in durissimum lapidem coaguletur. Ita habes summum crocum cupri, cuius vsus est in Alchymia: Multi quidẽ communiter æs vstum vel crocum Veneris ex ♀ per extractionem alcoolis (vini alij aceti) vt crocum Martis faciunt: ego verò laudo hunc modum longè magis.

Sublimatio Mercurij vt fiat.

Mortificatio verò ☿ vt sublimetur, fit per vitriolum & sal, cum his duobus misceatur, & inde sublimetur, ita durescit vt crystallus, & albescit vt nix. Vt autem in præcipitatum redigatur Mercurius, non alio modo pro-

do procedendum est, quàm vt in optima aqua forti calcinetur, postea graduata aqua fortis ab eo abstrahatur quinquies, plus minúsue, donec præcipitatus pulchrum colorem rubeum acquirat. Hunc præcipitatum dulcifica quantum potes: vltimo quoque rectificatum vinum ardens ab eo destilla septies vel nouies, vel toties, donec in igne candescat & non aufugiat: tunc habes Mercurium præcipitatum diaphoreticum. Porrò hic notandum est magnum Secretum de Mercurio præcipitato, si post colorationem suam cum aqua salis tartari dulcificetur, distillando eam inde, semper recentem toties quidem, donec aqua non amplius acris à præcipitato ascendat, sed planè dulcis sit. Tum habebis præcipitatum dulce vt saccarum vel mel, qui in omnibus vulneribus, vlceribus, & morbo Gallico summum Arcanum est, vt melius aliud sibi Medicus optare non debeat præterea exhilarat Alchimistas perditos. Est enim augmentum ☉, & ingreditur ☉, & cum ipso aurum constans & bonum fit. Quanquam autem multum laboris & sudoris requiratur ad hunc præcipitatum, satis tamen ea recompensat, & sumptus tuos tibi reddit: & præterea satis lucri inde habes, plus quidem quàm optimo artificio aliquo assequi posses: meritò autem de hoc lætari debes, & Deo & mihi ob id gratias agere. Vt autem Mercurius calcinetur, dixi iam in acri aqua fc[illegible]. oportere id fieri, quæ distillando abstrahatur, & præcipitatio fiat. Vt verò Mercurius in cinnabarim redigatur, oportet eum prius cum sale & sulphure flauo mortificare & liquefacere, & in puluerem album redigere, postea in cucurbita ponere, & superponere Aludel & sublimare in maximo fluxu, vt moris est, ita ascendit cinnabaris in Aludel, & adhæret durus, vt hæmatites.

Præcipitatus diaphoreticus sirus vt fiat.

Præcipitatus dulcis vt fiat. Eius vsus.

Mercurius vt calcinatur. Mercurius vt in cinnabarim reducatur.

Mortificatio plumbi vt redigatur in cerussam, est duplex, vna ad medicinam, altera ad Alchymiam. Præparatio verò cerussæ in medicina est talis: Laminas plumbi suspende in olla deuitreata super acetum forte ex vino, olla optimè obturata, ne spiritus exhalent: hanc ollam pone in cineres calidos, vel in hyeme post fornacem, tunc semper post decem vel quatuordecim dies inuenies optimam cerussam adhærentem laminis, quam pede leporis abradito: laminam verò reponito super acetum tandiu, donec satis cerussæ habes. Altera autem præparatio cerussæ ad Alchymiam est similis superiori, nisi quod in aceto multum optimi & pulcherrimi Salis Armoniaci solui oporteat, hac ratione pulcherrimam & subtilissimam cerussam habebis ad purgandum stannum & plumbum & cuprum dealbandum. Si verò ex plumbo minium conficere volumus, oportet priùs sale calcinari in cinerem, & postea in vitreata olla lateraliter aduri, semper agitando filo ferreo, donec rubescat. Hoc minium est optimum & carissimum, & in Medicina simul ac Alchymia vsurpari debet: alterum autem quod mercatores vendunt in tabernis, non valet. Fit enim tantum ex cineribus, qui in minerarum liquafactione de ♄ remanent, quod & figuli ad incrustandum vasa emunt, tale minium tantùm ad picturas, & neq; ad medicinam neque ad Alchymiam valet.

Cerussa duplex, & vtriusque præparatio.

Minii ex plumbo præparatio.

Vt autem plumbum redigatur in flauedinem, fit præparatio eius non absimilis præparationi minij. Nam plumbum hîc quoque sale calcinari, & in cinerem redigi debet, & postea continuò ferro agitari in lata patinâ probantium mineras, in mediocri igne carbonum, diligenter animaduertendo, ne nimium caloris sentiat, néue agitatio sit negligens, aliàs enim flueret & fieret vitrum flauum: atque ita habebis pulchrum flauum ex ♄.

Croc. ♄.

Mortificatio argenti vt ex eo fiat lazurium, vel illi simile aliquid, ita fit: Laminetur ☾, & cum Mercurio misceatur, & in vitreata ollâ suspendatur super acetum præstans, in quo prius auratæ coctæ sint, & postea in eo solue sal armoniacum & tartarum calcinatum: in reliquis omnibus age, vt de cerussa dictum est, tunc semper post quatuordecim dies habebis nobilissimum & pulcherrimum lazurium adhærens laminis argenti, quod pede leporino deterges.

Lazurius color ex argento vt fiat.

Mortificationem auri vt redigatur in sua Arcana, vt in tincturam 5. Essentiam, resinam, crocum, vitriolum & sulphur, & cætera præstantia arcana, quorum quidem præparationes multiplices sunt: quia maxima ex parte talia arcana in aliis libris iam satis tradidimus, vt extractionem tincturæ Solis, 5. ess. Solis, Mercurij Solis, olei Solis, Solis potabilis, resinæ Solis, croci Solis, & in Archidoxis & alibi, hîc non opus esse censemus repetere. Quæ autem arcana illic omissa sunt hîc indicabimus, vt vitriolum Solis, sulphur Solis, quæ quidem non sunt minima, & quemlibet medicum summoperè exhilarare debent. Vt autem vitriolum ex Sole extrahatur, ita procedendum est: Recipe auri purgati duas vel tres marcas, quas lamina & suspende super vrina puerorum mixta cum acinis vuarũ, in ampla cucurbita vitrea superiùs bene sigillata, quam in feruentem cumulum acinorum vuarum, vt ex torculari sumuntur, infodias, vbi stet quatuordecim dies, vel tres septimanas: postea aperi & reperies subtilissimum colorem, qui est vitriolum Solis, adhærentem laminis Solis, quem pede leporino demes, vt de aliis metallis audiuisti, vt de ferri laminis crocum ♂, de cupri laminis vitriolum ♀ & viride æris, de ♄ laminis cerussam, de ☽ laminis lazurium, &c. sub vno processu comprehensis, sed non tamen vniusmodi præparatione. Quando igitur satis habes huius vitrioli ☉ coque ipsum bene in aqua pluuiali distillata, semper agitando spatula aliqua, tunc sulphur auri tollitur in superficiem aquæ vt seuum, quod cholerari demito. Ita etiam cum alio vitriolo agendum est. Postquam autem iam ablatum est sulphur, aquam illam pluuialem euapora vsque ad siccitatem & remanebit vitriolum ☉ in fundo, quod facilè per se in marmore in humido resoluere potes. In his duobus Arcanis nempè in vitriolo auri & sulphure auri latet virtus diaphoretica. Virtutes autem eorum hîc non describimus, nam in libro de Morbis metallicis, & in aliis libris eas satis indicauimus.

Auri mortificatio, vt fiat.

Nat. rer.

Auri sulphur & vitriolũ, vt fiat.

Mortificatio autem sulphuris est, vt ipsi combustibilis & fœtens pinguedo adimatur, & in fixam substantiam redigatur, quod hac ratione fit:

Mortificatio & fixatio sulphuris, vt fiat.

fit: Recipe vulgare flauum sulphur in tenuem puluerem redactum, & abstrahe ab ipso distillando aquam fortem valdè acrem tertiâ vice: posteà sulphur, quod in fundo est nigri coloris dulcifica dulci aquâ, toties ab eo distillando, donec aqua prorsus dulcis ab eo abscedat, & non amplius sulphuris fœtorem habeat. Hoc iam sulphur reuerbera in reuerberatiuo clauso sicut Antimonium, tum fiet primò album: posteà flauum: tertiò rubrum vt cinnabaris. Quando ipsum iã tale habes, gaudere debes: Est enim initium diuitiarum tuarum: Hoc reuerberatum sulphur tingit altissimè quamlibet Lunam in præstantissimum aurum, & corpus humanum in suam summam sanitatem, plus quàm scribere licet, tantæ virtutis est hoc reuerberatum & fixatum sulphur.

Salia vt mortificentur. Mortificatio omnium salium, & quicquid est naturæ salsæ, est ablatio & destillatio aquositatis & oleitatis ipsorum, & præterea spiritus salis. Nam si hæc auferantur, vocantur postea terra mortua vel caput mortuum.

Gemmæ vt mortificentur. Mortificatio gemmarum & corallorum est, vt calcinentur, sublimentur, & in liquore soluantur, vt crystallus. Perlarum mortificatio est, vt calcinentur, & in acri aceto resoluantur in formâ lactis.

Magnes, vt mortificetur. Mortificatio Magnetis est, vt oleo Mercurij iniungatur, vel ☿ vulgi tangatur: nam postea nullum ferrum attrahit.

Silices, vt mortificentur. Mortificatio silicum, & lapidum est calcinatio.

Marcasitæ. Mortificatio marcasitarum, cachymiarum, talci, Kobalti, zinzi, granatorum, zuuitter, vuismut, antimonij est sublimatio, hoc est, vt cum sale & vitriolo sublimentur, tunc vita ipsorum, quæ est spiritus metallicus vnà cum spiritu salis ascendit. Quicquid autem in fundo sublimatorij remanet, lauetur, vt resoluatur ab eo sal, & habebis terram mortuam, in quâ nihil est virtutis.

Realgaria vt mortificentur. Mortificatio arsenicalium, auripigmenti, opermenti, realgaris, &c. est vt cum sale nitro fluant, & in marmore in oleum vel liquorem vertantur, & fixentur.

Stercora, vt mortificentur. Mortificatio rerum vndosarum est coagulatio aëris.

Aromata. &c. Mortificatio aromaticarum rerum est ablatio boni odoris.

Dulcia, &c. Resinæ, &c. Fructus, &c. Mortificatio dulcedinosarum rerum est, vt cum corrosiuis sublimentur & distillentur.

Mortificatio carabarum, resinarũ, terpentinæ & gummi est, vt in oleũ vel vernicẽ redigantur.

Mortificato herbarum, radicum, & similium est, vt ab ipsis oleum & aqua eorum distilletur, & liquor exprimatur torculari, & præterea alcali extrahatur.

Ligna, &c. Mortificatio lignorum est, vt in carbones vel cineres vertantur.

Ossa, &c. Caro, &c. Mortificatio ossium est ipsorum calcinatio.

Aqua & ignis, &c. Mortificatio carnis & sanguinis est ablatio spiritus salis.

Mortificatio aquæ fit per ignem. Nam calor ignis exiccat & consumit omnẽ aquam: ita mortificatio ignis fit per aquã: aqua enim extinguit ignem & aufert ipsi suam vim & efficaciam.

Ita iam satis instructi estis breuibus quidem verbis, quomodò mors in omnibus rebus naturalibus lateat, & quomodò mortificentur, & in aliam formam & naturam redigantur, & quæ virutes ex ipsis fluant. Quicquid præterea hîc dicendum erat, ponimus in libro sequenti de Resuscitatione rerum naturalium.

LIBER SEXTVS.

De Resuscitatione rerum naturalium.



RESVSCITATIO & reductio rerum naturalium non est minimum in rerum naturâ, sed profundum & magnum Secretum, & potiùs diuinum & angelicum quid, quàm humanum & naturale. Volo autem hîc cum maximo discrimine intelligi, & non aliter, quàm mea est sententia, & quàm natura quotidiè & manifestè ostendit, & experientia probat, ne mendaciis & obtrectationibus pseudomedicorum, meorum hostium, sim expositus, (quæ aliàs omnia mea sinistrè interpretantur) quasi diuinam potentiam vsurpare velim, & naturæ hoc tribuere, quod nunquam illa præstare potuerit. Quapropter hîc summa obseruatione opus est, quandoquidem mors est duplex, nempe violenta & spontanea. Ab vna res potest resuscitari ab alterâ non. Quare Sophistis ne credatis, qui dicunt, quod semel mortuum sit vel mortificatum, nunquam posse resuscitari, & resuscitationem & restaurationem nihili faciunt, qui quidem error ipsorum non est minimus. Verum quidem est, quicquid naturali suâ morte perit, & quicquid natura mordificat ex prædestinatione suâ, solus Deus resuscitare potest, aut ipsius iussu diuino hoc fieri necesse est. Ita quicquid natura consumit, homo restaurare non potest. Quicquid autem homo destruit, restituere potest, & refectum frangere, vlterius homo nullam ex suâ conditione potestatem habet, & si quis amplius niteretur facere, is Dei potentiam sibi arrogaret. & tamen frustrà laboraret & confunderetur, nisi Deus esset cum eo vel haberet tantam fidem, quâ montes transponere posset. Tali etiam hoc possibile esset, & adhuc plura maiora: quia scriptura ait, & Christus hoc ipse dixit: Si habeatis fidem vt granum sinapi, & dicatis isti monti, abeas, & colloces te in illo, faciet & collocabit se, & omnia erunt vobis possibilia & nihil impossibile.

Resuscitatio possibilis cura sit.

Mors duplex.

Resuscitari quæ possint.

Sed vt ad nostrum propositum redeamus, quid tandem sit discriminis inter mori & mortificari, & vtrum ex his resuscitari possit, ita hæc intelligenda sunt. Quicquid ex naturâ suâ moritur, habet suum terminum ex prædestinatione, & ita fert Dei voluntas & ordinatio. Accidit tamen hoc quoque ex variis morbis & diuersis casibus, & hoc nunquam resuscitari potest, neque est vllum præseruatiuum contra prædestinationem & connatum terminum vitæ vsurpandum. Quod autẽ mortificatum est, etiã resuscitari & reuiuificari potest, quod multis argumẽtis probari posset, quæ quidẽ in fine huius libri ponemus. Quare maximum discrimen est inter mori & mortificare, neque pro re vna sub eodem nomine

Quæ resuscitari possint, quæ nõ.

Aliud mori aliud mortificare.

censeri

censeri debent. Nam in ipsâ probâ longissimè distant. Nam videte de homine qui moritur morte naturali & prædestinatâ, quid amplius boni vel vtilis est in ipso? Nihil, tantùm in terram ad vermes coniiciatur. Est enim putridum cadauer & debetur terræ. De homine autem occiso, qui gladio vel simili modo violento mortuus est non similiter intelligendum est. Nam totum ipsius corpus est vtile & bonum, & in pretiosissimam mumiam præparari potest. Nam quamuis spiritus vitæ ex tali corpore excesserit, restat tamen Balsamus, in quo adhuc vita latet, qui quidem vt Balsamus alia corpora humana conseruat. Ita etiam de metallis videtis quando metallum mori vult incipit rubigine confici: & quod confectum est, mortuum est: & quando totum metallum rubigine absumptum est, totum emortuum est, & talis rubigo nunquam in verum metallum reduci potest, sed fit tantummodo scoria & non metallum. Mortuum est enim, & mors est in ipso, nec habet balsamum vitæ amplius, sed in seipso periit.

Differentia calcis & cineris metallorum. Cinis metallorũ quid sit. Calx metallorum quid.

Est & calx metallorum & cinis duplex, & est maxima differentia inter ista duo. Nam vnum reuiuificari potest & in metallum reduci, alterum verò minimè: vnum est volatile, alterum est fixum: vnum est mortuum, alterum mortificatum. Cinis est volatilis nec in metallum reduci potest, tantùm in vitrum vel scoriam. Calx autem metallorum est fixa & in suum metallum reduci potest. Vt autem differentiam & causam intelligatis, scitote, quòd in cinere minùs pinguedinis & plùs siccitatis sit quàm in calce, quæ quidem fluxum dat. Calx verò pinguior est & humidor quàm cinis, & adhuc secum habet suam resinam & fluxum, & præcipuè Sal, quod ex propriâ naturâ fluxibile est, & metalla fluere facit & reducit. Ex hoc iam sequitur, cineribus metallorum, vt in metallum non reduci possint; sal extrahendum esse, tunc perfectè sunt volatiles: & hoc quidem discrimen & caput est summoperè notandum, & non parùm in eo situm est. Nam apud falsos Medicos non paruus error exstitit, qui loco ⊙ potabilis, quintæ essentiæ auri, tincturæ ⊙, &c. leprosam calcem Solis dederunt hominibus, non considerato discrimine & malo inde consequente. Nam duo notabilia & necessaria hîc obseruanda sunt, nempè quod aut calcinatum vel puluerizatum ⊙, si detur hominibus in ventriculo in vnum cumulum congeratur, aut cũ stercore iterum per anum prodeat & ita frustrà sumatur & inutiliter: aut quòd magno interiori calore in corpore humano reducitur, & intestina & ventriculum incrustat & deaurat, qua re concoctio in ventriculo impeditur, vnde multæ variæq; ægritudines consequuntur, & tandem etiam mors. Sicut autem de Sole audiuistis, ita etiam de reliquis metallis septem intelligatis, nempe ne vllum metallicum Arcanum vel medicamẽtum intra corpus accipiatis, nisi priùs sit redditum volatile, & in nullum metallum reduci possit. Quare primus gradus & initium præparandi aurum potabile est hoc. postea tale volatile per spiritũ vini solui potest, vt ambo simul ascendãt & volatilia & inseparabilia fiant. Sicut autem præparatis aurum, ita potestis etiam præparare ☽ ♀ ♂ ♃ ♄ & ☿ potabile.

Med. circa aurum error.

Arcana metallica quando nitro sumẽda. Quomodo fiant metalia potabilia irreducibilia.

Resuscitationis probatio sumpta à catulis leoninis.

Sed vt ad nostrum propositum redeamus, & exemplis & sufficientibus rationibus probemus, quòd res mortificatæ non mortuæ sint, & in morte cogantur manere, sed reduci & resuscitari ac viuificari possint, & hoc quidem per hominem ex ductu naturæ & formulâ: videtis de leonibus, qui omnes mortui nascuntur, & primùm ab horribili clamore suorum parentũ viuificantur, quasi aliquis dormiens qui clamore aliquo suscitatur, ita etiam leones excitantur, non quòd sic dormiant (nam qui dormit somnum naturalem, eum necesse est resurgere) sed leones non ita: Nam nisi excitatio per clamorem illum fieret, mortui manerent, nec vnquam in illis vita reperiretur. Quare ex hoc satis intelligitur, quòd per clamorem vitam suam acquirant & viuificentur. Similiter etiam videtis in omnibus animalibus, quæ non nascuntur sed ex putredine oriuntur vt muscæ, quæ si in aquis suffocentur ita vt nulla amplius vita in ipsis reperiatur vel videatur, & si ita relinquerentur, mortuæ manerent, neque ex seipsis vnquam reuiuiscerent. Quòd si sale inspergantur & in sole calido vel post fornacem calentẽ collocentur, priorem vitam recuperant, & hæc quidem est ipsarum resuscitatio. Nam si hoc non fieret mortuæ remanerent. Ita etiam videtis in serpente, si in frustra secetur & hæc in cucurbitam ponantur, & in ventre equino putrefiant, totus serpens reuiuiscet in vitro in forma paruorum vermium vel vt semen piscium. Quòd si isti vermiculi, vt decet, in putrefactione educentur & enutriantur, multoties centum serpentes ex vno serpente nascentur, quorum quilibet tam grandis est vt primus, quod quidem sola putrefactio potest. Atque vt de serpente dictum est, sic multa animalia resuscitari, reuocari & restaurari possunt. Iuxta hunc processum conati sunt, adiuuante Nigromantiâ, Hermes & Virgilius seipsos post mortem renouare & resuscitare, & denuò vt infantes nasci, sed non iuxta propositum ipsorum res cecidit, sed malè cessit.

Leonum viuificatio.

Muscarũ resuscitatio vt fiat.

Generatio multorũ serpentum ex vno.

Hermetis & Virgilii conatus irritus.

Sed vt exempla omittamus & praxim resuscitationis & restaurationis aggrediamur, necesse est & decet à metallis nos incipere: quandoquidem metallica corpora humanis corporibus sæpiùs assimilantur. Sciendum igitur, resuscitationem & restauratione͂ metallorũ duplice͂ esse. Vnam quæ metalla calcinata per reductionem in suum primum metallicum corpus redigat: Alterã quæ metalla in suam primã materiam reducat, hoc est in argentum viuum: & ita quidem in posteriori proceditur. Calcina metallum per Mercurij fuliginem: hanc calcem & tantundem argenti viui pone in sublimatorio, stent aliquandiu, donec ambo in amalgama coagulentur: postea eleua Mercurium per sublimationem à calce, eleuatum iterum tere cum calce metallica, & sublima vt antea: hoc toties fac donec calx metallica tandem super candela vt cera vel glacies liquescat, tunc probè factum est. Hoc metallum ponatur in digestione ad suum tempus, & mutabitur totum in Mercurium viuum, hoc est in primam suam materiam, quæ quidem Mercurius metallorum

Metallorũ resuscitatio duplex est. Reductio metallorum in Mercuriũ viuũ.

Mercurius philosophorum appellatur, quem plurimi Alchymistæ quæsiuerunt, sed pauci inuenerunt. Ita iam paratur Mercurius viuus ex omnibus metallis, nempe ☿ auri ☽ ♁ ♂ ♃ ♄.

Resuscitatio autem vel restauratio Mercurij calcinati fit per Retortarum distillationes: nam solus Mercurius viuus ascendit in aquam frigidam & relinquitur cinis ♄, ♀, vel sulphuris. Resuscitatio autem & restauratio Mercurij sublimati fit in aqua feruenti: attamen oportet eum priùs minutissimè teri, ita aqua feruens ab ipso resoluet spiritum salis & vitrioli, quem in sublimatione secum attollit, & Mercurius concurrit rursum viuus in fundo aquæ. Si iam talis Mercurius denuò cum nouo sale & vitriolo sublimetur, & in aqua feruenti resuscitetur, & hoc septies vel nouies fiat, meliùs purgari & renouari nequit. Et hoc pro magno Secreto retine in Alchymia & Medicina, & de eo gaude summopere. Nam hoc modo aufertur à Mercurio omnis impuritas & nigredo ac venenositas. Resuscitatio & restauratio Mercuri calcinati sine sublimatione fieri non potest: nam nisi post calcinationem sublimetur, nunquam reuiuificabitur, quare eum sublimabis, & postea, vt alium sublimatum, reduces.

Mercurij sublimati reductio & purgatio summa.

Calcinati & præcipitati.

Resuscitatio cinnaberis lazurij, Auri musici, etiam præcipitati, vt viuificentur iterum in Mercurium viuum, est talis: Recipe horum quoduis, minutissimè tere in marmore, & impasta albumine ouorum & smegmate, postea fac pilulas magnitudine auellanæ, quas pone in firma cucurbita terrea: ad orificium eius pone laminam ferream quæ multa parua foramina habeat, sitque luto agglutinata; atque distilla per descensum igne forti, ita vt cadat in aquam frigidam, & habebis iterum Mercurium viuum.

Resuscitatio autem & restauratio ligni est difficilis & ardua, attamē naturæ possibilis, sed sine insigni solertia & industria fieri nequit. Vt autem reuiuificetur, tali maximè modo id fit: Recipe lignum quod primū fuerit carbo, postea cinis, & pone in cucurbita, vnà cum resina, liquore & oleitate illius arboris, omnium sit idem pondus, misceantur, & in leni calore liquefiant, & fiet mucilaginosa materia, atque ita habes tria principia simul, ex quibus scilicet omnia nascuntur & generantur, nempe phlegma, pinguedinē & cinerem. Phlegma est Mercurius, pinguedo est sulphur, cinis est sal. Nam omne quod igni fumat & euaporat, est Mercurius: quod flagrat & comburitur, est sulphur, & omnis cinis est sal. Cùm iam ista tria principia simul habes, pone ea in ventre equino & putrefac ad suum tempus. Si postea illa materia in pingue solum sepeliatur vel infundatur, videbis eam reuiuiscere & arborem vel lignum paruū inde nasci, quod quidem in sua virtute multò est nobilius priore. Hoc verò lignum est & vocatur resuscitatum lignum, & renouatum, & restauratum, quod ab initio quoque lignum fuit, sed mortificatum, destructum, & in carbones & cineres & in nihilum redactum, & tamen ex illo nihilo aliquid factum & renatū est. Hoc sanè in Luce Naturæ magnum est Mysterium, nempe quòd res, quæ formam suam planè amiserat & in nihilum redacta fuerat, eam recuperet, & ex nihilo aliquid fiat, quod postea multò nobilius fit in sua virtute & efficacia quàm primò fuerat.

Instauratio ligni cōbusti.

Ligni phlegma est ipsius Mercurius: pinguedo sulphur: eius cinis sal.

Vt autem generaliter de resuscitatione & restauratione rerum naturalium loquamur, sciendum est, præcipuum hîc fundamentum esse, vt cuilibet rei reddatur cúmque eâ concordetur iterum id, quod ei in mortificatione ademptum fuerat & ab eo separatum, quod difficulter hîc specificè explicari potest. Quare hunc libellum concludemus, & in libro sequenti de transmutationibus rerum naturalium latiùs hæc declarabimus.

Generalis ratio resuscitandi.

LIBER VII.

De transmutationibus rerum naturalium.

SI nobis de transmutatione omnium rerum naturalium scribendum est, æquum & necessarium est, vt ante omnia ostendamus primùm quid sit transmutatio: secundò qui sint gradus ad illam: tertiò per quæ media & quomodo ea fiat. Est igitur transmutatio cum res suam formam amittit, & ita alteratur, vt prorsus priori substantiæ & formæ suæ non sit similis, sed aliam formam assumat, aliam essentiam, alium colorem, aliam virtutem, aliam naturam vel proprietatem, vt si metallū fiat vitrum vel lapis: si lapis fiat carbo: si lignū fiat carbo: argilla lapis fiat & later: pellis glutē: pānus papyrus & taliamulta similia. Hęc ōnia sūt trāsmutationes rerum naturalium. Post hoc summoperè quoque necessarium est scire gradus ad transmutationem, quotnam sint. Sunt autem non plures quàm septem. Nam quamuis aliqui plures numerent, plures tamen quàm septem præcipui non sunt, reliqui verò, qui etiam inter gradus recenseri possunt, sub istis septem comprehenduntur: sunt autem isti.

Quid sit trāsmutatio.

Septem gradus trāsmutationis principales.

CALCINATIO, SVBLIMATIO, SOLVTIO, PVTREFACTIO, DISTILLATIO, COAGVLATIO, TINCTVRA.

Si quis iam istam scalam ascendat, is in tam mirabilem locum perueniet, vt multa secreta videat & experiatur in transmutatione rerum naturalium.

Primus igitur gradus est Calcinatio, sub qua & comprehenduntur Reuerberatio & Cęmentatio. Nam inter hæc tria parua est differentia quantum ad calcinationem attinet. Quare calcinatio hîc præcipuus est gradus. Nam per Reuerberationem & Cæmentationem etiam multæ res corporales calcinantur & in cinerem reducuntur & præcipuè metalla. Quod autem calcinatum est non propterea est reuerberatum vel cæmentatum. Per calcinationem igitur omnia metalla, mineralia, lapides, vitra, &c. & omnes res corporales fiunt carbo & cinis, & hoc fit nudo, forti ac aërem habente igne, per quem omnis tenax, mollis, & pinguis terra in lapidem induratur: omnes verò lapides in calcem rediguntur, sicut videmus in furno figulorum, calcis & laterum.

1. Calcinatio quid & quæ eius species.

Sublimatio est secundus gradus etiam valde principalis ad transmutationem

2. Sublimatio quid, & quæ eius species.

nem multarum rerum naturalium: sub quo intelligitur, Exaltatio, Eleuatio, & Fixatio; estque non adeò dissimilis distillationi. Nam sicut ab omnibus phlegmaticis & aqueis rebus aqua in distillatione ascendit, & à suo corpore separatur, ita in sublimatione spirituale à corporali, volatile à fixo, in rebus siccis, vt sunt omnia mineralia, attollitur & subtiliatur, & purum ab impuro separatur. In sublimatione enim multæ bonæ virtutes & mirabiles res reperiuntur in Mineralibus, multæque res fixantur & constantes fiunt, ita vt in igni permaneant hoc modo: Sublimatum cum suis fæcibus iterum teratur & misceatur, & vt antea sublimetur, quod toties fiat donec non amplius sublimetur, sed omnia simul in fundo maneant & fixa sint. Ita postea fiet lapis & oleum quando & quoties velis, nempe si in frigidatum in aëre vel vitro ponas; ibi enim resoluitur statim in oleum. Si autem iterum in ignem ponas, iterum coagulatur in lapidem, qui mirabilis & magnæ virtutis est. Hoc autem habeas pro magno Secreto & mysterio naturæ, nec Sophistis manifestes. Porrò vt in sublimatione multa corrosiua dulcia fiunt in coniunctione duarum materiarum, ita contrà multa dulcia corrosiua fiunt: multa dulcia fiunt acerba & austera vel amara, & contrà multa amara dulcia vt saccharum. Notandum quoque hîc est, quòd quodlibet metallum, quod per sal Armoniacum in sublimationem perducitur, postea in frigore vel in aëre soluatur in oleum, & contrà, in igni coaguletur in lapidem. Quæ quidem vna est ex maximis & summis transmutationibus in omnibus rebus naturalibus, nempè metallum in lapidem transmutare.

Fixatio mineralium in lapidem, vt fiat.

Regula de sale Armoniaco.

3. Tertius gradus est Solutio, sub qua subintelliguntur dissolutio & resolutio, qui quidem gradus sæpiùs post sublimationem & distillationem sequitur, nempe, vt soluas materiam, quæ in fundo remanet. Est autem solutio duplex. Vna scilicet frigoris, altera caloris: vna fit extra ignem, altera in igne. Solutio frigida soluit omnia salia, omnia corrosiua, omnia calcinata. Quicquid est salsæ & corrosiuæ qualitatis, id resoluit, in oleum, in liquorem, in aquam: & hoc fit in humida & frigida cellà, aut aliàs tantùm in aëre, in marmore vel vitro. Nam omne quod in frigore soluitur, continet acrem spiritum salis, quem sæpè in sublimatione vel destillatione acquirit & assumit. Et omne quod in frigore vel aëre soluitur, iterum calore ignis coagulatur in puluerem vel lapidem. Solutio verò caloris, soluit omnia pinguia & omnia sulphurea: Et quicquid calor ignis soluit, hoc coagulat, frigus in massã, & quicquid calor coagulat, hoc soluit rursus aër & frigus. Hîc quoque sciẽdũ est, quicquid aër vel cella resoluit, id est magnæ siccitatis, & in se abscõditũ habet ignẽ corrosiuũ: ita quicquid in igne & eius calore soluitur, habet in se dulcedinosã frigidatẽ extra ignẽ. Ita & nõ aliter solutio intelligenda est.

Solutio quid, & quæ eius species.

Solutio est duplex.

Solutio calida da quæ soluat

Duplex solutio caloris & frigoris.

4. Putrefactio est quartus gradus, sub qua & comprehenduntur Digestio & Circulatio. Est autem putrefactio valdè principalis gradus, qui & meritò primus esse debebat, nisi contra iustum ordinem, & contra Mysterium, quod hîc latet, & paucissimis patet, id fieret: Isti enim gradus ita se inuicem, vt dictum est, sequi debent, sicut articuli in catena aut gradus in scala. Nam si vnus articulorum tolleretur, catena esset interrupta, & captiuus liberatus aufugeret: ita & de scala, si vllus gradus ex medio tolleretur, & in supremo vel infimo loco poneretur, scala quoque fracta esset, & multi in caput per eam deciderent, non sine corporis ac vitæ suæ damno & periculo. Ita etiam hîc intelligatis, quòd isti gradus iusto ordine se sequantur, aliàs totũ opus nostri Mysterij esset peruersum, & omnis labor & opera frustranea & inanis. Putrefactio autem tantæ est efficaciæ, vt veterem naturam aboleat, & transmutet omnes res in aliam nouam naturam, & alium nouum fructum afferat. Omnia viua in ea moriuntur, omnia mortua putrefiunt in ea, & omnia mortua putrefiunt in ea, & omnia mortua in ea recuperant vitam: putrefactio omnibus corrosiuis spiritibus salis acredinem adimit, & lenes ac dulces facit, transmutat colores, separat purum ab impuro, purum superiùs, impurum inferiùs, vtrunque segregatim locat.

Putrefactio quid & quæ eius species.

De tinctura faciẽdis seruãdus dictus ordo graduũ.

Putrefactionis vis mira est.

5. Distillatio est quintus gradus ad trãsmutationẽ omniũ rerũ naturaliũ. Sub ea autẽ subintelligũtur Ascẽsio, Lauatio, Imbibitio, Cohobatio & Fixatio. Per distillationem omnes aquæ, liquores & olea subtiliantur, ex omnibus pinguibus oleum extrahitur, ex omnibus liquoribus aqua, & ex omnibus phlegmaticis rebus oleum & aqua separatur.

Distillatio quid, & quot species habeat.

Præterea multæ res in distillatione fixantur per cohobationem, & præsertim si res fixandæ aquam in se contineant, vt vitriolum. Quòd si fixetur, Colcotar vocatur. Alumen si propriâ aquâ fixetur, vocatur alumen Zuccari, quod & in liquorem resoluitur, qui si putrefiat per mensem, aquam parit dulcedine saccari, quæ quidem magnæ virtutis est, & præstans Arcanum in medicina ad restinguendũ ignem microcosmicum in hominibus metallariis, sicut in libris de Morbis metallicis latiùs scribimus. Et sicut audiuistis de vitriolo & alumine, ita etiã salnitrũ: & alia aquosa mineralia fixari possunt per cohobationem.

Cohobatio, &c.

Fixatio per distillationem.

Cohobatio autem est, vt caput mortuum sæpiùs suâ propriâ aquâ imbibatur, eaque per distillationem iterum inde abstrahatur. Porrò in distillatione multa amara, acerba & acria dulcissima vt mel, saccarum vel manna fiunt, & contrà multa dulcia, vt saccarum, mel vel manna austera fiunt, vt oleum vitrioli vel acetum, aut amara vt fel, aut gentiana, vel acria vt corrosiuũ. Multæ res vndosæ suum nimium fœtorem in distillatione amittunt, qui quidem in aqua egreditur: multa aromatica perdunt bonum suum odorem. Et sicut sublimatio res in sua qualitate & natura alterat, ita etiam distillatio facit.

Cohobatio quid. Distillationis vis in rebus transmutãdis.

6. Coagulatio est sextus gradus: Est autem duplex coagulatio, vna per frigus, altera per calorem, hoc est, vna aëris, altera ignis: & harum quælibet iterum est duplex, ita vt sint quadruplices coagulationes, duæ frigoris, & duæ ignis,

Coagulatio quadruplex, & quid sit quælibet.

ignis. Ignis quidem coagulationes fixæ sunt: reliquæ frigoris non. Vna quidem solummodo à communi aëre fit, vel extra ignem: altera fit à superiori firmamento stellarum hyemalium, quæ omnes aquas in niues & glacies coagulant. Ignis verò coagulatio, quæ hîc sola notanda est, fit per artificiosum & graduatum ignem Alchymistæ, éstque fixa & permanens. Nam quicquid talis ignis coagulat, id ita permanet. Altera coagulatio fit ab Ætneo & minerali igne in montibus, quem quidem Archæus terræ regit & graduat haud absimiliter Alchymistæ, & quicquid per talem ignem coagulatur, etiam fixum est & constans, vt videtis in mineralibus & metallis, quę quidem initiò mucilaginosa materia sunt, & ab Ætnæo igne in montibus per Archeum terræ & laboratorem Naturæ coagulantur in metalla, lapides silices, salia, & alia corpora. Sciendum verò etiam est, ignem nullam aquam neque humiditatem coagulare, sed solùm liquores & succos omnium rerum naturalium. Propterea etiam nullum phlegma coagulari potest, nisi in principio fuerit materia corporea, in quam quidem industriâ periti Alchymistæ redire possunt. Ita quælibet mucilaginosa materia, vel spermaticus lentor per calorem ignis & in corpus & corporalem materiam coagulari, sed nequaquam in aquam iterum resolui potest. Et sicut de coagulatione audiuistis, ita etiam sciatis de Solutione, nempe quòd nulla corporalis materia in aquam resolui possit, nisi ab initio fuerit aqua, ita se res habet in omnibus rebus mineralibus.

Coagulari quę nequeant.

Solui, quæ non possint.

7. Tinctura quid & quotuplex.

Tinctura est septimus gradus & vltimus, qui totum opus nostri Mysterij ad transmutationem concludit, & omnia imperfecta perfecta facit, & in nobilissimam Essentiam transmutat, & in summam suam sanitatem, ac in alium colorem alterat. *Tinctura igitur est materia nobilissima, quâ tinguntur corpora metallica & humana, & in meliorem Essentiam, & longè nobiliorem transferuntur, & in summam suam sanitatem & puritatem.* Tinctura enim colorat omnes res iuxta suam naturam & colorem suum. Sunt autem multæ & variæ tincturæ, & non solùm ad metallica & humana corpora: quoniam omne, quod aliam materiam penetrat, vel tingit alio colore vel Essentia, ita, vt priori non ampliùs similis fit, tinctura vocari potest. Quare multiplices sunt tincturæ, nempe metallorum, mineralium, humanorum corporum, aquarum, liquorum, oleorum, salium, omnium pinguium, & in summa omnium, quæ extra vel intra ignem ad fluxum perduci & reduci possunt. Nam si tinctura tingere debet, necesse est, corpus vel materiam, quæ tingenda est, apertam esse, & in fluxu stare, & nisi hoc fieret, tinctura operari non posset. Nam fieret, sicut si quis crocum vel alium colorem in aquam coagulatam, vel glaciem proiiceret: ita enim non tam citò glaciem suo colore tingeret, ac si in aliam aquam proiiceretur. Et quamuis tingeret, simul tamē glaciem in aquam resolueret. Quare etiam metalla, quæ tingere volumus, in igne liquefieri oportet, & à sua coagulatione liberari. Et hîc sciendum est, quòd quò calidiùs liquescũt, eò celeriùs ea tinctura transcurrit, sicut fermētũ penetrat, & totam massã acetositate inficit, & quò meliùs obuelatur, & quò calidiùs custoditur massa, eò meliùs fermētat, & eò meliorē panē dat: Est enim & fermentũ tinctura massæ farinaceæ & panis.

Tingenda metalla fluere oportet.

Faeces dant fixiorem aquam.

Notandũ quoq; quaslibet fæces fixioris esse substãtię, quã suus potus, acrioris quoq; & penetrãtioris naturæ: sicut de vino ardēti videtis, quod fit ex fęcib. vini, de cereuisia ardēti, quæ ex cereuisię fęcib. distillãtur, & sicut vinũ ardēs flagrat, & sicut sulphur incēditur. Similiter si de fæcibus aceti aliud acetum distilletur, sicut vulgò vinum ardens distillatur, fiet inde acetum tam igneæ & acerrimæ naturæ, vt omnia metalla, lapides, & alia, tanquam aqua fortis consumat.

Aceti radicati præpar. & natura.

Quomodo fiant tincturæ metallorum.

Porrò tincturas metallorum necesse est esse naturæ fixæ, fluxibilis & incōbustibilis, ita vt si parũ eius laminæ metallicæ ignitæ iniiciatur, mox sicut cera fluat, ídq; sine omni fumo, metallũq; penetret, vt oleũ papyrũ, vel aqua spongiam, omniáq; metalla in albũ & rubrũ tingãt, hoc est in ☾ & ☉. Hæ iam sunt tincturæ metallorũ, quæ necesse est per gradum calcinationis primũ in alcool verti, postea per secundũ gradũ sublimationis suũ facilē & levē fluxũ nãcisci: deniq; per gradum putrefactionis & distillationis tinctura fit fixa & incombustibilis, colorísque immutabilis.

Tinctura hominum.

Tincturæ verò humanorum corporum, vt ea tingantur in summã suam sanitatē, & expellãtur ab ipsis omnes morbi: vires antē & colores amissi reddãtur, vtq; ea instaurētur & renouētur, sunt istæ, Aurũ, Perlæ, Antimoniũ, Sulphur, Vitriolũ, &c. & similia, quarũ præparationes in aliis libris multipliciter docemus. Quare nobis non necessarium videtur, hîc ea repetere.

Tincturæ opificium.

De tincturis verò nihil ampliùs scribēdũ est, cũ quilibet extractus color tinctura dici possit, qui quidem permanenti colore res tingat, quæ non ingrediuntur ignem, vel in igne colores fixos seruant. Ista omnia sunt in manu & potestate tinctoris vel pictoris, qui eas iuxta suum placitum præparat.

Gradus ignis Alchymistici quot sint.

Summoperè quoq; in hoc libro necessariũ est scire gradus ignis, qui sanè multis modis graduari & intēdi potest, & quælibet gradus peculiarē habet operationē, & nullus, vt alter, effectũ dat, quem quilibet peritus Alchymista ex quotidiana experiētia & exercitatione artis nouit. Alius est enĩ ignis viuus & flãmeus, qui reuerberat & calcinat õnia corpora. Alius iugis ignis cãdelæ & lychni, qui fixat omnia corpora volatilia. Alius ignis carbonũ, qui cementat, colorat, & purgat metalla à suis scoriis, ☉ ☾ altius graduat, ♀ dealbat, & in sũma, omnia metalla renouat. Alius est ignis laminæ ferreæ ignitæ, in qua tincturæ metallorum probantur, quæque ad alia vtilis est. Aliter calefacit scobs ferri, aliter arena, aliter cinis, aliter balneũ maris, quo multiplices distillationes, sublimationes & coagulationes fiunt. Aliter balneũ roris, in quo multæ solutiones rerũ corporaliũ fiũt, Aliter venter equinus, in quo præcipuæ putrefactio-

Ignis cœlestis.

factiones & digestiones fiunt. Aliter quoque operatur ignis inuisibilis, per quem radios solares intelligimus, quique per speculum ex chalybe, vel per crystallum manifestatur, & suam operationem & effectum ostendit, de quo igni veteres prorsus nihil scripserunt. Et hoc quidem igne tria principia ex qualibet corporali re in mensa separari possunt. Tam mirabilis virtutis est hic ignis, vt per eum metalla liquefiant, & omnia pinguia & flexibilia in mensa absque igne, & omnia facilè combustib. in carbones & cineres redigantur.

Postquam igitur vobis proposui & aperui gradus artis Alchymisticæ, & gradus Alchymistici ignis: porrò vobis indicabo & describam in genere varias rerum naturalium transmutationes. Ante omnia verò de metallis loqui decet: secundò de lapidibus: tertiò de variis rebus in genere. Transmutatio igitur metallorum magnum Secretum est in natura, & difficulter fieri potest multorum impedimentorum, & aduersitatum causâ. Attamen non est contra naturam, neque contra Dei ordinationem, vt multi falsò loquuntur. Vt verò minora & impuriora metalla quinque, vt ♀ ♃ ♄ ♂ & ☿, in maiora & purissima, perfectáque metalla, vtpote in ☉ & ☽ transmutentur, absque tinctura vel lapide Philosophorum fieri illud nequit. Cum autem iam anteà in septem gradibus satis tincturarum secreta detexerimus & descripserimus, non est opus, vt amplius in hoc laboremus, quin potiùs in his, quæ in aliis libris de transmutationibus metallorum scripsimus, acquiescimus.

Transmutatio in ☽ vel ☉, vt fiat.

Sunt autem aliæ transmutationes imperfectorum & impurorum metallorum, vt transmutatio ♂ in ♀, quæ variis modis fieri potest, primum si limatura ferri in aqua vitrioli coquatur, aut laminæ ferreæ cum vitriolo calcinato cemententur: tertiò si candentes laminæ ferreæ oleo vitrioli extinguantur. His tribus viis ferrum in optimum & naturale ponderosúmque cuprum transmutatur, quod quidem optimè fluit, & suum pondus habet tam benè ac vllum natiuum cuprum. Potest quoque limatura ferri quasi in plumbum reduci & transmutari, ita vt prorsus mollesiat, vt natiuum plumbum, sed non facilè fluit, nempe ita: Recipe limaturæ ♂ & tantundem optimi pulueris liquefactitij, misceantur, ponantur in tigillo & in furno venti, fiat ignis fortis, talis tamen ne ♂ fluat, sed quasi in cemento stet integram horam: posteà fortifica ignem strenuè, vt candescat & fluat: denique tigillum per se frigefieri sinito, & inuenies regulum plumbi in tigillo, mollem & ductilem, vt natiuum plumbum esse potest.

Ex ferro cuprum.

Ex ferro plumbũ.

Vt autem ♀ in ♄ transmutetur, ita procedendum est: Primùm omnium cuprum ☿ sublimato & arsenico fixo in album redige, candidum vt ☽, posteà granulato: huius & boni pulueris redacti recipe ana, & primò quidem cementa, postremò in regulum funde, & habebis verum plumbeum regulum.

Ex cupro plumbũ.

Contrà verò vt plumbum in cuprum transmutetur facilè fit, neque opus est singulari industriâ, nempè sic: Laminas plumbi vitriolo calcinato, vel croco Veneris stratifica, cementa, & postremò liquefac, & videbis quodlibet natiuum plumbum in bonum, ponderosum & ductile cuprum transmutatum.

Ex plũbo cuprum.

Si iam tale cuprum vel quoduis aliud cuprum ita laminetur, & cum Thutia & Calaminari stratificetur, cementetur, & postremò fundatur, in egregium electrum siue rubeum transmutatur simile auro.

Electrũ simile auro.

Si velis ♄ in ♃ transmutare, lamina ♄ & stratifica cum sale Armoniaco, cementa, & postremò funde, vt suprà dictum est; ita plumbo omnis sua nigredo & obscuritas tollitur, & in albedine pulcherrimo Anglico stanno similis fit.

Ex plũbo stannum Anglico facere.

Sicut autè audiuistis in breui summa aliquot transmutationes metallorum: ita porrò sciatis de transmutationibus Gemmarum, quæ quidem etiam variæ sunt & neutiquam similes. Videtis enim quanta transmutatio gemmarum in oleo sulphuris lateat. Quilibet enim crystallus in eo tingi & transmutari potest, & cum tempore distinctis coloribus graduari, vt Hyacintho Granato, vel Rubino similis fiat.

Oleum sulphuris transmutat gemmas.

Similiter sciatis de Magnete, qui in decuplam potentiam & virtutem transmutari potest, nempe hoc modo: Recipe Magnetem, & in carbonibus candefac, ita quidem, vt calescat valde, sed tamen non sit ignitus, quem statim in oleo croci martis, qui ex optimo Carinthio chalybe sit factus, extingue, vt imbibat quantum capere possit. Ita magnetem tam efficacem reddes, vt per eum claues ex pariete euellas, & similia mirabilia operari queas, quæ alius communis Magnes nunquã facere potest.

Magnetis transmutatio qui fiat. Mera confortatio magnetis.

Porrò in transmutationibus Gemmarum sciendum est mundum situm esse in duobus gradibus tincturæ & coagulationis. Nam sicut albumen oui croco tingi, & postea coagulari potest in pulcrum flauum succinum: fuligine pini in nigrum succinum: viridi æris in viride succinum, simili lapidi cyaneo vel Turcico: viridi succo in simile smaragdo: lazurio in succinum cœruleum, simile sapphyro: ligno Brasiliæ in rubrum succinum, granato vel rubino simile: purpureo colore amethysto simile: cerusâ alabastro simile. Ita alij quoque liquores omnes & præcipuè metalla & mineralia fixis coloribus tingi, & postmodum coagulari, & in gemmas transmutari possunt.

Similiter & perlæ fieri possunt veris in forma prorsus similes, ita vt splendoris & speciei ratione non benè à veris discerni possunt, nempe ita: Purga albumen ouorum per spongiam, quàm purissimè, in quod insperge & misce pulcherrimi albi Talci, vel conchæ perlatæ, aut ☿ per ♃ coagulati, & in alcool redacti, & simul in marmore optimè tere, ita, vt fiat densum amalgama, quod in sole vel post fornacem calidam siccetur eò vsque dum fiat, vt caseus vel hepar. Postremò ex hac massa forma Perlas quantascunque vis, quas setis suillis affige, & ita perforatas sicca sicut succinum, & parasti eas. Si verò non satis splendeant, exterius albumine ouorum inunge, & iterum sicca: ita fient pulcherrimæ perlæ in forma similes veris, sed non in virtute.

Falsæ perlæ quomodo fiant.

Simili

Fossi corallij vt fiant. Simili ferè modo & coralli fiunt ab his, qui homines, vt & cum dictis perlis, fallere student, nempe ita: Cinnabarim cum albumine ouorum in marmore tere per horam, postea vt terram figulinam sicca: denique finge inde pilulas vel ramulos, prout vis: postremò ad summum sicca, & vt perlas exterius albumine ouorum iunge, & iterum per se sicca. Ita fiunt coralli natiuis in specie similes, sed non in virtute.

Vernix ex ouis & argentum. Sciendum quoque est, albumen ouorum per se in pulcherrimum vernicem coagulari posse, in cuius coagulatione Luna vel Sol inspergi possit.

Sunt aliæ multæ & variæ transmutationes rerum naturalium: quarum quas scio, & expertus sum, vobis obiter & breuiter iam proponam. Lignum qui lapis fit. Et primò teneatis, quòd lignum quodnis, si ad certum tempus in Aquam Salis Gemmæ ponatur, in lapidem certâ admiratione conuertatur. Carbones ex lapidibus. Ita & lapides igne Ætneo in Carbones transmutantur, qui lapidei Carbones vocantur.

Gluten ex pellibus. Similiter & ex pellibus gluten excoquitur: Papyrus ex lino. ex Panno lineo fit papyrus: ex lino in acerrimo lixiuio ex calce & cinere Isatidis herbæ cocto fit sericum. Sericum ex lino. Ita si pennis detrahantur partes plumæ; & in tali lixiuio coquantur, neri Plumæ netiles, &c. & texi instar gossypij possunt. Quoduis oleum vel spermatica mucilago potest coagulari in vernicem: quilibet liquor in Gummi &c. Hæc omnes sunt rerum naturalium transmutationes: de quibus cùm hactenus dictum sit, hîc colophonem imponamus.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

LIBER OCTAVVS DE SEPARATIONIBVS RERVM NATVRALIVM.

Chaos mundi materia. IN mundi creatione prima Separatio à quatuor Elementis cœpit, cùm prima Materia Mundi esset vnum Chaos. Ex Chao illo Deus condidit Maiorem Mundum, in quatuor discreta Elementa separatum, nempe in Ignem, Aërem, Aquam, Terram. Ignis pars erit calida: Aër, tantùm frigida: Aqua humida: Terra denique pars tantùm sicca Maioris mundi.

Separatio quænam hic tradatur. Vt verò instituti nostri in hoc octauo libro rationem cognoscatis breuissimè: sciendum est, nos non proposuisse hîc de Separatione Elementorum omnium naturalium rerum tractare: quandoquidem, de Arcanis illis in Archidoxis de Separationibus Elementorum plenè perfectéque docuimus: sed hîc tradimus de Separatione rerum Naturalium, qua vnumquodlibet seorsim & separatim materialiter ac substantialiter separatur & segregatur, cum scilicet duo, tria, quatuor, &c. plurâue in vnum corpus inuicem permixta sunt, & tamen non nisi vnica materia tangitur & videtur. Vbi hoc frequenter accidit, vt corporea eiusmodi materia à nemine cognosci aut expresso nomine designari possit, donec processus separationis instituatur. Tunc enim interdum ex vnica materia, duo, tria, quatuor, quinque vel plura prodeunt: sicut per quotidianam experientiam in Scientia Alchimica euidens fit. Exemplo vobis est *Electrum*, quod per se Metallum non est, sed tamen omnia Metalla in vno metallo & corpore recondit. Electrũ quid? Id si Alchimicâ industriâ Anatomizetur & separetur: omnia septem metalla, eáque pura & impermixta ex illo prodeunt, Metalla quot numero. nempe *Aurum, Argentum, Cuprum, Stannum, Plumbum, Ferrum, Argentum viuum, &c.*

Separatio quid? Vt autem quidnam Separatio sit, intelligatur: notandum est, ipsam nihil esse aliud, quàm vnius ab altero segregationem, siue duo, tria, quatuor plurâue permixta sint; segregationem inquam trium principiorum, vt Mercurij, sulphuris, salis, & extractionem puri ab impuro, seu puri & nobilis Spiritus ac Quintæ Essentiæ à crasso, & Elementali corpore: & præparationem duorum, trium, quatuor aut plurimi ex vno: aut dissolutionem & liberationem rerum colligatarum & vinctarum, quæ naturæ aduersæ sunt, & perpetuò sibi inuicem contrariantur, nullo fine, donec sese mutuò perimant & destruant.

Separationis quot species? Iam verò Separationes variæ & multiplices sunt, nobis quidem non omnes cognitæ. Quæ nobis ex Elementalibus dissolubilibus naturalibus rebus exploratæ sunt: hoc loco secundùm species constituentur & describentur.

1. Microcosmi. *Prima separatio*, de qua loquimur, inchoari debet ab homine, quoniam is Microcosmus, minor mundus est, & ipsius causâ Macrocosmus, maior mundus, conditus est, vt scilicet illius Separator esset. Separatio autem Microcosmi à morte demum incipit. Corpus hominis post mortem duplex. In morte enim hominis corpora duo à se inuicem separantur, Cœleste & Terrenum, hoc est, Sacramentale & Elementale. Horum vnum in sublime euolat vt Aquila: alterum deorsum ad terram, vt plumbum labitur.

Corpus Elementale quale fit. Elementale putrescit, & consumitur, fit putridum cadauer, quod in terram defossum, denuò non prodit aut apparet. Corpus Sacrament. quale fit. Sacramentale autem, hoc est, Sydereum & cœleste, non putrescit, non sepelitur, locum nullum occupat. Hoc corpus hominibus apparet, & post mortem etiam conspicitur. Hinc *Spectra, visiones, & supernaturales apparitiones*. Cabalistica vnde. Hinc à priscis Magis *Ars Cabalistica* exstructa est, de qua in libris Cabaliæ fusiùs tractatur.

Post hanc separationem factam, deinde per mortem hominis à se inuicem etiam separantur tres substantiæ, nimirum *corpus, Anima, & Spiritus*, quolibet ad suum locum tendente, ad Arcam, ex qua originaliter prodiit, corpore scilicet ad terram, ad primam Elementorum materiam: Animâ ad primam materiam Sacramentorum: Spiritu denique ad primam materiam aërei chai.

Macrocosmi. Quod iam de separatione Microcosmi dictum est: idem etiam intelligi debet de mundo maiore, quem Oceanus magnus in tres partes segregauit, ita vt vniuersus orbis, in tres secretus partes sit, in *Europam* scilicet *Asiam & Affricam*; Mundi tres partes. quæ separatio, præfiguratio quædam est triũ principiorũ, quod ipsa de qualibet terrena & Elemẽtali re separari possint. Tria hæc principia sunt Mercurius, sulphur & sal: ex quibus tribus mundus conditus & compositus est.

3. Metallorum. Ab hoc scienda etiam est separatio metallorum à suis montibus, hoc est, separatio metallorum & mineralium. Separatione in his instituta ex vna materia multæ prodeunt, sicuti videtis ex mineralibus prodire *metallum, scoriam, vitrum, arenam, Piritem, Marcasitam, Granatum, Cobaltum, Talcum, Cachinnam, Zinetum, Bisemutum, Antimonium, Lithargyrium, sulphur, vitriolum, æruginem, Chrysocollam, cæruleum, seu Lasulum, Auripigmentum, Arsenicum, Realgar, Cinnabarim, Ferri argillam, Spathum, Gyphum, Tripolim, Rubricam fabrilem, &c.* & his similia alia plura: velut & deinceps horum cuiuslibet *aquas, olea, resinas, calcem, siue cinerem, Mercurium, sulphur & sal, &c.*

4. Vegetabilium. Vegetabilia in separatione sua dant *Aquas, olea, succos, Resinas, Gummata, Electuaria, pulueres, cineres, Mercurium, sulphur & sal, &c.*

Animalia in separatione sua dant *aquam, sanguinem, carnem, adipem, ossa, cutem, corpus, crines, Mercurium, sulphur, & sal, &c.*

Separatorem bonum quæ faciant. Qui ergo eiusmodi rerum naturalium omnium separatorem se gloriatur, is longâ experientia & rerum naturalium omnium perfecta cognitione opus habet. Præterea oportet ipsum etiam esse peritum & exercitatum Alchimistam, vt sciat quid conflagrabile sit, vel non sit, quid fixum, quid volatile sit, quid fluat vel non fluat, quid altero ponderosius existat. Explorata etiam habere debet cuiuslibet rei naturalem colorem, odorem, aciditatem, austeritatem, acorem, amarorem, dulcorem, gradum, complexionem, & qualitatem.

Separationis qui & quot gradus: & quid separet Destillatio. Resolutio. Putrefactio. Extractio. Nosse insuper etiam debet gradus separationis, vt sunt destillationis, Resolutionis, putrefactionis, extractionis, calcinationis, Reuerberationis, Sublimationis, Reductionis, Coagulationis, pulucrisationis, lauationis. Per destillationem separatur aqua & oleum de omnibus rebus corporeis. Per Resolutionem separantur metalla à mineralibus, & metallum vnum ab altero, & sal ab aliis, & pinguedo, & leue à grauiori. Per putrefactionem separatur pingue à macro, purum ab impuro, putridum à non putrido. Per extractionem separatur purum ab impuro, & spiritus ac essentia Quinta à suo corpore, & margarita à crasso.

Calcinatio. Reuerberatio. Per calcinationem separatur. Aquea humiditas, pinguedo, naturalis color, odor, & quicquid aliàs combustibile est. Per Reuerberationem separatur color, odor, flagrabile, omnis humiditas, aquositas, pinguedo, quicquid denique fluxile & inconstans rei inest, &c.

Sublimatio. Per sublimationem separantur à se inuicem fixum & volatile, spirituale & corporale, purum ab impuro, sulphur à sale, Mercurius à sale &c.

Reductio. Per Reductionem separatur fluxile à solido, metallum à suo minerali, & metallum vnum ab altero, metallum à scoria, pingue à non pingui.

Coagulatio. Puluerisatio. Per coagulationem separatur mador ab humido, aqua à terra. Per puluerisationem separantur à se inuicem puluis & arena, cinis & calx, minerale à vegetabili & animali. Et pulueres omnes, quæ inæqualis ponderis sunt

Iaculatio. separantur, in iaculatione, velut palea de frumento. Per Lotionem seu Ablutionem separantur cinis & arena, minerale à suo metallo, graue à leuiore, vegetabile & animale à parte minerali, sulphur à Mercurio & sale, sal à Mercurio.

Metallor. separatio multiplex. Cæterùm vt missâ iam theoricâ, ipsam separationis practicam aggrediamur, ac ad speciem descendamus: notandum est, separationem metallorum iure omnium primam esse. Ipsam ergo deinde tali ratione tradémus.

De Separatione Metallorum à suis mineris.

1. per pulueres liquefactorios. Separatio metallorum à suis mineris, modis multis fieri potest, nempe Ebullitione seu excoctione, eliquatione per pulueres liquefacientes vt sunt sal Alcali, Lithargyrum, sal fluxum, Fel vitri, scoria, sal Gemmæ, sal petræ, &c. Indantur in fictile seu catinum, in fornace liquentur. Sic nimirum metallum, seu Regulus in fundum fictilis residebit: materia autem mineræ enatabit in sublime, & fiet scoria. Regulum hunc metallicum per Reuerberatorium in fornace vrgebis tam diu, donec metallum omne purum, & ab omni sua sorde & scoria liberatum sit. Hoc modo metallum probè digeritur, & ab omni sorde seu scoria (vt ita dicam) sinatur seu expurgatur. Eiusmodi minera interdum, plus vno metallo continebit, veluti multoties accidit, vt cuprum & argentum, cuprum & aurum, plumbum & argentum, stannum & argentum, &c. in vno minerali inueniantur cuius rei signum est seu apparet si metallicus Regulus post reuerberatorium in capella debito modo & ratione resoluatur. In eo enim imperfecta metalla omnia separantur, vt sunt cuprum, ferrum, stannum, plumbum: & sic vnà cum plumbo, cuius duplo plus quàm Reguli esse in additamento debet, illa in fumum abeunt, solúmque finum argentum aurúmque in capella remanet. Idem similiter etiam deprehenditur, si metallicus Rex liquatur, & in glandes funditur. Eâ námque fusione metalla permixta separantur dum quod optimum & grauissimum est in fundum semper decidat, leuiore contrà supereminente &c.

2. per aquas fortes, &c. Possunt etiam duo vel tria permixta metalla in acri fortíque aqua separari, vnúmque ab alio extrahi, extendi, & resolui: si autem vtraque metalla vnà resoluuntur, vnum eorum in ista Resolutione, velut arena aut calx, cum sale, vt conuenit, diuerberari ac deprimi, & ita separari potest.

3. per sulphur. Præterea metalla etiam per fluxionem separari queunt, hoc processu. Fac metalla fluant. Si facta fluxilia sunt, optimè sublimati & purgati sulphuris pro qualibet libra metalli vnciam vnam iniice. Ibi id comburetur & eâdem opera alterum metallum, nempè leuissimum, in sublime trahet, grauius autem in fundo relinquet. Hoc modo vnà stent, vt refrigerentur. Ita in vno Regulo metalla duo inuenietur, nó vt priùs, mutuò permixta sed sibi opposita, & sulphure tanquam muro dirempta, sicut oleum duas aquas ita intercludit, vt iungi & commisceri non possint: ita & sulphur metalla. Sulphuris vis mira in separatione. Sulphur itaque Arcanum singulare insigni laude dignum est.

Vola-

4 Per Mercurium viuum. Volatica & fugacia metalla, velut Aurum & argentum, si à mineris separanda sunt, quoniam nec in igne, nec in Aquisfortibus contineri & donari queunt, per Mercurium viuum Amalgamari, separari & extrahi debent. Mercurius autem viuus postea per gradum destillationis, à metalli, auri argentiue calce abstrahendus & separandus est.

Hoc modo cætera etiam metalla, vt Aurum, Argentum, Cuprum, Ferrum, Stannum, Plumbum, &c. velut & alia ex his parata, vt Electrum rubeum, Magnesia alba, aurichalcum, plumbum cinereum, Laton, æs Caldarium, pars cum parte, &c. & quæcunque huius generis transmutata metalla sunt, cum Mercurio viuo, in puluerisatione ab extraneis abstrahuntur & separantur. Ea enim Mercurij viui Natura & conditio est, vt cum metallis amalgametur; & totus vniatur, cum hoc tamen vel illo aut citiùs, aut tardiùs, prout metallum eius naturæ plùs minúsue cognatū est.

Hoc in censu præcipuum est Aurum finum, deindè finum argentum, tertium plumbum, quartum stannum, quintum cuprum, postremum ferrum. Sic inter transmutata metalla primum est pars cum parte, deindè plumbum cinereum, præterea Laton, insuper æs caldarium, porrò Rubeum, & nouissimum Album. Quanquam pro vna vice Mercurius plùs vno metallo non assumat, cum quo amalgametur. Illud tamen Amalgama postea semper per corium hircinum aut pannum gossypinum iniectâ (vt docet) chordâ, fortiter exprimendum est. Hoc enim pacto per corium aut pannum nihil præter solum Mercurium viuum transibit. Is quod attraxerat metallum, illud in corio aut panno remanet instar calcis, quod postea cum sale Alcali aut alio in corpus Metallicum eliquando reducere potes. Hoc autem ingenio Mercurius viuus ab vniuersis metallis multò expeditiùs & compendiosiùs, quàm per gradum destillationis segregatur, &c. Hoc per Mercurium viuum processu à perito & industrio Alchimista metalla omnia post calcinationem suam in puluerisatione, à se inuicem extrahi ac separari possunt. Eodem modo, facili admodum labore stannum etiam ac plumbum à cupro aut vasis cupreis, à ferro & chalybe stanno obductis, citra omnem ignem & aquam per solum Mercurij viui Amalgama, vt diximus, separari potest. Nihilominùs etiam rursum & foliatum aurum argentúmue, velut & molitum tritúmque quoduis metallum, penicillo aut calamo, pannis, membranis, papyro, corio, lignis, lapidibus aut aliis inscriptum illitúmque per Mercurium viuum resolui potest, vt tamen postea Mercurius ab illis metallis separari iterum ac segregari queat.

5 Per corrosiuas aquas. Separatio autem metallorum in aqua forti, Aqua Regis, & similibus aliis corrosiuis fortibus, hac ratione fit. Sumatur metallum permixtum, & alij coniunctum; & in laminas tenuissimas aut granula minima reducatur. Indatur in vas separatorium, & ei affundatur Aquæ fortis communis, quantum satis est, stent, & mutuò macerentur, donec metallum omne in pellucidam aquam resoluatur. Id si argentum est, & aurum in se continet, argentum vniuersum resoluetur in aquam; & aurum calcinabitur, & nigræ arenæ specie in fundo subsidebit. Eâ ratione duo metalla, aurum & argentum separata erunt. Si autem argentum solum sine gradu destillationis per aquam fortem separare, & in fundum instar arenæ deorsum agere, ac à resolutione in calcinationem reducere voles: tunc in resolutionem illam lamellam cupream iniice, & argentum in aqua illicò subsidebit, ac instar niuis fundum occupabit vitri, & lamellam cupream paulatim consumere incipiet.

Argenti & cupri separatio per Aquamfortem communem, hoc modo fit. Cuprum, quod argentum, aut argentum quod cuprum in se continet, prædicta ratione in tenuissimas laminas aut granula reducito, & in vas vitreum indito, ac Aquæ fortis communis quantum sufficit, addito. Hoc modo argentum calcinabitur, & fundum petet instar calcis candidæ: cuprum verò resoluetur, & in pellucidam aquam conuertetur. Hæc aqua si vnà cum resoluto cupro per vitreum infundibulum ab argentea calce in vitrum peculiare abstrahatur, tunc resolutum cuprum in aqua cum communi aqua pluuia vel fluuiali, aut marina calida reuerberari ita poterit, vt instar arenæ fundum vitri occupet.

Separatio autem abditi auri à quolibet metallo, fit per Gradum Extractionis in Aqua Regis. Huiusmodi námque aqua metallum nullum, quàm solum aurum finum resoluere aggreditur, &c.

Eadem Aqua Regis separat etiam aurum finum ab inauratis Clenodiis. Illa enim si his illinatur, aurum abstergit & distringit, &c.

Prætetea etiam cum cæmento per gradum Reuerberationis metalla duo permixta à se inuicem separari possunt, maximè verò, si non in simili Fixationis gradu consistunt, vt ferrum & cuprum. Quod verò metallum Fixationis quàm minimum habet, velut stannum & plumbum: id per gradum Reuerberationis in Cæmento vniuersum consumitur. Quò autem Fixius est metallum, eò minùs à cæmento affici ac consumi potest. 6 Per gradum Reuerberationis.

Sciendum itaque, aurum finum omnium fixissimum & perfectissimum esse metallum, quod à nullo cæmento consumi possit. Huic proximum est Argentum finum. Si verò aurum & argentum inuicem in vno corpore permiscentur, quod pars cum parte vocari solet, aut argentum in se aurum, aut aurum argentum continet: hæc inquam permixta si vnà in cæmentum data Reuerberentur, tunc aurum perpetuò integrum & inuiolatum manet, argentum autem per cæmentum consumitur, & ex fino auro extrahitur, ita, vt seorsim sit cuprum ab argento ferróque aut stannum à cupro & ferro, aut plumbum à stanno, &c. & sic deinceps. Pars cũ parte quid sit.

De Separatione Mineralium.

POstquam Metallorum à sua terra & materia, velut etiam metalli vnius ab alio separationem hactenus explicuimus, & quâ fieri potuit, summâ, attamen accuratâ breuitate secundùm artem Alchimicam & Expe-

Experientiam proposuimus: fas vtique ac necessarium erit, nos deinceps quoque de illis rebus tractare, ex quibus metalla crescunt & generantur, vt sunt tria principia, Mercurius, Sulphur & Sal, velut & mineralia alia, in quibus primum Ens Metallorum, hoc est, spiritus metallorum reperitur, velut euidens est in Marcasitis, Granatis, Cachimiis, Talco rubro, Lazurio, &c. & similibus, in quibus primum Ens Auri per gradum sublimationis inuenitur. Sic in Marcasita alba, albo Talco, Auripigmento, Arsenico, Lithargyrio, &c. Primum Ens Argenti inuenitur. In Cobalto, Zineto, &c. Primum Ens Ferri. In Zineto, Vitriolo, Atramento, Viridi æris, &c. Primum Ens cupri. In Zineto, Bisemuto, &c. Primum Ens Stanni. In Antimonio, Minio, &c. Primum Ens Plumbi. In Cinnabari primum Ens Argenti vini reperitur.

De primo hoc Ente sciendum est, quòd sit fugax Spiritus, in volatilitate adhuc consistens, velut infans in fœminæ matrice latet, qui interdum Liquori, interdum Alcool assimilatur.

Quisquis ergo primum Ens cuiuslibet corporis talis habere, & separare satagit: huic multâ experientiâ & Spagyricæ scientiæ cognitione opus est.

Si enim in Alchimia non sedulò laborauit, nihil expediendo frustrà omnia tentabit. Quo verò modo primum Ens à quibuslibet mineralibus corporibus separandum sit: in libris Archidox. satis explicatum est, nec hîc cum tædio repeti debet. Quantum autem ad separationem Mineralium, notandum est, per gradum sublimationis huiusmodi multa separari, velut Fixum de non fixo, spiritualia & volatilia corpora de Fixis, & sic consequenter secundùm omnia membra, prout de metallis comprehensum est. Omnium enim mineralium vnus ac similis processus est per omnes gradus, sicut ars Spagyrica docet, &c.

De Separatione Vegetabilium.

Vegetabilia quot modis separentur.

SEparatio eorum, quæ ex terra crescunt, & combustibilia sunt, velut *fructus, herba, flores, folia, gramina, radices, ligna, &c.* multis quoque modis instituitur. Per Destillationem námque primùm ab illis separatur phlegma, postea Mercurius, post hunc oleum, quartò suum sulphur, denique Sal. Separationibus his omnibus secundùm artem Spagyricam factis, insignia & excellentia medicamenta multa prodeũt, cùm intrò tum extra corpori adhibenda.

Medic. reprehens.

Cùm verò ignauia tantopere apud Medicos illos inualuerit, & opera omnis, omne studium ad insolentiam tantùm conuertatur: non miror equidem, præparationes eiusmodi passim negligi; & carbones tam vili pretio prostare; quòd si fabri eadem facilitate carbonibus in suis cudendis & tractandis metallis carere possent, quâ carent illis Medici isti in præparandis medicinis: Haud dubiò carbonarij omnes ad extremam egestatem iam pridem redacti essent. Interim debito suo Elogio Medicos Spagyricos iure effero & exorno. Nec enim otio illi & desidiæ dati, superbo habitu incedunt, holoserico induti, aut digitis an-

Spagyricorum laus; & quibus differant.

nulos ostentantes, aut argenteos pugiones ex lumbis desigentes, aut nitidas Chirotecas manibus vertentes, sed laboribus suis sedulò vacantes, & noctes atque dies integras inter igneas fornaces desudantes. Hi non animi causâ exspatiando tempus fallũt: Sed oblectationem suam in Laboratorio captant. Vestibus induuntur coriaceis, aut scorteis, præcinctorium appendentes, quo manus tergant. Digitos suos immittunt in carbones, in lutum & stercus, non in annulos aureos. Instar fabrorum & carbonariorum fuliginosi & sordidi sunt, nec vultu nitido superbiunt. Apud ægros loquaces non sunt, nec sua medicamenta altè deprædicant: cùm perspectum habeant, ipsum opus artificem, non artificem opus laudare debere, verborúmque elegantiam ægrotum minimè sanare posse. Vanitatibus ergo his omnibus neglectis, gaudent circa ignem occupari, ac gradus scientiæ Alchimiæ addiscere. Huius classis sunt, *Destillatio, Resolutio, Putrefactio, Extractio, Calcinatio, Reuerberatio, Sublimatio, Fixatio, Separatio, Reductio, Coagulatio, Tinctura* & similia.

Alchimiæ gradus.

Cæterùm quomodo hæ separationes omnes secundùm Spagyricam & Alchimicam artem ope distinctorum graduum fiant: antea in genere dictum est. Itaque denuò idem hîc repeti vanum est. Vt verò ad Species nonnihil pergamus, & practicam istam breuissimè explicemus: sciendum est, non vno eodémque processu, *Aquam, Spiritum, Liquorem, Oleitatem, &c.* ex herbis, floribus, seminibus, foliis, radicibus, arboribus, fructibus, lignis, per gradum distillationis separari posse.

Alium enim processum requirunt herbæ, alium flores, alium semina, alium folia, alium radices, alium arbores, locustæ & caules, alium fructus, alium ligna, &c. Et in hoc distillationis gradu discreti quoque quatuor gradus Ignis considerandi veniunt. Primus gradus Ignis in distillatione est Balneum Mariæ. Hæc est destillatio facta in aqua. Alter gradus Ignis est distillatio facta in cinere. *Tertius*, in arena. *Quartus*, in libero Igne, sicut etiam per Aquam fortem & alias violentas aquas destillatio fieri solet. Sub primum ignis gradum spectant Herbæ, flores, semina, & similia. Sub secundum folia, fructus, &c. Sub tertium radices, rami & locustæ arborum, &c. Sub quartum ligna, & quæ his similia sunt. Horum tamen quodlibet minutim incidendum aut contundendum est, priusquàm in distillatorium indatur. Et hæc de distillatione Aquarum, & vegetabilium substantiarum dicta sint. Quantum autem ad separationem & distillationem oleorum attinet, processus idem tenendus est cum eo, de quo in separatione Aquarum iam diximus, nisi quòd ex parte per Descensum illa destillanda sint. Nec enim aquarum instar in Distillatorio sursum ascendere possunt. Itaque processus eorum hoc casu mutandus est. Cæterùm Liquores non vt aquæ & olea in distillatione separantur, sed sub prælo à corporeis suis substantiis exprimuntur. Et hîc sciendum est, non-

Ignis destillando gradus 4.

Quæ in quo ignis gradu destillent.

Aquæ

Olea

nonnulla quoque olea, eodem modo, quo Liquores, per prælum à suis corporeis substantiis exprimi & separari hac de causa, quia planè nullam vstionem aut Ignis calorem ferre possunt, sed ingratum ex illo odorem contrahunt. Huius census est oleum Amygdalarum, Nucum, durorum ouorum & similium. Notandum etiam hoc est, quod omnia olea, si secundùm Spagyricam & Alchimicam artem præparentur seu coagulentur, vernicem, Electuarium, Gummi aut resinam quandam fundant, quæ sulphur quoque vocari possunt, quòd si species, quæ in Distillatorio relinquuntur, calcinentur, & in cinerem redigantur, solâ ac simplici aquâ calidâ Alcali ab ipsis extrahi & separari potest. Cinis, qui relinquitur, vocatur terra mortua, nec ex illa quidquam amplius educi aut separari potest.

De Separatione Animalium.

Separationē animaliū, Anatomiā precurrere necesse est, vt seorsim sit sanguis, seorsim caro, seorsim ossa, seorsim cutis, seorsim intestina, seorsim tendines, &c. pòst, quodlibet horum per se spagyrica arte separandum est. Iraque hoc loco Separationes præcipuè quatuor sunt. Prima aquosam & phlegmaticam humiditatem à sanguine elicit. Sanguine námque hoc modo, secundum processum in libro de conseruationibus traditum, separato, Mumia nobilissima prodit, & specificum tam præstans, vt quodlibet recens vulnus, viginti quatuor horarum spatio, per vnicam ligaturam sanari & consolidari possit, &c.

Separat. animal. 4. modi seu gradus.

Mumia &c.

Altera Separatio est pinguedinis à carne. Eâ enim à carne humanâ separatâ, præstantissimus fit Balsamus, sedans dolores podagræ, contracturæ, & similes alios, si membra affecta illo calidè inungantur. Prodest idem etiam tendinibus manuum pedúmue conuulsis, si quotidie inungantur. Sanat etiam scabiem, & omnes species Lepræ. Adeóque hoc specificum chirurgicum summum est, in omnibus casibus & vulneribus apprimè commodum, &c.

Balsamus &c.

Tertia separatio est aqueæ & phlegmaticæ humiditatis vnà cum pinguedine extractæ ex ossibus. Duo námque hæc si arte Spagyrica per gradum Destillationis ab ossibus humanis separentur: porrò verò ossa per gradum Calcinationis in candidissimum cinerem redigantur seu exurantur: Et denique tria hæc iterum debitâ ratione vniantur, ita vt butyrum referant: Arcanum id ac specificum admirandum erit, quo quamlibet ossis fracturam citra dolorem tribus saltem deligationibus curare integrè possis, modo fracturam ipsam ad præscriptum scientiæ chirurgicæ tractes componásque, & specificum tandem formâ Emplastri imponas, &c. Idem etiam vulnera cranij, & quamcunque aliam ossium contusionem expeditissimè persanat.

Quarta & vltima Separatio est Resinarum & Gummarum à cute, intestinis & tendinibus. Resina námque hæc per gradum extractionis Spagyrica arte est illis extracta ac separata, & ad Solis radios per se coagulata, viscum nitidum & pellucidū euadit. Visco hoc, præscripto modo ex corpore humano præparato, extracto & separato, Arcanum ac Specificum stypticum præstantissimum prodit, quo vulnus aut vlcus expeditè conglutinari, ac labra eius adduci cogíque possunt, (non secus ac duæ tabulæ visco immisso agglutinantur.) modo resoluti illius duas trésue guttas vulneri iniicias. Hoc etiam arcanum singulare est pro Ambustis, pro vnguium lapsu aut scabritie, si pennâ illinatur. Ita enim caro nuda cuticulâ inducetur.

Multæ hîc quidem aliæ quoque separationes horum, vel illorum recenseri possent. Quarum tamen cum mentionem in locis aliis fecerimus: illas otiosè hîc repeti, frustraneum foret.

Hîc illas saltem necesse est describi, quarum alibi mentionem non fecimus.

Denique verò in fine rerum terrenarum omnium fiet vltima separatio, in tertia generatione, die illâ magnâ, qua filius Dei in Maiestate & gloria sua venturus est, cui præferentur non gladij, vincula, Diademata, Sceptra, &c. & thesauri seu clenodia regia alia, qualibus principes, Reges, Cæsares, &c. sese pompose inferunt: Sed crux eius & corona spinea, & claui per manus ac pedes traiecti, & hasta, quâ latus eius perfossum est, & arundo ac spongia, quibus potum ei porrexerunt, & virgæ, quibus percussus & cæsus est. Hunc nulla equitum turma tympanis latè clangentibus comitabitur: Sed quatuor tubæ ab Angelis versus quatuor mundi partes inflabuntur, sonitu suo fremebundo omnes in viuis adhuc existentes, vno momento occisuræ, & hos iterum vnà cum defunctis sepultis confestim resuscitaturæ.

Separat. vltima est iudicium extremum.

Indicij quę ratio futura sit.

Audietur enim vox, *Surgite mortui, & venite ad iudicium.* Ad hoc duodecim Apostoli considebunt, sellis ex nubibus paratis, & duodecim Israelis familias iudicabunt. Eo loco Sancti Angeli malos à bonis, maledictos à benedictis, hœdos ab ouibus separabunt. Ibi maledicti instar lapidum & plumbi deorsum præcipitabuntur: benedicti autē velut Aquilæ sursum volabunt. Ibià tribunali Dei ad stantes in læua parte egredietur talis vox: *Abite maledicti in ignem æternum, quod Sathanæ ac Diabolis ab æterno paratum est. Nam esurij, & vos me non cibastis; sitiui, & potum mihi non porrexistis; Æger fui, & captiuus, & nudus, & vos me non visitastis, non liberastis, non vestiuistis, denique nullâ erga me misericordiâ tacti estis. Ideo nec hîc vllam misericordiam experiemini.* Econtra ad stantes in dextra parte sic loquetur: *Venite benedicti & electi in regnum mei patris, quod vobis & omnibus angelis ab initio paratum est. Esuriui enim & dedistis mihi manducare; sitiui & dedistis mihi bibere. Hospes eram & collegistis me. Nudus eram, & operuistis me; infirmus eram, & visitastis me; in carcere eram, & venistis ad me. Ideò & vos iam in domum patris mei recipiam, in qua multæ sanctorum habitationes sunt. Miserati me estis: ideò & ego vos miserabor.*

Matth. cap. 25.

His omnibus completis & exactis, res Elementares vniuersæ ad primam materiam Elementorum redibunt, & in æternū torquebuntur,

tur, nec vnquam consumentur, &c. Econtrà sacramentales creaturæ omnes redibunt ad primam materiam sacramentorum, hoc est, clarificabuntur, & in æterno gaudio Deum creatorem suum glorificabũt & venerabuntur, à mũdo ad mundum, ab æterno ad æternum. Amen.

FINIS LIBRI OCTAVI.

LIBER NONVS DE SIGNATVRA RERVM NATVRALIVM.



Hoc libro de signatura rerum Philosophaturis nobis ante omnia conuenit, vt à quonam signata sint, quisue signator existat & quot signata numerentur, prius expediamus. Sciendum ergo est signata esse triplicia. Signata prima Homo signat, Secunda Archeus. Tertia, Astra Supernaturalium. Itaque tres hoc modo signatores existunt: Homo, Archeus, Astra. Insuper notandum est, signa ab hominibus signata perfectam secum cognitionem, & iudicium absconditarum rerum afferre, earúmque virium & facultatum abditarum notitiam impertire.

Signata & signatores triplices.

Astrorum signa dant prophetias, præsagia, &c. rerúmque supernaturales vires indicant, & vera iudicia ac indicia promunt in Geomantia, Chiromantia, Physionomia, Hydromantia, Pyromantia, Necromantia, Astronomia, Berlistica, &c. & aliis scientiis Astralibus:

Vt autem signa omnia quàm rectissimè & breuissimè explicemus: ante omnia opus est, vt signa illa, quorum Homo ipse signator est proponamus. Illis intellectis cætera quoque tam naturalia quàm supernaturalia rectiùs assequemini. Notum itaque est, Iudæos signum flauum in pallio seu tunica circumferre. Hoc quid aliud est, quàm id signum, ex quo quilibet obuius ipsum Iudæum esse intelligat. Sic Lictor ex variegata tunica vel manica internoscitur. Sic magistratus quiuis suos ministros coloribus ac insignibus suis ornat.

Mechanicus opus suum peculiari signo designat, vt quilibet, quisnam opus fecerit, intelligat. Quo fine tabellarius sui domini aut ciuitatis insigne in pallio gestat, nisi vt ex illo pateat, quòd nuncius sit, quòd huic vel illi seruiat, quòd hinc vel illinc emigret, & sic transitum tutum impetret, &c.

Sic miles tesseram vel simbolum nigrum, candidum, flauum, viride, cœruleum aut rubrum gestat, vt ab hoste discerni possit. Ex eo dignosci potest, hunc esse Cæsarianum, illum Regum, hunc Italum, hunc Gallum, &c. Hæc signa sunt, quæ ad ordinem & officium spectant, quorum multa adhuc enumerari possent. Sed tamen, quoniam, alia signa, naturalium & supernaturalium rerum describenda nobis proposuimus, libellum hunc alienis sigis minimè infarciemus.

Vt ergo Signata illa, quæ homo signat, quæque non tantùm ad ordinem, officium aut nomen, sed etiam ad discrimen, notitiam, ætatem, dignitatem, gradum, &c. cognoscendum deducunt meliùs & clariùs explicemus: deinceps sciendum est, de moneta, quòd quælibet peculiarem suam probationem ac signum habeat, ex quo noscatur, quanti valoris sit, cuius domini sit, quo loco vsitata & accepta sit. Hinc à Germanis prouerbium iactatur: Numus nullibi gratior, quàm vbi cuius est.

Idem intelligendum etiam de signatis visitatis, quæ à iuratis & ad id constitutis prægressa debita inspectione signantur: cuius rei documento sunt panni, insignibus peculiaribus notati, ex quibus sciri potest, eos in examinè bonos ac probos inuentos esse. Cur sigillum appenditur literis, nisi vt vis quædam sit, quam violare nulli liceat? Sigillum enim est confirmatio literarum, vnde illæ apud omnes homines ac iudicia ratæ habentur. Sine Sigillo Apocha mortua, irrita & inanis est.

Eodem modo paucis quoque literis, nominibus seu verbis res multæ designantur, vt libri, qui vno tantùm extrà verbo inscripti, quid intùs contineant, illicò produnt.

Eadem conditio etiam est vitrorum, & pyxidum in officinis medicinalibus, quę omnes peculiaribus nominibus seu chartis appensis discernuntur. Id nisi fieret, ecquisnam tot támque inter se diuersas Aquas, Liquores, Syrupos, olea, pulueres, semina, vnguenta, &c. denique ipsa simplicia omnia discernere posset. Eodem modo & Alchimista in Laboratorio suo, omnes Aquas, Liquores, Spiritus, Olea, phlegmata, Crocos, Alcali, pulueres, denique omnes Species singulatim suis nominibus & chartis notat, vt ex illis, si opus sit, quod velit eligere possit. Sine quo præsidio impossibile est, singulorum propriam memoriam habere, &c.

Sic etiam per numerum conclauia omnia, & ædificia hominum signari possunt, vt ætas cuiuslibet ex primo illicò ascripti numeri aspectu sciri possit.

Hæc & alia signata proponere vobis volui, vt his comprehensis, à vobis in cæteris eò dexteriùs intelligar, adeóque quorumlibet significatio planior & euidentior fiat.

De Monstrosis signis hominum.

Mvlti homines monstrosis signis deformes in lucem eduntur. Sic alius digito vno abundat, alter vno deficit; idque vel in manibus, vel pedibus. Nonnullis digiti omnes in vtero matris connascuntur. Alius distortum pedem, brachium, collum, &c. secum ex vtero fert: alius luxatum dorsum seu gibbum. Sic etiam nascuntur Hermaphroditæ, Androgyni, homines scilicet, vtroque pudendo, tam virili quàm fœmineo dotati, aut etiam vtroque priuati. Monstrosorum huiusmodi signorum multa tam in masculis quàm in fœmellis notaui; quæ vniuersa pro monstrosis signis arcanorum malorum Ascendentium habenda sunt, Vnde etiam prouerbium id inualuit: Quò distortior, eò nequior: Clauda membra, clauda opera. Ea enim signa vitiorum sunt, raro aliquid boni notantia.

Monstrosi signa varia sunt.

Monstrosi signa quid indicent.

Vt suos

Vt suos filios infamibus signis carnifex notat: ita & mali Ascendentes, suos fœtus supernaturalibus malitiosis notis inurunt, vt eò dexteriùs caueantur, exemplo facinorosorum hominum, qui stigmata vel in fronte, vel malis, aut auribus, digitis, manibus, oculis, linguis, &c. præcisis ostentant.

Quodlibet horum infamium signorum peculiare vitium designat. Sic stigma in faciem mulieris, &c. inustum, aut aurium detruncatio plerunque furtum indicat. Digitorum detruncatio improbos aleatores: manus abscissio, violatores pacis: duorum digitorum amissio periuros: oculi elisio acuta & subtilia facinora tractantes: linguæ præcisio, blasphemos, calumniatores, &c. designat. Sic etiam Mamaluccos, (quos vocant) seu Christianæ religionis abnegatores ex cruce plantis pedum inusta dignoscere potestis, quòd scilicet Christum Redemptorem suum abnegauerint.

Mõstrosa signa à prægnantis imaginatione.

Sed, vt his missis ad malignorum Ascendentium monstrosa signa reuertamur sciendum est, non omnia monstrosa signa ex solo Ascendente oriri, sed frequenter etiam ex Astris humani animi, quæ iugiter ac omnibus momentis, cum Phantasia, Æstimatione seu Imaginatione ascendunt descenduntque, non aliter, ac in Firmamento superiore. Hinc vel ex metu vel terrore prægnantium multa monstra, aut liberi monstrosis notis in vtero signati nascuntur. Horum causa primaria est timor, terror, appetitus, à quibus Imaginatio suscitatur. Prægnans si imaginari incipit, tunc cœlum ipsius motu suo circumfertur, non secus ac Firmamentum superius, singulis momentis Ascendentibus vel surgentibus, vel decumbentibus. Nam ad exemplum Firmamenti maioris Astra Microcosmi quoque per imaginationem mouentur, donec insultus quidam fiat, quo Astra Imaginationis Influentiam & Impressionem prægnanti conferant, non secus ac si quis sigillum imprimat, aut monetam effigiet. Vnde hæc signa & notæ geniales, inferiorum Astrorum Impressiones vocantur, de quibus multi multa philosophati, & ex illis homines solidè diiudicare conati sunt, quod tamen fieri minimè potest. Adhærent tamen illa, & imprimuntur fœtibus, prout Astra matris vel frequentia vel violenta in fœtus incumbunt, aut matris desiderio non satis fit. Nam si mater hunc vel illum cibum desideret, & eo potiri nequeat: Astra autem velut in seipsis suffocentur, & occidant: desiderium id fœtum per omnem vitam comitatur, vt illud nunquam satiare commodè possit. Eadem etiam aliorum ratio est: de quibus tamen hîc prolixiùs non disquiremus.

De Astralibus signis Physionomiæ in homine.

Physionomiæ origo quæ.

Signa Physionomiæ ex Astris superioribus suum ortum consequuntur. Scientia hæc Physionomiæ à maioribus nostris & cumprimis ab Ethnicis, Tartaris, Turcis &c. aliisque populis, apud quos homines ad seruitia vendi moris est, summo loco habita fuit, & nec apud Christianos penitus extincta est. Cum ipsa tamen multi quoque errores vnà irrepserunt, hactenus à nemine animaduersi, dum quilibet bardus & rudis indiscretè de quolibet iudicandi licentiam sibi sumpsit. Vbi admiratione dignum est, errores illos, ex operibus, factis, viribúsque hominum nunquam animaduersos esse.

Astra cur alios cogãt, alios minus.

Quòd si quis hoc loco contra nos argumentetur, dicens, Signa Physionomiæ ab Astris esse, Astra autem neminem cogendi, compellendi & incitandi potestatem habere: is quidem malè non loquitur: sed tamen discrimen aliquod in eo est cumprimis notandum, quòd alium Astra cogant, alium non cogant. Hîc iam sciendum est, quisnam Astra regere ac coërcere possit, aut quis ab Astris gubernetur. Itaque pro hoc notandum est, virum sapientem dominari Astris posse, nec verò illis subiectum esse. Astra sapienti subdita sunt, & ei obsecundare coguntur, non ipse Astris. Animalem autem hominem Astra cogunt, compellunt, coërcent, vt quò ducunt, sequatur, non secus ac fur patibulum, latro rotam, piscator pisces, auceps aues, venator feras sectatur. Hîc quid aliud in causa est, quàm quòd homo eiusmodi nec seipsum, nec suas vires aut nouit aut impendit, nec cogitat, sed minorem mundum esse, ac Firmamentum vniuersum cum suis viribus intra se conditum habere? Qua de causa animalis & insipidus homo vocatur, fœdæque seruitutis ac terrenorum omnium mancipium: cum tamen à Deo in Paradiso priuilegium acceperit, vt cæteris creaturis vniuersis imperaret & dominaretur, nec eis obediret. Ideò omnium quoque nouissimè ipsum creauit, cæteris vniuersis iam ante ipsum conditis. Hoc ius postea per lapsum homo perdidit. Ipsa tamen sapientia hominis seruilis minimè facta est, nec libertatem suam ille manumisit. Vnde opus est, Astra ipsum sequi, eique obedire, non ipsum Astris. Et licèt is quidem filius Saturni, Saturnúsque ipsius Ascendens sit: potest tamen seipsum illi subducere, & ita eum vincere, vt soboles Solis fiat, adeóque sese alij planetæ subiiciat, ac se eius filium faciat. Et idem ferè hîc euenit, quod fossori, qui fodinarum domino aliquandiu suam operam elocauit, & cum vitæ periculo prouinciam suam rectè administrauit, tandem verò hoc discursu rationem secum init: Ecquid tandem futurum de te sit vitam omnem sub terra transigas, & continuis laboribus vrgendis insuper etiam corpus ac vitam ipsam in discrimen voces? Dimissione à meo Domino impetrata, herum alium sectabor, vbi mihi vita suauis fluat, vbi cibi potúsque copia affluat, vbi vestes niteant, vbi nihil operæ, multum mercedis detur, vbi ab incumbente monte nihil oppressionis impendeat, &c. Hoc ille quidem medio seipsum dominum constituere potest, cùm aliàs per omnem vitam seruus & mercenarius mansurus fuisset, duris laboribus & victu tenui tabescens, &c.

Homo dominus omnium creaturarum.

Homo Astris sese subducere & submittere potest.

Porrò sicut iam percepistis, hominem Astris imperare, & maligno planetæ sese subducere, ac alij meliori subiicere, ex seruitute

uirtute ad libertatem penetrare, adeóque ex mali planetæ carcere sese eruere posse: ita animalis quoque homo, qui filius Solis, Iouis, Veneris aut Mercurij est, benigno sese planetæ subducere & Saturno Martíue subiicere potest. Huic similis est ille, qui ex religiosorum collegio aufugiens, & vitæ mollis impatiens miles fit, aut aliàs homo nauci, cui postea in dolore & ærumnis omnis vita ducenda est. Talis etiam est vir locuples, qui leuitate impulsus, bona sua iniquè dilapidat & consumit, aleis, comessationibus scortationibus &c. quibus inhiat tamdiu, donec vniuersis absorptis, tandem egeat, & cum infami egestate miserè conflictatus meritò risui & contemptui omnibus fiat, vt etiam à pueris in plateis audiendum sit: Ecce, homo nauci & nihili, qui cum dominus esse posset, dominio fastidito, maluit esse seruus, mendicus, seruorum mancipium, cùm ad dominium denuò ne aspirare quidem liceat. Et hùc malignum Astrum seu ascendens ipsum adegit. Nisi fatuus & improbus fuisset, Astris tam certum in se dominium non reliquisset, sed illis omnino reluctatus fuisset. Et quamuis per se ipsum quidem resistere Astris minimè sciuisset: potuisset tamen animum ad aliorum exempla intendere, sic apud se cogitans: Ecce, quàm opulentus iste vir fuit: sed friuolis & pudendis negotiis, in metam se paupertatem coniecit. Item, iste vel iste splendidè vixit, & citra labores corporis insignes cùm bonum cibum, tum mercedem amplam adeptus commoditates eas ferre ampliùs non potuit. Iam parcè & sordidè viuendum, & vini loco potanda aqua est, interim laboribus indies cumulatis, mercede verò imminuta. Eiusmodi sortis homo quoties quæso secum ita sermones confert: Ecquid feci? quò me præcipitem dedi, rem collectam partámque tam turpiter prodigendo? Quam quis restituet? Si, quod periit, recepero: longè alia viuendi ratio instituetur, adeóque meo damno sapere discam, & malè facta consilio saniore recompensabo. Sed scire conuenit, neminem damno suo proprio sapere. Qui sapiens est, ab alieno exemplo sapit, non suomet. Qui enim suum prodegit semel, is prodiget etiam denuò. Qui semel perit, perit etiam denuò. Qui semel aleam iecit, iacit eandem & denuò. Qui semel furatus, patibulum effugit, furari conatur etiam secundò. Sic enim is apud se cogitat: Semel atque iterum successit molimen. Cur non & tertiò quartòue, &c. succedat? Si Deus semel, quod perierat, restituit, restituet etiam secundò, tertiò, &c. Si in miseria prima desertus non fui: non ero vtique etiam in secunda aut tertia, &c. Hæc omnia facit homo animalis, Astrorum seruus & mancipium, qui ab astris ceu arundo in vndis quoquò versùm agitur & impellitur. Hæc etiam causa est, cur in miseria vita ipsi exigenda, adeóque in infamia moriendum sit. Quis ergo fœdam illam seruitutem sustineat, & se ex tam squalido carcere non extricet? Nam sua propria sapientia accedente sui Astri ope quiuis sese inde eripere & liberare potest Rem sic expendite. Auceps suâ prudentiâ fretus, & Astri sui ope Astrum aliud vincens, vt aues ipse sectetur, opus non habet, sed hæ sequentur ipsum, etiam naturâ ipsarum reluctante ad loca insueta conuolaturæ. Sic piscatori suæ sapientiæ, à Deo datæ, vacanti, pisces vltrò adnatant, etiam vt manibus capiantur. Venator, sapientiam suam impendens, astro suo feras adeò cogit, vt non ipsas sectari opus habeat, sed ipsæ sectentur illum, etiam nullo Naturæ dictu ac impulsu. Et sic etiam de cæteris creaturis viuentibus, &c.

Sapit nemo damno proprio, sed alieno sapiēs

Pro horum ergo captu sciendum est, Astra esse duplicia. Terrena nempe & cœlestia: illa stultitiæ, hæc sapientiæ. Et velut mundi duo sunt, maior & minor, minórque maiorem regit: sic & astrum Microcosmi Astrum cœleste gubernat & vincit. Nec enim eo consilio Deus Planetas & cætera cœli Astra creauit, vt ipsa homini dominentur, sed vt eadem, ceu creaturæ reliquæ ipsi pareant ac seruiant. Et licèt Astra quidem superiora inclinationem dent, hominémque velut, & cætera terrena corpora signis naturalibus pro generationis modo signent: ea tamen potestas aut dominium nullum est, sed prædestinatum tantùm mandatum ac officium, quò nihil occultum & absconditum maneat, sed per exteriora signa vis & potestas interior prodatur.

Cęterùm, vt ad propositum nostrum de Physionomicis signis hominum reuertamur, sciendum est, ea duplicia esse, externa quidem specie similia, sed tamen viribus & affectu dissimila. Alia sunt ex supernis astris cœli, alia ex infernis astris Microcosmi. Quicquid astrum superius signat secundùm generationem vsque ad ætatem mediam: id signatum est prædestinatū, peculiaribus viribus minimè carens. Testatur enim de Natura & conditione hominis. Quicquid autem inferius Astrū Microcosmi à Generatione signat, ortum suum habet à patre & matre, quoties scilicet mater Imaginatione sua, aut Appetitu, timoréue aut terrore, per contractum fœtum suum in corpore signis supernaturalibus, quæ notæ maternæ seu vterinę vocātur, affecit, de quibus cùm antea nobis dictum sit, iam iterationis labori meritò supersedemus, cùm nostri instituti sit saltem de signatis physionomicis tradere, vbi prædestinata saltem signata astri superioris proponemus, sub quib. intelligimus signata hominum illa, quæ neque pater neque mater eadem similitudine in corpore suo gestâqunt. Huius classis sunt, nigri, cœsii, parui, magnúe oculi, longus, curuus & acutus nasus, foueæ in malis, maxilla surrecta, simus aut latus nasus, graciles vel vastæ aures, promissum collū, oblonga facies, patens ac deductū os, crassi, subtiles, multi seu densi, rari, nigri, flaui, rubri capilli, &c. Horum signorum si vnum pluráue in homine apparent, ea suis indiciis minimè carere sciendum est. Opus tamen est, vt secundum scientiam Physionomicam ea consideretis, & certam artis signatæ peritiam habeatis, quâ per externa signa internum hominem cognoscere possitis.

Et vt ad nostri instituti Practicam descendamus, & nonnulla horum signa, velut & significationem eorum ex parte recenseamus: sciendum est, Nigros oculos præter constitutionem sanam, plerunque etiam

indicare

indicare constantem animum, minimè ambiguum, haud meticulosum, sed vegetum & cordatum, veracem, & virtutis amantem.

Cæsij quid. Cæsij oculi indices sunt hominis dolosi, ambigui, inconstantis. Imbecilli oculi notant bona consilia, argutas & profundas deliberationes, &c. Lusci, qui sursum, deorsum, & ad vtrumque latus versatiles sunt, notant hominem falsum, callidum, decipi nescientem, infidum, laborum fugientem, otij studiosum, victum quærentem desidiâ, aleâ, fœnore, scortatione, rapinis & similibus &c.

Lusci quid.

Parui & profundi quid. Oculi parui & profundiores, visum imbecillum & debilem, frequenter autem in senio futuram cœcitatem indicant, velut & fortes homines, bellicosos impauidos dolosos & agiles, factiosos, patientes fortunæ, quorum tamen vitæ exitus plerunque tragicus est, &c. notant.

Magni quid. Magni notant auarum, voracem, maximè si extra caput promineant.

Nictantes quid. Oculi assiduè nictantes, indicant visum debilem, & hominem timidum & sollicitum; oculi qui velociùs huc illuc mouentur ad aspectum hominum, indicant cor amatorium, prudens, & expeditæ inuentionis.

Mobiles quid

Deiecti quid. Oculi assiduè deiecti indicant hominem verecundum & modestum.

Rubei Lucidi. Oculi rubei hominem audacem, fortem &c.

Lucentes oculi nec facilè mobiles, indicant Heroem, magnanimum, fortem, alacrem, hostibus suis formidolosum, &c.

Aures magnæ quid. Aures magnæ indicant probum auditum, bonam memoriam, attentionem, diligentiam sanum cerebrum & caput, &c.

Depressæ. Aures depressæ mali augurij sunt. Indicant enim plerunque hominem malitiosum, fraudulentum, iniquum, & malum auditum, malam memoriam, hominem impauidum, & facilè sese periculis exponentem.

Nasus longus quid. Nasus longus, & deorsum incuruatus boni signi est. Notat hominem strenuum, prudentem, occultum, immitem, & tamen iustum, &c.

Simus quid. Nasus simus indicat hominem malignum, falsum, libidinosum, mendacem, inconstantem, &c.

Acutus quid. Nasus acutus, hominé versipellé, illusoré, &c.

Promissus quid. Nasus promissus, hominem tardum in omnibus negotiis, &c. odoratu tamen insigné &c.

Buccæ foueis excauatę quid. Buccæ, foueis excauatæ, loquacem, contemptorem, contentiosum, &c.

Mentum oblongũ quid. Mentum oblongum cum facie longâ, hominem iracundum, ad labores tardum, &c.

Mentum fissum quid. Mentum fissum, hominem fidelem, officiosum, abditi & diuersi sermonis, iam hoc loquentem, & aliud tamen intelligẽtem, iracundum, irę pœnitentem, ingeniosum, & inuentiosum.

Os magnum & paruum. Os magnum amplúmque hominem voracem, insipidum, fatuum, impudentem intrepidum, &c. Os paruum, contrarium indicat.

Labra attracta quid. Labra attracta, vbi superius inferiore maius est, hominem iracundum, bellicosum, animosum, plerunque tamen crassorum & impudicorum morum, instar porci, &c.

Labra infernè magna quid. Labra infernè magna crassum, stultum, & bardum, &c.

Pili cur nihil arte designent. De crinibus vel capitis vel barbæ iudicia non admodum certa sunt, quoniam visus docet, eos miro modo variari posse, vt vel nigri, vel flaui, vel rubri, vel candidi & cani, vel crispi erumpant. Sic redduntur etiam molles vel duri, prout, quisque eos desiderârit. Et hinc factum est, vt multi, Physionomicæ scientiæ aliàs satis gnari, fallerentur turpiter, dum de crinibus iudicium temerè facerent, astris imputantes, quæ ipsis potius hominibus ascribenda fuerant. Negari tamen minimè potest, capillos firmiter in capite defixos, & capitis & totius corporis bonam valetudinem indicare. Hæc etiam causa est, cur equorum emptores caudam illorum vellant, vt hoc modo de sanitate eorum iudicare possint. Sic porci probantur ex setis, pisces ex pinnis & squamis, auis ex pennis, &c.

Collum procerius quid. Collum si æquo procerius sit, & naturæ limites transcendat, notat hominem sollicitum, prudentem, attentum, &c.

Lati humeri quid. Lati humeri & dorsum, hominem robustum ad portandum & emouendum, &c.

Brachia lacertosa quid. Brachia lacertosa, hominem validum & robustum in verberando, tundendo, iactando, &c.

Manus duræ quid. Manus duræ, hominem laboriosum & mercenarium, &c. contrà verò molles, contrarium.

Corpus, &c. Corpus breue, & longa crura, bonum cursorem, cibo potúque facilè satiabilem, plerunque tamen vitæ breuioris hominem notant.

Venæ magnæ quid. Venæ Magnæ & conspicuæ infra medium ætatis, hominem sanguineum & succi plenum, supra verò medium ætatis frequenter ægrotantem, viuacem tamen, &c.

Ex moribus nihil certi indicari. Quantum verò ad mores & gestus spectat, ex illis homo cognosci tam facilè non potest, nec iudicari. Experientia enim docet, hos quouis momento mutari posse, vt Signatori fucum faciant, & ad erroneum iudicium ipsum deducant. Id quod ab Astronomis vniuersis quidem hactenus tam accuratè obseruatum non est. Signatoris ergo est, non semper ad mores & facta respicere, sed ad alia potius corporis signa, quæ fixa sunt, & nullâ arte fucari aut mutari queunt. Nam si rubri crines, commotio frontis & palpebrarum, hilaris, erectus & immobilis vultus, frequens agitatio oris, validus & præmeditatus ingressus, & animus leuis, necessariò indicarent virum & militem generosum strenuúmque talem vtique suâ industria quiuis se præstare facilè posset, vt in lustratione eò meliùs staret, & stipendium amplius impetraret. Idem similiter etiam de cæteris moribus, qui sapientiam, stultitiam, veritatem, mendacium, fortunam, victoriam, &c. præ se ferunt, æquè iudicandum est.

De Astralibus Signis Chiromantiæ.

DE Chiromantiæ signis tenendum est ea ex superioribus Astris septem Planetarum oriri, & ex septem Planetis ea omnia cognosci debere ac iudicare. Est autem Chiromantia scientia, quæ non saltem manus hominum inspicit, & ex illarum lineis, locustis & rugis iudicium facit: sed insuper etiam omnes herbas, ligna, silices, terras, & flumina. denique quicquid lineas, venas, rugas, &c. habet, considerat. Sed nec hæc scientia suis erroribus, quos Astronomi illi oggesserunt, caret.

Chyromantia quid.

Digitos enim vtriusque manus Planetis & præcipuis Astris assignârunt, cum tamen digitorum in vnâ manu tantum quinque, in vtrisque decem sint, Planetæ tamen septem saltem numerentur. Quomodo ergo hæc inter se conuenire possint? Quod si digitorum in vna manu septem essent: tunc cuilibet Planetę digitum vnum assignari, concedi posset. Sed tamen frequenter etiam hoc accidit, vt quidam in vtraque manu septem tantum digitos habeant, cæteris casu quodam detruncatis. Vbi cum trunci adhuc supersint, nec illi tales nati sint: res vtique illa huc referri nequit. Et si quidem fieret, vt homo cum septenis digitis nasceretur, siue in vnâ siue vtrâque id manu esset: id tamen monstrum foret, præter naturæ ordinem productum, Astris minimè subiectum: Ideóque nec hîc vlla comparatio institui potest. Quòd si verò quinque omnino digitos in qualibet manu, & Planetas septem esse, ac hæc mutuò inter comparari oporteat. Conueniret vtique, vt planetæ sortes in vrnam mitterent, ad cognoscendum hoc, quinam duo Planetæ decedere debeant. Quod tamen cùm fieri non possit, Planetæq; nec tesseras, nec sortes in firmamento habeant: iure admiratio subit, ecquis hanc sibi potestatem sumpserit, vt Planetarum nomine sortiens, Veneri Pollicem, Ioui indicem, Saturno Verpum, Soli Annularem seu Medicum, Mercurio Auricularem assignârit & contulerit, Martem interim & Lunam, quasi ex tribu & libertate sua eliminans. Quæ si ita se habent: ecquis iam admiretur, ex indignatione iusta Martem filios suos instigare, vt illi Sortiarium istum occidant, aut alias perpetuas simultates contra ipsum alant? Quis admiretur, cur Luna illi lusori aut cerebrum infirmet, aut rationem omnem elidat? Et hic primus iste error est, quem in Chiromantia committi diximus.

Digiti an Planetis assignati.

Digiti qui quibus planetis assignati.

Error secundus in hoc est. Frequenter accidit, vt originales naturalésque lineæ manuum per noxas aut casus fortuitos mutentur, aut maiores minorésue fiant, aut aliis locis appareant. Sicut enim, si via quædam trita à re quâdam obstruitur, aut ab illapso monte obtegitur, aut ab aquarum exundatione corrumpitur, homines viam ei propinquam aliam moliuntur: ita & lineis veteribus manuum accidit, vt interdum post sanationem vulnerum aut vlcerum vnà cum nouâ carne, nouæ etiam lineæ enascantur, veterésque penitus deleantur. Eodem modo & propter duros labores lineæ obliterantur aut, quæ primariæ sunt, grandescunt. Vbi idem euenit, quod de arboribus notum est. Si enim adolescens arbor vndiquaque frondes multas emittit: tunc præcisis multis, arbor ipsa grandior euadit.

Sed vt tandem ad practicam huius scientiæ Chiromantiæ digrediamur, & sententiam nostram breuibus aperiamus: scire vos velim, me quidem, quantum ad manus attinet, nihil quicquam ibi mutare, sed veterum obseruationibus & descriptionibus acquiescere. Institui tamen in hac Chiromantiæ practicâ de illis saltem scribere, de quibus veteres nihil commentati sunt, veluti de Chiromantia Herbarum, Lignorum, Lapidum, & similium. Et notari debet primum, herbas omnes, quæ vnius generis sunt, vnius & eiusdem quoque Chiromantiæ esse. Si autem lineæ illarum dissimiles sunt, & in aliis maiores minorésue apparent: id à senio ipsarum est. Expresè itaque profitemur, herbarum Chiromantiam ad nihil aliud conferre, quàm vt cuiuslibet herbæ aut radicis ætas sciatur & cognoscatur.

Chiromantia herbarum, lignorum &c. à veteribus non tradita.

Eius quis vsus.

Posset hîc arguendo quispiam ita instare, & asserere, nullam herbam quamdiu radici suæ adhæret, adultiorem fieri 4. aut ad summum quinque mensibus, dum à Maio vsque ad autumnum supputatio inchoatur, quo tempore quælibet herba interit, & à radice sua deficit. Ad hoc ego respondeo, vnicam virtutem in radice existere, quæ primum Ens & spiritus herbæ sit, ex quo herba enascitur & sustentatur vsque ad prædestinatum suum tempus, adeóque vsque ad seminis productionem exaltatur. Et hoc signo seu indicio est, virtutem illam retrò in radicem illam commeare, & herbam ita exarescere. Quamdiu autem spiritus iste, qui herbæ summa vis est, in radice remanet, quotannis herba ea renouatur: nisi fiat, vt spiritus iste vnà cum ipsa herba auferatur & exolescat. Tunc enim herbæ illius renouatio nulla est. Radix enim emortua est, nec in se vitam amplius habet. Quo verò modo spiritus ille cùm herba à radice, aut cum radice à terra auferatur, vt virtus eius retrò, aut in radicem, aut à radice in terram abeat, hoc loco pendendum non est. Id enim sublime Naturæ Mysterium est, nec propter Sophisticos Medicos palam proferendum, vt quibus talia arcana non saltem ludo, sed etiam summo contemptui sunt. Hic ergo quod omittimus, in Herbario tradenus, &c.

Spiritus herbis quę conditio.

Porrò, quò herbæ iuniores, & minùs annosæ, eò plùs viribus ac facultatibus præstant. Sicut enim per senium homo eneruatur, & secundum vires naturales deficit: ita & herbæ.

Vt verò sciatur, quæ herbarum & rerum similium Chiromantia ac ætas sit: Experientia diuturna requiritur, cùm annorum numerus illis inscriptus non sit, sed ex solâ Chiromantiâ, vt dictum est, diuinetur. Chiromantia autē non numeros, non literas, non characteres, sed lineas tantùm, venásq; ac rugas &c. pro ratione cuiuslibet ætatis suppeditat. Quo enim quodlibet grandæuius: eò maiores & spectabiliores lineæ exhibentur, & virtus ac operatio rei ignauior est. Sicut enim faciliùs curatur morbus vnius mensis vel anni, quā qui duorū, trium, quatuor, quinque; &c. mensium vel annorum est: ita & herba, vnius anni morbum suū citiùs curat quàm quæ duę duorum, trium &c. annor. est, Et hâc de causâ malis vetustis, herbæ iuuenculæ & minus annosæ: recentib, autē veteres herbæ & medicinę debentur. Vetus namq; si veteri iungitur, cœcus cœcum ducit, & vterq; in foueam cadit. Hæc causa est, cur multa medicaměta nihil operentur. Sed intra corpus subsistant, & membra occupent, velut lutum adhęret calceis, vnde morbi postea duplicātur, &c.

Morbis antiquis recentes herbæ &c. & contra debentur.

Quod

Quod quidem ab imperitis Sophistis hactenus minimè expensum est, dum per ignorantiam suam multò plures perdiderunt, quàm sanârunt. Cumprimis autem vos Medicos decet scire, quòd perpetuò medicinam morbo iuniorem esse oporteat, vt scilicet felicius vincat, & in expugnando malo robustior sit. Si enim medicina morbo potentior & valentior est, morbus expugnabitur, & vt ignis ab aqua extinguetur. Si potentior morbus est medicinâ, medicinam ille in venenum mutat, vnde morbi postmodum geminantur & ingrauescunt. Itaque si morbus ferreus est, oportet medicinam esse Chalybeam. Chalybs enim ferro vinci minimè potest. Potentius semper vincit, & ignauius domatur, &c.

Etsi ergo instituti quidem nostri ab initio non fuerit, hoc loco de medecinâ scribere: propter veros tamen ac genuinos Medicos hæc silentio præterire non potui.

De Signis Mineralibus.

Mineralia quibus discernuntur. MInerę quoque ac metalla extra quidem ignem & effossam materiam vera sua indicia & signa promunt, quæ simul & ab Archeo, & ab Astris superioribus acceperunt, quolibet suum genus discretis coloribus & terræ differentiis referente. Aliud enim est minerale auri, ab argenti minerali. Sic diuersum est minerale argenti, à minerali cupri. Diuersum est minerale cupri à minerali ferri. Sic etiam ferri à stanni & plumbi. Et sic deinceps. Inficiari nemo potest, quin per Chiromantiam fodinarum mineralia & metallica corpora omnia, quæ in terræ abditis latent, ex signis exterioribus cognoscantur. Ea Chiromantia est fodinarum, venarum, & ductuũ, &c. ex quibus non ea solùm, quæ interiùs condita sunt produntur, sed etiam certa profunditas, & fodinæ opulentia, ac metalli copia manifestantur. Et in hac Chiromantia tria scitu necessaria sunt: nempe Ætas, Profunditas, & Latitudo Venarum, sicut paulò antè etiam de herbis dictum est. Quò enim antiquiores Venæ, eò fodina metallis opulentiores & auctiores. De hac philosophandum ita est quòd metalla omnia, quæ in sua adhuc matrice latent continenter & iugiter crescant. Vnde & hoc liquet, rem quamlibet crescentem, etiam extra matricem suam positam, minorem fieri non posse, sed subindè augescere, hoc est, multiplicari, & secundum suam substantiam, mensuram, & pondus vsque ad tempus prædestinatum increscere: Prædestinatum hoc tempus est tertia pars destinatæ ætatis omnium mineralium, vegetabilium & animalium, quæ omnium rerum terrenarum tria summa genera sunt. (Rerum omnia genera summa tria sunt.) Quod autem in sua matrice adhuc versatur, tamdiu crescit, donec matrix in seipsa emoriatur. Nam & matrici prædestinatum suum viuendi & moriendi tempus est, si modò illa externis Elementis subiecta est. (Elementorum quis terminus. Infraterram degentia sunt incorruptibilia.) Illis quod subiectum non est, nullum tempus, nullum terminum habet alium, quàm Elementa ipsa habent, cum quibus id etiam in die nouissimo (qui illorum terminus est) interibit. Hinc sequitur, omnia, quæ infra terram sunt, externis Elementis minimè subiici. Nec enim calorem nec frigus, nec humiditatem, nec siccitatem, nec ventum, nec aërem, a quibus destrui possint, sentiunt. Eiusmodi itaque corpora non possunt putrescere, situmue & putorem contrahere, aut emori quamdiu infra terram in suo Chao consistunt. Sed & hæc iam de metallis & lapidibus dicta sunt: ita sciendum est, hoc modo multos etiam homines in montium Cauernis centenis aliquot annis sese sustentâsse, veluti fuerint Gigantes & pygmei, de quibus singularem libellum conscripsimus.

Vt verò institutum nostrum pertexentes, ad practicam Chiromantiæ fodinarum breuissimè docendam digrediamur: sciendum est, venas, quò profundiores & latiores, eò vetustiores esse. Vbi verò venarum tractus longissimè exporriguntur, & tandem fatiscunt, nec absconduntur, signum id malum est. Sicut enim venarum ductus fatiscunt: ita illarum etiam fodinæ fatiscunt, quas profunditate illæ indicant. Etsi interdum fodinæ bonæ inueniantur, quò tamen profundiùs descenditur, eò subindè magis magisque illæ vanescunt, vt labor non nisi cum dispendio vrgeri possit. Vbi autem venæ illæ nobis subindè aliis accessoriis augentur, aut aliàs sæpiùs abscinduntur: id tum signum faustum est, indicans, fodinas bonas non in propinquo tantùm esse, sed easdem etiam in profunditate augeri & multiplicari, & tandem plerunque fodinæ opulentiores redditæ metallum purum, adeóque thesaurum amplissimum promant.

Extra rem quidem non est, quòd multi metallarij laudent illas venas quæ in profundum diriguntur, & ab oriente in occidentem vergunt. Tum & ipsa fodinarum ratio experientiáque docet, venas persæpè, quæ à Solis occasu versus ortum, aut à meridie versus septentrionem, aut econtrà à septentrione in meridiem tendunt, non minus cæteris metallis abundare. Nulla ergo vena alij præponenda est: nec etiam de hâc re longiùs disquiri conuenit, &c.

Quantum ad cætera interioris terræ signa aut mineralium colores attinet, de illis breuiter ita constituimus. (Metalla terræ quib indiciis explorentur.) Quoties fossores in terram argillosam incidunt, qui puri & recentis metalli venam prodit, signum id admodum probum est, certò indicans, metallum id, cuius vena ea est, iam procul indè non abesse.

Similiter si terra effossa metallo caret quidem, sed pinguis est, colorisque albi, nigriue, aut lutei, aut rubri, aut viridis, aut cyanei &c. tunc id quoque bonum signum est probi ibi latentis metalli. In operis ergo inceptis sedulò pergendum est, nec à fossione desistendum. Metallarij enim cumprimis ad nobiles, nitidos & primarios colores respiciunt, vt sunt terra viridis seu Chrysocolla, viride æris, Lazurium, Cinnabaris, Sandaraca, Auripigmentum Lithargyron auri & argenti &c. Horum ferè quodlibet peculiare plerunque metallum ac minerale indicat. Sic viride æris, Chrysocolla, terra viridis, plerunque cuprum & cupreum metallum indicat. Sic lazurium, siue Arsenicum album aut Lithargiron argenti, metallum cupri notat.

Sic Cinnabaris & Sandaracha, interdum aurum, interdum argentum, aut vtraque permixta perdunt. Sic Aurip. Sulphur rubrum seu Lithargyron auri, aurum plerunque portendit. Sic vbi Chrysocolla cum Lazurio, aut Lazurium cum Chrysocolla & Auripig. commixta & confusa reperiuntur, plerunque minerale præstans & opulentum indicant. Vbi lapides aut terræ reperiuntur, colore ferrugigineo, minerale ferreum certò designant.

Notandum autem est, fieri etiam interdum, vt Archeus terræ per occultum cuniculum ex terrâ inferiore metallum quoddam protrudat ac eructet. Id signum apparens bonum est. Fossoribus ergo desistendum non est cùm certa ibi insignis metalli latentis spes sit. Quòd si insuper etiam tenuia folia ex metallis, Talco similia, lapidibus aut saxis adhærescant, signum id fidele & probum est.

Coruscationes in fodinis quid indicent.

Quantum verò ad coruscationes: sedulò illæ ac studiosæ obseruandæ sunt. Indices enim sunt certissimæ latentis alicuius ductus metallici, velut & eiusdem porrectionis, & metalli ipsius generis. Vbi tamen hoc quoque notandum est, eiusmodi metalla ad perfectam maturitatem nondum peruenisse, sed in primo Ente adhuc versari. Et quòcunque coruscatio tendit, eòdem tendit etiam ductus metalli, &c.

Corusc. sunt triplices.

Præterea sciendum etiam est, coruscationem coloris triplicis esse, veluti candidi, flaui & rubri, instar Lunæ scilicet candidæ. Vnde metalla omnia, quæ nobis indicant, cognoscuntur. Coruscatio enim candida, metalla candida indicat, vt sunt stannum, plumbum, argentum &c. Coruscatio rubea, rubra metalla notat, vt cuprum & ferrum, &c. Flaua coruscatio, metalla aurea, &c. reuelat. Adde, quod coruscatio tenuis & subtilis, optimum signum sit. Nam, veluti etiam in arbore videtis fieri, vt quò flores pauciores sunt, eò maiores, meliores & sapidiores fructus enascantur: ita & paruæ subtilésque coruscationes subtilia & præstantia metalla indicant, vt contrariæ contraria. Ad hæc sciendum est, quòd quamdiu effulgescentiæ illæ apparent siue magnæ, siue paruæ, huius aut illius coloris sint, metallum id in sua minera perfectum nondum sit & maturum, sed in primo adhuc Ente consistat, non aliter ac sperma viri in matrice mulieris.

Corusc. seu scintillatio quid.

Cæterùm, vt quidnam coruscatio sit; hoc etiam loco à nobis expediatur: sciendum est, eam in fodinis noctu apparere instar scintillantis ignis; non secus, ac puluis pyrius secundùm longam seriem sparsus ac anteriore parte accensus; ignem protractum exhibet. Eodem enim modo & coruscatio seu scintillatio tractu suo fertur, iam ab Oriente in Occidentem, aut vicissim ab Occidente in Orientem, à Meridie in septentrionem, aut econuersò, &c. adeóque à qualibet hora aut parte compassi montani directa linea versus horam proximam oppositam; compassum, qui in 24. horas seu partes diuisus est, discindit.

Coruscationes hæ omnes vtcunque appareant; ductuum metallicorum certissima indicia præbent, vt ex illis cognoscantur, & metalla, ceu certa Dei Dona, ex terra eruantur. Quicquid enim Deus in hominum vsum creauit, id ceu proprietatem in manus ei ingessit, vt nec absconditum maneret. Et licèt illud quidem absconditum fecerit: peculiaria tamen eaque externa signa addidit, ad inuestigationem ducentia. Ex quo prædestinatio eius mira cognosci debet. Eodem modo ipsi etiam homines, si thesauros defodiunt certis notis additis, locum signant, & vel ad limites, vel statuas, vel fonticulos, vel aliud quid eosdem sepeliunt, vt, si opus sit, ipsos rursus inuenire & eruere possint. Veteres Chaldæi ac Græci, si bellorum temporibus; (expugnationis & eiectionis metuentes) thesauros suos defoderunt, locum istum aliter non designârunt, quàm vt certam diem, horam, & minutiam anni sibi præponerent, & quonam Sol aut Luna vmbram iactaret, attenderent, ac eò thesauros conderent seu defoderent. Hanc artem *Sciomantiam*, hoc est, artem vmbræ vocitârunt. Ex vmbrabilibus illis multæ artes exortæ, & res occultæ multæ reuelatæ sunt, vtpote quibus omnes spiritus & syderea corpora cognoscuntur. Hæc enim sunt signata Cabalistica, fallere nescia: itaque diligenter obseruanda.

Deus nihil celatum in terris.

Chaldæi, &c. quo thesauros defoderint.

Sciomantia quid.

Virgula diuinatoria incerta.

Sedulò ergo opera danda est, vt ne vos per diuinationes artium incertarum seduci patiamini. Ea enim vanæ & irritæ sunt, cumprimis virgulæ diuinatoriæ, quæ multis metallariis fucum fecerunt. Semel enim si quid rectè ostendunt, decies vtique vicissim fallunt. Similiter & aliis fraudulentis diaboli signis, quæ noctu & inconuenienti tempore contra omnem naturam fiunt ac apparent, velut spectra, visiones &c. fidendum minimè est. Scire enim vos velim, diabolum quoque signa edere, sed ex merâ fraude & dolo. Sic nullum templum exstruitur, ad quod sacellum suum diabolus non collocet. Sacellum nullum exstruitur, cui ille arulam non inferat. Semen bonum nullum seminatur, cui ille lolium non interferat. Eadem omnino etiam conditio est visionum & apparitionum supernaturalium, in Crystallis, Berillis speculis, vndis &c. sicut illis hactenus præter omne mandatum Dei & ipsius naturæ luminis potentiam ceremoniales Nigrom. fœdè abusi sunt. Visiones quidem non absolutè reiicendæ sunt. Suum enim locum habent, sed si processu alio fiant. Nec enim iam amplius in primâ, verùm in secundâ Generatione versamur. A nobis ergo Christianis in regeneratione, Ceremoniæ & coniurationes adhibendæ amplius non sunt, sicut illas vsurpârunt veteres in testamento veteri, qui in prima generatione vixerunt. Illæ enim præfigurationes tamen fuerunt pro nobis, qui in nouo testamento futuri eramus. Quæcunque ergo veteres in veteri testamento, seu primâ generatione constituti per ceremonias coniurationes, &c, confecerunt ac impetrârunt, ea nos Christiani, qui generationis secundæ sumus, in nouo testamento agentes, per orationem, hoc est orando, pulsando & quærendo, vniuersa per fidem sollicitare & impetrare debemus. In hisce tribus punctis primariis consistit fundamentum omne Magicæ & Caballisticæ scientiæ per quem quicquid

quid optamus, impetrare possumus, ita vt Christianis nobis nihil impossibile sit. Sed plura de his in libello *de visione* & cæteris cabaliæ monumentis traditis docere hic desistimus. Eò vos amando, vt videatis, quàm mirabiliter Christus Dei filius per suos Angelos in nobis Christianis & fidelibus operetur, & quàm fraternè nobiscum conuersetur. Vnde & nos veri Angeli ac membra Christi sumus, sicut ille nostrum caput est, vt, sicut ille in nobis est, ita nos in ipso viuamus, sicut in libris de Cœnâ Domini traditur.

Magiæ & Cabaliæ Christianorum quod fundamentum sit.

Sed vt ad institutum nostrum de signis mineralibus, & præcipuè de coruscationibus venarum metallicarum regrediamur: sciendum est, quòd velut metalla, quæ in primo adhuc Ente versantia coruscationem suam, hoc est signa exhibent, sic etiam *Tinctura Physicorum*, quæ imperfecta omnia metalla in probum argentum aurúmue commutat (ceu metalla alba in argentum, rubra in aurum) peculiaria sua signa, coruscatione similia exerat, si astraliter perfecta & præparata sit. Quamprimùm enim exigua illius moles in fluxile metallum conÿicitur, ita vt duo illa in igne conueniant: coruscatio seu fulgor naturalis exoritur, non secus ac finum aurum argentúmque in testâ siue capellâ fulgurat, quod tum demum indicio est argentúmue illud ab omni cæterorum metallorum additamento liberum & expurgatum esse. Quî verò nostra tinctura Physicorum astralis fiat, hoc modo cognoscendum est. Primò sciendum est, metallum quoduis, quamdiu in primo Ente adhuc latet conditum, peculiaria sua Astra habere. Ita Aurum habet Astra Solis: Argentum Astra Lunæ: Cuprum Astra Veneris: Ferrum Astra Martis: Stannum Astra Iouis: Plumbum Astra Saturni: Hydrargyrum Astra Mercurij. Quamprimum autem ad suam perfectionem venerunt, & in fixum Metallicum corpus coagulantur, ab illorum quolibet sua Astra recedunt, & corpus suum relinquunt mortuum. Hinc iam consequitur, corpora eiusmodi omnia deinceps mortua & inefficacia esse, & inuictum Astrum metallorum ea omnia vincere, inque suam naturam conuertere, & sic vniuersa Astralia facere. Quâ de causa etiam aurum & argentum nostrum, quod tincturâ nostra tingitur & præparatur, multò nobilius, & ad Arcanorum medicinalium præparationem præstantius est ipso naturali, quod natura ipsa in fodinis generat, ac postmodum à metallis cæteris segregatur. Sic etiam Mercurius corporis, ex metallo alio factus astraliter, multò nobilior & fixior est Mercurio communi. Et sic etiam de cæteris metallis iudica. Affirmo ergo, quemlibet Alchimistam, qui Astrum auri habet, rubra metalla omnia in aurum tingendo vertere. Ita Astro Argenti metalla omnia alba in argentum mutantur: Astro cupri in cuprum: Astro Argenti viui, in Mercurium corporis; Et sic deinceps. Hæc verò Astra omnia quomodo secundùm artem spagyricam præparentur, hoc loco declarare instituti nostri non est: sed pertinet ea explicatio ad libros de transmutationibus metallorum.

Tinctura physicorum quæ vis ac facultas.

Tinctura Physic. quomodo astralis fiat.

Aurũ & c. tinctura factum naturali præstantius.

Quantum autem ad vera illorum signa attinet, scire vos velim, tincturam nostram rubram, quæ in se Astra auri continet, esse substantiæ supra omnem constantiam fixæ, penetrationis expeditissimæ, summæque rubedinis, puluere quidem croci, integro vero corpore Rubini colorem referente, tincturam inquam esse resinæ instar fluxilem, & instar crystalli pellucidam, vitri instar fragilem, pondere verò grauissimam.

Tincturæ rubræ quæ conditio.

Tinctura autem alba, quæ Astra Lunæ continet, eodem modo est substantiæ fixæ, incrementi immutabilis, summi candoris, resinæ instar fluida, pellucida vt crystallus, vt vitrum fragilis, pondere cum Adamante conueniens. Præterea Astrum cupri coloris citrini summi est, simile smaragdo, vt resina fluxile, suo autem metallo multò grauius.

Tincturæ albæ quæ cõditio.

Astrum cupri quale.

Astrum stanni albifluum vt resina est, subobscurum, luteo colore perfusum. Astrum Ferri rubedinis insignis est, Granati instar pellucidum, vt Resina fluxile, fragile vt vitrum, substantiæ fixæ, suo metallo multò ponderosius. Astrum plumbi cobalti instar, nigrum, transparens tamen, resinæ modo fluidum, fragile instar vitri, pondere auro æquale, plumbo alio grauius. Astrum Argenti viui insigniter candidi & coruscantis coloris est, simile niui in summo frigore, valdè subtilis, penetrantis, & corrosiuæ acrimoniæ, crystalli specie pellucidum, facilè vt resina diffluens, summi ad tactum frigoris, interius autem summi caloris, quasi ignei, insuper volatile, & in igne substantiæ admodum fugacis.

Astrum stanni quale.

Astrum Ferri quale.

Astrum plumbi quale.

Astrum argenti viui quale.

Secundum descriptionem hanc cognoscenda vobis metallorum Astra sunt, & vnà intelligendum, ad vtriusque tincturæ, rubræ scilicet, & albæ præparationem initio non corpus Auri & Lunæ, sed primum Ens Auri & Lunæ assumi debere. Si enim in principio error committatur, de opera & labore omni actum erit.

Sic præterea de metallis etiam tenendum est, quòd ipsorum quodlibet peculiare quoque in igne signum promat, ex quo cognoscatur. Huius generis sunt, scintillæ, flammæ, fulgur, colores ignis, odor, sapor, &c. Sic in auri argentique super testa siue capella reuerberatione genuinum signum est fulgur. Eo apparente, certum est, plumbum & cætera metalla accessoria per fumum secessisse, adeóque aurum & argentum plenè expurgata esse, &c. Ferrum, quod in furno summè candescit, signa promit limpidas & pellucidas scintillas in sublime euolantes. Illis apparentibus, nisi ferrum continuò ex igne eximatur, straminis instar comburitur, &c.

Eâdem etiam ratione quodlibet terrenum corpus peculiaria & discreta sua in igne signa exhibet, an aliquid habeat Mercurij, sulphuris aut salis, & cuiusnam ex his tribus principiis plus habeat. Si enim effumat antequam cum flamma ardeat, signum est, plus Mercurij quàm sulphuris ibi contineri. Si autem illicò cum flãma ardet, & sine omni fumo deflagrat signum est, multum sulphuris, nihil autem vel quàm minimum Mercurij ibi delitescere. Id fieri videtis in pinguedinosis substantiis, velut adipe, oleo, resina & similibus. Si autem

Signa verum ex tribus primis metalla plur. copiam habeant.

autem citra flammam omnem per fumum nihil abeat, signum est, multum Mercurii, & vel parum sulphuris inexistere. Id euenire videtis in herbis, floribus, &c. & aliis vegetabilibus substantiis ac corporibus volatilibus, vt sunt Mineralia ac Metalla, in primo ente adhuc constituta, nec dum cum corporeo sulphure permixta, quæ fumum tantùm & nihil flammæ emittunt.

Mineralia & metalla, quæ in igne nec fumum nec flammam emittunt, hoc est, nec effumant, nec deflagrant, ea Mercurij & sulphuris æqualem permixtionem & fixationem ac perfectionem supra omnem constantiam vehementem indicant.

De peculiaribus nonnullis signis Naturalium & Supernaturalium.

Dicendum etiam deinceps est de peculiaribus nonnullis signis, de quibus hactenus quidem nihil traditum est. Quo in tractatu vobis, qui scientiæ signatæ peritiam iactatis, & signatores vos appellari expetitis, opus præcipuè erit, vt nos rectè intelligatis. Nec enim Theoricè hoc loco, sed Practicè scribemus, & sententiam nostram paucis verbis comprehensam, breuissimè intelligendam proponemus. Sciatis autem primùm, signatam artem docere, quomodo vera & genuina nomina rebus omnibus indenda sint, quæ Adam Protoplastus verè & integrè omnia sciuit. Illicò enim post creationem cuilibet rei proprium suum nomē imposuit, tam animalibus quàm arboribus, herbis, radicibus, lapidibus, mineralibus, metallis, aquis, &c. & cæteris fructibus terræ, aquæ, aëris, ignis, &c. Et quæ nomina ille his omnibus imponebat, ea Deo rata & probata erant. Ex vero enim & intimo fundamento ea desumebantur: non ex opinione, sed ex prædestinata scientia, ex arte scilicet signatâ. Ideò Adam Signator primus exstitit. Negari quidem non potest, quòd etiam ex lingua Hebraica genuina nomina profluant, & cuilibet rei pro sua natura & conditione imponantur. Quæ enim ex Hebraica lingua nomina imponuntur, illa eadem opera etiam rei istius virtutem potestatem & proprietatem indicant. Sic cum dicimus, Hic est porcus, Equus, vacca, vrsus, canis, vulpes, ouis, &c. Porci nomen vnà fœdum & impurum animal indicat. Sic equus indicat animal forte & patiens: vacca animal vorax & insatiabile: vrsus, robustum, victoriosum & indomitum animal: Vulpes versutum & callidum animal: Canis, suo generi infidum animal: Ouis placidum & vtile, neminique noxium animal. Hinc est, quòd interdum etiam homo porcus vocetur, ob sordidam & porcinam vitam: & equus, ob tolerantiam, qua præ cæteris insignis est: & vacca, quòd cibo potúque insatiabilis sit, nec ventris modum sciat: Et vrsus, quòd aliis hominibus vastior & robustior existat: & vulpes, quòd versipellis & dolosus sit, omnibus sese accommodans, nec quem facilè offendens: & canis, quòd non nisi ori proprio fidelis sit: & inofficiosum infidúmque se omnibus præbeat: & ouis, quòd non nisi sibiipsi noceat, omnibus autem potius, quàm sibiipsi vsui sit, &c.

Signatura quid sit.

Adam signator primus.

Hebraicæ Linguæ natura.

Hebræis quid significet equus, vacca, vrsus, vulpes, canis, ouis.

Hoc modo multæ etiam herbæ radicésque, &c. sua nomina adeptæ sunt. Sic Euphrasia seu Ocularis herba ita dicitur, quòd ægris & offensis oculis medeatur. Sic radix sanguinaria ita appellatur, quòd præ cæteris radicibus sanguinem sistat. Sic scrophularia (chelidonium minus) ita vocatur, quòd præ cæteris herbis mariscas sanet. Idem censendum etiam de aliis quamplurimis herbis, quarum classem ingentem recensere possem, quæ vniuersæ à virtute & facultate sua ita appellatæ & indigetatæ fuerunt sicut in nostro Herbario latiùs traditur.

Præterea multæ herbæ ac radices, non à sola virtute & facultate congenita, sed etiam à sua figura, forma & imagine, denominatæ sunt, vt Morsus Diaboli, Pentaphyllum, Cynoglossum, Ophioglossum, Hippuris, Hepatica, Buglosum, Dentaria, Calcatrippa (consolida regalis) Perforata, Satyrion vel Orchis, Victorialis, Syderica, Perfoliata, Prunella, Heliotropium, & aliæ plures, non hîc, sed seorsim in Herbario recensendę.

Idem tenendum etiam est, de signis rerum animalium, quòd similiter etiam ex sanguine & ipsius circulo, ex lotio & ipsius circulo, morbi omnes, in homine latentes, &c. cognoscantur. Ex hepate mactati animalis caro omnis cognoscitur, an esu salutaris sit, vel non sit. Nisi enim hepar clarum, & coloris rubri sit, sed liuidum & flauum, ac asperum & foraminosum, &c. animal ægrum, & ob id carnem eius insalubrem esse, coniicitur. Hepar autem naturalibus suis signis id indicare, mirum non est. Sanguinis enim origo est in hepate, & hinc per venas in vniuersum corpus exundat, & in carnem coagulatur. Hac de causa ex ægro & malè affecto hepate, sanus & recens sanguis nullus produci, sicut & ex morbido sanguine caro nulla salubris coagulari potest. Sed tamen & sine hepate caro, velut & sanguis, cognosci potest. Si enim vtraque sana sunt, verum & naturalem suum colorem habent, qui est purpureus, lucidúsque nullo extraneo colore (vt flauo aut liuido) perfusus. Illi enim extranei colores morbos & ægritudines omnino indicant.

Sed insuper alia quoque signa sunt, admiratione certè dignissima, quando nimirum Archeus signator est, & signat in fœtu vmbilicum nodulis, ex quibus quotnam mater fœtus aut ediderit, aut adhuc editura sit, coniici potest.

Signator idem cerui cornua signat ramis, ex quibus ætas eiusdem cognoscitur. Quot enim cornu ramos habet: tot annos ceruus natus est. Cumque quotannis noui vnius cornu accessio fiat: ceruis ætas ad 20. aut 30. annum dignosci potest.

Sic & Signator vaccæ cornua circulis notat, ex quibus, quot vitulos gestârit, cognoscitur. Quilibet enim circulus vitulum vnum indicat.

Idem Signator primos dentes equi extrudit, vt primis septenis annis illius ætas ex dentibus certò cognosci queat. Primùm enim equo nato 14. dentes enascuntur, de quibus quotannis geminos perdit. Et sic septem

Signatura herbarum.

Signata quæ sint in animalibus.

Hepar principium sanguinis.

Vmbilici infantum nodi quid indicent.

Rami cornuum annos eius notant.

Circuli cornuum vaccæ &c.

Dentes equi &c.

septem annorum, decursu vniuersi excidunt Hâc de causâ etiam septimum annum egressus equus, non nisi à peritissimo & exercitatissimo cognosci potest.

Idem Signator signat volucris rostrum & vngues peculiaribus signis, vt auceps peritus quiuis annos & ætatem illius ex illis censeri queat.

Idem Signator ægrorum porcorum linguas exanthematis notat, ex quibus impuritas eorum cognoscitur. Et velut impura lingua est, ita & in vniuersum corpus.

Rostri & vngues. Exanthematis.

Idem Signator coloribus discretis nubes signat, ex quibus tempestates cœli prænosci possunt.

Sic etiam Lunæ circulum distinctis coloribus, quorum quilibet peculiaris interpretationis est, signat. Sic rubedo plerunque futurum ventum indicat. Viriditas, nigredóque, pluuiam. Hæc duo commixta, ventum cum pluuia: quod in mari signum est, cùm plerunque sæuas tempestates & procellas portendat. Claror & candor lucidus bonum signum est, cumprimis in Oceano. Plerunque enim tempestatem placidam, quietam & serenam præsagit. Quicquid ergo suis signis ita Luna portendit, id sequenti die euenturum est.

Et hæc hactenus de signis Naturalibus tracta sint. Quantum verò porrò ad supernaturalia attinet, ea res singularis scientiæ & experientiæ est, velut est Astronomia Magica, &c. & similes. Hîc opus est, in illis certam scientiam comparari. Hinc enim multæ aliæ quoque artes prodeunt, vt Geomantia, Pyromantia, Hydromantia, Chaomantia, & Necromantia, quarum quælibet sua peculiaria astra habet quæ astra modo supernaturali ita signant. Et sciendum est, astra Geomantiæ signa sua signare seu imprimere in terrena corpora vniuersi orbis, multis quidem ac variis modis. Nam & terram mutant, & terræmotus ac hiatus pariunt, gignunt colles & valles, multa noua crescentia parturiunt, proferunt Gamaheos nudis figuris & imaginibus, insignes vires & potentias habentes, quas quidem à septem Planetis accipiunt, non secus ac orbis seu scopus glandem aut telum accipit à iaculatore. Quomodo verò signa ea & imagines Gamaheorum seorsim cognosci, & quid Magicè notent, sciri queant: magnæ experientiæ & Naturæ rerum cognitionis id opus est, quod quidem perfectè hîc tradi nullâ ratione potest. Hoc autem probè notandum est, quòd lapis seu Gamaheus quilibet non nisi vnius Planetæ proprietate & virtute pollere, adeóque ab vno saltem Planetâ signari possit. Et licèt quidem duo pluresue Planetæ in terrenis corporibus, velut in superiore Firmamento coniungantur: vnus tamen ab altero opprimitur. Sicut enim vna domus geminos dominos minimè fert, sed alter alterum extrudit: ita hîc quoque. Vnus manet dominus: alter seruit. Aut, quemadmodum custodientem domum quandam, superueniens alius, per vim eiicit, & se dominum constituit, omnia pro nutu & arbitrio suo disponens, altero interim ad seruitia redacto: sic etiam astrum vnum expellit alterum, vnus Planeta alterum, vnus Ascendens alterum, vna Influentia alteram, vna Impressio alteram, vnũ Elementum alterum. Sicut enim aqua ignem extinguit: ita Planeta vnus alterius proprietatem elidit, & suam inuehit. Idem eodem modo etiã de eorum signis intelligendũ est, quæ multiplicia sunt, & non Characteres tantùm, veluti multi arbitrantur, sed vniuersa ea, quæ in totâ Mappâ Planetarum inueniuntur, hoc est, quæcunque Planetis illis cognata & subiecta sunt.

Astronomiæ Magicæ species quę.

Gamaheorum vis vnde & qualis.

Vt autem ex addito exemplo me planiùs intelligatis: scire vos velim, Planetæ Soli subiici Coronam, Sceptrum, Solium, omnémque regiam potestatem & maiestatem, omnem dominationem, omnes diuitias, thesauros, ornatus & apparatus huius mundi.

Subiecta quæ sint SOLI.

Lunæ Planetæ subiecta sunt, omnis agricultura, nauigatio, peregrinatio & peregrinatores, & quæ alia huc spectant.

LVNÆ.

Planetæ Marti subiiciuntur, Munitiones (vt vocant) omnes, bracteæ, Loricæ, tormenta hastilia, denique omnia arma, & quæ ad bellum pertinent.

MARTI.

Planetæ Mercurio subiiciuntur omnes literati, omnia instrumenta Mechanica, & quæ ad artes requiruntur.

Mercurio.

Planetæ Ioui subiiciuntur omnia iudicia & iura, ordo vniuersus Leuiticus, omnes Ecclesiarum ministri, templorum ornatus, clenodia, & si quæ alia huius classis sunt.

Ioui.

Planetæ Veneri subiiciuntur, quæcunque ad Musicam referuntur, Musica instrumenta, & exercitia venerea, amores, scortationes, &c.

Veneri.

Planetæ Saturno subiiciuntur, quicunque in & infra terram operantur, vt metallarij, cunicularij, Vespillones, fontium effossores, velut & omnia his familiaria instrumenta, &c.

Saturno.

Pyromantia signa sua per Astra Ignis promit, in igni communi, per singulares scintillas, flammas, crepitus, &c. In fodinis per coruscationes: in firmamento, per Stellas, Cometas, & fulgur, & fulmen, & Nostoch ac similia, in spectris per Salamandrinos, Ethnicos & similes spiritus, ignis specie apparentes.

Pyromantiæ qualia signa.

Hydromantia signa sua dat per astra aquæ, per fluctus, exundationes, defectus, decolorationes, Lorindos, noua fluenta, rerum terrenarum ablutiones: In Magicâ & Nigromantiâ per Nymphas, visiones, & monstra supernaturalia in aquis & mari.

Hydrom. qualia signa.

Chaomantia signa sua exhibet per astra aëris & venti, per discolorationem, perditionem & vastationem omnium tenerarum & subtilium rerum, quibus ventus aduersus est, excutiendo & denudando flores, folia, frondes, caules. Si astra chaomantiæ mouentur, Necrocomicæ ex superiore aëre decidunt, & frequenter voces ac responsa audiuntur: Item arbores cum radicibus ex terrâ euelluntur, & ædes prosternuntur. Conspiciunt Lemures, Penates, Vndenæ; Syluani &c. Sic etiam Tereniabin, Tronosia, & Manna, super arbores & herbas decidit.

Chaoman. signa qualia.

Necromantia signa sua promit per astra mortis, quæ nos etiam Euestra vocamus, significantia

gnantia corpus ægroti & moribundi hominis, maculis rubeis, liuidis & purpureis, quæ certæ mortis, tertiâ die insultatæ, indicia sunt. Signant etiam hominum manus & digitos maculis luteis, quæ certa signa fortunæ instantis sunt siue bona ea siue mala sit. Quando ergo Necromantiæ Astra mouentur, tunc mortui miracula & signa edunt, & defuncti eruentant, res mortuæ conspiciuntur, &c. voces ex sepulchris audiuntur: tumultus & trepidationes in Ossoriis surgunt, & mortui viuentium formâ & habitu apparent, & conspiciuntur in visionibus, speculis, Berillis, lapidibus & vndis, specie variâ. Euestrum & Trarames signa dant pulsando, percutiendo, tundendo, cadendo, iaciendo, &c. Vbi tumultus seu sonus tantùm auditur, sed nihil videtur: quæ omnia certa sunt indicia mortis, præsagientia ipsam ei, cuius habitu apparent, aut quo loco audiuntur, &c.

De his signatis præter iam dicta multa adhuc recenseri possent. Sed cum illa, malas, damnosas & periculosas phantasias, Imaginationes, & superstitiones secum afferant, quæ non infortunij tantùm, sed etiam mortis caussa fieri possent: ea silentio transilimus. Reuelari enim nobis prohibita sunt, cùm ad arcanam scholam & potestatem diuinam pertineant. Iam ergo libello huic colophonem imponamus.

PH. THEOPHRASTI BOMBAST AB HOHENHEIM, PHILOSOPHI MONARCHÆ, SPAGYRICI PRINCIPIS, ASTRONOMI MAXIMI, Medici paradoxi, Arcanorum Mechanicorum Trismegisti.

LIBER DE TINCTVRA PHYSICORVM CONTRA Sophistas natos post diluuium in sæculo Domini nostri Iesu Christi filij Dei.

PRÆFATIO.



CVM tu Sophista, me tam fatuis ac mendacibus verbis vbique locorum vituperes, quòd oriundus ex Heluetia rudi nihil intelligam aut sciam: item, quòd literâ vna medico plus existens, ex vna aliam regionem vagabundus oberrem: ideò hoc tractatulo nescios & inexpertos pala facere mundo proposui, tum quid in primo sæculo bonarũ artiũ exstiterit quid mea contra tuam, quidque tua contra meam artem valeat, & existimanda sit, & quî me posteri in sæculo gratia imitabuntur. Hermetem, Archelaũ, ac alios in primo sæculo intuere quales Spagyrici exstiterint, quantique Phylosophi. Hoc ipsum testantur etiam eorum aduersarij, qui tui sunt, ô Sophista patroni, se idola potius hoc adhuc tempore. Quamuis verò nec id per tuos patres authenticos & sanctos falsò reputatos foret attestatum: antiqua tamen Smaragdina tabula plus artis indicat & experientiæ cùm in Philosophia, tum in Alchimia, Magiâ similibúsque, quàm vnquam à te cæteruáque tuâ totâ doceri poterit. Tabula Smaragdina. *Si nondum ex præcedentibus intelligis, qui thesauri quantique sint isti, dic mihi, cur Princeps aut Rex nullus Aegyptios potuit subiugare? Tum quare Diocletianus Imperator (quotquot ad suas manus peruenire potuerunt) Spagyricos libros comburi iusserit? Nisi quid continuissent eorum libri, dudum intolerabile iugum subire coacti fuissent, quale tibi Sophistæ collegisque tuis in collum aliquando irruet.*

Hoc medio sæculo Monarchia cunctarum artium ad me Theoph. Paracelsum Phylosophiæ, Medicinæque principem tandem deriuata est. Ad hoc enim a Deo sum electus, vt phantasias omnes excogitatorum & falsorum operum, putaticiorum & præsumptuosorum verborum extinguerem, siue ea sint Aristotelis, Galeni, Auicennæ, Mesuæ siue cuiuscunque alterius eorum assecla placita. Theorica námque mea procedens ex luce naturæ nunquam labefactari ob sui constantiam, nec immutari poterit, sed quinquagesimo post sedquimillesimũ octauo demũ virere incipiet anno. Practica tandẽ sequens admirãdis incredibilibúsque signis comprobabitur, sic vt mechanicis ac plebi communi palam futurum, & isti penitus intellecturi sint, quàm contra Sophistarum nugamenta constans immotáque stet ars ista Paracelsica: cùm interim illa Sophistica papalibus, & Imperialibus priuilegiis suas ineptias firmari ac muniri opus habeat. Quod autem à te Sophista mendicus & vagabundus habeor, pro me tibi Danubius atque Rhenus me etiam tacente respondebunt. Sæpius ista perperam excogitata per te calumniæ contra me, Comitibus & Principibus multis, item ciuitatibus Imperialibus, ac Equestri dignitati, nobilitatique displicuére. Habeo namque thesaurum in quâdam Fori Iulij ciuitate VVeinden reconditum dictâ, in Xenodochio, quam nec tu Leo Romanus, nec tu Carolus Germanus totâ substantiâ vestra persoluere potestis. Thesaurus Theophrasti Weiden. &c. *Quanquam signata stella in Arcanum nominum vestrorum illapsa, nulli, quam a diuinæ Spargiricæ filiis cognita fuerit, Quare cum tu verminose pediculoséque Sophista, Monarcham arcanorum ignarum, fatuum & prodigum decoctorem exstimes: medio iam sæculo honorificam in eis prosecutionem, virtutes ac præparationem illius Tincturæ Physicorum hoc libello palam facere volo, veritatis in amatorum vtilitatem & honorem, & quò verarum artium contemptores ad egestatem redigantur. Hoc Arcano postremum sæculum, vt gratiæ dono veriúque spiritus munere illustrabitur manifestò, compensabitúrque, sic, vt ab exordio mundi simile germen intellectus & sapientiæ haud vnquam auditum sit. Interim vitium supprimere probos non poterit, nec multorum istorum opes aut potentia erectis damno erit.*

DE TINC-

DE TINCTVRA PHYSICORUM Philippi Theophrasti Paracelsi.

CAPVT. I.

Tinct. Physic. sectatores. Hermes, &c. Orus, &c. Hali Arabs, &c. Albertus Magnus.

DIco Philippus ego Theoprastus Paracelsus Bombast, post gratiæ diuinæ manifestationem ad Physicorum Tincturam varias quęsitas esse vias, quæ finaliter omnes ad eundem scopum & finem pertigerunt. Hermes enim Trismegistus Ægyptius iuxta suam rationem opus hoc aggressus est. Orus Græcus eundem seruauit processum. Hali quidem Arabs in ordine suo permansit. Albertus verò Magnus Germanus etiam prolixum est secutus processum. Quilibet istorum pro modo suo progressus est, nihilominus ad vnum eundemque terminum peruenerunt omnes, videlicet ad vitã longam, à Philosophis tantopere desideratam, & ad honestam eiusdem in hac miseriarum valle sustentationem & conseruationem. Hâc ergo tempestate peculiaribus à Deo donis ego Theophrastus Paracelsus Bombast, Monarcha Arcanorum, dotatus sum, ad hunc nempe modum, vt summi huius operis Physici quiuis indagator imitari me ac sequi opus habeat, siue sit Italus, Polonus, Gallus, Germanus, siue qualiscunque fuerit & quis fuerit. Huc post me vos omnes Philosophi, nec non, Astronomi & Spagyri, quantumuis alti nominis eximi & Spagyri, quantumuis alti nominis eximi

Theophrasti præcellẽtia omnes subiungat

Igni probatio sola certa. Luminis naturę finis, qui

Tincturę cognitioni quæ præmittẽda.

stratis. Ego vobis Alchimistis atque Doctoribus exaltatis à me summis laboribus, regenerationem illam corporalem ostendam, aperiámque. Docebo vos, Tincturam, Arcanum vel Quintum Esse in quo Mysteriorum omnium ac operum fundamenta latent. Etenim quisque fidem alteri potest ac debet adhibere solùm in eis, quæ expertus per ignem est. Si quis præter hanc experientiam quid attulerit in Spagyricâ vel Medicinâ, haud est quod credas, cùm in igne per experientiam verum separetur à falso. Lux naturæ siquidem ad hunc modum creata est, vt per eam vniuscuiusque rei proba vel examen appareat, his tamen qui ambulant in eo lumine tantùm. Ex eâ luce docebimus optimis demonstrationibus, eos omnes, qui propriis phantasiis, acutisque speculationibus hanc prouinciam tam difficilem aggressi fuerunt vnquam ante me, suo damno fatuitatis suę periculum fecisse. Quapropter ex meo fundamento multi rustici nobiles facti sunt: contrà per putaticiam & opinabilem illorum artem, rursum nobiles in rusticos transmutati, cùm aureos in capite montes portarent, antequam in carbones manus immisissent. Discendę primùm ergo digestiones, destillationes, sublimationes, reuerberationes, extractiones, solutiones, coagulationes, fermentationes, fixationes, & omne, quod ad opus hoc instrumentum requiritur, cognoscendum est vsu, prout vitra, curbitę, circulatoria, vasa Hermetis, terrea vasa, balnea, furni ventales, reuerberatorij, similésque alij, nec non & Marmor, carbones atque tenacula. Sic demum in Alchimiâ medicináque proficere poteris.

Quamdiu autem per phantasiam & opinionem fictitiis tuis libellis adhæresces: ad horum nullum aptus & prædestinatus eris.

De Definitione subiecti materiæque Tincturæ Physicorum.

CAP. II.

PRiusquàm igitur ad processum Tincturæ veniam, eius tibi subiectum opus est, vt patefaciam. Hoc enim in peculiari semper hactenus occultatione seruatum est à veritatis amatoribus. Est itaque Tincturæ materia quædam res (vbi me tamen iuxta Spagyricum sensum intellexeris) quæ quidem ex tribus in essentiam vnam arte Vulcani transit, aut manere potest. Verùm vt eam intitulem tibi suo nomine iuxta veterum vsum Leo rubeus à multis vocatus, paucis verò cognitus est. Hic per auxilium naturæ, necnon artem ipsius Artistæ potest in aquilam albam transmutari, sic vt ex vno duo fiant, supra quod aureus splendor Spagyro non ita relucet: illa duo magis in vno seruata ucent. Iam si Cabalistarum & veterum Astronomorum vsum non intellexeris, à Deo minimè natus es ad Spagyricam artem, nec per naturam ad Vulcanicum opus electus, neque vt os in Alchimisticis aperias artibus, creatus es. Est itaque Tincturæ materia Margarita maxima, pretiosissimúsque thesaurus, ac nobilissimum quod iuxta manifestationem Altissimi necnon hominum considerationem in terris esse potest. Hoc est LILI Alchimiæ, & Medicinæ, quod Philosophi tam accuratè quæsiuerunt: verùm ob defectũ integræ cognitionis, & perfectæ præparationis eius ad finem perfectum non perduxerunt. Per inuestigationes eorum & experientias, tincturæ tantùm initium datum est nobis: at verum fundamentum, quod collegas imitari meos decet, mihi relictum fuit, sic vt nemo suas laruas nostris intentionibus immiscere debeat. Ego meritò post longas meas experientias, Spagyros corrigo, & falsum aut erroneum à vero separo, cum longis inuestigationibus repererim ea, ob quæ iustè diuersa reprehendere queam, & immutare. Veterum si tamen experimenta meis excellentiora comperissem, tantos minimè labores assumpsissem, quos in gratiam, vtilitatem, & honorem proborum Alchimistarum omnium subij libenter, &c. Cum ergo Tincturæ subiectum satis declaratum sit, vt inter fratres duos vix fideliùs queat aut liceat præstari: præparationem eius aggredi, & postquam primi sæculi experientias posui, meas etiam inuentiones addere volo: quibus quidem postremò Gratiæ tandem Sæculum adhærebit, quoscunque interim ex tua Philosophiâ Sophista tu feceris Patriarchas, antesignos.

Tincturę quæ materia seu subiectũ.

Leo rubeus in aquam conuerti potest.

Lili quid

De Processu veterum ad Physicorum Tincturam, & breuiori per Paracelsum inuentione.

CAP. III.

Lili præparatio.

SPagyri veteres Lili putrefecerunt per mensem Philosophicum, & postmodum spiritus humidos ab eo destillârunt quousq; sicci tandem eleuati sunt. Caput mortuum spiritibus humidis iterum imbuerunt, & ab eo per destillationem sæpiùs abstraxerunt, idque tam diu donec sicci prorsum eleuati fuerunt. Indè post abstractos humores & siccos spiritus per pellicanum

pellicanum ter aut quater simul vniuerunt, donec Lili totum in fundo siccum resideret. Quamquam experientia prima processum hunc ante fixationem dedit, nihilominus antecessores nostri sæpiùs eò votũ perfectè suum assecuti sunt. Breuiorem tamen viam habuissent ad rubei Leonis thesaurum perueniendi, si concordantiam Astronomiæ cum Alchimiâ didicissent, prout eam in Hermetis Apocalypsi demonstraui. Cùm verò dies quilibet (vt Christus loquitur in fidelium consolationem) propriam suam curã habeat, Spagyris ante mea tempora labor fuit ingens & grauis, qui iam auxilio S. Spiritus affluentis postremo sæculo, meâ Theoricâ nec non practicâ subleuabitur atque declarabitur, illis omnibus qui suis in operibus cum patientiâ constantes perseuerauerint. Ego namque naturæ proprietates expertus sum, essentiásque & conditiones, eiusque noui coniunctionem, æquè benè ac resolutionem: quod summum & maximum est in Physico, nunquam Sophistis cognitum hactenus.

Cùm ergo primum sæculum Tincturæ primam dederit experientiam, ex vno simplici duo Spagyri fecerunt. Verum cum id inuentum medio sæculo postea periisset, eorum successores diligenti perscrutatione, postea in illius simplicis nomina duo inciderunt, idque nominârunt vnico vocabulo nempe Lili, tanquam Tincturæ subiectum. Tandem imitatores naturæ materiam hanc (non secus ac in terra semen) tempore suo putrefecerunt, cum ante corruptionem hanc nihil ex eo nasci, nec Arcanum aliquod erumpere posset. Postea spiritus humidos abstraxerunt à materia, donec tãdem ignis violentiâ sicci pariter sublimati fierent, vt hâc viâ, non aliter quàm rusticus ex anni tempore, peruenirent ad maturitatem, prout vnum post aliud ascendere solet, ac decidere. Postremò, veluti post Ver Æstas prodit, fructus illos & siccos spiritus incorporarunt & Magisterium tincturæ perduxerunt eo, donec ad messem deueniret, ac ad maturationem se disponeret.

Lili tinctura subiectũ.

De Processu per Paracelsum ad Physicorum Tincturam abbreuiato.

CAP. IV.

TAm prolixo labore, tædiosáque reiteratione Spagyri veteres non indiguissent, si ex schola mea suum opus didicissent & fuissent aggressi: votum æquè benè suum assecuti fuissent, impensis laboribúsque longè minoribus. Hâc tempestate verò qua Theophrastus Paracelsus Arcanorum aduenit Monarcha, inuentionis tempus est præ manibus, quæ Spagyris omnibus ante me fuit occulta. Quapropter dico: tantùm rosei coloris à Leone sanguinem accipite & ex aquila gluten: quæ postquam simul coniunxeritis, iuxta veterem coagulate processum, Tincturam habebitis Philosophorum, quam infiniti quæsiuerunt, inuenerunt atque paucissimi. Velis nolis tu Sophista, Magisterium hoc est in ipsa natura, Magnaléque Dei supra naturam, atque thesaurus in hac miseriarum valle pretiosissimus. Extrinsecùs si aspicias, videtur esse vile quid, aliud in multò nobilius quàm fuerit antea, transmutare. Miraculum tamen id esse à Spagyro productum, est quod patiare, nec non fateare: qui suæ præparationis arte, vile corpus extrinsecùs visibile corrumpit, ex quo nobilissimam aliam & pretiosissimam essentiam excitat. Si tu pariter aliquid ex Aristotelico lumine didicisti vel nostri, aut ex Serapionis regulis, prodi huc, & in lucem idipsum profer Experientiâ. Scholarum ius, vt honoris amatorem atque Doctorem decet, nunc serua. Si verò nihil scis aut efficere vales: cur tu me tanquam Helueticam vaccam irrationabilem contemnis, & vagabundum circulatorem criminaris? Ars est altera natura, mundúsque peculiaris, vt experientia contra te, nec non idola tua testatur atque demonstrat. Quædam igitur simplicia interdum componit Alchimista, quæ postquam iuxta suam corrumpit necessitatem, aliud indè præparat. Sic enim persæpe ex multis postmodum vnum fit: quod plus efficit, quàm ipsa natura per se posset, vt in Gastayno apertè satis patet, ex Saturno Venerem fieri: tum in Carinthia, ex Venere Lunam: & in Hungaria, ex Luna Solem, vt interim taceam de transmutationibus aliis rerum naturalium, Magis satis cognitis, quæ mirabiliùs quàm Ouidius in suâ Metamorphosi narrat, prodeunt in lucem. Rectè me vt intelligas: Leonem tuum in Oriente quæras, & Aquilam ad Meridiem in assumptum hoc opus nostrum. Instrumenta meliora non reperies quàm Hungaria, nec non Histria producunt. At si cupias id ex Vnitate per Dualitatem, in Trinitate cum æquali permutatione cuiusque deducere: tum iter ad Meridiem dirigas oportet, sic in Cypro votum consequeris omne tuum, de quo fusiùs minimè disserendum est, quàm in præsentia declaratum fecimus. Arcanorum istorum, quæ transmutationes exhibent, adhuc plura sunt, etsi paucis cognita: quæ licèt alicui manifestentur à Domino Deo, non propterea statim erumpit artis huius rumor, sed Omnipotens cum ea dat intellectum hæc & alia celandi pariter, vsque in aduentum Heliæ Artistæ, quo tempore nihil tam occultum erit, quod nõ reuelabitur. Videtis etiam oculariter (quamuis loqui de his minimè sit opus, quòd in irrisionem ab aliquibus assumi posset) in sulsulphuris Igne magnam tincturam esse gemmarum, quę quidem eas sublimiùs exaltat, quàm ipsa natura per se valeat. Verùm ista gradatio metallorum & gemmarum à me hoc loco relinquetur, cùm de ea satis in arcanis arcanorum in libro de Vexationibus Alchimistarum, & in aliis abundè scripserim. Antecessorum nostrorum processum de Tinctura Physicorum vt incœpi, iam perfectè concludam.

Theoph. sæculum felix. Tincturę Physicę pręparat.

Ars et [illegible]

Helias artista &c.

De Conclusione Processus Veterum à Paracelso facta.

CAP. V.

POstremò Spagyri veteres, Lili pellicanatum siccatumque, ignis ordinata quadam augmentatione tamdiu fixârunt, quousque à nigredine iuxta colorum omnium permutationem, rubeum instar sanguinis fieret, & cum ea Salamandræ

mandræ conditionem indueret. Rectè quidem ab eis tali labore processum fuit, ac ad eundem modum, etiam vnumquemque margaritam hanc ambientem, procedere æquum est, ac decet. Hunc tibi clariùs declarare, mihi difficillimum erit, nisi didiceris in Alchimistarum Scholâ gradus ignis obseruare, vasa quoque tua mutare. Tum demum enim videbis, mox atque Lili tuum in Ouo Physico fuerit excalefactum, admirandis apparitionibus coruo nigrius fieri, cygno postmodum successu temporis albius: & postremò transiens per flauedinem, sanguine quouis magis rubeum euadere. Quærite, quærite, primus ait Spagyrus, & inuenietis; pulsate & aperietur vobis. Impium indecorúmque foret aui tam perfidæ cibum in os ponere. Ipsa potius ad hunc volare sinatur, prout ego cum cæteris ante me facere coactus fui. Veram igitur artem sequere. Hæc enim in perfectam eius cognitionem te ducet. Non est, quod ampliùs aut clariùs hîc apponatur quidpiam quàm anteà dixerim. Doceant Pharisaicæ Scholæ tuæ te quicquid volent ex instabili suo labilique fundamento, quod suum terminum aut scopum non attigit. Vbi tandem Alchimisticam industriam, accuratissimè quam fieri potest, edoctus fueris: nihil tum demum in rerum natura tam difficile futurum est, quod non artis huius auxilio tibi manifestum esse possit. Natura siquidem ipsa nihil in lucem edit, quod in summam sui perfectionem sit adductum, prout hoc loco videre licet ex vnitate vel vnione dualitatis nostræ: Verum homo Spagyricis præparationibus id eo perducere debet, quo per naturam ordinatum fuit. Hæc de processu veterum, & meâ correctione Tincturę Physicorum, quod ad præparationem eius attinet, à me satis dicta sint hactenus.

Perfectissimum nihil natura producit.

Porrò cum nunc Ægyptiorum thesaurum istum in manibus habeamus, est, quod eum in vtilitatem nostram conuertamus: quæ dupliciter ex Spagyrico Magisterio nobis offertur. Priore modo, prout ad renouationem corporis applicari potest: posteriore verò, prout in transmutationem metallorum adhibenda est. Cum igitur ego Theophrastus Paracelsus vtrumque diuersimodè sim expertus, iuxta signa quidem operis, ac prout in experientâ probâ que mihi meliùs & perfectiùs apparuerunt, eadem describere volo proponereque.

De Transmutatione Metallorum per Medicinæ proiectionem.

CAP. VI.

SI Tinctura Physicorum in transmutationis vsum venire debeat, eius primò libra super Solis fusi libras mille proiicienda est. Medicina tum demum præparata fuerit, ad leprosum humorem metallorum transmutandum. Admirandum hoc opus in luce naturæ est, videlicet Spagyri Magisterio seu operatione metallum perire quod prius erat, aliudque fieri. Aristotelem illum id cum suâ malè fundatâ Philosophiâ fatuum reddidit. Rustici quidem in Hungariâ, cum ferrum suo tempore proiiciunt in fontem quendam vulgari nomine Zipserbrunnen, in ferrugineam id consumitur, quæ follibus & igne liquefacta, mox pura Venus existit, quæ nunquam in ferrum amplius redit. Similiter in monte Kuttenberg/ vulgariter nuncupato; lixiuium ex Marchasitis colant, in quo ferrum illicò in optimam Venerem transit altè graduatam, & malleo tractabiliorem alterâ naturali. Hæc & similia plura simplicibus magis hominibus quàm Sophistis cognita sunt, quæ metalli speciem vnam in alteram transmutant. Quæ tamen propter insignem ignorantium contemptum, velut & ex parte propter artificum iustam inuidiam abscondita ferè manent. Ego quidem in Istriâ Venerem vltra 24. gradus. (al. 38.) sæpiùs adduxi, sic vt Solis color altiùs ascendere nequeat, constantem in Antimonio vel in quartali, quâ quidem vsus sum in omnibus, vt aliis.

Zipserbrunnẽ/ ferrũ in rubiginem vertit. Kuttenberg/

Quamquam autem veteres Artistę fuerint huius Arcani percupidi, summáque diligentiâ quæsiuerunt illud, nihilominus paucissimi iuxta perfectam præparationem ad finem suum id producere potuerunt. Multas námque difficultates & obstacula metalli minoris in meliùs transmutatio secum adfert, prout Iouis in Lunam, aut Veneris in Solem. Magnalia naturæ multis hominibus occulta esse Deus fors voluit propter peccata. Nam cùm aliquoties ab Artistis tinctura hæc iam præparata esset, ipsique proiectionem in effectum deducere non possent, accidit, vt ex eorum incuriâ custodiâque malâ illa à gallinis comederetur, quibus deinde plumæ deciderunt, ac, vt ipsemet vidi, rursum creuerunt. Hâc viâ transmutatio per abusum ex negligentiâ Artistarum in Medicinam & Alchimiam venit. Cùm enim eâ Tincturâ, nempe iuxta suum desideriũ vti minimè possent, eandem ad renouationem hominum conuerterunt, vt seq. capitulo nunc latiùs audietur.

Tinctura à gallinis esitata quid fecerit.

De renouatione hominum.

CAP. VII.

Physicorum in Ægypto primorum aliquot, ac priscorum per hanc Tincturam annos centum & quinquaginta vixerunt. Item vita multorum ad aliquot sæcula producta prolongataque fuit, prout habetur in diuersis historiis apertissimè; quod nemini fermè credibile videtur. Eius namque vis tam admirabilis existit, vt corpus longiùs producat quàm agnatę naturæ possibile sit, ac in eo gradu id firmiter conseruat adeò, vt ab omnibus infirmitatibus tutum viuat. Et licèt senectam quidem habeat: apparet tamen nihilominus vt in primæuâ iuuentute constitutum.

Tincturę vis in protogãda vita.

Est itaque Tinctura Physicorum vniuersalis Medicina, morbos omnes instar ignis inuisibilis, quomodocunque illi denominentur consumens. Dosis eius est exigua valdè, sed operatio potentissima. Per eam à me curata sanataque sunt Lepra, Lues venerea, Hydropisis, Caducus, Colica, Gutta, similésque morbi: Lupus item, Cancer, Noli me tangere Fistulæ, nec non genus morborum internorum, & certiùs quidem quàm credibile sit: cuius etiam testimonium exhibebunt Germania, Gallia, Italia, Polonia, Bohemia, &c. satis amplum.

Tinctura physicorũ quid.

Iam

Theophrastũ a testantur Germania, Gallia &c.

Iam tu Sophista respice Theophrastum Paracelsum, quinam tuus Apollo, Machaon & Hippocrates contra me stare valeant? Hoc enim est Catholicum Physicorum, propter quod vitam longam prosecuti sunt omnes Physici ad resistendũ morbis, & per hoc vniuersale id maximè consecuti sunt & efficacissimè, iuxtàque suum arbitrium Tincturam Physicorum nominârunt. Quid enim in totâ Medcinâ maius esse potest, quàm eiusmodi corporis mundatio, per quam ab eo superfluitas omnis à radice prorsum tollitur, ac transmutatur? Sanato namque semine, perfecta sunt omnia. Quid prodest Sophistarum pessimè fundata purgatio, cum nihil eius tollat quod auferre debet? Quapropter excellentissimum veri Medici fundamentũ est, Regeneratio naturæ, iuuentutisque restauratio: postmodum essentia noua ipsa totum hoc, quod sibi aduersatur expellit. Ad istam regenerationem, vires atque virtutes Physicorum Tincturæ mirabiliter inuentæ sunt, & vsque ad tempus à Spagyris veris vsitatæ secretò, nec non absconditæ.

FINIS.

COELVM PHILOSOPHORVM

Siue

LIBER VEXATIONVM PHILIPPI THEOPH. PARAC.

Scientia & natura Alchimiæ, & quid de eâ sentiendum sit.

Per septem regulas seu canones fundamentales ad septem vulgata metalla directus: & præfationem cum additis nonnullis membris & appendicibus continens.

PRÆFATIO.

Theophrasti Paracelsi ad omnes Alchimistas, & huius libri Lectores.



Vos Alchimiæ periti, quot quot etiam cæterorum vobis maximas pollicemini diuitias, aut ☉ atque ☾, plurimum cupitis exstruere: quod Alchimia diuersimodè pollicetur ac docet. Pariter & vos, qui labores & vexationes libenter sustinetis, abstinere tamen ab eâ minimè vultis, donec vobis eius præmia promißionésque cognitæ sint: hoc quidem ipsa experientia docet indies, è millib. ne vnumquidem votum suum assequi. An ob id ille naturæ defectus & artis sit? Non dico, sed Fati potius, & operantis imperitiæ ea culpa est.

Quapropter non vt solent alij vulgares Alchimistæ communiter, libellum hunc describere volui. Grauem admodum artem illi, processúsque docent erigere prolixißimos. R. Antim. hoc liquefieri permittas cum sale nitro, & tartaro, quorum vnciam semis accipe ☉ tantundem, ♃ ℥iij. quibus adde sulphuris ℥j. vitrioli ℥j. Cum Argento & Arsenico liquefiant in catino.

Cùm itaque signorum, syderum, planetarúmque cœlestium characteres vnà cum cæteris Nominibus inuersisque verbis Receptis, Materialibus & Instrumentis, in hac arte peritis notißimi sint: hoc denuò recensere eosdem libello superfluum esset: quamuis huiuscemodi signorum, nominum & characterum vsus tempore suo non sit inutilis.

Alius autem hîc Alchimiam, quàm antea, tractandi modus per 7. Canones ex metallorum 7. serie deductus obseruabitur. Qui licet in pomposam verborum elegantiam non erumpant, nihilominus tamen in eorum consideratione, quicquid ex Alchimia separandum est, abundè satis, & aliarum rerum Arcana plurima continentur: ex quibus etiam per speculationem admiranda quædam & noua resultant opera, quæ multoties ab antiquorum operantium & naturalium Philosophorum scriptis ac opinionibus longè diuersa, probatione tamen & experimento reperta & confirmata sunt.

Alchimistæ cur multi pauperentur.

Præterea nihil in hac arte est verius, quàm idipsum, quod minimè cognitum est, cuique minor fides adhibetur. Culpa, causaque difficultatis omnis in Alchimia, propter quam ad paupertatem reducuntur plurimi, reliqui autem frustrà laborant, sola & vnica est operantium imperitia, materiarúmque nimia vel pauca nimis quantitas aut qualitas: ex quibus omnibus, res in operationibus vel destruuntur, vel rediguntur ad nihilum. At si verus processus fuerit inuentus, res ipsam se mutans indies ad perfectionem magis accedit. Recta via facilis, sed à paucißimis reperitur.

Aliquando fieri potest, vt Speculatiuus quisque artifex aliquam artem in Alchimia per delirium suum excogitare valeat, siue quidpiam, aut nihil indè sequatur. Nihil ipsum oportet facere, quo aliquid reducat in nihilum, & iterum aliquid oriatur ex nihilo. Et tamen hoc incredulorum prouerbium, non vtique falsum. Destructio bonum perficit: nam bonum apparere nullo modo potest ob suum occultatorem. Bonum etiam minimè bonum est, dum occultatum est. Occultator est amouendus, vt bonum liberè cum claritate sua valeat apparere. Glossa; Occultator est mons, arena terra aut lapis, in quibus metallum creuit. At vnumquodque metallorum visibilium, occultator aliorum sex metallorum.

Et per Elementum ignis imperfecta quæque corrumpuntur, ac tolluntur, vti sunt hæc metalla quinque. ☿ ♃ ♂ ♀ ♄. Econtra perfecta simili non absumuntur igne, veluti ☉ & ☽, quo fit, vt in igne permaneant, & ex aliis imperfectis, in quibus corrumpuntur, simul corpus suum assumant & appareant ocularitèr. Qui & quonam pacto id fiat, ex septem canonibus colligi potest, cuius naturæ siue proprietatis quodlibet metallum existat, quid cum aliis operetur, & possit in eorum commixtione.

Verùm hoc apprimè notandum est, septem istos canones à quouis, accessorio lectore, primâ facie lecturáque

lecturáque illicò perfectè intelligi non posse. Nam leuis intellectus occulta & obstrusa facilè non percipit. Quapropter quiuis horum canonum disputationibus indiget non exiguis. Plurimi sunt elati superbiáque spiritus, qui sibi temerè persuasum habent, hæc omnia, quæ libellus iste continet se facilè intelligere, quod inutilia & futilia sint, longè meliora se habere putantes, ob quæ ista quoque spernere iure possint. (☉).

CANON PRIMVS DE NATVRA *& proprietate ☿.*

OMnia sunt in omnibus occultata. Vnum ex ipsis omnibus est occultator eorum, & corporeum vas, extrinsecum, visibile & mobile. Liquefactiones omnes in isto vase manifestæ sunt. Nam hoc vas, viuens & corporeus spiritus existit: ideò coagulationes omnes, aut congelationes in eo conclusiuè comprehensæ, cum fluere quidem superatæ, circumdatæ, nec non contentæ sunt. Nullum huic liquefactioni, multoque minus eius origini potest inueniri nomen, quo vocetur. Et quia calor nullus tam vehemens, qui huic æquiparari possit, ignis Gehennæ illi comparari debet. Huiusmodi liquefactio nihil prorsus commentij habet cum alijs naturalis ignis calore factis, frigoréque naturali congelatis, aut coagulatis, quas congelationes, ob earum debilitatem in Mercurio obtinere nequeunt easque ob id ille planè contemnit. Inde colligere licet, Elementares vires corrumpentes nihil cœlestibus viribus (quæ vel Essentia Quinta, vel eius elementa vocantur) addere vel adimere; nec operandi potestatem habere. Cœlestes & infernales vires, elementis quatuor non obediunt, siue sicca, humida, calida vel frigida sint. Nullum eorum operandi facultatem habet contra Quintam essentiam, sed quodlibet proprias vires & operationes per se continet.

Mercurij quæ natura sit.

Elementalia incœlestia & Infernalia nihil agunt.

Canon secundus, de Natura & proprietate ♃.

QVod manifestum est (intellige corpus Iouis) in eo cætera sex metalla corporea spiritualiter occultantur, vnum quidem alio profundiùs, tenaciusque. ♃ nihil de Quintâ participat Essentia, sed de Elementarium quatuor natura. Quapropter eius liquefactio leui penitus igne superueniente manifestatur, & accedente frigore similiter leui coagulatur. Cum aliorum omnium metallorum liquefactionib. affinitatem habet. Nam quantò quid alteri naturâ fuerit similius, tantò faciliùs vnitur illi per coniunctionem. Facilior etiam est, magisque naturalis propinquorum, quàm remotorum ad inuicem operatio. Remotum non vrget. Idem etiam non admodum metuitur, etsi maximum existat. Hinc fit, vt ad superos etiam non anhelent homines: quia plurimum ab eis distant, eorumque gloriam non vident. Pariformiter inferos admodum non formident, quòd remoti sint, eorumque status, & pœnæ miseriam nemo viuentium nouit, aut expertus est: hâc de causa nihili fit infernus. Res enim remotiores, eò viliores habentur, quò rudiorem locum obtinent: quia pro sui loci proprietate quæquæ res melior euadit, vel immutatur: quod variis exemplis demonstrari potest.

Iouis natura quæ.

Remota cur minus afficiant.

Quapropter quantò ♃ à ♂ & ♀ est remotior, propinquior autem ☉ & ☽ reperitur, tantò maiorem aureitatem, aut argenteitatem (vt ita loquar) in corpore suo continet, grandiorque, fortior, visibilior, tangibilior, perceptibilior, amabilior, acceptior, notior, & verior, quàm in remoto comperitur. Rursus, quò res quæuis remotior, eò vilior existimatur in prædictis omnibus, ideò quòd semper præsens absenti rei præferatur. Quantò propinquius est manifestum tantò remotius est occultum. Quamobrem Alchimistæ tibi sedulò cogitandum est, quâ ratione Iouem collocare possis ad remotum & abstrusum locum, quem Sol & Luna tenent, & vicissim Solem & Lunam ex remotis adigas in propinquum locum, vbi Iupiter steterat corporaliter: vt eodem modo Sol quoque & Luna ibidem corporaliter ad oculos re ipsa adstent. Transmutationis enim metallorum de imperfectione in perfectionem, varia sunt operationum Recepta. Vnum alteri permiscere, tum alterum ab altero purum iterum separare, nihil aliud est, quàm permutatio, per alchymicum perfectum laborem instituta. Nota. Aurum multum Iupiter, & non parum argenti habet. ♄ & ☾ imponantur ei, & augmentabitur ☾ de reliquis.

Absente præsens præstantius.

Canon tertius de ♂, & eius proprietatibus.

OCculta sex metalla septimum expulerunt à se, ac illud effecerunt corporale, valorem illi minimum relinquentia, maximamque duritiem ac onus imponentia. Hoc facto omne suum coagulationis robur atque duritiem in istud excusserunt ac manifestârunt. Econtrà colorem, liquefactionemque cum sua nobilitate sibi retinuerunt. Difficillimum est, ac laboriosum ex inepto vulgarique homine, Principem aut Regem fieri. Sed Mars valida, pugnacique manu dominium acquirit, Regisque locum occupat. Est tamen quod caueat ab insidiis, ne captiuetur ex improuiso & festinanter Considerandum venit, quâ ratione ♂ regis locum, & ☉ & ☾ cum ♄ locum ♂ obtinere valeant.

Martis natura quæ.

Canon quartus de ♀ & eius proprietatibus.

ALia sex metalla, ♀ ex omni suo colore medioque liquefactionis, cum inconstantia corpus extrinsecum fecerunt. Necessarium tamen foret ad intelligentiam aliquot exemplis demonstrare, quinam res manifesta per ignem occultetur, & manifestetur occulta materialiter. Quicquid est combustibile, naturaliter per ignem transmutari potest de vnâ in aliam formam, videlicet in calcem, fuliginem, cineres, vitrum, colores, lapides, & in terram: quæ postrema rursus in multa corpora noua reduci potest metallica. Si metallum etiam adustum, aut ærugine vetustâ fragile esset, malleationem ignitionibus iterum adipiscetur.

Veneris natura quæ.

Canon quintus de natura & proprietatibus ♄.

Saturni natura quæ

DE propriâ suâ natura Saturnus ita loquitur: Pro suo me eiecerunt examinatore sex alia, deque loco spirituali extruserunt à se:corruptibile corpus in mansionem etiam adiecerunt, vt quod ipsa nec sunt, nec habere cupiunt, sim id ego. Sex fratres mei spirituales existunt, inde fit, vt corpus meum, quoties ignitus sum, penetrent, ac vnà mecum igne pereant, ☉ & ☾ tamen exceptis: quæ me mundantur & superbiunt aqua. Spiritus meus est aqua emolliens fratrum meorum rigida & congelata corpora. Corpus meum tamen ad terram est procliue: quicquid in me recipitur, etiam conforme fit eius, & per nos in corpus vnum conuertitur. Mundo minimè foret vtile, si cognosceret, aut saltem crederet, quidnam in me lateat, efficereque possim: vtilius foret, si mecum id, quod possum facere calleret: Alchymistarum artes omnes deserens, hoc solo, quod in me est, & per me fieri potest, vteretur. Frigoris lapis est in me, hæc est aqua, per quam spiritus congelari facio metallorum sex in Esse corporeum septimi, hoc est, ☉ cum ☾ promouere.

Antimonium est duplex.

Duplex reperitur Antimonium, vnum vulgare nigrum, quo repurgatur: ☉ in eo liquefactum. Hoc cum ♄ habet affinitatem proximam. Alterum est album, quod Magnesia etiam dicitur & Bisemutum. Affinitatem habet cum ♃ maximam, & cum altero Antimonio permixtum augmentat Lunam.

Canon sextus de Luna & proprietatibus eius.

Luna Naturæ quæ.

EX Lunâ conficere velle ♄, aut ♂, non est leuius vel facilius opus, quàm ex ☿ ♃ ♂ ♀ ♄, Lunam ingenti lucro facere velle. Non est enim vtile, perfecta in imperfecta, sed hæc in illa transmutare. Sed quænam sit materia Lunæ, vel vnde proueniat, oportet etiam cognoscere. Quisquis id considerare non valet, vel perquirere, nec Lunam efficere poterit. Si rogetur, quid est Luna? Est ex sex metallis, spiritualiter occultatis, ipsa septimum, externum, corporeum, & materiale. Nam semper sex metalla, septimũ in se continet spiritualiter occultata. Et sex metalla spiritualia non persistunt absque vno metallo extrinseco & materiali. Sic etiam nullum corporale metallum absq; illis sex spiritualibus locum aut essentiam habere potest. Corporalia metalla septem liquefactione bene permiscentur, sed mixtum hoc non est ad faciendum Solem, aut Lunam vtile. Nam in ea mixtura manet quodque metallum in sua natura, vel fixum in igne, vel ab eo fugit. Exempli gratiâ, misce quocunque modo potes ☿ ♃ ♄ ♂ ♀ ☉ ☾, ob id minimè fiet, vt Sol & Luna metalla 5. cætera ita permutent, vt ex Sole & Luna fiant illa Sol & Luna. Quamuis enim omnia liquefacta sint in massam vnicam, nihilominus manet in sua natura quodlibet hoc ipsum, quod est. Hæc sunt, quæ de corporali mixtione indicanda fuerunt. De spirituali verò permixtione & communione metallicâ sciendum est, nullam separationem aut mortificationem spirituum esse: quia tales spiritus absque corporibus nunquam persistere possunt. Etiamsi corpus in vna hora centies illis adimeretur & mortificaretur, nihilominus aliud semper, priore multo nobilius, acquirerent. Et hæc est metallorum transpositio de vnâ morte in aliam, hoc est, de minori gradu in maiorem & altiorem, hoc est in Lunam, & ex meliori in optimum & perfectissimum, id est, Sol splendidissimum, & planè regium metallum. Est igitur verissimum, quod supradictum est sæpiùs, sex metalla septimum semper generare, aut ex se in Esse manifestum producere.

Quæstio. Si verum est, Lunam, & quodlibet metallum ab aliis sex originem ducere generarique. Quæ est igitur eius proprietas & natura? Responsio. Ex ♄ ☿ ♃ ♂ ♀ ☉ nihil, nec aliud metallum fieri potest, quàm Luna. Causa est, quod aliorum sex metallorum quodlibet bonas duas habet virtutes, quarum summatim duodecim sunt. Istæ sunt Lunæ spiritus, qui breuibus verbis ad hunc modum cognosci potest. Nam Luna est ex sex spiritualibus metallis & eorum virtutibus: quarum vnumquodque duas possidet. Summatim itaque 12. sunt in vno corporali metallo positæ, quæ 7. Planetis, & duodecim signis cœlestibus comparantur. Habet enim Luna à Planeta Mercurio, ac ab ♒ & ♓ liquationem & album suum splendorem. ☿ ♒ & ♓. Sic habet etiam ☾ à ♃ ♐ ♉ colorem album, & in igne magnam suam constantiam. ♃ ♐ & ♉. Habet Luna à ♂ ♏ ♈. duritiem, bonumque suum clangorem ♂ ♏ & ♈. Habet Luna à ♀, ♊ & ♎ coagulationis mensuram & malleationem, ♀ ♊ & ♎. Habet Luna à ♄ ♍ & ♑ corpus homogeneum, cum grauitate, ♄ ♍ & ♑. Habet Luna à ☉, ♌ ♍ sinceram puritatem, & magnam constantiam contra vires igneas. ☉ ♌ ♍. Talis est naturalis cognitio exaltationis, & causæ spiritus & corporis Lunæ, cum eius natura composita & sapientiâ, breuibus commemorata.

Dicendum est vlteriùs, qualenam huiusce modi spiritus metallici corpus, in sui primitiua generatione per cœlestem influxum acquirant, nempè lapidem aspectu vilem, quem tusum liquefacit, corrumpit & mortificat igne fossor metallarius omninò: tunc metallicus ille spiritus in tali mortificatione melius atque nobilius, non friabile, sed malleabile corpus recipit. Accedit Alchimista, qui tale corpus metallicum rursus corrumpit, mortificat, & artificiosè præparat. Sic iterum spiritus iste metalli nobilius & perfectius induit corpus, manifestò se prodens in lucem, nisi sit Sol aut Luna, tum demum spiritus & corpus metallica perfectè simul vnita, sunt ab ignis elementaris corruptione tuta, nec non incorruptibilia.

Canon septimus de naturâ Solis & proprietatibus eius.

SEptimum ex sex spiritualibus metallum, corporaliter est Sol, qui in seipso nihil aliud est, quàm purus ignis. Quod autem extrinsecus

trinsecus pulchrius, flauius, apparentius, perceptibilius, ponderosius, frigidius, ac magis homogeneum corpus visu, perceptioneque possideat, huius causa est; quòd aliorum sex metallorum congelationes in se contineat: quibus in vnum corpus extrinsecum est compactissimum factum. Eius tamen per ignem elementarem liquefactio prouenit, vel causatur ex ☿ ♓ & ♒ liquationibus in eo spiritualiter occultis. Huius exemplum est manifestissimum, quòd ☿ cum ☉ faciliùs per amplexum commiscetur corporaliter. Sed Solem post liquationem recedente calore, frigoréque superueniente extrinsecus coagulari, durum & solidum fieri, reliquorum quinque metallorum est occasio, quorum naturam in se complectitur, ♃ ♄ ♂ ♀ ☾. In istis quinque metallis, frigidæ mansiones cum suis regiminibus præcipuè reperiuntur. Inde fit, vt Sol extra calorem ignis liquefieri minimè possit propter iam dictum frigus. Non potest etiam Mercurius calore suo naturali, vel liquatione subuenire: nec ipsum defendere contra 5. metallorum frigiditatem, eò quòd Mercurij calor non est sufficiens ad ☉ in liquatione retinendum. Quapropter oportet ☉ quinque metallis obedire, magis, quàm vnico metallo ☿. Ipse ☿ etiam officij nihil aliud habet ex seipso, præterquàm semper fluere. Hinc fit, vt in aliorum metallorum coagulationibus nihil agere valeat, cùm eius natura non sit, durum aut solidum facere, sed liquidum. Fluidum efficere caloris est, vitæque natura sed frigiditas duritiei, consolidationis & immobilitatis naturam habet, quæ morti comparatur. Exempli gratia sex metalla frigida, ♃ ♀ ♄ ♂ ♀ ☾ ☉ si liquefieri debent, ignis calore fiat id necessarium est. Nix aut glacies, quæ frigidæ sunt, hoc ipsum non efficient, sed potius indurabunt. Statim atque metallum igne liquefactum ab eo fuerit amotum, frigiditas hoc arripiens, durum, congelatum, & immobile per se reddit. Sed quòd Mercurius fluidus atque viuus semper maneat, dic quæso, calore vel frigore an id efficiatur? Qui responderit à frigidâ humidaque naturâ id fieri, tum à frigiditate vitam habere opinionis assertor huius, naturæ nullam cognitionem habens, cum vulgo seductus est. Vulgus enim de quibusuis nil nisi falsum iudicat, hoc etiam firmiter tenet. Quapropter est, quòd ab eo recedat, quicunque veritatem cupit cognoscere. Mercurius quidem ex frigida minimè, sed ex calida & ignea natura viuit. Quoduis etiam viuens, ignis est, quia calor est vita, frigus verò mortis occasio. Solis ex seipso purus est ignis, non tamen viuus, sed durus, & sulphuris tantum colorem demonstrat, vt flauum & rubeum permixtum in eo proportionaliter. Metalla quinque frigida sunt hæc ♃ ♂ ♄ ♀ & Luna, quæ suas tribuunt Soli virtutes secundum frigiditatem, corpus ipsum: secundum ignem, colorem: secundum siccitatem, duritiem: secundum humiditatem, pondus, & ex splendore, clangorem. Quòd autem Aurum in ignis terrestris elemento non comburitur, nec etiam corrumpitur, efficit hoc Solis constantia. Nam vnus ignis alterum adurere non potest; nec

Calor est vita, frig. mors.

Metalla frigida quæ.

etiam absumere, sed potiùs si ad ignem accedit ignis, augetur validiorque fit in suis operationibus. Cœlestis ignis qui à Sole in terram apud nos influit, non est talis ignis qualis est in cœlo, nec similis nostro super terram existenti, sed ignis ille cœlestis apud nos, est frigidus, & congelatus, qui corpus est Solis. Quamobrem Sol per nostrum ignem superari nullo modo potest: hoc illi solum accidit, vt liquefiat, sicuti nix, vel glacies ab ipso cœlesti Sole. Ignis igitur ignem comburendi potestatem non habet, quia Sol est ignis, qui solutus in cœlo coagulatus apud nos existit.

Aurum est in essentia triplex.	1. *Cœleste*	est	*Solutum.*
	2. *Elementare*		*Fluidum.*
	3. *Metallicũ.*		*Corporeum.*

Finis septem Canonum.

Deus & natura nihil faciunt frustrà.

LOcus rerum omnium æternus, temporis expers, ac principij finisq; locorũ vbiuis operatur: essentialiter operatur, vbi nulla spes est: operatur id, quod reputatur impossibile. Quod etiam incredibile, desperatumque videtur, mirabiliter in veritatem erumpet.

Nota de partibus super Mercurium viuum (al. vulgi.

QVicquid in colorem album tingit, vitæ naturam habet, lucisque proprietatem, atque potestatem, quæ vitam causaliter efficit. In hoc motu quidem ignis cum suo calore, vitæ est eius origo. Quicquid econtrà tingit in nigredinem, aut nigrum efficit, naturam cum morte communem habet, tenebrarumque proprietatem, & vires mortis efficaces. Indurationis huiusmodi coagulatio, fixatioque terra est cum sua frigiditate. Domus enim semper est mortua, sed eam inhabitans viuit: cuius exempli vsum si reperire potes, euicisti.

Lucidũ à vita tenebrosũ à morte.

Puluis liquefactiuus probatus,
Pingues adole verbenas.

℞. Salis nitri ℥ iiij. Sulphuris medietatem, tartari ℥ j. Misce & liquefac.

Quidnam de congelatione Mercurij censendum est.

MOrtificare vel congelare ☿, & postmodum in Lunam conuertere velle, magnoque labore sublimare, vana sunt opera, cum illa sint Solis & Lunæ in eo existentium tamen quædam dissipatio. Est enim alia longè diuersa, propinquiorque via, quâ ☿ paruo dispendio, laboréque minori sine congelatione transmutatur in Lunam. Quilibet autem libenter addisceret artem hanc in Alchimia tam leuem, atque facilem, per quam breui tempore Sol & Luna plurimum facere posset. Cùmque non nisi cum tædio prolixa scripta & verba legantur, optaret vtique, vt directis verbis ita admoneretur. Hoc & ita facito, operare sic, & habebis Solem & Lunam, quibus in ditissimum virũ euades. Itane verò: Tanti per expecta quæso, donec c. tra laborem breuibus verbis tibi id declaretur, præmansumq; ingeratur in stomachum,

chum, vt ex ♄ & ☿ & ♃, ☉ & ☾, illicò conficias. Non est, nec esse poterit vnquam hæc ars inuentu, factuque tam facilis, ac in seipsa facilis existit. Solis & Lunæ fabricandorum promptitudo per Alchimiam tam facilis est, vt nec libris, nec doctrinis contextis magis opus sit, quàm si de niue præteritâ quis scribere vellet.

De Receptis Alchimiæ.

QVid ergo de Receptis Alchimiæ, vasorumque & instrumentorum diuersitate dicendum est? vti sunt fornaces, vitra, ollæ, aquæ, olea, calces, sulphura, salia, salpetræ, alumina, vitriola, chrysocollæ, atramenta auripigmenta, fel vitri, cerussa, terra rubea, thucia, cera, lutum sapientiæ, vitrum contusum, viride æris, fuligines, testæ ouorum, crocus Martis, sapo, crystallus, creta, arsenicum, antimonium, minium, elixir, lazurium, sol laminatus, sal nitri, sal armoniacum, lapis calaminaris, magnesia, bolus armenus, & alia plura. Et præterea de præparationibus, putrefactionib. digestionibus, probationibus, solutionibus, cæmentationibus, filtrationibus, reuerberationibus, calcinationibus, graduationibus rectificationibus, amalgamationibus purgationibus, &c. quib. Alchimiæ libri sunt refertissimi. Et tandem etiam de herbis, radicibus, seminibus, lignis, lapidibus, animalibus, vermibus, ossium cineribus, limacum capsulis, conchis, cocleis, & pice. Hæc & similia quæquæ sunt in Alchimia remotissima quædã, imò vanissima laborum onera, quib. etiam si Sol & Luna fieri posset, nihilominus intentionem hanc magis, quàm prouehant, impediunt ac retardant. Non est igitur ex his (vt verè loquar) addiscendum, quod ad artem faciat Solem & Lunam fabricandi. Quapropter omittenda sunt omnino, quod cum 5. metallis ad Solem & Lunam prorsus nihil operentur. Percontari posset quispiam, quæ est igitur hæc via, breueque fundamentum, quæ difficultatem nullam habet, ex eisque tam citò Sol & Luna fieri potest, verè, & sine fuco? Responsio, Abundè satis in septem canonibus, & apertè id iam dictum est. Qui per hos intelligere noluerit, frustraneus labor esset ampliùs eum instruere. Non est etiam, quod sibi quis insipidè persuadeat ea tam leuiter intelligi posse: verùm occulto sensu meliùs quàm aperto. ARS HÆC EST. Postquam Cœlum aut Saturni sphæram cum vitâ currere feceris super terram, impone Planetas omnes, vel quem aut quos volueris, vt Lunæ tamen portio sit minima. Omnes currere permittas, donec Cœlum ♄ penitus euanuerit: manebunt omnes illi Planetæ mortui cum antiquis suis corruptibilibus corporibus, interim aliud recens prefectum, & incorruptibile corpus nacti.

Illud enim corpus est spiritus cœli, de quo rursus illi Planetæ corpus & vitam accipiunt, & viuunt sicut antea. Corpus hoc accipe de vita & ex terra, quod serua: est enim Sol & Luna. En artem habes omnino manifestatam, & integram. Si nondum intelligis eam, aut calles bene est: Ipsum enim tectam, nec euulgatam esse, satius est.

Quo pacto coniurandus sit Crystallus, vt omnia in eo videantur.

COniurare nihil est aliud, quam rem aliquã rectè obseruare, scire, & intelligere, quid ea sit. Crystallus est figura aëris. Quicquid in aëre vel mobile vel immobile apparet, idem apparet, etiã in Speculo, Crystallo, vnda. Aër enim, aqua & Crystallus, quoad visum vnũ sunt, instar Speculi, in quo Replica inuersa videtur.

De Calore Mercurij.

QVotquot ☿ humidæ frigidæque naturæ esse iudicant, aperto errore victi sunt, quia est de sua natura summè calidus, & humidus: cuius occasione semper ac perpetuò fluit. Nam si humidæ frigidæque naturæ esset, aquæ congelatæ similitudinem haberet, semperque durus & solidus existeret, ignisque calore primum, vt alia metalla ipsum liquefieri foret necesse, quo quidem non indiget, cum liquationem & fluxum habeat ex proprio calore sibi naturaliter insito, qui tenet ipsum in fluxu perpetuo, viuumque facit, vt nec mori, nec coagulari, vel congelari queat: id maximè scitu dignum est, metallorum spiritus septem, aut quotquot eorum mixta fuerint, simul ac in ignem veniunt, inter sese pugnam agere, præcipuè Mercurius, sic vt quisque suam in alium vires atque virtutes exerat vincendi, liquefaciendi, transmutandique desiderio. Vnus alterius virtutem, vitam & formam deprædatur, aliamque naturam & formam illi tribuit. Calore commouentur itaque metallorum spiritus, aut vapores ad operandum in sese mutuò, nec non transmutandum de vna virtute in aliam, quousque ad perfectionem, & puritatem ventum sit.

Mercurius de summe calidus & humidus.

At quidnam agendum præterea cum Mercurio est, vt humiditas & caliditas illi possit adimi, quarum loco maxima frigiditas introducta congelaret, consolidaret, omninoque mortificaret eum? Hoc fac quod sequitur in commento subiecto. ℞. Purum Mercurium optimè conclusum in pixide argenteâ imple ollam plumbo comminuto cuius medio impone pyxidem, fluat per 24. horas: id est, per diem naturalem. Hoc à Mercurio occultum ipsius calorem aufert, & caliditatem extrinsecam addit, frigiditatemque intrinsecam ♄ & Lunæ (qui ambo sunt Planetæ frigidæ naturæ) tribuit, ex qua, vel per quam Mercurius congelari, consolidari & indurari cogitur.

Congelatio Mercurij fit.

Nota frigiditatem (quâ Mercurius indiget in sui consolidatione, mortificationeque) sensu minimè perceptibilem extrinseco, veluti niuis aut glaciei, sed potius extrinsecus calidum quid apparere. Non aliter de calore Mercurij, quo fluit, iudicandum est, non esse caliditatem extrinsecus perceptibilem, ad nostrarum qualitatum similitudinem: imò potiùs extrinsecus tanquam frigiditas percipitur: vnde Sophistæ (gens inexpertè loquax) perperam asserunt, eum esse frigidæ, humidæque naturæ, quò fit etiam, vt illum non aliis quàm calidis rebus congelare studeant, quib. tamen fluidiorem effici potius, quàm solidum suo damno quàm lucro magis indies experiuntur.

Alchimia

Alchimia vera, qui vnica tantùm arte. Lunam aut Solem ex 5. metallis imperfectis fabricare docet, aliud Receptum non admittit, præter illud, quod sic & verè dictat: Solum ex metallis, in metallis, per metalla, & cum metallis, perfecta metalla fiunt. Nam in aliis rebus est Luna, & in aliis metallis est Sol.

Quâ materiâ, quibus etiam instrumentis in Alchimia sit opus

NOn aliis opus est, quàm officina fusoria, plenis aëre follibus, tenaculis, malleis, lebetibus, testis & capellis ex faginis cinerib. constructis. Postmodum impone ♄ ♃ ♂ ☉ ♀ ☿ ☾. & operentur in finem vsque ♄

Mineralia quærendi modus.

IN terra nec non in lapidibus inueniendi spes est incertissima & labor maximus. Verùm, quia is primus est acquirendi modus, atque via, nullo modo sperni, sed summoperè laudari debet. Taleque desiderium, aut appetitus non magis, quàm iuuenum adolescentumque licitus ad matrimonium amor, interire deberet. Vt apes propter mel & ceram rosas & flores desiderant: sic non aliter homines, vt ipse (præter tamen auaritiam commodumq; proprium) ad eruendum è terra metallum anhelare debent. Nam qui nimium quærit, minimum reperire solet. Non auro solo Deus homines argentóue, sed etiam pauperie, sorditie, atque miseria donat. Aliquos etiam ad metallorum, & mineralium singulares cognitiones vocauit, quibus faciliorem & breuiorem Solis & Lunæ fabricandi modum absque fossionibus fusionibusq; sunt adepti, quàm ex vulgari Solis & Lunæ è primitiuis corporibus attrahendi consuetudine. Nec solùm ex subterraneis, verùm etiam per certas artes, notitias, ex 5. metallorum genere (sed tamen ex metallis iam ex mineris eliquatis quæ imperfecta sunt & dicũtur metalla) ☿ ♃ ♄ ♂ ♀, de quibus, & quolibet separatim Sol & Luna fabricari potest, ex vno tamen, quàm ex alio faciliùs. Nota: ex ☿ ♄ & ♃ facilè, sed ex ♂ & ♀ ægrè fieri potest Sol aut Luna. Possibile tamen est fieri, sed cum additione ☉ & ☽. Ex Magnesia & ♄ exit Luna, ex ♃ & cinnabari purus Sol oritur. Poterit ingeniosus artifex (vt probè memini memini) diligenti quidem animaduersione præparare metalla, sic vt ratione vera ductus, metallorum transmutationis perfectionem, opere suo vel regimine magis promoueat, quàm cœlestium signorum 12. atque Planetarum 7. cursus faciunt: quos etiam in his obseruare superfluum est, velut & aspectus, mala siue bona tempora, diem aut horam, huius vel alterius Planetæ statum prosperum aut infelicem, quæ nec iuuare possunt in Alchimiæ naturalis arte, multò nocere minùs. Si verum aliàs, & possibilem processum habueris, operare cum libuerit. Si tamen ex te vel operationibus tuis, & intellectu fuerit aliquis defectus Planetæ syderaque cœlestia tibi deficient in opere.

Si metalla diu satis in terra sepulta manserint, non solùm ærugine consumuntur, verùm etiam perseuerantia transmutantur in lapides naturales, quorum infinitus est numerus, at paucis hoc est cognitum. Reperitur enim in terra gentilium vetus & lapidea moneta, suis imaginibus impressa, quæ primitùs metallica fuit, sed per transmutationem à natura factam, in lapides versa.

Alchimia qualis res sit.

NIhil aliud est Alchimia, quàm propositum, intentio & exugilatio subtilis genera metallorum ex vno in aliud transmutandi secundum quam vnusquisque sibi meliorem viam, & artem, per suæ mentis captum (qui rem pertendit acutiùs, is veritatem attingit) eligere potest, ac in ea veritatem inuenire. Syderum, & lapidum rationem habere maximam oportet: quia sydus lapidum est omnium formationis spiritus. Est etiam syderum omnium cœlestium ☉ & ☾ non nisi lapis vnus in seipso, terrenusq; lapis à cœlesti prodiit lapide, per eundem ignem eosdem carbones, cineres, expulsiones easdem, & repurgationes quibus lapis ille cœlestis, clarus & purus in splendore suo separatus & reductus est. Totus autem globus terræ, nihil aliud est quàm abiectum quid, concretum, mixtum, corruptum, tritum, & iterum coagulatum, & partim in massam vnam in lapideum opus liquefactum, quod in meditullio sphæræ firmamenti, sedem & quietem habet. Alchimia quid.

Notandum est vlteriùs, lapides illos pretiosos, qui propriis nominibus deinceps tradentur, à lapidibus cœlestibus, vel sidereis proximum perfectionis, puritatis, pulchritudinis, claritatis, virtutis, constantiæ contra ignem, & incorruptibilitatis habere locum, & cum aliis lapidibus in terram esse defixos.

Quapropter cum cœlestibus lapidibus & syderibus maximam habent affinitatem, quòd eorum naturæ sint, ab eisque deriuentur. In rudi vase priùs reperiuntur ab hominibus: vulgus tamen (cui de rebus falsum asserere propriũ est) existimat, ibidem vt inuenti sunt nasci, postmodum expoliri, circumferri, vendi nec non pro maximis haberi diuitiis, ob eorum colores, formositatem, aliasq; virtutes: de quibus inferiùs breuis narratio sequitur.

Smaragdus. Est viridis transparensque lapis: prodest oculis & memoriæ, tuetur castitatẽ, quæ si à gestante violetur, & ipse non integer manet.

Adamas. Crystallus niger, adamas nomine, vel Euax à lætitiâ, quam imprimere perhibetur gestantibus, est obscuræ tranparentisque nigredinis, ferrei coloris, omnium du issimus: sanguine tamen hirci soluitur. Corpus eius auellanæ quãtitatem vt plurimum non excedit.

Magnes. Ferreus est lapis, & ideò ferrum ad se trahit.

Margarita. Est vnio, non lapis, quia nascitur in conchis marinis, albi coloris. Quod in animantibus, hominibus, aut piscibus nascitur, non est lapideæ naturæ propriè, sed propriè deprauata (aliter transmutata) natura super opus perfectum.

Hiacynthus. Flauus est lapis & transparens: est & flos eiusdem nominis qui secundum fabulas Poëtarum, homo fuisse fingitur.

Sapphyrus. Lapis est cœlestis coloris, cœlicæ q; naturæ.

Rubinus. Splendet colore valde rubeo.

Carbunculus. Solaris lapis lucet ex propria naturâ sicut Sol.

Corallus. Lapis est albus vel rubeus, non transparens, in mari nascitur ex natura aquæ & aëris in ligni formam, aut fruticis, ex aëre durescit in lapidem, & igne minimè consumptibilis est.

Calcedonius. Lapis est variis coloribus mixtus, inter obscuritatem & transparentiam tenens medium, mixtus etiam fluxibus nubium, coloris hepatici, lapidum pretiosorum infimus.

Topazius. Lapis est noctu lucens. Inter saxa reperitur.

Amethistus. Purpurei colorisque sanguinei lapis est.

Chrysopassus. Est lapis in nocte igneus, in die aureus apparens.

Crystallus. Est lapis albus, transparens, glaciei persimilis. Ab aëre & frigore ex cæteris saxis sublimatus, extractus genitusq; est.

Pro cuius rei fide & fundamento solido hanc conclusionem nota. Si quis ingeniosè & cum ratione circa noscenda metalla quidnam ipsa sint, & vnde oriantur, versari satagit: is sciat nostra metalla nihil esse aliud quàm vulgarium lapidum partem optimam, & spiritum, hoc est picem, axungiam, pinguedinem, oleum & lapidem. Id autem bonum purúmue ac syncerum aut perfectum minimè est, quamdiu in lapidibus absconditum aut mixtum latet. Oportet ergo illud in lapidibus quæri & inueniri, oportet id in illis cognosci, ex illis extrahi, hoc est per vim extrahi & liquefieri. Tum enim lapis amplius non est, sed metallum elaboratum perfectumque, Astris cœli comparabile, quæ & ipsa ab his terrenis lapidibus quasi separati lapides sunt.

Quisquis ergo mineras ac metalla sectatur, illum ratione & ingenio instructum esse tali decet, vt non ad vulgaria tamen ac nota metalla respiciat, quæ in sola montium profunditate inueniantur. Persæpè enim in ipsa terræ superficie tale reperitur, quale aut nullum, aut non æquè bonum reperitur in abditis. Itaque quilibet lapis, qui sub aspectum nostrum venit, siue magnus, siue paruus sit, siue silex aut integrum saxum sit, sedulò inspiciendus, & exacta trutina secundum naturam ac proprietatem suam expendendus est. Multoties enim vilis silex, abiectus & contemptus, qualibet vacca melior est. Non perpetuò ad locum effossionis respiciendum est, vndenam ille lapis eruatur. Hîc enim cœli prædominium valet. Et offertur passim terra, puluis aut arena, quæ multum auri argentiue secum habet: quod notabis.

FINIS.

THESAVRVS THESAVRORVM ALCHIMISTARVM

PHILIPPI THEOPHRASTI BOMBAST, Paracelsi Magni.

Mineralium genera duo sunt.



NATVRA in visceribus terræ minerale gignit. Huius genera duo sunt, quæ in multis Europæ locis aut regiminib. inueniuntur. Optimum, quod mihi oblatum, ac in experimentando genuinum inuentum est extrà in figura maioris mundi, est in Oriente Astri sphæræ Solis. Alterum in Astro Meridionali, iam in primo flore est, quem Viscus Terræ per suū astrum protrudit, quique in prima sua coagulatione ruber inuenitur, in quo conditi latent omnes flores & colores mineralium. De hoc multa à Philosophis scripta sunt, quòd naturæ frigidæ & humidæ sit, & Elemento Aquæ conueniat.

Quantum verò ad cognitionem & experientiam ipsam attinet, Philosophi ante me omnes telis suis missis ab ipso scopo veritatis longè aberrarunt, dum Mercurium & sulphur metallorum omnium matrem esse crediderunt, interim tertij ne quidem per somnium mentionem facientes: cum tamen, si Spagyrica arte aqua separatur, veritas ipsa clarè patescat, nec Galeno nec Auicennæ cognita. Quòd si pro nostris excellentib. Physicis nomen saltem ac compositio, dissolutioque & coagulatio, sicut in principio mundi natura in suis crescentibus procedit, describenda forent: vix integer mihi annus suppeteret, & ad illa explicanda ne numerosa quidem vaccarum coria mihi sufficerent. Galen. & Auicē na extra pa cipia igná.

Affirmo autem in hoc minerali tres substantias & materias reperiri, nempè Mercurium, sulphur, & mineralem aquam, per quæ illud à natura coagmentatum est, & per scientiam Spagyricam à succo proprio resoluitur, quando nondum omnino maturuit in perfecto suo autumno, sicut pyrum in arbore. Arbor pyrum abscondit. Si verò cœlestia astra & natura conueniunt, illa primùm surculos emittit tempore Martij, postea gemmas protrudit, & his apertis exhibet florem, & sic consequenter vsque ad maturationem pyri in arboris autumno. Eadem etiam mineralium conditio est. Nam & ipsa similiter ex viscere terræ protruduntur, quod sedulò admodum notandum est Alchimistis, qui Thesaurum Thesaurorum venantur. Huius vt viam, initium, medium & finem, illis ostendam: sequenti tractatu propriam ipsius aquam, ipsius proprium sulphur, & proprium balsamum descripturus sum. Per tria hæc, Resolutio & compositio in vnum coagulantur. Minerale ex .. substā constā. Minerale anno .. vi natura successiuè n.. terræ.

De Sulphure Cinnabarino.

RECIPE minerale Cinnabaris, & id hoc modo para. Coque illud ex aquâ pluuia in vase lapideo, horis tribus, postea sedulò depura, & solue in aqua Regis, quæ composita fit ex parte vna vitrioli, Salis nitri, & Armoniaci (al. vitrioli, Salispetræ. Aluminis, & Salis) Destilla per Alembicū, iterumq; affunde, & cura vt purum ab impuro separetur, hoc modo. In fimo equino putrescat per mensem. Postea elemēta hoc modo separa. Si signū suū promit, incipe destillationem per Alembicum, addito primo gradu Ignis. Sic ascendet aqua & aër: Ignis & terra in fundo residebunt. Postea iterum coniunge illa, & in cinere sensim vrge. Sic iterum primò ascendet aqua & aër, & postea elementum ignis, quod à peritis Artistis cognoscitur. Terra in fundo vasis erit, quam ibi quæres, à multis quidem quæsitam, sed à paucis inuentam, &c. Sulphur cinnabaris pa.. terre. Aq. Regis compositio.

Terram hanc mortuam in reuerberio artificiosè præparabis, & postea primum gradum ignis

ignis addes, diebus & noctibus quinque. Quibus exactis, gradum alterum quoque totidem diebus & noctibus addes & cum illa inclusa ita ex arte procedes. Tandem inuenies Sal volatile, instar tenuis Alcali, constans scilicet astrum ignis & terræ. Hoc cum priùs asseruatis Elementis, aqua & aëre commisce, ac iterum per dies & noctes octo pone in cineres, & reperies, quod à multis artistis neglectum fuit. Id pro experientia tua secundum artem Spagyricam separa, & inuenies terram albam, cui tinctura sua extracta est. Sic ergo Elementum ignis & salis terræ Alcolaticè compone & digestionem in essentiam pellicanicam. Ita alia adhuc terra deponetur, quam iterum separa.

De Leone rubeo.

Leonis rubei præparatio.

POstea sume pellicanatum Leonem, qui primo quoque reperitur, vt tincturam eius videas, elementum scil. ignis stans super aqua, aëre & terra. Separa per tritorium ab infimo. Ita verum habebis aurum potabile. Id dulcora cum Alcool vini affuso, & toties per Alembicum destillato, dum nullam acrimoniam ab aqua Regis superesse videris.

Hoc oleum Solis inde in suum Retortorium, sigillo Hermetis exquisitè occlusum. Pone ad eleuandum, ita vt exaltetur & duplicetur in suo gradu. Postea vitrum ita clausum pone in locum frigidum. Sic non soluetur, sed coagulabitur. Iterum impone ad eleuādum & coagulādum, & hoc vice tertia itera. Sic tinctura Solis in suo gradu perfecta erit. Reserua suo loco.

De Leone Viridi.

Leonis viridis præparatio.

VLteriùs sume Veneris vitriolum, more Spagyrico ad summum præparatum, & adde priùs asseruato elemento aquæ & aëris. Resolue, & vt diximus, per mensem putrificando insta. Putrefactione finita, signum elementorum spectabis. Separa: & duos colores præstò videbis, album & rubrum. Rubrum albo supereminet. Rubea tinctura vitrioli adeò fortis est, vt corpora alba omnia tingendo rubefaciat, aut rubra corpora omnia albefaciat, quod mirum est.

Tincturam hanc per Retortam vrge, & videbis exire nigredinem. Hanc iterum age per retortam, iterando toties, donec exeat albescens. Perge nec de opere despera. Rectifica, donec verum, clarum, viridem Leonem reperias, quem spectabis pondere grauem, & ingentem. Ea tinctura est, Aurum perspectibile. Huius Leonis viridis signa admiranda videbis, qui nullo thesauro Leonis Romanis redimi potest. Benè illi, qui ipsum reperire, ac ad tincturam vsurpare nouit.

Hic est verus & genuinus Balsamus, balsamus Cœlestium Astrorum, corpora nulla putrescere sinens, nec radicem agere permittens lepram, podagram, Hydropem. Datur vnius grani pondere, si cum sulphure Auri fermentetur.

Ah Carole Germane, vbi thesaurus tuus est? Vbi tui Physici? vbi tui Doctores? Vbi Decoctores lignorum, qui saltem purgant, laxant? Cœlum tuum ita peruersum est: Astra tua aberrarunt, & via alia vltra lineam palustram exorbitarunt, quoniam oculi tui occœcati sunt in carbunculo, & rebus aliis, ad spectaculum ornatus & pulchritudinis ac fastus facientibus. Quòd si Artistæ tui Principem Galenum (ita nullum appellant) in inferno, vndè ad me literas misit, hærere sciuissent: cruce vulpinâ cauda factâ, sese signassent. Similiter & Auicenna in portæ inferni vestibulo sedet, cum quo disputaui de auro suo potabili, Tincturâ Physicorum, Quinta Essentiâ, & Lapide Philosophorum, ac Mithridatico & Theriaca, &c. O vos Hypocritas, qui veritatem legitimi Medici, qui à natura doctus, ac à Deo ad ipsum natus est, contemnitis. Agite ergo & attendite impostores, qui sublimiorum locorum auctoritate polletis: Post mortem meam discipuli mei erumpent, & vos hypocritas in lucem protrahent & vos cum sordidis vestris coquinis seu officinis prodent quib. hactenus Principes & inuictissimos. Christiani orbis Magnates ad mortem vsq; dedistis. Væ vestris ceruicib. in die iudicij. Ego autem scio meam fore Monarchiam. Meus etiam honor & gloria erit. Non quod me ipsum laudem. Nam me natura laudat. Ex ipsa equidem genitus sum, ipsam equidem sequor. Ipsa me nouit, & ego ipsam. Lumen quod in ipsa est, in ipsa ego vidi, & idem etiam extra in figura Microcosmi probaui, & in illius mundo inueni.

Sed in incepto opere nostro pergendum est, vt discipulis nostris ad votum satisfiat, quib. hæc lubens faueo, si modo luminæ naturæ periti, & in Astris probè exercitati, ac denique in Philosophia, quæ omnis aquæ naturam cognoscendam offert, probè eruditi sint.

Sume, quem descripsi Liquorem Mineralium, secundum pondus part. 4. Solis rubei terræ part. 2. Sulphuris Solis part. 1. Vnà coniice in pellicanum, congela, solue vice tertia. Sic Tincturam Alchimistarum habebis. Pondus eius hic non descripsimus: sed in libro de Transmutationibus traditur.

Iam qui Astri Solis vnciam vnam habet ad vncias mille: is proprium suum corpus Solis quoque tinget.

Si habes Astrum Mercurij, eodem modo tinges totum corpus Mercurij vulgi. Si Astrum Veneris: similiter totum corpus Veneris in optimum metallum tinges. Hæc omnia confirmata sint. Idem etiam de cæterorum Planetarum Astris, vt Saturni, Iouis, Martis, Lunæ, &c. intelligendum est. Nam & ex his tincturæ præparantur: de quibus tamen hoc loco iam non tradimus, quia in libr. de Natura rerum & Archidoxis de illis satis tractatum est. Et sic etiam Primum Ens Metallorum & mineralium terræ Alchimistis satis declaratum est, vt tincturam Alchimistarum habeant.

Hoc opus, tinctura Alchimistarum, ad nouem menses directum non est: sed alacriter & sine tædio in spagyria Alchimistarum potes pergere, & spatio quadraginta dierum Alchimisticorum isthoc figere, extrahere, exaltare, putrifacere, fermentare, in lapidem coagulare, & Alchimisticam phœnicem producere. Sed probè notari debet quod sul-

Sulphur Cinnabarinus quid.

phur Cinnabarinus sit Aquila volatica, cuius pennæ auolant sine vento, & corpus phœnicis in nidum senioris vehunt, vbi ab elemento ignis is nutritur, & pulli eius oculos ipsi effodiunt: vnde emergit albedo, diuisa in sua sphæra, in sphæram ac vitam ex suo corde, balsamo suorum intestinorum, secundum proprietatem Cabalistorum.

Finit Thesaurus Alchimistarum.

DE TRANSMVTATIONIBVS METALLORVM, THEOPHRASTI.

LIBER NONVS.

De Cæmentis.



Cementorũ genera sex.

QVa ratione de cæteris transmutationibus docuimus: eadem etiam de cæmentis operationes nostras complebimus. Cæmentorum autem sex mentionem faciemus, sub quibus quidem genera cæmentorum omnia comprehendentur, quæ ex sua serie secundum Recepta & operationum modos sigillatim persequemur. In omnibus generatim hoc considerandum est, vt omnia cæmenta in fixationem & colorationem vnam reducantur. Duo hæc sese inuicem deserere non debent sed in vna cineratione & coloratione & quartatione simul persistere & manere, prout veri Auri proprietates sese habent.

Nonus autem isthic de cæmentis liber non tradit quo pacto metalla alia in alia transmutari possint, veluti plumbum in cuprum, aut ferrum in cuprum, &c. Sed hoc saltem docet, quomodo metalla cæmententur in summum metallum, Aurum, id est Solem. Nam cæmenta cum cæteris Receptis operationem suam perfectè exequi non possunt, ad cætera metalla inuicem transmutanda: sed in illis tantùm est tota & celer operatio transmutationis ad Solem; quæ metalla cætera omnia superat, non saltem secundum Quartationem, verùm etiam secundum colorationem & tincturam. Notandum verò est, quæ suam concordantiam conferant ex corporibus, velut & ex speciebus. Sunt enim quædam corpora, quæ recipiunt, quædam minimè. Sunt, quæ omniũ primo ad flores suos reduci debent, quædã minimè. Similiter & quædam species colorant in rubeum Solem, quædam in luteum Solem; quædam in fluore, quæ in dimidio cæmento. Similiter etiam attendi diligenter debet ad ignem, vt in quo cæmenta omnium maximè latent, & ex eodem suam operationem adipiscuntur. Ignis enim in sese integram Alchimiam continet, Tingendi, Graduandi, & Figendi, ex proprietate scilicet natiuâ, vel sibi congenitâ & impressâ. Quilibet etiam Cæmentorum elaborator modum processus diligenter attendere debet. Maioris enim momenti modus est, quàm vel descriptio ipsa vel Recepta.

Deinceps ergo ad seriem sex cæmentorum procedentes pergemus, vt secundum quæ cætera cæmenta omnia directa sunt. Inter ea primum est Cæmentum Regale. Veterum autem Modum minimè tenentes, ipsam experientiam ducem sequemur, & ea scripta, quorum per experientiam nullum vsum percepimus, omittemus, hoc pacto.

Regale Cæmentum.

♃. *Florum æris,*
Antimonij,
Laterum,
Salis communis, an. ℔ *6.*

Trita minutissimè simul omnia commisceantur, vinoque postmodum imbibantur, & exiccentur, idque vigesies & quater. Hoc puluere Luna cæmentetur laminata, gradu medio quidem ignis quatuor horis: postea totidem igne mediocri. Postremò fluxionis igne horis duodecim. Tum demum excipe Regulum, eumque laminatum & crudum ex priore processu, & cum eisdem cæmentabis rebus & gradibus ignis, hoc ipsum quater aut quinquies repetendo. Postmodum fulminato per cineritium, & scoriam, reduc iterum in Lunam. Instrumenta, prout vasa fusoria, &c. sunt optimè perlutanda, nec non firmiter obturanda. Et quod prolixum descriptionis hoc loco processum ponamus, eã de causa factum esse putetis, quia breuibus ignis processibus, experientia nihil boni docere nos voluit. Quandoquidem ignis diuturnitas & violentia, fixatio potissima cæmenti regalis existunt: imò longè melior foret si diebus quatuor cum prædictis in eiusmodi cæmento, quæ dicta sunt relinquerentur.

Notandum etiam flores æris per vitriolum extrahendos è cupro esse: Nam in eo natura quædam fixationis habetur ad cæmentum hoc assumptum quum est, multis de causis.

Antimonium similiter est fixandum, cum virtutum suarum tamen retentione quas habet, purificando & exaltando: vires enim eius non satis cognosci possunt.

Item lateres à bono tecto sumi debent: nam tectum vires habet figendi vapores existentes in Luna, quæ aliter omnes fugiunt euolantque.

Sal verò corrigit ac fixat leprosam Lunam à sua nigredine.

Quatuor igitur ista simul in vna coniunctione esse debent ac operari. Cæterùm obseruandus est ignis atque notandus.

Huic cemento nullum aliud metallum applicatur, & postquam fulminatum est, aurum suum patefacit exhibetque: sufficiens igitur habendum hoc cementum pro vno est.

De secundo cæmento.

Cemẽ. Solis parata.

CÆmentum quod secundò ponere voluimus, est ad Solem duntaxat, in quo quidem obiecta quatuor intelligenda veniunt. Primum est, quòd nonnunquam Sol reperitur in cæmento pro quartâ parte vel mediâ deficiens, quia non satis fixus, nec ad suum gradum adductus extra suos defectus, vti nos de generationibus ponimus. Quare cementandus est, quò suum corpus volatile retinere valeat, quod aliàs nonnunquam euolat in cæmento, vel in cineritio, & quandoquidem in aquâ forti.

Secundum obiectum est, quòd Solis plurimum inuenitur, qui deficit & decedit in colore, quem ad sui coloris addùcere perfectionem cognitu

cognitu valdè necessarium est, absque diminutione sui corporis, & vt color ei maneat in examinibus.

Tertium est, vt albus ille ☉ color non perfectus, Lunæ similitudinem habens in colorationem cæmentetur, vt colorem inde receptũ, etiam in examine quouis retineat.

Quartum concernit pondus, in quo nonnunquam sol deficit, vt eò vilior existimetur. Hoc illi restituendum integrè, cum certiorem gradum ipso colore demonstret, maiorque solis gradatio pro cæteris existat multas ob causas. Pondus enim Artistas minimè fallit, quòd tamen acus ob causas multas facere potest.

Per cæmentum, in istis quatuor obiectis perfici potest aurum, vt deinceps in eo nullus defectus inueniatur, nec volatilis, aut non fixæ conditionis quidpiam cuius cæmenti præparatio hæc esto.

℞. Antimonij,
Florum æris an. ℔ ß.
Mercurij coagulati vertonem j.

Omnia simul commisceantur, & imbibantur oleo Antimonij rubeo, tamdiu donec omnino rubeant. Postmodum eo cæmentabis aurum subtilissimè laminatum vel granulatum, igne liquefactionis, viginti quatuor horis absque diminutione caloris, in fusorio vase per quam optimè clauso. Transacto hoc temporis termino, Regulum excipe nec non per Antimonium crudum actum, liquefiat addita chrysocolla, vel Borace; post in formam effunde. Sic habes optimum, & sufficiens ad Solem absque defectu cæmentum ad supremum gradum, in omnibus cæmentis, cineritiis, & quartationibus fixum atque permanentem.

De tertio Cemento.

Cemẽti tincturæ præparatio.

ANtea duas fixationes aut cæmentationes ad Lunam & Solem posuimus, quæ sumi debent, quum illa duo metalla multiplicanda sunt. Alia pariter veniunt cæmentanda, postmodum in tingens cementum ponenda. Cementum ergo tertium hoc, ad alia quæuis metalla perficiendum aptum est, eaque reddendum idonea, ad cementorum tincturam in se recipiendam. Nam vbi metallum non fuerit prius ad ipsam tincturam præparatum & illitum, eam recipere non potest, aut parum admodum, vel cum operatione periculosa.

Viuum tamen argentum non est in metallorum numero, sub hoc cæmento comprehensũ, sed materiæ metallicæ tantum, & corpora malleabilia, quorum cæmentum hoc esto.

℞. Antimonij j. ℔.
Salis petræ ij. ℔.
Salis Communis.
Salis tartari an. ℔ ß.

Mixta simul omnia ponantur in catillum, strato super stratum collocato cum laminis metallorum, vel limatura ipsorum. Cæmententur optimè clausa horis duodecim igne violentissimo, qui duabus horis ab initio leuis fuerit. Absoluto hoc tempore, quod remansit extrahatur, loppa videlicet cum regulo simul. Hoc notandum, non omnes eiusmodi cæmentationes Regulum exhibere, sed loppas tantum. Istæ sunt postmodum in Saturno coquendæ iuxta communem vsum: & eiusmodi Saturnus aduratur in testa, & reperietur metallum fixum super eam. At hoc loco notato differentiam separationis per testam & cupellam vel cineritium, quòd metallum in cineritium vel cupellam intret, aliàs manet super testam. Eiusmodi metallum quod super testam remanet, secundò cæmentabis, ac tertiò, prout suprà, quò fixius euadat, superque cineritium remaneat. Quo peracto, fixum est ad recipiendum tincturam, quæ datur per cæmentationem.

Notandum etiam de cæmento hoc, duo vel tria metalla simul in mixturam vnam coniungi posse & in corpus vnum, quod melius erit quàm prius ad hunc nempe modum.

℞. Limaturas Martis.
Veneris,
Iouis, aut Saturni.

Mixtæ simul stratificentur, & ita stent in igne liquefactionis per 12. horas.

Additio.

Longè fuerit vtilius dictum cæmentum, si ad prædicta sumantur.

Antimonij,
Salis, ana ℔. j.
Limaturarum Martis, Veneris, Saturni an. ℔. ß.

Fiat eodem modo, prout antea declaratũ est.

Quartum Cæmentum.

Cemẽti mineraliũ. præparatio.

QVartum cæmentum de mineralib. in se metallum perfectum continentibus cæmentum intelligitur, & illud per liquefactionem amittentibus. Notandum hoc loco, metalla melius figi non posse, quàm dum cruda sunt, quæ liquatione prorsum euanescunt. Hac via metalla reperiuntur in mineris, quæ non apparent aliàs. Eiusmodi transmutatio fit in mineris atque metallis ante liquationem, vt metalla possint in sua figi natura, vel in aliud transmutari metallum. Quare duo cæmenta sub vno comprehendemus hîc. Prius quidem ad fixandum in minera metallum absque transmutatione. Posterius ad Veneris mineram in ☉ aut aliud metallum transmutandum. Considerandum vtique multò præstantiores mineris, quàm ipsis metallis spiritus inesse. Isti sunt qui minerarum gradationes & fixationes adiuuant cum in se tincturam & colores contineant materiæ, quæ nondum per ignem mutata sunt, quod aliis libellis deducimus pleniùs. Fixationis in sua minera metalli descriptio talis est, vt sequitur.

℞. Mineræ Martis ℔ j. optimè tritæ: huic adde
Antimonij,
Salis petræ ana ℔ ij.

Liquefactionis accendantur igne tecta fortiter atq; lutata, sicq; maneant horis vigintiquatuor. Postmodum effunde, contere cum aliqua reductione ac cum Saturno fulminato. Et sic eiusmodi metallũ fixum reperies in suo decenti colore, quod multis rationibus probari potest, ac naturaliter demonstrari. Sic de cæteris mineris quarum hoc loco nullã facimus mentionem. Spiritus enim in metallis existentes crudi, prægrediuntur in suis coloribus & essentiis.

Mineraliũ transmutationis descriptio talis est.

℞. Croci ex floribus Martis,

Florum

Florum ex croco Veneris. an. ℔ ß.
Vitrioli,
Aluminis an. ℔ ß.
Salis communis præparati ℔ j.
Mineræ ℔ ij.

Liquefiant omnia, humiditateque priuentur, & cæmententur horis duodecim: postmodum in ♄ liquentur & fulminentur: quo facto reperietur in cupella cineritij transmutatio. Poteris ad istiusmodi transmutationem etiam metallorum addere mixturam, considerando tamen aptitudinem in eis existentem, qua facilius vnum altero transmutari potest.

Quintum Cæmentum.

Cemẽti volatiliũ præparatio.

VOlatilia corpora tantum concernit hoc cæmentum quintum, vt ☿ vulgi, nec non metallorum, prout ♄ ♀ ♃ ♂, &c.

Notandum est, Mercurios corporales ex metallis differre à Mercurio vulgi, suâ tincturâ, quòd isti plus tincturæ ex probatis metallis, illo communi erogent. Pariter intelligendum est vtrunque ☿, corporalem & vulgarem prius esse coagulandum, quò cæmento resistere valeant, ac recipere corporalem substantiam cum tinctura coloreque, prout optima decet metalla.

Coagulatio ☿ hæc est.

℞. *Aquæ fortis debilitatæ prorsus per solutionem Lunæ, vterisque*, sic vt vires nullas amplius corrosiuas, nec acuitatem ad soluendum habeat. In hanc iniice ☿ vtrumuis antea dictorum, & parum calefiat aqua, postmodum conturbetur in pultes, & coagulabitur Mercurius, vt in formam indurescat metalli. Exemptus ab aqua toties lauetur, donec dulcis fiat, indè pòst cæmentetur hoc cæmento, quod sequitur.

℞. *Boracis* ℥ ij ß.
Salis armoniaci ʒ ij.
Croci florum æris.
Florum croci Martis, an ʒ vj.
Vitrioli calcinati
Aluminis calcinati an. ʒ ij.
Hæmatitis, Boli armeni an. ʒ ij.

Misceantur optimè trita simul, & imbibantur aliquoties vrinâ, postmodum fiat in fusorio vase stratum super stratum benè iuncturis clausis, atque lutatis. Cæmentabis gradus ignis obseruando suauiter hora vna & fortiori igne hora aliâ & cæmentando tandem quatuor horis tenebis in fluxu: postea indas Saturno & fulminetur. Sic habebitur ☿ transmutatio, prout suprà diximus.

Verùm vbi aliter fuerit coagulatus quàm iam recensuimus, nihilominus cemento transmutari potest vt sequitur.

℞. *Cinnabaris,*
Boracis an. ℥ ß.

Liquefiant simul in vnum corpus, quod sublima iuxta modum cinnabaris, vt corpus adhuc vnum fiat, cui hoc adiice, quod sequitur,

℞. *Salis communis calcinati.*
Florum æris,
Croci Martis,
Hæmatitis,
Boli, an. ʒ ij.
Supradicti corporis ℥ j.

Fiat stratum super stratum in fusorio vase, postea lentè sex primis horis igniatur & aliis sex fortius vrgeatur igne: tandem violentissimo duodecim. Quo facto rursum vt suprà sublima prædicto processu, & quarto vel quinto cæmento fixam cinnabarim inuenies, quam reduc fulminaque per ♄. & habebis transmutationem eius, vt antea dictum. Ad hunc modum cum cæteris volatilibus metallicis corporibus procedere poteris in transmutationem.

Sextum Cæmentum.

Iam dicendum qua ratione Pars cum Parte cæmentanda veniat, quæ tincturæ plùs recipit, ac citiùs aliis Artistarum similibus operationibus, ea de causa, quod ☉ fixus, & cæmento graduatus sit. Intelligendum etiam, ea cæmentata esse debere, nec non in supremum ambo gradum adducta, præparata, subtiliata & repurgata: postmodum æquo pondere liquefacta simul & laminata: pòst in fusorio vase stratificata cum sequenti puluere, strictè conclusa.

Cæment. partis cum parte.

℞. *Cinnabaris,*
Florum æris,
Hematitis, an. ℥. ß.
Salis Armoniaci,
Calaminaris,
Sulphuris,
Salis communis,
Vitrioli,
Aluminis, ana ʒ. ij.
Croci Martis ʒ. ij.

Trita simul & mixta in corpus vnum exiccentur igne parum, & imbibantur postmodum vrinâ, tandem ad supradictam stratificationem vtere. Ponantur ad ignem vt liquescant per sex horas: postea reuouato, ac aliis sex horis liquefacito: sic tertiò duodecim, quartò quatuor & viginti: postremò liquefac per fulmen ♄. Hac via transmutationem habes. Si tamen alia metalla, prout ♀ aut ♂ assumpseris, plùs addito pulueris & ignis vt misceri queant, ac in transmutationem adduci.

Conclusio.

His paucis libellum nostrum de Cæmentis absolutum esse volumus, istaque satis amplè clareque tractasse: Quanquam & aliæ multæ similium cæmentationum descriptiones habentur, à nostris tamen illas excludimus, eas tantùm hoc loco ponentes, quæ magis per Experientiam vtiles compertæ sunt.

Finis Libri noni de Transmutationibus, Paracelsi Theophrasti.

LIBER DECIMVS DE TRANSMVTATIONIBVS METALLORVM.

AVREOLI THEOPHRASTI Paracelsi: De Gradationibus.

PRÆFATIO.

DE Gradationibus iam loqui volumus ac talibus, vt solutum, extinctum vel digestum in eis metallum, ad gradum

dum Solis promoueri queat, ac transmutari. Multi conantur minora transmutare metalla in argentum, alia mediocria in aurum, cum differentia tamen coniunctionis eorum, sic vt in cineritio per transmutationem in graduatione, minora quidem ad maiorum perfectionem adducantur, ac ad examina quæuis constantem, quæ conueniunt. Quatuordecim itaq; hoc loco ponemus gradationes. Et quamuis longè plures aliæ quoque reperiantur, earum tamen libenter obliti, saltem quæ constant experientiâ, scriptuque dignæ sunt, aggregauimus, in triplici differentiâ constitutas. Nonnullæ sunt aquæ fortes: aliæ quidem olea, cæteræ verò liquores, quas ordine simili disponimus, vt in earum tractationis declaratione patet, Nam primò ponimus aquas fortes: secundò olea: denique liquores.

Gradationes 14. præcipuè.

Gradatio prima.

℞. *Vitrioli.*
Aluminis,
Salis nitri, ana ℔. ij.
Floris æris,
Croci Martis,
Hæmatitis, ana vertonem j.
Cinnabaris ℔. ß.
Antimonij vertonem j. ß.
Arsenici vertonem ß.

Omnia destillentur cum igne fortissimo in aquam fortem, quam purificato, clarificatoque iuxta similium aquarum vsum & in ea cementatam soluito Lunam, aut Partem cum parte, Lunam atque Venerem, & in digestionem ponito per mensem: postmodum residentias excipito fulmine, sic transmutatum inuenies. Quod adhuc in aqua forti fuerit, præcipitetur & fulminetur, vt suprà: Sic habebitur argenti reliquum. Notandum est prædicta simplicia præparari, nec non separari debere priùs in purgatione, quod immunditics plurimum hoc negotium transmutationis impediat.

Secunda Gradatio.

In hac secundâ gradatione notandus est optimè processus alius, vt qui cum maiori lucro subtilitateque fiat, vt sequitur.

℞. *Salis petræ,*
Cinnabaris, ana ℔. j.

Conterantur, & ex eis aqua destilletur, quam serua. Hoc ipsum feceris etiam & sub eodem pondere cum Antimonio & Arsenico. Confunde simul istas tres aquas, addeque *salis nitri.*
Aluminis,
Vitrioli, ana ℔. j.

Omnia rursum simul destilla in modum aquæ fortis. Postmodum affundes eam ad suum caput mortuum subtilissimè contusum, iterumque destilla in vltimos spiritus, & clarifica, prout aliam aquã fortem. In omnia metalla, quæ fuerint in ea soluta, nec non in digestione manserint ad perfectionem magis quàm sit credibile suas operationes atque vires complet. Nam in eiusmodi compositionem ingredientibus verè transmutationis vires latent metallorum in se corporalem materiam habentium. Nam eiusmodi tres destillationes, tingunt ita vehementer aquæ fortitudine, vt maior aut fortior in aquis fortibus vix operatio reperiri queat.

Tertia Gradatio.

Gradatio tertia, quæ inter aquas fortes vltima numeratur, ad hunc modum intelligenda, componendaque venit, vt sequitur.

℞. *Cinnabaris,*
Arsenici,
Antimonij ana ℔. ß.
Salis petræ ℔. ij.
Sulphuris ℔. ß.

Conterantur, misceantur, ac destillentur in aquam fortem igne violentissimo: postmodum accipe huius aquæ partes ij.
Aluminis communis,
Aluminis plumosi, ana partem j ß.
Vitrioli partem j.
Viridis æris,
Croci Martis ana partem ß.

Hæc simul omnia destillentur in aquam fortem igne violentissimo. Tandem ad hanc integram aquam sume capitis mortui duas partes.
Antimonij,
Viridis æris,
Cinnabaris,
Sulphuris, ana partem ß.

Hæc à suis destilla fæcibus fortiter impellendo in vas Recipiens. Postmodum in hac aqua clarificata solue partem ß. cum decem partib. florum æris & croci Martis, & in ea digerantur: inuenies postea residentiæ plus ad ☉ quàm arti credibile sit.

Quarta Gradatio.

Iam de gradationibus per olea factis loquamur, quæ non in modum & formam aquarum fortium, sed in digestione soluunt, & suas gradationes perficiunt. Prima gradationum eiusmodi fit per oleum Antimonij, cui rubedinis tinctura mirabilis inest, ac in eo latet. Processus eius talis esto.

℞. *Antimonij* ℔ j.
Mercurij sublimati ℔. ß.

Destillentur ambo simul igne violento per alembicum, & ascendet rubedo quædam instar sanguinis spissa, quę tingit & graduat vnamquamque Lunam in Solem, & hunc pallidum ad supremum gradum coloris adducit permanentis.

Quinta Gradatio,

Gradatio quinta, cuius oleum in ordine secundum numeratur, fit in hunc mo dum, qui sequitur.

℞. *Olei Philosophorum* ℔. j. *cui permisce*
Aluminis calcinati,
Colcotharis citrini, ana ℔. ß.

Destilla simul igne violento. Postmodum renoua species in priori pondere, addeq;
Cinnabaris,
Viridis æris,
Sulphuris, ana verto. ß.

Destilla rursum, & rectifica pòst in puritatem & constantem colorem. Iniice Lunam & in digestione maneat, remanentiam reduc, & in aqua forti separa, tandem per Saturnum fulminato.

Sexta Gradatio.

Gradationum sexta, nec non oleorum tertium fit ad hunc modum.

℞. *Sulphuris viui* ℔. ij.
Olei lini ℔. iiij.

Coquantur in compositum, quod in oleum destilletur: huic tantundem iterum addatur viui sulphuris, & coquatur vt prius in compositum, ac in fimo equino digeratur per mensem aut si diutiùs melius, postmodum addatur.

Salis nitri,
Vitrioli,
Aluminis,
Florum æris,
Croci Martis,
Cinnabaris ana verto. ß.

Destilla quicquid ascendere voluerit, & liquores amoue, seruatis oleis tantum, quæ ponantur in vitream cucurbitam, additis speciebus vt suprà, & capite mortuo pulúerato, simulq; destilla rursum vt prius. Postmodum reaffunde fæcibus, & putrificetur iterum per mensem ac destilletur ampliùs: euacuatis postea coloribus, aut separatis, rubeum serua, quod rectificabis vt oportet. Postremò laminæ Lunæ digerantur in eo suo tempore, tandem, vt priùs, fulmine reducantur, &c.

Septima Gradatio.

Gradationes quæ per liquores fiunt, in duplici differentia reperiuntur, videlicet tenaces, & aquosæ. Primò de tenacibus loquamur.

℞. *Mellis* ℔ j. *In eo coquantur,*
Vitrioli,
Aluminis ana verto j.
Iameni verto. ß.

Destilletur ex eis aqua per violentum ignem, & addantur ei,

Capitis mortui de cranio humano verto. ß.
Sulphuris ℔. ß.

In forma hepatis cocta, perque mensem digesta prius destillentur, & aqua rectificetur in puritatem, ei postmodum addantur,

Salis armoniaci,
Florum æris,
Croci Martis,
Aluminis, ana verto. ß
Vitrioli verto. j.
Antimonij fixi rubei,
Arsenici fixi rubei, ana ℥. ij.

Trita simul & in aquam iniecta stent in calore diebus decem. Postea separetur liquor à fæcibus, & purificando proiiciantur in eam laminæ metallicæ, maneantq; simul in mediocri digestione ad perfectionem vsq;. Postremò quidem aduratur materia, separetur & fulminetur.

Octaua Gradatio.

Gradatio per secundum liquorem hæc est.

Recipe *Sufficientem aquam fortem, in eius parte vná solue* ☉. *in alia Venerem, & in alia Martem.* Eiusmodi solutiones confunde simul, & postea destillabis aquam ab eis, quam iterum ad suas fæces affundes, rursum destillabis ac reaffundes vt prius, toties, donec inde fiat liquor spissus: huic adde mellis destillati præparatique partes quinque, plus aliis præcedentibus, & per mensem omnia digerantur, postea phlegma separetur, & seruetur liquor, in quem laminæ proiectæ metallorum digerantur per mensem. Et postremò coagulentur in massam & corpus vnum, quod fulminetur, quartificetur, & fulminetur iterum, ad hunc modum inuenietur optima transmutatio ex liquore.

Nona Gradatio.

Tertio liquore gradatio nona fit in modum qui sequitur.

℞. *Aquam fortem, in qua soluatur viride æris, & in fimo teneantur equino per mensem ambo simul: Destilla postmodum aquam à fæcibus, affunde rursum, destillas & reaffunde, itáque toties donec inde fiat oleum.* In istum liquorem pone limaturas metallorum, & in digestione transmutationem inuenies. Et quamuis liquor iste paucus existat nihilominus graduat optimè plurimumque metallum iuxta suam quantitatem.

Decima Gradatio.

Ad hunc modum qui sequitur, liquorem intelligito quartum.

℞. *Aquam fortem optimam, in qua solue chalybis quantum poteris.* Hæc in digestione maneant vno nense, & inde fiet compositum vnius coloris. Hoc destilletur etiam in liquorem, in quem limaturæ metallorum proiectæ maneant in digestione, donec liquor incorporetur. Tum demum simul ambo, nempè liquor & metallum fulminentur per Saturnum, & inuenietur ea transmutatio, quæ separetur & præparetur, vt moris est.

Vndecima Gradatio.

Aquoso liquore primò fit vndecima gradatio, prout infra ponitur.

℞. *Salis petræ purgatissimi* ℔. iiij. *hunc à suo phlegmate vrendo repurgato.*
Salis communis præparati ℔. ij.

Commixta simul destillentur per Alemb. sexies vel nouies, ac toties donec salia per alemb. in submissum vas Recipiens omninò transeant.

℞. *huius aquæ* ℔. ij.
Florum Antimonij.
Fl. Æris.
Fl. Martis,
Fl. Sulphuris, ana ℥. ij.
Vitrioli.
Salis armoniaci,
Aluminis, ana ℥. ij. ß.

Mixta simul omnia maneant in digestione diebus quatuor atque viginti: postmodum separentur in aquam purissimam. Luna post graduetur atque metalla per digestionem, per Saturnum fulminentur, separentur quartificatione, ac fulminentur iterum.

Duodecima Gradatio.

Per secundum liquorem aquosum 12. gradatio fit ad hunc modum.

℞. *Vini ardentis correctissimi* ℔. iij.
Aquæ salis petræ, ℔. j.
Aquæ salis communis, ℔. ß.
Vitrioli,
Aluminis plumosi,
Aluminis Aochi, ana vertones iij.

Misceantur simul in mixturam, quam destilla sexies à capite mortuo. Hâc aquâ metalla digerantur,

digerantur, & fixabuntur ac transmutabuntur, *vt suprà de aliis diximus.*

Decimatertia Gradatio.

Aquoso liquore tertio decimatertia gradatio fit ad hunc modum.

℞. Isteris sanguinis ℔ j. Destilla decies & ter à suis fœcibus, & impone

Florum æris,

Sulphuris, ana vertonem ß.

Soluantur in equino fimo per mensem: impone postmodum calcem Lunæ, vt color & substantia consumantur. Postea coagulentur, & in Saturno fulminentur. Sciendum etiam in isto liquore Mercurium vulgi, nec non metallorum coagulari, iuxta conditionem Transmutationis.

Decimaquarta Gradatio.

Quartus hoc loco liquor est aqua Mercurij, qui fit in decimam tertiam gradationem, prout infra sequitur.

℞. Mercurij vigesies cum sale armoniaco sublimati ℔ j.

Florum Veneris,

Fl. Martis,

Fl. Sulphuris,

Fl. Antimonij, ana ℥ j.

Trita simul omnia misceto, & in aquam resolui finito. Hæc aqua nullo prorsum indiget alio labore. Nam in eàm proiecta metalla, & pauco tempore digesta, & postea fulminata, mirum in modum graduantur.

Finis libri decimi de Transmutationibus metallorum Theophrasti, de Gradationibus.

DE TRANSMVTATIONIBVS METALLORVM, THEOPHRASTI LIBER NOnus, De Proiectionibus.

Vlterius hîc non scripserat Auctor.

Ex Autographo Theophrasti.

CEMENTVM SVPER VENEREM EX MARTE.

℞. Limatura Veneris ex Marte ℥ j. Cinabrij ℥ j. SSS. in Tigillo, ponantur ad ignem secundùm vsum cementationis. F. Cæmentum per horas 6. vel 8. Tunc ℞. illud Cinabrium cum nouâ limaturâ Martis reducti in Venerem, & procede vt suprà, hoc tertiò. Deinde ℞. Lunæ dissolutæ ℥ j. Proiice in fluxu desuper cinabrium prædictum. Tunc effunde, formetur in laminas, & ponatur in Tigillum cum tali puluere, & cementetur per horas 6. SSS. secundùm vsum. Quod cementatum ℞. & illud cementa adhuc semel in cemento Regali per horas 24. tunc habebis optimum aurum. Item potes *Aurum* addere: *Lunæ part. j. Solis p. j. Cinabrij p. ij.*

Pulsus Cementi.

℞. Vitrioli ℥ v.

Aluminis ℥ j.

Salis Nitri ℥ j.

Floris Aëris.

Salis Armoniaci ana ℥ j. ß.

Dissoluantur & exiccentur, & imbibantur cum aceto vel vrinâ, F. puluis.

Regale Cementum.

℞. Laterum. Salis communis fusi, &c.

℞. Antimonij ℥ vj. Pulueris prædicti ℥ iiii. Misce.

Item *Aqua fortis.*

℞. Salis Nitri, Aluminis, vitrioli ana ℔ j. ß.

Virid. æris. Cinabrij ana ℔ ß.

Arsenici. Sulphuris ana ℔ ß.

Destilla in aquam fortem secundum vsum Nitri, quam secundariò & iterum destilla cum viridi æris, Cinabrio & Arsenico, vt suprà.

℞. Vitrioli facti ex Venere Martis ℥ j. Destilla in aquam cum Sale, nitro & Alumine F. Aqua Gradationis secundùm vsum.

MANVALE

Siue

DE LAPIDE PHILOSOPHICO MEDICINALI.

Præfatio ad Lectorem.



Ector, quandoquidem spiritum Medicinæ per Machaonem, Podalirium, Apollinem & Hippocratem, &c. verè operari passus Deus est, vt vera medicina quæ per nubes (in quibus ipsa plenè planèque cognosci minimè potuit) effulgeret, & in apricum prodiret, ac hominibus manifestaretur: eadem etiam operâ idem spiritui tenebrarum prohibuit, vt ne lumen naturæ prorsus ille oppprimeret & extingueret, ne Magnalia Dei, quæ in Arcanis, Quintis Essentiis, Magisteriis & Elixiribus abscondita conquiescunt, incognita essent. Ideò Deus certa media ordinauit vt porrò per spiritus bonos talium Arcanorum & Mysteriorum indagatio hominibus implantaretur, sicut & quidam homines qui angelicas naturas ex cœlo, quod Angelos nouit, acceperunt. Eiusmodi homines potuerunt posteà, vt potè perfectâ intelligentia naturæ donati, naturam & ipsius quotidianum cursum altiùs, quàm alij homines inquirere, Deus sêper excitauit aliquos veros Medicos & Physicos.

rere, purum cum impuro conferre, hæc duo separare purúmque adeò alterare vt impossibile id quibusdam videretur. Illi enim vt naturales ac veri Physici per conuenientia media Naturæ succurrere & eam per artes ad perfectionem perducere sciunt. Quare omnia imperfecta & diabolica opera ipsis, tanquam mendacium veritati & perfectioni cedere oportet. Veritatem inquam loqui nos oportet, si ad finem felicem peruenire velimus. Si autem eam apprehendere omnino fas est, neminem pudeat eam quærere vbicunque locorum sit.

Labore & peregrinatione veritas arcanorũ naturalium acquiritur.

Nemo igitur mihi hoc in malam partem accipiet, quod & ipsemet eam amaui & inquisiui. Nam me eam sequi oportuit, non enim me ipsa quæsiuisset. Qui enim alienam ciuitatem videre vult, illi non est domi in culcitra residendum, non sunt illi post fornacem pyra assanda, ibique doctorem fieri non decet. Nullus insignis Cosmographus fiet ad mensam: nullus Chiromanticus in cœnaculo: nullus Geomanticus in cella. Ita neque veram medicinam sine multiplici indagatione nancisci possumus. Deus facit verum medicum, sed non sine molestia sicut dicit: Labores manuum tuarum manducabis & bene tibi erit. Cùm igitur videre præcedat veritatem, & quæ visus percepit, ea cor exhilarent vel terreant, non mihi labor erit, neque infamia, peregrinari & hominibus adhærere eiusmodi, quales quidam fatui contemnunt, vt scilicet explorem, quidnam in Limbo terræ lateat, & veri Medici officium impleam, vt medicina iuxta Dei ordinationem ad vtilitatem proximi exhibeatur, ne plus damni afferat, quàm vtilitatis, quod quidem homo otiosus non faciet. Sedeat igitur in culcitra qui velit: me delectat mea peregrinatio, & ea, quæ Deus & tempus indagare & videreme permittunt. Propter candidos autem lectores, qui discere cupiunt, & lumen naturæ amant, hunc libellum scripsi, vt fundamentum meæ veræ medicinæ nôrint, & Cacomedicorum nugas omittant, atque aliqua ex parte meas rationes contra eos defendere possint. Spero autem quod pro fabulis etiam ista habebuntur. Nam illi egregij socij antea bene omnia nôrunt, & Doctor asininus iam ante ista habet in sacculo, sed non facilè attinget. Oportet enim bonum esse Alchimistam, qui hunc libellum intelligere velit, cui carbones non noceant, quemque quotidianus fumus non defatiget. Placeant igitur hæc cuicunque velit: ego neminem cogam. Hoc tamen dico, non absque fructu res cadet, quantumcunque me mei aduersarij Pseudomedici culpent & accusent.

Hoc os cõtemptum ii.

Manuale de Lapide Philosophorum.

Lapis Philos. & Balsamus perfectus, perpetuus &c. Lapis similis igni.



VT lapis Philosophorum per Vulcanum fabrefiat, quem Balsamum perpetuum vel perfectum, ob sufficientes causas appellamus: primò sciendum est & cogitandum, quomodo ille lapis materialiter ob oculos ponatur, & visibilis ac sensibilis fiat: similiter quomodo vis seu ignis eius prodeat & cognoscatur. Vt igitur clariùs proponatur, exemplum communis ignis accipiemus, quomodo scilicet ipsius vis se ostendat & visibilis fiat, quod hoc modo fit. Primò omnium per Vulcanum ignis ex silice excutitur, qui quidem ignis nihil efficere potest, nisi habeat sibi amicam materiam, in quam operari possit, qualis est, lignum, resina, oleum, vel aliud simile, quod ex naturâ suâ facilè ardet. Quando igitur dictus ignis in tale aliquid incidit, pergit operari incessanter, nisi suo contrario destruatur vel impediatur, aut nisi deficiat materia, in quâ se multiplicare possit. Nam si lignum, & similia apponantur, vis eius semper fit fortior, atque ita semper operatur, donec nihil amplius apponatur. Sicut verò in ligno ignis operationem suam exercet & ostendit, ita fit idem etiam cum Lapide Philosophorum, vel Balsamo perpetuo in corpore humano. Si lapis ille ex materia conuenienti, & philosophica ratione à prudenti medico fiat, & consideratis satis omnibus circumstantiis homi-

Lapidis vis, restauratio organorum vitæ.

nis, ipsi exhibeatur: tunc renouat & instaurat organa vitæ, perinde ac si igni apponantur ligna, quæ penèemo tuum ignem refocillant, & causa sunt splendentis & claræ flammæ.

Ex his iam liquet, quòd in materia huius Balsami multum situm sit, quandoquidem eam singularem harmoniam ad corpus hominis habere oportet, quæque ita suã vim exerceat, vt corpus humanum ab omnibus accidentibus, quę à tali materia ei obuenire possent, tutum sit.

In materia lapidis plurimũ situm deinceps in præparatione & administratione iusta.

Quare non solum in præparatione Lapidis vel Balsami multum situm est, sed multò magis refert, vt ante omnia ipsa vera materia ad eum apta cognoscatur: & dein, vt decet, præparetur, & præterea sobriè & prudenter vsurpetur, vt talis medicina omnes sordes sanguinis, & alias superfluitates purgare valeat, & vt loco morbi sanitatem inducat.

Materia lapidis debet esse cõcors corpori humano.

Idcircò verum & probum medicum decet, bonam scientiam habere, & non respicere ambitionem & pompam, neque ordinare dubia vel contraria, neque apothecario nimium fidere, sed & morbum & ægrotum benè cognitum habere, aliàs perpetuò sinistrè medicabimini, vnde nihil consequitur, nisi quòd ægrotus decipitur & fraudatur solummodò per superbiam & inscitiam inepti medici putatiui. Illud verò est magnum peccatum, quódque impunitum non manebit. Quid enim aliud est, quàm scelus voluntarium, cum scilicet aliquis super

Medicorum & apothecariorũ nostri tẽporis imperitia.

super hoc quod nihil scit, adhuc pecuniam & præmiũ petit, & dominus esse vult, quod quidẽ satis infame est: quoniam multi vilipenderent pecuniam, modo ipsis rectè consuleretur. Quando autem hoc non fit, & corpus & fortunas suas perdunt, nihilominus pecunias postulare laudi ducitur. Hoc credat qui velit. Ego alio modo formarem insignia tali Doctori. Manifestum enim est, illorum medicorum, qui maximè docti sibi videntur, ne decimum quidem rectè simplicia nosse, multò minùs certum esse, quid fieri iubeat, & quomodo ab Apothecario medicina coquatur. Ita sæpè accidit, vt Doctor talis simplex aliquod in Apothecâ sumi iubeat, quod ipse non nouit. Apothecarius autem multò minùs, imò sæpè prorsus non habet. Et tamen hæc medicina perfecta vocatur, & ægroto pro bonâ propinatur, & quidem satis carè. Qualem autem exitum sortiatur, hoc sentit ægrotus. Quamuis enim ipsi non prosit ad sanitatem: prodest tamen Doctori & Apothecario ad suam bursam implendam. Quòd si Doctor vel Apothecarius ipse simili morbo laborarent, simile remedium non acciperent. Quare æstimari potest, quàm miserè & malè agatur, quódque summè necessarium sit, aliter eos rem aggredi, & errores emẽdare, melioráque sequi. Sed vereor vetulos canes difficulter posse domari.

Materia lapidis & eius operatio à veteribus satis detecta.

Sed vt ad propositum redeam (vnde me iustus zelus ob miseros & desertos ægrotos abstraxit) & ei satis faciam, dico, non consultum esse, vt de Lapide Philosophorum tantum fabulemur vel gloriemur, sed necessitas postulat, vt & ex conuenienti materiâ formetur iste lapis, præparetur & prudenter vsurpetur. Scias autem, quod multi veterum in suis parabolicis scriptis istam materiam satis indicauerint, quin & figuratis verbis operationem detexerint, sed non prorsus patefecerint, ne homines insulsi eâ abuti possent, & tamen filios ipsorum res non lateret. Cùm verò pauci eos secuti, & rem aptè aggressi sint, hæc processu temporis obliterata sunt, & in eorum locum Galenicæ fabulæ irrepserunt. Quale autem est fundamentum earum, ita ipsæ etiam consistunt, imò res quotidie deterior fit. Hoc vides in ipsorum herbariis, quomodo se excrucient in illis, & quomodo Italiam Germani misceant, cùm tamen Germania ipsorum vltra marinis herbis non indigeat, & satis perfectæ medicinæ in Germaniâ sit. Ne igitur veritas cogatur cedere mendacio, néue tenebræ Galeni cum ipsius complicibus Lumen naturæ in medicina extinguant vel supprimant, me Theophrastum in hoc libello loqui decet, non vt putatiuum medicum, sed vt scientem, quémque non pudeat suarum actionum in medicina, quíque, adiuuante Dei gratiâ, in multis ægrotis re ipsâ hoc probauerit, quos tu Galenista non ausus fuisses inuisere. Dic mihi iam tu Galenice doctor, vnde fluit tuum fundamentum? An non culo equi frænum applicas? Anne vnquam curasti Podagram? anne vnquam ausus es aggredi Lepram? curastine Hydropem? Meritò credo tacebis, & Theophrastum Magistrum tuum esse sines. Si verò vis discere,

Galen. taxatur. Nugæ Galenicæ medicinam lapidis obscurârũt, quam Theophrastus restituit.

Curæ Theophrasti.

Lapis in morbis diuturnis prodest.

disce, & vide quid hîc scribam, & dicam, nempè quòd corpus humanum plaustro tuo herbario non opus habeat, præsertim in chronicis seu diuturnis morbis, quos ex inscitia prorsus incurabiles vocas. Herbæ enim tuæ sunt nimis infirmæ ad hos morbos, & ex sua natura centrum morbi inuenire nequeunt.

Herbarũ Gal. elusio.

Sed neque pilulis tuis aliquid efficies, nisi quòd sola excrementa purgabis. Quin & propter inconuenientiam sæpè bonum cum malo expelles, quod absque ægrotorum insigni damno fieri non potest. Quare meritò istæ pilulæ omittendæ erunt. Porrò neque syrupi tui aliquid prosunt, imò ádeò nihili sunt, vt nauseam sumpturo afferre possint, ob tetrum & fastidiosum saporem, quo ægrum grauant, & postea in tormina & pericula inducunt, & contra naturam operantur. Sed reliqua tua absurda & inepta medicamina nunc relinquo, cùm è directo cum natura pugnent, neque vllo modo vsurpari debeant. Cùm igitur ea, quæ dixi, vera sint, neque vlla vera medicina in Galeno, Rhasi, vel Mesue inueniri possit, quæ dictos morbos in radice aggrediatur, & expurget, sicut ignis maculatam cutem salamandræ mundificat: necessariò sequitur, longè aliam esse curam Theophrasti, quàm phantasias Galenicas, quodque ea manet ex fonte naturæ, aliàs Theophrastus staret cum probro, sicut alij.

Pilularũ Gal. reprehẽsio.

Si igitur Naturam sequi volumus, & naturali medicina vti, videamus, quænam res inter omnes in medicina corpori humano sint conuenientissimæ, ad illud in sanitate vsque ad terminum prædestinatæ mortis, virtutis & efficaciæ ratione conseruandum. Quod si cogitabitur, non dubitò quin fatendum sit omnibus, res metallicas maximam conuenientiam cum corpore humano habere, quódque perfecta metalla suæ perfectionis ratione, & præcipuè ipsorum humor radicalis, multum in corpore humano possint efficere. Nam eius Salis, Sulphuris & Mercurij, quæ in metallis & rebus metallicis aliqua ex parte, quanquam abscondita, conquiescunt, homo etiam est particeps. Ita iam simile simili applicatur, quod summopere prodest naturæ, si dextrè id fiat, quod magnum Secretum est in medicina, imò Arcanum appellari potest. Quid igitur mirum, si præstantes, & inauditæ ac inseparatæ curæ sequantur, quas ignari impossibiles credebant? Sed ne longiùs digrediar, breuitatis gratiâ hîc annotare cogor, quid in hoc libello constituerim scribere. Aliquanto enim clariùs hîc quàm alibi veram medicinam tractare in animo habeo. Prius autem dicendum erat, quomodo homo ex Sulphure, Mercurio & Sale, sicut metalla, originem suam duceret. Cùm verò id in Paramiro satis indicauerim, non est necessarium hîc repetere. Quare tantummodo indicabo, quomodo prædictus Lapis Philosophorum cognoscatur, & aliquo modo præparetur.

Metalla maximè conueniũt homini, ideò sunt lapidis materia, & quidẽ ea, quæ perfecta sunt.

Scias igitur pro certo, nihil adeò paruum esse, ex quo aliquid fieri debet quod absque forma stare possit. Omnia enim formantur, generantur, multiplicantur & destruuntur in sua concordantia, monstrántque suam

Forma res nulla caret.

suam originē, vt percipi possit, quid in principio fuerit, quòd illud & in vltimâ materia sit, quódque intercurrit, imperfectioni simile est, quam natura in generatione admiscet. Cùm verò talia accidentia per Vulcanum separari possint, ne quid agāt: natura in hoc casu corrigi potest. Atque hoc fit quoque in hoc lapide. Nam si eum ex iustâ suâ materiâ, quam ex indicatis circumstantiis benè nouisse potes, conficere vis, superfluitates ei suas te adimere oportet: & sicut aliam rem in suâ concordantiâ formare, multiplicare & augmentare, quod sine ipsius concordantiâ fieri non potest. Nam hîc eum natura imperfectum reliquit, cùm non lapidem, sed suam materiam formârit, quæ per accidentia impeditur, ne facere possit, quod lapis post præparationem facere potest: éstque talis materia respectu lapidis sine præparatione res dimidia & imperfecta, quæ in nullâ stat concordantiâ, vt perfecta appellari possit, vel corpori humano ad sanitatem prosit. Huius rei exemplum habes in microcosmo. Intuere virum, qui per fabrum Mechanicum tantum in virum formatus est. Non est igitur integrum & perfectum opus, cum non stet in suâ concordantiâ, sed tandiu est dimidium, donec fœmina ipsi similis formetur, tunc opus est integrum. Vterque autem terra est, & hæ duæ terræ faciunt denique hominem integrum, qui se augmentare potest, & crescere, atque hoc efficit formata concordantia. Quare Lapis Philosophorum qui hominem non minùs quàm metalla renouare debet, si suis superfluis accidentibus exoneretur, & in suam concordantiam collocetur, mira facit in omnibus morbis. Nî hoc fiat, omnia sunt vana, quæcunque cum eo tentantur. Si autem eum in suam concordantiam ponere velis, in primam materiam eum reducas oportet, vt masculus in fœminam agere possit, ipsiúsque exterior pars interiùs: interior verò exteriùs vertatur, vtque ambo semina virile & fœmineum in suam concordantiam concludantur, & mediante Vulcano ad plus quàm perfectionem deducantur, in graduque exaltentur, omnésque virtutes tanquam qualificatum, temperatum & clarificatum Esse, à se in corpus humanum, & in metalla infundant, illúdque sanum reddant, sordes per viam expulsionis expellent: bonum autem in sanguine humano, per viam attractionis ad debita loca trahant, vt microcosmus, qui in limbo terræ positus est, & ex terrâ formatus est, hâc medicinâ tanquam sibi simili, radicaliter & non putatiuè, sed certissimè ad sanitatem perducatur, vel in eâ conseruetur. Atque hoc est Mysterium Naturæ, & tale Secretum, vt quilibet Medicus id necessariò scire debeat. Idque quilibet comprehendere potest, qui ex Astrali medicinâ natus est. Sed vt clariùs describam materiam & præparationem tam præstantis medicinæ, vt filij doctrinæ, qui veritatem amant, initium habeant: Scitote, Naturam dedisse rem quandam, in quâ tanquam in Arcâ mysterialiter conclusa sunt 1.2.3. quorum virtus & vis ad conseruationem sanitatis microcosmi sat superque sufficit, adeò, vt ea post præparationem omnes imperfectiones expellat, éstque verum defensiuum senectutis, quod nos Balsamum nominamus.

Materia lapidis purgāda à superfluitatibus & formāda cum cōpare suo.

Materia lapidis reducenda in Mercurium & eum fœminâ sua coniungēda.

Lapis faciend' iuxta cursum astrorū. Alij 1.2.3. Aenigma de lapidis materia.

In quam rem autem natura talem numerum posuerit antea scire debes. Nam tibi multis de causis clariùs præscribere id nequeo. Quomodo autem preparetur, Galenus, Rasis & Mesue nesciuerunt, & ab ipsorum sequacibus id non attingetur. Habet enim hæc medicina talem præparationem, qualem pilulæpolæ non attingunt, minúsque quam Heluetica vacca intelligunt. Præterea quasi cœlestes & singulares operationes habet. Purificat enim & renouat quasi regenerando, vt in meis Archidoxis latiùs legere potes, simúlque metallorum & rerum metallicarum originem & essentiam, vnà cum sua virtute benè animaduertere. Qui iam aures habet audiendi audiat, & videat, an Theophrastus de mendaciis, vel veritate scribat, & an ex inani olla & ex dæmone loquatur, sicut tu Sophista nugaris, qui ipse à Diabolo, mendacio & tenebris es circundatus, nihilque bonum vocas, nisi sit tuo stulto capiti comprehensibile, & ad tuum iusculum faciat, ábsque præcedenti labore. Tu enim monocule, errabundus vagaris, nec culinæ fenestram rectà petis. Liceat tibi tamen tuum intricatum filum conuoluere, & centrum Labyrinthi, apud tenebrosam stellam quærere, nihil me hoc offendet. Si tamen aliquando vtereris tua prudentia, & inspiceres, qua in re Theophrasti ars fundata esset, & quomodo tui centones manci essent, non adeò tibi contrarius esset Theophrastus. Quæ enim iam breuiter scribo & scribam, vt ea Astrales discipuli percipere valeant, iisque frui, & de iis gloriari, hæc alterius diligentia, quem non pudet discere, etiam benè intelligi possunt, cùm nihil sit tam difficile, quin labore & studio intelligi & disci possit. Huius ergo operis practica ista est.

Lapis diligentia acquiri potest ab astralibus discipulis.

Præparatio Materiæ lapidis.

ACcipe *Electri mineralis limati, pone in sperma suum (Alij: ♃. electrum minerale immaturum, pone in suam sphæram) vt sordes & superfluitates abluantur, & purga ad summum quantum potes per stibium more Alchymistico, ne à sua nequitiâ aliquid damni patiaris. Postea resolue in stomacho Struthionis, qui in terrâ nascitur, perque aquilæ acredinem in suâ virtute confortatur. Quando autem electrum consumptum est, & colorem calendulæ post solutionem acquisiuit, non obliuisceris illud in spiritualem pellucidam Essentiam redigere, quæ verò succino similis est. Deinceps adde dimidium tantum, quantum corporale Electrum ante præparationem pendit de Aquilâ extensa, & abstrahe ab eo stomachum Struthionis sæpiùs, ita electrum semper fit spiritualius. Quando autem stomachus Struthonis labore defatigatus est, necesse est eum recreare & semper abstrahere. Denique quando iterum acredinem amittit, adde Quintam Essentiam Tartarizatam, ita tamen, vt altitudine quatuor digitorum sua rubedine sit spoliatus, eáque simul transcendat.* Hoc tandiu fac

fac & toties, donec per se albescat. Quando iam satis est (nam videbis oculis tuis, quomodo pedetentim se ad sublimationem accommodet) & tu illud signum habes, sublima: ita Electrum in albedinem exaltatæ Aquilæ conuertitur, & paruo labore eò transfertur & transmutatur. Atque hoc quærimus nos, vt eo vtamur ad nostram medicinam. Cum hoc in multis morbis tutò procedere potes, qui vulgari medicinâ tentari nolunt. Poteris idem etiam in aquam & oleum, & in rubeum puluerem conuertere, & ad omnia eâ vti, ad quæ eò in medicina eges.

Dico tibi autem in veritate, nullum melius fundamentum esse medicinæ totius, quàm in Electro latet. Quanquam non nego, imò in aliis meis libris scribo, in aliis mineralibus rebus etiam magna secreta latere, sed longiori labori & maiori obnoxia, quæque non facilè rectè vsurpantur, præsertim ab imperitis, quorum si quis iis vtatur, plùs damni quàm vtilitatis affert. His de causis non est laudabile, quòd quilibet Alchymista artem medicam exercere vult, cùm tamen eius non sit gnarus. Debebat medium seu repagulum aliquod hic inueniri, quo talibus putatiuis medicis inhibitio fieret. Ego enim istorum culpam non feram, nec eos pro discipulis agnoscam, cum non sectentur veritatem, sed habeo eos pro deceptoribus notis & pigris erronibus, qui veris discipulis panem ex ore rapiunt, & hominibus ex proposito nocent, & neque conscientiam, neque artem magnifaciunt. Sed in nostro dicto Electro præparato tanta virtus latet homines curandi, vt certior & præstantior medicina in toto mundo non possit reperiri. Galenici quidem Doctores Theriacopolæ eam venenum appellant & oppugnant, non ex peritiâ, sed ex superbiâ & merâ stultitiâ. Quin & concedo, quòd in præparatione venenum sit, & quidem tantum vel maius, quàm est serpentis Tyri, qui Theriacam ingreditur. Sed quòd post præparationem venenum maneat, hoc nondum est demonstratum. Nam natura (quamuis quibusdam bubalis capitibus satis incomprehensibile sit) semper inclinat ad sui perfectionem: multò magis igitur per artes conuenientes ad perfectionem deduci poterit. Et quod maius est, concedo adhuc post præparationem esse venenum, & quidem vehementius, quàm antea: tale tamen quod tantum eò sit directum, vt sui simile quærat, fixos & alios incurabiles morbos perscrutetur & expellat, non vt morbum sinat operari & nocere, sed vt tanquam hostis morbi sibi similem materiam ad se trahat, & eam radicitùs absumat, & eluat sicut sapo maculas ex impuro panno, cum quibus & ipse sapo recedit, & pannum purificatum, illæsum, mundum & pulchrum post se relinquit. Quare hoc venenum, vt tu dicis, longè aliam & meliorem efficaciam habet, quàm tua axungia, quâ soles in cura morbi Gallici vti, vngens sæpiùs quàm sutor vngit corium. Hoc enim Arcanum quod in hoc medicamento latet, habet in se benè proportionatam, benè præparatam & præstantem Essentiam, quæ nullo veneno comparari potest, nisi quis ita intelligeret, vt ipsemet dixi, tantùmque distat à tuo argento viuo, quo vngere soles, & à præcipitato tuo, in virtute & efficacia, quantum cœlum à terra. Quare vocatur, & est medicina benedicta à Deo, quæ non omnibus est reuelata. Est enim melius correcta quàm illa stercorea medicamina, quæ Doctor lentè incedens in sua toga habuit aut per duplicem suam vittam vel cucullum stulti filtrauit. Quin & triplò maiorem vim & virtutem hæc benedicta medicina habet, in omnibus morbis, quomodocunque vocentur, operandi, quàm omnes tuæ apothecæ, quas vnquam vidisti. Hoc autem non per otium, sedendo, & pigritiam nactus sum: neque in Vrinali inueni, sed peregrinando, & vt tu dicis, vagando; & multa diligentia & labore me discere id oportuit, vt scirem, & non opinarer. Tu verò tuam medicinam exsugis ex culcitra veteri, & ex puluino, in quo sedit vetula Nigromantica, quę tuum cœlestem intellectum ad medicinam cæruleo pileo obduxit, tibique inspirauit. Quare me meorum itinerum minimè pigebit; tuusque magister ego manebo, & Machaonicis vestigiis insistam, quæ quidem ex luce naturæ procedunt, sic vt flos à calore Solis. Sed vt meum propositum opus non distrahatur & imperfectum maneat: porrò obserua quomodo agendum sit, & qualem vim & proprietatem natura Philosophico lapidi medicinæ dederit & quomodo ad finem perducatur.

Medicamenta Theophrasti peritis tantum vtilia.

Electri vis magna in curandis hominibus

Lapis est venenũ, sed quod tantum sui similem vincit. Venenũ an post præparationem in medicinis remaneat.

Peregrinationũ vtilitas quanta.

Sequitur reliquum præparationis.

DEstructo tuo Electro, vt dictum est, si vlterius procedere velis, vt ad optatum finem peruenias, accipe destructum & fugax factum Electrum, qu ant r m vis ad perfectionem perducere, & *impone Ouo Philosophico, & optimè sigilla, ne quid euaporet, stet tamdiu in Athanar, donec sine vlla additione per se desuper resolui incipiat, ita vt in medio isto mari insula conspiciatur, quæ quotidie decrescat, & ad extremum in atramentum sutorium mutetur. Hoc atramentum est Auis, quæ noctu volat sine alis, quam & primus Ros cœlestis perpetua coctione & ascensione & descensione in nigredinem capitis coruini transmutauit, quæ caudam pauonis assumit, & deinceps pennas cygni acquirit, & postremò summam rubedinem totius mundi accipit, quæ signum est igneæ eius naturæ, per quem ignem omnia accidentia corporis expellit, & frigida emortuaque membra resocillat.

Fixatio lapidis in ouo Philosophico & athanar. Nigredo roris, albedo rubedo.

Talis præparatio iuxta sententiam omnium Philosophorum fit in vnico vase, in vnica fornace, in vnico igne, non cessante vaporoso igni.

Ita ista medicina est quasi cœlestis & perfecta, aut saltem potest plusquàm perfecta Luna fieri, per propriam carnem & sanguinem, & per interiorem exterius versum & productum ignem, vt modò dictum est, per quem

Lapis transmutat metalla & sanat corpora humana

quem & omnes sordes metallorum abluuntur, & per quem occulta metallorum manifestantur. Nam ista plusquam perfecta medicina omnia potest, omnia penetrat, & infundit sanitatem illo ipso tempore, quando morbum & malum expellit. Quare nulla ipsi medicina in terris est similis. In hoc igitur exercete, & esto strenuus, Hoc enim tibi laudem & gloriam pariet,& non eris putatiuus medicus, sed sciens,quin & proximum tuum amare cogeris. Tale enim diuinum Arcanum nemo absque auxilio diuino percipere & intelligere potest, sicut & virtus eius ineffabilis est & infinita, in qua Deus omnipotens cognoscitur.

Lapidis vis quæ & præstantia.

Lapis nō nisi à Deo datur.

Scias autem quòd nulla solutio fiat in tuo electro, nisi circulum septem sphærarum perfectè ter percurrerit. Hic enim numerus decet illud, quem & complere debet. Quare attende præparationi, quæ causa est solutionis, & ad glorificatum, destructum & spirituale factum Electrum vtere Arcano Tartarizato, ad eluendas superfluitates, quæ in præparatione accesserunt, ne frustra labores. Attamen de Arcano tartari nihil ibi remanebit, sed tantummodo circulariter cum eo iuxta dictum numerum proceditur. Ita facilè per se in Philosophico Ouo & vapore ignis fiat aqua Philosophica, quam Philosophi aquam viscosam appellant, seipsam quoque coagulabit, & omnibus coloribus repræsentabit, ita vt postremò summâ rubedine ornetur. Plura de hoc mysterio scribere est mihi prohibitum, & diuinæ potentiæ mandatum. Est enim hæc ars certissimè Dei donum. Quapropter eam non omnes intelligere possunt. Igitur Deus eam dat cui vult, nec sibi per vim extorquere sinit, sed solus vult in hoc honorem habere, cuius nomen sit benedictum in æternum. Amen.

Cautelæ quædam in præparatione.

Aqua Philosophica seu viscosa.

Sequitur vsus Lapidis.

POrro etiam opus est, vt de vsu huius medicinæ, eiúsque pondere scribam. Scias igitur Dosin huius medicinæ tam paruam & leuem esse, vt vix sit credibile: quodque tantùm in vino vel similibus accipi debeat: attamen in omnium minimâ quantitate, ob cœlestem suam vim, virtutem & efficaciam. Nam tantùm propterea homini manifestatur, ne quid imperfecti in naturâ maneat, atque ita à Deo prouisum, & prædestinatum est, vt ipsius virtus & Arcanum per artem producatur, quò homini, vtpote imagini Dei, omnes creaturæ prodesse. cogantur, & ante omnia Dei omnipotentia cognoscatur. Qui igitur intellectum à Deo habet, illi dabitur hęc medicina: rudis autem Galenicus Beanus non comprehendere poterit, imò tantùm nauseabundus ab ea abhorrebit. Omnia enim opera eius sunt tenebræ, cùm hoc opus in luce naturæ operetur & agat. Atque ita iam breuibus & veris verbis habes radicem omnis veræ medicinæ & originem, quam nemo mihi eripiet, etiam si Rasis cum tota sua turpi progenie rabiosus fiat: Galenus verò fel fiat. Auicenna ex dentibus doleat: Mesue breuiter longè vel latè metiatur, nimis altum erit istis omnibus, & Theophrastus stabit in veritate. Econtrà vnguentariorum opera manca & lituræ medicorum & apothecariorum cum sua pompa & fundamentom pessum ibunt.

Dosis lapidis quæ.

Galenici non videbunt præcæcitate.

Adhuc vnum me dicere oportet, quoniam multis meum hoc scriptum obscurum videbitur. Dices, mi Theophraste, nimis breuiter mihi loqueris & intricatè. Noui tuos sermones, quàm rectè tuas res & arcana indices Quare hoc scriptum mihi nihil proderit. Ad hoc respondeo, perlas non deberi suibus, neque caudam longam capræ. Natura enim dare noluit. Quare dico, cui Deus donarit, is sufficienter & superfluè inueniet, plusquàm voluit. Ego scribo hęc pro initio. Sequere cum prudentia, nec fuge studium & laborem vel carbones, ne te seducat vel impediat pompa blateronum, nec te auertat diligentia, quæ requiritur. Nam perpetuis meditationibus multa inueniuntur, nec id fit sine fructu. Quare boni consule, quod nunc do, & vtere fonte, ita non opus tibi eritex iacuna pilulopolarum bibere, nec cum vespillonibus tibi res erit sed proximo tuo bene inseruire poteris, Deóque laudem & honorem parere. Magister stercoris leporini maneatis, qui est apud ipsum neque auxilium neque consilium est: Hęc breuiter nunc in hoc libello meo De lapide Philosophorim ponere volui, ne existiment homines, Theophrastum curis diabolicis multos morbos curare. Si rectè me sequeris, idem facies, tuáque medicina similis erit aëri, qui omnia patentia pertransit & penetrat, & in omnibus rebus est, omnes fixos morbos pellit, séque radicaliter immiscet, vt loco morbi sanitas succedat sequatúrue. Ex hoc enim fonte scatet VERVM AVRVM POTABILE, nec melius alibi reperiri potest. Hæc tibi pro fideli admonitione accipe, nec Theophrastum prius annihila, quàm nôris quis sit. Nihil autem aliud in hoc libello ponere volui, etiam si opus esset de Auro potabili & liquore Solis aliquid dicere & Philosophari, sed ea hîc volui annotare, quę quidem si rectè præparentur, in virtutibus suis non sunt contemnenda. Quoniam autem alij libri mei multa de his secretis tractant, & satis declarant: quid verus medicus scire debeat, ita rem quiescere sinam, sperans, hunc libellum non prorsus absque omni fructu futurum, imò FILIIS DOCTRINÆ satis consultum fore. Deus largiatur gratiam suam, ad gloriam & honorem suum, Amen.

Quæ tibi breuiter & obscurè scrip.

Diligentia et meditatione.

Verum potabile.

RATIO EXTRAHENDI EX OMNIBVS METALLIS MERCVRIVM PARACELSICA.

EXtrahere corporibus Metallicis Mercurium, nihil aliud est, quàm ipsa resoluere

sett

seu in primã ipsorum reducere materiã, hoc est, Mercurium currentem, qualis scil. erat in cẽtro Terræ, ante Metallorum generationem, vapor scil. humidus & viscosus, continens in sese inuisibiliter Mercurium & Sulphur naturæ: principia omnium Metallorũ. Talis Mercurius ineffabilium est virium, & secreta diuina possidet.

Reductio dicta fit per aquam Mercurialem, quæ nec Ioanni de Rupescissa nec aliis; quidquid etiam iactitent, cognita fuit. Ideóque diligenter est cognoscenda, & indefesso labore tractanda. Hoc ergo pacto paretur dicta aqua Mercurialis.

℞. ℔iii. Mercurii sublimati septies per Vitriolum, Sal nitri & Alumen.

Salis armoniaci, ter à Sale sublimati & clari & albi ℔. 1. ß. Trita simul & alcolisata sublima in sublimatorio per arenam, horis 9. Vbi refrixerit, Sublimatum cum penna detrahito, & cum reliquo sublima, vt priùs. Hanc operationẽ quater repete, donec ãplius sublimetur, & in fũdo massa nigra remaneat instar ceræ, fluẽs. Refrigeratã exime, & tritã rursus in patina vitrea sæpiùs cum Salis armoniaci aqua, sed autem præparata, imbibe, & sua sponte coagulatam rursus imbibe & sicca, ad 9. seu 10. vsque vices, donec ferè non vlterius coaguletur. Tritum subtiliter supra marmor in loco humido solue in oleum pulcrum, quod rectificabis per destillationem in cineribus, ab omnibus fæcibus & residentia. Hanc aquam omnium facilè principem diligenter asseruabis, cuius ℞ ℥. viii. & impone laminas opt. Solis aut Lunæ, optimè mundatas, pondere ℥.j.ß vitro clauso repone ad digestionem in cineres calidos horis 8. Corpus tuum videbis in fundo vasis transmutatum in subtilem vaporem seu Mercurium. Facta solutione totius aquæ Mercurialis per Alembicum lento igne à prima materia sublimando separa, & in vitreo vasculo diligenter asseruato. Habebis hoc pacto verissimum Mercurium corporis, cuius vsus in rebus desperatis, modo prudenter ipso vtaris, est miraculosus & cœlestis, & propterea indignis non reuelandus.

SVLPHVR METALLORVM THEOPHRASTI.

SVlphur Metallorum est oleitas ex ipsis extracta, plurimis prædita virtutibus pro hominis salute. Sulphur aliud ex Metallis, antequam ignem sunt passa, elicitur, vt ex Marcasitis aureis, aut argenteis, &c. secundum nobilitatem Mineræ, etiam nobile & præstans: Similiter & ex Marcasitæ ac Cobalti minerâ, pro cuiusque naturâ & proprietate.

Modus extractionis communior est, vt sumas Acetum optimè destillatum, quod per horas 24. supra caput mortuum ex Vitriolo, Sale nitri & Alumine destillatis steterit, & per alembicum destillatum sit. Hoc inquam, corpori metallico puluerisato affunde in vitro, vt superemineat digitis septem, & in sinum Equi ad digerendum pone diebus nouem. Acetum coloratum in cineribus destilla vsque ad oleum sulphureum, quod rectificabis in Balneo, aut ad Solem. Habebis ipsum corporis Metallici Sulphur veriss. quod pro tua discretione rectè vsurpabis.

Extractio etiam potest fieri per lixiuium acre & depuratiss. Sed alia sulphura pro intrinseco corporis vsu minus sunt commoda propter alkali cinerum, ex quo clauellatum conficimus erodens, & propter calcem, ex quibus talia fiunt lixiuia. Sulphur sic extractum potest ablui aquâ dulci, & præcipitari. Digestio postea duplum requirit temporis. Debet & rectificari lixiuium per ipsius sublimationem ab omni residentiâ terrestri, ne cum ipso incorporentur talia sulphura, & fiant corrosiua ad perniciem ægrotorum. Quod ne fiat dicta debet fieri separatio. Tantum de crudis.

Sed iam fusis & depuratis elicias ipsorum sulphur: Certa, nobilior, meliórque via non dabitur, quàm per aquam Salis seu oleum ipsius, præparatum eo modo, quem in Alchimia luculenter descripsi. Talis quippe aqua fundaliter & radicitùs extrahit omnibus corporibus metallicis liquorem ipsorum naturalem, seu sulphur & crocum præstantissimum, tam pro operibus Medicis, quàm pro Chymicis Resoluit & frangit vnumquodlibet Metallum, ex natura ipsius metallica id deducens in aliam, pro varia intentione & industria laborantis.

CROCVS METALLORVM. SEV TINCTVRA.

CRocus Metallorum quadruplex est: Solis, Veneris, Martis & Chalybis. Melior est Chalybis. Elicitur per Reuerberationem, seu calcinationem redigentem corpora dicta in puluerem. Sic ferrum limatum per rubiginem consumitur. Consumptio rubiginis fit per imbibitionem earum rerum, quæ rubiginem faciunt, & per decoctionem extrahentem rubiginis colorem. *Crocus Metallorum quadruplex.*

℞. Vrinam antiquam, defusam à suâ residentia, aliquot scilicet Cantharos, in qua dissolue iij. Manipulos Salis triti: colatum decoque & bene despumato. In hoc rursus solue Manipulum Vitrioli contusi & ℥. ij. aut iij. Salis armoniaci contusi, & rursus despumato probè. Cum hoc liquore imbibe limaturam & coque, donec puluerisari possit, quem iam puluerem igne valido reuerbera, continuè agitando cum bacillo ferreo, donec de colore in colorem transeat alium, & tandem in colorem Violæ lucidiss. ex quo facilè, per spiritum vini, vel acetum destillatum, Tincturam elicies, & per separationem Elementorum abstractum in fundo vitri colliges, cum quo tam intra quàm extra corpus mirabilia poteris efficere opera.

Pro Croco Veneris conficiendo ℞ ℔ j. aut ij. Æruginis opt. alcolisatæ, affunde Acetum destillatum copiosum, & quotidie benè agitater: coloratum acetum placidè defunde, & in

in cineribus totaliter sublima ad siccitatem. Puluis hic posteà nouies lauetur cum aquâ calida ab omni acredine, siccetúrque. Habebis præparatum Crocum Veneris seu Florem æris, ex quo si voles, oleum facilè elicies iuxta præcepta tradita in opere magno Chirurgico, vbi & vsus ipsius explicatur.

Crocus Solis per aquam Salis debet extrahi, quâ Natura ipsius Metallica seu malleatio frangitur, residentia abluta cum aqua calida, crocus per spiritum Vini eliciatur, quo rursus separato, crocus in fundo remanebit, qui per eleuationem gradu ignis per quinque vices sublimando, mutatur in Liquorem seu verissimam Quintam essentiam Solis. Cum hoc miraculosa operaberis. Requiritur autem non putatitius, sed industrius & peritus artifex.

Finis sexti Tomi Operum Theophrasti.



NOBILIS-

NOBILISSIMI, CLARISSIMI,
ac probatißimi Philosophi & Medici,

D. AVREOLI PHILIPPI

THEOPHRASTI
BOMBAST, AB HOHENHEIM,
DICTI PARACELSI,

Operum Medico-Chimicorum

SIVE

PARADOXORVM,

Tomus Genuinus Septimus,

E Chimicis Secundus, Continens, vires, efficacias, & proprietates Rerum Naturalium, & earum, quoad Medicinam, præparationes: Cum multis Alchimicam scientiam secretis spectantibus.

Recenter Latinè factus, & in vsum Asseclarum Nouæ & Veteris Philosophiæ foràs datus.

ELENCHVS OMNIVM LIBRORVM IN SEPTIMA PARTE OPERVM PARACELSI CONTENTORVM.

THEO-

THEOPHRASTVS BOMBAST EX HOHENHEIM EREMITA, VTRIVSQVE MEDICINÆ DOCTOR AC PROFESSOR, MEDICÆ ARTIS STVDIOSIS, S. D.



QVUM sola omnium disciplinarum Medicina, tanquam diuinum quoddam munus, tum Sacrorum, tum prophanorum Scriptorum suffragio, necessitatis titulo laudetur, atque paucissimi Doctorum eam feliciter hodie tractent; visum erat illam ad pristinam suæ Auctoritatis laudem reuocare, & quam quidam a fæce Barbarorum, nos ab Erroribus grauissimis purgabimus. Non Veterum addicti præceptis, sed iis duntaxat, quæ partim Indicatione rei Naturæ, partim nostro Marte inuenimus, & longo rerum vsu atque Experientia comprobauimus. Quis enim nescit plurimos Doctorum hac tempestate, vel summo ægrorum discrimine, fœdissimè lapsos? quum anxiè Hippocratis, Galeni, & Auicennæ, aliorúmque dictis adhæserint, perindè ac ex Tripode Apollinis hæc veluti Oracula, manauerint, à quibus nec digitum latum discedere liceret. His enim Auctoribus splendissimi quidem Doctores, si diis placet, non autem Medici nascuntur. Non Titulus, non Eloquentia, non Linguarum peritia, nec multorum Librorum lectio, etsi hæc non parum exornent, in medico desideranda: sed summa Rerum ac Mysteriorum cognitio, quæ vna facilè aliorum omnium vices agit. Rhetoris quidem est Medico quæ necessaria fiat. *disertè posse loqui ac persuadere, atque Iudicem in suam sententiam trahere. Medici autem, affectuum genera, causas ac συμπτώματα nouisse, & iis insuper sua sagacitate & industria pharmaca applicare, atque pro cuiuslibet ingenio ac ratione vel cunctis mederi. Cæterùm vt paucis modum docendi depingam, imprimis igitur quod ad me attinet. Ego amplo Dominorum Basiliensium stipendio inuitatus, duabus quotidie horis, tum actiua tum inspectiua Medicinæ, & Physices & Chirurgiæ libros, quorum & ipse Auctor, summa diligentia, magnóque Auditorum fructu, publicè interpretor: Illos tamen non aliorum more, ex Hippocrate aut Galeno aut quibuslibet emendicatus, sed quos summa rerum Doctrice Experientia atque labore assequutus sum. Proindè si quid probaturus, experimenta ac Ratio Auctorum loco mihi suffragantur. Quare, optimi Lectores, si quem huius Apollineæ artis Mysteria oblectant, amor desideriúmque tenent, cupítque breui admodum temporis spatio quicquid huius disciplinæ est, perdiscere, ad nos èuestigio BASILEAM se conferat, & longe alia atque maiora, quàm paucis describere possim, comperiet. Sed vt nostrum Institutum clariùs Studiosis innotescat, non piget exempli loco subiicere nos in compelxionum ac humorum ratione Veteres nequaquam imitari, qui sanè omnes ægritudines illis falsò acceptas ferunt: vnde nullis, aut certè paucissimis Doctorum hodie, morbos, causas, ac decretorios dies exactè* Theophrasti Medicinæ quæ mater. *nouisse contingit. Postremò hæc veluti per transennam demonstrata sufficiant: vobísque tamen de his non, nisi audito prius THEOPHRASTO, temerè iudicandum permitto. Valete, & hunc nostrum instaurandi Medicinam conatum, boni consulite. Datæ Basileæ Nonis Iunii Anno M. D. XXVII.*

Sequuntur

THEOPHRASTI EX HOHENHEIM EREMITÆ VTRIVSQVE Medicinæ Doctoris insignis, DE GRADIBVS & COMPOSITIONIBVS RECEPTORVM ac Naturalium, Libri septem.

THEO-

THEOPHRASTVS EX HOHENHEIM HEREMITA,

Vtriusque Medicinę Doctor, Physicus et Ordinarius Basiliensis, clarissimo Domino CRISTOPHORO CLAVSERO, Doctori Medicorum ac Philosophorum Tigurinorum eruditissimo suo, Salutem.

Medici veri quod officium

Theophrastus Medicus natus ex natura soli patrii.

Medici mater Experiētia.



EXCELLENTISSIMVM atque optimum cuiusque veri Medici est, vt suam ipsius ac propriam veritatem medicam probè cognitam habeat, sciátque, sui ne Arcani potens sit an non, perindè ac tu, Christophore Tigurinorum Medicorum optime, nihil planè citra Iudicium & exquisitam (quam mille testem haud immeritò vocant) Conscientiam in medica facultate vsurpas. Sed qua potestate in hâc nostra Monarchia ego me exerceam, sic habe: Innata mihi mea est violentia medica ex patrio solo: sicut enim Arabum medicus erat Auicenna, Pergamensium Galenus, Italorum verò Marsilius Medicorum optimus fuit: ita etiam ipsa me Germania felicissima in suum Medicum necessarium delegit. Scis namque & tu ipse vniuscuiusque Medici, velut matrem esse ipsam Experientiam, imò nostræ quoque totius monarchiæ. Præterea verò & sui quoque iuris esse omnem patriam, insuper nullum peregrinum (al. cum alio peregrino probè vniri) cum patritio patriæ probè vniri, neque contrarium, hoc est, alienum, cum alio sibi contrario vnquam benè comparari posse. Ex quo quidem obserua, vt ad me Hippocratem conferas, me verò ad Auerroën, Rasim autem cum nobis tribus compara simul, quemlibet nempe iuxta suam patriam.

Terrę cuiuslibet Archeus propriū sibi Medicum gignit.

Quandoquidem & Arabes & Græci vnà cum Germanis non secus atque triplex Marrubium in eodem consistunt æquilibrio: Et Ambram Germaniæ Græcamque cum Storace & Terebintho, Balsamo & Mumia parem faciunt. Neque enim clam te est, vnamquamque patriam sui Elementi in se continere Matrices, sibique ipsi id, quod est necessarium, exhibere. Est enim Ambra suæ patriæ Ambra: Et licèt fortè Chaldaicæ Rosæ ad Arpinatem nulla sit comparatio, quid hoc ad ipsas attinet ægritudines? Rosa quippe semper suæ patriæ Rosa. Eodem sanè pacto quælibet natio suum sibi proprium ac peculiarem Medicum producit, illumque nimirum ex suo Archeo. Omnis enim necessitas artifici suo præstat industriam. Cæterùm ipsa eadem necessitas Medici cuiúsque velut præceptor ac parens est. Quocirca excusare se possunt à Græcis Itali, & ab vtriúsque Germani: quilibet enim horum suam sibi ipsis habent necessitatem, eiusque necessitatis peculiarem item adiutorem; propriæ scilicet Nationis natura. Atque vt Arabum aut Græcorum quis ingenia sectetur ac mores, necessitas nulla est: patriæ autem error, peregrina verò arrogantia. Oscitanter siquidem hoc fit, ac velut per somnium citra omnem rationem, incoactè præterque vel oportunitatem vel occasionem, ex quibus tamen rebus Medicum gigni oportet. Cæterùm, qui præter eiuscemodi oscitantiam ac somnium ex patriæ suæ necessitate in Medicum excitatur, is demum Nationis suæ perfectus Medicus existit, ac planè eius soli Hippocrates ipse, Auicenna ipse, ac ipse denique Lullius. Quanquam hoc loco non idcircò eos laudarim in hoc, quasi illi ex necessitate sint prognati, cùm quòd de istis silentio præteream, eorum errores sua ipsorum etiam patria sufferre nequeat. Quid enim quæso Viennam Rasis iuuat? quid Friburgo prodest Sauonarola? quid Arnoldus Sueuis? quid Gentilis, Iacobi de partibus & Trusani commentarii Misnicis conferunt Medicis? quid his omnibus Auicenna? quandoquidem vel sola infirmorum consideranda est Sanitas. Hæc igitur facultas ea est, ex qua ego scribo, quam ipsa mihi patria dedit, idque ipsum per necessitatem, quam dixi ex qua prognatus ego sum. Proinde & hoc, quicquid est Libelli tibi dedico, vt in Typis excudendo eo commendatum tibi habeas. Persuasum verò mihi est, hisce meis propediem ab aliquo fortassis imperitiore responsum iri, atque illi ipsi à me rursum: indè enim vtrinque manifesta fiet atque innotescet planè cuiusque Medici necessitas, ægrorumque Sanitas. Cæterùm ii, quos ego dilectissimos habeo, breuiter fortè aliquot obscuriorum in his locorum interpretationes dabunt, non autem illi ex meis vetustissimi, vulpibus nempè. Dissecta est quippe ac lacera mea Medicorum turba, pars vna linguæ fallacis, altera cordis & linguæ. Quid num velim nimirum intelligis. Proximè ad te aliquot mittam Descriptiones, vnà cum mea olei Colcothariní Emendatione. Boni consule, semperque amicum vt agas, operam dato. Vale, Basileæ quarto Idus Nouembris, Annno XXVI.

THEOPHRASTVS EX HOHENHEIM,

Vtriusque Medicinæ Doctor & Physicus Basiliensis, ornatissimo studiosorum Tigurinorum cœtui, Salutem.

Gaudii semper comes tristitia



HEV quàm misera mortalium est conditio: nullum enim ferè gaudium est, cui non statim plerunque luctus sequatur comes, candidissima fautorum cohors. Hactenus cœcitatem in me, non vnquam tam accuratè animaduerti, quàm in præsentia non considerans, viro sapienti non ea solùm, quæ ante pedes sunt, sed & quæ à tergo (instar Iani illius bicipitis) à latere circumquaque eueniunt summo esse studio obseruanda. Ratio est, quia suauissimus ille vester coniunctus, quo nuper apud vos fruitus sum, cuius etiam adhuc cum summa gratiarum actione recordor, sic animum meum atque oculos delinierat & oblectauerat, vt futurorum planè immemor (nempe nib.

pe nihil sinistri præsagiente animo, rem omnem benè gestam, atque adeò gaudium illud apprimè citra cognitem tristitiam transactum atque obsolutum arbitrarer. Atqui cum ea nunc demum videam, quæ tum temporis præuidisse oportuerat, quî quæso à mœrore ac luctu temperem? Nempe quòd ille quem Basileæ carißimum habui amicum, nunc iam demotino lapsu, quo tamen etiam secundariò antea decubuerat, post hæc tamen per me cum à grauißimis vinculis, in quæ ab imperitis illis apud Italos creatis Doctorculis coniectus fuerat, tum à morbo etiam ipso liberatus, (cuius Erasmus ille Roterodamus quoque testis est, Epistolâ illa suapte manu conscriptâ, præterea tota illius familia) postremò verò cum iam conualuisset, etiam ipsemet, quem ita sanitati restitutum ac benè iam habentem, hinc ad vos hilaris profectus, hic reliqui: Interim dum sic apud vos genio indulgeo atque animum laxo, correptus illo quem dixi casu, diem obiit, ille, ille, inquam, quem perindè atque oculos meos amaui, IOANNES FROBENIVS, omnium doctorum & bonorum (nimirum ipse quoque doctus & bonus) virorum parens ac tutor, omnigenaque eruditionis diligentißimus propagator. Quamobrem eiuscemodi quoque improuisus vitæ meæ, ab eo qui illum rapuit, timendus mihi est obitus: quid meæ mihi animæ dico? imò suæ vniuersis? Quocirca moniti, vigilate combibones optimi & siquid fortè hîc à nobis minùs ex officio fiat, grauißimo illi, quo nunc torqueor, & qui mei me composem esse non sinit: mœrori adscribite. Valete sodales suauißimi, & THEOPHRASTVM vestrum amate. Basileæ ex Museo nostro III. Id. Nouembris. Anno M.D.XXVII.

THEOPHRASTI EX HOHENHEIM, VTRIVSQVE Medicinæ Doctoris,

De Gradibus & Compositionibus Receptorum & Naturalium.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Complexiones rerum Naturæ duæ tantum calida & frigida.



ANTEQVAM de Gradibus tractare incipiam, obseruandæ sunt Complexiones naturæ, quarum duæ sunt, alia calida & alia frigida. Porrò, quælibet harum ingenitam quandam Diathesin habent in se: Nam omne Calidum est siccum, & omne Frigidum humidum: neque enim calor, neque frigus sola esse possunt. Itaque hæ duæ naturæ, calidum & siccum, vnum sunt, similiter frigidum & humidum. Nunc igitur Gradus facilè deprehenduntur, quemadmodum scilicet vnumquodq; in suo gradu existit, & quotumquemque gradum singula occupant: Huic loco forsitan reclamabunt hi, qui cataractas aliquandiu in panniculis gestauerunt: præterea hi, qui cum scotomiâ consuetudinem habent, quatuor scil. esse Complexiones, calidam, frigidam, siccam & humidam, ex quibus isti collegerunt, frigidum adesse humido & sicco, similiter & calidum cum vtrisque copulari. Et in hanc sententiam singula direxerunt, frigidum scilicet posse esse siccum, & calidum humidum, quæ verè Enantiosis est. Hi si propiùs accessissent, naturámque penitus indagâssent, argumenta nostra insequentia propiora Vero deprehendissent: qui cùm hæc quatuor, duo solùm esse non satis intelligerent, quatuor Elemẽtis falsò ascripserunt, cùm nihil minùs, quàm Elementa sint, id quod Philosophia palàm indicat.

CAP. II.

Cóplexiones cur duæ tantum.

SEd vt clarius innotescant ea, quæ de duabus complexionibus dixi, sic habe: Quicquid in rerum natura produxerunt Elementa, aut est frigidum, aut calidum: Si frigidum, habet in se ingenitam quandam & indiuiduam humiditatem. Vbi igitur humidum, ibi etiam est frigidum: Sin calidum, est siccum: Nam siccitas soli caliditati inest, neque fieri potest, vt frigidum sit siccum, & calidum humidum. Hæc enim sunt coniunctiones Elementales, quæ ex Ares veniunt, id quod exemplo viri patet, & mulieris. Vir in se habet calidum & siccum, Mulier autem frigidum ac humidum: sed ad Complexiones, quatenus Gradibus conferunt. Principiò igitur obseruandum, quid humidum, quid coagulatum, quid denique siccum resolutum: Nam inde fluxit communis error, qui vel inter Medicorum principes grassari solet. Exempli vice sume Crystallum qui frigidus apparet, præterea siccus & aridus: Exiccat enim & arefacit, sed falsò. Nam aridissima Crystalli vis est humidum coagulatum, & in administratione sua, quicquid superat, transmutat & cogit in humidum coagulatum, id quod denuò resoluitur, quemadmodum glacies. Similiter in Petroleo siccum resolutum non est, perinde vt apparet: Nam siccitas est resoluta in substanstia corporis sui. Quare hoc loco Epilogi vice definio, Gradus bifariam obseruandos, calidos ac frigidos: proinde & siccum duplex, & humidum duplex, puta, siccum per se, & siccum resolutum, humidum per se & humidum congelatum. Reliqua quæ hoc loco desiderantur, in ipsa habentur Philosophia.

Crystallus est humidus, & quomodo.

CAPVT. III.

QVanquam hoc loco plura dicenda erant de Gradibus, quàm à me hactenus annotata sunt: tamen, quia apud medicæ rei vel vtcunque peritos hæc constant, non possum non præterire hunc locum silentio, & ea arripere, quæ hactenus falsò & communi quodam errore prodita sunt, idquod ad hunc modum oportet accipias. Principiò, summa, quæ est de Gradibus Elementatis, non solùm obserua-

ri debet: quippe, quæ tantùm inseruit ægritudinibus elementaris, sed etiam ea, quæ sunt de Mundificatiuis, Incarnatiuis, Laxatiuis, Constrictiuis, Repercussiuis, Diaphoreticis, Narcoticis, in Cicatrisantibus, & in id genus aliis. Ad hoc autem requiritur in primis plena cognitio ægritudinum, proinde suorum vniuscuiusque ęgritudinis graduũ: Nam ad Vulnera, sui requiruntur gradus incarnationis: Ad Hyposarcham gradus Exiccationis: Ad Guttam gradus Confortationis: Ad Analentiam gradus specificationis: Ad Cachexiam gradus qui sunt ex commistione. Hæc omnia si probè excusseris, tum demum aggredere Compositionem Receptorum.

Medico quę noscenda sint.

Neque hoc loco prætereundum censeo, ad hanc perfectam cognitionem tum ægritudinum, tum Graduum non modo requiri professionem medicam, verùm etiam Astrologiam, præterea Spagyricas species: Nam hæc omnia perfectam atque adeò longam Experientiam desiderant. Hac enim vel sola (non autem lectione assidua aut iudicio, licèt exacto) erumpit huius libelli scopus. Postremò, si quæ hoc loco de Gradibus à vobis desiderantur, ab assiduo vsu petite, quò vos omnes ablegamus ad cognoscendam virtutem Antheræ: præterea Tereniabin, quæ insigniter nobilitatur: postremò ad florem Cheyri.

CAPVT IV.

PRiusquam tamen ad Gradus ipsos perueniamus, obseruandæ sunt regulæ quædam graduum, qua videlicet ratione gradus cùm intendatur tum remittatur. Principiò igitur obseruabis hunc modum: Quicquid est ex Elementis Terræ, primum gradum occupat, cuiusmodi sunt Lactuca, Viola, Anthos, &c. Similiter quicquid ex aëre fit, cuiusmodi sunt Pestis, Ephemera, Causon, in secundo gradu existunt: Quod autem ex elemento Aquæ gignitur, tertium gradum possidet, vt sunt, Plumbum, Sapphyrus, Topazius, &c. Quæ verò ex elemento Ignis descendunt, vt sunt Glacies, Crystallus, Nix, quartum gradum vendicant: & eum siue calidum siue siccum. Obseruandum igitur, quicquid est ex Elemento Sensitiuum, idem esse cum Elemento, quemadmodum Rana, cuius sperma est in tertio gradu, similiter Camphora. Quod ex Terra est, vt Homines, in primo, vt Rebis. Quod ex Volatilibus prouenit, in secundo gradu, vt vua. Quod autem ex igne erumpit, vt Salamandra, in quarto gradu existit. Quâ ratione autem aliud alteri præstet, in sequentibus patebit.

Gradus qui quib' insint.

CAPVT V.

POrrò vt in suis punctis clariùs innotescant Gradus, præsens sume exemplum. Quemadmodum gradus, qui sunt herbarum, in quatuor gradus hactenus sunt diuisi: sic quotquot sunt, ad primum gradum referuntur, neque tamen idipsum ex æquo: Nam aliud plus intenditur alio, per principia scilicet vtraque media, & finem; sed ita, vt quicquid ex elemento Terræ descendit, in primo gradu perseueret, neque extra eundem collocetur: Nam apud vos Nenuphar quartum gradum occupat, Saturnus apud vos tertium vendicat, qui in frigiditate Nenuphar ferè octo gradibus pręcedit. Quare ad eosdem gradus nuñquam collocari possunt. Sic quicquid hîc in secundo gradu existit, illic etiam primus punctus superat quartum gradum Elementi, quod est ex terrâ. Et quartus punctus quatuor gradibus sublimior est vltimo puncto primi gradus. In tertio gradu similiter est iudicandum: Sic etiam de quarto. Inde colliguntur sedecim puncta, quæ ad veros gradus vsque ad sexcentesimum sexagesimum tertium tanquam per scalas ascendunt. Meritò igitur eos errasse dicimus, qui Camphoram, Sperma ranarum, Nenuphar, Alumina, in vnum gradum coëgerunt, ex quibus verus ac certus gradus nullo pacto in Receptis deprehendi potuit: id quod in sequentibus modis de compositionibus indicabitur.

In medicamenta gradus assignãdos.

CAPVT VI.

SEd vt peculiariter habeas cùm gradus tum puncta eorum, quæ calorem inducunt, nota: Quicquid vel Cinerem, vel Calcem, vel Vitrum conficit, in quarto gradu ignis esse, vt Ignem, Aquam Mercurialem, Aquam fortem &c. Sic quicquid mordicus offendit, & in Escharam coniicit ad putrefaciendum, tertium gradum occupat: cuiusmodi sunt Colcothar, Arsenicus, Sal armoniacus, Borax, Auripigmentum, cæteráque id genus, Alcali. Quod autem ad virtutes horum attinet, quibus alia aliis pręstant, punctorum est non graduum. Prętereà, quicquid efficit Cicatrices aut Vesicas, secundum gradum vendicat, cuiusmodi sunt Rabeboia, Cantharides, Flammula, Melona, & id genus alia. Flammula enim etsi in primo gradu sit, tamen alioquin secundum affectat: Quia spiritus Salis eò redigit Flammulam, vt modò non conferatur ad primum punctum secundi gradus. Postremò quicquid calefacit, neque tamen prædicta signa attingit, vt Zinziber, cardimomum, Abrotanum, cætĕráque id genus, in primo gradu existit vnà cum punctis sublimioribus & inferioribus. Obseruandum autem in hâc Regulâ, non occurrere gradus pro naturâ ac ratione Elementorum, sed extra illa in regulam præsentem concludi, & idipsum hac ratione: quia præsens Regula, de tribus primis est sumpta, & his rebus inseruit: quæ in Sale, Mercurio, denique in Sulphure præcellunt. Quare hoc loco prima Cautio est, ne regula præsenti in ægritudinibus Elementaris vtamur. Sunt enim non nisi excerpta quædam ex his, morbisque inseruiunt, quos per tres primas sanari oportet.

Gradus caloris qui sit.

CAPVT VII.

SEd vt simul habeas gradum Frigidi, præter id quod Elementorum est, sic accipe. Quicquid congelat humores, quartum gradum occupat, cuiusmodi sunt, quæ ex Elemento Ignis gignuntur. Quicquid autem infrigidat (vt communi vocabulo vtar) neque tamen spiritum Vitæ offendit, administrato in sua dosi remedio, vt Narcotica, Anodyna, Somnifera, Sperma ranarum, Cicuta, tertio gradui subiiciuntur. Porrò quicquid humores congelat, vt Berillus, Carniola, secundum gradum vendicat. Quicquid autem Calores, qui præter naturam sunt, exstinguit, & pa-

& paroxyſmos ſedat; in ſecundo gradu exiſtit. Poſtremò, quicquid non finit morbum in paroxyſmum erumpi, primi gradus eſt: Hæc regula non ita multum abhorret ab ea, quæ eſt de calore: Hæc enim Enantioſin habent prædictorum. Quicquid autem graduum habent, qui ſunt ex Elementis, idipſum etiam porrò manet iuxta præſcriptum, vnà cum præſenti gradu, ita, vt iam geminus fiat gradus Naturæ, operatúrque non niſi pro ratione ac naturâ Elementorum.

CAPVT VIII.

PRæterea obſeruanda eſt regula de Coloribus, qui ſimul indicant naturam rerum ſuarum, vt Centaurea, quæ eſt rubea, ergo calide naturæ. Lilium, quod eſt candidum: igitur frigidæ naturæ. Sed ex coloribus, qui extrinſecus ſunt, nihil eſt certi definiendum, niſi in hunc modum. Roſa exiſtit rubea & frigidæ naturæ, propter antheram in ea delitescentem, quæ calorem Roſæ attrahit. Præterea vbicumque eſt flauum in flore rubeo, illic etiam exiſtit calor: Rubedo autem frigidæ naturæ eſſe iudicatur: in aliis floribus ſimiliter iudicandum. Porrò ſunt flores, qui, etſi naturâ calidi apparent: tamen frigidi ſunt, inter quos eſt Minium. Alij naturâ frigidi cùm calidi ſint, cuiuſmodi eſt Cuprum. Ad harum rerum cognitionem, ſequentem regulam nota: Quicquid eſt viride, fuſcum, ſimulátque in commixtione ex corpore excerptum, calidum exiſtit: Item corpus ſub quo colores delitescunt. Argentum ex ſui natura frigidum eſt & frigidi colorem ſeruat: Nam ad finem in Lazurium colorem abit. Mars verò natura eſt frigidi coloris, & in calidam naturam ſeipſum tranſmutari ſinit nihilominus tamen vim atque adeò virtutem vniuerſam propriæ naturæ ſeruat. Atri colores nullius naturæ ſunt, nihil enim aliud ſunt præter Sulphur, quod eſt exuſtum, ſub quo nihil delitescit prorſus, quod eſt Elementorum. Quicquid autem eſt candidum, liuidum, nigrum & hyacinthinum, frigidum eſt, reliqui colores ſunt calidi. Quicquid autem eſt variegatum, in vna natura conſiſtit, puta in ea, quæ eſt coloris magis principalis. Sic etiam in viridi quamquam inſit frigidum, tamen in capite ſuo comprehenditur.

Gradus vt et coloribus noſcantur.

De coloribus regula.

CAPVT IX.

QVicquid exiſtit Pingue atque adeò humectatum, frigidum eſt: hoc etſi viridi inſit: tamen viriditas illa in frigidam naturam vertitur: Quicquid autem eſt Aridum, calidam naturam induit. Præterea quicquid eſt ex Sulphure, Mercurio & Sale, in vtramque naturam, calidam ſcilicet & frigidam cadit, & idipſum ratione trium primarum. In ſumma, omne quod vrit, Sulphur exiſtit, & calidæ naturæ, niſi calidis coloribus inſit: quicquid autem in Sublimationem aut Calcinationem abit, calidam naturam admittit. Sic quicquid ſeipſum reſoluit, aut in Alcali cogitur, calidum exiſtit. Porrò quicquid auſterum eſt, frigidum: dulce & amarum calidam naturam induit, niſi prioribus regulis ſubiiciatur: quod verò cutem exiccat, calidum: quod autem conſtringit, frigidum eſt. Iam ſi velis ex odoribus horum iudicare, nihil eſt quod certi definias, niſi quatenus eandem naturam cum corpore ſeruant. Poſtremò ſunt aliæ regulæ, quæ ſi cum ſuperioribus non pugnant, admittendæ ſunt.

Graduũ regulę promiſcuæ.

CAPVT X.

POrrò obſeruandum eſt, quaſdam eſſe res, in quibus præter eos, qui naturales ſunt, gradus bifariam delitescunt: & idipſum ex duobus corporibus, vt in Metallis, Gemmis & Lapidibus. In hanc ſententiam Mercurius inter Metalla ſummus eſt, & peculiarem quandam naturam in ſe complectitur, calidam ſcilicet ac frigidam: neque poteſt auferri ab eo. Iam ſi indè generatur Metallum, in Ferro aut Plumbo, præter hanc naturam aliam acquirit, & ſic duæ naturæ vni ſubſtantiæ inerunt. Quare plumbum porrò Mercurij vice erit, ſi plumbea natura, quam vna concepit, tuis rebus accommodata fuerit. Similiter iudicandum eſt de Stanno, Argento, Ferro & Cupro, quod in corpus ſuum redeunt. In hunc modum in Gemmis liquor permanet in ſua natura, & idipſum in Mercuriali natura. Iam ſi fuerit congelatus in Gemmam, duplicem naturam ex æquo induit. quia denuò reducuntur in primum liquorem. Sic etiam de quibuſdam communibus Lapidibus eſt iudicandum. Et herbis quibuſdam ſimilis natura ineſt. Quare lege ac relege, denique ad Experientiam reuoca, quicquid eſt de Rerum Natura memoriæ proditum: At ita reuoca, vt iam non opineris, ſed exactè ſingula cognoſcas: nam in his verus ac certus Phyſicus delitescit.

DE GRADIBVS ET COMPOſitionibus

LIBER SECVNDVS

CAPVT I.



ETsi naturæ Relollea pro ratione ac natura, quod frigidi ac calidi eſt, vnà cum Eſſentia innata præſcripſi: tamen ſunt alia præterea, quæ Ares naturę produxit, id quod multis partibus præſtat eo, quod ſuperiori libro tractaui. Et vt indè exordiar: principio ſi volueris de accidẽtalibus, cõplexionibus exactè loqui, reperies, hoc loco de Gradibus ſuperiora naturæ Relollea parùm approbari, & id ipſum hac ratione: quia in vniuerſum duæ naturæ rebus inſunt, quæ ſimul in vna ſubſtantia exiſtunt (quãuis altera ſolum appareat) hoc eſt, accidens Innatum, & accidens Elementale: Porrò ex ſui natura nihil non eſt calidum. Prima enim rerũ Materia calida eſt per ſe, neque tranſmutat accidẽs innatum: quia quælibet tres primæ in cõplexione vſque in vltimã ſuam materiam conſiſtũt: hoc eſt, quã ratione deprehẽduntur ante Relollea, eadem ratione tantiſper manent dum abit Relolleũ. Quemadmodum igitur finem experientia concludit, ſic principium ſeipſo patet: priuſquam tamen ad ſimplicia, quę in gradibus ſunt, perueniamus, obſeruandum, neq; calidum, neque frigidum eorum innatum accidens eſſe, ſed elementale potiùs accidens externum.

Relolleũ, &c. Ares, &c.

CAPVT II.

PRæterea nihil prorsus ex se emittit naturâ, id quod medicæ reiperitus facilè colligit, sed tantisper accidens innatum seruat, dum manet res aut, corpus, cui accidens inest. Exemplum habes in Igne: In hoc enim accidens innatum est calor, & natura trium primarum; quæ palam calida est. Porrò fieri non potest, quin vnà cum calore abeat substantia, si velis calorem in aliud conferre. Etsi calefaciat calor ille, tamen, non nisi calor mortuus existit, neque ægritudinem sanat, neque quicquam confert, seb superfluus quidam calor est, extrinsecus corpori additus. In hunc modum omne accidens innatum vim suam aperit ac indicat citra subsidium ægroti. Quicquid igitur accommodatur Medicinæ morborum, ad hunc modum adornari debet. Principiò confer Medicinam ad eum, qui separat duas essentias, aliam in substantiâ, & aliam in spiritu vitæ: vbicunque enim Medicinam adhibere volueris, illic oportet spiritus vitæ discedat substantiâ, & cum materiâ peccante morbi conueniat, tum demum apparebit Medicina sola in corpore suo, & hæc pro ratione trium primarum: Accidentia autem externa elementata eò abeunt, vbi ægritudo delitescit. Itaque colligo, in vniuersâ rerum naturâ duplex inesse accidens, innatum & externum: innatum valetudini parùm confert, sed externum tantùm: neque in igne quicquam esse de accidente externo: quare imperfectum Naturæ opus assero.

Accidēs rerū est duplex.

CAPVT III.

PRincipiò cum parturit natura in proprio Elemento, præparat eandem Archeus pro ratione ac naturâ priuati Iliastis, ita vt Ares in tribus planè consistat & generet in eâdem re corporis substantiam: Hæc generatio per se est solius corporis gratiâ, vt cùm Relolleo eadem appareat. Sed quid hæc ad ægrotum? Nam Ignis ex æquo est Relolleum accidens, item Nix: neque tamen ægritudines sanant, neque vllam sanandarum ægritudinum in se vim habent, quia Relolleum per se. Præterea autem efficiunt elementa externa Cherionem naturæ, quem porrò ad Relolleum conferas oportet: quod etsi vnà cum Cherione accipias, cunctas tamen Cherio ægritudines sanat. Hoc loco de Cherione nota, nihil aliud esse Cherionem, nisi calorem aut frigiditatem earum rerum, quæ corpus relinquit & in naturam abit. Exemplum de Camphora: hæc frigiditatem suam ex Cherione habet, quare præsentissimum remedium est in inflaturis, in substantia autem suarum primarum calida manet: quemadmodum Sulphur & Spiritus Salis vnà cum Mercuriali: sic etiam Gemmæ & Herbæ. Præterea quicquid natura producit, suum Cherionem habet, hoc est, Elementale accidens externum. Quare hoc loco de Gradibus assero, in alio plus esse Cherionij caloris aut frigiditatis Cherioniæ, quàm in alio: Sic omnia disposuit Archeus, & id ipsum pro ratione Microcosmi.

Cherio quid.

Cāphoræ frigiditas à Cherione.

CAPVT IV.

SEd vt de Compositionibus Receptorum consilium nostrum clariùs innotescat, obseruandum, quemadmodum suprà mentionem feci Relollei & Cherionis, sic hoc loco rursus de corpore accipias oportet, nimirum ægritudines quæ solius sunt naturæ Cherioniæ, in corpore delitescere, & in corpus descendere citra destructionem trium primarum corporis sui. Sicut enim Iliastes in quatuor Elementis (velut mater producit Relolleum & Cherionem: sic homo in quatuor Elementis consistit, & velut hæreditariò ægritudines, quæ subindè in corpore pullulascunt, excipit, adeò, vt porrò in ægritudines, externas elementatas erumpant. Quare ad Recepta Cherionia ordinanda, oportet externa elementata corpora sua vnà cum substantiis relinquant ac deserant, & in Spiritum vitæ vergant: nam indè liberatur ægrotus. Obseruandum igitur Mortem non esse Cherioniam, sed Relolleaceam: Atqui hinc est, cur quaqua versùm non possit morti occurri. Quis enim id, quod indiuiduum est, ab eo, sub quo delitescit, auferat? Nos autem hîc de frigido ac calido Cherioniis, non Relolallaceis, loquimur. Reliqua quæ hoc loco desiderantur, de origine morborum lege.

Che- rio- niæ [illegible]

CAPVT V.

SIcut in superiori libello cognitionem naturæ rerum, quæ est aut frigida aut calida, multis ac variis regulis tradidi: ita hoc loco Regula præsens est obseruanda de Herbis, quarum pleræque frigidæ sunt ac aridæ, quæ scilicet viriditatem quandam obscuram in se promittunt. Hæ quamuis vt calidæ iudicentur, verè tamen frigidæ, vt Verbena, Bursa pastoris. Quædam pro frigidis reputantur, cùm calidæ sint, vt Buglossa, Anethum. Et id ipsum hac ratione quia humidum coagulatum sua congelatione maximam ariditatem adfert, & siccum resolutum non citra paruum humorem resoluit, propter Cherioniã naturã. Constat enim alioqui nihil ex Elemento Terræ gigni, quin calidum sit, neque ex Elemento Aquæ quin frigidum occupet: nam hæc est ratio naturæ. Quod autem nihil tale accidit, in causa est externum elementatum, quod priorem naturam corrumpit ac frangit. Quare pro Cheronia natura, hoc est, pro Experientiæ ductu agendum erit: Porrò, quia eadem natura, siue frigida, siue calida, corpus, sub quo delitescit, non format: nihil est quod de corpore labores, sed omnem Experientiam in prædictas tres naturas impendas, quemadmodum in primo Libello præscripsimus.

CAPVT VI.

POstremò obseruanda erunt corpora Medico, earum scilicet rerum, quæ sensu carent. Nam omnia illa, in quibus hæ res delitescunt, nihil aliud sunt nisi liquor, subtus quem quod Cherionium est, absconditur. Liquor autem est congelatus similiter suo elemento, quemadmodum Iliastes produxit: Quare separationes naturæ denuò resoluunt id, quod natura congelauit, & in hac resolutione separantur prædictæ duæ naturæ. Hinc liquet, externa elementata naturæ accidens Relolleum naturæ esse & sine omni virtute seorsum consistere. Sic etiam alteram naturam

plenè

plenè ac perfectè simul adesse, manentibus proprio innato, & proprio accidentali, vtrunque in sua separatione. Ex his ergo colligitur, nihil, quod frigidum aut calidum est, ingenitum esse, sed id, quod innatum est, nemini neque commodare, neque incommodare. Præterea tamen est alia quædam natura, quæ calidum aut frigidum inducit, secundum quam calorem aut frigidum indicamus, iudicio videlicet Cherionio: quo interueniente, sananda est omnis ægritudo. Nam eadem frigiditas aut caliditas ab ingressu suo in ægritudinem vergit, id quod proprium innatum nunquam efficit. Hæc omnia habentur de Coniunctione rerum in proprietatibus duarum naturarum iuxta Tres primas, & idipsum iuxta præscriptum Philosophiæ: Porrò in sequentibus capitibus videbis ordinem graduum, idque pro ratione ac natura suorum Elementorum.

CAPVT VII.

Sequentia sunt Calidæ naturæ.

Quæ ex TERRA proueniunt, primum gradum caloris occupant.

Crescentium terræ calidorum catalogus.

Diptamum	*Humulus*	*Cyperus*
Alchimilla	*Leucopiper*	*Cataputia*
Anthos	*Siseleos*	*Galanga*
Locca	*Basilicon*	*Filipendula*
Epithymum	*Marrubium*	*Sanguinaria*
Ficus	*Serapium*	*Laudanum*
Genista	*Agrimonia*	*Caryophilli*
Costus	*Gentiana*	*Grana paradisi*
Pulegium	*Enula campana*	*Citonia*
Melissa	*Zinziber*	*Diagridium*
Chamæpitheos	*Flammula*	*Labrum*
Bdellium	*Herba paralysis*	*Alchimilla*
Fumus terræ	*Lauendula*	*Lappatium*
Cardo	*Sinapi*	*Macropiper*
Cheyri	*Galbanum*	*Fœniculum*
Melilotum	*Gamandrea*	*Maiorana*
Gallitricum	*Liquiritia*	*Serpillum*
Filla	*Cichorea*	*Opopanacum*
Calamus	*Cubebe*	*Armoniacum*
Hirundinaria	*Cardamomum*	*Glycyrrhiza.*
Pæonia	*Cretamus*	

Crescentiū Aëris calidorū catalogus.

AEREA secundum gradum Caliditatis vendicant.

Tereniabin, Nubæ, Chaos, Ilech.

Crescentium Aquæ calidorum catalogus.

Quæ ex AQVA proueniunt, in tertio gradu Caloris existunt.

Vitriolum	*Sal fusum*
Sulphur	*Kakima sulphurea*
Talkaureum	*Chimolea calcis*
Cuprum	*Hyacinthus*
Topazius	*Chrysolithus*
Carniola	*Ogorum*
Arsenicus rubeus & albus	*Alumen plumosum*
Margasita rubea	*Kakimia salis*
Sal congelatum	*Argentum viuum*
Sal gemmæ	*Rubinus*
Aurum	*Granatus*
Smaragdus	*Realgar.*
Atramentum	

Crescentium Ignis calidis catalogus.

Quæ ex IGNE proueniunt quartum gradum Caloris affectant.

Fulgur con:cal: Grando cal: Æthna omnis.

CAPVT VIII.

Sequentia sunt Frigidæ naturæ.

Crescentium Terræ frig. catalogus.

Quæ ex TERRA producuntur, in primo gradu Frigida sunt.

Cuscuta	*Malua*
Frage	*Mercurialis*
Consolida	*Granatum*
Branca vrsina	*Gladiolus*
Castaneus	*Flor. frumenti*
Nenuphar	*Iusquiamus*
Lenticula	*Portulaca*
Euphragia	*Citrum*
Mandragora	*Genera myrabolan.*
Quatuor sem. frigid. maiora	*Mala mat.*
Flor: mor.	*4. sem. frig. minora*
Ribes	*Faba*
Dactyli	*Galla*
Rosa	*Crispula*
Acetum	*Fraxinus*
Ciconidion.	*Melon*
Cucurbita	*Antirrhinum*
Genera Sandalorum	*Pisa*
Traganthum	*Lolium*
Solatrum	*Lilium conuallium*
Tapsus barbatus	*Citrulli*
Lactuca	*Barba syluana*
Endiuia	*Psyllium*
Orobus	*Genera papauerum.*

Cresc. Aëris frigid. catalog.

Quæ ex AERE producuntur, secundum gradum frigidi possident.

Vt Nebulgea.

Cresc. Aquæ frigidæ catal.

Quæ ex AQVA proueniunt, tertium gradum Frigidi obtinent.

Plumbum	*Alumen de glacie*
Camphora	*Marcasita argen.*
Kakimia alba	*Ferrum*
Electrum ter.	*Argentum*
Thallena a:	*Alumen entali.*
Thallena frigida	*Talk album*
Antimonium	*Tria gen. Corallorum*
Hæmatites	*Lotho*
Stannum tri: gener.	*Aqua glariona.*

Cresc. Ignis frigid. catalog.

Quæ ex IGNE producuntur, quartum gradum Frigidi affectant.

Crystallus	*Fulgur frig.*	*Citrinula*
Arles	*Citrinæus*	*Nix*
Berillus	*Grando frig.*	*Glacies.*

CAPVT IX.

OBseruandum igitur, quâcunque ratione quæq; res ex Elementis proueniunt, eadem ratione etiam gradum eundem possidere, iuxta ea, quæ prædicta sunt: Porrò quicquid ex Elementis sensitiuū existit, sequens figura indicat.

Sensitiua sequentia.

Sens. Terr. cal. catalog.

Quæ ex TERRA proueniunt, primum gradum Caliditatis occupant.

Viri	*Equus*	*Galli*
Capricornus	*Boues*	*Vulpes*
Leopardus	*Vrsus*	*& huiusmodi alia.*
Pueri	*Arietes*	
Leo	*Lupus*	

Sensit. Aëris calidor. catalog.

Sequentia Animantia ex AERE nata, secundum gradum Caloris obtinent.

Aquila	*Phœnix*	*Passer*
Struthio	*Hirundo*	*Ardea, &c.*

Et omnia Animalia volatilia, præter ea, quæ sunt in aqua.

Sensitiu. Aquæ calid. catalog.

Quæ ex AQVA gignuntur, tertium Calidi gradum habent.

Castoreum.

Sensitiu. Ignis calid. quæ.

Quæ ex IGNI, quartum gradum.

Salamandra.

Sequentia sunt Frigida natura, vt:

Quæ ex TERRA, primum gradum Frigidi possident.

Mulieres	*Vaccæ*	*Sperma omne.*
Puellæ	*Menstruum*	

Sens. Aëris frig. quæ

Quæ ex AERE, secundum gradum Frigidi vendicant.

Columbæ *Ciconiæ, &c.*

Sẽsitiu. Aquæ frig. quę.

Quæ ex AQVA, tertium gradum.

Pisces *Lumbrici* *Testudines* *Ranæ.*

Sens. Ign. frig. quæ.

Quæ verò ex IGNI, quartum gradum Frigidi occupant.

Gnaui (*al. Gnani*) *Zonneti.*

CAPVT X.

PRæterea sunt & alia quædam Simplicia, quę interueniente Compositione secundum gradum attingunt. Hæc quamuis non omnino pro ratione ac naturâ Elementorum gradus suos assequantur, quæ tamen in primo sunt, secundum, quæ in secundo, tertium, quæ in tertio, quartum gradum acquirunt, quæ in sequenti Figurâ patent.

SIMPLICIA.

Rosa	*Nenuphar*	*Flores Centaureæ,*
Violæ	*Chamomilla*	*Flores Prunellæ,*
Solatrum	*Flores Tapsi*	
Anthera	*Flor. Hypericonis.*	

Additio COMPOSITIONIS.

Oleum	*Vinum ardens*
Acetum crudum	*Et omnis pinguedo.*
Destillatum acetum	

Porrò etsi natura per se non sit adeò frigida, tamen eò redigit Compositio, vt per additionem erumpat secundus gradus frigiditatis aut caliditatis: id quod in oleo Rosarum palam est, & in aceto Rosarum cæterísque id genus. Sunt etiam quæ in tertio gradu alioquin quartum gradum attingunt, vt acetum Camphoratũ oleum Plumbi, &c. Insuper sunt gradus qui per Separationem à primo in quartum item à tertio in quartum gradum ascendunt: id quod in tertio Libello de Gradibus Spagyrorum patebit. Sunt præterea quæ prorsus non intenduntur, cuiusmodi est Nix & glacies, & idipsum propter naturam Relollei. Sunt etiã quæ non nisi præparata naturã eliciunt, vt sperma Ranarum, Crystallus & Sulphur: Item sunt quæ ex calido gradu in rigidum rediguntur, vt Gemmæ: alia ex frigido in calidum, vt Camphora, Coralli, &c. Postremò sunt, quæ gradum in præparatione amittunt, vt ea quæ congelantur aut resoluuntur: Item quæ in substantiâ corporis sui nihil prorsus operantur, vt oleum Iuniperi & id genus alia. Reliqua quæ hoc loco desiderantur, indicabit Experientia.

DE GRADIBVS ET COMPOSITIONIBUS.

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Quin. Essen. item Elementale, forma Specifica, idea.

IN frontispicio huius tertij Libri obseruandũ, præter eas Essentias, de quibus in superioribus libris mentionem feci, aliam à superioribus esse naturam siue essentiam, quæ Quinta Essentia appellatur, siue, vt Philosophi loquuntur, accidens Elementale, siue, vt Physica vetus habet, forma Specifica. Quinta autẽ apellatur hâc ratione, quia in primis tribus quatuor Essentiæ delitescunt. Proinde accidens Elementale, & quæ hoc loco Quinta dicitur, cuius natura neque calida, neque frigida est, citráque omnem Complexionem in seipsa. Sed vt exemplo clarius innotescat, Quinta Essentia valetudinem firmam sola introducit, quemadmodum sunt fortitudo siue firma valetudo, quæ in Viro est, citra omnem complexionem, ad finem suum deducitur, sic in natura virtus delitescit. Nam quicquid ægritudines pellit, nihil aliud nisi confortatio quędam est, quemadmodum si viribus fretus hostem pellas. De Natura Rerum habetur, nihil esse in rerum natura, quod virtute careat, nisi sit naturæ laxatiuæ, id quod ex æquo Quinta Essentia existit, quia citra complexionem accidit. Quanquam frigiditas alibi laxet, nonnunquam & calor: tamen præter Naturam fit, & ex virtute naturæ Relolleaceæ. Quicquid autem secundum naturam operatur, eius rei Quinta Essentia existit: Nam in hoc virtus est disposita, vt sordem à corpore auferat, sicut incarnatiua in Vlceribus sanandis, hac ratione recentem carnem inducunt, vt interueniente eorum virtute materia peccans tollatur. Tria hæc triplicis sunt Essentiæ, sed Virtus vna, quæ iusta nomenclatura, Quinta Essentia dicitur.

Esse. Quin. causa valetudinis.

CAPVT II.

AD cognitionẽ Graduũ qui sunt de Quinto Esse, maximè earũ rerum, quæ confortant, quatuor requirũtur imprimis obseruãda: Primũ quicquid est ex Terra, primũ gradũ valetudinis occupat: Secundũ, quicquid ex Aëre est secundũ gradum affectat: Tertium, quicquid ex Aquâ, tertium: Quartum, quicquid ex Igne gignitur, quartum gradum vendicat. Porrò frustrà sudabit, quicunque ex Terrenis Quintam Essentiam affectauerit, similem ei, quæ ex Aëre elicitur. In hunc modum, ea, quę ex Aëre est, ad illam quæ ex Aqua erumpit, nunquam conferri potest. In hanc sententiam de quarto Elemento est indicandum. Exemplum, de extrahenda 5. Essentia de Chelidonia. Nihil est, quàm labores per Quintam Essentiam Chelidonię, Quintam Essentiam Phœnicis assequi, similiter per Quintam Essentiam Phœnicis, Quintam Essentiam Auri: Item per Quintam Essen-

Essentiam auri, Quintam Essentiam Ignis. Quãquam in Chelidonia, Melissa, Valeriana, plus Arcani, quàm in reliquis insit: tamen eousque præcellit Gradus, vt hac eminentia Arcanum istud multis partibus superet: sic in quolibet Gradu aliud consistit altius alio: quare in Terrenis obseruandum, num Chelidonia Melissæ præstet, num Melissa Valerianæ. Similiter etiam de tribus aliis Elementis iudicandum.

CAPVT. III.

IN superioribus capitibus quicquid tractaui, in hoc solum tractaui, vt in sequentia Graduum signa descenderem, atque adeò palam fieret, qua ratione Gradus in Elementis consisterent. Non enim quantum ab hoc loco dissentiant Platearius, Dioscorides, Serapio, cæterique qui hos sunt sequuti, qui non pauca de Quinta Essentia scripserunt, sed falsò. Tu autem, quisquis es, huius Quintæ Essentiæ cognitionem ab Experientia pete: sic enim deprehendes Gradus in sua diuisione. Sed vt simul innotescat, qua ratione morbi per Quintam Essentiam pellantur, principiò diligenter obserua Concordantiam Rerum ac morborum. Nã aliæ virtutes in sola Synochia pugnant, aliæ in Mania, aliæ in Asclite, aliȩ in Lethargico morbo; &c. id quod de Concordantiis habetur. Hoc loco scitu dignum existimo, id quod in natura delitescit, vt in Gelutta & Melissa, quæ renouant ac transferunt morbum sine omni virtute Graduum, in Reparatione videlicet ac Regeneratione pristinæ iuuẽtutis. Qua ratione autem & qua virtute hæc fiant, de Vita Longa velut peculiaria quædam mysteria, quæ in rerum natura præter Arcana sunt, indicantur. Quare hoc loco prætereundũ censeo, & quod de Gradibus quatuor Elementorum cœpi, tandem persequar. Hîc etsi multæ ac variȩ sint virtutes, quæ per Diaphoreticam naturam, aliæ per Narcoticam, aliæ per alia, ægritudines vincunt: tamen ad eos, qui animum ad Theoremata conferunt, ista remitto.

Quint. Ess. cognitio ab Experiẽtia petẽda.

Geluttã volunt esse carlinam.

CAPVT IV.

OMne quod confortat, est temperatum. Hoc loco nihil impediet Substantia, quæ, etsi frigida sit, aut calida, non tamen incommodabit Quinta Essentia neque in (al. neque in opere suo) corpore suo. Porrò, omne Specificum est Quinta Essentia, sine omni corruptione corporis sui. Præterea, nihil est temperatum, nisi Quinta Essentia: vniuersa corpora sunt elementata in natura & accidente suo.

Confortans omne temperatum est. Specificũ quid.

GRADVS VALETVDINIS.

Confortatiua quæ secundum quatuor Elementa.

Quæ ex TERRA proueniunt, primum gradum Valetudinis occupant.

Herbarum, Seminum, Radicum, Spongiarum, Animantium, Florum, Corticum, Fructuum } *Omnia genera.*

Quæ ex AERE, secundum.

Omnia genera Volucrum.

Quæ ex AQVA, tertium.

Metallorum, Marcasitarum, Kakimiarum, Salium, Mineralium, Resinarum sal, Piscium, Gemmarum, Lapidum. } *Omnia genera.*

Quæ ex IGNI, quartum.

Tinctura, Lapis Philosophicus.

Quanquam aliæ quædam virtutes obseruandæ sunt, quæ in Herbis, non autem in Volatilibus, neque in Metallis, delitescunt, quemadmodum Vrsina, Carlina, indicant, quæ extra gradum alienas virtutes in se admittunt: Inter quas est etiam Smaragdus, qui præter alia vim alienam in se admittit, nihil tamen ad sanitatem conferunt. Sunt enim nonnisi virtutes externæ, quæ intrinsecus prorsus nihil valent.

CAPVT V.

DE Confortatiuis diximus hactenus, nunc ad Laxatiua & eorum Gradus. Principiò igitur obseruandum, diuisionem istam, qua laxatiua diuiduntur in quatuor naturas, hoc loco non obseruari, quæ quidem ad hunc modum iuxta veterem consuetudinem describuntur Coloquintida, Scamonea, Choleram purgant: Turbith, Helleborus, Phlegma: Manna, Capillus Veneris, Sanguinem: Lapis Lazuli, Helleborus niger, Melancholiam. Præterea sunt & alia, quæ Choleram vitellinam pellunt, alia quæ æruginosam, alia quæ aquam citrinam Hydropicorum, & id genus alia, quæ alibi describuntur, apud nos fide indigna, & id ipsum hac ratione: Quia per materiam (al. pro materia peccante) peccantem superiora operantur, vel in quibuscunque generibus morborum. In hanc sententiam Coloquintidæ ingenita Diathesis est prouocare sedes, cùm Melancholia sit, sic Turbith excitare sedes haud dissimiliter limo vel in Cholera, & sic de aliis. Quare iudicium, quod est super Coloribus sedium, non ex natura morbi, sed potius eò, quòd sedes excitauit, sumendum est. Porrò etsi sedes nonnunquam pro ratione ægritudinis, à qua productæ sunt, exeant: tamen citra differentiam agendum est; quibus purgationibus hæ sedes sistantur scilicet non iuxta naturã quatuor Humorum, sed potius iuxta naturam quatuor Graduum, qui fortiùs aluum sistunt. O ingentem Alaoscopian, quæ id, quod nullo pacto deprehendi potuit, ad iudicium reuocare homines statuunt, sicut infra de sedibus clariùs patebit.

Gradus laxatiuorum qui.

CAPVT VI.

SIcut in superiori capite de gradibus Laxatiuorum mentionem feci, ita hoc loco, quò altiùs animis insideant, eadem repeto, scilicet, Laxatiua non obseruare prorsus quatuor gradus Elementorum, sed mixtos habere gradus citra omnem respectum Elementorum. Quare diligentiùs intuenda erit morbi natura ne temerè

merè abutaris confortatiuis ad medendū morbo, sed potius ita accommodes, vt quaquauersum cum morbi natura conueniat,& gradum vndecunque cum morbo conferas. Sed ne hoc loco illotis manibus (quod dici solet) in hanc purgandi rationem irruamus, hoc opus, hic labor est. Obseruandum igitur, partes nonnunquam esse inæquales, in eadem operatione in quarto gradu, vt Elleborus aliquando tollit quod Tithymallus nequit, item Cataputia pellit id, quod reliqua duo nunquam præstare possunt: Aliquando Præcipitatus: nonnunquam Esula: Item Cassia fistula. Præterea in Febribus aliquando purgat febriles humores laxatiuum, vt Centaurea, nonnunquam in morbo Catalentico,vt Elleborus, interdum in Ascaridibus, vt Agaricus & in id genus aliis: in causa est Natura, non Humores, quæ in hoc est adornata, vt tollat quicquid est, siue melancholicum, siue cholericum, siue phlegmaticum, siue aliud quiddam, quod huc conferri potest.Nam ex his omnibus scatere potest, quod Choleram æruginosam dicitis, quemadmodum de humoribus habetur. Hæc omnia cuiusmodi in se Mysteria seorsim habeant, Experientia indicabit.

CAPVT VII.

Laxatiuorum catalogus & gradus.

De Gradibus igitur intensiùs & remissiùs purgandi hæc sequentia nota.

I.	
Polypodium.	*Hermodactylus.*
Locustæ Botim.	**III.**
Capilli Veneris.	*Rhabarbarum.*
Terpentina.	*Esula.*
Locustæ Sambuci.	*Vitriolum.*
Sena.	*Diagridium.*
Gamandrea.	*Agaricus.*
Stomachiolum.	*Lazuli.*
Locustæ Ebuli.	*Scammonea.*
Mannna.	*Centaurea.*
Cichorea.	**IV.**
Serum Lactis.	*Helleborus vterque.*
II.	*Coloquintida.*
Siler Montanus.	*Tithymallus.*
Cyclamen	*Serapinum.*
Turbith.	*Cataputia*
Azarabachara	*Præcipitatus*

CAPVT VIII.

Incarnatiuorum & consolidatiuorum gradus 4.

DE Incarnatiuis & Consolidatiuis hęc nota. Incarnatiua ac Consolidatiua quatuor gradus in se claudunt: Consolidatiua autem eodem modo cum Laxatiuis Elementa excludunt. Principio igitur obseruandum, quâ ratione ægritudines, quibus mederi volumus,in Gradibus consistant:Ex his enim insequitur gradus Rerum naturalium: Nam alia Ossium fracturam sanant, alia Vulneribus medentur, alia communibus Vlceribus, alia Esthiomenis, (al. Carnosis.) Cancrosis. Inde consequuntur quatuor gradus in hunc modum.

I.

Fracturam Ossium sanant.

Alchimilla.	*Aristolochia rotunda.*
Peruinca	*Consolida.*
Perfoliata.	*Serpentina.*
Diapensia.	

II.

Vulnera sanant.

Balsamus naturalis: · *Balsamus artificialis.*

Oleum { *Hypericonis,* *Brunellæ,* *Terpentinæ,* *Laterini.* } · *Centaureæ,* *Anethi,* *Benedicti,*

Emplastra / *Vnguenta* } *Apostolica.*

Pulueres Apostolorum, · *Potus vulnerum.*

III.

Apostemata & Vlcera communia sanant.

Emplastra gummata.
Emplastra mumiata.
Emplastra Apostolica.
Vnguenta Apostolicæ.

IV.

Esthiomena, Cancrosa sanant.

Compositio { *Mercurij* *Brassatellæ* *Realgaris.* }

Huc huc simul adeste, omnes Chirurgi, quorum ego ne vnum quidem, vel solo titulo dignum hactenus conspexi. Huc huc, inquam properate simul Impostores, vt semel agnoscatis singulos gradus seorsim iuxta præscriptum, à quibus iam aliquot sæcula longè aberrastis, capti videlicet illecebris vestrorum Receptiunculorum, quæ subindè à pannutia Baucij hostiatim emendicastis, vel nuce indigna. Resipiscite quęso,resipiscite, & à vestris Vnguentis, Sparatrapiis atque Cataplasmatis, quæ sursum, deorsum, ordine confuso discurrunt, tandem ad veram medendi rationem deficite.

CAPVT IX.

SVnt insuper alia à superioribus, quæ suos gradus ex æquo possident, cuiusmodi sunt Venena, in quibus vel maximè obseruandi sunt gradus, ne pro elementatâ naturâ eorum in compositionem Receptorum admittantur. Principiò igitur introspiciatur veneni quantitas, tum demum adornetur pondus, idque in hanc sententiam.

Venena in Gradibus:

Venena [illegible] du[illegible] sint.

I.	III.
Simplex, per se.	Calcinata.
Colcothar,	*Tartarum.*
Alumen.	*Scissum.*
II.	**IV.**
Reuerberata.	Sublimata.
Spiritus Iouis,	*Arsenicus,*
Spirit. Saturni.	*Mercurius.*


Reliqua Veneni genera,vt Aranei, Bufonis, Scorpionis, Lacerti, Serpentis, Draconis minoris, & aliorum, quia non sunt ingredientia, prætereunda censeo,præter Tyrum,qui suo loco dicetur.Sunt præterea quæ Menstruum prouocant: quare in sistendis Menstruis apprimè accommoda fuerint,relata scilicet inter reliqua Recepta, pro ratione suorum graduum, iuxta præscriptum componendi Recepta. Sunt insuper quæ Tumores reprimunt & Vri•am prouocant. Hæc omnia & his similia ab Experientia petenda sunt & Concordantia. Hęc de Gradibus:

dibus: Reliqua quæ hoc loco desiderantur, assiduus Vsus indicabit: nunc de Gradibus Spagyrorum.

CAPVT. X.

Spagyricorum gradus qui sint.

EX industria Spagyrica quatuor Gradus eodẽ modo cum quatuor Elementis proueniunt, qui reliquos gradus quantitate sua vincunt. Porrò vbicunque postremus gradus desiit, illic primus punctus in Spagyricis principium habet, in hunc modum.



III.

Aqua Vitrioli.
Liquor.
Aqua Mercurialis.
Oleum Argenti viui.
Viriditas Salis.
Aquæ Aluminosæ.
Calcinata Olea.
Olea Metallorum.
Liquores Gemmarum.
Aurum Potabile.
Essentia Antimonii.

IV.

Oleum Crystalli.
Oleum Berilli.
Tinctura.
Lapis Philosophorum.

Hæc omnia calida sunt: nam gradus Spagyrici elementatum tollunt, & super id, quod elementum est, gradibus suis tendunt. Quare ad cognitionem istorum Graduum requiritur plena ac perfecta Experientia, vt videas præparationem eorum, quæ ex Elementato eo vbi superant Elementatum, deueniunt.



Mineralibus { *Marchasita, Cachimia,* *Talk, Realgar.*

Salib. vt { *Vitriolis;* *Aluminibus,* *Salibus.*

Quæ ex IGNE, quartum gradum vendicant, vt ex { *Berillo,* *Crystallo,* *Arle.*

Et quæ ex prædictis quatuor elementatis descendunt, vt:

Ex Terra.

Aqua vitæ — *Aqua circulatæ,*
Balsama distillata — *Liquores distillati.*

Ex Aëre.

Aues distillatæ
Thereniabin
Nuba
Ilech.
} *Retort.*

Ex Aquâ.

Aurum potabile, — *Calcinata,*
Sublimata, — *Congelata,*
Resoluta, — *Resolutio Mercurij,*
Liquor Argenti, — *Reuerberata,*

Ex Igne.

Liquor Crystalli, — *Liquor Berilli,* — *Liquor Arle.*

DE GRADIBVS ET COMPOSItionibus Receptorum.

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.



QVEMADMODVM in superioribus libris ea, quæ de Gradibus vnà cum differentiis eorum vehementer commendaui, ita hoc loco differentiam tibi rursus commendo, in hanc sententiam. Herbæ quæ sunt frigidæ naturæ & ex Terrâ, non in vniuersum accommodæ sunt omnibus morbis calidæ naturæ, neque calidæ rursus, ægritudinibus frigidæ naturæ. Ex his septem genera Morborum & septem quoque genera Calorum & Frigiditatum colliguntur, cuiusmodi sunt inter reliqua membra, ea quæ Cordis sunt. Hæc igitur differentia vel maximè obseruanda est in huius libelli principio, cui titulus præfigitur de Compositione Receptorum, vt ea, quæ Hepati desunt, siue calidum sit, siue frigidum, ab iisdem herbis petantur. Sic ea, quibus Cerebrum destituitur, suas herbas requirunt. Porrò etsi Herbæ in vniuersum sunt aut calidæ aut frigidæ, tamen herbæ, quæ Splenis sunt, nihil prorsus commodant ægritudinibus Renum: quocirca sub cognitionem graduum insequitur differentia herbarum in hunc modum.

Septem vt morborum sic calorum & frigidarũ genera sunt.

CAPVT II.

Differentiam Herbarum ad hunc cognosce modum: Principiò diuiduntur herbæ in septem species vnà cum reliquis Elementis, & idipsum pro ratione ac naturâ Astri, quod ex æquo cum his in septem species conijcitur. Porrò quâ ratione septimembrem diuisionem recipiunt, eâdem quoque ratione Corpus par-

Septem Herbæ vt accõmodentur partibus septem corporis.

pus partitionem septimembrem recipit, singuláque singulis æqualia affectant. Vt ea, quæ sub Sole sunt, Cordi accommodantur, quæ duplicia sunt: quæ verò sub Lunâ Cerebro, idque in gradibus vtrisque: Quæ sub Venere, Renibus medentur: quæ sub Saturno, Splenem confortant: Quæ sub Mercurio, Hepar defendunt: Quæ sub Ioue, Pulmonem respiciunt: Postremò quæ sub Marte sunt, Felli omnino accommoda referuntur. Præterea, etsi herbæ vnà cum simplicibus non regantur à Planetis, neque Planetæ ad ipsis: tamen singulare quoddam dominium existit in quolibet Elemento, citra commixtionem alterius.

CAPVT III.

AD cognitionem eorum Elementorum, quæ Cordis sunt, principiò obseruandum: Quicquid regenerat, Cordi finitimum est, vt Aurum, Melissa, Nuba, &c. Præterea, quicquid absumit Phlegma, interueniente natiuâ eius rei fragrantiâ, ad cerebrum refertur, cuiusmodi sunt Rosa, Camphora, Muscus, Ambra. Porrò quòd sanguinem aut extinguit, aut calefacit, Hepati inseruit. Quod vrinam prouocat & sperma adauget, Renibus. Quod Vitam Longam conseruat, spleni: quod deoppilat, Pulmoni. Horum cognitio in Experientia consistit, sed in ea potius, quæ ex Philosophia, (hoc est Regeneratione) quàm quę ex Medicina, (id est, de Morbo,) imò quæ ex transmutatione nascitur: Nam ibi cùm medica, tùm philosophica Experimenta concurrunt, atque genuina vniuscuiusque rei Diathesis deprehenditur.

CAPVT IV.

COgnita igitur Transmutatione, quæ septem species cùm frigidi, tùm calidi indicat, obseruandum: Quicquid regenerat, & id, quod inueterauit, expellit, ac munditiem adfert, & rem integram atque adeò incorruptam reddit, sub eandem speciem concludi, siue idem ex frigore, siue ex calore Elementorum suboriatur. Præterea, quicquid in transmutatione humores superfluos consumit, vt Sal, leprositatem Lunę tollit, quare præsentissimum remedium est Cerebri. Hoc loco obseruabis, Herbas non ea ratione administrandas, quia Lunares sunt, sed quia Lunaria in sui potestatem redigunt ac cogunt. Per Argentum enim aut Lunam nullo pacto Cerebrum sanatur, sed per ea potius, quæ cũ his pugnant. Porrò quicquid aduersus rubedinem ac putrefactionem munit & in Essentiam conseruat, vt Fixa, quæ in transmutatione Metallorum deprehenduntur, eadem ratione Splenem incorruptum conseruat. Sic, quicquid substantiam ac corpus in liquorem resoluit, Hepar confortat, & id, quod repugnat, expellit. Quicquid autem eousque resoluit, vt contraria separet inter se, ad pulmonem confertur, cuiusmodi sunt alkali in Stanno. Postremò, quicquid prępàrat res, & easdem idoneas reddit augmentis Transmutationum, cuiusmodi sunt coniunctiones Arcanorum, vel in primis vsurpandum est. Harum rerum experientiam ex Transmutatione Naturæ pete. Neque interim in istis deplorandis gradibus, neque in frigidis descriptionibus herbarum, quas Codices insulsi habent, vitam vniuersam contere: Non enim seruientia sunt, sed potius sæuientia aduersus Pulmonem.

CAPVT V.

POrrò, qua ratione septem species prædictæ, in quatuor Elementis deprehendantur, quid scilicet ex Terra, quid ex Aëre, quid ex Aqua, quid denique ex Igne sit, sequentia indicabunt: ex quorum descriptione, modum componendorum Receptorum iudicabis, idque in hanc sententiam.

Quæ ex TERRA, Calidæ naturæ.

Cerebrum	Cor	Renes	Hepar	Splen	Pulmo	Fel
Viriditas Salis. Liquor Vitrioli. Liquor Lunariæ.	*Essentia Melissæ. Essentia quintà Auri.*	*Correctio Sibetæ. Essentia Satyrionis.*	*Liquor Brassatellæ. Mannæ, Xyloaloes.*	*Mysterium Ellebori nigri. Valerianæ. Verbenæ.*	*Extractio de Pulmone. De Vsnea.*	*Quinta Essentia Chelidoniæ.*

Quæ ex TERRA, Frigidæ.

Esse Geloen. Esse de Antheris.	*Materia Laudani. Materia Perlarum. Materia Sapphyrorum.*	*Materia Sintocorum (f. Stincorum.) Materia sem. Lactucæ.*	*Liquor Senæ. Q. Sanguinis. Q. Gamandreæ, Cichoreæ.*	*Compositio Candi. Confectio Dubelte leph.*	*Materia Roris. Materia Sulphuris. Materia Ologan.*	*Compositio Agrestæ. Cõpositio Balaustiatum.*

CAP. VI.

Quæ ex AERE, Calidæ naturæ,

Cerebrum, Cor, Renes, Epar, Splen, Pulmo, Fel

Cerebrum, Cor	Renes, Epar	Splen, Pulmo, Fel
Nuba, Symona.	*Ilech Hallereon.*	*Tereniabin.*

Quæ ex AERE, Frigidæ naturæ.

Halcyon — *Ilechcrudum* — *Arles crudum.*

CAPVT VII.

Quæ ex AQVA, Calidæ naturæ.

Cerebrum	Cor	Renes	Hepar	Splen	Pulmo	Fel
Oleum Mercurij Lunæ. Essentia Argenti. Essentia de sexto, id est, Venere.	*Aurum potabile. Liquor Solis. Oleũ de septimo.i.Saturni*	*Essentia Vitrioli. Q. de Sulphure, Flos Veneris.*	*Mysterium Mercurij. Mysterium Antimonij.*	*Magisterium de Asphalto. Rubedo de nigro.*	*Flos Iouis. Extractio Stanni. Talk resolutum.*	*Crocus de Marte. Topazius è Ferro.*

Quæ ex AQVA Frigidæ naturæ.

Succus de Amethisto. Liquor de Granatis. Cōpositio de Gēmis.	*Marcasitæ vtriusque. Talkalbi.*	*Tinctura, Lapis de Physico.*	*Spiritus Saturni. Esse de Plumbo.*	*Mysterium Mercurij coagulati.*	*Flos de Ioue crudo.*	*Ferrugo de quinto.*

CAPVT VIII.

Quæ ex IGNI Calidæ naturæ.

Cerebrum, Cor, Renes, Hepar, Splen, Pulmo, Fel

Nostoch cal.

Quæ ex IGNI Frigidæ naturæ.

Arcana Crystalli,
Magisteria Berilli,
Liquores Citronei.

CAPVT IX.

COgnitis Gradibus & speciebus graduum, tum demum aggredere compositionem Receptorum iuxta præscriptum Regulæ sequẽtis. Quemadmodum quatuor Elementa sunt, sic quadruplicia Recepta sunt adornanda, in hanc sententiam. Alia sunt genera morborum, quæ terrena remedia affectant. Alia desiderant aërea. Alia requirunt aquatica. Alia ex igni petunt. Principiò igitur obseruandæ sunt ægritudines in prædictis septem membris, inter quę scilicet. Elementa referantur: Nam indè sunt elicienda Simplicia, quibus Compositum adornes, pro ratione cùm graduum tum specierum. Proinde in Elementatis ægritudinibus, puta Terrenis, Compositum non est altiùs apparandum suo gradu, sed in eo ipso gradu relinquendum. Similiter in Aëreis, nihil ex alienis Elementis est admiscendum. Eodem modo de cæteris elementis, Aquâ & Igni iudica. Sed vt singulas ægritudines singulis Elementis accommodes, hoc opus, hic labor est: Nam inde accidit communis ille error, qui subinde repullulascit in Podagra, in Paralyticis morbis, cæterisque id genus, propter præposteram medendi rationem, quam homines imperiti aggrediuntur. Exemplum habes in Epilepsiâ: species Epilepsiæ Elemento aquæ subiicitur: quare ex his, quæ Mineralia vocant, sananda est: sic de aliis quoque iudicandum.

Recepta, vt secundum 4. Elementa côcinnentur.

Epilepsia est Elem. Aquę.

CAPVT X.

REgulas generales de Compositionibus Receptorum in hanc sententiam accipe. Vniuersa Recepta, quæ pro elementalibus morbis adornantur, sex rebus constant, quarum duæ ex Planetis, duæ ex elementis, denique duæ ex Narcoticis sunt. Quamuis etiam tribus confici possint, ita vt de singulis alterum solum recipiatur: tamen infirmiora hęc sunt, quàm quæ ad medendi rationem admittenda sint. Veruntamen vt ad priora redeam, Duæ sunt, inquam, quæ ex Planetis constant, hac ratione, quia Medicinam conciliant ac corrigunt. Duæ ex elementis, vt gradus ægritudinis superetur: postremò duæ ex Narcoticis, hac ratione, quia quatuor partes prædictæ imbecilliores sunt, quàm quæ morbum ante Crisim expellant. Quare hoc loco de Compositione obseruabis potissimum, vt criticum diem anteuertas. Ad hunc igitur modum adornata Recepta apprimè valent in morbis, cùm acutis, tum peracutis, & peracutissimis, quæ quaquauersùm agas.

Receptũ quodlibet sex rebus constat & cæt.

CAPVT XI.

POstremò de Ponderibus nota regulam sequentem: principiò obserua gradum, vincatur ne à Medicina gradus, an quaquauersum cum gradu suo consonet, sed ita, vt hæ triplices species sese non corrumpant, sub hęc dispone pondera in hanc sententiam. Principiò, quę ex Planetis sunt, ad quatuor partes refer in Receptum: Quę ex elementis, ad tres: Quę ex Narcoticis, ad vnam partem. Et vt clariùs innotescat consilium, confero me ad illa Composita, quę iuxta modum præparandi confecta sunt, in hunc modum. Recipiatur Essentia Planetarum, Essentia elementata, denique Narcoticum purum: alioqui si substantię admittuntur in pondera, deprauatur Receptum: Non enim ex multitudine graminis aut fœni, iuxta Cataracticorũ pręscriptum, sed potius ex virtute natiua, hęc compositio fiat. Hęc de Compositione Receptorum in genere. Qua ratione autem singula Recepta singulis morbis accommodanda sint, quintus Liber indicabit.

Recepti formula generalis

DE GRADIBVS ET COMPOsitionibus

LIBER QVINTVS.

CAPVT I.


RIncipiò in descriptione Receptorum diuide morbum in quatuor species, deinde has species inter Elementa refer, gradumque qui occurrit, accipe, & iuxta modum insequentem procede. Porrò si accidit translatio morbi de vno in alium gradum, recipe eundem gradum: sic enim permanent ægritudines primi gradus, quæ ex Terrâ sunt: Secundi, quæ ex

Recepta quomodo sint secundũ morbos dirigenda.

exAëre: Tertij, quæ ex Aqua. Et quod quartum attingit, per solam Tincturam sanari oportet, alioquin nihil est, quod huic loco accommodari possit. Preterea, etsi in superiori Libro Receptum sex partibus adornari præscripsi, tamen tribus confici poterit, aut superiora duplicari, vt duodecim appareant: Aut ad hunc modum describi, vt eorum, quæ Planetarum sunt, quatuor, quæ Elementatorum, duo, quæ Narcoticorum, vnum recipias: sed ita, vt porrò pro ratione huius descriptionis digeras pondus in hanc sententiam. ♃. de his, quæ Planetarum sunt, drachmas quatuor, de Elementatis drachmas tres, de Narcoticis drachmam vnam: sic in Pondere, non autem in numero Simplicium res consistit. Rursus ad Dosin, non ad pondus, neq; ad Receptum refertur vis atque adeò effectus earum rerum, quæ in huius Recepti descriptionem admittuntur, vt in his, quæ Planetarum sunt, maiorem energiam deprehendas, quàm in Elementatis. Sed hoc Doseos est, non Ponderis, neque Recepti: Quare superior modus obseruandus est. Postremò, insignis peritia medicæ rei hoc loco requiritur, ne medendi rationem ante tempus aggrediare, sed ita potius rem tractes, vt illic, vbi opus est purgatione, purges: Vbi sanitate, sanes: Vbi consolidatione, consolides, in hanc sententiam, vt sequitur.

Morbi 4. gradus sola Tinctura sanant.

CAPVT II.

Recepti Laxatiui formula.

AD Compositionem Receptorum, quæ pro Laxatiuis præscribuntur, duo sunt necessaria, quæ aduersus laxationẽ digeruntur, aliud quod confortat, & aliud quod mitigat. His igitur ad hunc modum dispositis: citra omne periculum existit Recepti descriptio. Principiò igitur, quod ad confortatiuum attinet. ♃. Aromata, Cinamomum, Caryophyllos, Nucem muscatam, cæteráque id genus. Quod autem ad Mitigatiuum attinet, ♃. Anodyna, idque ad minimum pondus. His duabus rebus erumpit correctio eorum, quotquot in Receepto sunt. Neque hoc loco obseruanda est differentia, quid Choleram, quid Phlegma purget, sed potius intuenda Experientia, quid cui præstet, quemadmodum de modo Pharmacandi habetur. Purgandi enim ratio omnium maximum est, quod Medicæ rei peritus obseruare debet.

CAPVT III.

Recep. vomitiui formula.

EXemplum in Laxatiuis: quæ Vomitum cient, ad hunc modum describuntur.

♃. *Ellebori albi.* ℥.j.
Cinnamomi, Nucis muscatæ, an. ℥.ß.
Succi de Thebaico ℈.j. Hæc descriptio indicat, cùm pondus, tum naturam Vomitiuorum, quæ per secessum etiam purgant in hunc modum. ♃. *de Vomitiuis partem vnam, de Confortatiuis tantundem, de Thebaico succo tertiam partem simplicis laxatiuorum*: Dein iuxta conficiendi modum digere, & pro ratione doseos administra. Aut in hanc sententiam:

♃. *Mithridati, Rob. de Ribes, an.* ℥.ß.
Succi de Papauere ℈.j.
Præcipitati ℥.j. Confice ad formam.

Aut ad hunc modum.

♃. *Cataputiæ, Tithymalli, Ellebori, an.* ℈.j.
Anisi, Fœniculi, Croci Martis, Terræ sigillatæ, an. gr. xv.
Succi Thebaici, de Papauere, de Iusquiamo, an. gr. vij.

Dispone ad formam.

Si autem per secessum non operantur Vomitiua, cuiusmodi sunt *Rhabarbara, Coloquintida*, cæteráque id genus, ♃. ea, quæ inter Laxatiua efficacissima sunt, & in tertio gradu consistunt, ea ad Confortatiua confer & ad 16. partem Narcoticorum, in hunc modum.

Rec. minus laxa fortia.

♃. *Scammoneæ* ℥j.
Specierum de Gemmis,
Damasci, ana ℥ß.
Opij ℈.ß. *misce ad formam.* Similiter de Rhabarbaro, cæterisque iudicandum. Proinde si secundum gradum attingunt, adde duodecimam partem Narcoticorum, quemadmodum fieri consueuit in *Thurbith* & Hermodactylo, cæterisque id genus. Si verò primum occupant, nihil immuta, sed vnà cum Confortatiuis ita coniunge, vt cõsulto cum his agas, num scilicet frigidâ an calida habere velis, ea interuenientibus Confortatiuis præpara in hanc sententiam.

♃. *Diagridij, Agarici Cyclaminis, an.* ℈. j.
Corallorum rubeorum ℈.j.
Opij ℈.j.

Aut in hunc modum: ♃. Vomitiua & Laxatiua mixtim, ita tamen vt pondus suum seruetur vtrinque, atque ita Receptum duplica, dein ad formam misce.

CAPVT IV.

IN Curatiuis siue ante, siue post purgationem iuxta peritiam Physices describuntur Recepta in hanc sententiam. Principiò singula colloca in primum gradum: proin, si transmutetur morbus de primo gradu in secundũ, de tertio in quartum, similiter age in hanc sententiam. In Icteritia,

Rec. Icteritia forma.

♃. *Locustarum* ℥. j. *Centaureæ* ℥. *ij.*
Rebisolæ ℥. *iij.*

Misce iuxta præscriptum Experientiæ, interueniente vino: dein vice Potionis administra. Eiusmodi recepto si non sanatur ægrotus, secundum, tertium, aut quartum gradum inquire, & in eam sententiam, quam præscripsi, Receptum describe. Itaque tria in compositione Receptorum considerantur, Specificum Planetæ, cuiusmodi sunt *Latusci*, id est, *auriculæ muris*. Elemẽtata naturæ, vt *Centaurea*: postremò Narcotica, vt *Rebisolæ*, vt *Opium*. Porrò quamuis Centaurea pleniùs operetur elementatis, tamẽ hoc experientia requirit. Quod autem pondus in præsenti Recepto cum regulâ pugnat, in causâ est iam dicta Experientia, quæ Receptum ex sui naturâ, non autem ex Regulis colligit. Sic etiam in febribus:

♃. *Nectaris* ℈.j. *de Testitudinibus* ℥.ß.
Succi de Thebiaco ℈.j.

Rec. febr. m...

Quæ autem Regulas sequuntur, eandem rationẽ cum superiore descriptione, quæ sex partibus aut plurib. constat, habent. Ego verò malim Experientiam quàm nudam istam literarũ depictionem eorum, qui solis regulis student.

CAPVT V.

IN morbo Caduco, vbi Receptũ compositionem in tertio gradu desiderat, Compositum non

non habet locum, sed simplex tantùm administratur, vt per spiritum Vitrioli, & alia id genus: In primo gradu describitur Receptum iuxta præscriptum primi gradus, in hanc sententiam. In paralysi administrantur Confortatiua per se vt *Aqua Vitæ*, *Essentia Lauendulæ*, *Aurum potabile*, *liquor Gemmarum*, cæteràque id genus: Sic in 4. gradu regula obseruanda est.

Porrò si duplex Medicinæ vsus inciderit, scilicet, intra cutem & extra cutem, vt in Paralysi: Paralyticis & contractis bifariam ministra: Intrinsecus iuxta modum suprà præscriptum: Balsamum autem extrinsecus iuxta Experientiam, quemadmodum modus administrandi habet. Sed ea quæ ex balsamo conficiuntur, ad hunc modum accipe. Principiò duntaxat ea Recipe, [*al. Respice*] quæ ex Planetis sunt, neque interim Elementata vide, neque Narcotica: vt in contracturis summum Experimentum est specificum Serpentinæ, deinde pinguedo, quæ ex Hebeno, hominibus, Terpentinâ, oleo nucum, oleo Guaiaci, cæterisque id genus elicitur. In hanc sententiam innumera sunt, quæ experientiam, non Regulas, sequuntur: Nam id genus morbi per ea, quæ longo & assiduo vsu eruperunt, sanari mauult, quàm per canonica Recepta.

Contracturæ quæ remedia summa.

CAPVT VI.

Rec. Incarnatiuorum modus.

IN Incarnatiuis cùm Experientia, tùm Regulæ sunt obseruandæ, in hunc modum. Quicquid est Planetarum, exactè inquire, & in quoto scilicet gradu cum Incarnatiuis conueniat, denique quâ ratione componatur, quemadmodum in fracturâ Ossium sequens Receptum indicat:

℞. *Consolidæ, Aristolochiæ rotundæ, Serpentinæ ana* ℔.*j.* Porrò etsi infiniti præter hunc habentur modi medendi Ossium fracturas, tamen quicquid præter id, quod dictum est, huc adhibetur, incommodat, & præsentem medicandi rationem impedit. Neque hoc loco silentio prætereundū censeo, varia Consolidarū genera, ac multa. Præterea Serpētinarū cognita, & cognita, in quę ideò nō recēsētur à me, quia nihil impediunt pondus, sed in idem iuxta præscriptum referuntur, citra respectum cùm caloris tum frigoris, quæ descriptionem Recepti corrumpunt. In Vulneribus autem sequentem componendi modum obserua. Principiò collige in vnum quæ Planetarum sunt ac Vulnerum: singula iuxta Experientiam, in hanc sententiam: Quicquid est Balsami crudi, ad oleum redige per Extractionem, & idipsū pondere æquali, citra omnem additionem cùm caloris tum frigoris, ita vt solis specificis immoreris. In hunc modum Gummi tractari debet in Emplastris, siue Vnguentis Apostolicis nisi quatenus sextam partem erga reliquas species complent, & 5. reliquę partes specierum sunt, & corpus harum rerum pondera 4. habet. Potus autem Vulnerum iuxta Experientiam in pondera refertur, & idipsum intentiùs in hunc modum:

Rec. ad Ossium fracturas modus.

Rec. ad Vulnera modus.

Potio Vulneraria.

♃. *Pyrulæ M.ij.*
Peruinca, Diapensiæ, ana M.j.
Agrimonij M.j.ß.

Iam si fuerint alij præstantiores, ab illis ad has defice. Postremò etsi multa sint, quæ hoc loco de Receptis Vulnerum desiderantur, tamen citra Experientiam, quæ Recept. Mater est, regulâ comprehendi nequeunt.

Experientia Recep. mater.

CAPVT VII.

Rec. Apostematū qualia.

IN descriptione Receptorum pro Apostematibus, principiò obserua, nihil eorum hîc admitti, quæ in superiori capite inter Recepta Vulnerum referenda diximus, sed preterea quæ Planetarum sunt, simul etiam Elementa considerari, vt vtraque conueniant. Præterea dispositis ita Receptis, nihil de his quæ putrefaciunt, aut in loco purgant, apponi, cuiusmodi sunt Maturatiua, & Laxatiua. Est autem huius Recepti, hæc ratio & natura, vt Gummi, Incarnatiua, denique quæ Planetarum sunt, in subscriptum pondus digerantur. De Gummi scilicet pars vna prodeat, de Incarnatiuis tres, de his, quæ Planetarum sunt, reliquæ duæ, in hanc sententiam.

♃. *Gummorum Bdellij, Armoniaci, Galbani, Oppoponaci an.* ℥.*ij.*
Thuris, Masticis Myrrhæ, Mumiæ, Aristolochiæ rotundæ, Aloë hepatici, ana ℥.*ß.*
Flor. Æris, Cinnabrij, Cerussæ, Camphoræ, ana ℥.*ß.*

Hæc omnia in Lithargyrio elixato, aut Minio, aut nudâ Cerâ, admixtâ Colophoniâ, in vnum coge: atque in hunc modum digere Emplastra communium Vlcerum & Apostematum: Postremò vt formam Emplastri accipiant prædicta, ♃. cùm Ceram, tum Terpentinam, & idipsum pro Experientiâ.

CAPVT VIII.

Rec. ad Esthiomena & cancrosa modi tres.

IN Esthiomenis, aut Cancrosis, vt in serpigine, Noli me tangere, cæterisque id genus tres modi componendorum Receptorum obseruandi sunt: Primus ex virtute Planetarum erumpit, & vniuersa Vlcera citra adiectionem alterius sanat, cuiusmodi est Brassatella: Secundus ex his, quæ per medicamina Escharæ in hoc præparantur: Tertius ex medicaminibus Præcipitati elicitur. Receptum, quod ad prouocandum Escharam facit, ad hunc modum describitur.

♃. *de medicaminibus Escharæ part. j.*
de Aqua Brassatellæ partes quatuor, eandem Aquam vsurpa:

Alterum est. ♃. *decimam sextam partem præcipitatorum, & idipsum ad Vnguentum siue Emplastrum Apostolicum, & administra.* Hæc quamuis ita se habeant, tamen non nisi Mercurialis statua sunt eorum, quę experientia palàm indicat, quam volo vobis esse commendatissimam, vt vniuscuiusque propriam ac natiuam vim pernoscatis, & à vestrâ Experientiâ, quæ ieiuna ac arida, imò nulla est, ad eum, cui velut Apollini Lacedæmonio 4. insunt aures deficite.

Experientiæ necessitas.

LIBER SEXTVS.

De Dosibus.

CAPVT I.



IN Dosibus verò describendis præter id quod superioribus quinque libris tractauimus, quantum ad complexiones, atque adeò Aretem ipsum attinet, sciendum est id vniuersum.

uersum, quod naturæ probandum venit, eius videlicet rei, cuius subire Medicus audet prouinciam. Hoc námque solũ quod ipsis etiã oculis probatur, in Dosibus considerari debet. Obseruandum igitur in primis, vnamquamque dosim secundum proprium ipsius ac verum Aretem, vel calido consistere, vel frigido. Vbi etiam sciendum in Receptis componendis, nec humidum, nec siccum (quantum ad dosim spectat) considerandum esse. Sicut enim principiò duas tantùm esse complexiones indicaui: Ita etiam duplices solummodò quoque doses existunt. Nam gradum calidi vel frigidi quicunque probè nouerit, eidem quoque non solum siccum & humidum eius adiunctum esse, sed & siccum resolutum & humidum coagulatum, haudquaquam ignorabit. Præterea scire quoque debes, calido & sicco nullum prorsus inesse vel Arcanum, vel Aniadum: Quandoquidem nullus etiam morbus exurgit, qui horum alterutrum solummodò petat. In calido & frigido rei summa est. Illa namque Diathesis vel in calido dominatur vel in frigido: Cuiusq; verò morbi inclinatio hæc sola est, vt alterutrum à Medico solùm, siue calidum hoc sit, siue frigidũ, obseruetúr. Quilibet autem gradus sui morbi Dosis est. Quocirca ex gradu quoq; dosis accipi debet: Id quod vel ignis comparatione intelligas licèt, qui vnum tantummodò gradum habet, atque is quidem gradus per se solus ad consumendum sibi contrarium abundè sufficiens est: quod quidem secundum calorem est. Haud dissimili modo omnis quoque glacies vnum quoque habet gradum ad infrigidandum membrum sufficientem, idque, secundùm frigus. Proindè omnis morbus gradum suum habet, nec plus, nec minùs. Eodem quoque pacto se habet ad vnum quemque morbum dosis. Piper & Castor, doses morborum sunt, vt sic dixerim, piperinorum & castoreorum. Cæterùm alius morbus est, qui dosim suam ab igne petat. Spermiola & Camphora vnum habent gradum, eundem verò morbi quoque, qui sunt ex Persicis, gradum occupant. Vnde fit, vt Spermiola & Camphora eorundem quoque dosis existant. Sciendum verò item res Naturæ non gradari ex æquo ad morbos, quantum refert dosim, verùm vnaqueque gradum suum habet morbo suo æqualem, atque is est Doseos gradus.

Dosis Rec. vnde decernenda. Doses duæ tantũ sunt.

CAPVT II.

Dosim quomodo æqualitas inueniat.

PORrò verò, quoniam vnus solummodò gradus est, nec vlla res tam in calido, quàm in frigido altiùs gradatur alia: Præcipuum certè est, ad inueniendam dosim, *Æqualitas*. Cæterùm in rebus naturæ & in morbis vtrinque vnus est gradus. Neque etiam vllus morbus deterior fit eo, quo eius medicaminis gradus est altior: Deterior enim, nisi iuxta naturæ nobilitatem, nullus fieri morbus potest. Ad recipiendam verò in his dosim, ab vtrâque parte consideranda est copia. Hinc itaque dosim acpe: Morbi copia abundè tibi doseos quoque copiam ostendit. Quo circa scire oportet Medicum, qualinam pondere morbus grauatus sit: Tantundem enim ponderis Medicinæ quoque dosis sibi vendicat. Quamobrem abserua, pondus administrandum esse, non gradum: In hoc enim situm est præcipuum quamlibet dosim reperiendi fundamentum. Ex numero siquidem hoc prodire debet, non ex earum rerum corpore. Primum itaque est, vt seipsum curet Microcosmi Ares, & non medicamina adhibita. Quamprimum enim morbus ad æqualitatem adductus fuerit, sequitur statim, vt ipsa natura, quod sibi ipsi contrarium est, curet. Proindè sciendum, quamlibet dosim non vltra prædictum numerum, qui ex morbo sumitur, vsurpandam. In ipsâ namque natura viginti quatuor comprehenduntur: In quo numero etiam Medicina ipsa sumi debet, vt quemcunque numerum attigerit, idem ex Naturæ sumatur Anatomiâ. Nam & in hac viginti quatuor morborum (*vt ita dicam*) Minuta sunt. Sic etiam in Medicina 24. Lotones existunt. Per hæc igitur viginti quatuor minuta, & Lotones totidem, quilibet Medicus administrare medicamina nouisse debet: Vt æqualem vtrobique numerum in Microcosmum deducat. Quo facto, virtus Naturæ ea est, quæ curat ægrotum. Quare notandum, sæpenumero euenire, vt plerique morbo iam defuncto, nihilo tamen minùs valetudinariis ad huc similes existant, idque ex ratione, quod ipsius naturæ virtus, quæ idcircò Medicum exhibere nequit, in vniuersum non consentit, ex cuius tandem dafectu non ex ipso morbo, Mors ducit originem.

Minuta.

CAPVT III.

SEd vt porrò de viginti quatuor Minutis loquamur, notandum, quod in his summa vtrinque, tam naturæ, quàm morbi æqualitas consistit. Vbi obserua morbum complexionatum sese diuidere, & partim descendere, partim item ascendere, ab vno vsque ad 24. idque non, quia vnus tantùm sit morbus: verùm quotquot morbi totidem etiam è diuerso Minuta existunt: è regione etiam Complexionem facultas à supremo ad XXIIII. vsque ascendit. Hinc Medico ignorantia oboritur vsque adeò, vt nullus in minutis dignoscere morbũ queat, præterquam per solam dosim. Neque enim hîc in eam disserimus sententiam, quod morbus aliquis in tertia vel quarta Minuta consistens, se possit vel euehere, vel augere: Sed potiùs id solum intelligi debet, viginti quatuor esse Lotones, ex quibus dosis proficiscitur. Vt exempli gratia: In Caduco viginti quatuor minuta sunt, quæ quidem totidem etiam lotones desiderant, & est tamen hic vnus solummodò morbus, vel eius morbi Species. Dosim itaque vt inuenias, exhibere isthoc Theorica non potest: Potest autem ipsa experientia. Nam velut hæreditario à natura procedit dosis composita, quocirca & seruari, & iuxta naturã administrari debet, idq; secundũ Experientiæ dosim. Cùm autẽ hoc ipsũ in Experiẽtiã trãsferri debeat, principio intelligas oportet, vtrũ isti doseos Anatomiæ, cum Anatomia morbi probè conueniat, nec ne. Ex quo sequitur, in hoc vigesimoquarto numero, vnumquemque morbum dosim suam affectare ad qualitatem vsque ascendendo. Vltra autem hunc numerum transcendas caue. Siquidem sanitatem præstare, cum naturæ Microcosmi, tum externorum Elementorum, quando ea in corpore conueniunt, officium est. Et perinde est ea Coniunctio,

Dosis vltra 24. minuta non ascendit.

iunctio, velut Zinobrium quod Minium gradatur. In eiuscemodi itaque Exaltatione elementatâ virtuti Microcosmi suas præbent Exaltationes: sicque Granum primum in Scrupulum, Drachmam & Lotonem abit nonnulla verò in Libram; quædam etiam in maiores Kist: alia autem in Talenta quoque.

CAPVT IV.

HActenus de virtute rei & naturæ dictum est: aliter autem habet, si vel Putrefactio fuerit, vel superfluitas, vel Syndenocha, quarum equidem dosim sic administra. Eiuscemodi enim Syndenochas per Laxatiua præsumi oportet, idque in hanc sententiam, vt omne laxatiuum pro resolutiuo habeatur, quocirca ex resolutione dosim accipias necessum est non ex laxatione. Ex hâc enim si sumpseris, confestim mutabitur in homine id, quod per illam fieri nullo pacto potest. Scire etiam conuenit vos Medicos, vt primo statim adspectu resolutionem probè dignoscatis, vt composita ex hâc dosi impunè purgare citraque noxam possitis. Quæ quidem cognitio ad eum debet esse modum: Quicquid sese in solidam resoluit aquam, granis decem consistit: Quicquid verò in perfectam se resolutionem resoluit, granis consistit solummodo sex: Quod si verò vnà cum substantiâ materiali perdurat, tria tantum grana continet. Porrò, quod in se ipso ante suam resolutionem ad putrefactionem abit, de hinc verò in solidam vergit substantiam vegetabilem, granum sibi vendicat quadragesimum: si verò in putrefactione permanserit, vel etiam post resolutionem animalem putrefiat: octuagesimum tertium granum occupat. Cæterùm quod in suo Esse permanet, crudam vtriusque sexus conseruans indiuisè in se ipso substantiam, ad vnciam vsque porrigitur. Et si ex matrice Aëris descendat, duplum numeri obtinet: si verò ex matrice Aquæ, triplum sibi eius numeri acquirit. Ex igne ad dimidium iam pondus peruenit dosis. Hic igitur obserua, quæ ad laxationem necessaria sunt, nempè, nonnulla Soluta, quæ à coagulatis proficiscũtur, dimidiatâ etiã dosi purgare: Item solida ad solida similiter: Quædã verò deinde laxare ex proprietate resolutionis alterius: Vt Manna laxat ex virtute, quâ vnũquodque siccum resoluit: Et Siler à cõtrario: Harmel ex coniũctione. Proinde notandum ex his omnibus, purgationem nihil esse aliud, quàm veluti Tincturam quandam, tamen sine coloris indicio, quæ & Mineralia resoluit & Tartara dissoluit, quemadmodum idem etiam Anatomia in suis partibus indicat. Cùm igitur Tinctura quædam existat, cogimur necessariò resolutionem animaduertere, & quidnam resoluendum sit, quidúe resolutionis Tincturam assumat, & quæ de materiâ resolutiua in Microcosmo necessariò adpareant.

Regula de Dosi.

Purgatio quid vere sit.

CAPVT V.

Dosis Relollinorũ & Cheroniorum qualis.

NVnc autem de Relollinis & Cheroniis, quæ ad hunc debent modum intelligi, quod ex transuerso, per vim, alteram partem superant, secundum eius Iliastri naturam: siquidem solum Relollinum Iliastrum esse debet. Quo circa tale quid, non ex æqualitate quidem, verùm potius super æqualitatem per vim proficiscatur oportet. Neque verò etiam ex ingenio Microcosmi, sed magis ex Aretis proprietate, vnde etiam Iliastrum deriuatur, quod vi morbum expellit, idque ex vtriusque naturæ virtute: id quod sic intelligi debet, quod hîc duodecim grana diuidenda sunt, iuxta doseos numerum: Et sextum quidem granum principium est, reliqua sex æqualitatem exhibent. In Cheroneis verò ab vno vsque ad sextum numera, nec vltra progredere, quandoquidem dimidia huius pars decedit, quæ à sex vsque ad duodecim est. Cheronium námque & Relollinum in sexto numero medium suum assumunt, vnumquodque tamen cum proprio suo Iliastro: Quamuis eiuscemodi doses etiam supra æqualitatem deduci queunt, ex indiuidui virtute Iliastris, qui non secus, atque Crocus quidam, operationem suam perficere potest.

CAPVT VI.

Dosis Arcanorum, Essatorũ &c. qualis.

QVicquid prætera de Arcanis, Essatis & Essentificatis, Specificis, & id genus aliis, in eorum Dosibus sciendum est, ad hunc habet modum: *Quod ex prædictis granis assumi dosis debet, cui deinde Arcanum, Essatum & essentiale vnà cum Specifico, Virtute, & Complexione æquali adiungi conuenit.* Idque hoc pacto, vt virtutes Arcanorum super æqualitatem morborum etiam congerantur. Quamuis enim, quoties aliqua species, toties item peculiaris ac propria dosis: nihil tamen idcircò eo in loco dosis obest. Proindè rursus, quid eo damnum inferat, considera: vt si Arcanum potenter administratum fuerit, & detrimenti quippiam hinc forte oriatur, siue in eo Paroxysmo, seu in alio quopiam pristinus ille morbus moueatur, aut nouus aliquis inde pullulescat; non id statim idcircò virtuti ascribas Arcani, sed potius eius corporis proprietates anteà comtemplare, in quo huiuscemodi Arcanum est positum. Est autem possibile, vt in vno tantum simplici, composito à natura, cum excellens aliquod Arcanum, tum etiam iuxta maximum noui alicuius, aut etiam veteris morbi venenum, simul delitescant. Vbi obserua, in ex natura compositis, vt ad hunc modum conseruetur dosis, ne corporis venenum nouum, & pestiferum aliquod semen inserat: Vt ex Viscaleo patet, qui speciem Epilepsiæ septimam curat: è regione verò etiam alium morbum inducit, nempe Siphytam in prima specie. Quòd si autem dosis in morbo Caduco fuerit in Arcano, cogitet porrò Medicus, istud Arcanum nullam exhibere dosim, sed ipsum corpus, quod primam Siphytæ speciem adfert. Anticipatur autem isthoc ipsum corpus per dosim. Similiter est etiam in Apoplecticis & Lethargicis, quando liquor Colcotharinus secundum Arcanum dosis accipitur, etsi corpus Microcosmicum in hoc animaduersum non fuerit, tum recentis morbi, nempe Tartari, venenum est præsentissimum. Quocirca in hoc capite admonitum volumus quemlibet Medicum, vt eiusmodi regulam, qualecunque tandem administraturus est medicaminis genus, crebrò ante oculos habeat, seduloque obseruet, ab hâc ne latum quidem vt discedat vnguem.

Viscale curat 7. speciem Epilepsiæ.

CAPVT VII.

Doses Spagyricæ quales.

DE Spagyricis verò dosibus, vt in *Alcohol, Balsamis*, & id genus aliis Magnalibus, talem accipite regulam: *Quòd verus illorum vsus, atque adeò fundamentum ipsum, ex Tinctura proficiscitur, & est solummodò coniunctio Ephalathera*, quæ quidem ad hunc debet modum considerari: *Quòd in omnium minutissimâ quoque guttâ Anatomia Microcosmi consistat.* Quilibet enim Spagyricus gradus virtutis suæ Tinctura est, & cuique Medico intelligendum venit, in vnaquâque guttâ, quotquot earum sunt, tot etiam integras esse Anatomias, & in Microcosmo, & in Elementatis. Vt autem dignoscantur à vobis eiuscemodi doses, scitote; in vniuersâ operatione tres comprehendi solùm diuisiones, *Elixir* nempe, *Essatum* & *Tincturam*. Elixir dosim suam in sextâ sibi minutâ vendicat: *Essatum* verò in quartâ & dimidiâ: ipsa autem Tinctura in centro consistit. Obseruandum dehinc etiam, *eiuscemodi Extractiones secundum corpus diiudicandas esse*: Corpus siquidem cum suo specifico æqualis est Ares, atque idem is Aniadus æquali operatione, hîc se diuidit etiam dosis in Karenas. Est verò *Karena* vigesimaquarta pars minutissimæ Guttæ, quæ tamen citra corpus in quaternionem abire nequit, nisi maius aliquod adipiscatur corpus. Ab eo vero corpore temperatura exit, dosimque suam iuxta diaphinitatem exhibet. Vt autem exactè hæc & reperias & diiudices, ex Coloribus accipe: quandoquidem dosim color indicat: proinde in hoc Karenæ quæri debent, & non in quantitate visibilis substantiæ: nam in colore virtus est sita, citráque illum nulla exire virtus potest.

Karena quid.

CAPVT VIII.

Doses Fixorũ, &c. quales sint.

DE fixis vel per artem vel per naturam porrò medicaminibus, qualesnam in his dignoscendæ sint doses, obserua. Quicquid Reuerberium sustinet, nec se in suâ formâ transmutat, vt vltima materia rerum ad sexagesimum octauum vsque granum porrigitur. Quòd si verò formam mutet, in centesimum vsque & quadragesimum, ascendit, totidem grana dosim constituunt. Qualibet verò dosis, vnus gradus est, id quod etiam à Libelli huius vestibulo abundè ostendimus: Quotquot enim grana accipiuntur ad pellendum morbum suffectura, tot etiam vnum gradum constituunt & faciunt. In calcinatis autem communibus, *centesima & trigesima octaua* gutta est: In acutis Calcinatis post fulmen Athanar, *vigesimaquarta*: In Resolutis fixis, *scrupulus semis*. In Coagulatis, *Rhenensis aureus*: In Alkalibus *vitellum oui pondus*, est: In Transmutatis, *quatuor fabæ nostrates*: In Oleis, *palea præter grana*: In Aquis, *nucis testa*: In reductis à prima materia, *Thoruscula pini*: In transmutatis à prima materia, *locusta populi*: In Corrosiuis singularibus *æqualis latitudo sui loci*: In Præcipitatis, *minutissimæ monetæ pondus*: In terræ liquoribus, instar calami quo fœdula dependet: In Liquoribus *aquæ, semigranata*: In Therenia-bin aëris, velut spiritus ex flatu quopiam: In liquoribus Ignis, simile pruinis granis: Ab Arbore maris, *Kist vnum*: A Resina terræ *sesqui Kist*: A Natantibus, *vncia semis*: De Homunculis, instar magnitudinis auellanæ. Hæ doses ex fixis procedunt, & in summa Karenas à guttis citra noxam corpus suum concludunt, quo circa de Fixis intelligenda hîc est dosis.

Dosis qualibet est gradus vnus.

CAPVT IX.

QVæ de Dosibus hactenus tradita sunt, non omnia sanè, quæ fortassis vniuersæ medicinæ necessaria, erant, comprehendunt: veruntamen vtcunque se res habeat, complexum in esse centrum, atque adeò radicem ipsam, certam est. Expendat autem quiuis porrò Medicus eruditionem suam, quâ non tam sui, quàm ægrotorum emolumenti studiosus esse debet, ex sola arte proficisci debere Spagyrica: Sed & in omnibus suis negotiis Ephaltateros agat: tam etsi hæc omnia probè expertum virum desiderant, qui non solum iners, ac cœcum (quod aiunt) caput compleuerit, sed etiam oculos, atque animum denique satiârit: non sibiipsi tantùm, verùm etiam reliquis omnibus, quibus cum versari studet. Hi námque omnes, & tu & illi, Medicum ex te faciunt: Quandoque Archeus & eius Taphnæus ac vniuersæ eorum proles, Iliaster & cæteri, per imperitum ac rudem dignosci Medicum non queunt. Quicúmque enim eiuscemodi cognoscere vult ex Iliado atque omnibus Anatomiis, probè & ad amussim eruditus atque instructus fit, necessum est: oportet Medicum tam in mente, quàm in exterioribus officio suo fungi. Manus siquidem ac pedes, oculique & lingua Medicum efficiunt. Quin etiam vt regatur ex Ares totus Ilech, opus habent: Nam in hoc (mihi crede) sita est facultas, potestas ac tota denique vis medica.

Medi-quæ i-cian.

DE GRADIBVS ET COMPOSITIONIBUS RECEPTORUM.

LIBER SEPTIMVS.

CAPVT I.



SEd quæ in superioribus Libris, velut rudis quædam & impolita materia proposita sunt, ea hîc & in sequentibus cùm politiora, tum magis ac magis clara apertioráque fient: idque in hanc sententiam. Prædicti gradus, vt ad compositionem veniant, in primis notandum est: Quodlibet Receptum eò dirigi deduciq; oportere, vt æquales cum morbo vires habeat. Ex quo dehinc obseruari conuenit, quòd in componendis Receptis simplicia per se sola plus satis debilia sunt minúsque sufficiunt: Quibus equidem ita sese habentibus, sic institutum decet esse Medicum, vt eiusmodi rationes quàm optimè sciat, & velut in promptu habeat, videlicet: vnum idémque Arcanum sæpè numerò in plus minus trecentas distribui Herbas, quæ singula, si in omnia conferas, tum demum perfectum atque adeò integrũ Arcanũ adest: Quãdoquidẽ omne perfectũ medicamen Arcanũ est. Cuiusmodi quidẽ de Origine morborũ ac rerum naturæ ego instituo, sicque porrò tali demonstro vobis exemplo. Quemadmodum fermè supra ducentas Febrium species sunt, & tamen vna solùm atque

Recepta quomodo cũ morbo æquales habere debet.

Arcanũ quid.

que eadem per omnia Febris est, ex quo considerandum est, vt in tot speciebus simili quoque modo ipsa eiusdem distribuatur Cura: Nam quoties morbi species, toties eiusdem è diuerso Simplex. Hinc duo oriuntur Medicorum genera: Alterum *Naturalium*, Alterum *Experimentatorum*. Quocirca in hoc libello nihil tam considerari debet, quàm id solum, vt Virtus in Arcanum eat. Et quoties morbus, toties item Arcanum: Et in speciebus nihil omnino agendum, nisi fortè Naturali, quid vtrinque agat, sit perspectissimum.

Febrium species sunt vltra 100. Medici sunt vel Naturales vel experimentatores.

CAPVT II.

Recepti optimi quæ cõpositionis ratio sit.

POrrò autem obseruandum, hunc componendi modum in solis consistere virtutibus, vt eæ perfectæ atque adeò integræ fiant: Siquidem Centaurea Febres pellit, simili modo etiam Nectar albuginis, sic quoque Harmel minus, & præterea plura alia. Verùm enimuerò in Recepto benè componendo has virtutes in vnum conferri necessum est, vt quotquot Simplicia contra Febres nata sunt, in vnum traducantur contrahantúrque Arcanum: id quod tum demum contra Febres Arcanum est. Similiter est etiam in aliis morbis. Eodem modo etiam considerandi sunt morborum gradus, Sic: Ex Dosibus Compositum proficiscitur, hoc est, ex Virtutibus. Præterea in Paralysi, Lauendula summum est Magisterium, nec non Melissa quoque vnum est: veruntamen illo minus. Fit porrò alio in loco idque in ipsâ etiam Paralysi, vt Melissa quàm Lauendula sit potior, multóque virtutibus magis pollens. Hinc sæpenumerò contingit, quòd vnum idémque Simplex in vno eodémque morbo alterum iuuet, alterum nequaquam: nonnunquam verò aliquid morbo demat, nec ipsum tamen morbum idcircò totum sanet. Nam in Paralysi ipsum etiam Aurum, si rectè administres, medicina est, nec non *Viticella, Betonica, Masorea*, cum plurib. aliis: interdum enim sumpta prodest Betonica, interdum non. Nonnunquam si Castoreum vsurpes, iuuat, nonnunquam vsurpatum, prodest omnino nihil. Aliquando cæteris omnibus deficientibus valet Piper: Sæpè etiam *Pipere languente*, administratum confert *Sulphuris oleum*. Accidit deindè nonnunquam vt Pinguedines, reliquis omnibus in cassum adhibitis, vsurpatæ prosint. Quocirca sciendum, virtutes Arcanorum in primis indagandas esse, tam in Paralysi quàm in aliis morbis: Neque verò caliditatem, vel etiam Frigiditatem ipsam, sed solùm ingenitum ab Iliaste nato.

Lauendula, Melissa, &c. in paralysi Magisterii.

CAPVT III.

Caduci Receptarũ quæ conditio

HAud dissimili modo est in Caducis quoque, in quibus etiam non paucæ sunt trium primarum species: quæ quidem totidem etiam contra Caducum species exhibent: quarum equidem alia nunc valet, aliàs alia. Item quædam ex his aliis prosunt, aliis tantùm abest, vt prosint, vt etiam damnum vsurpatæ inferant. Vt sunt, qui ex Visco curantur: Quidam ex Corallis, alij ex Ceruiculâ, nonnulli ex Vitriolatis, & his similibus. Quocirca præcipua vobis hîc fundamenta intelligenda tradimus, quibus quicquid omnino solidi saltè super struxeritis, haud facilè corruet: nempe, vt Archeus ille Naturæ ante omnia apprimè cognoscatur, cùm in Microcosmo, tum etiam extra; hoc est, vtrorumque Anatomia: Quemadmodum in Anatomia mundi & morborum abundè satis ego indico. Ex hoc námque vera atque solida cuiusque sani ac perfecti Medici excrescit Eruditio, cui dein tutò, velut sacræ cuidam anchoræ inniti potest. Sunt enim, sæpenumerò multæ res ad aliquem morbum iam vtiles & proficuæ, iam omninò inutiles & noxiæ. Idcircò compositum ex eo procedat, ádque hunc fiat modum, vt singula, quæ ad totum morbum vnà cum omnibus eiusdem speciebus attinent, in vnum hinc indè congerantur: Quo facto, omnes morbi species in vno illo comprehendantur Composito. Nam, *vt supra dictum est*, quotquot morborum sunt species, totidem etiam simplicia. Ex quo necessariò sequitur, vt Medicus ex naturalibus componere volens, omnes & morborum & rerum species per Anatomiam probè dignoscat. Nam tum demum, & est, & dici Medicus, Experimentatorúmque parens iure potest. Idque ea ratione, qua prædictum est, duplex esse Medicorum genus, naturales & Experimentatores. Naturalis ad relictum vertere loricam scit, medetúrque per species. Experimentator autem suo innititur Composito ab illo sibi præscripto, per omnia fermè similis ei qui bibere Vinum nouit, excolere autem Vineas nescit: nec tamen idcircò minùs benè bibit, atque is qui probè etiam excolit: Qua quidem ex re, hæc tria capita sic absoluta velim in hoc, quòd vnica ac vera vtriusque generis Medicorum tam expertorum, quàm inexpertorum basis, ex vtraque cùm morborum, tum etiam rerum Anatomia constare oportet sine qua quicquid fit, tam est improbum atque audax, vt nihil sit magis.

Medicus Natural. & Experiment. vt differant.

CAPVT IV.

Consolidatiua vis quibus insit

SEd vt ad rem redeamus, eadem sanè via, qua prædictum est, etiam hîc notabis, nempè in Persica quoque vim esse consolidatiuam: Nec minus in Aristolochia: & simili modo in Plantagine quoque ac compluribus supra quadringentas aliis. Veruntamen harum vnaquæque suam nihilominùs interim habet propriam ac peculiarem quandam curandi energiam ac vim quâ vel celeriùs, vel tardiùs, prout naturâ innatũ est, medetur modo hęc modo alia. Proindè hîc notandũ, quotquot in ipsa quoque Chirurgia morbi seu (quas vocant) passiones sunt, totidem etiam è diuerso esse species: Haud dissimili modo temporum quoque ratio habet, vt aliud quidem curam aliquòusque differat, aliud opem quàm primùm admittat. Vnde obseruatione dignum est, veram atque adeò perfectam cuiusque Vulneris curã, aut viginti-quatuor horas, vel tres etiam dies, aut in maximis, nouem quoque necessariò expostulare. Sed si etiam id quantumcunque temporis non sufficiat, quid tum postea? nihil aliud certè hinc, quàm ipsum quidem Receptum non probè

Vulnera, &c. quot cvrę dies requirat.

bè (vt debuerat) compositum esse iudicabis. Sunt enim alia, quæ vel vnius solùm diei ac noctis spatio curam accelerant: Sunt præterea, quæ etiam integrum desiderant mensem, nonnulla verò annum quoque transiliunt. Quæ quidem omnia ac singula simul in vnum conferas oportet, si ad præscriptum qualecunque tempus (id quod certissimum est futurum) curari Vulnus velis. Perinde etiam in Vlceribus atque Apostematibus eadem sunt tempora animaduertenda.

Eiuscemodi Laxatiuorum quoque ratio est, in quibus quicquid componi debet: præterea, quæ in superioribus libris velut suspensâ manu tractauimus: hoc quidem intelligendum est pacto, quòd vniuersa Laxatiua quotquot sunt solummodò vnum etiam Laxatiuum existunt, purgántque per species, secundum autem Complexiones nequaquam. Similiter & in confortatiuis, atque item aliis iudicandum est. Porrò autem his quoque adiiciendum censeo, id quod summâ est obseruatione dignum, nempe nonnulla quidem esse simplicia, quæ radicem atque adeò rem ipsam quamproximè virtutibus attingunt in vniuersum: Ex quibus, puta 4. aut 5. omnis virtus in vnum conferre traducique potest. Neque tamen idcircò in omnibus est hoc simplicibus, quandoquidem etiam inter hæc non pauca abiecta (vt ita dixerim) ramenta sunt, quæ cùm per se penitus nullius frugi existant, inconcinnum quiddam atq; adeò superuacaneum velut abortum in ipsis statuerent vsurpata Receptis: Proindè hîc in hanc concludo sententiam, Decere eum, qui perfectus & dici, & verè esse Medicus velit, vt principaliora illa ac præcipua naturæ Simplicia, ab inutilibus eiusdem (quæ dixi) ramentis probè discernat: ne præteritis his, aut minùs intellectis, confusum quoddam Receptorum chaos, id quod fieri solet, exoriatur.

Medici circa simplicia quod officium

CAPVT V.

HArum rerum omnium gratiâ Iliadus in Anatomiam positus est, & quemadmodum *Coloquintida, Turbith, Hermodactyli, Lazuli, Thereniabin*, &c. se in suis separant operationibus, sic etiam Iliadus, perinde vt vtraque continet Anatomia, se separat. Quamobrem neque Cholera, neque Phlegma, nec Sanguis, aut Melancholia, purgationis ergò consideranda sunt: Nam in solo sanguine purgando, vel supra quadraginta obseruanda veniunt: Similiter & in aliis quoque. Proinde ex Anatomia numerus, non ex Humoribus procedat, necessum est. Vbi quoque sciendum, non in hoc doctum esse oportere Medicum, vt sciat, quid purgare velit ac debeat: Verùm id solum animaduertat, vt Anatomia laxatiua ad morbi Anatomiam se comparet planéque ex aduerso eat. Ex quo sequitur, id solum euacuandum quod in Anatomiâ contrarium, ac velut hostem agit: Neque enim purgando, quemadmodum visum est Medico, res procedit, sed sicut naturæ in seipsam placuit, vt qui Lesbiam regulam sequi nolit: Nam ad amussim (vt prouerbium habet) applicandus est lapis, non ad lapidem amussis: Cui quidem rei ita se accommodet Medicus, neque prædictorum aliquod, puta Choleram, & Phlegma, vi conetur euellere, sed solùm id, quod naturæ aduersum est, aggrediatur. Quanquam omnes inter se virtutes discerptæ sunt, & nulla in se penitus integra est, id quod est in Consolidatiuis prædictum. Hæc namque Vulneribus medetur, illa Rupturam sanat, alia curat Vlcera, alia Serpiginem, quædam autem Syrones. Quod quidem vniuersum ex dissipatâ ac lacerâ quodammodo naturæ proprietate, quę sic dissecta est, vt nullam habeat integram in se virtutem, prouenit. Vera námque ac perfecta Consolidatio, non Rupturas solùm & Vulnera, sed etiam Vlcera ac Syrones, & quicquid denique eius est geneneris, curare debet. Sed quia distracta est virtus, alia hoc valet, alia alio: idcircò Medicus in eo esse peritus debet, vt discerptum illud, huc illúcque diuisum in vnum rursus contrahat: Neque hoc in dictis solùm, verùm etiam in omnibus aliis virtutibus. Ad hæc, cuique etiam Elemento ad eum, quo Matrix eius condita est, modum, suam Anatomiam perfectè adiungat: Vnde obseruandum hîc, vt Virtus totum curet morbi genus, quo perfecta Anatomia simul consistat.

Purgatiua vnde asciscenda.

CAPVT VI.

QVemadmodum igitur dictũ est de Anatomiis, necessariũ esse in modo componendi: ita etiã porrò notanda est processus institutio. Cùm enim homo Microcosmus sit, 4. Anatomiis comparari oportet, quarum quidem ea dominatur, quę infensa est, & insidias struit. Atque hęc est Iliastes, idque in hanc sentẽtiam: In Mineralibus hæ Anatomiæ consistunt ex 4. Elementorum matricibus. Proindè in Conformatiuis inter alias exigua Virtus, quæ Aurum est, sumi debet in primâ: in secundâ verò 4. genus Tereniabin: in tertia Cheyri: in quarta Saphyrica Granata: quæ si in vnum componatur, aut tota cuiusque matricis virtus simul conferatur: tum demum consistit Medicina, quemadmodum Aniadus exquirit. Cùm enim 4. illa simul conueniunt, tunc Anatomia perfecta aduersus eum est morbum: éstque tunc Aniadus Balsamo naturæ similis, qui ex æquo tam curat: quàm conseruat. In harum námque rerum omnium fine Microcosmus integer quidem sit Ares oportet, id quod citra dictam Compositionem nullo fieri pacto potest, quandoquidem in hoc liquor Naturæ, eiusque virtus, quam venaris, consistit.

Co... ...

CAPVT VII.

SEd quia demonstratæ iam sunt Virtutum facultates, obseruabis item, appetitu quoque nonnihil laborare Naturam. Priusquam enim totus fiat Ares, inimicitias quasdam Archeus in seipso gerit per suum Ilech aduersus Microcosmum: Et pari modo intelligendus est, vt is, cui alia quidẽ sordet mulier, alia verò nequaquã, cum tamẽ sit in vtrisque vnũ & idem. Id medico considerandũ non est: Nam vbicunque Archeus nauseam simulat, suámque ipsius naturã ac opus proprium odio habet, in eo Medicus, vtpotè eius minister, Archeicã illã abominationem

Natur... appeti... vt Me... co in... ciendu...

nem frenare non potest. Quapropter in modo Componendi scire necessarium est, sæpenumerò contingere, quòd Archeus Anatomiam suã vnâ quidem re, altera verò nequaquam vult habere compositam. Atque is componẽdi modus Spagyricis gradibus dignoscitur: Nã si in ea Archeus fuerit victus, hoc est in suo Ilech: tum perinde est, atque si cui mulier nõ nisi splendido ac variegato placeat ornata vestitu: Nam hoc ex Philosophia cognoscitur, ob nihil aliud constituta esse Arcana, nisi vt tali ornatu ac cultu erga Archeum vtantur: Idcircò etiam sæpenumerò Arcanis nullam, nisi priùs in seipso deficiat, permittit operandi facultatem. Proinde in supradictis his solummodo vis atque efficacia cùm Archei, tum etiam Arcani intelligenda est.

CAPVT VIII.

Consolidatiua vnde sint petenda.

PORrò, vt tandem etiam de anatomiâ consolidatiuâ nonnihil dicamus quo pacto componi debeat, & omnes in eâ virtutes existant: Notandum, quòd hîc simul accipiendus est totus maior Anthos, nempè, qui non ex vnâ solummodò matrice, verùm ex quatuor prognatus sit: id quod de Tartaro dici potest: Quandoquidem ex eo separant se, non tam fracturæ incarnãtiua, quàm consolidatiua Vulnerum, atque omnium denique Vlcerum cuiusque generis aliorum perfecta consolidatio: Vnumquodque verò in propriam partem iuxta Anatomiæ distributionem. Quælibet autem pars id curat, quod Anatomiæ ipsius subiacet. Cæterùm, antea quàm separatæ sint partes, Consolidatiuum ad omnes morbos Chirurgicos generale, in vno námque eo quadruplicia sunt mineralia simul: id quod omnibus medicinæ canditatis summâ est obseruandum industriâ. Eiusmodi est enim Cheyri quoque qui idem etiam ex 4. Matricibus prouenit, quadrupliciáque in se cuiusque Iliastis Mysteria continet. Vndè super octuaginta quoque partes ab eo separantur, atque totidem etiam morborum species vsurpandæ. Atque isthæc quidem sunt Magnalia illa, quibus ego haud iniuria ex naturâ glorior, suntque horum adhuc etiam plura. Quo circa toties Anatomiæ seriem ad præscriptum vsum perstringere non est necessarium, cùm in hoc vniuersæ per se comprehendantur.

Cheyri natura quæ.

CAPVT. IX.

Incarnatiua vnde sumenda.

IN Compositione autem omnia incarnatiua ex Mercurio procedere debent: similiter omnia quoque Laxatiua, Mundificatiua, Conseruatiua & quicquid huc attinet, vt integer Balsami more conseruetur Ares. Quicquid autem porrò aut confortat, aut acuit, aut prolongat, ex Sulphure fieri oportet. Præterea, quid vel incarnandi vel corrodendi, vel consolidandi id, quod semel apertum est, munus occupat, ex Sale Mercuriali hoc fit necesse est. Sub his itaque tribus, omnium morborum comprehenduntur Curæ. Quælibet nempe ex tribus hisce composita: vt in oculis, hoc Sal esse Mercuriale oportet. Similiter in Vulneribus laxando; Balsamo conseruando necesse est, per Mercurium corporis id fiat. Quicquid verò præter hæc est, hoc totum Sulphur operatur. Cæterùm quicunque harum trium Anatomiam in suum Ilech contulerit, is Arcanum habet eiusmodi, vt nullo præterea Medicamine omninò opus habeat, tantum abest, vt post adeptum hoc, Theoricam vel Physicam subindè peruestigare sit necessarium. Et quamuis hæc qualiscunque demonstratio iis, qui se Medicorum nomine passim venditant, obscurior fortassis, atque ob id etiam lectu inutilis existat: nihil moramur, neque præterea eos aliâ dignamur responsione, nisi quod ob ipsorum imperitiam excusatos nos volumus. Itaque quicquid posthac vel scripturi sumus, vel quocunque modo tradituri, hoc quale quale est, solis dedicamus (quos vocant) Artistis: quibus equidem, vel soleas (quod aiunt abstergere non est digna facultas medica. Verùm interim tandem etiam rogatos velim iuniores Medicinæ Candidatos, ne ista scribendi obscuritate commoti, vel terreantur, vel desperent, sed potius artes indagare Spagyricas studeant: Quibus docti, huius scripti nostri rationem, atque adeò fundamentum abundè percipient. Præterea ne quisquam hîc nos iudicet, nostratum solummodò virium nomine, vt quæ sociis, suppetiisque, atque aliorum omnino ope careant. Ego enimuerò arbitror, ac verè etiam affirmare ausim, alios qui aduersus me libellum, cui Laudanum Sanctum Titulus est, conscripserunt, nec semetipsos quidem intellexisse, nec eos, à quibus ipsi suo tempore acceperunt vniuersa. Qui cum in me suis gerris debacchati sint (id quod risu planè, quod aiunt, Syracusio excipio, tantum abest, vt me malè habeat) probè iam cùm libellum meum, tum etiam vniuersum Medicinæ meæ fundamentum, non expugnatum modò ac laceratum, verùm etiam penitus euersum autumant, & me quoque omnino iam oppressum sibi pessimè persuadent, haud cogitantes, interim, & se & eos, à quibus ipsi sunt edocti, quibusque imprimis innituntur, à me dudum antea separatos. Tametsi inter alia præcipuum hoc & summum est eorum aduersus me argumentum: Sensisse ita Veteres: Veteres ita scripsisse. Quam quidem Veterum auctoritatem non modò non magnifacio, sed etiam rem ipsam potius probè excutiendam, atque ipsa quoque scripta, cuiusmodi in seipsis sunt, exactè discutienda censeo. Et in hanc sententiam, tum ipsis, tum ipsorum Asseclis responsum voluimus, planéque persuasum habemus, non ipsos modò, verùm vniuersos etiam suos conatus, quoniam nauci sunt, instar niuis, quæ pridem fuit pridémque desiit, in nihilum abituros.

Theophrastus solis Artistis scribit.

Theophrasti ex Hohenheim, de Gradibus & Compositionibus Receptorum ac Naturalium, Finis.

HERBARIVS THEOPHRASTI

DE VIRTVTIBVS HERBARVM, RADICVM, SEMINVM, &c. ALEMANIÆ, PATRIÆ ET IMPERII.

PROLOGVS.



Germania fertilitate rerum nulli regioni cedit.

CVM viderem Medicinas ex tam distantibus regionibus, tot tantisque sumptibus curâ, laboréque in Germanicam nationem inuehi: ansam hoc mihi præbuit ad quærendum, an non natio Germanorum ipsamet eadem ex suo solo & terra eruere posset, vt suo Imperio & ditione contenta, aduectis illis transmarinis minimè opus haberet? Comperi ergo, rerum omnium fertilitatem & copiam summam ad morbum quemlibet, quomodocunq; obuiantem & insultantem, in nostro adeóque proprio fundo, agro & prædiis largißimè prostare, adeóque cum plura, tum præstantiora remedia apud nos proferri ac enasci, quàm vel ipsa Arabia, vel Chaldæa, vel Persia vel Græcia suppeditare poßit: vt æquius multò esset, ipsos extraneos à nobis, quàm nos ab illis necessarias medicinas sollicitare. Tantæ enim apud nos illæ bonitatis sunt, vt nec Italia nec Gallia, &c. illis vllo carere modo poßint. Hæc autem cur hactenus non innotuerint, in causa est Italia, inscitiæ & imperitiæ omnis infelix mater, cuius persuasione eò desipientiæ peruenerunt Germani, vt plantis propriis ac inquilinis neglectis, omnia promiscuè ex Italia & locis vltra marinis aduehenda esse, fatuè putarent. Cuius persuasionis hunc illi fructum cœperunt, vt eo ingenio lucrum subindè maius ad se rediret, quod vnum ipsi sectati, fraternam caritatem omnem excusserunt, & in ea frigidos & ieiunos sese nimis infami studio præstiterunt. Hinc etiam hoc factum est, vt iam Doctores Germani sint Itali, & Italorum more se gerant. Italos enim ex Germanis fecerunt, cum tamen Germanis cum Italis nulla cognatio aut commercium sit. Interim & libros, ex Græcia vel Arabia allatos amplectuntur, & in illis conscripta remedia excerpunt & imitantur: saltem vt Germanici nihil præ se ferant: cùm tamen Germanis nihil, quàm quod Germanorum est, commodum magis ac vtile sit. Vnicuilibet regioni suus nascitur morbus sua Medicina, suus Medicus. Excutiatur ergo & exstirpetur hæresis illa Italica, velut arbor, quæ fructum bonum nullum profert. Et ridendum meritò est quòd Germani se iactent Arabes, Græcos, Chaldæos, &c. cùm tamen, quæ Germanica sunt, ignorent, & more seu methodo Italicâ mederi satagant, cùm tamen imperiti sint Germanicæ, deniq; remedia à mari accersant, cùm meliora in propriis domibus ac hortis alant. Hinc iam æstimate Lectores, quàm grande vitium sit luscio sitas eorum, qui cum ipsum mare transpiciant, quæ ante pedes proprios sunt, non vident, & in alterius oculo lentem notant, in suo non animaduertunt trabem, camelum deuorant, & dimittunt pulices, ornant pulices, & quo ornato camelo opus erat, annihilant. Sic nimirum per abusum omnia in consuetudinem abeunt, quæ postmodum ab illis obstinatis ægrè iterum deponi potest.

Italia mater inscitiæ.

Dignius ergo erat, Germanos Medicos, prout magni fieri, & multæ experientiæ videri volunt, considerasse, decere ipsos vtique, vt sint perambulani, & multarum rerum notitiam ac intellectum possideant. Quales si essent, iampridem, quæ modo dicturus sum, scirent; fraudes nempe Mercatorum, & Myropolarum, qui inadulteratum nihil à mari afferunt. Postea suas etiam imposturas addunt, quia paßim talia diuendunt. Obsoletas enim pro recentibus efferunt Materias. Postea, qui illas indè in Germaniam transportat, hi ipsi quoque quæstum suum quibuscunque adulterationibus adaugent, deceptis emptoribus. Hi porrò vitiosas pro sanis venditant aliis, dum tot modis vicibúsque tandem illæ deuorandæ ægro sint. Iam vos cogitate Lectores, quanto cum damno & periculo id fiat ægri, in agone versantis, cui tot támque fœda mercatorum adulteria deuoranda sunt, vt ex illis consanescat? Hinc etiam porrò censete, qualis ille in conquirendis medicinis ordo sit, & quantopere cæcutiant Medici Germani, dum tantâ oscitantia & supinitate ægrorum sanitatis seu curatores præstitui patiuntur? Cura & angore res non caret, etsi materia quidem probißima sit. Quid fiet, si eadem exoleta, rancida & nihili sit? Sed solius illi nominis studio tenentur. Si nomen adsit, tam de cæteris securi agunt. Res qualemcumque sortiatur euentum, suo se illi functos officio putant, nec ad vllam præterea rationem reddendam se adstringi persuasum habent. Sed hæc mera falsitas, negligentia & imperitia est. Sed tamen, vtcunque ista sese habeant, & siue Germani Medici sint Itali, sint Hebræi, sint Indi, sint Arabes: ego tamen nihilominùs ductu meo pergo & hoc libro vobis Herbarium condo de Herbis, Radicibus Seminibus & foliis, quantum quidem per vsum mihi cognitum & compertum est, vbi ex parte nitor meâ Experientiâ & vsu: ex parte altera naturali Theorica, quæ concordantia fit similis ad simile. Nec hîc quicquam respicio aut Arabes, aut Græcos aut Hebræos auctores: Sed hoc solum, quod Germanicum est, curo. Certus autem sum, nec Arabes, nec Chaldæos, nec Hebræos nec Græcos suis libris, huic meo libro, aut suis medicinis, meis istis quicquam quocunque modo addituros esse. Ego Germanus sum: ipsi Arabici, Chaldaici, Hebraici, Græcanici, &c. Sed si rem & opus tractemus, probabitur demum & confirmabitur, quod probari opus est.

Medicinarum quantæ hodie adulterationes.

Surrexere quidem Germanorum nonnulli, & herbarum descriptionem aggreßi, opera quædã complenerunt. Is tamẽ eorũ labor merus cento est, hinc indè cõquisitis sarturis consutus, ita, vt ex omnibus vnũ quiddã constitutum sit, quod tamen instar centonis frustillatim miserè rumpitur & discidit. Eiusmodi seductores, & in Medicinâ informatores nihil quicquã moror, vt qui nonnisi solis typographis prosunt, quorũ culinas suis laboribus sanas & opulentas faciunt. Emptor autẽ nihil quicquam, quod ipsi ex vsu sit, in illis reperit.

Constitui ergo hac de causâ apud me deliberato consilio, vt herbas, &c. in completum perfectũmq; Receptum cogerem & concinnarem, vt integrum auxilium prostaret pro ægris iam præsentibus & laborantibus.

Ipse, quidem cognosco, quòd simplicia in manifestis Qualitatibus minimè satis sint, sed in Arcanis. Vnde processus etiam duplex constituitur. Vnus in Qualitatibus: alter in Arcanis. Quicquid à Forma

specifica

specificâ Essentificatum est & quicquid in ordine Canonicè siue Regulariter seruari debet: suo seorsim processu explicabo. & quidem Germanicè, haudquaquam Italicè. Suá etiam serie coniungam Laxatiua stupefactiua; & vtrumlibet quidem suo seorsim tractatu, quorum etiam cuilibet Receptum proprium & curam perfectam, prout iam docui, aßignaturus sum. Quo quidem modo herbæ conditæ & creata sint, id commentatori bono explanandum relinquo. Ego tradendum mihi sumo saltem nomen ac virtutes. Hoc ductu & instituto Lector iam pergam. Tu vide, & inspice ea: & quinam primus iste meus labor tibi placeat, iudica. Si à me plura condentur, eadem tibi quoque communicabuntur. Vale.

DE ELLEBORO ALBO.

Locus Vacabat.

De Foliis Ellebori nigri.

SI Ellebori nigri folia in vmbrâ siccentur per auram flantem ab Oriente, & postea puluerata cum æquali sui pondere sacchari puri misceantur, sunt præparata, prout primi Medicorum Philosophi istis foliis vti cœperunt. Medicorum & Philosophorum primi, quibus & sanitatis, & vitæ longæ conseruationis maximè cura fuit, horum foliorum vsum exercuerunt: cui bonum adiecerunt vitæ regimen, omnibus apprimè necessarium, qui ad hunc finem pertingere nituntur. Ab ætatis anno 60. cœperunt in finem vsque vitæ medicamento, quod narratum est, vti, anno quidem 465. (alij 365.) dieb. vt nunc supputato. Factúmque est, vt inde sine morbis, ac sani terminum vitæ suæ adimpleuerint. Nullum in illis vlcus, apostema, nec in hepate, nec in pulmone, multò minùs in splene locum habuit. Nullus etiam fluxus chirurgicam artem concernens, vt sunt vlcera, lupus, cancer, & id genus alia, nec intrinsecus catharrus aliquis nasci potuit, quo Apoplexia, Paralysis, Podagra, Chiragra, vel alij dolores, vt in coxis vel renibus, frigidi vel calidi (qui senibus communiter euenire solent) aut febres, vt sunt quotidianæ, tertianæ, quartanæ, vel aliæ. In illis nulla putrefactio generata est, propter quam halitus fœtere potuisset, aut vermes procreari: quorum si plenam historiam describere vellem, plurimis foliis complecti rem minimè possem. Postmodum verò Humoristæ surrexerunt Medici, qui Secreta naturæ contemnentes, & omnia ad suam, nullibi fundatam theoricam, absque naturæ proprietatum cognitione verâ, accommodantes, purgationes, clysteria, nec non syrupos excogitarunt, quibus vno die tantum efficere, quantum hæc folia viginti vel triginta annis non possunt, perperam conati sunt. Hinc herbæ huius contemptus & obliuio, cuius locum purgationes & clysteria tenét, orta sunt. Memini, ego interim tempore meo plurimos catharrosos, pituitosos, scabiosos, & aliis morbis onustos fuisse, qui hâc medicinâ vsi ex antiquorum ordine, sanitatem ex renouatione suæ naturæ prorsus recuperârunt: quos etiam curare Medicis Humoristis impossibile fuisset, ac incognitum: quòd nihil opere, sed linguâ tantùm præstare valeant. Sumpserunt singulis diebus mane ʒ. semis vsque ad LXX. annum, post quem vsque ad LXX. alternis diebus ʒß. Hinc deinceps vsque ad finem termini sexto quoque die ʒ. integram. Nec est, quod putaticij medici mirentur, naturam plus posse, quàm eorum ars valeat. Quid potest viribus comparari naturalibus? Quicunque has, ignorat, is artem ipsam ignorat. Plus virtutis & virium inest huic herbæ, quàm Auctorum omnium in Academiis lectorum libris, ad vitæ longæ conseruationem describitur. Quapropter antiquorum hoc medicamento præ cæteris omnibus vegetabilibus ad vitæ longæ præseruationem delectatus sum.

Fol. Ellebori nigri præparatio.

Fol. Ellebori nigri vlus & effectus.

Hellebori Dosis quæ.

De Radice Ellebori Nigri.

RAdix Ellebori nigri virtutem ac vires quatuor sanandi morbos habet, scilicet *Caducum, Podagram, Paralysim, & Hydropisim.* Hæc diligentissimè notanda sunt, præsertim cùm graues admodum in seipsis morbi sint, & excellentissima radicis huius etiam virtus existat. Vbi primum Caducus ex membris in caput venerit, istâ radice curari potest secundum gradum, quem habent inter se communé, nempe radix & morbus ipse. Podagram etiam in quouis membro, superiùs aut inferiùs existentem in corpore (licèt grauissimus morbus hic sit) expellit: quia radicis huius virtus in gradu sanationis æquè grauis existit. Post Guttæ vel Paralysis in latere iactum fundamentum, causans materia radicitus hâc radice tollitur, & per eam vita membris paralyticis restituitur. Non aliter etiam Hydropisis fontes & riuos, morbum hunc efficientes, euacuat, & omne quod innascitur, eiicit. Quatuor huiuscemodi virtutes habet radix ista. Quamobrem declaratione maiori quàm hactenus explicatum est in dictorum morborum curâ, opus esse videtur.

Rad. Ellebori nigri 4. præcipuos morbos curat.

ADMINISTRATIO RADICIS Ellebori nigri ad morborum supradictorum quatuor curam.

Ad Epilepsiam.

LVnâ deficiente, radix euellenda est in signo Libræ (quod morbo comitiali maximè conuenit) ac in Planetâ Veneris, flantib. ventis Borealibus ad vmbram exiccanda. Mos auté fuit antiquis, medicamentis omnibus eruti s vti sine additione. Itaq; & meus modus hâc vtendi radice, fundatissimúsq; processus est iste. Priusquã patienté commitialis morbus corripiat, tribus antea diebus (si quo modo cognosci potest, vti penes aliquos, aduentus terminus) purgetur: iunioribus in lacte, senioribus in vino dentur ad potandum ʒ. ij. pulueratæ radicis, ter, id est, ad paroxysmi diem vsque, sæpius hoc repetito processu, quem antiqui tenuerunt.

Vsus & dosis Ellebori nigri in Epilepsia, &c.

Ad Podagram.

ITidem in podagrâ diebus successiuis antequam dolores percipiatur, purgetur patiens. Quo

Vsus & dosis in podagra, &c.

Quo facto, fluxus podagricus auferetur à toto corpore, sic vt horâ paroxysmi parùm, aut nihil dolorum sentiat. Antiquiores Philosophi soliti sunt hoc loco sæpissimè purgare, sic vt Podagram omnem confirmatam etiam & inueteratam expulerint. Statim ac irruperunt Humoristæ, vnicâ horâ plus, quàm integro natura potuisset anno, facere præsumpserunt, vt etiam illis creditum est. Ita mox medicina hæc fundiriùs periit.

Ad Guttam.

Vsus & dosis radic. Elleb. nigri ad guttam.

SI vetustate confirmata sit, purgetur patiens, vt suprà. Radicis istius efficacia est, vt morbum hunc à fundamento quærat, nullúmque granum relinquat in toto corpore, quod radicitus non percurrat: quia contra huiusmodi morbum gradum æqualem obtinet. Inquit enim Hippocrates, extremis morbis, hoc est, fixis, similia remedia, applicanda esse, hoc est, medicinas æquè fortes, ac morbi sunt. Itaque cum Apoplexia morbus fortissimus sit; ideò illi quoque opponenda hæc radix, quæ eiusmodi gradus existit. Quicunque pondus hoc ignorauerit, æqualia scilicet esse debere pondera, vnciámque semis prætererit, non curabit huiusmodi morbos. Quamobrem administrari debet hæc medicina pro personarum, infirmitatum, & commoditatis respectibus.

Ad Hydropisim.

Vsus Elleb. nigri rad. in Hydropisi.

IN hominibus aquæ fluxus atque fontes incredibiles his, qui non viderunt, nonnunquam exurgere palam est, veluti Moses virga sua rupem in Horeb percutiens, aquam effluere fecit. Potest etiam fieri, vt Deus hominem flagello percutiat, sicuti Moses rupem: sed quia misericors est, dat etiam remedia, quorum vnum istud est. Purgetur patiens hac radice singulis septimanis: hac ratione fluxus ille tollitur, vt superabundare nequeat ampliùs. Elleborus in Hydropisi superfluam exiccat aquam à scaturigine. Medico tamen animaduertendum est, vt pro morbi qualitate plus & minus purget, quod pro virtute radicis, & exigentia factum erit.

De aliis morbis, quibus medetur etiam Radix Ellebori nigri.

QVum in hominibus Caducus morbus, Podagra, Paralysis vel Hydropisis pullulare incipiunt, dolores oriuntur capitis, oculorũ, aurium, dentium, & alij plurimi diuersimodè. Nam antea, quàm horum morborum quatuor vnus arripiat suum patientem, similia nec non alia multa signa præmittit: quòd rarò morbus vnicus, aut solus, imò comitatu plerunque maximo solet inuadere. Mox atque medicus percipere poterit (vti meritò cognoscere debet) huiusmodi morbum aduenire, qui tales nuncios, aut præcursores miserit; contrariis etiam præcursoribus anteuenire eum debet, non aliter, ac si morbos ipsos expugnaret. Huiusmodi morbos auertendi modus est verissimus, & ratio minimè fallax. Et sicuti supra dictum est, radicem à corpore quidquid noxium esse potest, expellere: ita hinc sequitur quòd & mulierum Menstruum per sola Mundificatiua expelli oporteat: quo radix hæc omnium maximè facit, velut & matricem repurget, abortus & molam, & vermes eiicit, & innascentia quæ-

Morbus nullus solitarius.

Vsus Elleb. nigri rad. in Menstruis.

nis. Non omnia quidem Laxatiua menstruum, abortum, aut vermes pellunt: attamen hoc præ cæteris Arcanum singulare est naturæ, quod ab hac radice nullo modo potest auferri. Huiusmodi enim naturam habet, vt contraria corporibus humanis marium & fœminarum, quibus infusa fuerit, pati nullo modo possit, quin radicitùs euellat: si modo per Medicum expertum, vti decet, ac superiùs declaratur, cum suis in loco, tempore, necessitatéque requisitis administrata fuerit. Vtinam Doctorum Expertissimus, inter Germanicas Academias omnes, istius herbæ, nec non radicis vti per seipsam est verum vsum sciret artis & scientiæ plus satis possideret, imò plus quàm omnes eius auctores, ac ipsemet, habuerunt vnquam. Quod experientia quidem docere potest abundè.

Additio Theophrasti super correctionem herbæ & radicis Ellebori.

CErtum est, virtutem huius herbæ maximam & admirabilem esse, parúmque distare à gradu Balsami. Quapropter in eius folio Balsamũ magis quærendum est. Qui Balsamum ex herbâ elicere, seu herbam in Balsamum reducere nouit, is ingentem in Arcanis absconditum Naturæ thesaurum possidet: multò maiorem, quàm ars tota Scribentum contineat. Hanc in Balsamum reducendi modus est iste. Putrefiat in aqua propria in Thermá fimi, peroptimè clausa sigillatáque: postea separetur Humidum à putrefacto: & iterum putrefactum est separandum à fæcibus, in singulare corpus reseruatis. Tunc erit Balsamum cum duobus gradibus in humido, & cum viginti duobus in putrefacto. Dosis putrefacti secundum gradus, & humidi secundum quantitatem consideretur in administratione post primum processum. Altius in essentia sua potest ascendere, si permissum opus iteratum fuerit, additione recentis herbæ. Prodest etiam si aridum sumatur; quod de radice potissimum intelliges.

Eius radicis correctio est, vt aliqua portio carnium vtpote libræ quadrans accipiatur, cui aquæ nucismuscatæ addatur vncia vna, macropiperis aquæ ℥.1. radicis huius in grandiusculis fragmentis vnciæ ij. *Carnes minutissimè concisæ, cum prædictis omnib. in canthare peroptimè clauso redistillentur in Therma bulliente, per sex horas, deinceps humidum effundens reserua, quod residuum est abiice. Iuris huius seu brodij pro morbi, personarum, & necessitatis existentia, non plus, nec minus æquo administrabis. Hoc ipse tu medice cognoscere debes, vt purgare tutiùs, vtiliùs, promtiúsque valeas.*

Additio secunda.

AVdiuistis antea, radicem istam quatuor curare morbos capitales, & herbam eius longæ vitæ conseruatiuam esse. Iam quinam istu ad maiora progrediendum sit vlteriùs audite. Nimirum cum herbâ Balsami herbæ Ellebori nigri vnciæ, Balsami naturalis ℈ß. addatur, ambóq; simul ita permisceatur, ve in illis vnitas, nullaq; duitas appareat. Ratio huius est; quia Balsamum naturam habet Ellebori, quod ad conseruationem, & non laxationem tantùm attinet. Est namq; Balsamũ naturale, medicina præseruans ab astrorũ infectionibus omnibus, à Pleuritide, & Peste. Non solùm ergo tantũ terrestrium infirmi-

infirmitatum, sed earum etiam, quæ per aëreos, & cœlestes influxus oriuntur, est habenda ratio, contra quos Balsamum æqualem gradum obtinet, præ cæteris.

Quatuor morborum capitalium perfecta cura, ad caducum.

SI comitialis morbus curari potest purgationibus, ista radix id omne præstabit, quod ad eius curam necessarium fuerit. Vegetabilia quædam Epilepsiam, alia ictericiam, & alia membrorum conuulsionem expurgant: nam ad vnumquodque morbi genus, quodlibet etiam suæ purgationis genus reperitur, vt hîc de Elleboro: verùm purgatio non est cura perfecta, nec sufficiens: progrediendum est vlterius. Licèt enim ventus ignem extinguat, tamen ibi remanent adhuc carbones.

Inde colligendum, post debitam purgationem, vt suprà dictum est, factam, Epilepsiæ curam subsequi debere, quæ in arcano Essentiæ vitrioli latet. Eo quidem ordine seruato, iuuenes atque senes curari poterunt. Hîc tamen animaduertendum est medico, purgationum & essentiarum ordinem, ex pharmaceutices arte minimè, sed ex ratione rerum pendere, quæ dosin, & ipsam administrationem in omnibus indicat.

Ex alio libro Paracelsi radicis huius exaltatio.

IN his morbis, (quod etiam experientiâ mihi comprobatum est, suaderem, vt ab istâ radice recentissimâ tota humiditas, & oleum per vini spiritum extraheretur, deinceps spiritus ille separaretur, vt radicis essentia sola maneret absque mixturâ, peroptiméque dulcificaretur. Talis est inter hanc essentiam, & præmissos processus differentia, quòd parum, aut nihil phlegmatis, aut humoris in eâ, sed corporis epileptici plurimum existat. Quapropter hoc processu tutiùs agetur, cùm hactenus melior purgatio non emerserit in lucem, non potentior cura. Multóque melior adhuc euadet, si viscus quercinus, pyrethrum & pœoniæ semen addita fuerint in eius extractione, sic vt istorum etiam spiritus medicinales accendat, senioríque radici Ellebori incorporentur, ac simul administrentur omnia pro discretione. Hoc etiam notandum est, medicinam hanc suas operationes non ita repente, sicuti solent aliæ, demonstrare, sed paulatim & successiuè, secundum personarum, infirmitatis, regiminis, & aliarum commoditatum proprietates.

De Podagrâ, Chiragrâ, Genugra, &c.

Podagræ cura est purgatio.

POdagræ cura potissima est, vt ipsa purgetur, & non aliud: quod sic intelligi cupio. Humoristæ purgant humores: at isti non sunt infirmitates. Humor aut humores cum Podagrâ vel Podagris, non magis quàm album & nigrum conueniunt. Quamobrem inutiliter illi purgant, & non absque detrimento. Morbus ipse curandus venit, cui nomen est Podagra, & non Humores. Non alia cura videtur hæc, quàm si loco Petri purgaretur Ioannes. Videte quæso, quænam sit ista curandi ratio? Est igitur summopere notandum, radicem hanc Podagram solam purgare, medicinámque esse Podagræ, nec solùm istius, verùmetiam specierum eius quotquot sunt, est vera purgatio. Postquam id sufficienter feceris, progredere ad curam ab Esse Specificato & Ente Innato, hoc est ab oleitate Sardimiæ & Animæ Animantatæ per omnia membra, vsque ad terminum finis, quem propria tibi natura indicabit. Tutò igitur huic fidem adhibere potes, quamuis istud Humoristæ non intelligant. De quibus Ouid. 2. de Ponto ridens eos ita cecinit:

Soluere nodosam nescit medicina Podagram.

De Paralysi siue Hemiplexia.

Paralysis cura qualis?

EAdem ratione Paralysis ad terminum finis vsque purgari debet, quem ab ipsa natura, medicorum sola magistra, discere oportebit. Quum id perfeceris, accipe vnctionem ab Esse Animantato secundum eius descriptionem: (vocatur in Lumine Experto, Esse Animatum ab Animante) eo remedio vngatur tota corporis paralytica pars, etsi cutis auellatur, non est quod cures. Progredere donec patiens tres gradus caliditatis in eâ parte sentiat. Postmodum Esse animato Coniuncto (sicut in Experto lumine reperitur) vngendum erit vsque ad terminum tertij gradus mobilitatis. Hinc ad curam progredere per se: Thermis Naturalibus Confortatiuis, & calefactiuis vtendum erit. Hac via poteris ad finem curæ perfectissimæ cuiusuis morbi paralytici peruenire.

De Hydropisi.

Hydropisis cura qualis.

IN Hydropisi processus hic obseruandus, vt aquæ prius quicquid est superfluum euacuetur: & postquam Elleboro expurgatum fuerit ex processu, veniendum est ad curam. Nam euacuatio cura non est, sed expulsio superfluitatis tantùm. Cura dicitur, vbi morbus non redierit, vt sequitur. Memineris Tincturæ Martis, hæc sola potest idipsum efficere: quam te Lumen Expertum, aliquot modis, qui omnes boni sunt, docebit. Ad curam istam excellentissima sunt quartum exiccationis gradum attingentia. Quod infra hos gradus fuerit medicamentum, hoc loco minimè curare potest. Huiusmodi præparationes ab Alchimia, non à decoctionibus artis Pharmaceutices petendæ sunt. In Marte gradus iste multiplex reperitur: ab eo qui potest igitur, & habet, extrahito: per cuius essentias efficies, vt hydropicus in hunc morbum de cœtero non incidat. Hoc tu æmulari aude, si sapis, ô Italice Asine, fœde Humorista. Itaque magno tibi propudio est ignorantia curandi hydropisin, quia scilicet veram artem non calles, nec, vbi hæreas, nouisti. In vera ergo via, non in Labyrinthis ambulare discito.

De morbis aliis quatuor capitalibus adhærentibus seu concurrentibus.

SVperius diximus huiuscemodi morbos alios plurimos comitari, quod nullum (vt aiunt) infortunium solum esse videatur. Quùm ergo dolores dentium, colli, aurium vel humerorum irruperint, dicta radice purgandū est: postmodum tinctura Martis vtendum, quæ peccantem cohibet materiam, ne augeatur, eo quòd ista materia præmittit huiusmodi signa, peius quid augmento sui successurum indicantia. Tales purgationes fieri debent post Annalia laxatiua. Est enim Laxatiuū Annale purgandū, quū incrementū aliquod iterū pullulare cupit, quandóque

Laxatiuum annale quid.

quandóque secundum Lunam, aliquando secundum Solem aut signa. Nam cùm naturalia tractem secundum simplicitatem & in gratiam plebeiorum, eos ad sublimiora ducere nolo, sed in simplicitate sinere. Ast mira sunt magnalia Dei, quis ea penitus perscrutari potest? Humoristæ vera secreta occultârunt, & sordes in mundum invexerunt, atque ita ex Sophiâ sophisticationem fecerunt & vnionem naturæ confregerunt, quemadmodum adhuc meo tempore euidenter faciunt, obliti naturam esse magnale, ipsimet id esse gestiunt. Sophisticationes eorum in causa sunt quòd de margaritâ tacendum est, nam cum palam nihil possint quid clam facerent? Quam multi morbis detenti plurimis annis, sanarentur hâc herbâ, si sophisticatio Humoristarum euanesceret & virtus huius patefieret. Nam margarita neutiquam his porcis est obiicienda purgatio Annalis non intelligitur ex anno 365. dierum, sed secundum incrementa paroxysmi. Quamobrem illum annum obseruabis, vt renoues & præserues corpora Tincturis ex Marte tractis, vti medicina docet, Mysteriáque Naturæ postulant.

DE PERSICARIA.

Persicaria sanat mala vlcera.

QVi veram Persicariæ notitiam habere velit, is sciat, ad omnia antiqua vlcera tam hominum quàm pecorũ illam conferre, adeò, vt modò non omnia vlcera per illa sanentur. Vulnera quidem illa, quæ medicinis malè curata aliis, deinceps non vulnera, sed vlcera facta sunt, perfectè cumprimis sanat hæc herba, si debito modo adhibeatur. Tantæ enim hæc herba præstantiæ est, vt nulla ei alia similis sit sanandis tam hominum quam animalium vlceribus prauis. Sic si equi ab ephippio pressi aut attriti sunt, vtcumque malum id graue sit vel cum apertione vel cum nodis & tumoribus cutis; sanabitur vtique ab hac herbâ tantâ certitudine, vt nihilominùs quotidie equus suis vsibus adhiberi possit. Eodem modo si hominibus calli oriantur, aut à fortiore labore cutis vel manuum vel pedum rumpatur, aut in carcerib. à catenis ingestis obteratur: quæcunque huius classis vlcera maligna sint, horum hæc herba præsens medicina est.

Persicariæ præstantia.

Persicariæ vsus quis.

Sed vt herbæ vsum etiam intelligatis, ita porrò attendite: Herba sumpta, per aquam recentem trahitur: Postea parti sanandæ imponitur, tamdiu, donec oui dimidium comedi possit. Inde remota, in loco defoditur humido, vt putrescat. Interea malum sanatur. Sunt etiam, qui vlcus cruce signent, & precatiunculas addant. Sed ista aliena sunt. Operatio namque herbæ naturalis est, non superstitiosa aut Magica. Nugæ ergo illæ omittendæ sunt & modo procedendum naturali: & herba admirandæ efficaciæ esse deprehendetur.

A me præterea & aliis multa hoc etiam modo mala vlcera persæpe sanata fuerunt. Herba recens per aquam fluentem frigidam tracta est. Quò aqua frigidior: eò melior. Correctio enim herbæ fit per frigidam. Hoc modo madefacta vlceri imponatur aut illigetur. Si verò in vlcere aut incalescat, aut vrat, aut putredinem ac fœtorem contrahat, remouenda illicò, & recens alia imponenda est. Hic ordo teneatur vsque ad curationis finem. Quod malum non sanescit remedio isto: id Transmarina etiam alia non admittet.

Sciendum verò est, processum hunc per lumen ipsum Naturę confirmari, dũ Natura ipsa, non Magica, talia operatur. Secundus processus, per applicationem quotidianam naturalis est, quod per se euidens, nullâ probatione indiget. Processum autem primum (de quo altum apud scriptores veteres silentium) allato exemplo Magnetis & ligulæ compassi confirmaturus sum. In Magnete vis est, quâ ferrum admirando modo, nullâ additâ manu aut pede, attrahitur. Iam si velis, vt ligulam in compasso attrahat Magnes, ligulæ is priùs affricandus est, eo modo, vt venter ventrem, dorsum dorsum respiciat. Sic fiet, vt Magnes ligulæ ventrem ad suum ventrem attrahat. Hæc iam palam omnibus nota sunt. Et hoc Naturæ singulare est Mysterium, Secretum & Magnale, quo Deus in lumine Naturæ admirabiliter sua miracula demonstrat, &c.

Hinc iam elicitur, quòd & Persicaria similẽ consensum quendam habeat cum carne læsâ, vt illa in hanc operetur instar magnetis in ligulam compassi. Notate ergo, omnium primò faciendam esse vnionem, hoc est concordantiã inter carnem vlceris & hanc herbã, ita vt caro hâc herbâ attingatur & affricetur, sicut exemplũ docet de affrictione ligulę facta per Magnetem. Vbicunque enim Magnes est, ibi operatio eiusdem efficax est. Si ergo vel hominis vel animalis vlcus dicto processu inungatur & affricetur ab herba, ita vt venter ventrem, dorsum dorsum respiciat, & postea in terram recondatur; herba admirando modo curabit.

Nemini autem admirationi sit, cur herba defodienda, & lapidibus supernè aggrauanda & integenda probè sit. Causa enim ea naturalis ita se habet. Si herba viridis, cum suo caule in horto stans manet: nihil operatur. Donec enim viuit, operatur cum Astris, & Astra cum ipsa, & propter operationem eam nulli homini vsui est. Si verò decerpitur, mortua est, & nihil cum ipsa Astrum operatur, sicut nec homines viuentes cum mortuis quicquam operantur. Illâ autem mortuâ, iam impressa ei virtus exeritur in hominem, cuius gratiâ ea condita est. Et in Natura hanc ipsa proprietatem habet, vt quamdiu integra sit, tamdiu ipsius operatio duret. Exempli gratia. Habet homo in mundo præstitutum suum pensum diurnum, quod absoluere debet. Omnis ipsius labor, merum opus est, est pensum tantùm. Penso absoluto, ille mortuus est, & mors est finis pensi ipsius diurni. Eadem & herbæ ratio est: cuius pensum seu officium est, vt vlcus persanet. Hoc penso conficiendo tamdiu operatur donec putrescat. Hoc facto, pensum diurnum confectum, & vlcus sanatum est. Itaque quò putrefactio serior est, eò operatio & sanatio lõgior & diuturnior. Si putrefactio (quam tamen fieri oportet in terra, tali quidẽ, qualis fuit, in qua herba succreuit aut enata est) celerior est, eò maturior est etiam sanatio. Certa námque ei periodus est, qua sanet, siue illa longa siue breuis sit. Quam qui maturare velit, is properet ad putrefactionem. Eadémque hîc est ratio, quæ Equi-

Quem

Quem si eques incitet ad festinationem, iter suum citiùs conficit. Si secus, tardiùs.

Quibus aliis etiam persicaria medeatur morbis.

Persicaria sanat dentium dolores.

NOn solùm ad eos morbos, qui dicti sunt persicaria, vel sanguis aquaticus est vtilis, verùm etiam ad alios plurimos, videlicet ad maximos dolores dentium ex frigiditate prouenientes: vbi mersa fuerit sub aquam frigidam herba, & super dentem posita, prorsus eos tollit. Potest etiam ad curam hanc in terram sepeliri. Verùm quòd putrefactio tarda sit, communis eius vsus est in doloribus dentium, vt saltem imponatur, quoties isti sæuiunt. Plurimi similes dolores ex frigiditate prouenientes, per sepelitionem eiusmodi herbę prorsus ablati sunt, qui nunquam redierunt amplius.

Persicaria est Narcotica.

Peculiarem etiam Persicaria conditionem habet Narcoticam, vt in omnibus inflammationibus maximopere iuuet eas extinguendo, sanandoque, prout in omnibus doloribus capitis, maniâ, phrenesi, & similibus. Item vbi corpus aliquo morbo tam acriter incenderetur, vt id grauiùs affici haud posset, optima postremá que persicaria cura, nec non extinctio fuerit, intra corpus assumpta. Penes antiquos fuit in vsu, vt mordacitas eius auferretur, cùm admodum acuta sit. Hoc assationibus in butyro vel oleo factis perfecerunt, postmodum in cibum administrata sumptaque suâ operationem adimpleuit, vt supra.

Persicaria est mordax.

Notandum est latiùs, herbam istam virtute sua Narcotica putrefactionem abstulisse, pulmonísque dolores & morbos, tussim, atque tormina ventris, & matricis ascensum. Igni Persico similiter extrinsecus superposita, cæterísque omnibus inflammatis vlceribus, curauit ea sanauítque, solâ rosarum aquâ priùs madefacta, quàm applicaretur, & sæpiùs imposita.

Additio.

AD primum sub exemplo magnetis à me narratum processum, correctionem addam, vt satis amplam de Persicaria habeatis instructionem, ad hunc modum. Antea diximus, herbā hanc in aqua fluente frigidáque madefaciendam. Eaque sic madida & frigida, nec non recente vulnus aut quoduis damnum aliud superpositione tangendum, postea herbam sepeliendam esse. Verùm optimè considerandum venit, quòd accidere interdum soleat, vt ob vehementiam damnum & morbus non facilè sanescat. Quare maiore vti necessarium est additione, quàm antea dictum sit, ad hunc nempè modum: Si tale impedimentum percipiatur, fac, quod primò fecisti, madefaciendo, affricando. Mane, repetendus erit processus idem in tertium diem vsque, & si videbitur expedire, foretque necessum, pluries, vtpotè duodecies, & quatuor ad decies, vbi fuerit opus continuando singulis diebus in finem vsque sanationis. Notate iam, cur id adiecerim. Euenire solet nonnunquam iter facientibus, vt eorum equis aliquod superueniat accidens, qualia solet occurrere, sic vt retardaretur intentio peregre proficiscentium. Quare bonum erit antedictum sępius processum repetere, si primâ, secunda, sextaque vice iuuare nolit. (Vehementes namque morbi, vehementia requirunt medicamina.) Quapropter accidere posse: in aliquibus morbis, vt non ita citò prænarratus iuuaret processus, vt in multis vna purgatio parum aut nihil efficit, aut pondus aliquod, nisi hoc augeatur. Per additionem hanc igitur quam huic adieci processui, morbus omnis euincitur, id est, per assiduitatem repetitionis. Considerate per vosipsos etiam potestis, vulnera damnáque reliqua mundatione regenda conseruandáque esse, si nolis eorum curam plurimum impediri. Item ad curam istam exercitium nihil damni potest adferre, sed quiete longè plus conducit, & quò magis patiens dolente membro fuerit vsus, eò feliciùs etiam sanabitur propter propter meliorem sanationem herbæ magneticæ. Sciendum etiam alia quoque medicamenta penes hoc locum habere posse, modo bona sint & vtilia, non contraria, hoc est, non barbitonsorum, non balneatorum, &c. qui nimium sapere sibi videntur. Verùm quod à naturâ fuerit ad hoc ordinatum concurrere potest, & curam istam, nempe magneticam accelerare iuuando. Nec prætereundum, quòd hac via persanatur, constans manere. Item nihil concludi per eam, quod natura manere vult apertum: at solum id quod conclusum esse debet. Sic intelligendum, in magnis illis fluxionibus, quæ requirunt exitum, non est concludendum vel consolidandum, aliàs subsequetur mors. Potest igitur hæc herba, quod vnusquisque medicus non potest, maximam scilicet mereri laudem. Quandoquidem ab istis multa curanda suscipiuntur, quæ minimè suscipienda sunt, & idcò perdita vel deprauata, quæ per hanc sanari poterant herbam Plus enim artis natura in ipsam collocauit, quàm tribus aut quatuor Academiarum Doctoribus datum sit, aut quàm isti habeant scientiæ.

ADDITIO.

Porrò etiam ad cæteros morbos, quum persicaria prout sequitur assumpta fuerit, in lauamentum dentium & calidissimum hoc in ore retentum ac tamdiu donec frigescat, postmodum ita calidum iterum sumptum in os, idque vicibus aliquot, omnes dentium dolores adimit. Lauamenti processus hic est.

Recipe dictam persicariam, & cortices iusquiami, coque in aceto rosaceo, *hoc est lauamentum. Quod herbæ reliquum fuerit, sepelias in terram & aggraua lapide, prout audiuisti. Pariter in doloribus eiusmodi maximis, vt illi sunt qui procedunt ex sanguine, dentes confricentur persicariâ cruda, recenti, & aqua fluente madefacta frigidaque, tum demum sepeliatur superposito lapide grauissimo, sicut antea diximus. Ea si putrefit, simul vnà etiam dolor transit, abitque.*

Quod ad alios morbos internos attinet, quorum suprà memini, correctio talis est, vt cum aqua solani vel solatri, aut barbæ Iouis persicaria dicta misceatur & coquatur parumper, & frigescens decoctio bibatur, sepultâ postmodum herba, sicut supra declaratum est. Item ad extraneos morbos itidem fieri potest, excepto solo, quòd camphoræ parum fit addendum.

Præter ea, supra quæ diximus, omnia de persicaria, plurimum excellens adhuc habetur eius arcanum aliud: Verùm tacere, nec plura de nobili gemma hoc loco dicere præstat.

DE SALE ET EIVS VIRIBVS.

QVicquid ad vsus suos requirit homo, id vniuersum Deus creauit, vt facili labore illud adipisci possit. Quo verò homini opus non

non est, id parciore copiâ Deus producit. Homini autem vsui est medicina, tanquam necessaria. Itaque vt illã longiùs à tractibus transmarinis petat, opus minimè est, cum in propinquo eadem parabilis sit. Nec, qui illic habitant, à nobis petitis rebus opus habent ad conseruandam sanitatem. Item etiam in Sale verum est. Quo quia opus homo habet, id iusta copia ad necessarios vsus inuenit.

Necessaria homini vbiuis prostant.

Hoc constituto, dicendum iam est, quemnam Sal homini vsum præstet. Sal autem duo homini confert. Est enim condimentum ciborum, & morborum naturalium medicamentum. Quemcunque cibum homo sine sale edit, is nunquam plenè coqui & digeri, nec in olla nec in stomacho potest. Ea enim Salis est natura, vt in coquendo omnia corrigat. Est enim genuina correctio omnium ciborum, homini familiarium. Quod Sale caret, non corrigitur. Quod non corrigitur, insalubre obuenit homini. Cibi ergo vniuersi salem requirunt ad temperiem, vt nec deficiat, nec abundet. Vsus eius moderatus sit. Iam si cibus ita coctus & temperatus stomacho offeratur: tum natura eius digestioni studet, quod sine Sale non facit. Quod parum aut minimè salitum est, in phlegmaticum, fluidum & limosum sanguinem carnémque, morbis omnibus, & præcipuè putredini obnoxium digeritur. Qui leuiùs salito cibo vtuntur: & viribus, & natura, & complexione minùs pollent cæteris, ac insuper morbis etiam promptiùs corripiuntur. Nihil enim nisi correctum, & sale quasi conditum, natura requirit; nihil eadem admittit, nisi præparatum aut coctum per ignem, nisi quod appetitus causa interdum proponitur, vt raphanus, allium, poma, &c.

Salis vsus duplex.

Ciborũ non salitorum quæ malitia.

Porrò Sal est Balsamus terrenus hominis & rerum omnium. Vbi enim Sal non est, ibi initium est putredinis. Vnum Sal tam viuentia quàm mortua à putredine præservat. In viuo, Sal est in sanguine omnium animalium. Et nisi Sal congenitus hominem tueretur, viuus putresceret. Sed non solis animalibus, verùm & crescentibus cæteris omnibus Sal inest. Nihil in natura non salitum est, siue sint metalla, siue lapides, seu herbæ ac ligna, ac fungi, &c. Probatur id per Alcalia, quæ omnia sunt salia, ex rebus vniuersis extracta. Et sicut homo ex carne constat, & caro est, à carne nutriri expetit, siquidē simile simili alitur: ita corpus quoque desiderat salem, pro interni salis cibo, & carnis, &c. alimento. Sal ergo similis est Balsamo, qui & ipse à putredine præseruat. Est tamen naturæ subtilioris & sublimioris. Salis ergo hæc primùm noscenda est proprietas, quòd sit instar Balsami: velut & illa altera, quòd sit instar correctionis omnium ciborum, qua opus habet homo ad temperationem digestionis, nec illo quicquam carere potest. Vbi Sal deficit, durabile nihil est, sed omne putredine inuaditur. Et ea vis Salis per vniuersum mundum ab omnibus animalibus & hominibus requiritur. Per Salem fructus mortui omnes à putredine & destructione etiam vltra terminum præseruantur. Sal facit, vt nec caro, nec lignum, nec lutum, &c. putrescat. Quicquid est vbiuis, à Sale præseruari potest. Hoc autem non vnica saltem salis commixtione impetratur, sed opus est præparatione. Sal enim, quod omnibus per experientiam euidens est, pisces & carnes, à corruptione tuetur. Si autem Sal Enixum fiat, per ipsum res quam longissimè seruantur. In eo lignum lapidescit, in eo limus vel argilla, & folia viridia arborum in illo talia conseruantur. Quicquid Sale Enixo aspergitur, mutationem non subit. Et conseruationis dote Sal respondet Balsamo. Suo enim tempore res in congelationem lapideam deducit. Et licèt quidem Sal Enixum tandem siccetur, intereat, & euanescat: ita tamen congelatur & confirmatur, vt duret etiam in Aëre, & Aqua & Terrâ similiter.

Sal est Balsamus rerum.

Sal à putredine præseruat.

Sal Enixum conseruat res diutius.

Præterea Sal etiam mirificè ad conseruationem sanitatis conducit. Est enim homini magni thesauri instar non in cibo solùm; verùm etiam ad vulnera remedium singulare est. Si enim Sale, in aqua frigida soluto, vulnera eluantur, integrum annum à putredine præseruantur. Si etiam vulnera tempore æstiuo, cumprimis sub exortum caniculæ ad putrefactionem vergant: id ne fiat, Sal prohibet. Idem etiam vermes in vulneribus nascentes eiicit, & generationem eorum inhibet. Et hoc Secretum in Chirurgia magni momenti est. Nec pudori sit Balneatoribus ac tonsoribus, &c. si huiusmodi aquis vtantur. Remediis enim interdum vtuntur aliis, quibus putredinem & vermes suscitant, quos deindè nullo molimine arcere queunt, adeóque suo magisterio multos perdunt. Vero ergo & genuino Medico Lauamentum hoc curæ sit in vulneribus. Eo enim munda ea seruantur, ita vt Natura ipsamet iam ad consolidationem properet. Et sicut canis vulnera sua linctu mundat: ita Medicus id præstare Sale debet.

Sal putredini resistit.

Sal vermes necat.

Quibus verò in locis Sal decoquitur, ibi Liquamen quoddam paratur, similitudine olei, adeò crassum, vt ouum in fundum delabi non sinat. De Liquamine isto hæc Secreta notate. Quicunque plethorici sunt, & humidi, muccosique ac catarrhosi, adeóque podagrici, Arthetici, aut crura tumida vel ventres diarrhæa tortos habent, &c. hi in liquamine isto lauent. Fluxus vniuersi exiccabuntur, vt morbi ex illa causa procedentes, denuò non reuertantur, sed penitùs consumãtur. Similiter & crura vlcerosa & saniosa, &c. illo sanantur, corpúsque redditur aridum, agile & sanum. Humiditates enim miro modo exiccantur. Quibus absorptis pereunt morbi illi, qui aliàs inundarent. Suam insuper etiam operationem exerit in scabie, & prurito & similibus aliis, vbi cutem sanam & integram facit. Thermis omnibus à naturâ ortis, vt sunt Piperinæ, Dopplicenses, Badenses, &c. præstantius id liquamen est, & quam perfectissimè operatur. Quòd si Medicus Thermarum omnium naturam & conditionem expendit, & illam cum liquamine illo confert Salis: vi-

Salis liquamen quos morbos sanat.

lis: videbit hoc illa omnia longè superare. Tantam enim humorum à sale factam detra-ctionem quis satis prædicare possit, dum adeò præseruat, vt mali nihil reuertatur? Et liqua-minis huius earatio est, vt nulli totius corporis mẽbro quicquam damni inferat, cùm tamen de cæteris thermis idem spondere tutum non fit. Medic⁹ ergo, qui vel sanos vel ægros tractat, humoribus & fluxibus eiusmodi obnoxios, is iubeat illos ad pręscriptam conditionem laua-re. Si à tali corpore morbus iam exortus est: sanescet. Si adhuc futurus est, in matrice suâ ita consumetur, vt in lucem erumpere non possit. Ridiculum ergo est suaderi thermas, non cognitis & intellectis illis ex quibus con-stent. Nam semper optimę eligendæ, cęteræ missę faciendę sunt.

ADDITIO THEOPHRASTI.

PRimùm in Salis administratione opus minimè est, vt alteretur, aut ei quicquam addatur. Vsur-petur nudè, ac per se. Et licèt multa quidem des-criptiones sint, quibus sali aliquid additur, veluti cuminum, fœniculum, cinamomum, muscatum &c. id tamen non facit ad propositum, hoc est, non est de salis proprietate, sed sal dirigitur eò quò dirigi non debet. Ad cibos ergo & coctiones assumatur, quale per se est. Ad morbos corrigi & perfici potest ita tamen, vt sal in suo gradu maneat, nec degradetur. Notate ergo si sal editur, in primo gradu est. Calces eius sunt in gradu secundo. Liquamen in tertio. Si gradum intendere velis vsque ad 24. necesse est, vt additiones illius scias.

Sal gradum potest vsque ad 24.

Cæterùm quia de viribus salis in præpingues homi-nes dixi: correctio eius & additio est, vt primum illi purgentur debito modo, & illo ordine, quem de El-leboro nigro præfiximus. Postea pergendum est ad li-quamen. Opus est etiam, vt Elixir tartareum ad-ministretur & vsurpetur aliquandiu, processu præ-scripto, vt facta Apostemata ac opilationes putrefactio-nésque in corpore resoluantur, expediantur & renouen-tur vsq; ad terminum sufficientem. Postea instandum est liquamine, modo conuenienti. Hoc processu bal-neum in liquamine ad 16. grad. intendi potest in o-peratione, hoc est vt tantum operetur, ac si ad 16. gradum exaltatum esset, & vltra 13. gradum, in quo consistit naturaliter, auctum esset.

Salis correctio varia.

Si exaltatio graduum maior requiritur, facienda est ea per præparationem primùm, vt liquamen in seipso graduetur quod hoc modo fit. Liquamen loco a-quæ decoquatur in succo plantaginis, maioris vel mi-noris, & similibus. Sic multò fiet præstantius ad sca-biem & pruritus; vnoque die plus operabitur, quàm aliàs diebus faceret quaternis.

Adhibetur etiam vlceribus manantibus, cum suc-cis consolida Serpentina, &c. quorum multa genera sunt. Ea additio sine præparatione Liquaminis fiat, ita vt additio hac aqua substituatur: mira erit effica-cia in vlceribus antiquis, & in sanando 20. gradum tenebit. Additionem quò feceris concinniorem, eò operatio erit præstantior.

Cæterùm pro internis morbis, ad defluxiones, gra-dationes alias notate. Liquamen cum vino sublimato permisceatur, & tamen cum succo plantaginis prepa-retur. Ita Exiccatiuum summũ erit, ad gradum 24. perfectum deductum.

Superest & alia præparatio, hoc quoque loco v-surpanda, salis nempe in aquam destillatio. Modus est vt cum raphano sal liquetur, eáque aqua deinde destilletur, atque cum succo plantaginis, chelidonia, serpentinæ, consolidarum æquis partibus permiscea-tur. Hoc modo exiccando 24. gradus superabi-tur.

Aq. salis destillandi modus.

Præterea in hac cura multum situm est, & præ-paratione. Additionibus enim illis tollitur fluxus ha-morrhoidum, profluuium, dysenteria, & fluxus ven-tris alii difficilis curationis. Cum eiusmodi enim ad-ditionibus aqua eò vsque intenditur, vt plùs præstet, quàm omnes syrupi, purgationes & medicinæ offici-narum cæteræ, quæ cum illis nulla parte comparari possunt. Ista enim gradum 4. non transcendunt; cum illa nostra vltra 24. & 32. gradum exaltentur. His nimirum oppugnari morbus potest; vt necessariò sanitas emergat. Idem intellige etiam de vlceribus, scabie, & vulneribus, &c.

Eius vsus.

Porrò sunt & præparationes, quæ alia quoque ra-tione salem ad summum gradum videlicet 24. eue-hunt. Sumatur nempe sal & salnitrum æquali portione: calcinentur per se ad fluxum & fusionem: postea resolue in suum liquidum. Id iam in exiccan-do 24. gradus habet. Præparatio eiusmodi sedulò notanda & seruanda est. Virtus enim eius exiccan-di adeò subtilis est, & in operando adeò valida, vt nihil ei conferri possit. Si altius ascendere velis, ad-de exiccatiua, velut anteà docui. Sic gradum in ope-rando assequeris maiorem. Si iterum destillaueris, gradum altiorem adipisceris. Per huiusmodi ad-ditiones & præparationes 32. gradum attingere po-tes.

Ineptum non est, si sal etiam iusto tempore re-uerberetur, & post reuerberationem cum prædictis succis, aut aliis tibi ad institutum idoneis visis permis-ceatur, aut post omnia hæc in aquam aut liquorem, vt dictum est, destillentur.

Sunt etiam quædam fusiones ad salem, quibus gradus eius augentur. Funditur Cum Bolo Arme-no, Terra Sigillata, Chimolea, Flore æris, Thu-tia, Calaminari, &c. Post fusionem facta solutio per se, intendit gradum.

Funditur etiam cum sale nitro, & additur per-mixtio, in suum postea resoluitur liquorem & af-funditur fecibus, & aliquoties de illis iterum de-stillatur. Sic præsignem vim stypticam ac constri-ctiuam acquiret, vt nihil ocurrere posit, quod non exiccetur & constringatur. Ad augmentationem e-iusmodi gradus facit Crocus Martis, Cerussa, Flos æ-ris, vnde summa additio est.

Sciendum est etiam, post processum eiusmodi, si dicto modo in liquorem reducitur, cum succo de im-maturis Acatiis permisceri. Ita nihil erit, quod po-tentiùs constringat, exiccet, & ad fundamentum pe-netret.

Et hæc de sale, eiusque viribus, correctionibus & addi-tionibus, tradere commodum mihi visum est, quorum herbarii cæteri penitus ignari, nullam mentionem fecerunt, quia ipsimet ignorârunt artẽ, quæ ex 4. gradu, 24. grad. producerent, & hinc demum 32. grad. educere. Vbi adeò potentes medicinæ sunt, ibi natura alacriter coincidit & cooperatur. Multi admodum anxiè in conscribendis herbariis & naturalibus rebus laborâ-runt. Si tamen rem videas, intelliges ipsos non nisi audita consignasse, nec an vera, an falsa sint, com-pertum habuisse. His succedunt postea Neoterici & Moderni, & ex variis varia colligentes, libros incon-ditos consarcinant, de veritate interim & mendaciis parum solliciti. In eiusmodi talium Auctorum libris, vbi

vbi non nisi hæc verba subindè inculcantur, Ille hoc inquit, Iste hoc expertus est &c. non possunt non mendacia multa reperiri. Quos si roges, Ecquis hoc tibi dixit, tandem descenditur ad moniales & Vetulas, quæ ex opinione sua talia commenti sunt. Qui librum conditurus est, non est vt fidat his, qui merè audita recenset. Fidant autem illis seriò, qui ex Experientia propria loquuntur. Hinc enim absunt nugæ, neniæ, vetularumque somnia, quibus hactenus Scriptores illi nimis oscitanter acquieuerunt. Templum suum super arenam exstruunt. Ideò etiam morbus qualibet ipsorum medicina potentior est. Hæc est illa inundatio, quæ templum ipsorum cum omni scientia abripit. Scriptorum huiusmodi iam plena quadam Lerna est. Abundant enim ad comportanda mendacia otio. Cùmque post fornacem talia agantur, parum illi curant, verum an falsum sit. Nomen & honorem sibi struere, hoc vnum satagunt. Et cum Mundus velit decipi: assumit illi vndecunque ex Poëtis & Rhetoribus fabulas, vt sic industrii videantur. Hæc illorum scriptio: qui nullius vsus & commodi est.

Med. reprehens.

DE CARDVO ANGELICO.

Cardui Angelici operatio similis Lunæ.

RAdicis Cardui Angelici ea est operatio & natura, vt instar Lunæ vires ab alio extrahat, & gestori suo illas inferat. Iam sciendum est, quomodo id fiat naturaliter. Sic constituimus. Quicquid in lumine Naturæ Ars præstare potest: idem etiam præstare potest natura citra artem. Pone, artem posse medicinam viresque extrahere ex herbis, & illas homini impertire, sicut videmus id in medicina probari, vbi ex herbis petitæ vires homini ingeruntur ægroto. Iam vicissim hoc etiam natura potest, vt medicinam sumat ex aqua, terra, astris eámque in vnum corpus, herbam aut lapidem congerat. Sic quicquid vndecunque assumpsit, porrigere id homini potest in herba aut semine. Hoc si verè & naturaliter fit: non in hoc id tantùm fieri putabitis, sed statuetis multò mirabiliùs eadem fieri apparere, si ad fundamentum medicinæ & naturalium virtutum descendatur. Quid aqua facit? vni adimit: alteri dat. Non item ignis: qui omnia adimit, nihil dat. Sic medicinæ etiam quædam sunt, qui vni adimunt, & alteri addunt. Sic vires etiam sunt, quæ vni auferunt, nulli dant quicquam.

Dictum hoc Euangelicum est, *Auferte talentum ab eo, qui habet, & date ipsum non habenti, &c.* vt auferatur etiam id, quod non habet. Iam robur alicui auferre, ablatio valida est. Quod si verò alter robur illud non vsurpat, sed perire & corrumpi sinit: fas vtique est, vt id ab eo auferatur, maximè cum adiuuare in eo natura possit. Iam multa sunt, quæ auferunt, nemini tamen reddunt. Sunt etiam, quæ auferunt quidem, sed reddunt. Sunt nimirum, quæ hominem ratione sua spoliant, illúmque ferum & insanum faciunt. Illa tamen ablata, nulli alii conferuntur. Sunt etiam, quæ sapientiam vni auferunt, & alteri illam reddunt. Hæc omnia initio apud Ægyptios valuerunt, qui per suos Gamaheos fortunam alii ademerunt, & eandem in infortunatum transtulerunt. Idem verum etiam est de victoria. Victoriæ enim nobilissimæ, quas Alexander Magnus, C. Iulius Cæsar duxerunt, non per inclinationem ad eosdem penetrârunt, sed aliis ademptæ, his collatæ fuerunt. Nec his tantùm, sed & aliis multiplici ratione. Inuentores & præparatores huiusmodi Gamaheu fuerunt Magi. Nam & hæc scientiæ Magicæ species est.

Alexandri & Cæsaris victoriæ vnde.

Gamaheorum inuentores Magi.

Multa dici possent de Lapidibus natis, seu Gemaheis naturalibus, qui amorem & amicitiam, aut odium conciliant, gaudiúmue, dolorem, victoriam, fortunam, infortunium, doctrinam aut inscitiam summis ac imis conferunt. Hic quicquid vni adimitur, id alteri datur, pro naturalis influxionis modo. Nam & hæc per naturalem Magicam præstari possunt. Omnes autem huiusmodi naturales & natiui Gamahei, discriminis causa vocantur Angelici, qualis est cardo. Angelici autem vocantur, quia vires & robur suum aliis auferre possunt, quódque ea operatio veluti Angelica in natura existit.

Gamahei angelici.

Hoc Gemmarum genus hodiè penitus obliteratum est & intercidit, vt iam nec maiores, nec minores suppetant. Quanquam iustum sit, vt, quæ bona in malos vsus conuertuntur, remoueantur, sicut legimus de speciosa illa virgine seu muliere, quę septem viris nupserat, omnibus ipsam propter venustatem ambientibus, quorum tamen omnium colla Diabolus fregit, & eosdem iugulauit. Itaque quod bonum, & nimis bonum est, instiùs occultatur, quàm manifestatur: ideò cumprimis, quia, quò diutiùs mundus viget, eò subindè nequior fit propter concurrentia offendicula ad absentiam timoris diuini.

Idem sentietis etiam de carduo Angelico, quòd vires habeat, à naturali influxione prædestinatas. Hæc enim eius est prædestinatio definita Nam si Deus singulariter aliquid per naturam operaturus est, quod metas Naturæ transcendat, & sit peculiare secretum, aut Magnale: tunc id prædestinatio diuina est, vt id faciat ac operetur. Sic nonnulli etiam hominum, veluti quidam Prophetæ & Apostoli, &c. in prędestinatione ambulârunt sibi definitâ, & insuper ad hoc à Deo supernaturaliter dotati fuerunt. Sic ergo prædestinatio non in omnibus est, sed in illis tantùm, quæ Deus proponit. Qui à Natura in suo robore prędestinati sunt, hi id facere possunt, vel omittere. Penes ipsos enim id stat, prout à Natura instigantur. Ita & hîc in Carduo Angelico prædestinatio adest ex Natura à Deo tamen ordinata, vt sic necessariò fiat, hoc est, vt vires taliter sese exerant. In irrationalibus enim herbis verbum nullum est, vt in hominibus, quæ instar arundinis in vndis stant, vt illud Compelle intrare impleri omninò oporteat, hoc est, si Deus iam Apostolum eligit, vi eum necesse est ducat & trahat, quò is non vult. Si idem natura quoque vult, fiet. Si poteria illius Cópelle intrare, desit, ibi prędestinatio nec à Deo, nec à Natura quicquam est, sed homo in luxum voluntatis abripitur, quod nulla herba aut radix facere solet aut potest.

Prædestinatio quid.

Verum quidem est, multas complexiones existere, quibus nihil adimi queat: multas, quibus ipsarũ vis facilè auferri possit. Leonistis enim, &

enim,& Capricornistis, & Scorpionistis ac Ariëtistis, virtus sua non facilè adimitur, sed cæteris. Rarius etiam Tauristis, maximè tamen & promptissimè Lunâ augescente. Processus ac ordo ipsius effossionis hîc describendus non est. Cùm enim Humoristæ & ipsorum asseclæ horum Lectores futuri sint: quid iuuet, si ante ipsos margaritæ effundantur, in lutum calcandæ?

ADDITIONES THEOPHRASTI.

Vsus Cardui Angelici.

QVi hac radice vti velit, huic magno labore vis eius aquirenda est. Nam sine magno labore nihil præstat. Vidi aliquando, virum quendam in Alsatia à Ruffaco in Sulz, per integrum milliare dolium vini, tres centenarios pendens, sibi impositum baiulasse & 12. viros alios vacuos assumpsisse comites, quos anteuertendo ita defatigatos faceret, vt pari cum ipso passu ambulare non possent illi, sed eneruati porè sequerentur, & posteris diebus toti infirmi decumberent. Ego, qui id videram, aliquandiu pòst præsumebā mihi, infirmos istos eodem modo iterum roborare. Satuebam ad illos robustos, cum debita radicum copiâ, ne quis defectus esset. Sed aliquoties frustra ludebam operam. Quo labores sunt grauiores, & maiores, eò plus radix iuuat, vt vnà operantes & astantes eneruentur. Tempus saltem ac dies obseruetur, quo radix comparanda sit.

Historia de gestatione centenariorum.

Sed & hoc verum est, quòd nonnulli, laboribus validis operam dantes, clam & silenter homines sibi asciuerint, & tantum sibi robur comparauerint, vt Natura interna sese recolligens, motu violento expelleret Apostemata per lotium & sedes, insuper etiam vermes, vt integrè postmodum valerent. Huiusmodi operationes multipliciter fiunt. Vnde illis, qui robusti sunt, & operis vacant, ad abditorum morborum probationem iure assumuntur. Virtus enim illa morbos omnes elidit. Vnde liquet satis roboris radicem illam conferre.

Sed & hîc euenit, vt si virtus vni extrahitur, ille, qui ipsam adipiscitur, eam imitetur. Si alter est crudelis talis fiet [illegible], qui suscepit. Si robore suo nequā est, talis fiet & alter. Si piger est, piger fiet & alter. In viri enim robore congenita quoque vis quædam latet, ita vt virtus & vis, velut & vires ac mores, ac materia & inclinatio cohæreant & sese comitentur.

DE CORALLIS.

Corallorum genera quę.

CORalli rubei duplicis sunt generis seu Naturæ. Alia natura est eorum, qui obscurè rubei subpurpurascunt aut semini grescunt. Alia natura est eorum, qui nitidè & splendidè rubei existunt. Vt verò coloribus: ita & viribus dissident. Genus præterea etiam aliud est, pallidum, quod nullarum ferè virium existit. Quò enim rubei coralli plùs à rubedine decedunt, eo minùs efficaces ac vtiles sunt.

Corallorum vires.

De corallis experientia notauit, quòd rubei, pellucidi & nitidi, integri coloris, ramosi & non detruncati in plenis viribus versentur. Vbi autem rimæ gliscunt, ibi virtus perfecta non adest. Multum etiam virium perdunt, si detruncentur. Sicut arbor, cuius aliquot rami detruncantur, tantò pauciores fructus profert: ita tantum etiam decedit corallis mutilatis, tam purpureis, quàm splendidis & rubris. Latina appellatione corallos nitentes voco corallos Rutilantes: purpureos, his diuersos, voco corallos caliginosos.

Coralli qui optimi.

Porrò coralli Rutilantes amœni sunt & delectabiles. Calliginosi contra inameni & aspectus iniucundi. Qui ergo corallos gestare satagit, siue iunior siue senior sit, is vitet caliginosos, amet rutilantes. Quò enim interuallo distant gaudium & mœror, risus & ploratus: eodem etiam duo hæc corallorum genera. Sedulò ergo opera danda, vt rutilantes sumantur, spretis caliginosis, idque propter isignem differentiam: qua dissident. Suscitaturus enim gaudium in alicuius infirmi animo, si caliginosos sumas, morbum & animi tristitiam potius augebis.

Coralli quibus malis aduersētur.

De rutilantium corallorum virtute hoc primùm tenendum est, quòd prosint ad imaginationes, phantasmata, Spectra Melancholiam, &c. Hîc ergo iam explicandum est, quidnam phantasia, phantasmata, spectrum, melancholia sit, vt morborum discrimen aliquod sciatis propter vsum corallorum, quorum alij aliis morbis sua naturâ subueniunt.

Phantasia quid.

PHANTASIA est, quando homo citra causam, suomet instinctu multa cogitat & laborat in scientiis, sapientiâ, industriâ, & doctrinâ, &c. Ista autem quia prompta non habet, prout expetit: ideò cogitationes, & animum intendit fatigátque, quo modo, quod vult, ad sensum suum dirigere aut cogere possit. Ad hoc rutilantes coralli ei multum conferunt, dum nihil impuritatis ei instillari patiuntur, aut à Diabolo, aut cæteris, qui hominem in suâ phantasiâ seducere possent. Caliginosi autem ad contrarium ipsum promoueant, nempe ad Phantasiæ seductionem.

Corallorum rutilantiū & caliginosorū operatio est contraria. Phantasmata quid.

PHANTASMATA sunt spiritus nocturni, à natura procedentes, qui aliquid humani intellectus habent, & hominem quærunt, eum cumprimis, qui ipsis cōiungitur. Hi multiplices sunt, boni & mali, non tamen visibiliter, & tamen hominum amantes, ac instar canum cum ipsis conuersantes. Penes ipsos tamen nihil quærendum est, cùm nudi & inanes sint spiritus, hominem grauaturi & molestaturi. Hi rubeos corallos fugiunt, vt canis baculum. Ad caliginosos autem confluunt & congregantur. Sunt instar incuborum aut succuborum, qui ex phantasiâ gignuntur.

Spectra quid.

SPECTRVM, sunt visiones, quæ prodeunt ex Astrali corpore hominum mortuorum. Homo enim corpus duplex habet, vnum ex Elementis, alterum ex firmamento. Elementale moritur, & in terra putrescit, vbi sepultum est. Alterum obuolitat in aëre, supra terram. Huiusmodi corpora Ætherea hominis defuncti si apparent, spectra sunt. Hi corallos rutilantes fugiunt, ad caliginosos autem alliciuntur.

Melancholia quid.

MELANCHOLIA est morbus, hominem inuadens, vt nolens volens euadat tristis, omnium pertæsus, lentus, variisque speculationibus abripiatur ad mœrorem & plorarū, &c. Melancholia hæc fugatur corallis rubris, accersitur & intenditur caliginosis.

Hæc pro noscenda corallorum differentia vobis explicare visum est. Quam vt meliùs intelligeretis, quatuor visiones exempli loco vobis proponere volui.

P 3 ADDI-

ADDITIONES CAVSARVM THEOPHRASTI.

Iam vobis etiam expedienda causæ sunt virtutum & operationum corallinarum. Multis enim hæc non naturalia, sed superstitiosa videri possent. Causa autem hæc est. Quatuor prædicti morbi omnes ex natura oriuntur, non contra naturam à Diabolo aut Spectris &c. Iam si naturales sunt, velut Astronomia & compositio humana, & putrefactio Microcosmi docent: Natura etiam ad omnia ea quæ naturalia sunt, aut à natura descendunt, suum Secretum & Mysterium paratum habet. Et contra dicta quatuor ex naturalibus secretis vnum sunt Coralli: quorum præterea alia quoque sunt. Sic natura est aduersus naturam, hoc est, contra naturam cùm natura. Rutilantes enim quod fugant, id caliginosi retinent: idque omne fit ex virtutibus naturalibus, à natura.

Plura de Corallis & ipsorum viribus.

Coralli tēpestates arcēt. Arcent illi tempestates graues, fulguris, fulminis, grandinis. Si debito modo & loco adhibeantur, à tempestatibus sæuioribus, noxæ nihil manat.

ADDITIO NATVRALIS THEOPHRASTI.

Si intellectu nostro aduersus pluuiam tectum, aduersus hyemem hypocaustum, aduersus Solem vmbraculum facere possumus, vt ne lædamur: poterit & natura præstare hoc, vt ne citra tectum tempestas, &c. quoquo modo noxam inferre queat. Si talem in cœlo ciere tempestatem natura potest: contra eandem poterit etiam struere præsidium. Exempli gratia. Potest producere morbos: potest etiam contra illos facere medicinas. Sic cuilibet rei naturali suum creatum est contrarium quod resistat. Hoc ergo fine Deus creauit illum, qui hæc intelligit, & vnà creauit etiam cætera ex terra.

Vlterius.

Coralli arcent mōstra. Expellunt etiam fera monstra. Monstrum est, quod cœlum excludit contra ordinem naturæ. Sic si excludit sperma, ex eo fit monstrum, hoc est, animal, quod in numero creatorum non consistit. Huiusmodi monstra homini præcipuè aduersantur, & variè pro spiritibus, pro Diabolis, & similibus habentur, ideò, quia non ex naturali, sed contrario ordine progenita sunt. Huiusmodi monstra corallis fugantur.

ADDITIO THEOPHRASTI.

Causa hæc est, quia etsi à natura sunt, & ex natura prodierunt, naturæ tamen contrariantur. Natura ergo à Deo præsidium accepit in ipsa quoque natura, ordine naturali proueniens. Præsidium id, quod contra naturam à natura productum est, expellit. Huius generis sunt monstra, de quibus in de Generat. rerum & monstrorum plura traduntur, hîc non repetenda.

Vlterius.

Coralli fugant Diabolū. Coralli hi si deponantur, gestentur, aut inuoluantur loco idoneo, arcent Diabolos seu Spiritus, homines obsidere volentes, quorum apud homines multi sunt, inuisibiliter, qui hominem, etiam tale non cogitantem, ex sese mentiri, decipere, &c. docent. Huiusmodi spiritus arcentur ab illis, apud quos versantur, vnà cum dolis dictis & mendaciis.

THEOPHRASTVS.

Et causa hæc est. Quo pacto Diabolus fugit Solem, quem ferre non potest, quia diem seu lucem odit, amat autem tenebras: ita fugit etiam corallos, ideò, quia hos Deus singulariter præ cæteris crescentibus dotauit, non secus ac Solem stellis cæteris omnibus prætulit. Sub omnibus stellis versari potest Diabolus: secus autem sub Sole. Ita nec versari cum Corallis potest. Coralli enim rutilantes secretis suis æquipollent Soli, caliginosi Lunæ. Apud caliginosos manet Diabolus, velut & apud Lunam.

Vlterius.

Vbi sunt coralli, ibi multiplicantur fructus in campo, agris, hortis.

THEOPHRASTVS.

In corallis etiam hoc Mysterium & Secretum conditur, vt agros custodiant ab auibus, aut vermibus & insectis, agris nocentibus, velut & ab aliis spectris, agris nociuis & damnosis. His inquam omnibus coralli aduersantur, & ea abigunt. Itaque agrum augent fructibus. Fruges enim valdè læduntur à spiritibus nocturnis seu corporibus sydereis. Coralli agros custodiunt.

ALIA ADDITIO THEOPHRASTI.

Forma corallina prout per se est, ex caudice noscitur. Venter & dorsum per se satis signata sunt. Hinc patet, dextram & sinistram partem initio cognoscendam, velut & eodem modo gestandam esse. Si forma illa reperiri non potest: ibidem quoque defectus aliquis est in viribus & virtutibus, corallo debitis. Totum enim hominem formant, adeò, vt non corpus tantum forma, sed omnis insuper corporis numerus vnà cum neruis & arteriis reperiatur. Quo plures rami, eo meliores. Dorsum ponè, venter antè fit, vt conueniat cum corpore gestantis. Corallorum signa [illegible]

Virtus de Corallis.

Prosunt grauidis & puerperis, quia plures casus & symptomata, plures tentationes & mœrores patiuntur fœminæ viris. Hinc Corallis fœminæ carere non debent, sed easdem lucentissimos & pulcherrimos eligere. Coralli grauidis vtiles.

ADDITIO THEOPHRASTI.

Pergam disserere ad vos de corallorum natura. Manifestum est, quòd Diabolus obsidere soleat homines. Multò magis idem obsidebit pecora, canes porcos, aues, quibus homo singulariter oblectatur. Sic etiam obsidet pruinam, tempestates, fulmen, grandinem, & alia plura. Cùm ergo natura ab immundis spiritibus obsideatur: sequitur iam inde naturam quoque per suas ipsius vires sese liberare iterum posse: non quidem per seipsum, nec per vires proprias, sed per suum simile, quod à Deo in eius roborationem conditum est. Vt remedium datur contra morbum: sic remedium etiam suum naturæ datum est contra malignos spiritus. Sine intermissione ergo coralli vsurpandi sunt, quia instar medicinæ ex terra prompta contra omnes morbos prosunt.

Plura de viribus Corallorum.

Sistunt omnes fluxiones matricis, tam rubras quàm albas, easque ad essentiam naturalem reducunt. Coralli curant fluxus vteri & alui.

Similiter etiam fluxus omnes ventris, dysenteriam, lienteriam, &c. tam in iunioribus, quàm adultis.

Commodant etiam in puerperio, vt feliciter, & cum valetudine fœtus edantur. Facilitant partum.

Præterea bonas, lętas & faciles complexiones ingenerant, & ruditatem naturæ omnem in animis attemperant. Lætitiam gignunt.

Porrò sistunt etiam sanguinem venarum, narium, vulnerum, hæmorrhoidum. Hæmorrhoides sistunt.

Epilepsiam curant. Curant etiam caducum, rectificando Naturam, vt ne ægri cadant: qua ratione etiam tam iuniorum quàm virorum mediæ ætatis, tanquam principale quoddam, epilepsiam tollunt.

ADDITIO THEOPHRASTI.

Porrò de correctione notate, me hoc loco formā Esse specificati nullo modo corrigere velle aut posse. Quicquid enim in suū terminū Deus posuit, & ad suū gradū prædestinauit id nemo vel exaltare vel humiliare potest. Deinceps autem, quod est in forma Esse Essentificati, secundum id, quod mihi licet, correctionem & additionem in corallis ponam. Mirabilia enim sunt ipsorum Mysteria, Arcana, Magnalia & Secreta. Qua de causa correctionem & additionem omittere non possum. Nec verò cæterorum scriptorum, qui de illis quoque commentati sunt, exemplo & more ieiunè percurram. Illorum námque scripta similia sunt statuæ vel imagini, quam pingit pictor, & tamen cuius sit, ignorat.

Correctionem quaem coralli admittant.

Cæterùm iam ab initio is Philosophorum omnium mos fuit, vt bonum à malo separaretur, & purum ab impuro disgregaretur, hoc est res omnes mori debent: Soli animæ manendum est. Si ergo manendum animæ & putrescendum corpori est: iam constat antè, quòd, nisi semen putrescat, fructus nullos proferat. Porrò putredo solius corporis est. Bonum, Essentia & anima putrescunt minimè: sed hæc à putredine excipienda sunt. Exceptione facta, iam margarita per se sola præsto est, in qua vires omnes collocatæ sunt. Idem etiam similiter de corallis iudicandum est. Nempe si margarita ab illis extrahitur residentia magna remanet. Margarita enim semper exiguum quid est, respectu eius, quod inutile est. Sciendum ergo, margaritam ex corallis virtutem eam exerere, vt omnes fœminarum vitiosos fluxus, absque vllo totius corporis damno præcidat. Alias enim si fœminarum eiusmodi profluuia loco vno sistantur, alio loco oriuntur deteriora. Hîc verò idem non accidit. Ea enim sanatio exquisita & integerrima est, id procurans, vt nihil indè detrimenti sequatur. Et remedio illi nusquam similis thesaurus reperiri possit. Idem præstat etiam in fluxibus alui, qualescunque sunt, vel vndecunque oriantur. Qui etsi quidem extremi gradus essent, corrigerentur tamen, & ad statum meliorem perducerentur.

Corallorū margaritæ quanta præstātia.

Dotes tam excellentes Deus margaritæ indidit, viribus omnifariis, prout eas sua serie recensuimus, insignes. Assumpti intrò sanguinem vndecunque manantem in corpore sistunt. Si cum decem vel quindecim guttis sumantur, Epilepsias omnes tollunt, modo admirando in fœminis, pueris, & viris. Qui bibit de illis quinque continuis septimanis, is à caduco liberatur.

Porrò non inficior, hîc quoque fieri posse Additionem, videlicet cum secreto carniolæ, vt fiat præstantius. Potest etiam addi vitrum Martis in forma liquida. Additio prima fit propterea, quæ sisti debent. Secunda propter caducum & Epilepsiam. Possunt etiam in circulatorio rectificari, non autem in eo de quo Artista loquitur, qui se Alchimistam esse putat quidem, sed merus tamen nugator est.

DE VIRIBVS MAGNETIS.

Additio Theophrasti.

Primùm in genere commonefaciendi istis, quòd in Magnete vis quędam attractrix condita sit, quæ admiranda ratione vltra captum naturalem ferrum, chalybem & alia attrahat. Iam cùm Magnetis hęc operatio omnium oculis euidens & exposita sit Medicis; cur illi non expédẽrunt secum, an Magnes non etiam ad alias necessitates adhiberi possit, vel minus? Hanc enim experientiam cęteri Medici vniuersi neglexerunt, soli quæstui culinari inhiantes: quod tamen prętextu honesto nullo palliare possunt, ideò, quòd, cùm tam præstans subiectum præ manibus haberent, & eius operationem suismet oculis liquidò viderent, in eo tamen cognoscendo & experiendo tam somnolentos & torpidos sese præstiterint. Etsi vniuersas quidem Magnetis virtutes, quas descripserunt veteres, huc congeram: nihil quicquam tamen magni scripsero. Qui de Magnete scripturus est, huic opus est, vt additionem & correctionem proferat. Sic à tergo mihi illi vniuersi stabunt.

Magnes attrahit ferrum &c.

Medic. reprehẽs.

Sæpiùs ad nauseam mihi pediculosi illi Doctores & Pharmacopœi ingeminant, quòd scriptorum veterum auctoritatem ratam habere recusem. Sed cur imiter inexpertos? Videte enim, de solo Magnete quicquid scribunt, nihil est. Iam contrà videte, qualianam ego scribam, & cum illorum scriptis eadem iusta lance trutinate. Et nisi mihi ipsi ad Experientiam ductor fuissem, per illos vtrique veteres totus cœcus & exocultus in Medicina mansissem. Interim qui maiora & penitiora quæro, ob id reprehendendus minimè sum, quòd desertionem ab ipsis facio. Huc me experientia adigit, vt hanc, non illos sequar. Et prolixitatem hanc meam præsentem quęso nemo ęgrè ferat. Nam fateor, hęc quidem ad Magnetis descriptionem nondum facere, admonitionem tamen eiusmodi præmitti, visum mihi commodum fuit.

Narrant Scriptores veteres, Magnetem attrahere ferrum, &c. Hoc per se verum cum sit, nullo scriptore opus habuit, cum quiuis etiam bardus id videat. Iam quęro, an sufficiat tradere id, quod agrestis quiuis videt, an verò non opus sit etiam illa, quæ rusticus non videt addi? Id vt fiat, fas omnino ac ęquum mihi videtur: nec tam somnolento pede hæc via terenda est. Pudenda ea Philosophia est, quę plus non affert rustico. Ego ex experientia, rerum omnium magistra, vnà cum ipsius Theoricâ ex experientia manãte, affirmo, Magnetem esse lapidem, cui insit vis attractrix ferri & chalybis, prout in propatulo est: cui adde vim attractricem omnium materialium totius corporis morborum. Prisci Humoristæ multa de quatuor Humoribus nugati, turpes in medicinam errores inuexerunt. Ego contrà assero, quòd secundum Planetas morborum cognitio, quàm secundum Humores multò expeditior sit. Interim cùm illi, antiquam cantilenam pergant canere, nonnisi Humores crepant. Demonstrat id Experientia, Magnetem ad se materiales morbos omnes trahere, à loco scilicet suo ad alienum, vnà cum coniunctis illis excrementis. Iam explicandum vobis est, quidnam materiales morbi sint. Hi nimirum sunt illi, quos Magnes demonstrat, dum illos instar ferri & cha-

Philosophus rustico sublimiora dicere debet.

Magnes quid.

Magnes morbos materiales attrahit.

Morbus materialis qui sit.

& chalybis attrahit. Cęterùm illius classis morbi hi sunt: Fluxus omnes mulierum, qualescunque sint: profluuia omnia ventris: item morbus quiuis, qui à centro suo in circulum dilatabilis, in centrum reduci potest: item omnis diuersio fluxuum, qui à radice in ramos effundi sueuerunt, vt in radice contineantur. Hę iam sunt virtutes, quas Magneti assigno: nihil faciens cæterorum scriptorum nugas, siue illi recentes siue veteres sint.

Magnes morborum centro imponēdus

Sed vt institutum meum vrgens, vbinam Magnes iacere debeat, explicem: hoc saltem à me admonendi estis, vt ponatis illum super centrum, ex quo morbi egrediuntur. Demus exemplum. Si menstruum, si profluuium vel album, vel rubrum infestet, ponendus is est in centrum, hoc est super primas radices, vbi initium est. Ita definet. Si Diarrhœa fit, iterum imponatur centro, vbi diarrhœa incipit. Sic alui fluor sistetur. Similiter & in cæteris morbis, per vniuersũ corpus sese diffundētibus, vltra quàm centrum comprehendit, centro illorum rursus imponi debet. Sic extra locum eum illi non efferentur. Per diuersionem & attractionem eiusmodi sistuntur excrementa, & superfluitates cohibentur in suo loco, vnde postea facilè elici possunt per naturale Emunctorium vi debitæ medicinæ poscente ita necessitate, coadiuuante vera digestione. Etsi enim fluxus quidem sistatur, æger tamen ob id nondum conualuit. Hoc tamen ibi commodi est quòd in suo loco digestio perfectior fieri, & maturior effluere citra cruditatem possit. Sic etiam in colicâ cauetur, vt ne contractura sequatur. Ibi námque materia peccans conseruatur in suo loco, in quo etiam digeritur, & decenti naturam ordine natura expellitur, qua tempestiuâ expulsione colica quoque & contractura simul educũtur.

Morborum fluxilium summa curand. ratio quę.

Hoc summam omnem confero, quòd nullus mihi in omni medicina videatur thesaurus exstare pretiosior, quàm vt morbus in suo centro cohibeatur ita, ne illud egrediatur: & postea vt Medicus peritus sit illum in suo centro digerendi & maturandi. Hoc facto, morbus naturaliter & non pręternaturaliter exire potest, siue bonus siue malus sit. Immaturum autem effluere sinere morbum velut in profluuiis & Dysenteria fit, &c. id omnibus dedecori Medicis est, quòd morbos nesciãt sistere in suo loco, & ibidem eos maturare, & maturatos, non crudos & impręparatos expellere. Ea tamē imperitia omnibus Medicis familiaris est, quòd nec cohibere, nec digerere possint: quorum vna hęc ars est, in alia parte salutem, in alia interitum procurare. Notandum pręterea, eodem modo etiam hydropem in loco cohiberi ibidem digeri, & naturaliter expelli. Et licèt alij quoque in hydropisi modi sint: alius tamen fit per naturam Magnetis, alius per naturam hydropisis: vt verum maneat, medicamenta multa pro vno morbo prestare, etsi vnum ab alio diuersum sit. Inspiciendum ergo, quid natura, & quomodo id præstare velit possitúe. Et hoc non in morbis corporis tantùm, sed etiam in cęteris chirurgicis obseruandum est. Per Magnetem enim hernia cohibetur in suo loco, & exitus sanatur. Sic per eundem vlcera antiqua & manantia retrò ad locum suum trahuntur, & tandem per genuinum emunctorium matura non cruda educuntur. Basis ergo rei omnis in hoc consistit, quòd per Magnetem res in suo loco cohibeatur. Postea adduntur coadiuuamenta, quæ in loco operantur, quemadmodum operari debent.

Peculiares ordinationes in quolibet seorsim morbo per Magnetem D. Theophrasti.

Magnes & ventris habet pelle Magnes dorsum habet & ventrem.

VT verum adhibendi Magnetis vsum calleatis: omnium primò tenente, ipsum ventrem & dorsum habere, cùm ad se attrahendi, tum à se expellendi. Hinc iam primò digrediemur ad sermonem de profluuiis fœminarum, quæ in suo loco cohibenda sunt. Hinc processus oritur, vt dorsum in fine lineæ, & venter in eiusdem initio collocetur, vtraque parte cum suis cauitatibus contra se mutuò formatis. Et non in profluuiis tantùm Menstruorum rubeis albisúe, verùm etiam in omnibus aliis profluuiis ventris, quomodolibet contingentibus, processus is seruandus est. Hoc modo vtraque profluuia in suo centro cohibentur. Postea vsurpanda sunt Morborum Maturatiua & Digestiua. Sic in stomacho, nihil coquente, sed cibos crudos emittente, si tamdiu in stomacho retinentur, donec ad iustam digestionem illum reducas: sic demum secessus fit naturalis. Naturale cohiberi non potest, sed tantùm præternaturale, donec naturale fiat. Idem faciendum est etiam in matrice, eo fine, vt omnia ad perfectionem naturalis suæ decoctionis redigantur, ac demum ordine naturali secedant.

Pro his ergo Additionem talem notate. Pro stomacho & intestinis assumantur idonea ad digestionem remedia, velut & ad vterum. Hæc loco hoc tradi non debent, cum aliàs abundè satis vobis cognita sint.

Vteri suffoc. per Magnetem cur.

Similiter & in suffocatione vteri, ab eo loco, ad quem tendit, vterus deorsum trahendus est, nimirum per ventrem, qui hoc loco sursum spectare debet, poníque inferiùs, & dorsum superiùs. Sic vterus in suo Centro manebit, nec ascendet. Hoc modo ipso in centrũ reducto, postea conuenientia matricis medicamina adhibenda sunt, velut *Mica nigra*, *Corallorum perla*, & his similia alia. Ita effectus cessabit, & cura perfecta erit.

Caducus per Magnetem curatur.

Idem similiter etiam sciendum est de caduco, hoc est, de omnibus speciebus Epilentiæ, vndenam moueatur ac surgat, prout semper ad capitis verticem contendit. Ibi venter infimè, dorsum summè ponatur, & deorsum trahatur. Et non vnico saltem loco, sed inferiùs in omnibus hominis locustis ventres 4. modis collocentur. Vnicum verò dorsum tantùm contra illas quatuor ponatur. Hoc modo morbus à capite ad centrum retrahetur. Sequitur postea additio, vt Triagummatũ adhibeatur externè in via ad cōfortandum. Deinde propinetur Esse Essentificatum, & cordis confortatiua. Sic nimirum vos Medici minimè Medici sciatis, hoc modo omnem caducũ tolli senũ ac iuuenũ. Paragraphus autem

autem presens plus vtilitatis continet, quam illa omnia, quæ Humoristæ à primo ad vltimum omni sæculo aut scripserunt, aut in suis Academiis docuerunt. Quòd si honestatis & doctrinæ potiùs, quàm quæstus culinaris studiosi fuissent: solum Magnetem aggressi plus efficissent, quàm vniuersi illi Academiarum nugatores. Magnetis autem satis habet natio Germanica. Nihilominus tamen ipsi transmarina sectantur, & quæ ante fores nata habent, negligunt. Sic fit, vt nec illa, nec hæc nôrint: quòd inanis ipsorum garritus prodit.

Idem modus facit etiam pro tollendo spasmo. Eo ad centrum suum diuerso, tandem inunctio fiat cum oleo salis. In tetano etiam cum dorso Magnetis procedendum est. Prægnantium autem spasmo hæc medicina cumprimis conferens est.

Veteres Medici vnà cum suis complicibus, multa quidem de defluxionum, in oculos, aures, os, nares aut exteriora membra decumbentium, & sibi ipsis emunctoria & exitum per fistulas, foramina, vlcera, &c. molientium diuersione blaterârunt: quorum tamen vniuersum consilium vix farcimine dignum est. Fundamentum enim verum ad centrum diuertendi nec attigerunt, nec docuerunt, solis nimirum clysteribus, & purgationibus vacantes. Remedium autem fluxiones diuertendi palmarium est Magnes. Si pro loci conditione, dorsum centro, & postea venter centro obuertatur: tunc fluxio omnis, vbicunque in parato emunctorio sit, ad centrum suum reuertitur. Ea postmodum est in centro rectificanda, digerenda, & maturanda in loco, & à maturatione tandem ex centro expellenda. Itaque quid vos erronei Medici agatis, iam videte tandem. Fluxiones studetis deriuare crudas, non maturatas: cùm tamen fluxio nulla diuersione in locum alium agitur, nisi in Loco nato priùs maturata probè sit, æstimate iam verò, quomodo in Locum natum illam deducere possitis.

Med. reprehensi.

Magnes eminendarum fluxionum remedium primarium.

An purgando? Id quidem impossibile est. Vlteriùs, quàm ad podicem, eam minimè deducetis. Per podicem eam exigetis, & quidem crudam adhuc immaturamque existentem, quo facto quidem morbos augetis. Additio ergo est, vt si fluxio in Loco nato hæreat, ibi maturetur, & naturæ eiicienda indè committatur. Maturatio hæc fit per *Esse Essentificatum* de Lapidibus vini, pro ratione præparationis in lumine experto traditæ. Hoc modo etiam sanãda sunt crura vlcerosa, & cancer, & fistulæ, ac similes alii. Excipitur tamen *Noli me tãgere & Tentigo praua*, quocunque corporis loco sint.

Similiter etiam de sistendo sanguine notate. Vndecunque is menat, centrum semper illius exitus considerandum est. Postea venter dirigatur ad retrahendam fluxionem, & dorsum ad eandem reprimendam. Sequuntur hæc Additiones, vt potiones administrentur, quibus sanguis ad suum centrum reducatur, & furorem ac ebullitionem deponat. Si enim ille instar aquæ in olla ebullientis, refrigeretur, malum cessat. Hæc faciunt secundum meum processum aquæ Cordiales. Alius sua experimenta vsurpet. Cuilibet liberum est conueniens suum adhibere. Qualis enim ille est Medicus, qui planè nullam experientiam habet? cuius ars omnis in hoc consistit, vt depingat iam in aliis libris picta, & ficta? Idem processus etiam in hæmorrhoidibus tenendus. Absque eo enim, & maturatione ac infrigidatione, perfecta cura nulla est.

Et hæc de Magnete commentari placuit, ex fundamento eo, quod Natura ipsa docet ac demonstrat. Quæ cùm seipsam & suas operationes euidenter exhibeat: cur illis, quibus facultas commendata Medica est, non licitum sit penitiùs in Experientiam intrare? Vbi enim desinit Philosophus, ibi incipit Medicus. An nõ hîc verus est Philosophus id, quod Magnes ipse indicat: Eo cognito, an non Medicum porrò inquirere deceat? Natura producit arborem. Eâ productâ, vt Philosophus ipsa cessat, quid fit? quid sequitur? Tignarius. Vbi natura desinit, ibi incipit tignarius. Is iam ex arbore facit domum, velut arcularius cistam, tornarius cyathum, sculptor imaginem. Idem facere etiam debet Medicus, hoc exemplum imitando, & latiùs rem secundum demonstrationem naturæ extendendo, vt eius ductum ipse sequatur. Nam vt eadem arbor ad multa, non ad vnum tantum bona est: ita & Medicina vna. Quare ad multos morbos extendenda est.

Nec verò in iam comprehensis saltem morbis Magnes vtilis est: sed idem contrahit etiam rupturas, & eas mirabiliter in omnibus ætatibus sanat, & extrahit Ictericiam, ac retrahit Hydropem cum additionibus decentibus, de quibus plura hîc verba facere, nimis prolixum foret: maximè cum omnis processus sit seu consistat in attrahendo, repellendo, in loco digerendo, & rupturam in Didymo &c. consolidando. Hæc ex practica clariùs discuntur, nec opus est, vt imperitis præmansus ille cibus in os ingeratur.

DE NATVRALIBVS REBVS D. THEOPHRASTI HOHENHEMII LIBER PRIMVS,

CAPVT I.

De Terpentina.

DE Terpentinæ proprietate commentari primùm hac de causa mihi æquum visum est, quia id crescens arbores Germaniæ cæteras omnes singulariter superat. Sicut n. Balsamus suæ regionis arbores cæteras omnes euincit: ita Terebinthus arbores reliquas Germaniæ. Cæterùm in virtutis & ort⁹ eius descriptione primũ vtemur exemplo. Vt crescẽtia varia ac diuersa ex terra enasci videtis, quodlibet suâ formâ & colore distinctè: ita sua peculiaris forma, suus ortus etiã cuilibet est. Præterea quodlibet etiã crescens fructus suos, qui in cõmodum hominis cessuri sunt, in peculiari substãtia profert & exhibet. Sic lactifera animalia, lacte homini suos fructus, ad quos creati sunt, largiuntur. Sic arbores pyris & pomis, &c. suos fructus erogant. Sic Larix bonum suum, quod in gratiam hominis profert, resinæ specie, ex-

exhibet. Iam verò resinæ in arbore eadem est generatio, quæ est lactis in vacca, secundum cuiuslibet conditionem, naturam, & complexionem. Vacca id sumit ex terra: sic etiam Larix: nos autem dotem illam à larice sumimus. Vt apes mel legūt ex floribus ex quorum succo illud conficiunt: ita nos mel petimus ab apibus. Ita de necessitatibus miro consilio Deus prouidit homini per naturam, in qua summa & exquisitissima scientia latet, cum qua comparari cum omnibus suis artibus homo ne tantillum quidem posset.

Terpentinæ & lactis collatio.

De Generatione Terpentinæ dixi, eam conuenire cum generatione Lactis. Vt ex lacte, vaccæ adempto, multa fiunt: ita in varias etiam species Terpentina aptatur. Attendite. Primum lactis principium, hoc est, primum semen, est in terra, & super terram enascitur, & de terra ab animalibus editur, & in animalibus vltimam suam essentiam adipiscitur, & fit lac. Sic & Terpentinæ in terra semen est, ex terra propulsa in eum locum, in quo larices stant. Ibi enim prædestinatio præsens constitutam concordationem facit, vt duo illa, quæ coniungenda sunt, per ordinationem naturalem conueniant. Et tunc in arbore præsto est virtus attractiua, loco vteri, quærens id in stomacho, in quo præparatur in Terpentinam. Itaque ex stomacho illud effundit in vterum ventris, in quo omnis suæ essentiæ perfectionem adipiscitur. Præterea in hac etiam generatione notate, arborum genera duo esse: Masculum & Fœminam. Eæ masculæ sunt, ex quibus nihil exundat, sed omne in substantiam propriam conuertitur. Talis est Buxus, &c. Fœminæ sunt illæ, quæ hominibus necessaria promunt, citra suæ substantiæ læsionem, vt Larix & aliæ similes.

Arbores sunt duplices: Masculæ quæ. Fœminæ quę.

Hoc verò inter arbores masculas & fœminas discrimen est secundum substantiam & naturam propriam, quod est inter carnem vaccæ & tauri caro vna & eadem est: minùs tamen est in carne vaccæ, plus in carne tauri, quoad Essentiam carnalem.

Larix gaudet montanis.

Laricis ea natura & proprietas est, vt locis incultis ac asperis montanis gaudeat. Sicut enim domestica & agrestia animalia, ita & domesticæ ac agrestes arbores à Deo conditæ sunt. Vtrobique eadem est differentia, respectus idem. Quòd si larix quidem in domestica loca transplantetur, discrimen tamē aliud non adipiscetur, ac si ex montibus dama sumpta includatur in hortum. Et tamen Terpentina ad hunc grauius damnum accipit. Si enim ex loco natiuo transfertur, amonetur à lacte genuino, & lac nouum adsciscit, quo essentia eius non æquè ac à lacte materno conseruatur. Videtis sanè, quo discrimine distent terra culta & inculta, etiam iudicio oculorum. Idem etiam discrimen est terpentinæ feræ & domesticæ. Fera in nulla bona terra enascitur: domestica enascitur in terra bona. Et licèt quidem ex montanis transplantetur in plana: Spoliatur tamen sublimibus auris, & concipit aërem infimum, qui eius naturæ admodum aduersatur. Itaque propter alias etiam causas transplantatio concedi minimè potest. Inter eas palmaria hæc est, quòd influentia

Laricis transplātatio cur noxia.

Terpentinæ à sublimi cœlo in elatos montes, & non in subiectam planitiem decidat. Iam nisi quotidiana Influentia quotidiè nutriat cibetque, iustum & conuenientem suum gradum nihil assequitur. Et cùm Influentia transplantari non possit è sublimitate in inferiora: sciendum omnibus, cumprimis Medicis est, quòd quodlibet crescens sub sua influentia sumi debeat, eo loco, quo natura ipsa illud plantauit.

In transplantata quidem Terpentina virtutes & species omnes æquè ac in vera ac genuina existunt, sed tamen cum gradu imperfecto. Itaque exemplum hoc notate. Vulgus ait, Lupum piscem in hac aqua, quàm in alia meliorem fieri. Nam optimi quique, si in certas aquas coniiciantur, illarum saporem acquirunt, & peiores fiunt. Qui in mollibus educantur aquis, multum differunt ab illis, qui aluntur in aquis durioribus. Quæ aquæ: eadem & terræ ratio est: Itaque eandem quoque transplantationis rationem esse oportet. Sciendum autem & hoc est, quòd sua ætas, suum senium insit Terpentinæ. Quò fit antiquior: eò infirmior. Prima eius ętas ad annum extenditur 60. Ad 60. duplicatum ætas eius media excurrit. Post 60. triplicatum senium eius incipit. Si senescit, concordantia naturalis sese mutuò vnire ampliùs non potest. Nec enim impressiones spirituales cum corporibus terrestribus coniungi queunt. Hæc omnia eo fine adduco, vt non de larice saltem intelligantur, sed & de cæteris generibus omnibus cum illa conuenientibus. Nec de eo saltem loquor, quod oculi vident, sed de isto, quod est animus & anima, vt suum ipsi præsidium sit, & cum virtutibus suis seruentur. Hac de causa planiùs ista elocutus sum vt hoc loco virtus intelligatur, per quā morbus quilibet sanatur.

Porrò autem & hoc scire conuenit, quòd de Terebintho seorsim potiùs, quam de cæteris scribendum sit. Est enim verus & genuinus Balsamus, ac pro Balsamo omnino habendus, eiusdem naturæ ac bonitatis cum transmarino aut Indiano. Balsamus Indicus quidem, etsi, quatenus Balsamus est, nonnullis aliis quoque dotibus exornatus sit: attamen & Terebinthi Balsamus, pręterquam quod Balsamus est, peculiaribus quoque nonnullis dotibus locupletatus est. Balsamus autem est id, quod corpora non finit putrescere, ficut duo hi balsami docent. De Balsamo Germanico notate: quòd si corpora eo condiantur & præparentur, nunquam putrescant: hoc tamen obseruato, vt in debita hora excipiatur & colligatur. Vim enim illam possidet ex influentia cœlesti: vt omnino poscat idoneo tempore incidi, & debito ordine conseruari.

Obseruandum etiam est, multa Ethnicorum, velut & præcipuè Romanorum sepulcra inuenta & aperta fuisse, in quibus condita erant cadauera Balsamo præparata, in loculis Alabastrinis aut Marmoreis. Is Balsamus pro Indiano habitus fuit, sed falsò. Nā ipsa probatio & examinatio instituta docuit, fuisse Terpentinam. Iam veræ Terpentinæ nomen duplex est. Si secundum influentiam Balsamū colli-

colligitur, *Balsamus* vocatur, & non Terpentina. Si verò in Signis aliis sumatur: tunc Terpentina vocatur. Nam modis omnibus expédendum vobis est exemplum, quod iam aste. ro. Res crescens quælibet à natura, (vt lignum) Balsameam in se naturam continet. Id lignum si in Signis Balsameis deiiciatur, diuturno tempore non putrescit, nec etiam finditur aut rimas agit, nec oneratur vermibus. Causa hæc est, quòd natura Balsamea in concordantia confirmata sit. Quantum ergo Balsamus potest, & quãtum gradatus est, tantum etiam operatur.

Cæterùm vt Balsami collectionem etiam intelligatis, sequens exemplum notabitis. Brutum, quod lac fundit, mulgendi tempus & horam definitam requirit. Tempus hoc, prout à natura constitutum est, ita seruandum est. Id si transgrediaris, lac in vberibus concrescit, dissoluetúrque ac diffluet in seipso, acescétque, ac subindè magis magísque corrumpetur. Hinc morbi & ægritudines illud animal inuadunt. Simile quid euenit etiam hominibus. Si stercorum aut vrinæ naturalis excretio impeditur, sequitur Tenasmus, dysuria, stranguria, ardores. Nam horum corruptionis eadem quæ & lactis est ratio. Hoc ita deduco, vt sciatis, ipsi quoque terpentinę simile tempus ac horam esse, qua à sua Larice auferatur. Suam habet Influentiam, quâ abit in Balsamum: suam habet horam, quâ in Terpentinam abit. Ea enim est hora generationis, quę vt magni mómenti res, singulariter respici debet. Cúmque hora ea in nostra potestate sita sit, quâ excipiatur vel Terpentina vel Balsamus: ex eo patet, vobis Medicis firmamenti cœlestis notitiam ad summum familiarem esse debere. Quam qui non habet, similis est sutori, qui filum torquere nescius, nodulis calceos colligat & constringit. Sed paragraphum hunc adhuc planiùs vobis proponam. Si Terpentina vltra iustum tempus in arbore hæserit: nec Terpentina ampliùs nec Balsamus est, sed fracta & in se dissoluta est instar lactis, nec in ea boni quicquam querere licet. Quę indico vobis hoc fine, vt secreta, arcana, virtutes & mysteria, in terpentina latentia, eò exquisitiùs & fundamentaliùs humanis vsibus depromi & erogari possint.

Terpentinæ proprietates unde.

Sed vt informem vos de proprietatibus Terpentinæ, vndenam earum quælibet oriatur, hunc discursum notabitis. Hæc, quæ iam profero, non conuenient cum libris aut scriptoribus cęteris. Quòd verò illi à me diuersi sunt, stultitiæ ipsorum adscribendum est, & tenui experentiæ in illis, quę omnibus comperta esse debebant. Primùm ergò vim in sese con-

1. tinet ex Elementaribus corporibus quam corporalitas eius à cęteris corporibus concepit. Semen nimirum, quod ex terra crescit, magna arbor fit. Iam arbor est subiectum, in quod infunditur id, quod ex illa in commodum hominis cessurum est. Deinceps ergo dicendum, vndenam hęc in statum (al. in horam vel in stirpem) infusio oriatur. Causarum prima est cœlestis Influentia, quæ imprimit & instillat Terpentinam in Balsamum, non secus ac aurum argentúmue à scoria separatur, ac metallum purum euadit. Si queras ex me, cur partum horæ tanti faciam: causam hanc prætendo, quia nimirùm genita res vniuersam mundi machinam in se concludit seu portat, tam purum quam impurum, tam de forme, quam formosum, tam malum quàm bonum, tam idoneum, quàm inidoneum. Et illud quidem tempore horæ per ignem & fornacem, qui ignis firmamentum est, transadigitur. Prout hora fuerit, ita expurgatur à malo, ab inepto, ab informi, ab impuro, &c. Et prout multis sortibus permixtum fuit, ita euadit aptum, pulchrum, purum bonúmque. Et hæc non de Terpentina saltem intelligenda veniunt, verùm etiam de re qualibet ex natura procedente, siue sensibilis sit, siue minùs. Hoc nimirum pacto Terpentina à firmamentalibus Vulcanis in Balsamum transmutatur.

2. Secundò complexionem suam accipit ab Elementis, nempe ab aëre, cuius naturę & proprietatis est. Nam hoc ita accipiendum est, quod aër per se corpora omnia, velut & Elementa per se, & quicquid ex Elementis nascitur, peruadat. Ex Elementis autem quatuor res cũ perfecta substantia nascuntur. Qui autẽ fructus sunt Aëris, ab aëre (vt sic dicã) naturãtur. Ideò calidus est & humidus. De gradibus, primo, secũdo, tertio, quartóue, quos sua quadã fatuitate rapti nonnulli medici constituerunt, omnia stulta iudicate. Gradus saltẽ vnus est, nõ plures, non pauciores. Frigiditas saltem vna est in niue: vnus saltem ignis. Quòd autem aqua sit calidior, id eius natura est. Et licèt gradus quidem ita in Archamiâ intelligantur vsurpandi secundum maius & minus: ipsum tamen principale vnius Essentię manet. Præterea Terpentina Influentiam etiam Medicã habet, quæ ipsi congenita ex creatione erit. Sciendum enim, quòd Medicina in rebus naturalibus, quę spiritus est inuisibilis, in corpus illud fusa sit, velut spiritus hominis in hominem. Et ex tot quidem virtutibus Terpentina constat, seu, in tot virtutes illa digesta est: primò nempe in corpus Elementatum: secundò, in cœlestes Impressiones: tertiò in olympium Vulcanum: quartò, in complexionem chaos: quintò, in spiritum creatum. Iam porrò expediam vobis ipsius vires operationésque secundum quinque differentiarum tenorem, hâc nimirùm de causa, vt eò meliùs & rectiùs vires & virtutes, seorsim quamlibet secundum suam naturam intelligere sciatis, vt ita porrò per Astronomiam & Philosophiam fundamentum in Medicina iacteris, quò ipsa experiẽtia subindè magis magísque in apricum proferatur & elucscat.

Gradus 4. Medicorum fatui sunt. Gradus est vnus tantum.

Quando ergo, vt dictum est, Terpentina in Balsamum transmutata est: deinceps breuiter Balsameas eius virtutes vobis ita expediam, vt in naturalibus Mysteriis, Indico Balsamo illas omnino æquales esse appareat. Primum est de Balsamatione seu conditura defunctorum corporum Balsamatio autem duobus modis intelligenda venit, vt corpora in Balsameis constellationibus condiantur seu balsamentur. Diei horæ duodecim sunt, quibus firmamentales spiritus motu suo transeunt, quod indies

Terpentinę vires & vsus quis. ad putredinẽ.

indies fieri necessum est. Dico autem, in extrema exspiratione illicò totam obiectionem fieri debere cum amotione stercorum. Sic enim complexio omnium firmissima manet. Vtrum autem fiat, conseruatio manet seu durat in tempus, quod *perpetuum* vocatur.

Ad venena.

Nec verò de cadaueribus saltem hoc dico, quod in gratiam & honorem tantum Balsami protuli, vt nimirum syderea impressio in eo tam apud nos in terra, quàm apud cadauera esse intelligatur: sed multò plùs virium & virtutum apud viuos quàm mortuos deprehenditur. Et inficiari quidem nemo potest, quod ab infectione seu venenatione corporum summi morbi homines lancinent. Nam venenum morbi omnes sequuntur. Vbi autem membrum aliquod ad putredinem disponi non potest, ibi nec veneno locus est. Et quod contra putrefactiones prodest, idem etiam omnibus morbis resistit. Hinc iam sequitur, pestem manare à Firmamento, velut & Balsamum. Itaque simile iungitur simili: & Balsamus vincit pestem eo modo, quia arcem prius occupat, vt iaculationes firmamentalis pestis in mutos nihil roboris habeant. Si autem alterum præcurrerit aliud etiam eodem modo metiendum.

Ad febres.

Eodem ordine procedendum est etiam in febribus. Ordo autem rerum istarum omnium est, vt medicus cogitet, quomodo balsamus ante omnem infectionem administretur, ne quid veneno corripiatur. Hoc enim scire Medico dignum est, nec requiritur, vt id primùm hîc à me doceatur, quandoquidem ex Academiis recenter appulit. Similiter etiam indicabitis de Apostematibus tam internis quàm externis, quocunque modo & loco oboriantur, modo hoc curetur, vt periodus Balsami prior sit. Res námque præteritę reduci minimè possunt. Et Balsamus eò directus est, vt prioritatem eligat.

Ad Apostemata.

Ad vermes.

Præoccupatio similis facit etiam contra vermes. Vbi enim Balsamus irrepit, ibi nulla insecta oriuntur, nec scarabæi, nec vermes, etiam si illos ex stercore oriri naturale sit.

Fieri non potest, vt morbos, ex causa putrida nasci solitos, sufficienter enarrem. Vtcunque verò nominentur: tu dicto iam modo procede. Hoc vobis inculco Medici, planéque spero, tantùm vos in Academiis didicisse, vt intellectus in nullo deficiat. Plenéque mihi videtur, experientiam medicam in nullo vobis futuram esse noxiam. Quòd verò ego à vobis discrepo, causa hęc est, quia & vos discrepatis à me.

Experientia nulli noxia.

Porrò scire etiam debetis, sicut in formatione disserui, quòd in partu per firmamentalem Vulcanum impurum à puro separetur. Iam in terpentina sunt quędam immundicies, ex Saturnina & Martiali impuritate, quæ omnes bonas ab influentia datas virtutes impediunt, ceu rubigo ferrum. Fulmen autem eiusmodi est, vt Vulcanus in partu Terpentinę illas consumat, velut ignis lignum. Purgatione hac facta duę nouissimæ virtutes apparent, nempe, quę ab aëre, & quæ ab Immisso spiritu Terpentinæ inest.

De aëre, sicut, Astronomia docet, hoc sciendum est, quæ nempè aëris naturalis generatio, & eiusdem quolibet tempore mutatio fit. Tum & Physici estis, vt illius aëris conditiones noscatis. Properate ergo ac anteuertite: Sic demum à morbis illis præseruati eritis. Melius est præuenire, quàm Firmamenti violentiam expectare.

Denique notate etiam de Terpentinâ, quomodo illa cruda suos vsus homini conferat, vel non conferat. Nam pręparata, ac sine additione parum præstat. Sed & hîc velim secundum meam experientiam me à vobis intelligi. Cæteri suam quoque proferent.

Præparandi modus hic vnus est, vt cum forti rubeo vino bene coquatur, & priusquam vinum omne insumitur aqua cyclaminis prius imbuatur, & in loco frigido abluatur, & in simili conseruetur. Vulneribus si instilletur, & illa cerato Emplastro obducantur, seu pro lege vulnerum deligentur, vulnera Saturnina sanantur. Correctio eius pro quolibet vulnere talis est, vt ex parte dimidia adiiciantur vitelli ouorum, & vulnera postea, vt supra, deligentur. Quòd si natura fors superfluā carné vulneribus ingeneret, veluti strumas in homine: tum prædicto Emplastro adde Alumen vstum, aceto præparatum. Sic caro luxurians citra omnem dolorem exedetur: tu saltem vide, vt ab experientia instructus sis. Nec enim quiuis qui vinum in manu habet, illud decenter bibere potest. Etsi aut alię quoque additiones supersint: eas tamen vsurpari, consultum mihi non videtur.

Porrò de Alchimia, quæ semper ad summas vires spirat, notate, quòd humani vsus gratiâ ipsa Terpentinam deduxerit in destillationem. Ea primū destillata: postea in experientiam recepta fuit. Illi autem qui medicinæ imperiti fuerunt, pseudomedicis, tanquam sua opinione doctis, hanc experientiam assignātūt qui tamen iam à primordio rerum bonarum artium contemptores semper exstiterunt, in solis cocturis desudantes, deque nullo alio solliciti, quàm vt oculis satisfaciant. Hi nihil quicquam huius tentârunt, aut experti sunt, sed ęgros emori & perire sinerunt, qui tamen restitui facilè potuissent. Hoc autem iam meo sæculo experientia hoc mihi monstrauit, quod Destillatio hæc in duritie corpus sit summum, ad illam auferendam, hac tamen distinctione obseruata, quòd nonnullæ durities fiant in splene, quędam in Hepate, aliæ in aliis internis partibus, velut & in externis, vt sunt nodi & calli. In summa, quicquid villosum aut venosum, aut osseum, cartilaginosúmue est id omne eo exstirpatur, hac tamen cura addita, vt Appropriata, in suis gradibus commisceantur: velui in *Nodis Podagricis Essentia Mummiarum*. Et sic in cæteris.

His iam comprehensis, Balsamo & Terpentinę, quantum quidem per experientiam mihi constat, colophonem imponam. Ea vt à me incepit: sic spero fore, vt cum amplissimo gaudio vera & probata ab aliis inueniatur. Hoc hîc repetendum iterū est, quod venarū vulneribus instillata, venas ab omni noxa pręseruet, ac dolores etiam Podagræ mulceat.

In-

Vernix optima ex Terpentina.

Insuper si Terpentina in suum vitrum decoquatur, idque vitrum postea debito modo destilletur, & cum Carabe soluatur: nullus eo subtilior inueniri vernix poterit, si illinatur, & illicò siccetur. Idem vitrum si cum tegularum puluere supra ignem permisceatur, pauimenta adeò firma & solida dat, vt etiam lacus ac horti illis citra omnem putredinem & corruptionem excipi seu concludi valeant. Etiam hydrargyri magna copia, citra euanescentiam in illo rectè conseruatur. Quæ plura de eo scienda sunt, aliis codicibus occurrent: quæ huc reduci non conuenit.

CAPVT II.

De nigro & albo Elleboro.

DE duobus Elleboris scripturus, hoc primum assero, Elleborum alium hactenus vocatum fuisse album, alium nigrum, propter colores, album, & nigrum. Non autem ex hoc, sed ex proprietatibus, duabus hisce radicibus insitis appellatio constitui debet. Si ergo verius à virtutibus denominari licet: debet albus Elleborus vocari Iunior, & niger Senior, seu radix alba Iunior, & nigra Senior. Nomen autem Ellebori remouendum est, ex causa, quam iam tradam. Duæ hæ radices virtutem vnam & eandem habent. Hoc saltem discrimine distant, quòd Iunior iuuenibus, & intra 50. annos constitutis conueniat & adhibenda sit: Senior autem illis, qui 50. annos iam excesserunt. Et hoc non de Elleboro solo, verùm etiam cæteris herbis & radicibus omnibus, quæ duplicis sunt generis, Mas scil. & fœmina, verum quoque esse iudicabitis. Non quod verè Mas ac fœmina sint, sed vt ex illo discrimine intelligat Medicus, aliam iuuentuti, aliam senibus porrigi debere eo modo, quem iam de Elleboris traditurus sum. Medicorum certè hoc delirium cumprimis graue est, quòd intelligere minimè potuerint, aliam esse rationem & medicinam iuniorum, aliam seniorum, adeoque duas officinas naturam condidisse. Nam inconueniens est, vt senex iuuenum medicina, & contrà iuuenes senum remediis vtantur.

Ell. albus est Iunior, niger Senior.

Mas & fœmina inter herbas quid.

Medici ignorantia.

Pro declaratione horum exemplum vobis affero de Lunâ, quæ singulis mensibus renouatur & repuerascit. A pueritiâ vsque ad ætatem mediam est plenilunium, vbi ætas prima abiit. Postea incipit senium, & illa decrescit, dum penitùs vanescat. Lunæ hæc constitutio præfigurat vobis iuuentutem & senium hominum. Et sicut alius status est in augmento, alius in decremento: sic certum etiam discrimen est iuuentutis & senij. Et cuiusuis Medici est, Lunæ naturam & conditionem solicitissimè intelligere. Ita fiet, vt etiam hominis ætatem, qualis sit, nouerit. Ex Lunâ namque ea discenda est. Illa verus & genuinus liber est, non is, qui atramento descriptus est. Sic aliud etiam herbarum genus in augmento Lunæ, aliud in eiusdem decremento vsurpandum est. Id vulgo Mas & fœmina dicitur. Mas est primæ, fœmina secundæ ætatis. Sciendum præterea etiam est, vniuersa, quæ numeris subiiciuntur, duobus numeris contineri. Si duæ partes componuntur, res integra est: vna quælibet per se pars integra non est. Quid enim ætati iuuenili prosit Elleborus senior? quid alteri ætati commodet Elleborus iunior? Si autem sunt simul, iam perfectâ medicinâ instructus est homo, tam iunior, quàm senior. Interim tamen, cùm iuuentus & senium vnà consistere nequeant, sed vnum alterum aboleat, ac iuuentus non opus habeat senio, nec senium iuuentute, similiter & Luna tantùm iunior non simul etiam senior, aut senior tantùm, non etiam simul iunior existat: ideò Deus hanc Medicinam in duas partes diuisit, quarum nulla alteri obstringitur.

Ætatis hominis cum Luna collatio.

Numero duplici omnia subiecta.

Noscenda autem porrò etiam est quælibet differentia morborum primæ & secundæ ætatis. Alterius enim naturæ est Apoplexia in prima, alterius in secunda ætate. Sic etiam alia medicina in prima: alia in secunda. Iam verò in Elleboris integra & perfecta cura est Apoplexiæ, discrimine tamen habito iuuentutis & senectutis. Perfecta inquam in vtroque curatio est, modo tamen morbi diuidantur. Exempli causa. Duplex est Podagra: vna primæ, altera secundæ ætatis. Et Elleborus est integra eius cura, & integra eius cura est in Elleboro. Vtraque autem in eadem radice vnà consistere non possunt. Ideò diuisionem fecit natura ipsa, ne destructio in vnum congereretur. Memori ergo semper animo tenete diuisionem herbarum, diuisionem ætatis, diuisionem medicinæ, diuisionem morborum, & diuisionem Lunæ. Hoc enim Naturæ Mysterium & secretum est, cuilibet Medico, ex Astronomia nato palpabile. Pseudomedicis, vt ad omnia respondeamus, necessitate nulla mouemur.

Ætatis morborũ cognitio Medico necessaria.

Nec verò leui saltem hac cum instructione vos dimitto; sed veris Medicis hoc cumprimis inculco, quòd diuisio ex natura oriatur ita, vt quodlibet ad suum locum, & eò, quò debet, deducatur. Ita & Medicinæ vires ad debita & conuenientia loca deducuntur, nec aliò sese adigi patiuntur. Multò minus medicina in senium compellitur. Testa oui ad locum suum se recipit, sic etiam vitellus. Vitellus se rubinat, vt ita dicam, & testa crystallatur, seu in formam crystalli reducitur, per artem, sic etiam quodlibet contrarium in suum se locum confert, si artes in aliena subiecta coniiciuntur.

Ell. integrè curat Apoplexiam,

His constitutis, operæ pretium me facturum esse censui, si Elleborum nigrum describendum susciperem, quænam scilicet eius virtus sit in secundam ætatem: idque hac de causa, vt iunior eò rectiùs intelligeretur. Principiò ergo notate de Ellebori nigri viribus, quas in foliis conditas habet post præparationem. Nempe in signis conseruationis decerpi & in vmbrâ aëre sicco probè siccari, & minutissimè teri, denique cùm tantillo sacchari permisceri debet. Hæc pulueris præparatio est. Veteres quidem studiosè laborarunt, vt huius pulueris veram Essentiam compararent. Ad ipsum tamen finem non peruenerunt, vt herbam in purum Esse reducerent. Vnde in Recepto præmemorato subsistere coacti sunt. Conatus eorum hæc causa est. Pulueris natura & proprietas conclusa est in tale Arcanum, qualis est is, qui quinquaginta annos transgressus, alteram ætatem

Ell. nigri præparatio quæ.

Elleb. nigri præparatio quæ.

Vsus & operatio.

ætatem attigit, & quotidie, manè & vesperi, puluere eo vsus est ea quantitate, quantam tribus digitis capi seu comprehendi licet. A iugi huius vsu decrescit senium, velut Luna, vsque ad constitutum mortis tempus, quod perpauci expectant. Hanc virtutem Natura Mysterialiter ex vniuersa Machina mundi, pro conseruatione Microcosmi disposuit. Hîc enim in vno Arcano quatuor Elementa continentur, quo quidem quatuor Elemẽtorum infectiones expelluntur. Id vocatur defensiuum senectutis.

Defensiuum senectutis quid.

Cæterùm non cuiuis dicto modo puluis iste æqualiter administrandus est: sed conuenit Medico etiam considerare simul cuiuslibet sanitatem, vt pro eius ratione administrationis dosis temperetur.

Porrò, non frustra in hoc Essentia ipsa quæsita fuit. Quæ enim ea vsquam herba est, huic similis? Aut quæ ea herba est, quæ alteri ætati tam firmam, vegetam & diuturnam vitam conferre possit? Preseruat enim ab omnibus, externis infectionibus, & internis putrefactionibus, hominemque in eo statu, in quo editus est, conseruat, vt citra morbos ætatem secundam attingat. Ideoque dignum & operæ pretium est, purum ab impuro separari. Hoc purum extractum, quis non Balsamum perpetuum vocitaret? cùm viribus eius omnino respondeat, & ad horam præstitutam perducat? Nec hæc vobis creditu indigna videantur. Hoc enim caussa Guttæ tolluntur, & futura lepra cum radice euellitur, nec vllus alius similis morbus oboritur. Exemplo rem cognoscite. Sua sunt momenta in Astris: in quibus qui nascitur, nullis morbis obnoxius est. Sunt alia etiam, in quibus nati cum perpetuis morbis conflictantur. Iam si hominum talia momenta sunt, ab ipsa natura impressa: cætera etiam crescentia ex natura producta, eodem modo tincta & illis appropriata erunt, ita vt vtrobique vna natura & Essentia, & conseruationis impressio sit, quâ ad suam vtilitatem homo ceu à tinctura quadam tingatur. Et tantum de foliis Ellebori nigri vobis constare volui. Vbi hoc iuxta quoque teneri velim, opus scilicet esse, vt sub præsenti constellatione separatio puri ab impuro cognoscatur, Quò enim infensior hostis, eò potentior medicina requiritur.

Balsam' perpetuus quid.

De Elleboro Seniore.

VT de radice eius loquamur, sciendum est, eam quatuor morbos expellere: nimirum Caducum, Podagram, Guttam, & hydropisin. Hîc discrimen quoddam tenendum est. Quilibet enim morbus duplex est: Corporalis & Spiritualis. Aduersus hoc duplici etiam instare Medicus Medicina debet, vt alterâ respiciat corporalitatem, aliâ spiritualitatem. Quantum ad corporeum, de eo hîc loquemur. Quantum ad spirituale, processus eius ibi traditur, vbi de illo morbo disseritur & tractatur. Vbi ergo eiusmodi morbi spiritum suum in corporeis habent, vt sine corporibus illis subsistere non possint: ibi spiritus vnà cum corpore decedit. Si autem adsit impressio syderea, totius artis summa deinceps sequitur. Et quo pacto quatuor illi morbi virtute huius radicis curandi sint, iam in sequentibus trademus.

Ell. nigri radix 4. morbos curat. Morbus omnis est duplex.

Quomodo per seniorem Ellebori radicem Senior caducus curandus sit.

DE rebus purgantibus notandum est, inter eas contineri hoc discrimen, quòd aliæ humores viscosos purgent. Cæterùm etsi eos purgando quidem tollant: ipsi tamen morbo specifico nihil adimitur. Hinc patet, Humoristas morbos omnes in Humores collocare: vnde etiam hæc ipsis nata ars est, vt non nisi perpetuò purgent. Sed nec quicquam proficiunt ita, cùm interim ægrum miserè perdant. Quòd si explorata haberent medicamina laxatiua specifica, iam demum verâ viâ incederent. Itaq; de radice Ellebori nigri scitote, ipsam duplicẽ purgandi vim habere: alterã in specificatis: alterã in crudis humoribus. Vnde vtroq; modo Epilentię cura esse potest. Hinc autem colligitur, propter crudos & crassos Humores serò purgandum esse, ne ægro ea res malo sit. Simul tamen ac vnà secedit etiam corpus Epilenticum, & exitui sese accommodat. Medicus ergo ita peritus sit, vt tempus, ac ordinem administrationemque ad ægroti conditionem dirigere possit. Sed in initio Medicinæ radix præbebatur per se cruda comedenda: postea in lacte: tandem cum aliis permixtionibus. Iam verò cum morbus sæuior sit hodie, & venenum hoc tempore intensiùs euaserit: requirit vtique necessitas, vt Medicus ipsam etiam Medicinam intendat & exaltet, ne quâ parte morbo infirmior sit. Aduersus ergo morbum illum consilium & experientia mea hæc est. Sumatur Radix viridissima seu recentissima, & cum Spiritu vini ex illâ Humor & Oleositas omnis extrahatur: Postea separetur iterum Spiritus vini, donec ipsa Essentia Radicis præcisè supersit citra omnem additionem, dulcerata. Hæc Essentia à veterum medicorum processu in eo differt, quòd non multi humores & phlegmata, sed potius ipsum corpus Epilenticum exeat. Qua de causa etiam processus iste illo priore tutior, adeoque hoc tempore efficax purgatio & cura est. Prodest tamen etiam, si ad extractionem sumatur Viscus Quercinus, & pyrethrum, & semina pœoniæ vt horum spiritus medicinalis concurrat, ac veteris Ellebori radici incorporetur mixtimque omnia in certa dosi propinentur. Et notandum est, rem non festinanter, sed sensim vrgendam, secundum conditionem personæ, morbi, regionis & cæterorum.

Additio.

Quâ ratione radice Ellebori nigri inueteratâ Podagra curetur.

INitio, Podagra est duplex, vna ex sanguine: altera ex defluxionibus capitis orta. In sanguinea podagra sanguis ipse sæuit, instar rabientis canis. Per Astronomiam enim probatur, sanguineam podagram ex canicularibus concitari per ipsorum influentiam: quod suo loco satis demonstratur. Contra hanc Podagram Elleborus non prodest, sed tamen contra alteram. quæ oritur ex fluxibus, siue salsis, siue acidis, siue acribus, siue corrosiuis. Illæ enim fluxionum conditiones, non calor, non frigus, non humiditas, non siccitas, podagræ causa sunt. Quòd si calor quidem aut frigus, &c. sentiatur: id tamen

Podagra est duplex. Podagra sanguinea ... est.

al-

ab accidente prouenit tantùm, ob laborem & conflictum, quem nouit sanum & morbidum. Quos ergo defluxiones huiusmodi sollicitarunt his veteres genuini Medici Elleborum adhibuerunt, & per illum præbitum podagricos purgarunt. Est enim radix eius naturæ & conditionis, vt ex omnibus laxatiuis, veteribus quidem notis, omnium sit optima ad defluxiones arcendas, & ex toto corpore extrahendas. Ista tamen purgatio ad modernorum medicorum regulas & morem composita minimè fuit: sed simpliciter & prudenter instituta fuit, elisis Receptis ex Syrupis, & cæteris inanibus additionibus. Radix per se & solitaria administrata, & ægris quotidie, non semel & confertim, porrecta est. Sensim enim ac lentè, & cum tempore in chronicis morbis purgationes institui debent. Seniore Ellebori radice ita præparata, vt quotidie data pro ratione personarum & morbi operetur: natiua & congenita sua facultate fluxiones ita curat, vt nedum vlla ex omnibus radicibus aut herbis huic inuenta similis sit. Hoc curæ ac cordi esse debet Medico, vt ex solâ hâc radice purgationem sufficientem quærat.

Ellebor. ad purgationis optima.

Chronici morbi lentè purgādi.

Sed tamen & hoc publicè notum est, quod, etsi pluuia recens lapsa quidem desinat, & iterum siccetur, nihilominus tamen paulò pòst alia insequatur, quæ paludes & riuos rursus compleat & inundare faciat. Hâc de caussa opus est, vt correctio quædam addatur, ne noua defluxionum generatio postliminio fiat. Ea additio deinceps omnium maximè necessaria est. Ea inquam additio veteris Ellebori radicis correctio longè optima est. Hoc pseudomedici illi non expendunt, sed idipsum, quod purgat, corrigere & inhibere satagunt. Hinc Terram sigillatam & alia adiciunt, quæ omnia medicinæ cumprimis aduersantur, & radicis vim infringunt: cum tamen illam vires suas natiuas retinere potius, & secundum illas acui ac promoueri magis, quàm impediri deceat. Vera autem & legibus Medicis consentiens correctio hæc est, vt post primam humorum amolitionem id præstetur, ne deinde iterum cumulentur & inundent. Hoc per radices duas, Benedictam Garyophyllatam, & Acorum commodè impetrari posse, in propriis illorum capitulis recensui: quod ob id hoc loco iterandum minimè est. Fieri etiam solet, vt plura plerunque accidentia podagram comitentur, de quibus priscis nihil constitit. Indies enim ac subindè illa magis magisque inualescunt & geminantur. Et hoc in caussa est, cur hoc nostro tempore peculiaris de podagra liber conscribendus sit, vt accidentia illa suis congruis remediis tollantur. Quæ de radice hîc dicuntur, ea causam palmariam & fundamentum ipsum seu originem spectant, in quibus rhombus & cardo præcipuus rei vertitur. Nulla ergo ratione vis Laxatiua radicis infringenda, sed omnino augenda & stimulanda est. Modus is omnium est optimus, quem in eius extractionis initio docui. Plus etiam confert, vim eius in spiritum vini extrahi & ita præberi, quàm eam crudam præberi. Modis tamen omnibus ea est purgatio vtilis.

Ell. radicis correctio quibus fiat.

Garyophylata & Acorū Ellebori correctio.

Qua ratione per senioris Hellebori radicem vetus Apoplexia aut Gutta curari debeat.

ANte omnia scire refert, Guttam esse fluxionem, in articulos vitæ & sensus seu motus factam. Fluxiones autem multiplices aliæ quoque sunt, & ipsæ in loca & membra illa fientes, apoplexiam tamen nullam inducentes. Ideoque discrimen rectè notandum est: Fluxio nimirum si cadit, fieri id debet non aliter, ac si Chirurgus alicui venam vnam aut plures pertundat, & in eodem Puncto, quo vena rectè & ex ordine fluit, accidat, vt phlebotomatus incredibili celeritate cum sano corpore commoriatur. Sic ex centenis & ducentenis venam secantibus vix vni, imo interdum nulli tale quid euenit. Cæterum huius euentus caussa est sola influentia, & illius hominis natura. Apprimè ergo decet Medicum esse Astronomum, qui hæc talia sciat & intelligat, vt insperatis illis casib. præuenire possit. Idem fit etiam in Apoplexia. Pono nimirum, tempus instare, quo fluxio Epidemialis grassetur, quâ tamen ex omni populo vix vnus, duo tresue tangantur aut corripiantur ita, vt repentina morte cadant. Sed vt de phlebotomia dixi, id ita ab influentia dependet. Idem etiam experimur fieri circa vulnera, vt minus lethalia, lethalia fiant, & contrà. Quod vt ex imo fundamento hîc deducamus, opus non est.

Gutta quid.

Apoplectici vnde fiant.

Proindè sequitur iam virtus Ellebori nigri radicis, secundum id, quod adeò exquisitè & penitè omnes Articulos, Poros, Neruos, Loca &c. perrimetur, vt nihil in toto corpore relinquat, quod non pererret. Peruasione illa accurata & exquisita, locus affectus etiam inuenitur & attingitur & ex eo causa lædens emouetur. Virtus ergo radicis à Medico non infringenda, sed acuenda & citra additionem exaltanda est. Ipsam enim tanta industria & peritia natura congessit, composuit, & in vnum Receptum comportauit, vt, quæ quidem ad 4. dictorum morborum curam requiruntur, nullis additis compositum illud meliorari possit. Impurum saltem à puro separa, & hoc vtere: sic rectum processum tenueris. Nihil autem te pharmacopœorum sordida coctura moueat; sicut mouentur, qui in Academiis regnant, & In pharmacopoliis suum paradisum simul & Cœmiterium quærunt.

Apoplexia vt ad rad. Elleb. curetur.

Vsitatum autem est in Gutta illicò ac statim vehementerq; cum magna dosi purgari: cū & in aliis morbis vrgente necessitate idem fiat, sicut hæc periti Medici iam antè scire debent. Etsi verò hoc modo fluxio quidem loco amoueatur: Essentia tamen naturalis adeò fortiter concussa est, vt noxa omnis per illam euacuationem penitus tolli non possit. Requirit ergo necessitas, vt additiones vsurpentur, ad deiectū illud rectificandum & restaurandum. Neoterici additionem in hoc consistere arbitrati sunt, si Recepta sua longa serie cōcinnent: quod apertè erroneum est. Additio enim vt breuiter dicā, eius est tantùm, quod ad medicinam aliam pertinet, si ipsa plus præstare non potest, & officiū suum egit, & tamen aliquid adhuc superfuit, vt illud quoq; assumatur ad aliam medicinā, quæ tū vocatur Additio aut Correctio. Ea Additio perti-

Additio quid sit.

net ad capitulum de integra seu perfecta cura Apoplexiæ seu paralyseos.

Quo pacto Hydropisis per Ellebori nigri radicem exigenda sit.

Hydropisis quid sit. Laxatiua vehementia quæ sint.

QVid Hydropisis sit, satis patet: nempè *inundatio aquæ in cauitatibus hominis facta.* Hydropisin curandi fundamentum vniuersum in hoc consistit, *vt aqua illa euacuetur ita, vt à toto corpore abscedat.* Ex Laxatiuis autem medicamenta multa sunt, quæ violenter & seriò expellunt, veluti *Scammonea, Esula, Coloquinthis, Catapitia. Cortices Sambuci, &c.* Quæ quidem etsi expurgent omnia, & his etiam plura sint: vera tamen & genuina non sunt, quæ à Natura ad hydropisin præstituta sint. Duo saltem eorum sunt, nimirum Elleborus, & adhuc aliud. In duo hæc (*nisi Dei potentia & negligentia temporis obstent*) spei & fiduciæ plurimum ponendum est, vt per quæ etiam multi admodum senes curati sint. Hîc autem non ineunda est via, quam decoctores illi ministratis purgationib. & syrupis more suo mordicùs terunt; sed ad normam Chronicæ curæ, senioris Ellebori radix pura & non adulterata administranda est. Ita fiet, vt primùm superiores humores & cataclysmi circa pectus, stomachum, pulmonem, iecur, splenem, fluctuantes, tollantur. Postea pudenda, & coxæ indies plus minuentur, donec tandem etiam pedes, suræ, malleoli, & denique venter, detumescant. Sic enim in nonnullis vnda supernè exoneratur per vomitionem: aliis minùs. Quidam euacuantur per aluum, aliqui per lotium, per sudorem, & loca alia. Horum tamen nihil tentet Medicus, qui nihil nouit, quàm quod in Academiis arripuit. Sic nec Empiricus. Opus est, vt didicerit conuersari cum ægrotis, quos ita tractet, vt sutor tractat & conuertit calceum. Sciendum tamen etiam est, requiri hîc Additionem & correctionem, quò membra læsa restaurentur.

Hydropisis quib. viis euacuetur.

De aliis etiam Virtutibus in Ellebori nigri radice latentibus, commemoratio generalis.

ELlebori nigri radicis virtutes non ad dictos saltem 4. morbos extenduntur: sed plures adhuc aliæ etiam sunt, hîc sigillatim minimè recensendæ. In genere de viribus huius radicis hæc notate. Quæcunque à cæteris Laxatiuis expelli non possunt: ea ad radicem hanc pertinent. Est enim extremum medicamen, quod cætera omnia claudit. Melius autem est, hæc medicum considerare in principio: vt in initio statim faciat, quod faciendum est postremò. Et vires hæ non viris saltem, sed & fœminis accommodatæ sunt, quoad commemoratos iam morbos. Nec in his saltem, sed & in aliis fœminarum abditis morbis, hîc non pandendis, medicina hæc singularis est. Quicquid per hanc radicem non purgatur, id nulli alij medicamini cedet, siue mola sit siue Restrictio.

De Radice Ellebori iunioris seu Albi.

RAdix ellebori iunioris eodem planè modo adhibenda ac senioris, sed in primæ ætatis hominibus, ideoque nihil amplius de illâ dicendum, cum omnia hoc capite de seniore plane explicata fuerint. Sciendum tamen vobis etiam est has radices omnem immunditiem ex stomacho tollere & omnia febrium tentoria, omnes putrefactiones febres generantes, ipsasque febres putridas omnes defluctiones, aurium, dentium, oculorum dolores causantes vt & destillationes capitis ex quibus Arthetica Gutta Sciatica prouenit.

CAPVT III.

De Persicaria.

NAtura quodlibet à se productũ suis peculiaribus Signis, per quę vires eius cognosci possũt, manifestissimè notat. Quare si, quę natura dotauit, scire desideretur, à signis rerũ petendũ, quæq; virtus earum sit, perquirendũ erit. Medico siquidem apprimè sciendum, virtutes omnes rerum naturalium à signis earum optimè cognosci. Sequitur indè, Physionomiam & Chiromantiam rerum naturalium à quouis Medico ad summum esse intelligendas: aliàs nullum Naturæ potest arcanum certum reperiri iuxta veram Essentiam. Optimum exhibet exemplum persicaria, *Sanguis aquaticus*, aut *Piper aqueum*, quod signis manifestissimè suas patefacit vires atq; virtutes, à quib. etiam optimè cognoscitur quid in eiusmodi herba lateat. Nec est quod miretur quispiam, signa rerum proponere me. Nihil enim à se natura dimittit, quin prius extrinsecus notet, quod intrinsecus occultatur. Manifestissima in hominib. videtis exempla, quæ vos minimè fallunt, eorum internas inclinationes & animos indicantia: cùm nihil in eis tam occultum, quod non exterius aliqua nota signatum sit in cognitionem. Eiusmodi Signaturæ cognitio prorsus in obliuionẽ transiit apud Medicos, & eius vsus vnà periit, vnde maximi quidem errores orti sunt, videlicet quod ab eo tempore hactenus, Medicus nullus nec scribens in medicina iuxta verum istud fundamentum scripserit, quid in rebus naturalibus contineatur. Quotquot eorum exstiterũt, solùm ex auditu, ac cæca prorsum hominum experientia descripserunt eam. Quicunq; de rebus naturalib. scribere cupit, signa sibi proponat earum oportet, ex quibus idipsum cognoscere debet experientia quod scribit. Nam prout homines ex fructibus suis cognoscuntur, ita & herbæ, suis ex signis inuestigantur. Quemuis igitur Medicum verum sequi fundamentum oportet, non ex auditu aliquid agere. Maximè cuperem Naturales Magistros plus in & ex natura discere, quàm saltem garrire. Si ergo fundamentum verum sit inquirendum, à Magica scientia primùm inchoandum erit, atque discendum. Si Medicus de naturalibus corã ægro dixerit: Hæc est istius aut illius rei natura, & Magicam ignorauerit artem, vt fatuus loquitur. Quid est quod quispiam ex auditu loquatur? Si naturam herbarum cognoscere vultis, præsens hoc à me positum sequimini documentum, & Dioscoridem relinquite, & Macrum & alios, ne ex auditu addiscatis quicquam. Natura tam egregiè dotata est à Deo, vt non ex auditu, sed ex sua luce propria debeat inuestigari, in solido suo tantùm fundamento, non autem in arena. Hæc à me eo tamen dicta sunt, quòd multi scribunt herbarum fictam historiam, non ex vero fonte, sed potius molem super auditum &arenam

Signatura vis & acc. fcra.

Medici officium quod sit.

Medici doctrina ex luce naturæ petenda.

& arenam ædificant. Medicum verum decet ponere solidum, fixum & stabile fundamentum super lapidem, id est propriam experientiam, & non super arenam, hoc est auditam ab aliis opinionem. Quandoquidem vt nemo possit errare, Natura suis in obscuritatibus & occultis viribus lucem addidit in Signis, quæ vobis addiscenda solummodò proponit.

Possetis enim ei sic obiicere: *quis potest herbas introspicere, quid in ipsis lateat?* Signa illarum inspice: & videbis omnia, quæ in ipsis latent. Barba rufa, nigra, vestitus, gestus, habitúsque, hæc omnia signa sunt. Ex his noscendus vir seu homo est. Iam habetis fundamentum ad inquisitionem omniū Secretorum naturæ, vobis propositum per sua Signa, quæ manifestò cunctis natura ob oculos ponit.

Videte iam, ô Vos Medici quidnam dicere-tis, vt potè vanos omnique scientiâ vacuos libros, quibus fundamenti nihil inest, & quos tamen obstinatè sequimini: verùm ipsam naturam nullâ ex parte cognoscere satagitis: tales estis vos. Quapropter vt vos meliùs doceam medicinæ fundamentum inuestigare, coactus sum vobis Aquatici sanguinis vires detegere. Non enim satis foret me dicere: *Hoc aut illud efficit*, verùm qui & qua ratione id faciat, fuerit æquum exponere: quo facto, plura cognosci poterunt quàm scripta fuerint vnquam. Et cùm ad signa tam arduè vos in perquirendis naturæ mysteriis sollicitem, eaque solum à signis cognoscibilia esse dicam, ideò porrò notate, quare Sanguinem aqueum proposuerim ex signis suis declarandum, per quæ vires eius atque virtutes ausus sum conscribere: non ex auditu quopiam ab aliis, sed iuxta veram iustamque scribendi rationem, in dubio nullo modo positam neque fundatam, aut in eo, quòd quandoque bene successerit alicui iam nihil in alio possit efficere: verùm ex integro fundamento, prout in ipsamet natura habetur: ita scribendum & non aliter bonis est. Hæc sunt illa signa, per quæ virtutes eius experiendo comperi: nec solùm de hac herba, sed etiam de aliis, ac rebus naturalib. omnibus, qualibet in sua natura conditioneque. A sanguineis igitur maculis in persicaria virtus eius cognoscenda. Hoc est Signatum eiusdem, indicans in eo peculiarem naturam atque virtutem existere supra cunctas alias herbas. Est influentia carnalis, quæ suum ex elemento subiectum accipit.

Theophrasti scientia vnde acquisita.

Persicariæ signa quæ sint.

1\. Cùm ergo sanguineæ guttæ syderum Signatum existant, id merito proponendum erit, vt ex eo iudicium fiat. Quapropter medicum Astronomum prius oportet esse, vt ex arte hac virtutes rerum iudicet.

2\. Præterea etiam aliud Signatum habet persi-

3\. caria, vt pote formam & figuram. Item adhuc aliud, nempe gustum. Ex tribus eiusmodi signis virtutes cognoscuntur in herba hac existentes, & non solùm in ista, verùm etiam in aliis omnibus. Quicunque de herbis, & aliis rebus naturalib. scribere cupit, ex Signatis id faciat oportet. Ad hunc modum reperietur verum fundamentum, vt nihil in eis tam occultum existere valeat, quin veniat in lucem. Dicere possum igitur, hactenus malè de rebus naturalib. scriptum fuisse, quod ex auditu solùm ab aliis idipsum, per incertas experientias, & non ex fundamento vero naturalis scientiæ factum sit. Signatura enim Scientia est, per quam occulta rerum omnium inueniuntur, & præter quam in similib. veri fundatiue nihil fit, nisi vanum atque friuolum, quicquid attentatum fuerit. Si verum itaque Persicariæ fundamentum intelligere volueritis, primò sciendum erit vobis, ad quid conducat, & quibus conueniat: quo cognito iam planum erit, quâ ratione hoc aut illud efficiat, quibúsve viribus. Persicaria igitur est Attractiuum Influentiale, ita vt per influentiam quam habet in se, tum per vires attractiuas, omnia vulnera, necnon vlcera persanat. Vti per exemplum: Sol ex terra sursum attrahit omnem humiditatem superfluam in ea & non necessariam. Quâ de causâ redditur illa frugifera & macra: vnde hoc etiam fit, vt rorem & pluuiam absque sui detrimento recipere valeat, & incorporalitate sua prorsum perfici. Nec solùm id Sol efficit, verùm etiam omnia sydera vires habent attractiuas, quibus à terrâ humiditatem attrahunt quæque iuxta suas proprietates. Sic ergo hinc sequitur, non in syderibus tantùm attractiuam hanc facultatem haberi, sed in omnibus etiam aliis corporibus inferioribus, & materialibus, quorum quodque peculiariter in sua natura vim suam attrahentem habet. Indè sequitur, inferiorum quoque Attractionem, potestatem non tantùm in homines operandi habere, verùm etiam in superiora sydera, non secus ac ista supernè deorsum in nos habent. Ex eo enim contingit, vt inferiora corpora videlicet potus atque cibus inficiantur veneno, quod attrahunt ex elementis illud imprimentibus eis Influentiâ quâdam: quod hoc loco declaratu minimè necessarium est. Verùm quod ad interiorem attractionem attinet, vt sanguis aquaticus peculiariter demonstrat, opus est superioris attractionis declaratione, quâ meliùs inferius intelligi queat. Eò me cogit Medicorum ignorantia, tum rudium aliorum hominum simplex admodum intellectus, qui similes operationes fascinaticias atque superstitiosas esse indicant immeritò, cùm tamen ex & per naturam solam fiant omnes, & non per fascinationes, neque superstitiones, ac ex propriis virib. & proprietatib. à Deo concessis: quas tamen putatitij præsumptuosique Medici prorsum ignari contemnunt ac derident Academiarum, cum aliis similib. inscíis & imperitis hominibus. Ad persicariæ virium naturalium internarum cognitionem, & maiorem declarationem exemplum hoc vobis proponendum esse iudico. Videtis Magnetem & acum stylúmue compassi. Si ventre ad ventrem & tergo ad tergus confricentur, tunc stylum eiusmodi vbicunque locorum mundi fuerit, ad se trahit Magnes, vt manifestò patet. Expositionem præcedentium iam hoc modo audite. Homo est Magnes, qui Magneticam attractionem in se continet stylorum sibi cōfrictione quasi matrimonio iunctorum. Et sanguis aquaticus tanquam stylus est

Signatura quæ.

Persicaria quid sit.

Sydera omnia attractiua sunt.

Inferiorū in superiora attractio qualis sit.

Persicaria quomodo hominẽ sanet.

extra magnetem, qui homo est. Indè sequitur hominem ad se trahere, quod in hac herba fuerit in sui nutrimentum, prout magnes à ferro sui sustentationem habet, ab eoque sanitatem & integritatem recipit sibi necessariam. Notate porrò. Cùm homo quispiam aut brutum aliquo corporis loco sauciatum fuerit per apertionem, si iuxta suum processum herba sumatur hæc ad vulnus, vlcus aut simile damnum affricetur, & postmodùm auferatur sanat absque alterius cuiuspiam additione medicamenti, hâc de causâ, quòd medicamentum in herba sit, & in homine Magnes illud attrahens in vulnus vel læsionem, & ad hunc modum sanatio sequitur. Hæc est cura Magnetica vel magnetina, quæ non solùm de herbâ hâc, sed etiam de similib. omnibus pariter intelligenda venit, quarum hoc loco nullam facio mentionẽ, sed in suis propriis capitulis. Quòd ad hunc modum cura magnetina, per attractionem ab Influentia factam, & à Deo sic prius ordinatam sanatur, an fascinatione vel superstitione factum sit quæso? Nemo hoc dicet præter garrulos Academiarum Doctores, ac illos qui naturalium virium prorsus ignari sunt. Isti propriam in sui philosophi sententiam incidunt ita scribentis: *Inimicum sapientia nullum habet præter ignorantem.* Sic & natura non habet alium inimicum, præter quàm illum, qui non intelligit eam, & solùm de hac iuxta fatuam opinionem loquitur. Vt apertiùs vsum istius intelligatis herbæ in Essentia sua naturali, iam in bruto ponemus exemplum. Equus nimiâ fatigatione vulneratus seu ab Ephippio pressus in dorso per sedulã equitationem, aut aliud accidens, vlcúsue tumefactum vel apertum habens hac herba sanari potest, ad hunc modum videlicet. Recens accipiatur, & in flumine quopiam vel aqua fluente lauetur, & ephippio super equi dorsum, commodè & aptè supponatur, postmodum equitetur semper absq; vllo respectu, singulisque dieb. remedium hoc innouetur, & mirum in modum curabitur equus. Notate iam sanationis huius occasionem. Videlicet remedium exercitium expetit. Nam quò magis equitatum fuerit, eò citiùs curabitur ac meliùs. Exercitium enim est speculationi simile: nam qui speculatur longè citiùs aliquod fundamentum aut scientiam reperit eo, qui nullis speculationibus vtitur. Sunt igitur aliqui spiritus medicinæ cœlestis, qui versantur & consistunt in Exercitiis: alij verò non. Et hæc considerare notareque decet vos Medicos. Altera cura per magneticam virtutem, cuius antea memini per exemplum, sic se habet. Excipiatur herba dicta recens & per aquam recentem etiam tracta, lotaq; vlceri confricetur, & postmodum aliquem in locum reponatur humidum, in quo meliùs ac citissimè putrefieri queat, aut sepeliatur in terram pinguem, & magno lapide cooperiatur & aggrauetur. Mox atque putruerit herba, malum atque vlcus curatum est. Eius rei causa est, vt antea diximus, quòd Magnes hominis ad se trahit, quamdiu aliquid superest. Quò citiùs putrefit, eò celeriùs attrahit Magnes, vt Medicinæ Spiritus à Magnete per moram non deficiat fugiátue. Si verò tardiùs ad putredinem deueniat, erit etiam attractio tarda, &

Sapiẽtiæ inimicus solus ignorãs.

Persicãriæ vsus in attritis equorũ dorsis.

per cõsequens cura iuxta putrefactionẽ vel protrahitur vel acceleratur. Nihilominus putrefactio suũ tempus expetit in materię totius consũptionẽ. Cõclusiuè, homo & quoduis animal ob sensitiuam facultatem, ad medicamentum in magnetina cura directam, est Magnes, iuxta magneticas operationes procedendo. Has verò facultates naturæ, Medici parum aut nihil intelligunt. Et si contingat aliquem eis feliciter vti, non aliter hunc illi quàm Iudæi Christum excipiunt, venenum suum his verbis euomentes: *Dæmonium* (inquiunt) *habet per quod talia perficit.* Verùm non considerant asini, diabolum vnum alteri minimè esse molestum, neq; mordere socium, quo regnum eius maneat integrum. Scitote vos igitur, eiuscemodi vires atq; virtutes ex cœlestibus procedere solum Impressionibus, per quas tam admirandæ curæ quandoque fiunt, vt manifestò videatur clauum in soleam equi ad carnem viuam vsque adactum: item gladium in hominem trusum, exceptos & in terram, laridum, pinguedinem, &c. defixos, iterum iuxta verum processum efficere, vt eiusmodi vulnera nihil accidentis mali patiantur, verùm sanentur & quidem felicissimè. Innumeræ similes curæ fiunt: sed has tantùm enumerare volui, quò tales virtutes intelligere possetis, eoque referre quò pertinent, scil. ad magneticam curam, qua similes operationes perficiuntur. Et prout magnes à ferro suam naturam accipit, non substantiam sed spiritum eius: non aliter mumia trahit ad se virtutes rerum in eis existentes. Nam ibidem est concordantia quædam, quæ per attractionem conuenit. Quod autem superius dixi medicamenta esse sepelienda, eius rei causa talis est. Si manerent illæ herbæ in aëre, siccarentur, & spiritus earum euanesceret, qui debet per magnetem attrahi, sic vt eiusmodi cura debitum finem consequi nequiret. Etiam si manserint in suo caule naturali non separatæ, sed in vita sua vegetatiua, non operantur in hominem, sed cum syderibus tantum existunt in concordantia, & in assiduâ quadam operatione, sic vt interea nihil cum hominibus commune habeant. Verùm vbi seiunctæ sunt à suis stirpibus, nihil tum demum sydera cum eis agunt. Sicut enim mors vitam separat à corpore, ita, vt homo non viuat amplius, nec ad quicquam idoneus sit: Ita pariter in eiusmodi medicina post separationem herbarum a suis corporib. concordantia coniunctióque fit cum hominibus, & in eis quærenda est. Quandoquidem à separatione sunt microcosmo commissæ, nec non syderi suo, quod accepit ex limbo terræ, ideò quia homo est Ess. s. cuius viribus ad se trahit omne, quod à terra separatum est, æquè potenter atque superiora, cùm adhuc in terra starent. Præter dictas vires, narcoticam stupefactiuam quoque Naturam persicariæ inesse intelligite. Iam varia esse Narcotica, sciendum est. Nam vnumquodque stupefactiuum ab alio diuersum est. Dolores enim qui solis stupefactiuis mitigantur & auferuntur, varias habent origines & causas, ex quibus enascuntur diuersimodè. Quot enim eiusmodi languores atque dolores existunt, semper inter se diuersi, tot etiam contra Stupefactiua reperiuntur à Deo creata, nec non ordinata.

Persicariæ operatio non est Diaboli.

Sepeliẽda, ratio perpetuæ necessaria fit.

Persicaria est Narcotica.

Peculiarem

Peculiarem igitur notate mitigationem in hac herba, videlicet eis locis, quibus dolores ex corrosiuis fluxibus incidunt, vel ex subtilibus salsis fluxionibus, vndè illi maximi quidem oriuntur. Vbicunque resolutio talis acciderit in apparentib. locis, prout in dentibus & in panaritio salis, &c. tunc Herba dicta superposita, prius tamen aquâ recenti frigidaq; madefacta, prout supra diximus, in quib. narcotica cætera nihil profuerint, omnem dolorem protinus aufert atque persanat. Hæc à me dicta sunt ob Medicorum insciorum ac mendacium stultiloquia, dicentium, Narcoticorum vsum esse noxium, & in omnibus euitandum. Propter istorum turpia mendacia, cogor ista necessariò declarare ad hunc modum. Plurimi dolores morbiúe existunt, qui nullum prorsus medicamentum admittunt, præter stupefactiua solùm; Quidam non nisi laxatiua: quidam sola Confortatiua, & alij tantùm Infrigidatiua. Quare iuxta morbũ erit applicanda medicina. Quod per laxationes mitigari non potest, id aliud quiddam requirit, vt potè per naturam ad hoc ordinatum. Videte, vulnera non sanantur purgationibus: nec infrigidantibus, sed solum consolidatiuis. Quid est consolidatiuum, quid stupefactiuum? Nonne sunt ambo virtutes atque vires? Ita sanè, sed omne consolidatiuum ad suum vulnus, & stupefactiuum quoduis ad suum morbum in vsum venit. Nũnquid & peculiares diuersæq; curæ sunt panaritij & dysenteriæ? Quis dubitat, vtrumque suum habere peculiare medicamentum: Sic de cæteris: nam quiuis morbus curam suam in fluxionibus non habet, vt auferantur isti; sed cura vera est, vt ipsi dolores tollantur, tum demum fluxus erit sine damno, quod naturalis existat, ibiq; fieri debeat & non auferri. Verùm contrà volunt Academici nempe cuncta, quibus aliquid inest mali, prorsum auferri debere, putantes quum id ablatum fuerit, sufficienter iam curatum esse Contrà dico, si quodpiam in sanguine fuerit accidens, hoc auferendum tamen sanguine relicto prorsus integro. Si dolor in dente, hoc relicto tollatur ille. Sed vt vobis intolerabiles dentium dolores à suis declarem originib. vt cognoscatis eos, cum varij sint, veros & potissimos ad hunc intelligite modum. Dolor iste similis est paneritio, hoc est illi quem rodens vermis efficit, cum tamen vermis non existat, item podagræ similis insynoniâ sitæ. Ad eiusmodi fluxus ita vehementer corrodentes, herba quæ dicta maximè venit in vsum. Plura de hâc mihi non constant in præsentia. Patet enim ex his quæ per me dicta sunt hoc loco virtutes ac vires eius herbæ satis intelligi posse: quamuis infra latiùs ac particulariter adhuc eas reuelaturus sim. In summa damna quæuis illata corpori, cura magnetina possunt instaurari sanariq;. Cura sanè mirabilis est magni momenti. Quandoquidem si quispiam in ea Medicus diligentiam adhiberet, eiq; esset intentus, nihil morbi resistere valeret, quod non magneticè curari per ipsum posset atque sanari. Quanquam verò & alia medicamenta sunt, quæ per aliam viam etiam naturalem curant; istud tamen nihilominùs suo tempore & loco est admodum præstans ac mirabile, tum præ cæteris omnib. vtile. Non quod propter

Persicaria vsus in dolore dentium & panaritio, &c.

persicariã tamen scribamus hæc, sed propter alia multa similia, per quæ sanguinis fluxiones, item synoniæ, dolores oculorum, &c. tolluntur, qui morbi non possent aliis processibus ita commodè facileq; sanari: Tum hac de causa pariter ista scribere volui, vt si fortè quis magnetico processu morbos curet, non dicant ignari medici, fascinationem esse, cùm ipsi nesciant quid fascinatio sit, & quid non. Tantum enim non didicerunt omnes, quotquot eorum sunt vt vnicum tamen articulum eiusmodi cognoscere possent. Quapropter stoliditas eorum est mundo manifesta jam, & certò constat, eos ex natura minimè curare, sed ex fabulis Æsopi tantùm, atq; doctrina Marcolphi, quibus ipsi persimiles sunt. Pœnam hanc fatalem & singularem esse iudico, quòd tales Medicos Deus mundo obtruserit, qui citra perplexationem omnem se homicidas fateri coguntur. Quos enim Academici Doctores creant, etiam conscientia propria teste fateri coguntur, quod vix pro famulis pharmacopæorum stent. Et sic turpis lucelli causa omnem mũdum ludos faciunt; interim nec ipsa cassa nuce digni. An verò id non latrocinium sit fœdum, sacræ pecuniæ causa tantas in mundo speluncas moliri? Interim magistratus vbiuis cœcutit. Qui in latrocinio corripitur: in rotam suffigitur. Isti verò, qui omnia passim cœmiteria complet, & homicidiis crebris dimidium regnum exhaurit, etiam splendidi tituli ingeruntur, prout dolendus iam mundi mos est. Hoc idem est cum illo, si fur minor in crucem agitur, maior ad honorum subsellia collocatur. Peruersitas hæc si quinquaginta annis adhuc durauerit: virum probum, ne quidem vniuersus mundus amplius visurus est. Cùm enim qui iam viuunt, nihili sint: quales futuri sint, horum filij & posteri, qui nihil discunt aliud, quàm quod speluncarij illi instillant? Hi nimirum sunt illi proselyti, de quib. Christus loquitur, quasi dicat: vos Medici nihili estis &, iuniores creatis vobis duplo, peiores: hi iterum alios, se longè sceleratiores. Et quò euasura hæc est spelunca, donec iudicij dies appropinquet? Nec id etiam de herba hac subticere volo, quod videlicet, vbi secundum Influentiam integra fuerit eradicata prorsus à fundamento, mirabilem semper operationem retineat, nedum virens, verum etiam exiccata. Pariter etiam omne, quod extrahitur ex ea per destillationẽ; vt aqua, oleum, & ipsum sal alkali. Et licèt quidem magnetico modo, vel iuxta proprietates illius processus non operetur: tamen ea conditione viribusq; talibus id facit, vt singula per communem applicationem perficiat, quæ superiùs scripta sunt. Medicum enim Astronomum esse decet, vt homines ægros ita miserè non torqueat, quùm tempus & horam eiusmodi virium conseruationis optimè nouerit. Sic eius aqua destillata vulnera nec non vlcera lota, peculiaribúsque linteis madidis tecta persanantur omnia, quamuis cancrosa, fistulosa, vel alia forent. Similiter etiam puluis inspersus quolibet die bis, non secus ac aqua prius dicta curat, etiam esthiomena quæuis vlcera, sic vt non amplius erumpant, vel damni quicquam adferant. Item eius alkali dolores omnes mortificat, in viuam eiiciens

Perf. aquæ vsus ad quæ. Perf. pulueris vsus.

Perf. Alkali vsus.

ciens escharam, perbellè mitigando. Facilè coniicere possum in herba hac plures existere virtutes, quas ego libenter fuissem expertus ex eius physionomiâ, verùm ob impedimenta mihi per meos aduersarios allata fieri minimè potuit. Nam & proprij mei famuli ministrique furtis ac flagitiis suis me passim ita obtundunt & distrahunt, vt propter facinorosos illos vix hæc pauca scribere & corradere potuerim. Spero tamen eiusmodi nebulonum finem aliquando futurum, aureumque mundum aduenturum, in quo non, vt in hoc præsenti, longè lateque per omnia Diabolus regnet, ac ego in meis laborib. impediar. Interim herba hæc, Germanicè sanguis aquaticus dicta. Latinè verò Persicaria seu Saphena riparum, optimè vobis per me commendata sit, vt magneticas vires in aliis rebus per eam cognoscere valeatis.

CAPVT. IV.

De Sale & sub Sale comprehensis.

Sale homo necessario opus habet & cur.

EOusque necessitatis & indigentiæ Deus hominem compulit & redegit, vt sine sale nullâ ratione viuere possit, sed eo omninò opus habeat ad cibos & edulia. Hæc eius necessitas & coactio est. Coactionis huius quæ causæ sint, breuib. expediam. Constat homo ex tribus, Sulphure, Mercurio, Sale. Ex his etiam constat quicquid vbiuis est, & nec pauciorib. nec plurib. Hæc corpus sunt vniuscuiuslibet rei, siue sensu perditæ, siue eo orbatæ. Quia ergo in species homo diuisus est: ideò putrefactioni subiectus est, nec eam æternum subterfugere potest, sed tamen eatenus aliquandiu, quatenus congenito Balsamo Deus ipsum dotauit, qui & ipse in tribus consistit. Is autem est Sal, hominem à putredine præseruans. Vbi Sal deficit, ibi putrescit ea pars, quæ salis expers est. Sicut enim caro pecudum, quæ consalitur, à putredine immunis est: ita Sal quoque, naturaliter à Deo nobis insitus, corpus nostrum à putredine præseruat. Stet ergo sententia, tria saltem corpora hominem constituere, & ex illis tribus vnum esse salem, qui in corpore se habet, vt conseruatiuum, quod corpus sibi congenitum non sinit putrescere. Sicut ergo prima condita omnia, omnes substantiæ, ex hisce tribus constant: ita necesse est, eadem per sua nutrimenta talia sustentari & conseruari. Hinc etiam consequitur, crescentia terræ omnia, trib. istis, ex quibus constant, necessariò Nutrimenta conferre. Quod ni faciant: prima condita perire, & in tribus suis specieb. mori, omnino necesse est. Nutrimenta hæc sunt terra & pluuia, hoc est, liquor. In hoc nutrimenta sunt triplicia. Sulphuri suum sulphur est: Mercurio suus Mercurius: Sali suus Sal: hoc est, Natura ea omnia in vno continet. Ideo ex isto liquore, qui Rerum Naturalium Nutrimentum est, Sal Naturalis excoquitur.

Homo ex 3. cõstat.

Sal est Balsam' corporũ.

Condita prima nutriunt̃ tur Liquore.

Simile simili alitur.

Hinc similitudinis ratione patet, ipsum quoque hominem eodem nutriri oportere modo, vt scil. Sulphur ipsius, nutrimentale suum sulphur, & Mercurius nutrimentalem suum Mercurium, & congenitus Sal, nutrimentalem suum salem accipiat, quo ex tribus istis, homo in suis speciebus sustentari & conseruari possit. Quicquid enim ardet, sulphur est. Quod humidum est, est Mercurius. Quod horum duorum Balsamus est, est Sal. Hinc alimentorum humanorum diuersitas pendet. Ardentibus cibis opus habet, pro sulphuris sui sustentatione. Humidis cibis indiget, pro alendo Mercurio. Sale vescitur, pro salis natura fouenda. Ordine eo disturbato, quodcunque horum violatur, eius species quoque in corpore perit, vno pereunte, pereunt etiam reliqua. Iste enim ordo seriò seruandus est. Academici tamen nihil huius Philosophiæ olfaciunt: quod mirum non est, quia nec in aliis quicquam vel sciunt, vel possunt. Porrò in omni mundo sunt cibi ardentes, vt sunt caro, pisces, panis, &c. Sic etiam Humidi, vt *fontes, fluenta, maria.* Similiter & vbiuis Sal est. Hæc per vniuersum mundum distributa sunt, ita, vt vbiuis locorum illorum copia prompta sit. Sed & de Naturâ hominis hæc habete. Quòd homo cibum appetit, Sulphur est. Quòd appetit potum, est Mercurius, siue aqua, siue vinum sit. Quòd Salem appetit, Sal per se est. Quæ etsi quidem minimè sciantur: nihilominùs tamen ea appetit Natura. Et non in Homine tantùm, sed & in animalibus, quæ à Sale pinguiora, robustiora, vtiliora & salubriora fiunt, quàm absque Sale. Quòd si debita quantitate Sal non ministretur: defectus oboritur etiam in alteris binis speciebus, & animal corrumpitur peritque. Nec enim natura alimentis necessariis, quæ omnino requirit, sustentatur. Similis conditio etiam hominis est, qui sine istiusmodi nutrimentis viuere non potest, sed appetitus suæ Naturæ, ad quem ea genita est, exsatiationem omnino aliquam pro indigentiæ gradu requirit. Cæterùm, etsi passim circumferatur, homines in nouis Insulis Sale cibos nullos condidisse, nec ipsum brutis etiam obiecisse; res tamen ipsa dictat, tam ipsorum quàm pecudum naturam maris salsam aquam appetiisse, & cum ipsa aquæ alij permixta cibos decoxisse. Nunquam enim quiescit Natura, sed iugiter captat & quærit id, quod necessitas & vsus requirit: adeòque ipsa etiam pecora, ne de homine dicam, ad lingenda salsa compellit.

Trium ... mat... do ... bilia.

Sine Sa... le ... pizza...

... sale ... quotid...

Nobis in more ac vsu positum est, vt Sale in cibo vescamur: qui ordo & naturalis & prudens est. Ibi enim tria nutrimenta conueniunt, Sal scilicet & cibus in vno: ac cum his binis tertium, potus. Et his Natura alitur sustentaturque. Cæterùm de Sale dixi, ipsum naturalem esse viuentis corporis Balsamum, hoc est, quamdiu viuit corpus, tamdiu sal dictus corporis Balsamus est aduersus putredinem, in quo Balsamo vniuersum corpus hominis, velut & aliorum, consistit & conseruatur. Quòd si hominem putredo aliqua, aut (ita loquar iam) cadauerositas corripiat, velut in Igne Persico fit: causa est, quòd omnia dissoluantur. Quòd si omnia in creatis dissoluenda sunt; iam liquet, ipsum quoque Balsamum dissolubilitatem in se continere: qua incipiente, ipsius quoque dissolutionis vis & robur inualescit. Si Balsamus dissoluitur aut corrumpitur, (*quibus modis*

Sal est Balsamus naturalis corporis.

modis id fiat in Medicina Theorica docetur) tunc illicò corruptio putrefactionis incipit, eo modo, quo Sal corruptus est. Si Sal corruptionem non subit, ibi nec corpus internum nec externum hominis putrescit. Hinc iam concludendum, quòd Sal sit instar Balsami, in homine: quódque Sal naturalis, quem homo edit, illius cibus & alimentum sit. Et hæc de Sale planioris intellectus dinceps captandi gratiâ hactenus ita disserere volui. Itaque naturali Balsamo omisso, porrò dicam de Sale ciborum, quo pacto is alimentum sit, quibúsue dotibus à Deo præditus sit, cùm ad sanitatem hominis conseruandam, tum ad multos morbos præcauendos. Cùm nihil adeo bonum sit, quin malum sibi coniunctum habeat: Ideò nobis etiam, quod in Sale malum est recensendum superest, vt hoc modo bonum & malum coniungantur, & quodlibet ab altero discernatur & intelligatur. Salis Natura & conditio admodum memorabilis est. Si enim Sal corpus mortuum seu cadauer conseruare potest: multò magis conseruabit carnem viuentem. Si corpus mortuum vi & efficacia sua Sal à vermibus præseruat: multò magis viuens. Non enim ideò saltem, quia alimentum est, sed quia cibus necessarius, & tam senioribus, quàm iunioribus idonea medicina est, Sal præbendus omnibus est.

Putredo non est ubi Sal integer.

Salis autem genera tria sunt. Est enim *Sal Marinus*, qui sal per se est, non ab aliis salitus; sed sicut vinum diuersum est ab aqua: ita mare quoque sua natura diuersum est à cæteris aquis. Cæteræ aquæ dulces sunt: hæc est salsa. Secundò, sunt etiam fontes dulces aliqui, sed salsi simul. Hi naturam peculiarem habent, vt cum mari naturam communem non habeant, sed per se alium salem contineant. Tertiò sunt etiam salia mineralia, specie lapidis, alterius naturæ, quàm cætera metalla seu mineralia. Optimus sal est ex fontibus; Deinde ex mineralibus. Is quò durior, eò melior Tandem est Sal marinus. Et sicut in multas species sal diuiditur: ita in multas & varias proprietates etiam ille dirimitur, inter se distinctas. Porrò, quo pacto Sal conficiatur, recenseri hîc non debet, cùm res in propatulo sit. Sed nec, quî crescat, hîc describendum est: cùm tractatio ea pertineat ad librum de *generatione Mineralium*. Mei saltem instituti est, de virtutibus & vitiis salis disserere. Ita nec de Sale marino dicendum hîc est. Quæ enim de Sale candido scripta leguntur, eadem etiam de Sale marino intelligẽda veniunt. De *Sale Petraeo*, non excocto, tantùm hîc non tradetur, quantum de Sale excocto. Sal quilibet, qui aut ex aqua, aut ex salsa mineralique terra conficitur, communem salis ordinem & virtutem præfert. Nam in Liquore fundamentum potissimum situm est. Ideò Sal marinus, velut & petraeus, in Liquamen non venit. Sal autem, qui excoquitur, Liquamen ingreditur, prius quàm ab aqua separetur in salem coagulatum. Salis ergo descriptio duplex est: Vna salis ex Liquamine: altera salis integri & definiti.

Salis genera tria sunt.

Principiò sciendum est, cuiuslibet salis hanc in genere esse naturam, quòd sit correctio ciborum. Vbi enim sal deest, cibus non corrigitur. Exempli gratia. Si stomachus cibum assumit, & salem non habet, languida est eius decoctio, & præparatio fit imperfecta. A sale enim procedit virtus expulsiua in secessu & vrinâ. Quæ duo si perfectè non procedunt, & expulsiones non sunt genuinæ: iam omnia frustranea sunt. Præterea, si cibus debito modo non salitur, certum est, Liquores illos in homine, qui insulsum nihil assumunt, cibari nullo modo posse. Sanguis enim salsus est. Vbi ergo cibo sal incorporatus seu vnitus non est, à sanguine ille non attrahitur. Quod autem necessario & ex penuria attrahitur, id in sanguine putrefactionem suscitat. Quod vt euitetur, membrorum illorum gratia cibi saliendi sunt, ne illa debito suo nutrimento defraudentur. Insuper in sale est etiam virtus Resolutiua. Si enim in corporis poris oppilationes aut alia accidentia oboriantur: ea omnia sal aufert aut resoluit, vt cum vrina exeant. Vrina ergo est sal cruoris: hoc est, vrina est sal de sale naturali. Et sal naturalis vnitur cum sale nutrimentali: & ea coniunctio Expulsionem excrementorum suscitat. Quòd si sal debito modo & quantitate non ministretur, coniunctio naturalis fieri non potest. Quilibet ergo medicus sciat, salem debere etiam esse loco medicinæ, vt, vbi sal naturalis exire seu expelli velit per salem, salis eò crebrior vsus sit. Valdè autem commodum est, si sal Gemmæ vsurpetur, ceu cæteris salibus omnibus præstantior ad salem naturalem expellendum. Medicorum ergo peculiariter officium est, vt tres salis species, & cuiuslibet speciei operationes non negligant, sed iis diligenter vtantur.

Sal est correctio ciborum.

Sanguis est salsus.

Sal gemmæ cæteris præstantior.

Dixi superiùs, salis descriptionem esse duplicem: vnam *Liquidi*, alteram *Solidi* seu *Aridi*. De liquido hæc notate. Sal omnis excedentes quoslibet humores resiccat. Liquamen tamen ipsum hora vnica plùs præstat, quàm arefactus sal integro mense. Tantò plus in Liquamine exiccantis contra superfluos humores naturæ est, quàm in sale arido. Et licèt sal aridus quidem reducatur: tantæ tamen bonitatis non fit: sicut in additione & correctione cognoscetis. Liquamen ergo salis rectè describi multum interest. Liquamen si ita præparetur, vt iniectam ollam, ouúmve aut simile aliud ferat ac sustineat: virtus eius talis est. Quicunque morbi ex humoribus nascuntur, & humores naturales infestant, hi adhibito liquamine expurgantur. Huius classis sunt humida podagra, hydropisis, tumores humidi; tumida crura ab influxu humorum. Vt summatim dicam, quemcunque Liquorem Leprosum à natura non existentem attingit, illum consumit. Id hoc modo fit. Liquamen ipsum per se est instar balnei calidi seu thermarum. Id si adeò refrigeratũ sit, vt insidere illi æger possit: lauandum in ipso erit velut in thermis &c. fieri solet, consilio tamen prudẽtis medici adhibito, quãdiu & quousque lauandum sit. Hoc modo consumuntur illi humores, ac pedes detumescunt, & ad statũ naturalem reducuntur. Sana enim & firma natura in corpore sicco consistit, non pingui & adiposo, & humido Corpus aridum & venosum, optimum & sanissimum est. Quæ autem corpora ita constituta non sunt, sed sunt pinguia, humida & fluida; hæc omnia lauentur in isto balneo: ita exiccabuntur & consanescent. Quod si accidat,

Salis Liquaminis vis & vsus.

Liquaminis salis probatio.

Corpus siccum est sanum.

si accidat, vt post eiusmodi balneum progressu temporis superflui humores postliminio iterum inundent: opera danda est, vt apud salinas eiusmodi vitam degere & habitare liceat. Vita enim longa breui melior: nec voluptates huius mundi curandæ sunt. Qui verò morbi tales sint, ex medicis discetis.

Cæterùm, vt ad Salem siccum digrediamur, sciendum est initio, eius genera aliquot esse, nimirum Salem communem cibalem, Salem clarum, Salem Gemmæ, Salem Petræum, Salem terreum, Salem stiriatum. Vtcunque autem hæc se habeant, sciendum est, Salem quemlibet in aquam coniectum, & abluendis vulneribus adhibitum, ea à putredine & vermibus præseruare, & vermes in illis etiam dum genitos, tollere ita, vt nulli denuò renascantur. Vulnera enim si pura & munda seruentur: ipsius naturæ operâ consolidantur, etiamsi maxima sint, modo complexionem non acceperint venenatam, quo casu plerunque nec Balsamus prodest. Similiter & in vlceribus prauis Sal remedio singulari est. Præterea si sal in Balneum coniiciatur, & in eo quis lauet: ab omni scabie liberatur. In hoc tamen præstantius est Liquamen, quòd scabiem & pruritum potenter curat. Vbi tamen notanda correctio, qua Sal etiam siccus quadantenùs eò reduci queat. Prodest etiam idem Sal ad multò plura, quàm hactenus recensuimus de externo corpore. Et tot in Sale vsurpato virtutes latent. Pro conclusione de Liquamine sciendum est, quod progressu temporis Alopeciam etiam & psoram tollat sanetque.

Correctio & Additio, ad Salem siccum iterum corrigendum & reducendum.

Salis reductio vt fiat.

Receptum ad corrigendum & retrò reducẽdum salem siccum est hoc, vt sumas salem communem: & salem vrinæ æquis partibus. Lege Alchimiæ calcinetur horis duabus, postea resoluatur in cella more vsitato. Ita reductum Liquamen habebis. Hoc virtutis adeò potentis est, vt in Chirurgicis morbis à Liquamine verò salis parum differat. Ad interna tamen corporis vitia multò ignauius est. Applicando ergo & administrando modum primum dictum obseruabitis. Sciendum est etiam additionem commodè fieri non posse. Salis enim quæ virtutes propriæ sunt, ea in nullo alio inueniuntur. Quantò enim minùs salis in cæteris rebus inuenitur, tantò minùs eiusdem etiam virtutes similes reperire licet, ideoque ibi accessoria præparatio omnis frustranea est. Quod siquidem Alkali decoquantur: ea tamen id genus salis non sunt, hoc est, id sal non est, sed est Alkali. Discrimen enim est inter salem & Alkali: quod Alkali, sal naturalis est in corporibus à tribus speciebus. Sal autem est nutrimentalis, qui Alkali alit & nutrit. Additio ergo ibi fieri nulla potest, aut alia correctio, nisi vt sal per se citra additionem conseruetur, veluti de calcinatione dictum est. Idem verum est etiam de Aqua Salis, quæ ex calcinato destillatur in spiritum. Is spiritus resoluit aurum in Oleum. Quod si rursus extrahatur & optimè præparetur, Aurum potabile præstantißimum comparabitur. Si autem citra Extractionem illam aurum tamen resoluatur: tunc pro aurifabris in deaurando est subtilißima, & pro fabris ferrariis ad deaurandum thesaurus constans & pretiosus. Oportet tamen eos in præparando Alchimiæ peritos esse.

Salis & Alkali, quæ differentia.

De Sale claro, stiriato, & Gemmeo sciendum hoc est, quòd Alchimiæ omnium maximè accommodati sint, vt argentum in illis more vulgato cementetur. Salibus enim illis qualibet Luna, hoc est, argentum quoduis valdè malleabile fit, & citra ignem instar plumbi ferè excutitur. Est etiam optimum purgamentum cupri, si in cementum deducatur, donec Regulum deiiciat.

Præter iam dictas Salis conditiones proprietas etiam alia superest, nimirùm talis: Quocunque loco profunditur vrina aut hominis aut brutorum, eodem succedente tempore Salnitrum enascitur. Vrina enim collecta, & præparata in salem alium, Sal nitrum vocatur. Salnitrum verò est sal ex naturali corporeo sale, & sale cibario nascens. Duo hæc si in homine coniungantur, & vniantur: tunc superfluum de se eiiciunt, hoc est, per vrinam, quæ nihil est aliud, quam naturalis, corporeus & nutrimentalis sal, cum aliis humoribus concurrens. Quòd si vrina in Nitrum excernatur, & aliquandiu stet: Tum spiritus salis vnà concurrens operando ex duobus salibus salem vnum, & quidem peculiare genus præparat, quod Alchimistæ postmodum ex Nitro extrahunt, & arte chymicâ clarificant, & non sal à sale facto separant. Id denique clarificant & tunc suæ conditionis salnitrum erumpit. In præparatione tamen salis fieri potest separatio, ita vt verus & genuinus sal parte aliquâ rursus extrahatur, & reliquum cum sale nitri permisceatur. Quòd verò sal genuinus excoquendo iterum extrahi poßit, causa hæc est, quia sal ille in homine aut bruto digestus non est, sed crudus exiit, vt talis etiam reperiri poßit. Qui verò digestus est, is cum corporeo sale permixtus & (vt ita dicam) incorporatus est, vt deinceps separari non poßit, sed in salnitrum abeat. Sali huic sal nullus in vniuerso mundo similis est. Alchimia inuenit illum in Nitro iacentem, ipsumque ad salem coagulatum reduxit, & deinceps virtutem in ipso latentem eruit, saltem ad Alchimiam & operam manualem. Conati quidem sunt ipsi sulphur & salem nitri vnà destillare: Sed propter importunas commotiones id fieri non potuit. Quo deprehenso postea per additionem carbonum spiritus Alchimisticus puluerem pyrium inuenit, eumque paulatim ita auxit nouis inuentis, vt iam is instar fulminis muros perrumpat. Vnde meritò fulgur terrenum vocari debet. Hoc sale multa Arcana in Alchimia constant, quæ hîc describi opus non est. Nec enim dum ad verum fundamentum aut finem bonum penetratum est. Tutum ergo non est de illis scribi, ne qui in seductiones abripiantur.

Cæterùm quæ ad artem Vulcani spectant, negari non potest, quin magna Secreta ibi latescant. Nihil tamen illorũ ad sanitatem hominũ facit, sed tamen ad præparationes igniuomas: quibus caput peculiare debetur. Mirabilis autem natura est hominis, dum à corpore humano aut brutali, ex excrementis eius motu intimo talem generationem machinatur, quæ cùm à viuentibus procedat, contra vitam tamen tam violenta est, vt violentius nihil excogitari poßit: quæ inquam tanta velocitate homini vitam elidit, vt nullum contra ipsam præsidium satis firmum

mum sit. Sed hæc ad Metaphysicam in paramiris referenda sunt.

In capitis huius initio dixi, Naturam etiam in Liquore Terræ salem habere, naturaliter incorporatum. Ab hoc sale crescentia omnia saliuntur, estque Balsamus salis, de quo mentionem feci. Sciendum ergo, quòd à sale illo etiam in terra sal, salinitri similis reperiatur. Natura enim, vbi in terra poros, cauitates, & cataractas habet: in illis deponit stirias & longas, propendentias formâ & specie Salis. Eæ si sumptæ, arte salis præparentur: duo salis genera proferunt, salem cibarium, & salem nitri. Vocatur autem salpetra ideò, quia petris adhærescit, vnde etiam nomen sortitur. Sed & certo discrimine distant sal nitri & sal petræ. Nam in probatione salis cuiuslibet natura facilè discerni potest. Certum ergo in salis speciebus & viribus discrimen obseruandum est quoad sanitatem & alia. Interim tamen consultum non iudico esse, vt sal ille, qui ex Nitreo & Petræo pro cibis præparatur, comedendus offeratur homini, nisi macrum & aridum ipsum facere cupias. Aliàs enim ad solum puluerem pyrium commodissimus est. Alium namque spiritum, aliam naturam ac conditionem concipit, &c.

(Sal nitri & sal petræ differant.)

Cæterùm de salis etiam damnis & nouis disserendum iam est. Nec enim minùs de malo, quam bono scribendum est. Hoc ergo de sale ratum sit, quòd si sal non digeratur, à stomacho tamen per intestina exturbetur, transitu suo Colicam & Iliacam tam immanem suscitet, vt vix curâ exquisitißimâ sanari poßit. Vim enim corrosiuam tam fortem acquirit, vt intestina omnia exedere velle videatur: sicut per Anatomiam sæpè deprehensum est, salem eiusmodi separatum foramina sibi molitum esse.

(Salis quæ noxæ.)

(Colica & Iliaca quando à sale.)

Præterea, si sal ille maneat in stomacho, oritur inde orexis, Arenira, & stomachi paßiones aliæ, quæ omnes ab vno sale crudo, & in orificio stomachi hærente manant. In his ægrotis sedulò obseruandum est Medico, an sal ille à cibis salitis, aut fumo duratis, aßisve, &c. prodierit: Nec enim æqua portione sal omnibus cibis additur: quod ob id Medico diligenter cogitandum est.

Fit etiam interdum, vt sal ille venas Meseraicas ingrediatur, ibique granuletur & constipetur: vnde morbi multi insolentes oboriuntur. Et non in illis tantùm locis, sed in corpore vniuerso. Idem etiam fieri potest in illis locis, quæ vrina ad suum Emunctorium tendens, penetrat: quod expendendum prudenti Medico committimus.

Iam ergo de sale materiam in genere claudemus: quem ideò describendum præcipuè sumpsi, quia sal est crescens Germanicum. Multò quidem plura de eo recenseri hìc poßent. Quæ tamen cùm non omnia commoda, sed magna ex parte noxia sint, de illis plura disserere nolui. Quæ autem mihi ex vsu esse visa sunt, ea, prout ab experientia confirmata habeo, recensere placuit.

CAPVT. V.

DE PERFORATA *seu Hyperícone.*



APTO & idoneo nomine herba hæc *Perforata* appellatur, quod nec & ego mutaturus sum. De qua herbâ, quid statuendum sit, quémve vsum præstet, pro decentia rei pertractabimus. Ante omnia autem sciendum est, Deum nihil ad peruersæ nostræ voluntatis normam, sed omnia ad perfectæ suæ voluntatis beneplacitum creâsse. Fas ergo ac æquum est, nos contentos esse in eo: quod voluntatem ipsius intelligamus in illis rebus ad quas nos creauit. Rem ita explicabimus. Homines nos ita affecti sumus, vt optemus, vniuersa ea quibus opus est, citra laborem, sudorem, exercitium & ærumnam omnem nobis obtingere. Hoc verò apud Deum ita ratum non est; sed voluntatis ipsius summa hæc est, vt in sudore vultus nostri nos sustentemus, ac proximo nostro seruiamus. Super hoc fundamentum exstructæ omnes artes sunt, vt labore & sudore omnia acquirenda sint. Labore & operâ Dei voluntas completur & perficitur. Hinc sequitur nemine quicquam, quisquis sit, citra hanc Dei voluntatem impetrare posse. Quicquid extra hanc fit aut accidit, id momentaneum & inconstans est, ac perit eo modo, quo acquisitum est. Quod enim facile fit, facile perit. Ob id Deus etiam homini de necessariis omnibus prouidit, suamque erga homines voluntatem Naturæ impressit, eaque Dei voluntas est Arcanum, quod in rebus naturalibus consistit. Quot necessitates seu indigentiæ hominis sunt, tot vicissim sunt Arcana. Tot Arcana, quot voluntates Dei. Iam si voluntas Dei complenda est: necesse est, Medicum quærere ipsam ibi, vbi est: non quidem verbis, sed vsu luminis Naturæ, quod docet, voluntatem Dei, ipsi lumini insitam, inde petendam, & ad necessaria transferendam esse. Hoc modo Arcanum detectum est.

(Homo labori destinatus est.)

Hæc de voluntate Dei eo fine indico, vt intelligat homo, Medicinam nihil quicquam aliud, quàm voluntatem Dei esse, eamque non in hominis seu Medici, sed in Dei manu positam esse. In Medici quidem manu ea posita est, si Deus ostendit, in quam herbam voluntatem suam Deus ad hoc vel illud collocarit. Et in hoc scientia Medica differt à reliquis. Faber ferrarius soleam equi ferream cudit, quando vult, nec ratione ad id opus habet, vt voluntatem Dei in Arcanis Naturæ quærat, modò fabricet, tundat, cudat, &c. Ea enim voluntas Dei est, vt Equus citra omnem scientiam & secretam in Natura cognitionem suffferretur. Eadem opificiorum etiam cæterorum ratio est: non itidem & Medicinæ, cui opus est nosse, in quo & erga quem voluntas Dei directa sit. Si quis enim punctim cæsimve vulneretur, præstoque medicina sit, cui sanationem Deus indiderit, Deus autem sanationem admittere nolit: iam ea irrita, frustranea, deficiens, ac ad mortem ducens erit. Arcana Dei abscondita sunt, quibus se ne ipse quidem Medicus opponere, sed illam rectè intelligere debet.

(Medicina est voluntas Dei.)

Medicina ergo aliter scientia non est, quam talis, vt voluntas Dei sit Arcanum & Arcanum sit voluntas Dei. Hoc pacto Deus ipsi etiam Perforatæ singularem voluntatem & Arcanum erga hominem indidit, siue is bonus siue malus sit. Vt Sol omnia illustrat, tam bona quam mala: ita & medicina. Quæ mihi causa valde digna visa est, cur Peforatam

(Perforatæ laus.)

hoc

hoc meo in scripto non silendo transilirem. In hac enim herba Monarchia latet cæteris omnibus præstantior. Monarchia autem est id, quod est optimum, in quod cætera omnia diuertunt. Vt ex Centro circulus: sic ex hoc Perforatæ centro deducuntur illa, quæ eius naturæ sunt, & in Perforatam redeunt. Id qui fiat, sic capite.

Monarchia quid.

Cùm Deus omnia creässet: postremò creauit etiam hominem ex Limo Terræ. Limus autem Terræ est *Quinta Essentia totius mundi*, Extractum nimirum ex Naturis vniuersis factum. Ex Extracto hoc conditus homo est. Hinc colligitur Diathesis ex omnibus creatis ergà hominẽ: ita, vt, quod hominem naturaliter sollicitat, id naturaliter etiam auertere ille possit per id, ex quo conditus est. Id enim ex quo factus est, noxā & damna illius auertere, ipsumque conseruare debet. Itaque consentaneum est, morbos omnes, aut quæ in homine subnascuntur, per fortius quid expelli debere. Nihil enim nisi fortius morbos expugnat. Ideoque Medicina est fortitudo, seu robur & potentia, morbos omnes expellens. Afferemus exemplum. Ignis liquat & consumit omnia metalla. Hæc iam fortitudo & complexio est. Ita ergo Medicina in fortitudine quærenda est, aduersa ei, contra quod illa vsurpatur. Huiusmodi robur ipsa etiam Perforata possidet: non ex qualitate quidem, aut complexione, sed ex fortitudine, quam Deus in perforatam collocauit. Per robur id eadem Naturæ spectra, vermesque abigit, & facit ad sanationem vulnerum & ossium fracturarum, contusionumque. Taceo iam de Balsamæa natura, quam continet, sicut deinceps tradetur. In Perforata ergo Arcanum id est, quod est voluntas Dei; qua per Perforatam talia præstari & confici debent.

Limus Terræ quid.

Medicina est robur.

Perforata spectra, &c. abigit.

Multoties iam inculcaui, ex signato intelligenda esse, quænam rebus insint, quæve Deus illis indiderit ad salutem & commodum hominum. Signatum id, hoc quoque loco considerandum est, nimirum Perforatio, formaque foliorum & florum, & locustæ, ac venæ. De quibus declarationis loco hoc dico, perforationem eam & porositatem foliorum indicare, quod herba ea ad perforationes cutis omnes tam internas quam externas auxilio sit, velut & ad ea, quæ per poros expelli debent, seu quæ ad porosum Emunctorium spectant. Quin & flores eiusdem putrescunt in formam sanguinis: quæ signatura docet, illos facere ad vulnera quorum carnem contrahant & astringant. Preterea foliorũ fibrę signatum sunt, quod *Perforata*, omnia Phãtasmata & Spectra tam intra, quàm extra hominem expellat. Phãtasmata enim gignũt spectra, ita, vt videat homo spiritus, visiones, & audiat similes Phantasias, quod quidem per Naturam fit. Suntque hi morbi, quibus incitantur homines ad seipsos iugulandos, quibus amouentur mente, & in Maniam, delirium & similia aguntur. Denique etiam stirps integra demonstrat, prædictorum nullum in hominis quacumque parte consistere; quod per eam non auferatur. Adeoque hæc herba est vniuersalis Medicina totius hominis. Adde, quod illius etiam sapor vermibus ingratus sit; qua de causa ipsam etiam impendiò oderunt.

Perforatæ signatura, &c.

1. Perforatio.

2. Sãguineolentia florũ.

3. Fibræ foliorũ.

De quatuor viribus, in Perforata latentibus iam dixi, contra phantasmata, vermes, vulnera: adde virtutem eius Balsamæam. De hisce deinceps notate, Phantasma esse morbum sine corpore & substantia; quo in spiritu contemplationis spiritus alius gignitur, à quo homo regitur. Spiritus ille genitus alias cogitationes, alios gestus naturæ congenitæ prorsus aduersantes instillat. Ad hunc morbum remedia plura, quæ sciantur, quàm Perforata & Coralli producta à Deo non sunt. Et sciat eo casu Medicus, Phantasma illud non esse morbum ex Melancholia, &c. sicut Academici nugantur. Est tantùm spiritus, qui non elidîtur per ea quæ Melancholiam tollunt, sed tantum per illa remedia, in quibus fortitudo est & robur vi illum adimendi.

Huiusmodi virtus non est in Receptis aut compositis illis, quæ officinæ promunt: sed est medicina à Deo ipso citra medicum composita. Et Receptum illud est integrè compositum & concinnatum à Natura. Quòd si id ergo contra Phantasmata vsurpandum est, citra omnem compositionem assumi debet. Ibi enim præsto est verus compositor, de quo scholares nihil sciunt, sed suum sordidum compositum potius tueri conantur. Hoc indico, vt sciat Medicus non suo saltem composito confidere, sed vt Lumen Naturæ potius quàm Apothecariorum legat & euoluat. Composita, quæ Deus ipse concinnauit, citra dolum, assumenda sunt. Illi autem Academici persuasum habent, ea, quæ suis asininis capitibus assequi non possunt, nec Deo nec naturę possibilia esse.

Porrò scitote, varia esse vermium genera. Alij enim fugiunt *Rutam*, alij *Angelicam* &c. Ita sunt etiam vermes, quibus aduersatur Hypericon, non saltem ob saporem, sed ob spiritum in Perforata existentem, qui spiritus phantasticos, vt dictum est, exigit. Idem Perforatæ spiritus mutat etiam spiritus vermium & insectorum in aliam phantasiam, ita, vt sensus animalis ipsorum hunc spiritum fugiat, nec tolerare possit. Siccut enim solis splendor transit vitrum: ita hic quoque spiritus, spiritum sensuum in homine & bruto penetrat, non secus ac moschus halitu suo intimum ad cerebrum vsque effumat. Qua de causa etiam vermes fugiunt, & huius herbæ loco abscedunt. Insuper est etiam herba vulneraria, non quidem qualis per se est, sed debito modo, vt dicetur, præparata. Quilibet autem Chirurgus sciat, nullam in omni natione Germanica aut alia quauis herbam esse, quæ præparatione ad vulnera sananda exaltari magis possit quàm Perforata. Et ita exaltatæ virtus à nemine satis describi potest. Nec vlla ex Receptis omnibus Medicina est, quæ sine damno & accidentibus adeò solidè & perfectè consolidet, ac sola est *Perforata*. Nulla, inquam, herba in omnibus terris ad vulnera salubrior reperiri potest, ac vnica Perforata.

Libri omnes de vulnerum cura vnquam conscripti, si cum hac herba conferantur, vani & nauci sunt, cùm meros clamores conti-

neant. In Perforata basis ac summa virtus latet. Ex eâdem præparatur etiam Balsamus, cuius virtutes cum quolibet Balsamo naturali certare possunt. Nec enim Essentialiter adest Balsamus Naturalis, sed per præparationem acquiritur, vt deinceps ostendetur. Hæc sanus quisque Medicus optimè accipiat. Hoc enim capite, longè plura & maiora, quàm in vniuersa Galeni, Auicennæ aut aliorum seplasiorum chirurgia docentur.

De Perforatæ viribus ad Spiritus Phantasticos.

Perforata quãdo carpẽda.

SI aduersus dicta Phantasmata vsurpanda sit Perforata, secundum cœlestem cursum sumatur, ea Influentia, quæ ipsa quoque spiritibus aduersetur. Id fit potissimum in Marte, in Ioue, in Venere, non cum Luna, sed contra Lunam, non etiam à meridie, aut sub noctem, sed sub Solis exortum, ex opposito Solis, in Aurora vel diluculo. Optima est illa, quæ inter alias vtiles herbas aut flores enascitur. Quò est longior: eò melior. Quò plures flores habet: eò est præstantior. Et carpitur, cùm flores ad summum asscenderunt. Herba hæc, qualis per se est, continenter gestari debet sub pileo, in sinu, specie serti, aut in manu, ad odorem captandum. Noctu supponenda est puluinari: denique ex parietibus suspendi, aut vndiquaque in domo defigi debet. Persuasúmq; sit vniuersis Medicis, quòd Deus ingens Arcanum in hanc herbam collocârit, saltem propter spiritus & phantasmata Maniaca, quibus homo in desperationem agitur, non quidem per Diabolum, sed per naturam. Sua enim eáq; definita remedia Deus contra vniuersos morbos creauit. Medici officium est, discere, quærere, & indagare, in quanam re quodlibet situm sit.

Quæ eligenda.

Qui vsurpãda.

Ad Vermes.

Perforata vsus ad vermes.

AD vermes correctione nulla opus est. Vsurpetur herba, qualis à Deo ipso composita est. Euellenda ergo est illis signis, quibus ligna deiiciuntur, & foditur argilla, in quibus postea nulli vermes aut tineæ, &c. subnascuntur. Ita euulsa, imponi debet vulneribus verminosis, qualia multa per negligentiam & imperitiam chirurgorum passim occurrunt. Quòd si per æstatem quidem, & maximè diebus canicularibus id sæpiùs à natura fiat: plerunque tamen ineptorum remediorum ea culpa est. Vidi equidem, tempore quoque brumali conspicuè vermes enasci, tribus integris consequenter septimanis, quorum manè & serò frequenter manipulus integer vulneribus exemptus est: quòd à suffocatione vulnerum eorum factum est. Hi vermes Perforata arceri debent. Quæ si imponatur, illi decidunt à vulnere. Quòd si etiam ex putredine vermes aliàs in corpore nascantur: tunc vmbilico imposita Perforata eos arcet. Sciendum autem discrimen, non omnes vermes ex putrefactione oriri. Et eo casu Perforata etiam non iuuat. Iudicet ergo peritus Medicus, quinam ex putredine sint, qui non sint. Exempli causa. Videtis vermes oriri in caseo. Hi ipsi quoque hac herba tolluntur. Eodem modo etiam in carne. Similis operatio etiam in homine fieri potest. Tale quid si accidit, herba imponi cuti aut vmbilico debet: ita vermes cedent. Postea leni purgatorio penitus exigantur. Momentum námque ferè omne in hoc consistit, vt vermes loco expellantur, quod validissimè facit Perforata.

Vermiũ manipulus è vulneribus exẽptus.

Ad vulnera, Contusiones & fracturas ossium.

Perforata vt exaltetur.

VT perforata summè exaltetur ad medicinam Vulnerariam: Processus subtilissimus & certissimus, quo vulnera omnia & perfossiones curantur, ita se habet. Ex semine conficiatur oleum. Huic addatur Terpentina æquali portione. Affunde iis vinum rubeum bonum, in quo coquantur illa spatio horæ: Affundatur dimidium olei oliuarum recentis, & iterum cum rubeo vino coquantur per horam. Postea iniiciantur folia Perforatæ, vt vas plenum sit. Coquantur iterum cum vino rubro horis sex, vt vinum omne consumatur, & duo tantum olea cum Terpentina supersint. Exponantur per mensem Soli, & tandem processu sequenti remedium vsurpetur.

Perforata vt corrigatur.

Porrò correctio hæc sequens ad altiorem etiam gradum eam deducit. Ratio ita se habet. Adde superioribus Flores centaureæ, Mastichen, Thus, Myrrham, Mumiam. Præparetur, vt supra.

Hoc etiam singulariter notandum venit, quòd si Terpentina destillata sumatur, & cum florum copia permisceatur, hæcque vnà in sole per mensem digerantur primò; deinde cum semine iterum per mensem: præterea cum dimidia parte Terpentinæ lotæ permisceantur, & iterum in Sole per se digerantur: tunc Balsamus hic remedium insigne est ad vulnera venosarum & neruosarum partium, quas præseruat à consumptione futura, contrahens partes seu neruos deductos ita, vt nulla sutura opus sit, denique prohibet contracturam & resolutionem, si quæ à vulneribus impendere videatur.

Balsamus ad vulnera præstans.

Sed & hoc interdum accidit, vt vulnera infligantur in signis malignis, ita vt vulnus etiam leue, exitiale fiat. Quando ergo in vulnera talia, per se lethalia, non autem lethalia secundum locum aut membrum, incideris: ea sequenti Balsamo sanabis, hoc modo. Sume *Olei Laterini*, & in id iniice flores Perforatæ. Stent in Sole sex diebus. Exprimantur flores, & recentes alij iniiciantur. Stent iterum senis diebus in Sole. Hoc itera sexies vel septies, & comparabis Balsamum in vulneribus lethalibus cæteris omnibus præstantiorem.

Sed Balsamææ naturæ genus etiam aliud præsto est, quod potari debet. Balsamæum id genus est optimum vulnerarium remedium, si sumatur contra confossiones aut vulnera corporis interna, membra principalia attingentia. Similis potio vulneraria nullibi parabilis est. Præparandi is modus est.

Potio vulneraria nobilis.

Recipe *Olei Iuniperini candidi* ℔. 1. *Olei ex seminibus Hypericonis quart.* j. His binis *iniice flores dictos, vt more vsitato digerantur. Exprimantur, & recentes flores addantur.* Hoc aliquoties iterandum. Quò frequentiùs, eò meliùs. Præparatio hæc bibatur. Quod remedium hoc non præstat: id nullum præstabit aliud.

Recepta hæc eo saltem fine indico, vt sciatur, scriptorum aut medicorum nullum de istis laborâsse, sed meras nugas vendidisse, dum proba vulnera mala fecerunt, & ægrotos miserè corruperunt. Quæ flagitia ne deinceps etiam admittere tentent, mea hæc remedia proferre volui, sperans fore, vt illis vsurpatis multa homicidia euitentur. Dolendum enim est, hominem Dei imaginem tantâ temeritate aut à sanitate deiici, aut penitus ad mortem dari: cùm tamen remedia perfecta à Deo creata sint, quæ in perditorum locum sufficienda.

Balsami vulnerarij, vt vsurpentur. Vtendi processus in vulneribus talis est, vt sumatur Balsamus, quem vsurpare vis, & calidus instilletur vulneribus, carpto linteo molli tectis, ita vt perpetuò madidum & oleosum, nec vnquam aridum vulnus sit. De potione vulnerariâ bibatur manè, sub meridiem, sub noctem, ita, vt cochleari illius vnico adiiciantur vini optimi cochlearia decem. Singulis vicibus bibantur cochlearia duo, ita, vt singulis diebus bibātur cochlearia sex, vsque ad curationis finē.

Cæterùm in prædictis Receptis omnibus Balsamæa quædam Natura delitescit, ita, vt de viventibus rebus nihil putrescere sinat. Notandum autem Balsamorum discrimen est. Balsamorum differentiæ. Sunt Balsami, qui cadauera conseruant. Sunt Balsami, qui non mortua, sed viuentia corpora præseruant, vt non putrescant, sed durent. Ea verò virtus ingens est remedij quâ homo ita conseruatur, vt ne putrescat. Nulla enim illic generantur vlcera, nulla Apostemata, nullæ Exulcerationes, nec quicquam aliud simile. Medicorum reprehens. Vos verò vniuersi Medici, vbinam tale remedium promptum habetis, quod à putrefactione tali præseruet, ita, vt in viuente integro nihil putrefiat, sicut hoc loco nos de Perforatâ testamur? Quis hanc virtutem componendo ei indidit? Non vos, sed Medicus summus. Recolligite ergo vos, & resipiscite, ne in peccatis vestris moriamini, hoc est, in falsis vestris compositionibus. Cogitate apud vos, componistam (vt ita loquar) Deum esse. Scrutamini Naturam; non fatuas vestras literas, quæ merę pedicæ & tricæ sunt.

Vt compositionis rationem vos doceam, scire vos velim, ad primum compositum addi debere Theriacam, & Mithridatium electum, vnà cum aliis Diaphoreticis, quæ vnà ad Solem in fimo Equino digerantur, & postea vsurpentur pro ratione personæ & complexionis, &c. quæ peritis medicis relinquo.

Noscendum porrò & hoc est, quòd ex herba hac & floribus destilletur Aqua in Balneo Maris. Aqua hæc prodest ad ea omnia, quæ de perforata tradita sunt: licèt paulò infirmior sit. Eius vsus esse potest, si malum non vsque adeò grande sit. Tum intrò assumitur, tum foris applicatur.

Hi Balsami etiam quamlibet ossium fracturam, & contusionem, & concretum sanguinem in corpore, curant. Hanc meam de perforata Experientiam ideò proferre placuit, vt inania Recepta deserantur tandem, & remedia vera quærantur. Interim Balneatorū & Tonsorum ea insania est, vt integrū exercitū iugulare potius, quàm remedia sua insana relinquere malint.

CAPVT VI.

De Magnete.

MEDICIS vniuersis Deus admirandum secretum in Magnete largitus est, idque non absconditum, sed manifestum: ita tamen manifestum, vt longiùs disputando in actum deducendum sit. Deus enim proponit nobis res, non quidem penitus commolitas, sed tamen præmansas, vt tamdiu in illarum scrutatione versemur, donec ad ipsum finem perueniamus. Et hæc prudens Dei voluntas est. Dei mira [illegible] impedi[illegible] Iam vt de Magnete disseramus, ante omnia conuenit, nos externam eius, quam manifesto prodit, virtutem explicare, quibus deinde cæteræ subnectentur. Magnum enim hoc & arduum est, ipsum ferrum & chalybem aut attrahere, aut à se pellere. Ex quâ consideratione ita equidem arguendo concludo. Quoniam Magnes ferrum & chalybem attrahit: multò maioribus viribus in attrahendis internis pollebit. Largitus est Deus Naturæ suam Physionomiam, suam Chiromantiam, suam Geomantiam, suum Signatum. Ex his iam recordetur Medicus sui officij. Ego autem hoc fateri cogor, me ad hunc vsque diem de veteribus Medicis nunquam vel audiuisse, vel legisse, ipsorum vel vnicum hactenus iusto ordine ad Medicinam progressum esse. Harum namque rerum vniuersi imperiti sunt. Quid ergo de illarum Arcanis blaterabunt? De naturalibus scripturis, opus habet vt scribat ex Signato. Et id ex suo signo noscendum est: aliàs opera omnis ludetur. Ex operibus eorum iudicare potestis, quid expediant, quamque parum curent, siue benè siue malè res cadat. Ego interim, quantum de Magnete per Experientiam comperi, liquidò affirmo, in ipso Arcanum adeò sublime latere, vt sine ipso in morbis nihil eorum, quæ dicta sunt, expediri possit. Magnetis Arcanum ei singulare. Estque pro Artificibus in Medicina præsidium tam nobile, vt nullo alio simili plura præstari possint. Quâ verò ratione ipsum equidem diuido; ita integrum eum inuenies, si opus sit. Deinceps autem præparationem eius tradam, vt vsus eius innotescat.

Hæc ita adverbum in ipso habentur Autographo.

Alibi in Copia, vt in Literâ.
Item Corallis.
Item de Carduo Benedicto.
Item de Antiomonio.

CAPVT VII.

De Sulphure.

CReauit Deus Resinam terræ eámque multis infandis virtutibus dotauit, non solùm ad subsidium morborum, verùm etiam ad operationem Alchimiæ. Similes aliæ quoque virtutes in Sulphure, quod Resina terræ est, Sulphur est Resina terræ. conspicuæ sunt. Conueniens ergo est, vt non de Medicis saltem Sulphuris virtutibus, verùm etiam de Alchimisticis & aliis accessoriis vsibus à nobis disseratur. Multa quidem de Sulphure scripta & edita sunt. Ipsum tamen verarum virium fundamentum nemo

adhuc attigit. Omnia Auctores illi sibi describenda sumpserunt: sed nullum eorum intellexerunt. Multa congesserunt: sed quod bonorum scriptorum officium est, ex fundamento ipso nihil deduxerunt. Rem enim non intellexerunt & tamen ad compilandos libros ambitio eos adegit, qui tamen libri omnes spiritu & animâ carent, ac mera mortua litera sunt.

Med. negligunt.

De Sulphure ego vobis, tanquam peritus, Experientiam meam in omnibus proponam, quidnam in Sulphure contineatur, tam secundum Medicinam, quàm Alchimiam & cætera. Et nisi Deus obstet ac prohibeat, stupenda adeò & admiranda opera Sulphuris sunt, vt naturale in homine lumen ea satis admirari non possit. Quod si Deus non impedit: defectus est in artificibus, Sulphur ita tractantibus, vt operatio insitæ virtuti non respondeat. Cùm enim quilibet nugator Medicus, quilibet nugator Alchimista sit: hæc causa est, cur scientiæ planè in apricum proferri non possint. Fundamentum autem hoc est, quòd in Sulphure, vtriusque facultatis tanta Arcana virésque contineantur, quanta à nullo satis indagari possint, quòd inquam virtutes tam præstantes in eo lateant, vt eæ iure merito omnibus admirationi sint. Post longam enim in vtrâque facultate captatam experientiam eæ Sulphuris vires compertæ & cognitæ sunt, vt multa alia non existant, quæ ipso aut superiora sint, aut cum eodem comparari in Medicinâ ac Alchimiâ possint. Sulphur castigat Aristotelem, dicentem, rerum species mutari non posse. Fas enim Sulphur transmutat. Si hodie viueret Aristoteles, ad ruborem & pudorem totus ageretur.

Sulphuris operatio stupenda.

Species rerum mutat Sulphur contra Aristotelem.

Medicum aut Alchimistam agens, Sulphure non vtetur, quale id per se est, sed potius eo separato in arcanum suum, & ab impuritate abluto, ita vt in virtute suâ quâuis niue candidius fiat. Huc facit Ysopus, hoc est, ars separandi, antiquitùs Ysopàica in Alchimiâ & omni sequestratione dicta. Crudum tamen pro vulgo, & ad res extraneas insigne est. Cæterum vt in explicando sulphure accuratior sim, id prius secundum suam naturam distinguam. Non enim ex matrice vnâ, sed pluribus nascitur. Vnde etiam operationes diuersas habet, naturásque multas inter se diuersas continet. Quas ne erret Medicus seorsim proponam, ita vt sciatur, quatenus ad Medicinam prosit, & quatenus conducat ad Alchimiam. His absolutis, quantum etiam ad vsos quotidianos faciat, expediam. Quòd si ergo, quis eius vsus sit in Medicina, quis in Alchimia, quis in cæteris rebus ordine & accuratè explicuerimus: iam de operatione eius cuilibet liquidò etiam constabit, vt ipsum citra errorem tractare possit.

Ysopaica scientia quid.

De sulphuris generibus.

QVoties nouum metallum: toties aliud Sulphur. Nullum siquidem metallum suo sulphure caret: quia in tribus metallorum corpus quodlibet consistit, in sulphure, sale, & Mercurio. In metallorum autem perfectione seu generatione superfluum sulphur remouetur. Sicut enim videtis generari nucem, nec eam per se quidem tantùm, sed vna cum putamine & cortice: ita scitis hæc esse superflua, facere tamen ad Embryonalem conseruationem nucis, sicut, *de Generatione docetur.* Hoc exemplum adduco, vt intelligatis, tot genera esse sulphuris, quot metallorum, quolibet sui metalli naturam resipiente. Hoc non de metallis tantùm, verùm etiam de lapidibus ratum sit. Quot enim laidum, tot etiam Sulphurum genera. Corpora enim omnia, substantiam suam habentia, ex tribus dictis constant. Qua de causa naturam etiam habent Embryonatam. Hinc Sulphuri discretæ appellationes induntur, vt Sulphur Embryonis de Auro, Argento, &c. de Saphyro, de Marmore, &c. Ex nomine Embryonis intelligatur, notari Sulphur, quod ab vna generatione vnius fructus, siue sint metalla, siue lapides, oriatur. Nec de metallis saltem & lapidibus dico, sed de omnibus generibus corporalitatum, vt sunt *Vitriolum, Alumen, Marcasita, Bisemutum, Antimonium, &c.* quæ omnia in se Embryonem continet, secundum generationis suæ discrimen denominandum. Aliud enim est *Sulphur Embryonatum Martis*, à Sulphure Embryonato vitrioli aut Iaspidis. Idem iudicandum etiam de crescentibus terrenis, vt sunt Ligna, herbæ, &c. quæ omnia eiusmodi Sulphur in se continent.

Sulphuris genera vnde deducta.

Embryo quid?

Vnum hic pandendum est. Accidit interdum, vt huiusmodi Embryonale sulphur metalla non mala, velut & gemmas puras lucidásque, & alia similia gignat, quia scilicet ex generatione illa, ex qua oritur, aliquid ei vnitur, quasi de illo corpore spiritus quidã. Nec verò spiritus tantùm, verùm cum eodem etiam corporalitas adeò, tamen subtilis & fugax, vt ignem sustinere nullum possit. Citra tamen operationem Vulcaniam in metalla illa, ex quibus oritur, ab auro in aurum, à plumbo in plumbum, adigitur. Similes præparationes quandoque etiam in gemmeis sulphureis embryonibus facta sunt, quibus à se inuicem separabantur mortuum sulphur, impotens, & lapis pretiosus in eo latens, quæ omnia per artem inuenta & explorata sunt. Lapis autem is similis fuit ei, ex quo prodiit, ex Granato, Granatus, ex Hyacinto Hyacinthus. Sed hæc ad processũ Alchimiæ relegantes, hîc ea saltẽ indicabimus, que experientia docuit & confirmauit in scientia huiusmodi secreta inueniendi. Det ergo in huiusmodi indagationibus operam Alchimista, vt exploret, quis Embryo sit, ne fors is alium quæret. Et hæc de vno genere sulphuris, quoad eius ortum, hactenus dicta sint. Præter hæc est etiam aliud, per se: quod ipsum quoque iam describam, & virtutes eius cùm in Medicina, tum Alchimia ac artibus cæteris expediam.

Metalla & Gemmæ cur ex sulphure.

Sulphur ergo generationem adhuc aliam eámque peculiarem habet, sine omni Embryonali naturâ & conditione, ita, vt crescens sit per seipsum veluti fagus aut quercus, peculiari genere ab aliis separatum. Id Sulphur minerale appellatur. Per se enim hoc sulphur Minera est. Et sicut Ars Vulcania docet separare mineras, ita vt verum corpus auferatur à falso, velut argentum aut ferrum à mineralis

Sulphur minerale quid.

à minerali: ita & in sulphure minerali corpus est, quod extrahitur velut stannum à suo Zuittero.

Corpus illud est sulphur minerale. Huius autem sulphuris, multæ differentiæ sunt, nec vnum alteri simile est. Sic nimirum videris, vniuersorum, quæ natura nobis largitur, genus non in vnam, sed multas species distribui. Nec enim vnum tantùm plumbum, vnum cuprum, vnum aurum, &c. est. Sic nec vnum sulphur: cùm aliud gradus altioris, aliud inferioris sit, aut plùs minúsue diaphinitatis aut perspicuitatis habeat. Hâc de causa vires etiam medicæ in alio aliter inquirendæ sunt. Hoc discrimen etiam ab Alchimistis præcipuè tenendum est, vt directè inueniatur ea species, quæ quæritur. Ex his satis iam liquet, quæ genera, & quæ conditiones sint sulphuris, & quo illæ modo noscendæ veniant. Præter tamen hæc vos etiam aliud genus, quod secretum peculiare est, scire velim, tale quidem. In separatione Alchimiæ aurum dissoluitur à sua corporalitate, velut & argentum, & metallum quoduis, a cGemmæ, &c. ex quibus omnibus sulphur secedit, præparatur & extrahitur. Huius generis sunt *Sulphur Auri, Sulphur Iaspidis, Sulphur vitrioli, &c.* Et verò secreta peculiaria hîc vsurpantur: illud tamen sulphur tam præstans Arcanum est, vt simile aliud prædicari non possit, nec hîc debeat, cùm res ea ad Vulcanum pertineat, &c. Sic ergo hactenus triplex sulphur proposuimus. De his tribus deinceps dicam, quo modo Medicis, Alchimistis & Saponistis vsui sint.

Sulphur metallicum, &c.

De triplicibus Sulphuris virtutibus in Medicinâ vsurpandis.

DE SVLPHVRE EMBRYONATO.

De Embryonato Sulphure sciendum est, ipsum diuersam virtutem habere ab eo, à quo oritur, hoc est, à suis generatis. Sed allato exemplo rem explicabimus. Nux per se tantùm nucleus est. Nucleus in se continet dissepimentum, quod nuci respondet. Quantum autem in cibis distat nucleus à dissepimento: tantum etiam differunt illorum virtutes. Nucleo prætereà obnascitur cortex siccus seu aridus, qui & ipse à nuce alterius & diuersæ naturæ est. Quantum enim corpora: tantum & virtutes distant. Huic denique cortex alius obnascitur viridis: cuius eadem diuersitatis ratio est. Eodem exemplo & castanea duas tunicas habet. Quo verò interuallo castanea à tunicis distat in ore masticata: eodem differunt etiam virtutes. Hæc eò dico, vt intelligatis, sulphur Embryonatum quoque similiter impuritatem esse de suo Embryone, tantóque à suis veris generatis interuallo distare, quanto distant à se inuicem forma, Essentia, substantia, & corporalitas. Non ergo virtus nuclei in putamine quærenda est. Sic nec in Sulphure Embryonato quærenda est virtus *aurea, argentea, stannea, cuprea, smaragdina, aut Hyacinthina, &c.* Sed virtus alia in medicinam assumenda est. Multæ virtutes in his sulphuribus conditæ sunt, sed inter se omnes diuersæ.

Nux est Nucleus non putamen.

Embryonati Sulphuris cum nucleo nucis collatio.

Hoc etiam, quod iam dicemus, ante omnia noscendum est, nimirum quòd cum his omnibus sulphuribus spiritus Arsenici concurrat, in alio ac alio subtilior. Quale est Generatum, tale est illud Arsenicum, interdum instar Realgaris, interdum instar Auripigmenti; interdum instar Crystallini, &c. Hæc eo fine adduco, vt intelligatis vos Medici, oportere vos âgere Naturales, non sophistas, qui naturalia cognoscant, &, quid Arsenicum in sulphure Embryonato sit, compertum habeant, ne latronum more homines tractent. Ipsi verò institorum sulphur tantùm nouerunt. Quod si nominari non audirent, vtique nec idipsum nossent. Interim tamen hæc ex ipsa natura penitus cognoscenda sunt, ne latrociniis grassemur, sed conscientiam ad Deum puram afferamus. Hoc vos Academici flocci facitis, vno eo contenti, si pecunia vobis affluat. Ita immemores Dei, vestri & naturæ Creatoris estis.

Porrò de sulphure Embryonato Metallorum notate, manifestò videri, quo pacto illud membrum suum in morbis firmiter conseruet & restauret. Nam septem membra omnia mineralibus tantùm, non aliis remediis in suis affectibus indigent. Sulphur ergo de auro confert cordi, de argento cerebro, de cupro Renibus, de plumbo spleni, de Ferro Felli, de Stanno Hepati, de argento viuo pulmoni: Sed hæc tamen omnia in vnico tantum morbo, velut in suffocatione illorum membrorum, si humorum in illa eluuies decumbat, & suffocationem minetur. Etsi verò apud veteres Medicos & Æmulos Recepta nulla ad huiusmodi suffocationes repeRiantur: in solidum tamen omnes detrectant huiusmodi sulphura Embryonata discere præparare, & ægris administrare, siue intus siue foris id fiat, quoties quidem necessitas efflagitat. De hac sola ergo virtute hîc scribo ideò, quia nedum vlla ad suffocationes reperta medicina est, quæ præstare possit, quod sulphura ista metallica Embryonata præstant. Quas verò etiam ad alias virtutes habeant, deinceps de Sulphure Minerali tradetur. Operationibus enim omnibus conueniunt: Metallina tamen, quàm Mineralia sulphura & fortiora sunt, & maiore cum cautione vsurpanda.

Metal[...] p[...] pal[...]

Met[...] phu[...] min[...] libe[...] tion.

Præterea sunt etiam Sulphura Gemmarum, in quibus Lapides pretiosi iacent, velut castanea in spinoso suo cortice. Quæ constitutio sit Aetitis, palam est. Eodem modo omnes etiam Gemmæ à natura alicui rei, quæ ipsarum Embryonatum est, includuntur. In eo Embryonato latet sulphur. Eo extracto, minus virtutis non habetis ac in ipso lapide, non quidem gestando, sed Medicinæ loco administrando. Sic constat, in Sapphyro latere virtutem tollendi Anthracem, & ad Escharam eum reducendi supra omne corrosiuum, & tamen, sine corrosione. Eiusdem naturæ ipsius etiam Sulphur est, si nimirum à corpore extrahatur, & emplastretur. Ita impositum, eadem præstat. Nec in Anthrace tantùm sed & in cancro, & igne Persico, cumprimis in principio, si cum Apostemate erumpit.

Opera

Opera ergo danda est, vt Gemmis, quas Germani habemus, virtutes extrahamus, vsibus suis destinatas. Quas si in Gemmis habetis: habebitis easdem etiam in sulphure, cum operatione eâdem. Etsi enim non æquè fortes illæ in hoc sint: Sunt tamen præsto. Ipsa Applicatio, & separatio ac Gradatio faciunt, vt similem operationem perficiat. Sola enim correctio & Gradatio ad id promouent: aliàs fieri horum nihil potest. Sicut enim initiò exemplum proposui de discrimine corticis & nuclei in nuce; ita idem hic quoque intelligendum est. Quod si autem nucleus à nuce dissoluatur seu corrumpatur, ita, vt non amplius cibus sit: tunc easdem cum suo cortice vires habet. Ponemus exemplum. Si nucleus comburatur, & ex eo Alkali conficiatur. Et consimiliter etiam ex cortice Alkali fiat: tunc vtraque nigro colore tingunt ea, quæ nigra non sunt. Quando ergo dico, virtutem Embryonati Generalis similem existere, velim me sic intelligi, si scilicet Generatum dissoluatur, & in præparationem Vulcaniam deducatur. Idem de omnibus etiam Embryonatis Gemmarum, &c. intelligendum est.

Correctio & gradatio virtutes augent.

Sed de Embryonatis Sulphuribus, in cachimiis, velut *Marcasitis, Antimonio, Talko &c.* sciendum est, quòd, si à suis corporibus & adhærentibus rebus extrahantur, simile quoque Sulphur nitidum producant. Hoc prout in operatione gradatur, ita ei gradus, gradui verò operatio & virtus respondet. Prout hoc extrahitur, ita & Embryonata cætera omnia: de quibus plura in operatione Alchimisticâ, quæ hic recenseri non debent. Virtus autem hæc est, quòd generata æmuletur, si corrumpatur in præparationem. Secundò, quòd phlegmaticis maximè conueniant, cumprimis verò Phthisicis, peripneumoniis, Empyematibus, & cuilibet Tussi: Quicquid per naturam vllo modo præstari potest: id sulphur hoc ad suum statum reducit. Nihil mihi magis in votis optatisque est, quàm eundem esse hodie mundi statum inter Principes, Reges & Magnates, qualis fuit tempore & ætate Magorum: Virtutes enim in rebus omnibus tam altè exsplendescerent, vt Deum tam profundum artificem vniuersi homines admiraturi essent, quòd tot miraculosa in naturam recondiderit, vt ea homo indagaret. Sed Magi exspirarunt, & irruerunt. Inebriati: nec quicquam amplius superest, quàm *Scortatores, Lusores, Latrones, Fures:* Cordicitùs dolendum est, vsque adeò nullum hodie inter Principes vigere Magum, sed ludicris & ineptiis omnia passim squalere, & in consiliis sedere lupos, dominarique, qui suis exactionibus & vsuris cùm sibi, tum dominis plus satis lucri faciant. Scientiam Arcanorum Naturæ hæc sors mansit, vt post occasum Magorum seu Magicæ, eodem vnà fato etiam omnes scientiæ interciderint, & horum loco surrexerint scribæ cum promissis tunicis, & rapaces lupi, qui iura tenentes suis nutibus omnia territant. Quid dicam? Artes intereirunt: Spelunca latronum subnata est.

Magorũ sæculum beatissimum.

Deus in suis operibus stupendus.

Ætatis huius peruersitas.

Deinceps de Embryonato Sulphure in vitriolo & ei cognatis quæ species vitrioli sunt, velut salia, scitote quòd omnia mirum sulphur producunt, dum corpora animata à corporibus embryonatis separantur, veluti à sale, à sale Gemmæ, à speciebus aluminis, à vitriolis, &c. Hic regulam generalem vobis proponam, quòd omnia sulphura à vitriolaris salibus stupefactiua sint, & Narcotica, Anodyna atque somnifera, cum eiusmodi tamen proprietate, quòd somnifera conditio hîc tam placida, & lenis sit, vt noxâ omni careat, nec more opiatico, velut in Iusquiamo, papauere, & Mandragora, &c. operetur; verùm tutò, placidè, virtualiter, sine omni infectione. Summâ ergo laude dignum est tale somniferum stupefactiuum, à natura ipsa decoctum, præparatum & correctum. Cumque Medicis omnibus planum fit, huiusmodi somnifera multa & miranda perficere: contrà verò in opiatis tantum venenum esse, vt citra speciem Quintæ Essentiæ vsurpari non possint: eò plus spei & fiduciæ ponendum est in hoc præsens, cùm sciamus, multos esse morbos citra Anodyna minimè curabiles, quorum cura vniuersa in Anodyna à Deo per naturam collocata est. Et hæc mihi causa est, cur de sulphure hoc eò exactiùs scribam. Id quî inueniatur & comparetur, in processu Alchimistico docetur. Hic tamen de illo sulphure sciendum hoc est, quòd ex omnibus de vitriolo extractum notissimum sit, quia per se fixum est. Deinde, iunctam sibi dulcedinem habet, vt etiam à gallinis edatur: à quo aliquandiu dormiunt; postea tamen citra noxam rursus euigilant. De hoc sulphure iudicandum aliter non est, quàm quòd in morbis per Anodyna curandis, citra noxam omnem, omnes passiones sanet, & dolores omnes mulceat, calores omnes extinguat, sæua morborum omnium accidentia inhibeat. Hoc remedium in rebus omnibus primum & antecursorium esse debet, sequente ipsum curâ, hoc est, confortatiuo Quintæ Essentiæ. Et quænam alia sublimiùs euehere possint Medicum vltra omnes Apollines, Machaones, Hippocrates, & Polydoros, quàm sola dicta duo? Et sulphur hoc vocatur sulphur Philosophorum, quoniam Philosophi omnes id vnâ operâ studuerunt, vt vitam in multa sæcula protraherent, sanique viuerent, & morbis resisterent: quàm facultatem omnẽ in hoc sulphure inuenerunt potentissimam. Quâ de causa id illi nominis etiam indiderunt. Vos operam date, vt ipsum gradare, separare, & purificare sciatis.

Sulphur omne à vitriolatis salibus est Narcoticum sed lene.

Opiata sunt venenata.

Sulphur Philosophorum quid.

Præterea adhuc genus aliud sulphuris Embryonati est in ligno. Solus autem ignis id sulphur est, quem quidem nemo fouere potest, nisi ligno, cum quo etiam emoritur. Illud sulphur est ex omnibus rebus, quæ lignum sunt, aut quæ comburendo in cinerem abire possunt. Hoc Sulphur est vegetabile, non fixum, ad nihil vtile, nisi ad ea, quæ ab igne præparari debent. Omnibus autem notum sit, hoc sulphur cæterorum sulphurum virtutem istâ ratione indicare. Sicut ipsum Ignis est, omnia consumens: sic quodlibet etiam aliud Sulphur est Ignis inuisibilis, consumens

Sulphur Embryon è ligno.

consumens morbos. Sicut ignis lignum consumit visibiliter: sic alterum inuisibiliter. Hâc de causa Elementum Ignis in morbis omnibus magnum Arcanum est. Et quicunque Medicorum Elementum Ignis in suâ (liceat ita loqui) Arcanitate non habet, is se verum & probatum Medicum non iactet, sed tyronem, & loculorum expilatorem. Dicere ergo iam licet, Sulphur esse Elementum Ignis. Quòd si contendas, sulphur ignem esse in virtute Medicinæ: curandum est, vt reducatur ad suam volatilitatem, vt instar flammæ vanescat, hoc est, adeò subtilietur, vt à suo corpore discedat, corpúsque eius separetur ab ipso; quod Elementum Ignis non sit. Sulphure, in subtilitatem & volatilitatem reducto, tum demum est consumens consumendum, hoc est, quod à natura non est fixum. Sic morbi non fixi, (corpus autem fixum est aduersus Elementum: & est Elementum Ignis saltem aduersus id, quod contra ipsum fixum non est, hoc est, contra morbos. Quòd si Pseudomedici hoc egissent, vt Philosophia hæc nostra in scholis Medicorum locum inueniret & incrementum sumeret, in exilium actis nugis & gerris Humoristarum, qui in Medicina palpitant instar eius, cui ad numellas effossi & elisi oculi sunt, vt, quâ pergat viâ, nesciat: multa vtique homicidia effugissent, quæ interim temeritate suâ patrârunt. Interim cum nullius conscientiæ sint, quid aliud agas, quàm vt pseudomedicos ipsos esse patiaris? Qui verum agere medicum velit, is Elementorum virtutes in rebus naturalibus quærat. Ibi & veritatem, & cum hac ægrorum salutem inueniet. Duplex ergo genus Sulphuris Embryonati constituendum est: Vnum Fixum, sed tamen volatile factum: alterum, purus ignis, hoc est, vnum est Ignis viuens, alterum est Ignis insensibilis. Vtrunque tamen tam sensibile quàm insensibile in simili consummatione versantur, vnum nempè in Ligno, alterum in morbis.

Med. reprehens.

Sulphur Embryonatum Ligni duplex.

De Sulphure Minerali.

BReuis de Sulphure Minerali institutio hæc est. De eius ortu, quomodo à sua scoria liberetur, hîc explicandum non est. De his enim tractatur in Libro de Generationibus Mineralium. De eius virtutibus tamen hæc scire conuenit. Crudum in medicinam assumi non debet, sed à suis fæcibus separatum. Ita insignis medicina est, si nimirum ab Aloëpatico & Myrrha eleuetur secundò aut tertiò. Nam præseruatiuum excellens est in peste, in pleuresi, in omnibus Apostematibus, & putredinibus corporis. Manè si sumatur, eo die pestem non admittit, vt nec pleuresin, nec alia Apostemata, maximè si cum hoc Recepto confiat. Rec. *Sulphuris purgati, vt supra ℥x. Myrrhæ Romanæ ℥j. ß. Aloeepatici ℥ j. croci orientalis ℥ ß. Misce F. puluis.* Præterea si à vitriolo eleuetur aliquoties (quo frequentiùs, eo meliùs) tunc Essentiam & spiritus vitrioli intra se concipit. Hoc modo præseruatiuum est in omnibus febribus, & curatiuum in omni tussi, siue ea recens siue antiqua sit. Est etiam præseruatiuum caduci, & curatiuum in pueritia. Quotidie si sumatur, sanitatem conseruat ac tuetur, ne aduersi quid accidat. In negotiationibus & commerciis est correctiuum vini, vt saluum & incorruptum maneat, & potantibus salubre sit. Crudum tamen minimè sumendum est. Ad vinum præseruatiuum tam potens est, vt nihil impuri in vino relinquat, quin id exturbet. Per hoc quodcunque vinum præparatur, arenam aut calculum non generat, vt nec Apoplexiam, vllius generis Apostemata, fluxiones, tusses, febres, &c. Illi enim præparato simile & æquipollens aliud nullum reperiri potest. Qua de causa laudem eius hîc non immeritò assuo. Quòd si otium esset, contra butalinos Academiarum Doctores hoc fundamentum disputando deducere: vix multæ paginæ huic nostræ descriptioni sufficerent. Margaritæ tamen porcis obiiciendæ non sunt: quibus ex re magis & vsu est, ægros contractos & resolutos fieri, quàm de sua sententia illos cedere: cùm tamen nihilominùs ægrotis subsidio esse non possint. Sed vt ad sulphur minerale redeamus, sciendum iterum est, crudum ipsum nullius vsus esse, sed præparatum. Quod quò præparatius est, eò euadit melius, ac tandem omnes suas fæces & venenositatem deponit, & quod nullius vsus est, secedit: remanens autem margarita summa & optatissima medicina est,

Sulphuris mineralis vis & vsus, In Peste. Pleuresi. Apostem.

Febrib.

Tuss. Caduc.

Vin. correct.

Sulphur minerale crudum nullius vsus.

Sulphur crudum eius naturæ est, vt rubra candefaciat suo fumo, velut rosas rubeas, &c. Si eleuatum vsurpetur in medicina, albescet, sed exterius. Præterea etiam notandum hoc est, quòd multa sint Sulphura colore variantia, velut est flauum, flauius, rubrum, magis rubrum, purpureum, nigrum, album, cinereum. Ex his coloribus nullus prodest præter flauum.

Quò sulphur flauius, ac magis ad colorem aureum vergit, eò melius & salubrius. Cætera omnia multum in se Arsenici, Realgaris, &c. continent: Ideóque in medicina vitantur. Quantum autem ad Alchimiam: cætera meliora sunt propter Ingressionem, quam ab eiusmodi Realgaricis spiritibus habent.

Notandum præterea etiam est, hoc sulphur Impetigines & vitia corporis externa pellere. Quo casu colorata sulphura meliora sunt, quàm flaua, propter subtiles Arsenicales spiritus. Si ea sulphura sublimentur à Vitriolo, Alumine, Sale Gemmæ, Plumoso, &c. aliquoties: vsque adeò subtiliantur, vt Impetiginem & Serpiginem radicitus tollant. Et is thesaurus præstans est, exterius tollere ea, quæ interius suum ortum habent. Sicut Magnes ad se trahit ferrum, vt id suo loco emoueatur, nec maneat, vbi fuit: ita hîc vires sunt Magneticæ, satis minimè explicabiles. Per solam Experientiam Vulcaniæ artis Miracula ea Naturæ panduntur.

Sulphur coloratum impetigines sanat.

A Deo Medicinæ sufficientes quidem suppetunt. Cœcitas in eo est, quòd nemo præparationem aggreditur, vt inutile separetur ab vtili. Satis esse putant, si Apothecariorum more omnia consarcinent, & dicant, *Fiat*

Vagantum. Ea hactenus doctrina fuit. Et eò res iam mundi rediit, vt Medicina merum nugamentum sit, non, vt priùs, ars seu scientia. Nec enim artifices, sed sophistæ medicinæ præsunt. Quòd si Medicina ab artificibus tractaretur: processus longè sanior instituretur. Itaque de sulphure notandum, quòd gradatum insignis homini medicina sit, non saltem intrò sumptum, sed fumi etiam specie exterius adhibitum. Ita enim præseruat & conseruat, vt diximus, cum additione Magistrantiæ & granorum Iuniperi, ac Rorismarini, &c.

De Metallico Sulphure, hoc est, de Sulphuribus, ex integris metallis præparatis.

ARtes & modos nonnullos excogitauit Alchymia, quibus metalla ex suis corporibus eliciuntur, vt metalla amplius non sint, sed materia destructa, quæ priorem statum perdidit. De his sciendum est, metallum quoduis ex tribus constare, ex Sale, Sulphure, & Mercurio. Cùm ergo hæc tria sint prima materia Metallorum, ex eo consequitur, ea destrui ac dissolui posse, adeóque arti subiici, vt in aliam Essentiam reduci & transmutari possint. Destructione hâc factâ, tria prima per artem amplius separari possunt, vt solitarium & per se præsto sit Sulphur, Sal, Mercurius. De Sulphure hîc loquemur, duobus cæteris omissis. Sulphur à cæteris metallis separatur, etiam hâc ratione. Quæcunque de Sulphure notaui, eædem vires in his etiam metallicis sulphuribus consistunt: & eò quidem magis, quia metallum peculiarem naturam assciuit ab eo, quo factum est metallum. De illis virtutibus sulphuri quoque nonnihil collatum est. Hinc eò à cæteris sulphuribus nobilius & præstantius est. Et sciendum est Medico, sulphuris virtutes omnes huic quoque sulphuri inesse, summè (*vt ita loquar*) gradatas, & metalli conditionem resipientes. Hinc sulphur ab auro virtutes habet aureas: ab argento, argenteas: à ferro ferreas. Quicquid facit ferrum, quicquid facit Crocus Martis, quicquid Topasius ferri facti: eadem omnia facit etiam sulphur de ferro. Similiter & de castro, de plumbo, & metallis cæteris. Sulphura hæc aquirere, cuius Medico incumbit. Dosis enim eorum exigua: sed operatio insignis est. Et penitus persuasum sit Medico, Deum omnibus morbis sua remedia opposuisse. Hoc si verum est, oportet Medicum nasci ex Magiâ, vt per eam secreta Naturæ intelligat. Ita palam erit, Naturam id præstare, vt etiam Leprosi sanentur. Magiæ imperitus tyro est, & manebit, dum in viuis est. Res ardua est, Medicinam habere cognitam, & interiora adyta ipsius visitasse. Ipsi tamen harum artium Cabaliæ & Magiæ imperiti sunt.

Metallorum materia prima sunt tria.

Medicũ oportet esse Magum.

De Alchimisticis virtutibus Sulphuris: & primo de Sulphure Embryonato.

Embr. Sulphuris extractio qui fiat.

EMbryonati sulphuris extractio fit per sublimationem, interdum per Descensum, si sulphur probè maturuit, ac copiosum est, cæterisque corporibus non admodum permixtum. Interdum, si nimis subtile est, se sublimari non sustinet, aut per Descensum excipi: sed aquis fortibus extrahi vult, vt à cæteris corporibus reducatur in Aquam, & ab Aquâ deinceps coaguletur. Aquarum eiusmodi fortium multa genera sunt, quæ hic minimè recensebimus. Oportet tamen ipsas eiusmodi esse, vt sulphuris vires non tollant aut mutent. Si enim ex arte secundùm suam concordantiam extrahantur: non saltem Aureæ sunt, sed in Alchimiâ etiam ad cæteras præparationes sunt Sulphura commodissima. Fixationem enim concipiunt, adeóque in cementis volatile subtile aurum in metallis figunt, ita, vt separationem in Aquis fortibus sustineant, & aurum suum promant. Aliàs ex hoc sulphure in Alchimiâ sperari nihil potest, nisi vt pro suâ concordantiâ ex illis rebus in quibus latet, extrahatur, & postea figatur. Si, vt plerunque fit, Aurum continet: id per fulminationem reperitur. Ita etiam fixum est, ad aurum volatile omne retinendum, quod aliàs coërceri nõ potest, nec deprehẽditur in separãdo propter subtilitatẽ & subtilẽ corporalitatem. Multi quidem processus tentati sunt, quibus ex sulphure fieret tinctura. Sed ad finem peruentum non est: quia tinctura nulla in eo sita est. Labor ergo irritus fuit. Et nisi Aurum in ipso contineatur, quæri nihil ibi potest, nec tentari debet, vt in cætera corpora Aurum ducatur. Argenteum nullum est, sed aureum, vnum tamen alio magis. Quod de Antimonio, de Talko rubro, de Marcasitâ aureâ, &c. est: raro auro caret. Hoc verò qui tractare vult, is operam det, vt sulphur ab auro adeò subtiliter separet, vt auro nihil decedat. Et nisi Deus obstaret (nec enim is vniuersos vult esse diuites: adeóque causam nouit cur capræ caudam nolit esse prolixiorem) paucis verbis hîc multis succurri posset. Cæterùm, quia opes pauperem seducunt, & modestiam ac humilitatem ei excutiunt, fastúmque ac superbiam ei addunt, &c. ideò silere satius est, vt illi egeni maneant.

Aquarũ fortiũ multa sunt genera.

De Sulphure Minerali.

DEinceps miraculosa quædam vobis tradam, etsi sciam, hunc de mirâ sulphuris ad Alchimiam conditione sermonem multis minùs acceptum fore. Notum vniuersis est, spiritum scientiarum non feriari, sed iugiter & continenter laborare, vt illa in secretis Naturæ, quæ Deus abscondidit, eruat & inueniat. Cum hoc spiritu concurrit plerunque alius malus, & falsus, non in hâc solum arte, sed & in aliis, etiam iis, quæ ad animam spectant. Sed de falso hoc spiritu sileo. Diabolus se quidem omnibus immiscet: de cuius tamen fraudibus nihil commentor. Huius sulphuris Mineralis causâ ars Alchimica multa tentauit, vt ex eo aliquid faceret, quod sulphure plus esset. Iam verò res mira est, ex aliquo facere plus, quàm per se est id. Hoc tamen per artem fieri Deus concessit. Hęc ergo cùm potentia artis esset, Dux ille Artis, artem intendendo tentauit, quidnam præterea ex Sulphure fieri, aut quomodo, quod in ipso

Diabolus omnibus se miscet.

ipso non est, ab ipso impetrari tamen posset, Nam fœmina per se prolem non gignit. Gignit tamen cum viro. Iam si gignere debet, idque per duos fieri oportet: Ars hîc est vir & pater, qui omnia perficit. Iam verò operatione eò deuentum est, vt Spiritus transmutationis suum Receptum dederit ex Oleo Lini & Sulphure faciendi Hepar aut pulmonem. Huius pulmonis aut Hepatis destillatio multiplex facta est. Operando autem compertum est, Hepar hoc dare lac, à communi lacte nihil differens, crassum ac pingue. Dedit etiam rubrum oleum, instar sanguinis. Lac hoc, & iste sanguis destillando suum colorem & essentiam non confuderunt, sed discreta ac inuicem separata manserunt, albo in fundum subsidente, & rubro in sublime ascendente. Ars verò instando tentauit ex albo seu lacte facere argentum, & ex rubro aurum. Mihi verò constat, ex albo nunquam aliquid fieri potuisse vel à veteribus vel à iunioribus. Dico ergo id lac esse mortuum; nec in eo quicquam contineri.

Fœmina sine mare non gignit.

Ex sulphure & oleo Lini hepar aut pulmo, &c. fit.

De rubro autem oleo, quod hoc Hepar dat, attendite. Quilibet crystallus aut Berillus, prius probè politus, si in hoc oleum ponatur aliquandiu, nempe per tres annos, fit Hyacinthus. Si imponatur Rubinus, non optimè gradatus: nouem annorum spatio vsque adeò clarus & lucidus fit, vt in tenebris prunę ardentis instar micet, adeóque vbiuis conspici queat. Id quidem experientia docuit. Alchimistæ quidem tentârunt, an ex eo carbunculum facere possent, bonæ conditionis Hyacinthum aliquandiu in oleum ponentes. Mea tamen experientia, id fieri non posse dictat. Nec in dictis saltem ea coloratio est, sed idem oleum tingit etiam Sapphirũ colore cœruleo, viridi permixto. Similiter & Gemmas alias colorat. In vitrum & alia nihil potest. Vsque adeò verò Gemmas exaltat, vt ad summum gradum perueniant, imò altiorem, quàm à naturã exaltari possint. De aliis Gemmarum gradationibus & colorationibus nec auditum nec scriptum est, quàm quas sanguis ruber sulphuris colorat tangitque. Hîc etiam nota, quòd argentum omne, si debito tempore impositum relinquatur, tandem nigrescat, & calcem auream deponat, ante iustum tamen tempus non fixam, sed volatilem & immaturam rem. Si verò terminum suum assequatur, expediendo omnia expedit: de quo plura hîc dicenda non sunt. Sic ergo de sulphure notate quòd, si in gradus assumatur, quò subtilius, pulcrius, altius & celerioris operationis est, eò altius id & maius fit. Hoc modo finguntur metalla & lapides. Id qui conaturus est, non putet se posse, sed sciat. Ille enim labor in Alchimiâ omnium periculosissimus est, quo ad operationem, adeóque insigni experientiâ opus est, & iterata exercitatione: nec ex auditu, sed ex multiplici experientia procedi debet. De virtutibus quidem, quod & ipsæ gradentur, dicere nihil possum. De colorationibus saltem dico, quòd ad summum exaltentur. Vt idem etiam in coloribus fiat, non arbitror fieri posse. Ea enim non virtutis sed coloris tinctura est.

Hyacinthi & Rubini gradatio per oleũ Hepatis.

De Sulphure metallorum in Alchimia vsurpando.

ALiquoties in hoc capite de Sulphure ex metallis destructis parato mentionem feci: & de virtutibus eius in medicina addidi. Quantum verò iam ad Alchimiam attinet, scire vos velim, multos tentasse ex eo elicere tincturam, qua vnum in aliud tingerent. Sed hoc non successit, ex causa hîc non referenda. Attamen qui Sulphur Auri habet, is per id aliud aurum gradare potest, à gran. 24. vsque ad 36. & plures, vt aurum altiùs ascendere non possit, in Antimonio & Quartario constans ac manens. Sed & sulphur argenti argentum in suam albedinem ita exaltat, vt si cuprum & argentum pari quantitate confundantur, ad acum seu lydium lapidem discerni minimè possint aliter, quàm quod purum & exquisitum argentum sint. Eodem modo & per Sulphur cupri cuprum eò reduci potest, vt fulmen sustineat, minimè tamen gradatum, sed colorem suum retinens. Ex sulphure Martis fit optimus & præstantissimus omnium Chalybs: Ex suphure Iouis optimum stannum, quod etiam fulmen perferat: ex sulphure Saturni fit Saturnus fixus, vt nec cerussam, nec Minium, nec spiritum amplius det. Sulphur argenti viui eò reducit argentum viuum vt malleo tundi possit, omnémque ignitionem vt cuprum sustineat. Cineritium autem non suffert. Hoc sulphur metallorum potest in sua metalla. Per se autem hoc est, quòd si sulphur auri in argentum coniiciatur, illud coloret. Sed nihil figit. Sic semper à sulphure transmutatio fit in aliud corpus, &c.

Hactenus ergo cognouistis, quot genera, quę natura, proprietas & Esſētia sulphuris sint. Qui verò, quæ de sulphure dicenda sunt, omnia describere vellet: is multam papyrum insumeret, sulphuri debetur laborator diligens, & Artista expeditus, ac peritus, non clamosus, non nugax, qui artem solo ore & lingua iactat, sed eandem ipso opere testatur. Tali qui est, miraculosa expediet. Qui de sulphure nihil nouit, nihili homo est, & imperitus tam in Philosophia quàm Medicina, nullius Naturæ secreti conscius.

CAPVT VIII.

De Vitriolo.

GEnerat Natura Salem, Vitriolum dictum. Hoc genus peculiare est, à cæteris salibus separatum, diuersas etiam à cætero sale virtutes possidens. Virtutes eius tot & tam insignes sunt, vt omni iure hoc in libro describendæ sint. In Vitriolo enim latet perfecta sanatio Icteritiæ, arenularum, calculi, omnium febrium, vermium, caduci, &c. Et in constipationibus corporis est Deoppilatiuum insigne, vt virtutes alias taceam, deinceps hoc capite enumerandas. Descriptio eius dirigenda etiam est ad Medicinam & Alchimiam. In Medicina enim est remedium præstans. In Alchimia ad multa alia prodest. Ars autē medicinę & Alchimię in præparatione consistit Vitrioli. Crudum enim tale non est. Id simile

simile est ligno, ex quo omnia sculpi possunt. Prodest ad Medicinam corporis, prodest in chirurgia seu morbis externis, velut *Psora Serpigine, Lepra hæreditaria,* & aliis, vbi cætera remedia nihil operantur, & ad morbum quasi mortua sunt. Huiusmodi mala vitriolum vi aggreditur & ex fundamento curat. Vitrioli ergo præparatio recta Medico cũprimis noscẽda est. Virtutes enim alias habet crudum, alias in aquâ solutum, alias *Calcinatum,* alias in *Oleum viride* aut *rubrum* aut *album clarum* mutatum. Eius conditio hæc est, vt quoties in aliam formam & essentiam reducatur, toties peculiare arcanum fiat. Hoc omnes Pharmacopœos & Scriptores, tam Italos quàm Germanos confundit. Talis enim hæc pars est, quæ sola per se ex quartâ parte & officinas compleat, & morbos curet. Hoc præsente non opus est tot pyxidibus, scatulis, ollis, vitris, &c. ex ordine in officinas dispositis: in quibus tamen omnibus mera adulteria continentur. Et curandum est Medico, vt non tam multas pyxides aut remedia transmarina habeat, quàm prouidus & prudens, ac instar virginis circumspectus sit. Hoc si facit: ante pedes suos, plures thesauros inuenit, ad omnes morbos quàm vel India, vel Ægyptus, vel Barbaria & Græcia promere possint.

Vitrioli vsus in morbis [illegible].

Hanc basin Medicus sequatur. Iam enim etiam quadratis rusticis notum est, in illis pyxidibus & scatulis meras fraudes contineri. Quæ vt plerunque ligneæ sunt, ita lignei sunt etiam illi Doctores & seplasiarij: vt simile simili conueniat.

De Speciebus Vitrioli.

Vitrioli probatur per eiectionem vermium.

VItrioli species multæ sunt. Euariant enim secundum numerum fodinarum. Probatio eius est, vt cuprosum sit super ferrum. Sed hæc non vera. Genuina probatio est, vt crudum vsurpetur contra vermes, eo modo, quem iam explicabimus. Prout vermes expellit, ita in medicinâ præstans est. In Alchimiâ probatio altera per cuprositatem magis valet. Sed & hæc probatio est. Quòd vitriolum ferrum mutat in cuprum, idque celeriter, summéque gradatum, & sub malleo molle: id in Medicinâ ac Alchimiâ melius est. Ferri enim & vitrioli conniunctio est, vt vitriolum ex ferro cuprum faciat, bonum & præstans. Ex optimo vitriolo optimum cuprum fit. Et nemo admiretur, ex ferro fieri cuprum per vitriolum. Nam & hæc in naturâ virtus est, vt Boracis aqua ex plumbo argentum viuum faciat. Sed & hoc vsus dictat, quod cachimiæ cætera metalla transmutent in alia, non secus ac vitriolum mutat ferrum in cuprum. Nec enim vitriolum tantùm vnius metalli in alterum transmutator est: sed & alia & quidem super singula metalla. Quòd verò non omnia sciamus, in causa sunt Sophistæ, qui artes culinis & loculis impendunt. In Hungaria fluuius est, ex vitriolo natus, seu per se vitriolo constans, in suos lapillos minimè coagulato. Quodcunque ferrum debito tempore illi imponitur: illud rubiginem vertit. Rubigo illa si per fornacem fusoriam mittatur, illicò fit cuprum purum constánsque, nec ad suam naturam conuertibile. Iam verò vitriolorum mineræ per Germaniam infinitè inueniuntur, quæ seorsim omnes describi minimè possunt. Prædictæ tamen probationes tam in Medicinâ, quàm Alchimiâ adhibendæ sunt. Præterea probatio etiam (minimè tamen in medicina vtilis, sed in Alchimia) hæc est, si colcothar de vitriolo ex seipso per ignem cuprum deponit seu profert. Tale cuprum si obtingit, tunc vitriolum in medicina ignauius in Alchimia autem fortius est. Sunt autem etiam expendendi colores. Quod vndiquaque cœruleum est, nullo alio colore perfusum, id tam præstans in medicina non est, ac est id, quod rubris & flauis lineis distinctum aut obductum est. Quod in aëre vergit ad albedinem, efficax est ac idoneum ad viride, & album oleum vitrioli: quod vergit ad rubeum & flauedinem: id præstantius est ad oleum rubrum. Nihil ergo amplius, quàm quod per probationem suggeritur, de speciebus vitrioli dicendum est. Illa vtatur quilibet Medicus & Alchimista ad id, quod intendit. Probatio verò nec ista fallax est, si gallis seu pomis quercuum additum, bonum atramentum dat. Et hoc omnibus vsui est. Quod autem atramentum aquosum dat & multis additamentis eget, adeò bonum non est.

Vitriolũ ex ferro facit cuprum.

Vitriolatus fluuius in Hũgaria.

[illegible] Vitrioli probationes quæ.

De virtutibus Vitrioli in Medicinâ: Et primùm de crudo & Colcothare.

Vitriolũ purgat stomachum.

IN explicandis vitrioli virtutibus, initiò dicam de viribus vitrioli crudi & eius colcotharis. Sciendum ergo, vitriolum insignem esse purgationẽ, in grauibus & difficilibus morbis stomachicis. Fit enim interdum, vt à cibis potibúsque stomachus infirmetur, & in diuturnum morbũ incidat, qui vsque ad mortem duret, & hoc à prauis cibis sæpè fit, vt post longos morbos ægri interdum aut contracti fiant aut moriantur.

Per vitam militarem ex immoderatione frequenter etiam accidit, vt prunellæ, febres, dysenteriæ, & alia oriantur. In his morbis omnibus summum est præstantissimúmque remedium purgatio per vitriolum, quod rectè & allegoricè vocitarunt Gryllum. Dosis eius est, quantum sexies cuspide cultri capere potes. Id si non operatur, eandem dosin itera. Si nedum, tertiò quoque dosin repete. Ita sufficiet. Infirmo præbeatur in vino aut aqua: Sed robusto, & durioris alui homini detur in vino sublimato. Ita datum radicitùs expurgat per superiora & inferiora. Insigniter quidem purgant etiam *Helleborus, Cataputia, Esula, Colocynthis, &c.* non tamen æquis cum vitriolo viribus. Causa rei hæc est. Inest ei acetositas, quæ coniunctam habet acuitatem & acrimoniam ac detersionem, à qua salsa acetositate operatio plenam & perfectam vim sortitur, quam nec Elleborus nec colocynthis, &c. habet. Purgationis enim natura seu ratio duplex hîc est. Vna purgat per se. Altera purgat ex salsitate. Præsto ergo hîc geminæ virtutes sunt, cùm in Elleboro sit tantùm vnica. Et in salsitate latet forma specifica, ac natura talis, vt ob eam vermes, quicunque attinguntur, moriantur. Et vis ea singularis est, quæ vermes aggreditur: quòd prædictorum nullum facit.

Vitriolũ Gryllus dictus. Vitrioli quæ dosis.

Vitriolũ cur purget.

Vitriolũ duplici ratione purgat.

Itaque

Itaque cuilibet per se euidens est, quòd purgatio, quæ acetositatem in se & salsedinem vnà cum virtute laxatiuâ habet, exquisitè detergat, euacuet, & expurget, modo & ratione duplici. Ideóque ad morbos corporis internos duplo nobilior & præstantior est cæteris purgationibus omnibus. Quoniam ergo naturam vitrioli ad longum vobis declaraui: opus non est, vt ipsos etiam internos morbos, ad quos vitriolum confert, explicem. In genere tamen purgatio eiusmodi in omnibus ventriculi vitiis, item in caduco & verminatione vtilissima & tutissima est, si pro conditione temporis morbi, personæ, &c. vsurpetur.

Vitrioli quibus morbis prosit.

De *Colcothare* verò sciendum est, intrò ipsum sumendum non esse, sed morbis saltem Chirurgicis applicandum, nempè in vlceribus putridis, quæ sanationem non admittunt. His enim ad sanationem viam sternit. Morbi tamen Chirurgicales multiplices sunt, graues, maligni, peiores, pessimi. Contra peiores & pessimos colcothar non facit, sed tamen contra eos, qui in primo gradu consistunt. His ergo adhibendum est. Ad peiores & pessimos vsurpandum eius est oleum, secundum gradum mali & olei. Huiusmodi vlcera omnia, quotquot eorum sunt, per vitriolum curantur. Secundum gradum autem, vsus eius est, vt in bonum colcothar reducatur, quod cum aceto aliquoties extinguatur, & aridum inspergatur seu permisceatur emplastro alicui, quod ad malum medico idoneum esse videbitur.

Colcothar vitrioli quos morbos curet.

Ita facit Escharam: quâ per pinguedinem liberatâ, facilis & bona curatio sequitur. Quod verò curationem hanc effugit, de eo sic iudicabis, plus veneni adhuc ibi latescere, quod oleis deinceps applicatis exquirendum sit, cùm basis vlceris per colcothar sufficienter emendari non possit ad sanationem integram. Quòd si vitriolum crudum in aceto resoluatur, & cum colcothare inspissetur in puluerem, & ita applicetur, cito fundum vlceris exterget, multò potentiùs, quàm de colcothare dictum est. Ipsum autem in colcothar reducendi processus iste optimus est, vt extrahatur eius aqua, & eâ imbibatur caput mortuum, donec absumatur. Postea sensim in aëre siccetur. Hoc si vsurpetur, melius fundamentum vlceribus inducit. Quicquid verò agas, attendes ad gradus vlcerum & serpiginum, &c. Quorum quicquid non sanescit, id aggredere separato eius oleo & aquâ, de quibus deinceps. Etsi verò colcothar spei non respondeat: ob id tamen in curâ desperandum non est, sed cogitatio ineunda de correctione in destillando. Præparatione namque medicina ad summum gradum euehitur, eò vsque, vt vlcerosa omnia persanet, vt Lupum, Cancrum, & similia. Hæc fusiùs explicantur eo loco, vbi de præparatione eorum pertractatur.

De Aquis Vitrioli in Corporis & Chirurgicis morbis.

Alchimia Medicis multas excellentes artes prodidit, quibus admirandæ multorum morborum sanationes factæ sunt. Hac de causa etiam in initio Medicinæ Medici Alchimiæ semper operam dederunt, quod hæc multorum commodorum mater & genitrix esset. Geminæ hæ facultates, vt sociæ, vnà tamdiu excultæ fuerant, donec nugatores & Sophistæ humorales surgerent, qui venenum medicinæ permiscuerunt, eamque meretriciam fecerunt; qualis Medicina etiam manet, quamdiu Humoristæ supersunt. Hæc eò præfor, vt deinceps ad hoc caput eò diligentiùs attendatis, propter insignem eius vtilitatem medicam. Sed hoc præmittendum est. Quocunque irruunt in artem quampiam imperiti homines, ibi omnia quouersùm fœdant & corrumpunt, & ex Margaritâ faciunt fœdam paludem. Idem etiam in vitriolo commissum est. In initio, vitrioli spiritus exceptus ad summum gradari solitus est. Hoc exaltato caducum persanârunt, siue is recens siue antiquus esset, in viris & fœminis, cuiuscunque conditionis essent. Sed hîc imperiti Laboratores irruentes, viam meliorem ingressuri, tentârunt vitrioli virtutes aliò reducere: adeóque à primâ viâ & arcano deficientes, illud expirare siuerunt, ac deinde oleum quæsiuerunt in colcothare, quod nullo modo fieri potest, aut vsum habet. Quicquid enim caducum auferre debet: Spiritum subtilem, acrem, & penetrabilem habere debet.

In eo enim consistit facultas totum corpus peruadendi, & nihil quicquam prætereundi. Peruasione seu penetratione eâ morbus in suo loco oppugnatur. Certò enim ac indubitatò sedes ipsius, seu centrum aut periodus, vnde egreditur, sciri non potest. Hinc colligitur, medico illiusmodi saltem remediis opus esse, quæ totum corpus penetrent. Et hæc causa est, cur sordidi Humoristæ nullum sanent, sed omnem suam doctrinam & professionem prostituant. Liberè ergo affirmo, in oleo illo, quod laboratores illi quæsiuerunt, spiritum planè nullum penetrantem esse. Mera terrestreitas (*vt ita loquar*) ab illis subditur, quæ longiùs non peruadit. Quò enim cadit, ibi iacet. Dolendum ergo est, imperitiâ illâ processum verum oppressum, & in eius locum falsum suffectum esse. Mihi autem persuasum est, Diabolum ea molitum esse eo fine, ne salus ægrotis accuraretur, & Humoristarum secta subindè potentiùs emergeret.

Sed recurramus ad principium, quomodo spiritus vitrioli inuentus fuerit. Spiritum vitrioli humidum initiò per se à colcothare destillarunt: deinde gradum eius intenderunt per se destillando & circulando ad summum, sicut processus docet. Hoc modo cepit aqua vsurpari ad varios morbos, tam internos, quàm externos, velut etiam ad caducum. Ita sanatio miraculosa præstita est. Sed in extractione multò diligentiores fuerunt. Sumpserunt enim spiritum vitrioli, vt supra correctum & illum de colcothare destillarunt, octies vel decies igne fortissimo. Ita spiritus sicci humidis permiscebantur. Opus vrserunt tamdiu, donec spiritus sicci exirent, continenter & iugiter extrahendo. Postea vtrumque spiritum tam humidum quàm siccum, in *Violam* conceptum vnà ad summum

Vitrioli Spiritus propagatio.

terminum

terminum gradârunt. Hanc medicinam aduersus morbos multò maioris operationis esse deprehenderunt, tantúmque eâ medelâ impetrârunt, vt Humoristas in vniuersum omnes confunderent. Addita tamen ei est nonnulla correctio ab Artistis, per vinum sublimatum, melioris penetrationis ergò. Sed ea maioris gradus reddita non est.

Sed communicabo vobis processum meum, quem vniuersis Medicis commendo, cumprimis ob caducum, quæ solam in vitriolo curam habet. Qua causa & nos eò diligentiorem in morbo curam instituere, charitas proximi requirit. Processus autem meus est, vt spiritus vini à vitriolo imbibatur, & postea destilletur, vt dixi, à siccis & humidis spiritibus. Hoc facto comperi additionem sequentem valdè vtilem esse, si spiritus tartari correcti admisceatur ad vitrioli partem tertiam, addatúrque spiritus Aquæ Theriacalis camphoratæ, parte quinta respectu spirituum vitriolatorum. Ita ægris ministretur ante paroxysmi insultum aut aliquoties in die. Hæc medicina insignem aduersus morbum hunc efficaciam præstat; vt meliorem ab ipsa natura optare non liceat. Primus itaque processus à veteribus inuentus retinendus est, cum dicta correctione. Ita enim naturæ cor & virtus omnis attingitur.

Spero autem me probis omnibus haud improbatum iri de morbi huius atrocitate cogitantibus, quæ etiam mouere ad commiserationem lapidem posset. Cùm ergo morbi illius tãta vehemẽtia & atrocitas sit, an nõ dicere alicui ita liceat: Maledicti sint omnes Medici, qui prætereuntes ægris nullam opem ferunt instar Sacerdotis & Leuitæ in Iericho, qui vulneratum deserentes, Samaritano eum tractandum reliquerunt. Tu quæso in hoc sententiam ferto, quanta damnatione digni sint vel fuerint Sacerdos & Leuita in eo, quòd nasum (*vt dicitur*) obturantes præterierint? Digni fuerunt igne Gehennæ, in quo nulla est redemptio. Et quis fateatur aliud, quàm Medicos illos omnes, nullo excepto, morbum illum adspicere, & præterire tamen naribus obturatis? Quis aliud dicat, quàm eos in nouissimo die iudicatum iri? Vniuersi illi vix manum verterent, aut denarium vnum impenderent eò, vt fundamentum certius ad morbum hunc curandum assequerentur. Quòd si non ex compacto Leuitas ac Sacerdotes agerent, sed Samaritanum potius æmulari studerent: non faceret vtique Deus, quin ob fidelitatem eorum secreta naturæ omnia manifestaret, quibus ægro subuenirent. Et licèt eæ vires in Natura sitæ non essent: de nouo tamen easdem crearet. Vnà ergo vobiscum testor, ô nobiles & ignobiles viri, quòd Doctores vniuersi fœdè deuient. Quicquid seductor Galenus, Auicenna, &c. nugatur, in eo hærent, & mendaciis illis immoriuntur. Tantopere à Diabolo obsessi sunt, vt charitatem erga proximum exercere non possint, adeóque damnationis filios se faciant. Hoc ipsorum vnicum studium, hoc molimen est. Primò omnium regnum Dei quærendum est: non tamen apud Leuitam aut Sacerdotem, sed apud Samaritanum.

Si misericordes sumus, & Samaritani exemplum sequimur: Deus nobiscum est, qui etiam nondum creatum remedium in naturam illicò conferet. Interim cùm Leuiticè & Sacerdotaliter cum ægris conuersentur: medicinam Deus differt, & sibi reseruat. Ægri euolant ad regnum Dei, Medici verò ab abyssum inferni, Doctoribus eiusmodi Leuiticis paratum. Oculos ergo vestros aperite. Via duplex est. Vna ducit ad infernum, quam sectantur Leuitæ: altera ad cœlum, qua Samaritanus incedit.

Vitriolata illa extractio & arcanum non saltem in caduco præstans est, sed etiam similiter in speciebus ei similibus: vt in Syncope, in Extasi, &c. Eodem etiam modo in omnibus oppilationibus & internis Apostematibus, &c. In suffocatione itidem & præcipitatione matricis. Multò autem plures prædictis virtutes reperirentur, si maiorem diligentiam inquirendo illi impenderent, & Medicos se meliores missos facerent. Sed obsedit eos Diabolus, cui seruiunt, quique eos incitat, vt nullum veritatis amantem ferre possint. Ita de salute bonorum actum est.

Porrò autem sciendum est, Recepta prædicta de spiritu vitrioli humido faciendo clariùs describi non posse. Requiritur enim ad intelligendum eum Artista. Sordidi illi coctores rem tanti momenti minimè intelligunt. Ab Artistis ergo, Alchimistisque Laboratoribus sufficientem omnium informationem expectabitis. Sic etiam de correctione spiritus vini ab iisdem pleniùs instruemini. Academiarum enim Doctores vsque adeò rudes sunt, vt vix Agaricum & Mannã discernere possint. Huiusmodi asini & fungi creantur Doctores. Sic etiam aqua Theriacalis in practica mea continetur, in capitulo de cura caduci. Huius generis si quæ alia sunt, hîc recenseri non debent. Ex hoc capitulo discite, artem & virtutem omnem vitrioli in hoc consistere, vt spiritus vitrioli probè extrahatur, & ad summum gradetur, & per additionem in penetrationem deducatur, quò centrum, radix & semen morbi inueniri possit. Impossibile enim est, loca tam exquisitè inuenire, ac de suis humoribus Doctores illi nugantur. Nedum enim fundamentum inuentum est, quidnam morbum faciat, aut vbi is iaceat, quidúe sit id, quod hominem in tam grauem paroxysmum coniiciat. Operatio ergo omnis soli arcano, quod natura ad morbum direxit, committenda est. Arcanum id morbum inueniet, sicut Sol omnes mundi angulos penetrat. Vt summatim dicam, quisquis verum agere Medicum satagit, is omnium primò hoc studeat, vt Samaritanus sit, non Sacerdos aut Leuita. Si Samaritanus: omnia ipsi dabuntur, quibus opus est, nec quicquam ei abditum aut occultum erit. Qui primò Sacerdos aut Leuita esse vult: ei nihil nisi infidelitas dabitur, quam ipsi etiam antè habent. Sic talio ipsis rependitur.

Medicum oportet esse Samaritanum.

De Oleo

De Oleo Vitrioli rubri.

PORrò iam scitote, quomodo ex colcothare per Retortiuam destillationem, modo Alchimistico, à vitriolo oleum paretur cruentum & acetosissimum. Hoc oleum Laboratores ipso spiritu in morbis prædictis efficacius indicârunt: sed falsò. Processus præparandi vulgatus est, nec hîc describendus. Momentum enim omne in operâ manuali situm est & in diligenti inspectione; denique in idoneis instrumentis. Cæterùm de virtutibus sciendum est, primò, rem eam acetosam esse, omnem acetositatem ita superantem, vt nulla acetosior sit. Deinde naturam etiam corrosiuam continet: quâ de causâ opus est, vt prouidè & cautè vsurpetur, nimirum non per se sed in bonâ concordantiâ & idoneâ mixturâ respiciente id, contra quod adhibetur. Exemplo rem docebimus. Tyrus est serpens venenosissimus. Solus ergo nullum vsum præstat: Sed in compositione vsus præstantissimi est, vt ex quo paratur Theriaca. Idem de hoc quoque oleo dicendum est, quod solitarium sumendum non est, sed in compositione concinnâ veluti de theriacâ iam diximus. Propter acetositatem quidem prodest stomacho, à cholerâ & apostemate libro. Si verò cholera aut Apostema adsit: per experientiam ipsam constat, illud nihil boni operari. Apostema enim ab illo exasperatur, & ab acetositate irritatur & in inquietam rem abit. Si cholera adsit, mutua fit ebullitio & lucta, non secus ac ab aquâ forti & tartaro, quorum nullum cum altero manet. Sedulò ergo & circumspectè cauendum ne quid negliagatur. Extra dictos casus aliàs in compositione sua sanitatem affert, si porrigatur in omnibus febribus, Anorexia, seruato tamen modo. Plurimæ quidem de hoc oleo prædicantur virtutes: paucas autem experientia firmat. Vidi ego & comperi, eos qui miraculosa se oleo isto fecisse iactitant, turpiter mentitos esse. Vsus eius est in calculo & arenulis, Qui verò per id curatus sit, neminem noui. In omnibus facit aliquid: sed in fundamento perfectum non est. In practica tamen mea, in capitulo de cura arenæ compositionem eius inuenietis ad hunc & alios morbos. Sicut autem de olei istius per se vsurpandi corrosione dixi ita affirmo, Corrosionem eam vim habere comminuendi lapidem, expellendique arenulas. Id tamen tanta cum difficultate fit: vt inuentione alia excogitata opus sit, quàm quæ hactenus in vsu fuit. Aliàs enim vsurpandum non est. Quantum verò quisque ab experientia sua habet: tantum largior. Hæc medicina noua est: quâ causâ in dies quoque nouiter probanda, & recentibus subindè cum compositionibus permiscenda est.

Ol. vitrioli rubri quæ naturæ & vsus.

Tyrus serpens, &c.

Quantum verò ad chirurgiam, de hoc oleo ita attendite. Dolores quidem insignes ciet: sed tamen præsentem sanitatem accurat in morbis etiam difficillimis. Processu instituto oleum hoc scabiem capitis hæreditariam seu Achores vno fragmento detrahit, sicut quis pileum ferreum detrahit & seponit. Oleo scabiem seu caput vniuersum pilis tectum, penna illines tribus continuis diebus: ita sine operari. Si non sufficere videris, frequentiùs illine, pro scabiei ratione. Idem potest etiam attemperare permixta aqua chelidoniæ, & caput frequenter abluere. In summa, qui sanari vult, id citra dolorem impetrari posse minimè cogitet. Ægri enim eadem conditio est quæ prægnantis: quæ non sine sed cum maximo dolore parit. Sic non nisi in dolore victus nobis parandus est. Sic cum dolore & sudore etiam à morbis liberamur. Hoc modo serpigines omnes, omnes scabies pruritúsque, & si quæ alia quocunque modo in cute oboriuntur, sanantur, velut & tentigo praua, &c. citra metum illitum, tollit & mortificat etiam lupum & cancrum. Hoc tamen casu diligenter attendendum est: si malum nimiopere inualuit, vt venenum profundiùs etiam in sanam carnem, quæ temporis successu tandem decidat & exedatur, serpserit, pro defensiuo bonum *Oppodeltoch* imponendum est.

Ol. vitrioli vsus ad externa.

In quibus autem cunque vlceribus Esthiomenis remedia cætera infirma fuerint: hæc Medicina propter gradum, quem habet iuuat. Ineptum etiam non erit, si oleum hoc cum pingui vnguento permisceatur, & ita imponatur. Sic mitius erit, sed tamen etiam ignauius. Dolor euitari nullo modo potest, non magis ac pariens citra dolorem parere potest. Hoc melius & sublimius est, si oleum vitrioli rubrum destilletur in spiritum. Ita pondus quàm minimum sufficiet etiam in prædictis morbis omnibus, qui facili opera tolluntur. Et hæc de oleo vitrioli rubro per Experientiam mihi suggesta sunt. In grauibus morbis medicina hæc præstans ac insignis est. Fœdos enim & contagiosos eiusmodi morbos, vt sunt scabies, pruritus, serpigo, Archores & similes alios, qui lepræ vicini sunt, curati posse, magnum Naturæ donum est, quod Medici manibus obtulit, quò affectos homines mundet & sanet. Remediorum enim eiusmodi multa non est sylua. Hoc ergo oleum Medico in officina pro certo limite seruiam. Cæteræ namque cocturæ, nihili sunt, nec fœdos illos morbos tollunt, sed pinguedine sua faciunt, vt recrudescant & augeantur.

De Vitrioli Oleo albo & viridi.

COnsideratione dignum est, quòd ex crudo vitriolo Oleum per Descensum destilletur interdum album, interdum viride, pro vitrioli conditione. Oleum hoc Encomio singulari dignum est. Quia enim ex crudo vitriolo præparatur: ideò eiusdem etiam spiritum continet, de quo iam tradidi. Oleum hoc per Descensum suis virtutibus ipsis demonstrat, quòd præstans & eximium sit ad internos morbos, quorum iam dum mentio facta est. Oleum id siue album sit, siue viride, perinde est. Viride tamen melius est, si circuletur, & cum commixtione, de spiritu Vitrioli tradita, permisceatur. De hoc nemo desperet, quin certum & indubitatum remedium contra caducum & omnes eius species habeat. Sed & hoc obseruatu dignum est, rarò morbum esse solitarium ita, vt concurrentes alios non habeat. Hoc enim per omnes morbos patet euidenter. Hinc iam elicitur, non sufficere præcipuum & palmarium, verùm etiam requiri secreta concurrentium symptomatum. Hinc in mea

practica

practica designaui capitulum, de Morbo caduco non propter remedium palmarium, quod hoc loco satis describitur: Sed tantum propter intellectum eorum, qui vnà concurrunt. Si accidentia alia non concurrerent: illis adhibitis: opus non esset, sed palmarium remedium sufficeret.

Ol. Vitriol. viridis preparatio & vires.

Circa oleum ergo Vitrioli viride ita vos gerite, vt id ad summum gradetis eo modo, vt separetur à sua terrestreitate & fæcibus per Balneum Maris, postea per Ignem. Ita in balneo Maris adimetur phlegma, & terrestreitas auferetur per ignem, & spiritus olei solus colligetur, qui in seipso circuletur. Postea assumere potest additionem cum spiritu vini: nec opus est, vt plura addantur, si saltem, vt primarium remedium vsurpandum est, citra cohærentium morborum medicationem. Sumitur in aqua pœoniæ ante paroxysmi semper insultum, prout is crebrior vel longior &c. est. Ad paroxysmos attendite. Quamprimùm spiritus olei centrum morbi inuenit, tunc paroxysmus quietus est, & subindè magis magisq; mitescit. Si autem vim sanandi exerit, principiò ciet vertiginem, ægris sensibilem, qui tamen non cadunt, non spumant, non quatiuntur, non ratione priuantur, sed leni somno corripiuntur, & subindè mitius se habent. Tandem ipsa quoque vertigo cessat, & cum hac etiam somnus. Interim nihilominùs applicanda medicina ac illâ pergendũ & instandum est pro conditione morbi & ægri. Hoc modo curâ vrgenda, & omnia sedulò administranda sunt. Et huc non facit *temulentus Medicus, aut D. Leuiticus.*

De oleo Vitriolato in Alchimia vsurpando: Similiter etiam de crudo.

Vitriolũ ex ferro facit cuprum.

VT etiam de Alchimisticis in vitriolo conditis viribus aliquid dicam, initiò proponam vobis de vitriolo crudo, quod vitriolum crudum quoduis ex ferro cuprum faciat. Et hæc naturæ vis sublimis est. Nec enim Alchimista id facit, sed natura aut vitriolum per operationem Alchimistæ. Et in lumine naturæ admiratione non caret, fieri, vt metallum aliquod seipsum quasi exuat, & aliud fiat. Et perindè ferè est, ac si ex viro fieret fœmina. In his autem natura singularia sua priuilegia, à Deo ipsi hominis gratia collata habet. Hoc de transmutatione dico, vt intelligatis, liuidum illum Philosophum Aristotelem in sua Philosophia non admodum fundatum, sed verè fatuum fuisse.

Aristot. taxatur.

Proponam deinceps Receptum ipsum, vt in omnibus nationis Germanicæ locis cuprum ex ferro facere sciatis. Ex qua transmutationis potentia colligere facilè possumus, multas alias quoque transmutationes fieri posse, nobis tamen incognitas. Negari enim non potest, multas artes adhuc occultas esse, & à Deo ideò non reuelari, quia ad eas noscendas indigni sumus. Porrò ferrum in cuprum mutare, tanti non est, quanti est, ferrum vertere in aurum. Quod ergo minus est, Deus manifestat: quod maius est, occultatur adhuc vsque ad tempus scientiarum Heliæ venturi. Nec enim suo Helia & artes carent. Cæterùm transmutatio eiusmodi est,

Artes occultas cur Deus non reuelat.

Ferri in cuprum mutandi receptũ.

♃. *scobem seu limaturam ferri citra omnia alia metalla, cuprum aut stannum, &c.* ℔ j. Adde *Argenti viui* ℔ ß. Vtraq; pone in sartaginem seu cacabum ferreum, & affunde mensuram vnam *aceti & vitrioli* ℔ ¼ *salis armoniaci* ℥ j ß. vnà bulliant, & continenter cum ligno agitentur probè. Si acetum expirauit, plus subindè affunde, & vitriolum nouum adde. Per decoctionem hanc ferrum mutatur in cuprum. Si cuprum factum est, in argentum viuum omne abit. Coctura decem vel duodecim horis continuata, tum demum argentum viuum ferro separa, quãtum eius superest, & probè laua, vt mundetur. Argentum viuum excipe sacco facto ex alura aut gossypio, & exprime. Ita relinqui videbis Amalgama. Id Amalgama finito expirare, & inuenies cuprum purum & bonum. Huius cupri *accipe* ℥. ß. Argenti tantundem, fluant seu liquentur: & ascendet argentum ad 16. gradum è vestigio. Et hæc eius probatio est, quòd tale cuprum sit ex ferro factum. Gradus autem fixos esse, verũ non est. Qui verò in Regali bene operari potest, is impensas suas cumulatè inde exquirere potest. Momentum omne in operatione & laborandi consistit peritia: vbi tamen plerique cæcutiunt. Prædicto processu semper cuprum ex ferro facere potes. Hoc dico, vt transmutationem vnius in alterum confirmem.

Vitrioli & cupri mira affinitas.

Vitrioli etiam hæc natura est, vt, si suum colcothar calcinetur, cum leui liquefactione illicò ipsum in cuprum vertatur. Mira enim cuprea natura ei inest: & cupro etiam mira natura inest ad vitriolum. Si enim cuprum in aqua forti soluatur & granuletur, omne cuprum fiet vitriolum, nec cuprum amplius manet. Sic ex vitriolo etiam fit cuprum, nec vitriolum amplius est, nisi per idoneam aquam fortem in vitriolum reconuertatur. Mira ergo hæc in vitriolo & cupro cognationis ratio est. Quod cuprosum est, bonum vitriolum dat. Sic viride æris pulchrum alteq; gradatum vitriolum saphyricum dat. Etsi autem de his nos differere fors ridiculum sit: negari tamen non potest, quòd in vitriolo tinctura lateat, quæ plùs præstat, quàm multi credunt. Beatus, qui rem intelligit. Sed de oleo vitrioli plura nota. Si oleum Argenti viui & hoc vitrioli oleum coniungantur, & ita suo processu coagulentur, Saphyrus miræ Naturæ & conditionis producitur: non quidem saphyrus lapis, sed ei similis, cum tinctura mirifica: de quo plura differo. Hinc euidens est, Arcana stupenda in Natura & aliis Naturæ seu Dei creatis condita latere. Quæ vel dùm hodie iugi & indefesso studio à nobis inquiri & indagari longè honestius esset, quàm pergræcari, scortari, &c. Sed scortationi hoc tempore palma datur, donec pars mundi vel hominum tertia iuguletur, pars altera peste conficiatur, vt vix vna salua superfit. Cum hac enim prauitate mundus durare non potest, nec artes florere. Sic status & ordines necessum est pessum ire & exscindi: aliàs boni nihil impetrabitur. Tunc demum sæculum vigebit aureum, hoc est, tum demum homo intellectu suo vtetur, & vt homo, non brutum, viuet, nec porcum aget, aut in speluncis delitescet.

Vitrioli tinctura in se habet.

Quoniam ergo hæc de vitriolo hactenus bona affectione vobis communicaui: vniuersos oro, vt infaustos & infelices ægros, morbo eo sontico correptos spectantes, de vestra conscientia, de Deo creatore, de charitate proximi

proximi seriò cogitetis, nec dotes has vitriolo à Deo ingenitas contemnatis aut vilipendatis. Dilectio vos moueat, vt noctes atque dies in his rebus occupemini, nec quisquam otiosus inueniatur, sed ad emolumentum proximi omnia suscipiat. Vos autem non moueat, ista non facere Iurisconsultos. Attendite, quod Christus dicat: *Va vobis Legisperitis*: quod certè dictum ligneum non est. Nec vos etiam Theologi offendant, qui reditus & salaria sua potius, quàm ægros curant. Hi sunt, qui in Iericho prætereunt. Vos Samaritani estote, & eiusdem virtutem sectemini. Ita Deus tam arduis vos donis cumulabit, vt in iuuandis ægris defectum nullum sensuri sitis. Omnia, quibus opus erit, vobis dabuntur: Vos modò thesaurum hunc venemini.

CAPVT. IX.

De Arsenico.

Arsenici operatio in veneno consistit.

ARsenicum eiusque virtutes vt describamus, sciendum est, omnem eius virtutem ab eo solo dependere, quòd venenum sit, omnemque suam efficaciam ratione veneni habeat. Propterea notandum est, vires eius inde cognosci quòd aliud venenum superet. Exempli gratiâ. Animalium venenosorum aliud ratione veneni superatur ab alio: tum magis veneficum animal minùs venenosum vt plurimum inficit. Sunt etiam veneno æqualia, quòd sint inuicē quæ sibi minimè noceant. Tenendū itaq; est, Arsenicū quoq; eiusmodi venenū esse, & alia vincere venena, vtpote perimendo venenum in morbis, quoddam verò aliud non itidem. Hæc namq; dicta sunt de morbis externis chirurgiâ curandis quales sunt maligna vlcera, serpigo, scabies, quorum venenum multiplex est. Nō pauca verò ab Arsenico victa, postmodum dissipantur, aut eò rediguntur, vt aliis curētur rebus. Arsenicum intrinsecus nullo modo, sed extrinsecus adhibetur: ac ne quidem per se, sed in compositione siue mixturâ, ita vt virus eius in aliud transfert corpus: in quo demum fiunt ac perficiuntur vires & operationes eius. Licèt autem virtutem escharicā in proprio corpore habeat, nihil tamen ea sanationem promouet. Ad mala vlcera & serpiginem, vt diximus, curanda, per aliud corpus efficax erit. Sin ad escharam: per proprium suum operabitur corpus. Duplex enim in Medicina ipsius operatio est. Vna proprio in corpore, altera in alieno. Hinc apparet diuersus eius medicinalis vsus, vnus ad curam, alter ad Escharam. In chymia multifarias habet virtutes, quod patebit vbi de chymicis eius virtutibus mentio fiet: tum etiam in aliis plurimum valet, de quibus in sequentibus. Hoc animaduertendum est, tam in Medicina, quàm chymia, aliisue, cautè tractandum illud est. Nec enim res ludicra est, siquidem Medico minùs cautè in medicina adhibenti damnum dabit: In chymia temerè in igne vsurpatum, æquè noxium est. Efficit namque phthisin, tussim, pleuritidem, asthma, cacochymiam tollit appetitum cibi, prouocat sitim, & graues hos sequentes caussatur morbos, nempè diuturnos, tabem, denique hydropem, variosque tumores circa ventriculum. Quilibet igitur hoc tractaturus, prouidus esto imprimis vt à fuluo rubeoque, magis nocua quod sint, & rapidi veneni, caueat sibi. Hæ namque species adeò venenosæ sunt, vt omnis adhibita medicina fiat irrita, quandoquidem venenum hoc decollationi æquiparetur, cui postremò nullum superest remedium.

Venenū fortius vincit infirmius.

Arsenici vsus in quibus morbis.

Arsenico cautè vtendum intus & foris.

Arsenicū quos morbos inducat.

Nunc de Arsenici generibus, quot sint, monendum est. Sunt Arsenica ex proprio minerali seu metallo promanantia, quæ Arsenicalia Nata dicuntur. Deindè Arsenicalia quædam è metallis in genere proueniunt: Tertiò sunt arte facta, per transmutationem. His præmissis, de Arsenici ex proprio suo minerali vel metallo profluentis proprietatibus notandum est, quòd per solam sublimationem, nec vllo alio modo separandum sit à suo metallo. Sicque separabitur vt crystali instar sese affigat. Nec enim farinaceum pro Arsenico vsurpabitur, cum in solo crystallino virtus inhæreat. Præterea per descensum etiam destillatur, sed non ad albedinem. Album enim in medicina præstantissimū est, fuluum peius, rubeum nullius pretij. Album vim medicam in se continet, ita, vt tutò ei fidatur in omnibus morbis ad quos paratum est: Fuluum minoris est efficaciæ, leprosum in se continet virus: Rubeum quoque minorem in Medicina virtutem habet, peiusque venenum, cui nihil inest salutare. Sic quodlibet peculiare suum, ex quo generetur, habet metallum, quamuis in præparationibus, album, item fuluum & rubeum fieri possint. Hanc ob caussam chymici fuluum & rubeum eligunt, tantundem per vnum ac per alterum efficientes seu operantes: scilicet ad metallorum transmutationem indagandam, in quo Arsenicum peculiare quiddam habet.

Iam dicemus de secundo Arsenico minerali, siue sit è metallis, siue cachymiis, quod alterius est generis præstans in medicina sicut pręcedens, de quo diximus, at non in pari gradu veneni, energia tamen haud inferius, quippe natiui vel suâ sponte enati vices sustinens. Quamobrem cautum & prouidum esse decet, præsertim in hoc quod pro qualitate eius mineralis aut metalli, naturam induat. Exempli gratiâ, ex argento, quàm è plumbo, &c. alia natura. Notandum præterea Arsenicum multis modis per artifices transmutari & verti: nonnunquā in qualitatem metallicam, interdum in corallinam, non rarò in marchasiticam. Vtut sit, sciendum est, vim eius auferri posse, & euenit vt in Medicina non æquè præstans sit ac crudum adhuc, sicuti è suo ære sublimatur. Nam quod ad Medicas virtutes attinet, hæ præparatione debilitantur. Quocirca quantū ad Medicinā, id crystallinum esto, ponderosum, durum, bene purum, ad lacteum colorem tēdens. Reliqua omnia ad chymicas præparationes vsurpantur, His enim apta & conueniētia sunt, & ab illis cumprimis optantur.

De virtutibus Arsenici, scilicet albi, nosse oportet antiquitùs morem & quidem per se laudabilm fuisse, quòd nempè veteres ex Arsenico venenum extraxerint in spiritum vini, vel in quandam aquam destillatam, & extracto illo morbos chirurgicales illeuerint, sicq; curarint. Mos quidem probandus, licet moram inferat: Attamen cauendum, ne quid nimium, ne sæpiùs. Venenū quandoquidem in se continens,

assiduè ad cor penetrat Vlceri maligno si adhibeatur, venas apprehendit, easque permeat, & venas corde tenus insequitur. Quocirca in punctionibus laterum, vt & in calore euitandū est. Protinus enim ac calor superuenerit dolor capitis, punctiones laterum, sitis, deliquium animi, & alia plura accidentia sese præsentant, & facilè propter negligentiam ægri penitus intereunt. Sique exigua quædam cruditas in corpore lateat, malum malo augetur: præsertim cùm corpus eius ad Escharam vsurpetur, & ad apertionem, aut similia, vbi facilè damnum aliquod committitur. Quapropter more veteri acturus, cauebit ne prædictorum quiddam incurrat, maximè cùm tam ancipitem, & periculosum minitentur exitum. Admodum etiam sollicitì fuêre Maiores in quæritando correctionem Arsenici: Verum absq; periculo, quod esse possit, non deprehenderunt. Quacunque viâ id aggressi sint, veneni naturam id non deseruit. Donec enim viuit, medicina & venenum coniunctim sunt. Veneno si obstetur, vires amittit illud Medicas. Hæc autem adeò damnosa non est correctio, si virus & vis eius in adipem, oleum, Terpentinam, aut mel transfertur. Tunc quidem nonnihil est lenius, tardius autem in operatione. Aliquot ego correctiones ei addidi, quarum quædam bonæ erant, quædam non. Sed circa hoc cardo vertitur, vt mortificetur, id est, vita sua priuetur, fixumque reddatur postmodū resoluatur in suum ipsius oleum. Hoc in lauando, liniendo si vtamur, caret veneno, quod in sequentibus docebo. Virtutem in curatione, argento viuo ferè consimilem habet, at sine laxatione. Plus tamen caloris etiam habet, & magis damnosum est argento viuo. Nec aliâ, quàm per se est, ad celerem curam indiget additione. Bonitas & vires eius augeri nequeunt. Natura enim illud perfectum in se ipso absoluit: dummodo Medicus circumspectè agat, & cum idoneâ cunctatione, ne nimis præcipitet.

Arsenici venenū inseparabile.

Arsenici venenū quibus mitigetur.

Arsenici venenū mortificando tollitur.

Tantum in Arsenico deprehendi, ipsum si fixatum sit, venenum deponere, absque tamen medicinalium virium iactura. Postquam iam fixatum est, suâ sponte fit oleum, cui deinceps oleo additiones conuenientes licet addere. Fixatio eius sic se habet. Recipe Arsenici, Nitri ana partes æquales. Immitte in tigillum, prunisque impone, vt euaporare ac bullire incipiant, tantisper donec fumus ac bullitio cessauerit, hæcq; ad imum fundi adipis instar in sartagine fluêtis, se dimiserint. Deindè per horam vnam atq; alteram (quò diutiùs, eò meliùs) sepone vt quiescat, dehinc misturam hanc marmori superinfunde, &c. aureum acquiret colorem, & in loco humido si ponas, fluidum in adipem conuertetur. Modò sciendum, hoc oleum ad liniendum posse cum vino sublimato permisceri, vel cum aliâ quadam aquâ conueniente. Potest etiam Tartarum calcinatum eodem solui & redigi in oleum: maioresque acquiret vires. Hoc per se quidem efficax est: sed ad inducendam Escharam inualidum est. Sed in curandis præfatis morbis chirurgicalibus, præstantissimum est extra omnem noxam & detrimentum. Idem erit, si aliis permisceatur vnguentis Consolidatiuis, aut medicamentis consimilibus, vt nihilominus, ac si solum esset, sine detrimento reliquarum virtutum in additione quæ sunt, operationem suam conseruet.

Arsenicū vt fixetur.

Arsenici fixati vsus ad quos morbos.

Quòd si, vt fit, pustulæ in ore aut sub naso erumpant, à morbo forsan Gallico aut aliàs tales pustulæ, crustæ, &c, quicquid tandem sit, in parte horis humida, vel infra nasum, aut etiam in ipsis naribus, vbi medicamentum nihil operari potest, cùm hæreant, nec auferri possint, hoc oleo tolluntur. Nec solum oleum hoc facit: verum etiam extractio Arsenici in corpus, magis tamen radicitùs oleum hoc siue Adeps aut pinguedo Arsenici, sæpiùs illita tollit. Hæmorrhoides quoque, & quicquid eius generis est, præsertim in partibus humidis & sudabundis, vt pote sub axillis, in manibus intra digitos, &c. Hæc de Arsenico albo tenenda sunt, reliquorum omnium vsus periculosus est. Porrò de Arsenici operatione, eiusque virtutibus in chymia, sequetur. Quamuis autem multæ insuper qualitates, propterea, venenum acutum quod sit, illi adhæreant: easdem describi, haud tamen opus est, ne quid peius insequatur. Magis enim ad malum quàm ad bonum procliues sumus. Quapropter non omnia secreta reuelanda sunt, nec etiam necessitas illud requirit.

Hoc quoque notatu dignum est, verùm postulat Medicum prudentem, prouidum, & in Medicina valdè expertum, Videris quod Arsenicum enecet, tamque acutum & acre sit venenum, vt nulla huic vita resistere queat. Ex quo sequitur, licèt in aliis quoque venenis similibus eiusmodi deprehendamus, quòd Arsenicus albus quosuis etiam morbos Chirurgicales perimat. Exemplo sit. Quidam patitur affectum Lupi, vel lupo afficitur. At Lupo curando nullum superest remedium nisi veneno deleatur tali, quo etiam penitus aliquem è medio tollere velimus. Hæc Lupi deletio est in Arsenico, qui non secus ac gliri vitam aufert, sic pariter vel Lupo vel carcinomati, vel fistulæ, &c. Hac tamen cautela obseruata. Primùm Lupi status locusque diligenter inspiciantur, quo scilicet eius venæ tendunt, tum demum incipiendum est, vita ipsum expellere, sensim autem, nec festinantèr propter accidentia quorū aliquot recensui. Escharam igitur emittit quæ decidit; nec sufficit solutam esse, sed insuper alteram, imo tertiam emittat, tum demum ipsum interemit, ac sustulit. Sin displiceat deducere ad Escharam, in fortissimam redigatur extractionem, in qua linamenta madefacta loco affecto indantur, nec permittantur exiccari, sed assiduè humida seruētur, accuratè præcauendo, ne calor cum punctione periculosa superueniat: atque ita purgandum erit, donec signa salutaria vlceris appareant. Postea cessabitur, nec vlla re pingui, sed solis siccis, & quidem optimè pulueribus aut aquis consolidatiuis curabitur. Sic omnia curātur carcionomata, lupi, cæterique affectus cancrosi ambedentes. Hac enim methodo obseruata, omnes morbos chirurgiales, non minus fortiores enecat, quàm si muri vitam adimat. Tales siquidem omnes affectus, vitam instar vermis rodentem in se habent. Et perinde vt vermem necando æger conualescit, ita hîc opus est peremptione. Namque exesio quædam rodens,

Arsenici venenū acutissimum.

Lupi curatio vt per Arsenicum fiat.

Cancrosi affectus vitam erodentē habent.

rodens, quæ vermi per omnia æquiparatur, hîc adest. Nisi autem Medicus singulariter doctus, prudens, peritus, diligens & expertus sit, nullus rem aggredi conetur. Quia multi homines leues, lasciui, inutiles, naucique, quibus minimè fidendum, nunc Medicos agunt, sed adeò temerarios & inconsideratos, vt quicquid in mentem venerit, inconsulti peragant. Quilibet enim solicitè cogitat, benè lauteque viuere in cibo & potu, pigritiæque ac deambulationi deditus esse, quod per medicinam consequi possunt. Hi Doctores & scroti sectores, perinde ac dentium effractores, scurræ, omnes, quâcunque pergunt, regiones absque vllâ conscientiâ ceu impostores decipiunt.

Medic. reprehēs.

De Chymicis virtutibus in Arsenico.

A maioribus nomen quoddam editum & confictum est, & dicitur electrum. At electrum metallum est, antè ab alio proueniens, & metallo, ex quo descendit semper dissimile. Exempli gratia. Cuprum fit albidum, rubedine iam sublata vocatur Electrum. Item è cupro per cadmiam conficitur orichalcum, & dicitur Electrum rubeum. Huiusmodi electri genera, quidam Chymici scioli & Artistæ argentum æstimarunt interdum auri loco habuerunt, nec aliud intellexerunt aut crediderunt, quàm argentum illud esse, sicque argentum è cupro fieri posse, & nomen electri omittentes, id pro auro argentóue habuerunt, nec perscrutando cessarunt, quoad neque ædes neque areæ amplius superessent. Hæc propterea indico, vt error euitetur, quidque electrum, qui aurum, quid argentum sit consideretur, ne tamen temerè & inconsultò agatur.

Electrū quid.

Artistarū seductio & error.

Nunc proponam vobis medicamentum quoddam. Recipe Arsenicum metallinum præparatum metallicè, idem cum Venere more vsitato cementa, magnam partem electri in cupro reperies. Nemo tamen ob id magnos faciat sumptus, quia plurimi constat electrum conficere. Consultius itaque est, cuprum vt cuprum in sua forma relinquere. Nihilo enim melius est eius electrum, sed vilius. Sicin aqua gradata soluendo calcem relinquit: non equidem quod sit argentum, sed electrum, adeoque redditur subtile, vt penitus nihil remaneat, sed euanescat, & quia fixum non est, consumatur. Ita nec in solo cupro, verùm etiam in ferro, stanno, chalybe, &c. permanent residentiæ: nihil autem fixati adest, hac ratione multi decepti sunt. Protinus enim ac res eò redacta est, vt Electrum nomen suum amitteret & argentum vocaretur, Chymicorum pernicies exilium, miseria, & spes inanes incipiebant. Huiusmodi Recepta multa sunt, quæ non opus est recensere, Artistis bene cognita qui hoc in capire satis me assequentur, suum ipsius errorem perpendendo, quòd frustra quærant in alio. Magnam inducit seductionem, cùm iuniores maiorum deserunt methodum, cumque discipulus magistro doctior vult esse, nec in via recta permanet, sed rem quandā aliam ac per se est iudicat, & suo solo consilio inhærere vult. Indè sequitur vt sudore suo peccatum luat iacturamq; faciat. Antiqui electrum dixerunt, idq; proprium eius est nomen, Moderni argentum appellant, nomine improprio. Maiores damnum euitarunt, quia ipsis cognitum erat, iuniores quòd non nouerint, iacturam fecêre.

Hic mos in Alchimia inualuit, vt indesinenter sub bona spe quæratur. Hinc artifices conati sunt Arsenicum fixare ac in aliam essentiam transmutare, num forsan si melius esse aut reddi possit, vtque maioris sit efficaciæ. Inde secuta est reuerberatio Arsenici & circulatio in Reuerberatorio arundineo per aliquot septimanas, aut per aliam viam consimilem: Redditum fuit Arsenicū simile Crystallo, rubeum, pulcrum instar vitri rubentis, quoad duritiem, leuitatem, & fragilitatem. Huius Arsenici virtutib. locus non est in medicina, respicit solùm electra, vt dictum est. Porrò alia præparatione etiam ipsum tractare tentarunt, per descensum scilicet, quod rubrum, & fuluum per idem factum est, viribus præfato æquiualens. A nonnullis præcipitatum fuit, & rubedinem ingressum est, siue ad ruborem peruenit, nec omnes illi quicquam frugiferum & ad id quod sperabatur accommodatum offenderunt, præter solam electricam qualitatem, quæ propter imperitiam & inscitiam Artistarum multos seduxit. Quamobrem opus est, vt quilibet hisce in rebus sit prouidus. Nam qui omnium nominum cognitionem aut intellectum plenum non habuerit, nihil agit, siquidem cerebrosa capita non perueniunt ad fundamentum. Vnicum hoc requiritur, vt ipsis pro fundamine sit, nouisse quid Electrum sit, & alia complura: postmodum per seipsos intelligunt, vtrum in electro possint progredi, an non. Nihilominùs sæpè accidit, vt Arsenicum ex propria natura sit aureum, aurumque in se habeat. Iam si artifex in separando auro ab Arsenico peritus est, siue per Cementum siue per proiectionem quandam, aut alia quauis via illud aurum in metallum, argentum, cuprum aut plumbum vt deducat, absque dubio aurum est, & quidem præclarum. Inde autem sequi, quod Tinctura sit, vel ex Tinctura proueniat, nihil est, sed Arsenico inest, & in sola depurgatione, separatione, &c. res sita est, prout quilibet in illo peritiam habuerit. Arsenicum maximè auriferis è locis, siue ex auro, rarò caret auro, solùm interest separationem rectè fieri.

Plura de Arsenico eiusque speciebus, quàm quæ protuli & quæ manifestare licitum est ac decet, siue ad medicinam siue ad artifices spectet, mihi non nota sunt. Quisquis igitur prudens, & ad illud satis peritus esse debet. Sin minùs prorsus abstineat. Nulla enim facultas ipsum domare potest: sed vtrasque vincit, si ordo & processus genuinus non seruetur. Ductum tu ipsius sequi opus habes. Ipsum neminem sequitur, nulli paret.

Ars. ind. bil.

CAPVT X.

De Tartaro, ac eiusdem Viribus.

(Deest)

De Terpentina.

CAPVT I.

CONsultum mihi visum est, præ cæteris commentari etiam de natura & proprietate Terpentinæ. Est enim hoc crescens peculiare præ cæteris omnib. arboribus Germanicis. Sicut

Balsamus

Balsami & Terpentinæ collatio.

Balsamus suæ regionis arbores, ita Germaniæ arbores Terpentina superat.

Fas ergo est, describi horam & tempus, colligendi & carpendi ea, quæ de Terpentina in vsus necessarios collaturi sumus. Nec enim quauis promiscue horâ conueniens est: sed obseruanda est constellatio & Influentia cœlestis. Medicum ergo ante omnia decet esse Astronomum, qui ex præceptis Astronomiæ Inclinationis discat idoneam horam, citra quam nihil incipiendum est. Tam potens enim est operatio cœlestis, vt Medicus citra illius coniunctionis obseruationem feliciter nihil exequi possit: Hâc neglecta, fit interdum, vt medicina vna efficax sit, altera minùs, cùm tamen vtraque in eodem horto nata sit. Sed exemplum pro illustranda re afferemus.

Influentia cœl. Medico diligenter obseruanda.

Videtis, varia ac diuersa à naturâ crescere, quorũ vnumquodlibet constitutũ crescendi terminum habet. Eo termino exacto, operatio cœlestis completa est: & tum demum crescens carpendum est. Idem etiam de terpentina iudicandum. Si æquo maturius carpitur aut colligitur, non minus vitiosum est, ac pyrum pomúmue, immaturò carptùm. De sapientiâ ergo Astronomica dico, per ipsam debere inueniri Terminum: quod fusius hîc iam non explico. Eam enim iam antè quilibet Doctor ac Medicus callere debet, cùm vna sit ex 4. columnis, quibus medicina incumbit.

Terminus crescẽdi omnibus definitus.

Astronomia Medico necessaria.

Planioris intellectus causâ etiam hoc exemplum tenete. Crescentia ex terra varia emergunt, quorum quodlibet suam peculiarem formam & colorem habet. Ita peculiaris quoque cuilibet ortus & origo est. Quodlibet etiam crescens fructum suum, homini vsui futurum in peculiari substantia discernendum offert. Sic animalia lactifera suum fructum lacte promunt cuius gratiâ condita sunt. Sic arbores poma & pyra proferunt. Nec quoduis illicò & à primâ origine est id quod esse debet, verùm ex substantia vna transmutatur in aliam, vt comprehensum est. Gramen vertitur in lac: lac in butyrum, hoc in hominem. Eodem modo & Larix donum suum, homini à Deo per ipsam præstitutum, specie resinæ, quæ Terpentina est, offert. In hac quærenda sunt, quæ Deus in ipsa operatus est, absoluendo & ad vltimam essentiam ipsam reducendo, sicut natura perficit gramen in lactiferis. Similis enim est generatio Resinæ generationi lactis in vacca, quoad naturam & complexionem. Sicut vacca omnia desumit à terrâ: sic à terra quoque sumit omnia larix. Sicut autem mel ex floribus sugitur ac ab apibus in mel mutatur: ita apum loco Medicus quoque præparationem complere debet, vt remedium eius respondeat melli, quod ab animali bruto factum est. Quod autem mel apes faciunt, id hominibus vsui est.

Terpentinæ & lactis collatio.

Hoc modo mirabiliter Deus homini de necessitatibus per naturam prospexit, vt hæc exemplo sint medico, quòd eadem ratione remedia præparare debeat, vt nimirum prudens medicus videatur, suaque sapientia ipsam imitetur naturam, artificem omnium præstantissimam, ad quam si omnem suam scientiam homo conferat, vix dignus erit, vt ei vincula calceorum soluat.

Deus necessaria omnia suggerit.

Loci ratio postulare videtur, vt etiam de Electione Terpentinæ aliquid dicatur. Sed de hac cur sileam, causæ geminæ sunt. Prima est, quòd oculi ipsi cognitionem optimam præbeant. Qui ergo eius cognoscendi crescentis studio tenetur, is eò peregrinetur, vbi crescens nascitur, suisque oculis spectet, quo modo id à Deo conditum stet, nec speret, se puluinar premendo opera Deraddiscere, aut ex picturis & literis assequi satis posse. Talia in sudore vultus sui cognoscat: ita duplex testimonium viuum habiturus est, & pro Medico verace, prudente, proboq; habebitur, secus quàm profugi Ludimoderatores aut desperati alij cornuti iudicari solitant. Causa secunda hæc est, quòd, etsi quidem omnia scripta de his docentia legantur, colorésque omnes & lineamenta, expressa facie addantur: per hæc tamen omnia ex vero fundamento solidè addisci minimè queant. Scriptura enim parit Imaginationem, vt de rebus, veluti de colorib. cœco disserendum sit, ac homines meros aureos montes in Hispania somnient. Insuper & pharmacopœi adeò dolosi & fraudulenti sunt, vt sedentarios illos Doctores ludos faciant, dicentes, Domine Doctor, hoc est id, istud est hoc. Ita Asini sibi mutuò scabunt, & Apothecarius Medicus Quid pro Quo subdit, eique merdam pro Balsamo ostendit. Væ his ægrotis, qui talium curæ sese subiecerunt.

Picturæ & literæ nihil docent.

Præterea videtur etiam æquum esse, vt pro veterum Auctorum methodo de Terpentinæ complexione aliquid etiam dicamus. Sed omitti id, nihil refert. Nihil enim quicquam in Terpentina operatur aut humiditas, aut siccitas, aut calor, aut frigus, aut temperies. De his enim omnibus nulla in medicina disputatio mouetur. Ea sunt magnalia Dei, adeò, vt mera arcana, in quibus Terpentinæ virtutes consistunt, neglectis omnibus quatuor complexionibus, meritò consideranda sint. Fatuitas est, quærere aliquid in eo, in quo nihil est. De substantia tamen Terpentinæ dicendum aliquid, cur Terpentina sit producta in forma Resinali, non Mercuriali, Metallica, &c. Sed causa hæc est. Quicquid Deus creauit, ei addidit substantiam similem ei, ad quod spectat, vt substantia & arcanum sibi inuicem in operatione correspondeant, velut, vir & fœmina sibi mutuò assimilantur.

Cõplexio in medicina cur non cõsiderãda.

CAPVT. II.

De Terpentina.

DIxi in priore capite, debere Medicũ Astronomiæ peritum esse, vt sciat tempus carpendi & colligẽdi simplicia nec temerè imperitorum consuetudinem sectetur, qui colligunt, vbi & quãdo offertur. Sed ex arte quodlibet per se seorsim colligi debet, vt in natiua sua virtute, quam Deus ipsi indidit, consistat & vigeat. Hoc non de Terpentina tantùm, sed quolibet crescente alio verum est. Sic Hypericon iusto tempore carptum pro constellatione & influentia sua, vermes ex corpore expellit. Quod si non fit: iam Medici vermes ex hominis corpore exigere minimè possunt. Sic ergo cum dedecore Doctores illi pharmacopœi ægros tractant. Medicinam quidem porrigunt, sed non secundum

Influentię vis in reb. notanda.

Influentiam. Sic & in terpentina vires eximiæ sunt. Quam si Medicus conuenienti tempore colligit: iam Magnalia eiusdem in effectum proferentur.

Terpentina est naturalis Balsamus.

Notandum autem primò, ipsam verum & naturalem esse Balsamum. Quæ cadauera eo inunguntur, nunquam putrescunt. Nec de carne saltem dico hominum aut brutorum: verùm etiam de lignis & herbis. Non ergo immeritò Terpentina pro excellenti Balsamo habita est. Multa enim Romanorum, &c. corpora Terpentina condita & delibuta, post aliquot centenos annos incorrupta reperta sunt, ipsis etiam vestibus illæsis. Quòd si ergo Astronomiæ, (vt fas est) in Medicina attendatur: Arcana eiusmodi suas operationes habent. Nullumque Arcanum, per se naturaliter præparatum, viuum est aut efficax, nisi iusto tempore collectum sit. Aliàs enim idem fit, ac si anima à corpore suo separetur. Hæc quòd vobis indico, molestè non feretis. Eo enim fine id facio, vt deinceps ex integra medicina operemini, nec rusticos sectemini, qui fœnum secant, quando sibi & vaccis opus est. Ventrem enim satiare & morbos sanare, duo sunt. Oculos quæso conuertite ad solertiam figulorum & tignariorum. Hi argillum effodiunt, & ligna cedunt sub constellatione certa, vt ne Grylli aut vermes alij illis innascantur. Sunt etiam constellationes certæ, quibus, si arbores cædantur, tunc ligna ea nec augescunt, nec minuuntur. Huiusmodi vires & impressiones plures sunt in Astronomia docendæ. Hora ea si non obseruetur, virtus se illa minimè exeret. Ideò multa passim confiunt remedia, quæ nec Doctores, nec Apothecarij intelligunt, cùm tantùm sint Catonistæ, aut Grammatistæ, &c. quorum in libris scientiæ eiusmodi Astronomicæ minimè continentur.

Grylli & vermes eur in argilla & tuto.

Pro his iam ergo sciendum est, virtutem in Terpentina latentem, & in cœlo cum Astrali Influentia coniunctam, insignem & eximiam esse. Est enim Terpentina verus & naturalis Balsamus, ipso Indico non inferior, qui diuturnitate temporis aliam insuper in Balsamatione Essentiam concipit, vt alteri omnino similis fiat. In probatione tamen conditionem Terpentinæ recipit, quo ab Indico Balsamo distat. Sic ergo duo nomina habet. Si secundum Balsameam Influentiam colligatur, vocatur Balsamus de Botin: Si non: vocatur Terpentina, seu resina laricis.

Terpentina duobus nominibus pollet.

In Terpentina ergo virtutes geminæ describendæ sunt. Altera est constans, adciscens naturam Balsami. Altera est inconstans, Balsameā virtutem non participans. Ideoque exemplum notate. Balsamus de Botin purgat. Ita & Terpentina. Balsamus autem purgat Forma specifica: Terpentina purgat conditione seu natura fluxili. In his operationibus iam discrimen est. Quicquid more Balsameo operatur, id perfectè aufert, ita, vt nulla corruptio sequatur, faciendo membra incorruptibilia, ne à putredine inuadi queat. Idem altera Terpentinæ vis perficere non potest. Sed attendite, ne ex hoc meo indicio fors decipiamini à tali qui dicere possit, se Balsamum habere, cùm tantùm habeat Terpentinam. Eousque enim hodierni Medici impietatis progressi sunt: vt ob vile lucrum impudentissimè mentiri ausint, corpus & animam Diabolo oppignorando, saltem vt fidem impetrent. Quilibet sibi ipsi caueat. In his enim magistratûs nulla censura & pœna animaduertitur.

Præter iam dicta sciendum etiam est, Terpentinam quoque extra Balsameam impressionem iusto tempore conseruandam esse. Si enim immatura, nec virtutibus suis satis dotata sumatur, ciet diarrhœam, colicam, dysuriam, tenesmum, alia plura infligit, per imperitiam Doctorum & Pharmacopœorū. Sicut enim lac grumescit, corrumpitur, arescit, &c. ita idem etiam patitur in corpore terpentina.

Et hæc Medicinæ secreta sunt, Medico præcipuè tanquam principale in Philosophia notanda. Qui enim Philosophiæ cognitione (non loquor de Morali aut Ethicā, aut Philologiā, in qua Erasmus sese exercuit) caret, ac quomodo naturales vires eleuentur, ignorat, is ad medicinam penitus ineptus est. Debet enim Medicus callere fundamentum id, quod ipsā medicina dignum est.

CAP. III.

De Terpentinā.

QVò Philosophiam de Terpentina, vndenam & quî generetur, rectius intelligatis: hæc hactenus ad vos ita præfari volui, vt ex illis ipsa cognoscatur, morbusque ac Philosophia in vna concordantia conueniant, quo vnum alterum declaret, & medicina genuina constituatur. Etsi verò veterum quidem scriptorum methodum (quæ nauci est) non obseruem: tamen id hac saltem de causa factum est, quia libri eorum meræ Rhapsodiæ sunt. Rhapsodus enim est, qui, quæ audit, annotat, nec, an vera vel falsa sint, curat, rei de suo colorem & fucum addens, veluti Titus Liuius, Salustius & alij. Hinc eorum stultitia patet, qui mel Gentianæ inungunt. Eiusmodi verò descriptio cùm fundamento careat, in medicina nimis sordida est, quales sunt etiam Doctores, qui ex libris artes suas discunt, ad verum tamen medicinæ fundamentum nunquam penetrant.

Dicto modo rem quamlibet à se creatā, Deus, maximè verò crescētia naturalia in semen suum digessit. In illo semine est vltima materia. Et semen illud crassum, est materia prima. Iam verò Materia prima homini nihil prodest, sed materia vltima. Semē simile est infanti. Infans vt infans loquitur. Si grādescit, loquitur pro suę ætatis decentiā. Quod bonū indolem maturò exerit, id secundum naturæ Lumen finem bonum attingit. Hæc iam est Materia vltima. Discrimen tamen aliquod est, ex sequenti exemplo noscendum. Semen extra se agit ac pellit, quicquid intra ipsum est. Infans autem expulsorem alium non habet, quàm vagos sensus: Id enim semen si seminatur, excrescit in vltimam materiā, & quodlibet in eo contentum, separatur ab alio. Ita quodlibet in crescente illo peculiarem naturam adipiscitur, aliam quidem in radice, aliam in floribus, &c. Hoc iam Terpētinæ accommodandum est, ac sciendum, quod ipsa vndicunque confluat, & ab omnibus arboris membris comportetur. Et licèt sub vnā substantia appareat: substantia tamen vna non est, sed corpora multa. Sicut

ta. Sicut in generatione ferri corpus vnum præsto non est, sed plura, velut Chalybs & ferrum, &c. ita & hic Balsamus Terpentinæ permixtus est. Vna est impressio, ipsam auferendi & colligendi. Nondum tamen separatio adest, quam tertia medicinæ columna, nempè Alchimia docet. Non autem ea Alchimia, quæ aurum & argentum facere docet, cuius professorum iam passim plena Lerna est, sed ea quæ cuiuslibet Mysterij separationem in peculiare reseruaculum docet, nec eo quidem modo, vt per destillationem id fiet, sed citra ignem & sui corporis dissolutionem. Sic enim separantur Balsamus & Terpentina, velut argentum & scoria.

Cæterùm cùm de semine prius dixerim, quomodo hæc ex ipso enascantur: sciendum est res quatuor esse, quæ semen perficiant. Primùm sunt *Astra & Influentia*, eò, quòd semen astra attrahat, velut magnes ferrum. Et sicut peculiaris dos inest magneti, qua solum ferrum, nec quicquam aliud attrahit: ita sua quoque semini proprietas est, sola astra balsamea attrahendi.

Hinc Balsamus: qui in Terpentina latet, sicut nucleus in nuce. Et tantum operantur astra in Terpentinam. Quòd si plantanda est, sub eadem influentia plantari debet.

Secunda virtus Terpentinam proferens est *Liquor Terræ*, qui & ipse à Terpentina attrahitur loco cibi potusque. Is cibus quoque ab Influentia conseruatur. Ex hoc Terpentina corpus suum & substantiam, in qua reperitur, assumit. Sic corpus & anima in vnum coagmentata sunt.

Tertiò, concurrit etiam *Operatio Solis*, non tanquam astri alicuius, sed tanquam ignis, qui naturalem superfluitatem consumit, quæ nulla vi aut arte ignis consumi potest. Omnia enim consumerentur, nec quicquam remaneret.

Quartò, accedit etiam eius ætas seu terminus, qui hora ea est, qua Deus ipsam perficit, deinceps eandem non amplius tractaturus, sed homini ipsam traditurus, vt eam conuertat in id, quod ei opus est, veluti pistor, qui panem suum ante furnum vendit. Hæc ita Terpentinæ origo est: de qua constat, Balsamum eius in ramis potiùs, quàm arboris caudice latere, & plus quidem seu vberius in locustis, quàm partibus cæteris. Hæc in separatione omnia euidentia fiunt. Terpentina ergo in suis præparationibus omnium efficacissima est, si secundum cœlestem influentiam plantetur, & adhuc efficacior si transplantetur. Nam Influentia seminauit ipsam in locum commodum. Et si ab Influentia in locum commodum seminatur, ibi terrestreitas eius omnium optimaest. Etsi inde iterum transplantetur in idem solum, aduersus ventum Borealem directum, hincque porrò iterum transplantetur in Australem ventum, secundum definitam ætatem: tunc Balsami ditissima est. Ita se mundi machina in sua operatione habet, quam scire debet Medicus, nisi Vagans, aut Balneator aut Agyrta audire malit.

Terpen. corpus vnum simplex non est. Terpentinam 4. perficiunt. 1. Astra. 2. Liquor Terræ. 4. Terminus eiusdem. Terpentinæ Balsamus in locustis vberior. Terpentinæ transplantatione fit vberior.

CAPVT. IV.
De Terpentinâ.

His de ortu Terpentinæ præmemoratis: vt deinceps etiam de separatione Balsami & Terpentinæ dicamus, processus iam triplex sequitur: triplex ad Balsamum, triplex ad Terpentinam: & tamen processus saltem vnicus erit. Hoc modo vires ex Balsamo velut & Terpentinâ, in suam gradationem ascendunt, vt nimirum quælibet virtus in peculiari suo corpore inconfusa consistat.

Multi haud dubiò sunt, qui iactant ac gloriantur, se hanc meam informationem artemque iam pridem ad vnguem callere. Hos quiuis frugi homo caueat. Mentiri ipsis procliuius, quàm panem edere. Horum nonnulli sunt Doctores, tonsores, & alia Medicinæ mõstra. Curãt sibi construi fornaces, Vulcanũ ad opus accommodant, alunt Laboratores, construunt Athanar, altum quid crepant de Realgare: denique quicquid de quâcunque arte audiunt, id omne iam tritum & familiare ipsis est. Interim nec Magister, nec Minister fungo digni sunt, ac tum sibi, tum aliis otiosè mentiuntur. Hi digni non sunt, vt vel maximum, vel minimum in Receptis præscribatur ipsis, ne quid fors discant, quo fraudes suas ad medicinam accommodent, & sic mea scripta irreprehensa relinquant. Et tamen ego propter geminos Medicos, & ægrorum vtilitatem hæc tanti momenti supprimere minimè volui: sperans fore, vt à quouis sano mendacium à veritate facilè dignoscatur.

Prima ergo separatio Balsami à Terpentinâ ita se habet. Qua horâ collecta Terpentina fuerit, in vasculum seu doliolum illicò iniiciatur, & ad summum vsque impleatur, & confestim in fimum digestum imponatur vsque ad medietatem. Ita ebulliendo suas sordes eiiciet, velut mustum. Post hanc operationem, ita calida Flaccum effundi debet per infundibulum, ita duo colores se mutuo separabunt, vnus clarus in sublime, alter turbidus in decliue. Hunc horis 60. sine digeri per primum gradum caloris & distributum secundum gradus duodecim. Supernus color est diaphanus: estque Balsamus, quousque quidem perspicuitas illa panditur vel proditur. Alterum in decliui seu imo est Terpentina pura. Ita se habet duorum istorum corporum à se inuicem facta sequestratio, veluti chalybis & ferri. In hoc Balsamo secreta admiranda latent, & longè plura, quàm mea mihi ætate experiri licuit. Posset tamen experientia plena stabiliri, si Medici tanto studio expugnandis ægrorum morbis operam darent, quanto expilandis crumenis inhiant, aut si vi coërcerentur, vt fierent tales, quales se iactant & profitentur. Suam experientiam requirit sutor, quo tamen carere possumus. Imperito autem Medico committitur corpus, quod is per inscitiam conficit & iugulat. Hinc enata sunt illa prouerbia, Vitulo-Medicus, Doctor Grallatorius, Magister Gimpelius, &c. quæ quidem rustici ex illorum medicorum ipsis operibus confinxerunt.

Balsami & Terpentinæ separandorum modus.

Repetite hìc vobiscum, quam triplicẽ initio distributionem feci, triplicem panem edendi in Terpentina: triplicem in Balsamo, ita triplicem in Terpentina: edendi panem vnum, & vnam laborationem, sed duas tamen in descriptione, hoc est, aliud Receptum est ad conditionem balsameam,

Terpēt. Balsamy quos morbos curet.

balsameam, aliud ad Terpentinæ proprietates. Quibus prodest Terpentina, iisdem multò magis prodest Balsamus. Balsamus tamen illo discrimine, quòd impressis morbis, & ex cœlesti Influentia natis aduersetur. Quod enim cœlum imprimit ac generat, id impressione suâ facit, & quidem post suum tempus & exaltationem. Sic si sedet in solio pestilentiali, grassatur pestis. Si est vernalis, dominantur pleureses, &c. sicut hæc ex facultate Medica scire quoslibet Medicos fas est. Qui verò morbi alij sunt, minimè astrales, eos Terpentina satis abigit.

Sequuntur iam deinceps Recepta, qui quótue modis Balsamus & Terpentina in vsum venire possint, vnà cum suis Descriptionibus & peculiaribus nominibus, ex quibus vtrumque per se cognosci possit: Postea explicatio illorum virtutum, & duo illa genera seu species, descriptioque ac explicatio sub duobus nominibus comprehensa. Primò Descriptio, sub nomine *Lumen Apothecariorum maiorum*, aut *Lumen Alchimistarum praeparationum.* Secundò explicatio sub nomine *Declaratio.* Quod ratione primi nominis additum est vocabulum *Maius*, ideò factum est, vt iurulenti illi Apothecarij, quibus iam omnes officinæ scatent, cognoscantur & discernantur à Maioribus, quibus nomen Alchimistarum à Separationibus, longo vsu probatis, verè debetur & conuenit. Sic gemini & adulterini pharmacopœi inuicem discernuntur, & nomen hoc, *Lumen Apothecariorum* (non addito *Maiorum*) iurulentis illis imponitur. *Maiorū* autē defertur *Maioribus* propter solidā & cōfirmatam experientiā. Etsi enim multis centenis annis Lumen iurulentorū illorum durauit, tamen probri id & ignominiæ eò maiori est Medicis illis, quòd (vt Prouerbio dicitur) Ioannes in eodem semper maneant.

LVMEN APOTHEcariorum Spagyrorum.

CAP. I.

De Balsamo Terpentinæ.

Tripoliti, Botini &c. præparatio.

DEscriptio Tripoliton Botini fistulati. ♃. *supradicti Balsami* ℔ ¼ *Colcothar sarraphthi* ℥ j. *Caphuræ* ʒ ij. Misce & digere, donec vernicis conditionem adipiscatur. Cola & reserua.

Tripoliti Cācreni præparatio.

Tripoliton cancrenum ita paratur. ℞. *Balsami Botini* ℥ ij ß. *Ol. Martis* ℥ j. *Zuccari Saturnini* ℥ ß. Digere diebus nouem.

Traxeni magni compositio.

Receptum aliud, *Traxenum magnum vocatum.* ℞. *Balsami* ℔ j. *Olei de Arsenico* ℥ ij. Digerantur ad æqualitatem substantiæ. Reserua.

Reliqua, si quæ fuerunt, deficiunt.

DE MELLE.

CAP. I.

Mellis quæ materia.

IN descriptione Essentiæ & proprietatis mellis ante omnia intelligendum est, quòd mellis prima materia sit dulcedo Terræ, quæ naturalib. crescentibus inest, ac ex proprietate illorum crescentium Magnetis attrahitur. Hinc colligere debetis, quòd in qualibet materia prima ea omnia, quæ ad crescentia spectant, collecta sint, non secus, ac si plures colores inuicem confunderentur, & vnus tantùm appareret, cùm tamen omnes adsint. Ita & semen est lignum, est folia, est rami, non actualiter & præsenter, sed in futurum: si enascitur & crescit. Tunc enim omnia apparent. Eodem modo etiam in prima materia rerum simile compositum existit, ex quo ab omnibus crescentib. in quodlibet attrahitur, quod ei debetur ac familiare est. Ex natura enim istius crescentis attrahitur omne id, quod necessitas eius flagitat.

Porrò autem operatio hîc duplex est. Vna nempè, quod Luna ex cœlestibus suis virtutibus materiam illam in terra coquit & præparat. Ea præparatio durat ab initio interitûs crescentium vsque ad ipsorum renascentiam. Tanto enim tempore Luna in illa occupatur. Ea quamprimùm operationem suam perfecit, appropinquat ver, cum quo etiam pullulant & erumpunt plantæ cum suis floribus, & ad perfectionem sese accingunt, & ex propria congenitaque natura Luna id præparatum ex terra in crescentia instar pluuiæ in terram stillantis impellit, & plantas omnes madefacit. Hæc conditio Lunæ est, quæ in terra primam materiam sursum pellit, velut nubes pluuiam deorsum mittunt. Et crescentia naturâ sua & proprietate reficiuntur.

Me... ... ...

Porrò, etsi Luna quidem suam decoctionem perfecerit: nondum tamen prodiit ac est, quod esse debet: sed Sol est operatio secunda, quæ manè à primo illicò exortu incipit. Quicquid autem Luna appulit seu admouit, id Sol sursum ad se trahit, sicut Magnes ferrum, illaque materia à Luna apparata caulem & caudicem reficit ac refocillat, vt definito tempore emergat, & ad finem, ad quem conditus est, perueniat. Hoc modo Sol quotidiè liquorem illum attrahit nam quotidie Luna quoque in sua operatione est. Præterea verò pluuia quoque hoc loco magni vsus & commodi est, vt per ipsam materia Lunæ mitigari & subtiliùs præparari possit, quæ aliàs ob siccitatem in Luna suffocaretur. Vt verò mixtura liquoris & pluuiæ hoc loco secundum tenuitatem aut crassitiem attingatur, ita eo anno mel vel crassius vel tenuius fit pro illius regionis, vel crassæ vel tenuis proprietate, aut pro Lunę operationis conditione.

Mel quid.

Sciendum etiam est, Mel in sua Essentia & materia prima esse Resinam terræ. Non verò omnium florum & crescentium, sed quorundam tantùm Resina est Gummi, nonnullorum est Resina, aliquorum sulphur & bitumen, aliorum aliud. Id verò quod in floribus & locustis crescit, mellis forma & specie concipitur, nec dum tamen in vltima sua materia versatur, à Sole & Luna perfectum. Duo namque isti Planetæ nihil vsque ad finē perficere possunt, nisi auxiliante vniuersa operatione cœlesti, quam hoc modo intelligetis. Si crescens enascitur & surgit in suam stirpem, ac liquorem in se continet, per Lunam præparatum adeoque terrena pluuia superficiem terræ madefecit, ac à Sole per vniuersam stirpem

pem impellitur, & distribuitur: sequitur deinde operatio tertia, seu Influentia Æstiualis, quæ à Sole & Lunâ separata est. De ea sentiendum idem est, quod de vitro clauso, aliquid intus continente, & in calido hypocausto stante, quod in vitro eo præparetur vsque ad finem. Ita enim flos aut crescens super terrâ in cœlesti hypocausto stat, in quo præparatio tertia incipit. Prima enim fit à Lunâ, secunda à Sole, tertia ab Astro Æstiuali. Ita in fimo Equino digeritur Homunculus aut frumentorum sanguis, &c. Per Influentiam eam quotidie operantem, indies plus mellis conficitur, atque continenter ab apibus asportatur. Quicquid enim quotidie fit, id quotidie asportatur, in cuius locum natura tantundem semper sufficit.

Influentia Æstiualis, &c. tertia mellis causa.

Materia materiata quid.

Notandum itaque est, Mel initio nihil aliud esse, quàm terrenum spiritum. Quòd si verò Æstiualis Influentia accedit, spiritum gignit corporalem, hoc est, spiritus ille, qui in Sole & Lunâ terrenus erat, fit spiritus corporalis. Eo modo corporalis factus, vocatur materia materiata, aut Spiritus corporalis. Hunc auferre possunt apes, & ad suos alueos comportare.

Ista iam est prima materia materiata. Mel enim & cera vnà sunt. Quæ si separantur, velut chalybs & ferrum, tunc vocatur separatum corporale ex materia materiata. Rem ita intelligito. Velut Alchimistæ in circulatorio, aut pellicano spiritum vini circulant, ita etiam Astrum æstiuale in naturalibus crescentibus liquidum circulat. Ita emergit mel ex terra in materiam materiatam, hoc est, in subiectum Apum. Et quod est materia materiata, id est, subiectum eiusdem, vlterius præparandum, velut res, quæ nondum perfecta satis est, sed per aliud in locum seu gradum perfectionis reduci debet. Sic etiam in rebus naturalibus quælibet species subiectum est potioris, ab Astris incipiendo, vsq; ad viuens sensibile animal, & ab hoc vsque ad rationale, ab hoc iterum vsque ad operationem mortis omnia consumentis, & quodlibet educentis in id, quod antea fuit. Nihil erat antea: nihil est postea. Sic omnia abeunt in Nihilum, quia Nihil antea erant.

CAPVT. II.

Mel quo modo triplex.

QVandoquidem de melle tractare incepi: sciendum est, Naturam in sua operatione eius esse conditionis, vt crassissimum semper in imum deponat, purius autem & subtilius in sublime tollat. Et hæc causa est, quod etiam in quolibet crescente similiter triplex mel sit: Imũ scil. medium & summum. Summum quærunt Apes, quod in floribus & locustis inueniunt. In medio & imo nihil quærunt, nisi fiat, vt mellis satis in summo non inueniant. Tunc enim profundiùs penetrant ad imum seu radicem. Hinc oritur crassius genus Mellis ac ceræ, apes ita instigante fame. Earum siquidem fames est præparatio mellis, hoc modo, quod edant. Est enim is ipsorum cibus, est Manna, est Tereniabin, est Lorcha, est Tronossa. Cibus earum id est, quod ex floribus edunt, atque in floribus & locustis inueniunt, veluti vitellus in testa oui inuenitur.

Apũ cibus quis.

Hoc iam si ad famem suam impendunt, ex eo patet, ipsas habere Emunctoria, per quæ suas egestiones excernant, quæ duplices sunt, cera & mel, velut & alia animalia stercora & vrinas excernũt. Quòd si ergo copia ipsi est Mannæ & Tereniabin, &c. tunc largiuntur mel & ceram, quæ digerunt ex floribus & locustis, & ita digesta in sua domicilia comportant. Iam verò summa præparatio naturalis Astri est *Manna, Lorcha, Tronossa* ex quibus consit mel & cera. Hæc non quidem talia in floribus & locustis nascuntur, sed in Apum stomachis. Stomachus est Archeus, prædestinatus à natura, vt ista in mel & ceram transmutet. Prædestinationis enim, quæ in naturalibus rebus latet, proprium est talia producere. Aliàs extra Archeum id fieri impossibile est. Aliter enim se habent excrementa hominum, aliter brutorum, aliter apum. Qualiacunque sint, ad alterius certè commodum creata sunt. Sic pecorum excrementa prosunt pratis & hortis: sic apum excrementa faciunt ad cereos & medicinas. Manna enim summus & exquisitissimus cibus est, & locustarum medulla. *Lorcha* est omnis dulcedo locustarum, vsque ad inanem substantiam. *Tronoßa* est ros, ex aëre genitus, & seorsim adhærescens, extra locustas, instar pluuiæ alicubi delabentis, alibi minùs.

Manna quid. Lorcha quid. Tronossa quid.

In his tamen omnibus rationis quædam diuersitas est, in physica discretè consideranda. Quicquid enim ex alio procedit, respectum eum habet, vt & ipsum ex alio processerit. Et quodlibet adhærescit ei Naturæ, vel respicit eam naturam, cuius plus habet. Sic aliam promunt flores tiliæ Essentiam, aliam flores fagi, aliam flores Quercus. Hi apum cibi omnes crassi & agrestes sunt. Et apum ordines duo sunt, Nobiles & ignobiles, vel etiam ciuicæ. Quæ in syluis degunt, rusticæ & agrestis naturæ sunt, mel durum, forte & crassum (ita & similem ceram) facientes. Rustici enim sunt primi, & manent vltimi. Apes contrà nobiles sunt, quæ obuolitant in *Antheris*, hoc est, in rosis, liliis, & aliis herbis odoriferis. Hæ nobilissimum mel & ceram gignunt, ad hydromel & subtilia emplastra, vtilissimum. Inter geminas has apes oritur coniugium, hoc est, Medium quid inter nobiles & rusticas, quæ mel exugunt, vbicunque id inueniunt. Ita crassum & subtile coniungitur, ac mel & cera fiunt temperata. Sic nimirum triplices apes (triplicia mella) sunt: rusticæ, nobiles, ciuicæ. Et hoc discrimen Medico diligẽter notandum est. Eodem enim discrimine distant etiã medicinæ ab illis præparatæ. Et genera illarũ discernuntur non nisi à locis illis, ad quæ victus causa commeant. Hinc enim quærunt ex floribus campi, ex floribus hortorum, ex floribus syluarum aut desertorum. Nam certa sunt genera rusticarum & nobilium, velut & ipsarum habitationum. Maioris & facilioris intellectus gratia fas ac æquum hîc mihi esse videtur, de omniũ sanctissimo viro Ioanne Baptistâ aliquid dicã, de quo scriptura testatur, ipsũ comedisse locustas & mel syluestre, de quibus ita statuendũ est. Quas edit locustas, eæ in deserto, vbi homines nulli habitabãt, natæ erant. Ioãnes enim in deserto habitabat, ex quo colligitur, ipsum vulgares & vsitatos hominibus cibos minimè edisse, sed edisse saltẽ locustas illarũ arborũ,

Apũ ordo duplex seu triplex.

Antheræ quid.

Locustæ Ioannis quid fuerint.

quas

quas tinxit & imbuit melle, ab apibus ex arboribus sylvestribus extracto. Sic ergo victitauit melle rustico, & rustici more vixit. Hoc à nonnullis, suâ opinione etiam altum sapientibus, ita explicatur, vt dicant, locustas seu cicadas ipsi pro cibo fuisse vsurpatas. Sed hi stultitiam propriam dissimulare non possent, quàm insuper eleganti & compto Latinè loquendi ornatu illustrant, velut Hieronimus, Erasmus, & alij Prophetæ Neoterici, in Latinitate immortui. Inter cœcos sunt lusci: sciuntque aliquid non valdè multum.

Hieronymus, Erasmus, &c. taxantur.

CAP. III. De Melle.

CÆterùm de Apum operibus & domiciliis plura attendite. Notum siquidem est, qua arte sibi domicilia exstruant, in quibus velut in officinis suis operis vacant. Sicut enim omnipotens Deus rationem & intellectum homini largitus est, vt domos & mansiones sibi exstruat: sic industriam eandem contulit etiam brutis animalibus, vt ex naturæ suæ proprietate sibi ipsis domicilia condere possint. Ita de quolibet animalium genere scimus, quòd modo peculiari, pro suæ naturæ instinctu, ad vsum, & necessitatem, discretum domicilium sibi ædificet. Homines secundum internum hominem nihil habent. Externus homo autem suam habitationem habet. Sic vulpes suas foueas, aues suos nidos habent. Apes suos habent muros & parietes, in quibus habitant. Muri illi vocantur faui seu cellæ, in quibus sua Reseruacula condunt, vt in illis præparationes suas perficiant. Sicut à Deo scientiis & artibus, quæ innumeræ sunt, dotatus homo est: ita & hoc animal à Deo dotatum est, vt ex instinctu Naturæ huiusmodi artium multas calleat, ac in operationibus suis adeò industrium se præbeat, vt sagax eius ingenium satis admirari non possis. Et nisi manus ac pedes illis animalculis affingas: quînam talia fiant, satis perscrutari non possis.

Apium mira solertia & natura.

De Apibus itaque notandum, eas ex instinctu naturæ suum cibum inuenire posse. A natura etiam habent, vt cibos suos comportent in domicilia sua, quæ ipsæ in locis opacis charissima habent. Locus, vbi habitant, quò quietior & tranquillior est, eò gratior: nec enim in suis operib. interturbari volunt. A Natura hunc etiam ordinem colunt, vt pro conceptaculi seu circuli ratione & ipsarum numero, cuilibet sua & peculiaris domus æqualiter assignetur. Distributio hæc circuli & numeri à congenita diuina dote promanat, qua adeò illæ prouidæ sunt, vt domuum numerus apum numerum, ne in vno quidem superet, & domus vna alia vel ne minimo quidem puncto maior aut minor sit. Eæ enim mira adeoque humanam excedente sapientia & æqualitate, inter ipsas distribuuntur. Nec apis vna alteri suam domum construit, sed vniuersæ opus vnà aggrediuntur, ac vnà laborant, tantum ædificantes, quantum ipsis Mannæ obtingit.

Domum primò condunt ex cera alba. Prima enim seu immatura Manna nondum flauescit; sed colorem in ædificationis fine acquirit demum. Quò longiùs processit æstas, eò melior Manna est. Quò æstas clarior: eò pulchrior & nobilior fauus. Porrò exstruendi artem assequi nemo potest. Nemo enim earum manus videt, quibus operentur. Longior ergo in eo describendo mora irrita esset: nec Philosophia conatum talem sufferret.

Apum ædificij quis ordo sit.

Hoc autem sciri potest, quomodo alimenta conuehant & quales in fine reperiantur domus, vel ipsæmet. Quædam domos suas perfecerunt integrè, quædam ex dimidio, &c. interea mortuæ quædam comportarunt, quædam minùs. Nam & ipsæ morti sunt obnoxiæ, non minùs ac creaturę cæterę, etsi cibis vescantur saluberrimis. Morbo tamen alio non laborant, quàm intestino dissidio, vel abundantia, aut defectu, vel senio. Læduntur tamen nihilominus etiam à prunia, in floribus & locustis hausta: velut & ab aura gelida, & mala communitione. Eodẽ modo afficiuntur etiam à fucis, qui se illis permiscent velut loliũ permiscetur tritico, adeoq; illarũ labores destruũt & deuorant, vel ipsas hostiliter iugulant. Et in hoc non differunt ab hominibus, ex quibus fortiores aduersantur imbecillioribus, docti oppugnant indoctos, ecclesiastici contrariantur sæcularibus: denique odium & simultas vbiuis gliscit.

Ipse vsus & experientia dictat, nullum ex brutis & irrationalibus animalibus, ratione & intellectu propiùs ipsis apibus ad hominem accedere. Nec enim suo magistratu carent, sed ordine singulari ex instinctu naturæ gaudent. Qui fecit ipsas Mechanicas in exstruendis ædibus, & miris opificiis: idem fecit etiam ipsas Gubernatrices & Artifices, eo quidem fine & ordine vt fauus secundum voluntatem Dei hominis manibus offerretur, quò Magnalia Dei prostarent in animalibus creatis, quæ mira ille perfectione condidit. Nec magis illarum Secreta & Mysteria scrutari potest homo, quàm ipsæ hominum. Et sicut hominum opera æmulari non possunt apes: ita nec apum homines.

Sententiam post se quãdam reliquit Christus, quæ Herodem pingit. Ea hæc est: *Abite & dicite vulpi, &c.* Cur autem Herodem vulpem vocarit, causam ità mecum expendite. Vsq; adeò versipellis nullus vnquam homo fuit, qui fraudes vulpis declinare adeò potuerit, quin ab eo deciperetur. Is gallinas, anseres & anates, etiam ante custodis pedes pascentes aggressus est & corripuit. Tale etiam Herodis cor fuit, cuius technas nullus euitare potuit. Huic similis est arcanitas (vt sic dicam) apum.

CAPVT. IV.

COgnita ex iam dictis mellificij ratione & solertia: iam deinceps etiam intelligetis, duplicia corpora vnà consistere, nempe Mel & Ceram, quæ ipso Naturæ instinctu inter se seiuncta & separata, vt ferrum & chalybs differunt. Proximus ergo iam est humanus labor, separans à se inuicem ea, quæ apes construxerunt. Vnum interius vsui est homini, & seorsim asseruandum: alterum exterius prodest, asseruandum & ipsum seorsim. His homo de suo nihil addit, sed duas saltem Essentias, vt dictum est, à se inuicem separat. Vbi enim natura desinit, ibi incipit Medicus, sicut deinceps demonstrabitur. Mel separatur à cera, & cera à melle, idque vi ignis.

Longior

Longior ergo de his sermo ex scientiâ medicâ petendus est. Hâc enim de causâ ad hoc capitulum digressi sumus: primò, vt à medico origo & causa mellis ceræque cognosceretur: Deinde, quis vtriusque vsus sit, tam interiùs, quàm exteriùs, quod tres quidem sequentes libri declarabunt. Primus nempè tradet descriptiones, in lumine Apothecariorum iam sequentes, vbi docetur, quomodo Receptum quodlibet, siue simplex sit, siue compositum, cognosci debeat. Secundus docebit, Receptorum illorum virtutes & vires cognoscere, ad quid scil. quodlibet conferat, vel minùs. Tertius liber explicabit vsum & practicam, quomodo morbus per Medicinam illam tractandus sit: vt tandem ad finem medicina & morb. velut vltima materia coniungantur & morbus curetur. Hæc enim omnia eò saltem describi incepta sunt, vt vltimam materiam assequantur, &, quantas virtutes habeant, cognoscantur. Post cognitionem enim sapientiæ Christi medicinâ nihil in terra excellentius prodiit. Sicut enim quatuor columnis, vt Philosophiæ, Astronomiæ, Physicæ & Alchimiæ, Deus illam inclusit & definiuit: ita iisdem etiam continetur. Et nemini mirum sit, quatuor hæc diuersa vnũ æquale constituere. Sic enim Deum constituisse, ipsa ratio dictat.

Medicina nihil præstantius. Medicina cõstat quatuor.

Multi sunt Medici, medicinæ ignari, qui tamen Medici salutari volunt, & tamen de cognatis Medicinæ nihil quicquam intelligunt. Ea hominum ruditas & improbitas est. De suâ quidem anima, quomodo requiem olim habitura sit, parùm sunt solliciti. Soli quæstui inhiant & commodo priuato, & sic Medicum Diaboli faucibus destinant. Vt ditescant, nullis fraudibus, nullis mendaciis parcunt. Quòd si verò expenderent, quanti apud Deum momenti veritas & probitas sit, & quàm altè lumen naturæ à Deo iam illuxerit: longè certè se alios præstarent. Sed bonos eiusmodi motus non concipiunt: quia ex Diabolo sunt, cuius voluntati obsequuntur. Christus præcellens signum operatus est, quod Medicis omnibus exemplo sit: quando nimirum cœco admota saliuâ oculos aperuit, eique ostendit, qua aqua illi rursus abluendi sint: quo facto cœcus visum recepit. Hoc quid aliud significat, quàm potestatem medicinæ penes Christum sitam esse, qui nutu suo remedia efficacia faciat, admirando modo, etiam præter captum humanum. Vnde patet, ius ac fas esse, potestatem illam inquiri, & vires per illam perfici. Quibus Medicis persuasum est, Medicinam etiam citra illuminationem gratiæ diuinæ efficacem esse: hi fatui non cogitant, quòd Deus non propter ipsos, sed propter gloriam suam, ad ostentandam suam misericordiam id faciat. Videte quæso, quid vtilitatis nostræ ætatis Medici moliantur. Certè aut nihil, aut quàm minimum. Et quæ alia in terris ars aut scientia est, quæ minùs gloriæ ac laudis, plus autem fraudis pariat, ac ipsa hodie medicina est? Hoc ideò fit, quia homo Deum non diligit, nec proximum, vt seipsum. Deinceps ergo perlegite vltimam materiam, quo pacto ægroti sanari debeant per ea, quæ Deus ex terra produxit: quæ vobis alia habenda non sunt, quàm terra ipsa, quæ accessorio alio nullo opus habet, quàm auxilio diuino, quod à solo Christo, Deo & Domino nostro egreditur.

Med. reprehens.

De Lacte.

CAPVT. I.

(Cætera omnia desunt plura hoc loco non adscripsit auctor, nec fortaßis eo modo, quo hîc dispoſuit absoluit.)

DE XYLOHEBENO.

PRincipiò eliciuntur ex Xylohebeno tria genera Medicamentorum: Liquor, Gummi & Alcali. Liquor qui erumpit, similis est Acatiæ succo: Gummi ei quod est è Botin: Alcali Sali gemmæ.

Liquor est ipsissimus potus, Gummi vnguentum, denique Alcali purgatio & mundificatiuum.

Itaque Liquor per inclusam destillationem, quemadmodum oleum nucis Muscatæ extrahitur, cuius j ℔. vnc. iij. præstant, efficaciores scilicet integro talento, quod iuxta Medicorum vulgus decoquendo è ligno scaturit.

Xyloheb. Liquoris præparatio.

Liquor succedit Gummi, scil. ex eo ligno quod reliquum est in hanc sententiam. Mitte Xylohebenum in reuerberationem inclusiuam in secundo gradu ignis, & ad 24. horas illicò videbis gummi, quod eadem tenacitate cum storace liquida à corpore separatur, & idipsum non sine mediocri fragrantia. Interea autem dum in calore singula existunt, corpus & gummi elice, cuius j. ℔. vnc. vj. (efficatiores scil. cc. lib: quæ in elixando extrahuntur.) præstant. Postremo elicitur Alcali ad hunc modum. Corpus transmutatur in vltimam materiam, quæ Alcali fons est & origo, interueniente aqua Fumi terræ, probè congelata, haud dissimile Anatron aut Entali. Huius ℔. j. ℥. v. suggerit: fortiores scil. 50. libris, quæ vulgari modo præparantur.

Xyloh. gummi præpar.

Xyloh. Alcali præpar.

VSVS.

Principiò purga ægrotum in hanc sententiam. ℞. Alcali Xylohebeni ℈. ß. Theriacæ Alexandrinæ ℥. ij. misce dosis ℈ ß. & idipsum non semel ac iterum sed tertium aut quartum pro ratione videlicet morbi. Præterea tanta vis purgãdi maximè Podagricos, Paralyticos, deniq; pustulosos humores huic Alcali inest, quantum neque Laxatiuis, Purgatiuis, Vomitiuis, postremò in Expulsiuis deprehendas. [Et eadem hîc est ratio, quæ aquæ & ignis.] Hanc purgationem continet chirurgica sanandi ratio, in hunc modum. Principiò quicquid apertum est, Alcali munda, deinde Gummi inũge indies bis, idq; tantisper, dum singula solidæ cuti restituantur. Porrò si nihil absit, quod palam videas, illic vbi dolor delitescit Gummi inunge. In hanc sententiam medetur Podagræ, Paralysi, deniq; Gallico morbo. Vbicunq; autem aliter atq; à nobis præscriptum est egeris, cum Empiricis oleum ac operam perdes.

Xyloh. Alcali vsus in quibus morbis.

VIVENDI RATIO.

Nolim hoc loco viuendi rationem præscribas (cibo benè salito) sed optimo vino apprimè condito ægrotum foueas. Nam prædictorum morborum diathesis non in viuendi ratione, sed in Remediorum energia

energiâ sita est. Quare nihil est quod hîc decumbentem cœna præparca emaceres: nam hæc omnia superat non vulgaris huius medicaminis vis.

DE RVPTVRA COMPENDIVM THEOPHRASTI PARACELSI.

NOn ineptè puto hoc posse referri, quod prouerbio dici cœptum, currus bouem trahit, vbi scil. quid absurdè fit, ac ordine præpostero. Quid quæso magis absurdum, ne dicam ab omni natura alienum, quàm id quod Physices est, ad Chirurgiam ablegare, vt rupturam à facillima medendi ratione ac natiua, ad horrenda arma atque adeò ad difficillimum sanandi modum, scissuram videlicet, tanquam immedicabile vulnus. Scil. sic est in rerum natura comparatum, vt certa cum incertis commutemus, ac tandem cùm à natura tum à Deo deficiamus. Sed missa facio illa, ac ad veram medendæ Rupturæ, quæ citra manum fit, & eam cùm facillimam, tum præsentissimam, redeo, in hanc sententiam. ℞. Liquoris de Xylohebeno vnc. ij. Liquoris de Vsifur vnc. j. misce simul ac imponantur. ℞. Thuris, Macis ana ʒ. ß. Terpentinæ ʒ. ij. Axungiæ de ceruis quæ scilicet in modum vnguenti, & terantur. Proinde locum rupturæ vnguento inunge indies bis. idque ad 3. aut 4. Hebdomadas, ita tamen vt ægrotus supinus decumbat. Sanatur quicquid est rupturæ cum (nisi) didymi locus putrescat.

Rupturæ remedia.

DE MVMIA LIBELLVS.

Processus ad Mumiam, oppositus erroribus eorum qui ipsam venenis adhibent.

IN experimentis, compositis præterea Receptis, multi anhelârunt, quibus videlicet aut qua ratione venenum in vniuersum euellerent, neque quidpiam tamen promouerunt. Nam inter omnia, cum experimenta, tum recepta, vel sola Mumia est, quæ præsentissimum remedium affert aduersus omnia venenorum genera. Ratio autem Mumiæ tractandæ fit ad hunc modum. Principiò cura, vt interquiescat mumia oleo oliuæ admixto in putrefactione, idque ad 4. Hebdomadas: deinde Retorto separa, insuper ad j. ℔. quæ ex separatione manauit, drach. j. musci Alexandrini recipe, Theriacæ Alexandrinæ vnc. vj. Postremò in Balneo Mariæ digere mixtum, perpetuum mensem, videbis illicò Theriacam de mumia.

Mumiæ preparat. quæ.

VSVS.

In hanc sententiam administra, principiò vnc. j. præbe egro in oleo amygdalarum idque potionis vice. Proinde vt non sine calore in lectum se recipiat infectus, & interim medicinam operari sinat. Nam hac ratione pellitur quicquid est bestialium siue mineralium venenorum. Præterea tanta vis est mumiæ, vt si ante infectionem fuerit administrata, nihil prorsus incommodaturum sit venenum. Et si horis matutinis vel ʒ j. administraueris, fieri non potest, vt eodem die inficiatur. In Apostematib. autem infectis, peste, Carbunculo, Anthrace, deniq; in Pleuresi ʒ. j. administrato, proinde exactis horis 6. alteram ʒ. Porro quicunque 6. horam attingit, ad recipiendam secundam potiunculam, de salute certus est. Postremò sunt alij innumeri morbi, qui hac Theriaca de Mumia interueniente, plenè ac perfectè sanantur.

Mumiæ ad ministratio & vsus, in quibus morbis.

THEOPHRASTI PARACELSI LIBER PRINCIPIORVM

CAPVT I.

Principium artis (al. de Serpentibus) de Simplicioribus.



QVANDOQVIDEM omnipotens Deus non cibum saltem & potum ad sustentationem hominis creauit, verùm etiam omnia cætera, quæ ad commodum, sanitatem & longæuitatem nostram faciunt, per omnipotens verbum *Fiat* coaggessit, sicut in libro de creatione docetur. Placuit eidem non visibilia tantùm & palpabilia illa creare, sed insuper ingentib. naturalibus virtutib. eadem dotare, suaque omnipotenti manu vsque adeò confirmare, vt certi simus ac firmiter credamus, ista omnia eodem ordine vsque ad finem mundi firma & immota statura esse.

Quòd verò parum ista expendamus & curemus, culpa in nobis est, qui torpori, ignauiæ, & tædio nimis mancipati, illis discendis operam minimè damus, quæ tamen facienda omnino sunt, modò naturæ in suis virtutibus excellentium Magnalium & Mysteriorum ignari & contemptores esse nolimus.

Creauit enim Deus illa, tantasque illis vires & facultates indidit, non vt abscondita manerent, sed vt in vsum & emolumentum non omnium saltem hominum, sed omnium etiam creaturarum, quæ vbiuis viuunt cederent.

Porrò cum primus Homo Adam isthæc vniuersa, adeoque ipsam Naturam totam cum omnibus in suis viribus imò etiam ea, quæ supra Naturam erant, perfectè nouerit: quinam istuc factum sit, & qua ratione illa ipsi in Lumine naturali reuelata fuerint, iure nos admirari licet. De hoc ergo hanc cognitionem inbibimus. Adamus post creationem sui, ante lapsum & mandati diuini violationem in Lumine Naturæ imperitus & ignarus fuit, nec creatorum diuinorum cognitionem habuit, sed in simplicitate simpliciter cum Eua sua coniuge in Paradyso ambulauit. Postquam autem tentationem Deus ipsis immisit, serpentique permisit, vt Euæ appetitum incuteret, eam veluti vi ad esum pomi coëgit Satanas, quæ ipsi quoque Adamo, vt ederet, porrexit, cùm tam amplam promissionem à Diabolo factam audiuissent. De hoc legimus lib. 1. Moysis, vbi serpens dicit: *Quocunque die comederitis de fructu, aperientur oculi vestri: & eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* Quod etiam è vestigio factum fuit: licet ipsos violati mandati diuini seriò pœniteret illicò. Hinc illi ex paradyso extrusi sunt: serpens autem comminationem seriam, de semine mulieris, Christo, caput illius contrituro cum horrore audiuit. Hociam modo Adam ac Eua docti, & in

& in Lumine naturæ insigniter periti euaserunt, quorum omnium permissione diuinâ serpens causa, adeóque illorum quasi Magister, & Pædagogus fuerat, vnde non immeritò serpens & præcipuè (al. albi.) Germani Serpentes tam magnas (imperitis certè incredibiles) potentias & inuictas propemodum virtutes etiam hodierno adhuc die habent.

Scitote ergo, non primum solum serpentem in Paradyso ex singulari promissione & Arcano Dei, vim ac potestatem habuisse: Adamum & Euam tam altè in lumen naturæ collocandi & euehendi, ac omnium naturalium, bonorum & malorum cognitionem ipsis dandi seu impertiendi: Sed & post primum, cæteri similiter omnes serpentes vsque ad mundi finem tam magna & sublimia Mysteria à Natura & singulari voluntate Dei habent & retinent. Vnde colligi potest, quòd non citra causam serpentes vel dum hodie adeò ardua & stupenda Mysteria naturaliter in se contineant: quod itidem non citra causam primum peccatum, lapsus & transgressio primi mandati per serpentem commissa sit.

Serpētis mysteria [illegible]

Quoniam ergo omnipotens Deus serpēti plura, maiora & excelleriora Mysteria in sua creatione, quàm vlli alii animali aut viuenti creaturæ impertiuit & attribuit: nō immeritò lapsus per ipsum serpentem factus est. Præsciebat enim Deus, serpentem apud ipsam hanc arborem habitare, quàm tam seriò vetuerat. Largior equidem, Diabolum in serpentem ingressum, perque ipsum locutum esse. Sed nec hoc citra causam factum est. Sciebat enim, ipsum se non minùs in lumine naturæ præcellentem esse. Ibi ergo vetus dicterium, similis simili gaudet rectà completum est. Propter hanc similitudinem in consortium vnum illecti sunt etiam serpens & Diabolus.

Diabolus cur per serpentem locutus.

CAPVT II.

QVæ verò genuina huius processus ratio sit, quòd naturaliter serpens homini tam excellentia Arcana in Lumine Naturæ teuelet, omnia bona, maláque, & omnium simplicium creatorúmque proprietates, potētiásque cognoscendi, quod certè imperitis incredibile & supra naturā esse videri possit: breui similitudine de primo serpente dictā expediam. Non quidem per blandorum verborū illecebras, nō per suauitatem vocis, non per constellationes, non per modos magicos alios serpens hominem labefacit: sed per pomi admotionem. Si de fructu non edissent: in peccatum præcipites illi minimè ruissent. Hinc elici potest, serpentem pomo suum effectum & essētiam veluti modo spirituali implantasse, nō secus ac si corporali modo cum totâ naturâ ac substātia præsto esset. Quòd si rudiores & simpliciores his non acquiescent: non equidem consultum puto, margaritas porcis obiici. Sapiens me haud dubiò capit & intelligit. In postremo tamen meo libello Mysteriorum non hunc saltem processum pleniùs, sed & arcana alia plura euidentiùs explicaturus sum. Tu ergo his contentus esto.

CAPVT III.

ET si mihi nunquam fuerit de hisce scribendi animus, nec eorum quicquam in meis aliis libellis attigerim: summè tamen necessarium & vtile arbitror, non ipsam saltem medicinam, sed vnà cæteras quoque scientias & Arcana Naturæ de nouo quasi plantari: quandoquidem sensim obliuione obliterentur, & ab imperitis contemnantur & criminentur. Quam equidem pœnam nobis singulariter immitti à Deo persuasum habeo, ideò nimirum, quia insignia Mysteria & dona Dei pro diuinis non agnoscuntur. Deus itaque offenditur, & incitatur, vt semel data ex cordibus nostris iterum euellat, ac eadem aliis impertiat, qui maiore cum gratitudine, quæ dona nos oscitanter transilimus & negligimus, accipiant.

Quoniam de serpentibus tractationem institui: fas est, me etiam describere, quidnam vtilitatis per partes serpentis præstari possit. Primò ergo Lingua eius mirificam semper potentiam exeruit. Et eo peruentum est, vt multi, ceu rem sacram, eandem secum gestârint aduersus arma, aduersus hostes præsentes & absentes. Eadem permultis fortunam & victoriam attulit, non in pugnis saltem & prœliis, sed & in actionibus aliis.

Serpentis Linguæ quis vsus.

Per eandem amatores sibi etiam amicas conciliârunt, etsi id dictu mirum sit. Nec hoc recenseo, vt similia exempla imitemur: sed intelligatur, quàm mira Naturæ vis & operatio sit. Interim & Fides his aliquid addit demítque, prout vsurpantur. Nonnullis, qui interno aliquo circa cor Apostemate laborârunt, regioni cordis hæc pars applicata fuit: quibus citra cutis apertionem venenum adeò potenter extractum fuit, vt guttatim pectori adhærescere videretur. Guttæ subindè abstergebantur, & remedium iterum imponebatur, donec nulla amplius gutta appareret. Ita æger conualuerat. Idem vsus etiam bufonum est, sicut alio loco de illis diximus. Bufonis viui caput ligno transfigendum est, isque in aëre siccandus. Siccatus, & linteo exceptus superligatur, dum venenum omne ex ægro attrahatur. Sed paucis bufone solo applicato auxilium præstitum est. Habenda est enim ratio ægroti & ipsius morbi, applicatióque iteranda, donec bufo non amplius intumescat. Id enim signum est, venenum omne extractum esse, & patientem sanescere. Etsi verò hoc animal vel solo aspectu horrorem omnibus incutiat ipsum in propinquo spectantibus: repudiandum tamen ob id minimè est, sed pro magno Naturæ Mysterio habendum & vsurpandum. Vtinam hoc remedium omnibus attractiuis, maturatiuis & corrosiuis præferretur, secus quam hactenus factum est.

Bufo siccus impositus venenū ex corpore potenter extrahit.

CAPVT IV.

SEd præter hactenus commemorata, multo adhuc plura per linguam serpentis effecta sunt, quæ recenseri omnia cum tædio lectoris esset. Vbi autem de curationibus Magicis traditurus sum: non de his saltem, sed & de aliis, præsignibus rebus virtutibúsque natu-

ralibus copiosior mentio fiet. Sacramenta enim veteres multa secum gestârunt, quæ prodigiosas vires & virtutes præstiterunt, in illis etiam morbis curandis: vbi nullum ex terra promptum remedium profuit. Et vires eos experti sunt solo gestatu, sic vt etiam ab armis & hostibus tuti essent, & fortunâ ac victoriis insignibus vterentur: de quibus narratio prolixior tædiosa futura sit. Inuenta fuerunt verba, characteres & sigilla, signáue, & miræ imagines, in chartam virginis descriptæ & depictæ, aut metallis ac Gamaheis, velut & carniolis ac Sapphyris mira facie, tam humana, quàm brutali sculptæ ac incisæ, quarum virtutes infandæ ipsius Naturæ limites omnes transgredi videri potuissent, veluti nonnihil de illis meminerunt *Ptolomeus*, *Hermogenes*, *Babenius*, *Virgilius*, *Albertus Magnus*, *&c.* Sed cum dictorum Auctorum libri à ceremonialibus fœdè corrupti sint: tutò illis omnibus credi non debet, nisi separatio quædam instituatur, qua nucleus retineatur, cortex verò ceu inutilis abiiciatur.

CAPVT. V.

QVare vt in illis omnibus audacter confidatis, ac vtamini, suasor vobis minimè sum: sed cuiuslibet arbitrio rem committo. Et licet Virgilius quidem ac Albertus scriptoribus cæteris plus fidei mereantur: quod tamen optimum sciuerunt, describere omiserunt ac id secum consepeliri maluerunt. Et de supernaturali illâ scientia nihil amplius restat, aut melius, quàm *Techellus* post se reliquit. Cuius scriptorum etsi pars non magna in hominum manibus versetur: tamen contemptui etiam ea sunt, quæ supersunt, ideò, quia Iudæus ille fuit. Insignis tamen in Israël Magister fuit, & Naturæ indagator exquisitissimus. Quę omnia cum ab imperitis negligerentur, excellentes Artes, Magica & Cabalia in contemptum abierunt. Sed non cogitârunt improbi Sophistæ, quòd Deus populo suo, nempe Israëlitis plus de Lumine naturæ reuelârit, quàm hactenus à tempore Christi factum est. In Theologia quidem naturales & supernaturales artes omnes comprehenduntur: sed ea simplicioribus abscondita est. Mihi autē impossibile est, bardo cuilibet asino, veluti infanti pultem in os intrudere. Quòd si in Lectione Salomonis, Prophetarum & noui Testamenti diligens ac frequens sis; haud dubiò fateberis, in illis thesaurum mundi omnium maximum & amplissimum conditum esse.

Techellus Iudęus &c.

Serpentis senectę vsus.

Sed vt ad institutum de Serpente sermonem reuertar, sciendum est, in senecta seu exuuiis eius non saltem ad sanationem vulnerum insignem facultatem consistere, si puluis illius vulneribus inspergatur: sed multi etiam brachiis suis, quibus gladium vel alia arma moderabantur, corium id circumuoluentes, feliciter pugnârunt, & victoriam deportârunt. Sed & hoc factum est, vt pregnantes, ac parientes iam fœminæ senectam illam collo aut corpori obuoluerent: quæ & ipsæ in ea naturæ pugna victrices validæ factæ fuerunt. Verum tamen non est, senectam quamlibet serpentis vim ac potentiam istam habere. Vis enim talis illis saltem inest, quas serpentes ipsimet distringūt, & velut cerui cornua abiiciunt. Idem etiam de Lingua iudicandum, non quamlibet scilicet efficacem esse, sed eam tantum, quæ viuo serpenti euellitur.

CAPVT. VI.

SEd vt ad huius materiæ finem properem: scire vos velim, serpentis adipi & carni insignem vim curatiuam inesse non saltem ad recentia vulnera, sed etiam ad omnes venenatos morsus, & praua vlcera. Similes virtutes etiam plures habet, vímque cumprimis maximam medicam & arcanum singulare habet caro, si viuo serpenti caput prius & cauda detruncetur & abiiciatur, cruórque, in quo venenum, est, effluat. Quæ omnia hoc loco breuiter saltem indico, quia de illis alio loco pleniùs tractaturus sum. Vos his paucis contenti este.

Sed vt nonnihil etiam de consecratoribus dicamus, sciendum est, illos rem malè intelligentes, serpentem consecrâsse, quod ordini Dei & naturæ aduersatur. Et licèt consecrationibus illis serpentes quidem domiti & obsequentes facti fuerint: mos tamen ille locum inuenire non debet, veluti nec consecrationes ac superstitiones aliæ homines sanandi aut infirmandi. Cum enim per fidem rectam ex ipsa Natura id præstare possimus: cætera omitti debent. Negari tamen minimè potest, verba quędam esse, quæ si aduersus serpentes pronuntientur, eosdem mites & obsequentes faciant. Sunt etiam quædam præseruatiua, quibus qui vtitur, à nullo venenoso animali læditur. Ab hoc quidem serpente, de quo hîc tractamus, metuere nobis admodum non debemus. Nam à Natura in suo genere placidissimus est. Magna tamen cautione opus est ad serpentes stellatos, sitenios, crocodilos, salamandras, & Basiliscos, qui omnes ad genus serpentis referuntur. Vehementis enim & eximij veneni sunt, ipsique homini oppidò infensi. Etsi verò illorum pauci in Germania reperiantur, hæc tamen eo fine percensere volui, vt vbiuis eò faciliùs caueri possint. Mihi quidem aduersus eos præseruatiuum melius & certius non est, quàm Camphora in oleo petroleo, vel oleo de S. Quirino soluta quo linimento manus pedésque ac cætera nuda cutis vngantur. Ita tutò securóque ipsos tractabis. Cùm verò medicina hæc præseruatiua contra omnium immanissimos & sæuissimos serpentes, qualis est ille, qui è longinquo in hominem insilit, velut & crocodilus, qui hominem integrum, etiam mortuum deuorat, ac Basilicus, qui solo visu hominem perimit, minimè prodesset: nonnulli, qui in regionibus illis habitant, secum gestârunt Gamaheos, in quibus sculptus erat homo serpentem pede sinistro premens, parte ea, quę capiti proxima est. Et hoc Experimentum seu Præseruatiuum apud ipsos magnum fuit. De hoc & aliis Techellus scribens, Auctores cæteros longo post se interuallo reliquit: cuius tamen opera impro-

Ad serpentes præseruatiui.

bi Sophistæ suppresserunt, & populo subtraxerunt, sibique illa reseruantes, nugas ac opiniones alias illorum loco suffecerunt: ideóque, quod dolendum, suo tantum honori velificati sunt. Sed quid faciendum. Re iam peracta, euentus iudicio Dei committendus est.

Sed vt ad instituti mei finem perueniam: plura de his tradi necessitas minimè requirit. Eo autem libello, quo de Magicis rebus seu sacramentis docebo, plura & mirabiliora tradituras sum. Tu his iam acquiesce. Et hic tractatus de serpente colophon sit.

CAPVT VII.

Bufonis vis ad pest.

PORRO autem non in serpente tantùm, sed in aliis abominalibus, & solo aspectu horrorem homini incutientibus animalibus seu bestiis, admiranda Arcana latent. Bufo enim, veluti capite tertio meminimus, auxilium persæpè maximum præstitit in peste, in morbibus venenatis, si siccus impositus est. Repentè enim & expeditè venenum ex corpore extrahit, & vitam conseruauit etiam in illis, vbi de cæteris remediis iam desperatum erat. Per eundem vidimus etiam Morpheam promptè, ac ex fundamento curari, si viuus in oleo coctus est, donec moriantur: quo oleo postea malum, inungebatur. Idem & de aliis malignis vlceribus credendum est. Quę tamen Arcana omnia pro nugis à Pseudomedicis habita sunt.

Aranea febrem fugat.

Idem similiter & de Aranea iudica. An ipsa non est abominabile animal: Et tamen ingens eius virtus est aduersus diuturnas febres, quotidie affligentes, si inscio homini in nucem inclusa appendatur, & ad diem quartum gestetur.

Salamādræ tinctura &c.

Nec aliud de stellione etiam seu salamandra iudicabis. Circa ipsam enim multa Alchimistæ tentârunt, donec ex ea discerent facere bonum Aurum, & Tincturam ad metalla. Et licet in medicina quidem nullius vsus sit: propter iam dictum tamen Alchimistarum commodum meritò magni fieri debet. Sed tamen non nisi cum certo periculo tractatur, cùm veneni sit pernicissimi. Cautum ergo esse oportet, ne male res cadat.

CAPVT VIII.

POST abominabiles & veneonosas iam commemoratas bestias, deinceps etiam de vulgaribus & contemptis animalculis sermonem instituemus. Spero autem hæc mihi vitio datum, aut pro nugamentis habitum non iri, sicut Pseudomedici faciunt, qui omnia vilia Simplicia, & facilè parabilia, repudiârunt, & ceu planè inutilia abiecerunt, non attendentes ad hoc quòd Deus frustra nihil creârit, sed quælibet etiam minutissima pro diuina sua voluntate peculiaribus suis virtutibus donârit.

Quòd autem ea ignoremus, culpa nostra est, qui somnolenti & increduli ac tędiosi Naturæ explorationem vilipendimus. Quod si alii donis his Dei & Naturę operationibus perquirendis operam dantes, in publicum sua experimenta proferunt: vsque adeo illi corrupti sunt, vt non saltem cum gratitudine eadem non accipiant, sed insuper rideant, contemnant & criminentur.

Ex Inuentoribus illis equidem me non postremum vobis profiteor. Nam quicquid mihi scientiæ & artis est, id lubens vobis quàm simplicissimè descripsissem, & veluti infanti pultem in os ingessissem. Sed ambitio vestra & insolentia me absterruit, quòd vobis ipsis hanc laudem assignetis, & ea defraudetis illum, à quo docti euasistis. Itaque arte mea digni minimè estis. Multum quidem illa vobis conferret, si modò veros Medicos, & proximi amantes vos præstare velletis. Sed cum crumenæ culinæque commodum potiùs, quàm ægrorum salutem quęratis: ad id quidem docti & instructi satis estis; méque longè peritiores, quod vltro vobis largior. Quòd me accusatis, & culpam impingitis, quasi nullâ vos laude exornem, id verum esse concedo. Sed me id monet, quòd crumenarum saltem medicos agitis. Crumenarum enim vestrarum morbos, longè expeditiùs, quàm corporum sanare potestis. Et hinc est, quòd splendida ædificia exstruere, annulos aureos gestare, ac holoserico indui vobis tam facile sit. Vos mihi vitio datis & exprobratis paupertatem, vilémque, quo vsus sum, habitum. Sed si eâdem vobiscum impudentiâ amplissimam vbiuis mercedem extorsissem. & plus crumenę quàm ęgrorum salutem curassem: vestrûm quouis longè opulentior euasissem. Quanquam vel sic vobis multo ditior sim. Bonum enim vestro constantius habeo. Ars quoque meum bonum est, & diuitiæ opulentissimæ, quas nullus mihi surripere fur, nullus ignis aut aqua perdere, nullus prædo expilare potest. Et licet corpus mihi quidem auferant, artem tamen minimè acquirent. In me namque abdita & & abscondita est: ac ob id mecum quoque interit. Videte, tam nobile mihi bonum est, quod longe præstantius est domo, areis vestibus, opibus, auro argentóue, denique omni vestra facultate. Hoc enim constans & firmum est. Quod si quidem cum suauibus coëpulonibus meis pecuniam prodigo: ipsi tamen summę (vt vocant) capitali nihil decedit, & scientia me, fauente diuina gratiâ, nunquam deseret. Et quid placeo vobis?

Theophrast. omnibus Medicis opulentior.

CAPVT IX.

STet ergo sententia de nonnullis simplicibus, & pręcipuè animalibus, illisque cognatis morbis, de quibus nemo Medicorum ante me quicquam disseruit, tradere. Credo enim istos eorum omnino ignaros fuisse. Quod si quidem nouerint: contempsêre tamen & vilipendere illa, ita, vt denique obliuione omnino obliterarentur. Omnium simplicissimi & vulgatissimi vermes, Lumbrici terræ vocantur, eò quia post imbres ex terra erumpunt. Et quis crederet, inesse illis tantam vim & Mysterium prę cæteris omnibus vermibus pro corpore humano? Contra illum cumprimis morbum & dolorem inanem, qui in digitis aut pedibus noctes atque dies interdum cruciatibus funestis sęuit, vt parum absit, quin à ratione sua homines

Lumbricorum Terrę vsus ad quos morbos.

homines deiiciantur? Hunc veteres vermem rodentem vocârunt, non citra causam quidem. Nec enim nescii erant, morbum hunc per vermem curandum & sanandum esse. Processus eius talis est. Accipe lumbricum terræ, vt dictum, maiorem vel minorem pro ratione personæ & doloris. Si enim homo adultus, dolor autem sæuus est, eo maiorem etiam sumi vermem oportet, vt morbo sufficiens sit. Ipsum linteo exceptum dolenti parti applica, & 24. horis ibi relinque, aut donec moriatur. Ipso mortuo, morbus curatus ac eodem quasi modo mortuus est. Videbuntur hæc quibusdam nugacia & superstitiosa. Sed vis ea ac operatio verè naturalis est. Vnde satis etiam patet, Deum nihil adeo vile, contemptum, obiectum aut turpe in mundo creâsse, quod ad sanitatem & vsum hominis non faciat.

Medic. reprehēs.

Sed cum huiusmodi remedia parum ad lucrum & penus vestrum faciant: tollere ea non potestis, sed ad contemptum, risum, & calumniam declinatis, quod iustâ sanè exaggerandum querelâ foret. Quot quæso mortales talibus remediis iuui equidem, cùm vestra omnis medicina irrita esset: pro qua tamen cura ne quidem teruncium accepi? Taceo iam reliquos meos labores & sudores, quos gratis pauperibus impendi, cùm vos interim tamen Doctores ne lotium quidem gratis inspiciatis, aut ægrum vel semel tantum visiteris. Ordini à vobis profixo nemo aduersari audet. Pro qualibet inspectione dandus est bazio: pro schedula Grossus: pro visitatione quindecim cruciferi: pro equitatione super asino, dimidius florenus, &c. An hoc non est crumenę prouentum augere potius, quàm ægrum curare? Et hæc medicinæ vestræ omnis summa est. Quâ si non iuuatur æger, attamen vestra crumena.

CAPVT X.

Vermis vermes pellit.

SEd vt de vermibus pergam, sciendum est, eos non saltem aduersus dictum morbum & vermem, sed etiam contra cæteros omnes vermes corporis humani, quomodocunque appellatos facere, si resiccetur, & puluis eorum sumatur in quocunque liquore. Optimum tamen foret, si daretur in sero lactis caprini. Ita enim vermes omnes per sedes deiicit, in ventre & intestinis hærentes. Per hos vermes curati sunt etiam Syrones, velut & Febris hectica, & ingentes dolores in membris.

Cancer cancrum curat.

Eodem modo & mus syluestris præsigne contra Phthisin Mysterium est. Sic cancer cancrum seu carcinoma sepiûs sanauit, hoc modo. Brachia seu forcipes cancri linteo obuoluerunt, & loco illi, vbi cancer erat, superligauerunt, donec moreretur. Eo mortuo, mortuum etiam malum seu morbus erat. Si verò exulceratus erat, quolibet Emplastro postea, ad persossiones composito, curari potuit.

Cancer quomodo febres & hydropem pellat.

Similiter & febres ac hydropes curârunt, vbi ægroto vngues vniuersi proscindebantur, & dorso eius cancer primo superligatus, postea in flumen, iterum exportatus est, nulla alia ad morbum cura impensa. Et hoc modo æger sanabatur. Sed nec hæc pro nugis aut superstitionibus à Pseudomedicis habenda sunt, sed pro veris ipsius Naturæ operationibus, imo pro effectibus Dei, qui tantas creatis vires ab initio indidit. Sed cur non omnibus ex æquo remedium hoc succurrat: causa hæc est notanda. Hos præcipuè non iuuat, qui Terminum suæ ætatis attigerunt, quibus iste morbus introitus ad mortem est. Hoc Pseudomedici, remedium id tentantes, parum attenderunt. Cúmque viderent non promiscuè vniuersis prodesse: falsò id ex superstitione fieri concluserunt, quasi sola & nuda fides hîc operaretur: quæ si absit, efficaciam quoque abesse contendendo. Quamuis equidem non inficier, imaginationem & fidem adeò efficacem esse, vt nos vel sanos vel ægros facere possit. Imò quod maius est, per eam vel salui vel damnari fieri possumus, prout eâ vtimur. De fide ergo Christus haud frustra tanta nobis inculcat. Legimus etenim, ipsum sanatis omnibus dixisse: Crede, & sanus eris: aut Fiat tibi vt credis. Quibus innuit, nos medicinæ & medico credere debere, quod iuuare nos possint. Sed hæc non ad Pseudomedicos spectant, sed ad eos, qui seriò, & ad exemplum Christi, ægrorum curam gerunt. Sed nec leuia & vilia remedia contemni debent, qualia sunt, quæ priùs recensuimus. Si enim sacrarum literarum exempla inspiciamus, videbimus vtique, tam Christum quàm Prophetas vehementes etiam morbos remediis perquam vilibus & simplicibus curasse. Sic Christus cœci oculos aperit admotâ saliua & luto. Sic Propheta pestem Emplastro de ficubus curauit. Sed exempla ista omnia huc congerere longius, nostri instituti non est. Pergemus iam ad harum rerum virtutes.

Fi... imag... tion... ...

CAPVT XI.

Can... ... Igne Persico & a... ...

SEd & virtutes aliæ in cancro deprehensæ sunt, insignis nimirum refrigeratio in Igne Persico, si ex illis contusis succus exprimatur & vsurpetur. Ex illis quidam etiam vnguentum composuerunt ad omnes adustiones ab Aqua, Igne, pice aut adipe. Similem huic medicinam aliam non inuenerunt. Prodest etiam vlceribus inflammatis & erodentibus, dolorique capitis intenso, quo homo ferè delirat, si tempora inungantur. Confert Erysipelati, calori & exulcerationi mammarum in fœminis: quibus in casibus multum sæpè profuit. Cancri etiam facultatem habent pellendi vrinam, arenulas, & calculum, quem quidem valenter exigunt per lotium. Nullum in homine Tartarum sinunt adhærescere, sed illum potenter exturbant. Qui ergo illis frequenter vescitur, is à prædictis morbis tutus est. Nam præseruatiuum insigne sunt.

Med. ...

Hic mentio etiam facienda est immisericordium, & carnificum Medicorum, qui curam cancri & vermis aggressi sunt secando, vrendo & corrodendo, nulla alia ratione ducti, quàm quòd putarent, per corrosiua istos affectus omnino coërcendos esse. Dolorem ergo addito dolore exasperantes, non atten-

de-

derunt, affectum ipsum iam antè corrosiuum esse, cui ob id sedatiua conueniant, quæ dolorem mulceant, sedéntque, & blandè sanent. Hoc vnum crepare didicerunt; mala malis pellenda esse. Ego contra testor, ac dico, dolores in vulnerum omnes membrorum omnium primò sedatiuis pacandos esse, & ex his curationem postea procedere. Exemplo sit homo excandescens, & ira biléque percitus. Vt hunc nullis verberibus aut vulneribus compesces: ita nec morbum remediis exasperantibus. Idem notum est etiam de mœstis ac tristibus. An non hi rebus lætis animandi sunt? An non peccatori Absolutio & Euangelium agnitorum malorum & contritæ conscientiæ remedium sunt? Itaque & hîc malum bono, non malum malo curandum est. Hactenus enim in hoc turpiter erratum à vobis est: adeóque multoties euenit, vt falsis vestris remediis cancrum aut vermem sublaturi, voti vestri quidem compotes facti sitis: sed ægro ante cancrum aut vermem moriendum fuerit. Hoc modo cancrum & vermes multi conati sunt curare secando, vrendo, corrodendo, & torturis sæuis aliis, cumprimis autē fiduciâ Arsenici, Auripigmenti & Mercurii sublemati. Non equidem inficior, in calcinato magno, Mercurio sublimato dulci, Mercurii dulcis oleo, ac maxime in Quinta Essentia Mercurij sanationes incredibiles consistere, non in his saltem, sed multo etiam grauioribus morbis, velut in Syronibus, Fistulis, Lupis & similibus. Sed cruda illa, vt ex montibus eruuntur, nullius in medicina vsus sunt. Cúmque præparationem illorum ignoretis, abstinere ab illis debebatis, & ab Alchimistis discere, qua arte præparanda & ad verum gradum deducenda sint. Tum demum, non citiùs, illis vti vobis licitum est. Nec enim euentus conatui vestro respondebit, sicut de mortificatione cancri & vermis antea diximus. Quòd si enim Mammæ, pedes manúsque, digiti, nasus & aures, ac membra cætera priùs tollantur, necessariò ipse quoque cancer, &c. tolletur. Et hi errores à magistratu singulari pœna coërcendi & vindicandi erant. Sed ne quid prætereamus, porrò notate de Lupo, ipsum similiter quoque curatum fuisse vnguentis & cataplasmatis, ex carne & adipe Lupi paratis, quorum remediorum aliquot hîc percenseri possent. Sed cùm de primariis iam dictum sit: cætera inferiora omitto, tuæque experientiæ illa commendo inquirenda.

CAPVT XII.

Sed vt finem huic libro imponam, & nouissimum hoc caput summa & secretissima curatione, quæ cęteras predictas longè superat, claudam: notate primum, quod non solum dolorifici affectus & vlcera, veluti vermis, Syrones, cancer, Fistula, Lupus, &c. per animalia illa curata sint, sed etiam alia, quæ homo citra omnem sensum cum spectabili sua forma & colore in corpore fert, & in vtero matris per Imaginationem eius, quę vel à pica vel terrore incutitur, adeptus est. Quî verò fiat, vt Imaginatione mater non sibi ipsi, sed soboli suæ signum imprimat: id alibi explicatur, nempe in Libro de Imaginatione. Quo verò modo istiusmodi maculæ, &c. pellantur & curentur iterum, traditum nondum est, sed hîc demum expedietur. Pro cuius rei explicatione hanc similitudinem notate.

Pone vermem aliquem, & formâ & colore suo spectabilem in quacunque corporis tui parte instar maculæ hereditariæ apparere. Hîc à matre primum expiscandum est, cuius ille visus vermis generis aut magnitudinis aut coloris, &c. fuerit. Et hoc verè scire debes. Postea ex matre etiam cognosces tempus, diem & horam, adeóque momentum, quo eiusmodi Imaginatio facta sit. Tertiò scies etiam, quâ de causa ea Imaginatio & contactus factus sit. Quæ si non omnia plenè perfectéque ex matre cognoscere potes, prout rarò matres de his perfectè instituere interrogantes possunt: consules & interrogabis Astronomiam ac Magiam, quæ tibi plenam instructionem dabunt. Præcognitis omnibus, illius generis vermem cum eadem proportione sumes. Quòd si vermis à matre visus, viuus fuit, oportet & illum alterum viuum esse: si mortuus fuit, talem & alterum sumes. Eo ipso autem tempore, quo Imaginatio facta est, vermem sumptum superligabis, seruatâ vndiquaque concordantia: Et viuum relinques ibi dum moriatur: mortuum autem dum putrescat. Quòd si mater ex appetitu imaginata sit; re appetita & infans satiandus est. Si Imaginatio ex terrore aut timore nata sit, debet idem similiter in infante quoque fieri in apponendo & superligando. Ita vermis in sede sua ac radice inuaditur & exstirpatur: Sed extra cutem nondum prodit. Ad hoc vsurpabis Aquam aliquam fortem, aut Regis, ita, vt cutis prius mundè lauetur. Ita fiet, vt dierum octo vel quatuordecim spacio cutis tota decedat, & noua subnascatur pulchrior. Hoc modo non animalium saltem, sed & fructuum, omniúmque creatorum ac materiarum vestigia, per similia curari possunt. Et hæc istorum omnium secretissima cura est, quam ante me nemo prodidit. Cuius reuelatio pudori mihi non est, quia primus huius rei periculum feci. His dictis, libro huic finem imponamus.

Macularum in infantibus cura quæ sit.

DE THERMIS SEV *Balneis Naturalibus Liber primus Theophrasti Hohenhemii Doctoris.*

CAPVT I.



IN Thermarum causis explicandis, prima est Separatio, de qua ita disquiremus. Primò opus est scire, quid separatio sit. Est autem separatio id, quod duas vnitas essētias seiungit à se inuicē, & quālibet ad potētiā suā deducit, secus ac lignū, quod per medium finditur. Quanquam hæc de substantia dicantur, non de

Separatio qui.

Essentia seu naturâ. Quantum autem Lignum substantiâ suâ indicat: tantum de Essentiâ quoque similiter hîc iudicandum est. Quæ autem per Separationem seiuncta fuerunt, sunt calidum & frigidum; ex quibus calidum in suam Essentiā, velut in suā etiam frigidū deductū est. In principio enim harū rerū Tēperatura viguit. cur Temperatura qualibet ex duobus contrariis constat: ita hîc idem quoque sentiendum est. Quòd si feruida aqua gelidæ affunditur, id Temperatum dicitur. Iam separatio hoc agit, vt calidum à frigido iterum separetur, & frigidum à calido secernatur. Etsi verò factæ cùm frigiditates, tum caliditates inueniantur, vt vtræque ex Transmutatione in antiquam naturam recidant: tamen instantia ea huc non quadrat. De eâ enim separatione loquor, quæ est rei seu Essentiæ constantis, ex generatione pronenientis.

Temperaturum quid Separationis vis quanta.

CAPVT. II.

IAm vt hinc & rationes exstruamus, ita statuimus, non eandem omnino ac similem libram pondúsue in Thermis vsurpati, sicut exemplum superius docuit: Verum vnum altero in gradu caloris aut frigoris altius est: similiter & in Quantitate & separatione, si segregantur, non vsque adeò æqualiter & exquisitè calidum à frigido & frigidum à calido extrahitur, sed vtrinque aliquid remanet seu adhæret, quod non planè calidum aut frigidum est, prout natura caloris & frigoris requirit. Et huiusmodi quidem permixtio in rerum principio facta negari minimè potest, multóque minùs istorum duorum separatio, ex iam dictis causis. Tum & sequentia exempla docent, in principio ante separationem, rem vnam fuisse diem & noctem, Solem & Lunam, Æstatem & Hyemem, &c. Sic & metalla omnia in vno corpore, omnes fructus in vno semine, similiter & generationes constiterunt. Sicut ergo nec dies nec nox in suâ potentiâ stetit ante separationē, æstas verò ac hyems similiter in vnâ temperaturâ vsque ad caloris & frigoris separationem perstiterunt, velut & Sol & Luna lumen vnum fuerunt vsque ad separationem candidi à rubeo: ita in simili quoque virtute & formâ Aquæ calidę & frigidę steterunt, donec vi prędictâ separarentur. Quid enim in Temperaturâ est, quod nec calidum sit? Quamobrem etiam à tempore primo istarum aquarum calidum & frigidum immutabiliter cum Sole & Lunâ manebunt, & durabunt ad tempus diei & noctis, Æstatis & Hyemis, &c. Et sicut necessaria fuit separatio Luminum, æstatis & hyemis, &c. ita & frigidæ aquæ à calida, & calidæ à frigidâ, vt suum locum quodlibet ad cæterarum rerum similitudinem occuparet.

CAPVT. III.

HInc colligi debet, rem quamlibet in Temperaturâ consistentem, hoc est, in vno corpore congestam, minimè in particulari potestatem suam habere posse, donec à coniunctione separetur. Ea iam causa est, cur Luna per se suam Essentiam habeat, suam etiam Sol, suam dies & nox, suam æstas & hyems. Huius ordinis causa est separatio, quæ facit, vt quodlibet ad suas vires & potentias deducatur. Ex hoc ordine nō hactenus saltem dicta, verùm res cæteræ omnes, vires suas sortiuntur. Ex hoc ipso ordine processit etiam ratio fructuum, qui omnes in vno inerant. Quorum qualis facta est separatio: talis etiam est thermarum & aquarum frigidarum. Sicut poma & fructus alii nascuntur, à temperatura secreti: ita æquè calida scaturire aqua potest, ac frigida. Si profluere potest, frigida, cur non & calida, Si frigidâ opus est non & calidâ? Vt hyems sine æstate esse non potest, nec nox sine die: ita nec frigida sine calida esse potest. Si res viliores, quæ nullum vsum habent, oriuntur: cur non oriatur etiam id, quò magis opus est. Non ergo minùs aquæ calidæ, quàm frigidæ cognoscendæ, ac cæterorum crescentium exemplo æstimandæ sunt.

CAPVT. IV.

SI cui hæc mea Philosophia minùs arrideat, qui putet, me pedem longius in Theologiam immisisse, & à Philosophiâ nimium digressum esse: is fundamentum videat aliud, quòd Philosophiæ fortassis conformius erit. Loquor de Separatione puri ab impuro, quasi dicam, de Separatione virtutis & vitij, ita, vt vtile ab inutili eximatur, nullúmque contrarium cum altero relinquatur, ac medicina ab eo, quod medicina non est, extrahatur. Talis est Separatio Ambræ ab Assa fœtida, & Separatio Zuccari à sale, & separatio Mellis, ab Amarissâ; quæ omnia in corpore vno coniuncta olim, per separationem eò deducta sunt. Concedenda mihi ergo hæc philosophia est, quòd calida & frigida aqua in vno corpore coëxstiterint. Quòd si autem separationem caloris & frigoris concedere nolueritis: concedere tamen cogemini separationem virtutis, facultatis, medicinæ, & contrarietatis mutuæ, & impedimentum noxámque, quam ratione sui veneni mutuò habent, &c. Vnde secuta est causa separationis harum aquarum non minus necessariæ, ac necessaria fuit separatio Solis & Lunæ. In Aquâ communi vim quidem seu potentiam nullam esse scitis: Sed tamen in thermis. Quod si virtus thermarum in aquâ frigidâ remansisset: Deus bone, quàm misera nobis bibēda aqua fuisset: Bibenda námque fuissent Alumina, Salia, Sulphura, &c. Itaque separatio hæc eo facta est, vt, quod bibimus, sine tali veneno scaturiret; alterum autem sanum, in peculiarem suum locum directum est, gratia vsus. Sic ergo frigida sine virtutibus mansit, nisi quòd brutis & hominibus, herbis & arboribus suo quodam modo vtilis sit. Sic ergo calidæ & frigidæ aquæ natura vtrinque firmata manet.

Frigida cur viribus careat.

CAPVT V.

QVòd si Sophistis vobis hæc mea Philosophia non sufficit, sed more vestro possitam iam causam nullius esse momenti contendatis: en aliud. Videtis scilicet, in quolibet Elemen-

Elemento, velut in Terra, in Aqua, in Aëre, in Igne, denique vbiuis frigidum & calidum separatum esse. Cernitis enim, quæ facta sit separatio Flammulæ à Solatro, & Mandragoræ à Mace, & Euphorbij à Camphora, quorum ingens numerus recenseri posset. Ita & Aquę crescentia separata sunt, *Aurum*, scilicet & *Plumbum*, *Coralli* & *Carabe*, *&c.* Similiter in Firmamento *Sol* & *Luna*, *Sol* & *Saturnus*, &c. Et quo quęso ista exundarent, si ad finem ordine omnia recensenda forent? Hoc attendite. Quantopere Sol calidus est: tantopere frigidus Saturnus est: & tamen vtrique ab vno sunt. Cognoscite etiam, quanta sit separatio siccitatis & humiditatis, quámque humida sit aqua, siccus autem lapis? Eadem separatio velut etiam in rebus cęteris omnibus inest: ita ex viribus eius aquę quoque calidę & frigidę suas rationes habent. Sic durum & molle, candidum & nigrum, & similia alia pro exemplis ad fundamentum thermarum cognoscendum adduci possent. Hæ ergo naturæ & Essentiæ separationi adscribantur, ex corpore temperato, sicut iam explicuimus.

TRACTATVS II.

CAPVT I.

PRæter superiùs adducta, rationibus etiam aliis sufficienter probari potest, quòd & modis aliis, præter iam dictum, aquæ calidæ oriri queant ex frigidâ ita transmutatâ, eo tamen discrimine, quòd præcedens explicatio de Fixis Thermis tractet: hæc autem iam sequens de illis præparatis cum suis virtutibus & potentiis, hoc modo. Notum est, calcem quamlibet aquam reddere calidam, si super infundatur. Hoc sicut per exusta mineralia præstare natura potest: ita aquæ etiam sunt, quæ ex calce Terræ, quam non videmus, similem concipere calorem possunt. Et de calce hâc Philosophorum nemo dubitet. Miracula námque in montibus æquè magna sunt & excellentia, ac ea, quæ supra terram fiunt. Vbi enim tam multa mineralia latent de *Cakimiis, Marcasitis, Talkis, Plumosis, &c.* impossibile est, vt per naturam propriam dissoluantur citra calcem. Cur ergo aquæ, per eam fluentes, calcis impressionem non conciperent? Vbi ergo huiusmodi calces & mineralia latent: si venæ, aquarum, in auram foras erupturę per regiones illas fluunt, necesse est, vt cum mineralibus illis vniantur, illorum naturam & calorem concipiant, quem interim conceptum secum etiam foras, proferant. Fit tamen etiam, vt calefacta huiusmodi cataracta interdum eòusque procurrat, vt aliquantum in viâ refrigeretur. Hęc causa est, cur aquę non ita calidę, erumpant, prout generatę fuerint. Interdum etiam calx minore copiâ aut efficaciâ adest. Vnde thermę alię aliis calidiores & fortiores effluunt. Hæ balneæ calcis naturam concipiunt interdum ex vi Magneticâ, interdum ab Asphalto, interdum ex carabe nigro, interdum ex naturâ Sulphureâ, in seipsâ exustâ. Cuiuscunque id generis sit, eius certè vim aqua illa resipit.

Thermę duplices sunt &c.

Thermæ transmutantur per calcem fiunt.

CAPVT II.

THermarum ortus sunt etiam alij, non ex prædictis causis, sed ex potentiâ aliâ, sicut videtis montes igniuomos, qui naturæ Ætneæ sunt, qui ardent, & tamen eorum corpus non nisi terra & lapides est, quia nullâ pluuiâ aut vndâ exstingui possunt. Quę miracula sicut extra terram fiunt: ita non minùs etiam intra terram huiusmodi ardentes fomites sunt. Externa enim non ex externis oriuntur, sed ex centro seu medio terrę, secundum ductum seu lineam in auram erumpendo (sicut mineralium ordo docet) & ab aëre per poros & meatus terrę ingresso, naturam suam flammiferam conseruando.

Si ergo ignem talem seu eius regionem aquea cataracta vna vel plures perfluunt: non minùs ac aqua in cacabo, efferuescunt, quoniam ignis ille ab aqua extingui non potest. Fit interdum etiam, vt in cataractas eiusmodi alię aquę frigidæ influant, eásque refrigerent prius, quàm in auram erumpant. Harum multę etiam in mare & alia flumina sese effundunt, minimè conspicuæ; sed interdum solo fumo quodam emisso coniiciendæ. Huiusmodi ergo extranearum aquarum influxus, non calorem solùm, sed & vires thermarum infringit. Ex eadem dicta causa interdum etiam fontes in summis montibus aut imis vallibus, vbi niui aut frigori nullus locus est, scaturiunt.

CAPVT III.

SImiliter & aliæ thermarum causę sunt, Resoluta scilicet Mineralia, ex quibus compositionibus calor exoritur. Experimur enim hoc in simili quodam. Operationes enim Aquatum Regum, quę frigidę sunt, quam primum confunduntur, vehementer efferuescunt. In causa sunt coniunctiones contrariæ, quia, sicut notũ vobis est, spiritus vitrioli, etsi per se frigid⁹ sit, si in frigidã aquã infũdatur, eã feruidã reddit. Hæc si in externis fit: multò potentiùs fiet in ipsis Elemẽtis. Ex illis enim egreditur prima Materia, cui talis vis & potẽtia inest, non solius vitrioli, sed & aliorum. Sicut ergo à spiritu vitrioli: ita à cæteris etiam salibus & mineralibus similis coniunctio fieri potest, quæ affluentes aquas tingat in calore & viribus, quotidiana ac perpetuâ suâ alluuione. Præter has omnes causas, alia quoque est, hæc nimirum, quòd multa sint mineralia, quæ ab aëre incendantur, adeóque aquas calefaciant in suis regionibus contẽtas. Et hoc Nitrosa præcipuè Salia causantur, & alia ex Liquoribus metallorum, quibus etiam tiam extra eiusmodi operationem frigida aqua citra lignum & ignem calefieri potest. Quam primùm enim contrarium sentiunt, inflammari incipiũt. Porrò sicut ex tribus iam dictis Elementis factæ thermæ oriri possunt: ita & per Elementum Ignis Influentia fieri potest. Horum geminorũ ea natura est, vt partim in anno fluãt, partim

Spiritus vitrioli aquam gelidam feruidã facit.

non Istiusmodi enim tincturarum operationes secundum tempus digeruntur, secundum quod etiã durãt. Hinc si tempus illud effluxit, effluxit etiã Balneum: & si tempus redit, redit etiã balneum. Fit etiam frequenter, vt thermæ refrigerentur. Id facit tinctura, quæ frigidis cataractis defluxit. Deinceps ergo fridæ fluunt, donec prædicta digestio recurrat.

CAPVT IV.

Regula communis tenenda hæc est, quę thermarum plures sint, quàm experiri nobis liceat. Hæc enim causa est, cur aquæ marinæ congelari nequeant, aut congelatæ manere. Nisi enim aquarum illarum feruor obstaret: Saturnus vtique & Boreas congelarent ea vniuersa, quę aquæ specie globus terræ complectitur. Et nec Sol, nec æstas congelatis illis resoluendis sufficeret, nisi aquarum feruor auxilio esset. Hæc causa est, cur montibus niuosis nix nunquam decedat. Calidæ namque hæ aquæ in subtilitatem illam ascendere non possunt: aut si ascendunt, priusquam in planitiem terræ erumpant, refrigerantur. Adde, quòd cataractis per saxa & scopulos transeundum sit. Quibus cum refrigerentur: æstas ac Solis splendor per se non sufficiunt niuibus his liquefaciendis, nisi subditæ calidarum aquarum cataractæ opem suam conferant. Necesse n. est, inferius ex terrâ calorem sursum efferri, qui soli opem præstet in abigendo frigore. Hinc colligite, thermas in terræ globo se habere, vt se habent arbores super terrâ. Et sicut arbor ex suo semine sursum in aëre excrescit sic etiam ex centro terræ exit semen, ex quo cataractæ seu aquarum venæ gignuntur, & diuiduntur in ramos suos, qua quidem globus in aërem effunditur. Quicquid n. in vel super terrâ est, ad cœlum omne tendit. Sic & arbor cum suis ramis ex terrâ erumpit; vnde globus calorem per omnes regiones sentit. Quò autem calor ille penetrare non potest, ob cataractarum defectum: in illis regionibus æstates nullæ sunt. Huiusmodi cataractæ interdum etiam præciduntur, velut ramus ab arbore detruncatur. Id fit per Terræ motus, aut cataractarum ruinas.

Mare cur non congeletur.

Nix in mõtanis cur æstate non liquetur.

TRACTATVS III.

De Thermis.

CAPVT I.

Sed vt de Thermis disserere pergamus, proximum iam est, vt, quænam Thermarum materia sit, propiùs inquiramus. De Thermis ergo ex separatione productis sciendum est, quod sint resoluta minera ex corpore eo, quod simile est Alumini, vitriolo, & sali, & tamen id non est. Ita mergunt ipsarum virtutes, secundum horum trium simplicium potentias. Hinc sciendum est, thermas has non discrepare suis viribus, nec etiam vllius alterius simplex superare. Nec etiam accidentariam quandam naturam habent, sicut balnearum cæterarum processus habet: sed liberæ & nudę in suis generationibus consistunt. Et sicut Marmor ab Alabastro vel Cotoneus à moro maculari aut tamiņari non potest: ita multò minùs aliæ virtutes hanc naturam ingrediuntur. Et licèt mineralia quidem percurrant seu alluant, nullâ tamen parte mutantur.

Thermarum quę materia sit.

CAPVT II.

Porrò Balnearum genera longè alia quoque sunt, quarum natura ab his, quæ ex separatione gignuntur, diuersa est. Et licèt quidem mutuatitias vires habeant: virtus tamen ac potentia earum maior est, quàm prædictarum. Id fit hoc modo. Quando mineralia septem in primis tribus iacent, & in illis corrumpuntur, ita, vt ad suum peruenire effectum non possint: tũc, si extraneę cataractę siue per poros, siue per alios meatus alienę aquę perruptũ moliantur, virtus metallorũ pręnominatorum miscetur in vnionem, per quam foras extra globum in auram illa expellitur. Hinc sequitur vires, virtutésque & proprietates illarum trium primarum perfectè in vnâ aquâ existere, quapropter æquipollet etiam illi metallo, per quod fluit, & eius naturam concipit. Hinc multę balneę sunt, quę ad Lepram & Morpheam, & illius species efficaces sunt, ideò nimirum, quia in illis est prima materia trium, in quâ consistit etiam vis sanandi contracturam, magnam hyposarcam, morbos, matricis, & alios, ex infirmitate naturę prognatos. Sunt etiam thermę, quę argenti primam materiam continent, vtilem furiosis & maniacis, noxiam verò morbis ad articulos pertinẽtibus. Sic qui ex Mercurio nascũtur, modo prædicto, Alopeciam, Morpheam, pruritum, & vlcera communia sanant, prout in sale metallorum abundanter consistunt. Similiter & pro morbis febrium & putrefactionum thermæ ex ferro, miræ operationis & sanationis oriuntur. Præterea ex Venere cuprosa natura egreditur, quæ assimilatur Floribus æris in mundando & purgando vlcera praua corporis, & Longaone purgando. Sunt etiam thermæ, ex primâ materiâ Iouis scaturientes, quæ vim habent, Esthiomena & Cancrenosa vlcera sanandi. Ex Saturno oriuntur balneę, quæ ad vitæ longæuitatem faciunt.

Balnearum eiusmodi cognitio cumprimis Medico digna est. In his enim non medicina solùm, sed vniuersa quoque Philosophia, quâ imbutum esse decet Medicum, fundamentaliter continetur.

Præter iam commemoratas sunt etiam Balneę natę ex spiritibus illarum trium primarum, quæ singulares uirtutes habent, in iam specificatis morbis pellendis. Vulgarium tamen thermarum naturam non habent, sed sunt calidę & frigidæ, prout venæ & accidens sese inferunt. Nonnullę extrahunt Icteritiam, etiam profundam. Quędam extrahunt febres: Aliquę famem conciliant, quarum ortus est ex vitriolo & Sale viridi. Hæ multiplices existunt, & concurrentes etiam vires habent sanandi morbos chirurgicales, paralysin, & quamlibet putrefactionem vermium expellendi.

CAPVT III.

Prętet has sunt etiã aliæ, ex liquoribus gemmarũ prognatæ. Sic quę balneæ smaragdinum liquorem habent, nullam comissionem pudicitiæ ferũt sine insigni damno. Sicut enim Smaragdus per se nullam libidinem fert citra sui

sui iacturam: Sic econtra ipsius balneum eam non fert citra damnum eorum, qui eam exercent. Sunt etiam thermæ naturæ Sapphyricæ pestem & Anthracem soluentes, ob id, quod aliquid Liquoris Sapphyri participent: vnde etiam lepram, Tineam, Leoninam & Elephantiam, ac cognatas alias species curant. Sunt etiam balneæ aquæque, ex carniolo resoluto nascentes, sistentes & curantes profluuium, granem dysenteriam, hæmoptoisin, & quamlibet vulnerum aut venarum cruentationem. Sunt etiam aquæ, ex corallis & carabis natæ, corallorum & carabarum virtutes retinentes. Harum balnearum tot sunt, quot sunt Gemmæ, quæ recenseri omnes non possunt, sed ex virtutibus explorantur.

Therm. Sapphy. ... [illegible]

Therm. carniol. ... [illegible]

CAPVT IV.

SVnt etiam aquæ aliæ, ex quibus perlæ nascuntur, & conchę. Harum natura & proprietas est, Apostemata, Paneritium, & similia alia Esthiomena vlcera glutinandi, curandique Tineas, & Fellas, &c. quæ ex spermate oriuntur, mitigandi, augendique lac mamillarum, præseruandi à cancro, hęmorrhoidibus, Spasmo, Tetano, & Paralysi. Continent enim aquæ eæ naturam perlarum eò, quòd margaritę ex ipsis nascantur, non ipsæ ex margaritis. Hoc ergo respectu virtutes ipsi aquæ potiùs, quam margaritis ascribendæ sunt.

CAPVT V.

Fontes herbarũ & arborũ naturas habentes.

SVnt etiam multi passim fontes, qui in se naturam habent arborum, fungorum, boletorum, herbarum &c. eius regionis, montis aut agri, ex quo scaturiunt. Hoc fit propter coniunctionem, factam in resolutione illorum crescentium, ex parte vnâ in generata, ex altera in resolutionem: ex quo secreto resoluto humore fons generatur, eiusdem exortus, incrementi & decrementi cum illo concrescente, & non à cataractis, sicut priùs dictum est, sed hi fontes sunt crescens quoddam, simile crescenti suæ regionis, retinens illarum herbarum, arborum, &c. vires, potentias & proprietates. Et hinc prodit natura vngulæ caballinæ, vt balneæ nonnullæ similes illi efficacias exerant: quædam mandragorę & iusquiamo similiter operentur, ac præstent, vt impositis hominibus illicò somnum inducant.

Sunt quædam, quæ manifestò impinguãt, ex natura mucilaginis & visci bituminosi, quod ex crescente illo in eâ regione incidit. Idem iudicandum similiter de omnium herbarum naturis & proprietatibus. Sunt quæ vrticæ calorem, ac etiam frigus mandragoræ aut opii habent, qua vi paralysin, arthritidem & sciaticam sanant.

CAPVT VI.

POrrò verò aliæ etiam aquæ ac fontes, magnarum virtutum, oriuntur in illis locis, vbi homines habitant. Eæ oriuntur ex salibus, ab hominibus aut pecudibus emissis, ac à terra imbibitis. Si enim pecora vrinam in stabulo profundunt, terra autem aquosa attractiua est, tunc salsedo illa stercoris & vrinæ aquarum illarum congeriei permiscetur, & (sic loquor) salnitratur. Quòd si ergo aqua talis, quæ salinitro similis est, fonte parato excipitur, salnitrosam naturam asciscit ac retinet, & inducit exulcerationem seu scabiem, cutem erodendo & exedendo. Quam ergo sal vrinæ tam hominum quàm pecorum naturam habet: eadem quoque in illis fontibus seu aquis manifesto deprehenditur.

CAPVT VII.

Aquæ exulceratoriæ.

GEnerantur quoque variæ aquæ ab animalibus & piscibus, quales sunt paludes, in quibus tales pisces & vermes continenter degunt. Horum balneorum ad lauandum vsus naturæ contrarius est. Venenositate enim suam scabiem hereditariam inducunt, cumprimis illis, qui biberint de illis. Putridas tales aquas, piscibus aut vermibus repletas, ac in regione quâdam conceptaculo collectas, quisquis vsurpat, illum scabiei & prurituí subiectum esse oportet.

CAPVT VIII.

SVnt & alii fontes, qui vim contrahunt ex congesto fimo ex putrefacto stramine aut gramine in campis, ex foliis arborum & abietũ. Qualis enim cuiusque regionis effusio est: talis ea indicanda est à medico ex eiusdẽ materię conditione, cum accessione experientię. Natura autẽ ac qualitas istiusmodi aquarũ multiplex est. Medici ergo officiũ est, Philosophiã cũ xperientia quotidiana coniungere, nec erubescere ad institutionẽ eorũ, qui regiones tales incolunt & nouerũt. Et huius quidẽ farinæ Medicis ipsum quoque neruum calidarum & frigidarum balnearum iudicandum relinquo.

CAPVT IX.

PRæter hæc omnia fontibus etiam accedit vis alia, concernens gustum. Vndæ Thermæ nonnullæ sunt, quæ acetositatem & dulcedinem habent. Hæ si ex natiua constitutione tales sunt, ex vitriolo oriuntur. Id enim si ex prima sua materia resoluitur, acetosas aquas profert. Similiter etiam, cùm summa in ipso dulcedo sita sit, naturę suæ ratione dulces aquas profert. Possunt reperiri quidem etiam acidæ aquę, quæ tamen huius generis non sunt. Id probat finis ad fundamentum seu cognitionem thermarum faciens. Ita enim & salia oriuntur, de quibus (de fontibus salsis & montibus saliferis) tamen hîc iam sileo. Trado saltem de natura & proprietate aquarum acidarum, quales in Europa aut aliis regionibus occurrunt, ex Liquoribus vitrioli natæ. Vnde vitrioli virtutes etiam illis assignandæ sunt, in curando serpigines, cicatrices, Alopeciam, Noli me tangere, adde & quamlibet impetiginem vlcerosam, veluti de Ærugine docemus.

Acetositas a vitriolo est.

CAPVT X.

SImiliter aquæ etiam sunt, quæ assimilantur potentiæ metallorum, quales sunt, quæ ex vitriolo oriuntur, quodlibet ferrum in cuprum mutare idoneæ. Similiter & aliæ aquæ, ex sale gemmę procedentes, quodlibet coagulatum lignum in lapidem vertere valentes. Similiter aliæ eæque variæ etiam aquę sunt, indurantes ferrum. Alię emolliunt chalybem, quædam coagulant fructus. Hæ omnes multiplices sunt. Quæ tamen, quia ad me-

medicinam (quo fine hîc de Thermis scribo) non spectant, nec ad morbos curandos faciunt: ea hinc ad Philosophiam relegabimus.

TRACTATVS IV.

CAPVT I.

Thermarum naturæ vt cognoscẽda.

QVi virtutes & facultates thermarum, & ex quâ minerâ oriantur, explorare satagit: huic opus est, vt naturam eorum indicet ex probatis viribus, quas exerunt in morbis vel plurimis vel paucis, omnino vel ex parte sanandis. Thermarum alia nulla probatio inueniri potest. Quòd si quandoque fiat, vt sapor sit sulphureus, & sulphur rubrum vel etiam mineralia alia secum ferat, ex eo iudicium firmum fieri non potest. Quis enim sulphurum ortus sit, superiùs dictum est, nec ad thermarum cognitionem, seu virtutes earum æstimandas confert. Thermarum omnium natura, materia & proprietas cognoscitur, vt cognoscuntur arbores. Illas enim quis nôsset, si fructus non ferrent? Sed ex fructibus cognoscitur illarum natura & proprietas, item qualis ea arbor sit. Sic quicquid in naturâ aliàs etiam præstò est, ex fructibus cognosci debet.

CAPVT II.

Thermarum varia compositio & genera.

QVoniam ergo ex fructibus genus thermarum cognoscendum est: id fiet præcipuè per operationes, quas in morbis perficiunt. Thermæ enim nonnullæ paralysin & paralyticos sanant. Hæ ex Mercurio Solis genitę sunt. Nonnullæ tollunt Icteritiam. Eæ ex Mercurio Veneris ortę sunt. Quędam vlcera consolidant, & purulenta vulnera. Hę ex Mercurio Argenti viui nascuntur. Quædam Febres sanant, ortæ ex spiritibus salis. Aliæ contrario modo infirmant & corrumpunt, ideò, quia concordantia, & compositio vera & genuina non est. Et ex hâc operatione tot tâmque varię species mineralium constituuntur, quotuplices aquarum virtutes existunt. Hinc elicitur, Medico incumbere, vt omnium mineralium vires & proprietates percognitas, sciátque quodnam simplex in thermis prædominetur, vt duo ad se inuicem rectè comparentur.

CAPVT III.

VErum quidem est, multifariis hominibus multifarias proprietates cognosci. Dicemus saltem de vlceribus. Vbi accidit, vt centum sæpe viri vnâ vlceratione affligantur. Ex his 50. sanantur: cęteri minimè. In istius modi operationibus indicare & discernere debet Medicus, quęnam hominum natura ad sanationem idonea sit vel minùs, vel an tempus sanationis presenter instet. His enim neglectis, homines seducuntur, & operatio thermarum naturalium contemnitur. Sic constat, Mercurium corporis miro modo curare luem Veneream, sordida vlcera, serpigines &c. Quòd si tempus & conditio morbi non attenditur, tantum ille perdit, quantum sanat. Ita serpentina curat vulnera, non tamẽ omnia: Ita etiam materia Berlata phrenesin sedat, non tamen omnem. In talibus ergo obseruanda est theorica, ex quâ concordantia ipsa & compositum oritur, ne contraria coniungantur.

Tempus in morbis sanandis spectandum.

Vt finaliter dicam, ex fructibus, hoc est, ex sanantibus morbos arbores thermarum, hoc est earum naturas cognoscere debetis, adeóque in omnibus praxin & theoricam obseruare, quasi ea peculiaris professio & facultas sit, cæteris similis. Nam in aquis consistunt ex vires omnes, quas herbæ & lapides promunt.

CAPVT IV.

PRincipio signa thermarum hac via cognoscenda sunt. Primò, quòd ad eruptionem causam dent. Id verò virtuti nulli æquiparari debet, quia est sal illud, quod in plumoso & vrtica latet seu iacet. Ea eruptio erosio est, balnei bonis virtutibus non annumeranda, sed naturę corrosiuæ ascribenda. Ea sibi ipsi iterum medela est. Semel enim rodit, quamdiu cutis viridis & varia est. Vbi viriditas perit, sanescit illa iterum. Interim huiusmodi aqua potata, erosione simili intùs non caret. Quòd si non eadem sæuitia erodat: balsamũ corporis obstare sciendum est. Multi tamen inde in morbos coniiciuntur, qui ipsos ad mortem ducunt. Per eruptiones eiusmodi sæpiùs accidit, vt Apertiones fiant, nonnunquam oppilationes, & morbi alij plures. Hæc ergo Balnearum natura pro bona virtute habenda non est, sed pro corrosiua erosione. Cuiuslibet ergo balnei natura & proprietas singulariter cognoscenda est, quas vires & virtutes habeat præter superiùs dictas vulgares.

CAPVT V.

VT thermarum naturam adhuc rectiùs noscatis, sciendum est, tria esse, ex quibus medicinæ omnes procedant. Ex Mercurio, sulphure & sale. Tria hęc distribuũtur in suas species: Quare triplices etiam morbi sunt, & ipsi in suas species diuisi: sunt morbi Mercuriales, sulphurei, & salis. Morbis Mercurialibus debentur Baloeæ Mercuriales. Ita & de cæteris iudica. Itaque quod vlceratum est, per Mercurium sanandum est. Quod in visco consistit, per sal: Quod in igne, per sulphur. Iam vt species variæ sunt: ita variæ oriuntur thermæ. Mercurius vnus curat vlcera Apostematum, alius Esthiomena &c. Similiter & in salibus fit. Pars vna salis, tollit Alopeciam: alia pruritum: alia scabiem. Sic vicissim, nonnullum sulphur extinguit ignẽ Persicum, aliud Icteritiam, aliud febres, & similiter species alias. Sic quod Lepram mundat, ex sulphure Antimonij oritur. Quod Hydropisin tollit, ex sale Gemmæ, & Alumine Rocho. In quibus omnibus vt rectè procedatur, requiritur cognitio prius dicta, omnium simplicium, extra thermas nascentium, hoc discrimine obseruato: quænámque scilicet thermæ ex compositione in calorem tendant, quæ ex composito in Acerositatem &c. Quæ ex nitrosa natura oriantur, quę ex Liquoribus terræ nascantur &c. Distinctionem proprietatum, distinctio thermarum sequitur.

CAPVT VI.

SEquitur iam communis Diæta ad omnes thermas & morbos directa, eo modo, vt Regimina ordinentur ad constitutionem cuiuslibet morbi seorsim, hac arte, vt balnei proprietas & Diæta concordent.

Sic

Sic thermæ Arsenicales operationem suam non perficiunt, nisi per abstinentiam, quæ seruanda est. Aureæ thermæ operationem suam complent per confortationem: quare cibus & potus optimus præstituendus est. Potissimum verò, quod considerari debet, situ est in corporibus mucilaginosis, vbi viscus abundat, vt sunt podagra, fluxiones &c. vbi accuratâ abstinentiâ opus est. Si ex tali viscositate morbi orti non sint: balneo vtendum est, cum summâ plenitudine cibi ac potus. Similiter etiam lauandum est secundum tempus ex gradibus Mineralium petitum & æstimatum. Nam æqualis regula vbique tenenda est.

Summum in thermis obseruandum hoc est: Si thermę morbos vincunt, nec abstinentia nec hora consideranda est. Si vero robur tale desit, diæta & ordo defectum illum supplent: sanationem tamen non præstant. Sanationem enim oportet procedere ex thermis. Omnis ergo cura eò conuertenda est, vt rectum & genuinum balneum eligas.

CAPVT. VII.

Medici palmarium hoc quoque officium est, vt, si ægrum ad thermas missurus est, initio sciat, an æger is nullâ aliâ medicinâ sanari possit. Huius cognitionis vtilitas insignis est. Hæc nempe. Si Medicus de ægro sanādo desperat, aut malum futurum peius metuit, tum balneum suadeat, vt à culpâ excusatus sit. De his, qui animi gratiâ balneas visitant, hîc nihil dico. Quantum autem ad sanationem morborum, processus tenendus iste est. Scitote primum, thermis ex parte in viribus decedere, nec illas rectà morbo quadrare. Oportet ergo dari compositum, quo perficiantur. Nam & extra in natura correctionib. multoties opus est. Sic & in balneis. Si quis contra paralysin lauat, paralytica remedia balneo addēda sūt. Sic Hydropisi Hydropica ad correctionem adduntur; Nec conuenit, sexdecim vel plures homines, diuersis morbis affectos, simul in vnâ cisternâ lauare: sed cuilibet suum seorsim pendatur debitum. Et incondita ea sunt medicorum consilia, quæ confusionem illam suadent. Si in thermis id locum haberet: cur non etiam in simplicibus? Sed in neutro laudatur. Sedulò ergo opera danda est, vt omnes proprietates discernantur, balneúmque componendo ita temperetur, vt quadret ad morbum in sanitatem reconuertendū, non ad medicum excusandum.

TRACTATVS V.

De Thermis Piperinis.

Porrò vt seorsim quodlibet balneum describatur, quænam cuiuslibet materia sit, ex indicio illorum operationis noscenda: de Piperinis initiò ita constituo thermis, quòd calorem suum non ex separatione sortiantur, sed ex composito vitriolatorum mineralium ex parte vnâ: postea ex alterâ tribus primis, Veneris, Solis, Saturni: Hâc de causâ congenitam sibi habent vim virtutémque eam, quam habent vitriolati Liquores, postea Sol, Venus, Saturnus: Postea diffluunt per illas mineras, & tandem per mineras ferri, nonnullæ etiam per lapides Alabastri: cæteris cataractis incidentibus non-permixtis. Ex quartâ parte Globi suum centrum & eruptionem sumunt, cuius virtutes tales sunt. Curat mucilagines podagricas & viscositates paralysis: Confortat etiā & reficit paralyticos, in consumptionem nondum delapsos. Colicam reuellit ex membris, eámque per vrinam & sedes euocat. Quare contractis valdè salubre est. Leprosis detrahit cutem: & post validam exiccationem integram nouam cutem illis inducit: vnde Lepræ remedium esse videri posset. Sanat crura tumida, & omnia corrosiua vlcera, mundificationibus debitis priùs præparata. Temperat menstruum, sistendo & prouocando. Prodest etiam diuturnis morbis exhaustis, & densim conualescentibus, quos insigniter roborat.

Cùm verò, vt superiùs dictum est, balneæ per se non aliter ac herbæ iudicandæ sint: ideò sine composito ad finem perfectè deducere non possunt. Qui ergo balneas Piperinas efficaciores ad prædictos morbos facere velit, is sequenti processu vtetur. Compositio.

IN PODAGRA. Ad podagram.

♃. *Aquarum vitrioli* ℔ j.

Salis gemmæ ℔ ß.

Aqua Thermalis, plenum solium. Misce, in hoc lauet æger vsque ad diem nonum: postea renoua hoc modo:

♃. *Fol. Ellebori nigri,*

Fol. senæ ana ℔ j.

Fabarum

Lentium ana ℔ iiij.

In prædictâ aquâ Thermali coquantur more recepto, laua vsque ad finem. Operam da etiam podagricis purgationibus, singulis septimanis semel. Ad paralysin.

IN PARALYSI ita compone.

♃. *Flammulæ*

Erucæ rubeæ an. M. vij.

Coquantur. In eo lauetur ad tempus dimidium, postea balneum muta, ita.

♃. *Petrolei* ℥ iij. *Olei philosophorum* ℥ ß.

Aq. Thermalis ℔ j.

Benè tecta vnà bulliant; postea effunde super spongias marinas, vt aqua omnis à spongiis imbibatur. Has impone balneo, & super illis laua. Hic non obliuisceris Confortatiuorum, interius in corpus ingerendorum.

IN CONTRACTVRA sic procede. Ad contracturā.

♃. *Serpentinæ longæ M. ij.*

Agrimoniæ, Iuæ Arteticæ, an. M. iij.

Herbę hæc noctem ac diem macerentur in Aqua, die sequente bulliant. Super his continenter lauet. Poteris renouare pro ratione morbi.

PRO LEPROSIS. Ad leprosos.

♃. *Flammulæ M. x. vngulæ Caballinæ M. v.*

Cum Prędicta Aqua ex illis succum exprime, vt sexta pars balnei de ipsis coloribus ingredatur. In eo lauet æger, & copiosa mucilago ac impuritas extrahetur. Quòd si ob graueolentiam necessitas requirat, renoua. Cessante operatione, abluatur purâ aquâ thermali vsque ad finem.

In cauteribus & sordidis vlceribus, fiat permixtio cum Aquis Aluminibus, culiculę, serpentinæ ana ad duodecimam partē Aquæ thermalis. Eâ lauentur membra sordidis vlceribus corrupta sola, non etiam corpus. Interim etiam purga, &c. sicut in vlceribus moris est.

Ad menstrua.

IN MENSTRVIS ita procede.

Iube lauet in purâ aqua, & potandam præbe hanc permixtionem.

℞. *Liquoris melissæ, pulegii, Artemisiæ ana.* Adde quantitatem quadruplam Aquæ thermalis, ita lauent, & dictam aquam potent, vsque ad finem. In confortatiuis rectus ordo tenendus est.

Hoc modo quodlibet balneum iis, quæ, aduersus morbum conueniunt, corrigendum & componendum est. Opus ergo non est, vt seorsim ac minutatim quoduis describatur; sed respiciendus est morbus & peculiaria natura balnei, & illis Additiones conferendæ.

DE THERMIS BADENSIBVS *superioribus.*

Baln. Badensis mixtura quæ.

BAlneum Badense superius originem suam sumit ex Liquoribus Gemmarum, nempe ex Carabe, & citrino, perlis, & ex permixtione Spirituum metallorum Veneris & Iouis. Egreditur ex quarto globi puncto, & ab aliis aquis peruaditur. Vnde emergit maior vel minor efficacia: idque vento & aëri subiectum est, vt ab his tandem extingui possit. Postea currendo percolatur per Saturnium Arsenicum, & nonnihil virtutis de calcibus & Asphalto attrahit.

Vires quæ.

Vires eius Piperino respondent, si morbos excipias Mucilaginosos, Præterea autem temperat Hæmorrhoides & oppilationes in cardiaca passione: aperit obstructiones ex Tartaro factas, & eodem loco auertit generationem lapidis: tollit dolores articulorum & podagram. Mulieribus peculiariter nec prodest, nec obest, nisi semen adsit, quod vel ad bonum vel ad malum declinet, quoad sanitatem. Id enim promouet. Correctio eius in dictis morbis similis est priori. Et ad dictos morbos, Hæmorrhoides, & vterinos permisceatur cum centesima parte succi de *Sasina.* Idem potandum est manè & vesperi indesinenter, in oppilationibus & cardiaca. Quantum ad calculos & arenas permiscendum est cum Oleo Cupertino. In vlceribus quibus singulariter medetur, cum Realgare fixo temperetur, & vsurpetur lege balnearum. Facultas eius est, vt & scabiem ac pruriginem pellat, perfectissime mixtum cum aqua Aluminis. Et hæ correctiones instituendæ sunt propter infirmitatem, quam balneum à coincidentibus aquis concipit.

DE THERMIS VVALLISERENSIBVS

Therm. Wallis: que mixtura.

THermæ in Wallis egrediuntur ex tertiâ parte Globi, genitæ ex Liquoribus Magnetis & Carabe nigri: alluunt, mineras Marcasitarum, *Thalk, kakimiarum, &c.* nonnihil etiam de Granatis participant. Colorem suum balneum hoc adciscit ex Separatione, & gradum à montibus niualibus refrigeraturque Liquoribus Crystalli, à Marcasitis Kakimiisque suum sulphur extrahit, cum adhærente vitriolo; breuemque gradum transcurrendi Mineralia Lunæ & Mercurij habet.

Vires quæ.

Virtutes eius per omnia prædictis balneis conueniunt, nullo excepto. Cæterùm sicut Scammonea suis viribus polypodium superat: ita balneum in Wallis cætera balnea vincit. Præterea conditiones etiam habet futuram lepram & hydropisin prodendi, si modo lenia indicia habeat. Similiter & in contractura, si colica in Intestinis adhuc hæret, malo est. Nocet etiam calidis oculis, & auditui, ac promouet semen quodlibet, quod in morbum vel sanitatem erupturum est.

DE THERMIS PLVMBARIIS.

BAlneum plumbarium colligitur ex confluentibus Liquoribus in foueam illam, éstque in globi superficie: éstque putredo, ex variis rebus, *vt dictum est*, collecta. Putredo ea conuenit aceruo fimi, qui frigidus effusus, postea putrefactione sua calorem concipit. Hâc forma & Specie plumbarium quoque Balneum oritur. Intra seipsum primum generat *Nitrum & terreum saporem* ex sulphure terreo. Ideò insigniores alias vires non habet, quàm habent Nitrosa, nimirum vt iuuent eruptionem seu expulsionem nullius vsus, & iteratâ lotione lassitudinem tollant, sicut vulgarium aquarum mos est. Ex parte congenitam etiam vim habet promouendi id, quod ad bonum erumpere conatur: promouendi itidem id, quod ad malum vergit. Hic ergo prudentem decet esse medicum, ne in lancem periculi ægrum exponat. Vim habet etiam ad vlcera sordida, ex salibus carnis nata, sananda per naturam stypticam & serpentinam, quæ in illo putrido nitro est. Si verò in sordidis vlceribus sanandis deficit, correctio est, vt Realgare fixo balneum temperetur, & communi more vsurpetur. Efficax etiam cumprimis est ad mouendos fluxus albos fœminarum, aliquot futuris annis erupturos: Similiter etiam ad mouendas futuras febres, velut & ad frangenda vlcera, seu tumores, quos tamen porrò non consolidat. Promouet dysenteriam & Hæmorrhoides. Ad cæteros morbos precipuos etiam cum correctionibus additis non admodum facit. Qua de causâ de viribus eius plura scribi non possunt, quam de cæteris putridis aquis, quæ & ipsæ huius vires plerunque resipiunt.

DE THERMIS VVESTERENSIBVS.

BAlnei huius ortus est ex resoluto viscoterræ, hoc modo, quo quælibet terra ex vi & conditione Elementi Aquæ naturam sudorificã habet. Hinc quot genera & Species terræ: tot peculiares etiã liquores inde destillant. Sic eo loco peculiaris terra & peculiaris eius natura est, ad solum semen faciẽs promouendũ, siue id benè siue malè iactum sit. Quòd verò ad morbos chirurgicos attinet, vt sordida vlcera & manantia, fistulas, & malè curata vulnera foraminosa facta, ea omnia ad sanationem perducit, & virtutes insuper alias quoque, aquis cognatas, secum vehit, cum gradu tamen superiore & fortiore.

Correctionem in morbis corporis non admittit. Solum n. per se, citra compositum operationem suam perficere gaudet. Morbi a. Chirurgici hoc modo corrigi debent, vt lutum id in calcem reuerberetur, postea soluatur in liquorem, aut ab ipso extrahatur *Alkali*: Ita applicetur vlceribus, post egressum balnei, & in balneo cum prædictis liquoribus ex aqua

aquæ permisceatur. Hoc modo sanat etiam vlcerationes vesicæ, & partium internarum aliarum, ab Apostematibus natarum. Liquor iste hoc modo resolutus præstans medicina est podagricis & paralyticis, & malis aliis ex mucilaginosis liquoribus inductis, velut & in Articularibus morbis cum correctione superiùs præscripta. Tollit etiam *Icteritiam*, si potetur cum Reolis, & prouocat vrinam cum pilis albis potum. Macilentis & calidis vehementer nocet, qui ob id hoc balneum vitare debent. Cæteræ virtutes & facultates, posterioribus temporibus adhuc noscendæ sunt.

DE THERMIS BADENIS INFE- *rioribus, & Ferinis ac Zellensibus.*

Therm. Bad. Ferin. & Zellens. natura quæ.

TRia hæc balnea eiusdem exortus sunt, & secundum cataractas in tria ista loca distribuuntur, & ex calce excurrunt, vnde calorem concipiunt. Vena ea, quæ versus Badenas inferiores vergit, perfecta & indissoluta vsque ad exitum manet, perfluens per duros scopulos & saxa, nec in viâ accessoriam virtutem accipit. Cataracta altera, quæ ad Ferinas, seu Wildebadenses thermas egreditur, per montana & ipsa excolatur, venam permixtam adsciscens, quæ calorem & similes virtutes infringit: vnde id imbecillius fit. Zellense balneum totum ab affluentibus aquis refrigeratur, per asperitates transiens, nec aliam, quàm natiuam naturam acquirit. In sui ortus initio, aqua vulgaris est: postea per calcem funditur, vbi calorem suum concipit, & virtutem. Alias ergo quàm calcis virtutes, non resipit.

Vires quæ.

Itaque vires eius adeò insignes non sunt, erodit cutem, vi calcis. Alias ad sananda vulnera & vlcera virtutes non habet, nisi quas præstat mundando & eluendo. Vis ea, quam ad membra paralytica habent, languida & infirma est. Si quid in mitigandâ colicâ facit: commune id habet cum quâlibet aquâ, quæ calefit, aut per calcem transfunditur. Si lassitudinem mulcet, appetitum conciliat, membráque alleuiat: id à quiete fit, & lotione diuturnâ. Decrepitis, & à laboribus exhaustis, ac crebris puerperiis fractis fœminis, sustentatio quædam est, & tria hæc balnea viribus non admodum diuersa sunt. Si quicquam discriminis est, id fit ab influentibus aquis. Potestatem etiam habent morbos grauiores leniendi & mitigandi, sed minimè integrè sanandi. Si quid natura ad statum meliorem reduxit, id promouent: velut & quod ad malum declinat. Correctione nec ista carent. Vbi enim principale infirmum est, ibi correctiones perficere multum non possunt.

DE THERMIS GASTENIIS.

Therm. Gasteniæ. mixtura quæ.

BAlneum hoc in ducatu Salisburgensi situm, originem suam sumit ex calce Marcasitarum, Antimonij, & illius Salisnitri: Ex sextâ globi parte effluens citra alias concurrentes aquas. Meatus eius est per matrices rubeorum Granatorum, velut & aureorum, cum multis adhærentibus mineris argenti & immaturi auri. Vires saluas & integras conseruat vsque ad irruptionem, eundémque caloris gradum vltimò retinet, quem primò habuit. Fortificationem etiam habet ex cupro so vitriolo, & ex mineralibus extrahit Arsenicum & Auripigmentum, despumat etiam ex se sulphur fixum & non fixum.

Vires eius assimilantur viribus piperis, periculosiore tamen cum gradu. Conditio enim eius est, vt omnia corporis Apostemata proferat & vi rumpat. Ad apostemata ergo procliuibus hominibus Balneum Gasteinense minimè prodest. Tantæ potentiæ est, vt etiam ad tertium annum sufficiat curandis vlceribus sordidis, cum correctione sequente. Similiter & in quarto anno sanat contracturas, addita eius correctione. Hanc proprietatem assumit ex incremento coaffluentis Salisnitri, quod ad quintum annum suum augmentum extendit, velut Arsenicum ad quartum, Auripigmentum ad tertium. Ex hisce tribus virtutem prædictam habet. Vim Apostematum ruptoriam assumit ex Marcasitis, operatione illi similibus. Cæteris suis virtutibus comparatur reliquis thermis, maximè in pellendâ arenâ, si debita correctio addatur.

Correctio ad vlcera maligna

♃. Aquæ Aluminis, Aluminis Lameni an. ℔.ij. Consolidæ Mucilaginis ℔j. Balnei q. s. vtere processu dicto.

Correctio ad Contracturam.

♃, Olei de Anthera Liliorum ℥ iiij. Aq. Aluminis ℔.ß. vnà decoquantur, donec oleum albescat, & mucilaginosum fiat; effunde in solium: laua pro virium tolerantia.

Correctio ad Arenulas.

♃. Rad. Aquilegiæ ℔.j. Seminis Thanaceti ℔ *ß.* Simul ebulliant. In hoc lauet æger pro conditione morbi. Quantum ad virtutes cæteras, quas Gasteniæ balnea habent, cum thermis prædictis illæ conueniunt.

De Thermis Dopplicensibus in Bohemiâ, & Badensibus in Austria ac Villacensibus: &c.

Therm. Dopplicenses &c.

TRia hæc balnea eodem ortu profluūt, nascunturque ex calce. Secum tamen virtutem nullam proferunt. Nec enim à cataractis, quas transeunt, vim vllam contrahunt. Calefiunt à calce, nullam tamen insignem calcis virtutem adsciscentes. Cùm ergo nullam vim præstantiorem habeant, quàm aquæ calentes cæteræ, quæ preter calorem nihil promunt: de illis plura non trademus. Austriacum tamen balneum nonnihil habet Talki & Kakimiæ: sed virtutes alias memoratu dignas non habet. Pertinent ergo ad cæterarum calentium aquarum censum.

Gœppingen acidulæ quales.

De Fonte Gœppingen, & Fonte infra Confluentiam, & acidulis Egranis & Grisonibus.

ACidularum harum communis origo est, suo tamen quodam discrimine distantium. Gœppingen enim aqua vulgaris est, & aciditatem suam conci it ex mineralibus, vitrioli, cupri & ferri, &c. quæ transfluit. Id genus adeò subtile est, vt quamprimùm calefit, gustus pereat, manente tamen virtute. Mineralia, ex quibus acetositatem

tositatem concipit matura nondum sunt, sed in prima materia adhuc iacent; & in aquis illis quasi suffocantur. Hinc virtus aquæ correspondet. Præterea etiam continuum augmentum & profluuium est, in vno quidem quàm in altero loco exundantius. Virtutes ergo eius insignes sunt ad mundanda & sananda vlcera cum primis correctionibus. Tollit etiam scabiem & pruriginem, si cum sale permisceatur. Propter naturam verò vitrioli immaturi & mineræ Martis, vim possidet corroborandi stomachum, & superflua eius expellendi, appetitum ciendi, febrésque ac putredines ex corpore profligandi per secessum. Chronicis morbis, velut & Quartanariis, ádque hyposarcam dispositis, vsus eius periculosus est, nisi mali fomes præcipuus ante sublatus sit.

Balneum prope Confluentiam ad lauandum inefficax est. Sed in potu adhibita aqua vim quadamtenus habet stomachum confortandi, & putredinem eius expellendi.

Fons ad ægram acetositatem suam sortitur ex putrefactione vliginis musciúe parúmque de prædictis mineralibus participat.

Qui apud Grisones est, similis est Gœppingensi, & eo paulò nobilior: quia plura confluentia mineralia in cataractis iacent, per quas illa aciditas quasi percolatur, séque melius purgat.

De Scaturiginibus Salsis.

DE Liquaminibus Salis hanc proprietatem tenete. In his qui debitâ ratione & ordine lauat, is liber est ab omnibus oedematosis crutibus & quicquid ex illis oriri potest. Aspellit etiam futura vlcera maligna &c. Tollit etiam fluxus Podagræ & Paralyseos, ac omnem hydropysin & hyposarcam in initio expugnat. Vim etiam habet corroborandi neruos, articulos, & si quid aliud mali ex defluxionibus & liquoribus oritur, id tollit. Quicquid per se non operatur: additionibus correctum non perficit.

Cæterùm post hæc omnia de Balneis à me præscripta scire vos etiam velim, multas adhuc alias easque admirandas virtutes in illis consistere, quæ nedum quidem penitus exploratæ sint. Per imperitiam enim Doctorum & Medicorum tantus in thermis abusus committitur, vt ipsa balneorum proprietas in ægris operari non admodum multum possit. Quælibet enim virtus, si rectè non vsurpetur, operatione & effectu caret. Multa præterea etiam sunt alia, quorum nomina hîc non pono, in regionibus aliis, de quibus in initio libelli generaliter aliquid dixi. Pro illustriori tamen explicatione, quo vobis vniuersis thermarum proprietas notior & planior sit, deinceps notate, quibusnam simplicibus aut herbis ex conueniant aut correspondeant.

Piperinæ thermæ conueniunt Melissæ, & foliis Ellebori albi & nigri, similiter & Iuæ Artheticæ, ac Agrimoniæ, & Serpentinæ, velut & ex parte Mumiæ. Qu[æ] therm[æ] quibus herbis &c. co[n]ueniat

Badenæ superiores æquipollent Arthemisiæ, & parte quâdam viribus Basiliconis, & pœoniæ, ac Aluminis.

Wallis conuenit cum Alumine quadamtenus, deinde Iassæ, & Antheræ Liliorum.

Plumbariæ æquiparantur solatro & portulacæ, cum coincidente calore.

Thermæ Badenæ inferioris & in syluâ Martiâ, &c. assimilantur Chamomillæ, & ex parte Iuæ Artheticæ.

Gasteni comparatur Melissæ, Pulegio, Iuæ Artheticæ, Serpentinæ, consolidæ, & magnâ ex parte Chamomillæ.

Dopplicenses, Badenses, Austriacæ, Villacenses, conueniunt viribus Ligustici.

Scaturigines salis æquipollent calci extinctæ, & Lithargyrio præparato, ac bolo resoluto.

Hinc ita collige & disce. Præmemoratæ quidem hę herbæ, etsi insignibus viribus dotatę sint, ac sublimiter (vt ita dicam) specificatæ, sæpiùs tamen auxilium non præstant. Eodem modo & Balnea suis in virtutibus nutant & vacillant: quod quidem cautionis loco in dandis consiliis singulariter obseruandum est.

DE
THERMARVM PIPERINARVM IN SVPERIORE HELVETIA SITARVM VIRTVTIBVS,
Facultatibus, Operationibus, ortu & scaturigine, Regimine ac ordine, Explicatio
D. THEOPHRASTI PARACELSI.

REVERENDISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO Ioanni Iacobo Russingero, Cœnobij, Piperini Abbati, Domino suo clementi.



Euerendissime Princeps, Domine clementissime: ante omnia opus est suggeri explicationem quandam, quæ naturalium virtutum describendarum viam & occasionem sternat. Id hoc modo fiet. Homo ex duobus nascitur parentibus. Vnus est terra, alter cælum. Terra est homo: Cælum sunt

Astra.

Astra. Ex homine concipitur corpus: ex Astris intellectus. Sic homo procreat suam imaginem: & Astra suum naturale Lumen. Hâc ratione quilibet nascitur ad conditionem sui parentis. Huic quod implantatur, perficere aptus est. Ita filius potestatem habet, in paternâ suâ hæreditate versandi.

Porrò quoniam corpus & naturalis sapientia gignuntur, vtraque quidem ad lumen naturæ: ex eo sequitur, quòd, quicquid natura Astrorum illuminat, magnum id & admirandum inferioribus videatur: ita, vt nonnulli pro Diis habiti fuerint, ab illis, qui ex minori influentiâ homines nati fuerant. Hinc laudem captârunt spurij & degeneri hæredes, vt cum gloriâ etiam diuitias sub generationis legitimæ prætextu compararent. Cùm verò extra superiorum Astrorum sapientiam hæreditariam illæ minimè dentur: exortæ hinc sunt fraudes, doli, impostura &c. quales non leui cum noxâ in Medicina apparent.

Cæterùm cùm prouidentia diuina huiusmodi irruentes falsarios in speculo Prophetiæ præuideret, caritatem erga proximum, & in Hiericho vulneratum complens non ex Academiis sed ex laicis Samaritanorum Medicos immisit, & citra improbè composita falsariorum recepta per vinum & oleum illum ægrum conseruauit & sanauit. Quare Deus Magnalia sua miro modo declarat, ne per spuriorum Medicorum errores ægroti seducantur: seducti autem iamdum, à Deo tanquam proximo, iterum confirmentur per composita nempe diuina, quæ in thermis seu balneis calidis, ex quibus hoc quoque piperinum est, demonstrantur.

Quod cùm apud me profundiùs cogitarem, Reuerendissime Princeps, huius Balnei vires & facultates, quibus ingenita Dei Magnalia mirificè produntur, describere fas ac æquum esse censui. Cúmque prouidentia diuina per gratiam & impreßionem cœlestem in Reuerendissimæ vestræ dignitatis Ducatum tantam aquam collocârit, quam innata tua regia mens hactenus splendidè conseruauit & seriò tutata est, haud temeraria cogitatio subit, diuinam hanc dotem propter imperitiam Medicorum in vsum & subsidium ægrorum prolatam esse, quam ob id equidem etiam communicato consilio augere & illustrare volui, vt vires illius in operando & iuuando eò essent efficaciores. His me cum ipsis ægris in R. D. T. gratiam & fauorem offero. Dabam in Cœnobio vestro vltimo Augusti An. 35.

R. V. C.

Subiectus

Theophrastus Hohenhemius, Doctor.

DE BALNEIS PIPERINIS IN HELVETIA SVPERIORE, in Ducatu Reuerendissimi Principis ac Domini, Domini Ioannis Iacobi, Dei Gratia ibidem Abbatis, in ditione Sangans.

CAPVT I.

Ex tribus minera constat.

QVæcunque in terra apparêt, & ex eâ producuntur, ex tribus composita sunt, nēpe ex Sulphure, Sale & Mercurio. Id per Philosophiā demōstratur in generatione metallorum, Marcasitarum, lapidū & gemmarum, similiter & fructuum ex terra nascentium, ex quibus omnibus constat, tria illa, quæ prima materia sunt, in vltimis materiis reperiri ac inueniri. Ex quâ inuentione ipsæ deinde vires & facultates cognosci possūt. Hæc ego propono, quia thermæ in Europa, mihi quidem cognitæ, per se ipsæmet produnt, quænam ipsarum prima materia & corpus sit. Eo cognito, fas deinde est Medico, secundùm inuenti corporis conditionem easdem describere. Sed vt de balneo Piperino dicam, in eo tria prima manifestò non inueniuntur, ita, vt aqua hæc ex prædictis corporibus vim ac potentiam suam acceperit. Nullo ergo modo pro Elementorum fructu habendum est, sed est id per se elementum perfectum, & vt elementum in proprietatibus aquæ describendum. Et sicut ortus in elemento aquæ deprehenditur: ita similiter ipsum quoque balneum exaltatum est. A doctis ergo Sulphuris, Salis & Mercurij mentio facienda non est. Quî verò eius ortus & generatio intelligi debeat, id lumen Naturæ damonstrat, ceu sequitur.

Docet Naturę lumen Deum quodlibet separâsse & diuisisse, vt seorsim existeret. Ita separabantur lux & tenebrę, citra omne mutuum damnum, quod dies & nox probant. Præterea separauit idem etiam metalla, quodlibet in suam proprietatem. Sic sua vena est auro, sua minera est ferro, suus splendor argento: suum denique proprium domicilium cuilibet metallo. Discreuit insuper à se inuicem Marcasitas & genera salium. Eodem modo & æstatem ac Hyemem, & elementa, & — Separatione omnia discreta sunt.

herbas, & fructus, & crescens quodlibet, vt nimirum hinc videamus, quà varias Species Deus ex vnico Iliastro creârit, quámque sublimia ipsius in Terra Magnalia sint, dum omnem arenarum numerum Officinæ ipsius species superent, qui cœlum & terram eôusque ornauit, vt omnia denique satis cognosci aut considerari non possint.

Dei mira potentia in Natura.

Hæc ideò recenseo, quia in hoc balneo piperino aqua separata est in sua complexione, calida nempè in suas peculiares venas & cataractas & frigida similiter in suos ductus. Nihil enim adeò frigidum est, quin calorem contineat. Nihil adeò calidum quin frigus habeat. Sic à se inuicem separantur sensationes frigoris & caloris. Ita Aqua & Balneum Piperinum est Elementum Aquæ, ab Elementis cæteris sensu caloris separatum. Non quidem, quòd hæc aqua sola talis sit: Sed huiusmodi venæ aliæ plures sunt quæ exitu suo erumpunt in flumina, Oceanos & Maria, nobis quidem minimè nota. Cæterarum enim aquarum frigus illatum calorem extinguit. Hinc multæ aquæ sunt, quæ debitam aquæ frigiditatem non referunt, sed nonnihil calidæ deprehenduntur.

Montes ardentes &c.

Omnibus constat, creâsse Deum in mundo montes ardentes & igniuomos: velut olim in Sicilia Ætna apparuit, & in Misnia Kolberga, & alij plures, continenter & iugiter ardentes, igne nullo extinguibiles. Corpus, in quo ignis ille ardet, sunt lapides & terra illius montis. Quòd si Deus ignem tam admirabilem in terra ex lapidibus suscitat: an non etiam concedet ratio humana, quòd Deus ardentes aquas producere possit?

Nam experientia docet, ipsum vinum ignem ardentem in sese continere, si acetum ab ipso separetur. Et Segregatio diuina non possit etiam separare ignem ab aqua, acetum eius remouendo? Ipsi quidem oculi nostri plus non largiuntur, quàm quòd Ignis habitationem suam in sulphure, hoc est, ligno habeat. Et tamen lapides ardentes, Magnalia Dei stupenda esse, demonstrant. Qui lapides ardere facit: is facit etiam feruere aquas.

Ex ardentibus ergo illis montibus, oculis nostris expositis, demonstrari potest, quòd similiter & intra terram multus eiusmodi ignis sit, qui venas aquarum transfluentes feruefaciat, quæ postea ita calidæ extra terram erumpant, & aliquandiu non refrigerentur: Hanc autem aquam similem ac talem originem sortiri, negandum est. Ipsa enim nec saporem, nec proprietatem, nec permixtionem illius terrenæ Ignitionis secum effert, sicut in multis aliis thermis deprehenditur, in hoc autem balneo Piperino animaduerti non potest. Ea enim per se aqua pura & clara est, nulli corpori adhærens, nec vllum saporem referens.

Notandum etiam est, quòd Deus mirando modo naturas has separârit, nec vnum alteri obstare & impedimento esse possit. Sol suum calorem retinet: suum frigus Luna, & tamen vtriusque sua in cœlo peculiaris Essentia est. Quòd si in cœlo: non vtique minus etiam in terra, frigida & calida Aqua, citra Essentiarum destructionem ex terra in auram erumpere possunt. Porrò ipsa etiam natura docet, quòd in herbis vis vrens &c. sit. Qui tamen ignis cùm sensibilis non sit, ad comparationem huc non faciet: Sed dicendum erit de sensibilibus. Negari quin etiam non potest, multos adhuc montes igniferos esse qui tamen Ignem nondum conceperunt. Sic mea ætate in Stiria propè Ebischvvald tempore autumni à pastoribus ignis succensus iuxta salicem fuit, à quo igne multa deinde prata exardescere cœperunt, ita, vt collecta numerosa plebe opus esset, quæ terram vertendo ignis progressum coërceret: An tamen is extinctus iam sit, satis non constat. Eodem modo etiam calidæ aquæ oriri possunt, quæ tamen non pro thermis; sed pro aliis calefactis aquis habendæ sunt.

Cæterùm vt balnei Piperini defectum & reditum intelligatis, ita attendite: Quicquid Deus creauit, id ad renascentiam destinauit. Sic per interitum senioris emergit iunius: adeóque cuilibet rei sua meta suus terminus præfixus est, quo gaudeat & exultet, nec amplius dominetur, siue ea bona siue mala sit. Exemplum. Lunæ Terminus quatuor septimanarum est. Eo exacto, renouatur, & tamen Luna vna est. Si Luna 4. septimanis senior fieret: ad eam malitiam ascenderet, vt Astra omnia opprimeret. Itaque si ad summum sui instituti ascendit, cogitur iterum descendere, & renouari. Sic cuilibet Creaturæ suus Terminus præpositus est, quem transilire ea non potest, siue bona siue mala sit. Quòd si Terminum suum vrtica transcenderet: quàm acris & vrens ea futura sit? Si rosæ terminum suum transirent: quis odorem illarum ferre posset? Tam bonis ergo, quàm malis Deus suam metam præstituit, ne quicquam æquo altiùs ascenderet. Id enim non conduceret. Sic & balneum Piperinum renascentiæ destinatum est, vt in æquali virtute perseueret, & æquo nec peior nec melior euadat.

Hoc planiùs ita intelligite. Æstatem Deus ordinauit ad id, vt in ipso emergerent & æstiualiter viuerent omnia ea corpora, quę solis viribus subiecta sunt. Sic cum æstate crescunt ordinatæ constellationes, herbæ & alia, & vnà cum eâdem iterum moriuntur. Idem & de thermis Piperinis iudicate, renascentiam eius incipere in vere, & terminare in hyeme, adeoque cum herbis crescere & mori. Et sicut herbæ coguntur ab ortu Solis, vt ex terra enascantur: ita per potentiam & operationem Solis protruditur etiam balneum Piperinum, vt cum terrenis crescentibus prodire, & cum iisdem iterum interire cogatur, semine interim ipsius in terra relicto, quod tandem vi Solis ad priorem statum resuscitetur. Sed de ortu & generatione balnei Piperini hæc dicta sufficiant.

CAPVT II.

De viribus & facultatibus Aquæ ac Balnei Piperini.

Balnei Piperini virtutum descriptionis, modus hic erit. Homo in se habet loca

expurgationis (Emunctoria vocantur) per que natura expellit aduersa & superflua. Hic multa impedimenta incidunt, ita vt in expellendo natura interdum infirmior sit. Ad hanc iuuandam medicina condita est. Iam loca quædam expurgationis sunt, ad cutem pertinentia. Vbi si Natura deficit, ei succurrendum est. Vbi enim ipsa expulsionem molitur, ibi opem ei præstare medicus debet. Sic ergo expellentes virtutes tantùm sunt purgantia. Quædam expellunt intrinsecus, vt Rhabarbara, nonnulla forinsecus, vt Thermæ. Hoc modo Piperinum balneum est purgatio extrahens ea, quæ Emunctoria elicere non possunt, idque vi per carpem & cutem, viribus suis similis Scammoneæ.

Preterea scitis, multiplices herbas esse quæ & ipsæ forinsecùs purgant, vt sunt *Cicatrisantia, Cantharides, Melaones, Flammula.* Quas virtutes & potentias herbæ hæ & simplicia habent, eædem huic quoque balneo assignantur. Vos ergo Doctores & Medicos in genere scire decet, quænam secundùm duo puncta prædicta, per purgationes externas expelli debeant, vt ea huic balneo destinetis. Similiter & vis ac natura cicatrisantium probè cognoscéda est. Huius enim balnei virtutes simplicia cætera longè superant, & cum Quintâ Essentiâ probè conferri debent. De hoc ita dissero.

Caloris natura multiplex est.

Compertum est vobis, calorem varias habere essentias seu naturas. Vbi calor sensibilis est, ibi insensibilem virtutibus longè superat. Secundò alius est calor Solis, alia operatio caloris fimi, alius calor ignis ex Ligno, alius calor cum operatione in igne lapidum &c. Adducemus exemplum. Massam quandam pone in vitrum, & hoc occlude, ac expone calori Solis: putrefit in aliud. Colloca in calorem fimi, iam iterum digeretur in aliam putrefactionem. Si ad ignem lignorum posueris: iterum aliud experieris. Similiter & in calidâ aquâ, calido aceto &c. Cùm ergo vis caloris tam diuersimodè operetur, nec vnam semper eandémque digestionem producat: Concedendum vtique huius Piperini balnei calori erit, quòd operatio eius in attrahendo cætera Attractiua longè superet. Per essentiam enim caloris virtus Attractiua fortificatur, & in operatione tali nulla alia medicina ei æquiparari potest. Caloris ergo consideratio apprimè necessaria est, ac instar Arcani cuiusdam habenda.

Calor thermarum cælesti naturæ familiaris.

Notate præterea, alios etiam morbos esse, qui ad externas purgationes non deducuntur, vt sunt Podagra, Arthethica, contractio &c. vulnera & similia. Quibus de causis his talibus in balneo auxilium præstetur, ita obseruate. Virtutes omnes, quas subtilis Terpentina continet, in balneo piperino etiam inueniuntur. Hunc effectum causatur nec frigus, nec calor, sed virtus peculiaris alia, à Deo in salutem ægrorum congenita. Apparet enim ibi virtus Iuæ potabilis. Medicus ergo hoc casu medium morbum nec per purgationes internas, nec per externas expellere potest: Sed is ad Arcana Iuæ Artheticæ, quæ hîc satis copiosa inuenitur, deducendus est. Multum tamen hîc etiam operatur congenitus calor, qui mulcedine suâ humano calori admodum familiaris est. Congenitus namque calor ingentia operatur, sicut calor gallinarum pullos excludit. Ex eodem calore etiam vermes bombycini nascuntur. Sic calor virginum vel fœminarum decrepitorum ætatem prorogat. Quoniam ergo eiusmodi calor insitus est, aqua hæc Piperina insignis efficaciæ erit, cognata sibi simplicia omnia, in quibus nullus calor sensibilis est, excedens.

CAPVT. III.

De attactu balnei Piperini, ac nominibus morborum ad thermas has spectantium, vel non.

Balnei operatio duplex.

HVius balnei operatio in aggressione morborum, duobus modis perficitur. Primò extractione materiæ morbificæ: Secundò eiusdem consumptione. Pro his notate Exemplum. Veluti Magneti Deus suam virtutem indidit, vt trahat ferrum: ita his Piperinis thermis etiam vim attractricem contulit, extrahēdi ex lacertis corporis morbos eos omnes, qui chirurgiæ subiiciuntur. Hæc aqua est medicina, quâ chirurgus in omnibus desperatis morbis vti debet. Hoc est, si natura operationi non sufficit: facit id hoc balneum. Si queras, cur? Ob vim magneticam. Itaque quodDeus admirabiliter adeò ordinauit: id lumen Naturæ capere non potest, sed id per se Arcanum ipsum testatur. Præterea adest etiam vis consumens, quæ quod attrahendo domari non potest, consumit. Sicut Ventus humores terræ, aut Sol fouearum aquas absorbet & exiccat: ita in hoc balneo materia quoque & fluxus morborum consumitur.

Piscina Siloa, &c.

Sed ne obliuiscar piscinæ in *Siloa*, quam Angelus definitis temporibus commouit, in quam etiam qui primi ingrediebantur, sani euaserunt: scire conuenit, hoc loco ipsum naturæ lumen huic Angelo cedere debere. Potentia enim diuina naturalem explicationem omnem superat: Cuius manus quicquid attingit, id perficit. Deus namque naturâ superior est.

Æger itaque, qui in hoc Balneo lauat, non vsitatum morem sectabitur, sed vsum suo morbo accommodabit. Nonnulli morbi diebus nouem vel decem finiuntur, quidam pluribus. Respiciendúmque est ad crassam complexionem & naturam hominum, balneandi diligentiam vel negligentiam, lauantis proprietatem, & morbi conditionem. Postea æger de tolerando dolore animum obfirmet. Nam cùm materia in corpore clausa per poros exire nequit, cutis aufertur, vt exitus pateat. Tanta huius balnei potentia est. Insuper malitia & senium morbi non semper vnicâ vice (hoc est, vnâ ad balneum profectione institutâ) illicò extrahi potest, sed idem interdum denuò, ac tertiò quartóue repetendum est. Balneum enim sibi ipsi digestiuum est & syrupus. Quod maturat, etiam extrahi finit. Plura in genere describenda non sunt, sed modo infra scripto procedendum.

De Morbis ad Thermas Piperinas spectantibus.

QVælibet contractura, & membrorum contorsio, ex irâ, vino, colicâ, támque fœminarum quàm virorum.

Omnis tremor manuum pedúmque, ex vitio medullæ natus, aut ex irâ, vel intemperantiâ, vel refrigeratione neruorum & tendinum suscitatus.

Quælibet podagra & Arthetica, seu membrorum Arthritis, synouiæ se conserens, similiter & omnes dolores dorsi, coxendicis, &c.

Omnia lassa membra, cholericis familiaria, aut iis, qui durioribus se laboribus exercuerunt, vt baiuli, opifices, tabellarij, &c.

Omnia ex coagulatione tabescentia membra, vbicunque in corpore sint.

Omnes febres antiquæ, cumprimis quartanę quæ annosiores propter intempestiuè adhibita remedia contumaces factæ sunt.

Omnes affectus ad Ictericiam propendentes, & ex bile orti, cum internorum Apostematum causâ.

Hi morbi interni præcipui sunt, qui balneis Piperinis commodissimè tolli queant. His adde duos palmarios alios, Paralysin & Diabeticam: quorum ea natura est, vt, si balneum tertiò renouetur seu renascatur, magnam inde vtilitatem percipiant.

Similiter & Mania, non tamen sine sequente consilio.

Prosunt etiam omnib. morbis muliebribus, eâ tamen ratione, quam in huius libri fine apposuimus.

Faciunt etiam contra arenas, tam albas, quàm rubras. Item aduersus calculum in vreteribus impactum, addito tamen certo consilio. Itidem & omnibus malis renum & vesicæ, prodest, vt deinceps.

Iam sequuntur morbi Chirurgici.

OMnes morbi, qui intra cutem & carnem, vel in cute & carne vel abditi latent, vel manifesti sunt: vt sunt, macies, ariditas, syrones, pruritus, scabies, impetigines, & impuritates aliæ cum scabie & pruritu coniunctæ.

Hi quoque morbi ad chirurgiam pertinent, sed causam in internis positam habent.

TVmores & vlcera omnia sub crure enata, manantia & sordentia, aut pure quomodolibet fœdata.

Vulnera aperta omnia, quæ foris crustâ intecta, interius cuniculis factis quoquouersùm serpunt.

Similiter omnia foramina vesicatoria, quæ contractura sequitur, aut quæ à remediis exasperata sunt.

Itidem manantes Syrones, cancer Esthiomenus, & fistula cum vlceribus pectoris.

Similiter & foramina sicca, tumida.

Hæ sunt virtutes, quæ in vulneribus & extrinsecus affluentibus morbis deprehenduntur.

OMnia vulnera, æquo maturiùs sanata, sine solida carne subnatâ.

Omnia vulnera suffocata, superiùs consolidata, interiùs adhuc caua.

Omnia vulnera malè curata, relictis ossiculis & fragmentis.

Omnes ossium malè curatæ fracturæ, ex arte non tractatæ & solidatæ.

Omnia membra luxata, ex articulis emota, aut per torturam elisa.

Membra, quæ post vulnerationem tabescunt, quocunque modo.

COntumacia omnia vulnera punctionum, telorum, glandium, tormentorum, medicationem non admittentia. Sic etiam telorum ramenta aut glandes intra cutem hærentes. His exitus paratur.

Grumosus omnis sanguis & concretus, à casu, contusione, plagis siue is exteriùs, siue interiùs hæreat, siue vetus, siue recens sit. Hunc enim resoluunt.

Omnia vel recens vel antiquitùs refrigerata membra. Frigus extrahunt, & natiuum calorem reducunt.

Sequentes morbi nonnunquam fouentur, nonnunquam minimè. Periti ergo doctoris consilio opus est.

Papulæ sine contracturâ & hydrargyro venenatæ. Similiter & Herisipila.

Hi morbi ad balneum Piperinum ducendi sunt.

Quælibet nimirum Lepra, exceptâ eâ, quæ ex Menstruis oritur.

Omnes hydropes, exceptis illis, quæ non ex Apostematis proueniunt.

Omnes prægnantes, & quæ morbis diuturnis cum Apostematis internis laborant. Etiam hi morbi, in quibus paralyseos signa apparent.

Omnes illi, qui papulas vel cũ vel sine contracturâ habent. Sic quibus sanguis ad caput ascendit.

Omnes, qui caduco affliguntur.

Omnes, qui ad profluuium ac diarrhœam propensi sunt.

Omnes, qui ad colicam ex irâ dispositi sunt.

Quilibet æger seipsum exploret, & in balneo hoc istum ordinem seruet, qui sequitur.

CAPVT IV.

Conditiones hæ ante omnia seruandæ & tenendæ sunt.

LAuandum est ad necessitatem vsque. Quòd si vna ad balneum profectio satis non sit, continuetur & iteretur eadem, quàm diu opus est.

In cibo & potu temperantia seruetur, nec crapulæ aut ebrietati vllo modo opera detur. Calendum est: & frigida non aspergenda. Caueatur etiam ventus. Lauans probè munitus sit vestibus, calceis &c. Vitetur libido, ne tali excessu virtus balnei diffametur.

Ordo in cibo & potu.

IN balneo generatim vitanda sunt allia, cæpe, raphani, sinapi, porrum, vinum sublimatum, pisa, lentes, pultes ex lacte, caseus, lac & ex lacte parata, nisi recentia sint, caro ferina, nisi iusto tempore capta sit, caro porcina, caprina, & vetusta, feræ ac domesticæ Anates, anseres, columbæ seniores, saliti aut indurati pisces & carnes, tinchæ, murænulæ, anguillæ frixa, panis vetustior, panis hordeaceus, vinum mixtum, fortius, turbidum aut acidum. Cæteri cibi, vt salutares, admittuntur. Ordo cibi & potus in balneo.

Ex aromatibus solum cinnamomum, crocus

& Macis vsurpetur.

Quilibet etiam pro morbi sui conditione, maiorem minorémue sui curam agat. Qui animi & oblectationis causâ lauant, hi suo arbitrio linquuntur. Cætera necessaria addisci possunt ex iis, qui in balneis ministrant. Experientia námque quotidiana librorum consilio melior est.

Cuilibet etiam lauanti, etsi nulla aliâ medicina vtatur, prodest, si sub quamlibet auroram tria Iuniperi grana ex aceto pro purgando sanguine deuoret. Post cibum sumptum, tam manè quàm vesperi etiam confert duo vel tria coriandri grana ex aceto vorare, vt ciborum euaporatio impediatur.

Balneantibus certus & præcisus horarum numerus designari non potest. Consilium enim id non à Doctoribus, sed à conditione morbi, tolerantiâ ægri, balnei robore, &c. petitur. Balneum suo modo operatur. Qui numerum obseruando, balnei naturam negligit, is malum peius reddit.

Multi morbi sunt, qui quotannis, interdum secundo, tertio, quartóue, &c. nouum balneum poscunt. His parendum est. Huius classis sunt defluxiones, Arthetica, podagra, & vlcera sordida manantia.

Consilium peculiare in vehementibus morbis adhibendum.

Sicut de regimine in vsurpando ligno notum est: ita hîc sciendum, ordinationem talem etiam in balneo Piperino vsurpatam, insignes & stupendos morbos sanare, eos nempe omnes, qui ex defluxionibus oriuntur, sicut tam interni quàm externi morbi probant. Quæ mala per lignum & solitam eius abstinentiam perfectè tolli non possunt, ea in hoc balneo plenè & perfectè abolentur.

Consilium bonum est, vt iuscula in cantharis decocta citra ipsius substantiam roborandi causâ administrari non intermittantur.

Consilium aliud pro morbis nonnullis, quo vtendum est, cùm natura balnei ignauior est, quàm vt illos ad perfectam curam deducere possit.

Hvius generis sunt contractura, podagra, tabes membrorum, paralysis, vlcera corporis maligna. Item, arena, mania, & quæ ad vulnera referuntur.

In contracturâ tale est. Post primam lotionem, oleo vulpino, cum Balsamo de Galbano, vt Arnoldus docet, mixto, manè & serò inunge pro consilij Medici tempore. Ita contracturæ sanantur. Vtile etiam est, paulò pòst iterum lauare.

In podagra similiter, aut cum Balsamo de Mumiis nostræ descriptionis. Priùs autem quotannis bis in puncto ingressus nouilunij pro consilio Doctoris vena secanda est.

In tabe & paralysi postremò post primam lotionem vtile est corpus illinire succo flammulæ aut lini palustris, cum additione cantharidum aut alterius attractiui. Cum illâ apertione balneum iterum ineundum est, vsque ad curæ finem. Sic curatur macilentus, Alopecia, & rimæ manuum pedúmque.

Ad sordida manantia vlcera post lotionem finitam vsurpanda sunt Emplastra & oppodeltoch, aut verum Apostolicon ac Diaquilon, quæ consolidant & claudunt ea, quæ balneum reliquit. Instituantur etiam venæ sectiones, purgationes, pro periti Medici consilio.

Ad arenam & calculos Lithontripon cum benedicta laxatiua ante ingressum balnei assumptum, arenas educit.

In Mania omnis materia ad caput compellitur. Secandæ ergo sunt pulsatiles, aut centrum capitis aperiendum; aut quatuor capitis partes cauteriis aperiendæ sunt.

Malè curata vulnera aperienda, eo modo, vt quilibet peritus chirurgus eorum naturam videre, & ita perfectè curare possit.

Explicatio Synonymorum Latinorum, in præcedentibus capitibus Vsurpatorum.

Sulphur est Liquor ardens.
Mercurius est corpus, in quo proprietates continentur.
Sal est, quod glutinat in vnum corpus.
Materia est res, quæ manibus sumitur.
Corpus est res, in quo virtus inest abscondita.
Species est aliquid per se.
Iliaster est prima materia ante creationem.
Magnalia sunt Opera Dei.
Arcanum, est principale, per experientiam cognoscendum.
Constellatio, est coniunctio inferiorum & superiorum.
Terminus est meta, cuiuslibet dominationi præfixa.
Operatio est actio, quam natura perficit.
Emunctorium est locus naturalis expurgationis.
Reubarbara, est purgatio bilis.
Cicatrisans, est res, vesicas excitans.
Melaones, sunt scarabæi Mediolanenses.
Flammula, est Ranunculus.
Simplex, est vnum per se.
Quinta Essentia est, quo Natura vltra gradum suum fortificatur.
Putrefactio est rei ad vltimam Essentiam corruptio.
Digerere, est rem in aliam Essentiam præparare.
Attractiuum est, quod naturaliter trahit.
Podagra est Arthritis manuum pedúmue.
Arthericus est podagricus.
Contractio, est membrorum distortio.
Liquores mandibularum, sunt Oleum ex illis ossibus.
Iua potabilis est medicina, contra contracta membra.
Iua arthetica est medicina ad membra contracta.
In lacertis, hoc est, in cauitatibus carnis & corporis.
Erysipela, est malum simile pesti.
Balsamus de Mumiis, est medicina sumpta de carne.
Oleum vulpinum est linimentum vulgare.
Balsamus de Galbano est oleum ex tribus rebus compositum.

Cantharides sunt insecta aurei coloris.

Alopecia est exulceratio capitis contagiosa, &c.

Lithontripon, Benedicta, Laxatiua, sunt pharmaca officinarum.

Pulsatiles sunt venæ temporum.

Cauterium est scientia seu remedium inustionis.

Centrum est initium in morbo.

Aperire est pandere seu patefacere.

Conclusio & Salus ad ægrotos.

QVandoquidem vos ægri cognouistis, quanta mala naturalibus viribus subinde contraueniant, quanta itidem in arte impedimenta incidant, persuasum vobis iam hoc esse velim, id à prouidentia diuina in primo illicò initio ita constitutum esse. Vt verò ægri à seductione, quam propter intellectus imbecillitatem incurrunt, liberentur: sua peculiaria composita, Deus ordinauit, ita vt in scaturiētibus aquis longè plures & perfectiores virtutes inueniantur, quàm in chartis hinc inde disiectis. Hoc considerantes illa visitate, & seposita plenitate cum Gratiis vsurpate. Vale.

Finis septimæ partis Operum Theophrasti.



NOBILISSIMI, CLARISSIMI,
ac probatißimi Philosophi & Medici,

D. AVREOLI PHILIPPI

THEOPHRASTI

BOMBAST, AB HOHENHEIM, DICTI PARACELSI,

Operum Medico-Chimicorum

SIVE

PARADOXORVM,

Tomus Genuinus Octauus,

E Philosophicis verò Primus, continens Philosophiam de Generationibus & fructibus quatuor Elementorum,

Recenter Latinè factus, & in vsum Asseclarum Nouæ & Veteris Philosophiæ foràs datus.

ELENCHVS OMNIVM LIBRORVM IN OCTAVA PARTE OPERVM PARACELSI CONTENTORVM.

PHILOSO-



PHILOSOPHIÆ AD ATHENIENSES, Liber Primus,

THEOPHRASTI PARACELSI, BOMBAST, AB HOHENHEIM.

TEXTUS I.



REATARUM rerum vniuersarum, quarum conditio caduca & fragilis est, principium tantum vnicum exstitit. In hoc inclusa latuerunt creata omnia, quæ æther complexu suo continet. Res autem hæc ita intelligenda est, quòd creata vniuersa ex *Materia* vnâ prodierint, non quoduis seorsim ex suâ priuatâ. Hæc communis rerum omnium materia *Mysterium magnum est*, cuius comprehensio nullâ certâ essentiâ ac ideâ præfigurata aut efformata sit, nec cum proprietate vllâ inclinet, coloris simul & elementaris naturæ expers. Quousque sese æther diffundit eo vsque *Mysterij magni* orbis patuit. Et hoc *Mysterium magnum*, *Elementorum omnium mater*, & simul *aula vniuersarum stellarum, arborum & creaturarum carnalium* exstitit. Sicut enim ex matre liberi prodeunt: ita ex *Mysterio magno* progenita sunt creata omnia, sensu tam prædita quàm orbata: velut etiam cætera omnia vniformiter. Adeóque *Mysterium magnum* vnica mater est rerum caducarum omnium, ex quo illæ natæ ac exortæ sunt, non successionis aut continuationis ordine, sed simul ac vnà, in vna creatione, substantia, materia, forma, essentia, natura ac inclinatione, prodierunt.

Creatura omnes ex vno principio.

Mysteriũ magnũ quod & qual.

Myster. magn. mater omnium rerum.

TEXT. II.

TAle autem *Mysterium* fuisse illud, quod creaturæ quidem nulli simile apparuit, aut reipsa talis exstitit, & tamen *prima materia*, ex qua mortalia & caduca vniuersa orta prodierunt, fuit: id alia intelligi ratione minimè debet, quàm vt videmus, *humanam vrinam ex aquâ, Aëre, terrâ & igne gigni*, & tamen horum nullum esse, aut alterutri similem existere, sed tamen elementa omnia per generationem alteram indè emergere, & abire in generationem tertiam. Quanquàm cùm vrina creatura sit, discrimen aliquod inter ipsam & hoc intercedat. *Misterium enim magnum est increatum*, & à summo illo artifice præparatum. Huic aliud consimile nullum producetur: nec idem ad seipsum redit aut reducitur. *Sicut enim caseus denuò lac non fit: ita nec generatio illiusmodi ad materiam suam primam reuertitur*. Et licèt vniuersa quidem ad naturam ac conditionem suam pristinam reducantur tandem: non tamen ad *Mysterium* iterum redeunt. *Quod enim consumptum est, id denuò reduci minimè potest*. Potest autem in hoc, quod fuit ante *Mysterium*, redire.

Vrina humana vnde fiat.

Mysteriũ magnũ est increatum.

TEXT. III.

POrrò, etsi *mysterium magnum* quidem sit rerum creatarum omnium, sensibilium simul & insensibilium: non tamen in ipsa formata fuerunt crescentia omnia, nec animalia, nec similia his alia: sed de illa ita statuendum est, quòd omnibus generalia mysteria reliquerit & attribuerit; hominibus nempè & animalibus mysterium seipsa secundùm formam suam propagandi, vnipedibus suam essentiam. Et sic exemplo simili cæterorum cuilibet mysterium peculiare ad formam suam priuatim producendam contulit. Ex eadem origine etiam surgunt mysteria, à quibus aliud produci potest, quàm mysterium primarium ordinauit. Nam stella (al. stercus) est mysterium scarabæorum, muscarum & culicum, &c. Lac mysterium est casei, butyri, & quæ his alia conueniunt. Caseus mysterium est vermiculorum, in ipso nascentium. Sic vicissim vermiculi mysterium sunt ipsius fatum. Hac ergo ratione mysteria duplicia existunt: *Magnum vnum*, quod est *mysterium increatum*. Cætera, veluti nepotes, *mysteria specialia* vocantur.

Mysteriũ mag. qui mater sit omnium rerum.

Mysteria sunt duplicia.

TEXT. IV.

QVandoquidem ergo ex *mysterio increato* caduca vniuersa orta & progenita esse constet: sciendum iam est, nullum creatum altero vel maturiùs vel seriùs, nec seorsim hoc illúdue, sed vniuersa simul & vnà producta esse. *Summum enim arcanum*, hoc est, ipsius creatoris bonitas res vniuersas in *increatum* creauit seu congessit, non formaliter, non essentialiter, non qualitatiuè: sed vnumquoduis in *increato* latuit, veluti imago seu statua in ligno inexistit. Sicut enim hæc non conspicitur priùs, quàm superfluum lignum reliquum præsecetur, quo facto statua demum cognoscitur: ita & de *mysterio increato* noscendum est, quòd carneum seu sensibile, & insensibile, in separatione instituta, vtrumlibet nempe ad formam ac speciem suam rectà peruenerit. Hîc enim segmentum nullum defluxit aut intercidit. Sed vniuersum in formam ac essentiam & simi-

Create omnia simul ac vnà ex Mysterio producta.

Creatoris mira ars.

& similia cessit. Nusquam autem omni sæculo plastes in separando vsque adeò accuratus & industrius reperiri queat, qui simili artificio granum etiam minimum ac velocissimum, vtile facere, & in viuens quiddam formare valeat.

TEXT. V.

Mysterij & compositi remedij collatio.

HOc modo intelligi debet, non domum exstructam esse ex *mysterio magno*, nec collecta & congesta esse animalia, & postea perfecta: similiter etiam nec crescentia reliqua: sed veluti medicus cõpositum quoddã concinnat, multarum virtutum, quanquã vnica materia illa sit, in quâ nulla apparet virtutum illarum, quæ sub specie illâ delitescunt. Sic itaque cogitandum est, quòd omnis generis creaturæ, quæ æthere includuntur, in *mysterium magnum* congestæ ac coordinatæ sint, non perfectè quidem secundùm suam substantiam, formam, vel essentiam, sed secundum perfectionis subtilem aliam rationem, mortalibus nobis absconditam, quâ omnia in vnum includuntur. Nos etenim omnes ex caduco & mortali creati, nec aliter enati sumus, quàm procreatione Saturni, qui in separatione sui formas & colores omnes profert, quorum tamen nullum in ipso visibile apparet. Cùm ergo mysteria Saturni procreationes huiusmodi exhibeant: multò magis certè miraculum hoc *mysterium magnum* in se habebit, in cuius separatione aliena & superflua omnia resecta sunt, & tamen inane ac inutile nihil repertum est, quod crescens aliud, seu materiam idoneam aliam ex sese non producat.

Res vniuersę qui in mysterio fuerint.

Saturni separatio qualis.

TEXT VI.

SCiendum itaque est, quòd per *mysterij magni* dolationem seu cælaturam segmenta varia deciderint, & quædam abierint in carnem, cuius infinitę species & formæ: nonnulla in monstra maris, itidem varietate mirabilia: aliqua in herbas: non pauca in ligna: plurima in lapides & metalla. Quî enim Deus omnipotens ista sculpserit, duæ saltem artis viæ seu modi inquirentibus offeruntur. *Primus est*, quòd vitam & incrementum iugiter ordinârit. *Secundus*, quòd non vnica & vbiuis similis materia deciderit. Si enim ex ligno statua cælatur, ramenta amputata omnia lignum sunt. Hîc autem idem similiter non factum est: sed forma sua & motus cuilibet seorsim datus est.

Creatoris in mysterij exclusione ars duplex.

TEXT. VII.

HOc modo *mysterij magni* operationem distributio secuta est, & à superfluis res diremptæ emicuerunt: ac simul ex ipsis quoq; amputatis superfluis alia & diuersa enata sunt. *Mysterium enim magnum* elementare non fuit: licèt elementa ipsa in ipso latuerint. Nec fuit carnale, etsi omnia hominum genera in illo comprehensa fuerint. Idem nec lignum fuit aut lapis: sed materia fuit talis, quæ mortale vniuersum, indiscretâ & indistincta essentia sua complexa, in separatione postea vnicuilibet suam essentiam & formam priuatim indidit. Simile quid etiam circa cibum euenit. Quem si homo edit, ex ipso generatur caro; licèt carni is similis non fuerit. Si ipsum assumit putrefactio, indè generatur gramen, cui tamen nec ipsi similis antea fuerat. Quod ipsum multò magis in *Mysterio magno* verum erit. In Mysteriis enim expressè liquet, aliud abiisse in lapides, aliud in carnes, aliud in herbas, & sic deinceps in formas varias ac infinitas.

Mysteriũ omnia fuit sed indiscretè.

Mysterij & cibi collatio.

TEXT. VIII.

SEparatione autem iam facta, & quouis in formam suam ac proprietatem reducto, ita, vt per se ac seorsim quoduis iam subsisteret: tum demum *Materia substantialis* dignosci potuit. *Quod enim compactioni aptum fuit, id compactum est, reliquo* (quoad substantiam) *inani & raro manente.* Cùm enim compactiones fierent, compingi vniuersa æquabiliter minimè potuerunt, sed pars maxima inanis mansit. Sicut id non obscurè in aqua apparet: quæ si coagulatur, compacti certè moles seu quantitas exigua est. Simile fit etiam separatione elementorum. *Compactio* enim omnis facta est, *Lapides, metalla, ligna, carnes, & similia.* Cæterùm rarius ac inanius mansit, vnum quoduis scilicet secundum suam naturam, & planetarum proprietatem. Adeóque *Mysterium illud magnum* in compactione aliter se non habuit, quàm fumus, qui spatiosè & latè diffunditur. Sed in sese substantiæ multum non continet, præter exiguam quantitatem fuliginis. Cæterùm spatium, quod fumus occupat, purus putus aër est, sicut in separatione fumi à fuligine obseruari potest.

TEXT. IX.

GEnerationis omnis principium, *mater ac genitrix* fuit SEPARATIO. *Separatio enim, omnium maximum Philosophiæ miraculum est.* Quanquam de his altiùs hominibus philosophandum minimè sit, quàm captus mortalis ac ratio humana ferat. Cognitionis autem illius, quomodo talia fiant, ac facta sint, ista vt plurimum ratio est. *Acetum nempe, si commisceatur cum tepido lacte, heterogeneorum separatio incipit multis modis. Sic truphat* (al. traphat) *mineralium, quoduis metallum in suam naturam reducit.* Simile quid etiam in Mysterio fuit. Sicut enim tinctura argenti macerata; ita etiam *Mysterium magnum* penetrans, vnum quoduis in suam essentiam redegit, tanquam mirâ solertia vniuersa diremit & separauit, vt substantia quælibet debitæ suæ formæ daretur. *Magia verò ista, quæ talem ingressum habuit miraculi singularis exstitit.* Quæ si diuinitùs fuit peracta per Deitatem, philosophando ipsam assequi minimè annitemur. Nec enim per hanc Deitas sese nobis patefacit. Si autem Magia ista naturalis fuit: certè oppidò mirabilis fuit, penetratione violentissima & separatione expeditissima admodum insignis, cui similem natura nunquam denuò dare aut exprimere possit. Ista enim dum suæ operationi vacauit, pars rerum ad elementa desciuit, pars alia in inuisibilia abiit, pars denique in vegetabilia facessiuit: quod ipsum certè pro miraculo planè singulari ac summo habendum merito est.

TEXTVS X.

CVm ergo *mysterium magnum* tali essentia & Deitate cum additione potissimi æterni plenum esset: ante creaturas omnes SEPARATIO incepit.

incepit. Hâc exordiente, postea creatura quælibet in sua maiestate, potentiâ, & libero arbitrio emersit & emicuit: quo statu omnia etiam deinceps vigebunt, vsque ad rerum vniuersarum finem, hoc est, vsque ad *magnam illam messem*, quâ vniuersa suis fructibus prægnantia essent, & fruges demessæ in horreum conuehentur. *Messis enim suæ frugis finis, est, nec quicquam aliud, quàm corporalem destructionem rerum omnium designat.* Quarum etsi quidem numerus propè infinitus sit: vnica tamen saltem messis est, in qua creationis vniuersa metentur, & in horreum colligentur. Nec minùs admirabilis erit hæc messis, rerum omnium finis, quàm stupendum fuit in principio ipsum *mysterium magnum. Quanquam liberum etiam arbitrium rerum, mutuæ affectionis & destructionis causa sit.* Nihil enim existit sine amicitiâ vel inimicitia. Et liberum arbitrium in virtutibus tantùm viget ac versatur: amicus verò vel inimicus in operibus. Quæ ad separationem nihil attinent. Illa enim sequestratrix est, quæ suam cuilibet formam & essentiam confert.

Messis, finis rerū a mysterio productarū.

Sympathia & antipathia rerum mutationis causa.

TEXTVS XI.

IN Exordio autem *mysterij magni separationis omnium* prima prodiit *separatio elementorum*, ita vt ante cętera omnia elementa in actum & essentiam suam eruperint. Ignis factus est cœlum & firmamenti cista. Aër factus est inanitio, in qua nihil apparet ac conspicuum est, eum locum occupans, vbi nulla substantia aut materia corporalis locata subsistit. Is cista seu claustrum est Fatalium inuisibilium. Aqua in liquorem abiit, & sedem sibi circa centri alueos ac cauitates intra elementa cætera & æthera occupauit. Hæc arca est Nympharum, & monstrorum maris. Terra in tellurem coagulata est, quæ à cæteris elementis minimè sustinetur, sed à columnis *Archaltis* fulcitur, quæ mira Dei magnalia sunt. Terra autem arca est crescentium, quæ ex terra autem arca est crescentium, quæ ex terrâ aluntur. Huiusmodi autem separatio principium fuit creaturarum omnium, & prima distributio cùm harum, tum etiam aliarum.

Elementa prima orta ex separatione mysterii. Ignis qualis. Aër qualis. Aqua. Terra. Terra a columnis Archaltis sustinetur.

TEXTVS XII.

ELementis hoc modo in suam essentiam productis, ac à se inuicem ita diremptis, vt suo quoduis loco seorsim subsisteret, nec alteri incommodaret: *separationem primam insecuta est secunda, quæ ex ipsis elementis processit.* Sic vniuersum, quod in igne latuit, in cœlos transformatum est, pars quidem eius vna velut in arcam seu claustrum, pars altera ex isto prodiit, sicut flos ex caule emergit. Hoc modo stellæ, planetæ, & quæcunque firmamentum continet, enata sunt. Enata autem sunt ista ex elemento, non veluti caulis cum floribus ex terrâ crescit: (Hi enim ex ipsa terrâ crescunt) sed astra ex cœlis producta sunt per solam separationem, sicut flores argenti ascendunt, & se separant. Ideò firmamenta omnia ab igne separata sunt. Et priusquam ab igne firmamentum separaretur, vniuersum id vnicum elementum ignis extiterat. Sicut enim in hyeme arbor, tantùm arbor existit, at incumbente æstate eadem arbor, si separentur ab eâ separanda, folia, flores & fructus (Hæc enim ipsius messis & separationis tempus est) protrudit: ita similis omnino messis in magni mysterii separatione, quæ se diutiùs continere aut differre minimè potuit, intelligenda est.

Ignis separatio & eius species. Stellæ secundæ ex secunda separatione ortæ.

Stellæ quomodo a cœlo productæ.

TEXTVS XIII.

SEparationi elementorum successit separatio altera ex aëre, eodem tempore & puncto cum igne facta. *Omnis enim aër in omnia elementa prædestinatus est.* Non verò is quidē in reliquis elementis permixtionis more modoq; inest: sed omnifaria assumit in omnibus elementis, & eadem occupat. Nec occupat id, quod antea obsessum est. Nulla etiam permixtio elementorum iuncta vel vnita mansit, sed vnumquodlibet elementum in proprium suum arbitrium secessit, cùm reliquis nihil quicquam iunctum aut coniugatum. Postquam verò elementum hoc modo à cæteris ex mysterio magno secessit, ex ipso illicò distributa sunt *fata, impreßiones, incantationes, superstitiones, maleficia, somnia, diuinationes, sortilegia, visiones, apparitiones, fatacesti, melosiniæ, spiritus, diemeæ, durdales, & neufareni.* Et à facta separatione prædictorum cuilibet propria sua sedes præfinita, & essentia peculiaris prædestinata est. Vnde per se inuisibilia quidem, in nobis autem sensibilia facta sunt. Nullum enim elementum à supremo arcano subtilius creatum est ipso aëre. *Diemeæ* in duris saxis habitant. Tales enim cum aëre in vacuitatem creabantur. *Durdales* in arbores secesserunt. Separatio siquidem ipsorum in substantiam huiusmodi facta est. *Neufareni* in aëre terræ, seu in poris terræ habitant. *Melosiniæ* in humanum sanguinem diuerterunt. Separatio enim ipsarum ab aëre facta est in corpora & carnes. *Spiritus* distributi sunt in aërem, qui in chao subsistit. Cætera vniuersa in peculiaribus locis aëris sunt ac versantur, vnoquolibet definitum sibi locum occupante, & ab elemento aëris separato, ita, vt tamen in ipso habitet necessariò, nec locum illum mutare queat.

Aeris separatio & eius species.

Diemeæ in lapidibus habitant. Durdales. Neufareni Melosiniæ.

TEXTVS XIV.

PEr separationem autem elementorum, Aqua ad locum, ab arcano sibi prædestinatum, segregata est. Hoc pacto vniuersum, quicquid scilicet in ipsius elementari virtute & proprietate delituit, separatione altera pleniùs segregatū fuit, ac aqua in multa specialia mysteria, quæ vniuersa ex elemēto aquæ suam matricē desumpserunt, diuisa est. Pars quædā per separationē istam in pisces, eosq; formæ & speciei multiplicis, desciuit: pars aliqua abiit in carnea animalia, nonnulla in *salem*: haud pauca in plantas marinas, veluti *corallos, trina & citrones*: multa in monstra maris contra omniū elementorum modum cursumq; naturalem: non rara in *Nymphas, Syrene, Dramas, Lorind, Nesder*: aliqua in creaturas rationales, æternum quid in corpore suo ferentes, & seipsas propagantes: quædam denique, quæ totaliter emoriuntur: quædam quæ cum tempore demum separantur. Perfecta enim separatio elemēti aquæ plenè n ondum facta est. Magna etenim messe inundante seu appetente, quotannis noua crescentia in elemento aquæ emergere possunt. Et separatio quidem ista facta est in puncto separationis cæterorum elementorum,

Aquę separatio & eius species.

Coralli, trina citrones plantæ maris. Nymphæ. Syren. Dramæ. Lorind. Nesder.

elementorum, diei vnius penso, & sequestrationis motu. Adeoque istâ ratione res quælibet in aqua degens, in puncto momentoque simul & vnà per separationem creata & patefacta est.

TEXTVS XV.

Terræ separatio & eius species.

SImiliter etiam, cùm elementum terræ à reliquis seiungeretur, terrena *separatio* facta fuit, *separatio* scilicet *rerum omnium, quæ in vel ex terra oriuntur, aut ortæ sunt.* Quatuor enim elementa per omnia similiter in *mysterio magno* tempore primæ creationis delituerunt. Eadem similiter etiã ac in puncto vno diuisa fuerunt. Pariter porrò diuisa illa quoque sunt in sese inuicem, per separationem secundam, quæ elementaris vocatur. Et per separationem huiusmodi elementarem ex terræ elemento secreta sunt *sensibilia & insensibilia, æterna & non æterna,* vnoquolibet peculiarem suam essentiam & liberum arbitrium sortiente. Quicquid enim inibi naturæ ligneæ fuit, id factum fuit *lignum.* Secundum abiit in metallicas mineras: tertium in *marcasitam, talcum, bisemutum, granatum, cobaltum metallicum, pyriten,* & alia plura: quartum in *gemmas* formæ ac speciei multifariæ insuper & in *lapides, arenas, & calcem:* quintum in *fructus flores, herbas, & semina:* sextum in *animalia sensibilia, quorum alia æternitatis consortia sunt, vt homines, alia eiusdem expertia, vt vituli,* &c. Quorum species & differentiæ plurimæ numerari possunt: in terreno enim elemento multò plures species separatæ sunt, quàm in reliquorum vllo alio. Per seminis enim medium, & duorum, patris scilicet & matris congressum omnia propagata sunt: quod in cæteris elementis similiter ordinatum ac prædestinatum minimè est. Hic enim & *Gnomi* sunt, & *Syluestres,* & *Lemures:* quorum alij ad montes, alij ad syluas, alij ad noctẽ solam destinati sunt. Quin & gigantes in tertiam generationem separati sunt. Sunt etiam distributæ magnæ essentiæ, velut & stupenda miracula inter homines, pecora, & crescentia omnia, quod cuilibet Philosophiæ intellectu difficile est, adeoq; præter naturæ seriem modumque fieri putatur.

Mineralium differentiæ.

Terrena per semẽ propagantur. Gnomi. Syluestr. Lemures. Gigãtes unde orti.

TEXTVS XVI.

POstquam, vt dictum est, à principio rerum elementa quatuor à se inuicem separarentur ex materiâ vnica, in qua tamen complexio & essentia ipsorum non inerat: *Complexiones & naturæ per separationem illam emerserunt. Calidum* itaque ac *siccum* in cœlos abiit ac firmamentum, quolibet in suam proprietatem fatiscente. *Calidum & humidum* in aërem secessit, ex quo calidum & humidum inuisibiliter separata sunt. *Frigidum & humidum* in mare, & huic finitima, desciuit. *Frigidum & siccum* in terrram & terrena omnia degenerauit. Sed & contraria ex elementorum separatione orta sunt, quæ suis elementis similia haudquaquam apparent. Huius census est *calx*, quæ naturæ suæ respectu ignis non est, etsi ex igne oriatur. Cuius hæc est causa, quòd dissolutio in separatione elementi à natura ignea nimis longè desciuit. Ignis enim in se & frigidum & humidum continet. Ignis siquidem quadruplex est. Sic pariter & colores ab igne non semper sibi similes existunt. Alius enim ignis colorem facit album & lazurium. Ignis siccus facit rubrum & viridem. Ignis humidus facit cineteum & nigrum. Ignis frigidus facit croceum & rubrum. Hac etiam de causa procreatio vna altera etiam calidior est, quia nempe ignis vnus altero plùs minúsve graduatus fuit. Nec enim vnicus tantùm & simplex ignis fuit, verùm aliquot centeni exstiterunt, quorum tamen nullus eundem cum altero gradum habuit. Vnius cuiuslibet ergo procreatio, veluti ordinatum quoddam mysterium, ex suo certo subiecto facta est.

Complexiones quomodo natæ.

Calx est ex igne, nec tamẽ naturæ igneæ.

Ignis quadruplex.

Ignis diuersi gradus.

TEXTVS XVII.

POrrò nec ipsa aqua vnius speciei complexionem sortita est. Infinitæ enim aquæ in isto elemento delituerunt, quæ tamen aquæ verè omnes fuerunt. Philosopho cognoscibile non est, elementum aquæ tantùm ex se frigidũ & humidum esse. Centies enim frigidius est, & non humidius, ac insuper non tam ad caliditatem quàm frigiditatem referendum. Necenim elementum aquæ tantùm viuit vigétue in frigido & humido vnius gradus: sed ne in solidum quidem vnius gradus existit. Aquæ quedã fontes sunt, & hi multiplices. Nonnullæ sunt Maria: quæ iterum plurima & diuersa. Aliquæ sunt riui & flumina, quorum nullum alteri assimile est. Elementa quædam aquea in lapides ordinata sunt, vt sunt berilli, crystalli, calcedonij, amethisti. Quædam abierunt in plantas, vt corallus carabe: nonnulla in chimum, vt liquor vitæ: haud pauca in terram, vt liquor terræ. Et hæc sunt elementa aquæ, sub specie tamen multiplici. Nam quæ ex terra excrescunt à proiecto semine, hæc ipsa quoque ad elementum aquæ referuntur. Sic quæ carnea fiunt, vt nymphæ, ad elementum aquæ etiam referuntur. Etsi verò hoc casu elementum aquæ in complexionem aliam transmutari intelligatur: naturam tamen ipsam elementi, ex quo prodiit, nunquam deponit aut transgreditur. Quicquid enim ex aqua est, id denuò aqua fit. Sic quod ex igne est, iterum ignis fit: quod ex terra, fit terra quod ex aëre, fit aer.

Aquæ species variæ.

Aquæ differentia.

Nymphæ.

TEXTVS XVIII.

PAri omninò ratione etiam de elemento terræ sciendum est, quòd omnia, quæ ex terra constituta sunt, eiusdem naturam quoque retineant. Et licèt liquores mineralium quidem pro igne habeantur, ignis tamen illi minimè sunt. Nec enim sulphur ideò ardet, quòd ignei elementi sit, Frigidum namq; æquè ac calidum ardet. Et quod ardendo cinerescit, id non elementum ignis est, sed est ignis terræ. Et ignis iste pro ipso elemento habendus non est. Nec enim elementũ est, sed est tantùm consumptio terræ, aut ipsius substantiæ. Aqua enim non minùs ac aliud quiddam ardere, ac ad conflagrationem deduci potest. Quæ si iam ardet, tunc is est ignis aqueus. Præterea quòd ignis terræ vrat & inflammet, non ob id illicò is igneus censendus est: etsi huic is quodammodo similis sit. Philosophus enim simplex & sensualis est, qui elementum denominat secundum id, quod sentit. Quin potius ita cogitandum est, elementum ipsum longè aliud,

Liquores mineralium qui sint. Sulphur cur ardeat.

Aqua est conflagrabilis.

Philosophus ratione sensus denominat.

gẽ aliud, quàm talem ignem existere. Nam quã de causa? non omne quod humectat, est elementum aquæ. Nam & elementum terræ in aquam redigi potest, & tamen terra perpetuò manet. Eodem etiam modo, quicquid in terra est, elementi terræ est. Existit enim ac noscitur ex proprietate eius, ex quo prodiit, aut cui simile apparet. Silex durus & calcedonius ignem ex se emittunt. Ignis iste non est ignis elementalis, sed fortis expressio in magna duritie.

Terra in aquã redigi potest.

Silex & calced. ignem emittunt.

TEXTVS XIX.

AEris elementum plurimas in se procreationes continet, quæ tamen omnes meræ aër sunt. Et compertum hoc esse debet cuilibet Philosopho quod nullum elementum ex se procreet aliud, quã quod & quale ipsũ per se est. Simile enim perpetuò ex simili producitur. Sic ergo, cùm aër sit inuisibilis, visibile nihil ex se progignere potest. Pariter etiam, cùm sit impalpabilis, palpabile nihil producit. Itaque (vt sic dicam) melosiniat. Et si verò id ab aëre, imò ipse aër sit, nõ aliud: coniunctio tamẽ fit in elemẽto alio, quod est terra. Hîc enim coniũctio fieri potest ex aëre ad hominẽ, sicut in maleficiis & incãtationibus omnibus accidit per Spiritus. Idémque hîc iudicium est, quod de Nymphis. Quæ etsi sub elementi aquæ censu contineantur nec quicquam aliud sint liberè tamen cum terrenis congredi, & cum illis generare possunt. Similis compactio enascitur etiam ex aëre, quæ visibilis & tangibilis existat: non tamen vt procreatio quædã primæ separationis, sed tantũ vt consequentia. Sicut enĩ Scarabeus ex stercore oritur, sic monstrũ ex aëreo elemẽto formã corpoream assumere potest cũ aëreis sermonibus, cogitationibus, & factis, per commixtionem cũ terreno factam. Et tamen huiusmodi miracula & consequentiæ in aërem postea iterum fatiscunt, velut & Nymphæ in aquam reuertuntur, non secus ac homo putrescendo in terram redigitur & absumitur, quia ex terra ortus est.

Simile simile procreat.

Melosinæ quid.

Nymphe quid.

TEXTVS XX.

HOc ergo modo per magnam separationẽ procreationes, vna nempe subinde ex aliã, enatæ sunt. Ex procreationibus autem istis generationes aliæ emerserunt, quæ suum in istis procreationibus mysterium habent, non quidem vt separatio in simili formã prædictorum, sed velut error, aut abortus, aut excessus. Tonitru oritur ex procreationibus firmamenti; quod ipsum ex elemento ignis constat. Et est tonitru velut messis syderis in isto temporis puncto, quo tonitru maturuit ad agendum pro natura suã. Tempestates autem magicæ, ex aëre oriuntur, & in aërem iterum desinunt: non quòd illas ipsum elementum aëris gignat, sed potiùs aëris spiritus. Quædam corporaliter ab igne concipiuntur, velut gnomi ex terra. Similiter & stercora ex hominibus & pecoribus oriuntur, non ex terra. *Lorind* emergit ex naturalibus aquæ, nec tamen ab aquã est. Ex ista abundantia aut errore vel messe multa alia quoque gignuntur. Ex impressionibus enim nascuntur *homines distorti*, *vermes*, & generationes his similes plures. Ex *fatalibus* tempestatibus oriuntur infectiones regionũ, pestes, *annonæ caritas*. Ex *stercoribus* nascuntur *scarabei*, *erucæ*, *& dalni*. Ex *Lorind* colligitur vel intelligitur prophetia istius regionis; quod veluti præsagium quoddam est rerum futurarum, stupendarum, rararum ac inauditarum.

Tonitru vt fiat.

Lorind vnde generetur. Vermes vnde. Pestis vnde. Insecta vnde. Dalni. Lorind quid præsagiat.

TEXTVS XXI.

VElut ergo triplicem separationem ex mysterio in triplices formas factam iam percepimus: ita similiter separatio 4. & vlt. seu omnium postrema nunc quoque intelligenda superest. Post hanc enim alia nulla fit. Tum etiam cæteræ peribunt, nec mysterium amplius manebunt. Per istam enim res omnes ad primum suum principium reducuntur, solúmque manet id, quod ante *mysterium magnum* exstitit, & æternum est. Id verò non ita accipi debet, quasi ego in aliquid conuertari, aut quasi ab vltima separatione aliquid ex me fiat, nisi per mortem. In nihilum enim redigor, velut ratione ortus, ex nihilo prodij. Et cùm ad suum principium vniuersa reuertantur: qua ratione id fiat, noscendum est. Quando in nihilum vertuntur, tunc in suo primo consistunt. Primũ enim in principio inquiri debet. Quid verò id sit, quod in nihilum abeat, vnũ ex arcanis putandũ est. Anima in me quę habitat, ex aliquo facta est. Vnde non in nihilũ abit: quia scilicet ex aliquo condita est. *Sed ex tali nihilo nihil fit, nihil generatur.* Effigies, in tabulam depicta, cũ adest, ex aliquo certè facta est. Nos autem non ita ex quodam, velut imago, in æthere constituti sumus. Hoc quare? Quia ex *mysterio magno* prodiimus, non ex *procreato*. Itaque in nihilum reuertimur nos. Et imago si spongia abstergatur, dum nihil sui post relinquit, tabula ad priorem suam formam redit. Sic nimirum creaturæ vniuersæ ad statum suum primæuum, hoc est, ad nihilum redigentur. Vt autem sciamus, quia de causa corpora omnia in nihilum redire debeant: statuendum est, id fieri propter æternum, quod in corporibus rationalibus viget. Et vltima huiusmodi separatio est vltima materia. Ibi enim multæ procreationes, permixtiones, conuersiones, transmutationes, alterationes, & similia alia fient, quæ omnia cognoscere non est humani captus.

Separatio quarta qualis fit.

Ad suum principiũ qui omnia redeantur.

Hominis & imaginis discrimen.

Hominis & tabulę comparatio.

Materia vltima mirabilis.

TEXTVS XXII.

POrrò quemadmodũ per Philosophiã constat, quòd omnia illa, quæ caducæ seu mortali rei auxiliaria subueniunt, cùm ipsa æquè quoq; mortalia sint, nec quod diuisum est, iterũ coniũgi possit, veluti lac, quod coagulatum semel, integritati suæ denuò non restituitur: ita philosophandũ nobis pariter est, quòd *mysterium magnũ* in id non redeat, ex quo processit. Vnde statui debet, creaturas omnes picturam esse summi arcani, adeoq; nihil quicquã aliud, quã illitum parieti colorem. Sic enim sub æthere versamur, vt vnum æquè ac alterum destrui & in nihilũ verti possit. Velut enim imaginis tabula destructioni & conflagrationi obnoxia est: ita pariter etiã *magnum mysteriũ*, & nos cum ipso. Et sicut res vniuersæ creaturarum cum ipso mysterio pereunt, absterguntur, & minuuntur, veluti sylua quędã, quæ in exiguam cineris molẽ deflagrat, ex cinere autem parũ vitri conficit; vitrũ porrò in paruum berillum, & berillus in ventũ abit: eodem modo nos quoq; cõsumemur, ab vno transeuntes in aliud, donec nostri nihil amplius supersit. Qualis enim

Lac coagulatum ad se nõ redit.

Creaturæ sunt picturæ magni arcani.

Cupressus ex paruo grano.

enim ortus creaturarum: talis earundem interitus. Et si ex paruo grano *cupressus* enasci potest: eadem certè in tam exiguam molem redigi potest, quàm paruum fuit primum illud granum. Granum enim & berillus similia sunt. Et sicut à grano est principium: sic in berillo finis. Hoc itaque modo separatione facta, ac vnoquolibet ad suam naturam, seu primum principium, hoc est, *nihilum redacto*: tunc intra æthera nihil amplius est inæterni, sed sine fine. Id enim ex quo inæternum existit, ibi multò latiùs vigebit quàm ante creaturarum initium. Nec enim fragilitatem in se aut mortalitatem habet. Et sicut vitrum per creaturam consumi non potest: ita nec æterna illa essentia per æternum in nihilum redigi potest.

Granū est rerū principiū: berillus finis.

TEXTVS XXIII.

CVm ergo separatio postrema creaturarum omnium dissolutio sit, vnúmque subindè post alterum consumatur & pereat: ex isto iam istarum rerum tempus cognoscitur. Post generationem enim creaturarum, in ipsis nullus interitus fit. Semen enim rei veteris pereūtis locum supplet. Et hoc modo æternum quid etiam in mortalib. sine interitu apparet, per renouationem seminis alius, quod Philosophus ignorat. Nullum enim semen, æternum admittit seu constituit. Sed tamen putrefactionem: quando quod æternum est, ad æternum recipitur. Et hoc respectu solus homo ex creatis omnib. æternum in se continet cum mortali iunctum. Quandoquidem ergo dictâ ratione *mortale & æternum* coniunguntur: cognoscendum est, quòd mortale stomacho essentiam præparet, & corporis meritum sustineat. Quod vna hâc ex causa fit, quòd hominis æternum æternum viuat, mortale autem fragiliter emoriatur. Itaq; vt corpus, ita etiam æternum quod ab illo corpore prouenit. Adeoq; hæc res toti Philosophiæ stupenda obuenit, quòd mortale dominetur, quasi & imperet pro suo nutu ipsi æterno, & hoc adeò ab ipso homine dependeat. Is ergo hoc pacto sui æterni plus consors est, quàm iste, à quo hominis mortale simul & æternum manauit. Vnde etiam colligi potest, quòd mortalia creaturarum vniuersarum simul habitent, rationale nempe & irrationale, vno alterius vsui subinde succurrente, & quòd in mortale æternum insertum sit, hæcq; ambo simul inhabitent. Vnde Philosophia docet, ea omnia quæ simul ac vnà habitant, *sine dissidio & bello, sine dolo & fraude, sine bono & malo*, destrui & consumi non posse. Quod tamen fit, si vnum alteri aduersatur. In illis autem, in quibus æternum non habitat, iudicium non reperitur. Ea verò, in quibus æternum est, iudicio non carebunt. Constitutâ itaq; hoc modo discordia, vnum æternum alteri omnino rationem & debitorum pensationem reddere cogitur de istis, quæ vnum alteri inflixit. Cúmq; recompensatio spectet ad æternum: à mortali non suscipitur illa. Etsi enim corpora sese inuicem ferant & concilient: tamen si hîc aliquid superest, id æternum est. Itaque solum æternum in nobis iudicatur. Et dum vnū ab altero rationem exigit, mortalia omnia, quæ æternum in se gerunt, emori coguntur, ita vt solum æternum supersit, sine concursu corporis. Ita iudicium completur. Illud enim solum æternū est, nec eius plus est, in vltimo interitu omnis mortalis. Quòd si ergo, quæ æternū in se complexi erant, ita interierunt: nihil remanet aliud, quā quod per se ęternū fuit, & mortale aluit auxitq;. Quod enim nihil prodest, id in creatura nō manet. Propter solum enim æternum cætera adsunt. Hinc etiam fit, vt vnà cum isto, quod æternum in se habuit, omnia, quæ illud sustentarūt, simul pereant, & emoriantur. Solum verò æternum superest. Ex quo patet rerum corporalium finis, ad nihilum, in quod omnes res desciscūt. A suâ enim essentiâ separantur in nihilum, hoc est ab aliquo, in nihilum. In homine autem perfecta separatio, hoc est, æterni à mortali, desideratur. Hîc enim liquet iudicium, quod vniuersis, quæ intra æthera continentur, fragilitatem rerū denuntiat. Et si ratio nulla propter fragile fieret, interitus in creaturis nullus esset, sed omnia forent æterna. Cuius tamen causa hoc vnica est, quia nempe nos mortales in iustitia non habitamus, nec recta inuicem iudicia ferimus, nec iudicandi æterni potestatem accepimus. Hæc enim competit æterno. Quod fieri cùm opus sit necesse est nos omnes cogi & conuenire. Ita rerum omnium interitus reperitur.

Mortalia quæ æterna.

Nemo æterno consors.

Destructio à cōtrariis.

Destructioni quæ obnoxia.

TEXTVS XXIV.

CVm ergo dictum sit, ex *mysterio magno primo* omnia creata esse, & similiter interire: consequenter iam, mysterium magnū aliquod existere euidens est. Hoc nihil est aliud, quàm, si ex verbo domus aliqua exstrueretur. Vbi res ita intelligenda venit, quòd soli supremo illud adiaceat, sicut homini possibile est, ignem prolicere, vbi ignis non est, ex non igne. Silex enim ignem non habet in se, licèt ignem ex se emittat. Noscendum itaque est, in *mysterio magno, mysteria prima* omnia latuisse & inexstitisse, modo triplici, respectu vegetabiliū, elementariū, & sensibiliū. At vegetebilia fuerūt, multa centena, multa millia. Genus enim quoduis in mysterio magno suū singulare habuit. Sed ad elementa, tātùm quatuor fuerūt. Hæc enim quatuor tantū principia habuerunt. Homines autem sexcenta. Habuerunt enim aliud *loripedes*, aliud *cyclopes*, aliud *gigantes*, aliud *mechili*. Similiter etiam qui habitant *in terra, in aëre, in aqua, in igne*. Sic etiā crescentium genus quodlibet mysterium proprium suū in *mysterio magno* habuit, vnde multifaria creata emerserūt. Quot enim arbores, quot homines, tot etiam mysteria. Et tamen æternum solum dominatur in homine, & vniuerso eius mysterio, nec in vno magis quàm altero. In *mysterio magno* nullū genus fuit, quod non infinitè formaretur & coloraretur, vno subinde ab altero diuerso. Quæ tamen interire omnia debent. Quid verò indè porrò fieri possit, id dicere nos supersedemus. *Nouum enim mysterium magnum impossibile est*: nisi id multò mirabiliùs fiat, quodque propter admirandam sui naturam speculari satis nequeamus.

Mysterii magni [illegible]. Res [illegible] plures: Mysterio. Mysteriorum infinita.

LIBER SECVNDVS.

TEXT. I.



CVm ergo aliquid fuerit, per quod in separationem perueniens, res omnes creatæ prodierint: principiò discrimen aliquod

quod tenendum est Deorum, idque huiusmodi. Quandoquidē ergo creata diuisa sint in *aeternū & mortale*: huius causa est, quòd alius creator exstiterit mysteriorum, non summus & potissimus. Summus enim iste iudex esse debet & castigator vniuersarum creaturarum, qui cognoscat, quantū illis concessum sit, scil. vt agant vel bonū, vel malum, ex ipso licèt non natum. Præterea creata ad malitiam semper stimulantur potiùs ac instigantur, compelluntúrque per astra, per fatum, & per infernale: cum tamen si creata ex ipso summo prodiissent, fieri minimè posset, vt in proprietates illas malitiæ vel bonitatis cogeremur, sed liberâ per omnia voluntate frueremur, sine impulsu tali: cū interim tamen creatura sapientiæ tantum non habeat, vt bonū malúmve cognoscat, aut æternū ac mortale intelligat. *Multi enim fatui sunt & amentes, vixq́ millesimus quisque sapit: ac plerique sunt falsi Prophetæ, Doctores mendaciorum, Magistri inscitiæ*, qui pro creaturis præcipuis apertè habentur, quales tamen non sunt. Causa rei euidens hæc est, quòd creaturæ tales simus, qui à Magistris bonum perfectum non accipimus, sed à mortalib. Diis præcipuè conditi sumus, qui in *mysterio magno* aliquid quidem potestatis habuerunt, & tamen ab æterno in iudicium sibi & nobis positi sunt.

TEXT. II.

IAm si, vt per separationem cognitum est, ex solis quatuor creata vniuersa constare & prodire opus fuit: quatuor ista omnino matrices creaturarum omnium erunt, & elementa vocantur. Et licèt creatum quodvis quidem adhuc elementum sit, aut elementi portionem habeat: id tamen instar elementi se non habet, sed instar spiritus elementi. Tum etiam nihil citra elementum subsistere potest. Præterea nec ipsa simul elementa stare queunt. Res siquidem nulla est, quæ in elementis consistat vel quatuor, vel trib. vel duob. sed elementum vnum seorsim existit, & creatum quodvis vnicum tantum elementum habet. Mera illa cæcitas est, eorum, qui *Humidum* pro elemento aquæ, aut *vrens* pro elemento ignis habent. Non enim secundum corpus, aut substantiam, aut qualitatem, elementum definiendum est. Quod enim oculis conspicuum est, id tantùm subiectum aut receptorium est. Elementum autem est spiritus, & viget viuitque in illis rebus, sicut anima in corpore. Et hæc est prima materia elementorum inuisibilis & impalpabilis, & tamen in omnibus. Prima etenim materia elementorum nihil est aliud, quàm vita, quam habent creata. Quicquid verò mortuum est, id in nullo amplius elemento subsistit, sed in vltima materiâ, in qua nec gustus vllus, nec virtus ac vis viget.

TEXTVS III.

CVm ergo quatuor matribus, quatuor scilicet elementis, res vniuersæ creabiles fuerint: Porrò iam notandum est, ipsa quatuor elementa rebus omnib. creandis suffecisse, & nec plura nec pauciora requisita esse. In rebus siquidem mortalibus plures quàm quatuor naturæ subsistere nō possunt. Sed tamen in immortalib. temperamenta subsistere possunt, non elementa. Quicquid enim elementura (sic voco) est, id dissolubile est. Contrà verò temperatura dissolutionem in se non habet. Ipsius enim conditio ista est, vt nihil illi accedat, nihil abscedat, nihil putrescat, nihil pereat. Cùm ergo mortalis ista sit, vt dictum est, conditio, intelligendum est omnia in 4. naturis subsistere, & naturam quamlibet sui elementi nomen tenere. Calidum nempe est elementum ignis: Frigidum est elementum terræ: Humidum est elementum aquæ: Siccum est elementum aëris. Vbi hoc iuxta tenendum est, quamlibet dictarum naturarum peculiariter seu seorsim talem esse. Nam ignis tantùm calidus est non siccus, non humidus. Terra solùm frigida est, non sicca, non humida. Aqua tamen humida est, nec calida, nec frigida. Aër tantum siccus est, nec calidus, nec frigidus. Ideò etiam elementa vocantur. Vnius enim tantùm & simplicis naturæ sunt, non duplicis. Ipsorum tamen in omnia creata declaratio intelligi debet, vt elementum, quod cum substantia & corpore subsistat, & ibi operetur. Summus autem de elementis intellectus is est, quòd vnicam tantum singula naturam habeant, & simplicem, vel humidam, vel siccam, vel frigidam, vel calidam. Hoc enim à cōditione spirituum est. Spiritus siquidem quiuis in natura simplex est, non duplex: qua ratione ipsa quoque sese elementa habent.

TEXTVS IV.

ET si verò mortalibus nobis composita insint, velut calidum & humidum: res tamen se minimè habet pro opinione veterum. Colica enim est ex elemento ignis, nec composita est ex caliditate & siccitate, sed tantùm calida est. Similiter etiam complexiones cæteræ. Itaque si morbus quidam cum calore & siccitate iunctus deprehendatur: cogitandum est duo ibi elemēta existere, alterum in splene; & similter etiam in membris cæteris. Duo verò elementa non sunt in membro vno. Certum enim est, in quolibet membro elementum peculiare habitare, quod medicis definiendum relinquimus. Hoc verò commodè dici haudquaquam queat, quòd duo elementa simul ac vnà consistant, aut quòd elementum vnum idemque calidum & humidum. Nec enim compositū tale dari potest. Elementa siquidem composito carent, ex causâ prędictâ. Vbi namq; calor est ibi nec frigus est, nec siccitas, nec humiditas. Sic pariter, vbi frigiditas est, ibi cæterorū nullum adest. Idem sentiendum etiam de humiditate & siccitate. Vnumquoduis enim elementū per se simplex & solitarium est, non in compositione duplex. Quæ verò possibilitati elementorū de coniunctione, vt potè caloris cum humiditate, Philosophia attribuit, nihili sunt. Nullum enim elementū aquæ calorē fert. Sic nec calor vllus in humiditate subsistere potest. Quoduis enim per se elementum est priuatim. Sic pariter etiam frigus per se pati nō potest siccitatem. Id enim per se intaminatum subsistit. Et hæc de propria essentia elementorū dicuntur & intelliguntur. Et quæuis siccitas est dissolutio frigoris. Quantò minùs enim humiditas & siccitas coniungi possunt: tantò minùs etiā frigiditas & siccitas humiditásue, aut caliditas & siccitas coïre aut vnà consistere queunt. Sicut enim contraria sunt calor & frigus, ita contrarietatis etiā rationem

Marginalia (left): Creatorum mortalium diuersitas. — Homo ad malitiam incitatur. — Elem. 4. matres omnium. — Elementum quid sit. — Prima materia elem. quid. — Ex elementis omnia fiūt.

Marginalia (right): Elementum & temperam. quid differant. — Elem. 4. nomina. — Elementorū natura simplex. — Elem. & Spiritus simplices. — Colica quid & qualis. — Elementa non sunt coniuncta.

rationem habent calor frigusque ad humidum & siccum.

TEXTVS V.

Ex eo verò, quòd ex 4. elemētis res omnes cōstitutę sunt, euincere velle, illa necessariò in coniunctione consistere, erroneum est. Quælibet enim coniunctio est compositio. Quia componuntur, ideò Mysteriū esse non possunt. Mysterium enim quoduis est simplex, & elementum vnicum. Discrimen verò inter elemēta & composita eiusmodi est. Elementum, velut & mysterium generare potest diuertallū. Compositum autem generare nihil potest, nisi sibi simile: veluti homines faciunt homines. Mysterium autem sibi ipsi Mysterium simile non producit sed contrarium, vt diuertallum. Elementum ignis genitrix est stellarum, planetarum, ac firmamenti totius, & tamen istorum nullum huic simile formatum & constitutum est. Elementum aquæ constituit aquam, quæ elemento aquæ planè contraria est. Ipsa enim elemento aquæ per se, minùs humida est. Elementum siquidem aquæ ipsum eiusmodi humiditatem habet, quæ molliat lapides & dura metalla. Huiusmodi insignis molliendi vis per aquam substantialem illi adimitur, vt virtus ipsius perfecta non sit. Elementum aëris adeò siccum est, vt vno momento omnes aquas resiccet. Vis tamen ista aufertur & infringitur per aërem substantialem. Elementum terræ adeò frigidum est, vt ad vltimam materiam reducat omnes creaturas, aquam scilicet ad Crystallum, & (*) ad Duelech, animalia ad marmor: arbores ad gigantes. Fundamentum ergo noscendorum elementorum hoc est, vt intelligatur, ipsa tam insignis & promptæ actiuitatis aut efficaciæ esse, vt nihil ipsis simile aut inueniri aut cōcipi aliud possit. Res verò, in quibus illa habitant, ab ipsis attractæ & assumptæ sunt, veluti fatum, quod corporale fit, & sine illis ne quidem tantillum virtutis habet.

Elementum & cōposita vt initāt. Diuertallum.

Ignis qualis.

Aquæ elem. mollit metalla & lapides.

Aër. elem. siccat rapidissime.

Terr. elem. refrigerat impensissima.

TEXTVS VI.

Vt autem, quid elementum sit, pleniùs intelligatur, sciendum est, elementum nihil esse aliud, quàm animam. Non quidem, quòd eiusdem cum animâ essentiæ sit, sed similitudine ipsi quâdam respondeat. Discrimen enim est inter animam elementi, & animam æternam, Anima elementorum est creatorum omnium vita. Ignis, qui vrit, elementum ignis non est, vt nos videmus sed eius anima, nobis inaspectabilis, ignis elementum & vita est. Iam verò elementum ignis non minùs in viridi ligno inesse potest, quam in igne. Ipsa tamen vita non æquè adest, ac in igne. Inter animam ergo & vitam discrimen est. Ignis enim si viuit, vrit. Si verò in anima est, hoc est, in suo elemento, vstione vacat. Nec verò illicò, quæ res frigida est, à frigido elemento orta prodiit. Potest enim etiam frequenter esse à calido. Et multa frigida ab elemento ignis prostant. Quicquid enim crescit, ex elemento ignis est, sed tamē in alia forma. Quicquid fixum est, ex elemento terræ est. Et quicquid nutrit, est ex elemento aëris. Et quicquid consumit, ex elemento Aquæ. Crescere enim solius elementi ignis est. Is vbi deficit, ibi nullum incrementum est. Et nisi elementum terræ faceret, crescentiæ nullus finis foret. Id enim figit, hoc est, ignis elemento terminum imponat. Sic pariter, nisi elementum aëris ageret, nutritio nulla perfici posset. Ex solo enim aëre omnia nutriuntur. Nihil etiam dissolui aut consumi posset, nisi elementum aquæ in causa esset. Per hoc enim omnia mortificantur & in nihilum rediguntur.

Ignis & animæ comparatio. El. ignis quid sit.

Quæ elementorū quorūlibet proprietates.

TEXTVS VII.

Et si verò elementa hoc pacto in aliis planè inuisibilia & insensibilia existant & abscōdantur: sua tamen mysteria expromendi vim habent. Sic elementum ignis ex se dedit firmamentum: non quidem ratione corporum, sed ratione essentiæ elementaris. Sol enim corpus habet aliud, quàm quod ab elemento ignis acceperit. In ipso tamen hoc cum calore essentialiter inest. Nec enim calor eius à motu vel rotatione: sed ex seipso est. Et licèt Sol quidem staret, nec vnquam moueretur, cum splendore tamen suo ardorem expromeret. Crystallus etenim ab elemento ignis Solem dedit, licèt hic corpus aliud non habeat, quàm quod ab elemento ignis accepit. Ex isto enim elementa (vt ita loquar) corporata sunt. Luna & astra reliqua suum quoque similiter ortum ex elemento ignis acceperunt, sed tamen secundùm colorem tantùm rubineum, in quo nullus calor aut ardor, sed tantùm splendor quasi mortuus hæret. Et licèt varia quidem signa secundū formas & species in cœlo appareant, quas hîc minimè recensemus: tamen forma talis intelligenda est, qualis de nobis in terra. Nec enim vnica tantùm, sed multifaria est, nobis aut cognita, aut incognita. Quando enim mysterium elementi ignis diuisum fuit: quodlibet enatum prodiit, quale aspicimus. Ideòque astra sunt filiæ elementi ignis: nec cœlum est aliud quàm chaos, hoc est, vapor ex firmamento halans, vsque adeò feruidus, vt satis enarrari nequeat. Feruor iste seu calor coruscationes dat, & colores ac apparentias. In illa enim regione purum elementum ignis est, sicut suo loco latiùs dicetur.

TEXTVS VIII.

Qvo verò modo varias species & essentias ignis protulit: eodem ipsum quoque aëris elementum similes produxit. Quanquam discrimen aliquod sit inter quadruplicia elementa in ipsis, quæ ex ipsis procreata sunt. Quoduis enim priuatum quid & peculiare procreauit. Firmamentum reliquorum trium nulli simile est. Fatum ex aëre nec ipsum tribus cæteris simile est. Signata terræ cæteris tribus ne in minimo quidem comparari possunt. Eodem modo & monstra marina ad reliqua se habent. Vnum enim quodlibet elementum tam rationalia quàm irrationalia in se procreauit. Sic cœlum non minùs in firmamentis creata rationalia habet, quàm elementum terræ. Eodem modo & fatum aëris ratione & brutalitate distinctum est in sua signaturâ. Idem verum quoque est de terra & aqua. Iam verò quisnam is est, qui inter quatuor elementa signata veritatem nobis attestari possit, quinam sint isti, quibus tradita & mandata sit vera fides, & recta salutis via, aut qui soli æternitatem possessuri sint, quod hocloco omittemus? Iam verò fieri aliter non potest, quin in omnibus quatuor homines

[illegible]

homines habitent, nō secus ac in elemēto vno, scil. terrà. Sed de fato tamen sciendum est, quod eius generatio ex elemento multiplex sit, & tamen sine omni corpore ac substantiâ, secundùm proprietatem aëris (qui corporeus non est) vnà cum ipsius habitatione. Alia enim habent corporaliter, alia intangibiliter, prout res intelligitur.

TEXTVS IX.

[illegible]

PRopalam notum est, quòd ex semine vno radix emergat in multa filamenta distributa. Postea surgit caulis, porrò penduntur rami, prodeunt flos, fructus & semen. Similis ratio etiam est multiplicium procreationum ex 4. elementis. Adeoque omnes illæ, quæ ex vno elemento sunt, sibi inuicem cohærent, velut ex vno semine herba enascitur. Quanquam semini suo non promiscuè omnia consimilia sint. Quæ enī ex aquâ procreata sunt, partim sūt homines, partim animalia, partim horum alimēta. Vnum etenim elementum suam signaturam liquit, velut & necessitatem & sustentationem: tum etiā indicium fecit sui cursus & aduentus, quod facillimè per astra cognoscitur: non quòd illa nos regant aut inclinent, sed tantùm, quòd nobis consimiliter currant, & internum corporis nostri motum imitentur. Et in elemento aquæ nihilominùs omnia fiunt, quæ fiunt in elemento terræ. *Lorind* enim est commotio mutationis istius elementi aquæ. Hoc se commouetur. Et *Lorind* instar cometæ se habet. Et monstrum aquæ similiter accipi debet, ac error firmamenti. Adeoque in aqua peculiaris mundus cognoscendus est, vnà cum suo mysterio, vsque ad finem mundi. Nullum enim in ipsis aliud principium est, quàm in elementis cæteris. Nullus enim finis eorum alius, quàm qualis in elementis cæteris deprehenditur. Solumq; discrimen, est formarum, essentiæ, naturarumque, cum suis signaturis, elementisque aduenientium. Nobis itaque 4. mundi, secundum 4. elementa & habitationes primarias intelligendi: Secundùm iustitiam verò, vnicum tantùm æternum, in omnibus quatuor similiter cognoscendum est.

Lorind quid.

Mundi qui quatuor sint.

TEXTVS X.

Homo ex terra.

IN elemento terræ multum nobis intelligētiæ situm est, quòd ex ipso nos prodierimus. Simile enim quoduis suum simile intelligit. Intellectus autem elementorum cæterorum ex Philosophiâ defluit. Hoc autem simile est, ab experientia manans ex qua postmodum Philosophia oritur. Et tamen sicut elementum terræ procreauit signatum, ita cætera quoque similiter procrearunt. Vt nobis sunt lapides, ita ceteris elementis nihilo magis deficiunt. Quamquā isti lapides ad formam nostram non sint facti, sed ad formam suam & propriam. Elementa cætera, sua quoque mineralia nobis non minùs habent. Cœleste enim firmamentum tam florea quàm lapidea mineralia promit, quæ nos inter miracula referimus. Quanquam hîc hallucinemur ibi potissimum impingentes, quòd cursus naturales inter prodigia enumeramus, & instar prophetarum præsagimus, firmamenti hanc vel illam faciem singulare quid portendere, cùm tamen secundùm ipsius cursum naturalem talia contingere potius censendum sit. Quòd si quid aliquando tale eueniat: nostrum cursum seu statum talem fuisse, credendum est. Interim si quod elementorum errorem patitur, idem cætera quoque labefactat. Perfecto enim & inimpedito motu omnia currere debent. Et licèt nobis quidem tria cætera elementa ad nutriendum deseruiant: nihilominùs tamen reliqua tria deseruiunt firmamento, aërique & aquæ, ac illis, qui in istis habitant. Vnumque subinde ab altero suum nutrimentum captat, veluti multæ arbores in horto. Nec minùs firmamenti defectus & errores à nobis obseruari possunt, quàm defectus nostros animaduertit firmamentum. Idem iudicium etiam de reliquis est.

Lapides in omnibus elementis.

Error de miraculis cœlestibus.

TEXTVS XI.

SImplex ergo & inanis ista Philosophia est, est, si in nostrum saltem elementum scil. terræ, omnem beatitudinem & æternitatem conferamus. Ac sententia illa stulta est, quâ nos solos pro creaturis omnium nobilissimis venditamus. Plures enim mundi sunt: nec nos soli in nostro. Tum etiam hæc inscitia multò capitalior est, quòd nec homines istos qui ex eodem nostro elemento oriūtur, ceu sunt nocturnales, gnomi, &c. nouerimus. Et licèt ipsi quidem nō sub aperto cœli fulgore habitent, nec firmamenti lumine vtantur, sed oderint, quod nos amamus, & ament, quod nos odimus, præterea etiā nobiscum nec forma, essentiave, nec sustentatione conueniant: id tamen nobis admirationi esse minimè debet. Tales enim in mysterio magno conditi sunt. Nec nos soli facti: verùm multo plures, quos minimè cognouimus. Sic ergo statuendum est, non simplex tantùm & vnicum, verùm plurima corpora in mysterio magno cōclusa fuisse, licèt in genere tantùm inexstiterint æternum & mortale. Quàm variis autem formis ac speciebus elementa omnia produxerint, enarrari satis non potest. Dubium tamen hoc omne tolletur, vbi rerum istarum omnium æternitas conueniet. Eo loco certè multa incognita, explorata & viis multis noscibilia fient, non de iis tantùm, qui æternum in se ipsis habent, sed etiam de istis, quæ æternum illud sustentarunt, aluerūntque. Æternum enim duobus modis intelligendum est. Vnum est regni & dominationis: alterum est ornamenti & decoris. Hoc enim contra Philosophiam pugnat, flosculos suâ æternitate carere. Qui etsi quidem pereant & arescant: tandem tamen in collectione omnium generum apparebunt. Ex mysterio enim magno nihil est creatum, quod non imaginem extra æthera habiturum sit.

Homines terreni non soli beati.

Nocturnales. Gnomi, &c. quales.

Æternū est duplex.

Flosculi æternū in se habent.

TEXTVS XII.

CÆterū, vt procreationes vniuersæ indicāt, rerum omnium matres quatuor, nec plures, nec pauciores, esse oportuit. Non verò, quòd hoc intelligi possit ex fundamēto vniuersalis demōstrationis de præsente Mysterio magno, quale in principio secundū proprietates suas apparet: Sed potius mysteriū magnū cognoscitur & intelligitur per mysteria vltima & per procreationes, quæ ex primis ortæ prodierūt. Non enim ipsum principiū, sed finis, Philosophum & Magistrum facit. Cognitio enim rei secundū perfectā naturā, in solo fine ipsius essentiæ inuenitur. Fieri fortassè plura potuerunt elementa, quàm nobis data sunt. In nouissima tamen cognitione rerum omnium, tantùm quatuor deprehenduntur.

Myst. magn. vnde cognoscendum.

Elemēta tantū 4. rerū mortalium.

duntur. Et licèt arbitrari quidem possimus, facile fuisse Deo, qui quatuor tantùm creauit, eâdem operâ plura creare: tamen cùm videamus, in sola quatuor, mortalia omnia constituta esse, plura his simul rectè stare non potuisse, haud malè censemus. Verisimile etiam videri possit, quod post 4. dictorum elementorum interitum, deinceps alia exoritura sint secundum omnem essentiam prædictis dissimilia: aut quòd post iam factarum creaturarum interitum nouum mysterium magnum futurum sit, cuius quàm præteriti melior & maior cognitio habeatur. Nos tamen hoc fundamentum hîc non ponimus: sed vnicuilibet, qui principij mundi peritus esse velit, necessarium esse dicimus, vt consideret, mundi ortum ex elementis esse: & sicut elementa quatuor sunt, ita quatuor etiam mũdos esse, & in quolibet genus peculiare, suis necessitatibus instructum subsistere.

Mũdi 4. pro 4. elemẽtis.

TEXTVS XIII.

Elemẽta non omnia omnibus insunt.

ET si verò in quatuor dictis elementis res omnes subsistant: nos tamen ita minimè statuimus, quòd in rebus vniuersis quatuor elementa insint, aut quòd quatuor elementa in omnibus habitent. Ratio ista est. Mundus qui ab elemento ignis separatus & procreatus est, is nec aëre, nec aquâ, nec terrâ opus habet. Pari ratione mundus quoque aëris reliquorum triũ nullo indiget. Quod ipsum æquè de terra quoque & aëre verum est. De elementis enim doctrina hoc non tradit, quòd opus sit mundum à quatuor elementis sustentari: sed potius vnũquodlibet ab vno elemẽto, hoc est, ab eo, ex quo exortum est, conseruari. Et licèt inficias minimè eam, quòd firmamentum mundum per elementares suas virtutes, quæ totæ igneæ in terram defluunt, nutriat: ea tamen nutritio necessaria minimè est. Nec enim mundus à seipso interiturus est, verùm sibi ipsi ad sustentandum sufficit, veluti etiam mundus alius seipsum nutrit citra opem terræ. Exempli causa. Aquæ terra nihil confert ad essentiam suam propriam. Nec vicissim terræ aqua. Idem de aëre iudica. Nobis tamen interim causa hæc non sufficit, quòd vnusquisque mundus solitariè seu per se subsistat in suo elemento: sed ista potior est, quòd nempè lumen de cœlo, velut extractum quoddam sit quatuor elementorum, & nobilissimum in plena & perfectâ proprietate. Nemo autem ex his arbitretur, solem ex elemento ignis splendorem suum & motum accepisse, vt nec planetas sed potius ex arcano. Itaque splendor firmamenti in mundum deradians non ab elemento ignis, sed ab arcano manauit. Terra enim ex se dat *Tronum*, aqua *Turas*, aër *Samies*. Et hæc non ex elemento prodeunt, verùm ex arcano, & in elemento insunt. Et ex arcano quatuor mũdi hoc modo concordant, vt sibi inuicem vsui sint, & mutuum nutrimentum præstent, seque sustentent. Non tamen ex natura elementorum: nam elementa ipsa sunt.

Firmamentum quomodo terrã nutriat.

Lux cœli quid sit.

TEXTVS XIV.

Vita, visus &c. hominis vnde.

QVòd homo viuit, videt, audit, &c. id non ab elementis habet, sed ab arcanis, & potius ex monarchia. Eodem modo & creata reliqua. Solum hospitium & nutrimentum elementare est. Sic etiam intellige, quòd quicquid æternum est, ex arcano prodeat, & id sit. Canes moriuntur: ipsorum tamen arcanum manet. Homo moritur: at ipsius arcanum manet, & magis etiam anima, quæ facit, vt tot gradibus cane dignior sit. Idem cense de crescentibus similiter omnibus. Ex hoc enim nascitur error, quòd in nouo mysterio magno vltimò apparebunt omnia creata, quæ vnquam exstiterunt, non essentialiter, vt iam, sed arcanè. Non autem dicimus, arcanum esse essentiam similem immortali, sed esse hoc perfectè. Elementum ignis in se habet arcanum. Ex hoc trib. reliquis accedit seu affluit lumen, splendor, influentia, incrementum, non autem ex elemento. Hæc enim arcana etiam citra ipsum elementum subsistere possent: vt etiam elementum citra arcanum. Sed porrò attendite, quòd elementum aëris in se habeat arcanum, ex quo nutrimentum omnib. reliquis tribus, & sibi ipsi accedit non elementariter ex ipso, sed arcanè per elementum. Elementum terræ arcanum in se habet mansionis & fixationis, quod cæteris impertit virtutes durationis & generationis, ne quid intereat. Elementum aquæ arcanum habet sustentationis omnium elementorum, & quicquid in ipsis est, conseruat, vt destructione vacet. Hoc itaque respectu discrimen est inter elementum & arcanum. Alterum est mortale seu caducum, ex elementis: alterum est permanens in vltimo mysterio magno, in quo omnia renouabuntur, nec tamen alia fient quàm fuerunt.

TEXTVS XV.

COnclusum ergo est, elementa omnia simul minimè iungi: sed aut tota esse aërea, aut ignea, aut terrea, aut aquea, solitariè & impermixtim. Confectum verò etiam hoc est, elementum quoduis seipsum nutrire, seu id, quod ab ipso est, ceu suus mundus. Hâc ergo de causa medicina elementi aquæ non iuuat illa, quæ sunt ex elemento terræ, aut alio quodam, sed tantùm Nymphas, Syrenes, & similia alia. Sic etiam medicina terrea non iuuat tres alios mundos, sed tantùm animalia sui mundi. Eadem ratio etiam aëris est. Nam & in aëre sunt morbi, medici, docti, indocti, veluti in suo proprio mundo, suum peculiarem motum habentes. Idem quoque de igne sentiendum. Quòd si verò quandoque accidat, vt Nymphæ etiam cum terrenis congrediantur, & liberos procreent: cogitandũ est, id fieri posse ob facultatem raptus. Per vim raptus aërea quoq;, ceu Melosinæ, cum terrenis coëunt. Ita ex igne etiã ad terrena rapiuntur *trifertes*. Quòd si ergo tres peregrini isti mundi in mundũ nostrum homines, vt diximus, inserunt: tota sua essentia illi respectu nostri instar deorum cognoscendi sunt, propter ingentem distantiã & essentiã admodum peregrinam, quam habent. Quòd si ex nobis homo vicissim rapiatur ad ipsos: contrarius fit raptus è nobis ad ipsos. Sic ergo elementa elementis minimè opus habent: sed tantùm vnum alterius arca aut conceptaculum existit. Sicut aqua & terra se separant inuicem: sic pariter & aër ignisque quilibet partem peculiarem occupat, nulla contiguitate alia, quàm instar parietum, & incalinationis cranorũ ex illis quatuor omnibus facta.

TEXTVS

TEXTVS XVI.

Quòd si tandem secutura sit coniunctio seu congregatio, quâ omnia redibunt in essentiam suam pristinam: tunc id erit arcanum, & quidem secundum asspectum seu faciem elementorum. Ibi enim corporale nihil ex generatione apparere potest, sed facies & præsentatione exhibitio contentarum omnium generationum locum supplebit istum, ac ita vnicuique cognita erunt, quæ vel ante ipsum vel post ipsum facta sunt, quæ adeò erunt cognita, quasi incoram ipsis oculis olim visa fuerint, sed in hoc tamen est sensus absconditus mysterij magni vltimi. Nec enim ex naturâ, sed ex scientiâ causarum vltimæ separationis elementorum & omnium creaturarum illud scietur seu constabit: vbi quilibet rationem reddet de morte sua: ea causa est caduci, & viuentis & permanentis. Ibi enim vnicus iudex erit, qui potestatem habet ab æterno, & à sæculo ad sæculum iudex vnicus fuit. Hæc etiam causa seu origo est religionum & variorum mystarum diis seruientium: qui mos omnis falsus & erroneus est. Nec enim præter vnum Deum vllus alius vnquam exstitit, qui iudex fuit ab æterno. Et stultitia nimis impia est, mortalem, caducum, & putrescentem colere velle pro auctore rerum creatarum, & rectore æterni. Quicquid enim moritur gubernandi & regendi vim nullam habet. Via ergo ac religio est tantùm vnica, nec plures temerè asserendæ.

Iudex vnus ab æterno.

Religionum diuersitas.

TEXTVS XVII.

Hoc ergo modo si ad prædestinationes redeunt, quæcunque creata sunt: ibi arcanū fiet. Prædestinatio enim est materia vltima, quæ erit sine elemento, & sine præsenti essentiâ: sed temporatum & incorruptum magis sequacia erunt. Hæc enim non ex spiritu intelliguntur, sed ex natura, cum euidentia hac, quòd aliquid æternum sequatur mortale. Nam si insensibilis planta perit, tunc in locum eius succedit æternum. Nec rerum fragilium seu caducarum vlla in toto mundo est, quæ in suum locum non quoddam æternum substituat. Nihil enim inane, nihil ex mortalibus sine successione æterni creatum est. Post finem enim creatorum omnium, æterna ista conuenient & colligentur, non tantùm vt nutrimenta sed potiùs ad magisterium, naturæ in caduco simul & æterno. Et sic æternum est indicium dissolutionis naturæ & non principium creatorum, ac finis in rebus omnibus quo nulla natura caret. Et si verò fatales etiam, velut Melosinæ, & Nymphæ æternum post se relicturæ sint: de ipsorum tamen corruptione hîc nihil tractabimus. Multiplex enim putrefactio hîc intelligitur, prout quatuor mundi sunt. Sic enim putredo est terrea, est aërea, est ignea, & est aquatica. Vnumquodlibet enim vnà cum suis concreatis ad interitum cum relicto æterno vertitur & deducitur. Quatuor tamen istæ putredines in vnam similitudinem redigent suum æternum notoriè & spectabiliter non cum operibus, sed cum essentiâ. Solitaria enim habitatio est quid æternum, multis tamen discretionibus pollens.

Prædestinatio quid.

Mortalia æternum post se relinquunt.

Putredo quadruplex.

TEXT. XVIII.

Silentio autem minimè præteribimus EVESTRVM, secundum suam essentiam, quod aut mortale est, aut immortale. Euestrum enim res est instar vmbræ in pariete. Vmbra crescit & oritur cum corpore, & cum eodem manet, vsq; ad vltimam eius materiam. Euestrum originem suam habet cum primâ rei cuiusque generatione. Animatum enim & inanimatum, sensibile & insensibile coniunctum sibi habent Euestrum, & quicquid vmbram dat. TRARAMES autem intelligitur veluti vmbra essentiæ inuisibilis. Nascitur enim cum ratione & imaginatione animalium intelligentium & brutorum. De Euestro & Trarame philosophari, summę sophię est. Euestrum enim dat prophetiam. Trarames dat acumen. Prophetari enim, quę euentura sunt homini, animali, ligno, &c. ex Euestro vmbrato est. Quid ratio sit, est ex Trarame. Ideoque Euestra vel principium habent, vel non habent. Principiata dissolutionem in se habent, cum superstite ęterno. Non principiatum, principiatum ad Traramium ita acuendi in intellectu vim habet. Euestrum mortalę cognoscit ęternum. Cognitio hęc est mater prophetę. Fundamentum enim omnis intellectus ex euestro, quasi per lumen naturę extrahitur seu elicitur. Ideoque Propheta euestrat, hoc est, vaticinatur ex euestro. Si verò prophetatur spiritus, id extra lumen naturę est. Ideò nobis fallax, impostorium & incertum est, sicut etiam certum & verax. Et hoc modo Trarames quoque, vmbra rationis, diuidi vult.

Euestrū quid.

Trarames est euestrū rerum inuisibilium.

Euestri differentiæ quæ.

TEXT. XIX.

Porrò autem in dissolutione rerum vniuersarum Euestrum quoq; & Trarames dissoluentur, non tamen sine reliquiis ęterni. Sic ergo euestrum perinde est, quasi ęternum firmamenti in 4. mundis. Firmamentum enim est quadruplex secundum 4. mundos, in 4. perfectas essentias diuisum, vnoquolibet mundo perfectè suum creatum respiciente, quod & ipsum tale est: vnum in terra ex firmamento: vnum in aqua, aëre, igne. Firmamentum autem, quod in euestro est, est dispersum: non stellę, vt asspectabiles sunt, sed sunt firmamenta Nymphis, quę stellę non sunt. Nec enim stellis vtuntur: peculiare sed & proprium firmamentum habent, veluti Fata; ignea suum quęlibet priuatum cœlum, terram, mansionem, habitationem, firmamentum, stellas, planetas, & similia alia, quę alteri ne minimum quidem similia videntur. Sicut aqua & ignis, substantia & impalpabile, visibile & inuisibile mutuò se habent: ita se quoque habent istiusmodi. In his euestrum diuisum est ad fatalia, & manet ipsius vmbra post essentiam à dissolutione: ac euestrum post ignem adhæret igneo homini, sicut alterum aqueo, ac itidem terreo. Hoc euestrum dementat & eludit mundum, adumbrans se per fraudem ex vno mundo in alterum, exhibens visiones splendores, signa, formas & species. Ex hoc enim oriuntur euestrum cometarum, euestrum impressionum, euestrum miraculorum. Tria tamen ista euestra sunt euestra prophetica, & euestra vmbrata. Ideò sublimis & illustris intellectus est inter euestra propheta & vmbrata.

Firmamentum est quadruplex.

Euestrorum magnus numerus.

Euestr. Prophet. & vmbrat.

TEXTVS

TEXTVS XX.

VT autem euestrum prophetam cognoscamus, cumprimis ac maximè opus est. *Turban* enim magna est essentia eiusmodi, quæ præsagit vniuersa, quæ in 4. mundis fiunt. Quicquid autem monstrosè & contra naturam aut contra communem opinionem ac vitam futurum est, id cognoscitur per euestrum prophetam, quod sumitur & se adumbrat ex *turban* magnâ. Et necessarium est, Prophetam magnam turban cognouisse. Ardui enim intellectus est, & cum ratione vnitur. Possibile ergo est mortali, turban magnam cognoscere vsque ad extremam suam resolutionem. Ex hâc Prophetæ omnes locuti sunt, In ipsa enim sunt omnia signa mundi. Ex ipsa euestra omnia nascuntur: ex ipsa adumbrantur cometæ, stellæ prodigiosæ, quæ præter consuetum cœli cursum oriuntur. Ex turban omnes impressiones suum principium, non ex firmamento aut astris sortiuntur. Quoties enim inauditum quid & rarum fieri debet, prodromi excurrunt & prænuntij, quibus futurum malum populo præsagitur. Nec ea præsagia ex natura sunt, verùm ex euestro prophetico. Omnes epidemię, omnia bella, omnes seditiones sua præsagia habent, quæ ex *turban* oriuntur. Et qui euestrorum proprietatis cognitionem habet, is Propheta ac vates est rerum futurarum omnium. Rerum enim omnium supremus cum mortalibus non sermocinatur, nec ad ipsos de throno ac sede sua angelos mittit talia pronuntiaturos: sed ex magna turban ista præsciuntur & intelliguntur, quam multi Pagani ac Iudæi pro Deo coluerunt, in vero de Deo sensu & intellectu excœcati.

Turban magna quid.

Eius præstātia & sublimitas.

Turban magna pro Deo culta.

TEXTVS XXI.

QVandoquidem verò euester obumbratus cum quolibet creato nascatur & oriatur: sciendum est, ex eo porrò prognosticari posse fortunam & vitam eius rei, cuius euestrum sit. Pro exemplo. Infans si nascitur, cum ipso simul nascitur euestrum, iugiter in ipso expressum, vt ab incunabulis vsque ad horam mortis de infante præsagiat, & quid futurum sit, demonstret. Ita si quis moriturus sit, mors non appellit priùs, quàm euestrum pronuntiarit id, vel pulsando, vel concutiendo, vel cadendo, vel alio quodam huius generis exemplo. Per quod si euestrum sentiatur; præsagiri potest, hoc mortis esse signum. Euestrum quin etiam cum æterno vnitum est. Post mortem enim hominis euestrum super terram manet, & indicia dat, an homo in gaudio vel pœnâ versetur, suâ generatione. Nec quod simplices faciunt, dicendum est, id esse hominis spiritum aut animam, aut mortuum ipsum illic obambulare, Hoc enim defuncti hominis euestrum est, quod loco non cedit, vsq; ad extremum terminum, quo omnia conuenient. Hoc euestrum signa operatur. Diui enim per solum suum euestrum miracula operati sunt. Et sicut Sol splendore suo calorem, naturamq; & essentiam suam expromit: ita in nobis se habent quoq; euestra præsagientia & prophetica, quibus credendum est. Moderantur enim illa somnum, insomnia, rerum futurarum præfigurationes, rerū naturas, rationem & concupiscentias & cogitationes.

Euestrū vmbratū quid indicet.

Euestrū à morte in mūdo superest.

Diui per euestrū miracula ediderunt.

TEXTVS XXII.

HOc itaque modo cum futura prænoscantur in elementis, ex eo, in quo euestra habitant: euestra quædam erunt in aqua, quædam in speculis, quædam in crystallis, quædam in politis vnguibus: nonnulla intelligentur per commotiones aquarum, aliqua per cantus & animum. Hæc enim omnia euestrari (ita loquor) possunt. Maximus enim ac optimus Deus euestrum habet mysteriale, in quo inspicitur ipsius essentia & proprietas. Et per euestrum mysteriale cognoscitur omne bonum, & omne illuminatum. Sed econtrà damnatus & ipse euestrum in mundo habet, ex quo cognoscitur malum, & vniuersum id, quod legem naturæ violat & corrumpit. Etsi verò ista duo etiam euestrent tamen ad vitam nostram nihil attinent. Non enim nisi per nostrum euestrum nos ipsos cognoscemus. In creaturis omnibus sunt euestra: quæ iuxta etiam vniuersa Prophetę sunt, siue rationales, siue irrationales, sensus consortes vel expertes sint. Nam euestrum est spiritus, qui Astronomiam docet. Non quòd per natiuitates & prognosticationes ex stellis illa cognoscatur: sed ipsius esse (vt ita dicam) ex euestris est: in his est ipsius ens, sicut imago in speculo, aut vmbra in aqua, vel terra. Et qua ratione crescentia augentur & minuuntur, ita se astra quoque habent. Non quòd ex propria natura talem suum cursum habeant, & ex terra humidum & frigidum oriatur: sed tantùm quòd terræ essentia talis sit. Ita adumbratur in cœlo & per partes quidem, non tamen aliter, quàm velut euestrum, & non ceu potentia.

TEXTVS XXIII.

HViusmodi euestra quoque corrumpentur, & tamen non citra æternum interibunt. Nec euestra ipsa respicientur: sed plenè adhabitabunt illis, quorum sunt. Ex quo sibi quisque consultor iam erit, vt præ omnibus rebus seipsum adhorretur & cognoscat. Euestrorum enim natura ac numerus infinitus est. Hæc ducunt dormientes, præmonstrant bonum malúmque, inquirunt cogitatus perficiunt labores seu operas sine corporali motione. Adeò res euestrum mirabilis est, & mater rerum omnium in Prophetis, in Astronomis, in Medicis. Et nisi intellectus ex euestro petatur: ibi naturæ cognitio nulla est. Sicut enim furtum suspendium, & nubes pluuiam, & lotium morbum indicat: ita euestrum omnia monstrat, nullo excepto. Ex ipso enim locutæ sunt Sibyllæ & Prophetæ, sed veluti per soporem ac insomnia. Et hoc quidem modo euestra in quatuor mundis se habent, quorum vnum alteri semper præsagium, imaginem & miraculum communicat: quæ per dissolutionem & regenerationem suam multò magis admiranda deprehendentur. Nec hîc omittemus dicere quòd euestrum sit relictum æternum, & sustentamen religionum, & operatio cœlestium. Sola enim felicitas, beatitudo, summum bonum, & extremum iudicium mouent & instigant nos acriùs & profundiùs rimari & peruestigare, quid discriminis inter ista duo sit, hoc est, inter verum & falsum: quod non spiritualiter, sed naturaliter expendi & cognosci debet.

LIBER TERTIVS.

TEXTVS I.

RES existens quælibet necessariò corpus habet. Huius ratio modusque est, vt intelligatur, sese id habere instar spiritus fumosi, qui substantiam non habet, nec corpus est, nec tangibilis est. Horum verò etsi nullum sit ex ipso tamē nasci possunt & corpora & substantiæ. Sic de Arsenico effumante intelligendum est, quòd post generationem corporis nihil amplius videatur de fumo spiritus, non secus, ac si vniuersum in corpus redactum esset. Quod tamen ita se non habet. Subtilissimum enim in loco illo generationis adhuc superest. Et sic per separationem visibile iuxta ac inuisibile simul nascuntur. Hâc ratione modoque res omnes prognatæ sunt. Lignum superstitem adhuc spiritum habet, ex quo separatum est. Sic & lapides, & res omnes, nulla exceptâ. Eius enim essentia adhuc superest, prout ab ipsa separata fuit. Homo quoque similiter nihil est aliud, quàm reliquum ac superstes de separato fumo. Notate autem hoc ita, quendam exstitisse spiritum, ab illâ sorde consit homo & subtilissimum est in spiritu. Et est is spiritus, hoc est, indicium duplicis æterni: vnius *caleruthi*, alterius *meritorij*. *Caleruthum* est indicium in primo æterno. Alterum id quærit seu appetit, hoc est, Deum. causa ista naturalis est, quòd omnia affectent seu contendant ad id, ex quo prodierunt, seu ad naturas illas, quæ ista contigerunt. Quicquid enim condens, dum faceret, adhibuit: id ipsum res quoque condita appetit & sectatur. Et hoc ita intelligi debet, quòd res condita ex natura vel instinctu naturali non appetat suum conditorem, sed id potius sectetur, ex quo prodiit. Sic corpus humanum appetit materiam, ex qua separatum est, & non Deum: nec enim ex ipso sumptum est. Et materia ista est vita & habitatio, in qua meritorium æternum manet: sic ad suam essentiam quodlibet redit.

TEXTVS II.

CVm ergo res quælibet ortus sui, hoc est, mysterij, ex quo nata est, appetens sit: iam porrò intelligendum est, rem illam esse vitam æternam: & quod indè venit, esse mortale. Nihilominus tamen in mortali manet ęternum, hoc est, anima, sicut idem aliùndè etiam discitur. Et si res caduca in statū suum pristinum redire debet, id ratione non fit aliâ, quàm hâc, vt permanentia iterum coniungantur, & tum demum collectio & vnio rerum adest. Forma verò & substantia rerum prætereuntium & non prætereuntium, ex spiritu illo fumi prouenit, non secus ac ex nube grando vel fulgur emergit, quæ corporalia sunt & materia illa, ex quâ prodierunt, inuisibilis manet. Sic ergo statuendum est, quòd res omnes ex inuisibili oriantur, & tamen citra ipsius damnum: semperque materia idem regenerandi vim habet. Hinc etiam fit, quòd totus mundus more niuis transiturus sit, & rediturus ad eandem materiam spiritus fumi, & citra omnem essentiam tangibilem coïturus seu coaliturus. Et isto modo iterum pronasci potest primum. Hinc etiam cognoscitur, nullum creatum existere, quod genitum sit, sed tamen conditum seu creatum. Sic enim *bonum* summum in principio rerum omnium constituit, vt quidvis ita ex inuisibili proueniat, & corporale fiat: & posteà à corpore iterum separetur, & denuò inuisibile fiat: Tunc nimirum iterum copulantur omnia & vniuntur, atque ad materiam primam reducuntur. Et si quidem ita vniantur, discrimen tamen aliquod & differentiam inuicem habent. Alterum enim alterius hospitium est: alterum hospitij incola est. Ista enim rerum omnium habitatio est: sensibile scilicet & insensibile ad conditionem & locum istum redire vniuersi debent. Siue enim rationale siue irratationale sit, nihil certè mutationis huius expers erit, sed omnino ad habitationem suam, ex qua separatum est, redibit & comparebit.

TEXT. III.

SIc etiam vnumquodlibet corpus siue substantia tangibilis, nihil est aliud quàm fumus coagulatus. Vbi tenendum est: coagulationem esse multiplicem. Vna inclinat in lignū; alia in lapidem, tertia in metallum. Ipsum verò corpus nihil est, quàm Fumus, ex materia vel matrice, in qua est, exspirans. Sic nimirùm quod ex terra crescit, Fumus est elatus ex liquore Mercurij, qui varius est & multiplicem fumum emittit pro herbis, arboribus, & similibus aliis. Is autem fumus si ex suo primo egreditur, seu quàm primùm ex mrtrice exspirans aërem peregrinum contingit aut impedit, illicò coagulatur. Fumus itaque hic iugiter ac continenter euaporat. Quamdiu ergo appulsus ille æstuat, tamdiu res crescit, cessante bullitione, cessat etiam effumatio. Sic terminatur etiam coagulatio & crementum. Lignum est fumus ex *Derses*. In ipso latet specifica, ex qua lignum fit. Nec ex isto tantùm fumo fit id: sed fieri idem etiam potest ex materia dersica alia. Pari modo *Leffas* est materia bulliens, ex cuius fumo nascuntur omnes herbæ. Sola enim herbarum prædestinatio est *Leffa*, non alia. Deus enim in specificis multò mirabilior est, quàm in naturis reliquis omnibus. *Stannar* mater est metallorum, primam materiam metallis suggerens suo fumo. Nihil enim metalla sunt aliud, quàm fumus ex *Stannare* coagulatus. Ac *Enur* fumus est lapidū. In summa, quicquid corporeum est, aliud non est quàm coagulatus fumus, in quo specifica prędestinatio latet. Omnia etiam denique instar fumi resoluentur. Specificum enim, quod coagulat, potentiam non habet, nisi ad tempus definitum. Idem de coagulatione etiam intelligi debet. Nam corpora vniuersa tandem in fumū abibunt & vanescent, nec in aliud quàm fumum terminabuntur. Is consumptio est viuentium simul & mortuorum corporalium.

Corp⁹ est fumus coagulatus.

Corpora vt ex fumosiant.

Derses. Lignū è fumo dersés. Leffæ ex fumo oriuntur herbæ.

Stannar mater metallorum. Enur materia lapidum.

Corpora in fumū interitura.

TEXT. IV.

HOmo fumus est coagulatus. Ex solis enim corporis bullientibus vaporibus & membris spermaticis materiæ spermaticæ coagulatio fit In huiusmodi vaporem etiam resoluetur idem: vt interitus ortui similis sit. Præterea in nobismetipsis nihil videmus aliud, quàm hominem coagulatum fumum, ex humana prædestinatione formatum. Quicquid etiam assumitur ac editur, non nisi fumus ex liquoribus coagulatus est. Ideoque si ingeritur,

Homo ex fumo coagulatus.

Cibi fumi sunt coagulati.

id à vita consumitur hac ratione, vt coagulatio iterum soluatur & liquescat, sicut glacies à sole liquatur vt postea instar fumi in aërem euanescat. Vita enim cōsumit omnia. Est enī illa spiritus consumptionis omnium corporalium & substantiarum. Et hoc loco attendendum est ad separationem mysterij digesti. Si enim res quælibet ad statum suum, vnde orta est, redire debet: adeoq; aliquid editur, tunc vnà cum vita consumitur. Hoc in iis tantùm est, quæ non transmutantur. Transmutatio enim nō retropellitur aut reprimitur. Et quęlibet transmutatio fit per vitā. Ita ergo alteratur transmutatio in fragilitatem corporis: sed tamen à corpore iterum separatur. In putrefactione enim ipsius transmutatio nullā amplius vim habet & in putrefactione mysteriū digesti sequitur. Interim separantur inuicē proprietates omnes, quas homo in sese habuit ab herbis, & reb. aliis, quodlibet ad essentiam suam redeūte. Et separatio hæc similis est illi, per quā, quæ res decem vel duodecim permiscentur, iterū disseparantur, ita vt suam peculiarem essentiā quælibet recipiat. Sic esitatio nihil est aliud, quā dissolutio corporum. Vnde materiæ corporum separantur in vomitionib. & alui deiectionib. quòd nihil sint aliud, quàm fumus fœtidus, bono permixtus. Natura siquidem tantùm subtili studet, crassum elidens. Nam lapides, metalla, & terrę, deniq; omnia à vita soluūtur: nec alia ipsorum à corpore dissolutio est, quā quę per vitā fit.

Vita est causa trāsmutationis.

TEXT. V.

PORrò æquè etiam intelligendum iam est, quomodo essentiā suam quoduis recipiat. Hoc rei nulli cōparari aptiùs potest quā igni, qui ex duro silice elicitur inflāmans ac ardens præter omnem cognitionem naturalem. Sicut ergo absconditus istę ignis oritur, & in operationem abit: eâdem omnino forma ac specie essentia etiā in naturam ducitur. Hîc putate vobiscū, in principio exstitisse rem vnam, sine omni inclinatione & specie, ex qua postea vniuersa prodierint. Origo ista aliter se non habuit, quā vt temperatus color quidam, exēpli gratia, purpureus, in se inclinationem ad alium colorē nullum habens, sed in iusta sua tēperatione conspicuus. Et tamen in isto colores omnes insunt. Ex eo enim separari nequeunt colores, ruber, viridis, cyaneus, luteus, albus, niger. Horum verò colorū quilibet multos iterū colores cœcos parit, & tamen vnus quilibet per se integrè & rectè tinctus est. Et licèt multiplices quidem & contrarij colores in ipsis lateant: nihilominùs tamē vniuersi sub colore vno abscōditi sunt. Eodē etiā modo resquęlibet essentiā suam in mysterio magno habuit, quod postea supremus architectus separauit.

Exemplum de colore ad explicādum Mysteriū magnū.

Crystallus ignem emittit, non ex natura ignea, sed ex soliditate ac duritie. Idem in se etiā cætera elementa condit, nō essentialiter, sed materialiter, ignem nimirum ardentem, auram spirantem, aquam humectantem, terram nigram ac siccam. Præter hæc omnia in permixtione suarum qualitatum colores omnes idem possidet, in ipso tamē absconditos, sicut ignis in chalybe latet, qui nec vrēdo nec splendendo, nec colorē iactando se prodit. Et hoc respectu colores omnes, omniaque elementa in re qualibet insunt. Quomodo autem omnia in omnia hoc modo perueniāt & penetrent, si quis sit, qui scire satagat, is credat, hæc omnia fieri & accurari ab vnico illo, qui rerum omnium fabricator & architectus est.

TEXT. VI.

ETsi verò natura, vt dictum est, inuisibiliter in corporibus & substantiis iaceat: inuisibilitas tamē ista ad visibilitatem deducitur per medium ipsorum corporū. Prout verò cuiusque essentia se habet: ita visibiliter cōspicitur in virtutibus & coloribus. Corpora autem inuisibilia rationem aliam non habent, quàm huiusmodi corporalem. Ideò attende, quòd inuisibilia in se contineant omnia elementa, & in omni elemēto operentur. Possunt ex sese emittere ignē & virtutem sui elementi: sic etiā aërem, vt homo halitum: item aquā, vt homo vrinam. Sunt etiā naturæ terræ, & à terrâ ortæ. Hoc verò ita accipe, quòd liquor terræ indies bulliat, & spiritū subtilem, quem in se habet, extra se in sublime expellat. Ex hoc nutriuntur inuisibilia, atq; ipsum firmamentum: quæ sine vapore esse nequeunt. Tam enim incorporea quàm corporea cibo potuq; opus habet. Hâc de causa lapides prouenīūt ex terra, sed ex consimili tamen spiritu ipsorum naturę. Vnusquilibet enī ad se attraxit suum. Et huiusmodi oriuntur spectra, & igniti dracones ac alia plura. Si ergo tā inuisibilia, quā visibilia in sua essentia versantur, id ex natura mysterij magni habent, sicut lignum ardorem concipit à lumine siue cereo, huic tamen nihilo decedēte. Et licèt quidem corporeum non sit: corporeo tamen aliquo indiget ad defugiendam mortem, quod per lignum fit. Eodē modo inuisibilia omnia per visibile quoddam sustentari nutriri ac augeri opus habent. Cum quibus iuxta tandem etiā peribunt & finientur: sed operationem tamen & actiuitatem sam in se habentia sine iactura aut damno aliorum: nisi effusio istorum fiat, corporeorum scilicet & visibilium. Quanquam per inuisibile id fiat, & inuisibili deprehendatur, &c.

Reliqua (sine dubio enim vlterius progressus est auctor) non habentur.

SEQVITVR

FRAGMENTVM PRINCIPII OPERIS ANATOMIÆ THEOPHRASTI.

Quod an eâ dispositione absoluerit, ignoratur.

PROLOGVS GENERALIS IN LIBROS OMNES ANATOMIÆ THEOPHRASTI.

Anatomiæ diuisio.



QVÆLIBET *anatomia corporis aut archei duplex est vna est: integra: altera est fracta. Integra rursus est duplex: vna est* Idechtri, *altera* Monstri. *Et vtraque harum propriam suam anatomiam habet. Anatomia etenim primæ creaturæ distributa est in Idechtrum & monstrum.*

Altera facta est anatomia Physica, tractans de morbis, Idechtrum onerantibus. Qualis enim anatomia Idechtri: talis etiam morbi. Sed vt in tradendâ rectè anatomia pergamus, primum opus est, vt anatomia Idechtri probè cognita sit: secundò, vt anatomia monstri teneatur. His singulis proprij libri in nostro volumine addicti sunt. Secundum opus est de anatomia morbi, cui sui canones in proprijs libris dantur. Et hæc est anatomia medica. Prima, Physica, vt dictum est, tractat de anatomia corporis, quæ vno volumine continetur. Sed vt de anatomia archei loquamur, est anatomia anthrotos, quam intra anatomias duas colloco, quasi mediam in Idechtro.

Sic ergo est prima anatomia Physica: secunda Vitæ: & tertia Medica. Et Medica anatomia est anatomia Cheros, quatuor anatomias complexa, secundum quatuor matrices elementorum. Ita septem anatomiæ constituuntur: Vna est similis Idechtro: secunda est monstrosa: tertia morbi: quarta sequentiū elementorum. Differt autem anatomia morbi ab anatomia elementorum, in eo, quòd anatomia morbi morbum secat. Quòd verò ab anatomia quatuor matricum (ita loquar) anatomizatur, est anatomia praxis. Et harum sunt septem. Septenarum autem omnium principium est experientia: Postea scientia: denique author. Anatomiæ septē sunt. Anatomię morbi & elementi vt differāt.

Finis Prologi.

AD LECTOREM.

De anatomia, Lector, dum tracto, qui scilicet illa ex ideo in Idechtrum manet, & simul adeò de anatomia Archei, praxis & elementorum: stylum quæso nostrum nihil admireris, si fortassis, nouum quid, ac à prioribus meis editis anatomijs diuersum trado ac propono. Aliquæ quidem descriptæ sunt: & tamen Relolleum naturæ illo in loco explicatum non est. Imperfectam autem anatomiam tradiderunt Medici cùm veteres tum nouitij: nec ægris sanandis etiam plùs, quàm describenda anatomia profuerunt. Septem equidem anatomias pono. Quas siquidem ex tuis libris non eruo & demonstro: omnes tamen demonstrat ac probat, cùm experientia, tum scientia, ac egomet, ceu ipsarum Auctor. Pars anatomiæ ex philosophia stabilita est, non vestris Philosophis. Pars altera ex medicinâ constituitur, non vestris medicis. Pars vltima fundata est in naturalibus, non per vestros naturales. Anatomiam archei describo: quæ vobis cognitu necessaria est. Trado anatomiam Idechtri, vt sciatis, quid integrum sit. Doceo anatomiam medicam, vt corruptum discatis. Profiteor anatomiam naturalium, vt integer & perfectus medicus fiat. Tu, Lector, volumina tua lege, & lege itidem mea. Quod dum facis, tam meam quàm tuam experientiam intuere, ac vtrorumque scientiam æstima, imò disce, quod solum fundamentum te in auctorem creet: ars imò tua, non fastus & pompa Academica. Vale. Relolleum. Anatomiæ septē sunt.

Argumentum in primum librum anatomiæ Idechtri.

Ideus quid. IDeus vel Ides est portio illa, ex qua creaturæ omnes exortæ sunt. Hæc in duabus essentiis continebatur. Corpus creatorum est vna: altera est creatorum vita. Principiò iliaster fecit corpora: his factis, vitam præterea indidit, & ides separauit, virtutémque in ipso absconditam eliciuit & nomen creaturæ ingessit. Ideò duæ sequuntur anatomiæ, *corporis & vitæ.* Hîc autem tantùm de corporibus agemus: vbi prima est anatomia hominis: secunda animalium: tertia arborum: quarta herbarum: sicut se ista suis capitulis insequentur. Ideus duplex. Iliaster corpora primum fecit.

ANATOMIÆ LIBER I.
TRACTATVS I.
CAP. I.

Protoplastus ex ide. IN toto *ides* vnicus tantùm homo latuit. Is ab iliastro extractus est, & protoplastus factus.

Protosina, Zenda, Perenda. Iam porrò, si quod extra hunc protoplastum huic anatomiæ simile sit, velut *protosina,* aut alia, quæ ratione formæ conueniant, vt *Zenda & perenda*: tunc generationes eæ sunt extraneæ, extra *idechtrum*, & est hæc *Cenata* (aliàs monstrosa) anatomia in animalibus, arboribus, & herbis similiter. Quicquid verò protoplastum & ipsius *protosina* æmulatur, id in anatomia idechtri comprehenditur, cui vlterius annectitur anatomia de *Zendis & perundis*, agens de hominibus, vt siluanis, gigantibus, igneis & nocturnis, &c. Horum enim generatio est ex fæce, quæ *idechtro* adhæsit, & in formatione abundauit. Nihil enim integrum fit, quod non aliquod corruptum, simile sibi, iuxtà experiatur. Sic se habet celpha ad arborem, celpha ad animal. Duæ ergo hîc anatomiæ pro vnâ accipiuntur, *de idechtro & perundis.* Cenata anatomia qd. Anat. zendorum & perūdorum quid sit. Celpha.

Præcedentia hæc ex scripturâ amanuensis cuiusdam Paracelsi habentur. Quæ iam sequuntur, ex Autographo ipsius Theophrasti descripta sunt, in quibus dicuntur quædam paulò clarius.

HISTORIA PROLOGI IN ANATOMIAM primam de corporibus, id est, idechtri.

IDes vel *ideos* portio fuit illa, ex quâ omnia creata sunt. In hac essentiæ duæ continebantur: Corpus nempe creatorum, & ipsorum vita. Principio Iliaster fecit corpora: postea horum vitam, quam ex *Ideo* dedit. Ex his duę anatomiæ patent: vna corporum: altera vitæ. Nos hîc de corporibus solùm. Primò est anatomia hominis: postea animalium: porrò arborum: denique herbarum. Et anatomiæ cuilibet suum capitulum priuatim assignatur, cæteris non confusis.

Finis historiæ prologi Theophrasti in librum primum anatomiæ idechtri.

LIBER PRIMVS.
CAPVT I.

IN vniuerso *ideo* vnicus tantùm homo inexstitit. Is ab Iliasto extractus est. Et est *protoplastus.*

protoplastus. Porrò ex hoc ipsius fœmina. Ex his binis vniuersi homines. Præterea quicquid ad humanam anatomiam natum est, ita vt homini conueniat & conferri queat, id *Zonda* est, & est generatio sine muliere, & *peronda*, & est generatio amborum. Hæ generationes extraneæ sunt etiam in animalibus, arboribus & herbis. Et ex homine sunt, *feri*, *gigantes*, homines ignei, homines nocturni. Horum generationis occasio est, quòd in ideo quolibet genuinum & integrum iaceat: postea etiam fæx, quæ istos profert. Quælibet enim generatio in *idechtro* est integra: postea sunt etiam ipsius segmenta seu ramenta. Sic nempe, domus ex ligno asciata: ipsum ac genuinum est ædificium. Lignum hoc dat ramenta de se, ex quibus ipsis etiam domus exstrui potest, non tamen vera aut iusta.

Protoplastus, &c.

Zonda. Peroda.

Sic multa quoq; ligno similia sunt, non autẽ idechtro. Ita in anatomiâ interpretationes duę sunt: vna, totius hominis: & altera zendarum & perendarum. Tractatus ergo iure duo sequuntur: primus de Idechtro: alter de Zendis.

Schedula.

TRACTATVS PRIMVS.

Sicut statuarius ex arrepto ligno, imaginem sculpit & dolat, & inutile seu superfluum omittit: aut sicut ex argillâ figulus ollam tornat, ineptum reiiciens: talem se quoque gessit Iliaster, dum ex Ideo sculpsit hominem, postea animalia: porrò arbores: tandem herbas. Reliquum quod superfuit fæx & ramenta, fuerũt ordinata ad basin & fundamentum, ex quo ipse erat. Non ergo in anatomiam idechtri poni debet, ob causas, quas ipsius anatomia demonstrat.

Iliaster similis fabro.

Alia Schedula.

Idechtrum est primus homo, & prima arbor, & prima creatura, sit cuiuscunque rei.

Idechtrũ quid.

Ides, ideos, est globus siue materia, ex quâ homo & elementa condita sunt.

Ideus quid.

Anatomia archei est anatomia vitæ, prout in hominis quolibet membro iacet, ibi incipiens, vbi anatomia idechtri desinit, id est quando vita infunditur.

Archeus quid & eius anatomia.

Anatomia idechtri est consideratio, quomodo homo & creata omnia primò fuerint constituta, antequam vita illis adderetur.

Anat. idechtri quid.

Anatomia medicinæ est anatomia, quæ tractat de corpore, aliter constituto ac esse debebat, hoc est, de corpore morboso.

Anat. Medicinæ quid.

Anatomia monstrosa est abortus naturæ, suam peculiarem anatomiam habens.

Anat. mõstros. quid.

Anat. elementorum sunt 4. considerantes medicinam 4. elementorum, quomodo illa secundùm anatomiam institui debeat.

Anat. elemen. quot.

Protoplastus est primus homo.

Protop.

Protosma est prima mulier.

Protos.

Zenda sunt quæ crescunt sine semine.

Zend.

Perundis, qui & cum semine crescunt.

Perund.

Zelpha est instar Zendæ aut perundis, sed vt hi sunt hominum, ita illę animalium tantùm.

Zelph.

Plura ex hoc opere iam non habuimus. Sunt autem hæc fragmenta eam ob causam hic interposita, quòd cum præcedenti materiâ aliquatenus conueniant: & vt mentem auctoris de anatomiâ ex iis aliquo modo lector cognosceret, &c.

PHILOSOPHIA PHILIPPI THEO-
phrasti Paracelsi.

Priusquam de 4. elementis declarare incipimus id, quod philosophia ipsorum docet: sciendum est, à philosopho ante omnia requiri cognitionem rei cuiusque, qualis ea per se sit. Hinc descendendum in naturam est, & ex ipsâ desumendum lumen, quo philosophemur eâ dexteritate, vt, quod manus tangere potest, ita reuerâ id in naturâ constitutum sit. Vt ergo iam de 4. elementorum generationibus rectè doctrinam suscipiamus: principiò de illo philosophabimur, quòd ex nihilo aliquid factum sit, hoc discursu. Antequam elementa 4. cœlum, firmamentum, terra & aqua existerent, isto loco, quantum quidem is excurrit, paradisus steterat, & ex paradiso factum est, quod non est, isque in alium locum submotus est. (Præcedentia hæc author ipse lineis obduxerat. His autem subiecerat ea, quæ post schedulam sequuntur.

Schedula.

In initio ante omnia elementa extractus erat aër, qui est aërius Mercurius, sulphur & sal, non corporalis, non materialis: sed in suâ formâ inuisibilis & intangibilis. Elementi huius principium, instar reliquorum etiam hoc se modo habet. Quodlibet elementum consistit in tribus primis, seu in rebus tribus. Ex tribus hisce oriuntur omnia, quæ ex elementis prodeunt, hoc est sulphur, Mercurius & sal, sine his tribus nullum elementum subsistit. Tria enim hæc vnum quodlibet elementum constituunt: & quicquid ex his enascitur, in illis continetur. Iam verò hæc multiplicia sunt, pro diuersitate elementorum: non quòd varietatem hanc ex elemento adsciscant, sed potius elementa ex ipsis. Sicut sapientia, quæ in cella vna viget, varia & contraria iudicia promit: ita pariter huc quoque tria.

Plura de his non scripserat auctor.

LIBER PRIMVS DE ELEMENTO AERIS.

TEXT. I.

In principio Iliaster, qui nihil est, diuisus fuit, & quatuor elementa dedit ac ordinauit. Nec enim se aliter habet ac semen, ex quo caudex nascitur. Quod enim erogat semen, ad se idem non recipit. Hic autem Iliaster 4. elementa in se rursus attrahit. Et sic id dissoluitur, fitq; id, quod ante nata 4. elementa fuit, si nempe annus mundi elapsus sit. Stirps ex Iliastro enata, sunt quatuor elementa. Et semen non dat ipsa, ex quo infans fiat post hunc annum mundi: sed ipsa quatuor elementa sunt matres & filiæ. Huius familiæ post mortem nihil superstes inuenitur: sed quale ea principium habuit, talem etiam sortitur finem: & sic, quicquid inest, simul interit. Quanquam alius postea mundus sequatur, qui huius filia sit secundùm appellationem, non tamen formam, non essentiam & similia. Is enim non transibit, sed instar animæ manebit, facte quidem

quidem & creatæ; non tamen mortalis. Sors salis huius quoque mundi erit.

TEXTVS II.

Constat iam, quòd æternus pater, non filij tantùm sui pater, sed omnium etiam mortalium ac immortalium, manentium & transeuntium, beatorum simul ac damnatorum, creauerit *Domor*, hoc est, cœlum & terram, firmamentum & aquam, quibus diuinam suam voluntatem indidit etiam, de quo hîc iam vlterius non disseremus; sed in paramiris eadem leguntur. Is ex non naturali naturale condidit: ex eo quod nullam vnquam naturam sensit, naturam aliam produxit, & secundùm istam naturam, naturam aliam enasci voluit, dum annus euoluatur, quo maiestas eius diuinum regimen ipsamet occupet, quod iam moderatur & possidet homo. Quanquam primæ naturæ dissimiles sint, ita vt oporteat ex terra nasci pyrum, ex arena spicam, ex aqua cachimmam, ex cœlo chaos ex igne niuem. Quòd verò ista tam mirabilia, & suo primo, ex quo sunt, adeò dissimilia videantur: sciendum est, ac ita philosophandum, quòd elementum aquæ non tantùm aqua sit, sed etiam minerale: quòd elementum terræ non tantùm terra, sed & vua sit: & sic de cæteris. Inanis enim ista Philosophia est, quæ profitetur, terram elementum esse quidem, non item nucem, aut ignem esse elementum, non niuem. Sic qui aiunt, quatuor elementa in rebus omnibus ac singulis existere, himeras nugas agunt.

TEXTVS III.

Terra est elementum, & quicquid ex ea nascitur. Itidem & aqua, & quæcunque ex ipsa proueniunt. Ita firmamentum & omnia eius enata. Sic ergo elementum est, quod gignit. Et elementum est mater, quarum quatuor sunt: aër, ignis, aqua, terra. Ex quatuor hisce matricibus, vniuersa totius mundi producuntur. Et inconditus iste sermo est, quando aiunt, elementum complexione donatum esse, vel calidâ, vel siccâ, vel frigida, vel humida, aut compositè. Hæc enim omnia quatuor ipsis insunt: sed ita intelliges: Terra est frigida & sicca, frigida & humida, calida & sicca, calida & humida Res ita se habet. Quicquid ex terra crescit calidum & siccum, id crescit ex eo, quod calidum & siccum in terra existit. Sic quod frigidum & humidum est, vel enascitur, enascitur ex eo, quod in terra tale inest. Sic pariter & ab igne complexiones quatuor egrediuntur. Nix scilicet ex eo, quod in igne frigidum & siccum est: & fulmen ex isto, quod in igne calidum & siccum est. Idem sentiendum etiam de cæteris duobus. Vos ergo hîc ante omnia admonitos volumus, ne secundùm complexiones elementa determinetis, sed secundum ipsorum formas, hoc est, quales in se quatuor matrices habent. Terra est materialis, lutosa, conglutinosa. Et talis est, siue calida, siue sicca, siue frigida, siue humida sit. Aqua est humida, sensibilis, tangibilis: sed non corporaliter, non materialiter. Et eiusmodi elementum est, siue sit frigidum siue calidum. Ignis est firmamentum, & est ignis elementum, licet in vno loco calidum, in alio frigidum sit. Aër est cœlum, quod omnia concludit ac est humidus, calidus, frigidus, siccus, vt deinceps tradetur.

TEXTVS IV.

Vt autem ad constitutum principium de elementis progrediamur, sciendum est, Iliastrum in initio in partes 4. distributum esse: in aërem, qui cœlum est, omnia complectens: in ignem, qui firmamentum est, diem & noctem, frigus & calorem promens: in terram, quæ omnes fructus & pedibus basin præbet: in aquam, ex qua omnia mineralia, & viuentium ex semisse nutrimenta educuntur.

Nutrimenta hîc duplicia sunt: vnum in aëre & igne, alterum in terra & aqua conditum. Duo superiora nutriunt nos tanquam spiritualiter inuisibiliter: duo inferiora materialiter & corporaliter. Quatuor hæc elementa in classes distributa geminas sunt: vna constituitur ab aëre & igne: altera à terra & aqua. Aër sustinet ignem, terra aquam, aër & ignis tenent aquam & terram: & hæ duæ aërem & ignem. Eóque ordine omnia creata sunt, vt semper vnum alterum fulciat, quærat, & nutriat. Sic iliaster diuisus est in vnum *domor*, cuius duo sunt globuli, exterior & interior, vterque duobus elementis stipatus. Extra nihil est, quod nobis cognitum sit. Intra est, quod videmus, quod tangimus, & quod nobis lumen naturæ suggerit. Is verò, qui ista creauit, apud nos non est: sed extra habitat. Apud nos tamen, est, ab ipso qui genitus est. Non ergo vlterius, quàm ipsa natura docet & indicat, de quatuor elementis philosophandum est.

TEXTVS V.

In initio creationis corpus 4. elementorum conditum est eâ formâ & amplitudine, quâ cœlum patet, & factum est corruptibile seu caducum, nempe, quantum aër complectitur, ibi sella fuit Dei & centrum ipsius regni, ex quo centro mundus creatus est, ita, vt mortale ac caducum à Deo creatum sit. Hoc vt rectiùs teneatur, scire fas est, ex centro isto mundum ortum, & materialem factum esse. Super hanc cathedram Christus in cruce pependit: super hanc cathedram sederunt Prophetæ, quæ scabellum est pedum Dei. Hîc ergo materialia & corporea facta sunt Deus, & ipsius opus, centrum ipsius regni, & ipsius solium.

Sic ergo in principio, & priùs quàm ipsa philosophia ordiatur, noscendum est, quòd Deus centrum sui cœli caducum, & seipsum fecerit. Sicut enim corporaliter vocatur filius: ita mundus est ipsius domus. Etsi verò is hoc modo factus & creatus sit: tamen credendum est, quòd non vt ortus, ita similiter interiturus sit: sed de homine manebit cor, & de mundo flos.

TEXTVS VI.

Qvo autem modo Deus mundum condiderit, ita accipe. In vnum corpus digessit ipsum in principio, quatenus quidem elementa panduntur. Corpus hoc posuit in tria: in mercurium, sulphur & sal, ita vt hæc tria corpus vnum constituant. Et tria hæc componunt vniuersa, quæ in 4. elementis sunt fiúntque. Tria hæc in se habent vim & potestatem omnem rerum caducarum. In ipsis enim latet minera, dies, nox, calor, frigus, lapis,

Marginalia: Iliaster in part. 4. diuisus. — Alimenta ex element. duplicia. — Elementorum mutuæ operæ. — Domor globi duo. — Deus extra domor. — Mundus factus corruptibilis. Mundus ex cêtro factus. N B. — Deus seipsum caducũ fecit. — Aer præ reliqu. elem. factus. — Omnia in tribus constituunt. — Elementum vnũ et mult[a]. — Elementa terræ enumerata. — Elem. nõ sunt cõplexionata secundum opinionem vulgarem. — Nix & fulmen ex igne. — Elementa vnde denominanda. — Terra qualis. — Aqua qualis. — Ignis qualis. — Aër qualis.

lapis, fructus, & omnia alia, licèt nondum formata. Sicut enim lignum, quod abiectum est, nihil est, nisi lignum: & tamen in ipso formæ omnes animalium, formæ omnes plantarum, formæ omnes instrumentorum, conditæ sunt, quas inuenit & profert, qui superfluum & alienum præcidere potest: ita corpus etiam iliastri truncus fuit, in quo omnes herbæ, omnes aquæ, omnes gemmæ, omnia mineralia, omnes lapides, omnia chaos latuerunt, quæ solus fabricator summus sculpsit & subtilissimè cælauit, extraneis remotis & abiectis. Sic omnium primò produxit & exemit aërem. Hoc condito ex reliquiis illis tria reliqua prodierunt, ignis, aqua, terra. Ex illis postea abstulit ignem, manentibus aliis duobus; & sic consequenter.

Iliastri & ligni collatio.

TEXT. VII.

Quatuor ergo agris hoc modo segregatis & separatis, quatuor etiam conditoria manserunt, pro asseruandis 4. elementis, nempe calidum, frigidum, humidum, siccum. Ac quodlibet horum modo non nihil fuit. Primò constitutus est aër: postea ignis: ab hoc terra, denique aqua: idque hoc modo. Ex aëre chaos, sella, catena, & fundus. Ex igne dies & nox, Sol & Luna. Ex terra arbores & herbæ, gramina & fructus. Ex aqua mineræ, & lapides. Quorum ordinatio talis fuit, vt semper ex superfluo nasceretur aliud, hoc est, ex Iliastro terræ extractum est lignum faginum, & remotum lignum malorum, quolibet in suum locum disposito, nullo corrupto aut permixto. In aquâ aurum à reliquis metallis separatum, & post alia etiam à se inuicem semota sunt. In igne frigus à calore, lux à tenebris secessit. In aëre ordinatum est chaos, ad conseruanda omnia, & terram à cœlo seiungendam. His quatuor Iliastris ita creatis & in elementa, hoc est, in matrices suorum fructuum dispositis: ante omnia præparatus fuit aër, postea ignis. Hæc duo in vnionem vnam copulata sunt. Postea terra etiam ac aqua à duobus prioribus separatæ, in vnum iunctæ sunt. Et hi iam sunt Iliastri coniugati. Aër per se est, & ignis. Similiter etiam terra & aqua.

Elementorum singulorum quæ soboles.

Sic nempe Deus centrum sui regni materiale fecit, & postea in tria prima tripliciter digessit, ex quibus iugiter ac perpetuò emergit, quicquid nascitur. Sine his tribus enim nihil in 4. Iliastris crescere potest. Dum autem crescunt, sunt elementa, & sic porrò suum nomen perdunt Iliastri, & appellantur elementa.

Tria prima quãdo nomẽ mutent.

TEXTVS VIII.

Quatuor hæc elementa dirempta sunt in loca sua & sedes, ita vt nullum permisceatur. Nec aliter omnia à se inuicem semota sunt, ac sculptor in paranda statua abiicit id, quod præsumptæ imagini non conuenit. Itaque quatuor elementa sunt: sed tantùm tria prima; tria in aëre: tria in igne: tria in terra, tria in aqua. Et vbique vnica tantum primorum trias est, hoc est, vnus Mercurius in omnibus: vnum sulphur in omnibus, vnum sal in omnibus. Differunt tamen proprietatibus. Quicquid est crescens herba, folium, gramen, &c. id in terram collatum est. Quicquid minerale est, in aquam secessit. Quicquid calidum, frigidum, dies, nox, in ignem se recepit. Quicquid aër, in chaos se diffudit. Et omnia tria vnum sunt, quodlibet in seipso. Et res se habet vt lapis, qui in partes quatuor diuiditur, et quarum vna statua, ex altera olla, ex tertiâ vasculum, ex quarta limes fabricatur, vbi omnes quidem lapides sunt, imò lapis vnus, sed in partes quatuor distractus.

Tria prima tripliciter elementis insunt.

Horum Iliastrorum quatuor, non plures sunt: qui sic etiam sufficiunt. Sic mundum Deus in quaternarium disposuit: cui numero etiam acquieuit, etsi partes octo fingere potuisset. Nutrimenti partem vnam in aërem contulit: alteram in ignem, tertiam in terram, quartam in aquam. Sic ergo nullibi defectus.

Porrò autem iam opus est, vt philosophando de istis quatuor sub nomine elementorum quoque tractare pergamus, velut & de ipsorum potentiis & actibus, quibus pollent. Initium verò faciemus ab aëre, & philosophiã in aquâ concludemus, quantum quidem generatio rerum insensibilium poscit, explicantes.

TEXTVS IX.

Aeris elementum ad rem nullam aliam ordinatum est, quàm vt reliquorum trium sit domicilium, conseruandorum nempe singulorum in suo quasi conclaui, hoc modo. Aër in se includit mortale omne, illúdque ab immortali discludit, sicut murus ciuitatem à campis dirimit. Is mundum firmat & continet, sicut agger paludem. Et sicut nihil in ouo est, foràs spectans, aut extra ouum, quod interius conueniat: ita cœlum est testa, mundum & cœlum dirimens, sicut putamen ouum separat ab extraneis. Estque aër pellicula, in quâ corpus conditur, mundus vniuersus scilicet, & vbi terra continetur & asseruatur. Præterea autem aër est cœlum, hoc est, pellicula, seu putamen, seu murus, seu agger, extra quem nihil erumpere, aut intro irrumpere potest. Et insuper, aër est halitus, ex quo vitam omnes hauriunt. Is enim verè aër est, & aërem promit, tria elementa nutrientem, & simul hominis vitam sustentantem. Absque hoc aëre viuere nulli liceret. Absque hoc nullum elementum procederet, nullus ventus spiraret, nulla pluuia, nulla nix caderet, nullus Sol splenderet, nulla æstas floreret, nulla aqua perflueret, nulla terra sustineret. Vis hęc omnis procedit ex aëre, & à tribus elementis attrahitur. Sicut enim aërem singulis momentis intrò in nos trahit pulmo: sic idem facit etiam terra, aqua, & ignis. Euidens is error est, quo statuitur, ventos ex aere esse. Intrò enim in nos irrumpunt specie veneni, non vitæ. Primum saltem elementum aërem suggerit: ignis autem dat flatus.

TEXT. X.

Ab hoc eodem elemento vis etiam dimanat, quâ ignis aëri agglutinatur, vt non decidat: adeóque instar catenæ est, sine omni materia & spectabilitate continentis & ferentis. Hoc fit per ipsius chaos, quod intra pelliculam & terram interiacet. Estque medium interstitium, extensum à cœlo vsque ad terram, in quo libratur ignis, terra, aqua. Et veluti

vitellus

vitellus in ouo ab albumine sustinetur, ne testam attingat: ita chaos sustinet globum, ne concidat, aut aliquo nutet. Chaos hoc est inaspectabile, subinde tamen apparens, estque intangibile albumen, vim & virtutem habens sustinendi, ne terra loco suo excidere possit. Sicut vitellus in suo albumine: ita fertur & libratur in aëre hoc globulus terræ & aquæ. Et veluti nauis in Oceano sustinetur: ita hic etiam globus ab aëre. Is est magnum illud & admirandum albumen, quod inuisibili modo tantum globum terræ & aquæ portat. Suffert quin etiam ipsum firmamentum: quod in ipso sistitur, sicut semen cucumeris in sua mucilagine. Et quemadmodum frustum carnis in suo liquamine, aut semen generationis in spermate iacet: ita stellæ iacent in ipso, & in hoc albumine suum motum conficiunt, sicut auis in suo volatu. Nec alio modo sustinentur, quàm ex dictis exemplis liquet. In hoc saltem discrimen est, quòd chaos diuersum sit ab albumine, à spermate, à mucilagine in eo, quia impalpabile est, & subtilissimum. Aliàs virtutibus & energiis omnibus conuenit cum enumeratis.

TEXT. XI.

DVm de huius elementi viribus disserimus, porrò indicandum est, aerem ac ipsius chaos, & cœlum in rotunditate ita subsistere, vt quod in ipso inest, nemo scrutari & distinguere possit, an superius vel inferius sit. Exemplum demus. Si fieri posset, vt in ouo iacente & firmato aliquis versaretur: tunc impossibile foret scire, quæ pars cœlum, quæ terram spectaret. Rotunditas enim facit, vt nec superius nec inferius videri possit. Ita verò nos in testa versamur, vt nesciamus vel supernum vel infernum, sed in toto globulo incedentes, cœlum spectamus, vnaque vbique est altitudo, vna profunditas. Cuius rei hæc causa est, quòd rotunditas globi & cœli non aliter ferant, adeóque mortali corpori insitum sit, vt in trinali linea res omnes crescant, non homo solus ambulet, verùm omnes etiam arbores, omnes venæ, omnes fontes. Sicut enim Deus circulum globi & cœli creauit; ita condidit etiam semicirculum, diametrum, lineam meridionalem, lineam triualem, & similia omnia. Nam in cœlo & terra, in igne & aqua lineæ omnes, omnes circuli inueniuntur. Hic enim vera est Geographia, Cosmographia, & Geometria. Per elementarem Geometriam aeris structuræ consemantur aeris, hoc est, Sol & Luna, & stellæ vniuersæ, terræ arbores, & cætera, sicut etiam mineræ aquæ, & alia. Hic nimirùm genuinum fundamentum positum est omnis Geometriæ, in qua linea homo stat, & rectà cœlum intuetur. Huius Geometriæ solus Deus artifex est, & Latomus, & Geometra. Ex hac linea nihil excidit, nihil egreditur, siue aqua sit, siue ignis, siue terra, siue arbor, siue homo, siue pecora: sed in aeream Geometriam omnia pergunt, quam Deus fecit, sicut latomus statuas turri, &c. insculpit.

Rotunditas & circulus summũ & infimum nõ admittit.

TEXTVS XII.

CÆterùm, quoad trium primorum Philosophiam, tenendum est, quomodo illa in elemento aëris vigeant. Mercurius, sulphur, sal, elementum aeris, sunt ita præparata, vt aerem constituant; & elementum compleant. Principiò cœlum nihil est aliud, quàm sulphur album, coagulatum cum spiritu salis, & per mercurium clarificatum, & est durities omnium huius elementi in ista pellicula & testa, eò fabricatum. Præterea secundum ex tribus primis in partes duas mutatum est: pars vna est chaos, pars altera est aër, hoc modo. Resoluit sese SS. per spiritum salis in liquore mercurij, qui per seipsum liquor est, à cœlo vsque ad terram distributus, ac est albumen cœli, & medium interstitium, ac clarum, & chaos, est subtile & diaphanum. Omnis enim crassities, & siccitas, & subtilis natura resoluta est, nec eadem est cum priore. Talis aër. Tertia remanentia trium primorum aëris abiit in aërem, hoc pacto. Si lignum comburitur, in fumum abit. Sic illud abit in aerem, & in suo aere permanet, ad finem elementorum, & factum est sulphur, mercurius, salque, quæ consumpta sunt à substantia in aërem, non aliter, quàm lignum, quod fumus fit. Nihilque est aliud quàm fumus trium primorum elementi aeris. Ita ergo nihil vlterius oritur ex elemento aëris præter prædicta. Multi priscorum ac neotericorum, vel etiam hodie viuentium aeri adscribunt ventum, cuius causam faciunt mobilitatem cœli. Sed id omne nihili est. Nec enim cœlum pergit: estque aer per seipsum, atque ab elemento egreditur, velut fumus à ligno. Qui verò rectius intelligere de ipso velit, qualis motio sit: is de ignis legat virtutibus: vbi plura tradentur, quàm hic comprehendi potuerunt.

Cœlum quid.

Ventus non est aër.

Finis de Elemento Aëris.

LIBER SECVNDVS.

PHILOSOPHIAE THEOPHRASTI, DE GENERATIONIBVS ELEMENTORVM.

De Elemento Ignis, Tractatus I.

TEXTVS I.



DIximus hactenus de Elemento Aeris ratione loci, quo elementa disposita sunt. Aer enim positu priore est: posteriore ignis. Hæc duo constituunt & circumdant totum globum. Qui verò elementum ignis se habeat, de hoc iam deinceps philosophabimur, hoc modo.

Omnium primò ab iliastro segregati sunt aer & ignis. Postea & hi duo à se inuicem dirempti sunt: ita, vt primum locum teneret aer, ceu priore libello docuimus: proximum autem ab hoc ignis occuparet, per separationem hanc dirempta sunt duo elementa, aer & ignis. Ex aere nati sunt cœli: ex igne firmamentum prodiit. Vt in aere chaos est tantum, præterea nihil: ita in elemento ignis tantum est calor & frigus, lux & tenebræ. Quicquid verò globo & aeri decedit, id in elemento ignis sustentatur. Nec verò ignis elementum vocatur ob id, quòd nihil nisi vrere possit, vt multi

Iliastes vt aërẽ & ignẽ diuiserit.

Ignis quid sit.

multi nugati sunt. Nec enim elementum ignis id est quod vrit: sed hoc, quod vrit, & hoc, quod ei contrarium est, id est, congelatio. Ignis etiam elementum non est complexione calidum & siccum. Nam & frigidum & humidum ab elemento ignis sunt. Imprudenter ergo illi faciunt, qui elementum ignis quærunt in elemento aquæ aut terræ. Et licet quidem aliqua de complexione calida probabiliter proferant: tamen calor iste elementum ignis non constituit. Elementum enim hoc non ideò vocatum est elementum, quia ignis est, sed potius hac de causa quòd in ipso totum firmamentum subsistat. Est itaque elementum, ex quo procedere debet dies, nox, candor albus, candor ruber, pluuiæ, tempestates, venti, & omnes impressiones: estque locus & portio 4. partium creaturarum: Ideò elementum vocatur. Sicut enim terra calorem simul & frigus dat, etsi elementum terræ sit: sic idem etiam de igne intelligendum est. Quanquam discrimen tenendum sit, quòd materialis ignis elementum vocetur, cùm tamen elementum non sit. Nec enim ex ignis elemento fit: elementario tamen igni similis est, eo loco, vbi ad Solem spectat. Sic etiam aqua similis est elemento ignis, eo loco, vbi pluit. Ignis materialis, quo vtimur, est in quatuor elementis, & vocatur TRISTO: & est in ipsis hoc modo. Aquæ elementum requirit elementum ignis ad operationem suam. Ignis ille in elemento aquæ manet, & se exerit in chalybe & lapidibus, quibus inest. Inest etiam elemento terræ, & se prodit in ipsius fructibus. Similiter etiam in aëre. Idem iudicandum etiam de cæteris, quòd scilicet vnumquodvis suum *tristo* in sese contineat, velut de natura rerum demonstratur. Sol itaque elementum suum exhibere potest in ligno, idque incendere & comburere, quod ex eâdem vi fit, quâ elementum ignis terram pluuia humectat. Et sicuti elementum ignis terram humectat, eiúsque hæc est virtus & proprietas: ita incendit etiam lignum per speculum in Sole. Materialis ergo ignis in globum infertur, sicut pluuia in terram: vtraque enim ab elemento vno veniunt, in suam naturam diuisa. Ignis autem, qui ex lapidibus & metallis elicitur, à Sole illuc penetrauit in suo *ares*. Sicut enim terra nutritur à Sole: ita elementum vnum ab altero. Sal enim trium primorum coagulare non posset, nisi elementum ignis ipsi inesset. Sic Mercurius corpus dare non posset, nisi in se elementum aquæ contineret. Ita nec sulphur sine sua terrestreitate. Et aer sine materiâ est & corpore, impalpabilis. Ideo ex se, vt cætera elementa, corpus dare non potest: vnà tamen operatur, sicut cætera.

Ignis etiã frigidus.

Ignis elem. quid proprie sit & dicatur.

Tristo quid.

Ares.

TEXTVS II.

Post explicatam hactenus geminorum elementorum, aeris scilicet & ignis separationem, deinceps etiam tradendum de ordine illorum, qui talis est: Principio distributio ipsorum facta in Solem, Lunam, Stellas omnes alias. Præter hæc nihil elementum ignis est. Quâ autem virtute ac naturâ dotatæ sunt vlterius, præter hæc paucula, vberiora in de natura rerum inuenientur. Hoc loco sciendum est, elementum hoc, id est, firmamentum, nihil aliud esse quàm astra. Quæ autem progignunt, & in terram mittunt, vt sunt nix, pluuia, ventus, grando, frigus, calor, nox, dies, æstas, hyems & similia alia, ea ex elemento ignis proueniunt, sicut infans ex matre, pomum ex sua arbore.

Firmamentum quid.

Elementum hoc ignis positum est in elementum aeris. Sicut enim aqua & terra vno globo continentur: sic ignis etiam & aer commiscentur in vnum, nullo tamen alterius corpus lædente. Versanturque in aere libera statione, non appensa, non fundo fulta. Et sicut volucres in aere volant: ita Sol mouetur in cœlo, hoc est, in aere. Quemadmodum enim constitutum est, vt homo ambulet super terra, auis volet in aëre, piscis natet in aqua, Gnarus (al. gnomus) versetur intra terram ita de elementis quoque ita ordinatum est, vt vnum iaceat, alterum volet, vnum hoc, alterum isto modo se habeat, nec vna sede locóue moueantur. Stella vnaquælibet suum cursum proprium habet, nec hic cum illa conuenit. Sicut enim hominum nullus alteri similiter incedit, & tamen ingressus vnus est omnium: ita idem etiam Stellis euenit. Et veluti homines sibi secundum naturam similes non sunt: ita nec stellæ, vsque adeò multiplex ipsarum natura est & conditio. De hac ergo re altiùs philosophandum non est, quàm quòd fataliter omnia ita ordinata & constituta sint. Cur verò ita factũ sit: deinceps in propriis capitulis traditur.

TRACTATVS SECVNDVS.

De Sole, Luce, Tenebris, & Nocte.

IN primo tractatu traditum est, quòd primus Iliaster instructus sit omnibus coloribus, claritate & splendore in vnâ permixtione. Inde 4. Elementa secreta sunt. Hinc, quid elemento ignis accesserit, aut subiectum sit, deinceps tractabitur. Principio autem ex Iliastro, primum elementum, aer extractum est: postea elementum ignis: ex hoc facta est separatio. Primò eductus fuit candor albus, ex quo meta (mensura) & materia facta est, nempe Sol. In isto est omnis elementi ignis candor albus, & præterea in toto elemento candor nullus albus est. Extracta etiam est diaphanitas rubra & collata est in stellas, Lunam scilicet, & astra cætera, quæ in partes plurimas distributa sunt. Et sicut candor albus in partem vnam conglobatus est: ita candor ruber in multas partes diuisus abiit. Hæc iam consequitur dies ac nox. Nam cum omnis candor albus in globũ vnum coagulatus sit: ibi dies saltẽ erit, vbi iste globus est. Vbi non est iste globus, ibi candor albus non est, sed nox est & tenebræ. Candor enim ruber nullũ lumen transfert in candorem albũ. Porrò noscendum etiã est, in elemento ignis duas naturas existere, calidam & frigidã. Calor est vniuersus in candore albo: frigus in rubro. Omnis ignis, qui calidus est, est in Sole, nec præterea in vllo alio elemento. Omnis frigiditas cætera est in stellis, & nihil eius in Sole. Ex quo liquet, æstatem prouenire ex Sole, & brumam seu frigus ex astris. In Sole enim est calor expulsiuus: in astris, frigus expulsiuum, hoc modo. Sol eiicit à se suum calorem foras

foras per radios in globum. Sicut enim ventus ex specu spirat, aut sicut ex terrâ culmus surgit: ita calor à Sole exit super globum. supra terrã: ita calor à Sole exit super globum. Calor enim est fructus solis super globum: nec is alium fructum habet. Ex quo sequitur, Solem duas operationes habere, calorem nempe maiorem & minorem, hoc modo. Sol calorem suum duobus modis diuidit: & indè frigidis astris conceditur, vt suum frigus exerant. Et res ita se habet. Nobis Germanis si Sol summus est, calor eius apud nos maximus est. Tunc enim ipsius autumnus & messis instat. In hyeme frigus est, non ideò, quia Sol humilis & depressus est, (est enim idem Sol, qui per radios vbique calorem effundere potest) sed quia ipsius messis non instat tempore illo, verum Iunius. Fructus enim omnes sunt in requie & in messe. Quòd autem infra nos in Æthiopiâ & alibi, vbi polum antarcticum attingit, Sol calidus est, cùm apud nos sit frigidus: id fit hâc de causâ, quia illic ipsius messis est, apud nos nouale. Ita enim is nouale facit plus min ùsve. Opus enim est õnibus quiete & sõno, quæ dare fructus debent. Et nisi Sol ita noualis esset: calor ipsius æquè intensus apud nos foret hyeme ac est æstate.

Interim tamen dum Sol noualis est, messis ac autumnus astrorum frigidorum ita substitutus est, vt toto anno nulla sterilitas sit, sed continenter fructus ferantur. Iam enim nix cadit, iam boreas incumbit: hæc sequitur eurus & auster, qui Solis comites sunt. Ita producitur hyems & æstas, nox & dies & totus annus. Sic transitus est ab vno autumno in alium per annũ Solis, & per annum Stellarum.

De his porrò etiam notandum est, quòd siccitas & humiditas concurrant, ita scilicet. Siccitas est in calore, hoc est, in Sole. Et alia nulla siccitas est in toto elemento ignis, nisi quam in se Sol habet. Humiditas est in frigiditate, hoc est, in frigidis stellis, quæ sunt candoris rubri. Résque ita se habet. Humiditas in nullo calore subsistere potest. Calor enim consumit omnem humiditatem, & requirit siccitatem. Frigiditas in nullâ siccitate subsistit. Quod enim frigidum est, id se resoluit & dissoluit, si se calor coagulat. Ita elementum ignis in duo diuisũ est. In vno est siccitas, & est in Sole: in altero est humiditas, & est in frigore. Et si frigiditas quandoque siccare videretur: siccatio tamen alia non est, quàm vt quis in Sole sudat, vbi humiditas illa aliena est. Sic ista est peregrina frigiditas. Verum quidem est, corpus humidum in terrâ per stellas siccari posse: sed non propter naturam earum siccam, verùm propter frigidam, quâ coagulare possunt, ita vt res siccata videatur. Sic ergo sicca illarum natura intelligenda est, vt aqua congelata. Eadem Solis etiam ratio est ad humectandum. Calore enim suo resoluit ceram, vt liquescat, velut & seuum. Ita etiam agapas. Sed quid hoc ad rem? Nihil. Et saltem pro exemplo vobis dantur. Ita ergo in astris sunt siccitatis: hæc etiam nix: ista pruina: illa psecas, hi grandines: ista fulgura, & similia alia, velut metalla & lapides, ex ipsis prodeuntes. Quæ verò ista niuis siccitas est, quæ sicca non manet? Quæ siccitas fulguris, quæ non manet? Quale siccum est metallum, quod ad suam materiam primam redit? &c. Ita pariter etiam de Sole: Qualis ipsius humiditas? Non manet. Quid enim hoc est, si apagas quidem humectat ipse? Non enim decedit priùs, quàm ipsum resiccarit. Et iste deinceps non humectatur amplius. Et planè idem hic fit cum igne. Is lignum resiccat, sed ita vt nunquam amplius humescat, id est, dum cinis fit. Sed quid facit astrum? Humectat *Salpallam*, nunquam denuò ad siccitatem redeuntem, sed perpetuò humidum manentem. Astra pluuiam humectant, quæ perpetuò humida manet, nec vnquam resiccatur. Quocũque ea effundatur, quocũq; irruat, semper humida sẽper madida est. Ita ergo, quod siccum est, in calore stat: quod humidum, in frigore. Et siccitas nunquam madefit & humiditas nunquam siccescit. Simili exemplo, calx calx manet, vitrũ vitrum, aqua aqua, vinum vinum, &c.

Sed vt pleniùs elementum ignis intelligatur, primo loco Solem describemus, cuius hæc ratio est. Calor omnis in magdalion contractus & rotundè factus est. In eo vniuersus candor albus inest. Ita ergo candor albus & calor sunt magdalion, factum ex ignito albo sulphure congestum in corpus vnum nobilissimi Mercurij, cæteris elementis omnibus præeminens, & per subtilissimum spiritum salis coagulatũ. In hisce tribus consistit Sol adeò siccus & calidus, vt nulli humiditati locus sit, quin illicò consumatur. Et vt ignis consumit lignum: ita à Sole consumitur humidum. Hoc modo & pluuia quotidiana, & quicquid aquæ ex tribus reliquis elementis funditur, per Solis vim consumitur, ne aquæ nimia copia inundet. Adeóque Sol mors est aqueæ naturæ, & Maris, & Rheni, & Danubij, & Nili, & Tiburis. Solis enim calore ista absumuntur, ne copiâ augescant. In rebus omnibus mors est, hoc fine, vt non nimium augescant, sed intra metam consistant. Sic homo suam mortem habet, quæ est inuisibilis. Sic siccitas suam mortem habet, hoc est, aquam. Sic aquæ suam mortem habent, ignem. Nec verum est, illud quod ignis consumit, in alium locum venire; sed totum interit in suâ formâ.

Spiritus autem manet, quem consumit Sol. Estque vera mors, tria elementa reliqua consumens & tollens, etiam hominem in terra, & vrsum in speluncâ.

Vt autem de Sole porrò philosophemur, cursum suum is mutuatur à prouidentia diuina, quæ, quo loco & quo modo omnia subsistere debeant, probè cognitum habet. Hæc locum decernit & sedem, dat formam & speciem, indicat viam ac metam. Ab hac ita constitutum est, vt Sol globum ambiens suum circulum conficiat, huius autumni & messis Solis gratiâ. Nec enim in hoc cursu aliud quicquam situm est, quàm dies & nox, æstas & hyems, lux & tenebræ, & tenebræ, quæ his terris dantur, illis intercipiuntur, ordinaria sua vicissitudine. Ab illius incitatione motuque ventus nullus cietur: sed mouetur ac procurrit Sol, sicut globus per terram incitatur, à quo ventus non surgit, aut veluti nauis in mare, quę per se ipsa ventum non gignit. Ita nec Sol ventum producit. A motu suo etiam non incalescit. Etsi

Salpalla.

In magdalio omnis candor albus. Magdaliõ quid.

Sol exsiccat naturam aliorum.

Ignis mors omniũ.

Prouidẽtia diuina &c.

Sol motus ventum non mouet.

Sol motus non fit calidior.

Etsi enim globus centum annis circumuolueretur: à seipso tamen nihil magis incalesceret. Si autem calidus fit, iam ante calidum fuisse oportet. Ita Sol quoque ingrediens globus est, cùm auibus comparandus ob incessus modum & naturam. Quin imò minuit calorem is, hoc est, si sit noualis. Splendor tamen eius semper ac modis omnibus manet. Magdalion enim fixum est, mansurum à puncto primo vsque ad nouissimum in formâ & specie vnâ ratione luminis, sulphuris, salis & Mercurij. Hæc suæ fixitatis vnicum tantum annum habent: qui à primo Iliastro vsque ad extremum Iliastrum, in quo mundus renouabitur, duraturus est. Vnus inquam annus est, annus Solis. Similiter etiam omnes stellæ fixitatem habent: est is annus annus ignis, vel annus stellatus, tempus mundi concedens, vsque ad ipsius finem.

Annus Solis. &c. Annus stellatus.

Cæterùm deinceps etiam de reliquis stellis, in quibus frigus est, & candor ruber, scilicet Lunâ, planetis & aliis, nobis dicendum restat. In candore rubro quies alia est, ac in Sole. Luna enim noualis non est, sed emoritur & abit. Ibi semen tantùm relinquitur, ex quo noua Luna nascitur. Et generatio eius talis est, vt semen ipsius à Sole vim crescendi accipiat. Quicquid enim crescit, vi ipsius caloris: & sine ipso nihil crescit. Cum ergo fabricator Lunam ita condiderit, vt minuatur, & augescat: naturæ consulens ordinauit, vt Luna velut semen cum Sole vniretur, & vim augescendi inde conciperet. Hoc modo dum ad suum incrementum & plenitudinem peruenit, post iterum illa minuitur. Quicquid enim crescit, idem etiam decrescit. Et veluti homo, per morbum tabescit & moritur: sic decrementum Lunæ ipsius morbus est ad mortem, quâ illa abit, semen tantùm post se relinquens. Estque Luna Phœnix firmamentalis, ex quâ emoriente semper noua alia emergit. Ita pariter etiam Stellæ aliæ plures. Suntque constitutæ ex rubedine sulphuris, Mercurij salisque: estque id frigus etiam sulphuris, Mercurij, salisque, quod suum ortum habet ex virtute illa, ex qua suum Sol quoque cepit: adeóque Luna multæ est operationis super terram propter suam frigiditatem & humiditatem. Nam stellis cæteris omnibus superior est in hoc elemento ignis frigoris. Reliquæ stellæ & ipsæ ex his tribus constitutæ sunt primis: sed in multas tamen partes diuisæ. Frigus enim elementi ignis in mille gradus essentias & naturas diuisum est. Sic ex aliquibus stellis nascuntur venti super totum globum spirantes: ex alliis gignuntur niues, pluuiæ & similes. Ideò verò multiplices sunt, vt multiplices naturæ ac virtutes ex ipsis defluant in terram, quæ aliàs procedere non possent, si magdalion vnum esset, velut Sol, qui vnam tantùm naturam habet, calorem. Ergo in stellis multæ naturæ frigidæ sunt. Frigiditas enim multò plures egestiones generat, quàm calor. Calidus homo sanus est. Frigidus autem pluribus sortibus obiectus est, quàm calidi viginti. Cùm ergo frigus naturam Soli contrariam & aduersam habeat: elementû ignis in multas stellas diuisum est, vt virtus quælibet per seipsum subsisteret, sine impedimento essentiæ alterius. Ex ipsis enim egrediuntur venti calidi, calidi imbres, calidæ tempestates aliæ, coruscationes, dracones, Lanceæ, & similes. Et tamen hæc omnia sunt ignis frigidus sine ardore. Quod autem calidum est & vrit, id ortum suum ex accidente habet, vt propria capitula demonstrant. Sed de proprietatibus stellarum deinceps sequetur integer libellus, quoad ipsarum egestiones, & si quæ illarum naturæ aliæ enarrandæ sint.

Luna non est vt Sol noualis.

Luna à Sole crescit.

Luna est Phœnix firmament.

Frigida calidis egestiones plures faciunt.

De ventis.

PEr ambitum ergo globi dispositæ sunt stellæ ventosæ, quæ iugiter autumnum ac messem suam agunt. Consistunt autem in circulo Zeboch & globum infernè simul ac supernè cōprehendunt. Sicut ergo firmamentū rotūditate suâ globū ambit, & globus in ipso rotūdus iacet: ita in circulo Zeboch, stellę cōsistūt & Zeboch globi in medio tangunt. Dū ergo venti procedunt, in latera duo, discedunt deorsum & sursum, hoc est, infra polum arcticum, & pars altera ad regiones poli antarctici. Hæ stellæ, verę sunt stellæ ventorum, quia annuatim nobis spirant, & suum annum habent, qui est annus ventorum. Stellæ ventorum reliquæ infra & supra nos, non secundum annum flant, sed interdum spirant, interdum non, & vnicam tantùm regionem impetunt, vbicunque ea sit. Veræ autem stellæ ventorum spirant secundum suum annum, perpetuò, sursum, deorsum, trans globum vniuersum, & sunt sine grandine, sine fulmine, sine pruinâ, sine coruscatione, &c. Et istæ solæ sunt stellæ ventorum, trans globum vniuersum flantes. Sunt verò plurimæ, circundantes totum Zedoch instar Galaxæ, & Deneas est aduersum Galaxam. De stellarum harum naturâ elementari tenendum est, quòd vniuersæ humidæ sint, hoc modo. Vetustas quatuor ipsis nomina indidit, quę relinquimus, nō tamē secundū interpretationē veterū, sed ita: *Boreas* dicūtur omnes stellæ, quæ sub septētrione positę sūt per vniuersū Zedoch. Censetur is siccus & frigidus, nec tamen siccus est. Est tamen frigidus & cōgelatus, hoc est, ipsius humiditas coagulata est, vnde is siccus apparet. Zephyrus sunt stellæ sub occasu constitutæ, omnes humidæ & frigidæ, non tamen congelatæ. Ideò Boreas respectu harum siccus censetur propter suam congelationem. Stellæ cæterę in Zedoch, Eurus & Auster, sunt in solidum frigidæ. Sed quamprimùm ex suis stellis venti exeunt, à Sole calefiunt, per radios, quos transeant: ideo pro calidis habentur, quales tamen ex naturâ suâ non sunt. Eurus statuitur siccus, nec tamen siccus est. Eius tamen humorem, quem habet, Sol consumit, vsque dum veniatur ad illum contentum humorem, quem Sol ei adimere nequit. Auster dicitur humidus & humidus est: quia Sol, ipsius humiditatis tantum non absumit, quantum in Euro. Id scilicet mare impedit, Soli humiditatis satis ad consumptionem suppeditans. Itaque Auster cum suâ humiditate ad nos erumpit per globum inferiorem & superiorem.

Qui verò ex stellis procedat ventus, hæc ratio

tio tenenda est. Quo modo Sol calorem suum fundit in mundum: sic in hisce stellis nulla alia natura est ac proprietas, quàm producere ventos, qui ex sulphure, Mercurio & sale decoquuntur,& secũdùm Adech exeunt. Ipsorum ventus est quotidianus, horarius, vniuersum mundum perflans leniter & placidè. Itaque venti ipsorum cognosci debent in eo dum stellæ ventosæ cæteræ exponuntur.

DE STELLIS TEMPERATIS de Zedoch.

Cæterùm stellarum in firmamento hæc ratio est. stella in se quælibet frigiditatem habet. Ea ventos facit. Omnium enim ventorum mater sola est frigiditas. Frigiditatis verò ea natura est, vt alia ventos producat vnà cum pluuiâ, alia cum niue, alia cum grãdine & similibus. Tenendum itaq; est, ventos omnes, intermittẽtes & desinentes, non ex Zedoch procedere, sed passim colligi ex stellis particuliaribus, sicut de singulis seorsim suo loco dicetur. Modus autem generationis omnium iste est. Per frigiditatem nempe suam cum tempore pariunt egestionem, quæ multiplex est. De ventis autem ita statuendum est. Stellæ sua emũctoria habent, per quæ excernunt, quę in ipsis nascuntur, pro ratione loci, quem emunctorium spectat. Venti autem duratio tam longa est, quàm est egestionis expurgatio. Stellæ Zedoch autem quotidie in suam egestionem pergũnt & ventos in mundo cient ad temperandum calorem Solis, & dissipandum frigus terræ frigidæ. Vtrumque enim mitigant tam calorem quàm frigus: sũntque exquisitissimum temperamentum æstatis simul & hyemis. His non impedientibus chaos similiter congelatur, vt aqua. Hâc enim ex causâ aqua gelatur, quia venti Zedoch illam non penetrant. Qui, quia chaos penetrant, ideo ipsum gelari non permittunt. Nec alius vllus vsus ventorum est, quàm vt tempus anni vtrumque mitigent, & temperent excessum, qui damno esse posset.

Stellarum omnium, quas cœlum complectitur ac firmamentum, communis ista natura est, vt quotidie, imò singulis horis ac momentis sudent. Attrahunt enim stellæ ad se calorem Solis, velut eundem fruges etiam terræ concipiunt. Solaris iste calor facit, vt stellæ in suâ frigiditate se resoluant. Et vnica tantùm resolutio est, qualis est in lapide frigido, qui sudat propter vaporem, quem ex Mercurio, sulphure & sale concepit. Vapor iste in elementatis omnibus corporibus existit. Sicut enim homo naturali motu & excretione phlegma ex naribus emungit: ita stellæ etiam ac elementa omnia naturales istas excretiones sustinent. Et vapor iste quotidie ex stellis defluit, ac in terram cadit. Per diem is quidem à Sole consumitur. Per noctem autem delabitur in terram priùs quàm Sol oriatur, & vocatur *Ros*. Per hyemem autem, tempore messis frigidę congelatur, & in pruinam abit. Nihil enim hæc est aliud, quàm sudor stellarum totius firmamenti, qui stillando ita decidit. Sicut enim aqua bulliens sursum ad cœlum euaporat, aut pruinam suam in sublime emittit: ita stellæ deorsum sudorem mittunt.

De Nebulis.

Nec nebula quicquam aliud est, quàm huiusmodi vapor: in hoc à prioribus diuersa, quod nondum satis matura à stellis quibusdam excernitur. Quando in terram, more pruinæ decidit, tunc resistit terræ & aquæ, & similis fit fumo. Nec enim plenè in rorem aut pruinam resolui potest. Vaporis enim pars quędam abit in rorem: pars altera in nebulam. Est enim nebula ros imperfectus, qui nondùm planè maturuit. Ea si subtilis est, in terram decumbens vanescit. Si vero crassa, nec dum præparata, sursum in regionem suam descendit, vbi à Sole consumitur. Quod si vero cum nubibus pluuiosis permisceatur, pluuiæ inde fiunt, reliquis pluuiis subtiliores. Frequenter huiusmodi nebulæ decidunt, & tempus pluuiosum faciunt. Nam si stellæ pluuiosæ sint, in rorem resolui nequeunt, sed in nebulam tantùm. Si verò aliquando claritatem adferant, hæc causa est, quòd subtiliter nebula præparata, super globo dispareat.

Finis tractatus secundi.

TRACTATVS TERTIVS. *De Tempestatibus.*

Prologus in stellas tempestatum, quomodo in eis sit materia prima ad faciendas tempestates.

Principium Tempestatum.

Sicut, ceu dictum est, stellæ nonnullæ ventos gignunt: ita stellæ aliæ sunt quæ tempestates pariunt, vt tractatus primus de coniunctionibus & naturâ stellarum demonstrat. Quî verò & quâ ratione illæ fiant, ita intelligi debet. Si in principio stellę tẽpestatum sese emungere incipiunt, fit, vt Mercurius, & sulphur ac sal in seipsis per suum adech, superfluitatem illam purgent, quæ stellis extranea est. Id hâc ex causâ fit, quia quælibet stella in se naturam habet excernendi, pro ratione & conditione elementi ignis.

TEXT. I. *De Nubibus*

Prout stellæ quædam sunt ventos producentes: ita sunt etiam, quæ nubes & pluuiam parturiunt. Quarum ratio ista est. Stellę pluuiales si suo tempore oriuntur in globi sui circulo, egestionem pro suâ naturâ faciunt, ita, vt sulphur, mercurius & sal, in stellis contenta, aqueæ naturæ fiant ac sint, nihilque in se aliud contineant, quàm naturam aqueam, ad quam etiam dilposita & ordinata sunt. Egestum hoc si incipit, omnium primò fit fumus, qui ex stellis defluit in tertiam regionem, vbi visibilis fit. Fumus iste hoc loco nubes est, vel maior, vel minor, prout magnus stellarum numerus est, aut multum materiæ à stellis egeritur. Hinc etiam fit, vt multi & varij in nubibus colores appareant, exempli gratiâ, albi, cærulei, &c. Sulphur enim & sal vnà cum liquore mercurij ex variis stellis confluunt, & inuicem permiscẽtur. Huius quidẽ illę naturæ sunt, vt stẽt & quiescant. Propter innatã tam en illis leuitatẽ& mobilitatem,

Nebula quid.

Pluuia vt fiat.

Stella tempestatum. Tẽpestates vt fiant.

Nubes & pluuia vnde producantur.

mobilitatem, ventus impingens ipsas secum rapit. Quòd autem ex locis nonnullis nubes plures procedant, quàm ex aliis: causa hæc est, quia in illis regionibus plures stellæ nubiferæ sunt. Sic apud zephyrum & austrum stellæ abundant nubium humidarum: apud boream & eurum stellæ præpollent nubium siccarum. Stellæ nubium calidarum apud eurum & austrum, frigidarum apud zephyrum & boream reperiuntur. Nec istius rei causa sunt vel venti, vel mare, sed potius stellæ, quæ ibi suum cursum conficiunt. Quæ dum egestionem suam excutiunt, & ex illâ nubes fit, illam venti trans mare per globum agunt. Et hinc venti illi, qui iuxta stellas consistunt, pro illarum conditione sicci calidiue vocantur, nec tamen eiusdem naturæ sunt.

Nubes vnde moueantur.

Præterea autem & aliæ stellæ globo incumbunt nubes concitantes. Hinc frequenter super regionem quandam nubes stat, ex eadem enata non trans mare asportata. Interdum tamen hîc etiam per globum in terras alias concitantur. Varietas itaque harum nubium non parua est. Et tamen solæ nubes siccæ hîc à nobis tractantur. Nam SS. S. & M. nihil sunt aliud, quàm siccus fumus & arida egestio, ex stellis suis delapsa, quæ instar communis fumi é ligno consumitur.

Nubium diuisio.

TEXTVS II.

Pluuiæ vbi & qui fiat.

STellæ pluuiales versus zephyrum & austrum potissimum, rariùs versus septentrionem & eurum habitant. In mercurio, sulphure, & sale validè consistunt. Quæ dum se emungunt, egestionem excutiunt, quæ per *Adech* ad resolutionem disponitur, & in pluuiam mutatur. Egestio hæc in principio est vapor similis fumo. Vnde primum etiam nubis more apparet. Nubes ista sibimetipsi ventum producit, pergentem ad sua emunctoria, quæ plerunque orientem aut septentrionem (al. meridiem) spectant. Ideóque auster ac zephyrus pro ventis & tempestatibus humidis habentur, etsi tales non sint: sed eorum vicini. Principio nubes existit similis cæteris, plena salis, addito pauco sulphure & mercurio. Suam autem regionem peragrat aliquot horis priùs, quàm pluuiam cieat. Prout autem sal resoluendi vim habet: ita in aëre incipit se resoluere extra suam stellam, & aquescit. Quod hoc modo resoluitur, id desuper in globum stellæ modo decidit. Quo enim modo & specie decidit, eodē ex nubibus etiam consequenter, plus minúsue resoluitur. Hinc fit, vt guttę interdùm paruæ, interdū maiores labantur, pro gradu scilicet resolutionis: interdum stillicidium diutius duret, pro copiâ & quantitate nubium: aliquando nubes integræ deiiciuntur, ob resolutionem nimis celerem ac implicitam. Sic enim constituit *adech*, ac ordinat, vt in guttas resoluatur nubes, ac à marmore destillet specie guttarum. Vsque adeò subtilis est in suis operibus natura. Nec nubes vlla pluuiam seu aquam gignit, nisi præcedat resolutio. Et ea procedit adeò lentè, vt vnica tantùm gutta seorsim post alteram ex materiâ generetur & delabatur. Et pluuia tamdiu durat, quamdiu stella pluuialis suum egestum profert. Quarum stellarum naturam & proprietatem, & salis ipsarum vim, qui rectè cognouit, is diem horámque ipsarum cùm accessus tum recessus, cùm principij, tum finis, paucitatis & multitudinis multò rectiùs intelligit his, qui se Astronomos appellant ac profitentur.

Auster & Zephyrus an humidi.

Pluuiæ cur diuersimodè cadãt.

TEXTVS III.

De Niue.

STellæ niuales supra nos positæ, magnâ ex parte consistunt in lineâ lacteâ, quàm vos nuncupatis Galaxam. In Galaxa enim potissima pars stellarum niualium figitur. Hæ sese emungunt in hyeme. Per frigiditatem enim emunctio ipsarum fit. Sicut enim effectus pluuiæ per calorem aëris oritur: sic vicissim per frigus aëris superioris nix generatur. Multæ tamen stellæ niuales sese emungunt in æstate: si ventum habent frigidum concitantur à stellis in effectum. Idem stellæ quoque quædam pluuiales faciunt, brumâ nempe aëre calido instante: à quo ante iustum tempus illæ in egestionem stimulantur. In principio dum stellæ niuales egrediuntur, spuma alba fit, quæ in latitudinem effunditur, deorsum versus globum, quæ ibi latet & subsistit, dum præparetur, hoc modo. Sulphur nempe candidum est, qui se per suum sal & mercurium coagulat ei specie, quâ nix se exhibet, quæ frustillatim postea decidit. Sicut enim se habent resolutiones pluuiarum: ita se pariter habet etiam coagulatio niuis. Nec verum id est, ex stellis pluuialibus niuem produci: sed nix stellas proprias & vernaculas habet, ex quibus prouenit. Nulla etenim pluuia congelat se in suis regionibus. Stellæ autem niuales egestum suum non semper retinere possunt, vt congeletur. Sæpè etenim in hyeme, aut aliis temporibus huiusmodi nubes niualium per calorem resoluetur, & in pluuiam degenerant. Interdùm etiam illis nubes pluuialis permiscetur, & nubes niuosas in suis operationibus frangit, ita vt vtræque simul resoluantur, ac simul nix & pluuia decidant. Si autem frigiditas in suis regionibus niuem resolui non sinit, tunc pluuia decidit suæ conditionis, & nix secundum suum adech.

TEXTVS IV.

De Psecade.

ORigo psecadis est ex stellis niualibus, hoc modo. Quòd si per æstatem aut alia tempora calida stellæ niuales primùm per frigus cōpelluntur ad niuem, & nix illa ad effectus cōplementum deduci non potest, ita vt maturius resoluatur æquo per calorem chai: tunc loco illius producitur pluuia. Quòd si verò Boreas impetat, & niuem prehendat, tunc ipsam congelat, & grana profert similia guttis niualibus. Ita congelata postea decidunt. Ergo & hîc tenendum est, quòd ex nulla stella pluuiali psecas oriatur. Nec enim coagulationem illæ in suis regionibus suscipiunt, sed oportet esse stellas niuales.

TEXTVS V.

De Tonitru.

EX stellis suis propriis oritur tonitru, constantibus ex sulphure, sale & mercurio, hac ratione. Dum nempe stellæ illæ suum egestum excutiunt, trium primorum insignis commixtio fit.)

Tonitru

Tonitru hoc modo generatur. Si stellæ conitruales egestioni suæ operam dant, egestum id nihil est aliud quam materiale sulphur, sal & mercurius. Id eiicitur in regionem suam. Postea dissoluitur. Primùm autem sulphur corripit mercurium & sal, vt fiat commixtura & res vna. Id verò sustinere non potest mercurius & sal, vt sulphurea natura materialis cum suâ operatione commisceatur. Est enim sulphur calidissimum: & sal est sal petræ. Et ex huiusmodi ipsorum pluuiis sal petræ optimum quoque prouenit. Cùm ergo necesse sit, hæc tria prima ita coniungi & vniri: id certè sine miraculo non accidit. Coniunctio enim horum trium primorum procedit impermixtim ex vnâ stellâ, & per Adech in nubibus vnitur. Hoc ergo operante Adech, sulphur accenditur vnà cum mercurio & sale, igne scilicet frigido, qualis in istâ generatione stellarum natura est. Et si sulphur sal petræ & mercurium concipit, tunc ex illis globus compactus fit. Quod si ergo sal petræ crassius & immaturum sit, sulphur inibi vnitum non manet, sed globum illum omnino diffringit & displodit. Diruptio ista fragorem concitat, in nubibus sonantem per aliquot milliaria, quasi fragor iste secundùm substantiæ generationem continenter duraret. Et vbicunque tonitru inualescit & diffunditur, ibi sal petræ metam (mensuram) disrupit. Globorum huiusmodi ex vnâ stella produci multi possunt, qui omnes confertim ac repentè, si à stellis eiiciuntur, successione quâdam, prout plures vel pauciores fuerint, displodi queunt. Tonitru hoc modo facto, ventus insequitur, vel anteit. Cuius hæc causa est, quia scilicet coniunctio ista trium horum primorum, priusquam fit, validum impetum, ac ventum concitat. Is enim ex solâ coniunctione oritur, si nempe validè illa inter se pugnant. Tunc enim resoluitur sal petræ, ac id vnà secum soluit etiam mercurium sulphúrque: quæ postea in pluuiam desinunt. Pluuiæ huiusmodi concitatæ & repentinæ sunt, propterea quòd repentina resolutio à sale putrefacta sit.

TEXTVS VI.

De Fulmine.

SI autem stella fulminea, hoc est, sulphur igneum sit: eius egestum igneum tale eiicitur, quod in stellâ priùs coagulatum sit. Idem coagulatum postea in suam regionem eiicitur. Frigiditas autem concurrentium ventorum & chai contraria huic egestioni resistit. Vnde fit, vt tria prima seipsa dissoluant per frigus & humiditatem externarum nubium, quæ & ipsæ ex propriis stellis enatæ concurrunt. Vbi enim egrediuntur fulmina, ibi præcedit nubes pluuiosa, in quâ materia ista latet & conditur. Nubes ista in pluuiam abitura, materiam illam, quæ ignea est, madefacit. Dum ergo sulphur humorem sentit, tum dissilit & disploditur. Ibi ergo primum fulgur ex sulphure in terram effunditur. Hoc enim latè ex circulo suo, sursum deorsúmque circa suum centrum transplendet. Quamprimùm autem fulgur madefit, extinguitur. Extinctio ista est dissolutio globi, cuiam fulminis ictus sequitur, vt dictum est. Huiusmodi multa sese aliquando consequuntur, prout stellæ vel parum vel multum eiiciunt. Similiter etiam tenendum est, quòd mercurius interdum vsque adeò durus, ac ita validè cum sulphure & sale compactus sit, vt nō displodatur, sed in vnâ (mēsura) meta ac forma permaneat. Hoc propter igneitatē violentæ operationis est. Quòd si autem de humore nubium vix vnica gutta, trium primorum ignem attingat, tunc totum sese exonerat in terram, aut perrumpit cœlum, prout humiditas vel infernè vel supernè insultauit. Ea si desuper incidat, fulmen ferit ac agitur deorsum, ad latera, hoc vel illud, prout lineam circuli inuadit. In terram autem cum impetu tam rapido deiicitur, vt & muros concutiat, & deiiciat arbores, & findat scopulos, persæpè etiam, si in lacum quendam concitetur, vno ictu aquam omnem foràs excutit. Equum etiam cum sessore suo profundissimè in terram transadigit: nec vlla celerior alia ac violentior in cœlo operatio est. Et hæc insignis illa mercurij vis est, qui sale petræ ipso multò minùs ferre ignē potest ac illo etiam multò sæuiùs ferit & concitatur. Adeóque fulmen nihil est aliud, quàm trium primorum coagulatio, in igne valido facta, & per humiditatē nubiū deorsū pulsa.

TEXTVS VII.

De fulmine frigido, & grandine.

EOdem modo fulmina quoque frigida generantur, nisi quòd non in igne stent. Cuius causa est, quòd pluuia extinguat, & ignem tollat. Frigidū hoc fulmen æquè ac igneū deorsū agitur. Nam nec hic mercurius madorem ferre potest. In terram impingens sæpiùs reperitur, berilli materiæ simile. Liquor enim mercurij & salis petrę clarus & lucidus est, cum albo aut cæruleo sulphure, ac eo interdum nigro, &c. Frequenter iterum soluitur, sæpiùs taliter manet in annum tertium, aut diutiùs.

Simili generationę oritur & *grando*, si nimirum tria prima in operatione versantur, & agendo sal petræ vincat. Tunc enim ipsius *adech* ex seipso grana facit pro naturæ suæ conditione, vbi guttatim pluuia inuicem dissoluitur, ita tamen, vt coagulatio concurrat. Dum autem fit dissolutio, prius est fulgetrum: postea dissolutionem sequitur tonitru. Fragorem sequitur grando, vel maior vel minor, prout natura ipsius fuerit. Concomitatur interdū etiam fulmen vel frigidum, vel igneum, velut & venti impetuosi, & pluuiæ. Quorum omniū hæc ratio est, quòd tria prima ita valenter & crassè eiiciantur, vt necesse sit tempestatem validam sequi. Stellæ etenim illæ, quæ materiam hanc excernunt, nubes magnas, & ventos validos cient, ac operationes celeres cum multo fulgetro edunt. Sæpiùs etiam accidit, vt fulgetra magna tonitru præcurrant. Quod fit, quia coagulatio interdum tam dura est, vt tam citò dissolui nequeat. Quoties ergo diruptio tentatur, toties fulgetrum oritur. Multæ etiam coruscationes fiunt sereno cœlo. Vbi non eadem est causa cum grandine & fulminę: sed multū sulphuris est in aliquibus stellis: quod dum eiicitur, sine omni damno deflagrat, cœlo sereno existente. Egestiones eæ fiunt ex mero sulphure, noctù potiùs quàm interdiu institutæ. Sol enim hoc sulphur stellarum comburit, quod aliàs noctu descen-

Fulminis mira violētia.

Fulmen quid.

Fulmen frigidū vt generetur.

Grando vt fiat.

Fulgetri ortus.

descendit, & per se conflagrat. Nec quicquam est aliud, quàm vapor à sulphure, in quo nullus calor est. Interdum hoc modo etiam tonitrua lenia oriuntur sine damno, ex stellis placidis & lenibus.

Lapides ex externis, ad capitulum de gemmis *è supernis.*

Nota.

TRACTATVS QVARTVS.

TEXT. I.

De Iride.

Iris quid & vt generetur.

IRis est stella, ex sale potissimùm constans, seu, corpus suum ex sale habens. Oritur illa quidem vnà cum stellis aqueis: sed tamen aquam ipsa minimè promit, licèt communem cum illis motum & circulum occupet. Hæc emungens sese, eiicit extra se spiritum salis sine corpore ad medium interstitium. In quo dum iacet, extendit & pandit sese in circulum multorum colorum, vnius tamen elementi Ignis. Colores enim, quos ostentat iris, ex spiritu salis, qui purpureus, spiceus, viridis, &c. est, proueniunt. Nec ista est collectio 4. elementorum, ceu quidam impudenter mentiuntur: verùm talis est natura iridis & proprietas singularis. Sicut enim stellarum reliquarum quæuis pro conditione creationis suæ impressionem facit: ita iris quoque arcum cœlestem fingit, proprio motu & ex virtute innatâ citra reliquorum elementorum opem. Iris interdum sereno cœlo oritur, nullâ sequente pluuiâ. Cuius hæc causa est, quòd iris talis solitariè & per se currat, sine comitibus stellis pluuialibus. Aliquando iris comite pluuiâ stipatur. Hæc cum stellis pluuialibus concurrit, & vel manè vel serò pro cæterarum modo motúque exoritur. Noctu tamen colores eius propter tenebras vmbrásque terræ cognosci minimè queunt. Quòd verò per æstatem irides appareant: causa hæc est, quòd stella scilicet iridis tempore hyemali maturescere non potest, cùm per Solem tantùm maturetur velut & tonitrua. Hinc fit, vt suo definito tempore & oriantur & occidant. Sed & in hyeme generantur irides, hâc ex causâ, quòd per æstatem arcus cœlestis quidem genitus, sed non eiectus sit, adeóque ad suum vsque tempus manserit. Idem experimur etiam de nonnullis tonitrubus & fulgetris, similibúsque aliis. Cęterùm cùm forma eius, tum diuisi colores ex innatâ naturâ sui *Adech*, in stellâ iride latente proueniunt. Quicquid ergo veteres ac moderni Philosophi de iride statuerunt, id pro mero ac sordido commento accipiendum est, quod illi more suo, nullo sano Philosophiæ iudicio probatum aut stabilitum inuenerunt.

Iris quæ vi fiat.

Irides propriæ sunt æstatis.

Irides hyeme cur conspiciantur.

TEXTVS II.

Lancea.

Lanceæ vt fiant.

LAncearum origo est ex stellis sulphureis. Hæ si se emungunt, putrefactionem suam abiiciunt, quam sustinere non possunt. Stellæ siquidem omnes constantes sunt ac manent. Quicquid verò ex illis nascitur putredini obnoxium, id segregatur ab ipsis. Stella ergo sulphurea, ex quâ lancea progignitur, corpus est sulphureum, generans in sese rem coruscantem, & sibi ipsi coloribus correspondentem. Quod enim producitur, exprimit id, à quo producitur, quia in illius calore adhuc versatur. Dum stella autem excrementum suum eructat, per diem id non apparet, sed tantùm per noctem. Eiicitur autem instar glebæ seu massæ, quæ cadendo dilatatur & extenditur, adeò, vt hastæ seu lanceæ figuram æmuletur. Vndè etiam interdum hasta, interdum stellæ iactus vocari solet. Materia enim ac res vna est. Dum autem deuoluitur in terram, instar liquaminis aut spermatis seu mucilaginis consistit ac cogitur. Et hoc si à Sole excoquitur, aut sulphur euadit fixum, ac durum. Ex illo peculiare etiam scarabæorum genus, ac vermiculi, serpentibus similes proferuntur. Huiusmodi egestorum alia feruida sunt, vt exurant siccéntque vbicunque decidunt ac iacent. Ex stellâ enim & motu celerrimo, & calore promptissimo delabuntur. Quanquam hoc fiat rariùs. Si decidant in terram argillosam, argillam transmutant in lapidem, quantum quidem illius contingunt. Si deuoluantur in aquas, pisces quidem corrumpunt, sed cancris conducunt.

TEXTVS III.

De Draconibus volantibus.

NAturalium draconum causa est corpus sulphureum, multo tamen Mercurio & sale permixtum. A stellis etiam producuntur sulphureis, hoc tamen à lanceis discrimine, quòd, quàmprimùm ex stellâ progrediatur, mẽsurâ illâ maneat quali à stellâ extrudũtur, in sese sæpe cõpacti, adeò tamen ob sulphur calidi, vt Mercurius & sal quiescere non possint, sed volitando quasi tremant instar viuentis animalis, quod loco suo mouetur. Id facit feritas, quæ in sale nitri est & in mercurio ac sulphure quoniã calor adest. Euolat autem in latus, quia stellæ ipsius emunctorium latus spectat. Prout itaque terræ planitiem respicit, ita etiam exilit foràs transuersim ad interuallũ milliarium 30. vel 40. pauciorum vel plurium. Si verò in tellurem decidit, nihil est aliud, quàm adusta spuma, in terræ superficie hærens, sicut vsnea in quercu. Spuma hæc cuprum quoduis inargentat propter naturam mercurij in dracone isto iacentis. Si autem in ignem coniiciatur, instar sclopeti tremebundum fragorem emittit.

TEXTVS IV.

De iaculis quiescentibus.

FIt etiam persæpè, vt à nonnullis stellis egestum excernatur, suis stellis simile, quod in sublimitate mediæ regionis manet, nec deorsum in globum decidit. Multa enim egesta hanc naturam habent, vt in tellurem nunquam deuoluantur, sed in sublimitate librentur, velut & nubes id faciunt superiores. Harum enim ad modum illa egesta quoque suspensa librantur, non decidunt. Fiunt autem ex lucente sulphure, quod corporis tantùm fumus est, & instar nubium aliarum suo suo tempore consumitur. Interdum etiam ab vno loco pelluntur in alium, pro motu venti & conditione emunctorij. Iaculorum huiusmodi quiescentium multa pro nouis natis stellis reputantur, quæ successu temporis iterum vanescant. Fit quandoque, vt huiusmodi stellæ singulis noctibus viam quandam

peragrent

peragrent per tempus aliquod & manè suo iterum loco consistant, ac sub noctem inde iterum moueantur. Cuius rei hæc causa est, quòd scilicet ipsum emunctorium ita stet & moueatur. Primum autem cursum conficiens stella pergit donec consumatur, seu dies seu nox sit. Postea nonum iterum egestum prorumpit, cursum cum priore eundem tenens. Sic ergo persæpè ac multis septimanis, quâuis nocte egestum nouum excernitur, vel maturiùs vel seriùs, pro ratione loci eius, in quo stella consistit.

TEXT. V.

De ranulis, & sanguine, & lacte.

Stellæ ingestis gignunt. Animalia o mnium stellis nascuntur. Animalia duplicia.

SVnt etiam nonnullæ stellæ, quæ egestionem reddunt similem spermati. Ex quâ in terram delapsa nascuntur vermes, ranæ, bufones, & scarabæi, &c. Egestio hæc nihil est aliud, quàm sulphur putridum, & mercurius similis, ac spiritus salis feruidus. Ipsius autem *adech* hanc habet naturam, vt talem putrefactionem subire queat, ex quâ postmodum animalia nascantur. Omnium enim generum, quæ in animalibus reperiuntur, stellæ etiam in cœlo repeniuntur. Quæ verò succuba seu spuria sunt animalia, ex stellis omnia pronascuntur. Serpentes enim duplices sunt: genuini, qui tales creati sunt: & stellares. Eadem animalium omnium ratio est. Egestiones huiusmodi si redduntur, operationes mirabiles fiunt. Egestumque aliud est velut sanguis, quod nihil est, nisi rubrum dissolutum sulphur. Quod dum coagulatur, vt vinum (al. ventus) sulphur inde fit ardens. Sic aliquando sulphur cadit candidum, lacti simile. Id per coagulationem fit fixum, nec ardet. Sic ipsius alij etiam colores sunt. Nonnunquam decidit instar crassæ aquæ, aut sordidi olei, cum fœtore. Ex hoc quoque fit sulphur fixum. Quædam (vt sunt vera putrefactiua egesta) animalia sua gignunt aliquando in stellis, quæ postea ita decidunt. Nonnunquam in regionibus medij interstitij. Aliquando primum in globo, pro ratione naturæ. Putrefactionum huiusmodi multæ & variæ species reperiuntur in terra, vniuersæ ex stellarum ita dispositarum stercore enatæ.

TRACTATVS QVINTVS.

De Metallis è superis, Mineralibus & Lapidibus.

TEXTVS I.

De Metallis.

Planetæ septem totidem metalla signant.

MEtalla, quæ è superis, ortum suum septem planetis acceptum referunt. Septem isti planetæ multiplices sunt. Multi enim sunt Soles, multæ Lunæ, Martes multi, multi Mercurij, Ioues, Saturni, &c. Septem autem vocantur, quia septem metalla producunt. Vnum enim genus vni planetæ adscribitur. Non autem isti planetæ sunt, quos Astronomi ita indigetant. Errant, enim, dum illos metallis assignant. Nec de ipsis quæ dicunt, consentanea sunt. Ex 7. his planetarum generibus septem prodeunt metalla, & sunt in tribus primis eadem, non secus ac in elemento aquæ. Hoc tantùm discriminis interest, quòd in tribus primis sint volatilia: non fixa in suis speciebus. Secundùm hoc ergo quæ metalla reperiuntur, inferiorum metallorum probam non sustinent. Nec etiam metalla inferiora superiorum probam sustinent: nec vna eademque vtrorumvis est ductilitas, fluxilitas aut durities. Sed nec in gradu colorum conueniunt: verùm certo discrimine distant. Ita scilicet volatilis huiusmodi natura & vis elemento ignis inest, qui septem stellarum generum omnis metallica operatio & materia est, ac simul ab illis in terram decidit, sicut pluuia aut similes egestiones aliæ. Metalla talia multa suis stellis subiacent, quædam in Asia, pauca in Africa, pauciora in Europa. Stellæ siquidem illæ tellurem nostram non attingunt. Vnde nec ista apud nos reperiuntur. Omnia tamen grana, quæ digesta metalla sunt ex septenis, & exteriore facie aspera, ex stellis descendunt, non ab elemento aquæ. Et inter omnia metalla, quæ sine igne coagulata sunt, & rotunda formata specie pisorum, quæcunque ea & cuiuscunque generis sint, ex septem stellis prodierunt, siue illis superincumbant, seu minus, Terra enim illa offundit, sicut & flumina. Vbi autem reperiuntur, ibi nec exortus, nec radix est, sed proueniunt more modoque renum. Origo enim illorum ex stellis, ac digesta omnia sunt. Ibi enim in elemento ignis nulla est ruditas ac crassities, quæ se permisceat. Ita purgat ipsa pro suis stellis, & ipsa coagulat purè & integrè. Et in permixtione suâ consistunt, sicut metalla in elemento aquæ, cum sulphure, sale & Mercurio: nisi quòd ignea metalla aqueam fixationem non habeant, sicut nec aquea metalla fixationem firmamentalem habent.

Metalla planetarum in quibus locis.

Metalla omnia ex 7. planetis.

TEXTVS II.

Metalla qui: enerentur.

QVando itaque tria prima in stella metallari effectum suum compleuerunt, ita, vt compositio in stella Solis, Mercurium Solis cum sulphure solis & sale solis permiscuerit; tum digeruntur ab Adech in metallum perfectum, qui ex illis fingit formam sui doni. Tum demum stella egestionem suam eiicit feruidam & eliquatam, sicut ex fornace quâdam: quæ in cadendo quatitur, & in frigido coagulatur, ac globum decidit. Eodem modo & Stella Lunæ, ex Mercurio, sulphure & sale Lunæ compositionem facit. Ea in effectum producta, (similiter vt Sol) postea eiicit. Eadem ratio est Saturni, Martis, Veneris, Mercurij, Iouis. Vbi notandum hoc est, quòd ex 7. generibus 7. stellarum quodvis per se priuatim vnius metalli tria prima complectatur: non vt in elemento aquæ, vbi in vno Ares, septem latent. Nomina ergo 7. metallorum respiciunt ad 7. metalla, non terræ, sed stellarum. Similiter etiam liquores multi decidunt ex stellis, nondum coagulati. Quibus si terra madescit, splendor inde exoritur, similis Cacchimiis, Talcis, ac interdum etiam Marcasitis, qui tamen horum nullum perfectè pleneq; est, nec perfectè eadē refert. Hinc iā concludendum est, quòd metalla superiora multis gradibus præstent inferioribus, in bonitate, puritate & natura, adeoque in omnibus maiore lande digna sint.

Metalla superiora inferioribus præstantiora.

TEXTVS III.

De Lapidibus è supernis.

Stellæ gemmiferæ.

EOdem modo stellæ sunt etiam aliæ, quæ eiiciunt ex sese gemmas, granatos & lapidum formas alias. Sulphur enim ac sal, & Mercurius in elemento ignis potentem vim habet generandi gemmas. Multæ sunt stellæ, quæ in sulphure Rubineo, multæ quæ in sale Saphyrico, multę, quæ in Mercurio Smaragdali potentes existunt. Nã & stellæ sunt, quę cuprea prima continẽt aut vitrioli, aut salis, aut aluminis. Vnde multiplices huiusmodi pluuię apparent. Quæ si præparentur, manifestantur. Ex stellis istis generantur Saphyri lazurij. Ibi enim Sal est corpus, cum puro sulphure & spiritu Mercurij solidè coagulatum. In Smaragdo Mercurius est corpus, naturam cupream habens, non tamen corpus. Non enim corpus, sed colorem à cupro habet, Hoc enim modo colores gemmarum omnes, ex elemento ignis prodeuntes, inueniuntur pro naturâ & conditione trium primorum, quæ ratione colorum in metallis vnita manent. Veluti cupro saltem inest rubrum. Tria verò ista prima si metallicum corpus non habent, fiunt viridia. Ita ab argento, si metallicum corpus absit, fit lazurium: à ferro rubrum: à plumbo rubrum: à Ioue luteum candore permixtum: ab auro purpureum, à Mercurio croceum. Similiter etiam si sal solum prædominetur, colores varios producit, quales in nonnullis lapidibus conspicui sunt, purpurei, cyanei, leuiùs vel saturatiùs impressi. Æquè verò & quod à Mercurio tantùm fit, multis colorib. pollet, croceo, rubro, &c. Quod à sulphure, pollet candido, rubro, croceo, nigro, cœruleo. Hi quidem lapides paucissimi sunt: sed quæ naturæ metallicæ sunt, sunt nobilissimi. Ita Smaragdus est lapis cupreus: carbunculus seu Iaspis est lapis aureus: Rubinus & chalcedonius est lapis ferreus: Saphyrus lazurius est lapis argenteus Saphyrus; candidus est lapis Iouius: Hyacinthus est lapis Mercurialis. Dum ergo hoc modo lapides generantur in suis stellis, iuxta planetas habitantibus, tunc eiiciuntur, sicut metalla eiiciuntur, adeoque in summitate terræ inueniuntur formis modisque plurimis, pro ratione nempe suæ generationis.

Saphyri generatio. Colores in metallis vnde.

Smaragdus qualis lapis Carbunc. Rub. &c.

TEXT. IV.

De Crystallis & Berillis.

Crystalli & berilli vt gignãtur. Stellæ duplicis naturæ.

DE Crystallis verò ac Berillis sciendum est, velut & de citrinis, quòd generentur ex stellis niualibus, niuem gignentib. hoc modo In stellis niualib. vis congelationis tam valida inest, vt interdum naturæ duplicis sint, hoc est, vna eademq; stella & niuem & congelationem in se contineat, adeoque duplex sit. Quæ ergo talis stella est, vim congelandi simul & niuem producendi adepta, ea perfacilè crystallum, citrinum & berillum generat. Nam si nix cadit, & frigus comitatur, locusque ad hæc in globo datur vt boreas prædominetur, ac sol seu Solaris natura fortiter non regnet, tunc aqua, quæ in niue concomitantur, in lapidem coagulatur. Ista autem aqua si in media viâ dum nix cadit ab intenso cõcurrente frigore corripiatur, ex illâ lapides fiunt priùs, quã in globũ cadant, Itaque reperiuntur granula magna vel parua, prout frigus niuem in cadendo corripuit. Si verò tam subitanea correptio non fiat, sed nix in terram decumbat: frigus omnem aquam, in niue contentam, quæ nix non est, in centrum vnum versus terræ fundum cogit & compellit, & coactam illicò in glaciem coagulat: quæ tamen non, vt congelata alia, iterum eliquescit, ideò scil. quia ex aqua niuali orta est, nec iterum resoluitur. Cæteræ verò aquæ, quæ congelantur, etsi partim niuales essent, nix tamen simul resoluta est. Quod hîc fieri non debet: verùm aqua ex niue extrahenda est. Et quòd nix maneat, id per stellam tantùm niualem fit, in qua vis congelationis etiam subsistit, ita, vt, quo terræ loco conueniunt, nix non eliquetur, sed ad finem intentionis aut operationis perueniat. In niuibus huiusmodi fiunt lapides, vt crystalli, &c. puri simul ac obscuri, hac ex causa, quia SS. Mercurij & sal sese clarificârunt & depurarunt. Persæpè etiam huiusmodi crystalli, berilli, & citrini in illis locis reperiuntur, qui niuales non sunt. Cuius euentus causa hęc est, quòd in superioribus regionibus illi coagulati sint, & tales deciderint. Et nihil sunt aliud, quã coagulata aqua niualis. Forma autem ac species & anguli induntur, prout Sal in ipsis vel subtile vel crassum existit.

PROLOGVS

IN TRACTATVM SEXTVM.

De Fati impreßionibus.

TEXT. I.

POstquam de elemento ignis hactenus disseruimus, quî omnes illę operationes fiant & quid gignant: iam deinceps sequitur operatio alia elementaribus illis operationibus ex parte similis, ex parte etiam ex ipsis procedens. Et licèt elementaris naturæ non sint, sed tantùm præsagia existant: hîc tamen indicabuntur, ideò, quia, influentia & astra, eò meliùs cognosci ita queunt: vbi simul intelligetur, quòd astra, de quibus philosophati sumus, haudquaquam in nos operentur. Astrum autem, quod in nos operatur, est hoc, quod dicimus, quodque vocamus Fatum pro nostrâ philosophiâ, non pro aliorum de fato factâ explicatione. Vt verò fatum rectè intelligatur, sciendum est, quemlibet hominem suum habere spiritum, extra ipsum habitantem, & sedem suam in astra superiora ponentem. Spiritus iste opera & machinamenta æmulatur sui magistri, qui præsagia illi antè & pòst indicat. Spiritus isti vocantur fatum.

Astrum quod in nos operetur. Fatum quid sit.

TEXTVS II.

VT verò ipsius etiam Astronomiæ cognitio capiatur notandum est, quòd quæ de naturalib. operationib. tempestatum, ex constitutione & motu stellarum, traduntur, rectè sciri possint, modò illæ probè intelligantur, & ipsarum ortus, causa natura ac essentia debitè expendantur. Sed in practica & præsagiis dandis, grauiter quidem simplices illi viri à fato vexantur. Nec enim

falsum

falsum est, quod in ascendente fatum sit, quod quid fieri debeat, indicet, non stella. Interim tamen fatum ludit cum istis bonis viris, qui sibi nimis certam astrorum potentiæ peritiam arrogant. Affectant nimirum (exempli gratia) scire ex natiuitate infantis, quid fortunæ ille per vitam habiturus sit.

Hi tamen aliud nihil sciunt, quàm quod eludendo Fatum ipsis suggerit. Sic Martem proponentes, fœtum ferocem & indomitum fore prædicant. Ferociam hanc prænôrunt ex veratione fati, quod in Marte est, & Mars vocatur. Genuinam tamen indolem fatum celat, nec simplicibus istis quod verè de fœtu futurum sit, effudit. Quin & liberrimum arbitrium habet sese exerendi vt velit, nec idem hodie ei ingenium, quod cras erit. Ars ergo ista ex fato Originem desumit & eò reuertitur vnde orta est. Itaq; demonstrata nec est, nec esse potest.

TEXTVS III.

Fati omnia habent.

EX his tandem omnibus liquet, fatum sui ipsius indicium esse, & intelligi præsagiendo de eo, cuius fatum est. Homo enim quilibet suum fatum habet: suum fatū habet quoduis opificium, qualibet facultas, quævis secta, quævis religio; quivis ordo statusque. Et fata hæc mouentur & exerunt sese quotidie plùs, quàm nobis cognitum sit. Qui autem fatamantiæ peritiam habet: is præsagia apertè indicare potest in his, quæ hominis fortunam vel infortunium & similia attinent. Fatum hoc per suum Adech in firmamentum locatum est, vt ibi operationem suam habeat, & firmamenti more se gerat. Quanquam plura etiam fata sint, non solum in hoc elementum, sed & in alia collocata. Explicantur autem in capitulis de fatamantia, secundum elementa, in quibus versantur. Quæcunque autem elemento ignis, sub specie firmamenti subiacent seu addicta sunt; sunt ista, de quibus deinceps disseremus.

Fatorum sedes. Fata multiplicia.

TEXTVS IV.

De Figuris.

Figuræ cœlestes vt fiant.

QVæ verò in cœlo figuræ apparent, vt monstrosorum virorum, templorum, bellorum, & formarum rararum incognitarúmque aliarum, variis coloribus & speciebus exhibitarum, de his ita statuendum est. Simile terrenum originem suam habet à terrâ in astra superiora, ita vt inferior influentia cum superiore conueniat & quadret. Suntque adeò prognostica certa earum rerum, quas suâ forma demonstrant. Quanquam forma illa interdum rudis & incognoscibilis sit, ideò, quia in coniunctione ita ruditer conuenerunt. Coniunctionis autem hæc ratio est. Spiritus duplices sunt in influentia, supernè, infernè, ex quibus prognosticæ figuræ procedunt, non ex materiali influentia elementi ignis. Cur verò in hoc elementum ignis collocentur aut coniiciantur, hæc causa est, quòd corpus ab elemento ignis mutuentur. Quantum igitur ad corpus attinet, in Philosophia nostra ponuntur. Quæ verò vlterius de vtrisque spiritibus inferioris & superioris influentiæ nos-

Influentiæ Spiritus duplices.

cenda sunt, in libro de fatis enarrantur. Quoad figuras autem, res ita se habet. Inferiora fata superiora attingunt, & secundum suam formam efformant; quid in futurum fieri debeat.

Quicquid ergo forma demonstrat, id suo tempore fit. Nec frustrà id fit. Isque est Adech, qui se vestiuit tunicâ Mercurij, salis & sulphuris, formauitq; ipsam pro conditione luctus vel gaudij.

TEXTVS V.

De Cometis.

Cometæ quid denuntiet.

ORtus cometarum est fatum omnium populorum, circulo ac motui ipsorum subiectorum. Hoc illis denuntiat malum ac miseriam, libertatémve, aut rem aliam nouam, aut seruitutem. Nascuntur autem illi ex fato sæcularium, ecclesiasticorum, laicorum & similium. Cometarum quidam tantùm ex fato procerum oritur, & nouum inter illos murmur denuntiat. Is asspectu illustris est. Quidam ex fato ecclesiasticorum nascitur. Is caudatus est. Quidam ex rusticorum fato is rudis & crassus est. Formam suam mutuantur ab eo, quod præsagiunt seu indicant. Sic stella cum cauda indicat, caudatum seu longiùs protractum negotium. Si cauda sit latior, latiorem seu diffusiorem causam portendit. Et sicut caudæ extremitas vel læta vel serena apparet, ita causa quoq; terminabitur. De cometis itaq; aliud nihil cognoscendum est, quàm quòd à fatis inferiorib. gignantur in superioribus, vt prognosticationem mundo præbeant nouæ rei aut famæ.

Cometæ potissimù triplices.

TEXTVS VI.

De Tribus Solibus & Lunis.

Soles & Lunæ plures quid indicent.

SIc loco & vice cometarum noui interdum Soles conspiciuntur, aut nouæ Lunæ, præter iam existentes. Hi statum mundi sibi subiecti indicant, non in futurum, sed de die, præsenter. Et fatum suum desumunt ex supremis capitib. mundi, in quæ sola etiam desinunt. Indicant autem domare se illos, ex quibus procedunt. Sol autem sunt & Luna hac de causâ, quia dominium hoc indicat schismata & similia, résq; admirandas & rarò fieri solitas. Præcipuè autem euidentia deliria indicantur & conatus stulti superiorum. Ideò Soles exhibentur, hac de causa: quia, vt Solib. trib. &c. minimè opus est, ita nec opus est id, quod indicant. Et vt Sol vnicus sufficit: ita sufficeret hoc vnicum, quod indicatur. Itaq; sicut duos tresve Soles existere superfluum est: ita superfluum est ac inane etiam hoc, quod illi indicant.

TEXTVS VII.

De nouis Stellis.

Stellæ nouæ quid portendant.

IN cœlo interdum etiam oriuntur omnino nouæ: nec vnquam visæ stellæ aliæ indicantes nouam generationem hominum; aliquando etiam hominem nouum, qui talis non censetur, qualis indicatur. Indicant etiam interitum huiusmodi personarum, ita vt deiiciantur, hoc est, vt potens de Trono suo deponatur. Hatum fatum est ex illis, quæ indicant, &

& cursum suum tenent super his apud quos operantur. Corpus etiam suum desumunt ex eorundem ascendentibus in Planetis & Zodiaco. Vnde illis quodammodo similes fiunt secundum formam, ex quâ concordantia nascitur. Cuius ergo asscendens & Planeta certus & cognitus est, is ex ipso rectè cognosci potest. Huiusmodi stellæ mirabiles aliæ multæ existunt, ex Planetis eorum, quos præsagiunt, obscuro splendore & forma procedentes. Nec stellæ huiusmodi vnquam nascuntur, nisi ille homo præsignis aut sit, aut erit. Ex stellis istis autem omnibus nulla est naturalis, sed ex fatis vniuersæ nascuntur, non ex natura superiorum.

TEXTVS VIII.

De Crucibus.

Cruces de cœlo decidentes vt fiant, & quid portendant.

CRuces autem desuper in homines cadentes, oriuntur ex fatis, suntque prognostica & prædictiones, & interitus eorum, qui illis frequenter vtuntur, aut formis talibus sese sustentant. Harum præsagia valida & formidabilia sunt, & plerunque verè accidunt. Eò præsiguratur in illis tempus & hora rei futuræ. Exempli gratia. Cruces, quæ anno centesimo, hoc est, in Iubilæo ceciderunt, indicant futuri proximi Iubilæi confusionem. Formæ variæ, quas exhibuerunt, variarum familiarum interitum designant.

Crates quid indicent. Galli, tesseræ, scalæ, quid notent.

Ita Crates, & formæ aliæ, per quas diui torti & excarnificati fuerunt, indicant, illos, qui diuorum istorum curam habent, similiter interituros, & de solio casuros, vt de cœlo cadunt stellæ. Cruces, galli gallinacei, scalæ, tesseræ, &c. Vicarios Christi afflictum iri denuntiant. Super homines autem & vestes eorum huiusmodi res cadunt, vt prognosticon sit, homines sortem hanc attinere. Cadunt etiam in illis locis, vbi talia fient. Origo ipsarum est ex fato, & materia datur à sulphure, quod in stellis exundat. Formantur autem virtute spirituum in fato, & in homines delabuntur inuisibiliter, prout fati natura ac proprietas est.

Finis Tractatus sexti de Elemento ignis.

LIBER TERTIVS PHILOSOPHIÆ THEOPHRASTI, DE ELEMENTO TERRÆ.

TRACTATVS PRIMVS.

De Materiâ elementi Terræ per se.

TEXTVS I.

De Terrâ per se.

Terra vnde facta.

VT de elemento terræ philosophemur, materia ipsius primum facta est hâc ratione, dum ipsius tria prima, velut ex magno Iliastro à duobus primis elementis, in aliam formam & naturam separata sunt, ita vt in principio non solùm elementum terræ, sed & elementum aquæ inuicem segregarentur, & postea in vnum globum iunctim cogerentur, qui centrum est elementorum exteriorum. Ex duob. istis elementis prima completa est terra, postea aqua. De terra verò sciendum est, quòd omnis vis ac natura, quæ in Iliastro magno latuit, cum ad hominem tum pecora per cibum & alia necessaria nutriendum, in elementum terræ congesta sit, vt sunt omnes arbores, herbę & crescentia reliqua. Ita autem à cæteris tribus elementis ita diuisa sunt, vt hæc virtus in solo elemento terræ existat, nec in elemento vllo alio. Ideò elementi terræ hic Iliaster proprius est, vt alimentum præbeat. Et hâc de causa terra elementum est & vocatur, quòd in ipso consistat rerum nutrientium, viuentibus debitarum, vis ac potestas.

TEXT. II.

TRia hæc, SS. S. M. terra sunt, desumpta ex Iliastro magno, ex eâ natura, quæ elementum terræ est. Ibi enim elementum & tria cætera Iliaster vnus fuerunt, in quo 4. elementa inexstiterunt. A se tamen inuicem diuisa sunt, & Iliaster dissolutus est. Nunquam ergo deinceps 4. elementa iunctim stare aut simul esse queunt, sed quoduis per se seorsim in suo loco subsistit. Frustra ergo laborant illi, qui 4. elementa separare, qui preter hæc quintam essentiam quærere conantur.

Ex tribus istis primis, à cæteris elementis disiunctis, nata est materia terrę, quali iam formâ est & conspicitur. Et veluti aër factus est cœlum, ignis firmamentum, aqua mare, &c. ita fecit etiam separatio, vt elementum hoc in materiam abiret, & in formam globosam desineret, ac in illa includerentur omnes virtutes arborum, herbarum, fungorum, vt scilicet ex ipsa procrearentur vniuersa genera in mundum, quæ tacitè intus seminata latuerant.

TEXTVS III.

IN hoc terræ elemento conditum est semen ligni, radicum, herbarum, fungorum, & vis item, quâ caudex assurgit, & ad sui cultoris placitum fingitur & plantatur. Semen hoc inuisibiliter inest, procedens ex naturâ elementi, quod solum id semen est, velut & eiusdem domus ac sedes, in quo elaboratur & excoquitur. Principiò autem vis ea separatur in suum genus, ita, vt duo in vno non maneant iuncta, sed genus quoduis solitariè & seorsim sit, hoc in ligno, alterum in herba, tertium in fungo. Et horum quodlibet iterum seorsim abit, hoc in cedrum, illud in anthos istud in balsamum, id in botin. Et ex herbis, illud in melissam, hoc in lilium inter spinas, & sic de cæteris. Vt autem semen hoc secundum suam distributionem rectè intelligatur, notandum est, quòd in separatione magni Aniadi in locum vnum congesta sit natura arborum, in alterum botin, in tertium ebenus: & sic de cæteris. Pariter etiam magnus aniadus de herbis ita disposuit, vt in hanc terram gramen, in a lteram trifolium, in tertiam lauendula coniiceretur. Sic enim vnicuique terræ sua herba, sua arbor data est. Attendendum ergo nobis est, quæ aniadi distributio sit.

TEXTVS IV.

CVr autem Aniadus in arbores ita ceciderit, vt in terra vnâ nascerentur aurantia, in altera pruna, in tertia ficus, in quarta glandes: causa hæc putanda est, quòd ficus & aurantia peculiarem suam terram requirant, quæ

incremento

in cremento ipsorum quadret, sicut etiam accommodatum cœlum poscunt. Iam ergo si inæqualis terra & inconueniens cœlum sit, fructus hic vel iste emergere non potest, sed semen eius necessariò perit, nec erumpit. Etsi enim præstò id sit, & iaceat in terra, tamen à cœlo exiccatur, & à contrariâ terræ, quæ ex cœli varietate, non suâ ipsius naturâ varia est, constitutione opprimitur. Vna enim terra vbiuis est: accedit tamen varietas & mutatio à cœlo, crescentia ipsa vel producente vel impediente. Huic tamen opponitur natura. Cum enim Sol genus liliorum aut aliud quoddam exurit, aut id rarius est: in promptu est semen, quod natura ex arbore aut herbâ producit. Et hoc materiale semen in causa est, cur Sol genus hoc vel illud floris aut arboris vniuersum exurere non possit, sed illud omnino ad virorem peruenire sinat: nisi fortè fiat, vt Solis vis minor sit quàm vt fertilitati sufficiat. Ita ergo plantationis operâ herbæ ac arbores enascuntur, quę ob prædictum defectum ex terrâ aliàs minimè producerentur.

Semē vt crescat, quæ requirat. Terra sicca & per ... necessaria.

TEXTVS V.

SEd in Philosophia terræ nobis porrò pergendum est. Fructus nimirum ex elemento terræ duplices procedunt. Vel enim terra ipsa eos profert ex se, vel medio seminis. Vt nimirum hoc pacto per elementum ex terra crescentia omnia duobus modis nascantur, videlicet aut ex terræ semine proprio, vel ex semine terræ concredito. Semen proprium est, quando terra profert herbam, per se emergentem. Semen alienum est, quod seritur. Dotes ergo hîc herbarum sunt geminæ. Nec secale, nec triticum, nec lilium, nec pyrum, nec simile his aliud sponte sua ex terrâ prouenit, sed omninò seri vult. Profunda iam hîc huius tractatus Philosophia est, vndenam semina ista, quæ ex ipsa terrâ non prodeunt, proueniant. Nam si nec secale, nec triticum seminetur, nullum vtique eorum proueniet. Prouenit autem gramen & fœnum. Gramen ergo & fœnum ipsius terræ crescentia sunt, non itidem & poma & cerasa. Superest itaque Philosophia alia, qua discatur, vndenam secale, vnde poma, pyra, &c. enata sint. Sciendum autem est, ex ipso paradyso semina horum omnium crescentium progenita, & foras seminata esse, hincque latius plantata & exculta. Et fructus hi paradysi similiter intelligendi veniunt, vt intelligitur, Christum esse Deum, & hominem mortalem.

Terræ crescentia duplex. Semen quod terræ sit proprium.

Semina terræ nō propria, & paradysi plantata.

TEXTVS VI.

QVa verò ratione semen in plantam suam abeat, sciendum est, semen ex terra nihil aliud quàm incrementum & vim suæ formæ sumere. Alterum est paradysi, quod in paramiro docetur. Quantum verò eius, quoad elementum de terra sumitur, res ita intelligenda est, quòd initio tria prima terræ, semini sese permisceant, in quo est lignum & herba, ita vt ad finem suum tendat, sibi destinatum, fiatque id, quod est antea. Semen enim est id, quod ex ipso fit, nondum manifestatum. Ex hoc primum fit radix: ex hac postea caudex, ex radice & caudice egrediuntur rami: ex his tribus erumpunt folia: post hæc prodeunt flores fructusq;. Planta seu crescens hoc formatur ab Aniado magno, ac se habet instar hominis. Suam enim cutem habet, quæ cortex est. Suum habet caput & capillos, qui radix sunt. Suam habet figuram, sua signa, suum animum, suum sensum in caudice, cuius læsionem sequitur mors. Folia eius, & flores, & fructus pro ornamento sunt, sicut in homine auditus, visus, & vis loquendi. Gummi ipsius est stercus, & viscus morbus. Quicquid verò de cremento eius philosophari possumus, nihil est aliud, quam *Aniada* natura, quæ formas omnes disponit, & in essentiam suam ad quam conditæ sunt, dirigit. Mors eius ac interitus, est tempus ipsius annorum. Velut pyrus annis stat decem vel viginti. Postea tempus ipsam occidit. Ita emoritur planta vel arbor terræ, pro tempore suæ mortis. Consumptio eius est elementum ignis, hoc est, ignis conficit lignum, folia, gramen. Et quicquid in campo relinquitur, putrescens, & in cariem abiens, id Sol & Galaxæ motus absumit, vt nihilo plus super terra relinquatur, ac si nihil creuisset, velut ligno etiam accidit in igne. Crescentia enim ita absumuntur & exeduntur, vt reliqui nihil maneat, sed omnia instar pulueris tollantur. Et reliquiæ insuper vento etiam valido vsque adeò difflantur, vt ne puluisculus quidem exacto suo anno supersit ac maneat.

Semen quid.

Planta & hominis collatio.

Gummi stercus est arborum: viscus morbus.

TEXT. VII.

De variis viribus nascentium.

CVm ergo ex terra enascantur arbores, herbæ, frumenta, & legumina: vis primùm huius elementi cognoscenda est, ita, quòd crescentia alia cibus & alimentum sint, vt legumina & fructus: alia potus, vt vuæ & berberis: alia purgatio corporis, vt turbith, helleborus, coloquintis: alia confortatio, vt cinnamomum, caryophylli, macis: alia virtutem suam habent in radice, vt pastinaca, & entiana: alia in foliis, vt bleta & caulis: alia in floribus, vt buglossa: alia in fructibus, vt poma, pyra: alia in seminibus, vt papauer, nux, & similia. Quî verò hæc omnia fiant, operæ pretium est scire, quòd Aniadus terræ hæc ita distribuat. Nempe quæ virtutes nutritoriæ sunt in partes tres distribuit: in semen, in radices, in extremitates. Sic scilicet in arbore pomum tantùm fructus est, quod Aniadus extrudit, fructumque format specie vel pomi, vel pyri, vel ficus, &c. In nucleo species est seminis, vt in vino species est potus. Sic ergo Aniadus ante hominem primam præparationem operatur, & homo secundam dirigit ad suũ commodũ. Post ea quod laxatiuæ naturæ est, in crescens aliud degenerat, vt in silerem montanum, in rhabarbarum, in hermodactylos. Quicquid autem naturę dulcis est, id abit in zuccharum, fœnogræcum, glycyrrhizam, & flores: vnde pyra quoque & ficus dulcedinem suam desumunt, & apes mel. Amaritudo diuertit in amarissimam. Caliditas in piper & grana paradysi. Frigiditas in nenuphar & caphoram. Sicut enim in elemento ignis res quælibet per se ab aliâ diuisa est: ita diuisa est etiam virtus elementi terræ in suũ crescens. Quanquam sæpiùs etiam accidat, vt duæ naturæ tresue in re vnicâ delitescant. Sic in cassia est calor, dulcedo, & natura laxatiua: in Mace odor, bonitas, &

Crescentium diuisio.

Vis nutritiua in quibus.

Vis laxatiua in quibus. Vis dulcis in quibus. Vis amara in quibus. Vis calida & frigida in quibus.

Cassiæ diuersæ vires.

& confortatio. Idem de reliquis pluribus etiam statuendum: nec tamen ob id vnum alterum destruit. Eodem modo vis elementi terræ vel ad sanitatem facit, qualis est in lolio, in persicis, in gamandrea; vel est naturæ consolidatiuæ, vt in consolida, in Artemisia rubrâ, vel est in odoratu, vt in Conuallio, Narcioscæ: vel est in fœtore, vt in ebulo. Hæc omnia ex Aniado enata sunt, aut partitim distributa in vsum eorum, qui in terra degunt. Et hoc modo magnalia cognoscuntur, velut & virtutes elementorum, quę ex magno iliastro defluxerunt. Hisce ergo prologum finitum facimus. Si quæ præterea ad rem erunt, priuatim in propriis capitulis indicabuntur.

Narcioscæ

TRACTATVS SECVNDVS. DE ARBORIBVS.

TEXT. I.

De Botin, Abiete, & Pino.

Sulphur in botin duplex.



VT verò porrò de Botin, Abiete & Pino Philosophemur: notandum est, sulphur duplex hîc in suo corpore existere. Vnum in coagulationem abit: alterum ab illa separatur & non coagulatur. Ex sulphure coagulationem suscipiente, præparatur lignum; & id sale plenum est. Quia verò sulphur ideò ardet, & dum ardet, ob sulphur tantùm ardet. Ibi quod reliquum manet, sal est, & tandem cinerescit. Et hoc nempè sal est, quod sulphur in arboribus coagulat in lignum, ex quo fit vitrum. Sal enim fluidum est. Et vitrum hoc vltima est materia vnius cuiuslibet salis ligni. Sulphur alterum, coagulationis expers, dat terebinthinam, resinam, abietis & pini latens nimirum in ligno, & subtilitate sua poros ligni penetrans extrà corticem, aut liquescens, aut in loco suo sese resoluens. Vbi ergo emunctorium patet, ibi erumpit: quod fit aut per foramen aut plagam. Hîc tamen sciendum est hoc discrimen, quòd in sulphure Botin sit subtilior quàm abies & pinus, & pinus iterum subtilior quàm abies. Et omnia tria generationem habent vnam, ex aniado procedentem, quæ per mercurium compingitur, sed, vt nonnihil etiam loquamur de eius cortice, ramis & similibus, notandum est, corticem nihil esse aliud, quàm coagulatum sulphur instar resinæ, per aniadum ad formam istam perductum. Est enim congelatum durum sulphur. Et sicut finis in nullo corpore sine duritie est: sic finis etiam corticis se habet, qui durus est, ex durissimo sulphure huius crescentis desumptus. Rami ipsius ex aniado, ita fingente, procedunt. Sic & surculi & cætera. Ipsius fructus, comis, &c. & ipsi formam ac speciem suam ex aniado: qui aliter gignere non potest, desumunt. Idem etiam de arboribus cæteris similiter intelligendum est.

Sulphur causa ardoris.
Vitrum quid.
Resina quid.

Cortex quid.

TEXTVS II.

De Citbo, Fraxino, & Abarnâ.

Hoc caput mẽdosũ est.

TRium harum arborum natura est sulphur, per sal ligni coagulatum, instar fraxinorum, nisi quòd in sulphure ac sale suo multò subtiliores sint. Sal itaque earum nobilius & durius est, quia de natura est cœlesti. Ex cineribus ergo illarum nobiliora alkali & vitra conficiuntur, velut & ex aqua ipsarum nobilior essentia. Ideo & aniadus in suis nascentibus nobilior est, quàm in sulphure crasso, vt dictum est. Natura ergo cæteris lignis præstantior est, vt in abiete. Rami verò similiter formati sunt quoquò versum per arborem in candicem desinentes, nec in superficie tantùm adhærentes. Ex medullâ enim rami enascuntur. Vnde fit, vt rami eiusdem ligni sint, cuius sunt & semina. Sicut enim virtus medullæ profert semen: ita & ramos. Qui verò rami è medullâ non exoriuntur, hi istarum arborum ligno similes non sunt. Sed & fibræ in caudice cochleatim positæ sunt, quia pori eius alij non sunt. Hâc enim forma per aniadum distribuuntur instar cochleæ, ratione pororum.

Abarna diffluxu suo ita se habet, quia aniadus oleosæ naturæ est. Huius enim arboris, velut & aliarum, pater nihil est aliud quàm natura formans, quam aniadus in se habet. Et licèt vnum quidem altero ex forma perfectius egrediatur, nec in forma omnia ita maneant, vt aniadus incepit: tamen per incrementum vnum ab altero dispellitur, & forma proditur. Cur verò floramenta talia non vniuersa habeant in causa est imago aniadi. In hac enim formæ omnes, quas terra nouit, consistunt, & ab hac prodeunt. Peculiaris harum arborum natura prodiit ex natura sulphuris & salis, quæ se hîc aliter habent, quàm in arboribus cæteris. Præterea quia mercurium subtilem habent, ideò compactio ipsarum alia ac diuersa est. Zirbus mercurium habet friabilem durum. Fraxinus lentum & leuem seu mollem. *Abarna*, durum & solidum. Hisce tribus naturis arbores differunt.

TEXTVS III.

De Cedro, Balsamo, & Cupresso.

SVlphur aliud procedit ex elemento terræ, quod omnium lignorum nobilissimum est. Ex hoc nascuntur cedri, Balsami, cupressi. Sulphur hoc omniũ candidissimũ, sal subtilissimũ habet cũ multo mercurio. Diuiditur autem in principio in formã dupliciter: in formã longam, & in breuem staturã trium primorum, & non aniadi. Iam vicissim & sulphuritas in ipsis duplex inest: in balsamo est sulphur candidum, quod resoluitur instar botni opera & beneficio influentiæ. In cedro & cupresso non est quidem: diluitur tamen in stirpes & ramos, & vnà cum ligno crescit. Adeoque sulphur ligni, & sulphur resolutum res vna est. Non ergo, vt in balsamo separantur. In terebinthina tamen balsamo assimilantur. Si sulphur subtile à cedro & cupresso separatur, verum balsamum est simile reliquis. Hinc causa patet, cur spagyrici ex ligno balsamum quærant & extrahant. Ipsis etiam simile est lignum abietis: hoc tamen discrimine, quòd aliud sal alium mercurium habeat, sulphur autem idem. Æquo modo & Myrobalani conueniunt in sulphure, differunt in sale & mercurio. In arboribus hisce, cedro, balsamo, cupresso, myrobalanis, aloë, sulphur vnum est, quod ex omnibus tribus primis elementi terræ, ratione virtutis & naturę extrahitur. Et omnia ligna sũt

(*) solis exceptis granatis. Ea vis est sulphuris, quod putredini resistit. Dos igitur ac virtus earum omnis, quam habent, sulphuri adscribenda est in ipsis contento. Non ergo aberrat Spagyrus, qui sulphur in ipsis quæritat.

TEXTUS IV.

De Ebeno, Turbith, & Iunipero.

SEd & harum trium arborum secundum tria prima vnita, vna generatio est. Adest enim crassum sulphur, crassum sal, subtilis tamen mercurius. Generationis hic modus est. In ebeno vis manet interiùs: in turbith egreditur in corticem. In iunipero manet in vtrisque, ligno scilicet & cortice. Similiter etiam in proprietate diuiduntur. Ebenus purgat & constringit. Turbith purgat tantùm. Iuniperus consolidat. Præterea ebenus curat malitiam corporis: Turbith curat diarrhœas; iuniperus curat sanguinem tantùm. Ad virtutes autem has attendendum est, vt ex illis prima ipsarum materia intelligatur. Iuniperus consolidat phlegma, & consolidat purgatque sanguinem. Ebenus purgat C. & constringit sanguinem ac phlegma. Turbith purgat phlegma, & constringit S. & chol. Etsi verò hæc de natura rerum planiùs explicentur: hîc tamen in explicatione Ebeni etiam attingenda fuisse videntur, ideò nimirum, quia mercurius hîc præualet, & sulphur dat corpus, sal verò præstat congelationem. Mercurius autem vim præbet ebeno, ita, vt sulphur ac sal attemperentur, mercurialisque natura in ebeno sola maneat. Hæc in turbith foras exigit in corticem: in iunipero in lignum, & omnes eius fructus. Triplicisq; adeò operationis est, in quolibet ligno seorsim. Præter has aliæ etiam ipsis naturæ insunt. Sic ebenus sulphur habet cedri & cupressi: turbith sulphur habet myrobalani & abietis. Iuniperus naturam habet Aniadi ex Botin, Pino & Zirbo, quia sulphur ipsius nonnunquam illis assimilatur. Formæ ergo illarum, huic formæ interdum conueniunt, interdum disconueniunt: quia non per omnia materia vna & eadem est. Hoc pacto multæ persæpè arbores sibi inuicem conueniunt, quia sulphur aut aliud quid commune habent secundum eandem proprietatem & naturam, ex Aniado ita constitutam & ordinatam.

TEXTUS V.

De Buxo, Sauinâ, & Tamarindo. Item Ederá, Lauro, Oleastro.

BVxus, Sauina, Tamarindus, corpus suum accipiunt ex probè depurato sulphure, & sale admodum subtili, cum mercurio viscido & tenace. Generatio ipsarum eiusmodi est. Buxus nullius alterius ligni naturam sortita est, sed omnino propriam conditionem & essentiam exhibet. Priuatum enim ac peculiarem suum Aniadum habet in folio, cui nihil ex omnibus aliis arboribus simile reperitur, nisi in Lauro. Et tamen quàm Laurus, sulphur aliud habet, herbis quadatenus affine, vt hederæ & peruincæ. Sulphur itaq; eius peruincali sulphuri & hederali simile existit. Sed & Sauina præter omnes alias arbores naturã propriã habet: cũ iunipero tãtùm conuenit quoad formã. Alias naturæ buxi correspondet. Differt autem à reliquis omnibus in eo, quòd ipsa arborum cæterarum vim in crescendo non habeat, sed suam peculiarem. Sic & Tamarindus separatur, fortius naturam de zirbo & botin, participans de sulphure salicis. Sulphur enim salicis & tamarindi, sulphur vnum est, & solo sale ac mercurio distant; velut & Aniado. Hoc ex tribus ibi crassissimum est. Harum naturis multæ quoque aliæ arbores conferri possent, quæ ipsæ quoque seorsim distinctæ sunt. Ex quibus est laurus, quæ à cæteris elatioribus arboribus diuersa est, velut & oleaster. Oleaster enim sulphur continet, quod in fructum abit: & tamen est idem sulphur cum eo, ex quo constat caudex. Similiter se habet etiam laurus. Differunt tamen essentia, veluti de natura rerum docetur. Hisce de arboribus hoc simul cogitandum est, quòd sulphur ipsarum varios colores parturiat. Sic buxus flaua est, quia sulphur ipsius luteum. Quod verò in ipso viride latet, id in folium secedit. Vnde folium eius admodum viret, lignum autem flauescit. In sulphure enim ipsius duo tantùm colores conditi sunt, viridis & luteus. Idem de Sauina similiter censendum, quæ tamen non æquè tincta est. In Tamarindo aliquid candoris est: velut etiam in aliis, prout colores sulphuris sese exhibent pro nobilitate scilicet Aniadi cuiusque, sicut colores & essentiæ inuicem separari solent.

TEXTUS VI.

De Sandalis, Liquiritiâ, & Tiliâ, Item de Fago, Quercu, Alno & Populo.

CAusa & origo sandalorum & cæterorum, sulphur est siccum, sale proprio stipatum: in quibus vtrisque mercurius viget. Discrimen est in colorib. formâ, duritie & essentiâ. Et tamen vna est origo & essentia trium primorũ: rubedo sulphuris distribuitur in lignum peculiare, quod est sandalum rubrum. Hæc rubedo est prima & peculiaris, præter hanc sunt & aliæ rubedines, ex quibus generatur brasilium, cuius generatio similis est sandali generationi, nisi quòd sulphur hoc in alio colore consistat. Postea ex sulphure oritur flauities: hinc sandalum citrinum. Porrò albedo: hinc sandalum album. Sed & alij colores adsunt, vt liquiritiæ & Tiliæ. Liquiritia desumpta est ex sulphure luteo. Hoc in sese dulcedinem sulphuream continet, quam mercurius parit, vbicunq; enim mercurius, ibi dulcedo. Sic hîc in liquiritia peculiaris mercurius iacet, qui facit, vt illa à sandalo albo differat. Eiusdem originis & tilia est, quæ tamen ex purissimâ trium primorum materia enascitur. Fagus autem generatur ex duritie, velut & quercus. Alnus verò & populus non ex ista, sed ex mollitie & lenitate. Tales etiam sunt aliæ multæ arbores, quarum nomina ex hac natura non definimus, intortæ & implicitæ, multis intertextis ramulis consertæ, & in nascens vnum desinentes.

Diuersæ sunt etiam coloribus. Id facit aniadus, & trium primorum proprietas, quæ in vno colore non manent. Vnde in vno ligno naturæ geminæ sunt. Quædam suos gradus habent, quædam minus, vt abies, quæ venas habet, quas annum vocant. Hinc in morem ac vsum abiit, vt dicant vulgò, quot venæ, tot anni. Qui tamen error notoriè falsus est. Quot

Tamarindus.

Laurus & Oleaster quo distent.

Colores quis à sulphure.

Sandala vnde generetur.

Sandali species quæ. Brasiliũ.

Liquiritia. Mercurius autor dulcedinis. Tilia.

Fagus. Quercus. Alnus. Populus.

Buxus plane singularis natura.

Buxus & Laurus quo conueniant.

Sauina.

Venæ arborũ annos indicent. Quot enim in tota medulla venæ sunt: tot primò illicò die existunt etiam, sed seriùs manifestantur. Nec nascuntur demum pro annorum numero numerosiores, sed pro ratione incrementi vel maioris vel minoris generantur.

Venæ arborum quid. Pleræque arbores, vt tilia, liquiritia, hisce venis carent propter coagulationem. Illas verò quæ habent, ex sale ipsas accipiunt, velut & cachimia. Suntque mineralis natura elementi terræ, quæ ita distinguitur, vt semper inter duo vel plura mollia spatia durities venæ interseratur.

TEXTVS VII.

Persica, pyra, poma: Item de amygdalis, nuce, item castanea, item ficu, & aliis: item de granato, arantiis, &c. Item cerasis, prunis & similibus.

Fructuũ vt lignorũ causa sulphur est. HÆ velut & aliæ arbores suum lignum à sulphure accipiunt: sic & cortices, & folia, & flores, fructusque. Huius rei hæc causa est, quòd sulphur in tribus primis terræ cum suo aniado multiplex sit: vnde fructus variæ species producuntur. Vt verò de fructibus, foliis, floribus, & arboribus exquisitiùs philosophemur, tenendum ante omnia est, quòd sulphur vbiuis superabundantem in se ad fructus liquorem habeat. Sic in Persica liquor est, non ex solo sulphure, sed & præcipuè ex Mercurio abundans. Hinc est, quod Persica aquosa & tenuis substantiæ gustentur. Persica aquosa. Pyra coagulata. Eadem ratio etiam pyrorum est. Quanquam hæc non tam manifestæ resolutionis, sed maioris omnino coagulationis existant. Idem etiam de pomis verum est. In his distribuitur etiam vis trium primorum, primò in suam substantiam, deinde in cutem. Persicum foris seu externa superficie est vsnea. Sulphur enim eius naturam vsneæ habet. Eiusdem autem naturæ non sunt pyra aut poma, sed hęc sunt de crassiore portione sulphuris. Ideò & sapor & virtus alia deprehenditur in cortice seu cuticulâ, & in fructib. ipsis. Idem in Arantiis etiam & Granatis apparet, vbi sulphuris substantia & corporalis natura in corticem solùm abit, & in se concludit tria prima resoluta & subtiliora, hoc est, sal & Mercurium. Arantia. Granata. In granatis autem sulphuris rubedo mansit, eamque per spiritum salis coagulauit in naturam granaticam, cui addidit trium primorum acredinem, quæ coagulari se non patitur, sed tantùm conglutinatur, velut succus in iis contentus. Vsque adeò industrius & admirabilis est Aniadus magnus in arte ac naturâ sua spagiricâ.

Semen omnium fructuũ in cẽtro. Idem eodem modo fit etiam in cerasis, in quibus sulphur cutis est, & interiùs cerasum, caro trium primorũ, in cuius centri medio semen locatur. Quoduis enim semen in medio sui fructus centro iacet, quæ natura est Aniadi. Idem in persicis etiam ac cæteris omnibus verum est.

Fructus & seminacur interdum dura. Inter fructus tamen discrimen est, quòd nuclei seu semina duritiâ quadam prædita sunt. In pyris, ac pomis non item. Arbores siquidem nonnullæ semen suum vnà cum ligno protrudunt: quod idem arbores aliæ non faciunt. Et fructuum nonnullorum eadem sors est. Fit enim idem in amygdalis, nucibus, auellanis, &c. vbi fructus ex ligno nascitur. Interiùs autẽ fructus & semen res vna est. Et hoc operatur natura, quæ non vno modo, sed variè cognosci possit. Itaq; & in castaneis mira eiusmodi natura est. Exterius enim est spinositas: postea putamẽ: tandem semen & fructus suo ordine locantur. Ordo seu series ista triplex inest etiam amygdalis, &c. licèt certa formæ & speciei diuersitas intercidat, veluti nec arbores quæuis similes sibi inuicem fructus progignant. Huius generis res seu naturæ multiplices sunt: quę de natura rerũ & de transmutationibus pleniùs explicantur.

(De Aniado in genere, de foliis, floribus, de tempore: de anno rerum, &c.)

TEXT. VIII.

De Mace, de Cubebis, de Pipere.

EOdem exemplo Aniadus etiam saporem ac acrimoniam trium primorum in elemento terræ congessit, & ex illis produxit Muscatum, cubebas, piper, & genera alia plura, ceu Cardamomum, grana paradysi, &c. quæ omnia sigillatim enumerari nihil attinet. Generatio illorum talis est. Horum semen instar seminũ arborum se habet. Arborum autem semina totius arboris vim, essentiam, naturã, formam & conditionem, licèt latentem adhuc possident. Semẽ hoc in principio in partes diuiditur duas, in partem superiorem & inferiorem. Inferior pars præparata, radix fit. Pars superior supra terram eleuata in Iliadum vertitur. Incrementi autem hæc ratio est, vt radix in sese contineat, quicquid requiritur, & grandescat pro modo sui Aniadi. Pars superior assurgit formâ vnica, scilicet specie caudicis. Caudice autem structo ceu domo quadam, iam is rursus in partes duas distribuitur, hoc est, in partem, extra seu supra caudicem sese eleuantem, quò spectant flores, fructus & folia. His factis, medulla seu robur mediũ, quod anima est, naturam vniuersam arboris concreditam habens, demum protrudit folia, hoc est, quicquid foliacei inest, id est sulphur viride. Folia formata, & materiam complentia, vis sequitur florifera. Ab hac generantur flores pro naturâ Aniadi istius arboris. Floribus enatis, & in sua materiâ inclusis, erumpit fructus specie & formâ sui Aniadi. Et hæc crescentium arborum ratio est, inter quas & macis connumeratur. Arbor hæc floris fructusq; longè nobilissimi est, ex sulphure, Mercurio & sale nobilissimis, ac cum sapore, tum odore præstantissimo dotatis progenita. Similis ratio etiam cubebarum est & piperis, omniumq; quæ forma his conueniunt. Nec enim specialior de his omnib. Philosophia patet, quàm hæc: quòd, sicut, Aniadus in ligno gaudet, hoc illóve modo effingendo, eadem luxurie etiam in fructibus & floribus efferatur, virtutémque quamuis seorsim collocet, nihilque temerè confundat, sed debito modo & mensura omnia dispenset, & sequestret, vt nec ab extraneis augeri minuive queant. Falsa ergo & erronea opinio istorum est, qui dicunt, quatuor elementa, hoc est, quatuor complexiones & qualitates in vno existere. In quouis enim vnica tantum est complexio, vnica qualitas, vnica natura, vel remissior vel intensior, pro gradus sui commoderatione. Et hæc complexio, rei robur est, quod nec à calore nec frigore infringitur, cùm in vno id non subsistat.

TEXT.

TEXTVS IX.

De Botris, Ribes & Berberis.

SImiliter & aciditas in tribus primis arborum reperitur, quæ resoluta est ex liquore Mercurij in corpus sulphuris, & postea coagulata in externum, & tandem conglutinata, secundum id, quod de liquore est (ex potentiâ) Liquores hi colorem suum habent à sulphure, rubrum nempè, & flauum & candidum, non tamen ex illa ipsa materiâ sulphuris, sed tantùm ex resolutiua natura, quam habet, quæ nunquam coagulatur. Itaque tantummodò conglutinatur, ac in arboribus manifestatur, partim secundum colores, partim secundum folia. Flores autem etiam peculiares sunt: Nam in floribus botris sapor optimus est. In Berberis est amaritudo, ideò, quòd totalis aciditas in granulis sit. In Ribibus nec sapor est in floribus nec foliis, sed tantùm dulcedo in baccis. In hisce liquor viget Mercurij. Vnde etiam vrinam cohibent, & ebrios faciunt, ex vi nempe Mercurij Narcotici Anodini. Omnis enim vis Anodina est in Berberis: & vis omnis [vo:] inest in Botris ac vis omnis Narcotica in Ribes. Ideo Botri etiam plurimum crescunt, quia à Mercurio propelluntur. Berberis autem crescunt ignauiùs, quia aciditas obstat incremento. Ribes autem dulcedinem habent Mercurij, quę crescendi vim in se habet. Vis Anodina in Botris conditur specie vini, cuius lignum vile: aciditas autem in palmitibus est. Acetositas in Berberis præualet. Aniadus enim distinguit colores eorum, quorum naturæ contrariæ inuicem sunt. Huius aliquid etiam Ribes habent, & dulces sunt vnde coloris ratione comparantur Berberis, extra baccas. Quo verò differunt, hoc est, quòd scilicet vsneâ ferant, non secus ac materia persicorũ: hæc autem genera varia sunt ob varietatẽ Aniadi. Acetositates multiplices sũt: multiplices sunt medietates, &c. quæ omnia ab Aniado extrahuntur, & in peculiares sedes reponuntur, ac pro conditione arborum coagulantur. Quanquam eadem incrementi felicitate non enascantur, sed cura & plantatione accuratiore opus habeant. Quod ideò fit, quòd non in natiuo, sed alieno solo degant. Itaque vt durent, sedulâ depuratione indigent. In locis autem ac sedibus natiuis spontè crescunt & augentur, veluti de natura rerum & transmutationibus prolixiùs demonstratur.

Finis Tractatus secundi Philosophiæ libri, de Elemento Terræ.

TRACTATVS TERTIVS.

De cibariis.

TEXTVS I.

De Frumentis.

SIcut ex elemento terræ arbores abeunt in lignum: ita in eodem elemento sulphur etiam quoddam est, quod separari potest, & in cibum deficit. Huius generis sunt legumina & frumenta. Sulphur autẽ siccum, & sulphur humidum vnà iunguntur, duplicia nempe tria prima, secundum naturam & essentiam. Harum alia vsui est, alia non est. Sic auena est sulphur: sed edi non aptum. Frumentum autem seu semen ipsius esile est. Hîc sequitur primum, ex hisce frumentis enascentibus omnium primò id crescere, quod esile non est: postea id, quod esile est, hoc modo. Principio nascitur forma, & componitur & turgescit. Hâc ordinata & ad vim crescendi perducta, postea succrescit, quod vsui est: ita nimirum. Si inutile seu inesile sulphur operationem suam perfecit, ipsum sequitur, deinde sulphur esile. Et hanc separationem facit Aniadus. Quod nî ita fieret, mixtim & confusè cùm esili etiam inesile cresceret, sub forma & essentia vna. Aniadus autem primo expellit inesilia sulphura. His eiectis, subnascuntur esilia. Inesile mutatur vel in culmum, velut in frumentis: vel in arundinem, vt in Samara: vel in arbusculam, vt in Paganico: vel in truncum vt in pisis. Hoc sulphur omne luteum est ac candidum, quod huius naturæ vim habet, ex Aniado extractam & depromptam. In esili iam formato, esile postea prorumpit, & duplex esile continet: Humanum scilicet, & pecuinum, hoc est, farinam, & furfur. Farina est sulphur, naturæ humanæ affine, cuius gratia etiã enascitur. Furfur quadamtenus humanum quid est, non tamen hominis cibus. Hinc fit, quòd sues, quia homini quàm maximè similes sunt, furfur edant, & eo commodissimè saginentur. Sed porrò inquirendum est, vnde natura esilis emergat, quòd scilicet sulphur esile sit fiatque, cùm tamen non nisi rude & crassum sulphur sit. De hoc res ita se habet. In primo Iliastro quatuor elementa ita constituta & ordinata sunt, vt vnum quodvis suum Aniadum acceperit, qui naturam hanc & conditionem expleret seu perficeret. Ergo & hîc sulphur in essentias multas mutatur: nec tamen vltima eiusdem materia aliud quicquam est, quàm sulphur, sal & Mercurius. Itaq; materiam primam ex vltima desumere & inuenire possumus. Licèt enim primò sulphur sit sulphur, & sal sal, & Mercurius Mercurius: tamen res vltimò eodem redeunt, & ad materiam suam primã reuertuntur. Illud ergo, quod interim seu in intermedio, inter primã scil. & vltimam materiam est, in potestate Aniadi positũ est. Primum verò ac vltimum in virtute & potestate, hoc est, in natura trium primorum versantur.

Sulphur inesile prius esili.

Samara. Paganicum. Esile sulphur duplex.

TEXTVS II.

CVm ergo ratũ sit, mediũ inter materiam in potestate Aniadi consistere, ac materiã ipsã vltrò ac sponte sua ad materiam primam recurrere, ideò notandum est, quòd in Iliastro primo diuisio facta sit essentiarum in 4. elementa, ad quæ nunquam recursus fit, ita nimirum.

In elementum aëris confluxit natura aërea, & illuc denuò redit.

In Elementum ignis abiit firmamentum, eodem reditu. In elementum terræ fructus, eadem conditione. Sic vnumquodlibet redit ad suum primum. Quatuor autem illa in id non redeunt, vnde egressa sunt. Esset enim hoc præter captum omnem, nec conditionem hanc natura sustinere posset. Nam si ad monarchiã suam pristinam redirent, corruptio daretur aut fragilitas:

Quatuor elemẽta non redeunt ad suũ principium.

litas præsens vel futura. Quod concedi non potest. Secundò, ex nihilo id factum est. Si verò ad materiam suam rediret iam non esset nihil, sed aliquid. Regula ergo & Axioma est hoc in Philosophia, quòd mansura sit filia elementorum sine fine in æternum. Hoc eò facit, vt non hæc saltem elementa, sed & cætera cognoscamus. Mediũ enim intra duas materias in forma ac essentiâ sua ex arbitrio & potestate Aniadi procedit: quæ potestas ita prædestinata est, vt id tale fiat, per corpus, quod eo vtitur. Hinc liquet potestas hominum, quòd elementa iuxta ipsos disposita sint, non homo secundùm elementa. Ipse enim prædestinatus est & præteriit. Ex quibus conficitur, quòd ex hoc & aliis elementis cibi nascantur hominum, non saltem tritici, sed & secalis ac farris, &c. iique multiplices & varij, pro natura regionum. Et hi cum homine vniuntur hac de causa, quòd ex eadem materia constet: ex quâ crescentia proueniunt. Assimilatio ergo procedit, dum simile suum simile nutriat & augeat. Homo enim terra est, ideò, vt terram edat, opus habet. Hinc etiam stabiliuntur quatuor mundi, vbi quoduis vescitur eo, ex quo prodiit, Nymphæ scilicet aqua, Gnomi igne, &c. Nisi enim homo ex terra constaret, terrenis vti cibis minimè posset, sed eos omninò fastidiret. Quia verò ex ortu, semine ac solo vno eodemque prodierunt, iunguntur duo illa, quæ similia inter se sunt, nec homo ea separare potest. Opus enim habet homo, vt viuat ex illis, ex quibus enatus est, & edat id, quod prodiit ex illo, ex quo idemmet prodiit, bibatque, quod eodem cum ipso ortu gaudet. Per magnum itaque Iliastrum natura elementorum ita distributa est, vt alant & nutriant cibent potentque, adeoque quatuor elementa in elemento quolibet includant.

Filia elementorũ æterna.

Elementa ad homine directa, non contra.

Homo cercibis alitur.

Homo est terra.

Vita est ex eo, quo aliquã prodiit.

TEXT. III.

De Pisis, Auena, & Faba.

NVtrimentalis in sulphure natura est duplex: vna magis nobilis, altera minus. Magis nobilis vt triticum, & huic similia, est sulphur nobile. Alterum sulphur est ignobilius. Vnum ergo altero rebus magis minúsve inest. Hinc elicitur hominem magis nobili carere minimè posse, sed indies eo omnino opus habere. Sicut enim piscis in aquam prædestinatus, ex illa cibum sibi venatur nec sine aqua quicquam edit: Sic homo, in terram coniectus, panem suum ex terrâ quotidiè accipit, sine quo digestionem nullam perficit. Sed & minus nobile alimentum ei prostat, quo vtique facilè carere potest, vt sunt pisa, auena, faba, quorum origo est ex sulphure arido, eoq; à sulphure molli separato, ex quo Aniadus fructus istos protulit. Sed & hi tamen cibi corpori assimilantur, quia ex terra prodeunt. Ex horum leguminum mentione intelligi debet, quod ex terra crescentia duplicia proueniant. Aliud enim sine medio ab homine in carnẽ conuertitur: aliud non sine medio in homine caro fit. Hoc autẽ ita intelligi debet, quòd scilicet duo Aniadi sint: vnus terræ, procreans: alter animalium, præparans. Aniadus ergo terræ procreat pro duobus Aniadis. Animalium pro Aniado hominum, assumens sulphur, sal & Mercurium, qui sine medio, hominis Aniado subiectus est, & in carnem abit. Postea procreat idem cibos pro pecoribus, hoc est, sub Aniado pecorum, ita vt Aniadus ille ex isto carnem gignat. Vnde patet, quòd Aniadus ille Aniado hominis subiectus sit. Ex his intelligi potest crescentia vniuersa in carnem abire, & omnia, quę ex terra procreantur, in carnem terminari. Licèt quędam in duas carnes mutentur, hoc est, in pecora de illis in hominem: quędam in pecora, non in hominem. Pecora enim ex veneno terræ prognata sunt. Vnde per se, non ratione cibi; homini non prosunt. Sunt etiam nonnulla crescentia, quæ sine medio homini & pecori seruiunt, vt sunt omnia legumina & frumenta. Sulphur enim ipsorum cum sale & Mercurio ita præparatum est, vt ob id commodent omnib. vescentibus animalibus, Aniado ipsorum subiectis. Pisa constant ex multo sulphure, pauco sale & Mercurio. Auena multum salis habet, minus Mercurij, multum etiam sulphuris. Fabæ ex omnibus tribus, licet crassissimis, æqualem portionem sortitæ sunt. Sed & de coloribus ipsorum inquirendum est. Ex sulphuris enim natura colores varij cibis inditur qui ipsis in generatione conferuntur, nec fixi sunt. Sic in carotis rubris sulphur est rubrum solutum de cibis: In luteis est sulphur luteum, in viridibus viride. Hic enim colores omnes ex solo sulphure producuntur. Licèt enim ipsummet hos colores non exhibeat, ipsos tamen inclusos habet ratione salis & Mercurij proprij, qui colorum istorum pleni sunt, & ipsum mutant.

Sulphur nutrimẽtale est duplex.

Triticũ, cibus nobilis.

Pisa, Fabæ, cibi minus boni.

Crescentia sunt duplicia.

Aniadi duplices sunt.

TEXTVS IV.

De Caulibus, Pastinacis & Papaueribus. Item de cæpis, allio: Item de Rapis, Raphanis. Item de Lentibus & porro.

EX sulphure esili, & sale Mercurioque oriuntur etiam caules, pastinaca, papauer, & cætera his similia, in Aniado ita diuisa, vt esilis vis quædam sit in herba, quædam in radice, quædam in semine. Herbæ cibales, vt bleta, caulis, &c. De Aniado participant herbæ, & de Aniado, cibi. Vnde caulis in formam herbæ erumpit estque resolutum sulphur cum multo sale & pauco Mercurio. Sic in pastinaca Aniadus radicis vim illam cibi in radice continet. Similiter in papauere & lentibus illa sursum in semen tendit, velut & in milio. In his discriminis hæc ratio est, quòd multæ herbæ esiles sint, veluti Lactuca, caulis, portulaca & similes, ideò, quia herbæ ob complexionem suam separatę sunt ad naturam hominum. Ideò in elemento terræ quatuor complexiones consistunt, velut & in elementis reliquis. Et hinc occasio datur noscendi prouidentiam Aniadi, quòd nempe frigiditas in lactuca & portulaca dominetur, & caliditas in caule & bleta &c. Et hoc respectu genera illa distincta sunt non ratione cibi. Si enim lactuca & caulis herba vna foret: alterutrius certè naturã respiceret. Ex his autẽ species duæ factæ sunt, vt in specie duplici plus vtilitatis inueniretur. Idẽ sentiendum etiam de radicib. In pastinaca vis est nutritoria: similiter & in rapis: quæ tamen ob dictam causam discreta sunt. Sic diuisa etiam sunt cæpa, allium, porrum, ne vis ipsorum in permixtione cæteris permisceretur.

In

In qua separatione id attendi debet, quòd natura, appetitus & voluptatis gratiâ allium, cœpam & raphanum distinxerit, vt nimirum non instar raporum coquerentur. Sulphurea enim natura interdum coctilis est, interdum minus. Voluit ergo natura rem quamlibet pro suo modo coqui. Hinc allium postulat manere crudum vt à cœpâ distet. Cœpa autem coqui expedit. Et hæc vtraque iterum distant à raphano, cuius præparatio peculiaris est. Quæ omnia iterum diuersa sunt à rapis & pastinacis, quæ coctionem singularem poscunt. Sic ergo natura composuit id, quod coctionem peculiarem habet, & id quod gustum singularem habet, vt magnalia ipsius illustriora & multiplicatiora, nec simplicia apparerent. Et genera huiusmodi multa sunt: quorum tamen vniuersorum origo non est alia, quàm in præsenti tractatu explicatur: ex quo omnia satis intelligi queunt.

TEXTVS V.

De Zizaniâ, id est, de Lolio, Papauere, &c.

QVæ ad Zizaniam pertinent, vt lolium, flores frumenti, papauer rubeum, & his similia omnia, quæ inter frumenta nascuntur, ea omnia hoc modo nascuntur. Quando semen frumentorum aut quorundam leguminum seritur, tunc tinctura elementi terræ & reliquorum elementorum multiplex concurrit, adeò, vt in terra semen alteret, & ex ipso zizaniam producat. Lolium enim ac papauer rubeum, & his similia alia, ex solo tritico generantur per alterationem seminis, factam à virtute elementarium tincturarum. Hęc autem à duobus potissimùm elementis dependet, ab igne & à terrâ. Vnde hoc primum conijcitur, quòd vbi aut in quibus agris huiusmodi Zizaniæ vberiùs proueniunt, ea agrorum conditio sit, vt tincturæ huiusmodi multum contineant. Sic definita etiam & certa quædam loca sunt, in quibus quæcunque conseruntur, à cœlo transmutantur, & in zizanias conuertuntur. Præterea tenendum est, nullum aut triticum aut frumentum aliud sine zizaniis, quarum genera multa existunt, seminari posse. Agricola enim si sementem faciat, & semen suum numeret, tantundem quidem tritici reperiet, sed commixto lolio, papauere & aliis, non ipso tritico, quod seminauit, solo recollecto.

Tum etiam Zizania seminalia fiunt, hoc est, semen dant, ac propagari solent, non secus, ac si ex Iliastro primo descenderent: quod tamen longè à re abest. Nunquam enim in Iliastro ius acceperunt. Per tincturam tamen elementorum eodem modo nascuntur, quo insecta ex stercoribus. Eodē enim modo ex tritico & frumento flores & crescentia alia erumpunt. Et quicquid ex hisce plantatur, id pulchriùs & fœcundius enascitur, suam tamen primævam naturam non exuit. Quicunque ergo seminat frumentum aut triticum, idem sibi simul seminat omnia genera zizaniarum, ex causa iam commemorata.

Sæpiùs etiam accidit, vt ex frumentis quibusdam ac leguminibus enascantur vrticæ, cæteris quadamtenus similes, sed tamen diuersæ. Gignuntur ex iisdem etiam gramina, & noua alia crescentia. Tincturæ siquidem interdum euariant & mutantur. Zizaniæ autem huiusmodi non in solis frumentis aut leguminibus nascuntur, sed etiam in caulibus, dum malitiosę multæ tincturæ intercurrunt, & genuini seminis naturam corrumpunt. Huiusmodi zizaniæ omnes ex frumentis seu seminibus principalibus oriuntur, in hortos aut agros coniectis, dum pro natura illius regionis & cœli secundùm tincturas mutantur, vt genera zizaniarū in infinita proueniant, quę nec auerti nec runcari satis queunt, vt non repullulent. Semen enim, quod in terram conijcitur, tincturæ illius terrę, velut & ipsi cœlo, quod omnibus regionibus dominatur, omnino subiacet.

Zizaniæ etiam in caulibus fiant.

Finis tractatus 3. Philosophia Theophrasti de elemento terra.

TRACTATVS QVARTVS.

DE SIMPLICIBVS.

TEXTVS I.

(De Croco, Hermodactylo, & Carthamo: Item de duplici capite monachi, de Flammulâ & de Trollogiâ.)

IN elemento terræ separati sunt colores, & gustus, & odor, &c.......

(Deficiunt pleraque huius capitis)

Aniadus formet, de natura rerum traditur. De coloribus ac formis illis hîc nihil explicatur. Transcendit enim generationem naturæ. Quicunque verò speculares (variegati) colores sunt, ex natura descendentes, hi ex virtute salis oriuntur.

TEXTVS II.

De gustu herbarum.

SImiliter & gustus distributus est in partes quatuor, hoc est, in acrimoniam, amaritudinem, dulcedinem, & acetositatem. Sic in zinzibere est acrimonia: in rhabarbaro amaritudo: in polypodio dulcedo: in acetosa acetositas.

Gustus differentiæ quatuor.

Hîc autem sciendum, singulorum ex his suos peculiares gradus esse, vnumque gradum ab altero transcendi. Sic in summo gradu piper. Huic proximum est cardamomum: sequitur granum paradysi, zinziber galanga, cinnamomum, &c. Acredo enim quæuis peculiarem calorem habet, ab alio simili vel proximo diuersū & est essentiæ specialis. Eadē & acetositatis ratio est. Cen. acetosissimū est. Postea sinapis deinde alliū, hinc cępa, porrò acetosa, & alia plura. Quoties verò in hisce rebus alia acetositas, toties alia natura virtusq; Idem similiter & de dulcore intelligendū. Alius enim est in Polypodio, alius in Graphoy, alius in Napis, & sic consequenter. Idem etiā amaritudini euenit: vna enim est in Rhabarbaro, maior in Gentiana, adhuc maior in Amarissa, maxima in Coloquintide. Et gustus huiusmodi infiniti sunt in herbis, vniuersi ex tribus primis enati, quæ tantæ varietatis auctores sunt. Et hîc idē euenit, quod in argēto obseruamus fieri: ex quo aurifaber opera centū conficit, & ea tamen vniuersa ex re & materiâ vnâ. Ex quatuor hisce naturis Acrimonia à sale constituitur, & præpollet corpori ipsius crescentis. Sic in sale zinziberis acredo quærenda est, non in sulphure aut Mercurio. Similiter & in pipere, calamo, cinnamomo (zedoariâ) & acribus cæteris

Piper in summo gradu acre.

Acida in quibus. Dulcia in quibus.

Amara in quibus.

Acredo a sale.

ris omnibus, sal considerari debet, non cætera duo, velut iubet Herbarium in suis proprietatibus. Dulcedo verò est à Mercurio, solusque Mercurius separari & extrahi debet. Is enim dulcedinem confert cùm sulphuri, tum sali, quibus prædominatur. Amaritudo ex sale & Mercurio fit, dum Mercurius dulcedinem suam, & sal acredinem perdidit. Ex reliquiis enim horum fit postmodum coniunctio quædam amara, quæ Mercurio & sali inditur. Acetositas est liquor ex omnibus tribus, essentiam nullam habens, qui instar aceti à vini spiritu deserti, in suis tribus primis euaporauit. Sic enim quatuor hæc in tribus primis consistunt, dulce scilicet & amarum, acre & acidum, binis semper iunctis. Vno exolescente, manet alterum: vniusque interitus est alterius generatio: sicut de natura rerum in propriis capitulis fusiùs de his explicatur.

Dulcedo à Mercurio.

Amaritudo à sale & Mercurio.

Acetositas vnde.

Deest caput tertium integrum, & principium Quarti.

* Quòd septem planetæ septem damna elemento terræ inferant. Vnde septem etiam herbæ sunt, quæ eadem auertunt. Ex quo liquet, ipsos etiam septem planetas septem damna emendare posse, si illis vti liceret. Sol enim melancholiam purgare potest, & Mercurius choleram, & Saturnus febres, &c. Notandum ergo est, stellam quamlibet in terra suam habere herbam, quæ naturam sui astri suppleat in auertenda ipsius noxa. eiusmodi in Iliastro condita est. Ac vniuscuiuslibet elementi malitia per alterum corrigitur, nec cohærent illa inuicem, aut vnum ex altero natum est. Sic & duodecim sunt stellæ, & totidē herbę: velut & alię herbę alię stellæ. Ex hac arte nascitur Medicus, qui probus & frugi esse velit. Hypericon enim est Sol, & genuinus Sol terræ. *Persic.* est Mercurius, & Mercurius terrenus. Sed de his quid dicemus tandem, cùm ob illa nec amemur ab illis, qui hinc artem suam hauriunt: & à quibus non intelligimur, contemptum merum reportemus? Quiuis tamen, qui Philosophum agere satagit, concordantiam hanc probè expendat. Ex hâc enim emanat & Physicus & Chirurgus, & quiuis naturalis, qui corporis constitutionum peritus esse velit. Stellæ enim morbos cognoscere docent. Hos herbæ docent curare. Hæ viæ duplices sunt, ad quarum vtramlibet Medicus sedulò attendere debet. Si stellas cognouit: principium postea speculetur morborum. Si herbas didicit: postea consideret, quibus vti velit. Influentiæ verò superioris obliuisci, & infernam operationem ignorare, mera cœcitas est. Quod vobis indicamus, vt herbæ in generatione sua rectiùs & accuratiùs cognoscantur. Cæterùm de natura rerum, quæ reliqua sunt, vberiùs expediuntur.

Planetarum 7. dāmna totidem.

Sol purgat melancholiā, Mercurius cholerā, Saturnus febres.

Elementum vnū alteriū correctio.

Hypericon Sol terrestris.

Concordātia rerū probe tenenda.

TRACTATVS QVINTVS.

TEXTVS I. *De Fungis.*

ORigo fungorum est tantùm res vna, hoc est, est radix sine herbâ aut semine. Quod ita intelligendum est. Debebat illa esse herba. Herbalis verò Aniadus ei non inest. Ideò nec vera est radix, nec verus caudex, nec vera herba. Est ergo abortus naturæ, genitus ex sulphure, spiritu suo orbato, velut & à tali sale & Mercurio. Estque resolutum quid ex tribus primis, quod conglutinatur, nec verè coagulatur ac præparatur: nihilq; est, nisi conglutinatū sulphur. Ideò aut nihil aut parū virtutis ei inest. Carnis etiam quàm minimū generat. Nec enim veram ac genuinam vim terræ accepit. Hinc etiam nullis ferè vsibus aptus est. In syluis & vmbrosis locis nascuntur, quia ad Solis conspectum durabiles non sunt fungi. Is enim conglutinationem illorum consumit, quia (*desiderantur cætera huius tractatus.*)

Fungus quid.

PHILOSOPHIÆ THEOPHRASTI HHH.

LIBER QVARTVS.

De Elemento aquæ vnà cum fructibus suis.

TRACTATVS I.

De formâ Elementi Aquæ.

TEXTVS I.



DE Elemento aquæ initiò tenendum est, quæ ipsius origo, & in quas cataractas diuisa ea sit, quique ipsius fructus sint, & quid elementum ipsum per se sit. Est itaque elementū aquæ semen ex Yle, ex se proferens caudices, fructusque, hoc est, aquam, & ipsius fructus, vt sunt lapides, & metalla variorum generum. Cæterùm de elementi aquæ semine ita statuendum est, quòd in fabrica id lateat, veluti semen in terra iacet. Et ex fabrica procedit caudex & ipsius rami, & fructus, hoc modo. Ex semine hoc nascitur caudex, ex terrâ erumpens in lucem, iacetque ac est in tellure. Sicut enim elementum terræ fructum suum in corpore chaos fert: sic itidem terra est corpus, quod sustinet crescentia, arbores, & fructus arboris elementi aquæ. Nullum enim est elementum, quin corpus requirat, à quo sustinetur. Chaos fert impressiones. Elementum ignis sustinet fructus terræ, terra fert fructus aquę, aqua aëris. Adeoque cuiuslibet elementi fructus ab elemento alio portantur. Sicut iam ex semine elementi procedit ipsius arbor: ita illius arbor est riuus fluitans, per vniuersam terram distributus. Omniaque sunt arbor vna, vna origo, vna radix, ab vno caudice. Et riui vniuersi totius globi, rami sunt huius caudicis. Ac omnis humor totius globuli est *Abrissach*, quod decidit de ramis huius arboris, perua ditq; omnes poros globuli destillatione sua. Sicut enim fragmina de abietibus cadunt desuper in terram: sic ramuli hi de aqua decidunt in ciuitates terræ. Et hoc se modo elementi aquæ generatio habet. Vniuersa itaque aqua, & fructus eius omnes ex elemento aquæ proueniunt quidem: ipsum tamen elementum minimè sunt. Ipsummet elementum nulli vnquam visum est: & tamen elementum aquæ est. Ex eo enim nihil aliud quàm aqua emanat. Vocatur autem elementum aquę propter aquam, & ipsius fructus, non propter complexionem &

& qualitatem, ſicut de elementis reliquis intelligitur.

TEXTVS II.

CÆterùm de ipſius curſu ac metâ, velut etiam de ſedibus ac terminis, ita ſtatuendum eſt, quòd arbor per ſeipſam exitum & finem habeat, oriatúrq; & occidat, fiat & pereat. Itaque quælibet profluens aqua noua eſt, non vetus, aut prius viſa. Sicut enim in medio globo elementum aquæ iacet, ita verſus planities in ambitum quoquò verſum excurrunt rami, à radice, verſus lucem. Et ab hâc radice rami plurimi enaſcuntur: Ramus eſt Rhenus, ramus eſt Danubius, ramus eſt Nilus, &c. Sic ſunt etiam rami alij minores, omnes enati ex radice illa, quæ ex ſemine, vnde elementum aquæ procedit, oritur. Et caudices vniuerſi vnius arboris ſunt, quæ enaſcitur ex radice, ſecundum lineam triualem in circulo externi firmamenti duorum elementorum, ignis & aëris. Sic ergo per lineam triualem arbor diſtribuitur per vniuerſum globum, in lucem. Adeóque caudex & ipſius rami à centro globi tamdiu excreſcunt, donec ad exteriora duo elementa pertingant, vbi lineæ terminus deſinit. Nec enim pergit in ipſius corpus aut Yliadum. Niſi enim iſto loco Yliadum ita poneretur: tunc arbor quælibet verſus cœlum exiliret, longiùs extra terram ſeſe exerens, quàm deorſum in terram defigitur. Sic nec fructus elementi terræ latiùs creſcunt, quàm ad præſcriptam Yliadi metam, quæ eſt chaos terræ inferius, terræ plus non occupans, quàm quâ altitudine creſcentia ſurgunt. Ideò chaos duo ſunt. Quod illo ſuperius eſt, eſt chaos, in quo ſuſtentatur ignis. Et ni Yliadum obſtaret, elementum terræ fructus ſuos in medium cœlum extenderet. Sic itidem & elementum aquæ. Curſus ergo ac proceſſus caudicis arboris is eſt, vt in ſuum Yliadum pergat ſuper planitiem terræ, vbi altitudo eius finitur. Quo verò denique pertingat, ſi in Yliado iaceat: ex Philoſophia repetendum eſt, quòd omnes rami Yliadum ſuum in mari, vbi, omnes coëunt, concludant. Sicut enim radix vna eſt, ſic in vnum faſtigium aut vmbellam cogitur, quæ mare eſt. Mare ipſum per ſe quidem nec caudex eſt, nec arbor, ſed caudicis tantùm vmbella, quæ ex radice primò & proximè non enaſcitur, ſed ex ramis conſtituitur. Id verò quod ſalſum ſit, hinc eſt, quòd & locus talis ſit, & aquæ ſalſæ illuc etiam confluant, velut de ſalibus deinceps tradetur. Acceſſus eius & receſſus hæc cauſa eſt, quod fructus (al. humores) omnes noctu defluant, interdiu autem iterum intumeſcant verſus altitudinem, hoc eſt, cliſſum. Cliſſus ergo ſimiliter ſe habet in aqua, ac ſe habet in fructibus reliquis, increſcendo & decreſcendo, abeundo & redeundo.

[Marginal notes: Rhenus, Danubius &c. rami elementi aquæ. — Chaos duo ſūt. — Mare eſt elementi aquæ vmbella. Mare cur ſalſum. Aeſtus maris quæ cauſa. Cliſſus.]

TEXTVS III.

VT verò hæc omnia ſcire fas eſt; ita eiuſdem mors, id eſt, conſumptio etiam intelligi debet. Conſumptionis enim nihil expers eſt. Ea verò ita intelligenda eſt, quòd res quælibet, vbi in ſuum Yliadum peruenit, putredini ſubiiciatur, & conſumatur. Putredo autem quælibet conſumptio eſt, & interitus eius rei, cuius eſt, vt conſumatur illa, quaſi nunquam præſto fuiſſet. Et hæc operatio ipſius naturæ eſt. Sicut enim res natura producit: ſic eaſdem illa iterum tollit. Quæ quia ex nihilo procedit: ideò ad nihilum redit. Hinc patet, ipſum etiam elementum aquæ putrefactioni ſubiectū eſſe ſeu corruptioni. Si enim peruenit ad vmbellam, hoc eſt, in mare, putreſcit, & in ſeipſo conſumitur, nullo extraneo accedente, ſed ex ſua ipſius natura & diſpoſitione. Sicut enim ignis ſeipſum conſumit & extinguit: ita pariter & aqua. Et hoc modo arbor elementi aquæ & ipſius rami diſtributi ſunt. Qui autem in ipſo fructus lateant, deinceps ſequitur, velut & de eorum natura, & creſcentium generatione. Huius autem elementi ea eſt natura ac proprietas, vt fructus nonnullos in ſe gerat, nonnullos eiiciat, aliquos planè abiiciat. De illo etiam ſeorſim hoc ſciendum eſt, quot modis profluuia, & riui naturæ ac eſſentiæ ex ipſo exoriantur. Vt verò omnia illa, quę ex elemento aquæ naſcuntur, in morte eius cognoſcantur: ſciendum eſt, quòd rami, non autem fructus in vmbellas abeant. De morte ergo fructuum ita ſtatuendum eſt, eos vniuerſos manere vſque in Drachum. Eâ horâ conſumuntur, ſicut de Dracho poſtremò intelligitur & indicatur.

[Marginal notes: Conſumptionis nihil expers. — Putredo quid. — Elemēt. aquę vbi putreſcat. — Aquę rami, non fructus in vmbellā abeunt. Drachū.]

TEXTVS IV.

DE fructuum autem ortu initium facturi cogitabimus, fructus elementi aquæ hos eſſe: ſalia, mineralia, gemmas, lapides. Quatuor ergo ſunt genera creſcentium ex ſemine elementi aquæ, hoc modo. Aqua dulcis eſt caudex. Poſtea, ipſius natura multiplex eſt in matrice. Vna matrix eſt ſalium: vna eſt mineralium: vna eſt gemmarum: vna denique lapidum. Horum autem quodvis iterum vario modo diuiſum eſt. Sic enim de ſalibus fructus tres ſunt: ſal, vitriolum, alumen. Et horum quodlibet multa ſub ſe genera habet: ſic multa ſunt ſalis, multa vitrioli, multa aluminis. Idem iudicandum eſt etiam de mineralibus. Quædam ſunt metalla, quædam marcaſitæ, quædam cachimiæ. Sed & hæc ſua iterum genera plura ſigillatim agnoſcunt. Ita metallorum ſeptem ſunt: Marcaſitarum ſunt nouem: Cachimiarum ſunt duodecim. Etiam viciſſim, vnumquodlibet metallum per ſe iterum multiplex eſt: velut aurum fixum, non fixum, argentum fixum, non fixum, vt Venus eſt cuprum & zinetum. Ea etiam cæterorum ratio eſt, velut in capitulis propriis enarratur. Ita & marcaſitarum & cachimiarum magna varietas eſt. Quantum autem ad ipſorum ortum & proceſſum, autumnúmque & cætera, velut meſſem & collectionem, ſciendum eſt, quod fructus omnes ex elemento aquæ procedentes, in ramos ſuos & arbores diuidantur. Ita nimirum Sal ſingularem ſuum egreſſum habet vnà cum aquis dulcibus vſque ad finem ſui Yliadi. Eodem modo etiam cætera. De diuiſione autem & ſeparatione iſtorum omnium tenendum eſt, fructus eiuſmodi omnes in radice vnâ conſiſtere, ex quâ natura quælibet ſeorſim pro ſuâ conditione naſcitur. Sic ex ſemine vno naſcitur arbor vna,

[Marginal notes: Aq. qui fructus. — Salis fructus tres. Mineraliū qui fructus.]

& in hac seorsim lignum, seorsim cortex, seorsim fructus, seorsim folia, quæ tamen omnia vnica tantùm arbor sunt. Sic hic quoque ex radice vna sexcenti fructus enascuntur, & fructus quilibet in suum abit Yliadum & lineam triualem, prout fabricator disposuit. Si ergo distributio hoc modo procedat ex Yle in suum caudicem, & fructus producatur sui generis: tunc varia inueniuntur, ex elemento aquæ procedentia; in vno scilicet caudice Sal, in altero Minerale, in tertio aliud quid. Sicut ergo in terra semen quodlibet suum fructum profert: ita semen aquæ semen est sexcentarum rerum, ex ipso enascentium. Quæ si in Yliadum suum ducuntur, & tempus autumni expectant: tum demum autumnus & messis instat cuiuslibet rami fructus, qui in ipso est. Huiusmodi autumni & generationis, ortúsque ac incrementi deinceps iterum mentio fiet, & cuilibet seorsim sua explicatio assignabitur.

Semen aquæ multiferum.

Finis tractatus primi.

(SCHEDVLA)

Tractatus secundus de Salibus.

IN Ares subsistit omnis gustus, sapor, & olfactus. Hi per Archeum elementorum separantur, ita, vt quoduis seorsim in suam naturam secedat. Separatio hæc per Archeum facta, in Yle fit. Ex acredine fiunt salia: ex metallis mineralia: ex glutine sulphura: ex gemmis astra, &c.

TRACTATVS II.

De generibus Salium.

CAPVT I.

PRÆFATIO.

DVm de materia disserimus in semine Ares, ex quo nascuntur fructus aquæ, salia, mineralia, gemmæ, & gluten: præmonendi estis, quòd dulcedo & acetositas simul in vna subsistant substantia: velut etiam acredo & amaritudo: similiter & gluten, & materia metallorum, & gemmarum, & similium omnium: ex quibus, quod crescit aliud, id in ipsis absconditum latet. Archeus autem, qui elementorum separator est, & eorum omnium, quæ in ipsis latent, rem quamlibet ab alia separat, & in suum locum collocat, quantum id quidem in ipso est. Idémque planè hîc fit, ac si quis decem colores in miscellam vnam confunderet. Etsi enim is vnicus tantùm color videatur: ex decem tamen compositus est, quos solus Archeus iterum separare, & ad suam seorsim essentiam reducere potest. Ita & Archeus in semine elementi aquæ vnumquodlibet eximit, & ordinat illud in suum *Nedeon*, ad Yliadum terræ. Et quod de genere salis est, à ceteris naturis omnibus separat: sic & quę aqua dulcis est. Quod acetosum est, aut reliquis nō est simile, aut nō est vnum, separat idem, velut duplicia salia, duplices aquas, duplicia metalla, vnius nominis, & similia. Illa si ita diuisit, & in Nedeon direxit: postea istius Nedeon operatio in Yliadum sequitur vnà cum ipsius maturatione, ad quam præstituta est. Quomodo verò vnum ab altero, & quoduis seorsim suam essentiam tueatur & subsistat, id deinceps explicabitur.

Archeus elementorum separator.

Nedeon.

CAPVT II.

De aquis dulcibus.

ARcheus initiò caudicem aggreditur, illúmque distribuit per globum in suum Yliadum. Iam verò in aqua, & si caudex sit, nulla operatio est ad fructum, sed tantùm domus & laboratorium, in quo fructuum operationes fiunt. Et aqua aqua manet, modis omnibus impermixta, nec aliud est quicquam, nisi ex *Ares* aquea natura, in qua virtus nulla restat, sed phlegma, separatim ab omnibus spiritibus & essentiis, absque dulcedine, acredine, amaritudine & acetositate, vbi nulla amplius virtus quæri debet. Et separatio prima est in Ares per Archeum, in Yliadum per ipsius Nedeon. Separatio ea prima, velut & crescens ac operatio procedit ex elemento aquæ, noménque sui elementi retinet, quasi idea esset. Si ergo separatur in aquam, omnis operationis & efficaciæ expertem: tum crescit instar arboris ex suo semine, versus sublime ad Yliadum, ex virtute Nedeonicæ naturæ. Iam si Yliadum corripit, integra & perfecta arbor est vnà cum suis ramis, excrescitque in suam vmbellam, hoc est, in mare, in quo consumptionem subit, atque ex vi putrefactionis eius ita disparet, vt vmbella maior & latior non fiat, sed superabundantem suam grauitatem & multitudinem consumat.

CAPVT III.

De aquis acetosis.

HAnc sequitur alia separatio leuissima, quæ est aquæ acetosæ & salsæ, quæ ita fit. Initiò in Archeo elementi acetosum separatur, seu aqua leuis, in qua nulla coagulatio est, nulla substantia duritiei, &c. Hæc partim est aqua, quatenus naturæ aqueæ est, & inanis, virtute carens, & secunda leuissima separatio post aquam, atque in Nedeo sola & per seipsam abit in Yliadum: nisi fors fieret, vt cataracta aquarum dulcium illaberetur, ambæque simul profluerent: quod tum indicium est imbecillitatis in aciditate. Aciditas ista est phlegma de vitriolo. Sic áquas dulces sequuntur salia. Et initiò, priusquam salia ab Archeo inuadantur, phlegma remoueri oportet, hoc est, aqua illa acetosa. Ea autem multiplex est. In Archeo enim elementi locis aliquibus plus alumniosæ acetositatis, aliquibus plus vitrioli, aliquibus plus salis, &c. permiscetur, prout cuiuslibet conditio est. Et sic nihil nisi inanis aqua est ac phlegma à salis materia separatum, cum quo salsa crescentia enasci non possent. Egreditur autem à locis peculiaribus, non in finibus, quò secedit id, à quo separatum est. Vera enim & genuina salia rectà sursū in triual ascēdunt. Aqua autem à suo triual in latere excidit, propter leuitatem & subtilitatem congenitam. Et hinc oriuntur balnea frigida, multique fontes, varia natura præditi, Aliorum enim aqua vel carnes, vel pisa, &c. non coquit, propter alumen quòd est adeò crudum, vt, si in aquam

quam cum vitriolo ponatur, nihil & probè edulcari, & nedum saccharum liquari sinat. Aquæ aliæ non soluunt sal: nonnullæ erodunt: quidam vlcera extergent: aliquæ sanant: non paucæ exsiccant pruritum, scabiem, & similia. Vis hæc vniuersa dependet à salibus, Aluminibus & vitriolis, in quibus vis dicta ipsamet cum perfecta sorte posita est: quam dictæ aquæ postea æmulantur.

CAPVT IV.

De Thermis seu Balneis calidis.

Thermarum origo quæ.

DE balneis calidis sciendum est, quòd eodem oriantur, vt aquæ acetosæ. In hoc different, quòd in his concurrat liquor, qui de glutine separatur, hoc modo. Quando archeus aggreditur gluten separare, ipsiúsque phlegma initiò adimit, & expurgat, ita, vt gluten solitarium in suâ operatione ac formâ, instar salium, consistat: tunc, si liquor in Yliadum abit, & communem aquam acetositatis attingit, permixtio hæc sibi ipsi operatio est ad ebulliendum, hoc modo. Liquor nempè de glutine est viscosus (al. calcarius) ac de pice quasi elementi participat. Iam liquor iste, & huiusmodi aqua vnà subsistere nequeunt citra corruptionē vtriusque naturæ, cuius hæc est conditio, vt oporteat mixturam illam ebullire, sicut ebullit calx admista aqua, aut fortiùs, vt sulphur & magnes, aut adhuc fortiùs, vt aqua fortis & tartarum, & similia alia. Quando huiusmodi spiritus conueniūt, feruorem cient & vaporem; prout copiosi sunt, effervescuntque vsque ad Yliadum. Olla enim vna est à centro vsque ad Yliadum. Vnde sæpiùs accidit, vt multæ balneæ in Yliado primum incalescant, propter permixtionem nempe duarum cataractarum. Balnea etiam multa sunt, quæ, si vlnarum aliquot profunditate suffodias, destrui & corrumpi visurus sis. Quod ideò fit, quia cataractæ corruunt. Inueniuntur enim duæ aquę frigidæ confluere, quæ, dum permiscentur, primum incalescunt. Ita pagani veteres huiusmodi balnearum multas inuenerunt, quas etiā firmis repagulis incluserunt, vt affluxus de glutine & aquâ acetosa non interturbaretur. Huiusmodi cataractarum plurimæ sunt, ex quibus thermæ fieri possent in Yliado, per talem permixtionem. Et Apulia tales multas habet, quæ naturales sunt. Multas etiam artificiales, artis ope mirâ congestas & constructas. Multa etiam (quales sunt in Apulia) in Yliado conficiuntur includendo, quæ aliàs patentes in aëre vanescerent, neciustam operationem haberent.

Cataractæ, &c.

Permixtio causa effervescentiæ.

Apulia thermas habet naturales & artificiales.

CAPVT V.

De Aquis salsis.

Aquæ salsæ vt fiant.

SIcut ergo separationes ab Archeo ex Ares exeunt, & nihil relinquitur, quàm verum fundamentum salsorum: ita Archeus aggreditur separare salia, & segregat initio sal de vitriolo & alumine, postea vitriolum ab alumine, postremò alumen. Dum is ergo salis separationem molitur, arida illa naturá ex plāta est, crescens initio, incremento quotidiano, in annum Trapheonem. Incrementum hoc abit secundum lineam triualem in Yliadum. Ita intumescente Yliado, enascitur metallum, & induratur, hoc modo. Substantiam aridam globi humiditas madefacit, vt illa humecta seu madida Yliadum ingrediatur. Ea dum Yliadū occupat; ipsius humiditas iterum residit seu decumbit, atque destillatur à substantiâ. Hoc modo sal ibi induratur, & quicquid simul suâ humiditate dissolutum id secum corripuit. Hinc salis multā genera, terræ plena, & multis coloribus distincta inueniuntur, qui ex elemento terræ per huiusmodi permixtionem proueniūt. Sal aliud purum & clarum oritur sine permixtione. Id aridum emergit, citra humiditatem. Yliadum autem quamprimùm attingit, coagulatur in lapidem, atque ex salis naturâ lapidescit. Sal enim quoduis vim coagulationis in se habet, vt aqua vim resolutionis continet. Duæ ergo hæ naturæ dirimuntur, altera resoluendi, altera coagulandi. Salificum genus quoddam coniungitur aquæ dulci, & resoluitur, atque vnà cum illa mixtim erumpit instar fontis. Hæ duæ aquæ ad scaturiginem permiscentur, quia sal non completæ suæ generationis perfectionem attigit. Quæcunque verò aqua alia, vt dulcis, in frigore affluit, permisceri nequit: quia sal integrum, dum procurrit, aliam aquam sibi comitē non fert, sed seorsim & separatim, sine illa in suum Yliadum tendit. Crescentia huiusmodi interdum præciduntur, interdum minùs. Cuius rei hæc causa est, quòd sæpiùs accidat, illa tantùm eluuionem aut excussionem esse genuini fluxus. Interdum erroneè deuiant iuxta triualem lineam in Yliadum. Vbi ergo crescentia huiusmodi à vera scaturigine veræ substantiæ deuiant, duratio non longa ac constans est.

Annus Trapheon.

Salis genera multa, & vnde.

Sal vim coagulādi habet.

CAPVT VI.

De Vitriolo & Alumine.

Salia tria sunt.

VItrioli & aluminis origo ista est. Sicut sal secundum suam essentiam solum extrahitur: ita separantur etiam vitriolum & alumen. In hisce enim tribus consistunt omnia salia, & ex tribus hisce oportet vnū aliquod esse. Quando ergo tria hæc separantur, & in sublime eleuantur ad Yliadum, instar salis: tunc minera prodit specie salis, quod ex terrâ aut lapidibus aut similibus emittitur. De sola ergo ipsorum natura hæc intelliguntur. Forma verò, quæ in sale manifesta est, velut & alumine & vitriolo, hinc cognoscitur, quòd fructus vniuersi elementi aquę mineralia sint, & naturam metallorum participent. Ex omnibus autem istis, quæ ex salibus oriuntur, nullum est virtuti minerali cognatius, ac est vitriolū. Cuius rei hæc causa est, quòd salia mineralia sint, & mineralia omnia in Massâ vnā & Ares lateant. Vitriolum autem in separatione mineralium est vltimum. Hoc quàm proximè sequitur generatio metallorum, ex quibus Venus primum est. Hinc vitriolum naturæ Venereæ adhæret. Estque ex parte sal, ex parte minerale. Assumit enim partem Veneris. Ideò in quolibet vitriolo cuprum est. Et propter cognationem metallorum, nempe Veneris, vitriolum sal est Venereæ naturæ. Similiter & cuprum vitriolo permixtum est, nec vitriolo caret, verùm vt generatio eius docet, vitriolum totum est. Cùm ergo vitriolum Veneri adeò cognatum sit, & tamen sal existat, ideò fit minera suumque corpus assumit ex liquore metallorum. Vnde etiam pyriticum quid & resplendens refert, forma ac specie varia; sicut de marcasitis constat.

Fructus aquæ minerales sunt.

Venus metallorum primum.

Vitriolū quid.

Alumen est sal absolutum.

stat. Alumen autem metallis nihil adhæret, sed sal est liberum, in sola acetositate consistens, nec suum corpus iuxta permixtionem terræ assumens. Tale verò vitriolum non est, sed oritur tantùm ex permixtione corporum metallicorum. Vnde marcasitæ aut cachimiæ similitudine exhibetur, quæ in generatione metallorum primâ prodeunt. Sicut aqua de salibus: ita vitriolum adhæret cupro, & cuprum vitriolo: ipsiúsque medium est phlegma quæ vnit & conglutinat. Hinc etiam id medio simile apparet, suúmque de ipso corpus assumit.

Marcasita & cachimia ex metallis primæ.

CAPVT VII.

De Aquis cupreis.

Aquæ cupreæ quid.

Similis ortus aquarum quoque cuprearum est: quæ nihil sunt aliud, quàm vitriolum resolutum, quod coagulari nequeat. Nimium enim salis & humiditatis habet. Vim suam assumunt ex tribus primis salibus, subtilissimos spiritus tincturæ cupreæ possidentes, nisi quòd corpore careant, quod habet vitriolum cuprúmque. Itaque aqua clara est. Ferrum autem, quod illi imponitur, tingitur in cuprū. Ferrum enim corpus suum ex Mercurio cupreo habet, non item rubedinem: quæ in metallicis tribus consistit. Sal enim tingit ferrum. Hinc liquet, cur aqua cuprea, cum ex rubedine metallicorum primorum trium oriatur, corpus id, quod Mercurij est, tingat. Ideò ferrum fit cuprum. Cupreum enim est in colore suo, per spiritum salis.

Sal tingit ferrū.

CAPVT VIII.

De Aquis lapidosis.

Aquæ lapidiferæ quid & vnde.

Pariter & aquæ multæ lapides gignunt ex ligno, ex argillâ, vis hæc dependet ex potestate salis, quando id resoluitur, & citra substantiam ad coagulationem redire non potest, dum suo corpore caret. Et tamen nihilominus est aqua ex tribus primis, vnde lapides nascuntur, fiúntque, nisi quod corpore destituatur. Fit ergo, vt, quando aquæ hæ argillam corripiunt, illam penetrent & coagulent, inque lapidem vertant. Sic cotes fiunt ex lignis aliquibus, quæ huic aquæ imponuntur. Illa enim penetrat, & poros ingreditur inibique coagulatur, vt lignum lapidem præsentet. Nihil verò est aliud, quàm coagulatum sal ex tribus primis, materiæ lapideæ, per lignum ad coagulationem reductum. Lapides tales multi ex luto fiunt, velut & ex lignis quibuslibet aquæ illi impositis, putridis ac virentibus.

Afschilla vt fiat lapis.

TRACTATVS TERTIVS.

De Mineralibus.

CAPVT I.

De Marcasitis.

Marcasitæ quid.

Marcasitæ in omnibus generibus inueniuntur, siue colorem, siue splendorem, aut formam, aliáve species. Nihil autem sunt aliud, quàm superfluitas metallorum, hoc est, materia, in metallis abundans, quam metalla intra se ferre ac continere, aut in suam formam vertere nequeunt. Omnium autem primò, cum salia ex Ares separantur, separatio metallorum sequitur. Ex his primùm fit Marcasita, quæ, vt metallum fiat, inepta est, & tamen in materia illa ita iacet, vt principio ex Ares crescat ea materia metallorum. Estque materia prima, in tribus consistens, in spiritu salis, in spiritu Mercurij, in spiritu sulphuris, ita vt tria hæc vnum sint. In his vniuersa metalla & mineralia consistunt.

His ita sese habentibus, Archeus operationem metallorum primùm instituit, vt ea procreet & distinguat in suas formas & naturas. Antequam verò ipsa metalla aggreditur, superfluum, quod in sale, Mercurio & sulphure abundat, eiicit, & tria prima purgat, vt generentur. Purgatione hoc modo instituta, per lineam triualem egreditur crescens, quod inutile est, in suum Yliadum, & principiò diuiditur in duo genera, in Marcasitas & cachimias. Dum ita in Yliadum peruenit, coagulatur in mineram, constantem ex sale, sulphure & Mercurio. Marcasita flaua colorem suum adipiscitur ex sulphure, quod prædominatur: candida à Mercurio qui adhuc valentius prævalet. Sulphur enim & cachimia colorem suum à sale asciscunt. Sic & formam suam à sale sumunt, quam exhibent, dum vel asperata sunt, vel læuigata. Hoc enim à spiritu salis est: sicut grauitas à Mercurio in omnibus tribus. Quòd si separatio debito modo fiat, tunc trium mineralium, salis scilicet, Mercurij, sulphuris seorsim quoduis in suo loco subsistit. In hisce enim tribus mineralia omnia consistunt.

CAPVT II.

De Cachimiis.

Quod de Marcasitis modò diximus, idem similiter etiā de cachimiis intelligi debet: quòd, si Archeus in metalla operari incipiat, is in principio eiiciat superfluitatem ex sale, Mercurio & sulphure. Hinc generatur Marcasita, prout quodlibet conuenit ac coït. Interdum enim plus Mercurij est, interdum plus sulphuris, aliquando plus salis. Ex his quod prædominatur, sibi minerale fingit. Tria autem prima hoc modo separantur, primò in Marcasitis, secundò in cachimiis. In Marcasitis superat Mercurius & sulphur, vt duo leuissima, quæ prima auolant, & coagulantur, vt prædictum est, fiúntque grauissima. In causa est multitudo Mercurij. Postea superfluum adhuc exquisitius secedit, plurimúmque est salis, cum pauco Mercurio & sulphure. Nec tamen hæc omnino desunt, licèt substātia pauciore adsint, quàm sal. Hinc sequitur alia forma, quam cachimia habet, tabulata & fissilis, ex natura salis, quod in sulphure & tali Mercurio huius proprietatis est. Colores autem omnes habet, instar marcasitæ, album, rubrum. Eos accepit à Mercurio & sulphure, prout hoc vel illud prædominatur. Est autem cachimia fixior & constantior Marcasitâ, propter sal fixum, ex quo constat. Finguntur etiam in ipsa colores, vt à nullo igne damnum sentiat. In sua enim coagulatione fit fixior & coagulatior, mineralibus cæteris omnibus. Pertinax ea coagulatio fixationem constituit. Illa quamprimùm dissoluitur, cessat & fixatio, prout metallorum natura est. Sic ergo Marcasita nihil est aliud, quàm superfluitas abundans in prima materia metallorū in Ares, quæ per Archeum separatur

separatur in Yliadum, vnde postea marcasitæ & cachimiæ generantur triginta circiter generum & formarum, quæ tamen omnia duobus istis nominibus comprehenduntur. Quòd verò illæ multiplices sint, nec vnius formæ, licèt ab vnâ materia descendant, causa est hæc, quia scilicet inæqualiter concurrit trium primorum pondus, vno altero abundantiùs sese conferente. Hinc formas enasci varias necessum est.

CAPVT III.
De Cupro.

Marcasitis & cachimiis à primâ materia metallorum hoc modo separatis, sequitur deinde generatio prima, quæ est Veneris, dum scilicet Archeus ex materia prima ruborē præcipuum, qui in sulphure est, & ex Mercurio leuissimum, & à sale potissimam flauedinem expellit. Ex tribus his Archeus cuprum conficit. Quod dum in triualem lineam in Yliadum exigit, metallum fit, idque rude & crassum. In rubentissimo enim sulphuris colore, subtilitas nulla est, éstque color is proximus auro. Vbi autem color crassissimus in sulphure manet, ibi aurum nullum emergere potest. Iam verò quia ea materia metallica est, ideò Archeus separat, & cuprum indè generat. Id verò in solidum metallum verti non potest: siquidem in operatione cum vitriolo permixtum est, adeóque exquisitè vnitum, vt metallum prodeat, in quo cuprum iacet. Præterea per separationem, qua marcasitarum ac cachimiarum naturæ expelluntur, cupreæ generationes nimis celeriter concurrunt, seséque imprimunt, & simul coagulantur. Cuius rei hæc causa est, quod id primum post separationem marcasitarum & cachimiarum metallum sit. Itaque in vera separatione ipsius marcasitæ & cachimiæ reperiuntur, velut & tria prima, ex quibus illæ enatæ sunt.

Cuprum primum generatur ex metallis.

CAPVT IV.
De Ferro.

Ferrum metallum secundum est, ex tribus primis ortum, multis concurrentibus additamentis præter id, quod ferrum est, hoc est in generatione ferri plus est salis & Mercurij, minus sulphuris rubei à quo cuprum prodit. Continet etiam in se sal cupreum, sed non Mercurium æquè. Compositio eius potissima est in suo corpore, deinde sal primò Mercurius, & tandem sulphur. Cum ergo salis plus sit, quàm compositio sulphuris requirat, metallum fieri minimè potest, nisi in æquali pondere consistat. Flexilitas enim procedit ex Mercurio, & coagulatio ex sale. Sal itaque si nimium sit, nimium indurat. Non enim nisi in duritiem abit. Hinc sequitur, in ferro multum esse metalli, & multum eius, quod ferrum non est: quia salis plus adest, quàm oportet. In generatione huius primùm accidit, spiritum vitrioli æquâ celeritate concurrere, & Mercurium indurare in chalybem. Decedente autem duritie, sequitur generatio ferri. Et nisi spiritus vitrioli eâ potentiâ accedat, chalybs produci nequit. Generatio siquidē eius tantum procedit ex spiritu celeri, in vitriolo iacente. Spiritus iste vitrioli ferrum rubigine imbuit: quia innatâ sibi acrimoniâ suum ipsius corpus excedit. Sic & cuprum, quia spiritus est. Et tingunt sese secundum sulphur & vitriolum. Vnaque est generatio cupri, ferri, vitrioli: & vna etiam origo, respectu spiritus salis. Ideò in ferrò, chalybe, & cupro vitriolum iacet: & vitriolum quoque in se metalla ista habet, quæ ex ipso extrahuntur.

Sal duritiei causa.

Rubigo ferri vnde.

CAPVT V.
De Plumbo.

Plumbum est trium primorum nigredo, quæ minimè superfluitas existit, sed peculiaris in ipsis natura metallica. Nam in Mercurio metalla omnia iacent: & omnia tantùm sunt Mercurius. Sic & de sale & sulphure iudicandum. Sicut ergo cuprum, trium primorum abundans rubedo est: Sic plumbum est nigredo eorundem. Quæ nempe grauitas in Mercurio est plurima & potissima, eam Archeus eiicit, velut & crassitiem ex sale & sulphure. Mercurius dat ductilitatem: sal coagulationem: sulphur fluxum & tincturam. Quatuor ergo in plumbo colores latent: Nigredo, quæ est trium primorum: Rubedo, quia præcipitationem in se continet ex Mercurio. (Et licet bonitate genuinæ non respondeat, talis tamen ea est, qualis Mercurio crasso debetur) similiter & albedo: siquidem albedo tantum ex calcinatione Mercurij oritur. Per calcinationem ergo albescit, ex natura tantùm Mercurij, ex qua plumbum constat. Sic in plumbo etiam flauedo inest, ex Mercurio indita. Si enim is calcinando agatur vltra gradum primum, tunc Mercurium quemlibet flauedo sequitur, qualis etiam est in plumbo. Sic ergo plumbum nihil est aliud, quàm Mercurius ater, qui in Ares iacet, & per Archeum separatur, vt crassities & huiusmodi colores à Mercurio prodeant.

Plumbū quid. Mercurius metalla omnia cōtinet.

Plumbi colores 4.

Plumbū est Mercurius niger.

CAPVT VI.
De Stanno.

Stannum est purus Mercurius, pauco sale coagulatus, sed copiosiore tamen sulphure candido mixtus. Ipsius Mercurius est Mercurius leprosus, in Ares iacens, & tamen metallicus existens, per Archeum extractus, & in metallum dispositus. Colores etiam suos ex Mercurio assumit, album, flauum, rubrum. Sed & sublimatio eiusdem est à Mercurio: resolutio autem à sale. Itaque per hæc sublimatur & resoluitur.

Stannū quid.

Mercurius leprosus.

Colores Mercurij in stanno.

CAPVT VII.
De Argento & Auro.

Agentum viuum est Mercurius, ductilitatem non admittens, sed ei sese opponens. Hunc Archeus eiicit, singulare in metallum illum vertens, ductilitatis expers. Et licèt ex metallis omnibus maximè assimiletur Mercurio: differt tamen in hoc, quòd ductilitatem ab archeo non adciscat ob debilitatem, quam concepit à sale & sulphure, nimis paruâ copiâ ingredientibus. Hinc liquet, quod per spagyricam practicam, additionis scilicet ductile metallum fieri possit, sicut Philosophia de transmutatione demonstrat. Potest enim in metallum

Argentū viuum quid.

Cur non ductile.

Arg. viuū quoduis metallum mutatur.

metallum quoduis verti & mutari, ideò nimirum quia de metallis omnibus, quæ in ductilitatem traduci non possunt, ab operatione remanet.

CAPVT VIII.
De Argento & Auro.

Argenti & auri generatio qualis.

HOc modo si metalla procreantur, & ex Ares separantur, ita vt nihil rudis crudique coloris aut substantiæ relinquatur, sed subtilissimum tantùm, purpureum & lucidum, hoc est, purissimum de Mercurio, de sale, & sulphure, nempè secundum formam, substantiam & essentiam, adeóque in omnibus coloribus clarissimum & optimum remaneat: tunc operationem suam Archeus inchoat, & essentias duas à se inuicem separat, candidum nempè, & purpureum. Candidum, quod clarum & purum est, fixum & subtile, cuius omnis sordes & crassities remota est, stannum scilicet & plumbum & ferrum cum chalybe. Porro ergo fixum fit, & coagulat in argentum, in quo colores duo pulcherrimi, viridis & cyaneus, potentissimi sunt. Quanquam & alij colores reperiantur in corporalibus, prouenientes ex Mercurio, qui ab ingenio suo integrè non recedit, sed concurrens quiddam semper secum retinet, quod per Archeum separandum est. Postea aggreditur is purpureum, atque ex ipso conficit aurum, quod nihil est aliud, quàm nobilissimum sulphur, salque & Mercurius, separatum ab omnibus aliis coloribus in solo purpureo consistens. Cur autem luteum seu flauum appareat, causa in subtilitate & claritate metalli posita est, quia obscuri omnes colores exuti, rubinei autem induti sunt. Colores itaque huiusmodi à temperatura proficiscuntur. Non item argentum: sed à sale tantum lazurium, à Mercurio viride, à sulphure nihil accipit. Aurum autem fuluum suum colorem adipiscitur à sale, Mercurio & sulphure, quæ in compositione fuluedinem huiusmodi procreant. Purpureitas à sale, pellucida rubedo à sulphure, flauedo à Mercurio, hæc tria colorem aureum constituunt.

Aurum quid.

Argenti color vnde.

Auri color vnde.

CAPVT IX.
De Zineto.

QVando ergo hoc modo metalla fiunt & producuntur, dum scilicet verus metallicus fluxus & ductilitas aufertur, & in septem metalla distribuitur: residentia quædam manet in Ares, instar fœtûm trium primorum. Ex hac nascitur zinetum, quod & metallum est, & non est. Sic & Bisemutum, & huic similia alia partim fluida, partim ductilia sunt. Quamuis autem fluxu suo metallis nonnihil adhæreant, nihil tamen nisi metallorum spurij sunt, hoc est, similia ipsis sunt, non sunt tamen ipsimet. Zinetum maximâ ex parte spuria soboles est de cupro, & bisemutum de stanno. Ex hisce duobus omnium plurimæ fæces & remanentiæ in Ares fiunt.

Zinetū vnde.

Zinetū spurius cupri Bisemutū stanni.

CAPVT X.
De Archeo Metallorum.

CVm superiùs, quo pacto metalla omnia enascantur, dictum sit, iam deinceps etiam cognoscendum est, quòd *Ares* in sese continet primam materiam omnium metallorum, vt comprehensum est. Illam iam quomodo in globo distribuat, teneri oportet, quòd in lineam triualem ad Yliadum expellat materias omnes, quæ in metalla non sunt excoctæ, & in diuisione à se inuicem segreget. Sic vno loco rami sunt de cupro, alio de stanno: & sic de cæteris quoque metallis. Porrò si ita ab Ares in triualem lineam deducuntur, ex nonnullis metallum, vt stannum, plumbum, ferrum, cuprum, &c. eiicitur, nondum omni Marcasitâ aut Bisemuto, aut cachimiâ, aut zineto, &c. prius expurgatis, aut in fæces collatis, sed iisdem omnino concurrentibus. Prout ergo multum parúmue concurrit: ita metallum vel præstans vel abiectius generatur. Durities autem ei confertur in linea triuali, quando Archeus ex Ares illud extraxit. Tunc enim in Yliado reperiuntur, modis ac formis variis. Per istam siquidem Archei præparationem colores varij producuntur, vt nulli aliis similes existant. Sicut enim ex fructibus omnibus nullum pomum alteri simile est, velut nec pyrum: sic hæc quoque sibi inuicem similia non sunt, veluti de *Thismate* philosophantur. Hæc enim virtus & facultas solius *Thismatis* est, de qua pluribus, hîc minimè agendum videtur. Argentum verò ac aurum multoties, solida & pura inueniuntur, hâc de causâ, quia scilicet marcasita, bisemutum & materiæ metallicæ cæteræ de metallis probè separatæ, & in triualem lineam probè reductæ sint. Itaque metallo puro facto, aurum argentúmque producitur. Extranea enim metalla alia iam pridem eiecta, sordésque vniuersæ excussæ sunt. Cætera ergo pura reperiuntur, prout Archeus illa ordinauit. Interdum verò etiam spumæ facie in saxis instar argenti tabulati inueniuntur: aliquando etiam in pratis, modo auri flammei. Et sic in Yliado formis etiam aliis multis. Frequentissimè autem in aquis inueniuntur, ideò, quia purum huiusmodi aurum vndarum vi vnà cum arenis in globum impellitur, ac postea granulosum legitur, velut in Rheno & fluminibus aliis euenit. Aquarum enim cataractæ, si triualem lineam, vbi huiusmodi aurum iacet, transeunt: tunc aqua illud eiicit, prout copia maiore vel minore præsto est. Eius autem plurimum à violentis inundationibus, aut fluminibus præcipitatis eluitur, & in globi littora vel fundum eiicitur. Accidit etiam, vt duo, tria, pluráue metalla mixta reperiantur, velut in cupro argentum aurúmve, velut & in stanno ac aliis. Cuius rei hæc causa est, quòd in *Ares* per Archei operationem in expellendo duo vel tria ad Yliadum congregentur. Id circa metalla ea præcipuè euenit, quæ sibi inuicem cognata sunt. Sic circa argentum & aurum frequenter accidit, vt in separatione facta aurum in argento, aut hoc in illo relinquatur. Idem etiam de cæteris ita iudicandum. Dum ergo permiscentur, & permixta coagulantur, disgregari iterum nequeunt, sed vnà iuncta manent.

TRACTATVS QVARTVS.

De lapidibus & gemmis Elementi aquæ.

CAPVT I.

PROLOGVS.

IN primo Yle, cùm Ares constitueretur, & in operationem suam ordinaretur, materia lapidea quoque in Ares condita est, ex tribus primis, ex liquore salis, sulphuris & Mercurij. Tria enim hæc sunt rerum omnium principia & materia prima. Lapides duritiem suam & coagulationem consequuntur à liquore salis: corpus autem à sulphure: & pondus à Mercurio, sicut & ab hoc partem corporis aliquam. Prædictorum autem & iam dicendorum, respectu trium primorum, hoc discrimen est, quòd hi metalla non sint, nec aqua, nec gluten, sed solidi lapides, ita in operationem perducti. In hoc Ares primum Minerarum purgatio facta est: successerunt deinde fructus lapidum: tandem procreatæ sunt gemmæ.

Hoc loco sciendum est, generationes quasdam factas esse, nec dum fieri: hoc est, Quicquid in primo Ares purgatio prodidit, velut saxa & arenam, non crescit amplius. Initio enim Archeus in purgatione trium primorum vehementer occupatus, ea depurauit, & ad locum suum congessit. Hinc porrò depuratio alia non fit. Sic ergo deinceps nullum saxum, nulla arena crescit. Alij tamen lapides & gemmæ indies generantur, & prius enatis addunutur. Iam verò lapides quidam sunt, qui ex tribus primis orti non sunt, sed per impressionem ab Elemento ignis prodierunt. Et lapides isti, vt sunt Crystallus, Berillus, Citrinus, &c. non hìc, sed in tractatu de Elemento ignis recensentur.

CAPVT II.

De Saxis.

IN primordio Ares, cùm se à superfluâ materiâ lapideâ exonerâsset purgando, ex ea corpus saxorum prodiit. Saxum enim quoduis tantum est corpus sulphureum, cum sale coagulatum, & Mercurio tinctum, ita nimirum. Cùm tria prima ex Ares eiicerentur, in globo ebulliàrunt & ferbuerunt, atque vi quâdam terram diduxerunt, sibi ipsis viam ad Yliadum per lineam triualem molientia. Sal enim & sulphur, quæ concurrebant, vniri in globo cum terra non poterant, sed per terram in aduersum eruperunt, & in furias acta intumuerunt, veluti spuma à carne aut vino emergit. Saxum siquidem omne nihil est aliud, quàm trium primorum in materia lapidea spuma. Vnde etiam vi perrupit in lucem ad lineam triualem, ad fines Yliadi. Vbi autem per duo superna elementa ad Yliadum penetrauit, consedit & indurauit, talisque mansit, qualis in spuma fuit. Hinc lapides facti sunt eo loco, vbi iam latent. Hinc etiam factum est, vt multa subindè saxa in superficie terræ fierent, cùm infra terram nulla reperiantur. Spuma enim ibi omnis erupit terram seu globum. Quædam verò in linea triuali maturiùs correpta mansit, ac à supernis elementis indurata est. Vnde adhuc in terris saxa coagulata sunt. Formam autem suam, & asperitatem, angulósque & ramos acceperunt à spiritu, qui prout intumuit, ita formam saxis contulit. Quòd verò non in omnibus globi regionibus reperiantur, causa hæc est, quia initiò rimas & hiatus, spiritus sibi molitus est. Prout ergo secundum has vel illas rimas conferim erupit, ita saxa, valles, & Alpes, &c. sibi struxit & formauit. In vallibus ergo terra superiniecta mansit, quia in exspumando spuma relicta, Alpes & valles fœcundauit. Vbi autem terra à spuma separata est, ibi ariditates ad scopuli relicti sunt.

CAPVT III.

De Arena.

ARena generatur ex corpore trium primorum, crassiore, quàm vt per generationem in lapides abeat. Corpus ipsius sal est: & compositio sulphur: ac compactio Mercurius. Est autem id, quod ad lapidem ineptum est, nec spuma fuit. Spumam tamen sequitur. Si enim spuma ex tribus primis prodiit: tunc Archeus segregat, quicquid lapideam naturam non habet: aut in lapidem formari non potest. Et hoc arena fit: quæ illicò post primorum separationem oritur, & in triualem vnà cum aqua in Yliadum abit, extráque *Aren* coagulatur in granula propter vim salis. Suam enim ex sale formam accipit, à quo ita coagulatur, & in Yliadum compellitur vt plurimum per inundationes aquarum, super globi planitiem. Quicquid autem in primo *Are* post spumam continuò generatum fuit, id terræ ambitum occupauit, eo modo, quo saxa foras exacta sunt. Hinc terræ seu regiones quædam admodum arenosæ reperiuntur, quia spuma saxorum eas eiecit, & segregauit ita, vt in planitiem decumberent. Arenæ autem interdum cum terra permiscentur, interdum sub terra conduntur, quia cum ipsis simul terra quoque eleuata seu elata est, nec tamen per Archeum in operatione penitus perrupta est. In arena huiusmodi vniuersum mare iacet: quia initio (sicut de elemento terræ traditur) globus factus est ex elemento terræ, postea generationes elementi aquæ: item ante omnia purgationes fructuum elementi aquæ, postea aqua, & cæteri fuctus aquæ per arenas eruperunt, & sibi super illis sedem fixerunt. Ita maria orta sunt, quæ solius centri virtute, nullius firmi aggeris beneficio continentur. Nisi enim centrum seruaret: maris pondus & grauitas dudum diruta esset. Nulla enim ibi duries alia est, quæ continere possit, quàm agger ex arena structus, quem à spuma illicò effossum voluit natura, vt virtus lapidea pura & integra in sua essentia consisteret.

CAPVT IV.

De Silice.

GEnerationes lapidum procedunt ex tribus primis lapidum post separationem prædictorum factam, dum scilicet crassum sulphur, sal & Mercurius resoluuntur in lutum, & per triualem lineam in Yliadum currunt, alia per metas aquarum, alia per se in globum. Quicquid per se erumpit, vt primùm ex Archeo elabitur, durescit, & in cumulum lapidum surgit.

surgit, sicut fodinæ lapidum multæ & variæ sunt, prout sulphur, sal & Mercurius magis minúsue in compositione congeruntur. Ab iisdem etiam suos colores mutuantur. Quicquid autem specie lini per aquas illabitur, id vnà cum aquis in Yliadū properat, & in mediâ viâ aquæ coagulatur, & propter vim spiritus salis adhærescit, & granulatur, dúmque subindè plus luti agglutinatur, pro tempore grandescit. Ideò quo locus à scaturigine aquarum distantior: eò pauciores lapides reperiuntur. Isto enim loco, vbi materia lapidum effluit cum aquâ, confestim illa coagulatur, si Yliadum attigit, & sede illâ decumbit. Hoc modo lapides omnes generantur: hoc sui ortus principium habent. Ita & *Duelech* seu lapis spongiosus in globo formatur, velut & alia, tantùm ex candido sulphure, quod cùm in aquâ tùm igne fixum est.

Duelech vt generetur.

CAPVT V.

De lapidum differentiis.

Marmor vnde generetur. Sulphur lapidum Mercurius metallorū est corpus.

MArmora colorem suum à sulphure sumunt. Sulphur enim lapidum omnium corpus est, sicut Mercurius metallorum. Rubrum id est: ex quo cùm marmor, tum alij lapides rubei fiunt. Durities est à sale: & grauitas à Mercurio. Liquor Mercurij maculas dat, ex vi florificâ, quam habet. Quod autem marmor mixtim candidum & rubrum est, ex duobus corporibus, sulphure nempe candido & rubro, concinnatum est, quæ in liquoribus concurrunt, & permixtione illâ in Yliado coagulantur. Et sicut dissimiliter in coloribus & floribus seu maculis reperiuntur: ita candidum marmor à sulphure generatur candido, quod genus est crassissimum inter lapides omnes, adeóque primum opus est Archei, quod in globo perficitur.

CAPVT VI.

Cacedonius

Cacedonius vnde.

CAcedonium genus est durissimum & crassissimum inter lapideam primam materiam, supra marmor, quia sal in ipso subtilius est quàm in marmore, exquisitiùs tamen etiam purgatum, quàm in marmore. Marmor enim crassissimam substantiam sibi attraxit: sequens autem crassities est in Cacedonio. Genera ipsius multa sunt. Quidam est clarus, à sale fixo potissimum, & splendido probéque depurato sulphure & Mercurio genitus. Quidam crassus, ex crasso sulphure. Colores autem suos vt purpureum, candidum, lazurium, &c. à spiritu salis accipit. Rubrū autē & huic cognatos ex spiritu sulphuris, & similiter ex Mercurio. Formatur secundum colores multis modis. In obscuro corpore duplici formatur, vt marmor. In pellucido autem spiritus trium primorum sunt, ipsúmque variant (al. miscent) ex virtute Aris pro ratione florum suorum. Nullus siquidem lapis est, qui flores suos cum coloribus connatos non habeat. Natura itaque Archei ipsi flores & formam indit.

Cacedoni genera quæ. Cacedoni colores vnde.

CAPVT VII.

Alabastrum.

Alabast. vt generetur.

ALabastrum, velut & molles alij lapides ac friabiles nonnulli formâ Amethisti, ex friabilitate trium primorum in lapidibus generantur, dum scilicet friabile seu molle omne, ad lapides ineptum, ab Archeo ex Ares eiicitur. Hinc fiunt Alabastra, in quibus nullus est spiritus salis, sed tantum mollis substantia, de sale & sulphure candido, cum Mercurio compacta. Vnde in nonnullis Alabastris flores, velut in Cacedonio & Amethisto reperiuntur: quia scilicet essentia illa lapidea duritiei deficit, non item colori. Duritiei ergo causâ Alabastra nominantur, & sunt. Alabastra alia flores manifestos nullos habent, sicut & alia lapidum genera multa colores in substantiâ latentes habent. Multi etiam lapides crassi, vt Hepatici, inueniuntur, molles & friabiles. Horum generatio talis est. Si durities marmoris, & cacedonij, & silicis, ac duelechi extracta est, tunc quod relinquitur, tantum molle est, duritie carens. Vnde grossi & molles Hepatici postea generantur.

CAPVT VIII.

Duelech seu lapis spongiosus.

Duelech quid.

DVelech sunt lapides, quibus neque aqua nec ignis nocet. Constituuntur ex sulphure fixo, quod in nullo igne flagrat, & ex fixo sale, quod in nullâ aquâ resoluitur, & compinguntur cum liquore de Mercurio. Ea substantia grossissima est, quæ læuigari aut poliri non patitur. Tum enim demum generantur, quando læuor Cacedoniorum & Marmorum, ac Silicum, similiúmque aliorum extractâ est. Tunc quod substantiæ reliquum est, instar fungi, aut foraminosæ spongiæ, coagulatur in lapidem, subtilitate omni carentem.

CAPVT IX.

Lapis fissilis

Lapis fissilis generetur.

LApides fissiles seu Fissiles generantur ex corpore sulphuris, quod spiritum salis continet, & à cæteris lapidibus omnibus separatum est. Vbi enim hoc salis sulphur iacet, lapidē nullum relinquit integrum, sed ipsum findit. Ideò peculiariter extrahitur. Genera huius varia sunt secundum fissionis formam aut colores: quorum omnium causa est spiritus salis, prout cum coloribus componitur. Quò is tenuior eò subtilior est qui in coloribus: & quò crassior densior aliis.

CAPVT X.

De Gemmis.

Gemmæ generatio.

GEmmarum generatio in Ares talis est. Si ex Ares grossorum lapidum genera omnia extracta sunt, & nihil grossitiei amplius restat: tunc subtilitas quædam remanet, Diaphanæ naturę supra omnes alios lapides, ex quâ Archeus gemmas postmodum procreat, & extrahit eâ formâ, vt initiò durities & diaphanitas maxima præparentur. Factâ præparatione illâ, quæ ad gemmas sufficit: postea gemmæ inde separantur & præparantur, quælibet nimirum secundum suam formam & essentiam. Estque hæc generatio gemmarum naturæ subtilitas ac opificium omnium maximum.

Gemmæ generatio...

CAPUT XI.

Carbunculus, Color lucis.

PRincipio inter omnes gemmas Carbunculus extrahitur. Eius enim natura est clarissima omnium, quæ in tribus primis latet: est, inquam, omnium maximè Diaphana & lucida. Ipsius corpus est Mercurius: ipsius color est sulphur, & modicum spiritus salis propter coagulationem. In ipso pollet omnis lux: quia sulphur lumen clarum in se continet, sicut ars de ipsius transmutatione demonstrat, dum grossities omnis ab eo aufertur, & subtilissimum, quod in toto sulphure est, in gemmam redigitur. Hoc autem fit per insignem regenerationem clarificationis per Archeum, ita, vt instar subtilis spiritus ascendat per triualem lineam in poros globuli, & confestim in Yliado indurescat.

Genera eius multa sunt, quo spectant etiam Hyacinthi & similes gemmæ, quæ lucidæ & radiantes sunt, quæ omnes ad censum Carbunculi referuntur. Gradus enim luminis quiuis seorsim ponitur, & pro lapide habetur. Huius autem generis gemmæ paucissimæ sunt. Hâc siquidem ex materiâ lapides & gemmæ omnes nascuntur: Carbunculus autem ex omnibus subtilissimus est & nobilissimus.

CAPUT XII.

Smaragdus.

IIsdem ex tribus primis etiam Smaragdus oritur: estque viriditas illa, quæ in illis tribus consistit. Corpus ipsius est lapillatus Mercurius. Colorem sumit ex ipso, cum spiritu salis coagulatum. Per triualem lineam in Yliadum ascendit specie guttæ. Vnde guttarum similitudine etiam reperitur. Destillatur enim à centro Ares sursum in sublime, atque in descendendo seipsum coagulat. In ascendendo enim nondum aptus est coagulationi, sed in descendendo primùm. Vbi ergo locorum (siue illic lapides siue terra iaceat) poros perstillat, coagulatur, pro ratione guttæ. Atque operatio quidem interdum repentina est, vbi guttæ multæ in mensuram vnam confluunt. Hin fiunt & reperiuntur Smaragdi magni, velut & lapides alij, prout spiritus Ares exit seseque diffundit. Et in locis nonnullis multi inueniuntur, quia in operatione primâ plures in vnum locum ceciderunt, quàm in alterum, adeóque per lineam triualem certis regionibus quæ sub Yliado sitæ sunt, acclinauerunt, non quod nobilitas regionis multitudinem illam caussetur, sed quod fortuitò in Yliadum illum occiderint. Et loca multa sunt, in quibus gemmæ seu Smaragdi reperiuntur plures, quàm vnquam simul inuenti sunt. Ares etenim qui tot crudos lapides protulit, magnam necessariò multitudinem habuit, ex quâ plures tam paucis gemmas progenerârit. Smaragdi huiusmodi sunt multiplices, & secundum gradus per Archeum intenduntur, multisque nominibus apud nos donantur; qui tamen omnes à tribus primis tracta viriditas sunt.

CAPUT XIII.

Rubinus.

RVbinus, & quæcunque gemmæ rubedinem habent, rubor sunt sulphuris, & corpus Mercurij lapillati. Mercurius enim gemmarum vniuersarum corpus est. Vnde eas oportet esse graues, frigidas, & pellucidas, ac lapillatas. Archeus ergo primùm rubedinem elicit, ex quâ multa genera rubearum gemmarum constituit. Talis enim rubinus generatur, qualis rubedinis gradus accedit. His similes etiam sunt Granati, nisi quòd quàm Rubini, copiosiore sale abundent. Vnde etiam quadrangulares fiunt. Huc genera pertinent etiam alia, quæ à rubedine sulphuris in corpore Mercurij fiunt, multis formis & gradibus distincta, pro naturâ sulphuris, & salis, & pelluciditatis corporis Mercurij. *Granati rubinis plus salis habent.*

CAPUT XIV.

Adamas.

GEneratio Adamantis est omnium intensissima durities omnium lapidum, quæ ex omnibus extrahitur. Nascitur ex solâ duritie. Corpus ipsius est Mercurius; coagulatio spiritus salis: color, sulphur. Diaphanus est & clarus. Omnes enim lapillati, & probè clarificati sunt. Adamantis hæc generatio duritiem adimit gemmis omnibus, aliàs multò durioribus futuris. Ea durities omnium maximè decedit Alabastro, & molli Amethysto: quæ per Archeum in essentiam peculiarem collocatur & digeritur. Idem similiter etiam de cæteris gemmis intelligendum est. *Adamas vnde generatur. Adamas reliquis gemmis duritiem aufert.*

CAPUT XV.

Saphyrus, & gemmæ aliæ in genere.

CYaneæ Diaphanæ gemmæ, qualis est Saphyrus, generantur ex Mercurio, secundum corpus & colorem. Conditur super sulphur candidum, & candidum sal, ex pallido tamen Mercurio lapillato. Vnde sæpius Saphyri albi reperiuntur, quia Mercurius albus concurrit. Inueniuntur etiam lutei, qui colores etiam lutei in Mercurio latent. *Saphyri quæ generatio. Saphyri albi & flaui vnde.*

Hinc sequitur, gemmas omnes colorem suum ex Mercurio assumentes nobilissimas & ponderosissimas esse, & gemmas Mercuriales vocari. Hâc formâ modóque gemmæ omnes ex tribus primis nascuntur, ad lapideam & gemmeam naturam prædestinatis. *Gemmæ omnes ex trib⁹.*

Hinc etiam patet cur gemmæ nonnullæ tam variè tinctæ, diuisæ, variatæ, & aliter constitutæ nascantur: quia nempe omnes suam originem sumunt ex eo, quod interdum duæ, tresue materiæ, ex duabus tribúsue gemmis concurrant seu permisceantur, nec tamen in colorem vnum coeant aut permisceantur, sed quælibet seorsim suum colorem retineant. Hinc est, quòd multi sæpè colores in gemmâ vnâ reperiantur. Frequenter etiam accidit, purum & lucidum Mercurium cum sale tingi duobus tribúsve aut pluribus coloribus, qui deinde colores omnes, velut Venetus, lazurius, albus, viridis, cinereus, &c. ex spiritu salis oriuntur. Interdum aliquid adhæret de sulphure. Quod si in purum Mercurij corpus, & purum sal incidat, coloribus vacuum, varij multique colores producuntur. Ipse etiam Mercurius, si sine coloribus à sale & sulphure, cum suis propriis coloribus prodit, iam viride, iam cyaneum, iam *Gemmæ variegatæ vnde.*

iam album, iam flauum, iam nigrum producit. Interdum etiam omnia tria varios suos colores conferunt, nec tamen permiscentur. Sicut enim aqua & oleum non permiscentur: ita tres hi quoque liquores sine confusis coloribus indurantur, & in coagulatione indurata manent & inueniuntur, modis & numeris infinitis.

TRACTATVS QVINTVS.

De Glutine Elementi Aquæ.

CAPVT I.

Præambulum.

Sicut iam prima materia ad vnumquodlibet seorsim prædestinata est: ita de glutine quoque intelligendum est, quòd glutina vel glutinosa omnia ex materia vnâ oriantur communi. (Glutinosa omnia ex materia vna.) Huius generis sunt sulphur, Coralli, Carabe, & Entali, quæ omnia ex peculiari materia prima generantur, nempè ex liquore sulphuris, salis & Mercurij. Hæc proprietatem habet lentæ resinæ aut visci, quæ manent talia, qualia inueniuntur. Prima hæc materia forma est ac liquor resinæ, quæ lapideæ naturæ nonnihil secum habet, ex qua gemmis & aliis lapidibus simile quid generatur, nec tamen eadem materia existit. Vnita autem est ex tribus materiis: ex lapidea: ex metallica in resolutione: ex salis materia, propter naturam diaphanam & spumam, quæ sali interdum respondet. (Materia glutinosorum qualis.) Præter hæc omnia adest resinositas & lentor, & vis ardens, non fixa, nec ex materia orta, vt metalla, sed maneris id, quod metalla fieri, aut in quod ea mutari queunt.

CAPVT II.

De Sale petræ, plumoso, & ogro.

In hac materia Archeus primùm separat & eiicit id, quòd non est naturæ resinosæ. Id adeò exquisitè depurat, vt nihil nisi mera resina remaneat, quæ fluxioni & coagulationi apta sit. Per hanc separationem primò egreditur impuritas de sale per triualem lineam in Yliadum, & coagulatur. Aliquando ergo ex hac fit salpetræ. (Sal petræ vt fiat. Quid fit.) Id enim non est sine spuma de sale resinarum, quæ omnium maximè ostenditur in saxis. In terra enim iterum resoluitur & liquescit. In petris autem coagulatur, & coni seu pyramidis forma erumpit. Ita se habet Archeus salis. Ab hac separatione purgatur Mercurius à sua grossitie, vnde ab illo spuma decedit per lineam triualem in Yliadum, vbi coagulatur, & pro natura sua generatur. Hinc fit plumosum. (Plumosū vt fiat.) Plumosum autem spuma tantum est de Mercurio, qui resinosus non est, sed fixus. In his enim tribus primis nihil manet fixum. Præterea à sulphure secernitur ipsius sordes, ex qua Ogrum fit, simile terræ aut lapidi, nec tamen horum quicquam existens. (Ogri quę generatio.) Trium horum spumæ variè formatæ sunt, omnes ex materia resinarum, ipsis tamen sua essentia planè aduersæ. Et prout in regione quadam aut Ogrum, aut plumosum aut sal petræ reperitur: ita resinæ quoque puræ claræve, aut naturæ ac speciei alterius, quæ multiplices in Ares latent, & per Archeum producuntur, inueniuntur.

CAPVT III.

De Arsenico.

Tribus hisce materiis ita expurgatis, sequitur postea prima separatio illius essentiæ, estque Arsenicum, album & citrinum, hac specie, quia materia metallicum quid continet. Vnde metallis etiam appropriatur, iisque associatur, & vnà cum illis coagulatur. Per separationem verò horum a se inuicem dirimuntur fructus metallorum, & fructus resinarum. Fit etiam quandoque, vt Arsenicum solum in linea triuali ad Yliadum ascendat. Hoc Arsenicum sibi peculiare metallum generat. Est enim grossissimum, quod in resina latet, ac simile apparet metallicis, quoad opus, non quoad formam. Vniuersum autem resinarum venenum in ipsius corpus vnum confluxit. Ex omnibus enim elementi aquæ fructibus venenum non est vehementius, quàm in materia resinarum. Ideò peculiare crescens ex corpore salis egreditur.

CAPVT IV.

Auripigmentum.

Post Arsenicum elicitur Auripigmentum, corpus suum ex sulphure, coagulationem ex sale, splendorem à Mercurio habens. Naturæ est lapideæ & metallicæ, & tam è horũ nullũ est, sed venenũ, sequens Arsenicum procedit ex tribus primis in lineam triualem, vbi residet in Yliadum, & generatur forma fissili & tabulata. Multum enim de cachimiis adhæret in forma & multum metallorum, nempè auri, in splendore. Sulphur enim citrinum est, quod adeò splendidè ad naturam metallicam præparatur.

CAPVT V.

Antimonium.

Hoc sequitur Antimonium, quod corpus suum ex Mercurio assumit estque natura Mercurij crassissima, postquam expurgatur. Vires etiam, & virtutes Mercurij omnes retinet. Ex fructibus ergo omnibus, de tribus primis exeuntibus, nullus est, qui Mercurij vim Antimonio apertius retineat. Nihilque est aliud, quàm coagulatus Mercurius per spiritum salis & sulphur: nisi quod Mercurius grossus sit asperque, quia non ex subtili natura Mercurij oritur, sed in materia hac ita ordinatus est. Ascendit in Yliadum specie metalli, quia respectu sui corporis multum naturæ metallicæ possidet, quanquam eius census non sit.

CAPVT VI.

Sulphur.

Postea procedit natura sulphurea, qualis per se est, súumque corpus quàm expressissimè refert, sicut Antimonium sui Mercurij. Quin imò sulphuris etiam naturam & essentiam retinet. Permiscetur interdum etiam mineralibus instar prædictorum crescentium, quia illis quandoque assimilatur. Vnde persæpè sulphur aureum, &c. reperitur, propter permixtionem in linea triuali. Idem frequenter etiam Antimonio accidit.

CAPVT VII.

Entali.

Sic Entali quoque nihil est aliud, quàm sal, suam materiam primam proximè referens. Et sicut Antimoniũ de Mercurio suum corpus

corpus assumit, sulphur autem de sulphure: ita Entali de sale. Nullâ verò parte vnitur cum metallis: quia sal vlteriorem purgationem non requirit, nisi vt in materia sua maneat. Entali hoc benè coloratum est, & prorupit ex virtute salis quod huius generationis vim habet, ac in Yliado iacet velut in fodinâ, instar salis petræ fixi, quod in aquâ fixum est & constans, ac materiam salis velut & eiusdem essentiam seruat & retinet.

CAPVT VIII.

Carabe Citrinum.

ORitur hoc, prout prædictæ crassæ duræque naturæ ex resinosâ materiâ egrediuntur. Hic Archeus subtilissimum ex tribus primis extrahit: nempe corpus ex sulphure, coagulationem ex sale, compactionem & resinam ex Mercurio. Purum autem & clarum est, quia claritatem primorum trium continet, quæ in Yliadum extrahitur & coagulatur, vnde carabe citrinum generatur. Hoc interdum miscetur, & candesit. Candor enim sulsphuris concurrit, atque sic duo tresve colores concurrunt, florem pro naturâ lapidum proferentes. Horum enim exemplo coagulantur. Et quicquid de carabe floridum est, bonum est. Nec enim id floramenta sua amittere debet. Quando autem flores amittuntur, nimis lapideum est. Quiuis enim lapis floribus destitutus, prematuriùs coagulatus est, nempe antequam probè maturuit. Id enim non est carabe, sed ipsius flos, multùm variegatus. Est enim resina, profluens ex naturâ diaphani sui sulphuris. Frigidus autem lapis est propter vim compositionis Mercurij salisque.

CAPVT IX.

Carabe nigrum.

CArabe nigrum est sulphur nigrum, generatione suâ aliàs vbiuis citrino simile. Spiritum habet multò duriorem, quàm citrinum. Multis lapidibus fissilibus præoccupatur, quia materiæ multùm continet, quæ carabe fieri cum nequeat, in lapidum congeriem abit. Plus etenim naturæ lapideæ continet, quam cæterorum fructuum resinosorum. Hinc frequenter totum ac vniuersum lapidescit, vt fluxum in igne & similia alia perdat, ac instar lapidis fissilis se habeat. Multum eius etiam adhæret liquoribus lapideis, quod dum coagulatur, granula multa nigra, instar granatorum, reperiuntur. Quod ideò fit, quia materia lapidea in omnibus tribus primis inserta iacet. Omnia enim lapidea genera nigra & crassa, naturæ sunt carabe nigri, fracti tamen per mixtionem materiarum aliarum, ex quibus sponte ac ex naturâ propriâ lapidescit.

CAPVT X.

Corallus.

COrallus generatur ex resinosis tribus primis, dum de sulphure rubedo, & natura alba fixa manet quæ separatur & extrahitur per Archeum specie seminis aut grani, quod eiicitur in Yliadum, cuius plurimum est in mari, hoc est, linea ipsius triualis initiò in mare incidit. Illis enim locis corallus crescit. Si verò in aliis globi locis maneat, exarescit, & nihil inde producitur. Sed in maris Yliado suum incrementum habet ac ex granulo nascitur arbor, non secus ac ex semine. Dum adolescit, proprij spiritus salis vi induratur, conferente aliquid etiam ætate. Naturam autem suæ essentiæ ex Archeo elementi aquæ assumit, quę in omnibus fructibus peculiare suum crescens habet, Sic enim & argentum, & aurum variabili interdum forma producitur. Ludit enim natura in suis operibus & sui magisterij ac opificij quandam quasi gloriam affectat. Sicut enim plumosum & alia crescunt, ita in corallis crescens peculiare est ex semine, enascente ex tribus primis, ternis nempe coloribus, rubro, albo & luteo, Estque hoc crescens vltimum, quod natura producit ex tribus primis resinosis in elemento aquæ, omnium nobilissimum.

Finis libri quarti Philosophiæ Theophrasti, de generationibus Elementorum.

PHILIPPI THEOPHRASTI

PARACELSI LIBER DE GENERATIONE HOMINIS.

PRÆFATIO.

DE generatione hominis iam deinceps philosophaturi, hominem perfectum pro idea oculis nostris contemplabimur, & eius notas ac proprietates expendemus. Sequentis ergo capitis argumentum erit de semine libero. Quod sicut ab homine gignitur: ita is quoque à patre suo prognatus est: & sic retrò vsque ad parentem primæuum. Omnium autem prolium pater genitus minimè est, sed est creatus. De hoc autem tantùm hic differemus, quantum ad conceptionem fœtus intelligendam requiretur. Quanquam acriùs philosophando inueniamus, quòd in primâ creatione hominum, plures vno extiterint parentes. Peculiaris enim creatus fuit pater monoculorum, peculiaris gnomorum, peculiaris bipedum. Philosophia siquidem minimè patitur, parentem bipedem gignere cyclopem, sed contrarium omnino cogitandum est. Simile enim suum simile profert, non dissimile. Hisce autem Philosophiæ argumentis in suo loco & pretio relictis, causam, ac modum scrutabimur, quâ scilicet vnum ab altero progignatur: vbi hoc simul declarandum est, quod conceptio quædam prolium à Deo ordinata ac constituta sit. Pro exemplo, clarioris intellectus causâ propo-nemus nobis bipedes. Hi quo modo generati sunt, ita suo modo generati sunt, non bipedes. Cuius sectæ etsi formæ multæ sint, formæ tamen illæ inter nos diuisæ, & natura secundum essentiam

Marginalia: [Carabe citrinum quid & eius generatio] — Flores [...] — Carabe nigrum quid & vt generetur. — Coralli quę generatio & vbi. — Natura est ambitiosa ri suis operibus. — Homo ex homine. — Parentes plures vno per creationem. — Simile similis causa.

Christus cur bipes natus.

essentiam interiorem discriminatæ sunt. Bipedis autem exemplum nobis proponimus, non quia ad stellam illam nos pertinemus: aut quia illi nobis præ reliquis notiores sunt: aut quia maximam orbis partem illi incolunt: sed quia recordamur, Christum ipsum bipedem hominem esse natum. Vnde colligi potest, cæteras sectas in suâ formâ non vsquequaque perfectas, sed ex parte quâdam deficientes esse. In formâ enim bipedum defectus nullus est. Quanquam monoculis nihil decedat in visu: nihil desiderent cyclopes in cursu: sed cæterarum sectarum omnium exemplo illi essentiæ suæ perfectionem acceperint, sibique ipsis non minus ac bipedes complaceant. Et tamen discrimen quoddam in ipsis inueniri hoc possit, quòd nempe creati sint propter formam, & non propter animam peculiarem. Eúmque nec vita nec ratio illis decedat, sicut & bipedibus: ideò patimur eosdem nobiscum æternitatis participes esse, nec saluti ipsorum propter formam quid derogamus. An verò monstrum in creaturis sint, prolixiùs hîc minimè disquiremus. Sicut tamen monstra in mixto cursu naturæ sunt: ita fuerunt etiam similiter in creatione. Ne verò instituti nostri limites longiùs egrediamur, genera & sectas hominum, in quibus æternum habitat licèt secundum formam diuersis, enumerando docebimus, quòd & in aquis versentur, qui æternitatem participant, nobisque similes sunt, vt sunt monstra marina, & si quæ alia nobis similia existunt. Cùm ergo intelligamus, in ipsâ quoque aquâ mundum aliquem esse: mundum vtique nostrum, non mundum vnicum, sed mundi quartam partem dicendum esse putabimus. Nemo enim inficiari queat, quòd & intra terram aliquis mundus sit, & alius in aëre, & alius in cœlo medio. Sed ne incerta trium istorum mundorum explicatione propositum nostrum confundamus: vlterius progredientes de illorum hominum procreatione aut prolium conceptione tantum tractabimus ac ita materiam hanc finiemus. Hoc autem institutum dum persequimur, primæ mundi partis homines, nempe bipedes, nobis pro exemplo & ideâ erunt. Postea etiã indicabimus, eos, qui in parte mundi alterâ, aqua scilicet habitant, aliã ac sensibilẽ generationis agnoscere. Porrò aliã conceptus rationem esse eorum, qui in tertia parte vt terra, habitant. Similiter & de iis iudicandum, qui quartam partem, aërem incolunt. In hisce autem cætera opera excludimus: & quatuor sequentibus libris horum hominum varietatem secundum speciem, ac formam, &c. prout ipsis insunt, explicamus. De errore verò seu monstro in conceptione, hoc dicimus: Sicut monstrum in creatione accidit: sic idem est in omnibus seminibus. Habet enim creatum sese, vt monstrosa proles prout crescentis genus est. Quanquam id genus sibi simile non propaget, quia tale creatum non est, nec creationis suæ formam aut naturam retinet. Interim ne vos confundamus, ad quatuor libros properantes, rem planiùs expediemus. Principium ergo de creatis assignabimus sequentibus capitibus maioris intelligentiæ gratia, hoc asserentes, quod aduersum quid nobis impingatur & obiiciatur in eo, quod dum de creatione monstrorum disserimus, de æterno formarum omnino loquamur, si similiter de quarta parte indicauerimus.

Bipedũ forma perfecta: cæterorũ deficiẽs.

Monoculi, gnomi æternæ salutis participes. Non bipedes homines non monstra.

Monstra maris &c.

Mundi 4. quatuor genera hominum ferunt.

LIBER
De Generatione hominis.

Liberum adeò solutúmque Deus hominis semen creauit, adeóque quietum & absconditum, vt nullâ vi grauetur aut opprimatur. Loquor de illo hominis semine, ex quo homo nouus seu alius progignitur. Id se habet instar grani in agrum iacti, quod quietum ac veluti emortuum sine operatione iacet. Ita totus homo semen est, quoad seminalem operationem emortuum, tamdiu non fœcundum, donec coniunctio quædam fiat, similis ei, quâ coniungitur semen & ager. Hinc generationem hominis nihil aliud esse dicimus, quàm vim generantem in homine. Et homo quilibet, siue vir sit, seu fœmina, sine semine est, aut semen in se multum continet. Quod ideò dicimus, quia nullum frumentum sine suo semine, sine suo semine nulla arbor crescit. Frumentum autem illud seu semen, ex quo crescentia omnia enascuntur, efficax est in matricibus, in quibus semen, & crescens res vna sunt. Idem verò in homine eodem modo non euenit. Homo enim in se semen non habet, quod essentialiter insit, aut in natura implantatum, aut cum ipsâ vnitum sit. Nam in rebus cæteris omnibus crescentibus semen cum suâ materiâ vnitum est. Solæ vero sensibiles, coniunctionem in suo semine cum matrice non habent. Sed & antea diximus, generationem crescentium omnium duplicem esse, vnam, vbi natura & semen in vnâ essentiâ continentur: alteram, vbi naturæ essentia sine semine existit. De his pleniùs vos informabimus, dicendo de insensibilibus crescentibus, vnde augeantur & generentur. Exemplum autem proponemus de generatione hominis, quod ita se habet. Vir nullum continet in se semen, quod generare sibi simile possit. Similiter nec fœmina. Improbè ergo loquuntur cæcutientes isti Medici, qui vastos de spermate libros conscribunt, sperma scilicet id esse contendentes, quod ipsi sperma vocant. Sed ne ex cæcis illis ductoribus petita doctrina caput hoc inferciamus & prolongemus, ad textum nostri instituti proximè pergamus. Vbi ante omnia hoc firmiter tenendum est, quod neque in viris, nec in fœminis sperma sit. His constitutis, iam rem ipsam attingamus, & assertum nostrum stabiliamus.

Generatio rerũ duplex.

Rebus vniuersis, sentiente carentibus spiritu, Deus hoc attribuit, vt ex sibi congenito semine seipsas propagarent: ita, vt in semine illo proprietas illius naturæ inhabitet, crescat, augeatur & minuatur. Ita nimirum arbor non est sine sui seminis virtute: sed virtus illa, ex quâ arbor crescit, semper arbori inest, nec ab ipsâ diuelli aut separari potest. Idem verum etiam est in gramine, herbis, frumentis, granis, &c. Idem verò similiter non est in homine. Is enim naturam tantùm suæ vitæ, & quæ ad huius conseruationem instrumenta pertinent, habet: propter quæ etiam homo conditus & constitutus est. Spiritus autem seminis, qui alterius hominis, conditor esse debet, nec ipse inest aut crescit in ipso, sed creatus & ipsi datus est,

est, vt arboribus & crescentibus reliquis. De hoc ergo homo nec gaudere nec dolere potest, quòd in se sperma contineat: sed viuit is sine omni spermate. Hoc ita accipietis, quòd scilicet essentia seminis & naturæ hominis simul ac vnà in homine conditæ minimè sint, sed tantummodò essentia naturæ in vita & ad vitam, neccum hac quicquam de spermate &c.

Reprehenduntur Medici. Hic ambitiosius nihil molimur. Demiramur tamen insignem stultitiam Deunculorum istorum terrenorum, qui absurdam hanc vanitatem innehere annituntur, quæ sensibilium & insensibilium vna eadémque in omnibus creatio sit. Quasi verò homo se habeat instar arboris, & semen in ipso emergat, sicut in herba. Quæ ipsorum doctrina risu potius, quàm laude & approbatione digna est. Quin imò hoc vobis etiam expendendum est, quòd omne, oppositionem opponens suæ creationi, sine adhærente fit semine, quod imperiti Medici sperma vocant, cùm tamen sperma semen nec sit, nec fiat. Sperma quid. Sperma enim est purgamentum renum, sicut narium mucus excrementum est cerebri, & sordes aurium choleræ. Satis ergo admirari non possum rudes illos Medicos dicentes, mucum, si in emunctorium spermatis egrediatur, sperma quoque esse aut choleram: sed stercus ramorum esse illud emunctorium, per quod subtilitas omnis, ex totius corporis abundantia emanans, euacuatur, nec ad semen pertineat, sed ad sanitatem corporis. Cæterùm, ne textus limites egrediamur, scire vobis vtile est, illud nempe, quod Sperma est excrementum. Medici vocant, semen haud quaquam esse, sed veluti diximus, esse excrementum. Hoc respectu, quicquid pro opposito seu obiecto cognoscitur id sine congenito & cohærente semine subsistit. Et hoc verum est de omnibus crescentibus sensibilibus, siue id ratione careat, siue illâ polleat. Hæc enim omnia proprietatem sui oppositi habent, quantum quidem ipsis opus est. Et hæc necessitas à Deo creata est, vt scilicet tam irrationalia quàm rationalia hoc oppositum cognoscant. Oppositum autem hoc ita intelligetis, quòd nimirum Sensu prædita semen habent, quando volunt. Deus rei cuilibet sensu donatæ liberum arbitrium sui seminis implantârit, ita vt animal quoduis sentiens, si velit, semen aut habeat, aut non habeat. Semen ergo in voluntatem animalium positum est, vt eo nec grauentur necessariò, instar aliorum crescentium, nec, si velint, priuentur. Quanquam voluntas crescens rationale sit, & non irrationale, ideo quòd homo nobilissimum quid existat. Ideo animal is est, oppositum sectans, quia rationem non habet.

Cùm ergo de generatione hominis exorsi simus, proposito nostro indulgentes, posteriorem ipsam indagabimus, relictis animalibus cæteris, & in librum peculiarem reseruatis. Hominis itaque secundum formam hæc est ratio, vt si velit, semen habeat: si nolit, non habeat. Talem enim Deus ipsum creauit ex causis multis (quas ad hanc Philosophiam non pertinere arbitramur) vt ita libertate sua gauderet. Si appetit, semen habet: & contrà idque vltrò, incoactè & sine vi. Quî verò & cur id ita factum sit, longiùs enarrare supersedentes, in textus continuatione pergemus dicere, quomodo nempe homo semen facere possit, vel non possit. Postea quomodo procedat: & tandem quomodo in sua formatione crescat.

Vt verò initiò cognoscatur, quo pacto homo à Deo ad semen ordinatus, & suæ voluntati commissus sit, hæc accipienda sunt. Indidit nempe Deus homini phantasiam voluptatis & concupiscentiæ, vt in materiam abeat. Hæc Seminũ quæ materia sit. iam materia est semen illud, de quo sermo est. Quod vt in materiam abeat. Hæc iam materia est semen illud, de quo sermo est. Quod vt faciliùs ac rectiùs intelligatis, ad hæc attendite. Si appetens ac concupiscens phantasia in homine, ab homine mouetur, & in speculatione sua consentire incipit: iam semen illi quidem ingeneratum, nondum tamen emissum est, nec dum operationem eam habet, quam habere semen debet. Hæc concupiscentiæ phantasia ex speculatione fit. Speculatio enim phantasiam facit, finit, format. Speculatio ista oritur ex opposito seu obiecto. Ita si vir speciosam fœminam intuetur, obiecto illo mouetur ei speculatio. Dum verò cogitationem suscipit de causa ipsius creationis, libidini suæ indulget, & phantasiam intendit. Sic ergo obiectum hominis phantasiam incitat. Nisi enim obiectum personale sibi ille imaginetur & præfiguret, ex sese talem phantasiam ciere minimè potest. Generatio enim hominis ita à Deo ordinata est, vt ab vtroque homine dependeat, vnúmque alterum moueat, vir scilicet fœminam, & econtrà. Hac intentione in vtrisque phantasia suscitatur. Vterque enim per se dimidiam saltem phantasiam habet: cùm econtrà Deus ita constituerit, vt ambo phantasiam haberent plenam Seminis mater phantasia. & perfectam. Cùm ergo phantasia mater sit seminis, non ipsa hominis natura: iam satis liquet, semen ipsum dependere à libero arbitrio hominis, ídque vel paucum vel multum, vel nullum. Extra obiectum enim nec phantasiam habet, nec semen. Conclusum ergo sit, speculationem ac phantasiam homini semen producere, non ipsam naturam. Quî verò id fiat, operæ pretium est scire, quòd liquoribus corporis Deus hanc vim indiderit, vt, quoties ab intensa hominis phantasia in- Liquores sunt materia seminis. cenduntur, in semen abeant, quod per vniuersum hominis corpus distribuitur. Sicut enim lignum, quod destinatur igni, ardet & ignescit: ita & phantasia à Deo in homine condita est, vt hominem faciat talem, qualis ipsa est. Quæ si irascitur, totum corpus excandescit. Si auara est, tale vniuersum corpus facit. Similiter etiam de semine hominis intelligendum est, quod liquor vitæ sit instar ligni, à phantasia velut ab igne accensi. Ita enim à Deo id constitutum est, ac prædestinatum. Sermonem ergo hunc concludimus, repetentes, quòd obiectum moueat phantasiam, & phantasia semen gignat, non ipsa natura. Quomodo autem semen perficiatur aut trahatur ad centrum, vbi in formationem abit, ita accipite. Matrix à Deo condita est, vt magneticam & succinam naturam proprietatémque habeat attrahendi semen virile. Matrix vim magneticã habet. Trahit enim illa ad se, velut Magnes ferrum, &

Carabe sericum. Nisi enim matrix hac vi prædita esset, nunquam impregnaretur, nunquam semen virile conciperet. Attractrix hæc matricis vis ita se habet. Si mulier phantasiam suam formauit, tunc subitò formatio instar perfecti seminis ex parte dimidia in matrice iacet, nec, vt in viris, in corpore diffusa manet, sed in matricem illicò influit. Isto tempore matrix concipit intra se semen viri per attrahentem vim sibi insitam, nec nisi ad vicem vnam sufficit. Quoties verò phantasia noua cietur, toties nouus Magnes excitatur. Et ista conceptionis causa est, si Magnes iste Magneti coniungitur. Hac ex causa non alia vlla semen in matricem recipitur. Phantasiæ ergo obiecti causâ creatæ sunt, vt ab illo stimulentur ad id, ad quod prædestinatæ sunt.

Semen cur in vtero aliquando pereat.

Iam, si semen in vterum conditum est, suam putredinem sustinet, qua aut emergere aut perire possit. Sicut enim triticum in agro fœcundum non est, nisi stercoretur ager: ita semen quoque sæpiùs perit & exolescit, si in matricem ingeratur minùs sanam ac idoneam. Sed hæc ex aliis medicinæ libris petenda sunt.

Semen omnia membra potestate continet.

Quantum verò ad formationem, tenendum est, omnia totius corporis membra, siue sanguis sit, aut caro, aut os, aut vena, aut medulla, ex quolibet seorsim semine generari. Semen enim confusum adhuc & indiscretum, operationem suam exercet pro quolibet fingendo membro. Sic pars ossea os, carnea carnem progignit. Prout ergo ista in vniuerso corpore sita sunt: ita nomina etiam induntur in formatione, secundum vim naturæ, quam Deus talem creauit, vt in matrice existeret, & hominem produceret. Semina hæc ab vtroque homine colliguntur in homine vno. Et cuius hominis membri semen in formæ generatione præpollet, eius forma etiam inditur. Quod si fœtus neutrum illorum referat, id fit propter omnimodam permixtionem seminum vtriusque, quæ similiter ita operantur, vt medium quoddam emergat.

Fœtus cur neutri parẽtum interdú similis.

Vt verò discrimen liberorum intelligatis, quidnam id sit, quod vel virum vel fœminam gignat, sciendum est, illud à phantasia dependere, hoc modo. Si fœminæ phantasia viri phantasia fortior & intentior est, fœmina producitur. Idem etiam de viro sentiendum est. Intensio enim phantasiæ euincit. Nec vnquam æquabilis vtriusque est phantasia, sed oportet alterutrius semper fortiorem esse. Quæ verò corporis membra semen suum non conferunt: ea nec in fœtu crescunt. Quòd si semen membri duplex, aut membrorum omnium semina geminata concurrunt, tunc partes vel fœtus duo emergunt, quia scilicet semina aut diuisa cadunt, aut geminata concurrunt, aut membri vnius semen duplex coïncidit, aut diuulsum in partes diuersas cadit. Sic si semen capitale duplex cadit, cæteris simplicibus adiectis, caput duplex generatur. Duo autem fœtus connati gignuntur, quando semina quidem duplicia concurrunt, non tamen probè à natura separantur. De multiplicibus & monstrosis huiusmodi partubus multa huc congeri tradique possent, quæ tamen in doctiorum gratiam omittimus.

Mas quãdo & fœmina producuntur. Phantasię vis in gignẽdo fœtu.

Fœtus duo vnde.

Caput duplex vt fiat. Fœtus cohærẽtes vt gignantur.

Cæterùm, cùm hactenus de formatione fœtuum disseruerimus: iam deinceps etiam de incremento eorum dicendum est. 40. septimanas fœtui Deus destinauit, eíque hanc metam præfixit, vt cresceret, sicut suum etiam tempus definiuit nascituris vuis & tritico. In huius periodi principio natura aggreditur formationem, semen aut eius quamlibet partem in locum conuenientem digerens. Hoc facto, partium moles digeritur & roboratur ita, vt semen ossis os fiat, venarum vena, &c. Huic operi incumbit natura, dum quoduis membrum tale fecerit, quale esse debet. His exactis, desistit ab opere natura, nihil amplius in fœtu tentans, sed illum sibi ipsi relinquens. Iam enim is perfectus est, nec moliri quid vlterius in ipso natura potest. Postea accedit gratia Dei, creaturam suam perficiens, eámque ad finem, cui destinata est, perducens, atque necessariâ vitâ imbuens. Iam ergo vitæ particeps fœtus indies robustior euadit, donec soliditatem illã attigerit, quę ferẽdo mũdi aëri sufficiat. Hâc impetratâ hora partus instat. Profertur itaque infans in lucem, vi ac virtute auctrice subindè magis magísque grandescens & inualescens.

Fœtus 40 septimanas crescit in vtero & quomodo.

Fœtus quando in lucem edatur.

¶ Sed vt de completo etiam homine, non infante tantùm, aliquid dicamus: ita statuendum est, quòd in vita omnia quæ homini debentur, posita & condita sint. Quamprimum autem Deus infanti gratiam, hoc est, vitam infundit, tunc is illicò animam quoque, ac visum auditúmque impetrat, cum ipso spiritu, ac omnibus quibus homini opus est, nimirum ratione, sapientiâ, prudentiâ, quantum quidem de his homini conuenit ac debetur. Quæ tamen omnia debilia & remissa accipit, licèt progressu temporis eadem cum augescente natura roborentur. Quò enim fortiora euadunt membra, eò validiores etiam fiunt dictæ animi facultates. ¶ Ne verò partum solummodo hominis inquiramus: operæ pretium facturi sumus, si verba etiam faciamus de eius statu, in quem sublimior collocatus est homo, præ vitulis & vaccis, quas cognati nostri ac affines alunt mulgéntque. Principiò autem hoc præfigendum vobis est, quòd homo in seipso nihil sit. Mortale enim, quod habet, homo est. Absolutè ergo intelligendo, homo vitulus est. Sed in hoc termino non quiescemus, sed profundiùs escendẽtes, loquemur de *interno* hominis, quod hominis ipsius lumẽ attinet. Hominem ergo in suis infirmitatib. omittemus. Internũ autem illud hominis, quod aliquid est, ac vitulo deest, id nostris fautoribus omnino explicandum est. In hac Philosophia hominem describemus. Hominis enim & felis Philosophia vna est. Philosophia verò illa omnium est nobilissima, quæ considerat æternum. Quid enim iuuat nos felis perspicacitas, & canisiæ caudæ agitatio? Aut quidnam de apparatu intelligendum est? Caduca enim & irrita ea Philosophia est. Nostri autem instituti est, nobilissimam & summam Philosophiam inquirere, nec à proposito isto desciscere. Quale verò est quod fundamentum solidum habet & non contrà fundamentum id, quod titubat, & à tineis corroditur? Semel itaque dictum sit, nos mortale id, quod in se homo habet, omissuros, & quod in

Ratio & sensus quando homini indantur.

Homo nihil est per se. Homo est vitulus.

Hominis internũ quid.

ipso immortale est, consideraturos esse. Hoc enim pro summa & nobilissima Philosophia reputamus. Dum ergo de huiusmodi rebus scribere pro logicorum sententia annitimur: opus imò apprimè necessarium foret, vt nihil hîc, nisi per doctrinam vestram probè confirmatum proferamus. Cur tamen vos nihili pendamus, hæc nimirum causa est, quia scilicet iuscula ac carnes vestræ nimium excoctæ & euapidæ sunt: quod idem est ac si dicamus, orationem vestram nimis subtilem, sapientiam autem nimis profundam esse: viam tamen, quam ante oculos positam teritis, pudendâ asperitate nimis inæqualem existere. Dum ergo quisnam hominis status sit, euoluimus, gloriæ id & honori nobis est, si veritatem à mendaciis assutis extricemus. Status siquidem hominis nihil est aliud, quàm ratio ipsius scientiæ, prudentiæ, & sapientiæ, &c. & quicquid ad vires sublimes attinet.

Status hominis quid.

Vt verò clariùs vos edoceamus, ac ingenuè potentérque philosophari possimus, nihili pendentes, quid austeri scriptores vestri, spirituum immundorum more suis nugis & fanatismis irruentes, oblatrent: doctrinam ingenuam & veritati consentaneam vobis communicabimus de hominis ratione, cogitatione, sapientiâ, scientia, arte, prudentia, statu, &c. ac simul, quæ cuiusuis causa ac origo sit, disertè explicabimus. Ita hac doctrina & veritatis fundamento, vnà cum volitantibus auris interiorum mortalis substantiæ corporum, contenti erimus. Hoc verò immortale hominis corpus est, cui Deus rationem, sensus, sapientiam, doctrinam, artem, &c. & omnia quæ mortalitate superiora sunt, indidit. Homo ergo sapientia, subtilitate, &c. dotatus ex externo suo corpore emergere potest. Omnis enim sapientia & intelligentia, quâ homo vtitur, cum hoc corpore æterna est, & quasi homo interior, modo homo viuere possit aliter, quàm homo exterior. Talis enim internus homo in æternum clarificatus & verificatus est. Qui si mortali corpori non perfectus apparet: id tamen ipsi apparet perfectum à separatione eius, hoc nempe modo. Id quod iam enumerauimus, vocatur *Lumen Naturæ*, ac æternum est. Hoc Deus interno corpori indidit, vt per id, secundum rationem gubernaretur. Quicquid iam homo aut facit, aut facturus est: id ex lumine naturæ promanare debet. Lumen enim naturæ nihil quicquam est aliud, quàm ratio. Quicunque ergo genuinum præstare satagit Medicum, huic opus est, vt rationi suæ, hoc est, lumini naturæ confidat, nec citra lumen hoc medicetur. Lumen enim est id, quod fidem impertit. Vult enim Christus, vt cum conscientia tua credas, non sine illa. Incerta enim fides sensus est temerarius, Deo haudquaquam acceptus. Si artem exercere vis, exerce eam secundum lumen naturæ, non obiter & perfunctoriè. Vnicuilibet enim Deus satis luminis impertiit, ad quod ita prædestinatus est, vt errare nequeat. Et non superficiaria consideratione de lumine naturæ hoc dignum est, quòd Deus, quæcunque homo facit, in lumine naturæ prædestinârit, ita, vt secundum rationem viuat, non extraneè. Ratio enim in homine habitat & viget: voluntas tamen ipsius inconstans & variabilis est. Vt verò originem interim hominis seu corporis describamus, ita statui oportet, quòd omnia interna corpora corpus tantùm vnum, seu res vnica in hominibus omnibus existat, diuersa tamen & distributa pro ordinario numero corporis, vni scilicet aliter quàm alteri. Quæ si omnia iungantur & conueniant, lumen tantum vnum est, vnáque ratio, ita, vt si perfecti viuere velimus, vniuersi similiter in ratione vnâ versemur, non duabus, non ternis, &c.

Homo internus quid.

Lumen naturæ quid.

Lumen sufficiens cuilibet datum.

Lumen naturæ cõstans: voluntas hominis contra.

Homo ergo si concipitur aut nascitur, pleno & perfecto naturæ lumine, quatenus & nos corporaliter habemus, dotatus nascitur. Id primo die æquè ac vltimo, imò semper in se perfectum est. Cur verò imperfectum interdum appareat, in causa est debilitas numerorum (al. cellarum) & robur nondum confirmatum, quale debetur rationi in suis instrumentis, in quibus ea condita est. Vnde intelligere potestis, infanti nulla disciplina aut institutione ad rationem opus esse. Hæc enim illi extraneè non inditur. Ad intellectum saltem educari requirit, quia rationem habet ipsemet. Et intellectus est ratio sciens & perfecta. Sed vt de lumine naturæ in primis capitulis intellexistis, scire conuenit, naturam ex essentia congenita iam vsque ab Adamo Euáque insitam rationem, sapientiam & prudentiam, &c. Ea autem respicit ad corpus, non ad mentem: ad corpus scilicet sustentandum cum sua ratione, quantum quidem ad conseruationem eius opus est. Et id quidem ex nullo lumine spiritus descendit, sed tantùm ex lumine naturæ: quod ratio talis est, qualem habent pecora ad tuendum suum corpus, & huius necessaria comparanda, quæ omnia solius naturæ sunt. De hoc naturæ lumine peculiaris oritur prouidentia, quæ est in corpore & in corpore completur. Similiter & peculiaris sapientia, quæ & ipsa est in corpore, & in illo manet. Similis in ipso etiam est ratio. Sicut ergo, quæ iam diximus, omnia corporea sunt: ita nos ea missa facimus, & ad tractationem spiritus diuertimus. Et quia corporalia, quibus opus habemus, descripsimus, quî scilicet oriantur: narrationem deinceps instituemus de spiritibus, in quibus status consistit hominis, sicut audiuimus, eos scilicet homini insitos & implantatos esse. Iam ergo quænam infusa sint, attendite. Primum est *Anima*, ea in æternum sustinet hominum onera & gaudia. Huic addita est ratio, prudentia, & sapientia. Hæc tria corpus gubernare & moderari debent, ne iugum nimis graue & ponderosum animę iniiciatur. Tribus his superadditus est spiritus, hoc est, intellectus, quo ratio regitur, velut & sapientia, ac prouidentia. Hinc emergit ordo vitę. Et hęc omnia procedunt ex lumine spiritus, vt natura, quod est ipsum naturę lumen. Iam, quod ipsum naturæ

Lumen naturæ semper perfectũ.

Intellectus quid.

Lumen naturæ quid doceat.

Status hominis in quib. versetur.

Lumen naturæ à quibus afficiatur

naturæ lumen docet, de hominis sensu hoc tenendum est, quod lumini illi aliunde imperari aut aliquid importari queat. Hoc ita accipietis, spiritus scilicet quosdam esse externos, qui homini dent astutiam, subtilitatem, hoc est, sensus volaces, qui seruiunt ad laudem, honorem, subtilitatem, eminentiam, rationem, sapientiam & prudentiam. Hæc non sunt de spiritu doctrinæ naturæ, sed de spiritibus malis, qui opinionem aut phantasiam peruigilem ingerunt. Non enim secus ac homo dormiens somniat: ita vigilantibus illi phantasiam & rationem obiiciunt. Ea verò nihil respicit nisi propriam gloriam, laudem, & honorem, &c. Et licèt minimè quidem ipsum ingrediantur hominem: sunt tamen instar speculi, in quo homo se contemplatur, & veluti faciei suæ documentum captat. Sic si homo imaginatur, phantasiæ obiectum offertur à spiritibus, quod intuetur illa. Quicquid ergo appetit, id colligit, & ad se rapit. In hoc verò lumen naturæ & lumen spiritus minimè dominantur, sed magistra tantùm est phantasia, quæ phantasticis cogitationibus inclinat in obiectum, instar somni exhibitum. Sicut ergo superiùs dictum est, scire debetis, quòd in tribus ea (..) consistat. In lumine naturæ propter sustentationem corporis: in spiritu, vt in hisce tribus, in sapientia, prudentia & ratione, sed pro regendo corpore: deniq; in (..) tanquam ad definitum commodum proprium.

Homo cur institutione opus habeat.

Ita ergo constitutum voluit Deus, vt homo alius alij conferret intellectum, & scientiam, quibus homo deinde pro seipso vtitur ex congenito lumine. Cum enim is in cellis non semper perfectus sit, sed defectum in intellectu & scientia sentiat: bene à Deo ita ordinatum est, vt alter alterius magister & informator sit ad intellectum & scientiam, vt ratio ipsius audiatur. Si verò cuiuis hominis cellæ & instrumenta interni sui corporis pura & perfecta essent, nec quicquam desideraret: nemo pol magistro egeret extraneo. Quilibet enim satis per se idoneus & sagax esset ad speculandum, sciendum & experiendum ea, quæ alias ab institutione exspectanda sunt. Quoniam ergo instrumenta ipsa rationem obscurant: caligine simul ipse quoque intellectus perfunditur. Vbi hoc simul tenendum est, quòd in homine intellectus & scientiæ cella sit alia, quàm cella rationis. Cui ea pura & limpida obtigit, is homo perfectus est. Vt verò ad propositi nostri limites accedamus, hoc subiiciendum esse videtur, quòd Deus interno homini largitus sit omnes artes, sapientiam & rationem, quæ ad æternum pertinent, dum inter viuos scilicet agitur. Prospexit ergo Deus corpori, idque in tres perfectas partes disposuit. Multò tamen exactiùs considerandum est cœleste nostrum, hoc est, spiritus in homine, Angeli boni malique obsessio hominis, & similia alia. Cum autem tres generationes & incrementa hominis docuerimus: iam statum eiusdem, qui inter augmentum & dissolutionem intercedit, expendemus. Hîc ergo duo status considerandi veniunt: vnus attinet ad corporale, quod habet: alter ad æternum, quod habet. Hæc duo iam talis interpretatio sequitur. Corporale sustentat æternum, non secus ac hospes excipit aduenam hospitem. Sed paulisper æterno misso, corporale hoc modo considerabimus. Quod corpus sustentat, vita est, quæ soli Deo accepta ferenda est, non homini vlli. Vita autem consistit in rebus quatuor. In humoribus, complexionibus, speciebus naturalibus, & donis seu virtutibus. Humores quatuor sunt quatuor succi in medullis. Ne verò ipsius naturæ obliuiscamur, sanguis, melancholia, cholera, &c. sunt velut ab vno parente, matris & patris soboles. In primo homine, fœmina, omnis viguit improbitas. Hinc improbitas omnibus agnata est, descendens à primo semine vsque ad nos. In homine primo viguit etiam seueritas: in fœmina hilaritas, incuria: in Adamo honestas: inhonestas in fœmina. Hinc natura homini implantata est à parentibus, quasi bonum hæreditarium, &c.

Instrumenta rationis in homine obscurata.

Artes omnes homini à Deo insitæ.

Vita hominis à solo Deo. Vita consistit in quatuor rebus.

Colores hominis quatuor sunt.

Quòd verò homo complexionatus sit, vt ambitiosi Medici loquuntur de sanguine, melancholia, cholera, phlegmate, &c. Quatuor colores homini attributi sunt: in Adamo quatuor, quatuor in Eua, & tamen vnius tantum modi quatuor sunt, velut purpureus, candidus, niger & ruber. In Eua sunt clari, puri, & limpidi. Ex hisce coloribus quatuor, cuiuslibet hominis corpori color confertur pro mensura ea, qua temperantur, ad rubrum, album, nigrum, purpureum, &c. Insunt homini etiam complexiones quatuor, vt caliditas, humiditas, &c. Harum origo eiusmodi est. In Eua complexio fuit frigida & sicca, in Adamo calida & humida. Ex hisce duabus complexionibus contrariis per interuenientem mixtionem aliæ adhuc duæ prodierunt. Nam ex siccitate Euæ & caliditate Adami complexio orta est sicca & calida. Sic ex humiditate Adæ & frigiditate Euæ, ex vtriusque inquam complexu, adhuc duæ enatæ sunt, dum calor Adæ euicit frigus Euæ, & siccitas superauit humiditatem, adeóque contrarium etiam in cæteris.

Complexiones hominis vnde ortæ. Adam & Eua contrariæ complexionis.

Cur alter altero furacior.

Quòd porrò homo vnus altero sit furacior, causa ista est, quòd scilicet omne honestum in Adamo fuit, & contrarium honestatis: inhonestas fuit in Eua. Hoc ipsum quoque similiter per libram descendit in semina. De quibus quantum portionis quilibet accepit, tantum se exerit in ipsius natura. Aliquando enim exuperauit natura furax, aliquando natura Venerea, aliquando natura aleatoria, &c.

Astra non cogunt hominem.

Nihil ergo nos hîc moneat vana imperitorum Astronomorum doctrina, qui omnia eiusmodi astris accepta ferunt. Homo est creatura per se non minus, ac terra, aër, &c. Nec vllum est, quod vim habeat alterum ad fortunam cogendi. Libera est Luna, liberum cœlum, libera terra. Terrâ vtitur homo: cœlo vtitur terra, velut econtrà etiam cœlum terrâ. Cœlum excrementa sua, & quicquid in ipso dissoluitur, deiicit in terram: similiter & homo. Et terra omnia in se recipit. Ne verò sanitatis aut infirmita-

tis nostræ immemores simus, scire vos velim, eam non ex primo semine hæreditariò hominem suscipere, sed ex priuato errore eorum, quæ ex semine primo prodeunt. Nec causa hîc vlla alia est, quàm hæc, quòd à Deo omnia ad interitum & dissolutionem prædestinata sint, veluti de conceptione traditur. Initium verò argumenti nostri de homine tradendi hoc sit, vt sciatur, quidnam sit id, quod ipsum ferat & enutriat. Terra ergo nos sustinet: aër verò, & quæ ex terra enascuntur, nos sustentant & nutriunt. Hoc in Nymphis diuersum est. Nec enim aëre nec terra vtuntur. Hinc occasio & ansa datur inuestigandi, quidnam sit id, quo vescantur: deinde quãnam re promptè & faciliter nutriantur. Pro hoc argumento deducendo de cibis illarum ita disserendum est. Nymphæ nimirum sunt, de quibus Christus dixit: *Omnes homines, qui non sunt de hoc ouili, sed ex hoc mundo nostro.* Non vt tres reliquos mundos excludamus, sed eosdem omnino connumeremus, ita, vt preter nos oues triplices sint, quarum pastor vnus, vnus custos. Nihil ergo hîc angimur de scriptore illo, quem Diuum vocitant, quòd tantùm sit.

(Homo quibus nutriatur. Hominum & Nympharum diuersus cibus. De Nymphis locum facit.)

Si quæ plura addidit Auctor, desiderantur.

LIB. METEORORVM PHILIPPI THEOPHRASTI PARACELSI PHILOSOPHI & Medici excellentissimi.

CVM Deus terram condere vellet, & diuinâ sua prudentia eius deliberationem iniret, qualem scilicet ipsam, & quomodo crearet: ipsam in partes diuisit quatuor, seu corpora, quæ rerum vniuersarum, subiectarum illi, quem Deus secundum imaginem suam creaturus erat, Homini scilicet Adamo, mater futura fuerant. Re ergo apud Deum ita deliberatâ & decreta, corpora creata sunt quatuor, nimirum cœlum, terra, aqua, aër. Vt enim scriptura loquitur, primum creatum est cœlum, deinde terra, postea duo cætera.

(Mundi partes 4.)

Ex his iam sciendum est, quatuor solùm ista corpora matres seu matrices existere, ita vt fructus ferant, & his commodent, per quos homo nutriatur. Sic, pro exemplo, terra suos fructus profert. His vtitur homo, non terra. Ita & cœlum corpus est liberum per se, ex quo fructus prodeunt tantùm pro homine sustentando. Quo verò modo cœlum suos fructus edat & gignat, hoc sequente libro explicaturus sum. Caput autem hoc ideò saltem præmisi, vt sciretur, cœlum per seipsum, solitariúmque sine reliquis corpus existere, & fructus suos homini promere, non minùs ac ipsa terra.

(Corpora prima rerum aliarum matres.)

(Propter hominē mundus factus.)

CAPVT I.

De Patre Elementato (al. elementorum) & Matre elementata.

DE elementis dictum est, quòd ipsorum quatuor sint. His homo opus habet. Diuisa autem sunt in quatuor complexiones: quæ se tamen haud quaquam habent, vt veteres commenti sunt, terram scilicet esse frigidam & siccam. Hoc enim vanum est: sed eadem nonnullis locis frigida est & sicca, quibusdam frigida & humida, aliquibus calida & humida, aliis calida & sicca. Et tamen elementum ea vnicum est, hoc est, mater fructuum. Et elementum dicitur, quatenus mater est rerum earum, quibus homo sustentatur, non propter complexionem. Eadem & aquæ ratio est. Hæc frigida & humida statuitur. Humida quidem esse debet ipsa: non pariter etiam frigida. Ea autem humiditas multoties virtute sua est sicca, calidáque. Ipsum verò corpus in corporali natura est humidum. Terra est sicca, vt fructus ex ipsa & in ipsa enasci & promergere queant. Ita nec ipsum cœlum complexionis vnius est, sed multiplicis. Non est ignis, & pro igne habetur. Est ignis, quia ex ipso oritur & procedit. Ipsius ignis interdum est aqua, interdum ignis, interdum frigidus, interdum calidus, &c. Ratum id ergo habere oportet, quòd elementa tantùm matrices sint, nec in vnam complexionem cogantur, sed multas. Quale enim est id, quod ex aliquo crescit: tale est etiam, quod illud genuit & produxit. Sic flammula nascitur ex flammula, & solatrum ex solatro.

(Elementa homo. do 4. cōplexio. nes sunt.)

(Temperatum.)

(Terræ qualis complexio.)

(Elem. vnde dicatur.)

(Qualitates partes pter corpus, non complexiones.)

(Nati sūt complexionati, non matres.)

De his ita attendite. Terræ est, ferre & sustinere hominem, & ipsius domicilium, velut & saxa, lapides, arenas, & omnia crescentia. Ex eo iam patet, ipsam necessariò esse elementum, compactum & solidum, ita, vt illis ferendis apta sit. Hinc etiam consequitur, ipsam duram esse. Vomere enim proscindi & arari vult. Sic iam æquè aquam oportet esse humidam, vt per ipsam pisces moueri & natare possint, quod in terra minimè fit. Eadem debet etiam gignere sal, & lapides. Hæc autem omnia in prima sua materia oportet esse humida, éxque humiditate transgredi in coagulatum. Quod verò ex terra enascitur, id semen habet, corpus scilicet siccum, qualia sunt semina, radices, arbores, &c. Hæc enim omnia ex materia prima sicca & compacta sunt. Sed in aquam tamen similiter in materia prima nihil est, quod corpus compactum sit, sed omnia sunt liquor. Huius matrix est ex elemento aquæ. In hoc elemento crescunt vltimæ materiæ, cuiusprincipium liquidum est & humidum. Tertium corpus est aër. Hoc ipsum quoque elementum aliud corpus requirit, quod non sit humidum instar aquæ, aut solidum instar terræ. Ex hoc elemento enim quæcunque enascuntur suum ingressum habent in corpore aëris, sicut piscis in aqua. In corpus aëreum homo collocatus est, in ipso vt ambulet, sicut in aqua piscis. Sic aër omnes etiam arbores, & quæcunque crescunt, suscipit. Necessarium est ergo, vt aer sit chaos, non terra, non aqua, sed quiddam perspicuum, diaphanum, impalpabile, inuisibile, vt palpabile & visibile per ipsum tangi, ac veluti per vitrum perspici possint. Sic porrò & cœlum eiusmodi corpus est, non compactum, non solidum vt terra, non humidum vt aqua, non perspicuum, vt aer: sed id alte-

(Terra qualis sit)

(Aqua qualis sit)

(Aer qualis.)

(Cœlum quale.)

alterius essentiæ corpus habet, vt nimirum cœlum non sit terrestre, & tamen essentiâ compacta constat, non autem compacta terrena: est etiam tenue & permeabile, vt aqua, nec tamen aqua est: est limpidum & perspicuum, nec tamen vt aer: Sed potius est corpus quoddam simile fumo, qui substantiâ sua & corporalitate à cæteris corporibus diuersus est: hoc est, non est instar lapidis, aut ligni, aut terræ, aut aquæ, aut aeris, sed corpus est, quod cum cæteris commixtionem & cognationem non habet. Eodem modo & cœlum corpus est, quod per fumum omnium optimè intelligi potest. Tale autem id esse, ex eo liquet, quia, quæ ex ipso enascuntur corpora, talia omnino sunt, corpora scilicet non corpora, compacta non compacta, permeabilia vt aqua, nec tamen aqua, perspicua & impalpabilia, vt aer, nec tamen aer. Tale, vt diximus, corpus Sol est. Tale luna & astra cætera. Iam id sine complexione est,) & elementum ignis, matrixque ex qua ignis gignitur & crescit. Sicut ergo corporalitatem quandam ignis habet, ita suam habet etiam cœlum & astra, quæ suam ex cœlo naturam & substantiam desumunt. De cœlo ergo ita statuite, corpus id partem peculiarem, adeóque ipsum elementum ignis axistere. Et quicquid facturus est ignis, id facit cœlum, ex quo ignis prodit.

Cœlum fumo simile.

Astra cœli natura habent.

Sed porrò etiam de coloribus cœli inquirendum est. Terræ color quoquò versùm ater est. Quicquid verò coloris alterius est, id est, minera. Sic suum colorem per omnia similem etiam aqua habet. In hac, quod colorem diuersum habet, minera & ipsum est. Color autem aquæ nomen non habet, & nec albus est, nec cinereus, nec cæruleus, nec viridis, & tamen ad hos omnes referri potest. Ita & terræ color nec verè niger, nec purpureus est: & tamen his quadantenus conuenit. Eadem ipsius quoque aeris est ratio: cuius color est purus, pellucidus in chao, & tamen nec candidus est, nec venetus, nec citrinus, &c. his tamen ex parte assimilatur. Sic & cœlo suus color est, similis viridi, similis cæruleo, similis rubro, &c. nec tamē horū colorum quisquam ei inest, licèt tales appareant. Corpora etenim elementaria ita condita sunt; vt perfectum colorem nullum habeant, quo nominari queant. Quæ verò ex ipsis producuntur, distinctos suos, determinatos & nominabiles colores habent: licèt colores perfectos ipsa elementa non ostendant. Nec enim vnus tantum ex ipsis color nascitur, sed plures. Ex multis ergo coloribus composita sunt, ex tot nimirum, quot ex sese producunt. Sic de terra exeunt viridis, ruber, cæruleus, niger, &c. Sic & ab aqua colores omnes manant. Itidem & de aere & cœlo. Sunt itaque colores collecti ex multis in vnum congesti & permixti. Ea permixtio colorem expressum, determinatum & definitum nullum profert. Horum exemplo de cœlo quoque iam attendite, deque eius fructibus. Videtis nimirum, omne, quod ex terra crescit, palpabilem suum pedem ac radicem habere, vt sunt arbores, & herbæ, &c. Iam verò stellæ sunt fructus cœli, in cœlo tamen radices non agunt, sed infra cœlum stant, fixè, sine omni adminiculo aut adhæsione. Et planè hîc oppositum fit cum terra: vnúmque fructus suos dat cum radicibus, alterum minimè. Vnum sursum tendit, alterum deorsum spectat. Vnum fructus suos parturit & protrudit in sublime, alterum in decline. Et veluti pisces rei nulli incumbunt, nec pedes habent, sed in aqua natitant: ita similiter natitant in cœlo stellæ, in corpore nempe cœli. De cœlo enim idem intelligendum est, quod de aqua. In natando autem eum tenent ordinem, quem Deus præscripsit, iam sublimiùs sese mouentes, iam humiliùs, iam propiùs, iam distantiùs, iam celeriùs, iam tardiùs, &c. quæ hîc prolixiùs non enarrandum, sed ad Astronomiam remittendum est. Hoc saltem retinendum est, quod cœlum sit corpus, rem natatilem sustinere potens instar aquæ, nec tamen aqua existens, sed siccum, & siccum, quod in ipso natat. Et hoc naturæ, natare non est, quia in aqua motus non fit, & tamen natationis more fit. Sic ille motus nec itio nec cursus est, cùm non fiat pedibus: sed est opus miraculosum DEI, & elementum, quod reliqua omnia continet & concludit, atque in rotunditatem vel circulum cogit.

Terra nigra est.

Aquæ colornomen non habet.

Aeris & cœli qualis color.

Elementa colore carentia, colores tamen omnes gignunt.

Colores collecti, &c.

Astra sūt fructus cœli terræ obuersi.

Astra & terræ fructus contrariè proferunt.

Stellæ in cœlo natant.

Iam de stellis etiam verba faciamus. Hæc ex cœlo enatæ sunt, & stant in ipso, quasi volarent instar auis per aërem, secundum ordinem & circulum prout Deus ipsas ad motum destinauit & condidit. Semel aut conditæ, deinceps continenter ac perpetuò tales manent. Arbores & fructus terræ occidunt, & renascuntur. Stellæ autem semel tantùm intereunt, nempe in fine mundi, nec denuò redeunt. Cæterùm quod in elementis reliquis conditur, id omne exedit rubigo, blatta, mors. Solæ verò stellæ elementi cœlestis manent saluæ, fructus tamen ipsorum oriuntur & occidunt, velut pluuia, nix, &c. Iam verò colorem potissimum vnicum habent, qui est igneus. Sicut terra viriditatem potissimùm exhibet, & tamen colores etiam alios profert: sic & Sol in colore peculiaris est. Iste color etsi igneus sit, non tamen est igneus, vt ligni, sed vt elementi. Hoc enim casu discrimen est inter ignem & elementum cœli. Ignis elementum non est. Elementum autem est cœlum. Ignis est materia, quæ coquit & frangit, ac in vltimam materiam perducit, similis morti. Ignis enim & mors similes sunt. Ignis consumit & deuorat omnia. Itidem & mors. Ignis ergo elementum esse non potest, potest tamen esse mors, mors visibilis & sensibilis. Altera enim mors inuisibilis est, quam nemo videt aut vidit. Et sicut ignis corrumpit & omnia consumit: ita mors destruit etiam hominem, & quicquid vitam participat. Sic ergo mors & ignis pari passu ambulant. Ignis autem qui elementum est, est cœlum cum suis fructibus, qui sunt stellæ. De igne enim repetendum est, quod is vnum ex quatuor elementis enumeratum fuerit, manifesta absurditate. Terra se quidem instar elementi exhibet: sic & aqua, sic & aër. Iam tum de elemento quarto dispice. Id minimè ignis fuerit, quoniam elementaris nihil, nihil fructus homini confert, nec vllam cum homine, aut homo

Stellæ quomodo se habeant.

Stellæ non nisi semel intereunt.

Ignis & cœli discrimen.

Ignis & mors.

homo cum ipso; cognationem habet, sed omnino vim mortiferam habet, qua anima à corpore differatur.

Celum & elementum quartum ... igni ... Necesse ergo est, quartum elementum constitui cœlum. Hoc enim homini affine est; nec ipso homo carere vsque potest. Potest tamen carere igne, & citra ipsum viuere. Si ergo sine igne viuere homo potest: ignis pol elementum minimè erit, sed potius cœlum, diem proferens & noctem, parturiens æstatem & hyemem, & fructus omnes augens, cæterisque elementis omnibus auxilio veniens. Ita ergo cœlum elementum quartum est. Nec debet id elementum ignis vocari, sed elementum cœli: Sicut enim dicimus elementum terræ, aëris, aquæ: ita elementum quartum & præcipuum dicendum est cœlum. Ita enim scriptura loquitur, quòd primùm Deus creârit cœlum & terram. In cœlo enim cætera elementa sunt, in externum elementum cœli inclusa. Sic, priusquam vinum exprimatur, dolium paratur. Et semper reseruaculum re concipienda prius est. Itaque elementum cœli, elementum primum est: posterius terra, sicut prius est dolium, posterius vinum.

Cœlum cætera elementa ... continet ...

CAPVT II.

De prima materia Cœli & Stellarum.

SEd iam, qualenam corpus cœli sit, intelligendum est. Peculiare enim suum corpus terra habet: sic & aqua & aër. Eodem modo & cœlum. Iam verò omnia quatuor corpora quatuor elementorum ex nihilo facta sunt: hoc est, facta tantùm per verbum Dei *fiat*. Hoc nihil, ex quo aliquid factum est, abiit in substantiam & corpus, vt manifestum est. Corpus id omnium quatuor elementorum, in tres distributum species est: ita vt verbũ *fiat* euaserit in corpus triplex, hoc est, in triplicia corpora distributũ sit. Sic enim & terra triplex est, & triplex aqua in suo corpore, velut & aër & cœlum. Idémque hîc fit, ac si quis ex auro, argento, cuproque varia instrumenta fabricaret, quorum quodlibet alteri simile esset corpore, non autem forma. Quanquam etiam discrimen fit in elementis: ita vt non quadruplicia corpus sint vnum. Aliud enim corpus est aër, aliud est aqua, aliud terra. Sic & cœlum, si quatuor illa vasa corpus habeant simile. Allatum tamen exemplum eò facit tantùm, vt intelligatur, triplicia corpora habere terram: sic & aerem, & cœlum & aquam. Et tamen, veluti videtis, aliud corpus esse lignum, aliud esse metallum, aliud esse lapidem, aliud spongiam: sic distincta quoque & inuicem separata sunt quatuor elementa corporum, ac si quis sumeret plumbum, & ex eo faceret minium, cerussam, vitrum, & spiritum Saturni. Hæc iam quatuor singula sunt plumbum, & tamen ex iis nullum paratur vt plumbum, sed alio atque alio modo. Breuiter ergo hoc hîc repetitum velim, tres species ex verbo factas esse, easque tres species in 4. elementa distributas, cuilibet peculiari assignato corpore, quale quidem poposcit quodlibet elementum ad munus seu officium suum obeundum.

Factum ex fiat.

Nihili tres species.

Elementis tribus propria.

Hanc autem Philosophiam nostram, quòd tria prima in 4. elementa distributa sint, nemo admiretur. Si enim ad numeros exactiùs attendamus, Deus tria sibi proposuit, & ex tribus res omnes constituit, ac omnia tria digessit. Origo enim huius numeri primitus est à Deo, hoc est, principium est tria in Deitate. Iam verò & verbum triplex fuit. Trinitas enim id elocuta est. Et verbum est principium cœli, terræ & creaturarum omnium. Ex numero ergo Trinitatis commonefimus in tribus speciebus. Deinceps ergo in tria congesta sunt omnia, nihilque in terra est, quod non in & ex tribus constet, & in tria denuò redigatur. Vt hinc iam conspicuum ac euidens sit, creaturam quamuis in tria distribui posse, quamlibet in locum suum. Quod autem de 4. rebus seu elementis pronuntiant, rem scilicet quamlibet constare ex quatuor elementis: id falsum est. Hoc verum est, rem quamlibet continere in sese complexionem vnam, non plures. Nec vllum etiam aliud elementum habere potest illa, quàm quod à matre sua accepit. Exempli gratiâ, quælibet herba elementum tantùm vnum habet, hoc est, terræ. Quilibet lapis elementum tantùm vnum habet, hoc est, aquæ. Præter hoc autem suscipit etiam complexionem, frigidam & humidam, frigidam & siccam, calidam & humidam, calidam & siccam. Id tamen non est elementum totum: sed matrix est elementum, vel aqua, vel terra. Exemplum: Homo sumptus est ex limo terræ. Iam verò elementum non est limus, sed est quintum esse. Fit tamen iterum elementum, hoc est, ad elementum redit, isto tamen discrimine, quod euidens est inter elementum & carnem. Hoc ex paragrapho intelligere debemus, quòd elementa tantùm in tria recurrant, quódque tria ista, prima elementorum materia sint. Aliter tamen se habet materia prima aquæ, aliter terræ, aeris, cœli. Numerus enim, *Tria*, tres tantum in veritate species constituit, quæ tria corpus perfectum faciunt: quæ eadem etiam per artem in omnibus naturæ corporibus inueniuntur. Numerum ergo hunc, *Tria*, notate, quòd nulla ars naturæ, plures tribus speciebus inquirere debeat, eò magis inquam nec plures nec pauciores, quò magis numerus iste quoque in Deitate reperitur, quæ immotè in Tribus consistit, nec vel plura vel pauciora admittit. Quæcunque autem ars plura tribus inuestigat, ea erronea & naturæ aduersa quærit, quod inueniri nequit. Tria hæc sunt prima materia, ac vnum tantùm nomen habent. Vt Deus: ita materia prima. Et velut in Deitate tres personæ, alia tamen Pater, alia Filius, alia Spiritus sanctus: sic hîc quoque quælibet species seorsim per se alia est, quoad officium. Ac sicut aliud officium Patris, aliud Filij, aliud sancti Spiritus: ita in tribus his triplicia quoque sunt officia, quæ tamen sub vno nomine, materiâ prima comprehenduntur. Et in hoc numero materia prima quiescit. Vlterius verò materia hæc prima distribu-

Ex tribus cur omnia constituta.

Deitas in tribus

Med reprehensi.

Homo ex limo.

Tria prima in omnibus naturalibus.

Deitas in tribus

Deitatis vnius tres personæ.

ſtributa à Deo eſt in quatuor partes, hoc eſt, in quatuor elementa, ſubſtantiis ſuis à Deo ipſomet diſtincta, hoc modo. Quicquid in materia prima ineſt terræ, ſeparatur vel ſeparatum eſt in terram. Idem verum etiam de aere, aqua, cœlo. Adeóque vnum quodlibet in prædeſtinatam ſuam formam ordinatum eſt, terra in terram, cum ſuo officio, ſic & aqua, ſic aer, ſic cœlum ſimiliter. Et ſicut exemplo de plumbo allato conſtat, omnia ex vno conſtant corpore, & tamen corpora ſunt quatuor (quorum nullum alteri ſimile eſt) per artem naturæ eò redacta. Omni autem arte ac natura mirabilior in ſuis operibus Deus eſt: cuius rei hîc expreſſum ſpecimen dedit. Cœlum enim ſtupenda arte fecit: ſic & terram, & aquam, & aerem: quæ omnia diſtributa ſunt in corpora quatuor, ac ex vnica materia deſumpta, quæ ipſa triplex eſt, primum ex verbo condita.

Deus omni arte mirabilior.

Iam autem tria prima tres partes ſunt, nempe Ignis, Sal & Balſamus. Hæc inquam tria illa ſunt: & corpus quodlibet ex tribus iſtis conſtat. Nec ipſa elementa tantùm, ſed & ex ipſis prodeuntes fructus. Sic nimirum terra corpore ſuo triplex eſt, Ignis, Sal, Balſamus. Et quod ex ipſa creſcit, id ipſum quoque ſimiliter in tres ſpecies diſtributum eſt: velut arbor, cuius corpus eſt Ignis, Sal, Balſamus. Idem de herbis etiam verum eſt. Eodem modo & aqua, eſt Ignis, Sal, Balſamus. Et quæ ex aqua generantur, nihil aliud ſunt, quàm Ignis, Sal, Balſamus. Tales ſunt omnes etiam lapides, omnia metalla, quorum matrix aqua eſt, hoc eſt, elementum. Sic & cœlum eſt Ignis, Sal, Balſamus. Tales etiam ipſius fructus, hoc eſt, Sol eſt Ignis, Sal, Balſamus: ita & nix, pluuia, &c. ex tribus primis corporibus in corpus vnum congeſta. Ars ergo naturæ ex fructibus nihil elicere aliud docet, quàm Ignem, Salem, & Balſamum. Quæ vi etiam ignis à ſe inuicem ita ſegregantur, vt ſeorſim ſit ignis, ſeorſim Sal, ſeorſim Balſamus. Et his nec pauciora nec plura reperiri queunt. Quæ omnia eò enumero, vt eò faciliùs Meteorica percipiatur. Aliàs in Philoſophia planiùs & prolixiùs eadem quoque traduntur. Porrò verò etiam admonendi eſtis, quòd tria prima, Ignis, Sal, Balſamus, aliis quoque indigetari nominibus queant & ſoleant, ſicut in Philoſophia explicuimus. Ignis enim dicitur ſulphur: Sal, Balſamus: Liquor Mercurius. Ita ſulphur, Balſamus & Mercurius tria ſunt, quæ vocantur *prima materia rerum*. Hæc ergo, hactenus dicta, pro exordio & in Meteorica introitu conſtituendo ſatis ſint. Ideò autem primam hanc materiam indico, vt fructus elementi cœli eò faciliùs cognoſcantur, quî ſcilicet impreſſiones cœleſtes generentur, & quales ſecundùm naturam ſuam exiſtant. Præterea etiam, vt virtutes in ipſis poſitæ, à Medico & Meteorico eò feliciùs intelligantur. Sicut enim vſui eſt homini terra: ita & cœlum. Quodlibet enim elementum hominis gratiâ conditum eſt. Vnde conuenit, vt ea is probè cognoſcat.

Tria prima quid ſint.

Trium primorũ diuerſæ appellationes.

Elementa à Medico recte cognoſcenda.

Deinceps autem neceſſarium eſt, vt de elementis etiam conſtet nobis, quidnam elementum ſit, quid non ſit. Pro rei explicatione exemplum afferemus. Homo corpus magnum habet, & ſubſtantias in corpore multas. Quod autem homo ipſe eſt, id anima eſt, & ſpiritus, res parua. Quòd verò corpus vocetur homo, ideò fit, quia homo in corpore latet & conditur, nec anima ſine corpore eſt, ſed vtraque iunguntur. Oculus pars in homine magna eſt. Vis verò, quæ videt, reſpectu oculi quantitas perexilis eſt. Sic & terra vocatur elementum, cùm tamen ipſa nudum corpus ſit, & elementum terræ verum in iſto corpore lateat, & inuiſibile exiſtat, ſicut & ſpiritus hominis inuiſibilis eſt. Eadem ratione & cœlum, quod videmus, grande corpus eſt: cuius magnitudinis reſpectu, elementum ipſius eſt exiguus ſpiritus, quem cœlum habet. Homo ex ore ſuo verba dat. Non autem corpus loquitur, ſed ſpiritus. Ita terra fructus dat, non ipſa tamen, ſed ipſius elementum. Sic ergo elementa quatuor corporalia ſunt: ſecundum ſubſtantiam autem & naturam ſunt ſpiritus. Mirabilis autem ac ſtupendus eſt Deus in ſuis creatis. Nec enim, vt faber ex corpore domum conſtruit, ſpiritus nullâ cura habita. Illud enim corpus, quia ſpiritu caret, fructus nullos profert, ſed mortuum eſt, & vitæ expers. Spiritus enim eſt viuax, & vita eſt ſpiritus: vitáque ac ſpiritus operantur omnia, & tamen res vna ſunt, non duæ. Quoties ergo auditis dici, hoc illúdue ex elemento, &c. prodire: de ipſo elemento cogitate, non de eius corpore.

Homo non eſt corpus, ſed anima.

Element[i] quid vere ſit.

Deus mirus in ſuis creatis.

Spiritus omnia facit, non corpus.

Lingua loquitur, & non loquitur. Spiritus enim eſt, qui in ipſa loquitur, non ipſa per ſe caro. Ipſa tamen permixtio & vnio facit, vt corpus omnia facere putetur, adeóque pro elemento ipſo habeatur: cùm tamen id ſaltem corpus ſit, non ſpiritus. Ita nimirum caro & ſanguis homo non ſunt: ſpiritus autem eſt homo. Sic ergo animę vel ſpiritus quatuor ſunt: vnus terra, alter aqua, tertius aër, quartus cœlum.

Homo eſt ſpiritus.

Spiritus 4. ſunt.

His perceptis iam vlterius ſcitote, quòd hoc modo ex terra omnia creſcant, & omnes fructus. Et quod ex ipſa creſcit, eius mater eſt elementum terræ: nimirum corpus habet, & in corpore ſpiritum. Spiritus eſt genuinum: alterum nihil eſt. Buxus odorem habet. Odor iſte eſt ipſius ſpiritus: cæterum eſt córpus. Moſchus animam ſuam habet in odore. Eo perdito, moſchus eſt inſtar ligni præciſi, quod fructum ampliùs non edit. Et quæ ratio odoris eſt, hoc eſt, ſicut ſpiritus eſt odor: ſic in corallis color eſt ſpiritus: cæterum eſt corpus. Ita fructus omnes ſuo elemento ſimiles ſunt cum corpore & ſpiritu. Non quod oculi omnino vident, fructus eſt: ſed fructus eſt ſpiritus.

Buxi odor quid. Moſchi odor quid?

¶ Diſcrimen tamen quoddam eſt inter ſpiritum naturalem & ſupernaturalem. Naturalis eſt corporeus & materialis, in corpus peculiare inſertus. Spiritus ſupernaturalis corporis omnis expers eſt. Etſi enim rubedo corallorum coralli ſint, corpus autem nihili ſit: nihilominus tamen rubedo iſta corpus eſt: quod tamen corpus ipſe ſpiritus adeò plenè

Spiritus naturalis à præternaturali vt differat.

plenè sibi vendicat, vt nihil putridi aut rudis amplius adsit. Et quia spiritus fructuum nec tangibiliter nec visibiliter adest: ideò natura ipsum corpore vestiuit, vt in ipso ageret, & corpori illi corpus aliud de suo elemento induit. Quando dicunt, corallos ad hoc vel illud vtiles esse, id de rubedine intelligendum est. Rubedo enim est corpus purum, in quo vis omnis conditur. Eodem modo etiam de cœlo iudicandum est. Fulmen quod decutitur, est substantia extracta, ex omnibus corporibus distributa in suum ipsius corpus. Et quia cœlum elementum est subtilissimum, adeóque purissimum & purgatissimum: ideò ipsius quoque spiritus præ cæteris omnibus adeò vehemens & importunus est. Quæ omnia eo fine adduco vt Meteoricam probè ac ex ipso fundamento intelligatis: adeóque per exempla elementorum cæterorum, ipsum cœli elementum etiam planissimè edifcatur. Quæ Meteoricæ comprehensio sine explicatis elementis cæteris impetrari minimè potest, sed tota intricata manet, & confusa præceptione intelligenda offertur.

Coralli rubedo quid. Fulmen quid?

Sed de cœlo hoc etiam attendamus, quòd Deus ipsi nomen indiderit *Firmamentum*. Firmamentum enim est cœlum, & omnis ipsius substantia. Veluti etiam, si de terra loquimur, omnia ea, quæ in terra sunt, intelligimus. Cœlum itaque vocatur firmamentum. Et firmamentum est elementum secundum nomen primum. Cœlum est nomen alterum. Hoc autem nomine à Deo vocatum est, vt solidum & firmum esset, atque in natura sua (aliter loco suo) quâ à Deo conditum est, firmiter persisteret. Genuinum ergo nomen id est, quia à Deo ipsi impositum. Deus enim si nomina indit, talia indit sanè, quæ rei ipsi conueniunt. Sic Petrum vocat saxum. Nomen hoc à Deo accepit, non ab homine. Ideò is etiam Petrus est, ac petra manet citra omnem mutationem. Idem etiam de firmamento statuendum est, quòd scilicet idem sit, ac firmiter manens. Et nomen quidem hoc, ipsiúsque virtus magna sunt. Tria enim cætera elementa in firmamentum inclusa sunt, velut ouum in putamen. Terra enim, & aqua, & aër in hoc elemento comprehenduntur, sicut vitellus, albumen, & pellicula obditâ testa excipiuntur. Propter verbum ergo hoc, quod Deus enuntiauit, scilicet firmiter manè (quod est firmamentum) elementa è sede sua excidere minimè queunt. Testa enim ouum continet, vt omnia iuncta maneant, quolibet suam sedem tenente. Testa hæc si confringatur, illa discident, nec erunt, quod fuerunt in testa. Sic ergo per denominationem suam Deus ipse docet, quod firmamento vim indiderit, vt esset testa quædam, qua creata naturæ omnia firmiter contineantur. Magnum enim id onus est, elementa cætera, terram cumprimis & aërem, sustinere & ferre. Verbum ergo hoc, *Firmiter mane*, oppidò necessarium fuit. Hoc enim verbo elementum quoduis in essentia sua & natura stabilitur. Id nimirum cœlum facit. Adeóque mira ista structura est; quod à corpore diaphano & impalpabili, obscurum & tangibile, imò graue à leui sustineri & fulciri debet. Et simile quiddam hîc ferè fit, quale in aqua, quæ nauem lapidibus oneratam sustinet, ne in fundum mergatur.

Cœlum cur firmamentum vocetur?

Firmamentum quid?

Petrus à Deo ita nominatus.

Firmamentum elementa omnia comprehendit.

Firmamenti & oui collatio.

Mundus verbo Dei firmatus.

De cœli autem substantia & corporalitate deinceps intelligite; quomodo sustineat. In ouo conspicitis albumen, quod candidum est, purúmque & tenue. Facultatem tamen habet ita continendi vitelli, vt ne loco suo emoueatur is, sed in medio omnino subsistat. Albumen hoc si esset aqua, vitellus deorsum per ipsam cadendo impingeret in testam. Itaque diuersitas facta est in albumine & aqua, vt albumen chaosiam eiusmodi naturam acquireret, per quam nihil decidere posset. Tale & firmamentum est in suo corpore, vt in medio contineat, quod ibi est, ne excidat. Et sicut, siue ouum sursum seu deorsum agatur, vitellus sua sede semper immotus hæret: sic se res etiam habet cum cœlo. Vbicunque versamur, superius & inferius degimus, ac nos vel superiores vel inferiores vocare possumus. Circulus enim nec supremum nec infimum habet, & vna vbique situs ratio est. Et hoc caput, sex suis paragraphis instructum, necessariò mihi constituendum fuit, pro aperiendo introitu ad Meteora, vt intelligeretur, ex quibus elementa condita sint; & quod tres species materia prima sint, & quod numerus ternarius in creationis illicò principio extiterit, & in tria omnia disposita sint: tandem, quòd tres tantum species per artem inuestigari possint, vt sunt sulphur, Mercurius, & sal. Quæ horum causa sit, abundè satis dictum est. De officiis autem singulorum satis in propriis Philosophiæ libris traditur.

Albumē vt vitellū sistat.

Circulus non agnoscit superius & inferius.

Sequitur iam deinceps caput de stellis seu Astris, quî scilicet corpora ista ex tribus primis constent, & quomodo fructus cœli sint, ac firmamentum constituant. His enim præintellectis, tradetur postea etiam, quænam illorum respectu elementorum cæterorum, & ipsius hominis operationes existant. Quæ omnia ordine & more explicabuntur Meteorico.

CAPVT III.

De stellarum prima materia, & essentiis.

CVm hactenus de prima materia stellarum & cœli audiueritis, quòd tres sint species in vno corpore, sub vno nomine: iam porrò cognoscite etiam, quale cœlum sit in sua corporalitate. Sed ante omnia ad hoc exemplum animum aduertite. Terra est atra, rudis, crassa, aspera, argillosa, lutosa, impura, sordida, &c. adeò inquam cruda, vt nihil ea crudius sit. Aqua autem est subtilior, purior, clarior, &c. vt per eam visus longè in fundum penetret. Tantò nimirum exquisitiùs clarefacta est aqua præ terra. Præterea aër totus est pellustris, intangibilis, ita exactè expurgatus, vt nihil in eo alienum conspiciatur. Hinc tu iam æstima, quàm magna corporum inter se diuersitas sit, terræ ad aquam, aquæ ad aërem collatæ. Cœlum ergo iam intuere: hoc aëre longè superius est. Itaque

Terra qualis?

Aqua qualis?

Aer qualis?

Cœlum quale.

cœlum & terra, quantum quęso (quoad corporalitatem) inter se diffident? Quò crassior terra, eò subtilius cœlum. Quò obscurior terra, eò clarius cœlum, quod elementum est omnium clarissimum: & tamen est corpus, quia corpora etiam sunt ipsius fructus, vt sunt pluuia, nix, grando, fulmen, &c. vbi autem corpus non est, ibi corpus nullum gignitur. Vbi est, ibi gignitur. Iam fulmen non minùs esse corpus liquet, quàm est lignum in terra. Et tamen distant hæc duo inter se, quantum ipsa inuicem distant elementa. Ita videtis, quî sese lignum habeat ad fulmen, ad niuem, non aliter ac lapis ad rorem, &c. Et quantò cœlum ipsâ terrâ subtilius est: eò subtiliores etiam ipsius fructus sunt fructibus elementorum cæterorum, quoad subtilitatem scilicet & operationem. Ex fructibus enim de ipsis iudicatur, vnde prodeant, & quidnam sit illud, ex quo producantur. Arbor enim quæuis seipsam cognoscendam offert per fructum suum. Et à fructibus Philosophia incipit: non à matre inquam, sed à prole. Artifex cognoscitur ex opere suo, non opus ex artifice, sed contra.

Cœlum est corpus, &c. & cur?

Fructus testantur de suo ortu.

Cæterùm de cœlo cùm hactenus dictum satis sit: restat, vt de stellis etiam & ipsarum ortu nonnihil disseramus. Id fiet hoc modo. Videtis nimirum, terram in se nihil continere, sed quicquid habet, foràs supra terram extrudere, ac sua omnia expromere. Hoc modo arbores, herbæque omnes ex terra & supra terram existunt, intra terram autem nihil est. Eadem ratione & ex cœlo Astra omnia enata & producta sunt. Nec stellæ ad cœlum aliter se habent, quàm arbores ad terram. Et sicut arbores pedem habent in terra: sic ex aduerso stellæ in suo elemento pedem non habent. Cuius diuersitatis hæc causa est, quia arboribus opus est, vt fixæ stent, nec suo loco emoueantur, quo plantatæ & collocatæ sunt. Sstellæ autem stare aut quiescere non debent, sed per circulum suum omnino moueri. Itaque sunt orbes, continenter currentes, & fluctuantes, prout à manu DEI proiiciuntur. Sic ergo à cœlo separatæ, & tamen in cœlo sunt. Sicut arbor terræ inserta est, nec sine ea subsistit, sed in ipsa necessariò defigitur: ita similiter stellæ à cœlo non sunt. Suum enim à cœlo elementum habent. Ac vbi suas mansiones habent, ibi versantur quidem, sed indè non prodeunt, nihilo magis, ac arbor ex suo horto. Ex his de stellis cognoscite, quînam in suo elemento consistant, aut incorporentur, quódque fructus sint, vt arbores in terra. Vbi hoc etiam notandum est, tot naturas & societates esse stellarum, quot crescentia terræ sunt. Quoties enim nouum genus arboris: toties natura alia stellarum. Idem intelligi debet etiam de herbis, & omnibus terrenis crescentibus. Hoc ex isto patet, quòd influentiarum & stellarum numero, totidem istiusmodi crescentia respondeant. Et genus quoduis abit in suum simile: nec dissimilia conueniunt: id quod ex Philosophia & Astronomia satis constat. Vnumquoduis enim elementum alteri conforme est, & simile in numero.

Terra omnia extrudit.

Stellæ ex cœlo, vt &c.

Stellæ & arbores, quibus conueniant, quibus non.

Porrò, sicut videtis, ex arboribus procedere fructus, & naturam illo loco vel casu proprietatem & essentiam existere, hoc est, dotem creatam vt scilicet hæc arbor pyra, illa poma &c. proferat: sic eiusdem etiam proprietatis sunt stellæ, quarum alia dat pluuias, alia niuem, alia grandinem, &c. Et hac sorte, quæcunque de cœlo decidunt gignuntur, velut in propriis capitulis & paragraphis demonstrabitur. Iam verò vos Solem aspicite, quid in ipso sit: nempe calor, nos irradians, ipsi ingenitus. Eius enim ea est proprietas, vt sit calidus. Et quale in Æthneis ignibus ac aquis feruidis experimur: talis natura etiam in stellis viget, eò validior & fortior, quò elementum id terra & terrenis superius est. Videtis etiam vicissim, imò sentitis frigus lapidum, crystalli, &c. Simili frigore etiam quædam stellæ pollent, quod sibi congenitum habent. Vtque ad se allicit Magnes: ita attrahentes etiam sunt stellæ in firmamento. Itémque, vt res in terra quædam naturæ sunt siccæ, quædam humidæ: ita per omne firmamentum etiam stellæ aliæ aliis licciores, &c. sunt. De operationibus itaque stellarum ita statuendum est, quod fiant ex congenitis proprietatibus, sibi datis & impressis. Operationes autem eiusmodi ex tribus primis oriuntur, vt deinceps pluribus explicabitur. Falsa ergo & manca illa est Meteorica, quæ de calore Solis, de eius motu, aut aliis generationum modis, per attractionem ex terra factis, &c. nugatur. Non enim pro ipsorum opinione res se habet: sed ea natura est appropriata, dotata, qualis exemplo simili cuius creaturæ data est. Nulla est stella, quæ pluuiam attrahat, & eandem denuò refundat, aut simile quid aliud faciat: sed talia ex congenita ipsis natura fiunt, sicut natura pyri est, edere fructum. Quod Sol exiccat, id in aëre consumitur, sicut aliàs omnia in terra absumi solent. Et sic mors illarum rerum, quæ ex terra prodeunt, in terra est, ita vt omnia destruantur & consumantur: ita similis sepultura est etiam in aëre, pro rebus humidis.

Stellæ quasi sui proprietatibus.

Sol ... dat.

Philosophia ... damnatur.

De æstate præterea & hyeme sciendum est, quòd ipsæ quoque à stellis producantur. Æstiuo enim tempore, stellæ æstiuæ æstatem producunt: contra brumales. Et stellis æstiuis suprema est Sol, multis aliis stellis calorificis stipatus. Hæ oriuntur per initium æstatis, & calore suo inualescunt. Sicut arida arbor in hyeme nuda est, appellente autem æstate iam gemmulas protrudit, iam folia emittit, iam flores spargit, iam fructus gignit: ita stellæ etiam quædam sunt eius naturæ, vt per hyemem instar arboris aridæ squalleant. Quarum tamen si exortus instat, vim suam à Sole mutuantur, ac indies magis magísque calore suo inualescunt. Cúmque ad gradum ascenderint supremum, paulatim iterum deficiunt, ac ipsarum æstus deflagrat. His occidentibus oriuntur stellæ hyemales, suam & ipsæ naturam exerentes, & postea impellente æstate exarescentes.

Æstas hyems unde.

Sol ... æstiuæ.

Harum

Harũ vis si intensa est: bruma incũbit gelidior. Si potentes sint stellæ æstiuæ, æstatẽ vrẽtẽ inuehunt. Sicut enim alius annus alio melior, aut peior est: ita dissimiles etiam sunt stellę eiusmodi, ascensu suo & descensu euariantes. Inter stellas hyemales prima est Luna & suprema, comitatu non leui instructa. Si ergo stellæ deficerent æstiuæ, nulla vnquam æstas foret. Sol enim vnius & iugis caloris est, siue sublimis, siue humilis sit. Nisi ergo stellæ æstiuæ accederent, iugis & perpetua bruma rigeret. Luna siquidem cum suis stellis continenter gelida existit. Vicissitudinis autem causa indè dependet, quòd vtriusque naturæ stellæ sint, quæ mutuò exarescunt, pars scilicet vna in hyeme, pars altera in æstate. Altitudo Solis aut ipsius spatiosior circumuolutio, æstatem minimè profert, sed hanc constituunt stellæ æstiuæ, quæ à Sole tamen suum incrementum sumunt. Itidem & Luna hyemem non parturit per se, cùm ad hanc producendam nimis infirma sit, velut & Sol ad æstatem. Luna tamen stellarum cognatarum ope brumam concitat.

Luna stellarũ hyemalium prima.

Nec Sol, nec Luna per se æstatis aut hyemis causa.

Non diuersum quid diei quoque & nocti assignandum est. Dies enim oritur à lumine Solis. Nox verò à lumine Lunæ. Diei enim claritatem Deus Soli inseuit, velut & claritatem quandam indidit igni & Lunæ. Idémque in firmamentum lumina duo congessit, Lumen scilicet diei, & Lumen noctis, quorum neutrum alteri simile est, altero candido, altero rubro lucente. Exoriente ergo lumine diei, dies ipsa ingruit, & nox recedit. Lumen enim diei lumina cætera omnia obscurandi vim habet. Et vicissim, diei lumine occumbente, vbi cursum suum à DEO destinatum confecit: ibi lumen exoritur noctis, quod est Luna & tenebræ. De nocte autem ita censebitis, quòd Solis discessio noctem minimè causetur occasu suo. Solis enim splendor adeò fortis est, vt licèt sub mediam noctem rectà sub nobis currat, nihilominùs tamen is splendoris sui refluxum nobis ita daturus sit vt dies dignosci possit, nósque die illo & diurno lumine frui possimus. Hæc itaque nox aut noctis causa est, quòd peculiaris ea natura quarundam stellarum sit, quæ tenebras inducat, adeò crassas, vt nisi Luna præsentiâ suâ obstaret, nihil quicquam à nobis videri posset. Sicut enim densa nubes Soli obiecta lumen diei intercipit: aut veluti eclipsis instans diem obfuscat, & noctem inducit: ita peculiares etiam quædam sunt tenebræ in cœlo, vt quamprimùm Sol occidit, tenebræ eiusmodi inundent, & obscuram noctem inuehant, nisi Luna suo splendore fors aliquid luminis interiiciat. Nox eą tamdiu durat, donec Sol has tenebras ascensu suo iterum discutiat. Quod si etiam accidat, vt propter eclypsin Sol splendorem suum amittat: tenebras nocturnæ stellæ adeò crassas inuehunt, vt Sol easdem perlustrare minimè possit.

Diei & noctis quæ causa stellæ dies, &c.

Solis occasus noctis causa non est.

Stellæ nocticæ.

Eclipsis causa noctis.

Talem ergo stellis Deus cursum indidit, vt à manu ipsius in totius firmamenti orbitam coniectæ, ordinem ac progressum constantem retinerent. Vt enim non cessarent aut feriarentur, fecit Deus, vt absentibus nonnullis, præsentes aliæ suas operationes perficerent. Sic recedente Sole, stellæ nocturnæ operantur & noscuntur. Similiter etiam, si aliæ stellæ in sublimi sunt: aliæ vicissim humiles existunt. Si hæ versantur in exaltatione, illæ sunt in declinatione. Hâc vicissitudine stella quæuis operationem suam, ad quam à Deo prædestinata est, complet & perficit, dum aliæ aliis loco cedunt. Exemplum in Sole euidens est. Ibi enim stella nulla feriatur, nulla quiescit, assiduóque id vniuersæ agunt, vt naturam excitent, & in operationem quotidianam quasi manuducant. Et sicut stellæ irrequietæ sunt: ita quiete carent etiam res naturales, quæ continenter operantur. Etsi verò per noctem quies datur: ista tamen quies saltem res sensu præditas attinet, vt vires recolligant. Nec enim ferre possunt illa, quæ stellæ & sensus expertia alia ne quidem sentiunt. Quanquam sua etiam rebus naturalibus quædam quies data sit, tempore hyemali. Nam & hæ, vbi fructus suos deprompserunt, quiescere videntur. Ista tamen quies vera non est, sed iugiter & continenter operantur illæ, & pro futura æstate nouam generationem & fructuum fœturam adornant. Sic ergo nihil in natura feriatur, sed vniuersa horis ac momentis singulis in strenuo motu sunt. Solus homo feriatur sub noctem, & Sabbatum, propter datum mandatum. Et tamen mandato Sabbati animæ imperatum non est, vt & ipsa quiescat & ferietur, sed quies ea saltem spectat corpus, velut ipsa etiam bruta. Spiritus autem continenter ac perpetuò sese exercere debet, ita, vt nec somno nec Sabbato sopitus ferietur & otietur. Ea creaturarum omnium quoque ratio est: vt licèt corpus ferietur, spiritus tamen ipsorum indefessè exerceatur.

Quies nocturna quib. data.

In natura nihil otiosum.

Ex his omnibus iam concludite, quòd corpora eiusmodi, ex quibus procedunt dies & nox, æstas & hyems, & cætera omnia, de quibus aut iam dum diximus, aut deinceps dicemus, corpora nempè trium primorum, horum omnium causæ sint. Sol est sal perspicuum & diaphanum, ex tribus primis clarificatum, extractum, & ab omni obscuritate emundatum. In ista massa quicquid obscuritatis & tenebrarum inhæsit, id omne aliò digestum est, vt lucidum & clarum omne in massam vnam colligeretur, in vnam etiam, quicquid tenebrosum. Sic si album & nigrum permiscentur, nec album nec nigrum prodit, sed color quidam, minimè perfectus, veluti cinereus aut cæsius. Si autem iterum separantur: integrum vtrumque, tam album quàm nigrum, iterum prodit. In silice latet lumen, etiam in pyrite, etiam in marmore. Tenebræ tamen obstant, vt non flagrent. Nullum enim in his lumen animaduertitur. Si tamen lumen seu scintilla excutiatur, tunc seorsim est lumen, splendorem exerens, & lapis seorsim manet tenebrosus. Sic ex massa primæ materiæ elementi cœli extractus fuit splendor: & splendor quidem candidus digestus

Sol quid

Lumen est in silice, &c.

Solis & Lunæ splendor vnde.

gestus in Solem: ruber verò in Lunam & stellas. Et distributionis ea seruata fuit ratio, vt diaphanitas & perspicuitas candidi in sulphure, sale, & liquore instar spiritus extraherentur, & inde Sol constitueretur. Postea splendor rubri in corpus sulphuris positus, & rubea diaphanitas ac perspicuitas in corpus sulphuris rubei congesta fuit. Ita sal est corpus Solis: sulphur est corpus Lunæ: liquor est corpus tenebrarum. Hoc etiam insuper nobis tenendum est, quòd DEVS in prima materia res vniuersas inexistere fecerit. Easdem tamen iterum separauit, & quodlibet id esse iussit, quod esse debet. Sex itaque diebus operatus est DEVS, donec extraheret, separaret & formaret vltimas materias ex materia prima, hoc est, vniuersas creaturas, quas vsque ad finem mundi durare iussit. Idem ergo Deus est, qui initiò res omnes in vnum creauit & congessit, & postea sex dierum spatio, quicquid in illo confusum latuit, extraxit ac digessit.

Deus sex diebus omnia fecit.

Et hoc omnino attendi exemplum oportet, quia intellectus noster naturalis profundiùs penetrare non potest. Figulus argillam tractat. In argilla autem latent multa, eáque varia instrumenta & vasa, ita vt ex eadem argilla mille & his plura instrumenta fingi queant. Sculptor tractat lignum, ex quo fingit, quicquid lubitum est, solâ illa scientia fretus, qua præcidit & separat, quæ superflua sunt. Sic & Deus ex massa & materia vna creata omnia finxit, extraxit & separauit. Nec præsegmina hîc vlla inutilia relicta sunt, verum vniuersa in materiam abierunt vltimam. Ideò sex etiam dies operando insumpsit. Hoc spatio, quicquid ad stellas pertinebat, extraxit, & ex eo stellas fecit. Quicquid lumini conueniebat, in lumen formauit, & inde tenebras amolitus est. Eo ingenio quælibet in locum & naturam suam digessit, vt iam creandum nihil amplius supersit, sed creatorum numerus secundum omnia genera & substantias penitus completus sit. Vbi rei iudicium ex hoc exemplo desumendum est. Terra est nigra, fusca & sordida, parum nitida aut pulchra. Et tamen in ipsa latet viride, cœruleũ, candidũ, rubrũ, &c. colores summatim omnes, nec quidquam est, quod in ipsa non condatur. Appellente iam vere & æstate, colores hi omnes erumpunt, quos tanta varietate in terra latere, nemo quisquam vnquam credere potuisset. Iam sicut ex atra terra huiusmodi nobiles & subtiles colores egrediuntur: ita multiplices etiam ac infinitæ creaturæ prodierunt ex materia prima, quæ & ipsa in permixtione sua sordes fuit. Videtis enim, quidnam elementum aquæ sit, si in vno per se est. Et tamen ex illa oriuntur omnia metalla, omnes lapides, rubini, lucentes carbunculi, crystalli, aurum denique ac argentum. Quis verò est, qui discernere queat, quòd in aqua sint metalla, lapides, nisi idipsum opus & euentus testetur? Ita & Deus ex tribus primis extraxit; quicquid in illa condidit, aut vnum quodlibet in prædestinationem & mansionem suam disposuit & sequestrauit.

Figuli exemplũ

Sculptoris exemplum.

Terra omnes colores continet

Aqua omnia metalla & lapides habet.

CAPVT IV.

Quid in stellis de viuentibus speciebus.

QVandoquidem hactenus de sensu carentibus regionis Meteoricæ creatis pertractauerimus: iam deinceps etiam docendum nobis restat, quòd & sensu prædita, hoc est, viuentia, sese mouentia, rationalia creata in iisdem regionibus Meteoricis versentur & degant. Hoc enim ratè sciendum est, quòd Deus elementis omnibus viuentes creaturas ingesserit, nec quicquam inane aut vacuum reliquerit. Non hîc de irrationalibus tantùm, sed & de rationalibus loquor. Ita in aqua degere videtis piscem: in terra talpã. Ex hoc coniecturam facite, diuersum nec in aëre aut cœlo accidere, sed & in his omnino animalia certa viuere, vt sunt in aëre *Matene*, id est, muscæ, in cœlo *Tortelleos*. Præterea etiam viuentes sentientésque creaturæ formâ spiritus: vt in aqua sunt *Nymphæ*: in terra *Gnomi*: in aëre *Lemures*: in cœlo *Pennates*. Et quæ rudiore modo in inferiore sphæra seu globulo nobis monstrantur: ea nobis exemplo sunt, quòd & in sphæra seu globo superiore similia sint & fiant: maximè cùm talia ab ipso euentu, à natura & arte confirmatiùs stabiliantur. De Nymphis autem ac gnomis, &c. hoc loco nihil differemus, sed Philosophiam hanc in locum alium reiiciemus. Id saltem hîc obiter dictum volui, vt ex doctrina Meteorica constaret, quòd etiam in elementis ipsis intelligentes creaturæ, ratione & sensibus prædi:æ versentur & habitẽt. Proponite vestris oculis multa prodigia, quæ per generationes supernas desuper in terram fiunt: & videbitis, citra eiusmodi intellectum talia euenire minimè posse. Quî enim accideret, vt fulmen rectà in definitum locum decideret, non potius in alium? Ex eo itaque intelligi potest, talia omnino gubernari ita ab intellectu superiorũ. Superi autem sunt *pennates*. Quæ iterum hoc fine inculco, vt tandẽ ex fundamento certi simus, solidéq; sciamus, in firmamento quoq; creaturas versari, instar spirituum sapientiâ pollentes, vt, quæ in mundo aguntur, in firmamento quoq; ipsis nota sint. Nec ista temerè quis admirari debet. Etsi enim de gnomis & Nymphis audita res mira sit, est tamen vera. Et licèt hactenus quidem hominum captum talia effugerint: verè tamen fiunt, & euentu ipso magistro euincuntur.

Viuentia animalia in omnibus elementis.

Matene Tortelleos Nymphæ Gnomi Lemures Pennates.

Rationales creaturæ in elementis, &c.

Cum ergo ex ipsis operib. talia confirmentur: iam officium est Meteoricorum scire, quòd operationes nonnunquam à superis dirigantur ad hunc vel illum locum, velut à sagittariis quibusdam, ad scopum iaculantibus, ídque non semel, sed sæpiùs. Quorum industriam etsi hîc accuratiùs non explicem: in propriis tamen capitulis Meteoricis, quantum potestatis habeant, indicabitur, velut & in Philosophia, ex qua Meteoricus plenum gustum & intellectum sumere potest. Vt autem in capitulis illis Meteoricis rectiùs intelligatur, de quibus equidem superis loquar: perfunctoriè hîc explico, quòd versentur in firmamento, in eóque habitent cum plena sapientia & intellectu, & artibus operationibúsque aliis, naturæ

Superorum quæ operationes.

Superorũ quis locus & status.

naturæ limites transcendentibus. Sic & in nostro globo sunt gnomi, sunt lemures, &c. Non ergo nos soli homines, super terram constituti, humanum intellectum accepimus aut sortiti sumus: sed & alij sunt, eiusdem aut certè maioris sapientiæ nobiscum consortes in iis omnibus, quæ naturam & naturalem sensum spectant. Mirabilis enim Deus est in suis operibus & creaturis, qui sine fine miro impulsu ipsi homini, vt nobilissimæ creaturæ, ista talia philosophari, & in natura indagare mandauit, vt magnalia Dei eò latiùs pateant & diffunderentur. Quod enim hominis opus in hoc mundo gloriosius, quàm in diuinis operibus cognoscendis sedulum esse? nec in iis rebus, quæ diuina non sunt opera, ambulare? Duplici enim ordine opera Dei distributa sunt: In opera naturæ, quæ Philosophia considerat: & in opera Christi, quæ tractat Theologia. Et in his cognoscendis ætas & tempus, quod in hoc mundo nobis datum est, obterere debemus, vt cum pace (al. gaudio) moriamur.

Opera Dei duplicia.

Sed & hoc hîc adducendum est, quòd Deus hominem creârit, ipsique creata cætera, omnia subiecerit, attestante id Psalmistâ, dum ait: Omnia subiecisti ipsi, &c. Vbi etsi de ouibus, tauris, auibus in aëre, piscibus in aqua, &c. mentioné faciat: quatuor tamen istorum generũ elementariũ, de quibus in præcedenti paragrapho diximus, ne verbo quidẽ vnico meminit. Vnde liquet, quòd illi necquicquam homini subiecti sint. Vana ergo istorum artificum ars est, qui *Saganas* huiusmodi pro suo arbitrio cogere annituntur. Quod faciunt illi, qui magiam suam iactant, quâ illis dominari se posse gloriantur. Hoc enim semel tenendum est, quòd quæ Deus homini non dedit, aut pedibus eius subiecit, is ea domare aut coërcere nullâ vi, nullo nisu possit. Contrà quæ Deus homini subdidit, in ea ius & potestatem habet. Cum ergo de 4. Elementorum Saganis dictum sit, quod in illis habitent, non apud nos homines: iam etiam pandendum est discrimen, quod illis nobiscum sit. Nos homines à Deo creati sumus, intùs forisque cum animâ, sine morte, quam animam saganæ non habent. Humanum quidem intellectum & artes habent, non item humanam animam: sed sunt homines pecuini seu brutales. Gnomi omnes hominum artes callent, easq; exercent. Sic & Nymphæ, &c. Animam tamen non acceperunt. Pro quâ redimenda Christus mortuus est. Pro iis enim saltem hominib. mortuus est, per quorum carnem & membra locutus est. Etsi verò hæc iam plùs sint Philosophica quàm Meteorica, de ipsis tamen hîc ita philosophandum est, vt in paragraphis & capitibus propriis eiusmodi operationes eò promptiùs & clariùs citra errorem cognosci queant & declarari. Multa enim passim naturæ adscribuntur, quæ per naturam ita non fiunt, sed per saganas: sicut de his expressa documenta reperiuntur in montibus, vallibus, terrâ, aquis & similibus. Deus enim mirabilis.

Saganæ homini subiectæ nõ sunt.

Saganæ qualem animam habeant. Saganæ sunt homines brutales. Christus pro saganis non est mortuus.

Et de homine noscendũ est, quòd nullius is priuatim elementi sit, sed est liber, & ex omnibus elementis viuit, in omnibus illis ambulat, & ipsius causâ omnia creata sunt, ac deniq; omnia eius arbitrio & imperio parere coguntur.

Homo nulli elemẽto addictus.

Gnomi autem manent in terra, & nec aëre, nec aquâ, nec cœlo frui possunt, veluti Talpæ. Nymphæ in solis aquis degunt, vt haleces. Lemures in solo aëre, vt volucres. Homo autem non est in elementis corporaliter, sed liberè versatur super terrâ, non intra eã: sub cœlo, non in ipso: iuxta aërẽ, nõ in illo: & tamen in omnibus quatuor est centrũ, in quod omnes operationes, omnes refluxus, omnes radij impingunt. Sed &, quoad intellectum, hominũ & saganarum certa discrepantia est, scilicet inter vtrorumq; sapientiam, artes, operationes & mansiones. Quod iterum hoc fine adduco, ne quisquam fors hominum cogitet, nullum præter se esse alium metallarium, cum ipsis hominibus gnomi multò præstantiores metallarij sint, vt qui in metallis mediis habitant. Sic nec homo solus nouit, quæ in aquis sint & gerantur. Hæc enim exactiùs nôrunt Nymphæ in aquis degẽtes. Idẽ etiam de Lemuribus & superis similiter iudicandum est. In suo enim elemento & firmamento omnes ipso homine peritiores sunt. Homo de iis saltem philosophari scit, quæ ad ipsum fiunt aut geruntur, aut efferuntur, vt sunt herbæ & gramina, ex terrâ: mineralia ex aquis progenita; Item, quæ aër & firmamentum demittunt. In hisce enim tantùm Philosophia eius occupatur. Saganæ autem de iis philosophari & operari sciunt, quæ in materia prima latent: quòd multò sublimius & præstantius est, quàm philosophari de materia vltimâ. Etsi verò & homo materiam primam intelligat: idem tamen hîc fit, acsi quis è distanti Fabricã ferrariam introspiciat: vbi peritior & certior est, qui in fabricã habitat & operatur, quã qui foris introspicit.

Saganarũ quæ propria loca.

Homo elemẽtorum centrum.

Gnomi optimi metallarij.

Saganarum industria.

Vt verò, quid vlterius in stellis, hoc est, firmamento habitet, liquidiùs adhuc & pleniùs edisseram: proponẽdus vobis est etiam Vulcanus, qui Fabricator est & Architectus rerum omnium, cuiusque habitatio non in cœlo tantùm est, hoc est, in firmamento, sed in omnibus æquè elementis cæteris.

Vulcanus in omnibus elemẽtis Faber.

Hic autem primum adducto exemplo vobis expediendus est. Hominum ea sors & ratio est, vt nihil præparatum habeant, sed in vltimam materiam omnia omnino reducere cogantur. Sic, si domo opus est, ad eam exstruendam subiecta omnia conquirere & adornare is necesse habet. Sic omnia in omnibus homo laboribus susceptis moliri cogitur, velut & Propheta attestatur, dum inquit: Manus tuorum laborum gustabis: & in sudore vultus tui comedes panem tuum, &c. Hoc onus vt homini impositum est, sic illud gestat. Præterea alius quidam etiam requiritur, qui res eas faciat, quæ homo aliter facit, & vsurpat. Sic opus est, aliquem dari, qui herbas & gramina loco Dei producat seu faciat. Sicut enim domum homo sibi ipsi exstruit, non Deus homini: sic aliquis est etiam intra terram, qui facit ea, quæ ex terrâ prodeunt. Talis quispiam etiam in aquâ est, qui composita eius congerit. Talis quoque in aëre & firmamento. Nec enim satis est nos dicere, Deum ita ordinasse, vt quotannis res emergerent. Hoc quidem non falsum est. Constituit tamen quendam Deus & ordinauit, qui talia faciat, formet, corporet, ordinet, vt opus illud deinceps vi naturæ excrescat.

Homo laborib. omnia quærit.

Quantò minùs enim ipse Deus homini tunicam non consuit, sed operi huic sartorem præfecit, tantò minùs etiam sine laboratore aliquo gramen emerget, & in formam suam reducetur. Ergo, qui ista ita ordinat, & ex semine in vltimam naturam deducit, Vulcanus est. Quæ nostra philosophia etsi quidem nouitia videatur: nihil interest. Philosophia siquidem Aristotelica, nugis & mendaciis, inconditisque deliramentis plurimis, contra naturæ lumen fœdè pugnantibus, tota conferta & infarcta est. Nullius ergo verbo simpliciter & absolutè fides nuncupanda est. Spiritus enim spirat seu animat vbi vult, non in vno tantùm, alteróve ac tertio, &c.

Philos. Aristotelica nugax.

Porrò autem de Vulcano firmamenti tenendum est, quòd is in potestate sua habeat Tres primas, in vnica materia primâ, ex qua in firmamento, vbi habitat, facit & producit omnia, quæ facere ipsum Deus iussit. Is componit, dispensat & ordinat pluuiam, niuem, pruinam, grandinem, fulmen, & quæcunque aliæ cœli operationes sunt. Harum siquidem omniũ is sculptor est, est faber & structor. Vulcanus iste spiritus non est, non est etiam persona. Et secundum hæc differt à sagauis. Sed & laborator, qui nihil aliud agit, nisi vt naturæ vacet & studeat, ex eaque producat, quæ intra ipsam sunt, aut quæ Deus illi indidit, vt educantur in vltimam materiam. Et operarius iste sese habet vt ignis, qui operatur in rem quamlibet sibi impositam: colliquat metalla, consumit ligna, & mutat ea in vitrum, & varia præparat, ac nec est spiritus, nec anima, nec persona. Nihilominus tamen vi præditus est res varias variè præparandi, transmutandi: estque Vulcanus, subiectus homini. Vulcanus autem elementorum cogi non potest, vt homini obtemperet, sed pensum & officium suum omne in natura exequitur. Sicut autem homo laborem suum vsque ad vltimam materiam intendere cogitur, & vera genuinaque materia vltima per hominem fieri debet: ita Vulcanus elementorum vltimam suam materiam aliam non facit, quàm quæ apud hominem materia est media, ex qua materia media homo materiam vltimam præparat, ad quod opus omnino requirit Vulcanum, hoc est, ignem, qui Vulcani vices obit. Is autem Vulcanus dicitur ignis, qui mediastinus est ac famulus artium naturalium, quas homo nouit, adeoque locum Vulcani naturalis elementaris supplet. Quod verò exemplum de Vulcano ignis adductum docet: id similiter etiam intelligi oportet de Vulcano elementato, qui solus sine ope aliorum, sua opera perficit, velut & ignis metalla liquat, solus, quod homo non potest, aut exurit lignum, quod itidem nequit homo. Substantia huiusmodi, quæ Vulcania vi & proprietate polleat, in natura omnino necessaria est, vt ex ea aliquid fiat & progignatur. Citra ipsam enim nihil producitur, sed omnia torpent & emoriuntur, nec ad præfinitum finem suum perducuntur.

Vulcani opera in firmamento.

Vulcanus quo differat à Saganis. Vulcani & ignis collatio.

Vulcanus ignis est seruus artiũ naturali.

Vulcano cur natura opus sit.

Sed quæ plura in natura sint, aduertite. Etsi enim hîc Meteoricam saltem mihi describere proposuerim: tamen & accessoria alia Philosophia opus est propter intellectum exemplorum. Ita discurremus. In Firmamento natura adhuc alia latet, quæ se exerit in suis proprietatibus, ac more Vulcani Ignei operatur, ita scilicet. Videtis nempè, quòd pluuia de cœlo faciat enasci herbas & gramina, sine quà illa perfici minimè possent. In pluuia illa vis ac natura inest, quæ illicò in gramine ac terræ crescentibus erumpit. Sic ergo, quod Vulcanus terræ fabricat, id vegetatur & protruditur à pluuiâ, ita vt indies crescat & augescat. Et vis hæc augescens, aut crescens natura, virtus seu vis est alia, non Vulcanus Igneus, sed Iliaster: qui nec ipse est spiritus creatus, nec persona, nec anima, sed tantùm virtus quędã ita operans. Ita vicissim in natura vis alia est, quæ separat & extrahit florem seu herbam ab alio flore seu herba, vel etiam materiam ferri à materia plumbi. Vis ea est *Archeus*, qui omnia in suam essentiam ordinat, vnumque ab alio secernit, vnicuilibet semini dans, quod opus est, hoc est, Vulcano terræ instrumenta sua ad necessitatem confert. Eodem modo & Iliaster est in firmamento, velut & Archeus, cũ Vulcano firmamẽtali. Vt enim quæ cœlũ gignit perfecta fiãt, adest Vulcanus, adest Iliaster adest Archeus, qui opus totum perficiunt & ducunt vsque ad locum debitum. Ita generantur pluuiæ, niues tonitrua, &c. omnia ab ipsis fabrefacta. Quæ si in fabrica illa perfecta fuerint, ad nos deorsum mittuntur. Nostra enim causa operarij illi vigilant nocte dieque, & ex mandatu Dei nostri curam gerunt. Atque vt eò prudentiores euadamus, nec in vita piâ ac Deo placente impediamur, citra nostram omnem curam, omnem laborem & sudorem ista ad nos omnia descendunt, nec vel minimus ad nos flosculus penetraret, Deo non singula ita dispensante & largiente.

Pluuia vim habere [illegible] herbas &c.

Vis separans &c.

Archeus.

Præterea autem iam omnibus factis, & in manum hominis traditis, vis quædam superest consequens, quæ manet in rebus, Archeo, Iliastro & Vulcano etiam discedentibus. Hæc est essentia, hæc sunt magnalia, quæ in natura abscondita latent, varia certè & multiplicia. Genuinum tamen illius nomen est, *Essentia*, quæ supremis etiam inest fructib. & materiebus vltimis. Porrò à veritate non abest, quod dicunt, non omnia sine medio homini conducere, sed cum medio. Pluuia enim sine medio homini non confert, sed per medium, hoc est, folia & herbas ac gramina, &c. Idem similiter etiam de reliquis impressionibus Meteoricis intelligi debet. Quoddam tamen genus in cœlo est eorum, quæ homini commodant, nec fructus sunt tangibiles, visibiles aut materiales, sed rectà ingrediuntur in hominem, veluti Sol suo splendore. Sicut autem Sol operationem suam omnium manifestissimè & euidentissimè & super stellas omnes reliquas exerit: ita huius naturæ cæteræ quoq; stellæ sunt vt veluti Sol, per suos radios efficaciter operentur in homines insensibiliter quidem & inconspicuè, verè tamen & efficaciter, quod cùm ex euentu, tum Astronomiâ satis patet. Eæ autem impressiones sunt, ideò, quod homini ferendæ & tolerandæ, omninoq; admittẽdæ sint, velut æstus in canicularibus, frigus in hyeme, similiter & Pestes, Febres, &c. Præter has sunt etiam inclinationes, quæ

Essentia.

Impressiones quid.

Inclinationes quid.

quæ inuadunt. Ideò verò, quia non imprimunt, impressiones non sunt, sed inclinant ea, quæ homo facit aut facturus est. Insuper sunt etiam Generationes, fructus nempè Meteorici stellarum. Et quamuis omnes Astronomici, omnes Meteorici sint: discrimen tamen in eo est, quod Astronomiæ commendentur pro sua parte inuisibiles: & visibiles pro sua parte Meteoricæ. Iam ergo, quæ in stellis sint, vel non sint, comprehensum est. Et quilibet ita statuat, quòd, quæ in Meteorica non reperiuntur, pandantur in Astronomia. Sic enim omnia conueniente suo loco tradita & explanata sunt. Quæ autem plura de parte Meteorica cognoscenda sunt, ea deinceps in suis paragraphis, & capitibus explicabuntur.

Generationes quid.

CAPVT V.

De Generatione Ventorum.

ABundè satis hactenus principiis Meteoricis explicatis & percognitis: proximum iam est, vt etiam de Meteoricis generatis & generationib. aliquid tradatur. Primò autem de ortu & generatione ventorum, à prædestinatis suis circulis prodeuntium, scribemus. De his ita attendite. Orbis & circuli ventorum partes 4. sunt: vna respicit ortum: altera occasum: tertia meridiem: quarta septentrionem. Circuli autem ea ratio est. Sicut in firmamenti medio duo elementa, terra & aqua, posita sunt, & inter elementum cœli & globum inferiorem, elementum aëris consistit: sicut inquam terra in medio sita est, quam cœlum vndiquaque ambit: ita secundum planitiem transuersim procedit aut excurrit circulus in medio cœli, & terræ aqueq; ambitu simili. In exemplo rem intelligetis. Ouũ accipite, id ponite in alterutram basin, & non deorsum, sed transuersim medium querite per ambitum oui, ita vt in medium illud vitellus quoq; incidat aut propendeat, sicut hoc ipsa distributio docet. Eodem modo notabitis, ipsum quoq; cœlum circulo quodam mundum ambire. In hoc circulo consistunt ventorum Matres, & loca, ex quibus venti surgunt, qui prædestinati sunt. Hi si egressuri sunt, à circulo illo spirant in globum per elementum aëris. Dum autem perueniunt ad rotunditatem globi terrestris, & impingunt, fieri potest, vt venti aut infra globum concitentur & impellantur ad eos, qui infra nos habitant, aut supra globum ferantur ad superiores: aut in partem vtramq; distrahantur per globi sublimitatem aut humilitatem. Hoc modo incitantur venti per aerem vltra mare & terram, tamdiu, quamdiu sufficit, donec scilicet ob viæ distantiam & motum vehementem aut consumantur, aut dispellantur, aut ita exsolescant, vt materia nulla amplius reliqua sit.

Vẽti quadruplices sint.

Circuli ventorum et ex quo comprehendatur.

Venti vt spirent.

Qualibet quatuor harum partium peculiarem ac sibi propriam naturam habet. Pars enim orientalis calida est & sicca: non quod id à Sole acceperit, vt calida & sicca sit, aut, quod orientem occupet: sed quod talis ipsius natura sit, ex tribus primis deducta. Ideo etiam in vero Euro & ipsius comitibus natura ac operatio alia nulla deprehenditur, quàm calida & sicca. Contrà verò, Zephyrus, ad solis occasum, frigidus est & humidus, non quia ex occasu oritur (Orientis enim & occidẽtis vna eademq; est cõplexio) sed quia ventorum materia in occidente frigida & humida creata est. A septentrione venti spirant frigidæ & siccæ naturæ, quâ etiam regiones illas inficiunt: non quod venti à regionibus ita temperentur: sed quod regiones à ventis naturam illam accipiant. Auster in meridie est calidus & humidus, septentrioni contrarius: non quia ibi multum aquæ cumulatur, aut loca vda & humida sunt, sed quod talis intima ipsius natura sit, quę generationes similes profert. Obseruandum ergo hoc est, quòd venti naturam nullam extrinsecus asciscant, sed ex seipsis ita temperati sint. Quod si auster naturæ siccæ esset, vt Boreas, à nulla humiditate imbui posset, sed siccus perpetuò maneret, nullo maris respectu habito. Ita pariter, si Boreæ natura insita humida esset, nunquam siccus fieret, vtcunque sese regio illa haberet. Generationes ergo ventorum sunt in circulo, à propria ipsorum natura: fiuntque à stellis, & stellæ sunt istorum matres. Stellæ huiusmodi innumeræ sunt in parte Boreali, Euroali, Zephyrali & Australi: non vna inquam, non tres, sed infinitæ, vt numerari nequeant. Ab his venti omnes prodeunt. Etsi autem venti quoque suscitentur à stellis aliis pluuialibus aut grandinalibus: circulo tamẽ illi non annumerantur, vt quatuor cardinales.

Eurus, calidus & siccus, & cur.

Zephyrus frig. & humidus & cur.

Boreas frigidus & siccus. Auster calidus & humidus.

Venti naturam suam vnde habeant.

Stellæ ventorũ infinitæ.

Quandoquidẽ verò hactenus de scaturigine vẽtorũ, eorũq; loco disseruimus, quòd ab extimo cœlo trans mare & terram flent per medium aërem: iam consequenter etiam addendum est, quod stellæ illę vim habeant generandi ventos & disponẽdi pro natura ac proprietate sua. Sicut enĩ arbor suos fructus profert & edit, ex natura intima, quæ consistit in ligno & medulla: ipsius sic idem similiter etiam de stellis censendum est. Semen autem ventorum est prima materia, trium primorum, nempe de sale, sulphure, & Liquore. Hæc tria sunt matres, ex quibus nascuntur fœtus, quos ventos nominamus, sulphur nempe, liquor, & sal. In partibus septentrionalibus illa sunt naturæ frigidæ & siccæ: in meridionalibus calidæ & humidæ: ad eurum calidæ & siccæ: ad Zephyrum, frigidæ & humidę. Qualis enim trium primorum natura est, talis & ipsorum fructus. Præterea noscendum est ventos ex suis stellis oriri pro temporis & periodi ratione. Etsi enim iam magis, iam minus spirent: sine tamen certis & statis temporib. dominantur, prout maturantur & sui temporis proprietatem accipiunt. Trium enim primorum naturam retinent. Et tamen, quia longinqua interdum via promeant, virib. detritis sæpius lassantur, & quandoq; infirmiores perflant. Sic Boreas suã in ęstate proprietatẽ habere aut retinere non potest, quia à stellis æstiuis calefit. Retinet autem suam naturam in hyeme, quia vis eius à stellis brumalib. non infringitur. Si cessura est hyems, vim suam retinet tamdiu, donec à stellis æstiuis temperetur. Si Boreas est sulphureus, sulphureos morbos infligit. Si est salsus, labra findit, & os, ac in proprietate sua fit velut guttæ salis à carne salsa: vnde multas scabras & Alopezias, &c. immittit. Auster etiam suo tempore saluberrimus est, nempe in vere. Sic suum cuilibet peculiare tempus est in anno, quo gignitur & operatur citra sui dissolutionem.

Venti sunt stellarũ fructus. Ventorũ quod sit semen.

Ventorũ natura vt infringatur.

Venti quomodo in externis rebus cognoscendi.

Hos ventorum exortus exemplo probare terrestri potestis. Videtis enim aquam in olla bullientẽ, ventum emittere: veluti certũ est, vẽtum gigni ex rebus omnib. ebullientib. siue siccis siue humidis. Aqua quę coquitur, ventum gignit calidum & humidum, sicut hoc res ipsa docet. Coctura sicca (quæ Alchimistis nota est) ventũ gignit siccum. Pro horum ergo exemplo attendite, quòd Vulcanus igneus in stellis coquat tria prima, qualia secundum naturam sunt. Hinc fit, ventus, cum suis proprietatibus, sicut Igneus etiam Vulcanus in ligno operatur. Et Igneus Vulcanus ventus ipse est. Ex tribus enim primis constat. Vbi tria prima desunt, ibi Igneus deest. Similiter est etiam in stellis ventorũ. Hinc colligendum est, quod Vulcanus Igneus nihil sit aliud, quàm sulphur, sal nitrum, & Mercurius. Iã, si scintilla ignis in tria ista cadit, actionẽ ille suã orditur, & officiũ suũ facit ac exequitur, prout tria prima disposita fuerint. Aliud enim est sulphur ligni, quã sulphur ventorũ: aliud salnitrũ ligni quàm salnitrum ventorũ: aliud Mercurius ligni, quàm Mercurius ventorum. Qualis iam cuiusq; natura, talis operatio. Quicquid enim crescit, ex hisce tribus est. Ante omnia ergo opus est, tria prima rectè cognosci. Secundum enim naturam suam, rerum omnium matres sunt. Porrò nemo est, qui non videat, quantopere vulgaris ignis operetur in communi sulphure, sale & Mercurio. Quantò autem magis is gradatus est in prima materia firmamenti? Quantò est fortior & potentior? Certò ergo statui debet, ventorum nullam aliam generationem esse, quàm si tria prima à Vulcano cõmoueantur & agantur in suam operationem. Tunc enim illa tria in actionem ducuntur. Hæc actio ventum progignit, & eidem suam naturam indit, vel calidam, vel frigidam, vel humidam, vel siccam, vt dictum est. Et sicut ventus oritur ab igne, ceu diximus, ita idem hîc etiam intelligit debet, Deus enim generationem firmamenti tali conditione & proprietate constituit, vt tria hæc vniuersa gignerent & parerent in suis locis, in quos à Deo ordinata sunt, & cum suis operationibus in centrum terræ contenderent.

Vulcanus Igneus quid.

Venti quando & vt fiãt.

Sed vt Vulcaniam hanc operationem rectè intelligatis, exemplum terrenum attendite. Nouistis, sulphur esse ignem, qui ardeat. Nouistis etiam sal nitrum ardere: similiter & Mercurium: ac omnia tria naturæ igneæ esse, donec perueniant in operationem suam, hoc est, in vltimam suam materiam. Iam sulphur concipit Vulcanum igneum. Et quia cætera ipsi conserta sunt, ideò vnum cum altero mouetur, & simul omnia tria in ignem facessunt. Ignis autem coquit ventum. De terrenis enim trium primorum manifestè animaduertitis, quomodo impetum, motusque ac tempestates concitent. Vnde sequitur, in generatione ventorum stellas esse phiolas & cucurbitas, continentes in sese Meteoricum sulphur, Mercurium & sal pro conditione æthereã, quæ per Vulcanum æthereum in istis phiolis operantur. Ex operationibus hisce æthereis nascuntur opera ætherea, qualia sunt venti, qui expelluntur ex istis concauitatibus, sed rariùs ad globum inferiorem, nempè pro naturã & fortitudine istarum trium rerum primarum. Ex terrenis itaque exemplis iudicium facite de operationibus firmamentalibus, non quidem secundum gradum vnum; sed quantò cœlum sublimius terrã est, tantò ipsa etiam est validius. Et quantò cœlum plùs claritatis habet vltra terrestrem crassitiem: tantò sublimiùs quoque gradata & intensa eiusdem est operatio, tantoq; plùs mutata in tribus speciebus seu rebus. Terrenum ergo exemplum ad Meteoricam hanc intelligendam sufficit: eaque per illud satis declarata est. Vbiq; enĩ ita cõparatũ est, vt, quod oculis nostris inexploratũ est, per exploratius & certius aliud intelligendũ & demõstrandũ sit. Sic & terrena operatio satis nobis superque cognita & intellecta est. Ea autem pro exemplo & similitudine adducenda, vt id quoque inde percipiatur, quod simile quidem est, nec tamen oculis nostris expositum. Ita & Christo placuit per parabolas suum nobis verbum denuntiare, per quas parabolas plus aliquid & maius intelligi debet. Sic ego quoq; terrenum firmamentali adhibeo, quod, vt terrenum, æquè quoque caducum est.

Stellæ sunt phiolæ: tria prima, ipsarũ contentum.

Cœlum terra multo virtuosius.

Ignota per notius discenda.

Christus cur parabolis vsus.

Scitote autem, quòd hora & tempus istorũ ventorum generationis ex parte oppidò, ac ex fundamento per Astronomiam & ipsius species cognosci queat. Et tamen id Meteoricum non est, sed est Astronomicum, quo etiam negotium iam relego. Si autem venti spirant, pergunt ad loca sibi deputata & consentanea. Multaque concordantia multum validi venti producit. Sæpè concordare & generare, est sæpè ventos excitare. Multæ species & fortis Vulcanus, gignunt magnos & impetuosos ventos, qui domos etiam & arbores deiiciant. Ventus enim secundum naturam suam æquè corporalis & substantialis est, ac materia vel lapis è sublimi deorsum exturbatus. Et licèt aliud quidem corpus habeat lapis, aliud ventus, nihil tamen ad hanc rem interest. Nam & ventus corpus est, corpus aliud quatere & deiicere potens ceu corpus aliud visibile. Nec enim visibile tantùm corpus est: verùm cum visibili etiam inuisibile à Deo conditum, corporeum existit, sub diuersa quidem specie, cum virtute tamen æquali. Aqua enim, vtcunque mollissima sit, grande tamen ligni pondus sustinet, ac vasta in riuis saxa proiicit & emotat, licèt tenuis & mollis sit. Similem virtutem venti quoque habent. De ventorum ergo origine concludendum est, quod in solis stellis ventosis nascantur, & Vulcaneo opere, suo tempore maturentur, & in centrum globi erumpant, vt, quæ contingunt obuia, in naturam suam & proprietatem conuertant. Sic Boreas coagulat: Auster resoluit: Eurus conseruat: Zephyrus putrefacit. Operationem enim suam perficiunt, prout insitam sibi naturam habent. Quod si spirent eiusmodi temporibus, quibus malitia innata ipsis adimi & temperari queat: tunc insigne nihil moliuntur aut perficiunt.

Venti vnde multi & validi.

Venti sunt corporei.

Ventorũ vis exemplo aquę docetur.

Boreas coagulat. Auster resoluit &c.

Quando ergo venti ex suis emunctoriis in circulo ventoso erumpunt (quemadmodum sedium eiectio ab homine) primo exultu mare transpirãt. Circulus iste verò rectà mare nõ transit: sed adeò latus est, vt infimum quoq; circulum inferioris globi, hoc est, tertium *peroledum*, supernè & infernè attingat. Itaq;, quia superior

tertius peroledus, & peroledus tertius inferior, medium ipsum quoque constituunt: ob id peroledi medij corpus æquè facilè feritur & tangitur, ac ventus ex latere secedat, siue supernè siue infernè siue hoc vel illo latere, siue regio Arctica sit, siue Antarctica. Tertius ergo peroledus quando feritur, ventus impellitur in aquam, quo hæc mouetur adeò, vt sursum deorsum pro sui impetus modo aquam penetret, altera parte supra aquam manente. Sed & illa pars venti intra aquam non manet, sed foràs ex aquâ prodit in aërem, istoque transitu mouet cietque tempestates in mari & fluminibus. Non enim ita irrupisse debebat, sed super aquis spirare. Interim, sicut impetu suo fertur in aëre, ita etiam in aquis: vnde in mari fluctus & vortices concitantur, multò grauiores & formidabiliores, quàm in fluminibus. Attollit enim aquam, eamque in sublime iactat: nec quisquam scire potest, quanto robore aquæ sese inseruerit. Valido enim suo impetu euincit aquas, quibus ob id opus est, vt cataractas & cauernas moliantur, quò expeditè in corpus elementorum erumpere is possit. Non autem per cauernas perpetuò ventus omnis erumpit: sed adeò subtilis est, vt etiam poros terræ penetret, & peruadat muros ac parietes, sicut euidens ac in propatulo est. Eâdem tenuitate perrumpit etiam montes & scopulos, si super aquis feratur.

Sed de hac re plura notate. Quicquid venti in aquis remanet, nec ex illis iterum exspirat: id penetrat in terram, quam permeat & pertundit tamdiu, donec aut alicubi exitum inueniat, aut in seipso consumatur: vnde terræmotus generantur. (Quanquam hæc terræ motus causa nec vnica, nec sola sit.) Eodem modo enim ventus terræ motum ciet, quo concitat in aquis fluctus. In quibus si stent naues aut triremes, illæ simul contremiscunt, nec statione firmâ frui queunt. Dum ergo firmiter & æqualiter stare non possunt: motus iste est aquæ motus. Eadem ratione per poros terræ, siue maiores, siue minores, &c. ventus terram quoque concutere nouit, licet non æqua facilitate, vt aquam, quæ procliuius cedit instanti & deflectit. Quicquid enim nascitur, consumendum est, & finem habet. Ita suum terminum etiam ventus habet, quem transgredi nequit, sed illo instante emori cogitur & exspirare. Sciendum ergo est, terram ipsam per se ventos non gignere, sed impulsos suscipere. Et licèt quidē Vulcanus in ipsa quoq; terra & aquâ sit in his tamen non est fulguralis. Fulguralis enim tantùm est in firmamento, in quo tempestualem impetum molitur. Hæc vis & natura est venti, qui vim habet, omnes lapides, omnia metalla penetrandi, & peruadendi terram, ac omnia, nullo excepto, Cui quicquid obnititur, id dissipat aut deiicit. Sicut enim puluis pyrius facit incensus, vt & Bombarda & tellus succutiatur & contremiscat, nullo quoque impetui ipsius resistente: ita pulueris illius instar est etiam sulphur, sal, & Mercurius, quorum violentiæ nihil obluctari potest. Et licet nec ignis sint, nec fument, nec crepent sunt tamen puluis pyrius æthereus, genitus ac prodiens ex cauernis & emunctoriis cataractarum & stellarum ventosarum Vulcaniarum. Estque adeò ventosum salnitrum, sulphur & Mercurius, quæ omnia mirabiliter perficiunt. Citra tres enim has species impossibile est quicquam fieri. Discrimen tamen in hoc est, quòd alterum est naturæ terrenæ, alterum conditionis & proprietatis ætheréæ.

Peroledus.

Tempestates qui fiunt vēti vi mixta.

Terræmotus vt fiant.

Vulcanus in terra nō est fulguralis.

CAPVT VI.

De generationibus vndarum.

Similis causa & origo etiā pluuiarū est. Sunt enim stellæ quædā pluuiales, aut pluuialibus congeneres. Eiusdē omnino illę modi ac formæ sunt cum stellis Ventosis, similiter ex tribus primis, vt prima materia, constitutæ, & ad pluuiam ordinatæ ac separatæ. Sicut arbor sui fructus modis omnibus exemplum perfectum, certum & verum exhibet: ita visibile hoc, quod apud nos est, & inuisibile, quod supra nos est, simili & eodem pacto intelligenda sunt. Nam quod dicunt, pluuiam esse exhalationem, factam ex infernis aquis, quæ asscendens iterum destillet; id iam planè nugatorium est. Causa siquidem rei iam ex antè dictis satis patet. Sic quinimo statuere debemus, quòd cuiuslibet pluuiæ sua quædam peculiaris origo sit, & noua generatio eius, quæ antea non fuit: non secus, ac Pyrum, quod hoc anno nascitur, præterito nondum fuit, nec vnquam antea exstitit. Sic etiam semina sunt, sese inuicem consequentia, quæ suos pariunt fructus, tempore eo, quod Deus præstituit. Porrò autem stellarum numerus enarrari minimè potest. Totum enim firmamentum illis refertum est, per vniuersas totius globi regiones distributis. Et quanquam vsu veniat, vt in regionibus nonnullis pluuiosarum stellarum effectus non semper procedat, sed aut rarò inibi aut nunquām pluat: istius tamen rei non ea causa est, quòd stellæ tales non adsint; sed quòd ab istius terræ aut regionis ventis & constellationibus illæ exiccentur & exauriantur. Sicut enim exiccatur arbor, aut fructus, qui ob ariditatem maturescere non potest: sic idem frequenter etiam stellis pluuialibus accidit, in illis locis, in quibus versantur. Econtra, si stellæ istæ constellationibus humidis, & stellis ventosis vicinæ iunguntur, tunc imbres copiosiores parturiunt, hoc est, in seipsis augescunt, nec suæ naturæ quicquam perdunt. Quod autem præterea pluuiæ interdum maturiùs, interdum seriùs, nonnunquam copiosiùs, aliquandó parciùs decumbant: id non fit, quia inaruerunt, sed quia hoc anno fœcundiores seu feraciores sunt, quàm alio. Et hæc varietas in crescentibus omnibus obseruatur, velut & in firmamento similiter.

Ad principium autem pluuiarum ita attendite. Quando ęthereus ipsarum paroxismus imminet, ita, vt autumnus præstò sit, qui maturitatem exigit: tunc Vulcanus ac Iliaster, Archeusque in illis stellis operari incipiunt, veluti in olla quâdam, ac dispensant seu præparant pluuiam. Tempore autem digestionis expectato, flores prodeunt, velut ex arbore, & primum oritur nubecula, quæ sensim augetur, vel citiùs pro stellarum istarum conditione, multitudine aut magnitudine. Initiò enim fumus prodit æthereus. Qui, quia à communi fumo differt, nubes vocatur. Nubes

Stellæ pluuiales, &c.

Philosophorum opiniones de pluuia, refutantur.

Stellæ numerari nequeunt.

Cur in locis quibusdam nō pluat.

Cur pluuiæ frequentiores vel pauciores.

Pluuia vt fiat.

Nubes quid.

bes ea, postquam à stellis genita prodiit, deorsum subsidit in aërem, vbi suspensa hæret. Et per se quidem aqua est, nondum tamen integrè præparata: ipsiusque materia est sal, sulphur & Mercurius, quæ tria omnia extra stellas in resolutionem abeunt, veluti tartarum in cella aquescit. Nam & aër huius calcinationis aut digestionis cella est, in qua tria illa soluuntur & expediuntur. Iam si nubes in aëre, tanquam in cella consistit: tunc si probè præparata sit, eò citiùs mouetur: sin minùs, eo diutiùs persistit in aëre. Cuius, si quandoque moles parua sit, ea aut disparet, aut pluuiam odoremque facit, terram non attingentem. Si maneat ac ad pluuiam destinata sit, tandem resoluitur in aquam.

Tartarū in cella aquescit.

Qualis vero pluuia, talis resolutio: & pluuia ex nube, nubes ex stellis generatur. Sæpiùs fit, vt pluuia talis continenter duret, ideò, quia nubes quotidie ex stellis pluuialibus defluit, iisque aut multis cumulatis, aut sese inuicem consequentibus, prout concordantia cadit. Aliæ enim stellæ nubem emittunt per horam vnam, aliæ per plures: quædam per diem, quædam per plures: aliquæ per septimanam, aliquæ per plures, sicut magna ipsarum varietas & inconstantia est, &c. Vtut autem res se habeat, ante omnia præparatio in stellis ex tribus primis tali, (vt diximus,) ratione fit, postea fit resolutio in aëre per aërem: deniquè pluuia terram imbuens.

Stellarū pluuialiū differentia.

Resolutionis autem iste modus est. Quamprimum pluuiosa nubes aërem ceu cellam suam occupauit: tunc instante resolutionis tempore resoluitur specie guttarum, non confertim & magnâ mole, sed quasi deorsum stillaret. Et hoc ex arte Alchimistica à diuina prouidentia ita constitutum est, vt gutta vna post alteram quasi filtretur, destillet, & guttatim, ceu videmus defluat. Quòd si resolutio tardiùs fiat, tardiùs quoque guttæ decidunt. Eædem quandoque celeriùs & rapidiùs stillant, prout coniunctio est, & amuratio fert, vt guttæ vel plures, vel pauciores, vel maiores, vel minores cogantur. Sic ergo qualibet pluuia nihil est aliud, quàm resolutum sal, sulphur, & Mercurius, quæ forma stillę per primam extractionem & separationem separantur. Sex diebus illis, quibus Deus omnia creauit, omnia in loca sua debito ordine & modo digessit, sua cuilibet addita proprietate. Ea se preparat vlterius in igneo Vulcano, fitque pluuia, sicut tartarum aqua, & alia plura, quorum vltima materia primæ similis non apparet. Huiusmodi ergo pluuiæ, de quib. iam dissero, pluuiæ sunt mediæ & optimæ, quę omnium commodissimè terram refrigerant, humectantque, velut etiam eædem saluberrimæ sunt. Oriuntur enim ex primæ materiæ tribus primis moderatissimis. Nam & aliæ sunt rigidiores, ex natura asperiore progenitę. Sunt etiam pluuię, longè latéque sese effundentes. Hę fiunt ex concordantiis coïncidentibus, quando ipsarum plures congeruntur, ac simul vnà præparantur. Vbi ergo huiusmodi concordantiæ confluunt, ibi pluuiæ variæ permiscentur, quæ ex guttis interstingui possunt. Aliæ omnino subtiles sunt, vt *Alcool*: aliæ grandiores, & sic gradatim ascendendo, prout vsus & experientia docet.

Pluuia cur guttalis.

Pluuia quid.

Præter iam dictas sunt etiam stellæ aliæ pluuiosę, stillarum pincernæ. Harum proprietas est, vt comites habeant ventos. Rei hæc causa est, quia sal in stellis illis, & Mercurius, non omnino probè præparati sunt, hoc est, quia impetus ipsis à Vulcano non plenè adeptus est. Et hoc genus peculiare est. Ex his stellis procedunt venti sine pluuia, horis aliquot ac diebus, &c. Ventis autem compositis & sedatis, signum est, quod Mercurius & sal cum sulphure sese vnierint. Eo facto abeunt in nubes, aërem occupantes, interdum cum vento, aliquando cum vento & nubibus iunctim. Nubes huiusmodi pluuiosę cũ propriis ventis rariùs fiũt. Quæ si in cella æthereę resolutionis resoluũtur, pluuię eo modo, quo diximus, decidũt. Vbi hoc quoq; notandum venit, quòd si ventus in pluuia, hoc est, in resolutione manet, tum temporis ventus resolutionem difflet, & resolutas guttas disiiciat, vnam in partes duas vel ternas. Easdem etiam præcipitantiùs deiicit, quàm pro more. Guttæ ergo huc illuc iactantur, vt pro sua natura & debito destillare nequeãt. Sed & hoc obseruatione dignum videtur, quòd nubes hę & alię pluuiosę, quę in montanis librantur, faciliùs promoueantur, quàm quę in regionibus planis. Montana enim frigus quoddam habent: in quod si incidant nubes, ociùs ibi resoluuntur, cùm in aliis locis consumantur. Multę siquidem pluuiosę sunt nubes, quę à constellationibus aliis consumuntur, quę consumptio in dictis montanis locum non inuenit. Si ergo olla, hoc est, stella autumnum ac messem suam effudit semel, quiescit tantisper, donec primę materię tria prima, pro suo tempore iterum crescant. Tunc enim operationes earum de nouo incipiunt, sicut hactenus de pluuia dictum est.

Pluuiæ ventosæ vnde.

Pluuia in montanis cur frequentiores.

Insuper aliquando etiam accidit, terram & aquam ex sese ipsis, per contentos fontes & aquas frigus promere & exspirare, quo ipse etiam aëre efficaciùs refrigeretur. Frigiditas ea vbi aërem attigit, nubes multę resoluuntur, quæ aliàs consumerentur. Ex montosis autem locis pręcipuè frigus id in sublime emitti solet. Aër enim est cella, ac in sublimi viget frigiditas & humiditas, nec calor est, nisi vbi reflexus est, & quousq; ille pertingit. Ibi ergo duo frigora cõcurrunt: quorum vnum alterum reficit. Quò autem sublimior aër, eò frigidior. Interdum nubes ita graues & ponderosæ fiunt, vt profundiùs sese dimittant, & propiùs ad loca calida residant. Et tunc generantur pluuiæ calidę, quę soli grauitati nubium acceptæ ferri debent. Vbi paucæ sunt, resoluuntur in sublimiorib. & exalto decidunt. Sed & ventus ex illa stella emanans, per seipsum humidus est, instar Zephyri. Dum ergo Zephyrus ex circulo suo spirat, & stellę operationi vacant, promptè nascuntur pluuię. Is enim vnà cum vento pluuioso peruadit aërem, ipsúmque refrigerat & humectat, vt citò resoluatur, & in guttas liquescat. Etsi verò stellę pluuiosę exstarẽt, & vẽtus spiraret aridus: tamen nisi pluuia insignis operationis esset, ipsa ab arido consumeretur & dispelleretur. Quod singulariter obseruandum est. Vbi enim huiusmodi concordantia accidit in humiditate cellę, hoc est, aëris, ibi multa se signa produnt, ex quibus notitia capi potest. Ædium enim vexilla & cardines strident: homines sunt animi tristioris,

Aër est cella mundi.

Aer sublimior, gelidior.

Pluuiæ calidæ vnde.

tristioris, aër surgit vaporosus, & grauis, humectans spongias, cineres, arenas, &c. quæ signa omnia enumerari nequeunt. Pluuiæ tamen sequuntur eo maiores.

De nubibus verò ac eiusmodi coniunctionibus adhuc plura notate. Si Luna, tempus, & stellæ ventosæ concordant & confluunt: stellæ autem ventosæ celeris operationis sunt, ac validè agunt, idque quod genitum & in locum suffectum est, vberius est, ac resolutio fit festinanter: tunc violenti generantur imbres, quorum multi diuersique notantur. Si verò fors fieret, vt resolutio eiusmodi illicò in puncto, quo ex *Athanar* peruenit in cellam, iam antè resoluta esset (veluti frequenter euenit, vt in *Aludel* resolutio inchoëtur, & in humiditate celerrimè perficiatur) si, inquam, in illis generationibus tale quid fors fieret, tunc vniuersa nubes cogeretur in vnicam tantum guttam, seu cogeretur in vnicam tantum guttam, seu cogeretur in vnam aquam. Cumque procurari non possit, vt illa guttatim decidat: ideò affatim & confertim ipsa deruit, instar vnius guttæ. Etsi enim parum quiddam à vi casus & ventorum disiiciatur, tamen moles ingens per resolutionem celerrimam violenter decidit. Hoc interdum diu durat. Interdum præcedit & sequitur pluuia iustę destillationis. Hi autem nubium lapsus, cùm stellam, tum materiam aliam habent. Coincidere autem vnà quoque possunt, venti & alia plura, sicut sulphur, sal & Mercurius variam ac diuersam naturam in hoc illoue exerunt. Et talis est origo pluuiarum naturalium, cùm terrę tum homini commodarum: quarum finis ac prædestinatio est, vt terram humectent. Sunt autem porrò venti etiam alij, & aliæ nubes, non pluuiosæ, sed à naturâ siccæ. Harum explicatio sequetur. Plura de stellis scienda, Astronomia docet, quæ huic Meteoricæ singulatim inserenda non fuerunt.

De nubibus siccis iam scitote, stellas aliquas existere, non ad pluuiam aut pluuiosos ventos dispositas, nec etiam ad stellas ventosas referendas, licèt illarum naturæ similes sint. Sunt enim stellæ ventosę particulares, non vniuersales, vt stellę ventosæ de *peroledu*. Hæ, quoad colorem, sunt lucidæ, claræ, sublimes, quas cella ętherea resoluere nequit. Sunt enim aridę instar aridi ligni, quod in aquam nunquã resolui potest. Oriuntur ex sulphure sicco, & tali sale ac Mercurio, in quibus nulla humiditas viget. Vnde nec ad humiditatem disponi possunt. Sed & venti illi sunt lenes, amœni, grati, sani, & homini toleratu faciles. Probè siquidem temperantur & emergunt ex primę materię tribus primis optimis, recreantque ac reficiunt ipsum hominem. Et quicquid de stellis huiusmodi defluit: id probè digestum & clarè subtiliatum est. Vbi autem crassę species iacent triũ primorum, velut in stellis pluuialibus, &c. in illis locis crassę etiam ac atrę, obscureque & rudes nubes fiunt. Hęc enim omnia ex materiâ prima dependent. Similem naturam etiam stellę ventosę habent, sed nullam pluuiam ferunt. Complexionem quidem & proprietatem participant: sed nubes non gignunt, ideò nec pluuias. Has tamen aut promouent, aut impediunt, vt dictum est. In stellis amœnis commoditas etiam hęc latet, quòd nubes illę suas serenas consequent. Sol enim eo loco pellucet ac perradiat, & eas adhuc magis subtiliat. Nihil autem tale perficit in nubibus pluuiosis. Vt enim prouerbium habet, ex cortio non nascitur falco: sic neque Sol ex crassis illis partibus subtile quid producere potest. Et sic se habet generatio nubis & venti clari, facta à subtili & preparato sulphure, sale ac Mercurio, ope ipsius Vulcani, qui istarum rerum preparator est perfectus & industrius.

Quia hactenus de tempestatibus pluuiosis dictum est: sciendum preterea est, quasdam adhuc apparentias restare, quę & ipsę pluuiam & eiusmodi tempestates pluuiosas (de quibus diximus) prenuntient, hoc modo. Aiunt, aurorę ruborẽ, vesperi lutum portendere. Id verum est. Nam si stella pluuiosa oritur, sulphur continens crassius, aut crassius sal, ac Mercurium, quę crassities tantùm spuma est: tunc spuma eiicitur in sublime, quę postea instar nubis apparet, nec tamen nubes est, sed tantum spuma aut vapor multis coloribus insignis. Ruber est à sulphure & Mercurio: cœruleus, Venetus, luteus, à sale, licet luteus etiam ex parte à Mercurio. Tempore autem matutino apparent; quia Sol oriens ipsos in alto tolerare non potest, sed ad huius conspectum illi disparent, ac colores propter obiectum Solis splendorem videri nequeunt, vt neq; Luna, neq; alię stellę, quę eiusmodi colores vberiores habent. Si ergo stellę huiusmodi oriũtur, & spuma ipsarum in euaporationem vergit: tunc preparationes cetere sese inuicem sequuntur, vt nubes, ventus, pluuia, idque pro stellę illius naturâ, interdum celeriter, eodem die, aut paulò pòst, nisi fors concordantia aliqua confluat à contrariis planetis, Luna & stellis ventosis, quę illas destruat. Rarò tamen apparent, quin aliquid sequatur, & maximè pluuię diutinę. Ibi enim multitudo stellarum est. Hisce ergo hactenus dictis caput presens de origine pluuiarũ adiectis debitis paragraphis satis pertractatum est. Vbi hoc notabitis, Stellas esse arbores, fructus suos edentes, velut in terra. Et cùm vtrinque vnius massę & materię sint, oppido concordant, & sibi mutuo commodant. Sicut homo, quia de terra est, terrę adhæret; ex eaque sumpto & petito alimento opus habet: ita & hic. Et quod interdum longo tempore non pluit, ideò fit, quia stellę sese omnino profuderunt, & nouam materiam iam colligunt. Vbi tempore iusto appellente, omnia simul & semel sarciuntur & rependuntur, nec quid necessarij omittitur. Quod vno tempore deficit: id altero cum fœnore refunditur.

Imbres vt fiunt. [illegible] Aludel.

Subitum [illegible] vt fit.

Pluuiarũ finis.

Stellę ventosæ particulares.

Ex cortio non nascitur falco.

Ruber matutinus quid portendat.

Stellæ arbores sunt.

CAPVT VII.

De Congelatione.

COgnoscendum iam deinceps vobis etiam est de Congelatis, hoc est, glaciosis, aquis niualibus, & naturis niuosis aliis, seu de iis, quę hyemem constituunt. Primo autem in genere hoc tenendum est, arbores tantùm, hoc est, stellas esse, ex quibus illa generantur pro ordinatione diuinâ. Necessarium itaq; est, stellas istas hyemales secundum essentiam & species suas rectè intelligi. Nam & hę sunt de prima materia trium primorum, veluti de speciebus cæteris docuimus. De generationis occasione

Stellæ hyemales soli cõtrariæ.

sione ita statuite, quòd stellę quædam sint, Soli contrariæ. Sol ergo quando de exaltatione suâ remittit, quod in hyeme fit, contrariæ istæ stellæ abundant. Ex his species vna eius naturæ est, vt, quicquid Sol resoluit, ipsę coagulent, hoc est, aquam omnem in glaciem congelent. Vis ipsarum ita constituta est. Videtis nempe, Deum à se inuicem distinxisse lucem & tenebras, hoc est, diem & noctem. Idem Deus in vnum locum digessit calidum, hoc est, Solem: in alterum, frigidum, quod est circulus hyemalis. Ita calor vim habet resoluendi, frigus coagulandi. Quando calor & frigus iuncta hærebant, ibi nec calidum nec frigidum exstitit. Quæ tamen qualitates emerserunt, quando diuina Alchimia illas separauit. Et sicut calor secessit in Solem & Solares stellas: ita frigus quoq; in suas diuertit. Dominandi autem tempus debitum datum est Soli seu calori: suum etiam conueniens frigori: ita vt suus vtriq; constitutus terminus sit. Vnde liquet, quodlibet sui regni tempore efficax esse ad officium complendum. Et licèt quidem aliquando frigus prodire nequeat, quia vel ab intensiore calore reprimitur, aut à naturâ regionis & constellationis impeditur: vis tamen natiua ipsi adempta non est. Sic enim nec Sol omnem vim eliquare potest. Non ergo mirum, si quid vicissim etiam frigori resistat.

Caloris est resoluere, frigoris coagulare. Alchimia diuinum opus.

Sed de frigore plura dicenda sunt. Ex igne, velut exemplo quodam solis calor & operatio satis cognosci potest. Suum vero exemplum frigus non æquè habet, vt calor, nisi in solo elemento aquæ, penes Crystallum ac lapides alios. Ita enim res habet. Crystalli nascuntur ex aquis. Cùm materia ipsorum ita comparatum est, vt in seipsis contineant spiritum coagulationis, à quo etiam coagulantur, velut à frigorificis & glacialibus stellis aqua. Quâ ergo ratione spiritus coagulationis sese habet in locis fructuum aquæ: ita se habet etiam in stellis glacialibus. Is spiritus si suo tempore in aquam incidat, ipsam conglaciat & coagulat. Quod autem non duret ac constet, hæc causa est, quòd aqua illa non sit corpus, quod coagulatum esse debeat, sed potiùs resolutum, cuiusque tinctura hoc loco nihili sit. Si autem materia gemmarum præstò esset, nondum coagulata, tunc ibi citò coagularetur, coagulatione solidâ & durabili. Hoc quidem verum est, si ipsius exaltatio iugiter & continenter vigeret, glaciem nunquam iterum resolutum iri, non tamen constantem in tinctura naturæ crystallinę. Hę glacialis naturę stellæ moderantur hyemem, in aqua, in fructibus, in tellure, &c. vbicunque enim humiditas est, ea congelationi subiicitur. Stellæ cæteræ, niuis & aliorum cum hyemalibus exquisitè comparari non possunt. Nix enim, hyemis est pluuia, isto quidem tempore vtilior & conuenientior pluuiâ ipsa. Quam ob causam Deus quoq; ita constitutum voluit. De glacialib. itaque stellis, veram hyemem generantibus, ita statuetis, quòd spiritum ipsæ habeant coagulationis in omnibus humiditatibus vndosis, & quòd in Sulphur, Sal & Mercurium ita sint positæ vt nihil quicquam ipsis frigidius esse possit. Sic nempe calidissima prima materia in Solem, & frigidissima in Saturnum relata est. Saturnus enim ipsius frigiditatis filius est, vnà cum stellis ventosis.

Crystallus & lapides fiunt ex aqua.

Spiritus coagulationis &c.

Stellæ niuales, &c.

Nix & pluuia hyemis.

Saturnus ...

De errore porrò stellarum tenendum est, sæpiùs nempe fieri, vt discordantia inter ipsas intercidat, atque stellæ hyemales in ęstate ascendant, hoc est, in æstate maturescant, non in hyeme, adeoque cunctentur in cursu laboris, non in motu circuli aut eius cursu. Iam si in æstate tempus Zephyrale aut Borale cluet, & Luna ad hanc naturam consentit, & interea temporis stellæ fœcundæ fiunt: tunc procedunt, & niuem suam exhibêt in æstate. Si vero tempus eiusmodi non sit, hoc est, Luna non consentiret, nec coauxiliarentur venti, ac regio æquo humilior, constellatioque calidior esset: tunc ex niue illâ fieret pluuia. Subiecta enim stellæ caliditas in aëre ipsam resolueret in aquam, quæ guttatim destillat, hoc est, scintilla quęlibet niuis guttam daret. Præterea operatio sæpiùs etiam incipit in sublimi, vbi propter frigiditatem cellæ resolutio non est tam expedita. Si tamen nix propiùs admoueatur terræ, in aquam resoluitur. Fit etiam, vt stellæ æstiuæ pluuiales in hyeme maturescant & prodeant. Eę sese non emittunt, nisi quo tempore stellæ brumales languidissimæ sunt. Tunc enim decidunt, & pluuias æstiuas faciunt. Et licèt quidem glaciales stellæ simul incidant, in cadendo tamẽ nihil coagulare possunt, sed congelatio demum fit in terra. Nec enim hoc verum est, (quod aiunt,) pluuiam ab hyeme in niuem mutari & transformari. Stellę siquidem niuales peculiarem sibi arborem vendicant, ex quâ erumpunt. Illa ergo sententia nauci est. Et quamuis congelatio daretur, nihil tamen ab illâ fieret aliud, quàm conglaciata aqua, qualis ipsa nix minimè est. Ipsa enim nix, formâ niuis ex matre suâ prodiit, nec vnquam aqua fuit. Et sic intelligendi sunt errores, in crescentibus stellarum vtrinque, tam in æstate, quàm hyeme, euenientes. Quæ euariationes in quibus locis nec fiunt, nec sentiuntur, in illis hyemes sunt gelidissimæ, & æstates calidissimæ. Sed hęc ad Astronomos.

Nix ... pluuia.

Oriũtur ... de ... arbore.

Præterea stellarum hyemalium adhuc aliud genus est, dans grandines & gemmas, quæ nix non sunt, sed coagulatæ aquæ, quæ tamen nec ipsæ aqua vnquam fuerunt, ita ex prima sua materia genitę. Stellę illæ circulum peculiarem perrãt, suntq; eius naturæ & ingenij, vt æstatẽ & hyemẽ, omnibus quatuor anni tẽporibus, nullo respectu aut loci naturę, aut constellationis, aut Lunæ, aut stellarũ ventaliũ habito, grãdines & gẽmas suas producãt. Tẽpore niuis in hyeme nõ prodeũt, vt nec tẽpore pluuiæ, de qua priore capite diximus: sed accedũt tantũ tẽpore æstatis & hyemis, quo frigus & ventũ à seipsis habẽt, nec ab alio cõtrario impugnari queunt. Ipsarũ siquidẽ generatio fieri non potest tẽpore leni, placido & trãquillo, sed potius eo aspero & rigido, siue ęstas siue hyems instet. Quanquã Gẽmæ & grandines discrimen habeant in cadendo. Grandines siquidẽ cadunt potissimũ mensib. Aprili, Martio sub exitũ niuis, aut eo certè tempore, quo stellæ niuosæ nõ sunt lenes, aut anni temporib. etiam aliis. Nec enim necessariò egent tẽpore rigido, sed tempestate etiã placidiore generari queunt. Gemmę autem non nisi tempore importuno fiũt, tempusq; alias commodũ futurũ perturbãt ac

Stellæ grandinales.

Gemmæ & grandines quo differant. Grandines ... tempore generentur.

ac placidis omnibus insultant. Et licèt Gemmę minùs, quam grandines pro stellis hyemalib. habeantur, quia scil. frequentiùs in æstate quam hyeme decidunt: generatio tamen ipsarum nihilominùs est à naturâ brumali. Vnde inter glaciosas etiam referuntur. Itaque deinceps sequitur ipsarum generatio & prima materia, ex qua fiunt: item, cur ita ordinatæ & constitutæ sint, & ad quid commodent. Videntur enim contra elementorum naturam pugnare.

Gemmarum ergo natura est concreta proprietas ex Sulphure, Sale & Mercurio, quæ genere suo separata sunt ab omni calore. Et hîc sola frigiditas est: velut in carbone tantùm nigredo est, cæteris coloribus omnibus exclusis. Maturationis itaque suæ tempore (sicut & de aliis stellis diximus) dum in decoctione sunt, sibi inuicem contrariantur. Vulcanus enim Sulphur, Nitrum & Mercurium in vnum conciliare aut cogere minimè potest, citra magnũ impetum, aut ebullitionem ac ventum. Donec enim in suo *Aludel* vniantur, & in perfectionem suam ordinentur, multum temporis intercidit, vbi interea frigidæ & malignæ tempestates incumbunt. Primò enim emittunt frigus quoddam, ex quo nosci facilè queunt: licèt etiam tardiùs & celeriùs generentur. Sed exemplum dabimus. Si frigidum Sulphur, simul humidum, aut Nitrum pingue, aut Mercurius lenis, in vnam mixturam assumantur, triaque hæc in vnum componi corpus debeant, vt nihil aliud quàm vnitas sit: propter innatam singulis contrarietatem longo interdum tempore opus est, dum coëant & permisceantur, quod non fit sine multo strepitu, ebullitione, tonitru & similibus tempestatibus aliis. Multò magis talia in cœlo fient ac stellis, quæ longè maioris sunt efficacię, quàm terrena. Vnde tumultum etiam grauiorem surgere consentaneum est. Dum ergo in perfectioné abeũt, duorum generum fit separatio: vnum est coagulatum, ex quo fiunt Gemmæ: alterum est resolutum, ex quo oriuntur pluuiæ. Et penes vtrumque est proprius ventus, frigus, & importunitas. Ita stella illud eiicit in cellam aëris, in qua resoluitur pars vna, & specie pluuiæ in terram decidit: pars altera coagulatur. Vulcanum enim coagulationis in se continet, & corpus id, quod in resolutionem non abit, vertit in globos, vel maiores, vel minores, prout materia multa vel pauca est. Et hinc oriuntur gemmæ.

Grandines verò generantur aut cum pluuiâ, aut sine ipsâ. Si cum pluuiâ: modus generationis iam dictus est. Si autem abit in grandines, simile quid fit cum prædictis gemmis, nisi quòd non idem impetus sit. Hoc enim frigidum Sulphur, Mercurius & Sal, non ita crassa, & ad impetum intensa sunt. Et licèt quidem ventos & frigora dent: non tamen eius generis sunt, vt gemmæ. Porrò in eiusmodi stellis perpetuò duæ naturæ sunt, pluuia & lapilli, vt dictum est: hoc est, habent naturam geminam, vnam hyeme, alteram æstate. Propter pluuiam enim sunt stellæ æstiuę: propter coagulationem, sunt brumales. Suum etiam peculiarem cursum habent præ cæteris stellis, quo se aut in hyeme aut æstate proferunt. Quanquam & hîc discrimen sit. Quod coagulatum est, æstiuum habet impetũ: æstiuæ enim tempestates sunt sæuæ. Contra hyemales, lenes & placidæ, vt nix. Itaque spiritum vnum & vnam materiam primam à naturâ habent æstiua: & vnum à naturâ hyemali, dum per Vulcanum suum elaborantur. Et sunt velut Hermaphroditæ, de vtraq; natura participantes, & iam hyemales, iam æstiuæ apparentes. Et hoc casu contraria duo in vno corpore consistunt, quod nunquam aliàs concedi potest, nisi in Hermaphroditis. Quilibet enim Hermaphroditus, perfectus, vtrâq; parte aptus est. Tales etiam sunt generationes supernæ, grãdo & pruina, ab vtrisque nempe tempestatibus natæ, & vtriusq; naturæ participes, velut etiam Mulus, qui neque Asinus est, neq; Equus. Quod enim frigidum est, nullum deberet habere tonitru, nullum impetum. Habet autem, quod in calore consistit. Sic ergo quasi duo contraria inter se sunt, & vno quasi fœdere iunctâ cooperantur vnà.

Generatio niuis, tantùm est ordinata creatura à Deo, qui in suis operibus multiplex & mirabilis videri vult. De hac nihil aliud hîc scribendum videtur, quàm quòd Deus, eiusmodi quoq; arbores, quæ sunt stellæ, in firmamentum implantârit, quæ suo tempore niuem parturiãt. Constant autem ex primâ materiâ trium primorum, à frigidis trib. primis ad naturam hyemalem directæ, hoc modo, vt in seipsis quoq; præparentur decoctione factâ per Vulcanum æthereum, sicut non minùs tempus requiritur certum à Vulcano terreno, vt sub autumnum fructus proferat. Omnia enim suo ordine discreta & distincta sunt. Operatio autem eiusmodi est. Tria prima specie pluuiæ eiiciunt nubes suas niuosas. Has verò appell ẽtes, cella aëris corrumpere nõ potest: sed cùm nimis sit frigida & sicca, substantiã earum intactam relinquit. Itaq; quamprimùm stellam egrediuntur, granulantur & guttentur in scintillas, hoc est, in floccos niueos, & in terrã deuolant. Naturæ enĩ sunt lenis & moderatę. Quandoq; fit, vt pluuia & nix simul vnà decidant. Id nõ cõtingit ob stellas pluuiosas, sed quod nix ita mollis & subtilis sit, vt pars eius aliqua resoluatur in aquam, pars altera maneat, sicq; vtreq; iunctim decidant. Accidit interdum, vt præcedat ventus, quia fortè stellę grandinales præstò sunt, nõ omnino tamen grandinis naturã habentes, sed aliquid etiã dispositionis niualis. Eæ exorientes, ventũ & prodromũ molestũ pręmittunt, postea grandines, tandẽ niuẽ. Atq; hæc natura peculiaris est, nec tota grandinosa, nec tota gẽmosa, nec niuosa penitus, sed ex vtrâque permixta. Scire ergo conuenit, quòd, quoties noua ac singularis natura exhibetur, toties alia stella eam producat. Species enim multiplices sunt, quas Deus ita ordinauit.

Præterea tã in ęstate quàm hyeme tã euidens sæpè contrariũ accidit, vt in hyeme operationes aliquando adeò æstiuæ fiant, vt & fulgura & tonitrua, & grandines increbescãt, niue & pluuiâ nihilominùs etiam concurrente. Peculiaris itaq; natura & hæ stellæ sunt, aliter non constitutæ, quã sese produnt: plusq; habent naturæ Hermaphroditicæ ab æstate, quàm hyeme. Similes enim æstiuis sunt, simul coruscantes, nihilominùs lapides iactantes, quę natura est n uis. Compositum

Gemmæ quando fiat. — Gemmarum generatio. — Primo oriri se fere [illegible]. — Aludel. — Grando vt fiat. — Tẽpestates, æstiuæ sæuiores hyemalib. — Hermaphroditę stellæ &c. — Mulus nec equus, nec asinus. — Deus in operibus varius. Stellæ niuales. — Nix vt generetur. — Tẽpestates cõtrariæ vnde

positum id constat ex frigido & calido Sulphure, Sale & Mercurio, simul permixtis, & per Vulcanum vnitis. Impossibile autem est homini, ex fundamento hæc ita cognoscere, vt & ipse quoque huiusmodi contraria æmulari & facere possit. Is enim à naturalibus terrenis & aqueis instructus est non de superioribus speciebus firmamenti. Aliàs idem quoque ipse exprimere posset. Nihil enim quicquam fieri potest sine instrumento requisito, quod nempe, producat producendum. Itaque & cœlum hîc peculiare quid operatur, longeque naturam aliam gignit, quàm cæteris elementis possibile sit. Vnicuique siquidem elemento suam afflictionem Deus addidit, vt quoduis sui curam ageret, non alterius. Ita manifestantur magnalia Dei, quæ mirabiliter edit quotidiè in elementis omnibus, horis singulis, tã in ęstate quã hyëme. Cur verò hoc fiat nix, illud grãdo, &c. scire nihil attinet, præscripta satis sint. Sic enim Deus constituit, vt hoc vel illud fieret, etsi homini causa incognita sit. Quod homo facit, id scire potest, & causam tempus modumque simul intelligere.

Instrumentum causa varietatis rerum.

CAPVT. VIII.

De Fulgure.

DVm de actionibus firmamenti tractamus: differendum est etiam de fulgure, quod opus firmamenti est maximum & violentissimum ex actionibus cæteris Meteoricis omnibus. Nisi enim firmamentum specimen tale visibile & substantiale ederet, credi à nemine posset, quòd in natura firmamenti vis tam potens latesceret, ita captui nostro res illa mira occurrit. Non tamen præter naturam fit, sed à natura. Et tamen ardua hominis contemplatione res digna est. Hinc enim euidenter demonstratur, quòd Deus Sulphur, Sal, Mercurium firmamento iniecerit, ex quibus materialiter vniuersa generantur. Etsi verò & hoc genus ad actiones Meteoricas spectet: tamen à cæteris omnibus diuersum est. Adeoque stellæ illæ peculiares sunt, quæ ad hanc naturam propendent. Sunt meri pyrites, ad numerum stellarum æstiualium censendi. Tantò tamen fortiores inter se sunt, quantò magis vim suam exerunt. Aliæ enim sunt gradus primi: aliæ secundi, tertij, & sic porrò vsq; ad 32. gradum. Et in hisce 32. gradibus consistunt stellæ fulgureæ, vsque adeò in tribus primis materiæ primæ gradatæ. Sed iuxtà & hoc tenendum est, quòd inter illas sint, quæ errent & distrahantur in operatione sua, aut æquo citiùs maturentur, ita vt nonnunquam etiã in hyëme parturiant. Quocunque tamen tempore gignantur, tanto cum impetu iactantur, vt nec temporis, nec Lunæ, nec stellarum hyemalium, &c. rationem habeant, sed rectà penetrent. Fulgurum ortus signa & prodromi sunt intensi æstus. Æstus hi surgunt ab ipsorum decoctione, vel celeri, vel lenta, prout materia prima à Vulcano præparatur & inuenitur. In fulgureis hisce stellis Sulphur gradum suum tenet: & Nitrum summam pinguedinem habet: ac Mercurius in summa contrarietate agit. Sulphur enim est corpus: Nitrum est spiritus: Mercurius est contrarium in vtraque, nempe acrior quàm nitrum, potentior quàm Sulphur. Ex his tribus generantur tonitru, fulgurque, quod omnium totius firmamenti opus est validissimũ.

Fulgur opus firmaméti maximũ. Fulgur opus naturæ. Fulgur tria prima demõstrat.

Pyritum gradus sunt 32.

Fulgurũ signa.

Fulgur vnde cõstet.

Iam, si tempus generationis vicinum autumno est, maturitatem dans, tunc compositum, Sulphur, Sal & Mercurius, vt diximus, in summa sua virtute & robore constituta sunt. Et dũ vna sunt, Vulcanus præparare ea incipit, & reducere in materiam vltimam, quæ fulgur est. Facta inchoatione, opus illud in suum augmentum procedit, gradusque ignis ad summum ascendunt & intenduntur. Intensio ea gradus ignei, intendit calorem æstatis, vt solito & naturali suo statu plus ferueat; asscenditq, ad extremum, donec præparatio à Vulcano perfecta sit. Accidit aliquando, vt materia prima ad finem non perueniat, sed soluatur. Postea & immodicus calor desinit. Quandoque tempestas leuis ex eã oritur, similis vulgari pluuiæ; sed cum hâc etiam desinit. Nonnunquam disiicitur, sensim portione aliqua secedente, vt in vnam massam non glomeretur. Interdum vnum ex tribus perit, non perfectum. Ita nihil indè producitur. Sæpiùs illiditur in montem, aut præmaturiùs intercidit stella ventosa, quæ materiam refrigerat, vt in cella aëris compleri ac perfici nequeat. Interdum abit seu degenerat in nubem, vbi simile quid fit, sed ignauius, quia Mercurius & Nitrum non satis tyrannidis habent. Sic nihil ex illis gignitur euidens. Cæterum vbi hæc impedimenta non incidunt, sed omnia debito modo succedunt, tunc natura species suas & materias firmamenti ostentat, qualia nam subiecta habeat, & quæ producat. Compositio itaque fulgureæ huius generationis sunt, vt diximus, tria prima summè gradata, vnoquolibet ad violẽtiam & tyrannidem summam asscendẽte. Sal nitrum autem validissimũ tum est, si in pinguedine viuit. Pinguedo enim ipsius tyrannis est. Mercurius in contrarietate aduersatur omnibus, in omnibus quouis aduerso alio hostilior. Sulphur est viscidissimum & subtilissimum corpus, cum reliquis in substantiam perfectam commixtum.

Fulguris generationes quæ a[...] pediant.

Percepta iã fulguris, ex qua fit, materia: iã etiã, quî fiat, attendite. Ne antẽ fallamini, exẽplũ proponemus terrenũ. Superiora enĩ in cœlo meritò & cõmodè per terrena explicãtur. Sumite nẽpe Terrenũ Sulphur, Salnitrũ, Mercuriumque, & tria hæc per artẽ in corpus vnũ redigite. Ita pro modo terreno, admirabilem impetũ in natura terrena obseruabitis, qui tamen respectu firmamenti nihili est. Euidens hoc est in tormentis bellicis, quod exemplum minimè repudiabitis. Eodem modo & in cœlis, à Superis, hoc est, Magistris, æthereum Sulphur, æthereum Salnitrum, ęthereus Mercurius sumitur, quæ iuncta congeruntur in *Aludel*, id est, in stellam suam, vbi partes illæ præparantur & inuicem permiscentur, vt diximus. Primo liquatur Sulphur: postea Salnitrum, exiguo calore. Tandem Mercurius. Ea ita vniũtur, sine tamen cõmotione & impetu, nec quicquam decedit ipsis, nisi superfluus gradus caloris, vt antè diximus. Præparatione hâc facta, stella effundit ipsam in externas regiones, hoc est, in aërem, vnde nubes fit: quæ primò probè conspici nõ potest propter sublimitatẽ, & preparationis subtilitatem, non conspicuam priùs, quàm descendat. Tunc vnum post alterũ decidit, & congerũtur omnia in

Fulguris generatio.

in nubem magnam vel paruam, prout stella multum materiæ primæ habuerit. Interdum fulgura plura sunt vno: quæ aut conueniunt, aut sese insequuntur. Ex vnâ nube fulgura etiā plura erumpere possunt, prout concordantia & natura stellarum disponit. Nam & hæ plerunque naturæ geminorum sunt, vt bis vel ter feriant. In qua re conueniunt partubus: quibus interdū plures, quā pro numero solito eduntur.

Dum ergo dicto modo in nube aliqua congregantur vnà, tunc præparantur ibi vsq; ad finem. In aëre enim culinam habent, qua ad finem deduci desiderant; hoc est in aëre fieri potest, quod in *Aludel* non potest. Ibi ergo tria ista incipiunt sibi inuicem contrariari: & nitrum recalcitrat ac intumescit in Sulphure, nec in ipso includi se patitur, quia tria illa inter se sunt massæ igneæ. In aëre autem gadus ignis incipiunt, ita vt subindè intensiores fiant, & nitrum altiùs asscendat. Quoties intumescit: toties massam terræ motu quatit, ita, vt nubes hiscant, & fulgetrum, hoc est, splendorem igneum ex massa excutiant super terram. Colluctatio hæc iteratur aliquoties, tam strenuè diuque, donec nouissimè ardor ita intendatur, vt ipse quoque Mercurius in massam, hoc est, in actionem abeat. Is quamprimùm inuaditur, sussultum ciet, & eiaculatur ex massa violento impetu splendorem igneum per omnes nubes; (quę tamen nubes ipsorum salium fumus est, niger & variorum colorum, sicut colores omnes sunt in sulphure, sale & Mercurio.) Quamprimùm autem coruscatio illa à Mercurio mota, apparuit, sequitur illicò tonitru: quod generatur, quia illisionē & cōtrarietatē inuicē habent, nec concordare possunt. Illisio illa fit, quasi quis hydrargyrū in argentū infunderet, vbi fragor exaudietur. Fragor ille reboat in toto firmamento. Et sicut tormentum, quod in cauernoso loco disploditur, tonitru ciet: ita illa cauerna vel fornix cœlum est, vbi fragor fit. Et tonitru est crepitus, à contrarietate natus illa, quod sulphur, Mercurius & nitrum vnà subsistere nequeant. Simile quid etiam in terrenis obseruare licet, quando in præparatione aquæ salis nitri primo coruscatio fit, postea tonitru sequitur. Eadem generatio & in cœlo est, sed gradus tamen intensioris & violentioris, quo formido, & tremor maior incutitur. Massa enim illa admodum potens est & arduæ graduationis, quā non est superior alia. Ex celeritate enim & fortitudine ipsius Christus vaticinium sui aduentus petiuit.

His iam indiciis & signis apparentibus, fieri tamen nihilominus potest, vt fulgur dissoluatur, nec aliud quicquam fiat, quam pluuia, aut à vento, sponte suâ coorto, in locum aliū transportetur. Fit enim, vt massa, antequam exactè præparetur, vltrò citroque dissiliat, velut inclusus puluis pyrius, qui accensus hàc illàc fluctuat. Sursum non asscendit, quod in firmamento est. Quod enim in terra euoluat sursum, id in firmamento descendit deorsum. Terræ asscensus est firmamenti descensus, & econtrà. Hinc etiam subindè magis magisque declinat ad terram, cum auctiore fumo, prout huius materiæ natura est. Si autem perfectio incipit, ita, vt hoc loco massa in fulgur abeat, eo modo, quo perficitur & vnitur in suam massam: tunc massam illam nihil esse aliud credite, quàm tormentum probè & arctè obturatum: cuius partus quò propior, eò cutis solidior, ac nouissimè, si plenè maturuit, veluti in testa iacet, ceu ouum in suo putamine. Ita præparatum si in testa iacet: tunc nubes reliquæ, huic vicinæ, ad pluuiam saltem dispositæ sunt, quæ ob id resoluuntur in aquam. Quæ resolutio si incipit, incipit etiam ventus & impetus in omnibus per massam; ipsiusque nubes omnes, ad tempestates genitæ sunt, quas cum importunitate perficiant. Iam si massa in testa recondita, à nube humiditatem persentiscit, dum scilicet humiditas ad massam penetrat: simile quid euenit illi, quando quis aquam in æs fusile, aut aliud simile infundat. Quamprimùm aqua massam attingit, ipsa dissilit in omnes mundi partes, ac vnà cum fragore coruscationem emittit celerem & latè vagantem. In quot verò partes massa dirimitur, tot tonitrua fiunt, fragore quolibet tonitru vnum faciente.

Hoc facto massa illa versus altitudinem suam, hoc est, terram, ignem eiaculatur, quasi ad scopum aliquem. Et prout initiò foramen patens reperit, ita eò exilit prorsum, non retrorsum. Antrorsum enim rumpitur, non retrorsum. Vbi ergo erumpit, ibi cognoscitur esse, nempe corpus quoddam, nihil existens aliud quàm ignis, in exiguam massam coactus, maiorem vel minorem, pro conditione rei: quod corpus compactum, adeoq; spirituale, aëreum & æthereum est, vnde generatio emergit eiusmodi, de quo nemo ambigere possit, quod penetret & perrumpat omnia instar spiritus, qui neque corpus, nec carnem, nec sanguinem, &c. habeat. Nec penetrationem ipsius, quisquam dignè pleneque describere possit. Eius ictus adeò præceps & impetuosus est, vt omnia obuia terræ affligantur, ipsique cedere loco cogantur. Ignis iste adeò subtilis est, vt momento vno quæ terra tangit, fundat & eliquet. Vnde gradus Olympi æstimandi sunt, quàm sublimes eius operationes sint, quamq; respectu elementorū cæterorū sæuæ & violentæ. Ex violentiâ istâ & celeritate coniecturâ facieda est de spiritu, & aduētu Christi, qui per illā præfiguratus est. Quid enim aut potentius, aut violētius, aut in operatione suâ ipso fulgure admirabilius est? Quòd si ergo Christo ipsi placuit prædicere, quòd aduentus ipsius sit futurus instar fulguris de cœlo missi: fas omnino ac conueniens est, vt fulguris natura nobis probè cognita sit. Ferit enim id fortiter & penetranter, tamq; miræ est naturæ & conditionis, vt non satis excogitari ab homine, nedum plenè sciri queat. Hâc specie & modo ipse quoq; Christus venturus est. Quiq; apud se expendit, fulgur nobis pro exemplo præstitutum esse: is in posterum ab omni peccato abstinere, nec vias Dei temerè transgredi debet. Horum subinde plura genera prouenniunt, quæ inexplicata omittere non possumus.

Accuratè ergo ad fulguris miras naturas attendite. Quædam sunt frigida, quorum generatio similis est ignitorum generationi, nisi quod calore destituantur. Ad finem enim cadunt in coagulationem, quorum coagulatio est fixa, cum gemmarum cæterarum generatio fixa non sit. Hæc inquam

Coruscatio.

Tonitru.

Fulgur cur non semper feriat.

Fulgur qua erūpat.

Fulguris quale corpus. Fulguris mira vis.

Christi aduentus similis fulguri.

Fulguris variæ differentiæ.

inquam fixa est & constans. Concipiunt autem fixationem suam à spiritu proprio, qui seipsum in frigiditate coagulat in corpus fixum. Porrò fulgura sæpius metalla frangunt & liquant, illæso relicto corio. Sæpiùs hominem interimunt, nulla apparente plaga. Sæpiùs in fenestris plumbum liquant, intacto vitro. Sæpiùs cranium comburunt, non adustis capillis. Sæpiùs culcitram amburunt aut penitus exurunt, nihil violatis pennis. Sæpiùs per Ephippium equum occidunt, Ephippio saluo. Sæpiùs tunicam comburunt, intacto corpore. Sæpiùs in clausa & obserata cista pecunias fundunt, ligno non adusto. Nemo non est vspiam, qui fulguris vim & opera mirabilia vllo sermone satis expedire & explicare queat. Mihi quidem causa ea naturalis videri minimè potest quia necesse est, stupendam huiusmodi operationem emergere ex eo, vt nobis exemplo sit, Christum ipsum tali cum prodigio venturum, nec fractam arundinem læsurum, aut scintillans ellychnium exstincturum esse, sed ea, quæ circa ista sunt. Aut opus est, vt superi hac arte vtantur. Aut Diabolus talia perficit. Ego tamen ex sententia priore sto: quia Christus ipse exemplum id induxit: quod ita venturus sit ad iudicandum viuos & mortuos: vt scilicet hoc pacto peculiaria signa, captum humanum omnem excedentia ederet, nosque per ea moneret, quòd eadem cum celeritate dies quoque extrema incubitura & iudicij seueritas processura sit.

Fulgurũ varia opera.

Fulguris vis Theophrasto non naturalis.

In principio autem Meteoricæ huius descriptionis appello *pennates*, hoc est, superos in firmamento. Hi istorum operum magistri sunt præparandorum & fabricandorum. Isti sunt, qui fulgur mittunt & dirigunt, hoc est, sunt balistarij, qui tormenta dirigunt, quò vult Christus, nempè in id, quod extra Dei tramitem exorbitat, seu in Dei hostes, non in amicos. Hoc enim euincitur exemplo, quòd Christus nemini iniuriam facturus sit, sed dicturus tantùm: *Abite maledicti in gehennam.* Præsagia ergo sunt non tantùm fulgura, sed tempestates etiam aliæ, quęcunque tanta cum importunitate & impetu inundant, vt sunt tonitrua, venti, grandines, & quę vniuersa quoque hîc comprehenduntur. Suspiciant ergo, qui feriuntur. Nam & Sodoma ac Gomorrha tactæ sunt. Præsagia ista sunt terribilia, quia sunt exemplo, taliter quoque Christum venturum esse. Præterea, nemo inficiari potest, adeoque in propatulo est, posse Diabolum possidere ipsum hominem, eumque importunum reddere, velut & pecora, vt sues. Quod si hanc potestatem accepit, acceperit eandem vtique in canes, catos, equos, & omnia quæ hominis sunt. Sic concessum eidem quoque est præsidere tempestatibus, fulguri, grandini, & varios trucesque tumultus suscitare, ac fulgura, &c. eò eiaculari, quò vult, & à Deo permissum est. Vtut autem hæc sint: ex permissione certè Dei eueniunt. Ex quo concludere possumus, quòd eo modo Deus etiam Diabolum in terram missurus sit, vt sua inde mancipia in æternum ignë violenter secum abripiat. Sapientiæ ergo & iudicio diuino hæc, non homini adscribenda sunt. Quod vt cogitem, hæc me causa instigat, quod per hæc Deus seipsum præfigurauit, qui fractam arundinem non comminuet, aut fumans ellychnium non exstinguet, sed tamen id quod integrum est, & altè flagrat, quod ex tonitru & tempestatib. facilè intelligi potest. Sic ergo causa & generatio fulguris, & nubium, tempestatumque in firmamento respectu terræ, crescens stupendum est; magis autem admirandum ipsius opus. NOTA: *Erunt signa in Sole,* &c. Item, *Clanget tuba,* &c. id est, tonitru fulguris Christi, tonitru cœleste, tubæ.

Pennates fulguris directores, &c.

Fulgura, &c. sunt. præsagia.

Diabolus cur fulgura facere possit.

CAPVT IX.

De Extraneis.

Dicendum iam porrò etiam de generatione est illa, quâ interdum ranæ, vermes, aut viuentia animalia alia è sublimi deiiciuntur & inueniuntur. Hîc repetetis vobiscum, quòd initio dixi de animalibus in cœlo, nullum nempe elementum existere, quod non in se contineat viuens animal, hoc est, multiplex. Sic in terra sunt varij vermes, varij in aqua, varij in aëre. Sic & in firmamento. Nec hoc cuiquam mirũ obuenire debet, cũ natura mater sit in elementis, tam superioribus quàm inferioribus. Quando ergo dicunt, pluisse ranas: statui debet, ranas istas de firmamento prodiisse, ac in ipso ex similibus ranis progenitas esse. Inciderunt enim in terram illę, sicut etiam talpæ persæpè super terram prodeunt & discurrunt, quæ tamen ipsis natiua non est. Eadem & aliorum vermium natura est. Non ergo absurdum est, tales etiam in firmamento reperiri, ex quibus illę descendunt. Quanquam impossibile sit, aliquid desuper ad nos cadere. Id enim sursum est. Idemque esset, ac si nos sursum in cœlum caderemus. Verum quidem est, eas decidere: ipsis tamen id est sursum, prout cœli natura fert. Generari autem nequeunt, nisi tempestas quædam eiusmodi destructionem in illis locis moliatur, ob quam illę cum impetu delabantur, ita, vt cum pluuiâ aut alio quodammodo decidant. Sed & hoc verum est, quòd mense Maio sperma decidat, ex quo ranæ virides seu arboreæ generentur. Ranulę enim huiusmodi omnes ex firmamento sunt, spermatis specie decidentes, & postea per messem suam pleniùs succrescentes. Hoc non de ranis saltem, verùm & generibus aliis omnibus verum est, vt, quod non corporaliter decidit, specie tamen seminis delabatur. Vnde sæpius in loco quodam animal reperitur, quo parentes ipsius non penetrarunt. Hæc omnis causa est firmamenti in aliquibus. In aliquibus causa est aër, qui & ipse generata huiusmodi specie multiplici continet, non minùs, quàm vel terra vel aqua. Huius census est generatio quoque Basilisci, & rarorum insolitorumque animalium aliorum, quorum origo ac partus citra terrenam matricem fit, secus quàm animalium cæterorum terrestrium aut aquatilium.

Nullum elementum animali caret.

Ranæ pluuiæ ex firmamento.

Ranæ depræ... (illegible)

Ranæ virides mense Maio.

Basilisci.

Ita quandoque etiam fit, vt dicatur pluere sanguis. Cum hoc ita comparatum est. Aurora, quæ spuma est de sulphure & tribus primis, interdum decoquitur in tenacitate & naturã spumæ deponit, veluti de aurora diximus, quòd spuma sit leuis spuma ea si in mucilaginem aut bituminosam

Sanguis vt pluat. Aurora est trium primorum spuma.

bituminosam naturam abeat, tunc à suo Astro coquitur, vt rubescat. Ipsius enim color ruber est, & substantia tenuitatem aut crassitudinem sanguinis habet. Ita præparatam & transmutatam, cœlum demittit. Nullum enim sustinet corpus tangibile, hoc est, quod ex intangibili tangibile fit, sed omnia à sese eiicit. Idem ita quoque destillat, interdum sponte & per se, interdum eam pluuiâ, prout res fert. Ranæ in firmamento substantiæ non sunt, cùm autem substantiæ fiunt, decidunt. Idem etiam circa spumas exhalationesque similes accidit, vt specie eâ, quâ in coloribus sunt, in colores incorporentur, qui colores postea decidunt, candidi, cyanei, nigri, &c. Aqua enim de cœlo stillans non vnius perpetuò coloris est, sed multas differentias habet. Alicubi in montanis quandoque fit vt lacte pluat, non minùs quàm sanguine. Huius quod in lapides decumbit, albam & bituminosam vsneam gignit, quæ cum tempore coagulatur & induratur instar lapidis, ex alio enati. Huiusmodi cœlestes vsneæ colore vario sunt, rubro, id est, sanguineo, viridi, cœruleo, nigro, luteo, &c. Quod in terram illabitur, vehit & aquam, vanescit. Tum & depluendo multum in colore mutatur, vt non, qualia sunt, omnia in terram decidant. Nec nobis ignotum est, quòd naturales prisci per eiusmodi vsneas multa tentârint & moliti sint in Medicina, velut & in Alchimia, vbicunque eas impetrare potuerunt. Easque vocarunt Flores cœlestes. Quid verò effecerint, nescio. Haud dubiò tamen aliquid. Speculationes enim eorum fundamento non caruerunt. Loquor autem de genuinis naturalibus, non de Aristotele.

Lac vt pluat. Lac lapidescit.

Vsneæ Flores cœlestes.

Præterea visus est interdum etiam depluere ignis. Cuius hæc causa est. Pluuia omnis, qualiscunque sit, nihil est aliud quàm Sulphur, Sal & Mercurius. Sulphur est naturæ igneæ per se, & ardendo seu deflagrãdo resoluitur in aquam. Iam si fiat, vt in aërem perueniat, ex suis stellis elapsum, nondum tamen ad gradum seu locum suum satis præparatum, sed tantùm ex parte aliquâ: tunc præparata pluuia more suo decidit. Postea decidit etiam reliquum, nondum omnino resolutum. Dum ergo ita deturbatur, in ista actione sulphur est adhuc flagrans, atque ita cum pluuiâ, in qua est, consumitur, siue parum siue multum sit. Si enim coruscatio aut fulgur igneum de cœlo cadere potest: poterit idem etiam illud, de quo loquimur. Omnia enim sunt de Sulphure ardente, quod aut fixum est, vt in fulgure: aut minimè fixum, vt in pluuia. Potest tamen priusquam maturescat, sese demittere: velut in sublimitate nubium operatur, vt manifestè oculis conspici possit. Et si in cœlo ardet, ignis iste propter Solem, aut obiectas nubes videri nequit. Ignis iste decidens, nihil adurit. Quanquam si sine pluuiâ terram prehendat, eam vstulet, aut arefaciat: Vt aliquandiu post ibi nihil crescat. Si verò cum aqua permiscetur, aqua quodammodo ipsum cohibet. Coruscationes nocturnæ, sine tonitrubus fientes, eiusdem quoque naturæ sunt, effunduntur que in aërem, & ab aëre deorsum mittuntur, hoc est, præceps flamma cadit, quæ in seipsa deflagrat. Coruscationes huiusmodi oriuntur à stellis æstiuis, non brumalibus, suntque ipsarum expurgationes, quas eiiciunt vel superflua & excrementa. Hanc enim naturam habent, vt ipsæ quidem nihil sint aliud, quàm sulphura ardentia, qui sulphureus ardor æstatem parit. Et hi flores sunt, qui noctu coruscant. Non autem de nocti saltem fiunt, sed & de die, de die tamen non conspiciuntur. In terram omnino cadunt. Et nisi pluuiæ sæpiùs coincidant, aut stellæ æstiuæ frequenter coruscent, cùm herbas, tum gramina exiccant, maximè versus meridiem, vbi in summa exaltatione sunt, & versus Orientem, &c. Nec culpa ea Solis est, sed stellarum æstiualium propter sulphureas coruscationes, quòd ita adurant, ac interdum etiam syluas ac domos incendant, nullo igne viso: ne de nocte quidem, quia frigiditas noctis resistit.

Ignis cur depluat. Pluuia quid.

Coruscationes quid.

Interdum etiam figuræ è cœlo in terram labuntur, specie varia, interdum crucis, interinterdum flagelli, aut cranij humani, ac signis aliis, passionem Christi aut gesta alia repræsentantibus. Quæ etsi quidem Meteorica minimè sint, causa tamen ipsorum in Meteorica comprehenditur, ea ratione, quia *pennates* istarum rerum pictores sunt, figurasque effictas deorsum in terram proiiciunt, cadentes vel super homines, vel ligna, vel lapides, vel vbicunque ab hominibus conspici queunt. Nec enim minorem illi iaculandi peritiam habent, ac Sol, qui radiis suis terram ferit. De his tamen tenendum est, quòd nunquam fiant, nisi præsagia quædam instent. Sic mea ætate, cruces, galli, flagra, columnæ, Pilatus, &c. super homines ceciderunt, eo modo ac forma, velut scriptum legimus. Non autem hoc est ex natura, sed ex ordinatione diuina, vt illis præfiguretur noua alteratio futura apud hos, qui huiusmodi signis vtuntur, sicut post euentus docuit, & vel dum docet. Simili modo in cœlo interdum etiam præsentantur figuræ quædam, nihil aliud portendentes, quàm futura aut euentura talia esse illis, qui ipsis forte vtuntur. Sic annis proximis visus in Silesia rex est, vario habitu, personisque insolitis cinctus. Quod præsagium est, idipsum suo tempore ita completum iri. *Pennates* enim superi præsagiorum eiusmodi magistri, opifices, elaboratores, ac formatores existunt: Nihil ergo res illæ aliud censendæ sunt, quàm quòd ex naturâ, per *pennates superos* productæ factæque sint, ex intimo cœlo ita demandatæ, vt futurorum temporum euentus prænuncient. Qui mirabilium istarum figurarum & similitudinum naturas ac appasentias describere vellet: huic nulli libri sufficerent. Sunt enim euentus longi & admirandi. Hominis ergo officium est, ad ea multò accuratiùs, quàm ad naturalia cætera vniuersa attendere. Præsagiunt enim ipsius vitia & flagitia, Sic nec tonitrua suo mirabili euentu carent. Deus enim in suis operibus imperscrutabilis est: nec quisquam ea ad amussim penitus explorare & indagare nouit.

Cruces, flagella, &c. vt pluant. Penates eorum caussæ.

Theophrasti ætate pluitcrucibus, gallis, flagris, &c.

Præsagia quid moueant.

Dei opera imperscrutabilia.

Vsu venit etiam quandoq; vt lapides & metalla de cœlo labantur. De his ita disquiremus. Vnicuilibet elemento primam suam materiam Deus contribuit, ex quo produceret, quod cõuenit ipsi. Sic terræ conueniunt plantæ: aquæ mineralia:

Lapides & metalla cœlo lapsa.

mineralia: aëri *Tereniabin*: suæ itidem peculiares generationes cœlo. Iam autem quodlibet suo tantùm operi vacat, nec generat aliud. Fieri itaq; nulla ratione potest, vt aqua aut terra generet fulgur, pluuiam, niuem. Hæ enim generationes cœlo debentur ex officio. Sic vicissim, cœlum generare minimè potest, quæ cæteris elementis conueniunt. A cœlo ergo nullum Minerale, siue lapis aut ferrum sit, produci potest. Iam verò vsu & experientia constat, factum esse, vt veri ac naturales lapides de cœlo deciderint. Nec cum fide pugnat, similiter & metalla delapsa esse, licèt præter ferrum nullum notatum sit. Nam & causa est, cur fieri non possit, vt alia quoq; instar ferri decidant, velut & genus vnum de lapide. Modus fiendi is est. Videtis scilicet stellas vniuersas virtute attractrice præditas esse. Sol attrahit, quod humidũ est: Luna attrahit quod natura calidũ est. Sic ergo, quod frigidũ Sol attrahit, id est, aquã, id manifestũ est. Ita & Luna attrahit quod calidum est, hoc est, si in creato aliquo natura calida latet, hanc Luna extrahit. Hinc fit, quòd homines, ex quibus Luna calorẽ extrahit, si morbis obsessi sint calidis, meliùs habeant, & econtra. Nam ex multis indispositis ipsam quoque vitam extrahit. Idem aut simile stellæ quoque aliæ faciunt, modis aliis.

Elemẽta pensum suũ seruant.

Attractrix vis in omnibus stellis. Sol humidum: Luna calidum trahit.

Ex his colligite, stellas etiam quasdam esse, Magneticâ vi insignes, quâ ferrum ad se trahãt. Præter hoc enim aliud metallum attrahi nullũ potest. Dum ergo eiusmodi attractio instituitur non inconueniens est credere, in sublime attrahi ferrum, ad mansionem stellarum illarum attrahentiũ. Id demonstrat mons Magnes in terra, qui circumcirca ferrum ad se attrahit. Quod tamen non facit confertim, & in vna mole, sed secundum proportionem corradit, quantum quidem cedit, dum multum colligere possit. Eodem modo & stella Magnes ferrũ ad se allicit, forma tenui & exili: ex finib. & locis propinquis, sursum in suam mansionem. Id si accepit, rodit & commolit, velut Magnes, æruginemq; decidere patitur, ac fit *Alcool*. Quicquid *Alcool* in Sole est, est de corporibus ita attractis, & à superioribus stellis corrodendo in Alcool redactis. Sed & hoc memoratu dignum est, quòd & ligna & similia alia attrahantur varia. Experimur enim, si *Alcool* Solis colligantur in cumulũ vnum, ea nõ dissimilia apparere ligno putrido, & similib. aliis. Nec enim hæc omnia in terram abeũt, sed quędam à Sole & stellis commoliuntur, & comminuta attrahuntur in firmamentum, non minùs ac aqua à Sole, humiditasque hominis calida à Luna. Quia verò in consumptione illa mors est, quæ rem depopulatur, vt ignis: ideò ad nos non redit aut recidit, sicut nec aqua à Sole attracta, ad nos relabitur, sed in aere emoritur, & penitus consumitur.

Ferrũm solum cœlo dilabitur, & cur.

Magnes mons.

Lignum à cœlo attractũ.

Atque huiusmodi res per Philosophiam, stellarumque virtutem commodè quidem stabiliri possunt. Quicquid enim Soli expositum iacet, euidentiùs consumitur eo, quod ipsi expositum non est, siue metallum sit, seu res alia, quæ fixi nõn est corporis. Quod enim fixum non est, abit. Exemplum: Quicquid ignis depopulatur & consumit, inficiari nequit quisquam, quòd idem quoque facere possit suo tempore cœlum. Ignis autem consumit id horâ vnâ, quod natura per se non facit multis annis. De ferro autem quod relabitur, hoc tenendum est. Magnes iste æthereus attrahit ad se, vt dictum est, ferrum. Nec enim fixum est. Id transmutat in æruginem, quam attrahit, à Magnete sibi præparatam. Hoc ferrum si ipsi appropinquat: tunc, si nimium est, & Vulcanus celerior incidit, qui id cum *æthereo Borra* corripit, confluxile illud facere potest in massam vnam, quasi iacuisset in fornace fusoria. Cum ergo hoc modo id in corpus vnum confluxit, firmamento onerosum relabitur. Et hoc ferrum si alicubi reperiatur, alio genere multò præstantius est. Borras enim æthereus id depurauit, & gradibus multis intendit. Quoties autem natura sese talem præstat, res haud vulgaris est. Latet enim in hoc mysterium singulare. Fieri autem & hoc potest, vt generationes eiusmodi, ex infernis attractæ, à *pennatibus* assumantur, qui fabricatas eas iterum deiiciant. *Superi* enim in stellis Magneticis habitant, quòd talibus operibus præcipuè delectentur.

Sol omnia depopulatur quæ ignis.

Ferrum quomodo patur, recidat.

Borra.

Pennates in stellis Magneticis.

Post hæc contingit quoque, vt lapides quandoque deruant. Quanquam nec hoc vulgare sit, sed res rara, cum præsagio coniuncta, sicut sine præsagio nec metalla decidunt. Lapides hi in stellis generantur. Fulgur enim frigidum nihil est quàm durus lapis, similis alij cuidam. Iam si natura Olympi in fulgure frigido lapidem gignit, fieri etiam poterit, vt huiusmodi lapides in terram decidant extra fulgur. Cumque euidenter illi præsagia sint, & signa rerum futurarum: pennates omnino superi materiam eiusmodi fabricant, & in lapidem transformant. Materiam quidem habent generationis frigidæ, sed non coniunctam, nec in lapidem mutabilem, sed modis aliis resolubilem. Superi autem sunt, qui propter præsagium, materiam illam resolutionem peruenire non sinunt, sed potius ex illa lapidem fingunt: quem postea, idoneo & iusto tempore in terram cadere permittunt. Nam lapides attrahi, nec à naturâ est nec alio ipsi simili. Isti enim fixi sunt, ac in terra immoti manent. De ferro autem contradicere nemo potest. Hoc enim cùm magnes ad se attrahat: cogitatu facile est, Magnetes similiter & in cœlo vigere idem facientes, ceu diximus. Et quicquid in humiditate cõsistit, aut putrescẽdo in humiditatẽ facessere potest, id omni attractioni idoneum est, velut lignum putridum, aut putrescentes res aliæ, tamdiu, donec nihil eius supersit. Ex hisce ergo punctis Meteoricis, quæ singularia in natura accidunt, cognosci & expendi debent, vt dictum est. Natura enim in suis operibus mira & abdita est, ac miris magnisque virtutibus à Deo dotata & coornata. Dictorum autem cognitionem largitur cùm ipsa experientia, tum ocularis demonstratio: insuper ipsum quoq; lumen naturæ, quod seipsum pandit ac profert, nec homini quicquam absconditum esse vult, in ipso inquirenti. Nihil enim adeò arcanum est, quin manifestetur: nihil tam exile, quin in apricum, hoc est, hominis intellectum proferatur.

Lapides casus præsagus.

Fulgur est lapis.

Lapides fiunt à pennatibus.

Lapides sũt fixi.

Humida & putrescibilia omnia attractioni apta.

Lumen naturæ &c.

CAPVT

CAPVT X.

De Exhalationibus.

DEinceps etiam notandum vobis est, quòd stellæ æstiuę ac hyemales sese frequenter expurgent, non per coruscationē, sed per corpus quoddam, quod ex sese eiiciūt. Id vocatur exhalatio stellarū. Huius origo est, quòd stellæ in firmamento suam nutricationem habeant, quā ab elemento isto conseruentur. Nihil enim vspiam creatum est, quod non indies, vt homo suo alimento egeat. Vnde sequitur & stellas ex suo elemento edere & nutriri. Porrò quicquid cibo nutritur potuq;, id suū etiam excremētum profert. Iam constat, illas non nisi igne sustentari, sicut homo nutritur terrâ, de qua est. Ex igne illo essentiam suam extrahunt, sicut homo ex cibo sanguinem suum ac carnem. Ita quod non est essentia, fit excrementum. Et quia statum suum tempus stellæ habent, conceptum suum excrementum deponendi, tunc si interdiu id fit, nemo obseruat: si noctu, notatur. Estque ignea stella, in longum porrecta, desuper de cœlo ex stellis orta, licèt, quam sublimiter decidat, dignosci non queat. Si tamen in cœlos inferiores aut aërem sese demittat, ibi primùm conspicuum fit, ac in terram labitur, vbi instar liquaminis iacere reperitur. Non quidem inficiamur, aliis quoq; viis stellas expurgari, non tantâ cum igneitate, vbi tamen ignis aliquis sit, licèt inconspicuus. Vnde multæ exhalationes candidæ, ex stellis frigidis excussæ reperiuntur. Huius rei multum per pluuiam decidit: multū per nubium lapsum: multum per frigora & grandines. Hæ enim tempestates omnes, stellarum sunt purgamenta, ad exitum tendentia. Dum verò euadunt ignea, idem accidit, quod illis qui potant aquam, & aquam reddunt. Sic stellæ potant ignem, & ignem iterum excernunt. Is autem quam primum terram attigerit, ignis amplius non est, sed est terrenum liquamen aut mucilago, similis rubeo aut flauo spermati ranarum.

Nutritione omnia egent. Stellæ nutriuntur igne.

Exhalatio quid.

Excrementis his sūt similia.

Præterea, natura quoq; volucres facit, igneas & volantes, quas vocant dracones, à monte vno ad alterum traiicientes. Dracones hi interdum ignis sunt substantialis, vt instar fulminis accendant obuia. Interdum fiunt liquamen, instar excrementi stellarum, aliquando toti consumuntur, quandoq; dum consumuntur, tetrum odorem emittunt. Horum generatio talis est. Notum est, ex multis rebus fieri animalia viuentia, vt scarabæos, muscas, araneas ab aëre, quæ semen non habent in eo, ex quo oriuntur: sed oportet ipsa sine semine aut spermate fieri sicut de aëre Philosophia demonstrat. Eodem modo ipse quoq; Olympus genus quoddam animalium gignit in suo firmamento: nec solum dracones, sed & alia, vitam & brutalem sensum habentia, ad volandum & traiiciendum, tam die, quàm nocte. Quòd si enim elementum aquæ multa monstra parturit, & terra varios vermes, ac aër diuersos scarabæos ac muscas: vtique & cœlum Salamandris variis abundat. Hæ enim veræ & genuinæ sunt Salamandræ, quæ ex igne, hoc est, ex putrefactione ardentis sulphuris generantur. Et sunt illæ vnum ex quatuor miraculis elementorum, pecora nempe Olympi. Et quo sensu pollent pecora in aqua, terrâ & aëre: eodem prædite sunt & Salamandræ. Vita ipsarum diuturna non est. Dum autem viuunt, metam & scopum longinquum volando & iciendo conficiunt, nempe centena aliquot milliaria: quod non volatu vno & continuo prostant, sed interrupto, iam ad hunc, iam ad illum locum facto. Vbi semel considunt, ignei Dracones non apparent. Tales tamen apparent iterum, quam primùm sese in aërem nonnihil attollunt. Ignei facti, illicò iterum fulgent. Suam ipsi etiam quietem, suum somnum habent. Hoc tempore nihil lucent: sed tantùm, quando loco mouentur, aut in longum euolant.

Dracones volātes quid.

Draconum generatio. Muscæ, aranea &c. ab aëre.

Salamandræ vnde generentur.

Dracones quousque volent.

Dracones dormiunt.

Sed & hoc sæpe fit, vt duo trésve soles, aut totidem Lunæ, aut species aliæ, æquo plures, conspiciantur. Quæ si fiunt, præsagia sunt, non genuina naturæ crescentia. Illa enim *Pennates* superi faciunt, similitudinem talem futuram ipso opere præsagientes. Sic ab eiusmodi visis euentus sæpè docuit, quidnam portenderint. A pennatis autem fiunt, non secus ac si artifex quispiam arborem, à naturâ productam, cerâ aut re aliâ exprimeret, aut corallum natiuum, arte sua ita affabrè æmularetur, vt è distanti vtraque vnum apparerent & dicerentur & omnia pro genuinis & à natura productis corallis haberentur. A vero enim genuinoque, factitio quoque nomen inditur. Aut quasi vas aureum (quod verè tale esset) ab artifice præfiguraretur, ita vt is duo triáve vasa ex orichalco, auro planè ac apprimè similia, effingeret, eaque deauraret. Tunc omnia tria æque aurea viderentur & dicerentur. Sic & pennates materiæ & instrumentorum in firmamento satis habent, quibus eiusmodi Soles orichalceos, & Lunas similes, quot velint, fingere possint. Circa numerum tamen hoc cauent, ne plures faciant, quàm præsagium poscit. Hoc enim fine pennates in cœlo sunt, vt hæc officia dispensent. Bene autem illi, qui, quid & cur pennates species tales præfigurent, cognoscit. Nihil enim arduum ac sublime vel nascitur vel inchoatur, quod ipsi non præsagiant. Sed ista pertinent ad Magos, minimè ad Astrologos & Astronomos. Nec verò in Sole ac Luna tantùm illi talia operantur, sed & circa stellas alias idoneas occupantur, quas aut maiores faciunt, aut alias, nouasque, insolitas & mirabiles, prout ipsorum opificium fert.

Soles & Lunæ plures præsagia sunt. Fiunt à pennatibus.

Solium numerus vnde cōstituatur.

Pennates iidem arcus etiam seu irides Soli Lunęve circumducunt, aut signa alia, variè colorata producūt. Quas autē ipsi irides faciunt, præsagæ sunt. Sunt enī & aliæ, naturales. Quādo enī per iridē pax in specie significata est, aut significatur, illa à pennatis constituitur. Hæ ergo à naturalibus distinguendæ sunt. Naturalium enim generatio talis est. Iris nēpe nihil est aliud, quā Sulphur, Sal, & Mercurius, cū suis coloribus, quæ eo loco subtilissimè & exquisitissimè digesta sunt. Generantur in firmamento à stellis aqueis, quarum flos sunt, si pluuiam inuehunt. Sine præmisso tali flore nulla pluuia incumbit. Quoties enim stella pluuiam parturit, iris ceu flos primum est, deinde pluuia. Non tamen irides toties conspiciuntur, quoties pluit: quia in aëre sæpius vanescunt &

Irides duplices sunt.

Irides naturales vt fiant.

Iris flos pluuiæ.

consumuntur. Vbi autem pluuiarum eruptus insignes fiunt, ibi conspicuæ irides apparent, quæ à stellis & nubibus in terram sese demittūt, duobus apicibus telluri incumbentes, & in orbem sese sursum effundentes, tamque diu durantes, dum ab aëre consumantur. Sic binæ interdum irides fiunt, vt Gemini: quibus duplex & diuturna pluuia portenditur. Altera enim in seipsam intendit. Et hæc ex diuinâ ordinatione & prouidentiâ ita eueniunt. Nihil enim est vspiam, quod non florem emittat. Coruscatio est flos fulguris & fulminis. Sic & in cæteris. Multi rerum flores sunt, quos nec videmus, nec nouimus, quia in aëre consumuntur & dispa- rent. Saltem videmus illos, qui humiliùs exhibentur, & ad nos decidunt.

Flore nihil caret.

Sequitur alia Meteororum, quinque succinctis libris distincta.

LIBER PRIMVS.

DE IRIDE.

Iridis & partus muliebris cōparatio.

ORtus ac generatio iridis, respondet partui mulieris. Sicut enim mulier requirit tempus, ad maturandum fœtum: ita suum tempus poscit etiam iris. Et veluti mulier interdum duos trésve fœtus parturit: ita & irides iam geminæ, iam ternæ producuntur. Vtrobique enim vna generatio est.

De motu autem eius tenendum est, Irides alias simul cum stellis aqueis currere: alias extra illas: quasdam in linea circuli Zodiaci, &c. Insuper & diuerso tempore oriuntur. Quædam enim sunt æstiuales, quædam hyëmales, hoc est, sunt omnium horarum. Sicut enim fœmina omnibus horis parere potest: ita & iris. Nec enim definitam messem autumnúmve illæ habent: sed quando coniunctiones earum fiunt, tunc generationis ipsarum tempus instat.

Iris rarò tēperatione generatur.

Quanquam vix centesima Iris conspiciatur. Ad generationem enim suam & operationem, contemperationem singularem requirunt, hoc est, nec calorem nimium, nec frigus, nec humiditatem. Quæ enim Irides in hyeme existunt, à frigore congelantur, & destruuntur. Quæ per æstatem sole claro & sicco fiunt, exarescunt & comburuntur. Hinc fit, vt illæ non conspiciantur: cùm alias indies Irides apparerent. Manè autem & vesperi, aut tempore pluuioso temperatura vigente, generationis idoneam occasionem habent.

Iris cur prænūtia pluuiæ.

A Germanis Iris, arcus pluuialis dicitur, quia pluuias prænunciat, cuius denominationis hæc causa est, quòd pluuioso tempore perficiatur, cùm tamen aliis temporibus aut exiccetur aut congeletur. Hinc etiam pro pluuiarum prænuntio habetur, sed ita, vt diximus. Itaque nihil certi statui potest. Sicut enim incerti sunt partus fœminarum: ita & Irides, nihilque certi denuntiant.

Iridis colores vnde.

Irides colorem suum mutuantur ex Sale Ignis. Egrediuntur enim ex elemento ignis: & hi ignis etiam colores sunt, non alij. Et, si Sal iniiciatur, ignem videtis diuersimodè efflagrare, iam viridem, iam citrinum, iam cœruleum, iam flammeum, iam rubrum, &c. Sicut ergo colores isti non permiscentur inuicem, sed liberi asscendunt, iuxta sese diuisi: ita & iris colores suos, quos ex virtute spiritus Salis in igne contenti, habet, distinguit & discernit. Talis enim ipsius est natura & congenita proprietas.

Formæ [illegible] perscrutabiles.

Sed & de eiusdem forma ac specie cognoscite. Videtis nempe, omnia in certas formas dirigi. Sic homo, sic pecora, sic herbæ, sic arbores, sic lapides, &c. Forma hæc Philosophiæ imperscrutabilis est, cur nam ita condita sit. De homine quidem iudicare possumus, ad quid manus pedesque, ac oculi & lingua, &c. conducant. Multò minùs autem de creaturis reliquis: nec dicere quicquam possumus aliud, quàm quòd Deo ita placuerit. Ita enim suam formam rosæ, suam lilio datam esse videmus, saltem vt oculis nostris miraculo sint. Hominis formam requirit necessitas. Non item aliorum: nisi fors illa forma ex proprietate procederet, hoc est, cum illa res vna & eadem esset. Quod tamen fieri minimè posse dissolutio indicat formæ, manentibus rei proprietatibus. Sicut ergo in natura forma ex semine procedit cum tempore ad fructum: ita & iris ex stellâ suâ in inferiore firmamento inuisibiliter crescit, donec quadraginta suas hebdomadas compleuerit. Quibus completis, & horâ partus instante, si nubes temperata adest, tunc sese iris exhibet, ac perficitur in sua forma ac coloribus, sicut natura ignis ipsam constituit.

Iridis duratio quanta.

Duratio eius longa non est. Sicut enim definitum vitæ tempus omnia habent: ita & iris. Vsque adeò enim tenera & subtilis est, vt à leui aduersitate facilè frangatur & dispellatur. Durat tamen plerunque ad horam vnam aut sesquialteram. Quanquam aliæ breuiores, aliæ diuturniores sunt: sicut creatura quælibet ante & post tempus dissolutionem pati potest. Quòd enim interuallum est inter senem centum annorum morientem, & vnius mensis infantem? Sic & inter hominem mediæ ætatis id est quadragenarium? Porrò omnis iridis hæc natura est, vt pedibus vtrisque desistat in terram, cum ab aere detruditur aut demergitur in solum. Et sicut flores omnes cum suis foliis sursum tendunt: ita impressiones superiores diriguntur deorsum. Deorsum enim est illis sursum. Radices namque superius sunt. Vnde & crescens ipsum descendere de solo, non in solum debet.

Iridis fines quis. Cœlestia deorsum, terrestria sursum vergunt.

De Figuris in Cœlo mirabilibus.

Figuræ cœli ex natura lex.

FIguræ in cœlo multifariæ nascuntur, similitudine viri, pecudis, rerum aliarum rararum & inauditarum. Generatio eiusmodi in firmamento naturalis est. Ex stellis enim suum corpus, suam materiam, velut & formam desumunt. Sicut autem inter homines monstra nascuntur, fœtus nempè insolita & stupenda nec describenda forma: sic itidem & hæ figuræ cœli monstra sunt, partim ex iridibus, partim ex siccis nubibus, partim ex formarum permixtione progenita. Ac veluti ex ternis quaternísve spermatibus confusis producitur monstrum: ita & hoc casu spermatum stellarium permixtio fit. Quòd si enim corpora illa coeant, quodlibet properando suam formam intendit. Hoc studio, vnum sub-

Figuræ cœli monstra.

Figuræ generantur.

indè

indè alterum infringit. Oriuntur ergo indè formæ, quas nemo prædicere nouit, propter variæ permixtionis incertitudinem. Itaque formæ huiusmodi non pro miraculis aut præsagijs agnoscendæ sunt. Huiusmodi enim errata in natura multa accidunt.

Ex qualibet ergo iride, malè cadente, nubes fit, variè colorata & effigiata rubea, viridis, lutea, &c. maximè, si aliarum formarum nubes in cœlo coincidant. Nubes huiusmodi vbi conspiciuntur, monstra sunt ex iride nata, siue interdiu fiant, siue noctu.

De Lanceis.

Lanceæ vt generentur.

SEd & lanceæ & formæ aliæ similes ostenduntur. Quæ, si iridis colores simul adsint, illarum monstra sunt. Quod enim in arcum abire debebat, idabit in longitudinem: quæ ipsa tamen nonnunquam præsecatur, ita, vt plures partes fiant. Connoluitur interdum in globum vel annulum, vel aliud simile, prout cuiuslibet dissolutionis natura est. Quis enim dissolutiones rerum satis explicare queat, quàm variè, aut in quot fragmina distrahantur? congeruntur interdum ita, vt arces repræsentent, aut templa, aut orbes. Itaque ex monstrificis his homo presagij multum sumere minimè debet. Nam & in terra fiunt similiter, & rebus omnibus. Dictæ itaque figuræ nihil sunt, nisi fractæ irides, & harum corpus, color substantia, sicut inuicem separantur & dissoluuntur, tam ratione colorum, quàm formæ. Suam etiam peculiarem ætatem habent, ac viuere queunt vel diutiùs vel breuiùs, prout iridum conditio est.

Lanceæ quid.

Formæ Lunares, vt generentur.

Fiunt in cœlo aliquando etiam figuræ & formæ claræ, veluti noua Luna, aut Lunæ similitudo, aut forma alia, etiam ignea, vt diximus. Harum origo est ex excrementis stellarum, hoc pacto. Videtis, stellas subindè sese expurgare, & tractum igneum in terram deiicere. Ista naturaliter fiunt: suntque ipsarum flores, sicut flores suos etiam arbor exprimit. Sicut enim stellæ luminosæ sunt: ita & ipsarum flores, quamdiu durant. Et sicut videtis vermiculos micantes, stellas seu lucem suam noctu ostendere, non interdiu: ita & illa. Imò, veluti vermiculi lucem illam tantum viuentes habent: ita & iactus stellarum lucent, quamdiu viuunt. Quamprimùm in terram cadunt, refrigerantur, & emoriuntur, nec amplius lucent. Ea materia, dum cadit, interdum sese pandit aut extendit, vt iam lanceæ, iam draconi, &c. assimiletur. Et tamen nihil est aliud, quàm stellæ expurgatio in florem. Nam & in terra plantę sunt, similiter facientes.

Monstra similia etiam fiunt, si excrementa eiusmodi in aëre sustinentur instar nubis, ob læuitatem & aeream naturam. Floramentum id si conglobatum manet, nec discidit, grandem stellam aut Lunam refert. Prout enim materiæ vel multum vel parum est, aut propiùs adest terræ, ita maior vel minor stella apparet. Potest etiam in fragmenta dilabi, & alias figuras exhibere, veluti superius de iride definiuimus. De igneis hisce figuris formisque hoc tenendum est, quòd scil. stella ea in terram lapsura fuerit. Impedita verò aliunde, in cœlo medio substitit, ac ibi variè formata est, prout à vento iactatur. Hac de causa interdum apperent ignei viri, igneæ lanceæ, ignei gladij, &c. de quibus omnibus aliter non statuendum est, quàm de monstrosis formis dictum est.

Lunæ plures vnde.

Sic etiam duæ, tresve Lunæ, pauciores vel plures, maiores aut minores apparere queunt. Nam & Luna sua excrementa deponit. Quæ, si eiicit, cadere non sinit, sed suam illis formam indit, ac vel infra vel iuxta sese ipsa collocat, vel duo, vel plura, prout spermatis multum est, vel consequitur. Multa enim in cœlo crescentia sunt, repetente ac festinanter, vt crocus, surgentia & crescentia.

Soles plures vnde.

Eodem modo Sol quoque sese emungit, & Soles plures generat: qui tamen frequenter ipsi opponuntur, hoc est extra ipsius circulum sunt in opposito. Sol enim in oriente versatur, soboles eius est in occidente. Et vicissim. In causa est ventus, qui difflat. Tum etiam, si Sol in oriente consistit, & soboles eius in occidente, causa est, quod ipsa heri genita sit, & illic tam diu constiterit, ac increuerit. Idem verum est etiam econtrà. Si autem vel Soles vel Lunæ ad Austrum aut Boream apparerent, in causa esset ventus, qui illos extra sui circuli lineam eiecerit. Auster nempè eos disiicit in septentrionem, septentrio in Austrum, idque vel sublimiùs, vel humiliùs, longiùs, vel propiùs. Sed & ex hisce solis generationibus, aliud nihil augurari oportet, quàm naturalem ipsius cursum. Sol enim sese quotidie emungit, velut & stellæ reliquæ. Ipsius tamen emunctio Ros est. Hoc cadente, Soles non fiunt. Ros autem si non caderet, sed in vno corpore maneret, nec in rorem abiret, tunc Sol fieret, hoc est, stella Soli similis. Ros enim per se ex Sole est, adeoq; Solis sudor, Solis splendorem participans, donec resoluatur. Defectus ergo roris, occasio & generatio est alterius Solis.

Ros quid.

De Draconibus.

Dracones interdum sylvas & domos incedũt.

COnspiciuntur sæpiùs Dracones, transuersim volitantes, à monte vno ad alterum transilientes, non desuper sese librantes. Hi ardentes sunt, & nonnunquam syluas, ciuitates, pagosque, & quicquid ignem concipere potest, incendunt ac inflammant, non secus ac fulmen, ac pluuia ignea. Quorum hæc causa est. Monstra nempè sunt, ab igneo fulgure, quæ præmaturiùs compositum egrediuntur, & in montes decidunt, vndè transuersim iterum sussultant, sicut ea fulguris natura est. Fulgur enim igneum est, & portio coacta. Iam si monstrum fit, prolongatur & extenditur, sibique totum corpus annectit: quod nihil est aliud, quàm Sulphur & Sal ardens, quæ omnia abeunt in monstrum. Eodem contendit etiam materia coruscationis, ita vt crescens, grandescat, adeatque ceu verus ignis. Fulgur enim ignis est, ipsiusq; corpus est verum Sulphur, & ardens Sal. Hinc sequitur, hoc monstrum iactandi naturam quoq; habere, sicut habet fulgur. Non tamen æquè validum est in muros, &c. nec erumpit cum tonitru & fragore, sed lene est & tranquillum, vt crescentia dissoluta esse solent. Potentiamq; maiorem non habet, quàm vt transiliat aut volitet, instar Draconis Volantis. Volando enim cauda relinquitur,

Dracones vt fiant.

quitur, & corpus, (vt solent esse monstra) quasi in alas finditur, expressis etiam pedibus & ore, cum tamen horum nihil verè sit, sed tantùm ita exhibeatur. Ex hoc monstro, si scintillæ decidant, & ardentes terram vel rem accensilem aliam corripiant, eam inflammant & comburunt. Hoc modo & ipse draco consumitur, dum minutatim decidit & deflagrat.

Salamita sagarum amasius.

Ex Draconibus his oritur *Salamita*, sagarum amasius. Si Draco huiusmodi, generatur naturâ, ipse adest, seseque immiscet, ac illum ad sagam suam ducit, quasi esset (al. solus.) omnia. Hinc fit, vt domus aliquando incendantur, &c. Idem ex hoc Dracone etiam loquitur, & mouetur, quasi in homine esset.

Salamita in fulgure.

Hic idem *Salamita* etiam Diabolus est, qui in firmamento omnia dispicit. Et si tonitru instat, tunc in materiam fulguris se immittit, & cum fulgure deturbatur. Quò fulgur est præcipitatius: eò magis ille gaudet. Ita ille persæpè fulgur dirigit. Et sunt hæc ea fulgura, quæ percutiunt homines, & turres, & sese ingerunt pulueri tormentario, ac rebus aliis, à quibus damni multum expectandum est. Is enim fulguris moderator est, si sese illi insinuauit.

Idem per hunc Draconem incantat etiam. Cùm enim naturalis sit, & naturali modo operetur, ideò ducit & trahit illum quasi obsessum hominem, ipsúmque ad placitum suum gubernat.

Quæ ergo hactenus de abortibus figurarum, colorũ & similium, in cœlo tam interdiu quàm noctu apparentium disseruimus, pro monstris omnia habenda sunt, generatis ex præposterâ & erroneâ naturæ operatione.

De noxâ nocturnâ, aut vento nocturno.

Emunctiones cœli noctu frequentiores.

NOctu quã interdiu cœlũ sese multò accuratiùs emungit. Sequitur ergo, naturaliter fieri, vt multum aëris, &c. infecti noctu vagetur, potius quàm interdiu: veluti videtis, ex cœlo fieri tonitrua, grãdines frigora, &c. Quæ si superiùs eueniunt, multæ simul infectiones concurrunt. Dum ergo infectum tale excrementum ab astris decidit, id aërem simul ac ventum contaminat sibi contiguum. Hanc infectionem Salamita sedulò obseruat, ac, si potest, illi sese permiscet, suaque ex malitiâ illam secum abripit ad domos, ad stabula pecorum, ad fenestras, ex quibus prospectantes homines insidiosè afflat. Hoc ergo non perpetuò fit: sed tum demum, si Salamita infecti eiusmodi aëris compos fieri potest, quem ita regat & moderetur. Quos autem homines infectione illâ afflauit, his ferè exasperatur facies & intumescit, corpus apostematibus obsidetur feruidis, & morbis similibus lancinatur aliis, naturaliter ita genitis, ac à Salamitâ inflictis. Qui si perpetuò talem materiam haberet, nunquam non malum infligeret. Summam enim motuum firmamentalium cognitionem habet.

Salamita infectiones aeris regit.

Salamita astrorum peritus.

De Cometis.

Cometa quid. Spirituũ prescientia quanta. Cometa vt fiat.

COmeta est crescens singulare, ex nulla matrice, ex nullo semine prognatum, sed à spiritibus compositum. Hi enim futuros euentus, fortunam aut infortunium, mortem ac vitam, bellum ac annonæ caritatem præsciunt. Hæc ergo talia, si illi ex causâ sibi notâ produturi sunt, stellam formant ex cœlo sumptam, ex eâque condunt figuram & speciem, quæ peregrina & mira asspectu sit, ac ipsam per aërem ducunt, trahuntque siue sublimiùs, siue pressiùs, prout populo euenturum omnium maximè & certissimè potest. Cometarum itaque ortum præsagire posse, à sorte est, quam spiritus illi sortilegis deferunt, quasi artem eam ex naturâ hausissent. Huius enim ingenij sunt illi spiritus, vt, quod ad hæc attinet, præfigurationibus denuntiare soleant. Et hæc ad cœli motum vel cursum nihil attinent: hoc est, si quid contra consuetum ordinem futurum est, id manifestatur, quasi ex naturâ nosceretur. Sortilegorum itaque horum genera duo sunt: vnum eorum, qui stellarum futurum cursum prædicunt, id quod ad sola elementa spectat: alterum illorum, qui præter cursum, hoc est, sine cursus cognitione, hominum futuros euentus præsagiunt, cuius classis sunt natiuitas, mors, &c. Hoc ex notitiâ cometarum fit, non ex cursu cœli.

Sortilegi [illegible]

LIBER SECVNDVS.

De impressionibus coagulatis.

De Ranis.

Ranæ et pluuiæ.

POst hactenus commemorata indicandum vobis etiam est, quòd persæpè ranæ, vermes & similia de cœlo pluant. Illorum generatio talis est. Si super terrâ iacentia spermata animalium (siue sint vermes, siue serpentes, ac viperæ, siue bufones) pluuia aut frigus ac pruina, &c. cadat, quæ spermatis generationem & perfectionem impediat aut dissoluat: tunc sperma illud in putredinem abit. Quicquid enim dissoluitur, necessariò putrescit. Postea recedente frigore, &c. ex putredine illâ generantur praui partus, similes quadamtenus illis animalibus, ex quorum semine orti sunt. Sed hæc peruersa monstra sunt: quæ putantur cum pluuia de cœlo lapsa esse. Nec enim ortus ipsorum exploratus est. Vnde pro pluuialibus habentur.

Sed & ex stellis cœli spermata excernuntur, & in terram decidunt, ex quibus simile quid ranis, &c. nascitur, quasi de cœlo lapsæ essent. Id hoc modo fit. In omnibus foliis, aut herbis, aut lignis, vt corylo, &c. semina latent, ex quibus tineæ, erucæ, teredines & campæ nascuntur, folia peredentes. Vbicunq; ergo huiusmodi semina & spermata iacent, vel visibiliter vel inuisibiliter: si super ipsa stellarum quarundam australes pluuiæ cadunt, tunc in actum deducuntur, fiuntq; monstra, donec à pluuia adhuc madescunt. Per pluuias enim hasce latentes generationes eliciuntur: vnde ranæ virides & similia enascuntur.

Vbicunque ergo huiusmodi animalia à pluuia producuntur, necesse est, spermata illorum priùs hinc indè dispersa iacuisse, quæ posteà à putrida australi pluuia transmutantur in vermem aut aliud quoddam animal. Compluuntur autem illa spermata vel semel, vel iterum, vel tertiò, donec tandem in actum erumpant, & prodeant veluti hoc ipso momento pri-

mùm enata, cùm tamen principium à prioribus pluuiis sumpserint.

De Sanguine.

Sanguineæ pluuiæ causa.

FIt etiam quandoque, vt pluuia sanguinalis, seu sanguini similis decidat, aspectu mira. Huius rei causa est, quòd stellarum excrementa pluuiis interdum permisceantur, & cum ipsis vnà decidant. Guttæ illæ stellares vbi vel super lapides aut terram cadunt, colore rubro ea tingunt, & tamen per se claræ, vt aqua, sunt. In permixtione tamen super terra facta colorem adsciscunt.

Sæpè etiam ex Iridibus proueniunt, ita vt resoluantur in aquam. Quæ cum in sese colores omnes habeant, illi cum pluuiâ simul in terram cadunt. Postea super eodem fundo similiter quoque coloratæ pluuiæ visuntur, vbi scilicet Irides in pluuiis stant, quæ magnæ & validæ sũt. Dum incipiunt resolui, vnà cum pluuiâ discedunt. Si quis in illis locis sub Iride, tempore resolutionis eius, linteis candidis tectus stet, colores illi expresè in linteis notãtur & deprehenduntur, modò pluuia simul non vbertim coincidat, & colores abluat. Quanquàm non Irides omnes in aquam resoluantur. Sunt enim quædam aëreæ. Magnæ tamen, pluuiosæ & salis plenæ, naturâ aqueâ constant. Vnde etiam resoluuntur.

De crucibus & figuris impressis super tunicis & cutibus.

Cruces, & earũ generatio.

GVttæ supradictę coloratę, si in pannos subtiles cadunt, nec à pluuia nimium abluuntur, cruciculas huiusmodi & figuras alias (quasi quid portenderent!) imprimunt, dum secundum fili ductum diffluunt. Quædam etiam adeò subtiles sunt, vt in homines cadendo, aquę more exundent, & fluant, ac eiusmodi figuras constituant. Fit etiam, vt colores eiusmodi claro cœlo existente cadant, nec pluuia fiant, aut sparsim etiam interdum guttæ quædam decidant. Vbi autem decidunt, ibi maculas & næuos imprimunt. Colores autem isti ex stellis, vt diximus, prodeunt. Et licèt huiusmodi rariùs cadant quidem: tamen generatio ipsorum quotidiana est. Cruces tamen & maculæ à pluuia abluuntur aut consumuntur, vt non animaduertantur. Ex hisce coloribus potestatem sibi Salamita sumit, & hominum vestibus impingit cruces, columnas, flagella, tesseras & alia, quæ de fulgure & dracone recensuimus. Cuiuscunque ergo coloris gutta cadat, ex ea imaginem quandam pingit, iam hanc, iam aliam, vt stuporem hominibus incutiat. Res autem sacras præcipuè pingit, quia hæ profanis magis conspicuæ sunt.

Salamita cruces depingit in vestes, &c.

Ob hos autem cadentes colores obstupescere nemo debet. Sunt enim multiplices, prout eos cernitis in Iride, in nubibus, in stellis. Quòd si color aliquis cadat, non firmamentalis: cogitate, quod & putredo colores pariat. Sic enim, si lignum, quod candidum est, putrescit, fit viride aut flauum, &c. Huiusmodi generata hîc quoque sunt, quorum Salamita sedulus obseruator est, eaque huc illuc traiicit.

De Lapillis.

Lapides à pluuia indurari.

A Pluuiis generantur etiam lapides, hoc est, omnes lapides à sale indurantur & coagulantur. Similiter etiam omnia ligna, &c. sal compacta & corporalia facit: nec sine sale quicquam durescere potest. Iam ergo, si salia resoluũtur in cœlo, & decidunt: quicquid attingunt penetrabile, id indurant, & sui generis lapidem faciunt. Sic si purum sal in aquam coniiciatis, & addatis pisa, lentésve, aut fabas, hæcq; iunctim resiccari & indurescere sinatis: tunc fabæ illæ aut lentes, &c. duræ fient ceu lapis. Quòd ergo fabę, pisa, lentes, & similia, non vt debebant, coctione mollescant: ex prædicta causa fit. Omnis etiam putredo, fructus tentans, ex pluuia oritur, quæ transmutandi illam vim habet.

Sal indurat.

Pisa, &c. cur coctione nõ mollescant. Flos salis omnia indurat.

Fit etiam nonnunquam, vt sementis, hoc est, sata pisa, lentésue, in terra lapidescant. In agro enim illo seu fundo salis flos conditur, & agrũ obsidet. Iniectam ergo sementem si pluuia feriat, quæ salis florem dissoluat: tunc quicquid ibi seminatum est, lapidescit. Quicquid enim in flore salis à pluuia dissoluto iacet, siue lignum sit, siue aliud, id lapideam naturam asciscit. Huius naturæ sunt etiam quidam fontes, qui vim illam à flore salis assumunt.

De lapide è cœlo.

IN sublimitate firmamenti, vt dictum est in principio Theoricæ, consistunt tria prima, ex quibus impressiones oriuntur. Tria hæc prima adeò alta & sublimia sunt, vt formam ipsorum videre nequeamus, & tamen formam habent. Saltem videmus viride, quod ipsorum color est. Hinc conficitur, quòd in elemento ignis generationes lapidum etiam fiant. Vbi qui lapides generantur, decidunt. Hoc etsi mirum, rarum, inauditumque putetur: frequentiùs tamen in mari accidit, quàm apud nos.

Lapides in elemẽto ignis fiunt.

Lapidum istorum generationes hoc se modo habent. Compertum vobis est, quo pacto fulmen nascatur, quod lapis est, & manifestè quidem. Iam si tonitrus principia adsint, & colligantur in fulmen, & possibile & naturale est, vt per generationem eiusmodi fulmina decem, viginti, plura, pauciorave producantur. Quot enim fragores, tot lapides. Huiusmodi autem generationum multæ si in generationem vnam coëant, ex omnibus lapis fit vnicus, qui fulgur est. Hinc sequitur magnitudo aut multitudo lapidis, ac ipsius forma naturaque, prout cognoscitur. Si ergo talis generatio est, in tempestatem grauiorem desinere non potest. Generatio enim ea nimis celeriter fit, & excidit ex aëre, quamprimum coagulata fuerit. Et sicut aqua initiò per se mollis est, congelata autem fit dura: sic ista quoque materia initiò est res aërea, posteà, vt aqua incipit coagulari. Indurata autem non ampliùs est aërea, sed fit terrea. Ipsam ergo aër amplius retinere non potest, sed elabi sinit.

Fulmina plura simul generari. Fulmen quid.

Ex hoc liquet, fieri posse, vt huiusmodi materiæ conueniant, sine omni tempestate, & sese citra omnẽ cursũ in cœlo congregent, eiusq; omnino sint naturæ, vt conueniant, & se inuicẽ indurent. Sic plumbum liquefactum, quamprimùm aquæ infunditur, momento induruit. Huiusmodi materiæ sunt etiã in firmamento ignis. Quæ donec contrarium non habent, aëreæ manent. Vbi autem extraneum contrarium incidit,

Contrarii vis.

cidit, aliæ fiunt, & aëreę esse desinunt. Ita & de pluuia notum est, donec nubes est, terram non attingit, sed libratur in sublimitate. Quamprimùm autem coniunctionem peregrinam assumit, & dissoluitur, fit corporea & terrestris. Inde ergo aqua fit, & pluuia, in sublimitate amplius contineri non valens, sed decidens. Tales in cœlo sunt etiam materiæ, ex quibus lapides fiunt ob naturam tonitrualem, hoc est, fulmineam. Sic & alia plura si à contrariis impetantur, lapides fiunt.

De Metallis.

Metalla qualia in cœlo.

EOdem modo & natura metallica in elemento ignis viget. Sicut enim in cœlo lapides sunt: ita etiam metalla. Metallum tamen alienum est terreno dissimile, ita vt à nullo cognosci queat. Pro his scitote, quod ignea fulmina cum coruscationibus tantùm metalla sint, omni ferro aut chalybe duriora, & vt cuprum fluxilia, coloribus permixta, & instar fulminis formata. Hæc enim omnia in cœlo sunt non minùs ac in terra. Sicut verò horum nihil è terrâ sursum rapitur: ita de superioribus etiam nihil deorsum cadit, nisi quod coniunctio 4. elementorum requirit, aut miraculum accidens variáve coniunctio, ex quâ corpus fit. Nec minùs miræ & variæ res sursum in cœlum feruntur, ac deorsum ad nos cadunt, modo in camera sublimi sedere & hæc obseruare nobis concederetur. Nam si fieri posset, vt stellæ Mercurij, Salis & Sulphuris vnà acsimili copulatione iungerentur, huiusmodi impressionum plurimæ singulis horis super nos caderent. Ita verò non omnes dispositæ sunt, nisi quod ad fulgur attinet. Itaq; & lapides & metalla decidunt, quarum generatio similis est fulguri. ¶ Grandis ille lapis, Ensis hemij in Suntgauia asseruatus, centenarij vnius pondus habens, genitus est ex materiâ fulminum lapidosorum, ita vt ad generationem eius coniunctiones plus mille fulgurum confluxerint, adeò celeriter coagulatæ, vt coagulatur argentum liquidum, effusum. Eadem enim velocitate materia illa indurata fuit, & in corpus coacta. Ex formâ siquidem eius & tuberibus patet, quòd in plena ebullitione & intumescentia constituta materia, derepente & velociter refrixerit & deciderit, sicut de fulgure dictum est. In elemento enim ignis omnia liquefacta versantur, lapides, metalla, & quicquid ibi est, feruidum est. Ex hac regione, si quid in frigus incidit, illicò duratur, & cadit. Donec verò ebullit, & in igne seruatur, continuò aëreum est, nec decidit. Si verò indè effertur & coagulatur, necessariò decidit.

Lapis Ensis hemii fulminalis pondus centenarium habens.

In elemento ignis omnia feruent.

LIBER TERTIVS.

De Ventis.

SEd & venti radicem ac principium suum in stellis habent. Sicut enim stellæ quędam niuem, alię pluuiam, &c. gignunt, quod Meteorica tradit: ita stellæ quædam etiam sunt ventosæ, quæ ventum naturalem producunt, & præterea nec niuem, nec pluuiam, &c. Quòd si autem fors cum ventis pluuia & nix coincidat: id ventis imputari aliter debet, quàm quòd ex locis & regionibus aliis perflatu suo illas aduexerint. De ventis cum pluuiis incipientibus autem in suis capitibus docebitur.

Stellæ ventosæ.

Venti hi, quantum natura docet, definitum suum numerum ita non habent, vt dici queat, ipsorum tantum 4. esse. Cœlum enim totum stellis ventosis refertum est, in sphæram superiorem & inferiorem distributis. Multi enim venti ex Oriente Galliam afflant, qui in Hungaria oriuntur. Multi ex Hungaria pergunt in Thraciam. Hi tamen ob id nec Zephyrus sunt, nec Eurus. Sic venti in Alpibus nati, Longobardiam perflant, similiter & Sueuiam. Sed & hi nec Auster sunt, nec Eurus. Ita & venti perflant qui ex medio globo, veluti ad partē Austri surgentes, infra globum ad Boreā, & supra globum ad regionem Germaniæ contendunt. Hi Auster sunt & Septentrio. Sic & Eurus persæpè infra globum regiones Zephyri adit. Zephyrus tamē minimè est, sed est Eurus. Similiter & ceteri. Nec hi solùm, sed & alij. Quousq; enim cœlū patet, frequenter accidit, vt supra nos exoriens ventus in latus alterum secedat. Nec tamen aut natura aut nomen eius 4. ventis conuenit. Nec enim 4. venti hoc modo intelligendi sunt. Naturalis quidem ventorum distributio ista est, vt stans aut spectans versus Orientem ventos omnes aduersos vocet Euros: auersos omnes Zephyros: laterales Austros & Septētriones: quibus postea pro suo arbitrio cōnumeret etiā collaterales. Sed ista minimè recta & vera est ratio: nec quia ita ille vētos nominat, tales necessariò sunt.

Venti finiti.

Venti quatuor quo modo intelligendi sint.

Iam fieri potest, vt rectà supra nos ventus impetat. Exempli gratia: Heluetia, Sueuia, ventum vnum habere ponatur, spirantem ex meridie, quem Longobardi & maritimi minimè perciperent. Iste ventus, vndenam oritur? Ex eo scilicet loco, vbi incipit. Nec est, vt quis putet, idem hîc fieri, quod pluuię accidit, quę, priusquam decidat, centum milliaria nonnunquam meando confecit & peragrauit. Hæc persuasio nihili est. Nec enim ventus nubes est: sed quamprimum cauernam suam egreditur, iam generatus est. Ita de ventis etiam cæteris iudicandū est. Similiter etiam, si ventus 30. aut 60. milliaria peragrauerit, exspirat. Est enim spiramentum stellæ longiùs non procurrens, sed seipsum consumens. Cùm ergo venti ita consumantur, nec in infinitum perflare possint: quî quæso Eurus ab Oriēte, hoc est, trans mare ad nos in Occidentē, aut Zephyrus ad Orientales penetrare queat? Stellæ autem intermediæ partes alias pellunt, ita vt omnis ventus pellendo iuuetur. Et non 4. tantùm aut 12. sed multæ millenæ ventorum origines sunt, huc illuc disseminatæ.

Venti quatenus ... peragrent. Ventus quid.

Venti occasi finiti.

Venti verò fortes & validi, qui & diù spirant, & sine adiuuantibus ventis procedunt infracti, pluuiā sæpè per Septentrionem, per Austrum aduehunt, & tamen pluuia illa ex regione tali nō oritur, sed frequēter ex Austro, & est Boreas, est Zephyrus, est Eurus. Vnde patet, non debere pluuias secundum ventos diiudicari, nisi pluuialis ventus sit inquilinus, veluti suo loco tradidimus. Hinc etiam depromitur causa, cur anni iā sint steriles, iam fructus acidi, iam pauci, iam cariosi aut vermiculosi &c. Regio enim quælibet stellas suas proprias habet, quę pluuiā naturalem illi loco afferunt. Eiusmodi pluuia si per stellam ventosam difflatur (seu matura sit, seu immatura) in terrā regioni isti minùs cōuenientem:

tem: tunc regioni illi ipsa noxia est, in fructibus, in crescentibus, & natis cæteris omnibus. Quæuis enim regio ordinaria & natiuâ sua tempestate, pluuiâ, aëre, &c. gaudet. His mutatis & peruersis, detrimentum id sentiunt fruges, & fructus omnes. Et hæ caussæ sunt caritatis annonæ, vitiosorum fructuum, & eorum omnium, quæ regioni illi aduersa obueniunt.

Ventorũ differentiæ.

Cùm hactenus de ortu ventorum dictum sit: scire oportet iam, varias quoq; ipsorum naturas esse, commodas scilicet & aduersas. Sicut enim certæ differentiæ in plantis terræ notantur: ita suum discrimen ipsi quoq; venti experiuntur. Ex his enim peculiares diuersiq; morbi, putredinis &c. infliguntur. Ventorum ergo omnis proprietas noscenda est, vndenam spirent, quâ origine constent, hac ratione. Notum vobis est, in arbore florem vigere dierum 3. 4. 6. &c. spatio. Idem tempus etiam venti habent, quo spirent. Vnus flat triduo: alter die saltem vno: non nemo horis binis: quidam vix horâ vnicâ: alij septimanæ, aut mense, &c. sicut vniuersa crescentia definitũ suę exaltationis tempus habent, quâdiu durare, & quando vigere debeant. Secundum hunc ordinem ipsæ quoque stellæ suis cũ ventis procedunt, dum alius hanc regioné adit, ille aliam, quolibet ad regionem suam tendente, & suo tempore flante, & debitam distantiam attingente, & conueniente robore aut infirmitate spirante.

Ventus stellæ planta.

Ventorum itaq; hæc ratio est: Ventus, stellarum illarum ex quibus procedit, non minùs planta est, quã arbor est planta terræ aut gramé. Discrimen in hoc saltem est, quòd ventus proprior ac similior sit igni, hoc modo. Notum est, lignorum struem congestam, omni momento igni & concremationi præparatam & idoneam esse. Huic si admoueatur ignis, iam ardebunt ligna, & ignis flagrabit vsque ad ipsorum consumptionem. Similem accensioné etiam in stellis ventorum fieri necesse est. Sciédũ itaq; est, in hisce stellis venti materiã iacere, se habentem vt ligna, quæ postmodum ex firmaméto accenditur. Quamdiu hęc incensio durat, tamdiu durat ventus. Materia hæc est firmamentale Sulphur, Mercurius & Sal, sine pluuiâ, aut huius materia, sed tantùm ventosa. Et qualis ignis virtus est, ita hic quoque viuens & mobilis res crescit, quæ se mouet sensibiliter percipi potest.

Ventorũ materia in stellis qualis.

Emũctoria ventorum qualia. Ventorũ latio recta.

Venti ergo hoc modo geniti, & ad flandum dispositi, spirant secundũ latus. Emunctoria enĩ ipsorum spectant latera. Vnus ergo tendit in Orientem, alter in Occidentem: vnus meridiem, alter septentrionem. Stella ventosa nonnunquã directè posita est super Sclauoniam, quã superspirans, in Austriã se demum demittit, & hinc secundum suam lineam pertendit. Metã enim feruntur rectã, quocunq; vadunt, velut telũ ab arcu. Quædã stellæ incumbunt Sueuiæ, & sua emunctoria dirigentes trans Alpes in Italia decidunt, Quædã in Saxonia stant, & dirigũtur in Bohemiã & Poloniã. Quædã ex Portugallia vergũt & pergunt ad mare. Quædam ex Anglia in Barbariã meant. Quædam ex Turcia, abeunt in Apuliã. Sic de omnibus ventis statuendum est, quòd certos suos tractus habeant, & definitã latitudiné. Si enim ex stellis elabuntur, tũ quoquò versùm distribuuntur: sicut videtis etiã arbores supra terrã longè spatiariosiores extendi, quàm sunt intra terram.

Venti calidi in septentrione, frigidi in meridie.

Calidi vel frigidi sunt venti, pro naturæ ac originis suæ proprietate. Nam & frigidi in meridie sunt: & calidi in Septentrione. Eadé & ortus ac occasus ratio est. Quanquàm frigidiores potissimum in Septentrione, calidiores in meridie constituantur. Ob id tamen hi vel illi nõ in genere omnes aut calidi aut frigidi censendi sunt. Sunt enim inuicem permixti. Sed & hoc vsu venit, vt stellæ calidæ in Septentrione positę à frigiditate regionis frigus: & frigidæ meridionales à loco & Sole caloré concipiant. Sicut enim nix liquescit, suumq; frigus amittit, ac feruẽs aqua à frigore congelatur: sic & venti suam naturã perdunt, ab extraneis alterati. Hoc tamé perpetuò minimè fit, sed est accidentale. Pro hac tamen dispositione ventus nullus vel calidus vel frigidus appellandus est, sed pro insita natura æstimandus. Vt enim in terra calidæ simul ac frigidæ herbæ iunctim inueniuntur: sic eadem sors etiam stellarum ventosarũ est.

Ventorũ natura vnde æstimãda. Turbinũ caussa & ortus.

¶ Sępiùs experimur, repente ac desubitò validum ac importunũ ventũ surgere. Is similis est labenti nubi. Sicut enim præceps aliquando resolutio nubiũ est; ita stella etiam nonnunquam insperato obtruncatur, vt confertim ac affatim elabatur, quod longo alias tempore mansurum fuisset. Sunt etiam stellæ quædam, quæ rarò ventos gignant. Dum autem gignunt, turbo interdũ adeò præceps & violentus erumpit, vt domos sæpè ac arbores ex fundamento euertat. Surgũt népe ex alto: ac vice vna violenter terræ illiduntur. Vbi terrã attigerunt, impetu suo feruntur, tamdiu durantes, donec consumantur. Multi etiã venti in sublimitate cœli manent, nec descendunt. Horũ emunctoria versus altum directa sunt. Fieri etiã potest, vt triginta aut quinquaginta, &c. venti simul ac vnà spirent, sibi inuicé occurrantes, quolibet suam metam & violentiã tenente: adeoq; vel permiscentur inuicem, vel alter alterum elidit, expellitq;, & sibi viam struit, non secus ac à viatoribus sibi occurrentibus fieri videmus.

Ventorũ variæ differentiæ.

Stellæ etiam quædam sunt æstiuales, quædã hyemales: quæ comparari possunt cũ herbis secundum autumnum & messem. Sicut ergo suum tempus quò pręcipuè pariat, æstas habet: ita etiam stella, quæ vel in vere, vel autumno &c. maturescit, prout omnia suo ordine & conuenienti modo constituta sunt.

LIBER QVARTVS.

DE TONITRVIS.

Coruscatio vt fiat.

SIcut sua impressionum aliarũ origo est: ita de coruscatione quoq; idem sentiendum est. Stellæ sunt nimirum quædam, quæ fumũ tantũ Sulphuris seu vaporem emittunt. Is stellam suã egressus, ac à vento in cœlum mediũ actus, à Sole incéditur, & ardet. In momento tamé vno deflagrauit iterũ, sicut spiritus vini, Sulphuris, aut res aliæ. Vaporis consumptio, coruscationis finis est. Præterea, coruscatio huiusmodi non ex vna tantũ stella oritur, sed ex pluribus etiã, vno cursu sociatis, & sese simul ac vnà emungentibus. Insuper & ex vna stella interdum coruscationes triginta emergunt, hoc pacto. Quoties fumus egreditur,

egreditur, toties coruscatio alia. De causa coruscationis tenendum est, quòd Sol virtute sua fumos eos accendat in sublimi, non in fundo seu imo. In imo enim frequentes sunt nubes pluuiosæ & frigora, &c. vbi coruscationibus locus non datur. Stella tamen fumũ ex se egressum, afflando in imum detrudit, non secus, ac si quis ore parietem afflaret. Inflatu hoc in fumum sulphureum facto, Sol superior ipsum incendit. Quantus ergo fumus est, tantus flagrat, siue in aqua sit, siue in nubibus, &c. non secus ac spiritus vini, is ardet, quàm latè patet, vbicunque sit.

Huiusmodi vapores muti etiam sub noctem oriuntur: qui tamen generis ac naturæ diuersæ sunt. Videtis nempè, quòd aër spiritum Sulphuris & Salis incendat. Huius naturæ etiam stellæ sunt: quarum vapor si exit, & ab aëre contingitur, illicò ardet. Nec enim frigidum & & humidum aërem tolerare potest, à quo nimirum accenditur. Nam si spiritum Salis & Sulphuris, &c. componatis, hoc illoue modo: quamprimùm is in aërem effunditur, tunc ardet è vestigio, quicquid effusum est. Hinc liquet, quòd nox etiam aëre suo frigido & humido Sulphur hoc & spiritum Salis incendat, & coruscationes faciat, sicut interdiu. Suus tamen istarum stellarum ordo est. Hæ siquidem constituunt æstatem, veluti stellæ niuales hyemem. Illæ si desint, Sol completam æstatem nunquã producere potest. Harum itaque stellarum si in motu multæ sunt, & sint validæ potentesque: pro ratione hac æstas fit vel calidior vel frigidior. Stellarum harum natura est sicca & calida ardensque instar ignis, & fumum ceu ligna fundunt, qui interdiu à Sole, noctu à frigore & humiditate incenditur, prout vaporum istiusmodi natura est, vt ita incendantur, ceu de vtraque coruscatione dictum est.

Incensio à frigido & humido.

De Tonitru, claro Cœlo existente.

Tonitru vt fiat.

DE Tonitru similiter sciendum est, quòd stella sit, quæ fragorem eiusmodi ex seipsa eiicit, hac ratione. Nihil contrarium in operatione subsistere potest. Hæc autem stella continet Sulphur & Nitrum, quæ duo fragorem & tonitru excitant, ita. Stellæ huius tonitrualis tantus ardor & feruor est, vt egestionem suam omnem bullientem eiiciat. Iam vt videtis, in olla coqui posse fixum Sulphur & fixum Sal, & hoc, quam primùm aërem aut humiditatem attingit, efferuescere & tonare incipere, donec refrigeretur: ita hic quoq;, si mucilago Sulphuris & Salis ex stella excidit, & aërem attingit, tunc Nitrum cum Sulphure iunctum manere nequit. Eius enim natura est, vt humido aëre tactum, illicò tonet. Idem & Sulphur facit, illi iunctum. Tale ergo si ex stella elapsum in aërem cadit, donec ibi refrigeretur, tremit & succutitur, tonescitque instar terræmotus. Hoc tonitru deorsum vergit ad terram, ac in medio cœlo reboat & resonat, vnde fragorem eius exaudimus quidem, multò tamen nostra opinione subliniorem. Tamdiu ergo tonitru durat, donec in aëre refrigescat, hoc est, donec omnia dissipentur, & à ventis disiiciantur. Tum & à vi propria dispellitur, instar rei, quæ contrarium suum aueriatur & declinat.

Nitrũ & Sulphur humorẽ non ferunt.

De Fulgure.

Fulgur vt generetur.

SI stella aliqua fulgur mouet, sciendum est, id ipsum quoq; suum à Sulphure & Sale principium sumere. Instante itaque messis tempore seu emunctionis periodo, primò excitatur vapor instar rei bullientis. Postea vapor iste coruscat, siui dies, siue nox sit. Sol enim ipsum non incendit, sed tantum aer. Ideò tam interdiu quàm noctu incensiones eiusmodi fiunt. Itaque dum stella ita efferuescit, vapor exoritur. Is quòusque exhalat, eò vsq; inflammatur & coruscat. Postea stella excrementũ fundit, quod tonare incipit; quasi liquatum argentum in aquam coniiciatur, quod tamdiu strider & tonat, quamdiu feruet. Ratione ergo huiusmodi stellę fit, vt multę & numerosæ ebullitiones iactentur seu emittantur, ita vt tonitru ac coruscatio aut simul fiant, aut inuicem sese sequantur. Insuper & istarum stellarum natura est, vt simul enim pluuiam faciant. Vapor enim omnis, à Spiritu Salis exiens, degenerat in pluuiam, & qui de sulphure secedit, abit in coruscationẽ. Pro conditione ergo stellę coruscationes & pluuię fiunt, plures vel pauciores, vt vel stellę natura fert, vel multum egestionis est. Sic ergo simul coruscat, pluit, tonat, donec desinat. Cuius rei causa alia non est, quàm ebullitio materię: sicut & humiditas calorque, vt pluuiarum, &c. natura se habet.

De Grandinibus.

Grandines vt generentur.

POrrò stellæ sunt etiam alię, quæ priorum exemplo gliscunt coruscationibus, tonitruis, pluuiis, & insuper lapidibus, hoc est, grandinibus. Horum causa est, quòd tempestas hæc per se adeò res frigida, & simul adeò calida sit, vt ex calidâ, coruscatio, tonitru, & pluuia generari possit. Frigida verò natura adeò potens & efficax est, vt quamprimũ aqua resoluitur in guttas, quęlibet illicò gutta cõgeletur, & lapis glacialis fiat, simulque eodem impetu decidat, velut & pluuia. Hæc natura emergit ex Sale Crystalli, adeò potente, vt in stella magna vi resoluatur. Separatio enim eadem est, ac si nix & aqua feruens in vnum permisceantur, ac citra corruptionem alterutrius vtraq; in suam essentiam reducatur. Nulla enim adeò feruida res est, quin aliquid frigiditatis habeat, & ecõtrà. Separatio ergo in hac stella fit, ex quâ duo secernuntur, calidũ & frigidum: calidum in suam pluuiam, frigidum in genus suũ congelatũ. Ita enim fert vtriusq; proprietas. Hic admonendi estis, Salamitam sese in guttas has aqueas & res similes etiam insinuare, priusquam congelentur. Has postea dirigit & vibrat, quò placet. Idem grandines etiam stellares huiusmodi facere nouit, si præstò sit materia, quæ alias dispareret, &c. quas postea adhibitam suum traiicit.

Salamita grandinis artifex.

De Fulmine.

Fulminis genera.

DE fulmine noscendũ, ipsius duo etiã genera esse: frigidũ & calidũ, quæ vtraq; ex stella vna prodire queunt, si frigidũ & calidum separantur, quodlibet ad suã naturã, velut de Thermis docuimus. Generationis modus iste est. Stellarũ harũ, quę fulmen pariunt, alia est cũ fulgure, aliæ quæ huiusmodi fulgur habet, illa suæ messis tẽpore egestionem suam emungit. Si ergo stellæ non admodum & violenter operantur, primò ebulliũt, & vaporem effundunt, qui est coruscatio.

tio. Ebullitionē postea sequitur tonitru. Interea separantur Salia à terrestreitate, (al. humiditate terreâ) & in pluuiam abeunt. Hisce porrò stellis plerumque connata est natura ventosa ex ebullitione, & insitâ vi ventali. Adest præterea etiã natura metallica, silicea, marmorea, ex Sale, ita vt lapis cōpact⁹ fiat. Et quicquid huius naturæ est, abit in lapidē. Quicquid ei⁹ naturę non est, id in egestiones alias abit. Quod in hanc naturam secedit, id comburitur, estq; Mercurius, & Sal, & Sulphur, adeò inter se implicita, vt per operationem & contrarietatem ex stella eiiciantur in terram, adeò rapide, vt & muros confringant, tantus ipsorum impetus est. Fulmina hæc sunt integræ stellæ. Multæ enim in cœlo stellæ fiunt, quæ iterum abeunt, & in hanc vel alias generationes transeunt.

Habent autem hanc naturam, vt admodum velociter transeant. Id Mercurius causatur, qui ex cauernâ illâ stricta illas elidit, bulliensq; Sal in se tolerare nequit. Dum enim generatio inchoatur, contrapugnat Mercurius, & refragatur, hoc est, si ex coniunctione erumpit, & materia ob stellarum conuentum in generationē abit: sicut & in rebus obseruatis aliis dum iam maturatur radix, iam caulis, iam folium, iam flos, deniq; fructus. Hæc iam vt suo sese ordine consequuntur: ita & in cœlo seu stellis. Primò generantur genera Sulphurea, ex quibus coruscatio oritur. Postea Sal; ex quo pluuia fit. Deinde vtraq; vnde tonitru emergit. Tandem Mercurius, ex quo fulmen erumpit. Hoc modo sese inuicem celeriter sequuntur, comitante naturâ ventosa. Denique Mercurius disploditur hoc modo. Postquam omnia maturuerunt, & in cœlum medium resederunt, Mercurius adeò præceps est, vt quamprimùm ab humiditate in sua regione attingitur, per emunctorium suum erumpat fragore vel crepitu vnico. Per foramen enim angustũ ipsi erumpendum est. Quòd quò patentius est, eò fragor violentior. Hoc autem foramen nihil est aliud, quàm nubes ex aqua, in qua conditus iacet. Eâ resoluta, quamprimùm tangitur, per siccas nubes transuerberat. Si foramen admodum humidum & resolutum sit, fragor eò durior eliditur.

Foramē Mercurii quid.

Porrò de eiusmodi fulminibus id scitote, quòd partim exstinguantur in aqua, & frigida in terram decidant: partim sunt frigida ex natura. Quæ verò calida sunt, nec restinguuntur, feruida terram attingunt. Sunt autem initiò liquefactum Sal, & compactus vapor sine coagulatione. Vapor iste seu spiritus Salis, vento similis, per rimas transverberat, sicut sudor penetrat per poros, aut ventus per parietes & muros: quæ etsi longè inferiora & mitiora sunt fulmine, tamen ita generantur, Ita ergo peruadit rimas, & per poros iterum euolat vt venti natura est. Quia enim ventus est siccus, quicquid apprehendit, adurit, aut comburit, prout naturam acceperit. Quidam enim comburit aurum: alius sericum: alius lignum: quæ diuersitas omnis à Sale inexistente dependet. Ex vi Salis conglutinat etiam claues, coadunat ferra, & seras facit fluxiles. Iste enim genuinus est Borras, aptus ad conglutinationem: sic ipsi simile est etiam sal. Spiritus iste penetrat muros. Muri enim omnes porosi sunt, & penetrationi apti. Spiritus

Fulmina frigida duplicia.

iste comminuit gladios, illæsa vaginâ. Spiritus iste insinuat se terræ, & locis aliis, nec foramen facit. Compactus enim tantùm ventus est, adeò magna moles coacta in paruam. Sicut videtis, in Sole magnum calorem esse, & maiorem quã in stellis cæteris omnibus, & tamen illum paruũ existere: ita simile quid est etiam in vento seu fulmine. In isto enim compacto vento plus continetur, quàm in aliis mille milliaribus. Generationes huiusmodi multæ sunt in cœlo, ex quib. in compactionem ita genus quoddam cogitur, vt media vncia mille centenarios excedat, ex quâ tanta vis erumpit. Sicut enim crocus multis gradibus flammulam superat in flauedine: ita hîc quoque. Cætera autem fulmina coagulata, foramina faciunt; plusque cæteris damni inferunt, sed viæ ipsorum, quibus transeunt, conspiciuntur.

Fulminis mira natura.

Sic ergo tonitrua, fulmina, grandines, &c. generantur, vnum subindè post alterum, intercidente tempore. Et sicut planta, ex semine primùm erumpit in radicem, deinde in caulem, postea in herbam, porrò in florem, denique in fructum; sic coruscatio est flos, tonitru est caulis, pluuia corona, fulmen fructus: suumque cuilibet peculiare tempus est, sicut etiam herbis. Quotuplices enim herbæ: tot generum etiam impressiones.

LIBER QVINTVS.

DE PLVVIIS.

DE stellis pluuialibus tenete, quòd sint fixæ, & in regione illa, vbi nascuntur quiescant. Sicut enim regiones stant seu quiescunt: sic quiescunt omnes etiam stellæ, ipsis dedicatæ. Exemplum. Videtis, in omni mundo aërem esse. Is multiplex est & varius, pro conditione regionum. Quiescit tamen, & fixus est, hoc est, aër Africanus non transfertur in Europam, vt nec Asiaticus. Sic suum aërem peculiarem quælibet regiones & habent & seruant. Pannonia, Sarmatia, Dania, Sueuia, &c. omnes fixum suum aërem habent, qui non mutatur. Sicut enim albumen in ouo non mutatur, sed suo loco fixũ manet, vtcunque vertatur & inuertatur ouum: sic pariter & aër. Eodem modo & stellæ pluuiales se habent ad regiones suas. Quòd si stellæ pluuiales interdum pluuias dent vltra suas regiones, id fit propter implicantes se stellas ventosas, quæ nubes longiùs quàm ad definitas regiones dispellunt: vnde illius loci fœcunditas destruitur. Stellæ autem regionales, quæ à ventis nō turbantur, à propriis etiam ventis actæ, longiùs progrediuntur, quàm cadens ipsarum linea est. Non tamen extra regionem. Præterea sciendum est, peculiares etiam stellas esse, ad pluuiam destinatas, ex quibus illa etiam egreditur, ceu loca quædam in campo, ex quibus sauina, vt ex aliis origanum, atq; iterum ex aliis serpillũ enascitur, cæteris propinquis nihil læsis: Et si iste.

Stellæ pluuiales fixæ.

Aer peculiaris cuilibet regioni.

Sequentia omnia ad verbum habētur in autographo.

Quare primum capitulum secundi tractatus.

Iam si talis stella aquosa oritur, incremento suo inualescit ceu Luna, quæ iam dimidiata est, iam quarta, iam nulla, & sic retrò: tandem plena. Ita enim & hisce in stellis incrementum fit, non secus ac semen in campo enascitur. Primò erumpit & prodit. Et quod arbor fieri debet,

id

id decidit de stella deorsum velut arbor ex terra sursum. Hoc semen crescit vsque &c. (Quære in secundo tractatu, hoc signum (&c.) altitudinem sui loci, atque hoc ita. Intra cœlum & terram distantiæ duæ sunt: vna nubium: altera fructuum terræ, hac ex causa nulla arbor crescit vltra suam distantiam, vt nec nubes vlla infra suam distantiam, hoc est in latitudinem terrenam. Sic vnumquodlibet suam altitudinem habet. Aqua extra terram erumpit tantùm vsque ad auram, vltra quam ne latum quidem vnguem asscendere potest, etsi in terra multa millena milliaria eruperit sursum, & adhuc altiùs asscendere posset, si terra productior esset. Eodem modo nec arbor vltra suam altitudinem crescit. Ita nec pluuia. *Quære hoc signo* [&c.]

Cætera quære in libro de * *aquis præcipitantibus.*

*(Vel aqueis præcipitantibus.)

LECTORI.

Sequentes iam libelli, beneuole Lector, in quibus vitæ quartæ generationes Meteoricæ elementi ignis ab auctore describuntur, integri non sunt, sed fragmentatim (vt ita dicere liceat) collecti & ita digesti.

PROLOGVS.

IN LIBROS METEORORVM, THEOPHRASTI Hohenheimensis Philosophi.

NE, Lector, dum ethnicam Philosophiam tractamus, ethnici reputemur, sed nos ex fidelibus esse, testatum faciamus: vobis quidem, ceu nostris discipulis, quod discrimen inter ethnicos & fideles sit, explicare consultum visum est. Priusquam verò hæc duo definiamus, Præfatiunculam quandam, argumenti loco, præmittemus, talem scilicet. Conueniens quidem & dignũ est Philosopho, vt cum principium tum finem sciat eius rei, de qua philosophatur. Nos verò Meteorica scribimus, nec finis tamen, nec principij, qui fiant & dissoluantur, adeò certi. Etsi verò ista quidem ignoremus: hoc tamen scimus, quid id sit, de quo scribimus. Scimus nempè, nec in hoc erramus, quidnam corpora sint, quid contineant, & quid ex ipsis generetur. Nec enim in his fallit visus, vt nec experientia. Sed & hoc præterea scimus, vndenam corpora facta sint. Vnde verò (materia) facta sit illa, aut sumpta, id ignoramus. Id ergo relinquimus, & meteorisamus de illo, quod per fructum, & opera & indicia cognoscimus, velut pater noscitur per filium. Hoc in scripturam inserere nihil tenemur, sed credere: hoc est, & experiri, ita se habent. Quod scimus creaturam esse, id magis dependet ex experientia & fide oculorum ac aurium. Ipsam ergo creationẽ in hisce libris missam facimus, & philosophamur de eo, quod creatum est: adeoq́; elinguiũ more obmutescimus ad quæstionem, qui ista creata sint. Dum vero de creaturis loquimur, id nostra erit Philosophia, cuius pars est Meteorica. Id enim scimus, non credimus. De hoc ergo vt liberè, nihil aduersariorum obiectionibus absterriti, philosophemur adeoq́; omnia quantum quidem ipsa magistra natura docet, & suggerit, rectiùs enodemus, omnino nobis ius fasque est.

Philosopho quæ scienda.

Iam verò aduersarius aliquis mihi obiicere posit, quòd ethnicũ agam: cùm tamen, quia fidelibus me annumerem, ex fide procedendũ & disserendum sit. Sed iste sermo arrogans simul ac inconditus est, nullius planè sapientiæ specimen redolens. Loquimur hoc ad obiectionem, quòd oporteat quemlibet fidei sapientem, esse Philosophum. Et qui fidelis est, nec idem Philosophus, is in fide sapiens non est. Fas est, fidelem esse sapientem, industrium, vt, quid credat, sciat & compertum habeat. Fatuus, qui credit, is in fide mortuus est. Opera enim fidem faciunt, hoc est, opera naturæ, signorũ & miraculorum. Iam cùm fides, emergat ex signis, ex operibus, ex miraculis: æquũ vtique erit nos philosophari vt fideles, non vt gentes, & tamen nos Christianos iactantes. Fidei verò & scientiæ hic discrimen constituimus. Qui credere vult, scire debet. Pro scientia enim suá credit. Cùm verò scire illud ex Philosophia oriatur, & postea fides, & sic beatus quis fit: etiam non beatus inde fieri potest, qualis is est, qui nouit omnia signa & miracula Dei, & omnia credit. Sed tamen fructus ipsius scientiæ non prodit, sed emoritur. Hinc vocamus Philosophum mortuum. Qui enim multa scit, multos fructus operari debet. Sin minùs, pro mendace, & non Philosopho censeatur. Nam scire, postea credere, denique fructificare, hoc verum Philosophi fundamentum est.

Fidei & scientiæ discrimen.

His præmissis, Philosophiam iam in genera seu facultates tres diuidimus: in Philosophos, tractantes de generatione & ortu, qui vocantur Philosophi naturales: In Philosophos tractantes de rerum dissolutione & interitu, qui Philosophi Medici dicuntur: in Philosophos, tractantes de miraculis contra naturam, & Philosophi sancti nuncupantur.

Philosophia triplex.

Cùm ergo Christianæ Philosophiæ tres sint, ad solam fidem attendentes: eas iam iterum differentiâ duplici distinguemus, vt vna sit, quæ per signa & naturam Deum cognoscit: altera, quæ illa quidem nouit, nec tamen Deum agnoscit, nec scit quò opera faciant. Christianus Philosophus nouit, fidẽ esse ex operibus, quæ fecit is, in quem credendũ est. Dum ergo finire debemus in vno, in hoc scilicet, à quo opera emanant, in Philosophia nobis opera duplicia offeruntur, vera scilicet & falsa. Vera, quòd herba & gramina crescãt, & omnia animalia ac similia alia, &, quòd mortui reuiuiscant. Falsa sunt per magiam morbũ infligere, & eundem sanare, tempestates & similia facere. De primis nobis philosophandum, & in ipsa credendum est. De secundis minimè, vt nec de eo, qui ipsa facit sed potiùs in eum, qui & hunc creauit, qui talia potest.

Fides ex quibus operibus.

PROLOGVS II.

Conuenit ergo, nos fideles esse Philosophos, qui confidenter ad naturæ opera respiciamus, & illis operã demus, & quotidiè ipsa contẽplemur. Quò enim maior cognitio operũ Dei: eò maior fides, eò maior beatitas. Et qui multorũ naturæ operũ peritus & cõscius est, is in fide sublimis est, cuius Doctor est ipse creator. Qui multa de operibus miraculorũ explorata habet, is in beatitudine præcipuus est, Talis fuit Plato, quẽ nõ tantũ naturalẽ iudicamus, sed etiam ipsorum miraculorum conscium. Quid saluat Petrũ aliud, quàm opera Christi, per quæ factus est fidelis? Alias fides in ipso fuisset mortua. Quid saluat naturalem? Opera herbarũ. Maximus iste, qui naturã & miracula nouit, discit & experitur. Qui nescius est illorũ & imperitus, is mortuus est. Sed hæc omnia omittimus, pro responsione id resumentes, ad animam nostrã omnino requiri nos

Fides ex operibus. Plato beatus.

Philosophos

Philosophos naturæ & signorum esse. Hinc ergo digressi, operationem naturæ indagabimus, vt prologus primus indicat. Fas ergo cùm sit, quemlibet esse virum sapientem, hoc est, Philosophum: deinceps indicabimus, hoc ad corpus referendum esse, non ad animam; sicut paulò antè diximus de operibus ad salutem facientibus. Operationes enim naturales in hominibus, & miracula sunt opera ad salutem, vnde anima in cœlum penetrat. Per ipsa enim est fides. Naturales autem Philosophos omninò decet, vt ex lumine naturæ philosophentur, quicunque fideles esse satagunt, vt sciant, quæ vitam aut prolongent aut decurtent, ne decedant de quotidiana cognitione miraculorum diuinorum, sed vt viuant, vltra tempus cæcitatis; vltra tempus aboliti auditus, tamdiu scilicet, dum ipsa lingua rigescat; & ratio pereat.

Talis Philosophus fidelis quilibet esse debet, aut eiusmodi vicinum habere, vt sciat, quænam vitæ ipsius sanitatem conseruent & firment. Hoc enim fine à Deo data Medicina est, vt necessaria & conferentia discantur. Scire debet, quid edat, quid bibat, quid agat & operetur, quis ad prolongationem vitæ futurus euentus sit. Opera enim quæ quis facit ad producendam vitam, sunt opera, ad cœlum ducentia. Quod quis edit sanitatis gratiâ, quique vitat, quæ vitæ detrimento esse minimè queant, is demum probus imitator est. Vitæ enim conseruationem omnia spectare debent. Debet etiam nouisse omnes Impressiones, vt intelligat, quanta possit, qui ex nihilo aliquid fecit. De Firmamento scire debet, quale id sit in suo effectu: De terra, quid crescat: de mari & aëre, quid contineant, vt ex omnibus rebus creatorem suum agnoscat. Mutilus verò ille & claudus contemplator est, qui, quòd Deus hæc condidit, credit, & ita suffocatur. Is contrà diues est, qui ipsum cognoscit ex operibus, & propter illa in eum credit, non vt cæcus credit de colore. Vult enim Deus, se solidè cognosci, non temulenter & superficiariè. Hæc vnica etiam causa fuit aduentus ipsius in terram, vt ab hominibus rectè agnosceretur. Omnis enim salus dependet ex cognitione operum, quæ ipse fecit. Et homini insuper Deus vim & intellectum largitus est, iudicandi de iis, quæ videt. Ad quid enim is prodesset, nisi vt sua contemplatione iudicet opera Dei, vt ex iudicio proprio sciat, quis Deus sit, & quid sit, & quomodo sit, & id sciat plenè, non ex dimidio, opinando saltem & credendo? Ratio siquidem nobis ad nihil aliud data est, quam ad cognoscendum & trutinandum opera Dei, quæ nostri causâ edit, vt firmiùs eò credamus in ipsum, qui rationem eam nobis dedit. Meritò ergo corporis necessitas, vtilitas, & conseruatio expendenda est, velut & ipsius animæ: quòd commodius non fit, nisi per cognitionem operum Diuinorum, quæ nos saluos faciunt.

Cura sanitatis, cœlum meretur.

Deus agnosci vult.

Homini ratio quo data.

Pro introitu ergo de quatuor elementis initiò tractabimus, velut & de iis, quæ gignunt & continent, vbi omnes impressiones enumerabimus, quæ ex Elementis oriuntur, fiúntque aut in humani corporis vsum & vtilitatem, aut animæ salutem, quam opera Dei per cognitionem in homine procurant.

LIBER PRIMVS.

METEORORVM THEOPHRASTI HOHENHEIMENSIS, PHILOSOPHI Germani, de Elemento Aëris Volumen primum.


GRATIAS primum Deo ago, quòd me natum Germanum voluit. Deinde, quòd per ipsius gratiam in egestate & fame iuuentutem meam consumpsi, adeóque gratulor mihi de die & fine meorum laborum, à quibus iam data quies est. Denique laudo Deum, quòd me commendârit Virgini, quæ perfectam facit Sanctam Trinitatem, in protectionem nostri, cuius gratiâ, institutione & auspicio nostram Philosophiam exordimur, continentem quatuor libros Meteororum de quatuor elementis tractantes, & in duos paragraphos, quorum vterque duobus libris constat, diuisos. Horum paragraphorum alter externa Elementa considerat, alter seorsim Globum tractat. De his diuinâ gratiâ philosophando tractabimus, assiduè intenti ad æternitatem hanc vitam secuturam, quando mundus & hoc corpus interierit: Christum ergo oramus, vt nobis, ceu fidelibus auxilio suo præsto sit. Amen.

Elementa tantum duo sint.

Philosophia hæc vera & genuina est, quando dicimus, elementa tantùm duo esse, calidum & frigidum, sub calido intelligitur & siccum, sub frigido humidum: ita vt sub vnâ materia virtutes geminæ comprehendantur. Inconditus iste est Philosophus, qui de elementis quatuor disserit, vt sunt calidum & siccum, calidum & humidum, frigidum & humidum, frigidum & siccum. Quatuor enim elementa non sunt, sed tantùm duo. Caliditas enim & humiditas non iunguntur, vt nec frigiditas & siccitas. Sicut enim vir & fœmina vnus tantùm homo sunt, seu, sicut vterque per se homo non est, sed vtrique simul hominem vnum constituunt, & in humanitate vnâ manent: sic & de elementis sciendum est, ignem & aërem vnum esse, vnum etiam aquam & terram.

Quanquam autem de complexionibus elementorum, ita quidem philosophari possimus: Id tamen pro re non satis est. Philosophari enim possumus, ignem & aërem complexionem nullam habere, sicut nec terram & aquam, hoc modo. Calor de igne, est fructus ignis, quo creaturæ viuunt, velut & aëris. Frigiditas terræ & ipsa fructus est, ad commodum creaturarum. Sic quod ignis per æstatem exiccauit, id per hyemem iterum humectatur ad futuram fœcunditatem. Nec vlla alia philosophia vtilis est, quàm philosophia frigiditatis, sicut de frigiditate proprio capitulo disseritur. Quanquam enim frigoris & caloris plùs minúsue in Globo reperiatur: vnum tamen alteri æquè succedit, & vices alterius pensat. Philosophicum ergo nihil de complexionibus differendum restat, quàm de domo in qua omnes Philosophi iacent & virent seu verpant.

Elementũ quid sit.

Id ergo elementum est, quod vim habet refrigerandi & calefaciendi. Ita Cœlum Elementum vnum est, licet sit duplex. Terra elementum vnum est, sed duplex. Et philosophia ista cognoscenda est, quòd distincti & diuersi fructus gignantur seorsim, in aqua & terra. Hâc de causa duo elementa intelliguntur, ratione scilicet fructuum, non ipsius naturæ. Hoc etiam respectu duo libri duobus elementis assignantur, veluti etiam vir & fœmina vnicus tantùm homo est, sed ex quo duo fructus nascantur, veluti generatio hominis docet. Cùm ergo ex duobus elementis, Terra & Aqua, duo fructus gignantur, pro elementis meritò reputantur. Quod enim fructus profert, ad vitam creaturarum necessarios, id elementum est.

Cœlum elementum duplex.

Cœlum est elementum duplex, duplex etiam Terra. Principalius pro viro sumitur: alterum pro fœminâ habetur, vtrumque in complexione vnâ. Omnia enim fructus & crescentia sunt. Et sicut lapides ex aquâ fiunt, & pluuia ex stellis, & herbæ ex terra: sic frigus ex globo, & calor ex cœlo oritur. Sunt ergo elementa tantùm domicilia, in quibus habitat Arcanum, quod est virtus, ex qua fructus omnes nascuntur, sicut Philosopho exploratum esse decet.

Denique ea Philosophia est, quòd in calore tantùm & frigore elementa consistant, non etiam in humiditate & siccitate. Nulla enim res calida, simul humida est, nec vlla res frigida, simul sicca in elemento. Siccitas est in cœlo, sicut visus in oculo. Sic & humiditas in aqua. Visus non facit oculum, sed oculus visum. Ita vnumquodlibet elementum suum socium habet, à quo integratur, veluti oculus per visum integratur. Sic enim & calor siccitate perficitur. Et quamdiu humiditas adest, tamdiu non adest calor. Vt enim oculus sine visu non est, aut, sicut per oculum audiri non potest, nec per aurem videri: ita nec frigus esse siccum, nec calor esse humidus potest. Et in hoc veteres quidem hallucinati sunt, dum calidum & humidum elementum ponunt, quod elementum esse non potest. Thermes quidem nasci potest calidus & humidus. Sed id (essentiale) substantiale est, non elementale. Philosophorum tamen quidam complexionem substantialem elementum vocant, quod mendacium maximum est philosophorum tam recentium quàm veterum.

Elementum nullum calidum & humidũ.

Philosophi reprehendunt.

De Aëre.

Aër elementa omnia conseruat.

SEd vt deinceps de Aëre loquamur, scire hos velim: aërem elementa & creaturas vniuersas conseruare, vt in cursu & centro suo persistant, hoc modo. Terra & Mare ceu elementa bina, ex creaturis sunt media, veluti centrum circuli, ex quo elementum aëris egreditur. Id per se rotundum, vt centrum, minimè conseruaretur, ni aliquid esset, quod taliter ipsum conseruaret. Rem ita intelligite. Terra & aqua globum vnum constituunt, nulli rei incumbentem, sed vndiquaque liberum, sine omni alligatione & adhæsione. Etsi verò à nullo extraneo suffulciatur, quod tamen non cadat, id Philosopho admirationi non esse debet. Similiter nec admirari debet Physicus, quasi à Deo singulari arte mundus sustineatur, sicut lapis quidam in sublimi sine omni extraneo adminiculo sistitur. Res enim ita sese nullo pacto habet: sed duorum elementorum globi illi non decidunt, non quia fulcris incumbunt, aut mirabiliter librantur, sed quia ab elemento Aëris ambiuntur. Id nihil est aliud, quam purus seu merus Aër, crassæ & conspicuæ substantiæ, velut vastum chaos, per quod minimè transpici potest id, quod imperiti cœlum vocitant. Chaos illud est veluti arbor elementi Aëris, ex qua aër emergit seu enascitur, & in creata omnia transit, rotundus nimirum, ac sphæram seu globum vndiquaque ambiens ita, vt quicquid de cæteris tribus elementis complectitur, intra sese sustineat, & quasi includat. Nec extra chaos alia vlla creatura est, quæ elementis subiiciatur, sed intra chaos vniuersæ, conclusæ sunt & inuolutæ. Hoc chaos terram & mare in suo centro continet, ne qua excidant, quod ita intelliges. Sicut vitellus in ouo testam non attingit, propter sustinens interiectum albumen: ita similiter albumen quoddam inter Elementum aëris & terræ interiectum est, faciens, vt sphæra seu globus sustineatur aut portetur, ne qua excidat, sicut nec vitellus, quocunque ouum moueatur, loco suo elabitur. Cur verò id, quod globum Aquæ sustinet, non æquè vt albumen visibile & tangibile sit, hoc potissimum causæ est, quia nimirum alterum est elementum, ex chao genitum, quod secundum ordinem ac speciem suam ita se habet. Ex elemento aëris, seu ex circulo illo, quo omnia creata includuntur, quíque chaos dicitur, egreditur albumen, quod sphæram sustinet. Imo ex chao egreditur vsque ad sphæram seu globum, sustinens aut coërcens omnia, ne quid ex globo emoueri, aut excidere queat. Cùm ergo hoc modo aër cætera elementa omnia, adeóque quæ in illis sunt, vniuersa contineat & includat, per inclusionem illam operatio eius penetrat, vsque ad centrum, hoc est, sphæram seu globum. Ea operatio est albumen, quod sphæram sustinet. Donec ergo aër huiusmodi chaos esse pergit integrum & solidum, nulla in mundo dissolutio est. Quòd si verò aëris elementum in chao suo secundum prouidentiam diuinam, quid detrimenti & noxæ acciperet, tum demum albumen exitum & eruptionem facturum esset, quam proximè sequetur dissolutio elementorum & rerum vniuersarum destructio. Aliàs minimè. Quamdiu enim elementum integrum est, tamdiu integrum manet etiam albumen: adeò vt nihil suo loco excidere possit. Vnde sphæra seu globus in medio elemento aëris stat, velut centrum in suo circulo.

Globus terræ & aëris cur non cadat.

Elementorum dissolutio vnde.

Sed vt vlterius philosophando inquiramus, cur nam creata omnia sursum stent, hoc est, videantur sibi superiora, & cætera respectu globi inferiora: ratio tenenda ista est, quòd omnia à centro ad circulum proximè egrediantur. Sic si circulus describatur, ex medio eius centro infinitæ lineæ recta ad ambitum circuli proximè excurrunt. Simili modo etiam crescentia & animalia omnia versus cœlum tendunt,

tendunt, veluti secundum rectam lineam ad chaos, lateraliter vel deorsum: Ita etiam omne id quod in sphæra est, secundum lineam tendit ad chaos, nec, quò minùs cadat, sustentamen aliud vllum habet, quàm ipsum albumen. Omne enim secundum latus aut deorsum respicit. Quòd verò interim nec deorsum, nec ad latus spectare videatur, id creationis diuinæ opus singulare est. Qui enim infra globum nobis obuersantur, horum capita deorsum propendent, & tamen non cadunt, sed pendēt. Ex quo Dei miraculum peculiare elucet, de quo nihil philosophari possumus. Ita enim ordinatum ac constitutum est, vt omnia sursum spectare aut tendere videantur. Rudis verò & incondita ea Philosophia est, quæ Solem ad sese trahere, & quicquid ille attrahit, id sursum stare contendit. Multa enim hîc incongrua dicuntur, nec ex genuino Philosophiæ fundamento veritas ista protrahitur. Nulla námq; vis inest Astris seu firmamento quoad eiusmodi attractionem. Et mirum insuper est, quid responsuri sint illi, si rogetur, quidnam fiat ac obstet, cur ab Astris crescentia ipsa non totaliter quoque attrahantur? sed fanatici suo spiritu ita aguntur.

Philosophiæ reprehēsio de attractione Solis.

CAPVT V.

CVm superius à nobis traditum sit, quòd Deus diuinâ potentiâ, ex nihilo ipsa elementa produxerit & constituerit: deinceps etiam edisserendum est, quonam collocârit is hoc, quod in illo loco priùs consederat. Hoc facto, deinceps in elemento aëris describendo pergemus. Eo loco, vbi iam quatuor subsistunt elementa, morabatur aut subsistebat is, qui inde cum sua familia deturbatus est in infernum. Hoc enim cœlum est, ex quo ille eiectus est, locus nempè, in quo elementa quatuor continentur. Et quicquid de illo eiectum non est in infernum, id inibi est, nempe quod mortalitati exemptum est, hoc est, *Paradysus.* Alter locus ipsorum est elementorum. Porrò autem elementa substantialia & completiua facta sunt, suum nimirum orbem explentia, ita, vt locus nullus ampliùs ibi sit vel paradysiacus vel infernalis: nisi fortassis in illis locis aliquid sit, vbi humani nihil est, vel esse potest, sed infernus subsistit aut includitur, vbi nempe congregantur, qui damnati sunt. Aut necesse est eos infra nos esse, vi & gaudio omni orbatos, aut saltem in substantiam elementorum relegatos. Is enim infernus est maximus, vt in caduco illi versentur & habitent, non in regno suo pristino. Verè enim pro inferno id habendum est, quando Angelorum quispiam ex paradyso eliminatur, & in mundum ita exturbatur, vt deinceps paradyso ei carendum sit. Nec enim atrocior infernus vllus esse possit, quàm si æternum quid & mortalitatis expers in caduco habitare cogatur: quâ pœnâ nulla alia grauior. Concludimus ergo locum, quo elementa quatuor hodiè continentur, cœlum exstitisse Luciferi: vnde is quidem eiectus non est, sed tamen id cœlum caducum, & in elementa positum est, vt ibi pœnæ loco versaretur. Quod quidem is nunquam sperauerat fore, vt Deus cœlum eiusmodi, tam amœnum paradisum, in elementa conuerteret: sed potius crediderat, se in cœlo perpetuò moraturum, adeóque gaudio præconcepto nihil quicquam vnquam defuturum esse. Cum ergo nullo contradicente Deus elementa ipsa conderet: illius exturbatio in infernum creata est, hoc est, vt pro lumine cœli tenebris inferni, & fragilis mundi deinceps frueretur. Ipsius ergo nonnulli complices habitant in igne, quidam in aëre, aliqui in terrâ, quidam in aqua. Nec extra elementa vllus Dæmon versatur, sed intra ipsa elementa vniuersi coacti sunt. Ad mundi autem finem ac dissolutionem ouile futurum est vnum eorum omnium, qui quatuor elementis includuntur. Ita ergo principium quatuor elementorum ex nihilo creatum est. Vbi enim iam continentur, ibi caduci nihil antea extitit, ex quo caducum condi aut generari potuisset. Immortale ergo cessit in Paradysum: in cuius locum substitutum à Deo mortale est, nempe ante omnia cœlum, hoc est, chaos, seu elementum aëris, vt antea diximus: postea suo etiam ordine elementa cætera. Non inficias quidem imus, in siccitate aëris, ac in eiusdem egestione intra chaos & globum spiritus numerosiores versari. Sed id cæteris elementis nihil derogat. Cæterum, quia elementum aëris in tres materias seu partes separatum esse diximus: quæ qualísue singularum operatio sit, deinceps explicabitur.

Elemēta quo loco contineantur.

Paradysus & vbi.

Infernus vbi & qualis.

Luciferi quæ pœna maxima.

Luciferi complices vbi habitēt.

Spiritus vbi numerosiores habitent.

CAPVT VI.

DVm de elemento aëris loquimur, cognoscendum vobis est, quòd aër elementa cætera ac creata omnia in sese concludat & conseruet, vt congenitum sibi ac destinatum ordinem seruent. In aëris enim potestate tria cætera elementa posita sunt, vt ab eo sustententur. Et veluti domus fundamento alicui superinstruitur: ita superinstructa sunt elementa aëri, vt ab ipso ferantur & seruentur. Cum ergo aër dicto modo elementa cætera seruet, vt in sua sede immotè maneant: porrò philosophari etiam conuenit, quidnam aërem sufferat & sustineat. Vis autem ac potestas ea est sita in exteriore parte elementi, in qua Deus trinus habitat. Aerem ita regens & sustinens, vt ne cedat, aut cedere possit, vel frangi. Impossibile enim est, vt caducum seu mortale concidat in immortale. Tum nec ideò cadere potest, quia omnia sursum vergunt, nihil deorsum, nec fundus aut profunditas adest. Aer enim vsque adeo compactus, & in circulo suo firmatus est, vt nihilo magis frangatur aut dissoluatur, quàm regnum externum interire potest. Quando verò omnino pereundum ipsi erit, dissolutionis alia ratio futura non est, quàm vt omnia in centrum concidant. Aer enim ipse ac Astra in globum corruent, globúsque ab ipsis ita consumetur, vt nullus cinis reliquus maneat. Mortalis ergo cœli & terræ, ipsorúmque elementorum interitus ea ratio futura est, vt nihil forâs, sed omnia intrò corruitura sint in centrum. Et summum hoc est in Philosophia cognoscendum arcanum, quod circulus in centrum ideò ruat, quia profunditas nulla exteriùs, sed interiùs tantùm datur, & interiorum nihil

Aër basis trium cæterorū elementorum.

Aër à quo sustineatur.

nihil sursum, sed omnia deorsum spectent, ita vt cœlum inferius non minùs ac ipsum superius in centro versetur. Sic nimirum cœlum in toto circulo supernum & nihil infernum est: licèt in suo circulo supernum & infernum sit.

CAPVT VII.

De Elemento ignis, quomodo transit.

Elementa quo ordine sita sint.

COgnoscendum post iam dicta etiam hoc superest, quo pactò interna elementa in prænominato circulo diuidantur. Id fiet hac ratione. Primo loco aër est, extimus. Succedit ignis, hoc est, firmamentum. Hi duo chaos constituunt, & globum ambiunt. Globum hunc constituunt terra & aqua, sibi permixtæ & cohærentes, quâlibet tamen peculiarem elementi perfecti locum constituente. Duo superiora elementa impressiones suas, immittunt duobus inferioribus, hoc est, globo. Duo altera in globo impressiones suas cohibent, nec eas eiiciunt, sed ea retinent, sicut capita de impressionibus seorsim de quolibet docent. Præterea etiam intelligendum est, quî sese elementa illa habeant, ne circulum suum egrediantur. Aër, vt diximus, non foràs excidit, sed intrò directus est. Globus enim infimus, & aër supremus est. Etsi verò hic etiam infra globum sit: id tamen ex miraculis diuinis vnum est. Interim considerationis est philosophicæ, quo pacto globus sustineatur. Ignis à Deo ita dispositus & digestus est in stellas, vt locum non egrediatur, vt telum ex chalybe. Quòd verò in globum non decidat, ea causa est, quòd ab aere sustineatur, veluti auis, vt potè cui subiicitur. Cur autem globus (duo scilicet elementa interna, grauissima, materialia, substantialia, & tota compacta) non decidat, hoc est, cur inferius mare & terra non cadant, quidue sit id, à quo sustineantur: de hoc ita statui debet. Aer nempe in suo vase, hoc est, in omnibus elementis, ita potens & validus est, vt in centrum vehementer egrediens faciat, quò minùs terra vel globus decidat. Quicquid enim inter globum & chaos interiacet, id adeò validum ac potens est elementum, vt non aliter sustineat, ac terra sustinet saxum. Et quemadmodum hâc ratione terra adeò compacta est, vt nihil intra sese admittat: ita etiam aer.

Globus impressiones nullas emittit.

Ignis cur in globū non cadat.

Globus cur non corruat.

Cœlum non rotari aut circumuolui, sed ab elemento ignis ebullire, & albumen seu aerem gignere.

CAPVT VIII.

CÆterùm de Elemento Aeris porrò philosophandum restat, quidnam in ipso moueatur, aut quid sit, quod ipsum moueat, aut an moueatur vel minùs. De his ita disquisitio instituetur. Nonnullorum ea gliscit opinio, aerem, hoc est, cœlum in orbem agi. Qui tamen circularis motus concedi non potest. Nec enim cœli est moueri loco & circumuolui, sed quietè & fixè in vno loco stare. Aer autem ex ipso, qui egreditur in mundum, hoc est, albumen, quod continet, oritur ex ipsius chao, hoc est, ex circulo elementi aeris, non tamen propter ipsius cursum, ascensum, motúmue, vt nonnulli autumant: sed potiùs emergit, ex egestione chai, dum quædam in elemento ebullitio & digestio fit, quæ spiritum ciet aut eiicit, aërem nobis in mundo producentem: éstque mundo instar albuminis ad sustinendum centrum.

Cœlum non rotatur.

Cœtus ab aere quo sustinetur.

De motu autem vel quiete cœli ita iudicandum est: quòd nec cœlum in orbem agatur, nec motus ille mundo aërem suscitet. Hoc enim si ita foret, quidnam albumen gigneret, quo mundus & mare sustinetur? Præterea motus ventum tantum non aërem gignit: & alia est causa venti, alia aëris. Diuersa enim duo sunt aër & ventus. Quiescere vero ipsum & necessarium simul & vtile est. Dum enim quiescit, egestione suâ æqualem aerem, quali mundus opus habet, nec pauciorem, nec copiosiorem, diffundit. Rotunditate siquidem suâ in centrum æqualiter operatur. Sic homo, quando superiorem partem centri ad latus, vbi aeris minùs est, egreditur, aeris minus non habet, quàm in ipso centro, vbi aeris plurimū. Id hoc modo æstima. Sicut centrum, hoc est, mundus & mare, in medio iacent, quæ postea obire deberet cœlum: ita nota, quòd ventus iste, qui à cœlo spirare deberet, & aerem facere, inæqualiter spiraturus esset. Collateralia enim sphæræ minùs haberent aeris, quàm linea circumuolutionis. Ita collateralia suffocarentur ratione aeris minore iusto copiâ afflantis, cùm econtrà, qui aeris lineam occuparent venti nimium haurirent: quod tolerabile minimè foret.

Ventus & aer differūt.

Ita ergo sese res habet. Si chaos ebullit, & spiritum ex se instar feruentis ollæ exprimit: tunc vapor iste secundum lineam ad centrum, hoc est, iuxta lineam, in qua crescens mundi cœlum respicit, pergit. Hâc ergo ratione ex chao vapor æqualis in mundum exspirat: hoc est, ventus purus ex sola ebullitione & euaporatione nascitur. Ebullitio hæc vaporis non ex propria forma, virtute ac vi chai fit, ita vt ex seipso ita ebulliat, sed vnum elementum hæret in altero, nec vnum citra alterum subsistere potest. Sic elementum ignis, quod proximum aeri subiacet, est astrum ac firmamentum. Id igne suo, quatenus elementum est, chaos superius ebullire facit. Nec id euenit, vt, quo loco plures stellæ apparent, ibidem vberior quoque ebullitio, & sic consequenter plus etiam aeris fiat: sed ebullitionis ea potius est ratio, quæ ollæ, à quatuor ignibus efferuescentis. Etsi enim quatuor ignes: plures tamen vnâ ollæ non feruent. Similiter & elementum ignis non ornatus, sed necessitatis & commodi gratiâ distributum est, vt nimirum causa fieret ebullitionis in chao, vnde vapor egreditur, hoc est, albumen, Aérue, qui mundum in centro sustinet, hominique aerem & respirationem, quâ indiget, largitur adeò, vt eo bono nulla creata defraudentur, duraturo scilicet ad elementorum omnium consumptionem. Ebullitio ea semel tantùm est, iugiter & continuò durans. Sicut enim aqua feruida, quæ feruidior fieri non potest, si talis maneat, assiduò euaporat: ita etiam ebullitio illa se habet.

Venti vt fiant.

Ebullitio chai a quo causa fiat.

Hîc autem notandum est, quòd Deus elementum

mentum ignis stellas condiderit, eásque per vniuersum cœlum distribuerit, sicut carbones circumponuntur ollæ. Nam & stellæ tantùm carbones sunt, à quibus elementum aëris ebullit. Et licèt quidem in orbem eant, nec vno loco quietæ stent: sed sedes suas subindè mutent: ista tamen distributio adeò exacta est, vt nullus earum toto cœlo defectus sit, sed vbiuis in cœlo carbones eiusmodi, qui cœlum calefaciant, reperiantur. Quòd autem carbones nonnulli aliis temporibus magis minúsve feruidi appareant, id fit propter æstatem. Eadé etenim est egestio, sicut de hyeme & æstate dictum est. Et vnius gradus omnes sunt. Si stella vna minuitur, altera augescit, si carbo vnus deflagrat, alter excandescit. *Deficiunt quædam* -------- & ne vnica quidem in parte collaterali, aut lineâ media, &c. Id autem præter rei veritatem est. Globus enim superior, collateralis, & inferior, aërem omnes æqualem habent, & nullum ventum, viuúntque ab aëre, velut quatuor elementa & non à vento.

Stellæ sunt instar carbonum.

Hactenus ergo satis demonstratum est, cœlum esse elementum, & aërem esse cœlum, ipsúmque quietum stare ob multas causas, quas vitandi tædij causa hîc omittimus. Vbi etiam hoc simul declaratum est, ventum elementum non esse, sed impressionem & viuentia non ex vento sed aëre viuere. Hoc loco & aliud quiddam nobis discutiedum restat, quod phantastæ quidam somniant, ex cœlestium nempè corporum motu concentum & harmoniam fieri, adeò suauem, vt æquè iucunda nulli vnquam homini aut audita aut cogitata sit. Hunc sonum honesto etiam nomine donant, ipsúmque Symphoniam cœlestem nuncupant. Quo quæso fine alio ista comminiscuntur, nisi vt ploratum infantibus sedent? Si enim cœlum, eo modo, quo ipsi tradunt, volueretur, strepitum potiùs quàm cantum ederet. Nec enim cantilena alia ex Symphonia cœlesti expectanda foret, quàm qualis auditur in molis & saxosis riuis. Nam & ista similem stridorem emittunt.

Viuentia aëre viuüt non vento.

Symphonia cœlestis ridetur.

De Coloribus.

Philosophi reprehéd.

SIcut de Elemento aëris & chao diximus, hunc scilicet esse circum domicilia omnia concludentem: item ex nubibus oriri aërem: ita econtrà tam ex modernis quàm veteribus fuerunt multi, qui chaos cœlum vocitarunt, nec cogitarunt id mortale esse, quale similiter non est cœlum. Hoc alij æstimant viride, quoad colores, alij cœruleum, pro hebetudine scilicet suorum oculorum iudicantes. Color chai aut caduci cœli est candidus, & clarus admodum. Cœlum enim seu elementum aëris consistit in candore trium primorum, sicut ignis in horum rubedine, & terra in eorundem nigredine, & aqua in illorum viriditate. Quòd vero candor, qualis est, non ita conspiciatur, sed pro videntium conditione viridis aut cœruleus color appareat: eius rei hæc causa est, quòd nempè fumi & vapores, ex stellis egredientes, interuallum obiectum pro sua natura tingant, ita, vt fumus ipsarum à Sale præmicet in purpureo, lazurio & viridi, quanquam in duobus postremis maximè. Sic ergo inter verum chaos & nos interiectum est chaos aliud vel cyaneum vel viride, prout stellæ suos splendores emittunt, aut nubes permiscentur. Hinc enim color euariatur. Nec aliud in cœlo ibi adest, quàm Salis vapor, ex stellis ita exiens. Quanquam inueniantur etiam qui asserant, cœlum esse viride, sed propter distantiam apparere cœruleum. Hi non rectè expenderunt, ex quanam re cœlum conditum sit, quódque chaos sit, & aër, & elementum, non cœlum: veluti nec hoc trutinârunt, vndenam aer factus sit, & in quibus consistat. Etsi vero cœlum per se candidum, clarum & densum sit, propter tria, quæ continet, prima: non tamen causa sit colorum, rerum viuentium in terris.

Qui cuiuslibet El. color sit.

Cœli qualis color.

SEQVITVR FRAGMENTVM, QVOD *ipsum quoque fors ad hanc de aëre Philosophiam spectat.*

ELectionis Luciferi non ea est ratio, quasi is ex suo regno in aliud sphæræ regnum exturbatus sit: sed ita sese res habet. Mansit nempe in sede sua: hæc tamen in locum impurissimum, & naturæ ipsius contrarium, nempè in mortalem, mutata est. Sic ergo ceu Angelus in duplici sede morari cogitur, vbi nulla maior contrarietas euenire potest, quàm quòd æternum & mortale in vno cogantur.

Lucifer quomodo ex suo Regno eiectus sit.

Sic nec Adamus ex Paradiso ita eiectus est, vt ex regione vna in alteram deportaretur: sed eiectione illa Paradysus ipsi ademptus est, isque sub pedibus & asspectu eius mutatus in mundum caducum, in corpus mortale, in morbos, in ærumnas. Idem locus mansit ei: sed mutatus.

Adæ eiectio ex paradyso qualis.

Similiter nec infernus extra centrum est, sed in centro, in illis locis & sedibus, in quibus homo habitat. Si anima à corpore secessionem facit, manet ibi, vbi corpus fuerat, nec infinitis milliaribus sursum aut deorsum tendit. Si salua est: manet ibi. Si infernalis, manet. Ibi enim in vno loco sunt & gaudium & mœror. Quod saluatur, in eodem loco gaudio fruitur, in quo damnatum luget: vniúsque gaudium est alterius planctus.

Infernus vbi.

Pro conclusione hoc addemus, quòd omne hoc, quod cum cœlo & terra centrum complectitur, Paradysus fuerit, in id tamen mutatus, quod diximus. Quòd si cœlum & terra iterum peribunt; tunc ibi Paradysus iterum erit, vna nempe essentia, æternum quippe, nulli mortalitati confusum. Nobiscum ita philosophari & sentire difficile est, nisi Sophista expendat & probè attendat ad rerum caducarū & hominum originem. Eo enim facto, probabile fieri possit Philosopho id, quod modò diximus: quem etiā ob id relegamus ad libros nostros *de Lapsu Luciferi, expulsione Adæ* aut *Regno cœlesti & infernali.* Isti enim libri à primo esse incipiunt, & tractando descendunt ad creaturas rerum caducarum, cœli & terræ, & hominis, vbi desinunt. Tum demum Philosophia nostra orditur à quatuor elementis. Vnde non immerito digitum intendimus ad principia ea, ex quibus Philosophia nostra dimanat & stabilitur. Etsi vero hoc lumen naturæ Sophistis minimè gratum accidat: multū tamen non intererit. Apertè enim profitemur, quòd à principio hominum illicò erratum sit de

Paradysus quid & vbi fuerit.

de statu Luciferi, & expulsione Adæ, & conditione Paradysi. Quem errorem postea errârunt successores vniuersi etiam, meris imaginationibus, commentisque ac quæstionibus subindè intenti, nihilque pensi habentes, an textus, quem tractant, genuinæ lucis sit, vel minùs, aut an ex parte aliquâ à vobis intelligi possit, aut secus. Ista siquidem omnia Philosopho probanda incumbunt, non sophistæ, qui deliramenta tantùm sui cerebri, quod erroribus refertum est, profert & obtrudit.

LIBER SECVNDVS METEORORVM, QVI HVC SPECTABAT, NON EST REPERTVS.

SEQVITVR

LIBER TERTIVS METEORORVM THEOPHRASTI HOHENHEIMENSIS, PHILOSOPHI TEVTONIS, DE

METEORICIS EX ELEMENTO IGNIS ET impreßionibus eorundem.

PRÆFATIO THEOPHRASTI, DE IMPRESSIONIBVS ELEMENTI IGNIS, HOC EST, FIRMAMENTI.



Impressionum quis ortus in genere.

Vandoquidem in superioribus præfationibus, de tribus primis ita disseruimus, quòd Meteorica operationes omnes in ipsis consistant, & per ipsa (nam cùm firmamentum & elementa in ipsis consistant, etiam impreßiones ex ipsis oriuntur) fiant: ideò hoc tertio libro idem otiosè repetendum non est, quod traditum est in prioribus. Hoc loco saltem repetendum est, quòd impreßiones omnes suum ortum ex stellis & elementis habeant, sicut deinceps enumerabuntur. Qui verò impreßiones illæ fiant, deinceps hoc libro Meteororum explicabimus. Quòd verò, qui Auctores alias de Meteoricis commentati sunt, Philosophiæ nostræ modum non tenuerint, sed diuersa Meteorica tradiderint: in causa fors est & culpâ ipsorum spiritus, qui Meteora ipsa ad illorum commenta & placita direxit. Interim tamen fas minimè est, nos in cuiuslibet fictitij spiritus vagi commentis acquiescere. Nisi enim ipsa natura genuinum spiritum det, seu fundamentum ostendat ex infallibili experientiâ: Philosophus nemo erit. Gignitur enim Philosophus ex ipsa natura, & per experientiam confirmatur, non per acrimoniam & subtilitatem phantasiæ, per omnia quoquò versum temerè volitantis. Quicunque itaque genuinus esse Philosophus satagit, is rem nobiscum iudicio tali trutinet, quòd incorporei spiritus ad nos collati aliter sese non habeant, quàm sese habent domini ad seruos & subditos. Res ita putanda est. Domini nimirùm iubent & mandant, quod fieri opus est. Sic serui nihil sunt aliud, quàm suorum Dominorum fatui. Quilibet enim per se posset esse Dominus, nec esset fatuus. Sed propter prædestinationem etiam fatui præstò sunt. Sic & incorporei spiritus sese nobis Dominos constituunt: quo fit vtique, vt nos simus stulti. Quòd si enim ex phantasia nostra artes, sapientiam & prudentiam constituamus, sine omni experientia, quæ illarum esse debet mater: ea ratione omnino stultos nos facimus spirituum, qui nobiscum ludunt ceu Domini cum morionibus, faciúntque, vt, quæ velint, & iubeant, nos confecta demus. Econtrà, ampla laude sapiens iste dignus est, qui sapientiam suam venatur ex experientia: veluti vicißim reprehensione dignus est, qui seipsum pro sapiente habens, ludibrium fit spirituum. His constitutis fatemur quidem vltrò, nos in fornace aut olla illa nunquam versatos esse, ex qua impreßiones deducimus. Nec enim regiones illas adire nobis neceßitas est. Nobis hoc ad rem satis est, quòd inferiorem naturam, viuum certè experientiæ speculum, ex quo superiorum natura, substantia & proprietas abundè discitur, cognouerimus. Ius ergo nobis ac fas est, ab experientia vna meteoricam dirigere in aliam. Nostra enim illa altera demonstrant. Deinceps ergo ex ordine impreßiones omnes secundum suas causas ortúsque explicabimus.

Philosophus verus vnde.

Spiritus incorporei Dominis terrenis similes.

Experiẽtia non phantasia artiũ mater.

Inferiora superiorum speculũ.

De Frigore seu pruina.

Pruinæ quæ generatio.

PRuinæ generatio hæc est. Si firmamenti motus æstiuus est, comitantibus ventis & auris Orientalibus borealibúsque, instante tempore æstatis: tunc aëris & ventorum natura adeò frigida & gelida est, vt materia roris in glaciem cogatur. Pruina enim quælibet ros tantùm est congelatus, nec aliud sui ortus principium habet quàm rorem. Quæ verò causa sit, quòd pruina aquæ glaciatæ similis non sit, cùm sit granulata: id noscetis, si cogitetis, quòd ros sit Sal resolutum, & in aquam versum: cuius ea proprietas est, vt, quoties aut ex natura propria, aut artis operibus, aut motu metallico in congelationem cogitur, in grana abeat angulosa & lapidosa. Hoc modo, si frigus percellit rorem, & in congelationem agit: tunc is natiuam formam suam induit, & fit quod diximus.

Pruina quid.

De Rore.

Ros [illegible]

ROs hoc modo fit. Si firmamenti motus cũ claritate & siccitate fiunt, Sólque terrã claris radiis illustrat: claritate illâ tria prima expurgantur & depurantur ita exquisitè, vt rem bis pluriésve destillatam referant. Depuratio ea abit in congelationem, aridam & siccam omnino

omnino. Ea congelata ariditas seu siccitas tamdiu saltem durat, quamdiu durat firmamenti calor, qui illam conseruat. Illo iam suum calorem remittente, & Sole recedente ab istis: prima tria demum diuiduntur, & quod de Sale est, id resolutum decidit in terram, vsque adeò subtile, vt nec videri nec internosci possit priùs, quàm terram attigerit. Sal enim id adeò clarum, & à sole rectificatum est, vt subtilius aliud nullum reperiri queat. Quicquid verò de Mercurio & Sulphure est, id frigus infernum refrigerat. Hoc ex parte Sali sese permiscet, licet Sal prædominetur. Id verò, quod à Sole non exquisitè depuratum est, in mediis interstitiis manet. Hinc fit, vt quò potentiùs & integriùs Sol operatur, eò plùs grandescat ros. Ros ergo quidpiam est, non ex terrâ nascens, sed Sal in terram cadens, per quod terra temperationem concipit, sicut iusculum à Sale fit sapidum.

De Trono.

Troni quæ causa.

TRoni origo ita se habet, vt de depuratione roris dictum est. Si enim Sol Mercurium transit & depurat ex tribus primis: tunc Mercurius iste à calore firmamenti, velut ros, frigiditate imbuitur. Calore enim recedente Mercurius sese continere non potest, quin decidat. Nec enim à frigido sustineri potest. Et licèt quidem tota nocte sustineatur, instar roris: auroræ tamen frigiditate ita percellitur, vt necessariò in terram decidat, non sparsim ac diffusè, ceu ros, sed inæqualiter ad spatium hoc vel illud, non simul ad omnia. Mercurius enim cum grauis sit, roris instar à vento sese difflari non sinit. Ros námque quia subtilis, lentè decidendo magis difflatur: non itidem & Mercurius, etsi rori permisceatur. Ros enim est ex Mercurio sine substantiâ, in Sal congestum quid. Trono verò sua est & substantia & materia, quò nihil dulcius ex cœlo in terram decidit, crassiusculum, & nonnihil viscosum, benè coloratum, purè candidum. Est enim de duobus cæteris separatum. Ros per se cadit, tantùm ex Sale: Tronum ex Mercurio: Sulphur in suâ substantiâ conflagrat. Quæ autem essentiam in sese continent, cæteris permiscentur.

Roris & Troni differentia.

De Nebulâ.

Nebulæ generatio qualis.

NEbula generatur, quando Sulphur trium primorum ob humiditatem Salis à calore comburi aut consumi non potest, sed abit in substantiam, hoc est, à duobus reliquis separatur. Quicquid enim substantiam induit, id iam res generata est, ab ingeneratâ separata. Sic & tria prima in mediis interstitiis ingenerata, & mutuò congregata sunt. Quorum, quod per firmamentum substantiam acquirit, id trium primorum iam alia soboles est. Ita ros soboles est Salis: Tronum proles Mercurij: generata enim sunt & substantia facta per cursum firmamenti. Hinc etiam à non generatis prima decidunt. Eodem modo & nebula soboles est Sulphuris, vt diximus. Ros enim fieri illa nequit, ob crassitiem, quæ depurationem effugit. Nec etiam in tronum mutari potest, quia non est resolubilis in succosam rem. Vim tamen habet, vaporem crassum emittendi. Hoc modo si cursus firmamentales aliquid gignunt, nebula tantùm fit. Sal enim ipsam absumi non sinit: vnde fit, vt ab ingeneratis decidat deorsum in terram, cum obscuritate & crassitie, & fœtore, & vdore, quæ à sale habet. Et sicut Sal proprietate suâ est mater roris: ita Sulphur est mater nebulæ. Ita nimirum gignuntur tria generata, & à non generatis secedunt, quodlibet pro ortus sui conditione. Nebulæ huiusmodi à Sole in aëre non sustinentur, sed horis singulis decidunt, quamprimùm generatæ fuerint. Cæterum nebulæ, quæ ex pauco sulphure genitæ sunt, in terrâ aut nihil aut minimum sentiuntur: deprehenduntur tamen in aquâ. Aqua enim Sal in sulphure humectat, vt densitatem contrahat. Salis námque contrarium, hoc est, humiditas sulphur pellit. Aliàs sine humiditate Salis non ita turbaretur. Estque adeò post trium primorum separationem hìc particularitas, respectu terræ & aquæ.

Nebula soboles Sulphuris.

Sal mater roris.

Nebulæ in aquis manifestiores.

Nubes.

Nubium generatio quæ.

NVbium hæc generatio est. In stellis firmamentalibus quædam inest naturarũ contrarietas. Quæ si colliduntur in operationibus, oriuntur generationes nubium, hoc pacto. Natura formarum sulphurearum, si in essentias stellarum Sulphurearum aut Mercurialium agit, tunc prima tria congrediuntur in contrarietatem. Contraria hæc congregatio causa fit nubium, ita scilicet. Stellæ constant ex tribus: Sale, Sulphure & Mercurio. Et stella quælibet in suis tribus potens & perfecta est. Iam si natura stellarũm Salis agit in Stellas Sulphuris, duæ contrarietates fiunt. Sulphur enim in suis stellis ardet: nitrum verò in suis ebullit. His iam coëuntibus, stella sulphurea nitream incendit, ac inde pro geminarum stellarum conditione oritur fulgur. Si accensio est frigida: ita vt Sulphur in nitro non integrè sit, fortis incensio non sequitur, sed tantùm aliqualis. Sic enim Arsenicum, licet Sal sit, attamen quia mortuum Sal est, si in ignem conijciatur, nihil aliud facit quàm effumat: similiter & Antimonium ac cætera: ita, quemadmodum varia & mortua & viuentia Salia sunt, variæ quoque similiter stellarum naturæ existunt. Hoc iam pacto, si stellæ Sulphureæ nitreas incendunt, pro conditione ipsarum emergit fumus, quem nubem vocant. Nubes enim quælibet suæ stellæ tantùm nubes est. Sic ergo nubes quoque non aliter generatur, nisi per incensionem factam à stellis Sulphureis in stellis Salis & Mercurij. Sub hisce enim tribus stellæ omnes continentur.

Stellarũ qualis materia.

Nubes quid.

Pluuia.

Pluuiarũ quæ generatio.

QValis origo nubium: talis etiam pluuiarum: varia nempe genera nubium. Arsenicalis nubes pluuiam minimè gignit, sed crassamentum tamen nubis, quod iterum sine humore vanescit. Arsenicalium huiusmodi nubium sunt plurimæ, purè & obscurè candicantes, ac colores alios exprimentes, inter sese diuersos, prout Arsenici multũ parùmve est, aut natura Salis alia accessit. Hæc enim eiusmodi nubes gignũt. Nubes verò pluuiales ita se habẽt. Quę stellę Sulphureæ sunt, eæ à Sole omnes plùs minùsve

minúsve sunt calidæ, ardentes & incendentes, prout à Sole expurgantur & incenduntur. Iam si Sol stellas Sulphureas probè accendat, & ardere faciat: tunc stellæ omnium nubium & tempestatum fiunt causa. Sic vbi stella quæpiam cæterorum duorum priorum naturæ, huiusmodi stellam feriat, ardebit ipsa pro materiæ suæ ratione. Qualis enim rei natura: talis eiusdem quoque operatio. Accensâ stellâ Salis, nubes humida generatur. Nubes ea est purum Sal, quod ex stellis Salis prodit. Quamprimum autem ea ex non generato generatur, foràs ex stellis separatur, ac à ventis agitari incipit. Secreta enim ex stellis illicò grauescit, ac versus vel in terram decidit, quia non exquisitè excoctum Sal est. Dum autem in mediis interstitiis ita moratur, ac præ leuitate ratione venti & aëris in terram non descendit, postea incipit resolui, & in medio cœlo resoluitur in aquam, non confertim, simul & semel, sed sensim, successiuéque. Quicquid verò de substantiâ nubis resoluitur, id deuergit, quia in se ventum non continet. Propter lapsus autem profunditatem quatitur quasi ac dissilit vi aëris & venti perrupta. Ipsa enim lapsus præcipitantia facit, vt nubes in guttas diffluat. Sicut enim amphora aquæ è sublimi turri effusa desuper, non cateruatim, vt effusa est, sed diuisim & guttatim decidit: ita & nubes resoluuntur tamdiu, donec Sal humidum omne segregetur. Multæ enim nubes sunt, quæ ex pluribus quàm decem stellis constant, tam humidæ quàm siccæ. Quæ humida est, decidit. Quæ sicca est, in sublimi manet.

Stillarũ seu guttarum quæ causa.

Lapsus nubis.

Nubes vt labatur.

FIunt nubium lapsus, quando stella sulphurea accendit stellam, vel Salis, vel Arsenici, vel Antimonij naturam habentem. Ea generatio si à stella secernitur: tunc, si stella ea tota fuit salis, aërem nullum continet. Quæ autem nubes aerem non habent, eæ in interstitiis mediis non manent, sed in terram decidunt. Cæteræ contrà nubes omnes, quæ imbris specie in terram non decidunt, continent in sese Arsenicum, Antimonium, &c. quæ nihil decidere sinunt: sed quicquid de ipsis abit in nubes imbriferas, id post resolutionem suo more depluit. Sunt ergo lapsus pluuiarum nihil aliud, quàm per stellam sulphuream & firmamentum benè præparatum sal. Id conflatum est ex generibus cæteris omnibus salis & stellarum: & quamprimum corripit aerem hoc est, quamprimùm ex stellâ excidit in aerem, nihil habet, quo sustineatur: est enim aqua compacta, & in massam resoluta. Hoc facto, vnà ac confertim nubes in terram deturbatur, quia resolutio illa præceps est, & confertim fit, non diuisim, sicut pluuiæ ceteræ fiunt.

Fulgur & Tonitru.

Tonitruorum generatio.

TOnitrua generantur, sicut diximus de proprietatibus stellarum, quod aliquæ totæ adhuc sint in sulphure, aliquæ in sale, aliquæ in Mercurio. Iam si stella quædam sulphurea feriat nitrosam: tunc antequam hæ duæ substantialiter cum suis materiis congrediantur, iam sibi mutuò contrariantur. Sulphur enim & nitrum nunquam vniuntur. Itaque si Sol ardore suo æstiuo sulphur incendit, aut sulphur ipsum, naturâ suâ fragrabile, in hyeme incenditur per se, & nitrosam stellam frangit: principiò suscitatur fumus, hoc est, nubes, ex nitro procedens, ac ante incensionem iam effumans. Postea si sese non contingunt, nubes augescit. Porrò verò sulphur sal nitri adeò validè mouet, vt ex contrario impulsu ventus oriatur. Et dum à se inuicem recedunt, ventus ita mitescit. Si verò sese mutuò contingant: sulphur in sal subindè magis magisque agendo operatur, quò propiùs id contingat. Ita oriuntur nubes, subindè seipsis validiores. Vis enim ista omnis ex contrarietate illa exoritur. Vbi autem sulphur violenter incidit in nitrum, hoc veluti renititur, sulphúrque ardens à se extrudit per nubes, proiecto vno, altero, ternóue. Ab huiusmodi renisu pulsúque, quem sal nitri facit, producitur iam fulgur. Nec enim fulgur aliud quidquam est, quàm retrocussum à nitro sulphur, vice iterata. Per contactum istum, si salnitrum pinguedine sua nihil de sulphure contraxit, ita, vt non flagret, finis est in coruscatione. Si verò ardorem concepit, & sulphur per nubes ad coruscationem egit: tunc & ipsum frangitur, & contrarietas istorum geminorum retrocussionem suscitans facit, vt pulsu illo tonitru emergat. Tonitru facto, resoluitur nubes pluuiam, ex proprietate salis. Ibi ergo sulphur in suo ardore deflagrat, ac simul interit sal nitrum, & tandem serenitas sequitur.

Sulphur & nitri non vniuntur.

Sulphuris generatio.

Fit etiam similiter, vt in contrariis istis operationibus sulphuris & salis nitri in nubibus pluuia cooriatur. Quæ si supra duo illa prima fiat, & luctam eam attingat, tonitrua omnium maxima & sæuissima cientur. Aqua enim illa isti igni maximè aduersa est. Sic pariter, si stella Mercurialis accedat, tonitrua & fulgura intenduntur. Tunc siquidem vniuersa tria in sua contrarietate concurrunt: quæ si sibi mutuo illiduntur, iuncta persistere nequeunt, quia ebullitione & ardore mutuo quasi furiunt. A Sole enim incenduntur & efferuescunt, non secus ac si ad ignem ebullirent. Quatenus ergo ita feruida sibi mutuò occurrunt, sese inuicem facilè incendunt. Dúmque in permixtionem coituriunt, dissiliunt.

Grando.

(Origo grandinis est, quando stella sulphurea stellam nitrosam corripit, &c.)

QVod de proprietatibus stellarum multoties inculcauimus, id hîc resumimus. Si enim stella salis sub Sole valido motu cieatur, Sólque radios suos ipsi violenter imprimat: fit demum, vt materia Salis digeratur, & per calorem Solis coquatur. Ea verò in in omnii Sale natura est, vt per quamcunque digestionem coaguletur in grana. Digestione ita facta, sal seipsum cogit in grana, prout natura ipsius fert, sal fit vel bonum vel malum, humidum, vel siccum, acre vel dulce, &c. Hoc iam in generatione sua stans, prius non perficitur, nisi ardor sulphureus incidat, qui cum tonitru & fulgure inflammet. Per incensionem istam (sicut de tonitru

Grando vt fiat.

nitro diximus (sal nitrum dissilit. Et licèt in lapides ac grana nondum penitus reductum fuerit, id tamen perficitur in decidendo, vt hâc aut illâ formâ grando fiat, sicut salis in coagulatione natura est.

Si verò stella quæpiam nitrosa istam coagulationis proprietatem habet, Sólque calore & illapsu suo splendorem incutiendo illam incendat, citra tamen ardorem (stellę siquidem nullum ex tribus primis preter sulphur incendunt) tunc, si stella illa à Sole ita ebullit, ac veluti à calore efferuescit, operatio perfecta in sale solo fit, vt granuletur in lapides, pro naturâ & conditione salis, quale id secundum suam qualitatem est. Interim tamẽ humiditas, sal nitrum adhuc occupans, coagulationem illam perfici non sinit, sed nonnihil impedit. Quamprimùm verò stella sulphurea coïncidit, & igne suo stellam nitrosam ferit, idem omninò Meteorum oritur, sicut de fulgure & tonitru diximus. Dum ergo sal petræ flammam à sulphure concipit, aliquoties seipsum disrumpit, toties nimirùm, quoties tonat. Desinente autem cum incensione & tonitru dissolutione, operationes productæ decidunt: & quod naturam Salis in se habet, id per vstionem Salis comburitur in lapides: cæterum verò resoluitur in pluuiã seu aquam: vbi simul ac vnà ex nubè eàdem grando & imber decidunt. Materia enim illa excocta est ex ardente sulphure tantùm in stellâ Salis: nec tale fit vnquam, nisi in intensis ardoribus. Hoc enim casu, vehementis Solis digestione opus est.

Fulmen.

Fulmen vt gignatur.

CAusa fulminis ita se habet. Sicut de triplicibus stellis per se dictum est: ita scire vobis conuenit, quòd, si trium istarum stellarum in motum & circulum vnum coincidat coniunctio, ebullitione quidem validâ fiente, nec dum tamen (vt recensuimus) Sulphure ardente, tum demum tres stellæ priores coëant, & in materiam vnam cogantur Sulphur, Sal & Mercurius. Per ingentem ergo calorem Solis coëunt in permixtionem vnam. Et licèt suis quidem contrarietatibus priuentur minimè, tamen illæ nihil iam obstant, quia degenerant in nubem aut ventum: aut si separant aquam Salis, vel Arsenicum, tunc abeunt in pluuiam. Quando autem vnius operationis sunt in aquâ: materia ita disposita est, vt propter insignem calorem omnia à sese reiiciat, quæ in aquam aut pluuiam verti queunt. Sic iam stellæ in se manent, ex quibus compactio colligitur, compressè cohærens cum commotione validâ. Post ista omnia, si Sol vegeto & intenso calore suo Sulphur in compactione incendat, Mercurius, Nitrum & Sulphur vnà iactantur ab vno loco in alium per medium cœlum, nec mutuò dissoluuntur, sed in compactâ suâ congelatione iunctim firma manent. Et si disrumperentur quidem, frusta tamen ignea & ardentia conglutinata manerent. Eo tempore vis ac importunitas Salis nitri Mercuriique adeò in ardendo valida est, vt ex suo loco in alium fragor seu ictus feratur adeò violentis, vt omnes & nubes & pluuias ante se propellat. Quòd si displosio illa sursum tendat: qualis sit, in terra non sentitur. In

Fulminis motus duplex.

sublimitate siquidem quasi suffocatur, sine euidenti ardore, ac ita extinguitur, tandémque sine importunitate deorsum cadit. Si autem per pluuiam cadit, ibi illiditur seu impingit. Aqua enim pluuiæ, & calor proprius, sibi mutuò ita aduersantur, vt sine luctâ non contingant sese. Tum ergo deturbatur, in terram, prout à contrarietate fortius impellitur: & prout magis minúsue feruet, ita etiam vehementiùs vel ignauiùs operatur. Id fulmen vocatur frigidum. Licèt enim fuerit aut sit igneum, dum tamen à nubibus pluuiosis extinguitur, frigidum est, non igneum. Principiò quidem omnia sunt ignea, perrumpentia & perfringentia, prout validæ compactionis, & magnæ contrarietatis fuerint. Si verò fulmen igneum maneat, & deorsum feratur, ardet simul ipsum, ac incendit alia, itáque rapidè omnia contundit & penetrat, vt vis tanta nullius hominis sit. Summa enim ibi contrarietas in compactione vna iungitur, qua maior & hostilior nusquam inueniri queat, nisi in istis tribus. Et compactionis insuper illius nulla dissolutio, nulla dissipatio fit. Sol enim insigniter adeò illa vniuit & colligauit, vt de signis istis & operibus longo grauique discursu iure dici debeat.

Fulminis genus duplex.

De Tempestatibus Sagarum.

Tempestates à sagis vt cieantur.

DE his ita dicemus. Cùm tempestates à sagis motæ minimè naturales sint; ideò de illis in hoc nostro Meteorico nihil occupabimur, aut per artes ipsarum infamiam nobis conflabimus. Quantum verò ad ipsam naturam, Meteoricam talem statuemus. Prima tempestatum istarum origo causam sumit in homine: quod iam mittimus. Deindè rem ita definiemus, quòd spiritus infernales huiusmodi tempestates moueant. Quibus verò ex causis in gratiam hominum illas cieant: pandere hîc nihil attinet. Nihil autem sunt ipsi aliud, quàm sulphur, pix, sal & Mercurius, idque formis infinitis. Hinc causam hanc exstruemus, quòd scilicet spiritus isti, qui ita hominis libidini obtemperant, ex locis ac sedibus suis in media interstitia sese ingerant, & tumultuentur hoc modo. Sol enim illustris, & firmamentum serenum eosdem minimè ferunt, sed subindè longè à se ex medio cœlo ipsos excutiunt & deturbant. Qui dum fortius renituntur, & quasi contrapugnant, strepitus & turba cooritur, diu minimè durabilis. Strepitus autem iste ab ipsorum potestate & natura pendet, dum ex proprio suo Sulphure, Sale & Mercurio fumum, nubésque ac pluuias, & similia alia producunt. Sicut enim de stellarum digestionibus dictum est, quomodo ex ipsis egestiones defluant: ita similis etiam in infernalibus spiritibus est digestio, egestionem proferens. Egestio illa ipsorum est domicilium seu hospitium. Itaque dum sub cœlum emigrant, egestiones suas ac operationes sibi natiuas emittunt, quæ iam nihil aliud sunt quàm ventus, grando, pruina, fulmen, &c. omnia certè longè perniciosiora, quàm quæ à firmamento fiunt. Huiusmodi infernalium spirituum operatio tendit ac fertur

Diaboli sunt sulphur, pix, &c.

Egestio Diabolorũ materia tẽpestatũ.

feratur in partes ac regiones certas, vt ibi inimicitia struatur, ac ita etiam finitur. Sic ergo sagarum illæ tempestates nihil sunt aliud, quàm egestio infernalium spirituum, qui ex congenita sibi proprietate vim hanc & potestatem habent tempestates tales ciendi, quarum nocte dieque pleni sunt. Sed de spiritibus hisce, quæ dicenda restant, in libro de naturâ spirituum definiemus. Hîc iam de causâ & modo tempestatum sagarum dictum satis sit.

Iris cur interdū non integretur.

De Iride.

(Desideratur principium.)

* In tabernaculum, tunc pedes quoque demittit. Circulus tamen nullus integratur, ideò, quia centrum in fundo positum est, & in altum tendit, ac profundum, ita, vt in profundum penetrare nequeat, infra suum centrum. Si enim centrum hæreat in arbore (sicut de montibus diximus) aut saxo, aut crepidine, tunc demum pede suo se demittit. Similiter, si in aquam cadat, ita se habet, velut super terrâ: circulus tamen est perfectior & integrior, hoc est, vltra partem dimidiam, propter centrum, quod valdè sublime est, & veluti lucidum Sal in aëre apparet. Sæpè enim iris fit exigua, vix ex tertiâ parte constans: cuius rei causa est, quia liquor Salis in iride latiùs non extenditur, quàm eoúsque propter suam imbecillitatem. Si liquor multus est & fortis, circulum magnum constituit. Si paucus, contra. Si est debilis, vix dimidium aut partem tertiam: aut impeditur is illapsu aliquo aquæ Solisúe: aut præciditur à seipso iusto citiùs: aut à terrâ contrahitur, ne perfectè pandatur. Quòd verò tandem dispareat, causa hæc est, quia centrum, hoc est, liquor consumptus est. Iridis autem geminæ causa est centri diuisio, quâ duæ partes, simul cadentes, quælibet suam expulsionem habet. Nec plures numerantur irides, quàm partes sunt. Sunt autem ad summum tres. Possent quidem fieri plures, licèt non animaduertantur, propter liquorem, qui non separatur. Quælibet enim regio vnum tantùm liquorem habet. Quoties verò peculiaris nubes: toties peculiare centrum. Centrum hoc est superfluitas & fixitas nubium, ex humidâ nube prouenïens, & ex pluuiâ in terram decidens. Tum enim colores suos fundit, vnum post alterum quàm potest latissimè: qui durant, donec centrum consumatur. Centrum hoc coloribus imbutum est, vt Sal in igne iacens, & fumum suum emittens. Fumus iste ipsius est vapor, omnibus coloribus insignis, ita constitutus à naturâ, vt colores iactet. Sic inquam & centrum se habet, cuius ambitus post circulum fumus est. Irides huiusmodi calidis tantummodò temporibus fiunt. Frigiditate enim ipsarum centrum dissoluitur, vt colores nullos iactet.

Iris cur exigua & magna.

Iris cur desinat. Iris cur duplex.

Centrū in iride quid.

Sanguinis, Ranarum & animalium similium, ac hominum (vt gigantum) pluuia.

Pluuiæ sāguinis causa.

QVælibet stella est semen vnius ex tribus primis: & quodlibet ex tribus primis multiplicis & variæ speciei est. Sic & lignum multiplex est, & tamen vnum lignum. Sic & lapis & similia. Hinc fit, vt in stellis nonnullis gignatur Sulphur rubrum, Arsenicum flauum, omniúmque colorum, Mercurius omnium colorum. Dum ergo stella quædam tale quid ex naturâ propriâ progenuit: idem continuò emittit. Nec enim genitum retinere potest. Si ergo per stellæ luxuriem rubedo ex ipsius semine gignitur, siue naturæ sit sulphureæ, siue Mercurialis, tunc illa subitò effunditur, ac versus terram cadit, instar pluuiæ è sublimi cadendo dissipatæ, quæ instar sanguinis rubra apparet. Hæc autem verè pluuia non est, nec pluuiæ materiam habet, sed est superfluum sperma stellæ alicuius, quæ suam luxuriem profundit in terram. Cùm ergo spermatis luxuriem in stellis abundare sciamus: noscendum insuper est, stellas multas etiam genituram profundere, ex quâ viuum quiddam, ceu vermes aut ranæ enasci possint. Hoc tamen genus se non propagat, sed emoritur. Possibile etiā est stellas plurimas ipsos etiam homines parere, sed propagandi vi vel semine destitutos. Sic ergo hæ pluuiæ à cæteris differunt, quod veræ pluuiæ incensio sint ab vnâ stellâ in alteram facta, per naturam variam & multiplicem. Alteræ verò sunt cuiuslibet stellæ luxuries seorsim.

Pluuiæ anima[lium] [cau]sa.

Pluuia Metallorum.

Pluuiæ metallorum causa.

MEtallorum pluentium hæc causa est. In inanibus firmamenti regionibus, inter stellas in firmamento cœli tria prima iacent ac constituta sunt, quolibet suam essentiam naturam & conditionem ab initio tenente, ex quibus cætera tria omnia, extra stellas suum principium sumunt. Hæc enim sunt matrices cæterorum trium primorum, in medio habitantium. In stellis sunt proprietates, &c.

Deficiunt cætera huius capitis.

Metallorum & lapidum casus.

LApidum cadentium hæc causa est. Quæ stellæ continent viscosam naturam de sulphure, hoc est, salsum sulphur, ceu sunt stellæ, quæ sulphur & salis fluxum gignunt: eæ si materiam intra sese pariunt, ad finem suæ operationis illam extra se eiiciunt. Hinc semen oritur omnium stellarum. Generatio enim Astrorum non procedit ex naturâ terrea, aut ex incremento spontaneo, aut ex alio quodam: sed proximè ex illis stellis, quæ suam genituram effundunt, tali exemplo. Si herba quædam in campo crescit, cuius semen illic seminatum non est: eius generationis causa nulla dari potest alia, quàm quòd stella genituram suam illuc profuderit, ex qua herba eiusmodi enata sit: sicut de ortu herbarum traditur. Solę siquidem stellæ illas in principio, velut ex semine producunt. Quòd verò herba semen proferat, ex quo enascatur simile: sciendum est, stellam esse nullam, quæ suum principium non habeat, &c.

Se[minis] [ste]rum [ge]ner[atio]nis causa.

Reliqua non habentur.

De Terræmotu.

(Deest principium.)

Te[rræ]mo[tus] va[rij] ca[usa].

* Arenosa, aut arundinosa, aut lutosa terra est: tunc, si pars talis à pedibus de superiore terræ parte deciditur, lapsus tremorem in loco isto, vbi oritur, concitat pro multitudine & grauitate sui numeri. Sic etiā si terra infra se cryptā & cauernā haberet: tunc si aliquid de

de terrâ caderet in illam cauernam, terræ motus vtique fierent. Eodem modo etiam, si cryptæ duæ conciderent: aut si terra in profundiorem locum subsideret. Hæc enim omnia causæ fiunt terræ motus particularis & similium. Sic si talis residentia terræ fiat, aut pars de pede dilabatur in inferius mare, aut specus repleatur, aut cryptæ intra se concidant: hæc omnia ventum magnum cient, & exprimunt ex prædictis, vt loco cedere cogatur. Iste ergo ventus sibi ipsi exitum & cataractas molitur, quod citra commotionem terræ non fit. Ita terræ motus omnes fiunt aut ratione lapsus, aut ratione ventorum. Impetus enim venti violentus est & validus, vel à terrâ, vel eius parte cadente. Vbi enim nullus casus: ibi nullum damnum. Vbi autem casus magni fiunt: ibi venti violentiùs eliduntur, & terræ motum faciunt. Terræ motuum huiusmodi fient quamplurimi, si scopuli & montes vasti considebunt, & si pedes ipsorum vacillabunt. Hos enim mundus vniuersus sensurus est.

De Lorindo.

Lorindi generatio qualis.

LOrindi generatio eiusmodi est, cuiusmodi est etiam terræmotus. Principium tale est. Si in vastis & nauigabilibus aquis (siue Oceani sint, siue flumina) cataractæ accidant, fundísque Oceani foramine per emollitionem aquæ facto pertundatur: aqua maritima perlabitur in inferiorem aquam. Dum verò casus iste fit, propter aërem stridor seu sonitus editur, ac si quis aquam ex vase effunderet. Sibilus iste per hyemem auditur: quia frigus resonantiam aquarum causatur. Tum sonus etiam mutatur, in aquâ, quasi vox alia ederetur non secus, ac si quis in ollam, vndæ demersam, clamitaret. Nec enim illius vox ita internosceretur, nec etiam clamantis locus sciretur. Dum ergo & motus aquarum fiunt hoc modo, quia per aquas huiusmodi foramina panduntur: aquæ per illos hiatus omninò perfluunt. Fluitatio illa autem sonum edit, prout maior, vel minor est. Sonitus ille ex aquâ Lorindus est: qui tamdiu durat, donec hiatus iterum oppleatur. Quiuis ergo Lorindus est aqua deorsum fluitans. Hi autem hyeme præcipuè ac temporibus gelidis audiuntur. Æstas enim sonitum minuit: quia aqua calida huiusmodi vocem infringit. Quò frigidius: eò is exilior. Lorindi etiam nonnulli oriuntur, quando Oceanus desuper congelatur aut totus, aut ex parte. Ibi enim magna euaporatio, sub glacie turgens, glaciem ita tentat, vt rumpatur eò loco, quo imbecillima est. Iam ita foramine facto, aut rima, vapor ex aquâ infra glaciem erumpit versus foramen illud. Quantum huius erumpit: tantum sonitus cietur. Impetus enim vehemens, aërem sub glacie coactum concitat, vt violenter eruptionem quærere cogatur. Expulsionis ille impetus, suo clamore & sonitu minimè caret. Sic enim & olla, quæ tecta arctè ebullit, operculum cum sonitu, perfringit. Ea ergo ouaporationis arctatæ natura est, vt cum impetu exeat. Propter intensum autem frigus, clamor frigidus erumpit, infra glaciem incipiens, & ad foramen eluctans. Quanto autem foramen arctius: tanto vox exilior. Quiuis ergo Lorindus, ab euaporatione excitatus, non est nisi fistulatio quædam, à vento sonante ficta. Eiusdem etiam generis est euaporatio infra glaciem coërcita, eruptionem faciens.

Lorind⁹ quid.

Lorind⁹ cur hyeme præcipuè audibilis.

De Vento.

DE ventis disquisituri, tale exordium facie mus. In ambitu seu planitie terræ, pro linearum tractu, stellæ in firmamento constitutæ sunt, fixæ & sibi constantes, naturam ac substantiam propriam secundum complexiones quatuor sortitæ, quæ ob conditionem elementarem, elementarium etiam operationum similitudinem habent. Ita de ventis traditur, hunc esse calidum, illum frigidum; hunc humidum, alium siccum. Stellæ hæ in ambitu planitiei, firmamento adhærentis, emunctorium suum versus planitiem obtendunt, vltra terras & maria transpirandi & perflandi. Ventus iam stellarum istarum, quarum numerosæ existunt in circulo ambitus, genimen est. Nascitur enim ex illis, veluti egestio quædã. Nec ventus vllus quicquam est aliud quàm egestio, ita ordinata. Dum enim stellæ suas digestiones expurgant, ventos huiusmodi ex sese gignunt. Et ventus cardinalis quilibet est egestio suæ stellæ. Et licèt quidem venti alij plures sint, ex tempestatibus orti, sicuti de aqua & pluuia dictum est: isti tamen particulares tantùm sunt, non palmarij. Hi enim soli ex stellis illis oriuntur per emunctionem, versus terram, trans mare factam. Sunt ergo stellæ materiæ, nihil concipientes aut asciscentes. Nec enim, quia trans mare spirant, ob id humidi sunt: aut quia à Septentrione perflant, frigidi. Etsi enim frigidus quidem sit Boreas: non tamen frigidus est propter septentrionem, sed quia eiusmodi stellas non habet. Aliàs æque calidus esset ac Eurus vel Auster. Quin imò ipsa natura, quæ in stellis hæret, frigida existit. Et licèt quidem eundem cum austro Solem haberet, nihilominùs tamen naturæ esset frigidæ. Sol enim naturam ventis non indit, sed stella. Quòd si Sol quidem ventum faciat calidum vel calidiorem, quàm per se est: ea tamen ipsius naturæ mutatio non est, sed tantùm sensus. Ita nec mare ventum humidum facit: sed stella. Stellis enim eiusmodi natura insita est, vt trans mare pluuias aduehant, citra opem maris, ex Sale nempe proprio, quo constant. Quælibet enim stella ventosa consistit in contrarietate trium primorum effectualiter, in seipsâ. Et sicut stellas alias, quæ tempestates seu fulgura pariturae sunt, oportet esse duas pluresve: ita hîc vna sufficit. Et quando digestio corruptionem facit, egestionémque extrudit: id non sine magno tonitru & fulgure fit. Distantia tamen, ab illo loco ad nos, tonitru ac fulgur infringit, vt saltem ventum sentiamus. Quanquàm stellæ quædam ventos bonos proferant, vt Eurus & similes. Causa hæc est, quia materiam eiusmodi in se non fortem, sed placidam habent. Ita quælibet operatur pro debito suo modo. Hi itaque venti ex elemento stellarum, veluti egestio exeunt, ita ordinati, vt faciem terrę transpirent, donec condinati, vt faciem terrę transpirent, donec condinati. Venti cęteri sunt particulares, sub his sumantur. Venti cęteri sunt particulares, sub his sumantur. Sed & his definitum suum tempus est, quo spirant: alij maturè, alij serò. Quod non

Ventus quid.

Vẽti duplices.

Vẽti vnde calidi, frigidi, &c.

Ventorum qualitas duplex.

non à tempore anni dependet: verùm motus illi suos habent, pro egestionis prouentu. Quod autem aliquando frigidiores aut calidiores sunt cæteris, causa à Sole petenda est, qui ventos aliis atque aliis temporibus magis minúsve temperat. Calores enim eiusmodi sunt accidentales, non ex intimâ naturâ. Sol namque septentrionem facit calidiorem, quàm à naturâ est: & hyems Eurum seipso frigidiorem efficit. Sic boreas motum suum conficit in hyeme, Eurus in æstate, prout anni vicissitudo est. Quanquam interdum etiam secus moueantur, non pro ordine suo, sed vel citiùs, vel seriùs. Prout enim egestio ipsorum præsto est, ita terram etiam transpirant vel longiùs vel propiùs, multique in mari consumuntur prius, quàm terram attingant.

Venti cur celerius & cunctantius spirent.

De Die & Nocte.

(Deest initium.)

Idque hoc modo. Omnis claritas, quæ in in elemento * noctem producit, ignea est, & duplex, candida & rubra. Candida ex Mercurio & Sale: rubra ex puro Sulphure. Duo hi colores sunt in his tribus, causâ exuperantis ignis in substantiâ. Duo hi colores diuisi sunt: Ruber, in partem vnam: & albus in vnam. Ruber distributus est in omnes stellas: albus in vnam tantùm. Quod si autem ruber, velut albus in stellam vnicam compactus & digestus esset, & non in partes tam multas: splendor vtique ruber æquè magnus esset ad rubedinem ac candidus est ad candorem. Et vicissim: si stella candida ita districta & distributa esset, & rubra: continenter etiam dies esset, sed obscurior. Nec enim splendor perfectus & vnitus tellurem ita collustraret, sed imbecillior & distractior, Id cederet in obscurationem diei.

Claritas cādida & rubra vnde.

Diei autem Philosophia eiusmodi est, quod vniuersus Mercurij splendor, ex tribus primis, in orbem vnum congestus seu in stellam vnam collectus est, quæ motum suum insuper accepit pro arbitrio creatoris, secundum quod creata omnia condita sunt. Huius stellæ motus fit circa globum. Quæ vbi tellurem ferit, ibi dies est: vbi terram non irradiat, nox est. Dialis enim omnis splendor in ipsâ est: nec citra irradiationem ipsius splendor vllus in terrâ est. Splendor ruber stellarum reliquarum, est lumen ignis in rubro, tantùm in Sulphure, vbi nullus Mercurius aut Sal adest. Duo enim ista splendorem externum dant: nullum autem splendorem clarum ad candidum (Mercurius siquidem nullus rubrum resplendet) quam Sulphur confert. Cæteri itaque colores omnes cœci sunt, nec colorem dant, præter istos duos, optimum candidum, minorem rubeum. Quanquam color etiam viridis, luteúsque splendere possit in tenebris. Id tamen ratione alia non fit, quàm per intermixtum candidum aut rubrum, in cæteris absconditum.

Diei causa.

Noctis causa.

CAPVT XXXIII.

De Impreßionalibus corporis morbis per Elementum Ignis.

QVâ ratione corpus naturaliter morbis afficiatur ab Astris (ceu de morborum origine in medicinâ traditur) hoc loco non inquiremus. Id enim plus spectat ad Physicam, quàm Philosophiam. Aliâ verò ratione corpora, non hominum tantùm, sed & lapidum, lignorum, & crescentium vniuersorum ab astris morbos etiam concipiunt. Cuius rei hæc causa est, quòd aliquid in elemento ignis lateat. Quod si corpus afficiat vel sensibiliter vel insensibiliter, id è vestigio ita inquinat, vt aliquando guttæ cadant super homines & pecudes, quæ post se vlcera ac foramina relinquant. Illæ si super herbas stillent, quas pecora postea demetunt, aut homines esitant: euidentes scilicet morbi & alia mala multa enascuntur. Hæ cadentes interdum maculas, hominibus imprimunt, aut excauant lapides, aut putrefaciunt ligna, corrumpunt fruges etiam optimi habitus, in terrâ optimâ. Eædem persæpè specie crucis super homines cadunt, coloribus variis. Quando in lintea decidunt, guttæ secundum fili longitudinem & latitudinem effundūtur, & figurâ*(crucis) exprimūt. Ita figurant etiam sæpius ligna & alia corpora, ita vt abstergi queant. Figurarum huiusmodi plurimæ fiunt.

Corpora vt ab i... gne af... ciantur.

Cruces super... tibus.

Omnium autem origo ista est, quòd aliquid Arsenici, Auripigmentive vel sulphuris ex corpore stellarum destillatur. Quod vbi decidit, ibi adhæerescit. Cur verò figuræ istæ interdum aliquem præ cæteris tingant: causa ista danda est, quòd spiritus aëris casum illum pro suo libitu ita moderetur, veluti de spiritibus dictum est. Quanquam etiam Magis & Magiæ ista adscribantur. Ista tamen Magia nulla est sed præsagium alterius. Et licet quidem discretè illæ cadant, veluti præsagium à spiritibus, aut vaticinium: ortus tamen ex stellis est. Quod si Magia tale quid operetur: id non ab artificum arte est: sed spiritus id tamen nihilominùs ita præstitissent. Interim tamen hisce persuasionibus ipsi homines ludificant, vt suis seorsim libris traditur.

Vide

Sed vt iam de præsagio spiritus externo tractemus: principiò paulò pleniùs explicandum est, præsagium quid sit. Est autem signum seu iudicium, rem ita futuram esse. Sic Christus fuit præsagium, indicans, Iudæos interituros esse. Idem designatur etiam Christianis, si contra rationem naturalem viuant, & Iudæis se similes præstent, fore, vt pereant & aboleantur. Sed hos hîc sermones precidimus, & loquimur de spiritibus externis: quę tractatio paruo libello complebitur, vt sequitur.

Præsagium quid. Christus præsagium interitus Iudæorum.

Sicuti de spiritibus internis disseruimus: ita deinceps etiam tradendum est de externis, hoc modo. Spiritus externi nôrunt & perspecta habent omnia quæ hominibus acciderunt aut accident. Eadem homibus etiam patefacere possunt per signa cœlestia, vt aliquid in cœlo appareat, quod nunquam antea visum est. Ex quo etiam colligi potest, apparitionem illam nouam, nouum etiam quiddam mundo portendere, indicantibus id in cœlo spiritibus. Vbi ergo huiusmodi signa produntur, indicant, euentum inhiberi posse. Signa siquidem illa rem futuram nouam, noua gesta, quæ auerti nequeant, pronuntiant.

Spiritus homini... futura nôrunt.

Cometa quæ apparet, ex naturali causâ non oritur: sed initium est, & vestigium, à spiritibus expressum, quod nouum quiddam, aut mutationem,

Cometa quid i... & portendat.

tionem, aut malum publicum, aut quicquid aliud regionibus damnosum esse potest, designat. Cursus & motio ipsius dirigitur à spiritibus, vt insignes mutationes aut diuturnas afflictiones, casúsque miros alios portendant. Idem de cæteris quoque stellis iudicandum est, quæ recenter exoriuntur priùs non visæ, cometicæ naturæ participes. Sic nimirum per potentiam spirituum in cœlo panduntur variæ figuræ, peculiaribus ciuitatibus ominabiles, non item cæteris. Vbi enim aut cui regioni fulgent, eidem futurum malum præsagiunt. Ex ipsis quidem planè intelligi non potest, quidnam præcisè futurum sit: & tamen suo effectu non carent, quin semper aliquid fiat, cui simile priùs non gestum sit. Itaque quò admirabiliores figuræ: eò variabiliores euentus. Ita signa fiunt modo vel spirituali, vel mundano. Ex fundamento tamen, quidnam euenturum sit, præsciri non potest; sed præsagium post rem factam demum cognoscitur.

Præsagia aut euentum incerta.

Interdum animalia, aut ipsorum partes in cœlo conspiciuntur. Id præsagit damnum futurum illi, qui per animal istud denotatur. Interdum etiam stellæ naturales præter naturalem modum & causam duplices apparent. Sic Luna malum capitibus seu primoribus denuntiat. Sicut enim Luna stellis cæteris prior: sic malum attinget eum, qui hominibus cæteris superior est. Sic Sol qui supremus est inter stellas, malum summo capiti portendit. Similiter etiam si quid de cœlo decidat præter motum & consuetudinem stellarum: id regioni illi malum presignat futurũ. Ista enim omnia præsagia sunt, à spiritibus ostentata, ex quibus homines intelligant errores suos & euentura sibi mala, quæ nondum aliàs intelligerent. Et hæc spirituum potentia est, sicuti de potentiis spirituum docetur.

Animalia in cœlo quid præsagiant.

Stellæ &c. quid Luna, &c.

Sol, &c.

Cruces de cœlo super homines cadentes, velut & figuræ aliæ, præsagia sunt, testantia de leuitate hominum, & populi prauâ vitâ. Cruces indicant superstitionem populi. Claui idem significant. Cæterę diuorum figuræ, vt crates Laurentij, &c. præsagiunt superstitionem in diuos: populo etiam denuntiant futurum malum, & pœnam, aut alia varia. Qualia enim perpessi diui sunt: talia etiam per ostentata instrumenta patientur homines. Quæcunque enim signa apparent, ea protrahentur. Sic si cadit crates, portendit ignem super homines casurum. Palus, significat carnificem, hominibus superuenturum. Et sic de cæteris: quorum nullum irritum est.

Quid præsagiant Cruces. Claui. Crates.

Palus.

Sed de crucibus cadentibus adhuc plenius instituendi estis. A spiritibus illæ factæ, proiiciuntur. Quanquam senior Vitonissa sibi hanc laudem arrogare queat. Sed id fieri nequit: sicut de potentiis Vitonissarum traditur. Cruces autem & figuræ eiusmodi aliæ prænuntiant futuram pœnam, & ingentem calamitatem iis, qui ex cruce viuunt & sustentantur: iisdem portendunt vindictam & bellum publicum: item schismata in religione, quæ pœna est populi. Cruces cadentes præsagium summum & cæteris longè valentius sunt. Post has sunt signa alia simul cadentia, quæ culpæ, malæque vitæ meritam pœnam denuntiant, & conclusiuè prædicunt innouationem & mutationem in religione, quam vetera gesta & Martyria afflictionésque insecuturæ sint, donec ad statum priorem similem temporibus quibus hæc acciderunt omnia reducantur. *Tesseræ* indicant, quòd, sicut de regno Christi olim tesseris lusum est, de ipso vel dùm eodem modo ludatur: & designant in populo aliquid gliscere, quod bonum & rectum videatur: cùm tamē id rectius non sit, quàm fuerit ludus Iudæorum de regno Christi. *Flagella* prænuntiant, flagellatum iri eos, qui crucem Christi iniquè portant. *Columnæ* indicant, vinctum iri Diabolum, hoc est, omnes eos, ex diabolo qui sunt. Gallus, indicat horam instare. Similiter & signa alia, quæ aliud nihil præsagiunt quàm defectionem in fide, quę abroganda & antiquanda erit.

Cruces.

Flagella.

Colũnæ.

Gallus.

Quæ de præsagiis intelliguntur, ad tempus referenda sunt. Id hoc modo inuenitur. Si signum exercitus bellici apparet, indicat finem fore illius aut alterius belli, propter causam, quæ sub illo signo tractatur. Tale signum si per eiusmodi tumultus prodeat, prouidè attendendum est, ad illa consilia. Nullius enim obliuiscuntur spiritus. Ita, si per deliberationem religionis cruces cadunt, deliberationis illius finis erit. Sic si quid porrò in religione tractetur, & error magnus fit, quâ causa cruces illo tempore cadunt: finietur id in illa deliberatione, antequam dimittatur, &c. In Iubilæo quod præsagitur, eo Iubilæo finitur. Si cadant cruces, operationes illæ suas proximo Iubilæo exhibebunt. Post elapsum hoc Iubilæum, cruces demum intelligentur. Fiunt etiam per spiritus supernos signa viua, vt sunt numerosæ muscæ & culices, &c. quæ minimè naturales sunt, sed à spiritibus collectæ, & regioni certæ immissæ. Huc pertinent etiam scarabæi. Animalium istorum generatio naturalis non est, sed ipsa præsagiunt pœnam populo, quæ talis, vt exhibetur, futura sit. Nec præsagia ista inania sunt, sed semper nouum quid & horrendum prædicunt. Idem de viuis præsagiis aliis quoque ita intelligi debet.

Muscę.

Scarabęi

Stella ea, quæ locum nati Christi designauit, præsagium fuit mundo, indicans potentissimum in mundo & suo cœlo: Illéque cometa omnium summus fuit, citra similem alium. Confectus autem est à spiritibus vt locum Christi ostenderet. Præsagia enim omnia in manu ipsorum sunt. Beatus ille, qui ipsa intelligit, & quid vel quo modo sint, nouit. Tales fuêre tres de *Saba*, qui non ex singulari, quâ cæteris præeminerent, diuinâ gratiâ, sed ex intellectu proprio & congenito rationis lumine magnum illum cometam cognouerunt, non per illuminationem aut patefactionem Dei. Maioris æstimationis meritò is homo est, qui industriâ & intellectu proprio rem aliquam nouit, quàm qui à Deo ducitur aut dirigitur.

Stella Magorũ.

Magi Sabęi, qui cometã norint.

Prophetæ prophetati sunt, non præsagia posuerunt: quia à Deo id profectum est, preter ipsorum scientiam. Non ergo illi sunt presagi, sed Prophetæ. Similiter & Sibylla. Discrimen est inter præsagum & Prophetam, tale scilicet, quòd à Propheta prædicitur, quod nec ipsemet intelligit,

Prophetæ non sunt presagi. Præsagij & prophetię differentia.

intelligit, nec ex seipso facere potest. Præsagium est res, cuius finem nouit qui præsagit, ante hunc, qui ex Deo est. Præsagium facit ad populum. Prophetia ad animam. Et quodlibet præsagium originem suam ex Prophetia sumit. Quin ipse quoque Propheta præsagium est, noui aliquid in mundo portendens: & quod is portendit, hoc os ipsius loquitur, quod cætera præsagia minimè faciunt. Id interest inter os Prophetæ & præsagium, quod Propheta ex Deo loquatur, hortetur, prædicet sensu aperto malum, quod declinari potest. Præsagia autem id tantùm indicant, quod auerti non potest, sed necessariò euenit, quasi pronunciatâ semel sententiâ, non retractandâ. Præsagia enim quæ portendunt, ea irrefragabiliter fiunt.

Sequuntur Fragmenta alia Meteorica.

De Pruinâ.

Pruinę causa.

SI cursus seu motus æstiui firmamenti fiunt cum frigidis & siccis ventis vel auris, pro natura illius temporis: ventorum illorum qualitas adeò frigida & rigida euadit, adeóque cum virtutibus congelatiuis implicatur, vt ex congelatiua sua natura & proprietate rorem, ita cadentem, congelet. Quòd aquam frigus non congelet, in causa est naturæ eius imbecillitas. Ros autem tenuis est & subtilis, vt ob id facilè à frigida aura penetretur, & in glaciem congeletur. Sic quælibet pruina tantùm est ros congelatus, & nec principium aliud aut materiam habet, quàm ex rore sumptum. Hoc tamen ita accipi debet, quòd ros aliquid participet de sale trium primorum, & eiusdem resolutionis sit, vt aqua Salis. Hâc ex causa si congelatur, granulatur, & in formam suæ naturę, scilicet Salis abit. Quęlibet námque impressio, à Sale exiens, & in coagulationem citra materiã aliam pergens, granulatur. Ita format a etiam secundũ naturã suã est pruina, & ros quilibet congelatus, coagulatur ad sui salis naturã granulosam. Quòd autem grani forma decidat, id à casu seu lapsu est, quo congelatur, & postea foliis & herbis adhærescit ob ipsarum humiditatem, quæ facit vt agglutinetur. Alias in terram ac imum decideret. Decidit etiam pruina humida, & in cadendo coherescit, & cumulatur in ramis, priusquam in vera grana separetur. Congelatio hęc est subtilissima. Ros enim est purissimum & acerrimum, si ex Sale acri proueniat.

Ros cur citius cõgeletur.

CAPVT De Rore.

QVando firmamenti motus superni puri & sicci sunt, Solque purus & limpidus terram illustrat: ex claritate illa insigni tria prima sese expurgant, adeóque exquisitè depurant, vt pellucidam, iterúmque destillatam aquam referant. Destillatio illa & depuratio abit in coagulationem, ita vt ad siccitatem & duritiem perducatur. Vbi primum autem motus & calor præteriit, frigúsque incumbit, Sal illicò à duobus reliquis se resoluit, & deorsum cadit. Vbi enim Sole priuatur, seruari aut sustineri nequit: & econtra frigus est humiditas, & resolutionis causa. Resolutio hæc est omniũ

Roris generatio.

subtilissima & rarissima. Tria enim prima sunt vapor de tribus primis superioribus. Sic námque interdiu ebullitione suâ vaporem emittunt, qui per ardorem siccatur: sed per frigus iterum soluitur. Prima duo reliqua in hoc loco potentia non sunt, sed pauca existunt, & in coagulatione manent, nec liquescunt. Non secus ac lutum in aqua, instar aquæ tenue est: Si tamẽ aqua defluxit, ad statum priorem se recipit: ita pariter, si Salis ros à duobus cæteris separatur, duo illa in sua duritie manent, solúmque Sal resolutum est. Hac ratione ros generatur à superioribus.

Frigus ... solutio... (margin, partly cut off)

De Ventis.

VT sciamus, vndenam venti oriantur, hoc discursu rem expediemus. Firmamentales stellæ in cœlo suos motus ac cursus certos tenent. Huiusmodi stella quædam, si cursu suo in faciem terræ rectà impingat, tunc ventus, à motu ipsius proueniens, trans mare & terram spirat, prout cursus eius rapidus fuerit. Terram autem ventus propter altitudinem transpirat, nec eam tangit. Similiter etiam si stellæ duæ, trésve pluresve lineam vnam cursu suo permeent, venti à multitudine stellarum augentur. Qui si terram è latere vicinam habent, ipsam transiliunt, donec consumantur. Ventorum horum natura & essentia dependet à stellis. Stellæ si fuerint frigidæ, frigidum ventum gignent: si humidę, humidum. Itaque attende, quòd cursus stellarum causa sit frigoris & caloris, hoc est, hyemis & ęstatis.

Ventorum causa stellæ.

Ventorum natura vnde.

Pręterea sunt etiam venti, ex vaporibus trium primorum prognati. Hęc si incensa tonitruare aut fulgurare, aut in aliam dissolutionem abire satagunt: tale quid sine vento non fit. Ventus iste non caret accidentibus naturę impressionalis. Ex altero autem stellarum vento, tonitru fulgúrve nullum oritur: nec enim pręter calorem frigúsque, ac humiditatem & siccitatem vim aliam habet à stellis attributam. Et licèt quidem cursus vnus vnum ventum gignat: quilibet tamen ventus siccus est: hoc tamen ipsum facit humidum.

Venti in natura quatuor sunt. Quę stellę in Oriente dominantur, siccę sunt & calidę, quorum motus in ęstate fit. Occidentales his contrarię sunt. Materia ista à stellis ventosis est. Siccæ stellæ ventum siccum, humidæ humdum gignunt.

Ve... quid... plices

CAPVT

De Fulgure & Tonitru.

FVlguris rationem ita intellige. Sicut in initio de primis tribus dictum est, quòd ex ipsis omnes impressiones, & quicquid in mediis interstitiis nascitur, oriantur: ita hic scitote, fulgurationem esse ignem mortuum, non vrentem aut incendentem, & tamen flagrantem, sine tamen omni calore. Modo duplici apparet noctibus serenis, & diebus illis, quibus graues & propinquæ pluuiæ incumbunt. Horũ duplex principium. Fulgur sub noctem serenã est sulphur separatum, ab omnium trium fructibus quasi leuissimum prognatum, & extractum hoc modo. Trium primorum digestione eiicitur vapor similis vento, aut fumo, nec tamen fumi exemplo visibilis, venti tamen more

Fulguris ... tus.

F... dupl... Fulg... gene... tio.

tangibilis, aut vento saltem similis. Ventus iste oritur ex trium primorum digestione. Quia enim coctioni ipsorum non conuenit, ideò eiicitur. Quamprimùm verò egreditur, & à digestione separatur seorsim in suam partem, tunc à vento externo sibi obuio incenditur. Externi siquidem venti, Eurus & Auster (nam hoc à solis hisce duobus fit) quando eiectum separatum ventum corripiunt, ipsum incendunt. Quod solus ille intelligit, qui secretorum naturæ iustam peritiam habet. Per hanc contrariorum in vento incensionem ad destructionem cæterorum, excitatur flamma specie coruscantis facis: quæ, quia ventus est, facilè tamen iterum deflagrat: quam subinde aliæ atque aliæ sequuntur, pro natura, fortitudine & copiâ digestionis. Omnia tamen sine pluuia & humiditate serenam tantùm tempestatem & calorem intensum indicant. Calor enim trium primorum in digestione talia causatur, sicut de digestione docetur.

Quando verò cum fulgure diei & noctis violentæ tempestates concurrunt; iam huius rei causa alia est: talis scilicet quia, vt de digestione indicatum ventus egreditur ex domo digestionis trium primorum: hic idem quoque fit. Isto tamen loco digestio humida est. Ea humiditas commouetur in digestione & permiscetur, sicut res bulliens. Bullitio illa ventum dat. Ventus ab ebullitione rerum humidarum incenditur ab externo aëre, sicut serenum fulgur noctis. Hinc insequitur tonitru. Dum enim Salnitrum, Mercurius ac sulphur mutuò efferuescunt, quiescere ac vnà stare nō possunt. Propter natiuam enim contrarietatem, quâ hostilior nulla esse potest, non conueniunt in vnum. Sic ergo inuicem colluctantur, & ebullitione suâ ventum emittunt, qui accenditur, quousque quidem progreditur. Is si incensus est, tunc Sulphur illud, Sulphur in digestione incendit, ita vt ab igne mortuo iam flagret, ex naturæ suæ proprietate. Postea Sulphur incēdit etiam Sal nitrum: quod quamprimùm ardet, à se illicò diuerberat omnes nubes, quas attingit, & digestionem destruit. Hinc est, quòd fulgur plerunque tonitru sequatur: quia Mercurius incendit Sulphur: Sulphur incendit Nitrum: hoc percutit, quamprimum ardens nubes vicinas aqueas sentit. Similia tonitrua multa sunt, quæ fulgurant, priusquam tonent: quia scilicet digestionis ventus adeò magnus non est, vt terram apprehendat aut se visibilem faciat: & tamen supra nostrum aspectum est. A solo enim fulgure incendi potest & debet. Hoc modo fulgura etiam sunt quædam, quæ tonitrua non cient. Extinguuntur enim priùs, quàm in digestionem redeant, aut violenter expirentur à nubibus aqueis, quæ intercidunt & impediunt, ne flamma fulguris resilire queat.

Tonitrus generatio.

Fragmentum ex alio libro Meteororum. Ex Autographo Theophrasti.

De Iride.

Iridis generatio.

IAm notare porrò. Si nubes valida in cœlo ster, ex tribus primis, vt dictum est, nata, triúmque primorum colores efficaces habens, coctione tamen Solis destituta, qui Sol spumam nubium excoquat, & ex eâ nubem rubeam producat: iam intelligite, quòd nubes per seipsam ex vi Salis, Sulphuris & Mercurij calorem suscitet per motum illum, quo in nubem pluuiâ abit, ita, vt operatio generationis nubis, non minùs ac stellæ spumam, non tamen perfectam nubem producat. Sol enim spumam ad se trahit, & aquam dilabi sinit. Ita nubes rubra post pluuiam in cœlo conspicitur. Spuma autem illa, quam tria prima ex seipsis per generationem fortem gignunt, non est æquè nubilosa ac ea, quam Sol genuit. De nube hâc ita notate. Quando materia nubem pluuiosam pariens, in operatione sua versatur, sub generationis medium materiam incipit coquere in nubem pluuiam, spumámque à centro expellit ad fines materiæ, adeò purè, vt tota nubes omni spuma & colore careat, ac in nigro consistat ceu fæx adusta. Illa iam resoluitur in aquam, & humescit, sicut quælibet fæx mortua in humiditatem abit. Sic vero cæteri colores omnes forâs ad extremitatem circuli ex centro illo transeunt. Nec enim eius naturæ sunt, vt aquescant aut resoluantur. Hoc modo generantur irides, quæ nihil sunt aliud, quā trium primorum spuma, cum omnibus coloribus, excepto nigro & albo, imò multo pluribus, quàm internosci queant, permixta. Et colores isti sunt optimi: quia tria ista nobilissimos colores in se continent, sine confusione totos puros. Quî verò dispellantur ita, vt alij penes vel supra alios collocati videantur: hic modus teneatur. Colores Mercurij summo loco consistunt. Sequuntur colores salis. Infimi sunt sulphuris. Nec hi colores inuicem confunduntur, propter pinguedinem, quam habent variam. Sicut enim rubrum oleum sulphuris, cum sulphuris lacte non permiscetur, licet vtrique sint liquores aut olea: aut sicut oleum & aqua nunquam permiscentur: ita nec illi colores. Quòd verò non ex nube quâlibet iris fiat: causa hæc est, quia non omnes huiusmodi spumam habent, aut in perfectam operationem seu digestionem pertingunt. Multæ etiam irides fiunt ex solius Mercurij coloribus, aut ex coloribus solius sulphuris, aut salis, aut ex horum binis ternisúe permixtis. Vnde secundum colores irides variæ conspiciuntur, non quidem in simili formâ sed in simili (eodē) circulo, terram attingente, hâc scilicet ex causâ, quia nubes vsque ad terram descendit, súumque in terra centrum habet. Conuenit enim iridem terram attingere secundum latitudinem, profunditatem & altitudinem, pro centri sui positu. Interdum nubes etiam altior est, centrum hoc transcendens, nec iridem fundens, sed pluuiam, propter inhærentem cruditatem. Sed & nubes interdum duæ tresúe fiunt, sibi inuicem oppositæ, ideò, quia insignes nubes adsunt à Mercurio, Sale & Sulphure, minimè permixtæ aut confusæ, quâlibet suum propriū centrum tenente. Et sic quando quodlibet centrum suas exhalationes, coloresque, & interdū duo centra dat, que cum suis speciebus inuicem permiscentur, vnoquolibet stante seorsim: id signum est multitudinis materiæ primorum trium, quæ potentia sunt ad multas pluuias gignendas. Vbi enim talem spumam iactant, signum

Colores in iride vt disponantur.

Iridis colores cur non cōfundantur.

Iris cur non ex nube quâlibet

Iridis centrum terra.

signum est multitudinis superfluitatis, ex quâ spuma oritur. Hac ratione pluuiæ & nubes gignuntur & inueniuntur.

De Iride, Aliter.

IRis ex stella nascitur, sicut fructus alius ex suo semine. Sicut enim in terrâ fieri videtis, vt vnica stirps frequenter tres quatuórque, &c. colores exhibeat (rosa enim est viridis, est cœrulea, est rubra, est lutea, &c. Sic etiam *Arona*, sic saluia, &c. quæ omnes sunt stirpes terræ) sic & iris stirps seu herba est cœli. Cuius stella si emergit, ipsam effundit primò in nubes medias, postea in terram. Ita suam formam, suum colorem, & reliqua necessaria adipiscitur, non secus, ac quæ crescit arbor, suos ramos, suos cortices, sua folia, suos flores, &c. acquirit. Itaque de ordinatione diuina, quoad formam, disputare nulli fas est. Quicquid enim formæ est, id ex Deo procedit, nec ab homine sciri potest.

Iris est herba cœli.

Iridis nasciturae hæc ratio est, hæc natura. Principio sunt octo vel nouem, stellam suam indefinito tempore habentes, velut & incerto tempore infans paritur, quod æquè fieri in æstate ac hyeme potest. Nō minus & irides. Hyeme tamen obrigescunt, ne in fundum descendere queant. Sic etiam in summo calore. Iris autem ex stella quadam peculiari generatur, sicut herba ex peculiari suo semine. Gignitur enim ex coniunctione (al. corruptione) quæ in stella illa accidit: hoc est, est ipsius ouum proprium, quod cum tempore excluditur. Dum crescit, formam & colorem debitum acquirit ceu herba, inuisibiliter tamen. Instante iusto tempore demittit se in fundum. Vbi si in terrena humiditate madescit, colores primum exerit, & fit conspicua. Et veluti mulier gemellos interdum parit: ita & irides ex eadem causa duæ pluresue gignuntur. Irides huiusmodi multæ quotannis fiunt, tam æstate, quàm hyeme. Attamen cùm crescens sit subtile iris, frigus ipsam tollit, hoc est, congelatur, ante maturitatem. Similiter & sub intensum æstum à Sole absumitur & comburitur, vt non emergat. Difflatur etiam à ventis, dum nimis adhuc tenera est, necdum obsirmata. Omnium autem felicissimè enascuntur temporibus vdis & humidis, ex semisse calidis & frigidis. Sic enim rectius frondent & vernant. Vnde fit, vt pluuiarum tempore præcipuè appareant: non quòd pluuias denuntient, sed quòd pluuioso aëre gaudeant. Quò enim aër pluuiosior: eò melior ipsarum conditio: nisi fors lapsus nubium fieret, vnde in cœlo resoluerentur. Oriuntur manè, serò, &c. non secus, ac partus mulieris inæqualibus & indefinitis horis prodit. Quanquam noctu ob splendorem non frequenter appareant. Nec enim radiorum Lunarium ea claritas est, vt conspici illæ queant. Similiter nec tenebræ, &c. Irides fiunt, vbicunque cœlum patet. In vna tamen regione frequentiùs, quàm in altera conspiciuntur, hoc est, secundum calorem Solis, frigus aëris aut ventos, &c. In vno enim loco persæpè oriuntur feliciùs, ac in alio.

Iris vt fiat.

Irides cur duæ pluresue.

Irides cur nullę hyeme.

Iridum quod tēpus.

Irides cur noctu inconspicuæ.

Iris, vbicunque apparet, indicat, quòd cœlum, &c.

In mediâ paginâ scribere desiit.

De Cometis.

COmetarum causam & ortum nosci turi, id repetere nobiscum debemus, quòd Cometa quilibet futurum quid denuntiet hominibus, ceu Prodromus. Vnde liquet, ipsum ex natura oriri non posse. Nec enim natura *phytonissa* est. Et licet arboris quidem flos, fructus prænuntius sit: hîc tamen res ita se non habet. Est enim Cometa opus à spiritibus aëris confectum, sicut Magus faciem facit sui (hæredis.) Cum autem res ac negotia, &c. nostra ex Astris veniant, necesse est ex Astris ea progigni, sicut corpus ex terra. Ita mutat globus corporis causam, velut & testam rationis. Et sicut corpus ex mundo, rude, crassum, &c. subtile, &c. producitur: tale & ingenium à testa creatur. Matres ergo iam duæ sunt: vna in terra, altera in cœlo. Sicut iam autem videtis, corpus ex terrâ transmutari: sic ratio quoque à testa transmutari potest. Vtrobique enim eadem est ratio corporis & ingenij: & sunt veluti duo corpora. Corpus iam non est corpus de terrâ, hoc est, non est terræ simile: sic nec ingenium testæ. Vtrinque tamen forma inditur corpori à terra, ingenio à testa. Cum ergo hoc respectu duo in homine corpora sint: duo etiā erunt præsagia, vnum corporis de terra, alterum ingenij de testa. Vt magni & multi fructus, magnos futuros morbos, hoc est, secundi anni, &c. peiores sequentes indicant: sic præsagia sua etiam rationis sunt. Hîc tamen notate, vnā esse arborem, vnum annum, hoc exemplo. Videtis nimirùm arborem fructus daturam, principiò germinare, dein folia mittere, postea florere, &c. postea à fructu finis est. Semperque vnum alterius fructus existit.

Cometa à natura.

Præsagia duplicia.

Hinc sequitur, omnem sapientiam & prudentiam, ab Adamo vsque ad nouissima tempora, rationem aliam non habere, quàm habet arbor, quę primò emisit germina, post folia, &c. Eodem modo insunt etiam in quatuor elemētis. Ex quibus cometa fit, sicut vermis. Qui illapsus facit arborē exarescere: sic & cometa, &c.

Salanita, sagarum procus, latro nocturnus.

Pluuia.

POrrò de naturalibus aquis ignis sciendum est, quòd ex cœlo quoque aquæ scaturiant, vt sunt pluuiæ, & nix, &c.

Ea enim totius sphæræ natura est, vt omnia sibi opponantur: hoc est, Aqua globi ascendit: aqua Testæ descendit, adeóque vtrinque sibi aduersim fluunt.

Iam aqua pluuia, aqua est, quæ nec ipsa ex aliquo generatur, sed modis variis, per coniunctionem, & alias per se.

Scitote ergo ipsas diuisas esse in tot partes, quot partes sunt terræ, & species generatorum. Tot enim oportet esse virtutes, quot ex terra proueniunt. Non tamen, quòd sint fructus terræ, hoc est, quòd vnumquodlibet ad suum destinatum tendat: sed propria ea est superbia, non minùs aspici quærens, ac aqua cum suis mineralibus, & terra cum suis fructibus. Ita cœlum est minera in seipso. Quâ de causa eius hîc aquam describimus, prout instituti nostri ratio fert.

De differentiis aquarum noscendis ita docemus,

docemus, quòd tot in cœlo semina sint, quot sunt in terra aut aqua. Semina ea proferunt pluuiam. Nostrum tamen non est nosse, cuius seminis qualibet pluuia sit, sicut nec ex coloribus herbas cognoscimus, cùm omnes virides sint. Adeóque nulla ipsarum notitia nobis daretur, nisi formæ cognitio penes nos foret. Iam verò aqua formæ expers est, vt ex ea nihil concludere possimus, quid Maiorana sit, & quid Lauendula, &c. Licèt enim pluuia quidem alia, aliâ est purior, sicut in viriditate herbarum idē quoque experimur: isti tamen gradus ad cognitionem nullam faciunt.

Reliqua desuerunt.

I. Superiores impressiones.	II. Pluuiales impressiones.	III. Temporales impressiones.	IV. Raræ impressiones.	V. Niueę impressiones.
1 *Sol.*	1 *Nubes.*	1 *Ventus.*	1 *Pluuia lapidum.*	1 *Psecas.*
2 *Luna.*	2 *Pluuia.*	2 *Aestas.*	2 *Pluuia metallorum.*	2 *Nebula.*
3 *Stellæ.*	3 *Nubium casus.*	3 *Hyems.*	3 *Pluuia sanguinis.*	3 *Nix.*
4 *Cometa.*	4 *Aurora & serotina.*	4 *Dies.*	4 *Pluuia ranarum.*	4 *Pruina.*
5 *Galaxa.*	5 *Colores Solis & Lunæ.*	5 *Nox.*	5 *Irides.*	
6 *Lancea.*	6 *Fulgura.*	6 *Claritas.*	6 *Troni.*	
7 *Iactus stellarum.*	7 *Tonitrua.*	7 *Obscuritas.*		
8 *Draco volans.*	8 *Grandines.*	8 *Decoloratio terræ.*		
9 *Solis pluralitas, & Lumen.*	9 *Fulmina.*	9 *Ros.*		
10 *Figura miraculosa, vt capita, cada.*	10 *Frigus.*			
	11 *Exhalatio.*			

PHILIPPI THEOPHRASTI

De

MINERALIBVS

Liber.



QVANDOQVIDEM mihi præsumptum & decretum sit, tradere de omnibus mineralibus, & quę ad mineralia spectant, aut mineraliū generationem, naturámque respiunt: ante omnia vos scire velim, haud paucos iam præ me de ortu mineralium quoque edidisse. Quos equidem legens, multis erroribus inuolutos deprehendi. Quantum enim ex scriptis eorum patet, vltimam materiam, quid esset, nunquam solidè intellexerunt. Quod si materia non rectè intelligatur vltima: quid fiet quæso de prima? Quicunque enim principium descripturus est: huic de fine & vltimo omnino constare fas est. Quid enim Theologus, sui finis nescius? Quid Astronomus multa iactans & nullius luminis peritus? Cum ergo auctores illi maximoperè hallucinari in fine, hoc est, vltimâ materia deprehendantur: quanto eredibilius id erit de principio? Scripta ergo & literas ipsorum repudio, non ipsum fundamentum. Vt autem ex documento breui cognoscatis, multò plus de hac materia scribendi mihi dexteritatis esse, quàm illis meis antecessoribus: omnium primò vobis vltimā mineralium materiam explicabo, vt, quo fundamento rem istam tractem, apertè cognoscatis, & hinc, quodnam principium sit, rectiùs intelligatis. Medico enim ante omnia opus est nouisse morbum: eo cognito, quid agendum sit, vltrò pandetur. Nosse autem morbum finis est, non principium. In exitu ars posita est, non in introitu. Introitus cæcus & dubius est: exitus est euidens. In hoc latet cognitio. Fundamentum ergo hoc indico, rem quamlibet in suo principio probè cognoscendam esse ideo, vt exactiùs etiam intelligatur id, cuius gratia res ipsa condita est. Quod si enim homo opera Dei proponere sibi & vsurpare debet: opus est, ea ipsum minimè latere, sed ex fundamento cognita prostare: aliàs enim ipsis abutetur. Quid enim prodest securis ei, qui ipsius vsū ignorat? Sumat ipsam, qui vti illa nouit. Eodē modo, quicquid Deus creauit, id hominem habere decet illum, qui nouit, quomodo vti debeat. Hæc scire & discere fas est homini, non nugas & phantasmata à Diabolo suscitata.

Materia vltima testatur de prima

Cùm ergo de ortu mineralium omnium scribere proposuerim, non ex me id quidem, sed ex experientia, per illum, à quo accepi: quod in paragrapho primo dixi, hîc iam repeto, nempè, vltimum cognoscendum esse ante primum, & ex vltimo primum intelligi debere. Hoc declaro exemplo Christi, qui vsque eò intellectus non fuit, donec Spiritum sanctum mitteret, qui adueniens reuelauit omnia. Per hunc iam intelligimus Christum, etsi post Christum venerit. Sic ab eodem vltimo, scilicet Spiritu sancto, intelligimus iam & patrem & filium.

Prima ex vltimis discēda.

Hoc non ineptè accommodo Philosophiæ de Mineralibus, quod scilicet vltima materia sint res eæ, quæ principium suæ matris seu ortus docent. Ex illis hic cognosci debet. Iam verò in aliis Philosophiæ paragraphis tria subindè inculcaui, Sulphur nempe, Sal & Mercurium principium existere rerum istarum omnium, quę ex 4. matricibus, hoc est, 4. elementis oriuntur. Hoc iam in generatione mineralium opus est, vt explicetur, ferrum, chalybem, plumbum, Smaragdum, Saphyrum, Silicem, Duelech, &c. nihil aliud esse, quàm Sulphur, Sal & Mercurium. Res enim quælibet à natura progenita fragilis & corruptibilis est, & per artem cognosci potest, ex quanam re prodierit. Iam hoc naturę documentum est, quod in ære tria iam dicta non minùs insint, ac in ligno aut rebus aliis, nempè igni, balsamo, Mercurio. Quod si enim artis ope resoluatis

Vltima materia quid.

Tria prima quæ fuit.

Tria prima in omnibus.

natis chalybem, aurum, perlas, corallos: & sulphur, & sal, & Mercurium inuenietis. His per artem extractis, nihil eius mineræ amplius restat, sed omnia dissoluta sunt. Cùm ergo dissolutio substantias rerum prodat particulariter, quid sint, & quid in ipsis sit iam colligite, tria omnino esse, ex quibus mineralia omnia fiunt, nempe Sulphur Sal & Mercurium. Tria hæc sunt corpus: & in vniuersali corpus vnum est, sed res ternæ. De tribus hisce doctrinam meam iam exordiar, vt sciatis, in vltima materia tria esse, & nec plura, nec pauciora; ex quibus tribus mineralia omnia constituantur. Quomodo verò vlterius Deus naturam creârit, id deinceps tradetur. Super hoc enim fundamento nihil desiderabitur.

Mineralia omnia ex tribus primis.

Vltima materia omnis in tribus.

Cęterùm, placuit in principio Deo, vt vnum elementum faceret *Aquam*, cui indidit vim generationis Mineralium, vt ipsa subindè crescerent, & sic deinceps humanis vsibus commodarent. Aquam inquam tali muneri destinauit, vt matrix esset metallorum, per tria illa dicta, nempe ignem, sal & Mercurium. Qua ordinatione id prudentiæ & discriminis obseruauit, vt ex vno elemento aquæ fierent metalla, gemmæ, lapides, & vniuersæ mineræ. Et licet fructus quidem dissimilis sit suæ matri: sic tamen DEVS voluit, vt quoduis fieret secundum suam naturam. Aliud est auis in aëre: aliud piscis in vnda. Quantum itaque hæc duo inuicem distant: tantum & naturæ cæterorum. Dependent ista omnia à potestate DEI, qui suam voluntatem in his completam voluit.

Mineraliū matrix aqua.

Voluntatis diuinæ vis.

Sciendum autem primò est, elementum aquę matrem esse omnium mineralium, licèt ipsa aqua illis minimè similis sit. Sic enim & terra lignum est, nec tamen est lignum. Lignum tamen nihilominus ex ipsâ fit. Eodem modo & lapis, & ferrum, &c. ex aqua fiunt. Aqua fit id, quod non est ipsamet. Fit terra, quod minimè est. Sic necesse est & hominem fieri, quod non est. Quicquid in vltimam abire materiam debet, id necesse est aliud quid fieri à suo principio. Principium enim nulli prodest. Iam vero in aqua materia prima inest, nempe tria prima, Ignis, Sal, & Mercurius, quæ diuersas aliquot naturas in se habent, sicut deinceps docebitur. Habent enim metalla, habent gemmas, habent lapides, habent silices, & hujus generis multa. Aliud est metallum, aliud lapis, aliud silex. Sic & in cœlo, aliud nix, aliud fulmen, aliud iris, aliud fulgur. Similiter & in terra, aliud est lignum, aliud herba, aliud flos, aliud fungus. Talem se Deus artificem protulit, rerum omnium magistrum, cuius opera nemo æmulari potest. Is solus est omnia in omnibus: is est rerum prima materia, is est rerum vltima materia, is est omnia. Deinceps ergo de mineralibus explicaturi, ante omnia dicemus de proprietate matricis, hoc est, de elemento aquæ, discursu sequente. Quanquàm, de quibus hic equidem scribo, veteres ista ex terra oriri prodiderint. Bona quidem intentio, sed mala probatio, quâ destituuntur illi, velut & his, ad probandum quæ requiruntur.

Aqua quæ prima materia.

Dei laus.

Mineralia non ex terra.

Iam verò primum apud Deum fuit principium, hoc est, vltima materia. Vltimam hanc materiam deduxit in materiam primam. Quemadmodum fructus fructum alium producturus, semen habet. Semen est in prima materia. Ita & Mineralium vltima materia in primam reducta est, velut in semen. Id semen est elementum aquæ. Hoc resoluit Deus, vt iam aqua sit. Illi præterea hanc naturam contulit, vt vltimam materiam produceret, quæ in aqua est. Hanc aquam suæ præparationi subiicit. Quod metallicum est, separat in metalla, & metallum quoduis seorsim. Quod gemmeum est, & ipsum in suam naturam digessit. Quod lapideum est, similiter. Idem indicandum etiam de Marcasitis & speciebus cæteris. Porrò si Deus tempus creauit, frumentis messem, fructibus autumnum: suam messem, suum autumnum vtique & elemento aquæ destinauerit: vt rerum vniuersarum certa messis, definitus autumnus esset. Sic ergo aqua est elementum, est matrix, est semen, est radix omniū mineralium. *Archeus* autem in ipsa est is, qui in natura omnia disponit & ordinat, vt quoduis ad vltimam suæ naturæ materiam perducatur. De natura sumit ea homo, & ducit ad vltimam materiam suam, hoc est, vbi natura desinit, ibi homo incipit. Et materia vltima naturæ est prima hominis: dissolutióque naturæ per artem facta est vltima materia hominis. Sic ergo mirabili consilio Deus constituit, vt prima materia naturæ esset aqua, mollis, lenis, potabilis: & tamen fœtus seu fructus ipsius est durus, vt metalla, lapides; quibus nihil durius est. Durissimum ergo ex mollissimo, ignis ex aqua oritur præter captum hominis. Cùm verò elementum aquæ matrix sit mineralium, præter captum id non est naturæ. Deus enim miram sobolem ex matre produxit. Contemplemini hominem à matre. Quilibet sui sensus & proprietatis est, non secundum corpus, sed secundum naturam. Ita & metalla omnia secundum corpus aqua sunt: secundum proprietatem autem sunt metalla, sunt lapides, sunt Marcasitæ. Nec enim ratio aliàs potest comprehendere, in substantia & corpore ea esse diuersa.

Archeus aquæ qualis, &c.

Materia primæ diuersitas.

Durissimum ex mollissimo.

Sic ergo Deus Elementum aquæ creauit, vt elementum esset omnium metallorum & lapidum: eámque à tribus reliquis elementis separauit in peculiare corpus, quod non esset in aëre, non in terra, non in cœlo, sed esset peculiare aliud, ab illis diuersum. Id autem collocauit in globum inferiorem, ita, vt esset super terra, & in terra cauitatem haberet, quâ iaceret. Tam miro autem id ingenio condidit, vt vnà cum terra portaret hominem, qui super ipso ambularet & moueretur. In quo hoc etiam cumprimis stupendum est, quod circumcirca globum cingat & obeat, nec tamen è sede suâ excidat: ita vt pars nobis subiecta, non minùs sursum vertatur, ac nosmet, & tamen deorsum propendeat. Stuporem hunc auget, quòd fouea gemini elementi, hoc est, quo loco in exaltatione sua & centro est, omni fundo careat, ita, vt à terra nihil adminiculi aqua accipiat, cui incumbat, sed liberè, sicut ouum, in seipso consistat, nec ex

Aq. [illegible] a tri[illegible] dic[illegible]

Aqu[illegible]

ex testâ quicquam excidat, quod miraculum Dei haud ineuidens est. In hoc iam elemento generationes fiunt omnium metallorum & lapidum, quæ naturis & formis multifariis sese exhibent. Porrò, veluti videtis ex terrâ fructus omnes in aërem crescere, nihilque in terrâ manere, sed eam vtique excedere, ac veluti ab eâ separari: sic & ab aqua crescentia exeunt *Metalla, Salia, Gemmæ, Lapides, Talca, Marcasitæ, Sulphura, &c.* omnia scilicet ex matrice elemẽti in matricem aliã, hoc est, in terrã, vbi suam operationem aqua perficicit quidem, radix autem mineralium in aquâ est, sicut & arborum herbarúmque radix in terrâ quidem est, ipsæ tamen supra terram perficiuntur, & in vltimam suam materiam abeunt, quod omne fit in aëre. Similiter & in terra perficitur, quod in aqua crescit. Cùm itaque radix in aqua, crescens ipsum in terra fit: ex hoc patet, erroneam esse sententiam, scribentium de mineralibus, quòd ex terra oriuntur, & quòd mineralia omnia, quotquot sunt, terram matrem agnoscant. Hoc enim nihili est. Nihil siquidem ex terra crescit præter folia, & gramina, ligna, & herbas, &c. Cætera omnia ex aqua sunt. Aliàs enim eadem ratione dici possit, de crescentibus quoque terræ, quod in aëre crescant, quia in aëre versantur, quod apertè falsum est. Radices enim ipsorum in terra inueniuntur: quo docemur, originem ipsorum ex terra esse, perfectionẽ autẽ in aëre. Ita & quod ex aqua oritur perfectionẽ suã in terra acquirit. Crescentia ergo mineraliumita euincunt, quòd aquea sint, & ex aqua prodierint, & in aquâ ipsorum mineralium prima materia existat, sicut terræ fructus omnes in terra generantur, & post prædestinatum terminum, messem vel autumnum erumpunt, idque generant, quod in ipsis est. Dum ergo huiusmodi radix oritur, primùm assurgit in suam arborem, hoc est, corpus, ex quo minerale illud, metallum aut aliud fieri debet in terra. Sicut enim nux vel cerasum non illicò in vel ex terra enascitur, sed primùm profertur arbor, post arborem fructus sic & in aqua natura primum profert arborem, quæ est corpus aqueum, quæ post excrescit in terram, hoc est, terræ poros occupat, sicut arbor implet aërem. Arbore ista iam in terram exerta, postmodum ex ipsa nascuntur fructus pro natura & conditione arbori congenita. Hîc metallum crescit huius generis, illic genus Salis fit, istic genus Sulphuris erumpit, alibi genus Gemmæ potruditur, &c. Et sicut multa cerasa in arbore vna inueniuntur, vt multa pyra: ita similes etiam aquæ fructus reperiuntur in extremitatibus & locustis arborum elementi aquæ. Et veluti quædam arbores fructus multos, quædam paucos proferunt: ita proprietas, natura ac conditio similis hîc quoque est. Huiusmodi ergo arbores primò quæri debent, postea demum fructus. Ita enim rusticus, qui in elemento aquæ agricolatur, docebitur & instituetur, sicut agricola in terra docetur, quo modo agricolari, & vbi fructus inueniri debeat.

Diligenter etiam in hac generatione attendi debet, vt subindè exemplum de terra sumatur, hoc modo. Quædam sunt arbores, fructus ferentes, non nudè, sed permixtè. Sic castanea, nux & similia alia extima facie corticem spinosum habet, interius alium, denique pelliculam nucleum legentem. Ita metalla quoque & genera mineralium sunt, in carnibus & cutibus talibus latentia, vt sunt minera ferri, minera argenti &c. quæ ob id renouanda sunt, vt post separationem quæsitus fructus prodeat. Econtra, genus quoddam est, fructus suos nudè promens, vt sunt cerasa, pruna, vuæ: de quibus nihil abiicitur, sed omnia idonea & bona sunt. Ita & in fonte aqueo reperitur purum nudúmque argentum, aurum, corallus, carabe & similia. Quæ omnia ab ipsa natura ita sunt constituta, vt alia atque alia ratio sit arborum & corticum, in quibus minerale iacet, quæ omnia pro aquæ, climatis, regionisue varietate & diuisione ita eueniunt. Et ex cortice ac testâ deprehendi potest, quid intus lateat, velut in fructibus fit. Præterea sicut videtis de nucleo corpus, & illum ipsum: ita scitote, similiter & in ipso elemento corpus esse & spiritum; requirique vt & corpus fiat, & spiritus in corpore. Iam autem spiritus facit corpus, facit etiam minerale (al. nutrimentum.) Aliud tamen corpus habet minerale, aliud fructus: hoc est, etsi quidem aurum in corpore sit, & corpus nihili sit, sed vt impurum, ab aurifice separari debeat: sic & aurum corpus habet, attamen non impurum. Duo itaque corpora: in altero autem fructus ipse incorporatus est mineræ, qui ab auro illo separandus non est. Sic ergo fructus initiò in arborem ab elemento ducuntur, postea in corpus, & in prima testa nobile, bonúmque. Sicut enim homo corpus duplex est, crassum scilicet quod nihili est, sed in isto tamen corpus aliud bonum: ita de crescentibus omnibus idem æquè intelligi debet. Quæcunque enim creauit Deus, ea in corporalitate processu simili perficit. Aliter tamen fecit hominem, aliter arborem, aliter lapidem. Hominem autem ideò eò exquisitius fecit, quia ipsum ad similitudinem suam conditum voluit, vt æternum, quo creata cętera destituuntur, in ipso habitaret.

Similiter etiam iudicate de morte elementorum, quod & aquæ sua mors sit, non minùs ac rebus cæteris. Imo aqua sibimet ipsa mors est, exedens, & iugulans consuménsque suum ipsius crescens. Documento nobis est terra. Ex ea quòd crescit, in ipsam redit, & perit, ita vt nihil amplius eius supersit. Sic dies hesterna periit, nec est qui ipsam iterum visurus sit. Similiter & nox præterita. Eodem modo transeunt res omnes ex terrâ enatæ, quæ in terram redeunt, & ab illa consumuntur, ita, vt nec semuncia vnâ illâ grauior fiat, quàm heri fuit, aut hodie sit grauior, quàm ante annos mille. Vna enim ac perpetua grauitas manet. Et Deus suis elementis hoc indidit, vt fructus darent, & superfluitates consumerent: adeóque, quò illa redigantur, homo nihil magis nouit, quàm quò dies hesterna abierit, scit. Simili exemplo elementum aquę sibi ipsi

[Marginal notes: Aquæ crescentia quæ sint. — Mineralia non ex terra. — Mineralia radicibus vt nascantur. — Arborũ & mineralium collectio vtilis. — Homo est corpus duplex. — Homo æterni particeps. — Aqua sibi ipsi mors, velut & terra.]

ipsi mors est, vt suos fructus consumat & mortificet: & mors illa est in maiori centro & termino aquæ, hoc est, in extraneo mari, in quod aqua omnis confluit. In hoc quicquid penetrat, moritur & consumitur, abitque ceu lignum ab igne consumitur. Et sicut ex terrâ quotannis noui fructus emergunt, veteribus pereuntibus: ita quotidie noua mineralia gignuntur, siue sint metalla, siue Marcasitæ, siue Gemmæ, siue lapides, siue Salia, siue fontes. Et ea tamen omnia morte cincta prodeunt, velut infans, qui mortem ipsâ cum vitâ affert. Eâdem ratione cum suo principio & metalla mortem suam afferunt, moriunturque in termino aquæ, hoc est, in mari extraneo. Rhenus enim ac Danubius Albisque & alia flumina ipsum elementum nō sunt, sed sunt ipsius fructus. Elementum est in mari extraneo, illud nimirùm, ex quo illi omnes crescunt, & in quod redire coguntur, vt mortem ibi accipiant vbi vitam sortiti sunt. Sed mors ista deinceps clariùs in suis paragraphis indicabitur, quomodo nempè quodlibet minerale oriatur & moriatur, seorsim.

Terminū aquæ more mineralium.

Cæterum de arbore elementi aquæ ita attendite. Natura quando in mundum prolatura est crescens aliquod, seu aurum sit, seu argentum, seu ferrum, seu cuprum, &c. aut Gemma, Smaragdus, Saphyrus, Granatus, &c. aut fons, acidus, dulcis, frigidus, calidus, &c. aut Corallus, Marcasita &c. tunc arborem surrigit ex elemento aquæ in terram, ita vt illa radice suâ in centro Maris (al. matricis) desigatur. Illa iam semen suum emittit in terrâ & ramos etiam pandit. Iam ergo scitote, quòd stirps ipsius speciem habeat liquoris, qui non est aqua, non oleum, non bitumen, non mucilago, &c. Sed qui similitudinem habeat ligni ex terrâ producti, quod tamen nec terra est, nec semen (al. stirps) & tamen de terrâ est, eius scilicet peculiare corpus. Liquor iste stirps est: ipsius etiam rami iste, liquor sunt, sicut arbor lignum est, & ipsius rami illi similes. Sic ergo arbor mineralis formata est in huiusmodi corpus, & deinceps in amplitudinem suam diuiditur, ita vt vnus persæpe ramus ab altero ad secundum aut tertium Clima, spatio milliarium 20. 40. aut 60. separatim excurrat & extendatur. Sic nimirum ramus alius in Alpes Germanicas, alius in Lungiam, alius in vallem Ioachimicam, alius in Transyluaniam diuertit. Talis enim ipsius est distributio per vniuersum terrarum orbem. Ita etiam arbores innumeræ implicantur, quousque terra extenditur. Quando ergo hoc modo arbores, vna nempè post aliam, passim excrescunt: extremitates ipsarum ad extima telluris pertendunt, interdum ad summas vsque planities sub dium erumpunt, interdum in terrâ manent, pro naturâ & conditione cuilibet arbori vernaculâ. Hinc iam sequitur, quòd per extremitates ramorum, elementi aquæ natura fructus suos profundat in terram. Qui quamprimùm in terram deciderint, illicò coagulantur, fitque ex quâlibet arbore, quid. quale, quantúmve fieri debuit. Eo ergo fructu omnino eiecto, arbor illa exarescit, ac intra seipsam emoritur, peritque instar rerum omnium, fructúmque suum deserit, ac ipsamet in consummationem, in quâ creata omnia finem sumunt, abit: ac denique pro natura eius crescens nouum ibi emergit.

Liquor est stirps arboris metalli.

Arbores minerales quam late extendantur.

Ex hisce iam scire potestis, quòd omnium fructuum mineralium primæ materiæ in aquâ conditæ sint, quódque prima illa materia tantùm sit Sulphur, Sal, & Mercurius, quæ tamen elementi iam sunt facta anima, & spiritus, & vera essentia. Tria hæc nominata continent in sese omnia Metalla, omnia Salia, omnes gemmas, &c. Et quando prædestinato tempore suos fructus, quos preterire nequeunt, paritura sunt, tūc genus quodq; ac quælibet species suum simile gignit. Sic si quispiam vno sacco permixta haberet semina varia, quotquot mundus profert, eadémque in hortum eiiciat serátve: iam natura satagens cuilibet semini tandem suum proprium fructum largitur, ita, vt semen quoduis in vigorem & perfectionem suam deducatur, citra aliorum noxam. Quod similiter de elemento aquæ etiam intelligi debet, quasi ipsa saccus esset, omnifariis seminibus repletus serendis. Nam & hîc quodlibet genus ac species in naturam suam ac proprietatem deducetur. Sic ergo creatorum suorum miracula elementis quatuor Deus miro consilio indidit. Et hæc elementa sunt, ex quibus prodeunt fructus, hominis vsibus destinati. Quodlibet enim genus à Deo creatum est. Hac indagine magnalia Dei cognoscuntur & explorantur. Laudabilis ergo illa Philosophia est, quæ sola Dei opera consideranda proponit, ad quorum cognitionem homo quilibet obligatus, est, vt sciat, quid & quantum creator gratiâ ipsius fecerit. Sed ingessit sese inimicus & Zizania sua in Philosophiam intrusit. Is est Aristoteles, Albertus & Auicenna, cum complicibus aliis, qui merum lolium sunt. Inimicus iste irrumpens, omnia vastauit, & nocentes alios Philosophos progenuit, quorum ars omni naturæ scientia & fundamento destituitur, omníque experientia carens, contra ipsum naturæ lumen fœdè inpingit. Hi sunt illi ardeliones, qui in bonis rebus omnibus diabolo sese filios perditionis exhibent.

Ele. fructus hominis grata condit.

Audiuistis hactenus, quòd prima materia iunctim sit in matrice, veluti in sacco, nempe ex partibus tribus composita. Quotuplices iam fructus: tot genera sunt etiam Sulphuris, Salis & Mercurij. Sulphur aliud in auro, aliud in argento, aliud in ferro, aliud in plumbo, stanno, &c. Sic aliud in Sapphyro, aliud in Smaragdo, aliud in Rubino, Crysolito, Amethisto, Magnete, &c. Item aliud in lapidibus, silice, salibus, fontibus, &c. Nec verò tot Sulphura tantùm: sed & totidem salia. Sal aliud in metallis, aliud in gemmis, aliud in lapidibus, aliud in Salibus, aliud in vitriolo, aliud in alumine. Similis etiam Mercurij est ratio. Alius in metallis, alius in Gemmis, &c. ita vt vnicuique speciei suus peculiaris Mercurius sit. Et tamen res saltem tres sunt: vna essentia est Sulphur: vna est Sal: vna est Mercurius. Adde, quòd & specialiùs adhuc singula diuidantur. Aurum enim non vnum, sed multiplex, vt etiam nō vnum pyrum, pomum, sed idem multiplex. Totidem ergo etiam sulphura auri, Salia auri,

Tria g... matrici generi sunt.

Mercurij

Mercurij auri. Idem comperit etiam metallis & Gemmis, vt quot Saphyri, præstantiores, leniores, &c. tot etiam Saphyrica Sulphura, Saphyrica Salia, Saphyrici Mercurij, &c. Idem verum etiam est de *Turcoibus*, & gemmis aliis vniuersis. Ista omnia natura quasi in pugnum vnum apprehendit, ex quo genus quodlibet promit, quod habet optimum & nobilissimum: adeóque in aliud genus confert metalla, genúsque id in alias & varias species, quæ metallis competunt. Et hoc modo tria prima intelligenda sunt, tot scilicet species creatis esse, quotuplices crescunt: & tamen interim non nisi vnum Sulphur, vnum Sal, vnus Mercurius. Sicut enim pictor vno colore innumeras figuras & formas, quarum nulla alteri similis est, depingit: sic natura pictori similis est. In hoc saltem differunt, quòd natura res viuas producat, pictor exanimes: natura substantiales, pictor vmbratiles.

Naturæ & pictoris collatio.

Colores à Sale, corpus à Sulphure, vires à Mercurio.

Aliàs colorum similis ratio est. De quibus breuem institutionem hanc attendite, quod scilicet colores omnes ex Sale prodeant. Sal enim dat colorem, dat Balsamum, dat coagulationem. Sulphur dat corpus, substantiam & ædificium. Mercurius dat virtutes, vires, arcana. Sic ergo tria hæc coniuncta esse oportet, nec alterum sine altero esse potest, ipsisque Deus vitam dat, quam ex illis oriri ita prædestinauit, in quo ipsi complacitum est. Iam natura ipsa colores protrahit ex Sale, cuilibet speciei dans illum, qui ipsi competit. Quod verò ad quale cuiuis corpus debetur, id desumit ex sulphure. Sic ex Mercurio vnicuilibet conuenientes virtutes extrahit. Itaque qui rerum omnium corpora cognoscere vult, huic opus est, vt ante omnia cognoscat Sulphur. Ab hoc, qui desiderat nouisse colores, is scientiam istam petat à sale. Qui scire vult virtutes, is scrutetur arcana Mercurij. Sic nimirum fundamentum hauserit mysteriorum in quolibet crescente indagandorum, prout natura cuilibet speciei ea ingessit. Scitote autem naturam huiusmodi corpora, colores, virtutes, apud se confusos habere, quos tamen leui operâ iterum dirimere, formare, colorare & dotare, potest, quocunque vult, ac à Deo ipsi datum est. Videtis nimirùm, quâ cum admiratione ex semine obscuro nigróve arbor emergat, coloribus lucidissimis & lætissimis ornata, in foliis, fructibus & floribus, &c. Mysterium ergo floribus hoc in naturâ vsque adeò sublime ac magnum est, vt à nemine satis peruestigari possit. Oppido enim admirabilis in suis operibus Deus est, à quorum contemplatione nec interdiu, nec noctu desistendum, sed iugiter illorum in dagationi vacandum est. Hoc enim est ambulare in viis Dei.

Dei opera mirabilia.

Ordo huius libri.

Metalla.

Gemmæ.

Porrò verò ex re & vsu est, vt vos deinceps quoque de ordine huius libri de mineralibus commonefaciam. Huc enim me inducit ordo varius, quem sectati sunt cæteri. Primò traditur de metallis, quæ vnius generis non sunt, sed distributa in suas essentias, & vsus, quos homini præstant. Horum alia sunt fragilia, alia durabilia, prout commodis hominum seruiunt. Sic & nonnullæ Gemmæ sunt homini vtiles, non sub formâ metallicâ, sed vt gestentur, & hominis sanitati præsint, quales sunt Saphyrus, Magnes, Carniolus, &c. Hæ iam aliâ specie conditæ sunt, vt iure eas homo secum circumferre possit. Porrò & genus aliud lapidum est, quibus homo non indiget, vt metallo aut gemmâ, sed ad exstruendas domos & reseruacula alia, humanæ vitæ necessaria. Vlterius aliud genus sunt salia, non vnius speciei, quæ nec metalla sunt, nec gemmæ, nec lapides: quæ faciunt ad vsus eiusmodi, ad quos nec metalla, nec gemmæ, nec lapides quicquam prosunt & conferunt. Insuper & fontibus suus ordo addictus est, dum alij interius corpori prosunt, alij exterius iuuant, hi calidi, illi frigidi, hi acidi, isti dulces sunt. Quarum specierum tot sunt, vt nemo eas satis definire queat. Sunt etiam genera de Marcasitis, duo scilicet coloris aurei & argentei. Species autem plurimæ sunt, in quibus DEVS admodum multa reseruauit, homini tamen sub manum datis, vt ex iis quærat, quod animo lubitum est, & quicquid DEVS indidit illis, extrahat. Porrò adhuc genus aliud sunt Talka, quę quadruplicia: Rubrum, candidum nigrũ, luteum. Genus hoc nec metalla nec gemmę, nec lapides, nec Sales, nec fontes, nec Marcasitæ: sed per se aliquid peculiare. Dedit præterea etiam arenam, argenti copiâ: de quâ scribere plus non attinet, quàm quòd ad ædificia conferat & cæmentis parandis idonea sit. Sed iam iterum genus aliud dedit, nempè mineralia sulphurea: quorum duo sunt, luteum & nigrum, & sunt carabæ.

Salia.

Fontes.

Marcasita.

Talka.

Arena.

Carabæ.

Sed huius naturæ plures sunt, & præcipuè vnum genus quod nulli est cognatum, in quo sanitas hominis inueniri, idémque ad externos quoque vsus accommodari potest. Præter hoc genus est aliud, prædicto minimè simile, vt sunt coralli: ex quibus ruber & candidus noti sunt. Inueniuntur tamen & alij colores, & formæ sicut in suis paragraphis designantur. Quin & post hæc genus aliud præter naturale restat, quod sponte naturæ instrumentum fit variæ formæ, & proprietatis, vt aetites, buccinæ, cochleæ, patellæ, &c. Prædictorum ergo in hoc sequente paragrapho ex elemento aquæ ortum mecum expendite. Et sicut comprehensum est, ex elemento aquæ multa fructuum genera proferuntur. Et licèt sola ea, quæ mihi cognita sunt, equidem describam: plùs tamen satis mihi compertum est, quod totus globus inferior & superior sphæra, omnibus in finibus, infernè, supernè, & in omnibus lateribus, illis dictis, refertus sit. Iure ergo de illis mihi scribere competit. Sed & hoc verum est, in terrâ multa adhuc condi, quæ mihi incognita sunt. Sed eadem nec alij nôrunt. Certum siquidem est, progressu temporis tot támque varia à Deo adhuc proditum iri, de quibus nemo nostrum nedum vnquam somniauit. Nam verùm est, quòd nihil adeò occultum lateat, quin tandem manifestetur. Post me ergo veniet, cuius magnale nondum viuit, & illud manifestabit.

Corallus

Aetites, buccine, cochleæ, &c.

Omnia nondum prodita.

Cæterùm scire deberis, tres in arte partes esse, quibus perfectiones mineraliũ comparatur. Artificia illa in naturâ elementi, in tribus primis congenita

congenita sunt. Sicut enim homo sua dona in artibus habet, quibus pollet: sic illis præstat etiam ars in tribus primis. Vbi hoc iuxtà teneri debet, nulli homini possibile esse, rem quandam seu opus perficere ex seipso, sine auxiliatore. Nullus ergo alio superior est, nisi is solus, qui coniungere nouit coniungenda. Sic præsto est minerale ferri. Id quid per se faciat? nihil, nisi fusor accedat & præparator. Secundò, nihil id est, sine fabro, qui cudat. Id iam iterum nullius vsus, nisi adsit emptor, & denique qui vtatur eo, &c. Ea rerum omnium conditio est. Idem similiter etiam in naturâ euenit, vbi vnum non solum est, quod minerale faciat, sed oportet accedere plura: quo faciunt, *Fusor, emptor, venditor, vsurpator.* Eo si non opus habet natura, defert homini, ceu primæ materiæ, cui debetur. Opus tamen illa habet dispensatore, qui ordinet & disponat coniungenda, vt fiat id, quod fieri debet. A Deo autem ordinatus est, qui coniungat, Archeus nempè naturæ. Is postea requirit operarios suos, qui conflent & fabricent rem illam, & in id perducant, in quod ordinatū est. Hinc sequitur, tria tamen assumenda esse, quæ minerale quodlibet ad finem suum perducunt. Hæc sunt, Sulphur, Sal, & Mercurius. Hæc tria omnia perficiunt. Primò enim opus est corpore, in quo instituatur fabricatio. Hoc est Sulphur. Deinde necessaria est proprietas seu virtus. Hæc est Mercurius. Denique requiritur compactio, congelatio, coadunatio. Ea Sal est. Sic iam res id est, quod esse debet. Iam verò non quodlibet Sulphur ad aurum corpus est, nec Mercurius quilibet ad virtutem, nec Sal quoduis ad coadunationem: sed quotuplices fabri ferrarij, hic hoc, ille aliud vel aliter operans: sic etiam hic. Constituit ergo Deus, vt Archeus componeret, quæ coniungenda essent, sicut pistor panem coquens, coniungenda coniungit, aut vinitor ad colendam vineam conquirit & coniūgit coniungenda. Ad suum enim officium quoduis prædestinatur: & quoduis etiam inuenit, quod officio suo necessarium est. Iam si Archeus Galenam suam habeat, & excudere debeat arborem in aurum, in ferrum, in hyacinthum, in Granatum, in Duelech, in Marmor, in Arenam, in Cachimiam, &c. tum assumit & coniungit simplicia, Sulphur, Sal & Mercurium, quæ huius naturæ sunt, & instituto ipsius seruiunt. Postea illa simul coniicit in suum *Athanar*, vbi decoquuntur, velut semen in terrâ. Decoquuntur autem inuicem hoc modo, vt Sulphur corpus suum addat, in quo fiat operatio. Id præparant pro suo arbitrio, in id, quod esse vel fieri debent. Postea ex duobus cæteris decoquitur Mercurius in suam proprietatem, vt adsit, quod adesse debet. Decoctionibus illis factis, sequitur denique conseruatio, quæ est de sale. Hæc omnia coagulantur: hoc est. Sal primo coadunat, postea congelat, denique coagulat. Iam id confirmatum est, ita vt iam autumnus præsto sit, & faber, qui cudat. Hæc itaque breuis institutio sit de omni generatione mineralium, quo pacto scilicet coniungantur. De quolibet autem seorsim deinceps quomodo intelligendum sit, tractabitur capite proprio. Quæ doctrina quidē de mineralibus necessaria est ideò, vt omnia rectiùs ac planiùs intelligantur, nec scriptorum veterum, & horum assaeclarū fucus vos seducat. Qui si quidem magna æstimatione turgent: à sibi tamen similibus tantùm probantur, qui æquè, vt ipsi imperiti rerū sunt, nec tantū sibi otij sumunt, vt hæc exactiore studio inquirant & colligant.

Archeus naturæ à Deo cōditus.

Archeus vt operas suas tractet.

Athanar instrumentum Naturæ.

II.

SEd de generatione metallorum deinceps cognoscite, quòd ipsorum magnus numerus & diuersa varietas sit. Metallum enim est id quod domare potest ignis, & artifex instrumentum aliquod facere: huius classis sunt aurum, argentum, ferrum, cuprum, plumbum, stannum. Hæc enim metalla ab omnibus dicuntur. Preterea metalla sunt etiam quædam, quæ nec in scriptis ac Philosophiâ veterum, nec à vulgo pro metallis habentur, & metalla tamen sunt. Huc pertinent zinetum, cobaltum, quæ vi ignis domantur & cuduntur: velut & granata quedam (ita vocari solita) quorum genera multa sunt, & ipsa metalla. Multo autem plura sunt illa, quæ mihi hactenus nondum percognita sunt: vt sunt multæ differentiæ in Marcasitis, in Bisemutis, in Cachimiis aliis, quæ metalla promunt, sed nondum cognita. Noscuntur enim tantùm præcipua, quæ vsui magis prompta & commoda sunt, velut aurum, argentum, ferrum, cuprum, stannum, plumbum. Cætera cum oscitatione quâdam ferè negliguntur, nec de proprietatibus ipsorum multum curæ est. Nec enim ipsa curat faber, vel ferrarius, vel stannarius, vel ahenarius, vel aurifex. Et tamen metalla ea sunt pro opificibus aliis, nondum natis. Nemo enim nisi vnâ viâ & arte discere satagit. Iam verò quòd dictitant, argentum viuum metallum esse, id à re longè abest. Est enim ex genere mineralium cæterorum, non metallum, non lapis, non Marcasita, non Saphyrus &c. Est crescens naturæ peculiare, corpore suo, vt cætera, donatum, ac proprietatibus suis instructum. Sed & hoc euanidum est, quod pro septem Planetis septem metalla condant. Vnde etiam factum est, vt, cum pleniorem de metallis cognitionem non haberent, ex his etiam argentum viuum vnum enumerârint. Et vt ipsi res conferunt, aurum est Sol, argentum est Luna, cuprum Venus, plūbum Saturnus, stannum Iupiter. Age verò, quadra cothurne. Venerem enim & cuprum si coniungas, quomodo quadrent & consentiant, illicò videbis. Coniunge & compara plumbum cum Saturno, & quid sit, aduerte. In vnum confer stannum ac Iouem, & quid fructus emersurum sit, dispice. Itaque Philosophia talis non nisi farrago & cento est. Nec enim vel minimū vestigiū in ipsa vllius fundamēti aut luminis naturæ emicat. Merè ergo Polica, nō Philosophica ea cōmenta sunt. His iam & hoc cōfine est, quòd argentū viuum dicunt esse Mercurium. Tu verò cōplexionē, naturā, operationē, qualitatē & proprietatē, ac vtriusq; virtutes, essētiasq; confer, & vide quomodo quadrēt inuicē & cōsentiant. Incongrua omnia. Nec enim vnū alteri simile est. Quanquā & plantarū Philosophia 7. herbas, secundū 7. Planetas inuexerit. Sed ista Medicorum somnia

Metalli differentia.

Argentum viuum non metallum.

Planetæ metalla non sunt.

somnia sint, nedum stabilita ac probata. Vt enim ipsi putant, Mercurialis est Mercurius, Solsequium Sol, Lunaria Luna. Putatisne verò vos *Patres*, vos in cœlum priùs euolare, & quid in ipso sit, videre velle, ac terram cùm cœlo sine omni Astronomiâ & Philosophiâ comparare posse: cum tamen, quid in Solsequio sit ac lateat, ne per transennam quidem videatis. Itaque distributio illa à nemine admitti debet, sed ad illos relegari, qui non secundum lumen naturæ, sed promissas suas stolas indicant. Docet autem caput de metallis, quòd sex vno numero metalla sint, mihi quidem nota, quæ etiam superiùs recensui: quibus adhuc pauca accedunt alia, nempe 3. vel 4. mihi etiam cognita, quorum numerus & species deinceps sequentur. Mihi autem verisimile fit, ipsorum magnum adhuc numerum restare. Per probationes etenim metallorum, probæ multiplices sese offerunt, quæ metallicæ sunt, hoc est, secundum sex metallorum naturam æstimantur quidem, nec tamen illi conueniunt omnino: vt magnum adhuc metallorum numerum restare hinc augurer. Quoduis enim minerale rectè cognosci & discerni potest, si examine iusto tentetur. ¶ Cæterùm de auri generatione tenendum est, id esse sulphur, ad summum à naturâ sublimatum, & ab omnibus fæcibus, nigredinibus & spurcitiis depuratum, támque altè (vt ita dicam) diaphanatum & candatum, vt nullum vspiam ex omnibus metallis esse possit, corpore altiore & eminentiore. Estque sulphur auri prima materia, vnum ex tribus primis. Hoc sulphur, si quale in auriferâ arbore, & ad huius radicem in montibus est, Alchimistæ inuenire & adipisci possent, esset certè, de quo effusè gauderent. Hoc enim est sulphur Philosophorum ex quo fit aurum, non alterum, ex quo ferrum, cuprum, &c. Iste est scrupulus ipsorum vniuersalitatis. Porrò & Mercurius secundum naturam metallicam ad summum separatus, ac ab omnibus terrestreitatibus & accidentibus liber, in purum Mercuriale corpus ad summam perspicuitatem transmutatus est. Iste est Mercurius Philosophorum, qui aurum generat: éstque pars altera primæ materiæ. Tertia pars primæ materiæ auri, vel arboris, ex quâ aurum, velut ex semine rosæ rosa crescere debet, est sal, ad summum crystallizatum, támque sublimiter sequestratum & depuratum ab omnibus suis acrimoniis, acerbitatibus, acetositatibus, aluminositatibus, & vitriolitatibus, &c. vt nihil adhærens iam habeat, sed exquisitè in seipso ad summum elucidatum, & ad altissimam Berillicam diaphanitatem euectum sit. Hæc iam tria iunctim sunt aurum, quod excoquitur eo modo, quo iam diximus.

Metalla in genere 6.

Metalla multa incognita.

Aurum quid.

Sulphur Philosophorum, &c.

Mercurius Philosophorum, &c.

Sal auri quale.

Porrò, auri genus non vnum est, sed multiplex: gradus est non vnus, sed natura gradus 32. per se, ad summum aurum dat. In arte gradus 24. inueniuntur ad aurum optimum stabiliendum. Cuius rei causa est, quòd aurum in suâ arbore simile sit vaccæ in pascuis, aut Epicuro in culinâ. Hinc quamprimùm egressus fit, tam citò animus vigórque cadit, vt minuatur. Eadem & auri ratio est: quòd si eò redigatur, vt sit prima materia hominis: tunc veluti è culinâ suâ egressum, de gradibus dictis 32. gradus 8. illico perdit. Iam verò & in culinis diuersitas est, cum aliæ sint meliores, aliæ peiores. Prout in hanc vel illam incidit aurum, ita gradibus vel augetur vel minuitur, ad summum tamen à 26. grad. vsque ad 10. deorsum numerando. Qui gradus his inferiores sunt, pallidi nimis sunt, & non cognoscibiles. Ex auri etiam natura est, vt sit vel lenius vel crassius. Quod fit, quia incumbit impedimentum quoddam ab Astris & elementis cæteris, coctionem adiuuantibus. Sicut enim homo vnus altero crassior aut subtilior est: ita nec aurum semper completum suum gradum attingit, hanc præcipuè ob causam, quòd aut nimium corporis, aut Salis, aut Mercurij accesserit, vnde error & vitium sequi oportet. Sic enim nimium sal, nimium pallorem inducit. Nimius Mercurius, aurum nimis spiceum facit. Nimium sulphur nimium ruborem confert. Quod intelligi debet de eo, quod pondera nonnunquam inæqualiter accedant. Nec enim minus errat natura, quàm homines. Tale quid si eueniat, gradus inæqualis fit. Attingit etiam acus, a 12. vsque ad 24. Si tamen superpondia (quæ ars adimere potest) auferantur, quod fit per antimonium, per Quartam, vt vocant, per cæmentum regale, &c. impertinentia pondera tolluntur, & gradus 24. remanent. Non igitur temere tentet Alchimista gradare aurum, quod ita factum est. Superpondium enim ineptum est, vt gradum assumat, & ad rectam libram reducatur. Quod enim de bono non est, id exaltari non potest. Fieri tamen potest, vt aurum, quod in culina nimis pallidum defluxit, gradetur. Cognitio autem ipsius magna est in eo, quod corpus suum non perdit in regali, antimonio & Quarta. Semper siquidem ac assiduò suum cùm colorem tum pondus retinet, quod boni auri proprium est.

Aurum octo gradus perdit.

Aurum vnde intendatur coloribus & minuatur.

Aurum bonum nihil perdit.

Sed & aurum fit candidum ex sulphure, eo modo, ceu iam diximus. Cætera enim duo, Mercurius & Sal sunt candida, & naturæ aureæ. Ista corpus sulphureum ita tingunt, vt ruborem amittat & candescat. Sulphur enim tincturam suscipit aliorum colorum. Etsi enim totum rubrum sit, vel album, vel luteum: transcoloratur tamen à tincturâ, quæ est Mercurius & sal. Quãdo ergo corpus sulphur est, tinctura Alchimiæ ipsum facilè transcolorare potest. Id tamen necesse est, hoc casu, vt tinctura altera, hoc est, Alchimistica, Mercuriũ & salẽ tingat ex candore in rubedinem. Hoc enim pacto aurum colorem illum assumit, quem habere debet. Et sciendum est, non minùs in auro & quolibet metallo complexiones esse, ac in ipso homine.

Aurum album.

Tinctura mutat auri colorem.

Cæterùm & hoc tenendum est, quod complexio alba quoque transmutetur per transmutationem corporalem. Sic & rubedo. Duo hi colores diuisim inhærent rubedini: flauedo inhæret albedini: subiiciunturque coloribus primariis. Transmutatio hæc in Alchimiâ fieri potest: ita tamen vt ad complexiones directa sit, ac in ipso homine priùs probetur, vt vel Melancholicus vel Sanguineus fiat: item, vt fiat vacca nigra, vel alba, idque ab ipsâ tincturâ. Natura siquidẽ in minerali operatione suâ

N B. de tinctura.

suâ similiter omnino cum homine in generatione ipsius agit. Eodem modo & homo operari debet in generatione naturæ, vt qui ipsa in hoc superior esse potest, modò natura ipsum donârit mysteriis eiusmodi de astris artium: quam tractationẽ Astronomiæ iam mãdo.

Ttia prima quæ dent auro.

Sed & ad hoc attendendum est, quòd tum temporis in istiusmodi rebus natura ordiatur, cuius hæc ratio est. In sulphure nihil est, quam corpus: in sale nihil: tantùm in Mercurio. Sulphur & Sal adeò præsto sunt, vt alterum det corpus, in quo aurum sit: alterum det confirmationem. Ad naturam verò, vimque ac virtutem seu proprietatem quod attinet, ea omnis ex Mercurio emergit. Iam quicquid in sulphure est proprietatis, vnicuique congenitæ: nihil est nisi corpus, in eo, quoad est, vbi Mercurius non est. Sic & in sale. Scitote verò, sal esse balsamum, & Mercurium conseruare, ne virtutes & proprietates eius putrescant aut corrumpantur. Itaque virtus illa auro incorporata est, quæ post coagulationem in sale, si separetur, reperiri non potest per artem, vt nec proprietas sulphuris inueniri potest. Omnes autem in Mercurio omnino inueniuntur. Ars itaque quando separat, corpus deserit, nec ipsius Medicinam curat. Similiter & Sal deserit, vnà cum ipsius Medicinâ. Et licèt corpus quidem aliquid habeat, ceu corpus, & sal aliquid, ceu sal: Medicinæ tamen illæ in istis quæri non debent, sed tantùm in Mercurio, cui omnia insunt. Ea enim creationis ratio est, vt in naturæ ex quatuor elementis omnibus crescentibus, non illa saltem sint, quę per se videntur & intelliguntur: sed illæ insuper in se Magnetem continent, qui in decoctione & præparatione attrahit ad se trium primorum essentias, hoc est, Quintum esse, vt veteres loquuntur, cum tamen esse Quartum vocari debeat. Nam in tribus consistit ipsum minerale: & præter hoc magnes etiam, qui Medicina est. Hanc enim is attraxit: in Mercurio ipsa inuenitur. Mercurius autem & ipse in vltimâ separatione multum de suo pondere perdit.

Artis separatoriæ modus.

Quartũ esse, rectius quam quintũ. Mercurius totius mineralis esse continet.

Natura itaque præparata ita, & ad tale incrementum perducta: primò aurum fit arbor sui generis, quæ se diffundit: postea generantur rami. Hos sequitur flos: hunc fructus. Flos in terrâ similiter ac in aliâ arbore extremus est. Et sicut in extremitate flos est, & nucleus, in arbore adhuc immaturus: sic eadem est ratio etiam in generatione auri & metallorum omnium. Flore decidente subnascitur fructus. Quanquam is non semper erumpat, vbi flos steterat: sed auriferæ arboris ea est natura, vt quædam centenarum aliquot vlnarum interuallo interius in ipsâ arbore floreat: quædam rectà sub dio: nonnulla in medio. Differentia ergo aliqua est inter arbores auriferas, quarum naturæ variæ sunt. Vnde variis etiam modis distributæ inueniuntur, sicut & arboribus aliis suus à Deo crescendi modus præstitutus est.

Auri flos non semper in extremitate.

Præterea de auro hoc etiam expendendum est, quòd aliquibus interdum impedimentis oneretur: ita vt interdũ nihil fiat, nisi generatio Mercurij. Ea si incidit, decipit. Si in flores incidunt salia corrosiua, corroduntur, velut à vermibus flores in arboribus: sic à Mercurio refrigeratur aurum: à salibus exuritur. Huius generis multa sunt. Nam & tellus, & firmamentum, & aër illud perdere queunt. Quæ nisi fœcunda sint, nihil parturiunt boni. Sicut enim sub ardente Sole exuruntur arbores: sic idem hîc quoque in aquâ fit: sicut hæc per ipsum Philosophiæ lumen docentur, & per experientiam abundè satis stabiliuntur. Huiusmodi impedimenta ergo & mineræ auri ac ceteræ sustinere coguntur. Nec quicquam est, quod suis tempestatibus non concutiatur. Sed & impedimenta sunt alia, quæ gradum violare solent. Huius classis sunt Cachimiæ, Resinæ, Marcasitæ reliquæ, quæ in operationem illabentes, tincturas suas interdum emittunt. Quæ tamen in arte omnes reprobantur.

Auri nascendi impedimẽta.

De Argento.

Argentum generatur ex candido Sulphure, Sale & Mercurio, quæ subtilissimè præparata, & Diaphana facta, naturæ fixæ reddita sunt, hoc est, ex naturâ propriâ fixa sunt, proxima auro, in cineritio: non autem in Antimonio, Regali, & Quartâ. Hîc enim in fixatione discrimen est inter aurum & argentum, hoc modo, quod aurum mas sit, & masculas virtutes habeat: argentum autem sit fœmina, quod fœmineas vires habeat. Et hoc discrimen est fixationis auri & argenti. Aurum ergo si mas est, plus fixationis sustinet, argentum verò minus. Itaque materia argenti in suis primis se habet, vt fœmina. Aurum quidem & argentum vnius materiæ sunt primę: discrimen tamen intercedit tale, quale est inter virum & fœminam.

Argenti generatio.

Fixatio alia auri, quam argenti. Aurum mas, argentum fœmina.

De Ioue.

De generatione Iouis scire oportet, quòd fiat ex fixo sulphure candido, & ex fixo sale, sed ex non fixo Mercurio: idque hâc de causâ, quòd Iupiter fixus sit secundum corpus, non tamen in substantiâ Mercurij: Sed is omnem suam fusionem & malleabilitatem perdit. Postea metallum esse desinit. Spiritus enim metallicus separatur ab eo per Artem. Id quamprimum factum est, nihil tunc est aliud, quàm candidũ sulphur ac sal, & exiccatus Mercurius.

Iouis generatio qualis.

De Saturno.

Sic ergo Saturnus à nigro sulphureo crassóque corpore super omnia metalla nascitur: & propter crassitiem constat ex crassissimo Mercurio, & Sale fluidissimo, ita, vt in Saturnum recipiatur fluxilissimum corpus Sulphuris, Salis & Mercurij. Eadem præter hoc sunt etiam tres crassissimæ naturæ omnium metallorum. Hoc metallum, si dissoluatur, & plumbum esse desinat, fit cerussa, spiritus Saturni, ochra plumbaria, denique vitrum. Tribus enim coloribus constat: citrino à sulphure: albo à Mercurio: à Sale spiritum, &c. & ab omnibus simul naturam vitream, &c. sicut omnia metalla habent.

Saturnus vnde constet.

De Ferro & Chalybe.

Contra verò Ferrum generatur ex omnium minimè fluxili sulphure, Sale & Mercurio, ex aduerso stanni & plumbi: coagulatúrque in durum metallum, copulatúrque in seipso. Nam in vno duo sunt coniugata metalla, ferrum & chalybs. Ferrum est fœmina, chalybs mas.

Ferri generatio. Ferrum coniugatum. Ferri est fœmina, chalybs mas.

mas. Similisque ea coniugatio est ei, quâ aurum & argentum, scilicet mas & fœmina simul vnà crescunt. Possunt ita separari inuicem, fœmina in suum sexum, in suum etiam mas. Et fœmina impendi suis potest vsibus: suis itidem & mas.

De Venere.

Cupri generatio. Cuprum coniugatum.

CVprum generatur ex sulphure purpureo, Sale rubeo, & flauo Mercurio. Tres hi colores si inuicem permiscentur, producitur cuprum. Iam verò cuprum in se continet suam fœminam, hoc est, suas scorias: quæ si per artem separantur, & corpus reducitur, tum prodit mas. Ea autem vtriusque natura est, vt mas denuò se destrui non patiatur, & fœmina scorias ampliùs non emittat. Et sunt in fusione & malleabilitate suâ distantes, ceu differunt ferrum & chalybs. Ea separatio si hic etiam instituatur, quolibet in suam naturam expedito, duo oriuntur metalla discreta essentia & specie, & proprietate.

Nota.

Metalla quot sint.

Tot ergo & talia sunt metalla, ceu recensui, nempe aurum, argentum, stannum, plumbum, ferrum, chalybs, & cuprum fœmina, cuprum mas. Sunt itaque numero octo. Si verò pro vno metallo (quod fieri nequit) numerentur ferrum & chalybs, cuprum fœmina, & cuprum mas: tantum sex erunt, quod inconueniens est. Certa ergo & publicè nota metalla septem sunt: nempe, aurum, argentum, stannum, plumbum, ferrum, chalybs, & cuprum, quod ipsum pro vno metallo numeratur, quia mas & fœmina simul cuduntur, nec separantur, vt separari tamen debebant.

De Commixtis metallis.

Metalla mixta vt generentur.

ANimaduertitis iam ex hisce, non semper marem solitarium esse, sine coniuge, sed sæpè simul coexistere, velut aurum & argentum, ferrum & chalybs, quæ simul in operatione vnâ concrescunt, à qua quodlibet naturam suam propriam retinet, mixta tamen adhuc, ita vt nullum alteri obstet, nec sponte vnum ab altero segregetur. Sic etiam persæpè stannum & plumbum. Vbi verò talia iuncta simul sunt, multum illis non proficitur. Non enim quadrant in vnum corpus, sed conuenit, quodlibet seorsim in corpus suũ segregari.

De Adulterinis metallis

Metalla adulterina quæ.

FIt etiam, vt metalla adulterentur. Solùm nempe aurum ac argentum metallis cæteris sese permiscent, hac de causa, quia sunt subtilissima. Vbi ergo talis materia prima adest, tantùm concrescit quodlibet per se. Fieri enim facile potest, vt in arbore vna sex septémve diuersi fructus plantentur. Tam mira etiam hîc in natura plantatio est.

De Zineto.

Zinetũ quale.

POrrò metallum etiam quoddam est, vulgo ignotum, vt Zinetum. Id peculiaris est naturæ & seminis: multa tamen metalla in ipso adulterantur. Metallum id per seipsum est fluxile, quia generatur à tribus primis fluxilibus. Malleationem tamen non admittit, sed tantum fusionem. Colores eius diuersi sunt à coloribus aliis, ita, vt cæteris metallis, ceu crescunt, minimè simile sit. Tale inquam hoc metallum est, vt vltima eius materia mihi quidem nedum cognita sit. Proprietate siquidem sua quàm proximè accedit ad argentum viuum. Permixtionem non patitur: nec etiam metallorum aliorum fabicationes admittit, sed est per se.

Zineti materia prima abscondita.

De Cobalto.

POrrò & aliud metallum fit ex Cobalto, id funditur, fluitque instar zineti, colorem nigrum peculiarem habens, supra plumbum & ferrum, nullo splendore aut coruscatione metallicâ pollens. Cuditur & malleatur, non tamen eousque, vt ad vsus aptari possit. Nec huius quidem materia vltima vel dùm inuenta est, vt nec eius præparatio. Et dubium minimè est, quin fœmina & mas hîc simul iungantur, velut & ferrum ac chalybs: quæ tamen cuduntur minimè, sed qualia ex se sunt, manent, donec ars separationem ipsorum inueniat.

Cobalti metallũ quale.

Cobalti materia & separatio ignota.

De Granatis.

Granati.

PRæter hæc aliud peculiare metallum est, quod in riuis & paludibus reperitur, forma grani, instar fabæ maioris vel minoris. Id ex seipso funditur, & malleatur, non tamen ad instrumentorum aptitudinem. Hoc nullius admodum vsus est, nec scitur ipsius proprietas, quid contineat. Quòd si Alchimia hîc nihil eruat, quid tandem sit, non facilè patebit. Multa sustinet adulteria argenti & auri, quæ in ipsum penetrant, velut in cuprum aut plumbum, &c. Fit ex sulphure citrino, &c.

Granatorum proprietas ignota.

NOTA *De Gemmis.*

GRanati præterea etiam alii sunt perspicui, &c. forma crystalli, in quibus argentum & aurum latet.

De Argento viuo.

Argentũ viuum est aqua metallorum.

MEtallicum insuper quoddam genus est, quod neque malleatur, neque funditur: éstque mineralis aqua metallorum. Qualiter se habet aqua inter res cęteras: taliter se hoc habet inter metalla. Ideò autem metallum esse oportet, quia per Alchimiam in malleationem & fabricationem reducitur. Communiter tamen constans non est: interdum constat. De hoc tenendum est, quòd sit prima materia Alchimistarum, qui ex eo parare nôrunt argentum, aurum, cuprum, &c. quod ipse euentus docet. Forsan & stãnum ac plumbum cuprumque inde confici possit. Natura siquidem eius multiplex & mirabilis est, nec leui opera & sudore omnino indagabilis. Hoc tamen euidẽs est, quòd sit materia prima Alchimistarum in generandis metallis: & præterea insignis Medicina. A Sulphure, Mercurio & Sale tali ingenio nascitur, vt fluat, nec tamen humectet, currat, nec tamen pedes habeat, ac metallorum omnium est grauissimum.

Argentũ viuum est prima materia Alchimistarum, & generosa Medicina.

Argenti viui mira vis.

Nota.

Hactenus ergo sic descripta metalla sunt omnia, quæ mihi quidem cognita sunt, secundum substantiã suam, & ortum, eo ductu & fundamẽto, quod vltima materia præbuit, per quã primæ tres inueniuntur, qua specie sint, & vnde oriantur. Generatio siquidem ipsorum aliter explicari

explicari non poteſt, quam per experientiam, quam poſtremò materia prima in Vulcano cõprobat. Qua via nemo errare poteſt.

TRACTATVS
De Cachimiis, id eſt, de tribus corporibus imperfectis.

His hactenus cognitis, deinceps attendere etiam debetis ad genus quoddã mineralium, quod naturæ quidem metallicæ eſt, ſed tamen non metallum, nec etiam eſt alterius generis, cuius ſunt Salia; ſed quæ huius generis ſunt, naturam peculiarem habent, quorum aliquot recenſebo: Nempe *Marcaſita* omnes, quæ multiplices ſunt, rubræ & albæ: Sic & *Pyrites*, qui & ipſi multiplices, ſunt, albi & rubri; genus aliud quam Marcaſitæ. Poſtea genera *Antimonij*, quæ multa ſunt, perfecta & imperfecta. Porrò *Arſenicalia*, varia & ipſa. Huc pertinent etiam *Talka*, *Auripigmenta*, & diuerſæ huiuſmodi cachimiæ, quę in aliis regionibus alię ſunt. Ita etiam diuerſa *Cobalta*.

Marcaſitæ. Pyrites. Antimonia Arſenicalia. Talka. Cobalta

De his porrò diſſerendum eſt quòd quadãtenus metallica ſint, eò, quia metallicam materiam primam proximam habent, & à metallicis tribus primis deſcendunt, ipſiſque aduolãt & incorporantur metalla, vt aurum, argentum, cuprum, plumbum, &c. Ideò verò quia ſecum habent hoſtem metallicum, nihil ſine Alchimiâ ab iis extrahi poteſt. Hoſtes enim illi vſque adeò rapaces ſunt, quaſi amicus ad quendam confugeret, qui ipſum ſpoliaret, & captiuum ſecum detineret, quem dimittere deberet, tandem etiam occideret, & totum deuoraret. Hi verò vndenam generẽtur, ex ordine iam ſequitur.

Nomina Cachimiarum.

Marcaſitæ, Pyrites, Antimonia, Cobalta, Talka, Auripigmenta, Sulphura, Arſenicalia. Tot mihi nota ſunt.

De Generatione, generalis commonefactio.

Caput hoc & textus inſcribitur, de tribus corporibus imperfectis, hac ex cauſa, quia creſcens metallicum eſt, ſicut ſpuma de oſſa aut carne, caro aut oſſa eſt. Saporem quidem ea à carne habet, ſed nullam vim. Tale & hoc genus. Iã verò ſcitote, quod in tribus primis ſint, quæ quiddam metallici habent, & tamen non ſunt. Similiter vt fungus herba eſt, quia inter herbas creſcit, aut ſimia homo eſt. Horum aliqua ſunt in corpore ſulphuris, velut marcaſita, pyrites, colbatum. Quædam in corpore Mercurii, vt Antimonium, Arſenicalia, Auripigmentum. Nonnulla in Sale, vt Talkum.

De Generationibus Marcaſitarum.

Marcaſita duorum colorum eſt, citrina & alba, metallica & reſplendens. Generatur à metallico imperfecto ſulphure, in marcaſitam ideò deſtinato, quia ipſo opus eſt.

Non vult bene ire, quare ſpeculare alio tempore.

Sequitur Tractatus de Salibus.

PROLOGVS.

His plura hoc loco haud dubiò non ſcripſit Paracelſus. Siquidem pertæſus, ſcriptionis difficilem ſucceſſum animaduertit.

Schedula ex Autographo Paracelſi.

Svnt igitur in humanis tantùm ſeptem Planetæ: ſed quatuor corpora ſunt per ſe, non participant in aliud eſſe. Sunt etiam & alia mineralia, trium primatum videlicet, quæ ab ſulphure deſcendunt, videlicet, quæ ab Mercurio, & quæ à Sale, & dicuntur mineralia, quia mineræ ſunt & partes de mineralibus. Sunt duplicia mineralia, aliquæ partes, quæ in partibus ſunt, vt eſt aurum, quia pars eſt, tres partes ſecum fert, ſcilicet Sal, Sulphur, Mercurium: & omnes ſpecies quæ ſunt in mineralibus iſtarum trium primatum. Nam perfectum habet Yliadum omnis Planeta: Reliquæ verò partes non eundem habent, ſcilicet Sal Gemmæ ſpecies, eſt, nõ pars, marcaſita ſpecies, cachimia ſpecies. Licèt autem (al. ſpiritus) ſpecies in ſe habent, videlicet de Sale gemmæ, habet Arſenicum & Sulphur fixum, & Mercurium liquidum. Differt tamen Yliadus iſte ab Yliado priori, quia prior ſubſtantiam habet & mineram ſuam perfectam. Tales ſpecies mineræ habent non corpus vt planetæ, habent manifeſtum: Quare Yliadus duplex intelligendus eſt, de corpore ſcilicet & de ſpiritibus. Eſt autem Yliadus corporalis particeps cum ſpiritibus Yliadi, ſed ſpiritualis nõ particeps cum priori.

THEOPHRASTI HOHENHEMII, DE NATVRALIBVS AQVIS.

LIBER TERTIVS.

TRACTATVS I.

DE CORPORALIBVS AQVIS.

I.



Qvæcvnqve Deus creauit, in duos vſus digeſſit: in conſeruationem ſeu nutritionem corporis: & in eiuſdem medicationem. Ad priorem vſum deſtinauit cibos, potus, ligna, artes, quibus omnibus corpus nutritur & exornatur. Eodem modo corporis quoque morbis varias medicinas præſtituit, quibus homo morbos ac ægritudines auertere poſſit. Sic nimirum videtis, peſtes & epidemias, quæ ex natura in populum graſſantur, naturalibus mediis iterum profligari: hoc eſt, morbum non diſcedere iterum, donec vel à naturâ corporis, vel vi medicinę propellatur. Id enim nî fieret, peſtis continenter inter homines rabiret. Epidemia enim oritur ex natura externorum: Itaque externam ſanitatem, ad huiuſmodi ſanationem aut concurrere aut præcedere oportet: hoc eſt, ſtella ſana morboſam tollere debet. Hinc duplex medicina tenenda eſt: vna, quam homo non videt, & tamen ſalubres annos & ſana tempora largitur. Altera, quam homo videt, & ipſe moderatur. Illam enim gubernat Deus, in poteſtate noſtra minimè poſitam. Alteram regit homo, à qua Deus manũ ſubduxit. Sicut ergo Deus in ſua potens, iuſtus & certus eſt: ſic viciſſim etiam vult, vt & homo in ſuo cœlo, hoc eſt, in regno terræ, talis exiſtat. Quantòque minùs ipſe Deus curſum ſuum tenet ſine ſcientia & veritate: tantò magis inferius quoque cœlum cõſeruari debet ab iis, quos Deus tuendo illi cœlo præfecit, adeóque cum certa magnanimitate perfici & exornari, veluti doctrina ex Deo promanat, nec ex ſenſuum ſublimitate.

Omnia duplicia ſunt. Medicina duplex est.

II. Iam

II.

IAm vicissim & hoc attendite, quòd morborum quoque causæ duplices sint, vna, quam in corpore videmus & sentimus: altera, quam non videmus. Quod ita intelligi debet, quasi corpus nostrum ægresceret, quod corporaliter videremus: & quasi nostra vmbra in pariete quoque ægresceret fieretque contrariũ: & quoties vmbra morbosa fieret, toties ipsum etiam corpus morbũ illũ ferre patique cogeretur. Sicut enim hoc impossibile & inuisibile est: sic contrà cognoscibile est de externis causis, quæ corporis nostri morbos antegrediuntur, quarum pathema corpus suscipere & tolerare cogitur.

Morborũ causę sunt duplices.

Hinc quæri potest, quisnam viderit stellam pestis? quis stellam Ephemeræ? quis ventum pleurisis? Nemo. Quis mortem? Nemo. Id tamen, quod inficitur & moritur, quis non vidit? Est enim illud grauius & secretius quàm venenum de lacerta, quod declinare possumus. Hoc verò quisnam effugere potest cursu suo, vt declinet? Sic ergo causa quædam supra nos est: & quædam apud nos. Quæ supra nos: sanat seipsam. Quæ apud nos: huius potestas in nobis est. Vnde liquet, per nos mortem nec adduci, nec auerti. Et prima medicina supernè danda est: altera descendit ex nobis. Sic vtraque potens erit. Quod si superior Medicus non discedat: apertis oculis cœcutimus nos. De inferiori itaque scribemus, vnum post alterum adducentes. Principium autem ordini huic de aqua corporalium fontium faciemus.

III.

MEdicinam huiusmodi Deus passim mirabiliter in mundo disseminauit. Nam & in mundo morbos mirabiliter creauit, velut & mutationes fructuum. Et sicut sese inuicem disseparant homines in regna peculiaria: sic suis creatis Deus quoque discreta regna constituit. Huius ergo regna quis non enumerare connitatur, cùm tamen hominum regna adeò distinctè & exactè dinumerari soleant? Quid enim in ratione summum est, nouisse regna Dei, an hominum? Regnum siquidem Dei regnum hominum sustentat. Quid enim Germaniæ regnum ederet, aut qua re per hyemem à frigore se tueri id posset, nisi regnum Dei ipsi prospiceret de igne & frumento. Quandoquidem ergo regna mundi, hoc est hominum, quæ à tot præfectis, centurionibus, &c. defenduntur, ostiatim quasi ac culinatim cognoscuntur: cur non simili, imò multò exactiore diligentia, studio, & prudentia, cibus penuarius, ex regno Dei promptus, cognoscendus sit? Quanquam de illo hîc a nobis nihil adducatur. Id enim saltem tuemur, quod ad terreni regni sustentationem ex regno Dei depromitur, ne fors descriptio altior nobis crimini detur. Nec enim in aulis Principum versari cuiuis datum est. Ne ergo otiosè & sine fructu tempus teramus, de alio regno disserere & philisophari vsus postulat.

Regnum hominũ sustẽtatur à regno Dei.

IV.

INitio autem huius & aliarum descriptionum, causa nobis est, cur curam nullam agamus aut locorum, aut noui circuli, aut regionis extra nos positæ, hoc est, vt de peregrinis rebus scribamus. Videtis enim, vnam causam, vnam scientiam, & deinceps vnam curam esse morbi gallici, quacunque corporis parte is resederit. Is enim vtcunque se habeat, in veritate certè vnica tantùm ratio, vnica causa adest, & apud scitos Medicos vnica tantùm etiam curatio. His constitutis decernimus, quod similiter & de aqua scribendum sit, vt eam ex fundamento cognoscamus, ita nempe, ex hoc exemplo, quòd, qui hîc lue gallica laborat, similis sit ei, qui laborat ad Danobium; qui in inferiore Germania, ei qui in superiore, & sic deinceps. Sicut ergo hi sibi inuicem similes non sunt, & tamen res vna est: ita pariter, si aqua reperiatur alia, quàm hîc non describimus, ea descriptæ similis indicanda est, quò nimirùm ad causam ac originem principiúmque ipsius aquæ. Ipsi expendite vobiscum, quàm res angusta sit sedes terreni cuiusdam Regis, & quàm leui spatio solium ipsius includatur. Vbi tamen scrupulosa multa inquirenda supersunt, si ab angulo vno commeetur ad alium. Eodem modo & totus mundus pro solio sui Regis, ac quidem longè minimo, reputandus est. Quare etsi non pro hominum distributione illa inquiramus, ac vos in recessus Prolomæi, aut vias fratrum peregrinantium deducamus: propositi tamen nostri metam conuenientem & idoneam nihilominùs tenebimus, cætera vt impertinentia & insolentia, nimisque pomposa longè valere & exulare iubentes.

V.

CVilibet ergo regioni ac terræ Deus necessaria sua cõtulit, ita vt ad querimoniam nulli causa relicta sit. Cum enim non nisi homines simus, quotquot in patulo mundo viuimus: homo autem re alia opus habeat, quàm cibo ac potu, frigido & calido, ac ad vmbram captandum tecto: Ecquis obsecro vsquam locorum hisce defraudatur, vt sterilis loci culpam Deo impingere possit? De hisce enim hîc nobis nullus sermo, qui *Pannoniam ac Athesin* tantum propter aurum, aut Rhenũ propter Salmones amãt. Qui enim huius sunt comatis homines, hos nec Deus ipse, nec mortales vlli satis æquè demerere possint. De necessitate, nõ de vtilitate Augustæ aut Norimbergæ scribimus. Lectores ergo ac sequaces nostri nos secus, ac istiusmodi homines accipiant. Hinc iam patet, Hercyniam ob hyemẽ conqueri non posse, quia Æthna destituatur. Huius enim loco habent ligna, habẽt silices. Quid Sclauonia propter pagnẽ queri possit de Sueuia, quia eandem ætatem Sueuorum ætatem attingant esitato suo ocymo, vt illi tritico? Quid Rhetia aduersus Alsatiã ob vinũ querulari ausit, cũ robore & pulchritudine illis ne latum vnguẽ cedant? Hęc vicissitudo ita à Deo creata est: hæc ipsius voluntas fuit ita disponere. Nam regnũ ipsius est. Nemo ergo extra suspicionem cupediarum & delitiarum aut ira suspicionem... Nemo ergo extra suspicionem cupediarum & delitiarum auatritiæque de Deo quicquam quiritari potest. Indoctus & imperitus causari quidem possit, Saxoniam non abundare iis quibus dotata est Alexandria. Eccui vero constat, quod Alexandria non vicissim queratur aduersus Saxoniã? Quelibet terra sui ipsius curam agat. Bauariam aspicite, quàm aspera sit: videte, quàm rigidæ sint

Homo quibus opus habeat.

Deus necessaria cuilibet terræ dedit.

Alpes. Quas si vtrinque sedulo dispexeris: & cum his terram, Granatis & Aurantiis fœtam contuleris: ecquid quæso discriminis deprehendes? De quâ inæqualitate litem intendere, non nisi imperiti Medici foret, qui præter Reubarbarum & Xyloaloes nihil quicquam cognouit. Sed is suis ex floribus se noscendum ita offert.

VI.

DIuina itaque prouidentia sua Deus sanitati & necessitati hominum prospexit, & cunctis idonea præstitit. Sicut verò lignum Aloes ad coquendum ligno fagino plus minimè præstat: ita vicissim ad potandum aqua vino, & ad edendum caro bubula, phasianorum carne, inferior non est. Et hîc à querela sibi quiuis temperet. Et hæc in laudem & Encomium dicimus aquarum naturalium, vt ipsarum naturas ac proprietatem eò exactiùs pernoscatis, nec à simplicitate aut ruditate illarum temerè offendamini. Quid enim formæ pulchritudo ac amœnitas faciat ad necessitatẽ? Aut cur speciosum deformi simile non sit, quandoquidem homo pulcher & homo deformis vnum ac simile stercus excernunt? Deus enim ista mirabiliter ita disposuit, nec ad leuia illa quicquam intendit. Quid enim id est, quod homo describit Carbunculum, Rubinum, Tophasiúmve, & transilit Crystallum, qui virtute illos omnes superat, velut, & lapis molaris? Despectiores ita manent lapides illi, qui viribus insignioribus dotatæ sunt. Sic nimirum & vinum aqua celebratius est apud scriptores: cùm tamen ex aqua vinum generetur, & aqua plus omni vino præstet ac commodet, ob virtutes præstantiores. Hæc ergo cùm à Deo ordinata ita sint, luminis ipsius naturæ ius poscit omninò vt & explicentur, nec vel minimum hoc, quod in patria nostra prouenit, aut silentio tegatur, aut ingratitudine annihiletur. Non equidem inficior peregrina domesticis, & rara vulgatis ac vbique obuiis, passim ab omnibus cariora & nobiliora haberi. Vt interim tamẽ Deus reprehendi non potest, si in vno tantum agro fruges enasci, & in aliis produci lapides sinat: sic idem terreni regis annulum gemmis ornat, rustici cote præstantioribus. Et tamen rustici sanitas æquè Deo curæ est, ac Regis, ac vult vterque nullius defectus querelam moueat. Curent ergo Philosophi ac Medici, vt rerum harum naturalium certam cognitionem habeant, nec artem suam supra pennates efferant.

VII.

HIs iam positis, etsi Smaragdus quidem in colore sublimis, amœnus atque iucundus sit, & luxuriosorum hominum oculos pascat ac deliniat: si tamen qua quæso parte validiores aut robustiores sunt vno de plebe, qui Smaragdum toto vitæ tempore nullum vidit? Pulchritudo itaque illa etsi cunctis merito admirationi sit: sit à tamen eò deueniatur, vt corpus separetur & liberetur, qua quæso parte tum temporis præstabit coti? cuius quidem virtutes, & corpori & animo salutares, iure merito cuilibet admirationi esse debent. Virtus enim ac facultas, non pulchritudo, considerari debet. Quid enim pulchritudo commodet eius, qui pulcher

Virtus rorum non pulchritudo curanda.

& formosus est, sed casu & necessitate exigente gestandis lapidibus inidoneus existit? Quæ ergo oculis placent, & sapiunt linguæ, ea omnium minimè consideranda sunt. Sic enim priuatim per se nasus persæpè iucundiùs afficitur odore aliquo sine cæterorum membrorum, id est, ipsius hominis, vllo commodo. Sicut ergo, qui in speculo sese contuetur, commodi & vtilitatis nihil ab illa oblectatione percipit: ita nec carbunculus hominis necessitatibus quicquam vsus præstat. Si itaque natura hominis cõmodũ à pulchritudine non metiatur: cur quæso attendatur aut respiciatur illa ab eo, qui tractat de illis, quæ ad vtilitatem hominis referuntur? Quam prouinciam dum nos suscipimus, opera quidem pro dignitate sua ita exornamus, vt bono pulchritudinis oblectentur, qui pulchris afficiuntur: & bonis vtilitatis instruantur, qui vtilibus capiuntur. Hoc argumento sequentes geminos libros, de aquis naturalibus terræ absoluimus: vnum nempe librum de aquis corporeis: alterum de aquis crescentibus, prout nimirum illæ ex terra profluunt, & à cæteris elementis distinguuntur.

VIII.

CVm ergo natura ipsa homini cùm alimenta tum medicamenta prædictis duobus modis ex terra proferat: initiò quòd aquę corporeæ sint, tradendum est, quod hoc libro exequemur. De alteris suo quoque loco disseremus. Principiò autem hîc notandum est, quod fontes seu aquæ corporales dicantur ex eò, quòd scilicet ex corpore oriantur, & quòd corpus illud in aquam vertatur. Et quia id corpus in aquam mutatur, sine extractione, aut vlla alia præparatione, sed integrè ac per se: ideo nomen id merito illi inditur. Videtis enim nullum lapidem, nullum metallum, nullam mineram &c. esse, quæ per naturam Manualem non possit in aquam reduci ex conditione propria, etiam extra suam arcam. Quanto ergo magis & citiùs id fiet intra arcam? Id enim liquido videtur in ferro: quod omne super terra aqua fit, quantum quidem illius paratur. Primò enim ferrum præparatur in suos vsus. Id in vsum assumptum obteritur, & à rubigine exeditur, ac ad interitũ ita disponitur, vt eius nihil amplius reliquũ videatur. Hinc fit, quòd rubigo illa rubigo nõ maneat, sed seipsam ex illa ipsa innata vi in aquam mutet, ex qua vi rubigo generatur. Nõ verò solius ferri ea ratio est, sed & cupri & stanni, & plumbi, &c. quæ omnia similiter etiã cõmutantur. Aurum & argentum intra terram suã mutationem subeũt, sicut suo loco traditur. Rediguntur enim in nihilum, hoc est, reducuntur in id, ex quo orta sunt. Ex aqua enim vt prodierunt: sic in aquam redeunt. Idem etiam intelligendum est de gemmis, & mineralibus omnibus. Et quia aquæ illiusmodi ex suis corporibus oriuntur, nomen id iure consequuntur, vt aquę ceu dictum est, corporales vocitentur.

Aq. corporales vnde dictæ.

Ferrum & omnia fossilia aquescunt.

IX.

Ex iam dicto fundamento patet, multa mineralia, perfectæ generationis, perire, quæ ab hominibus non effossa, æquo diutiùs iacent, & in aquas mutantur. Sic æquè etiam multa alumina, multa vitriola in aquam vertuntur, quæ nunquam inueniuntur aut effodiuntur.

Eadem

Eadem & cæterorum ratio est. Aqua etenim quælibet, quæ genuinæ aquæ florem dat, corporalis est. Nec enim flores deficiunt. Qui licèt ipsa aqua non sint, nec minerale: instar tamen spumæ eiiciuntur ex iusculo, ac sunt signa, indicia & testimonia corporalium aquarum & ipsarum permutationis. Adde, quòd vires ac facultates idem quoque similiter testentur. Preterea tenendum est, naturam propriam idem ac plus posse quã natura potest manualis. Quin & peritos rerum, imperitorum admiratio illa offendere non debet, quâ naturæ ad artem manualem collatæ, impossibilitatem quandam adscribunt. Nihil enim homo in rerum dissolutione præstare potest, quod non idem sciat similiter ac queat ipsa natura. Et quæ natura ipsa dissoluere nequit, ea dissoluere homini impossibile est. Quòd si dictorum à nobis sensus rectè accipiatur, planum ac manifestum erit, quòd in natura omnia posita sint, non in homine. Quod si quis sit, qui impossibilitatem naturæ arguat in calce, in cinere, in aqua fertium: is sciat, naturam ista omnia nihilo moliri & conficere ineptiùs. Tu enim quæcunque facis, eadem natura ipsa in aliis multò operosiùs & dexteriùs conficit: vt naturæ ars tua arte in omnibus splendidior & luculentior emineat. Et gloriatio tua in hoc omnis omnino probrosa est. Quod si natura ipsa loqui & differere posset de operibus suis, quę præstat in generatione & permutatione rerum, adeóque in omnium miraculorum architectura: quo obsecro loco starent illi, quorum os operibus titulum addit? De aquis ergo his non immeritò tractationem suscipimus, vt quæ ab omni manant tam insigni & euidenti.

Natura propria manuali artificiosior.

Naturę opera artis operib. præstantiora

X.

Aqua est causa metallorum & gemmarum.

QVanquam secundum elementa, (in libris de elemento aquæ) de hisce aquis tradendum esse videatur, hac ex causa, quia ex metallis, lapidibus, gemmisque ac similibus proueniũt: quæ omnia ex elemẽto aquæ nascuntur, non ex elemento terræ. Iure tamen hæc elemento terræ adscribi debent. Ipsa enim elaboratio ac opus non est lapidum aut ligni, quæ domum dederunt; sed honor ac artificium eius est magistri aut architecti, qui illa perfecit. Sic ergo de aquis his statuendum est, quod corpus ex elemẽto aquæ sit: natura verò, quæ corpus in aquã vertit, ex elemẽto est terræ. Nomen ergo ac honor is elemẽto terræ acceptus fertur. Idémque hic euenit, ac si opifex quidam alterius opus confringat, & in suum vsum conferat. Ex ferro enim rubigo nulla fit, donec elementi aquæ tantùm id erat. Cùm autem in elementum aliud migrat, ibi eius dissolutio fit. Videtis enim rei cuilibet suum tempus esse, quamdiu illa in suo elemento subsistit. Eo tempore instante, res alterius elementi fit. Hinc sequitur ipsius mors. Sic nimirum & pomum, quamdiu in arbore pendet, in suo elemento versatur, ab arbore verò, si decerpatur, in alterum elementum transfertur, quæ causa est ipsius putrefactionis, &c. Et sicut piscis aquã, homo aëre gaudet: sic res quælibet in suo elemento viget & viuit. Hinc patet, terram destructricem esse mineralium, gemmarum ac metallorum, si æquo longiùs sepulta lateant, veluti de Mineralibus clariùs deinceps tradetur. Sed & de corruptione propriâ, in ipso elemento fiente, suo loco differemus, qualis est putrefactio fructus in arbore sua. Eodem enim fundamento illud nos terræ accommodabimus.

Pomi elementũ est arbor

XI.

Aquarũ differentiæ vnde.

AQuarum huiusmodi species variæ sese proferunt. Vna oritur ex metallis, quæ iterum in multas differentias secernitur. Ex quolibet enim metallo seorsim alia aqua generatur, eáque vel fortior vel debilior: Postea diuersitas etiam est expermixtione metallorum secundum pondus, & numerum, & ætatem, & maturitatem, & accidentia alia. Sicut enim diuersitas oritur propter metalla: ita etiam propter lapides seu gemmas. Quot enim species sunt gemmarum: tot noui aquarum ortus. Huc etiam spectat permixtio omnium Mineralium, vitriolorum, aluminum, salium: item Marcasitarum, sulphurum, carabarum, &c. Hinc enim oritur similis natura fontium, & ipsorum gemmarum, metallorúmque, &c. Quòd si quandoque fiat, vt plus aquæ quàm Saphyrorum sit: rei hæc causa est, quòd in corruptione totius crescentis arbor concurrat, & in resolutionem abeat. Hæc eadem etiam causa est, cur aquæ non tam intensi gradus sint, ac sunt, gemmæ metalláque. Plus enim hîc affluit, quàm in lapide aut metallo est, hoc est, matrix, ex qua crescunt illæ, & in qua iacent, vnà liquescit. Hoc autem soli ponderi addit, nec ad infirmitatem referendum est. Si enim Gemma semuncialis sit, aquam oportet plus habere secundum tempus & vsum. Sed hæc ad Medicos spectant, qui in huiusmodi rebus exercitati esse debent, séque præstare illos, quos sese iactant & venditant.

XII.

SEd sunt porrò & alia aquarum genera, quæ post factam resolutionem ad naturam suam pristinam redeunt, hoc est, ad tertium elementum rediguntur, ex aqua & terrâ. Tales eæ tantùm aquæ sunt, quæ ex terra non omnino in fixam resolutionem perueniunt. Sunt autem istæ quæ in fluminibus silices & lapides alios producunt: sicuti de illis aquis seorsim alibi traditur. Simili ratione multæ quoque aquæ ex auro oriuntur, quæ aurum iterum fiunt. Huius census sunt flumina, quæ aurum flammæ aut grani specie vehunt. Nec enim eius semper conditionis Natura est, vt vbique resolutionem fixam faciat. Nam persæpè etiam illa reconuertitur. Granati enim, qui in aquis sunt, secundò generantur, vnde fit, vt virtutis ac naturæ non adeò potentis & completæ sint, ceu sunt illi, qui ex natura prima generantur, & ita manent. Prima enim dissolutio est facultatum ipsorum imminutio. Huius generis aliæ etiam quædam aquæ sunt, in quibus metalla grani specie reperiuntur, quæ cuduntur & partim malleantur, ex metallicis aquis omnia progenita quidem, sed adeò mutata, vt ad pristinam suam reduci formam nequeant. Optimum enim quod in metallo est, defluit. Vnde reditus ad alteram profectionem impeditur.

Aqua ex auro.

XIII.

Præter has variæ etiam aquæ generantur, quæ corporales non sunt, sed veræ aquæ, per metalla tamen transfluentes, ex quibus naturam & similitudinem quandam hauriunt, vt corporales esse videantur. Horum generatio talis est. Si fontes aquei per poros terræ stillant, & in occursu venam mineralem (cuiuscunque sit generis) attingunt: tunc perrumpentes eæ & penetrantes vi illâ minerali non aliter imbuuntur, ac videmus, aquam in cupreo vase stantem, cupri saporem asciscere. Etsi verò aurum, argentúmque, velut & stannum, huiusmodi saporem non emittant: illæ mineræ tamen, in quibus iacent, aquæ naturam suam indunt, vt aliquid metallicum participent: vnde fit, vt hę aquæ aliæ æstimentur, quàm sua natura sint. Sic & persæpè accidit, vt minera vitrioli, aut aluminis, aut sulphuris, aut antimonij, &c. concurrat, non quidem corporaliter, probè tamen percolata. Istæ verò facultates seu virtutes perfectæ non sunt, sed extrinsecus radunt, non pertranseunt. Idémque hic accidit, quod fumo, qui ante nares excubat, nec interius vires habet. Vnde pro bonis frequenter aquis habentur, nullius tamen vsus aut dignitatis sunt, similes scilicet vrticis, quę foris vrunt, intus in corpore nihil efficiunt. Nam & ipsæ hoc modo extrinsecus ex mineris proueniunt, non intrò penetrantes, & tamen naturam ac substantiam quandam exhibentes.

Sic ergo hoc loco tractatum primum finientes, deinceps indicabimus, quot aquarum species, ex Metallis, ex Gemmis, ex mineralibus, vitriolo scilicet & Alumine, &c. productæ nobis cognitæ & compertæ sint.

TRACTATVS II.

Hactenus de generatione metallorum docuimus, quòd ipsa in elemento aquæ fiant, suique ortus principium adipiscantur, veluti clariùs de generationibus metallorum describitur. Dum ergo metalla generantur, prinsquam perficiantur omnino, aut ad finem perducantur, ab elemento terræ inuaduntur & tractantur, hoc modo. Elementum aquæ, & elementum terræ in compactione vna consistunt. Iam sicuti videtis, terram fructus suos in seipsa minimè retinere, sed eosdem in elementum aliud, hoc est, in elementum Aëris (in quo operationem suam perficit & tamen elementum terræ manet) extrudere: ita de aqua quoque similiter intelligi oportet, quòd radix ipsius generatum suum in elementum terræ extrudat, ac ibidem illud perficiat. Præterea, sicut constat fructus, ex elemento terræ in aërem extrusos, corruptionem suam experiri, non ab elemento proprio, sed ab extraneo: ita hîc quoque, simili exemplo ex aëre possunt nasci vermes & alia. Sic & ab elemento ignis per pluuias, per gelu, &c. fructus terræ corrumpi queunt. Itaque ex quocunque elemento tale quid fiat, id destructio est corporis, & eiusdem in formam aliam mutatio. Sic iam & terræ ea est proprietas ac conditio, vt elementi aquæ opera inuadat, vbicunque occasio datur. Ex hac inuasione oriuntur aquæ corporales. His præmissis, iam deinceps considerandum est, quidnam sit id, quòd dicta ratione elementum aliud inuadat, ceu modo diximus. Tenendum ergo est in terra latere contrarietatem elementi aquæ. Sicut enim euidens est contrarietas inter Ignem & Aquam: sic & elementum globi contrariatur aquæ. Et veluti diuersi inter se sunt fructus terræ, & fructus aquæ: ita terra quoque & aqua inter se naturam contrariam habent. Sicut enim Arsenicum fructus terræ mutat in liquidum: sic vicissim materia illa, ex qua fructus arborei nascuntur, Arsenicum in suo Globo resoluit, si coniungantur. Ita nempe vnum vni perpetuò aduersatur. Sicut verò hic indicatur, mors ex parte aliqua cum operatione ista concurrit, quę à corporalibus istis aquis introduci minimè debet. Si tamen ipsa non omnino præsto est, substantia quædam corporalium aquarum remanet, ex causa, propter quam hæc hoc loco dicuntur. Quantum verò porrò ad fundamentum aquarum corporalium attinet: id deinceps tradetur. Opus enim est, resolutionem istam procedere ex aliquo, quod vim habeat resoluendi mineralia, sine coniuncto corpore, hoc est, quod mineralia in corporalem aquam resoluere debet, id per nullum corporeum illud prętare debet, sed sine omni additamento: & tamen vis illa ita comparata esse debet, vt mineralia corpora resoluere possit.

Elementa fructus suos in alio perficiunt.

Contrarietas & causa mutuæ actionis elementorum. [margin note partly illegible]

Arsenicum fructus terræ in liquidum mutat.

Ex hisce iam dictis intelligite, Mineralia omnia à sale coagulari: siue enim metallum sit, siue lapis, siue minerale aliud: sal certè cuilibet rei suam duritiem largitur. Absque sale, metalla, lapidésque omnes ac alia mera aqua forent. Cùm ergo à sale aqua coaguletur, ac insuper omnia metalla, lapides, &c. ex sale suam duritiem adipiscantur: sequitur hinc, quòd ex dissolutione salis, metalla ac lapides aqua iterum fiant. Cùm ergo in resolutione sal palmam obtineat: porrò nobis, quidnam id sit, à quo sal dissolui possit, explicandum restat. Id verò corporis expers, ac spiritus instar esse debet, in terra residens, & ex terra, hoc est, ex eius virtute enatum. Ex quo iam iterum liquet, quòd ex terra resolutio ac dissolutio eiusmodi corporalium aquarum oriatur. Quòd si quis putet, opus esse medio aliquo, per quod preparatio fiat, antequam terra potestatem ac vim resoluendi & dissoluendi exerat (sicut nimirùm videtis, ipsum tartarum quoque resolui ex vi terrę) is sciat, resolutionem illam minimè fieri nisi per medium, quod est ignis, à quo resolutio talis inducitur.

Duritiæ mineralium à Sale.

Medium resolutionis exigit. [margin note partly illegible]

Natura autem hoc loco ita accipi debet, quod medium tale non quęrat. Nam quodnam ipsius est medium, per quod coagulat? Nihil: sed ipsamet id est. Iam si ipsamet factrix est: ipsamet etiam dissolutrix erit. Secus autem in arte fit. Per hanc enim si coagulatio fiat, medio præsente opus est, per quod illa fiat. Eadem si quid dissoluere annitatur, iam iterũ certo medio opus habet. Id verò ad materiam non spectat, sed tantùm ad manum seu artem, quę ab vno ascendit ad aliud. Adde, quòd elementa penetranter & strenuè agant, non farciendo & complendo, sicut hoc

Medium artis non naturæ est.

artis

artis proprium est. Ratum itaque sit, quòd sine medio omni, ex vi ipsius terrę, huiusmodi dissolutio in metalla aquæ fiat. Simili exemplo videtis, quod Sol liquefaciat glaciem & gelu coagulet aquam. Hæc sicut sine præsente medio fiunt per solam elementorum virtutem: ita idem indicandum etiam est de viribus huius resolutionis, quod hîc docere nostri instituti est. Et huc sedulò à vobis attendendum est. Cùm enim sal principale & palmarium sit, in destructione corporum adornandâ, ac terram illam complendi, sálque dissoluendi vim habeat: fit, vt hac ratione metalla omnia, omnes lapides, & mineralia alia dissoluantur, & in corporales aquas commutetur, quicquid terræ subiicitur.

Sol sine medio liquefacit glaciem.

Quòd si ex hisce quis arbitretur, opus ac necessarium esse, vt mineralia omnia resoluantur, quandoquidem in terrâ omnia condita sint: is longâ metâ aberrat. Quicquid enim perfecti generis, & definiti temporis est, id resistit. Sic nimirum videtis, nullum pomum ab arbore decidere, nisi aut autumnus instet, aut pomum manu contrectetur. Hoc ergo in tractatu primo demonstratur. Sed de virtute & potentiâ terræ porrò notate. Ea sicut multiplex est in coagulatione, ita pariter & in resolutione. Et quoties in elemento aquæ vis congelandi: toties in elemento terræ vis, id ipsum iterum destruendi. Nisi enim contrarietas ista in terrâ & aquâ glisceret, in omnibus regionibus & locis eruptio fieret mineralium, quæ ita non nisi dissolutionis modo apparent ac prodeunt: sicut de mineralibus latiùs traditur. Vbi hoc simul notari oportet, quòd in istiusmodi destructione corporis mineralium, ipse quoque gustus dissipetur. Sic in Aluminis resolutione obseruatis, quæ alumini non conueniunt. Itidem & in resolutione vitrioli decedere videtis, quæ vitriolo similia non sunt, etsi eiusdem substantiæ & materiæ sint. Vt enim, quæ destillatur aqua, à suâ naturâ separatur, ita hîc quoque idem fieri sciendum est. Et sicut aqua, quæ congelatur, & iterum liquatur, in suis virtutibus diuersa est: ita hîc quoque. Vnius cuiusque enim vitrioli dissolutio, gustum alium producit. Sic etiam cuiuslibet lapidis metallíque dissolutio, mutationis talis causa fit. Secundum vires tamen, vt in principio dictum est, in vnâ essentiâ manent.

Mineralia non in terra resoluuntur omnia.

Dissolutio terrâ est gustus mutatio.

De hâc autem resolutione tenete, quòd vis illa resoluens nihil sit aliud, quàm frigida humiditas ipsius terræ, quæ prædictæ metallorum resolutionis causa est. Si enim metallum quoddam vltra debitum tempus in terrâ lateat, & dictæ humiditati frigidæ subiiciatur: velut ferrum rubigini & rubigo humiditati: tunc metalli eiusmodi resolutio continuò fit, quousque regio ipsius pertendit: & quicquid hoc modo resoluitur, id (vt ita loqui liceat) centratur ad fontem. Similiter etiam, si minera in actu crescendi esset: fontem nascentem constitueret. Attendite itaque. Sicut elementum aquæ in suâ generatione, & terra in suo gramine procedit: ita pariter & terræ elementum frigidâ humiditate suâ in metalla procedit & operatur aquea. Fieri potest etiam, vt minera loco quodam resoluatur, in altero minimè: sicut & in arbore poma alia verminosa vel putrida fiunt, alia minimè. Hæc enim omnia dependent à vi tingente, quæ ab vno elemento transit in alind, natura (vt suprà diximus,) contraria. Hinc colligendum est, corpora mineralium omnia à Sale coagulari. Ideóque si Sal illud in coniunctionem veniat, quæ terram & humiditatem eius, vt definiuimus, attingat: tunc illud denuò resoluitur, ac origo fit corporalium aquarum: de quibus singulis seorsim deinceps explicabitur.

Coagulatio omnis à Sale.

TRACTATVS III.

De vulgaribus aquis Saxosis.

QVandoquidem, vt diximus, aquæ elementum lapidum omnium matrix existat, sciendum iam est generationem illam in terra fieri. Vnde etiam fodinæ saxatiles omnes in terra consistunt. Iam si resolutio aliqua ex humiditate terrea illic fieret aut incideret: necesse foret illam fieri, quando tria prima lapidum inæqualiter concurrerent, nec in compositione sese similiter haberent. Hinc enim sequitur defectus incrementi lapidum. Compertum enim omnibus est, arborem bonam & vitij expertem, bonos fructus gignere. Si verò radici vitium accidat, ex quo arbor corrumpatur, id iam dispositio est ad vim humiditatis terræ admittendam. Humiditatem enim in metalla incidere opus est, si ipsa in corruptionem seu dissolutionem abitura sunt. Sed de modo iam antè dictum est, & dissolutionis ratio, in de ortu incremento metallorum explicatur. Resolutione itaque hoc modo fiente, eius naturæ aqua producitur, qualis præsto est, forma ac specie arboris, quæ in sua terra minimè delitescit, sed in regionem aliam erumpit, veluti de aqua alio loco traditur. Hæc iam causa est, cur aquæ saxatiles, ex materia lapidum productæ, fontes faciant, & cum aliis aquis profluant. Illæ, si ita erumpunt, & sub die fluctuant, persæpè in generationem suam primæuam redeunt, ita, vt ex illis lapides iterum fiant, quales in primordio fuerunt. Tale quid si fieri debet, aqua ad lapidosam naturam redit, non secus ac in fodinis fieri poterat, hac, scilicet ratione. Si aquæ in auram erumpunt, aliam naturam, coagulatiuam scilicet concipiunt, ex principio eiusmodi, si nimirum aqua hæc corpus corripit, tunc in suam generationem abit. Hoc autem corpus accipit à seminibus ac locustis arborum, aquis propinquorum. Ea si decidant, ac in putredinem abeat, in fundum residunt. Interim aquarum lapidosarum ea est natura, vt pro corpore illa sibi assumant, & illis adhærescant. Hoc iam semen, siue locusta centrum est lapidum, sicut saccharum candum adherescit ligno, & vitriolum purpureum granis hordei. Eadē & adhærescentis aquę conditio est: cuius natura si sit magnorum lapidum, magnis molibus adhæret: si minorum, minoribus. Quotuplicia ergo semina, vel grana ac locustæ in fluminis fundo considunt: tam varij lapides etiam generantur, inter sese differentes secundum colores, formas, &c. prout aquæ cuiuslibet natura est, sicut de generatione lapidum

Aqua matrix omnium lapidū.

Lapides ex aqua vt fiant.

Lapis nullus sine semine nascitur.

lapidum dicitur. Nullus ergo lapis nascitur, nisi semen aut locusta in fluminis fundum illapsum sit. In quibus autem aquis citra semen huiusmodi lapides inueniuntur, ii aut impetu profluxionis illuc inuecti sunt, aut vena in propinquo est sapo sa, quæ exundat & penetrat, sicut lapides etiam aliàs in terrâ siccâ enascuntur & oriuntur.

Lapides laminatim obducti.

Multi etiam huiusmodi lapides sunt ex genere silicum, &c. qui laminatim veluti pelliculis obducuntur: id quod fit ex naturâ & proprietate lapidis originalis. Aliàs etiam lapides molli resolui, ac in lapides iterum abire queunt, præter illa genera, quæ adhærescunt corporibus seminum ac locustarum. Et si fors aquæ distantiùs à suâ scaturigine profluxerint, tunc etsi locustæ quidem & semina incidant, lapides tamen haudquaquam gignuntur, quia nempe in principio adhæsit, suámque naturam lapidosam deseruit, nec quicquã aliud, quàm incorporeã in se resolutionem continet, quæ vim lapidescendi superstitem non habet.

Aquæ bolares vt oriantur.

De Bolarium lapidum aquis.

IAm dicto modo fit etiam resolutio lapidum bolarium, hoc est, hepaticorum, alabastrorum, & his similium. Tale genus quoddam si erumpat in auram, naturam terræ illicò, præsentiscit. Postea adhærescit, & speciem alabastris similem producit, quadamtenus, aut similem hepaticis, dum puram aquam defluere sinit, cum coloribus & formis. Quales enim illi ex se sunt: tales etiam apparent. De forma autem ac specie ipsorum, idem principium ac finis intelligi debet, sicut de saxosis aquis supra diximus. Multi etiam huiusmodi lapides bolique ex formis aliis nascuntur, vt ex calciferâ terrâ, qui secundum naturam calcis lapidescunt. De quibus tamen hîc mentio nulla fit, sed, quæ de lapidibus in genere dicuntur, huic speciei applicari debent.

De aquis virtuosis seu potentibus.

SEd & aliæ circa lapides resolutiones fiunt, variis naturis ac differentiis prouenientes. Nonnullæ cum magna duritie fiunt, vt cum ferro conferri queat. Quædam contrà oppidò sunt molles, vt ad ferrum collatæ, plumbum referant. Et huiusmodi quidem aquæ ex similium metallorum resolutione oriuntur. Sic nimirum videtis, chalybem ferro chalybeam duritiem indere. Sic liquor plumbi aurum seipso mollius efficit. Hoc pacto metallum siue minerale quodlibet peculiarem suam aut duritiem, aut mollitiem habet, si ad aliud conferatur. Et huiusmodi aquæ similium metallorum resolutiones sunt. Sunt etiam notæ aquæ, quæ lapides, aut indurant, aut mollificant. Harum ortus ex naturâ lapidosâ resolutâ. Et sicut Adamas duritie suâ lapides alios domat: ita liquor ipsius gemmas cæteras similiter indurat. Iam vicissim Alabastrum, quantum ipsius est, Adamantem mollefacit. Huiusmodi itaque, admirationi nobis esse non debent. Dum enim in liquores commutantur, huiusmodi miracula edere solent.

Adamãtis liquor gẽmas omnes indurat.

Ligna ab aquis lapidescũt.

Simili exemplo etiam aquæ reperiuntur, quæ lignum in lapides commutant, & diuersas cùm durities, tum mollities moliuntur. Hæc omnia dependent ex naturâ istorum lapidum, qui resoluti, vsque adeò subtilis sunt substantiæ, vt poros lignorum penetrent, & interiùs coagulentur, adeóque lignum pro saxo cognoscatur. Sic si in berylli aquam lignum imponatur, spatio sex septimanarum, id totum in lapidem commutabitur. Pari ratione & ex pisis ac fabis fiunt lapides, & si quæ alia sunt, quæ aqua illa corripit. Eiusmodi enim aquæ ex se lapides sunt, résque non infirmiùs penetrant, quàm color penetrat pannum, & in panno manet. Quoduis enim lignum aut faba, &c. plusquam ex dimidio inanis est. Sic quicquid inane est, id lapideâ istâ naturâ cõpletur, & suo tẽpore coagulatur. Huius census etiam aquæ sunt, quæ lapidibus colorem alium ac duritiem vel mollitiem indtint. Hæ ex metallis productæ duritiem lapidum ita penetrant, vt formam suam colorémque & naturam deponant, nec tamen ad metallorum similitudinem, ex harum aquarum multitudine de natura lapidum indicandum est. Hinc enim eiusmodi aquarum conditio & natura emergit: de qua quidem plura hoc loco scribere, instituti nostri non est. Scire satis est, vndenam eiusmodi aquarum genera ortum suum consequantur.

De Aquis Gustatilibus.

Acidulæ vnde [illegible]

POrrò sunt etiam aquæ quædam ex acetositate genitæ, aut alio linguæ gustu perceptibiles, vt sunt Acidulæ & similes. Harum ortus est ex resolutione metallorum, antequam ad maturitatem peruenerint. De his ergo primùm hoc sciendum est, quem gustum metallum quoduis ante maturitatem præbeat. Aurum enim & plumbum dant dulcedinem: cuprum ferrúmque aciditatem: stannum & argentum medium quid. Et horum euidentes differentiæ sunt. Sed de huiusmodi aquis, & de thermis in sequentibus libris tradetur. Interdum & ex vitriolo ac alumine huiusmodi aquæ promanant. Harum tamen sapor non ęquè bonus, ac est metallicarum.

Sapor qui [illegible]

Circa huiusmodi aquas etiam euenit, vt metallicas tincturas assumant. Dum enim tinguntur, & interea dissoluuntur, ac in aquam abeunt: eius conditionis aquæ sunt, vt metalla generent, & eadem quandoque tingant. Sic nimirum frequenter metallum aureum in aquis repetitur, quod ex metallis aliis ab aquis illis in aurum commutatum est. Huiusmodi aquæ sæpiùs etiam alia metalla producunt. Sic aquæ interdum inueniuntur, quæ ferrum aut plumbum ac alia in cuprum mutant. Sed de huiusmodi generationibus plura in libro de mineralibus explicantur. Nec enim hoc loco, nisi de naturalibus aquis scribere, nobis propositum est.

Sunt etiam aquæ quædam acetosæ & aluminosæ, quæ corporales acidulas gignunt & in alia forma crescunt. Hæ in libro de thermis describuntur. Nec enim sunt aquę corporales, & tamen sunt aquæ terræ.

De Viscosis Aquis.

Aq[illegible] visco[illegible] de.

QVandoque accidit, vt ex crescentibus terrenis, ac aquis vtrinque permixtio quædam fiat, quæ seipsam soluens, per putrefactionem abit

abit in resolutionem. Vbi autem huiusmodi putrefactio fit, ibi generantur lubricæ putridæ aquæ, quæ ob putredinis vim fontes non constituunt. Omnes enim putridæ aquæ scaturiginem non faciunt. Sicut enim ignanæ sunt in corpore: ita & foris in opere ipso. Nullus ergo eiusmodi fons in auram erumpit, nisi fors viuæ aquæ permisceatur, cum quâ simul ex globo sphæræ eiiciatur & potrudatur. Hoc enim nî fiat, in cauernis ac hiatibus porisque sphæræ subsistit. Aqua huiusmodi vim aliam conducibilem non habet, quàm vt vermes generet. Hi enim suum ex putredine ortum accipiunt. Prout enim vtriusque permixtio incidit, seu, prout species terræ & metallorum concurrunt, ita genus vermis producitur. Huiusmodi genera describi satis non possunt ob multitudinem vermium, & vtriusque subiecti variè se habentem permixtionem. Sicut enim constat, ob permixtionem pluuiarum cum terrâ factam, putredinem induci, ex quâ lumbrici terrestres gignuntur, sicut de his suo loco disseritur, ita hîc quoque generationis vermium principium se offert. Ex prædicta causâ & permixtione vermes omnes generantur ex terrâ foras erumpentes, sicut & insecta omnia alia, veluti de generationibus vermium plura & clariora docemus. Nulla ergo regio admiretur, si incogniti aliquando vermes huiusmodi producantur. Nec enim vel ex proprietate loci, aut ratione statûque temporis illi proueniunt: sed potius ortus ipsorum dependet ex conditione putredinis, & vtriusque permixtione. Aquæ huiusmodi si cum fontanis mixtim erumpunt & scaturiunt, & ab hominibus vel animalibus bibuntur, in illorum corporibus genera eiusmodi vermium producunt, sicut illius terræ natura fert. Vbi diuersitatis tamen hæc ratio est, quòd corpus aliam formam vermibus indat, quàm terræ aut elementi conditio facit. Et hanc originis differentiam noscendam sedulò attendere debet Medicus. Quale enim in globo accidit: tale etiam in corpore euenit, si corruptio talis & putrefactio incipit, sicut de generationibus vermium plura dicuntur. Si quæ autem aliæ huc requirantur, ea in libro de plantis, hoc est, de vermibus, ex plantarum putrefactione nascentibus dicuntur & explicantur.

Aq. vitiatæ cur non erūpant. | Aq. vitiatæ vermium causa. | Vermes terræ unde.

De Aquis Medicinalibus.

Aq. medicinæ unde. | Aq. medicinalibus facultas.

AQuæ medicinales, virtutibus ac dotibus admirandis præditæ, hoc modo generantur. Si gemmæ, quibus eiusmodi virtutes insunt, vt sunt coralli, carabe, & similes, resoluantur; vim illam aquis, quam habent, ingerunt. Vnde fit, vt aquæ, ex corallis enatæ, menses mulierum sistant, & epilepsiam puerorum sanent. De aquis huiusmodi iam in hoc libello satis dictum sit. Summum autem quod huc facit, à Medicis expendendum illis est, qui quid conferant hæ aquæ, dicunt quidem, sed rei nullam veritatem assecuti sunt. Vos ergo, ex quo ortu ac principio enascantur, sedulò examinate: sicut & nos in libro de thermis tradimus.

Similem naturam quandam aquæ etiam habent metallicæ. Summum ergo studium esse debet, vt natura lapidum, metallorum & similium exactè teneatur. Sic enim fiet, vt aquarum, ex illis genitarum, conditio ac vis probè cognita sit. Nec enim fons aut riuus vllus est, qui huiusmodi vim quandam medicam non habeat. Hoc ergo examine vis omnis pensitanda est, veluti nos de viribus aquarum docuimus.

Præterea sunt etiam peculiares aquæ quædam, quarum hæ hydropisin, illæ paralysin curant. De illis trademus, ac libri huius deductionem complebimus, vbi librum podagræ personæ ad Naturam quasi continuabimus. Quâ promissione facta, iam huic libro tertio colophonem imponemus.

De Naturalibus Aquis.

LIBER IV.

De Aquis crescentibus.

Aq. corporales & crescentes vt differāt.

CVm in præcedenti libro de corporalibus aquis pertractauerimus: ad continuandum propositum nostrum restat, vt de aquis crescentibus deinceps dicamus. Vt autem de aquis corporalibus & crescentibus sciatur, quo discrimine differant, cùm tamen vtræque corporales sint, & in hisce duobus libris tantùm de aquis corporalibus tractetur: perspicuitatis gratiâ hoc tenendum est quòd in præcedente libro sermo sit de aquis, quæ ex corpore nascuntur, & in corpus resoluuntur: hoc verò libro dicatur de aquis, quæ ex aqua in suum corpus abeunt. Sicut primæ ex ferro abeunt in aquam: ita hæ ex aqua abeunt in arborem. Velut ergo ferrum ac gemmæ aliæ aquescere intelliguntur: ita aquæ terræ, quas fontes crescentes vocamus, abeunt in corpus ligni, herbæ, fungi, &c. Nec alia harum intelligendarum ratio est, quàm quòd primæ corporis destructio, alteræ vero regeneratio aut crementum existant Sicut enim ex metallo vno, hoc est, sicut ex corporibus resolutio fit: ita hîc ex resolutis fit coagulatio. Porrò ergo, quînam ex aqua, lignum, herba, &c. fiant, tractandum restat, postquam priore libro, quomodo corpora crescentia dissoluantur, explicuimus.

Vt nulla est similitudo inter lignum, & arborem ipsam: sic æquè nulla est similitudo inter arborem fructúsque. Huius diuersitatis est causa ipsa cretio. De cuius vi quantum opus erit, hoc libro tradem us. Et dissolutio coagulationis quidem hoc loco nobis exemplo erit. Videtis nimirum, metalla & mineralia similitudinem nullam habere cum corporibus illis, ex quibus generata sunt. Hæc enim aqua sunt: cuius similitudinem metalla non exhibent. Sicut autem metallum aqua fuit: sic vicissim aqua fit lignum, fit gramen, &c. Rem ex exemplo intelligite. Videtis, vitriolum aliud viride, aliud cœruleum, ac probè coloratum esse. Id si in aquam resoluatur, colorem omnem deponit. Similiter & auri color flauus est, qui tamen in transmutatione fit purpureus. Si per transmutationem hanc resoluatur, tunc aquam nullam

Cretionis quæ vis sit. | Ex nihilo vt fiat aliquid.

nullam tingit amplius nec colorem in se continet. Sic ex aliquo fit nihil. Eodem modo & hîc ex non coloribus colores fiunt. Sic viriditas gramini ingeneratur, cùm tamen nulla in terrâ conspicua sit, aut tangibilis. Quæ ergo ex ortu suo cognoscendi vnius ratio est, eadem est & alterius. Exemplorum huiusmodi multa intellectus gratiâ afferri possent: quorum pars aliqua tamen deinceps proferetur. Multo id quidem admirabilius est, quod in viuenti animali caro & sensus ex nihilo gignantur, quàm hoc, quod de metallorum ortu & ligni cremento differimus. Sic etiam videtis, ex stercore equino scarabæum, & ex rerum aliarum putredine vermes enasci: vsque adeò mirabilis est natura in operatione & libertate suâ. Et quis quæso extra naturæ ipsius lumen considerabit, quomodo ex ligno viuens vermis, & similia alia enasci queant.

Scarabeus ex stercore. Vermis ex ligno cur.

Generationis autem huius hæc causa est, quòd in ligno consistat vermis spiritus, ex quo sensibilitas prodit. Similiter etiam in cadauere. Quod quidem vt videre ac palpare minimè possumus: ita nec ipsius naturæ arcana cætera oculis comprehendere possumus. Illa enim Mysteria Dei sunt, quando ex nihilo res tam admirandæ oriuntur, dum nemo dicere potest, aliquid ibi esse vel fuisse. Sicut enim ipsam naturam videre, aut processum ipsius attendendo suffurari non possumus, vt scilicet ad ipsius similitudinem in metallorum resolutione operemur: ita nec hoc artificium, quo natura herbas, arbores, & terræ crescentia profert, æmulando exprimere possumus. Istum verò, quem describimus hîc, modum Philosophia nos docet, cuius beneficio arcana naturæ explicare possumus, ita, vt quæ oculis ipsis spectamus, iudicio mentis indagare & edisserere liceat. Quòd si enim nullum vnquam gramen, nullave arbor enata, adeóque terra ipsa inuisibilis esset: vndenam constaret homini, gramina & ligna in terrâ condita esse? Cùm ergo talia ex terrâ enasci videamus: ex his, quæ videmus descriptionem moliemur eorum, quæ videmus minimè.

Arcana naturæ sunt Mysteria Dei.

Philosophię præstantia quanta.

Manifesta de occultis testantur.

Quandoquidem ergo, quod ex nihilo oritur, visibile se reddat: iam per hoc natura euincit, tale quid interius esse aliquid, quod sine ipsâ quidem cognosci nequeat. Quantum itaque ex ipsius naturæ speculo videmus: tantum cognoscimus etiam eius, quod non videmus. Nam si ex terrâ nigrâ Rosas, Caryophylos, Lilia, &c. enasci videmus: per naturæ lumen fieri etiam poterit, vt eadem occulta quoque videamus ac abdita. Sic nimirum tignarius domum videt, antequam illam faciat. Nos verò, sicut domum, quæ omnino iam exstructa stat partibus omnibus absoluta, oculis nostris conspectam, etiam absentes non minus quàm præsentes animo ac mente concipimus: ita similiter etiam possibilitatem naturæ videmus ex crescentibus terræ. Et veluti inaspectabile est, quod mente concepimus: ita etiam inaspectabile est, quod de terrâ imaginamur. Et tamen intra terram & in nobis talia non sunt aliter, quàm supra terram enascuntur. Quâ de causâ summum hoc à nobis tradendum est, quomodo colores & aqua sese abscondant, & quo pacto accretio fiat. Sicut enim in superiore libro de generatorum dissolutione egimus: ita hîc de generatione dissolutorum secundum substantiam tractabimus. Vt enim videatis, quid sit, id, quod ante oculos dissolutum prostat: quale sit quod iterum integratur, similiter etiam satiandi aspectus causâ describemus. In mente tamen, hoc est, in veritate & proprietate rerum dissolutum id minimè est, sed integrum. Ex Philosophiâ ergo, secundum naturæ lumen procedente, plus cognitionis hauritur, quàm ex aspectu oculorum externo, dum nimirum de ortu & generatione herbarum ac graminum explicandum est. Hoc est: Nos hîc de aquâ crescente tractamus, de aquâ inquam, quæ gramina & herbas gignit.

Aquam hanc crescentem vocamus ideò, quia crescit, & incrementum dat. Differentia autem huius & crescentium aquarum aliarum ita constituenda est. Notum scilicet vobis est, fontes omnes crescere. Per hoc enim iugiter durant: aliàs aqua nulla prostaret. Harum autem ratio similis non est. Crescunt enim, & semel emoriuntur: ac ctas iterum crescunt, veluti in vere & autumno fieri conspicitis. Cùm ergo in his differentia à morte manifesta sit: de ipsis iure librum alium condimus, ac peculiare iis nomen indimus. Per Philosophiam enim satis explorari potest, de tempore ipsarum mortis, vsque ad tempore renascentiæ. Res enim in naturâ aliæ, quidnam huic simile habent? Aut cur tractatus peculiaris illi non decernatur? Homo enim ex hominis voluntate, & definito tempore nascitur. Quoties enim is vult, toties nouum hominem progignit. Talia enim Deus homini indidit, si non cuilibet, tamen plurimis: vt reuerâ potentia ea in homine sit. Vniuersorum siquidem hominum labor, ars, &c. vnius tantum hominis labor ac ars est. Tempus suum pisces, suum etiam aues habent, quo se propagent. Penes ipsos tamen stat, vt gignant, vel non gignant. Horum autem eadem ratio non est. Oriuntur enim & moriuntur, éstque eadem emortua natura, quæ redit, in qua dissolutum nihil est. Suus enim color, suus odor rosæ redditur, éstque rosa omnino eadem, quæ ante annum fuerat. Homo autem non idem: sed prodit aliud corpus, aliud caput. Et licèt corpus quidem corpori rosarum, hoc est, rosarum huius & præteriti anni, comparari queat: caput tamen, in quo situm potissimum est, eiusdem parentis non est: sicut in virtute rosæ plus situm est, quàm in colore aut corpore. Corpore enim res quælibet indiget: quod Philosophus quidem non spectat: sed virtus ac natura est, quam ille intuetur & speculatur.

TRACTATVS II.

Sed vt de aquis pergamus, tenendum est, huiusmodi aquam solius terræ esse propriam, sicut metallū solius aquæ soboles est. Illa ergo tali modo citra omnem elementorum permixtionem, seorsim, per se consideranda est. Si quod verò hîc discrimen est, quo differant, id in sola

sola forma, non in substantia ipsa consistere putandum est. Sed & in crescente peculiaris natura est: quod tamen huc minimè facit. Quicquid enim potestatis in aqua est, id æquè est etiam in terra: & quicquid in terra, id similiter & in aqua. Idem de cæteris etiam duobus elementis similiter intelligendum est. Perspicuitas in exemplo erit. Quascunque Medicinas terra habet: easdem habet & aqua. Et porrò, quas habet terra & aqua, easdem & ignis ac aër habet. Potentia ergo ista non minùs in vno est ac in alio. Videtis quippe, ex terra enasci vim Abrotani. Eadem est & in chrysolitho. Et quæ vis inest carniolæ, eadem etiam in bursa pastoris condita est. Sic eadem inest etiam Crystallo, & Tereniabin, non minùs ac dictis duobus, ceu comprehendimus. Cum ergo similis huiusmodi potentia in quatuor elementis consistat: similis etiam singularum declaratio erit. Saltem quod formam & naturam externam concernit, id demptum est. Quatenus ergo similis in elementis potentia est: eatenus simili indicio virtutes quoque ipsorum comprehenduntur. Quásque virtutes, proprietatis comites, seorsim assignauimus: easdem etiam his vel illis generibus vltrò accommodabimus. Sic terræ datum est gignere fructus, aquæ lapides proferre, &c. Sic pariter & in aqua ignis ad idem genus perficiendum potentia est, velut & in censu metallorum id contingit. Adeóque, quæ huius, eadem & cęterorum ratio est. Et vicissim humiditati terræ possibile est generare lapides: velut & elementum aquæ gignere potest gramen terrenum. Quæ si quidem omnia non illico omnium potestatem inter se habent, qualem quoduis seorsim elementum per se habet: tunc generantur abortus non secus ac monstra gignuntur à corporibus sensibilibus.

Omnia immanibus elementis.

Iam etsi quidem potentia adsit: de virtutibus tamen tractari fas est. In qua descriptione singularis ac certa formarum cognitio requiritur, vt intelligatur, quænam virtus ex herbis, ex arboribus, &c. comparetur auro, aut vbinam virtus corallorum iaceat in humoribus terrenis. Similiter & transmutatio singulorum tenenda est, vt intelligatur, quidnam thermæ, quid resolutę aquæ sint. Nec enim dubium vobis imperitis esse debet, quin, si Basilicon putrescat, corpúsque suum mutet in resolutum (ceu in præcedente libro comprehensum est de metallis) resolutio illa æqualem conditionem & naturam sortiatur cum suo corpore, accedente permixtione abundantiæ, hoc pacto. Notum vobis est, in cupresso virtutem exiguã latere, & tamen corpus magnum præsto esse. Iam fit, vt putrefactio corpus putresieri faciat, non item virtutem. Vnde liquet virtutem à corpore separari, & in compactionem suam deduci posse. Iam manipulus huius vnicus plus efficit, quam sine putrefactione plenum plaustrum. Ad hæc porrò notare, huiusmodi putrefacti corporis magnam desin & commutationem requirere. Præterea corpus hoc putrefactum ideò contemni non debet, etsi corpus quidem priori simile non appareat. Putrefactio enim virtutis est separatio, & tamen iuxta conseruatio. Eiusmodi ergo aquas

Resoluta sicorũ corporũ vim habent.

Putrefactio quid.

aliter æstimare minimè deberis quàm de corporalibus dictum est, vt simili forma modóque vsurpentur. Mutua enim virtutum Elementarium virtus nihil est aliud, quàm dissolutio facta in corpore, non in virtutibus. Quãquam corporum consumptio, ipsarum quoque virtutum consumptio sit, illa tamen ratione, qua videtis, hominem tantum vitæ debere habere, quantum habet corpus. Si membrum vnũ amputetur: iam tantò minùs vitę habet. Si mẽbrum vnum tantùm restet: vita quoque vnica præsto est tantùm, aut in mortem desinens, aut minimè. Idẽ in crescentibus similiter inquirendum est, velut Anatomia herbarum & rerum naturaliũ docet. Vbi obseruate, virtutem rerũ separari posse in compendiũ seu paruam molem. Quantum vero ad vitam respectu corporis attinet, de isto hîc nihil explicatur.

Vitæ tantum est, quantũ corporis

Vt autem pleniorem de aquis crescentibus terræ informationem teneatis, scire velim vos, quòd illæ corpus ipsum sint, & omnia appertinentia. Hinc sequitur, illas suo cibo ac potu indigere: siue oculis exponantur, siue minimè. Si oculis obuersentur, alimento suo opus habent. Et sic infans, si in vtero, velut in terra condatur, opus habet alimento, quod mater infantis loco conquirit. Si verò adolescat natus, instar alterius nati hominis edit. Quicquid enim enim vbique viuit, id viuit medio ac beneficio cibi & potus. Hoc modo infans, in vtero materno conditus, nutritur & alitur, nimirum ex agro illo, in quo latet. Qui etsi quidem ore non edat, suo tamen modo nutritur, vt de generatione puerorum declaratur. Sicut ergo infans hoc pacto alitur: ita & gramen similiter nutritur ac cibatur, quod hyeme tota crescens, sub æstatem in aspectum se dat & erumpit. Cibus ipsius est pluuia ac nix. Nec hęc duo tantùm, verùm etiam pruina ac Ros. Sicut enim homo panem & carnes conquirit & edit: ita & corpus herbarum prædicta ad se attrahit, instar terrę. Præter iam commemorata cibus alius quoque illis offertur, sicut nobis afflatur aër. Vt enim aër nobis respirationẽ dat: sic pariter & illis respirationem, hoc est, humorem pro cibo defert. Nec enim nostro more herbæ aëre fruuntur, sed forma & loco cibi. Si præter hos cibos terræ alius insuper offeratur quidam, velut pratis per irrigationem, aut agris per stercorationem: is quidem aliud nihil est, quàm Roris coctura (al. sordes.) de qua disseremus. Ros verò ipse est cibus. Pluuia verò nixque ac pruina, &c. mera coctura sunt, non cibus genuinus. Vt enim si carni affundatur aqua, caro tamen sola cibus est, non item aqua, quæ de carne iterum effusa, mera aqua est: ita hîc quoque. Ros tantùm cibus est; pluuia autem & fimus additamentum tantùm & cæterorum coctura: non inquam, cibus ipse, sed cibi tantùm additamenta. Cibus enim est aëris humiditas sicut caro hominis, non aqua, non sal, non Ignis, non lignum.

Aq crescentes ali expetunt.

Viuentia omnia nutriuntur

Infans in vtero ore non cibatur.

Graminis qui cibi.

Aër cibus herbarum.

Ros cibus herbarum.

Pro cibo ergo crescentium aquarum cognoscendus Aër terræ est, sub specie inuisibilis humiditatis, qui aquam hanc, in corpus desituram, conseruat, & generatum hoc iugiter cibat nutritque. Quicquid antẽ preterea conci-

Aëra aquarum nutrimentũ.

concidit siue sit pluuia, siue aqua fluuialis &c. pro variis additamentis saltem (qualia cibis adiungi solent habendum est. Porrò autem sæpè etiam fit, vt sine fimo talis decoctio fieri nequeat, sicut nec fine sale iusculum, paratur. Fimus enim illius decoctionis sal est, ac Nitrū. Et Nitrum est sal terræ, quo terra consalitur coquendo in cibos, quos crescentibus rebus edendos offert. Hic enim sal vrinæ & sal fimi iunguntur, in quibus talia perficiendi proprietas est. Etsi vero sal, huic loco proprius, sali hominis assimiletur: notandum tamen est carnē, quam homo edit, in carne salitam esse quidem, sed postea peregrino alioque sale opus habere, veluti de salibus traditur. Eodem modo hic quoque sal terræ ex natura sua verum rerum omnium sal est: Hic autem sal coctuтæ: ille sal naturæ. Quæ verò terrę fimo non egent ad fructus suos edendos, hę virtutis suæ repectu ita æstimari non debent, quasi optimæ sint, & per sese bonitatem illam habeant: sed bonitas illa pro natura aut re naturæ simili censenda est, veluti sunt, qui vinum non bibunt, aut non edunt caseum & similia. Sicut enim hæ naturæ peculiares sunt: ita similes quędam etiam terræ sunt, extra consuetum ordinem cognoscendæ. Pro vero ergo nutrimento cognoscenda est illa aqua, quę herba & gramen est. Quamuis ipsa etiam pluuia ac aquæ aliæ, herba ac gramen sint, ea ratione, vt suo loco dictum est, nempe per medium quoddam. Aqua enim potus est, & carnem aqueam dat, sicut panis carnem, vt sic dicam, panalem efficit. Duplex enim hic caro est: vna de potu, & vna de cibo: & tamen vtraque caro vna est. Sed de medio intellige, quod aqua, quæ iusculum seu offa fit, deinceps carnem aqueam non faciat, sed panalem, suámque pristinam naturam ita perdat. Per hoc medium pluuia quoque gramen fit, quæ alias tantùm aqua est. Sic & cætera elementa suo medio locum dant, & trāsmutationi subiiciuntur ita, vt quoduis elementum, quod prædominari debet, cætera in vsus suos impendat. Per has enim delitias præter naturam, terræ fœcunditas curatur & conseruatur: sicut pingui viro sua moles. Sūt autem huiusmodi quoque aquæ incidentes, quæ plus subindè nocent, quàm commodant, quæ pondus scilicet iustum transgrediuntur.

Fimus est sal terræ.

Elemēta sibiinuicem medio sunt.

Sed de crescentibus fontibus discriminis notitia talis tenenda est insuper. Cùm materia vna sit, ex qua fructus omnes crescunt, & iidē tamen dissimiles: de speciebus hîc mentionem nullam faciemus, sed potius disseremus de differentia, quæ in qualibet specie est. Et cum omnes species vna sint, licet sub conditione alia, quid de qualibet sciendum & intelligendum sit, explicabimus. Initiò autem præponite vobis exemplum de vino, quod vnum est in vniuerso mundo, vbicunque crescit. Vnica enim forma est ipsius matricis, vnicum nomen, vna & eadem cognitio. Similiter hic etiam de crescente terræ quolibet statuendum est, veluti de melissa, vbi vna forma, vnum eius nomen est, melissa nēpe in omnibus regionibus terrę. Qualis vero differentia vini est, talis etiam melissæ, & tamen vires ac substantia, quæ melissę cognatæ sunt, in ipsa permanent. Differunt tamen secundum accidens magis & minùs, in hoc vel illo. Idem etiam de vino experimini. Id enim tartarum & alia mala dat, sed hoc magis, illud minùs. Hoc si circa vinum accidit, similiter etiam circa herbas, & crescentia terræ omnia pariter eueniet, ad quod attendere Medicum fas est. Hic verò porrò tenendum est discrimen eiusmodi naturæ, quæ semper peculiarem operationem habet, ab vniuersali diuersam. Huius origo à tali est principio. Videris nempe, nullam in cœlo stellam, eandem cum alia naturam habere, licèt omnes vno splendore, eodem colore, eâdem forma, &c. polleant. Sicut ergo cœlum in tot partes diuisum est: ita pariter distributa est & sphæra. Et licèt vbiuis, quò seritur Melissa, Melissa prodit, diuersitas tamen distributionis est in nomine, dum vna altera fortior, melior, &c. est. Hoc dependet ex illo, quod, sicut videtis multiplicem in homine carnem esse, sic varij etiam in illa morbi generari, ac oriri possint. Eodem modo & cœlum in tot species distributum est, vt sunt corpus, vt cœlum, vt aqua. Quare commutat etiam hanc naturam in essentiam aliam, & tamen est illa natura. Sic videris, in omnibus rebus suas diuersitates esse. Sic aqua est aqua, & tamen in singulis fontibus aqua alia est, sicut gradus cuiuslibet euincit, dum in coquendo alius subindè sapor inditur. Similiter & terra non ex vno semine constat, sed ex multis. Et semen quodlibet conditionem ac naturam suam peculiarem retinet. Qualia enim semina, talis & terra. Et qualis matrix, talis etiam natura, ab aliis diuersa. Nec enim vnius sobolis terra mater est, sed plurium. Et sicut diuiduntur genera, ita & species inter se, & quot diuisiones, tot peculiares naturæ ad commutandum cibos & potus. Hæc enim transmutatio facit ad cibos animalium. Quos si edit bufo, mutantur in venenum, si sus, mutantur in carnem bonam. Sic ergo cibus alteratur, peruertitur & commutatur in aliam atque aliam naturam, pro ratione stomachi terræ, sicut ex suo semine emersit. Et hisce traditis, introitum elementi terræ, quantum quidem opus est, iam finiemus, & cætera ad tractatum sequentem differemus.

Materia est omniū vna, licet diuersorū inter se.

Stellæ ... cœlo ...

Semen ... multis.

TRACTATVS III.

Cæterùm, quia de terræ nascentibus fontibus tradimus, & omnium primo de Materia, quidnam sit id, quod crescat, docemus: ideò tenendum est, Metalla & mineralia vniuersa, vnicam sui ortus materiam habere. In mataria illa certa differentia inuenitur, ita vt sit alia in elemento Aquæ, alia in elemento Ignis, alia in elemento terræ. Et tamen materia vna est, eáque prima, non solius terrræ, sed & cæterorum trium elementorum. Huius diuersitatis eadem est ratio, ac si fingerentur quatuor artifices, qui tractarent lignum vnum, in quatuor tamen partes diremptum. Horum vnus ex ligno facit, aut succendit ignem: alter suum sinit putrescere, tertius ex suo sculpit imaginem. Quartus suum colorat, & pigmentis obducit, vt quidnā verè sit quodlibet, dignosci amplius non

Ma... min... lium... vna.

non possit. Hi iam finis quatuor sunt, & tamen vnica tantùm prima materia, ex quibus illi resultant. Sicut autem quatuor hæc inter se diuersa sunt, sic quadrifariam etiam in suis crescentibus diuiduntur ipsa elementa.

Naturæ varia vis.

Ex quibus autem causis hæc ita se habeant, Naturæ lumen probè cognoscit nec explicatio vberior hîc tradenda est. Illa enim vsque adeò miræ est potestatis, vt infinita genera ac species, &c. condere possit, inter se adeò diuersa, vt non tam diuersa, ac varia homo verba fingere, ac eloqui sciat, quorum tamen vix vllum alteri simile existit. Sicut ergo Aër in ore liberæ potestatis est: ita libera etiam vis est, ac potestas naturæ in distribuendis rebus.

Materia crescentium, vt inuisibilis & visibilis.

Similiter se habet ipsius etiam materia. Quis quæso de materia vocis explicare potest, quo modo oriatur? Id tamen sermone iam expromptò scitur. Vt autem inuisibilis illa est, verba vero intelligibilia, ita & materia crescentium in principio seu ortu inuisibilis est, visibilis tamen in incremento. Res enim omnes, quæ corpora habent, & quæ ex aëre oriuntur, corpora non habentes, similes sunt & vnum. Arbor enim corpus suum habens, aliter censenda non est, quàm vt verbum, quod ab ore pronuntiatur, cuius corpus est ipsa significatio. Vtrobique enim principium nihil est, nihil etiam finis, & medium tantum corpus est. Sicut ergo vtrinque principium, & finis nihil sunt: ita vtrinque principium & finis vnum sunt. Et licèt corpus quidem in medio diuidatur: ea tamen causa non est, cur principium ac finis alius in hoc quam illo inquiratur. Principium ergo huiusmodi aquarum tantisper tractandum omittemus, donec ad Ylechum descendamus, vbi ipsius explicatio tradetur. Porrò itaq; sciendum est, terram ab initio potentiâ tali donatam esse, quæ ad finem vsque duret, nec nouo ortu redintegretur. Qualis enim primus fuit, talis & iam est, hoc est, primus se habet, vt verbum ex ore datum. Ita se habet terra. Hinc omni momento virtus sui fructus sequitur. Sciendum ergo, non crassitudinem terræ operari, sed ipsius pondus. Nec enim necessarium est, terram seu agrum, fructus daturum, milliaris vnius crassitiem habere. Nam & viri crassitiem habens, operationes suas perficit. Vt enim ad verbum ex ore proferendum, non requiritur vastitas & magnitudo hominis, cum nani & pusilli æquè efficaciter loquantur: ita similis est ratio, etiam agrorum hortorumque. Nec enim generationes eiusmodi fiunt ex vi multitudinis, aut singulari robore, velut in acie aut militiâ accidit, verum potius ex gratia, quæ nec vim, nec numerum curat, sed corpus tantùm requirit ad ferendum, sicut si quispiam fert tunicam, quod sine corpore nequit. Necessitas itaque hîc quoque idem postulat,

Principiũ & finis nihil, medium est corpus.

Terræ pondus, nõ crassitudo operatur.

Nihil sine instrumentis facit natura.

Præterea euidens ac manifestum est, nullum opus perfici posse, ex seipso, sine auxilio alieno. Sic opifex sui opificij ager est: malleus & incus sunt aratrum & equi: Ignis est perfectio per ista. Simili malleo & natura opus habet ad opera sua edenda. Et malleus alius cudit Rosam, alius Anthos, alius Lauendulam, Malleator huiusmodi est is, qui fabri quoque malleum moderatur. Quem si faber ipse regere sibi videatur quidem, fallitur. Nec enim is plus potestatis, aut rationis ad eiusmodi opera habet, quàm habet ager, manum subducente eo, qui in terra cudit ac operatur. Respectu enim corporis & corporis virium, terra & faber creatura vna sunt. Iste autem faber, qui in terra fabricat, cudit etiam vermes, cudit pisces, &c. Et sicut ingenuus faber exornandi sui operis studio flagrat, opusque adeò insigniter polire & variare prurit, vt spectatoribus omnibus sese oppidò commendet, ita hic etiam faber opera adeò mirabilia & Dedalea facit, vt vt in stuporem vniuersos coniiciat, adeoque ipsas quoque pecudes operum suorum spectabilitate in admirationem abripiat. Hic enim Philosophus nullus dubitare debet, quin faber iste brutus quoque, vt auibus & piscibus, similem cum homine rationem implantarit ad opera sua cum admiratione aspicienda. Cum ergo spectabilis illa varietas admirationi omnibus sit: quis quæso focum, aut artificium huius fabri, quo sua opera tractet ac perficiat, ostendere possit? Quanto minùs enim solea equi ferrea, quę fabricationi interfuit, imo opus ipsum est, quomodo ab arte facta sit, enarrare ipsa potest: tanto minùs & nobis de istis operibus loqui facile est, ac procliue. Quantum tamen huius ex ipso Naturæ lumine erui potest, in prioribus & sequentibus libris traditur. Itaque porrò de illis in tractatu quarto quomodo scilicet sub aspectum nostrum veniant, edisseremus.

Naturæ fabricãtis mira solertia.

Bruta admirãtur naturæ opera.

Fõtes sexus non agnoscunt.

Nec tamen hîc etiam curiosiùs indagabimus ac describemus crescentium eiusmodi fontium discrimina, quæ imperiti rerum naturalium illis assignant, dum hos mares illos fœminas faciunt. Quantum enim ad complexionem & naturam, discrimen certè, quo vir à fœmina distat, hîc admitti minimè potest. Aliàs enim hanc differentiam in reb. omnibus similiter seruari necessum erit. Præterea fœminæ tantum sunt propter generationem fructus seu sobolis, quod à fontibus crescentibus non requiritur. Nec enim hoc ipsi facere solent: nec isto fine à Deo instituti illi sunt. Nascuntur enim ex seipsis, fœminam agente terra: cæterùm omne mera soboles est. Adde quod sexus istiusmodi nec ab herbis requiratur, vt, quas vos fœmellas vocatis, fœminis: quas mares, viris conueniant. Hoc enim à vero longè abest. Sed nec ipsa natura huiusmodi discrimen intendit. Præterea, si res quidem ita haberet, quis ex certis signis doceret nos, quinam mas, quæ fœmina esset? veluti in tapso, vbi est indicium? Discriminis tamen huius noscendi hæc ratio est, quòd in tapso vis & natura lateat paralyticũ restituendi, & vis iterum alia, paralyticum faciendi. In ipso enim est Mercurius Reuiuus. Natura enim in hoc diuisioni ita studuit, vt tapsum aureum solum donaret vi paralysin sanandi, & contra tapsum pallidum veneno imbuerit, paralysin mouendi. Quòd si verò hæc discrimẽ aliquod viri & fœminæ constituerent, causa iusta foret, cur alterum de altero quereretur. Tam mas quàm fœmina, vtrique vel boni, vel mali esse possunt, ita, vt nullam reprehensionem mereantur. In verbena virtutes tres conditæ sunt, vna, quæ laxat,

Tapsus paralysin & sanat, & ciet ob Mercurium Reuiuum.

Sal Fuscum.

altera quæ constipat, & tertia, quæ in menstruis constringit. Ibi enim sal Fuscum est. Tres hæ virtutes, si in corpore vno laterent, hoc casu natura, ceu inepta, reprehensionem non effugeret. Insuper, si diuersitas illa adesset, necessario adesset omnibus. Quod si omnibus adesset, nemini conduceret. Bonum enim & malum vnum essent, & neutrum commodaret.

Cõtraria nõ cogit natura.

Natura itaq; diuisionem molita, tres verbenas produxit. Eodem modo agit Natura etiam cum coloribus crescentium. Nisi enim colores distingueret, color nullus præsto esset. Ipsa verò hoc laborat, vt in suâ peculiari parte producat, quicquid in planta est, quâ re se cumprimis spectabilem facit. Seorsim enim lignum prouenit, seorsim folia, seorsim cortex. Idem similiter & circa herbas euenit, vbi in qualibet parte sua vis, sua facultas viget, nec contrarium contrario adhabitat, à quo alterius virtus destruatur, sed illa disseparantur, & vtrumque priuatum corpus occupat, vt alterum ab altero discernatur. Quod quidem prudentiæ & industriæ Naturæ documentum non leue est.

TRACTATVS X.

Aqua crescens quid sit.

Sed iam vlterius de crescentibus aquis, quid sint disseramus. Succus nempe quilibet, in crescente terræ vigens, fons crescens est. Nec enim crescit vt aqua, sed vt corpus, attamen in corpore. Exemplo sit vinum. Id ex ligno crescit, sicut aquæ corporales ex metallis oriuntur & resoluuntur. Hic tamen sine resolutione liberæ, vno ortu proueniunt ex terrâ. Ad hunc modum quilibet liquor, qui in eiusmodi corporibus est, æstimatur, vt sunt liquores ligni, oleum fructuum, & similes alij liquores. Non enim hoc solum, quod potabile est, de censu fontium est, sed & quicquid Medicinæ instar, in morbis pro potu facit. Ideò hæc rectè cognosci, omnino fas est.

Fontes sunt duplices.

Cùm ergo nascentes fontes duplices sint: vnus potabilis, velut ex vuis, ex pyris mustum: alter ex herbis succus: scire conuenit vtique, ipsa corpora virtutem per se nullam habere, sed tantùm ipsorum liquores, sicut folliculi vuarum sine vino sunt, eius tamen saporem exhibent. Idem & in cæteris verum est.

Fontis nomine omnis liquor intelligitur.

Cùm ergo corpora nihil sint, sed solus liquor, qui hîc fontis nomine accipitur, idoneus sit, iure de fontibus terræ scribimus, & liquorem eiusmodi fontem nominamus, quoniam aquæ specie operationem suam perficit, adeoque potus est, aquæ omnino comparandus.

Itaq; etsi non velut scaturientes fontes ex terra profluant, quid hoc refert, cùm non minùs, quã ex fontibus in sua vasa recipiantur? Id facit quidẽ, vt eiusmodi fontes & cibus sint ac potus. Sic videtis, pecoribus potũ illum esse cibum. Dum enim vescuntur gramine, liquorem illum bibunt, qui in ipsis liquor iterum fit.

Vrina pecorũ ex cibo ipsorũ est.

Sic ergo cum pecoribus comparatum est, vt omnis ipsorum vrina ex cibis oriatur, non ex potibus. Nec enim plus bibunt, quam natura ipsorum opus habet, ita vt ex potu illo vrina non emergat. Si vero vltra necessitatem bibatur, ex immoderato illo potu vrina fit, eaque præternaturalis. Nec enim ortu illo quo debet, prouenit.

Talis ergo natura est, vt in resolutione corpus sustentet, hoc est, corpora omnia in resolutione seruet, & corpori inde quasi nucleum & neruum conferat. Reliquum vrina est aut stercus. Corporis autem ea ratio minimè putanda est, quòd os ossium gratiâ concedatur, aut caro causa carnis ingeratur, corpusque adeò vnum alterius gratiâ intro sumatur, sed potius ossa nutriuntur ex liquoribus seu humoribus ciborum, velut ipsa quoque caro, ac medulla, sanguisque. Oportet ergo omnia resoluta & liquida esse, quæ corpus nutritura sunt, patet hinc, quòd si homo ex rebus omnibus liquidũ extrahere posset, corpori nullo administrato corpore opus futurum sit. Intercidit enim corpus, & in liquorem verti necesse est. Sed & hoc notabitis, videtis, carnem vires suas seu substantiam specie aquæ effundere: reliquum cibi vicem non præstat. Idem similiter in ventriculo accidit. Iam verò iusculum non integrè substantia seu neruus est, sed ipsius superfluum est vrina. Hæc ergo ex cibo, & non ex aqua prouenit.

In aqua proprietas est, cuius natura non magis appetens, aut studiosa, quàm calor naturam frigoris appetit. Dabimus exemplum. Vbi calor est, ibi natura requirit refrigerium. Ea autem vsque adeò æquilibris est, vt frigoris plus non appetat, quàm ad exstinguendum ardorem requiritur secundum gradum. Is iam calor, quem corpus assumit, quò abit? Nusquam: Sed natura ipsum consumit, vt nihil amplius supersit. Eadem & Aquæ ratio est, vbi natura plus non assumit, quàm ad temperaturam requiritur, sicut in primo libello ostensum est. Hæc eò dicuntur, vt intelligatis, nascentes fontes, aquas seu liquores, non corpora æstimari, nec illis quicquam huiusmodi attribui debere. Quicquid autem corpori attribuitur, id facit appetitus & delitiæ oris ac oculorum, sub variis formis voluptatem suam captantium. Et appetitus ipse luxuriantis est Naturæ, vltra necessitatem, non secus ac si quis tunicam fimbriatam faceret, nullo alio fine, nisi vt oblectaret se indè, & aliquam voluptatem caperet.

Cùm ergo propositum nobis sit, deinceps naturas aquarum considerare ita, vt vinum pro aquâ & sumi & nominari debeat, sequitur, omniũ primò de ipsorum corpore disserendum esse hoc modo. Crescentium terræ tria, prima sunt aqua, & per Archeũ fiunt lignũ, gramen, &c. & si quæ crescentia sunt alia. Iam verò certum est, ex aquâ fieri lignum. Qualis enim transmutatio in metallis, & fructibus: talis etiam hîc. Porrò illorum ea conditio est, vt reconuerti possint in naturam Aquæ, qualis fuerunt, quod suo tẽpore modoque fit, veluti cuiuslibet rei natura fert. Hoc tempus se habet pro ratione specierum, diuersimodè. Similiter & tempus non vnius modi est, sed infinitorum. Sic videtis tempus fructus, ex floris thymi, quotannis in vere esse: cum econtra tempus floris croci in autumno sit. Sic quouis totius anni solaris puncto, noui floris tempus est.

Id hoc pacto intelligi oportet. Si fieri posset, vt hora vna in 100000. minutias diuideretur: totidem etiam florum siue specierum ver esset.

Quot

Quot ergo puncta vel momenta, tot flores siue genera sub Sole. Ita enim distributum tempus est, vt sine fructu momentum nullum transeat. Imò punctum quoduis vel minimum conuenientem suam vim ac facultatem exerit, ante quod temporis momentum perfectio nulla est. Iam verò tempus modis multis intelligi potest. Vnum enim est, de quali iam diximus, ita se habens, vt semen (al. æstatem) compleat, eique incrementum præstet. Postea sequitur aliud, ab illo incipiens, tempus nempe messis, hoc est, vsque ad exaltationem floris, estque distributio vtriusque multitudinis secundum numerum. Quod enim tempus vnum fert, idem fert etiam alterum. Vnum enim alterum sequitur, & tempora huiusmodi sunt in omnibus crescentibus. Teneatis ergo tempora huiusmodi esse crescentia ipsa, & ipsorum matres. Quid autem sint, & quomodo se habeant, id docetur, vbi de Ylech traditur.

Exerciorum generationis.

Tempora sunt matres crescentium.

Iam cùm prædicta tempora, in tot puncta distributa sint, sciendum est, ipsorum annos quoque varios & diuersos esse, nec vnam omnium annorum rationem intelligi debere. Is enim annus vnus est, qui à suo initio excurrit, vsq; ad exultationem. Huiusmodi anni multiplices sunt. Alius enim est dimidia æstas, vt rosarum, alius integra, vt croci, alius integer annus, vt tritici, alius triennium, vt iuniperi, &c. Et sic de cæteris omnibus statuendum est. Nec annus huiusmodi secundum est. Nec annus huiusmodi secundum consuetum nostrorum annorum modum numeratur. De minutiis ergo siue punctis, de quib. loquimur, ita statuendum est, quod secundum nostri numeri annum intelligi minimè debeant, sed potius ita accipi velim quasi scil. singulis minutiis seu pũctis nouis nouum generatum oriatur citra intermissionẽ, vsq; ad consummationem mundi. Porrò autem huiusmodi generata intelligenda sunt, quæ intra terram, nõ supra illã consistunt. Sicut enim tempora duo iudicamus, ita sciendum est, nos de priori loqui, quod intra terram decurrit, siue æstas sit, siue hyems.

Annorũ multiplicitas, vt accipienda.

Ergo, vt repetamus, prædicta operatio intra terram fit, cum æstiuo, tum hyberno tempore. Quæ hyberno tempore intra terram fit, ea tẽpus suum supra terram in æstate attingit, idq; duplicatum, aut aliter multò auctiùs, hoc est, in vno puncto tempora 20. vel 1000. sunt. Non autem simpliciter etiam in terra, vbi operatio successiuè fit. Isto enim tempore natura potentiam suam subtilitatemq; ac magisterium exercet, postea etiam in protrudendo in aërem vsq; ad tempus exaltationis. Tempus illud solum vim crescentem habet, quam Deus non destinauit, sed accidentibus temporis externi reliquit. Quod enim ver vel æstatem aliam aliâ maturiorem videris: id à tempore potente. Hoc enim intra terram est, quod neque nix, neque grando, neque calor, neque pluuia infringit, suspendit aut præcipitat, sed id suum ordinem seruat, nec magis impeditur, quàm Solis cursus interrumpitur. De fontibus ergo crescentibus tenendum est, quomodo secundum tempus diuidantur, & in vnum tempus, velut in tempus crescens ac perfectionem incidant.

Tẽpora crescentium, vt sese habeant.

Tempora crescentium, eorum differentia.

Quo verò modo crescentes fontes oriantur, id iam antè indicatum est. Ad quam cognitionem si quæ alia requirentur, in descriptione Ylech desinientur, vbi rerum omnium ortus describetur. Huc quod facit iam, sciendum est, aquam mucillaginosam, & totam viscosam esse, atq; ex mucillaginosa substantia conuerti in corpus. Mutatur à primo in rotunditatem. Postea forma & colore insignitur. Denique externo tempori committitur, à quo ad finem suum producitur. Iam verò ante incrementi finem nulla vel vis vel virtus adest. Ideoque incrementi tempus rebus omnibus perfectionem dat. Sicut enim domus domus non est, priùs quàm necessaria omnia acceperit, aut olla olla non est, antequam excoquatur: sic nec hîc ante iustum tempus perfectio præsto est. Et licèt virtus quidem omnis ab externo tempore conferatur, internum tamen tempus per externam perfici necesse est. Vt enim videtis, lutum est olla, & quicquid ad ollam requiritur, & tamen olla nondum dici potest, nisi externum tempus, homo accedat, & ex luto ollam faciat. Is enim & horam & tempus externum complet. Ista completa interni temporis perfectio est.

Finis rerum virtus & perfectio.

Facto itaque, vt diximus, cremento, si tempus corpus compleuit: tunc secunda cretio incipit, hoc est, aqua in naturam ac essentiam suã abit. Nam in omnibus crescentibus primò corpus nasci oportet: postea generatio aquæ sequitur, illius nimirum, propter quam corpus præsto est. Adeoq; in crescendo ista duo se separant. Sic nimirum & lignum viride, quod nondum maturum est, & generatione eiusmodi liquorẽ suum, non qualem debet, reddit, sed tantũ simile quid ei, cuius gratia est, non genuinum præstat. Aquæ enim multiplices sunt: vel specie olei, veluti ex seminibus, vel formâ liquoris, ceu ex ligno: vel modo aquæ, tanquã ex herbis. Terræ enĩ proprietas est, vt formâ ac specie huiusmodi aquas suas proferat, non tamen sine talibus corporibus. Corpora itaq; ipsa minimè spectanda sunt, sed id, quod ex corporibus secernitur. Hoc nimirum id est, in quo natura iubilat seu effertur. Hinc liquet, aquas ipsas indagari debere, non corpora. Ipsum enim corpus plùs non confert, quàm domus confert homini, nempe receptum. Illa sine homine nihil prodest, sed inanis stat. Ac sicut dominus domus vsui ac vtilitati aliis est, non domus, sic idem hic quoque de aquis & corporibus sentiendum est.

Aquæ formæ variæ.

Sed vlteriùs tenendum est, gustum hâc ratione generari. Elementi terræ aquæ omnes gustu carent. Ac eadem omnino aqua est, quæ vitem, quæ melissam, quæ quercum, quæ violam ingreditur. Gustum verò contrahit hoc modo. Exemplum autem huius à rebus obuiis & notis depromere non possumus. Exemplum enim naturale (veluti si quis aquæ gustum acetosum conferat infuso aceto, aut dulcem, permixto sacchаro) huc non facit. In terra siquidem gustus à gustu alio, nullo conciliatur, veluti diximus. Apud nos autem gustus à re alia mutatur & peruertitur. Patet itaq; per eiusmodi exemplum probari nihil posse. Etsi verò constet, multis reb. gustum conciliari citra alterius additamentum: tamen is antea rebus illis inest. Sic in vitriolo natura est, acetositatem omnem excedẽs, & dul-

Aqua per se gustus expers.

Gustus aquis vnde indatur.

Vitriolũ acetosissimum & dulcissimum.

cedo, dulcedinem omnem vincens. Idem verò in natura eodem modo se non habet. Sicut enim in omnibus rebus nihil est ad initium faciens, ita hîc quoque. Quod si tamen omnino per exemplum dandum aut declarandum est initium, opus est, id fieri per os, quod iubet quendam, rem aliquam confectam dare: aut quando aliquis verbis fugatur. Illa verba sicut sine corpore fugientem fugant: ita gustus quoque ex vi simili confertur.

Elementũ quodnis integrum est.

Porrò cùm videatis, totum multiplex esse, hoc est, non vnum tantũ esse totũ, sed plura: rem ita attendetis. Elementum quodlibet totum est seu integrum. Iam quod integrũ est, in eo est omnis odor, omnis gustus, omnis color, &c. Ex hoc sequitur, vim gustus in elemento terrę integram existere, qualis inesse debet. Quod verò diuersitatem in hisce facere videtur, veluti si Antimonium praferatur (al. comparetur) Valerianæ, id gradus vnus, hoc est, genus vnum est: diuersitas tamen est in his, quæ elementorum peculiares naturæ sunt. Sic ergo alia est natura in his, ac est in Microcosmo, in quo ipse etiã gustus omnes sunt, licèt non manifestè, sed abditè, instar colorum. In terra omnia manifestè sunt. In ipsa enim natura gustus omnes diuisit & à se inuicem separauit, ita, vt omnes gradus dulcedinis, amaritudinis, aciditatis, &c. præsto sint. Ita videtis, Lazurium in centum gradus distribui: & tamen nedum omnes inuenti sunt. Quod quidẽ non de solo Lazurio verũ est, verùm etiam de albo, nigro, &c. Omnes enim colores, siue permixti, siue impermixti, suos gradus habent. Nemo tamen profiteri ausit, fuliginem ac carbonem, aut cinnabarim ac miniũ in vno eodemque gradu consistere. Vt ergo hæc, quæ vno eodemque nomine comprehenduntur, sibi inuicem similia non sunt: sic multò plures etiam colores alij sunt, aut nigri, aut rubri, quorũ discrimen non attenditur, & tamẽ certum est: adeò vt vltra centum gradus nigredinis, &c. numerentur. Ad eundem modum totidem sunt etiam dulcedines, totidem acetositates, & gustus alij, sibi inuicem minimè similes. Et hanc discretionem natura adhibuit in hoc præcipuè elemento, non item in elementis aliis.

Lazurii colores nondum omnes noti.

Gustus in solo elem. terrę separatus.

Videtis enim in elemento ignis gustum separatum nullũ, sed omnia vnius essentiæ esse, hoc est, pluuia est aqua, velut & similia alia, ab elemento ignis prodeuntia. Porrò, etsi quidem pluuia nec amara nec dulcis sit: amara tamẽ ac dulcis est in mixtione, quod separatio manifestat. Hæc autem in elemento terræ à se inuicem separata sunt: hoc est, elementum aquæ in Antimonio plures, quàm decem, dulcedines habet, quod per institutam separationem innotescit. Eas terra in tot partes diuisas continet, ac ita constitutas, vt ibi quælibet seorsim sit, quæ in aliis permixta iacet. Quod Medico quidem sedulò obseruandum est, vt sciat, quasnam virtutes aut in separatis aut in permixtis quærere debeat. Decem enim dulcedines Antimonij, decem virtutes præstant, quas terra in decem herbas diuisas habet, quæ iunctim in vno Antimonio latent. Et sine huius distributionis cognitione Medicus nullus ad solidum Medicinæ fundamentum penetrare potest. Et gustum talem omnino esse oportet,

Antimoniũ vltra decẽ dulcedines habet.

ac à natura dari, vt quæ in hominis seu Microcosmi commodum ac vsum creata est. Est etiam Microcosmus, minor mundus, hac ratione. Quod enim mundus profert, id homo, quasi suum consumit. Et homo non minùs, quàm mundus maior in multas partes diuisus est. Partes ergo iungi oportet, vt vnum subinde alteri comparetur & assimiletur.

Homo Microcosmus.

Quod si verò corpus fortassis non omnibus opus habeat, adeoque superfluum quid, cuius nullus vsus sit, crescat (veluti quis obiicere posset, quid facit vrtica: quid confert atum? Cum ex mille hominib. vix vnicus eius vsum desideret.) Hîc respondemus, Deum tot species, quot diximus, easque vniuersas solius hominis gratiâ condidisse. Proximum ergo est, vt sciatur quomodo vniuersa homini vsui sint. Notum est, tot in homine partes esse, quot sunt in elementis, Hæ autem partes solæ, ac per se, sine cæteris subsistere possunt: sed semper vna alij, ex constitutione diuinâ, subuenire debet. Hoc quamdiu fit, homo sanus est, & longæuæ vitæ, eamque ætatem assequitur, quam ex vsu istorum Adam & cæteri attigerunt. Quod si autem partes istæ contemnantur & abiiciantur, corpus nostrum deseritur. Hinc morbi & ægritudines eius, adeoque mors ante tempus iustum incumbunt. Nec enim à quoquam id ita statuendum est temerè, quod citra eiusmodi partes corpus à Deo perfectum ita creatum sit, vt nulla medicina opus habeat: sed potius ita sentiendum est, generata eo fine à Deo producta esse, vt hominis partes conseruent, veluti de longa vitâ demonstratur. Sicut enim cibo potuque is nunquam adeò carere potest, quin illis quotidie vtatur: ita nec vllo tempore Medicina carere idem potest. Quoniam ergo Medicina cibusque simul ex vnâ matre, eademq; terra enascuntur: simul etiam homini offerri debent, pro alimento, & morborum medicamento. Sicut enim inopia cibi morbos gignit: ita etiam neglectus Medicinæ ægritudinum causa fit. Hâc ergo regula non obseruata, morbos certos in corporis partibus aliquibus oboriri, omnino necesse est. Et vult Deus nos sedulò quidem agnoscere, quòd sine iugi ac quotidiana gratia auxilioque nihili simus. Et sicut sine Solis lumine nihil videmus: ita sine illa gratiâ nihil valemus: sed nisi, vt ita dicam, quotidie corporemur, singulis horis in morbos & abbreuiationem vitæ præcipites ruemus, quæ continet annum diuturni fructus, id est, vsque ad consummationem temporis termini.

Hominis causa species omnes creatæ.

Longæuæ vitæ ratio.

Corpus ... sine medicina ... durare.

Cibus & medicina ... vna ... cant.

Iam verò, cùm tantum momenti in cognitione istarum rerum, quibus corpus conseruatur, positum sit: opus omnino est, medicinam accuratiore quidem, quam hactenus factum est, studio cognosci & addisci. Est enim in terra virtus laxatiua, velut & virtus confortatiua, & consolidatiua, & diaphoretica, & maturatiua, & similes plurimæ. Harum vniuersarum finis est, vt in corporis vsum cedant, & aduersus incumbentes illi morbos auxilio sint. Cùm enim corpus fragile & corruptibile creatum sit, suis omnino præseruatiuis opus habet. Hîc ergo primùm notate, tot malis, corporis membra tentari, quot

Hominis gratia omnia facta.

Corpus hominis fragile est.

quot arcanis natura pollet. Quot enim arcana, tot morbi. Verum ergo Medicinæ fundamentum hîc positum est, vt morbus quilibet ex formâ specificâ, non ex arte compositionis curetur. Quæuis enim compositio est veræ artis confusio. Et oculos quidem ad opifices alios conuertite, ac, quod ipsis commodet, aut in quo artificium ipsorum consistat, attendite. Sic bractearius bracteas ex solo ferro, figulus ollam ex solo luto conficit. Sicut ergo huiusmodi ex forma specifica proueniunt, ac producuntur: sic idem etiam in medicina obseruatu necessarium est. Quòd si quis ad bracteam cudendam medium aliquod, nempe ferrum & cuprum simul mixta assumere vellet: finem suum ægrè impetraret.

Morbi et curando.

Sunt ergo in Medicina specifica eiusmodi, quæ morbum tollant, sicut aqua ignem. Si quis enim aliter, quàm aquam affundendo ignem exstinguere satagat: is ignem victorem faciet & inextinguibilem, donec per seipsum deflagret. Hinc constat, Theoricam Medicorum ex nullâ natura, instar vagorum spirituum euntam & confictam esse. Cuius inuentores si naturam nouissent in sua potentia, recipe suum vtrique haud inuiti abiecissent. Cùm ergo citra naturam Theorica illa constituatur: ipsius naturæ secreta quoque ac magnalia obliterari necesse est, & mendacia eiusmodi quidem naturam ipsam, quæ merè veritas est, pensare nunquam queunt. Quicquid ergo de natura disci & cognosci potest debetque, hoc est, vt nimirum quodlibet simplex in sua arcanitate (ita loquor) & corpus secundum suum morbum intelligatur: sic vtrinque par numerus emerget. Cum natura enim ita comparatum est, vt arma ac hastas plures non cudat, quàm quot sibi obiectos hostes nouit: hoc est, plura non profert remedia, quàm morbi sunt: nec morbi sunt plures, quàm remedia seu arcana. Nec compositio hic requiritur, sed recta inuasio & porrectio. Quæ autem arcanorum ortus ratio sit, in Yliado explicatur. De ipsis hîc obiter indicauimus, quantum quidem ad crescentium fontium cognitionem requiritur.

Specifica remedia quæ sint. Medicorum receptæ reijciend.

Quot morbi, tot remedia: & côtra.

Fructus ergo terræ in qua forma ex terra prodeunt, in ea ebrietas ac gustus, &c. Hoc si fieri debet, opus est vt producatur per formam & corpus aliud, quàm terra sit. Sequitur ergo, fieri id debere per tria elementa cætera. Quanquam genuina virtus ex terra oriatur, hoc modo. Virtus congelationis est in elemento terræ, & corpus non habet, vt nec partem ex elemento terræ. Corpus autem est terra, & in formam aliam transmutatur vertiturque in arborem, ad quam facit seu quadrat, hoc est, Anatomiam vnam in omnibus naturæ generibus seruat. Vt, coralli sunt Arcana in siphita. In Anatomia, coralli & Anatomia siphitæ arbor vna, vna forma est, non autem vnum corpus. Idem similiter de generatis omnibus statuendum est, vt Anatomia secundum formam similiter instituatur. Iam ergo natura arma, quæ morbo conueniant, arripit, ac militis ingenio moreque pugnat, qui, prout ab hoste inuaditur, ita ei resistit & obluctatur. Non enim aliter ipsa quoque natura facit. Quam dexteritatem eius velim calleant Medici, qui artem suam tantopere venditant. Hic enim theorica agnoscit Anatomiam, & Anatomia est theorica Medicorum (non Theorica vestra) Non enim de Anatomia Italorum, hoc est, cadauerum hic loquimur.

Congelatio vnde & vbi.

Coralli arcana Siphitæ.

Naturæ & militis comparatio.

Cùm ergo forma emergat secundum formam & arborem morbi: idem deinceps similiter etiam de generatione statuendum est: opus itaq; suũ si natura cudit, crassius id primò facit. Ita nullũ sub Sole videtis opificiũ, quod solũ per se, sine ope aliorũ opus suũ perficiat & expoliat. Sic aurifex sine carbonario nullus est: sic carbonarius nullus sine fabro propter securim, &c. Ita & terra suo certo & requisito artifice seu magistro opus habet. Opus habet gemmario, qui naturæ opera poliat, & conspicua reddat. Id impetrat à duobus externis elementis, aëre nimirum & igne. Aër est is, qui nutrit. Quamprimùm enim semen terram egreditur, continuò vescitur aëre, & eo, quod aër offert. Iam in aëre tam varia sunt alimenta, quàm varia sunt homini super terram. Et licet aër quidem corpus vnum simplexque appareat, simplex tamen non est: sed quot species sunt generatorum, tot cibi etiam sunt in aëre. Hoc modo nutriuntur herbæ, quælibet pro conditione suâ. Sicut enim suum in cibis discrimen seruant homo, sus, & pecora alia: sic idem solent etiam herbæ. Quæ quod ex terrâ sumunt alimenti vice ad incrementum ipsarum corporis facit, sicut natura terrenorum requirit.

Artifex artifice eget.

Aër simplex non est.

Itaque porrò tenete, elementum ignis, hoc est, cœlum cum suis Astris, illa assumpta coquere & digerere. Coctionis huius hæc est ratio. Primò, nisi elementum ignis esset, hoc est, cœlum cum suo calore, crescentia vniuersa cruda manerent, nec vnquam maturescerent. Quod si enim dies esset sine Sole, Solque nullus, hoc est, nullus de cœlo calor deflueret, & tamen dies ac nox esset, & temporis æqualitas gliscerat: crescentia quidẽ vniuersa nihilominus crescerent siue prodirent. Sed tamen bona minimè forent, hoc est, nunquam clarificarentur. Vua instar prunorum essent. Sol ergo est, qui crassitiem & cruditatem illam clarificat, & immaturum maturum facit. Sic enim bractearius thoracem polit: sic Sol crescentium poliendorum artifex est. Vbi notare debetis, generandi seu crescendi vim à terra, non Sole dependere. Sol tamen est is, qui clarificat. Reliqua tempus confert, sicut in prægressis capitibus diximus. Vis ista clarificandi in Sole est multiplex, non vnius modi, quasi clarificatio à lumine siue splendore emergeret: verùm contra, quoties generatum aliud, toties peculiare lumen, hoc est, nouus magister aut artifex. Peculiare enim suum lumen vinum habet, nec illud, quod habent Ribes. Sic lumen aliud habent Acatia, aliud Berberis: similiter aliud Auena, aliud Triticum. Nec, quia Sol vnus, vnica ob id tantùm vis aut potentia est: sed in vno eodemque Sole tot virtutes sunt, quot sunt generata. Sol ergo maturandorum & excoquendorum crescentium vim habet, quæ aliàs cruda & crassa manerent. Hoc exemplo crescentes

Cœlum crescẽtia coquit.

Sol cruda coquit, à terræ vi progenita.

Lumen peculiare est cuilibet crescenti.

quoque fontes modis multis diuiduntur. Vinum enim infiniti generis ex terrâ prouenit. Vbi attendendum est, quàm subtiliter gradus cognoscendi sint. Si enim solum vinum in mille ad minimum partes diuidendum sit: ex hoc iam liquet, quàm subtiliter id fiat. Idem de gradibus bonitatis quoque in rebus omnibus æstimate, nec per scalas tantùm quatuor transilite. Saltu longè cordatiore opus erit. Gradus huiusmodi ipsa terra & quatuor elementa non dant: sed de numero æquali agitur, hoc est, qui numerum Astrorum nouit, is numerum etiam generatorum tenet. Hinc enim gradus & variæ conditiones rerum emergunt, non quidem quod stellæ numerum compleant, aut quod stellæ potentes sint ad terræ fructus producendos: Sed terrà non minùs potens est ac cœlum, per se. Sicut enim stellis cœlum vacuum non est: ita nec inanis terra est. Et tellus seu fundus duplex est, quorum vterque suum gramen habet, ne sterilescat. Et ista vis, illa magnalia elementorum sunt. Quorum qui vnum nouit, is nouit itidem & cætera, ipsis similia. Et qui causam tenet, cur hoc in ligno, illud in herbis sit, & cur istud diuersum sit ab illo, is verum anatomiæ fundamentum intelligit, in quo nos finimus. Si qui hîc processum expeditiorem expectant, hi querant illum in Yliado. Quas enim virtutes hîc non describimus: eæ in lib. 4. Archidoxis explicabuntur, velut & in aliis passim de natura edendis scriptis supplebuntur. Hic enim introitus & initium constituitur. Et quem hîc finem facimus, initium est paragraphorum in paramira. Hoc libro aquas tantùm naturales describemus secundum ipsarum ortum, essentias & proprietates. Non quidem, quod expressè hîc arcana enumerare satagamus, (id enim Archidoxicum est) aut quod tria prima secundum textus ordinem explicemus (quod Yliadum est) sed quod ad sensum libri nostri Yliadici hæc quoque hoc loco dicta intelligi velimus. Ibi enim vniuersale, hic particulare tractatur. Eodem modo & quę de virtutibus hîc dicuntur, accipienda sunt. Ex his itaque intelligere debetis, quidnam elementa operentur, aut quo modo cognosci debeant, & quâ ratione corporib. nostris accommodentur. Post ea ergo dicta explicataque quartum, hunc librum de naturalibus aquis concludimus, vobisque vnum ex altero discendum & colligendum relinquimus.

Astrorũ numerus numerũ dat generatorum. Terra nõ minus efficax cœlo.

LECTORI.

Sequentis quinti libri tractatus primus & secundus omnino mutili sunt. Ipsum enim autographum ad manus non fuit, ac in cæteris manuscriptis præter hæc nihil inuentum est. Tertius autem tractatus integer est.

DE NATVRALIBVS AQVIS LIBER QVINTVS

THEOPHRASTI HOHENHEMII.

De Aquis cadentibus.

TRACTATVS I.



AD complendum institutum nostrum de aquis naturalibus, superest, vt etiam librum de aquis cadentibus pertexamus. Et initiò quidem sciendum est, quid casus aquarum sit, post nomen nempè aquarum aliarum in prioribus libris explicatum. Illarum ergo tractatus hîc ortum explicat. Cadendo enim ad nos perueniunt, vt sunt pluuiæ. Per has definiuntur aquæ elementi ignis. Quicquid enim eleuatum supra globum & aërem super nos cadit, ab elemento ignis est. Ex cuius impressionibus ipsa quoque pluuia est: cuius hîc mentionem nullam facimus, quia à nullis aquis naturalibus postulari potest. In principio autem huius libelli tenendum est, quòd hîc describamus aquas cadentes ex igne duobus modis.

Aq. cadentes quid.

(Defectus hoc loco est aliquot linearum.)

In descriptione hâc notate diuisionem, quomodo mortalia elementa in quatuor distribuantur. Ea pòst iterum in ordines binos diuiduntur, hoc est, in partem globi, quæ est terra & aqua, quæ globum vnum constituunt. Iam verò aër quoque & ignis globus vnus sunt, à priore diuersus. Et hæc sphæra tota est. Præterea sicut elementum quodlibet seorsim iacet in suo corpore: ita seorsim est aër, postea ignis, extra aërem. Et sicut aër extra globum consistit: ita ignis situs est extra aërem. Præter hæc omnia diuisio adhuc alia est, ex quâ procedit operatio ex terra, ex aqua, ex aëre, ex igne. Ea diuisio fit in duo, hoc est, in corpus & in crescens. Corpus est, ex quo crescens procedit. Crescens est id, quod partem alteram in elemento constituit. Sic duæ partes sunt in elemento quolibet.

Sphæra elementorum diuisio.

(Deficiunt aliquot lineæ.)

Porrò ergo scitote, &c. distributionem corporum, &c. in aquam & in ipsius metallum, seu minerale. Quicquid enim ex elemento aëris oritur, id minerale est. Eodem modo & quod ex terra generatur, vocatur (.......) ex aëre vocatur Manna: ex igne, vocatur cadus aut impressio, & similiter. Notate hîc etiam, sicut antea diximus de duobus cæteris elementis, quòd nimirum ex corpore fructus proueniant. Fructus enim est natura ex quatuor elementis: hoc est, quælibet res, ex terra prouenien s, fructus est. Idem processus etiam in naturalibus aquis ignis seruatur; ademq; hæc descriptio cæteris quoq; accommodatur. Et quod vni decedit, in altero completur. Palmarium itaq; in hoc libro hoc est, vt corpus ignis, quidnam sit, probè cognoscatur. Quanquam totius corporis descriptionē aliter non aggrediamur, nisi quatenus ad cadētes aquas nobis commodum est. Cætera quæ desunt, in Meteoricis, &c. Fructuum 4. elementorum traduntur. Vbi iterum quæ deficiunt, hinc sarciri possunt.

Minerale quid. Manna quid. Cadus quid.

Fructus quid.

Corpus, ex quo stellæ crescunt, res est impalpabilis, & tamen integræ formæ (al. coloris) stellæ, quæ ex illo crescunt, sunt à primo Ylech. Suū tamen elementum ex dicto cœlo subindè assumunt. Id nimirum corpus est, quod ibi, instar liquoris terræ in elemento terræ situm est. Hinc sequitur, stellas ipsas ex isto corpore alimentum quærere. Nam quia ita.

Stellarum corpus quid.

Stellæ unde alantur.

(Defectus vnius lineæ.)

Sciendum itaq; est, corpus (firmamenti) extra, næcus supra stellas esse inuisibile, & tamen

impalpabili ratione ac modo Smaragdino, vltra diaphanum tinctum. In corpore isto liquor eſt, ſtellas ſuſtentans, hoc eſt ex liquore illo naſcuntur pluuiæ, velut ex liquore mellis. Quod vt in terra eſt: & in terram cadit: ita hîc quoque. In hoc enim corpore iſtiuſmodi rerum ſemen conditum eſt, vnde in illo generantur (...) pluuia, nix, pruina & ſimilia. Hinc ſequitur, in corpore ignis operationem non minus eſſe, ac in elemento aquæ, vbi coagulatio nulla fit, ſed extra elementum potiùs, dum ſcil. in aliud corpus imprimitur, in quo operatio perficitur. Et cibus ita in ſtellas egreditur, ſicut pluuia in terram cadit, ſtella quauis ſuam proprietatem trahente, impermixtim. Ea ſiquidem huius loci natura eſt, vt ſtellæ vel ſublimes vel humiles ſtent, non ſecus ac fructus in arboribus.

Stellæ in cælo ſicuti fructus in arbore.

Hoc enim modo ſtatuendum eſt de eo, quod corpus ſtellarum in firmamento ſuſtinet, per quod Sol operatur, quod eſt Iris. Stella enim quælibet ſuum ſimile & familiare attrahit, ſicut de terra dictum eſt. Scitote ergo, ſtellas ſeu aſtra locum eſſe pluuiarum. Corpus ſunt pluuiarum ſemina: pluuiæ fructus. Ita ſemen prodit ex corporib. Vlterius ergo pluuiarum arbores ita, vt dictum eſt, cognoſci debent, quænam ſcil. ad ipſas requirantur. Quantum autem ad formam genuinam propoſitarum aquarum cadentium attinet, ipſa hac concluſione definietur, quòd nempe ex corpore ignis ſtellæ velut arbores oriantur, & ex corpore ſtelliſque pluuia generetur, ſicut deinceps dicetur.

Stellarum ortus qualis.

Sed deinceps & hoc ſciendum eſt, quænam pluuiarum materia ſit. Eſt autem ſal ignis, permixtione aliena carens: eſtq; ſal, quod in illam formam reſoluitur, ſicut deinceps dicetur. Quâ ratione ex ſemine naſcitur lignum aut ex aquâ lapis: ſic ab eadem vi ſal quoque ſuum incrementum habet. Vis ergo in pluuia eſt, quæ lapides indurare poteſt. Virtus enim congelationis omnis ex ſale prouenit, atq; per ſal dominatur. Et licet fieri quidem poſſit, vt per pluuias metalla & alia generentur: id tamen ex tribus primis ignis pendet, veluti in Meteorica comprehenditur. Ibi enim operationes omnes ſunt, velut in elementis cæteris. Ac operationis quidẽ modus per pluuiam manifeſtatur, multa nempe in ſtellis relinqui, quæ non deciderunt: imo ſaxa omnia in mari de cœlo cadunt, &c. quorum coagulatio in mari fit. Ex ſimili cauſa generantur etiam ranæ, vermes, & ſimilia veluti vermium terreſtrium ortus docet. Ex pluuiâ enim & per pluuiam generatio talis non minus fieri poteſt, quàm ex terrâ. Quæ tamen, cùm à propoſito noſtro aliena ſint, in libros Meteororum reiicimus.

Pluuiæ materia ſal.

Pluuia lapides indurare poteſt.

Saxa, vermes de cœlo.

Quodlibet enim corpus, quod ex terra cõſtat, ex duabus partibus componitur, hoc eſt, ex quatuor elementis in duos ordines diſtributis, ita, vt homo, pecora, creſcentia &c. ex vna parte duo elementa habeant, ex altera itidem duo. Primæ partis ea eſt ratio. Quicquid corporis habet homo, id habet à terra. Quicquid habet animi, id ab altero elemẽto, ignis ſcil. ſortitur. Terra aquã in complexu ſuo gerit. Ita ignis cõplectitur aërem. Hoc modo corpora omnia conduntur, & ex terra creſcunt, animus autẽ ex igne emergit.

Corpus hominis ex terra eſt: animus ex igne.

Cùm itaque corpus ex terra oriatur, & inane fit: animus autem ex igne & ipſe vacuus: duo iſta conſtituunt hominem, conſtituunt etiam creſcentia, & cætera. Terra quidem corpus largitur, ſed non animam. Supernè ergo proceſſus totidem ſunt, quot infernè. Proceſſus ſunt, vtrinque ſcil. æquales operationes & ſpecies, ita, vt corpus per elementa ſuperna compleatur. Vtriuſque autem ſemen in vno eſt, nec vni elemento ſeorſim aſſignatur, quantum ad corpus aut elementum attinet. De ſeminib. illis in omnib. aqueis elementis loquimur, ſed tamen ſemper cum reſeruatione aliqua.

Sed poſt hæc omnia id tenete, quo modo corpus & animus ortum ſuum ab vtriſq; elementis ſumunt: ita cùm homo tum creſcentia ad illa ſuſcipienda compelluntur, veluti de Meteoris, & ſeminibus animorum pleniùs traditur.

(Deficiunt quædam.)

ſicut duo elementa, aqua & terra, producunt, corpus hominis eſt. Quantum verò animam cùm hominis tum brutorum & ſimilium attinet, ex duobus ſupernis eſt. Meteoricum ergo id de generatione animi, quæ ſumma eſt ex omnibus ſuperiorum elementorũ impreſſionibus, hominibus probè cognitũ eſſe oportet. Et hæc omnia pro exẽplo adducimus, ex quo cognoſcatur coniunctio, quæ inferius per ſuperius perficit, vt ſciatis, neceſſarium eſſe, pluuias & ſimilia oriri, quia creſcentia in rebus omnibus ſunt, nec vllum corpus inane eſt.

De hiſce omnibus autem tenete, qua ex vi & cauſa, pluuiæ aut arborum Impreſſiones oriantur. Quas nos quidem de aliquibus cauſas depromimus, eæ ad corpus ſolum referuntur. Initio ergo hoc intelligendum eſt.

Reliqua non habentur.

Sequitur Tractatus tertius, libri Quinti, qui eſt integer.

TRACTATVS III.

GEnerata ergo prædicto modo nube, tot reſolutionis genera accidunt, quot fumi ſunt in omni terra. Quæ enim differentia rerum omnium fumi eſt, eadem & nubium eſt in ſua natura. Quanquam fumi etiam in hoc differant, quod vel reſoluantur, vel non reſoluantur. Nam in elemento aquę fumus nullus reſoluitur. In elemento terræ alius reſoluitur, alius minimè. Aliqui enim ſunt ſicci, aliqui aquei. Tales ſunt etiam fumi ignis in elemento. Sicut enim videtis, fructus terræ aquam eſſe: ita nubes etiam inſtar herbarum aqua ſunt. Iam, vt homo herbas in aqua redigit, ita elementum ignis nubes in aquas reducit. Et ſicut ſol nonnullas aquas extrahit: ita ſimilis operatio etiam in nubibus fieri poteſt.

Fumi vt differãt.

Non ergo à ſolis nubibus pluuia oritur, ſed etiam ex herbis, vi ſolis, licet inuiſibiliter. Nam quod ſol attrahit, id vaneſcit more aëris ex ore efflati. Sic quod ex vi ſolis oritur, illud diſparet, & tamen in fundum ſuum recidit, ſine ſenſu, ita vt viſibilis nulla pluuia cadat, & tamen terram contingat. Nec tamen ros eſt. Similis ratio fumi. Is in aëre diſparet, non quòd à vaſtitate diſpellatur, cùm ſuam metam teneat, ſed quòd conſumatur, ſicut ignis conſumit lignum. Eodem modo ipſum conſumit aer,

Pluuia multiplex.

aër, & pluuia tamen est, in suum interitum ruens. Quin & pluuias suas aër fundit dando rorem, tronum, tereniabin, &c. Quodlibet ergo elementum in suis fructibus se ita habet, vt per resolutionem suam pluuia fiat, nec pluuia tamen vocetur, idque hâc ratione. Tenendum est, aquas, quas hîc describimus, omnes non aliter, ac pro pluuiis accipiendas esse. Vbi etsi ipsa quidem nomina euariant, id offendere naturalem non debet adeò, quin potius rectà ad noscendã naturam, ortum & causas sese conferat.

Cæterùm si hoc modo fontes sui elementi pluuia sunt, inque riuos confluunt: cœli quoque riuus similiter guttatim in terram defluit. Is enim ordo propter necessitatem est, ac generationis suæ processum peculiarem habet. Sicut enim elementum quoduis peculiarem suam naturam habet, ita & hoc. Pluuia ergo aqua nihil est nisi aqua, per philosophiam non aliter ac aquæ aliæ cognoscenda, nihil obstante, vel forma, vel ortu, quæ naturæ potius adscribantur. Et natura proprietasque pluuiæ eadem est, nec minùs quæri debet, ac in elementis cæteris. Ideoque si terra non proferret medicinas & similia: defectum hunc aqua pluuia farciret vtique. In pluuia enim sunt vrtica, tapsus, bryonia & similia alia omnia. Pluuiæ ergo conditio probè omnino noscenda est. In ipsa enim fundamentum Medicinæ non minùs ac in aqua aut terrâ positum est.

Pluuia aqua quid.

Verùm enimuerò, cùm de elemento terræ ita statuendum sit, ante omnia scitu dignum est, quomodò pluuia gignatur. Tractatus enim pregressi generationem nubium explicant, hîc autem de earum dissolutione, hoc est, de generatione pluuiarum disserit. Vt enim inconueniens est, arborem secundum generationem suam describi, & fructus mentionem non fieri: Sic idem hîc quoque fieret. Nubes enim est arbor & huius fructus pluuia. Proprietas ergo pluuiarum: post descriptam naturam arboris & fructus omnino subnectẽda est. Sicut enim peculiares arbores, peculiares herbæ sunt, ita etiam peculiares pluuiæ, quod Medicis sedulò ac sobriè cogitandũ est. Qui enim horum ignarus est Medicus, is nec Philosophus est, nec fieri potest. Ex naturæ enim hoc ordine, virtuteq; ac Medicinâ cognitis, verus Medicus emergit. Et qui cognitione istâ destituitur: is medendo non secus delirat, ac si sutor metalla corij more tingere, aut faber lignarius sua securi saxa findere attentaret.

Nubes arbor pluuiæ.

Si verò dicto modo generata nubes est, opus habet, vt in resolutionem abeat, non secus ac terra in gramen erumpere cogitur. Hæc resolutio guttarum modo in nubibus fit, nec dilabi aut aliter distribui potest. Quòd si enim in cadendo guttas fieri oporteret, lapsus iste nimium præceps & subitus fieret, ita vt non semper guttæ emergere possent. Nec enim ea semper lapsus nubium fortuna est, vt à ventis difflentur. Tum etiam hoc modo non iugis ac durabilis destillatio fieret, sicut pluuias prolongari obseruamus. Ex ipsis ergo nubibus guttatim pluuiæ decidunt, pauciores vel copiosiores, pro naturâ nempe nubium. Exemplum. Salia omnia per saccum oblongum guttatim resoluta defluunt, non confertim. Eandem resolutionis Naturam more salium, ipsæ quoque nubes habent, licèt nullo sacco includantur, sed liberè diuagentur per aëra. Adeò enim industrius est creator, vt talia præter omnes hominum vires ita disponere queat. Nubes ergo salium naturam retinent, & guttatim decidunt.

Pluuia qui stellatim fiat.

Pro rei explicatione exemplum afferamus. Videris nempe, lapidibus omnibus suas formas esse, huic hanc, illi illam. Id omne fit à vi salis. Forma enim in sale est. Vt ergo grana lapidum nascuntur, ita generantur etiam in nubibus, eademque hæc virtus est, quæ granatos granulosos facit. Idem similiter etiam in nubibus fit. Natura verò ipsorum elementorum facit, vt inter lapides & pluuias discrimen sit. Formæ autem in omnibus elementis ex vna natura emergunt, nempe ex sale. Sicut ergo terra peculiarem suam formam in rebus omnibus habet, sic ex eadem vi pluuia quoque peculiarem suam formam adipiscitur, sic etiam aqua. Et guttarum pluuialium ortus aliter intelligi non debet, quàm videmus, ex arboribus Nuces, Castaneas, Pyra, &c. produci. Quarum formarum omnium natura sicut à sale dependet, sic etiam in nube idem fit, ex qua guttæ fiunt, non secus, ac ipsæ nubium nuces aut pyra essent. De guttarum ergo origine & causa amplius nihil tenendum est. Qui verò diuersum à nobis sentiunt, quòd guttæ, aut ex casus impetu, aut venti difflatu generentur: hi sua somnia sese narrare non attendunt. Si enim à lapsu guttæ formarentur, à lapsu etiam pyra fingerentur. Sed isti rerum Naturæ imperiti æstimatores sunt. Si enim, quid nubes esset, intelligerent, perperam se loqui animaduerterent. Adde quòd ignorent etiam, nubes nempe suas pluuias ex eadem vi producere, qua arbores producunt sua pyra.

Formæ terræ [illegible] à sale.

Guttæ non à lapsu [illegible].

Porrò verò multæ pluuiæ sunt, quæ primùm collectim ruunt (hoc est — ita —) donec in vnum corpus iunctim coëant, qualibet suæ magnitudinis formam retinente. Ita & salis lapides collecti, ex parte grana sunt, & tamen lapidibus similes existunt. In hisce crescentibus lapides se resoluunt, eademque magnitudo guttas reddit, hoc est, gutta tam magna est, qua magnitudine granum in nube coagulatum est. De qua re ita cogitate, quòd omnes lapides ex compactione oriantur, & tantum pulnis sint. Puluis iste in lapidem coactus & compactus est, sicut multos lapides arenosos videris, vbi guttæ granorum appensæ cernuntur. Eodem modo & nubes compacta est. Et veluti in mortario lapides in puluerem conteruntur, ita & nubes in puluerem, hoc est, in aquam resoluitur. Puluis enim de genere lapidum, & aqua de genere pluuiarum est. Et vnum quodq; sui generis manet, hoc est, vtrumq; aut est puluis, aut est aqua. Nominib. autem cur differat, forma facit, non natura & proprietas. Vtrunque enim talis natura est. Quodlibet enim suum Alcool reddit, modo eo, quo diximus.

Lapides omnes ex compactione [illegible] [illegible].

Sed & ad proprietatem nubium, antequam pluuias reddant, attenderis, quòd nempe

Vapor nubium qualis.

non tantùm, quales ipsas videmus, supra nobis sint, sed ex parte aliquâ etiam nobiscum versentur, hoc est, Nubes, super nobis versantes corpus sunt, ex quo pluuiæ fiunt. Earum insuper proprietas & hæc est, vt halitum & vaporem emittant, si regionem, in quâ librantur, attigerint. Similesque sunt igni, qui suum corpus ibi habet, vbi est. Vaporem tamen suum, hoc est, ignem longè vltra amplitudinem sui corporis effundit. Sicut ergo calor ignis longiùs extra suum corpus egreditur, ita similis vapor etiam ex nubibus egreditur, sui corporis naturam retinens, vt calor ignis. Et veluti prædicti ignis calorem non videmus: ita nec hunc vaporem aspicere possumus, corpus tamen eius, hoc est, nubem ipsam videntes. Propterea, sicut calor exiccat, quod corripit: ita nec vapor iste naturam suam exuit, sed peruertit, quidquid attingit. Hinc est, quod cardines strideant, si fores aperiantur aut claudantur. Idem hic vapor fumum quoque camini deprimit, & adhærescit cloacis, & odorem deprauat, & similia alia facit. Hæc omnia signa sunt venturæ pluuiæ. Et sicut calor de igne testatur: ita hic vapor de pluuia. Ex hoc vapore etiam alia pluuiæ signa defluunt. Iste autem vapor pluuiam aut simile quid non facit. Vt cùm calor ignem facere non potest; ita nec iste pluuiam. Idem vapor ardeas compellit, vt humiliùs volitent. Ipsius namque vim euitare conantur. Vt enim nos fugimus ardorem; ita ardeæ istum vaporem. Delectantur enim volatu sublimi, & aëre puriore. Signa huiusmodi pluuialia multa simul offeruntur, quorum causæ supra dictæ sunt.

Vaporis [illegible]

[illegible]

De nubibus hisce hoc præterea etiam tenendum est, quòd in montanis potissimum resideant. Dum enim pluuiosæ nubes vagantur, nondum in guttas resolutæ: humiditas terræ causa fit, cur nubes resoluatur, aut ad resolutionem disponatur. Ipsa enim nubes in sua materiâ per se non resoluitur, sed veluti res per humiditatem terræ resoluitur in aquam, ita hîc quoque nubem per terram resolui opus est. Et hinc fit, quòd in nonnullis regionibus, aut nunquam aut raro pluat. Illius enim loci nubes à terrâ resolutioné non accipiunt, nimium scilicet siccâ, & minus resolubili. Quòd si verò terra ita disposita non sit, sed sit humida (———): tunc resolutionis omnino causa fit. Ob hanc causam pluuiæ in his locis frequentiores sunt, quàm in aliis. Sic & in montanis humiditas multò vberior halat, quàm in locis aliis. Quæ ergo nubes in montes incidunt, illæ resoluuntur, quæ aliàs in pluuiam non descisceren.

Pluuiæ cur alicubi [illegible]

Et licèt nubes quidem humiles vel sublimes moueantur: in pluuias tamen non conuertuntur, nisi à terræ humiditate contingantur. Abeunt enim in pluuias, pro resolutionis suæ modo ac conditione. Hinc etiam multitudo pluuiarum emergit. Nec enim à nubium copiâ id semper dependet, verùm frequentiùs à constitutione Terræ, quæ nubes frangit, & vno tempore magis quàm alio halat & vaporat. Ob coniunctionem enim humiditatis terreæ, & materiæ nubium, pluuia producitur. Nubes siquidem per se ex virtute propriâ in pluuiam fatiscere nequit. Sicut enim salia sicca manent, nisi madore terreno imbuantur: ita & nubes. Terra namque cuiuscunque resolutionis causa est. Fit etiam frequenter, vt sol nubes consumat, sicut ignis lignum. Is enim si humiditatem terrenam anteuertens nubi sese conferat, nulla pluuia oritur, quia nubes pluuiâ consumitur. Contrà, si humiditas terræ nubem citiùs corripiat, resolutio illicò sequitur pro nubium paucitate vel multitudine.

Pluuiarum frequentia vnde.

Sol pluuias impedit absumêdo nubes.

Pluuiæ marinæ, & ipsæ à terrâ, non ab aquâ resolutionis suæ principium sortiuntur. Si enim terra humiditatem suam mari conferat quæ postea ascendat: tunc ipsa nubes resoluendi vim habet, non secus ac super terra. Hæ tamen pluuiæ in mari non æquè frequentes sunt, ac in terra: quia humiditas terrena non ita illic frequenter ascendere potest. Mare enim est medium, quo illa impeditur. Quòd si tamen etiam super terrâ humiditas sit, pluuia oritur. Sola enim humiditas terrena resoluit nubes, & non aquea. Illic enim materia Salis est, quæ guttatim resoluit non confertim. Fiunt etiam in mari pluuiæ latiores & impetuosiores, quàm in terra. Terræ enim in resoluendo inequales sunt: cùm interim mare æquale sit. Accidit etiam, humiditatem terrenam nubes sistere & cohibere, ita vt compellantur in illo loco resolui, nec longiùs vagari queant, quamdiu enim nubes siccitatis quid habet, à ventis disiici potest. Vbi primùm verò in humiditatem incidit, venti secura, suo impetu & arbitrio hùc illùc vertitur. Fit etiam vt nubes frequenter vnà cum resolutione augescant, ac in ipso incremento resoluantur, pluuiaque fiant. Hinc sæpiùs ex nubibus exilibus, longæ & diuturnæ pluuiæ nascuntur, quæ iam intermittant, iam iterum inualescant. Cuius rei causa in tractatu primo, de origine nubium, comprehensa est. Multæ etiam sunt pluuiæ

Pluuiæ marinæ vnde generentur.

Cur rariores.

Pluuiarū variæ affectiones.

(videntur pauca hic deficere.)

vbi vna interdum terra, altera citiùs illam resoluat. Gradatus itaque illi fortitudinis in humiditate terrena nubem hanc aliâ, magis minúsue resoluunt, pro graduum nimirum conditione. Operatio enim omnis à Gradibus dependet.

Nubium lapsus vt fiat.

De nubium autem lapsu hoc tenendum est, ipsas à vi ventorum hoc modo deiici. Generatio nimirum ista nubium admodum compacta & compressa est. Cæteræ siquidem nubes tenues sunt & puræ qualem videtis esse fumum. Dum autem nubes adeò compressæ se congerunt, aut plures vnà in circulum vnum coëunt, similique modo humiditatem terream asciscunt, hoc est, simul & semel, non discretis vicibus, ob summam maturitatem resoluuntur: tunc vno impetu, simul nubes decidit coacta, non secus ac si quis nucem iuglandem aut aliud quid quateret. Terrena enim humiditas in nubes irrumpens, eas quando vi occupat, vt violenter deiiciantur. Eiusmodi tamen impetus sine vento fieri nequit. Quando enim venti concurrunt, & nubes pluuia copiosa adest, humiditasque terrena à vento violenter in nubes compellitur, tam repentinam resolutionem fieri

fieri necesse est. Fit etiam quandoque, humiditatem terrenam in aërem ascendere, nec tamen pluuiam suscitare, ob defectum nubium. Dum verò postea nubes oritur, ac cum humiditate dicta conseritur in sublimitate, pluuia & repentina & violenta cieri potest.

Quando ergo Sol splendet, suosque radios confertim in terram demittit, terra exiccatur & exhauritur: hoc est, humiditas terrena ascendit in aërem, ibique manet, nec pluuiam ciet. Nec enim ex terra aut aquâ materia nubis produci potest. Humiditas ista terrea quando ita inuisibiliter in aëre volitat, quamprimum nubes pluuiosa offertur ipsi, liquatur & resoluitur illicò. Multæ etiam nubes propter exilitatem minùs conspicuæ sunt. Quod si & in has humiditas impingit, decolorantur, & conspicuæ fiunt, ac in pluuiam abeunt. Et nisi humiditas terrea vi Solis attraheretur, pluuiosæ illæ nubes transirent vtique, nec pluuia oriretur. Pluuiæ autem à Sole frigidiore accitæ, sunt seriores, nec tam festinanter incumbunt. Ex his causa colligenda est, cur muscæ per tempestates eiusmodi tam acriter pungant. Inconstans nimirùm illa tempestas muscis inimica, eas quando in furias agit, veluti caniculares rabire faciunt canes. Per rabiem ac incitationem illam inuolant ac cum iracundiâ lancinat, quicquid obuium est, non secus ac rabidus canis homines obtruncat & mordet. Sed & alia quædam animalia per tempora eiusmodi rabiunt ac frigidiore aëre sequente sedantur.

Muscæ cur interdum acriusferiant.

Ex his liquet, pluuias, vt dictum est, variis modis oriri, veluti vniuersa, quæ per coniunctiones fiunt dissimili ratione incumbunt. Quod enim à coniunctione dependet, dissimili semper normâ cedit, sicut & homines sibi vniuersim non sunt similes. Hac ex causa pluuiarum quoque multiplex ratio est. Quod enim coniunctioni subiectum est, nunquam, vt diximus, eodem modo fit, sed, quot dantur generationes, tot videntur diuersitates. Si autem humiditas terrena in aëre iaceret, hoc est ex aëre prodiret, tunc pluuiæ sibi inuicem perpetuò similes fierent. Tum & pluuia alteram suam Essentiam impetraret. Quia verò in aëre ac vento humiditas nulla sita est, quæ nubes resoluere queat: ideò varietatem pluuiarum sequi necesse est. Similiter etiam à variâ stellarum (ceu in tractatu primo docuimus) naturâ, varia pluuiarum genera oriuntur. Vt enim inter se diuersi fontes sunt ita & pluuiæ. Multitudine enim, & virtute ac materiæ conditione ista talia constituuntur: quod ex tractatu primo repetendum est.

Coniunctio causa diuersitatis.

Pluuiæ variæ à stellis.

Porrò de aquis cadentibus hoc quoque tenendum est, nō omnes forma aquæ labentis decidere: Sed quædam formam habent niuis, quædā granulorum & similium, idq; vel maiore vel minore copia, pro tempore æquali vel inæquali. Huius census sunt Grandines, quæ & ipsæ cadentes aquæ sunt non tamen aquæ forma descendunt. Harum ratio talis est. Sal quoddam peculiare est, quod in eiusmodi grana coagulatur: non quòd guttæ pluuiales à frigore repentino instar glaciei ita Coagulentur: Sed eo, quo in tractatu primo diximus, modo, ex suis nubibus, generantur. Ipsarum Coagulatio ita se habet, quòd à calore aëris & Terræ, citra humiditatem terream liquentur, & in aquam dissoluantur. Congelatæ enim oriuntur & emergunt. Quando ergo ipsarum stellæ oriuntur, frigus inducunt vniuersæ regioni, donec generentur. Suum enim cursum tam in æstate quàm hyeme habent. Et quoties surgunt, toties brumalis conditio sequitur. Multæ etiam non integri grani forma in terram cadunt, sed interdum in aëre semiliquantur, & pluuia fiunt. Ea coagulatio similis est congelatæ glaciei, quę calore infestante tueri se nequit.

Gr[illegible]

Simili ratione & Nix aqua cadens est, ex suæ nubis conditione ita producta, & in aquam à calore resolubilis etiam sine accedente humiditate terrena. Nix enim & grando ea ratione differunt, ceu in explicatione ipsarum ortus dictum est. Differunt ergo secundum certas suas naturas & proprietates. Sicut enim Elementum Aquæ lapides & Metalla diuisit: ita distant nix & grando ab aqua pluuia. Et veluti Elementum Terræ ligna & herbas seorsim diuisit: ita similem modum Elementum Ignis seruat in Aquis cadentibus. Quæ autem præterea huc pertinent, ea in libro de Impressionibus Fulgurum fusiùs explanantur. Hîc enim ea saltem tradimus, quæ ad cadentes aquas pertinent, vt propositum nostrum de naturalibus Aquis exequamur. Et licèt præsens quidem liber, ab illo qui de Impressionibus fulgurum agit, ortus ratione non differat: ipsos, tamen discriminamus propter proprietates, quas habent ad naturales aquas Elementorum cæterorum. Et hisce explicatis libro quinto de Naturalibus aquis iam colophonem imponemus.

Ni[illegible]

FINIS PARTIS OCTAVÆ.

NOBILISSIMI,

NOBILISSIMI, CLARISSIMI,
ac probatißimi Philosophi & Medici,

D. AVREOLI PHILIPPI

THEOPHRASTI

BOMBAST, AB HOHENHEIM,
DICTI PARACELSI,

Operum Medico-Chimicorum

SIVE

PARADOXORVM,

Tomus Genuinus Nonus,

E Philosophicis verò Secundus, continens Arcana Naturalia & Supernaturalia, eorumq; causas, origines, substantias & proprietates,

Recenter Latinè factus, & in vsum Asseclarum Nouæ & Veteris Philosophiæ foràs datus.

ELENCHVS OMNIVM
LIBRORVM IN NONA PARTE OPERVM PARACELSI CONTENTORVM.

LIBER



LIBER DE LVNATICIS THEOPHRASTI.

PROLOGVS.



SEDVLO ac omni cura attendendum est ad spiritus hominum, quia duplices illi consiti & congeniti sunt. Decet enim secundum spiritum vitæ hominem hominem esse, nec secundum spiritum Limbi, qui brutam creaturam hominem efficit, viuere. Cum enim ratum sit, hominem imaginem Dei esse, diuinum quoque ipsi inesse spiritum, consentaneum erit. Idem verò præter hoc est etiam animal, adeóque spiritu etiam animali præditus. Quæ duo cùm inter se contraria sint, vt vnum alteri loco cedat, fas omnino ac æquum est. Iam, hominem non animal, sed hominem agere decet. Si ergo hominem agere debet, necesse est, vt ex spiritu vitæ hominis viuat, & brutalem naturam seu spiritum exuat. Necessarium itaque esse constat, hosce duos spiritus inter se probè dignosci, vt genuini spiritus humani præ animali certa cognitio præstet. Et hæc huius inscriptionis libri causa est, cui ob id titulum fecimus de Lunaticis, vbi etsi non sola Luna dominetur, hoc tamen nomen generale præfigere placuit, sub quo ipsam quoque Maniam, Vesaniam, & similia intelligi volumus. Instituti siquidem nostri est, hoc tenore spiritus Maniacos, & vesanos homines cum intelligi, tum curari. Et multi quidem Lunaticis his affectibus obnoxij sunt, qui tamen pro Lunaticis minimè habentur. Vt enim multiplices sunt Amentes: ita multiplices etiam sunt Maniaci, tam naturis quàm formis ac moribus inter se distantes. Amentes quidem spiritum brutalem sibi consitum habent: non tamen eodem etiam modo Maniaci. In hoc enim quadamtenus diuersi sunt. Deinde, Amentes degenerant in ratio-brutalia animalia. Maniaci autem in furiobrutales spiritus fatiscunt. Res ita se habet. Stulti furiunt cum ratione. Quicquid faciunt, ingenium brutale resipit. Si Amens dolosus & versutus fuit, naturam vulpinam exerit. Si fuerit audax & iracundus, lupi mores refert. Secundum species enim animalium Amentes diuiduntur, veluti in libro de generatione stultorum, ipsorum natura accuratiùs depingitur. Eandem autem rationem ipsi quidem Maniaci etiam habent, sed corruptam, & extra statum naturæ emotam. Ipsique sors & conditio eadem cum cane communis est, qui natura pollet gemina. Altera est naturalis, ipsi canum generi familiaris, cuius incitatione latrat, mordet, &c. sed tamen hæc omnia cum ratione canina. Altera eius natura se exerit, cum rabit. Tunc enim ex natura agit quidem canina, sine ratione tamen canina, dum morsu quosuis obuios, tam homines quàm pecudes infestat, quæ ipsi natura tamen vernacula minimè existit. Sua enim ratio, sua astutia est animalibus, vt vulpi, vt ceruo, vt pica, &c. præter quam quæ accedit rabies seu furor, Morbus est Lunaticus, quem hic describendum sumpsimus. De iis enim hic commentamur, qui Maniaci fiunt secundum rationem brutalem. Humana enim ratio Maniaca non fit, nec morbum concipit. In istiusmodi itaque hominum spiritu tale nihil quærendum est, sed in ratione potiùs brutali. Et hoc lector probè attendat ac intelligat. Magni enim momenti est, Maniacum & rabiosum dignoscere: cum rabioso cane is minus non sæuiat. Vale.

Hominis spiritus duplex.

Homo secundũ spiritum humanũ viuere debet.

Libri tituli quæ causa fit.

Lunatici multiplices sunt.

Amentes & Maniaci vt differãt.

Maniaci natura vt canis duplex.

Lunaticus morbus quis.

TRACTATVS I.

CAPVT I.



CVM Christus dicat, *vos Lupi rapaces estis*, adeóque homines lupos nominet, qui tamen homines sunt: luporum natura meritò expendenda videtur. Homines enim instar luporum & canum rabiunt. Itaque satis nobis causæ est ad describendum Lunaticos, quandoquidem Christus dicat, *vos genimina viperarum*, ac insuper Herodem *vulpem* appellet: qui, tamen non secundum formam animalia seu bruta sunt, sed secundum naturam. Itaque si homo sit animal seu pecus quoad rationem: æquum est, vt, quia secundum spiritum animalem viuit, secundum eundem etiam denominetur. Qui verò vt homo in humano viuit spiritu, is hominis nomen iure sibi vendicat. Initium ergo faciam describendi animales spiritus hominum, qui soli à vulgo Lunatici aut Maniaci vocantur, & iure quidem. Primò autem explicabo creationem hominis, quoad spiritum naturæ animalis. Secundò, quoad spiritum naturæ humanæ. Primus spiritus ex Limbo processit. Secundus ex verbo *Fiat*: & is homo est. Horum geminorum spirituum qui cognitionem sibi comparauit: qui quæso is non facilè iudicare queat, ex quo vel secundum quem spiritum viuat? Deinde idem etiam intelliget vim Allegoriæ à Christo propositæ, quâ homini animalis nomen assignat. Tertiò nos harum rerum explicationem vberiorem subnectemus. Quartò, quæ practica medicinæ naturalis sit, indicabimus.

Lunatici qui vere dicãtur.

Spiritus animalis & hum. origo quæ.

Cæterum de animali creatione nihil aliud nobis

nobis constat (veluti, ex quonam pecora, pisces, &c. creati sint) quàm quòd per verbum prodierint. Et tamen id sciri nihil interest. Homo siquidem ex Limbo factus est. Limbus autem nihil est aliud, nisi res in homine mortalis, quæ perit & putrescit, cum quâ simul etiam moritur & putrescit natura animalis. Semel ergo conclusum sit, hominem esse pecus seu animal, quoniam mortalis est. Animale enim est, quod moritur & putrescit. Aliàs ipse homo non putrescit. Debet enim in extremo die resurgere, & suorum factorum rationem reddere: ac tam bonorum quàm malorum mercedem expectare. Homo námque ipsum animale circumfert; nec animale suum ipsius onus fert, sed id suscipit ac acquirit homo, quia homo & non mortalis est. Propter creationem autem id sortitus est, vt sub pecuina naturâ, ac animali statu, omnes animales proprietates, iam has, iam illas habeat, ita, vt homo quilibet ex eo: quo animaliter regitur, similis fiat animali, vel vaccæ, vel sui, vel lupo, vel ceruo, &c. Quod quidem si remouerit, iam nudus homo præstò est, qui animali nulli accenseri, aut adiudicari potest. Iam verò Limbus est is, qui nobis corpus largitur. Et corpus est Limbus, in quo sunt cœlum & terra, omnísque proprietas animalium & auium. Et hinc causa ac origo patet, cur animal & homo secundum suum animal assimilentur, & mutuam inter se proprietatem habeant. Quod inter animalia in species diuisum est, id in ipso quoque homine diuisum est in genere: sed sine iudicio naturæ, occulto.

Homo ex Limbo fact[us].
Limbus quid.
Homo quid verè sit.
Homo ob lumbum fit similis animali.

Quæ hactenus dicuntur, spectant ad animalia communiter, quæ ipsa homini, & quibus homo, comparantur quod vtrinque natura animalis docet. Præterea verò sciendum est, ipsum quoque cœlum animali conditione & naturâ preditum esse. Quis enim dicet, Martem homini cognatum esse? aut quis profitebitur, Martem hominis esse Dominum, Inclinatorem, Ascendentémue? Nemo. Homo enim liber est, illorum expers, & naturæ peculiaris, nulli agnatus nisi Deo, secundum ipsius similitudinem & spiritum. Et verum est, quòd stellæ cœlestes naturam ac conditionem animalem habeant. Et hinc fit, quòd animalibus cognatæ illæ & affines ex illâ naturâ sint. Quòd si homo ipse quoque animal agit, ob id animali affinis fit, adeóque duplex existit, Animalis nempe & Humanus. Dabimus huius rei exemplum. Nam si dico, hominem Mercurio, &c. subiectum esse, veluti figura cœli docet, adeóque talem vel talem fieri, iam hoc discrimine id dico, vt non ipse homo intelligatur, sed animal, quod is est. Qui enim eiusmodi de homine narrat, is animal intelligit, non hominem. Ac ingenium tale, quod ex naturâ illâ dependet, de animali prædicatur, non de homine. Homo enim supra ista omnia est, & omnibus nobilior. Si nobilior est illis: qui ergo minoribus subiici queat? Eatenus ergo cœlum homini cognatum est, quatenus animal brutale concernit, cuius essentia & vsus vero homini prohibitus est. Cæterùm, quînam natura illa in nos ingrediatur, ita sciendum est; veluti Sol radios suos nobis immittit nósque calefacit, hunc recreans, illum lædens, externum corpus feriendo, quod similiter etiam Luna facit: ita pariformiter stellæ quoque animales animalem rationem in homine respiciunt, penetrántque poros, cutem cellásque, in quibus animalis ratio habitat, eo scilicet modo, quo splendor penetrat vitrum. Pro conditione itaque ac natura illius stellæ animalis, ratio sensúsve, &c. animalis afficitur, & infirmatur. Impressiones, Influentiæ, constellationes, &c. & huius generis cætera cuiuscunque nominis sint, saltem Animal respiciunt, non etiam hominem. Si homo vitam hominis viuit illa omnia nihili sunt. Si vero viuit instar pecorum, sortem eandem cum pecoribus experitur; hoc est, more pecudum transit, & in ipso verificatur, quod animaliter verificari debet. Sicut enim ab Astris stulti ducuntur, ita gubernantur etiam, qui sibi sapere videntur, ceu in proprio de his libro docetur. Secundum ista ergo tenendum est, quod, si ratio ita mutatur & furit, Mania iam vrgeat ac præstò sit, pro naturâ nimirùm illius animalis, quod ipsi dominatur, & maniam infligit. Mania itaque est animal furiens, sicut per caniculæ æstum rabit canis. Non enim aliter per suos caniculares ipse etiam homo furit & rabit. Iam verò hoc semel & accuratè tenendum est, quòd homo extra omnem conditionem animalem sit. Ipse ergo duplex est, Corpus nempe physicum, & corpus spiritus. Corpus physicum consideratur in Astronomiâ, Astrologiâ ac Medicinâ. Vbi hoc discrimen obseruandum est, quòd res, quæ ex Astronomiâ promanant, ad corpus physicum accommodari non debeant, sed auerti potius ab eo ad corpus alterum, & de homine explicari. Ita namque conuenit Medicinam eiusmodi præsto esse, aut naturam talem intelligi, quæ animaliter sustentari queat. Sic quicquid ad omnibus externis animalibus constellatur, imprimitur, &c. quantum quidem ad morbos attinet, id scire Medicum omninò fas est. Quantum verò ad præsagia, auguriáque attinet, id curandum nihil est. Illa enim respiciunt pecus, adeóque Christianum non est, sed ethnicum. Pro Medicinâ ergo ea adhiberi debent, quæ Maniam in fundamento & neruo ipso respiciunt. Et pro conclusione tenendum est, quòd si homo Lunaticus fiat, non ipse homo talis fiat, sed tantùm ipsius animal. Et sicut cursus cœli canem rabiosum facit, ita & hominem. Nomen ergo Lunatici iure vsurpamus, vt nimirum illo doceamus, affectionem illam desuper defluere, & stellam animalem in stellam aliam animalem agere.

Cœlum est animale, non humanum.
Homo quatenus ab astris afficiatur.
Homo verus quis.
[illegible]
Mania est animal furiens.
Homo est corpus duplex.
Homo lunatic[us] non fit, sed hominis animal.

Porrò, sicut sol, oculos nostros, in ipsum intentos, splendore suo vincit (licèt enim oculi nostri nobis Sol sint: superior tamen sol splendorem adeò fortem emittit, vt oculorum lumen obfuscetur & adimatur.) Idem ita etiam splendor Lunę, ac modis quidem multis præstat. Iam quę horum inter se est ratio, eadem est etiam animalis intellectus, rationis, & sapientiæ, quæ in nobis instar oculorum sunt. Et Solem hæ quoque suum in cœlo habent, quem

quem intuetur. Dum ergo concordantia talis incidit, vt superiora animalia intellectu suo animale intellectum nostrum irradient. Huius iam dissolutio non aliter fit, quam oculorũ, qui occæcatur. Vt verò nobis sunt palpebræ, & cilia quæ oculos, ne à Sole irradientur, muniũt: ita nõ minus cilia & palpebræ datæ sũt, rationẽ ita vallantes & obsepientes, vt dictæ stellæ illius corruptionem inducere nequeant. Si palpebræ istæ hiant, hoc est, si rationis cellæ patulæ sunt, tunc radius irrumpit, rationémque nostram vincit & subiugat, cum duo ista rectè vnà starenõ possint, diutius quàm lignum ac ignis. Adeóque ob penetrationem istam lunaticum & maniacum fit ipsum animal. Ipsius enim temperamentum si intendatur & exaltetur, durare & consistere non potest. Sic pariter si ratio nimium brutaliter vsurpetur, eadem quoque corrumpitur. Animale ergo in nobis quiescere debebat: & cogitandum erat, quòd animal hominem, hoc est, spiritum hominis nihil doceat, sed ipsum omnino discere debeat, sicut Christus inquit, quilibet à Deo docetur, scilicet homo, non verò animal.

Oculi & rationis cipartio. Cilia & cilia.

Vt verò hominem rectè cognoscatis: scire vos velim, quòd homo genuinum suum spiritum, rationis scilicet, sapientiæ & prudentiæ, &c. ex Adamo acceperit, non ex animali. Is spiritus, quicquid loquitur, docet, facitvé, id ex Deo est. Is enim spiritus est imago Dei, cui corpus & ipsius forma ita subiiciuntur, vt ipsi pareant & obsequantur. Vnde iure dici potest, quemlibet ex Deo fieri doctum. Quilibet illuminatus, qui ex spiritu orat & petit, non ex animali: huius spiritus nihil destruit aut dissoluit, sed ipse manet purus nudúsque; nec Lunaticus aut furiosus fieri potest. Nihil enim curat, nihil metuit, nullius ipsum pœnitet. Quia enim à nullo affici potest, ideo nullius ipsum piget. Corpus autem animale sollicitum est: Idémque mutatur, & lunaticũ fit ac furiosum, & maniacum, & iracundum & sæuum. Quod nobis admonitioni esse debet, ne illius rationis, &c. dolo ac incitamentis acti quicquam agamus aut confidamus: sed id potiùs sectemur, quod nec nos rabire faciat, nec ipsum rabire queat. Et hoc dum facimus, certi sumus, animalem rationem palbebris suis occlusam esse, non secus ac oculus obtectus est per somnum. Quòd si verò misso homine ad rationem deficimus animalem, tunc rationis illius palbebræ in animali aperiuntur, cœlúmque intuendo concipiunt Martem, Saturnum, Iouem, quos suis phantasiis imaginantur, velut & alia, quorum materiam tractant. Dum ergo talia intuentur, idem patiuntur, quod stultus, qui Solem aspectando, ab eo occæcatur. Sic enim & illi infatuantur. Homo ergo animali vti minimè debet. Quæ itaque Astronomiæ cognitio illis laudi & gloriæ ducitur, eadem & probrosa simul & ignominiosa, ac à Christo prohibita, inque sacris literis euidenter taxata est. Non ergo more Ethnicorum, sed Christianorum agere & viuere debemus. Hinc enim fundamentum depromitur ad discutiendas omnes sectas, religiones, linguas, imperia denique ac status in mũdo solemnes.

Hominis spiritus ex Adamo imago Dei in homine quid.

Animalis spiritus discere debet.

Astronomia reprehensa.

TRACTATVS II.

De Allegoriis ex Christo, ex Matth. 3. Cap.

Vos Genimina Viperarum.

IOannes Baptista Pharisæos primò vocat Genimina viperarum. Quã verò de causa? Viuebant nimirum animaliter, & rationi brutali incumbebant, nec spiritum hominis vsurpabant, qui ex Deo discere solet. Vnde à Ioanne genimina viperarum vocabantur. Iam verò (dices) Christus mandatum dedit, ne fratrem nostrum contemnamus, hoc est, non Racha ad ipsum dicamus, multò minùs geminina viperarum ipsum appellemus. At Ioannes ipse quoque homo erat, non minus ac homines cæteri ex Adamo egressi, velut & ipsi Pharisæi, quandoquidem ex vno patre Adamo vniuersi descendimus. Hoc itaque respectu iniquè fecerit Ioannes, proximum suum despicatui habens, ex eodem tamen parente cum ipso progenitum. Tum & hoc pacto creaturam Dei læserit, quatenus hominem creatum, serpentem appellet. Id enim ad contumeliam creatoris Dei spectare videtur. Sed de causâ huius denominationis ita respondebimus. Quoniam homo secundum imaginem Dei creatus est, & à Deo accepit id, ob quod homo est, non creatura alia: vt homo sit & maneat æquum est. Quamdiu autem homo manet, tamdiu à proximo suo nihil læditur. Vbi verò imagini suę contrarium facit, & fit animal, velut vulpes, tunc illius etiam animalis, cuius speciem induit, nomen quoque acquirit, nec, vt homo vocetur dignus est. Etsi enim is formam quidem hominis retineat, ac ab Adamo descenderit: more tamen pecudis viuit, non hominis. Iure ergo id nominis illi inditur. Sic enim & vir probus, probi nomen perpetuò retinet. Si verò furto aut homicidio &c. se dedit, iam vetus nomen perdit, quia probus esse desiit. Et iniuriam ipsi faceret, qui probum illum adhuc vocaret. Ioannes ergo de Pharisæis mentiri noluit, sed, quod facere ex officio debuit, cùm mendacem aut parasitum non ageret, veritatem de illis attestari voluit. Vnde non homines, sed genimina viperarũ ipsos vocauit, hâc de causa, quia homo duplex est, animal nempe & homo. Si homo seipsum animal facit, ac animalis mores æmulatur, animal fit, non homo manet.

Pharisæi genimina viperarum & cur.

Ioannes testis veritatis.

Matth. VII.

Ne detis sanctum canibus: nec margaritas obiiciatis porcis, &c.

HIs verbis non tanguntur canes, qui canes sunt formâ ac specie externa, vt nec sues, quos alit molitor: sed canes & sues illi putantur, qui homines specie sunt, non re. His nihil communicandum de sancto, aut Margaritis Euangelij, sed canes & sues mittendi sunt. Itaque per canes & sues scriptura homines animales innuit. Omnino enim homo duplex est. Si est, qualis esse homo debet, nec canis nec sus esse potest. Ingens enim hoc mendacium & cõtumelia

canes & sues quinam homines.

enormis esset, hominem Dei forma fulgentem, tali nomine infamare. Cùm verò imago illa in homine, non animali habitet & homo animali more viuat: ideò liquet, canem & suem illum fieri posse. Omnium enim animalium, animalis natura homini inest. Vnde & Ioannes inquit: *Gemininæ viperarum*, sicut hic canes & sues vocantur, qui animalium istorum species asciuerunt. Quisquis enim hominum humano ingenio non viuit: is naturale animal euadit, ei simile, cuius naturã exprimit, cuius ob id etiam nomen iure acquirit. Et licèt quidem manibus ac pedibus canis non sit, aut sus: talis tamen re est. Nec enim forma canem aut suem constituit: sed essentia potius ac proprietas, ipsa forma suo loco relicta. Scriptura enim vocat hominem animal, si talem se præstat. Animal enim naturale is fit secundum corpus & essentiam, ac tam canis quadrupes quàm bipes similem stomachum, similem vitam, similem carnem, similem essentiam ac proprietatem habent. Verè ergo scriptura loquitur, adeóque homo est talis naturaliter, non per similitudinem, sed corporaliter, propter Limbum. Ex hoc enim canis fit & sus: veluti ex Adami vita accepit spiritum, qui homo est. Vnde etiam scriptura addit: *ne scil. conculcent suis pedibus*. Quibus verbis pedes humani, suilli, & canini, ac illorum ora rapacia vocantur, veluti canes & sues rapaces sunt, si in aliquod esculentum incidant. Nam & homo, si naturam animalem induit, canino & suillo more sancta tractat.

Forma non homo est, sed proprietas.

MATTH. VII.

In vestimentis ouium, intus autem sunt Lupi rapaces.

HIc testatur Christus, hominem esse pecus seu animal: adeóque seipsum explicat, dicens, intrinsecus, hoc est, in natura. Quod idem est, ac si diceret: Forinsecus videntur vobis illi homines, qui hominibus etiam similes existunt, & ideò conditi sunt, vt homines essent. Iam verò homines non sunt. Pater enim meus cœlestis ex gleba hominem creauit, vnde naturam is animalem hausit: illique hominem in animam collocauit, vt ita anima in animali hominis sit. Ipsi verò minimè, vt apparent, homines sunt. Si enim ad interna attendatis, facilè deprehendetis, ipsos ex Limbo esse, nempe lupos, & quidem rapaces. Aliud ergo hoc genus est hominum, & est genus lupinum, sicut prædicta fuerunt genera viperina, canina, suilla. Hoc ergo respectu homo lupus est naturalis, non lupus similitudine aliqua, sed lupus ipse in forma, quia, cùm duplex creatus sit, hominem deseruit, & naturam lupi induit, secundum quam agere non posset, nisi lupus ex natiuitate foret. Quòd si autem homo ex limbo conditus minimè esset, facilè excusari posset. Tunc enim minimè putresceret aut moreretur, sed velut in die resurrectionis, purus & immaculatus existeret.

Homines lupi, &c.

Limbus caussa corruptionis in homine.

Ex Matth. X.

Mitto vos sicut oues inter medios, &c.

SImilitudinem hic Christus dicit: *Mitto vos, sicut oues.* Sicut oues, inquit, non autem dicit, oues estis. Non enim dicit: Vos oues pergite ad lupos: sed ego mitto vos sicut oues. Hoc tamen addit: *in medios lupos*. Hæc non est similitudo; sed res euidens est, quòd scilicet animales lupi sint eo modo, quo diximus. Ad quæ porro sequitur: *Estote simplices, sicut columbæ, & prudentes velut serpentes*: Quæ per similitudinem dicuntur. Quasi diceretur ita: Quales sunt columbæ & serpentes: tales vos quoque præstate ac gerite. Et pro verbo hoc (*Sicut*) hanc explicationem accipite. Apostoli pecora aut animalia non erant, sed puri puti homines, sub imagine Dei quales esse debebant. Et quia animalia non erant, ideò Christus ipsos docuit, vt operam darent, vt prudentiâ similes fierent ad se muniendos serpentibus. Quasi diceret: planè prudentia caretis. Aspicite serpentem; is qua arte se tuetur, eadem & vos munite, non per prudentiam animalem, sed per hanc, quam vos doceo, quæque vobis dabitur ea hora, qua opus vobis erit. Similiter & oculos ad columbas conuertite, quantopere doli expertes sint. Quæ si animalia sunt doli ignara: multò magis vos, qui homines estis, & puri homines, tales esse conuenit, vt scilicet secundum morem humanum doli vacui sitis. Præterea, animalia non estis, sed estis homines, ac animale exuistis. Itaque ad serpentes & columbas vos conuertite, considerantes, quanta se cura custodiant, etsi animalia sint. Et cùm vos animalia non sitis, sed in hominem abieritis, humanitùs vos custodire debetis, quod ego faciam. Scitote itaque, reliquos esse lupos. Quos quia Christus ipse lupos vocat, ideò lupi maneant. Nouit enim ipsorum finem Christus, an lupum exuturi sint, nec ne. Quem cum retineant, lupi sint & maneant. Nec enim naturam hominum amplius habent, sed tantùm formam, cuius nihil curæ esse debet. Non enim ex forma sola animal cognoscitur & iudicatur, sed potiùs ex operibus, moribus, proprietate & essentia. Si enim ouis canis more latraret, canis foret. Sac si coruus ouum gallinæ pareret, gallina foret. Forma ergo nomen non confert, sed natura.

Apostoli homines erant.

Nomen esse de. non forma.

Dicite vulpi, &c.

SImiliter & Herodem Christus vocat *vulpem*, non quod vulpina pelle tectus esset & in syluis erraret, sed quòd homo vulpinus, naturam vulpis induisset. Eundem Christus etiam vulpem vocat, quia verus vulpes erat, non vulpi similis. Nec enim is tantùm vulpes est, qui à canibus in syluis capitur: sed & iste vulpes est, qui vulpis ingenium æmulatur. Et vulpes in sylua, vulpes vocatur: vulpes autem quem Christus vulpem indigetat, vocatur Herodes. Quod nomen etsi hominis esset, tamen quia illo is indignus erat, ideo Christus illi appropriatum indidit aliud, nempe vulpis. Iam vero Christo plus fidei debemus, quam hominibus. Vulpes enim vulpis nomẽ ab homine accepit. Homo enim intellectum non habet, ad aliud cõferendum homini nomẽ quã hominis. Quia verò homo animal est, ac hominẽ extra se pellit, id nomẽ Christus merito indidit Herodi, veluti & cuiuis Herodi simili, tale nomen cõferri potest ex ea specie, in quã mutatus est. Putandum ergo est, hæc naturaliter ac secundum pro-

Herodes est vulpes & cæt.

proprietatem ita dicta esse. Christo enim quis obloquetur? Homo cæteræque creaturæ quid quæso sunt aliud, quàm creaturæ Dei? Ideò quamlibet omnium optimè cognouit, eandémque, qualem cognouit, talem meritò indicat & appellat. An putabitis, Deum non plura animalia creasse quàm lupum? Imo; Nam & hominem creauit. Qui si homo esse nolit, sit lupus, sit sus, sit canis, sit serpens, sit vipera, &c. & talis maneat. Et quia imaginem Dei spernit, spretus & ipsemet vicissim sit, sitque animal brutum, & imagine Dei expoliatum, sicut Cainus.

Hoc fine Christi allegorias vobis propono, vt intelligatis, hominem, si lunaticus aut maniacus fiat, secundum spiritum animalem & non humanum ita corrumpi & suffocari: ipsúmque, qui amens, lunaticus, furiosus, ac ecstaticus quocunque modo, vel grauius vel leuius fit, similem esse rabienti cani, aut furioso lupo, aut insanienti feli, aut animalibus similibus aliis, quorum vnum altero subindè sæuius est aut mitius. Sicut enim sua in his est varietas: ita & in hominibus, testante id ita Iohanne Baptistâ, ipsóque adeò Christo. Et licèt plura quidem ex Prophetarum scriptis huc conferri possent: satis tamen nobis est, si fundamento illi incumbamus, quod ex Euangelio, à quo nemo decipitur, deprompsimus. Tractatum ergo secundum ita claudo, vt sciatis, hominem esse animal, verè & materialiter, idque animal, quod vocauit Christus, & non velut istud animal, sed animal ipsummet. Hoc animal est subiectum istud, quod lunaticum, maniacum, furiosúmque fit, non ipsemet homo. De qua rationis animalis corruptione plura tractatu tertio explicabuntur.

TRACTATVS III.

CAPVT I.

DE lunaticorum natura & generatione hoc ante omnia expendi debet, quanti momenti res sit, hominem sensu & ratione priuari, qui tamen creaturarũ omnium nobilissima est. Insuper cum idem ex Deo quoque prodierit, valdè dolendum est, ipsum vnà cum profligata ratione sua, diuina quoque cognitione, doctrina & fructibus expoliari. Hoc tamẽ documento nos commonefacere vult Deus, vt quinam simus, sedulò expendamus eóque ardentiùs & solidiùs spem nostram in ipsum defigamus, nósque totos ad purum & intaminatum hominem flectamus, vt nimirum hoc pacto ab omni noxâ & lesione immunes simus. Verus enim homo casibus omnibus exemptus nulla labe aut noxa tangitur, siue ea è supernis seu infernis emittatur. Et licèt quidem natura latè pateat, multis malis obiecta sit, vel etiam instructa: non tamen, nisi suos, illa ferit & tangit alienos missos facit. Cognoscendum itaque est, quinam talia homini accidant, vt is ratione sua priuetur. Antequam verò propiùs ad rei explicationem descendamus, notandum est, præter causam iam dicendam multa alia quoque esse, quæ Lunaticos faciant. Ex hoc genere sunt venena, & cibi quidam: quorum enarrationem in locum alium differo. Nam instituti mei est, hîc Lunaticos saltem à cœlo factos describere, quod in hoc plurimum situm sit.

Sciendum ergo est, astra suum motum habere, à prima hora vsque ad interitum cœli & terræ ipsis datum. Illius motus, quînam fiat, nemo satis indagare ac peruestigare potest. Hoc quidem compertum habemus, ipsum fieri sursum, deorsum, in orbem, hoc illóue modo. Quibus verò cum conditionibus ac proprietatibus fiat, verè ac ex fundamento scire minimè possumus. Exemplum dabimus. Cognitum nempè nobis est, appellere æstatem, post hyemem, post hanc iterum æstatem, & iterum hyemem vsque ad finem mundi. Hoc verò scire non possumus, qualis futura sit æstas, qualis hyems. Ab vna enim horâ totius anni mutatio induci potest. Et hora illa nobis inperscrutabilis est. Et licèt quidem per experientiam diutinam aliquid nobis de hâc re constet, certi tamen & solidi id nihil est. Eodem modo & cœlum suum cursum perficit, nobis quidem vtcunque cognitum. Vbi tamen hoc quoque tenendum est, cursum illum suam rationem habere, rationi nostræ conuenientem. Et sicut odoræ fragrantésque herbæ naribus iucundæ sunt, & res dulces, vt vinum, palato ac linguæ benè sapiunt: ita & in cœlo crescens est, quod cerebro, quod rationi, quod sapientiæ, quod prudentiæ (quantum quidem ad animalitatem attinet) conuenit ac gratum est. De his facilè cogitatu est quod abscon diti homines sint, hoc est, homines insensibiles, informes, & sermone carentes, in cogitatione tamen integri. Hi diuisi non sunt ex vi nostri limbi à ratione nostra. Ideò in hoc nobiscum concordant, nósque animaliter mutant, veluti iam recensitum est. Iam verò præter hæc sensus etiam in nobis alius est, qui foràs euolat, nec in nobis manet. Ratio enim quælibet similis est spiritui. Velúti, quando cognoscere cupio cœlum, spiritus meus in cœlo est. Si cõsidero herbas, spiritus meus est in herbis. Sunt ergo spiritus in cœlo, sunt in herbis, sunt in aëre, sunt in aqua. Hi spiritus cum meo coniunguntur. Sed & cursum suum spiritus meus habet, quem dirigo ad placitum meũ. Similiter & spiritus cœli suum cursum habet, meúsque spiritus in me velut in animali habitat: vt vicissim spiritus cœli in stellis, tanquam in suo animali subsistit. Hinc fit, vt duo isti coniungantur: quorum qui vincit alterum, is ei dominatur, & cum ipso vnus fit. Cœlum etenim multas potestates multos motus cursúsque habet, qui egrè coniungi queunt. Cœlum ergo hominem vincit, ceu potatorem vinum. Præterea, etsi nos quidem nihil de astris cogitemus: ipsa tamen deorsum in nos non minùs cogitando agunt, ac nos in ipsa. Vnde iterum ab illis vincimur, nisi superciliis & palpebris nobis vmbrâ moueamus. Hoc enim extra dubium verum est, quod suam rationem cœlum habeat, quæ animalis est, licèt nec animale corpus, aut os, aut linguam, aut cerebrum habeat. Illa in nos agit, quousque terra patet, non secus, ac Sol suis radiis vniuersam terram pelliustrat. Solis enim exẽplo stellæ quoque in dies in nos penetrant. Attamen vt aduersus solem obtendere vmbraculum possumus: ita multum etiam

Astrorũ motus perpetuus.

Astrorũ motus inperuestigabilis.

Cœlo crescentia cum homine concordant.

Ratio seu sensus in homine volatilis.

Cœlum vt hominem vincat.

Cœlo ratio inest.

etiam hîc illius luminis auertimus. Quod qui deuitat: is lunaticus non fit.

Cicuta, crocus, &c. Maniacos faciunt.

Etsi verò & ex terra enascantur quædam, quæ furiosos faciunt, vt sunt *Cicuta, crocus, ceredella (al. cerebella)* & similia: ista tamen huc non spectant. Iugulant enim & occidunt, quod non faciunt astra, quæ neminem interimunt, sed chronicum tantum maniacum, non mortuum faciunt. Idem similiter præstant etiam nonnulli morbi. Et qui ex morbis maniaci fiunt, non fiunt tales ab astris: de quibus tamen solis lunaticis hîc agimus, qui obsessis quodammodo similes sunt, aut ipsis quàm proximè coueniunt. Multùm verò causæ in hoc est, positum, quòd astra, signa & planetæ instar spirituum sint. Isti spiritus tantò semper ipso homine potentiores sunt, vt rationem eius expilent, & excutiant non secus ac alius spiritus. Illa ergo mentis alienatio similis est maniæ obsessorum, excepto eo, quòd in hac spiritus vim habeant, veluti discrimen ex exẽplo hoc dignosci potest. Pono nempè, ob nimium ignis vel facis splendorè quempiam occœcari: alium ob intentiorem asspectum Lunæ, alium ob Solem. Occœcatio ab igne tardior est, celerior à Luna: celerrima à Sole. Nihilominùs tamen cœcitas ab igne non alia est, quam quæ à Luna: Et quæ à Luna & igne, eadem est, quæ à Sole. Eadem & hic ratio est. Et licèt vna quidem cœcitas altera peior & grauior sit: attamen vt cœci omnes sunt, ita omnes etiam Maniaci sunt. Differt ergo hæc rationis corruptio ab altera naturali in eo, quòd altera fiat quasi à spiritu, altera ex debilitate rationis, & ipsi cognatorum.

Maniæ differentia & generatio quæ.

Nihil autem astra in nobis operantur, nisi ipsis locum demus. Sic enim dato principio, de fine, hoc est, de mania introducenda laborant illa. Eius enim ortus dicto modo se habet. Pono nimirum casum: velle me ex animali ratione fidem aliquam struere seu erigere. Id iam animali impossibile est. Fidei enim notitia ab homine capitur, non à ratione animali. Dum autem fidem pensito & meditor, ratione mea concludo, hoc esse iustum seu verum, illud minùs, & sic deinceps. Et licèt instantias quidem aliquas moueri videam: sententiam tamen meam illis longè veriorem autumo, adeóque proposito meo sic insisto. Iam, quod ita meditor ac constituo, ex spiritu Dei non est ac procedit, sed ex spiritu animali. Et sic spiritibus animalibus in firmamento subiectus sum. Illi me excitant, inflammant, & rationem animalem acuunt, vt illis, qui cogitationes tales non suscipiunt, admirationi sim. Ea itaque iam maniæ affectio est. Nec enim hic spiritus diuinus operatur. Fides itaque res tã ardua, ab animali cognosci nõ potest. Id ergo ab astris superatur, quæ dissoluunt & corrũpunt cerebrum capútque, & quicquid faciendum sibi proponunt, id effectum præstant, hoc est, homines hoc illúdve sibi proponunt, cui etiam indulgent tantisper, donec corrumpantur. Corrupti autem sententiæ suæ tam pertinaciter inhærent, vt comburi, aut quoduis in exilium agitari se malint, quam à præsumptione discedere: adeóque animali sua ratione omnia rectè à se fieri iudicant. Sedulò itaque ac diligenter ista expendenda sunt. Tales enim lunatici latè patent. Et maniacus non ille tantùm est, qui furit, discursat, ferocit, verberat, sed & ille, qui humiliter incedit. Nam cum ratione animali careat, non minùs quàm maniacus rabidus ac ferox est.

Lunaticorum natura

Mania multiplex.

Vt autem rem apertiùs intelligatis, discrimen ex verbis Christi annotare debetis, dicentis: *Omnes qui in nomine meo veniunt,* (hoc est, omnes, qui probè ac cordatè, non maniacè veniunt) *hi ista signa facient.* Quod idem est, ac si diceret: Quandoquidem tot maniaci ex animali fiant seu generentur, qui garritu suo homines seducunt: ideò attendite ad ipsorum fructus, signa, &c. Si id non faciunt: ex spiritu sunt animali. Si faciunt, mei sunt Apostoli, Martyres, &c. Secundum hoc fundamentum omnes maniaci homines æstimandi sunt. Intellectus enim animalis apud hominem multò maior est quàm apud animalia alia. Nam in homine omnium animalium naturæ vigent, vt coruorum, picarum, &c. Et præter id nactus est etiam os & linguam, vt animi sensa proferre & eloqui possit, quod cætera animalia non habent. Insuper habet etiam iudicium & dexteritatem, vt quod animaliter concepit, dolo & prudentia exequi possit. Tali ingenio instructus, si quis prodeat, & rem aliquam meditetur, successu rei eò sapientiæ & intellectus asscendit, vt populo omni admirationi sit. Et nisi discretionis signa à Christo nobis proposita essent: quis talem non iudicaret Angelum? Ideò obliuioni danda non est admonitio scripturæ dicentis: *Si Angelus de cœlo aliud vobis dicat, nolite ei credere.* Hic enim quasi digito intendit ad vafritiem hominum. Talis ergo credens, si res eiusmodi intellectu suo animali scrutari proponat, quæ rationem animalem transcendunt, tunc, in quo deficit ratio eius, id pensat & confert ea stella, quæ asscendens est in fide. Ea stella rationem eius vincit, non aliter, ac si quis per auxiliatorem solem videre cuperet, & intuendo solem interea occœcaretur. Eadem námque ratione etiam superiores animales spiritus, carnales animales spiritus vincunt, vt rabiant & insaniant. Sicut enim bos, cuius cerebrum malleo contunditur, insanit, & discursando eóusque furit, dum aut in aquam aut ignem sese præcipitem det: ita etiam creduli illi sese suffocari aut comburi patiuntur, ob intellectum animalem. Alium enim nullum ipsos habere, ipsi fructus testantur, dum brutaliter viuunt & ambulant.

Homo est præ ceteris animal.

Hominis & bovis furientis comparatio.

Homo verus appetitui animali resistit.

Sed & hoc ad insaniam aut Maniam rectiùs intelligendam à vobis annotandum est. Qui purus homo est, qualis esse debet secundum spiritum illum, quem Christus dicit ac docet, is rectà appetitui animali obluctatur & resistit. De appetitu loquor cibi, potus, fœminarum, &c. Qui ergo appetunt cibum, potum, præmia, caldaria, ventris delitias, fœminarum consortia, &c. hi vniuersi animales sunt. Et licèt spiritu quidem Christi vtantur: id tamen saltem secundum literam faciunt. Interpretem námque alium verbum Dei non patitur, quàm qui spiritu Dei abundet, non

non spiritu animali procedat. Istiusmodi ergo homines sibimetipsis maniam contrahunt, & in suâ fide indurantur. Deinde, iidem etiam animalem rationem vsque adeò intendunt, vt stellas etiam auxiliatrices attrahant, à quibus obfirmantur. Tertiò, vnus profugit, alter accedit, adeóque errant, veluti qui Maniaci fieri incipiunt. Interim scriptura inquit? *Si Angelus de cœlo descendens aliud vobis dicat, quàm dixi ego, nolite ei credere.* Sic etiam porrò, si homo in terrâ aliud vobis dicat, quàm dixit Christus, nolite credere, hoc est, Christus dixit, & prohibuit, non in vno loco duabus noctibus pernoctare, non peras circumferre, non duas tunicas habere, & suam domum, vxorem, liberos, agros, &c. deserere. Iam si hoc quispiam non facit, nolite ei credere. Aliud enim facit, quàm quod Christus mandauit. Dum ergo aliud facit, non facit id ex spiritu Dei, sed ratione vtitur animali, à superioribus spiritibus, seu stellarum animali incitata. Ideò signa nulla edere potest. Ex hoc iam fit, vt talis seipsum non nôrit, nec quis sit, sciat. Hinc ergo mentis emota est, & Maniacus fit, non secus ac ipse Lunaticus. Quâ de causâ etiam ad loquendum iam aptus est, iam ineptus, adeóque opus habet, vt studeat, legat, & imaginetur subindè, quod ratio animalis ipsi suggerat. Quorum tamen nullum necessarium erat, sed omne à Deo in isto horæ momento infunditur & suggeritur. Itaque qui alio, quàm hoc, modo & more studet is Deo aduersatur. Et quicquid dixerit idem, id à nemine acceptari debet.

Eadem rerum etiam omnium, scripturam attinentium, ratio est, quando sibi quis persuadet, quasi omnia sit. Illa enim persuasio rationem humanam peruertit, cùm ab animali ista peruestigari nequeant. Et si res animali nimis sublimis est, opus habet vt mutuetur aliunde sapientiam, nempe ex cœlo, quæ corrumpit, hominem, quia ipsa eum vincit, sicut Sol oculos.

Astra omnia studia hominũ adiuuãt.

Astrorum enim ea conditio est, vt, si quis in scripturâ studere cupiat, stellas ad hoc sibi corrumpendum idoneas omnino inueniat. Sic, qui bellare satagit, is similes stellas inuenit. Qui rixari, digladiari cupit, qui furari, latrocinari, prædari, fœnerari, &c. appetit, is semper stellas sibi ad hoc opus commodantes reperit. Hęc enim vniuersa brutalia sunt. Cur prohibitum est adulterium? Quia scilicet opus animale est, non diuinum. Itaque propter liberos concessum est matrimonium. Eaque concessio matrimonium sanctum facit. Præter hoc quicquid fit, id sodomiticum est ac brutale. Et ad hæc diligenter attendere debetis. Eadem enim cœli est ratio, quæ hominum in terrâ. Si furari quæris, facilè socios furti inuenis. Si prædari, si latrocinari, si præliari vis, vbiuis socios reperies. Si deuotus esse, si ieiunare cupis: socios & in hoc studio tuo impetrabis. Animal enim in omnibus & vbique socios suos inuenit. Spiritus autem, qui ex Deo est, in electionem non cadit, hoc est, electio non datur, quâ dicas, hoc faciam, illud omittam, vt scilicet id ita fiat, in quo te iuuare spiritus debeat, sed via faciendorum

Adulterium cur prohibitum.

Matrimonium sanctum propter liberorũ procreationem.

Spiritus Dei extra electionem est.

omnino simplex, & sine medio est, qua omnes in vniuersum, vnóque in sodalitio ac fraternitate pergere debemus, non diuersis metis, ad scopum vnum commeare. Hoc enim facit animal, vbi secta quælibet confluit & conuenit. At in Christo secta nulla est. Sectæ sunt animalia, & ex animali nascuntur: & animales manendo ita insaniunt & rabiunt. Et hæc cuiuslibet natura est, non procedentis ex eo fundamento, ex quo debet. Sic scriptura procedit ex Deo. Præter hanc qui præceptorem alium sectatur, is insanus & Maniacus fit, quod à stellis mutuari ipsi necessum sit. Eadem etiam Medici est ratio: cuius scientia ex lumine naturæ promanat. Cuius si ignarus sit, ac fundamentum aliud, nouúmque sibi speculetur, ad veritatis solium ascendere nunquam poterit. Nam quia mutuari cogitur, stellas in cœlo animales inuenit, commodant tamdiu, donec ipsi persuadeant. Ille autem dum argutam suam speculationem, sensum animalem priorem superantem, sentit: speculationi illi postea indulgendo & inhiando, sibi ipsi persuadet & blanditur. Persuasio hæc initium est Maniæ. Ita enim in illum agentes stellæ, ipsum infatuant, vt nullius porro respectum habeat, sed suo cerebro inhiet, nec à quoquam alio se duci ac dirigi patiatur. Et qui hoc modo refragatur & recalcitrat, an non æquè quæso Maniacus est, ac is qui catenis constrigitur? Insani ergo quidam Medici sunt, catenis non reuincti. Insani sunt artifices, & Alchimistæ, nec ipsi constricti. Hi enim seipsos ligant, dum suis nugis neminem obloquentem inueniunt. Et classis quidem horum insanorum plures sunt. Quos si missos facias, nullâ constrictione opus habent. Et huc referri etiam possunt Medici, Alchimistæ, artificésque alij, qui præfractum suum sensum seu opinionem animali temeritate mordicùs tuentur. Huius generis alij plures quoque insani sunt, qui tamen vinciri opus non habent. Nec enim quilibet homines iugulare, aut aliis damnis afficere cogitat. Interim tamen, etsi id non conentur, à Maniâ tamen ob id nedum absunt aut excusantur. Quilibet enim, qui ab Astris mutuatur, postquam mutuatus est, Maniacus euadit.

Scriptura est regula hominum.

Lumen naturæ fons, est scientia Medica.

Maniaci duplices: vincti & liberi.

Maniaci sunt omnes qui ab Astris mutuantur.

Ex his intelligere debetis, quonam pacto homo ac cœlum concordent. Et ratio eadem in his est, quæ est in coniugio, inter virum & fœminam. Fœminæ est, imperata viri exequi. Si vir mandata fœminæ capessat, iam insanus est. Nec enim sui amplius iuris is est: sed rationem aliundè mutuatur. Quicunque verò non suâ ratione vtitur, is Lunaticus est, coactus facere, quod Luna, hoc est, ipsius Barbara, velit. Eodem pacto, & cœlum fœmina est animalis nostræ rationis, dolo omni instructa, atque astutiâ suâ, sicut Eua, infatuans & deiiciens rationem virilem. Sciendum itaque est, naturæ ac carnali substantiæ nostræ, veluti proprietatem quandam insitam & implantatam esse rationem animalem, mentiendi, decipiendi, bonum malúmue, &c. faciendi, sicut proprietatem series docet. Iam si hoc contenti non simus, sed in spiritu animali, non humano pergamus,

Hominis & cœli coniugiũ, quale viri & fœminæ.

Cœlum est fœmina hominis.

pergamus, tunc Ascendens in cœlo emergit, inclinat, imprimit, influit, non secus ac si sibi fœmina imprimat, vt hoc vel illud ei facias, quod faciens tandem ita intriceris, & inuolnaris, vt nec egressum nec modum scias, tuáque te vxor ita dubiè defixum relinquat. Nam & in cœlo, qui mentiri cupit, suum talem ascendentem inuenit. Suum ascendentem etiam inuenit, qui verax esse appetit. Ascendentem suum reperit etiam, qui scortari, furari, præliari. &c. expedit. Et sic de cæteris omnibus indica. Vbi commonefaciendi tamen estis: quòd à natiuitate ascendentem nobiscum non afferamus, sed eum, talem qualem volumus, omninò adciscamus. Ex hac patet error Astronomorum & Astrologorum; adeóque eorum vniuersorum, qui natiuitates, prognosticationes & similia, quæ cum ascendente definitis diebus coincidant, condunt & conscribunt. Nam prout ascendens adhibetur, ita se ille exerit, vt homines magis minúsve insani fiant. Et quod hîc affirmo, pro certo tenendum est. Mercator nempe quilibet, qui mercaturam exercet, si is mandata Dei obliuiscitur & negligit, proximúmque suum non diligit, sed bona eius expilare quærit, is ascendentes inuenit facile, viam ipsi ad hoc impetrandum commonstrantes. Nam viarum illi gnarissimi sunt. Et talis non sit Maniacus; Imò. Qui námque suum creatorem deserit, hunc insanum omnino, rabiosum ac obsessum esse oportet, cum multis Aspectibus, & Trinis ac Quartis; totúmque adeò furiosum, furiosiorémque illo, qui catenis deuincitur, ratione nempe omni orbatus. Ille enim, qui humanam rationem habet, seipsum occœcat, deseritque Deum, aut ipsi aduersatur nihilo leuiùs, quàm catenis ligati Maniaci, qui homines insectantur, quos, si attingere possent, amentiæ vi acti omnino iugularent.

Ascendentes in cœlo infiniti. Ascendens nō est nobis consitus.

Maniaci liberi vinctis peiores.

Vt vero de ascendentibus, quibus Astronomi tam multa attribuunt, plura hîc disseramus, opus esse minimè videtur. Saltem enim de lunaticis explicationem instituimus. Attamen priusquam hoc volumen finiatur, explicationem illam suscipiemus, quam sedulò euolueris.

Sed pro noscendis Maniacis hoc porrò tenete, quòd non sint ex spiritu illo, ex quo homo est vel esse debet, sed ex eo, de quo iam diximus. Itaque mutantur cum astris, cúmque ipsis ascendunt & descendunt, prout orbem seu rotam fortunæ pingi videmus, adeóque omnis origo ex naturâ istâ animali est. Si enim in spiritu illo versarentur & ambularent, in quo ambulare debet homo, non vtique ascenderent aut descenderent, sicut Dauides inquit: *Beati, qui ambulant in via Domini.* Hoc si non facimus, fiet nobis idem, quod improbis, hoc est, pecudibus seu animalibus. Iam lucrari, iam perdere, ascendere & descendere, sicut in suis practicis præsagiunt Astronomi, hunc scilicet annum, hunc mensem Mercatoribus felicem, illum infelicem & infortunatum fore. Idem prædicunt militibus & artificibus &c. hæ res inquam, nisi animales essent, ipsíque homines in viâ domini ambularent, Phytones certe ac Augures cœli talia prædicere aut augurari minimè possent. Ex quibus Maniaca natura deprehendi potest eorum, qui in huiusmodi astris ambulant, sursum, deorsum, huc, illuc commoueant, quod Christianum minimè est. Summam ergo huius tractatus hanc fuisse, scitote, vt intelligeretis, secundum quam viam homo ambulat, secundum eandem ipsum etiam affici. Si vt homo Christianus ambulat, sortem illam accipit. Si vt pecus, pecudis sortem sentit. Item, si in Christo ambulat, secundum Christi ductum procedit. Si instar animalis: ductu stellarum ad vitulinam rationem vergit. Et hisce dictis tertium hunc tractatum finientes, quarto sequenti de curatione Lunaticorum initium faciemus.

TRACTATVS IV.

De Cura.

PORrò autem suscipienda est consideratio faciei cœli, hoc est, Astrorum, vt illa quàm optimè cognoscamus, adeóque primum Lunaticum internoscamus, sciamúsque, in quonam Planetâ, Zodiaco, &c. is genitus sit, vt nimirum secundum hoc curationem instituamus. Sic si speculationi indulsit Spiritus coniunx ipsi fuit Saturnus. Stella etenim quælibet fœmina est. Cura ergo aduersus Saturnum dirigenda est. Qui ascendentem attraxit Venerem: huic curatio à Venere intendenda. Eadem etiam est ratio Martis, Lunæ, Solis, Mercurij, Iouis. Nec verò septem tantum astra esse cogitandum est, sed innumera illa sunt, vniuersa probè cognoscenda & expendenda.

Saturnus præest Spiritui Stellæ fuit fœminæ.

In ordine verò prior est præseruatiua, quam sequitur ipsa cura, secundum prædictum canonem. Et regula hîc vnica tantùm datur, vt scilicet animalis ratio frangatur. Sic si quis in fide nutare & ambigere, sibique ipsi placere velit, æstima signa illa, de quibus Christus locutus est, si id facit, permitte ipsum suo arbitrio; nec interturba. Si minimè facit, cautè & prouidè age, hominémque obserua, vt vulpem, an lupus, canisue aut sus fiat, hoc est, quò recidat, in quam stellam vergat, an auaritiæ indulgeat, bellóue, aut mendaciis, aut superbię, aut violentiæ, &c. Dum itaque obseruatione & indagatione illâ cognoscis, quò inclinet: iam præseruatiuum hoc est, monere, vt desistat, cogitetque, se Prophetam & Apostolum minimè esse, cum Christi mandatis minimè pareat & obsequatur. Itaque ab intellectu animali seriò illum arce, ipsûmque de viâ meliore institue. Si agnoscit, bene. Sin minus, proximo querere. Fac vt confiteatur. Si nec hoc faciat: defer ad Ecclesiam. Si nec huic obsecundet, vt Ethnicum ipsum tracta, in vltimásque tenebras ipsum eiice, priusquam per vim spirituum animalium integram ciuitatem, domúmue, aut, regionē illam corrumpat & seducat. Vbi enim pecuini tales Prophetæ surgunt, Satanas illis auxilio accurrit, vbique insidians, instigās, & Ecclesiā impellens. Quæ ne corrumpatur, ad Ethnicos illum relegari cōmodiùs est. Quis enim eiusmodi eradicare

Lunatici cura præseruatiua.

eradicare faciliùs potest, quàm magistratus, si verbo locus non datur? Is nimirum Præseruatiua adeóque ad hunc finem institutus est. Quòd si negligentiùs curetur, & doctrina Christi spernatur, ipsisque aliud ac diuersum à Christo profiteri concedatur, regio illa certum infortunium experietur. *Va enim terræ illi, cuius Rex ac Superiores infantes sunt*, hoc est, rem non intelligunt. Et multò vtilius est Maniam per præseruatiuam ab initio exscindi, quàm in fine. Tandem enim indurantur & præfracti fiunt, nec leuiter etiam auxilium maligni spiritus accedentis metui debet. Et quoniam de falsis Prophetis, ac Christis falsis & pseudo Apostolis tam multa Christus vaticinatur, ac præmonet, istiusmodi certè homines longè attentiùs, quàm naturaliter hîc describi potest, attendendi sunt.

Magistratus præseruatiua et doctrinam ... — Pseudo Apostolis ... cauendi: Præseruat. bellatorum.

Sic si quis Maniacus præliari appetit: illum prædicto quoque modo corrige. Si parere nolit: satiùs est ipsum ad Ethnicos exponi, priùs quàm innocentem iugulet, & in alio committat, quod non ferret ipsemet. Adeóque vt hoc peccatum cum malis aliis bellum consequentibus caueatur, Ethnicæ pœnæ nemo exemptus esse debet.

Ita etiam, si Mania desinat in aleam, ludos, scorta & luxuriem aliam, modo priùs dicto insta. Si non pareant, pœnâ Ethnicâ illos coërce. Quam quidem iustiùs ipsi sustinent, quàm vt tolerati tanta mala conciant, & venena sua passim effundant, quæ deinceps latiùs serpant. Ita excusatio nullo ipsis præsidio esse debet.

Præseruat. aleatorum scortatorum &c.

Aduersus fœneratores & mercatores tali remedio insta. Inculca ipsis Decalogum, & mandatum Christi de dilectione proximi. Id primùm solus tenta, deinde adscisce proximum. Porrò Ecclesiam. Si ne sic quidem obsecundet, iustiùs est in Ætnam ipsam exturbari. Sedulò enim damna & noxæ, à mercatoribus obtrudi solitæ, nostris oculis exponendæ sunt, cùm imperscrutabiles & vix enarrabiles existant. Per artes enim illas Satanas sese insinuat, quò aliàs penetrare non posset.

Præseruat. fœnerat. & mercat.

Si quis Maniacus fiat in artibus, eodem exemplo insta, errorem illius enarrando, & quid possit, quid non possit, explicando. Quod si is nec tibi, nec tuo proximo, nec Ecclesiæ credere velit: satiùs est, lapidem molarem de collo eius suspendi, ac in imum mare mergi, quàm præconceptam ab ipso opinionem emergere, & in opus seu actum erumpere, adeóque mendacia, dolos, homicidia, furta, &c. proseminari. Et sic de cæteris omnibus similiter iudica, præseruatiuam in sola Magistratus manu positam esse, si cætera nihil prosint aut proficiant.

Præseruat. Artificum.

Quòd si verò neglectâ ac præteritâ præseruatiuâ eò peruentum iam sit, vt iam ipso actu insaniant, & rabiant, nec seipsos amplius cognoscant, consilium certè salubrius aliud nullum habeo, quàm hoc, quod processu duplici constat. Vnus tenendus est, quando cum affectu Maniaco concurrit etiam aliquid rationis seu intellectus. Altera Medicina (si nimirum intellectus superstitis nihil repetitur) est hæc, quam Christus de obsessis præfiniuit, quæque fit per ieiunia, precésque, per considerationem mandati, *Dilige proximum tuum, sicut teipsum.*

Cura Maniæ curatio duplex.

Pro primi processus explicatione tenendum est, virum sapientem, in ciuitate quâdam versantem, ac in senatu, iudicio aut rerum ad gubernacula sedentem, ad talia munia dignè exequenda, non Maniacum, sed prudentem omninò esse debere. Is si simul negotiationem mercaturámue exerceret, & in illâ Maniacus fieret, séque in his ipsum probaret, ac iustè facere præsumeret, tunc secundum viam rationalem, in quâ ambulat, hoc est, iuxta viam Senatus, ipsum aggredere, rem ipsi seriò propone, ac per modum illum, cerebrum seu animum ipsius pertunde, inculcáque, quæ inculcanda sunt, ac vt ipse tibi insanire videbitur. Si obsequitur, bonum est: sin minùs, duos trésue tibi adiunge. Tandem & Ecclesiam. Sin minùs pareat: pro Ethnico ipsum habe. Errare enim se, satis euidenter intelligit, & tamen vsque adeò præfractus interim est, vt obsequi nolit. Hîc ergo de Diabolis metuendum est, qui procul dubio præsto etiam sunt. Vnde non immeritò ad preces & ieiunia incitamur. Sic, si quis sit scortator, aleator, prædo, fur, &c. cognitionis vim aliquam semper superstitem habet, secundum quam dirigendus est. Si refragetur, præter Ætnam cura nulla superest. Quamdiu enim cognitionis vis apud Maniacum talem deprehenditur, tamdiu corrigendus & admonendus est. Ægrè enim impetratur, vt diues quispiam in huius Ecclesiæ consilium descendat. Nam & Christus inquit, *quòd faciliùs per foramen acûs camelus transiturus sit, quàm diues in regnum cœlorum penetraturus.* Quò id ergo impetrari ægriùs potest, eò vrgentiùs tu & Ecclesia de emendatione instare debetis. Vtilius ergo est, illos præseruando corrigi, hoc est, dum nondum opulenti sunt, sed instar medullæ molles & flexiles. Illò enim tempore promptius conuerti & subigi possunt. Postquam autem adoleuerunt & induruerunt, obrigescunt penitus, ægriúsque illis adimitur, quod adimendum est. Qui enim Christo non obsequuntur, hi multò tardiùs obsecundabunt homini. Maturo ergo consilium ineundum est, ac ad præseruationem properandum, priùs, quàm malum inualescat. Eo enim si ascenderit, ægrè ac difficulter sanabitur.

Curæ quis processus primus.

Diuites rari cœlū sectātur.

Si autem comes ratio non concurrat, nec conscientiæ scintilla aliqua emicat, verùm Mania efferata, brutalis, præfracta & constans euasit, ita, vt ligationem requirat: tunc, ne animâ ac corpus cùm ipso ruminet, tum aliorum labem contrahat, mandati de dilectione proximi memores, Lunaticum ad preces & ieiunia ducemus, ac vnà cum ipso ita cogitabimus: Quâ tu iam afflictione torqueris, eam tibi mitigabimus, iugum ac onus tuum nostris dorsis imponentes, Deúmque Seruatorem nostrum, vt te resoluat & liberet, sedulò implorantes. Reuera enim tales ab obsessis non longè absunt. Nec præter preces & ieiunia curam vllam aliam superstitem

Curæ processus alter qualis

superstitem habent. Quis enim domabit Martem, Saturnúmve, & Astra cætera? Aut quisnam insignem ipsorum malitiam istâ ratione peruestigabit? Nec enim hominem aliâ ratione obsident, quàm spiritus faciunt maligni, rationem animalem ex ipsis ita elidendo, vt genuinum hominem extrudat, ipsiúsque Dei obliuiscatum, ac creaturis adhæreat, præcépsque in superstitionem ruat, statuas adoret, stellas sectetur, & doctrinam earum æmuletur. His ergo eadem cum obsessis medicina cõmunis est.

Astrorũ vis quæ.

Etsi verò multa in Naturâ pro obsessis remedia prostent: illa tamen hoc loco non propono, hâc de causâ. Natura respicit ac intuetur Maniam: vnde in Maniâ illa quoque remedia prosunt. Hîc autem Lunaticum tractamus non Maniam. Vnde huius remedia illi non prosunt. Et nulla Medicina naturalis contra spiritus Astrorum facit, si hominem obsideant. Sic qui cœcus fit à fulgure, fulmine, Sole, &c. huic remedium nullum prostat, sed prout læsus est, ita manet. Qui verò naturaliter excœcatur, pro sanãdo Natura etiã remedia depromit.

Naturalia remedia malis Astralibus non conueniunt.

Quæ verò aliæ Astrorum sint malitiæ & luxuriæ, quas sedulò declinare debemus: eas in aliis libris planiùs trademus. Quæ verò de Lunaticis hoc libro tradidi, eo fine adduxi, vt intelligere ac noscere discatis hominem, quibus in viis ambulet, quid negotietur, ne ratio animalis pro lumine hominis fors reputetur. Apostoli siquidem puri erant homines. Vnde etiam Christus ipsos lumina Mundi, & Sal terræ vocauit. Qui verò eiusmodi non sunt, hi in tenebris ambulant, nec lumina sunt, sed tenebræ. Hæc causa huius meæ scriptionis vobis expedienda fuit.

Apostoli puri homines. Apost. lumina mundi, & sal terræ.

DE GENERATIONE STVLTORVM LIBER THEOPHRASTI.

TRACTATVS I.

PROLOGVS.



MAGNVM hoc quiddam & admirandum est, quòd Deus, qui hominem tam magno pretio, sanguinis scilicet & mortis suæ, redemit, eò vsque insaniæ ipsum deuergere permittat vt nec suum nomen, nec mortem, nec doctrinam ac voluntatem, nec signa, ac opera, ni, beneficia in genus humanum collata intelligere ac recordari poßit, sed ratione omni & sapientiâ necessariâ orbatus viuat. Et cùm homo imago Dei sit, deplorandum est, ipsum in stultũ, fatuũ, simplicẽ & brutũ hominẽ degenerare, adeóq; eum qui creaturis cæteris vniuersis nobilior est, præ illis omnibus adeò enormiter deformari: cùm tamen creaturæ cæteræ omnes hâc pœnâ exemptæ sint, nec in suo genere, ceu homines, stultos alant. Causæ autem huius consilij diuini multæ sunt, quas in præfatione enumerari nihil attinet. Interim hoc arduum quid est, quòd Deus personam non respicit, próque multis mortuus nempe quos omnes liberauit. Cur verò inter homines stulti & fatui sint, causæ scrutatu difficilis est. Quanquam quoad naturam, ea peruestigari facilè queat, cùm in rerum naturalium inquisitione homo magister & artifex sit. Præterea, quod tale progignitur, difficile est. Quis enim, quæ connata sunt, demet ac auferet? Eò difficiliùs sanantur, qui stulti nati sunt Is enim affectus nec morbus est, & est insuper incurabilis. Nam nec lapides nec herbæ sunt, quarum illi vi restitui poßint. Præterea Christus etiam multos ægrotos, obsessos, leprosósque ac aliter affectos sanos reddidit. De restitutis autem fatuis, traditum nihil legimus. Naturæ id præstare impoßibile est. Et insigne illud esse arcanum oportet, quod vitia, quæ stulti habent, auertere poßit. Sed nullum præsto est. Mysterium ergo magnum requiritur, ad illud in naturâ reconditum, perscrutandum: ideò cumprimis, quòd præter hominem nulla vspiam creatura fatua fiat, cùm tamen is creatura omnium nobilißima sit, licèt raro vitiis ac næuis careat. Sed extraneis mißis, cùm talia verè fiant, de fientibus rebus philosophandum est. De Medicina autem nihil tradetur. Itaque illius tractatus liber desiderabitur. In tractatu autem altero stultorum tantum origo seu generatio moresque enumerabuntur, non vt illi penitùs ac ex imo principio cognoscantur, sed, vt quilibet qui talia considerat, sciat, quidnam homo sit, & ex quo sit, vtque sic apud se cogitet, quòd nimirum omnis sua sapientia apud Deum nihil sit, nósque in omnibus nostris consiliis stultis similes existamus, quantúmque omni nostrâ animali ratione cogitare ac meditari poßumus, quòd id mera stultitia sit, quódque extra Christi opem nos meri fatui & fungi habendi simus. Fatui ergo vt fratres ad nos sese habent, qui vnius cognationis & sanguinis existunt. Ita enim & nosmet ratione nostra eiusdem sanguinis sumus, sicum sapientia nostra apud Deum prodire velimus. Quasi duo fratres essent, quorum alter stultus, alter sapiens existeret: hic iam vna cognatio, sanguinis, ac ob id vna quoque ratio adest, vnúsque altero æquè nobilis est. Et qui sapientem redemit, idem etiam liberauit stultum: & qui stultam idem etiam sapientem redemit.

Stulti cur nascontur ac fiant.

Fatuos nullos sanauit Christus.

Fatuum fit nullũ animal præter hominẽ.

Stultos redemit Christus.

LIBER PRIMVS.

TRACTAT. I.

QVoniam proposuerat sibi Deus, hominem creare secundum similitudinem suam, ipsúmque in *Ebron* collocare: hâc de causâ oportuit hominem condi purum, propter locum scilicet, in quem poneretur. Constat autem ac ratum est, ipsum ex *Limbo* factum esse, qui *Limbus* omniũ creaturarũ naturã & proprietatẽ habuit. Vnde & homo vocatus est Microcosmus. Deus autẽ hominẽ hoc modo purum seruauit, quòd proprietatũ illarũ, quę ex limbo genitę sũt, nulla eruperit ac effloruerit, adeóque homo totus purus in paradisũ collocatus adductúsq; fuerit: Quãquã reb' õnibus cõmaculatus, sed tamẽ insciẽter. Qui enim quod in se sit, nescit, is idẽ facere nequit, nec quicquã illius facit. Ille

Homo purus creatus propter Ebron. Homo ex Limbo fact'. Limbus quid. Homo qui purus.

Ille ergo iam purus est, licèt tale quid in sese habeat. Et sicut virgo, quæ nescit, quod vxor seu mulier esse vel fieri possit, & quidnam mulier sit, tamdiu pura est, quanquàm id ipsa sit: ita & Adam cum suâ Euâ homo erat, & in ipsis creaturarum omnium naturæ inerant: quod tamen ipsi ignorabat, ac ob id puri erant. Hoc itaque modo Adamus purus in paradisum intrauit. Paradisus etenim *Ebron* locus erat, in quo impuri & lasciui nihil committi poterat. Quia autem homo ex mundo erat sumptus, ac in paradisum introductus, cuius arcana illi ibi committebantur: hinc causam sumpsit *Leuiathan*, ipsi, quidnam esset, prodendi & indicandi. Is iam, si ex *Limbo* sumptus non fuisset, seduci minimè potuisset. Ipsum enim tentandi Leuiathan occasionem non habuisset. Tum etiam Adæ & Euæ is status, eáve conditio non fuisset, vt perpetrare potuissent, quod *Leuiathan* persuasisset. Quia autem vice conuersâ eiusmodi erant, in quibus tam bonum quàm malum habitaret, quod tamen nec nouerant nec sciuerant: idem perpessi sunt, quod virgo solet, quæ quidnam sit, aut ad quid vtilis sit, ignorat quidem, sed tamen ante se stantem adolescentem amat, nec tamen, cur, quo fine, ad quidúe illum amet, intelligit, licèt ipsius cupida sit: adolescens autem ipsam tentet, ac quod edat virgo, proponat, ipsámque morsus ignaram aut consciam sollicitet: iam ipsa intelligit bonum & malum.

Similiter etiam Leuiathan, Adamum ac Euam, quibus mirabilis natura inerat, tentauit, ipsorumque virginitatem corrupit & polluit. Quâ de causâ ex paradiso exterminati, ac ad locum illum denuò redacti sunt, ex quo prodierant, vbi nempè, quæ sciebant, nec tamen succedere poterant, vsurparentur & exercerentur. Huius puritatis & pudicitiæ homo quoque erat, cùm primum in paradisum secundum imaginem Dei formatus introduceretur, vsque dum à *Leuiathan* seduceretur. Ob lapsum enim istum Adamus ac Eua libertatem ac imaginem suam perdiderunt atque ex ipsis homo mundanus factus est, in mundum eiiciendus, & mundanis mæris obseptus & pressus vsque ad hominum nouissimum.

Postquam autem ex paradiso eiecti sunt, quales fuerunt antea, minimè manserunt, sed facti sunt fragiles, mortales ac miseri homines, ærumnis quibusuis obiecti & obruti. Tum vero demum, quid mundus esset, senserunt, adeóque vim Lunæ, Martis, Saturni, Iouis, Mercurij, ac durorum in Zodiaco signorum, velut & cæterorum astrorum efficaciam deprehenderunt. Tum demum afflictiones mundi & miserias hominum quasi manibus palpârunt, hoc modo. Videbant nempe, quibus casibus subiacerent. Videbant, quanta corruptio & defœdatio secuta esset in pulchritudine, in specie, in dilectione. Videbant corruptioni in homine omnia obnoxia esse. Videbant in suis liberis varios morbos emergere & deformitates. Videbant gliscentem discordiam, dissidia, & quaslibet insuper miserias. Sedulò ergo tenendum est, quòd homo bonus, integer, perfectus iustúsque secundum imaginem Dei creatus primò fuerit, & insuper castus purus, sanus, lætúsque in paradisum introductus, & in terram talem immissus, quæ terris omnibus beatior fuerit, vbi neque mors, neque morbi, nec discordia, neque deformitas, nec hostilitas regnare potuerit. Postquam verò hinc eiecti in mundum sunt, in lacrhymas & eiulatum conuersa omnia fuerunt. Quocunque autem ornatu homo primùm insignis erat, is vniuersus ei detractus, atque ipse adeò imaginis diuinæ plenitudine exutus est. Hinc postea insecuta est causa ad latrocinium, ad bella, ad furta. Destruebatur enim integritas, *probitas, castitas, modestia & obsequentia*, & in horum locum succedebant, *scortatores, aleatores, prædones*, distorti liberi, surdi posteri, aut muti, aut claudi, aut timidi, fatuiue aut monstrosi portentosique, ac similes alij fœtus, quorum propagatio non desitura est ante mundi interitum. Mundi enim hæc est natura ac conditio, vt talia indies ex sese producat magno numero & prouentu vberrimo. Et corruptionis huius tam firma est duratio, vt nullo tempore aut molimine auerti ac obliterari queat. Quinimò ex necessitate quadam fatali ita iam euenit, vt nascantur cœci, claudi, distorti, tales vel alij, moriones, fatui, ignaui, &c. Ea etenim mundi est proprietas, vt tales liberi progignantur iam, qui illis in *Ebron* aduersi sint. Quandoquidem ergo tot miseriis & ærumnis subiecti simus; ista talia describi, & philosophico discursu, vndenam stulti, & quibus ex causis gignantur, inquiri omnino fas ac æquum est. Quod vt commodiùs præstaremus, necesse fuit nobis, ante omnia hominem in paradiso cum suâ perfectione proponi: deinde etiam nonnihil enarrari de eiectione ipsius ex paradiso in mundum; ob quam ille ad naturam sui Limbi relapsus & corruptibilis factus est in hilaritate, in sanitate, in veritate, in formâ & specie, in membrorum agilitate: quæ iam omnia corruptionem & dissolutionem mirandam & dolendam subierunt. *Hominis status post lapsum.*

Hoc certè commiseratione & planctu nimis dignum est, quòd Deus imaginem suam hoc modo destituendo, ex *Ebron* illam exturbauit, omnique diuinâ imagine exuit, vt iam monstra, stulti, claudi, distorti, cœci, surdi, mutique & similes successerint, cùm tamen nec ipse Deus in imagine suâ, aut distortus, aut claudus aut cœcus, aut mutus sit, sed perfectam omnino imaginem, quam homo perdidit, habeat. Etsi verò vel dum homo de suâ perfectione glorietur & gaudeat: si tamen seipsum introspiciat, vah quàm longè abest is ab imagine diuinâ? Nec enim alia eius est ratio, quàm pauonis. Qui cum ob insignem plumarum speciem insolescit: quàm primùm pedum turpitudinem intuetur, fœditate absterritus de fastu suo illicò remittit. Et quis iure dicere queat, nos imaginis Dei adhuc esse participes? Nemo arbitror. Hoc verò autem dicere possumus, nos illius omninò participes fuisse, scilicet in *Ebron*, non item in mundo. In mundum relapsi, illam exuimus, quâ ornati eramus, integritatem. Verè ergo *Lapsus humani iusta quiritatio.*

ergo dicere possumus, nos secundum imaginem Dei factos esse. Mentimur autem, si dicamus, nos quales creati sumus, tales adhuc esse. Qui de imagine diuinâ gloriari vult, hunc non oportet mori, non in mundo ambulare, non fragilem esse, sed in paradiso viuere. Talis si non sit: iam creationis bonitas in ipso corrupta est. Eius quidem aliquid superest. Sed hoc miseriis infinitis obseptum est. Qui enim dicere cœcus queat, imaginem se habere diuinam? Quinam idem dicere queat claudus? qui stultus? Etiam, siue exteriora siue interiora spectemus? Quòd si verò in paradiso constitissemus? imaginem Dei vtique retinuissemus, quæ in nobis fuisset æterna, sine morte, sine passione, sine ærumnâ, sine paupertate, &c. Tali ergo gloriatione omissâ, fatemur nos potius homines miseros, & afflictos, omnibus elementis, & quæcunque in ipsis sunt subiectos. Hîc nos vexat iste spiritus, alibi alius, hîc pygmæi, hîc Nymphæ, hîc Fatum, hîc Augures, hîc Satanas nos affligit. Nec insuper vlla vspiã in cœlo stella est, quæ nobis nõ minetur: nulla in terrâ herba est, cui satis tutò fidere queamus: nulla medicina satis secura: nullus haustus vini suo periculo nobis non metuendus. In medios eiusmodi lupos coniecti, vitam ærumnis perpetuis obnoxiam trahimus. Hæc causa est, cur etiam de nostris liberis nascendis tam incerti simus. Hîc progeneramus molam, hîc monstrum, iam stultos, iam fures, iam latrones, iam scortatores, &c. Sed miserias hîc nostras omnes ex ordine recenseri, nimis longum futurum sit. De generatione stultorum potius dicere pergamus, quo nempe modo ac ratione à sapiente stultus nascatur: & qui fiat, vt vir probus filium nequam gignat: & sic econtrà. Hæ enim proprietates mundi sunt. Quilibet autem suam crucem attollat, & sequatur Christum, vt eò perueniat, quò vocatus est.

Homo qualis post lapsum & quam afflictus.

De stultis itaque tenendum est, eos tantùm ex cœlestibus tyronibus & imperfectis magistris gigni, hoc modo. Notum nempè omnibus est, magistrum artis peritum, statuam suam expeditè & egregiè sculpere. Sic latomus ex saxo opus perfectum producit. Nullus etenim peritus artifex suo operi næuum affingit. Iam verò magister nemo fit, nisi ex discipulo. Discipulus & ipse tam diu sculpit, dum tandem opus succedat. Nam, quod primò facit, nihili est, est rude & risu dignum opus, si spectetur in statuâ, nasus, oculi, collum, &c. Præterea & hoc tenendum est, quòd homo seminet hominem, non faciat. Et qui seminat: opus habet factore. Agricola serit semen: ipsum tamen triticum non facit. Sic homo seminat hominem: Vulcanus autem ipsum facit. Nec Vulcanus solus: verum Vulcanus & pater. Sic statuarius statuam fingit: nec tamen solus, sed cum ipso lignum, ex quo illa fingitur. Res ita intelligatur: semen ligni seritur & crescit: id iam, quantum homo addit, in suâ semente est. Vbi lignum creuit: lignum vniuersum tantùm vnum est, respectu statuarij. Iam ergo manum applicat statuarius: & quale lignum tractat, talem ex eo statuam fingit. Sic ergo momenti aliquid positum est in ligno, aliquid etiam in statuario. Et duo isti statuam perficiunt. Eodem modó etiam homo facit lignum. Vulcanus sculpit hominem. In sculpturâ autem & generatione stultorum Vulcanus ipsemet præsto non est, sed tyrones tantùm, corruptores. Sic ergo stultus non est, nisi statua corrupta. Vnde etiam fit, vt stulti malè formati & proportionati sint. Sed de Vulcano cognoscendo explicationem pertexamus. Quid est, quod tenerum non adolescat? Quodnam id est, quod perpetuò fixum maneat? Quódue id est, quod non augescat & decrescat? Res omnes, quæ vspiam sunt, renouantur, ac ex pueritiâ transeunt ad senium. Luna nimirum, quæ omnibus vel rusticis conspicua est, senescit, deficit, & emoritur, transit & apud Solem nouam Lunam facit. Et inter ipsius adolescentiam ac senium magna intercidit diuersitas in potentia, impressione, qualitate, naturâ. Hæc enim omnia longè inter sese distant. Quæ Lunæ, eadem & Vulcani ratio est. Is puerascit, fit discipulus, senescit, & indies melior ac perfectior fit. Et eiusmodi est mundi ordinatio, vt homo sui ipsius ius non habeat, dum liberos, quales vult, gignere annititur. Ad hos enim quod conferat, nihil habet aliud, quam lignum. Hoc si addiderit, opus postea cedit, vt magister illud sculpit. Eiusmodi suos Vulcanos habent etiam Regiones: suos habent ædes: suos res gestæ: suos tempora anni. Qui palmam attingit, habet. Sed de hisce Vulcanis ibi tradam fusiùs, vbi de firmamento docuero. Sunt enim isti multiplices: vnde multiplices sunt etiam stulti. Tam frequentes autem in corrumpenda sculptura sunt tyrones, támque numerosi, ac magistri tam ignaui, vt rarò quis inueniatur stultum non producens.

Magister nemo nisi qui prius discipulus.

Homo hominẽ seminat nõ facit.

Sculptori opifices tyrones [illegible] ipsi in causa.

Omnia in mundo renouantur.

Lunæ & Vulcani comparatio.

Ipsi magistri non admodum senescunt. Si artem omnium optimè callent, moriuntur. Hinc continenter magistri iuniores sunt: quæ causa est multitudinis stultorum. Et renouatio illorum multò expeditior est, quàm Lunæ. Cæterùm Vulcanus non vnus tantùm est, sed multi. Et quilibet proprium suum malleum, propriam dolabram habet, adeóque peculiarem ab alio statuam sculpit, vt nulla alteri similis sit. His etenim, hoc est, arte, quam exercent, homines discriminantur. Ex eo fit etiam, cur non omnes similes sensus indant ac generent. Qui enim non possunt formas similes facere: iidem nec similes sensus proferre queunt. Hinc variæ formæ oriuntur. Et quot formæ, tot sensus. Pro hisce ergo tenendum est, de stultorum natura dici nihil posse, hoc est. Ascendentem ipsorum declarari non posse, vt nec natiuitatem. Ob id Astronomia & Astrologia ars incerta est. Qui stultos describere, ac natiuitatem eorum condere nequit, is multò minùs virum sapientem describet, futurò tempore ex moribus (al. sensu prauo) noscendum. Tam varia enim ac erronea res est circa Vulcaniam & sculpturã, vt hactenus quidem discere aut cognoscere magistrum nemo potuerit, multò minùs tyrones, qui indies crescunt. Quis ergo dicere queat, hunc talem, illum talem futurum: cum tamen in officina nemo sederit, ac illos cudi viderit? Qui officinam lapicidarum ignorat, is de ipsorum operibus ne iudicet. Alias mendacem aget, quod certæ

Vulcani multi sunt qui homines sculpunt.

Astronomia & Astrologia artes incertæ.

certæ arti, vt illi aiunt, probrosum est. Talia autem aneri aut anteuerti non possunt. Sicut enim hortulana, postquam semen terræ credidit, horti sui damna auertere nequit, sed Deo futura mandare cogitur, ac illis, quæ huic à Deo muneri præfecti sunt, ceu frigori, calori, aëri ventisque: ita & homo ferre cogitur, quæ circa ipsius semen eueniunt. Vbi tamen recordari vos velim, quòd, si in paradiso mansissemus, quilibet suum opus perfectum omnino facturus fuisset: cùm tamen iam expulsis nobis, ferenda sint quę natura importat, siue fiamus claudi, seu distorti, seu cœci, seu stulti & bardi. Et nihilominùs tamé laudes & grates dicendæ Deo sunt, quòd vel tales facti simus. Et hoc se modo habet fabricatio ac generatio stultorum. Tam ampla autem iuuenum horum artificum fabrica est, ipsiq; adeò magistri tam numerosi, vt pauci procudantur, quibus non vitiũ aliquod adhæreat. Interim tamen nemo inficias it, quin tyro vnus altero sit melior. Tũ & indies illi perfectiores euadunt. Et horum nonnulli meliores sunt: quidam peiores, etsi quidem & ipsi magistri fiant. Hæc verò vniuersa per natiuitates nostras apertiùs docemur, quòd nempè ad cudendos & fingendos nos nihil potestatis habeamus: quodque adeò subiecti simus Vulcanis, quibus tamen alias nec vitulus, nec vacca, nec vllum aliud pecus subiacet. Solus homo, qui tamé creatura nobilissima est, hoc opprobrium expectare cogitur cum patientiâ & silentio, cui rigori pecus omne exemptum est.

Homo omni stultis miserior.

Suadet huius loci occasio, vt etiam de corporis deformitatib. & rebus illis connatis, vt sunt strumæ & similia, nonnihil disseramus. Quæ licèt stultis quidem propria non sint, sed ipsis cum aliis communia: in stultis tamen eadé omnia frequentissima sunt. Causa autem hæc est, quòd non tantùm sculpturâ malâ ipsa ratio corrumpatur. Verùm & ipsum corpus, quod indecoris formis appensis turpatur. Oriuntur tamen ista ex metallicis & mineralibus aquis, quę strumas ex natiuâ proprietate gignunt, vbi multæ etiam constellationes coincidunt, & potissimum vbi huiusmodi regiones reperiuntur. Ex annascentiis istis monstrosis colligere possumus, nos imagine Dei non ampliùs dotatos, sed omninò spoliatos esse. Et licèt imaginem hanc ipse quoq; Christus portârit: næuis tamen hisce caruit, quibus nos Euæ filij obnoxij sumus. Hæc differentia magnæ diuersitatis causa est. Nam nobis hominibus imago data est, in qua omnium animalium, conditio, natura, sanguis ac caro subsistit & viget, si nimirùm animaliter nos geramus. Hoc modo stulti naturam animalem contrahunt: & in animali dominantur Vulcani. Si subiectum corrumpitur, corruptus in ipso est etiam homo. Ipsa etenim instrumenta stultos faciunt, dum vsibus inepta sunt. Ita hominis est, esse purum & illibatum in ratione. Is iam si talis est, ratione sua ad res necessarias vti potest. Si ratio praua sit, iam homo interior mancus est, quia, quo opus habet, instrumento caret. Hinc vnus stultescit: alter minùs. Corpus hoc, népè animale cœlo & ipsius fabricationi omninò subiectũ esse cogitur. Si in paradiso constitisset: veri hominis vsurã cepisset, nec animalis factus fuisset, verùm probum & aptum

Strumarum quæ causa.

Christi imago quo privilegio donata præ nostra.

Corporis hic dinoscit ipsi natura.

instrumentum vt veri corporis, ita veri etiam hominis, adeoq; omnium malarum adnascentiarum immunis extitisset. Cæterùm quia homo peccato semel obnoxius factus extra paradisum exturbatus est: reatus iste iam & huius & aliorum malorum, hominem prementium ac ipsi congenitorum causa est. Res enim qualibet dissolutioni destinata, corrumpitur. Quicquid autem vniuerso continetur mundo, id dissolutioni obnoxium, cadit vt potest non secus ac lignum hominum manibus tractatum, qui ex eo fabricant, quod arbitrantur. Lignum namque eò destinatum est, vt ab homine frangatur & destruatur. Harum destructionum multæ sunt: alia hùc, alia illùc pertinentes. Eodem modo & homo ad corruptionem mancipatus est Vulcanis, hic scilicet homo huic Vulcano, alius alij, sicut variè inter nos euenire, cuilibet compertum est. Quæ nisi ipsimet nostris oculis aspicerentur: quis vsque crederet?

Omnia mundi corruptibilia.

Stultus ergo differt à sapiente, ratione instrumenti, quo vti debet homo, quod in illo corruptum est. Et tamen homo ipse corruptus non est, sed perfectus & integer est. Sciendum namque est, hominem illum, qui in imagine Dei consistit, nullo modo aut adnascentiis, aut aliis corruptionibus fœdari posse. Corpus autem animale corrumpi potest. Vnde fit, vt ipse etiam homo corruptus videatur, iis, qui ignorant, quod in paradiso corpus animale mansurum fuisset integrum, velut & ipsum instrumentum purum: quod tamen, postquam homo eiectus est, corruptum & vitiatum est. Et hoc discrimen est inter stultum & hominem in *Ebron* ratione instrumenti. Nemo enim statuere debet, corpus animale similitudinem esse Dei, sed tantùm hominem verum. Ingens enim illa macula sit: si corpus, quod claudum, cœcum, &c. est, imagini Dei simile censeatur: cùm tamen Deus vitio omni vacuus sit, non item homo. Vnde duo isti inter se similes esse non possunt. Simile est etiam discrimen inter hominis corpus animale cum sapientia, ac inter hominis corpus animale cum stultitia coniunctum. Sapiens etenim homo vim suam per instrumentum exercere potest: vt econtrà homo stultus hominem suum in corpore animali exercere non potest. Hic etiam attendendum est discrimen inter stultum & lunaticum. Stulti sunt astri benigni, ex infirmitate malè fabricati. Lunatici ex nimiâ animali ratione geniti sunt. Lunatici autem & stulti à sapiente differunt in eo, quòd sapientes corpus animale dominari non patiantur. Et hoc dum fieri non patiuntur, iam cœlum in ipsis efficax esse non potest, quandoquidem in solo animali corpore potens sit. Homo ergo homo manet, qui animali ipso vtitur tantum pro instrumẽto. Sic si homo equo insidet, equus animal est, homo autem homo. Animal autem compellitur facere, quod homo vult, hoc est, equus pergit, quò homo ipsum dirigit. Et licèt ipse quoq; equus ascendentes suos, à quibus regitur, habeat in cœlo, hac tamen iam vice homo dominus est, non cœlum: & homo frangit ac coërcet cœlum, ipsoq; superior est. Simili exemplo corpus etiam suũ animale coërcere potest, vt ad quælibet iussa sequatur ceu catelius loro vinctus, nihil perplexans, aut recalcitrans, sed sponte

Stultus ob instrumenti prauitatem differt à sapiente.

Deus omni næuo caret.

Stulti & lunatici discrimé. Horum à sapiente discrimen.

Sapiens animali suo & instramento vtitur.

sponte ac vltrò. Nam licet & cani sua in cœlo constellatio sit, ipsius tamen cœlum homo superat, canisque homini, non cœlo obtemperare cogitur. Sic ergo homo corpus suum assuefacere debet, vt velut instrumentum interiori homini obsequatur, cùm ipsius cœlum frangendi vim homo habeat. Sanum enim & impollutum corpus instrumentum irrationale regere potest, quod stultus minimè potest. Huius enim instrumentum irrationale regere potest, quod stultus minimè potest. Huius enim instrumentum penitus confractum est, nec opus succederet feliciùs, quàm si tignarius falce exasciare lignum vellet. Etsi enim aliàs hanc artem probè calleat, scientiam tamen ac artem ipsius peruertit ipsum instrumentum, quod manu regit. Vnde opus infectum relinquit.

Instrumenti ineptitudo ipsi operi officit.

Cæterùm vndenam mores & gesticulamenta stultorum dependeant, iam porrò attendite. Ludicra talia sapiens non tractat, sed tantùm stultus. Hoc est, Genuinus homo talia nō exercet, sed tantùm corpus animale. Loquimur de ludicris stultorum. Vbi obseruandum est, ipsos astra duplicia habere, conuenientia nempe stulto, & conuenientia sapienti admodùm. Ludicrorum autem seu iocularium hanc differentiam tenete. Iocularia corporis animalis ita fiunt. Si corpus monstrosum vnà cum ratione animali sculptum est, tunc vino irrigatur, & inebriatur. Eo ebrio facto, animalia iocularia erumpunt eius generis, cui ille obnoxius est. Verus enim homo nihil bibit. Quod si enim mille viri vnà considerent, & vinum bonum ac generosum biberent, ita vt temulenti ac ebrij fierent, appareret vtique, eos non homines, sed animalia esse in omnibus suis actionibus, variantibus tamen secundum cuiuslibet naturam ac proprietatem. Eadem ratione & Vulcanus, qui in corpore residet potum porrigit, vt in vtero materno inebriemur. Ita omnes quidem bibimus ac omnes crapulam excoquimus, soli stulti eam non vincunt, vnde furiosi & ebrij fiunt manentq; ob vinum fixum, quod in aliis tamen consumitur. Vinum hoc ita intellige. Res seminata & crescens quælibet humore suo indiget, ex quo crescat. Humores autem duplices sunt, vnus est ex matrice, qui naturaliter prouenit ex terrâ. Alter ex cœlo, qui naturaliter oritur ex astris. Ex hisce humoribus res seu creatura quæuis sustentatur ad crescendum, vsq; dum extra terram erumpat. Iam triticum suum imbrē habet, quē requirit. Flores suū habent Rorē, quem poscunt. Folia suam pruinā, fructus suam pluuiam & similia. Nam hoc cuilibet persuasum esse debet, quòd pluuia non sit humor florum, sed potius ros. Et ros non est humor foliorum, sed pruina. Et sic quælibet pars vnius rei seu propriam ac conuenientem humiditatē habet. Si flores maturescūt, patiuntur defectum sui roris. Pluuia etenim ipsis commodo non est. Adeoq; sua propria & conueniens constellatio vnicuiq; rei à cœlo affluit. Eodem modo & homo mirabiliter ex cœlo suū humorē haurit, ad incrementum omniū partium, oculorū, dentium, medullæ, &c. quarū partium quæuis peculiarem humorem requirit, nec vnus ac idē promiscuè omnibus conuenit. Ex quo consequitur, cœlum cerebro quoq; proprium ac peculiarem humorem impertire. Is humor est vinum Astrale. In vino enim hoc cerebrū humectatur & conseruatur. Vinum hoc firmamentale cœli, si iam cerebrum imbuit & humectat, cerebrum autem id in corrosionē & corruptionē degenerat naturæ, tunc vinum id nec consumi, nec somno excoqui potest, sed superstes manet. Cerebrum, si eò peruenerit, vt veri hominis iam non sit instrumētum, sed fatuum sit, vinum ipsi accedit. Quicquid postea homo facit, opus ebriū & temulentum est. Quod si autem vinum hoc secundum proprietatem suā consumatur, tunc homo, ita vitiosus, ludicra exteriùs exercebit, nec in illis delirabit ita, quasi vnà corruiturus sit. Sed hæc relegamus iam ad illam Philosophiam, quę de his tractabit, nempe *de Generat. hominum & rerum*, vbi accuratiùs eadem explicabuntur.

Stultorū astra duplicia.
Stultorū Ludicra vnde.
Homo verus nō bibit.
Stulti cur non sint omnes homines.
Cretio est ab humore.
Humores duplices.
Humor rebus singulis proprius est.
Cerebri vino astrali satientur.

Sed vt ad propositum redeamus, Stultorum etiam genus alterū explicandum est, hoc est, sapientia, quæ etiam stultis inest, quæ erumpit aut pellucet veluti lumen per cornu, crassè nimirū & obsurè, aut vt lumen, quod nebulæ exponitur, quod ipsum quoq; adeò obscurè lucet, vt ad splendorē eius nemo opus suū exequi queat. Eodem modo & stulti conditum in se lumen habent, per fatuū ipsorum caput translucens, quod viro sapienti ludibrio esse non debet. Eius origo ita se habet. Verus & genuinus homo quilibet spiritus est, hoc est, instar spiritus omnia nouit, si nihil impedimenti habeat in corpore animali. Iam verò verus homo corpus fatuū assiduò tentat & probat, an ad alia quædam, quàm inania, idoneum sit. Ita tentando spiritus interior interdum horam aut constellationē intempestiuam impetrat, vt stultus ex ipso loquatur, non ex fatuo. Quia autem fatuus est, ideò ridetur & exploditur. Hoc enim genus stultè, inconditè, & contemptim incedit. Ex quo etiam habitu nemo iudicat intùs hominem latere, quasi anima simul cum corpore stultesceret. Plerique etiam obliuiscuntur mandatum Christi, imperantis, *Ne fratrem nostrum stultum vocemus.* Etsi enim corpus animale quidem fatuum sit, anima tamen ipsius ac spiritus, &c. minimè stultescit. Sciendum ergo, non omnia iocularia corporis esse animalis, sed interdum etiam interni. Nihil enim apud ipsos stultum est præter corpus mortale, quod vermes corrodunt. Quod in se illi æternum habent, id omnis stultitiæ & delirij expers est, nisi quod erumpere non potuerit, & hominibus acceptū esse. Vbi hoc quoq; adduci fas est, quod stulti plus iudicij, prudentiæ & sapientiæ habent, quàm sapientes ipsi profiteantur. Sapientia siquidem ex vero proficiscitur homine, qui non moritur, non prodit ex corpore animali. Per hoc tamen se exerit & manifestat. Hinc res iam manifesta est. Nam si vir sapiens rationale corpus animale habet, tunc in ipsum fiduciā ponit, veroq; illud corpori preponit, persuasūq; habet, quòd animale corpus vero plura sciat. Ita ergo suam sapientiam obuelat, ac vulpē lupumve in corpore suo animali vsurpat. Vnde ipso stulto infirmior fit. Stultus etenim animalis sui corporis potestatem non habet, sed temulentus est, ac titubat. Per istam titubationem corpus internum iam tantum potestatis facilè impetrat, vt ex illo eloquatur & proferat sua, hoc est, interni

Stultis sapientia qui.
Stultitiæ interni sapientis loquuntur.
Stultitia ē corporis nō spiritus affectio.

terni corporis placita. Et quicquid huius profertur, id rationis animalis permixtione & adulteratione caret. Stulto enim ea industria nō est data, vt illud arte, quasi infucare possit, quemadmodum vir sapiens, cui procliue est eloqui, quæ placet, siue id ex vero, siue altero corpore promanet. Stultus itaque ob sermonem suum plus attendi debet sapiente, ex causa iam dicta, quia vero homini per animale corpus non resistit.

Sed rem exemplo addito illustriùs proponemus. Cùm stulti ita affecti sint vt veritatem, quę non ex spiritu animali procedit, simpliciter dicāt, id certè admonitioni viro esse debet sapiēti, vt suum quoque corpus, quod stultum non est, stultum efficiat, ac infirmet, vt & ipsi dicto modo veritas elabatur citra fucum ac repugnantiā. Animum namque attendite ad Prophetas, quos sibi Deus singulariter elegit. His enim vniuersis corpus animale infatauit prius, ac deinde loqui interiorē hominem permisit. Hinc factum est per infatuationem & inebriationem, vt spiritui genuino, qui locuturus erat, nihil aduersaretur, nihil ipsum corrumperet. Quare etiam ceu homines simplices in sua simplicitate irrisui & contemptui fuerunt apud homines. Et hi quidem omnium sunt sapientissimi, adeoque ipsi Deo proximi, qui in simplicitate ambulant. Illi enim nihil habent, quo vero homini repugnēt, qui officium solus liberè loquendi habet. Ipsorum etiam dicta ac doctrinæ quasi à temulentis profectæ sonuerunt, non affectato ordine pronuntiatæ, quod facere studet corpus animale, quo signo etiam facilè deprehenditur. Et sciendum est, per eiusmodi homines, qui stulti sunt & habentur, aut per simplices, ludicra tamen nulla tractantes, magna vaticinia dicta esse. Qui enim intus in homine sunt spiritus, talia prædicere nôrunt, quando corporis ratio animalis ipsis subiecta est, hoc est, si ratio illa ipsis non aduersatur. Tunc enim corpus illud proloquitur, quicquid spiritus nouit, qui spiritus homini agnatus, ac à naturâ inditus est, vt quo Deus hominem præcipuè ornârit. Quicquid ergo huiusmodi homines loquuntur, etsi temulentum, fatuum & insanum videatur, aut non concinnè admodum, ac certâ verborum serie prolatum, à nullo vsque contemni aut derideri debet. Multa enim prognostica, eaque omnium verissima, ex hoc sæpè fundamento promanant. Spiritus namque in homine adeò promptus & velox est, vt, quamprimùm rem concepit, illicò profundat. Id si non fiat: restitat, & se cohibet. Importunitate namque suâ illabitur spiritus animalis, ac rei fucum speciémue indere laborat, qui tamen fucus nihil est nisi mendacium, & veritatis puræ inquinatio. Deliberatio ergo & meditatio, &c. ex spiritu animali non ex vero homine proficiscitur, vtcumque res vel benè vel malè cadat. Hoc ergo sensu auscultandi stulti sunt, ij cumprimis, qui ab homine non eluduntur aut circumducuntur. Circumductione enim eiusmodi illi infringuntur, ac ex parte fatuâ acuuntur, incidúntque in phantasiam, à quâ posteà agitantur: quibus omnibus spiritus genuinus reprimitur & distinetur. Boni autem Principis officium est, curare, vt aulici stulti, ac alij simplices homines ludibrio & vexationibus non reprimantur. In ludicris enim suis, quæ natura ipsis suggerit, omittendi, ac omnia ipsorum dicta, probè notanda & pensitanda sunt.

Sapiens locuturus corpus animale infatuare debet. Prophetæ fuerunt stulti.

Prophetarum dicta temulenta.

Spiritus Prophetices homini cōgenitus.

Stulti irritandi non sunt.

Huc & illud accedit, quòd astra iugiter & continenter in stultis lateant, eósque pellant. Quod indicio est, nos omnes cœlo subiectos esse, ac quemlibet, qui verum hominem expellit, à cœlo agi & pelli, sicut stulti & alij fatui solent. Ob id etiam prouerbium vetus meritò considerandum est, sicut nempe cœlum in stultis ludit: ita pariter in hominib. ludit omnibus, hoc est, Nostra sapientia ad Deum se habet, sicut stultorum sapientia ad cœlum. Et quemadmodum nos stultos ridemus & exercemus, ita nostra quoque sapientia se habet erga sapientiā, quam Deus dedit. Non quidem vt iudicemus, similiter nobiscum Deum ludere, sed quia ratio animalis, quę nobis inest, quamque arduam æstimamus & ad multo operosam (de qua hîc nihil discurrere conuenit,) ad rationem illam, quam homo verus possidet, sese habeat aut æstimanda sit, vt æstimantur illiusmodi stulti erga nos. Hoc est, nos eos ideò ridemus, quia rationis non sunt domini. Hoc autem in homine optimum est, si rationem in se fatuam dominari non sinat: & tamen nos stultos ideò despicatui habemus, quòd non ita animales sint ac nosmet. Certò autem scire debemus, quòd ratio illa in nobis ita se habeat ad veram, vt cōtemptus est stultus respectu nostri. Persuasum itaq; vobis sit, eos otiosè & incassum non astare, nec temerè à nobis ita contemni debere, aut exagitari. Fratribus enim nostris iniustè ita illudimus, cum sponsorem non habeamus, an non idem quoque vitium nostros tentare liberos possit, nostrumque dedecus eò atrocius æstimetur. Quia autem in ratione animali verum hominem nos reprimimus, quod stulti non faciunt, prærogatiuam seu palmam meritò nobis præripiunt, adeoque haud dubiò nobis in cœlo priores erunt. Huic enim in spiritu propiores illi sunt nobis. Et licèt nos quoque æquè cum illis cœlo propinqui essemus, voluntas tamen ac moderatio nostra animalis violentia sua nos adeò reprimit, vt satius esset, nos stultos natos prodiisse. Quiuis ergo hoc sedulò annitatur, vt documentum ab illis capiat, atque intellectum animalem in se mortificet, vt homo verus prodeat & loquatur. Et quis tum demum satageret discere linguas, artes, aut sapientiam? Nemo certè. Quiuis enim illas in semet ipso circumferret. Hoc enim manifestum est, solum animal discere, & discere insuper tantùm literas. Spiritum animalem ita dirige, vt instrumentum sit, nec quicquam aliud. Ad hoc ipsum apta, vt interno homini commodo & bono sit, nec permitte, vt sibi ipsi ac soli vsui sit, aut seipsum pro spiritu, homini dato, efferat. Idem enim & Lucifer fecerat, se iudicans illum, qui non erat. Quæ causa fuit, cur ex cœlo elideretur.

Stulti ab astris incitantur.

Stulti sapientibus meliores.

Discere solius est animalis.

Lucifer cur cœlo eiectus.

Stulti ergo ac fatui coram Deo contempti minimè sunt: sed hoc potius obseruatio docet, quòd opera sublimia & ardua faciant. Quę etsi oculis nostris contempta obueniant: nobis tamen doctrinas, exempla, vaticinia & adhortationes serias & vtiles multas impertirent, si considera-

consideraremus, eos in veritatis fundamento tam solidos esse, ceu modo enumerauimus.

Superest, vt iam etiã in gratiã vestram nonnihil disseramus de ipsorũ morte, qua ex hoc mũdo abripiuntur. Vbi attendere sedulò debemus omnes, quanta gratia à Deo muniti & dotati sint. Dum ergo, (vt breuiùs rem proponamus) stultus à morte inuaditur, ludicra fatua excutiuntur ipseque totus humilis & placidus luget, discessionemq; ex hoc mundo & mortem corporis sentit & meditatur. Vbi iuxta tenendũ est, cùm mors assilit, quòd mors plus sit ipso cœlo. Itaq; ab homine recedunt omnes influentiæ, omnes impressiones, omnes cõstellationes. Nec Dominus hic quisquam alius regnat, quàm Mors. Ipsa omnia est, ac omnia in homine Astra & membra terrefacit, quæ ita terrefacta etiam à stulto recedunt. Hic autem simul ratio quoque animalis feriatur, atque cùm nullius momenti sit, vnà cum Astris euolat. Purus ergo ac putus homo superest in sua contẽplatione, quã nemo vel videt, vel sentit. Ita ergo sese stulti gerunt, postquam Mors ineptias, & fatuitatem extra ipsos elisit vt sese ipsos iam totos cognoscant & peruideant. Et licèt defungatur talis cum simplicitate: tamen non est, cur de ratione animali multum rationis reddat. Quis ergo dicere hîc ausit aliud, quàm, quòd, sicut stultus natus est, ipsius spiritus ita ad datorem suum redeat? Et mors quidem duo illa corpora in viuente à se inuicem separat, primò quidem rationem animalem, postea intellectum humanum: tamque diu instat, vsque dum animale mortificet, atq; humanum sub crucem Christi ducat vt ibi ad tempus vsque resurrectionis habitet. Ibi conueniemus, ac videbimus, ludibriũ id, quo eos exagitauimus, in nostrummet caput rdundare, contemptumque nostrum nobis ipsis iudicio esse, haudquaquam nimirùm olim cõdecuisse, vt fratrem nostrum vocaremus stultum. Nescimus enim quid nosmet simus: solusque Deus istarum rerum iudex & arbiter est. Et si quidem ipsa natura aberrauit: Vitium tamen aut næuus vllus animam vel spiritum non pressit, quod nobis sobriè cogitandum fuerat. Ex duobus enim istis, quorum alter claudus, contractus, & sine pedibus omnino ita natus est, vt natibus se proferre aut prouoluere cogatur: alter autem pedibus integer, agilis & ad cursum expeditus est: quis inquam ex duobus istis claudus in altero sæculo erit? Neuter vtiq;. Eodem ergo exemplo, quis quæso stultus erit? Nullus: Nemo itaque stultus ac fatuus, vel iudicari vel appellari debet, quandoquidem natura sola aberrauit, in quam incidimus. Adamus enim ac Eua nobis in hoc mundo nec obesse nec prodesse debent.

Stulti quã sedulo & pie moriantur.

Mortis vis quanta.

Vitium corporis spiritus ... nihil ... officit.

Claudus in cœlo nemo.

LIBER DE NYMPHIS, SYLPHIS, PYGMÆIS ET SALAMANDRIS, ET DE CÆTERIS SPIRITIBVS.

THEOPHRASTVS HOHENHEIMENSIS.

Prologus.



COGNITA nobis & explorata sunt creata rerum naturalium in vniuersum omnia, at quicquid vspiam Deus potentia suã condidit. Et terra primùm qualibet, quæ fouet & nutrit, per se nouit. Deinde homo quiuis sui ipsius certam notitiam habet. Tum & opificiam quodvis ac commercium, quæ sui subiecti sunt, explorata habet. Et hoc modo creaturæ Dei in vniuersum omnes cognita sunt: nec quicquam adeò occultum abditúmue est, quod hominis notitiam effugiat: non quidem, quòd omnia in vno sint, hoc est, quòd vnus homo hæc vniuersa sciat: sed quod quiuis nôrit, quæ sua sunt. Qui omnes si conueniant, aut coniungantur, tam omnia vbiuis nota fiunt. Qualibet ciuitas, pagus domus, &c. propriam suarum rerum naturalium omnium notitiam habet. Tum & in opificiis ac negotiationibus omnia creata vsurpantur, hîc hoc, illic aliud. Adeóque hàc ratione omnia vsurpantur, omnia explorantur, quæ sint, qualia sint, & quem in vsum condita sint. Ita omnia concluduntur in eo, quod omnia homini conferant, ipsique subiecta sint. Iam verò præter hoc, quod naturale lumen comprehendit & cognoscit, superest aliud quoddam sublimius & altius, quod solum contra naturæ lumen se profert, hoc est, quod in lumine naturæ imperuestigabile est. Idẽ tamẽ in lumine hominis, quod naturæ lumẽ transcendit, perscrutabile est. Ipsa enim natura lumẽ largitur, per quod quasi ex lumine proprio cognosci eadem possit. Sed & in homine lumen est, aliud ab eo, quod ex natura promptũ est. Hoc nimirũ illud lumen est, per quod homo res supernaturales scrutatur, discit, experitur. Qui in lumine Naturæ versantur, hi de natura loquuntur. Qui in lumine hominis occupantur, hi vltra naturam disserunt. Homo enim Naturã aliquanto plus est. Nam & natura is est, & est spiritus, & est Angelus. Omnium enim triũ horum proprietatem habet. Si in naturã ambulat, naturæ seruit. Si ambulat in spiritu, huic etiam seruit. Si in Angelo ambulat, Angelo ministrat. Primum spectat ad corpus, alterũ ad animam, cuius sunt Thesaurus ac Cleinodium. Quia autem homo & animam habet, & præter hanc duo cætera: ideò naturam transcendit, vt scrutetur etiam ea, quæ in natura non sunt, vt sunt, Infernus, Diaboli, & huius Regnum. Eodem modo homo peruestigat etiam cœlum, & ipsius inexistentia, Deum nempe & ipsius regnum. Qui enim ad locum aliquem aspirat, is loci eiusdem rationem antea compertam habeat necesse est, vt ambulare & vadere queat, quò præstitutum est. Scire ergo vos velim, huius nostri libri institutum esse describere creata extra luminis naturæ cognitionem, quî nimirùm illa Naturæ cognoscibilia fiant, quæ miraculosa Deus protulerit & condiderit. Id enim officium est hominis, vt talia exploret, nec in ipsis cæcutiat. Hoc namque is fine conditus est, vt miracula diuina profiteatur & cognoscat. Quodcunque opus Deus creauit, huius essentiæ & proprietas ab homine peruestigari potest. Nihil enim conditum, homini imperscrutabile existit. Quinimò condita

Creata vniuersa nota sunt homini ... quoquo.

Lumen hominis lumine naturæ superius est.

Lumen naturæ & hominis ut differant.

Hominis dignitas quanta.

Homo scrutatur inferni & cœli. Arcana sibi ... homo ... creditu.

Homo cur conditus.

tradita omnia ideò sunt, vt homo non ferietur, sed in via Dei ambulet, hoc est, in ipsius operib. noscendis versetur, non in peccatis, non in scortatione, non in ludis, non in potatione, non in prædationibus, non in corradendis bonis, & pro vermibus colligendis Thesauris, sed spiritum suum, suum lumen, suum Angelicum intellectum in potius impendat, quorum consideratio diuina est. Beatius est describere Nymphas, quàm describere ordines. Beatius est describere originem Gigãtum, quàm mores aularum. Beatius est describere Melosinam, quàm Equitatum & Armamentaria. Beatius est describere pygmæos sub terrâ, quàm palæstricã & Gynæcea. In illis enim spiritus eò impenditur, vt contempletur opera diuina. In hisspiritus impenditur, vt discat mores mundi ad exercendam superbiam & impuritatem. Qui in terra multa audit, & experitur is etiam doctus erit in resurrectione. Qui nihil nouit, nihil didicit, nihili erit. In domo enim Dei habitationes multæ sunt. Ac vnicuique pro suâ eruditione sua habitatio competet. Omnes quidem docti sumus sed non æqualiter, omnes sapientes, sed non æqualiter, omnes artificiosi, sed non æqualiter. Qui altè fundatus est, is potissimus est. Scrutatio enim & experientia ad Deum ducunt, auersanturque vitia hominum, fugiunt seruitia mundi, imperia principum, mores aulæ, blanditias gestuum, disciplinas linguarum, in quibus latent mendacia & periuria. Miracula autem Dei docet lumen ipsius hominis, quod linguas non magni facit. Reuerentiam Deo exhibere, muneris est hominum. Reuerentia erga hominem quid aliud est, quam vmbra nihili? Reuerentiam homo non remunerat, nec eius quicquam rependit, sed moritur. Mortuus sordidum lutum est. Quid homo facit ex seipso? Plus imò discat, quàm reuerentiam. Et modestiam relinquendo discat is diligere proximum. Sic vltrò emerget reuerentia, sicut ex bono arbore flos & fructus. O quam sublimis & effusus iste est in gaudio, qui suum creatorem meditatur! Is enim Margaritas inuenit quæ porcis non obiiciuntur. Qui verò contrà meditatur hominem, is Margaritas quærit instar suis, qui omnia euertendo nihil inuenit, sibi quod conducat. Ex his libri huius argumentum cognoscite: me scilicet non tradere ac commentari de rebus corporalibus aut suauiloquentia, sed de rebus potius supernaturalibus, quæ inani loquentia opus non habent. Nugæ ergo suo loco relinquantur.

Docti in resurrectione erunt digniores.

THEOPHRASTI TRACTATVS I.

Caput Primum.

Argumẽtũ tractatus huius quod.

MAteria autem, de qua scribo, primò vobis proponenda est vt quænam ipsa sit, rectiùs intelligatur. Materia ergo seu propositum huius libri est, docere de quatuor generib. hominum spiritualium, nempe de *Nymphis, Pygmæis, Sylphis & Salamandris*: quibus annumerantur etiam *Gigantes, Melosinæ, Mons Veneris*, & quæ his similia alia sunt. Qui omnes, cum nobis homines videantur, non sunt tamen progeniti ex Adamo, sed creaturæ genus sunt aliud, diuersum & separatum ab hominibus & animalibus omnibus. Etsi autem nobiscum conuersentur, & ex ipsis liberi nascantur: hi tamen nostrum genus referunt, non ipsorum. Et ista quâ ratione modoq; se habeant, sequenti serie planè explicabitur. Primò docebitur ipsorum creatio, & quid qualésue sint. Secundò illorum regio & habitatio, vbi degant, & quale regimen habeant. Tertiò, quî ad nos commeent & appareant, nobiscum permisceantur & cohabitent. Quartò, quæ miraculosa gerant, veluti legimus de Melosina, Monte Veneris, & aliis. Quintò, Gigantum generatio ortusque ac interitus, velut & ipsorum reditus seu regeneratio. Etsi verò fas omnino æquumq; sit, Philosophiam sua ex Scriptura promere, ac ex ipsa suum fundamentum eruere: de hisce tamen in ipsa nihil traditum est, ex quo naturam ipsorum certiùs cognoscerę possimus, nisi quòd de gigantibus pauca quædam testimonia illic reperiantur. Itaque licèt extra Scripturam talia à nobis tractentur & proponãtur, causa tamen in hoc fundata est, quòd opera ipsorum in veritate appareant. Quòd si Magiam esse credendũ sit, eiusq; originẽ considerandã: vtiq; & hæres suo ex fundamẽto cognosci poterunt. Scriptores etenĩ veteris & noui testamẽti de iis tractauerunt rebus tantũ, quas satagit anima erga Deũ, & Deus erga animam: quod huic nostræ Philosophiæ nihil obstat. Si enim non prohibita est nobis consideratio diaboli & spirituum: licebit vtique, quidnam hæc quoque sint, perquirere. Præterea concessum nobis est, speculando per omnia opera Dei ambulare. Sic Medicus versatur circa medicinam naturalem: Apostolus circa medicinam Apostolicam. Et veluti æger indiget Medico: sic hę res opus habent Philosopho. Sicut Christianus eget redemptore: ita quodlibet opus suo magistro. Insuper huiusmodi rerum sua quoque necessitas est, ac inter cæteras locum illæ non postremum inueniunt, nec frustra conditæ sunt. Sic nimirum *Sampson* vir erat. Inusitatum autem eius robur, quod in crinib. positum habebat, nec naturale, nec credibile erat. Id quidem homini superfluum nec necessarium admodum videri potuisset. Sic tamen fieri ex causa peculiari debuit. *Dauid* vir pusillus erat: & tamen Gigantem *Goliathum* interfecit. Quod etsi sic quidem fieri necesse esset: humanum tamen videri non poterat. Nihil ergo creatum est, quod suo mysterio careat, ac suo momento singulari. Nam & in veteri testamento res gestas admirandas legetis, quas explicare nemo possit, nisi ex testamento nouo edoctus. Sicut ergo, quia hîc vel illic talia facta esse, ac ex hac vel illa causa facta esse cognoscuntur, ob id iure facta censentur: ita hæc quoque mea, quę trado, inutilia & frustranea omnino iudicabuntur quidem: sed si causę, quę euidentes & magni momenti sunt (de quibus in tractatu sexto explicabo) aduertentur, non frustraneum, imò contrà operosum & vtile videbitur, hasce res peruestigari, & in Philosophia nostra ac speculatione attentiùs considerari: Vt, quò spectent & pertineant, tandem constet ac liqueat.

Pygmæi, Nymphæ, non sunt ex Adamo.

Ordo tractandorum.

De Nymphis &c. nihil in Scripturis traditur.

Sampsõ.

Dauid. Goliath.

CAPVT II.

SPIRITVS QVID ET ANIMA. Item spiritus horum Caro est, & Caro spiritus. Exemplum Resurrectionis.

Caro duplex: Adamica: non Adamica. Et quid Vtraque.

DE Carne ita iudicandum est, eam esse duplicem: Carnem ex Adamo & non ex Adamo. Caro ex Adamo est crassa, quia terrena:

na: nec quicquam est aliud, quàm caro, ligabilis & comprehensibilis, instar ligni aut lapidis. Quæ caro ex Adamo non est, ea est subtilis, nec ligari nec compræhendi apta. Nec enim ea ex terra facta est. Caro autem ex Adamo, ex Adamo genitus homo est, instar terræ crassus & compactus, vt homo per parietem aut murum transire non possit, nisi foramen sibi prius molitus sit, per quod transeat. Nihil enim ipsi cedit loco. Carni verò, quæ ex Adamo non est, cedit murus: hoc est, carnes eæ portam aut foramen nullum poscunt, sed solidos ac integros muros parietésve penetrant, ita vt illos non demoliantur aut frangant. Iam verò vtræq; sunt carnes, sanguis, os, & si quæ alia ad constituendum hominem requiruntur, eandemque omnino cum homine naturam habent. Sed diuersitas in eo est, quòd ex duobus ortib. hoc est, duobus parentib. descendant. Suntq; inter se vt spiritus, & homo. Spiritus parietes omnes penetrat, nec à re vllâ excluditur. Non item & homo. Hunc enim excludit ianua, pessulus. Iam quæ spiritus & hominis inter se ratio inuicem & comparatio est: secundum eandem etiam homines, quos hîc describo, cognoscetis. Et hi tamen interim à spiritibus in hoc differunt, quòd sanguinem, quòd carnes, quòd ossa habeant. Prętèrea gignunt liberos, loquuntur, edunt, bibunt, ambulant: quorum nullum faciunt spiritus. Spiritibus itaq; ipsi similes sunt in agilitate: similes verò hominibus in generatione, specie, & esu: adeoque sunt homines, naturam spiritus simul & hominis gerentes, quæ in ipsis vna est.

Caro nō Adamicorum penetrat muros.

Carnes duæ ex duobus parentibus.

Homines non Adamici vt à spiritibus differāt.

Nec homo nec spiritus sunt.

Etsi verò vtrumq; sint, spiritus scil. & homo: illorum tamen nullum sunt. Homines enim esse nequeūt: quia spiritualiter ambulant. Spiritus esse non possunt: quia edunt, bibunt, carnem & sanguinem habent. Sunt ergo creatura peculiaris, ab vtrâq; priore diuersa, & ex gemina illorum natura mixtio vna facti sunt, sicuti compositum quoddam ex dulci & acetoso, quorum tamen nullum est: aut veluti duo colores, sub specie vna. Hic ergo insuper sciendum est, quòd, etsi quidem spiritus & homo sint, eorum tamen nullum seorsim sint. Homo animam habet: non habet spiritus. Spiritus anima caret: habet homo. Creatura autem est vtrumq; & tamen non habet animam: nec interim similis est spiritui. Spiritus namq; non moritur: moritur autem creatura. Interim nec similis est homini. Nec enim habet animam. Est animal itaq;: sed & plus quam animal. Moritur vt animalia: & corpus animale mentem non habet, vt homo. Ideò animal est: sed tamen loquitur, ridet, exemplo hominum. Vnde hominib. similior est, quā animalibus: & tamen nec homo, nec animal est. Vt simia ex omnibus animalib. homini simillima est, cùm quoad gestus, tum opera: ita hi se habent ad homines. Et veluti sus anatomiam hominis habet, intra sese hominem prȩsentans, nec tamen homo, sed sus est: ita creaturæ quoq; illæ instar simiæ & suis ad homines comparandæ sunt: & tamen illis meliores existunt. In omnib. enim similes sunt hominibus, si animam excipias. Et homine insuper sunt meliores: quia similes sunt spiritib. quos nemo coërcere potest. Christus ergo pro iis natus & mortuus est,

Nec homo, nec animal sunt.

Christus ... non

qui animam habent, hoc est, qui ex Adamo geniti sunt: non item pro his, qui ex Adamo non sunt. Etsi enim homines quidem sint: animam tamen non habent. De ipsis autem scriptura testatur tantùm, vt homines ipsos esse concedendum sit. De anima verò, quam habeant, testimonij nihil promptum est.

Nemini verò aut admirationi aut dubio esse debet, creaturam talem subsistere. Deus etenim mirabilis est in suis operibus, quæ admiranda interdum varietate præstat aut exhibet. Talia namq; non quotidie oculis nostris obuersantur, sed perrarò apparent. Nosque ipsa eatenus spectamus, vt esse sciamus quidē, sed quasi per somnum nobis spectata fuissent. Profunda & immensa Dei sapientia peruestigari non potest, nec magnalia eius tam accuratè, quàm quidem fieri opus esset, ponderari queunt, vt ex ipsis creatoris immensa miracula patescant. Hâc verò de causa ex Adamo non sunt, nec terrâ illa, ex quâ Adamus sumptus est, fruuntur: vt inter nos quædā diuersitas & ipsos intercederet, nobisque à Deo contemplandi mirabilia ipsius occasio subministraretur, sicuti tractatu vltimo constituetur. Liberos gignunt, sibi similes, non nobis. Illi sunt prudentes, diuites, sapientes, pauperes, stulti, sicut etiam nos, qui ex Adamo sumus. Et sicuti dicimus, hominem esse imaginem Dei, hoc est, secundum Dei imaginem esse effictum: ita hic quoq; dicere licet, eiusmodi homines esse imaginē hominis, seu secundū hominis imaginem expressum. Interim tamen homo Deus non est, etsi secundum imaginem ipsi factus similis sit. Ita nec illi sunt homines, licèt secundum hominis imaginem conditi sint, sed omnino creatura talis manent, qualis facti sunt, veluti & homo manet is, qui à Deo creatus est. Ita nimirùm Dei voluntas est, creaturam quamlibet in suo se continere modo & officio, ad quod destinata est. Et sicut homo gloriari non potest, se Deum esse (siquidem Dei creatura est) quam Deus talem esse voluit fecitque: ita nec illi homines gloriari queunt, se animam habere, hominis similem animæ, etsi ipsi homini sint similes. Id enim, vt diximus, nec homo potest, etsi secundum imaginem Dei factus sit. Deest ergo hoc homini, vt Deus sit. Deest istis hominibus, vt animam habeant. Vnde nec se homines profiteri possunt. Alteri itaque carent Deitate: alteri animâ. Sic Deus solus Deus est, & homo solus homo.

Non A-damicorum

Nō Adamici imago hominis sunt.

Ita ergo sunt homines & populi morientes cū animalibus, ambulantes cum spiritibus, edentes & bibentes cum hominibus, hoc est, vt pecus, ita illi moriuntur, nihilo remanente: ipsiq; nec aqua nec ignis nocet, vt spiritibus, nec quisquam eos includere potest, vt spiritus. Propagatio autem eorum similis est hominum, quorū in hoc etiam naturam omnem obtinent. Humanis & sanitati & morbis obnoxij sunt: nec vtuntur medicinâ terræ eius, ex quâ homo factus est, sed eius, in qua habitant. Moriuntur etiam vt homines, sed morte pecuina. Caro ipsorum instar alterius carnis putrescit. Ossa illorum more ossium cæterorum intereunt, nullo vestigio relicto. Mores, gestus, sermo, sapientia, omnia humana sunt, vel vitiosa vel virtuosa, crassiora vel subtiliora,

Nō Adamicorum [illegible] qualis.

subtiliora, meliora, vel peiora. Inter se differũt etiam forma ac specie, velut cæteri homines. Eadem lege cum hominibus victitant, opus suarũ manuum edentes, vestimenta sibi nentes, & texentes, ratione certa talia omnia tractantes, cum sapientia regnantes, iustitiam administrantes & dictantes. Etsi enim animalia sint, omnes tamen humanâ ratione præditi sunt, sola anima ipsis deest. Ideò etiam iudicio carent seruiendi Deo, & in eius viis ambulandi, quia nimirũ animâ carent. Velut ergo animalia ex innata sibi natura suæ vitæ honestatem satagunt: ita & illi. Ratione tamen cætera animalia vniuersa vincunt. Et sicut homo supra creaturas omnes proximus in terra Deo est, quoad intellectum & dona: ita illi inter animalia omnia homini quàm proximi sunt, vsque eò, vt etiam ob hoc homines æstimentur & habeantur. Nec re destituuntur vllâ, quàm natura spiritus & anima hominis. Peculiare certè adeoq; admirandum creatum, præ cæteris omnibus considerandum.

TRACTATVS II.

De ipsorum habitatione.

HAbitatio ipsorum diuersa est, secundum quatuor elementa euarians: vna in aqua: vna in aëre: vna in terra: & vna in igne. Qui in aqua habitant, *Nymphæ* vocantur. Qui in aëre, sunt *Sylphi*. Qui in terra, sunt *Pygmæi*. Qui in igne, sunt *Salamandræ*. Hæc verò genuina ipsorũ nomina esse nõ arbitror: sed potius credo, eã ipsis indita ab illis, qui eos non cognouerunt. Quia verò per ista nomina vtcunq; illi cognosci possunt, eadem non temerè repudiabo. Quanquã hominibus aquaticis etiam nomen *Vndina*, & aëreis *Syluestres*, & terreis, *Gnomi*, & igneis *Vulcani* potiùs quam *Salamandri*, indatur. Sed vtcunque nominentur, nos ista iam omittimus. Iam verò si ipsorũ Regiones describi oportet: fas est etiam eos in suas partes diuidi & secerni. Nymphæ enim commercia nulla habent cum pygmæis, nec hi cum illis. Sic etiam inter se Syluestres & Salamandri. Cuilibet sua peculiaris est habitatio. Hominibus tamen apparent, vt comprehensum est, vt videant ac intelligant, quam mirabilis in suis operibus Deus sit, qui nullum elementum adeò vacuum & inane reliquerit, quin miraculosum quid illi indiderit. Secundum hanc considerationem ergo Regiones sequuntur quatuor, secundum quas illi differunt, nempe secundum habitationem, secundum personas, essentiam & naturam. Hisce enim distant. Et tamen homini conformiores sunt, quam sibimet inuicem, interim vniuersi homines, velut in tractatu primo conclusum est.

Nõ Adamici quæ acnima & loca.

Nõ Adamici, vt differant inter se.

Porrò, nemini incompertum est, elementa esse quatuor: Aërem, aquam, terram, ignem. Sed & hoc ignotum nulli est, quòd nos homines Adamici in aëre stemus & ambulemus, eoq; cincti & obducti simus, nõ secus ac piscis vnda. Nec aere nos carere possumus minus, quàm pisces aqua. Nam sicut piscis in aqua habitat, & aqua est ipsi loco aëris: ita vicissim homini pro aqua aër est. Ita ergo creatura quælibet condita est, vt in suo proprio elemento habitet & ambulet. Ex hoc exemplo intelligite, *Vndenas* intus aquas habitare, illisque aquam datam esse, vt nobis datus est aër. Et veluti nos ipsas in aqua degere miramur: ita illi mirantur nos viuere in aëre. Eadem & gnomorum ratio est in montibus, quorum aër & chaos terra est. In chao enim res viuit quælibet, hoc est, in illo habitat, ambulat, stat. Terra autem gnomis tantum chaos est. Illi enim transeunt solidos parietes, saxa & scopulos, instar spiritus, Itaque hæc omnia illis tantùm sunt chaos, hoc est, nihil. Vt enim nos aër non impedit, quin procedamus: ita, quò minùs ambulent, nec gnomos vel terra vel montes vel saxa impediunt. Quaque nos facilitate aërem, eadem illi saxa & scopulos penetrant. Talia namque ipsis chaos sunt, quæ nobis chaos non sunt. Murus enim & paries nos distinet, quò minùs pertranseamus. Gnomis verò illi sunt chaos. Itaque per ipsos transeunt, quasi per aërem homo. Et quò crassius est chaos, eò subtilior est creatura. Contra, quo chaos est subtilius, eo creatura crassior. Sic Gnomi chaos crassum habent: ideò oportet eos esse subtiliores. Homo chaos subtile habet, ideò, ipse crassior. Pro conditione ergo incolarum euariat chaos in natura & proprietate quoad ambulationem.

Elementa sunt 4.

Elementum hominis aer est, piscis aqua.

Chaos quid sit.

Sic ergo dubium primum discussum est, quoad ipsorum habitationem. De qua aliud sentire non debetis, quàm quòd in 4. elem. habitent, ceu in suo chao. Et sicut nos in aëre, citra damnum viuimus: ita illi in suo chao nec suffocantur, nec strangulantur, nec comburuntur. Talia enim non sunt nisi aër istis creaturis, quæ in illis habitant. Aqua nempe est aër piscis. Si non suffocatur piscis: nec Vndena suffocabitur. Quæ aquæ, eadem & terræ est ratio. Terra gnomorum aër est: ideò intra eam non strangulantur. Nostro aëre illi non egent: vt nec nos illorum. Sic & Salamandrarum aër ignis est, sic aer noster nobis aer est. Syluestres autem nobis sunt proximi: siquidem & hi in nostro aere versantur. Præ cæteris autem illi nobis quàm maximè similiter moriuntur. Nam in igne comburuntur. Et nos. In aqua suffocantur. Et nos. In terra strangulantur. Et nos. Quilibet enim in suo chao sanus manet: in alio moritur.

Syluestres homini maxime affines.

Cæterùm, ista vobis adeò à veritate abhorrere videri minimè debent. Etsi enim ipsis nostris oculis non probentur: apud Deum tamen possibilia omnia sunt qui creauit vniuersa non secundum nostrum captum ac intellectum, sed secundum suam potentiam. Vult enim sese Deum ostendere per creaturarum stupendam veritatem & naturam. Si enim nihil quicquam aliud, quàm quod homo credere aut capere posset, à Deo creatum esse oporteret: Deus certè nimis infirmus foret, & homo ipsi æquipararetur. Creauit ergo plurima ceu Deus, vt eadem homini stupenda & admiranda obiiceret, opera sua adeò sublimiter & arduè struens, vt de illis satis admirari non possint homines. Hæc enim Dei intentio est.

Deus in operibus suis mirabilis.

Porrò autẽ vt nonnihil etiam de illorum hominũ cibis philosophemur, sciendum est, chaos quodlibet sphæram suam duplicem habere: cœ-

lum nempe & terram, non secus ac nos homines in terra ambulamus. Terra autem ac cœlum cibum nobis suppeditant, & chaos hisce duobus mediũ interiacet. Sic ergo nos in medio geminarum istarũ sphærarum & globuli nutrimur. Similiter & qui in aqua habitant, terram habent in fundo, & aquam pro chao, & cœlum vsq; ad aquam pertinens. Sicq; in medio cœli & terræ habitant, adeoq; aqua est ipsorum chaos. Illa verò habitatio ipsorum naturæ congrua est. Ita iudicandum etiam de gnomis, quorum fundus seu tellus est aqua, chaos est terra, & cœlum sphæra: hoc est, terra stat in aqua. Iam verò terra ipsis est chaos, & aqua est fundus. Hoc modo ex illis ipsorum alimenta enascuntur. *Sylphes* sunt similes hominibus, & more eorum etiam victitant ex campis & herbis syluarum. *Salamandrarum tellus est terra*, & cœlum est aër, & ignis est chaos. Ita alimentum ipsis prouenit ex terrâ & igne, & constellatio ex aëre est ipsorum cœlum. Sed de esculentis & potulentis ipsorum porrò ita disserendũ est. Aqua nos vt ita loquar, potat, hoc est satiat, nõ autẽ gnomos, nec Nymphas, nec reliquos duos. Vt autẽ pro restinguẽdà siti nobis data aqua est: sic illis aqua creata alia est, quàm nos nec videmus, nec peruestigare possumus. Vt bibant, necesse habent, sed id genus potus, quod in illo mundo potus est. Similiter & vt edant, necesse habent, sed id, quod mundus ipsorum fert. Sed de hisce rebus plura inuestigari non possunt. Hoc certum est, mundũ illorum suam eamq; peculiarem proprietatem habere, non secus ac noster suam habet.

Cibus qualis nõ Adamicorũ.

Potus qualis nõ Adamicorũ.

Quoad vestitum, amictum & ipsi suum habent, & pudenda velant. Non tamen more nostro, sed suo. Verecundi namq; sunt, ceu homines decet. Suos etiam habent ordines, suos magistratus, vt apes, quæ suum regem habẽt, aut vt feri anseres, qui suum habẽt ductorem. Nec illi viuunt secũdum ordinem legum humanarum, sed secundum legem congenitæ naturæ. Vt enim suos duces habẽt animalia: ita & illi, & quidem ipsis animalib. exquisitiùs. Nam homini sunt simillimi. Deus namq; vniuersa vestiuit & ornauit pudore, quo ante hominem stent aut ambulent. Scire itaq; conuenit, vestimenta eiusmodi animalib. naturaliter congenita esse: non autem æquè hisce hominibus. Nihil enim ipsis à naturâ congenitum est, sed laborib. suis omnia comparant, vt homo, cui simillimi sunt. Et labor ipsorum hominum labori similis est, secundum naturam istius mundi, in quo habitant. Qui enim nobis lanam de ouibus dedit: idem eandem & ipsis dat. Potest enim Deus creare non eas tantùm oues, quæ nobis sunt cognitæ, sed & alias in igne, in aqua, in terra pascentes. Idem etiam non nos solùm vestit, sed & *Gnomos, & Nymphas, & Salamandras, & Syluestres*. Sub protectione namq; Dei omnes sunt, & ab ipso omnes vestiuntur & sustentantur. Nec nobis saltem hominibus curandis Deus satis est, sed & vniuersis, quæ nos nec nouimus, nec vnquam sciemus. Quorum etsi quidem aliquid interdum aut videat aut experiatur homo: id tamen ipsi miraculum abit sine fructu, hoc est, profundiùs de ipso nihil cogitat aut meditatur, sed veluti attonitus subsistit, ita, vt bonis & illæsis quidem oculis gratiã illã non videat.

Vestitus qualis nõ Adamicorum.

Cæterùm de ipsorum die, nocte, somno, vigiliâ hoc tenendum est quod omnes cum hominibus dormiãt, quiescãt, vigilent, hoc est, more hominũ talia omnia exequantur. Preterea solẽ ac firmamentum non minùs nobis illi habent: hoc est, gnomi terram habent, quæ ipsorum chaos est. Hæc illis tantùm aër est, nõ terra prout nobis est. Vnde consequitur, ipsos per terram videre, vt nos videmus per aërem: atque Solem per terram ipsis lucere, vt lucet nobis per aërem: denique ipsos Solem ac Lunam ac omne firmamentum ante oculos suos habere, vt nos homines. Similiter & *Vndenæ* aquam pro chao habent. Aqua verò Solem ipsis non intercipit: sed vt nos Solem per aërem accipimus, ita illi per aquam, suo quodam respectu. Eodem modo & Vulcani, per ignem suum. Insuper vt Sol nos super terram irradiat, terramq; fœcundat: ita & illos. Vnde euidens est, apud ipsos vigere æstatem, hyemem, diem, noctem, & similia. Vt verò communem nobiscum etiam pluuiam, niuem, &c. habeant nulla necessitas est. Harum enim alia apud ipsos est ratio, quàm nosmet. Et hæc sunt magnalia Dei. Ex his iam elicitur, ipsos non minùs nobis tentari peste, febribus, pleuresi ac cæteris à cœlo morbis. Talia enim omnia communi nobiscum lege patiuntur, quia homines sunt. Saltem, quoad iudicium Dei in resurrectione, animalia sunt, non homines.

Somnus & cætera nõ Adamicorum.

Lux & nox qualis.

Pestis, febribus &c. tentantur.

Quantùm autem ad personam eorum attinet, sciendum est, ipsos euidenter euariare. Nã Vndenæ, tam fœminæ, quàm viri, staturam hominis tenent. Syluestres eandem formam non habent, sed asperiores sunt, & crassiores, & longiores, & robustiores dictis binis. Gnomi humiles sunt, duas circiter spithamas æquantes. Salamandræ sunt oblongi, graciles & aridi. Cæterùm sedes & loca ipsorum sunt in chao, vt diximus. Nymphæ habitant in aqua, fluentis & similibus, adeò propè, vt etiam homines lauantes, aut inequitantes corripiant. Gnomi habitant in chao montano, in quo sibi domicilia struunt. Hinc est, quod persæpè fornices, cameræ & similia alia in terra reperiantur, altitudine cubiti, quæ ab illis hominib. pro habitatione condita & exstructa sunt. Eadẽ etiam Nymphæ in suis locis ac diuerticulis moliuntur. Similiter & Salamandrarum clamor, fabricatio & architectatio in Ætnæis montibus auditur, qualia etiam in conflagratione elementi produntur. Nostris enim habitationibus omnia cõmunia habent, pro arcanorum tamen suorum proprietate. Certior & accuratior harum rerum exploratio fit in amplissimis Syluis. Quas qui permeant, huiusmodi experientur. Documenta quædam etiam reperiuntur in fodinis metallicis, & aquis, & Ætnâ, vbi præcipuè Vulcani sese produt. His plura alia admirãda addi possunt de ipsorum monetâ, solutione, moribus &c. Quæ tamen, cùm enarratu nimis longa sint, suo omnia loco pleniùs explicabuntur

Qualitas eorum.

Vbi habitent.

Fornices in terra reperiuntur.

TRACTATVS III.

Quo pacto nobis appareant & conspiciantur.

QVicquid Deus creauit, id homini manifestari sinit & offerri, ita vt homini omnia omniũ creaturarũ gesta nota & conspecta reddantur.

Homini creaturæ omnes innotescunt.

dantur. Hoc namque fine diabolum quoque Deus manifestauit homini, vt is illius aliquam cognitionem haberet. Similiter & spiritus, & cætera, quæ multò abditioris cognitionis sunt, prodidit. Angelos quinetiam de cœlo ad homines demisit, vt verè sciant credantque, suos Deo Angelos esse, qui ipsi seruiant. Apparitiones autem huiusmodi rarò quidem fiunt, & saltem toties, quoties res aliqua stabilienda est & illorum existentia confirmanda. Hæc ratio etiam horum est, de quibus iam scribo. Nam & illi nobis apparent interdum non vt nobiscum habitent & maneant, aut copulentur, sed vt visis ac cognitis illis discamus, quàm admiranda & stupẽda opera Deus moliatur. Sic si ad nos mittit Angelum quendã, iam cognoscimus, verè de Angelis testatam scripturam esse. Quòd si ab vno saltem intelligimus, perpetuò omnesq; in eo acquiescimus, quamdiu quidem propagatio generis humani durat. Vt non necesse sit, apparitiones illas quotidie ac omnibus exhiberi. Hoc modo & has creaturas homini Deus aliquando spectandas obtulit, fecitque, vt hominibus conuersarentur, colloquerentur & similia alia tractarẽt, quò homo certã scientia constet, creaturas tales in quatuor elementis subsistere, quæ nostris oculis mirabiles videntur. Et vt rei huius certius documentum habeamus, de Nymphis ratum & exploratũ est, quòd ab hominibus non tantum visæ sint, sed & cum illis copulatæ coiuerint, & liberos genuerint. Similiter & pygmæos non saltem viderunt homines, sed & cum illis collocuti sunt, & pecuniam ab ipsis acceperunt, & plagas ac similia passi sunt. Sunt etiã, qui cum sylphis visis negotiati & peregrinari, sciuntur esse. Denique & Vulcani seu Ætnæi hominibus apparuerunt, seque, qui sint, substantialiter exhibuerunt, & quid de ipsis iudicandum sit, apertè satis commonstrarunt.

Nymphæ cum hominibus coierunt, & liberos genuerunt. Pygmæi [illegible] &c. Sylphi, &c. Vulcanici, &c.

Talia quidem hominibus prodita & manifestata sunt, vt ex illis sufficienter philosophari, ac opera Dei beneficio luminis proprij rectè cognoscere possint. Lumen enim id homini peculiariter præ creaturis cæteris omnibus datum est. Simile enim à suo simili cognosci debet, hoc est, Homo est spiritus, & Homo Æternus & Mortalis. Iure ergo rerum aliarum notitiam acquirit, cum is sit, qui à Deo, secundum Deum factus sit. Philosophari autem homo nihil potest, nisi obiectum habeat aliquod, quod inspiciat, quod inquirat. Exempli causa, si à maligno spiritu quis obsessus sit, iam homo causam habet scrutandi, id quidnam sit. Nihil enim absconditum manet ac occultum. Necesse est prodeant & manifestentur creaturæ, natura, spiritus, bonum, malum, externum, internum, omnis ars, doctrina, scientia, & quicquid vspiam factum est. Et talia apparent interdum hominibus eò tantum, vt in memoria hominum refricentur, & tamen occultè, non propalam. Sed & hoc verum est, quòd homo nemini similiter appareat, prout talia apparent homini, hoc est, Nymphæ apparent nobis, non autem nos ipsis, nisi quod in suo mundo de nobis loquantur, velut peregrinus ab exteris domum rediens. Huiusmodi enim abreptione nõ opus habent, vt nos Pygmæi aut Nymphæ abripiũt. Nec enĩ illi in hominẽ potestatẽ habẽt: nec etiã hæc ipsorũ mundi cõditio & apparatus est, vt nos acceptare possint. Tũ etiã homo corporis subtilis nõ est, sed crassi: subtilis autẽ in chao, cui ipsi cõtrarij sunt. Nostrorũ ergo illi chaos facilè ferre possunt, non autẽ æquè nos illorũ. Et elementum per se ipsorũ chaos est, quod nobis chaos esse nequit. Sic ergo illi nobis apparent, & nobiscum manent, & nobiscum copulãtur, nobiscum moriuntur, nobiscum pariunt, &c.

Hominis prærogatiua, in cognoscendis rebus.

Repens hominum ad [illegible].

Porrò si nobis apparere illi debent, non sine iudicio id fit diuino. Vt enim Deus ad nos mittit Angelum, cui creaturam suam commendat, eumque pòst iterum abripit: ita & hæc eodem fine nostris oculis satis exponuntur. Sic nimirũ Nymphæ ex suis aquis ad nos egrediuntur, noscendas sese offerunt, nobiscum negotiantur & tractant, à nobis in aqua iterum discedunt, & hinc redeunt. Quæ sanè omnia in gratiam fiunt hominis vt diuina is opera propiùs contempletur. Sunt autem illi homines, quanquam in animali tantùm, sine mente. Vnde fit, vt matrimonio sese hominibus copulent, ita, vt Vndena nubat viro ex Adamo, cumque eo rem curet familiarem, & liberos gignat. Et de his liberis sciendum est, generationem illam exprimere virum, ideò, quia pater homo est ex Adamo, à quo infanti anima infunditur, qui ob id vero homini similis fit, animam & æternitatem participanti. Porrò autem & hoc sedulò cogitandũ est, quod etiam vxor talis animam accipiat, dum matrimonio copulatur, ita vt exemplo fœminarum aliarum à Deo & per Deum redempta sit. Hoc enim multis rationum momentis probari potest, quod per se æternæ non sint, & tamẽ si cum hominibus copulentur, æternæ fiant, hoc est, more hominis animã accipiant. Deus enim ipsas homini adeò similes ac conformes creauit, vt similius nihil esse queat. Vbi hoc tamen miraculum addidit, quòd animam non habeant. Dum verò certò fœdere cum homine copulantur tunc ipsa cõfœderatio animam dat. Sic etiam confœderatio hominis cum Deo, & Dei cum homine, quæ à Deo facta & constituta est, causa est, quòd in regnum Dei perueniamus. Fœdus hoc si non esset, quid nobis prodesset anima? Nihil certè: Quia autẽ fœdus cũ homine intercessit: ideò anima ipsi vtilis est, quæ aliàs esset nihili. Exemplũ hoc illis quoq; accommodandũ hominib. est. Animã enim non habent, nisi cum hominibus copulentur. Hoc enim facto animã sortiuntur. Et quemadmodũ pecudis more moriuntur, ita vt nihil reliquũ maneat: ita homo illis omnino similis est, qui diuinæ confœderationi nõ est insertus. Et qualis status est istorum hominum, si cum hominibus copulantur, talis etiam est hominis, si diuino fœderi inclusus est. Quo exemplo docetur, ipsos sine homine animalia esse, vt homo sine fœdere Dei nihil est. Tãta vis est confœderationis duorum inter se, vt minus maioris vim & rationem omnino sortiatur. Hæc iam causa est, cur illi cum hominib. procentur, ac sedulò secretoq; consuescant. Vt enim Ethnicus de baptismate laborat oratq;, vt per hoc animam impetret, & in Christo viuificetur: ita & illi amorem hominum captant, vt eodem cum illis fœdere fruantur. Omni namque iudicio & sapientiã abundant, extra tamen

Vndena cum homine copulata qualis fiat.

Copulatio est causa animæ & salutis Nympharum.

tamen animam & eius proprietatem. Animam autem velut & ipsorum liberi suscipiunt vi & efficacia Adamicæ generationis ac libertatis, quam à Deo homo habet. Non autem oscitanter hîc expendi debet, quidnam de his tandem Deus constituturus sit, cum ad naturam hominũ tam propè accedant, non nisi feri quidam homines sint: veluti dici solet; Lupum esse canem ferum, & capricornum, capram esse syluestrem, &c. Nec enim cum hominibus omnes copulantur. Copulatur enim illis frequentiùs Nymphæ, vt proximæ. His propinqui sunt sylphes. Sequuntur pygmei seu Gnomi, qui tamen rarissimè coniugio cum hominibus copulantur, sed tantùm illis famulantur & ministrant. Ætnæi autem planè nihil cum hominibus copulæ aut coniugij ineunt, illis tamen seruiunt. Præterea duo illi, Pygmæi nimirum & Ætnæi pro spiritibus habentur, non pro creaturis talibus, quales apparent, instar splendoris & spectri. Sed de ipsis sciendum est, quod quales apparent, instar splendoris & spectri. Sed de ipsis sciendum est, quòd quales apparent, tales sint, sanguis nimirum & caro, velut homo alius. Et interim sunt agiles, veloces, vt spiritus, ceu in principio constitutum est. Nôrunt etiam omnia futura, præsentia & præterita, quæ non ipsis oculis præsto sunt, sed sunt occulta. Et in his seruiunt homini, reuelandis, præmonendis, conquirendis, &c. Rationem enim cum hominibus communem habent, si tamen animam excipias. Scientiam etiam & intellectum habent spirituum, si ea excipias, quæ ad Deum. Magnis itaq; dotib. præditi, ducunt & alliciunt hominem ad talia de se experiendum, credendumque. Quâ de causa Deus etiam illos produxit, vt ex illis visis cognitisque disceretur, quanta Deus in creaturis illis operetur.

Lupus est canis Syluestris.

Pygmei & Ætnei quali natura.

Diximus hactenus de Nymphis, quòd ex vndis ad nos egrediantur & commeent, & in ripis fluminum, vbi habitant, interdum sedentes cõspiciantur, ac interdum capiantur, dictoque modo copulentur. His verò crassiores Sylphes sunt, nihilque loqui sciunt, etsi linguam & alia ad loquelã necessaria habeant. Et in hoc à Nymphis differunt. Illæ enim dicaces sunt, & suum idioma callent: non item Sylphes, etsi ad discendum sint apti. Gnomi eandem cum Nymphis loquelam habent. Ætnei autem nihil loquuntur, loqui autem possunt, licèt duriter & rarò. Nymphæ prodeunt habitu & vultu & appetitu humano. Sylphes etiam vt homines apparent, sed formidolosi sunt, nec subsistunt. Gnomi hominibus sunt similes, sed curti & nani, virum medium interdum aut vlterà æquantes. Ætnæi habitu ac essentiâ igneâ sese produnt. Hi nimirũ sunt isti de quibus dicunt homines, hâc in domo ambulat vir igneus, aut spiritus: hic flagrans aberrat anima, &c. prout huiusmodi spectra sæpiùs videntur. Hi etiam sunt illi fomites aut ardentes faces, quæ in pratis aut agris aberrare solent, hinc inde discursantes, & sese inuicem conferentes. Tales sunt Vulcani. Qui tamẽ apud homines versari non reperiuntur. Id fit ob vim ipsorũ ignis. Sæpiùs tamen apud vetulas ac sagas inueniuntur, cũ ipsis coeuntes. Hos etiam Diabolus, vt homines interdum possidet, ac cum iis eâ formâ coram hominibus quâ diximus, hinc inde peruagatur. Et ita ad sagas deferuntur. Quin & alia à Diabolo obsidentur, eoque modo varia & admiranda opera eduntur, de quibus singulis hîc scribere præter institutum nostrum est. Circa igneos autem istos homines conuersatio periculosa est, quia plerunq; obsessi sunt, in quibus furit diabolus magno hominum incommodo. Item Diabolus nonnunquã etiam intrat in Gnomos, ac ipsis ministrat. Similiter & Sylphis sese immittit, maximè illorum fœminis, quib. cum in syluis conuersando, scortatur & coit. Qui hinc concipiuntur fœtus, leprosis sunt similes, scabiosi & pruriginosi, nullo remedio sanabiles. Huiusmodi autem cum Diabolo si non eueniant, tunc illi humani manent, & hominum commercia quærunt, vt diximus. Naturam tamen spirituum retinent, quo ad euanescentiam. Sic qui coniugem habet Nympham, is caueat, ne aquã accedat, aut apud aquam ipsam lædat. Similiter qui Pygmeam habet, non molestet eam in illis locis vbi disparere possunt. In tantum enim obligati & obstricti sunt hominibus, vt citra causam se ab illis segregare nequeant. Id fieri solet illis in locis, ex quibus prodeunt. Itaq; Nympha non nisi super aqua à marito suo irritata vanescere potest. Alibi enim retineri potest. Sic etiam Gnomi, si sese seruitiis nostris semel nuncuparunt, pactis suis stare coguntur. Sed & his vicissim seruari, ac præstari ea debent, quæ requirunt. Si enim pacta & promissa probè inuicem seruentur, veraces illi, constantes ac fideles in suo officio manent. Amodum enim se fidos præbent hominibus, maximè in erogandâ pecunia. Gnomi namque pecunia abundant, quam cudunt ipsimet. Quod ita accipies. Spiritus, quicquid habere se optat, id habet. Votum autem seu optatum ipsorum ita se habet. Gnomus nempe, si certam aliquam pecuniæ summam expetat, eaq; opus habeat, eã impetrat habetq; Ea moneta proba est. Hoc modo multis hominibus in cauernis môtium pecuniam dant, vt indè discedant iterum. Adeoq; discessum hominum pretio mercantur. Hæc verò vniuersa per ordinationem Dei fiunt, vt nimirum nobis manifestentur, videanturq; quos aliàs inficiaremur esse. Ex omnibus autem creaturis sors hominum durissima est. Quocunque enim indiget & delectatur, id sibi ipsi parare ac facere cogitur, nec vouendo aut optando quicquam impetrat. Illi verò alteri homines habent, quicquid petunt, ac requirunt, nullo labore id conquirentes aut parantes.

Idioma quale nõ Adamicorum.

Habitus qualis eorum.

TRACTATVS IV.

PRo conclusione huius tractatus seu potius initio scire conuenit, satis hactenus declaratum esse quomodo homines illi ad nos perueniant. Superest iam, vt etiã explicemus, quo pacto à nobis discedant iterum, aut quî apud nos versentur. Id multis in medium allatis historiis ac rebus gestis fiet. Nam talia multa suggerit diligens hominum obseruatio. Primùm ergo, quando cum hominibus copulati, liberos gignunt, ac apud viros ad iram commouentur, exempli gratia, super aquã: tunc desubitò in aquam sese præcipitant, nec iterum inueniuntur. Tale quid si fiat, marito res eadem sit, ac si suffocata vxor periisset. Ipsam namque denuò non videt.

videt. Sed iam vicissim, etsi illa quidem in aqua disparuit, non tamen ob id illicò credenda est mortua, sed omnino pro viuâ habenda. Nec aliã huic ideò superinducendam vxorem esse, persuasũ sit. Tale quid etenim si fiat, mariti vitâ in periculo versabitur, & illa in mundũ iterum nõ migrabit. Et matrimonium illud dissolutũ nondum est, sed adhuc perstat integrum. Vt enim vxor, quæ fugâ suum maritum deserit, ob id nec ipsa libera fit, nec liberum suum virum facit, quandoquidem mutuò sibi deligantur, quamdiu vita vtriusq; durat: ita hîc quoq; se res habet. Cùm ergo in aquam cadens, virum ac liberos deserat, coniugium tamen nihilominus integrum persistat; sciendum est, propter talem copulam ac vinculum ipsam in extremo iudicio apparituram esse. Nec enim ab ipsa anima aufertur aut segregatur, sed comitatur eandẽ, atq; debita munera capessit vel expectat. Nam licèt Nympha quidem maneat: talem se tamen præstare cogitur, qualem anima ac initum fœdus postulat. Interim à sese inuicem disiuncti sunt, nec iterum conueniunt, nisi quo tempore maritus aliam vxorem duxerit. Tunc etenim Nympha redit, & mortem marito infert, sicut multoties fieri obseruatum est.

Nympha in extremo iudicio apparebunt.

Hoc modo nascuntur etiam Syrenes, super aquis potiùs quàm in illis degentes. Illæ piscium more distinctæ non sunt, sed virgines referunt, à fœminali tamen formâ quadamtenus deficiẽtes. Hæ nihil pariunt, sed monstra sunt, non secus, ac si homo monstrosus à duob. veris hominib. nasceretur. Pono nempe casum, Nymphas sese progignere inuicem, vt homines faciunt, Illæ si monstrum gignunt, Syrenas gignunt, super aquã natitantes, quas eiiciunt parentes, nec secum tolerant. Hinc variis formis illæ conspicuæ sunt, sicut in monstris omnibus illud frequenter euenire comperimus. Non itaq; solæ Nymphæ nobis admirationi esse debent, verùm & Syrenes, quæ longè ab omnibus excedentes, variè gesticulantur: Nonnullæ cantillant, quædam arundine canunt luduntq;, aliæ aliud agũt.

Syrenes quæ et vnde.

A Nymphis nascuntur etiam Monachi, quod genus monstri est, Monachum specie ac forma præsentans. Vbi sciendum est, genimina illa, quę hominibus assimilantur, ac in locis eiusmodi reperiuntur, ex hominib. descendere, hoc est, progigni à Nymphis, Gnomis & similibus. Sed vt de hisce verum fundamentum noscatis, tenendum est, Deum ipsum in suis creaturis mirabilia operari. Sic Cometa ex Stellis cæteris nascitur, tanquam monstrum quoddam. Nec enim ille cursum suum naturalem habet, vt Stella, sed omnino alium à Deo ipsi inditum. Non ergo immeritò inter prodigia refertur. Huius ad exemplum monstra maris quoq; à Nymphis edita, Cometæ sunt, & à Deo manifestantur, vt mirabilia eius inde discamus, de qua re aliàs. Scire autem conuenit admiranda & ardua quædam ab eiusmodi hominib. designari, quæ cuilibet homini instar speculi assiduè præ oculis posita esse debebant. Sed, quia in plerisq; refrixit charitas, talia pleraq; negliguntur, ac hominum pars maxima dedita est fœnori, commodo proprio, aleis, compotationibus, &c. quæ omnia talibus ostentis præfigurantur à Deo, quasi nos his verbis compelleret, Oculos vos vestros in talia monstra conuertite. Talia & vos fietis post obitũ. Monitoribus ergo parete, ac vobis cauete. Quorum tamen (proh dolor) nihil fit.

Monachi à Nymphis nati.

Dei mirabilia in creaturis operatur. Cometa ex stella monstrosa.

Mundi ... .

Sed vt longiùs de hac re sermonem pertexamus, sciendum insuper est, eiusmodi homines manifestari, & vno loco quoque conuenire, quò vnà habitent, & familiaritatem hominum, quos studiosè diligunt, captent. Caro enim ac sanguis, carnem ac sanguinem adamat. Præterea plures apud ipsos vxores viris sunt, Hi enim pauci, illæ numerosæ. Quæ causa est, vt viros alios tam captiosè venentur. Ex hisce hominibus orta est collectio & conuersatio, quam *Montem Veneris* appellitant. Is nihil est aliud quam congregatio quædam Nympharum, facta in antro aut specu quodam ipsorum mundi, non quidem ipsorum chao, sed in chao hominum, in ipsorum tamen interim regionibus. Hos notandum est ad insignem ætatem prouehi, nulla tamen re aut defectu notabilem. Vnam namque eandemque speciem perpetuò retinent ad summum vsq; vitæ terminum, donec tales etiam moriantur. Iam verò Venus Nympha est & Vndena, cæteris dignior & superior, quæ longo quidem tempore regnauit sed tandem vita functa est. Quam secuta Venus alia, & priori quidem, quoad rei domesticę regimen, similis non fuit, sed tamen & ipsa tandem suo tempore mortua est, ac ita regnum defecit. De hac re varia & diuersa narrantur. Aliis namq; persuasum est, illam primam vitæ esse æternæ ac perpetuæ, vsq; ad diem extremum. Sed hoc intelligetis de ipsa & ipsius semine, nimirũ secundum speciem non secundũ indiuiduum. Dies namq; nouissimus ista talia omnia finiet & terminabit. Quòd verò dicunt, nec illos, qui cum ipsis iunguntur aut conuersantur, mori; id alienum à re est. In mortem etenim vniuersa contendũt, nec quicquam vspiam durabile est. Et non ipsi, quã alij, minùs moriuntur, cùm suo fine nihil careat. Interim ratione seminis generationes omnes ad extremum vsq; diem durant. Quod autem alij aliud prætendunt, dicentes, illo loco Reginam quandã sedisse, & submersam esse, seu hiatu facto descendisse, de hoc ita iudico, Nympham nimirùm aliquam illic habitantem in montem sese demisisse sub paludem seu lacum, regioni illi obiectum, ibiq; sibi habitationem construxisse, & pro amoris zelo compendioq; cuniculũ seu scrobẽ foras per mõtem molitam esse, vt ingressus & egressus procis seu amatorib. liberior pateret. Huiusce rei ab initio tanta fuit obscuritas, vt quidnam id, aut vndenam verè esset, nemo rectè sciret, donec tandem pate fieret, & finiretur. Et haud dubio opus redintegraretur, si adhuc vna priori similis Regina succederet. Nam & inter homines quidam vsq; adeò mirabiles & insignes sunt, vt multis deinde sæculis, ipsis similes non nascantur. Sic ergo & hoc loco peculiare quoddam à Nymphis, opus conditum fuit, quod secundum lasciuæ Deæ Veneris nomen Mons Veneris vocatũ est. Et admiranda talia in mundo facta multa sunt, quæ tamen supina oscitantia contempta mundus neglexit risitque, magno improbitatis argumento. Nihil enim tale citra euidens documentum nostri fieri solet. Contemptui ergo esse minimè debent. Sed de his aliàs. Iam historiam

Nymphę cur viris insidientur.

Mons Veneris quid.

Montis Veneris familia admodũ annosa fit.

Venus quomodo immortalis.

Morti õmnia caduca obnoxia.

Mons Veneris quid vere.

Historia de Nympha Stauffenbergēsi.

historiam veram addemus de Nympha Stauffenbergensi, quæ formæ spectatæ in viam consedit, & quem sibi elegerat dominum, præstolata est. Hæc quidem Theologis ludibria & præstigiæ Diaboli putantur, sed non veris. Quidnam in scriptura maius est, quàm nihil negligere, omnia probè recteque pensitare, ac sobrio attentoque iudicio ruminare, passim omnia accuratè peruestigare, & nihil incognitum contemnere? Vnde liquet, ipsos parùm rei gnaros breuiter & supinè talia præteruolare, Diaboli ludibria prætendendo, cùm tamen nec ipsum Diabolum cognôrint. Quinimò cogitandum est, miracula talia ideò fieri Deum permittere, vt non omnes Nymphis copulemur ac cohabitemus, sed interdum tantùm vnus ac alter, vt hinc nimirum admiranda Dei in creaturis opera reuelentur & certiùs inter homines dispergantur. Quòd si talia Diaboli essent opera: contemni vtique meritò deberent. At non sunt. Nec enim eiusmodi potest Diabolus, sed solus Deus. Sed ad historiam reuertamur. Nympha dicta vndena fuerat, & prænominato Stauffenbergensi nupserat, tamdiu ipsi cohabitans, donec vxorem aliam ille duceret, quod Nympham pro Diabolicâ haberet. Hæc enim alterius vxoris ductæ causa ipsi fuerat. Quâ re, cum fidem Nymphæ datam violâsset, ipsa per superius pauimentum porrecto crure illi in mensa die nuptiarum sedenti signum dedit: quò attonitus die tertiâ mortuus inuentus est. De hisce autem rebus non nisi prudenter iudicandum est. Fidei enim violatio sine vindicta nunquam abit, siue committatur fine honesti, aut specie commodi, euitandiúe alterius incommodi & turpitudinis. Quòd si illa spectrum omnino fuisset: vndenam sanguinem ac carnem suscepisset. Si verò fuisset Diabolus, vbinam signa Diabolica, semper comitari solita, latuissent? Si fuit spiritus: quònam istis omnibus indiguisset? Quia autem homo ac Nympha fuit, ceu diximus, ac coniunx, in honorem, non opprobrium seruiit: ob id pactum ac fidem datam seruari iure postulauit. Quod tamen cum non fieret, permissu Dei adulterium ipsamet puniuit, cùm alius illi iudex seu carnifex non competeret, quia ex Adamo non prodierat. Hâc de causâ, pœna adulterio debita, ipsi commissa est, vt iudicium ipsamet exequeretur, quia tanquam spiritus aut Diabolus ab hominibus contempta erat. Huiusmodi alia multa quoque facta sunt, quæ malo exemplo in contemptum trahuntur. Ex quo insignis hominum stultitia cumprimis liquet.

De Nymphis iudicium theologorum irritum.

Fidei violatio grauis.

Melosina quid fuerit.

Cæterùm, vt de Melosina quid dicamus, res altè ac sobriè expendenda est. Nec enim talis, qualis à Theologis habetur, fuit, verùm Nympha. Quam tamen à maligno spiritu obsessam fuisse, minimè inficiamur. Illum verò à sese abegisset, si vsque ad finem cum suo domino mansisset. Ea enim Beelzebubi natura est, vt tales in alias formas transmutet, quod in sagis etiam præstat idem, quas in feles, lupos, canes &c. transformat. Idem ipsi quoque Melosynæ euenit. Nec enim à magicis artibus adeò immunis fuit, quando aliquam earum partem calleret. Vnde nata ea est superstitio, vt singulis diebus Saturni serpens fieret. Hoc namque vero Beelzebubo obstricta erat, vt viro petito potiretur. Præter id etiam Nympha fuit, sanguine & carne pollens, fœcunda & ad partum disposita, ex Nymphis ad homines egressa in terram vbi etiam habitauit. Hinc etiam postea, prout superstitio homines ducit, derelictis suis iterùm discessit ad ea loca, ad quæ seducti homines, & in superstitionibus incantati, penetrare solent. Adeoque verisimile fit, ipsam huiusmodi vermem mansisse ad finem vsque vitæ. Quæ quamdiu duret, Deus nouit. Nobis interim res eiusmodi exemplo sunt, vt ex illis discamus, qualesnam in terra simus, & quâ fraude doloque Beelzebub in omnibus angulis nobiscum agat, quàm vafrè nobis & studiosè insidietur, adeò vt nec in medio mari, nec imâ terrâ, quicquam ab ipso satis tutum sit, quod non attentet. Nobis autem ea fiducia firma sit, quòd, vbi vbi simus, ibi Deum præsentem quoque habeamus. Is suos in omnibus locis tuetur & liberat. Cæterùm huiusce conditionis fœminas ob res eiusmodi patratas & quia ex Adamo non sunt, ob id pro diabolis & spectris habendas esse stultum est: & præterea vesanum est Deum adeò vilem in suis operibus iudicari. dictasque fœminas ideò, quia superstitiones habent reiici & reprobari. Plures namque in Ecclesia Romanâ superstitiones gliscunt, quàm apud fœminas & sagas istas vniuersas. Si ergo superstitio hominem in vermem transformat, quod de Nymphis attestamini: eodem exemplo idem vobis etiam in Ecclesia Romana versantibus competet: hoc est, vos ipsi quoque in angues eiusmodi mutabimini, qui iam splendetis & nitidi inceditis, diademate & cultis ornamentis latè fulgentes. Quæ omnia tandem in vermem ac draconem degenerabunt, sicut de Melosina & aliis constat. Ista ergo omnia accuratè pensitate, nec videntibus oculis cœcos aut loquentibus linguis mutos vos facite: cum nec cœcos vos, nec mutos vocari facilè patiamini.

Melosyna saga fuit. Sagæ in feles, lupos, &c. mutatæ.

Beelzebub[...] & insi[...]dia.

TRACTATVS V.

De Gigantibus.

PRæter hactenus commemorata generationes adhuc duæ supersunt, ad Nympharum & Pygmæorum generationem etiam pertinentes. Sunt autem illæ Gigantum & Nanorum, ex Adamo non descendentium. Etsi verò & S. Christophorus Gigas fuerit: cùm tamen is ex semine humano progenitus sit, ad hanc classem referri minimè debet. Hùc autem propriè spectant gigantes, de quibus historiæ circumferuntur, cæteri, vt puta *Bernensis*, *Sigenottus Hildebrandus*, *Dietricus* & similes alij: Item pumiliones, *Laurinus* & reliqui. Non autem nescimus, has historias à plurimis vniuersim repudiari ac explodi. Cæterùm qui huiusmodi rei fidem non ha[...]ciunt, illi veritatem in rebus etiam aliis momenti maioris annihilant, dum Christi verba peruertunt, seq; ipsos cum suis cõmentis illi præponunt. Quòd si quidem in rebus grauioribus attentare audent: quantò magis id non in hisce verebũtur rebus, vt eas annihilent & inficientur? Ita nimirùm secum illi ratiocinantur: Gigantes nobis nimis fortes & insoliti sunt, nec admodum conuenientes: ideò ipsos annihilabimus, & pro-

S. Christophorus Gigas. Gigantes & Nani [...]

& pro spectris passim proclamabimus. Idem designabimus etiam in Christo. Qui cum nimis potens sit, ipsum cum gantibus eo loco ponemus, ne quisquam sit, qui nobis aduersetur, aut quem metuamus.

Theologia intra est lumen hominis. Principium Theologiæ est *lumen hominis*, rerum vniuersarum naturalium cognitione pollens. Quarum si iam notitiam hausit is, Christum postea ac ipsius verbum vsque adeò vilipendere non potest, sed ex necessitate congeniti luminis ipsum longè sublimiùs iudicare & latiùs extendere cogitur illis alteris, qui in sola litera occupantur. Non ergo in scripturam immittendi cœci sunt, sed qui in lumine hominis probè exculti. Illi alteri, facili occasione seductores ac errones euadunt. Discenda ergo & cognoscenda discite, nec ita illotis manibus in scripturam irruite, vt iudicetis & calumniemini, quæ vesanis vestris capitibus non illicò credibilia apparent.

Gigantes & Nani vnde. De duobus ergo illis generationibus Gigantum nempe & Nanorum, ita statuite: quòd Gigantes nascantur ex Sylphis, & Nani ex Pygmæis, & horum sunt monstra, ceu Syrenes Nympharum. Ex hisce enim illi progignuntur. Qui licèt rari sint: toties tamen tamque mirabiliter apparuerunt, vt de ipsis ambigi minimè debeat, Et tam Nani quàm Gigantes roboris admirandi sunt. Cæterùm de familiæ illorum ac parentum, ex quibus nati sunt, natura, nihil hîc differemus. Nec enim suum genus æmulantur, sed monstra illius sunt non obiter ac in cassum in lucem producta, verùm singulari cõsilio & admonitione Dei nata. Et admonitio illa momenti haud leuis est. Meritò igitur de ortu illorum inquiritur, quod hîc fiet. Alibi postea etiam constituetur de illo, quo nempe fine Deus illos ab hominibus prodici voluerit. Nam ea tractatio huc non spectat: cum de generatione eorum hoc loco tantùm docere nobis præsumptum sit.

Valde robusti.

Gigantes suis generis superant.

Consideratio autem illorum mira omnino ac stupenda est, propter res varias gestas, & fortia facinora designata. Adde, quòd ipsi, velut monstra à Deo singulariter producta, sine omni hærede, quoad corpus ac sanguinem, obierint, adeoque gigantes cum nanis vnà intercidérint.

Gigantes an animam habeant. Principiò ergo de illorum anima, quinam illa cognoscenda sit, ita definiemus Parentes ipsorum similem cum illis animam non habent. Homines tamen interim sunt, vt comprehensũ est. Nascuntur autem ex animalibus, quæ homines sunt. Vnde sequitur, eos animam nõ ex suis parentib. traxisse. Præterea sunt etiam monstra, quorum ea natura est vt perpetuò suis parentib. minùs habeant. Ex his duob. consequitur, illos animam nullam habuisse, licèt multis generosis facinorib. insignes fuerint, & veritati inuicé studuerint, ac alia multa præstiterint, ex quibus animæ præsentia colligi posset. Sicut autem Psittacus loqui, & simia hominum gestus æmulari nouit: sic per indultum naturæ illos quoq; hominum facta exprimere potuisse, consentaneũ est. Ex his tamen ipsam quoq; animam præstò esse, concludi non potest. Deus quidẽ & hisce hominibus, instar aliorum, si velit, animam infundere potest, veluti docet cõfœderatio hominis cum Deo, & Nympharum cum homine. Ipsi tamen non propter animam, sed propter creaturam geniti sunt, vt Deus eo admirabilior in suis operib conspiceretur. Nec gigantæas ille animas creare voluit, etsi homo vnus alteri in regno Dei similis sit. Illos ergo cum animalibus comparo quorum anima mihi incognita est. Etsi vero & ipsi bona iustaq; fecerint: redemptionis tamen eos participes esse non non video. Nã in fide non sapuerũt, sed instar animaliũ prudentum vixerunt. Quod si vulpes aut lupus loqui posset: illis profectò non admodum dissimiles forent. Intellectus namq; naturalis latè patet: vt de anima iudicium non adeò procliue sit.

Gigãtes sunt animalia prudentia. Gigãtes fide vacui.

Gigantes ex Sylphis. Monstra naturaliter gignuntur. Gigãtes vt gignãtur. *Syluestres* seu homines aerij Gigantes gignunt, quando conueniunt in coniunctione, non secus ac si coniunctio incideret Cometæ, terræ motus & similium. Quòd si enim nasci monstrum oportet, secundum consuetum naturæ cursum minimè nascitur, sed transuersim, secũdum prouidentiam Dei, de qua re hîc plura non dissero. Sylphi itaq; suo modo coeunt, & pariunt monstra. De modo, quo gignantur, definiri nihil potest. Id enim opus, ille ordo diuinus est, nec aliter per Astronomiam explicari potest, de stellis erraticis, & de generatione rerum illarum, quę naturali se quidem norma modoq; non habent, & tamen nascuntur fiuntque, ceu terræ motus qui aliquando fit, & longo post tempore intermittit. Similiter & de Gigantib. iudicandũ est, quod eodem modo nascantur per huiusmodi constellationes, non in cœlo quidem, sed in homine fientes. Ipsum namq; cœlum ad monstra talia producenda vim & operationem nullam habet: cùm hominibus, quoad constellationem, cum cœlo commercij nihil sit. Cœlo quidem omnes subsunt, & ab eodem includuntur. Quia verò aliud corpus, aliud chaos habet, ideò cœlum ipsis nihil imprimere potest, quia non hæret, non durat. Cæterùm, vt de cœlo, ita & de his naturalis quidam cursus motusq;, per se fiens, oriens ac occidens, intelligi potest. Semel enim hoc sciendum est, cuilibet, quòd, si quidem aliquando inter nos homines procerior quispiam aut humilior nascatur, cœlo id imputari non debeat, sed peculiari naturæ cursui: de quo hîc sileo.

Nani vnde generentur. Similiter & de Nanis scitote, quòd ex pygmæis ex terrâ nascantur. Vnde adeò proceri nõ fiunt, sed in proportione tantò breuiores sunt, quantò pygmæi ipsis sylphis curtiores existunt. Hi non minùs, ac Gigantes, monstra sunt, ac generationis eundem modum habent. Hoc loco altè considerandum venit dictum Ioannis Baptistæ, ad Iudæos dictis: Nolite præsumere, quia filij Abrahæ estis, vt cogitetis & ferociatis in hoc, quasi Deus nihili sit, aut nullos filios facere possit, si vobis careat. Dico enim *quod ex lapidib. sibi Deus filios producere posit.* Hoc ita etiam intelligendum hîc est: Etsi videamus quidem, nos ex Adamo esse: nihilominùs tamen etiam conspiciuntur homines, ex Adamo non geniti, vt sunt gigantes, Nani, plures & robustiores nobis. Cui etiam consentit illud: Si non veros operari fructus eritis, cùm radice etiam Deus vos euellere potest, vt inarescatis ceu fructus in arboribus, & Deus postea alios homines proferat. Si enim Deo pos-

sibile fuit, ex lymbo Adamum ac ipsius liberos producere: poterit idem etiam sine lymbo alios fingere homines, vt Nymphas, Gigantes, &c. quibus mundum suum augeat & conseruet. Illi ergo nobis exemplo & documento sunt, ne nos solos existere putemus, adeoque Deum cogere conemur. Si potens est in vno: erit etiam in altero. Si homines potest producere septem pedes longos: poterit etiam, qui viginti aut triginta pedes erigantur. Exemplum videmus in gigantibus: ex quibus discendum nobis est, Deum hunc esse dominum, qui ista possit, & animam in momento vno infundat.

Sed vt hæc ad finem propiùs perducamus: addendum est, huiusmodi homines gigantes & Nanos, aptos quidem esse ad imprægnandas fœminas ex Adamo ortas, quoad naturam, si similia similibus quadrarent. Sed etsi monstra quidem fœcunda minimè sint: hi tamen monstra sunt tantùm in persona, quoad robur & magnitudinem, non quoad generationem. Quantum autem in ipsis est, vltra semen vnum fundere non possunt: hoc est, in tertiam aut quartam generationem non perueniunt. Præterea, si in generationes hominum perueniunt, fœtus duplex gignitur: hoc est, si secundum naturam matris corporatur, genus ipsius adsciscit. Sin minus, animal parenti simile generatur. Vt autem mixtum fiat, non potest, quin semen in altero præpolleat. Etsi verò aliàs duo semina fiant vnum: hîc tamen non similiter. Et licèt vnum fiat semen: ab alterâ tamen parte, quæ animam confert, qualificatur: de quibus in alia Philosophiâ docebitur. Hoc ergo modo generationes eorum desinunt, nec hæredes illis relinquuntur. Et sicut cometæ nullos liberos, terræque motus nullum semen post se relinquunt, sed simul ac vnâ in seipsis finiuntur: sic illi quoque in gradu seu generatione vnâ surgunt & occidunt.

Monstra non sunt fœcũda.

Gigantes sese non progenerant.

TRACTATVS II.

De causis huiusmodi creaturarum.

Cæterùm, vt de huiusmodi creaturarum causis naturaliter philosophemur, ad ea præcipuè puncta attendi debet, quæ in præcedentib. tractatibus adducta, nec hic otiosè repetenda sunt. Præter autem illa causæ sequentes hæ sunt. Deus nimirum rebus vniuersis custodes præficit, nec incustoditum quicquam relinquit. Sic Gnomi, Pygmæi & *Mani (al. Manes)* thesauros terræ, hoc est, metalla & alia custodiunt. Vbi enim illi versantur, ibi thesauri grandes ac opulenti latent. Per illos cauetur, ne thesauri in lucem ante definitum tempus erumpant. Quos si reperiunt homines, dicere solent: olim pygmæi hîc ambulabant: iam abierunt, hoc est, tempus iam instat, vt opes proferantur. Thesauri namque terræ ita distributi sunt, vt à mundi vsque principio assiduè reperiantur, metalla, argentum, aurum, ferrum, &c. qui ab illis hominibus ita custodiuntur, vt non in die vno omnes vbique prodeant, sed singulatim & discretè iam hîc, iam illic vnus & alter proferatur. Ita oberrant opes montanæ secundum tempus & regiones, à die primo vsque ad vltimum distributæ. Similiter & de Salamandris intelligendum est, quod custodes sint regionum ignearum, in quibus versantur. In illis namque cuduntur ac fabricantur ea, quæ cæteri custodiunt. Ignis namque si deflagrauit, incipiunt pygmæi vigilare, post quorum vigilias res producuntur. Eodem modo & Sylphi gemmas exteriores sub aurâ iacentes, ac à Salamandris fabricatas, & in debitum locum, vbi in hominum manus venire possint, positas custodiunt. Has ad tempus præstitutum vsque tuentur. Vbi namque tales thesauri iacent, ibi homunculi illi morantur, curantes, ne abditæ opes æquo maturiùs proferantur. Illi ergo cùm bonorum eiusmodi custodes sint, facilè intelligi potest, ipsos quidem anima carere, sed hominibus tamen similes esse. Vndenæ custodes agunt in aquis, illarum opum, quas mare claudit, à Salamandris fabrefactas & relictas. In genere ergo de ipsis hoc notandum est, vbicumque reperiantur, insignes thesauri & metalla optima condita iaceant, quibus illi variè custodiẽdis præfecti sunt.

Pygmæi thesauros terræ custodiunt.

Salamandræ quid custodiant.

Sylphi quid custodiant.

Vndenæ quid custodiant.

Porrò, *Syrenarum, Gigantum & Manorum*, velut & Scintillarum, quæ tantum Salamandrarum Monstra sunt, causa ac conditio ea est, vt nihil quidem custodiant, sed nouum quid & graue hominibus indicent. Sic vbi fomites apparẽt, illi regioni interitus denũciatur. Plerunq; enim illius Monarchiæ vastitas, &c. præsagitur. Similiter & Gigantes ingentẽ illius regionis futuram vastationem ac grande malũ portendunt. Mani autem plerunque ingentem populo egestatem ac paupertatẽ prænuntiant: vt etiam Syrenes principum regumq; interitus, sectas & diuisiones minantur. Deus enim nos omnes in vnum colligit. Huic vnitati quicquid aduersatur, ruere finit. Ante ruinã suos mittit prodromos, quales iam diximus. Sed & his longè plures sũt qui interdum mutantur, nec vnâ omnes via veniunt, sed aliqui nostris oculis occultantur.

Syrenæ, gigantes &c. quid præsagiant.

Postremò, causa, quæ omniũ potissima est, nos latet. Quando autem terminus mũdi appropinquabit, ista vniuersa, à minimo ad maximum manifestabuntur, quę & qualianam fuerint, cur & vbi steterint vel ambulauerint, & quid portenderint. Quicquid enim in omni mundo fuit, die illo proferetur. Tum temporis prodibunt docti solo nomine nullius rei gnari & periti. Ibi cognoscentur etiã docti ex fundamento, cũ nugatoribus. Emergent, qui vera scripserunt, & falsa, qui ediderunt solida & euanida. Et vnusquisq; suæ diligentiæ, studij & veritatis mercedem feret. Nec eo loco indiscretè quilibet Doctor erit aut Magister. Ibi enim lolium excutietur à tritico, & paleæ à frumento. Qui iam clamat, ibi silebit. Qui iam paginas numerat, ei illic penna elidetur. Et hæc omnia ante aduentum diei nouissimi reuelabuntur, & sua serie docti omnes à primo tempore ad vltimum sistentur, scieturque, qui vera aut falsa scripserit, quod iam adhuc abditum est. Tempore illo beati erunt, quibus intellectus pandetur. Omnes enim cogitationes hominum, quas vnquam susceperunt, non aliter ac in fronte cuiuslibet scripturæ conspicientur. Illis temporib. ego quoq; hęc mea scripta mando, quorũ nullum intercidet. Deus enim lumen ponit in propatulũ, hoc est, quilibet qui luxerit, visur est.

LIBER

LIBER ARTIS PRAESAGAE THEOPHRASTI.

PROLOGVS.



X seipso homo futuri nihil praenouit. Ita enim conditus est, vt ad nihil attendat aliud quàm seipsum, vt animam ad Deum attollat, & rerum aliarum cura non tangatur. Quid enim futura dies crastina ad hodiernam attinet? Dies namque qualibet sibi ipsi sufficit, & cura est. Nec cogitandum est, qua die hoc vel illud dictum sit: sed de hodierna die cogitatio suscipi debet, cùm crastina dies damni nihil afferat. Nec cras, sed hodiè mors aduenit. Satis ergo est, praesenti cuilibet diei propriam suam curam incumbere. Haec enim à Christo, eo fine nobis dicuntur, vt non angamur, quî corpus nostrum alatur & conseruetur, sed Deo hanc potius curam iniiciamus, ac sedulo tantùm oremus. Hinc iam sequitur, de futuro nos nihil inquirere debere, quae corporis nostri sors ac ratio futura cras sit. Id enim edicto vetuit Christus. Quaerendum imò est primò regnum Dei: tunc caetera omnia nobis adiicientur. Quod si quidem facimus: quid commodant, aut quò spectant productiones, quae de dierum sequentium statu vaticinantur? Certum autem est, multas praedictiones reperiri, commodum & voluptatem corporis omnes spectantes: ad salutem autem & vtilitatem animae nihil quicquam conferentes. De illis vt scribam tractémue, hanc causam habeo, quia scil. iam in sectas Pharisaicas incidimus, in quibus versantes necesse habemus explicare ex quo veritatis fundamento illi scribant & loquantur. Causa altera est, quia etiam Prophetae, Sybillae ac similes, ex ore Dei vaticinati sũt. Ex quo constat, si Prophetis id fuit licitum, non dedecere idem etiam hominem. Sed & hoc modo naturaliter licet, quia ipsa natura malum proprium denuntiat, dum ingruunt schismata, defectiones, gaudia & diuitiae, &c. quae naturaliter praesagiri possunt. Praeterea aliae quoq; multae praedictiones fiunt, quae magnam futurorum euentuum vim habent: quae & ipsae necessariò considerandae videntur. Hae tamen & aliae causae apud Ethnicos tantùm receptae sunt. Quod autẽ nobis faciendum primò incumbit, est hoc, vt nos accõmodemus ad verba Christi, regnumq; Dei & iustitiã ipsius ante omnia quaeramus. Quod si facimus, nullâ alia praedictione opus habemus. Sic enim dabitur, quicquid vsus requirit, nullâ etiam praecedente praedictione. Quia verò aliter viuimus, nostrumq; potius commodum, quam ordinem & mandatum ipsius Dei sectamur: ideò curis admordemur, vt solicitè quaeramus, quid hodie, quid cras, euenturum sit. Dubitatio itaque haec eos solummodò angit, qui Deum non respiciunt, assiduè bona ipsis non cumulantem. Ideò praedictionibus inhiant, an quid captari queat, quod ad nequitiã ipsorum velandã, promouendam ac augendã faciat. Et sic cuilibet vento flanti palliũ obuertũt. Quibus curis & anxietatibus omnibus carere facilè possent, si regnũ Dei & ipsius iustitiam quaererent. Iam ergo quia Deus praedictiones permittit, id sine causa non facit. Per Prophetas enim ac vates mala praenuntiat, vt à naeuis & vitiis suis desistant. Praedictiones namq; tales hoc tantùm modo acceptandae sunt, vt nobis sint adhortationi, quasi ita dicerent: Facite poenitentiã: tempora messis iam ante fores sunt. Quandoquidem ergo signa illa variè & multipliciter incidant, adeoq; interuallis lõgis inuicem distent, vt sese mutuò infringant, licèt ex eodem centro omnia promanent: ipsa recensere equidem aggrediar, vt illadem vos cognoscere queatis. Ante omnia tamen vobis consultum sit, vt regnum Dei & iustitiam ipsius quaeratis. Sic etenim fiet, vt nullâ aliâ solicitudine deinceps angamini, siue ea cataclysmi, siue tonitrus & grandinis, siue terraemotus, siue pestis, siue belli, &c. Quae, etsi quidem iam ante fores staarent: ab illis tamen immunes sic essemus. Horum namq; nihil nobis noxae esse potest, si in regni Dei iustitiã viuamus. Hoc enim asylum contra omnia mala est. Quae autem signa ratione corporis ac valetudinis aduerse consuluntur & expenduntur: ea non iniustè ex fundamento considerantur: quoniam morbi opus habent Medico. Praesagia tamen fundamentum non habent in quo solidè consistant. Quae autem Prophetae ac Sybillae ex ore Dei locuti sunt, ea opera fuerunt diuina: de quibus sequens liber expediet. Sed nec his ipsis vos mancipabitis, verùm potius iustitiae diuinae.

LIBER DE PRÆSAGIORVM FVNDAMINE.

TRACTATVS I.

Præsagiorũ genera.



ATICINIORVM, seu artis futura præsagiẽdi genera quinq; sunt: quorum quodlibet sibi cõnatas species habet. Ad primũ spectant Prophetę,
1. Sybillæ & discipuli Christi. Hi tamen ex nulla arte propria, sed *ex ore Dei* futura prædixerunt, sicut ex ore Dei hauserunt. Horum præsagium iræ diuinæ comminationem saltem denuntiat illis, qui morem gerere recusant, & ea, quę prędicuntur, contemnunt. Si ergo populus futuri securus est, tunc apertis oculis caligat, eaq; Prophetia summa & certissima est, omni fuco carens. Nec enim in arte aut fortuna aliisue rebus consistit, sed ex ipso veritatis fonte, vt suo loco docebitur, promanat. Alterum pręsagij genus 2.
ex ipsa natura profluit, quantum nimirum natura malum exitum intentans, in initio sui mali finis, ipsa præmonstratrix est. Tertium pręsa- 3.
giũ vocatur *Diuinatio*, ex ipsomet homine orta, qui ex lumine proprio pręuideri potest, quem res exitum habiturum sit. Quartum pręsagium 4.
est *Spirituum*, & vocatur *Sortilegium*. Hanc homo captat & discit ex spiritibus, prout cum illis fœdus pepigit, ipsique adeò spiritus bonum verúmve suggerunt. Quintum est *Augurium*, 5.
quod ex creaturis & animalibus desumitur, in quibus; quę homini euentura sint, spectantur. De his autem generibus quinque tenendum est, primum, nempe Prophetarum, Sybillarum & Discipulorum Christi, vno gradu contineri & illos sibi inuicem similes existere. Ex vno enim & illos sibi inuicem similes existere. Ex vno enĩ & illos... Dei ore omnes loquuntur. Alterum solius naturę est, quę suam per se practicam indicat, nihil

ad hominem dirigens: veluti per *Astronomiam, Medicinam, Philosophiam, Physionomiam, Chiromantiam,* & similia. Hæc enim seipsa tantùm indicant, hoc est, id in quo sunt, respiciunt, non aliud, vt pulsus, vrina, complexio &c. Sic & in Philosophia rerum naturalium per pruinam, gelu & tempestatem aduersam, siccus & sterilis annus, &c. indicatur. Præsagia hęc in facultatibus, quo ad Naturam omninò scienda sunt. Tertium, diuinatio scrutatrix est rerum singulariũ, agens per insomnia, per apparitiones & visiones nonnullarum figurarum, per iudicium fortuitum, aut per alias imaginationes cuiuscunq; generis sint. Quartum præsagium spirituum, sortilegium vocatur ideò, quia vel contingit, vel non contingit. Huius species sunt quatuor, Geomantia, Austromantia, Pyromantia, Hydromantia quæ succedunt, prout spiritus fauent. Quintum est Augurium, vbi sumuntur præsagia ex cantu auium, ex extis animalium, ex inundationibus aquarum, & ventorum violentiâ, &c.

Sortilegij quatuor species.

Porrò autem de primis præsagiis Prophetarum, Sybillarum & discipulorum multa scribi non possunt. Hoc saltem statui oportet, quòd Deus, per huiusmodi homines ea pronuntiet, quæ ex prouidentiâ diuinâ homini obtingent, nempe quæ salutem ipsius concernunt, quam Deus annuntiat hominibus ex insigni amore, quo ipsos prosequitur, dum liberationem illis spondet. Sic cum Adamus ex paradiso eiiceretur, solatium iam omne interciderat, ac de omni salute & spe actum erat, antequam Christũ suum filium Deus nobis polliceretur. Ea promissio ex solo processit patre. Nec aliunde natiuitatem & liberationem Christi homo scire potest. Nec etiam cœlum ipsum, nec spiritus vniuersi nec omnis Natura, nec vlla Auguria diuinationésue suis præsagiis homini solatium afferre poterant. De talibus enim nihil quicquam nôrant. Ita nec Dies aduentus filij Dei ad iudicium vlli præsagio notus est, nisi quod ex Prophetis desumatur. Veniet autem dies ille pro scripturæ vaticinio, cùm de ipso omnium minimè cogitauerimus, adeoq; omnia maximè pacata & tranquilla fuerint. Necesse est ergo errent & hallucinentur vates & præsagi illi qui ex signis iam præteritis de die nouissimo vaticinantur, nec de scripturâ cogitant, dicente, diem instar furis irrupturum, cùm omnium maximè securi fuerimus. Quæ quidem verba ad nullius signa respiciunt. Eiusmodi ergo nullo humano præsagio definiri queunt, sed à solo Deo petenda sunt, ac illis, quibus nosse dedit Deus. Quin & in veteri testamento vastationes quædam factæ sunt, quæ similiter & in nouo testamento fient, quas scire, Deus nulli hominum contulit. Eadem notitia spiritibus quoque, Naturæque ac Auguriis, diuinationibusque omnibus denegata est, ac soli Deo reseruata. Qui verò de eiusmodi euentibus vaticinantur, hi ex ore diuino loquuntur, & tamen quod loquuntur, ipsi non intelligunt. Quique hoc modo in simplicitate loquuntur, horum sermones ardui, ac ob id magni faciendi sunt. Quoniam verò præter signa temporum suas prædictiones & prophetias Deus habet singulares homini abditas: per triplices personas illas vtique proponit, per *Prophetas, Sybillas & Discipulos.* Horum noscendorum hæc nota est, quòd cultu & sermone simplici sua proferant, non, vt cæteri homines, ambitionis aut auaritię studio, sed humiliter & abiectè corã mundo. Ita enim placitũ est Deo, vt illi, quibus intellectus datus non est, audientes nõ audiant, & intelligentes nõ intelligant. Huiusmodi enim farinæ homines contemptis illis simplicibus non seriò admodum attendunt. Et si quidem, quid dicant, audiant, illud tamen risui & ludibrio habent. Placuit ergo Deo, voluntatem suam patefacere per Prophetas, Sybillasque contemptos, & per discipulos, coram hoc mundo viles & parum spectatos. *Desideratur hoc loco pagina integra cum ferè dimidiá, ab imperitis aut inuidis ex Autographo euulsa.*

Dies nouissima quali tẽpore ventura.

Prophetici Dei ministri triplices &c.

* Præsagia diuiduntur in *Prophetas, Sybillas, & Discipulos Christi,* prout antè constitutum est. Et secundò in Sectas sequentes, ex ore Dei minimè loquentes, sed ex aliis creaturis sua præsagia sumentes, prout deinceps dicetur. Ad præsagos ergo attendendum sedulò est, vt ex quonam fundamento loquantur, iudicetur & sciatur. Qui ex Deo præsagiunt, hi fundamentum in Deo habent, cui acquiescunt. Cæteri omnes ex creaturis loquuntur. Iam qui ex Deo loquitur, potior est illo, qui loquitur ex Naturâ. Et qui ex Natura loquitur, potior est loquente ex Sortilegiis. Quantum verò cuiusque fundamento & præsagio credi debeat, ex sequentib. tractatibus discetis.

Extra quidem Prophetas, Sybillas & discipulos præsagi sunt, multis sectis inter se diuisi. Quas antequam ordine enumeremus, primò ipsarum fundamentum in genere sciendum est, ex quo nempe vaticinentur, quod breuiter ita intelligetis. Spiritibus, qui in elementis versantur, nota & explorata sunt vniuersa, quæ in Natura sciri possunt, hoc est, quisnam exitus futurus sit hominum, ciuitatum, regionum, quæ cuiusque fortuna, quod infortunium sit. Exemplum rem patefaciet. Ponamus infantem nasci. Huius iam, quæ sors à primo die ad vltimum futura sit, Spiritus probè nôrunt. Sic si hodie nouus annus incipiatur, Spiritus à primâ horâ ad vltimam, quæ cuiusque diei ratio futura sit, exploratum habent. Similiter etiam, si bellum moueatur, quæ victoria, quæ clades secutura sit, ad vnguem nôrunt, etiam antè, quam quicquam horum fiat. Vt summatim dicam, nôrunt illi vniuersa, quæ in terra homo facit ac patrat. Quòd si ergo cum spiritib. his homo loqui sciat, ipsosque fauentes habeat, talia omnia ex ipsis reuelata & præindicata accipit. Sed tamen & hoc simul hîc tenendum est, ipsos à Deo factos esse mutos & mendaces, vt non eâ quâ intelligunt, perspicuitate hominibus futura omnia propalent. Hinc fit, vt artes, quæ ex Spiritibus procedunt, euidenter mentiantur, adeoque ceu ebriæ & occœcatæ titubent. Aliquid quidem produnt illæ, sed incertum & dubium, quod interpretari & indicare possis, vt velis. Spiritus ergo plenam eloquendi potestatem nõ habent, sed muti & mendaces à Deo facti sunt, quibus tantum credendum sit, quantum mutis & mendacibus solet. Si quid interdum veri prędicunt id rarum omnino & ambiguum est.

Spiritib. elementori naturis omnia nota.

Spiritib. elementori muti & mendaces.

[illegible]

Præsagiorum autem fundamentum etiam aliud est, ex ipsâ naturâ procedens, hoc se modo habens. Ponamus scil. quendam proficisci cogitare Romam, quam nunquam viderit. Concipiamus alium, Romæ qui antè fuerit, cui viæ omnes notæ ac exploratæ sint. Hic iam, si illi alteri prædicat, Tu tali viâ vteris aut, huiusmodi hospitia habebis, per hanc aquam transibis, ista patieris, &c. antequam Romam peruenias: hoc iam præsagium Naturale est, homini scitu facile. Similem profectionem seu cursum cœlum quoque habet. Instar enim peregrinatoris per terram transit. Ita Lunæ cursus, quid hoc illóue loco faciat ac operetur, ex longâ & diligenti obseruatione notatum est. Nam & ipsa à loco vno peregrinatur in alium. Vnde cùm sciatur, quidnam Luna vbiuis operari soleat, haud difficulter illud præsagiri potest. Vt enim asinus pertinax ad fabrum non pergit, nisi soleæ ipsius pulsentur: sic pariter ex Lunæ diuturnâ consuetudinis obseruatione constat, quidnam vbiuis factura sit. Eadem etiam ratio est cæterarum Stellarum, Planetarum ac Signorum. Huc accedit certa æstatis & hyemis periodus, Quarum quæ ratio & conditio esse soleat, cuilibet passim notum est. Ista namq; omnia ex se natura patefacit. Si ergo de tempore anni iam constet, quale sit, ac insuper sint cogniti peregrinatores cœli, quomodo ambulare, ac vbi diuertere soleant, iam per horum collationem & concordantiam innotescit facilè, quæ cuiuslibet temporis ratio ac status futurus sit. Exemplum aliud. Ponamus, publicam profectionem institui Romam mediâ æstate. Item, exercitum illac transiturum mediâ Hyeme. Item Nundinas institui sub exitum autumni. Iam præsagire haud ineptè quis possit, Romam hoc tempore tales hospites, ex hâc vel illâ regione visuram esse. Item hoc tempore illac milites transituros, aut multos Mercatores, &c. confluxuros. Eodem modo & de cœlo omnino iudicandum est, quod naturam sibi congenitam firmiter teneat & exerat. Quam qui didicit & compertam habet, is iam de cœli peregrinatoribus incertiùs præsagire non potest, quàm ille alter de Roma. Insuper tenendũ est, multas in cœlo habitationes esse, inter se dissimiles, diuersas etiam peregrinationes, & operationes. Quas qui singularim cognitas habet, is de temporibus anni multa prædicere potest eorum, quæ ad ipsam Naturam pertinent.

His familiares ac finitimi sunt etiam alij præsagi, qui fundamentum, vt aiunt, ex Ascendente, hoc est, ex orientibus signis, desumunt. Id paulò altiùs trutinandum est. Homo ex duabus naturis constat, *Lymbi* nempe & *Animæ*. Exẽplo doceamus. Ponamus, hâc horâ, hâc minutâ, &c. nasci infantem: Eo autem temporis puncto cœli hanc illámue faciem fuisse. Iam iudicium de Natiuitate infantis tale promitur. Pono, quendam ex Granata profectum, Coloniam venire & contendere Dantiscum. Venit & secundus *Londino*, Dantiscum commeaturus, sed Coloniam transiens, & alteri illi in eodem sese hospitio iungens. Porro in eodem diuersorio sedeat tertius quispiam otiosè, ac fortuitò. Hi iam tres mutuò ita conueniunt inter se, vt & tertius Dantiscum proficisci consentiat. Sic ergo tres hi vnà proficiscuntur, duobus primis tertiũ ducentibus, qui Colonia egredi non quidem cogitauerat, sed sodalitio nouiter illectus est. Is iam, qui Coloniæ erat, naturam eam accipit, vt, quò duo primi contendunt, ipse quoque sequatur & eò perueniat. Illi veniunt tandem Dantiscum, &c. Eò venit & iste. Sic ergo duorum priorum sors communis etiam fit tertio. Res similiter se habet etiam in casu supra posito. Si infans nascitur, qualis qualis sit, ipsum transeunt peregrinatores, & in ciuitatem, hoc est, firmamentum perueniunt. Infans autem peregrinatores illos sequitur, & comitatur, licèt in via mediâ offensos, nec tamen, quò vadat ac pergat, exploratum habet, cum in terra nunquam fuerit, nec eius rationem vel in minimo perspectam habeat. A peregrinatoribus ergo suscipitur & ducitur. Iam qui hos nouit, & quo ingenio sint, quò & quâ viâ pergant, exploratũ habet: is præsagire facilè potest, quòd infantem etiam eodem secum ducturi & pertracturi sint. Et tantum quidem de firmamento prædici potest, nec plura. Cæterum fieri etiam potest, vt infans in alium peregrinatorem quoque incidat, vt in Parentem, Præceptorem, &c. qui infantem ad suum ingenium inclinet, & à peregrinatorum priorum instituto retrahat. Iam natura ipsa nutat, nec ex natiuitate certi quid præsagiri potest. Fateri namque omnes oportet, aliter ductos ac doctos infantes, aliam naturam adsciscere. Sed tamen & hoc dicendum est, Natiuitates multas describi, non secundum peregrinationem tantùm, sed etiam secundum ductorum, vt parentum & præceptorum ingenium & naturam: vbi fortunæ & infortunij ratio concurrit. Quod quidem non tam ex arte Naturæ patet, quàm à spiritibus proditur & manifestatur. Exemplum: nascitur infans, hâc horâ. Hinc elicitur iudicium peregrinatorium, de quo diximus, quâ nempe cum miseriâ & paupertate, opulentiâ aut honore infans ducatur, si eâ metâ ambulet. Præter hoc autem sunt in cœlo spiritus, qui sese stellis immiscent, ac ex latere ipsas stipant & comitantur, veluti & homo aliàs suum collateralem spiritum habet. Ille igitur spiritus, vnà peregrinans operam dat, vt veri ductoris loco se venditet, & sic aliâ viâ infantem ducit, non quam Stellæ instituerunt, sed quam ipse præsumpsit suo arbitrio. Nec enim vllâ horâ, aut vllo momento malus spiritus feriatur, verùm ab ipsâ illicò natiuitate in nos intendit, nobisque continenter insidiatur. Ponamus ergo, huiusmodi Spiritum se quoq; insinuâsse, ac vnà cum aliis Ascendentem factum esse. Iam omnino opus erit, ipsum considerari simul, cum ipsis stellis plus effecturus sit. In ascendentibus enim sunt Spiritus, qui aleam terunt, lucrantur, scortantur, procantur, præliantur, peierant, adulterant, blasphemant, furantur, latrocinantur, prædantur, idololatriam, falsum testimonium, mendacia struunt, nouos census constituunt, in vsuris & fœnore rabiunt, &c. Ipsa namque stellarum natura talia hominibus non infundit, sed Spiritus, qui nunquam feriatur. Horum Spirituum qui naturam, conditionem, proprietatemque cognitam habet, is natiuitates certò erigere, ac ad scopum proximè colli-

Hominis natura duplex.

Disciplina natiuitatem peruertit.

Spiritus mali hominum naturam mutant.

mare poteſt. Sed vt rem omninò teneatis, ſcitote, Aſtronomiã ac Aſtrologiã talia prædicere ac prædicere etiã poſſe. Sed nõ, quo modo alij iudicant. Dicunt enim Marti hanc eſſe naturam, illam Lunæ, aliam Veneri, Saturno, &c. Et ſecundum hoc ſua præſagia condunt. Vbi tamen falluntur in hoc, quòd putent, Stellas ipſas huiuſmodi virtutibus pollere. Non enim Stellæ, ſed Spiritus hanc proprietatem habent, ſiue Luna ſit, ſiue Mars, &c. Quicquid enim ſtellis tribuunt, Spiritus operatur: cùm interim illi & ſibi & aliis perſuadeant, cœli motum eiuſmodi euentuum cauſam eſſe. An verò non ſatis cautè ac dolosè Diabolus Aſtronomiæ & Aſtrologiæ ſeſe inſinuauit, vt paſſim iam pro ipſis ſtellis habeatur? ac ſuper ipſo iudicia ac Natiuitates, &c. conſtituantur? Nec ipſe propiùs ac penitiùs introſpiciatur ac noſcatur?

Aſtrologi taxantur.

Sed vt tractatui huic Colophonem imponã, ſcire vos velim, Diabolum artem hanc compleuiſſe, hoc modo. Illa primò in verò ac genuino vſu perſtitit. Cùm verò nimis ſuperſtitiosè de illa homines ſentirent, cœpit & ipſe Diabolus ſtellis ſeſe immiſcere, ſuamq; nequitiam inſerere, & Aſtronomiam, Aſtrologiamq; latiùs extendere, docendo & inſtituendo homines. Ita enim ſuis aſſeclis præcepit, ſi infans tali cœli adſpectu natus prodiit, dicite, hanc ipſius ſortem, hanc fortunam fore. Et licèt iſta ſtellarum quidem natura non ſit: ipſe tamen, illi me inſeram infanti, ipſum moderabor ducamq; & faciam, vt pro artificibus veris habeamini. Item, ſi Mars hanc domum intrat, Luna illam, &c. ac eò vſque aſſcendat, &c. dicite, coniunctionem ac aſpectum hunc illúmue facere, vt infans belligerare, furari, mentiri cogatur. Talis verò natura Stellarum non eſt, ſed eſt Spiritus. Et tamen hi ſuos artifices artem ita valere docuerunt. Cum enim & velint & poſſint eò malitiæ infantem deducere, ars ipſorum certa fit. Quicquid enim euenturum prædixerunt, id confectũ dat Diabolus, ne miniſtros mendaces faciat. De Preſagiis ergo iam iterum ita conſtituendum eſt, quòd prædictionum fundamentum in tribus conſiſtat: *in Deo, in ſpiritibus, in Natura.* Singulorum autem quæ ſpecies ſint noſcendæ, in ſequentibus tradetur. Hoc in genere notandum, Diabolum in ſingulis generibus ſuos fucos immiſcere. Sic enim & Pſeudoprophetas excitat, veris oppoſitos. Poteſt præſagos in Spiritu producere, ſed & ipſos falſos. Poteſt in Naturalibus artifices creare, ſed & hos adulterinos. Adeoque is fraudibus eius omnia contaminat. De futuris ergo temporibus nihil ſtatuendum, nec de ipſis ſollicitè inquirendum eſt. Quæratur potius, illis miſſis, regnum Dei, & ipſius iuſtitia, & cuilibet diei ſuum malum relinquatur: ita fiet, vt ab omnibus eiuſmodi fraudibus liberi & ſecuri ſimus. Quòd ſi ſpreto hoc conſilio omnino futurorum præſcientiæ inhiabimus: illa in veritate haud dubiò experiemur. Etſi enim, talia fieri, ipſa natura non faciat: Diabolus tamen per Spiritus illa exequitur, ne quid præſagiis decedat, ipſique locus & occaſio in homines intrandi pateat. Quas artes ſi miſſas faceremus in homines irrumpendi ipſi anſam precideremus. Quod ſi enim vi ac apertè in homines intrare poteſt, ad ipſos obſidendos: prædicto modo vtique poterit idem etiam occultè. Deſiſte ergo Phariſaice nequam, ac eiuſmodi artes longum valere iube. Suam enim cuilibet diei curam eſſe ſatis eſt.

Aſtronomiæ cur ſe Diabolus inſeruerit.

Preſagiorũ fons triplex.

TRACTATVS II.

De Sortilegiis, ſcilicet, Geomantiâ, Pyromantia, Hydromantia, & Necromantia.

QVadruplices hæ artes hoc fere modo inuentę & conſtitutæ ſunt. Quoniam Spiritus præſagi, cum hominibus nequeunt, nec viſibiles illis fiunt, &c. commento artium in imaginatione hominum, irruperunt, & in illis Geomãtiam, Pyromantiam, Hydromantiam ac Necromantiam ſuſcitârunt, artes inquam non ex ipſo hominis aut naturæ lumine inuentas, ſed à ſpiritib. inſtillatas, qui fraudibus ſuis, poſtquam vnum aut alterum inuentorem ſibi idoneum diſpexerant, poſtmodum his aptos diſcipulos quoque addiderunt, illarum cultores & admiratores. Et ipſi quidem inuentores primi à Diabolo obſeſſi, vi & inſtinctu ipſius artes eiuſmodi excogitârunt & conſtituerunt. Sunt quidem, qui rem velantes dicant, à Deo, aut Angelis illas datas eſſe. Sed falluntur. Nec enim futurorum ex his artibus inquirendorum Deus Auctor & Doctor eſt, qui nos haudquaquam creauit, vt futurorum notitiæ imcumberemus, ſed iuſſit potius, vt in mandata ipſius directi, doctrinam ac voluntatem manifeſtatam exequeremur. Falsò itaque has artes ex Deo eſſe prætenditur, cùm à ſolis ſpiritibus promanent. Hoc quidem verum eſt, à Deo ipſas hauſiſſe Spiritus, non à Diabolo. Nos tamen interim in terra ex Spiritibus, non ex Deo illas habemus. Communicatio quidem illarum ſpiritibus prohibita eſt, ſed ipſi mandatum negligunt. Vt enim ab hominibus, mandatum coniugium, non ſartum tectumque tenetur: ita & ſpiritibus imperatum eſt, ne artes illas docerent homines cui, tamen iuſſui morem non gerunt. Et hæc cauſa eſt, cur illi obmuteſcant & mentiantur cùm omnium minimè deceret. Ergo vt inobedientes ſeſe præſtarent Deo, & in ſuperſtitiones homines innaſſarent inquirendo futuros euentus prædictas artes quatuor commenti ſunt. Geomantia eſt ars punctorum, cum ſedecim ſignis & figuris, quas iuxta ſuam proprietatem collocârunt, quaſi ita Naturæ conuenirent. His addiderunt tranſlationes, Cretam, Formam, puncta & ſimilia, totamque figuram erigere docuerunt, & certas regulas conſtituerunt, quo nempè modo figura quælibet in ſuo domicilio intelligi & cognoſci debeat, cum interpretatione ſufficienti & neceſſariâ. Modus talis eſt, vt manum ducant, & puncta delineent, donec iudicium fiat de re propoſitâ. Spiritus autem memoriter ſciũt quot puncta equirantur, vt figura fiat, quæ rem indicet. Quòd ſi rectè manum ducat, ipſa quoq; figurâ proba & recta eſt. Exemplum. Dicere fingar ego ita: Quidam ante fores ſtat: reſponde mihi, qualem tunicam gerat? Pone itaque ſeptem colores, quorum cuilibet ſignum Geomanticum appone, & figuram illam quære. Hîc quod ſignum cadet, is color eſt. Ego autem, ſi quiſnam color eſſet, ſcirem,

quod

Sortilegii ſpecies à Diabolo inuentæ.

Sortilegii inuentores à Diabolo obſeſſi.

Sortilegii ſpecies quomodo et Deo.

Geomantia quid.

Geomantiæ quis modus.

quod tu nescires, tuamque manum ita ducerem tot puncta in vnam lineam constituentem, vt in delendo seu abstergendo remanentem, vt non caderet color rubeus, & tunica ipsa rubea sit: iam respondes, tunicam esse rubeam, & verè ais. Ego autem iam antè id scieram, manumque tuam ad puncta illa direxeram. Hoc ipsum similiter faciunt spiritus omnibus in figuris. Et cum omnia sciant, figuras describere manumque tuam ducere ipsis facile est. In ducenda enim manu rhombus omnis positus est. Hâc ratione Geomantia nata est. Huic porrò etiam superstitiones multæ ab hominibus additæ sunt, vt ipsa augeretur, nimirum tales: Fac id claro & sereno cœlo existente, aut sub noctis quietem & silentium. Item, pro teipso nihil molire. Item hanc priùs precationem dic, & benè ominare tuo labori, &c. Hæ omnes sunt superstitiones humanæ. Nec enim ex quo fundamento dependeat ars, nôrunt. Hinc artem augent. Tam ars autem quam superstitio eiusdem momenti est.

Geomantiæ ab hominibus aucta.

Geomantia, vt in initio dictum est, ita constituta est, vt Ascendens sit duplex: Naturalis & Spirituum. Naturalis artem suam habet, nempe Astronomiam. Spiritus suam habet Pyromantiam. Itaque si Natiuitas constituatur ex stellis, ea Astronomicè erecta est. Si facta est secundum spiritus, est Pyromantia. Hæc autem Pyromantia est, quod spiritus cum Ascendente consertus, infantem ducat in scortationem, furta, mendacia, &c. Et vt ars emergeret ac succederet, Astronomis illi insusurrârunt: Si coniunctio huius aut illius stellæ fiat, dic, hoc aut illud euenturum esse, non quòd ipsa natura talia sit factura, sed ego, qui id curabo. Sic, si hæc aut illa sit coniunctio aspectúsue, vbique ego præsens talia confecta dabo. Sic nemo sciet, me talia facere, omnisque mundus effecta ipsius stellis imputabit, aut elementis. Hoc modo fiet, vt plus intendant in stellas Homines, quàm in Deum. Hoc astutum Diaboli molimen est. Idem autem hic euenit, quod Astronomo, quem naturalis prædictionis peritum, ergo plura alia supra Astronomiam docere vellem, & tamen prætextu isto meipsum venditare satagerem. Improba namque opera ista arte velanda sunt. Quòd si enim dicerem, si coniunctio talis vel talis fit, dic tu: Hoc tempore ille pulsabitur, ista domus exuretur, hoc vel illud fiet, ars certè suum successum haberet, si post prædictionem alterius ipsemet ego accedens, prædicta mala omnia patrarem & designarem. Eodem namque modo cum stellis agitur. Effecta enim talia ipsi spiritus operantur, vt ars successum habeat, hominesque in mendacia & defectum rapiantur, & phantasmatis inanibus intenti, veri Dei obliuiscantur. Artes namque eiusmodi subinde magis magisque arrident & vltrò blandiuntur. Et si inter prædictiones viginti, semel tantùm effectus consequatur, inescati homines ab inquirendo non desistunt, donec etiam cætera 19. mendacia compleuerint. Interim à spiritu ipsis illuditur, vt ad verum penetrare fundamentum nequeant. Spirituum enim proprium hoc est, vt mentiantur. De fundamento ergo, quo ad ipsos, actum est. Iam hoc, iam illud deficit: iam culpa est *Mansionis*, iam *Exaltationis*, &c. Et in hac disciplina aliquot millenis desudantes annis homines, veritatem tamen, ne dum quidem inuenerunt, vt quæ inueniri non potest. Fundamentum namque vniuersum in mendaciis positum est. Hâc itaque ex causâ Astronomia vocatur Pyromantia, si Pyromanticè ita procedit operando.

Geomantia quid & qualis.

Pyromantia & Astronomia vt differant.

Pyromantiæ impostura & incertitudo.

Spirituum proprium mentiri.

Spiritus iidem in Elementum etiam tertiũ, hoc est, in aquam, sese ingesserunt. Geomantiam enim à terrâ denominârunt, quasi ea ex naturâ terræ oriretur. Nec malè. Nam & terra proprium suum Cœlum ac Astra habet. Spiritus autem, qui Pyromanticè cognoscendi sunt, eadem commenti sunt. Sic & spiritus qui in cœlo seu firmamento versantur, Pyromantiam excogitârunt. Eodem modo & in Elemento Aquę Astrum est, in quo spiritus Pyromantici habitant, qui Hydromantiam excogitârunt, temporib. potissimùm Græcorum, qui in omnia mendacia facilè adduci potuerunt, & promptè sese spiritibus subiecerunt. Porrò *Hydromantia* quoque ars est, constans ex figuris, signisque, cum vniuersâ cœli figurâ cõuenientibus. Huius processus talis est. Accipe *vas seu peluim* aquâ plenam, eamque depone. Eâ positâ & quietâ, attende ad fluctus eius, quò vergant: item ad tremorem, ac quietem, ac bullas. Quatuor hæc, quatuor figuras faciunt: quatuor hæc figuræ dant duodecim. Iam ars ergo, vt esse debet, constituta est. Ad figuras autem regulæ & similia alia condita sunt. Si figura ita se habet, tale vel tale est. Hîc autem nihil fit ardui. Ipse namque spiritus mouet bullas, facit tremorem, concutit sedatque tardiùs vel ocyùs, prout necessitas signorum requirit, vt emergat figura indicans id, de quo quæsitum est. Qui ergo fauentes spiritus habet, quibus non multa prohibita sunt: hi boni in artibus sortiarij sunt. Contrà sortiarius malus est qui spiritum mutum & mendacem habet. Nam & inter spiritus alius alio magis mutus ac mendax est. Cùm ergo sortiarius vnus altero certior dicitur: non hinc fit, quòd ille peritior sit altero: sed quòd certiorem spiritum habeat. Nam & in hoc ipsi spiritus sibi gratulantur, si vexando & eludendo homines faciant, vt sibi inuicem inuideant, sese mutuo odio, contemptu & improbitate prosequantur. Id enim apprimè moliuntur. Quòd si homines rem oculatiùs introspicerent, ipsumque artis fundamentum accuratiùs expenderent, mera certè spirituum ludibria illam esse, planè viderent. Et si quidem artes eiusmodi ad summum conscenderint: quid vtilitatis aliud conferunt, quàm pœnitendam temporis iacturam, & lasciuam quandam prædictionem, ad nihil quicquam vtilem. Quicquid autem ad summum conferunt vtilitatis: quisnam id quæso vtile dicere possit? Pono namque, me vxorem ducturientem, consulere præsagium, quis ipsius exitus futurus sit. Etsi verò respõsum accipiam, incertus tamen primò sum, an id ita verum sit. Deinde dubitandum est, an Diabolus ea præstiturus sit, vt prędictioni satisfiat. Et fieri potest, vt æquè

Pyromãtiæ Geomantia, &c. quib. sæculis excogitata.

Græci mendaces. Hydromantia quid & qualis. In hydr. quæ obseruãda.

Spiritus alii aliis mendaciores.

æquè mentiatur, ac verum dicat. Denique, quicquid id sit, quid me id iuuerit? Si enim hanc quidem effugiam: malum tamen in altera cudetur, & sic consequenter. Nihil ergo quicquam eiusmodi artibus tribuendum aut fidendum est. Nam ipsum fundamentum falsum, & ex mendaciis constructum est.

Hydromantiæ nihil fidendum.

Necromantia quid & qualis.

Præter dictas tres artes enata etiam est *Necromantia*, hoc est, ars aëris. Et licèt, quid *Necro* sit, aliter ab aliis definiatur: hæc tamen explicatio genuina est, quod sit *ars Vmbrarum*: quia in aëre præter vmbras nihil inueniunt, & ex ipsis vmbris talia cognoscuntur. Etsi autem hæc ars varia & multiplex sit, visibilis tamen adeò est, vt res ipsis oculis conspiciatur. Nonnulli noctu in aëre figuras vident, sicut in cœlo interdum figuræ apparent, aliquid signantes. Ea est *Necromantia*. In aëre aliquando homines etiam versari videntur, aut audiuntur fragores armorum, &c. Quandoque etiam in aqua mirabiles vmbræ conspiciuntur, velut & in crystallo, perspicillis, speculis, & vngue pollicis, &c. Quorum omnium hæc ratio & causa est, quòd quæ spiritus proponere volunt, ita exhibeant, pro suo arbitrio, vt cuiuslibet oblectationi in hoc aut illo sese commodent. Fundamento autem eiusmodi homines eludunt, vt persuasum habeant, spiritus aut precibus alliciendos, aut vi & coniuratione cogendos esse, vt talia monstrent & exhibeant, cùm tamen ea mera superstitio sit, Dolosè enim persuasum est hominib. ipsos per Deum spiritus cogere, vt hoc vel illud faciant. Nemo interim cogitet, quantopere id Deo displiceat, quod circa ineptias eiusmodi occupemur. Et spiritus ipsi in sinu suo gaudent, quòd aduersus Deum cum ipsis ita colludamus. Huc etiam putantur necessariæ preces, coniurationes, ieiunia, & ceremoniæ aliæ, quæ aliò non faciunt, quàm vt superstitionib. velo sint. Discuntur etiam variorum verborum pronuntiationes, quæ nauci & nihili sunt, nec spiritus illis nominib. vocantur. Etsi enim cuilibet suum peculiare & discretum nomen sit: aliis tamen ac aliis sese nominibus inuicem salutant, ac ita ludos homines faciunt. Vmbrarum autem ea ratio est, vt quicquid in figura vel imagine conspicitur, tale putandum sit. Cui iam spiritus fauent & bene volunt, is multa videt. Sin minùs, parùm aut nihil videt. Mirum interim non est, spiritus eiusmodi facta patrare. Si enim permitteret Deus, in medio nostri versarentur vtique, eòque nos pertraherent, vt deserto Deo toti in ipsos intenti & directi essemus. Ludos itaq; suos & comœdias hominib. hoc fine exhibent, vt per illas oblectati, Dei veri obliuiscamur. Quod si, quicquid toto anno exhibitum est, attentiùs intuemur, meras nugas fuisse intelligimus, vsu & fructu omni vacuas, nec non corruptelas corporis & animæ, & sanitatis, & bonorum, & laudis, & honorum: denique putidas seductiones & fraudes, artesque, ex radice mendaciorum ipsâ ortas ac enatas.

Auguria qualia.

Augures.

AVgurum præsagia naturalia sunt, deprompta ex congenitâ naturâ eorum, de quibus augurantur. Sed & his spiritus sese immiscuerunt, postquam animaduerterunt, ipsis homines intendere, ac veritatis etiam, aliquid concurrere. Hanc autem veritatem contorquere & adulterare, omnino annisi illi sunt. Hinc auguria sunt duplicia. Naturalia scil. & vaticinalia spirituum. Naturalis ars certa, nunquam aberrat. Spiritualis autem sæpè mentitur, vt spiritus solent. Primò autem de Auguriis naturæ tenendum est, ea esse multiplicia. Pauo intempestiuè clamans, significat moriturum esse aliquem in ea domo, in qua versatur. Talia multa sunt, ex ipsâ naturâ, nec aliunde deprompta. Sicut enim vulturi Deus hanc vim indidit, vt cadauer etiam vltra mare spectare queat, & ad spectatum illud clamitet: ita pauoni quoq; ea congenita natura est, vt cadauer futurum ibi, vbi moratur, præolfaciat. Sic & corui instinctu naturali latentem adhuc nec dum erumpentem pestem clamore produnt. Ad voces huiusmodi qui attendit, easque per experientiam distinguit, is pestem, punctiones & pleureses, &c. prædicere potest venturas, etiam nondum præsentes. Et hoc omne naturale est. Auibus enim ista presciendi facultas data est, quæ scire nequit homo, de quo tamen agitur. Huius generis multa sunt, quæ explicari vniuersa non possunt. Nec enim vt arbitrantur nonnulli ea superstitioni coniuncta sunt: sed modo naturali omnino eueniunt, ipsâ naturâ ita operante & dictante. Et cum sensus à Philosophis 5. ponantur *visus, gustus, olfactus, auditus, tactus*: sciendum est, eos in animalibus præstantiores & acutiores omninò vigere. Sic noctua de nocte acutiùs videt, quàm aues cæteræ interdiu. Vultur odoratus sagacissimi est. Talpa auditus exquisitissimi est. Et simia venarum pulsum, seu motum arteriarum quouis homine subtiliùs sentit & discernit: & si mortem aut morbum putridum sentit, sternutit. Psittacus gustu precellit cæteris animalib. omnibus ad eligendas pro sanitate res secundum horas & tẽpus, quo quælibet optima sit. Quantum ergo ad res 5. sensib. nimirum visu, tactu, auditu, gustu, & odoratu perceptibiles attinet, de iis seorsim animalia, quodlibet pro suâ naturâ, præsagire possunt. Quæ si diligẽti obseruatione notentur: ex quibuslibet, quantũ quidem experientia docet, iudiciũ rectum fieri potest. Et hęc supernaturalia esse nemo asserere possit, cum modo & impetu omnino fiant naturali. Quinq; enim ipsa latè patent, & signa multò plura dant, quàm de animalibus credi possit. Attamẽ mirabilis in suis operibus Deus est, quæ in natura edidit. Vnde ipsius etiam naturę cõsideratio magni momenti est. Docet enim illa ex rebus istis arduas prædictiones futuræ pestis, bellorum, & aliorum, sicut de his alio testatur loco. Philosophia. Præscientiæ huiusmodi seu pręsagij porrò sunt etiã spiritus pleni, qui, in sensibus quinque prædictionem excitant, non dissimilem illi, quam ipsa depromit natura. Itaq; coruos illi clamare faciunt, dum ipsis instar cadaueris apparent, quo decipiant ita Augures, vt putent, coruos ex instinctu naturæ tale quid præsagire. Et per ipsam experientiam constat, quod clamores illorum tales, talia sequantur, si naturales illi sint. Sin secus, non eueniunt talia. Quâ de causa natura illa, quam aui DEVS indidit, contemptui est. Et quoniam contemnitur creatura, ipse etiam eius creator vnà despicitur. Hinc tale euenit. Hoc non de coruis saltem verum est, sed

Augur. duplex.

Auguria naturalia variant. Vultur odoratu cadauera etiam distat. Pauo & coruus peste & mortes præsentiunt.

Sensus quinque in animalibus præstantiores, qui in homine. Noctua visu: Talpa auditu: simia tactu: Psittacus gustu pollet.

Dei opera mirabilia.

Naturæ consideratio.

sed & de quolibet animali alio, quod quæuis terra fouet. Nulla etenim regio eiusmodi præsagiis caret: hoc est, quæuis regio tot animalia, cen aues, &c. alit, vt semper aliquid noui emergat, quod oculi videant, aures audiant, nares olfaciant, lingua gustet, digiti tangant.

[illegible]

His enim patefit omne, quod terræ illi necessarium est. In omnibus autem etiam spiritus existunt, qui casibus studiosè intendunt, vt, si liceat, illos peruertant, ne fuco & fraude careant. Factu hoc autem facile est, vt animalia, quibus conuersamur, sedulò obseruemus, ac qualianam sint, ex cōsuetudine quotidianâ discamus & pernoscamus. Deinde etiam, quænam mutatæ consuetudinis ratio sit. Porrò ipsa experientia docet, quousque scientia ista extendatur. Nam hoc seriò tenendum est, nullum omnino animal existere, quod certum præsagij genus non edat, vnum scil. hoc, alterum aliud, &c. Et hæc inter sese sedulò discernenda sunt, ac vnūquodlibet ad suum præcisè genus referendum, non ad aliud. Confusioni autem huic spiritus omnium maximè student, ita, vt, quæ pauonum, passerum, picarum, cygnorum, &c. propria & peculiaria sunt, eadem ad canes & feles illi detorqueant, hoc est, vt ibi quærantur, vbi non sunt talia. Sic quæ coruorum sunt, ad picas deriuant. Et quæ picarum sunt, ad passeres conuertunt: vt nimirum in Auguriis nihil certi sit, sed erroneè omnia eueniant. Certa sua Auguria etiam equi habent, qui ante se oberrātes spiritus, sagas & spectra, & similia alia odoratu ac visu persentiscunt. Eadē & canes instar equorū, cùm audiunt, tū vidēt, sed nō odorantur. Ex gallinis præcipuè gallus per somnū talia omnia audit, non odoratur, non videt. Sicut enim diabolus insidiatur homini ita: etiam animalibus, quibus homo vtitur ad suum curandum commodum. Nam & hæc ille lædere quærit. Sic si insolito & insueto tempore volucres aut adueniunt, aut abeunt, secus, quàm pro consuetudine: iam hoc iterum certi præsagij vim habet, quod confirmat euentus. Præsagij loco sunt etiam peregrinæ aues, raræ nec antea visæ. Eadem omnium animalium ratio est, quorum natura ac proprietas sedulò ac accuratè ab homine discenda & pernoscenda est, ne seductione suâ spiritus quoque se illis permisceant. Huius classis ea sunt etiam Auguria quando ingens piscium multitudo visitur aut capitur. Id enim rapidæ sæuæque pestis signum est. Causa hæc est: quod Epidemia quæuis à fœcundis annis incipiat. Nam si quis ægrotaturus sit, opus est, sanitatem prius elidi & exigi. Ita Æstas non appellit, nisi prius dissoluta nix sit. Eodem modo Epidemia etiam incumbens, seu futura omnem prius fœcunditatem extrudit ex arboribus, fructibus, piscibus, &c. In quibuscunque enim creaturis illa latet; extruditur, sicut ab æstate extruduntur flores. Ita elisis & expulsis omnibus viribus, nihil reliquum fit, quod influentiæ aduersetur. Tunc influentia pleno dominio grassatur, & impetu suo quoquouersum proruit. Inter sanitatem namque & morbum lucta est seu committitur ab vtraque influentiâ, quarum alterâ vincente, alteram migrare oportet. Emigrans, autem priùs quàm omnino cedat, quicquid in se boni continuit, id protrudit & expellit, nō secus, ac, si quis hostem suum fugiens, prius è domo effert, quicquid commodum & volupe est. Idem etiam naturæ ingenium est. Quæ si futuram epidemiam prouidet, ac præsentit, annos vltra regionis morem fertiles & vberes præmittit. Viribus ac succis omnibus exhaustis, corpora supersunt vacua & inania, vt nihil amplius resistentiæ habeant. Hâc de causa epidemia irruit & vincit. Sic ingens piscium congregatio, futuri mali signum est, velut etiam multi sese inuicem consequentes anni fœlices & fœcundi malum aliquod denuntiant. Vnâ enim seu plurib. vicibus omnia ita exhauriuntur, vt ob infirmitatem nihil resistere possit. Succo enim & virtute simul ac confertim decedente, corpus ad minimam imbecillitatem ducitur. Vnde fit, vt Auguria huiusmodi certa sint. Sic, si niues solito frequentiores & vastiores cadant, aut æstates insitatæ & inauditæ flagrent, aut venti mōnstrosè impetuosi perflent, aut magnę aquarum inundationes & similia alia fiant, qualia aut nunquam aut perrarò acciderunt: ex illis præsagiendum omnino est, ærumnas, miserias, sterilitatem, famem, pestem, bella, &c. haud dubiò incumbere ac impendere. Ista enim omnia vberiùs æquo exundant, & in fœcunditatem effunduntur, vt virtutis superstitis nihil retineant. Idem hîc accidit, quod illis qui laboribus nimis longis ac validis fracti, concidunt tandē, & ad recolligendos sese dierum aliquot requie ac otio indigent. Hi enim ita defatigati ab hoste facilè vincuntur & obtruncantur. Nam ad euitandam ac reprimendam pestem, robore nō languore opus est. Quæ huius generis sunt, omnia pro Auguriis habenda sunt: quæ hîc singula describi, opus non est, nisi eatenus, vt ex illis, quidnam Augurium sit secundum naturam, & modum spirituum, planiùs cognoscatur. Quæ enim indicia natura prodit, leuis momenti non sunt, sed in omnib. magni æstimanda: non quòd illa nos scire, necesse sit: sed vt nobis admonitioni sint & prædictioni. Nihil enim ibi est, quòd nobis accidit quod non indigeat aduersione & commonefactione. Nec illa ad animæ quidem salutem faciunt, sed tamen ad cognitionem naturæ, vt ipsius opera motusq; rectiùs nobis patescant. Quæ omnia in Philosophia probè traduntur & explicantur, veluti etiam causæ aliæ variorum euentuum panduntur.

Spectra sentiuntur ab equis, canibus, gallis.

Pestem omnem præcedit terræ fecunditas &c.

Piscium magna congregatio quid portendat.

Diuinatores.

FVndamentū diuinationis à cæteris auguriis ita dinstinguendū est. Si quis vaticinetur aut prędicat quid non ex fundamēto certo, quod id ita euenturū sit, sed in omnem euentū quid eloquatur, id diuinare est. Hoc prædicēdi genere vtuntur scioli & arrogantes quidā, qui suā artem ac scientiā hominib. eo fine vēditant, vt soli in omnibus sapere videantur. Sic Medicus præsagire potest, ægrum hoc aut illo die moriturum, nec diutiùs superstitem futurum. Hîc fieri potest, vt æger diutiùs superuiuat. Si moriatur, gloriari iam potest Medicus, tempus id sese dudum prædixisse. Hoc diuinare est, nempe prædicere aliquid, vt quandocunq; id fiat, iam prædictū dici possit, quod secundum præsagium omnino ita euenerit. Iam diuinatio quidem ex certis signis, artibus ac indiciis procedit: sed tamē diuinatores

Diuinare quid.

Diuinatorũ quæ genera.

natores experientiæ satis non habent, nec omnia nôrunt. Et licet ex reb. quidem naturalibus suas prædictiones hauriant, seseq; scire arbitrentur, experientiæ tamen nimis parum habentur. Ponamus nimirum, ex Astronomiâ quendam certò præcognoscere, hoc vel illo tempore pluuiis cœlum turbidum fore. Is licèt non supputet secum an etiam quid intercidere impedimenti possit, id tamen ita affirmat. Si iam à longo tempore accidat, vt pluat, iam is dicit, se ante aliquot septimanas pluuias prædixisse. Sic qui Medicus inspiciendæ vrinæ peritiam habet, is si illam nigram videt, mortis signum censet ac liberè ita profatur: Quicquid vltra triduum ederit æger, id omne ego soluam. Si iam accidat, vt vrinam nigram sanitas sequatur, nec æger moriatur ac nigredo diuturnæ vitæ signum sit: præsagium Medici in ventum abit. Si autẽ post triennium moriatur, Medicus ait: sic fore prædixerã, & ægrum moriturum diuinaueram: quanquam procrastinatio illa mihi admirationi sit. Huius generis sunt etiam diuinatores, qui ex auguriis fiunt, aliquam quidem scientiam habentes, sed illam non ex fundamento promptam. Scientiæ enim ac peritię suæ quandam persuasionem habent, sed iuxta tamen tenuem rerum experientiam sibi compararunt. Sic si aues præter solitũ morem sese gerant, noui quid secuturum præsagiunt. Hoc quandocunq; fiat, ita nimirum ingeminant: Sciebam equidem noui quid euenturũ esse: cum id præsagierim ex auibus, quarum mihi certa cognitio est. Sunt etiam diuinatores ex sortilegiis. Qui si ex Geomantiâ aliquid præuident, id diuinant. Quicquid iam eueniat, id se predixisse asserunt. Ex hoc diuinationis genere concinnantur practicæ calendariorũ, quæ quotannis eduntur, in quibus si bellum pronunciãt, quandocunq; id etiam inter duas vetulas, committatur, id se diuinasse gloriantur. Ratio eadem est etiam pacis, grandinis, pruinæ & tempestatum cæterarum, quæ omnes meræ diuinationes sunt. Eiusmodi enim quid euenturum sciunt quidem: sed quando, aut vbi, & quã ratione euenturum sit, id ignorant. Vniuersim ergo tale quid futurum prædicunt. Postea quicquid euenerit, id secundum sententiam ipsorũ euenit. De diuinatorib. ergo hisce ita statuendũ est, ipsos fundamentum, ex quo diuinent, non habere cognitum. Licèt enim se aliquid scire & intelligere arbitrentur: ipso tamen fundamento & experientia destituti obiter tantùm & perfunctoriè diuinant, sicut missarius legit missale.

Vrina nigra signũ mortis.

Naturales.

Præsagi naturales certi sunt.

QVi ex ipsis rebus naturalibus præsagiunt, hi rem certò ac ex fundamento nôrunt. Nec enim ex seipsis, sed ex intima naturã præsagiunt, quæ talia certò exhibet ac indicat. Huius eadem ratio est, quæ Prophetæ, qui prophetatur, non ex seipso quidem, sed ex Deo. Iam Prophetam talem, virum esse veracem, nemo affirmare possit. Quicquid enim præsagit, ex se non loquitur, sed ex Deo. Vnde colligitur ita potius dicendum, Prophetam hunc Deo esse charum, quia per ipsum Deus multa enuntiat. Sic debita gloria defertur ipsi Deo. Eodem modo & qui ex natura loquitur, præsagij laudem sibi adscribere non debet, cum illa deferenda sit naturæ, quæ de futuris presagit. Ita æstatẽ præsagimus ex gẽmis & florib. arborũ. Quib. spectatis iã æstatem appropinquare, predicere possumus. Antequã verò eiusmodi prorumpant, de æstatis præsentia prædicere nihil possumus. Itaq; ex nobismet nihil vspiã cognitum habemus, nisi id suggerat natura. Etsi enim secundum dimensũ temporis colligere possim, æstatẽ hoc quoq; huius anni tempore aduenturam, quia quotannis redit: id tamen ideò incertũ est, quia, quando & quodnam eius initium futurum sit, ignoratur. Naturale ergo præsagium ex natura ipsa procedit, cuius certitudinem nobis ipsa experientia firmat. Sic si in Sole Eclipsis fiat, malum quoddam impendere, per experientiam notum est. Hinc iam præsagire possumus. Ita etiam si per varios cœli motus alia quoq; in cœlo contingãt. notũ & compertũ nobis est, quod stellæ cœli similes sint arborib. terræ, fructus suos in terram effundentibus. Pluuiæ enim, nix, pruina & tonitru, &c. stellarum fructus sunt, ex ramis illarum enati, & in terrã excussi. Iam, si, qualesnã in hoc cœlesti horto arbores sint, cognitum habuerimus, ipsarũ quoq; fructus omnino nouerimus. Fructus ergo dari solitos per experientiã cognoscimus, quos aliàs nossemus minimè. Sic enim pyrũ arborem ex pyro fructu primùm cognouimus, non pyrum ex arbore, quod ita experiẽtia docet. Idem & de cœlo iudicandũ. Porrò autem iam ipso horto cognito, processu temporis etiã per ipsam experientiã discimus, qualis sit ipsius messis aut autumnus &c. imò totus annus futurus. Ex quib. omnib. verè & rectè presagire possumus. Sic enim ex magnæ experientiæ euidentia in rebus naturalibus procedimus, quæ experientia ob diuturnitatem temporis facta est ars. Ars namq; quælibet ex experientia oritur. Et experientia artium omniũ limes primus ac fundamentum principale est. Quòd si enim, niuem nunquam vidissemus, quis nobis, an ea nigra vel viridis esset, vtiq; diceret? Ab oculis ergo discendũ est, & ipsa scientia eruenda. Et nisi magistrâ experientiâ subindè vtamur, solidi & certi nihil vtiq; cognoscemus. Præsagia ergo naturalia nõ sunt, nisi ipsius naturæ indicia. Huius index tantùm homo est, sicut rusticus messẽ aut autumnũ sui horti prædicit, quod quidẽ per experientiam longam & diuturnã ipse didicit. Per experientiam similem ipsum quoq; cœlum explicatur, & quæ futura sint, ex ipso predicitur.

Præsagia naturalia per experientiam confirmantur. Stellæ sic arbores cœlestes, ita & ipsarum fructus.

Experientia est mater omnium artium.

Eiusmodi omnino pręsagia etiam in medicina contingunt, quæ scil. per experientiam (sine qua præsagia nihil sunt) stabiliuntur. Hinc est, quod dicunt, hominem hunc futurum Hydropicum. Hic namq; ante omnia sciendũ est quidnã hydrops sit: Deinde qualisnã eius generatio sit. Morbus etenim quilibet fructus est mortis. Hoc ita intellige. Arbor hyeme exarescit, & nudatur foliis. Vere appellente, eadem protrudit primò gemmulas, posteà folia, deindè flores, denique fructus. Iam quæ arboris, eadem & morbi cuiuslibet conditio est. Primò morbus aridus est, vt arbor per hyemem. Hoc tempore homo nulla infirmitate occupatur. Quòd si verò mors appropinquat, sua illicò signa exhibet. Primò enim protrudit gemmas, postea folia & flores, donec omnium postremus fructus erũpat, qui

Morbus est fructus mortis.

Morbi & arboris collatio.

signum

signum est proximum & nouissimum. Hoc modo Medicus morbos ex ordine omnes nouit per signa, ex experientia deprompta quorũ vi & pondere edoctus, verè dicere potest, hunc hominem fore Ictericum, illum Apoplecticum, istum paraliticum. Æstas enim illa, in qua mors est, erumpit, & flore suo indicat, quò euasura sit. Ex eodem fonte Medicus etiam prædicere potest, hominem euasurum sanum. Signa namque sanitatis, hoc est, sanitatis æstatem videt erumpere cum suis ramulis, foliis, ac fructib. sicut & morbus iisdem se prodere signis solet. Et hæc vniuersa sunt naturalia ex ipsâ natura petita. Nec enim ex arte vlla alia fons præsagiorum eiusmodi emanat, quàm quem ipsa natura constituit. Eiusmodi enim si aut ex sortilegiis aut auguriis petantur, malè actum sit. De his namque quicquid ipsa natura suggerit, sciendũ Medico & attendendum est. Et turpe futurum sit Medico, si naturalium præsagiorum imperitus, ad Auguria ac sortilegia, &c. diuerteret, & ex illis præsagiendi vim hauriret.. Quinimo fas est, vt præsagium quodlibet, ex certa definitaque sua professione & facultate, aut vernacula scientia procedat. Hoc enim facto prædictiones veræ & certæ fieri possunt. Artes autem extraneas immiscere ac confundere, mendacia & imposturas comminisci est. Adde quod probrosum sit Auctori, professionem suam perfectè non scire, & extranea alia consulere velle. Nam, vt ad exemplum priùs redeamus, ex lotio ægroti statum nosse conuenit Medico. Ex illo, iam si is nihil cognoscat, sed ad sortilegia, crystallos, perspicilla, Noboch & similia alia instar hariolorum confugiat, mendacem illum fieri, vtique necesse est. Desertis enim Naturalibus & Præternaturalia à veritate ad Spiritus, quorum præsagia iugiter mendacia sunt, diuertit. Cui etsi Spiritus quidem aliquid suggerant: id tamen pro vero enuntiare non audet, cùm tamen solidam & apertam ex ipsa natura exstruere prædictionem possit.

Medicus ... [illegible]

Noboch [illegible].

Præter iam comprehensam artem, sunt etiã præsagæ aliæ, quę & ipsæ fundamento veritatis innituntur. Quas priusquam explicem, de experientia tale iudicium attendite. Ponamus, quendam pilos rubeos alere. Hoc viso, dicere equidem possim: Cauete vobis ab hoc ruffo: ruffi namque persæpiùs me fefellerunt. Hæc iam experientia non ex ipsa naturâ procedit. Sunt enim impostores etiam ij, qui pilos alunt nigros aut alios. Proxima ergo est Chiromantia, quæ indicia promit de illius hominis natura, ingenio, moribus. Res enim quælibet pro suo modulo & dignitate constituenda est, aut necessitate. Sic si Natura Pomum arborem facit, exstruit in ipsa corticem, caudicem, medullam, ramos, &c. ac denique formam ipsi idoneam indit, velut & cætera, quæ formæ illi conueniunt. Idem in arboribus cæteris etiam molitur. Iam si in arbore, ista ita disponit & effingit Natura formationem vtique similem etiam in homine instituet. Vt verò certo inter se discrimine distant arbores ac plantæ: Sic etiam inter se homines. Et sicut certis suis signis vna arbor ab alterâ distinguitur: sic homo etiam per adhærentia illi signa discernitur. Sicut ergo dicere possumus, hæc est malus acetosa, illa est malus dulcis, aut hæc talis, illa talis arbor est: eodem exemplo etiam dicere licet, hunc illúmue hominem esse acetosum, dulcem, amarum, &c. aut, esse inuidum, infidum, bonum, malum, placidum, modestum, &c. Porrò, qui arte Chiromantica vti volet, hunc ipsum quoq; cognitione niti oportet, per experientiam ex natura extrinsecus depromptam firmata. Non enim, si quis manum lineâ vnica signatam habeat, & suspendatur, vel ferro transfodiatur, etiam alterum illicò, qui & ipse similem lineam habeat, eandem vitæ vel mortis sortem experiri necesse est: Siquidem illud non ex Natura, sed ex astris, constitutum ita est, quod huc non facit. Sed potius Chiromantiæ fundamentum proponendum est, vt si ita dicam: Huius manus tali vel tali linea signata est: Talis verò lineæ & Ficus, Anatomiam vnam & eandem habent. Illius ergo naturam ex fici coniice, & dic, ipsũ esse hominem mollem & tenerum, inconstantem mentosum, &c. Manus enim Anatomia cũ arborib. ac plantis comparari debet. Secus si fiat: nulla ars solida & verax constituetur. Eodem modo si manus alicuius linea & ductus assimilentur abieti, ipsum hominem dic esse crassum, durum rigidum, inconditum, malè moratum, bardum, &c. Sic si manus Anatomiam habeat persici illum hominem dic promptè irasci & efferuescere, sed facilè iterum mitigari. Item, non esse planum purumque, sed omnia ipsius verba, & gesta esse scrupulosa, hoc est, venenum in sese cõtinere, quod coqui non possit, aut frangi, sicuti nec nucleus vel os persici frangi facilè potest. Idem etiam de reliquis iudicium est.

Impostores.

Chiromantia vt exercenda sit.

Notã.

Vt de Chiromantia enim iam diximus, ita statuendum est etiam de Physionomia. Nã & ex hac præsagia Naturalia depromuntur. Quo autem illa à cæteris artibus discrimine distet, ita intelligi oportet. Pone nempe casum talem. Habeo in manu fragmentũ seu massam cuiusdã metalli vel mineralis. Ea signis variis & diuersis conspicua est. Horum enim alia ad hoc, alia ad illud, cętera ad aliud faciunt aut ducunt. Nec enim vnicũ tantùm signum adest, ex quo metallũ cognosci possit. Aliud enim signum est bonũ, latæ significationis. Aliud est malũ, & hoc iterum sui momenti. Aliud huc, aliud illuc vergit. Ad aspectũ itaq; multę & diuersæ significationis est. Idem similiter etiam in Physionomia euenit, in qua cõcurrunt & iunguntur Oculi, Nasus, Os, Buccæ, Frons & similia alia, quæ ad Physionomiã spectant. Iam si facies inspiciatur, pars eius alia bonũ indicat, alia malum, vna medium quid, signum vnum huc, alterum illuc vergit. Sic partes & signa in vno multa & diuersa sunt. Quæ compages, quidnam vult aliud, quam hominem secundum illa omnia & singula ex ordine iudicandum esse, an bonus vel malus sit. Fieri enim potest, vt bonus & malus, constãs aut incõstãs sit, non secus ac ipsum quoq; prædictum metallũ. Hoc enim & argentum fundere potest, etsi illius pauca signa exhibeat, & potest dare nihil, etsi suis signis multa polliceatur. Nam ita & facies præsagia mixta affert earum omnium proprietatum, quæ in homine qualescunque & quomodocunque lateant. Sic in minerali reperiuntur Arsenicum, Scoria, Aurum, Argentum & similia multa, vbi illud

Physionomia vt tractãda.

illud in igne excoquitur. Quòd si ergo ex Physionomiâ de homine aliquo decernendum est, coniungenda certè sunt illa omnia, quæ præsto sunt, & ad considerationem concurrunt. In necessitate verò & angustiâ talis vir est, aut talem se præbet, qualis sua natura est. In angustiis enim abdita omnia se proferunt & exerunt. Sic dicere solemus, Homo iste candidus & constans ac fidus est, sua promptè aliis communicans. Physionomia autem iam indicat, ipsum etiam mentiri, leuem ac inconstantem, infidum, &c. esse: sed abditè ac occultè talia gerit. Iam si admoueatur ignis, qui Perlam extrahit, hoc est, si ad lapidem Lydium vir probetur, tuque illum de certa quadam pecuniæ summâ accommodato danda sollicites, adiuratâ nempe ipsius fidelitate & probitate, quæ ignis vicem gerit: iam erumpet & prodibit, quicquid in ipso præter fidem & probitatem inest. Sic si putes, ipsum esse constantem, adiungas illum tibi in necessitate quâdam, & videbis, quinam ad ignem illum staturus sit. Vt enim ex metallo arsenicum vi ignis euolat: Sic pariter euolat fides. Ex hisce iam patet, res illas vniuersas, quas natura in Physionomia exhibet, in Anatomiam mineralium poni debere. Vt enim aliud alio plus minúsue habet: ita similiter in facie alius fidelitatis signa plura, infidelitatis pauciora habet, aut hæc hoc, illa alio modo disposita gerit. Qualem tamen natura fingit quemlibet in primordiis, ad illa signa attendi debet. Quòd si enim Naturam seu Anatomiam Pyralem exprimat illa, pyrus fit. Si Mespilum in Anatomia fingat, Mespilus producitur. Si Anatomiam argenti faciat, argentum fit. Sic etiam aurum. Eodem exemplo ipsum quoque cudit hominem, iam aureum, iam ferreum, iam ficulneum, iam alium.

Necessitas viri index.

Arsenicũ ab igne euolat.

Præterea sciendum est, huiusmodi signorum plura ex natura produci, quæ saltem ad cuiuslibet definiti hominis præsagium faciunt. Quis enim videt furem, qui id ex arte non indicare queat, illum furi esse similem, propter signa à natura illi indita. Eadem & latronum ratio est: non certè, quòd natura ipsos cogat, sed quòd multa genera, multas proprietates, multas essentias in hominibus constituat. Vnde liquet, horum nihil dominari debere nobis, sed solum Deum. Homines namque sumus, non animalia. Quòd si animaliter viuimus, nos quoque pro animalibus, vt pro lupis, vulpibus, &c. haberi & cognosci natura facit. Baptismus noster animalitatem omnem à nobis aufert, nosque iubet esse homines, non animalia. Et tamen Natura non ipsum hominē notat aut signat, sed tantùm id, quod animale in ipso est. Sed & in cæteris naturæ rebus omnibus multa præsagia sunt, vel signa, ex quibus homo cognosci possit, si secundum illa se gerat. Nam eadem & homines cœcos, & claudos, &c. facit, ex causis certè abditis & peculiaribus. Quarum vna hæc est, de qua testatur Christus, inquiens, cœcum ideò natum esse, *vt opera Dei inde manifestentur*, hoc est, vt Christus diuina sua opera in ipso perficiat. Qui autem nati sunt claudi, de his restitutis & erectis à Christo nihil legitur. Et Magistra Philosophia docet, claudum quemlibet à natura ita productum esse, ne, quia nimis malitiosus futurus, adeoque ipsam Naturam sublimi sua præscientia destructurus erat, propositum suum confectum & expeditum dare posset. Hoc fine etiam cœci pronascuntur & his similes alij. Nihil enim natura facit frustra. Quòd si homo, qui opus est Naturæ, sine causa nihil faciat, idem certè & Natura, ipso homine multo prudentior & peritior, præstare poterit. Vnde iam elicitur, quòd signa Chiromantiæ & Physionomiæ, & quę alia in homine impressa inueniuntur, naturali modo cōsideranda sint. Sic enim Natura secum decernit: Homo, quem iam condo, huius aut illius naturę ac ingenij erit, hoc vel illud tractabit, &c. Quòd si ergo secum illa ita constituit: speciem conuenientem illi annectit aut imprimit, & quæ ad illam cudendam requiruntur, assumit, veluti ad poculum argenteum, argentum, ad soleam equi, ferrum, &c. Et vt soleę ferreæ equi aut vasi argenteo sua forma debetur: sic & homini debetur forma rei, ad quam cuditur. Sobolem enim variam & multiplicem in terra Natura producit, adeoque in sua fabrica admodum operosa & dædala est. Ad quæ respicit dictum Christi illud: *Qui mecum esse vult, seipsum abneget*, hoc est, abneget ea, quæ ex Natura habet. Quæ si ipsum talem vel talem finxit, ei tamen valedicat, suam crucem dorso suo imponat, hoc est, iugum, quod Natura illi aggessit. Sic si te illa in fidum fecit, infidelitatem in dorsum reiice, non manibus aut ore prehende, sed me sequere, hoc est, os tuum, tuas manus, ac pedes impende in commodum proximi, sicut & Christus fecit, qui nostri causa mortuus est. Huius exemplum imitari nos, nostrúmque proximum diligere, sensúmque naturalem, qui te solum ipsum respicit, exuere debemus.

Natura hominũ nō cogit ad furta, &c.

Claudi cur à Natura facti.

Natu- nihil circa- ftra.

Natura et cla- dædala.

Christus nobis ex- emplo.

Desideratur, hic quoque integra & fere dimidia pagina, vt & supra.

* Huiusmodi figurarum aliquot apud priscos inuenit Lichtenbergius, de quibus tamen non prophetatus est, sed diuinauit, hoc est, explicationem illarum quidem aggressus est, sed processus ipsi nimium obscurus fuit. Nec mirum: multa enim confusa & imperceptibilia in illis continentur. Non etiam presagia ex vnâ tantùm, sed ex circumstantiis multis conduntur. Vtut tamen res se habeat, rei cardo in hoc vertitur, debere nempe quicquid sordidum & impurum est amoueri, ac omnia putæ integritati, qualis est virgo, restitui, hoc est. Sicut ex pictâ virgine arbor enascitur ac prodit, & ex illâ quidem pura ac intaminata: ita eò res dirigenda est, vt sordes illæ expurgentur, omniaque ad virgineam puritatem reducantur. Iam vero illi, qui cognoscendæ impuritatis gratiam habet, vbinam illa sit, cognitu perfacile est. Quam si cognouit: facile iam intelligit, quidnam in fundum successurum sit. Sed huic figuræ iunctæ sunt etiam aliæ quædam, ad Turcam & alios attinentes, quarum veritas iam in propatulo est. Quæ eo fine appictæ sunt, vt ex gestis illis fides etiam stabiliatur cæteris, quæ ad Monarchiam spectant, vt sic vnum cum altero firmetur. Porrò figuræ etiam aliæ repertæ sunt in cœnobio quodam Carthusianorum, in genere indicantes, virus quoddam ac venenum supra

Lichtenber- &c.

præ terram existere; quouis serpente bufone ac verme alio nocentius, imo omni malo, quod terra fouet, sæuius. Vermes autem indicant sordes in homine, quæ eiiciendæ & elidendæ sunt. Sordes enim eiicientur, non ipse homo. Hic tamen eousque denudabitur, vt viro nudo, quem figura vltima intendit, similis fiat. Et hæc cum Lichthembergij schematibus consentiunt, nudatum nempè virum, & arborem ex virgine prodeuntem vernaturos, ac impuritates bufonum, serpentum, &c. mortificatum, suisque ex recessibus excussum iri. Figuris illis iuncta sunt etiam quædam, quæ alia significant, nempe bestias illas seipsas etiam mutuis morsibus & lancinationibus, impedituras esse, neque quenquam fore, qui se impurum profiteatur. Vnde futurum est, vt sese mutuò exigant, donec omnes similiter denudentur, ac depurentur ita, quasi ex virgine omni macula carentes prodiissent. Itaque figuræ illæ diligenter introspiciendæ sunt. Nullos enim ferè status in illis non exprimitur. Vnde tot vermes & bestiæ pinguntur. Nec verò hæ solum, sed & aliæ figuræ considerandæ sunt, quas quidem non omnes hîc enumerari attinet. Illis tamen regiones omnes plenæ sunt, non in pannis tantùm ac parietibus, &c. depictis, sed & in cœlo ac terra indies pro tempore variis signis passim apparentibus. Harum explicatio verè mira, ardua ac stupenda est. In illis enim spectator quilibet inuenit, quod in alium torquere possit. Sed & alij contra hunc ipsum quod vertant, inueniunt. Vt summatim dicam. Exagitatio ea communis est, ad omnes pertinens, donec reducatur ordo.

Istarum porrò rerum vniuersarum generalis expositio est Apocalypsis Apostoli Ioannis, cui parabolæ mundi omnes apertæ & exploratæ fuerunt: ad quas figuras & gesta, præsagia omnia referri debent. Apocalypsis enim liber figurarum istarum omnium enodatio & interpretatio est: cuius quidem libri basis ex Prophetis extracta est. Quicquid enim Prophetæ præsagiunt, id expresè indicatur. Et quæ in Prophetis obscura sunt, per Euangelium, per Paulum & Apostolos ceteros elucidantur: quorum omnium sanus intellectus donum gratię Dei est, qui dat, cui vult; sicuti ad suos discipulos ait: *Vobis datum est nosse Mysteria rerum, &c.* quibus verbis deinde etiam suam explicationem addit. Itaque & nos, veluti Apostolos, per Christum intelligentes fieri oportet. Quòd si non fiat, nostro demum damno sapimus, postquam euenit & transiit, quod expectandum fuit. Rerum enim preteritarum nulla prouidentia & cautio est. Vt ergo iam dictum est de Apocalypsis explicatione ita statui debet. Scriptura namque vniuersa, omnisque adeò prophetia testatur, illo loco Ioannem arcana omnia explorata habuisse, quid nempe euenturum sit à nato Christo, vsque ad diem nouissimum. Itaque cetera presagia omnia Apocalypsi non aduersari, sed omnino consentire decet: velut & vicissim Apocalypsin ad vaticinia Prophetarum, ac Prophetarum Apostolorúmque prophetias omnes ad Euągelium censeri & ęstimari fas est. Quibus ita expeditis, illuminatio desuper à Deo exspectanda est. Hisce ergo ita iam constitutis, librum de arte pręsaga tandem finiamus.

LIBER DE MALA ET BONA FORTVNA THEOPHRASTI.

Prologus.

De bona & mala Fortuna qui commentari aggreditur, is eandem subit aleam cum illo, qui de vento aut aëre scribere tentat. Vtraque enim vt inuisibilia, sic etiam impalpabilia existunt. Iure tamen & id, quod videtur & tangitur (quanquam sine oculis & manibus) suo modo considerandum est. Itaque, quid fortuna vtraque sit, sciendum est. Et vtrum ex omnibus succedat, Deus hîc accusari non potest. Qui in via recta ambulat, huic res omnes dexterius succedunt, quàm illi, qui in via improba versatur: & tamen fortuna ea culpa non est. Fortuna namque nec bona nec mala est: sed est quædam accommodatio, aut res, quam homo ipse sectatur aut sibi accersit. Qui in vepretis peregrinari aut ambulare, contendit, quinam ille à compunctione tutus esse possit? Qui in plano ambulat, hunc non defatigant montes. Qui, dum procedit, cautè & circumspectè graditur, is non cadit. Qui autem cadit, quo iure dicere possit? mala se fortuna vti, cùm malum sibi ipse curarit? Ita ergo cum rebus humanis comparatum est, vt nec cadere, nec cespitare aut impingere, nec ditescere, nec pauperari possimus, si agamus & sectemur illa, quæ fectari nos fas est. Nihili ergo sunt querelæ nostræ cùm nostri tantum consilii culpam luamus. In nobismet omnia sita sunt. Quales nos præstamus, talia experimur. Vsu quodam ita receptum est, vt dicant homines: Homo iste nulla arte ditescere potest. Quicquid tractat, malè cadit. Iam si sapiens alius superueniens pereuntis illius viam, consilia, artésque trutinet, ac euoluat, sic è vestigio exclamabit: Homo iste, si quidē opibus decuplo vberioribus cumuletur, peribit tamen. Ipsius enim ingenium ac artes nihili sunt. Qui ergo sibi ipsi causæ mali est: quo pacto accusare fortunam audet? Et qui seipsum ad colligendas opes accommodare nouit: quomodo is, se bona fortuna vti iactare possit? Ipse enim sibi prospexit cura résque omnes ita ad successum bonum direxit & aptauit. Sedulò qui operatur ac laborat, huic bona merces penditur. Qui sibi ipsi fidelis est & consultus, non cadit. Qui titubat, & vacillat, vix cauet, quin per scalas deiiciatur. Qui languidus ex lecto surgens, & ambulare cupiens cadit: quo iure is querulari possit, quod præter morbum mala etiam fortuna affligatur? Qui enim tutò ambulare possit æger, qui vix firmo pede stare valet? Putris arbor, quod malos fructus gignat, queri non potest, se mala fortuna premi. Quia enim putris est, ad bonos ferendos fructus inepta est. Quod alicui

Fortuna quid.

non inest: qui quod non insit, pro mala fortuna æstimare poßit? Sic nimirum mala fortuna vniuersi tentaremur, nec quisquam querelis suis careret? Cùm ergo Fortuna nihil sit, sed merum figmentum, ex cerebro fatuorum hominum enatum: iure hoc loco asserimus, in omnibus valere ac dominari aptitudinem, habilitatem, scientiam & artem, quam res & cura qualibet efflagitat: vt hinc discamus, cautè ac sobriè ambulandum nobis esse, ceu homines decet. Et indignum est homine probo, de aduersa fortuna quiritari. Hoc enim ad reprehensionem Dei pertinet. Sic & qui de fauente bona fortuna gloriatur, Deum calumniatur. Quasi verò Deus Fortuna sit. Quiuis, secundum id, quod agit & tractat, mercedem suam & expectet & accipiat.

Fortuna merum commẽtum. Fortuna non est, nisi consilium ipsius hominis.

LIBER DE VTRAQVE FORTVNA, MALA ET BONA.

TRACTATVS I.

NOtum hoc debet esse vniuersis, quod à Deo ex vna massa vel materia omnes conditi simus. Vnde etiã vniuersi nos ipsius Dei sumus, qui omnes simili vita donauit. Hinc nobis inuicem omnes etiam similes sumus. Simili iure omnes terram possidemus, æqualiter inter nos distributam, vt omnes similiter ac vnà illi dominemur. Simili ac eadem redemptione omnes saluati sumus. Quòd si ergo hoc modo à Deo omnes inuicem facti sumus similes: quis se alio præstantiorẽ vel minorẽ contemptioremue dicet? Nec enim quisquã seipsum fecit: nec ex materia diuersa vtique conditi sumus, sed ex eadem omnes descendimus. Ad querelam ergo nemini relicta causa est. Iam verò, etsi quidem vniuersi inuicem similes simus, dissimiles tamen omnino apparemus. Sol nobis omnibus simili ac eadem fortuna lucet. Eadem fortuna, æstas, hyems, vetus, nobis omnibus incũbit. Nos tamẽ, qui à Sole similiter respicimur, Solem dissimiliter aut inæqualiter spectamus. Deus redemit nos, vnum non minùs altero. Sed ipsum nos non æqualiter inspicimus. Deus nos omnes diligit, nullo personarum respectũ habito. Nos tamen amore non simili in ipsum erigimur. Quod à Deo sorte æquali accepimus, si id æquali iure vsurpare nolumus, cui culpã impingemus? Pater, qui decem filios relinquit, eos æquali iure omnes hæredes facit, nec vni magis quàm alteri fauet. Iam si filij eodem cum patre affectu inter se non consentiunt, sed sensibus aduersis distrahuntur, hoc est, alij hæreditatem negligunt, perdũt, dilapidant: horum qui suam partem non asseruat, is incusare fortunã non potest, sed seipsum in crimen vocare debet. Nec, quod à fortuna opprimatur, conqueri potest, cum onus id sibi ipse imposuerit. Quæ Deus æqualia distribuit: si eadem inæqualia faciat homo: quid & quo quiritatur? Si quicquid est, ex Deo est, cur dicimus, aliquid, fortunam nempè, præsto esse, à Deo creatam? Si videmus, diẽ promiscuè & æqualiter omnibus affulgere, & noctem iisdem omnino communẽ esse: quis quæso dicet, se fortuna vel bona vel mala vti? Quòd si Deus oculis te priuasset ad videndum diem, & nox tibi, vt aliis, æquè quieta & commoda non esset, hoc est, si nocte omni careres: tum demum fortunam accusare possis, quam Deus, qui rerum illarum causa esset, tibi immiteret. Pono casum. Qui natus cœcus est, nec splendorem, nec diem, videt aut nouit, hic iam aduersus Deum murmurare queat, & causam suæ cœcitatis & priuatæ lucis quærere? Hic pro responsione hoc teneri volumus. Quisquis in cruce sua ambulat huic illa nec bona nec mala fortuna est: sed vt ita ambulet, constitutum est. Si quis seruus officium aliquod seu prouinciam sui domini suscipit: hic iam omnia illius iussa exequi tenetur. Si ea confecta dat: diligentiæ suæ premium accipit. Iam ergo, si præmium accipit, quo iure affirmare ausit possitue, se ad infortunium natum esse? An non ea bona fortuna est, quod munus seu officium impetrarit, ex quo sibi victum & præmium parare possit? Præmium suum accipit cœcus: suum accipit & mutus. Vnde conquirendi causam neuter habet. Muneris enim sui molestias gerunt: & per officia illa mercedẽ sibi parant. Hac iam ex deductione sole clariùs liquet ad querelam nemini causam dari, etsi alterius pulchritudo tuam deformitatem vincat, tuque tuam ipsius deformitatem solus circumferre cogaris. Ea enim omnia tibi oneri non sunt, & nec bonam nec malam fortunam creant. Pauperes singultiunt & plangunt suam egestatem: sed iniquè. Eiulatus enim iste & planctus demũ ipsis æterna pœna est. An non hoc magnum & arduum est, quod Christus inquit: *Beati pauperes.* Item, *Maledicti diuites, &c.* Ex hisce duobus vtrũ fortunatius? Pauper de sua miseria conqueritur, quæ miseria non est, cuius merces est beatitudo. Quid ergo queritur? aut quam vberiorem mercedem impetrare possit? Et, si omnino sobriè serióque de Fortuna disserendum sit, hoc potius dicendum erit, pauperem quouis etiam ditissimo fortunatiorem esse, vtcunque cum egestate summa conflictetur. Diues econtra ait, *se fortunatum esse, & Fortunæ gratias agit.* Is tamen multo rectiùs fortunam suam merum infortunium prædicare possit, propter maledictionẽ illam Christi: *Væ vobis diuitibus &c.* Hominum ergo cogitationes peruersæ & improbæ sunt, qui nec quid querantur laudéntue, sciunt, nec quid tractent, penitiùs nôrunt. Quicquid agimus vel gerimus, illius nobis premium confertur: Siquidem æquales à Deo omnes creati, & in terram æqualiter collocati sumus. Et qui nobis prouideat, præter solum Deũ nemo est. Is solus nobis protector est. Quod si nos bona illa, quæ Deus inter nos æqualiter distribuit, æqualiter non dispensamus, Deus quidem fortassis insimulari possit, qui, cum facere omnia verbo vno possit æqualia, id tamen non facit. Et quia non facit: nos autem interim iniuriam, quam ipse non auertit, patimur: ideò præmium & recompensationem pollicitus est in altero mundo, vbi pleno cumulo omnia rependentur. Quod si ergo recompensatio certa est, ac qui hic plorãt, illic risuri, & qui hic ridẽt, illic ploraturi sunt: ex eo iam collige, miseriam illud tibi neutiquam esse, quod pro miseria æstimas. Sic nec fortuna fortuna est habenti: Is enim alibi plorabit. Solatio ergo maximo id nobis sit, quòd rerum omnium retributio aliquãdo fiet.

Homines omnes inter se similes, ortu & iure.

Homines qui inter se dissimiles.

Fortuna nulla est.

do fiet. Et de mala fortuna nemo querelas moueat. Qui enim ab hac premitur, is verè diues est. Res nãque mundanæ nihili sunt. Itaque nec de fortuna nec infortunio quicquam dicendũ est. Quoties quæso in scriptura sacra inculcatur, qualesnam sint illi, qui primi in mensa accumbent, & qui vltimi ad angulum eius sedent, aut ante fores stant? An non, mundo iudice, felicitas ea est, primum in mensa discumbere: quãdoquidem symbolum maius is altero non soluat, & ferculorum optimum aliis præripiat, potúque generosissimum poscat, & cùm locum, tum honorem potiorẽ sortiatur, cùm tamen alter peius & sedeat & edat? Nam & hic quiritari ille possit, se cum equali symbolo iniuriam pati, & alterum esitare hepar, se verò intestina vorare: illum molle puluinar, se durum scamnum premere: Sed de his attende, quid scriptura dicat & sentiat: *Væ illis, qui primi discumbunt, & in foro salutantur, &c.* Iam si in te ipsum descendas, & accuratiùs pensites, an pauperat tuę cũ illius maiestate permutationem facere, ac, quod illi impendet, tu subire velles: an non eò inclinares vt hesternum ius vorare, quàm illius episcopatum ambire malles? Hoc ergo si te ipso iudice commodius putas: à querimoniis tibi temperato. Imo gratias Deo agito, quod te maledictioni nõ subiecerit, sed in ordinem illorum collocârit; quos tandẽ excepturum gaudium est. Iure ergo nemo dicere possit, Deum huic quàm illi plus largitum esse, aut vnum altero fortunatiorem constituisse. Si enim te talem condidit, qualem esse voluit: crucem tuam lubens suscipe, ipsúmque sequere. Sic fiet vt ampla mercede tibi omnia refundantur & pensentur.

Sed & certus ordo inter nos omnes constitutus est à Deo, quandoquidem nos inuicem in hac terra opprimamus & ãnihilemus, adeóque tot diuortiis nos mutuò separemus. Quisquis enim subiugare alterum potest, id studiosè annititur. Hac de causa Deus bonos à malis segregat, multásque in terra mansiones faciens, hanc huic, illi aliam assignat. Mansionum autẽ ea est ratio. Deus malis multa confert, vnicuique nempe pro voluntate sua, ne quid ipsi decidat. Sed & bonorum cuilibet peculiare quid impertit, ne per prouidentiam diuinam quid ipsis desit. Talia autẽ omnia ita esse diuinæ ordinationis est: vt nimirùm, qui nihili est, propositi sui voto fruatur: & econtrà qui frugi est, successum malũ sentiat. Interim pauperior dicere non potest opulentum esse fortunatum, cui confertim pecunia affluat, vt scopis (quod aiunt) conuertenda ea sit. Qui enim is fortunam habeat, cum Deus ita ordinarit, & largitus sit huic tantum, illi plus minúsve? Tibi verò etsi parciùs det, dat tamen, quod tibi debet. Et quidnam, quantũ alteri det, ad te attinet? Huic montium thesauros omnes pandere & obtrudere potest, nõ coactus quidẽ interim, vt te sufficienti alica pascat. Hunc ita beat: alium aliter. Sed quid id tua refert? Quantum libitum est, tantũ cuilibet confert. Nam id ex horto suo depromit. Ergo cum omnis solutio seu præmium Dei sit: eius voluntati acquiesce. Et si opibus offũdit diuitem, noli ob id hũc fortunatum prędicare. Suam namque mercedẽ accipit. Quid scis, quid olim luere cogetur? quidue faciendum ipsi alioquin obtrudetur? Ob hoc enim suam mercedem accipit. Fieri namque potest, vt propter iniustam acceptam mercedem damnetur, aut diabolo seruire cogatur. Et merces ampla non nisi merito graui datur. Si is thesaurum suum recondit, nec de illo cibat aut vestit egenos: iam de sorte ipsius [illegible]tum est, nec tu si sapias, cum illo permutationem facilè stipuleris. Tibi verò si Deus aut nihil, aut parum tribuit: dat tamen quod debet. Et opulentior dicere ita nõ potest: Bone Deus, quonam iste infortunio opprimitur? Cur tu non huic quoque, vt aliis, largiris, quod satis est? Cur hunc tot liberis oneratum, tanta egestate tentas? Sed ea ipsi aduersa Fortuna est. Sed cur ista tibi mala Fortuna sit? Ploratus tuus conuertetur in gaudium. Hoc primum est. Alterum. Diues te sustentare debet, aliqua bonorum portione collata. Id non facit. Si faceret, bona tua Fortuna illa esset. Nam aduersaretur id illius naturæ. Quicquid autem cõtra naturam est, Fortuna est, si fiat. Iam ergo iure nullo dicere potest is, te infelicem & infortunatum esse. Plura namque Deus tibi non debet: & insuper, quod debet, contulit. Semel enim is terram filiis hominum manu sua erogauit, quos iam suo arbitrio agere permittit. Hi si partem tuã tibi adimũt, & illâ te defraudant, iam Deus cæteris, qui extra hanc culpam sunt, ita imperat: *Dilige proximum tuum sicut teipsum.* Ex hoc nãque præcepto elicitur, illos tibi sustentationem debere. Quod etsi quidem minimè fiat, sed tu abiectus destituaris: de mala tamẽ fortuna conqueri neutiquam possis. In cœlo enim tibi paratus & reconditus cibus est, terreno multò vtilior. Sic *Lazarus*, qui sub scalas diuitis abiectus erat, in sinũ Abrahæ receptus, de nulla infelicitate ac malâ Fortunâ conquestus est. Quare? Quia id ipsi lucro & commodo erat. Nam in sinum *Abrahæ* ob id penetrauit. Ita nec *Iobus* de infortunio suo querelas mouit. Quare? Opulentia nimirùm eius de hoc mundo non erat. Quòd si, quænam & vbi nostra opulentia sita sit, scire satagimus: respondeo, nec bonam nec malam fortunam esse. Quicquid enim hîc nobis deest, apud Deum rependetur: quicquicquid hîc nobis abundat, in illo mundo minuetur & subtrahetur. Eadem in cæteris rebus omnibus quoque ratio est, in quibus Fortuna vtraque nullo omnino loco habenda est. Et quicquid vel felicitatis vel miseriæ nobis imponitur, id pro cruce nobis in hoc mundo gestandâ datum est, vt cum patientiâ tam diuites quàm egeni Christum imitemur. Si secus facturi simus, vtrique certè enim maledictis à facie Dei extrudemur.

Quanquam si cui à sordido quodam & auaro homine vel infido bene quid fiat, quod is nec ex animo faciat, nec faciat frequenter, imò nunquam, non ineptè dicere possumus ita: Homo iste fauente Fortunâ vtitur, quod beneficij id accipit ab illo sordido, qui nulli hominum alias quicquã bene vel vult vel facit. Sed huius fortunæ eadem est ratio, quæ illius, qui marsupium pecuniâ refertum inuenit, quod id ipsum rarò fit: Et si fit, huc facit, neminem scil. facilè gratis sua elargiri. Si autem donatio gratuita fiat, ad sequens exemplum æstimanda ea esse videtur. Nemo vsquam adeo rigidus & seuerus est, quin semel aliquando rideat. Iam verò dicta

Margin notes:

Malorũ sors melior. (beside "ea est ratio. Deus malis multa confert")

Fortuna est id, quod fit contra naturã. (beside "aduersaretur id illius naturæ")

Lazarus & Iobus sorte sua contẽti. (beside "Sic Lazarus")

Fortuna tam bona, quã mala Christianorum Crux est (beside "Et quicquid vel felicitatis")

dicta infidelitas seu auaritia, est quædam natura pecuina seu animalis, homini illi congenita. Hîc ergo iam natura dominante, sordidus eo agitur, vt commodo suo studiis variis velificetur, suóque quæstui anxiè vbiuis aucupium faciat. Interim si quædam influentia fiat, natura illa frangitur, fitque momento vno, quod integro non fiebat anno. Nam & aliàs videmus, illos quandoque, qui exquisitè parci & sordidi, nulli hominum vsui sunt, si postea casu quodam temulenti ac ebrij fiant, liberales ita euadere & profusos vt momento vno largiantur, cuius ipsos deinde toto anno pœniteat. Eodem modo & illi homines nonnunquam ab astris inebriantur, vt facinus aliquod insigne liberalitatis designent. Sed influentiæ momento elapso, & temulentiâ illâ discussâ, ad auaritiam pristinam illicò redeunt, vt canis ad vomitum reuertitur. Illa ergo fortuna minimè est, sed est res seu actio naturalis. Nam qui artem nouit, quâ eiusmodi homines sæpiùs ebrios faciat: is fructum ab illis vberiorem percipit. Similiter & qui cœlum ad arbitrium nutúmq; suum disponere ita posset, vt talis homo ab astris sæpiùs inebriaretur: is sorte vteretur commodiore & feliciore. Quòd si verò tale quid sine causa aut sine medio naturali fieret, nec homo ebrius, aut ab influentia temulentus esset, nec insigne aliquod emolumentum vel aliud quiddam speraret: iam rectè diceretur, eam bonam fortunam esse. Sed sine naturali causa non fit tale quid. Quod thesaurum quis in viâ inuenit: causa hæc est, quòd is in via illic amissus sit. Hunc primus superueniẽs inuenit. Primum autem aliquem esse omnino oportet, quicunq; is sit. Ergo fortuna non est. Ex proposito enim factum est, vt is illic transiret, siue adesset thesaurus, siue abesset. Eodem modo si absconditus thesaurus arte inueniatur, fortuna ea non est. Nam ab arte is datur vel eruitur. Et quod ars dat, non dat fortuna. Et si autem citra artem illum inuenisti: culpa in eo est, quod thesaurus ibi iacuerit. Illic enim si non iacuisset, fortuna illum neutiquam apportâsset. Sic rerum omnium inuentiones à fortuna non pendent, nisi quo modo diximus, quia nempè inuentor inuentæ rei iungitur, sicut & alia passim coniunguntur. Hæ enim coniunctiones meræ sunt: quarum ea natura est, vt etiam sine fortuna fiant. Illa enim demum fortuna foret, si nemini præter te res illa obtingeret, thesaurúsque pro te solo ante multos annos istic depositus esset; in quem tu veniens rectà incideres. Res autem hoc modo se non habet. Quomodocunque enim res recondatur aut deponatur, qualemcunque suum inuentorem habet. Seriò ergo ita statuendum est, prædictos casus nec bonæ nec malæ fortunę adscribi debere, sed potius ordinationi illi, de qua suprà dictum est.

Sic & de artificibus, si alter altero plus lucratur, dicere solemus, hunc illo fortunâ vti fauentiore. Quæ verò ea fortuna est, quando is artem te rectiùs & dexteriùs nouit aut exercet? Hîc enim iam aperta causa est, quod propter scientiam perfectiorem plus lucri ille faciat. Pone autem casum vtrumque æqualiter eiusdem artis peritum esse, & tamen alterum te lucro potiorẽ fieri: quid hîc prætendes aliud, quàm fauorem quendam accidentarium, quo is præualeat? Nam si tu quoque eadem cognitione & familiaritate hominibus illis iunctus esses, eadem cum illo sorte vtereris vtique. Horum ergo euentuum semper suę causæ sunt. Quòd si causæ præsto sint: quis rem asscribet fortunæ? Similis sermo etiam de Medicis iactari solet, hunc vel illum fortunatum admodum esse, etsi altero longè sit imperitior. Hic quidnam aliud caussari possis, quàm ipsam eruditionem aut peritiam? Talis enim aut loquax est, aut est intrepidus, aut semet ipsum ingerit, aut gaudet amicorum numero, aut munitus est fauore, &c. Et in hoc etsi non omnia proba sint, ita tamen rigidè non æstimantur. Imò fama & opinio de illo præconcepta, defectum facilè velant. Ergo nec hic fortuna dominatur: cum ab habilitate personæ omnia dependeant. Tum autem demum fortuna illa foret, si quispiam nullo medicamento aut rebus etiam contrariis à Medico adhibitis cõualesceret. Id enim præter rerum seriem & naturæ ordinem fieret. Interim quia secundum naturæ & Medici institutum æger sanescit, causa ea referenda est ad machinationem & regimen illud, quod Medicus ita artis vsu exigente instituit. Nec enim vanum est illud prouerbium: *Per ventos nullam assam columbam afflari*. Quæ si cuius ori à ventis ingereretur: is certè haberet iam, de fortuna quod gloriaretur. At si arte illam captare ac accurare possit, vt in veru torreatur illa, quis iam hunc bolum à Fortuna oblatum profiteretur? Ars, & captura illam acquisiuit, non fortuna. Et qua fronte de infortunio suo conqueri possit piger, qui oscitans post fornacem sedet, & fortunam peregrè aduolantem frustra præstolatur? Quod si Fortuna instar nuncij cuiusdam aliunde aduentaret: ad portas vtique ciuitatis illa expectari commodissimè posset. At nuncius fortuna non est. *Præter posse, scire, & sese accommodare, nihil amplius requiritur.* Tria illa sola suppeditant homini, quibus opus habet. Illis qui destituitur: Fortunam frustrà implorat. Cum enim diuitiæ ex causa profluãt: non descendunt vtique a fortuna. Quod si tu quoque instar aliorum te gereres aut accommodares, cum illis promiscuè etiam felix viueres. Rhombus enim in hoc omnis positus est, vt te quoq; ad alterius exemplum geras & accommodes. Hoc si facis: idem cum illo lucrum facis. Nec iste de infortunio conqueri poterit, quod habeat te sibi æqualem. Æqualem enim si ferre non possit, studeat talem se prestare, vt illo superior euadat.

Sic etiam dicunt, illum qui cadit, resurgit, & iterum cadit, malam fortunam habere. Res autem ita se non habet. Cur in culpa fortuna sit, quę illum labi minimè compulit? Culpa assignanda est viæ, scalisue. Quas si non adiisset, lapsus non esset. Et cur fortuna fecisse dicatur, quod quis facit aut accersit sibi ipsemet? Id námque æstimatu facile est, illum qui incautè incedit, & sensibus non vtitur, sui lapsus causam in semet habere, nec iure quærere posse, cur non & vniuersi cæteri ibidem collabantur. Hi enim cautiùs & circumspectiùs perrexerũt, ac moderati pedes sunt. Ita etiam si in scamnum impingas,

impingas, cur id malum ascribatur fortunæ? Ad obiecta impedimenta attendito à læsione tutus eris. Et negligentia seu supinitas fortuna non est. Damnum quod sentis, ab incuria tua promanat. Itaque mali ipsemet mater es. Quòd si verò in plano per scalas deruerés iam de mala fortuna iure queri posses. Cura & cautio auertunt infortunium. Hoc creant supinitas & negligentia. Cùm ergo Fortunæ bonæ malæque mater inueniri queat, quis de rota fortunæ disserit, hunc ascendere illum descendere? Qui ascendit, is laborat pro eo. Qui descendit, pro eo itidem laborat. Cùm ergo vtrique eueniat, quod intendit: ecquis tandem fortunam vel infortunium id præstitisse affirmare queat? Si peritus, si industrius es, dote illa frueris. Si te insuper ad omnia accommodare nosti: iam sors tua eò felicior. An verò is non meritò ascendat, qui lucro inhiat, & in hoc omnem diligentiam & industriam impendit, sua sedulò & attentè curat, ac parcè omnia conseruat? An is non meritò descendat, qui suarum conseruandarum rerum nulla cura tangitur, sed omnia dilapidat & consumit, adeóque negligenter perire sinit? Hunc quis feriet? Aut, si in rotæ imo hæreat, quinam dicere possit, à fortuna sese deiectum esse, cùm id fecerit ipsemet? Qui de fenestra se præcipitans, pedem frangit: is fortunam culpare nequit. Malum idà saltu est, quem is instituit. Qui in vndam sese mergens perit: hunc non infortunium mersit. Nunquam enim ibi periisset, si ad vndam nunquam accessisset. Quòd si autem super terra solida suffocaretur: iam culpa assignari fortunæ posset. Fortuna ergo ac infortuniũ nihil est (vt vna summa dicamus) quàm causa vltronea, seu deliberata actio motúsue. Quod enim quisque studet, intendit, satagitúe, id impetrat. Commoda & salutaria satagens, felicitatem assequitur. Hanc qui non impetrat, is querelæ suæ causam non habet. Nec enim, vt ille alter, eodem consilio & studio id laborat. Seipsum ergo solum accuset, non alium.

Cura & [illegible] (margin note)

Fortuna quid re te sit. (margin note)

Ex hactenus enarratis omnibus iam liquet, negligentiam, pigritiam, & incuriam omnino excutiendam esse, modo successum aliquem sortiri expectatum velimus. Id ergo discendum & agendum est vt ad metam optatam pertingamus. Iis enim homo ornatus dotibus ac viribus est, vt, quicquid serio studio, virili nisu, & curâ attenta satagit, id impetret. Ponamus nimirum hoc te agere, vt centurio seu capitaneus fias. Ad conditionem hanc aditus tibi æquè patet, ac aliis, modo hoc agas, vt te aliis solertiorem aut aptiorem præstes. Id si probaueris, successu non carebis. Duci te supremo virtute commenda, cæterorum exemplo: & sorte cum cæteris communi perfrueris. Quid enim ex te fiet, si ad nihil aptus aut idoneus es? Si, vt rex fias, annitaris, voti tui compos quidem fieri poteris, si discas illa, per quæ quis Rex constituitur. Si enim alij id contingere potuit: poterit vtique etiam tibi. Et si retrò cogitemus, ac quo pacto status seu stemmata constituta ab initio sint, euoluamus: omnes certè egenos illos fuisse homines, ac ab initio ad summum gradum ascendisse, deprehendemus. Hinc Reges, hinc Principes, hinc nobiles. Quòd si hisce licuit, ex humili statu sese erigere, & stemmatis nobilitatem ad posteros quasi per manus transdare: possibile vtique & tibi erit, illorum more tete extollere. Id enim vniuersum dependet ab aptitudine, quam disces, & acquires. Vt Cæsar fieret Barbarossa, non fortuna fecit, sed virtus & generositas patris illum Principem constituit. Quibus si is caruisset, ad dignitatem illam non ascendisset. Idem & de cæteris iudicium est. Nam si præteritos annos à longa memoria repetamus, sola virtus horũ statuum causa fuit. Illa enim rerum præclararum omnium primordium est. Rudolphus Rex primò Comes erat. Hunc quidnam euexit? Virtus nempe fecit, vt Rex fieret. Quòd si ergo tale omnium statuum initium fuit: ecquid tibi vel hoc sæculo denegatum iri putabis? Qui discit & acquirit sibi, quæ ad honores eiusmodi attollunt: hic voti sui compos fit, etiam non suffragante fortunâ. Secus qui facit, quidnam ex illo fieri possit? Quòd si huiusmodi ignauus quis Rex euaderet, tùm demum certè illam fortunam habuisse bonam, iudicandum esset. Rerum ergo omnium felicitas posita est in experientia, cognitione, aptitudine, dexteritate, non in otio & torpore, ac negligentia, sed in diligentia, iugi labore, & conatu alacri. Intellectus enim humani ea ratio est, vt si intendatur & exerceatur, emergere faciat, non in temporalibus saltem rebus, sed in sapientia, prudentia & consiliis. Qui autem stupidus & meticulosus est: hunc quis iuuet? Qui sibi solus doctus videtur, nec quemquam alium fieri posse doctum persuasum habet: is verè doctus nunquam fit. Qui verò ita secum cogitat: Tu non minus es homo, quàm doctissimus quiuis in mundo: nec minus cæteris opus Dei es. Itaque vt illis aut par aut superior euadas, annitendum est. Iam si diligentiam & studium in hoc impendas, à Deo nihil denegatum iri tibi scias. Quære tantum ac ora, donec voti compos fias, nec oscitanter quicquam perire sine.

Virtus sola bona est fortuna (margin note)

Inficiari autem hoc loco minimè possumus, frequenter euenire, vt quis emergat & ditescat, ac potens, doctus &c. fiat, quoscunque alios felicitate post se relinquens, etsi seriò, ac cum industria aut contentione nihil tale affectarit. Quòd si penitiùs introspiciatur, ad solam fortunam referri debere, non ad artem aut machinationem, consentaneum videtur. Nihil enim momenti ab arte: à fortuna autem vniuersum pendere, casus iste testatur. Sed sciendum est, diuitias eiusmodi amplas & luculentas, citra omne impedimentum confertim & certatim homini affluentes, ad principium aliud referendas esse. A Deo namque illiusmodi hominibus tot tantaque bona adiiciuntur. Deus inquam, non astra, non quoduis aliud thesauros tales illis pandunt; nec quicquam horum fine causa euidente fit. Cùm enim mandatum dederit hominibus, vt nudos vestiant, & famelicos saturent: iisdem etiam plenâ manu largitus est, vnde bona illa dispensare, & in egenos transferre possint. Quòd si oculos in omnes ciuitates, regiones, vicósque conuertatis, ac de numero tam pauperũ, quàm diuitum inquiratis: tot vndique reperientur opulenti, vt egenos vniuersos citra omne rei suæ

Diuitiæ à Deo. (margin note)

suæ dispendium commodè sustentare possint. Hoc Christi mandatum quia omnino faciendum est: ideò opes etiam sufficientes idem distribuit, vel vni vel duobus, vel tribus, &c. Cuicunque ergo opes tantæ citra artem ac acquisitionem obueniunt: hic seriò cogitet, multos sibi vicissim egenos commissos esse, quos alat. Opum enim largitione Deus hoc dicere velle videtur: In manus tuas ingentes opes contuli, earúmque te Dominum constitui, sed ad fores tuas vicissim mittam egenos, quibus vsuram debes. Id ergo facito. Itaque pauperes ad ostia diuitum subindè accubare videris, stipem rogantes, quasi dicerent: *Adsumus nos, quorum tu thesaurum possides, ac quibus eelemosynam debes.* Illum qui tibi credidit, is nos huc ad te misit. Causa ergo possessionis tam amplæ iam nota est. Quòd si verò tantorum bonorum possessores pro æquo & iusto illa non distribuant, quibus debent: iam certum est, illa paulatim diminutum, nec ad secundum aut tertium hæredem integra translatum iri. Imò futurum est, vt tam possessor, quàm hæredes pereant, & confundantur. Quod pœnæ & vltionis diuinæ indicium est propter malè administratas opes, quas hominibus concredidit Deus.

Diuitiæ quo impendendæ.

Diuitię à Diabolo.

Preterea Satanas etiam quàcunq; arte potest, homines ad opulentiam prouehit. Mauult enim is ipsos diuites, quàm egenos. Nam nouit, quod pauperes sint beati. Vnde paupertatis osor est, & diuitias vndecunque suggerit. Hinc varia commercia ac negotiationes qualescunq; comminiscitur, quibus pecuniæ magna vis corradatur. Huius enim amore vbi primùm illexit hominem: postea diuitias sequitur fastus & superbia, ambitio, luxuries, ingluuies, alea, periurium, adulterium, homicidium, amor pecuniæ, denique & odium Dei. Ad hæc vitia instruit Mercatores, incitans eos ad sedulitatem, & quodcunque pecuniæ aucupium, &c. Quod vnico hoc fine ita promouet, vt ad omnis generis turpitudines, mendacia, superbiam, illos innasset. Quòd si ergo diuitiarum talis origo est: quis opulentum deinceps bona fortuna vti dicet, cùm tamen fortuna opes non sint, sed immundi spiritus opus, seu malè cadens donum aut merces? Et fortuna illa dicenda sit, si quis repositum in scamno marsupium, 100. flor. refertum inueniat, & furetur? Postea in crucem tollatur? Non alia namque & diuitum ratio est. Sunt etiam, qui ita apud se conquerantur: Phui, quid feci? quid didici? cur non & ego Monachus aut Clericus factus sum? Sic namq; genialiter & opiparè viuerem, vt hi, illiúe, &c. Sed infausta mihi fortuna fuit. Quæso te verò, dispice paulò accuratiùs, vnde bona illis confluant, & quo fine illis congerantur. Sic nimirum videbis, aliò tantùm census de bonis illis conuertendum esse, vt reddito illo ad vitam iucundam parum tibi superfuturum sit. Quantumcunque enim illorum redituum sit: si rectè collocentur, nimis parum reliquum erit. Et hæc fortuna sit? Imò, si post rectè collocatos census, nihil admodum superesse videris, hoc potius dices econtrà, quòd magna tibi fortuna obtigerit, quòd Monachus aut clericus factus non sis. Multò etenim meliùs est, te eum manere, qui es. Sed Satanas omni operâ adiuuat

Diuitias quę vitia comitentur.

vt reditus illi augeantur, ac homines ditescant, & largum quæstum faciant, vt sit, vnde luxuriosiùs & perditiùs victitent. Idem Satanas hoc quoque sedulò curat, vt ad officia euehantur, homines perditi & malè feriati, scortatores, aleatores, lurcones, &c. vt bona in res ordinarias ac decentes minus conuertantur. Collectis ergo thesauris Diabolus hæredes & curatores præficit, qui immemores eorum quibus bona debentur, conuertunt illa ad scorta, ad aleatores, & homines nequam, &c. Et hisce ita constitutis mirificè Diabolus in sinu suo gaudet ac exultat: cùm hoc vnum omni suo nisu ita intenderit. Tu interim caue dicas illam fortunam esse. Est enim actio, seu casus fortuitus, imò res toleratu grauis illi, in cuius dorso illa reclinat.

Regnorum potentiam quis fecerit.

Cæterùm aliquando Deus etiam regna potentissima in terrâ constituit, per Reges & moderatores peculiares. Tale fuit regnum Carthaginensium & Romanorum: Tales fuerunt Iulius, Cæsarum primus, & Alexander, & similes alij: quorum solâ virtute ad fastigia tam ardua, illa regna euehi neutiquam potuissent. Nec enim tanta Alexandri aut virtus, aut potentia fuit, vt totum mundum per se subigeret. Inter Romanos etiam tot proditiones viguerunt, vt solâ ipsorum virtute tantum regnum constitui minimè potuerit. Deus est, qui Regna eiusmodi & Monarchias stabilit, propter causas singulares. Quod exemplo docebimus. Permisit Deus, vt ex Iudæis surgerent Pharisæi, Saducæi, Hipocritæ, Scribæque, qui populum gubernarent. Hos non astutia propria tales fecit. Nam & alij astutiores eâdem sese arte obtrudere & venditare potuissent, si successus aspirasset. Cur autem id fieri Deus passus sit: hæc causa est, quia nimirum placuit ipsi, vt per ipsos condénatus moreretur. Idem & Romanorum potentiam inualescere, ipsósque ad summum fastigium ascendere, & denique discordiis mutuis ruere sinit, vt vna persona Imperio præesset illi, quod prius integer Senatus moderabatur. Plures regno præfecit primùm, vt pluribus prouinciis bello acquisitis, imperium latiùs extenderetur. Hoc in vnius viri manum postea contulit, vt sub illo crucifigeretur. Et ab vno viro mundi habenas torqueri, non à Senatu aut multis voluit, vt vnum totius orbis caput foret. Hinc etiam iussit Cæsari dari censum, non Romanis, non Ciuitatibus, &c. Vni ergo persæpè viro Regnum Deus offert, non vt is putet suâ id virtute partum esse, sed quia hoc ordine Deus peculiare aliquid molitur. Videte verò, quænam surgentium istorum regnorum ratio sit. Dum enim alia surgunt, alia occidunt, non immeritò Fortunam hîc multum posse videri queat. Et tamen nec bona, nec mala fortuna hîc locum habet. Quod enim diuinâ ab ordinatione dependet: quis id vel fortunam vel infortunium vocare possit? Suo verò id habendum loco est, quod eadem regna vel in hunc vel in illum, non etiam in te deuoluantur. Nouit enim Deus, illis regendis non te, sed alium, idoneum esse. Officio ergo tali aptos præficit. Quòd si tu quoque similem prouinciam ambis: id cura prius, te talem vt præstes, vt Deo placeas. Senatus enim, si consulem, constituat, placere & probari

Iulius Cæsar primus. Alexander &c.

Pharisæi, &c. cur à Deo producti.

probari ipsum fas est. Quanto id verisimilius de Deo? Sic placuit Deo, vt petrus petra esset Ecclesiæ, & Iudas proditor sanguinis Christi. Quilibet ergo ordini illi, qui Deo placet, præficitur non item alij: Si nolit Deus Monarchias surgere: ad constituendas illas nemo etiam nascetur. Si verò illas consistimi necesse sit: digni & sufficientes illis stabiliendis moderatores etiam, Deo fauente, & prouidente, suscitantur. Quandoque Deus etiam quendam in malis artibus peritum fieri permittit, vt is cæteris vniuersis longè latéque præcellat, adeóque auctoritate præualeat, vt ipsis Christi Euangeliis plus fidei mereatur, atque in sententiam suam ipsas quoque Academias pertrahat aut synagogas. Sed hæc fortuna non est. Hoc enim modo Scribas & Doctores Deus probat, vt, cuinam plus credant, Christóne an homini, euidens fiat. Multi enim homines nullius pretij aut fidei sunt. Sed quis hos nouit? Nemo. Si tamen huiusmodi homines Deus suscitat, tunc produntur, quales quíque sint. Huc spectat illud, quod scriptum legimus: *Necesse est, venire scandala*, hoc est. Necesse est, huiusmodi ex populo surgere homines, vt appareat, qui Deo aut seductoribus suffragentur, qui cum Deo maneant, aut cum illis stent? Vnde illicò etiam additur: *Væ autem homini illi, per quem scandalum venit.* Huius enim regnum cœlorum *Væ* erit. Sic Deus etiam bella excitari sinit, quibus duo inuicem prælientur, vt manifesti fiant prædones, fures, aleatores, gulones, &c. & quicunque alij ingenio præditi sunt homines. Væ autem illi, qui bella mouet. Quare? Quia Væ illi primo occinitur. Hoc etiam fine Deus varij generis vina præstantia rubea & alba, saporis diuersi & iucundi producit, vt videat, quinam homines Deo potius, quàm vino adhæreant. Horum itaque nullum pro bonâ maláue habendum est fortunâ. Qualis enim iste vir aut rex est, qui, cum mundum vniuersum moderetur, damnatæ tamen animæ periculum sustinet? Aut quidnam fortuna est? Nihil: nisi quod sub hoc dictum referri debeat: *Necesse est venire scandala*: Væ autem illi homini, per quem veniunt. Per illa námque probantur tam mali quàm boni, tam iniusti, quàm iusti. Cur concessa Mercatura est? vt probetur charitas erga proximum. Qui probus & innocens est, is mercaturam exercet in commodum proximi: Qui malus est, suum commodum satagit, & negotiando ditescit, altero pereunte. Hæc ergo talia pro examinandis hominum cordibus faciunt. Sine quibus, ecquis, quales inter se mutuò essent homines, cognosceret? Talibus namque mediis abstrusa hominum corda produntur. Quæ non eò data sunt, vt tuum quæras commodum potius, quam emolumentum proximi. Interim cordis tui probitas per talia reuelatur. Ita incautus pedicis innecteris. Ita testimonium de teipso dicis, in propatulo, non in abdito. Et tua opera, tua facinora, tua studia, de te in nouissimo die testabuntur. Quæ enim in sinu cordis occultata, in actu non erumpunt, de iis proximo nihil compertum est. Manifesta autem fiunt per ea media, de quibus iam diximus.

Scandala cur [illegible]. — *Seductores cur à Deo suscitentur.* — *Bella cur excitentur.* — *Diuitiæ [illegible].*

Præterea ipsum quoque cœlum, diuitias & vitæ iucunditatem non parum aut promouet aut impedit. Nam in mundum nati, nudi, ignoti, egeni incedimus. Et cœlum nobis ad ductores & nutritores ab initio vsque ad finem sufficit, non aliter, ac peregrinus quispiam à domestico per vias ignotas duceretur. Iam in ductore situm multum est. Hic huc, ille illuc ducit. Hoc loco rerum copia: illo inopia. Per omnes enim orbis angulos, vt eos peruestigemus, ducimur. Et cum non vbiuis locorum aurum, aut argentum sit, vbiuis etiam non reperitur. Hoc sensu, cùm omnes nobis orbis anguli præreptâdi sint, nec quicquam nobis absconditum esse debeat: peruestigari ea quoque loca oportet, in quibus nihil conditum est. Ad hæc qui ducitur, nihil reperit. Hic iam dicere posset, se fortunâ, non vti commodâ. Sed cogitet is, nihil ibi etiam ab alio quocúque reperiri posse, cum ibi nihil sit. Quod si ita se habet: cur tu fortunam aut infortunium accusas? Et tamen interim Ductores illos cœlicos sequi minimè debes. Sequere teipsum, & disce, aliorum spectatorem agens. Si duabus viis, dextrâ scilicet & læuâ, tibi propositis, rectam pergere, erroneam omittere potes: id & hoc casu, tuo proprio Marte facito. Nemo enim te cogit, vt in fluuio piscibus carente pisceris. Licet autem vt retia mittas in riuo piscoso. Porrò sortitus etiam tantùm rationis, es vt, vbi quid sit, vbi nihil sit, prouidere possis. Ponemus exemplum. Si mineram argenti, auriúe, aut plumbi, &c. quæris: hoc primum inquires, vbinam pisces illi latere ac degere soleant. Hoc præcepto, quære sedulo, nec à metâ illâ deuia. Qui autè casu id inuenit, fortunâ non habet. Si námque scientiâ caruisset, nõ nouisset id vtique, etsi in domno propria cõditum habuisset. Qui inquãm casu id inuenit, fortunam non dicẽdus est habere. Necessum enim fuit id inueniri, siue tu, siue alius quicunque id inuenturus fuisset. Inuenit námq; quilibet, quod inueniendum ipsi datum est. Si alter hoc inueniẽdi fortunã habet; tu itidẽ inuenies aliud, modo quæras. An tibi hæc inuentio nihili est, si, dum alius fodinas aureas aperit, tu interim ipsum inuenias cœlum? aut ille ditescat in mundo, tu in cœlo? Inuentum tuum inquã hoc nihili sit? Cur ergo quiritaris? Si rem iusta lance pensites, inuẽtio tua præstantior lõgè est, quàm istius metallarij. Si diues centum florenos eroget, tu frustum panis: iam certum est, plus te illo opulẽto largitum esse. Si frustum panis plus est, quàm centum floreni: ecquid ringeris tu aut queruláris? Mitte fieri, vt alius domum decies millenis florenis, cum omnibus reditibus & cẽsibus sibi emat. Tu si pecuniæ tantundẽ ad emẽdum nõ habes, sed pauperi cuidã haustum aquæ saltẽ præbeas: ecce haustu aquæ præbito domum longè prætiosiorem emis, quàm ille alter decies millenis florenis.

Sed ad diuitias aut pauperatẽ multum etiã cõfert præceptor, qui aptitudinẽ & dexteritatẽ requisitã doceat. Hac enim in Schola qui tardior & negligens est, sorte dura premitur. Hic seriùs ad Scholã missus, nihil percipit: ille seducitur & corrumpitur, alter promouetur & emendatur. Etsi enim consortio prauo, aut corruptoribus stipati simus: hac tamen in Schola addiscere possumus, quomodo illi noscendi, adeóque quę praui omittendi, probi autem alliciendi sint.

sint. Quot enim ex hac Scholâ prodeunt optimè instituti:cùm, si Scholam euitassent, futuri fuissent nihili. Hoc iam nō fortunę,sed doctrinæ & institutioni imputandum est. Et hoc quidem fine magistris vtimur, vt nos, quis vitæ nostræ modus esse debeat, informent. Quòd si domina fortuna in his satis esset, quò faceret doctrina & institutio? Nam si talia omnia Fortuna præstaret, sola etiam fortuna magistra adhibenda foret. Sic à sola fortunâ docti, & eloquentes fieremus. Sic à solâ fortunâ, citra institutionem fieremus ægri, sani, qualescunque. Res autem secus se habet. Tales enim nos præstare oportet, quales esse aut haberi volumus. Et cogitandum de eo est, quod Christus inquit: *Rogate patrem meum cœlestem, & dabit vobis: pulsate & intromittemini.* Quæ verba quid volunt ac docent aliud, quàm temerariæ fortunæ acquiescendum minimè esse, sed orandum & laborandum. Hoc si faciamus: dabitur nobis. Ex quo patet, Fortunam nihil esse. Requiritur ergo, vt quæramus. Si nihil operemur: quis dabit aliquid? Quærite, & inuenietis. Si ergo quærendum:inuentionis vtique causa fortuna minimè est, sed quæsitio: Si quæsitio: iam is dedit, qui nos quærere iussit. Is res illuc deposuit. Ex quibus omnibus euidens est, nec fortunam nec infortunium quicquam esse. Quicquid enim inuenimus, deposuit Deus. Itaque patet, Deum esse omnia; fortunam nihil omnino. Deus enim si nobis creatis corpus dedit, vitam ac animam addidit:dabit etiam,quæ ad illa sustentanda requirantur. Iam qui artem textoriam aut sutoriam inuenit: à fortunâ eam non adipiscitur, sed ex domo Dei. Omnia enim à nobis inueniri debent. Si inueniri omnia debent: à primo quodam, quicunque is sit, initium vtique fieri debet. Tu interim, si is non sis: ob id nihilo infeliciorem te censere debes.

Oratione & labore datur bona

Pro conclusione ergo libri tenendum est, terrenos nos, & omnia quę ex terrâ sunt, ex solo Deo esse, quod sumus. Homini autem vniuersa subiecta sunt, vt illis dominetur. Hinc sequitur, ipsum hominem omnia in suâ potestate habere. Si omnia in suâ potestate habent homines,hic nimirùm id, aliis aliud, laus & gratia Deo dicatur, non celebretur Fortuna. Fortuna namque nihil dat: dat omnia Deus, quia omnia dirigit. Huius ordinationi nemo resistere, nemo obloqui debet. Quicquid autem vltrò citróque nobis accidit, id nostro labori & studio adscribendum est. Nec quicquam vel fortunæ vel infortunio imputari debet, sed nostræ aut diligentię aut negligentiæ. Hinc est, quod de oscitantia & segnitie scriptura testetur, quod per ipsam multa eruperint. Sic filij Israëlis multa lasciuè inceptarunt,quibus multi postea vel ad bonum vel ad malum illecti sunt. Multa etiam à Dauide & Samsone, &c. facta sunt, haudquaquam Fortunæ adcribenda, sed tantùm res alias indicantia. Samson nimirùm euertit palatium; vt ea ruina vniuersi opprimerentur: cum quibus tamen & ipse occubuit. Hoc quidnam aliud quàm figuram indicet? Nequaquam enim vel fortunam vel infortunium. Eodem namque modo & nisu Christus quoque Pharisęorum Scholam euertit & destruxit. Quod dum fecit, ipse simul in cruce mortuus est. Figurarum & typorum huiusmodi in veteri Testamento multæ sunt: nec paucæ etiam in nouo. Quorum cùm peculiaris sua ratio sit: huc referri non debent, vt nec fortunæ bonæ malæue adscribi. Sed nec naturali cursui & aptitudini humanæ imputari possunt, sed potius prouidentiæ Diuinæ, quia talia vniuersa disponuntur & gubernantur. Quæ quid significent, omnium postremò demum intelligit homo, cùm facta sunt. Multò plura adhuc de bona & mala fortuna afferri possent: sed quæ papyrus excipiendis necessariis omnibus sufficeret? Ex allatis rationum momentis, quilibet hoc addiscat, hominum curam, dexteritatem, diligentiam & informationem isthæc omnia dirigere, & omittere, quæ nihili sunt, accurare autē, quæ prosunt, & denique ad ipsam verā viam deducere. Et qui hac sciētia instructus est, is, quò pergat, nouit, nec facilè in inueniendo frustrabitur.

DE VERA INFLVENTIA RERVM LIBER THEOPHRASTI.

PROLOGVS.

Influentię origo Deus.

INFLVENTIA, *quæ à genuinâ scaturigine, hoc est, ex Deo promanat, momenti & considerationis haud leuis est. Deus enim, qui cœlum terrámque, ac omnia in ipsis contenta creauit: idem illis quoque, quæcunque habent, indidit. Et tamen interim de opulentia sua Deo nihil decedit. Deinceps ergo de verâ rerū omnium Influentia librum condere instituimus.*

Influētia duplex.

Influentia autem duplex est: Vna quæ ex creaturis, vt cœlo, ad nos pertingit. Altera quæ sine medio, vt sine cœlo, ad nos penetrat. Nostri autem instituti est, hoc loco de illa influentia commentari, quæ nec ex spiritibus, nec stellis, aut cœlo ad nos pertingit, sed quæ in nostra potestate est, vt ipsam tangamus & palpemus. Negari quidem à nemine potest, ea, quæ Deus in naturam congessit, ardua & maximè contemplabilia esse. Multò tamen præstantiora & subliniora sunt illa, quæ supra naturam euexit. Hæc res multis ad errores ianuam aperuit. Aliud enim alij laudant, aliud culpant. Et tamen vtique, quid vel laudent vel culpent, venerentur aut despiciant, ignorant. Rerum enim ex Deo procedentium consideratio summè ardua, nec sicco pede transilienda est. Plurima namque oculis nostris obseruantur, quæ videmus, & tamen non videmus, intelligimus, & tamen non intelligimus. Id à diuersitate laudationis vituperationis est, vtriusq; partis. Cum enim non ab ipsa origine res deducatur: quis nouerit, an ea laude vel reprehensione digna sit? Sed tamen vt vulgatius est, non scire, non intelligere, non nosse: ita nō minus familiare est hominibus sine fundamento ac scientia, aut laudare aut vituperare. Nihil tam probum & concinnum est quod non reprehendi: nihil econtra tam malum est, quod dicto modo non laudari possit & soleat.

Cæterum

Cæterum, vt veram, ex Deo in homines promanantem Influentiam rectiùs intelligatis: iam in vestibulo ad libri argumentum attendite: Et primò quidem ad exempla rerum naturalium: Deinde ad exempla gestorum. Denique ad rerum illiusmodi collationem, cuius gratiá liber scribitur. Nemo autem temerè & leuiter de hisce iudicet. Nec quiuis etiam promiscuè ad cognoscenda ista irrumpat. Vt enim iam tempora sunt: Multi paßim clamatores, pauci effectores, hoc est, Multi enim nescio quid sibi somniant: & interim non cogitant, quòd non in persuadendo sed in sciendo fundamentum rei positum sit. Et scientia hoc sæculo rara est. Volatici enim spiritus vbique dominantur, & clamando cœcas antea hominum mentes penitus infatuant.

TRACTATVS I.

SI, quam virtutem habeat hæc herba, quæratur: & hanc vel illam habere respondeatur: iam cogitandum è vestigio est, quisnam hanc illi facultatem indiderit? Hîc nempè, neminem id posse, præter Deum, apparebit. Ex Deo ergo res naturales vniuersæ profluunt, nec ex vllâ scaturigine aliâ. Naturales quidem illæ vocantur ab hominibus, quia naturaliter fiunt. At quo pacto Deus potest esse Naturalis? Hæc ipsius sunt. Herbam quidem creauit, non itidem inexistentem ei virtutem. Virtus enim quæuis increata est, hoc est, Deus initio caret, nec creatus est. Et virtutes viresque vniuersæ in Deo exstiterunt ante creatum cœlum, terram, omnia, cùm Deus esset Spiritus, & super aquis veheretur, hoc est, cùm Spiritus Dei per aquas transiret. Hoc iam respectu nemini dicere licet, rerum harum virtutem & facultatem, &c. naturalem esse. Est enim supernaturalis, sine fine, sine principio. Ex quo progressæ sunt, ad illum reuertentur, cœlo & terrâ pereunte. Inficiari autem nemo possit, creatas esse herbas, arbores, & Astra. Nec enim in principio cum Deo erant, antequam cœlum & terra crearetur. Spiritúsque Dei horum nullum secum ferebat, sed tandem creabat, cùm faceret stellas, terram, montes, herbas, aquas, ignem, aërem, metalla, lapides, Planetas, &c. Quæ postquam creata sunt, prodierunt, ac cùm tangibilia, tum visibilia facta sunt, & ex Nihilo facta est materia, quâ vtimur. Cùm verò Deus inane nihil relinquat, res suis quibusdam dotibus compleuit. Inanis autem lapis esset, nisi additis suis viribus emineret. Et quidnam homo esset, animâ suâ orbatus? Anima námque ipsum complet. Quid vacca esset, nisi lac funderet? Lactis enim fusio vaccæ complementum est. Vtilitas enim, ex re quâlibet procedens, illius perfectio & complementum est. Ita homo adeptus est animam, cuius vi & ipse & homines vniuersi viuant. Ea hominis perfectio est. Quò faceret, quod montes fluminibus & lapidibus scaterent? In ipsis enim si nihil lateret, inanes essent. Quis terræ vsus, si non proferret fructus? Fructuum ergo productio, eius perfectio existit. Quò autem vicissim fructus faceret, si esset inanis? Quia verò carnem & sanguinem confert edenti, adeóque intra se humanam carnem & sanguinem ille recondit: ex eo iam patet, ipsum inanem non esse, sed esse omnino plenum. Ergo, vt diximus, inane Deus nihil condidit, sed completa omnia. Si quis enim domum, nulli vsui futuram, exstrueret, is apertè insaniret. Sic hic quoque. Cur Deus tot tamque diuersas res crearet, si nihil reconderent, sed in solidum inanes essent? Iam ex his medium completionis harum rerum intelligendum & cognoscendum est. Cum enim increatum in creato sit: meritò de vtrisque disserimus, & quidem discretè, pro ratione completionis, & domus illius, in quâ completio fit. Domus signum est, ex quo percipitur, quis hospes ac dominus inhabitet.

[Scaturi- [illegible] Deo.]

[Virtus [illegible] increata.]

[Ex nihilo omnia facta.]

[Anima hominis, lac vaccæ complementum est.]

Deus ergo in principio deliberauit creare cœlum & terram, non sibi ipsis. A prouidentiâ enim diuinâ priùs deliberatum esse oportuit, vt cœlum ac terra præpararetur, quàm conderetur id quod ita esset. Nimirùm, qui aliquid facturus est, huic necesse est priùs facere aliud: deinde illum, cui facit. Postremum semper est id, propter quod fit prius. Hæc docent, hominis creationem iam à Deo deliberatam fuisse. Si ergo creandus is fuit, & addenda illi necessaria: creari oportuit, cœlum, terram, contentáque creata omnia. Iam voluntatis quidem diuinæ fuit, vt homo in Ebron maneret, sed præuidit vnà etiam Deus fore, vt ibi non maneret. Diuina itaque prouidentia ante hominem omnia creauit: & postremò hominem in Ebron deduxit: ex quo tamen ipsum iterum eiecit, in domum, quam illi iamdum cum omnibus suis filiis vsque ad finem mundi parauerat, ac cuilibet suos census: suos reditus, suas possessiones, &c. aurum insuper & argentum, & pecora, & agros addiderat, vt cuilibet seorsim hæredi bonorum satis suppeteret. In horum numero latuit etiam omnium hominum egestas, infirmitas, miseria, morbus, &c. Quibus enim homo tentatur & affligitur, iam à Principio sunt, & indies fiunt. Deus ergo misericordi oculo miseriam nostram, in quam ab Adamo præcipites dati sumus, respiciens, eâdem operâ commoda etiam in natura remedia creauit, quibus afflictiones illæ tollerentur. Quanquàm auxilium suum idem longè diúque distulerit. Serò enim artificia texendi vestes manifestauit, serò metallorum fabricationem docuit: serò medicinam, & eius vsum patefecit. Ex quibus discere licet, Deum subinde magis magisque suam hominibus misericordiã intentasse & cumulasse, vt quisque sei psum eò rectiùs nosceret. Quin & hoc tenendum est, Deum, etsi varia & infinita creauit, nil tamen ex omnibus inane reliquisse, sed viribus ac virtutibus vniuersa largiter compleuisse, huic hâc, illam alij indens & conferens. Creaturas insuper à sese mutuò ita distinxit, vt vnum præ altero commodissime cognosci & discerni possit. Hinc liberè & expeditè discere possumus, hanc herbam diuersam esse ab illa: illam aliam esse ab hac. Et sic de cæteris omnibus. Simili iudicio discernuntur etiam formæ, signa, virtutésque: vt in quolibet inueniri possit id, quod illi inest. Quibus hactenus dictis omnibus pensitatis, fas omnino æquúmque esse videtur, vt pro instituto nostro res singulas, quarum causa hic liber inceptus

[Dei misericordia in genus humanum.]

inceptus est, ex ordine percenseamus, vsque dum ad veram Influentiæ originem pertingamus. Completio enim (vt diximus) domus immediatè ex Deo promãant, cuius cognitio eò facit, vt intelligamus & queramus quod opus est.

Nihil passim apud omnes vsitatius est, quàm iterare subindè, huius herbę hanc, illius illam esse virtutem. Si quis Tyronum quærat, quis virtutem illam indiderit? respondent, Astrum suâ influentiâ hîc operari. Hic iam manifestum mendacium proditur. Nihil enim horum in se continet cœli Astrum. Quòd si quidem vrticæ vim vrendi impertiri non potest. quî quæso inserere possit aliquid maius? Astrum non potest Ebulo odorem largiri Et quî possit eidem imprimere virtutem maiorem? Hæc ergo omnia perperam & calumniosè in Philosophiam intruduntur. Quinimò, si quis quærat, quis herbam hanc fecerit? Deum illam fecisse & talem constituisse, dicendum est. In semen námque Deus mysterium illud contulit, vt iugi continuatione ex illo talis, non alia herba, produceretur. Hic, quid, quod cœlum agat, habet? Quòd si id omnino aliquid agit, tantum agit, quantum ignis ad coquendam in ollâ carnem. Ignis enim quid carni confert? Nihil. Id enim, quod carni ipsi inest, coquit. An verò coquere influentia est? An coquere est carnem dare? Nusquam gentium. Sola accedit præparatio, quæ nihil dat, nihil aufert. Eodem modo quid herbæ cœlo commodant? Nihil omnino. Sic nec quicquam commodat cœlum, præterquam quòd æstatem, hyemem, noctem, diémque ac aquam promat, (cuius medio res terrestres ebulliant) & rorem (quo res excoquuntur) denique ipsum salem.

Med. reprehēsi.

Astra herbis vires nō cōferūt.

Quoties ergo constat, hanc huius herbæ virtutem esse: toties in continenti, quo modo virtus herbam ingrediatur, quærendum est. Et responsum hîc depromendum est, non ex Planetis, non ex duodecim signis, non ex astris aliis, sed ex Deo, qui solus hanc vim herbis contulit. Responde mihi, quînam fiat vt cibus potúsque in humanum sanguinem & carnem conuertatur? Non certè à cœlo, non à terrâ, non ab elementis, non ab ipso homine, sed à Deo, qui transmutationem adeò operosam indidit, vt rem ex cibo conuerti in sanguinem & carnem concessum sit. Quòd si transmutatio sine medio ex Deo procedit: Virtutum certè, quæ herbis insunt, eadem quoque ratio erit, vt sine omni medio ex Deo descendant, & nec ab astris Planetisque quoquam modo emanent. Ea námque influentia ex Deo, non ex astris est. Influentia ex Deo in hominem, non in astra, nec hinc ex astris demum in hominem, emigrat. Distributio illa in manu Dei sita est, non in potestate Astrorum. Sed interim difficile est, vastum erronum numerum in viam rectam reuocare, qui facie cœli nimiopere sese oblectantes videre sibi videntur, quomodo *Mars, Saturnus, &c.* hominem, &c. fabricent. Faber iste solus Deus est, vicarium sibi nullum constituens, veluti commentitia illa Vranoscopia cum vanariis quorundam Philosophorum libris docent. Rata ergo & firma manet sententia, virtutum essentiam omnem sine medio & diuerticulo omni ex Deo in naturam profluere. Quâ de causâ etiam vocantur naturæ, quòd in naturâ reperiantur, interim tamen minimè naturales, nec creatæ.

Virtutes omnes immediatè ex Deo.

Sed pergamus. Hominis doctrina an ex astris est? Minimè. Si enim ex Astris: iste vtique astri filius esset, quem tamen Christus filium hominis, non astri vocat. Vnde seipsum etiam, quia ex Mariâ natus erat, filium hominis, id est, Adæ vocitat. Aliàs Astronomis, ipsum filium esse Solis, pronuntiare liceret: quod tamen dicere superstitiosum planè & Idololatricum foret. Cùm ergo Christus ipse, hominem filium hominis vocet, suffragante ipsi multoties scripturâ sacrâ: iam ex illo constat, nos filios esse Adæ. Itaque si filij Adæ sumus, nihil nobis cum astris commercij est. Nec enim astrorum sed Dei filius erat Adam. Sed vt iam ad capitis huius initium redeamus, scire conuenit, quinam homo doctus fiat, & in animal ac hominem diuidatur. Animal secundum naturam viuit. Stellæ sunt natura, tam minores quàm maiores. Animal autem diuisum est in omnes species, quales in mundo versantur, in quadrupedes, in bipedes, in volatiles, in Apodes, &c. Horum homo nihil est. Quid is est ergo? Quod extra animal illud est, homo est. Hoc respectu, an Deus in veteri testamento electos suos, Patriarchas & Prophetas, &c. secundum astra elegit? Minimè. An naturale quid in illis respexit aut quæsiuit? Neutiquam. Purum putum hominem respexit. Sic & Christus, ecquidnam naturæ quæsiuit aut respexit, cùm *Petrum, Andream, Iacobum, &c.* Apostolos eligeret? Nihil eius quicquam. Si enim aptitudinem illorum respexisset, animale vtique secutus fuisset. Ea quinimò respexit, quæ cœlo cōsentanea non erant. Aliàs secundum Astronomiæ præscriptum electionem facere debuisset: quod factum minimè est. Iam verò hominem tanquam filium hominis ad officium destinauit & selegit, ac ita ad illum profatus est: *Vos lumina estis mundi, & sal estis terræ.* Insuper autem potestatem quoque istis contulit, spiritus & morbos expugnandi, & mortuos resuscitandi. Hîc quænam stella corporeata est? Cuius Influentia accessit? Nullius certè. Itaque illæ nihili sunt in hoc negotio. Quòd si ab auctore tali potestatem suam homo accepit: vndenam tandem potestas confertur lapidibus & herbis? An nō similiter ex Deo? Idem enim qui Apostolis, ceu Apostolis potestatem illam tribuit, lapidibus quoque ceu lapidibus eandem impertiuit, sicut vtrique etiam ex vno descenderūt Deo, nō ex astris. Quid enim id est, quod medicina sanitatem cōfert? Nihil certe est aliud, quàm gratia ac dos à Deo collata. Quid est, quod Apostoli sanauerunt? Signum est, quod sint Apostoli eius, qui cœlum ac terram creauit. Et his qui medicinam, virtutem & efficaciam dedit, idem dedit etiam Apostolis, nō astra, non Planetæ, non signa cœli. Sicut enim hæc nihil quicquam in Apostolis cooperata sunt, ita nihil quicquam etiam agunt in rebus naturalibus. Domum enim saltem coquunt sicut tignarius fabricat hospitium: qui tamen non item habitantes in illâ homines facit.

Christus filius hominis.

Adæ filius e hominis...

Apostoli & Prophetæ quomodo electi.

Astra quid & quomodo agant.

Ex hisce iam de rebus naturalibus omnibus sciendum est, quòd domus sint quasi hospitia virtutum. Sic formatum diuersitas, cuiuslibet virtutis inueniendæ indicium præbet. Deus autem virtutes & efficacias illas naturæ infudit, sicut animam infudit homini: quæ quidem virtutes animæ dissimiles minimè sunt, nisi quòd sine initio apud DEVM fuerint, cùm tamen anima creatura sit, ex Deo procedens, & ad DEVM rediens. Sic ergo in hoc inter se similes existunt, & tamen in eo differunt, quòd anima sit homo, non item alterum. Sic Dei magnalia & mysteria ardua sunt, & exquisitâ contemplatione cognoscenda.

[illegible]

Ex declarato iam proposito nostro sequitur, cuilibet notum esse debere, quòd homo sit filius hominis, filius Dei, filius Adæ, non stellarum: quódque homo ab astris & elementis differat ita, vt nihil cum ipsis commercij habeat. Astra autem cum homine eam cognationem habent, quam habet cum eo ignis per fornacem. Si diutius quis ad fornacem stat, diutiùs igne fruitur: non tamen homo, sed animal tantùm. Non, quòd homo talis sit, sed quòd omnes quoque virtutes terræ, in naturâ consistentes ita ex Deo procedant & in naturâ subsistant, sicut in homine anima, orta quidem non ex carne, non ex sanguine, non ex ossibus, sed ex Deo. Vnde iussa etiam est credere in Deum, hoc est, in illum, ex quo processit. Hoc modo cognoscenda & iudicanda natura est, quænam & qualis ea sit, adeóque constellatio influxionis, non alibi, sed apud & ex Deo quærenda est. Quid verò & quantum astra conferant, iudicatu perfacilè est.

Cœlum simile est tignario

Quid enim aliud confert homini tignarius, quàm quòd domum illi fabricet, in quâ habitet? Ipsi verò inhabitatori nihil addit: nec is ipsius opus est. Eodem modo & cœlum securim habet, fabricans & operans in terrâ, sicut tignarius in ligno occupatus, singula suo loco & ordine disponit aptátque. Idem autem faber virtutem ipsam minimè fabricat.

Virtutes rei informes.

Rerum námque virtutes nec formam nec speciem habent, & nec visibiles nec tangibiles existunt: sed sicut puer adolescit, & cum ipso simul anima: ita hîc quoque. Iam verò anima in puero eadem est, quæ in adolescente, & econtrà. Eodem modo & virtutes in herbis teneris eædem sunt, quæ in senescentibus. Cur verò tenerarum non idem vsus sit, qui est adultiorum: domus ratio facit, quę res perdit quãdo nõ satis matura est. In domo enim perfectâ demum, habitatores integri sunt: in imperfectâ integri non sunt. Sicut enim infans in seipso, non per animam adolescit: ita res quoque naturales, & in ipsis virtutes adolescunt vsque ad terminum à Deo pręstitutum, quem transgredi non possunt. Nec enim fieri maiores possunt, quàm Deus permisit. Et in hoc termino ipsis subsistendum est.

Terminus rei cuilibet à Deo præfinitus.

TRACTATVS. II.

HActenus de Naturâ accuratiùs ideò disseruimus, vt rectiùs intelligeretis, virtutes & arcana eius ex Deo omnino manare, & ipsam influentiam insuper ex Deo defluere, sicut, radij ex Sole in terram mittuntur: denique radios hos Deum multis viribus ac virtutibus dotatos distribuere, licèt Solis quidẽ radius vnicus tantùm, isque simplex sit, instar ignis, qui & ipse vnius tantùm naturæ est, & tamen multipliciter operatur, prout diuersis adhibetur: quod idem de Sole quoque similiter statuendum est. Restat ergo, vt iam deinceps pleniùs cognoscamus, quo modo Deus virtutes in naturam distribuerit, & cur in vnum non vniuersas coniecerit, sed cuilibet peculiarem partem designârit, & quamlibet terram iis præcipuè rebus, quibus apprimè opus illa habuit, instruxerit. Sors eadem ipsius quoque hominis est. Nam & huic Deus sine omni medio necessaria largitus est, sicut legimus de Patriarchis, cum quibus locutus Deus, hæc vel illa fieri & perfici mandauit.

Deus solus omnia dat hominibus.

Quod ipsum nobis cumprimis admonitioni & exemplo esse debet, eandem omnium hominum quoque rationem esse, nec cœlum nobis quicquam vel loqui vel dare, quo opus sit, sed solum & vnicum id facere Deum, qui solus nobiscum loquitur, & necessaria omnia impertit. Hoc Christi confirmant verba, quibus discipulis suis mandauit, *Hoc facite, &c.* Quod quia fecerunt, quod voluerunt, assecuti sunt. Exempla hæc nobis proposita sunt, vt ex illis discamus, clam quoque fieri, & fieri posse, quæ facta sunt palam. Idem enim si faciat homo: eodem modo factum eius acceptabitur. Nemo enim diabolos eiicere, aut mortuos resuscitare potest, nisi ex Deo sit. Hoc iam qui facit, ex Deo est. Et licèt quidem non apertè fiat: ex operibus tamen, quis sit, noscitur. Nam & Iudæos hoc modo Christus vellicat, vt, si verbis eius quidem credere nolint, operibus tamen spectatis credant, & illum inde cognoscant.

Opera testantur de re.

Talia ergo omnia cùm ex Deo procedant, tam respectu illius hominis, quàm rerum aliarum circa naturam euenientium: homo vtique eodem loco habendus est, quo herba aliqua, quasi diceretur: *Hic homo est ipsa herba: iste est illa herba: ille alia, &c.* Nam & inter homines dona à Deo distributa variè, nec in vnum congesta vniuersa sunt, sed cuilibet respectiuè magnale seu arcanum vnum.

Dona hominũ varia.

Illud arcanum, si velut arcanum vsurpatur, pro arcano omnino habe; hoc est, pro dono ex Deo proficiscente, pro eo inquam, in quod sine omni auxilio creaturarum vis quędam à Deo infusa est, non secus ac in Paulum, in Prophetas, in Apostolos, & Diuos cæteros. Quòd si verò contra hactenus dicta aliquis ita obiiciat: *Cœlum Romanis fauit ac benignum fuit, & vi cœli ad tantam potentiam surrexerunt*: Item: *Cœlum tale homo habet, itaque emerget, & hoc vel illud designabit, &c.* De re istâ primum ita statuendum esse ducimus. Si homo viuere velit animaliter, hoc est, velit scortari, inficias non eo, quòd spiritus astri ipsum impellat; non tamen ipsum astrum. Sic se res omnino habet, non aliter. Hinc inferamus. Si quis iam ditescit, quomodo cœlum ditare ipsum potest? Nam nec aurum nec argentum ipsi impertire potest, quę omnia ipsius Dei sunt. Si cœlum talia faceret: quid faceret quæso Deus? Quòd verò ad locum thesauri ducatur homo, non caro ipsius cœli in causâ est, sed ipsi potius spiritus, quos pseudo-

pseudo-Prophetæ pro Planetis habent: adeóque pro inclinatione & influentiâ diabolum colunt & introducunt. Hinc Christus etiam eiusmodi homines *Nequam* vocat. Si Christus ipse eos ita vocat: magnum & insignem certè nequam occultari necesse est, quem ipsi nec intelligunt, nec vt intelligant, annituntur. Et quidnam id miraculi sit, prædicere, quid die crastino futurum sit? Hoc enim & diaboli nôrunt. Et prænuntia illa frequentiùs ex diabolo quàm ex naturâ descendunt. Non enim Deus præsagia fecit, quæ erumpant, sed cum astris suis illa coniunxit. Illi autem ex signis, quid sit, vident. Propheta nascitur: præsagus, hoc est, augur educatur, vtcunque cadat.

Diaboli futura nôrunt.

Itaque (vt ad obiectionem respondeamus) si cœlum quidem Romanis bene cum fauénsque fuit: quid hoc ad potentiam ipsorum profuit? Successum illum Deus ordinauit, qui impediri non potuit, siue cœlum cœruleum siue nigrum fulsisset. Esto autem esse aliquid quod faciat, vt huic decedat, illi accedat aliquid, quandoquidem mira rerum varietas incidit: At quid id quæso ad hominem? An non sapientia Salomoni à Deo data est, vt in homines emanaret? Id autem quo alio factum fine est, quàm vt disceremus indè, nostram quoque sapientiam similiter ex Deo promanare, haudquaquam ex astris aut diabolo? Sic omne nostrum auxilium ex Deo, minimè ex diabolo. Et quicquid vbique in creaturis existit, vniuersum ex Deo est. Vnde talia etiam dicuntur magnalia, arcanáque; mysteriúmque hoc habent, quòd non ex aliis, sed ex ipso Deo profluant. De re autem quâlibet fiente, & cœlum repræsentante, ita quispiam argutari fors posset: Ecce, cœlum intuere: an non id ita dispositum ast ad generationes terræ? De hoc ita statuite. Quod coqui debet, illud omnino ignem & lignum, quibus coquatur, requirit poscitque: aliàs coquetur minimè. Hoc modo & Romani fauens cœlum habuerunt, hoc est, bonum coquum ad res suas acceperunt. Ipse tamen nihil præstitit aliud, quàm vt coqueret & maturaret, quod illi inceperunt.

Romanorum potentia non fuit à cœlo.

Salom. sapientia ex Deo.

Magnalia & arcana cur dicatur.

Et hæc sedulò à quouis attendenda sunt. In his enim sita est clausula postrema contra illos *Nequam*, qui firmamento tantum tribuût. Res nimirùm terrena quælibet præparanda est. Exempli gratiâ: Metalla creata sunt: quæ nullus homo facere potest, iam facta antè. Ea si requirit homo, necesse habet, vt illa separet à luto. Si hoc laborat: iam non, nisi per ignem id impetrat. Huius enim beneficio metallum consequitur. Rem ita intellige. Romani potentem habuerunt regem. Item habuerunt Iulium Cæsarem, Catonem, Pompeium &c. Regis autem eadem fuit conditio, quæ metalli, nondum separati & expurgati. Iacuit tamen in suo loco, hoc est, Romanorum castra illius regis fodina fuerunt, quasi aliquis probator illâ sede iacuisset. Porrò accedentes, homines, regem illi, inuenerunt, hoc est, opus tractandum aggressi sunt. Ex quo patet, nihil illos acquisituros fuisse, nisi præparator præexstitisset. Homines enim vniuersi sumus bubalini. Cœlum autem istorum omnium coquus est & præparator. Si alicubi regis metallum iacet, & homines adsunt, qui eruere volunt. Horum fusoria fornax cœlum est, heterogena separans. Sic prodit bubalus, satis quidem validus & robustus, infirmior tamen, quàm vt frontem liberare, hoc est, sordes à se excutere possit. Impuro postea à puro separato, iam materia in rege est. Cæterum quis facit victoriam? An non metalla à Deo creata sunt? Si à Deo: non vtique à cœlo. Semel enim factum, nemo facit denuo. Eodem modo & victoria Romanorum facta est. Si hoc modo facta: quid illa ad cœlum attinet? Nihil quicquam. Hoc tamen verum est, quod res quælibet, suis sordibus adhuc permixta facta sit. Bonum enim & malum, purum & impurum in saccum vnum confusa sunt. Ideò excoctione & separatione opus est, quam homo instituat, vt margarita latens & in sordibus occultata separetur ac producatur. Quæ autem ratio est fodinarum metallicarum: eadem est etiam rerum illarum, de quibus dicere solemus: *Cœlum hoc facit, fecitve.* Nisi enim Deus tale quid faceret: nulla vnquam tanta cœli vis foret, vt talem Iulium, Alexandrúmve coquere posset. Et tamen, quia Deus illos, ceu metallum creauit, cœlum eosdem coquere, præparare, & impurum separare potest, vt nimirum creatum luceat aut fulgeat velut aurum & argentum, ex igne nouiter extractum, & omnibus sordibus exutum.

Metalla homo non facit sed separat.

Romanorum victoria [illegible]

Ita ergo de cœlo statuendum est, quòd tantum sit elementum ignis, non factor carnis aut pultis in ollâ coctæ, & quòd illam tantùm coquat. Et vt adhuc euidentiùs res intelligatur, porrò attendite. Si dicatur: Homo iste talis euasurus est, quia natura ipsius talis est: sciendum est, iudicium ex hoc principio desumi. Ollam nempe si ad ignem inspiciamus: iam quid coquatur in ipsâ, videmus, nempe carnem aut aliud quid. Sic etiam ex cacabo constat, quid in ipso coquatur. Sic & ex fornace chymistica constat, quid destilletur. Ex fornace calcaria noscitur excoqui calcem. Ex fornace fusoriâ intelligitur liquefieri aut fundi metallum, &c. Sic nimirum euidens est, quòd ex cognito per proprietatem & experientiam discrimine ignis, vt iam diximus, quidnam in igne præparetur, intelligamus. Eodem modo, si ignem, hoc est cœlum hominis cognouimus, quisnam iste ignis sit, iam intelligimus, atque vnà scimus, quidnam iste ignis coquat, & verè dicere possumus: Hoc vel illud ab igne coquitur. Hinc tamen haud quaquam sequitur. Cœlum suæ constellationis inclinationem instillare, in id quod in homine coquitur. Res enim aliter se non habet, ac si cocus carnem in ollam inderet, & præterea ignem adderet. Talis etiam Deus est. Nam si homo nascitur, Deus in ollam ponit ipsius spiritum seu halitum, hoc est, virtutem & robur seu donum ipsi confert & addit ligna, ac succendit ignem, apud quem coquatur, vt suo tempore fiat esilis, hoc est, virtutem inditam exerat & in lucem edat. Quòd si ergo res ita se habet: quo iam equidem iure dicere possim, stellas (quæ tamen in hâc fornace coquunt tantum) hoc vel illud inclinare? An non inclinatum iam tum præsto est? An non inclinator est

Astra quid in homine agunt.

est is, qui id imponit? Is enim solus imprimit? An non, quod imponitur, est influentia? An nō qui imposuit, is est, qui influētiam largitur? Omnino. An hæc ergo sit constellatio? Neutiquā. Quid cōstellatio est? Est congestus ex variis lignis ignis, elixans elixandum. Nam hoc tantùm ignis præstat. Quòd si ergo ignis hominem facere diceretur, & ob id homo filius Lunæ, Martis, Saturni, Iouis, Veneris, Solis & Mercurij vocaretur: eadem pol incōueniētia foret, ac si frustum carnis, in olla apud lignum Iuniperinum excoctæ, &c. filium Iuniperi, Aloës, Fagi, &c. appellarem. Res ergo omnis hoc ambitu, vt diximus, clauditur, quòd omnia eodem modo creata sint, quo Ætna, Sylua Hercynia, Alpes, Melibocus, &c. Quòd si constellatio talis concurrat, hoc saltem agit, vt coquat & præparet, veluti Sol coquit arbores in Sudetis mōtibus, aut frumentum in sabulosis agris, aut vinum in montanis Alsatieis.

Constellatio quid.

Quod autem de homine arcanum, ex magnalibus Dei promptum, animaliter sciendum est, hoc est. Omnium primò Deus hominem seu arcanum ipsum creauit. Deinde igni mandatum dedit, hoc est, coco cœlesti vim coquēdi & præparandi indidit. Iam si ignis validus erit, & luculenter flagrabit, impositum arcanum eò feliciùs coquetur & mutabitur. Si enim coctor calcis ita errare potest, vt lapis, calx futurus, rectè non excoquatur: eodem errare vtique modo etiam cœlum poterit. Si destillando, reuerberando, calcinandòue Alchimista aberrare suo igne ita potest, vt quod vult, non semper eliciat: poterit etiam cœlum. Et hæc causa est, cur alius alio felicior, & illustrior fiat. Et de hisce terrenis ideò sic hoc loco dissero, vt quātum ipsis tribuendum sit rectiùs intelligatur, sciaturque, illos, qui scripturæ contrariū loquuntur, scribunt ac sentiunt, superstitione minimè carere.

Sed vt missis hisce, ad instituti nostri limites reuertar: sciendum est, illa, quæ hic recensentur, eò facere, vt quæ deinceps tradentur in Epilogo, rectiùs & commodiùs intelligantur, & obiectionibus omnibus satisfaciant. Etsi verò contradicentibus omnib. hic satisfacere minimè videbuntur: sufficere tamen videbūtur illis, qui boni & frugi sunt. Et cæteris tātū quidem fidei dabitur, quanti ipsi sunt. Firmū enim de donis Dei in hominē collatis hoc axioma perstat, quod, quicquid vspiā homo habet, vniuersum à Deo datū sit. Cæterum, quia paulò antè de igne loquuti sumus, iam deinceps hoc quoque limitandum est, quod non omnia per ignem (vt ita loquar) actuentur, sed plura etiam citra ignem coquantur. Huius classis fuerunt Prophetæ, *Salomon*, *Abraham*, *Iacob*, *& plures alij, ceu Adamus & Eua*, quos nulla vtique constellatio excoxit, sed manus Dei sola. Euidens ergo discrimen est inter constellationem & non constellationem, quanquam ab vna manu vtræque factæ sint, & ex communi principio profluant. Notandum tamen & explicandum hoc loco est, quod discrimen sit inter constellatum & non cōstellatum, hoc est, inter id, quod ab igne excoctum & non excoctum est. Dies namque qui à constellatione hominem excoqui voluit, is idem potentiam suam etiam sine constellatione exerere potest. Sic panis modum suum habet, quo molatur, fermentetur, coquatur, frangatur seu scindatur. Hunc tamen ordinem Christus ipse non seruauit, sed aliquot millenos homines præter naturæ seriem pane, ex agro nullo collecto, cibauit, veluti notum est.

Hominis dona omnia ex Deo.

Ex hisce ergo breuiter intelligendum est, Deum naturam ipsam condidisse, & attribuisse illi suum ordinem, & necessaria omnia illi contulisse, quæ ad hominem satiandum & pascendum requiruntur. Sed & multis aliis opus habemus, quoniam vitæ nostræ rationem non intelligimus, nisi quatenus ex Deo cognoscimus. Merito ergo Deus Patriarchis ipsis locutus docuit, nec cœlum nec astra vim regendi hominis habere. Ob collatam enim hanc astris potentiam videri is posset, sine astrorum opera parum per seipsum potens aut efficax. Nec Dei hæc ratio est, quæ est alterius magnatis, qui ad ministros suos res grauiores deuoluit, ac quæ seria obueniunt, ad officiarios suos relegat. Dei, inquam, eadem conditio haudquaquam est: Sed is & naturam ipsam, & omnia magnalia simul condidit, hæcque illi indidit. Et tamen interim hisce omnibus superior, potenti manu vniuersa ipsemet moderatur, séque verè dominum omnipotentem cognoscendum & iudicandum offert. Eodem modo & Christus, cum super terra ambularet, Apostolos sibi certos elegit, illisque necessariam potestatem addidit. Hi nulla excoctione opus habuerunt. Ipse namque filius Dei ipsos excoxit. Quod si ergo citra constellationem ac operam astrorum illi parari & meliores reddi potuerunt: poterit idem Deus præstare etiam maius minúsve. Quod autem cœlum coquere talia, Deus permittat: causa ea est, quòd nostrûm pauci sint electi. Cœlum ergo operari sinit Deus, vtcunque illi bene maléue cadant. Si non sunt ex electis: non facilè vel ab ipso Deo præparabuntur. Satis est, Arcana ipsum nobis dare, & cœlesti igni talia præparandi mandatum facere, sicut metallum præparatur à fusore suo. Cur enim Deus ipse fusorē ageret. Tum etiam nihil boni tandem ex re illa emergeret. Adeóq; satis id est, quod homo facit. Nihil enim constans manet: sed omnia interibūt, & in nihilum vertentur. Eadem sors ipsius etiam est hominis, quem coquit cœlum. Quid autem id coctionis est? Nihil. Coquit enim is in eò tantùm, qui ferruginem & scoriam absumit. Huc iam facit Euangelium. *Nisi quis desuper nascatur, hoc est, regeneretur, nihili est.* Quod idem est, ac si dicatur: *Quidnam id est, quod Arcana & Magnalia, &c. tibi dedi? Cœlum coquit: Tu ob id saluus non euadis. Si verò dennò ex alio regenereris, iam saluus eris.* Dictorum summa omnis huc recidit: Nemo is maneat, qui à Naturâ factus est: sed seipsum ita coquat & præparet per ignem, vt desuper à Spiritu Sancto excoquatur. Ea enim generatio secunda est. Sic crúce nostra nos Christum sequemur, aliàs citra regenerationem istam damnationis consortes futuri. Nec enim minùs rosæ, quàm fœtentes Cotulæ putrescunt.

Deus naturæ necessaria omnia contulit.

Deus etiam citrà naturæ operi potens.

Apostoli facti citra astra.

TRACTATVS III.

Terrena hæc sunt præludia futurorū cœlicorum.

OPus omnino ac necessarium est, nos in terrâ hâc versantes, potentiâ diuinâ, vt iam diximus, instructos esse, nec saluos quidem tantùm, sed & in insuper ipsos damnatos. Magni enim in hâc terrâ momenti est, infelices felicium sorte & commoditate hîc frui. Vbi autem ex vitâ hac digressi, gratia opus habebunt: nullam vtique impetrare poterunt. Ea iam summa miseria erit. Sic nimirum & diues ille in terra hac ad sitim restinguendam potus abundè satis habebat. Mortuus autem vilissimi potus Aquæ, ne quidem guttam vnicam impetrare poterat. O quam dura illa sors est, in terra hac quendam rerum copia abundare, illarúmque summa voluptate diffluere, sed in alterū mundnm translatum illarum totali inopia premi? Sic vicissim saluandorum longè illa suauior est felicitas, si ex hac miseria in alteram mundi gloriam abrepti summam cibi potúsque ac rerum denique vniuersarum blandissimam copiam inueniant, terrenis omnibus longé amabiliorem & suauiorem. Hac de causa necessarium fuit, tam beatis quàm damnatis Deum in hoc mundo varia sua dona distribuere. Beati quidem, vt quid deficiat ipsis, intelligant, & tamen sciant, se longè feliciores illis esse, qui naturali siti affecti, ad illam restinguendam terreni potus copiam habent. Hi enim in alterum mundum transpositi, simili cum diuite illo siti tentantur. Et licèt quidem, quid desit ipsis, sciant: eius tamen impetrandi nullam copiam habent. Beatus vero & ipse siti quidem tentabitur: satiabitur tamen potu mensæ illius, ad quam Christus nos inuitauit, largissimam æterni vini promam. Ex his colligi potest, res omnes, quibus post hanc vitâ habituri opus erimus, & in hoc mundo præexistere aut veluti præcurrere. Et quæcunque in hac terra nobis commodo & vsui sunt, eadem & in altero mundo nobis, (sua tamen ratione) vsui erunt. Requiritur ergo, nos in hoc mundo Arcana Dei habere, nempe Arcana sanandi per Naturam & per homines. Per eiusmodi námque compellimur, vt Deum reuerenter colamus. Post hanc autem vitam, eiusmodi Medicina iterum indigebibus. Quòd si futuri salui sumus: illa vtique perfruemur. Sin minus, sciemus tamen, quidnam nobis deficiat, ac de terrenis recordabimur, dicentes: *O vtinam guttam tantum vnicam potus aut medicinæ terrenæ assequeremur, vt tantillum saltem quietis & intermissionis in hâc flammâ obtingeret.* Et licèt quidem sciant, voti illius sui summam inutilem esse, etsi lingua guttulam vnam aut alteram degustarent (quid enim gutta vna ad tantum ardorem conferat?) ex arida tamen ac inexhausta siti ipsorum colligere licèt, quanta miseria excarnificentur, ac iam demum intelligant, quarumnam rerum copiam amiserint.

Diuitis & Lazari collatio.

Conuenit ergo, nos in terra degentes gratiam diuinam cognoscere, vt videamus in illo altero sæculo, quanto maiore gratia diuina beati illic fruantur, adeóque terrena hæc ad illa cœlestia collata, nullo omnino loco habenda sint. Econtrà autem & damnati visuri sunt, quàm pretiosum in hâc terrâ thesaurum perdiderint. Ibi enim gratæ, tanquam aquæ minutissimos saltem riuulos, aut abiectissimæ tantum vrticæ medicinam ardenter optaturi, voto suo miserè frustrabuntur. Ipsi tamen in summâ suâ miseriâ constituti scient, quanto excellentiori gaudio exultent illi, qui boni & frugi in terrâ fuerunt.

Damnatorum quæ conditio sit futura.

Vt autem iam deinceps etiam comprehensum habeamus, quidnam sit id, quod in hac terra existens, post vitæ terminum decedet: scire conuenit, primum esse potum. Hoc testatur vir diues, qui vnicam tantum aquæ guttam sollicitans, ipsam impetrare non potuit. Ideò in terrâ oportet esse aquam, ex quâ illa altera cognoscatur. Quòd si diuitis lingua aquam illicò sitiuit: quantò præstantior erit illa cœlestis seu æterna, q. â Deus nos refocillat? Hoc iam si verum est verum vtique & hoc erit, quòd in terra liberationem habeamus ex morbis, qui nos terrenos in carne affligunt modis variis. Et cur morbi gliscūt? Vt nimirùm illis etiam damnatos obsideri videamus. Liberati enim sumus quidem ex inferno: non autem ex morbis, miseriâ, ærumnis. Et ea liberatio à Diabolo & ipsius vinculis ad animam pertinet. Corpus autem morbos sustinere cogitur vsque ad finem mundi. Damnati & ipsi à morbis inuadentur: sed ex illis minimè liberabuntur. Nos autem liberabimur in resurrectione per clarificationem illam, qua nostra miseria, fames, sitisque, &c. auferentur. Non eadem conditio etiam improborum erit. Corpus enim pœnam luet etiam in illo seculo altero. Dum ergo bonorum terrenorum, & magnorum Dei arcanorum recordabuntur, sic apud se cogitabunt. *Ah, vtinam tantillum lalepi aduersus hunc morbum, aut Apostolici contra hoc vulnus, aut parum testudinis pro synouiâ haberem.* Et tamen nihil quicquam horum ipsis dabitur, vt nec diuiti vnica aquę gutta siti enecto obtigit. Sciendum itaque est, morbos nostros vniuersos damnatis hæreditarios & constantes, abscedere. Ipse autem Christus medicinam illis offert redemptione sua, morbos corporis & nęuos omnes tollens per nostram resurrectionem. Damnati verò hoc bono non fruentur, sed morbos æternum secum fouebunt, iisque affligentur.

Potus est iam in altera vita.

Seria ergo & aperta necessitate compellimur, ad Magnalia Dei in rebus Naturę omnibus consideranda, velut in Astris, lapidibus, Margaritis, corallis, floribus, radicibus, herbis, seminibus, lignis, corticibus, fructibus & similibus aliis, velut & in ipsis metallis. Cur enim & quo fine illa omnia præsto sunt? vt illi, nempè infelices sic secum cogitent: *Væ nobis, si beati tam amœnum & vernantem floribus hortum habent.* Scient enim, quantum illi gaudium in Paradyso, in Ebrone seu regno Dei habituri sint. Ideóque compertum habent, nos terræ floribus indigere minimè, sed flores potius æternos sortiri, & ab omnibus infirmitatibus liberatos esse. Tunc ergo damnati clamaturi sunt: *O vtinam & nobis flores terræ, quibus dolores & morbos nostros mitigare & placare possemus, obtingerent.* Et tamen voti sui compotes fient minimè. Ex loco ergo illo afflictionis aspicient

Opera Dei rebus conspicua.

cient in sinum Abrahæ, in quo quiescent beati; Miserabilis illic planctus erit clamantium & vociferantium de terreno saltem, quod tamen nec ipsum assequi poterunt. Quod enim cumulatum habuerunt in terra, id contempserunt, nempè Gratiam diuinam. Propter quod & ipsi meritò contemnentur, vt nihil impetrent. Hoc enim vniuersum Gratiæ diuinæ in terram effusæ fundamentum est, vt ex illa infelices videant, quanto defectu torqueantur ob denegatum terrenum, quod antè vbertim ipsis affluebat. Sicut autem corporaliter & naturaliter de hisce loquor, ita eadem sunt etiam intelligenda de inferno. Nimirum propter peccata sua & flagitia præuaricationésque in infernum abstrudentur. Ex illa sede non saltem corporales medicinas, sed etiam cœlestes & spirituales implorabunt, & de gratia obtestabuntur. Et licèt quidem gratia ad orandum orbati sint: cogitando tamen ita penitè singultient: *O vtinam terræ redderemur, vt hoc vel illud ageremus, Deique gratiam imploraremus, vt vel hac vice nobis ignosceret, velut ignouit Magdalenæ adulteræ, & latroni in crucem sublato. Iam thesaurus cordis & pœnitudo erumpit, & quidnam tandem neglex imus in terra tempore illo, quo nobis liberum erat, pulsare oratéque: quod tamen nunc susque dèque temerè habuimus?* Videte verò: nisi per Christum talia in terra patrata fuissent tale nihil illi sollicitarent ab eo, de quo nihil ipsis constaret. Iam quia ab exemplis aliorum gratiam hanc didicerunt, veluti supra de guttula Aquæ diximus: eius vrgente casu & ipsi pro se recordantur, clamantes: *O propitie Deus miserere mei, & vnicam tantum mihi guttulam largire, &c.* Hic tamen à nemine quicquam accipiet, veluti nec Lazaro à quoquam quicquam datum est.

Sed restat iam, vt rhombum ac cardinem ipsum tangam instituti mei: cuius gratia hæc hactenus disserui. Pertinent enim iam dicta eo, vt sciamus, vndenam omnia dona, *Magnalia, Mysteria, Arcanáue* promanent, nempe ex solo Deo. Si ex Deo, cur eadam accepta ferimus aut creaturis, aut Diabolis, aut Astris? Longè ista facessant à nobis Christianis ac fidelibus. Medicina ex Deo est: ex Deo ipse homo est. Sic etiam præsidium omne ex solo Deo. Sed antequam summatim rem finiam, obiectionem hanc breuem monebo. Si Deus per quendam suam nobis gratiam defert: cur illam non acceptemus? In nobis (exempli gratia) suum misit filium, qui cùm in genus humanum beneficia varia conferret, id criminationis audire coactus est, quòd per Satanam, quem haberet familiarem, talia præstaret. Hoc iam enorme mendacium est, de quo dicendum videtur. Eodem modo & Ioannes Baptista ex Deo egressus erat. Nihilominus tamen à Diabolo egressus criminabatur. Eadem calumnia impetebantur etiam discipuli Christi adeóque vniuersi illi, qui à Deo missi venerunt: A Diabolo námque omnes missi dicebantur. Non felicior conditio fuit etiam Patriarcharum. Quòd si vel hoc ipso momento gratia quædam ad nos mitteretur: iam illicò personarent Pharisæi, ipsam ex Diabolo descendere. Et talia nolens volens Diabolus fecisse narratur: qua tamen impietate honori Dei detrahitur, sicuti & contumeliam Christo ingesserunt olim, & vniuersos eius discipulos prosecuti sunt. Ea interim Diaboli calliditas est, vt, vbi gratiam diuinam vrgere nouit, ibidem sese quoque ingerat, vt nimirùm turbas & confusionem cœco populo obtrudat: sed fraus ista facilè detegitur. Vt enim, si quis se Medicum venditans, auxilium & sanitatem vniuersis polliceatur, intus tamen nequam sit, homines illicò dicerent, *Vah, quosnam ille homo nihili iuuet?* ita hìc quoque de cognito Diabolo dicendum est, nihili ipsius auxilium esse, sed meram confusionem ipsum offundere. Et hæc de naturalibus hactenus. Meum autem institutum ita se non habet, sed sequenti similitudine expedietur. Deus nempe ex Deitate sua influentiam effundit super herbas, & præcipuè super herbam vnam certámque. Iam & ipse Diabolus si sese ingerens vna suos radios emitteret, & vicinas herbas, lolio seu vitio alio aspergeret: Pharisæi his cognitis dicerent; *Quidnam in horto queritis, in quo Diabolus est? an ipsum non videtis?* Diabolus autem ad talia minime erubescit: sed debita opera sese videndum offert, vt loca confundat, ne diuina in herbis Influentia inueniri queat. Præterea populi pars maxima superstitiosa est, nec de Diaboli fraudibus cogitat: cuius tamen ea natura & peruicacia est perpetuo, vt ad seminaram Margaritam suum oletum subinde adiiciat, ne illa reperiatur facilè. Et hoc ingenio facit, vt absterriti homines longius fugiant.

Iam dictorum hanc explicationem addemus. Magnalia sua Deus hominibus miris ac variis modis distribuit, ex Solis tamen signis & operibus, non item aliunde cognoscenda. Nec enim Diabolus vel Febrem vel dolentem dentem sanare potest, quod sedulò obseruari velim. Cur verò talia quandoque repudientur, id in causa est, quòd Diabolus ipsis quandoque suas fraudes confundat, quæ oculis promptiùs videntur & manifestantur. Illæ ergo animaduersæ, auxilium quoque verũ in suspicionem vocant. Hoc iam euentu Satanas exultat, & in sinu suo gaudet. Exempla nota sunt in Medicina, quæ terrena est, Hanc enim intaminatam Diabolus non sinit, sed suscitat Pseudomedicos, profert erroneos libros, imperitos Pharmacopæos, &c. hoc fine, vt naturalibus mediis sua laus derogetur. Producit ille Medicos qui quouis carnifice atrociùs ægros & crudeliùs tractent. Et talia secundum Naturæ institutum fiunt minimè. Nec enim ad id Medicina à Deo condita est, vt præter morbi dolores homo insuper etiam excorietur, sed per medicamenta idonea omnino sanetur, & reficiatur. Et tamen Diabolus sua mancipia obtrudit, qui dilaniando & excruciãdo hominibus infãdo modo dolores augeãt & cumulent. Sed hæc carnificina, non Medicina est. Et tamen in casibus plerisque omnibus talia eueniunt. Tanta enim Satanæ improbitas est, vt, quò radium diuinum potentiorem esse obseruat, tantò maiore cum molimine regnum suum obtrudat & ingerat, hoc

Bona & magnalia omnia ex Deo.

Christus cum suis discipulis à Diabolo missus dicitur.

Diabolus Diuinis rebus sese ingerere solet.

Dei Magnalia, vt discernẽda à Diaboli operibus.

Diabolus Pseudomedicos, &c. cur producat.

hoc vnicum satagens, vt homines dicant: Phui, quænam ista res est? Merè illa Diabolica & inhumana sunt, meræ sunt fraudes, decipulæ, mendacia. Quis deinceps Medicinæ quicquam fidei det? quis eam vnquam admittat? Interim pergit Diabolus, & superinducit Medicos, qui ægros penitus resoluant aut occidant, vt mali fama latiùs exundet. Vniuersa autem ista hoc fine molitur, vt in suspicionem & contemptum vocatis crearis diuinis, fraudes exercere suas ipse liberiùs possit. Quis enim aliàs eò audaciæ deuenire posset, vt Dei opera repudiaret ac contemneret, nisi Diaboli imposturis ea fœdata videret? His enim animaduersis, simplicium mentes illicò confunduntur. Ad imposturas tale olim etiam Pharisæi se applicabant, dicentes: Hoc videte, videte illud, &c. ad Diabolica opera intenti, & Margaritam veram omittentes solum malum ante oculos sibi ponentes vbi nihil est nisi Diabolicum. Et hæc Satanæ technę ac studia sunt. Vos autem, vt ipsam veram Margaritam in rebus omnibus probè noscatis, scire ante omnia debetis, quęnam & qualia in talibus Diabolus operetur & agat: deinde etiam, quibus fraudibus ipsius Pharisæi vtantur. De quibus tamen vt prolixiùs hic disseram, nulla necessitas est. Satis est, vos ad ea recurrere, vbi veram Influentiam describendo explicare incepi.

Et vt tractatum sequentem rectiùs intelligatis, præmonendi hic iam estis, me deinceps *de Naturalibus crescentibus*, vt Gemmis, Seminibus, Herbis, Floribus, Radicibus, &c. vt de quibus iam satis dictum sit, nihil amplius traditurum esse. Iam enim vniuersi exploratum habetis, ex quonam prodierint, quibusque Diaboli fraudibus per Astronomiam, Philosophiam & Medicinam illa conspurcata sint. Quos omnes tres ob id iure etiam Pseudo-vel Anti-Astronomos, Philosophos & Medicos appellare possum.

Porrò autem disseram de diuina Influentia locorum & personarum, hoc est, eorum, quæ non sunt domicilia arcanorum. Homo enim medicina non est: & tamen est Medicus. Sic Petrus erat Medicus, multos sine remediis sanans, nec tamen Medicina ipse erat. Ita rerum similium multæ sunt alię, quibus homo sanatur (veluti à natiuitate cœcus visum, claudus motum. &c. recipit) vbi tamen Medicina nulla videtur. Adeóque hoc arduum quid est, rem aliquam dari, cuius domicilium requisitum non datur ac præsto sit. Nempe sine herba nullum remedium existit. Hîc autem remedium præsto est, nec herbam, nec corticem obiectum habens. Certum autem est, Satanam in his multipliciter ocultari, multásque fraudes obtendere, quibus homines excœcentur. Nam & in Christo excœcati multi sunt, quos seduxit Diabolus, dum nimirum Pharisei vociferabantur: *Hic blasphemus in Deum est, condonans peccata, quæ solus Deus remittere potest, &c.* Qua insimulatione plurimos seduxerunt, ne in Christum crederent. Iidē suspectum etiam fecerunt Christum, cùm dicerent: *Hic eiicit Dæmones in nomine Beelzebub, principis Dæmoniorum.* Circa hæc ergo intelligenda & explicanda occupabimur. Quod dum facimus: vnà cum Influentia vera, Radios etiam Diaboli, quibus homines perstringit, explicabimus. Exploratum autem habemus non omnibus vtique hęc grata & accepta promiscuè fore. Sed ita sese res optimè habet. Qui enim hæc admittent, Pharisæi non sunt. Si autem Pharisæi sint: tales vtique manebunt, nec seipsis quicquam per miseriam meliores fient. Quos cum miseria propria non emendet: quis illos à scriptis nostris emendatum iri speret? Et vel ex his ipsius Diaboli fraudes, regnúmque liquidiùs cognoscere poteritis. Sic ergo in proximo tractatu veram Influentiam, vt ministrum Principis mundi, cognoscetis.

(Medicina quæ sine corpore suo)

(Matth. 12.)

Etsi vero loca, in quibus Magnalia fiant, haud multa reperiantur: sunt tamen, vbi cœci visum recipiunt, & similia alia fiunt. Hic accuratè & sedulò ad integra & perfecta signa, non ad manca & imperfecta attendi debet. Illa námque hic non comprehenduntur, sed suo loco expediuntur. Quantum verò ad loca illa, in quibus Miranda talia eueniunt, attinet, sciendum est, illic ex diuino radio influentiam quandam, non secus ac super herbam quandam fieri. Vnde fit, vt Locus ille Sanctus, & magnali suo celebris sit. Sanctus autem est, non vt diuus quispiam, sed vt Arcanum quoddam ac Magnale, prout Magnalium natura est. De his nemo statuat aliter, quàm quod boni illic fit, à Deo omnino profluere, non à Diabolo. Ipsa námque opera introspici debent, ex quo oriantur. Et cognitionis hæc summa est, ciuitatem vel locum quemlibet, vbi talia eueniunt, ad id à Deo ordinatum esse. Sicut enim frutex Rosæ violæque in peculiarem locum destinatus est, nec vbiuis locorum aut Rosæ aut violę nascuntur: ita hîc quoque idem fit.

(Loca Magnalium quomodo sancta.)

Præterea ipsum etiam Diaboli Regnum hoc modo cognoscendum est. Vbicunque locorum diuina Influentia demittitur, ibidem se quoque Diabolus insinuat, ac suos radios spargit. Videns enim à Deo Influentiam ad hominis commodum & emolumentum immissam esse, ac prosperè omnia succedere: hominibus hanc imaginationem infundit, vt cogitent dicántque: *Si nobis ciuitas locúsque hic obtingat: de regno cœlorumm nihil occupabimur deinceps.* Itaque Diabolus, ne quid boni eo in loco fiat laborans, facit, vt misericordia Dei ibi oblitteretur, locúmque istum suo populo, hoc est, filiis huius mundi nuncupat replétque. Hi omnifaria nequitia luxuriūt, sunt scortatores sunt adulteri, sunt lurcones, & aleatores, denique nullo vitio non infames sunt. Hi cum complicibus suis ciuitatem illam ita moderantur. Ipsa quidem interim ciuitas. & Influentia ex Deo est: Diabolus autem cum suis filiis eam totam obsedit.

Tertiò, ingerunt sese Pharisæi etiam, dicentes: *Quid hic quæritis? Nihil hic est.* Videte, quanti nequam & nebulones hic dominentur, quænam mendacia, quas fraudes tractent? (id omne verum est.) An putatis hîc præesse Deum? Ipse Diabolus hîc dominatur (& hoc omne verum est.) Quidnam hîc facturi estis? Diabolus vos seducet. Sic ergo diui-

nam

nam Influentiam Pharisæus adscribit illis, qui ibi, versantur, & horum patri, qui Diabolus est. Sicut etiam de Christo prodiderunt, *ipsum habere Dæmonium.* Sic ergo Margaritam illius loci à duabus sectis, nempe à Principis huius mundi filiis, & à Pharisæis, contemni & despici contingit. Quinimò ipsa quoque opera bona, quę tamen facere Diabolus minimè potest, Diabololo accepta feruntur.

Opera Dei à [illegible] hominum ge[illegible]

Quis verò potestati diuinæ obloquetur? Facit Deus, quicquid vult. Aut quis Deo imperaturus est, quidnam facere debeat? An non lapidi huic hoc indere potest? Cur non etiam ciuitati huic prę altera? Et cur hoc vel illud, aut fiat aut factum sit, causam penes se is habet? Nobis hîc diuina arcana scrutari liberum minimè est. Sed cogimur in cognitione operum sientium quiescere. Testantur enim de suo magistro, quis sit. Et vt domus exstructa testatur de tignario, olláque de figulo: Sic hæc quoque opera testantur, opificem suum Deum esse. Sicut enim ollam nemo præter figulum, & domum nemo præter tignarium facere potest: Sic hæc quoque opera præter Deum solum facere nemo potest. Et sicut Spiritus seu Diaboli cum omni immundo suo grege, ne quidem rudissimum ollæ operculum, aut æstuario pessulum facere aut addere queunt: ita multò minùs talium operum auctores esse possunt. Et licèt Diabolus quidem plurima machinetur: hoc tamen cum omnibus suis legionibus præstare minimè potest, vt vel abiectam ollam frangat, nedum eandem faciat. Multò is minùs quenquam occidere aut iugulare potest, nisi id mandato, permissu, iussúque ac vi diuinâ faciat. Hoc tamen hîc tractandum minimè est. Quòd si namque dicto modo, nec Diabolus ipse, nec homines per se quicquam possunt: quî quæso opera Diuina, Diabolica ac præstigiosa dici poterunt? Aut fasne est ac æquum, ciuitatem locúmue secundum homines iudicari, ac ipsorum culpam luere: Minimè verò: sed ciuitas ipsa per se iusta & bona est, & quæ ibi seminantur, fœcunda sunt, etsi homines in damnationem ruant. Sed vnum adhuc vobis enumerandum est. Ciuitates quinque, quas vnà cum Sodomâ & Gommorrhâ, &c. ignis infernalis absorpsit, incolarum culpam luerunt. Non eim ipsæ ciuitates, sed homines inquilini peccauerant: & tamen ciuitatibus vnà pereundum erat. Ex hoc colligite, eandem sortem multorum quoque præcipuorum locorum futuram. Si ciuitates quidem sunt sanctæ & magnæ: eò etiam sæuiora sunt peccata. Sodomitarum & Gomorrhæorum in illis. Quorum malitia si ad summum conscenderit: quidnam facturus Deus est? Influentiam ad se retracturus est, vt deinceps non luceat, sicut non lucet obscuratus Sol. Remotâ autem influentiâ, in eius locum succedit ignis infernalis, pice fumans & grassans in inquilinos, quorum non vult Deus vt quisquam misericordiâ tangatur. Sciendum ergo, quòd, quamdiu ciuitas gratiâ pollet, secura omnia sint. Quod si autem momento vno incendatur, gratia euanuit. Etsi autem aliàs quoque huiusmodi ciuitas multis

Ex operibus iudicandum de Deo.

Diabolus null[illegible]

persæpè incendiis bellisque infestetur: his tamen finitis subindè rursus erigitur. Et hæc pœna non aliter se habet, ac si quis diceret: Emendate vos, priusquam ignis gehennæ erumpat.

Gratiam, quam Deus huic mundo immittit, ecquisnam reprehendere potest, ac dicere: Quidnam illa hic conferet? Nam id quid aut ad me aut ad te attinet? Dici solet, Deum vbique esse. Etsi autem vbique quidem esse dicatur, non tamen vbique operatur. Quis consilio ipsius diuino obloquetur? Nihil enim is citra causam facit. Hęc verò mysterium est, quod ad te non spectat, donec fiat. Tum enim, quod fit, vides. Tu te ab illis, qui inhabitant, seduci ne patiaris. Sic potius statuas, margaritam in medio stercore conditam esse. Quod si aliàs scires, an non thesaurum illũ præ vniuersis reliquis eligeres? Non tu ex furfure farinam colare soles? Omnino. Idem & hic fac. Furfurem fac missum: margaritam quære. Nec propter furfurem tu panem abiicis, sed illum abiicis. Et prius quàm pane carere velles, omnem furfurem cum farinâ vorare malles. Si ergo in hoc sapis: sapias etiam in altero, nempe margaritam hic conditam esse, quam eruas. Vides, vt apis mel ex floribus sugat, illis tamen nihil quicquam læsis. Quòd si apis potest: iustiùs id homo nôrit, vt ex ciuitatibus locisque margaritam eruat exugátue, Deóque gratias agat, quod à margaritâ sordes separare, & illam eligere, has reiicere possit. Sic etsi Arsenicum auro quidem coniunctum sit, nemo tamen ita ignauus est, quin à sordibus aurum liberet, & illas abiiciat. Eadem & argenti ratio est. Et hæc quidnam sibi aliud velle putes, quàm, quod bonum omne, quocunque in loco sit, à Deo proueniat? Bono autẽ si coniuncta quoq; mala sint, veluti Arsenicum, Mercurius, Operimentum & similia alia: eadem remoue. Propter illa enim metallorum effossio non intermittitur. Quòd si quidem separationis artem in his nouisti multò rectiùs ipsam noueris in illis rebus, quæ non ad ornatum, sed ad animam conducunt: & simul expendes, quanta Deus opera hic faciat, & quibus ex causis illa fiant, nempe non saltem, vt hic aut ille nudus inueniatur: sed aliud quid ibi latet & occultatur, nimirùm, vt Diaboli regnum illic manifestetur cum illis, qui ipsum sequuntur, sicut etiam, vt prodantur in hisce rebus Pharisęi, & alia plura innotescant simul, quæ nos homines ante tempus iustum cognoscere minimè licet. Dies autem extremus incolas horum locorum & dominos per ignem adorietur, vt Sodomam & Gomorrham. Nos autem, quę nos in seductionem pelliciunt, haudquaquam acceptare, aut vilipendere debemus. Iugiter námque Diabolus duobus hisce modis à bono nos deiicere conatur: ex quo genuina ipsius techna cognoscenda & iudicanda est.

Deus vbique est, non vbique tamen operatur.

Operum Dei quis finis.

Eadem etiam hominis ratio est, cui Deus influentiam largitur, ceu *Petro & Iudæ.* Hi vtrique ad Apostolatum vocati sunt, nec vnus altero magis minùsve Apostolus erat. Eò autem res recidit, vt Petrus Apostolus maneret, non item & Iudæ: hoc est, Petrus cum influentia

Influētia hominũ qualis Petri & Iudę influentia.

influentiâ in cœlum ascendit. Iudæ sors fuit communis Sodomæ & Gomorrhæ. Iam autem influxus iste ex Deo procedit, nec in hominis potestate consistit. Ita Petrus potestatem habuit suscitandi mortuos: quod etiam præstitit, vt & alia. Semen ergo aliquod suæ diuinitatis Deus illi infuderat. Similis conditio etiam Iudæ fuerat. Sed quòd is filius Principis mundi esset, seipsum suspendit. Multi autem seipsos suspendunt. Ex hoc quid colligemus aliud, quàm consortibus his ipsius omnibus eandem conditionem obtigisse? Iam, si hominem quenquam Deus tali suæ influentiæ gratiâ donaret, cui similem nullus Christianus acceperit, & quæ omnibus astris ac medicinâ superior sit: quis illam vtique non acceptaret, & talem hominem ob id non respiceret? Etsi enim is simplex, rudis, crassúsque sit: ob id malitiæ nihil habet. Si autem simul malus sit, & Iudæ similis, influentia eius non manebit, sed in ignem gehennæ & profunditatem abyssi terræ mergetur. Nos ergo hîc iudices agere non conuenit. Penes enim DEVM hæc omnia sunt: is suam influentiam mittit & dirigit, quò vult. Nec refert, talia homini imperuestigabilia esse. Nobis manifesta sunt opera, & scriptura patet: his adiungenda fides est. Nec enim nos fallunt. Quòd si pseudi dicant, *Noli ipsa opera inspicere, noli ad hoc illúdve intendere: opera omitte quia fallunt: nulla signa inquire, &c.* hæc omnia ex Diabolo effusa cense, qui stratagemate tali sibi principatum muniuit. Cùm enim ille ad edenda opera ineptus sit: signorum inspectionem nobis vetare attentat, vt sic discipulis ac famulis ipsius credamus, signa excutiamus operum, & pro præstigiis & superstitiosis omnia reputemus, etsi ex diuinâ quâdam influentiâ promanent, hoc nempe fine, vt Deus subindè apud nos despectior & contemptior reddatur. Quandoquidem autem Christus ipse infidelibus, per opera edita testatum fecerit, se Dei ipsius filium esse: fas etiam plúmque est, nos attendere ad ipsius verba, dum ait: *Qui in nomine meo veniunt, hæc signa edent, &c.* His enim Diabolus cum omnibus suis præconibus prosternitur, & annihilantur conculcantúrque illi vniuersi, qui editis signis non confirmantur, sed hoc facto se Pharisæos produnt, & testes Diaboli, vno molimine margaritā in lutum coniicientes. Hac arte suâ Synagogam Satanas erigit. Fidelis autem talibus ne credat, sed fidem det illi, qui ex Deo est, & signis editis de se, qualis sit, testetur.

Opera de Deo testantur

Cæterùm post hactenus iam commemorata, librum hunc de verâ influentiâ rerum finiemus: & de mala influentia suo loco disseremus nempe sub titulo *Diabolicorum & insignium operum, præstigiarúmque*, vbi horum multa comprehenduntur. Hoc autem in libro id præcipuè ac seriò tenendum est, quòd Deus radium suum instar solis in nos effundat, suamque gratiam multipliciter distribuat, in naturam, vltra naturam, sine naturâ, in hominem, & sine homine. Satisfactum etiam est aduersariis nostris, quorum oculi cataractis obfuscati sunt, quique res ex Deo procedentes, non Deo, sed ipsi naturæ imputant. Quas, si in naturam conferre commodè non possunt, easdem assignant Diabolo, quæ enormis in Deum contumelia est. Si enim tales gignerentur ab astris: conueniret vtique ac commodum esset dispici, vbinam stellæ versarentur optimæ, vt in illo loco natiuitas perficeretur. Exempli gratiâ. *Albertus Magnus Laugingæ natus est.* Is si ingenium ac eruditionem suam ab igne, hoc est, astris accepit: qui ergo fit, quòd, cùm ignis is adhuc ardeat nemo tamen ipsi tot sæculis similis nascatur: Non ergo illa causa est: Sed si Deus talem influentiam largitur, & ignis coquit, hoc aut illud fit. Antequam enim homo ad summū seu mortem pertingat, aut illud, cuius gratiâ influentia ipsi a Deo collata est, perficiat, multa certè illic versantur, multę ei auræ aduersātur iam prorsū, vorsum, iam ad læuā, iam ad dextram ipsum iactantes, vt nunquam situs ac cursus eius adeò exquisitè influxioni primæ respondeat. Quin & nonnihil in ipso corrumpit ludimoderator, quod constellatio non corrupit. Iam peruertit ipsum vinum, iam bellum, iam scortatio, iam auaritia, iam superbia, & similia alia, quæ vniuersa, dum incumbunt, laudabilem excoctámque influentiam contaminant, vt aliud quid à primo instituto emergat, hoc est, vt aliud ex ore egrediatur, quàm ingressum est. Quæ si quidem ipsius hominis ratio est: eadem etiam cęterarum creaturarum erit, in quibus arcana talia Deus condidit, quæque multis alterationibus obnoxiæ sunt. Idem etiam ex Medicis, Astronomis, Philosophis & sectis aliis doceri potest, quarum mysteria, etsi magna Diabolo tamen implicita sunt. Quod autem nemo talis emergat, qualis pro influentiæ decubitu emergere debuerat, causa posita est in rerum omnium naturâ, ob quam impedimentis & aduersitatibus illæ obnoxiæ sunt. Beatus autem is est, qui, quæ influentiæ suæ aduersantur, præualere aut dominari non sinit. Ex ipso enim Deus arborem, variis fructibus grauidam, producere potest.

Albertus Magnus Laugingæ natus, influentiâ quibus corruptus.

Influentia à quibus corrumpatur.

Sed & hoc commonefaciendi estis, quòd Deus rebus illis omnibus finem faciat. Sic enim nec suo pepercit filio (quem breui tempore in terrâ versari siuit) nec Apostolis cæterisque diuis, cum quibus ipsam influentiam sustulit ac remouit, in viuis esse desinentibus. Idem & cum rosis facit, quas quotannis aufert, nec vllam sinit esse perpetuam. Cum igitur huiusmodi remoueat Deus, & futurâ estate noua sufficiat: ex eo iam patet, quòd, si talibus signis &c. caremus, iam hyemem agamus, quâ rerum omnium inopes vngues (vt vrsi) seu brancas sugamus. Id enim quidnam est aliud, si huiusmodi mysteria & magnalia Dei tollantur, quàm quod nobis expectandum sit, donec Deus æstatem nouam immittat, qui similes nobis rosas proferat, non secus ac in ipsâ naturâ æstas torpidas & emortuas res omnes resuscitat? Quod enim abiit, hyems absumsit: quod adest, æstas vi protrudit. Quòd autem tot magnalia adsunt, & ipsa simul æstas feruet, nec

Influentiis omnibus terminos ponit Deus.

quisquam

quisquam tamen citra aduersitates emergere possit: id habendum eo loco est, ac si grando pruina, fulgur aut fulmen agros feriat. Nec enim aliter Diabolus intonat, vbi boni quid esse nouit. Et quò meliora nouit: eò grauiùs percutit. Cœlum ferit cum Astronomis: Naturam cum Physicis: Medicinam cum Pseudomedicis: ciuitatem seu locum cum monachis & solitariis theologastris, qui & ipsi pseudi sunt. Et sicut Christus de *Pseudoapostolis, Pseudoprophetis & Pseudochristis vaticinatur: ita hos diabolus Pseudo-Medicos, Astronomos, Alchimistas, & Philosophos appellat.* Sicut enim veri sunt & genuini Prophetæ, Apostoli, Christus: sic genuini etiam sunt Medici, Philosophi, Astronomi, &c. Sed ad disciplinam Diaboli hîc sedulò attendi debet. Aliàs námque ipsius discipuli difficilimè & vix magnâ cum curâ internosci possunt. Quia verò omnium hominum officium est, vt in & cum Deo maneant: studiosè id satagere debemus, vt contra extranea aures probè obturemus, oculósque auertamus, intellectúmque omnem ex Deo, non hominibus sumamus. Hominis enim ea semper natura est, vt sibi apprimè sapere videatur. Dum ergo videt Diabolus, hominem hunc vel illum in admiratione esse, mendacia & probra sua illi insuper instillat, nec quicquam intaminatum aut impollutum vllibi relinquit. Vnicam ergo sui tutelam & custodiam homo ex Deo quærat & expectet.

LIBER DE INVENTIONE ARTIVM THEOPHRASTI.

PROLOGVS.

Artes an ab astris inuentæ.

MVLTI passim in eâ fuerunt opinione, inuentas esse artes ab hominibus, astrorum beneficentiâ adiutis: ita, vt cui bene faueant astra, huic omnia probè succedant. Si enim quis sub astris benignis & fauentibus: doctisque & industriis natus sit, talem & ipsum fore prædicárunt. Cæterùm cùm homo hæres regni cœlorum, adeóque cœlo prædestinatus sit: quî quæso potestis esse astrorum filius, cùm cœlum ipsum periturum, & nihil firmum mansurum sit? Quicunque ergo mentem sortitus est: is doctrinam suam, sapientiámque & gratiam ex Deo, non ex creaturis adipiscitur. Exemplo nobis est Salomon qui sapientiam suam à Deo precariò obtinuit. Quòd si Salomon nec astra inuocauit, nec ex astris partem aliquam impetrauit, sed ex solo Deo, & tamen sapientissimus omnium existitit: apud quem quæso alium, quàm apud Deum talia quærenda sunt? Aut quid vnquam cuiquam ab astris datum est, quod ab astris verè promanasse stabiliri potuit? Et non ipsa scriptura dicit, quemlibet ex Deo doctum fieri? Hæc enim verba quid aliud velint, quàm nullum doctum & sapientem fieri ex Diabolo, ex astris aut creaturis aliis, sed ex solo Deo? Aut quî fieri possit, vt, qui ad regnum Dei contendit, viam ad illud ex creaturis discat? Hæ enim nec ex regno Dei egressæ sunt, nec in illo habitarunt, nec id planè intelligunt. Quid? An non scriptura, omnem nostram sapientiam nihil nisi stultitiam apud Deum esse testatur? Vbi non illa, quæ ex Deo est, sapientia intelligitur, sed ista potius, de quâ nugantur docti, quòd ipsam ex astris, &c. hauserunt, dum dicunt: sapientiam acquirimus ex astris. Sub qualibus qui nascitur, talis & ipse fit. Hæc, hæc inquam sapientia ante Deum mera stultitia est. Quæ autem illa vaccæ sapientia est, quod ex stabulo potatum ad cisternam abeat? Quæ illa sapientia canis est, quòd longiùs euagatus, ad heri sui domum reuerti scit? Et hæ non sunt stultitiæ etiam apud hominem? Hæc ne à quoquam pro sapientia habentur? Quòd si iam nec homo his plura nouit: quænam est ipsius sapientia illa, cùm pecus sit? An non ea pura puta stultitia est apud Deum? Iam vicissim, artes opificiáque, quæ exercet homo, quisnam ipsi dat? Non ipse sibi. Et vt ex asino lyricen non fit: ita nec ex homine quoduis. Iam si homo asino plura accepit: iam constat, ipsum hoc, illud, imò magis addiscere posse. Non tamen ex astris. Quis enim in astris est, qui lyrâ ludere doceat? Nemo vtique. Quî ergo docere te possit, qui nusquam est? nihil ipse potest? Quicquid scimus, id instillandum est nobis ab alio, qui id scit. Ipse enim rudis & ignarus, alios nihil quicquam docere potest. Et licèt quidem de concentu & Symphoniâ cœlesti multa iactent: illa tamen nec à testudine nec à cithara editur, sed est tantùm sonitus & repercussio fragoris terræ, facta in fornice seu camera cœli. Ratum ergo & firmum manet, ex Deo omnia procedere, ac Deum pro suo arbitrio omnia in nobis fingere & formare. Sed de his deinceps pleniùs disseremus. Hoc enim huius libri argumentum est: cuius deductionem in sequentibus planiorem faciemus.

Homo cœli hæres, astrorum filius non est.

Sapientia ex solo Deo, nō astris.

Sapientia hominis sine Deo mera stultitia.

Artes omnes ex Deo.

LIBER DE ARTIVM INVENTIONE, THEOPHRASTI.

TRACTATVS I.

QVONIAM post cœlum ac terram Deus ipsum quoque hominem creauit, terrámque illi possidendam dedit: necessarium vtique fuit, vt ipsum terræ quoque vsurpandæ modum ac rationem doceret. Terram námque qui fecit, is solus etiam docendi vim habet, nec præterea quisquam alius. Doctrinæ ergo omne principium à Deo est: sicut magister, qui artem callet, ipsam docere potest alium, qui artis imperitus est. Sicut autem homo vniuersas suas artes, sapientiam, &c. ex Deo habet, quia is ipsius, non alterius opus est: ita spiritus etiam omnia possunt, hoc est, artes omnes, & vniuersa illa, quæ homo scire vel potest vel debet, callent, sed tamen illa exercere non possunt. Horum enim nihil ipsis occultum est. Cæterùm mira hic contentio & digladiatio oritur, dum contendunt alij, quòd artes doceantur à spiritibus, alij quòd infundantur à Deo: alij quòd nobis complantentur: adeóque prout tria illa, cadant, ita homo vel doctus vel indoctus, rudis vel artificiosus euadat. Hoc dissidium vt

Sapientia omnis ex Deo.

sopiatur, primò discursu tali vtemur. Qui homini nec bene vult, nec bene facit: qui quæso is homini aliquid boni conferre possit? Notum verò est, spiritus nihil boni nobis vel facere vel facere. Nullus enim hominum prodire potest, qui dicere possit, quod vel tantillum vtilitatis aut eruditionis à spiritibus aut Diabolo vnquam acceperit. Hi porrò etsi quidem multa sciant possintque: quid illa ad hominem? Preterea nec nos vllo iure diabolo subiecti sumus: nec Deus aut ita exhaustus aut inuidus est, quin nobis creaturis suis optimè prospectum & prouisum velit. Sed & hoc deindè falsum est, talia nobis connasci. Nemo enim ex omnibus ita nudus nascitur, qui non dotem ac thesaurum à Deo quendam secum afferat, quem minimè defodere debeat. Interim iste nobis proprius ac hæreditarius minimè est. Arbitrij diuini est, quem cuius thesaurum datum is velit. Nec enim ille aut destinatus nobis, aut compromissus, aut alio hæreditatis iure designatus obtingit. Hoc quidem hæreditario iure habemus, vt omnes thesauri quos homo occupare debet, nobis tandem manifestentur. Postulationis tamen ius nemini hereditarium est. Nihil ergo nobis congenitum est. Et licèt quidem hereditariò ac meritò talia accipiamus: pro diuina tamen prouidentia iam seorsim hoc, iam illud accipimus, dum omnia compleantur. Itaque qui talia nobis complantari dicunt, in errore versantur. Perfugium namque suum ad astra habent, quæ tamen nec nôrunt, nec qualia sint, compertum habent. Sciendum ergo & concludendum est, ista omnia thesauros esse, à Deo hominibus diuersimodè pro cuiusuis vsu & exigentia distributos, vt vniuersi tandem manifestentur & in mundo clarè luceant. Confertim enim ac affatim Deus non omnia profundit, sed erogat singulatim, omni tempore aliquid proferens. Cuius consilij ratio soli Deo nota est: nec homini nisi parcè & sobriè de illa inquirere licet.

Spiritus aut Diabolus homini nihil dat boni.

Sapientia non est congenita.

Sapientia non ex astris.

Iam si Deus in hominem collocat thesaurum quendam, in mundo patefaciendum: idem facit cum illo, qui nouum semen in agrum cõiicit, vt domesticis vsibus idonea noua herba pronascatur. Ex illo semine iam herba emergit, multis morbis & vsibus commoda. Eodem modo & nobis hortus est datus, pro serendis rebus omnibus, quæ nobis vsui & bono futuræ sunt. Nam nisi ad necessitatem nihil nobis confertur. Illius ergo necessitatis semen Deus seminat, & herbæ illi enascenti iustum incrementum largitur. Quæ vt augescit inualescitque corpore: ita etiam eo, quòd Deus ipsi indidit, ac tempore messis erupit sine omni ope ac auxilio alieno, solius seminis, quod Deus seminauit, beneficio. Et hoc modo opificia eorumque inuentiones ad nos deriuatæ sunt, dum alius hoc, alius aliud inuenit subinde &, addidit. Sic creuit rerum omnium vsus, quibus homines indigebant. Et hi sunt veri Diui nobis colẽdi, qui artes & opificia diuinitùs data inuenerunt. Isti enim sunt probati, isti sunt electi, à quibus bona omnia scaturiunt, quósque Deus ipse semine dignatus suo est, quod in ipsos tanquam in electum hortum seminauit, de quorum fructibus omnes vescentur homines, vt artes ita latiùs extendent, & per vniuersum mundum dispergantur indies. Hunc enim singulari Dei fauori dicatum necesse est esse, cui talia is tribuit, aut per quem illa mundo offert ac impertit. Ita placebat illi Ioseph, cui Mariam desponderet, longè præ ceteris omnibus. Ita voluit ex Elisabetha & Zacharia nasci Ioannẽ Baptistam, ex quo videre est, quod ipsos præ cæteris omnibus familiis, tam virorum quàm fœminarum dilexerit. Quos ergo Deus ipse sibi eligit, hos & homo pluris æstimare, adeóque ex illis plura discere debet, quàm ex illis, qui hoc modo nati non sunt. Hoc ergo modo Deus in mundo artes distribuit, cuiuis seorsim suum donum & ingenium conferens, donec omnes congregarentur, & concepta in concordantiam vnam congererent. Sic qui ad ferrum spectabant, circa ferrum occupabantur, vt fabri ferarij cultrarij, falcarij, serrarij, &c. Qui ad stannum, stanno indulgebant, vt *Stannarij, plumbarij, ærarij, &c.* Quid ad argentum, ad argentum confluebant, vt monetarij, aurifabri. Et si cæteri omnes vniuersim, versantes circa corium, lignum, lapides, agros, &c. Semper enim similes similibus sese iunxerunt, & artium suarum propria agentes, ad iustum fastigium illas extulerunt, quolibet nouum subinde ingenium ad excolendas eas conferente. Sic emersit ars colendi agri, horti, prati, vineæ, &c. Semper autem prioribus artibus inuentis, veluti exempli gratia, arte fusoria, successere postea artifices, qui metallum inuentum & fusum elaborarent, & cuderent. Hinc enati sunt fabri horologiorum, fabri tormentorum, & similes alij circa ferrum elaborandum occupati, ita vt cùm laudis, tum vsus amplissimi sit, ferrum durum in tam varias formas aptari ab hominibus posse. Eadem & pictoris ratio est, cui cum primum innotuissent colores, secuta est manus ductio & moderatio adeò expedita & subtilis, vt iam ad viuum homo in pariete depingi possit. Similis & tignariorum industria est, qui crasso crudoq; ligno concinnã structuram faciunt. Deniq; omnium inter se artium ac opificiorum ea est cognatio & affinitas, vt vnum cum altero perpetuo cohæreat, nec vnum sine altero facilè esse possit. Tignarius enim sine fabro ferrario nihil potest: vt nec hic sine illo: semper vnus alteri auxilio est. Quod si ergo opificia in vniuersum omnia conferantur, vnius sunt instar viri, qui multa & omnia membra habet. Vt enim viro claudicandum est, si altero pede careat: ita claudicant etiam artes, si ex ipsarum numero vna sublata sit. Decedet enim iste vir, qui Mechanicus vocatur. Temporum autem successu Deus artes omnes acuit, auxit, ad summum culmen & complementum euexit. Sic primum docuit figulum, ex luto ollam fingere, & coquere, vt ollæ formam retineret. Postea docuit tandem vitro obducere, eóque vel viridi vel luteo, vt sic illa fieret pulchrior. Porrò docuit hanc ipsam fundere, pingere, vt Principum mensis digna esset. Insuper per fusionẽ emersit ars faciendi vitri, ex cinere & arena, & iis, quibus olla vitrari solet, donec successione quadam

Iosephi Mariæ &c.

Artes seorsim & successiue in mundum.

Artes alia ex aliis prouenit.

Artes omnes mechanicæ cognatæ.

Artes lucis & incrementi successu perfectæ.

Diui qui vere sint. Electi qui sint.

quadam ars eò ascenderet, vt iam pocula vitrea subtilissima fiant, quæ nullius hominis industria fingi posse crederentur, nisi fidem oculi manúsque quotidie facerent indubitatam. Eadem industria aurum quoque ac argentum cuditur in pocula: & malleo tunditur, vt æris modo tenue fiat: Præterea inauratur. Insuper aurum & argentum separantur. Denique argentum, cuprum & alia metalla subtilissimè produtur & eruuntur per fusionem, cementationem, solutionem, liquefactionem factam per Boracem, &c. Non autem vniuersorum in genere tantum opificiorum talia per successionem ortus principia fuerunt: sed & quoduis per se sua seorsim initia, incrementa & complementa adeptum est: quorum tamen nomina singulatim hic percenseri non possunt. Nostri officij est, ex illis omnibus sublimitatem Dei cognoscere, ipsúmque debito honore, vt ex quo solo talia omnia emanent venerari, non per superstitionem ad Diabolum & ipsius regnum diuertere; aut laudem immeritam illi assignare. Videte verò etiam, quo successu textorum artem docuerit. Primò dedit linum seu cannabim. Hinc ars nendi seu filum ducendi nata, filum ad textorem duxit. Post textoriá successit Sartoria. Sartas vestes homo gerit ad placitū. Tritas eas & laceras molit & cōminuit Papyrarius. Papyrus seruit chalcographiæ. Latomos Deus primò docuit incidere & cōplanare aut aptare lapides. Deinde per Geometriam ad circulum reuocare. Post circinum domos extruere, condere cochlides, labyrinthos, fornices, turres aggeres, statuas, &c. Ex lapidibus docuit etiam coquere calcem, ex calce facere cæmentum, & alia, donec opificium hoc numeris omnibus fieret absolutū. Circa stannum, primum est orbis seu massa. Succedit liquefactio, fusio, in formas varias vasculorum tornatio, cum aliis metallis permixtio, campanarum, cymbalorum, tormentorum fusio, murorum concussio, &c. Ita semper vnum ex altero continuationis ordine prodit, donec extrema manus addatur. Circa coria camelorum, luporum, vrsorum, ouium, sunt excoriatio & initio coria cruda portata fuerunt, deinde secuta est maceratio. Macerationem secutus est pellio: pelliōnem sartor, pelles vestibus subsuens. Ex coriorum pilis faciunt etiam pileos, &c. Eosdem alij in fila redigunt, texúntque vt linteamina. Hinc panni. Post hos tinctura. Pro piscibus ex filio texuntur plagæ & retia: quæ rupta sequitur resarciendi ars. Denique ars pisces capiendi: Rebus itaque vniuersis Deus suum contulit initium, hoc est, semen, quod semen postea prouexit in arborem. Hinc successiuè omnes artes enatæ sunt, sicut de grano sinapis exemplum docet. Quod etsi seminum quidem omnium minimum sit: arbor tamen ex illo surgit adeò procera, vt auibus sub cœlo diuersorium præbeat. Eodē modo hic quoq; paruum semē seminat, quod tamen adeò increscit, vt ex illo enascantur arbores, hoc est, artes magnæ, ex quibus homines victum quærunt. Sicut enim in sinapis arbore nidos sibi struūt, in quibus degant, aues: ita hisce etiam in arboribus sese sustentant artifices.

Textoria.

Latomia.

Stannaria.

Coriaria.

Artium initia successiua.

TRACTATVS II.

PRæter hactenus de artificibus dicta necessarium etiam est, vt rectè probéque viuant. Id fit per prudentiam, quę non ex artificum arboribus eiusmodi emanat, sed ex peculiaribus aliis proficiscitur. Arbores istæ nobiscum ita tolluntur, vt hęreditariò ad alios minimè transferantur. De cæteris ita comparatum est, vt hic vel ille artifex, artem familiarem suum filium docere possit. Hic iam iterum illam institutione in filium suum transfert, & sic consequenter. Et postremus primo non infeliciùs artem illam callet: sed omnes eandem omnino viam processúmque sequuntur. Sic figuli ars est, præparare lutum. Id postremus eodem modo facit cum primo. Præparatum lutum excoquendum est. Hoc tam vltimus quam primus facit. Non autem, vt hic, sic etiam illic similis ratio & disciplinæ ordo seruatur. Nec enim hic ordo fixus est. Medicus nempe, qui curare morbos omnes nouit, & successu vndique felici vtitur, is suum filium sibi per omnia similem facere non potest. Et si quidem nomine ipsum similem reddat: non tamen re potest aut opere. Tot enim obstant & intercidunt, vt impossibile sit filium patri in omnibus æqualem fieri. Et hoc in aliis etiam locum habet, vbi artes non sunt hæreditariæ. Etsi enim tā pater quàm filius eiusdem peritiæ sint: non tamen iisdem vtuntur instrumentis, nec vndique similes in morbos vtrique incidunt. Et licèt hoc quoque largiamur: filius tamen nomen saltem idem apud ægrum inuenire potest, non etiam causam & essentiam eadem felicitate quâ pater. Huiusmodi obstacula & impedimenta non experiuntur opifices. Ars enim ipsorum certa est, nec in eâ deficiunt errántue. Plumbū in igne necessariò liquescit, velut & stannum. Ferrum candens malleo domatur semper. Lima ferrum omnino exterit, &c. Hæc iam nobis causa & occasio est ad tractatum scribēdum secundum, de iis scilicet quæ non hæreditariò nos comitantur, sed quæ arbores requirunt peculiares. Earum arborum natura hęc est, vt fructus parturiant non longiùs, quàm ad hyemem vsque. Illa enim præsente fructus decidunt: & vnà cū his arbor ipsa cadit perítque. Proxima autem appellente æstate, Deus arborem nouam plantat, quæ & ipsa, postquam ad suum autumnum viguit, intercidit. Quo facto, deinceps iterū noua expectanda plantatio est. Et licèt vetus quidem fructus vltra hyemem duret: arborem tamen non producit. Nemo ergo admiretur videns, vnū alteri non vndiquaque similē esse, aut nouitium antiquo per omnia non respondere. Dirigit enim & moderatur suos homines & creaturas Deus pro arbitrio suo. Nec is vnum tantùm Medicum, vnicū Iuristam, vnicúmque Philosophum, &c. produxit: sed multos vtriq; & alios sinit mori, alios nouiter prodire. Et nullum apud ipsos Euangeliū est, quo melius non inueniri possit. Scriptura enim immota & perpetua vnica tantum est, vetus scilicet, & nouum Testamentum.

Cæterùm Medicus filium suum sibi similem omnino facere non potest, sed vel meliorem vel peiorem propter multas causas & circum-

Artificū prudentia vnde.

Artifices curalii aliis meliores.

Artificū diuersitatis quę causa.

circumstantias, ex temporum euariatione emergentes. Sic nec periti iuris filios suos sibi similes facere queunt, hac ex causa, quia pro tẽporum diuersitate homines ita vel ita viuunt. Temporum autem mutationem sequitur etiam mutatio ordinis & legum. Vt enim primus & vltimus Medicus inter se non conueniunt aut similes sunt: ita nec vltimus Iureconsultus primo per omnia respondet. Sed exemplis res planiùs docebitur. Adami tempore fas erat, fratrem sorori coniungi. Id iam pœna exustionis statura prohibitum est. Olim moris erat, multas simul vxores alere. Id iam obliteratum est. Etsi autem ea consuetudo iam oblita sit, ob id tamen sciri non potest, an nullo vnquã tempore ea postliminio reditura, & in vsum reuersura sit. Nam & hoc & aliud nobis expectandum est, vt eueniat. Interim tamen fas est, vt matrimonium pręsentis temporis more & iure honestè & reuerenter colatur tractetúrque, siue ducatur vxor vna, binæ, pluresue, siue cognatæ vel non cognatæ. Sic etiam tempus hoc requirit censum talem dari: aliud alium. Conuenit ergo tempori instanti morem geri, respectu semper habito eius, quod Deus aut mandauit aut prohibuit. Nec enim vbique & omni tempore rigidum vnum ius, vna perpetuò lex modusque seruandus est, nulla diuersitate rerum aut temporum considerata. Etsi enim circumstantiarum varietati se quis accommodet, eo facto mandatum non violauit. Si Cæsari census, quem necessitas exigit, pendatur mandato Dei satis fit, siue is pro exigentia rei tenuis aut maior sit. Tempus enim gubernationis Cæsaris primi, & huius moderni Cæsaris, eandem omnino necessitatem non habet. Non idem ergo etiam census pendetur, sed talis, qualem temporis ratio exigit. Ex his iam elicitur, legum peritos filios suos sibi similes facere non posse sed oportere illos plus minúsue fieri, & tempori sese accommodare, ac circumstantiarum varietati attendere, vt diximus; ne iusto plus minúsue faciant, sed mandatum Dei in omnibus rectè inuiolatéque seruent. Mandata enim Dei ita constituta sunt, vt multa tolerent, quæ non toleraret Iurisperitus. Vtvt tamen hæc se habeant, *Ius est ille Lupus*: quod tamen suo loco relinquo. Hoc hîc seriò tenẽdum est, vestram sapientiam debere ex Deo proficisci: Sin secus fiat, & illa ex vestris cogitatibus profluat: mera illa seductio est & prævaricatio cum voluntate Dei pugnans.

Tempori viuendum esse

Tempori ius accommodandum

Ius est Lupus.

Hæc autem talia per ipsum metiri homo non potest, sed vt ex Deo hauriat, opus habet. Etsi enim faber primus à Deo edoctus sit: non potest tamen & vltimus, quando se ad eundem, ex quo artem hausit primus, referat, fateatúrque, quòd sola ipsius vi & auxilio malleum vibret. Ergo & hic talia à Deo doceri necesse est. Quis enim mandata Dei aut intelligere, aut interpretari nouit, præterquam qui à Deo doctus est? Oportet ergo, vt post hyemem æstas reuertatur, hoc est, noua arbor plantetur, quæ ex Deo egrediatur, & tempori instanti sese accommodet. Sic res se in Medicina habet. Indies noui oriuntur morbi. Si noui sunt: nouos vtique requirunt Medicos. Sic hoc nouum vtique etiam fundamentum constituendum est. Quod si nouos morbos ex methodo veteri curare velis, quando tandem ægros sanabis ac restitues? Quòd si in Medicina nemo id inficiatur, verum idem etiam erit in Imperiis terræ. Populus nouus, noua lex, nouus morbus. Quærenda ergo Doctoribus vobis Medicina est: nam vetus nullius momenti est. Hodie modus iste valet. Ponamus nimirum casum, viros alicubi centum esse, & mulieres mille. Millenæ hæ statuantur impendiò prurire, vt viris carere nequeant. Porrò si centum viris, centum tantum fœminæ nubant, nongentæ vtique superérunt liberæ. Hæ viris illis adeò præfractè insidientur, vt passim adulteria committantur, vrgente ita & inflammante natura, quam Deus dedit. Hic iam an non esset ęquiùs, virum vnum vxores ducere decem, quàm ductâ vnâ cæteras nouem pro meretricibus alere? Nam Deus coniugaliter talia tractari iussit, nec numerum vel multitudinis, vel paucitatis imperauit, coniugaliter saltem nos geramus, nec adulteremur. Hoc enim verum est, quòd omni sęculo plures à Deo fœminæ quàm viri creatæ sint. Et morientium virorum, quàm fœminarum numerus, semper maior est, adeò vt loco vnius viri, tres semper reliquæ fœminæ sint, & multò citiùs vir vnus tres fœminas reperiat, quàm fœmina vna tres viros, si vitanda scortatio sit. Itaque si tanta fœminarum abundantia incidat, an non, vt mandatum Dei seruetur, tali modo coniugium instituendum sit? Si ex Deo estis, & mandato ipsius morem geritis, coniugium ad illum restringite modum, ne quid scortationis accersatur. Quòd si non obtineri potest per ductam vxorem vnam, obtineatur vtique per binas, ita poscente tempore, hoc semper attendendo, vt æqualitas vbique seruetur, & quod tutè tibi fieri velis, idem etiam alteri facias. Iam, quid est, quòd præcepta morum & virtutum constituantur, cùm tamen præceptum, quod constans & immotum sit, præter Deum ipsum condere nemo possit? Talia ergo præcepta constitui debẽt pro ratione temporum, vt aliquando tollantur iterum, & noua in priorum locum surrogentur. Homines enim & horum & illorum pręceptorum capaces sũt, ita, vt & futura pro æquis bonisque agnoscãt. Nihili ergo res est, si pro ęterna ęquabilitate talia cõstituãtur aut obtrudãtur. Quid enim ęterni in mũdo homo facere aut sãcire potest? Quod enim hodie is sãcit, id dubium est, an vsque ad vesperam duraturum sit. Omnia ergo ita sancienda & constituenda, vt tẽpus suadet. Tẽpus enim te trahit: quod te sequi equum est. Si ergo ad tempus omnino respiciendum tibi est: Deum consule, rogáque, vt ab ipso docearis id considerare, quod tẽpus tibi suggerit. Hic enim nullus consuetudini locus est. Consuetudo eiusmodi est mera fatuitas quodlibet nempe constitutum pro ęterno acceptare. Talia fundamentum suum ex tempore promunt. Et supra tempus nemo est, infra ipsum verò omnes. In mandatis publicandis proximus à Deo Cæsar est. Is autem quodnam mandatum rogare potest ęternum?

Morbi noui noua remedia.

Coniug. consideratio Theophrasti.

Fœminæ semper plures.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Nul-

Nullum. Mandata, æternum duratura, promulgauit Deus ipse. Horum seruandorum custos debet esse Cæsar. Hoc si facit: iam & ipsius Cæsaris mandata, indè promanantia, seruabuntur. Iam si ipse Cæsar successoribus suis præiudicare statutis non potest, sed & regnum & leges ipsis relinquere cogitur: quid quæso in talibus audeat ipse homo? Tempus enim hominem quidem trahit, non autem trahit Deum. Hinc est, quod Dei mandata æterna sint, non item & hominis. Quod si homo ipse quoque mandata sua pro æternis obtrudere annitatur? hoc facto insaniā suam prodit, & humana ratione spoliatum se fatetur, dum non recordatur, quòd solus Deus tempus pro suo nutu torqueat, & quòd hominem tempori se accommodare deceat. Homo quod facit aut statuit, homo itidem infringere potest, & id vel meliorare, vel peiorare, vt loquuntur. Quod antiquitas condit id recentior ætas vel seruat, vel renouat aut mutat. Scribam ergo quemlibet seu doctorem à Deo doctum esse decet, vt nihil tale ex seipso, sed ex Deo promat. Is enim tam nouissimo quàm primo regnum & potestatem defert. Et nouissimus Cæsar primæuo nihilo inferior est. Vnde etiam fas est, vnum altero non minus ex Deo doctum factum esse. Iam si doctrinam ex Deo profluere conuenit: ipsa etiam naturâ indice constat, Deum statuta veterum aut destruere aut sancire posse. Nec enim vni saltem viro sapientia infusa diuina est, sed multis. Vnde non vnus saltem Magister est, sed & alter. Ciceronem aiunt virum fuisse disertissimum. Vnde multi hoc seculo linguam eius (quanquā nefas sit, Christianum Ethnici linguam desiderare) sibi optant. Sed quo loco illius viri facundia hoc tempore est? Nam quis facundus esse possit, qui mandatorum Dei ignarus est? Quis succus in huius sermone lateat? Cur suauis sit oratio eius, qui Christum non cognouit? Quis citra temeritatem linguam optet eius, qui omnis suauiloquentiæ fundamento careat? Concedatur ergo, ipsum suo tempore, in sua religione disertum fuisse. Hinc tamen haudquaquam sequitur, præcepta Ciceronis aut Quintiliani tenenda & fouenda esse, cum ista Christus ipse, ac Paulus, Petrusque & Ioannes & alij confregerint. Pro perpetuis neutiquam ista habenda sunt. Conuertuntur enim & permutantur, ad quod respiciendum est; simulque cogitandū, quod indies magis magisque excolamur, ac à Deo sublimiùs doceamur, quoque propiores diei extremo sumus, eò magis doctrina, acumine, sapientia, iudicioque proficiamus. Proferentur enim ante finē mundi vniuersa: & nouissimi erunt optimi, primi verò vltimi, quoad sapientiam & eruditionem, &c. Sic enim dictum illud, Nouissimi erunt primi, accipiendum est, quasi innueretur: Sapientissimi & eruditissimi in ordine primi procedent, sequentur simplicissimi. Ergo qui hactenus ordine primi fuerunt, erunt demum vltimi, & vltimi primi. Salomon autem, ac Dauid, & his similes alij in hoc ordine non numerabuntur. Loquor enim de ordine eorum, qui secundum sapientiam humanam dicta serie sibi inuicem successerunt. In hisce ergo præcepta nulla constitui queunt. Et licèt quidem nosmet iam meliora priscis non habeamus: tamen id saltem in causa est, quòd nos Ethnicè geramus: vndè nos quoque tales manere Deus sinit, cùm ad præscriptum eius nos non accommodemus. Qui antè intuetur in id, quod Chistus dixit: *Vos lumina estis mundi*: is nihili facit, quicquid dicat vel Aristoteles, vel Plato, vel alij. Vniuersum fundamentū Philosophiæ, Medicinę, Astronomiæ, Rhetoricæ, Logicæ, Musicæ, &c. ex ratione Fidei manare necesse est. Per illam regeneramur: per regenerationē hanc rectè erudimur in Medicina, Philosophia & artibus ōnibus, nobis scitu necessariis. Hęc lumini naturæ iuncta, imperfectum nihil relinquit, sed subindè magis magisque illustria omnia reddit, ita disponente tempore (quod hominem ducit & dirigit) & iugi plantatione, quæ indies à Deo melior instituitur.

[Margin notes, left column: Mandata ... (illegible); Cicero facundissimus; Nouissimi primi, & c.]

[Margin note: Fides est fundamentum omnium artium.]

TRACTATVS III.

Diximus hactenus de ordine, quo Deus res seminet, & sua serie in mūdo emergere sinat. Præter hunc verò ordinem alia quoque origo sapientiæ, prudentiæ, rationis, doctrinæ, experientiæque superest, nimirum talis. Si Deus dictum ordinem seminat ac largitur: ignis autem constellationis plus destruit quàm erigit, plus reprimit, quàm producit: insuper & ipse homo iugum effugiens rerum illarum formationem impedit: iam sequitur, Deum nihilominùs etiam in talibus curam suam intendere. Et præter istum ordinem tres ipse vias familiares habet, quibus sapientia, ars, doctrina, intellectus, & prudētia, &c. acquiritur, & mūdo conciliatur. Prima via *Necessitatis* est. Deus enim non patitur, mundum talibus rebus orbatū esse, sed de sua largitate subindè quid addit, & artificem aut virum sapientem excitat etiam pręter ordinem, pręter natiuitatem, & id, quod secundum consuetum cursum euenit. Hoc autē penes Deum est. Et vt firmamentum intuetur, ita euenit. Nā quod Pilati vxor marito, ne quid cum Christo negotij haberet, suaserat: id nō secundum ordinem, sed contra ipsum à Diabolo instigabatur. Sic & Salomonis sapientia non ex semine paterno profluebat, sed vltra seminis naturā erat. Talia multa eueniunt non secundū Influentiā, sed pręter solitum ordinem, ita exigēte vsu temporis, & populi necessitate, seu inopia postulante. Secundò ars, sapientia & prudētia, &c. datur necessitatis gratia, ad anteuertendā futuram inopiā aut annonę caritatē, sicut scriptū legimus: *Fœlix ea ciuitas, quæ prouidet necessitatibus futuris tempore maturo.* Dabimus exēplum. Mundus est ciuitas aut domus Dei. Huic si futuro tēpore mutatio impendeat, omnium primò necesse est, partem illam, quę mānsura est, ea prudentia donatā esse, vt ad alterius insultum iā in procinctu stet & animosè illā expugnet. Itidē & hic valet. Mundus multis prauis opinionibus ac moribus immersus est, & implicitus peccatis. Ea tolli à Deo necesse est. Iam id fieri minimè potest sine bellis & cædibus. Hoc fine suam iam expeditionem Deus adornat, nępe Turcā, quem produxit. Is autē vaticinium tātum est, aliquid nempe per ipsū expediri debere tutelę eius, quam præuisio diuina consti-

[Margin notes: Artium constituendarum tres viæ. — 1. — 2. — Mundus est domus Dei.]

constituit: velut & ciuitas fossas ac aggeres pro futuris periculis declinandis præparat. Ita intelligere debetis, multas artes ac doctrinas & similia emergere, non vt habeantur pro Turca nudè, sed pro Turcâ & vallo ad domus contra hostem, quem Deus sibi proposuit, tutelam. Et sic scire debetis, puluerem tormentarium non saltem artem esse, sed præter artē etiam præsagium seu admonitionem, vt homo se armet & prodeat. Quasi is puluis diceret: Hora vtique veniet, qua vsui ero. Itaque me exercete & discite. Talia enim non nisi futuri aliquid significant, quod Deus expediturus sit, ad quam expeditionem talia pertineant & cōferant, & per quæ illa omnino fieri debeat. Duo ergo iam dicta ad rem necessariò Deus ipse suppeditat, vt quæ ad futuros vsus pertinent, compleri queant. Superest iam tertium, cuius hæc ratio est. Id datur, quando homo seriò Deum compellat, & deuotè rogat, vt sa-

3. pientiam, artem & prouidentiam sibi conferat. Nec enim abs re est, quod Christus inquit: *Pulsate, orantes & precantes, &c. tunc dabitur & aperietur vobis.* Aperire hoc quid aliud est, quàm dari, quod rogamus? Itaque & harum rerum origo præter primum naturalem ordinem est

4. ex prouidentia diuina, quam sibi Deus reser-

Genus sapientū peculiare nauit. Præter has tres alia quoque numeratur, non instar dictarum trium & naturalis ordinis desuper veniens, sed ex singulari hominis diligentia emergens, ad quam ipse constellatus minimè est. Sic dicere solemus: *In hoc nobili bonus rusticus periit; aut Doctor iste stulto similior est, quàm Doctori. &c. Huius origo non est è supernis, sed præter causas prædictas rationem habet aliam. Nec enim Natura ipsum Doctorem aut nobilem &c. seminauit* Item, *Necessitas non postulauit, vt esset Doctor vel Nobilis*: Insuper *vaticinium nullum in se habet, nec ad quicquam aliud commodior est, quàm ad complendam foueam. Si enim moritur cum ipso vniuersa exolescunt.* Quæ tamen prædictorum quatuor generum nullius natura est: nec illa moriuntur aut intercidunt sed memoria aliqua etiam post mortem in mundo remanet. Præterea etiam docti hi & literati, &c. precando, pulsandoque tales non euaserunt. Si enim vota eorum numerentur & æstimentur, preces certe & pulsationes ipsorum non celeriùs aut fortius, quàm felium suspiria cœlum penetrauerint. Locus ergo præsens poscit, vt & de hoc genere sapientum doctorúmque, &c. disseramus, vt distingui possint ab alteris iustis, confirmatis, & à Deo probatis. Per hos enim irrumpunt peccata, miseriæ & ærumnæ. Illis ergo explicandis pars libri dimidia debetur. Plura tamen intelligenda sunt, quàm dicentur: licèt nihil non comprehendere instituerimus.

Vt ergo dicendi initium faciamus, sciendum est, genera huiusmodi multa surgere, & magni ab hominibus æstimari. Id ex parte ita accidit. Quandoquidem homo supra omnia animalia brutali ratione donatus sit: ipsum ex tali exemplo censebimus. Animal: quodcunque libet vobis proponite, & considerate, quo ingenio sit & valeat. Sic suum ingenium felis habet ad murem, suam naturam canis ad venatum. Eodem modo animalia quælibet peculiarem, sibique natiuam prudentiam, dolum, astutiam, &c. ceu artem & aratrum suum, ex quo viuant & alantur, adepta sunt. Hæc omnia si diligentiùs pensitetis: tot miranda simul & stupenda deprehendetis, vt ægrè crediturus sit homo, ex natura illa dependere aut oriri, cùm tamen illa dem Natura ipsa sint. Porrò, si etiam hominem introspiciatis, ipsum secundum hæc omnibus animalibus superiorem inuenietis. Cui etsi quidem nihil implantatum sit: ingenium tamen alit Lupi, Vulpis, Lyncis, Felis, &c. Vnde prouerbio iactare solemus: *Hic vnguibus scalpit*, id est, Naturam Felis habet: aut, Iste *canis more mordet*, id est, Lupinam naturam habet. Quæ si vera sunt: an non Marte proprio, instar animalis, dolum quendā fingere possit? an non peculiare ingenium in felicitate & fortuna induere queat? An non garritu & moribus psittacum: incessu & grauitate equum: superbia & arrogantia pauonem æmulari possit? Hæc enim non è supernis sunt, nec ex Deo procedunt: nec ordinis ritu seminantur: sed scaturiunt omnino ex animali, quod homo est. Iam cùm homo animalibus superior sit, imo sit animal supremum an non, si animalium naturas induere studeat, pauone ambitiosior, equo ferocior euadere queat? Imo & hoc, & alia grauiora exprimere nôrit. Potest esse quouis lupo rapacior, cùm plus lupo sit, & sit lupus quidem, sed lupus versutior? Si hoc potest: poterit vtique se etiam præstare picam, psittacum &c. qui ad hominum placitum & risum garriat, si seipsum aut alios appellet, laudétve. Propter intellectum insitum auibus omnibus illudere queunt tales, ac cantum ipsarum addiscere: nec quicquam vspiam est, quod æmulando exprimere non valeant. Qui huius generis secundi sunt, animalium omnium hominum scripta, literas, eloquentiam, ornatum, comptum & politiem nôrunt, & auium omnium cantum canunt, crocitant, frigutiunt, &c. Hæc iam adscititia doctrina, sapientia, ars aut prudentia est: quam intendunt, quousque per animal suum possunt. Et plebs auscultat, hoc est canis auscultat picæ, velut & simia. Talis est rex monoculus.

Cum ergo tales in homine sint naturæ & proprietates: scire conuenit, in scholis eiusmodi à iuuentute liberos institui. Et ex diligenti auditu rerum talium ac perceptione frequenti, homines docti euadunt, non quidem ex vi desuper missa, sed secundum naturam animalem, veluti pica docetur garrire, & canis per annulum transilire, &c. Quæ vero ista doctrina est? In his etsi quis magister fiat aut Baccalaureus: ecqua re melior est pica? Quod si verò totus psittacus ingenio & lingua is fiat, ecquid erit aliud, quàm auis adunco rostro, & turpibus pedibus? Et si omnino euadat doctor, cantum tamen ciconiæ merum canet. Hi tales docti & versuti fiunt ob singularem diligētiam, quam impendunt. Naturam tamen animalem non exuunt, sed retinent, séque inuicem superant velut canis villaticus venaticum, aut aquaticus pastoralem. Hinc est, quod alius consederit in villa: alius in pago: alius in Principum aula. Et hic est vulpes Herodes, cum

cum suis aulicis. Alius insuper ferox est, alius insidiosus, alius probè, alius malè institutus est. Et ex breui hac commemoratione hominum inuentionem & sapientiam animalem intelligere potestis. Ex natura vulpina nôrunt illi, quod ex congestis lapidibus nidus paretur, sicut & auis ex luto & stramine conserto nidum sibi construit. Tantum enim debetur animali. Vulpes enim scrobem requirit, quâ lateat. Non verò eandem etiam requirit homo. Quem decet esse ita nudum, vt nihil habeat, quo profugiat. Hoc si ita non se habeat: è supernis vtiq; minimè est, sed vulpem se facit, scrobem effodiens, & nidum sibi parans, sapientiámque suam supra alios extendens aut extollens. Nam cum more vulgato ita dicere soleamus, *hic bonus est architectus, iste adhuc est melior: ille vtrisque superior est*: quid hoc est aliud, quàm dicere, primum esse coruum, & nidum facere coruinum: secundum esse ciconiam, & nidum pangere ciconiæ: tertium esse araneam, & araneæ telam texere: quartum esse cochleam, & concham parare. Hæc ergo vniuersa ex inuentione animali, aut tali naturâ proprietatéque ducuntur. Quamprimùm enim res quæpiam naturæ corporeæ seruit, nihil eius ex supernis descendit: sed sicut inter sese agunt viuúntque pecora, ita & nos. Hæc eò dicuntur, vt sciatur, etsi domum quidem aliquis grandem exstruat, illam tamen non vt in hominem seminatam à Deo esse. Tu, etsi templum ædifices Salomonis, nihilominus animal es, & templum animale condidisti. Ob id nullius pretij aut momenti templum est: ob id etiam idem dirutum est. Quid enim hoc aliud indicat, quàm Salomonem hoc opere naturam animalem omnium optimè & pretiosissimè exercuisse? Sed quid tandem ac nouissimè id fiebat? Mera lapidum congeries, nulli vsui apta & idonea. Talia sunt omnia nostra ædificia, nec Salomonis templum exuperant.

Homo [illegible]

Inter autem cætera etiam dictum est, quòd etsi quidem à natura pecora simus, non tamen illorum more viuere, sed secundum id nos accommodare debeamus, quod à prouidentia diuina solicitatione nostra impetrare possumus. Ista enim firma & perpetua manent: non item & cætera. Sunt etenim scribæ, qui pro regno Dei, hoc est, ex ordinatione loquuntur: sunt scribæ, qui ex malitia dicunt: sunt scribæ, qui ex natura disserunt. Quod sensu Germanico ita reddimus: Sunt Doctores sacræ scripturæ, ex prouidentia diuina constituti. Et hi sunt scribæ ad regnum cœlorum, similes patri familias, qui vetus ac nouum proferat. Doctores Theologiæ sunt etiam alteri, sed non ad regnũ cœlorum, verum vt iam diximus. Sunt ergo illi duplices, rem vnam, vnam doctrinam, vnum negotium tractantes, corde tamen & affectione, à se inuicem dissidentes, vt vulpes dissentit à columba. Idem eodem modo etiam de cæteris omnibus intelligendum est. Si enim omnis scriba doctus esse aut fieri à Deo debet: per ordinem vtique, vt iam diximus, ex Deo seminari & plantari debet. Quicquid enim, vt Christus ait, *non ex patre meo cælesti plantatum est, nauci est.* Itaque necesse est, naturalem ordinem in semine procedere, velut & necessitatem prouidentiæ diuinæ: adde, quòd ad res futuras præstituendum est: Et denique, quod homo ipse pulsando per preces à Deo impetrat. Extra hæc quisquis est, qualiscunq; est, vel disertus, vel vafer, vel Principum aulæ socius, &c. ab ea certè plantatione est, quæ exstirpari, non vernare debet. Res enim ipsa probat, Christum non animales adoptare voluisse homines, veluti Nasonem, Ciceronem &c. sed piscatores, qui nihil quicquam sapientiæ animalis haberent. Meministis hîc etiam, Paulum fuisse Doctorem gentium? Quid id curauit Christus? In Apostolum enim illum eligens, ipsum cum omni sua sapientia in humum prostrauit, hoc est, abluit & emundauit, quod in ipso animale erat, vt omnem doctrinam gentium exueret. Et quia oportuit illum à supernis doctum fieri: ideò opus habuit, vt in tertium vsque cœlum attolleretur, ac ibi doctrinam nouam hauriret. Tum demum sapientiam diuinitùs acceptam habuit, & fidem iustam apud homines meruit. Sic & cum Christus in terra ambularet, sapientia illius nullo loco erat, donec Spiritus sanctus super ipsum consideret, sicut Ioannes, baptisans ipsum, testatus est. Ex hac postea sapientia locutus Christus est, nec ampliùs vt homo. Vanum ergo est, Astronomos ad horam natiuitatis cœlum dirigere, & inde augurari, an fauente astro homo natus sit. Quot quæso eodem tempore infantes nati sunt, in regione eadem ac distantioribus plurimis; quorum tamen pars maior in stultos degenerauit? Mera ergo dementia & nugacitas est, de talibus thema genethliacum erigere. Quicquid enim non è supernis descendit, nihili est. Nam hoc modo & Christus desuper doctus fuit, non in synagogis.

Theologi duplices.

Paulus vbi ex animali diuinus factus.

Astronomiæ vanitas.

TRACTATVS IV.

INsuper etiam sapientia, prudentia, ars &c. alia est ex spiritibus procedens, & in corpore animali dominans. Notum vobis est, quòd qui homo è supernis institutus est, spiritum is sanctum habeat, à quo ducatur & doceatur. Sicut ergo doctrina, quæ è supernis homini confertur, à Spiritu sancto dirigitur: sic vulpinam astutiam moderatur Diabolus per Legiones ac turmas suas. Si homo Herodis more vulpinam astutiam habet, à Diabolo in viam ducitur illius astutiæ, vt opera dignum progressum habeant. Astutus huiusmodi vir, si ditescat, homines iam continuò ogganniunt: *solers iste vir est*; quem propria prouexit sapientia, aut cui hanc gratiam Deus fauit. Interim tamen donum ipsi Deus splendidiùs contulisset, nisi id respuisset. Et quod habet, id ex diabolo est. Sic, qui lupus est, in hunc se insinuat Diabolus, ac quod didicit, probéque callet, in actum deducere iuuat, ita aspirans cœptis, vt seipso is ducat ad ea loca penetrare possit, vbi, quod laceret ac deuoret, inueniat, quam naturam lupinam etiam didicit. De tali iam iterum dicunt homines: Iste approbè doctus & eruditus est, vt vniuersos terrere & vorare possit: cùm tamen res dicto modo aliter se habeat. Similiter & aliis studiis

Sapientia qualis ex spiritibus.

studiis omnibus dant operam homines, vt ex præsumptis ingeniis talibus in hoc se mundo sustentent. Hos autem oportet quendam spiritum asciscere. Nam ex seipsis talia impetrare non possunt. Porrò ista non designat spiritus sanctus, vt qui in nullum lupum, canémve, aut vulpem ac lyncem irruit, sed in hominem tantùm pium & frugi sese insinuat, qui è supernis natus sit. Nec enim regeneratio è supernis est: vnde nec cum illis quicquam commercij habet. Cùm verò omnino spiritu aliquo opus illi habeant, influit ipsis spiritus malignus, qui ducit & docet eos patrare id, quod cogitare ausi sunt. Diabolus enim cum talium sit dominus, in ipsos ius ac potestatem habet. Et necesse quidem est, ipsos spiritum aliquem adiutorem habere, siue is è supernis aut infernis sit. Horum enim alteruter est. Itaque in sacra scriptura clarè & expresè docetur, hominem, donec è supernis natus non sit, corporale animal esse, vel lupum, vel canem, vel columbam, vel passerem, vel quiduis aliud. Sed si è supernis renascatur, talis esse desinit. Verè ergo & ex causa iusta Deus nobis cognoscendum dat, quòd discipuli Christi fuerint lumina mundi, & sal terræ, non corporaliter vel faces vel sal, quandoquidem è supernis renati erant. Dum vero alibi addit: *vos lupi estis rapaces,* indicat omnino, illos lupos veros esse, non nomine tantùm, sed & corpore, naturâ, complexione, proprietate conditione, &c. solâ figurâ ac formâ exceptâ. Erant enim nati ab infernis, non supernis. Et omnino ita statuendum est, nos corporaliter esse pecora, quandoquidem de supernis nihil acceperimus. Quicquid enim ex illo, *ab Infernis*, agimus, id corporale est, est brutale, est animale, siquidem illa nostra natura est. Diabolus eos homines obsidet, qui pecora sunt. Qui e supernis sunt, hos non occupat: saltem eos, qui ab infernis. De quibus enim obsessis in Euangelio legimus, hi vniuersi fuerunt animales, quâ occasione etiam à Diabolo occupati fuerunt. Quos dum liberauit Christus, è supernis ipsos regenerauit. Sic ergo cedendum erat Diabolis. Nec enim manere diutiùs poterant, sed spiritui sancto omnino cedere cogebantur, qui locum illorum occupauit, cum ex sepulchris obsessi egrederentur, &c. ita vt Diaboli expulsi in greges suum irruerent. Omnes hi spiritus ipsis inhabitârant, quia animales erant. Et quia animales erant, ideò à Diabolis obsidebantur: qui tamen dum cederent, veniam impetrârunt, vt in greges suum inuolarent. Hæc annotata nobis eo tantùm fine sunt, vt sciamus, diabolum in animal tantùm, non in hominem, è supernis renatum, ingredi. Nam ex dicto exemplo constat, quòd ex sue in sues transgressus sit. Vtrique enim porci erant, solâ formâ discreti. Quòd si enim porcus in corpore potest esse, vt homo: poterit etiam homo in corpore esse vt porcus. Vide verò, quid discriminis sit. Audiunt, vident, gustant vtrique, & omnia suilla sunt. Per cessionem autem spirituum, secunda generatio facta est è supernis. Iam inter se conferte naturam primam & vltimam, quantopere inter se differant, antequam obsiderentur, & postquàm liberarentur. Altera animalis est, altera est humana. Et discrimen sola facit generatio altera. Nec enim à Diabolo obsessus hoc modo vllus liberatur, nisi è supernis renascatur. Coniurationes námque & his similia alia nihili sunt. Itaque per orationem & ieiunia secundò nascimur. Si oremus, hoc est, pulsemus, intromittemur. Si ieiunemus, hoc est, vt homines decet, sobrij simus, non ebrij, non furiosi (quæ porcorum & animalium sunt propria) regenerabimur. Itaque si sapientia intellectus, & doctrina hominum ante obsessionem factam, conferatur cum illa, quæ post factam liberationem præstò est, vtramque certè longo distare discrimine omnibus manifestum fiet. Eiusmodi ergo res, breuiter comprehensæ nobis exemplo sunt, quo admonemur, vt originem rationis, sapientiæ, doctrinæ, artium & prudentiæ &c. probè rectéque discernamus, & vnde vtraque sit, cautè sciamus. Hoc enim cumprimis necessarium est. Et fieri minime potest, quin in tali casu spiritus aliquis concurrat, qui meritò cognosci debet. Si is est spiritus sanctus: certè pura est felicitas. Si spiritus est malignus: omnino certa est infelicitas. Itaque si natura nos non produxit ex semine superno, conuenit & dignum nobis est, vt oremus, & pulsemus per ieiunia & preces, vt Deus secundò nos generare velit, & facere, vt semen ipsius in nobis emergat, nostraque sapientia ex Deo, non ex animali profluat.

Spiritus malus in sua mancipia ius habet.

Homo non renatus, merum animal.

Apostoli lumina & sal terræ.

Animale est subiectũ diabolo nõ humanũ

Regeneratio per orationem & ieiunia.

Sed obiectioni hîc etiam quorundum occurrendum est, qui dicunt: Cum noua generatio in Christo inceperit: vndenam tandem processit sapientia, ars & doctrina Aristotelica vel Platonica? Notate distinctionem. E supernis nasci, secundò nasci, & de nouo nasci inter se ita conueniunt & differunt. Generatio è supernis omni tempore fuit. Deus enim homines sapientes, & industrios tam ante, quàm post natũ Christum oriri siuit. Et e supernis nasci est semen sapientiæ e supernis accipere. Præterea, *secundo nasci*, ita se habet. Quisquis in regno Dei saluus fieri cupit, hic secundò nasci debet, hoc est, debet semen suum, e supernis natum, arripere, & veluti crucem suam portare, Christúmque sequi. *De nouo nasci*, id est, vt generatio vetus non amplius vigeat, aut duret, sed totus purus & impollutus Christianus ac fidelis adsit. Itaque pro responsione hoc notandum est: quod, etsi quidem Plato, & alij semen e supernis acceperint, adeóque quoad semen hoc, e supernis nati sint, non tamen ob id creduli & fideles fuerint. Cætera duo, *vt de nouo nasci, & secundo nasci* (quæ ferè vnum sunt) spectant saltem ad credentes & fideles. Primi autem illi, scilicet e supernis nati, à fidelibus in hoc distant, quòd hi vniuersi & e supernis nati sint, & insuper spiritus omni macula & animali conditione carentes acceperint. Credentes ergo *Lapidem angularem* habẽt super quem Philosophiam & artem Astronomiæ Medicinæque exstruere debent. Hic námque semen e supernis depuratur & clarificatur velut ipse etiam homo clarificabitur per resurrectionem. Hic enim omnium primò debemus re surgere, hoc est, in spiritu nostro emundari

Sapientia Plat. Aristot. de superis.

Generatio supera quid. Gener. secunda quid. Generat. noua, quid.

dari per veritatem. Tales facti, post mortem deinceps vnà cum Christo resurgemus. Plato ergo vnus ex illis fuit, in quibus semen quidem inextitit, sed tamen per constellationem turbatum. Eodem modo & Aristoteles per constellationem obscuratus, & per naturam animalem ita adulteratus erat, vt veri fundamenti nihil haberet, sed tantùm signum daret acris cuiusdam seminis, inter vepreta lapsi: sicut & multorum aliorum semen in viam lapsum, cõculcatum est, aut in saxis radices agere non potuit. Mendosi ergo illi & impuri sunt non ad messem enati, vt veri tritici natura est. Quòd si genuinum Philosophiæ fundamentum ipsos habuisse dicamus: concedemus etiam eàdem opera, spiritus sancti gratiam ipsos nobis vberiorem habuisse, quod tamen falsum & impiũ est. Semen nàmque diuinum seminatum quidem erat: sed id pro vt deciderat, ita enatum creuerat. Iam verò posterioribus seculis, vbi spiritus sanctus apparuit missus, agri omnino redditi sunt cultiores & fœcundiores, vt nihil spinarum aut scopulorum supersit, sed omnis ager optimo ferendo tritico paratissimus sit, nisi fors nostra culpa contrarium fiat, vt oblatã illam gratiam acceptare nolimus, ceu parabola docet. Velle hoc, priscis Doctoribus non, vt nobis, liberum & arbitrarium erat: sed ita fieri oportuerat aut necessum erat.

Hæc ergo hactenus commemorata de fonte & scaturigine sapientiæ, artis, doctrinæque nostræ cognocenda sufficiant. Cui rei vt colophonem addamus, notate, quòd sapientia, ars, intellectus, prudentia, &c. ex verbo Christi procedere & per idem in nobis manifestari & exerceri debeat. Sic si Rhetor ego sim: conuenit, vt oratio mea versetur circa virtutes in Euangelio fundatas, nec vel latum pedem Euangelij limites transgrediatur, siue tractetur de statu & imperio Regum, Principum, Magnatum, siue de eorum moribus, legibus, statuis, iure, &c. Hæc enim omnia in Euangelio fundata esse, & ex ipso promanare oportet. Sic etiam si de bellis mouendis & administrandis disseram, oratio vniuersa Euangelio consentanea esse debet. De qua re quicquid Euangelium bello conueniens complectitur, id orator eloqui debet. In multis enim vel sermonibus, vel historiis, vel chornicis, vel aliis speculationibus subtilius fundamentum aliud probatur, quàm quod ipsum ponit Euangelium: Eodem modo si Iurisconsultum agam, tractatio omnis ad scripturam dirigi debet: hoc est Iurisprudentia non homini sed Christo accommodanda est. Pariter & Medicus ad Euangelium & scripturã respicere debet: hoc est. Quod non potest, id orando & pulsando impetrare debet, vt proximo suo vsui sit. Hoc qui non facit, sed sparsim hinc frustum, inde micam corrogat, is nihil quicquam proficiet, sed meram carnificinam & lanienam exercebit. Sic & in Philosophia, Astronomia, &c. fundamentum id tenendum est, ne *Hypocritæ, Pharisæi, Viperæ, &c.* à Christo audiamus. Quod si laudatã hâc viâ pergamus, diuortium faciemus ab illis, qui in senticetis enati, ad incrementum iustum satis Solis non habuerunt, quales sunt Ethnici Græcique. Quos si imitemur vnà cum ipsis in vepretis volitabimur, vt nulli nos tangenti vsui esse possimus. Quisquis enim nos quæret, à spinis, sub quibus latemus, pungetur, hoc est, seducetur, & damnum corporis simul ac animi sentiet. Veteres ergo imitari minimè debemus. Sectemur potius credentes, & semen nostrum Soli exponamus, vt emergat & enascatur. Hoc enim fine semen Deus in nos coniecit, vt erumpat, & instar facis luceat, ad quam videre quiuis possit. Vt enim illum in Euangelio non laudat, qui Solem suum, suam Lunam, suas Stellas, suam Iridem occultauit, sed vult, vt ad faciem prolatam quilibet videat: Sic id multò magis extorquebit à nobis. Nos enim in æternum seruaturus est, etiam cum Sol & Luna peribunt. Faces ergo & lumina nostra obiectis vepribus occultare minimè debemus, sed potiùs id curare, vt luceant, micéntque ac in propatulo stent, quo mundus vniuersus, illac præteriens, videre possit.

Iuris cõsultus quis bonus.

Medicus quis legitimus.

Lux hominum non occultanda.

LIBER DE VOTIS ALIENIS THEOPHRASTI HOHENHEMII.

PROLOGVS.

HOMINIS *voluntas, verbis* ITA & NON, *declaratur; atque in ipsius potestate situm est, vt* Ita Ita, & Non Non *sit. Idem etiam arbitrium habet,* ITA in NON & NON in ITA *conuertendi: hoc est, quod promisit & stipulatus est, id seruandi aut non seruandi. Vult autem Deus, vt voluntatis Diuinæ placita homo exequatur. Vult, vt in veritate omnes ambulemus: vult, vt nostrum* Ita Ita, Non Non *sit: vult, vt cum constantia, quod veritas exquirit, eloquamur. Vult, vt quæ quoquo pacto hominibus pollicemur, eadem ita faciamus: vult, vt oris promissa, cor ipsum, adeoque corpus vniuersum cum omnibus nostris viribus rata habeant, nec os in mendaciis argui patiantur. Conditi nàmque hominis ea est ratio & consensus, vt nullum in corpore membrum sit, quod non alterius commodo fruatur: hoc est, nullum totius corporis membrum mouetur, cui non omnes eius etiam minimæ partes opitulentur, vt id operi illi, cuius gratia intenditur, idoneum satis ac sufficiens sit. Eadẽ & linguæ ratio est. Quæ si sola loquatur, nec totius corporis cooperantis mẽbris ac viribus vtatur, mendax & vaniloqua reperitur, nec verbis factæ respondere queunt. Sermo enim non in linguæ situs, sed ex corde promptus est. Et ligua saltẽ instrumẽtum est, quo eloquimur. Qui mutus est, in corde mutus est, nõ in lingua. Itaq; quod lingua loquitur, ex corde manare debet. Hoc nãque cõdus est veritatis, fidelitatis, charitatis, &c. Qui loquitur, verba ex corde depromat. Ita fiet, vt Non non, Ita ita sint. Si ita dicas, etsi malum sit, Ita tamen sit. Si* non, *non sit; etsi malũ sit. Quod enim in corde conditur, id erumpit. Ex hoc cognoscendus & æstimandus es. Vt loqueris: ita cor tuum* indica-

Hominis voluntas in Ita & Non posita. Deus veritate gaudet.

Partium corporis mira inter se synergia.

Sermo est res cordis. Lingua sermonis instrumentum.

iudicatur vel est. Si dicas, te scortari velle idque facias iã verũ loqueris. Cor enim tuum lupanar est. Id alias nõ loquereris. Itaque sermo tuus ex corde sit vel Ita, vel Non. Sic enim, quis sis manifestandus es. Et quia lingua prodit, quidnam in corde intra te sit: ideò sequitur constantia, hoc est, veritas, hoc est, dicere potes, vt tamen non facias, aut affirmare vel negare potes, vt tamen neutrum facias. De hoc mendacio, inconstantiaque oris liber præsens tractabit. Si votum facis, & id non seruas, sed mentiris, iam votum violas. Quid autem votũ sit, & quo pertineat, ex Philosophiæ fundamento sequenti petendum est. Tales enim nos esse requirit Deus vt quicquid spondemus aut pollicemur, id vtique seruemus, nec ambigamus, sed Marpesiæ cautis more nobis constemus. Quodlibet enim Ita promißio est ac votum. Id iam inuiolatum seruandum est, seu bonum seu malum sit. Si quid voues, serua. Id enim si bonum est, vniuersis hominibus bonum erit. Si malum est, iam, qui iusti aut iniusti sint, & quinam diaboli filii sint, constat. De votis ergo tãquam de iudicio & necessitate, meritò scribendũ duximus.

Promissa seruanda etiã mala.

Ita, quoduis, promissum est.

Vota seruanda, qualia sunt.

DE VOTIS ALIENIS LIBER.

TRACTATVS I.

QVOD Deo voueat homo, nihil habet: sed fas est, ipsum Dei mandata seruare, & morem illi cũ timore gerere, adeóque vltrò cum quotidiana pœnitẽtiã ipsi seruire citra vllum promissum ac votum. Vouere tamen alij quid & polliceri homo potest. Hoc enim æquum est, & intemerata fide seruandum. Cur autem Deo vouere nihil possimus, ratio hæc est. Neminem enim quenquam suorum discipulorũ Christus aut pacto, aut promisso aut iuramento adstrinxit, vt secum manere vellet: sed simpliciter elegit ipsos, & electioni illi securus acquieuit. Et tamen cum Christo illi manserũt. Sic quicunque Ecclesiasticus Apostolus est, vel esse vult, is Apostolorum ritu à Deo eligendus est. Ita námque testimonium habebit, quod dignus, idoneus, perfectus & sufficiẽs sit ad id, ad quod à Deo eligitur & confirmatur. Quò autẽ Deus nullum eligit aut collocat, ibi frustra laboratur. Et si quidem Deo multa promittantur à tali: attamen nec vocatus is nec promotus est: adeóque incertum est, an Deus in voto durare ipsum velit, vel nolit. Ponamus, quendam vouere Deo virginitatem, &c. Hoc an Deo placeat, vel nõ, scire nequit: cùm incertus sit, ad quid ipsum Deus elegerit. Huius iã quia incerti sumus, nec res penes nos, sed Deum & ipsius electionẽ sit: votum certè nostrum mortuum, imò mera stultitia est. At si ipse Deus mihi aliquid iniungat, dicátque, *Hoc fac*, & id promittã: iam res per se euidens est. Sed sponte suâ, ac instinctu proprio, sine iussu Dei, factum Deo ab homine votum mera hypocrisis est. Qui tale quid seruare vult, id faciat, sine tamen voto. Quanquam & *Propheta* dicat: *Votum feci Deo Iacob*. Sed tu respõde mihi: Si votum fecit, qua de re fecit? Id expedire nemo poterit. Is tamen virginitatem non seruauit: is nõ mendicatum oberrauit: is non laborauit. Quicquid ergo patres Deo præstare, ac efficere &c. vouerunt, id quidem ad nos, qui ad res eiusmodi electi nõ sumus, nihil attinet. Discipuli Christo pollicebãtur, vellẽ se non latum pedem ab ipso recedere, sed vnà mori. Sed nullum hic votum, nullum iuramentum additum. Horũ námque auxilio quid Christus opus habuit? Sic etiam, quid mea virginitas, aut aliud quid Deo opus est? Ne hilum quidem. Itaque in talibus vota nulla poscit à nobis. Istis enim seruandis nos inidoneos esse nouit. Cùm à capto Christo discipuli aufugerẽt, indignatus is haudquaquam est, nec ob ideosdem obiurgauit. Non enim ad militiam & cædes ipsos vocauerat, sed ad annuntiandum verbum, ad quod nullo gladio opus erat. Id si tueri per se possent, facerent. Sin minus, puluerem à calceis excutiẽtes, ad alia loca pergerent, non bellarent, non rixarentur, sed incruentam victoriam satagentes, quod bona pace obtinere non possent, mitterent, aliò abirent, & ex domo illa pacem secum iterum auferrent.

Vota Deo fieri non debent.

Vouere hominũ est, & æquum.

Apostoli vt vocati sint.

Votum iniussum est hypocrisis.

Patrum exemplũ nodie non quadrat.

Apostoli ad quid vocati.

Cùm ergo vota Deo facta nihili sint, résque Deo votæ, an Deo gratæ sint, vel minùs, ambigatur, adeóque incertum sit, quis & cur vocatus sit, & an vocatio sit ex Deo: iã deinceps de hâc materia latiùs disquiremus. A quo votum poscit Deus, huic Deum loqui, & id iudicare necesse est. Id autẽ aliud esse oportet, quàm quod ex debito & iure per nos ipsos facere cogimur. Discipuli Christi relinquere cogebantur vxores, liberos, agros, prata, &c. Cùm verò conquererentur, & dicerent: Nos omnia nostra bona, vxores & liberos relinquimus, quæ nobis merces superest? &c. hic iam illi nullo voto obstricti tenebãtur, sed tutò ad agros, vxores, liberósque suos remeare poterant, Christo pœnam illis ob id nullam irrogãte. At verò minimè abierunt, sed cum Christo manserunt. Sciuerat námque Christus, quos ad officium id vocare debebat, ipsos sponte sua volentéque animo, etiam sine votorum vinculo hanc prouinciã subituros esse. Hoc ergo casu pér electionem agitur. Et qui eligitur, is id, ad quod vocatur, sine facto voto faciat. Vouere enim & promittere, nec seruare, ad damnationem pertineret. Facere autem, nec tamẽ vouere, id seruari potest, vel non potest. Deus quidem, si eligit, non aberrat in electione sua. Quem enim requirit, ipsũ inuenit promptum & alacrem. Porrò autem nos quoque Deo aliquid vouere. & votum præstare posse, ambiguum est. Ponamus, voto facto quẽdam dicare filiam suam collegio virginum. Is si ad votum hoc à Deo rogatus est, seruet. Si rogatus non est, quid futurum sciet esse de sua filiâ, cum is nec seipsum norit? Si filiam educat ad pudicitiã, &c. opus Deo gratum facit. Si prurit illa: itidem iam Deo placet, vt nubat. Tu verò si ipsam votiuam fecisti, iam ipse vides, quod luendum votum tibi sit. Fas námque est, te constãtiæ studere & veritati, vt quod voues, ita fiat. Et in te situm non est, talia vt Deo voueas. Si facis: serua. Abs te enim extorquebitur liberãda fides. Ita fiet, vt, quicquid mali & criminis hinc sequitur, tuæ ceruici luendum sit, quoniã temerè voues id, quod Deus te non postulauit. Itaque de his ita statuite, quòd vota talia Deo facta, basin substernant Antichristo. Antichristum autem esse, necesse est, nec vllo is molimine exturbari potest, mansurus scilicet, donec ad iudicium Christus ipse compariturus est. Interim Antichristus mundi princeps erit. Illũ verè si

Vetita liti per ... tatio.

Votiua ... Antichristi.

rò si esse oportet, oportet eundem etiam fieri. Itaque principium sumit ex votis tam temerariis & inutilibus, in nullo verbo fundatis. Sic ergo quod fecisti votum, tibi seruandum est. Hinc enim nasciturus & prodituras Antichristus est. Itaque si nolis ad Antichristi fundamentum lapidem adiicere, nihil voueas. Filiam tuam educa in honestate, pietate, & mandatis Dei. Sic fiet, vt te ipsius nequitiæ participem minimè facias.

Præterea autem votum hoc quoque dicendum est, si apud Deum pulsans precor, vt hoc vel illud mihi largiatur; quòd si accipiam, ad hoc vel illud destinaturus sim. Iam si petitionis illius tuæ compos fias, promisso seruando obligatus es, quàm primùm rem acceperis. Ponamus, sollicitare te Deum de mille florenis, quos in egenos & pauperes distribuere velis. Sensum ergo cordis tui inspiciens Deus, quod petis largitur. Id si non conferas tu, quò vouisti: iam ob violatum votum damnationis te reum facis. Sic itidem, si Deum de officio aliquo, huius vel illius gratiâ roges, nec id rectè impendas: ipso facto damnatus es. Et si Deum de Sapientiâ, Arte, &c. sollicites, & acceptam malè colloces, damnatus es. Si tibi prolem Deus dat petitam, quod de ipsâ vouisti, serua. Ideò enim prolem tibi dedit, quia huic illiue rei ipsam dicare pollicitus es. Si facis: successu res non carebit. Ipsa enim crucem suam humeris accipiet, & Christum sequetur. Hoc est, etsi illam quidem ceu lapidem, in Antichristi murum inseras, & tamen Antichristum nondum cognoueris: Deus tamen petitui tuo obsequetur. Sed interim proli tuæ te longè meliùs prouidebit. Nam permittet quidem, vt illa in muro pars aut vmbra sit: sed tamen cor eiusdem moderabitur, & faciet, vt hæc ipsius crux, hoc est, peccatum sit. Peccatum verò & crux eius non facient ad Antichristi regnum augendum, sed ad idem fugiendum & ipsum Christum imitandum. Et huiusmodi Diuorum multi sunt, antequam in vtero matris conciperentur, Deo deuoti. Quod si petitionibus huiusmodi Deus annuit: natos tales certè non nisi vmbras in Antichristo constituit. Votum verò factum pro cruce habent, quod expiant, donec moriantur: vbi tamen Deum adiutorem habent. Huiusmodi autem viri, sub Antichristo constituti sors eadem est, quæ Iudæ inter duodecim discipulos. Si enim proditor iste inter tot sanctos Apostolos versari, cum illis vnà edere, ambulareque potuit, nullo vtriusque partis damno: poterit vtique talis etiam Diuus citra noxam cum Antichristo conuersari. Spectant talia ad ferendam crucem, & contemnendum Antichristum, prout ducit ac gubernat Deus. Sed pro conclusione horum tenendum est, nos cum Deo votis nihil tractare aut pacisci vel posse vel debere. Si autem tale quid fiat, serua, & duo tibi incumbere cogita. Vnum, vt Antichristo auctarium conferas, quæ pœna est, quod voueris, & est maledictio, quā sustinere cogeris. Alterum: Si non seruas, iam votis tui leuitas Deo nota fit. túque fidem veritatis apud Deum perdis, vt te deinceps non respiciat. Itaque sic puta, oportere etiam esse antichristos. Iam ipse iudica ex his quale tuum votum sit, quod cum temeritate factum, seruare cogeris.

Cùm ergo talia ex electione diuina procedant, non ex ipso homine (nec enim, quia is ita vult, ideò rectum est) & Deus quodlibet eligat, quò pertinet: ex eo iam liquet, necessarium esse: vt crimina & turpitudines incumbant. Ex talibus enim prodit Antichristus. Væ autem illi, per quem venit, hoc est necessarium est, vt Antichristum parias. Væ autem tibi quod id facis. Votum enim facis, filium tuum hoc vel illud futurum esse. Per hoc iam Antichristo filium obtrusisti: Nam quia vouisti, seruare teneris. Et id fieri, necesse est. Etsi enim omnis mundus contrarietur, fiet tamen quod vouisti, nec impediri potest. Ideò electus es, vt hæc facias. Caue ergo à mendaciis. Nam accidet tibi, quod Abrahæ: cuius filius Isaac ob patris votum capite plectendus erat. Hoc quid erat aliud, quàm figura Antichristi? Si enim per votum tale filium tuum mactas, iam occidis illum. Sed quid facit Deus? Retrahit te, si fecisti id ex electione, hoc est, scriptura, & filium tuis manibus excutit, ne votum in actū ducatur. Si verò similis es Iudæ, nec de filio tuo luges, sed gaudes, eò ipsum electum, vt hoc aut illud fiat: iam Deus penulam tibi non scindit, sed pro tuo arbitrio te tuere sinit. Itaque iam cultro iugulum feritur, hoc est, Diabolus & regnum ipsius in filium cadunt. Itaque morigerum esse Deo, iustum est. Tuum tamen est talia cum dolore; timore & pœnitentia facere tali, qualis fuit patris Abrahæ in offerendo Isaac. Tunc enim sustinet te Angelus aut retinet, tuamque erga Deum obedientiam videt, quòd nempe secundum voluntatem Dei filium tuum Antichristo quidem offeras, cor tamen luctu & dolore penitus conscindatur. Quem te taliter animatum si Deus videt, votum tuū tollit, & Isaacum tunc vitæ restituit, hoc est, filium tuum in illo casu custodit.

De votis itaque erga Deum ita censere, fas scilicet esse, vt circa illa homo prouidus & circumspectus sit, suumque filium ita despondeat, vt plus ad Dei, quam propriam suam voluntatem respiciat. Casus enim iste præceps & intricatus est, quem Diabolus tibi obtrudit, per res mundanas tui seductionem meditans. Beatus ergo vir ille, & beato beatior, qui Deū timet. In timore enim illo Deus custodit ipsum, ne quam de suis liberis labem experiatur, & id, quod pro electione sustinendum est, in crucem conuertit, quam portando filiū suum, & sic præterea ipsum Christum sequatur. Hoc modo omnes diuitiæ, omnia gaudia contemnuntur, & in vestigia Christi itur, In quibus si Diabolus ipse ābulare posset, saluus vtique fieret. Quantò magis homo? Momentum ergo omne situm est in via, quam teris, ad portam vel amplam vel angustam. Et quicquid portas, id tecum per viam tuam proferes. Christus enim omnia nostra peccata portauit, sed viam angustam ingressus est, vnde hæc ipsius Crux erat. Quod si & nos cum peccatorum nostrorum sarcina viā cum Christo eandem per portam angustam teremus, illa à Christo de nobis auferetur & deponetur. Sin minus, ad Antichristum pergitur. Cuius

peccata vbi deponentur, ibidẽ & tua deiiciẽtur, nempe in loco æternæ damnationis, quo thesaurum sibi & voluptatem colliget. Vide ergo, quantopere vniuersa in solâ electione Dei consistant, nec quicquam vel boni vel mali penes nos sit. Et nisi viam arctam ambulemus, cœlum nunquam ingrediemur. Quot enim sunt illorum, qui seipsos per vim sanctos faciunt, & vbique vitam duram & ærumnosam agunt. Ista tamen omnia nihili sunt, etsi duplo graviora & duriora videantur. De electione enim incerti sunt, an ad talia vocati sint vel nõ sint. Interim multa vouẽt, & votis quàm plurima præstare conantur, quæ tamen omnia nihili & nauci sunt. Cæterum, seu vota, seu aliud quid in te cadat, abi & serua. Vtut autem votum sonat, ita fac, ac in viam angustam abi, ibi in portę angustiâ illa tibi distringentur & deiicientur. Vota enim omnino seruari opus est: licèt vouere nostrũ non sit. Si tamen vouimus, præstare certè cogimur. Nam violare, mors æterna est. Oculos conuerte in Iudam. Is cum Christum prodidisset, desperare cœpit, & abiens seipsum pensilem fecit. Quod si non fecisset, sed rectà ad viam angustam properasset, peccatum ipsi remissum fuisset. Idem & tibi dictum puta. Etsi enim votum temerarium fecisti, si id temerarium esse cognoscis, ac eius cognoscendi à Deo gratiam habes, dirige id in viam angustam, quæ Christi est, non in viam spatiosam. Illa namque Diaboli est, læta tamen & amœna, vndiquaque ridens vino, frumentis, speciosis fœminis, amplis opibus, denique secura & voluptuosa omni quiete. Et nemo est laboris eius qui talia soluat. Ambulatur enim ac viuitur in via lata. Itaque tuum Domine, Domine, nihili est: nihili est tuum concionari: concionaris enim non in arcta, sed in ampla viâ. Et licèt tuum quidem votum deponas, ab illo te mundes, & Antichristum eum esse agnoscas: tamen ne sic quidem saluus es. Nec enim Christum sequeris, sed ambulas in via lata. Emundas tuam camisiam & pileum, cor autem voluptatibus delibutum seruas. Itaque vestis tua viam angustam quidem ingredietur: Cor verò tuum in via spatiosa manebit. Vestem tuam serua, & illam ad cœli portam tecum fer. Ea ita angusta est, vt vestem nullam transmittat, quam distringat. Ita satius erit à porta illam distringi, quàm à mundo. Saltem in Christi viam cor tuum dirige: & nihili tibi noxium aut damnosum erit.

Antichristi thesaurus vbi.

Vota necessaria seruãda.

Votorũ violatorum quę pœna.

Via inferni quam amœna.

TRACTATVS II.

IN Prægresso tractatu primò disseruimus de votis erga Deum, quod per illa ipsum quoque Antichristum surgere oporteat. Hunc vero non indicabo aut nominabo. Inter nos enim versabitur absconditus, vt Christus inter Iudæos. Nec fieri potest, vt à quoquam digito monstretur, nisi is similis esset Ioanni Baptistæ. Ipse tamen non loquetur. Electis quidem Christi ipse notus est, sed mandatum acceperunt, vt sileant, sicut à Christo interdictum quoque discipulis est, ne ipsum Dei filium esse prædicarent. Idẽ Prohibitum etiam erat spiritibus ne tale dicerent. Prohibitum etiam erat infirmis, cœcis, &c. ne Christum manifestum facerent. Simile quoque, sed occultum mandatum datum est, ne Antichristus reuelaretur. Et licèt quidem per iracundiam aut concertationem, conflictũ, vnque quis dicat, *Tu es*: huic nolite credere. Fieri enim potest, vt iste quoque regni eius pars sit. Ita mutuis cõuitiis sese etiam scorta proscindunt, qualibet se cæteris præferente: & tamen meretrices ad vnam omnes sunt, vnius domus alumnæ, vnius stabuli pecora. Hic idem euenire potest. Adeò enim absconditus est Antichristus, vt ne à ministris quidem suis cognosci queat. Nec vnquam is adeò manifestabitur, vt apertè monstrari possit, dicique, Hic est, ille est. Nemini enim tantum intellectus est, vt quis verè sit, verè sciat. Hic de causâ nec ego ipsum nominaturus sum. Vota quidem, quis ille sit, indicant. Sed idem frangũt rursus, si Isaici gladius subtrahitur & subducitur. Si aut non, ibi manifestus est. Hoc autem quis videt? Adeò occulta sunt hæc vt homo dicere non sustineat possitne, *Hic est, hic est.* Hoc quidem verum est, eum reprehendere debere, vt dicat: Hoc iustè non fit, non rectè fit illud: hoc aduersatur Deo, illud, &c. Sed ob id Antichristum ne dum nouit. Et licèt quidẽ aliquis sibi videatur illum videre: nostrorum tamen oculorum festucæ adeò magnæ sunt, vt rectè & sine periculo iudicari nequeat. Nec enim de festuca & trabe Christus incassum verba fecit. Hoc enim volunt docentque, te ob tua peccata, quis alter sit, neminem nosse aut iudicare posse. Itaque Ioannes Baptista solus fuit is, qui peccato carebat, qui Christum nouerat, & in ipsum digito intendebat. Huic festuca oculum non perstrinxit, sed visũ is exactum & integrũ habuit. Talibus oculis necesse est te videre, & insuper apparitionem Petri habere, si illum Christi aduersariũ nosse velis, sicut etiam à Deo Patre manifestatũ Petro est, quòd Christus verus Dei filius sit. Citra apparitionem hanc neminé criminari potes propter festucam, in oculo tuo defixam. Si Deus quidem alicui id reuelauit: è vestigio tamẽ idẽ prohibuit, ne foràs eliminaretur. Si tu id propales, nihilominus tamen fiet, vt dubitent homines, verumne tu an falsũ perhibeas. Antichristum illum cognosci oportet tantum per signa, per viam, per apparitionem diuinam, quæ certe nemini tribuuntur, nisi qui vir Ioannis Baptistæ sit.

Antichristus nunquam aperte monstrabitur.

Ioannes sine peccato &c.

Antichristus vnde noscatur.

Antichrist' ex votis natus.

Antichristus quibus notus.

Cæterùm vt iam deinceps ad alterius tractatus argumentum descendamus: porrò quoque dicemus de votis illis, quibus sese mutuò homines obstringũt, sine obligatione Deo facta, vt iam diximus: Veluti si proximo meo aliquid voueam, nec id seruem. Nam de huiusmodi casu disseremus in posterum. Vota quæ nobis inuicem facimus, hæc ipsa quoque seruanda sunt, nec mendaciis nos assuefaciẽdi sumus. Vult enim Deus verbum nostrũ Ita esse, & præstari, siue quid affirmemus, siue negemus. Nec magis Deus probat illa mẽdacia, quæ ad hominem spectant, quàm quæ ad seipsum: adeò à nobis cõtendit, vt Ita Ita sit, nec

Vota & iam homini inuicem præstanda.

nec mutuis nos mendaciis decipiamus. Et per Ita, magnę obligationes fiunt, vt scilicet quod quilibet scribit, Ita sit, non mendacium: quod quilibet obligat, Ita sit, non mendacium: quod quilibet loquitur, Ita sit, non mendacium: quod quilibet concionatur, Ita sit, non mendacium. Hinc ergo consideratio alia emergit. Si enim tractemus mendacia, & nostrum Ita, Ita non sit, & Non, non sit. Non: iam colligi facilè potest, cur mendacia sint prohibita, hâc solâ nimirùm de causâ, quia per mendacia vnimur & similes simus Diabolo. Ipse enim mendaciorum pater est. Ille ergo, qui mentitur, Diaboli filius est. Si huius filij esse nolimus, fidem datam inuicem liberemus, & veritati vnicè studentes, mendacium longè fugiamus. Et per mendacia descêdimus in cognitionem nostri, qualesnã simus. Illa demõstrãt, nos falsos esse pastores populi, falsos Doctores, illa docent, nos falsò credere, falsò cum hominibus tractare, & quod aiunt, ex imo fundamento nihili esse. Nemo enim mentitur, qui non sit falsus Apostolus, falsus Christianus, falsus Propheta. Hi mentiuntur, non alij. Summa ergo nobis ea cura sit, vt in veritate ambulemus. Veracẽ enim Deus nõ sinit labi aut perire, sed lõgè plura ipsi tribuit, quàm aut credere aut intelligere is possit. De promissis ergo ita statuêdum, quòd ea facta omnino & irrefragabiliter seruanda sint, etiam si terra nobis dehiscat. Melius enim est id fieri, nósque perire imitùs, quàm in mendaciis erga proximum deprehendi. Mendacium enim vel nobismet ipsis oppidò noxium est. Mendacium iniquos facit institores, improbos mercatores, falsos fratres. Denique fraus omnis ex mendacio oritur. Annitere ergo, vt verbum tuum sit Ita, sit Non, ne in vanitate vllâ corripiaris.

Ita, [illegible] obliga[illegible].

Menda[illegible] homines similes Diabolo.

Diabolus pater mendaciorum.

Mendacij effectus & [illegible].

Iam, si promissa facta, hoc est, Ita vel Non dictum, syncerè inuicem præstemus: quis talia præstantes, infelices vocare possit? Contrà si non præstentur promissa: iam, quæ inde sequantur, attendite. Et quantum quidem votis temerariis, Deo factis, peccetur, iam antè dictum est. Quantopere verò peccetur in proximum, deinceps tractabitur. Et tractatus vltimus de illis aget, qui in terrâ non existunt, sed defuncti sunt.

Iam vt hunc tractatum pertexamus, scire conuenit, promissa inuicem facta, liberanda vtique esse, non neganda. Exemplum. Si promittam tibi dare aliquid, per quod ex paupertate eluctaris, ad id præstandum vtique obligor. Porrò si ducam vxorem, aut matrimonium ei addicam, nec seruem: promissum seruari fas est. Si pro te expedire hoc vel illud suscipio, vt id faciam teneor. Si anserem tibi voueam: id præstare vincior. Vt summatim dicam, promissa omnia seruanda & præstanda sunt. Sed pergo, ponendo casum. Promissum meum non seruaui: meum Ita feci Non, meum Non conuerti in Ita, adeóque voti reus sum, facti quidem, sed non liberati, ducor vero pœnitudine, & peccatum meum doleo, & ob contritionem dolorémque hunc perceptum Deum misericordem experior. Iam quanam huius gratiæ ratio est? Tantùm, vt soluam, & satisfaciam? Soluere non possum, quia morior. Mortuus etiam alter est, quem promisso meo & mendacio ad interitum duxi. Itaque propter promissum gratiam Dei perdidissem, & damnationis pœnam meritus essem: contritio tamen & pœnitentia me seruârunt, & gratiam conciliârunt. Iam quid meo proximo comodatur istis, quem mentiendo & ludendo decepi? Aliud dixi, aliud feci: Ita Non, Non Ita feci. Hæc vtique rependere teneor, & illis satis facere cogor. At ille mortuus est. Quo pacto huic malo obuiare, aut id detrectare queo? Semel actum transactum est. Ille abiit: ego superstes non sum, sed obij. Ad Deum nullus transitus datur, nisi satisfactio præcedat: Mendacium vertendum in veritatem est. At Non meum conuertere non possum in Ita, nec contra: periit occasio, & è manu lapsa est. Itaque soluendo non sum, & fidem violatam emendare nequeo. Factum enim est, & pro parte meâ talis maneo, qualis obij, nimirùm mendax & præuaricator.

Promissum [illegible] [illegible].

Casus de [illegible] [illegible].

Ex his vt extricare vos pleniùs queatis, scire vos velim, vniuersa æquali mensurâ compensari debere, nec quicquam non solutum manere. Sed & hoc constat, in pœnitentiâ & dolore exspirantem, à Deo exaudiri, nec deseri. Hinc sequitur: Si talem Deus non deserit, iuuabit vtique ipsum, vt soluat, hoc est, mutuò illi dabit, aut accommodato, vnde satisfiat. Iam patet, si remittamus, nobis quoque remissum iri: Qui mihi non remittit, is solui postulat. Ego autem, quod soluam, non habeo. Soluendum tamen est, & exactori illi de voto aut promisso facto faciendum satis est. Quo etsi non egeat: Ita tamen Ita esse debet, modo aditurus Deum sim. Iam si Deus mei misereatur, debito illo pro me alteri satisfacit. Is postea, quia solutionem tam præcise vrsit, eâdem ratione aliis quoque pendere cogitur. Si Christum non habet: ipse soluet, aut in damnatione satisfaciet. Sed de hâc solutione, qualis sit, disquirendum est. Aduersarius mecum eò meus contendit, vbi alius mundus est. Vtrique tum erimus, quales antea fuimus: nec tamen ipsi aut soluere, aut solutionem accipere poterimus. Exemplo rem declarabimus. Promitto tibi decem florenos accommodato. Tu, pecuniæ egens, in hoc con fidis. Horâ dictâ venis: ego promissum non seruo. Tu me pollicitum in mendacio deprehendis. Id mihi incumbit. Tu si moreris nec mihi remittis, soluere cogor. Sed si ego in domino moriar, is pro me soluet. Sic fiet, vt ego & tu iterum conueniamus. Iam te similis inopia, vt in terrâ, premet. Illam subleuare cogar, loco eius, quod in terrâ spospondi: Nec enim inopiâ carebis, quia remittere noluisti. Iam soluo tibi, & loco debiti terreni, tuomet iudicio decuplum pendo. Solutionem si feci per Chistum, qui inopiam tam debita mensura ita lenit, vt contentus sis: iam à Christo pro me ad placitum tibi satisfactum est. Satisfactionem hanc, quam quis alteri, remittere nolenti, debet, ipse accurat Christus, pro nobis, si in ipso moriamur. Si enim is nostra in se peccata recepit: pro nobis etiam satisfaciet. Is solus omnibus hospitibus, omnibus creditoribus, apud quos debiti aliquid reliquum in terrâ fecimus, satisfaciet pro nobis, qui soluendo non sumus, & promissa in terrâ facientes, mendaces euasimus. Mendax nullus in cœlum penetrat, sed tantùm veraces. Et nobis accidit id,

Talionis necessitas.

Christus pro nobis soluit.

id, quod latroni in cruce, qui per Christum liberatus est: Sic enim & nostra debita soluuntur & tolluntur, & pacantur omnes, qui nos quicquam postulant. Hoc saltem curandum, vt in Christo moriamur.

Casus de adultero.

Casum alium ponamus. Adultero alicui marito res sit cum vxore. Ab hâc illi non remittatur Iam accidat, vt adultero gratia & remissio detur. Vxori tamen satisfaciendum nihilominùs est: aliàs gratia nulla erit. Adulter enim nullus cœlum intrat, nisi huius peccata in se receperit Christus. Hoc si Christus non faciat: comparendum est adultero ad iudicium Dei omnium creatoris. Ibi soluendum & satisfaciendum vxori est. Postulationi autem mulieris satisfit ad placitum. Nam operibus carere cogitur: & tamen erit indigentia alia loco eorum, quoad coniugij violationem, vt res illæ compensentur, & vxor placetur. Id fiet per iudicium pronuntiatum super duobus mortuis hominibus inuicem, quale Deus constituet. Illa placatur, rationes conferuntur: eidem non remittitur, sicut nec ipsa quid remisit. Hoc modo vniuersa, quæ à mundo morientibus non componuntur, in altero sæculo soluenda & expedienda sunt, antequam in cœlum transeatur. Hinc factum est, quod nonnulli de igne purgatorio philosophati sint, quia nempe solutionem fieri oporteat. Ea solutio pro purgatorio quidem constituta est: purgatorium tamen non est. Hoc quidem semel verum est, oportere vtique solui, quod nobis non remittitur. Verum & hoc est, si in nomine Domini moriamur, ipsum vel in morte debita nostra in seipsum transferre, & soluere. Hoc enim nostrum nemo potest. Iam etsi pro nobis, ad solutionem insufficientibus. Christus soluat: non tamen ob id in purgatorium nos ducit, sed numeratâ re & pecuniâ soluit, & nos ab illo quoque loco expedit. Qui enim à Diabolo nos liberauit, idem nos etiam liberabit à malâ muliere, à malis cauponibus, & aliis, hoc ipso in loco. Nos tamen ideò non purgamur. Indigna enim illa liberatio sit, si luendum nobis & patiendum sit in nomine Dei & ipsius misericordia mortuis. Et hæc Philosophia multos in errorem egit, putantes, sibimetipsis soluendum esse. Quî verò mortuus soluere possit? Id quidem impossibile est, nec de eo vel cogitare debemus. Res solutorem alium requirit. Hoc loco vidulus noster inanis est, & monetâ vacuus. Tum nec recompensationi hic locus vllus superest, quia non amplius corporaliter in terrâ degimus. Itaque actum est: & via aut ad Deum, aut ad infernum patet. Vnum enim horum esse oportet. Quod si ob peccatum ad infernum damnatus sis: Christus autem pro te soluat: iam sine medio, sine omni purgatorio ad Deum pergis, non tuo quidem merito, sed Christi, qui te indè liberauit, sicut ex inferno per suam resurrectionem.

Purgatoriũ, &c, non est.

Purgatorium cur non sit.

Ita ergo veritatem à nobis extorquet Deus, in quâ agamus & ambulemus. Vbi hoc quoque notandum est, Dei regnum intrare neminem, qui non priùs ab omnibus expeditus sit, & plenè creditoribus singulis satisfecerit. Hoc si in terrâ non facimus: ad Deum peruenire non possumus. Ad Deum enim venit nec fur, nec latro, nec falsus testis, nec adulter, nec scortator, nec aleator, &c. Quòd si tamen de peccatis nostris seriò doleamus vt Deus cordium nostrorum contritionem & pœnitentiam videat: locum nostrum subiens Christus, nos liberat, & pro nobis satisfacit. Si hoc liberatore caremus: nullum vtique nos purgatorium liberabit aut eripiet, sed nos coniiciemur in carcerem, vbi vsque ad extremum quadrantem soluendum erit, hoc est, vel minimo de quadrante soluendo æternum torquebimur. Nihil enim quicquam omnino aut abluere aut deponere per purgatorium vel alia possumus, sed necesse est, vt Christus soluat. Nam in carne tantùm & sanguine existentes proximo nostro satisfacere possumus, aliàs minimè. Semel ergo ac necessariò aut ad cœlum, aut ad infernum pergetur. Ad cœlũ, qui Christum pro se soluentem habent. Ad infernum, qui Christum non habent. Qui enim in gratiâ moritur, Christum habet, & iam securus est, etsi hospites omnes, omnes creditores, omnes exactores confertim irruant. Hoc modo homo peccator saluatur, qui antea etiam in cruce saluus factus & à Diabolo liberatus est. Qui verò à Diabolo quidem liberatus est, sed in Domino non moritur, is non saluabitur, sed ex primâ redemptione excidit. Qui non excidit, is, quicquid, quantumcunque debeat, in purgatorium non rapitur, sed debitum eius Christus suis humeris suscipit, vt pro quo etiam mortuus est, & plenè soluit ipsemet, vt qui ad assem soluendo sit. Aliàs námque hoc loco soluere nemo potest, & de omni compensatione actum est. Nec purgandum: sed aut ad cœlum aut infernum transeundum. Et hæc immortalium votorum conditio est, quòd Deus velit Ita Ita, Non Non esse. Hoc si non facimus: prompta eo loco nostra damnatio est, nisi fiat, vt Christus onus nostrum portet, sicut pro nobis omnibus id portauit in cruce. Is summa & grandissima quæque nostra debita soluit. Quantò magis soluet minora. Saltem hoc agamus, vt in ipsum credamus, speremus, confidamus ex intimo corde & dilectione plenâ cum omnibus animi viribus. Sic demum pro nobis ipsis stabit.

Regnum Dei qui intrent.

Christo peccati satisfaciat.

Salus hominis...

TRACTATVS III.

SEd vt & tractatui tertio iusta faciamus, prius expediemus vobis causã huius libri scripti. Ea in sequentibus explanabitur. Quæ enim hactenus disseruimus, plùs Theologiã quàm Philosophiã resipiunt. Ex Theologiâ tamen Philosophiã hanc desumi & stabiliri decet. Iure ergo id Philosophiæ principium præmisimus. Itaque de præmissionis huius causâ ita accipite. Si homines nos in viuis aliquid, quodcũq; sit, inuicem promittamus, quod post mortem dandum sit: pars autẽ illa, cui promissio facta est, moriatur, & pars altera promissum non seruet: sciendum est, promissum omnino seruari, & mortuo plenè satisfieri debere. Hoc quî fiat, pro initio ex paucis exemplis cognoscite. Sit fœmina, quæ nubat viro. Hi cohabitent. Iam accidit, virum hunc inimicitiam fouere erga alium, quæ iusta sit, quia alter iniquè cum ipso agat. Si maritus ipse moritur: vxorem suam rogat, ne illi nubat, quem impendiò hactenus oderit: præter

Casus

præter hunc verò, nubat cuicunque velit. Huius etiam gratiâ legat vxori multò plura, quàm ipsi debeatur. Mulier id se facturam promittit: vir moritur. Mulier iam voto seruando adstricta est. Si non seruat, fidem violauit, & de hâc marito compensationem debet, sine quâ cœlum ingredi nunquam poterit. Promisso satisfaciendum est, aut in terrâ, aut in mundo altero, aut in infernum descendẽdum. Mendaces enim & fœdifragi homines cœlum non intrant, nisi omnia prius complanata & compensata sint. Tum demum cœlum ingrediuntur. Hinc frequenter accidit, fœminam talem morbo insanabili occupari, aut miseriis ac ærumninis aliis euidentibus obrui, ex quibus nullâ ope erui possit. Ita factum aliquando meminimus, talem fœminam primâ nocte cum nouo marito dormientem somniare, quod maritus prior veniat, & acu adactâ pudendum eius obiter transfigat. Rei terrore expergefacta, eo loco primum pustulam sensit. Et quotidie increscens & grandescens, in foramen degenerauit, quod sequens vicus, adeò malignum euasit, vt nullus medicinæ etiam efficacissimæ locus esset, nec præter vicem primam illa suo marito potiretur. Exacto semianno miserè & contumeliosè eodem loco expirauit. Talia multa passim eueniunt, ad quę discernendum circumspectum esse & prouidum decet Medicum. Si enim vota rerum eiusmodi causa sint: iam nemo dubitat, quin Medicus haud multum opitulaturus, sed cum probro & ignominiâ discessurus sit: Plagæ etenim tales medelam omnem respuunt. Opus est, vt promissa liberentur, & pactis omnibus satisfiat. Magni itaque refert, mortuis promissa seruari. Si enim illa non remittantur: magnorum malorum causa fiunt; cumprimis si promissa honesta & iusta fiant, ceu modo diximus.

[illegible]

[illegible]

Præterea magni etiam refert, huiusmodi morbos discernere posse. Vocantur enim vindictę. Vnde vulgus dicere solet: Hæc est vindicta S. Ioannis, hæc S. Quirini, hæc S. Valentini S. Antonij, &c. Pœnarum harum ea natura est, insanabiles sint, & medelam omnem respuant, ac miserè homines crucient excarnificẽntque. Et quia à nemine tolli aut sanari queũt, à vulgo pro pœnâ (pœna enim est, quod sanari nequit) & meritò habentur. Harũ ortus ab eo est, quòd homines secundum Diuos illos nomina ipsis indiderint: cùm tamen illæ non à Diuis istis instigantur, sed à dictis causis. Plerunque enim, si ægroti rectius æstimentur, talibus pœnis digni sunt. Multas namque passim causas ad tales vindictas serunt. Nec iniquum est, morbos adeò feros, ipsique naturæ contrariantes pro plagis ac vindictis haberi. Sic etiam frequenter euenit, vnum alterum de hæreditate improbe defraudare. Ponamus enim, mori quendam, & liberos post se relinquere. Horum tutor constituitur agnatus proximus. Is expilat pupillos, & bona fraudulenter ad se transfert. Iam defunctus etiam pater, liberorum pater adhuc est. Qui si furtum tutori non remittat in altero mundo, iam in ipsum Dei iudicium paratum tenditur. Talis si plagâ corripiatur, nihil cogitare aliud, quàm omnem medicinam inutilem fore. Ita in casibus multis talia iudicia & causæ deprehenduntur. Vnde multi quidem implorant Medicos, sed frustra. Multi respuentes Medicos, rem Deo committunt. Hi toti indurati sunt. Iudicia talia corripiunt sæpe etiam alterius viduam ambientem ad lasciuiam, & cum ipsâ scortantem. Eo casu, si maritus defunctus, qui omnia videt nouitque, licèt sepultus sit, Deum de vindictâ sollicitet: nec necesse est propter mariti querelam scortationi pœnam irrogari. Si maritus arbitrio Dei pœnam committat: Deus pro suo iudicio talem in terrâ plectit, & scortantes in exilium agit ignominiâ publicâ: aut ad iudicij sui pœnam aliam eos reseruat. Talia autem fieri nihil dubita. De mortuis enim plurima eiusmodi documenta fieri possunt. Ideò hanc Philosophiam incepi, vt certiùs de his vos commonefacerem. Hinc enim oriuntur papulę, lues venerea, & alij noui inauditique morbi, quibus peccata illa puniuntur, vt hominibus speculo & admonitioni sint. Nouistis enim passim dictitari solere: Papæ, quantopere hunc morbus Gallicus fœdauit? Cui illicò respondet alter: Et iuste: nam & hoc & maius commeruit. Sermo talis vnde oritur? Ex spiritu sancto tantùm. Et faciunt eo, vt homines seipsos nouisse discant, sciántque, quod factorum & patratorum suorum à Deo, ad quem querela delata est, pœnam & vindictam expectare debeant.

Plaga quid sit pœna.

Papularũ luis venereę causa.

Loci ergo huius ratio efflagitare videtur, vt quònam post hanc vitam perueniamus, explicemus, nempe ad locum iudicij vbi moramur, donec omnes nostri aduersarij obierint, vbi vnicuique petita ratio reddenda erit & accipienda, nisi nobis mutuò ignoscamus. Iniudicatum enim Deus neminem relinquet. Hinc enatæ sunt illæ locutiones vsitatæ: *In domo hâc ambulat spiritus seu spectrum, sic etiam in illâ, &c.* Quid autem spiritus sunt? Sunt defuncti, qui expectare coguntur illos, qui in terrâ adhuc viuunt, & nondum illis ignouerunt, tamdiu, donec omnes congregentur, qui causam inter se aliquam agendam habẽt. Huc enim nemo citatur, nisi qui alteri ius debet restitutionis & cõpẽsationis. Et hinc orta sũt vulgata verba quib. dicunt: *Hæc anima redempta est: nec enim redit, nec amplius videtur.* Opinantur autem homines, animas eas liberatas esse per preces, per ieiunia, per cõiurationes: cũ tamen redẽpti sint ab illis, qui defuncti sunt, quos dudum expectârant: aut quia creditores ex commiseratione spiritui illi seu spectro ignouerunt, & culpam omnem condonârunt. Sic enim sese liberatio habet. Quod autẽ dicunt, animam esse in purgatorio, &c. id cõmentum est. In purgatorio enim nec ego alij, nec alius mihi, purgãdo soluere aut satisfacere potest, omnia reddenda & compensanda sunt. Iam hoc nec ego per meas, nec alius per suas facultates præstare potest. Itaq; actũ est, nisi solus Christus id faciat. Iam si ignoscere nolim, nec à Christo factæ solutioni acquiescam: pœna mihi impendet æterna. Si enim in regnum cœlorũ cõtendimus, opus est vt ignoscamus aut relinquamus. Si remittimus acquiescimus in transmittamus. Si remittimus acquiescimus in transactione Dei, qui insolutum nihil relinquit, sed debita omnia refundit. Fit etiam, vt in prædiis

Spectra seu Spiritus quid sint.

Purgatorium cõmentum.

diis nonnunquam spectra & similia spectentur. Quo quid significatur aliud, quàm quod illa fraudibus & iniuriis acquisita sint? Itaque spectra hoc loco comparere solent: non quod locus iste purgatorij, aut conuentionis mortuorum sit, sed vt indicio sint, & exemplum præbeant vindictæ, solutionis, iudicij, quod expectandum sit, donec illuc omnes congregentur, quorum est ignoscere & remittere. Nam & fraudulenta acquisitio est, voti violatio: Tutor enim ac præfectus filij, ciuitatis, Reipublicæque spondet, quod commodum illarum curaturus sit. Hoc si non faciat, sed quæstum proprium satagat: necesse est, vt huic omnes subditi, omnes hæredes, &c. ignoscant. Quamdiu autem huic non remittitur: tamdiu iudicium expectandum est. Huiusmodi ergo spectra peccatorum talium vos memores faciant. Difficile enim ac graue est violatori voti expectare, donec læsi omnes moriantur. Nam & intermedio hoc tempore parum quietis habent, & à iudicio peracto pœna grauis metuenda est

De his quidem multa afferri possent: sed abrumpo. Nam & aliis libris tradenda talia committi debent. Itaque hîc quod deficit: alibi additur. Et vt ad vota redeamus, repetendum est, maximi ea momenti esse, adeóque cùm apud Deum, tum proximum, & denique mortuos seriò inuiolatéque seruanda, & hoc perpetuò studendum, vt nostrum Ita Ita sit, & Non Non sit apud vniuersos, ne apud quendam quâcunque in re mendaces deprehendamur. Ex illis autem quæ in huius libri tractatu recensuimus, quinam violatorum votorum finis sit, colligere, nec dicta auræ mandare debetis. Præter talem enim contemptum nos vniuersi mendaces deprehendimur, hoc est rem curæ cordique non habemus, nec de talibus admodum angimur. Et vnus quidem talia pro phantasiâ habet: alter pro stultitiâ: tertius pro fraude. Hi omnes improbe sentiunt. Contemptus enim eiusmodi in cuiuslibet olim redundaturus caput est. Ex paucis nostris verbis vos plura concludite. Et pro exemplis paucis, breuiter strictimque allatis, infinita accumulari alia poterant. Quæ vt non necessaria, & quotidie obuia, studiosè omisimus. Nisi autem vniuersi nobis inuicem ignouerimus, spectra eiusmodi priùs non quiescent. Expectabunt enim congregationem omnium, qui vindictam poscunt, dum omnia compensentur. Hoc facto, ad locum sibi destinatum quiuis contendit. Finito tali iudicio, spectra quoque non apparebunt. Pro corollario hoc addiicimus: quemlibet, qui scripturæ gnarus sit, de his iudicaturum esse aliter, quàm factum est hactenus. Multi quidem scriptitant: qui tamen scripturæ clauem nunquam adepti sunt. Scribæ etenim illi, qui in regno Antichristi laborat, vt aut seipsum extollat, aut falsum regnum ampliet & erigat, nihil credendum est. Nam & ipsa scriptura testatur, ipsum fundamento carere, & à Deo excœcatum esse. Quæ quidem cœcitas multorum in fide errorum causa est, & superstitiones grandes creat. In quibus omnibus momenti nihil situm est. Rhombus agitur de remissione, de obitu facto in contritione, de misericordiâ Dei. Sic omnia, quę aspera sunt & rigida, complanabuntur & mitescent, & omnium patratorum amnistia fiet.

LIBER DE SANCTORVM AVCTORITATE, BENEFICIIS, SIGNIS ET BLASPHEMIIS. THEOPHRASTVS.

PROLOGVS.



ANCTOS, quos nouimus, pluribus, iisque maioribus peculiaribus virtutibus præ cæteris hominibus omnino dotatos esse in confesso est. Id verò non prouenit ex fide, quam in ipsos iactamus, sed tantùm ex charitate, quam nobis proximis suis debent, & vi mandati diuini etiam illa, quæ erga nos gerunt, præstant. Præterea etiam, cùm in Deum credant, ex vi istius fidei insignia & miraculosa operantur. In hoc ergo de ipsis instituto tractatu duo consideranda veniunt. Primum de ipsorum fide, quam in nullum alium Diuum, quisquis sit, præterquam in Deum, sine omni medio, purè collocant. Quâ re nobis exemplo sunt, vt & nos tales omnino nos præstemus, & in solum Deum defigamur petendo auxilium, fidem, &c. Cum enim sancti sanctos non inuocent: multò minus illi nobis inuocandi erunt. Exempla enim ipsorum nobis doctrina esse debent. Et tamen interim de ipsis, quòd sancti sint, dubitandum minimè est, sed per opera, quæ per Christum, non ex seipsis edunt, cognoscendum quod reuera à Deo electi, & in sanctos constituti sint. Conuenit ergo, nos circa ista de ipsis consideranda ita versari, vt rectiùs & dilucidiùs omnia intelligantur, & vita ex conuersatione eorum promptiùs emendetur. Secundum est de auxilio seu beneficiis ipsorum, & signis, quæ faciunt, nobis vtique acceptandis, nec leui molique brachio tractandis. Nihil enim citra causam Deus hîc operatur. Vbi ergo constiterit de fide ipsorum, quam in solum Deum dirigunt, & deindè de signis & beneficiis, quæ in nos conferunt: iam promptum est iudicium, quidnam de illis sentiendum aut sperandum sit. Nec enim perplexamur, quin Legenda de ipsis conscripta euoluantur, etiam propter ineptias, quæ illis assignantur, propter fatuum iudicium, cur inter Diuos relati sint, & signa edant, denique propter ipsa facta & alia quæ ipsi præstiterunt. Quæ tamen vt sobriè probéque omnia intelligantur, declaratione opus est.

Libri ergo huius nostri argumentũ tradit rationem cognoscendorũ Sanctorum, quo pacto salui à non saluis discerni debeat, quid de quolibet sperandũ sit, qua virtute, quæ fide quą vi signa operentur, vt hoc pacto bona à malis discerni possint. Vitã enim ipsorũ contemnere, minùs honestũ est. Vniuersa autem de illis scripta & tradita credere fatuum est. Statuendum & iudicandum est de quolibet, quod res est. In sequenti ergo deductione tradentur ea, quæ ad veritatis rationem requiri omnino videntur.

LIBER

LIBER DE SANCTORVM AVCTORITATE, SIGNIS, &c.

DE Superstitione hominum erga sanctos satis in aliis libris pertractauimus: Iam in hoc libro, quænam potentia seu virtus sanctorum sit, explicabitur. De beneficiis autem Sanctorum sentiendum est sine fide, hoc est in ipsos minimè credendum est. Sic S. Petrus multos quidem iuuit, in ipsum tamen nemo credidit, sed tantum in Christum. Ex se ille nihil præstitit, sed tantùm ex Christo. Itaque quod ex Christo fit, id ei, per quem fit, imputari minimè decet. Hæc enim occasio est ad superstitionem. Vtcunque verò homo sanctus & deuotus sit, ex se tamen ipso nihil potest, nec vel minimi floris in campo vim, ex sese æquare ipso valet. Quilibet enim flos virtutis propriæ plus habet in se, quam eiusmodi habet homo. Præterea hîc etiam notari debet, sanctos in suâ essentiâ quærendos esse viuos, non mortuos. Ita enim viuos iussit Christus concionari & euangelizare: quod mortui non possunt. Vbi adhuc est vis seu habilitas concionandi & annuntiandi: ibi adest simul & alterum, quod sancti ex Deo facere iubentur. Ita mandatum est: *Ite, annuntiate verbum Dei omnibus creaturis baptisate credentes.* Ex quo patet, baptisare posse neminem, nisi qui concionetur & euangeliset. Concionari autem & euangelisare potest nemo, nisi qui viuus sit. Si moritur, vnà cum ipso extinguitur annuntiatio & baptisatio. Sic etiam scriptum est: *Ite, mundate leprosos, suscitate mortuos, &c.* Hoc qui facere velit, hunc oportet esse viuum. Mortuus enim nullus ire potest. Itaque primò attendendum est ad discrimen sanctorum mortuorum & viuorum. Hic initiò agemus de viuis: pro conclusione de mortuis habitis sanctis, aliquid addemus. Hîc quicquid accidit, contemnendum non est. Mirabilis enim Deus est in suis operibus & sanctis. Sed pro distinctione factâ, iam commentari pergamus.

Et vt de viuis ordiamur, nemo inficiari potest, conditionem illorum à cæteris hominibus longè diuersam esse, quoad doctrinam, sapientiam, vitam, opera denique omnia, quæcunque præsens vsus requirit. Sancti enim eò tantum sunt, quod necessitas eos requirat. Ea si non esset, nullus in terrâ sanctus proderetur. Et surgentium Apostolorum ac Prophetarum, hæc causa est, vt sint testes veritatis, lumina mundi, iudices hominum. Opus itaque habent confirmatione, vt sciatur credatùrque rem ita sese habere, vt testantur ac docent. Ideò signa operantur, vt ex illis noscamus, ipsos ex Deo esse. Hæc si absint: ex Deo minimè sunt. Et quicquid agant præsténtve, semen certè sunt ex Diabolo. Hâc de causâ Christus sanctis mandata præfigit, quidnam facere debeant, vt testimonium habeant, quod Diui sint, & vt sermoni doctrinæque ipsorum credatur. Quomodo autē cum sanctis Deus agat, iam dictū est.

Cæterùm ad ignominiam sanctorum hoc cumprimis facere multum solet, quòd opera ipsorum imitentur etiam scurræ & homines nihili. Per id enim ipsi despiciuntur, dum homines clamitant: *Ecquid verò id sit, quod hic fecit: cùm idem vniuersi etiam nebulones faciant?* Innatum enim omnibus nequam hoc est ingenium vt id æmulari cupiant, quod pij aut sancti fecerunt. Nota est historia de Ægypto. Vbi, quicquid Moyses & Aaron coram Pharaone fecerant, Malefici idipsum æmulabantur. Hîc eadem ratio est. Quod vt rectius intelligatis, proposito breui exemplo ex planabo. Ioannes celebrauit pium aliquod opus. Id non magis repudiandum est, quàm virga Aaronis in serpentem versa, aut alia signa apud Pharaonem ab Aarone edita. Iam vero Ioanni id licuit. Vnde non sequitur, *licere idem cuilibet*, etiam scholari, beano, vel nebuloni, vt id celebret. Et qui ad talia initiantur, non aliter cum Ioanne comparādi sunt, quàm Malefici cum Aarone. Illi quod boni & pij homines faciunt, æmulari conantur, & velut stercora equina cum pomis natare satagunt, Et quia Petrus soluendi & ligandi potestatem habuit: ideò illam & ipsi arrogant. Non tamen ob id sequitur, eos esse Petros: sed nequam, id est, Maleficos. Hîc quid maleficus sit, cognoscite. Maleficus dicitur non Magus, sed deceptor, impostor, cacozelus, qui boni viri opera æmulatur, sed improbè falséque. Exemplum. Scire debet Medicus, quidnam purgare velit, & quonam medio velit, & quantum velit. Iam si accedat alius, qui purgare quidem sciat, sed quidnam purgandum sit, ignoret, is iam Maleficus dicitur in Medicinâ. Idem iudicandum de quolibet ordine. Hoc modo Malefici etiam sunt, qui exemplo Ioannis pium id opus celebrant. Hîc enim aliud, quàm malefici à Deo mandatum habuit. Quod si & ipsi accepissent: opus eorum rectum & bonum esset, veluti suum tueri apud Deum potest Ioannes. Sanctis enim plus datum est, quàm aliis. Adde, quod Sanctus nullus erret. Obstat enim Spiritus sanctus erroribus, qui ipsius saluti damnum inferre possunt. Et cordis humani, si probum sit, tantus apud Deum respectus est, vt nihil illi vitio vertat. Quòd si id probum non sit: nihil quicquam in ipso bonum est, adeò, vt etiam *Pater noster* ipsum, venenum in tali ore sit. Iam si *Pater noster* (precatio dominica) ipsum, quod Deus ipse dictauit, venenum fit & mors æterna in maligno corde, quod tamen in syncero corde est æterna salus: sequitur indè, ante Deum venenum etiam esse, quicquid Malefici faciunt, etsi faciant omnia, quæ fecerunt sancti, imo etiam ipsius S. Ioannis Baptistæ vitam agant. Contrà, qui maleficus non est, sed est ex Deo, huic omnia bona & pura fiunt, etsi meras perdices ederet. Diui ergo ex hoc fundamento contemnendi minimè sunt, quòd Malefici quoque eadem faciant cum ipsis. Nec ex hoc sequitur, Aaronem fuisse Maleficum: sed hoc potiùs sequitur, Aaronis serpētem cæteros omnes deuorâsse. Eadē sors te quoque manet: si maleficus es, absorberis in abyssum inferni vnà cum Pharaone, cui tu assistis & blandiris. Et per veteris testamēti acta, ista talia explicāda sunt. Vbi enim mandatū est: ibidē est & libertas aliquid peculiare agēdi. Hoc tamē quilibet imitari, licitū minime est. Vt enim Simon Magus suscitare mortuos & mundare leprosos (sicut à Petro donū S. spiritus numerato pretio emere

Moyses & Aaron.

Maleficus quid

Sancti non errant, & cur.

emere volebat) minimè poterat: ita nec cuiquam alij præterquam sancto celebrare missam licet. Vt quid enim est, te Sanctorum preces & nôsse & facere? Nihil id est. Illorum alia ad Deum ratio erat, quam tua, ô Simonnam qui olim Malefici vocabantur, hi iam dicuntur Simeones, qui omnia æmulantur, quæ fecerunt sancti, vt hoc pacto magni fiant, & laudius suas concubinas alant, & scortentur fortiùs. Iussit etiam Deus altaria ac templa exstrui, quod rectum erat. Rectum autem erat, quia Deus iusserat. Mandare enim hoc nulli licet, præterquam Deo. Si mandet homo, improbum est. Et constat, in nouo testamento à Deo sanctis multa mandata concessa, condonata & in bonum versa esse. Non tamen ex hoc sequitur, cuilibet Simeoni etiam hodie licere exstruere templa, statuere patronos, encænia sancire, &c. Hoc qui faciunt, Malefici sunt. Qui videntes, quæ faciunt sancti, eadem & ipsi malo more imitari student. Si templa altariaq; in veteri testamento probata & dicita fuerunt: erunt vtique & in nouo concessa, si idem mandatum habeant. Quòd si ex arbitrio hominum introducantur: iam id falsum est. Nec enim talia faciendi ex nobis potestatem habemus. Sed dicunt: cur malum id sit, cum idem etiam fecerit hic Sanctus, ille Patriarcha, iste Propheta, ipse Salomon, &c. Fecerunt sanè, sed non ex seipsis, sed iussu Dei. Tu id tuo arbitrio facis, non iussu Dei.

Simon Magus, &c.

Simeones qui.

Quòd si ergò rectè ista tractare & disponere velimus, necesse est, ante omnia præsto esse mãdatum seu electionem Dei, & obsignationem, quâ Deus benedicat iis, quæ facimus. Citra enim Dei benedictionem, quicquid huius est, coram Deo maledictio est. Iam si Missa, quam facis, benedicta est, de illa nihil disputa, non magis quàm de gestis ac altaribus testamenti veteris. Si benedicta non est: maledicta est in abysso inferni. Quod oras *Pater noster*, id à Deo sacrandum est, vt tibi vtilitati sit. Si Deus non consecret: tibi mors est. Omnia, quæ vel in nobis sunt, vel facimus, à Deo consecranda sunt. Alias nihili erunt. Homo benedicere rei nulli potest, nisi Deus iubeat. Sic enim benedicetur. Sic, si punctum Sanctorum dirigamus in articulum, quod simul signa fiant, quæ à sanctis fieri debent: iam id signum est, ipsorum labori ac vitæ benedictum esse. Sin minus, & tu Maleficus aut Simeon esse, ac talia imitari quidem, sed non signa edere velis: iam nequam es. Signa testantur de laboribus Sanctorum, quod illis benedicat Deus. Sic olim suis etiam ceremoniis & vestibus illi vsi sunt. Id quid à te? Ipsi respondeant de hoc Deo. Tu absiste, nisi mandatum à Deo habeas, aut scias, S. spiritum id tibi infudisse. Nec enim talia ad censuram hominum pertinent, sed committendum Deo est quomodo erga suos sanctos affectus sit, nec pro lege talia à nobis sumenda. Deus enim hunc talem, illum alium vult. Baptista secessit in desertum, & nihil edit, &c. contra: Christus edit. Horũ alter inter homines versatus est: alter ab illis recessit. Cur & quâ causa id factum sit nostrum non est inquirere. Baptista ieiuniũ suum apud Deum tutatus est, & hoc reputatum est ei ad iustitiam. Sadu-

Signa testamenti de Sanctis.

cæis contra, & tetricis Pharisæis affectatum ieiunium in iniustitiam versum est. Itaque quod sancti faciunt, nobis nec censendum nec imitandum est. Quod si quis putet se, quia non more Baptistæ aut econtrà, exemplo Christi viuat, ob id damnatum iri: vanum est. Sicut ergo puro nec potus nec cibus periculo est: ita & res aliæ omnes, puro námque pura omnia: impuro omnia impura. Quicquid faciatis, siue bonum sit siue malum, omne venenum est. Quod si quis hodie surgeret sanctus, qui faceret, quæ fieri nec visa sint, nec posse videantur, nec in scriptura traduntur: contemnendus minimè est, modo signa faciat, quæ facere debet, qui in nomine domini venit. Si Deus mirabilis est in suis sanctis: ab illis vtique fiet aliquid, quod mirabile sit. Si communiter & quotidie eiusmodi fierent, verbum, mirabile, illis minimè accommodandum esset. Id autem ferendum est. Et per mirabilia illa sanctorum Deus celebratur & extollitur. Nos autem ob id eiusmodi vestes, habitum, cibum, potum, ieiunium, vota, &c. æmulari necessitas nulla est. Eiusmodi namque opera nec illos ipsos sanctos fecerunt. Itaque tibi veneno sunt. Sanctificauit illos Deus. Quod si tu quoque fieri velis sanctus indue illum ordinem, quem Deus tibi constituit, non fecit sartor. Si te ad aliquid Deus ordinat, iam is tuus ordo est. Te ob id nemo imitari debet. Si tibi discipuli essent, qui similes tibi esse vellent: iam id frustraneum esset. Deus enim illos ad aliud destinauit. Baptistam Deus vocauit in desertum: Petrum, Ioannem destinauit ad homines. Hoc modo cuilibet seorsim Deus suam gratiam confert. Extra hanc gratiam qui positus est, is, quicquid assumat, quicquid faciat, siquidem vniuersa, quæ sancti fecerunt, faciat, ac omnia ipsorum Legenda & Gesta compleat, nihilominus tamẽ laterem lauabit. In æmulatione & imitatione sanctitas nulla posita est, sed in Deo Hunc si habes, deinceps tibi impurum nihil est, cùm impura sint alias vniuersa. Precatio Dominica, seu pater noster, Apostolis & beatis puritati erat. Quid autem confert impuris? Ne hilum quidem: vnde patet, eorum, quæ sancti faciunt, nihil à nobis æstimandum esse. Nec ea imitari, hoc est, Malefici & Simeones fieri, sed id potiùs studere debemus, vt aliâ viâ per Christum nos sanctos faciamus.

Sancti exempla non imitanda.

De sanctis præterea etiam constat, quod sanent, & alia miraculosa opera edant. Virtutes enim illorum magnæ sunt. In ipsis inhabitant virtutes cœlestes at per Christum. De his ita iudicandum & statuendum est. Mandatum hoc à Christo proficiscitur: *Qui in nomine meo venient, si signa & miracula edant*, resuscitabunt mortuos, mundabunt leprosos, &c. Hoc iam verbum, quod mandauit, probè intelligendum est. Nam qui sanat homines, sed non sub præcepto, hoc est, non per virtutem præcepti, is falsus est. Itaque rectiùs attendite, quæ iam dicentur. Via duplex est, quâ (extra Medicinam) ægrotus sanari potest. Altera est ex mandato Christi, altera ex virtute fidei. Qui ex mandato Christi id facit, is iustus est. Qui ex fide id facit, iustus non est. Mandatum habuerunt Apostoli & alij. Qui etsi in somnio

Sanatio ... duplex.

somnio ac somno mandatum acceperunt: id tamen satis est. Penes hos iam fraus non est: nec illis resistere quicquam potest, non infernus, non Diabolus. Cedere coguntur omnia. Sed vt & de fide loquamur: in plerisque Philosophiæ libris, quid ipsa faciat per superstitionem, explicatur. Itaque qui fide abutitur, eamque in superstitionem efficaciter conuertit, huic quicquid credit, contingit. Is claudos facit, quos odit. Et maledicta eius verificantur. Is sanos facit, quos amat aut beneficos experiturìdque omne ex vi superstitionis, ex quâ agit. Hi iam multa signa edunt: sed falsa. Non quòd simpliciter fraudulenta sint (sunt enim vera secundum id quod credit) sed quòd falsa sint in ordine, pugnante cum mandato diuino. Homines sani aut ægri minimè credendi sunt, sed fides ponenda in Christum est, & propter illam mādatum accipiendum: denique ex hoc operandum. Falsi namque aliàs isti sancti quosdam sanant, quosdam nunquam sanant, quosdam non sanant rectè. Cuius rei causa est, quòd fide suâ nutent & ambigant, iam magis, iam minus: quod genuinis sanctis nunquam accidit. Illa enim fides occidit homines, &c. Ideò recta non est, hâc de causa. Debet è nobis in Deum & ex Deo promanare illuc, quò spectat, & quò opus dirigimus. Ita si credimus, fides est efficax. Si in Deum non dirigatur: iam malè vsurpatur. Hinc duplices etiam Diui seu Sancti statuendi sunt. Iusti & iniusti, seu veri & falsi. De vtrisque iam dictum est. Verorum signa hæc sunt: ex homine eiiciunt Diabolos in nomine Iesu: in nomine Iesu mūndant lepram: quibus in nomine Iesu imponunt manus, hi sanantur. Iam cum in nomine Iesu talia præstentur: opus certè per fidem excluditur. Nominis enim est, hoc facere, non fidei. Iam verò simul stare duo hæc nequeunt. Aliquem sanum credere, & in nomine Iesu facere. Deserendum horum alterutrum est. Qui nomen non deserit, iustus est. Qui deserit, falsus est.

Sancti duplices.

Sed rem probè attendite. Qui sanari volunt, in Christum credere debent. Hinc fit, vt in illius nomine resurgant. Nemo enim credere debet, quod in virtutem abeat, sed quod in nomine Christi talia fiant, & non in fide. Nam & apud Turcas, Ethnicos & infideles fides est hoc modo, vt signa & prodigia habeant: non autem in nomine Christi: Qui in nomine Christi surgere iubentur, hi iusti sunt, si illi surgunt. Nec enim fides adeò in suis operibus est efficax, vt mortuos resuscitet, cœcos natos videntes faciat, & leprosos mundet: Sed talia potest nomen Christi: Et sic inter se veri & falsi sancti distinguuntur, dum signa edunt. Quanquam falsi ceremoniis etiam Petri & aliorum vtuntur, ac gestus similes æmulantur. Nullus tamen mortuus surgit per ipsos, si veri non sint.

De signis sanctorum disseri solet etiam, quæ edere solent non secundum morbos, sed secundum alia, quando nempe sicco pede aquas transeunt, aut carnes in pisces mutant, aut venenum salubre & potabile faciunt, aut lapides sibi cedere cogunt, &c. Hoc nemini admirationi sit. Si enim Deus filios Israel per Mare rubrum traduxit, velut inter geminos parietes: poterit alio modo etiam in nouo testamento suos sanctos ducere, quos velut filios Israel electos habet. Solis enim electis talia eueniunt, non item aliis. Et si hoc præstitit in testamento veteri, præstabit vtique etiam in nouo, in nomine sui filij, aut ad testimonium natiuitatis sui filij, in cuius nomine Sanctus mare vel oceanum pertransit. Itaq; in nouo testamento debet inuocari filius, & in nomine eiusdem omnia prestari debent. Si ita præstari debent: ea iam causa est, vt per Sanctum, testimonium aptum detur, Deum esse natum, & esse illum, qui Hierosolymæ in cruce exspirauit, qui Iesus Nazarenus vocatus sit, & ipse sit. Is signa sua edit non tantùm Hierosolymæ, non tantùm in Iudæa, in Galilæa, sed & in Europa, in Asia, in Italia, in omnibus terminis & regionibus totius orbis: nec vllam vspiam regionem omittit, in qua signa non edat, in testimonium sui filij, per sanctos suos talia operantes. Itaq; si lapis aliquis cedit, noli cogitare Diabolum id facere. Nec enim omnibus suis viribus efficere potest, vt humani pedis more lapidem ceu ceram calcet. Aut si Sanctus in saxo sedeat, vel cubet, idq; illi cedat, noli cogitare aliud, quàm Deum hoc facere. Nullum enim lapidem Diabolus emollire ita potest, vt incūbenti homini is cedat. Et licèt homo quidem mille centenarios penderet grauitate, tale tamē nihil fieret. Et talia suis sanctis Deus manifestat, vt inde ipsum cognoscant, & videant testimonia Christi, in cuius nomine signa fiunt. Quanquā cogitationi humanæ superfluum videatur, lapides cedere. Ita tamen perpetua hominibus memoria stabilitur. Et Deus causas nouit, qui plura eiusmodi signa perfecit in suis sanctis, ad hominem ita manifestandum. Nihil sine causâ factum, tam in nouo quàm veteri testamento: nihil factum semel tantùm, sed sæpiùs. Sic etiam, si ex carne facti pisces sunt, non à potestate Sanctorum id euenit, sed Dei, qui talia facit. Quanquam edere pisces, & edere carnes res vna sit. Quia verò hunc talem, illum alium esse vult Deus: libertatem cuiuis suā relinqui iubet. Ioannes Baptista in deserto nihil edit præter locustas & mel Syluestre. Hunc qui ad edendas gallinas compellere voluisset, is nihil profecisset. Et illæ citiùs vniuersæ in locustas versæ essent. Deus enim suos incoactos esse vult: non quòd propter carnis abstinentiam meliores sint, sed quòd ita fieri velit. Alius edit carnes. Qui si ad pisces edendos cogeretur, hi priùs omnes in carnes conuerterentur: modò esurus Sanctus esset, & à Deo electus ac cōfirmatus. Petulantiæ enim Deus in hos exerceri nihil concedit. Mortem tamen illis impendere finit: quia in morte fitum plus est, quàm in esu. Mors est clausula, cibus & potus nihil claudunt, sed vt os ingrediuntur, ita per aluum secedunt. Nihilominùs tamen Deus non permittit, vt Sancti sui ab aliis violentur. Ideo signa manifestat, vt ab aliis securi sint. Eodem modo ex veneno facit Deus fieri potum, & mortificando venenum, vim eius tollit. Quòd si Deus facit, indicio est, ipsum talem hominē diutiùs præseruare ad alia & eo vti velle. Itaq; contra hanc Dei prouidentiā talem occidere nemo potest, sed seruatur vtique & liberatur, vtcunque illi insidiæ fiant. Hæc signa omnia pensitantes, videbimus, Deum talia facere,

Signa Deus vbiuis facit.

Lapides cedere quis faciat.

Pisces carnes fieri quis faciat.

Ioannis cibus, locustæ & mel agreste.

Sanctis libertas relinquēda.

facere, non hominem. Deus facit illa in suo nomine, non homo in sua fide, hoc est, per superstitionem, sed quia in Christum credit. Is ipsum seruat. Hîc ergo fraus nulla est. Per hos si Deus voluntatem suam expediuit, tandem ipsos mori sinit, aliquoties tamen antea præseruatos. Cæterùm à quibus talia signa fiunt ad horum vitam cumprimis attendendum est. Quæ si Pharisaica est, si quietem affectat, si feriatur in verbo Dei, si illi docent, quæ non faciunt: iam omnia vana sunt. Et falsi quidem sancti ex signis & vitâ perfacilè dignosci queunt. Quos Deus signat, admodum illustres & manifesti sunt. Cæteri omnes sunt obscuri, & latentes. De Apostolis repetite, quàm expeditè & promptè operati sunt, eiiciendo dæmonia, resuscitando mortuos, &c. Hos simili exemplo imitari debent omnes, qui se diuinos nominant. Nec enim Clericus aut Sanctus is est, qui vitam agit, qui vestitum gerit. Is Sanctus est, qui opera facit capitis, hoc est, Christi. Cæteri sunt Simeones & Malefici.

Iam si filium decet facta imitari patris, & hæreditatem eius possidere & domum gubernare: Christus quoque sese talem præstitit, velut & sancti omnes in testamento veteri. Illi ergo, per quos talia fiunt, & qui Christo similes sunt, veluti Prophetæ, Patriarchæ & similes, sub Deo Patre vnius conditionis & sortis sunt. Vnde nemo admirari debet, si filius in suis sanctis admirabilis est. Regnum enim suum in similitudine potentiæ Patris gubernat. Nam si filius Christus hoc modo suos sanctos non manifestaret, an non Iudæi cum filiis Israel dicere possent: Vos non estis, sed nos sumus? Quòd autem Israelitæ deinceps filij non sint, docet ipse Christus, qui alios eligendo, Israelitas reiecit. Ex quo intelligi potest, non patrem, sed filium imperare hominibus. De Israele ergo actum est. Pater enim cœlestis ipsos abdicauit: & filius iam suâ manu regnat. Id docet per suos Sanctos, per signa, per apparitiones, quæ manifestè fiunt. Nam si Deus Pater Samsoni, Herculeum robur dedit, quod hominis & Naturæ limites excesserat: ius idem & filius habebit, vt immensum robur suis Sanctis conferat, quod hominibus stupor sit. Samson domum columnis innixam prostrauit. In testamento nouo scopulos vt ceram premunt, quod vtrumque robur simile & vnius originis est. Differunt saltem ratione personarum. Ex hâc fortitudine fit, vt iuuare possint homines, & nocere illis simul, à quibus læduntur. Cùm enim Samsoni robur, quod à Deo acceperat, per dolum & furtum expilaretur, isque ob id perditum oculis priuaretur: tandem, vt suos inimicos perderet, idem à Deo recepit. Eadem ratio etiam Sanctorum est, qui in agmine nostro sunt proximi & fortissimi. Quid enim est centurio, cuius robur non est ex Deo? Nihil. Vbi enim ex Deo non est, omnia præposterè peruerseque etiam in euidentibus & omnibus patentibus geruntur. Itaque vt diuus alio homine plùs agat, æquum est. Sic etiam Samson se gessit. Sic etiam, vt diuus alius alio plus præstet, iterum fas est. Ita enim Prophetæ, &c. eliguntur. Ita Israel regibus donatur. Et virtus ista omnis ex solo Deo est, non item ex homine. Illi nobis in auxilium statuti sunt. Si Turca, si hostis, &c. Philistæorum more nos opprimit, talium præsentium præsidio vis iniusta propulsanda est. Quòd verò præsentes non sint, causa est ista, quòd Deus nedum habeat, quos defendi velit. Iam videte, qualisnam nostra belligeratio sit in terra, cùm non nisi falsos Apostolos, Phrophetas, Christianos, qui imbelles & sine viribus sunt, habeamus. Nec enim hi diui sunt, nec in nomine domini comparent, sed fraudulenti sunt & impostorij. Ideò Deum non agnouerunt, & fœdera roburque hominum sectantur, quia à Deo se desertos nôrunt. Sanctorum robur, quod nobis præstant, tale est, quale Samsonis, Moysis, Aaronis, item Patrum, Iosuæ, & similium, qui omnes robur suum in salutem & incolumitatem filiorum Israel impenderunt per Deum. Tales, si apud nos non sint, bella omnia frustra instituuntur.

Israelitæ repudiati à Christo.

Samsonis robur &c.

Dux sine Deo infelix.

Sancti robusti qui.

Ex hoc robore, si ex Deo profectum est, vim habent soluendi & ligandi. Robur enim humanum omne in corpore & ipsius viribus iacet. Robur autem Samsonis in crine situm erat. Ita supernaturaliter etiam emergit robur Sanctorum ligandi & soluendi. Hoc robore imperant feris hominibus, &c. & maledictionem ceu laqueum iniiciunt, demuntque. Huc tamen non refertur Absolutio, sed tantùm solutio, hoc est, solutio in corpore, quamdiu illud validum est. Eo pereunte, perit etiam robur. Soluere seu liberare ab hostibus, & soluere à Diabolo, aliud est. Aliud etiam est, soluere à peccatis, sicut vicissim aliud, soluere à periculis corporis.

Absoluere & soluere quid.

Porrò tenendũ est, soluere à periculis corporis, esse roboris Samsonis, Dauidis, Iosuæ, &c. Hoc robore sancti nos eximunt ex foueâ, in quâ lapsi sumus, corporaliter. Labor nẽpe equidẽ in scrobem profundã. Si video, me ipsum mihi auxilio esse nõ posse, inuoco proximũ. Iam quæstio est, quis mihi proximus sit: Qui enim me iuuet, nemo præsto est hominũ. Pono, me coniectum esse in turrim. Ibi mihi aduersantur vniuersi, nemo fauet. Iam verò inuoco proximũ meum. Nullus ibi homo est, sed sunt Ruffiani, qui vitæ meę insidiãtur. Hîc opus, vt proximũ meum alibi quęrã extra homines. Nec enim desertus sum. Deũ ergo habeo. Is mihi proximus, non alius. Is me iuuat, nõ alius. Is inquã mihi proximus, is me iuuare debet. Is iussit diligere proximum, sicut seipsum. Itaq; idem & ipse faciet. Ex hoc sequitur, mihi iuuando ipsum obstrictũ esse. Sed suo non pepercit filio. Idem, si mihi quoque ceu filio destinatum sit, me certè haudquaquã iuuabit ipse, nec alius eius loco. Ita euenire oportebit. Sin autẽ minus, nec ipse me iudicauit, sed tantũ homo: iam patet, licere mihi vt pulsem, rogemq;, vt me exaudiat. Si me exaudit, affert opẽ in meis angustiis. Illa iam fit per medium quoddam, vel per Angelum, vel per Diuum. Per Angelum, si ad Deũ solum confugio. Per Sanctũ, si de Sancti orem opẽ. In corde enim meo sitũ est, vt vel Angelum vel Sanctum mittat. Et hoc loco Angelus est Sanctus, & Sanctus Angelus. Nec hoc sibi quisquã persuadeat, Deum venturum ipsũ esse: sed aut mittit is Angelum suum, qui aut sanctus est, aut Angelus ab initio. Is me eripit. Omnes namq; eius ministri sunt. Iam si in Deum cręda, &

Proximus quis homini ipso.

& in fide illâ vel angelum, vel sanctum in corde conditum inuocem, perinde id quidem est, ac si ad Deum ipsum clamem. Si inquam fidem & spem in Deum figam, & ex illis Angelum inuocem, vnum est. Hunc errorem Deus magno nobis vitio non vertit, sed magnum id indicat, quòd in sanctis suis ipsum cognoscamus laudemus, colamus & inuocemus.

Porrò de sanctis, qui mortui sunt, sciendum hoc est, quòd adhuc viuant, & Angeli sint coram Deo, hoc est, sint nuntij ad nos in terram mittendi. Ideò illos contemnere minimè debemus. Nec enim ex se adsunt, sed ex mandato Dei, vt angeli. Cæterùm ex nullâ re documentum captari potest, ipsos in vita vel summâ felicitate vel miseriâ singulari vsos fuisse. Sine quis ieiunet, siue oret, siue super lapidibus dormiat, &c. perinde esse credito: nisi forte fiat, vt lapides, in quibus dormit, cera fiant. Tum tibi eum gratum esse facito. Talia non satis tutò indicantur aut ad bonum aut ad malum. Vtrinque enim fuerunt sancti, & falsi Prophetæ. Itaque ante oculos nostros nihil sunt. Hoc potius asspiciendum est, quod aspicere nos Christus iussit, vt nempe faciant bona opera, quæ videantur. Iam melius opus mihi in fouea iacenti nemo præstare potest, quàm si me eripiat, hoc est, liberet à leprâ, à Diabolo, &c. Cum enim in mundo tot ærumnosi & infirmi homines versentur, quibus medicina naturalis nulla commodo est, sciendum est, illos omnes adesse & clamare: O sancti, subuenite nobis, manum vestram imponite nobis in nomine IESV, vt conualescamus, vt videamus. Sic ipsi quidem clamant: nemo autem prodire cogitat. Ideò hodie nulli Prophetæ veri sunt, sed omnes improbi, quos post mortem suam venturos, grauibus verbis prædixit Christus non ægroti omnes Medicis mandati sunt. Sunt enim duplices. Aliis medicina debetur, aliis auxilium Apostolorum, per Christum. Horum autem nemo prodit.

Aegroti sunt duplices.

Cæterùm de sanctis mortuis, qui viui signa nulla ediderunt, sed post mortem demum, statuendum est ita, quòd signa illa solus Deus faciat. Cuius hæc est ratio. Tale quid si contingit, testatur eo Deus, eiusmodi hominem innocentẽ & inculpatam vitã vixisse, & in Domino mortuum esse. Veluti si quis esset, qui negotium quoddam in corde suo, totus in Christum directus, volueret, quodcunque id esset: hominum autem quidam illud reiicerent, alteri contemnerent, & sic quilibet mucum suum permisceret: tunc Deus signa dat mortem istorum consequentia, quasi adultero illi gregi diceret: Iam verò vel inuitis vobis videndum est, quantopere ille mihi placuerit, dum in viuis esset. Talis enim est, vt hoc ego per ipsum faciam, quo demonstrem, carum mihi esse illum quem vos eluditis, & probrosis linguis subsannatis. Non ergo hominum sed Dei iudicia curæ nobis esse debent. Hæc enim sunt, quæ ad viam rectam nos deducunt. Aliàs necesse est, post ipsorum mortem signa fieri, Christus suos asserat & indicet eos, quos in terra Prophetas habuit. Hoc enim omnino sciendum est, eiusmodi homines, dum viuebant, singulare quid ex mandato diuino, quicquid tandem id sit, tractâsse & expediuisse. Ideo attendite ad sermones eorum & doctrinam: Nam si vel post mortem suâ signa edant, idem est, ac si Deus dicat: Ex his iam cognoscite meos Prophetas qualianam vobis dixerint. Talia secretò & occultè geruntur.

Mortui sancti quomodo signa edant.

Porrò scire vos velim, certas etiam promissiones esse, quæ sanctis fiunt. Sic sunt quidam, qui sanctis hoc vel illud præstandum vouent, quod promissum iustum est. Id iam omnino præstandum est. Odit enim Deus vanitatem & mendacia nostri oris. Iam si promissum præstemus: nobis vicissim quoq; aliquid promittitur & præstatur. Talia namque sunt pulsationes & preces factæ ad Deum, quæ ob id etiam exaudiuntur. Sed hîc multa quoque promissa fiunt inepta & nihili, adeoq; superstitiosa, quæ tamen vires & locum habent. Eæ fiunt sanctis citra fidem in Deum, & faciunt ad superstitionem: de qua re in parte primâ dictum est. Sed scire conuenit sub sanctorum specie ac velo nihil à nobis venditandum ac defendendum esse. Quòd si enim hoc modo prauum quiddam cogitaturi simus: emerget inde plaga & vindicta, tuq; virgis percutieris, quas omnium maximè formidâras: veluti si ad diuum Iacobum peregrineris, aut ad Sanctum alium, & hoc prætextu scortationem satagas velesque. Hic etsi peregrinatio non succedat, tale quiddam tamen minimè probatur. Etsi quidem malum in propriũ tuum caput redundet, dicere tamen haud possis, peregrinationem tuam iustam esse. Deus namque non vult, vt ipsius sancti pallium tibi præbeant, quo tua flagitia tegas. Et illo casu sancti isti, quorum tu mores, gestus & regulas maleficiorum & Simonum more imitaris, te ipsi accusabunt, quod suo nomine laudi tuæ velificeris, & diuitias colligas, quas isti studiosè euitârunt. Et quæ tibi hoc prætextu felicitas obtingit, non ad salutem, sed ad æternam damnationem in die superbiæ tuæ nouissimo cedet.

Promissa seruãda.

Sanctorũ vindictæ.

Quilibet ergo in seipsum attendat, cuius status ac ordinis sit, quem patronum habeat, siue in missa, siue in ieiuniis, siue in precibus, vt horum nihil quicquam facias, nisi ad id electus & à Deo constitututis sis. Penes hominem namque electio nulla est. Si secus facias: idem ille, in cuius te nomine extulisti, coram Deo dicam tibi scribet. Et sicut Aaronis serpens serpentes maleficorum omnes deuorauit: ita sancti illi istos vniuersos etiam in die illo deuorabunt, hoc est, impostores eiusmodi vapulabunt, & in æternam damnationem extrudentur, adeoque quiuis falsæ suæ doctrinæ, prætextus iniqui, ordinis fictitij, & instituti malitiosi dignam mercedem accipiet. Sic ergo hæc omnia pensitanda sunt, & eò dirigenda, vt nihil eorum calumniemur, quęcunque sancti fecerunt, aut pedem in eorum facta imitanda mittamus. Nescimus enim, quodnam nostrum mandatum sit. Itaq; mittite illa, & in Domino ambulate. Sic fiet, vt is B. Spiritum suũ mittat, qui vos doceat, & monstret, quidnam facere debeatis, quales vos Deus requirat, quem ad ordinem aut regulam vos vocet. Eo enim vos ducet seu sanctos reliquos, vt Petrum Paulumque: quorum officio nullus vnquam successit.

Vocationi suæ studendum.

LIBER DE SVPERSTITIONIBVS ET CEREMONIIS THEOPHRASTI.

PROLOGVS.



VM ex simplicitate hominum, si magnum quid, rarumque & admirandum videant, magnæ superstitiones & vanitates multæ enascantur: certo consilio decreui de hisce rebus peculiarem librum condere. Vt si simplex quidam homo ex aliquo vestigio, aut memoriâ sapientibus vsitatâ, diuersumquid colligit, & id in superstitionem conuertit, hoc est, ex rudi & simplici intellectu aliter ac debebat interpretatur. Ponamus exemplum. In testamento veteri mandatum dedit Deus Abrahamo & cæteris Patriarchis, vt altaria, sepulchra, templa, vestes, &c. conderent & pararent. Mandata talia ex Deo fuerunt. Rudior autem populus, quidnam talia sibi vellent, & quo ab Aarone & aliis talia erigerentur, minimè intellexit. Hinc enata est superstitio, putante populo, res eiusmodi Deum & creatorem ipsum existere. Cæteri ausi & annisi sunt, aut eadem, aut illis similia quoque condere. Quod enim decere Aaronem videbant: id ipsum licere sibi quoque putabant: adeoque quod intellectus simplicitas dictabat, moliebantur. Istorum porrò phantasiæ spiritus quoque homines obsidere soliti, sese permiscuerunt, & imagines illas, simplici intellectu factas, obsederunt. Hinc iam omnis superstitio initium sumpsit. Idem fit etiam in rebus cæteris, quæ ex vero fundamento manant. Quæ si à Deo probentur quidem, fieri tamen minimè debent. Illicò enim superstitionem quandam homo sibi indè contrahit. Ponamus, imagines vniuersas tolli præter imaginem crucifixi. Hoc iam præ oculis nostris malum non est. Iam si præter crucifixum imago alia non superfit, ab homine simplice superstitio in illam iactaretur, quæ alias in statuas reliquas, hac reducta, directa fuisset. Cùm enim Diabolus obsideat hominem, manu Dei factum: quantò magis is obsidebit lignum, lapidem & argentum, quæ manu facta sunt hominis. Et sibi hominem, diuina anima munitum Diabolus obsidet: multò magis obsidebit rem aliam, anima carentem. Horum ergo nihil negandum est. Quòd si enim homo, qui rebus vniuersis præstantior est, à Diabolo tamen & eius tentationibus tutus non est: multò minùs secura erunt talia, per quæ homo in tentationem & seductionem abripitur. Hæc ergo occasio & causa est describendi ceremonias, & vnà etiam superstitiones, apud populum inualescentes, quidnam scilicet illæ sint, & quænam ipsas consequantur. Vbi simul etiam trademus, quid fides sit, eo conferri solita, & quibus ex viribus illa effectum suum assequatur.

LIBER DE SVPERSTITIONIBVS ET CEREMONIIS THEOPHRASTI.



Ceremoniarum quæ origo.

E præstitutâ materiâ explicationem aggressuri, principiò ceremoniarum ortum & fontem, qui talis est, trademus. Illarum scaturigo est ex mandato Dei, sicut ex præfatione superiore de Moyse, Aarone, & cæteris, de Seraphin & Cherubin exstructione, de cysternarum, templorum, ornamentorum, clenodiorum & similiū aliorum ornamentorum, clenodiorum & similium aliorum ornamentorum apparatu colligere licet. Itaq; conclusio illa breuis est. Quicquid Deus iubet, disputatione nullâ in dubium vocandum est. Quare? Quia Domini is mandatum est, cui asquiescere oportet, non inquirēdo rem certam incertam facere. Iam quod Deus ipse mandat, adeò securum est, vt nullus Dæmō, nullus Spiritus, nullum spectrum, &c. sese inserere aut ingerere possit. Is si me iubeat fingere statuam, & ante illam orare: iam certus sum, in statuam hanc nullum Dæmona aut spiritum ingredi posse. Quam verò imaginem homo per se facit, non ex iussu & voluntate Dei, sed ex arbitrio proprio: in hoc possibile est Diabolū inuadere, ac homines in superstitionem præcipites agere. Ni enim Deus ipse iubeat: homini ea nunquam facienda est. Et quod Deus hunc aut illum facere iussit, id te quoq; illicò imitari fas non est. Exemplum. Iussit Moysen Deus vt saxum percutiendo aquam eliceret. Id factum est. Tu imitari non potes. Vt ergo hoc non potes: ita nec ex arbitrio tuo imaginē facere debes. Nec enim vel Patriarchę ex seipsis imaginem finxerunt. Quod non iussit Deus, non attentârunt. Quanto id præstabilius est nec nos facere? Talia namq; omnia mandati sunt diuini. Sic Christus faciendarum imaginum mandatum nobis non dedit. Itaque nos illas facere, nec fas quidem est. Et arbitrium nostrum vniuersum in hoc vanum est & infœlix. Nam iussit quidem Petrū Christus, mundare leprosos, hoc est, imagines sanare, non lignum aut argentum erigere. Sed si tu etiā conareris leprosum mundare, nullo à Deo mandato accepto: iam operam tuam omnem luderes. Itaq; quicquid facimus, ex voluntate, mandato iussuque Dei procedere debet: contra cuius placitum nihil attentandum est. Cur autē Deus in veteri testamēto res tales erigi iusserit, res mysterij diuini est. Quid ergo tētare & conari possit homo in illis, vbi Deus mysteriū ponit? Nihil quicquam vel potest vel debet. Sic etiam Christus mortuus est in cruce. Hanc ex argento aūt ligno fieri, nobis non mandauit. Ponamus autem mandâsse. Attamen mandatum id non ad plures spectaret, sed ad vnam tantùm crux facienda foret. Præter hoc mandatum quicquid faceret, omne superstitiosum esset. Sic etiam patres non nisi rem vnam vice vnâ fecerunt, nempe illam ipsam, quam fieri mādauit Deus: nec numerum illi vllius rei auxerunt. Itaq; quicquid præter mandatum est, imago est, in quam nullo prohibente, immigrare possunt spiritus, & homines ita seducere. Idē iudicandum etiam de eo, quod Cristus Petrum posuerit pro petrâ, illum Petrum, qui Simon vocabatur. Ergo superstitio esset, Petrum se quendam

Mādatū Dei superstitionis expers.

Exēplis non agēdum sed iussu Dei.

Ceremonia veteris testamenti institutio est Mystica.

quendam facere aut venditare, qui à Christo similiter nō constitutus esset. Sic Salomon quoque iussus est ædificare templum, non alius. Hîc subsistendum est. Quòd si alij quoque exstruxissent templum, fuisset superstitiosum. Solius enim Dei arbitrium valet, non hominis. An non idem est, quòd Petrum fecerit, & Petrum ipsum vocauerit, quod est, quòd in testamento veteri altaria &c. fieri mandauerit? Omnino. Quicquid præter hoc homo facit, imago est & opus hominum, in quo nulla salus. Et hinc interdictum nobis, ne imagines faceremus. Sic etiam se res habet cum Petro, qui imago est, quā homo facere non potest. Nam si Petrum ponit alium, homo illum facit, qui tamen citra mandatum Dei nihil facere debebat. Iam superstitio in illo homine non aliter est, ac imagine. *Signum* TAV datum est, & efficax fuit. Quod si nos faciamus: virtutis expers est. Quâ causâ? Oportet talia ex mandato manare diuino. Sin minùs, quicquid facimus, superstitiosum est & inefficax. Moysis serpens ante Pharaonem serpentes cæteros omnes vorauerat ideò, quia ex mandato diuino facti non erant; Ideò durare & manere non poterant. Idem iudicandum etiam de superstitiosis, cedere omnino coactis. Quicquid non ex mandato diuino fit, superstitio est, hoc est, mater est superstitionis. Christus discipulorū suorū pedes lauit. Nobis autem mandatum non est, vt duodecim discipulorum pedes lauemus, quos præsentes non habemus: sed iussi sumus id facere omnibus hominibus, omnibus egenis. Hic autem inquit. *Exemplum do vobis. Quod ego facio: idem & vos. Qui maximus est, sit minimus,* *hoc est,* mendici sunt minimi: horum pedes lauate. Maria Magdalena profudit vnguentum in caput Christi. Iam si imaginem Christo faceremus, & illam vnguendo perfunderemus, quid id aliud, quàm superstitio esset? In ipso Christo id factum est, & per ipsum, & semel: sæpiùs fieri idem non debet, aut in imagine repeti. Non enim simias aut cercopithecos nos fieri conuenit, qui imitantur, quæ nos facimus: sed in cordibus nostris talia condita gerere & scire, & simplices eadem docere debemus, vt & ipsi, quod iustum est, sciant, nec obiter eiusmodi spectent aut halitu suo afflent. Ideò dicitur: Clamate de tectis ædium, & homines docete: Sic illi à superstitionibus recedent.

Salomon solus templum ædificare iussus.

Moysis serpens vorauit ceteros.

Maria Magdalena.

Porrò dictitari etiam solet: *Sunt monumenta aut memoriæ?* Has quis ita statuere iussit? Nam si non mandauit Christus, veteris testamenti, iam exoleti & sublati, memoriam celebrari: quî quæso memoriam celebrabimus testamenti noui, quod nondum mortuum est, sed adhuc viuit? Qui rerum præsentium statui memoria possit? Memoriæ sunt tantùm mortuorum, non etiam viuentium, sunt rerum præteritarum, non præsentium aut futurorum. Hinc iam superstitio. Hîc tu respondere possis ita: Christus mortuus est, & ascendit ad cœlos. Huius iam populo omnino statuenda est memoria, ne obliuiscatur. Inaniter angeris, quod metuis, Christum perditurū esse suos. Nec enim id faciet, etsi nec tu, nec grex tuus vniuersus ipsius vllam memoriam coleretis vnquam. Si iam suos elegit Christus, & eosdem ad se trahit pater, & filius mittit, iam vide tu, cuius vsus sis. Commodè enim is mittet suos electos, qui Petri vocentur, nō te aut alium, cui electionem dat homo, qui nec aures nec oculos habet. An non scriptura dicit: *Hunc docebis & verbum annunciabis?* An nō annunciare est docere fidē, & mandata doctrinamq; Christi patefacere? Omnino Iam qui rectiùs hoc obire munus possis, quàm si secundū mandatū Christi nomen ipsius spargas eâ ratione, quam ille monstrauit: non per picturas, sed proprij oris laborem seu opus, vt scilicet spiritus sanctus audiatur, non pictor videatur. Per verbum suum, quod spiritus sanctus ipse est, non requirit aut accersit, non per statuarium, non perauri fabrū in corda nostra subit. Quî enim suis operibus illum meo cordi imprimere possunt? Quo pacto talia mihi per picturas infundere queunt? Per spiritum sanctum intrudenda in cor sunt. Is non per picturas, non per cælamenta & similia alia ingreditur, sed per verbū. Quia enim Christus non circa picturas aut statuas versatus est, sed circa verba & opera, & proprium corpus: vt eâdem viâ ipsum sequamur omnes, opus est. Quicquid per hæc vestigia non ingreditur, superstitio est. Hæc ergo superstitionis generatio est. Comœdiarum quidem & historiarum, quæ de Christo aut aliis quomodocunque spectandæ exhibentur, spectatio iucunda & voluptuosa est. Spiritus tamen sanctus præsto non est. Hic alliciendus est, vt præstò sit. Nam nullis ille bacchanalibus aut ludicris aliis interest. Cum corde & ex corde terenda est illa via, quam mandauit CHRISTVS, iubens, vt, quæ ipsum videmus facere, eadem nos quoq; faciamus. Talis ipsi memoria constituenda est, vt vestigia eius sequamur, nec verbo eius apicem vel addamus, vel auferamus. Si nec addendum nec auferendum est: quâ scriptura excusari poterit, quòd in cathedris, templis, sacellis Papas, monachos, &c. constituamus? Attendite, quidnam geramus per errorem.

Memoria quid, & vnde.

Memoria Christo non statuenda.

Memoria qualis Christo statuenda.

Quoniam tractatio de superstitionibus esse debet integra: conuenit, vt etiam de ceremoniis & idololatriis disseramus. Sciendum itaque, Salomonis templum sumptibus & impendiis opulentissimis exstructum esse. Id quale hodie est? Nihil quicquam, nisi miserabilis quædam lapidum congeries. Et vt defunctus maritus, iam sepultus, nausea est suæ vxori, ita vt illum fugiat: ita templum est ad Deum. Hæc talia si non perstiterunt & durârunt, cur nos eadem de nouo rursus exstruemus? Quicquid concidit, iacet. Sodoma & Gomorrha corruerunt incendio. Tu exstrues alias? Minimè gentium. Sic etiam, quoniam Salomonis templum iussu Dei exstructum, & voluntate eiusdem iterum destructum est, an tu ob id exstructurus nouum sis? Hoc vtique repugnaret Deo, nisi expressum mandatum accepisses. Vbi id est? Nihil erige, quod deiecit Deus: quia nihil sine causâ fit. Nihil etiam erige secundum id ædificiū, quod erigere iussit Deus: nam & hoc causam habet. Si in testamento veteri mortua illa sunt: quî tu illa viuificare possis? Si erigis, non nisi vmbram ponis. Quid vmbra est? Nihil. Sed nec vmbra esse potest. Illū enī Solem non habes, qui vmbram faciat. Si autem eiusmodi erigantur, idololatria est, quæ mater sit superstitionis. Ab hisce signa idololatriæ fiunt ad illam stabiliendam. Si enim ad Prophetas respiciatis,

spiciatis, quantopere eiulent & plangant ob hostes Christi: si Euangelia percurratis, quàm seriò suis aduersariis Christus maledicat: denique Apocalypsin & omnia volumina euoluatis: deprehendetis certè, gregem numerosum esse eorum, qui in idololatria furiant. Horum ergo si numerus maior & electorum minor est: iam dispicite, quisnam grex maior, quis minor sit. Dispicite & trutinate, & deprehendetis veritatem, & personas, de quib. vaticinati sunt Prophetæ, Christus, scriptura vniuersa. Cœcum certè illum oportet esse hominem, qui non videat id, quod vastum suis oculis quotidie obuersetur. Scrutamini de illis scripturas, quinam sint, & ordinem illum noscetis ingenti grege & multitudine ac numero. Numerus ipse id satis testatur, de quo scriptura loquitur adeò manifestè & apertè. Non ergo immeritò de ceremoniis scribere aggressus sum, vt nimirùm videatis idolomaniam, & signa illam consequentia, & ex ceremoniis profluentia. Quæ quo modo fiant, deinceps tradetur. Vos sedulò illa legite. Nec enim leuis momenti talia sunt, aut temerè iudicari debent.

Numerus testatur de regno Christi.

Ad præscriptum itaque modum, homines multa sibi ipsis fingunt & imponunt. Quanquam illa plerunque non ex propriâ ac intima phantasiâ depromant, sed ex rebus olim quoq; factis eadem deducant. Hi vetera imitari satagunt, sed mandatum non habent. Inde iam emergit superstitio, quâ idem fit, quod fieret, si prototypum ipsum præsto esset. Sic ad lapideum vel ligneum Petrum idem fit, seu in ipsum non aliter creditur, ac si Petrus viuus ipse adesset. Idem fit, si crucem quandam alicubi videam, & veram illam, in qua pependit Christus, esse putem. Sic quia scio, Christum sub cruce *Longino* visum restituisse: si in crucem aliam idē credam, fit idem ex meâ fide. Hæc superstitio est. Nec enim fidem meam ponere in crucem aliam debeo, quàm in vnicam, quæ est ipse Christus. Fides enim talia præstat. Et siue falsa seu vera sit, signa operatur. Illustrabimus rem dato exemplo. Maria viuens edidit signa. Huius si imaginem faciam, & fidem, quæ in Mariam dirigi debebat, in imaginem intendam: iam ipsa quoque imago signa eadem facit. Hæc iam signa falsa sunt, & tamen sunt signa, quæ ex fide proueniunt. Quicquid autem huius sit, si recto vtar ordine, superstitio deest. Sin secus: adest. Ita in sanctum Iacobum aut Petrum credere nemo debet. In ipsos verò qui credit, is seipsum vel sanum vel claudum credere potest. Hæc autem vera fides non est. Debet enim illa tantùm Deum vnum intueri. Ideò datum est mandatum: Crede in vnum Deum, & in filium eius vnigenitum Iesum Christum. His omnia clauduntur. Quia enim fides hæc procedit & verificatur, ideo mandatum est, vt rectè vsurpetur. Nam si non verificaretur aliàs, nisi rectè vsurparetur: vt illam mandaret Deus, non habuisset opus. Fieret enim per se, vt successum non haberet, & ita spontè confunderetur. Ideò verò credis in lignū, quia vides fieri, quod fide illâ credis. Fides enim facit. Is opera, is fructus dat, vt credis. Illâ ergo ne abutaris, mandatū accepisti: sed vtaris in veritate aduersus eū, qui noster Deus est, sicut fidei debitum est. Nec enim prohibita illa fuisset, si superstitioni sua vis & efficacia non esset.

Superstitio quid, & eius fons.

Fidei etiam falsę quanta vis.

Eodem modo & de hoc iudicate. Datum est nobis vt cuilibet vxori adludamus, & in ea satiemur. Hoc iam quia datum est: sequitur mandatum, *Coniugio iungaris, nec adultereris.* Si violare coniugium minimè possemus, hoc est, si nō nisi vnâ cū fœminâ cōgredi possemus, mandato dato certè nullo opus fuisset. Fuit autem eo dato omnino opus. Sic etiam possum iuramentū præstare, vel verum vel falsum. Hoc quia possum, mandatum accepi, *periurium ne facias.* Sic & fides se habet, & efficax est. Si falsa ea sit: succedit. Si vera: succedit. Quia ergo fides signa dat, nec aliud, & fides est in Deum: solus Deus etiam signat: patet vtiq; in nullum credendum esse alium, quàm in Deum. Et hoc mandatū est: quo anteuertuntur superstitiones omnes. Quia verò signa fiunt, si non Deum quidem, sed sanctum quendam, vt diximus, inuoces: in fide quidem illâ sanus fies, sed tamen perperam credidisti: Si mandato paruisses, & fidem in Deum tanquam in sanctum intendisses, vnà cum impetratâ sanitate regnum quoq; cœlorum impetrasses. Qui enim in Christum credebant, sanescebāt in corpore & animâ. Quos Petrus sanauit, hi in solū Christum credere debebant, & per hoc sanabātur. Non autem in Petrum. Is enim auersabatur superstitionem, & fidem dirigebat in illum, cui debebatur. Si rectum hoc in eius vitâ: multò erit rectiùs post vitam. Quanquàm si fortiter quis etiam in Petrum crederet, sanesceret quidem, sed non, vt illi, quos sanauit ipse Petrus per fidem rectam. Talis sanescit, sed extra salutē seu beatitudinem & ordinē. Quod si sanctos quidam inuocet: non tamen Sanctus, sed fides ipsū sanauit. Illæ meræ superstitiones & signa falsæ fidei sunt, si dicitur: Adspice hæc, adspice illa signa. Fieri optata quidem certum est, non quòd Diabolus, non quòd malus genius, sed tantùm fides id faciat. Iam fides oritur ex Deo, & in Deo manere debet, hoc est, redire debet, in illum, ex quo processit. Sin minùs, falsa est. Liberorum procreatio ex Deo est, etsi illi sint spurij. Sed non ex Deo ille ordo est. Legitimo thoro nasci, ordo ex Deo est. Et sicut generatio liberorum extra coniugium ex Deo est, non ex Diabolo: Sic Fides etiam ex Deo est, non ex Diabolo. Quicquid facit illa ex superstitione, adulterio simile est.

Defen. adulterij cur dat.

Prohibitio periurij cur dat.

Fides ex solo Deo. Fides cōfertur cū procreatione liberorū.

Ideò ad præscripta diligenter attendendum est. Si quis alicuius articuli mandatum habeat, signum est, eius abusum aliquem dari, etsi non ex Diabolo sed Deo processerit. Cōcurrit tamē Diabolus, & turbas ac confusionem parit, vt talia in abusum abeant, qui præter mandatum fit. Sic Diabolus delectatur spuriis, non quod ipse eos gignat, aut gignendi vim det: sed quia mādatum Dei violari videt. Qui cū puritatis amans sit, impuritatem acerbiùs odit ingruentem. Sic etiā si in fide per superstitionem sanus fis, ex Deo sanescis, non ex Diabolo: sed modò adulterino, tibi interdicto. Deus enim talia nostro arbitrio relinquit: attamen mandatum dat, ne blādientibus à rebus seducaris, inficiaris aut polluaris, Sic Solem habes, non vt ad splendorem

rem eius fureris, sed viam Dei ambules, agros colas. Exemplum. Fecit nobis Deus faces, quæ ardeant, vt beneficio illarum videamus in tenebris. Ad vsum alium eæ nobis datæ non sunt. Iam verò fax in nostra manu est, qua aut domum incendere, aut latronem furemque ducere possumus. Ad malum antem hæc fax data non est, sed ad bonum. Et tamen fax seruit tam ad malum, quàm ad bonum. Similis ratio etiam fidei. An non fax à Deo data est? Omnino. Ergo Diabolo imputare non possum, quod facio malum. Diabolus facem mihi non præfert, nec iam illam subdit. Nec enim ignis vel minimam scintillam ex silice dare is potest. Factū ergo meum ipsi imputandum non est. Sic item: si fidem adhibeo rebus malis, ipsa nihilominus ex Deo: is enim mihi ipsam dedit. Itaq; cum illa tam malis quàm bonis rebus impendi possit, datum ob id mandatum est, *Crede in vnum Deum, & in filium eius vnigenitum, in Spiritum sanctum,* qui vnus tantùm Deus sunt. In his finitur fides, nec vlteriùs extenditur. Quicquid præterea facis, idololatria &c. superstitio est. Nō verò hoc ita accipies, quasi in S. Paulum aut Stephanum credas, & quod credis, fiat, falsi dij illi sint (manent enim illi sancti, tu in ipsos credas vt velis) sed tu in phantasia tuâ tibi falsum Deum constituis, quem vocas S. Paulum, &c. Huic defers honorem illum, qui Dei proprius est, vt mandatum de fide docet.

Fides comparatur faci.

Fides in solo Deo sistitur.

Inficiari quidem non possumus, Spiritus quoque sese tali fidei permiscuisse in celebratis Encæniis & similibus, & apud statuas, diuosque aut alios sese videndos aut noscendos exhibuisse, quasi ipsi talia præstarent. Sed haudquaquam ipsi, verùm sola fides ista facit. Et res non aliter hæc se habet, ac si quis lanam ouillam manibus tractans, vndenā comparata esset, exactè non sciret, nihilominùs tamen ad illam lupus accederet, & sibi illam euulsam esse prædicaret, aut, si quis, vnde mel conficeretur, nesciret, scarabæus autem, se id facere gloriaretur. Non alium hîc se præstat Diabolus, quem oblati tales honores non insuauiter fricant. Vt verò lupum ornat vestis serica: ita honores illi Diabolum. Verum quidem est, apud ceremonias eiusmodi Diabolum frequentem comparere, suoque opere illas mirè confirmare, vt multæ superstitiones confertim exoriantur. Per talia enim stolida plebecula commouetur ad lachrymas, ad suspiria, detrahitur à ludis, comœdiis, &c. picturis, statuis, &c. Huiusmodi commotiones pariunt fidem: fides parit opera: quæ vocantur superstitiones. Etsi enim bonæ & vtiles sint: ex gemitibus tamen procedunt cordium. Suspiria illa dant fidem. Suspiria cientur ex ceremoniis, picturis, & imaginibus. Iam vides, originem esse superstitionem: Et tamen succedit.

Fidei origo superstitiosa.

Itaq; qui veram fidem quærit, is illam non desumat ex ceremoniis, non ex statuis, non ex picturis, &c. Sed ex Christo ipso, sine medio. Ideò datum est, verbum, quod te doceat: in quo nullum simulacrum, picturam, ceremoniam inuenies præter solum & vnicum Spiritū, qui Spiritus est sanctus. Nam si fides tibi annunciatur, de hôc saltem cura est, vt illam in imo corde serues. Ex hâc iam crede. Sin autem illa cor tuum ingredi nolit, sed in ceremoniis, simulacris, picturis in hæreas, ita vt ab illis abstinere nequeas: hoc certè cor tuum prauum est. Etsi enim illa te quidem commoueant: ipsū tamen fundamentum ac principium nihili est. Principium ex statuis sumpsisti: eò reditus est. Talia enim omnia ad suum principium reuertuntur primum, ex quo prodierunt. Et principia talia sunt caduca, mortalia, corruptibilia. Ex illis quidē sanatus es, sed modo adulterino. Ideò adulterorum quoq; te maledictio manet. Sed vt nihil omittamus, quod ad superstitiones explicandas pertinet, scitote, multis in locis vsitato more inualuisse, vt si quis diutius ægrotās nec mori nec conualescere potuerit, instituerētur tandē precationes, & numerata ieiunia, &c. Quæ si fiant ab ordinatis ad hoc, fides est, ægrotum aut mori aut conualescere. Itaq; siue moritur, siue conualescit, fit hoc ex virtute fidei, quā falsò & spuriè vsurpant. Illa abit ad finem volūtatis ipsorum per vim fidei, quam collocant in precationes, quib. plus tribuunt, quàm ipsi Deo. Credunt namq; in precationem, non in Deum. Et licèt quidem precatio à Deo sit: non tamen ad vsum data talem est, sed vt cœlestis pater rogaretur per ipsam de eo, quod comprehendit. Hi autem vires precationis certas esse autumāt. Vnde fit, vt illa abutātur, & fides efficax sit. *Iam si pater noster* aut Euangelium Ioan. talia faciūt: multò magis id eueniet à simulachris, ceremoniis, picturis. Eodem modo fides est in homine, vt laqueus, quo strangulatur fur, ad multa vtilis sit. Eā fides facit, vt fiat. Si fides etiam in filum lineum est, similiter fit. Interim tamen hoc nec diabolus facit, nec fur, nec laqueus, nec carnifex: sed adulterina tua fides, quam non impendis, vt debebas. Idemq; facis, ac si semen tuum, quod ad propagationem tui generis vtile est, iniicias pecudi. Tales enim Sodomitæ & adulteri sunt etiā illi superstitiosi. De superstitionibus ergo in genere omnibus (quę quidem supertiones sunt, & esse probantur) hoc teneri oportet, quod ex fide oriātur, quę fides ex Deo est, & sic quod per fidē, & innatam ei efficaciam fiant, qualiacunque illa sint. Hæc ducit ad salutem, si credimus, vt nobis mandatum est, *Credes in vnum Deum*: Similiter, vt Christus dixit, *Abi fides tua saluam te fecit.* Illa autem fidem habebat in Christum. Vnde etiam fiebat sana & salua. Sic etiam de fide superstitiosâ tenendum est, quòd per eam quoque sanemur, sed ad exitium æternum. Non enim in corpore tantùm, nos sanare debet fides, sed etiam in anima, vt hæc quoq; verba addantur: *Abi, peccata tua tibi remissa sunt,* & cum remissis peccatis etiam propulsata infirmitas. Huc ergo conducit præceptum, vt sciamus, quæ causa aut salutis aut damnationis sit.

Laqueus strāgulati vtilis.

Porrò de viuis etiam diis falsis, qui per ceremonias & similia sese efferunt, sciendum est, quòd & ipsi alta interdum suspiria & gemitus vulgo rudi eliciant, quibus fides fortificatur adeò, vt etiam signet. Vnde enim suspiria commota sunt: eadem loca fides subindè repetit. Hoc modo fieri potest, vt si quis vestem quandam religiosiorem gestet, illa simplicem quendam spectantem ipsam in commiserationem pertrahat. Vesti si accedat gestantis habitus & vita seuerior: affectus ille intenditur. Idem si clamitet,

clamitet, seipsum flagellet & cedat, spectantis vtique animus hisce gestibus ita percellitur, vt in fidem illicò ruat, & gesticulatorem illum Deum faciat, ac singulari cultu prosequatur. Vide verò, ex Mimo tali fides oritur, & emergit. Ea superstitiosa est, nec ad mandatum quadrat. Non ieiunia, non precationes, non vestes, non percussio tui ipsius videantur. Et æquius est, homines ignorare, an talia patres vel non patres. Quâ causâ? Hâc scil. ne pro Deo aut Sancto habearis, ac talibus simulationibus rudem popellum in superstitiosam fidem pellicias. Ideò Christus dixit: *Si ieiunas, faciem tuam ablue, ne ieiunasse videaris.* Similiter etiam: *Si Eleemosynam das, noli cum tympanis incedere, &c.* Quibus verbis admonemur tacitè & secretò omnia agenda esse, nec manus læua sciat, quid faciat dextera. Si manus læua id scire non debet, quamuis dextræ proxima sit, & promptè auxiliari possit: multò minùs sciet is, qui in tertia aut quartâ domo habitat. *Nolite orare in plateis publicis, sed abstrudite vos in interius conclaue.* Quâ de causa? Si in publico oras, quid fit? Datur initium & occasio ad superstitionem. Ideò id fieri Christus prohibuit. Si enim oras in publico, videns id alius ex plebe te æmulatur: tuq; tuo exemplo illum compellis ad idem tecum faciendum, & in fidem ille cadit, debere id ita fieri, hoc est, multa blaterari. Iam tu illius Deus fis, isq; te sequitur, non Christum, qui iubet ipsum orare in abdito. Hoc modo quid facimus in abdito & occulto fieri debet. Per nos enim neminem mouere debemus, nisi in Christo & in ipsius passione. Hinc simplex quiuis doctus fieri debet. Si secus, iam est superstitiosus, qui non credit secundum mãdatum & doctrinam Christi, sed fidem suam dirigit ad homines Tetricos, Ethnicos, Pharisæos, Saducæos, Hypocritas & scribas.

Eleemosynas publicè dare superstitiosũ.

Orare publicè superstitiosum.

Pro conclusione, quia hactenus de superstitionibus disseruimus, pandendum etiam vobis est, ex quo fundamento oriantur, & quidnam sint. Nam & de obiectis, quæ videntes ad gemitus cõpellũt, remouendis, & de huius facti causis, constituimus. Cæterùm possent hîc instare simplices. Si in sanctos credo, me iuuant vtiq;. Sed discant hi similiter etiam in Christum credere, ita iuuabũtur simul corpore & animâ. Sed & ex alterâ parte instare possint aduersarij bona omnino facienda esse opera in conspectu hominum, vt illa videantur. De hoc quantum hæc Philosophia requirit, aut admittit, ita sciendum est. Bona opera facienda omninò sunt, & publicè. Orare, ieiunare, non sunt opera, quæ hîc intelligimus, vt nec Eleemosynam dare. Talia enim secretò fieri mandata sunt, publicè ea facere, seriò prohibitum est. Cęterùm, quænam sunt bona opera? Hæc nimirũ, quibus Pater cœlestis laudatur & celebratur. Tua precatio Deum nec laudat, nec extollit, vt nec tuum ieiunium, nec tua Eleemosyna. Illa facis ad tui laudẽ. Quæ autẽ Deum celebrent, hæc sunt: mundare leprosos, suscitare mortuos, cœcos visu donare. De his cogitãdum est: hæc æstimantur: hæc ad gloriam Dei cedunt: per hęc missi à Deo cognoscuntur: per hæc veritas Dei cognoscitur. Libri itaque huius lectio eò vobis faciat, vt caueatis, ne superstitionis vos participes reddatis. De causâ dictum satis est, & quid inde emergat, cõmemoratum. Mihi hæc quidem, fateor, explicatu difficilia satis fuerunt. Mihi autem, ceu Philosopho, cuius Philosophia super lapidẽ angularẽ Christum fundata est, ita talia detegenda & reuelanda fuerunt, ne in dubio relinqueretur id, quod planũ esse debet, sed vt omnibus constaret, vndenam quidlibet emergeret, & initiũ sumeret. Hæc Philosophia magistra & artifex Doctorum est in rebus omnibus, cui etiam vniuersa doctrina innititur. Quandoquidẽ autem hæc strictim percensita sint: sciendum est, illa latiùs & fusiùs in scriptura deduci & explicari, ad quam me totum refero. Nec enim præter ipsius testimonium quicquam scripsi, sed Philosophiam hanc omnem ex illâ deduxi. Nec quicquam attuli, quod huic aduersaretur. Et gratulor mihi de tam certâ illius cognitione: vobisq; hortator sũ, vt eandem similiter vobis quoq; familiarẽ reddatis. Periculosiora namq; sunt tẽpora hæc, quã vlla à mortuo Christo vnquam exstiterunt.

Bona opera quæ faciẽda.

LECTORI.

Hactenus ex ordine traditi sunt libri Philosophici, qui integri, sine defectu in originalibus reperti sunt. Excipio tamen librum de arte præsaga, in quo pauca quædam, duobus locis, suis foliis annotata, etiam in ipsius Theophrasti autographo defuerunt, forsan ab imperitis aut inuidis excepta. Sequuntur deinceps cæteri, qui in multis locis defecti reperti sunt, & cùm nulla vspiam defectuum complendorum spes supersit, ita, vt imperfecti inuenti sunt, & in fragmentis congesti, impreßi sunt. Bonus ac æquus Lector hæc boni consulet.

FRAGMENTVM LIBRI DE SAGIS ET EARVM OPERIBVS.

Deest principium Prologi.

C. Moyses mutat baculum in serpentem ante Regem Pharaonem. Ex quo faciebat hoc? Ex voce Dei. Vox erat Deus. Deus faciebat. Accedunt autem & Magi facientes, quod ipse fecerat. Ex quo? Ex Diabolo, qui talia ipsos docuit. Hæ mihi sunt rationes, quæ ad scribendum me compulerunt, vt discernatur bonum à malo, & malum pro malo habeatur. Sic etiam Medicus, quid in flore specioso mali lateat, indicat, quem tamen vulgus nobilem indicat. Deus ergo homini, quem in simplicitate ambulare iussit, præuios seu præmonstratores dedit, qui viam commonstrent: & vt in simplicitate suâ manere possint, præcursoribus illis sapientiam contulit: non secus ac mandauit, vt, quæ Cæsaris sunt, Cæsari darentur, & vt in simplicitate persistendo, nullus dolus aut fraus contra Cæsarem intenderetur. Quo certè confirmantur illa, quæ Paulus dixit: *Magistratui subditi estote, etiam malo.* Quâ de causa hoc factum est:

est: Ipsis datum est donum, & donum quidem simplicitatis. Cum ergo simplicitas imperata populo sit respiciendum est in Ductores, qui rebus omnibus præfecti sunt. Quis enim ex illis non à Deo doctus est? Itaque ex tali sapientiâ hominum opera æstimantur, vt, ex quonam procedant, cognoscatur. De operibus dico, quæ sagarum sunt. Quod fieri necesse est, ne rudior populus in his occultis operibus seducatur, & sciantur diiudicari illa, quæ illorum simplicitas capere non potuit. Vale.

[illegible]

CAP. I.

ANte omnia opus est, vt vim & potestatem hominum intelligatis. Quo rectè intellecto, fundamentum mei propositi eò faciliùs capietis. Primùm ergo scitote, terram datam esse hominibus, vt in illa dominarentur. Omnes enim terræ plantæ, & quicquid in ipsa subsistit, hominis potestati subiectum est, ita vt plantandi, colendi, & quicquid, vel ad necessitatem vel ad voluptatem requiritur, euellendi ius habeat. Quæ omnia vt rectiùs administrare posset perfectam sapientiam, vires, robur & potestatem consecutus est. De potestate autem hâc porrò tenendum est, homini opus minimè esse, vt curet & sollicitus sit de forma rerum illarũ, & iis, quæ illis inesse debent: sed seminat ipse tantùm, & de cæteris securè agit. Quæcunque enim hominem delectant, quæcunque corpus eius sustentant, quæcunque corpus eius à morbis vendicant, Deus vniuersa accurat & suppeditat, & in omnibus hominem dominum constituit, vt hoc agat, & Naturæ cætera credat, ac veluti mandet, vt ea producat, quę homo poscit & desiderat. Ita poscendi singula Natura producit, fingit, sculpit, pingit coloribus. Potens ergo & magnificus homo, est adeò, vt terra ipsi seruiat, & quicquid is seminat, plantatque, sine addito quocunq; eius auxilio, illa quam formosissimè crescere & enasci faciat. Ex quibus patet, quantum potestatis & imperij creatura Dei, Homo, in terra habeat. Vnde velut ex exemplo discendum, quòd Deus hominem non tantum secundum carnem talem creârit, sed donum illustrius eidem insuper etiam contulerit.

Homo dominus terræ.

Natura hominis famula.

Hominis perfantia quã ta.

CAP. II.

PRo homine autem creatæ terræ conditio ista est, vt regio austri, fructus suos & flores gignat: regio Septentrionis ver det, cùm Alpes niue adhuc obtectæ sunt. Et si loco vno messis est, in altero est semen. Docent hæc terram non similem hyemem & æstatem producere, sed vel seriorem, vel maturiorem, ita, vt quod in vna regione incredibile est, in altera eodem tempore crescat & fiat. Nam si Hyberniâ noctibus caret: opposito id mirabile obuenit. Et Hybernis mirabile videtur, quod in opposito constituti noctes habeant. Sic hîc nulla æstas, sic alibi nulla hyems est. Hîc si dies est, alibi nox est. Et sic deinceps. Siquis globũ emetiatur, quotidie repetietur *Maius, Aprilis, Iunius, Martius, &c.* Sic indies tempus producit creasa, messem, autumnum. Tempora etiam translocantur aut mutantur, seu euariant ita, vt Sabbathum Germanorum, Sabbatho Indorum posterius incidat, & dies Lunæ Lusitanicus, orientali duodecim diebus seriùs veniat, & tamen numero dierum anni nihil decedat. In hisce omnibus homo ita potens est, vt, quod in occidente inuenit, id plantare possit in oriente, & plantas septentrionales transferre in Meridiem, adeòque hortum suum, medio seminum ex hac orbis parte sumptorum cis Mare in alteram plagam traiicere, & sic nouum producere hortum queat.

Regionũ terræ diuersitas.

Sabbathum Germanorum.

Indorũ 12. dieb. serius.

CAP. III.

DE his omnibus sciendum est, quòd fiant naturaliter. Nec dicere quisquam potest aliter, quàm quòd natura has res operata sit. Sic, si in media hyeme rosa virescens in terram quandam importaretur, vbi bruma intensa esset, vulgus non abs re diceret, rem illam non fieri naturaliter. Contrà verò Sapiens aut Magus rectiùs diceret, illam esse vim & opus Naturæ. Affertur enim ex illâ regione, vbi rosæ æstas iam genialis vernat. Eadem etiam celeritate per Magum nix produci potest in illis regionibus, vbi æstas altissima flagrat. Et talia simplici populo proponenda sunt, quòd nempe Magus nec rosam, nec niuem fecerit: sed quòd Magicum nuncium (hîc non multum differt à Gabalisticâ celeritate) mittat in eas regiones, in quibus natura pro loci illius conditione talia produxit, ignota ibi, vbi importantur. Fieri etiam possibile est, vt nix soluatur vi illius regionis temporis in anno, sic etiam vt rosa in alia terrâ suæ hyemis crescat, additâ celeri ope & calore ascititio. Magicè ergo talis res ad loca sedésue incongruas transportantur. Et sicut ciconia pullos suos in Germania excludit, secumque ad terras alias abducit, ita ex patriâ suâ seu natiuo solo hæ res traiiciuntur in oras alias.

Rosa hyeme ostentata vnde.

Desunt { CAP. IV.
TRACTATVS II.
CAP. I. II. III. IV.
TRACTATVS III.
CAP. I. II. III.
CAP. IV. }

EXemplum ergo iam mitto, & ad tractatus colophonem transgredior. Nisi filij dicto modo educentur, & Ascendentes interim maneant: ex disciplinâ exempti instigantur & lacessuntur ad id, quod Ascendens est. Sic fiunt fures, qui ascendentem suum non amittunt, donec laqueus ipsum separet. Sic fiunt latrones, scortatores, aleatores, denique ij vniuersi, qui contra doctrinam Christi agunt & ambulant. Et hi sunt illi spiritus, quos cauere & euitare nobis, seriò Christus mandat, dum ait: *Vigilate, inimicus vester non feriatur.* Hi sunt Ascendentes, à quibus falsæ religiones instillantur. Hic Satanas est Pater mendaciorum: hic in fœtum se ingerit, hic dolum & velum prætendit, si ipsius filius, nempè perditionis,

Fures latrones quomodo ab ascendente.

perditionis, peccat, ne id tantopere ei vitio detur, quantopere Christus illud execratus sit, pro excusatione nimirùm id afferens, tale quid illi innatum esse, Deum respecturum suam creaturã, quòd Luna ista fecerit. Sic Lunã oporteret esse maledictã, non ipsum hominẽ: cùm tamen maledictio pertineat ad hominem, haudquaquam ad Lunam aut Scorpionem. Ex his colligite, ex eiusmodi Asscendente surgere mala vniuersa, quæ hîc sigillatim percenseri nequeunt. Hoc modo etiam Sagæ in partu fiunt, aut nascuntur. Si enim Spiritus, qui Sagarum pater & genitor est, non expellatur, in sagis ille paulatim radices tam profundas agit, donec ipsas penitus labefactârit, non secus ac furem regit, docet, ad furandum instituit, & ingenium eius ita disponit, vt quam prudentissimè furtum aggredi possit: Quo casu ipsum Naturæ lumen nihil quicquam confert.

Sagæ, quomodo ab asscendente.

TRACTATVS IV.

CAP. I.

SEd vt materiam hanc pertexamus, explicandum porrò est, quo pacto nati fœtus in sagas euadant. Hoc antequam edisseram, sciendum priùs est, fœtus nascendi horam & punctum in potestate Asscendentis esse, cuius instinctu talia eueniunt. Hic simul etiam notandum est, quod hora conceptionis fœtus spiritus potestatem tantam non habeant, quantam habent eâ horâ, quâ fœtus ex vtero matris excluditur. Et tamen adeò effrenis spirituum istorum est audacia, vt conentur etiam sese ipsius conceptionis horâ ingerere. Hîc tamen multa illis aduersantur. Multa etiam frequenter incidunt, quæ faciunt, vt nec partus hora commodè sese insinuare queant. A quo impedimento puerperæ plerunq; doloris & ærumnæ multum sustinere coguntur. Sed, vt hęc suo loco relinquamus, si fœtus asscendentem susceperit (quod quidem signum est asscendentis malitiæ) tunc asscendens sese occultat, nec se exerit, sed fœtum fœtum esse permittit. Is enim nondum idonea ad patrandam malitiam instrumenta adeptus est, quę demum per ætatem prouectiorem crescunt. Quanquam interdum etiam fiat, vt fœtus aliqui in cunis, aut ætate paulò grandiores illicò infantiam suã superent, & gestus miros edant, qui ex spiritibus oriuntur. Cùm verò hîc non de istis, sed de adultioribus loquar, misso illo hoc hîc potius agendum est, & cognoscendum, quantum caro cum intellectu perfecto designet. Sic qui furatur fur, opus eâ ætate habet, quæ designando furto sufficiat. Ita sagas etiam suam ætatem iustam pro carnali voluptate attigisse necesse est.

Asscendens potentior hora partus quã conceptus.

Asscendens agẽtum fit malis instrumentis.

CAPVT II.

CÆterùm, quæcunq; adultiores exercere cogitamus, ea à teneris per institutionem nobis instillari debent. Ea institutio seu educatio, in nobis petram facit. Nam quod per primę ętatis consuetudinem imbibitur seu discitur, id fit petra, super quam natura ædificat: sicut etiam spiritualiter Christus super petram Petri ædificauit. Quod Christus super petram ædificat, non subsidit aut corruit. Quod natura super suam petram ædificat, nec ipsum corruit. Consuetudo ergo petram ingenerat, in qua fixa manent quæ à iuuentute superstructa sunt. Itaq; vt adultiores nos ex suis partib. habeant spiritus, ipsi festinant, vt in ipsa partus horâ asscendant, vt ita primi sint, qui infantem ducant & instruant. Quicunque autem deinceps Magistri fœtui seu infanti constituantur, nihilominùs tamen asscendentes semper primas tenent. Cor enim multò pertinacius est ad primum, quàm ad vltimum. Porrò homo carnalem etiam naturam secum affert, ex Adamo, non ex astris desumptam, quæ per se inuidiâ, odio, infidelitate & similibus imbuta est. Hanc carnis naturam inualescere sinit Asscendens, donec ad summam exaltationem perueniat. Quòd si iam intelligit congenitam hanc inuidiam sibi aptam & idoneam esse, tum demum instigare & impellere incipit. Nulla enim saga est, quæ non summæ inuidiæ & infidelitatis plena sit. Occasionem autem aucupatur asscendens, dum suâ manu hastam arripere queat. Et cùm liberi in odio ac inuidia tali adolescant, ad ingenium & institutum suum illos paulatim pertrahit, vt confirmatiore ętate consuetudinem contractam in sua manu habeat.

Educationis vis.

Petrus petra.

A teneris iam fit, consuetudo. Carnis [illegible]

Sagæ omnes inuidæ.

CAPVT III.

IAm si asscendens insitam inuidiam, odiumve ac malitiam ita instigauit, vt eiusmodi homines vindictæ & læsioni proximi sese deuoueant, quam possunt maximè: & insuper ex viribus propriis nihil valeant: tunc schola, in qua instituti sunt, vindictæ & vltionis studium id intendit ac adiuuat. Scholæ illius hæc ratio est, quòd spiritus per insomnia doceant, & subindè dormientib. ita occinant: Hoc fac, ita rem aggredere, & inimico tuo, quod intendis, eueniet. In somniorum horum asscendentes tantum numerum inspirant, vt omnes incantationes suam hinc originem desumant. Adeò autem explicitè & intelligenter illa inspirant, vt per insomnia talia quis etiam Magiæ Doctor fieri possit. Nam quia sagæ in odio & inuidiâ quasi in petra fundatæ sunt: ideò super fundamentum tale esscendentes facilè ædificare queunt. Non autem per insomnia tantum instituuntur, sed etiam suis profundiorib. phantasiis abripiuntur, vt defixo animo speculentur, & vindictam præsumptam meditentur, vbi continenter de suo Diabolus seu asscendens quid suggerit, donec talia illis instillârit, quę ipsæ pro arte habent Magicâ. Nam reuera talia nihil sunt, præter opinationem. Quicquid enim faciunt patrantque, id saltem credunt fieri à se, cùm tamen faciat asscendens. Sic Medico simplici persuasum est, se ægrotos restituere sanitati, nec cogitat, id facere porrectam medicinam. Quia verò asscendens seipsum occultare solet ideò varias ipsis ceremonias suggerit. In quas cùm fidei conferatur multum, iam iterum artem quandam stabilit, quasi generatio grandinis à ceremoniis pendeat, cùm tamen illius generationis causa ipse sit. Sic nimirùm fraudes suas etiam in Astrologiam & Geomantiam intrudit, &c.

Sagarum schola sunt insomnia & phantasiæ [illegible]

Decẽ

Deest Caput quartum.

TRACTATVS V.

CAPVT I.

Signa sagarum. Postquam de sagarum potestate disseruimus, proximum iam est, vt signa etiam explicentur, quibus noscantur ab infantiâ, in adolescentia, in senio, quænam sagarum assendenti subiectæ sint. Signa autem hæc sunt: si à viris alienantur, nec ipsos admodum curant, & congressum Venereum fastidiunt. Deinde si dies peculiares, vt Saturni, Veneris, Iouis, &c. cæteris deuotiùs venerentur. Præterea, viri ipsas amittunt ad actum Venereum non consentientes. Insuper peculiaribus notis signatæ sunt, vt curuis nasis. Et quicunq; à talibus nascuntur liberi similibus notis insignes sunt, vt distortis membris, nasis impressis. Hinc est, quòd communiter cauendos esse censeant homines, quos natura signauit, hoc est, quos spiritus (*seu assendens*) signauit. Tales enim ferè improbi sunt. Ipsa verò natura neminem ita signat, nisi monstrum sit: quod ob id non despici debet. Vnde Aristoteles inquit: *Quæ natura dat, nec honori, nec ignominiæ sunt*. Is autem perperam sensit. Nam nec cœlum intellexit, nec gustum eius ore cepit.

1. *Fuga virorum.*
2. *Feriarum superstitiosus cultus.*
3. *Signa in seipsis.*
4. *Signa in liberis.*
5. *Ceremoniarum vsus.*
6. *Occultare se, solitudinem amare, virum non capere.*
7. *Artifices inquirere.*
8. *Conuersari cum sagis, & ea discere, ad quæ compellit spiritus.*
9. *Virum nullum aspicere.*
10. *Raro præparare cibos, non lauare crines, frontem, carnem.*
11. *Cancrino more è templo egredi.*
12. *Molliter cubare, seipsum includere.*

Signa hæc sunt præcipua, quæ in sagis exhibentur, postquam ipsas asscendens subiugauit, & magistras eas creare vult.

Deest caput { *Secundum.* *Tertium.*

CAPVT IV.

Hæc ergo vobis signa curæ sint cum attentione operum. Opera enim signant vniuersum finem, & confirmant etiam signa, de quibus modò dixi. Quæ trutinatio facit eò vt non tractentur inhumaniùs, aut insontes ad ignem condemnentur: sed vt iustam medicinam assequentur, & à talibus liberentur, quandoquidem solatij tantum nobis dat Christus, quod si ieiunemus & oremus spiritus malignos eiicere possimus, etsi quidem insidiosissimè nos tentent, maximè verò vetulas quæ propter contemptum iunioribus plùs odij alunt. Quò enim minùs curantur à maritis virisque, eò asscendens magis sese exaltare potest. Quales verò cunque sint, per medicinam vtique sequentem à proposito abducendæ sunt, & comprimis emendandæ, cùm prima signa apparent. Si notæ appareant in naso aut membris, sine causâ illas adesse ne cogitetis. Quicunque enim signum tale gerit, is cauendus est. Quæ signa autem à natura adsunt, ea nihil addunt, nihil demunt. Illa verò altera signa eodem habenda loco sunt, quo habentur stigmata buccarum, aut amputatæ aures, &c. Sic enim suos notat carnifex filios: sic suos etiam notat asscendens. Infantes itaque stigmatisati vitandi sunt secundum sua opera quidem, sed tamen, vt conuertantur, apprimè opus habent. Et his finitum volo librum dimidium de sagarum ortu, naturâ, & cognitione. Dimidium alterum complebimus recensendis illarum operibus. Postremum claudemus explicandâ medicinâ. Qui sequentes tractatus prioribus adhuc diligentius perlegendi, vt tota res à vobis plenè perfecteque cognoscatur. — *Sagæ cõuertẽdæ in melius.*

TRACTATVS VI.

CAPVT I.

Itaque ad practicam accedamus, ac, quæ ipso opere auxilio Ascendentis sagæ præstent, deinceps expediamus: primum de generatione grandinis & niuis ac similium, quo illa pacto à sagis fiant, ordiemur. Et sciendum est, nullam sagam esse, quin cum sagali (*vt ita loquar*) asscendente nata sit. Qui si per ingenuam institutionem non iniciatur, præualet, & in ipsa dominatur. Necesse itaque est, asscendentem illam cognitionem habere totius sphæræ cœlestis, in qua quotidie reperiuntur stellæ æstiuæ & hyemales, vt, quâcunque horâ sagæ sua opera perficere satagunt, illi expediti sint. Et notate, quòd ipse asscendens tempestates illas cieat, prout ceremoniæ vsurpentur. Illas adducit ex eo loco, vbi generantur, & transfert vsque ad locum illum, vbi inuidia & odiũ suum radium exerunt. Vt autem asscendens ex certâ scientiâ & vi agere videatur, sagas docet facere sceptrum quadriceps, quatuor ventos significans. Id obuertunt orienti & malleo caput illud, vnde tempestas proditura sit, certis ceremoniis additis, feriunt. Postquam ergo hoc modo doctæ & informatæ sagæ, sceptri caput feriunt, asscendens ad regionem illam commigrat, & inde semen seu materiam tempestatis accersit, transferens ipsam in regionem illam, ad quam radius inuidiæ pertingit. Et sicut ferrum etsi quidem è distantissimis regionibus afferatur, si in locum petitum illatum est, cuditur, & id fit, quod fieri debet: ita idem hîc quoque intelligendum est. Quòd si homo ex his cudere, quæ vult, potest, multò promptiùs vtiq; id poterunt etiam spiritus. — *Asscendens tẽpestatum quomodo auctor.*

CAPVT II.

Cœlum enim ager est. Is, quod fert, elaborant isti agricolæ seu artifices. Sunt fabri, sunt formatores & fusores omnium cœlestium fructuum qui in terram decidunt. Asseruare illi possunt materiam tonitrûs, grandinis, — *Cœlũ est ager asscendẽtium.*

grandinis, niuis, vsque ad horam sibi commodam visam. Sicut enim aurifaber argentum suum asseruat, nec elaborat, nisi cum emptor veniens, & arrham ponens, hoc vel illud sibi fingi iubeat: ita hîc idem fit. Nam & hîc datâ arrha opus erit, vt opus fingatur pro eo, qui arrham dedit: sic qui certum numerum laminarum ferrearum paciscitur, emptionem datâ arrhâ, & factâ solutione obfirmat. Hâc factâ, iam meritò emptoris insigne rei emptę illi imprimitur. Idem hîc quoq; fit, vt insignia & notæ imprimantur ab ascendentibus, quorum sagę propriæ sunt. Ea insignia sunt sagarum crines aut proprij, aut ex aliis euulsi. Etsi autem rarò fiat, vt crines alieni dentur, sed proprios plerumque ascendens, antequam tempestatem moueat, à sagis exposcat tamen penes vtrosque contrahentes stat, quo pacto emptionem firmatam velint. Iam ergo stellæ grandinalis artifex illos imprimit in grandinem, sicut monetarius permixtum cum argento cuprum cudit & cuprum mentitur excoctione in tartaro factâ. Vt enim in metallis operantur artifices: ita ascendentes in stellis. Hinc, quomodo cum ascendentibus sagæ pactæ sint, ex grandinibus cognoscitur.

Crines in grādine quid.

CAPVT. III.

Grando cū glande tormenti confertur.

IAm, dum artifex ille circa cudendum opus versatur, proponit sibi spatium id, quod saga inuidia & odio suo comprehendit. Elaboratum autem & pacto signo notatum effundit in spatium illud, tanquam in orbem seu metam. Quod si enim possibile est, hominem violenter disploso tormento ad aliquot passus metam ferire: id certè superi vice homines multò rectiùs poterunt, nempe vt feriant metam pactam, & quouis tormento violentiora tonitrua edant, & grandines tanto impetu eiaculentur, vt quauis tormenti glande concitatiùs in terram delabantur. Quòd si elementum ipsum per se igneum esset, velut totum glaciosum est: quidnam in terra integrum maneret? Fulmen autem quod vnà vibratur, raro quidem pacto tali includitur: sed tamen est additamentum, quo Satanas damnum inferendo malitiam suam complet. Sic grandines cuduntur naturaliter, pro creationis ordine & modo, ac in terram demittuntur vi naturalis illius impetus. Sicut enim sagitta ab arcu naturaliter eliditur, ita vt à naturâ proiiciatur longiùs pro chalybis seu arcus robore: ita hic quoque intelligendum est fieri, vt grando vel mitior vel sæuior cudatur pro rerum naturâ & circumstantiis. Nec enim operis vna perpetuò ratio est vel modus. Hanc varietatem obseruamus etiam in liberis. Qui etsi omnes liberi sint, vnus tamen alteri haud quaquam similis est.

CAPVT IV.

Tēpestates in cōclauibus.

IDem similiter iudicandum etiam de niue, de pluuia, de lapsu nubis, de pruina, de gelu &c. de æstu, de ventis sæuis, denique de omnibus illis, quibus homo in terra damno aliquo affici potest. Sed & in hypocaustum quoddam, aut conclaue æstas hyemsque cogi potest, ita vt ex latere vno nix & frigus, ex altero, calor & grando consistat. Hoc impossibile videri debet nemini. Si enim homo eâdem facilitate in conclaui tormentum displodere potest, quâ facit id in campo: multò facilius per sua instrumenta, nobis hominibus inaspectabilia, idem poterit ascendens pro pacto cum sagis facto, vbi notæ iterum concurrunt condictæ, vt crines de sagarum capite, alis, pube, &c. Vnde cognosci possunt sagæ, ad quas pactum illud pertinet. Huiusmodi grandines vsque adeò plerunq; duræ & cōgelatæ sunt, vt haudquaquā spontaneę seu incoactæ grādinis more liquescat. Opera enim conducta, ad perniciem hominum facta summâ diligentiâ oportet esse elaborata. Sic hastam ex optimo ligno & ferro, sic tormentum ex optimâ materiâ, &c. factum esse oportet, cùm tamen vomer ex vilissimo ferro, & diligentiâ non admodùm magnâ parari soleat. Eodem modo & grandines summo & exquisitissimo magisterio à stellarib. illis artificibus parari solent. Et pro operis diligentiâ illâ grandines non facile eliquantur. Ex hoc ergo tractatu sexto intelligendum est, quînam modo vno grando & pruina, &c. generentur. Suo autem deinceps tractatu explicabitur, quibus aliis modis illę fiant.

TRACTATVS VII.

CAPVT I.

SEd & aliâ ratione tempestates generantur, ita scilicet, quemadmodum & homines varias in terra artes inueniunt, quæ Meteoricis generationibus similes existunt. Vt enim fiunt generationes cœlestes: sic etiam in terra naturale est, per mineralia similiter terrena Meteorica opera fieri. Rem exemplo docebimus. Si Sal-petræ alumini (dum cruda, nec dum præparata sunt) permisceatur, & magnâ copiâ congeratur, seipsum incendit ac effumat, qui fumus quàm proximè ad medium interstitium ascendit, ibique nubem facit, quæ postea resoluitur, & in guttas, veræ pluuiæ similes, abit. Per compositiones similes conflant etiam fulgura & tonitrua, eodem modo ex mineralibus impressionibus enata. Ita possibile etiam est per artem de mysteriis naturæ traditam, vt pluuiæ & tempestates montanæ similiter generentur, si tale compositum cogatur. Itaque & homini possibile est, per artem Vulcani tale quid facere per prædictorum simplicium cognitionis compensationem & collectionem: quo modo & tonitru Salispetræ inuentum fuit. Ex eodem generatur etiam fulgur. Non hæc verò tantùm fieri certum est: sed multò maiora per mysteria naturæ panduntur: quæ omnia hîc percenseri nihil attinet.

Telesma & tempestas in terra fiat.

CAPVT II.

MEteoricas autem impressiones ac potentias hominum hoc loco attingere volui, vt sciretis ipsos quoq; ascendentes talibus impressionib. vti, materiam mineralium ex montanis cōportando, ac seorsim in loca abstrusa, vbi nulla sit hominum habitatio, recondendo. Quo facto postmodum Vulcani artem addentes, tēpestatem naturalem, non supernaturalē suscitant. Nihil enim præter naturam committere possunt. Quantum verò ad artes huiusmodi attinet, in illis ipso homine multo sunt superiores, quæ quidem homini non tam manifestæ & percognitæ

cognitæ sunt. Et tamen artes eæ naturales sunt. Hinc est, quòd persæpè tempestas talis è caverna quadam exilire videatur, quæ tractu suo eo vergat quo destinata est. Quo casu sciendum est, ibi artem humanâ experientia superiorem à vice hominibus illis exerceri. Hi tamen nullam adeò secretam artem habent, quæ homini ante dissolutionem mundi non manifestabitur. Tum demum credetur, naturaliter omnino facta esse illa, quæ iam asscribuntur Diabolo, qui tamen ne pilum quidem, vel album, vel nigrum producere potest. Artem tamen callet naturalem, res eiusmodi ad alterationem reducendi. Et quousque extenditur natura: eousque progrediuntur etiam asscendentes, imitando talia, quæ nos supernaturalia indicamus, sed per meram inscitiam. Hinc oritur illa stoliditas, quâ dicere solemus. Hoc opus à Diabolo factum est: nec addimus limitationem, iure addendam, quod scilicet vi artis naturalis tale faciat.

Diabolus nihil sine ope artium naturalium potest.

CAPVT III.

SEd dicendum iam est de simili etiam virtute, quam habent Sagales Ascendentes, dum homines claudos faciunt, & in alios morbos plures agunt, quos vniuersos hîc recensere nolumus. Hoc frequentiùs fit, vt sub cutem corporis mittant, aut iaculentur stramen, setas, ramenta, coriorum detrimenta, glomos filorum, ollarum fragmina, fusorum cuspides, floccos, spinas piscium, & similia his alia infinita. Tanta autem subtilitate talia intrò in corpus iaculantur, vt cutis nulla parte rumpatur aut aperiatur, quod quidem oculis videri possit: sed quas partes ictus talis penetrauit, illæ quæ à contactu, aut pressu aliquo manus affectæ sunt. Ictum ergo illum sequuntur morbi naturales, suis doloribus stipati. Si enim tales res intrò in corpus missæ sint: iam doloris causa euidens est. Huiusmodi ictus seu morbi vulneribus à sagitta, aut sclopeti glande factis grauiores sunt ideò, quia nulla apparet apertio cutis, per quam glans aut telum extrahi iterùm possit. Sicut enim telum hamatum telis aliis ideò nocentius est, quia retrahi non potest, aut eximi: ita hîc quoque. Taceo, quòd quæ per modum talem intrò in corpus mittuntur, per se naturæ sint peioris & periculosioris. Priusquàm enim eximi possint, corpus ita inficiunt & labefactant, vt ad statum pristinum non facilè id reduci possit.

Spiritus subtilitate iaculando.

CAPVT IV.

SImplicioribus autem qui potestatem spirituum non rectè cognitam habent, hæc mira omnino & propriè incredibilia obueniunt. Christus enim dixit, *virtutes cœli commotum iri*. Quod idem est ac si dixisset: *si res cœlestes commouebuntur: vobis id super naturale videbitur.* Sed rem ita cognoscite. Sæpiùs fieri videtis, vt fures, qui furtum commiserunt, per sagas ad furti locum iterum adigantur, etiam nullo ipsorum contactu facto. Quorum si imago percutiatur, fures etiam læduntur ea sui corporis parte, quæ læsa est in imagine. Ea læsio fit etiam integra cute manente. Quomodo verò per cutem integram ictus seu traiectio fieri possit, ita intelligite. Corpus hominis ad spiritus sese habet, ceu murus aut paries. Per huncsine impedimento illi transeunt, nec quicquam est, quod ipsos vel includere vel excludere possit. Facilè ergo etiam non aperta cute hominem traiicere possunt, sicut liberè transeunt per parietem. Qua verò ratione stramen, aut aliud, quod eiaculatur, in corpus ingeratur, ex sequenti exemplo discite. Vt homo lapidem manu comprehendere, ipsúmque in aquam demittere, & dimisso lapide manum ex aqua iterum extrahere potest, ita scilicet vt lapis in aqua maneat, & foramen à manu factum, iterum coëat, vt nemo videat, quo loco manus immissa sit: sic pariter etiam intelligendum est, ipsum hominem respectu spirituum potestatis aquam quoque esse. Et quomodo se habet aqua ad hominem, ac homo ad aquam: sic inter se se habent etiam spiritus & homo. Sic ergo per contactum seu impressionem factam homo assequitur, quæ per tumores postmodum erumpunt aut manifestantur.

Imago ad furem fuisse ...

Homo quomodo lædatur, non læsa cute.

TRACTATVS VIII.

CAPVT. I.

PEr huiusmodi contactum maribus etiam sua virilitas adimitur, quando sagæ inter coniuges discordiam aliquam suscitare conantur. Quanquàm nonnullas etiam artes adhibeant, variis herbis vtendo, dicendo precatiunculas certas, pronuntiando quædam verba, nodos stringendo, & ceremonias alias multas vsurpando, quæ tamen vniuersæ superstitionum mater sunt, ex quibus ludicra illa & gesticulatoria principium suum desumunt, eò, quòd per illa talia fieri credantur. In hisce enim ceremoniis momenti nihil positum est. Nulla enim vis sita est in nodis factis: sed mali causa efficiens est contactus, quem à solo ascendente fieri oportet. Iam verò intrò is haud iaculatur, sed tactum facit intrò, quo resoluit renes, non aliter ac si piscator manum in aquam inferens, contactu prehensum piscem ita premeret, vt periret aut exspiraret. Eodem modo & Ascendens premit Ossa, & resoluit principium, quo violato, cæteri morbi omnes sese consequuntur, vt Hernia, vt Paralysis, &c. Tactus huiusmodi multiplices fiunt in infantibus, in iuuenibus, in senibus. Nec verò iam dictæ tantùm partes ita continguntur, verùm etiam Hepar, pulmóque, regionibus ipsis illæsis, velut & cor ipsum capsula geniali omnino integra. Hoc modo Maniacos etiam & furiosos faciunt homines. Superstitio autem hæc mera est, si dicatur, *tales cerebrum felis deuorasse*. Per hunc etenim prætextum Magia ipsa velatur & quasi excusatur. Tales plerunque sunt Asscendentes vetularum, quæ docent iuuenculas philtra propinare viris, quæ philtra componere discunt à suis Asscendentibus, qui nihil quidem veri docent, sed hoc potiùs satagunt, vt tali prætextu liberam contactus copiam habeant.

Virilitas quibus adimatur.

Contactus sagarum varij sũt.

CAPVT II.

HOc modo conciliantur amores, non quidem fine honestatis, sed turpitudinis. Quòd si inde coalescat matrimonium, nulla cōcordantia vtrinque sentitur. Quicquid enim huius moliuntur Asscendentes, per homines tanquam sua mancipia, id vniuersum odio finitur.

tur. Impetratur autem tale hoc modo, quia illorum Asscendentium quiuis suum hominem regit, ac ipsum odio & inuidia erga alterum inflammat, sicut ex exemplo sequente intelligitur. Ponamus enim coniuges hos vel illos placida ac gratiosa pace frui, & amore vndiquaque intaminato sese inuicem prosequi. Hos iam si interturbare, & maritum alio scorto implicare cupiat saga: primum superstitiones ceremoniarum aggreditur. Itaque pro norma illius falsæ fidei agit Asscendens, & conspirationem facit cum illius viri Asscendente, ita vt duo hi iam in alterius tertij damnum consentiant. Ascendens autem viri (cum is odio vel inuidia non vacet) inuidiæ huius occasionem arripit, & in ea radices agit. Atque si fors aliquando vxor veri amoris impulsu quid committat, quod procaculum & æquo libidinosius videatur: iam Asscendens inuidiam illam innatam stimulat, ac suggerit subindè, factum id haudquaquam probæ & pudicæ esse fœminæ. Hoc & similibus aliis incitationibus, impetrat, vt odium sensim & auersatio quædam inter innocentes illos coniuges irrepat. Si successit ita molimen, iam ex altera parte etiam maritum stimulat Ascendens, vt amorem extraneum quærat & conciliet. Hinc procationes, & variæ auagationes. Et hi nimirum Planetæ sunt illi, qui scortatores & meretrices faciunt, non Venus. Sed ad singula hæc quot modis fiant, describenda & explicanda vix multa papyri volumina sufficerent. Satis est scire, prædicto modo & ratione omnia in genere fieri, quæ ab asscendentibus tali casu suscipiuntur.

Scortationis quæ causa.

CAPVT III.

CÆterùm ad Sagarum opera spectat etiam ille congressus, quem sagæ, siue iuuenculæ, siue vetulæ faciunt aut patiuntur à Diabolo. Ita enim vulgus loquitur, Diabolum cum hac aut illa saga coire, ac rem habere. Iam verò Diaboli ea natura est, vt in omnibus pessima quæque moliatur, & quæ ipsi impedimento sunt, amoliatur. Sed tamen non is Diabolus est, verum est Asscendens, qui talia machinatur. Vt enim inter homines tam boni quàm mali reperiuntur, ita etiam inter Ascendentes. Ideò verò procatur Asscendens, vt semen naturale, per quod fœminis viri conciliantur destruat, & discordiam seminet eo modo, quo iam diximus. Porrò natura huius operis est, vt quantū quidem ipsum corpus attinet, ipsum naturale minimè, sed omnino præter naturam fit, nihil gignens, cum semen non habeat. Nihilominus tamen animalia spermata concurrunt, ex quibus generationes fœdæ fiunt. Huiusmodi Ascendens nonnunquam etiam in capram aut canem mutatur, hoc est, tale animal ingreditur, & medio seu vi istius Actum perficit. Hinc est, quòd à sagis iunioribus fœtus nascantur, formas animalium, ac figuras monstrosas alias referentes. Talia puerperia fiunt, si sagæ, pro communi prouerbio Germanorum in Bructerum commigrarunt aut prouolârunt. Quod idē est, ac si virgo prægnans ad thermas Badēses pergeret, & clā pareret. Eodē enim modo Sagę quoq; ad suas thermas commeant. Vnde res in prouerbium abiit, *Sagas in Bructero conuenire.*

Ascendens in coitu semen nō fundit.

Semen & sperma diuersa.

CAPVT IV.

FIt etiam interdum, vt salamita iste, præterquam quod in capras, anseres, alias feras se conuertat, nonnunquam etiam vmbrā induat, & homini erectè incedenti similem se præstet. Hinc dictitari solet, *Diabolum pedes habere anserinos aut caprinos.* Eiusmodi namque animalia Diabolo suum corpus accommodant. Præterea nonnunquam sibi ipsemet quoque corpus fabricat. Veluti figulus ex luto fingit imaginem: vbi materiam quandam cogit ac conficit, similem succubo aut Incubo. Quoniam autem talium instrumentorum motio voluptatem & libidinis pruritum ciet: ideò congressus iste pro vero & naturali habetur, licèt per compositum materiale rude tantum fiat. Formam hanc is congelat non aliter, ac videmus salnitrum in pura aqua congelari in formam vnam. Eandem formam coagulat etiam interdum per calorem. Si coagulatur, ardet vel vrit. Si congelatur, glaciei instar refrigerat. Ab vtroque autem locus putrefactus corrumpitur. Huiusmodi spectra interdum etiam ignita apparent instar draconum. Cuius rei hæc causa est, vt per splendores eiusmodi igneos prodantur, & damnentur, mortique addicantur, qui rei sunt, aut vt domus incendio conflagrent: aut vt in Bructero & locis aliis, eo formidabiliores appareant. Huiusmodi draco etiam edit, ac priusquam edat, simulat, quasi prius ipsi flandum sit. Quod eo fine facit, vt si à cibo feruentiore fors vratur, causam habeat, seipsum concutiendi, ac intra se quasi excandescendi, & veluti iratus scintillas eiiciendi, quibus exurat, quę vult, & quos destinauit, perdat.

Salamita &c.

Infernalium corpora indecentibus.

Draconei igniti quales sint.

Draconi mos in edendo.

TRACTATVS IX.

CAP. I.

SEd vt de Sagarum Natura & conditione tractatum persequamur, opus est, tradi etiam aliquid de arte illa, qua insidentes sagæ baculis aut furcis aut rebus aliis per caminum aut furnum euolant. Cæterùm hæc ars nulla est, quam tamen ipsæ artem putant esse, quæ talia præstet, si inuicem permisceant adipem felinum, lupinúmque cum lacte asinæ ac materiis aliis. Itaque huius artis ratio est eadem, quæ & aliarum. Tale enim quid si ipsis innatum est, facile illis est inungere furcas, quibus insidentes transuolent. Inficiari autem minimè possum, alios quoque, qui sub Asscendente hoc minimè sunt, prædictæ artis beneficio eodem modo volare posse. Vbi idem accidit, ac si quis alterius sortem patiens, idem tolerare cogitur, quod passurus erat is, cui malum intentatum fuerat. Cæterùm de causa huiusmodi volatus aut transmigrationis ita statuite. Ex superioribus cognouistis, Spiritus esse Salamitas seu amasias Sagarum. Vnde ipsos coire & conuenire necesse est. Hoc fit, dum ab asscendentibus illis deportantur ad ea loca, in quibus conuentus agitur. Talis locus inter cæteros etiam est Bructerus mons, in quo Sagæ & Asscendentes conueniunt, inuicem confabulantur, solitaria, nullo obstante, collo-

Sagæ furcis &c. insidentes volent.

Salamitæ amasiæ Sagarum.

Bructerus mons locus conuentus Sagarum.

colloquia agitant, & ea omnia tutò faciunt, quæ domi commodè non potuerunt, siue se se mutuò obiurgent, siue artes inuicem doceant & communicent, siue conspirationes agant, siue inuicem concilientur, & in gratiam redeant, siue vota faciant, siue fœdera inter se iungant, seu denique quidquid cuilibet libitum est, faciant, & ita veneficij sui malignitatemexerceant.

CAP. II.

Sagarum volatus ars non est.

IAm verò super furca facta vectio, ars haudquaquam est, sicut nec ars illa est, si Medicina ægrum sanat. Talem enim Medicina restituit, quæ ars minimè est. Sciendum est autem, artem esse id, quod vnumquoduis est. Itaque per caminum euolare ars non est. Qui enim sagas in Bructero versari vult, is illas vtique eò transportare necesse habet. Illa ergo transportatio à Spiritu fit, nec dependet à baculo, furca, adipe felino & aliis, quas res seu ceremonias fucatè spiritus permiscent, in quibus nulla aut vis aut virtus latet. Cæterùm illius transportationis hæc ratio est. Quemadmodum ventus borealis in meridionalem regionem perflans, pluuiam è terra attollit, eámque sublimem secum vsque ad locum definitum abripit: ita Spiritus etiam non nisi aër & ventus sunt, instar halitus ex ore manantis. Hoc vento Spirituum, sagæ ex imo in sublime sublatæ ac furcis insidentes, vsque ad locum, quem Bructerum nuncupant, traiiciuntur. Ventum talem nemo quidem videt. Sentitur tamen eius impetus, quonam vergat, ac per aëra illæ ferantur. Porrò, cur volantes sagæ, loqui aut retrò spectare non ausint, hæc causa est. Spiritus enim vocem seu sermonem humanum ferre non possunt, nisi is ad pacti leges quadret: quod in traiiciendo fieri nequit. Retrospicere non audent, quia ventus ille spirituum adeò violentus est, vt retrospectantes leprosos, aut alia vultus fœditate conspurcatos facere possit. Quanquam sermonis prohibiti hæc potissimum ratio vel causa sit, quòd metuant spiritus nominatum iri illum, qui ipsos condemnauit.

Sagæ cur loqui aut respicere non ausint.

CAP. III.

Exercitus furens quid.

OCcasione ex hoc sagarum volatu sumpta, explicandum nunc etiam esse videtur, quidnam sit exercitus furens. Est autem sagarum & veneficarum vniuersarum conuentus generalis, quo illæ inuicem congregantur, sicut turma ingens confluit ad encænia rusticorum. Sed & hoc præterea notandum est, Spiritus cum sagis specie Succubi & Incubi rem habere, quæ ob id impręgnantur; & fœdis monstris frequenter implentur. Sed cùm in propriis ædibus parere tutò non possint, emigrationes tales moliuntur. Sicut enim puella, quæ concepit, occultandi fœtus gratiâ ad thermas proficiscitur, donec partus eiectus sit: ita exercitus quoque furiosus quasi ad thermas contendit, ad quas Spiritus suas amasias perueniunt, ibique illas in vnum numerum congregant, abripientes illas secum per vepreta, per pagos, per orbes, per valles, per montes, donec easdem in monte Bructero deponant, vbi tandē illæ suos fœtus pariūt, & simul alia quoq; tractāt. Sicut enim Ordo vniuers. ad capitulū (vt vocāt) aliquod cōuocatur: ita exercitus quoque furiosus ex variis regionibus concitur aut cogitur, vel ob dictas aliquas prægnantes sagas ibi parituras, vel ob alia Magica ibidem tractanda & deliberanda. Omnes autem sudibus & furcis vectæ illuc confluunt, quo à suo veredario coguntur. Vbi conuenerint alicubi, Ascendentes ante se illasdem agunt seu propellunt, non secus ac ventus effusas ex sacco plumas abripit, & sub impetu propellit. Eodem enim modo & Sagæ turmatim prouolant, sed semper noctu. Interdiu enim tale nihil agitur, quia Spiritus nocte gaudent, quæ talibus gerendis omnium aptissima est.

Spiritus nocte gaudent.

Reliqua huius libri desiderantur, puta Caput IV. & conclusio.

FRAGMENTVM LIBRI DE DÆMONIACIS ET OBSESSIS.

Deest hîc totus ferè Prologus.

de quibus nihil traditur. Vsque adeò enim ista hominibus incredibilia obueniunt, vt sine addito Christi testimonio nemo facilè illis fidem addicere possit. Opera quidem præstò sunt, quæ videmus. Difficile autem est homini iudicare de illis, quæ non intelligit. Nec ipse sibi etiam præsumere potest, talia se intelligere. Res enim eiusmodi Naturæ limites transcendunt, nec à carnali sensu citra illuminationem supernam capi facilè queunt.

LIBER THEOPHRASTI DE OBSESSIS ET DÆMONIACIS.

TRACTATVS I.

HOc loco similitudo primum Naturæ breui tractatu expedienda est, quî scilicet in hominibus nascantur Diaboli, idque sensu Naturali. Explicatu námque difficile est, quo pacto Diabolus in hominem ingrediatur. Longè autem creditu grauius id est, licèt verum sit, ac reipsa fiat, quod stramen, fila, carbones, lignorum ramenta, &c. in hominem ingerantur, cute corporis salua tamen & integra manente. Quòd si ergo corpus ingredi potest res corporea: multò magis res incorporea illud penetrare poterit. Hoc admirandum meritò est, quòd vnà consistere possint Spiritus hominis & spiritus ipse Sathan, cum homo tamen nondum damnatus sit, damnatus autem & maledictus iam pridem Satan sit. Duo hi Spiritus etsi aduersi sibi inuicem & contrarij sint, vna tamen cute includi, vno loco cohabitare, vno modo colligari debent. Res ita intelligenda venit. Diabolus reiectus & in æternum maledictione damnatus, eóque redactus est, vt non ampliùs Angelus, sed Satanas & malus genius sit. De homine contra tenendum est, ipsum desumptum esse ex Limbo, & talem mansisse, atque in Paradisum collocatum esse. Talem autem is sese in Paradiso gessit, vt ex ipso per Angelum gladio igniro eiiceretur. Expulsio hæc quidem quadamtenus similis est

Spiritus hominis & Satanæ cōtrarij

Homo ex Limbo &c.

eiectioni illi, qua Lucifer cœlo exturbatus fuit. Propter hanc expulsionis similitudinem iam fit, vt spiritus hominis & spiritus Luciferi facilè coire, & in vno aliquo conuenire possint, sicut in vnam societatem coëunt multi eiusdem factionis & instituti.

Hoc tamen loco notandum est, ipsum hominem haudquaquam ideò orbatum esse suo sanguine & carne aut vita, sed loco tantùm, ad quem reuerti non potest. Hæc ergo eiectio vera non est, sed tantùm repressio quædam seu interclusus reditus, durans ad tempus Gratiæ per Christum restitutæ. Per hunc homo iterum liberatus est ab expulsione, & maledictione hanc secutâ, quæ fuit ista. Laborem manuum tuarum manducabis. Item, in dolore paries filios tuos. Hæc tamen vniuersa ad vitam conducent, non ad mortem, quandoquidem liberati sumus. Lucifer autem liberatus minimè, nec in redemptionem hominum consors adscitus est. Redemptio námque non ad spiritus, sed ad filios Adæ ac Euæ spectat. Et secundùm hoc differunt Homo & Lucifer. Ad hominem pertinet redemptio, ad Luciferum damnatio.

Homo & Lucifer quo differat. Redemptio Christi ad quos pertinet. Homo & Lucifer quo conueniant.

Porrò, cùm similis perpetuò simili gaudeat, idem hîc quoque fieri hoc pacto attendi debet. Lucifer expulsus est cœlo, hoc est, de possessione seu solio suo hæreditario. Homo eiectus est è Paradiso, habitatione illi destinata. Vterque autem proprio suo merito. Iam similis simili concurrit, extorris extorri, & vterque Dei indignationẽ subiit. Hoc pacto socij fiũt Satanas & Homo. Sed præterea, Homo consors est redemptionis, non item & Lucifer. Per hoc ergo adimitur Lucifero potestas in hominem, qua se illi similem iudicare, aut vnà cum ipso habitare posset. Et tamen quia inuicem similes, & vtrique reiectitij & præuaricatores sunt, simul vnà habitare possunt. Ab homine interim Satanas recedere denuò cogitur, quia homo redemptionis consors est, quasi Deus vtrique hisce verbis loqueretur: Vtrique vos extorres, & à vestro hæreditario bono eliminati estis. Vnde pati possum quidem, vt consortio vno ligati, veluti præuaricatores in vna cute, in vno cerebro commemorari & conuersari queatis. Verùm tamen hominem per filium meum redimam, non etiam Diabolum. Quod si ergo eueniat, vt homo à malo Spiritu obsideatur, ingressum hunc ipsi præcludam, & ipsũm eiiciam, meæque adeò misericordiæ memor ero. Hoc ergo modo, etsi Homo & Diabolus quidem conueniant, & in vno eodémque simul habitare loco queant: rursus tamen ex homine exire cogitur Spiritus ob dictam modo causam, quia nimirùm homo per Christum liberatus & redemptus est. Itaque etiam sub illius mentionem Diaboli ex hominibus secesserunt eâdem hora, tam in nouo, quàm veteri testamento. Et communio illa seu consortium æternum non est, sed in terra hac finitur.

Hactenus ergo satis causarum, ex ipso Naturæ lumine depromptarum explicatum est, quatenus nimirùm Spiritui per hominem loquendi potestas data sit. Ex quibus id per similitudinem fieri colligi potest. Etsi verò prædicta ratione similes inuicem sint, duo tamen diuersi sunt Spiritus Hominis & Luciferi. Quo ad carnem, descriptione non eget, cur Diabolus in carne, in corpore, &c. sit. Non enim in corpore aut carne is habitat, sed in ipso hominis Spiritu. Quod ita accipietis. Spiritus locum nullum obsident. Vnde in re corporali nulla versantur, sed in suo tantùm regno, hoc est, sedem incorpoream occupant, ideò carnis hîc nullus respectus est. De Spiritibus agitur, non de carne, non de sanguine. Iam disserendum est de eo, quo pacto res duæ, hoc est, duo illi Spiritus res fiant vna. Hoc est, res vna, sed non in vno. Ita videntur duo vnum esse, quæ tamen duo sunt. Conueniunt autem duo ista & coniunguntur ita, vt non in omnibus sint hominibus, sed in aliquibus tantùm. Cur hoc, aut qua ex causa non in omnibus? Elegit nimirùm sibi Deus certum numerum, & alios huc, alios aliò destinauit. Diuersi isti greges omnes si conueniant, perficiuntur & complentur omnia, hoc in illo, istud in alio. Nec enim in vno aliquo solo vniuersa simul perficiuntur, sed sua cuilibet vocatio est, cui parere, ac sibi à Deo destinatam crucem ferre cogitur. Quòd si quiuis suæ crucis patiens Christum ita sequatur, à malis liberatur, quæ ipsum aliàs damnare poterant, vt obsessos. Quorum similitudine qui moritur, is eandem cum illis sortem habet. At qui Christum sequitur, is ab eodem in extremis angustiis liberatur.

Spiritus non [illegible] animam occupa[illegible].

Christo [illegible] sequentes.

Sed iam dicamus aliquid de conuentibus. Qua ratione conueniunt vermis & nux Auellana, ita hoc exemplum propositæ rei accommodabimus. Nux auellana est integra, minimè perforata, nucleum bonum & sanum à Deo creatum intus condens. Iam verò vsus dictat, in nucleo illo, suo putamine integro obducto, aliquando nasci vermem. Huius conuentionis causam inquiremus. Frutex nucibus refertus, quando percutitur grandine: tum quotquot nuces feriuntur, tot etiam verminosæ fiunt. Cæteræ immunes abeunt, & bonæ manent ac electæ. Illæ alteræ ad læsionem hanc videntur esse destinatæ. Porrò ictus quidem ille seu plaga corporaliter non ingreditur aut penetrat, sed ambitum corticis tantùm feriens, putamen ipsum minimè frangit. Et tamen videmus, ipsum quoque nucleum intùs oblædi, & à læsione illa semen vermis concipere, vnde tandem vermis emergit. Iam ergo vno & eodem cortice includuntur vermis & nux. Nam vt alias quoque fieri videtis, fulmen gladium comminuere ipsâ vagina nihil læsâ: aut penetrare cistam occlusam, omni eius extremitate illæsa quidem, sed contentis & inclusis omnibus adustis: sic idem hîc quoque contingit. Hæc omnia naturalia sunt, & naturali modo fiunt. Quanto magis autem apud homines sedem seu habitationem sibi parare poterunt Spiritus, qui quidem tali modo vt penetrent, non opus habent?

Vermis vnde in nucibus.

Fulmen gladium frangit, sed [illegible] [illegible].

Et planè sciendum est, huiusmodi ictus modis multis fieri, vt hinc miram & arduam redemptionem à Christo factam rectiùs intelligamus, videamúsque quàm arcta obsidione nocen-

Obsid[illegible] [illegible]

nocentissimus noster aduersarius Diabolus nos cingat, & quantopere à Christo defendamur, etsi Diabolum in nobis videamus, audiamus, & sæuos eius mores, gestus ac terriculamenta verè persentiscamus. Vnde colligere possumus, quàm miseræ & ærumnosæ creaturæ simus, postquam ex Paradiso eiecti, Satanæ facti similes sumus. Denique agnoscere possumus, quã truculentus is sit, cuius nos mancipia futuri eramus, & quam in nos exerciturus is sit tyrannidem, si non auxilio diuino protecti viueremus. Hæc enim omnia docent nos penitus damnatos fore, si Christus sua morte nos non asseruisset. Et Spectacula huiusmodi Deus nostris oculis exhibet, vsque ad diem nouissimum, ex quibus nosmet ipsi nosse discamus, simúlque sciamus, Christum in terra ambulantem Dæmona ex hominibus eiecisse, vt testatum propalam faceret, se Diabolorum victorem & domitorem esse. Quòd si Christus olim quidem talia miracula operatus fuit: vtique & hodie similia faciet. Si enim nulli cœci, nulli infirmi, nulli obsessi essent: qualianam Christus signa fecisset, nemo iam sciret. Ex illis autem vel dum hodie durantibus notum fit, quanta miracula Christus fecerit, qua charitate nos complexus sit, qua potentiâ, quãta Maiestate Deus ac Redemptor noster defensionem & protectionem nostram exeruerit.

Diabolus saeuus hominis hostis.

Christus Diaboli victor.

Cumprimis autem sciendum hoc notate, quod Angeli mira & illibatissima castitate, puritate, & probitate omni splendore suo excellentiùs & illustriùs ornati sint. Exempli gratiâ, de Sole dico, ipsũ esse Angelũ. Iam videtis, quàm admirando & illustri lumine Solem Deus donarit. Et tamen iste splendor seu lumen Angelorum modestia & castitate longè inferius est. Hoc iam exemplum accommodare Lucifero. Is factus erat lumen & radius omnium virtutum. Cæterùm per lapsum illius splendor iste vniuersus in tenebras conuersus est. Mores autem ac virtutes eius in longè tetriora vitia degenerarunt quàm tenebræ sunt, si conferantur ad lucem. Eodem modo de homine statui debet. Is à Deo creatus & in Paradisum collocatus est pulcherrimus, sanissimus, purissimus, & integerrimus. Violato a. Dei mandato, ista illius pulchritudo in statum miserrimum degenerauit, in claudicationem nempe, in cœcitatem, in lepram, in scabiem, deniq; fœditatem quamcunq;. Præterea & mores eius, gestúsq; ac virtutes factæ sũt belluinæ, impuræ, adulterinæ, aleatoriæ, potatoriæ, ita vt homo quouis bruto factus peior sit. Quòd si ergo per ictum seu impulsum grandinis (nam prioribus hoc iam accommodamus) Spiritus conueniant, iam ipsimet cogitate, quidnam impuritatis & fœditatis simul incidat, quã incóditos & terriculosos gestus obsessi edãt, quã bardos, quã spurcos, quã pecuinos sese gerãt. Tantã namq; feritatem & fœditatem induunt, vt mores eorum agrestes, brutales & asinini vix omnes aut cogitatione concipi aut calamo describi possint. Diaboli nãmque natura omnium spurcissima & fœdissima est, ita vt grauior & pestilentior nulla excogitari queat.

Angeli sunt purissimi.

Homo quis ante & post lapsum.

Obsessorum mores iniqui.

Diabolus spurcissimus.

Sed his ita commemoratis, Philosophiæ cursum iam inhibeamus, nec ipsius naturæ lumen æquo latiùs extendamus. Nec enim per hoc alia dictantur, quàm quæ terreno sensu intelligi possunt. Quoniam verò Deus nobis & hominem Christum, & cum hoc verbum suum, & præterea illius verbi intellectum largitus est: ideò deinceps tractatus secundus adornabitur, quo proponetur doctrina Christi, quid nempe de spiritibus nobis sciendum & sentiendum sit, vt nimirùm ita intelligamus, quidnam in nobis illi operentur, aut quo pacto nobiscum conuersentur. Et talia quidem scire homini cumprimis vtile est. Horum enim si ignarus sit: qui quæso hominem: qualis sit, cognoscere queat? Quidue refert, hominem perpetuò talia admirari, &, quî fiant, ex solido fundamento nunquam perquirere, sed obsessos obiter & secundum superficiem obtueri, sicut mutus disertum & facundum adspicit? Gratum enim id Deo nostrum studium est, si ipsius opera & magnalia seriò contemplantes, veram illorum notitiam hauriamus, nec apertis oculis cæcutiamus. Vsus enim oculorum is à Deo datus est, vt Christum & ipsius verbum studiosè intueamur. Oculos námque te habere, tua crux est. Tua crux est, habere manus pedésque. Tua crux est, te esse formosum & sanum. Illa ergo humeris imposita Christum sequere, non meretrices, non aleatores. Ita saluus fies. Obsessi autem homines documento sint vobis, quidnam per illos nos Deus commonefaciat. Hic dormitandum & supinè oscitandum non est. Illi vobis pro speculo sint, vt discatis & ipsi portanda cruce Christum imitari. Sic fiet, vt ab omnibus malis liberemini.

Magnalia Dei diligenter consideranda.

Obsessorum cõsideratio quo faciat.

TRACTATVS II.

CAPVT PRIMVM DE ALLEGATIONIBVS EX QVATVOR Euangelistis.

Et primò ex Matth. 8.

Vespere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes: Et eiiciebat spiritus verbo, &c.

SICVT paulò antè diximus, homines à Diabolis obsessi sunt, vt ita suam crucem circumferrent. Nam hæc ipsorum obsessionis causa fuit. Fas autem est, nos crucem nostram dorso imponere. Illa enim vsque adeò grauis & ponderosa est, vt non nisi cum conatu graui portari possit. Dorso ergo illa sustinenda, & post Christum ita baiulanda est. Hæc a. obsessorum baiulatio admodum laboriosa & ærumnosa est. Quod enim iugum ponderosius malo spiritu nobis imponi possit? Quid vspiam ipso grauius est? Quia ergo sub onere illo seu iugo propè conciderant, adducti ad Christum fuerunt. Quicunq; etenim Christum secuturus, crucem suam ipsemet portare non potest, is ad vnum deduci debet Christum: sicut obsessi, vel à seipso, vel per alios, quos aliquis charitatis amor remouet. Etsi enim non ipsimet obsessi ad

Iugum intolerabile Diabolus.

Christus omnes redimit. ad Christum supplices venerint, sed per alios adducti fuerint: tamen eosdem Christus à Dæmonio liberauit. Quicunque námque crucis suæ patientes ad ipsum ducebantur, eos omnes liberauit, & hoc vniuersum suo solo verbo perfecit. Verbo autem solo aliquid perficere, singularis dominij ac potestatis est aut imperij signum in alios. Et hoc pacto Christus se Dominum & domitorem dæmoniorum professus est, non secus, ac seruus subiugatus est suo hero, vt ad omnia illius iussa capessenda promptum sese præstare cogatur. De verbo ergo Christi nemo admiretur. Locutus enim ad diabolos & malignos spiritus est, instar Domini imperantis suo seruo. Et vi quidem illius verbi cogebantur etiam Diaboli Christo suo Domino parere, &, quæ mandârat, obsequi. Admodùm autem ægrè Christo quidem illi obsecundabant: & tamen Domino & Deo suo vel inuiti cedere cogebantur.

Christus victor Diaboli.

Præter principium & finem, reliqua omnia huius secundi Tractatus desiderantur, octo nimirum circiter paginæ.

Obsessi cur spument. * Quòd spument obsessi, causa ipsa est, quia Satanas obsessis hominibus tanta anxietate & dolore sese ingerit, vt spumam tam ex ore quã naribus illi emittant. Et spiritus isti insuper quandam epilepsiæ speciem in hominibus suscitant. Qui spiritus, cum non homines, sed spiritus sint, hominum more, etiam paroxysmos pati non possunt: sed quantum morbi sustinent spiritus, tantum hîc exerunt. Nam & ad conspectum Christi spiritus ille terrore & anxietate ita percussus fuit, vt vi prædestinati sui morbi caderet, & in humo sese volutaret. Sicut enim caduco obnoxius à terrore sternitur: ita idem hîc quoque factum est. Et hoc sensu verba Marci intelligi debent.

Caducus à terrore

Ex his, quæ de malignis spiritibus iam diximus, acta Christi, in conspectu discipulorum designata, æstimanda sunt. Quæ nisi tanta perspicuitate à Christo nobis manifestata essent: quis vtique mortalium de eiusmodi rebus tractationem vllam suscipere auderet? Hoc omnino verum est, & vel ipso Euangelio attestante constat, Diabolos obsidere solere homines. Philosophando itaque pergendum, & vt incepimus, tota obsessionis historia à nobis pertexenda est. Tractatus autem tertij loco pro fine historiæ addemus etiam sanationem seu curam, quam in Euangelio quidem præscriptam legimus. Nullus enim alius medicinæ liber, nullus auctor, nullus Philosophus alius hîc locum habet præter vnam Christi doctrinam: quæ omnibus Medicis etiam hoc casu acceptanda & vsurpanda est.

TRACTATVS III.

Conclusio.

QVandoquidem ergo hactenus demonstratum est, ab immundis spiritibus homines omnino obsideri, & mirè torqueri angique: iam hoc ipsum disputatione longiore excutiendum minimè est. Deo enim sua prædestinatio nota est, quæ omnes vniuersim homines latet. Quæ námque prædestinata sunt, ea (vt ita dicam) actuantur, & eueniunt. Quicquid tamen huius sit vel fiat, pro cruce omne habendum est, quæ post Christum ferri patienter debet, hoc est, à Christo nobis tradita doctrina rata habenda est. Crux enim prædestinatio est, & prædestinatio crux est. Crucis autem liberatio vbinam est aliàs, quàm apud Christum? Et crux naturali medicinæ minimè subiacet. Sic lepra leprosi crux est. Et crux hæc ipsius est prædestinatio. Itaque Medicus hîc nihil prodest, quia morbus iste medicinæ haud subiectus est. A lepra ergo qui mundari velit, is eam pro cruce sua gestet, humeris impositam, & ita Christum sequatur, qui solus eum mundare potest. Vnde liquet, obsessum opus non habere, vt ad Medicum pergat: sed si cruce sua humeris suscepta Christum sequatur, liberabitur. Iam si Christum sequi velit, necesse est doctrinam eius accipiat, & secundùm illam se gerat. Hoc si propter obiectum ab obsidente spiritu impedimentum non possit præstari ab ipso obsesso: præstabitur vtique à charitate proximi. Ex quo iam colligi potest, Christum nobis medicinam triplicem reliquisse. Ex quibus omnibus sumet vnam, qui Christum imitari volet. Ita enim is vult Diabolum ex homine eiici. Sicut enim Deus pater in Adamo naturales morbos creauit, & his etiam naturalia remedia opposuit: ita dicere etiam possumus, sume tuum morbum, & Deum patrem sequere, hoc est, quære medicinam, qualem is creauit. Simili etiam modo dicere licet: sume tuam crucem & Christum sequere.

Prædestinationis vis quanta.

Crux quomodo tollatur.

Christum sequi quid.

Tres omnino medicinæ sunt ad quæ nos deducit Christus. Vna posita est in potestate quam dedit Apostolis, dicens: *Potestatem vobis do eiiciendi dæmonia ex hominibus.* De hac potestate nihil disputandum aut argumentandum est, sed credendum omnino est verbo Christi, illos nimirùm, qui hanc à Christo potestatem acceperunt, citra omne impedimentum spiritus ex hominibus eiicere posse. Nec vero hoc soli 12. Apostoli possunt, sed insuper quiuis alius, si mandati & priuilegij id à Christo accepit, sine quo mandato nihil fit, aut fieri potest. Remediũ alterum positum est in *Precatione.* Nam cum omnes nostri morbi, omnis crux à Deo manet: in ipsa desperandum vtique non est, sed conuenit, vt Christum sequamur. Sic fiet, vt ante finem nostrum eripiamur ac liberemur. Si liberari velimus, necesse est id fieri, per hoc medium, quod Christus ipse docuit, nimirùm vt in *Preces* spem ac fiduciam firmam collocemus, per quam oratio cordis à Deo exaudiatur, nósque voti compotes facti à malignis spiritibus liberemur. Dei enim hoc verbum est: *Orate & accipietis.* Huic vnicè fidendum & credendum verbo est. Si secus fiat, omnis oratio inanis oris sonus ac halitus est. Tertiam medicinam ponit Christus ieiunium. Iam verò ipsum hominis ieiunium per se adeò efficax non est, vt per id diaboli eiici possint. Vis tamen illa ieiunio datur à dicto & mandato Christi. Quis maior & peritior est Christo? Itaque hîc nulla disputatione opus est. CHRISTI námque verbo aduersari minimè decet. Si Deus lapidibus herbísque vim magnam indidit: verbo suo vtique & ieiunio vim eandem conferre poterit. Ipse enim Deus & Dominus est.

Medicamentorum obsessorum triplex.

Ieiunium vnde efficacia fiat.

Cùm ergo triplicia à Christo nobis proposita remedia

remedia sint, *Potestas, oratio & ieiunium*: euidens iam est, horum aut tria simul coniungi, aut duo tantùm, ieiunium scilicet & orationem, aut denique vnum solùm eligi posse. Si coniungantur omnia, nihil refert. Si vnum seorsim eligatur, vel sic iam mandato Dei satisfit. Quorum enim cunque fiat, id ex toto corde, & in nomine Domini fit. Sed iam de triplici illa medicina, quomodo intelligenda veniat, differendum est. Nam penes potestatem irrepsit error quispiam ac fraus hoc modo. Misit suos discipulos Christus cum potestate, ex hominibus dæmonia eiiciendi. Id factum est. Surrexerunt autem vnà etiam falsi Apostoli, qui idem conati malo successu sunt. A Deo enim ipsi vim liberandi à spiritibus homines minimè acceperunt. Hâc ergo viâ delusi, processum alium machinati sunt per orationem, per ieiunium, per potestatem, & coniurationibus additis homines liberare attentarunt. Per has Diabolus se quidem abigi simulauit, sed hoc tantùm. Nouerant Pseudoapostoli, Apostolos veros in solo nomine CHRISTI dæmonia eiicere, dicentes: *Exi maligne spiritus in nomine Christi.* Et sic factum est. Vnde & ipsi eadem quidem verba adhibuerunt, sed eundem successum minimè experti sunt. Aliâ ergo viâ incedentes, addiderunt orationem, multiplici varietate. Postea coniunxerunt etiam ieiunia, definitis diebus instituta. Sed nec quidem, quod voluerunt, impetrârunt. Denique addidere etiam adiurationes, iterantes subinde: *Adiuro te Diabole exi ex homine, &c.* Adiurare autem nemini licet, nisi qui potestatem hanc à Deo accepit. Hæc iam illa fraus est: quam pararunt adiurando. Iniquum enim est, talia fieri & institui sine mandato Christi, & processu ab ipso monstrato. Reuera enim Diaboli, quos illi expellunt, loco non cedunt, vt multi putant. Nullos námque obsessorum integrè liberatur: id quod longè abest à Christo. Taceo, quod & alia posteriorib. sæculis adhibita fuerint, velut *ossa, diuorũ reliquiæ, &c.* Cæterũ quæ remedia hîc Euãgeliũ proponit, illis acquiescẽdũ est. Quãtũ verò ossibus, reliquiis & similib. tribui debeat, in libro de mumia humana traditur.

Vt autem de potestate dicere pergamus, necesse est, illam immediatè ex Christo defluere, quasi (vt olim discipulis) hac ipsa is horâ nobis diceret: *Potestatem tibi vel vobis do eiiciendi Demonia ex illis, quibus manum imponetis.* Et licèt ipse quidem Christus incoram corpore seu ore suo id mandet: præstò tamen est vox eius, quæ efficax est in operante Apostolorum exemplo miracula. Itaque nemini ea concedenda potestas est, cui illam non concessit Christus. Penes hominem enim eius conferendæ ius aut vis non est posita. Deinde quoad precationem, quænam ea sit alia, quàm quæ à Christo ipso præscripta est, nempe *Libera nos à malo?* Quæ oratio si ex serio corde profluat, instar obsessorum illorum ante Christum stantium, liberatio omnino succedit. Et quilibet apud se statuat, ante se stare ipsum Christum, quem adoret, sicut factum est tempore Christi ambulantis in terra. Duorum ergo alterum nempe potestatem, relinquo iis, quibus illam Christus dedit. Alterum nempe orationem, committo cordi, vt Christus docuit. Nec enim in multiloquio & inani garritu, sed in cordis iustitia & fiducia vis orationis posita est, quam homo quidem in seipso æstimare poterit. Cæterùm ieiunij hæc est conditio, vt plurimum quidem id valeat ac præstet: sed vnde id fit, humana peruestigare ratio non potest: Ieiunando corpus quidem sanum & alacre euadit, & quiete vegetatur, ac vita producitur, quæ ex ipsa natura pendet. Quòd verò per idem etiam eiiciatur Diabolus, à verbo Christi dependet illa virtus, quæ pœnitente vita roboratur. Sic Niniuitæ cùm ieiunarent, liberabantur, quia simul pœnitentiam agebant. Et pœnitentiæ vis inest, Diabolum, hoc est, nostram crucem auferendi. Peccatáque nostra causa sunt portandæ crucis. Peccatorum autem crux per pœnitentiam subleuanda est, qua eo vsque dolemus & ingemiscimus, vt hoc pacto in gratiam Dei recipiamur, & vis verbi diuini ita confirmetur. Nam si peccata nobis remittuntur in terra, quoties ingemiscimus, nempe septies septuagies: peccatorum vtique condonatio omni dæmoniorum expulsione pluris erit. De tali ergo ieiunio loquimur, quale instituerunt Niniuitæ quod doloris, contritionis & conuersionis plenum est, per quod cor nostrum sursum ad Deum ascendit & eleuatur. Huc ergo non facit ieiunium Christi in deserto, aut etiam Ioannis. Hoc enim minimè erat cum pœnitentia tali, qualem habebant Niniuitæ. Christus námque & Ioannes peccati expertes erant. Quòd si pœna nostra morbíue, ac Diaboli propter peccatum tantùm immittuntur: ieiunium Niniuiticum requiritur. Proximi ergo est officium sic cogitare spiritum illum, quem habet alter, ad nos nihil minus pertinere, quàm ad ipsum obsessum: adeóque fas esse, vt de illius simul & nostris peccatis doleamus, & ieiunium Niniuiticum instituamus. Nihil enim satietas expedit: nec satur vllus exauditur, sed ieiunus: insuper etiam nullum ieiunium interni cordis oratione vacat.

Porrò autẽ etiã cõuenit allegorias Christi probè explicari, vt verbũ Christi rectè intelligat'. In illo enĩ veritatis fundamẽtũ omne positũ est. & præter illius ductum ex fonte alio philosophandum nihil est. *Cætera huius libri desunt.*

Oratio quæ bona.

Ieiuniũ quod verum.

Chr. & Io peccati expertes.

Adiurationes illicitæ.

Potestas eiiciendi dæmones à solo Christo.

FRAGMENTVM LIBRI DE SOMNIIS ET EVNTIB. IN SOMNO.

Principium huius libri deficit.

CÆterũ vt deinceps pertractemus de eũtib. in somno & in sõniis: sciendũ est, ipsi' itionis seu ambulationis cãm, citra angelos, in nobismetipsis positam esse, velut in nobis etiam cõsistit causa somniorũ. Quòd si tamen in actũ deduxerim' cũ itionẽ tũ insomnia, tunc accedens angelus officio suo fungitur custodiæ tam diurnæ quàm nocturnæ. Quod ita intelligi debet. Nimirùm dies lucet. Mihi autem causa dat', cur surgam, & eam. Itaque surgo & eo. Hoc ipso momẽto præsto meus mihi est angelus, subleuans me & ducens virtute Dei. Eodem modo si dormiã, & spiritus mihi surgendi & eundi cãm suggerant, iam iterũ præsto est angelus, ducẽs me & dirigens, qui diceret. *Videte verò ô mortales,*

Noctambulonũ quæ ratio.

quam fideliter dormientes vos Deus custodiat, vt pererretis & scandatis loca incredibiliter sublimia, & periculi plenißima, quæ vel vigilantes nullâ vsquam industriâ exsuperare & examlare possetis. Quòd si ergo Deus ex somno à natura aut spiritibus exuscitatos & ad ambulationem compulsos vos tam nauiter custodit & tuetur: multò magis id faciet vigilantibus de die, & scientibus corpus hoc, quod ambulat, simile esse ac dormiret. Sic se res cum somno habet. Pono te vigilare, & multa agenda tibi proponere. Iam oggerit tibi vigilans insomnium, qualia per naturam iugiter fiunt. Somnium illud non nisi lacessitum cietur, h.e. nisi negotium tractes, quod cautione opus habeat. Tunc admonitor accedit, qualẽ tuâ ipsius causa foues. Is somniũ tibi proponit, ad quod singulis horis attendas, aut iugiter specularis. Quòd si verò ĩterdiu pro corporis laborib. aut senio & similib. res illas non intelligas ob infirmitatem aut naturę ruditatẽ: iam causã in somno præbes, vt illa tibi obuersentur. Ea deinde natura non amplius dominãte, sed dormiente & quiescente, tunc custos admonitionem tibi obiicit illam, prout credis, aut admoneri desideras, aut purus & impollutus es. Hoc modo vnum semper mouet alterũ, h. est, ambulatio mouet ducentem angelum. Opera impertinentia mouent angelũ custodientẽ. Et quales sumus ipsimet talia nob. eueniũt. Sic, quotnã passim sunt, quę frangunt verticem aut dorsũ? Huius quæ causa? Cura leuis & negligentia, qua Deũ nõ magnifacimus. Hæc talium euentuum causa est. Idem etiam circa insomnia euenit. Quæ qualia animo præconcipiuntur, talia apparent dormientibus. Ideò diligendus ante omnia Deus est, & quærendum ipsius regnum & iustitia, & cætera omnia adiicientur nobis, nec quicquam nobis defectus aut erroris & periculi offeretur.

Somniorum quæ ratio?

Fortè hîc quædam desunt.

Nisi enim angeli essent, quis quæso hominem adeò custodiret & seruaret, vt citra læsionem dormiens ambulare posset? Is enim vel vigilans tot subinde à malignis spiritib. noxis malisque impetitur, vt, nisi à Deo custodiretur, vix vllum tutum gradum prolaturus esset. Et nemo opinetur, Diabolum feriari. Insidiatur enim singulis momentis vitæ nostræ, & corpori, dolens nimirum, nos in gratiam receptos esse, se turpiter excluso. Hæc causa est, cur nunquam ferietur, quem tamen Deus ligat, nos tuendo. Si interdiu à Deo tuti asserimur: vtique & nocte. Quod si interdiu, vigilante corpore maniacos nos factos Deus custodit, etiã omni ratione orbatos aut si obsessos etiam, in quib. spiritus malignus ipse dominatur, ita tuetur & asserit, ne à Diabolo iuguletur: vtiq; & in sõno is nos custodiet, vbi quæ nobis eueniãt planè ignoram². Sicut n. in corpore Physico morbos sustinemus: ita etiã in animo, non quidẽ materialiter sed spiritualiter. Hîc in somno surgimus mania sõnij affecti, sicut surgunt, qui mania cordis laborãt. Hîc mouem², caduco sõnij laborãtes, nõ secus, ac qui caduco laborãt corporis. Quę nõ de hisce duob. tãtũ morbis intelligi volumus, sed de omnib. etiã illorũ specieb. & similib. aliis. Et ratio vna est in somno & in corpore: sed duo tamen subiecta. Quod si ergo vi talis morbi homo surgat & ambulet, dubitari non debet, quin malignus spiritus accedat, & hominẽ præcipitare quærens eũ ita ducat vt circa fenestras obrepat, & tecta sublimia scãdat, aut in erectis sudib. palisq; obãbulet. Sic n. fore cogitat Satanas, vt ambulãs ita alicubi impingat, cadat, & occidat². Per accessorios huiusmodi spirituales impulsus talis æger multò longiùs producit², quã à morbo ageret² naturali. Admirãdis n. modis viisq; scãdũt & ambulãt, quod nemo vigilãs industria & conatu vllo præstare posset. Interim tamẽ malignus spiritus, boni angeli nescius, voto suo frustrat². Huius n. institutũ ne succedat, angelus præseruat & cauet. Hîc n. assiduè nobis astat, velut & Diabolus. Sic nullus est tignarius, nullus nauta, nullus scãdularius &c. muneri suo vacãs, cui diabolus dãni aliquid obtrudere nõ annitatur. Quod tamẽ vniuersũ à spiritu auertit² benigno, vt secũdũ rationẽ & officiũ scãdẽti nullũ malũ accidat. In somno autẽ scãdere & ambulare, naturalis potentiæ non est, quia somnus motui obstat. Et tamen præsens bonus angelus damni multò plus auertit in dormientib. quàm vigilantibus. Vigilanti enim ipsi iam ante mandatum est, vt sui curam gerat, seque ipsum custodiat prouidentiâ rationis à Deo illi datę, præter quã insuper homo etiã protectorẽ Deũ & bonũ Angelũ habet, quib. ceu comitib. stipatus tutò & securè ingreditur. Hoc se ergo modo res habet in somniantibus, & per somnũ ambulantibus, ceu modo declarauimus.

Deus hominis custos.

Diabolus hominis hostis.

Mania & caducus duplex hominis & corporis.

Noctambulonis [illegible]

Noctambulonis custos Deus & Angelus.

Præter hactenus autem dictos sunt etiam, qui in somno loquuntur, confabulantur, aut canunt, & similia alia agunt, & id vel scientes, vel nescij, qui se interdum ipsi vel produnt, vel sua facinora effutiunt, &c. Horum hæc ratio est. Compertum nimirum vobis est, hominum esse genus quoddam, quoddam, qui planè nihil celare possunt: contrà alij omnia reticent. Et huiusmodi silentium aut garritus dependet ex generatione & natura hominum. Si homo continere nihil potest, omnia elabuntur, vt industria eius nota fiat. Taciturni autem multi sunt, etsi facta propiùs in lingua condantur. Reprimuntur enim verba consilio & decreto. Id iam naturale est in vigilante. Silentium & garritus à natura nobis adhærent. De illis autem, in somno, hoc tenendum est, spiritum ipsum quoque nihil continere posse, & vel garrulum vel taciturnum esse, adeóque mouere corpus, vt eloquatur non quidem ex seipso, sed ex spiritu, qui naturam garrulam habeat, & cordis abundantiam profundat. Sicut enim in vasculum quoddam certa & definita vini quantitas recipitur, qua receptâ, nihil amplius illi infundi queat, quod non effluat: ita hominis quoque mensura & capacitas definita est, quantum potus assumere debeat. Præter quam quicquid assumitur, vomitu iterum eructandum est. Omnium námque rerum sua mensura, suus modus, suus ambitus, suus numerus, &c. est. Sic qui mensuram vnam bibit pro capacitatis suæ ratione, is illam retinere potest. Quod autem vberiùs & copiosiùs illi infunditur, id ceu immodicum exuperat & exundat. Non autem in potu tantùm cibóque ea constituta est mensura: sed etiam in sermone.

Homini quam [illegible]. In somno qui [illegible] quarum.

Mensura in [illegible]

Vnde

Vnde & Christus inquit: *ex abundantia cordis os loquitur.* Quæ quidem verba non ad cibos, qui per annum egrediuntur, respiciunt. Nec enim cibus in cor ingeritur, sed in stomachum. Itaque si cordi nimium infundatur, exundat. Cordis autem mensuræ pars superior est os. Itaque cordis abundantia per hoc effluit. Et rerum ad mensuram cordis pertinentium nulla infernè, sed supernè exundat. Iam differentia hominum nota est, alios vomere vigilantes, alios dormientes. Secundum naturalem hanc conditionem sentiendum est etiam de sermone, quod is effluat per spiritum, qui vt interdiu, sic nocte quoque os mouere potest. Si enim is vigilantibus os aperire potest: poterit etiam dormientibus. Quicquid ergo immoderati habes, effluit per os. Nemo ergo admiretur eos, qui ore proprio se produnt. Quod tamen similiter non omnes faciunt, cum simile os aut mẽsura vna quoque non vniuersis competat. Et is cumprimis fœlix tutúsque est, qui operculum mensuræ suæ addere potest, aut mensuram amplam grandémque accepit. Hæc enim gratia, hoc donum Dei singulare est. Omnia ergo, aut ad silentium, aut ad garritum ordinata sunt. Cuilibet etiam additus suus est numerus, sui gradus, vt plus minúsque aut deblateretur aut taceatur. Itaque mensuræ vel maior vel minor capacitas, tam silentij, quàm garritus causa est.

Reliqua desunt.

LIBER DE SANGVINE VLTRA MORTEM.

In tractatus huius initio desunt tres integri Paragraphi, quorum quilibet aquè magnus est ac sequens: ab imperitis aut inuidis aut imprudentibus hi sunt erepti, quorum recuperandorum spes nulla superest.

ET si verò multò plures prædictis causæ sint: tamen ad obiecta ita responsum volo; Magiam aut veneficium hîc nullum committi. Nec enim Sagæ facere possunt illum sanguinem, quem Deus pater condidit, seu fecit in Adamo. Quem si facere possent: ipsæ vtique Deo similes forent. Quod prius quàm futurum sit, cœlum & terra intereant. Iudicium itaque penes hominem stat, vt hoc loco sanguinem proprium, id est, humanum, qui occultari non potest, cognoscat. Porrò sanguis iste apparens, est ille sanguis, qui die nouissimo resurget, & sese sistet, vt in corpore suo, quo cum in terra vnitus fuit, rationem reddat. Nam si exemplo Christi ex sepulchro resurrecturi sumus: opus vtique erit, nos illum etiam sanguinem afferre nobiscum, quem in terra profudimus. Die etenim illo quilibet reddet, quod in terra habuit, quod in terram secum inuexit, siue id computruerit, siue exustum aut suffocatum sit, siue ab auibus & feris voratum, siue quocunque modo alio consumptum sit. Ista enim vniuersa reddi necesse erit, non secus ac in furto deprehensus fur, quod subtraxit, restituere cogitur. Hæc iam si ita se habeant, & resurrectio omnium membrorum futura sit: deinceps nullâ explicari disputatione debet, quomodo coitura & coalitura iterum sint ossa arida, aut cutis dura, vel corpus è sepulchro cum pristino suo sanguine. Suum enim cuilibet restituet, qui & in extremo iudicio omnia coget & componet. Fur enim, hoc est, Mors, ista restituere non potest: sed potest id Deus. Si id Deus potest, debétque, quid nos inanibus disputationibus de hoc defatigamur. A Deo solo talia manant, non à quoquam alio. Et Apocalypsis in hoc testimonio signum est incorruptibilis sanguinis, quod is talis in die nouissimo futurus sit. Si enim ad extremum iudicium comparebimus, quales in terra viximus, nudi: certè etiam ante iudicium id in terra etiam comparere tales possumus si necessitas aliqua requirat. Hoc enim si in die nouissimo fieri poterit: poterit etiam fieri ante illum, fieri namque æquè æquum vtrúmque potest. Id quod documento nobis est, ob quod iudicium seu resurrectionem inficiari non possumus. Ibi enim videmus sanguinem, & sanguinem quidem humanum sine fuco, & sanguinem hominis genuinum, eiúsque definitam multitudinem, & quantitatem, ne quidem vnicâ guttâ decedente. Verus, inquam, & genuinus ille est sanguis hominis, qui non nisi accurante Deo reddi potest. Quoniam ergo solus Deus, non vllus homo, sanguinem illum restituit, nihil quicquam ipsâ Natura cooperante, vt quæ iam consumpta & mortificata est: colligi inde potest, nos in resurrectione quoque ipsum nostrum sanguinem recepturos esse, quem dabit is, qui creauit mortem, nobis talia suffuratam. Nihil enim de nobis decesserit, quod non restituetur. Mors námque sola illa ademit, quæ mors Dei est. Illa ergo restituentur in resurrectione, quod ex hoc testimonio patet.

Sic ergo, quod diximus, ratum sit, nobis à morte iterum in hoc corpore surgendum esse, vt rationem reddamus de illis, quæ in terra patrauimus. Et qui de hisce philosophantur citra fidem, hi capere ac intelligere non possunt, sanguinem stillantem esse sanguinem illius hominis, ex quo profluit, seu sanguinem esse illum, quem sicarius profudit. Illi enim quia fide resurrectionis carent, non intelligunt fieri posse, vt sanguis ille in manu Dei contineatur, & ad statutum tempus vsque asseruetur, aut, si interea fors opus sit, simili modo appareat ac profluat. Philosophantur namque illi sanguinem magicum, & sanguinis quandam saltem apparitionem, non verum & genuinum seu proprium eius, qui occisus est. Et dicunt, id tantùm esse signum eius, quod verè est, quod indicium Deus quidem ita manifestet, vt vindicetur & puniatur reus seu latro præsens. Longè autem illi à veritatis scopo aberrant. Verus enim est ille sanguis hominis occisi, nec signum eius. Aut si omnino signum est, signum tantùm est secundum id, quod promanet ex putrefacto corpore & arido membro, aut osse carioso. Id ipsum verò, quod profluit, sanguinis signum haudquaquam est, sed est sanguis essentialis ipsemet. Nihil enim perdemus de corpore nostro. Et qui igne crematur, sãguinẽ suũ õnẽ & integrũ recipiet, nõ minùs ac qui viuus humatur. Nec enim virtute nostra resurgemus, sed Dei. Si cornua & tubæ clangent, integri

Magia sanguinẽ facere nequit.

Sanguis qui resurrectionalis.

Sanguis hominis quomodo incorruptibilis.

Philosoph. reprehens.

integri iterum compingemur & coalescemus. Quod si resurrectio nulla futura esset: Philosophiæ nudæ id quidem credi posset, sanguinem nullum denuò apparere posse, sed semel effusum sic absolutè interiturum esse. Sed tamen ex isto fundamento Philosophia illa deduci minimè potest. Ipse enim Christus in carne & sanguine resurrexit, quæ etiam in die nouissimo exhibebit. Ideo & nos tales cum ipso resurgemus, ac apud Dei tribunal comparebimus, vt factorum nostrorum poscenti iudici rationem reddamus. Ab eo deinceps tempore non putrescemus ampliùs aut consumemur, sed in corpore clarificabimur, vt digni fiamus, qui cum Christo in regnum cœlorum igrediamur. Ibidem non amplius duo corpora, sed vnicum tantùm habebimus, idque æternum, depuratum & clarificatum clarificatione nempe diuina, quod sanctis quidem dignum est. Sed damnati, sicut opus erit, illo loco minimè clarificabuntur, sed (*vt ita loqui liceat*) tenebrabuntur, æternum interim & ipsi sortientes illo loco, ad quem destinabit ipsos Deus, qui iudex sedebit omnium hominum, nullo quoquam excepto. Fides ibi Dei præualebit, & increduli ante Deum peribunt & exstinguentur. Super Deum autem quicquid exstructum est, minimè peribit, sed omnino confirmatum manebit.

Christi resurrectio causa est etiam nostræ.

Damnatorum corpora qualia futura.

Tanta atrocitas est interfectio innocentis, vt sanguis ad Deum clamet iugiter ac indesinenter. Et si ante Dei tribunal congregati stabimus in die nouissimo, Racha seu vindicta poscetur ab omnibus illis, qui occisi sunt à tempore Abeli, vsque ad diem nouissimum. Eodem die vindictam etiam exclamabit sanguis Christi aduersus vniuersam Iudæorum & Pharisæorum gentem. Ibi vindictam sollicitabunt vniuersi illi, qui in bellis innocentes iugulati & interempti sunt. Quia enim mandatum dedit Deus, *Ne occidas*: ideò sanguis innocens omnis ad Deum clamat. Sciendum autem est, iudicium Dei hoc tempore admodum lentum esse, quia videmus, latrones & sicarios multos in illis ipsis locis versari, vbi sanguis innocens crebro effusus est, in quibus non perpetuò sanguis stillat aut emanat. Sanguis quidem ille de vindicta ad Deum clamat, aduersus obtruncatores: sed idem tamen sanguis etiam in iudicio extremo fluere conspicietur. Et sicut in hac terra miraculosa ex arida manu sanguinem manare spectant homines, tanta quidem admiratione, vt ob horrorem etiam spectantium hominum comæ arrigantur: ita & in nouissimo die ille profluet ex innocentibus hominibus, passim miserè contrucidatis, cuius quidem rei spectaculum admodum formidolosum erit omnibus hominibus. Et res seria cogitatione iure expendi debet. Tale enim si in terra euenit post longum & protractum tēpus, quando nimirū ossa simul ac caro iam pridem computruerunt ac consumpta sunt: iudicandum vtique est, non in terra tantùm id ita euenire, sed similem omnino cruentationē etiam in conspectu omnium hominum iudicis Christi futuram esse credendum est. Ibi enim viuida ac recens omnium latronum enumeratio fiet. Quod si de remissione peccatorum hic quis obiiciat, *qua talia omnia obliterentur*: id quidem arbitrio Dei relinquo, qui omnia condonare potest, velut & nos mutuò debemus. Excluduntur tamen latrones, nulla interueniente remissione, sed vindicta & vltione perpetuo instrepente ad Deum. Vindictæ ergo postulatio, & non facta ab innocenter cæsis hominibus remissio satis indicant, parum spei imo nihil planè de condonatione illorum peccatorum concipiendum esse. Remissionis quidem magnum momentum est, si facta sit. Abeli tamen sanguis clamauit de vindicta ad Deum vsque in cœlum, vnde etiam Cainus maledictus est. Hinc ergo colligi potest, tolerabiliorem nullius latronis conditionem fore. Quæ tamen si hoc ego loco iudicanda mihi sumerem, extra Philosophiæ limites egrederer. Quia autem Philosophiam Christianam tracto, fas mihi omnino ac æquum est, talia hic induci & proponi, prout ipsa materiæ ratio suggerit.

Sanguis occisorū ad Deum clamat.

Cruentatio cadauerū in remissione tollatur.

Abelis Caino cedes.

Sed vt in explicanda re proposita pergamus: dicemus etiam nonnihil de clamore seu gemitu innocenter cæsorum aduersus iugulatores. Rachel audiuit ploratum innocentium suorum filiorum, & noluit consolari. Iam si Rachel vlulatum audiuit, & consolari noluit; quia non erant: nec Deus ipse etiam miserabitur, donec iudicio satisfactum, & talio omnibus retributus sit. Ploratus autem huiusmodi ad Deum multi fiunt, minimè tamen manifesti. Tanta enim atrocitas iugulationis humanæ est, vt singultus cæsorum rectà ad Deum prouolet, atque simul fiant cùm cæsio, tum clamor. Præterea rem arduam & truculentam esse latrocinium, cuilibet iudicatu facile est ex eo, quod factum id tam miris & stupendis indiciis plerunque prodatur & innotescat, vt illa rationem & cogitationem humanam omnem exsuperent. Insuper seriò hic etiam euolui debet, quid sit sanguis, aut qualis is sit, verúsne, an alius ac subdititius? Fraus autem hic nulla intercurrit, nulla magia, nulla apparitio: sed iste sanguis fluens hominis occisi sanguis verus ac proprius est. Si quis fors putet, sanguinem illum esse magicum aut fictitium: is sciat, magicum sanguinem corporalitatem nullam habere, sicut nec Ossa, nec Carnem, nec Sanguinem Spiritus habent. Deinde, manus siccata & arefactum os præstigiis nullis fundere sanguinem possunt. Fraus ergo aut fucus hic obtrudi nullus potest, sed sanguis is verus & genialis est hominis cæsi, nec præstigiosè promanat. Sed occurrendum est instantię qua iudiciū nostrum hoc omne labefactari posse videatur. Saga nimirum ex arido & duro baculo, ex clauo rigido recens verumque lac, non fucatum, non adulterinum, emulgere potest. Si hoc: saga vtique etiam ex osse arido abiectoque sanguinem emulgere, aut aliud quid præstigiosè facere poterit, quod hominibus videatur quidem sanguis, non autem verè sit ille sanguis profusus ex cæso, sed emulso lacti

Math 2. Rachel, &c.

Magia facere sanguinem nō potest.

Saga ... vt lac ... sanguinē emulgere req...

lacti similitudine correspondeat. Hoc ergo nodo soluto, contradictio omnis plana erit. Responsio ergo talis sit. Primò, latrocinium magiam non fert, seu, sagarum ars profundendi sanguinis potestatem non habet, sed tantùm furandi lac, butyrum & similia. In his enim ars illa valet, non item in illis, quæ vitam aut mortem concernunt hominis. *Deinde*, sanguis vindictam postulat, velut ipse Deus inquit: *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Itaque quilibet sanguis vindictam poscens, ante tribunal ac iudicium comparet, quò sistentur vtrique, reus nempe seu latro, & innocens seu occisus. Nullo ergo modo interuenire dolus potest: quia nec Diabolis, nec Spiritibus, nec Sagis hîc vllus relictus locus est. Et licèt quidem multa possint: sanguis tamen ille diuersus est, alter nimirum humanus, & naturaliter cognoscibilis: alter autem specie & colore tantùm, non etiam re vera sanguis dicendus. Qui enim ex homine decedit, illum homines norunt & intelligunt. Alterum norunt illi. Hæc quidem eò faciunt, vt mortales nos inde discamus, cædem ac latrocinium nullum inultum manere: & vt intelligamus, qualesnam simus, nempe quod omnes, si ex mundo hoc discedimus, obdormiscamus, & in domino sepeliamur. Hæc nos etiam commonefaciunt, quòd, etsi quidem homo contumuletur & putrescat, cædes tamen in ipso patrata apud Deum in adeò recenti memoria maneat, quasi hâc ipsa hora illa designata sit. Fixa enim & alta mente talia à Deo asseruantur, sicut etiam ex signis & miraculis frequenter fientibus colligere licet. Ex prædictis etiam hoc elici potest, magistratui à Deo potestatem esse datam cædem prohibendi, & latrones puniendi. Iustum enim est, *illum qui gladium sumit, gladio perire.* Hoc si iustum est, & latronem gladium sumentem, gladio iterum obtruncari conuenit. Sequitur, hac demum confessione & pœna seu supplicio à magistratu præmisso, sequi tandem remissionem peccati, & misericordiam Dei erga reum. Sed si latro cædat hominem, eiúsque sanguinem profundat, nec talionem à magistratu ordinario recipiat, sicut scriptum est: *Qui gladium sumit, gladio pereat*: metus certè est, vt, quod in hoc non vindicatur mundo, in illo altero omnino per mortem æternam luendum sit. Quod obiiciunt, *latronem peccatum suum sacerdoti confessum esse*, id satis non est. Iubet enim scriptura, *talem plecti gladio.* Hoc non significat *confiteri*, sed ad magistratum duci, & impositam ab hoc pœnam luere. Miracula ergo & signa illa, de quibus hîc tractamus, nos vellicant quasi dicant: *Latroni huic peccata non remittentur, nisi iustum magistratus supplicium subierit.* Hoc facto sequetur etiam misericordia Dei, quæ extra hanc pœnam nulla erit. Et talia quidem sedulò trutinanda sunt. Non enim vult Deus, cædes huiusmodi illicò paratis verbis aut impositis manibus remitti. Etsi enim Christus multa quidem in terra peccata remiserit, atque eadem discipulis suis remittendi potestatem dederit: nulli tamen talium (quod ex scriptura doceri possit) peccatum remisit vnquam, nisi prægressâ magistratûs pœna ordinaria. Sic latronem in cruce in paradysum ad se inuitauit, cùm is iam supplicium subiisset, non ante pœnam. Quòd si iste quidem remissionis processus, vt decebat, perpetuò seruaretur: non tot passim sanguinei fontes apparerent. Frequenter námque accidit, vt post confessionem factam tales scaturiant. Vnde liquet, non cuiusuis esse remittere. Multorum enim remissio ad solum Deum pertinet, nec ad hominē deriuāda, antequā iussu magistratus, carnifex pronuntiatū suppliciū irrogârit. Hoc facto, latroni licet misericordiā Dei pulsare, quæ ante pœnā subitam & expiatam culpam obtingere minimè potest, sicut ex miraculis patet.

Gen. 4.

[illegible] magi- [illegible] suppli- [illegible]

Hæc quidem etsi videantur à loco hoc aliena: tamen iure & ex causa adducere illa voluimus. Itaque quicquid adimitur, nec restitui potest, hunc euentum experiri cogitur. Eadem est etiam ratio violatæ virginitatis, quam læsam restituere nemo potest. Iam fidei consentaneum est, scortationem quamlibet serio supplicio à Deo puniri. Nec id flocci faciendum est: cum de vitanda scortatione tot promulgata edicta, & illi admissæ tot diræ & maledictiones pronuntiatæ sint. Ex quibus certè omnibus coniici potest, vindictam quoque de omnibus illis postulatum iri, qui violati pudoris causa fuerunt. Et certum est, Deum huius nihil impunitum relicturum, sed acri pœna culpam tam fœdam puniturum esse. Et quis quæso vspiam est, qui deperditum tale quid reddere possit? Aut quis debitum tale magis quàm ipsam cædem, pretio exoluere queat? & non virginitatis tantùm, sed & matrimonij lex eadem, eadem ratio. Babilon enim in Apocalypsi sola hac de causa adeò acriter incessitur, quia nempe *Meretrix* facta sit. Et quia facta est meretrix, pudicitiámque suam prostituit: ideò pœna damnationis & vindictæ ingeminatio sequitur aduersus illos, qui Babylonē talē fecerūt, hoc est, constuprarūt. Non enim incōueniēter sic Paulus ait: *Mēbrūne ego sim Christi, & scorter? Absit.* Quasi dicat: *Etsi quidē in veteri testamento scortatio in propatulo, nullo Dei timore patrata sit: id tamē pro exēplo nob. nō sit, sed potius cogitemus, qui & quales simus, nempe Christiani, Christi membra, ipsius sanguis, & caro. Et fas iam sit nos tales Christi sanguinem & carnem in lupanar agere? violare virgines? polluere matronas? meretricia alia flagitia exercere? Absit à nobis longè. Tales enim vindicta sæua manet.* Et qui ita læduntur, clamabunt ad Deum, non secus ac qui in latrones incidit. Sed & tu in medio pœnæ dolore clamabis vindictā, aduersus eos, qui te eo pellexerūt. Non n. admodū diuersa erūt, cædes sāguinis, & cædes mulieris. Quòd verò ista non magni fiāt, crebrior facit vsus, ob quē cōmunia facinora vilescūt, nec illorū pœna admodū metuitur. Quod si aliquando reperiantur, quorum conscientias pungant stimuli, hi culpam omnem tolli putant confitendo & imponendo manus. Tolleretur ille quidem reatus, si Deus, vt fieret, iuberet, & simul condonaret. Sed hoc mandatum acceperunt duodecim tantum, nec præter hos vllus alius. Primi inquam apud Christum, post quos nemo secundus.

Virginitas læsa non restituitur.

Scortationis pœna.

Babylon meretrix

Scortatio hristianis indigna.

Cædis vindicta ad magistratum pertinet.

Itaque

Itaque fœdam & portentosam oportet esse meretricem Babylonem; quæ in certam damnationem incurrat. Miraculum cruentationis, de quo hactenus loquimur, certam nobis causam suppeditat, cur confessioni non admodum multum tribuamus. Statuimus enim, ius ac potestatem datam esse magistratui, vt talia facinora puniat. Remissio autem quæ irrogatam illam pœnam sequetur, penes Deum sita est & illius misericordiam. Quòd si in remittẽdo alea omnis posita esset: hoc pacto mala omnia impunita abirent, & contritio seria nulla susciperetur, sine qua tamen nemo redemptus est.

Sed his missis ad principium sanguinis talis reuertemur, qui non tantùm in hominibus, sed etiam præter naturam in aliis reperitur, vt deinceps dicetur. Frequenter nempe euenit, sanguinis guttas in herbis aut rebus aliis inueniri. Interdum etiam ex sauciatis & incisis arboribus sanguis stillat ac manat. Aliquando etiam panis sanguinem fundit. Horum consideratio ardua est, & non nisi sublimi philosophia capitur, vt tamen breui compendio rem omnem expediamus, consideranda de his tria videntur, *Magia, Nympha & Miracula.* Pro primo sciendum est, Magos & incantatores, herbas persæpè incantare, vt à vulneribus punctim cæsímue factis præseruent, aut alia præstent. Cæterùm Magiæ id proprium est, vt per incantationes (quæ fundamenta hîc non explico) talia perficiantur, nimirum, vt prædicto modo guttæ sanguinis reperiantur. Qualis verò sanguis sit, æstimare facilè quiuis potest. Sãguis nimirum est talis, qualem Magi fecerunt ante Pharaonem, Moysẽ æmulaturi. Quicquid n. is fecerat: in eo illi ipsũ imitabãtur. Ars ergo illa nondum exoleuit, sed adhuc viget, cuius beneficio per medium verborum talia producuntur fiũtque. Eodem modo producuntur interdum etiam guttæ lactis, vnde dicere solẽt, *illud esse lac, & lac illud, quo Christus cibatus fuerit.* Sic & de sanguine blaterant; *illas esse tres primas à Christo effusas guttas.* Talia multa præterea nugari assolent. Hoc ergo modo frequenter in rebus certis sanguis, aut aliud quid reperitur. De quibus in genere sciendum hoc est, verùm id & genuinum minimè esse, quicquid illi prætendant, sed vi magica factum & productũ esse. Sicut enim Moyses primum ante Pharaonem ex virga serpentem fecit, non quidem quòd illam per se faceret, sed quòd iuberetur. *Hoc fac & fiet,* ita similis etiam rerum cæterarum omnium ratio erat, quas ex solo mandato Dei faciebat, cuius ea opera erant, non ipsius facientis. Postea accesserunt Magi, idem quoque facientes similiter aut attentantes: sed quod successerat Moysi, non item etiam succedebat illis. Plus enim non fecerunt, quàm quod omnes faciunt Magi, similitudinem nempe & speciem. Sicut enim imago hominem refert, etsi homo non sit: sic etiam Magia per consecrationes herbarum, per characteres & similia alia impetrare multa potest. Sed nemo eiusmodi res admiretur. Nihil n. sunt, nec illam, quam prędicant, virtutẽ habẽt, sed tantũ istã, quę in Magiæ lib. explicatur, qualis nẽpe sit, & quid ex illa fieri possit.

Sanguis in herbis arborib. pane, &c

Sanguis tribus modis fieri potest.

Magi Pharaonis sanguinem fecerũt.

Moysis virga serpens.

Res Magicę quales sint.

Cæterùm pro secundo scitote, interdum arbores & alia reperiri, sanguinem fundentia, si incidantur, non tamen modo *vt iam diximus,* Magico. In his condita est Nympha aliqua. Sunt enim illæ spiritus, carnem & sanguinem habentes, & ad spirituum naturam accedentes, essentiæ suæ modum à nobis alienum adeptæ. Quomodo verò illæ arbores occupent, aut lignum sint, primò expediendum est. Quâ ratione dæmon obsidet hominem eúmque tegit: eâdem occupat etiam Nymphas. Cum his obsessis ille penetrat in arbores, eásque decurrit ac flectit quasi deiecturus ipsas, nullo tamen spirante vento, sed aëre placido. Præterea folia & decidentes ramulos seu locustas sub arbore iacere non permittit, sed solum id quasi scopis iugiter verrit & emundat. Iam Nympha hoc modo obsessa, & ex regione sua in arborem translata seu inserta, si arbor saucietur, sanguinem stillat, non secus ac cruentat felis magica, aut lycanthropus. Nam & ex hisce sanguis humanus emanat, etsi homines non sint, sed felis & lycanthropus. Quanquam lycanthropus & felis homo sit: figuram autem & formam hominis non habeat. Et sicut homines in tale animal à Sagis conuerti possunt: ita mutantur etiam Nymphæ, vt arboris formam exhibeant, non tamen arbor sunt, sed Nymphæ & arbor huiusmodi sanguinem stillat humanum, homo autem minimè est. Quo verò modo duo illa corpora, arbor nempe & homo, corpus vnum fiant, deinceps explicandum est. Homo Nymphes respectu nostri spiritus est, corpore suo penetrans muros & alia citra impedimentum. Iam verò Nymphes, non est fœmina in aquis degens, sed hæc est Nympha. Nymphes est pygmæus, Germanis ab eo dictus, quòd in montibus agat. Quantum autem ad fundamentum ipsum attinet, vetus & genuinum nomen *Sylphes* est. Hi sunt homines, cæteris similes, naturâ & essentia, proprietatem tamen hominibus excellentiorem habent, quia disparent, per occlusas ianuas penetrant, &c. *sicut suo loco traditum hîc repeti non debet.* Sylphes hi à Diabolo & spectris in arbores aguntur: hinc illarum cruentatio est. Quod de homine intelligi non potest, sed de Sylphe, à Diabolo obsesso, & in arborem abstruso. Vt enim is penetrare potest parietem, ita & arborem, in qua deinde conditus manet. Ex sauciata tali arbore quod emanat, pygmæorum illorum sanguis est & cruor: qui ex arbore illa iterum egressi, ea corporis parte, qua sauciati sunt, vulnus gerunt.

Tertiò, panem interdum fieri sanguinem, à duplici est causa. Vna est *Naturalis,* altera *Supernaturalis.* Prima ita se habet. Panis quilibet, per transmutationis artem in digestum deductus, sanguinis formam induit ex Natura propria, sanguis tamen non est. Aliàs sanguis ille fieri non potest, nisi panis comedatur. Comestus enim à stomachi proprietate in sanguinem mutatur. Quòd verò etiam extra hominem panis fiat sanguis, illius ratio tunc eadem est, quæ est *Cichoreæ.* Quæ si in cumulum formicarum ponatur, sanguineo colore variegatur. Et hęc vtrinsque si coniungantur, natura est.

Arbor cruentatio quid sit.

Nymphæ in arboribus.

Nymphes quid.

Sylphes quid & quales.

est. Sic etiam sulphur in suo iecore lac & sãguis fit. Sed hæc omnia ex proprietate naturæ dependent. nec aliter, quàm opera naturalia agnosci debent.

Huius classis & alia plura hîc proponi possent. Quę tamen quia ab instituto nostro nonnihil aliena sunt, proprio suo loco explicabuntur. Nam sæpe etiam fit, cruentare imagines etiam, instar panis. Is sanguis interdum verus, interdum minimè. Et huiusmodi interdum ne cremari quidem possunt. Quæ tamẽ omnia ad accuratiorem Philosophiam remittimus, vt quæ quidem sine scripturâ fidéque intelligi non possint. Nec enim talia ex fundamento Philosophiæ gentilis, Græcorum aut Cretensium, sed ex lumine intaminato Christianorum intelligi & æstimari debent. Cæterùm, quantum ob cruentationem manus resiccatæ, aut putrefacti corporis aut membrorum aliorum attinet: res illa magistratui cumprimis probè cognita & intellecta esse debet. Quamdiu enim innocenter cęsi sanguis ad Deum clamat: tamdiù non desinet cruentatio, donec iudicio satisfiat, vel in hoc vel in altero mundo. Vbi simul de remissione quoque diximus, illam sine pœnitentia, sine contritione sine satisfactione, locum non habere. Per satisfactionem autem expiatur iudicium hominum, dum peccati sui pœnam reus luit. Expiationem sequitur misericordia Dei, ex qua deinde remissio oritur. Porro quæ de cruẽtatione arborum herbarúmque & similium diximus, huc propriè referri non debent. Mentionem enim de illis feci eo tantùm fine, vt discrimen aliquod nosceretis harum rerum, sciretisque, vnum ab altero diuersum, & seorsim per se vnumquoduis cognoscendum esse.

LIBER DE ANIMABVS HOMINVM POST MORTEM APPARENTIBVS. THEOPHRASTVS.

PROLOGVS

Prologus


As omnino ac æquum est, nos tempus impendere non voluptuariis artibus, ad lætitiam hominibus conciliandam facientibus, vt sunt Cymbala, psalteria, & melodiæ: *non etiam regulis Grammaticorum, Rhetorum, Logicorum & similium aliorum, hominis animum ad se rapientium: sed Philosophia potius cognoscendæ illi, quam Deus ipse constituit.* Nam quod *propheta regius Deum in* Cymbalis. Psalteriis, &c. *laudare iubet: id nõ est Cymbalis seruire Idolis, aut instrumentis aliis adhibitis choreas & tripudia suscitare: sed potius, nullo etiam audiente Deum laudare & venerari ob artem hanc vel illam, homini manifestatam & concessam.* Donec etiam Deus *artium inuentiones elargitur hominibus: subinde cum illis conuersatur. Itaque laudandus is ob hoc quod iugiter & subindè lumen hominis illustret.*

Deus qua harmonia laudandus.

Cùm ergo apud nos constituerimus aggredi Philosophiã rerũ inuisibiliũ & intangibilium, quæ ob id naturæ limites excedere putantur: primò tractandum videtur de animabus & spiritibus hominum, sicut dicere solemus: vidi hunc ante mortem obambulare: vbi de ipsius spiritu loquimur. Item: vidi huius spiritũ post obitũ ire, ãbulare, sedere. De his ergo spiritib. aut animab. librũ hũc cõficiemus. In Theologiâ autẽ sectæ multæ sũt, quæ de huiusmodi apparitionib. inter sese dissidẽt. Quas quis curet, cum etiã, quod minus est, non intelligant? Cùm sapientiæ ipso initio careant? Cùm destituantur eo, super quod Deus Ecclesiam suã fundat? Cùm sedeãt in cathedra pestilẽtiæ? Non enim, sicut Petrus a portis nullis inferorũ vinci potest: sic illi sancire aut antiquare possunt: sed sicut Satanas cum cõplicibus suis de cœlo deturbatus est: sic illi autodidacti eliminabũtur ex suis synagogis, hoc est, eiicientur ex lumine Apostolorum. Non quiuis mundi Iudex erit, qui dicit: In nomine tuo Domine prophetatus sũ &c. *Sed iudicabũt tantũ iusti, testãte hoc scriptura. Cæterùm deinceps tractãdorũ argumentũ, hoc est, vt explicetur fũdamentũ de animab. cur illæ ante & post mortẽ obãbulent. Etsi verò tã in præcedẽtib. quàm sequentib. libris passim aliquid de hisce iam dictũ est: tamẽ hac de re iam ex professo tractabitur, & quæ hic dicentur, ea ad aliorũ explanationẽ facient & intellectũ. Nec opus est, vt cũ illis obambulãtib. ipsimet colloquamur aut negotiemur: sed causa illius ipsarũ apparitionis & ambulationis cuilibet Christiano ex aliis haurienda & cognoscenda est. Ex apparitionibus enim huiusmodi multa recondita, multa secreta & mysteria, homini cũprimis scienda, depromuntur. Ex hisce quidẽ Theologi, hactenus multas ceremonias, multásque superstitiones condiderunt, & sectæ, quæ illas adiurarent, nõ paucæ enatæ fuerũt: sed dolus & fucus in omnib. emicuit, vt deinceps tradetur.* LECTORI.

Libellus hic integer, vt ab auctore descriptus est, desideratur. Quæ autem sequentur deinceps fragmenta saltem sunt & additiones, à Paracelso post absolutum librum peculiaribus characteribus seorsim annotata, &, ceu sequentur, ex autographo auctoris descripta. Eadem etiam ratio est, cæterorum vt de virtute imaginatiua, de characteribus, &c.

NAm sciendum est, supernaturaliter fieri, defunctum hominem surgere & ambulare. Hoc primum. Secundũ, sanguinem & carnẽ suam, cumquibus natus est habere. Tertium corpus ipsius in terra conditum putrescere, & spiritũ, ab illo si separatum, obambulare, sicut scriptura dicit: *Spiritus redit ad eum, à quo venit sui datus est.*

II. Quidnam hic dictu necessarium est? Hoc cũprimis & solum, quid spiritus sit. Spiritus nõ est anima: sed si fieri aut dicere liceret, spiritus esset animę anima, sicut anima corporis spiritus est. Spirit⁹ hominis nõ est ipsius corpus, nõ est anima, sed est tertiũ quoddã in homine, ita vt corp⁹ in terra quiescat, hoc est, nihil ampli⁹ laboret, nihil operetur, sed ad tẽpus resurrectionis dormiat. Anima est eo loco, vbi numerandũ seu soluendum est vsq; ad nouissimũ quadrantẽ, sicut

multoties iam dictũ est. Spiritus est ibi, quo à Deo mittitur, nempe apud Deum, apud animã apud corpus, aut apud habitationes hominum. Et, vt verè dicam, spiritus est vmbra duorum reliquorum, sicut quis statuere etiam possit de imaginatione. Homo imaginatur. Iam imaginatio ne, corpus est, nec anima, sed spiritus, ex homine non secedens. In spiritu enim consistit hominis iudicium super animâ, super corpore, &c. Ita sciendum est, corpus surgere à nemine videri. Homo enim in terrâ iacet. Sic animam surgere nemo videt. Nam & ipsa ad suum locum, velut corpus ad terram, à Deo destinatur. Videtur autem spiritus, non item duo reliqua. Ideò spiritus similis apparet corpori & animæ. Ibi enim vtriusque vmbra est. Hæc ita dicta sint de apparitionibus spirituum humanorum. Quòd autem visi sint homines circa tempus obitus Christi ex sepulcris surgentes: id deinceps etiam suo loco explicabitur. Nec enim lumen hominis tantum sed ipsius quoque scripturæ testimonia hîc conferri opus est, vt veritas huius Philosophiæ ex illis eruatur. Quæ enim illa Philos. est, quæ non ex auctoritate scripturæ conflatur? Nauci sanè & nihili. Non ergo Ethnicè, sed omnino Christianè talia consideranda sunt, & in eum impẽdenda finem, vt homini conducant ad æternum, non ad iucundã speculationem caducorum, quâ fruuntur primum Rhetores, verborum lenociniis hominum aures mulcentes: deinde Logici, vanas argutias suas hominibus venditantes: tandem aliæ etiam linguæ & facultates, ex subtilitate mentis & linguæ flexibilitate passim hominum applausum sibi redimentes, cæterum de æterno interim silentium altum agentes. Hæc ergo faciant ad cognitionem spiritus hominis.

Spiritus & anima vt differant.

Animæ separatæ quæ sedes Item quæ spiritus, quæ corporis.

Spiritus & imaginat. collatio.

Philosophia quæ vera.

Mortui apparentes quid præsagiant.

V. Capp. horum interpretatio, ac sensus seipsum offerens talis est. Si mortuus quispiam videatur, cogita id esse præsagium, hoc modo. Si adstat lætus, instar diuitidem est ac si dicat: vos estis ex beatis. Si gestu alio adstat, intellige ipsum nondum souisse, sed tempus suæ solutionis seu remissionis adhuc expectare. Et talis defunctorum adstantium gestus admonitioni nobis esse debet, vt lubentes nobis mutuò ignoscamus, expendentes duram illam & terriculosam apparitionem. Si horum nihil esset, & homo appareret, id indicio esset, illum mali aliquid patrâsse, adeóque de ipso sic exẽplũ statui, ex quo discamus cauere id, quod talis designauit. Sic qui officio alicui præfectus, multas opes collegit, dominum suum defraudans, & subditos expilans: is si ambulet defunctus, exemplo suo successorem suum monet, ne idem faciat. Hoc modo sibi inuicem apparent vnius negotiationis socii, vnius muneris consortes, confœderati &c. hoc vno fine, vt sese inuicem commonefaciant da vitæ illo sordido & iniusto genere deserendo. Quia enim in Christo, non in Abrahamo sita est misericordia: patitur vtique Christus, sese à damnatis exorari, vt resurgant à mortuis, qui amicos suos, & liberos & socios admoneant. Itaque admonitioni, non contemptui vobis illi sint. Videntur hæc quidem nonnihil infringi posse ex consideratâ conditione inferni, & mortuorum somni. Nemini tamen liceat verbo Christi quocunque modo obloqui. Vsque adeò enim obstrusa hęc omnia sunt, vt ab vtrâque parte probatio suppetat. Sed in Deo omnia rata sint. Qui mortuus est, multa nouit, & ab eo multa manifestantur, sed omnia tamen per misericordiam Christi. Et miracula illa nos vehementer monere & exsuscitare debent. Ea námque mundi huius est miseria, vt vel maioribus apparitionibus opus sit. Sic ambulant milites, mercatores, Prophetæ, Pseudoapostoli, Pseudochristi, & similes.——

& multis modis hominem molestant. Hi omnes sunt spiritus hominum, qui in terrâ hâc agentes, odium suum ac inuidiam, conceptámque malitiam non satis commodè exercere potuerunt. Hi vltionem parant defuncti. Et per hos nobis Deus exemplum proponit, ex quo discamus, inuidiam minimè mori, sed & post fata superstitem esse. Ei ergo, cum quo inuidia commoritur, æternâ damnatione pereundum est, si seriâ contritione ipsam non expiarit. Eadem etiam ratio est fastûs & superbiæ, in qua obdurantes homines moriuntur.——

Prænuntii enim tales sunt Medici inter spiritus, sese ipsos prodẽtes, qui dicerent: *Instat ira Dei, moriẽdum tibi est, & tibi, & tibi, &c.* Ita manifestãtur spiritus, quò naturaliter possint presẽtire mortẽ, vnde sese inferat, sicut homo visus acuti diẽ videt, & eam cœco prenũtiare potest.

Hoc scitote, vbi eiusmodi spiritus tumultuarii, classicum canentes ambulant, ibi cruentum bellum & miseram lanienam portendi. Et de hoc gaudent Diaboli, ridéntque ac præcinunt aliquandiu, quasi iam omnem aleam certam iecerint. Curet ergo quilibet, vt, si per talia pręfiguretur, sese emendet, & pœnitentiam agat. Vos autem cœnobia, quæ prænuntia certa signa habetis, de illis exultare nolite. Signa ea miseranda sunt, quod ex anteacta vestra vita iudicare potestis.——

Retaliabuntur enim vniuersá, & eadem mẽsura, quod acceptum est, plenè & exquisitè refundetur. Sic introitus paratur in regnum Dei, nec anteà. Pulsatio ergo mortuorum indicat malum præsumptum in proximum.

Sic scribo multis difficilia, multis minimè arridẽtia. Quòd si illi qui pulsat, id datur: quid faciet is, qui micis saltem sui Domini vescitur nec ipse sibi panem pinsit? Opus ergo habet, vt annũtiet panem Domini, qualẽ edẽdũ accipit.

Etsi verò opus videatur, vt multò plura de his scribãtur: tamen quæ ad apparitionem spectant, perdicta iam, omnia plenè intelliguntur. Vnum adhuc tangendum hoc loco est. Multis persuasum est, apparitionem hominum in Brixiensi Episcopatu ab obitu factam docere, an beati sint, vel minus. Quod tamen nos hic latiùs non deducimus. Differtur enm huius rei ventilatio ex causa non iniusta ad docum de auctoritate sanctorum. Itaque ipsam hîc finimus.

FRAGMENTVM LIBRI DE VIRTVTE IMAGINATIVA.

II.

SIc ergo diuidendus homo in corpora duo est: in visibile, & inuisibile. Visibile, alteri Philoso-

Philosophiæ subiicitur. Inuisibile hic nobis tractandum est. Exempli causa. Video obiectam mihi domum. Iam qui ex aduerso mihi stat, solus dicere potest, video id, quo tu vides domũ, id est, oculos tuos. Et tamen id non videt ex toto, sed ex dimidio saltem. Instrumentum enim tantum, videt non item visum, qui pars oculi dimidia est. Corpus enim pars vna est. In hoc quod operatur, est pars altera. Sic si audio, aures pars vna sũt: auditus ipse est pars altera. Item si loquor, lingua pars est vna, vox est altera. Et geminæ illę partes hominem integrum constituunt. Illis diuisis, homo nihil est: Pro his ergo deinceps intelligite.

Corpus hominis duplex.

* Quod cogitat, & sibi proponit. Nam & in seipso seruos habet, quos cogit talia in locum suum collocare, sicut tignarius domum in loco electo, veluti prato, &c. exstruit. Et sicut homini, per corpus operanti organa & instrumenta necessaria data sunt ad conficiendum opus sibi destinatum: ita imaginationibus quoque illis, seu spiritibus datum est id, quod requiritur, ad deliberationem suo loco & sede exstruendam. Et prout spiritus ille homo est, ita instrumenta etiam accepit, veluti & externus homo sua organa nactus est, quod per opera ostenditur. Rerum enim inuisibilium omnium nulla probatio seu cognitio est alia, quàm quæ ex operibus desumitur. Diuiditur itaque homo in corpus visibile & inuisibile. Corpus inuisibile imaginationem pro ore habet, quo iussa & opera per corpus simile exequatur. Id quo fiat modo, porrò intelligite.

Corpus hominis duplex.

Cap. IV.

Sic attendite. Homo idoneam suam officinam habet, hoc loco non proponendam. Quomodo verò inuisibile, nempe, imaginatio, operetur, cognoscite. Sol lumen habet, minimè palpabile, ab eius tamen radiis incendũtur ædes, sit, ignis, carbones, cinis. Iam quid imaginatio est aliud, quàm sol in homine, similiter operans in suum globum, in quem radios iactat? Vt enim sol tellurem irradiat: ita imaginatione irradiat suam terram etiam homo. Et vt in irradiatum locum sol vim mittit: sic etiam imaginatio; solis instar in effectum erumpit. Nec in calore tantùm & frigore omnia posita sunt, sed in quàuis operatione. Vt sol operatur corporaliter, hoc, illud, &c. Ita & imaginatio, dans ignem, fomitem: & omnia, quæ Sol. Non quòd illi opus sit instrumentis: sed quòd ipsa faciat ea, quibus incendat. Rem ita indicate. Qui aliquid comburere vult, opus habet silice, igne, fomite, sulphure, candelâ. Iam ignem comparauit. Sol autem si exurere vult, nullum silicem, aut fomitem aut cereum requirit, sed omnia simul & vnà facit, nemine chalybem eius spectante. Talis etiam est imaginatio. Illa solum suum tingit, pingitque, nemine penicillum eius, aut cerusam, aut pigmẽta vidente. Simul omnia fiunt, sicut ignis à Sole, à seipso sine corporeo instrumẽto efflagrãs. Nemini ergo mirum videatur, ex imaginatione procedere opera corporea, cum similia etiam in aliis manifestè eueniant. Cœlum nimirùm vniuersum nihil est quàm imaginatio. Id in homine operatur, suscitat pestem, febres, & alia. Hæc non per instrumenta corporea producit, sed eo modo, quo res incendit Sol. Sol quidẽ vnius tantùm potestatis est: vnius tantũ Luna, vnius astrũ seorsim quoduis. Homo autem est omne astrũ. Qualẽ se imaginatur esse, talis est, & est id ipsũ quoque, quod imaginatur. Si imaginatur ignẽ, ignis est. Si bellum, est bellum, & sic deinceps. Et in hoc situm omne est, quòd imaginatio in seipsa integer Sol sit.

Imaginatio est sol hominis.

Imaginationis & solis comparatio.

Cœlum est imaginatio.

V.

Satis autem in huius tractatus initio explicatum est, vbinam instrumenta illa iaceat, & vnde oriantur. Vt deinceps pergamus dicere de illarum rerum fundo, sciendum est, ipsum esse geminum. In alterum imprimitur cum cõstitutâ deliberatione: in alterum sine deliberatione. Exemplum. Ponamus, quendam imaginationem suam ita fixisse, vt alterum transfodere cupiat. Hic si in imaginatione illa transfodiatur, is iam fundus est vnus. Alter fundus est, si prægnans imaginatione suâ aliquid desideráter appetat, & id fœtui imprimatur. Hi iã gemini fundi sunt, in quibus talia imprimuntur. Secundum illos imaginationis operationẽ & perfectionem, quæ breuiter talis est, explicabimus. Imaginatio ex appetitu & cupiditate talis est. Cupiditas gignit inuidiam & odium. Horum enim nihil fit, nisi cupias. Si eiusmodi cupias, iam emergit imaginationis opus seu effectus. Appetitus iste non minus celer est & velox, ac est in prægnante, quæ rei desideratæ notam fœtui illicò imprimit. Eadem ratio est etiam appetitus inuidiæ & odii erga alium. Hic simul et iam attendite, quidnã sit, quod imaginationem faciat solem, hoc est, vt perficiatur, & opera sua compleat. Constat autem solam imprægnationem, seu id, quod prægnans est, appetitu tentari. Nisi enim fœminæ prægnantes sint, impressiones non inurũt fœtibus. Eodẽ pacto, si non sint prægnantes quæ inuident, nũquam perficient, quod imaginando cogitant. Quî autem prægnans fiat, qui fœtum non habet, ita accipite. Prægnantem facit voluptas. Si semen cum delectatione acquiratur, prægnatio fit. Et imprægnatio nõ à fœmina, sed à viro est. In fœminâ autem illa perficitur. Iam quæ ratio voluptatis huius est: eadem est etiã imprægnationis illius, qui tale quid imaginatur. Nec tamen quiuis, qui voluptatem habet, illicò prægnans est, sed & idoneum ad hoc requiritur semen. Voluptas & semen perfectam prægnationem faciunt. Sine semine enim & appetitu seu voluptate nihil fit. Hîc notate, quod vulgato prouerbio teritur: *Maledictio vniuersalis plerũnque verificatur.* Quare? Prodit nimirùm ex corde. Dum ex corde egreditur, generatur semẽ, quod imprægnat. Ita & patris matrisque imprecatio è corde egreditur. Hinc est, quod imaginatio istorum perficitur in liberis. Sic etiam pauperum & oppressorum imprecatio imaginatio est. Quod enim imprecantur, id imaginantur, & intra se concipiunt. Hanc imaginationem sequitur effectus. Eodem modo & vinctorum imprecatio tantùm imaginatio est, ex corde procedens.

Imaginationis fundus duplex.

Imaginatio ex appetitu.

Prægnationis consideratio.

Forma rei externæ ad se attrahit: & imaginatio ad se attrahit colores & omnẽ speciem. Iam ita imprimũtur formæ & colores, hoc modo præparantur. Si enim magnes attrahere potest

test ferrum: magnes vtique etiam aliquis erit in imaginatione, attrahẽs. Et imaginatio se habet, vt stomachus, vt magnes, impressio, vt Sol & cœlũ, quod hominẽ facit virtute Vulcani.

TRACTATVS II.

VT imaginationis vim naturámque rectiùs intelligatis, scire conuenit, imaginationem ipsam per sese imaginari nihil posse, nisi per attractricẽ ipsius vim res imaginatiua attrahatur. Sic quem prægnans videt piscem, is fœtui non imprimitur, nisi per vehementem appetitum desideretur, attrahatúque, ac ita fœtui imprimatur, eo loco, qui contactu proximè feritur, vt alias dictum est. Sic etiam, qui cogitatione aliquem iugulare aut claudum facere vult, huic opus est, vt primò rem seu instrumentum attrahat, quod postea imprimat. Quicquid enim imprimitur, id imaginatione iterum eximi potest, non secus ac si fieret per manus. Eodem modo intelligite etiam cœlum ranas depluere. Hæ in cœlo minimè generãtur, nec sperma earum in cœlum attrahitur, nisi illo modo, quo fœmina attrahit fragũ, &c.

Spiritus solertiç quis. Ex spiritu hoc nascuntur solertes & industrii homines, de quibus dictitari passim solet: Iste vel iste phantasiâ suâ multa inuenit, & excogitat intentiore speculatione, cui totus ac assiduus vacat. Hinc fit, vt homo intellectu corporeo exuto, spiritualem induat quidem, sed tamen corporalis maneat in suâ solertiâ, arte subtilitatéque: Huius classis sunt Mechanici excellentes, & alij, qui ex hoc spiritu nascuntur. Is enim spiritus est, qui speculatur: is est, qui attractiuã vim habet, cum impressionibus coniunctam. Qui autem eò penetrare, ac imaginationem suam adeò intendere potest, vt spiritus generetur: is artis Gabalisticç rectorem agere iam nouit, nec quicquam ipsi difficultatis obstat, non magis ac Magneti aut similibus. Huiusmodi solertes spiritus, à speculatione genitos, multi pro diuis venerati sunt. Sed probè talia discernenda sunt, quandoquidem multa abstrusa & abscondita concurrunt, quæ ad fidem nihil faciunt. (Ars Gabalistica.)

III.

Fœminæ viris inuidiores. CÆterùm de fœminis plura hic dicenda sunt, quæ imaginando viris ipsis superiores existunt. Nam & vindictæ cupidiores sunt, & promptius inuidiam ac odium colligunt viris. Dum ergò imaginando in seipsis perfectum spiritum gignunt: ex imaginatione illâ, quam concipiunt, impressio quædam egredi potest vltra medium cœlum. Et in medio cœlo potest gigni id, quod imaginantur. Sumit autem illa imaginatio corpus suum ex menstruo mulierum. Hoc menstruum speculatur mulier in medio cœlo, & hinc transfert in Vulcanias inferiores regiones, non aliter ac si quis statuario alicui lignum offerens, diceret: Hoc vel illud mihi sculpe, adeóque quod iubens cogitat, à statuario illo rectè fieret. Imaginatio hæc est causa asteriscorum seu cruciculorum, passim decidentium, & rerum similium aliarum: illarum námque corpus est menstruum. Quod autem ascendit in cœlum, est imaginatio. Quod decidit, est impressio, ex imaginatione genita. Quod autem imaginationes huiusmodi fiant, causa præcipua hæc est, vt præsagia sint futurorum certorum malorum in mundo. Præsagia autem minimè ex homine prodeunt? Is enim nihil præscit. Hoc tamen verum est, eum, qui intentiore phantasiâ speculatur, & præsagiendi consilium seu arbitrium firmum ac pertinax præsumit rémque quoquo versum expendit & trutinat, spirituum suum tandem eò adigere, vt ad vaticinium penetret, & rerum futurarum scientiam acquirat. Eadem est etiam ratio mulierum, quæ in somno & phantasiâ, &c. abripiuntur. Si enim eiusmodi quid imaginentur & faciant, &c. id vtique euenit. Multæ huiusmodi nihil sciunt. Et quia non sciunt, non imaginantur. Consultum ergo est, mulieres non solas relinqui, vt melancholiæ vacent; Sed illæ omnino ad hilaritatem suscitari, & cum hominibus cõuersari, & solitudine omni euitata nihil profundiùs cogitare aut imaginari, sed in merâ simplicitate agere, nec huius metas egredi debent. Ipsarum námque imaginationes vsque adeò sunt fortes, vt, si mercaturam exerceant, nec satis commoda ad explendam lucri cupiditatem fortunâ vtantur, iam ipsi negotiationi, nescio quid adimaginentur mali. Per ipsas enim talia certò polluuntur. Et quæ hoc modo dispositæ sunt, cauere debent cumprimis, ne pluribus educandis aut lactandis infantibus sese offerant. Per iram enim illæ multa imaginantur, quæ postea infantibus imprimuntur. Mira itaque conditio istiusmodi spiritum est. Qui si per phantasiam & insomnia ad res tales conuertuntur, multa fiunt apud homines noua & admirabilia: Quorum omnium causa est imaginatio, quæ perfectum spiritum gignit, vi, potentiâ atque virtute magna prçditum. Eo genito, iam imaginationis opus perficitur. Et pro exemplo vobis sit hic casus. Ita nimirum statuite, fœminam quandã, in puerperio constitutam, morti vicinam esse. Illa si mortem horreat atque cum inuidia & odio mortis defungatur, ac imaginatione seria intentáque eò præcipitetur, vt optet, vniuersos homines vnà cum ipsa commori: jam duo præsto sunt, *Imaginatio & fluxus menstrui*. Ex imaginatione gignitur spiritus: ex menstruo corpus illius rei. Hinc iam epidemia seu pestis oritur in illâ regione, quamdiu Menstruum in illo corpore iacet, siue id adhuc viuum sit, siue mortuũ. (Mulieribus solitudo, &c. — Menstrui muliebris puerperę quanta efficacia.)

(Mẽstruũ est corpus rerũ imaginatiuarũ.)

IV.

SEd vt porrò quoque, philosophemur, differentes de initio harum rerum, *Desunt quedã.* Vt enim rem omnem probè compertam habeatis, scitote, *cœlum & terram duo esse, visibile nempe & inuisibile.* Vtrumque autem est Limbus. Itaque vtrumque etiam homo. Imaginatione ergo mundus amplior non est. Extẽdi námque illa ad milliaria infinita potest. Potest etiam per eandem distantiam imprimere, adeò vt impressione suâ ipsum etiã cœlum attingere queat. Quâ enim ratione stellæ homines in terrâ inficiunt, vt moriantur etiam nulla sua culpâ: Ita nos vicissim illas æquè inficimus. Imaginationis enim nostræ speculatio nõ ascendit ignauiùs, quàm illæ stellç vim suã demittunt. Quòd si ergò hoc modo imaginationi operam damus, maledictio illa quidem verificatur: Infectio tamen ista noster morbus est. (Imaginationis meta qualis.)

Gene-

Generationem hanc ita intelligite. Videtis nimirùm varia & multiplicia animalia à Deo in terrâ creata esse, quibus velut exemplo quodam contemplatio humana oculis præponitur. Sic Leo suos catulos mortuos parit, & clamore eosdem viuificat. Similia & in aliis notantur. Ex hoc elicitur, genus quoddam esse animalis, cuius in oculis imaginatio tota posita sit, cum menstruo, & vi imaginatiuâ omni, supra omnia animalia exaltata. Et sicut Lezurius vnus altero superior est: ita etiam Basiliscus, quo ad menstrualem hanc imaginationem ceteris animalibus omnibus superior est. Addemus exemplum. Si mulier speculum aspiciat, id polluit. Eodem modo, si alicuius oculos aspiciat, fieri potest, vt maculentur illi, & in ipsis multę maculæ & albugines oboriantur, de quibus malè senserunt medici. Quæ si vera sunt hoc casu: veriora etiam erunt in aliis, velut in Basilisco, qui nihil est aliud, quàm speculatio & phantasia ex veneno menstruali, quod in ipsius oculis iacet, genita. Matrix enim & crystallinus humor in ipso vnum sunt. Quicquid enim facit, facit eius imaginatio, quę inuidendo ita efficax, vt omnia quę oculis aspicit, velit esse mortua. Idem etiam fit, vt nos ita commonefiamus, decere omnino nos imaginationi dominari, nec ad tales fines illam impendere. Et probè expendi debet, Deum vinum creâsse, & multos alios cibos, vt homo illis quidem minimè deditus esset, & tamen appetitui suo satisfaceret. Et quia bonum non erat, hominem esse solum, dedit ipsi vxorem, & vxori virum, vt illa alia omitterentur.

V.

Ex his iam scitote, imaginationem esse fortem & efficacem, cumprimis autem in fœminis. Quæ si grauidæ expauescant, metuant, gaudeant, &c. eadem certè forma fœtui imprimitur, veluti genita. Sed pauca hîc explananda sunt. Timor, terror, appetitus, desiderium, gaudium, odium, sex inquam ista cum suis cognatis astrum hominis superant, quod torquent & trahunt pro suo arbitrio. Iam verò astrum est spiritus, formans & attrahens, & imprimens. Itaque is velut faber & tignarius est imaginationis. Ex sex illis rebus quicquid in imaginationem fertur, huic tignario subiicitur, vt tale id faciat, quale visum est. Et momentum seu ictus oculi est tempus & hora illius ædificationis seu domus, quæ recta stat. Vt verò sciatis, quomodo terror, timor, &c. talia faciant, statuendum est, imaginationem ibi superari. Et quicquid metuitur, aut timetur, id præstò est. Sex enim illa gignunt spiritum imaginationis. Eo genito, iam genitum est etiam id, cuius gratiâ is factus est. Vtut autem ista se habeant; pro conclusione fundamentum hoc tenendum est, nouissimè imaginationem gignere spiritum, qui tignarius seu faber est. Is spiritus postmodum spiritus more se habet, spirituum potentiam participans. Quâ de causâ habet etiam colores, habet penicillum, habet instrumenta spiritibus familiaria. Quicquid autem sex prædicta confirmant, id ratione dictâ fit. Possent quidem plura de his differi. Sed peritioribus illa committimus, qui ex mulieribus multa subinde experiuntur, aut modis aliis, quidnam imaginatio faciat, addiscunt. Nam ex ordine singularia omnia accidentia recensere, superfluū est, maximè cùm planiùs etiam aliàs obseruentur & notetur. Quòd si ergo fœmina monstrū talē fœtum pariat: statuendum est, eius causam fuisse imaginationem. Si enim imaginatio aliquem potest occidere: poterit etiam infirmare ipsum, aut aliter dispositum facere. Sed mandatum nobis datum est, ne talibus indulgeamus, sed, si nobis insidientur, rebus aliis, cibo nimirùm potúque anteuertantur. Et vt vitentur talia, multa omitti fas est, vt in otiosis hominibus & melancholicis curæ illæ speculatoriæ supprimantur: In omnibus autem mandatum Dei seriò seruetur.

V I.

Iam ergo constat, laborandum esse, non speculationi vacandum. Quiuis enim concedere cogitur, quòd, cùm scriptura nos non iubeat speculari, contemplari, & imaginari, illis etiam non indulgere debeamus. Hæc enim scaturigo omnis superstitionis & prædictorū malorum est. Sic autem scriptura inquit, *Scrutamini scripturas.* Non dicit, *scrutamini per imaginationem, &c.* Scrutatio scripturæ requirit sententias & dicta eiusdem, quæ intelligantur per scripturæ spiritum, non spiritum imaginationis. Itaque in talibus, ————

* Sicut philosophiam quamlibet esse constitutam decet, ne per spiritum talem in errores agatur, velut is doctos multos exorbitare fecit.

* Eo modo, quòd huiusmodi deformitates & res connatæ infantem animâ non priuent, sed tantùm corpus fœdent. Quòd si ex odio aut inuidia, &c. talis lædatur, idem est, ac si manu læsus esset. Omnia enim vnum sunt, hoc est, vnus omnino homo est, siue is visibilis sit, siue inuisibilis.

DE CHARACTERIBVS. XIV.

Sicut in hoc libro quædam peculiares doctrinæ, nempe de sabbatho, traduntur breuiter & strictim: ita scire conuenit, sabbathi sanctificationem seriò mandatam esse. Hoc quidnam est aliud, quàm secundum Dei institutum vitam in terris agere; Ea námque voluntas & institutum Dei est. Quo posito, iam constat, nullam aliam mancam & inconuenientem rationem iniri debere. Hoc idem est, ac si dicatur, secundum medicinæ præscriptum recuperari sanitatem debere. Si auxilium aliunde petatur, ea iam mandati diuini violatio est. Cùm verò de fouea Christus mētionem faciat, quòd etiam in sabbatho ex illa bouem extrahere liceat, ita vrgente necessitate: culpâ vtique etiam vacabimus, si corporali medicina destituti, quæramus aliam, necessitatibus nostris idoneam. Hoc enim casu ipsa necessitas nos excusat, cùm & auxilium alterum, ex herbis non petitum, ex Deo nihilominus sit. Quòd si ita quærimus, quid quærimus quæso aliud, quàm quòd in ipsa natura incognitum quærimus, vt id sciamus? Nam & hoc naturæ lumen est; sed non naturæ Limbicæ, verùm spirituum

ſpirituum. Horum námque ea natura eſt, cum creaturæ ſint. Lumen enim naturæ & ipſi habent, quod nos diſcere & cognoſcere decet. Sic etiam ſcriptura dicit, *Virtutes cœlorum commotum iri*, hoc eſt virtutes vltra naturam. Si Deus ſine medio naturæ ex terrâ aut pharmacopolio petito nos iuuat; an non ea virtus cœli eſt? an non eæ virtutes ſuper nobis commouentur? Imò. Itaque quod ſpiritus faciunt (modò id faciant) an non id virtus cœli ſit? Ex inferno enim nihil promitur aliud, quàm ignis & mendacium. Iuuare, mendacium non eſt. Iuuamentum enim ex veritate procedit. Veritatem itaque virtutum cœleſtium videmus in huiuſmodi characteribus & nominibus; &c. Et ſuperſtitionis hic nihil committitur. In ſuperſtitione viget mendacium & fraus. Cùm ergo diaboli ac immundi ſpiritus ita comparatum naturæ lumen habeant, vt nomina pro herbis vſurpent: cur nos id pro virtute naturali non admittamus? An non verborum, in æde ſacrâ dictorum, ea vis eſt, vt per illa exaudiamur, quod plus cæteris omnibus eſt? Quanquam in medicinâ Deus haud quaquàm verba & conſecrationes aduerſus vulnera punctim cæſimve facta, aut ſiſtendum ſanguinem nobis dederit. Idem nos nec herbas cognoſcere docuit: ſed Medico ægrotum commendauit. Ex quo colligitur, decere Medicum illas omnino noſſe. Aliàs enim non erit Medicus. Iam etſi in lumine naturæ huiuſmodi pyxides & radices ſunt penes ſpiritus: quis tamen eas porrigat, ignoramus. Non enim promit eas diabolus. Aut ſi promit, coactus id facit & inuitus. Sanitatis enim donatione is minimè gaudet, ſed mortis, quod in propatulo eſt.

Per virtutes cœlorũ quid intelligatur.

XV.

Concluſum ergo ſit, ſcire nos non poſſe, qualia verba ſint, &c. Ea enim nec diabolo, nec fidei adſcribi poſſunt. Relinquitur ergo, naturam quandam eſſe vltra terrenam, talia facientem & operantem, inſtar medicinæ terrenę, pro ipſius nimirùm conditione & proprietate. Quod enim Aaronis tempore Magi quoque ſerpentes fecerint, quos tamen omnes ſerpens Aaronis deuorarat: hoc quid eſt aliud, quàm Deum artes naturaliter omnes dediſſe, & contuliſſe? Et tamen ſi magnalibus ſuis vti vult, artes noſtras vniuerſas deuorat. Mors enim eſt ſerpens Aaronis, tandem omnia deuorans.

Serpens Aaronis mors.

EX TRACTATV II.

IV.

Notandum ergo eſt, ſpiritus & virtutes cœleſtes aliter nos iuuare non poſſe, niſi per nomina ſeu verba. Illa enim ſi habuerimus, ipſius medicinæ hortum poſſidemus. Iam ita cenſete, verbum medicinam eſſe inſtar herbæ, & herbam inſtar verbi. Diſcrimen ſaltē eſt in natura viſibili & inuiſibili: quarumtamen vtraque luminis eſt naturalis. Quì verò ad nos verba penetrarint, ſciendum eſt. Primò ante initium medicinę, primi medici, qui Magi vocabãtur, florebant. Hi multa horum manifeſtarunt, & numerum ſubindè auxerunt. Poſtea multa illorum iteru uperierunt, & dilapſa ita ac confuſa ſunt, vt iam integri nihil ſuperſit. Verborum enim illorum libri interpretes maxima ex parte interciderunt, vt iam in periclitando & experiendo omnia poſita ſint. Nomen autem, quod character eſt, eſt ita efficax, vt per illud fiat, quod ſpiritus ille poteſt. Vt enim faber loricam mihi dat aut facit aduerſus ictus ferri: ita ſpiritus quoque. Aut ſicut appoſito Corneolo medicus ſanguinem cohibet: ita & ſpiritus. Et veluti ſuo quodam diſcrimine diſtant medici, dum alius hoc alius aliud nouit & ignorat: ita differentia certa etiam hic conſtituenda eſt. Prout enim hortus ſe habet: ita gramen metitur. Prout fons, ita potus eſt. Naturalia tamen omnia. Hactenus ergo ſic ſatis tradita & explicata ſint, quæ ad characterum doctrinam pertinent. Deus enim creaturis omnibus certas & magnas vires infundit. Ex quibus contemni nihil debet. Fruſtra enim nihil creatum eſt, ne crabro quidem. Quòd ſi vos talia in nomine diabolorum, aut per ſupeſtitiones vſurpabitis: mercedem dignam accipietis. Nihilominus tamen, quod per ſuperſtitiones huiuſmodi fit, id vi mandati diuini fit, non virtute veſtræ fidei. Itaque ſi perperam credamus, & aliter, quàm credere debemus, iam fides nos iudicat. Credere cuilibet debemus ſecundum id, ſecundum quod præſto eſt. In herbas minimè credimus, ſed in Deum, qui eas dedit, citra ſuperſtitionem. Idem & in aliis verum eſto. Nec quoduis illicò, quod herba non eſt, ad diabolum referri debet. Is enim ne capillum quidem vel atrum vel album facere, ſed tantùm Magnalia Dei ſuperſtitionibus & ceremoniis fucare ac polluere poteſt.

Magi characterum inuentores.

Fruſtra nihil creatũ.

Diaboli quanta infirmitas.

THEOPHRASTI LIBER DE HOMVNCVLIS.

TRACTATVS I.

Homo conſiderandus eſt duplex: non quidem, quatenus vir aut fœmina eſt, quia duo iſti vnum ſunt: ſed quatenus duplex eſt, nempe Animal & Homo. Operari enim poteſt vel animaliter, vel humaniter. Si operatur humaniter, homo eſt. Si animaliter, eſt id animal, quod refert, non quidem ſimilitudine quadam, vt dicatur, ſimilis eſt Cani, aut Lupo, ſed omnino ita, eſt canis, eſt lupus. Huius rei explanatio iam alibi facta eſt. Quantum autem ad generationem, de qua hîc agemus, ſic ſe res habet. Cùm is Animal ſimul & Homo ſit, in generando preſtare ſe animal poteſt aut hominem, hoc eſt, gignere poteſt aut animal, aut hominem. Ordo enim alius ex Deo eſt, omnino ſeruandus. Illo ordine gignuntur homines. Extra illum ordinem gignuntur illa, quæ hoc libro explicabuntur. Homo ergo opus ſuum duobus modis conficere poteſt. Hoc iam libro abundè ſatis probabitur, quod Homo & Canis & Lupus, &c. ſit. Id námque docet generatio Homunculorum, & Monſtrorum, multis modis paſſim &

Homo duplex eſt.

O... Dei ... plex

& euidenter fiens. Quæ nisi ita fieret, quis hominem vocaret vel vermem vel animal? quis ipsum non diceret potius hominem, ac corpus eius animámque pro re vna haberet? Iam verò duo ista diuiduntur, ita, vt diuersa duo vna cute includantur, animatum nempe & inanimatum. Quod homo habet animatum, id gignit animatum. Quod inanimatum habet, inanimatum gignit. Sic vtrumque gigni potest quidem, sed non semper diuisum. Nam si animatum gignitur, vnà cum ipso gignitur etiam inanime. Contra si inanime generatur, non necessariò gignitur animatum. Inanime enim sine anima gigni commodè potest: animatum verò duplex manet vnà cum inanimato. Vtrunque autem, animatum scilicet & inanime est homo integer, seu ex vtroque homo constituitur. Inanime autem nihil est, & se habet instar lolii. Sicut enim lolium seu vstilago puluis tantùm est; sic econtrà frumentum bonum, & farinam dat, & furfur, adeóque tum demum bonum & integrum est frumentum. Quòd si frumentosum minimè fit, sed fatuum, & farinam non det, simile est huic, de quo iam trado. Idem respectus etiam nucis est. Eius cortex debet esse plenus nuclei, boni & integri. Sin secus fiat, & nux fit inanis, cassa, corticosa, illa ad nuces cæteras se habet, velut monstrum ad hominem. Et sicut illa ab æquè bonâ arbore profertur ac alia sana & integra: ita homines quoque, licèt ab Adamo, hoc est, ex arbore bonâ omnes descendant, non omnes tamen nucleum adipiscuntur, hoc est, animantur, sed fatui & cassi fiunt, aut inanimes, instar fatuæ frugis, carentis semine farinâque, aut instar nucis nucleo destitutæ.

Inanime hominis simile lolio & nuci cassæ.

Cæterùm vt ad id veniam, ex quo intelligatur, quinam talia fiant: ita rem expediendam duco. Homo generatur ex semine hominis: & pecus ex semine pecudis. Homo est tantùm vnum. Ideò vnum etiam tantum semen. Pecus autem multiplex est: Ideò semen eius multiplex, & variè diuisum. Quot autem genera animalium: tot etiam genera inter homines. Hic est Lupus, ille est serpens, &c. Quod priusquam tractando persequamur, ita prenoscite. Ouum est semen sui pulli. Cæterùm plus etiam semine oui in pullo est, instar tamen seminis, in putamine contenti. Sic albumen est semen? vitellus est semen; nec tamen vtrumque est semen pulli, nec alterutrum. Verum semen est granum. Ex grano illo simul cum ouo generatur pullus; & sine ouo, integro pullus non generatur. Sic etiam sine grano ex vitello generari aliquid monstri & aliquid etiam ex albumine. Nam sine vitello, ex quo generatur Basiliscus, ex albo generatur fœmina Basilisci. Quæ iam oui, eadem etiam seminis humani ratio est. Nam & hoc granum habet, & præter granum etiam aliud quid. Ex grano generantur Homo, qui animam habet. Ex cætero generantur Monstra & Homunculi. Vbi enim granum non est integrum, vt granum esse debet: ibi diffusum est, & cum toto spermate permixtum. Itaque totum sperma abit in Monstrum. Granum námque eo casu mortuum est, nec tale

Hominis semen simplex, animalium multiplex.

Semen pulli quod.

Basiliscus vnde generetur.

Monstra vt generentur.

est, vt ex ipso generari homo possit: Sed habet sese instar spermatis. Hoc sperma semen hominis non est. Sperma enim illi prædominatur. Sic si granum in ouo non sit, per id vtique diffusum est, & totũ sperma est granum, sed non granum gallinæ, verum granum Basilisci. Sic ergo amittitur semen hominis in spermate. Et sperma iam non est semen hominis, sed animalis. In generatione autem vtrâque adesse oportet. Nam in spermate coquitur semen, nec hoc sine spermate digeri potest. Sic etiam sperma in granum incidit, quod in homine animale est, nec sine grano generatur. Quòd si granum humanum instar grani non adsit, & generatio procedat: Tunc superat corpus animale, adeóque generatur id, quod sperma illud animalitatis in se continet. Hac ex causa etiam monstra nanciscuntur formam humanam, prout granum permixtum est. Si parciùs: formæ parum est. Si largiùs: formæ multum est. Interim tamen anima nulla fit, vbi granum non est integrum, & sperma in suum corpus attraxit. Tunc enim sperma granum in suum corpus adsciuit. Quódque hoc modo superat, id alterum subiugat, vt fiat aliud.

Spermatis & seminis quæ ratio.

Videtur hic deesse integra pagina.

Ad quę iam consequitur, semen hominis à semine animalis diuisum esse, essentiâ quidem, non tamen formâ. Sed tamen vt fœmina ac vir caro vna sunt, non duæ: ita hîc eadem est ratio etiam seminum. Naturale enim, in quo arcana sunt, & influentiæ post resurrectionem minimè mansuræ, corpus suum habet peculiare. Et hoc discrimen omnino tenendum est: aliàs philosophia ista minimè plana erit. Idem enim & per alia multa probatur. Cúmque ortu & generatione homo dicto modo duplex sit: discrimen illud ante omnia seriò obseruandum esse liquet.

Semen humanum ab animali qui differat.

Cæterùm vna iam parte relictâ, ad generationem animalem progredior, cuius hæc est ratio. Si sperma animale præpollet, duplex modus est. Simplex alter, alter compositus. *Simplex* vnius personę est, *Compositus* est, quando persona vtraque hominẽ monstrosum facit. Huius iterum ratio duplex. Aut enim exterior est, aut interior, hoc est extra aut intra corpus. Præterea modus etiam alius dependet ex compositione factâ per aliquorum permixtionem, quæ adsunt. Et hisce punctis declaratis, planum fiet, quidnam animæ cognatum sit, vel non sit, quid homo sit, vel non sit. Quod si monstra talia gignantur, putanda sunt naturalia esse, etsi alia & ab homine diuersa esse videantur. Huiusmodi námque generationes Deus nobis proponit, vt, quales simus, inde discamus, quoties manum suam à nobis Deus auertit, etsi progenies Adæ simus. Sed & imaginatio talium frequenter causa fit. Quo tamen pacto illa ab eiusmodi semine differat, simul explicatur. Semel enim verum est, obiectum ipsum huiusmodi multa euariare, sicut in libro proprio traditur. Quod hîc monemus, ne noua illic explicatione opus sit. Nobis autem talia cumprimis curæ cordique esse debent, vt quæ nos doceant,

Spermatis animalis consideratio.

Monstra quid doceant.

Mõstrorum causa imaginatio & luxus.

velle omnino Deum, vt per eiusmodi signa nosmet ipsos cognoscere discamus: Præterea propria quoque nostra malitia & luxuries frequenter istius confusionis causa est, nec sine culpa Sodoma, &c. pessum iuit. Hominis enim est, generare hominem, non animal. Et qui Sodomiticum malum accuratiùs expendit, is causam intelliget, cur cœli ignis ipsos obruerit & perdiderit. Sed vt prædicta rectiùs intelligatis, sciendum est, primos duos modos, simplicē & cōpositum, dupliciter iterum contingere: Externè scilicet & internè. Quilibet homo, in quo luxus exaltatur, is polluitur. Pollutionem enim aut emittit, aut retinet. Primò disserendum est, de emissa. Deinde de retenta, seu interius remanente, quæ & ipsa, velut mortua, emissæ seu elapsæ rationem habet. Sperma enim, quam primùm generatum non emittitur, putrefactionem illicò subit, siue exciderit, siue non exciderit. Itaque vtriusque intellectus idem est. Sperma autem excidens, siue per mulieris siue viri luxū quomodocunque erumpat & profluat, si in digestionem terræ effundatur, semen fit plantæ seu crescentis. Quod si exiccetur aut arescat, perit. Quanquam non absolutè. Exiccato enim si digestio aliqua terræ superueniat, pro influentiæ ratione omnino aliquid enascetur, quale id cunque sit. Influentia enim & semen omnia cùm gignunt, tum formant. Iam omnium primò, quidnam digestiuum sit, sciendum est. Digestiuum verò est Terra, Non ea tamen solum, quam calcamus. Ea námque terra est *Nucum, pyrorum, &c.* Matrix in muliere est terra seminis virilis, vt putrefactio calida est terra rerum illarum, quæ infinitæ sunt. Hinc si sperma illud ventrem talem equinum attingat, & in digestiuum suæ terræ, cui concordet, adducatur: tunc recta procedit generatio animalis, illius naturæ & proprietatis formationi respondens. Interim tamen homo non prodit, quicquid inde generetur. In solâ námque fœmina generatur fœtus, qui homo est, & est animatus. Vir enim & fœmina vnum sunt. Vnitas illa seu id vnum fit momento ipsius conceptionis factæ ab vtroque. Ita nigrum fieri nigrum non potest, quamdiu vitriolum & Galla non vniuntur in aqua. Aqua itaque loco matricis est. Vitriolum est vir seu mas. Galla est fœmina. Tria illa si coniungantur, nigredo generatur. Idem etiam circa hominem euenit. Tale enim sperma decedit. Quòd si fas esset, ac nobis explicare licet, quo pacto talia in digestiuum eiicerentur: multa certè admiranda hinc intelligerentur. Sed scribi talia non debent. Hoc hic saltem noscendum est, quòd pollutum sperma, si digestionem & terram suam attingat, monstri omnino causa fiat, non simplicis aut vniusmodi, sed varii & multiplicis. Sed de his propter viros ac fœminas apertiùs loqui non decet. Quæ hîc dicta sunt, eò faciant, vt monstrorum huiusmodi generatorum qualemcunque notitiam assequamini.

Pollutio est duplex.

Influētiā & semen omnia generāt. Matrix est terra seminis.

Attramētum vnde fiat.

Deficit hic integra pagina.

Ecclesia cui instructa.

NAm si super Petrum, hoc est super electum, suam Ecclesiam ædificauit: super nullam vtique virginem aliam suam Ecclesiam collocabit. Talium enim nulla fiducia est: quibus constantior aquæ arundo est. Quod indico, vt intelligatis, nolle Christum virgines, non electas, quia arundinis instar mobiles sunt. Electos suos requirit, qui firmi & constantes sunt in ipso. Quòd si verò homo vltrò, ac ex arbitrio proprio castè viuere velit: is circumcidatur, aut seipsum circumcidat, hoc est, fontem, in quo id iacet, de quo hîc scribo, abscindat & exhauriat. Quod, vt fieri posset, Deus talem ipsum etiam creauit, vt non stomachi aut hepatis more reconderetur, sed extra corpus propenderet. Idem mulieribus datum non est (vnde commendatæ viris sunt) nisi forte à naturâ Eunuchæ sint, aut vi à Deo coërceantur. Nec enim ex suomet instituto tales sese præstare possunt, Nam ab vltrò virginitatem professis, Sodoma & Gomorrha implentur ex parte dimidiâ. Pars altera meretrices sunt & scortatores. Sed pro instituto nostro iam dicēdum etiam est de spermate interiore, quod mortuum est, nec se, vt debet, habet. In fœminis sæpius Luxus gignitur seu oritur.

Mobiles.

Is etsi egressum quærit, non tamen semper effluit, hoc est, supprimitur instar Vrinæ, quæ non semper emittitur, sed interdum cohibetur. Sperma huiusmodi si non exeat, in terra suâ remanet, & in matrice digeritur, tanquam in loco genuino. Semen tamen genuinum non adest. Hinc iam generatur Mola, morbus à quo intumescit venter, non secus ac prægnantibus, quæ tamen verè prægnantes non sunt, sed dicto modo seipsas proprio suo spermate impregnarunt. Itaque generatur monstrum, quod partus iustum aut certum tempus non habet, sed velut generatio quædam Sodomitica est, ex dicta causa ibi collecta. De qua, quomodo se prodat, quem morem teneat, quo pacto moueatur, prolixiùs hîc disserendum non est. Quòd si dicto Luxui suus exitus detur, tale nihil generatur.

Mola quæ generatio.

Cæterùm in viris quoque similiter sperma retinetur, nec exit, sicut nec vrina semper emittitur. Id si fit, generatur Hernia Carnosa, & similia alia. Sperma námque id in suo loco manet, nec exitum habet. Itaque à calore proprio emergit, & abit in monstrum, vt sunt caro, glandula, spongia, &c. quæ pars, etsi alias naturalis, ipsi tamen Homini naturalis non est, sed velut peculiaris fœtus quidam processit ex spermate, quod cùm exitum non inueniret, illuc confluxit, & pro naturæ suæ modo in bubonem abiit. Idem enim harum rerum, ac ipsius vrinę, exitus est.

Ex spermate in viris retento quid gignatur.

Prętereà euenit etiam aliquando, vt ex lasciuia Sodomitica effusum sperma luxuriosi illi Sodomitæ colligant, & intrò in matricē iterū infundāt, de qua re apertiùs hîc loqui nihil decet. Id prout in matricem ingreditur, ita sese exhibet. Si à matrice recipitur, ex ipso aliquid generatur, sin minùs nihil generatur, sed putrescendo abit in monstrum, ac à seipso iterum resoluitur. Hoc sciendum est, quòd, quicquid per opera Naturalia in matricem non concipitur, vniuersum in monstrum abeat aut propēdeat. Sic etiam quod aërem attingit, & intrò

Monstra ex quo spermate.

& intrò recipitur: id semen minimè est, sed materia Homunculi. Sic pariter & in stercoribus humanis multæ species animalium reperiuntur, ex sodomia generatorum, quorum Diuus Paulus meminit ad Romanos, quos masculorum concubitores nominat. Quòd si stercora non quotidie eiicerentur, non inficior, multa & frequentia subindè monstra natum iri, quæ omni mundo terrori essent. Quæ tamen quia eiiciuntur, & in digestionem veniunt, in aliud abeunt. A multis obseruatum est, in cloacis aliquando faces & lampades ex medio stercore eluxisse. Vnde crediderunt, animas, &c. ibi versari, & eo fine ibi apparere, vt de Sodomiæ peccato admonerent homines, patrato, scilicet per semen humanum, quod vna cum stercore effusum fit. Sciendum tamen est, nullum ibi hominem effusum esse. Et credibile potiùs illud est, meretrices suos fœtus recens natos illuc abiecisse, & è medio sustulisse, ne res in vulgus abiret. Infantium horum sanguis ad Deum inde clamat, non secus ac viri iugulati, sepulti, terraque obruti tumulus presente latrone cruentat. Sic etiam lampades ibi apparent, quia sanguis in profunditate stercori conspici non potest. ......

A Sodomitis itaque variis modis talia exercentur, quę singula honoris causa describi nō possunt, satis est, nos strictim de illis mentionem fecisse. Ex quibus, sapientibus abundè satis liquet, quòd, si talia non secundum præscriptum & ordinem Naturæ fiunt, mera Opera Sodomiæ sint. Quorum tot modi sunt, vt ex ipsis generata omnia monstra & Homunculi non satis describi possint. Cursim tamen & breuiter de illis, disseruimus, vt flagitia eiusmodi vitentur, &, quinam ea exerceant, cognoscantur, simúlque intelligatur, quidnam virgo sit, quid vxor, & quid sodomita.

Videtur hic integra pagina deficere.

SVperiùs a nobis commemoratum est, ipsas quoque fœminas imaginando eò sese adigere, vt gignant aliud, quàm debebant. Quicquid verò huius gignitur, id omne animatum est, nec anima caret; etsi pessima & absona maximè imaginentur. Eædem sodomiam etiam quandoque exercent, & allecto spermate animalium, quæ virorum loco adhibent. Ex qua permixtione monstra peculiaria fiunt, congredientis animalis formam exprimentia. Eadem etiam virorum ratio est. De quibus tamen non scribo. Hoc inculco, ea monstra præsaga esse, quæ ex genuino semine viri & fœminæ nascuntur. Hoc si non fiat, nec illud erit. Eiusmodi enim monstra si ex permixtione sodomitica nascantur, non homo sunt, sed sodomiticum animal, aut nec animal quidem, sed monstrum potiùs homini formidandum, ex quo exemplo is flagitiosam hominum commixtionem, præter naturæ ordinem factam fastidire discat. Vbicunque enim tale quid apparet, sodomitici operis admissi signum est. Porrò hoc etiam sciendum est, sodomitas huiusmodi sperma quandoque etiam in os eiaculari. Quod si in stomachum tanquam in matricem recipiatur, ex ipso ibi monstrum, aut homunculus aut simile aliud generatur, ac indè morbi multi, iique difficiles surgunt, tamdiu sæuientes, donec generatum excernatur. Et idem hic fit, quod ex bibito spermate ranarum, &c. ex quo animal generatur. Nam ex illo spermate aliquid generari necesse est, nisi id à natura aut absumatur, aut aliò auertatur. Quæ omnino ita à nobis hactenus recensita sunt omnia, vt admonitioni sint putatitiis virginibus, & lasciuis vxoribus, ac sodomiticis aliis qui Gomorrhicis flagitiis sese frequenter polluunt, & fœda libidine passim oblectant, quam oblectationem postea tot mala sequuntur, vt sigillatim omnia percenseri non debeant. Pauca hic attigi: quia commemoratis pluribus propter vitanda maiora mala non opus est. Eos, qui naturæ ministri sunt, per hæc admonitos volo, vt naturæ modum ac ordinem teneant, simpliciorésque in viam naturalem dirigant, faciendi & exercendi ea, vt hinc nascantur ipsis similes, nec sperma indecenter aut retineant, aut lasciuiùs effundant, multò minùs enormibus flagitiis impendant. Hoc enim siue personæ illustres, siue viri docti & potentes faciant, sodomiticum tamen vniuersum est, picis & sulphuri supplicio expiandum.

Cæterum hisce iam explicatis colophonem libro huic imponemus, omnibus suadentes, vt coniugium amplectantur casteque, nec ordinem istum temerè deserant, nisi sint, qui seipsos circumcidere velint, vt à patrandis istis peccatis sese præseruent. Reuera enim & hoc sæculo Loth præsens, multas regiones, aliàs pessum ituras, conseruat. Quanquam & misericordia Dei illis locis adhabitet, vbi Loth nullus reperitur. Et Tamen animarum illarum miseria ob id multo certior est. Reseruantur enim pœnæ illarum ad illud alterum sæculum. Quòd si, cur Sodoma cum quinque ciuitatibus sociis exusta & euersa sit, rectius expendatis, fatebimini certè, illius pœnæ exemplum à Deo nobis pręstitutum esse, ne similia flagitia in testamento nouo, irrumperent. Si irruperint: quid nostræ ciuitates ab illis different? Et qui his quidem toties in sacra scriptura repetitis non mouentur aut absterrentur, illi toti cœcutiunt, & seipsos in gehennam picis & sulphuris abiiciunt. Resipiscite ergo, quicunque seducti vos polluistis, & à peccatis vestris desistite Sodomiticis. Nam & seducenti & seducto æterna damnatio incumbit. Et nisi ipsius Lothi à bonis angelis custoditi, exemplo vestros liberos & vxores conseruetis: meras flammas inferni & fumum illum videbitis, quem vidit Lothus, cum quinque ciuitates conflagrarent, & pessum irent. Quiuis ergò liberos suos aut in matrimonium ducat, aut præcidat, vt malorum eiusmodi fundus vertatur, & radix è terrâ extirpetur, cum ramis suis omnibus euulsa. Aliàs enim Homo ipse cœcus est & languidus, spiritus agilis, Imaginatio vehemens obiecta grauia & illecebrosa, tentationes variæ, seductionesq; frequentes; vt singulis homo, nisi electus sit, non facile obluctari

Et

Et ad Deum hæc omnia spectant. Is si te ad matrimonium vocat, & ex te liberos exquirit, nihili erit aut votum tuum, aut quæcunque virginitas. Si conjugium horres, & castitatis honorem jactas: fiet vtique, vt opera illa, quæ maritalia esse poterant, conuertantur in scortationem, in Sodomiam, & lasciuiam qualemcunque aliam abominandam. Hæc enim pœna est, manens eos, qui etiam vocati, conjugium horrent & temnunt. Itaque opera designantur, quocunque modo obscœna, & in Deum contumeliosa: vt hoc pacto inobedientia tua & præuaricatio æternam pœnam & damnationem tibi accersat.

LIBER DE NATIS ANIMALIBVS EX SODOMIA

TRACTATVS I.

De est forte huius libri prologus

QVANDOQVIDEM Natura, ipsa quoque animalia & insecta ad permixtionem, ex qua varia monstra enascuntur incitet & stimulet: De illis cumprimis, quæ in mari & aquis degunt, scribendum esse videtur. Omnium enim ore & sermone teritur, mare monstris plenum esse. Cæterum monstra ea, quæ in mari versantur, ex mari naturaliter non generantur, nec à principio creationis mare possident, sed ex spermate piscium, contra genuinum Naturę ordinem dispari specie coëuntium, nascuntur. Quoties enim diuersæ speciei pisces sua inuicem spermata conferunt, toties nouum animal seu monstrum generatur. Multiplices autem in mari piscens degunt, cùm formâ, tum specie differentes, quàm maximè. Hinc mirum non est, interdum reperiri monstra in mari, hominis formam exhibentia, non quidem quod ex Sodomia per homines generati sint, sed quod ex piscibus diuersis inuicem coeuntibus prodierint. Nam ex vtriusque Natura nouum quid emergit ceu tertium. Duo namque vnum tantùm corpus constituunt. Sic vir & fœmina, vtrinque vnum tantum fœtum generant, nec alterum sine altero per se aliquid gignit. Cùm ergo ad constituendam formam & speciem duo requirantur: inter homines etiam nonnunquam monstra reperiuntur, quæ ex dimidio hominem, ex dimidio brutum seu animal referunt, quod dictu fœdum est quidem, sed tamen omnino explicari vult, vt ortus primus rectè intelligatur. Idem etiam in Mari euenit. Pro exemplo nobis Syren sit, supernè fœmina, infernè piscis. Ea non ex creatione prima adest: sed est miscella seu partus, factus ex congressu duorum eiusmodi piscium, formis inter se differentium quidem, & tamen illam formam conferentium. Duo enim, sibi inuicem non similia formas duas dant, aut conferunt corpori vni. Sibi vero similia formam vnam proferunt, & corpus vnum. Nam in mari multa quidem animalia degunt, minimè sterilia tamen, sed verè animalia. Sterilia verò sunt illa, quæ hoc modo contra naturę ordinem ex permixtione facta pronascuntur. Nec enim paria in mari semper conueniunt: Sed vbi vnum alterum amisit, & diuersum occurrit, partus eiusmodi fiunt, qui sublimius in mari natantes visuntur autem capiuntur. Quorum tamen multi etiam in aquis pereunt, vt in conspectum nunquam prodeant. Multi etiam in distantissimis ab homine latebris sese occultant, vt ab ipso nunquam videantur. Quæ causa est, cur maris monstra non omnia cognoscamus, sed vix vnum aut alterum tantum assequamur interdum: ex quibus tamen de cæteris iudicium facere possumus, quod eodem omnino generationis modo proueniant.

Mare mõstrorum parens.

Mõstra ex confusione diuersorũ spermatum.

Monstra ex homine & bruto.

Syren vnde.

Monstra sterilia sunt.

Sed & hoc concedi fas est, quod in mari animalia quoq; homini similia reperiatur. Quę etsi quidem hominem ad viuum non exprimant, ipsi tamen quàm animalibus cęteris similiora sunt. Cæterorum autem brutorum more anima carent seu mente. Illa sese habent, vt simia ad hominem. Et aliud non sunt, quàm simiæ maris, diuersi generis. Et quoties inuicem permiscentur, toties eiusmodi monstra marina producuntur. Hinc dicere solemus, *in mari repertum esse Monachum, hoc est, piscem Monachum, hoc est, piscem Monacho similem.* Cuius generati hæc causa est, quod pisces, vtrinque hoc monstrum referentes, mutuo coitu sese permiscuerunt.

Sciendum autem est hoc loco, admodum multa esse piscium genera, & ipsorum, multiplices etiam generationes, non semper ex solito aut familiari ipsis spermate fieri, sed etiam modis multis aliis contingere. Hinc ergo via nobis planior panditur, ad exactiùs cognoscendum horum monstrorum ortum. Quæ mõstra in mari suffocantur, & pereunt in aquis, illa ab animalibus marinis deuorantur & absumũtur. Iam si sperma in exaltatione constitutũ, mersione periret, & à pisce deuoratum, iterum in se ipso exaltaretur: operatio certè aliqua fieret, à natura piscis & spermatis. Ex quo colligi potest, maximam animalium partem, humanam formam referentium, hoc modo produci. Tale námque sperma, si ab aëre non exiccatum, in operationem deducatur, necessariò aliquid inde emerget. Mortuorum ergo, tam virorum, quàm fœminarum sepultura iure merito instituenda est, vt consumptione facta in digestionem non abeant. Hoc namque modo in aquis admirandæ generationes multæ fiunt, hic minimè describendæ vt monstra varia & stupéda, ceu stomachi, &c. passim visantur & reperiantur, piscis tamen naturam habentia, vt in aquis versentur, & illis gaudeant. Piscium enim, humanam formam habentium, generationem hanc vnam præcipuámque causam agnoscere putandum est. Huius classis sunt canis marinus, & aranea marina, &c. sic etiam homo. Quod si alio modo generentur, causa ad Sodomiam, *vt diximus*, referenda est: Tertia causa est, si spermatica eiusmodi in locis talibus digestionem assequantur, & pro coniunctionis ratione, partus fiat. Sed modos omnium recenseri impossibile est. Infinitis enim illa modis prouenire solent. Præterea definitam formam non semper habent: sed prout à natura secundum coniunctionis (commixtionis) illius rationem producuntur, ita sunt.

Piscium monstra, forma generationis varia.

Sperma exaltati monstrorum causa sunt.

Mortui sepeliendi.

Huius

Huius generis multa in mari supernatant, plurima verò infra aquam degunt, nobis quidem nedum cognita. Multa etiam pereunt, nec ad iustum ętatis incrementum pertingunt. Aliàs enim multo plura conspicerentur.

Videtur hic deficere integra pagina.

Ex aëre quoque huiusmodi monstra gignuntur: Horum generatio est, quòd stellarum iactationes desuper factæ, stellarum illarum, ex quibus decidunt, sperma sunt. Cùm enim cœlum ad generationem hominis opem conferat: vt hominis proprietatem quoque habeat, opus est, id est, hominis generationem per fluxum spermaticum fieri oportet. Sic etiam figuræ in statua effictio per figuram fieri debet. Quodlibet enim sibi simile, non diuersum facit. Illud ergo viuificari oportet; multo magis homini assimilari decet & non dissimilari. Sciendum verò, & hic Laboratorem esse Sodomiticum. Sperma enim, ad generationem hominis facturum, cadendo seipsum seminat, sed inutiliter. Ideo rursus attrahitur. Quicquid enim descendit, idem etiam rursus ascendit. Dissolutio verò, quæ à Terra fit, non patitur illud denuò fieri id, quod antea fuit, aut demum fieri debuit. Manet ergo in aëre, ad locum tamen pristinum non omnino iterum ascendens. Matricem verò in aëre habet, vbi tā peregrina animalia generantur, quæ indè deorsum in terram deuolāt Similiter & aër aliūdè veluti transmare spirans, is multa peregrina secum aduehit, in nostris regionibus quidē peregrina, in suis tamen natiuis locis familiaria. Aëris autem ea conditio est, vt cœlum terràmque permeet, & muros omnes plantásque ac crescentia vniuersa perspiret: hoc est, *Nihil vspiam est, in quo aër non vigeat.* Ex quo iam patet, spermata in Elementis condita aut vigentia, siue sint quadrupedum, siue aranearum, siue bufonum, &c. multoties per aërem resolui, sicut sal in aëre liquescit & disparet. Quodlibet enim sperma est in suo corpore. Sal gemmæ clarificatum resolutum. Iam si aër in regione sua super terra eiusmodi semen inuenit, effusum; illud vtique resoluit, ex qua resolutione alia postea enascuntur. Hinc enim & Grylli, & his similia animalia alia monstráque prodeunt, quorum tamen generatio ex vno tantùm est, non ex duobus. Ideò vnius etiam tantùm formæ sunt, membris quidem & indiciis aliquibus prædicta referentia, sed non tamen exactè æquantia. Cæteris tamen vermibus venenosiora & impuriora. Probe ergo & studiosè ædes verrendæ & expurgandæ sunt, aut ita extruendæ, ne multis colligendis sordibus accommodatæ sint. Aër namque in huiusmodi effusa semina efficax est.

Cęterum inficiari nemo potest, quòd talia in terra illa omnium frequentissima sint, in qua conueniunt animalia telluris & vndarum; quæ mutuò congrediuntur, &, ceu diximus, noua animalia parturiunt. Ex bufonis enim & Galli spermate generatur Basiliscus. Galli enim semen ouum gignit, etsi non galli sed gallinæ natura sit & officium, vt id excludat seu pariat: Res ita se habet. Galli sperma cum spermate gallinæ iunctum, vnū ouum constituūt. Iam si sperma suum Gallus emittat, nō item & gallina: ouū imperfectū erit, & auis, (vt vocatur,) in ouo, est vitell⁹, hoc est, resoluta in illo iacet, & est generatū quid præter naturam. Sciendum autem est, aliud etiam genus Basilisci esse. Huius generatio est, quando gallus cum bufone sodomiticè permiscetur, loco gallinæ. Ex ea namque confusione generatur Basiliscus, velut ex asino & equo generatur mulus. Is Basilisci ortus est, cuius venenum homini, vt fama est perniciosissimum existit. Eadem ratione fit, vt lacertæ quoque cum Stellionibus Sodomiticè permisceantur. Qua ex copulatione vermis peculiaris gignitur, vtriusque naturam participans. Generatum autem ipse vnicum est, & vocatur Draco. Cuius vt nemo causam nouit: Sic etiam quidnam Draco sit, ignoratur, nisi fors vermis horridus dicatur. Ita enim nomina quadrabunt. Scriptura etiam dicit: Super aspidem & Basiliscum. De Basilisco iam dictum est. Aspis autem nihil est aliud, quàm Sodomiticum tale animal, quod in regionibus illis ab eiusmodi vermibus, qui nostratibus longè maiores sunt, gignitur. Sodomitica ea animalia ex seipsis nihil gignunt. Quantum ergo ad dicta tria animalia, vt Basiliscum, Aspidem & Draconem attinet, idem omnino est, ac si dicatur: *ambulabis super homines, illos, qui Sodomiticam vitam agunt, & quorum generatio, semen, & natura melior non est naturâ trium illorum animalium dictorum.* Porrò, Leo est animal naturale ex prima creatione. Sicut autem Leo omnia dilaniat; ita & ipsi Leoninam naturam habent. Vbicunque ergo monstrosos huiusmodi, nec regioni isti familiares vermes in cauernis terræ, in lacubus, &c. inueneritis, meritò ipsos Aspides, Crocodilos, &c. vocare potestis. Sodomiticè enim generati sunt: ideò Sodomitica quoque illa natura in scriptura allegatur. Qua qui affecti sunt, hic quasi punguntur, quòd nimirum tales fiant, & tandem à pedibus Christi proculcentur & comminuantur. Hoc est; Ita nimirum infernales homines opprimuntur, qui tyrannidem suam erga omnes exercuerunt, & Basilisci, Draconis aut Aspidis more omnia venenarunt & inquinarunt.

Mulus ex asino & equo.

Draco quid.

Aspis quid.

Leonis quæ natura.

Desunt hic fortè duæ paginæ.

Ideò dicit Iobus, putredinem esse ipsius patrem, vermes autem patrem & sororem. Sciendum est ergo, quemlibet, qui in corpore (suo) viuit, esse ex corpore terræ. Ideò putrescit, & vermes fiunt ipsius sorores. Itaque qui suo tantùm corpori viuit, est Basiliscus, est Draco, est Aspis, nondum quidem generatus, sed interim viuus incedens, donec moriatur. De Sodomiticis ergo monstris iam intelligitis, quàm abominandè nascuntur. Quod si homo in spermate viuit, spermata ipsius quoque in vermes abibunt, & vermes permanebunt, ac tempore resurrectionis sepelientur in infimam tellurem, super qua incedent & ambulabunt, qui resurrexerunt. Etsi verò huiusmodi generationes multiplices sint: proponi tamen ac describi omnes minimè possunt. Quæ hic desunt, addentur in libris *De generationibus naturalibus.*

Iobi sententia.

LEC-

LECTORI.

TErminantur hic 24. libri secundi voluminis Philosophiæ (sicut Auctor ipse eosdem in proprio catalogo superiùs in huius tomi initio nuncupauit) quorũ, qui perfecti sint aut imperfecti, aut omnino desunt, facilioris comprehensionis gratiâ sequenti tabula tradetur.

1	*De Sagis, earũmque operibus.*	Imperfect.	Fol.
2	*De Dæmoniacis & obsessis.*	Imperfect.	Fol.
3	*De Lunaticis.*	Integer.	Fol.
4	*De Generat. stultorum.*	Integer.	
5	*De Somniis, & euntibus insomno.*	Imperfect.	
6	*De Sang. mortuorum.*	Imperfect.	
7	*De Nymphis, pygmæis, &c.*	Integer.	
8	*De arte præsaga.*	Imperfect.	
9	*De vtraque fortuna.*	Integer.	
10	*De Influentia.*	Integer.	
11	*De Inuentione artium.*	Integer.	
12	*De votis immortalibus.*	Integer.	
13	*De Mortuorum apparitione.*	Imperfect.	
14	*De Mumia,*	Desideratur totus.	
15	*De virtute Imaginat.*	Imperfect.	
16	*De characteribus.*	Imperfect.	
17	*De Homunculo.*	Imperfect.	
18	*De Vindictis Sanctorum.*	Desideratur totus.	
19	*De Inuocat. Signis, &c. Sanctor.*	Integer.	
20	*De Superstitione & cæremoniis.*	Integer.	
21	*De Nigromantia*	Desiderantur toti.	
22	*De Fidei miraculis.*	Desiderantur toti.	
23	*De corruptione non æternorum.*	Desiderantur toti.	

Libellus de Animalibus ex Sodomia natis sub hoc catalogo non comprehenditur.

NOBILISS.



NOBILISSIMI, CLARISSIMI
ac probatißimi Philosophi & Medici,

D. AVREOLI PHILIPPI

THEOPHRASTI

BOMBAST, AB HOHENHEIM,

DICTI PARACELSI,

Operum Medico-Chimicorum

SIVE


PARADOXORVM,

Tomus Genuinus Decimus,

E Philosophicis vero Tertius, continens Philosophiam Sagacem & Astronomiam Magnam,

Recenter Latinè factus, & in vsum Asseclarum Nouæ & Veteris Philosophiæ foràs datus.

ELENCHVS OMNIVM
LIBRORVM IN DECIMA PARTE OPERVM PARACELSI CONTENTORVM.



DE OCCVLTA PHILOSOPHIA THEOPHRASTI PARACELSI.

Præfatio Auctoris ad Lectorem.



DE *sublimibus & abstrusis rebus hîc philosophari cogitantes, pandemus ea omnia, quæ pertinent ad* Magiam, Nigromantiam, Necromantiam, Pyromantiam, Hydromantiam & Geomantiam, &c. *per quas, quæcunque explorari & expediri possunt, hâc nostra Philosophiâ abundè describentur. Nolumus autem immorari in ceremoniis & aliis abusibus hactenus obseruatis vt qui fundamento solido careant, & in mera arenâ exstructi sint. Vnde non mirum est, artes illas à quouis vento concussas, deiectas & penitus olim obscuratas fuisse. Quin imò necesse est, erui illas ex sacra Scriptura, & doctrina Christi, quod fundamentum omnium est firmissimum & constantissimum. Hoc tribus præcipuè punctis constituetur.* Magiæ abusus in quib. olim.

Primo loco erit precatio, *per quam quærimus, pulsamus, ac omnipotentem Deum sollicitamus, vt suæ promissionis esse memor velit. Quod qnidem si genuinâ ratione & deuoto pectore fit, dabitur vtique nobis, vt inueniamus, quicquid quæsiuimus, & aperietur, quicquid aliàs reconditum & abstrusum manet.* Magiæ tria puncta.

Punctum alterum est Fides, *quæ montes attollens, eos in mare elidit. Huic enim, vt Christus ait.* omnia possibilia sunt.

Tertium est Imaginatio. *Quæ si animo nostro rectè accendatur, cum fide hâc facilè conuenire potest.*

Nos ergo omnes ceremonias, coniurationes, consecrationes, &c. & vanitates similes alias vniuersas deserentes, corde nostro in vnam veramq́; petram defigemur, nempe in id, quod ex scriptura confirmatur, quod ex ipso lumine Naturæ & fonte veritatis oritur & dimanat. In explicandis autem istis arcanis & occultis rebus, verbis vtemur simplicibus & breuibus, quæ ante me nec Henricus Cornelius Agrippa, *nec* Petrus de Abano, *nec ipse* Trithemius, *aut intellexerunt, aut descripserunt. Genus porrò hoc scriptionis & philosophiæ meæ nulli contemptui sit: sed potius verba omnia probentur & trutinentur. Sic fiet demũ, vt intelligatis, ex quonam equidem loquar, & an ex Diabolo vel lumine Naturæ talia sciam & didicerim.* Theoph. Philosophia planè noua.

DE CONSECRATIONIBVS.

DE consecrationibus locorum, instrumentorum, & creaturarum terræ similium omnium, multa huc afferri & congeri nihil attinet.

Deus namq; in in initio illicò creationis omnia abundè satis nobis consecrauit & sanctificauit. Sanctus enim ipse est. Quicquid ergo ordinat idem ac facit, per ipsum simul cõsecratum est. Nihil ergo consecratione hominum secundâ opus habet: sed illâ facilè omnia carent, loca cumprimis viarum intersectarum, orbes & circuli, gladij, vestes, ceræ, candelæ, aquæ, olea, ignis, fumi, characteres, scripturæ, libri, pentacula, sigilla Salomonis, coronæ, sceptra, zonæ, annuli, &c. & quicquid ceremoniales Nigromantici contra Phantasticos Spiritus machinantur, quasi alio modo illi euinci & domari non possint, cum tamen in hoc principale fides sit, non ceremoniæ, sicut frequenter ipsi etiam ceremoniales dicere solent, *Hoc consecratum est, est lustratum, est benedictum. &c. aut tot vel tot missæ super hac re dictæ sunt, ideò vim habet aduersus Diabolum, & omnes Spiritus, quos necesse est ad obiectum eius timere, fugereq́; nec propius accedere possunt.* O verò vesanos & bardos homines, non dignos quidem, vt homines vocentur, cùm tam futilibus mendaciis fidem dent, & tamen quotidiè suis oculis videant, grandine & fulmine non ipsa tantùm templa, sed frequenter ipsissima etiam altaria verberari ac dirui. Id enim per tẽpestates Magicas sæpiùs experimur, vbi Diabolus & maligni Spiritus his ipsis in locis audiuntur & visuntur sæpiùs, quàm dici queat. Eodem valore etiam Nigromantici æstimandi sunt, cum suis ceremoniis, quæ nihil sunt aliud, quàm saccus præstigiatorum, quo adstantium ac spectatorum oculi eluduntur, aut ipsorum loculi expilantur, cùm tamen omnia illa ne cassâ quidem nuce redimenda sint. Nihil ergo attinet adduci aut vsurpari ceremonias illas, quas Salomon Iudæus suo in libro descripsit, quem Nigromantici *Clauiculam Salomonis* nominant. Eiusmodi enim auersatur Deus, quarum loco substituit nobis fidem, quę omnia perfectè consecrat. Ceremonias autem hîc in vniuersum omnes minime reiicio, sed eas tantùm, quas ceremoniales contra fanaticos Spiritus vsurpant. Nam in Magicis medicamẽtis illas minimè repudiamus. Consecratio etiam cumprimis Sacramentorum, coniugij, baptismi, corporis & sanguinis Christi in altari solemniter quidem & deuotè retinenda est, vsque ad diei nouissimi aduentum, quo omnes perfectè sanctificabimur, & cum corpore cœlesti clarificabimur.

Rerum quarum consecratio vana.

Salmonis Iudæi liber de ceremoniis, seu clauicula Salomonis.

Fidei vis quanta.

DE CONIVRATIONIBVS.

DE coniurationib. auté nobis deinceps dicturis ante omnia explicandum est, vnde-nam illæ natæ sint, quis eas primus instituerit & vsurpârit, quo fundamento nitantur, quid per illas effectum sit, & quomodo subindè magis magisq; in abusum illæ desciuerint. Sciendum itaq; est, coniurationes omnes primum in Babylonia enatas, in eodem regno subindè magis magisq; inualuisse. Hinc etiam in Ægyptum inuectæ, ibidem ad Israelitas deriuatæ sunt. Omnium postremò etiam ad Christianos descenderunt, ac apud Nigromanticos tanti hactenus habitæ sunt, vt ex inscitiâ illis solis omnem vim & efficaciam asscripserint, & plus in ipsas, quàm aut in precationem aut in fidé fiduciæ posuerint. Quæ tamen opinio inepta simul ac damnabilis, in nullo hominum toleranda, sed à magistratu aut seriò abroganda aut certè pœnis coercenda est. Et licèt quidem coniurationes per se aliquid valeant & efficiant, à nullo tamen illæ Christiano vsurpari debent. Contrariantur enim Deo, & pugnant cum ipsius verbo ac lege, ac aduersantur ipsi lumini Naturæ; deniq; contra ipsos spiritus cogendos nihil veri ac solidi præstant. Per ipsas quidem spiritus sæpiùs coangustantur, aut alliciuntur, vt vel cum solemnitate & pompâ vel cum terrore appareant. Nunquam tamé verè vincuntur, quod per solam fidem obtineri potest. Nigromanticus talis, qui per coniurationes, & spirituum euocationes ac ligationes, omnia quæ vult, exequi annititur, similis est furi aut latroni, in frutetis grassanti, qui iugulando ferocit tamdiu, donec Deus ipsi permittat. Tempus id egredi non potest. Vindictæ enim horâ instante, solitâ prudentiâ & astu viatorem non aggreditur amplius, sed negligentiùs aleam illá subit, vt vel à viatore ipse iuguletur, aut prodatur magistratui, cuius iussu, deinde per carnificé iustam mercedem accipit. Furis eadem ratio est. Is prædatur, effringit fores & claustra, donec à laqueo strangulatus pendeat. Eodem omnino pacto Nigromanticus etiam euocat, coniurat, verberat, & cogit maledictione suâ Spiritus, quamdiu Deus permittit & indulget. Horâ auté vltionis appellente, in coniuratione aberrat, & orbem seu circulum perperam describit, sicut ipsi quoq; Spiritus sæpiùs clamant: *In coniurando hallucinatus es: cirulum rectè non designasti: non approbè ieiunasti: sigilla & pentacula tua falsa sunt. Hanc ergo tibi iam à me mercedem habe.* Sic ergo numeratâ (quod aiunt) pecuniâ soluitur merces pridem pendenda, & coniurator stigmate aliquo notatur perpetuum ferendo, dum vel collum ipsi, vel membrum aliud confringitur aut distorquetur à Diabolo iam facto carnifice.

Cõiurationes vbi primũ ortæ.

Cõiurationes an Christianos doceant.

Nigromantici similes sunt latronib.

Permissu Dei omnia fiũt.

Nigromáticorum seruitus.

Seriò ergo ceremoniales Nigromãtici, quidnam faciant, videant, & hoc caput pro speculo habeant. Hoc enim pacto seipsos seruos faciunt, dominos sibi ac carnifices Diabolos constituentes: cum tamen compertum habeant, nunquam vel aliàs dominos pati, vt à seruis coerceantur, sed hoc omnino requirere, vt mos ipsis geratur, & debita obedi étia præstetur. Sic nec Carnifex, quod fur vult, facit, aut pœnam sollicitanti reo remittit, sed magistratus mandatum exequitur, & officio suo satisfacit. Non aliter spiritus maligni; Dei sunt carnifices, sine magistratus sui, hoc est, sine Maiestatis diuinæ iussu, nihil quicquam facere valentes. Iure ergo hoc dico, quòd coniurationes eiusmodi aduersentur Deo, ipsius verbo & legi, adeoq; ipsi naturæ lumini. Vnde vsus earum non saltem aduersus Spiritus, sed etiam radices, herbas, lapides, & similia alia, cumprimis verò ipsos homines meritò interdici ac vetari debet. Idem cum gentib. facere Christianos non decet. Illæ, cùm nullâ aliâ arte hominib. persuadere, aut eosdem cogere possent, ad coniurationes desciuerunt, sicut multa exempla nobis scriptura dictat, vel inuitos eos imperata facere coactos fuisse. Væ auté vniuersis, qui processum hũc gentium æmulantur. Quantâ id torturâ expiaturi in agone sunt? Quam longiùs diuinæ iræ catalogus ipsis obtendetur à Diabolo? Vt credibile sit, taliter tortum & coangustatũ, si ratione adhuc & sermone polleret, tot angustias & mẽtis carnificinas enumeraturum esse, vt ad concionem illam multa hominum millia conuertantur, & pœnitentiam agant.

Nigromantia Deo & naturæ aduersa.

DE CHARACTERIBVS.

De characterib. quid tenendũ.

CHaracteribus non omnib. credendum, aut fiduciæ aliquid in ipsos collocandũ est. Similiter & in verba. Nigromantici namq; Poetæ in illis admodũ laboriosè occupati, libros omnes complérunt cõmentis ex suo cerebro enatis, veritate ac fundamento omni carentib. quorum aliquot millia vix cassâ nuce redimendá sint, vt de charta & pergameno iam taceã, cuius infinitam molem illeuerunt & perdiderunt. Huius farinæ homines hoc in more habuerunt, quod vel dum hodie simplicium ludificatores facere solent, vt dicant: *Multos eosq; admirandos characteres aut verba secretò adeptus sum, quorum similia tu haud dubiò nunquam antea vidisti.* Interim seipsos talia commentos esse aut finxisse, studiosè silent. Cuilibet ergo promptum sit, charactéres & verba quæuis discernere posse. Sic enĩ multa reperientur verba, nulli vspiam idiomati vernacula, vt quæ nec Latinus, nec Græcus, Hebræusue, nec quiuis alius intelligere, aut alia lingua reddere possit. Repeto ergo, characteribus & verbis non omnib. fidendum esse, sed eligenda & retinenda, quæ recta, genuina, ex fundamento veritatis deprompta, ac multoties probata sint.

Vt verò ad genuinorũ enumerationem descẽdamus: Pro hâc vice sciendum est, hîc de plurib. quàm duobus, nõn tractari. Et licèt multò quidem plures numerentur, duo tamen isti principales sunt præ cæteris omnibus characteribus, pentaculis atque sigillis. Quo modo verò parentur deinceps ita attendite.

Characteres præcipui duo sũt.

Trianguli duo sunt, crucis modo sibi superinducti, in septem spatia dirempti, & sex angulis externè protuberantes. In sex hos angulos sex literæ, altissimi nominis Dei ADONAI describuntur, & iustâ serie collocantur. Is iã primus est & vnus. Alter longè præstantior, & ob virtutes ac efficacias admirandas sublimior, ita se habet. Tres anguli seu vnci crucis formâ iterum complicantur. Illi in sex spatia diuiduntur, quæ angulos externè quinos relinquunt. In hos 5. syllabæ præstantissimi & altissimi nominis Dei *Tetragrãmaton* describuntur, & apto ordine collocantur.

Adonai.

Tetragrammaton.

cantur. Has figuras hîc quidem delinare decreueram. Omisi tamen, quia in aliis libris easdem descriptas inuenietis.

Duobus istis characterib. Israelitæ & Nigromantici Iudæi multa effecerunt: quæ ob id vel hodie à nonnullis magni fiunt, & secretò asseruantur. Tantæ enim sunt potentiæ, vt, quicquid per characteres alios omnes ac quæcunq; verba effici potest, per hos solos præstari commodè queat vniuersum. Et valdè scire aueam, quisnã alius ex omnib. libris Nigromanticis hoc depromi possit præstantior, in quo tam insigne arcanum reconditum lateat contra omnes spiritus, contra Diabolum, contra omne veneficiũ, contra omnes magicos contractus, per asscendentes sagarũ factos? Liberant etiam iam incantatos vel cogitatione & imaginatione, si contra voluntatem & naturam suam aliquid facere coguntur, vel corporis læsione, si idoneo tempore & horâ, velut in influentiâ Iouis & Veneris administrentur, & edêdi offeratur cum placenta aromatisatâ, &c. Ita enim vescens, 24. horis ab incantatione tutus est. Quanquã & alia plura iisdem in casibus iuuent: de quib. agam, vbi de *tempestatibus* scripturus ero. Vt verò rẽ in summam vnam conferam, characteres isti tantæ sunt efficaciæ, vt, si Nigromantici ipsorum vim & virtutem scirent, ac crederent, cæteros omnes characteres, verba & nomina, signa, figuras, pentacula, consecrata sigilla Salomonis, coronas, sceptra, cingula, annulos, ceremonias deniq; omnes similes facilè missuri, laceraturi, & abiecturi sint, quibus tamen hactenus nimis temerè, & non nisi cum certo periculo in vocãdis, adiurandis & cogendis spiritib. vsi sunt. Vera enim & genuina sunt illa pentacula, contra spiritus facientia, quę expauescunt & timent, quotquot illorum sunt, qui quidem in 4. elementis habitant. Fides tamen omnia stabilit.

Obiectio diluitur.

Posset hîc aliquis insurgere, & me (sed immerentem) accusare, quòd tertij mandati Dei in prima tabula violator, sim, vbi Deus inquit: *Nomen Dei tui frustra non assumes.* Quis verò ingenuus dicere queat cum veritate, frustra me nomen Dei sumere, aut malè vsurpare, adeoque Deum ita offendere, cùm tamen isto non magorum more abutar, sed in summis & grauissimis hominum calamitatibus, vbi de cæteris auxiliis omnibus desperatum est, per ipsum opituler? Nec enim in talib. iuuat aut Aurum potabile, aut Quinta essentia auri, aut Quinta essentia seu tinctura Antimonij, nec alia vlla his similia Arcana, etsi aliàs virtutum maximarum sint. Cuilibet enim percognitũ esse debet Medico, quænam cuiuslibet morbi causa & origo sit. Si is à prauis cibis, aut malo potu, aut ab herbis & terræ fructib. genitus est, per Arcana vtiq; herbarũ & radicum iterum exigendus est. Si morbus factus est à mineralibus & metallis, per illorũ arcana rursus curandus est. Is enim priora ex herbis facta arcana minimè admittit. Sic itidẽ, vbi influentia cœli morbum aliquem inflixit, ibi nec Arcana herbarum aut radicum, nec arcana metallorum & mineralium quicquam auxilij præstant, sed ex Astronomiâ per influentiam adhibitam medela accuranda est, sicut in libr. de *Persicaria* docetur. Sic deniq;, si præter naturam per veneficium aut contactum Magicum Asscẽ-

[illegible]

[illegible]

dentium morbus aliquis ac dolor inflictus est, prædictorum nullum iuuat, sed vicissim Magicè & præternaturaliter instandum, morbusq; eâdem viâ, quâ introductus redabigendus est. Et hoc causa est, cur tot afflicti & incantati homines passim ab imperitis illis Medicis, qui talia ignorârunt, deserti fuerint. Qui etsi de his admonerentur, responderunt tamen, curationem talem pugnare aduersus Deum, cuius nomen diuinum superstitiosè vsurpetur, quo tamen ego nunquàm malè vsus sum. Quòd si nomen Dei in damnum & perditionem hominũ impenderem, aut Deum blasphemarem, aut aliàs quendam Spiritum, hominémue, ac herbam seu radicem, vel lapidem. &c. sub Dei nomine coniurarem, tum demum verè ac iustè accusari possem, quòd nomen Dei in vanum assumpsissem, ac ita Deum offendissem. Quicquid autem ad hæc oblatrent Theologi & Sophistæ, aliud contra me non euincent, etsi Vatiniano me odio prosequantur, meque *Magum, Nigromanticum, mandatorum diuinorum violatorem, &c.* (quæ omnia nihili facio) passim calumnientur. Quinimò ipse euentus planum faciet, quòd me illi aliter non tractent, quàm Iudęi & Pharisæi tractauerunt Christum. Is enim cum in Sabbatho infirmum sanaret, *Sabbati & mandati diuini violator* criminatus est. Passus idem etiam Dauides est, cum vrgente fame cum militibus suis templum Dei ingressus, pánes oblationis pro compescendâ illâ comedisset. Sed quis omnibus rectè faciendo sese commendare possit? Sermo indulgendus est hominibus, donec vaccæ aut lapides illum addiscant, quod quidem serò fiet.

DE SPIRITVALIBVS VISIONIBVS ET apparitionibus in somno.

Visionũ genera duo.

HArum duo genera sunt: vnum *Naturale*, alterum *Supernaturale*. De naturalib. visionibus, aut in somno factis apparitionibus, seu insomniis, quæ varia & multiplicia sunt prolixiùs hîc disserendum non est, cùm quotidie illa fiant, & subindè euarient, vel ob mœrorem & tristitiam, vel ob impuritatem sanguinis, vel ob intentas cogitationes, circa quas interdiu homo occupatur, ac cor animumque illis fatigat. Sic aleatores frequenter somniant *tesseras, chartas lusorias, copiosum lucrum, aut pecuniæ iacturam.* Milites somniant *bella, & apparatus tormentorum, loricarum, variorum armorum, denique victoriam aut occubitum*, Bacchi & ebriosi somniant *bona vina, largos trullarum exhaustus, temulentiam.* Prædatores somniant *rapinas, hominum strages & expilationes.* Denique fures *furta, amatores amores, scorta scortationes* somniant, &c. Et hæc omnia ciet ac suggerit Spiritus nocturnus, cuilibet desiderij sui vmbram offerens, & sanguinem mouens ac inflammans, aut appetitus ignem sufflans, qui ægrè iterum extingui potest: sicut euidens huius rei documentum experimur in amantibus. Et amantes quidem Nigromantici sedulò semper allaborârunt, vt experimentum aliquod nanciscerentur, quo puellis suis per somnum apparerent ac se offerrent, vt eò ardentiùs postmodum amarentur. Multi characteres, verba,

Somnia quis moueat.

Amantes que tractẽt pro conciliãdo amore.

interdum propria nomina, extracto proprio ex venis sanguine in pergameno (*vt vocant*) virgineo, &c. descripserunt, & puellarum spondis aut puluinaribus subdiderunt. Sed & puellæ suis procis illiciendis vicissim operam dederunt, & Zonas suas, ac lora, vincula capillorum, flammea, & similia alia adhibuerunt. Sed nunquam certi quid in hisce inueniri potuit, quod non frequenter falleret. Itaque & hoc in casu fidei facti sunt immemores. Sic etiam omnibus artificibus in somno variæ artium institutiones subditæ & suggestæ fuerunt, quas postea ardenti desiderio insectati sunt: vbi imaginatio ipsorum admiranda & stupenda præstitit, cuiuslibet Philosophi *Euestrum* attrahendo ad se, qui artes eiusmodi postea plenius docuit. Id frequenter vel hodum fit, sed suggestorum pars maxima obliuioni datur, sicut passim è somno surgentes manè dicere audimus: *Somnium hac nocte mirabile habui, visus mihi Mercurium, aut hunc illumue Philosophum compellare incoram, qui hanc vel illam me artem doceret. Sed obliuione omnia iterum obliterata sunt*. Tale cui accidit, is, postquam surrexit, cubiculum egredi non debet, nec quicquam cuiquam loqui, sed solitariè & ieiunè viuere, donec in memoriam omnia reuocentur & somnium redeat. Et hæc de insomniis seu visionib. nocturnis naturalibus, quæ frequenter accidunt, dicta sunto. Pro quorum conclusione hoc adhuc afferendum est, quòd insomnia huiusmodi omnia, spiritum nostrum in somno aut exhilarantia aut contristantia, contrario plerunque euentu verificentur. Itaq; fiduciæ multum in ipsa ponendum minimè est.

Euestrũ somnia suggerit.

Cætera autem insomnia, quæ supernaturaliter fiunt, legati & nuntij certi sunt à Deo ipso missi ad nos, nec sunt aliud, quàm angeli & auxiliarij spiritus, in nostris plerunq; necessitatib. & periculis apparentes, eo ferè modo quo apparuerunt magis, recens natum puerum per immensa locorum interualla quærentib. Quem cùm inuenissent, & iam ad Herodem reuersuri essent, vt rem gestam ei renuntiarent: angelus Domini ipsis in somno apparuit, prohibens, ne viam illam remearent, sed omnino aliam quærerent. Sciuerat enim Deus, Herodem doloso pectore in id inquirere. Itaque, vt hâc ratione falleretur, voluit. Simile insomnium habuit etiam Ioseph, & Iacob, cum in Ægyptum proficisceretur. Similiter Ananias, & Cornelius, &c. aliique complures, quæ insomnia omnia fuerũt supernaturalia. His similia etiam hodie nobis quandoq; offeruntur, quæ tamen negliguntur, nihilominus interim veracia & infallibilia.

Somnia præternaturalia quid. Magi.

Iosephi & Iacobi &c. qualia insomnia.

Qui verò huiusmodi visiones nobis offerantur, sciendum est, nos de illis misericordiam Dei in nostris afflictionib. exorare. Oratio namque nostra si seriâ fide ex ore & corde promanet, Deus nobis nuncios mittit, qui spiritualiter appareant, nosque moneant, solentur, doceant, promittant, &c. Nocturnarum harum visionum & apparitionum admodum peritus erat Bileam. Singulis enim noctibus, quibus volebat, attestante scripturâ huiusmodi visionem assequi poterat. Et licèt rigido nomine scriptura eius mentionem faciat, ipsumque Magum vocitet, id tamen non multum refert. Scriptura enim nullo discrimine habito, *Magos* vniuersim omnes appellat, qui rerum supernaturalium periti, non simul sancti homines extiterunt. Huius autem rei ratio peculiaris est. Vult nimirùm Deus, nos in simplicitate instar Apostolorum degere, nec recondita & abstrusa scrupulosiùs inuestigare, ne per illa fors seducamur, & proximum lædamus, & animam cum corpore in damnationem præcipitemus. Non ergo omnes Magi sunt, quos Magos scriptura nuncupat. Hoc enim qui vrget, is fateri cogitur, tres ex Oriente Magos, palmarios omnino veneficos fuisse, quoniam artium, & rerum supernaturalium longè maiorem peritiam habuerint, quàm quisquam alius vel ante ipsos, vel vnà cum ipsis. Quia autem scriptura ipsos non sagas aut veneficos, sed Magos nuncupat: Ex eo quidnam nos intelligere debemus? Hoc nimirùm, quòd artem suam ac abstrusam sapientiam in malos vsus non conuerterint. Eiusmodi namq; Ars Magia est, vt summa ipsius vis & potestas per fidem exeratur. Veneficij tamen illa fieri parens potest. Nam si abusus accedit, iam veneficium illa euadit.

Bileam quales visiones habuerit.

Magi quid in scriptura.

Magia duplex.

Magia quid propriè.

Sed vt fusiùs de huiusmodi visionibus & apparitionibus disseramus, scire conuenit, nonnullos per somnum spiritualiter ita ad Deum abreptos, maiestatem Dei, gaudium benedictorum, pœnamq; ac cruciatus damnatorum vidisse, quorum deinde nullo vnquam tempore obliuisci potuerunt, sed ea ad vitæ extremum vsque terminum in pectoribus suis circumgestârunt. Hæc enim omnia per spiritum contueri possumus, si misericordiam Dei seriæ orationis gemitibus per fidem imploremus. Ita namque omnia mysteria Dei nobis asspectabilia erunt, non minùs, quàm ipsi Esaiæ & Ioanni. Et hæ sunt veræ illæ & genuinæ visiones, quibus solis longè tutius fides habetur, quàm vniuersis Nigromantiæ visionibus, siue fiant in speculis, siue crystallis, perillis, digitorum vnguibus, lapidibus, aquis & similibus aliis. Vanæ enim hæ omnes & commentitiæ sunt. Et licèt quidem aliquando in illis apparentes spiritus responsa dent, & rem iuramentis frequentissimè obsignent, non tamen semper illis credendum est, nisi ex mandato iussuque Dei id faciant. Aliàs veritas valdè nutans & dubia erit.

Ecclesiastici per somnum quæ videant.

Ex visionib. autem prædictis oritur vera illa prophetia, quę cum omnibus vaticiniis quadrat & concordat. Vnde enim magni illi Prophetæ sua vaticinia hauserunt? Aut quînam mysteria Dei ipsis reuelata sunt, si non per supernaturales spiritualesque visiones, factas in somno? Conuenit ergo, in his primam originem inquiri, fundamentumque super veram petram, hoc est, super verbum & promissiones Dei poni, nec malæ fidei oratione Deum inuocari. Sic enim paratum illum faciemus ad seruanda ea omnia, quæ nobis in verbo suo promisit.

Prophetiæ vnde natæ sint.

Vnum adhuc dicendum superest, spectans ad Spiritus & Euestra mortuorum hominum, qui spiritualiter in somno nobis apparent, etsi ante quinquaginta vel centum annos obierint. Et huius quoque rei consideratio

sideratio singularis est, vt quæ tractanda multa admittat. Prolixior tamen explicatio hîc omittitur, & ad locum proprium reseruatur. Vnum tamen coronidis loco percensebimus. Quando fit, vt Euestrum nobis appareat, magnâ curâ attendi debet, quidnam Euestrum nobis indicet, quid loquatur, quid spiritualiter nobiscum tractet. Nec enim pro nugamento id semper habendum est. Si enim fieri posset, vt homo dormiens æquè intelligens esset, ac est vigilans, isque ex Euestro apparente, quicquid vellet, percontaretur: cuiuslibet certè rei veritas ipsi panderetur, de quibus tamen hoc loco plura verba facere non opus est.

De Homunculis seu corporeis spiritibus subterraneis.

Sylphes & Pygmæi qui & quales.

HOmines hi infra nos & in sub terrâ habitant, omnium rerum, quæ vsus postulat, copiam promptam habentes. Genuino nomine dicuntur ipsi *Sylphes & Pygmæi*. Non autem sunt hi spiritus instar spirituum aliorum: possunt tamen ipsis, quoad potentiam & artes æquiparari. Interim hominum more carnem & sanguinem habent, quib. aliàs spiritus verus caret, sicut Christus ad suos discipulos inquit, postquam per occlusas portas ad ipsos ingressus esset: *Tangite me: spiritus enim, vt ego carnem & ossa non habet*. Ex quo colligi potest, spiritum verum nec corpus tangibile, nec carnem, sanguinem aut ossa, sed substantiam aëri ventóue similem habere. Sed hoc secretum hîc prolixiùs non excutiemus. Vt ad huiusmodi homines redeamus, sciendum est, nec ipsos esse spiritus, nec cum spiritibus æquari posse. Quòd si omnino spiritus dicendi videantur, poterunt dici *spiritus terreni*, ideò, quia sub terrâ suum chaos & habitationem habent, nec cæterorum verorum spirituum more in aëre degunt.

Spiritus quid.

Pygmæorum quæ habitatio & natura.

Terrenorum huiusmodi spirituum multi passim versantur, visuntur & audiuntur, iis præcipuè locis, in quib. grandes thesauri ac diuitiæ reconditæ sunt, aut opulentæ fodinæ auri argentiúe gliscunt. Hisce enim rebus illi oppidò delectantur, nec facilè loca talia deserunt. Ex his fossores multa didicerunt. Sed & ab ipsis varia illis passim impedimenta & molestiæ obiiciuntur. Interdum fugantur, nonnunquã verberantur, aliquando globis impetuntur. Sed & præstitis aliquando sese beneficiis commendant, & mortem obituris prænuntiant. Sic vbi primo, secundo, tertióve pulsare audiuntur, mortem præsagiunt fossori, qui illic operatur. Isque aut ruinâ montis obtegitur, aut aliâ ratione vitâ exuitur. Hæc metallarij certâ experientiâ didicerunt: & qui fodinarũ periti sunt, & talia sedulò attendunt.

Pygmæi & Diaboli differunt.

Hi iidem spiritus, cæterorum spirituum omnium pessimi sunt, nec tamen Diaboli sunt, nisi quibus malè volunt. Præterea inter spiritus hos & Diabolos magnum discrimen est. Diabolus non moritur: hi autem moriuntur: vno ergo hoc distant, quòd post longæuam vitam moriantur. Ni esset, vtiq; & hi spiritus vocari possent. Spiritus enim æternum viuunt, nec moriuntur. Contra, quicquid corpus, carnem & sanguinem habet, corruptioni subiectum mori omnino cogitur.

Corpora omnia mortalia.

Incidit iam mihi vulgatum prouerbium, quo clamitatur, *diabolum esse opulentum, & immensis opibus diffluere, ac omne aurum argentúmve, gazasque vniuersas in terra conditas in potestate sua habere, &, cui vult, vel ex pacto & voto debet, easdem impertire.* Hinc & ille alter sermo enatus est: *Huic illiúe pecuniæ satis Diabolus dat, & quicquid auri argentiúe requirit, ad satietatem elargitur. Quá de causa se etiam oppignorauit eidem, & voto chirographo obsignato, se illi mancipium obstrinxit, Deo creatore valere iusso.* Horum autem nihil quicquam verum est, sed sermo iste omnis commentitius & inanis est, cui refellendo quiuis ingenus studere meritò debeat. Diabolus enim creaturarum omnium miserrima simul ac pauperrima est, quo nulla sub sole in omnibus quatuor elementis infelicior & miserior creatura censeri debet. Idem etiam nullius pecuniæ Dominus est. Qui ergo aliis pecuniæ satis effundere possit? Artes tamen habet sufficientes, quas docere alios potest. Interdum easdem etiam prædæ instar sibi eripi pati cogitur. Cæterùm aurum & argentum nullum habet. Tum nec apochas humano sanguine descriptas, aut vllum aliud fœdus extorquet. Alij tamen sunt, qui eiusmodi tractant, Sylphes nimirum & Pygmæi. Qui etsi à naturâ staturæ paruæ & corporis breuis sint, se tamen, vtcunque volunt, vel paruos, vel vastos, vel pulcros, vel deformes, vel splendidos vel egenos hominibus exhibere possunt. Nulla enim arte destituuntur, quatenus quidem naturæ lumen extenditur. Sic ergo & artium satis & satis opum thesaurorumque, argenti, auri, & quorumlibet metallorum habent, vt quibus omnibus statuendis præfecti sunt. Horum multi passim priscis temporibus reperti, auditi & animaduersi fuerunt illis in locis, qui iam desolati & à suis incolis deserti sunt. Hactenus tamen indagare causam nemo potuit, cur & quo modo illi abscesserint. A plerisque enim creaturæ immortales habiti fuerunt: ac mori ipsos nemo vel sciuit vel considerauit: denique amissio illorum & absentatio ad alias causas relata est. Bene longo autem tempore nemo scire vel explorare potuit, qui essent, vnde descenderent, quod præcipuè officium ac munus gererent.

Diabolus an diuitiarũ Dominus.

Diabolus omnium miserrimus & pauperrimus.

Pygmæorũ cũ hominibus fœdus, & natura.

De pygmæis variæ opiniones.

Persuasum enim nonnullis fuit, ipsos (si bene quid hominibus fecissent) angelos ac officiosos spiritus esse, ad nos à Deo missos, sed propter peccata nostra nobis iterum subtractos. Plurima enim sæpius beneficia in homines illi contulerunt, & labores graues durosque ipsorum causâ subierunt & confecerunt.

Aliis persuasum fuit, nolle pygmæos ab hominibus conspici. Ideoq; disparere, nunquam denuò prodire, si ab homine videantur aut inclamentur. Nonnullis, qui viderunt aut animaduerterunt eos, ea sententia stetit, quod sint animæ, seu homines malè mortui, vt qui seipsos aut strangulârint, aut submerserint, aut ferro confoderint, aut alio mortis genere peremerint. Qui, quia de Deo redemptore suo desperârint, & sese Diabolo mancipârint, iam ita oberrare coguntur, vt Diabolo seruiant vsque ad iudicium extremum.

Sunt qui crediderunt, eos inane spectrum, aut strepitum quendam esse, magnę fortunæ indices, vt, vbi audiantur vel sentiantur, singularem fortunam portendant, quod frequenter etiam ipse comprobauit euentus. Plurimum tamen huius præstitit fides. Hi enim per se & ex naturâ propriâ fortunam nullam suggerunt, nisi ad id à Deo, suo moderatore & creatore, aut à nostrâ fide compellantur. Sed nec infortunium creare aut inuehere possunt, nisi Deus id permittat & indulgeat.

Quidam pro spectris & sagis illos habuerunt.

Alij, qui apud thesauros ipsos commorantes animaduerterunt, statuerunt, eos esse Spiritus hominum, qui thesauros illos defoderint, quos oporteat defossas illas opes custodire vsque ad diem extremum, vel donec reperiantur & eruantur. Sententiam suam hauserunt ex verbis Christi dicentis: *Vbi thesaurus, ibi cor vestrum.* Ego autem contra hos ita affirmo, *nec cor esse spiritum, nec spiritum cor*, sed multis modis ista inter se differre. Itaque erronea illa opinio est. Veri enim & substantiales illi sunt homines, cuiusmodi in omnibus quatuor Elementis habitant, quiq; primis Naturæ temporibus pro Deo sæpiùs habiti & inuocati fuerunt. Hi nimirum sunt ipsissimi, quos quasi digito Deus omnipotens indicat, in prima tabulâ præcepto mandans, *ne Deos alienos coram se habeamus, neque eos, qui in aquis* (intelligit Nymphas) *neque qui infra terram* (Sylphes & Pygmæos innuit) Et addit, *se solum esse Deum, & Deum æmulatorem, reddentem iniquitatem Patrum super filios in tertiam & quartam generationem.*

Pygmæi quales homines.

Deut. c. 5. V. 6. 7.

Mõs Veneris quid.

Certum etiã est, ab his montem Veneris in Italia inhabitatũ fuisse. Ipsa enim Venus Nympha fuit, & mons iste regiæ seu Paradiso illius assimilatus est. Quâ tamen mortuâ, regnum quoque ipsius vnà concidit & interiit. Nullus enim amplius rumor de illis hodie circumfertur, sicut priscis factum fuit sæculis, cum *Danhuserus* & alij montem illum visitassent. Nec id quidem commentum putandum, sed pro verâ historiâ habendum est. Hi quidem eo sunt ingenio, vt amantes se homines, studiosè redament. Sic etiam osores suos acriter oderunt. Itaque quisquis se illis data syngraphâ obligat, huic artis & pecuniæ satis conferunt. Iidem etiam cogitationes & voluntatem nostram nôrunt. Vnde vt ad nos veniant, facilè promouentur.

Danhuserus.

Quæ hactenus commemorauimus, eò non spectant, vt quenquam ad illos pelliciamus, sed tantùm, vt de illis ex fundamento loqui & iudicare sciamus, & quomodo hi à diabolo differant rectiùs intelligamus. Diabolus enim corporis expers est, nisi is sibi corpus ex quatuor elementis conflet. Et tamen id corpus neque carnem neque sanguinem habet, est tamen æternum, nec morbis nec morti subiectum. Itaque vt dictum est, non moritur, cùm tamen hi homines moriantur, & tam æternæ, quàm corporali morti subiecti, ac vitâ æternâ orbati sint. Illorum itaque, qui se illis obligant, communis cum illis sors omnino est. Quisquis ergo quid faciat, videat, antequam sese illis obliget. A primo namque

Diabolus quale corpus sibi conflet.

Pygmeorum sæuities.

obligationis momento faciendum est illicò, quod iubent & volunt. Et si irritentur, immorigeris graues pœnas infligunt, & vitâ eos priuant. Exempla in propatulo sunt. Multi enim passim inuenti sunt mortui iacentes, obtortis aut sauciatis collis, aut aliter læsis corporis membris. Hos iugulâsse, hactenus Diabolus creditus est, quod votum illi factum homines non exoluerint, aut quod obligationis terminus præterierit. Quod tamen à veritate longè abest. Nec enim tanta Diaboli potestas est. Hoc potest, vt malas homini cogitationes inspiret, & à voluntate mandatisque Dei ipsum auocet, ad peccataque stimulet, eoque adigat, vt Dei creatoris immemor, ipsoque negato in desperationem ruat, & orare desinat. Huius documentum exhibent verè obsessi homines. Isti spiritus Diabolo quoque cognati, ac persæpè Dei carnifices sunt: & tamen nos frequenter etiam præmonent, tutantur in periculis, opitulantur, ex carceribus eripiunt, & modis aliis auxiliantur. Quo verò pacto alliciantur, vt corporaliter nobis appareant, loquantur, opitulentur & consulant, id hoc loco explicare propter multa secutura mala intutum est. Hoc tamen hîc præfinio, quod sola nostra fides, sola cogitatio & imaginatio id præstare possit. Vnde conueniens est, vt qui homines mœrore, perturbatione, & imaginatione profundiore obruti sunt, solitarij non relinquantur, sed rebus & sermonibus lætis suscitentur, colloquiisque iucundis, & ludicris quibuscunque adductis serenentur, adeoq; de profligandâ intentiore & periculosiore illâ imaginatione seriò admoneatur. Nec enim Diabolus, nec terreni Spiritus feriantur, sed hominibus subindè insidiantur. Hinc est, quòd homines quidem, cumprimis puerperæ dormientes, frequenter velut à spectro opprimantur, vt parum absit, quin suffocentur, nec clamare, aut homines de auxilio implorare possint. Mane surgentes domesticis ita conqueri solent: *Incubus me hâc nocte compressit, vetula, vel senex vir, &c.* semperq; creditum est, eas esse sagas, cùm tamen sagæ corpore suo per nullam occlusam ianuam aut fenestram penetrare possint, vt Sylphes & Pygmæi. O te verò desperabundum hominem & Petrum incredulum, qui à quouis vento commoueris & submergeris. Tu ipse, & fides tua languida & desperabunda, & cogitationes tuæ malitiosæ huc te agunt, & mala illa tibi infligunt. Insuper & magnetem in te habes, quo talia attrahis. Is est magnes cœlestis, Magnetibus omnibus ferrum attrahentibus potentior, & penetrantior etiam quintâ essentia aut constellato Magnete, reconditum & abstrusum ferrum prodente. Magnes namq; cœlestis tantæ est potentiæ, vt à centum mille etiam leucis, ex omnibus elementis quatuor, quicquid velit, attrahat, si in exaltationem suam abeat. De quibus abundè satis per sequentia duo exempla illustria vos deinceps docturus sum.

Pygmæi Diabolo cognati.

Puerperarũ cõpressio nocturna quid.

Magnetis cœlestis vis quanta.

De imaginatione, quomodo in exaltationem perueniat.

EXemplis autem docendum est, quid imaginatio possit, quid operetur, & quâ ad exaltationem ascendat. Id primũ experimur grassantis

Imaginationis vis quanta.

tis pestis tempore, vbi Imaginatio venenum adeò efficax est, vt aërem etiam inquinatissimũ imperet contra quam nullum Mithridatium, nulla theriaca, nec præseruatiuum quodcunq; aliud opem afferre potest. Nisi enim imaginatio tollatur, aut exstirpetur, cætera omnia nihil erunt. Est enim illa prodromus & cursor expeditissimus, summâ agilitate non à domo solùm ad domum, à plateâ ad plateam, sed & à ciuitate vnâ ad aliam, à regione vna ad aliam distantem etiam commeans, ita vt per vnius tantum hominis Imaginationem pestis ad ciuitatem aut regionem aliquam attrahi, ac multa deinceps hominum millia inficere possit. Hoc ex proposito exemplo planiùs intelligetur.

Mente concipiamus duos fratres, quorum alter in Galliis, alter in Italia agat. Fingamus etiam, grassari in Italia pestem, & alterum fratrem ibidem ab illâ iugulari. Nuncium de morte huius in Galliam affertur ad fratrem alterum. Huic iam rigescit cutis, incipit is imaginari, nec cogitationem animo exigere potest. Incenditur ergo, & reuerberatur in seipsa Imaginatio. Et vt aurum argentúmue probatur in capella (vt vocant) vnde flores exeunt, donec scintillet quòd tum demum perfectum, purum, & ab omnibus extraneis metallis separatum est: ita se etiam imaginatio hoc casu habet, seipsam vsque ad summum gradum reuerberans. Ea si fulgurat, spumæ in homine eadem est ratio, quæ spermatis viri in matrice mulieris, vbi illicò conceptio & impraegnatio sequitur. Hinc porro pestis ab vno exundat in alterum, donec per omnem ciuitatem regionémue grassetur. Quo casu bonum est, longiùs abesse, non quidem propter aërem aut fœtorem, (nec enim, quod imperiti homines opinantur, aër tantopere inficit) sed ne talia vel audiantur vel videantur, adeoq; mens timore percellatur. Hinc iam facilè colligi potest, optimum esse, ne homo iste, cui tale nuncium affertur, solus relinquatur: sed id studiosè accurandum, vt colloquiis iucundis detineatur, & aliud agendo ita exerceatur, ne profundioribus cogitationibus & seueriore imaginatione sibi ipsi malum accersere possit. Erigendus ergo est consolationibus, lætis & iucundis narrationibus, lusu aleæ, & quibuscunque ludicris aliis animandus. Et hæc quidem non meas esse nugas putare debetis, etsi ridiculum videatur posse aliquē remedio tã facili sanari. Imaginatio namq; similis est pici. Facilè ea adhæret, facilè ignem cõcipit. Et si semel ardere incipit, non facilè iterum extingui potest. Dicta ergo remedia reprimendæ & extinguendæ imaginationi adhibenda sunt. Et hoc est primum exemplum, quo vis, potentia, operatio & exaltatio imaginationis satis explicata est.

Iam vt ad alia trãscendamus, sciendũ est, imaginationem non tantùm pestis, sed & bellorum tempore multos iugulâsse. Quot enim milites in oppugnationibus vrbium, in velitationib. in aperta acie glandibus traiecti sunt, vbi sola imaginatio in causa fuit. Qui enim trepidus, fugax, & pusillanimis est, & ad quoduis fulmen expauescit, nec aliud metuit, quàm quòd à quâuis emissâ glande impetatur: is certè longè citiùs vitam perdit, & traiicitur, quàm qui intrepidum, alacrem & audacem se præbens, nihil exhorrescit, nullum tonitru metuit, sed fide & spe firmâ præ cæteris omnibus militibus perrumpere cogitat. Et hi veri bellatores sunt, ad omnia castella, ciuitates, terrasque vincendum apti & instructi. Cæteri omnes thrasones, quicunq; & quanticunque sint, siue nobiles, siue ignobiles, equites aut comites, ne teruncio quidem, ne dicam amplo stipendio digni sunt. Quilibet ergo miles, qui aut equestrem dignitatem ambit, aut aliàs ad fortitudinis famam aspirat, imaginari sibi debet aut Iulium Cæsarem, aut strenuum bellatorem alium, quales Romanorum felicitas multos protulit. Is si imaginatione suâ rectè vtatur, hocque perpetuo animo suo voluat & reuoluat, quod eadem cum illis facinora designare nihil subterfugiturus sit: is iam bellis rectè confectis clarescet & consenescet, & cum Imperatoribus illis ad idem honoris & dignitatis fastigium conscendet. Ita multis etiam nesciis, quid imaginatio possit, processum tamen hunc tenentibus contigit, vt & ad honores & ad opes insignes ascenderent. Respondere hic nobis posset quispiam, tales aut à fortunâ, aut fortitudine & industriâ suâ adiutos, ad honoris culmen ascendisse. Multos esse etiam, qui vel propter virtutes herbarum, radicum & lapidum, &c. vel propter diuorum reliquias gestatas, nec lædi, nec vulnerari, nec vinci potuerint. Sed res omnes tantum consortes sunt, quibus tamen omnibus imaginatio tanquam generalis præfectus & dominus imperat. Sed tamen nec hoc inficior, multa eiusmodi reperiri, quæ aduersus hos hostes nos præseruent, & à vulneribus tueantur; ita vt vulnerationi locus non sit. Fides tamen horum omnium exaltatio & confirmatio est, sine fide namque omnia fatua & inefficacia sunt.

Militi probo quid propositum esse deceat.

Fides est vis omnis actionum.

De thesauris & reconditis in terra opibus.

DE thesauris & in terra reconditis opibus hoc loco etiam aliquid dicendum esse videtur, quâ arte cognosci, explorari & comparari possint, & quæ mala vel miracula ibi nonnunquam accidant. Vt ergo certa signa habeantur, sciaturq; & non credatur, vbi thesauri sint: attendi cumprimis debet, quo loco noctu spectra vel audiantur vel visantur, vel aliæ importunitates accidant, ita vt homines noctu prætereuntes, terreantur, & in pauorem agantur, adeò, vt frigidus illis sudor erumpat, aut comæ horrore erigantur. Talia frequenter diei Saturni noctibus eueniunt: vbi faces prætereuntium hominum, non secus ac à vento extinguuntur. Sæpiùs etiam accidit, vt in qua domo reconditus thesaurus latet, multa subinde spectra sub noctem concubiam videantur, multi tumultus audiantur. Talia signa vel visa vel audita plerunque indicant, thesaurum ibi reconditum latere: nec aliò ista signa deriuari aut declinari debent. Imperitiores tamen qui hæc non intellexerunt, multas opiniones sibi de hisce condiderunt. Crediderunt quidam, spectra huiusmodi esse vel à Diabolo vel Sagis, persuasum habentes, domesticum ibi quendam esse, qui cum illis aut consuetudinem habeat, aut Diabolo sese nuncupârit, aut aliud quid vouerit.

Signa thesaurorũ reconditorum.

De spectris opiniones variæ.

Hunc

Huncita tumultuari arbitrati sunt, impatientem moræ, donec ille domo remoueatur. Opinati sunt alij, hominem quendam ista in domo clam interemptum & sepultum esse. Alij affirmârunt, in illâ domo quendam male mortuum esse, ac ipsum, vel eius spiritum iam ibi oberrare. Huiusmodi opiniones multæ natæ sunt, quarum tamen nulla veritati consentanea est. Hoc verum & indubitatum est, thesaurum ibi quendam absconditum esse. Fieri quin etiam hoc potest, vt Diabolus ab obsesso quodam alicubi eiectus sit, qui veniam illic versandi impetrârit. Is tamen multò est tumultuosior locus, quàm quo thesaurus defossus est. *Thesauri* autem duplices sunt: Vnus inueniri ac effodi potest: alter minimè. Discriminis ratio in hoc est posita. Qui acquiri potest, est thesaurus pecuniæ, ab hominibus factæ & depositæ. Alter qui acquiri & effodi non potest, est thesaurus auri, à Sylphis & Pygmæis facti, signati, & congesti. Is etsi aliquando ab hominibus eruatur: vbi tamen semel iterum infoditur, recuperari denuò non potest. Et hęc quemlibet thesaurorum effossorem scire, ac sedulò attendere oportet. Virgula namque diuinatoria fallax est, sæpiùs etiam in nummulum vnum perditum intendens. Similiter & visiones cæteræ in speculis, crystallis, &c. & similibus, quæ Nigromantici thesaurorũ effossores nôrunt, ambiguæ & impostoriæ sunt. Talibus ergo nihil quicquam credendum est.

Thesauri duplices.

Virgula diuinatoria fallax.

Sed vt de effossione etiam aliquid disseramus, quisnam processus sit, vt prudentissimè & felicissimè alea cadat: ad pauca hæc attendi consultum est. Principium eruendi fac influente Lunâ aut Saturno, aut Lunâ errante in tauro, capricorno, vel virgine. Nullis ceremoniis vtere: nullos circulos describe, nullas consecrationes adhibe, sed effossionem audacter aggredere, nec alienis cogitationibus, aut de spiritibus conceptis imaginationibus absterrere. Si facis hoc, Phantasiæ tibi illico variæ occurrunt, & tamen corporeum nihil præsto est, sed tantum visio, apparitio, aut terriculamentum inane. Conuenit ergo, fossores inuicem colloqui, cantillare animo præsenti & impauido esse. Imperitorum enim ea est sententia, quòd à sermone penitus abstinendum sit. Quòd si ad thesaurum penetratum sit, multæque importunitates & terriculamenta audiantur: signum id est, thesauri à Sylphis & Pygmæis custoditi. Hi enim thesaurum non amissuri sunt, cumprimis, si pecuniam ipsi cuderint. Tales ergo thesauri omittendi omnino vel inuitis sunt fossoribus, nisi ad eruendos eos Sylphes consenserint. Licèt enim quidam thesaurorum inueniatur, ac instar prædæ Pygmæis eripiantur: artem tamen hi nôrunt thesauros eos aut transmutandi, aut in materias fœdas & ridiculas, vt lutum, argillam, & simile aliud quid conuertendi, sicut eiusmodi exempla mihi videre contingit. Tales transmutationes etsi quidem eueniant, desperandum tamen non est, etsi res inuenta nec auro nec argento similis sit, nec tale quid expectatum fuerit, sed potius cogitandum est de verbo, quod Scriptura dicit: *Iudicabit Deus mundum per ignem.* Id enim huc accommodandum est, resque inuenta per ignem diiudicanda. Sic & alio loco Psaltes inquit: *Aurum & argentum igne excoctum & probatum, purum reperitur.* Itaque & in hac transmutatione ignem oportet esse indicem. Nec processus eius vllus planior est, quàm vt rectà ad ignem ducatur, planè cæterorum metallorum more. Sic enim ad id, quod ante transmutationem exstitit.

Thesaurorum eruendorũ quod tempus, quis modus.

Thesauri mutari, vt tractandi.

Cæterùm de hisce Transmutationibus, vnum adhuc commemorandum est, ollas nimirum persæpè grandes reperiri & erui, materiâ Indicrâ, velut carbonibus, testis ouorum, ramentis lignorum & similibus, plenas, quæ multis annis defossæ iacuerunt. Harum rerum effossores crediderunt, eas purum auri & argenti thesaurum fuisse, sed à maliginis spiritibus ita transmutatum. Hoc nec est, nec esse potest. Thesaurus enim fortuito inuentus ab hisce spiritibus conuerti ac transmutari non potest, sed talis omnino, qualis est relinquendus est. Non ergo ea transmutatio, sed vexatio omnino putanda est. Sunt enim vexatores aliqui, qui talia suffodiendo homines vexant & inani gaudio oblato eos ludos faciunt. Nihili ergo ista pendenda sunt. Tum & in attollendo deprehenduntur illicò leuia & inania. Quòd si grauia sint, vt metallum aliud, ceu Marcasita, arena, &c. aliquid esse putentur. Ideoque per ignem probanda sunt.

Ollæ terreæ vide fus.

Vt autem rerum necessarium nihil omittamus, quæri adhuc posset, quibus ex causis thesaurus eiusmodi nonnunquam ita promptè reperiatur, cùm tamen minimè inquiratur? Causa autem hæc est. Spiritus, qui thesaurum custodiunt, hominum animos & cogitationes exploratas habent. Quando ergo sciunt, homines nullis thesauris eruendis intentos esse: custodes illi eò fiunt negligentiores, & minùs subdoli. Minùs enim curiosi sunt. Ideò thesauri illis eò faciliùs subtrahuntur. Et hoc casu patiuntur ipsi idem cum eo, qui incautus à suo hoste obtruncatur. Sic enim faciliùs superatur, & spoliatur. Cur autem thesauri tantâ cupiditate & feruore inquirantur & effodiantur, causæ præcipuè binæ sunt. *Prima* est cupido largæ possidendæ pecuniæ. *Altera* est, vt loca illa deinceps eò tutiora, pacatiora, & ab istis spiritibus tranquilliora, denique ad mansionem & habitationem commodiora fiant. Multæ enim vel dum hodie passim sunt domus & arces in nostris regionibus, hâc de causa desolatæ, & propter crebros spirituum tumultus inhabitabiles. Quod argumento certo est, insignes illic thesauros absconditos & sepultos latere. Cæterùm, vbi tale quid sentitur, cumprimis, terra confodienda est, non quidem, vt thesaurus eruatur, sed vt locus ille iterum habitationi idoneus fiat. Quòd si fodiendo assiduè pergatur, nec labori vlli parcatur: ex duobus alterutrum fieri necesse est. Nam aut thesaurus inuenietur & eruetur: aut mergetur, & à suis custodibus remouebitur & subtrahetur, sicut multoties visiones in speculis & crystallis factæ pueris tale quid exhibuerunt, vt fossoribus dicerent se iam multos videre virunculos, qui thesaurum auferant. Hîc ergo à labore cessandum, & indicio credendum est. Postremò hîc etiam sciendum est, quò importuniùs & ferociùs illis in locis spectra sese vel audiendos vel videndos præbent,

Thesauri cur interim faciliùs inueniantur.

Thesauri cur effodiendi.

bent, eo maiores thesauros esse, & altiùs in terra sepultos latere.

Quâ ratione homo occupetur & obsideatur à malignis Spiritibus & Diabolo.

QVo pacto huiusmodi fiant, à diuo Apostolo Petro satis nobis[1] præscriptum & traditum est. Quæ tamen adhortatoria verba, vt probè recteq; intelligatis, accuratâ adhuc & prolixâ explicatione opus est. Summam enim omnem Apostolus duobus iisque breuib. verbis comprehendit, *Sobrietate* nimirum & *Vigilantia*. Ipsa quidem verba aspectu primo simplicia esse videntur: multa tamen includunt, lateque extenduntur, si profundiùs ruminentur. Postquam ergo D. Apostolus fideliter nos adhortatus est inquiens: *Dilecti fratres sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester, Diabolus tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret:* admonitionem tandem illam claudit, *Fide addita,* quâ illi resistere possimus.

Sobrietas & vigilantia [...] 1. Pet. 5.

De prima autem admonitionis parte, videlicet de *Sobrietate*, ita statuite, velle Petrum ita dicere: *Cauete vobis ab omni crapula & ebrietate.* Ebrietas enim fons & origo est omnis mali, omniumque vitiorum, quæ omnia inspiratione Diaboli per ebriosos committuntur. Temperantiæ ergo studete in cibo potuque, nec illis corda vestra aggrauate. Semper enim ac vbiq; Diabolus præsens est, licèt inuisibiliter, quia Spiritus est. Ita prætereà is etiam potens est, vt vbique per vniuersum terrarum orbem præsens esse possit. Completor enim est & designator eorum malorum omnium, quæ in orbe ab hominibus fiunt, non aliter in homines intendens, ac felis in murem. Quamprimùm ergo vos impleueritis vino, & inebriabimini, inuolabit is in vos, & improuidos in peccata præcipitabit, ac vitia malaque vniuersa per vos patrabit, lorisq; vos reuinctos circumducet, velut carnifex sontem, donec ludibrio completo, diro supplicio vos tollat. Vt enim carnifex reum, ita Diabolus temulentum tractat, donec corporaliter ipsum obsideat, ac in desperationem agat. Attendite ergo vos Epicurei, Bacchi & milites, qui temulentiæ addicti, noctes atque dies in vino fluctuatis, nec vllam castigationem admittitis, sed vulgato prouerbio culpam vestram excusatis, quod tale est: *Militem & porcum, semper decet esse plenum. Ignarus enim suæ est sortis, Quænam futura sit hora mortis.* Et hæc sit explicatio primi verbi, *Sobrietatis*.

Sobrietas explicata. Diabolus vbique præsens. Ebriosi obsidentur. Prouerbium militare. Vigilantia explicata.

De *Vigilantia* ita statuere debetis, dicere Petrum: *Vitam honestam & probam agite, vigilate, præsenti animo estote, grauioribus cogitationibus & phantasiis vos non fatigate, de Diabolo nihil metûs vobis insligite, nec imaginationi locum vllum concedite. Multi enim à Diabolo obsessi sunt, occasione propriorum cogitatuum, & profundiorum imaginationum. Vos illas omittite, & orate, Deum in oculis & ore habete, hunc solum mente concipite. Hoc modo vos filios Dei præstabitis, hoc modo Spiritum eius accipietis: is demum vos occupabit, is vos reget, suamque omnipotentiam & miracula per vos exeret, quod fecit etiam per Paulum & Apostolos cæteros, qui vniuersi hoc modo à Spiritu sancto occupati fuerunt. Hos ergo sequimini, ac Diabolum cum omnibus prauis cogitationibus exigite. Per has enim nobismet ipsi persuadētes, Diabolum allicere, ab ipso obsideri & in desperationē agi possumus, donec nos ipsos vita exuamus, & Iudæ aut Achitophelis aliorumq; plurium exemplo intereamus.* Et tantum de verbo, *Vigilantia*, dictum sit. Vnde, quid Petrus velit, satis intelligi potest. Nec enim ipsi, vigilare est lectum non asscendere, aut aliàs somnum nullum capere, quod Carthusiani & alij cœnobiales faciunt. Somnum enim Deus creauit, & illum primò Adamo immisit. Itaque dormiendum est suo tempore, quantum cuiuslibet Natura requirit, &c.

Vigilare quid sit De Petro.

Iam postremò etiam attendite, quî Petrus præmissa verba explicet & concludat. Sic inquit: *Huic fortiter resistemus fide.* Quod idem est ac si diceret: *De gratia Dei nihil dubitate, nec conscientiam vestram onerate, nolite vobis persuadere, vos Deum autrespuere, aut oblitum esse, aut vos ipsi non gratos esse, vel sub conspectum eius prodire non audere, quia contra diuinam eius voluntatem agentes, mandatum eius violastis, multisque vos peccatis polluistis. Credite potius ipsius verbo, quo obfirmat, nolle se mortem peccatoris, sed velle, vt conuertatur & viuat. Præterea peccatorum causa etiam Christus venit, qui illa in sese recepit.* Huiusmodi dicta multa passim in scriptura repeniuntur quæ pusillanimibus & desperabundis illiusmodi hominibus recitari debent, vt solatium inde aliquod hauriant.

Tali instituto Diabolo & malæ conscientiæ obuiam itur, & afflictus homo liberatur, ne secundis porrò tentationibus affligatur.

Quo pacto obsessi liberandi, & à malignis spiritibus extricandi sint: De abusu itidem, hac in actione à multis admitti solito.

POrrò autem de expulsione maligni spiritus audituri, hoc primùm scire debetis, paucos hactenus Spiritus rectè eiectos fuisse. Solis enim ceremoniis & coniurationibus Diabolum eiicere & spiritibus expugnare annisi sunt, quæ opinio planè futilis, & nullo pacto admittenda est. Nam etsi hoc quidem modo homines aliqui liberentur, & Diabolus eiiciatur, id tamen sine alterius detrimento non fit. Idem enim hic fit ac si Princeps quidam ciuitatem aliquam vi ac gladio acquirat, quod sine insigni clade ciuitatis impetrari nequit. Hoc casu vetus etiam prouerbium repetendum est, quo aiunt: *Quòd non placidis, idem nec rigidis verbis ab hominibus extorqueri potest.* Quòd si vi extorqueatur, postea malum grauius extimescendum erit. Et hoc multorum exemplorum obseruatione verum esse notatum est.

Ceremoniis & coniurationib. Diabolus non eiicitur.

Itaq; & hic mos ille, qui ceremoniis & coniurationib. nititur, antiquandus est. Eiiciantur Spiritus ab hominibus eo ritu, quem obseruauit Christus cum Apostolis. Aliam rationem si inueneritis, eiectio Diabolorum multum vobis laboris & periculi facesset. Valde namque inuitus ab obsessis exit Diabolus, & priusquam exeat, exquisitè rimas omnes perreptat, quærens, vbinam sese occultare, & sic suo dominio coercere hominem possit. Quòd si nullum sibi relictum locum videt, antequam exit, postulat

Eiiciēdi Diabolū quæ vera ratio.

poſtulat alium ſibi concedi hominem, vel animal, in quod ingrediatur. Eo permiſſo, malum poſterius priore multò grauius fit. Nullus ergo alius locus illi permittendus eſt, in quem tranſeat, niſi inferni abyſſus, vnde egreſſus, & quò à Deo coniectus & abſtruſus eſt, ne eueniat id, quod de Chriſto dæmonia eiiciente legimus. Cum enim is permiſiſſet, vt in gregem porcorum abirent, eo ipſo illicò momento Diabolis illi ſtimulati, in mare proruerunt, & confertim ad vnum ſe omnes ſubmerſerunt. Nunquam ergo concedendum eſt Diabolo vt in alium hominem ingrediatur. Hic enim ſe cõfeſtim ipſum interimet, ſicut de porcis modo recenſuimus. Quin nec hoc illis indulgendum eſt, vt in aquas, velut in lacus, paludes, fontéſue tranſeant. Hoc enim ſi concedatur, multos ibi homines ſubmergent attrahendo. Eiuſmodi namque ſpectaculo Diabolus oppidò gaudet, & oblectatur. Sic nec in hanc vel illam domum arcémue tranſire permittendus eſt. Illam enim ſemel inuadens perpetuò occupabit, ac tumultibus crebris ita vaſtabit, vt habitatio nulli tuta futura ſit, ſed domus deſolata relinquatur, ſicut multæ paſſim arces reperiuntur, hâc ſolâ ex cauſâ deſertæ. Quarum cùm enumerare multas poſſim, breuitati tamen conſulere malo. Quicquid ergo & quocunq; fine petat, nihil ei concedendum eſt, ſed abire iubendus eſt in infernum, quò à Deo damnatus & abſtruſus eſt. Hinc enim egreſſus, eodem etiam vt redeat, fas eſt.

Quòd ſi præterea Diabolus ex obſeſſis multa blateret: reſponſionis multum ei dandum non eſt. Si verò omnino dicendum aliquid eſſe videtur, iubendus eſt, vt egrediatur, dicendumque: *Impero tibi impure Spiritus, per verba, poteſtatem & vim, quâ à Chriſto Ieſu ipſo Dei filio, & poſtea ab ipſius Apoſtolis eiectus es, &c.* Aliter namque adiurandus non eſt. Quanquam nec hoc pro coniuratione, ſed tantum pro reſponſo haberi & cenſeri debeat. Nec enim per hoc ſolum eiicitur, ſed per illud etiam, quod Chriſtus mandat: *Ieiunate & orate: Hoc enim genus*, inquit *non niſi ieiunio & oratione per fidem eiici poteſt.* Ante omnia ergo neceſſarium eſt, eiuſmodi homines ad orationem compelli, quod tamen ægrè obtinetur. Illorum enim linguam cohibet Diabolus, vt ſuo motu orare illi non poſſint. Itaq; orando illis præeundum eſt. Si ſequi nolint, duriùs tractandi, & remedio ſeueriore tentandi ſunt. Eiuſmodi enim homini manus pedeſque ligandi ſunt. Poſtea vir aliùs cordatior iratus ante ipſum ſtare, ſeque crucis formâ illi ſuperinſternere, viq́ue ad precandum compellere debet, ita tamen, vt orationem illi prænunciet. Hâc arte homo ad orationem compelli poteſt, non aliâ. Quam ſi continuet & vrgeat ſedulò, Diabolus ſponte ſuâ exibit, & obſeſſum deſeret. Et hæc hactenus de eiectione malignorum & immundorum Spirituum dicta à nobis ſufficiant: quæ quidem aliis in locis, paucioribus verbis indicauimus.

[Margin: Adiurãdi Diabolũ formula. — Ieiuniũ & oratio remediũ contra Diabolũ. — Diaboli eiiciendi ritus.]

De Tempeſtatibus.

[Margin: Tempeſtatũ quę origo.]

IAm vt de tempeſtatibus etiam diſſeramus, vnde veniant ſeu oriantur, & qui abeant iterum ſeu tollantur, denique quo pacto à grandine & pruina præſeruari queamus: ſciendum primo loco eſt, tempeſtatum vniuerſim omnium originem à ventis 4. Cardinalib. eſſe, nempe *Euro, Zephyro, Aquilone, & Auſtro.* Et in centro tam aëris quàm ſuperioris firmamenti oriri nihil poteſt, ſed omnia ex dictis quatuor principiis. Hoc iam probè & ſtudioſè conſiderandum eſt. Et quilibet, qui domum ſuam aut prædium, hortum vel agros, &c. à pruinâ & grandine tueri & præſeruare ſatagit, hæc exactè penſitatéque ſcire debet, vt inferius eum ſuperiore æquare poſſit. Sed & quæ cuiuſlibet tempeſtatis generatim cauſa ſit, hîc breuiter indicandum iam eſt.

Principium certè nihil eſt aliud quàm apparitio ſpirituum: cumprimis autem fulgur eſt præſentia & apparitio ſpirituum, vnde cognoſci poteſt, an tempeſtatis bonus vel malus exitus futurus ſit. Cognitionis huius hic modus eſt. Sicut peregrinus quiſpiam ſine ſermone ſeu ſalutatione domum aut hypocauſtum minimè ingreditur: ita nec ſpiritus ſine ſermone nobis apparent. Horum enim ſermo eſt tonitru, quod è veſtigio ſequitur, noſque experimur fieri, vt quodlibet fulgur tonitru ſequens excipiat. Et ſicut mali quid portenditur ſi peregrinus de ſubito in domum quandam irrumpat, vbi nemini notus eſt (nam aut à perſequente aliquo fugatur, aut alium perſecutus ipſe mali quid commiſit) ita de coruſcatione etiam intelligi debet, quòd quò celeriùs & rapidiùs illa fiat, eò maioris mali indicium ferat: plerunque enim *Fulmen* ſequitur. Summè ergo neceſſarium eſt, vt contra id præſeruatio ſciatur, ne vbi nolis, cadat aut noxam inferat. Nec enim contra id facit campanarum impulſus. Quanquam illum hîc non abſolutè reiiciam, in magicis cumprimis tempeſtatib. quæ per aſſcendentes & ſpiritus in aëre concitantur. Silentium enim vt aiunt ſpirituum omnium gaudium eſt. Vnde fit, vt fragor immenſus, ceu campanarum ſonitus, & tormentorũ ſtrepitus tempeſtates partim minuant, partim diuidant. Sed aduerſus fulmen, pruinã & grandinem planè nihil auxilij præſtant, quod ſæpiùs cum certo damno obſeruatum eſt. Hoc ergo caſu Monachi & Clerici ad ſuas ceremonias diuerterunt, populoq; perſuaſerunt, ſi aquâ luſtrali locus aliquis aſpergatur, à grandine & pruinâ illum tutum fore. Sic etiam ſi conſecrata candela accẽdatur, aut palma aliáve idonea herba luſtrata deponatur. Sic etiam ſi fumus aliquis conſecratus, velut ex Myrrhâ & Thure fiat. O verò te ſimplicem & fatuum ſacrificum, qui de hiſce paulò minùs quàm nihil nouiſti. Contrarium enim omnino didiciſti, dum ſuaui & fragante fumo ſpiritus malignos arcere vis, cùm tamen nullâ re illi ſuauiùs afficiantur, quam odoramentis bonis, ſiue ſpiritus boni, ſiue mali ſint. Quòd ſi loco thuris & myrrhæ aſam fœtidam incenderes: ſic demum ſpiritus tam bonos quàm malos abigeres. Fragrans enim ex myrrhâ & thure halitus nihil eſt aliud, quàm ſpirituum ſacrificium, quo illi alliciuntur. Sed de his iam finem facimus.

Porrò vt inſtitutum noſtrum continuemus, quî nempe locus quiuis à grandine & pruina præſeruari dêbeat: ſciendũ eſt, præſeruatiuũ non in

[Margin: Fulgur quid. — Tonitru [illegible] ſpiritu[illegible] — Tẽpeſta. campanarum ſo[illegible] modo pelluntur [illegible] grandine. — Aqua luſtralis [illegible] grandinẽ arcet. — Spiritus odoramentis gaudent. — Grandinis præſeruatiuum [illegible]]

in centrum domus, horti agrive, &c. sed in 4. angulos, versus ortum, occasum, meridiem & septentrionem, collocari debere. Sic enim à læsione locus asseretur. Ita namque & domus, quatuor columnis incumbens, multo est firmior aliâ, columnæ vni super instructâ, sine in medio seu centro, seu parte aliâ constitutæ. Hæc námque domus à ventis & spiritibus faciliùs deiicitur & euertitur.

[illegible]

De præseruatiui autem materiis, ex quibus columnæ statuendæ quatuor sunt, sciendum est, cum aliquibus ita comparatum esse, vt quælibet per seipsam hanc vim habeat, & satis valida sit. Huius classis sunt *Artemisia*, *Hypericon*, *vinca peruinca*, *Chelidonia*, *Ruta*, *Succisa*, & his similes herbæ radicésve aliæ plures, cumprimis si in idoneâ influentiâ, ceu Iouis & Veneris, effossæ sint. Præter has sunt etiam aliæ multò maioris & efficacioris virtutis, vt sunt *Coralli Azoth*, *& Characterum priorum vnus bestiæ impressus*. In tribus hisce conditum est arcanum maximum contra veneficia, spectra, & diabolum ipsum, in quæ fiduciâ certam vrgente necessitate ponere possumus, cùm nos nunquam frustrentur.

[illegible]

De insigni Magicæ abusu, & quomodo in incantationem illa abeat.

Magia quid.

Magica per se est abstrusissima ars, & sapientia seu scientia rerum in terrâ supernaturalium maxima. Quicquid enim intellectui humano perscrutari impossibile est, id per hanc artem omne cognosci & explorari potest. Illa enim est recondita sapientia, cùm intellectus manifesta & insignis stultitia sit. Itaque fas omnino ac æquum sit, ipsos quoque Theologos, quidnam Magica esset, compertum habere, ne immerenter adeò & scienter illam veneficium appellarent. Illis enim cumprimis Magica inseruiret, qua scripturæ sese Doctores & Magistros profitentur. Nec ob id hoc volo, vt in magicâ illi laborent, aut illa vtantur: sed vt eius saltem cognitionem habeant, & effectum virtutésque illius indicare sciant, propter insignia & sublimia mysteria, in S. scriptura recondita, & ab Apostolis, Prophetis, Christoque adeò ipso pronuntiata, quæ intellectu nostro nec capimus nec perscrutari possumus. Quis enim nunquam Theologus (Magiæ non simul peritus) aut Diabolum aut Spiritum alium eiecit, allexit? Aut, quod multò minus & leuius est, ægrum aliquem sanauit, aut aliter iuuit, per solam suam fidem? Taceo, an vastum montem transposuerit, & in mare præcipitauerit. Ex quo patet, eos fidem illam, de qua locutus Christus est, ne ex semisse quidem intelligere, quam tamen ore subinde ruminant, & de illa speciosè disserunt, interim nec probandæ eius peritiam habentes, nec per illam signa edere valentes, ex quibus coniici possit, ipsos fidem eam intelligere, & probandę eius normam habere. Interim si quis alius surgar, & per illam miracula operetur, hunc veneficum criminantur illicò, quoniam res captum & scientiam eorum superat, nec inter magiam & veneficium seu sortilegium illi discernere possunt. Est enim Magica subtilis promptáque

Magica Theologis necessaria.

Magia [illegible]

ars, nullis ceremoniis aut coniurationibus contaminata & polluta, velut est Nigromātia. In illa enim nec ceremoniæ, nec coniurationes, nec consecrationes, nec Benedictiones, nec maledictiones adhibentur, sed sola fides, quâ de Christus inquit, *ipsam montes translocare & in mare exturbare, ac spiritibus Ascendentibúsque omnibus imperare, & illos cogere & domare.*

Magia quomodo in veneficium abeat.

Sedula tamen cura & attentione opus est, ne in superstitionem illa aut abusum degeneret, homini damnum & noxam datura. Sic enim ex ea veneficium fit, quæ ob id iure ab omnibus veneficium appellatur, quod facere solent sagæ, quę in artem hanc irrepserunt, ac in illa, ceu sus in volutabro sese proluerunt, per has, inquam, facta est illa veneficium, seu incantatio. Nec iniquum est, huiusmodi Magos vniuersos igne exuri. Sunt enim homines nocentissimi, & hostes in hoc mundo perniciosissimi iis, quibus malè volunt. Aduersus hostem extraneum, armis, telis & missilibus nos persequentem, nos quidem tueri satis & munire possumus, si aut indutis loricis telorum ictum eludamus, aut prolatis armis viriliter contrapugnemus, aut domi nos contineamus, nec quenquam nisi amicum intromittamus. Contra huiusmodi autem hostem: nulla præseruatio, nulla lorica, nulla porta, nulla sera nos satis tuetur. Ipsi enim omnia patent, is omnia penetrat. Et licèt quidem ferreis ac adamantinis cistis inclusus lateas, à tali tamen satis tutus minimè sis. Nam licet suo quidem corpore damnum non infligant: per fidem tamen falsam spiritus & ascendentes immittunt, qui vel centum milliaribus absentem aliqua corporis parte lædere, & pro suo arbitrio verberare, pungere, occidere possunt. Nihil tamē læsionis exterius in corpore videtur aut sentitur. Carnem námque aut externum hominem sauciare vel lædere non possunt, sed tantum internum, Spiritum nempe vitæ. Nulla ergo bractea, nulla lorica, quantumuis solidissima, contra læsiones eiusmodi nos munit, sed lorica alia per fidem induenda est. Ea est camisia seu interius linteum. Quod si multoties debitè gestatum, postea læue induatur, multò efficacius præstat auxilium omnibus *loricis, bracteis, coriis alcis, vittis anglicis, &c.*

Magi qui comburendi. Veneficiũ quã nocẽs sit.

Sagę per ascendẽtes lędũt &c.

Sagę quid lædant vel sauciẽt.

Sed huiusmodi preseruatiuorum multa sunt, quæ hominem contra omnes incantationes & magicos contactus, ab ascendentibus factos, tuentur. Huius generis sunt *Coralli, Azoth, &c.* Quæ si debito modo adhibeantur, præseruant. Præseruatio enim facilis quidem & prompta est. Difficilima autem curatio, sed tamen possibilis. Nam & hanc magicè supernaturaliterque institui oportet. Hinc est, quod dicunt, neminem rectiùs opitulari posse ipso homine seu saga, quæ malum inflixit. Quod benedictum nullius contradictione infringi potest. Hoc tamen qui dixerunt, ignorarunt causam, quinam aut cur homines illi, qui alterum incantarunt, omnium felicissimè iterum auxilium ferre possint. Nos hic sufficientem rei explicationem annectemus.

Coralli, Azoth, contra veneficia.

Incantator incãtationis optimus medicus.

Incantãdi spirit⁹ seu formæ.

Incantatores nonnulli faciunt imaginem forma humana, illum exprimentem quem læ-

dere cogitant. Per huius plantam clauum transadigunt. Hoc modo homo inuisibiliter feritus inuisibiliter clauum in pede circumfert. Iam ergo ipsi claudicandum est, nec pedi suo is insistere potest, quamdiu clauus in pede imaginis defixus est. Clauo extracto, homo sanatur. Nemo ergo, vbinam clauus ille defixus sit, rectiùs nouit eo, qui illum impressit.

Similiter & clauus nonnunquam alicuius denti imprimitur, ex quo perpetuos ille dolores sentit, donec aut clauus ipse rursus, aut ipse dens euellatur. Huiusmodi claui multi per Archimagos in imagines & ipsarum membra impelluntur, adeóque homo inuisibiliter feritur, sine omni cutis sensu aut consauciatione.

Frequenter etiam fit, vt derepente in hominis alicuius corpore, tumores, vibices & liuores enascantur, aut vniuersum eius corpus lædatur, non secus ac si baculis cæsum fuisset. Cuicunque ergo talia sine naturalibus euidentibúsque causis eueniunt, is non arbitretur aliud, quàm quòd ab incantatore aliquo inuisibiliter, medio nimirùm imaginis ictus & traiectus sit, &c.

Sed & hoc euenit sæpiùs, vt homo aut altero aut vtroque oculo cœcus, aut ex aure vnâ vel vtrâque surdus, aut mutus, aut distortus, & claudus fiat, aut denique totaliter moriatur. Quæ omnia permissu Dei per huiusmodi incantatores patrantur. Et magici hi contactus omnes ab ascendentibus perficiuntur. Opera ergo danda est medicis, vt, si dolores huiusmodi & morbos supernaturales vident, eos non pro naturalibus habeant; & solita sua remedia illis applicent. Non enim possunt quin confundantur; sicut multos ita confusos hoc denique sese excusare prætextu audiui, quòd pœna illa diuina sit, quam auertere nullus sciat Medicus. Belle homuncio: res non pro tuâ se sententia habet. Pœna ea promanat à perditis hominibus & incantatoribus, permissu Dei inflicta. Ad signa ergo attendere decet Medicum, ex quibus talia rectè dignoscat, sciátque, quibusnam medicamentis contra morbos istos vtendum sit.

Incantaméta naturalibus remediis non sanantur.

Primo enim ex ægro percontari debet, quînam tale ipsi acciderit, quod & quale mali principium fuerit, an à casu, ictu, pulsatione, contusione vel quâcunque alia naturali causâ, veluti prauo sanguine, aut fluxu aliquo emerserit. Si horum nullum sit, sciscitetur ex ægro, an hostem vel inimicum quendam, habeat de magiâ & veneficio publicâ famâ suspectum. Si annuat, iam iudica, prædicto modo malum ipsi omnino inflictum esse.

Qui verò taliter læsus restitui & iterum sanari possit vel debeat, ad quemlibet Medicum scire cumprimis pertinet, modo is perfecti Medici nomen sibi vendicare cupiat. Nec enim Galenus, nec Auicenna de cura huiusmodi quicquam aut sciuerunt aut tradiderunt. Patet ergo curationis omnino rationem eandem esse oportere, quæ est morbi ac doloris impressio, quod fit per fidem & imaginationem. Et processus ita se habet. Membrum fac, vt manum, pedémve, aut aliud, illi per omnia simile, quod dolorem sentit. Aut finge imaginem integram quam illine & inunge, & obliga, non verò ipsum hominem. Vbi ergo dolores, tumores, vibices, liuores & similia alia apparent, hoc re-

Incantamenti ratio.

medio illa ab homine propelluntur. Si verò incantatio tam fortis sit, vt perituri vel visus, vel auditus, vel virilitatis metus sit, aut homo mutus, distortus claudúsve fieri velle videatur, forti fide integra imago ex cerâ fingenda, ac imaginatio in illam valide defigenda est. Postea debito modo & ordine imago tota igni comburenda est. Mirum autem vobis non videatur, huiusmodi incantati hominis tam facilem sanationem esse. At Sophistas Academiarum in hoc quæso ne æmulemini, qui cum ludibrio talia excipiunt, dicentes, id impossibile esse, & pugnare contra Deum ac Naturam, cùm in nullâ Academiâ tradatur & doceatur. Nec enim vniuersa, quæ scire Medicum decet, in Academiis discere & experiri datum est. Diuertendum interdum etiam est ad vetulas, ad Tartaros, quos Zigenos vocant, ad Nigromanticos circumforaneos, ad veteres agricolas, & ad contemptos homines alios, & in horum quoque schola pars magna quærenda & discenda est. Hi enim de his plus scientiæ habent, quàm Academię vniuersę.

Medici quibus & cete. ponen.

Hoc loco etiam dicendum aliquid est de Magico seu incantatorio, quem vocant, ictu illo, quo hominem oblędunt & distorquent, incantando in eius pedem aut corpus citra omnem cutis apertionem, vel cineres, vel capillos, vel filamenta, vel setas, vel piscium spinas, & similia absurda multa alia. Quod, quî perficiatur, dicere hîc nihil attinet. Id enim ab aliquibus disci facilè posset ac magnorũ malorum causa fieri posset. Cura tamen hoc loco proponenda est, quo nimirùm pacto telum seu iaculum illud sine cutis apertione iterum extrahatur, & citra dolorem omnem homo sanetur. Hoc autem casu sedulò id agendum est, ne antiquarum Medicorum veterum morem sequamini qui centrum huius doloris nouaculis adactis inciderunt tam profundè, donec capillos, &c. inuenirent. Quâ ratione dolores priores nouis cruciatibus additis mirificè auxerunt, & carnificum more ægrotos eousque laniarunt, donec eos penitus excoriarent, & vitâ exuerent. Hac namque methodo pauci sanati, infiniti autem perditi & occisi sunt. Eo ergo processu valere iusso, melior & tutior alius arripiendus est, Nam si de iniectâ illâ materiâ aliquid, (*multum an parum sit, nihil refert*) eximatur, & sub sambucum aut quercum vel defodiatur, vel obdito clauo includatur versus orientem: de cætero nullâ curâ opus est. Defossum enim vel inclusum illud, reliquum, quod in tumore superest, promptè extrahet, & plaga sponte suâ citra medicationem aliam sanescet. Aliâ curatione opus non est. Aliam enim viam si ingrediaris, quantumcunque intrusæ materię exemeris, tantundem tamen iterum veteri loco colligetur, nec materiæ copia vllo modo minuetur, nisi ad debitum dictúmque locum illam extuleris.

Ictus incantatoris quid.

Fistucra.

Medicorum reprehens.

Quî verò huic vniuerso malo occurrendum ita sit, vt nec incisione vllâ, nec vstione, nec dolorosâ quâcunque aliâ apertione opus sit, & materia feliciter, sine molestiâ, labore, & omni hominis dolore extrahatur & propellatur, notandum hic est, id fieri oportere per Magnetem, qui veneficia & incantationes omnes ad se trahat. Huius classis est folium quercinum, Chelidonias

Chelidonia, *Azot, puluerisati coralli, &c.* Quorum quodlibet per se debito modo super centrum deligatum, viginti quatuor horarum spatio, quamcunque immissam materiam ita extrahet, vt iuxta locum affectum posita videri possit.

Vnum adhuc hic repetendum est, spectans ad diluendum vetus prouerbium, quo nonnulli dicunt: Odi hanc sagam, itaque nihil illa mihi mali infligere potest. Firmiter namque persuasum, habent, sagas illis, qui ipsas odêre, mali nihil inferre posse, sed tantùm iis, qui eas amant. Sed hoc vanum & irritum est. Qui enim Sagas odit, is ad mutuum odium eosdem armat: Vbi demum persecutioni initium datur, sicut ea hostium natura & proprietas est. Si autem illis resistere velis, ne tibi damnum dare possint: per fidem vtique id præstandum est. Fides namque obfirmat omnia, omnia stabilit, omnia conseruat, omnia potest præstatque.

LIBER

DE IMAGINIBVS

THEOPHRASTI PARACELSI HOHENHEMII.

CAP. I.

IN describendâ potestate, virtute, & mirabili operatione imaginum, primò omnium explicandum est, *quæ illarum causa & origo sit.* Deinde, *quis illas primus inuenerit.* Tertiò, *quænam ipsarum virtus sit, & quidnam per illas præstari posse ego autumem.* Quartò, *quousque imagines & figuræ in suis lineis extendantur.*

Quoad primum, imagines & figuræ ortum suum traxerunt ex arte Magicâ, ac Ethnicis & Babyloniis inuentæ sunt. Eæ quàm admirandarum operationum sint, deinceps dilucidè explicabo. Institui autem priùs exemplis quibusdam propositis docere, quanti abusus ex imaginibus enati sint, & quàm grauiter Deus ab hominibus per artem illam offensus sit, ita vt multi ob abusum illum truculẽto supplicio à Deo affecti fuerint. Inter primos hos Rex numerandus est Manasses, de quo scriptura ait: *Erexit aras Baalim, & fecit lucos, & adorauit omnem militiam cœli, & coluit eam, &c. & ariolatus est, & obseruauit auguria, & fecit pythones, & aruspices multiplicauit, & mala omnia coram domino fecit, ac idola in templum Dei collocauit. Iratus ergo dominus, immisit ei principes, & exercitũ Regis Assur, qui captum illum vinculis constrinxit, ac secum in Babyloniam abduxit*, sicut historiam pleniùs ipsa scriptura recitat.

Similiter & de *Aárone* legimus, quòd grauiter Deum offenderit, cùm vitulum aureum, Idolum genti Israëliticæ finxisset & præstituisset. Huc referendus est etiam *Nebucadnezar*, qui tres Israëlitas, *Sadrach, Mesach, & Abednego* in fornacem ignitam coniici iussit, idcò, quia statuam auream adorare noluerint. Similiter & malè cecidit alea sacerdotibus Idoli Beel, velut ac mystis & prophetis Baal, ac aliis plurimis, qui omnes hîc percenseri non possunt nec debent, ne prolixitate æquus lector offendatur. Si enim scripta & res gestæ priorum seculorum euoluantur, luce meridianâ clariùs patet, exitum tragicum eos omnes mansisse, qui Idola sibi finxerint, & statuas, Dei veri & viui loco, impiè adorârint. Ideò ab Idolomania illa abstinendum, & solus Deus verus inuocandus est, qui Moysi in rubo apparuit, quique filios Israël ex Ægypto eduxit, & quadraginta annis in deserto sustentauit mirabiliter, qui Samsoni robur impertiuit, qui Danielem in fouea Leonum liberauit, qui Ionam in *Ceti ventre* seruauit, qui pastorem ouium Dauidem contra Goliathum tutatus est, & filium eius Absolonem ante conspectum parentis confudit, qui diuum Ioannem in oleo excoquendum eripuit, qui diuum Laurentium in crate, ne torrefieret, seruauit, qui tres adolescentes in fornace ignea defendit, qui Noam cum vniuersa familia tẽpore diluuii in arca sustentauit, qui Lothum cum filiabus ex conflagratione Sodomæ & Gomorrhæ eduxit, qui Isaacum à stricto patris Abrahami cultro subduxit, denique qui Laxarum ex mortuis resuscitauit. Hic enim vnus Deus coli vult, nec honorem suum daturus alij est. Deus verus quis.

Deum autem imagines ob id in solidum vetare, falsum est. Hoc saltem prohibet, vt adorentur, vt colantur, vt in necessitatibus inuocentur, Hac enim de causa, non alia, mundum Deus puniuit. Seriò enim hîc affirmo, decere omnino imagines & figuras in Christiana Ecclesia statui, cumprimis autem illas, quæ passionem saluatoris Christi exhibent. Sicut enim homo, ad viuum depictus, & in tabula exhibitus multò gratiosior est, quàm non depictus, quia post obitum ipsius idea & contrafactura oculis expositam memoriam eius spectantibus subindè innouat, nec vnquam obliterari sinit, quod extra imaginem facilè fieret: sic eadem irrefragabiliter ratio est etiam passionis Christi: Huiusmodi námque imagines idiotis, laicis & infantibus librorum loco sunt. Preterea pios etiam inanimis spectantium motus, & imaginationes spirituales excitant, seriámque & profundam meditationem angustia plenissimæ passionis Christi suggerunt, nósque de beneficiis eius commonefaciunt, quæ in genus humanum clementer contulerit, adeóque instigant & inflammant hominem ad deuotionem, & simplicioribus ac literarum imperitis, velut etiam infantibus interdum ad salutem doctrinæ plùs conferunt, quàm conciones aliquot auditæ possunt. Ea enim est cùm infantium tum etiam adultiorum quorundam natura, vt auditam concionem ne per horam quidem recordari possint, sed per aurem vnam admissam illam, per alteram illicò rursus emittant. Et huius imbecillitatis hominibus quidnam concio prodest? Cùm tamen imago aut pictura visa in animo longè tenaciùs inhæreat, & altiùs in cor penetret quod videtur oculis, quàm quod auditur auribus. His autem meis verbis nouam idolomaniam nullam condo, sed eam seriò abdico. Imagines saltem hîc explico, & effectum illarum, quem per Magicam præstant, paulò altiùs trutino.

Imagines quomodo De' prohibuerit. Imagines cur in templo ferendę. Imaginum vtilitas. visa auditis tenaciora.

CAP. II.

Cherubim quid.

IAm oculos vestros conuertite ad Cherubim binos, quos per Moysen fieri & in templi altare collocari Deus iussit, additâ promissione, quod ibi habitare, & per illos responsa dare velit. Interim vt illis seruiatur, aut vt inocentur adorentúrve, non mandauit. Mandatū ergo hoc capessens Aaron Cherubim illos in fide fabrefecit: factúmque est, quod Deus promisit. Aspicite etiam serpentem æneum Moysis, quem in deserto erexit. An non ille imago & magica prophetia fuit de Christo, qui instar serpentis illius in crucem erigendus sit, vt mundum à peccati & diaboli morsibus sanaret? Quoniam ergo semel id factum est, poterit etiam fieri denuò, & per Magicam cùm perfici, tum explicari. Per imagines namque omnia possunt addisci, prophetari & prædici, præterita, præsentia & futura. Per imagines omnes artes docentur & explicantur, non secus ac per literas librósque veluti *Petrus de Abano* Magiam & Nigromantiam suam per figuras & imagines descriptam Paduæ post se reliquit. Verum tamen Magicæ arcanum is ignorauit. Zizania enim pro tritico habuit, & vtraque simul enasci passus est. Huiusmodi autem imaginem & figuram quamlibet qui intelligere, explicaréque velit, illum bonum Astronomum & Magum esse oportet. Ars enim imaginum ex Magica procedit. Nec admirandum hoc tantopere est, quod Chaldæi & Assyrij imagines fecerint, quæ se mouerint, locutæ sint, & signa fecerint. Nam illud per Nigromantiam potius & veneficia, quàm per naturalem Magicæ artem perfecerunt. In hoc autē fœdi abusus sese reos fecerūt, quod rude vulgus ita infatuarint, & fascinarint vt ab ipso pro diis & opitulatoribus haberētur. Ea námq; persuasione emanante & sese diffundente, varia sacra instituta sunt, résque eò peruenit, vt passim omnes illis sacrificarent, eos colerent, inuocarent & adorarent. Quo sacrilegio Deus ita ad iram commotus est, vt ingentibus & plurimis calamitatibus eos castigaret, & tandem radicitus estirparet. Et talia quidem non solum ante natum Christum, tempore regni Babylonici admissa sunt: sed etiam post natum ipsum saluatorem nostrum, nos Christiani quoque, ante non multos admodum annos eadem designauimus. Et exempla nonnulla commemorare mihi admodum procliue foret, nisi auditu ea admodum formidolosa essent. Vnum tamen reticere non possum de religiosa peregrinatione Ratisbonam ad *Speciosam Mariam* fieri solita, cuius sacerdotes idolo caput excauarant, in vacuum illud oleum infuderant, quod postea sensim exstillans, lacrymantem diuam spectantibus repræsentabat. Hoc sacerdotes eius ita explicabant, quòd nimirùm magna hominum peccata ea deploraret. Fraus quidem ista nocens simul & nimis petulans erat, culinis tamen suffarciendis haud parùm idonea. Quare idolum id non temerè illis in magno pretio erat, &c.

Serpens Moysi erectus quid significarit.

Petrus de Abano, Magia non recte peritus.

Chaldæi & Assyrij quales Magi.

Historia de speciosa Maria Ratisbonensi.

CAP. III.

SEd vt porrò etiam doceamus, quidnam per imagines & figuras secundum scientiam Magicam doceri, cognosci, & intelligi possit: animum quæso aduertite etiam ad sanctos prophetas, cumprimis Esaiam & Ezechielem, & diuum Ioannem, quibus omnibus mysterium regni Dei per solas imagines & figuras, per insomnia vel in spiritu visas, reuelatum est. Aspicite quinetiam antiquas illas & admirabiles imagines figurásq; Norimbergæ in quodam Carthusianorum cœnobio repertas, & videte, quàm reconditas significationes ex Magica de vniuerso papatu contineant promántque. Illarum námque origo verè magica est. Et prophetia illa euentu suo non carebit. Sed de his libellum peculiarem condidi, cui conuenientem etiam Magicam interpretationem annexi. Sic etiam inspicite Hermetem, Geberum, & Philosophos alios plures. An non illi artem suam Alchimicam & Spagiricam maxima ex parte per imagines & figuras ex Magica deprompserunt? Quæ omnia deinceps clariùs explanabuntur. Et huiusmodi quidem imagines ac figuræ, antiquæque picturæ, vel dum hodiè multæ passim in diuersis locis reperiuntur, quarum tamen nullus respectus, nulla ratio habetur. Nec enim ad significationes ipsarum quisquam attendit, vt de intellectu vero hîc sileam. Sine euidenti tamen causa à priscis Magis minimè assignatæ aut appictæ sunt. Et mos quidem eiusmodi delineandi, priscis quàm nobis, multò receptior fuit. Quod quidem ex eo patet luculenter, quòd vel dum hodie diuersis in locis multoties etiam non inquirentibus imagines & figuræ admodum stupendæ offerantur, nonnunquam in vetustis sacellis, interdum in sepulchris, in cauernis & cryptis, in rupibus & scopulis, in insulis, & locis aliis incultis & desertis, &c.

Prophetæ per imagines docti.

Figuræ Magicæ Norimbergæ notatæ.

Figurarum ratio priscis, quàm nobis, magis obseruata.

Vbicunque ergo locorum huiusmodi imagines & figuræ reperiuntur, eæ magni æstimandæ sunt. Non enim sine graui causa assignatæ sunt, & plerumque abstrusa quædam notant. Conueniret itaque, Astronomos & Magos congregari, ac tales imagines figurásque examinando, probabile de ipsis iudicium facere, non quidem, vt plus inde artis addiscant, aut plus experientiæ colligant, sed vt sensum & prophetiam certiùs assequantur. Faceret enim id ad commodum, & salutem totius alicuius imperij aut huius vel illius Principis, Regis, ipsius Cæsaris, qui tempestiuè per talia admoniti, non pauca, alias nocitura, declinare ita possent. Frequenter enim aut ciuitati alicui, aut regioni, aut regno, vel Principi, regi, cæsarive huiusmodi imagines & figuræ multa minantur, quæ expressis aliàs verbis sibi dici non tolerarent. Quis enim prudens, id periculi subiret, licet Astronomiæ & Magiæ peritissimus, vt Principi alicui, aut Regi Cæsarive in os diceret, tibi hoc accidet, tu occideris, glande traiicieris, subditi tui te regno exuent & eiicient, in exilium agent, subditi tui data fide violata & rebellione facta te repudiabunt, & domino alii iurabunt. Quis inquam aleam tanti periculi prudens subiret? Non ego certè, nisi aut capitis aut suspendij periculum subire mihi certa sententia staret. Et licet quidem Physionomiæ ac Chiromantiæ Magiæque quis peritissimus sit, ac ex natiuitatis hora

Imaginum obseruatio magistratibus necessaria.

Apud principes veritas non est libera.

horâ de mortis genere statuere certò possit: nulli tamen tutum fuerit, expressis verbis Principi, Regi aut Cæsari tale quid in os dicere, sed per imagines, figuras, similitudines, & ænigmata admonere eos oportet, vt hoc vel illud caueant. Si faciant, benè, Sin minùs, & suum potius cerebrum obstinatè sequi malint, malum sibi prędestinatum incurrant. Quo etiam fine tália hic indicare volui, vt Principibus vobis ac Monarchis admonitioni sint, vt Astronomi, Magis ac consiliis horum locum dare malitis deinceps, quàm aut proprio vestro arbitrio, aut aulicis, quos alitis, aurem porrigatis. Hi enim vos non rarò seducunt.

CAP. IV.

PORrò autem hoc capite iam disserendum est de imaginibus & statuis, quæ à priscis pro numine habitę, ac tanquam certi auxiliatores cultæ & inuocatæ fuerunt. Harum in honorem solemnia sacrificia, & religiosæ peregrinationes, ac pomposa Encænia instituta sunt. Itaque sciendum est, ex harum numero primum & præcipuum fuisse Beel, magnum illud & abominandum Idolum Babyloniæ, quod annorum 1100. decursu pro vero viuóque Israëlis Deo habitum, cultum & inuocatum fuit. Quo tempore occupatus admodum & supra modum sedulus fuit Diabolus, donec *Ninum* seduceret, eúmque doceret artem quâ parentis Beeli imaginem fingeret, & columnę imponeret, vt cultu diuino exciperetur. Potens enim ille per omnes terras dominus erat. Vnde persuasio illa Deitatis apud populum faciliùs locum inuenit, vt veneratione diuinâ ipsum quocunque modo prosequerentur. Multa námque miracula idolum operabatur, & instar viuentis alicuius, voces ac responsa dabat. Quæ tamen omnia per ipsum diabolus eloquebatur, & suis præstigiis ita pópulum dementabat. Et Ninus quidem per Magiam damnatam non per naturalem, talia confecit. Coniurationibus enim dęmonem quendam in Idolum abstruserat, qui miracula in ipsius corpore ederet, & quoties vellent sacerdotes, responsa quærentibus daret. Hoc iam primum Numen, seu Idolum ac imago fuit, signa & miracula edens. Ab hoc postea multæ subindè imagines, vna post alteram, succedentibus sæculis exortæ sunt. Eò námque peruentum erat moris & abusus, vt ob quamlibet singularem dotem, singularia numima statuerentur. Sic qui celebris, potens & versutus erat, dicebatur, *Mercurius*. Deuotus, religiosus, pius & castus, dicebatur *Iupiter*. Victor & strenuus bellator, *Mars*. Subdolus, inuidus & nocens, *Saturnus*. Insignis Musicus, amator & salax, *Venus*. Tyrannus *Nimroth*. Versipellis & facundus, *Pallas*. Potator *Bacchus*. Vates *Apollo*. Venator, *Diana*. Diues, *Pluto*. Tales enim Numinum titulum illicò adepti, diuinis honoribus excolebantur. iis Templa, Aræ & columnæ statuebantur. Adeóque factum est, vt cuilibet populo & negotiationi vel ordini suus peculiaris Deus præficeretur. Militum Deus *Mars* erat, Musicorum, Amatorum, Scortatorum *Venus*. Agricolarum & terram colentium *Saturnus*. Religiosorum, Sacerdotum & Leuitarum *Iupiter*. Artificum & Mechanicorum *Mercurius*. Nautarum & in aquis periclitantium *Neptunus*. In igne periclitantium, & qui circa illum occupantur *Vulcanus*, &c. Inuentis primum & constitutis his diis, sua deinceps etiam insignia & instrumenta, ex quibus, quidnam tractarent, aut de quâ re inuocarentur, nosceretur, appicta fuerunt. Ita Saturno data falx est: Marti gladius, thorax, lorica. Idem etiam dabant *Nimrotho*. Veneri appingebant puerum Cupidinem cum arcu & telo. Bacchum coronabant pampinis, & manibus eius addebant poculum.

Beel idolum, quid & cuius sit.

Ninus Beel statuit.

Ninus per Magiam Beel erexit.

Varia numinum nomina, & insignia.

Qui quorum hominum dii fuerint.

Præterea eò deuentum est, vt etiam cuilibet ciuitati regioníve Deus peculiaris assignaretur. Cũ enim dissidiis populus scissus, in partes & sensa diuersa abiret: peculiarem sibi tutorem & patronum modo non quælibet ciuitas, ne dicam regio constituerat. Sic Babyloniis pro Deo erat *Beel*: Ægyptiis *Isis*, & *Osyris*: Africanis *Neptunus*: Mauris *Iuba*: Rhodiis & Messagethis *Sol*: Samo *Iuno*: Lemno *Vulcanus*: Papho *Venus*: Delpho *Apollo*: Romanis *Quirinus*: Athenæis *Minerua*: Carthaginensibus *Socrates*. Sed quos Deos, quas imagines, finxerit sibi quælibet ætas & regio, sigillatim hic enumerare nihil attinet. Nec si velimus quidem, possumus. Ea autem superstitio & Idololatria vltra bis mille annos ante natiuitatem Christi durauerat, &c.

Qui quorum terrarũ & populorum dij.

CAP. V.

HOc loco describendæ sunt etiam similitudines, imagines, figuræ & colores in cœlo conspici solitæ, quæ extra naturalem Astronomiam quam prestantissimus Ptolomæus conscripsit, iudicari explicarique, omniúmque tempestatum varietas ex illâ non minùs, imo multò rectiùs & expeditiùs, quàm ex Astronomiâ Naturali deduci potest. Ipsius námque Astronomia multâ numeratione, ac accurato studio laboréque indiget: quorum omnium compendium tamen gratius sit. Verum enim summúmque Astronomiæ Arcanum ex ipsâ Magica procedit, nec vllo calculo, scriptione aut lectione eget, ita promptum & facile, vt etiam à rusticis addisci possit.

Astronomia Magica Ptolomæica expeditior.

Pro introitu breuem vobis explicationem & exempla pauca inducemus, cum operosiore dilucidatione minimè opus sit. Cœlum aspicite, vt nubes atra pluuiam indicet, & iris imbrem largum ac latè diffusum. Aurora pluuiosam feram, rubor serotinus calidum & serenum diluculum portendit. Sic nullus in cœlo color apparet, qui non peculiarem Magicam interpretationem habeat.

Rubor matutinus & serotinus quid indicet.

Cœlum enim in se colores omnes continet, quorum nullus otiosè apparet. Quoties námque nouus color: toties noua tempestatis mutatio. Qui autem, quidnam cuilibet colori cognatum sit, & quod eius indicium sit, scire quærit: eum peritum Magum & Spagyrum esse oportet. Aliàs ista scire impossibile erit. Et licèt quidem colores quatuor capitales seu primarios, quatuor Elementis assignari solitos (Cœruleus enim est aquæ, viridis terræ, luteus aëris, ruber ignis) scieris: præter

Cœlum omnes in se colores habet.

Elemẽt. qui colores sint.

præter illos tamen multi etiam alii sunt, varietate & permixtione diuersi adeò, vt satis commodè distingui minimè possint. Itaque magnâ diligentiâ opus est, vt discernatur, quinam elementares colores potiores sint. Pro his enim indicium fieri debet.

Obiici hic posset, *nigrum & candidum colorem, duos etiam primarios, ac ob id minimè negligendos esse.* Sed respondeo, illos huc non facere. Non enim nisi secundum quatuor Elementares colores iudicium veri cœlestis præsagii fieri debet ac pronuntiari. Ad Spagyricam autem & Alchimiam color niger & albus referũtur, vt in qua quatuor etiam colores primarii enumerantur, scilicet Niger, albus, luteus, & ruber. Nigredo autem cæterorum (duorum) colorum radix & origo est. Quæuis enim materia nigra ad suum tempus reuerberari potest, vt etiam tres cæteri colores suo ordine & serie prodeant ac conspiciantur. Nigredinem enim sequitur candor, candorem flauedo, flauedinem rubedo. Res autem quælibet, per reuerberationem ad colorem quartum reducta tinctura est sui generis seu naturę. Sic nimirum herba, exacta hyeme circa ver nondum apparens, sed radice sua in terra adhuc condita latens, nigra arida & informis est. Vbi autem ab æstiuo calore, & feruore solis vegetatur, sensim incremento facto emergit, & per calorem solis reuerberatur, quatuor primarios colores successiuè adipiscens. Rem planiùs ita habete. Primò enascitur herba ex radice. Deinde ex herba flos. Tandem ex flore semen. Etiam tinctura & Quinta Essentia herbæ est. Sine semine enim nihil crescit, sine semine nihil nascitur, sine semine nihil propagatur, adeóque in omnibus terræ fructibus semen est potissimum & nobilissimum, adeóque præ omnibus maximè ęstimandum.

Nigredo colorum aliorum radix.

Color vltimus, cuiusli bet rei tinctura.

Eodem modo prisci quoque philosophi septem Metalla septem planetis accommodarunt, ac in figuras, imagines & literas contulerunt. Sic Aurum est Solis, Argentum Lunę, plumbum Saturni, Stannum Iouis, cuprum Veneris, hydrargyrum Mercurii, ferrum Martis: quæ secundum Magicam rectè quidem ita disposita sunt. Vnde vel dum hodie etiam ita retinentur.

Semen rei est præcipuũ. Septem metalla septem Planetis assignata

Sed vt ad colores explicandos pergamus, affirmo, omnes veros perfectósque colores tantùm sex esse: nempe *Nigrum, Album, flauum, rubrum, viridem & cæruleum.* Quanquam sint, qui pro numero planetarum septem etiam recenseant colores, quibus non refragor. Nam & in Magica cuilibet Planetæ & metallo color peculiaris assignatur, Saturno nempe, & plumbo Niger, Soli & auro luteus, Lunæ & argento cæsius. Mercurio & hydrargyro cyaneus: Veneri cuproque viridis Marti & ferro, ruber: Ioui & stanno, candidus. In genere tamen si loqui velimus, cæsius verus & perfectus color non est, instar cęterorum. Si enim nigrum candido, aut candidum cyaneo permisceatur, cæsius color prodit. Idem etiam de cæteris concurrentibus & permixtis coloribus iudicandum est, sicut omnes mihi attestabuntur pictores, quod ex sex hisce coloribus vitra triginta parari possint, quorum tamen nullus alteri similis sit. Similiter & in Magica septem Planetis ac metallis præter colores alia quoque assignantur, & illorum loco ponuntur, nimirum quæ arte Magicâ per imagines & figuras indicantur. Sic frequenter Rex aut Leo Planetam Solem aut metallum Aurum indicat. Regina aut gryps Planetam Lunam aut metallum Argentum notat. Angelus aut Serpens, vel Draco, planetam Mercurium aut argentum viuum designat. Miles aut gladius, Planetam Martem aut metallum ferrũ innuit. Agricola cum falce aut vnco, aut priuatim per se falx & vncus Saturnum seu plumbum exhibet. Leuita, Sacerdos, Monoceros, Turtur, aut aliud huic simile animal castum, Iouem vel stannum arguit. Fœmina arcu & telo insignis, aut infans arcum telúmve gestans, aut ex Musicâ quædam alia pars, Venerem vel cuprum ehibet, &c.

Colores veri tantum sex.

Cæsius color perfectus non est.

Rex & Leo Magicè ac cæt.

Sic porrò, si ex Magicâ per imagines & figuras prophetia intenditur ciuitati alicui, aut regioni, aut regno, &c. per animalia, insignia & colores, ciuitati illi, regionîve aut regno agnatos aut quos princeps vel Rex in insignibus suis gestat illa: explicatur, non verbis expressis designatur. Quilibet ergo, qui interpretationem huiusmodi prophetiæ aggreditur, non saltem bonus esse debet Astronomus, verum etiam peritus Magus, probéque scire debet, quo insigni vel plantæ vel animalis vel coloris quæuis ciuitas, regio aut regnum vtatur. Res clara fiet exemplis. Aquila in Magica notat Cæsarem Romanum, aut Romanum Imperium. Tria Lilia vel tantùm vnum indicat regnum Galliarum. Tres coronæ sibi inuicem impositæ, vel crux triplex Papam vel papatum significat. Corona vna, vnum regem aut regnum. Luna dimidiata Imperatorem Turcicum, aut eius imperium, & sic deinceps.

Aquila quid Magicè notet, &c.

CAP. VI.

CÆterum hoc in capite deinceps etiam de Necromantia dicendum est, de iis nempe figuris, quę à Cœlo & aëre desuper in fructus, homines & pecora cadunt. Nam nec ista sine euidenti causa & vaticinio fiunt, sed frequenter futuram aliquam ingentem mutationem denotant. Exemplum exhibuêre cruces seu asterisci delapsi, qui Necromantici extiterunt. Vaticinati námque sunt de ingenti futura mutatione & dissidio in causa religionis, insignémque cladem & persecutionem Christianorum & Ecclesiæ Christi annũtiarũt. Haud enim longè post Lutherus cum sua doctrina, erupit, sectáque vna ex alia prætextu religionis lutheranæ inde prodiit, quarum nedum finis est. Sectæ enim nouæ vel dum emergent in posterum, quouis opinionem suam aliis ceu meliorem & sanctiorem pręferente. Et in religione seu Ecclesia pax & concordia nulla statuetur, vsque dum aureum & nouissimum tempus appellat. Eo facto dies domini non longè aberit. Hæc verò omnia cadentes cruces prophetatæ sunt, sensu tamen Magico.

Cruces delapsæ quid necromanticè notarint.

CAP. VII.

SImiliter etiam admirabiles figurę & imagines multæ reperiuntur in scopulis & rupibus, ac illis precipuè locis, quo nullus facilè hominum

hominum penetrat, quod tractus, & venæ per chiromantiam suam indicant. Itaque valdè necessarium est, quemlibet circa metalla occupatum, bonum esse Chiromanticum, vt sciat laboris impendendi modum, & peruestigandi seu fodiendi locum. Tractus enim ac venæ interdum tam variè sese exhibent, & intortè, vt singulari studio ab hominibus exsculptæ videantur, quod tamen opus naturaliter ita ordinante Deo enatum est, suâ prophetiâ non carens peculiari. Clam enim indicatur id, quod ibi latet, & reperiri potest. Quid autem quælibet huiusmodi figura & imago indicet, Magi & Chiromantici nôrunt, qui Chiromantiæ periti optime de illis iudicare queunt. Aliàs enim ista omnibus abscondita sunt. Sic etiam multi exiles lapilli in aquis & arenâ reperiuntur, veluti silices, & peculiares, vt vocant, *Gamahey*, figuris insolitis conspicui, quasi manu & operâ hominum illæ cœlatæ & exsculptæ essent, omnes tamen prouidentiâ & consilio Dei enatæ. Lapides hi nunquam non admirandarum & insigniũ virtutum ac operationum existunt, quas Deus illis indidit. Vim autem ac efficaciam cuiuslibet lapidis, figura ipsius ac imago indicat. Illæ enim sunt ipsorum signata, ex quibus nosci debet, quamnam à cœlo influentiam, à Deo assignatam habeant. Id iam ars Magicâ docet. Lapides isti subtiles artifices & cumprimis Astronomos compulerunt, vt rem profundiùs rimarentur & pensitarent. Cúmque viderent, huiusmodi lapides ob figuras & imagines tantas virtutes & vires habere, illis similes alios lapides sumentes, influentiam suo arbitratu virtutibus illis correspondentem elegerunt, & imaginem cælare aut insculpere aggressi sunt. Examine autem instituto, labor eorum omnis irritus & frustraneus inuentus est. Hâc ergò occasione rem adhuc penitiùs euoluentes, statuerunt, quandoquidem eiusmodi virtus ex cœlo promanet, & influentiæ cœlestes sint, ideò non quemlibet lapidem ad id facere, sed sumendos omnino esse lapides, qui iam ante virtutes cœlestes continerent. Animum ergo aduerterunt ad *Corniolos* & *Saphyros*, & sic rem seu artem (quod aiunt) acu tetigerunt. Necesse námque est, vt, si vis quædam cœlestisque operatio corpori alicui induci debeat, influentia quoque cœlestis, alteri similis, connata sit. In omnibus enim rebus fieri videmus, vt contrariæ res non facile vniantur. Et vt ex duro saxo vinum aut frumentum enasci non potest: ita nec hic, &c.

Gamahey quid.

CAP. VIII.

Itaque dicendum etiam deinceps est de *Figuris*, quæ per Chiromantiam cognosci & iudicari debent. Nam & hic magni momenti Chiromantia est. Sciendum autem est, Chiromantiam esse multiplicem, non vnam saltem illam, quæ ex manibus iudicat, quidnam homini impendeat, quidnam boni malíve perpessurus sit. Nam & alia quædam Chiromantia est Herbarum, alia foliorum in arboribus, alia lignorum, alia saxorum & mineralium, alia regionum, viarum & fluuiorum. Chiromantia præterea alia etiam est, in Terræ motibus & aliis siccis feruidisque æstatibus sese offerens per fissuras & hiatus telluris, qui sine insigni prophetiâ non accidunt. Hæc autem probè rectéque intelligi debent. Et Medici quidem est, herbas & folia ex suâ Chiromantiâ cognoscere, ipsorumque vires ac operationes inde iudicare. Qui ligna tractant, vt tignarij, arcularij & similes, lignum ex suâ Chiromantiâ cognoscere debent, ad quidnam id faciat vel conducat. Sic etiam metallarius fodinas ex suâ chiromantia æstimare debet, quænam in ipsis mineræ aut metalla quæri debeant, & quàm profundè illa lateant. Ita & Cosmographus chiromantiam regionum, terrarum & fluminum: Geographus chiromantiam terræ & terremotũ cognoscere debet. Sciendum námque est, chiromantiam esse initium Magicæ, nec quenquam perfectè Magiam discere posse, nisi chiromantiam priùs cognouerit. Chiromantia enim est Magicæ ABC. Vt enim (*quod vocant*) Alphabetum prius discere oportet eum, qui scripturæ peritus esse volet: sic eadem & hic ratio est. Et chiromantia quidem facilis ac cognitu prompta ars est: summè tamen gloriosa & vtilis, quam quilibet etiam rusticus, literarum imperitissimus addiscere potest, vel dum hodie in Ægypto admodum familiarem, & *Zigeunis* (quos vocant) valde vsitatam.

Chiromantia [illegible]

Chiromantia est initiũ Magiæ.

Chiromantia est Magicæ Alphabetum.

CAP. IX.

Quoniam propositum mihi est hoc libello describere Magicas figuras, imagines & signa: conuenit sane, vt deinceps ea quoque commemorentur, quæ in herbis & radicibus ostenduntur, singulari Dei prouidentiâ ita constituta & ordinata. Itaque & hîc diligentia opus est, vt secundum Magicam illa recte æstimẽtur, ac virtus eorum ac operatio probe iudicetur. Per chiromantiam enim & physionomiam ac Magiam recte ac prompte ex facie externâ cuiuslibet herbæ aut radicis proprietas ac vis, ex suis nimirum signatis, specie, formâ & colore æstimari potest, nec aliâ probatione aut longâ experientiâ opus est. Deus enim in initio omnia diligenter distinxit, nec vnam omnibus formam indidit, sed peculiarem suam notam quibuslibet appendit, ex quâ velut ex vngue Leo, aut Motio ex tintinnabulo (*vt prouerbio ferunt*) illa dignosci queat. Nam & in Magiâ tintinnabulum Morionem notat. Eâdem ergo ratione & herbæ radicésque ex suis signis & tintinnabulis cognosci debent. Signa verò, Exempli gratia, talia sunt. Radicem aspicite satyrionis: an ea non pudendi virilis formam habet? Omnino. Per Magicam ergo inuenta Magice indicat, facere se ad recuperandam amissam virilitatem, & suscitandam libidinem. Sic an non Cardui folia acus more pungunt? Ex hoc signo per Magicam indicatum & inuentũ est, herbam nullam ad punctiones internas conuenientiorem esse. Sic victorialis (*est allium anguinum*) radix filamentis crebris ita intorta & intricata est, vt loricæ speciem intrinsecus exhibeat. Ex quo signo Magico creditum est, eam aduersus arma non secus ac loricam munire, ac gestãtes tutos prestare. Eodem modo & radix Syderica singulis in foliis imaginem seu figuram serpẽtis exhibet: vnde ex Magicâ patet, eam aduersus

Dei prouidentia omnia distinxit.

Satyrij vsus.

Victorialis herbæ vis.

Syderica facultas.

aduersus omnia venena facere. Similiter & cichorium peculiarem sibi congenitam influētiam à Sole habet, quod ex floribus eius colligi potest, qui ad Solem continenter sese conuertunt, quamdiu ille nostro in hemisphærio oberrat. Vbi Sol occidit, virtutis non admodum magnæ est. Quam verò esse causam putas, quod radix eius post septennium in speciem auis conuertatur, & quidnam de hoc Magica indicat? Si nosti, tace, nec verbum vllum illusoribus de re ista pande. Si non nosti, discere perge, nec discere probrosum indica. Sic enim fiet, vt fama per omnem terram de te sonet, quæ nullo apud posteros sæculo obliterabitur. Posset hoc loco etiam à nonnullis quæri, cur Mandragoræ radix, speciem vultumque, manus ac pedes hominis ostendat. Nam non sine insigni causa talia à Deo ita facta esse, credibile est. His respondeo, falsum esse quod Mandragoræ radix humanam formam habeat, sed fraus & dolus in ea committitur à circumforaneis, qui hominibus suis imposturis etiam in aliis similiter fucum faciunt. Talem enim faciem radix non exhibet, nisi ab impostoribus ita cæletur & formetur. Nec enim vel à Deo vel à natura talis illa formata est. Otiosum ergo fuerit, de ea pluribus disserere.

Cichorii proprietas.

Mandragoræ radix an hominē præsentet.

Huiusmodi herbarum & radicum multò plures hic enumerari possent, nisi de illis alio quoque loco dissereretur. Pauca saltem exempla pro introitu percensere volui, vt sciretur, quousque imagines & figuræ in sua linea etenderentur.

CAP. X.

CVm ergo, *vt dictum est*, figuræ & imagines longè latéque pateant, nec quicquam necessarij omitti debeat: sciendum est, illas etiam ad characteres pertinere. Nam & characterum origo ex Magia est, qui imaginibus non sunt dissimiles. Per characteres enim multa indicari & perfici possunt tanquam per efficax verbum aut nomen, & tamen characteres nec verba sunt, nec nomina. His tamen quadantenus conueniunt. Sunt enim verborum imagines & figuræ. Quibus si accedant verba, quæ significantur per Magiam, eò illa efficaciora fiunt, & virtutibus suis coaugentur vel multiplicantur.

Characterum origo Magia est.

Hoc loco iusta à nobis querela mouetur, quod profugi & fanatici nebulones, quos olim scholares erraticos vocarunt, characteres & verba tantopere in contemptum redegerunt suis mēdaciis & imposturis & characteres nouos, noua nomina impostoriè commenti sint. Hi enim rudioribus & simplicioribus persuaserunt, vt crederent, Album esse Nigrum. *Quinque esse paria*, sicuti prouerbio iactari solet. Nebulones isti characteres & verba papyro vel pergameno inscripta porrexerunt aduersus hunc aut illum morbum, aduersus diabolum & spiritus malignos, aduersus veneficium, & incantationem, aduersus spectra, aduersus suffocationem, aduersus exustionem, aduersus hostes & arma, &c. si nimirum gestentur. Si in domo suspendantur aut asseruentur, illam neque igne conflagrare, neque grandine aut fulmine verberari posse creditum est.

Scholastici errabundi.

Etsi verò concedam, characteribus hanc vim & facultatem insitam esse: certum tamen est, non falsis sed veris vim illam competere. Exemplum notum est de characteribus planetarum. Qui si legitimè conficiantur, in influentia idonea, iam notum est, quid operentur. Character nimirum Solis extollit hominem ad honores & opes. Character Martis victoriam impertit aduersus hostes. Character Veneris facit gratiosos apud homines, ne facilè petitionis quid illis denegetur. Character Iouis facit deuotos religiosos, castósque. Caracter Mercurii facit industrios, ingeniosos, sapientes, agiles & expeditos ad omnia, &c. Similiter & characteres isti vim habent nonnullos morbos expellendi, & ab illis præseruandi eos, qui illos vel gestant vel portant. Eodem modo & duodecim signorum cœli imagines & figuræ admirandæ operationis sunt, si bona influentia existente, hoc est si Sole & Luna iunctim currentibus parentur, de quibus hic plura dicere non attinet, cum iam dicta sapientibus sufficiant, &c.

Characteres planetarum & [illegible] operationis.

CAP. XI.

ANimum autem attendite ad Virgiliū Philosophum admirandum, qui per imagines miracula operatus est, nec hic dicenda, nec aliis credibilia, quibus similia, nullus ante ipsū alius perfecit. Ars tamen illius potius Nigromantica quàm Magica fuit. Duobus enim modis, nimirum per Nigromantiam & Magiam fieri possunt imagines, variis viribus insignes, & cum loquentes, tum sese mouentes. Et frequentiores sunt illæ, quæ per veneficium & Nigromantiam parantur, quam quæ per Magiam naturalem conficiuntur. Illa tamen & cum Deo pugnat, & ipsi naturæ lumini aduersatur. Virgilius enim & ipsius asseclæ per magnas & potentes coniurationes talia perfecerunt, diabolósque ac malignos spiritus in imagines compulerunt, qui postea ex imaginibus signa ediderunt, & hominibus responsa dederunt. Hos nos non imitari, sed exemplum ipsorum velut ipsum cacodæmonem fugientes, longiùs non progredi debemus, quàm quousque Fides & Imaginatio ducit. Nullum enim Christianum fines fidei & imaginationis transgredi decet. Et contra fidē nemo etiam tutò pugnare potest. Pugnare autē contra fidē hoc est, si quis per vim, vt per admirationem & abusum nominis diuini perficere conatur illa, quæ per solā prǽstari fidē possunt ac debent. Semel enim hoc dicendū est, nos per solam fidem & efficacē imaginationem cuiuslibet hominis spiritum in imaginem aliquā cogere seu coercere posse. Sed & hoc fieri potest, vt per solam fidem fortéque imaginationem, etiā sine imagine & figura, vocem & responsum ex aere, quoties quidem poscimus, eliciamus. Nec vlla opus est cōiuratione, sicut bardi Nigromantici & coniuratores aiūt, necesse esse, vt, si spiritū aut ex aere vocē elicere cupiamus, violētis cōiurationib. nos ad quatuor mundi cardines conuertamus, & clarâ voce personemus, ceremonias requisitas addamus, circulos faciamus seu describam., fumos incēdamus, ieiunemus, & puras religiosásque vestes, Salomonis, aut ipsius sigilla adhibeamus. Hæc enim omnia meræ ineptiæ & seductiones diabolo-

Virgilius Magus, &c.

Nigromantia, quam Magia frequentior.

Fides non Christianorum.

Fidei quanta vis.

Nigromanticorum [illegible]

bolorum sunt, à fanatico quodam, Sathana ipso peiore, confictæ & excogitatæ, aut in Synagoga illa, cui præceptor Diabolus præfectus est, traditæ. Studiosè ergo sibi caueant, quicunque Christo nomen dederunt, aut Dei amore flagrant, aut aliquo animæ & beatitudinis æternæ studio tenentur aut noscendi luminis Naturæ desiderio æstuant, vt huiusmodi pestes fugiant, & præuaricatores illos euitent, qui aut ab ipso Diabolo, aut certè illius discipulis adeò seducti sunt. Quicquid enim illi cum vitæ & animæ periculo, magnis etiam impensis laboribus præstant, idem nos quoque, ipsis tamen multo rectiùs, per solam fidem & imaginationem nostram perficere possumus. Per illam námque ascendentes ad nostrum lubitū cogere possumus, vt, quoties volumus, dicto modo nobis responsa dent.

Quo vero pacto vocem aut responsum ad nostra interrogata elicere possimus, ex hoc intelligi exemplo potest. Pone, me alicui dicere, vt ad hunc vel illum locum abeat sub noctem, stetque sub cœlo & diligenter auscultet. Futurum námque esse, vt si hora hęc vel illa sonet, vox quędam ex aere audiatur, quæ dicat & respondeat, quæcunque petantur. Fides illa iam firmet verba mea: abeat ille, auscultatum vocem. Cuius fides & imaginatio si ita sit fortis, vt nihil quicquam aliud cogitare possit quàm horam venturam, quam assiduè animo suo verset: iam nullo dubio is audiet vocem, humanę quidem similem, sed hominem tamen nullum pręsentantem. Cæterum voces huiusmodi non semper ab ascendentibus promuntur, sed multoties etiam ab Angelis & officiosis spiritibus eduntur, de quibus Epistola ad Hebræos inquit *quod ex iussu diuino fiant*.

CAP. XII.

PErgendum nunc est ad practicam, qua nimirum specie modoque Homunculi & Imagines, in quibus occulta quędam humanitas aut spiritualis natura lateat, effingantur. Huiusmodi quidem imagines ideò *Homunculi* appellantur, quia speciem & omnia membra humana habere debent, non quidem eadem cum homine magnitudine, sed quantitate debitâ & idonea. In his operationes ac vires omnes & voluntates hominum perficiuntur. Et sciendum est, homunculos & imagines fieri posse ad conciliandum hominibus sanitatem, amorem, gratiam, fauorem; item ad homines extollendos, liberandos, ex peregrinis locis adducendos, ab armis, ab hostibus visilibus & inuisilibus, ab incantatione, & à morbis grauioribus & similibus malis aliis vindicandos & liberandos. Sic vicissim imagines fieri possunt ad homines infirmandos, ad suscitandam simultatem, inuidiam, odium, ad exigendos homines, adciendam infelicitatem, & propositum impediendum. Hi autem homunculi & imagines fieri debent pro influentia & naturâ interna hominis. Influentias eiusmodi procedere oportet ex interno homine seu natura ad naturam externam, hoc est, ex homine in homunculum. Nam & Homo in se continet Astra cœlúmque, non minus ac firmamentum superius. Astra ea abscondita latent in mente, hoc est, in hominis animo. Tanti enim momenti animus est humanus, vt à nemine is satis explicari possit. Et veluti Deus ipse, & Materia prima, ac cœlum, hæc inquam tria æterna & incorruptibilia sunt: ita animus quoque hominis. Homo ergo beatus sit per animum; hoc est, viuit ęternè, nec vnquam moritur, non magis ac *Enoch & Elias*, qui ipsi quoque animū suum rectè cognouerunt. Quòd si nos quoque homines animum nostrū rectè cognosceremus, nihil vtiq; nobis in hac terra impossibile esset. Quomodo verò ille, si in exaltatione sua est, rectè cognosci possit: sciendum est, ipsum (animū hominis) in seipso submersū & suffocatum esse, hoc est, hominē videntibus oculis esse cœcum, & auribus audientibus esse surdum, nares eius nihil odorari, manus nihil tangere, corpus nihil sentire, &c. Hoc ita intelligi debet. Videt quidem homo, sed quid videat, nescit: audit, sed sermonem non intelligit, seu, sonum cuiuslibet rei intelligit quidem, sed quid sit, non intelligit. Sic etiam gustat: sed quid gustet, nescit. Tangit, sed quid tangat, ignorat. In illis enim, quæ in animo ipsius iacent, videndo sese inaniter fatigat, sicut simia in speculo, aut infans stultusve in pictura. Homo namque qui profundis suis cogitationibus in animo quasi submersus est, is similis est illi, qui quinque sensus amisit, & pro stultissimo in mundo habetur, at apud Deum vir sapientissimus est, vt cui Deus omnia secreta sua ostendat, & abdita quæuis, plus quàm cæteris mundi sapientibus omnibus commonstret.

Animi humani quanta dignitas. Animus hominis æternus.

Sciendum itaque est, perfectam imaginationem, quæ ex Astris nascitur, oriri ex animo, in quo Astra omnia condita latent. Et animus, fidesque ac imaginatio tria distincta sunt nominibus: vim tamen & robur idem habent. Vnum enim ex altero nascitur. Nec alij comparari possunt vlli, quàm (liceat ita loqui) *Trinitato Deo*. Per animum enim penetramus ad Deum: per fidem amplectimur Christum: per imaginationem accipimus spiritum sanctum. Tribus ergo his, veluti Trinitato Deo, nihil impossibile est.

Animus, fides, & imaginatio. vt conueniant.

Trinitatus Deus

Dum ergo in mundo hoc per animum nostrum penetramus ad Deum, perque fidem ad Christum, ac per imaginationem spiritum sanctum accipimus; Hoc modo Apostolis similes simus, nec mortem, nec carceres, nec cruciatus, nec paupertatem, nec laborem, nec famem, nec aliud quicquam metuentes. Quin etiam possumus eiicere dæmonia, infirmos sanare, mortuos resuscitare, transponere montes, sicut de Trinitato Deo scribitur. Exemplum habemus in speculatione. Videmus enim, quendam, qui speculatur, & res, quas speculatur, intelligit, si non desinat, sed sollicitè rem curæ cordíque habeat, per speculationem talem practicam inuenire. Nemo enim ad practicam peruenire potest, nisi per Theoricam & speculationem, qua omnia prius exacta esse decet. Nam opificia omnia, omnes artes, originē suā habent ex speculatione & theorica. Et scire conuenit, noctu semper, qua

Speculationis vis quanta.

corporea

corporea omnia pacata sunt & quiescunt, speculationem, cogitationem & imaginationem omnium maximè commodam esse, in locis cumprimis abstrusis & solitariis, vbi nullum ab hominibus obtrudi impedimentum potest. Adde, & corpore ieiuno existente.

Speculatio, quãdo & vbi cõmodissima.

Sed vt ad homunculos reuertamur, practicamque nostram quam breuissimè tradamus: sciendum est in communi, fundamentum, ac scientiam omnem in tribus homunculis & imaginibus sitam esse, in quibus & per quas operationes vniuersæ perficiantur. Non enim nisi tribus modis homunculi omnes consiunt. Vnus & primus, cum omnibus membris, quę homo aliàs habet. Alter cum eodem quidem corpore, sed cum tribus capitibus & tribus vultibus. Tertius, cum quatuor capitibus, & quatuor vultibus, quatuor mundi angulos respicientibus. Sed & ex triplici materia Homunculi omnes conficiuntur, vt ex *terra*, *cera* & *metallo*, non item ex re alia.

Homunculi tres tantum sunt.

Homunculorum processus ita se habet. Si per illos hominem quendam à morbo liberare velis, & sanare, opus est, vt imaginẽ eius illinas & inũgas, &c. aut aliud quid faciendum facias. Si amorem, fauorem & gratiam conciliare vis, homunculos geminos facies, quorum alter alteri manum porrigat, amplexetur, osculetur, & similia alia faciat amoris officia. Si absentem ex locis dissitis domum pertrahere velis, vt quotidie tot milliaria conficiat: totidem etiam milliaria conficiet imago eius in rota, procedens ex eo loco, ex quo homo ipse iter facere debet. Sic si tutus ab hostium armis esse cupias, imaginem tuam ex ferro vel chalybe parabis, & velut incudem indurabis. Si hostem ligaturus es, liga eius imaginem. Hæc tibi iam exempla sufficiant, ex quibus plura ipse depromere poteris Quantum autem ad Homunculos, & imagines, quas Sagæ & incantatores faciunt, vt permissu Dei pecudes, regiones & homines perdant, de illis propter ingentia consecutura mala hîc dicendum nihil est.

Homunculorum processus qualis.

CAP. XIII.

Gamahey quid

TRadendum hîc nonnihil est etiam de *Gamahey*, quæ lapides sunt, in quibus variæ & admirandæ imagines & figuræ hominum animaliũmve cęlantur & fingũtur pro singularibus idoneis influentiis, non secundum cursum cœli aut vsum Astronomicum. Influentiæ eæ & constellationes, non semper, quoties libitum est, haberi possunt. Itaque aliâ viâ eę impetrandæ sunt. Et scire hic conuenit, Influentias non tantùm ab Astris superioribus cœlóve descendere, sed etiam ex hominibus, ex crystallo, ex speculo chalybis læuigato, ex speculo ignis. Nam quâ ratione homo imaginem cum internis suis occultis Astris constellare potest: Sic constellari etiam potest quodcunque speculum, & in id influentia quędam ab Astris superioribus compelli seu imprimi, quæ continenter postea inhæreat, & quoties volumus, aut quoties Sol lucet, inde deduci possit, vt secundum illam *Gamahey* nostrum constellemus, eámque influentiam ingeramus. Hoc autem modo Crystallos, specula chalybis, &c. constellabis, & septem planetarum influentiam indes. In influentiâ Veneris fac in Crystallum & chalybeatum speculum, &c. incidi Planetam, nomen & characterem Veneris cum stella in Crystalli nempe locum posteriorem, sed tamen in metalli locum politum. Sic influentiam habebis Hinc porrò si influentiam in Gamahey cogere velis, sume Carniolum vel Sapphyrum, & in ipsum cura incidi imaginem figurámve, quam velis, quæque viribus & potentiæ Veneris Planetæ conueniat, nempe ad amorem, ad amicitiam, ad fauorem & gratiam, ad doctrinam & profectum in Musicâ. Incisio autem figuræ in lapidem, aduersus splendorem Solis fieri debet ita vt Sol per Crystallinum speculum transluceat in lapidem, ac radij quoque & reflexus splendoris Solis perpetuò in lapidem impingant. Et his iam dictis libellum de imaginibus conclusum volumus.

Gamahey constellãdorũ ratio.

PHILOSOPHIÆ THEOPHRASTI PARACELSI

TRACTATVS I.

De discrimine temporum, & qui secundum hæc vires omnes, & omnes impotentiæ mutentur.

DE discrimine temporum & mutatione potentiarum seu impotentiarum tradituri, scire cumprimis debemus, tempora anni diuersa esse, & pro tempore vires omnes mutari, & aut augescere aut minui more Lunæ, atque rotæ instar circumuolui, ita vt hoc iam superet, iam inferiùs depressum sit. Et sicut inquies horologij nunquam quiescit, sed indesinenter huc illúcque nutat; ita stellæ quoque ac signa firmamenti singulis horis mutantur, Aliter enim se ver habet, aliter Autumnus, aliter Hyems, &c. Sic etiam ex mensibus alius est *Ianuarius*, alius *Februarius* alius *Martius*, *Maius*, *&c.* Eadem ratio est etiam noctis & diei. Aliud enim est tempus matutinum, aliud meridianum, aliud vespertinum, aliud concubium. Semper enim vnum ab altero diuersum est, & vel melius vel peius. De Lunâ idem verum est. Aliud enim est nouilunium, alia prima Quarta, aliud pleniluniũ, alia Quarta vltima, &c. pro quibus vires omnes mutantur. Exemplum dabit primò Hyems, quæ niuem & glaciem importat, non item ver. Hoc enim, id quod Hyems inuexit, destruit & consumit. Ver ergo niuem & glaciem liquat; quâ causâ terram vdam, mollem & raram facit. Idem non facit æstas, sed valdè exiccat. Ita & autumnus peculiaris efficaciæ est. Quibus cùm contradicere nemo possit, patet vtique hinc, non omni promiscuè tempore bonum esse, lutum aut argillam effodere, ligna cædere, herbas colligere, fructus carpere, radices effodere, Balsama & Gummi colligere. Debent enim omnia fieri in tempore Balsameo, secundum menses, Lunam & signa, & peculiaria diei tempora.

Tempus cuiusmutationis ...

Quodnam autem sit verum Balsameum tempus, in quo vires asseruentur, non secus ac à mumiâ

Tempus Balsamei naturã quid sit.

mumiâ arcetur putredo: sciendum est, ex quatuor anni temporibus Autumnum omnium esse optimũ: Ex mensibus vero Septembrem ac Octobrem: Ex Lunæ facie, ipsum decrementũ, maximè quod tribus vltimis diebus finitur, magne nimirum, sub diei auspicium. Sicut enim homo diei decursu laborat, eoque labore confecto lassus & eneruis nocturna quiete sese reficit & instaurat vires: Sic etiam fructus omnes & nascentia terræ, radices, herbæ, &c. Cum sole enim operantur & laborant omnes fructus ex terra enati, cum Luna iterum quiescunt & dormiunt. Et sicut homo è quiete & somno sanissimus, robustissimúsque est: sic & fructus omnes post mediam noctem, non ante illam vel post diem medium, efficacissimi putandi sunt. Exemplum enim euidens est in fructibus. Qui si Balsameo tempore carpantur aut præcidantur, cæteris multò durabiliores existunt. Et quilibet fructus post mediam noctem vel ante Solis ortum decerptus longissimè durat. Idem etiam verum est de signis terrenis, vt tauro, capricorno & virgine, sicut etiam de Lunæ dictum est decremento. His enim temporibus nulla luxuries aut superflua humiditas, quæ putredinis & virium destructionis causa esse possit, abundat. Hoc per experientiam nôrunt agricolæ. Tu vt idem verum esse comprobes, ita cura. De arbore quadam, in terra adhuc defixa, Balsameo, (vt dictum est,) tempore ramum præcide. Postea tempore cõtrario, signis vel ventosis vel humidis existentibus, vt *Geminis, Libra, Aquario, Cãcro Scorpione vel Pisce*, vel etiam plenilunio nouilunio ve elucente, vel lumine eius augescẽte, aut à meridie, aut post solis occasum, præcide ab arbore eadem lignum, eiusdem cum priore magnitudinis. Ea ligna si trutines imposita libræ, deprehẽdes vtique, lignũ primũ, tempore Balsameo cęsum, altero multò leuius & aridius esse. Idem de lignis omnibus verum est. Quodlibet enim lignum Balsameo tempore, vt diximus, cæsum, si exstruendis ædificiis, aut parandis rebus aliis adhibeatur, nec igni simpliciter destinetur, ab insectis & vermibus tutum est, nec facilè putrescit, & omnium longissimè durat. Idem similiter iudicandum de luto, argilla & terra effodienda. Lutum enim balsameo tempore erutum, igni quàm maximè idoneum est. Et quæcunque instrumenta vasaque, vt sartagines ac ollæ ex luto tali conficiuntur, omnium solidissimè in igne durant. Hoc etiam in cæteris rebus prædicto modo valet.

TRACTATVS II.

De generatione & cõseruatione quatuor elementarium corporum.

EX terra corpora omnia nascuntur. Terra namque mater est rerum corporalium omnium. Primus enim homo ex terra factus est, & post ipsum homines omnes de terra sunt, & à terra omnes sustentantur, hoc est, viuunt ex corporalibus & substantialibus cibis & potibus, qui & ipsi ex terra oriuntur aut nascuntur. Sic quod ex & de cœlo est, de cœlo sustentari debet, non de terra. Ita etiam, quicquid in aquis natum est, & in aquis vitæ primordium accepit, ab aquis etiam sustentatur, & in aquis viuit, moritúrque extra aquas, sicut euenire videmus piscibus. Sic etiam quicquid aër gignit, & ex aere est, viuitque, vel oritur, vt *Tereniabin, Nostoch, Manna & Melissa, &c.* id etiam in sese virtutes cœlicas & aerias continet, & à cœlo vel aere sustentatur, veluti aues, quæ in aere librantur, & inde viuunt. In aqua enim aut igne volare non possunt, sic nec infra terram. Sic, quicquid terra gignit, quicquid ex terra est prodítve, ex terra etiam sustentari debet, vt sunt omnes vermes & reptilia, & herbæ, radices, denique quicquid ex terra nascitur. Huius rei documentum capessere possumus ex herbis & radicibus, quæ, si ex terra matre euellantur, exarescunt, & humidum geniale perdunt, ex quo aliàs commodè viuerent & vigerent. Pariformiter etiam, quicquid ex igne prodit, aut gignitur, & ignis naturam habet, vt *Salamandra & Phœnix*; ex igne etiam sui conseruationẽ quærit, & Phœnix prouectiore ætate ex igne iuuenescit. Pro explicatione horum sciendum est, quemlibet infantem de sua matre gaudere, adeóque proprię matri, quàm alienæ gratiorem esse. Hoc intellectu Matres quatuor sunt, rerum corporalium genitrices, vnus tamen saltem pater, cœlum. Hic simul tenendum est, quod vnicuilibet corporali materiæ, quæ sua matre orbata est, præsentanea Mors adsit, & ea fiat Mumia. Quicquid enim vitam suam perdit, est Mumia. Exemplum prodemus de piscibus, qui nec in aere, nec in terra, nec in igne viuere possunt. Nec enim pennas habent, nec alas; ideò volare non possunt, nec in aere victum quærere. Sed nec pedes habent, nec insectorum naturam participant. Ideò nec currere, nec intra terram proreptare queunt. Præterea nec Salamandræ cutem, ac corium habent, vt ab igne non conburi aut consumi possint. Præterea nec ex cinere suo reiuuenescere, ac formam nouam induere possunt, vt Phœnix. Ideò ignis ipsorum contrarium & Mors est. Idem etiam de Elementis cæteris iudicandum est. Et ex quatuor Elementis aer primarius est. Fuit enim prior reliquis, & cęteris vitam impertit Elementis, ac in reliquis tribus reconditus est. Veritas huius rei patet expressè in igne, qui sine aere, (qui ignis vis summa est,) ardere non potest. Quo enim aer vel ventus ignem vberius afflat, eo fortiùs & potentiùs ille exardescit. Et sicut aer aut ventus in igne calefacit, ita extra ignem refrigerat.

Sed & ipse ignis vita est. Sicut enim ignis sine aere suffocatur: Ita etiam homo & creaturæ viuentes vniuerę, quæ aere priuantur, seu inspirare & exspirare non possunt, strangulari solẽt. Sic ergo nihil sine aere viuere potest: & quicquid aerẽ habet, habet etiã vitam. Nam qua ratione homo aere suo, hoc est, halitu facem seu lumen extinguere potest: ita hominis instar etiam ignis, etiam aqua, etiam terra. Nam & hæc

Tereniabin, Nostoch, &c.

Phœnix in igne repuerascit.

Elementa rerum sunt matres, cœlũ pater.

Mumia quid.

Aer Elementorum primarium.

Sine aere omnia strangulantur.

& hæc abſconditum in ſe aërem habent aut halitum, quod oculorum fides probat. Quòd ſi enim ardentem facem ardenti igni obtendas extinguetur. Similiter etiam ſi fluenti aquæ lumen ardens obtineas, extinguetur. Eodem modo idem facit etiam recens effoſſa terra. Horum tamen omnium halitus non extenditur eò, quò hominis. Huius enim halitus eſt ſpiritus. Hunc is ſpiritum Magica ratione vltra centum milliaria amandare poteſt, vt omnia perficiat illa, quæ perficere & expedire poteſt homo. Et nuncius huiuſmodi pergit eadem celeritate, qua ventus perflat ab vno loco in alium, aut telum mittitur ab arcu, aut glans volat è tormento. Sed de his alio loco copioſiùs docebitur.

Halitus hominis eſt eius ſpiritus.

TRACTATVS III.

De Carne & Mumia.

VT de carne etiam diſſeramus, ſciendum eam eſſe multiplicem. Eſt enim caro terræ, caro aëris, caro aquæ, & caro ignis. Et tamen carnes omnes ſunt, licèt naturis inter ſeſe differentes, cùm vna alia ſalubrior, digeſtibilior & melior ſit. *Caro terræ*, ſeu terræ aſſignari ſolita, eſt caro vulgaris domeſticorum animalium, boum, vaccarum, vitulorum, ouium, porcorum, &c. Caro aquæ, eſt caro piſcium, cancrorum, ranarum, limacum, &c. *Caro aëris*, eſt caro auium, & earum omnium, quæ pennas & alas habent. *Caro ignis* eſt caro ea omnis, quæ multa coctione & igne opus habet, vt eſt omnis caro ferina. Et veluti aër Elementum præcipuum eſt, ſine quo nemo viuere poteſt: ita caro etiam ipſius omnium eſt ſaluberrima ex carnibus Elementaribus omnibus. Et ſicut Aqua cibus non eſt, ſed potus; ita ipſius caro ad carnes cæteras quoque ceu potus ſeſe habet. Et tamen caro eſt. Qui ergo ex voto à carne abſtinet, is nec piſces, nec cancros, nec cocheas, &c. eſitare debet, veluti Apoſtolus Paulus in epiſtola ad Corinthios carnes varias recenſet, & ad carnes, etiam piſces accenſet. Eſt tamen illa caro fatua. Non enim admodum nutrit, & in aquam iterum ab homine conuertitur. *Caro terræ* eſt medij ordinis. Et ſicut à naturâ illa cæteris duabus validior & fortior eſt: ita roborat etiam corpus hominis, & cibus eſt admodum alimentoſus, firmans firmum, & infirmans infirmum. Ignis autem caro naturæ nimis duræ eſt. Et ſicut feræ formidabiles ſunt: ita etiam ipſarum euitari caro debet. Sicut enim longa foris ad ignem coctione & elixatione opus habet: ita etiam intùs in ſtomacho, hominis non niſi forti calore ſubigitur ab homine robuſto & laborioſo.

Caro quam multiplex.

Caro terræ, aëris &c. quid

Caro piſcium fatua.

Caro ferina noxia.

Iam ſicut multiplex caro eſt: ita multiplex etiam eſt *Mumia*. Eſt enim alia *Mumia terræ*, alia *Aëris*, alia *Aquæ*, alia *Ignis*. Mumia terræ eſt, quę ſuper vel in terra mumia fit, hoc eſt corpus hominis, vitam ſuam in terra deponentis vi morbi aut ægritudinis naturalis. Mumia hæc nauci eſt, nec vſum præſtat alium, quàm vt rectà defodiatur, & cibus vermib. offeratur. Sed nec Balſamo condita corpora hominũ mumia vera ſunt: ſed mumia genuina efficaciſſima eſt *Corpus hominis*, qui non naturali violenta ſed morte obiit, ſano corpore, ſine morbis, ſine dolore &c. Ea mumia ſummè laudanda, & hic merito deſcribenda eſt. Omnia nimirum animalia & pecora, pro cibo à Deo nobis data, mactari debẽt, cùm ſana ſunt. Nam ſi iugulentur & edantur morbida, inſalubria fiũt, & multos morbos ingenerant: Cadauera namque ſunt putrida, corpori alendo inidonea. Quòd ſi hæc ratio morbidorum pecorum eſt, ſi mactentur: quænam conditio fuerit mortuorum, ſi edantur? Hinc enim non morbos tantum, ſed & mortem enaſci par eſt.

Mumia quadruplex & quid quęuis ſit.

Mumia quæ vera ſit.

Eadem ratio illius quoque Mumiæ eſt, quę caro eſt hominis vi & occaſione alicuius morbi, naturali morte confecti. Ab huiuſmodi nãque homine vires omines recedũt, ſanguis diffluit, corpus etiam dum viuens ſemiputridum eſt, ſpiritus corporis languent, ſtomachus non coquit, homo colore & vigore natiuo exuitur, balſamus corporis emigrat ſicut ex herba, ex terra ſua euulſa. Signa huiuſmodi omnia apparent apud hominem morientem. Talis ergo Mumia magni æſtimanda minimè eſt. Sed vt de tribus cæteris loquamur, ſcire conuenit, præcipuam maximè laudandam eſſe *Mumiam aëris*, hoc eſt, corpus id, quod in aëre mumia factum eſt, nimirum eius hominis, qui aut ſuſpenſus, aut palo traiectus, aut rota confractus eſt. Talis enim in aere moritur, & in aere ſepelitur ac tabeſcit. Huiuſmodi Mumiæ conſtellatæ ſunt, in quas aſtra ſuperiora efficaciter imprimuntur aut influunt. Quamprimùm enim à Sole aut Luna illuſtrantur, in ſummo exaltationis gradu ſũt, & virtutes operationẽſq; admirandas adipiſcuntur. Quod ſi medici aut alij quænam huius mumiæ vis, quis vſus eſſet, compertum haberent, nullus vtique fur latróve vltra triduum in patibulo rotave relinqueretur, ſed omnino furtim ſurriperetur, modò id vllo pacto fieri poſſet. Cæterum, mumia aquæ eſt eius hominis, qui in aqua ſuffocatus eſt. In aqua enim is ſanitatem & vitam ſuam perdidit, & factus eſt mumia. Sic etiã corpus, quod igne perimitur, eſt mumia ignis. Nam id ſanitate ſuâ in igne exutum & mumia factum eſt. Per triplices haſce mumias multa paſſim præſtita & confecta ſunt ab iis cumprimis, qui illas ipſimet præpararunt, vt ſunt *Carnifices, Lictores, Latrones, &c.* qui non ſolùm vitam hominibus ademerunt, & iugulatos ipſos mumiam fecerunt, ſed etiam iugulatorum ſpiritum, quem *ſpiritum hominis* vocauerunt, exceperunt, illũmque ſibi in extremo mortis momento ſubiecerunt ſeu ſubiugarunt, ac variis impoſitis oneribus exagitarũt. Hinc ars enata eſt *Necromatia*, taliter ab ipſis vocatæ. Væ autem huic arti, ac illis vniuerſis, qui tam fœdè illa abutuntur. Necromantia quidem & ipſa eſt, ſed diaboli, ſeu à Diabolo inſtillata, docta & tradita, ac abipſius inſtrumentis ſeu mãcipiis in abuſum tam grandem conuerſa. Sunt enim illi homines nocentiſſimi, quibus præſtaret lapidem molarem de collo ſuſpendi, ac ita in profundum mare eiici. Hi vt operantur: ita etiam, & multò quidem horribiliùs, exſpirabunt. Non enim miſerrimo tantùm mortis genere abripientur, ſed

Mumia aëris laudanda eſt, & quid ſit.

Mumia aquæ & ignis.

Necromantia quæ.

ſed etiam bonâ conſcientiâ & animæ ſalute æternâ, de qua Chriſtianus cumprimis gaudere debet, ſpoliabuntur, & creaturarum omnium, quas vnquam fecit Deus afflictiſſimi futuri ſunt.

Sed vt de mumia dicere pergamus, ſciendum eſt aliam quoque mumiam ſupereſſe, mumiam nempe à viuente corpore ſeparatam, & rectè præparatam. Quiuis enim homo corpus ſuum in mumiam transmutare poteſt, (corpore tamen & vitâ illæſis) & fruſtrum aliquod è corpore eximere, vt tamen nullus in ipſo defectus appareat. Huic mumiæ admodum laborioſè ſtuduerunt amatores & puellæ mumiam ſuam ſuauiter præparantes, & huius exile pondus ſibi inuicem propinantes. Eoque facto, amor illicò latè incenſus eſt, ac corpus id, ex quo mumia ſumpta fuerat, alterius corpus tam potenti amore intricauit & innaſſauit, vt iam alter ſine altero viuere non poſſet, ſed perpetuò ſeſe affectu inuicem vtrique proſequerentur. Tali operatione huius mumiæ ſemel obſeruatâ, cœpta eſt res poſtea profundiùs inquiri & rimari. Ac factum eſt tandem, vt ſecretum hoc etiam ad ruſticos emanaret, qui idem adhibuerunt ſuis pecoribus, capris, gallinis, anſeribus, columbis, &c. longiùs euagari, nec domum remeare ſolitis, vt deinceps aut non euagarentur, aut ſaltem domum redirent, nec ad Dominos alios diuerterent. Nonnulli artem hanc impenderunt ſuis equis, canibus & falconibus &c. Venatores nonnunquam feras hoc ſecreto ita ad ſeſe pertraxerunt, vt vltrò vſque ad retia ſe ſequerentur. Quidam, qui circa truculentiora animalia verſari ſolebant, his ſuam mumiam applicârunt, ac ipſa adeò ſibi tractabilia fecerunt, vt non ſolum non læderentur ab illis, ſed inſuper etiam ad omnia mandata, ipſa præſtarent obſequioſa. Et notandum eſt, hoc modo duos infenſiſſimos & aliàs planè irreconciliabiles hoſtes, ſimiam & ſerpentem, cogi & conciliari poſſe ita, vt perpetuo ſeſe inuicem amore proſequantur. Sicut enim homo ſuum ipſius corpus minimè odit: ita hoc loco idem fit. Corpus enim vnum alterum deſiderat, ſicut magnes allicit ferrum. Planè enim eadem hîc eſt ratio, quæ magnetis & ferri, inter quæ perpetuus conſenſus gliſcit, ita, vt ſeſe mutuò amplexentur, alliciant, retineant. Et ſicut magnetis vires ſine ferro addito non durant, cum tamen ferrum ſine Magnete nihilominùs ſubſiſtere, ſuaſque tueri vires poſſit: ſic idem fit etiam inter duos homines, aut inter hominem & animal, quoad prædicti amoris conciliationem. Quodlibet enim corpus, cui mumia viua ab homine alio appropinatur, illicò fit Magnes. Sed hoc quoque hîc notandum eſt, hanc mumiam ex ſuo corpore ſumi debere in influentia Veneris. Sic enim ea ad amorem conciliandum erit efficacior.

Hoc loco perſtringendus eſt enormis ille abuſus & maledicta conſuetudo Diabolicarum meretricum, quæ proceſſum hunc non rectè intelligentes, aut diuerſum quid à Diabolo perſuaſæ menſtruum ſuum loco mumiæ ſubſtituerunt, id putantes ſuam eſſe mumiam, ad conciliandum amorem cumprimis idoneam. Q... tamen diabolicum & flagitioſum menda...

eſt. Illud enim totum venenum eſt vel fit haurienti, adeò, vt nunquam reconualeſcat, donec extremum halitum exſpiret. Et licèt quidem talis complexionem fortiſſimam habeat, & ſpe vel opinione diutius viuat: malum tamen id euincere non poteſt, ſed cutis & vitæ iacturam luere cogitur. Veræ autem mumiæ illa conditio non eſt, cumprimis ſi à corpore ſano aſſumatur. Tunc enim illa nec morbum nec mortem infligit. Quilibet ergo per mumiam propriam, hoſtem ſuum ſibi ita deuincire poteſt, vt ad placitum mandatumq; omnia exequatur, nec in quoquam ipſi quicquam aduerſetur. Mumiæ veræ quæ vis ſit.

Porrò ex hâc mumiâ ſecretiſſimæ & abſtruſiſſimæ curæ Magneticæ promanârunt. Nonnulli enim, poſtquam operationem & virtutem mumię propriæ cognouerunt, ac vim illius Magneticam didicerunt, quod nempe illius exigua doſis totum corpus attrahat, non ſecus ac Magnes ferrum: à ſæuis doloribus membrorum ſeipſos vendicârunt, ac morbos violentiſſimos curârunt, nimirum *Lepram, luem veneream, paralyſin, podagram, hydropem, tabē, cancrum, fiſtulas, lupum, &c.* & ſimilia caoëthica vlcera plura, in cute exteriùs & membris oborta. Corruptâ namque Mumiâ, corpus etiam ſanum, quod attingit, & cum quo vnitur, corrumpit. Ea autem ſani corporis corruptio, eſt corporis alterius, ex quo Mumia ſumpta eſt, valetudo & ſanitas. Mumia verò vna alteri incommodare non poteſt, vt nec prodeſſe, quia vtræque mortuæ ſunt, & nihil operari poſſunt. Idemq; hîc fit, ac ſi cœcus cœcum duceret: ſic enim vtriq; in foueam præcipites cadunt. Mumia ergo corpus viuum requirit, cum quo concordet, modo corpus proprium, ex quo producta eſt, attrahere velit, ſicut magnes ferrum aut ligulam compaſſi trahit & verſat. Mumia quos morbos curet.

Ex Magneticâ hâc curâ, per mumiam factâ, curæ aliæ plures admirandæ promanârunt, quę omnes hîc deſcribi nequeunt. Sciendum namque eſt quemlibet hominem, prædictis morbis obnoxium, poſſe illas lues (ſiue lepra ſit, ſiue ſcabies Venerea, ſiue hydrops, ſiue podagra, ſiue quicquam aliud) ferrum facere (magicè loquendo) & viuum corpus Magicum Magnetem conſtituere. Et quamprimum Magnes iſte eſſentiam de ferro corruptæ Mumiæ concepit, attrahere non deſinit, donec ferrum vniuerſum allexerit & attraxerit. Hoc modo cuilibet homini aduerſus prædictos morbos medela præſtari poteſt, vbi aliàs nihil opis ſupereſt. Hæc enim magnetica cura, quæ per Magiam fit, præſtat cæteris omnibus Medicis Arcanis, quęcunque vel ex herbis, vel radicibus, aut mineralibus atque metallis ſeparari ac extrahi poſſunt. Curæ Magneticæ præſtantia.

Ex hoc iam videre vos poteſtis Pharmacopæi, qualem Mumiam habeatis, & quantopere veſtra à meâ Mumiâ diuerſa ſit, quoad virtutes & operationem. Diſtant enim inter ſe, vt Oriens & Occidens, vel vt corpus & ſpiritus, aut vt mors ac vita. Et quî ſapit iſte vobis ſermo? quid ad hoc reſpondetis? Pharmacopæi taxantur.

TRACTATVS IV.

De discrimine Corporum & Spirituum.

Spiritus & corpus vt differant.

VAldè inter sese contraria sunt, *Corpus* & *Spiritus.* Corpus enim docet spiritus. Spiritus corpus seducit ad multa mala & peccata, & tamen corpus pœnam peccatorum istorum luere cogitur, nec corpus spiritum docere aut seducere potest. Sic etiam corpus est visibile & tangibile: spiritus contrà inuisibilis & impalpabilis. Sic corpus peccat, & mala patrat, non autem spiritus, non ipsa anima. Ideò corpus etiam luere cogitur, non anima, non spiritus. Corpus edit & bibit: cuius loco spiritus credit. Corpus est fragile & corruptibile: spiritus autem æternus. Corpus moritur, spiritus autem viuit. Corpus à spiritu superatur, non spiritus à corpore. Corpus est turbidum & obscurum: Spiritus clarus & pellucidus. Corpus ægrotum fit. Spiritus manet sanus. Corpori omnia sunt obscura. Spiritui autem obscurum est illustre, & crystalli modo pellucidum. Vnde fit, vt per omnes introspicere possit montes vsque ad imum fundum. Corpus cogitat, Spiritus perficit. Corpus est Mumia, Spiritus est Balsamus. Corpus est mortis: Spiritus vitæ. Corpus est de terra: Spiritus de Cœlo & Deo, &c.

Spirituũ quæ differentia.

Præterea sciendum etiam est, Spiritus esse varios ac multiplices, ac semper vnum ab altero diuersum esse. Sunt enim Spiritus *Cælestes*, Spiritus *Infernales*, Spiritus *humani*, Spiritus *Ignis*, Spiritus *Aëris*, Spiritus *Aquæ*, Spiritus *Terræ*, *&c.*

Spiritus cœlestes, &c. quid.

Spiritus cœlestes sunt *Angeli, omnium optimi.* Spiritus infernales, sunt *Diaboli.* Spiritus humani, sunt *Spiritus defunctorum hominum.* Spiritus Ignis, sunt *Salamandræ.* Spiritus aëris sunt *Syluani.* Spiritus Aquatici sunt *Nymphæ.* Spiritus terræ sunt *Sylphes, Pygmæi, Incubi, &c.*

Spiritus seduli officii sui executores.

Quilibet autem peculiare à Deo sibi impositum munus habet. Et quicquid cuilibet à creatore Deo mandatum est, vt ad hominis vtilitatem faciat, siue id bonum, siue malum sit, id in sua habitatione & chao exequitur. Nec alter in alterius actionem inuolare, aut vices ac munus eius subire potest, sicut & apud nos homines diuersa opificia & negotiationes existunt. Vnus est tignarius, alius est latomus, alius est textor, alius est sartor, alius est sutor, alius est faber ferrarius, &c.

Spirituũ vt hominũ, sunt certi ordines & tribus.

Tignarius autem nõ potest lapides tractare, vt lignum. Sic nec Latomus tignarij artem callet. Textor thoracem aut caligas texere non potest, potest autem texere ad illas requisitum pannum; Cætera mandat sartori, qui ex panno illo sarcit thoracem, caligas, pallium, &c. Idem iudicandum est similiter de sutore, serario, fabro, & cæteris omnibus. Iam & de spiritibus tenendum est, quòd vnus illorum non simul sit tignarius, latomus, textor, sartor, serarius, sutor, &c. Etsi enim spiritus omnia perficere possint, non peiùs, imò rectiùs ipsis hominibus: Vnus tamen non promiscuè vniuersa callet, sed hic hoc nouit, iste illud, tertius aliud. Hoc modo artes suas comportant: velut etiam homines.

TRACTATVS V.

De somno & vigiliâ Corporum & Spirituum.

Somnus quid.

SOmnus naturalis est Quies corporis, perditas ipsius vires restaurans. Sicut enim homo post duros exactos labores lassatur & infirmatur, adeoque alternâ quiete opus habet: Sic etiam vigilia somnum, dies noctem requirit. Dies autem destinatus est vigiliæ & labori: nox contrà somno & quieti.

Dies et corpor. nox spiritum.

Scire ergo conuenit, diem esse corporum: noctem verò Spirituum. De die enim operantur corpora de nocte verò Spiritus. Cessantibus corporibus, incipiunt Spiritus. Cessantib. Spiritib., incipiunt corpora. Sic etiam quando corpus hominis à laborib. feriatur, & sese quieti nũcupat; Spiritus laborare incipit. Eo à laborib. feriante corpus operari incipit. Itaq; corporis etiã vigilia, Spiritus sõnus est: & Spiritûs somn' corporis vigilia.

Corporis & Spiritus actiones diuersæ.

Corpore enim dormiente, Spiritus vigilat: & vigilante corpore, dormit ac quiescit Spiritus. Nec enim simul ac vnâ possunt vigilare, dormire, laborare aut operari. Sunt enim inter se contrarij & necessarium est, vnum alteri cedere, nec vnus alterum iuxta se ferre patique potest. Documentum huius sumere possumus à dormiente. Quicquid enim, corpus in somno facit inscienter, id facit in ipso spiritus. Sunt enim qui in somno loquuntur, & rogantibus responsa dant. Sunt qui de lecto surgunt, & dormientes ambulant: quod vniuersum facit Spiritus, corpus gubernans. Vnde sæpè fit, vt, si homo talis suo nomine vocetur, euigilet, aut cadat; quia spiritus in ipso perterrefit appellato proprio nomine.

Noctambulones cur excit. vocari.

Nec enim minus terrentur Spiritus à voce hominis, quàm homines à voce Spirituum. Quia autem homo in baptismo nomen accepit, non spiritus: ideò spiritus expauescit appellato homine, & languescit seu eneruatur. Operæ pretium ergo est huiusmodi homines, non deseri, aut solitarios relinqui. Quòd si vno lecto socios recipere nolint: vno tamen cubiculo cum illis dormiatur.

Noctambulorum solamen.

Hoc cumprimis necessarium est apud illos homines, qui à spiritib. sagarum tenentur & affliguntur sæpiùs. Quo casu magni res momenti est, si proprio illi nomine vocentur. Sic namq; Spiritus omnes nocturni sagarum & omnium hominũ, imò omnia formidabilia spectra & visiones, ac insomnia grauiora profundioraq; abiguntur & propelluntur. Idem enim hoc modo patiuntur Spiritus, quod fur, qui in ipso furto inclamatur. Is enim diutiùs eò loco nõ moratur, sed in pedes illicò se coniicit, & fugã capessit. Hoc modo etiã Spiritus, & malæ visiones ac insomnia inclamãtur, eò, quòd homo talis proprio nomine vocetur. Sed & hoc insuper notandũ est, non omnes promiscuè homines, qui in somno loquuntur, vocandos aut inclamandos esse. Non enim, quod aiunt, secum ipsi loquuntur, sed cũ spiritib. Quanquam vox tantũ vna audiatur. Solus enim homo loqui aut respondere auditur: Spiritus autem, qui vnà colloquitur, nec auditur, nec videtur. Quod nemini quidem admirationi esse

esse debet. Spirituum enim vocem non quiuis audit. Et si enim multò clariùs voce suâ clament loquantúrque, quàm homines: artem tamen habent sciuntque hominibus vicinis aures obturandi, vt vox ipsorum audiri nequeat, quod pleniùs nôrunt Nigromantici de aëreis Spiritibus, qui spiritus sunt medij, ac spiritus etiam Humani vocantur, de quibus hîc prolixiùs nō tradem⁹. Medij autem sunt hi, qui nec mali, nec omnino boni sunt.

Spiritus medii qui.

Cæterùm de spirituali sermone in somno sciendum est, nullum huiusmodi hominem loquentem inclamandum aut nominandum esse, dummodo hilari promptâq; voce respondeat, aut aliquid quærat. Quòd si verò cum tremore, metu ac percussione responsum det, aut sudore diffluat, aut grauius animo exerceatur: iam id signum esset malæ apparitionis, aut insomnij terriculosi. Talis ergo clamore suscitari potest.

Porrò sciendum etiam hoc est, non omnes homines in somno ore corporis sui, sed ore sui spiritus loqui, ita vt vox eorum nulla audiatur. Hic iā sermo multò frequentior ac priore crebrior, adeoq; notatu & æstimatu dignior est. Magna ergo attētione opus est, quoties alicubi homini visio in somno apparet, aut Spiritus hominis corporisue cœlestis exhibetur. Hoc quidem per artem Magicam trib. modis viisque comparari potest, sicut deinceps indicabitur: nempe vt homo à somno euigilans, rectè probeq; sciat, quidnam huiusmodi Spiritus hominis indicârit, dixerit, aut docuerit. In hoc enim prisci Magi admodum sollicitè laborârunt. Ex hoc namque prodit summum ac maximum arcanum, nempè, vt perdita ars, quæ cum homine expirauit, sepultaque computruit (ceu imperiti rerum nugantur) recuperetur. Hoc enim dico: etsi homo quidem adeò inuidus esset, vt viuens artem suam docendo communicare nemini vellet, sed mori, quam eam alios docere mallet: attamen corpus saltem moritur & sepelitur, corpus etiam tantum putrescit: Spiritus verò ipsius non moritur, non sepelitur, non putrescit, sed is artem secum retinet, quam corpus amisit, eamque æquè rectè tenet. Magum ergo artem docere potest illam is, qui facere potest, vt apparens talis in somno spiritualiter ipsam doceat ac indicet. Spiritus ergo ibi agit cum Spiritu. Et hæc est summa & præcipua concordantia, quæ in omni Magiâ fieri possit. Necesse namque est, Spiritum cum Spiritu agere, & Spiritum vnum suam artem alij communicare. Spiritus enim alienus corpus alienum assumere non potest, aut cum ipso concordare, sed tantū cum proprio, & non cum alieno. Oportet ergo corpus hominis ex suo proprio spiritu discere, non ex peregrino Spiritu. Spiritum autem ex Spiritu alieno discere decet, quia non perpetuo ex seipso scire potest.

Ars hominum post obitum non communicatur.

Sed tamen & hîc cautione opus est, vt Spiritus humanos probè distinguere sciamus, noscamusque, quid rei in vitâ gesserint, quamue naturam habuerint. Non enim humani Spiritus omnes veraces sunt, vt nec omnes mendaces, non secus ac homines, quorum vni plerunque plus quam alteri credi potest. Nam si homo verax in viuis fuit: Spiritus quoque eius post obitum similiter verax erit. Sic & econtra præterea, si homo in viuis industrius & peritus fuit: talis ab obitu, eius etiam est Spiritus. Si fuerit Astronomus homo: ipsius quoq; Spiritus Astronomus erit, & alterius viuentis hominis Spiritum Astronomiam docere poterit. Si Magus fuerit, Spiritus etiam Magus erit, & alterius viuentis hominis Spiritum Magiam docere poterit. Sic si Alchimista fuerit: Spiritus etiam Alchimista erit. Ita Nigromantici Spiritus est Nigromanticus, est Philosophus, est Medicus, Astrologus, Theologus, Iureconsultus, Musicus, &c. Idem etiam iudicandum de opificibus. Spiritus autem, qui Astronomus est, veri nihil in Alchimia aut Magiâ docere potest, nisi is simul Alchimista ac Magus fuerit, quales reperiri etiam solent. Sicut enim inter homines reperiuntur interdū simul Astronomi, Magi, & Alchimistæ, trium scilicet, aut plurium artium periti ac Magistri: ita deinceps etiam illorum sunt spiritus. Itaque quando in spiritu tibi apparet homo, qui Astronomus sit, vel viuens adhuc vel mortuus, qui te aliquid in Astronomia doceat: credere ei tutò potes. Et idem etiam de cæteris artib. verum esse, nemo prudens contradixerit.

Spiritus veraces, qui mendaces.

Quâ autem ratione ad practicam pertingamus, quî nempe veræ huiusmodi apparitiones comparentur, & in Spiritu aut per Spiritus discantur: sciendum cumprimis ac præcipuè est, de illo misericordiam Dei per fidem implorandam esse. Deindè in fide imago facienda est, in nomine illius hominis, quem animo nostro concepimus. Præterea in corpus huius imaginis illius hominis nomen scribe, & adde quæstionem tuam, quidnam ex illâ quærere velis. Imaginem hanc noctu capiti tuo substerne, & illi superindormi. Noctu ergo homo ille, in cuius nomine imago facta est, spiritualiter tibi apparet, & quæstioni tuæ satisfacit, docetque te quæcunque is potest, & quæ vigilans ipsum interrogâsti. Tertiò idem etiam alio modo, & quidem longè meliùs ac certiùs impetrari potest, citra imaginem, tantùm per fidem & imaginationem: qui processus è tali exemplo nosci potest. Pone me alicui dicere: Abi & cubitum te confer, & mihi indica verè ac candidè, quidnam in somno videre aut experiri velis. Secretam enim artem tibi adhibebo, aut noui familiariter Mille artificem quendam, qui mihi communicauit quippiam, hanc virtutem & efficaciam habens, vt, si in alicuius lectum deponatur, & homo superindormiscat, homo ille veritatem omnem experiatur de illis, quæ vigilans desiderauit. Et res ea leuis ac contempta est, quam lecto tuo substerne. Diligenter itaque obserua, quænam noctu videas, aut quid tibi ab hoc vel illo Spiritu humano suggeratur & indicetur, vt manè surgens, id memori mente conditum habeas, sicut de his etiam in libro de Philosophia occultâ docuimus. Nihil autem time aut formida. Mali enim tibi nihil accidet. Iam si homo talis meis verbis credat, persuasumque habeat me verum dicere, &, quæ promisi verè prompteque præstare posse planè confidat, ac cubitum abiens sermonem meum iugiter animo & imaginatione intentâ versēt, obstinateq; statuat, omnia, quæ dixi,

Spirituũ comparandorũ quæ practica sit.

xi, ipsâ re indubitato euētura esse, ac ita sese gerat, vt vel adhuc vigilans imaginatione suâ iá id apparere cócipiat: huic certè nullo dubio quæ dixi, euenient, indicabūtur & explicabūtur docēdo. A nemine autem hæc, vel impossibilia, vel alias inepta & inania iudicari debent, quod Sophistæ facere solent. Huius enim ipsemet aliquoties periculum & experimentum feci in nonnullis hominibus, qui liberè mihi omnia ita facta esse confessi sunt. Hoc iam loco nonnihil etiam disseri debet de iis hominibus, qui obdormiuerunt, & non iterum euigilârunt. Hi in Spiritu ad Deum abrepti, tales manserunt, nec mortui sunt. Corpus tamen vitam suam perdidit, simul spoliatum sensu, intellectuq;, sine tamen morbo aut dolore. Et terrenum illud corpus transmutatum ac amissum est, ita, vt nemo, quonam abreptum sit, sciat. Mansit tamen in terris. Spiritus verò & corpus cœleste, non vt corpus terrenum formam, colorem & speciem habens, à Deo in cœlum assumptum est, ceu Enoch, Elias, & sine dubio, alij plures, de quib. nec scio, nec mentionem facio. Hi vniuersi postea opinionem immortalitatis consecuti sunt, sicut de vita longâ prolixiùs docuimus, quæ hîc non oportet repeti.

Theoph. experimentum de spiritibus.

De Ecclesiasticis indicium Theophrasti.

Pro consectario vnum adhuc de somno afferendum est, quo nimirùm modo ope Simplicium concilietur. Sic, qui ob vehementiam alicuius morbi, aut sæuitiam dolorum à somno arcetur, vt non minùs noctes quàm dies insomnes agat, huic cōciliari sōnus potest per adhibita quedā simplicia & remedia, vt radicem Mandragoræ, papauer, &c. Somnium enim placidum tranquillumque cient, cumprimis si ex illis paratum Arcanum adhibeatur. Præter hæc sunt etiam alia, quæ in profundum adeò somnum adducunt, vt dormiens 24. horarum spatio euscitari non possit. Huc pertinet *Marogus*, in somnum adeò profundum, grauemque inducens, vt dormiens vel rotâ confringi, vel quouis alio crudeli supplicio affici possit, nihil sentiés, nec, quid de se fiat, sciens, aut mortem instantem animaduertens.

Somnifera simplicia quæ sint.

Marogi [illegible] Narcotica.

LECTORI.

Sequens de fundamento scientiarum Liber, ab Auctore secundus inscribitur. Quis verò sit primus, hunc antecedens, in quo de corporis malis & vitiis tradiderit: hactenus incompertum est. Hunc ergo secundum æquus Lector boni consulat, dum etiam primus inueniatur.

LIBER DE FVNDAMENTO SCIENTIARVM SAPIENTIÆQVE: AVREOL. THEOPHRAS. PARACELSO AVCTORE.

DE FVNDAMENTO SCIENTIARVM LIBER SECVNDVS.

DE FVNDAMENTO SAPIENTIÆ

TRACTATVS I.

QVICVNQVE de fundamento sapientiæ tractationem suscipit, is ante omnia Lectorem de scientiarum ac sapiétiæ origine admonere aut docere debet. Sic enim & Medicus, qui de morbis scribere instituit, primùm explicare debet, ex quo fundamento & auctore scribat, quem sequatur, & quomodo doceat. Deinde, quidnā scribat & doceat, vt idem etiam quadret & probetur in morbis. Ex his enim illius doctrinæ scientiæque probitas & veritas iudicari potest. Eodem modo & hîc de fundamento scientiarum acartium tradituri, necesse habemus, vt doceamus, quænam illarum origo sit, ex quo promanârint, & vnde illæ addiscendæ sint. Eo facto ad materiam ipsam explicandam descendēdum est. Quæ diximus de fundamento Medicinæ, vndenam illa profluere debeat: ea ad corporalem spectant. Hoc libro corporale nihil traditur, sed proponuntur res inuisibiles, hoc est, ipsa ratio. Quam descriptionem si compleuero, perfecero vtique ipsum corporeum & sapientiam corporis, hoc est, vtriusq; morbos & proprietates, quantum de corpore explicari & cognosci necesse sit: sic etiam quantum sapientiæ humanæ fidendū sit. Illam ergo mihi deinceps propono, tanquam corpus, hoc est, sicut ægrum fit corpus, sic in morbos etiam agitur intellectus. Quoniam autem fundamentum corporis exposui, in quonam vitium eius consistat: describenda est etiam meritò sapientia hominis, præ cæteris professionibus vniuersis. Hoc vt facerem, id me compulit, quod viderem, varios varia & diuersa scribere, cùm tamen vnicum tātum sit, spectans ad hominem. Quî enim tignarius diuersus esse possit à tignario, cùm tamen vtrique domum vnam exstruere debeant? vna vtriq; securis est, vna erigendi ratio, vnus circinus, de hoc circino in tractatu de scientia tradendum est, ne circini duo adhibeantur. Vnus enim circinus est, non gemini. Quâ enim ratione tignarius, latomus, aut cæmentarius nullum alium, huic dissimilem circinum vsurpare potest: eâdem nec ædificium sapientiæ ex alio, quá vnico fundamento procedere vel potest vel debet. Et sicut illorum ars vniuersa circulo vno designatur, vno numero, vnâ lineâ, vnâ quadraturâ: sic vna etiam omnib. modis sapientia est. Et veluti distributio ab vno circulo fit in triangulum, quadrangulum, &c. qui tamen omnes circulus vnus sunt: ita hîc quoque de distributione sapientiæ intelligi debet. Et sicut vna eademq; linea vtitur Cœlū, Terra, Aër & Aqua: ita secundum vnam etiam lineam ducitur & extenditur omnis sapientia. Et sicut vniuersi homines, resque adeò omnes numero numerantur vno: ita vnicus etiam ipsius sapientiæ numerus est, nec extra illum alius sumendus est.

Argumētū huius libri.

Sapiētiæ fundamentum vnicum tantum est.

Cæterum, quemadmodum linea ducitur manu libera,

nu liberâ, minimè tamen probatâ: aut manu describitur circulus nec ipse probatus: aut quadrangulus liberâ manu pingitur, minimè tamen rectus: Sic etiam circuli, lineæ & quadranguli procedunt ex sapientiâ, minimè tamen probati. Sapientia enim illa non est ex verò circulo, quadrangulo, linea. Hâc de causa mihi institutum est, deinceps de fundamento scientiæ ac sapientiæ tradere, vndenam illud sit, qualesit, quis illud iaciat ac ponat.

Huius fundamenti scientiâ artifices omnino opus habent. Quid enim sapientia est aliud, quàm ars seu scientia, quam vnus ab altero haurit? Qui consilio ad prudentiam pollet: quid nouit aliud, quam artem prouidæ sapientiæ, quam alius ignorat? Sic artifex moderandi ignis peritiam habet, quâ destituitur sartor. Hæc ergo illius ars est. Sic ars alia in alio est. Quid sciētia est aliud, quam ars? Hanc oportet procedere ex circulo, ex lineâ, ex numero. Hæc enim modum dant. Et sic se modus in artibus habet. Modum, quem facit tornarius, ex arte suâ ille facit. Idem hîc quoque verum est. Linea, circulus &c. sapientiæ modum dant: & modus est sapientia ipsamet.

Porro scientiæ multis modis distributæ sunt, nec in vno omnes consistere possunt. Hic hoc nouit, ille aliud. Nemo nouit, nemo potest omnia. Quis omnia nouit? quis omnia facit? Et vt vno labore nemo labores duos perficit, sed opus vnum tantum vice vnâ exequitur, sic & in artibus ac scientiis. Tam latè enim, altè ac profundè scientię patent, vt ab vno capi & contineri cerebro non possint. Pars vna datur vni: alia alij, &c. Et vt in ciuitatis hâc plateâ multi bractearij, in altera multi sutores, in tertia multi sartores habitant: ita etiam distribuuntur scientiæ.

Iam verò negotiationes omnes ex vno fonte manant, ex vno fonte omnia opificia, ex vno fonte omnes scientiæ profluunt. Huius rami distribuuntur, vt pyra in arbore, quorum nullum se separare possit ita, quin dicat, ex eâdem sese cum aliis arbore enatum esse. Iam si huiusmodi ad sapientiam ductore & doctore opus est, vt sciatur, ex quonam quilibet scribat: fas vtique ac æquum est, me discursum hunc in partes duas dirimere. Sapientia namque hominis duplex est: Vna, quæ concernit animam: altera quæ attinet ad corpus. Hâc factâ differentiâ opus est, vt intelligamus animale, hoc est, corporeum, & mentale (vt ita loquar) hoc est, æternum. Sicut enim videtis, multoties auem, multoties canem, &c. fidem ciere vel facere: ita etiam fieri potest, vt homo intra seipsum fidem aliquam suscitet. Iam verò auis animal est. Animal est etiam homo. Porrò euenire potest, vt vnum alterum superet. Et tamen primum pro secundo veriore sæpiùs accipitur. Necessarium ergo est, animale in illo diligenter describi, quid sit illud, quod homo sit. Et sicut descripsi illius corporis fundamentum, ex quo procedat, hoc est, ex quonam Medicus, qui corporis artifex est, gignatur: ita sciendum est, me quoque hîc describere, vndenam Sapiens oriatur, aut existat, vt qui sapiens existit, à sapiente putato discernatur, sicut Medicus genuinus à falso. Sic namque fiet, vt rectè assequamur, ex quo cantillemus, rideamus, ploremus, oremus, ieiunemus, mundanè vel spiritualiter nos geramus, &c. Hâc enim confusione multi errores teguntur. Velim ergo ad mea scripta vos attendere. Hîc enim fundamentum traditur, ex quo ad nos penetrat scientia & sapientia, & quicquid inuisibile caput docet ac suggerit. Ex quo autem mundo id profluat, deinde explicabitur.

Cùm ergo rerum omnium origo inquiri debeat: intelligi vtiq; etiam debet, vndenam quælibet natura, proprietas, ars aut scientia oriatur. Multi enim passim surgunt autodidacti, non nati ex eo, vnde nasci debebant. Cuilibet enim persuasum est, suam scientiam, suam sapientiam veram ac genuinam esse. Quæ tamen si conferantur, contrariæ & mutuò dissentientes reperiuntur. Hâc ex doctrinâ propriâ, idola multa oriuntur, quæ magnifiunt, vt sunt purpurati Medici, qui tamen nihili sunt omnes. Alius specie Dei prodit: alius prætextu iustitiæ, castitatis, modestiæ, & similium virtutum plurimarum. Quæ tamen vniuersa pendenda nihili sunt. Nihil enim ex nobis est, Nec nos nostri sumus, sed sumus Dei. Ex ipso ergo probari nos oportet, quales simus. Dei sunt nostra: non nostra. Is nobis vitam inspirauit, & largitus est: cui addidit insuper etiam sapientiam. Hinc cætera omnia. Post hoc autem porrò sciendum est, cur homo factus sit, cur animam habeat, quid Deus per ipsum operari velit. Hinc elucescet, quid homo sit, & cur sit. Manifestum autem est, cur viuat, cur nascatur. Ex hoc cognoscitur homo secundum suam sapientiam. Cumprimis enim extra hominem intelligi debet parens sapientiæ, *quis is, & qualis sit, & quid sit*. Talis enim etiam filius, hoc est, homo est. Ex ipso namq; homine intelligere non possumus, cur in terra agat, cur creatus sit, aut quidnam sit. Ex ipso autem creatore & conditore, &c. nosse possumus, cur homo conditus sit, aut quę ipsius in mundo conditio sit. Ea namque conditio aut natura ex patre sapientiæ emergit. Itaque qui nouit patrem, nouit etiam filium. Filius enim hæres est patris, non quidem quoad opes (pater namque sapientiæ non est pater opum) sed tantùm quoad sapientiam. Ideò sapientiæ satis est apud omnes homines. Hæreditario namq; vniuersi sortiuntur sapientiam, nec huius quisquam se altero plus minùsve habere dicere potest. Vt enim homo vnus altero plus membrorum à Deo creatorum non habet: ita nec plus sapientiæ. Qualis Cæsar, talis rusticus. Qualis Christus, talis homo. Itaq; si corpus vniusmodi est in omnib., nec secundum illud quisquam vel pauper est, vel diues, ita, vt nemo dicere possit, se corporis sui membris alio auctiorem & locupletiorem esse: neq; quoad sapiētiam dicere quisquam potest, quod aut illa orbatus, aut ipsâ simplici tenuiq; donatus sit. Intellectus enim, rationis & sapientiæ priuatio, planè res nihili est. Hæc omnia in omnibus præsto sunt. Hoc autem in nobis reprehendendum est, quòd nihili pendamus aut curemus, quæ ad sapientiam nos ducat & prouehant. Qui dormit, nihil scit: nullius namq; rei cogitationem suscipit. Sic qui insanit, aut otio ac ignauiæ deditus est, non recordatur eius, quod in ipso est, sed de-

Sapiens sibi quisque videtur.

Ex Deo omnia.

Deus sapientiæ pater nō opum.

Sapiētia omnibus æqualiter distributa.

sidię amore laborem ac studiũ sapientię negligit.

An non res ita se habet? Si populus conuenit ac congregatur, nemo quicquam consilij promptum habet, sed omnes sese simplices præstant, præter vnum aliquem, qui consilio & prudentia cæteris præit. Consilio eo rusticis detecto, iam omnes exclamant illicò: Per Deum, iste rectè sentit, res omnino ad ipsius sensum quadrat! Quòd si ergo consilij huius vis pondusq; minus in te, quàm illo vigeret, quo pacto attestari ipsi, quod rectè sentiret, posses? Per hoc testimonium enim te quoque rectè sentire probas. Itaq; eadem in te condita sapientia est, quæ in illo: te ipsum tamen non excitasti satis, quod fateris ipsemet, dum ais, eousque te rem non expendisse. Hâc namq; excusatione teipsum prodis, quòd hæreditarij tui boni oblitus sis. Vna enim hæreditas omnib. est, nimirum sapientia: quam æquâ sorte omnes accipimus. Hæreditatis tamen pondus alius ad vsuram elocat, alius defodit & otiari sinit, alius multum, alius parum illo lucratur. Prout ergo hæreditatem nostram vel pendimus, vel elocamus, vel vsurpamus: ita vsuram maiorem minorémve facimus, hæreditate interim omnibus nobis pari distributâ.

Alius alio cur sapientior.

Discursus huius causa est, vt intelligatur, quænam & quid sapientia hominis sit. Ea ex homine manare nescit. Cum dormiente enim quis colloquetur? Quis ex illo discere poterit? iam verò omnium vigilantissimus dormit, ita, vt ex nullo homine addisci possit, quid in ipso sit, quod doctrina vocari possit. Quis ex muto cognoscet, quid in ipso sit? Nemo. Sic nec ex homine. Ex ipsius tamen parente id discitur & cognoscitur. Hoc enim inter patrem & filium discriminis intercedit, quod ad docendum pater pronior & expeditior sit filio, quodque pater notior sit filio, atq; huius ex patre mores, vita, natura, proprietas & conditio cognoscãtur. Cæterùm, homo est filius, sapientiam habens: non tamen ex sese, sed ex patre sapientiæ. Ex illo procedit sapientia. Qui ergo sapientiam discere hominis velit: non discet eam ex filio, sed ex patre. Pater enim manifestus est in sapientia eamque aperte prodit ac in lucem dat.

Sapiẽtia ex patre addiscẽda non ex filio.

Differendum itaq; deinceps erit de patre sapiẽtiæ, vt filij sapientia rectè cognoscatur. Semel enim patefaciendum est, quidnam sit sapientia hominis in rebus omnibus. Huius enim cerebrum quicquid operatur, id patrem habere necessum est. Is ergo quis sit, iam noscendum restat. Secundùm quod enim pater filium facit: secundum illud sapientia cognoscenda est. Et quicquid pater est, est etiam filius: nec in hoc quicquam obstat persona vel forma. De sapientia namque loquor, non de forma. Itaque si scimus, quid simus, aut cur constituti filij simus: vtiq; cognouerimus etiam, qualisnam nostra hæreditas sit, quæ omnib. integra est, non mutilata. Sicut enim vita in homine mutilari non potest, nec eius plus vni quàm alteri impertiri quæuit, sed omnib. æqualiter distribuenda est: ita, vitæ exemplo de sapientia quoq; statuetis, quòd maximus non plus minimo, nec minimus minus maximo in illius distributione acceperit, ita, vt nulla sors, nulla distributio huic æqualior vllo modo inueniri queat.

Cuilibet homini sapientia, tanquam portio debita, necessariò per hæreditatem obtingit. Tantus enim ac tam nobilis homo est, vt imaginem Dei circumferat, & regni cœlorum hæres sit. Porrò autem Deus Diabolum, *Satanam*, *Beelzebub* aduersissimos hostes habet. Veritas enim nunquam suo osore & hoste caret. Deus autem veritas summa est, summum mendacium autẽ est Diabolus. Diabolus Deum non videt, nec illi resistere potest, nec ipsum attingere, nec locum illius subire. Homo autem Dei loco in terra constitutus est, quem Diabolus incessere & odisse potest. Sub aspectum enim Dei non prodit: prodit autem sub aspectum hominis. Quòd si ergo hominis est, vices Dei gerere, Deum colere & celebrare, Dei opera exequi: necesse etiam est, ipsum Dei sapientiâ pollere, quia cœlestis regni hæres est, & ex hominib. compleri debet in cœlo numerus, eorum, qui cœlo exturbati in inferni abyssum coniecti sunt. Hunc numerum compleri fas est. Eoque completo cœlum & terra nihil amplius erunt, erit autem omnia cœlum. Et sicut in vno palatio esse possunt saltantes, lachrymantes, ridentes, sani, ægri, mortui, &c. ita spatia etiam erunt vltimi regni. Iam si locum hunc complere homo, & vices etiam Dei, contra Diabolum in hoc mundo obire debet, adeoq; hanc ob causam creatus, & in paradisum collocatus est, (licet mandatum violârit, non ex malitiâ, sed ex violentia & coactione, vt & paradyso eiectus, in mundum Dei loco, intraret, vt quem non Deus, sed Diabolus ad id facinus compulit, dum per serpentem Euam seduxit) id vtiq; nobis admonitioni erit, ne vnquam in pectorib. nostris seductoris illius obliuiscamur, sed iurati Diaboli hostes, etiam morientes æternùm maneamus. Et nisi nos Christus redemisset: quis vnquam saluus factus esset? Sic ergo extrinsecus coacti sumus esse hostes diaboli. Et qui hoc obliuiscitur, beatus nõ est. Hostes enim sumus hæreditarij Diaboli, loco Dei, cuius vice in terra degimus. Cùm ergo ex hoc abstruso fundamento sapientia hominis oriatur: fas est ac æquum cognoscere, quomodo illa in nobis sit. Nec enim in terra versamur, vt nobis viuamus, aut meditemur id, quod meditatus est. Quod si nos quoque idem in hac terrâ meditabimur, id sanè in quod prędestinati sum⁹, nunquam impetrabimus. Ex his colligi potest, homini eandem, quàm in cœlo Diabolo datam esse potestatem. Poterat Diabolus fastuosus esse, vel non esse. Fastuosus factus est: itaq; eiectus est. Sic homo quoq; superbire potest, vel non potest. Et secundum hoc similis est Diabolo adhuc existenti angelo. Qui autem exitus fuit Diaboli, idẽ manebit etiam homines diabolo similes. Decet enim nos fieri angelos, non homines. Hâc enim gratiâ creati & in mundum collocati sumus. Tentatus nimirum semel à diabolo in cœlo Deus est, æqualem sese huic efferre conante: ideò ille cœlo expulsus est. Porrò autem, Deus hominem in mundum creauit & destinauit, ac hominis causâ mundum ipsum condidit, vt non in cœlo esset, sed in mundo, à cœlo separatus. Quicquid autem homini ceu angelo opus fuerat, in mundum prodituro attribuit, vt corporeus quidem angelus esset. Si peccârit & superbierit, non de cœlo exstirpabitur, sed de mundo.

Homo hæres cœli. Diabolus Dei & veritatis hostis.

Homines diabolo reiectis eiectis loca replent.

Homo est peccati.

Diabolus & homo similes arbitrio superbiæ.

Mundus propter hominẽ cõditus.

mundo. De cœlo enim deinceps Deus nemi-
nem eiicit. Semel enim non denuo quod aiunt.
Semel natus est, non denuò. Semel moritur, non
iterum. Vnus numerus, vnum iudicium, vnum
Ita, vnum Non. Habet ergo vnde cœlum com-
pleatur. Et mundum quidem creauit Deus, ho-
minem autem non in cœlum, sed mundum de-
stinauit ne quid mali denuò in cœlo emergeret,
& vt margarita ex hominum numero secerne-
retur. Ideò Deus homini peculiare regnum cõ-
stituit, hominemque in illud collocauit inte-
grum, non crassum non rudem, nõ imperitum,
sed sapientiam illi cõtulit, eamq; claram, puram
& impollutam. Quòd si ex duob. hominib. alter
membra crassa, alter gracilia habeat: vter ex i-
psis geminis aut laudandus aut criminandus est?
Neuter. Vtrique enim habent stomachum, cor,
rubicundum sanguinem, rubeam carnem, alba
ossa, medullam, crines. Ea integritas etiam in
sapientia est, non etiam prudentiâ. Prudentia
est peregrina, animalisque seu brutalis res. Non
ergo decorum est æstimandum: sed omnes in
honore habendi homines sunt. Quod enim in
te, idem in omnibus inest, inest in quolibet. Si-
cut herbæ in pauperis horto non infeliciùs pro-
ueniunt, ac in horto diuitis: ita in homine quo-
que similiter conditæ sunt omnes artes, omnia
opificia: sed non tamen omnia manifestè. Hoc
est, in illo, de cæteris omnibus prçterea nullum.
Illud in alio, nec præter id vllum aliud. Et ta-
men ipsa omnia sunt, ac omnia is habet. Exus-
citatio quæ fit, producit quodlibet, quousque
excitatur. Discere ab hominib. discere non est.
Doctrina enim iam antè in homine est. Et dis-
ciplina tantùm est excitatio seu productio. Si-
cut enim docere non potes vel lignum, vt saltet,
vel canem, vt loquatur: ita nec discipulum do-
cere potes ex te solo. Nec enim vel in ligno vel
in cane est id, quid, in te est. Itaque infans est Ad
quod eum *Ambiguum.* excitâris, ad id inclinabit.
Ipsum si excitâris per sutorem, sutor erit: si per
latomum, latomus erit: si per doctum, erit do-
ctus. Talis enim euadit, quia talia omnia in se
habet. Quicquid excitâris in ipso, surget & pro-
dibit: cætera dormitabunt. Quæ nisi carni &
sanguini congenita essent, nunquam infunde-
res illa ex te. Itaque vnà cum ipsis tu quoq; dis-
cipulus es. Excitas discipulos, & ipsi te. Alius
enim te docere potest, & excitare in alio, quod
apud te dormit, non minus ac apud alios dis-
cipulos aut pueros.

Sapientia homini data integra.

Instructio hominis quid sit.

Infans homo est ambiguum.

Sciendum ergo est, me deinceps hoc modo
scribere de initio & materiâ sapientiæ, quo mo-
do tradidi etiam de initio & materia Medici: vt
nimirum hoc pacto morbi ipsius sapientiæ ad
suam sapientiam accommodentur, eoque diri-
gatur res, vt morbi quoque sapientiæ intelligã-
tur non minùs. ac corporis. Neminem hæc of-
fendant. Nemo moueatur à turbâ Sophistarũ,
nec illis fides addicatur, dum de sapientiâ aliud
dicunt & docent. Hîc enim quæ traduntur, ex
fundamento vero sunt: extra quod sapientia
nulla est. Quia autem sors eadem est sapientiæ,
quæ corporis, vt nimirùm incidat in Maniam,
in Phrenesin, & species plures alias: fas est vtri-
que, vt, ceu Medicus corporis Anato-
miam ex suo patre cognoscere debet, simili-
ter etiam hoc loco Anatomiam rationis homo
sciat secundum sapientiam, & numerum mor-
borum, omnemque naturam & proprietatem:
idque non obiter, sed accuratè distinctèque. Si-
cut enim Medici hallucinantur in cognitione
morborum: sic errare solent etiam sapientes in
cognitione sapientiæ. Nemo enim dubitet, quin
magni morbi illi impendeant. Vt enim morbis
suis affligitur corpus: ita & intellectus. Et vt in
corpore sic etiam in intellectu illi noscendi &
profligandi sunt.

Itaque pro explicando instituto hoc nostro,
deinceps planiùs differendum est de origine, ex
quâ sapientia hominis promanet. Sic enim si-
mul etiam tradetur, vndenam artes oriantur, &
quomodo ad nos pertingant: nec ad nos tantũ,
sed & ad pecora, & res omnes, quæ existunt, ac
circa sapientiam intellectumq; versantur. Com-
prehenduntur enim hic sapientia, artes, pru-
dentia, iustitia, & rerum omnium intelligentia.
Inchoandi argumenti gratiâ, libri distributio-
nem in duplicem sapientiam faciam: in *Anima-
lem* & *Angelicam*, quç vtraque homini inest. Po-
stea explanabitur, quidnam intellectus anima-
lis, & quid angelicus tractet. Vterque horum
sub diuisione suâ latè patet. In quo argumen-
to explicando certè multum nobis laboris su-
metur, nec quæ necessaria sunt breui sermone
comprehendi poterunt. Quemlibet ergo hæc
legentem admonitum velim, vt argumentum
hoc apud seipsum sedulò euoluat. Difficile e-
nim mihi fuerit, illud omnium placitis accom-
modare tractando. Difficilis inquam tota tra-
ctatio erit. Hæc enim à nullo antea ita explana-
ta sunt, & tamen iam à primo initio talia om-
nino exstiterunt, oculis tamen & captui nostro
hactenus abdita. Legenda verò hæc cumpri-
mis sunt illis, qui versari satagunt inter lumina
ecclesiæ, artium, iustitiæ, &c. vt videant sciantq;
ex quonam institia quælibet, scientia aut ars
profluat. Vtraque enim hic comprehenduntur,
diuinum & humanum, verum & falsum, sicut
& vtriusque effectus. Mendax veritatem dicit.
Verax dicit mendacium. Claudus currit. clau-
dicat pede sanus. Denique quæcunque in om-
nibus fiunt & aguntur, quâ ex causâ & ori-
gine illa fiant & manent, explicare hîc insti-
tui, nimirùm vt prodantur, superbi, qui so-
lium sapientiæ occupant, hoc est, sedent in ca-
thedra pestilentiæ.

Sapiẽtia est duplex.

DE FVNDAMENTO SAPIENTIÆ.

TRACTATVS II.

QVoniam filius in omnibus per patrem
cognoscendus est, scire vos velim,
hoc loco me aliud asserere à libello illo,
quo docui de cognoscendo microcosmo ex
suo patre, hoc est ex macrocosmo. Hic e-
nim fundamentum & pater sapientiæ ita co-
gnoscendus est, vt scil. cognoscamus Deum.
Sic cognouerimus etiam ipsius scientiam & sa-
pientiam. Iam verò Deus artifex non est, hoc
est per seipsum non est vir sapiens mundi. Ars
& sapientia mundi, ipsius est, & ab ipso proce-
dit, isque ipsemet est sapientia illa, & sapientia
mundi est sapientia (de animali naturâ non
loquor) filiorum. Quam cognitionem ex Deo
sumimus

Deus est sapientia ipsa.

sumimus talis est. Ratum ac affirmatum est, Deum integrum & perfectum esse, labe omni carētem, & omnia in sese integra habentem. Sicut ergo hæc integritas omni fragilitate & corruptione caret: ita tales etiam nos esse decet, non minùs integros eo, ex quo omnia habemus. Ipse enim noster pater, nos eius filij sumus. Itaque quæ ab illo habemus, integra habemus, nō manca & mutila. Quòd si ergo artes ac scientias nouerimus minimè integras & perfectas, Dei filij non sumus. Is enim hæreditatem nostram non mutilat, sed illam dat integram & perfectam. Iam qui artes callent mancas, dubias, inutiles, incertasque, hi gloriari non possunt, hæreditatem illam se à Deo accepisse. Sed vt spurij parentis sui panem edunt cum otio, contumeliâ probroque, ex solâ gratiâ: ita etiam spurij Dei sunt, qui artes tenent ac exercent, non tamen secundum hæreditatem legitimam, aut libertatem coniugalem, quo iure filius patris sui hæres esse debet. Sicut enim in terra hâc Deum pro speculo habere debemus ita, vt ipsi nos similes præstemus, vt filius similis est patri, nec patre vnico digito minus habet: ita sapientia quoque nostra Deo similis apparere debet. Fasque est, nos esse integros, quandoquidem in Deo nihil macum, nihil mutilum videmus, sed omnia integra & perfecta. Sic autem, quæcunq; hominū sapientia ad finē sapiētiæ non conducit, nec finitur cōmodò, nec durat inuiolata ea spuriorum est. Ex Deo enim sapiens, seu sapientiam Dei possidens, ita consulit ac docet, vt sapientia eius nunquam succumbat, nemo illi aduersari possit, nihil damni illa cieat, nullius ploratus, miseriæ, mœroris, infelicitatisq;, sed contrà potius quietis, pacis, gaudij ac beneplaciti causa & scaturigo sit.

Dei dona perfecta sunt. *Spurii Dei qui sunt.* *Sapientiæ veræque notæ.*

Sic ergo in Deo videre aliud non possumus, quàm veritatem & iustitiam. Hæc enim est Anatomia Dei, quam inspicere, & in eâ nos ipsos contemplari debemus, quòd nimirùm nihil quicquam simus, nisi Deo similes, ac patri cœlesti nostro perfectione pares. Nam & nos Dij sumus, quia Dei filij sumus, non autem ipse pater sumus. Vnus enim tantùm Deus est, non plures: nosque perpetui filij manemus.

Scientiæ omnes ex Deo. Scientiæ duplices.

Ideò hinc consequitur, nos diuos & perfectos esse. Quòd si ergo huiusmodi Anatomiam in Deo patre sapientiæ & artium videmus: sciēdum est, nihil quicquam in terra artis aut scientiæ esse, quod non ex Deo profluxerit. Scientiæ autem omnes diuiduntur in perfectas & imperfectas. Perfectæ legitimè ex Deo sunt. Imperfectæ sunt spuriæ. Horum duorum filiorum generatio pendet ab ipsorum excitatione. Quicquid excitatur ad legitimam surrectionem, id beatè surgit. Nam & illi beati sunt, qui excitantur ad mortem, quia moriuntur beati. Qui ad sapientiam non excitantur intra se latentē, sed pauxillum tantùm eius olent: hi spurij sunt, & in scientia & sapientiâ illegitimi. Probrum namque suum & ignominiam mendaciis velare coguntur. Quis vnquam vidit spurium, qui spurium sese esse non inficiatus fuerit? qui se pro legitimo non venditârit, ac se legitimo quouis generosiorem arbitratus sit? Quòd si ergo meliores & probiores se indicant, necesse est, mendaciis, dolis ac fraudib. adhibitis laudem eam ab ipsis acquiri. Tales etiam sunt spurij scientiæ, & sapientiæ. Aliquid quidem illi intra se habent: sed id ad iustum incrementum non peruenit, quia non in æstate viuunt, sed in hyeme. Vt autem & ipsi cum legitimâ sapientiâ & scientiâ in publicum ire possint: spuriis suis pileolum imponunt, sapientiamque exercent per mendacia, & scientiam per fraudes & imposturas. Huius generis sunt Medici, fucum hominibus facientes, scientiam suam non ex legitimo sed spurio conceptu habentes. Tales etiam sunt iurisperiti, mendaciis quæstum facientes. Tales etiam Theologi, consutis concionum centonibus efferentes. Hi omnes spurij sunt, haudquaquam legitimi. Quod si legitimorum actiones imitari cupiunt, meretrices suas velare coguntur, vt pro legitimis admittatur. Et idem quidem hîc accidit, ac si quis meretricem in templum duceret, eamq; inde domum reduceret, non desponsatam sibi, sed pro formâ (quod aiunt) tantùm ad altare ductam, vt nescio quid cum sacerdote colloqueretur, & sic apud adstantes opinio firmati matrimonij surgeret: Aut quasi aliquis in genua procideret ac simulans se confiteri, pecuniam adnumeraret, quam accipiens sacerdos, illum, qui tamen nihil confessus esset, absolueret. Idem hîc quoq; statuendum est, sapientiam atque scientiam dupliciter inesse hominibus: Legitimè scil. quæ integra est, & omni defectu caret: Et spuriè, quæ mendaciis velatur & sustentatur, probro & vitio minimè carens. Fornicatio enim & incestus in hac scientiâ latet. Ideò occidunt regna mundi, malè succedunt consilia hominum, statuta violantur, homines mutuo odio flagrant, & similia alia ex hâc fornicatione patrantur, omni miseriâ & infelicitate plena, nec alia salus hinc vlla expectari debet.

Spurii legitimis semper iactantiores. *Medici [illegible]* *Iuris per[iti] [illegible] Theolo[gi] [illegible]* *Sapientia spuria [illegible]*

Iam verò quisnam alius sapientiæ nostræ in terra modus est, quàm vt inuicem viuamus more angelorum in cœlo. Nam & nos angeli sumus. Si angelorum more viuere debemus: debent vtique illi nobis pro Anatomiâ seruire: in qua ceu speculo nosmet ipsos contemplemur, vt ceu viuunt illi, nos quoq; illis viuamus similiter. In Deo namque videre nihil possumus, quia is nihil (rumpit) violat. Possumus tamen Anatomiam sapientiæ & scientiæ in Dei creaturis intueri, vt, quicquid illæ sunt, nos quoque simus, nosque in nullo differamus, quam corpore & futuro iudicio. Hinc iam noscendum est, quidnā possint angeli? Omnia. In ipsis enim habitat omnis sapientia Dei, omnis scientia Dei. Scientię ergo Dei omnes in angelis sunt: & omnes similiter in terra angeli sunt innocentes & puri: ideò sine omni somno excitati sunt. Homó corpus habet, quod dormit. Ideò excitandum est, vt ad sapientiam angelorum consurgat, hoc est, ad sapientiam & scientiam Dei. Scientiæ Dei hæ sunt: & inter angelos sunt reuelatores omnium rerum naturalium, omnium artificiorum, omnium secretorum & arcanorum naturę, omnium proprietatum creaturarum, omnium naturarum creatorum. In illis fitæ sunt *Medicina, Geomantia, Astronomia, Pyromantia, Augurium, Chiromantia, Incantatio, Maledictiones, Benedictiones, Nigromātia, Necromātia,*

Homines angeli sunt. *Angeli omniscii.*

Gaballia, Alchimia, Transplantatio. Transmutatio, Reductio, Fixatio, Tinctura. Hæc inquam omnia sunt in natura, hoc est, in creatis. Quod ita intelligetis. Angeli sunt Medici. Possunt volare, super aquis incedere, per muros transire, inuisibiles se præstare, morbos omnes sanare, incantare, characteres, imagines, &c. facere. Hæc si possunt, scire conuenit, huiusmodi naturam ac artes etiam esse in herbas, in semina, in radices, in lapides, in ligna, &c. distributas, ita, vt in illis sit *Nigromantia, vniuersa Necromantia, Geomantia, Astronomia, Medicina, Alchimia &c.* In his homo inuenit effectum, artem autẽ ac scientiam in seipso, ita vt sese similem per opera præstare possit angelis. Transfudit enim Deus vires suas in herbas in lapides, in semina: ex his illæ petendæ & assumendæ. Angeli illas habent in seipsis: non autem homo. Homo in natura ipsas habet: & in illa eas quæret. Hoc enim pacto natura messis est: & per naturam manifestat homo suam potentiam & hæreditatem sui patris sapientiæ & scientiarum. Sic ergo potentia artium & scientiarum Dei data est homini, vt sit *Nigromanticus, Necromanticus, Geomanticus, Pyromanticus, Hydromanticus, Gabalista, Augur.* Hæc enim omnia insunt creaturis, vt illa scire homini conueniat. Cui vt creaturæ exhibent *Physionomiam, Chiromantiam, Vrinam, Pulsum &c.* in mundo magno: Sic eidem hoc quoque loco ostenditur artium omnium natura & proprietas. Et super hoc fundamentum debet artifex esse constitutus & defixus, vt nimirum compertum habeat, Deum causam & fundamentum omnium artium esse, nec de eo quicquam dubitet, multo minùs ista Diabolo accepta ferat, sed soli potentiæ diuinę omnia adscribat, ac solidè credat; Deum ipsum scientiam ac sapientiam esse, & eam ceu angelis, ita etiam Creaturis largitum esse: non vt creaturæ, sed homines illam habeant, sciant & vsurpent, & hoc pacto per naturam inuisibiles fiant, volent, aquam calcent, sanent, & cætera dicta faciant.

Angelorum potentia.

Potentia Dei in herbas & naturis infusa.

Diabolus hæc omnia potest, quia angelus est. Qui tamen cum ex cœlo eiiceretur, scientiæ eius ac artes vniuersæ spuriæ factæ sunt. Sicut fatuum triticum nihil est aliud, quàm fatiscens puluis: & licet quidem externâ specie bonum appareat, fatuum tamen & nihili est. Ita simili modo diabolus sese permiscet cum non excitatis, & eos in fatuam artem secum adducit. Id nimirum facit spuriis scientiarum & sapientiæ. Apud legitimos impetrare ista non potest. Hi enim nouerunt nucleum seu medullam. Ipse autẽ solus nouit seu loliũ facit vel fatuum triticum. Qui Dei sapientiam hæreditate accipit, is transit per aquas, nec pedem madefacit. In legitima enim ac hæreditaria arte homo est Angelus. Quid tingit aut madefacit Angelus? Nihil. Ita nihil etiam homo. Deus potens est, suamq; in scientiis & artib. potentiam vult manifestari non minùs hominib. quam Angelis. Vult enim in terra eadem seruari, quæ in cœlo, non quidem in castitate. Discriminat enĩ hic corpus, nõ in ieiunio, quia corpus diuersum suadet, non in operibus, siquidem alia corporis ratio: sed in scientia & sapientia. Itaque scientia talis huic datur, illi alia, huic sapientia

Diaboli scientia, per lapsũ spuria facta est.

Heredes sapientię Dei, quæ possunt.

ista, illi alia attribuitur, vt qualem etiam Angeli habent. Secundum hoc sumus Angeli, & viuimus ex volũtate Dei, & Dei sumus. Et hoc modo voluntas eius in nobis perficitur. Sumus enim similes Angelis. An potest fatuus esse secundum voluntatem Dei? Minimè. An potest imperitus, & ignarus esse secundum placitum Dei? Haudquaquam. Huiusmodi omnia aduersantur voluntati Dei. Nec enim is nos eligit fatuos, ignorantes, imperitos, insipientes: sed poscit nos esse excitatos in magnalibus Naturæ, quę exhibuit, vt indè Diabolus videat, nos Dei esse, & esse Angelos. Non vult is, Petrum tantùm ac Ioannem, Philippumq; esse Apostolos, sed requirit, eos quidem Apostolos esse & manere, sed & nos cum ipsis esse eosdem flagitat. Non vult, Salomonem solum esse sapientem. Hunc sapientem quidem esse cupit, sed & nos non minùs ipse. Non vult, Ptolomęum saltem esse Astronomum, sed & nos. Et vt non soli vni daturus cœlum est, sed omnibus: Sic idem etiam vult in scientiis ac sapientiâ, eas nobis omnibus datas esse. Et sicut pro nobis omnib. passus est, & vniuersos laborauit: ita vniuersos etiam vult esse hæredes suæ sapientiæ & scientiæ. Hæ enim isto fine creatæ sunt, vt illarum cognitionem habeamus: adeoque sunt vera signa & notæ legitimi filij Dei. Et Salomonem solum sapientem esse debuisse quisnam statuet, nisi homo perditus & desperatus, qui excitari nolit? Quis dicet irasciturum Deum esse, si rusticus aliquis ex Syluâ Martiâ, &c. ad sapientiam Salomonis penetraret? Nec is tantùm ex syluâ Martiâ, sed & ex omnibus angulis, montanis, vallib. &c. In hoc enim Deo complacitum est, eiusque voluntas cumprimis completur, si in omnibus angulis sapientia & scientia personet. Ipse enim illarum omnium fons & origo est. Itaq; gaudet, illas non opprimi aut suffocari, sed ab hominib. studiosè coli & exerceri in terra, ceu in cœlo. Ex hoc iam patet, qualisnam Deus noster sit, quid sit, quantâque fidelitate nobis perspectum esse velit, quam arctè nos amet, & quales nos esse requirat. Religio enim sit, putare quẽquam, velle Deum nos esse rudes & obscuros. Vult imò, nos vniuersos esse ex se (Deo) doctos, & ad summũ illuminatos. Non ille gaudet stultis, fatuis, fungis. Non vult, in vna aliquâ terrâ esse tantùm vnum sapientẽ, vnum senatorẽ, vnum doctum: sed requirit nos vniuersos doctos esse à Deo, in Deo, vt sciamus, quis noster Deus sit, & qualis is sit. Nec enĩ nati sumus, vt stultos & fatuos agamus, sed vt ad gradus Salomonis & Apostolorũ ascẽdẽtes, lumine ęterno exatiemur. Simplicitas enim, quæ moriones, fatuos & amẽtes excusabit, illa in die magni iudicij Dei nemitẽ tuebitur. Non enĩ simplicitatẽ, sed æternam sapientiam ac scientiam Deus nobis obtulit, vt per illam nomen & gloria eius amplificetur, adeoque virtutib. talib. non minus terra ac cœlum compleatur. Completionem hanc omnino fieri oportet. Sin minùs, superueniet nobis dies iudicij, quòd excitari noluerimus in eo, cuius causâ in mundum collocati sumus.

Deus vniuersos suos heredes esse vult.

Stultos Deus auersatur.

Simplicitas non excusat.

Quę hactenᵘˢ disseruimus, eò faciũt, vt intelligamus, debere filiũ patri esse similẽ, suamq; in ipso Anatomiã habere, ita vt omnia ipsius membra perfectione patri correspondeant. Ob perfectionem

Patrũ affectio in filios quanta.

nem hanc, sapientiæ & scientiarum pater in suo filio oblectatur. Quis enim pater est, qui filium suum sibi similem esse non optet? Aut quis est, qui filium suum pauciora se corporis membra habere expetat? Imò econtrà, si quo pacto fieri posset, quiuis pater vellet, filium suum seipso membra plura accepisse & vno alteróue abundare, aut etiam in aliis se superare. Eodem modo & in Deo nos contemplari debemus, quòd is solus omnis sapientia & scientia sit, & quòd nihil ipsi resistat. Iam si credimus nos eius esse filios, montes sublatos montibus superiniiciemus, & in mare ipsos proiiciemus. Talis enim ipsius voluntas. Et hi filij sunt legitimi. Qui tales non sunt, spurij omnes sunt, ex concubitu meretricio prognati, de quibus iam dictum est, qualinam sapientiâ & scientiâ in mundo se iactent & alant. Quis repudiabit artem Medicinæ? Nemo. A Deo enim creata est. Quæ autem creata sunt, ea hæreditatis iure nobis adeunda & acquirenda sunt. Sic nempe per medicinam Deus bonitatem suam offert malis simul cum bonis. Et sicut is solem suum splendere sinit ad commodum tam malorum quàm bonorum: ita circa medicinam quoque similiter sese gerit. Quantum enim ad corporalia, Deus à nullo accusari vult. Sic etiam, quis reiicere ausit artem Astronomiæ? Nemo vtique. Cœlum enim est Dominus corporis nostri, ad faciendum ipsi benè vel malè. Ipsum ergo, si anteuertere satagimus, opera vtique danda est, vt à nobis cognoscatur, & qualenam sit, sciatur. Sicut enim incumbimus noscendo cibo, & aliis ad sustentationem corporis facientibus: sic scrutari etiam debemus alia, quæ quidem cibus non sunt, sed tamen ad vsū corporis conducunt. Quis contradicet Gaballię? Nemo nisi ignarus & imperitus. Gaballistica namq; ars tantū demonstrat, vt sciamus, nos Angelos esse animamq; nostrā esse immortalem, non etiam corpus. Hoc enim mortuum est & nauci. Id autē non in hoc tantū, sed & in aliis verum est, quæ indicant potestatem nostram, hoc est, libertatem ac potentiam legitimorum præ sapientiæ spuriis. Ex eo autem, quòd homo faciat talia, quæ intellectus animalis capere aut intelligere non potest, laus & gloria Dei cumprimis cumulatur. Non enim brutalem intellectum in nobis dominari vult, sed potius diuinam sapientiam & scientiam. Et qui exploratum habet, quidnam, in Tapso sit, is non Tapsi naturam, sed donum Dei cognouit. Qui naturam Nigellæ exploratam habet, is non propriam suam, sed Dei artem callet. Quæ enim ars hominis? Nulla. Qualis ars Herbarum? Nihili. Nec enim homo nec herbæ loqui possunt quicquam: ars ea Dei est. Si transmutat Philosophus, si transplantat Spagyrus: non ipse hoc facit, sed facit Natura. Sed nec ipsa per se Natura, sed ars in natura condita, quæ Dei est. Is non hoc saltem vult, vt res maneat, qualis à terrâ, ab aëre, ab aquâ, à cœlo producta est: sed poscit, nos quoque idem similiter facere, & sese æmulando exprimere ex vi datæ illius per ipsum naturæ. Ipse enim ex ligno facit lapides, & alia plura. Nec vult ea talia perpetuò manere, sed porrò etiam in alia transmutari, & plenius perfici. Eodem modo nostrum etiam est dominari cœlo, & ipsum regere, non ab ipso regi nos. Quòd si inficiari nemo potest, concedet arbitror etiam quiuis, non solam Aquam, matrem esse *Auri*, nec solam terram matrem esse *Flammulæ*, sed ipsum quoque hominem. Et licèt quidem per aquam ac terram talia parentur: ipse tamen homo mater est secunda. Si Deus in cœlo statuit ac exhibet cometas geminos binósue Soles, ac de cœlo iaculatur lapides & fulmina: poterunt vtique illa etiam ex imò sursum ferri, non tantùm lapides & fulmina, sed & fulgura ac tonitrua. Et hæc præfiguranda sunt homini; non tantùm vt admiretur, cœlum ac terram tam admiranda exhibere: sed vt sciat, se his omnibus longè superiorem & potentiorem esse, adeóque hominem brutis ac insensatis astris terræque minimè subiici, sed longè supra illa exaltatum esse, si ipsa vnum producunt: potest homo producere decem. Omnia enim producit ex artibus & potentiâ Dei. Et quanto is superior est quatuor Elementis: tanto se etiam illis potentiorem præstare debet.

Medicina à Deo creata.

Astronomia non reiicienda.

Gaballiæ non cōtemnenda.

Ars & vis omnis rerū Dei est.

Homo cœlo & elementis omnib. potentior.

Sed hactenus dicta de Angelicis hominibus intelligi debent, hoc est, debemus secūdum iam dicta viuere, ac creditum persuasumq; penitus habere, quod omnia nostra opera, facta, sapientia, scientia, &c. ex Deo procedant.

Cæterùm, vt hactenus, ex quonam fonte, sapientia & scientia emergat, percensitum est, ita iam deinceps etiam de origine intellectus brutalis nonnihil expediendum esse videtur. Homini namque intellectus duplex est: Angelicus & animalis. Angelicus est æternus, ex Deo ortus apud Deum manens. Animalis & ipse ex Deo est, at in nobis manet. Æternus autem non est, quia corpus moritur, & ille cum corpore. Nulla enim res animalis manet post mortem. Et mors solius est animalis mors, non etiam ęterni.

Intellectus hominis duplex, Angelicus æternus: animalis caducus.

De hoc deinceps scribere mihi collibitum est, vt propiùs videatis, quidnam cum cœlo & terrâ vel non moriatur, vel moriatur & intereat, eóque percognito, deinceps non vt animalia, sed vt homines viuatis. Animale homo non est, sed est brutum humanum, animale non est, sed est imago Dei. Quia verò homo instrumentum est, per quod sua Deus miracula expromit: ideò animal est, quia caducus est. Non autem homo ipse, sed animale caducum est. Homo in die nouissimo resurget, & ante Dei tribunal sese sistet. Non autem animale aut brutum similiter. Homo de suis factis rationem reddet: non item animal. Itaque quidnam animale sit, quod homo alat & nutriat, aut secum circumferat, deinceps apertiùs explicabo, vt Spurium tandem rectiùs cognoscatis. Per intellectus animalis enim cognitionem patefiet etiam vobis spurius, qui quasi monstrum est. Id enim monstrum est, quod nihil est, quàm animal. Sic ergo & homo, qui hominem se sapientiâ & scientiâ non præstat, monstrum est, quia nimirum homo non est, sed est animal.

Homo quid & qualis.

Animal quid & quale.

Monstrum quid.

Iam verò, cum sapientia adeò sublimis & excellēs sit apud homines: ipsa cumprimis speciosè ac eleganter depingenda est, vt nimirū animal, vndenam sapientiā & intellectum sumat, secundum naturā suam rectiùs cognoscatur, nec ei aliter quàm animali credatur. In qua descriptione

omnium primò speculum animalis intellectus & luminis proponendū est, vt nimirùm videat homo qualenam sit ipsius speculum, & cui cōparetur ex quo fiat, cui conueniat & comparetur, & quę ipsi° origo & causa sit. Sic enim seipsū rectiùs contemplabitur, ac sciet, quis suæ sapientiæ & scientiæ gradus, quę dignitas sit. His antè finitis, porrò vobis explicabo, Angelicarum artium originem, quomodo illæ ad nos pertingāt, &c. Deinde, quomodo spuriæ euadant: vbi vnà operà etiā de animali scientià & sapientià quædam docebo, cùm corollario finali, ex quo omnes intelligant, qualisnam sapientia & quæ sciētia perpetuò in homine lateat, & quæ ipsius vis æ potentia sit. Iam deinceps sequitur Tractatus tertius de inuisibilium scientiarum & sapientiæ origine, vt sunt *Nigromantia, Geomantia, &c.*

TRACTATVS III.

De fundamento scientiarum & sapientiæ.

CÆterùm, vt, quæ ad hominis sapientiam & scientiam cognoscendam requiruntur, omnino & cōpletè tradantur: Porrò requiritur, vt etiam de origine animalis ipsius intellectus doceamus. In priorib. enim de Angelico dictū est. In his tradetur de solo animali. In hoc etiam homo infans est, hoc est, est postrema creatura, post cæteras omnes producta. Quoniam vero vltimus est: ante ipsum vtiq; creatum est id, ex quo creari debuit ipse. Hac enim solà ex causa factus is est vltimò, quia fieri non potuit sine illis reb. quæ ante ipsum creatę non fuissent. Ita intellige. Quicquid ex omnib. animalib. in mūdo est, ipsius Pater est. Sic enim & in maiorem minoremq; Sphæram collocatus est. Et Medici scientia omnis hinc, tanquam ex ipsius parente desumi debet, quoad illius corpus. Hoc ergo ille modo etiam secundum animalem intellectū creatus est, vt sit infans ceu filius omnium animalium. Et omnia animalia illius pater sunt. Nam pater tantùm vnus est. Itaq; quoniam homo ex brutalib. animalib. brutalem intellectum accipit: necesse omnino fuit, patrem ante filium creari. Hàc de causà animalia omnia priùs creata fuerunt, quousq; quidem brutalis intellectus sese diffundit: & postremò intellectum hunc omnem suscepit filius, qui est homo. Is sui corporis ordo & modus est, in 4. partes mundi collocatus seu positus, & ratione quidem intellectus sui in 4. genera animaliū, prout in quatuor partib. cōprehenduntur, *in aqua, terra, aëre, igne.*

Homo vltima creatura, & cur.

Homo animalis filius.

Homo ex 4. generib. animalium constat.

Porrò autem scire debetis, animal & animal vnum & idem esse in generatione. Animal est enim id omne, quod ratione caret. Nam brutalis & animalis in homine ratio res vna est, nec inter se illæ differunt, sed animal vnum sunt. Hinc iam sequitur, hominem animalib. egere ad cibū, & sustentationem, & sanitatem. Et nullum in terra animal est, quod hominis gratià non sit conditum, ita, vt ex illis omnib. homo factus sit & constet. Itaq; carere aut destitui illis non potest. Et quemadmodum homo illa requirit ad cibum, eaque adipiscitur, & pro cibo edit, atq; illis etiam cibatur nutriturque: sic sciendum est, animalia ideò hominem nutrire, quia vnius cum ipso materiæ sunt, sicut pater & filius quoque vnum sunt, & tamen duo. Quoniam ergo istius modi conditio est hominis: ideò animalia ipsi nutrimento sunt. Simile namque nutrit simile suum, & id quod est ipsummet, & quod ex ipso nascitur. Sic quemadmodum caro bubula, ac ceruina, &c. est caro humana; id est fit talis quia homo illam comedit. Et si porcus carnem edat hominis, hæc caro porcina fiet. Sic etiam si canis, si aliud quoduis animal. Quod ideò fit, quia res vna & communis est, vna materia, vna creatura, vnum alterius pater. Hac enim ob causam cibus vnus mutatur in alium. Sicut ergo in cibo res vna est, vna assimilatio, nec quicquam aliud medium *(al. Mater.)* quam coctio in ventriculo ad præparationem hanc faciens: sic etiam in homine brutalis intellectus res vna est cum pecore & animali, ita vt homo conueniat feris animalib. domesticis, auibus, piscib. &c. Et nullum adeò animal in terra degit, cuius intellectus non sit in homine. Omnis industria, omnis brutalis intelligentia, animalisq; prudentia, & quicquid huius est, in homine sunt non aliter ac in animali, in animali non aliter, ac in homine. Res enim vtrobiq; eadem est. Animal ante hominē m creatum, etiam animalis intellectus distributus est. Postea ex illis constitutus homo est, vltima nempe creatura, animalis filius ac partus.

Propter hominē animalia creata.

Homo cur ab animalib. nutriatur.

Simile nutrit simile.

Ex quib. cōstamus ex illis nutrimur.

Animalia omnia in homine.

Homo vltima creatura.

Post hæc ergo homo secundum animalem intellectum cognoscendus est, vt sciatur, quidnam animalis intellectus sit, & quomodo is ab Angelico discerni debeat. Scitote ergo, omnia filij tantum per patrem cognosci debere. Quod enim pater est, est etiam filius. Cùm ergo ante omnia Philosopho & Medico naturali conueniat, de primo fonte seu origine & radice rem deducere: noscendū est, hominē in seipso & per seipsum in brutali suo intellectu intelligi non posse, sed per patrem tantùm, per quē animaliter in rationē constitutus est. Ideò homo brutū est, & est animal. Ideò animal, quia ex animalib. est. Ideò brutū, quia brutalem intellectum, sapientiam, prudentiā, scientiam, &c. habet ac circumfert. Qui ergo secundum talia hominē cognoscere velit, is cognitionis initium à parēte faciet, & per hunc demum cognoscet filium.

Res omnis ex origine prima deducenda.

Ex prædictis elicitur, animalia hominis speculū esse, in quo seipsum contēpletur homo, quod scilicet sit, quod sint illa, & illa sūt quod est ipse. Simplex ille homo est, qui animalia dispiciēs admiratur, canem suū nosse dominum, & aues tā suauem cantum modulari, aut animalia alia peculiarib. sese passim virtutib. commendata facere. Homo inquam admirari non debet, patrem ista posse: sed admirabitur istius animal filiū, quod à patre degenerans tantopere brutalis factus sit, ac viuat. Pater enim de filio, non hic de patre mirari debet. Quòd homo homini se sociat & ingerit: is intellectus brutalis est. Nam & canes idē faciunt, ingerentes sese & abblandientes, vbi bolum aliquem paratum vident. Is inquam intellectus brutalis est, quem prodit etiam homo, si lucri & commodi causâ abblanditur. Si commodum abesset, id nunquam faceret. Homini ergo admirationi esse non debet, idem quoq; facere canem. Facit enim quod homo facit: quia homo ex cane est, non canis ex homine. Meritò ergo admirabitur homo potius, quod caninus sit, quā quòd canis humanus

Homo ex cane, non contra.

manus sit. Sic ergo dicendum est: *Canis est, vt canis in brutali sua ratione esse debet. Et qui talis est homo, caninus est.* Canina enim ratione & assentatione homo vtitur, non canis humanâ, sed potius caninâ. Magnus namq; ille error est, quod animal humanũ vocamus. Ordo enim peruertitur in eo, quòd à filio denominatur pater, cũ filius secundum patrem denominandus sit. Sus, quę sordida est, suilla est. Sic etiam talis homo suillus rectè dicitur. Homo enim à sue suillam naturam habet. Sic etiam caninam naturam habet à cane. Si loquentem & garrientem audis *Psittacum, Cornicem, Picam, &c.* ne dicas, auem illam esse humanam. Est enim brutalis. Nam quod ab homine docetur, iam ante in ipsa erat, nec homo docendo ipsi aliquid addit, sed de cõnato ipsam saltem admonet. Auis ergo minimè est humana, sed est *Psittacalis, cornicalis, picalis &c.* vt verba huiusmodi fingere nobis liceat. Sed & homo talis, qui linguam suam non ad maius bonum impendit, quàm illiusmodi auis, est *Psittacalis &c.* Prȩter inanem garritum nihil succi & medullæ habens. Garrire ergo est brutale, est Psitticale, est picale, non humanum. Vis autem verborum debet esse humana. Vnde verò. Tu inquis, etiam animalia irrationalia famẽ & appetitum ciborum indicare. Sic parix vocantis ad manum volat, & ei insidet, vt edat. quod homo ipsi porrigit. Id tu nihil admireris. Tam enim auis illa in brutali suâ naturâ nobilis est ac præstans, ac tute. Quod tu potes ore: id potest ipsa cantu. Si tu cibum poscis, non poscit illum, qui in te Angelus est, sed poscit illum, quæ in te natura brutalis est. Sic ergo tu animal es, & hoc casu paricis naturã habes velut & aliàs cæterorũ animalium omnium. Nec illa naturã tuam habent, sed tu illorum. Itaq; nihil tibi mirũ videatur, animalibus tantum prudentię & sapientiæ esse. Hoc potiùs mirum tibi videatur, quòd eundem cum animalib. intellectum habeas, adeoq; ipse animal sis, & animalia ęmuleris, nõ ipsa te.

Homo animalia sequitur.

S*e*rpens vulneratus, seipsum sanat. Quare hoc? Homo quoq; sanitatem suam requirit in herbis, in lapidibus. Vndenam hunc intellectum, aut hanc artem habet? Ex naturâ animali. Ideò quærit. Si etiam serpens hoc facit: nihil admireris. Tu enim serpentis es filius. Facit id pater tuus. Huius tu hæres, & æmulator. Ipse Doctor seu Medicus est: tu quoq; ob animalem intellectum Medicus es. A quo ille habet, vt sciat ac nôrit *Serpentinam, Colubrinam, Consolidam? &c.* Has tu minimè nouisti, nisi quatenus ab illis animalib. edoctus sis. Hæc ergo tibi sunt pater, sunt brutalis mater, sunt præceptor. Et herba non à te sed à verâ origine & causâ dicitur, *Serpentina à Serpente.*

Serpẽtes vulnerati, seipsos quo curent.

Serpentina vnde dicta.

Vt ergo serpens commodum sibi auxilium nouit per her herbam: ita intellectus ille etiam in te est, vt idem per eundem noscas spiritum, qui serpentem docuit & instituit. Is autem est spiritus animalis, animali assignatus. Hoc ergo casu nihil admireris, quod serpens suam nôrit medicinam. Hanc longè priùs te nouit ille. Ipsam tu discis à serpẽtẽ. Ex materiâ enim illius animalis naturæ tu factus es. Ideò vtriq; mutuò estis similes. Quâ ergo ratione *animalis intellectus, lumen, ratio, &c.* in homine insunt: eadem etiam insunt in omnibus animalibus. Et omnium animalium intellectus vnius hominis intellectus est: velut & vnius hominis intellectus animalis, omnium animalium intellectus est. Adeoque omnium animalium sapientia, prudentia, astutia, calliditas ratio, intellectus, &c. iunctim in homine colligata, & in vnum hominem collata sunt, & veluti intra cutem vnam congesta, quæ aliàs in animalib. distributa sunt. Quicquid animalia vniuersi orbis singulatim habent, id omne conclusum est in vnum cerebrum, ita vt nullum vspiam in terra reperiatur animal, cuius intellectus proprietas non insit homini. Sic ergo homo est summũ & maximũ animal, reliqua animalia vniuersa superans. Animalia enĩ carent vniuersâ brutali naturâ in vno tantum. Diuisim genus quodlibet suam partem habet. Sed in homine sunt genera omnia, omnes partes. Itaque porrò sciendum est, quomodo in herbis virtutes distributæ sint. Hæc nimirum ita, illa aliter distributa est: hæc hunc, illa alium vsum præstat. Et tamen omnes sunt in homine. Et quæcunque multipliciter in terra passim subsistunt: eæ vniuersæ etiam in homine exili guttulâ comprehenduntur.

Intellectu homo & animal idem.

Homo est animal summum.

Quòd si ergo hominum brutalis intellectus, ratio, sapientia, prudentiaq;, qualis sit, cognosci debet: ex animalib. omnino cognoscendus est. Hæc enim illum præfigurant, vt quicquid in ipsis sit, sit etiam similiter in homine. Et sicut Angeli in cœlo hominem in humana suâ sapientiâ præfigurant, & quatuor elementa corpus ipsius indicant, sic etiam animal animalem ipsius sapientiam, rationem ac scientiam. Iam autem brutalis intellectus ex animalibus æstimandus, & vnà cum omnibus artibus homini attribuendus est.

Videtis, volucres poscente re nidos sibi cõstruere. Brutalis ille intellectus etiam in homine est, qui sibi domum & habitationem exstruit. Omnia enim hominum ædificia procedunt ex illâ ratione, ex quâ animalia sibi do mos parant. Sic ergo structura hominis nõ est, nisi structura animalis. Huic structuræ quicquid homo aliàs addit seductio est intellect⁹ animalis, hoc est superstitiosè additur illud, atq; pro bono habetur: & tamẽ animale tantũ est. Videtis, iuniores à seniorib. cibari, & aues enutrire suos pullos. Hæc sapiẽtia & ratio brutalis est. Eadẽ similiter etiã in homine est, & ab animali transit hęreditariò ad hominẽ. Ac quemadmodum aliud animal alio suos pullos magis amat: sic & apud homines idẽ affectionis & amoris discrimen compertum est. Et tamen hæc omnia brutalia sunt & animalia, haudquaquam Angelica & æterna.

Nidos & domos cõstruere animale est.

Quemadmodũ mutuus amor inter animalia gliscit, vt par cum suo pari, mas nimirùm cum fœminâ cohabitet: sic idem amor etiam in hominibus vigens brutalis est, & à brutis hauritur. Et per hoc nihil aliud, quàm animale meritum commodum & amor impetratur. Amor iste caducus est, non perdurans, ad intellectum animalem pertinens. Altiùs enim is ascendere non potest. Quòd alius alij fauet, odit, &c. intellectu animali est. Nam & animalia inter se mutuò ita affecta sunt. Et quo pacto bufones & serpentes suam naturam seruant: ita & homo, & velut hostiliter sese inuicem prosequuntur

Amor coniugalis tamẽ brutalis.

Ira, fauor, odium, &c. brutalia.

prosequūtur canes & feles: ita etiam regiones. Hæc enim vniuersa ab intellectu sūt brutali. Si canes inter sese pugnant & morsibus se mutuò impetunt, ex odio id fit & auaritia. Vnus enim deuorare quærit, quod alteri iā in faucibus est. Itaque hoc animale est. Eodem modo & homo filius est canum. Et hinc etiam adhærent homini *odium, inuidia, maleuolētia*, qua abripit, quod & alteri appetunt. Et vt canes ob catulientem canem sese mutuò lacerant: sic & amor hominū opus caninū est. Hæc enim omnia ex animalibus æstimanda sunt. Quæ qualia in illis sunt: talia sunt etiam in homine.

Cātillāt aues. Id animale est. Cātillat & homo. Animale & hoc est. Natāt pisces in vndis, & victum prædando parant. Sic & in aëre homo ex præda viuit, quā quotidiè captat. Hæc vniuersa animalia sunt. Nam & animalia eadem faciunt, & homo est animalium filius, ideo idem etiam factitat. Et sic hominum alius est pica, est cornix, est coruus, est picus, est vulpes, est lupus, est vrsus, & sic deinceps. Nā quoad animalem naturā, proprietatem & cōditionem, homo nihil est aliud, quā animalis fœt⁹ & filius, eadem natura & cōsuetudine insignis. Quicquid propriū habet animal, id ab ipso discit homo. Ab animali ergo habet, & animal est, & animaliter se gerit.

Homo animalem filius.

Vndenam didicit homo artē coquendi, & varias in culina dapes præparandi? Ex animali intellectu. Videte apes, quanta industria mel coquant & præparent. Quis cocus ipsis est similis? Nemo hominū in omni terra. Itaq; pater potior est filio. In patre enim ars sēper summa est: & in filio deficit ac minuitur. Sic præceptor sēper est maioris intellectus suo discipulo: senior semper est prudentior iuniore: & sic consequenter.

Artes quendi ab animalibus didita.

Eodem modo, quas artes etiā alias callet homo his similes, animales sūt. Iisdem enim & animalia vtuntur. Quis lac præparare ex gramine potest? Nemo, nisi vacca &c. Quis lac ex carne? Nemo, nisi mammæ fœminæ. Vtrobiq; vna natura est, & ea animalis. Ita sēper Magister inuisibilis superior est visibili. Et inuisibilis est is, qui animalia docet ac instituit, ita, vt cuilib. suus modus, sua cōditio & proprietas assignetur & maneat.

Magister inuisibilis quis & qualis.

Ex occulto hoc spiritu animali nascuntur & instituuntur volucres in ratione sua, in cantu, in scientia &c. Similiter homo. In eo siti sunt omnes cantus, omnium animalium naturę, proprietates, virę, mores. Et quicquid spiritus animalis profert & excitat in homine, id in illo homine erumpit. Ille exstruēdis domibus gaudet: iste fit Victor: hic euadit cantor: alius fit garrulus. Quę tamē vniuersa sunt animalia. Nihil est Angelicum, sed omnia caduca & mortalia. Itaque non hominis, sed animalis.

Iam ergo homo animalis hęres est quoad intellectum, sapiētiam, artem &c. in omnib. tamen inferior & pauperior ipso animali. Animal enim sine institutione discit ex seipso, quæ sui sint officij: non itidem & homo. Itaque cum naturæ animales omnes in ipso sint: oportet ex illis excitari vnā, non plures. Omnia nāque animalia latent in homine: non tamē omnia sentiuntur, noscuntur ac manifestantur. Homo quidem alit astutiam vulpinam, somnolentiam leporinam, inuidentiā lupinam: sed tamen successiue, non simul ac vna. Sicut enim in species diuiduntur: sic seorsim etiam in homine locum habent. Et quoniam in homine naturæ animales omnes cōditę sunt: necesse est expromi ex omnibus vnam, quę in arbitrio magistri spiritus posita sit. In homine voces omnes auiū sitæ sunt. Homines tamen inter se diuersi sunt. Iste est Germanus, hic Belga, ille Gall⁹, iste Anglus. Ex illo eliciūtur & discūtur. Animalia verò discunt ex seipsis. Et quia in species distribuuntur quoad corpus discrimē habēt etiā naturarū. Homo autem vnū tantū corpus habet, nec diuiditur. Ideò nec animalis ratio hominē diuidit: sed opus is habet, vt seipsum diuidat & excitet in eo, quod bene succedat, & in infante proliciatur.

Homo animali pauperior & quomodo homini animalia insint.

Pisces natare sciunt, aues volare, quadrupedes indocti incedere. Iam hoc in corpore natura vna est, quod corpus similiter homo non habet. Vnde nec similiter volare aut natare potest: sed quod is habet corpus, ex omnibus animalib. est minimum, rudissimum, miserrimum, & ineptissimum. Hac etiam de causa, nēpe propter corporis ruditatem, opus habet, vt filium suum incedere, & alia facere doceat. Quod manifestū fit, nihil secum is affert. sed manifestum facere primū cogitur. Ea culpa omnis est corporis. Et animalia secūdum corpus suū diuisa sunt. Seorsim sūt volatilia: seorsim pisces, seorsim serpentes, seorsim cicadę. In his omnibus homo mancus est. Quod non discit, nō potest. Cū corpore eius ita cōparatum est, vt discere possit natare, saltare, currere, repere, volare etiā. Ea enim corporis illius ratio est, vt dirigi, institui, & ad omnia informari queat, nullo omisso. Nō enim hęc in ipso sunt velut aliæ cōditiones & intellectus naturæ animalis.

Hominis corpus ineptissimum.

Sic ergo porro homo etiam inspiciendus est in suo patre, nempe in cœlo, in firmamento, in astris, ex quibus factus & constitutus est. Sicut enim piscis, in & ex aqua nascitur & generatur: ita etiam firmamentum est hominis *lacus, mare, oceanus*. De hoc sciendum est, quod & ex ipso animalem suum intellectū homo adipiscatur. Animal enim cœlo subiectū est, & homo similiter, vt animal. Vnde manifesta signa, quòd homo in illo se exhibeat, velut & animal. Iā homini aliud persuasū non sit, quàm quod, quę molitur, bella, iurgia, concertationes ex nullo sint alio, quàm natura animali & astris producta. Ipse enī ex astris fact⁹ est. Ob id est *Mars*, est *Mercurius*, est *Saturnus*, est etiam *Sol*, est *Luna*, est *Iupiter*, *&c.* Et vt sunt, quorū primus libenter edit seu delectatur hoc, secūdus alio, tertius isto, &c. ita diuidūtur ēt accidētia Planetarum & Astrorum. Videris, in homine vniuersim omnia animalia latere: h.e. animalia omnia iacēt in homine, prout extra sunt, sine corpore tamen. Cętera omnia, velut & species & differentiæ in homine asseruantur, nec quicquam excluditur. Hinc ēt propter cōditionē cœli fit, vt homo in se habeat naturā gallinaceā. Gallus gallinaceus est Mars. Ita Mars etiā est homo, si eius species prosectetur. In lupo est Saturnus. Hic vt est in lupo, ita similiter ēt est in homine lupino. Homo nāq; à cœlo non aliter gubernatur, ac animal. Vt ergo gallus suo tēpore à cœlo excitatur ad canēdū: ita & homo quia gallus est. Et veluti cœlū lupū ad rapinā excitat & stimulat: ita ēt hominē, qui lupus est.

Homo ex cœlo factus & noscendus.

Homo est Mars, Saturnus &c.

Homo gallinaceus.

Hæc iā sunt brutalia. Adeóq; cœlum animalibus

Cœlum homini non dominatur.

libus tantùm,non etiam hominibus imperat ac dominatur. Nam si cœlum hominem facit mitem,placidum patientem,vt de eo dicant homines,ipsum esse agni more placidum,aut solis instar amabilē & beneficum:iam is vtique naturæ,intellectúsq; est omni.Sol enim regit ipsū ceu ouem,non vt hominem. Animal enim ex astris est. Et sicut ex astris est:ita ex illo indicatur,resq; vna est quoad quidem animalitatem. Qui irascitur,irascitur vt iratus canis, non vt homo. Qui latrocinatur,facit id more vrsi. Qui furatur,corui ritu furatur. Qui mœchatur, canis exēplo mœchatur. Qui superbit,facit id instar galli. Qui infidelis canis ritu infidelis est. Qui bonus est socius,canem ęmulatur. Hæc verò omnia sunt animalia,& ex animali natura deducta. Habet autem superbia suam stellam,suā etiā habet prædatio,mœchatio,infidelitas, & sic deinceps. Et sicut stellæ sunt in animali:non aliter sunt etiā in homine. Quique hominum moribus se animalem præstat,is eiusdem etiam animalis,quod æmulatur,stellā habet. Et sic eadem stella gubernat lupum in sylua,& lupum in homine:vna & eadem stella regit latronē, hoc est, vrsum in sylua,& latronē in homine. Omnino enim animalis ea est ratio,quę animalibus similis est; quia est brutalis & corporalis, vnde etiam animal cum animali conuenit. Sic ergo cœlum est Dominus hominum eorū, qui animalia sunt, & animaliter viuunt. Hinc æstimare iam,quænam laus sit, quòd dicant homines: *Iste est similis Leoni,aut Lupo,aut Vulpi.* Gloria ea pecuina est,& cum pecore interit, nec talis quicquam est aliud quàm pecus & peius omni in sylua pecore obit. Fas enim est, hominē hominem agere,non pecus.

Homo quid verò.

Sicut ergo dictum est,homo cognoscendus est ex externo. Nihil enim est aliud quā externum. Quicquid autem in ipso est, quod in ipsum nō ingreditur ac intrat,id externò animalis præstātius est. Est enim ex parte angelicum. Plus itaque ipsum non iuuat animale,quàm vt animaliter sustentetur. Quod autem præter id animale superat,id constituit hominem. Quod autem de animali hactenus tā accuratè & prolixè disserui,ideò feci,vt sapiēs videat & intelligat,quis sit,ipse,& quid sit animal. Nec enim iste est sapiens,qui pulchrè ędificare nouit. Is animal est,nec præstantior:nisi quod,sicut ciconia plus artis impendit suo nido exstruendo, quā columba,sic ipse quoque ciconiā ad colūbam collata dignior sit. Et tamen vtræque aues animalia sunt. Qui cantandi peritus est,nihil est nisi pecus. Et se habet velut luscinia ad coruum. Vtræque tamen aues sunt & animalia. Qui dicendi gnarus est, nihil nisi animal est. Et similis est picę collatę ad gruem. Vtreque verò animalia. Veluti enim gradus certi sūt inter dicta iam animalia:ita etiam inter homines, quorū alius melior,alius suauior,alius iracundior,alius senior,&c. est. Eæ tamen proprietates & cōditiones omnes sunt animales,nullam gloriā homini addentes,sed tātùm animali seu pecori. Huius enim laus,modestia,honórue, Dei non est, sed est tantū animalis gloria:hoc est,sicut Deū laudat & honorat pecus:ita huic similis est laus à tali homine promanans. Nam secundū omnes vires,conditionē ac naturā homo in hisce rebus nihil est aliud, quā animal ante cōspectū Dei.

Cùm ergo huiusmodi tantopere brutalia sint ante Deum:fas est,hominem seipsum nosse,ne eo abripiatur cogitationib. suis,vt putet, se eo Deo cariorē & propinquiorē esse, quòd speciosè nugari possit. Qui enim multas artes brutales nouit:is sciat,se cum omnibus illis animal ac pecus esse,ac vniuersa ea peritura,nec duraturum quicquā esse. Ex illo ergo nihil quicquā regere,edere,bibere,dominari,docere &c. debet,per quod se post obitū ante faciem Dei cōparere posse persuasum habeat. Ista potius facessant,& longè valeant omnia,ita vt nec astutia vulpina,nec prædatio lupina,nec lenitas ouina,&c. in terra cōspiciatur. Ea enim ōnia caduca sunt. In quib. qui viuit,& sibi placet,is viuit mortaliter,tēpúsq; terit ac perdit in reb. caducis,quarum nulla in regno Dei aut cōparebit aut valebit. Quidnam enim Deo placitum est in aue,aliud,quàm quòd hominis pater est, hoc est,quòd secundum animalitatem homini similis est,& animaliter Deū laudat? Alium antē & potiorem is hominem fecit, nempe, vt non animal,sed homo esset. Quicquid verò in ipso animale est,id vniuersum ab externo animali sumitur,à cœlo & quatuor elementis,quę omnia corruptibilia sunt. Habet enim homo vnum patrem,qui æternus est. Et huic is viuere debet,non homini. Animalem fecit ipsum,non vt in eo habitaret,sed viueret.

Huc ergo discursu nostro perducto,tractatū hunc tandem finiemus,qui egit de cognoscēdo animali homine,quo modo is ab externo oriatur & gignatur,quomodo illi adhæreat,& cum ipso vnum sit:quódque animale id nihil æterni agat aut satagat,sed mera tractet corruptibilia, quæ vnà cum ipso animali intereant.

SEQVVNTVR FRAGMENTA CVM LIB. DE FVNDAMENTO SAPIENtiæ Congruentia.

De manifestatione & inuētione omniū artiū.

Qui fuerint olim Medici, & quomodo vocabantur primi.

Medici olim Prophetę dicti.



MNIVM primò Medicina fuit penes Prophetas. Et medici dicebantur Prophetę,quòd populo peritiores essent, & nosset,quæ vulgus minimè intelligeret. Naturales præsagitores eos omnes Prophetas vocauerunt.

Vnde duxit originem Medicina, vnde cognitio Medicinæ, à quo?

Natura est lumen Spiritus Sancti.

Natura omnia docet. Et quę non potest ipsamet, à Doctore spiritu sancto acquirit. Spiritus sanctus & natura sūt vnū,hoc est,quotidie Natura lumen est ex spiritu sancto, ex illo discēs,& in hominē quasi per somnum penetrās.

Quis dixit, Bibrellum, & sanabitur: sic omne experimentum inuenitur.

Cùm ergo Naturæ lumen discipulus sit spiritus sancti; ideò discipulus suum Magistrum exorat,vt se hoc,&c. doceat. Id facit Magister. Hoc modo doctrina deriuatur in discipulum Ea à discipulo perceptā,iam is duplex fit, hoc ex seipso quęrit, & sibi ipsi respondet,

Discipulus duplex.

Duplex discipulus est *Persona & Insomnium:* Similiter & persona Sathanæ,& persona Tentati: Persona spirituum, persona consiliorum.

Et

Et semper adest Lumen Naturæ. Lumen Naturæ respondet suæ, personæ, hoc est, sibiipsi. Sicut enim præceptor sagacē & solertē discipulū nihil celat, sed ipū necessaria omnia docet: ita multò rectiùs spiritus sanctus docet Lumen naturę, de iis, quæ personam eius attinent. Lumen enim naturę & personæ non diuiduntur.

Quomodo loquitur Spiritus sanctus ad Lumen, quomodo accipit à Spiritu sancto, quomodo intelligit seipsum?

Porrò autem Lumen naturæ est Lumen accensum à Spiritu sancto, quod nunquam extinguitur. In homine se habet, vt vita. Cum ipsa enim similiter crescit & nascitur. Luminis ea natura est, vt subinde magis magisq; ardere cupiat, ac Lucere latiùs; & quò diutiùs eò ampliùs. Sic & vita per medicinā subinde magis magisq; viuere satagit. Eodem modo & in lumine naturæ ardens inflammationis desiderium est.

Quid loquitur Medicus ad vitam suam? Ita inquit: *Hoc ede, illud bibe: sic viues, & non morieris.* Similiter & Spiritus sanctus cum Natura ita colloquitur: *Hoc inquire, Hoc fac, &c. ita ardebis, & doctrinā pollebis.* Iam verò Spiritus sanctus ea tātùm docet, quæ vult. Hinc dicere solemus: *Natura sanitatem suam expetiit. Ipse edit & conualuit.* Sic ergo Natura illud agit in

Philosophiā *Astronomiā*
Alchimiā *Mechanicā.*
Prælis *Vaticiniis.*

Anatomia Dei, primi parentis sapientiæ.
Comparatio Filij sapientiæ, ad patrem sapientiæ.
Quid sit externa sapientia, duplex { *Perpetua.* / *Transitoria.* }

Vna est æterna, scilicet Angelica.
Altera est transitoria, scilicet Animalis.
Animalis est creata — *Creata peribit cum cœlo & mundo.*
Æterna ab initio fuit. — *Æterna in æternum viuet cum Deo & Angelis.*

Diuisio libri primi, creatę sapientiæ & moralis.

1 *Creata quomodo se habeant, & in quibus administrentur hominibus, & quomodo vnum animal, & vnus sensus.*

2 *Quomodo creata partita sint: Illud in Rationale, aliud, in irrationale: & quomodo animales sensus sint, & vita in omnibus & quomodo concordēt corpora rationabilia cum irrationabilibus.*

3 *Elementa tanquam creata animalia sapientiam ferunt in sese, & cum hominibus idem sunt: quomodo imprimuntur, & quomodo in eis sunt, & quomodo inclinant necessariò animalem naturam, sed non æternam.*

4 *Quomodo ex his sapientiis creatis & animalibus oriuntur aues creata, sed non æterna, quæ sunt creatæ, aues scilicet Augurij. Augurium est ars ex animali sapientia, id est, quæ animalia sciunt, hæc animalis homo capit, scilicet aues sciunt vaticinari (mas) scit vaticinari, paue scit, ex animali sapientia creata.*

Speculum animalis scientia sunt { *Elementa* 4. { *Cœlum.* / *Terra* / *Aqua* / *Aer.* } ; *Animalia vt* { *Bruta* / *Aues* / *Pecora* } }

Porrò autem vt descendamus ad diuisionem & præsumptam materiam: docendum est de magistro omnis sapientię & scientię nostrę artiúmq;, quisnā is sit, qui omnia nobis donet. Nihil enim in nobis habemus. Sicut enim videtis, corpus morbo & morti subiectū esse, adeóq; à multis miseriis, ęrumnis & impedimentis affligi: ita etiā intellectus noster iisdē malis, hoc est, morbis incidētib. variè afficitur, ita vt cum sano cerebro ad finē, quem intēdimus, peruenire minimè queamus. Et sicut morbus propositū nostrū intercipit priuatione roboris: ita etiā infirmitas rationē tētat, vt in operatione remissior fit. Hæc iam causa est, cur alius alio peritior & doctior euadat, nēpè pront cuiuslibet intellctū morbi retardāt. Quādo corpus morbis affligitur, vt homo fiat Maniacus & furiosus, &c. iam prōpta illicò sentētia stat, hominē illū catenis esse constringendū, quia secundū rationē rectè non habeat. Sed eodē modo & intellect⁹ ægrotat, vt ex morbo desipiat & deliret. Vt ergo morbos corporis cognosci conuenit: ita fas etiā cognosci morbos Rationis. Quoniā autem institui describere fundamentū Medici in morbis corporis, quomodo illos cognoscerę debeat: fas etiā ac æquū erit, me porrò quoq; docere de morbis Rationis, vndenā oriatur, hoc est, ex quonam fundamento intelligi debeant.

Audiuistis autē in superiorib. de corpore, quòd illud in vtrāq; Sphæra constitutū sit, quòd cœlū ac terra ipsius pater sint, & quomodo homo ex patre cognoscere filiū debeat, & quomodo omnia in homine, mūdi, & omnia in mūdo hominis sint. Illa autē se habēt, vt diximus. Porrò hîc iā sciendū est, cum morbis intellectus ita comparatū esse, vt omnis ratio animaliū, terrestriū & aëriorū in homine insit, velut & angelorum propter animam. Homo sphæræ vtriusque particeps.

Ad hoc sedulò attendite. Omnis calliditas, sapiētia, natura, intellectus, prudētia, &c. quæ in omnibus totius mundi ac cœlestis sphæræ animalibus cōdita est, homini inest. Ideò alius est vulpinus, alius lupinus, alius psittacosus. Ea verò vniuersa intellectus animalis sunt, nec quicquā ad hominē attinēt. Sed quia homo etiam animal est omniū animaliū intellect⁹ illi inest. Primò ergo operā dabitis, vt animalē intellectū rectè intelligatis, Quē vbi tractatu peculiari explicuero: pòstea etiam intellectui Angelico peculiarem suum tractatum assignabo. Quī

Qui suscipit tractare de artibus & sapientiâ Luminis naturæ, & quantum huius ad hominem spectet; is initio debet docere de suæ sapientiæ scientiæque ac luminis Magistro, ex quo habeat: Vt, qui ab ipso accenduntur, sciât, quid loquatur, & quid ex illo didicerit.

Erronea enim est doctrina illa, quam quilibet ex suo promit cerebro. Varij enim ortus, varij magistri, varij discipuli ita sese offerunt. Hic hoc sibi proponit, ille aliud. Hic diuertit ad lumē, ille ad intellectū animalē, iste ad errores. De qualibet autem re sciendum est, quæ vera eius origo sit.

Variorū varia iudicia.

Inueniuntur, qui scribant de Mechanicis, & artem ex pluribus quàm tribus principiis deducant. Sunt qui commententur in Facultates & eas ex pluribus quàm quinquaginta septem artibus explicent. Sunt, qui de verbo Dei doceant ex fundamentis pluribus decem. Et sic etiam in cæteris. Multi passim scribunt, sed calamum rectè pauci moderantur. Et ingens est stultitia docere, nec, ex quo id habeat, scire. Hoc enim cumprimis sciendum erat. Nemo enim suorum scriptorum iudex ipse est, cum ea aliorum sint. Sciendum ergo est, cuiusnam scriptura sit: & deinde iudicandum. Toto enim ille cœlo errat, qui suæ doctrinę originem non nouit.

Corpus hominis non hominis, sed Dei.

Cæterùm de originibus seu fundamentis sciendum est, ea esse varia & multiplicia. Qualia autem sunt, ex hoc principio noscite.

Firmiter hoc sic statuendum est, corpus non esse nostrum, sed Dei, non nobis, sed Deo factum, non in nostrum, sed Dei vsum factum. Si iam ea corporis conditio est, omnem etiam naturam suam ex Deo, ex quo est, habere debet. Huius quicquid est, est illius vita, morbus, sapientia, visus, auditus, intellectus.

Iam, si eius, qui corpus fecit, vniuersa sunt: sciendum est, quidnam ille nobis conferat, & cur, quod confert, largiatur: nimirùm, vt homo perfectus sit, sicut perfecta eius est vita. Siue enim pulcher, siue deformis sit, viuit tamen. Vita enim integra, nec manca est. Eodem modo & ipsius sapientia ac scientia debet esse integra, non mutilata.

Dona nobis Deus integra dat.

Hęc Deus omnia homini integra, non dissoluta dat. Hoc enim fine hominem creauit, vt cōtra Diabolū pugnaret, nec ei loco cederet, sicut facit, qui aduersus suum hostem gladium vibrat. Nos ergo manu Dei conclusi sumus. Et vt piscis in aquâ versatur: sic nos in hostilitate. Scire ergo debet homo quid sit, & qualis sit, & cur sit, vt ex solo Deo vires suas sumat, de quo aliàs.

Sapiētia quid sit.

Vt ad externam Anatomiam originis sapientię perueniam: scitote primùm, sapientiam nihil esse aliud, quàm vnicum, idque æternum gaudium.

Quis describet, sapientiam ex suâ Anatomiâ, nisi qui illam nouit? Quis illam nosse potest? Homo ex eo scit, quia sapientia ipsemet est. Quæ quoniam in ipso est, ideò ipsam decribere potest.

Qualis autem est Anatomia sapientiæ? Talis est, vt per se iudicari non possit, non magis, ac Deus ipse. Quia autem illa mortalibus data est: ex eo patet, ipsam à mortalibus (vt ita dicam) anatomandam esse. Si mortale non esset: quis de sapientiâ loqueretur aut sciret? Quoniam verò in mortale illa incidit, de ipsâ disserendum est. Et ipsa quidem genita est, & facta est membrosa, & oculis conspicua, quæ antea inconspicua erat.

Scientia facta propter creata.

Scientiæ, &c. omnes sunt in sapientiâ. Arte autem aut scientiâ non opus fuit ante creationem. Factis autem creaturis, propter ipsas opus fuit scientias manifestari. Iam verò scientia & sapientia (Ea) ársque vnum sunt, hoc est, sapientia Dei manifestata est. Si homo non fuisset conditus: quis quicquam nôsset de sapientia Dei, de Dei infinita potentia, & de rebus cęteris? Nemo vtique, & ne quidem Angeli in cœlo. In creatione autem erupit & in lucem prodiit Dei sapientia, potentia, virtus, adeóque innotuit, quid Deus esset, quę ipsius natura.

Iam sequitur, quòd pater sapientiæ in filio sumatur: & in eo, qui pater ipse est, oriuntur omnes scientiæ & artes. Creatura enim Deum in numero suo habet. Patet ergo, debere illam manifestari. Debet autem sapientia & scientia fieri per filium. Filius retinet naturam sui patris, nec solus discit, sed discunt vtrique. Doctor autem est Spiritus Sanctus.

Homo captus est cum natura animali: non autem Deus. Sic ergo sapientiam duplicem is habet, Animalem, & Angelicam. Vna manet, altera minimè.

Pater ergo est sapientia, in qua artes omnes conditæ sunt, & ex ea procedunt. Pater omnia potest per sapientiam suam & scientiam: Eodem modo & nos omnia posse debemus, vt nihil nobis resistat, nec Magia, nec incantationes, nec superstitiones, nec Nigromantia, nec Chiromantia, nec physionomia, &c. Hæ enim omnes ex Deo artes sunt. Eas si non callemus; hoc casu excitati minimè sumus, sed adhuc dormitamus. Ex hoc iam somno oriuntur doctrinæ, & ars sutoria. Hoc nimirùm est, de quo loquor, de patre Astronomiæ. Is integer, is perfectus est. Tales nos quoque esse decet. Integer enim ipse est: & nostra sapientia est sapientia ipsius. Ex ipsius sapiētia pleno cardine pandere fores debemus: ex ipsius sapientia debemus consuere calceos, qui non rumpantur, & exstruere domos, quæ nec putrescant, nec à vermibus exedantur. Hoc si non facimus: ædificamus in somno.

Iam si pater cognoscitur esse integer, perfectus, & labe in omnibus carēs: debet & filius, qui loco patris sedet, talis esse, & in scientiis perfectū se pręstare. Illæ enim patris sunt, qui perfectus est nō mutilus. Decet ergo Medicū in sua arte veracem & perfectū esse. Dei enim sunt *Iurista*, *Theologus*, *Astronomus*, *Philosophus*, *Alchimista*, *hic*, *iste*, *ille*, *&c.* Istorum autem ne Iota quidem aut Apex decedet, qui nō integrabitur, sicut solius parentis. Quòd si credimus, habebimus. Per fidem enim eò aspirabimus. Sic ergo nihil sciemus, nisi mentiri, fallere. Eæ nobis artes erunt. Quòd si contrà patri nostro credemus, statuemúsque ipsum solum esse sapientiam; iam sciemus & hanc in nobis esse, & esse sapientiam talem, quæ nullo egeat alio, quàm excitatione à somno,

Deus solus est sapiētia.

quam

quam facere nostri officij est. Qui enim dormit, similis est mortuo, licèt omnia in ipso lateant, vita & sapientia: Excitatio facit, vt illa manifestentur. Per huiusmodi somnum nos nascimur, & succrescimus in ipso, si excitemur. Sic enim vernat in nobis sapientia & & scientia, sicut campus tempore veris, & montes post hyemem. *[illegible] mortuo.*

Cæterùm plura attendite de ratione Angelica, quæ in nobis est. Homo animam habet. Anima verò aliud est, aliud corpus. Corpus naturæ animalis est. Satis autem animalia esse auara, inuida, rapacia, &c. quorum nullum Angelicum est, sed animale. Sic etiam qui eiusdem naturę homo est, animalis est, non Angelicus. Hoc animale est in his rebus. Homo corpus in sua ratione vsurpare non debet, nisi quantum attinet ad ipsum, vt sciat suam necessitatem. Præter id in ipso est anima, quæ æterna est. Hanc non habet animal. Eam homo sibi proponere debet. Eaque non ægrotat: sed ægrotat tantùm animale, non etiam angelicum. Duplex enim sapientia in quolibet est homine: Angelica & brutalis. Voluntas eius propendet, quo vult.——— *Sapientia in homine duplex.*

Iam deinceps de animali docebo, vnde oriatur. Vna est Ratio omnium, quam habent aues, vaccæ, homo. Eadem similiter etiam est in Planetis, Astris *Aëre, Terrâ, Aquâ.* Ideò ex his oritur natura animalis, & amor animalis ac creaturæ. Canis enim & homo, vacca & homo, porcus & homo conueniunt, vt simile simili in natura. Sunt enim vnum animal, res vna. Sicut homo secundum animam res vna est cum Angelo; ita secundum corpus sumus animal. Viuimus ergo vt pecora, vnumquodnis secundum id quod est. Animalis iste intellectus probè noscendus & intelligendus est. Patiuntur enim Apoplexiam: nonnulli etiam homines. Patiuntur caducum, vt quidam homines, patiuntur colicam, vt multi homines, &c. & sic deinceps in omnibus accidentibus morborum, cibi, potus rationis homo cum brutis conuenit & similiũ. Institutũ ergo nostrum est, intellectum animalem accuratè explicare.

Angelicus intellectus in Adamum penetrat infusus, & ad nos per natiuitatem peruenit. Idem iudicandum etiam est de intellectu animali eorum, qui animalia non sunt, vt *Cœlum, Aer, Terra, Ignis, Aqua.* Quicquid in illo est intellectu, intellectus est in terra, vt suas arbores, folia, & gramina promat. *Intellectus angelici origo.*

Porrò autem quo modo animalis intellectus quatuor Elementorum in nos penetrat? Hoc modo. In cœlo est ratio, & animalis intellectus, hoc est, animalis intellectus vita, alimentum, nutrimentum, &c. in cœlo est, & ex cœlo venit, & inibi sustentatur, velut corpus à terra. *Intellectus animalis quæ origo.*

Iam si originem Angelicę & Animalis rationis intellexistis, ex quonam illas homo habeat, hoc est, quales in ipso sint: & iám extranèe quasi per speculum videre potestis, quomodo in homine condantur: iam proximum est, describi, quo modo in homine manifestentur.

Angelica & animalis hominis Ratio cum ipso crescit, quælibet secundum suam naturam ac proprietatem. Incognitæ tamen latent in homine, donec excitentur. Nunc autem recensebo de iis, qui seipsos excitant, hoc est, quomodo artes ad nos pertingant, & quomodo quâve viâ à nobis discantur.

In hâc descriptione sumemus primò Animalem, deinde Angelicam Rationem. Fas ergo est, nos primùm describere scientias animales, quomodo ex ad nos perueniant.

Auguria pauonum, Auium. *Lycanthropi*
Hydrom. Pyromant, &c. *Melosina.*
Gabala *Stauffenburgum,*
Item Incantationes *Pluuia sanguinis.*
Persicaria. *Pluuia Ferri.*
Benedictiones vulneraria. *Pluuia Ranarum.*
Furum coactio.

Animalia in cœlo vniuersa sunt, quæ in terra sunt. Differunt tamen eo, quòd subtiliorem materiam habeant.

Iam Planetam suum habet Lupus, suum vulpes, suum lepus, & sic quodlibet suum in cœlo Ascendentem habet, secundum quem inclinat.

Eodem modo & homo secundum naturam animalem suum Ascendentem habet, ex quo animalem statum tuetur, velut aliud animal.

Notabis exemplum. Sicut Sol extra corpus irradiat, & calefacit & hypocaustũ: Sic vim quoque rationalem habet, in hominem transeuntem, instar aliorum planetarum.

Vis ea in Astris est, sicut calor in carbonibus. Illa sunt animalia, & sunt animalia superiora. Et sicut in mundo sunt lupi & lepores ita & in cœlo. Illa potestatem habent in intellectum animalem, sicut spiritus sanctus in intellectum animæ. Cuilibet enim parti suus peculiaris est intellectus, peculiaris Deus & dator. Sic animal Deum habet animalem, id est, Firmamentum. Anima habet Deum æternum, id est, Spiritum sanctum.

Et hoc modo duplici sententiam meam de origine intellectus animalis & angelici intelligi velim. Intellectui enim animali non minùs ductore & gubernatore opus est, ac ipsi animæ. Ideò cœlum, & Spiritus sanctus.

Vtrique autem suus etiam seductor est, Diabolus, & Negligentia, hoc est, *Inscitia & ruditas.* Diabolus respicit animam: Inscitia intellectũ animalem. Vtrique autem sedula cultura & exercitatione opus est.———

Virgilius ex Magica scripsit, & Magus exstitit. Ipsum huius mater vidit per insomnium, id est, per firmamentum. Et firmamentum genuit sibi filium. Ideò Magica impressione ille vsus est, & Propheta Magicus exstitit. Omnes enim Magi nascuntur ex cœlis.——— *Virgilius Magus*

Cur Hildegardis tale quid somniarit, alius aliud, causa huiusmodi est. In quo spiritus Hildegardis amorem habuit, in eo illustratur. Placuit ergo illi ita, seruire citra superstitionem. *Hildegardis.*

Item, nullus hominium resurgit in carne *Adæ & Euæ,* sed in carne Christi. Qui ergo nõ vinit in carne Christi, saluus nõ erit. In hoc situs est neruus sacramenti, quem sedulò notabitis. Ita enim esse oportere Magia probat & docet. *Christi caro, salus æterna.*

Quid est Magica? quid Magus? Diuus aliquis, qui surgit & ascendit. Item, Gabalis est spiritus, migrans ex corpore in corpus. *Magus quid.*

Gabalis quid.

Liberum est cuilibet Mago, prædictionem suam (*Kb*) aut Theologicè indicare ; aut imaginibus præfigurare, aut more Astronomico inducere ; Denique quocunque modo vult, secundum religionem suam, ipse illam detorquere potest. Ideò *Hildegardis* phantasticè locuta est, nõ Astronomicè, nõ *Plagicè*. Sciendũ itaque sacerdotes nõ tantùm in cœlũ peccare, sed & preter modum peccare illos in sapientiã. Plagas ergo Deus illis immittet, hoc est illos non proteget, sed pœnas omnes super illos cumulabit. Fastus Clericorũ ex cœlo non descêdit, sed alius ab alio illũ discit. Ideò fũdamentum sibi etiã singulare ponũt. Vindicta ergo illos obruet, quia de cœlo, quod debet, nõ sumũt.

FRAGMENTVM DE EVNTIBVS IN SOMNO.

QVâ ratione seipsum quis ducit apertis & videntibus oculis : ita ducit spiritus ille clausis & dormientibus oculis. Iste autem spiritus est. Qui autem somniat, quod speculatur vigilans, potest etiam speculari dormiens. Corpus námque quod dormit, nihil speculatur. Quod speculatur, est corpus quoddam, noctes atque dies vigilans. Spiritus autem iugiter & continenter vigilat. Spiritus is cum spiritibus aliis colloquitur, & aliorum etiam colloquia fert. Iste præludia & ludicra facit &c. prognosticat, docet, admonet, hoc est spiritus imaginationis, qui phantasias mouet, non ipsis operibus, sed tantum is loquitur. Ideò nos ille ducit, is nos sustinet, ne cadamus. Spiritus enim si id potest facere vigilantibus: vtique & dormientibus poterit. Item, nihil est, ab aëre nos sustineri, ne cadamus: aut solem nos attrahere. Nam in omnibus rebus nobis sunt spiritus, qui nos ducunt, sustinent, portántque suis manibus.

ALIVD, *De Generatione Stultorum.*

HOmo ex Adamo creatus, & perfectus seu integer factus est. Integritas ea violata est, & in monstrum abiit, cum ex paradiso ille eiiceretur, &c. Sic ergo in *Hebron* est, quòd Deus ipsum creârit, ita secundum suam imaginem, & vlterius ipsum mutarit in stultum & monstrum. Hoc cur factum sit, causa hæc est: Sicut &c, Sic ergo cœlum nos stultos facit, quia nimirùm ex paradiso egressi, subditi ipsi facti sumus. Miseriam ergo nos sustinere decet secundum illius cursum. Differunt homo in paradiso, & homo in terra. Item homo & stultus, stultus & furiosus seu maniacus. Tales facti & constituti sunt, prout constellatio tulit. Nam & astra stulta sunt. Vt enim astra sapientia sapientes, ita stulta stultos gignunt. Quòd si natura cooperatur ad generandum stultum in monstris, cœli potentia eò maior est. Ludunt ergo astra cum illis, vt sciamus indè, Deum quoque similiter nobiscum ludere, nostramque sapientiam coram Deo esse meram stultitiam. De stultorum scientia, prædictionibus, doctrina, exemplis & typo, quod scilicet frustra non sint, sed sapientibus ad institutionem faciant: Item de obitu & transitu stultorum, de ipsorum signis, natura & moribus, & spiritibus apparitionibúsque & similibus: Item de medicina, vana & nihili sunt. Cur in brachiis robustiores sint, quàm in manibus, & ingenia bona habeant, si quid ipsis facias, &c. Item, quæ causa sit, quòd in somno ducant, &c. Caducus, &c. Item, magnam passionem indicant. Item ventura.

ALIVD.

ASTra mouentur à prima hora, vsque ad vltimam, sursum deorsum, ac vt æstas ac hyems transeunt ac redeunt, sibi inuicem occurrunt, & se mutuò corrumpunt ac destruunt, &c. Eadem etiam hominis conditio qui Cometam suum habet ab Adamo, vsque ad vltimũ, ascendens & descendens, quo ascẽsu & descensu cõuenit cœlo cũ homine. Prout sibi occurrunt: tales fiunt. Item, omnes stulti sunt, qui ex animali sunt, sed tamen nati stulti. Natura enim sapientem hominem non profert, sed tantùm imago Dei. Item, quod strumosi, claudi, ægroti & vagabundi fiant, hæc causa est, quòd naturalia astra venena instillent, & stultis stultiformem naturam imprimant. Nemo ergo dicere potest, imaginem nostram, Dei imaginem esse: sed est imago animalis, in quâ omnia animalis genera subsistunt. Interior homo purus est in imagine. Animal autem ad stultum dispositum. Item, talé producit Luna, talem Mars &c. Ita surgunt, fatua sapientia, insana bella, præpostera imperia, stulta commercia, &c.

FINIS.

LIBRI DECIMI PARS PRIMARIA AC PRÆCIPVA.

Quæ est

ASTRONOMIA MAGNA

SIVE

TOTA PHILOSOPHIA SAGAX, MAIORIS ET MINORIS MVNDI.

PHILIPPI THEOPHRASTI PARACELSI.

PRÆFATIO.



VT *omnium primò, quidnam in Sagaci* Philosophiâ *tractandum & declarandum sit: intelligatis operæ pretium ac necessarium est, explicari priùs totam religionẽ omnium creaturarũ, in quonam fundamento & scientiâ secundum ordinem illa consistat. Id verò si probè ac ex fundamento rectè* intelligi

intelligi debet: necessarium erit, intellectus promptioris gratia illam in suas species distribui. Quæ quidem diuisio etsi similiter à Philosophis aliis facta & seruata non sit: ipsam tamen ob id minimè omittemus aut reiiciemus.

Sagacis laus, & vtilitas.

Primum autem non possum non laudare Sagacem, quoniam Deus homini per firmamentum artes omnes, & quicquid naturale est, contulit & largitus est, ita, vt firmamentū sit lumen naturale, & à firmamento naturale homo ipse hauriat. Deinde extollo illam etiam propter insignem vtilitatem, quòd ex illa commodæ & necessariæ artes cæteræ omnes prodeant. Ex hac, admiranda ars Medica, à DEO mirabiliter creata, suum fundamentum cognoscendi hominis morbos, sanitatem, mortémque, vsque ad cognitionis partem dimidiam depromit, nimirum ex scientia Astronomiæ. Ea deficiente, errat æger cum suo Medico. Astronomiæ enim imperitus Medicus, perfectus dici minimè potest. Plus enim parte morborum dimidia à firmamento regitur. Porro autem nobilis hæc ars, Medicinam non saltem perficit ac illustrat, sed etiam, quantum quidem ad sapientiam æternam, rationem & modum docet, quinam ista ab inani sapientia distinguenda & discernenda sit, quod aliàs vniuersum obscurum & intricatum maneret. Multi enim passim scribunt & commentantur de sapientia æterna, qui tamen ex ipsa nati non sunt. Itaque vt de quouis fieri rectum iudicium possit, ex quo fonte loquamur, aut prodigia sua depromat: scire conuenit plus etiam iam dictis duobus punctis, illam continere. Præterea artis Astronomicæ cognitio prodit arcana cordium, quidnam in illis natura boni malíue genuerit. Homo enim ex mundo magno conflatus, naturam illius resipit. Itaque cum alia natura sit, ex terra & firmamento deducta, alia ex cœlo: quid vtraque sit, meritò exponi & illustrari debet.

Medicus sine Astronomia nati ci.

Astronomia prodit hominum naturam.

Hæc ergo, an non inæstimabilis thesaurus sit, cogitandum cuiuis relinquo. Vt cæteras hoc loco virtutes & scientias, ex astris profluentes, silentio prætercam. Vniuersum enim id, quod naturæ lumen hominem docet, ex natura astrorum manat. Id enim persuasum esse debet omnibus, quod vniuersæ naturales scientiæ & sapientiæ ab astris homini conferantur, nec quicquam sit, quod non citra exceptionem ab illis profluat. Nos enim astrorum discipuli sumus, illa autem nostri Doctores. Cum ergo tantum cum astris nobis commercium sit: de illis meritò inquirere sedulò debemus. Sic enim a Deo constitutum est, vt ex naturæ lumine, tanquam à patre nostro, ex quo facti & conditi sumus, discamus. Itaque quoniam Astronomia, à multis passim, quorum tamen ipsa basis & limes esse debebat, exagitatur & conuellitur: ipsa rei necessitas exigit, vt stultitia ipsorum sub radium protrahatur. Pseudoprophetæ enim hanc artem annihilant ideò, quia per ipsam inscitia eorum detegitur. Temeritas enim illa in repudiando tali limite, erroneorum Medicorum mater est, velut & eorum, qui aliàs hallucinantur, & luminis naturæ, adeóque huius artis ignari sunt. Quid enim vspiam est, quod inscitia & ignorantia non scateat? Qui vitæ suæ modum ex hoc arcano sumunt, etsi lex vitæ humanæ data sit, arsque illa minimè expendatur: quo fundamento & limite lex illa posita sit, Legulatores illi non intelligunt. Ignorant enim, quid naturæ lumen doceat, aut quid doceat Deus, aut ex quo naui mortale vel æternum oriatur. Sic ergo seipsos ignorant. Opinari enim & putare, velut & scire ac posse, per artem distinguuntur: hoc est, elimatâ prudentiâ fieri debent omnia. Id docet Astronomia. Quod ad ordinem Diuinum spectat, ex Deo discitur. Quod autem facit ad caducum, docet firmamentum.

Astronomia fons omnium scientiarum.

Astronomiæ nouem partibus author proponit.

Sed ne longiore præfatione vobis tædium creem, scire vos velim, multos esse, circa Astronomiam gloriosos & iactabundos: quorum tamen inscitia & ignorantia ab illismet ipsis proditur. Nomina curiosè inquiruntur, margarita ipsa negligitur. Ego vobis Astronomiæ artem nouem tractatibus seu partibus breuissimè explico. Iis perfectis, perfectus etiam Astronomus fuerit. Sed, quod & initio dixi, enumerandæ mihi illius species sunt, vt apprimè intelligatur, quomodo Astronomia cæterarum artium omnium mater sit.
Vbi Astronomus desinit, ibi incipit verus Medicus, verus Philosophus, iustitia, æterna sapientia, denique scientiæ vniuersæ. Hæc sunt elementa earum rerum, de quibus dixi: ad nouem articulos explicandos. Hoc sedulò notate, quòd, vbi Astronomia desinit, insignes ibi Religiones incipiant. Sine Astronomia enim ars nulla perfici potest. Post ipsam incipit sapientia Diuina. Post ipsam incipit lumen naturæ. Omnium namque primo naturæ lumen accuratè cognoscendum est. Posteà idonei erimus ad cognitionem rerum omnium, quas per hominem Deus operatur.

Astronomia principium scientiarum omnium.

Pro his iam scitote, vnum semper alterius inimicum esse, nec facilè cedere quicquam velle. Sic & proterui ac futiles homines de omnibus iudicium sibi sumunt, omnis tamen fundamenti ignari, non cogitantes, quod ex vno patre omnes septem operentur, hoc est, à Deo omnes adsint, vnus altero non minus. Sicut exemplum commonstrat sequēs ex natura promptum, cuius illi ignari sunt: nempe quod ex ferro septem fabri noscantur, vnoquolibet suo muneri sufficiente.

Figulus figulum odit.

Attendite verò amici, quanta istorum sciolorum simplicitas ac ignorantia sit, dum futilitate ista seipsos produnt. Astrologus nullo loco habet Magum, Diuinatorem, Necromanticum, Signatorem, denique Incertum: Manualem fert & patitur. Magus autem Astrologum, Manualémque non admittit, vt nec Signatorem. Signator comtemnit sex cæteros vniuersos. Diuinator apud cæteros sex silet. Necromanticus ignarus est fundamenti cæterorum. Incertus se omnium optimum iudicat. Manualis acquiescit instrumentis, & vbique leniter adhæret, aut se insinuat. Sic & inanimata penitus excluduntur, nec ipsorum respectu luminis Naturæ mentio fit.

Subiecta vniusvariæ artes sunt.

Et cùm, quoad species cæteras, noc ibi fundamentum solidè iactam sit: ex re & vsu est, illas bono ordine disponi, vt secundum naturam suam rectè ac fundamentaliter intelligantur. Vbi tamē omnium optimum est, si quælibet particula in seipsa perfecta sit, cæterásque veluti sorores, sui coloris & ponderis esse sinat. Lignum non vna tractatur arte, donec quodlibet redigatur ad id, ad quod destinatum est. Ars vna lignum impendit fornaci, alia lignū conuertit in scamna, alia in cultrorū capulos: alia in soleas alia in cancellos fenestrarum. An vero non quælibet ars ligno suo tractando satis est. Ita sufficiunt etiam octo particulæ tranctandis astris. Et licet quælibet ab altera diuersa sit: quælibet tamen secundum sibi datum donum naturaliter & verè perfecta ars est, quam Deus requirit ideo, vt non vniusmodi artes ab hominibus in terra exerceantur, sed variæ.

Luminis naturæ & salutis æternæ quod discrimen

Licèt enim sapientia vnica, vnica scientia sit: multis tamen modis illa tractatur & exercetur. Vult enim Deus mirabilis apud suos diuos, (hoc est, doctos) haberi & apparere. Sed quoad artes tantũ, res ita se habet. Quoad Deũ verò, ratio non est eadem ad vitam æternam, sed vna via, vna ars, vna doctrina, vnus modus, vna ratio, vna habitatio, vna custodia, vnus Deus. Contra in lumine Naturæ, modi multi sunt, ad lumẽ illud tractandum & versandum. Huc faciunt opifices, artifices & facultates, religionesque reliquæ omnes. Theologia autem sub hoc censu non comprehenditur, sed tantùm Thelogia vna est, in eo, cui data est. Quoties ea data est, totidem quidem sunt, sed omnium vna via, vnus gradus. Eo modo qualibet scientia in seipsa perfecta esse debet, velut Astrologus in sua materia, in sua etiam Magus, Diuinator, Necromanticus, Signator, Incertus, Manualis & Generatus. Verè generosus ille est, qui genealogiam ac cognitionem hanc in vnum cerebrum collegit & digessit. Is enim Magnalia Dei intelligit, & illa prædicare, ac cum illis inclarescere potest.

De Astronomia Auctor, cur scribat.

Hæc iam causa mihi fuit, cur partem, de Astronomia, explicandam, ac fundamentum veritatémque eius enodandam mihi proponerem: si forte id à me impetrari poßit, vt studia inania, quibus pretiosum tempus iampridem turpiter & flagitiosè perditũ est, è manibus & animis excutiantur, aliæque nauci & nihili subtilitates argutiæque in quas hodie iuuentus mirè insanit, ac cum illis adolescit, penitus eliminentur. Hæc enim hoc nostro seculo, pudendo modo inualuerunt. His intellectis, dico iam sapientiam in hoc mundo duplicem esse: alteram æternam, alteram transitoriam. Æterna immeditatè ex lumine spiritus sancti: Transitoria immeditatè ex lumine Naturæ oritur. Quæ ex lumine spiritus sancti procedit, vnius tantum speciei est, vera nimirùm & omni defectu carens sapientia: Quæ est ex lumine Naturæ, species in se duas continet. Est enim sapientia bona, est sapientia mala. Bona adhæret æternæ: Mala damnatæ. Ab Astronomo enim profundè id trutinandum & pensitandum est, quod Deus dixit: Pœnitet me, quod hominem feci. Huius causa patet in Astronomia, quæ pœnitudinis huius causam indicat, hoc modo, quo Deus hominem secundum suam imaginem fecerit, & imaginem suam in paradysum collocârit, & non in mundum ordinarit. Ex hoc sequitur, quod Deum pœnituerit, quòd imaginem suam non in Paradyso, sed in mundo corruptibiliter viuere oporteat. Quòd si enim in Paradyso homo mansisset, colligere posset Philosophia, Deum genus aliud in mundum creaturum fuisse. Iam si homo ex lumine Naturæ nascitur, sequitur, hominem bonum & malum nouisse, non quidem ex carne aut sanguine, sed ex Astris in carne & sanguine. Et hic thesaurus & summum bonum, An verò iste non insignis sit thesaurus hominis, si sapientiam æternam à caduca discernere poßit in eo, quòd ipse imago Dei sit? Hinc enim intelligit, Naturale ad æternum nihil quadrare. Hinc enim permotus causam habet vlterius, quid imagini conueniat, inquirendi, & sapientiam transitoriam in bonam & malam distinguendi. Sic enim vel bonum vel malum eligere potest, & tamen iuxtà nouit, quònam malum ducat, & ad quid bonum conducat. Id enim magnum bonum iudico, si diuisio cuiuslibet rei fiat in distinctas partes, quia hoc pacto eligere quis potest id, quod bonum est, primùm nempe sapientiam æternam, deindè caducam: cuius tamen bona retinenda, mala respuenda est. Nulla enim harum te cogit: sed tu cogis teipsum. Et si autem beatum sit docere, multò autem beatiùs discere æternam sapientiam: hanc tamen hic minimè tracto, sed alteram transitoriam, quam ex Astronomia plenè deducam ac perficiam. An verò vel ego, vel quiuis mecum tantum non poßit, vt æternum lumen in nobis probemus, & Naturale lumen in nobis testemur, & ita in æterno lumine pro summis nostris viribus ambulemus, secundum Dei volũtatem, vt lumen nostrum coram hominibus luceat. Hoc, inquam, si non poßim, pigeret vtique à terra me ferri ac sustineri, sed calumniantur, me cũ pia conscientia non agere. Hoc blaterant perfidi, qui ipsi in Fide Æterni insaniunt, contemnúntque ac reprehendunt suum dominum. Ab his autem qui quæso ipsum Naturæ lumẽ illæsum manere poßit? Mihi autem Deus hæc improbabit minimè. In creatione duo sunt, qui crearunt: quilibet trinus in persona, sed vnus Deitate. Primus, vt pater, hominem creauit ab infra. Alter, vt filius à supra. Iam quomodo hi duo creati sunt? Primum, per Deum Patrem, vi Spiritus sancti, constitutum est lumen Naturæ. Itaque si ex naturali lumine discunt viuúntque, à Spiritu sancto illud accipiunt. Noua creatura, creata est à Spiritu sancto ad æternum lumen, hoc est, imago Dei est reducenda eò, vnde venit. Sic imago recidit in manum Dei, & caro redit in terram. Iam si de naturali lumine patris scribo: cur mihi filius, aut inuideat, aut succenseat? Si sapientiam filij considero (cum tamen vtrique Spiritum indiuisum habeant, nec inter se discordent, sicut homo duplex est, ex parte æternus, ex parte mortalis. Et pars vtraque lumen suum à Deo accepit, tam mortalis, quàm æterna, nec quicquam est, cuius origo non sit ex Deo.) Cur quæso patris lumen Ethnicum, & ego similiter gentilis haberi aut iudicari debeamus? Cum tamen ego Christianus sim, inque Christiano lumine tam veteri quam recenti verser & ambulem? Quòd si pater & filius vnũ sunt: quinam lumina colere duo dici poßint? Idololatricus merito censeri debeam, id si faciam. Sed numerus vnus metuetur. Quod si duos amem, ac vnicuique suum lumen, quale Deus cuilibet attribuit, deferam: quo pacto Ethnicus dici poßim? Iam autem corpus cibo animæ nutriri non potest, nec anima cibo corporis, sed vtrique, suus peculiaris cibus dandus est. Si ergo cuilibet corpori porrigendum porrigo: an ob id Ethnicus & negator fidei dici, aut à Christianorum numero excludi debeam. Hoc quidem non ignoro, quod naturale lumen æternum non sit: sed per æternum, saluum & æternum me fieri oporteat. An verò ob id non ausim mortale lumẽ animæ conciliare cum æterno? Cum corpus & anima cohabitent, quinam prædicta duo lumina simul vsurpare non sit integrum? Nam & Deus duas in homine naturas congeßit, terrenam & æternam, quæ duæ vnita manebunt vsque ad diem resurrectionis, quo terrenum terræ, æternum autem regno Dei cedet, Christiana scribo, non Ethnica: Germanus sum, non Italus: Interpretem ago, non Sophistam, &c.

Sapientia duplex, & quæ vtriusque origo & species. Deum cur creati hominis pœnituerit.

Sapientiæ æternæ studium qui beatum.

Deus vnus & trinus.

Auctor se ab Ethnicismo vindicat cõtra calumniatores.

Anima corporis cibo non alitur, nec contra.

Homo naturæ duplicis.

Sed porro iam aduertite, quidnam de duobus luminibus æterno & mortali statuam, Æternum, munus suum in anima complet, mortale autem in corpore. Mortale lumen operatur in lumine naturali: æternum in æterno. Sic enim à prouidentia diuina constitutum est, vt mortali corpori suus labor aßignaretur, quo tẽpus in hoc mũdo consumeret, vt nimirum hoc pacto inanes aliæ cogitationes exularent, nósque pro voluntate Dei in lumine naturali versaremur, nostroque corpori naturali naturale lumen adhiberemus, scientiasque naturales tractaremus & magnalia Dei per Naturam cognosceremus. Nec enim in isto saltem gau-

lere lumine debet, sed & in altero, quod ad imaginē Dei spectat. Sic ergo circa duo versari lumina decet hominem, nec alterum sin[illegible] altero est, sed combinata vtraque & coniugata sunt instar viri & fœminæ. Iam quænam hinc simultas oriri poßit inter mortalem & æternum Medicum? Exempli gratia. Mortalis Medicus ægrotum sanat: sanat eundē etiam Apostolus. Quod autem Apostolus superet naturalem, facit regeneratio. Ob id autem ipsum Naturæ lumen reiici, Deitas minimè patitur. Quia autem Apostolus mortuum in vitam reuocat, non item Naturalis: ex eo vtique discit naturalis artem suam æternæ scabellum esse. Vaticinati sunt Prophetæ talia, quæ nulli Astronomo vel in minimo peruestigabilia erant. Sed quid hoc derogat Astronomiæ? Si, quæ nescit, non dicit Astronomia: an ob id etiam reiicietur & contemnetur in iis, quæ scit? Hoc quo pacto persuaderi queat? Etsi Prophetæ quidem multa prædixerint, quod per hæc decedit Astronomiæ? Etsi Astronomia multa prædicat, quid id derogat Phophetis. Alter enim loquitur è supernis, alter ab infernis, & tamen vtrique in lumine suo genuini sunt. Etsi Apostoli quidem & diui multos sanarunt: an non multò plures, ab Apostolis & diuis minimè sanati relicti sunt & traditi Medicinæ? Apostoli & Diui mortuos resuscitarunt, claudos sanarunt, &c. Sed quia illi non perpetuò nobiscum conuersantur, ideò ipsorum quoque opera decedunt. Quod si Medicina nihili esset, deceret vtique diuos illius locum tueri. Iam cùm diui minime sint, nec opera illa fiant: ipsam Medicinam suo munere fungi necesse est, sicut in Hiericho factum est cum vulnerato, qui per Medicinam, & non per diuos curatus est. Sic ergo Naturale lumen quidam velut vicarius est diuorū. Quid derogat linguæ naturali, locutam esse igneam? Aut quid lingua ignea derogat naturali? Sicut vir & fœmina iunctim fœtū gignunt, nec sine vtrisque fœtus produci potest: sic nobis quoque lumina vtraque data sunt, vt in vno homine habitent.

Huc ergo vsque iam perducta præfatione, pergam deinceps, quænam nouem particulæ sint Astronomiæ explicare, easque pro necessitate stabilire, &, quæ vis ac potestas illarum sit, accuratè enodare. Productioris autem huius præfationis hæc causa est, vt Christiana pietate me tuear, cur Magus, aut Ethnicus nullo iure dici poßim. Id enim solidè per Christiana mea scripta euincam, & suis nugis Pseudochristianos relinquam. Hác de causa, de Astronomia, vt deinceps sequitur, scribere constitui. Et quia ex lumine naturali procedo, arbitror, hoc pacto mortali corpori satisfactum iri, dum tracto de lumine naturali, cuius scientiam mihi Deus donauit. Flammeis linguis loqui & naturam describere, dotis meæ non est. Nam etsi quidem donum ex schola Pentecostes sic scribendi non habeam, quæ schola æternum tantùm ex æterno docet, non etiam mortale, licet vtraque coniuncta sint: idem tamen mihi donum, eadem est gratia data illius spiritus, qui à Patre procedit in naturale lumen, qui etiam alias per filium à Patre procedit in lumen æternum. Ex natura enim conuincam, multos inter homines versari pro diis ac diuis habitos, qui tamen quouis cadauere abiectiores esse debebāt. Diabolus enim Satanicas suas vires disseminat, vt hominem per illas seducat. Cognito ergo vero lumine opus est, vt molimen illud Satanæ declinetur. Spero autem perpetuam eamque sibi similem veritatem repertū iri, quantum quidem de mortali lumine à Deo per Spiritum mihi reuelatum est, qui nostrum quoque opus laborémque ac ingenium & doctrinam clementer illustrare & perficere velit. Amen.

LIBER PHILOSOPHIÆ FIRMAMENTI COELESTIS, PER Doctorem Theophrastum.

CAPVT I.

Explicatio initii, quomodo Astra & homo mutuò se habeant, & vniantur.

VT horum omnium initium vobis rectè explicetur: fas est, nos rectà adire ipsum opus creationis primæ, quâ cœlum, terráque, ac creaturæ vniuersæ factæ sunt. Ordinis hæc ratio est. *Primùm corpus, post corpus Rector seu moderator: post hunc corpus sensibile: post hoc Rex ipsum gubernans: denique Rex hominem regens.* Dicta iam ita accipite. Primò creatum est corpus superioris & inferioris Sphæræ, ita vt firmamentum corpoream substantiam, velut & Elementa in cœlo & terra acceperint. Hoc corpus rerum omnium principium fuit. Postea corpori illi viuēs Spiritus creatus est, ex corpore & per corpus operationem suam perficiens, à Deo illuc destinatam. Ita finiti sunt dies creationis & ordinis omnium creaturarum. Post hæc omnia homo à Deo secundum eius imaginem factus est. Itaque intelligendum est, qualis sit Spiritus creaturas gubernans, & qualis sit Spiritus, gubernans hominem. De gubernatione ista, quæ vnum alij dominetur, ita accipite. Primo, *Creata sunt elementa.* Elementa nihil sunt nisi subiectum, per quod aliquid perfici debet, hoc est, sunt id, in quod ponendum viuum est. Motio hæc est, quod regit corpus. Sic ergo Rector & Moderator est in Elementis, ex ipsis educens, seu pellens, quod in ipsis est. Is pellit Ignem, vt vrat, cogit terram, vt fructus promat, imperat Aquæ, vt pisces sustentet, transadigit aërem per vniuersum orbem, ducit Solem & Lunam ac Astra omnia ad cursum suum. Hæc nimirùm est Natura illa, ex qua corpus in operationem suam abit ac ducitur. Et qualis ea natura est, taliter corpus etiam mouetur, nisi si ars quid interuenerit. Elemēt. Rectoris officium

Inter Creaturam autem & hominem hoc discriminis intercedit. Quoniam homo ad imaginem Dei factus est, ex eo sequitur, ipsum esse animal, quia ex creatura factus, ratione diuina donatus est. Hinc tertius & quartus oritur Rector seu Dominator hominis, non autem animalis. Quod enim ad intellectum pertinet in imagine Dei, id hominem à creatis cæteris distinguit. Et sic prædestinatio in quolibet corpore perficitur: in homine, velut in eo, qui à Deo singulari & accurata opera exacte diuina factus est, quoad elementa: in animali & rebus cæteris, prout quodlibet est, ita suam à Deo prædestinationem habet, quo scilicet spectet, ita, vt creatum quodlibet perficere cogatur id, quod de ipso prædestinatum est. Hac ex causa caro sensibilis perficere cogitur id, ad quod prædestinata est. Hac ex causa id ex se proferre cogitur, quod in ipsis latet. Postremus & vltimus homo est, à Deo creatus, & donatus Rectore suo, qui ipsum velut animalia ad naturalem operationem cogat

gat aut ducat: quam Deus ex ipso fieri requirit. Hanc enim Rector ex ipso prolicit, nullo excepto, prout tamen ad bonum malúmue aptus & idoneus est.

De cæteris autē Rectoribus ac gubernatoribus, quantum ad diuinam imaginem, quæ hominem alium quam naturalem facit, hoc loco Naturali mihi scribere non conuenit, & æternum in homine omittam. De illo enim hic docere instituti mei non est. Sic ergo intelligi debet, *primum esse corpus aliquod, de quo Astronomus nihil loquitur.* Est enim Elementale, pertinens ad terrenam Philosophiam Elementorum. De naturali autem Spiritu in corpore disserendi potestatem habet Astronomus. Corpus enim elementorum est. Spiritus autem corpori elementali datus à firmamento ipsi cōsertus & vnitus est. Hac ratione Philosophia in duas partes diuiditur: In *naturam Spiritus:* & in *naturam corporis*, hoc est, in corpus & spiritum. Ex his colligite, quidnam cœlestes operationes perficiant, hoc est, quidnam Ætherei Spiritus agant & operentur. Virtutes enim horum describam, quas Deus ipsis indidit, tanquam corpus elementorum, corpus animalium, corpus hominum, corpus metallorum, corpus herbarum & ceterorum. Hæc enim omnia sunt corpora ad sydereum Spiritum minimè spectantia. Corpus enim elementorum in corpora quatuor diuiditur: corpus autem animalium in genera plurima: corpus verò hominis in vnum tantum corpus. Elementa quatuor sunt. Animalium nullus dum certus constitutus numerus est. Impossibile enim est nouisse omnia. De illis ergo nihil scribemus, sed tantum de homine, vt spiritus naturalis rectè cognoscatur. Sic ergo in homine corpus tantùm vnū est, vna natura, vna conditio, vnūque solummodo corpus homini decedit. In tot tamen species secundum humanum intellectum diuiditur, quot species animalium sunt in omnibus generibus. Necessarium ergo erit describi, *homines serpentinos, homines bufones, homines suillos, homines gallinaceos, homines leoninos, &c.* Ex elementis enim varia corpora: ex firmamēto varij Spiritus procedunt. Nam si firmamētum incidit in aliquem more vel habitu leonis aut suis, ac si corpus sus esset iam homo non erit homo, sed animal. Imago non est in animali: non species, saltem sus est: sed suis etiam mores sunt. In imagine autem diuina Spiritus tantum vnus est, de quo hoc loco dicere non institui. Dicam tamen de Rectore, qui corpora moderatur. Moderator iste sunt Astra, ex quibus vniuersa Astronomia promanat. Itaque ad deinceps dicenda attendite. Vos me naturaliter intelligite, non supernaturaliter.

Philosophię partes duæ.

Elementa sunt quatuor. Animalium numerus incertus.

Etsi verò à multis Ethnicè locutus hic videri possim: attamen, etsi hominem bestiam vocem, in compertum mihi non est, quidnam discriminis sit inter hominem & bestiam. Discrimen enim id positum est in sola imagine & spiritu. Hæc accuratissimè indicanda sunt. Contemptui me verò esse oportet ideò, quia lumen Naturæ reuelo, quam tamen fecit pater, qui idem etiam docuit filium. Si placet filius, placebit etiam in rebus aliis opus filij. Vbinam & quando homo ex Elementis & Astris se sustentauit (conseruauit) in filio: Nunquam sed tantùm in patre. Venia ergo mihi detur, vt scribam de operibus eius, qui filium docuit. Sed & cæteros irreprehensos esse velim. Affirmo ergo, hominem tanquam animal, Rectorem habere tanquam animal: & hominem tanquam imaginem Dei, Rectorem habere, velut imago Dei. Rector hic nomen Rectoris non retinet, hoc est, Rector corporis secundum naturam animalem. Et quanquam duo in corpore hominis Rectores sint: hic tamen saltem ad mortalem attendi debet. Finem enim illi imponit Mors. De mortali ergo scribo. Et hæc non minus aliis scienda sunt. Nam in operibus Dei versari debemus, non in phántasmatis hominum. Laudabiliter ergo illi faciunt, qui de filio scribunt, & rectiùs quàm ego. Laudabiliter autem & ego facio, quia trado de operibus, quæ fecit is, qui filium docuit. Sed vt rem adhuc plenius edisseram, duo in homine corpora sunt: Vnum ex Elementis alterum ex Astris. Duo hæc corpora approbè cognoscenda sūt. Et per mortem Elementale corpus cum suo Spiritu defertur in sepulchrum, & Ætherea corpora in firmamento suo consumuntur, ac Spiritus imaginis transit ad illum, cuius imago est. Sic ergo quilibet moritur in eo, ex quo est, & in eo etiam sepelitur. Hoc modo mors Spiritus tres à se inuicem in homine separat. Sic ergo constitui de Spiritu imaginis tractans, tantùm de naturali corpore scribere. Spiritus autem imaginis cum duobus illis manet. Sunt enim hominis. De hoc Astronomia disserit, quia in imagine hominis est: siue illi boni sint, siue mali. Vbi imago hæc Dei non est, ibi nec iste est Spiritus: quia ibi homo est à Deo pro spiritu creatus. Duo enim, homo nimirum & imago à se inuicem non diuiduntur. Hominis autem est secundum imaginem viuere, & ita sese gerere: vt imago animalis nihil in se habeat. Sed propter naturale, hominis corpus compellitur in lumen naturale, sine imagine. Et Spiritus cuiuis dominari debet in eo, in quod dispositus est. Ita quolibet in sua potentia manente, prædestinatio viget secundum voluntatem & ordinem Dei, hoc est, vt duo, homo & spiritus à se inuicem non separentur. Nam in vtrisque predestinatio indiuisa latet. Causa hactenus dictorum hæc est. Rector in elementis quatuor notus est Philosophis. Sic etiam Rector in animalibus notus est Astronomis. Eodem modo & Rector hominis naturalis notus est Astronomis Magicè, non Astrologicè, aut in aliis speciebus Astronomię. Sola enim Magica hic loquendi potestatem habet. Spiritus autem imaginis vniuersam Astronomiam fugit latétque, tractandus ab illis, qui de Deo ex ipsius lumine & spiritu loquuntur. Astronomus de christo, aut eius Apostolis Prophetisue nihil disserere potest. Imago enim ad Astronomi considerationem non pertinet. Christus est supernaturalis, naturam transcendens. Natura illi subiacet. Ipse est secūda persona Trinitatis, creator rerum vniuersarum, creans sibi cœlum nouum, quādo vult. Ad Astronomum ergo non pertinet disserere de vaticiniis Christi, & Prophetarum, vt nec de Apoca-

Rectores hominis duo sunt.

Corpora hominis dupla.

Christus Astronomicè considerari non potest.

Christus secunda persona Trinitatis.

Apocalypsi. Et discrimen positum in eo est, quod Christus, & qui cum ipso faciunt, *Tempus Nationum* prænuntient, cum Astronomus prędicat *tempora Naturæ*. Hoc discrimen sedulò tenendū est à Naturalibus & Theologis. Quod Deus prædicit, necessariò euenit, nec impediri potest. Quod prænuntiat Astronomus, fieri potest vel non potest. Itaque fundamentum aliud est Prophetiæ, aliud Astronomiæ. Cognitio autem omnis hominū posita est in beata vita hominis, nec ex vllo alio signo homo cognosci potest. Cum verò hoc loco beatæ vitæ explicationem (*nec enim Astronomum decet de Propheticis & Apostolicis docere*) non suscipiam: intermitto etiam Spiritum & imaginem explicare, ac hoc saltem ago, vt Astrorum in naturalia corpora vim ac dominationem describam, sicut ex lumine naturæ id depromi potest. Nihil enim adeò abstrusum est, quod non ex ima profunditate erui, & suo tempore produci possit à quouis ad id prædestinato. Scribo equidem de natura mortali, cùm tamen æternum potius sit. Dùm ergo iste mihi hâc vice calamus est: cur sabbathum agam seu ferier vsque ad aduētum alterius? Dictum ergo sit, Machinam mūdi fabricatam & diuisam esse in partes duas: in *sensibilem & tangibilem*, & in *inuisibilem ac impalbilem*. Sensibilis pars est corpus: inuisibilis sunt Astra. Sensibilis constat ex tribus, ex *Sulphure, Mercurio & Sale*. Insensibilis & ipse ex tribus constat ex *animo, sapientia & sciētia*. Vtreque autem vita coniunctæ sunt. Pergo ergo tradere de *Naturali*. Et quæ hactenus docui, dicta sunt propter eos, qui cauendi & vitandi sunt cuiuis, qui tutò circa opera Dei versari cupit, &c. Hæc ratio & cōditio creatorum in mūdo est. Creata omnia vel sūt *Sensibilia*, vel sunt *Insensibilia*. Sensibilia vel sunt *Rationalia vel Irrationalia*. Vtraque tamen animalia, ita, vt homines ex ratione sciant, quid facere debeant. Et prout agunt ita actorum finem prænoscunt, & sic iudicium & perfectionem habent, quod denegatum est animalibus. Hoc modo sensus omnes gubernantur ab Astris, velut à domino cuiuslibet intellectui perfecto, hominis scilicet vt hominis, animalis, vt animalis. Homo autem vtriusque naturæ est. Ratio seu intellectus hominis in scientiis, prudentia & sapientia ex Astris prouenit. Animalis autem natura tantùm est edere & bibere, & his similia opera perficere. Aliam ergo naturam ab Astris haurit animal, aliam homo. Mortalis enim sapientia, ratio ac scientia, & quę alia ex lumine descendent Naturę, ex astris accipi debent, non item etiam imago Dei, quæ sola spiritus est à Deo dati. Is enim docet homines de supernaturalibus & æternis, qui etiam in separatione massæ & spiritus, ad Deum reuertitur. Is enim vices Pędagogi in homine agit, ducendo & dirigendo hominem ad æternum.

Hinc iam oritur cognitio virium in astris positarum, quoniam astra ceu naturalis quidā Pædagogus sūt, vt sciamus ac intelligamus, intellectum & scientiam omnem ab astris in nos defluere. Hæc vt se in cœlo habent: ita se sydus etiam hominis exhibet. Sydus itaque hominis Pædagogus est, & homo syderis discipulus discens ex eo lumen naturale. Talis etiam est cognitio spiritus imaginis. Vis spiritus imaginis cognitionem dat vitæ æternę. Qua enim ratione per spiritum imaginis diuinam sapientiam haurimus: ita per æthereum spiritum intelligimus spiritum terrenum, & per spiritum elementorum, arcana elementorum exploramus. Huiusmodi spiritu qui donatus non est, is nihil diuini, nihil firmamentalis, nihil elementalis nouit. Is saltem nouit, cui spiritus talis datus est. Sic ergo quiuis loquitur ex eo, ex quo est. Qui ex terra est, de spiritu terræ disserit. Sic & Christ⁹ dixit: *Regnū Dei inter vos est*, hoc est, spiritus Dei inter vos est: ideò de regno Dei loqui potestis. Ita rem intelligite. Qui ex astris didicit, loquitur, quę astrorum sunt. Qui ex terra doctus est, de illa disserit. Qui à regno Dei institutus est, de regno Dei institutus est, de regno Dei loquitur. Sic omnia coniunguntur. Naturale nimirum & æternum, attamen sub naturali. Ita accipimus lumen naturale & æternū. Sicut autem ad Iudæos Christus dixit: *Vos ex Diabolo estis*, hoc est, ex ipso loquimini: ita quiuis se prodit sermo, quod procedat ex eo, ex quo ille spiritus est. Sed hæc ad Prophetas & missos à Deo relego. Quę autem ad cognitionem vitę naturalis spectant, ea ex astris manant. Ideò qui de astris docet, ex astris illa sumit. Sed porrò. Sicut corpus suum lumen à natura concipere debet, non aliter, ac fomes ignem concipit ex silice: sic quiuis etiam alius suum lumen sumit ex eo, ex quo est. Quicquid ergo luminis in homine est, ab astris procedit: Quicquid est in carne & sanguine, ab elementis. Hoc pacto operationes in homine duæ sūt: vna luminis firmamētalis, in naturali sapientia, artibus & intellectu (quę patrem alium non habent. Sic enim Deus medium in lumine naturali creauit) altera elementalis, vt sunt *lasciuia, esitatio, potatio, &c.* quæ ad sanguinem pertinent & carnem. Quicquid enim hoc modo in carne & sanguine gignitur, id astris adscribi non debet. Cœlum namque neminem libidinosum neminem auarum facit, sed ex cœlo sapientia & ars procedit. Et sicut ex silice ignis elicitur, in quo tamen is minimè conspicitur: ita ille quoque ex stellis excidit in carnem & sanguinem ceu fomitem, non tamen carnalia producens, sed gignēs talia, quę sciētię, sapiētię, &c. sunt. A cœlo nāq; non nisi sapiētia & scientia profluit. Fomes ergo carnis in partes duas diuiditur: sc. in partem rōe carentē, & in partē ratione pollentem. Cuilibet parti prędestinata sua assignatur ratio, proprietati & conditioni congruens. Hæc vniuersa ab astris & elementis concipiūtur, vt dictum est. Ita quælibet pars naturam sibi conuenientem sortitur. Quod de carne est, est animale, & animali adhæret. Quod ex astris est, est humanum. Quod est ex spiritu Dei, est secundum imaginem, &c.

Operationes hominis sunt vel firmamentales, vel elementales.

Quæ de operationibus astrorum superiorū in hominē hacten⁹ dixim⁹, ex illis intelligere debētis, in astris cōditas esse ōnes *artes, facultates, sciētias opificia, sapiētias, intellect⁹*, similiter & stultitias, & quę huius generis sunt. Vnde sequitur, *nihil in homine esse posse, quod à lumine naturæ ipsi non sit datū*. Quod autem in lumine naturæ est, id est, operatio syderis. Et in sydere est schola, in qua præ-

Astra continent omnem sapientiam, stultitiam, &c.

prædicta omnia addiſcuntur. Ita nimirum primus aſcendens Veneris docuit Muſicam:& primus aſſcendens Martis docuit Fabrilia. Sic vbi etiam alii aſſcendentes in Venere aſſcenderũt, Melodias alias dederunt, ſicut alij aſſcendentes Martis alias inuẽtiones in Fabrilibus prompſerunt. Ex his ita colligite. Si non fuiſſet Venus, nulla inuenta fuiſſet Muſica. Si non fuiſſet Mars, nulla reperta fuiſſent Fabrilia. Itaque ſtellæ nos docent omnes artes, quas nouit mundus. Quòd ſi aſtra in nobis nihil operarentur, ſed nobis vltrò citróque inueniendæ artes forent, ars vtique nulla inuenta vnquam fuiſſet. Tantum enim datum eſt aſtris, quoad hominẽ. Iam ſi à ſæculis Adæ vſque ad hoc temporis momentum cœli figura ex ordine erigeretur, prodiret certè numerus inuentionis omnium artium, ac vniuerſorum eorum, quæ acciderũt. Nec enim artes ſolum, ſed & bella, & imperia, & quicquid ex cerebro humano promanat, ſuũ ex aſtris ortum ſortitur, &c. Quod ſi quidem Muſici omnes Fabri moriantur: nondum tamen mortuus eſt magiſter, qui de nouo talia doceat. Multi enim aſſcendentes ſubindè ſurgunt, multo excellentiores Muſicos producturi, ſi Muſica vetus non obſtaret homini, hoc eſt, veteribus artibus & inuentionibus, &c. nemo nimium tribuat, ſed quid nouę conſtellationes pariant, attendat, vt vetera corrigantur. In plurimis enim magiſter excellentior & ſubtiliorum inuentionum foret. Sed quoniam homo carni mancipatus, ſpiritui elementari viuit, cœlum in ipſo nihil operatur, ſed rudem ipſum reliquit, prout in carne viuit. Omnia ergo huiuſmodi Aſtronomiæ ſubiiciuntur, & eius prognoſtica ſubeunt, ſi tamen excipiantur *Bella*, quæ à Deo perficiuntur, ceu legimus de *Ioſua & Samuele, de Philiſtæis & Iſraelitis, de Tito Veſpaſiano & Hieroſolyma, &c.* Hæc enim vniuerſa Aſtronomiã latent, niſi quæ ad ſpecies Magiæ pertinent, de quibus ſuo loco leges. Extra has cauſas, quæ alias bella fiunt, naturalia ſunt. Et vbi Aſtronomia ſilet, ibi potentia diuina valet. Eodem modo omnium liberorum partus ac natiuitas ad Aſtronomiam pertinet. Quod autem ad lineam Chriſti attinet, ſub Aſtronomia non comprehenditur. Hinc eſt, quod *Chriſtus, Maria Ioannes Baptiſta, &c.* Aſtronomiæ incogniti ſint. Quod enim operatur Deus, lumini naturali in compertum eſt, non ſecus ac quod loquimur, ex ipſo naturæ lumine promptum eſt. Quanquam ne dum artes omnes manifeſtatæ ſint. Nondum enim ſtellę omnes operationem ſuã perfecerunt, aut influentias ſuas impreſſerunt. Ideò inuentio artium nondum finita eſt. Si quis ergo noui aliquid inquirat, impediendus minimè eſt. Aſtra enim inquirenti illi cooperantur. Quódque Chriſtus inquit: *Quærite & inuenietis*: id non minùs de naturali, quam æterno lumine verum eſt. Nam cœlum iugiter & continenter operatur. Quilibet ergo reſpiciat ad illos, qui indies noui aliquid inquirunt & inueniunt. Id enim qualecunque ſit, ſiue ex naturali lumine, ſcientia ac fundamento promatur, à cœlo vtique profertur. Hæc eſt cauſa *nouorum dogmatum, nouarum artium, noui ordinis, nouorum morborum, nouorum medicinarum.* Nullo enim momento cœlũ ſeſe in talibus prodendis non exercet. Iudicium autem penes hominem eſt, quidnam horum proferre velit, nolítve. Semel námque verum eſt, artes vniuerſas metallorum, velut & cęteras in mundo comprehenſas ex aſtris emergere. Et tamen in mundum nondum omnes productæ ſunt. Sic etiam omnes vires medicinarum ex aſtris ſunt: nec tamen vel dum omnes cognitæ ſunt. Omnis ſapientia hominum ex aſtris nata eſt: & tamẽ natiuitas illa nondum finita eſt. Quæ in artificiis ſeu opificiis ſingularia ſunt, quæ ſunt ſingularia in medicina & ſapientia hominum: ea omnia ab Aſtris ſuo tempore genita ſunt. Sic etiam gignuntur aſtra nouum ſanguinem deſcendentem, velut fortuna & infortunium. Et à Deo ita conſtitutum eſt, vt ipſum naturæ lumen in aſtris exiſteret: in quæ etiam theſaurum collocauit, ex quo homo fieret Doctor. Prout ergo homo ad hanc ſcholam inclinat, ac ſuam imaginationem dirigit, ita ſequitur inclinatio. Sicut enim Chriſtus ipſe de ſe ait, *ego ad hoc natus ſum*: ita hoc in mũdo nos etiam homines ad lumen naturale perficiendum naſcimur, prout noſtræ conceptionis momentum dirigit. Itaque hominis officiũ eſt, veterum doctrinis non mordicus adhæreſcere, ſed diſpiçere, quidnam à firmamẽto quotidiè in homine producendum ſuſcipiatur. Et notandum hic eſt, *Aſtronomiam iam à mundi initio magni ſemper æſtimatum fuiſſe, vt quæ nouis ſubinde miraculis factis ſeſe ſuſpiciendam extulerit.* Eſt enim alius adhuc ſpiritus in homine, docens quę aſſumere is debeat. Is apud primæuos homines viguit primò. Sed cùm ad peſſima vergerent homines, excuſſis bonis, ipſe euanuit ac receſſit. Hic ſpiritus non admodum multis hodie expectandus eſt. Ipſi enim priſcorum non ſunt ſimiles. Attendite ergo ad illos, qui eiuſmodi ſpiritum habent, naturalis luminis promum, quo tamen huius ſæculi tam iuniores quàm ſeniores carent. Cognouerunt enim priſci illi, quòd cœlum ſecundum aſtra, omnis mortalis ſapientiæ mater extiterit. Ideò, tantopere eius contemplatione ſeſe oblectarunt, ac multas artes reconditaſque ſcientias ex ipſo produxerunt. Inquirit enim amor, vbicunque ſapientia latet, quæ poſtea inquirenti ſe etiam offert: ſicut proaui noſtri, ethnici homines, circa naturale lumen valdè occupati fuerunt. Nam circa lumen naturale verſari, ac ipſo ſeſe oblectare, diuinum eſt, licèt mortale. Attamen cum filius nondum eſſet, mundus naturali lumine donatus fuit. Id iam hoc noſtro ſæculo nondum imminutum, ſed auctum & vberius factum eſt. *Secundo*, Chriſtus ei non aduerſatur, ex quo eſt. Nos tamen ſicut iam hoc tempore ex ipſo luminis naturæ fundamento nihil penitius exquirimus, ita ſcientia noſtra cœlo non admodum cognata & affinis eſt. Nobiſmet enim ipſis aſſcribimus, quæ non noſtra, ſed luminis naturæ ſunt propria, quaſi verò quæcunque loquamur, ex naturali lumine prompta ſint. Ideò ſapientia noſtra, &c. eſt imperfecta. Si ex nobiſmet agimus, naturali vtique lumine nõ vtimur. Neceſſe eſt ergo, addiſci falſam ſapientiã, falſas artes, falſam medicinam, quarũ cauſa & origo, nec ex Deo, nec ex lumine naturali eſt.

Venus Muſicã. Mars Fabrilia inuenit.

Aſtronomia de quibus iudicet, vel non.

Dei opera ex Aſtronomia non cenſẽda.

Artes nondum omnes inuentę: Et cur.

Artes cœlum inuenit.

Artes omnes nondum inuentæ.

Aſtra ſic hominẽ nutriunt &c.

Aſtronomiæ apud priſcos dignitas.

Aſtra omnis ſapientiæ mort. mater.

Sapientia hominũ imperfecta.

est. Et hi nimirum sunt, qui nihil ex Deo, aut naturâ habent, sed suâ ipsius phantasiâ gaudét. quorum factio durauit vsque ad natum Christum. Eo nato, factio obliterata est. Cum enim Scioli illi sapientiam suam præiudicatam palam venditarent, factum est, vt per stultitiam eorum Astronomiæ obliuio induceretur, vsque ad Christum, sicut legimus, Pharisæos & scribas sophismatis & nugis suis præualuisse. Postquã autem CHRISTVS ipse venit, mirum non est, Astronomiæ obliterationem factam esse. Docuit enim CHRISTVS de æternâ sapientiâ, quã ipsi Prophetæ primùm admirando modo prodiderunt, quæque per Apostolos insignia miracula, naturæ lumen longè superantia, operata est. Hinc compulsi sunt Astronomi, Magi, Diuinatores, & alij Astronomiæ adhærentes, vt naturæ lumen, ceu artem inferiorem, desererent, verùmq; ac genuinum sectarentur, ipso opere cognoscentes, melius esse sequi Christũ, quàm naturam, aut conducibilius esse, Prophetam agere quàm Astronomum, Apostolum quàm Magum, vel denique certiorem esse diuinationem ex S. Spiritu, quam ex stellis. Viderunt etiam vnâ operâ, huius scholæ nihil aduersari posse, vt quæ ignitis linguis loquatur. Hoc enim instituto Dionysius quoque Areopagita Athenis Astronomiam valere iussit, sectans Paulum. Sic etiam de Magis Sabæis legimus, quod non Magicam, sed stellam sectati sint. Sic ergo supernaturale naturali excellentius est. Etsi enim (saltem tamen in naturali) pro Diis haberentur in Oriente, in Sabâ scilicet & Tharsis: Supernaturale tamen ipsos ad CHRISTVM pertraxit, eósque ad Biblicorum scriptorum agnitionem adeò compulit, vt iam illis plus quàm naturalibus tribuerent, quòd scirent à minore omnino ascendendum ad maius, ac leuius deserendum esse, prout cuilibet datur. Nam nec ipse Deus lumen naturale deserere vult. Vnde nec omnes sumus Apostoli, nec omnes Astrologi, nec omnes Prophetæ, non omnes Magi, non omnes sanatores in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti, non omnes sanatores per herbas. Quilibet autem sedulum se & nauum præstet in eo, quod in ipso operari debet.

Iam verò etsi Christus quidem ac Prophetæ supra naturam sint: Astronomia tamen ob id abrogata non est. Data ea potius illi est, cui non est datum aliud. Sic data est Medico medicina: nec datum ipsi est, vt dicat, *Surge, tolle tuum grabatum, & ambula*. Innecta autem est Logica, quæ lumen naturæ & lumen huius sapientiæ obscurans, nouam doctrinam secum introduxit. Ab hâc dicta sapientia vtraque proculcata est. Huius factionis homines iam ante Christum natum lumen æternum & naturæ simul extinguere, ac veritatem vtriusque profligare annisi sunt. Ex quibus velim tamen constare vobis, quòd Christus cum suis discipulis lumini naturæ nihil detraxerit. Factum id autem est à fermento Pharisaico, eorum, qui, cùm in scholis versarentur, vim & neruũ naturæ elidere conati sunt, cùm tamen nec ipsum Christum, nec naturale lumen sectarentur. Mortui ipsi sunt, mortuos sepelientes, hoc est, vitam nullam respiciunt ipsorum opera. Et cùm nec naturali nec æterno lumini adhæreant, horum tamen vtrumque esse volunt. Sic ergo tam lumen naturæ, quàm S. spiritus extinctum & in contemptum abiectũ est: adeò, vt hoc forsan id peccatum in sanctum spiritum commissum haberi debeat, quod nec in hoc, nec altero sæculo remittatur. Hic est ille ploratus Rachel, quem compescere nemo potuit. Eo enim iam peruentum est, vt, si Regina Austri hodie sapientiam Salomonis quæsitum veniret, nullum collocutorem inuenire posset. Et tamen interim nec naturæ nec spiritus sancti lumen extinctum est: sed eâdem integritate, quâ die Pentecostes perstitit; viget & floret per seipsum, corruptum tamen & infectum per Sophisticam, quæ vtrumque lumen obscurauit, quod quidem seriò dolendum est. Si Apostolus aliquis aut Propheta de cœlo descenderet, nemo iam esset, qui cum ipso colloqui posset. Si Iupiter ex astris ad nos descenderet, iam neminem offenderet, cum quo familiariùs conuersari posset: adeò fundamentum ipsum obrutum est. Si autem veniret Satanas, suum vtique, cum quo colluderet, Leuiatanam inueniret. Sic ergo in veritatis locum, inania hominum commenta ac fabulæ suffectæ sunt. Quòd si secta hæc non inualuisset: insignis omnino Apostolorum scholæ splendor foret, & ipsum naturæ lumen summo dignitatis gradu fulgeret. Interim secta illa est mater pestilentiæ, est mater odij & inuidiæ, contentionísque & simultatis, est causa tremoris terræ & omnis miseriæ inter filium & patrem, est rodens vermis ex inferno egressus.

Logica est ploratus Rachel.

Logica quid sit.

De astris hactenus docuimus, ipsa mortalem omnem intellectum, sapientiam & scientiam largiri, nec sine illis hominem subsistere posse. Sicut enim vnà consistunt corpus & anima, nec propter creaturam à Christo factam, in hâc terrâ alterum sine altero esse potest: ita naturalis quoque ratio & sapientia æterna in vno quidem subsistere possunt: attamen ratio naturalis sine sapientiâ æternâ esse potest, vt quæ secundum naturale, non æternum operatur. Ratio verò æterna sine naturali sapientia esse non potest, ideò quia homo ex naturali debet cognoscere æternum. Vnde fit, vt vtraque in homine, secundum Deum viuente, præ cæteris rebus omnibus eniteat. Consultius tamen est, viuere secundum sapientiam filij, quàm naturæ, propter vitam illam, quæ mortem sequitur, quoniam patrem facti hominis pœnituit. Debent enim coniuncta manere, id, quod corporis est, & id, quod est animæ seu æterni, quæ aliàs distincta sunt. Potest Ethnicus esse Ethnicus, in lumine naturæ quidem excellens, in spiritu tamen sancto rudis. Vbi euidens ea miseria est, quòd ille, qui linguis ignitis loqui addiscit, non accipiatur. Quærunt & inueniunt, nec fundamentum nôrunt, de quo Christus dixit, *Legem nimirum Naturæ, quam seruemus*. Cæterum in quonam, & cuius gratiâ, & à quo adsit illa, id ignorant, velut & virtutes, quas in se lex continet. Quoniam autem sceptrum de Iudâ ablatum & ad gentes translatum est, sequitur ipsas etiam hæredes fore regni illius, quod filius regenerauit, ideò quia patrem facti

Ratio naturalis sine æterna nõ contra esse potest.

Gentes regni Dei heredes & cur.

facti pœnituit. Vinit tamen adhuc vetus, & nouum in veteri. Itaque vtraque lumina vnita sunt, nec alteri alterum contrarium est. Vnum respicit ad mortale, alterum ad æternum. Vtriusque autem is modus esse debet, qui datus est. Apprimè enim mihi notum est, hominem esse puluerem, similiter esse puluerem elementa ipsa, ex quibus homo productus est: puluerem etiam esse sapientiam luminis naturalis, denique & ipsa astra, ex quibus sapientia oritur. Cum hoc puluere scientiæ ac artes omnes intereunt. Opera autem hominum cum operibus imaginis redeunt ad Dominum, vnde egressa sunt. Homini ergo lumen naturæ inquirendum est, vt mortale corpus in viâ domini ambulet, nec abeat in consilium pestilentiæ, vtque renatum copus munus suum exequatur ante initium luminis naturalis, hoc est, vt primò quæramus regnum Dei. Sic enim deinceps omnia nobis in lumine naturæ reuelabuntur. Hoc modo lis inter mortale & æternum componitur, & famelici satiabuntur lumine bono, ignaui contra illo spoliabuntur. Quod idem est, ac si dicatur: Quoniam filium habetis, in quo lumen cognoscimus æternum: diuertendum est ad Christum, non ad naturam. Ipsum tamen naturale quoque nobis dabitur. Si enim ante omnia Christum quæramus, dabuntur postea, quæcunque in naturâ sunt. Prima námque cura esse debet de æterno, vt hoc modo regnum Dei quæramus. Hoc facto, omnia adiicientur, quæ in lumine naturali desideramus, ad naturalem affectum in mundo complendum. Hoc sine remissione ita in nobis esse constitutum debet. Sic alimus duo corpora: vnum ex terrâ, alterum ex Christo: vnum ex patre, alterum ex filio, vtrumque tamen in spiritu vno. Hoc in spiritu quicquid fit, id sanctè ambulat in viâ domini. Lumen vetus est puluis & vmbra: nouum autem manet æternum.

Christus non ex naturæ attendi debet.

Corpus homo duplex alit.

CAP. II.

Ex quonam factus sit homo: quid sit Limus: & quam proprietatem Massa illa habeat.

Ortus hominis facultatibus omnibus cognitu necessarius.

INquirendum est initio de ortu hominis, vndenam is factus sit. Quod cùm nec tradant veteres Philosophi, nec Theologi, nec Iureconsulti, nec Medici, sapientiæ sibi gloriam arrogare non possunt. Philosophus enim omnium primò considerare debet, vndenam homo oriatur, vt cæteris veluti fundamentum quoddam substernat. Deinde etiam Theologus, vt sciat, quidnam in homine corpus ac mortale sit, quid item sit æternum, ne ipsum damnet ac Diabolo adiudicet. Postea etiam Iurista, vt videat, quod non porcus, sed admodum nobilis creatura homo sit, ac inde discat, de ipso tanquam de homine iudicium facere. Similiter & Medicus principium hoc exploratum habere debet, nec ceu pecus hominem tractet ac laniet, sed veluti imagini Dei necessariam medicinam applicet. Qui enim nouit, quomodo factus homo sit: is simul etiam nouit, ipsum eiusdem esse naturæ & proprietatis cum eo, ex quo factus est. Iam iudicare illi rectè & commodè possunt, quid sit id, ex quo homo sit. Quod cùm nobile sit, & apud omnes magni æstimetur: fas est, maioris ipsum quoque hominem æstimari. Imò vt verbo vno rem dicam, scire talia omnium maximè spectat ad Medicum. Ipsos autem talia scire, non admodum notorium est. Quod vt rectè describatur sciatúrque, ante omnia S. scriptura adhibenda est, quæ sola hoc in casu Philosophis & Naturalibus fundamentum iacit. Hoc principio neglecto, Philosophia omnis inanis erit. Qui enim ex Theologiâ non est natus Philosophus, is limitem non habet, cui Philosophiam suam superinstruat. Ex Theologiâ námque veritas promitur, & sine illâ hæc indagari non potest.

Theologia est Philosophiæ fundamentum.

Itaque priusquam hominem ipsum describam, causam ac ortum creatorum omnium explicare constitui: vt nimirùm deinceps ipsius hominis generatio ac origo clariùs pateret. Occasio scriptionis huius ducitur ex eo, quod seipsum demonstrat, hoc est, ex quo homo existit, ex eo cognoscitur, nimirum ex creatis, quæ hominem, vt factus sit, describunt ac exprimunt. Vniuersa namq; creata sunt literæ & libri describendi ortus hominis, hoc est, si historia quædam vetus cognosci debet, depromenda ea est ex scripturis. Scriptura autem nihil est aliud, quàm compositio literarum. Ita creata sunt literæ, ex quibus veluti legendo intelligitur, quis homo sit. Hoc autem principium vt rectè intelligatur, ad scripturam Biblicam confugiendum est. Nos enim omnes illorum aliàs ignari sumus: quoniam creata vniuersa sine homine ante eius creationem facta sunt. Si creationi illorum nemo interfuit, nemo etiam quicquam sciet. De illis autem loquitur Spiritus Dei in Bibliis. Ex hoc promendum est fundamentum eius, de quo hîc scribo: nempe hominem esse creaturam vltimam. Quoniam verò homo est creatura vltima: creaturæ vtique priores, à nobis, quin describantur, omitti non possunt. Qui enim tignarius domum exstruere possit, qui non prius cognouerit lignum? Domus autem exstructa postea ex ligno facilè diiudicari potest. Semper enim vltimum cognoscitur ex primo. Sed & causæ plures sunt. Creata nimirùm prima ex nihilo facta sunt. Sic enim demonstratur, primo in mundo nihil exstitisse, ne quidem elementum. Per verbum vero factum est corpus & ipsius spiritus: ex quo deinceps corpore creata vniuersa producta fuerunt. Postremum autem ex aliquo, hoc est, homo non ex nihilo, sed ex massâ quâdam factus est. Creata autem cætera omnia ex nihilo facta sunt. Tantùm autem de eo quod verbum fecit, hoc loco mihi disserendum est. Testatur namque scriptura sacra, sumpsisse Deum limum terræ ceu massam, & ex eo formâsse hominem: sicut & alibi scriptura demonstrat, *hominem esse cinerem, puluerem, ac terram.* Ex quo satis euidenter patet, hominem ex aliquo factum esse. Illud aliquid fuit Limus terræ. Etsi autem homo corpus ac formam à Limo diuersam habeat (caro enim & sanguis a luto & limo distant)

Creata sunt literæ hominis.

Homo creatura vltima.

Creata prima ex nihilo facta.

Homo ex limo terræ factus est.

distant, tamen ad id, quod fuit, reuerti ipsum, satis manifestũ est. Puluis námq; & cinis massa est ac materia. Ex quâ quicquid fit, non ex nihilo, sed ex aliquo generatur. Id aliquid quale sit, vel qualis sit massa, deinceps declarabitur, vt quidnam ex eâ confectum sit, vobis innotescat. Est autem ille puluis Limus terræ. Et Limus terræ est maior mundus. Et sic homo factus est ex cœlo & terra, hoc est, ex creatis superioribus. Itaque homo est subiectum Philosophiæ, quoniam ex Limo terræ factus est. Et Limus sumptus etiam ex cœlo est. Itaque idem homo etiam subiectum Astronomiæ est. Astronomia itaque & Philosophia à se inuicem diuidi non possunt, quia homo tam ex cœlo quàm terrâ factus est. Limus enim terræ est extractum quiddam ex firmamento & elementis omnibus, hoc est, vt cognoscatur, quid Limus terræ sit, scire conuenit, illum esse extractum ex omnibus corporibus & creatis. His percognitis, iam videtis fundamentum, super quod Philosophia collocanda, ac vniuersum naturæ lumen fundandum sit.

Limus quid.

Primùm, creabat Deus cœlum ac terram, ac creaturas omnes, per verbum, suo quæuis ordine & serie, sicut scriptura ex ordine recenset, quid quouis die factum sit. Omnium nouissimè factus est homo, propter absentiam materiæ, ex quâ fieri debuit. Cùm enim creata cætera omnia iam producta essent, homo postremò factus est, quia ex limo illum fieri oportuit. Fieri ergò prius id debuit, ex quo limus extraheretur. Ex limo hoc factum esse à Deo hominem, scriptura attestatur, *Et videbat esse bonum.* Nondum enim lapsus erat, fiebatque id ante Paradisum, homine nondum vel bonum vel malum sciente. Cùm autem bene omnia facta sint: omnia etiam in suâ integritate facta esse liquet. Horum vt aliquis vsus esset, placuit Deo, hominem illis præficere, qui creata omnia intelligeret, cognosceret, & in suos vsus adhiberet: nimirùm vt per illum sapientia Astrorum prodiret ac perficeretur, ne quicquam absconditum maneret, sed omnia, quæ Astris indita sunt, in lucem proferrentur, vtque per opificia omnes negotiationes inuenirentur, pérque scientias omnia naturæ secreta, in montibus ac fodinis, in sapientiâ humanâ, ac rebus denique omnibus elucerent & perficerentur, adeóque omnibus manifestarentur. Ad hæc omnia proferendâ & cognoscenda productus homo est. Qui si in Paradyso, in quem à Deo collocatus erat, mansisset, sapientiâ mundi vniuersâ ex stellis ac elementis facilè potuisset carere. Euentum tamen hunc prouidentia diuina præsciuit. Nulla námque is dona dat quin simul, quisnam eorum finis ac vsus futurus sit, prænoscat. Ipsius ergo arbitrij est, donum ab ipso iterum auferendi. Quod tamen priusquam faciat, in auferendi doni locum aliud substituit, sicut in multis obseruare licet. Quã primùm enim Deus homini vitam inspirauit, duxit ipsum in Eden. Ita venit in mundum Adamita factus est in mundo intelligens, vt deinceps cum omnibus liberis secundum firmamentum & elementa viueret. Sic nos

Homo cur vltimo creatus.

Homo productus est ad quid.

Eden quid.

quoque vniuersi post Adamum tales sumus. Hoc loco me continere non possum, quin mentionem faciam eorum, qui in abditis insulis reperti sunt, & ibidem adhuc hodie latent, & inueniuntur. Quos ex posteritate Adami esse, nemo facilè crediderit, cum Adæ filij in abstrusas insulas minimè concesserint. Imo probabile est, ipsos ex Adamo alio descendere. Nemo enim facilè euicerit, ipsos carne & sanguine nobis cognatos esse. Quòd si in Paradiso mansisset Adam, longè fortassis Adam futurus fuisset alius, sed non tamen insignitus tali imagine Dei, quali sunt in nouis insulis. Multa ac diuersa passim sunt animalia: fortassis etiam multi homines, de quibus etiam deinceps prolixiùs disseremus. Notandum itaque, nos ex limo constare, & ex limo mortale vniuersum habere, sicut ex sequenti exemplo patet. Sicut æternam sapientiam accipimus à Spiritu per Christum à patre missio: ita omnis etiam sapientia naturalis per astra à patre nobis data est naturaliter. Hæc iam sapientia & scientia, vt perficeretur, adeóque magnalia Dei proderentur, conditus homo est. Qui postquam ex Paradiso eiectus est, cœpit miseriam suam altiùs expendere, adeóq; prouidam posteritatis suæ curam suscipiens, centum annorum spatio cum Euâ rem non habuit (tantum discrepauit vita Paradisi à mundana) & deinceps miseriam expertus est in sapientiâ propriâ, & generatione filiorum suorum. Sic ergo viuendum est de mundo, non aliter ac regeneratio ad sapientiam Christi suum perfugium habere, & à Christo alimentum sumere debet. Sic porrò etiam homo de terrâ sumptus, terræ fructibus, & auibus aëris, & piscibus maris vescitur, ac dominatur serpentibus ac Basiliscis. Cùm ergo huiusmodi hominem producturus Deus esset, ex limo ipsum fecit, & in Paradisum collocauit. In quo cùm mandatum violâsset, ad limum terræ iterum redactus est, vt mundi conditionem & naturę proprietatem subiret, & ea pateretur; de quibus deinceps dicturi sumus, &c.

Insulani an Adæ posteri.

Mortalitas hominis ex limo.

Adam quadiu in Paradiso vixerit.

Postquam Deus creaturas omnes, omnia Elementa, Stellásque & cætera vniuersa fecisset, ac ad arbitrium suum disposuisset: omniũ postremò quoque hominem tali pacto formandum aggressus est. Essentiam nimirùm ex elementis quatuor in massam vnam extraxit: extraxit etiam ex astris essentiam Sapientiæ artis, & rationis: & sic vtramque essentiam in massam vnam congessit, quam Massam scriptura vocauit *Limum terræ*. Ex massâ illâ duo corpora facta sunt: *Corpus sydereum, & elementare.* Hæc secundum lumen naturæ vocantur, *Quintum esse*, h. e. massa illa extracta est, & in ipsam, ceu in vnum quiddam congesta sunt Firmamentum ac Elementa. Quod ergo hoc modo ex quatuor extractum est, factum est Quintum. Ipsa tamen quatuor in illo non secus sunt ac in matrice. Notandum ergo, quòd Quintum esse nucleus & neruus sit essentiarum ac proprietatum omnium in vniuerso mundo, h. e. in manum Dei venit omnis natura, vis ac proprietas, denique vniuersa essentia globi superioris & inferioris. Hæc

Homo ex qua massa factus.

Quintũ esse materia hominis nobilissima.

omnia iunctim ac realiter in manu suâ Deus habuit, & ex illis hominem secundum imaginem suam formauit. Opera namque Dei non similia operibus aurifabrorum sunt, sed modum & vires virtutésque naturales omnes superant.

Quinti esse quæ materia.

Materia quæ adhibita est, fuit omnium nobilissima & excellentissima, tracta ex omnibus creaturis, velut Arcanum & essentia quædam in manu Dei posita. Singulari consideratione expendi debet hoc, quòd cùm res omnes ex nihilo factæ sint, solus homo non itidem factus sit ex nihilo, sed secundum ipsius Dei imaginem factus sit, non ex luto communi, sed ex extractâ quâdam, ex omnibus creaturis, massâ.

Homo ex Limo.

Et licèt quidem lutum seu puluis à vento disiiciatur: lutum tamen vniuersum id est, ex quo factus homo est. Nihil enim in ipso durabile est: adeóque in Quintum esse cooptata est vniuersa totius mundi natura, rerum nempe sensibilium & insensibilium, in vnum quasi fasciculum & massam collecta & conclusa. Præstitum hoc ab illo est, qui cœlum terrámque creauit, ex Quinto scil. illo esse, quod scriptura limum terræ vocat.

Homo Microcosmus ortu & conditione.

Ex limo isto creator mundi mundum paruum, Microcosmum seu hominem condidit. Sic ergo homo factus est paruus quidam mundus, & omnes mundi naturas ac conditiones continet. Vnde etiam Microcosmus est, est Quinta essentia Elementorum, & Astrorum seu firmamenti in sphærâ superiore, & globo inferiore.

Macrocosmus parens Microcosmi.

Adeóque mundus maior est parens mundi minoris. Vnde etiam in minore mundo reperitur natura dracōnum, serpentum, viperarum, luporum, ouium, &c. omnium etiam elementorum, & sanitatis ac morbi. Filius enim refert parentem suum. Quod autem Microcosmus à Macrocosmo diuersus sit substantiâ formâ & figurâ: id ita constitutum est à creatore, vt is carnem habeat & sanguinem, & illis additum motum, ad sectanda ea, ad quæ ex conceptione naturali propendet. Item, vt homo sit, & fame sitique tentetur, vt vescatur fructibus elementorum, cibúmque, ex sui ipsius parentis corpore hauriat, ex ipsius corpore alatur, cibetur, & potum capiat. Quâ ratione ex Christo regenerati, ex Christo aluntur, cibantur, potum capiunt, in Christo sepeliuntur & beantur: item veluti microcosmus ex mundo maiori viuit, edit, bibit, in ipso moritur, & sepelitur: ita sciendum est pariter,

Hominis partes duæ, duę naturæ.

hominem ex partibus duabus constare. Pars vna est ex elementis facta caro & sanguis. Pars altera sunt sensus & cogitationes ex Astris productæ. Ita & duæ naturæ in homine diuiduntur: Carnalis & sanguinalis: sensualis & cogitatiua. Caro & sanguis ex elementis nutriuntur: sensus & cogitationes ex Astris. Sic ergo naturalis homo Microcosmus, est homo sensualis.

Hominis magnes duplex.

Constituit itaque Deus, hominem in sese Magnetem continere, vnum, quidem ex elementis, vnde eadem ipse rursus attrahit: alterum ex Astris, cuius vi Microcosmicum sensum etiam ex Astris allicit.

Hæc vt clariùs vobis expediantur, opus est, describi vobis personam duplicem, quarum vtraque caduca & mortalis est. Exemplum tale esto.

Mundi corpora duo sūt.

Mundus corpora duo habet: Vnum visibile, alterum inuisibile. Visibile sunt corpora elementorum, inuisibilia elementorum sunt quatuor: Terra & ipsius fructus: Aqua & ipsius fructus: Aër & ipsius fructus: Cœlum & ipsius fructus. Cœlum sunt sola Astra. Stellæ sunt visibiles: non autem sunt cœlum. Et sicut ex terra fructus calidi nascuntur: ita frigidæ etiam stellæ possunt existere in elemento ignis. Iam quod in mundo visibile & tangibile est, est homo, corpus scilicet eius, caro, & sanguis, nullo excepto ex duobus elementis. Notandum ergo, diuidi inuisibile à visibili, in cœlo & elementis. Exemplum. Per famem & sitim carni & sanguini, cibus potúsque offertur. Ita etiam per famem sitimque cogitationum & sensuum animus cibatur scientiis & sapientiâ naturali, sicut de Magnete in præcedenti capite docui, quod ex elementis attrahat cibum & potum. Eodem modo & intellectus hominis Magnetem habet, ex Astris sensum & cogitationes attrahentem.

Homo ex corporibus duobus constatus ex iisdem eis nutritur.

Sic omnino etiam homo in corpora duo coagmentatus est, in visibile, & inuisibile, hoc est, in elementare & cœleste. Corpus procedit ex elementis: Spiritus ex Astris. Hinc patet, opus esse, vt elementa nutriant corpus: & cœlum, suum Spiritum, hoc est, quicquid conferunt elementa, facit ad corpus carnis ac sanguinis, ex elementis constans: Et quicquid cœlum in hominem cœleste confert, id facit ad sensus & cogitationes. Præterea homo ex elementis edit bibitq; ad conseruationem carnis ac sanguinis: ex Astris edit suos sensus & cogitationes, ad conseruationem Spiritus. In corpore námque habitat caro & sanguis: in cœlo habitat sensus & cogitatio. Sic ergo quinta essentia ex duobus corporibus extracta, & in vnum corpus congesta est, vt homo vnus esset, nec personæ plures sub formâ vnâ, hoc est, vt homo cœli firmamentalis sapientiam, intellectum, scientiam, & omnia ex Astris, carnem verò & sanguinem ex Elementis hauriret.

Homo est quinta essentia.

Hoc iam modo homo est quinta Essentia, est Microcosmus, est filius totius mundi. A manu enim Dei talis fabricatus est, vt extractum quiddam ex omnibus creatis fieret. Et sicut filius ex patre est, ac à patre docetur: ita nos ex Astris discimus, ex quibus sumus. Hinc etiam homo refert naturam tam Astrorum quàm Elementorum, ex quibus conflatus est. Et cum omnes illorum proprietates retineat, ideò magnus quoque mundus ipsum cibat, nutrit alitque sapientia, intellectu, cibo, potu, veluti propriam suam carnem & sanguinem, mirabiliter adeò ex sese genitum. Et singulariter hoc notandum est, quòd nos homines carnem & sanguinem nostrum edamus, bibamúsque seu sumamus ex patre nostro elementali & firmamentali. Ideò enim, quòd ex mundo facti sumus, veluti infantes, ex mundo nutrimur, non secus ac regenerati ex Deo cibamur, & (vt ita loquar) potamur sapientiâ & intellectu ex eo, ex quo sumus. Eodem námque modo & naturalis homo ex Astris nutritur. Nec enim verbo Christi carere aut excludi potest, vel Astronomus vel Philosophus, quorum fundamentum & limes Christus est, dicens, *Caro mea cibus est, & sanguis meus est potus.* Sicut

enim

enim ex Macrocosmo productis, ille pro cibo ac potu est. Sic ex Deo producti, ex Deo etiam cibantur & potantur. Rectè itaque Christus ait, *carnem ac sanguinem ipsius cibum ac potum esse*, quasi & terra diceret, *Edite hoc, quod sum, quod vos estis*. Hominis enim ortus à vero patre est, & hunc respicit. Vnde etiam id, ex quo prodiit, appetit tam viuus quàm mortuus. Sic, qui ex mundo sunt, in mundo sepeliuntur. Qui sunt ex Christo, per regenerationem in Christo sepeliuntur.

Caro Christi quomodo cib. &c.

Quantum verò ad imaginem hominis, res docet, ipsam esse supernaturalem. Huius enim nihil Elementis aut Astris conferri potest. Illa æterna est: hæc caduca & puluis. Itaque ex Massa duo corpora producta sunt: Sydereum & Elementare. Quod toties scribendo itero, vt simul etiam cogitetis de eo, quod Deus dixit: *Faciamus hominem secundum imaginem nostram*, hoc est, *non carneum, non sanguineum, sed quoad imaginem, nobis similem*, sicut & alibi scriptura inquit: *Vos Dij estis*: quasi dicatur: *Non caro & sanguis, sed æternum & imago nobis similia erunt*. Ego tamen hîc nihilominùs naturale tantùm describo, & quod ad Deos attinet, omitto. Itaque, quoad imaginem Dei, constat hominem esse supernaturalem. Illa verò astris & elementis minimè assignatur: quia illa æterna est: hæc caduca & mortalia seu puluis sunt. Quanquam instar pulueris non appareant, sed instar carnis & sanguinis, aut hominis. Quicquid tamen ex terrâ factum est, est puluis & cinis, etsi non hunc, sed carnem & sanguinem repræsentet. In imagine illâ vera sapientia hominis posita est. Animale tantùm id est, quod caducum est, & consistit in sanguine ac carne, in homine, qui est quinta essentia, est Microcosmus, est filius mundi, est ex mundo conflatus, & mundum intra se continet. Quisquis ergo mundum sequitur & terrenum patrem æmulatur, filius est mundi, in mundo manet, nec respicit diuinam imaginem aut huius sapientiam, quam tamen spectare hominis est. Nobilis ea cuiusdam sapientis sententia est: *Sapiens dominabitur astris*. Hoc enim vult, *Imaginem esse viuaciorem animali*. Animale namque non est nisi imago terræ, quæ perit. Non autem interit imago Dei, quia Deus æternus. Sensus ergo dicti ille est: Sapiens, hoc est, homo, qui secundum diuinam sapientiam in imagine viuit, is dominatur Astrali & Elementali corpori: Vtrique tamen imagini satisfacere debet homo, & ita se gerere, vt deprehendatur ambulare in lege domini, in naturâ, in voluntate & Spiritu Dei, ne mortalis corporis sapientiam imagini ęternæ præponat, aut hanc propter illam eiiciat & elidat, &c. Innuit enim hoc dictum, quòd sapiens viuat secundum imaginem, non secundũ mundũ. Et qui secundũ imaginẽ viuit, is vincit astra. Quod probè rectéque intelligetis. Quicquid ex terra est, ex terrâ edit & bibit. Qui ex cœlo est, panem edit cœlestem cum Angelis. Elementa & Astra sunt filij parens. Ex his ille viuit, sicut & regeneratio in Christo est, non extra ipsum. Quiuis enim filius ex suo patre edit & bibit, & in patre suo viuit. Et licèt homo quidem carnem & sanguinem terræ non edat: edit tamen id, ex quo constat. Talem Deus creauit hominem, vt esset filius terrę, hoc est, secundum corpus animale, iam in mundo. Quoniam autem in Quintâ essentiâ quoque natura Basilisci, & venenatæ aliæ conditiones latent: ideò nobis data lex est, ne Basilisci illius venenum sugamus, sed potiùs ex naturâ fauum mellis legamus. Velim autem vos seriò attendere ad verba Christi, vbi dixit, *Progenies Viperarum*, & similia alia plura. Ex illis enim intelligere debetis, omnium animalium naturas in limo terræ latuisse: & sic etiam damnatas, à bonâ illâ Quintâ essentiâ in species suas distributas esse, in quibus antea fuerunt. Vbi & hoc attendetis, quod Christus ait: *Nolo, vt conuertantur, ne saluentur*. Nec enim ex serpentibus, draconibus, leonibus, lupis, vulpibus diuos facere vult; sed illos in suum stabulum segregat. Et licèt quidem lex in naturam nos tradiderit, hoc est, etsi quidem, vt Iudas, nascamini: generationem tamen malam domare potestis per imaginem, quâ dij sumus, si nos Deus ad filium trahit. Hoc autem Iudas non aduertit. Videat ergo quilibet, quidnam prædestinatio faciat in lupo, in agno. Debent autem peccatores assumere bonum. Ita Basiliscus fiet agnus. Quò nos Deus destinauit, eò perueniendi nobis potestatem dedit per opera, quæ in terrâ eligimus. Quę autem damnatorum & prædestinatorum conditio sit, longiùs explicare hîc non institui. Hoc scio quidem, peccatorem exaudiri. Quod autem discrimen sit inter viperam & lupum rapacem ac peccatorem, hic taceo. Res cuiuis facilè prompta est. Propter prædestinatos ac peccatores data est nobis lex, data mandata, datum ius ac magistratus, datus gladius, ne scilicet. Basiliscus nimis multos inficiat. Vbi autem dicitur: *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat*: discrimen vtique statuitur inter peccatorem & progeniem viperarum.

Imago hominis est supernaturalis.

Imago Dei quid sit.

Sapiens vt astris dominetur.

Lex quibus data sit.

Quæ hactenus de massa, ex quâ homo generatus est, dicta sunt, id intendunt, hominem esse extractum quoddam totius machinæ mundi, non aliter ac Medicus vim ac essentiam quandam ex herbâ extrahit, quæ postea etiam Quinta essentia vocatur. Et sicut spoliatum corpus se habet ad extractam vim: ita mundus se habet ad hominem. Spoliatum corpus tanto imbecillius est, quanto efficacius est Quintum Esse. Cuius quò plus extractum est, eò minus in corpore relinquitur. Non vniuersum quidem extractum est, sicut extrahitur Medicina: extractum tamen est tantum, quantum ad hominem requirebatur, & relictum tamen tantum etiam est, quantum quod superstes est, requirebatur ad vitam, ad alimentum, ad cibum, ad potum, denique quantum etiam cœlum in suâ sapientiâ attinet. Conuenit ergo deinceps etiam scribere de generatione & conceptione hominis nati. Discrimen enim constituendum est inter natum & non natum, inter Adamum Euámque, ac horum liberos. Primò itaque trademus de modo generationis Adæ ac Euæ: postea de modo generationis geminorum filiorum ex ipsis natorum. Pro primo sciendum est, primum hominem iam dicto modo factum esse ex limo terræ, velut extractum quoddam totius mũdi, à summo plaste, Deo ipso. Extra Deũ, nemo quisquã vi Trinitatis id pręstare potuit. De

Quintæ Essentiæ quæ ratio.

Adamo portò noscite, ipsum fuisse hominem, vt diximus, secundum Dei imaginem factum.

Adæ & Euæ quod discrimẽ secundũ creationem.

Eua verò vxor, ex Adamo ipso facta est, non genita, de cuius fœminæ ortu scribere, polliciti sumus. Noluit enim Deus ex mundo personas duas extrahere, sed tantùm vnam, quæ Quinta essentia est & Microcosmus. Extraxit ergo virum, non fœminam. Ex viro autem condidit fœminam, quâdam intercedente concordantiâ, vt, quemadmodum vir ex magno mundus factus, ipsum deserere non potuit,

Eua vnde condita.

sic nec fœmina, ex viro facta, ipsum deserere possit aut debeat. Nam si fœmina Eua, ex massâ aliâ facta fuisset, mutuus amor, ac desiderium inter ipsos minimè viguisset. Quia verò caro vna, vnus sanguis est: ideò sese inuicem deserere non possunt. Itaque porrò idem etiam iudicãdum est de ipsorum liberis, de quibus plura adhuc dicenda sunt.

Cæterùm, vt & de Euæ conditione aliquid dicamus, condita ipsa est ex Adæ costa seu latere. Ad latus ergo pertinet. Naturæ tamen est Microcosmicæ non minùs, imo magis quam vir. Est enim discrimen inter fœminam ac virum, quod consistit in eo, quia Deus homini attribuit vim gignendi, vtrique inquam, tam viro, quàm fœminæ, cuilibet tamen pro conditionis suæ ratione. In hoc à se inuicem differunt, quòd alter vir est, altera fœmina. Aliàs vnius sunt naturę cum machina mundi. De liberis autem ita disseremus,

Liberi cur hodie non creẽtur, sed nascantur.

eos deinceps à manu Dei non fieri, sed, vt nascantur, naturæ ipsi implantatum esse. Placuit enim Deo iliam seriem deinceps obseruari. Coniunxitque hoc fine virum ac fœminam indissolubili nexu, vt similes sibi liberos pariant. De liberis ergo, à viro & fœmina satis, res ita habet. Hominem primum manus Dei finxit. Huic suam coniugem, etiam non natam, addidit. Cætera ordini naturæ mandata sunt. Opus enim id naturæ commissum est, per quod homo in posterum non amplius creetur, sed vnus ab altero gignatur & nascatur. Solus enim Adam Dei erat. Et hoc cur hîc indicem, hæc causa est, quòd, vt dixi, elementorum & Astri sit. Sicut autem is talis fuit: ita quilibet etiam infans, ex ipso homine genitus, patris ac matris modo terrenus ac Astralis est: non quidem per manum Dei, sed per natiuitatem. Vim enim hanc à manu sua transtulit in naturam, vt liberi naturaliter gignantur. Vt granum in agrum coniectum, putrescit, & grana ex se multò plura profert, quod fit propter vim & vnionem seu concordiam, quam granum seu frumentum cum magno mundo habet: ita, quod initio

Generatio hominis qualis sit.

creatum est, postea per naturam propagatum est. Eadem ratione intelligenda etiam est procreatio hominum. Primum granum creatum fuit: cætera consequenter per elementa & Astra generata sunt. Res hominis eodem se quoque modo habet. Vt enim nihil sine putredine generari potest, sed omnia digestioni vsque ad tempus maturitatis destinata sunt: ita nec homo gigni potest, nisi semen in agrum coniiciatur. Semen eius est sperma, à Deo ad id ordinatum. Ager est matrix, in qua digestio fieri debet. A putredine generatur homo. Putredo fit per operationem Macrocosmi, per elementa, & per astra in patre & matre, tanquam instrumentis à natura attributis. Non quod exterior quoque mundus hîc operetur, sed Microcosmus per Quintum esse. Hic autem esse vnum est, fœmina & ager. Itaque eodem etiam modo coniungitur instar seminis & agri. Etsi ergo semen hominis in corpus elementorum minimè seminetur, sed in fœminam, tamen ita fieri Deus voluit, vt imago eius in fœmina concipiatur gignatúrque, & non in natura externa. Et tamen mulier ab elementari agro diuisa non est, sed locus eius est ager, est terra, est hortus, in quem seminatur & plantatur fœtus seu fructus, qui tandem homo fit. Et sicut in terra elementa & astra operantur: ita similis operatio quoque in fœmina fit, eodem modo, quo de naturalibus crescentibus intelligi potest, &c.

Quæ verò sit causa, cur fœmina agere debeat vices agri, & operationis elementorum astrorúmque in suo corpore: sciendum est, id fieri propter imaginem hominis, & propter alteram formam naturæ animalis, quæ non ex elementis, sed ex suo simili debet gigni, velut homo ex homine & in homine, non autem vt frumentum à frumento, sed non in frumento, verum in terra. Nihilominus tamen & hîc elementa ac astra operantur: ita vt homo gignatur à patre, matre, elementis, ac astris. Quatuor enim hæc faciunt hominem: nimirùm *pater & mater, elementa & astra*: cæterum eo modo, quo diximus, quòd homo ipse sit astra & elementa. Qui iam prodeunt ex patre & matre, hi ex duabus reliquis externis virtutibus mundi perficiunt elementa in *carne & sanguine*, *astra*, *in sensu & intellectu*. Ex patre enim ac matre intellectus aut sapientiæ nihil nascitur, sed tantùm ex firmamento, per operationem, vt diximus, quintę essentiæ & virtutis microcosmicæ, quæ à macrocosmica nihil differt, sed vtræque inter se similes sunt. Ea námque ratione quælibet suam sapientiam retinet, non secundum carnem, sed secundum astra. Sic autem caro ac sanguis ab astris discernuntur. Secundum firmamentum & elementa homo (*vt ita dicam*) naturatur. De quinta autem essentia, quæ in viro facta est, ita sentiendum est, quòd ea retineatur ordinata pro semine ex quo deinceps liberi nascantur. Sperma illud, quod est quinta essentia, retinet naturam ac essentiam seu proprietatem massæ & Limi terræ, cum coniunctione maioris mundi, instar microcosmi, qui homo est: ita vt sperma aliter cognosci non debeat, nisi quod Limus terræ sit: qualis in manu Dei ante fuit, ab hac in naturam translatus. Quoduis ergo sperma hoc modo extractum manet, quod extractum semen est cuiuslibet nascendi fœtus. Qualem massam Deus manu sua apprehendit, omnibus maioris mundi proprietatibus donatam, ex qua hominem condidit: talis massa est, quodlibet sperma ex quo infãs gignitur. Ex quo cõsequitur, quòd sicut pater primus mortuus est, & corpore suo in elementa, cœlo autem suo in astra iterum conuersus est, & sic vtræque partes in suo patre absumptæ sunt, eodem modo filij quoque

Intellectus non à parentib⁹, sed à vi cœlesti.

Sperma hominis quid & quale.

quoque in eodem patre consumantur & sepeliantur, hoc est, ad elementa redeat, quod caro & sanguis est, astra verò, quòd ars & scientia est. Sic, qui Martiales sunt, in Martem sepeliuntur, qui Venerei sunt, in Venerem sepeliuntur, sicut eodem modo etiam caro & sanguis sepeliuntur. Quæ ideò profusiùs vobis explico, vt de nato & creato homine sciatis, vtrobique eam esse vnam, vnam naturam, vnam essentiam, vnam proprietatem. Sicut duo creati primi homines in terram redierunt: ita ipsorum filij redibunt. Terrena ergo resurrectio vtrinque expectanda non est. Nihil enim resurget, nisi quod in Christo natum, nutritum & electum est. Nihil in cœlum adscendet, quod de cœlo non descendit, filius nempe Dei, & hi quibus ius datum est fieri filios Dei, si in ipsum credant. Sic manet generatio, vt primus pater & mater hæreditaria, & vtrumque corpus in mortem sepelitur, sydereum autem & elementare in id, ex quo constant.

[Margin note: [illegible]]

Quoniam de hominis cum externo macrocosmo consensu & coniunctione diximus: sciendum iam porrò est generationem hominum non in duobus his saltem hominibus positam esse, sed datam illis insuper esse seruandam quintam essentiam, & potestatem seminandi concipiendique. Perfectionem autem illicò adesse falsum est. Necesse enim est, confluentiam quoque externi mundi accedere, propterea, quia à se inuicem separati non sunt. Sicut enim cibum & potum sumimus ex mundo externo, quibus nullo temporis momento carere possumus: ita similis etiam ratio cooperationis, quâ exterior iuuat interiorem. Hinc patet, proprietatem elementorum & proprietatem astrorum, perfectionem facere. Semen enim in homine otiosum est, si externa confluentia non cooperatur. Sicut enim, etsi in agro bene stercorato iaceat granum, fructum tamen non profert, sed emoritur, nisi astra & elementa cooperentur, quandoquidem alterum sine altero nihili est: Sic etiam, quoad hominem, vnum cum altero cohæret & coniunctum est. Sed exemplo rem illustrabimus.

[Margin note: Conceptio quid.]

Conceptio est potentia, hoc modo fiens. Astrum externi mundi, & astrum microcosmi, constellationem & confluentiam suam coniunctam habent, éstque vnus cursus, vna operatio pro conditione coniunctionis, faciendi astrum, potentiam & conceptionem, si massa in suo vigore est. Iam massa est corpus elementare, ita, vt artifex, bellator, doctus, sapiens, gignere possit fatuos, per elementa, prout in conceptione se respiciunt, vt ita dicam complexionatos. Hoc modo proprietates omnes maioris & minoris mundi in ventre fœminæ concurrunt, quæ microcosmum gestat in vtero. Ex coniunctâ tali operatione nascitur homo, retinens maioris mundi proprietatem, naturam, inclinationem, & conditionem. Talia enim gignuntur vnà cum homine. Scitote verò hoc, quod vobis dico, adhuc multò miraculosiùs, factum esse, quòd Maria in vtero suo gestârit eum, qui vniuerso mundo maior ac potior est. Itaque admirari non debetis, si naturaliter loquens, fœminam, paruum mundum gestare dico. Miracula enim Dei stupenda sunt, isque admirandos Diuos vtero fœminæ gestari permittit. Gestauit verò Maria illum, qui cœlum ac terram fecit, qui omni mundo maior est, quanquam non secundum, sed præter naturam. Ex eo tamen colligi potest, id, quod minus est, secundum naturam quoque fieri posse.

[Margin note: [illegible]]

Porrò vbi huiusmodi perfecta concordantia non est, ibidem nec perfectus homo est, sed fit monstrum, quod homo dici non solet. Dum verò monstrum voco ac æstimo, non hâc de causâ id facio, quòd homo non sit. Imago enim Dei non in monstrum posita est, sed in æternum, quod in homine existit. Æterno ergo hoc loco nihil præiudicatum velim. Etsi enim ad conspectum res contemptibilis appareat: Deus tamen imaginem suam per naturam perire ac corrumpi minimè patitur. Pro homine quidem id haberi non posse, consentaneum est. Qualis enim illa domus, quæ fundamento, tecto, & parietibus caret? Quòd si omnia simul iuncta adsint, tum demum perfectè res adest. Attamen veræ domus regio seu area adest. Ac ob defectum aliquem domus, areæ nihil decedit, sed in illâ, quæ ad domum requiruntur, nihilominus elaborari & perfici possunt. Aliud tamen videtur oculis hominum, aliud Deo. Homo contemnit, quod non est perfectum, pulchrum & amabile, interim non cogitans, stultos ipsis sapientibus prudentiores esse. Quos si distare dicas: iam tu de liberatione (declaratione) tribuni plebis & stulti indica, & plus sapientiæ, honestati & modestiç conuenientis disces ex stulto, quàm tribuno. Cum enim ipsa scriptura dicat, Deum personas minimè respectare: respectus vtique dirigetur in imaginem eius, qui illâ non est orbatus. Quòd si quidem elementum & astrum errauit: non tamen errauit imago. Quid id ad imaginem si natura hominem corrupit? Aut quidnam præiudicabit natura suo creatori, suo domino, suo imperatori. Quòd si Deus hominem secundum suam imaginem fecit: quî possit id infringere, inficiari, elidere, aut ab homine tollere. Natura? Generatio hominis, animalis est. Imago autem procedit ex voluntate Dei. Natura ergo imaginem nec reiicere, nec lædere potest. Et licèt speciosus quidem à deformi contemnatur: imagini tamen per id nihil decedit, sed natura sibi ipsi illudit, ac ob perditum opus ridet, ac sese quasi titillat. Sic si tribunus stultum genuit, seipsum ridet admiratúrque ac eludit. Elusionem hanc quis magni faciat? Qui artis ac opificij sui peritus est, si in cudendâ materiâ ictu incerto aberrat, seipsum quasi ridet & sibillat. Sic viator cespitans, fortè, sibi ipsi sannam facit.

[Margin notes: Hominis perfectio vnde iudicanda. — De monstro iudicium. — Deus nõ respicit personas. — Natura Deo non præiudicat.]

Hâc ergo de causâ disserui de ortu hominum, vt vniuersali ac generali probatione intellectâ sciretur, quînam homo ad mundum externum se habeat, quomodo & in quibus illi consentiat, vt scilicet hoc pacto probationes singulares rectiùs & faciliùs intelligantur deinceps & comprehendantur. Quam explicationem sicco pede transilire non potui, cumprimis dum tracto de virtute stellarum, & viribus luminis naturalis,

naturalis, vt notum compertúmque sit, quo vinculo macrocosmus microcosmo iunctus & vnitus sit. Quod autem externa astra indiuisim homini adhæreant, & quo modo elementa inesse homini, pernoscatur, iam deinceps peculiari capite explicabitur. Ex quo discursu hominis natura & proprietas abundè satis cognoscetur. Non enim ex ipso homine, sed ex prædicto iudicio Microcosmus cognoscitur. Nam in paruo corpore dominantur & existunt cùm Planetæ tum ipsa elementa.

CAP. III.

De Compositione humanâ.

Quomodo ab elementis homo corporalem suam substantiam acceperit, & cum elementis vnitus sit: Item, quâ ratione stellarum corpus in hoc operationem suam perficiat.

PRo introitu huius operis res à vobis ita accipienda est, quòd de humanâ compositione hactenus respectu limi terræ dictum sit. De quo etsi tradita multa sint, porrò tamen etiam de corpore sydereo cognoscendum est: Primùm quòd de limo terræ corpora duo sumantur, vnum visibile, alterum inuisibile. Visibile de visibili, inuisibile de inuisibili. Sic ergo corpus vnum est materiale, alterum spirituale. Vtrumque autem naturale, & à naturâ factum. Dilucidior autem explicatio non hoc requisiuit saltem vt traderem, quomodo cœlestis operatio cum homine concordet, & quomodo limus terræ firmamenti extractum fuerit: sed opus fuit, vt insuper etiam limum terræ in suâ substantiâ describerem, hoc est, quomodo limus terræ etiam extractum fuerit & sit elementorum. Etsi verò substantiæ elementorum in homine, hactenus mentionem aliquam fecerim: illa tamen proposito nostro non sufficit, sed complementum instituti nostri requirit, de ortu hominis omnino plura tradantur, donec integrè intelligatur, vndenam homo sit, & cuius gratiâ sit, vt hâc occasione cognoscamus, quidnam elementa in homine agant, vt nimirùm hoc modo externæ operationes in homine verè & secundum omnes proprietates percipiantur. Conuenit ergo planioris intellectus gratiâ prædictorum nonnulla repeti, vt glossa textui consentiat, & genuinæ paraphrasis momentum habeat nostra tractatio. Itaque de limo terræ nouiter ac planè ita disseremus.

Massa creandi hominis qualis fuerit.

Scitote, quòd Massa corporalis ex 4. Elementis manu Dei apprehensa *visibile & inuisibile* continuerit (hoc est, constiterit ex corporalibus elementis, terrâ & aquâ: & ex inuisibilibus elementis, firmamento & chao) & in substantiam transformata sit, ita vt ex ipsâ imago Dei fieret, in quâ astrale corpus, velut & elementalis corporalitas operationes suas perficeret, hoc est, vt in homine habitarent cum suis virtutibus & essentiis, & has in ipso exererent, ac in effectum deducerent, veluti ars Mechanica, aut sapientia luminis naturæ, vt scilicet per hominem magnalia Dei innotescerent, quantum is externis elementis attribuerit & indiderit. Ex fundamento enim si loqui velimus, homo ad id tantùm factus est, vt naturæ laborator esset, ad faciendum id, quod Deus illi indidit & implantauit. Ad id, vt diximus, homo corpora duo nactus est. Vnde iterum patet, lumen naturæ tantùm influere ac operari in corpore inuisibili. Ex inuisibili enim descendit, per seipsum inuisibile quoque. Inuisibile autem corpus habet visibile. In hoc situm opus est. Ita in inuisibili est ars, in visibili instrumentum, quod artem inuisibilis manifestat. Hinc sequitur, hominem in inuisibili tantùm suam sapientiam ac scientiam à naturæ lumine accepisse. Vt autem corpus etiam tangibile haberet, quod inuisibile perficeret & in effectum deduceret, substátia ei addita est de duobus elementis, terrâ nimirùm & aquâ, inuisibile autem de firmamento & chao, vt ita duorum corporum vnio & coniunctio sit, non magis diuisibilis, quàm color de suo corpore, aut calor de Sole tolli possit. Coniunctio, vt dixi facta est inseparabilis, ita, vt sola mors eam disiungere possit, quæ scilicet corpus vtrumque visibile & inuisibile in nihilum redigit.

Homo naturæ causa factus.

Lumen naturæ vnde & quale.

Huius in operis introitu notate, Deum creata duplicia produxisse: Tangibile scilicet, & intangibile. Creata intangibilia sunt angeli & spiritus. Tangibilia sunt homines secundum imaginem Dei facti. Sic ergo creatum vnum in suo corpore totum est spiritus, & corpus est spiritus, addo quod & angelus spiritus sit. Sic homo est visibilis, & tangibilis, & inuisibile ipsius corpus similiter corporale est propter inferiora elementaria corpora.

Creata sunt duplicia

De angelis & spiritibus Philosophia naturalis nihil tractat, sed spiritualis seu cœlestis sicut deinceps in suo loco docebitur. Quoniam verò Philosophiam spiritualem in hâc quoque complector, fas esset, me ortum illorum hîc quoque describere. Quoniam tamen mortalis homo, de immortali, quî se habeat, nihil intelligit: hâc de causâ labori illi hîc supersedeo, hoc est, cœleste in naturali describere impossibile est. Debet enim quodlibet describi ex eo, ex quo est. Sic quod de terrâ est, de terrâ disserere potest, sicut ergo hoc opus hîc tracto. Quod de cœlo est, de cœlo quoque tractare debet, vt deinceps euidens erit. Ad distinguendum autem externum ab interno, paragraphis huiusmodi opus est. Cæterùm, vt capitis huius plenum sensum assequamini, primò conuenit tractationem suscipi de ortu hominum, sicut iam diximus, Deum creaturas duplices condidisse, substantialem scilicet & non substantialem. Causa est hæc, quod voluerit Deus habere creaturam, quæ tangibilis esset, & sanguinem ac carnem haberet. Caro ista & sanguis desumpti sunt ex corpore quatuor elementorum, transformatorum ex substantiâ illâ in substantiam hominis, sicut quis rem albam facit nigram, viridem, vel rubram &c. Omnia enim in manu Dei alba sũt: ea is tingit, vt vult. Homo quidẽ ex ligno nihil nisi ligneũ, ex metallo nihil nisi metallicũ &c. facere potest. Deus autem ex lapide potest facere panes, &c. Ita etiam elemẽta 4. transformare potest in carnẽ & sãguinẽ. Sicut ergo iam dictũ est, homo, quoad substantiam, extractũ est 4. elemẽtorum. Extractum id in carnẽ & sanguinẽ abiit. Hoc

Caro & sanguis ex elementis.

Hoc instituto Deus quoque suo filio mandauit, vt homines Adami filios, faceret filios Dei secundum ipsius voluntatem, quâ illum in carne & sanguinem destinauit. Residuum autem mansit pro subiecto extracti, hoc est vt quintæ essentiæ, reliquum, ex quo illa extracta est, vsui & quomodo conueniret. Et quoniam ex elementis homo ad imaginem Dei à Deo ipso factus est: ideò in elementa, ex quibus prodiit, ius habet, & Dominium, vt scilicet imagini parere cogantur, hoc, est non vt limus sit Dominus, sed is qui ex limo factus est, filius nempe ex patre, &c. Iam ex prædictis colligite, verum hominem esse astra. Manus enim & pedes hominem minimè constituunt, sed naturalis sapientia & scientia hominem faciunt. Ideò non quærat in corpore homo, quæ corporis sunt. Quæ corporis sunt, sunt brutalia. Hoc quærendum est, quod in corpore est in inuisibile & impalpabile, lumen nimirùm naturæ, naturalisque sapientia, quam Deus syderi indidit, & ex sydere in hominem transdidit, quãdo quis à magistro aliquid disceret, vt puta scribere vel legere. Manus ergo & pedes nihili sunt. Illa tamen sine manibus, pedibus, auribus, oculis perfici & ad effectum deduci nequeunt. Per oculos námque introspicimus in naturam, ipsique sunt instrumenta, per quæ perficimus, quod in nobis est, & à Deo pro naturali munere seu dote datum est. Habent ergo rationem instrumentorum, sine quibus sapientia exeri non potest. Cùm verò hanc per illa exeri necesse esset: ideò homo factus est ex elementis, & formatus ad imaginem Dei, formam nimirùm ad id quod Deus in nobis requirit perficiendum, aptissimam. Forma enim nulla vspiam habilior aut dexterior, quàm hominis cogitari aut fingi potest, cum ea apta sit omnibus naturæ dotibus ac scientiis tractandis exercendisque ita vt homo per corporea membra facere possit, quæcunque vult. Et quæ in spiritu facit Deus, aut angelus, aut spiritus: ea omnia etiam corpore & membris suis seu instrumentis homo perficit. Spiritus enim & hominis hoc discrimen est, quòd spiritus sine instrumentis agat operetúrve: homo autem per instrumenta, quousque quidem humana vis extenditur. Exemplum. Facit Deus domum. Eam facere & homo potest. Deus manus & pedes habet in verbo: homo in membris. Homo sanat hominem medicamentis, quæ membris suis parat: Deus id facit verbo, sine manibus & pedibus. Homo ambulat pedibus: spiritus sine illis. Ita per membra peficiuntur artes & sapientia luminis naturæ, sicut ex exemplo patet. Vult Deus ex terrâ enasci arbores, fructus, pyra, crescentia alia. Voluntate hâc positâ, omnium primò prodeat lignum, ex quo pyrum nascatur, oportet. Ex ligno enim pyrum edi Deus vult: non quòd pyrum sit lignum, sed quòd pyrum sit instar spiritus in ligno, donec corporalitatem adipiscatur. Et cum tangibili corpore opus esset: Elementa in lignum transmutata sunt: hoc est. Quicquid tangibile est, corpus suum ex duobus inferioribus elementis habet: & quicquid huiusmodi corpus fieri debet, id initiò est spiritus non quidem astralis (is enim corpus non assumit) sed elementaris, qui corporalitatem ascíscit. Sic, semen est spiritus naturalis. Si autem seminetur, ex illo fit arbor. Iam suum corpus ille adeptus est. Idem similiter dicendum etiam de pyro ex arbore. Id vbi primùm spiritus elementaris fuit, postea materiale fit & corporale. Sic ergo pyro corpus datum est ex duobus elementis per necessariam transformationem. Eodem iam pacto, si velit Deus, fieri ac produci illa, quæ in firmamento per ipsum facta sunt, vt scientiæ, Musica, artes Mechanicæ, facultates & cæteræ religiones: necesse erit illa, vt diximus per hominem perfici, non secus ac pyrum profertur ab arbore. Aliquid enim esse necesse est, per quod sydera operentur. Id autem homo est solus. Eiusmodi ergo formâ insignitus est, vt magnalia naturæ omnia per ipsum conspicua & manifesta fiant, & in corporalitatem perducantur ab eodem, ex elementis in formam carnis & sanguinis fabricato. Talis inquam à Deo formatus est, nec formâ eâ alia vlla melior esse potuit: cùm membra habeat idonea & apta perficiendis illis omnibus quæ Deus in astra contulit & ingessit. Sed exemplum aliud attendite. Voluit Deus, filium suum triginta argenteis vendi. Iam hoc si voluit, necesse fuit per ipsum creari argentum & artificem qui monetam illam cuderet. Ex illo sequitur voluntatem Dei oportere perfici ab homine, qui omnia ad finem vltimum perducere debet. Sciat itaque homo, se solum esse instrumentum luminis naturalis, per quod perficiantur opera & sapientia, à Deo in firmamentum congesta. Sic ergo caro & sanguis sunt instrumentum idoneum perficiendi omnia, bona maláque. Siue enim bonum, siue malum agendum sit, instrumentum habile se homo præstat ad exequenda illa omnia. Væ autem illi, per quem malum ac scandalum fit. Melius enim esset, talem nunquam natum esse. Iam sicut Deus peculiare corpus dedit ligno, peculiare lapidi, peculiare metallo etiam: ita aliam etiam substantialem corporalitatem dedit homini, nimirum carnem & sanguinem, cutem & ossa, cuiuscunque speciei sit, vel lupi, vel ouis, vel viperæ, vel agni. Ita enim comparatum cum homine est, vt non semper sit homo, sed interdum etiam lupus, vipera, vulpes, &c. Talis autem qui est, iam homo non est amplius, sed pecus. Et quos rapaces lupos Deus vocauit, illi non ampliùs Diui sunt, nõ homines. Sic etiã statuendum de progenie viperarum. Ita etiam Herodes homo non fuit aut homo mortuus est, sed vulpes, vt Christus ipsum vocauit. Qui enim homo brutalis est, & brutaliter viuit, brutum fit, non homo manet. Speciem quidem hominis exhibet: sed in numero hominum non amplius continetur. Talem ergo creauit Deus hominem, vt per ipsum perfici omnia possint, quæ spectant ad sapientiam, scientiam, bonum, malum. Ita differunt inter se duo corpora, astrale & elemẽtare, quæ vtraque massa vna fuerunt, vnus limus, qui homo est, hoc est pars limi vna facta est corpus visibile, pars altera, vt diximus, inuisibile. Notate etiam, duas animas in homine esse, *Æternam & Naturalem*. Vna morti obnoxia est: altera mortis expers est. De immortali, hoc in opere naturali non tradam, sed de mortali.

Homo syderum manus, & instrumentum

Homo interdũ fit bestia

Animæ hominis duæ.

Illa

Illa suo etiam loco satis pertractabitur. Sic etiam duo sunt spiritus: Æternus & naturalis. Quod naturale est, est in astrali corpore: & astrale corpus est in corporali. Ac vtræque sunt homo vnus, sed duo corpora.

Arcana astrorũ & elem. Deus per hominẽ prodi vult.

Scitote autem tanto desiderio flagrare Deum, vt arcana in astris condita reuelentur, vt illorum gratiâ microcosmum condiderit. Sed per hominum opera nõ in astris tantum posita arcana manifestari vult, sed insuper etiam naturalia mysteria omnia elementorum, quod citra hominem fieri non potuit. Vultque Deus, quæ inuisibilia sunt, visibilia reddi. Altè ergo expendere debet homo, quòd hoc fine conditus sit, dicente etiam Psalte: *Omnia subiecisti ei, &c.* Cum enim apud Deum id ita constitutum sit, omnino requirit, vt homo non otietur, non ferietur, non torpescat, non pergræcetur, non scortetur, non, &c. Sed vigilans & sobrius ac sedulus sit, in rimandis quotidie arcanis, secretis & dotibus quas in naturam Deus indidit. Vnde liquet, citra omne effugium debere hominem vocationis suæ officia facere, ac diuinis rebus non obloqui, nec ea contemnere. Nisi enim in lumine naturæ perficiamus, quod Deus à nobis requirit, de eo exactam in extremo iudicio rationem reddere cogemur. His autẽ studiis proximo suo quiuis cumulatius seruire, & ad donorum Dei cognitionem altius penetrare potest, cum tamen potator nihil cognoscat, nec fine cognitione amare Deum possit, sed merum porcum agat, & porco plus non sapiat. Itaque hominem Deus hoc fine creauit, vt inuisibilia eius opera per visibilia, hoc est, hominem manifestarentur. Visibile nàmque homo est, per quem opera diuina reuelari Deus expetit. Exemplum. Vult Deus, mysteria sua non absolutè visibilia esse, sed visibilia reddi & cognosci per opera hominum. Is enim hac gratiâ conditus est, vt illa manifestet. Sic Christum alteram trinitatis personam esse nemo nouerat, sed pro homine tantum habebatur. Quod autem erat, inuisibiliter erat. Et tamen per hominem, quis esset, manifestatus est, nempe, quod *Iesus Nazarenus* sit Christus, Rex Iudæorum. Id autem reuelârunt & prodiderunt opera humana, nempe captiuatio, flagellatio, coronatio, crucifixio, denique occisio. Horum enim omnium homo sese instrumentum præbuit. Eadem ratione homo rerum occultarum omnium manifestator est. Adde, quod homo sit, ne quidem ipsemet aliunde nisi ex operibus videt. Sicut enim Iesus fuit Christus, & Iesum Iudæi acceperunt, non itidem Christum, quia is inuisibiliter erat: sic etiam in homine, quod homo est, absconditum est, & nemo quid in ipso sit videt, nisi quod opera manifestant. Continenter ergo ac assiduè laborandum est homini, vt seipsum noscat, & ea, quæ Deus ipsi largitus est, vtque opera eius aliis conspicua sint, ipsique hinc concitati laudent & celebrent Deum, à quo omnia facta, data, & donata sunt. Qui autem non inquirit, is thesaurum ac pondus suum in terram defodit. Idem enim & Christus fecit, vt se per opera noscendum offerret, sicut inquit: *Si credere non vultis, me eum esse, quem non videtis:* hoc est, filium Dei: *saltem operibus meis credite:* quasi diceret: Opera mea eiusmodi sunt, vt ea facere nemo possit, nisi qui filius Dei sit. Sic & nobis conuenit, vt nosmet ipsos manifestemus, vt infideles videant, quid Deus per hominem operetur. Suo nàmque exemplo nos Christus monet, vt in hoc ipsum sequamur, & per opera testimonium de nobismetipsis demus. Ex illis enim cognoscitur, quæ nos ceu testes pone sequuntur. Sic Christus homo tantùm indicabatur secundum visibile cùm tamen iudicium secundum visibile ferendum non sit. Quilibet enim homo decem digitos, binos pedes, &c. habet, vt secundum hoc gradus & dignitas hominis æstimari non possit. Cognoscendus est potius ex operibus & virtutibus suis, quæ, qualis sit quilibet, certiùs renuntiant. Ex his etiam scimus, quis & qualis sit filius Dei, quid prophetæ, quid Apostoli sint, qui Diui, qui Doctores existant, quid ex Deo, quid ex naturâ proueniat. Per opera cognoscuntur homines, in quibus lux naturæ viget, & quid cuiuslibet naturæ affine sit. Sic ergo per omnes homines omnia mysteria Dei manifestantur per Angelicam & Naturalem Philosophiam ac Astronomiam, ita vt nihil absconditum maneat, siue in cœlo sit, siue in terrâ, siue in inferno, siue in creaturis omnibus. Nihil enim adeò vspiam secretum est quod non manifestetur. Nemo nouit Christum, nisi quem pater ad illum traxerit. Ad illum qui trahitur, ab ipso docetur. Sic nec ab astris quisquam docetur, nisi ad astra trahatur. Huc autem nemo trahitur, nisi qui inde prodierit, hoc est, quod ex Deo, ex cœlo est, de Deo & cœlo loquitur. Quod est ex naturâ, de naturâ loquitur: sic etiam, quod ex Diabolo est, de Diabolo tractat. Sciendum itaque est, vtrâmque Philosophiam per hominem cum suis virtutibus cognosci, perfici, & compleri, Æternam nempe & naturalem, quæ commodè simul stare possunt. Vtræque enim ex Deo vno procedunt, ex quo etiam homo. Iam quicquid ex Deo est, illud homo vsurpare & perficere potest. Ideò enim Deus ipsum creauit, velut omnia in cœlo & terrâ. Corpus itaque nostrum minimè corrumpi aut feriari sinemus, sed noctes atque dies inuigilabimus, vt naturale & æternum in opus deducamus, ne Philosophiâ vtrâque, & cæteris Dei donis spoliemur. Dona enim sua si Deus ab hominibus aufert, nihil in ipso fit reliquum, quia subtrahitur manus Dei, per quam subtractionem mysteriis Dei exuimur. Qui autem his spoliatur, ei salus nulla speranda superest amplius: Caret enim cruce suâ, quam gestare debet. Crux autem nostra hæc est, vt dona Dei feramus & inquiramus, nec illa ad malum conuertamus, sed Christum sequamur, hoc est, in domino moriamur, viuamúsque, &c. Cùm hactenus de duobus corporibus, de elementis superioribus & inferioribus disseruerimus: cogitare quis posset, an non aliquando fieri queat, vt ista duo non semper consentiant, sed aliquandò etiam discordent, cum quodlibet corpus ab alio diuersum sit. Quantum enim duo corpora, visibile & inuisibile, formâ & figurâ differunt:

Opera testatur de hominibus &c. rebus.

Secreta omnia manifestabilia

Crux ... quid

differunt: tantum distant etiam à se inuicem ipsorum substantiæ. Res exemplo declaranda est. In coniugio constituti coniuges, duo sunt: vnum quidem in carne, duo autem voluntate, hoc est, etsi duo vnum sint, vnum tamen nō sunt voluntate, sed vtrique suus mos est peculiaris, sicut nemini ignotum est. Cùm ergo tantopere distent, sine contrario esse id non potest. De contrario illo meritò aliquid dicere suscipimus, quoniam appetitus duo præsto sunt: nempe, quod astra alium sensum, voluntatem & consilium habeant, quàm inferiora elementa: & vicissim, quod elementa aliam voluntatē ac animum habeant, quàm Astra. Hinc sequitur. *Diuersas naturas sibi inuicem contrarias esse.* Exemplum. Inferius elementare corpus cupit esse lasciuum, luxuriosum. Astrum autem, corpus elementare superius, cupit, vacare studiis, discere artes, &c. Sic iam in homine ipso contrarium est. Corpus vult aliud: aliud vult inuisibile, nec vnum cum altero consentit. Pro cuius rei explicatione pauca hæc attendite. Astrum ducit hominem ad sublimem sapientiam, prudentiam, scientiam, vt in lumine admirabilis fiat, atque mysteria miraculorum Dei splendida & luculenta manifestentur. Hoc animo affectum est Astrum ergà hominem, quod Deus quidem ita constituit. Porrò autem de elementari vitâ corporis ita accipite. Corpus ex elementis duobus constat: cuius munus est, vt edat bibátque ex elementis, ad attingendum terminum à Deo positum, simul additâ Medicinâ à Deo datâ, quâ vitę nostrę decursu id perficiam?, quod à nobis Deus requirit. Propterea corpori impositum est munus, seipsum propagandi & multiplicandi per semen, modo à Deo præstituto. Iam ergo constat de Astris, quid in nobis moliantur: quid item inferiora elementa à Deo ordinata machinentur. Hinc iam elicitur, cuilibet parti desiderium esse, officium ac munus suum altiùs extendendi, nec quicquam cum modo & mediocritate agendi. Quæ occasio est dissidij & inimicitiæ. vt quia constitutū terminum transgredi satagunt, vnum alterum expellat. Immoderatum enim omne destruit. Exemplum ponamus. *Elementorum est, gignere liberos.* Hoc autem ipsis nimium appetentibus, ansa homini datur, animum, appetitum desideriúmque suum ad hunc vnicum articulum conuertendi. Ita præceps iam ruit in scortationem, adulterium, & peccata alia. Facessit ergo, & deserit ipsum astrum cum suis viribus, illúmque suæ libidini permittit. Astrum enim pudicum ac castum est. Eo itaque casu inferiora elementa hominem moderantur ac regunt, non Astra, vt superiora elementa. Castitas enim in meretricibus non manet. Ea propter homo homo non est. Elementa námque vlteriùs operari non debent, quàm ad constitutum terminum: vel, homo vniuersa, quæ à naturâ data sunt, impendere debet legi diuinæ, non suo appetitui. Quòd si intra metas honestatis Christianæ manet, Astra non expelluntur. Edere & bibere est ex vi elementorum inferiorum. Plus verò edendum ac bibendum non est, quàm sustentatio corporis requirit. Eo facto cœlestes operationes vim suam in homine perficere ac id complere possunt; quod per ipsum præstari cupiunt. Si verò in cibo potúque terminus excedatur: quantum exceditur, tantum perit eius, quod hominem perfectum reddit. Eadémque in hoc ratio est, quæ est in coniugio. Quæ pars terminum excedit, vitam coniugalem violat. Debet ergo homo omnia dona, à Deo accepta, secundum voluntatem Dei impendere, in scripturâ nobis patefactam. Si modum in illis excedimus, voluntatem Dei transgressi sumus. Vniuersa enim voluntate Dei definiri debent.

Porrò autem persuasum vobis sit, Deum nihil creâsse, quòd geminum non sit. Et nihil est, quod sine alio perfectum sit. In compare omnia consistunt & complentur. Exemplum. Vir nullus per seipsum liberos gignere potest, vt nec fœmina. Vtrique autem iunctim filium perfectum gignunt, vt perfecti ipsi simul sunt. Velut ergo sine compare nihil integrum est, ita etiam corpus Astrale & Elementale par vnum sunt. Hinc sequitur, hominem perfectū tum demum esse, quando duo corpora simul sunt. Propter vnionem enim & coniugium hominem integrum faciunt. Præterea hoc quoque sciendum est, fieri interdum, vt corpora vtraque adulterentur. Sicut enim ex pari coniugum aut alter aut vterque matrimonij vinculum violat ac adulteratur: ita peruersio similis accidit etiam duobus corporibus, quando aut elementare corpus sydereí corporis nullo coniunctionis amore afficitur, sed in libidine propriâ viuit: aut etiam corpus sydereum aliud potius agere, quàm cum elementari corpore consuescere affectat. Vbi adulterina huiusmodi operatio gliscit, ibi ingenia peruertuntur, nec perfecto vllius naturalis sapientiæ fundamento imbuuntur, leues & inconstantes homines fiunt, quouis momento variabiles, nec vlli proposito firmiter inhærentes. Ab huiusmodi hominibus nulla sententia solida, perfecto homine digna, expectari potest: sed ipsi ambigui & errones sunt, qui multa quidem, sed non ex vno consilij fonte deliberant & incipiunt. Adulteratur námque ratio: adulteratur similiter & elementare corpus: quam peruersionem constantiæ nihil comitari potest. Horum veruntamen nihil fieri potest, nisi homo quoque in causa sit; hoc est, consentiat & obsecundet: sicut ex sequenti exemplo elucet. Cùm omnia ex pari constent: conuenit, par illud indistractum, consentiens & vnanime esse, & voto satisfacere. Hoc modo homo copulatus est magno mundo, hoc est, vtrisque corporibus, sydereo scilicet & elementari, quæ pro vno tantùm corpore, non duobus sumuntur. Iam curæ cordique debet esse homini, vt corpori illi, ex quo constat, votum coniugij seruet, ita, vt limus terræ in suâ substantiâ maneat. Ita Quintum esse perfectum & integrum erit. Quòd si homo adulteratur, coniunctionem illam destruit, non quòd ipse solus adulter sit, sed quòd in adulterio etiam versetur limus terræ. Itaque adulteratoria natura pessima est. Corrūpit enim sensus, sapientiam, intellectum, & negligit perfectionem artium. Nulla námque progenies adulterina ad sciētiam perfectam ascendit, nec etiam

Sine compare nihil integrum.

Adulterina sobolescuiusnaturæ sit.

iam pertingit ad finem doni, nec est perfecta in veritate, sed dubia est & mutabilis. Vnde colligi potest, constantiam viri in seruando insito voto thesaurum esse pretiosissimum. Quod si enim mens ingenua vnitur in mensurâ cum limo terræ, ita, vt mens hominis limus terræ in æquilibrio versentur, tum quicquid ab homine prouenit, perfectum est. Ex his intelligi potest, quænam natura hominis sit, vnde sit compositus & constitutus. Post hæc autem omnia noscendum etiam est, in homine vigere conscientiam, boni & mali iudicatricem. Per hanc vincere debet homo suum astrum, & corpus elementare, quando adulterari cupiunt. De hoc iudice plura suo loco dicentur, quantum ad ipsius vim & potestatem attinet.

Conscientia hominis, boni & mali index.

Cæterùm, quomodo operatio externorum in hominem penetret, & quomodo in centrum vnum illi copulentur, in capite scilicet hominis, seu, quomodo ab Astris homo discat, & naturale lumen concipiat: id aliquâ ex parte declaratum est. Vt verò res omnis plenè intelligatur, hoc exemplum notate. Homini opus est, vt alimentum attrahat, & extra se quærat, ac intra se præparet, hoc est, visibili corpori vt edat, opus homo habet. Hoc si opus est, sequitur, oportere ipsum quoque cibum & potum elaborare, coquere, in locum conuenientem dirigere. Idem iudicandum est etiam de firmamento. Si acuere & fouere nostra volumus ingenia, oportet vt ex ipsis attrahamus, sicut elementare corpus se fouet & nutrit per vim attractricem, quam habet in manibus ac pedibus, ita vt afferre & assumere possit, quod corpus elementare appetit, per manifestam operationem, quam nostris oculis Deus proponit. Panem nos oportet arare, seminare, colere, molâ frangere, coquere, &c. Ex hac similitudine arcana naturæ cognoscentes, in naturali lumine discere & proficere debemus, quid ad naturalem sapientiam & scientiam spectet. Videmus nempe manifestas operationes in Magnete, quomodo is suum alimentum attrahat. Obseruamus etiam, arbores in syluis immotè stantes, nihilominùs tamen perfectâ nutritione frui, quoniam in se magnetem continent, qui cibum attrahat. Homini autem opus est, vt cæteris quiescentibus, corporis sui necessitatẽ eundo & acquirendo comparare debeat. Sicut ergo corpus elementale is nutrit per præparationem alimenti: ita se gerere quoque debet apud corpus sydereum, vt Magnetem eius rectè præparet. Qualis est præparatio, tale est nutrimentum, hoc est. Illuminatio naturalis. Præparationis autem is modus est. Cœlum suscitat nubem: illa pluuia est. Vsque ad finem pluuiæ tamen nihil præparat, dat materiam primam, non vltimam. Vltima materia si præparanda est, oportet illam fieri per Magnetem elementorum, hoc modo, vt Magnes ille potum appetat. Potus autem eius verus est pluuia. Itaque si bibere vult, & suum corpus, terram, scilicet satiare, opus habet, vt faciat, quod vinitor facit tempore autumni. Vuas carpit, calcat, exprimit, & inuasat. Rem ita accipe. Magnes est cocus, præparans omnia, vt esse debent. Ita Magnes habet materiam pluuiarum, crudam & inconcoctam in mediis interstitiis. Eam resoluit, & in resolutionem ducit, ita vt fiat distillatio per descensum, guttâ vnâ cadente post alteram, quamdiu materia pluuiarum durat. Eodem modo elementare quoque corpus attrahit vim sydeream, ope coniunctionis, quam corpora vtraque inter se habent, sicut etiam mutuò ita inter se copulata sunt, vt homo externis elementis, superioribus & inferioribus fruatur, vtque in vnius Magnetis naturâ cõueniat, in centro hominis, vbi lumen naturæ conditur.

Ingenia vt acuenda sint.

Magnetis beneficio rerum necessitas paratur.

Nubes materia pluuiæ.

Præparatio alimentis qui fiat.

Pluuia vt gignatur

Quoniam iam aliquoties mentionem feci hominum, quod multæ illorum species sint, vt Lupini, Basilisci, Ouini, &c. sciendum est, hominem factum esse ex omnibus illis rebus, ex quibus omnia fiunt. Cæterùm, vt in rebus aliis diuiduntur in species peculiares, veluti, *Dracones, Aues, Basiliscos, & Columbas, &c.* ita in homine conuenerunt in vnum corpus, ita, vt quicquid vspiam creaturarum est, in homine conditum sit. Etsi enim vnum sit, in ipso tamẽ illarum omniũ Materiæ primæ latent. Harum ergo originem & causam ita cognoscemus. In limo terræ materiæ omnes latuerunt, bonarum malarúmque creaturarum vermium, & insectorum. Ex illis enim species omnium creaturarum sumptæ sunt. Non enim minùs placuit Deo facere lupum, quàm ouem, Basiliscum, columbam. Homo autem non in formam creaturarum aliarum incidit, sed tantùm in formam humanam. Specierum tamen illarum substantia seu natura in ipsum distributa est. Cum ergo Deo placuerit illud, sicut docent insecta, in terrâ reptantia, homini inimica, & ad nihil vtilia, sed nocentia: causa omnino hîc expendenda est, cur homo Lupinus lupus vocari possit, aut serpens serpentinus, aut vulpes vulpinus, &c. Illius enim primo Esse vtitur. Non alij ergo homines iudicandi sunt, quàm iudicantur illa animalia, quorum primum Esse illi asciuerunt. Quòd si quidem aliquando virtus aliqua in animalibus illis est: huius tamen vicem decem vitia pensant. Quid enim iuuet virtus lupi, quòd pellem probam det, cùm aliàs in se boni nihil habeat? Quid? an non præstaret nos alere anseres ac gallinas, ac carere pelle vulpinâ. Quæ illa bonitas sit, quę tam frequenti malitiâ recompensetur? Huius farinæ multi quoque sunt homines, in vno boni & frugi in decem nihili & malitiosi. Perfecti homines hi non sunt. Humanas virtutes commiscent cum animalibus primis Esse. Hæc tamen omnia creata sunt. Sint verò, vtut velint: sic voluntas diuina fert.

Homo conditus omnium creaturarum. Limus terra qualis.

Cur hæc ita indicem, hæc causa est. Quid refert, virum placere fœminæ, quod virtutis est? Debet enim virum amare. Multò tamen plures virtutes, contra virum illa habet, quæ gratiam illam perdunt. Quid est, vtilem sibi ipsi quendam esse, præter se verò alij nulli: quæ virtus huius, quæ ad solum ipsum extenditur. Debent enim omnia proximi nostri commodum spectare, idque ob nostram substantiam: Et tamen Deus quoque idem requirit. Vt autem de causa loquamur, ac ortu, vndenam homines lupini, draconij, viperini emergant, ad hæc animum aduertite. Sicut ex terrâ nascitur, acidum, dulce, acerbum & amarum, venenum & remedium, bonum & malum, quolibet manente;

Hominis beneficia quis [illegible]

manente quod est: sic etiam in limo terræ fidum & infidum, probum & improbum, iustum & iniustum, omnis generis bona & mala, cum animalia, tum crescentia inextiterunt: quibus omnibus in Massam vnam reductis, ex hâc factus deinceps homo est. Hinc sequitur, quod per generationem filiorum diuisiones specierum inceperint. Lupina natura in generationem singularem separata est: Sic & natura Basilisci, ouis, Agni, in sua genera distributa est. Itaque species diuisæ sunt in personas. Adeò verò versutus est Satanas vt regnum suum super lupos fundet, & templum suum struat super Basiliscos, viperas, serpentes, quod genus adulterinum omnium pessimum & nocentissimum est. Quærit enim sibi similes tantum. Ex ouibus nunquam faciet lupos, ex turturibus nunquam producet viperas, &c. ex probo furem. Simile enim simile quærit & parit. Sic Deus Ecclesiam suam fundat super pios & frugi homines. Rectè ergo Christus dixit: *Vos Lupi estis rapaces*, hoc est, à naturâ estis lupi, ex limo terræ nati lupi: insuper & munus vestrum, cui adhibemini, lupinum est.

[Margin: Similis similem [illegible]]

Persuasum olim nonnullis fuit, cœlum hominem facere, ipsúmque non admodum magni pretij aut dignitatis esse, nec cogitatum fuit, factum esse ipsum ex extracto omnium creaturarum, Quintam Essentiam: sicut nec hoc trutinatum fuit, quòd à tam potenti manu, ac à nobilissimo omnium artium Magistro fabrefactus sit: ex limo nimirum, qui tota Machina mundi fuit. Iste ergo contemptus hominis haud leuis fuit. Quòd si verò profundiùs paulò ac penitiùs homo rem euoluens de ortu suo cogitaret, & creatorem suum agnosceret, videret vtique, se non suem, non lupum, &c. esse debere, sed virum Dei, voluntati ipsius morem gerentem. Ipsi verò contrariam in sententiam abrepti annihilârunt hominem, tanquam scarabæi aut vermis instar ex luto & stercore productum. Id autem cum Naturâ pugnat, hominem seipsum adeò flocci facere, nec quicquam se bruto aut bestiâ meliorem iudicare. Quinimò sciat, se hominem esse, & vt hominem, viuere debere. Ideò Deus ipse, non cœlum, quod cerasa & poma producit, hominem fecit. Opinio autem ista fecit, vt Astronomia in despectum veniret, omnésque adeò Religiones initiò erroribus implicarentur, ex quibus postea subindè plures & maiores absurditates enatę sunt. Vnde manauit etiam opinio illa, lasciuiam prodire à Venere, quod falsum est. Venus enim in cœlo, planetarum consors, casta & pudica est, virginum & matronarum castitatis summa fautrix & scortationis omnis certissima inimica. Etsi verò aliàs quoque de his mentionem fecerim: propter ipsam tamen rei veritatem planiorem hoc adhuc exemplum attendite. Quidnam confert nobis Venus ad cibum potúmque? Nihil. Edere enim & bibere proprietas est corporis elementalis, sine ope firmamenti. Et licèt vir quidem ac fœmina, matrimonio copulati caro vna sint: cuilibet tamen sua peculiaris natura est, ab altero dissona. Ita hîc quoque elementare corpus edit bibitque, nec ad hoc corpore sydereo eget. Nec enim pro corpore sydereo edit, sed pro seipso. Sic & fœmina sibi edit, non viro: sibi etiam edit vir, non fœminæ. Sic si corpus amoris opera facit, sibi illa facit, non corpori sydereo: & per illa producit etiam corpus elementare, non sydereum. Nihil ergo hîc Venus agit, sed propagatio sobolis pendet à corporeis elementis, minimè ab Astris. Quod enim hîc producitur, ad corporalitatem spectat. Id autem procedit etiam ex corporalibus elementis. Hoc ergo Venus præstare non potest. Libido hominis causa est, non Venus. Aliud enim corpus habet Venus, aliud elementa. Et quomodo insensibile reget corporeum, cùm sperma, non ex superioribus, sed inferioribus elementis oriatur? Quomodo Spiritus possit facere carnem & sanguinem? Quomodo caro & sanguis possint facere Spiritum? Tanto minùs hoc quoque casu, quod illi opinantur, fieri potest. Proponamus vobis exemplum. Homo gignit quidem hominem, sed non animam: nec contrà anima facit hominem. Cuilibet sua peculiaris est creatio & fabricatio: & tamen res vna est, vnus homo. Hic notandus quidam error est, quem in Astronomiam ingesserunt, dicentes: *sicut scintilla ex silice excussa, fomitem incendit & ardere facit: ita Venus est inflammatrix corporis elementati.* Quod falsum & incongruum est. Oporteret enim scintillam illam operationem corporalem habere, ac esse id, quod est caro & sanguis. Id enim exemplum præsens de fomite docet. Scintilla ex silice ignis est, is si fomitem corripiat, facit id, quod ipsemet est, nempe ignis. Sic ignis fit fomes. In elementaribus itaque corporibus sydereum coadiutorium nullum admittitur, sed elementare corpus sibi ipsi prouidet de iis, quæ ad corpus spectant. Sic etiam corpus sydereum sui ipsius curam habet. Hoc quidem verum est, quòd sensus & cogitationes à sydereo corpore regantur. Sic etiam per sydereum corpus obiectum quidem offerri potest corpori elementari, sicut fœmina ante virum stans, ipsum mouet. Huiusmodi tamen obiecta nihil generant, sed occasiones tantùm dant & sunt vt membra in pariete, quæ corpus quidem indicat, & à corpore defluit, sed interim nihil est.

[Margin: Homo [illegible] Dei [illegible]]

[Margin: Venus [illegible]]

[Margin: [illegible] proprietas corporis elementalis]

[Margin: Simile producit simile.]

[Margin: Homo animam non facit.]

Cùm de limo terræ hactenus docuerimus, ipsum esse Massam, & extractum Quintum Esse, ex cœlo & elementis: iam deinceps etiam noscendum est, cur dicatur *limus terræ*, non *limus firmamenti* aut *elementorum* aut *limus aquæ, ignis, aeris*, aut *limus mundi*, cùm tamen omnia in massa vna conclusa fuerint? Causa autem hæc est, quòd terra massam in seipsâ habeat, & per se massa sit. Cætera Massæ non sunt. Itaque secundum Massam denominatio facta est, eaque massa fuit terra. Hic autem intellige, terram creaturarum omnium fundum & centrum esse, esseque ex centro, (in quo omnia creata versantur) sumptam vocatamq; terram, terram autem massam esse. Sic ignis nihil in & per se est. Lignum est ignis. Non autem dicitur de ligno, sed de igne. Vnum semper est, quod nomen retinet. Sic si multæ aquæ in vnam confluant, cæteræ omnes nomen suum amittunt, vna ipsum retinet. Postquam omnes confluxerint, omnium vnum tantùm nomen

[Margin: Limus terræ cur dicatur.]

[Margin: Terra centrum creaturarum omnium.]

[Margin: Ignis per se nihil est.]

est, vt Mare, quasi dicatur, ex mari hoc fecit, id est, ex omnibus aquis in mare confluentibus. Hinc oritur appellatio limi terræ. Quod de mari iam diximus, intelligendum quoque est de terrâ, quod in ipsam omnia influant & recondantur. Et sicut in mari omnes aquæ consumuntur: ita in terrâ etiam creaturæ omnes consumuntur in suis influentiis, & corpus quodlibet à suâ matre consumitur. Sic cera est massa, in quam omnes medicinę vulnerariæ congeruntur, ac in emplastrum compinguntur. Vt ergo ingredientia & cera vnum sunt, & *ceroti* nomen retinent: ita etiam limus terræ. Terra itaque loco ceræ massę fuit, in quâ ingredientia cœli & terræ permixta & congesta sunt. Ex hoc composito factus est homo.

Limi & ceroti collatio.

Velut ergo hactenus de hominis ortu & generatione disserui: fas est, vt vniuersi, qui circa hominem versantur, ipsum accuratè & penitè considerent, nec ipsum tantopere vilipendant. Ex saxo enim minimè prosiliit. Ex luto quidem factus est: sed luti huius tam concinna mixtura & compositio fuit, vt eius nobilitatem nemo satis perscrutari possit. Ideò danda vobis medicis sedulò opera est, vt verorum non falsorum medicorum officium faciatis, nec particularibus vestris in vniuersum procedatis. Comperta vobis esse debent ea, quæ perfecto à Medico requiruntur: nec creatum Dei, quod secundum suam imaginem fecit, tanta temeritate excarnificandum, aut priuati commodi vel inuidiæ alicuius causâ dignitas aut iuramentum tantâ leuitate violandum est. Nolite aggredi illa, quibus vos inferiores esse ipsimet agnoscitis. Nec committite, vt ars vestra similis dicatur illis qui ad metam iaculantur, qui si non nigrum, tamen album feriunt. Præterea magistratus quoque officium est, vt serio animo hominis curam habeat, nec tantâ austeritate in illum animaduertat. Quoniam enim scriptura testatur, patrem familias voluisse detruncare arborem, quòd nullos fructus ferret: Quid is tandem consilij iniuit? Decreuit nempe, vt diutius staret, si forsan adhuc frugifera illa futura sit. Multò certè minùs floccifaciendus erit homo, qui tanto artificio concinnatus est à summo plaste, à quo creaturæ omnes descendunt. Nec enim necessarium est, vt hodie illicò erumpat, quod Deus homini dedit. Fiet id etiam suo tempore. Noluit Deus, vt Iudas, ante tempus constitutum Christum proderet. Hodie quis talis est, cras alius. Tempus multa dat, & donum perficit, nisi fors arbor sit planè nequam & sterilis. Qui enim puer est, pueriliter loquitur. Si senior fiat, aliud agit. Exemplo vobis sit figulus. Si ollam illi aliquam confringas, ad iram illum, ad vindictam, ad increpationem compelles. Si iteres, cogeris damnum luere soluto ære. Quanto maior ipsi Deo reddenda erit ratio de summo bono, quod temeraria manus tam confidenter confregit? Quiuis ergo seriò secum pensitet, quid homicidium sit, siue in bellis, siue alibi committatur. Iustum Iudicium de filio hominis ferre debetis. Multo autem magis admonendi sunt pastores animarum, de quibus tamen iam taceo, quia hîc circa naturale saltem lumen versor. Discursum itaque de ortu hominis, & coniunctione eius cum externis, quoad partem naturalem, institutum pridem, iam hîc tempestiuè finiamus. Quomodo autem ex vtrisque compositus, & sic integer homo constitutus sit, paragrapho sequenti docebitur. In priore tradidi, quantum ad naturale attinuit. Quæ omnia eo fine instituta fuerunt, vt de humanâ hominis substantiâ & naturâ fundamentum solidum & dubium hauriretur, quantum quidem pro introitu Philosophię ipsa necessitas postulauit, vt eò meliùs & rectiùs sequens operis huius nostri deductio intelligeretur.

Hominis quanta dignitas.

CAP. IV.

Quotuplices Astronomi sint, quot ordines & processus, & quomodo illi cum suis membris cognosci debeant, & quâ ratione membra illa in suas species distribui debeant.

QVandoquidem de influentiâ, concordantiâ, & conuenientiâ rerum externarum in homine tingendi & operandi scribere mihi constitutum sit: consultum mihi visum est, illas in suas figuras diuidi, vt extraneæ tincturæ commodiùs intelligantur. Differentia enim illarum 4. vt distinctè teneatur, admodum necessarium est. Nec enim figura vna est, sed multæ, sese consequentes, sese inuicem parientes, & explicantes. Dilucidè ergo indicantur, vt explicationem perspicuam, facilémque ac generalem omnium sequentium operationem habeatis. Præstituemus figuram vnam cum suis membris, quòd scilicet quælibet Astronomia mẽbra in se habeat. Deinde addetur figura alia, illorum membrorum species exhibẽs. Postea cuiuslibet articuli peculiaris explicatio adiungetur, ex quâ pateat, quid influentia quælibet sit, quid etiam sit quodlibet membrum, quid sit quælibet species, vt nimirum hoc modo Philosophia omnium plenissimè intelligatur discatúrque ad quem ordinem quælibet referenda & vsurpanda sit. Sequitur ergo deinceps figura prima.

FIGVRA PRIMA.

Astronomiæ quatuor sunt, 4. ordinibus distributæ, nullo alteri consentiente. Quoniam autem operatio assimilatur, merito vocantur influentiæ. Quomodo verò 4. Influẽtiæ in homine vniantur, concordẽt, imprimant & operẽtur, qualibet nimirùm pro suâ naturâ & proprietate, intelligetis ex hâc figura. Vbi proponuntur.	NATVRALIS ASTRONOMIA. *Hæc ex firmamento oritur, & in eo essẽtialiter creata est à Deo patre, ac ad id ordinata, vt sit scientia, microcosmóque veluti ex Limo terræ facto, attributa & tradita.* SVPERA. *Hæc essentiale suam habitationem habet apud cœlestes in cœlis, & datur illis, qui sunt in noua generatione, ortum sumens ex Christo, & à suis perficitur, vsurpatur & exercetur.* OLYMPI NOVI. *Hæc Astronomia oritur ex fide hoc modo. Quod cœlũ naturale potest, idipsũ, & plus adhuc, potest hæc quoq; Astronomia per fidẽ præstare, daturq; fideliḃ, & ab illis vsurpatur, perficitur, & manifestatur.* INFERORVM. *Astronomia hæc emergit ex naturali firmamẽto, ac à solis infernaliḃ spiritiḃ vsurpatur. Qui quoniã Naturales Astronomi sunt, & species omnium dexterrimè norunt, eas vel ipsi vel per homines reuelant.*

Hæc

Hæc pro figurâ primâ sufficiant. Porrò secunda figura ita delineatur. *Prior* figura docuit Astronomias quatuor esse, & vnamquamque peculiarem suum ordinem seruare, in fine tamen viâ vnâ conuenire. Iam verò totius Astronomiæ membra nouem sunt, quæ per homines aut aliud medium vsurpari debent. Ideò sunt scientiæ. Ita Astronomia scientias quatuor, & in quâlibet scientiâ nouem membra habet. Membra autem membra sunt in scientiâ vnâ sicut in alterâ, aliter tamen vsurpantur. Sequitur ergo figura secunda membra indicans, in quatuor Astronomiis comprehensa.

FIGVRA SECVNDA.

Hæ sunt quatuor Astronomiæ, nouem membra continentes, secundum quæ Astronomia qualibet instituitur. Figuræ eius is ordo est.

Naturalis.	*Magia.*	*Tot membra sunt 4. Astronomiarum, nec plura, nec pauciora, per quæ Astronomias omnes perfici oportet.*
Supera.	*Nigromantia.*	
Olympi noui.	*Nectromantia.*	
Satanistæ.	*Astrologia.*	
	Signatum.	
	Artes incertæ.	
	Medicina adepta.	
	Philosophia adepta.	
	Mathematica adepta.	

Iam deinceps sciendæ etiam sunt species membrorum, in quot species membrum quodnis diuidatur, vt membra omnia rectiùs intelligantur. Species autem sunt variæ, quæ sub membris comprehenduntur. Cúmque species multæ vnum tantum membrum constituant: ideò distributionem feci in species, quia interdum species tantùm vna vsurpatur, & non integrum membrum, interdum species binæ vel ternæ, &c. Vt ergo quælibet species seorsim explicentur pro iis, quæ illis vtuntur: figuram hanc tertiam annectere volui. Quanquam meliùs & intelligibiliùs foret, membrum integrum cognosci & intelligi, & adhuc meliùs, membra omnia nouem in illâ Astronomiâ: optimum denique omnia quatuor intelligi.

TERTIA TABVLA SIVE FIGVRA DE NOVEM MEMBRIS CVM adhærentibus speciebus quatuor Astronomiarum.

Hæc figura exhibetur membra 4. A-

Magica
1. *Supernaturalium astrorum explicatio.*
2. *Transmutatio corporis in corpus aliud inter viuentes.*
3. *Præparatio characterum, & similium aliarum benedictionum.*
4. *Confectio Gamaheu, vt vis illis indatur.*
5. *Præparatio imaginum, quomodo virtutibus suis imbuantur.*
6. *Caballistica, vna cum Gaballia & ipsius viribus.*

Nigromantia.
1. *Spiritus astrales & elementales cognoscere post mortem.*
2. *Quomodo vtrique illi spiritus, astrales & elementales cogantur.*
3. *Quomodo naturales operationes meteoricè regantur.*
4. *Quomodo homo lædatur, sine operatione corporis.*
5. *Quomodo res inuisibilis fiat, & quid eo casu faciendum.*

Necromantia.
1. *Visiones speculares.*
2. *Ars berillistica.*
3. *Thesaurinella.*
4. *Abstracta retrahere.*
5. *Abscondita inuenire.*
6. *Adech plumbeus.*
7. *Virgulta directa.*
8. *Adech somnialis.*
9. *Ars lucis.*
10. *Superstitio indirecta.*
11. *Artes transuersæ.*
12. *Scientia peruersæ.*
13. *Carbonis speculum.*
14. *Ars literata.*

Astrologia.
1. *Summus motor*
2. *Stellarum cursus.*
3. *Firmamenti natura.*
4. *Astrorum operatio.*
5. *Conceptionem declarare*
6. *Concordantia cum elementis.*
7. *Cœlorum proprietates.*
8. *Prognosticationes tempestatum.*
9. *Prognosticationes temporales.*
10. *Prognosticationes iudiciales.*
11. *Prognosticationes accidentales.*
12. *Prognosticationes Medicæ.*
13. *Nouæ generationis ventura.*

strronomi-arum cum illis annexis spetiebus.

Signatum.

- I. CHIROMANTIA.
  - *Venarum.*
  - *Manuum.*
  - *Pedum.*
  - *Linearum.*
- II. PHYSIONOMIA.
  - *Faciei.*
  - *Naris.*
  - *Oris.*
  - *Aurium.*
  - *Menti.*
  - *Colli.*
  - *Buccarum.*
  - *Frontis.*
  - *Oculi.*
- III. SVBSTANTIA.
  - *Capitis.*
  - *Colli.*
  - *Pectoris.*
  - *Ventris.*
  - *Pudicitiæ.*
  - *Dorsi.*
  - *Iuncturarũ.*
  - *Cannarum.*
- IV. MOS & VSVS
  - *Tristitia.*
  - *Gaudium.*
  - *Phantasia.*
  - *Vires.*
  - *Animus.*
  - *Cor.*
  - *Ingenium.*
  - *Liberalitas.*
  - *Contraria.*

Artes incertæ.

- I. GEOMANTIA.
  - *Cretina.*
  - *Atramentina.*
  - *Taxillata.*
  - *Sortina.*
  - *A casu.*
- II. PYROMANTIA.
  - *Flaminis.*
  - *Noctilucis.*
  - *Zundenæ.*
  - *Lucis.*
  - *Carbonum.*
  - *Stellarum.*
- III. HYDROMANTIA.
  - *Lotialis.*
  - *Vndæ.*
  - *Pluuiarum.*
  - *Nubeculæ.*
  - *Fluminis.*
  - *Roris.*
  - *Nebulæ.*
- IV. CHAOMANTIA.
  - *Borealis.*
  - *Australis.*
  - *Zephyria.*
  - *Eurona.*
  - *Fulgurina.*
  - *Tonitruata.*
  - *Tempestatum.*
  - *Flata.*

Medicina adepta.

- I. *Morborum cœlestium cognitio.*
  - *Physica cœlestis,*
  - *Chirurgia cœlestis.*
  - *Pestifera.*
  - *Chronea.*
  - *Inulatio vel Immutatio.*
- *Morborum cœlestiũ cœlestis cura.*
  - *Herbata.*
  - *Nata.*
  - *Geminina.*
  - *Incorporata lignea.*
  - *Metallina constellata.*
  - *Specifica.*

Philosophia adepta.

- I. *Cœlestium virium in elementis & elementatis cognitio.*
  - *Gladialis.*
  - *Auctoritatis.*
  - *Portina.*
  - *Incusina.*
- II. *Cœlestium virium in elementis & elementatis scientia componendi.*
  - *Vulneraria.*
  - *Sanaria.*
  - *Doctrinata.*
  - *Scientenã.*
  - *Sapientena.*
  - *Inuentuata.*

Mathematica adepta.

- I. GEOMETRIA.
  - *Terrena.*
  - *Sphæra.*
  - *Plana.*
  - *Indirecta.*
  - *Concaua.*
  - *Spatij.*
- II. COSMOGRAPHIA
  - *Inferna.*
  - *Supera.*
  - *Concordiæ.*
  - *Peregrina.*
- III. ALGORITHMVS.
  - *Tabularum.*
  - *Olympi.*
  - *Globuli.*
  - *Fructuum.*
- IV. INSTRVMENTORVM *præparatio.*
  - *Stellarum diuersarum.*
  - *Terrarum vniuersalium.*

V. NVMERVS

V.
NVMERVS.
VI.
LINEA.
VII.
MENSVRA.
VIII.
CIRCVLVS.

Ex hisce iam figuris intelligitis, quæ membra & quas species in Astronomiâ ponam: quas hoc ordine indicari, optimum consultissimúmque mihi visum est. Has necesse est intelligere illum, qui perfectus velit esse Astronomus. Maioris tamen intellectus gratiâ annectemus deinceps etiam illarum explicationes, quidnam membra ista & species possint & contineant, vt nimirum membrorum artes eò faciliùs addiscantur. Explicationis autem is modus erit.

Explicatio Magicæ & ipsius specierum: Quid Magica, quid Magus sit?

Magicæ sex species. QVid Magica & Magus sit, ita intelligite. Diuiditur in sex species. Est autem principium Magicæ explicatio, ducens ad cognitionem signorum non naturalium, quomodo Deus supernaturaliter illa in cœlo collocet, vt tamen nihilominus naturaliter appareant & inter cætera cognoscantur, velut scimus de astro Orientali super *Bethlehem*. Sicut enim Christus in terrâ hominis more inter cæteros homines ambulauit: sic stella quoque illa inter stellas reliquas constitit. Et sicut Christus à solis saltem agnitus est: ita stellæ quoque a solis Magis cognoscuntur. Hoc modo Magi sunt interpretes huiusmodi supernaturalium signorum in cœlo, sicut Apostoli agnitores & testes Christi sunt, & interpretationi verbi præficiuntur, vt Christus inquit: *Erunt signa in Sole, Luna, Stellis &c.* Ita Magi quoque sunt interpretes omnium prophetarum, & reuelatæ Apocalypseos. Et hæc est prima species Magicæ artis, vocata *Magica insignis*. (Magica insignis quid. — Magi quid. — Apostoli quid.)

Præterea Magicæ etiam alia species est, docens *formare corpora viuentia*, sicut factum est tempore Moysis. Estque transformatio ex corpore vno in aliud. Quanquam transformatio illa Magicè facta non sit vt hîc intelligitur: sed Magicè quidem, verum secundum processum quartæ Astronomiæ. Aliàs hæc species est transfiguratio, sicut transfiguratus & illuminatus erat Christus ceu Sol. Sic hoc quoque loco Magica intelligenda est. Adeóque species vero nomine Magica *Transfiguratiua* vocatur. (2. Mag. transfiguratiua quid.)

Tertia species docet *conficere verba, quæ omnem habent virtutem quæ à cœlo in herbis sunt*. Exempli causâ. Quicquid Medicus potest per remedia perficere: idipsum potest hæc species per verba impetrare. Quicquid enim naturalis ordo per se dat: idem dat quoque hæc ars. Genuino vocabulo hæc species *Characteralis* dicitur. (3. Mag. Characteralis quid.)

Porrò species quarta docet *conficere Gamaheu*, qui præstare illa possunt omnia, quæ possunt naturalia instrumenta. Clauis aperit seram, gladius infligit vulnus, lorica tuetur aduersus ictus & glandis penetrationem. Ista eadem potest 4. species Magicæ artis præstare per artem inuisibiliter, quæ molitur natura visibiliter. Hæc species recte dicitur *Gamaheos*. (4. Mag. Gamaheos quid.)

Quinta species docet conficere imagines, quibus sunt similes, qui imaginibus illis præsentantur. Et quicquid naturaliter accidere potest homini, idem hæc quoque Magica perficere potest, vt homines facere contractos & distortos, & cœcos, & impotentes (idque natura naturaliter potest) quorum nonnullos etiam sanare potest iterum. Ista vero nomine appellatur *Altera in altera*. (5. Mag. altera quid.)

Potest similiter & Magica facere, vt quis vocem audiat cis mare, aut in Occidente stans possit loqui cum habitante alio in Oriente. Sicut enim naturaliter vox audiri potest à centum passibus: ita per speciem hanc à centum milliaribus. Porrò, sicut ex viribus naturalibus, nuncius aut tabellarius viam definitam decurrere & conficere potest vno mense: ita species hæc eandem meare potest vno die. Vt vniuersim dicam: Quicquid natura spatio vnius anni conficere potest: id hæc species potest præstare spatio vnius mensis. Idem etiam in crescentibus terræ præstare potest. Hæc species vero nomine vocatur *Ars Caballistica*. (6. Caballistica.)

Sex species iam enumeratæ constituunt artem Magicam. Latino Idiomate dicuntur *Artes sapientiæ*. Hasce enim sex species, habitantes in Sabâ, in Oriente & Insulâ Tharsis, pro summâ sapientiâ à Deo hominibus in hâc fragili vitâ donatâ coluerunt. Et soli quidem sapientes, hanc artem callentes, *Magi* vocati sunt. Cæteras mortales sapientias omnes inferiores & abiectiores iudicantes, Magicam solam pro excellentissimâ & inuictissimâ sapientiâ habuerunt. (Artes sapientiæ, &c vbi celebratæ.)

Quid Nigromantia, quid Nigromanticus sit: & quid in omnibus eius speciebus comprehendatur aut intelligatur.

VT Nigromantiam rectè intelligatis, notabitis, Ipsam in species quinque diuidi. Has quinque qui nouit, Nigromantiæ peritus est, estque *Nigromanticus*. Ea Nigromantia est alterum membrum Astronomiæ. Huius fundamenti membrum primum ita se habet. A morte seu obitu hominis, quâ æternum & mortale à se inuicem discedunt, mortales Spiritus duo in terrâ remanent, ab homine relicti nimirùm *Elementaris & Sydereus*. Hinc cognitio speciei primæ. Qui istos duos Spiritus, quid & quales sint, cognouit, & ipsorum proprietatem, Essentiam ac Naturam exploratam habet, is primam Nigromantiæ speciem callet. Est autem hîc eadem ratio, ac si quis Astronomus hominem nouit, quæ eius constitutio, proprietas, voluntas & appetitus sit, aut vt Medicus hominis naturam perspicit. Quisquis hoc modo Spiritus defuncti hominis pernouit, is in primâ specie perfectus est. Hæc genuino vocabulo appellatur *Cognitio Mortalium*. (Nigromantiæ species quinque. — 1. Cognitio mortalium.)

Secunda species ita intelligenda est. Qui cum mortalibus illis spiritibus conuersari, negotiari, aut illis imperare potest, vt imposita sibi munera exequantur: secundæ Nigromantiæ speciei peritus est. Idem hîc fit, ac si dominus seruo suo mandaret, vt hoc vel illud faceret. Quod ergo hoc casu seruus conficere potest: (2. Tortutanostis.)

potest:id similiter etiam per relictum spiritum impetrari potest. Oportet tamen hos seruos fuisse, non dominos:vbi simul expendendum est,cuius animi & voluntatis viuentes fuerint. Species hæc dicitur *tortura noctis*.

3. Meteorica viuens. De tertia notate erroneos huiusmodi Spiritus multis modis à Sydere gigni,in chao obuolitare, fieri morique. Nascuntur enim, & per mortem iterum absumuntur,alij fiunt, & iterum intereunt, more terrenorum hominum, quorum alius gignitur,alius moritur. Hos qui nouit, velut Medicus herbas, & illis vti scit, ceu Medicus herbis:is tertiam species Nigromantiæ, quæ *Meteorica viuens* dicitur, callet.

4. Clausura Nigromantica. Porrò de quartâ ita tenete. Qui contactu penetrare potest hominem sine læsione aut apertione eius, non aliter ac si quis manum in aquam mittens piscem prehendat, & foramen in aquâ non appareat extracto pisce: is nouit quartam Nigromantiæ speciem, hoc est, manum potest in corpus mittere,& aliquid imponere seu insuere. Hæc vero nomine vocatur *Clausura Nigromantica*.

Quinto, qui corpus visibile potest reddere inuisibile,illudque occultare, sicut nox suâ caligine hominem inaspectabilem facit,aut paries hominem occulit. Is Nigromantiæ speciem quintam tenet, quę vocatur *obcœcatio Nigromantica*. 5. Obcœcatio Nigromantica.

Quinque hæ species faciunt perfectum Nigromanticum, agentem per vires naturales. Quę etsi minori quidem Naturæ lumini absconditæ sint:manifestæ tamen sunt lumini naturæ maiori. Ita se habet Nigromantia, ita Nigromanticus.

Quid Nectromantia & Nectromanticus sit, quæ eius explicatio, cum annexis speciebus.

Nectromantiæ partes. 14. Nectromantia. quid. NEctromantia in partes quatuordecim diuiditur. Harum qui cognitionem habet, is tertium Astronomię membrum vsurpare potest. Sunt autem nonnullæ species, ut visiones, de quibus hoc fundamentum & exemplum tenete. Pone, dominum quendam habere seruum suum, cui omnia sua secreta reuelet ac credat. Iam qui domini secreta sciturit, domino ea non prodente aut reuelante, necesse est ea à tali seruo explorari ac cognosci. Hinc patet,explorationem secretorum domini oportere fieri apud eum, cui illa concredita sunt. Similiter & de Nectromantia iudicandum est, esse nonnullos, qui secreta & abscondita hominum sciant ac comperta habeant. Et persuasum nemini esse debet, se solum secretorum suorum conscium esse,quia astantem aut testem nullum habet. Est enim aliquid, quod nos oculis non videmus, quod tamen nobiscum est in omnibus nostris secretis verbis & factis.Cum his qui colloqui & conuersari nouit, is explorat vniuersa, quæ homini planè occulta & incognita creduntur. Humanorum autem secretorum conscij vocantur *Flaga*, Hos qui domare & cogere potest, vt pareant, & prompti, ceu coactus seruus & quęsita reuelét,is Nectromantiæ peritus & Nectromanticus est. Flagum quid.

Flaga vel sunt visibilia vel inuisibilia. Iam verò species in hoc membro variæ sunt, sed tamen modos duos attendite. Vnus est,quod flagæ illi visibiles fiant. Alter,quòd Necromantici voluntatem inuisibiliter operentur seu perficiant. Sic ergo duo tantùm processus sunt in hoc membro. Licèt enim species quidem multę sint: ea tamen omnes duplici ratione complentur. Et vna tantùm ars est, explorans arcana hominum eòusque quòusque possibile est scire extra ipsorum cor. Exemplum. Quod homo latiùs ad plures emittit, nec intra seipsum cõtinet: id cùm iam aliorum in os peruenerit,hanc artem minimè latet. Secretum verò nec id esse potest huic sententiæ, quicquid corporaliter facit.Hinc patet, quòd, quæ os & manus efficiunt, his flagis manifesta sint, & à nectromanticis sciri possint. Pro explicatione autem, quomodo hæ species intelligi debeant, dictum iam antè est, quòd duo saltem sint processus, quibus huiusmodi abscondita explorari possint, *visibilis* scilicet & *inuisibilis*. Et ad arcana reuelanda adducuntur illi vel persuadendo, vel cogendo,velut & Principis Secretarius, vel blandiendo,vel minitando, ad proditionem adduci potest. Viæ quidem multiplices sunt, per quas aggrediuntur flagas ad faciendam reuelationem. Processus tamen hic saltem est. Nihil adeò absconditum est, quod non manifestetur. Si manifesta fieri debent arcana, eum qui aliquid dixit, viâ parâsse, quâ id manifestetur,necesse est.Hinc causa artis Nectromãtiæ,vt Flagæ huius artis vi parere cogatur,& se visibiles facere per speculum, crystallum, carbonem, &c.nec se verò tantùm,sed &illud,quod abscõditũ habet is,cuius Flagũ est.Ac vbi id non visibiliter per artem exquiritur, oportet tamen fieri inuisibiliter ipsorum figuræ causâ per indicia, monstrationes & similia. Hâc arte inuéniuntur thesauri absconditi: hoc modo leguntur literæ obseratæ: hoc pacto nudum apparet, quod obtectum est: ita ostenditur locus, in quem quid reconditum est, & refertur, quod abalienatum est. Qui ergo predictâ ratione Flagas sibi conciliare potest, vt alicuius arcana & abscõdita reuelent, is Nectromantiæ gnarus & perfectus Nectromanticus est. Quod blandiendo impetrari non potest, id vi & coactione fiat, sicut ad confessionem magistratus homines vi ducit. Itaque Nectromantia est ars, vel placidè vel vi agendi. Sicut enim hominem Cæsari subiectum esse oportet, ipsiúsque gladio coërcetur:ita coërceri etiã Flagę possunt, vt sese exhibeant,in speculis,in berillis,in carbonibus, in vnguibus, &c, vt etiam monstrent ac indicent per virgulta, plumbum, lapides, &c. Item vt faces extinguant, & similia alij faciant, quo secretum reueletur. Flagæ produnt, vel persuasi vel coacti.

Quid Astrologia, quid Astrologus sit, & quænam illius vis sit, cum annexis illi speciebus.

Astrologia quæ sit. VT, quidnam Astrologia & Astrologus sit, cognoscatur, tale exemplum attendite. Sicut in terrâ homines discurrunt, prorsum vorsum, ad dextram, ad læuam mixtim commeantes: ita similis discursus etiam in firmamento est. Itaque qui astrorum, vt hominum peruagationem ac discursum nouit, is de Astronomiâ cognitâ gloriari potest. Sed & hoc simul requiritur, vt sciat, qualenam quis in suo cursu propositum habeat. Vt si quis nuntium amandet alicuius rei gratiâ,& nuntius mandatum

mandatum exequi polliceatur: iam compertum is habet, quid facturus nuntius sit. Sic etiam ex vsu notum est, qualenam opus singulis diebus hic vel iste artifex confecturus sit. Eodem modo & Astrologo compertum esse debet, qualenam opus Sydus quoduis confecturũ sit, vt non minùs Astrorum, quàm hominum instituti certus sit. Et qui hoc nouit, is longè peritior est Astrologus eo, qui nouit, quem inter sese motum & discursũ agant. Sciendum etiam de illis est, quidnam perficere possint, quid non possint. Multa enim incipit homo quæ perficere nequit. Idem de astris etiam statuendum est, multa ab ipsis incoari, quæ non finiantur, velut & ab ipsis hominibus. Stellæ enim & homines eiusdem conditionis & facultatis sunt. Qui ergo hominum & commeationem, & institutum, & facultatem cognouit, is cognitæ Astrologiæ gloriam iure sibi adsciscit. Hinc enim patet, Astrologum *Naturæ summum motorem* cognouisse, & exploratum habere, quòd Natura in illius manu posita sit. Scit etiam, firmamentum in ipsius manu positum conuerti posse ad arbitrium eius, cuius manus est: adeóque intelligit, plura & maiora se prædicere non posse aut debere, quàm de captiuo quodam dicere liceat.

Astrologus quę scire debeat.

Firmamentum captiuo est simile.

Præterea autem stellis quoque Natura cognata est. Hæc ergo Natura, complexio aut proprietas Astrologo minus explorata esse debet, ac cognita est Medico Natura ægri. Intelligit simul etiam *concordantias Stellarum*, quales eæ sint aduersus hominem, animalia, elementa quatuor & res vniuersas, quæ ex matricibus elementorum oriuntur. Et cui hæc omnia percognita sunt, is de Astrologia disserendi facultatem habet. Debet etiam Astrologus notitiam habere firmamenti, sicut Philosophus aut Medicus rerum Naturalium, ex elementis prodeuntium cognitionem habet. Nec arti plus tribuet, aut ex eâ largiùs pollicebitur, quàm de homine captiuo polliceri possit. Is quidem omnes hominis proprietates habet: operum tamen perfectio desideratur vt, quæ facere cupit, non libere possit. Sic & firmamentum in manu summi motoris captiuum est. Cuius manus, quò directura sit, Astrologum latet. Sic ergo Astrologia membrum est Astronomiæ: eo semper constituto tamen, quòd ars per manum summi motoris impediri, promoueri aut mutari possit. Qui autẽ naturalem proprietatẽ Astrorum, etiam extra manum summi motoris intelligit, is Astrologus est, & Astrologiam callet, quâ naturalis quiuis vti potest & debet.

Quid signatum quid signator, quid signatura sit, vna cum ipsius speciebus.

Signaturæ species 4.

NIhil quicquam est, quod natura non signauerit. Ex signis illis cognosci potest, quidnam in re signata insit. Species autem quatuor sunt, quibus signaturæ omnes comprehenduntur. Quas qui intelligit, hominis animum rimari facile potest. Pro signis illis cognoscendis hanc instructionem tenete. Sydera suum cursum habent. Per hunc cognoscuntur. Sic etiam in homine se res habet, nisi quod in homine lineæ fixæ sint, ex quibus, qualisnam motus sit, cognoscatur. Sicut ergo cursus Astrorum (vt ita loquar) complexionatus est, ita complexionata est etiam linea ipsi similis. Sed porrò etiam hoc exemplum notate. Videtis quamlibet herbam crescere eâ formâ, quæ ipsius naturæ conuenit. Sic & homo insignitur formâ, Naturæ suæ congruâ. Sicut autem forma, qualis herba sit, testatur: ita signatum etiam de homine testatur. Nec enim secundum nomen, aut genus, &c. talia eueniunt, sed secundum proprietatem homini impressam. Imò *Ars signata* ipsa docet imponere cuilibet nomina vera & genuina: non vt lupus, ouis, aut columba vulpes nominetur, sed vt cuilibet indatur nomen ipsi naturæ conueniens. Hoc fine species quatuor Natura constituit, quæ *Membrum Signatum* faciant. Per has species Signatori Natura arcana hominis omnia commonstrat. Cúmque nihil vspiam adeò abstrusum & occultum lateat, quod manifestari non possit: omne momentum in hoc saltem positum est, vt illa, per quę arcana reuelantur probè cognita sint. Itaque *Chiromantia* huiusmodi arcanorum signa tribus in locis ostendit, sicut in figurâ expediuntur. Qualis ergo constitutio illarum linearum & venarum: talis etiam mens & voluntas hominis: similiter & proportio personæ. Hinc sequitur, eiusmodi membrum Astronomię cuiuslibet animam denotare. Vsque adeò industrius *est fabricator Naturæ*, vt non animum fabricet secundum formam, sed formam potiùs animo accommodet, hoc est, figura hominis formatur pro naturâ cordis: nec operatur Natura arte suâ instar pictoris. Is imaginem pingit quidem, sed signatum ei nec addit, nec addere potest. Quia enim in imaginem illâ nihil est, ideò etiam signato caret, ac vmbræ tantùm instar est, vim nullam habentis. Artifices quidem nonnulli, qui circa imagines occupantur, huic simile quid faciunt. Id etsi quidem viribus careat: ars tamen ipsa procedit ex Fabricatore imaginum viuentium. Illorum quanto quilibet perfectior esse vult: tanto plus cognito signato opus habet, hâc de causâ, quòd *Ars Naturæ* operationes præfiguret, vt per signatum cognoscatur, quoniam talis animo sit. Hoc faciunt tres illæ species, vt audiuistis, sine quibus nullus artifex in statuis pingendis aut fingendis solidi quid præstare potest. In tribus enim illis fundamentum primarium omnium illorum artificum positum est. His iam adnotate quartam speciem: quòd scilicet, ex moribus & ingeniis homo perfecte cognoscatur. Et qui modo dicta intelligit, is artem perfectam habet, & Signator est perfectus.

Ars signata nominũ inuẽtrix.

Chiromantia, &c.

Mores animi indices.

Quid artes incertæ sint, quas species habeant, & quid de artifice incerto expectari debeat.

SVnt artes quædam, iam â lõgis sæculis à priscis ad nos deriuatæ: sicut res ipsa docet, huiusmodi artes eodẽ cum Magica & ortu & vsu continẽter viguisse. Cõstat etiã, huiusmodi artiũ magnam subindè dignitatẽ fuisse. Quóque illæ ortui fuerunt propiores: eò honestiores & certiores subindè exstiterunt. Artes illę quidem vel hodie nihilò per se peiores sunt factæ. Sunt autem nequiores & homines, & ipsorum animi.

Multum ergo in eo, qualis homo sit, situm est. Eas autem artes voco incertas, prout illæ nostro hoc æuo sunt. Si hodiernæ responderent priscis, & priscæ nostris, audacter easdem vocarem artes certas. Sed prout iam sunt constitutæ, hoc nomen & decus non merentur. Nam & id, quod certũ verúmq; est, nemo scire potest, aut in id fiduciæ aliquid ponere. Artes illæ mirabiles sunt: nec tamẽ artes sunt. Ars enim est, quæ certa est, & quæ nota, indubitata est. In his autẽ artibus id expendendum est, quod homo in se veram artem noscendi & intelligendi à Deo gratiam minimè acceperit. Hæ artes sunt sextum membrum Astronomiæ, admiranda arcana tradẽtes, plus quàm alia Astronomiæ mẽbra, ad cognitionẽ festinã & celerem. Fundamentũ autem harũ artium non est processus naturalis, sed transuersus, veluti sortilegium, nec tamen sortilegium. Manus sortem dat. Manus autem naturalis est: naturales sunt etiam manûs vires. Iam quod astrum aut elementa operari volunt, id operantur per manus & membra hominum. Porrò, quiuis homo est Propheta luminis naturalis. Et prophetiæ quædam pronuntiantur ore, quędam gestibus, quædam nutibus & indiciis, quædam imaginibus & figuris, & modis denique pluribus. Etsi autem per manum talia in his artibus fieri non possunt: attamen, cùm manus sciat facere imagines, gladios, omnia metalla, possit domare lapides, & feras quascuncunque cùm in terrâ, tum in aquâ capere: poterit etiam vi eâdem hanc artem perficere non aliter ac os verbum, quod efficax sit, pronuntiare potest. His cognitis porrò iam attendite. Cùm homo per se Propheta naturalis natus sit: his artium incertarum speciebus, quarum quatuor sunt, commodè vti poterit. Et quamuis nomen sortiatur, *Geomantia* à terrâ, *Pyromantia* ab igne, *Hydromantia* ab aquâ, *Chaomantia* ab aëre ipsarum tamen fundamentum ab elementis non pendet, ita, vt elementa artes dent, & moderentur. Per elementa quidem perficiuntur: ars tamen ipsa oritur ex innatâ constitutione propheticâ. Et sicut Deus per varios homines, sublimes ac humiles multa operatus est (sicut constat, ipsum filium suum proprium abiectâ formâ in terram misisse, & hunc viles contemptósque homines pro Apostolis delegisse: denique personas semper fere contemptas Prophetas egisse, à quibus tamen omnibus stupenda miracula edita sunt) ita hîc quoque in artibus incertis sciendum est, quòd illi Prophetæ sint, quantum quidem Natura ibi operatur, siue in *Geomantiâ* sit, siue *Pyromantiâ*, siue *Hydromantiâ*, siue *Chaomantiâ*. In eo rhombus est, vt homo per se naturæ propheticæ sit, manúmque regat, vt faber moderatur malleum. Sed & hoc exemplum notate. Si forte quis alterum de re aliquâ roget & sollicitet: non semper rogato commodum aut promptum est, voti seu rei petitæ sollicitatorem facere compotem. Sed expectanda est hora & tempus, quo id fieri possit, idoneum. Eodem modo *Incertista* sæpiùs quærit, ibi, vbi nihil est, quò nihil depositum fuit. Itaque scitote, artes incertas suas operationes habere, vel in sortilegiis, vel cretis, vel tesseris aut taxillis, vel votis. Qui hæc in ordinem reducere potest, Geomantista est. Nonnulli speculationes suas habent in igne quibus ignis est loco cretæ, &c. Quod speculatio profert, prophetia est. Ita Pyromantia instituitur. Alij sunt, qui in aquâ fluctus concitant, & bullas mouent. Ex quibus quæ se signa exerunt, pro prodigiis habentur. Sunt, qui sortilegia in aëre aut vento captant, & per aërem ventúmve iaciunt par & impar. Quod cadit, iudicium est chaomanticum. Has species quatuor qui nouit, & prædicto fundamento incumbit, *Certista est*. Qui verò fundamenti modique dicti nõ penitus gnarus est, est *Incertista*, nec illi plus, quam tesseræ, fidere possis.

Artes incertę cur ita vocentur.

Ars quæ sit.

Homo Propheta luminis Naturæ. Prophetiarum differentiæ.

Art. incer. species, 4.

Artium incertarum praxis quã variæ.

Quid Medicina adepta, quid Sagax Medicus sit, quas illa species habeat, & quî hæ cognosci debeant.

SIc porrò iam de Medicinâ adeptâ vnà cum speciebus eius cognoscite, quòd Medicina talis sit, quæ ex Astris oriatur. Medicina enim duplex est. *Astralis & Elementalis.* Sunt etiam duplices morbi: alij *Firmamenti*, alij *Elementi*. Qui ergo firmamentales morbos cum ipsis debitâ Medicinâ cognouit, is Medicinam adeptam callet. Cœli námque ratio ad hominem alia est, quàm elementorum. Aliter se etiam habet in generatione morborum, aliter in eorum sanatione. Hæc scire & intelligere decet Medicum, vt morbos rectè inter se distinguere, & cuilibet generi idonea remedia adhibere possit. Quos enim cœlum parit, non tollunt elementa, sed ipsum cœlum. Firmamentum itaque cognosci fas est, ne contrariâ Medicinâ ipsi eatur obuiam. Cæterum sub hoc membro præcipuè species duæ sunt: *Physica Stellarum, & Chirurgia Stellarum.* Physicæ autem ea ratio est, vt videatis, nihil esse, quod morborum expers sit. Quoniam ergo morbis omnia affliguntur, sequitur, nec ipsa per se Astra sana esse, quoniam nobis nutrimento sunt, non minùs ac alij cibi potúsque. Ita ergo ingerimus ac concipimus, qualia sunt; & ab illis quoque taliter disponimur. Idem similiter iudicandum etiam de *Chirurgiâ Stellarum.* Vt vulnera infligunt gladij: sic Astra. Documentum cadere licet ex Apostematibus, tempore pestis. Vulnera quidem gladiorum ritu non inferunt: corpora tamen rumpunt & aperiunt pro modo & proprietate gladij cœlestis. Talibus morbis talia debentur remedia. Quam rationem si neglexeris, ægrotum perdideris. Qui remedia elementaria hoc casu applicet, inuerso ordine medicatur. Quòd si ab illis quidem quid auxilij allatum appareat, plus tamen non præstiterunt, quàm quòd Elementare corpus, quatenus id quidem infectum fuit, iuuerint. Ipsa interim morbi essentia ita sublata non est. Necessarium itaque est, firmamentalem Medicinam terrenâ nõ minùs cognosci & adhiberi. Sicut enim Medicinæ ex terrâ nascũtur: ita etiam ex Astris. Hoc inter ipsas discriminis saltem est, quòd Elementares Medicinæ cum corpore crescant, quandoquidem medicina nulla ex elementis prodit, quę non habet corpus, in quo vis & facultas lateat. Firmamentalis autem Medicinæ eadem ratio non est. Corporis námque est expers, per seipsam satis præparata & expurgata, nullo Alchimistâ ad impuri à puro separationem, aut essẽtię quin-

Medicina est duplex, vt & morbus. Med. adepta. quib.

Med. ad. Species 2. Morbis omnia subiecta. Stellæ nutrimẽ. ss hominum.

Medicina Elem. & sydea. quod discrimẽ

tæ ex elementis extractionem indigens. Medicina inquam illa est, quæ nec additionem nec decoctionem, sed tantùm administrationem & ægro factam applicationem requirit. Qui ergo morbus, ex cœlo natos, nouit ac intelligit, illisque cum physicis, tum chirurgicis remediis firmamentalibus obuiam ire potest, is *Medicus adeptus* est. Hæc Medicina Sagax est, hoc fundamentum est, Medicinam dimidiam regens. Ita enim firmamentum cum elementari corpore coniunctum est, vt infectio talis ex inuisibili in visibile transeat quidem, sed tamen visibile in inuisibile operari non possit.

Medicus adeptus.

Quid Philosophia adepta sit, quas species habeat, quibus virtutibus & facultatibus polleat.

VT, quidnam Philosophia adepta sit, sciatis, ita statuite, omnia elementaria corpora, præter id, quod ab elementis nacta sunt, vim quoque & facultatem Astralem in sese continere. Sic ergo, vbi elementare corpus est, ibidem quoque proprietas firmamentalis latet. Qui iam nouit, quidnam in elementari corpore firmamentale sit: is *Philosophus adeptus est.* Et sicut Philosophus communis naturales virtutes herbarum describit: ita Philosophus adeptus firmamentales virtutes earum describere debet. Auctores quidem virtutes huiusmodi varias passim annotàrunt, eâ tamen confusione, vt discrimen earum, quæ ad elementa aut firmamenta referri debeant, ipsos minimè intellexisse appareat. Scire autem id cumprimis refert, maximè quantum ad medicinam spectat. Quicquid enim firmamentale est, Alchimisticè non tractatur. Quod autem est elementare, id alchimicæ præparationi subiectum est. Sed & hoc scire conuenit. Quod Alchimista frangit, virtutem firmamentalem perdit. Quod si ergo firmamentalem virtutem operari deceat, dissolutio nulla instituenda est. Porrò Philosophia adepta peculiarem compositionis artem obseruat. Vt enim naturalia multa corpora componi possunt: ita componi etiam syderea Arcana queunt. Hinc illa nomina *Tyriacæ cœlestis, Mithridatum Olympi, Suffuff Æthereum, &c.* hoc est. Sicut conficiuntur terrena, ita componuntur etiam firmamentalia.

Philosophus adeptus quid.

Tyriaca cœlestis.

Sed & hoc notandum, quod virtus illa firmamentalis cultros quoque & gladios paret, quibus etiam incudes discinduntur, & quæuis metalla, vt cera cæsim penetrantur. Ars ea dicitur *Gladialis* aut *Incusiua.* Vt enim natura elementaris cultros parat, scindendis lignis idoneos: ita natura astralis parat cultros, quibus sciditur ferrum. Præterea, si per naturam claues fieri possunt, quibus seræ recluduntur: poterit etiam Philosophia adepta similes claues inuisibiles facere. Quicquid enim elementa per corpora sua efficere possunt: idem etiam astra per suam essentiam præstare queunt. Hæc est Philosophia *Auctoritatis & Portiua,* ideò, quia in elementari corpore portatur. Sic etiam vt videtis, vulnera sanari naturaliter per remedia elementaria: ita per astralia & remedia quæuis vulnera non minùs ac per elementaria curari possunt. Et hoc modo scientiæ vulnerariæ & sanariæ in firmamento intelligi debent. Sed & alia plura philosophia adepta in se continet, nempe Doctrinatam & Scientenam, &c. Quod ita intelligetis. Sicut discipulus discit ex suo præceptore: ita discere etiam potest in adeptâ Philosophiâ ex preceptoribus cœlestibus. Quod doctrinam attinet, est species doctrinata: quod spectat artem, est species Scientena. Omnia enim quæ homo ex homine discere potest, potest etiam discere ex stellis, idque multo planiore intellectu. Ita intelligi etiam debet species sapientena. Si sapientiam discere potest homo ex aliis, potest etiam ex stellis. Sic etiam scientiarum nouarum inuentio per Philolosophiam adeptam fieri debet, sicut species Inuentuata indicat, quando illæ in astris sint. Vbi enim sunt, ibi sumi debent. Ita prodeunt inuentiones, ita fundamentum se habet hominum in lumine naturæ perficiendi.

Ars Gladialis.

Philosophia Auctoritatis quid.

Doctrinata & Scientena quid.

Species inuentuata.

Quid Mathematica, & quid Mathematicus sit, quæ vtriusque species, natura & proprietas sit.

OCto iam descripta membra instrumentaliter debent confici. Sine instrumentis enim talia non fiunt. Ars autem quæ huiusmodi instrumenta conficere docet, Mathematica vocatur. Sic ergo Mathematica est *Magica, Nigromantica, Nectromantica Astrologia, Signata, Artium incertarum, medicina adepta, Philosophia adepta.* Et sicut opificium quodlibet per instrumenta suum opus facit: ita per sua etiam instrumenta, membra octo in effectum suum deducuntur.

Mathematica instrumentorum præparatrix.

Iam verò primùm in Mathematicâ tres species sunt, per quas instrumenta præparantur, nimirum *Geometria,* & huius sex species. Vna quæ terram tantùm mensurat, eámque in instrumentum reducere docet. Altera *Geometria firmamenti,* quæ firmamentum in aliud corpus effigiare docet. Vt pictor rem depingit coloribus: ita hic illa ad instrumentum reducitur. Sic, quod planum, rectum, obliquum, cauum, propinquum, remotum, &c. est: id vniuersum docet & inuenit *Mathematica Geometria.* Idem intelligi etiam debet de *Cosmographiâ,* quæ & ipsa peculiares duas in se species habet, *Firmamentalem, & Elementalem.* Per has, species inuenitur, quod & quale quodlibet sit. Ita cognoscenda est etiam Cosmographia elementorum & astrorum, quale nimirum & quidnam quoduis sit. Si quis enim herbam videt, quomodo formata sit, aspicit; isque aspectus ipsi pro instrumento est, quo vtitur ad cognoscendum id, cuius forma est. Non solùm enim instrumenta illa sunt, per quæ aliquid conficitur: sed instrumenta etiam illa sunt, quæ facta sunt. Talis est etiam Cosmographia Concordiæ, quæ vtramque Cosmographiam concordare docet, nempe quamlibet herbam ad suum astrum, & quodlibet astrum ad suam herbam. Præter hanc alia etiam est Cosmographia peregrina, docens cognoscere mobilia. Ita Mathematicus Cosmographiæ cognoscitur. Præterea huc etiam accensetur *Mathematica Algorithmi,* non saltem vt coputentur *Forma, Corpora, Figura,* sed vt species artis Archimeticæ vsurpentur in omnibus suis viribus, in numero, in lineâ, in mensurâ, in vtrâque Cosmographia & Geometriâ. Adde vt Mathematica circuli intelligatur cum omnibus suis speciebus, ex circulo nascentibus.

Mathematicæ tres species.

Instrumenta quid.

Cosmogr. Concordiæ.

Cosmogr. peregrina.

Mathematicus Algorithmi.

Pro

Pro his noscendum est, Mathematicam vniuersalem primum initium esse cæterorum octo membrorum. Quoque exquisitiùs Mathematica vniuersalis intelligitur, eò efficaciora sunt membra cætera.

Scitote itaque nouem membra, à me hactenus, quidnam & ipsamet, & ipsorum species sint, descripta, satis declarata esse. Sunt nouem membra, nouem artes, nouem scientiæ, quæ extra elementarem operationem perficiuntur, æquè *Naturales, ac Elementares* scientiæ. Et sicut artifex opus suum materialiter perficit, sic eadem quoque fieri possunt spiritualiter. Et sicut ars fabrorum aliorúmque opificum, ars naturalis est, & naturaliter fit ac intelligitur: ita naturaliter etiam membra, Astronomiæ perfici possunt. Et velut dicitur, hominem esse corpus naturale, ita quoque sunt spiritus naturales. Et quod caro ac sanguis facit, facit naturaliter: sic quod facit spiritus, facit & ipse naturaliter. Quodlibet corpus, prout creatum est, ita opus suum perficit. Sic alia operatio in carne & sanguine, alia in spiritu. Quod caro & sanguis facit, naturale est. Quod spiritus facit, naturale & ipsum est. Quod faciunt elementa, naturale est. Quod faciunt astra, naturale & ipsum est. Elementa operantur vt elementa, firmamentum vt firmamentum. Qui in elementis peritus & instructus est, philosophatur elementaliter. Qui in firmamento eruditus est, firmamentaliter philosophatur.

Ita completæ sunt declarationes nouem scientiarum Astronomiæ. Sequitur deinceps de operationibus, quos cœlum ipsum sine additâ hominis scientiâ, perficit.

CAP. V.

Quomodo cœlestia astra membra nonnulla habeant, in quibus ipsa sola sunt Astronomus, operatio, effectus.

IAm notate porrò, quomodo nouem membra Astronomiæ descripta sint, vt intelligatis illa artes esse. Per artem enim seu scientiam membrum quodlibet compleri seu perfici debet: nec sine scientia esse possunt illa membra. Quicquid autem cum scientiâ fieri oportet, per hominem fieri necesse est. Ita Magica scientia humana erit, & Nigromãtia, & cæteræ omnes. Sed & adhuc decem membra sunt in Astronomiâ. Non autem sunt artes humanæ sed artes æthereæ, hoc est, cœlum ipsum est Astronomus: est is, qui ipse facit & perficit, ac complet opus sine ope humanâ. Opere perfecto, videt homo, quid cœlum ex seipso fecerit. Huiusmodi membra cum suis speciebus cognosci, fas est: mihique commodum visum est, illâ peculiari figurâ adumbrare, vt intelligatur, quidnam scientiæ humanæ sint in Astronomiâ, & quid sint scientiæ æthereæ, quæ ex cœlo. Præterea vt ex præcedentibus figuris intelligatur facultas: per sequentem autem facultas cœli. Et sicut membra decem sunt in ætherea scientiâ: ita in figurâ proponetur, quot species membrum quodlibet habeat. Post declarationes intelligetur, quidnam membra ætherea sint & possint, vbi addentur species cum suâ explicatione. Hoc modo astronomia, quantum ad ipsius notitiam satis nobis detecta fuerit vnà cum probationibus quæ post sequuntur.

Figura scientiarum Astronomiæ, quomodo cœlum ipsum eas perficiat.



Hactenus membra & species scientiarum Astronomiæ sic satis descripta sunt & proposita.

Sequitur

Sequitur illorum declaratio, vt plenius intelligatur, quid membrum quodlibet,& species sit, & quid natura Astronomiæ per seipsam possit.

Quid sit Diuinatio & eius species.

CVm nihil adeò abstrusum sit, quod non cognoscatur: abstrusissimum est, quod futurum est. Futurorum ergo cognitio modis duobus fit. Vno, per artem naturalem, vt prognostications, & Iudicia Astronomiæ. Altero, per supernaturalem artem, quæ supernaturaliter etiam ad nos pertingit, vt per prophetias & vaticinia. Pro describendo supernaturali aduentu, Membrum est Diuinatio, quæ arcana futura prænunciat. Huius origo ex illo est, qui futura ea immissurus est, is vaticinia & indicia præmittit, sex modis: *somno, phantasiâ speculatione, Animo, sensu, voce.*

Diuinatio quid.

Diuinationis species.

Vt diuinationes eò faciliùs intelligatis, quædam vobis exempla proponam. Primò diuinationes mirabiliter apparent, sed plerumque contemnuntur. Sic *Iosepho* in somno apparuit qualis Maria esset & à quo imprægnata. Quoniam vero somnia plerumque negliguntur, Reuelationi fides non datur, quæ nihil est aliud quàm diuinatio. Sic multa per insomnia diuinãtur, quæ tamen negliguntur, donec euenerint. Similiter & per phantasiam, hoc est, per picturas & imagines futura reuelantur. Ita variæ interdum figuræ in cœlo visuntur, similes quandoque spiritibus. Huiusmodi omnia sunt species diuinationis. Quę cum ignorentur, vnde oriantur, contemnuntur, &, quæ significant, ridentur. Sic picturæ nonnunquam alicui obueniunt, qui ignorat, quid significent, donec factum sit. Eadem & speculationis ratio est, qua apud se speculatur aliquis, quis futurus sit exitus: Vbi speculatio quidem rei euentum sæpiùs offert: sed quia fundamentum certius non adest, speculationi non creditur. Ita multis præsagit animus, hunc futurum euentum esse. Et sic fit etiam. Sic sæpè aliquis hoc prædicit, quod postea euenit. Quia tamen fundamentũ euidentius non adest, prophetia & diuinatio contemnitur, maximè si à simplicioribus & vilioribus hominibus fiat. Quòd si verò euentus responderit: iam omnes dicunt, euentum hunc se iam dudum diuinâsse. Sic ergo diuinatio opus est supernum, naturam excedens, per sex dictas species factum, vt per quas omnia abundè significentur, saltem, vt rata habeantur, nec contemnantur. Nec enim sapientis est illa contemnere, sed prudenter expendere & euoluere.

Iosepho &c.

Diuinationes cur contemnantur.

Quid Augurium sit, & species eius significent.

Augurium quid.

SImiliter & de Auguriis sciendum est, quòd supernaturaliter fiant: súntque pręsagia rerum futurarum, ea significantia, quæ naturalis scientia nulla potest. Sed nec humanæ scientiæ artésque huiusmodi secreta reuelare queunt. Cùm verò nihil obscurum maneat, sed omnia reuelentur: sequitur, huiusmodi reuelationes modis aliis fieri debere, vt, si euentus instet, præsagium iam præterierit, idque iam intelligatur, quod præsagium prædixerit. Species autem sex sunt, quibus Augurium omne compreheditur. Quæ licèt non admodũ splendidæ, sed contemptibiles appareant; sapiens tamen eas minimè aspernabitur, sed apud se cogitabit, propter humilitatem, ipsum quoque Christum contemptum & despectum fuisse. Scit sapiens, humilia non despici, sed prudenter iudicari debere. Talibus enim donum datum est cognoscendi Christum; Et intellectus contemptoribus nullus datur; sed solis sapientibus, qui ex Deo sunt. Ita summus motor per virtutes cœlestes Auguralia præsagia intelligit, non secus ac per aues, quæ singularia indicia promunt, ex quibus sapiens facilè intelligit, signa illa pertinere ad homines. Ita sæpiùs præsagiuntur *pestes, bella, cædes, mors, &c.* Sic etiam in brutis interdum aliquid præter ipsorum naturam & proprietatem euenit, quod præsagium est de hominibus. Auguria fiunt etiam ex piscibus Aquæ, quæ Auguria post factum cognoscuntur fuisse præsagia. Sumuntur & à vermibus, dum dicimus, nos tales vitæ nostræ curriculo non vidisse, non de illis audiuisse. Itaque præsagia illa à vermibus nobis proponuntur. Eodem modo figuræ etiam in lignis & lapidibus aut corporibus aliis, contra ipsorum naturam & proprietatem reperiuntur. Id præsagio est, homini aliquid euenturum esse. Gignuntur interdum etiam monstra, ex auibus brutis, piscibus, vermibus, aut hominibus, quæ homini stuporem & admirationem afferunt. Quæ omnia præsagia sunt iræ in hominem incubituræ. Et hâc ratione Auguria, homini venturam iram prænuntiantia, intelligi debent.

Auguriij species.

Humilia non contemnenda.

Auguria vnde sumuntur.

Quid sit Ebriecatum, & quæ eius species.

Ebriecatũ quid.

DE tertio membro & eius speciebus ita statuite, in genere *Ebriecatum* esse id, quo homo humanâ sapientiâ elapsus, in sapientiam alienam diuertit. Sapientia námque duplex est: *Humana & Aliena.* Humana est illa, quam Deus homini dat, vt per illam ceu homo viuat, & omnia cognoscat, trutinet, intelligat. Hâc sapientiâ quemlibet hominem Deus donauit, vt, quæ audit, quæ videt, per illam indicet & æstimet. Ita per hanc penitè cognoscet, quid res quælibet per se sit. Sapientia autem aliena est, quando homo suâ sapientiâ excedens, alienam adsciscit, & secundum illam omnia iudicat, quæ audit, quæ videt. Per hanc ille sapientiam ad veritatem penetrare non potest perfectam, sed more arundinis in vndâ fluctuat. Est enim hæc sapientia spiritus vertiginosus, qui infatuat omnem humanum sensum. Discrimen vtriusque sapientiæ allato exemplo explicabimus. Pone, hominem quendam viuere humano more, sapienter, inculpatè. Iam si accidat, vt is vino inebrietur, aliena sapientia surgit, humana decumbit. Quicquid ebrius iste facit, humanam sapientiam non resipit, sed vniuersùm alienam, isque nihil est, nisi fatuus, impudens, crassus rusticus, nihil depudescens, nihil expendens, nihil ex modo & ratione agens, sed summa imis permiscens.

Sapiẽtia duplex. Humana quid.

Aliena quid.

Porrò sub hoc membro species quinque sunt, quæ omnes homini sapientiam alienam infligunt, sicut vinum infert cerebro. Nam & in supernis vina sunt. De quibus qui bibit, in sapientiam alienam & fanaticam incidit, & de rebus vel visis vel auditis ebrij more iudicium fert. Species vna vocatur *Ebriecata Mania,* aut *Inebriata Mania.* Hi cristas sibi sumunt ex scripturis, secundum alienam sapientiam omnia

Ebriecati species.

omnia interpretantes, & ineptè contorquentes. Sic etiam est *Inebriata Phrenesis*, eorum, qui gladio & armis omnia obtinere cupiunt, humanæ rationis, quę talia prohibet, obliti. Species etiam vna dicitur, *Inebriata phantasmata*, quæ variarum gesticulationum plena est. Vt enim ea aliena sapientia est, sic etiam mores gestúsque ij alienos habent. Species quoque est *Inebriata Imaginatio* vocata. His ludicra multa incidunt, non secus ac homini ebrio varia obuersantur, dum putat sibi loqui parietes, secum in orbem agi spondas, adeóque seipsum non nouit. Quinta species est *Immutatio*. Per hanc in homine immutatur corpus, anima, sensus & ratio; & ipsi amicis simul & inimicis conuitia faciunt, & suam tantum sapientiam authenticam habent. Vt enim, si centum congregati sint ebrij, nemo alteri similis est, sed moribus & animis vniuersi dissentiunt, & vnum idémque argumentum aliter pro suo cerebro torquent: ita se gerunt etiam ij, qui ex musto firmamentali Inebriecati sunt. Itaque mores eosdem nō seruant, sed vniuersi inter se dissentiunt, suúsque cuiuis mos optimus videtur. Vnde fit, vt ad solidam sapientiam nunquam penetrent.

Quid Inclinatum sit & quæ eius species.

PORrò pro membri quarti explicatione noscendum est, quod Astrum interdum ipsum regat hominem, & suum arbitrium disponat. Rem ita intellige. Astrum nonnunquam opus aliquod adornat, idque per hominem manifestare vult. Si verò nemo adsit, qui cum Astro illo in coniunctione versetur; tunc Astrum sibi quendam ceu filium adoptiuum adsciscit, cui pater ex iure nihil debuit, & quicquid ei præstat, ex nullo sanguinis aut cognationis iure præstat. Sic & Astrum sibi filium adoptiuum quærit, per quem operetur, tanquam per filium verum. Hęc inclinatio sex modis perficitur. Primo, in personâ, hoc est, in carne & sanguine, ita, vt singulariter gratam sibi personam faciat, quæ præ aliis omnibus hominibus laudabilior & amabilior sit. Præterea, mentem seu animum homininis persæpè ita euariat, vt ille reliquorum omnium onimos superet. Sic enim filius adoptiuus fuit *Salomon*, quantum ad personam. Sic, quoad animum, filius adoptiuus fuit *Iulius Cæsar*. Similiter etiam inclinationes sunt, quæ spiritum extollunt, adeò, vt spiritus ille reliquos omnes superet fortunâ, consiliis & omnibus aliis, quæ ad spiritum eiusmodi spectant. Hoc modo filius adoptiuus fuit *Cæsar Barbarossa, Sueuus*. De inclinationis specie quarta sciendum est, quod Astrum nonnunquam doctrinam præparat, per hominem manifestandum. Tunc enim eligit, qer quem illam compleat. Hoc pacto in doctrina filius adoptiuus fuit, *Albertus Magnus, Lactantius, Wickleffus*, & alij plures. Similiter Astrum quoque peculiarem scientiam, aut dexteritatem in negotiando præparat. Si enim legitimum non habeat filium, quendam sibi eligit. Hac ratione filius adoptiuus fuit *Albertus Durerus Norimbergensis*: & in mercaturâ *Fuckerus Augustanus*. Ad speciem sextam pertinet, quando Astrum industriam aliquam gignit, quæ cæteris omnibus excellentior est. Huius generis sunt filij adoptiui illi, qui per extentos funes ire possunt. Dicto ergo modo Membrum quartum intelligendum est, cum suis speciebus, quomodo nempè cursus cœlestes mirabiliter in suis filiis adoptiuis operentur, quod est Inclinatio.

Inclinationis Astrorū sex modi. Salomō. &c. Iulius Cæsar &c. Barbarossa. Albert. Lactant. VVickeeff. Albertus Durer. Fucker.

Quid Impreßio sit, & quæ eius species.

AD cognoscendam Impressionis proprietatem sciendum est, eam esse vim & facultatem ex Astris emanantem, & pro solo corpore elemementari facientem, ita, vt nihil cognationis cum corpore Astrali habeat. Cognata autem illa est Elementato corpori, sicut color corpori. Sicut enim color & corpus diuidi non possunt: ita nec Impressio & Elementatum corpus dirimi possunt. Cæterum de Impressione ea conditio intelligenda est, quòd Impressio cum conceptione simul fiat, & vsque ad partum crescat; postea manet (vt ita loquar) incorporata. Porrò sicut color extrinsecus est, & pro tempore consumitur vel mutatur, (color enim niger, rubeus, aut flauus capillorum mutatur in canum vel album) sic etiam de Impressione tenendum est, quòd vnà cum homine concipiatur & gignatur, atque cum suis speciebus Elementato corpori similiter consenescat, & cum ipso mutetur. Iam verò Impressio Elementati corporis est spiraculum vitæ. In spiraculo autem vitæ Elementati corporis Essentia ac proprietas latet. Porrò, etsi quidem dixerim, Impressionem, ex Astris esse, ipsa tamen pro Medio saltem habenda sunt, per quod Medium vitæ spiraculum Elementato corpori essentialiter attribuitur. Sicut homo est Medium, faciens id, qualis est, per illum, cuius est: ita idem hic quoque intelligi debet. Corpus Elementatum vitam in se nullam habet, sine spiraculo vitæ. Duo autem sunt, qui spiraculum vitæ iuspirant, nimirum *Deus*, vt à quo vitam homo habet, cum cæteris vitę attributis. Præter hunc alius quoque Inspirator est, inspirans Spiraculum vitæ cum suis attributis. De duplici hâc Inspiratione ita statuite. Res eadem omnino est, qualis inter Deum & Medicum. Iam tu diuina, quisnam ægrotum sanet? Nimirum Deus, non homo. Homo autem consequentiam impetrat. Eodem pacto & hîc, quisnam verum spiraculum vitæ tribuit? Solus nempe Deus. Iam verò alius adest, auferens laudem: Et in hunc intenditur. Notate ergo, Impressionem nihil esse aliud, quàm Inspirationem fixam, quæ sub conceptionem & generationem concipiatur. Ex hâc Impressione sequitur Sanitas vel Morbus, corporales mores & ritus, corporalia opera, corporalis sapientia & prudentia: nec de Astro plus habet, quàm quis requirit aëris, si loqui cupit. Sic ergo Elementale corpus ab Impressione viuificatur, vnà cum morte, & quæ vitæ adhærent.

Impress. [illegible]

Quid Generatio sit, & quæ eius species.

Generatio quid.

MEmbrum *Generatio*, quatuor sub se species continet, secundum quatuor Elemētorum numerum. Generatio autem non est nisi

nisi communicatio, quam Astrum homini attribuit. Sic Sol Elemẽtis communicat calorem, quę sine Sole omnia mortua essent: Estque Sol Spiraculum vitę Elementorum, omnia ea, quæ in 4. Elementis sunt, viuificans. Homo & spiraculum vitæ hominem faciunt. Hoc est Microcosmus: & ipsius spiraculum vitæ est conditor rerum. [Element. & Firm. omnia gignunt.] Iam Elementa sunt Matrices; & Firmamentum parentes. Hæc duo gignunt vniuersos fructus, ex Elementis nascentes, estque Sol ipsorum spiraculum vitæ, hoc est, Sol est spiraculum rerum Naturæ. Sic ergo de Generatione iudicandum est, quòd Elementa generare nihil possint sine Astro. Matrices enim sunt Elementa. Vulcanus est Sol. Natura est Fabricator. Et cum semina quidem in matrice iaceant; non in Genitore: ouum spectate gallinæ. Id à Gallinâ non Gallo est. Si autem debet generare pullum: per gallum id fieri oportet. Pari ratione & Matrices semen habent: „ effectus autem est ab Astro, & digestio à Sole, „ qui omnium Elementorum fructus excludit, sicut gallina sua oua. Sic ergo de generatione dicendum est, quòd ex Elemento Aquę, [AQVÆ.] *omnia Mineralia, Salia, Metalla, Gemmæ, Lapides, Petræ, &c.* gignantur seu oriantur. Horum omnium Aqua mater est. Sol autem ea omnia in aqua excludit. Similiter & de Elemento Ignis [IGNIS.] sciendum est, quòd & huius fructus à Sole excoquantur & excludantur. Fructus autem Elementi Ignis sunt omnes Meteoricæ impressiones, *pluuia, nix, ventus, tonitru, & grando, &c.* Eodem modo & fructus terræ, [TERRÆ.] *Ligna, herba, gramina, fungi, flores, &c.* Omnia inquam hæc à Sole excluduntur, & ab Astro terrâque gignuntur, vnà cum cohærentibus nutrimentis, quæ ex Elementis aliis attrahunt. Sic etiam fructus Aëris [AERIS.] eodem modo gignuntur & excluduntur, vt sint species Tereniabin & Mannæ. Ita iam constat, quid generatio sit, velut sextum membrum Astrorum, quod Astrum ipsum in Elementis sine ope & auxilio humano perficit.

Quid Inanimatum sit, & quæ eius species.

[Inanimatum quid.] HVius membri comprehensio cæteris aliquanto difficilior est. Sciendum itaque primò est, quid inanimatum sit. Est autem homo, in quo nulla anima reperitur. Hominum huiusmodi genera sex sunt. Quanquàm præter hæc adhuc vnum sit, quod in hoc paragrapho recensebitur: de quo cuiuis, quod lubet, iudicare licet. [Homines inanimati sunt 6] Cæterùm ex sex inanimatis hi sunt: *Nymphæ, Gigantes, Lemures, Gnomi, Vulcani, Vmbragines.* Sicut enim nos homines in terra versamur, sed tamen animâ præditi: ita homines etiam, sed animæ expertes in quatuor Elementis habitant, quib. accedunt etiam *Gigantes & Vmbragines.* Quâque ratione nos homines ambulamus super terrâ, non in terra, super aquâ, non in aqua, extra ignem, non in igne, extra aërem quadantenus, non in aëre; ita effigiati etiam sunt homines in Elementis, qui in ipsis Elementis, & non extra ipsa habitant, ceu Phœnix in igne, Talpa in terra, &c. Quod nemini mirum aut incredibile videri debet. Res enim ipsa docebit, hęc ita sese habere. Gigantes autem ac Vmbragines hominum ritu habitant. De generationibus autem ipsorum sciendum est, quòd nascantur per cœlestia & Elementaria spermata, sine Limo Terræo. Præterea creaturæ non sunt, sed vt Scarabæi ex stercore equino nascuntur. [Vnde generati sint.] Quod autem de septimo genere dixi: nemo certè id ex Limo Terræ esse, demonstrare poterit. Licèt enim homines quidem esse noscantur: anima tamen in Quintum tantùm Esse infusa est, quod penes potestatem Dei fuit, vt nouiter inuentos in Insulis huiusmodi homines ex sanguine Adæ descendere minimè consentaneum sit, quod tamen fusius in hac declaratione probare mei instituti non est. Cæterùm de Animatis & ipsorum speciebus, quæ sint, hactenus satis dictum est. Reliqua alibi explicabuntur.

Quid Meteorica sit, & quæ illius species.

HOc Astrorum Membrum est *Meteorica,* & propriè appellatur *Meteorica sagax,* nõ Meteorica minor. [Meteorica Sagax quid, & quæ in ipsa generetur.] Membrum hoc multas sub se species comprehendit, & idem nomen, vt Meteorica minor, retinet. Vt autem discrimen harum rectè teneatis, notate, Minoris Meteoricæ mentionem fieri in membro generationis, in hac autem Meteoricâ Sagace velut pluuiæ nascuntur in superno olympo. Pluuiæ illæ ad nos non descendunt instar pluuiæ, sed instar Chai aut vaporis. Similiter & ros illo loco generatur, &c. super nos tamen non effunduntur cum substantiâ, quia sunt spirituales, non corporales. Generant etiam tonitru ac fulmen, quæ tamen terram nostram non feriunt. Deorsum quidem iactantur: sed propter distantiam terram attingere non possunt. Postea parte alterâ decidunt super globum. Ita lapides & similia alia reperiuntur. Similiter etiam Sagax Meteorica generat *Sanguinem, metalla, & alia:* generat etiam *Dracones, Halones, Apparitiones, Similitudines, Figuras, &c.* quæ omnia deorsum ad Media interstitia descendunt. Hæc interdum per Meteorica minora destruuntur, consumuntur, & difflantur. In hac Sagaci Meteoricâ est *Tinctura Metallorum, Gemmarum, & colorum aliorum.* Ex hoc Olympo emergunt *colores.* In hoc olympo *Vulcanus Meteoricus* considet, qui genitor est omnium *Tincturarum & colorum &c.* Ex hâc Sagaci Meteoricâ procedit coniunctio Tincturæ, in corpora Elementata. In hac Meteorica generantur etiam pluuiæ in mediis interstitiis, per coctionem, vbi spiritus coagulat omnia corpora metallorum, gemmarum, & lapidum aliorum. Ex hoc spiritu procedunt radij congelationis. Per hos radios congelatur *Aqua, & Terra* Et creatum hoc est simile Soli, resoluenti id, quod hoc congelauit. Et quicquid Sol in exaltatione suâ congelare potest. Ex hoc Sagacis Meteoricæ olympo æstas ac Hyems ortum suum sumunt. Talis nimirum est Meteorica, octauum membrum scientiarum syderis constituens.

Quid sit Membrum ægrorum, vna cum speciebus.

INficias autem ire nemo potest, quin cœlum multis modis operetur, sicut in figura scientiæ syderis annotatum est. Sed vt vnum per alterum probetur, exemplum notate, vt hoc

membrum eò faciliùs intelligatis. In lignum intempestiuè cæsum potens ac efficax Cœlum est, ita, vt operationes suas in illo exerat adeò exquisitè, vt Aspectus omnes & coniunctiones, &c. non minùs ac in horologiis certò deprehendantur. Similiter & lutum, sub eâdem cõstellatione effossum gignit gryllos, eiusdem constellationis perpetuò indices. Ad Lunæ námque modum sese illi gerunt. Hinc patet, quidnam Membrum Ægrorum sit. Est nimirum (vt exempla docent) præsagium tempestatis, sicut scire Astrologorum est: hoc est. Si homo sub potentiâ illâ cœlesti æger factus est, is potestatem illam habet futura prædicendi: Tantò autem plus Gryllis in luto, aut vermibus in caseo aut ligno indicij dare potest, quantò magis sermone vtitur, & rem ipsam distinctè indicare potest. Et isti sunt Prophetæ natiui per suos morbos. Species autem prædictionis sunt, quo modo se tempestas habeat, an calidæ vel frigidæ naturæ sit, an grauis aut tolerabilis futura sit, an breuior vel diuturnior futura sit, quando Luna noua vel vetus futura sit, & similia. Id natura ipsa Astronomicè docet per corpora Elementata. Sic pariter etiam nôrunt venturos ventos, mutationem tempestatis, serenitatem, &c. Et hoc est nonum membrum scientiæ Astrorum. Morbis enim, & corporibus omnibus, destructioni sub cœlo obnoxiis, vaticinium connatum est.

Grylli ex luto.

Quid Noualia sint, cum suis speciebus.

Procreationis vis omnibus indita.

RES à Deo quælibet eo ordinè & conditione creata est, siue ea sensilis, siue insensilis sit, vt vna aliam gigneret ac propagaret, ac Deo placuit, vt omnia bona essent. Is tamẽ ordo deindè peruersus est, ita, vt multa nascerentur monstra, quæ naturæ illam rationem excederent. Quæ tamen hoc loco enarro ideò, vt aliquid inde vaticinemur. (Sunt enim tantùm *Errata Naturæ*,) Sed vt sciatur, illorum causam esse Naturam Astralem. Exemplum. Natura ipsa stultum non gignit: cum nec ordinem nec donum id à Deo sibi datum habeat? sed error incidens Naturæ illum ordinem violauit & infregit. In exemplo res videatur. Ponantur viri centum, quorum quilibet imaginem faciat. Ex illis vniuersis factis nulla alteri similis est. Qui artis peritus est, veram imaginem facit. Cæteri nonaginta nouem nihil boni faciunt. Similiter & Natura artem habet, vel hominis, vel cuiuslibet rei crescentis fingendæ. Et cùm multi ad faciendum hominem concurrant; fit, vt quilibet aliud faciendo, opus perdat. Idem autem hîc euenit, quod fit, si ingens numerus hominum in conclaue ad deliberandum & consultandum conueniat. Quilibet enim horum consilium suum ratum esse vult. Consultando ergo eò peruenitur, vt sententia tandem seu iudicium feratur, quod simile sit stulto, strumis vndiquaque pleno. Eadem Astrorum quoque Natura est, vt non perpetuò sibi inuicem consentiant. Vnde opus emergit mixtum in sensu & corpore, nec in homine tantùm, sed & in pennatis, & pecoribus, in piscibus, in herbis, in arboribus, &c. nascuntur Monstra, contra institutum à naturâ ordinem, figurámve ac formam. Scire autem debet Naturalis, plerunque cum formâ Monstrosâ, monstrosos etiam esse sensus, vt in stultis, in visco, &c. Et vbi huiusmodi monstrosa in rebus Naturæ corpora sunt: ibidem Monstrosa quoque sunt remedia, nunquam nisi in corpore perfecto vsurpanda. Imperfecta námque corpora dant imperfecta medicamina & vires stultas. Itaque membrum scientiæ Astrorum decimum vocatur *Noualia*, nihil nisi operationes cœlestes comprehendens, & corpora Elementata in suam figuram transuersam & contrariam transponens.

Noualia quid sint.

Consultum ergo mihi visum est, hunc hactenus ordinem institui & seruari, vt sententia nostra de principiis Astronomiæ clariùs panderetur. Etsi verò ad probationem allatum nihil dum sit: nihilominus tamen, vt probationes deinceps eò faciliùs & rectiùs intelligantur, opus dictum aggredi & perficere placuit, cùm paucos esse, qui hæc sciant, arbitrer. Ne autem errorum fluctibus agi viderer, discursum hunc institui, vt intelligeretur, quàm admirabilis in suo lumine Natura sit, & quanta miracula operatus sit Deus per dona lumini Naturæ inserta, hoc negotium facessens homini super terrâ hâc degenti, vt mortale corpus in isto Naturæ lumine exerceat, cognoscátque, quæ stupendo modo in Natura recondita lateant. Et huius quidem instituti hominem me non deceat, simul de illis quoque scribere, qui peruertendo artem, meras tenebras illi offuderunt? Id quidem quo fecerint consilio, detegere possim haud difficulter, nisi otio meo consulerem. Lupum enim si vel leui clamore proderem, reprimendi mea opera illis ansam illicò adderem. Quod periculum vt iam euitem, missis illis, hoc loco saltem naturaliter loquor. Scriptum autem hoc meum mecum redit in id, ex quo vtrique prodiimus. Memoria ac opus manet, ac in resurrectione nos sequetur. Meritò ergo in Astronomia pergo, & instituto discursu, species hactenus explicari cœptas, compleo. De quo verò dissero, præcipuum hoc est, quibusnam ex causis Astronomiam adeò necessariam arbitrer? Nimirum, quia Deus hominem ex materiâ aliquâ, (non ex Nihilo,) quæ rerum omnium Essentia Quinta est, produxit. Vnde elicitur, ex quatuor Essentiis Influxum quendam & proprietatem fieri in Esse Quintum, etiam extra id, quod imaginem Dei concernit. Et vt solidè doceam, Intellectum hominis ex cœlo manare: velim vos ad sequens exemplum intentos esse. Videtis nimirùm, corpus per seipsum nihil esse, nec citra mundum exteriorem, vel vnico momento durare aut viuere posse. Quicquid ipsum sustentat, in mundo externo positum est. Et quicquid mundus externus profert, id vniuersum gratiâ hominis producit. Sicut ergo hominem à mundo externo quoad Elementatum corpus, sustentari, &, quicquid ipsi opus est, indè depromi oportet: ita vicissim necesse est, Intellectum à mundo externo in hominem penetrare. Et veluti cibus corpus nutrit illi carnem & sanguinem dat, & ad satietatem ipsum reficit: ita mundus quoque externus homini omnem Intellectum, scientiam, sapientiam & industriam

Naturæ lumen quæ admirabile.

Homo ex materia aliqua factus.

Intell. hom. ex cœlo.

Mundus vniuers. est gratia hominis.

stria confert, quæ non ex peculiari dono proficiscitur Dei, sed ex Lumine Naturæ, quod dedit Deus, vt rationẽ brutalẽ à creatis acciperemus, in eo, ex quo conditi sumus, ne potiores simus parente nostro, qui maior est mundus, ex quo carnem, sanguinem & intellectum accipimus. Sicut pyrũ decerpimus ex arbore, & ipsũ edimus ita similiter scientiam & sapientiam Naturæ accipimus. Et hæc causa est, cur fundamentum hoc mordicus teneam. Nam & Christus testatur, regeneratos ex Christo cibari oportere, & sapientiam suam desumere ex eo, qui illam nobis misit. Cur autem carne & sanguine Christi vti debeamus, hæc causa est, quia nimirùm ex ipso nati sumus. Et ipse est primogenitus, nos autem sequentes numerum complemus. Sicut ergo ex Solo ipso, non ex alio quoque nouus cibus ac potus, noua doctrina & via ad salutem procedit: ita ab externo quoque mundo, vt diximus, mortale corpus secundum carnem & sanguinem & naturæ lumen ali ac nutriri oportet. Sic enim viuit quodlibet ex eo, ex quo est. Nemini ergo inconueniens id esse credatur, quod, sicut corpus Elementatum proprietatem suam erga macrocosmum exerit, non minùs etiam Sydereum corpus idem faciat. Quod si quis instare velit, arguendo, nullum in Astris intellectum esse, sed huncab Imagine proficisci: Largiri equidem possim, sapientiam hominis illam quæ vitam æternam respicit, dicto modo emergere. Interim tamen natura animalis, quâ hominis intellect⁹ iudicatur, ex ipsâ Naturâ erit. Natura autem habet id ex Deo. Sapientia námq; Naturæ, cum suis scientiis omnib. creatura Dei est: Sicut enim corporea vniuersa creatura Dei sunt: ita homo quoque secundum sapientiam suam non minùs creatura est, quàm secundum corpus. Creatum autem omne prædestinatum est. Hinc sequitur, corpus & sensus creatum esse quoddam ex magno mundo, ex quo nimirùm homo, creatura vltima, factus est. Sicut autem filius patrem suum negare non potest, sed quicquid habet, ab ipso habet: ita nec nos magnum negare mundum possumus. Quòd si cui absurdum videatur per patrem, quid in filio sit, cognosci debere: id hoc modo demonstraturus sum. Qualis materia, tale opus. Hinc iam sequitur, virtutes externas homini sperma subdere. Illæ quales sunt, tale etiam sperma. Iam præstare potest Ars, vt materia illa, ex quâ opus fit, Astronomo plenè cognita sit, hoc est, vt sciat materiam & quicquid substantiæ ac intellectus in ipsa est. Hoc enim non aliud, sequi ac imitari debet, nisi quod spiritus imaginis aliquid interdum subtrahat, & naturam frangat, eámque pro suo nutu torqueat & moderetur. Loquor autem saltem de hominis natura animali; quæ ab aliâ natura animali (bestiali) differt, diuinâ sapientiâ, diuinis sciẽtiis dotata. Ideo iure Dij vocamur. & filij altissimi. In nobis enim viget Lumen naturæ, quod Lumen Deus est. Vnde etiam consequitur, nos diuinam sapientiam in corpore mortali gestare. Quin etiam scientias, quæ solius Dei sunt, in viribus nostris reconditas habemus, datas nobis pro constitutione horæ conceptionis, quæ conceptio in ipso momento semen generat in corpore, in intellectu, in ratione, in scientiis. In hoc enim me confirmat dictum Christi, dicentis: *Ad hoc natus sum.* Eodem modo quiuis etiam homo nascitur ad id, quod Momentum præsens dedit, quódque omnino perfici necesse est.

Christi cibatio. *Sapientia Naturæ creatum Dei.* *Homines Dij & filij altissimi.*

Notandum ergo est, Christum ipsum, ad quod natus erat, perfecisse, & perfectionem hanc omnem prædictam esse per prophetas, nec quicquam, quod prædictum fuerat, perficiendum restitisse. Quod quidem si verum est de Christo, cur non etiam Prophetis naturalibus vis ac potestas data sit scribendi & prophetandi de operibus eius, qui ex Massâ constituitur? Si Christus minimè latuit, sed multis ante natiuitatem sæculis aduentum suum & miracula prodidit: quomodo quæso, quod minus est, occultari potest ita, vt non manifestetur? Nemini ergo sermo iste admirationi sit, quo dicunt homines: Ecquis nam præscire potest, quæ futura sunt? Nihil enim scit homo: Deus autem omnia. Quia vero Deus Artem seu scientiam creauit: hinc fit, vt & Deus sciat, & sciat ars à Deo condita. Quis Propretas docuit loqui? Solus Deus. Iam si ex Deo illa manant: quomodo impossibile sit arti, quod potest Deus? Hoc saltem operam demus, vt ars in nobis perfecta sit. Quod si fiat, quidnam impossibile nobis esse possit, cùm & ab ipso Christo, iubeamur instar Patris cœlestis perfecti esse? Si ita nos perfectos esse oportet, ad perfectionem hanc penetrare vtique non possumus, nisi per id, quod Deus nobis largitur. Sic enim attestante Christo, similes erimus in veritate & iustitiâ. Sic nulla nos scientia aut fallit aut seducit. Scientia enim perfecta creata est. Ea perfecta à nobis discenda est. Nam & ipse Deus perfectus est. Inaniter autem quiritatur de perfectione secta illa, quam arguo. Annititur enim, quæ præstare non potest, quia perfecta non est, vt perfectus est pater cœlestis. Ipsi sunt mendaces & scientiarum calumniatores, gloriam captantes ex illis, quæ ignorant, non solum seducentes alios, sed cœcorum more ipsi quoque in foueam cadentes, nec vnquam inde resurgentes.

Christus officium suũ compleuit integre. *Scientia omnis ex Deo est.*

Cæterùm hactenus dicta pro generali probatione sufficiant ad Astronomiæ certitudinem explicandam. Singulares autem probationes cuilibet particulæ seorsim annectam, additis omnium speciebus, vt res ipsa tota quasi exposita oculis cognosci possit, &c.

De nouem probationibus.

CAP. VI.

IN PROBATIONEM ARTIS MAGICÆ.

OMNIVM primò vobis explicaturus sum, quid Magica sit. Nihil autem est aliud, quàm potentia, virtutes cœlestes in Medium inducendi, & in illo operationes perficiendi. Medium hoc est centrum, Centrum est homo. Sic ergo per hominem vis cœlestis in hominem induci potest, ita, vt in homine tali virtus, constellationi illi congrua, inueniatur. Itaque ex eiusmodi homine, cui

Magica quid.

Magica vires illas conciliauit, fit Astrũ idipsum, quale per se est cum suis Secretis & Arcanis. Qui herbam aliquam edit, in illo herba est cum suis annatis viribus. Sic & in homine vno plus minúsue virium illarum est, quam in altero. Pro hac ergo declaratione probationem eiusmodi notate. Si fieri potest, vt in hominem per hominem venenum & medicina cum suis operationibus introducatur: Astronomus vtique Magicus firmamentales vires, similiter in hominem inducere poterit. Rectè autem velim à vobis intelligi quonam ex fundamento Magus operetur aut loquatur, hoc est natus Magus. Sicut enim Magus Magum facere potest, vt iam dixi, naturaliter; ita idem etiam per conceptionem fieri potest. Hi iã sunt Magi nati. Et Magus discit saltem ex Astris, non ex homine. Plura ergo de Magica cognoscenda sunt, quam hactenus tradidimus, hoc modo, quòd scilicet scientia quælibet cum homine nascatur, hoc est, scientia simul cum viro in conceptione. Homo enim vt homo alium docere nihil quicquam potest, sed docet tantùm Magica. Hoc autem Magicæ attributum est, quia noluit Deus quicquam vspiam secretum aut absconditum manere, sed, quæcunque in Natura produxit, intelligi & manifestari. Lex ergo & mandata data sunt, vt vitentur alia, quæ huiusmodi cognitionem impedire possint, vt scortatio, hypocrisis, fœneratio, &c. His enim qui operam dat, is Magus nunquam euadet. Magicam ergo oportet esse propter reuelationem. Si autem rem reuelari oportet: necesse est id dari ab eo, qui occultauit, & dari illi, ad quem explicatio pertinet. Sic nimirum librum Apocalypseos nemo vnquam xplicabit, nisi Magus natus vel adoptatus sit. Præter talem quicunque explicationem illam aggrediuntur, spiritus sunt erronei, carentes fundamento, & mera pigmenta, meros fucos venditantes. Sic etiam Christi verba hæc, *Erunt signa in Sole, Luna, Stellis, &c.* nemo quisquam nisi Magicæ gnarus interpretabitur. Huiusmodi autem Magi non ex Astris naturalibus nascuntur, sed ex cœlo supernaturali prodeunt. Nascenti autem Mago imprimitur Magica, velut oculo visus, aurib. auditus. Nullus ex omnib. qui fuerunt, Magis, doctus euasit ex Scholâ Librorum, hoc est ex homine caduco. Nisi enim aliam, quàm muro septam Scholam, aut aliũ quàm post fornacem sedentem Magistrum homo sectetur: ad solidam scientiam nunquam penetrabit. Schola hęc & Magica intenditur à Christo dicente: *Discite ex me, quia mitis sum, & humilis corde.* Cui astipulatur etiam diuus Iacobus, scribens: *Si cui deficit sapientia, is quærat eam, & de eâ Deum roget.* Itaque qui dixit: *Erunt signa in Sole & Luna, &c.* is interpretationem nouit, & eam dat Mago, qui interpretetur. Sic enim qui verba illa effatus est, interpretem sibi constituit. Quis vnquam in Schola docuit, quâ arte metalla ex lapidib. eliquanda, & ad perfecta metalla reducenda sint? In Schola Librorum ista quidem tradita nunquam sunt, sed inuentores istarum artium tales nati sunt. Itaq; artes vocantur natæ. Homo per seipsum, quid metalla sint, scire non potest. Si vero homo Magicè consideretur, cum artibus illis nascitur. Is talia inuenire, & alios docere potest. Eiusmodi ergo interpretem oportet esse natum Magum. Aliàs nihil explicari, nulla ars, vt diximus inueniri potest. Immota ergo sententia stat, *Donum quodlibet perfectum ex Deo esse.* Quicquid enim integri nouit homo, ex Deo est. Quod autem perfectum non est ac integrum, ex Deo non est, sed ex phantasiâ hominum. Sic nimirũ Alchimia, aurum & argentum producere satagens, vera non est. Et aurifices isti inane stramen triturant. Nec enim id à Deo datum, sed ab hominib. confictum est. Contrà, quod donum à Deo datum est, ab eo producitur, quod produci debet. Itaque quod sine institutione humanâ inuenitur, id inuentio Magica est, perfecta, scilicet, & mater rerum naturæ occultarum omnium sciendarum. Deus ergo reuelationem sensus abditi ex suâ Scholâ, quæ in natiuitate concurrit, & in qua solâ discendum est, profert. In scholis cæteris perfecti nihil discitur. Licèt enim in infinitum discatur, ad veritatis finem tamen nunquam peruenietur. Quod enim verum est, id perfectum est. Tres ex oriẽte Magi, Hierosolymam ad quærendum Christum profecti, ex libris minimè hauserunt, natũ esse Iudæorum regem. Stellam enim considerabant non secundum naturalem Astronomiã in scholis vsitatam: sed intellectus ipsis datus est, vt Dauidi, qui de illis vaticinatus est, quod ex Sabâ & Insulâ Tharsis reges venturi & sua sacrificia allaturi sint. Scientiam ergo suam ab eo, qui Magicam docet, acceperunt.

Magi nati qui sunt.

Magicæ quis finis.

Magi vnde oriantur.

Donum perfecti solum ex Deo.

De Alchimia aurum faciente indicium Theophrasti.

Magi orient. ex qua schola docti.

Exemplis aliquot hoc loco citatis opus nobis est, ad artem Magicam certiùs probandam. Et licèt quidem non quoduis per se seorsim exemplum explicationi rei exquisitè satisfaciet: iunctim tamen omnia eò facient, vt dilucidè rem omnem definiuisse videri possimus. Declaratio prima docet, quidnam ars Magica sit. Transfigurationes autem quę in arte Magicâ comprehenduntur, hoc modo probari possunt, quod humana arte lignum formari queat in imaginẽ, hoc est, in aliam mutari possit formam, quàm per se habet. Etsi enim sua cuilibet arbori forma extrinsecus sit: quælibet tamen dolabra formam eam adimere potest, vt arbor eadem non cognoscatur esse, quæ fuit, etsi lignum idem & prius adsit. An non statuarius formam illam, quam sub manu habet, in formam aliam mutare potest, manente nihilominus eâdem materiâ? An non pictor imaginem pingere, hanc in aliam formam reducere & hinc iterum primæ formæ restituere potest. Hæc ergo si natura præstare potest per corpus Elementatum, quod rude & crassum est: quantò magis poterit idem corpus spirituale, quod crassum non est, sed vt Solis splendor seu radius subtile? Si corpus Elementatum ex ligno formam aliam fingere potest: quantò magis corpus spirituale ex lapide, ligno, &c. figuram formámq; aliam producere poterit, quam corpus Elementatum admiretur? Corpus enim Elementatum fugit quidem artem ex spirituali: sed tamen minus & inferius accipit. Magister superat discipulum. Hinc sequitur, hominem in seipso per Magist rum spiritualem, sicut figuræ per pictorem, ab vno in alterum transmutari posse. Et cum non ab ipsis Astris, sed per scientias humanas

Corporis spiritualis natura & vis quæ.

fias talia fiant: gnarus & sedulus discipulus requiritur, qui & per se industrius sit, & ab Astris artem probè didicerit.

Sed spiritualis corporis scientiam, facultatē & proprietatem etiam deinceps ita cognoscite. Si homo seipsum pigmentis illitis in facie mutare, aut inductâ laruâ occultare potest: multò id faciliùs poterit corpus spirituale. Si enim istis ludicris oblectatur homo: oblectabitur etiam corpus spirituale. Quilibet in hoc suâ scientiâ vtitur. Si iam ex suâ arte quilibet agit, corporis certè Elementati Larua crassa & rudis erit, spiritualis verò impalpabilis. Quicquid enim Elementare corpus Elementaliter facit in suis Elementaribus operibus: idem potest etiam corpus spirituale, spirituali opere, insensibiliter mutare. Sed de figulo tandem exemplum vobis proponendum est. Is lutum sumens, ex eo facit ollam. Hanc frangit, & in instrumentum aliud refingit. Sic & nos ex luto facti sumus: sumus terra, & in terram reuertimur. Iam si tales sumus, necesse est fateamur, figulum nos rotæ applicare, & aliam formam figurare. Figulus ille quidem non ipse ad rotam nos fingens tractánsque sedet, sed sedet ibi alius, veluti Magus, qui hoc loco vicarius est, rotam versans ita, vt homo aliam formam adipiscatur, & ad priorē formam redeat. Id omne fit hâc de causa, quia terra & lutum sumus, nec quicquam aliud. Pro dicto ergo exemplo transformamur. Si Deus volet, iam lutum & terra iterum simus. Exempla autem eiusmodi proponimus, ad intelligendum operationes propositas. Iam deinceps, vt pergamus ad probandas species, faciendorum characterum & Gamaheu, velim hæc nemini admirationi esse. Quod si enim sponte suâ, ac motu proprio Natura herbas, & lapides ita dotat, vt vires in se Magicas contineant, quanto magis id faciet rogata & sollicitata? Satis enim lapidum herbarum, &c. non vbiuis locorum haberi potest. Vbi satis reperit Magnetum? Vbi satis saphyrorum? In quibusnam pratis omnia abunde proueniunt? Defectus itaque iste Magicæ causam dedit vsurpandæ. Hinc sequitur, Naturam vires suas deponere in verba, non minus, quàm in herbas & radices: similiter & in *Gamaheu* & *Imagines*, sicut per artem ista patent. Artes enim huiusmodi defectum Naturæ sarciunt in iis crescentibus quæ homini opus sunt. Sed notate, Cabalisticam quoque siue Cabaliam, huiusmodi viribus Magicis vti, hoc modo. Fingatur arundo, milliaris vnius longitudinem habens. Per hanc si quis ad extremitatem vnam loquatur, alius quidem ad terminum alterum stans, sententiam loquentis audire & intelligere potest, sed nemo alius præter istum. Quod si hoc potest corpus elementatum præstare, quantò magis poterit corpus spirituale. Quod in arte Cabalisticâ corpora Elementato præstantius est & spiritualiter arundinem facere, ac vltra centum milliaria extendere potest, ita vt illius nullus finis sit: Potest homo naturali cursu certam metam conficere. Homine expeditiùs illam decurrere potest Equus: equo celeriùs canis: celerrimè omnium, licèt pedibus carens, volucris. Iam si Natura spiritualis datur, his omnibus superior, & arte Magicâ vtens, (subdita) ita, vt ex homine fieri possit *Gamaheu*, aut *Equus*, aut *Canis*, aut *Volucris*, in quibus vires Astrales suum opus perficiant: Cur non etiam concedatur arti; quod facultas spiritualis plus possit, quàm Elementata, cùm vires spirituales non Elementatas habeat. Si corpus Elementatum scribere potest epistolam, quam nuntius rogatus ad locum destinatum vnius mensis spatio deferre queat: cur quæso, cùm spirituale corpus omnia possit, quæ potest Elementare, non vnius horæ spatio idem exequi, & cogitatus hominis in papyrum suam descriptos, alio amandare possit.

Homo ex luto factus.

Magica necessaria.

Sed rem adhuc planiùs intelligite. Quicquid natura in corpore alieno perficere popotest, idem etiam potest homo, vt nimirùm operationes eò perducat, quò perduci conceptio potest, ita, vt imago, quę nec carnem nec sanguinem habet, cometæ similis sit aut fiat: vt verba & characteres, non minùs ac medicinæ, vires habeant: vt herbæ & Gamaheu eò redigantur, vt subiecta eiusmodi sint Planetis, & ipsorum incolis, adeóque omnibus firmamenti Astris. Nemo autem admiretur, hominem talia præstare & conficere posse. Si enim, attestante Scripturâ, dij sumus: multo magis erimus Astra. Si filij sumus Altissimi: ipsis certè Astris longè potentiores erimus. Res enim ipsa docet, Astra in hominis arte seu potestate constituta esse, ita vt illa à cœlo in aliud corpus, quod Astris simile fiat, deducere possit. Nec enim ex terrâ tantum necessaria omnia enascuntur: sed etiam ex cœlo. Non etiam ex terrâ tantùm, sed & ex Astris vires herbarum prodeunt: corpus autem ex solâ terrâ. Itaque ab hoc exemplum attendite. Si filius hæres est patris erit etiam eiusdem vicarius & Locum tenens, adeóque administrandorum bonorum cum patre idem ius habens. Iam si Astrorum filij sumus, hæreditas ac dos nostra hæc erit, vt ab Astris vires sumamus, sicut filius panem accipit à patre. Posset hoc loco multis videri absurdum, quòd hominem Astris imperare ac dominari posse dicamus. Sententiá námque illa iam passim trita est: *Sapiens dominabitur Astris.* Quî verò? Sic nimirùm dominabitur, si Astrorum noscendorum studio flagrârit. Hoc námque pacto euadet sapiens, & faciet, vt in sua manu ac potestate cœlum versetur. Sic enim Magi equitârunt ad Christum per artem Magicam. Sic per cœlum efficitur, vt equus velociùs currat, quàm telum volat ab arcu, & tamen minimè fatigetur. Sic fuerunt multi*, qui ex Firmamento potissimum enutriti, cibo nullo vsi sunt, vt de multis testantur historiæ, qui nihil aliquandiu cibi ingesserunt, quod per naturam facile fieri potest. Nec talia contra naturam eueniunt. Deus enim miras vires firmamento indidit. Omnia ipsius opera, Magnalia certa exhibent, quæ nemo aut æmulari, aut satis intelligere potest. Quot quæso passim exstiterunt homines, qui ex Deo & Dei loco locuti sunt? Quot

Natura potest omnia, quæ homo.

Vires rerū, vt ex terra, sic etiam ex cœlo sūt.

Sapiens vt Astris dominetur.

homines resuscitârunt mortuos, & eosdem refectos vitæ restituerunt? Quot homines cœcis visum reddiderunt, & mundârunt leprosos? Taceo hoc, quod Christus dixerit, his omnibus plura præstiturum esse hominem, si fidem habeat? Si ergo, quod plus est, facere possumus: poterimus etiam per naturam, quod minus est, confectum dare. Omnia enim illa fiunt ex Deo, qui talia in naturam contulit. Quòd si ergo natura suas artes distribuit, easq; impertit illis, qui ipsam quærunt & venerantur, & per attractiuam virtutem potentiam suam communicat, sicut id iuris & licentiæ habet: cur non itidem etiam fieri possit, vt Magus cœlestes virtutes seu operationes in herbam cogat vel inferat, vt illa ad astrorum morem efficax sit? Sicuti, qui ex Deo est, & ex Deo operatur, magnalia eius ex Deo sunt: ita, qui ex naturâ operatur, magnalia eius ex natura sunt. Sicut enim ex Deo refecti sunt mortui: ita naturæ vis & potentia Diuis naturalibus, qui Magi vocantur, administranda confertur. Sunt namque Diui, in Deo, ad salutem, vocati Sancti: sunt Diui in Deo, ad virtutes naturales, vocati Magi. Mirabilis autem Deus est in Diuis suis, tam quoad regnum cœlorum, quàm quoad naturam. Nec talia præstare vlli possunt, nisi quibus peculiari ex gratiâ data sunt. Hoc ergo inter sanctum & Magum discrimen est, quòd sanctus ex Deo, Magus autem ex naturâ operetur.

Dei opera omnia magnifica.

Sancti & Magi vt differât.

Semper autem distuli de Astronomia vel scribere, vel cum quoquam alio conferre, quoties nimirùm, quæ potentia & vis operationum cœlestium esset, cogitaui, & simul inscitiam ac ruditatem hominum, quæ satis describi non potest, consideraui, qui nimirum meris sophismatis & auaritiæ vacantes, bonum tam insigne negligendo caducis voluptatibus sese exatiant. Astronomiâ enim cum suis speciebus incognitâ, quis vtrumque lumen rectè cognoscet? quis rectè de illis disseret? Pleriq; námque pro influxu sui astri ad malitiam & phantasiam, quæ perpetuò veræ sapientiæ obluctantur, desciscunt. Et sicut fermentum contra doctrinam Christi ingestum est: sic etiam contra doctrinam naturæ. Adeóque vtrumque lumen per sophisticam obscuratum est, nec quisquam ex scientiâ & conscientiâ verâ iam iudicat. Multi de scientia Magicâ iudicium sibi sumentes, stupidam & quâ temulẽtam sententiam ferunt. Cum quib. ecquis sapiet? Magica namq; res insignis est, & propter opera sua cultu dignissima. Solidum & durabile verbum Christus effatus est, dicens: *Si credetis maiora facietis.* Si ergo Christus miracula faciens, discipulis suis maiora præstandi spem fecit: Natura autem per artes suas aliquid operatur: cur non & nos plus ipsâ operari possimus? Sed distortas suas opiniones illi hauserunt ex suis proauis & prædecessorib. qui & ipsi occinebant Christo, *quòd Dæmonem habeat.* Sic nimirùm sapientia Dei & naturæ, suis filiis contemptui est. Illa tamen nostrâ gratiâ creata est, nósque per ipsam potentes sumus. Sapiens ipsi dominatur, non ipsa sapienti. Quòd si enim scriptura plus præstare potest per fidem, quàm Christus in charitate fecit erga proximum: cur non & nos ipsis astris plus efficere queamus, cùm tamen præceptum illud non astra, sed nos respiciat; & nobis vniuersa subiecta sint. Et sicut discipuli Christi maiora ipso Christo operari possunt: sic discipuli naturæ maiora ipsâ naturâ, quę veluti sopita excitari debet. Quanquam Christiani nec plus nec minus faciant. Christus enim ipsis ludibrio & peccato est. Et, vt fidei nemo fere studet: ita nemo quoque naturæ. Sophisticis nugis omnia hodie squallent: & in his tempus, naturæ debitum, obteritur. Vigere autem potius in nobis debet sapientia illa, per quã omnia gubernemus. Nec enim firmamentales tantùm virtutes, sed & viuentia alia vniuersa, ipso homine longè robustiora etiam in profunditate maris degentia, homini parere coguntur. Ista enim omnia gubernat homo, velut & cætera, quæ in superiore firmamento constituta sunt. Sicut canis aut equus Hungaricus, vel quiduis aliud homini obsecundare cogitur: ita & astra in manu hominis constituta sunt. Fecit Deus hominem secundùm imaginem suam, ipsúmque distribuit in quatuor partes mundi, nempe ad fines terræ & maris.

Magica quã præstans.

Homini vniuersa subiecta.

Sed vt plura ex lumine naturæ de potestate Magi vobis depromam: primò vos scire velim, *Naturam per seipsam Magam esse*, ita: vt cœlũ possit hominem mutare in lupum, possit ipsum de loco ad locum transferre, possit omnes ægrotos sanare, possit declinare vulnera punctim cæsímue inflicta, possit alia innumera. Quoniam ergo cœli tanta potestas est, ex eo sequitur, quod, si quid noui & insoliti præter naturæ consuetum cursum producatur, cœlum ipsum id moliatur, & per suos nuncios, qui vocantur *Præsagia*, prædicat, idq; interdum per hominem, tanquam per suum instrumentum, qui futuram rem præter naturam præiudicet: interdum per astra, sine concurrente operâ hominis. Firmamentum itaque tale quid prænunciaturum, sibi ipsi præcursores generat, *vt Cometas, vt visiones cœli, &c.* quæ omnia enumerari hîc non debent. Cur autem Magus ita ordinatus sit, vt vicem mallei in cudendo gerat: id ex proposito exemplo intelligetis. Nouit Medicus & compertas habet vires omnes in herbis latentes. Ita etiam Magus vires in stellis latentes nouit. Nec vnquam quicquam adeò in cœlo abditũ est, quod Astronomia per suas species non nôrit. Iã Medicus vires extrahit ex herbis, quas vocat *Remedia*, quæ in põdere exigua sunt. Non enĩ prata aut viridaria, sed extracta ex his, veræ medicinæ sunt. Illa autẽ in sua manu habet Medicus. Eodẽ modo & Magus multa cœli prata in lapillum vnicum cogere potest, qui vocatur vel *Gamaheu*, vel *Imago*, vel *Character*. Sunt enim huiusmodi lapides veluti pyxides, in quibus Magus sydereas vires ac potentias reseruat. De his ergo non aliter ac de reseruaculo disserendum ac iudicandum est. Sicut autem Medicus remedium suum ingerere ægroto potest, ita vt vi illius morbus profligetur: ita Magus etiam virtutes eiusmodi, quales extraxit, ingerere potest in hominem: hoc est, quales ex astris elicere potest, tales vel benè vel malè digerit; Remedia quidem quotannis renascuntur, & cum nouis viribus prodeunt. Vetus autem natura ac astra, loco æstatis suas exaltationes habent, ita vt non minus

Natura est Maga.

Magus instar mallei est.

Gamaheu.

[illegible margin note]

nis ac terra idoneum sibi tempus præferunt. Et hyemis quidem tempore nihil promunt, sedq; uærenda ac colligenda in sua æstate sunt. Hoc pacto nunquam inanis natura reperitur, sed subindè iterum ditescit. Cista eius semel exinanita, continuò iterum repletur, ipso tamen homine in illam nihil imponente. Nec se se habet illa, vt ficus, cui maledixit Christus: *Sed qui quærit, inuenit.* Quo enim Christus abit, ibi, quod quæritur, inuenietur. Sin minùs, maledictio sequitur. Iugiter ergo nobis vigilandum est, sicut naturam ipsam assiduò & continenter operari videmus. Quod nobis documento esse debet, hominum non eandem esse rationem, quæ est astrorum & elementorum secundum creaturam nouam. In nobismet enim nec æstas est, nec hyems, sed perpetua vigilantia, & cura. Vnde nemini absurdum videri debet, huiusmodi vires ex supernis deduci posse in medium. Pro causâ exemplum attendite. Solis alia proprietas nulla est, quàm quòd sit summus gradus naturalis lucis. Vbi autem lux diurna est, ibi comes est ipsi calor. In calorem enim lux posita est. Interim descendit ad nos. Ita enim vniuersæ terræ ille præfectus est. Similiter & cæteræ omnes stellæ firmamentales. Ex operibus autem eius cognoscitis, quid faciat. Huius generis stellæ etiam aliæ sunt, non adeò conspicuæ. Iam quæritur, an fieri possit, vt lux illa diei cum congenito sibi calore per hominem deorsum agatur in subiectum? Minimè gentium. Terminum enim suum habet, quantum nobis & cæteris stellis dare debeat. Descenditque cum omnibus suis viribus, quantum nobis debetur & assignatum est. Fieri tamen potest, vt per Magum multò magis exaltetur in lumine & calore modo fiat per id, quod nobis ordinatum est, & corpus illæsum corripiatur. Exemplo est Sol, qui excœcat, vrit, incendit, quæ Magica vis & impressio est. Hæ vires aliter etiam intelliguntur, si gradatio adsit, quæ quintum esse exaltet, cuius proprietas demonstratur Sole per speculum igneum, cuius splendor superat oculos, & cuius calorem sensus noster sustinere non potest. Id euenit propter rotunditatem crystalli & speculorum aliorum, quæ *Incensoria* vocantur, splendore suo oculos occœcantia, inflammantia & adurentia. Et Sol quidem in hac terrâ plus præstare non potest. Eodem modo vires quoque aliæ augeri possunt.

Sol lucis & calidus.

Crystalli & specula incensoria.

Iam si Magus quamlibet astrorum potentiam desuper in subiectum ordinatum cogere & deducere potest, sicut venator ceruum agit in retia, aut piscator pisces in nassam compellit, aut Medicus remedium in pyxidem concludit: an non etiam imagines facere possit, non aliter cognoscendas, ac si quis diceret: *An non Medicus ex data medicina potest parare vnguentum, emplastrum, potionemue aut suffitum? Sic etiam, an non Magus ex firmamentali medicina, aut imaginem, aut Globum, aut lapidem, aut aliud quid sumere possit?* Cùmque forma viribus conuenire debeat: cur non figuras eiusmodi, quæ vel ad sanitatem vel ad morbos faciant, facere queat? Porrò cœlum etiam ipsum figuras format, sicut euidens est in Cometis, Halonibus, Lanceis, & exhalationibus aliis. Si cœlum hominem ita gubernare potest, vt naturalem carnem hucilluc moueat, eámque aut occidat, aut resoluat, aut sanet, &c. Cur non etiam in potestate Magi sit, vt, sicut Medicus per medicinam, quod potest, impetrat, sic ipse, quod vult & potest, perficiat? Sed exemplum afferemus. Si terra producere potest venena, si potest gignere bona, mala, pura, impura, poterit idem similiter & cœlum. Medicus sumit ex terrâ: Magus ex cœlo. Cur ergo, quæ in astris sunt, non æquè fiant ac quæ sunt in terra siue in imaginib. siue lapidibus, siue herbis ac verbis eueniant? Vis enim talis ingeritur: sicut bona vel mala medicina in pyxidem. Et de Magicâ aliter sentiendum minimè est, ac de summa medicinâ, quæ ex solo firmamento & infirmamento operatur, siue id fiat naturaliter, siue supernaturaliter, prout hactenus abundè satis enumeratum est. Momentum autem omne in hoc positum est. Sicut astra impregnationem suam ferunt, & conceptiones conueniunt: ita operationes omnes fiunt. Nec homo saltem ista tractat: sed ipsamet natura multis sese modis exercet. Ipsi enim nos manifestè videmus, cœlum in nobis bona simul ac mala operari. Cur ergo non & ipse Magus per cœlum, non minùs ac ipsum cœlum operetur id, quod in firmamento est, cùm tamen firmamentum non minus ac herbæ & gramina, homini subiectum sit. Sic enim Propheta inquit: *Omnia subiecisti pedib. eius, volucres cœli, pisces maris &c.* Quòd si hæc subiecta sunt homini: subiecta ipsi quoq; erunt vniuersa alia, quæ homini vsui esse possũt: adeóq; quicquid natura habet ac potest, homini subiectum esse oportet. Si quidergo naturæ possibile est: cur idem non etiã sit homini? Homini enim natura subiecta est. Ipsa nobis exemplo est. Quod ipsa facit, facere & nos debemus, hoc est, illa operatur erga nos, ergo nos idem quoque nosmet facere debemus. Nam & Christus præcepit nobis, ipsum imitari, quod multò rectiùs naturæ accommodari potest. Talia ergo non ex libris sed ex naturâ discenda sunt. Qui vltra literam pergere non vult, litera manet, & intra seipsum mortuus est. Sciendum itaque nos in illis nasci, & in ipsa natiuitate informari, aut discere ex lumine Naturæ per indagationem & experientiam. Sicut Christus discipuloss suos ex sese discere iubet: sic idem iubere etiam Natura potest. Et quod Christus dicit: idem non minus facere etiam Natura potest. Nam in ipsa, scientia latet Medica, in ipsa sunt omnia opificia, scientiæ, animales industriæ, omnes sapientiæ, denique quicquid ab homine primæ generationis requiritur. Hæ sunt virtutes Magicæ, vt talia ex astris discantur, & deorsum educantur, ita, vt omnia, quę in ipsis sunt in nos descendant, adeóque nos ipsi Astra fiamus. Vult enim Deus, nos in hac vitæ humanæ miseriâ tempus concessum in his naturalibus Magnalibus consumere, vt ex illis creatorem nostrum cognoscamus in suis operibus. Et hoc modo nos gerentes, ambulamus in Domino. Frequenter etiam euenit, vt, præterquàm quòd homo ex homine discit, natura etiam alium suscitet, hoc est, singulariter doctum faciat, humanam doctrinam omnẽ excedentem.

Magus [illegible]

Homini omnia subiecta.

Naturæ & Christi collatio.

cedentem. Quo exemplo docet, Magum quoque idem per ipsam faciendi potestatem habere: sicut multoties fit, vt homo ipsemet per artem faciat Magum in omni doctrinâ, in omnibus scientiis & opificiis. Sic etiam Deus in Doctrina æternâ suscitat aliquem, qui cæteros omnes superet. Et si enim libri vniuersi abiiciantur, conflagrent aut lacerentur, Præceptor tamen viuus adhuc superstes est, qui linguis igneis loquitur, & docet libris omnibus rectiùs & sublimiùs, per homines etiam abiectos & viles, sicut tam in veteri quàm nouo testamento legimus, nec quisquam nouit, vnde doctrina illa ipsis detur. Spiritus enim quò vult spirat, & nemo nouit, quorsum aut aut vndè. Hinc persæpè aliquis in sua arte omnes exuperat. Huiusmodi homo gignitur vt Cometa, ideò ab aliis etiam hominibus diuersus est. Similiter autem & Magus artificem eiusmodi per scientiam Magicam gignere potest, ad similitudinem Cometæ. Hæc enim Mysteria & Magnalia Dei sunt. Ita cœlum diuinas laudes prædicat: ita firmamentum ipsius opera per Magos illustrat: ita admirandâ ratione per Magos ex Sabâ & Tharsis, per Ascendentem Christi in Bethlehem annuntiatum est, quid cœlum & firmamentum in arcanis Dei prodendis possint. Sed hæc pro Magicâ probandâ & explicandâ sufficiant. Cætera, quæ huc faciunt, in ipsius Practica traduntur, &c.

Magiæ laus.

PROBATIO IN SCIENTIAM NIGROMANTICAM.

PRo probatione Nigromantiæ tenendum est, cur Species sit Astronomiæ, & Astronomiæ annumeretur. Etsi enim Astrologicum nihil tractet, nec sub Astrologiâ comprehendatur: non tamen Astronomia id tantùm est, quod ad Astrologiam spectat: sed nouem Membra, quorum Nigromantia vnum est, Astronomia sunt. Rem ex fundamento tali cognoscite. Homo ex corpore constat duplici: ex elementari & sydereo. Corpora hæc gemina hominem vnum constituunt, sicut vtriusque corporis ortum, vnionem & coniunctionem satis hactenus explicauimus. Duo ergo corpora sunt, sed vnus tantùm homo. Alterum respicit elementa, alterum firmamentum. Vtraque verò hominem vnicum constituunt. De ortu & proprietate eorum dictũ iam satis est. Porrò de natura ipsorum, quid de ipsis agatur, si per mortem dirimantur, cognoscite: Item, quomodo consumantur, quæ mortalis ratio sit. Quando homo moritur, corpus elementare sepelitur, & in sepulchro consumitur, sicut omnibus euidens est, quòd terra hominem omnino absumat, velut & elementa tria reliqua nihil reliquum faciunt, quod non consumant, & in nihilum redigant. Necesse est enim hoc corpus putrescere, in vermes abire & corrumpi, quocunque in elemento sit, donec omnia consumpta & in nihilum redacta sint. Corpus ergo elementare dicto modo in elementis interit. De putrefactione autem corporis sydereí porrò ita statuite. Corpus id emergit ex Astris, non elementis. Itaque in elementis nō corrumpitur, sed extra elementa, hoc est, sub Astris. Æquè enim ac corpus elementare cum tempore consumitur, ab eo, in quod sepelitur, hoc est, ab Astro, sicut elementare corpus corrumpitur ab elementis. Hinc sequitur, etiam corpus sydereum manere cum corpore, donec ab Astris consumatur, hoc est, sicut in vita coniuncta manserunt: ita per mortem dirimuntur, quolibet in suæ corruptionis sepulchrum abeunte. Attamen vtraque vnà manent: vnum in elementis, alterum extra elementa in aëre. Nam in aëre corrumpitur hoc ab Astris. Hoc modo terra consumit elementatum corpus, & sydus sydereum, adeóq; ratione dictâ vtraq; corpora consumuntur. Porrò ad putrescendum requirit tempus aliquod corpus elementatum, vnum tamen plus minúsue altero. Suum tempus requirit etiam corpus sydereum. Sicut enim certo tempore corpora elementata corrumpuntur: ita etiam corpora syderea. Elementatum corpus est tangibile. Sydereum autē palpabile non est, sed est instar spiritus. Itaque corpus elementatum visibiliter, sydereum inuisibiliter corrumpitur. Et tamen consumptio illa non fit, ipsis in vno adhuc coniunctis, velut in vita, sed vtrisq; à se inuicem diremptis, seruatâ tamen vtriusq; naturâ & conditione, hoc est, in eo loco, vbi ipsorum habitatio fuit. Rem ita accipe. Corpus elementatum manet in sepulchro, ac est immobile. Corpus autem sydereum est mobile, locum mutans, & habitationem quærens, quam homo viuens habuit. Hinc patet, corpus sydereum videri posse. Si enim natura fuit hominis, ad hunc vel illum locum pergere: tunc corpus quoque sydereum accessum illum seruat, donec consumatur, siue propenderit ad vsuram, siue ad emolumentum priuatũ, siue ad opes & thesauros, &c. Illa enim loca relegit hoc corpus post mortem, & omnia perambulat. Hinc natæ sunt illæ locutiones: vidi ego huius Spiritũ, vidi ipsum obambulantem, cùm tamen non nisi corpus sydereũ fuerit, quod isto pacto sepultum consumitur. Perperam autem dicitur ac creditur, hominem ipsum esse aut ibi ambulare. Nec enim ea vel hominis anima est, vel homo ipsemet, sed tantũ spiritus sydereus. Sicut si elementare corpus non sepeliretur, videri id quidē potest, sed tamen homo ipse non est, verùm pars tantùm aliqua, vitâ carens, mortua, & sepulchro digna: ita & corpus sydereum videri potest, quoniã sepeliri nequit. Nec enim tangibile est, sed est spiritus, velut imago in speculo. Porrò sydereum quidē corpus mortuum est, ambulat autem in illis locis, & in istis occupatur reb., quib. imaginatio & animus eius inhiabant. Vnde consequitur huiusmodi corpora syderea reperiri apud solita negotia, apud reconditos thesauros, & loca alia. Et visio talis apparet, donec corpus illud pro ratione suæ proprietatis & longæ durationis (vnum enim altero celeriùs consumitur) corrumpatur. Et hinc sciētia nata est Nigromãtiæ. Docet enim Nigromãtia nosse huiusmodi spirituum statum, naturam, & proprietatem, ex quibus cognitis disseri postea potest de secretis eiusmodi hominis, cuius corpus id sydereum fuit. Ita rem intelligitē. Vniuersum id, quod homo iste tractauit, per mores syderei spiritus explorari potest. Cui enim rei viuus animum addixit, eidem inhiat etiam post mortem. Si thesaurum defodit,

Homo corpus duplex habet.

Corporis elemētaris quæ conditio.

Corpus sydereũ, quale.

Corpora gemina in quo conueniant, & differāt.

Spectra quid sint.

Nigromantia vnde nata.

defodit, ibidem & spiritus, donec ab Astris consumatur. Et hoc fit naturaliter, per se. Spiritus enim ille sydereus vsq; ad corruptionē defuncti hominis corde & animo vtitur. Sicut enī imago in speculo hominis externi mores, gestus, & motum imitatur, quæ tamen omnia nihili sunt & inefficacia: ita hic quoq; spiritus sydereus similis est fabulis & visionibus speculi. Et quantum quis ex speculo discere potest, quid faciat, aut vbi sit, aut quis sit is, cuius imago in speculo præsentatur: tantundem etiam *Nigromanticus* ex sydereo corpore cognoscere potest. Hūc iam spiritum qui dicto modo excipere potest, is Nigromanticus est, defuncti hominis secreta indicandi peritus, eâ ratione, vt de speculo iam diximus. Cæterum, propter imperitorum hominum inscitiam multi de his, à diuersis errores inuecti sunt Et de spiritu tali opiniones precipuè tres constitutę sunt. *Esse nimirum hominis animam, miseriam suam manifestare, sollicitaréque auxilium.* Hinc nata est intercessio pro defunctis, & similia alia. Sed tamen cum tempore talia sponte suâ cessant. Opinio & error secundus in hoc est, quòd adhibitæ fuerunt adiurationes, quasi visio illa homo ipsę esset, ex quo percontando multa sciri possent. Et tamen ea mortua tantùm vmbra fuit, velut imago in speculo apparens, cū quâ expediri nihil quicquā potest. Si enim Deum oràris pro illo, aut etiam adiuràris, qui in speculo est, vanus eris. Error tertius in hoc versatur, quòd creditum est, illos in purgatorio aut inferno versari, vbi luant vsque ad diem nouissimum, & postea vel saluētur, vel damnentur. Eiusmodi ineptias tractat mens humana, ac nugas tales pro magnâ sapientiâ habet, cùm tamen omnia meræ vmbræ sint, vt iam confecimus.

[Ex speciis qui errores nati.] [1.] [2.] [3.]

Sed vt de re pleniùs disseram, scitote, ex trib. istis erroribus, tres Nigromanticorum ordines emersisse, nimirū *Exorcistas, Coniuristas & Mortuorum intercessores.* Exorcistæ per eiusmodi syderea corpora, quæ Spiritus vocant conantur id præstare, vt ad interrogata respondeant. Sed non recordantur illi, quod mortui nō loqui possint: putántq; ex spiritib. non minùs cognosci posse omnia, quæ aliàs naturaliter impetrari possunt ab alio viuente homine, vt is per institutum colloquium sua secreta prodat. Sed persuasio illa inanis est. Nihil enim extorqueri ab illis potest, præterquā quòd ambulando ex ipsis augurari licet. Nec mortui aliud quicquā reuelāt.

[Nigromanticorum ordines, & Exorcistæ qui.]

Coniuristæ syderea illa corpora adiurant, sed non intelligunt, hominem syderea corpora adiurandi nullam potestatem habere. Propter hanc impiorum cordium leuitatem Diabolus syderea eiusmodi corpora obsidet, vt improbitati illorum pareat & satisfaciat. Quòd si enim ille obsidere potest hominem viuum: quantò magis mortuum, in quo nulla est resistentia. Coniuratores ergo illi hoc modo cum Diabolo commercium habent, non cum homine, suntque adiuratores non hominum, sed Diabolorum, à quibus etiam in suis adiurationib. oblectantur.

[Coniuristæ qui.]

Mortuorum intercessores sunt illi, qui syderea illa corpora intercessione suâ in cœlum inferre conantur. Hi ignorant, nihil in cœlum intrare, quod ex cœlo non egressum sit. Non etiam considerant, istum hominis post mortem statum ac locum esse non posse, hoc est, vt aut in sepulchro aut aëre sit, sed omnino is alio asseruatur loco vsque ad tempus iudicij, quo tuba clangens sonabit, *Surgite Mortui, &c.*

[Mortuorum intercessores qui.]

Tres has extraneas species Nigromantia minimè curat, sed versatur tantùm circa naturale, sicut Medicus circa Medicinam. Naturale ergo & præternaturale rectè distingui debent, vt verum ac genuinum Astronomiæ fundamentum intelligi queat. Dolendum verò est, hominem in eiusmodi errores agi, nec curiosiùs sibi de veritatis inquisitione dispicere, nisi quæ auditu cognoscit ex aliis, quibus acquiescat. Si ex scripturâ rectè intelligatur, quid sit *sinus Abrahæ,* quomodo latro in Paradisum venerit, quî Diues epulo in infernum sepultus fuerit: iam planum ac euidens omnib. fuerit, errores istos merè fanaticos esse, dū Reseruacula huiusmodi in terra dari creduntur, cùm tamen omnino diuersum scriptura testetur, & somnia huiusmodi reiiciat.

[Naturale & præternaturale differūt.]

Sed in explicanda vobis Nigromantiâ ita pergemus. Astronomia per seipsam docet ac probat, corporeos actus hominis Sydus esse, in peculiare corpus inclusum, ac in eo manens, vsque dum corpus consumatur. Veruntamen elementare corpus membrum vel partem vnam perdit post alteram, donec omnes consumantur. Sic primò intercidit auditus, post visus, præterea motus, denique vox & loquela. Deinde pereunt, *sanguis, liquores, caro, venæ.* Ossa manent, quia correspondent auro, cuius naturam referunt. Eodem exemplo sydereum quoque corpus partem vnam amittit post aliam, *Intellectum, Sapientiam, Scientiam, Industriam, ornamentum, &c.* Hæc enim ipsius membra sunt, ex ordine intercidentia, donec omnia perierint, nec quicquam in ipso superstes sit. Et si autem in homine propter fixam naturam ossa maneant: tamen & hæc ipsa tandem intereunt successu temporis. Iam ergo de syderei corporis facultatib. audite. Id nec loqui, nec audire potest. Oculos non habet, ideò nec videt. Ex illo iam quid extorquebis vlteriùs? Ineptè ergo errones illi faciunt, qui sermonem exigunt ab eo, quod ad sermonem aptum non est, adeóque extorquent ab ipso, quod à Deo datum ei non est. Quî quæso respondere, audire, videre, parere, &c. queat, cùm nullius horum aptitudo ei insit? Gaudet ergo in sinu suo Diabolus videns requiri ex illis, quæ in illis non insunt. Motum habet ideò, quia in vita elementare corpus mouet, & per id loquitur, videt, audit. Si autem dirimantur inuicem, partium harum nulla superstes esse potest, sed omnes mortuæ & viribus orbatæ sunt. Corpus enim elementare mouetur tantum decursu vitæ. Et in elementari corpore ipso per se motus non est. Ideò post separationem seipsum etiam mouere non potest, sed mortuum est, quia motus pendet à corpore sydereo. Hoc autem separatum deinceps nihil mouet nisi seipsum vsque ad consumptionem. De proprietatibus eius ita statuite. Quicquid cor, quod animus est, in se continet, aut potest, id corpus est sydereum. Ab hoc si elementare corpus separatur, mors quoque eius instat, sed ita

[Partes corporis quo ordine pereant.] [Ossa auro similia.] [Corpus El. nec audit, nec videt, nec mouet, &c.]

Corpus sydereũ quid.

ita tamen, vt cum tempore consumatur. In tempore hominis illius voluntas perficitur per corpus sydereum, non aliter, ac vmbra sequitur corpus. Quocunque homo totus ambulat, ibi comes est eius vmbra. Et quicquid ex ipsius vmbra elici potest, idipsum ex hoc quoque sydereo spiritu exigi potest. Si homo mercator fuit, omnique propensione cordis animæ adeóque vniuersarum virium, lucro inhiauit, & in huius seriâ meditatione à morte correptus est: tunc illius syderei corporis hæc est proprietas, vt vel post mortem quæstui & emolumento indulgeat ac loca, quæ quęstui accommodata erãt, consectetur aut adeat. Nec verò de quæstu saltem, sed & de quibuscunque aliis studiis, quibus cor, animus, vires & tota mens addicta fuit, verum id iudicandum est. Cæterum pro puncto principali hoc tenendum est, quod eorum potissimum spiritus post mortem apparere soleant, quorum animus ac studium terrenis voluptatibus, auaritiæ, &c. indulsit. Vbi autem corda hominum voluptatibus terrenis vsq; adeò dedita non sunt, ibi raro huiusmodi spiritus visuntur. Qui enim in viis domini ambulant, horum sydereus spiritus causam non habet, cur ambulet, sed quiete consumitur. Talia ergo, nemini aliena videri debent. Quòd si enim post hominis mortem figura eius conspicitur, spectaculum id est mortuorum, in quo sese cõtemplentur viui, & rem altiore Philosophiâ trutinantes, à vitiis & malis institutis sibi temperent, ne post mortem corpus id, in quo vixit homo, ad consumptionem vsque aut videatur aut audiatur, adeoque vitia & probra per huiusmodi spectacula & vmbraticas oberrationes prodantur. Quisquis enim temporaliter ita animatus obit, visibilis est, nisi, temporalis mens tollatur aut elidatur. Hoc námque quamprimum fit, sydereum corpus astra tanquam sepulchrum suum petit. Sin minùs, manet cum cadauere, eo loco, quem hominis viuentis animus sitiit. Cor enim ipsum regit.

Spiritus quorum præcipue appareãt.

Quantum ergo ad Nigromantiam attinet, sciri horum nihil potest vltrà, quàm quod per consumptionem, nondum ablatum est. Nec enim apud elementatum corpus, sermo, visus, auditus, motúsque quærendus est. Quóque id diutiùs mortuum fuit, eò minùs ex ipso quæri potest. Quicquid autem superest, id hominem veterem in sua complexione indicat. Sic etiam in sydereo corpore Nigromãticus occupari potest, ex quo intelligit, quorsum defuncti hominis cor inclinârit, sicut in practica Nigromantiæ suo ordine processus Nigromanticus describitur.

Exorcistarũ error in quo.

Sed de extraneis speciebus plura vobis explicanda sunt. Exorcistarum nimirùm propositum est, cum sydereo corpore loqui, & per familiarem conuersationem, quæ lubitum est, sciscitari. Hi autem minimè attendunt, se, quod non est, quærere syderea quidem corpora illis nonnunquam obsequuntur, sed non ad emolumentum. Id hâc ratione fit. Homo integer, nec secundum elementatum aut sydereum corpus diuisus, eius omnino conditionis est, vt, quę velit, quæ nolit, quæ appetat, quæue fastidiat, &c. secundum ea se gerat, & in illa consentiat. Hanc postea naturam etiam sydereum corpus retinet. Hunc consensum si Exorcista ille exprimere potest: tunc annuit quidem, sed vmbraticè. Si autem dissentaneo quodam Exorcista instet, contrarium responsum eliciet, sed & hoc vmbraticum. Iam verò vt vtile quid & frugiferum hinc desumatur, fieri aliâ ratione non potest, quàm hâc iam dicendâ. Si homo talis thesaurum defodisset, & illum ante geminorum corporum separationem prodere voluisset: tunc si post mortem eius Exorcista is esset, cui id manifestari deberet, illéque *sydereo* corpori sese insinuaret, thesaurus vtique ipsi demonstraretur. Si autem is non esset, nihil etiam ipsi reuelaretur. Annuntiatur verò hoc non ab animâ, non à spiritu vitæ, non ab hominis æterno, non ab imagine à Deo datâ: sed tantum à caduco ac mortali corpore sydereo. Sicut enim corpus elementatum putrescit, & in cinerem vertitur: ita terrenos quoque sensus cogitationes, vires & animum similiter putrescere & in auram abire necessum est.

Animus terrenus corruptibilis.

Coniuristæ quo peccent.

Sed vt iam reuertar ad Coniuristas, quorum antea etiam mentionem feci. Hi coniurationibus volũt cogere & compellere sydereum corpus, vt, quod velint, faciat. Sed potestas hæc eorũ in corpus sydereũ ita se habet. Conãtur nimirũ, quod nusquam possibile est, neq; apud sanctos, neq; apud naturam. Ideò leuitas illa virtutem seu operationem talem molitur per allectum Satanam, catenis aliàs reuinctum. Nos enim sumus, qui ambulamus super Aspides & Dracones. Nos tamen etiam sumus catenæ, quib. Satanas distringitur. Quod si per impietatem admissam nos catena esse desinimus, adeóque eius articulos ipsimet rumpimus: iam captiuus liberatus in nos migrat, & corpus sydereum occupat, adeóq; nos ipsi à captiuo nostro obtrũcamur & verberamur. Opera autem quæ per eiusmodi captiuũ fiunt, hæc sunt. Ipse catenas rumpi finit: corp⁹ sydereũ occupat, nosq; id cõiurare permittit, spectaculũ certè ludicrum exhibiturus. Syderea porrò corpora tam virorum sunt, quàm fœminarũ, quouis momento facilè parabilia. Quotidie enim moriũtur viri & fœminæ. Et Satanas totum corpus regere potest, si id obsedit: quantò magis gubernabit corpus sydereum. Sic canthari vino pleni ex distantib. regionib. afferuntur, & similia alia ludicra fiunt. Si verò, dum in viuis fuit homo, commercium cum Diabolo is non habuit, nec cum animo eiusmodi obiit, tũc corpus illius sydereũ cogi minimè potest. Prout enim mortalis animus defungitur: ita sydereũ corpus (vt sic loquar) conditionatum est. De Coniuristis hoc loco plura disseri possent: sed quia saltem hic de probationib. agimus, pauca illa iam de ipsis sufficiant. In ipsorum practicâ clariùs omnia tradentur.

Homo catena Satanæ.

Vinũ vt ex regionib. aliis afferatur.

Intercessorum error.

Quantum ad Intercessores mortuorum, operationes ipsorum ita se habet. Sydereum corpus hominis putant esse animam: & cum erroneo illo iudicio mortui sepeliunt suos mortuos, hoc est, homo est mortalis, & sepelit quod mortuum est, & mortui officium exequi vult. Et sic vtrique mortui sunt. Sed porrò, quid efficiant, attendite. Ipsorum exercitium est, precibus intercedere, nullâ habitâ ratione eius, quod sydereũ corpus ad nihilum reduci possit, nec id sit, quod ipsi esse autumant. Effectus autẽ sequitur

tur intercessioni respondens. Nimirum, si sydereum eiusmodi corpus ambulat secundum defuncti hominis morem & consuetudinem: intercessio ipsorum ad Deum est, vt corpus illud liberetur. Si liberatum est, pro beato, & precibus ex inferno erepto habetur. Verùm enimuerò, corpus sydereum nec in infernum, nec in purgatorium abit, sed vt ex firmamento processit, ita in eodem moritur & consumitur. Inane ergo & otiosum istorum intercessorum molimen est. Et qui talia faciunt hi intra seipsos mortui sunt, ignari ipsius animæ, & sepelientes mortuum, hoc est, sydereum corpus, in quo nulla vita superest. Intercessio ipsorum efficax est, sed ita. Precantur nimirum, vt illi ex illo loco eripiantur. Iam verò homo homini obsequitur. Ponamus exempli loco, hominem quendam, ab aliis vnà collectis, non ferri aut tolerari, & rogari ab aliis, vt loco illo excedat, rogatúmque id facere, & aliò migrare statuamus. Eadem natura corporis etiam syderei est, vt indefessis deprecationibus fatigatum vltrò cedat. Quidam tamen precibus nullis se flecti patiuntur, sed obstinati & præfracti sunt. Horum quoque syderea corporea ita affecta sunt, vt nullis intercessorum precibus concedant, sicut alia concedunt promptè & velociter, &c. Non dico hoc loco, Christum esse Philosophum, nec eum ceu Philosophum allego, sed vt luminis Naturæ interpretem. Iure ergo dico, eum qui circa mortuos versatur, & illos pro viuis habet, mortuorum sepultorem esse.

Cæterùm de nigromantia, tam verâ quàm falsâ, hæc hactenus dicta satis sint. Hanc qui rectè tractat, & syderei corporis naturam indicia & mores probè nouit, is verus Nigromanticus est. Qui autem Exorcismis, Coniurationibus & Intercessionibus operam dat, is Nigromanticus spurius est, humanâ scientiâ abutens, & Diabolo seruiens, quærens & percontans, vbi percontari nihil potest, versans circa res mortuas, in quibus nulla vita est. Huius ordinis sunt, qui vlterius progredi discendo recusant, quàm quod fanaticus vnus alium docet.

PROBATIO IN SCIENTIAM *Nectromanticam.*

NIhil adeò occultum esse, quod non manifestetur, testatur Christus. Quod etsi à Theologis ad cor tantùm hominis referatur: nō ineptè tamen ipsi quoque Naturæ lumini accommodari potest. Herbas quæso accipite. Quarum virtutes etsi occultæ sint, produntur tamē & manifestantur. Sic & animalia nec loqui, nec nutu vti possunt: & tamen nihil quicquam occulti in se conditum habent, quod homo non exploret. Sic vniuersa quoque, quæ in mari, quæ in terra, quæ in chao, & firmamento abdita sunt, suo tempore manifestantur. Vult enim Deus, nihil vspiam esse, quod lumen naturæ lateat. Omnia quæ natura recondit, gratiâ hominis sunt. Si propter hominem creata vniuersa sunt isque illis opus habet: sequitur, ab ipso explorari debere vniuersa, quæ in natura abdita latent. Dictum ergo Christi non ad secreta tantùm cordis respicit, sed & ad naturalia opera Dei. Conueniens itaque est, ipsum cognosci hominem: conueniens est cognosci quæcunq; in natura occulta latent. Quis enim vsus esset tot támque præstantium virtutum in re vnâ latentium, si eæ à nullo scirentur? Si ars nulla data esset, ad inquirenda ea, quæ ipsis non videri possunt oculis: ad quid conferret tam multiplex creatum. Quin & ipsa ratio docet, vniuersa à Deo hoc fine creata esse, vt ab hominibus cognoscantur. Cognoscuntur autem res asspectu & oculis. Quò non penetrant oculi, ars succedanea penetrat. Quæ qualis à Deo data est, talis adhibenda est. Inter artes verò non minima etiam Nectromantica est. Hinc iam patet, nihil quicquam adeò occultum esse, quod non etiam manifestari possit. (Nec enim id absconditum manere Deus ipse vult, sed omnino suo tempore reuelari.) Fas ergo est, res illas, quæ absconditum reuelant, dignâ veneratione coli, & quàm diligentissimè addisci. Quod autem Theologi talia damnent, in culpa est ipsorum & inscitia & ruditas, quia Diabolo imputant, & assignant artem illam, quæ genuina ac à Deo concessa est. Verbis autem vtuntur illi, non ex Theologiâ, sed ex propriâ phantasiâ (quæ ipsorum Theologia est) enatis ac petitis, id quod docet *Nectromantia* quæ secreta reuelat, & in hunc peculiariter vsum non à Diabolo, sed Deo ipso, non à Satanâ, sed per naturam data est, vt per naturalem cognitionem vires naturales indagentur & sciantur. Nihil enim quicquam in sinu suo adeò abstrusum & reconditum natura habet, quod scientiæ huius perspicaciam effugere possit. Per hanc explorandæ sunt omnes artes, & quicquid in mari, in montibus, in saxis, in hominibus, in omnibus angulis, in tenebris & luce existit. Sciētiæ ergo Nectromantiæ cognitio necessaria est, vt miracula & magnalia Dei in mysteriis naturalib. rectè intelligamus. Etsi autem maiores nostri per hanc scientiam multa remedia inuenerint, quæ nos hereditariò ab ipsis accepimus, & quib. vel dum hodie fruimur: ipsa tamen non perfectione eâ, quâ dignum erat, vsurpata est, hoc est, non integrè comprehensa & percepta est à priscis, nec omnia, quæ necessaria erāt, inuenta sunt. Crassa autem ea dementia est, artem à Sophistis & imperitioribus, aut non satis excultam, aut impuritatum fermento pollutam, pro diabolica illicò habere & iudicare. Imo si integritate & dignitate suâ ars illa perstitisset, eò peruentum fuisset, vt Babylonica meretrix penitiùs in corde cognosceretur, & damnum non leue Sophistis inferretur. Interim contemptu & interdicto huius scientiæ impedita multa sunt, dum ipsi, (velut Christo à Iudæis oblatratum subinde est, *Demonium* eum habere) origo à Diabolo imputata est.

Vt autem de Nectromantia doceam, ipsam omnino discendam ac cognoscendam esse, velut artem, quæ, quod occultum est, reuelet, quæque ex censu artium omnium nobilissimarum sit: meminisse vos velim, à Christo mandatum datum esse, quod omnibus pro regulâ & normâ habendum sit, non saltem, quoad æternum, sed etiam quoad ipsum lumen naturæ. Mandatum autem hoc est:

Instrumentum rerū noscendarū duplex.

Nectromantia cur à Theologis damnata.

Nectromantia quid & qualis ars.

Nectromantia apud priscos imperfecta.

Christi mandatū Quærere.

est: *Quærite & inuenietis*. Ars nimirùm, quæ homini familiaris esse debet, hæc est, *Quærere vt inueniatur*. Vt ergo quæramus, mandatum omnino est, & nisi quæramus, arcana nulla indagabimus. Cui enim per ventos assa columba in os inuolat? aut quem nam sequitur vitis? Iam verò quærere multiplex est. Vt enim varij sunt cibi ita quæsitionis multi modi. Id autem quod nos quærere docet, magnifaciendum, & sedulò colendum, nec temere (quod Theologi faciunt) supprimendum est. Iam verò quærere, rerum abditarum est. Ideò quæsitio eius quod occultum est, procedit ex eo, quod occultum est, procedit ex eo, quod occultum est, hoc est, scire artis est, & per artis scientiam explorat quæsitor. Exemplum dabimus. Qui quærere vult vitam æternam, is fundamentum quæsitionis sumere debet ex eo, ex quo vita est æterna. Præter artificem enim illum, qui fundamentum ipse ponit, id indicare nemo potest. Hoc exemplo docetur, neminem ad id peruenire posse, nisi qui ex ipso procedat, hoc est, quod secretum est, solus is nouit, qui omnia videt, & cuius obtutum nihil effugere potest. Hoc iam ipsi etiam naturę accommodabimus. Quilibet, qui quærit, fundamentum, intellectum & scientiam habere debet ex eo, in quo doctus & peritus euadere cupit. Pone nimirùm, thesaurum quendam absconditum esse. Is spiritum habet, quem oportet esse scientiam, & fundamentum scientiæ. Sine hoc nemo quicquam efficit. Is enim scientiam facit. Ad hæc consequitur, naturam nobis artes proponere, per quas quæramus. Artes illæ non ex homine sunt, sed ex naturâ, quæ eodem modo agit, ac vbi cor est, ibi etiam os est, est vox, & sic exploratio cordis. Sic vbi thesaurus est, ibi cor est, ibi etiam os est. Hoc os iam est scientia. Similiter & operatio ex naturâ, non ex homine inquirenda est. Natura enim introspicit in seipsam, videtq; quę intùs cōdantur, ac suomet oculo arcana sua omnia peruidet. Oculus iste est Nectromantia. Et in hoc oculo cōsistunt artes quęrendi. Et quicquid de hoc oculo est, aut sumitur, id rectè quęrit, ac inuenit. Huius oculi acies tā exquisita est, vt nulla in natura vis occultari possit, quin à naturâ inueniatur. Sicut enim Deum nemo latere potest: ita nihil etiam naturam. Deus ergo ita constituit, vt per oculum huiusmodi res occulta quælibet per se manifestaretur, sicuti dictum illud Euangelicum sonat: *Ex abundantiâ cordis os loquitur*: hoc est, secreta cordis per os reuelantur. Iam qui audit os audit secreta cordis. Sic pariter etiam nihil vspiā rerum est abditarum & occultarum, quod loco oris non habeat spiritum qui os sit, & quæ in sese arcana latent, reuelat. Hoc ergo pactò os est oculus, introspiciens in cor. De hâc porrò arte statuendum ita est, nullum aliud dari fundamentum, quàm vt quæramus per lumen hoc, quod natura est ipsamet. In hoc enim lumine reperiuntur, quæ aliàs sciri & indagari non possunt. Sine hoc lumine in tenebris omnia manent, nec quicquam nisi meri Labyrinthi inueniuntur, ad quorum centrum penetrare nulli licet. Ex hoc ergo artis Nectromanticæ fundamento liquet, illam nulli temere deserendam, multò minus reiiciendam esse.

Nect. oculus est animæ.

Os est oculus cordis.

Nect. modi quatuor sunt.

Iam verò, per quos Nectromantia inuenire doceat, modi 4. sunt. Et licet secundum 4. dictos modos, ars ipsa quatruplex sit: processus tamen illius varij sunt: ad hunc tamen modum omnes directi. Sic in medicina non vna herba datur, sed multę. Et aduersus febrem remediū non tantùm vnicum est, sed plura, quorum tamen vnum altero nihilo incertius est. Iam ergo 4. modorum discrimen propiùs notate. Modus primus fit per *Specula*: secundus per *Berillos*. Geminorum istorum modorum processus ac ordo vnus est. Per visionem enim vtrobiq; manifestantur omnia, quæ debent, quanquàm per varias artes id impetretur. Ratio effectus in eo est, quòd in speculis & berillis eiusmodi, vel quibuscunq; reb. aliis splendorem & reflexum dantib., visiones appareant, quę, quod occultum est, manifestent. Exēplum. In speculo quiuis seipsum contuetur, quę ars Nectromanticæ vilissima est. In berillis autem non resplendentib. artis plus positum est. Sicut enim vrina, vitro excepta hominis morbum nihilo obscuriùs indicat, quàm speculum inspectorem suum præsentat: ita effectus idem etiam est, Nectromantiæ, cuius minimè pudere debet Medicum. Nec enim ex vrinę tantùm naturâ & proprietate omnia inuestigari possunt: sed multa insuper alia etiam requiruntur. Itaq; cum res absconditæ sint multiplices: ideò ad varias visiones, varia etiam scientia requiritur; varię ergo artes sunt, quæ abscondita huiusmodi rimentur. Sicut enim per medicinam multis modis ac vberrimè præsidium nobis præstatur: ita multiplici etiam formâ modóque scientiæ nobis concessæ sunt. Nemo ergo altero vel maior vel minor sibi videatur, sed similem se vtique cæteris iudicet.

Porrò, modus adhuc alius restat, artem medicinę inquirere docens in herbis occultis, docens etiam artes in reb. cæteris, docens naturalem sapientiam, prudentiam, consilium, &c. Quanquam & per priores modos idem fieri possit, si res scriptæ, hoc est, corporales præsto sint. Si res corporales non sunt, processu altero agēdum est. Per hunc enim, quid corporaliter nō adsit, cognoscitur. Ac cognoscitur idem vel virgultâ directâ, vel per somnia, vel per missionem plumbi, vel per artem lucis, & similia, sicut species huius membri docent. Per hæc omnia, quę in natura abdita sunt, cognoscuntur, eâ ratione, quâ diximus.

Præterea species adhuc vna superest, docens abscondita (al. ablata) retrahere. Quod absurdum videri nemini debet. Suum enim iudiciū, suam legem, ipsa quoq; astra ac natura habet, cui satisfieri oportet. Quæ si sententiam tulerit, is, qui rem abstulit, ad locum vnde abstulit, referre & reportare cogitur. Non verò de reb. furto tantùm ablatis hoc verum est, sed & ad quælibet alia spectat, quę iusto reposci titulo possunt. Cæterum de hoc naturæ iudicio nemo dubitare debet. Habet enim homo legem à naturâ, secundum quam regnat. Nec homo ipse legem illam facit, sed facit illam natura: Et ab hâc homo ipsam accepit. Vnde etiam vocatur Lex naturæ, non hominis.

Iudicio naturæ res furtiuæ restituuntur.

Hâc de causa iure etiam naturæ obsecundādum est. Homo autem obsecundat naturæ, si secundum legem eius viuit. Si ergo obsequium requiritur. Natura ipsa per se, etiam citra opem

seu executionem hominis exequi potest, si sententia semel decreta est. Attendite ergo, Legem vnicuique tribuere, quod suum est. Hinc iam sequitur, si aliquid est potius homine, ex quo homo potestatem & rationem suam desumat, potius vtique esse illud, quod cuilibet attribuere suum potest, & quidem ipso faciliùs homine, qui ab illo potestatem accipit, sicut homo illam accipit, à natura. Et licèt illud potius quidem inuisibile sit: inuisibilitas tamen ista potestati eius nihil derogat. Ex hoc iam emanat species illa Nectromantiæ, qua res furtiuæ requirantur & inueniantur, hac quidem connexione, quòd natura per vim indicij imperet talia domum referri, si in iudicium adduci possit, hoc est, si natura per artem ad iudicium adduci potest, potestatem habet vnicuilibet suum restituendi, sicut in Nectrom. manifestè patet, quæ multoties huiusmodi iudicia manifestè coegit & impetrauit. Etsi verò, quomodo hæc fieri debeant, in Nectromantia minimè hîc tradatur, sed potiùs in Philosophia naturali, h. e. in Practica Nectromātię: Probationis tamē ergò hęc hoc loco adducenda obiter esse arbitratus sum, vt res planiùs intelligeretur.

Nectromantiæ species quarta.

Tandem modus adhuc vnus Nectromantiæ superest, qui naturalia secreta cordis reuelat. Absurdum autem non est, hominum cogitationes aliis innotescere posse. Sicut enim, quod in principio diximus, absconditum adeò nihil est, quod non reueletur: sic nec cordis cogitatus occulti esse vel manere possunt. Vos autem ad dicenda diligenter attendite: exploratio enim eius, quod in corde latet, momenti haud leuis est. Et hæc me ita profari, offendiculo nemini sit. Si enim ipse homo suum cor effutiendo sæpiùs prodit: cur quæso eius arcana sciscitari non possit ars? Si cor furtiuum est, manus perficit, quæ cor vult. Sic per manus cordis abdita reuelantur. Et vera hæc sunt non de corde tantùm hominis, sed de corde omnium corporum. Piscis enim in profundo maris manifestatur: metalla in mediis montibus produntur: ignis in duro Crystallo, Silice & Calcedonio reuelatur: lignū inutile per vermes arguitur: lutum ineptum per Gryllos denotatur. Ex his enim quæcunque in istorum corporum cordibus condita sunt, cognosci possunt. Quòd si ergo vel ipsa natura nihil abscondere potest: multò minùs homo cor ac animum suum ita occludere poterit, ne quid eius prodatur. Continere enim sese non potest, quin aliquid emittat, & effluere ex ipso patiatur.

Iam verò sua via rebus omnibus inueniendis data est, h. e. rerum vniuersarum inquirendarum modi ac rationes variæ sunt. Promemus exemplum de homine. Huius cor interdum manifestatur per os, interdum per manus, interdum per pedes, &c. Modi hi procedunt ex ipsa natura eius, quod occultum est, per instrumenta: veluti cor per manus & pedes &c. Sic aliis quoque modis per varias artes. In omnibus tamen rebus debet reuelatio procedere ex corde. Sic sua indicia habent pisces, vbinam quæri debeant: sic etiam metalla latere non possunt. Quod n. in corde abundat, per os effluit. Hoc indicium si sequamur, inueniemus quæ quærimus. Sic sua etiam homo indicia profert, quæ si exactiùs rimentur, omnes eius cogitationes produnt. Exemplum euidens est in ebriis. Qui vino ebrius est, nihil continet, sed omnia effutit. Ita & ars, instar optimi vini, secreta elicit. Ars hæc quondam caballistica vocata fuit, primò dicta caballa, postea caballia. Ipsa tamen talis non est, sed est species Magiæ, & non Nectromantiæ. Veteri tamen & non genuino nomine dicebatur *Gabanala*, ab auctore eius peritissimo, primo exortu (ignorata) nata apud Ethnicos, postea verò traducta ad Chaldæos & Hebræos, à quibus vtrisque tamen non locupletata sed corrupta fuit. Omnibus enim sæculis, naturæ Hebræi ignarissimi fuerunt, solos Pharisæos & Scribas agentes. Hoc genus circa quæ versetur, propalam notum est. Frequenti quidem illa in vsu fuit; sed tamen fundamento caruit. Et quales nouimus Iudæos esse in medicina, tales etiam fuerunt in aliis, imperiti rerum scilicet & solo euentu iactabundi, & fraudis velo inscitiam palliātes. A Persis autem vehementiùs adamata, ac sedulò exculta à Magis fuit, qui subindè ipsum fundamentum & veritatis radicem sectati sunt. Inficiari autem nemo potest, quin rerum omnium tam exquisita notitia, & vel ad extremum assem ista captata inuestigatio magni thesauri loco & vice sit. Cæterùm cur Deus indiderit hoc artibus, & artes hominibus instillârit causam hanc esse autumo, vt nimirum homo talem sese gerat, ne quid mali in ipso reperiatur, hoc est, vt donis eiusmodi, quæ Deus in naturam congessit, sese oblectet, malitiam omittat, & in secretis naturæ gaudeat, sciátque iustum & bonum, quod intra sese gerit nulli sibi damno aut vitio apud Deum fore. Voluit enim ac constituit Deus secreta manifestari. Et quæcunque in natura arcana sunt, (ea si sciat homo,) vsui & emolumento ipsi erunt. Quòd enim sacra pagina perscrutari scripturas iubet, id ipsum etiam dictum ad naturam accommodari debet, vt scilicet omnia, quæ quidem in cordibus condita sunt, perquirantur. De Nectromantia ergo tenendum est, ipsā mirabiliter in suis specieb. operari. Et licèt in hanc quidē artem multæ falsitates irrepserint, sicut nullibi res sine zizaniis proueniūt, illæ tamen eradicari facilè possunt, vt bonum in horreū conuehat', malū autē igne exuratur.

Caballistica ars quid.

Hebræi semper naturæ imperiti.

Videte verò, quidnam ars conferat, & in quibus operetur. Patet per lumen naturę creaturam quamlibet, siue insensibilis siue sensibilis sit, naturali aliquo spiritu donatam esse. Id etiam de rebus tam crescentibus, quàm manentibus verum est. Horum spirituum natura ac proprietas talis est. Sicut ex vmbra cognosci potest corpus, ita, vt vbi vmbra apparet, necessariò corpus aliquod præsupponatur: ita inquam per vmbram corpus cognoscitur eâ probemodum similitudinē, qua id ipsum corpus est. Quod ita intelligetis. Veluti vmbra nulla suo corpore caret, nec corpus vllum suâ vmbra: ita nihil quicquam in elementis existere potest, vmbratico tali spiritu orbatum, qui spiritus visio est, & vmbra vel splendor rei, veluti in speculo exhibitus. Hoc n. modo spiritus decedunt de creaturis, & oculis nostris apparent:

Naturalis aliquis spiritus reb. omnib. inest.

rent: non quidem quod reuera spiritus sint, sed sicut de vmbra modò diximus, ita, quod resplendet, vmbræ modo accipiendum est. Huiusmodi vmbra & specularis figura arti Nectr. subiecta est, quæ ipsam tractat, sicut Pharmacopœus herbam in pyxidem ingerit, aut sicut exemplum sequens demonstrat. Egreditur nimirum ex viro aliquo vox. Ea auditur quidem, ipse tamen vir minimè conspicitur. Ex voce tamen aliqualiter intelligitur, quale corpus id sit, ex quo vox est egressa. Eodem modo & nomen spiritus hic sumitur, quo vox hęc diceretur spiritus, cùm tamen spiritus minimè sit, sed vox de illo corpore. Sic nihil vspiam est, quod eiusmodi spiritum non habeat, hoc est nullum corpus suâ vmbrâ aut voce caret. Et sicut Sol cuiuslibet vmbræ causa est: ita Sol quoque alius est, faciens vmbram in Nectromantia, qui dicitur *Sol Gabanale*. Porrò spiritus ille prouenit ex firmamento, & in natiuitate naturaliter conseritur nobis, vt poste per quē spiritum quærere debemus, non secus ac vocem aliquis sequitur, aut venator sequitur vestigium. Nam id vestigium spiritus est. Per talia enim reperimus: & quæstio illa vel vestigium multiplex est. Alia enim conditio est eiusmodi spirituum apud homines, alia apud quadrupedes, alia apud volucres, alia apud insecta, alia in metallis, alia in gemmis, alia in ligno, alia in mineralibus, alia in herbis. Itaque qui Nectromanticus perhiberi velit, hunc eiusmodi spirituum gnarum esse oportet. Sine illis enim nihil inueniet. Si ergo, vt dictum est, inter quinque species aliqua ars datur, quæ quærere doceat, ad solum hunc spiritum illa respiciet, à quo penetrabit in corpus, ex quo ille progressus est. Et quærendum ita est, vt per artem Nectromanticam vestigium legatur, & per vestigium inueniatur corpus. Sic enim inuentio procedet. Et spiritus iste apparet in speculis & Beryllis: idem dirigit virgulas, attrahens ad se ceu magnes ferrum: idem versat cribrū: idem flammam à candela detrahit. Virtutem enim in se attractoriam habet, quâ res quę quæruntur, attrahit, velut Magnes ferrum. Quæ quidem Magnetica vis, hîc cumprimis attendenda, nemini admirationi esse debet. Quem Magnetem, vt rectius intelligatis, exemplis nonnullis adductis rem confirmabo. Primum erit de Basilisco, quæ visu multos interimit. Si de malis hoc verum est: ex eo iudicium fieri etiam de bonis licet. Quæ quidem vt hoc loco ita adducam, plus sacra scriptura quàm ipsa natura me mouet. Vnum enim ex altero colligi æquum est. Si aspis à nostris calcandus pedibus est: quantò magis id fiet à toto corpore hominis, de cuius singulari potentia hic prolixiùs nihil disputo. Si natura in firmamento ciere potest niuem & pluuiam: idem si etiam possit homo, cur vitio ipsi id dabitis, si nimirum Deo ita placitum sit? Quis igitur & meam Astronomiam pessundabit? Quinam figuram collocauit in speculum? Quisve dicere potest, eam per artem inesse speculo? Aut quis, quomodo figura in speculo insit, probare nouit? Ita ergo & huic probationi acquiesce. Quî verò ratio

Spiritus vocabulum quid significet.

Sol Gabanale.

Spiritus naturalis diuersus in diuersis.

Sp. natur. vim habet Magneticā.

nostra arcana Dei adeò exquisitè rimari possit? Aut quomodo discipul⁹ superare queat Magistrū? Doctrina ita acquiritur, si Discipul⁹ sequatur Magistrum? Hoc verū est quod sequitur, quod oculi nostri vidēt, id quidem credimus. Si verò aliud quid absconditum sit, quod oculos non attineat, nihil aliud cogitate, quàm quod supremus Magister tales nos faciat quales nos esse vult. Ipse suo ore dixit, cuius equidem etiam verbo obstinatè inhæreo: *Nihil adeo absconditum est, quod non manifestetur.* Ipsius miracula si mecum trutino, video ipsa multis modis fieri. Quæ autem in singulis ratio sit, per artem docuit, quam repudiare non possum. Quòd si iam abundarem otio, longè plura, quàm hic facio, afferrem. Et cùm ipse creator talibus oblectetur: pro mea parte faxo, vt naturæ lumen clariùs & dilucidiùs cognoscatur, non quidem, vt ad cuiuslibet seorsim quæstum faciat, sed vt ob magnificentiam suam omnibus admirationi sit.

Iam verò porrò de Nectromantico auscultate, qualem ipsum per se esse oporteat, cùm quoad personam, tùm quoad vitam & mores. Nec enim quiuis promiscuè huic arti idoneus est. Exemplum. Non quiuis aptus est discendæ pictoriæ aut phrygiæ arti: sed, vt vocatus est, ita se habilem præstat. Debet autem in omnibus similem sese præbere ferro aut chalybi, hoc est, cum arte debet conuenire ipsi, sicut ferro conuenit cum Magnete, vt coniunctio cum illo spiritu fiat. Sicut enim Magnes & ferrum coniunguntur: ita coniungi etiam debet ars cum abscondito. Quorum natura taliter constituta non est: per illos nihil perficitur. Duo enim ista non consentiunt. Et quæ mutuò non consentiunt, opus fœliciter nullum faciūt. Sic Magnes in plumbum aut stannum nihil operatur. Ita & spiritus iste in dissentaneum non operatur, cui non conuenit. Simile enim simili vnitur: Et simili cum dissimili non conuenit.

Nectromanticus qualis esse debeat.

Simile simili conuenit.

Creditū à nonnullis fuit, per virgines & impollutos pueros huiusmodi visionē & artē fieri posse, putātib. quod ipsa puritas operetur, quod tamē falsum est. Artes ipsæ ad pueros aut puellas directæ non sunt, sed ad quemlibet ipsarum peritum, & callentem. Requiritur autem *Ingenuina virtus*, quæ consideranda est. Verum tamē est, illum, qui ad Nectromantiam natus est, tāquam probus, si furetur, probitatem suam exuere, & in ipsa minimè acceptari. Sicut enim perdere aliquis potest suum honorem, suā probitatem: ita etiam artem potest perdere, vt nihil ampliùs potentiæ habeat. Magnes in oleum laterinum coniectus, vim suam trahendi amittit. Ferrum, binis horis in oleo salis relictum, à Magnete non ampliùs assumitur. Si in naturalibus hoc fit: poterit vtique & homo, puritatem exuens, suis artibus & viribus, & naturali potētia orbari. Per peccatum enim amittit homo Deū. Amittere ergo poterit etiam quod minus est. Quò enim animus hominis dirigitur: eodē diriguntur etiam ipsius vires, cor, thesaurus. Si cor conuertitur ad Deum: ipsius thesaurus De⁹ est. Ita ergo ab ipso attrahitur. Si cōuertitur in naturam: natura ipsum attrahit similiter. Si ambiguè se habet: tale etiā opus eius ast. Et sic perpetuò conditioni hominis virtus & potentia eius respon-

Ingenuina virtus &c.

Ol. later. Magnetis vim destruit &c.

ius respondent. Pręgressa itaque hactenus demonstratione confecimus, à nobis in natura quærendum esse, non saltem vt quęrunt Medici calidum & frigidum, humidũ & siccum, sed more Nectromãtico, quæ ars quærendo penetrat etiam saxa. Ibi per naturam introspicitur, veluti per vitrum. Hoc modo manifestantur occlusæ literæ, abdita & abscondita arcana alia, omnesque in natura proprietates, omnia in homine secreta. His itaque dictis Nectromãtia quidem satis explicata sit. Cętera, quæ ad processum & ordinem spectant, in practica seorsim expedientur.

CAP. VII.

PROBATIO PARTICVLARIS IN scientiam Astrologicam.

CVm in pręcedentibus capitibus de homine & astris dictum & explicatum sit: porrò iam sciendum est, Astronomiam esse scientiam homini vtilem & idoneam, per quam cognoscantur, quę homo de rebus caducis, scire debet. Cúmque hominem ex mundo externo constare demonstratum sit: illius vtique materię homo omni sua essentia, proprietate, conditione & natura similis existit. Hinc iã sequitur, Astrologiam duplicem considerari debere, hoc est, ex duobus practicandum est, ex Astris & ex Elementis. Cœlum namque duplex est: *Sensuum* alterum, alterum *Carnis*. Ex Astris sunt, quę pertinent ad Inuisibile. Ex Elementis sunt quæ Visibile concernunt. Hinc corporis æstimatur complexio, morbus, sanitas, voluptas carnis. Quod enim carneum est, non ex Astris, sed ex elementis oritur. Sic elementis assignãtur hepar, cor, splen, cerebrum cum suis operationibus, etiam libido & morbi corporales. Hinc etiam deducuntur ex altera parte, quę ad sensum & intellectum referuntur, cum appertinentibus virtutibus, vt sunt sapientia, terrenum iudicium & cognitio, terrena lex, omnes scientiæ & mundanæ sapientiæ, ratio, doctrina, &c. quæ omnia ex solis astris, non ex elementis descendunt.

Astronomia quid.

Cœlum & astrologia est duplex.

Vt autem de vtraque Astrologia distinctè iudicare possitis: exemplum tale in medium conferemus. Videmus homines varios rebus seu fructibus variis capi. Hunc delectat cerasum, illum pyrum, istũ pomum, &c. Appetitus iste non oritur ex astris superioribus sed ex astris elementaribus. Hæc enim diuersitatem appetitus in cibis, potibus, & rebus aliis, ad solã carnem spectantibus ingenerant. Eodem modo & complexio ex elemẽtis, & non ex astris manat. Quæ etiam causa est, cur Astrologus Olympi superioris de hisce, vt & de morbis elementaribus nihil explicare possit. Conuenit ergo Astrologum esse perfectum, non imperfectum, & vtramque influentiam nosse, ac tum demum natiuitates hominum & iudicium facierum cœli & terræ describere. Vt autem res Astrologicas intelligatis, deinceps, quomodo homo ex Astris, tam superioris quàm inferioris olimpi cognosci debeat, attendite. Quo in discursu dicendum est de virtute attrahente, cuius facultatis & potentiæ sit. Res eæ, quæ hominem produxerunt, omnibus vitę diebus eidem etiã

Appetitus unde.

Ex quibus conservatur, illis adhibetur.

adhæreãt, ita vt iugiter illas desideret, omnique studio ipsis cõparandis & fruendis incumbat. Exemplum dabimus de corpore elementari. Hoc edere & bibere appetit id, ex quo generatum est, hoc est, sub qua constellatione constitutum est, ex eã etiam conseruari cupit, eamque attrahit ad se, vt sanitatem suam inde tueatur. Si autem voti compos fieri nequit, sed re desiderata orbatur, ex eo defectu iam oriuntur morbi elementares. Eodem modo sensus etiam humani constellationis suę proprietatem & naturam attrahunt, secundum quam homo gubernatur, & animali ratione fruitur. Sicut Magnes ferrum attrahit, & eius succum exugit, ac rubiginem omittit: ita homo quoque Magnes duplex est: Ratione corporis, quâ cibum suum attrahit, & ratione sapientiæ, quâ attrahit sibi Astra. In elementis alimenta inuenit carnis & sanguinis sui. In Astris inuenit sapientiam suorum sensuum & cogitationum per facultatem attractatricem, quam, vt diximus, quilibet hominum in sese duplicem habet Exemplum. In quo homo natus est, in id propẽdet & fertur appetitu nõ leniore, quã quo oblectantur, qui in Christo regnerati sunt. Et quâ ratione Magnes ferri attracti vim exugit, cęterum autem inefficax omittit: eâdem homo etiam per Magnetem elementarem cibum ac potum suum attrahit, & quod inutile est, per excrementa amittit, succum probum secum retinens. Ita etiam Magnes sensuum ex Astris quotidianam suam sapientiam sugit, velut apes mel ex floribus. Sed porrò de centro rerum omnium cognoscite. Centrum id est homo: estque is punctum cœli & terræ. Hoc centrũ quid significet, ita notate. Mundus vniuersus hominem ambit. Et homo à mundo cinctus est, sicut punctum obitur à suo circulo. Constat autem ad punctum tale omnia vergere & propendere, non secus ac nucleus in pomo medius iacet, ac ab ipso alimentum suum elicit. Nucleus enim a pomo ambitur & nutritur, cui pomum suum nutrimentum largitur, non aliter, ac pluuia vel ros desuper ex cœlo in terrã cadit, & à terra imbibitur. Quemadmodum sphęra superior id exhibet: eodẽ modo & homo est nucleus, mundus autem est pomum: & quæ ratio est nuclei in pomo: eadem etiam est hominis in mundo, quo is obseptus est. Porro sicut sol vim suam in hominem defundit, ac radios suos circulo suo vsque in punctum, hoc est, in hominem demittit: ita consimiliter omnes etiam vires externæ ab exteriore circulo operantur in centrum. Vt ergo sol radios suos, (in quib. vis eius,) ex circuli sublimitate deorsum in hominem transfundit: ita stellæ omnes etiam radios & vires suas vsque ad & in ipsum hominem vibrant, non saltem modo elementari, quo Sol calefacit, Luna refrigerat, sed & astrorum sensuales vires, scientiæ, sapientię, industrię prudentiæ, &c. æquè suos radios in sensus hominis dimittunt: sicut Sol in hominis corpus. Et sicut ignis fornacem ferream, Solque densum vitrum penetrat: ita astra cum omnibus suis proprietatibus penetrant hominem, non secus ac pluuia terram, ex qua deindeinde fruges enascuntur. Eodem namque modo & ab astris fructus in nobis producũtur.

Homo est magnes duplex.

Homo centrum rerum vniuersarum.

Homo similis nucleo pomi.

Astra vt vires suas in hominem fundant.

Sicut enim terra sine ope superiorum nunquã fructus profert: ita sine astris sapientia non viget in homine. Hoc modo corpus elementare & internum à circulis externis sustentatur. Rẽ illustrabimus exemplo. Fructus terræ in suo cẽtro, & centrum his indiget. Sic ab homine fructus terræ assumuntur, quod quotidie fieri opus est. Quotidie n. panem requirimus, nec dilatio vlla ac propagatio termini ferri potest. Iam si corpus quotidie alimentis opus habet: ex illis Medicus ductu elementaris Astrologiæ prædicere potest, quid corpori suo euenturum sit. Eiusdem sunt naturæ etiam sensus hominũ, vt quotidie ex superioribus rationem & sapientiam sibi attrahant, ac saturentur ex astris, & secundum sensus & cogitationes conseruentur, ex illis, quæ ex astris trahunt, sicut corpus sustentatur à pane. Hinc oritur Astronomus syderis. Hinc sequitur, Astrologum scire, quis Astrorum iugis cursus, quæ operatio, qui effectus sit: & simul compertum habere, quomodo concordent cum homine ac mutuò consentiant: denique etiam intelligere, qualenã quodnis attrahat pro conceptionis suæ concordantia. Itaque & hoc scire potest, quid in sensus hominis quotidie incidat, quid facturus is, quid omissurus sit, quæ operatio, quis finis secuturus sit. Sicut enim si Medicus quendam videt edere Venenum, ex ipsius proprietate pronuntiare potest, quid homini illi euenturũ sit: ita idẽ etiam de astris iudicãdũ est. Quę qualia sint, talia assumuntur, instar pyri aut pomi ex arbore decerpti. Quilibet enĩ in arte sua scire debet, hæc õnia naturaliter & ex proprietate ita euenire.

Astrologus quæ sciat.

Sed vt faciliùs hæc omnia intelligatis, rerum explicationem adhuc planiorem afferemus. Sicut paulò antè intellexistis, corpus ex exterioribus radiis sustentari per vim attractiuam, quæ specie famis & sitis viget: ita sciendum est, hominis corpus sydereum quoque ita constitutum, & ob inclinationem, quæ à sphæris in punctum & centrum abeunt, ita dispositum esse, vt ab externis sphæris rationem suam accipiat, impulsum nempe fame & siti corporis syderei, hoc ordine & lege conditi. Sed pro his porrò sic attendite. In omnibus elementis cibus corporalis hominis conditus est & reperitur. Adeóque quibuscunque indiget corpus elementare, ea omnia in elementis inueniuntur, hoc est. Omnia quæ assumit homo, ex circulis proueniunt extra punctum in ipsum punctum. Panis est circulus exterior, velut & fructus, & pecora. Similiter & Astra, sicut suo exemplo Sol demonstrat. Sic ergo vniuersa ad hominem sese sphæricè habent. Et hoc respectu Deus astris attribuit & indidit naturalem omnem sapientiam, intellectum, prudentiam, scientiam, denique quicquid homo animaliter & mortaliter scire aut posse debet. Et illis omnibus Deus duplici ratione frui hominem voluit. Prima corporaliter fit, altera fit eo modo, quo vitrum penetrat Sol. Et sic omnem suam scientiam discere & comparare debet homo, eámq; assumere velut pyrum de arbore, in eo scil. ad quod natus est, velut frumentum ex agro, vuáq; de vite. Sic orit' Musica, sic ars metallorũ, sic Medicina, sic omnis plantatio: deniq; quibuscunq; terrenum corpus opus habet, ea inuenit in sapientia astrorum. Et sapientia vniuersa hominis, bona & mala, ex his astris manat, ac desumenda est. Quæ verò spectant salutem & vitam æternam, ea ex vita æterna oriuntur. Quoduis enim, ex quo existit, ortum suum sumit, pars altera ex mortali: & omnis scientiæ siue cœlestis fit, siue terrena acquisitio, fieri debet per vim attractoriam ex circulo externo in centrum. Ea vis attractoria nihil est, nisi fames & sitis, nobis cõgenita & inseparabilis, per quam famem & sitim corpori nostro necessaria allicimus. Qui sitit, ad Christum accedat, & non amplius sitiet, hoc est, implebitur diuinâ gratiâ & sapientiâ. Sic etiam, qui sitit naturalem sapientiam aut scientiam, is ad fontem illum pergat, qui astra sunt. Et sicut æterna sitis, ita etiam mortales sensus intellectum suum ex astris trahunt. Ex his iam colligi potest, naturalem sapientiam corpori & non animæ datam esse. Illa ergo, quæ concernunt animam, per lumen naturæ contaminari non possunt, sed in naturam impendi debent: veluti vicissim & anima ex suo fonte satianda est. Per lumen naturæ inuenta sunt omnia opificia. In officina nãmque Planetarum Fabri sunt, ex quibus omnes fabri didicerunt. Illi sunt omnium optimi & peritissimi. Artem enim sibi congenitam habent. Qui si homines fierent, ferrum vt ceram cuderent: quę quidem arcana mortales nondum in terra assecuti sunt, assequerentur autem facilè, si de vero fonte biberent. Donec homo ex homine discit, tale nihil apprehendit. Si disceret ex astris, mortalibus omnibus præcelleret. Quod si ex fabris firmamenti disceremus, sicut solemus ex homine, opera certè admiranda producerentur. Similiter & Latomi sunt in sede Planetarum, de quibus latomi omnes discunt mortales. Qui si illos rectè cognoscerent, statuas vt ceram fingere possent, nec quicquam illis decederet, ac omnia ipsorum opera viuentibus imaginibus similia forent. Eadem verò de opificibus cæteris vniuersis similiter intelligenda sunt. Admiranda enim manu firmamentum Deus condidit. Et metus est, vt grandis nobis aliquando reddenda sit ratio, qua de astris nihil attrahamus. Cognoscere debet quilibet id, ad quod natus est. Nec minor de neglecto naturali quàm æterno ratio danda erit. Hoc enim fine Deus in naturalibus omnibus scientiis præceptorem nobis præfecit, vt scilicet ad verum fontem pergeremus. Similiter etiam omnium maximus & peritissimus Medicus in cœlo habitat, qui morbos omnes cognouit, & ipsos, oculis nostris absconditos, lynce acriùs peruidet, & omnes cum in gemmis tum in herbis latentes vires introspicit. Et Deus hunc ita creauit, vt ex ipso Medici cæteri nascerẽtur, suáque sitim ac famẽ ex solo illo satiarẽt. Ex paucis porrò iã allatis exẽplis intelligi debẽt vniuersa, quæ naturaliter cognosci & cõprehẽdi debẽt. Singulatim nãq; omnia recẽsere, tempore & otio abuti esset. Dicta ratione initiò prisci discere cœperũt: nõ vt nos cõsequenter disceremus ex ipsis, sed potiùs quæreremus, quę & ipsi quæsiuerunt, qui poterit nos docere quæ nob. necessaria sũt hoc tempore. Vetera n. præterierunt, vnde noua quærẽda sũt. Id est, etsi enim

Elemẽt. corporis cibus in elementis, &c.

Vis attractoria terrena quid sit.

Fabri in firmamento peritissimi.

Medicus cœli omniũ perspicacissimus.

enim veteres quidem non pauca reliquerint nobis, quæ iam scimus & possumus: illis tamen acquiescendum ita non est, vt non porrò etiam sectemur, nisi quę ab ipsis didicimus, sed emendando, quærendo & discendo quotidie magis proficere debemus. Schola námque nostra & disciplina vsque ad finem mundi durat.

Astronomia quare necessaria.

De Astronomia ergo resumimus, ipsam artem esse necessariam, & magno in pretio habẽdã, adeóq; ob vnam præcipuè cãm plenè perfectéq; discendã. Quemlibet n. hominẽ docet cognoscere, quæ ipsius mẽs, cor ac cogitatio sit, à bona vel praua, simplex an malitiosa, & quid hora conceptionis fecerit, quænã operatio secutura sit infantẽ, modo conceptionis momẽtũ imitetur. Præterea docet illa quoq; quẽ quisq; præceptorem, & quomodo quærere debeat. Quo verò pacto nec elementare corpus in cõstitutione sua cõseruamus, sed plerunq; largiùs helluamur, potamus, scortam', quã elemẽta ipsa impresserunt: ita nõ min⁹ plerũq; ipso etiã cœlo abutim', nimia ingurgitatione, &c. vt penetrare nõ possim⁹ ad id, ad quod nati sumus. Maioris ergo dilucidationis gratiã tenendũ est, quòd ex schola illa ipsum naturæ lumen solidè depromi possit, ne deinceps citra illud in terra ãbulem⁹, sed malã Influentiã eiiciamus, & bonã adsciscam', sicut & discipulos in scholis melius instirui videmus, vberiùs discentes, quã si in scholã nõ commeasẽt, deniq; optionẽ habẽtes discẽdi ex quocũq; libro ac auctore velint. Electio verò ac optio illa nobis minimè interdicta est, sicuti & in cibis ea cõcessa potestas est, vt aut ad sanitatẽ aut ad morbos illos ingerere, adeóq; vel addere quid vel demere possimus. Sic ergo per scientiã Astrologicã omnia reuelant', antequã eueniãt, prius scil. cognito patre, ex quo filius genitus est. Et hoc nemini videri mirum debet. Multa n. ẽt. à Spiritu sancto lõgè antea, quã euenirent, prædicta sunt. Sic Natiuitas Christi à Prophetis pronuntiata est, sicut & Natiuitas Mariæ & Ioãnis Baptistæ, nec quicquã eo loco dissimulatũ fuit, sed vniuersa vt prædicta sunt, sic in veritate & ipso facto euenerũt & cõpleta sũt. Eodẽ modo si Natura quoq; futuri aliquid operatura est, ĩstitutũ sũũ per horã cõceptionis, ex qua Astrolog⁹ naturaliter natiuitates deducit, ac indicia & prognosticationes suas extruit, prænũtiat, id quod Astronomię quidẽ ĩpossibile nõ est. Hãc n. ordinauit Deus, vt aduẽtus & gesta illius hominis scirent', quæ ipsũ naturæ lumen operaturũ sit, nõ minùs ac futura prædicta de Christo sũt. Et hîc eadẽ est ratio, quę frumẽti. Semen si in agrum coniiciatur, indicium suum illicò prodit, quod intra anni spatium culmus erupturus sit in aristam. An verò non & homo semen est momento seu horã conceptionis suæ? Cur ergo non etiam instar seminis in agro suam spicam indicet, siue à grandine, siue à pruina verberetur & vratur? Itaque & Influentia astrorum similiter per suum semen cognoscenda est, quidnam ex illo semine futurum sit: nec tantum quoad hominem, sed etiam quoad cursus cœli erga naturam. Sic ergo, vt iam dictum est, deinceps intelligite, quã ratione homo generetur & nascatur, ac in sese cũm famem tum sitim habeat, elementare simul ac sydereum

Astrologiam ante euentus prædicit.

corpus cibandi & potandi, secundum appetentiam in conceptione insitam. Quicquid enim momento illo implantatum est, id subindè adhæret. Ex quo iam conficitur, Astrologum illam omnem vim, naturam, proprietatem ac vniuersam concordantiam constellationémque describere & prænuntiare posse. Hac námque via mirabiles quædam natiuitates, in liberis tam bonis quàm prauis constitutæ fuerunt. Quicquid autem per sapientiam regitur, id scire diuinum, non humanum, Angelicum & non carnale est. At qui secundum naturam viuit, quod pars facit maxima, is nihil adeò in sese absconditum habet, quod per Astrologiam sciri nequeat. Ad generationem ergo hominis dirigenda est figura cœli & proprietates stellarum cum modo particulari diligenter expendendæ sunt. Modus autem Astrologiæ is sit, vt sciat & intelligat omnem naturam, sapientiam & scientiam stellarum, quomodo in conceptione operationem suam perficiendo hominem animalem constituant. Ac quoniam coniunctio huiusmodi & ingenuina concordantia adest, Astrologus hominem ceu animal facilè describere potest. Quòd si Astrologia debito modo solidè cognosceretur, & liberorum natiuitas certo & comprehenso iudicio secundum naturam Influentiæ conciperetur: non dubito equidem, multa mala euitatum iri ab illis, qui aliàs ex constellatione tali fundamentum falsum extruentes, seipsos in mortem deduur. Sicut enim stulti monstrorum vice nascuntur: ita fiunt etiam monstra in intellectu, in Theologia, in regnorum administrationibus, in scripturis: ita vt à monstris istis in phantasiam coniecti homines, submersionis periculum declinaturi minimè essent, non cogitantes, talia ex spiritu imaginis, non naturæ procedere debere. Ipsa námq; multa obstinata & delira capita gignit, quæ pro sapientibus & à Deo missis ab hominibus indicantur. Itaque summæ necessitatis est, rectiùs Astrologiam addisci, vt quidnam naturale vel non sit, rectiùs sciatur ac cognoscatur.

Stultorũ & mõstrorum plena omnia.

PROBATIO PARTICVLARIS IN SCIENTIAM SIGNATAM.

QVicquid natura generat, format' id secũdum essentiã virtutis, in subiecto latentis. Quod ita intelligi debet. Prout animus, & natura, & proprietas cuiusdam hominis se habet, ita natura corpus quoq; eidẽ suã figura insigne confert, ita, vt figura, corpus, virtusq; in simili vna concordantia versent', & quoduis alterũ indicet. Virtus nimirũ indicat formã, figurã, corpus & substantiã. Sic eadẽ ẽt indicãt essentiã eiusdẽ. Virtus nãmq; & forma in gradu vno constituta sũt, ita, vt per virtutẽ forma, & per formã virtus intelligat'. Sic per rufos capillos virtus cordis rubra cognoscit', per flauos albósue flauũ albũue cor. Quales n. crines, tale etiã cor. Hinc etiã prouerbiũ iactat': Quò magis mutilus, magis improbus, quasi diceret': mutili corporis, mutila mẽs, & mutilæ mẽtis mutilũ corpus est. Et distortio illa non vnius tantũ partis est, sed multarũ, etiam in exteriore corpore, vt nasi,

Animi & corporis vna plerúnque harmonia.

Mutili improbi.

nasi, oris, artuũ. Sed vt ista rectiùs intelligatis, ad sequentia paulo accuratiùs attendite.

Adamus integer fuit corpore & animo, & ante lapsum.

Adamus integritatem habuit tam corporis quàm animi, nec vllo næuo deformis fuit. Vbi verò cognouisset bonũ ac malũ lapsus est in naturã. Postea ius & potestatem sibi sumpsit natura signandi & formandi quemlibet pro conditione sui animi. Sicut n. illa in omnibus potens est: ita formã quoq; fecit & indidit cuilibet, prout bonus vel malus esset, prout animũ, sensus & cogitationes homo sanas vel prauas haberet. Secundũ diuersitatẽ n. sensuũ, diuersa quoq; hominib. corpora addita fuerũt. Et sensuum illa varietas in causa est, cur nullus hominũ alteri similis sit. Sẽsus ergo alius, alterius forma occasio est. Adamus n. priusquam bonum & malum internosceret, Deo placebat optimè. Post cognitionem autem illam pœnituit Deum facti hominis. Per illam n. homo in aliam proprietatem coniectus est. Et propter hanc ferendum quoque ipsi fuit, vt aliter signaretur. Hinc quot species in homine siue bonæ siue malæ, tot etiam formæ, vt perpetuò speciei virtutis species formæ respondeat. Hoc modo homo in potestatem redactus est naturæ, qui aliàs signari ab ipsa minimè potuisset. Et deinceps hominem non manus Dei, sed natura facit, quæ sine signis suis nihil producit. Nec enim minùs iam iuris in hominem natura habet, ac in florem campi.

Signatũ quid?

Hunc signat, & per signatum, eius interiora omnibus noscenda offert, ita vt signator per signatum intelligere possit virtutem in corpore illo latentem, siue hoc sit herba, siue arbor, siue res animata, siue inanimata. Hâc námque viâ signatores multa medicamina, remedia, & vires alias in rebus naturalibus inuenerunt.

Signaturæ vis in rebus describendis.

Et qui non ex ipsa signatura herbarum vires describit, is, quæ scribat, nescius est. Nec enim diuersum is à cœco alio proferet. Hoc porrò instituto ipse quoque homo signatur, ita, vt vnus subinde præ alio cognoscatur. Et hoc iã ordine Deus oblectatur. Cũ ergo in tot species distribuatur homo, adeóq; iam, cuiusnã speciei sit cognosci possit, non aliter ac flores, & omnia crescẽtia, quorũ quodlibet naturæ suæ formam, ex qua virtus eius cognoscatur, refert: ideò declarationem deinceps talẽ notate.

Cognitionis modus triplex est.

Cùm nihil adeò in homine absconditum sit, quod manifestari non oporteat: id trib. modis fieri animaduertendum est: *Per signa Naturæ*, h.e. per signatum, per quod nihil abditum manet: *Per indicium proprium*, h.e. per proprij oris confessionẽ, qua quis ipse occulta sua prodit: (Cùm n. homo signati, h.e. artis signaturæ non semper peritus sit: nec quid absconditum maneat in homine latens, per os illud expellit natura.) Denique *per Iudicium Dei*, quo Deus ipse ordinat, vt cor hominis reueletur. Quale enim id per se est, tale vis diuina profert in exemplum & admonitionem aliorum. Sic boni bonis operibus, mali malis produntur, ipso quoque Christo assentiente & dicente, *Ex operibus & fructibus eorum, cognoscetis eos.* Opera námque & fructus testantur de qualitate arboris. Et sicut carduus vuas non profert: ita ex malo homine boni nihil manat.

Cæterùm, modos illos duos, per indicium nimirum proprium, & per iudicium Dei, hoc loco tractandos non suscipio. Spontanea enim cognitio, arte non indiget. Et quæ Deus facit, manifesta sunt, nec, vt scribantur, exigunt. Tradam autem explicationem vberiorem de signis, ab ipsa natura propositis. Compertum nimirum ac manifestum cuiuis est, semen in terram coniectum, & aliquandiu ibi sepultum, abscondita & secreta tandem sua extra terram proferre vi naturæ, ita vt iam cuilibet certum sit, qualenam semen in illo loco conditum fuerit.

Cor est semen noscendi hominis.

Eadem ratione & cor semen est hominis, ex quo semine natura protrudit aut educit corpus, cuius intuitu quiuis deinde videt, qualenam id cor fuerit. Etsi verò signa quidem in herbis ac arboribus, quàm in homine euidentiora & manifestiora sint: nihilominus tamen & ad hunc noscendum artis satis datum est, si naturam rectè & diligenter scrutari velimus, sicut in signato sese exhibet, &c.

Homini omnia perscrutabilia.

Homines nos rimamur omnia, quæ in montibus abstrusa latent, per externa signa & similitudines. Sic etiã cognoscimus proprietates omnes herbarum, & quicquid in lapidibus occultum est. Nec quicquam adeò vel in profundo maris demersum, vel in firmamento elatum est, quod homo non cognoscat. Nullus mons, nullus scopulus adeò crassus est & densus, vt, quæ in ipso sint, abscondere possit, ne quà homini prodantur.

Signum signatũ quid.

Nam per signum signatum omnia reuelantur: quod quidem nostris oculis idem est, ac pyrum in arbore, quod ex ligno, ex radice, ex terra erumpit, & quid interiùs sit, prodit. Fructus enim quilibet est signum signatum, per quod interiùs latentia cognoscuntur. Similiter & in homine nihil esse potest, quod exteriùs non signetur, ex quo intelligatur, qualenam sit interius, quod signum signatum referat. Et sicut Medicus artis suæ comprehensionem sumit ex signo signato: ita etiam Astronomus ex signato illo, quod cœlum proponit. Nihil enim in stellis est, quod signum signatum exteriùs non exhibeat. Sicut ergo sua signa herbæ & stellæ habent, ex quibus Medicus & Astronomus artes suas deprômunt: ita etiam internæ hominis essentiæ cognitio ex signo signato, quod fabricator microcosmo addidit, desumitur.

Astronomus, Philosophus, Medicus quis verè.

Quique non ex signato signo Astronomus fit, is Astronomus non est. Qui non ex signo signato philosophatur, is non est Philosophus. Qui non ex signo signato medicatur, non est Medicus. Estq; naturalis Astronomia, quæ seipsam in homine fabricat: & firmamentum microcosmi est ipsius cœlum, cursus, sphæra, æther, olympus. Sed de his porrò disseramus.

Scientiæ 4. rerum arcanarũ inuestigandarũ.

Quatuor res sunt, per quas natura hominem & crescens quodlibet manifestat. Quod ita accipietis. Per quatuor artes aut scientias arcana rerum inuisibilium cognoscuntur & inueniuntur. Nimirum per *Chiromantiam*, quæ prima est. Ea versatur circa exteriores partes locustarum in homine, vt manus ac pedes, corporis venas, ductus, lineas, rugas, &c. In manibus enim ac pedibus, venisque signa signata continentur, ex quibus Chiromantes iudicium facere debent. Per illas n. non homo tantùm cognoscitur, sed omnes etiã herbæ, lapides, &c.

1. Chiromantia quid?

Quicquid enim vspiam est, id in signa Chiromantica collocatum est: Adeóque Chiromantia est astrum rerum naturalium.

ralium. Sic in lilio est Chiromantia, hoc est, in lilio astrum secundum lilium se habet. Estque hæc species signati prima. Species secunda est *Phisionomia*, considerans formam vultus, & quicquid capite continetur. Ars hæc Phisionomia supplet signatum superiorum sensuum & cogitationum. Aliud enim est cor, aliud caput, licèt non caput, sed cor Princeps sit & Dominus. Hinc sequitur, hominem cognoscere quid in vtroque lateat. Tertia est *Substantia*, formam totius corporis comprehendens. Scientia hæc, vt cæteræ duæ, docet rationem noscendi hominis, quis ipsius sensus, quæ cogitatio, quod cordis consilium sit, & quid interius tractet & meditetur. Congenitæ n. naturæ displicet malus internus homo, ideoq; 4. ipsū modis signat, ne quicquam sit occulti, quod per hoc signatū non manifestetur. Quarto loco est *Mos & Vsus* qualem se gerit homo, talis etiā in cæteris est. Sic vrtica vrit: sic cantharides vesicas attollūt. Sic ergo 4. ista coniungenda sunt, quia iunctim perfectam cognitionē abditi interioris hominis, & rerum vniuersarum ex natura ortarum suppeditāt. Et sciendum est, secundum quatuor ista creaturam quamlibet cognosci. Medicus si 4. has species cognouit, nouit medicinam per formam suam & figurā, quæ in species 4. distribuit: sicut 4. scientiæ commonstrāt. Hoc modo Medic⁹ cognoscit medicinā, Astronomus Astronomiā, sutor corium, textor pannū, faber lignum, figulus lutum, metallarius metallū, denique quilibet artifex subiectum, scientiæ seu facultati suæ proprium. Sic ergo sese natura habet, vt cognoscere doceat, quidnā in re qualibet lateat. Qui 4. istorum cognoscendorū scientiā non habet, vt naturæ arcana ex illis scrutet: is nec esse potest Naturalis, nec naturalis Astronomus, nec naturalis Medicus, nec naturalis Philosophus, nec quicquā de naturæ arcanis ac mysteriis differere potest. Fundamentū itaq; cognitionis in eo positum est, quòd nimirū res ōnes suum semē habeant, & in semine omnia cōclusa sint. Natura autem est fabricans figuram, promam formæ, per se essentiā indicantis. Forma enim essentiæ index est. Essentia nāmq; est inuisibilis. Ideò quatuor illa ad Astronomiam pertinent, vt in conceptione ita ordinentur & disponantur. Vnde & ipsorum explicatio ex Astronomia procedit, vnà cum aliis, quæ conceptionis huius tempore simul fiunt.

Sic ergo per naturam constitutum est, vt externa signa interna opera & virtutes deū ōstrarēt. Sic placuit Deo, vt nihil absconditū maneret, sed per scientias manifestaretur, quicquid in omnibus creaturis latet. Possent hoc loco non immeritò admirari quidam, cur constitutum ita à Deo sit, vt per scientiam homo occulta perscrutaretur? Sed id hac de causa præcipuè fecit Deus, vt corpus hominis suum exercitium &c. haberet, & exploraret, quænam & quanta Deus spiritualiter in corpora ingesserit. Ideo etiam noluit, scientiam istam incognitam esse. Virtutes enim vniuersæ scientiis subiectæ sunt, vt per illas cognoscatur, quid in re qualibet spiritualiter insit. Subnectemus autem deinceps exempla quædam, ex quibus signaturam rectiùs intelligere queatis. *Tignarius*, domum, quam extruit, primò concepit in imaginatione sua. Ad hunc conceptum postea similiter ædificatur domus. Iam ergo per formam domus, cognoscitur cogitatio seu animus tignarij. Sic, quod in sensu ac mente & natura est, à nemine sciri potest, donec ad formam & figuram suam perducatur. Similiter & alia, quæ homines mente & animo volunt, per fructus & opera manifestantur. Vt nihil adeò occultum manere possit, quod non seipsum prodat. Exemplum aliud. Quo vnumquodnis facit, ad id etiam formatur. ita qui cogitat exstruere turrim, aut aggerem, formam illi talem confert, quæ ad reprimendum hostem maximè idonea sit: ita vt quiuis rei bellicæ gnarus ex forma turris videat, quanti roboris, cuius virtutis & instituti turris sit. Iam ex hoc sciendum est, ipsorum quoque hominum virtutem sibi propriam figuram condere. Sicut imaginatio tignarij domum condit: sic etiam mens humana facit id, ad quod propendet & inclinat. Eo consilio corpus sibi disponit ita, vt bellator exstruit turrim, per quam animus & consilium ipsius noscitur. Idem eadem ratione natura quoque architectatur in signando homine. Qui vt se habet in animo ac corde, ita quatuor signa natura ipsi appendit, ex quibus cognoscitur eius animus, non secus ac ex domo intentio tignarij. Iam si homo eius industriæ est, vt arcem sibi contra hostes exstruere possit (quam tamen sine additis signis statuere minimè potest) multò magis eius prudentiæ in condendo homine natura est, vt virtutes eius & animum non occultet, sed publicè præstituat, vt quilibet ab illo sibi cauere possit, non aliter ac à glande tormentaria, ex sede abdita emissa. Ita nihil in natura est, cuius corpus virtutis indicium non exhibeat. Opera itaque sedulò danda est, vt hæc forma rectè & penitè cognoscatur. Sic enim fiet, vt ipsa quoque illius virtus, hoc est, spiritus rectè cognoscatur. Hoc fine natura producit claudū, vt claudis, hoc est, improbis reb. adhibeatur, aut ab ipso homines sibi, tanquam à labro in turre tormentario caueant. Huiusmodi signa multa in hominibus notantur omnia ex corde vel animo procedentia & per animum in huiusmodi formam redacta. Qua quidem re animus & forma vnum fiunt. Vult enim natura, formam hominis, & quæ ad signatum referuntur, per scientiam signatam cognosci, & per formam illam constare, cuinam rei hominem istum natura adhibitura sit. Scientia itaque hæc ex lumine naturæ manauit, per diuinam prouidentiam data. Qua de causa in magno pretio haberi ac sedulò studioséque cognosci debet. Ingens enim ille homini thesaurus est, si alterius cogitationes & animum peruideat. Nec tamen ipsa ad occulta tantùm hominis cognoscenda facit: sed per signatum hoc naturales quoque plantæ eodem modo explorantur. Qua scientia qui caret Medicus, is os occludat, nec quicquam de arcanis naturæ blateret. Molimen itaque & institutum naturæ est, vt, quod tincturum nigrum est, nigro signetur, cyaneum, cyaneo, &c. Si erupturus in arbore cortex est, signatur instar corticis. Et folium, vt folium, semen vt semen signatur. Sic quia exurentem ignem vrtica habet, exterius vstione

Claudi cur a natura producantur.

Signatæ artis origo & dignitas quæ?

vstione quoque signatur. Ita mira ratione naturæ lumen per exteriorem formam interiorem vim nos cognoscere docet: quæ cognitio ob id in scientiam relata est. Quâ quia multa proterua pectora inuenta & prodita fuerunt: cœpit ars ab illis reiici, corrumpi & obliterari. Quâ iniuriâ euidens damnum iniustum est cū Philosophiæ, tùm medicinæ, quæ hoc modo cognitione arcanorum naturæ orbatæ sunt. Multi mihi probro & crimini dant, quòd prætereuntes nonnullos obuios auerser & declinem. Quos tamen si video, suæ ipsius naturæ odio esse, & vt ab aliis vitentur, certis signis ceu stigmatibus notari; quo pacto amare possim illū, quē genuinus ipsius parēs odit, quiq; in ipso natiuitatis illicò momento nocens & perditus factus est? Quæ omnia eo vobis ita consilio explico, vt maiore fauore & amore hãc sciētiã deinceps prosequamini, eáq; ad naturę thesaurorū abditorum explorationem iugiter vtamini.

Ars signata cur ferè obliterata.

PROBATIO IN SCIENTIAS ARTIVM INCERTARVM.

Artes incertæ an artes sint

Absurdum videri possit alicui, me artem incertam certam facere, & pro arte venditare, quæ tamen fundamento nullo insignis sit. Sed vt id faciam, multa me mouent. Etsi enim in certo fundamēto nitat' res tamē incertæ per illã manifestãt'. Quod si nihil nisi ex solido fundamēto procedēs acceptari debet: hoc loco fundamētū maximū est, *Opus ipsum*, quod verum & certum esse demōstrat'. Hoc quidē largiri cogor, cætera Astronomiæ particularia fundamentum constans & euidentem demonstrationem habere: cùm econtrà incertæ hæ artes, quarum sunt quatuor, tam euidenti probatione stabiliri non possint. Interim tamen, si quid fundamento minùs conspicuo quidem stabiliretur, probaretur autem, vt ipsum quod euidens est, sicut opificia ipsius artis operibus ad oculum probantur: quis quæso diceret, illud non parili ratione artem esse? Reipsa enim & opere aliquid prostat, quod per incertas illas artes inuentum est. Porrò, non omnia eius naturæ sunt, vt ad oculum monstrari possint, nec ex fundamento ipso res vniuersæ intelligi queunt. Inuisibilia námque non minùs ipsis inuisibilibus operantur. Et plurima sunt in naturæ lumine, quæ oculi nostri non vident: & tamen naturæ lumen concedendum est. Cur ventus spirat? Et quis motum illius comprehendere potest? Flando tamen nihilominùs is deiicit muros, turres, arbores. An non ergo ex eadem vi, quæ elementum concitat, commotio quædam fit in manibus Geomantiæ? commotio fit in oculis. Sic elementa commotione agitantur: fiet id eodem modo etiam in homine. Motus vis magna est, nec de eo quicquam disputari potest. Spiritus flat quò vult: Ecquis scit vnde veniat? quò ruat? Exemplo vobis sint virgulta, quæ in manibus mouentur. Nemo videt, à quo moueantur & tamen id naturale est. Motor enim est spiritus naturalis, cui omnia cognita sunt, quique mouere potest corpus secundum concordantiam. Itaque si motus fit in Microcosmo, necesse est vt ab alio fiat. Si ab alio; iam sciendum est, ex quo id fundamento seu ortu procedat. Motui tribuenda multa sūt. Motus admiranda opera præstitit in bonis & malis. Motus est voluntas diuina. Is quæ faciat sui iudicij sunt. Semper tamen sententia probabilior cor iustum occupat, hoc est, sicut differunt inter se homines, quorum vnus altero est veracior: ita idem etiam de motore intelligi debet. Verum ergo & genuinum Motorem qui habet, is per artes incertas inuenit, quod absconditum est, &c.

Virgulta directa vt moueantur.

Motus vis quanta.

Porrò Artes istæ Incertæ processum & figuram vnam habent, naturali ordini conuenientem, cui obsequi nemo potest. Initium autem, ex quo figura illa procedit, per oculos probari se non patitur. Quâ verò ratione spiritus imaginis dominatur Astris: sic dominatio etiam data est oculis & manibus. Etsi autem per manus & oculos aliquid fiat, quod ipsi quidem, vt instrumenta, probare & docere minimè possint: an ob id vlteriùs inquiri nō debeat de eo, quod instrumentum attingit & dirigit? Ars ea non est (nec etiam laudabiliter de eo tractatur) si manus & malleus coniunguntur: sed ea ars laude & gloria digna est, quæ manum & malleum dirigit, & cudit id, quod opus vocatur. Si quis prætendat, Geomantiam artem non esse, ideò, quia nihil adest præter cretam & manum, à qua describantur puncta; hoc quidem largior, sed illud tamen, quod ars non sit, nego & pernego. Nam, vnde ea vis fabro, vt manu & malleo soleam equi ferream cudat? Non certè à manu & malleo. Malleus enim & manus respondent cretæ & manui in Geomantia. Quid ergo est, quod soleam equinam cudat? Illud nempe, quod in cerebro absconditum latet, quod nemo videt, nemo tangit. Id nimirùm manum & malleum dirigit; id parat & cudit soleam. Iam si faber in manu & malleo non inest, sed in capite, in eo nimirùm, quod nemo videt: an non etiam fit aliquid in opificio Geomantiæ, quod manum & cretam ducat, ac in Hydromantia oculos, & pyromantia? Quis inuisibili potestati resistet aut contradicet, quæ insignis est ante nostros oculos? An id necessariò concedendum non est, Motorem in omni exercitatione Naturam esse, hominem verò esse medium, per quod illa operetur? Corpus ergo illius, & membra. Naturæ instrumenta existunt. Præterea, an fieri non possit, vt homo id faciat, quod Natura ipsum docet, & ab eo requirit? Pone Naturam hunc requirere pictorē. Huic ergo ad pingendū diriget manum. Quòd si Naturam per incertas Artes operari vult an non manus ac oculos ducere potest, vt id fiat, quod in ipsa latet, æqua ratione cum opificib. quos ad finem operis illa perducit? &c.

Geomātia an scientia sit.

Motor est natura.

Homo naturæ instrumentū.

Quæri hîc non iniustè possit, an non aliquid etiam dicendum sit de abditis rebus in homine, quæ potentiùs regunt, quàm regere Elementare corpus intelligatur? Elementatum corpus hanc legem accepit, vt obsequeretur non Elementato corpori, eique loco instrumenti deseruiat. Iam per Luminis Naturalis vim cōstat, quòd Imaginatio humana admiranda quædam operetur, sicut experiētia testatum facit. Consideratu itaque dignum est, quid Imaginatio sit. Deiero autem vobis in veritate, Imaginationem plus facere, quàm vel Elemēta vel Astra facere possunt. Cogitatio dominat' & impe-

Imaginationis humanæ quanta vis.

imperat illis omnibus. Cogitationes sunt liberæ, à nullo coërcentur. In cogitationibus consistit libertas hominis, eæque Naturale lumen exuperant. Ex cogitationibus enim nascitur Motor, nec Elementaris nec Astrologicus existens. Iam si tanta potentia cogitationum sit, vt per regeneratum spiritum dominentur cùm Astris tum Elementis: an non etiam opera illæ præstare ac edere queant, quæ nec Elementa, nec Astra præstare possint? Et tamen nihilominùs opus genuinũ faciũt quãtũ id, quod in cerebro latens per manum & malleũ facit: Hoc naturale est, cogitationes facere nouum Cœlum, nouum Firmamentum, adde nouam vim, ex qua nouæ artes promanent. An non ergò nouæ quoque scientiæ, ex cœlo ortum suum sumentes, veræ & genuinæ sint? Sic verò etiam ruerent & conciderent noua consilia & instituta hominum. Sine Astrorum influxu initium suum sumunt ipsorum doctrinæ & industriæ. Adducamus exemplum. Qui faciendum aliquid sibi proponit, is nouum sibi cœlum facit, ex quo procedit opus, quod facere instituit. Si ergo nouum cœlum ex industria suæ potentiæ operatur: quid differt ab ea Ars Incerta, vt similem potestatem non habeat? Quanquam industria per se multa præstet. Videtis enim Elementatum corpus multos modos *Industria* simul & *Ineptia* in se continere. Sic etiam in cogitationibus doctrina ac inscitia vel maior vel minor est. Hæc in omnibus rebus expendenda sunt, nec arti temerè aliquid derogandum.

[illegible] Tantæ potentiæ homo est, vt ipso cœlo ac terrâ potior sit. Fidem enim habet. Fides autem superat naturale lumen, adeóque omnium creaturarum vim ac potestatem. Quòd si ergo Artes Incertæ, certæ & veraces fieri & cognosci debent; fiet id vtique per Fidem. Si fidei id est: iam Fidem oportet diuidi, vt vna sit operationis æternæ, altera mortalis: Si credimus, mõtẽ in mare traiectũ iri: credimus aliquid mortale. Nam nec montes, nec maria æterna sunt, & tamen operatur *Fides*, vt montes in mare transponantur. [illegible] Præterea quantum ad Fidem, si quis ex paruulis vnum offendit, huic conducibilius foret, si de collo eius lapis molaris suspenderetur, ac in profundum mare demergeretur: Si hoc, quod Christus dixit, credimus, fiet id tandem, vt talis cũ appenso lapide molari in profundũ mare mergat'. Si nõ credim', nõ fiet. Sic ergo per nostrã incredulitatẽ in offensionẽ (seductionem) paruulorum inducimur. Nec enim vel honestas, vel probitas, vel voluntas Dei seruari potest, nisi Fides omnia vincat. Si scripturæ credimus, prouenient fructus in scriptura comprehensi. Et vbi fructus scripturæ non sequuntur, ibi nihili fides est. Sic etiam, si cogitationes habemus, & in illas credimus: Tunc Fides illud opus perficit, & sine fide nihil fit.

Iam verò vt institutum Incertarum artium pertexam, sciendum est, in solo homine existere Fidem tam ad æternum, quàm ad naturale. Qui credit in Deum, rectè facit, & iustus est, idque quod credit, accidit. Si iam æternum transcendit in eo, quod factum sit id, quod credidit: quanto minore cura opus est, vt vincat minus in fide, quod est Lumen Naturæ. Quæ ergo de cogitationibus dixi, quid requirunt aliud, quàm vt fides ipsa stabiliat? Tunc enim Motus vim, & propositum finem suum, ad quem voluntas prima dirigebatur, assequi potest.

Cæterùm, cur Artes illæ appellentur Incertæ, ita intelligetis. Sunt nimirùm artes, quæ processum naturalem habent. Et eæ certæ sunt. Propter processum enim incertæ artes non vocantur, sed propter principium, ex quo processus oritur, artes incertæ appellantur. Cuius rei ratio hæc est. Ei, qui artem exercet ac vsurpat, opus est, vt bonam habeat cogitationem, vt integritati studeat, & sanum intellectum habeat earum rerum, circa quas versatur, vt etiam perfectus sit, & intellectui illi fides non desit. Quia autem homo eatenus nonnihil in suo indicio nutat, ideò suum ipsius opus perdit. Ratione enim titubationis huius in illis rebus perfectus non est. Ideò incerta illa sunt. Cùm enim momentum omne positum sit in nouo Cœlo, quod opifex sibi ipsi condere debet; constitutionis autem huius certa scientia non sit: ideò super dubiam scientiam finis stabiliri non potest. Hinc nomen Incerti. Ars autem Incerta talis est, vt per illam cognoscere Deus minimè prohibeat. Multarum nàmque rerum exploratio & cognitio Deo minimè displicet. Si enim corpori Elementato permittit, vt ab vna regione peregrinetur in aliam, ac tam bona quàm mala experiatur: Peregrinationem huiusmodi multò magis permittet spiritui cogitationum, vt, quod quærit, inueniat & cognoscat. Nam si rerum omnium indagatio in solis his ternis punctis consistit, *in orando*, *in quærendo*, *in pulsando*: cur quæso via ordinaria quærendi licita non sit, cùm tamen præcedat oratio, & processus quærendi ac pulsandi respiciat ad illum, qui dixit: *Discite ex me, mitis enim & humilis sum corde?* Quis fiducia tali non quærat? aut quis nisi pectus nefarium & distortum talia criminetur? Vtut verò hæc sint, cogitationes certè sunt principiũ, debéntq; gubernari ab illis, quæ iam dicta sunt. Mirabiliter enim operant' arcana hominũ. Sed tamen in principio sunt incerta, incredibilia & inacceptata: in fine autem probatur vniuersum, qualis in principio artifex fuerit. Nec quiuis in fine est, qui in Principio de fine gloriatus est. Vt enim quæramus, imperatum nobis est, siue id fiat cogitationibus, siue oculis. Prout autem quisque viam sectatur, ita inuenit. Quâ viâ nihil est, illâ etiam nihil inuenitur. Quòd si de inuentione artium & futurorum omnium Prophetię differendum sit: quis de secretis articulis quicquam iudicabit, & antequam quid fiat, id confirmabit, nisi vniuersa fide stabiliantur. Quid probationis habent Prophetæ, nisi fidem, vsq; ad tempus ipsius euentus? Quòd si rem exactiùs trutinemus, multæ adhuc artes aliæ sunt, principium suum difficiliùs demonstraturæ, quàm hæ, solo eo fretæ, vt dicant, res arcanas & obscuras esse. Verum omnino ac euidens est, multa permittere Deum vt reuelentur, cùm tamen modum nemo sciat. Sic per incertas artes multa arcana manifestantur, non quidem vt de fundamento

Artes incertæ cur dicantur.

mento inquiramus, sed soli voluntati Dei, quâ varia reuelantur, fidamus. Vt in Diuinando videtis, Astra mirabiliter operari: ita operantur etiam mirabiliter artes incertæ: non quòd hic Astra tantùm operentur, sed quòd iudicium etiam ferant interdum Astra, interdum cœlum ipsum, interdum voluntas Dei, interdum casus. Cum quocũque horum concordat homo, cum illo operationem perficit. Ideò res incerta est, quia nemo nouit, quis illic operetur. Caro nãque & sanguis operari nihil possunt, quia caro & sanguis homo non sunt, sed homo cor est, & in corde vires occultæ latét. Pro ratione cordis, operatur eiusdem perfectio, & figuram sui iudicij exhibet, quę figura sine sciẽtia poni non debet. Etsi enim principium vocari ars possit, quia tamen per iudicium & figuram sententiã fert, & iudicium sine arte tractari non debet; ideò artis est dare conclusionem, & sententiam iudicare & cognoscere. Et licèt plus quidem in arte reperiatur, quàm cognosci posse per naturam videatur: id tamen mirum videri nemini debet. Nouum enim cœlum cogitationum, & arcana Dei plus quam Naturæ possibile sit reuelant his, quibus illæ reuelationes imputari debent.

CAP. VIII.

PROBATIO IN SCIENTIAM *Medicinæ Adeptæ.*

DE Medicina Adepta, quid sit, paucis hęc attẽdite. Tractat de solis illis morbis, quos à cœlo, & cœlesti operatione contrahimus. Morborum enim omnium ortus duplex est: vel ex Astris, vel ex Elementis. Hinc duplex etiam Medicus, duplex Medicina, duplex origo, duplex operatio. Discrimen hoc sedulò à Medico noscendum est, ne sydereos morbos Elementaribus remediis, tractet, aut contra. Huiusmodi namque error suo damno non caret. Est itaque Medicina Adepta ars, docens Sydereas Infectiones & expulsiones cognoscere. In errore enim apertò versantur, & cum genuino Medicinæ ordine pugnant, qui Sydeream infectionum ignari, has Elementaribus remediis expugnare conantur. Rem docebimus exemplo. Pestilentia est morbus, ex Astris enatus, infectione sua sicut Sol suis radiis nos affligens. Iam in hoc morbo committitur error, si per Elementares medicinas pestis profligari instituatur. Hujusmodi namque remedium contra infectionem Sydeream nihil facit. Iuuat quidem aliquid eo modo, si corpus ipsum quoque infectionis illius aliquid concepit, qui tunc morbus Physicus est. Quantum vero ad Sydereum, quod principale est, id remedilis illis non tollitur. Imò largimur, remedia Elementaria conferre quidem aliquid hoc casu: sed tantummodò id, quod confert pileus aduersus Solem. Solis radii à capite quidem arcentur inducta vmbra: ipse tamen fons & origo nõ obstruitur aut adimitur. Sicut ignis vrit ab extra: ita Sydereos quoque morbos vrere cognoscendum est. Sicut frigus & calor corpori nocere possunt: ita & Astra. Horum vis in tantùm eneruatur & infringitur, quanto plus singularium virium inest in homine, infectioni illi resistentium. Ex quo consequitur, non quęlibet posse infici. De Medicina itaque Adepta tenendum est, quod doceat Sydereos mobos ab Elementaribus internoscere, & illos remediis Sydereis curare. Quæ discretio si in medicina non habeatur, magnę corruptelę innectetur, &c. sicut in Practica prolixiùs docetur.

Med. ad. quid sit. Morb. origo duplex. Med. duplex.

Med. erroris reprehens.

Pestis quid.

Iam ergo videtis, quid Medicina Adepta sit in fundamento & origine, nempe non terrena tractatio tantùm graminis & fœni, pyxidúmve aut scatularum: Sed potius (vt ita loquar) *Superterrena*, naturalis tamen. Si, quod probatum satis est, licet nobis discere ex Deo: licebit etiam ex natura. Natura quidem nescit loqui, sed ligni more, quod mouere se non potest, contra nos stat. Pro ipsa auté loquitur, qui vices eius obit. Is simili est homini, vices Terrę obeunti. Terra nihil loquitur, sed tacet, & immota stat. Os autem habet homo, qui de terrenis rebus seu de terra & Elementis loqui debet. Ita & Pharmacopœus certus in Firmamẽto est vices Firmamenti & causam agens, ac nomine illius disserés. Ab hoc spiritu Apollinis exeunt libri & doctrinæ Firmamenti: nõ quod Apollo homo sit, non quòd sit Deus, non quod sit Numen, sed quòd sit homo, in Firmamento habitans cum multis legionibus, sicut cum multis lègionibus in terra habitat homo. Et sicut homo ab humo de nominatur, quia de terra est; ita Apollo est Firmamentum, & corpus Firmamenti vocatur Apollo, sicut & ipsius spiritus *Apollo* dicitur. Nulla ergo ratione aut lege astringimur, ne præceptorem alium, quàm putidum & stercoreum hominem quæramus: sed pergendum vlterius est, & quærendum amplius, hoc nimirùm, quod Christus dixit, in auribus nostris assiduè sonante: Quod de supernis natum est, de supernis loquitur. Ex quo elicitur, de cœlo disseri nihil posse, nisi ab eo, qui in cœlo fuit, & ex illo loquitur. Qui autem de infernis & terra est, is de rebus etiam terrenis disserit. Hoc omninò ac iure cõsiderandum est, quòd præceptores anxiè & seriò quæri debeant ibi, quo ordinati sunt. In vno enim non sunt omnia, sed cuilibet suum donum & gratia à Deo collata est ad id, ad quod creatus est. Et in hoc prouidè sapere debemus. Sicut enim varię plãtæ existunt, ita variæ etiam sunt proprietates; ac cuilibet suus additus Magister est. Ex hoc qui discit, is adeptus est Medicus, hoc est, Sagax in Medicina. Sic, pro Exemplo *Paulus est Theologus Adeptus.* Illo namque in loco didicit, vbi suã Theologia originem habet. Nec enim Medicina tantùm Adepta est, sed & Adepta Theologia, & Adeptum ius, & similia alia. Nam horũ omniũ vt Theologiæ, Iuris & Medicinæ origo est superterrena. In suâ ergo Academia quæri & addisci debent, quæ est apud Deum, ex quo omnia procedunt. Quicunque alio, quàm hoc modo, quicunque aliud quàm hoc discit, is perfectus non est. Donum autem omne perfectum à Deo est. Quod si quidem Theologus loquatur, non autem verè perfectus sit: tunc donum id ex Deo non est, sed aliquid eius ex Deo est, ex Deo tamen per illum nihil efficitur. A solis illis aliquid perficitur, qui donum à Deo perfectum habent, vt Paulus, & Apostoli cæteri, qui igneis linguis admirando modo contra naturã locuti sunt. Idem iudicandum etiã de Iurisprudentiã

Natura vt muta sit.

Apollo est homo Firmamenti.

Adeptus quis sit.

Paulus Adeptus Theologus.

Deus origo omnium.

dentia. Si perfecta ea non est, si vni dat, alii adimit, vnum punit, alterum minime: iam donum ipsa Dei non est, & ne donum quidem vocari potest. Donum enim hoc tantùm est, quod est perfectum, quia ex Deo manat. Sed & imperia dona sunt, non tamen ex Deo, quia perfecta non sunt. Et tamen omnia à Deo sunt. Multi vocati quidem, sed non omnes electi, nec omnes vestem nuptialem habent. Multi multa loquuntur: sed eadem non faciunt ipsi, quia donum illorum perfectum non est, nec est ex Deo. Ideò statuentur etiam ad læuam, & annumerabuntur hircis. Sic ergo & Medicina in Adeptis probari debet instar Theologiæ, instar Pauli & Apostolorum reliquorum. Nam horum exemplo ipse quoque Medicus quærere & discere debet ex preceptore, quem Deus præfecit inuisibilibus scholis, in Firmamento, & in omnibus illis, quæ in & de Firmamento sũt: siue in terrenis corporibus siue in Firmamento ipso generetur, ea Medicina Adepta est. Nec verò Medicina saltem Adepta, sed etiam quælibet Religio sacra hoc modo studium suũ quærere & vrgere debet, nec solis muris & tectis includi.

Donum perfectum quod sit.

Porrò si Medicina in Medicina Adepta ad morbos cœlestes tantùm intendit, ipsam etiam de cœlo esse oportet. Discrimen itaque tenendum est, medicinas alias à stellis conferri, & deorsum in lapides, herbas, &c. fundi ac imprimi, velut in Saphyrum, Hypericonem, Persicariam, &c. Non vero satis est ea cognouisse, quæ in terra impressa sunt contra morbos sydereos, quod merè Ppilosophicum est: sed insuper hoc quoque requiritur, vt Firmamentales Impressiones, vires, Arcana, &c. desuper deducatur in Gamahey, in corpus scilicet quod postea aduersus morbum illum vsurpetur, non secus ac medicina ex campo vel sylua effertur, & per multa locorum interualla ad locum defertur illum, in quo pyxis, cui indatur, reposita est. Sic hîc quoque de Medicina Adepta iudicandum est, quod ex parte Magica naturalis sit. Vtriusque enim processus vnus est in hoc saltem differens, quòd Magica sanitatem negligens, eam Medicinæ Adeptę cõmittat. Iam qui in Medicina Adepta velit esse Medicus & Apollo, non discet ipsam ab hominibus nec etiã secũdùm Elementares & terrenas rationes operabitur. Id enim solùm, quod de Inferiore loquitur, ad inferius spectat. Quod autẽ de supernis loqui vult, de supernis discere debet. Iam verò nullus vnquam hominum supra nos in Firmamento fuit, & homines illos inuenit, ex quibus disceret: sed quale vnũquodlibet est, talis quoq; est præceptor. Exẽplo vobis sit Paulus. Is non ex terrenis aut Firmamẽto doctus factus est, sed à superno, quod his omnibus excellentius est. Ex ipsius ergo rei cõsideratione patet, cœlestia ex terrenis minimè disci sed cœlestia disci ex cœlestib. terrestria ex terrenis & firmamẽtalia ex firmamentalibus. Et sicut alius magister, est terrenorum, ita alius etiam cœlestiũ, ita alius Firmamentalium. Ibi nimirum Magister est vbi est id, quod Magistrum habet. Hinc ita concludimus. Si ergo scriptura sacra de supernis discenda est, & non de infernis: homo ista in terrena natura sacrarum literarum Doctor non erit. Nisi enim aut angelus sit, aut angelicus, fundamentum certè supernum perfectè non facilè hauserit. Quæ enim superna cõtra nos habent, his terrena concedere coguntur, adeòque castratione opus est propter regnum Dei: aliàs emergent scandala. Quisquis igitur in Medicina Adepta Sagax esse Medicus velit, is discet ab eo, qui Medicinam adeptam nouit ac callet. Si in cœlo Doctor est, qui per tot locorum interualla nos in terra constitutos docere potest: etiam in Firmamento Doctor erit, qui dictet ex ipso Firmamento, quod ad Medicinam Adeptam spectet, Sagax nimirùm Arcanum omnium Medicinarum. Nihilo autẽ difficiliùs Firmamentum docet Firmamentalia, quàm terrenum terrena. Quâque aptitudine & procliuitate discimus ex Deo: eâdem possumus etiam discere ex Firmamento. Si enim (vt scriptura loquitur) credimus in Filium vnigenitum, licet nobis fieri Filios Dei: Et sic demum in vera schola versamur. Sic pariter etiam potestas nobis data est eundi in scholam Firmamenti. Si Paulus in tertio cœlo institutus est, ac ibi, cũ quo loqueretur, inuenit: nos quoque in Firmamento inueniemus aliquem, qui nobiscum colloquatur, & nos doceat. Non enim in carne & sanguine omnia condita sunt, nec ex carne & sanguine omnia discuntur: sed etiam ex illis, qui caro & sanguis non sunt, sed carne & sanguine potiores sunt, & excellentiores sunt homine, & omnia Naturæ opera norunt ac callent, pérque densos muros & per medios scopulos, in mediam terram, in mediũ mare introspiciunt. Talibus nimirum illi sunt prædíti oculis, & in oculis illis posita est Medicina adepta.

Medicina cœlestis in Gamahey inducenda.

Med. Adepta est partim naturalis Magica.

Caro & sanguis non omnia docent.

PROBATIO IN SCIENTIAM PHILOSOPHIÆ ADEPTÆ.

Eodem modo & de Philosophia Adepta tenendum est, eam ex hominibus disci non posse, sed ex illa tãtùm schola, vbi versatur. Doctrinæ autem ex hominibus discendę: & doctrinæ discendę ex eo, in quo illa est, hæc conditio est. Quomodò me docere possit homo in Adeptis, qui ipsemet Terrenus est, nec quicquam nisi terrenum didicit. Discendum itaque ex alio est, nimirum ex eo, qui sit Adeptus. Sicut enim Theologia & Iustitia disci ex alio nullo potest, nisi ab ipso, Deo qui ipsa iustitia sit: ita nec homo ex se ad Philosophiæ Adeptæ fundamentum penetrare potest. Iam ergo hîc quoque explicandũ, quid ex homine disci possit. Obiicere aliquis hoc mihi posset. An id non satis est, me ex Paulo discere, me Pauli scholam audire, &, quæ mihi necessaria sunt, ex Epistolis eius excerpere? In ipso omnia prompta sunt. Sed & præter ipsũ alii sunt Apostoli, sunt Prophetæ, sunt Euangelistæ. Quos si lego, si scrutor & euoluo, quid opus est, me in tertium cœlum ascendere, aut abripi? An ex illis non satis doceri queam? Præterea, si Philosophiam Adeptam discam ex eo, qui hausit ipsam ex illo, qui Philosophia Adepta ipse est: an id mihi non sufficiat? Sed respondeo, id quidem satis & plus satis esse *Quia regnum Dei inter nos est* Sed adde tamen hoc: *Sine tuo Numine, nihil est in Homine*, quod ita intelliges. Solam nimirum lite-

Philosophia adepta, ex quo discenda sit.

literam discimus ex illis, qui docti facti sunt ab eo, qui ipse Philosophia Adepta est, & ipsam scit. Itaque si sensum & intellectum, vt in quo vniuersus thesaurus latet eorum, quæ in litera illa comprehenduntur, requirimus: vlteriùs procedendum, ac sensus hauriendus ex illo est, qui literas ipsas componere docuit. Sensum enim literis scribere nemo potest. Quoque res potior est, eò intellectus minor est. Quandoquidem ergo Memoriale tantùm & manuductio tradatur sine sensu: capiendus hic vtique erit ex eo, qui illius gnarus est, sine quo *Nihil est in homine.* Et eatenus tibi non admodum reluctor. Si enim Paulum legas, si euoluas Prophetas, si perscruteris Euangelistas, rectè quidem feceris. Illa enim omnia in Papyro descripta inuenies. Sensum verò in papyro scriptum non inuenies, sed petes ex illo, qui istum papyro designauit & inclusit. Hæc nimirum Philosophiæ Adeptæ ratio est. Ipsa non est scientia ex homine prompta, sed è supernis, ex supremo Firmamento tradita, quam docere alios homo non potest. Et de Philosophia adepta disserere ac scribere nemo potest, nisi qui didicit illam ex eo, in quo illa existit. Et si quidem is alium doceat; hic tamen in sensu nihil proficiet, nisi & ipse illum petat ex eo, ex quo alter ipsum hausit. Aliter enim si fiat, origo ista est schismatum in scientiis, quolibet nimirum rem pro suo cerebro explicante, & sibi ipsi in ficto sensu (ceu stulti faciunt) abblandiente, cùm tamen nulli hominum integrum sit quicquam alios docere, & explicare, nisi qui doctrinam hauserit ab eo, cuius interpretatio propria est & vernacula. Cum ergo ista Philosophiæ Adeptæ ratio sit, vt non ab hominibus addisci possit (vtpote illius ignaris) sed omnino ex alio; qui ipsa est, & ipsam callet, accipi debeat: hinc sequitur, illum hominibus superiorem & potiorem esse debere, qui possit & perficiat, quæ terrenus homo perficere nunquam queat. Sed ad paragraphi huius intellectum faciliorem hoc exemplum notate. Herbæ, radices, semina, arbores, fructus, &c. denique omnes gemmæ, & quicquid in terra aut quatuor Elementis est, nihil sunt aliud, quàm literæ, quæ aliquid in se continent quidem: sed quid contineant, incertum sit. Iam verò herbæ illæ ac semina nobiscum colloqui non possunt, ita vt quidnam in sese contineant, vltrò effutiant: sed quieta & & immota nec verbis nec motu hoc vel illud de se produnt. Iam, qua arte ex illis disces, quidnam in sese contineant? Nam id scire homini vtile est. Nec enim vel colloquio suo illa seipsa produnt: nec, quid contineant, homo palam ac per seipsa produnt: nec, quid contineant, homo palam ac per se rescire potest. Eadem etiam literarum ratio est, quæ omnes mortuæ sunt. Itaque vt compertum habeas, quid in herbis, lateat, opus est Philosophia Adepta, quæ secretorum, absconditorum & arcanorum Naturæ omnium conscia, quidnam in qualibet herba, semine radiceúe insit, facilè inuenit. Scituriens ergo, quid in terrenis corporibus cœleste seu Firmamentale vel etiam Elementare insit, ex Philosopho Adepto id requiret. Sine hac enim Philosophia, omnia mortua, dubia & ambigua credenda sunt.

Phil. adepta quid.

Herbæ, &c. sunt instar literarum.

Ex his ergo iam constat; Philosophiam adeptam ex ipso homine addisci minimè posse, etsi literæ quidem (ceu herbæ ex terra,) ex ipsa accipi queat. Iā itaq; quidnā Philosophus adeptus sit, cognoscendum, vt ex ipso discamus. Est autem intangibilis, insensibilis, inuisibilis, apud nos habitans omni ratione, vt Christus inquit: *Vobiscū ego sū, vsq; ad finē mundi.* Et licèt à nemine videat' aut tangatur, apud nos tamen est Christus. Eodem modo & Philosopphus Adeptus. Et sicut Christus inquit: *Regnum Dei inter vos est*, & nemo illud videt: ita nemo etiam videt apud nos Philosophiam Adeptam. Vt Christus dicit: *Discite ex me*: ita discendum etiam est ex Philosopho Adepto. Et ceu Christus ait: *Quilibet scriba ex Deo doctus euadit*: ita quilibet etiam Naturalis ex Philosopho adepto doctus euadet. Iam quomodo conueniemus? De hoc ita statuite. Quo modo conuenerunt Spiritus Sanctus & Apostoli, vt Magnalia Dei linguis igneis efferrēt? Eodē modo conueniēt etiā Philosophus Terrenus & Adeptus. Quis coniungit illos? Iste nimirum, qui coniungit suum spiritum & sanctos, hoc est, paracletum & Apostolos. Et nemo coniunctionis huius consors sit, nisi à summo & primo eo trahatur. Aliàs enim, quomodo homo, qui terrenus est, desiderare aut appetere queat id, quod terrenum non est? aut tangere, quod corpus non habet? aut cum eo loqui, quod labra non habet? aut audire, quod inuocale est? Horum nihil fieri potest. Doctores enim illi sunt superelementares: homo autem Elementaris est. Porrò autem & homo ipse corpus superelementare, hoc est, sydereum habet. Idiā doceri & informari debet, non caro & sanguis, in quib. non nisi terrenæ concupiscentiæ hærēt. Quod si autem homo corpori Elementari Elementaria sua iura attribuat, & sydereo insuper corpori suū quoq; ius faciat: tunc corpus manet in eo, in quo manere debet, & sydereum quoq; corpus penetrat ad id, quod ipso dignum est. Sed vt rectiùs propositionem intelligatis, differēdo ita pergā. Quātū ad Philosophiā Adeptā, nō debet homo discere spiritu illo, qui caro & sāguis est: sed proficere debet per corpus sydereū, vt illi omnia super Elemētaria reuelēt'. Nihil n. vnquā tā absconditū est, quod corpori illi sydereo & Philosopho Adepto non manifestetur. In Adeptæ n. Philosophię' scholā caro & sāguis nō eūt, sed spiritus tantū sydere'. Itaque si genuinū discipulū scholę huic admoneris, Magnalia Naturæ carne & sāguine multò sublimi' & exacti' cognosces. Nā si discere cupis ex ęterno, corpus id ēt, quod ex ęterno est, scholæ illi admouebis, vt qui disciplinę illius capax sit. Nec n. nisi in scholā naturalē abeūt corpus Elemētale & sydereū: sed illud in scholā Elemētorū, hoc in scholā syderis. Hinc ēt regeneratio dat' in homine aliū discipulū cōstituēs, ducēdū, scil. in illā scholā, in qua de æterno docet'. Corp. n. Elemētare de Elemētis: corp. a. sydereū de sydere, vt corp. regeneration. de cœlo disserere docet. Hoc nimirū pacto quilib. discipul. ex illa schola sapit, ex qua exiit. Sic ex cantu, quæ auis sit, promptè auditur. Cæterùm de his paulò distinctiùs ideò loquor, vt sciatur, discendum esse secundum, non contra ordinem. Si enim syde-

Philosophi adeptus qualis sit apud nos.

Caro & sanguis Philos. Adeptæ non cognoscunt.

syde-

ſydereum corpus in ſcholam Elementarem, aut etiam aduerſa vice, ducamus, aut diſcipulum æternum in ſcholam Elementarem aut ſyderearn agamus, vtroque modo peccabimus. Quinimò ſic homo ſtatuat, facultatem ſibi ineſſe tam diſcendi in Elementis, quàm cognoſcendi ſyderea Myſteria, & denique appræhendendi æterna ipſa. Quo fine etiam ita conſtitutus homo eſt, vt non brutum ſit, ſed hominem ſe eſſe recordetur, & in tribus illis ſcholis diſcat, corpus Elementare in ſcholam Elementarem, ſydereum in ſyderearn, & æternum in æternam deducens. Et hoc pacto tria in homine Lumina fulgent, & tres in ipſo Doctrinæ ſunt, & in tribus iſtis idem perfectus eſt. Quorum bina etſi reſpectu tertij tenebræ ſint: ſunt tamen nihilominùs Lumina Mundi, in quibus homo naturaliter ſapere & verſari poteſt.

Hominis facultas triplex.

Homo lumina in se tria habet.

Cùm ergo dicta iam modo triplex ſcholâ, & elementa peculiarem habeant ludimagiſtrum, ſimiliterque ſyderea & tandem æterna: deinceps nunc inquirendum eſt, quiſnam ſit is, qui doceat hominem, ſuam carnem & ſuum ſanguinem cibo potúque enutrire. Id nimirum facit pædagogus Elementorum, hominem non aliter ſtimulans, ac virgis ipſum cæderet, & ad id compelleret. Idem Magiſter docet iam *Creſcere & multiplicari*, & ſimilia alia, quæ Elementari corpori cognitu neceſſaria ſunt. Si iam corpus Elementare hoc modo à ſuo Magiſtro informatur ac docetur, quem tamen nemo videt aut tangit: idem etiam continget circa corpus ſydereum ac æternum, ita tamen, vt corpori obſecundetur, & ductui eius obſequium præſtetur. Quod ſi ſimiliter etiam ſydereo corpori aſſentiamur, id certè corpore Elementari longè excellentiùs illuſtrabitur. Corpus námque Firmamentale pædagogum terrenum expellit. Itaque diſcipulus iſte extra ſcholam eſt, remotus à Doctrinâ, quam ex præſcripto Naturæ, (à Deo ordinatæ) diſcere debuit. Itaque ſi homo, diſcipulum Elementarem ſcholæ iſti non nimium traderet, ſed decentem ibi ordinem & modum ſeruaret: nunc dimenſum corporis reliquum cederet corpori ſydereo, quod & ipſum fructus inibi ſuos carperet. Denique etiam Æterno ſuum tempus ad lectionem decenter diſcendam ſuppeteret. Cum enim vnius diei horæ ſint duodecim; cuilibet ſcholæ ſuum ſeorſim tempus aſſignandum eſt, ita, vt nulla negligatur, aut homo vnicâ tantũ aut alterâ cõtentus ſit. Mirum autem tibi non obueniat, poſſe te in ſtudiis illis grauiſſimis quotidie dictâ ratione proficere plurimum. Non enim caro aut ſanguis diſcit: ſed quod in te inuiſibile eſt, id diſcit, & quouis momento multa aſſequi idoneum eſt: Si facilis tibi doctrina Elementaris eſt, vt quę citra laborem & ſudorem, citra libros & chartas acquiritur: Elementari certè corpore multò procliuiùs diſcet ſydereum, & hoc iterum expeditius æternum. In hoc ſaltem momentum omne poſitum eſt, vt ſcholam illam adeas, in quâ fundamentum verum traditur. Ora, obteſtare, quære, pulſa: & voti tui totus compos fies, inueniéſque quæ petis & omnia tibi recludentur. Principium enim huius ſcholæ eſt, *ante omnia quærere regnum Dei*. Sic fiet, vt cætera omnia addiiciantur. Aditus ad ſcholam alius nullus eſt. Hâc ratione, hâc viâ inſtiterunt iuſti, veraces, & eruditi maiores noſtri, inuenturi modum ſcribendi & legendi, & reperturi medicinam, cuius ſæculo illorum neceſſitas fuit. Hoc modo etiam conſtitutum eſt fundamentum *Theologiæ, Iuſtitiæ, Arithmeticæ, Geometriæ, Aſtronomiæ, Philoſophiæ, Muſicæ, & Mechanicarum ſcientiarum, inuentionúmque Mineralium.* Quæ omnia tali principio inuenta & conſtituta, poſtmodum ad nos deriuata ſunt. Nec dum verò vniuerſa inuenta, comprehenſa & ſatis explorata ſunt: ſed multa adhuc inquirenda reſtant. Et ſi priſci in viuis adhuc eſſent: hanc ſcholam multò nauiùs frequentarent. Et inſania iſta hodierni mundi peculiaris eſt, quòd plerique omnes eam tantùm hodie ſectari ſcholam contendimus, in qua virgis omnia incuti ſolent: cùm tamen ſchola illa ſufficiens non ſit, ſed vix leue quoddam rudimentum conferat. Scholam Adeptam ſectari nos oportet, in quâ trium Luminum veritas traditur. Quod ſi nos fieri Lumina mundi oporteat, ſicut dictum Apoſtolis legimus eſſe: nunquam id certè impetrabimus, niſi in ſcholâ illuminetur illâ, in quâ dicta Lumina fflagrarent. Hominu m ſchola momenti haud magni eſt. Exemplo rem dilucidabimus. Si hominem quendam differentem, concionantem, aut docentem audis, vox eius vt per aurem vnam ingreditur, ſic per alteram elabitur, quia ſenſus tui ad hanc ſcholam non diriguntur, ſed aures ſaltem afficiuntur tanquam ab harmoniâ quadam: cuius ſi ſonus ceſſet, iam auris voluptas deſinit. Et blanditiæ illæ ſunt aurium, ſicut cupediæ & ſuauia vina ſunt oblectamenta linguæ & faucium. Quantum ergo ad probationem Philoſophiæ Adeptæ iam attinet, ſciendum vtique concluſiuè eſt, ipſam non à carne aut ſanguine addiſci aut ex Elementis, ſed à corpore ſydereo ex ipſo ſydere, quod illius Magiſter eſt. Sic nimirum ſydereum corpus à ſydere Philoſophiam adeptam aſſequitur, per quod dicta Philoſophia omnia arcana Naturæ ſecundum omnia Myſteria cognoſcere docet. Et qui dictâ ratione in Naturæ lumen non ingreditur, is Lumen ipſe nunquam fiet, nec vlli vnquam lucere poterit. Obſcura enim ipſe caligo eſt, quæ omni luce orbata eſt. Et lucernam eiuſmodi qui ſequitur, in tenebris & ipſe totus verſabitur.

Regnum Dei ante omnia quærendum.

Schola diſcendi quæ vera ſit.

PROBATIO IN SCIENTIAM MATHEMATICAM ADEPTAM.

Diſcrimen aliquod omnino ſtatuendum eſt inter Mathematicam Elementarem & Adeptam, hoc eſt ſyderearn. Quod etſi in poſtremâ explicatione ſatis indicârim: propter probationem tamen fundamentum certius quæri & concipi fas eſt. Breuiter ergo ſic conſtituimus, Mathematicam Elementatam eſſe viſibilem & tangibilem, in corpore euidenti, in quo Mathematicæ ſpecies omnes perficiantur. Sed & Mathematica Adepta corpus habet viſibile, non autem palpabile, ſubſtantiale, ſed ſine corpore, habens ſeſe, vt Sol in flumine, aut Luna in fonte, rem deinceps ita æſtimare. Mathematicus Elementatus opere & labore ſuomet, quod requirit, facere, & terrenis corporibus

Mathematica eſt duplex.

Vt inter ſe diſtet.

corporibus id complere cogitur. Nec enim vel *Algorithmum*, vel *Geometriam*, vel *Cosmographiam, &c.* conficere potest, nisi omnia per Elementa agat, & ex circulo, numero & lineâ producat. Et hæc fieri oportet per artem, quam Elementaliter discit ab externis. Sic externis oculis videtur, vt arbor creuerit, vt Sol moueatur, vt Luna renouetur & plena fiat, quæ omnia sunt Elementaria. In Adeptâ autem Mathematicâ, Sydera, *Generata, Creata, Essentiæ, Archidoxa*, seipsa locant in suam sphæram, circulum, cursum, Mensuram, Lineam, concauum & numerum, secundum altitudinem, profunditatem, amplitudinem & angulos, ita vt omnia perfectiùs stent, quàm ab Elementari manu collocari queant, stent inquam corporaliter, substantialiter, sed tamen impalpabiliter, appareant visibiliter, non tamen cum substantiâ corporali, in omnes dimensiones distributâ quàm artificiosissimè, ita, vt singulæ Mathematicæ species totos Mathematici oculos, intellectum, animaduersionémque requirant. Hac ratione Mathematica Adepta in suis viribus, naturâ & scientiis diuisa est à Mathematicâ terrenâ. Et Mathematica syderea collocat ostenditque, quæ Elementaris inuenire nullo modo potest, quámque nemo illorum hactenus cognouit, ac ne olfecit quidem. Præterea nulla proportio, nulla distantia, denique nihil quicquam, nullus gradus, nulla minutia intermissa aut neglecta est, quæ non perfectè euidentérque ac perspicuè appareat. Attendite enim. Quis substantiam Solis deducere potest in opus Elementare? Nemo quisquam. Figura tamen & species eius potest, quæ tamen non nisi lignum, papyrúsve est, quæ omnia res mortuæ existunt. Si in speculo præsentari potest Sol, in fonte Luna, &c. quanto magis in Mathematicâ Adeptâ, ista omnia substantialiliter apparebunt? Sicut hominis vniuersa membra in speculo ita apparent, vt nihil illius non videatur: ita in Mathematicâ Adeptâ corpora ingrossata omnia sumuntur, & corpora solùm spiritualia manent. Pro his exemplum tale notate. Elementis sua forma & corpus est, quod speciem habet corpori conuenientem. Præterea sydera quoque formam & corpus habent, quibus species sua respondet. Iam verò corpora vtraque in vnum confusa & permixta sunt. Elementare videtur: sydereum minimè. Corpus enim Elementare grossius & densius est, quam vt visu penetrari possit. Iam si duo illa corpora diuidi queunt, ita, vt vnum per seipsum videatur obscuratum & obtectum cum altero: hinc conspicuum est, quæ cuiuslibet corporis conditio sit. Sed & hæc maioris intellectus gratiâ attendite. Aurum, quod in tenebris latet, à nemine videtur, veluti nec id, quod sub terrâ defossum est. Hoc in casu scientia Adepta est, vt nox & tenebræ vt terra remoueantur, resque, qualis per seipsam est, clarè videatur. Et hoc se modo habet Adepta Mathematica, Philosophia & Medicina. Cur vero ita de illis disseruerim, sequens Exemplum planum faciet. Arbor in campo fixa stans, formas duas habet: Vnam Elementarem, alteram sydeream. Elementaris oculis conspicua est: contrà syderea. Iam syderea est Aurum: Elementaris est nox, est caligo, est terra, tegens quod recondit. Iam si caligo ista, vel nox vel terra, hoc est, corpus Elementare quod Lignum est, adimatur: tunc sydereũ corpus purum clarúmque conspicitur, sicut exemplum hoc docet. Truncus, qui in terrâ iacet, reconditam in se habet imaginem viri, fœminæ, animalis, denique rei cuiuscunque velis. Si superfluum ex ipso amoliaris, iam, quid sit, conspicuum facies. Quod autem amoliris, est nox, est tenebræ, est terra, abscondens quod intus latet. Sic iam Adepta scientia est, quæ corpus noctis & tenebrarum, adeóque terrenum, impedimentum à sydereo remouere potest, vt hoc purum, integrum, clarúmque appareat, quale id figura, omnisque adeò Geometria, Cosmographia, Astrologia habet, & &c. comprehendit.

Mathematica adepta qualis.

Corporis Elementaris & syderei, quæ differentia.

Arboris forma duplex.

Adepta scientia quid præstet.

Quæ hactenus dixi, eò spectant, vt Mathematicam Adeptam rectè probéque intelligatis & species eius inuicem distinguatis, corpúsque terrenum à sydereo, & eo, quod in terreno latet, discernatis, adeò, vt obtectum (remotâ omni caligine & opacitate corporum, per quam visus penetrare nequit) visibile fiat & pellucidum, purúmque, & Diaphanum, ac perspicuum, non secus ac si in cinere sydereum aliquod corpus lateret, ac cinis ille vitrum fieret, in quo vitro figura syderei corporis eluceret, non secus ac Luna resplendet in fonte. Oportet enim tenebras tam esse limpidas & lucidas, quàm Christallus est aut vitrum ac speculum ne quid ad rem hanc desit. Hâc tenebrositate remotâ. Mathematica tota confecta est, & in suum instrumentum comprehensa sine omni circulo Elementali, sine Elementali Lineâ, Zifrâ, & similibus, & tamen tota ex Lineâ, Zifrâ, circulo, &c. constans. Elementare corpus multum nobis visus adimit in Mathematicâ Elementari. Vnde multa incognita & incomperta sunt, quæ in Firmamento existunt. Id enim solum iudicare solemus, quod oculis spectamus Elementaribus, faciem nimirum cœli, in quo aspectu momenti minimum positum est. Inspectio interna momenti multò maioris est. Quid enim sit, si speciosam virginem foris in facie contempleris? Si illam non etiam noueris interiùs, quàm facilè decipieris? Quid sit hoc, si terram extrinsecus aspiciamus, & quid interiùs in ipsa sit, ignoremus? Expectabimus ne, dum hoc se ipsum prodat? At id cum nostro damno erit coniunctum: Sicut damnosum etiam est nos expectasse, dum nequitiam suam exereret virgo quæ pro simplici & niuea habita fuit. Et longa illa expectatio futura sit, si præstoleris, dum pisces ipsi ad littus in rete tuum ingrediantur. Ipsum ergo externum pro scientiâ ac arte habendum non est, sed pro obscuritate, pro nocte, in quâ Sol, ac splendor & lumen iaceat. Fas itaque ac æquum est, nos in Mathematicam Adeptam penetrare, nec pro Mathematicâ integrâ Elementarem habere, aut cœli tantùm faciem nôsse, sed intrò in cor, in animum, in penitiora peruadere, & quidnam intus sit, peruidere. Hoc si facimus, ipsum Chaos, & Tenebræ, ac corpora, rem internam obscurantia, clarescent & enitescent, ac oculi nostri

Res secundum interiora spectanda.

Externa sunt rerum tantum obscuratio.

nostri visu suo penetrabunt tanquam Sol per vitrum, aut lumen per vmbraculum. Sicut enim imago in speculo, aut Luna in aquâ resplendet; ita hîc quoque clarificatione requiritur, quæ Mathematica Adepta est, quæ sola, & non alia in omnibus Astronomiæ membris vsurpanda est. Elementaris Mathematicus syderees omnes cursus in terrenum globum vnum cogere satagit, tanquam in corpus in quod cœlum & omnis sphæra reducatur. Et quod de ligno dicimus, idem intelliges etiam de cupro & papyro. Eodem modo & Cosmographus mundum in pannum, aut parietem, aut mappam describere molitur. Hęc iam molimina sunt Elementaria, sunt naturæ & proprietatis Elementaris, & Elementaliter ars quoque ista tribuitur. Quòd si ergo rem ipsam videat in Astrolabiis, in Quadrãtibus, in Sphæris, in Globulis, & omnia tamen ista motu suo destituta sunt. Motus deest, cuius cognitio ante omnia necessaria est. Et si globus quidem artificis ipsius manu circumagatur, motio tamen illa mortua est, similis vmbræ parietis, quæ nec alba, nec nigra est. Et Elementaris quidem notitia plùs, quàm iam diximus, præstare non potest. Versatur enim tantùm in facie, non in corde, & de externis solùm speculatur, non etiam de Internis. Contrà verò Mathematica Adepta, spirituale visibile Astrolabium tibi tradit, quod per se mouetur, motu suo. Et sicut Sol in Aquâ procedit, ita vt videatur; sic etiam promouetur Astrolabium. Debéntque instrumenta ita confecta esse, vt rem præsentent non aliter, quàm in speculo, vt prorsum vorsum moueantur, sicut mouetur, quod in speculo repræsentatur. Et hoc nimirùm inter Elementarem & sydeream Mathematicam discrimen est, quòd Elementare Instrumentum simile sit trunco ligneo, aut corpori mortuo, quod de loco ad locum transferri oporteat, & aut lapidis instar surrigendum ac fulciendum sit, aut instar telę areanearum parieti adhæreat. Instrumenta autem Mathematicæ Adeptæ motionem in se continent, similem sphæræ aut corpori, cuius instrumenta sunt, non tantum quoad progressum, ascensum & descensum, sed ipsa quoque Cosmographia mobilis est, vt mobiles sunt locorum indigenę. In hac ergo probatione sic de Mathematicâ Adeptâ iudicate, quòd visibilis sit, non autem tangibilis, & quod illud, à quo inuisibile obtenebratur, auferendum sit. Id si fiat, scientia Adeptæ Mathematicæ iam satis probata erit, sicut tandem per opera probantur omnia. Opera enim huiusmodi rerum omnium testimonia sunt. Et simili modo Magica, ac membra eius omnia, vt Nigromantia, Nectromantia, Astrologia, Signata, Artes Incertæ & Adeptæ, in opus deducenda sunt. Hæc est ipsorum Mathematica & Modus instrumentorum, quibus ad perfectionem suam indigent. Et stupori vobis non sit, me illa proferre & protrahere, quæ nulli vestrum adhûc cognita vnquam fuerunt. Alius enim enim ac diuersus à vobis sum. Gratias ago scholæ illi, in quam penetraui. Nec me de quocunque alio homine effero, quam de eo, qui me genuit, & à puero instituit. De Astronomiâ itaque iam repeto. Nisi deseramus in scholâ suâ corpus Elementare, quod in ipsa luxuriat, & tempore illo corpori indulgeamus sydereo, nunquam sanè in cognitionem Astrorum periti euademus, sicut scriba quilibet à Deo doctus euadit. Et quamdiu Elementaribus solis capimur oblectamúrque, tamdiu ad superelementaria non penetrabimus, nihilò scilicet magis, quàm schola æterna cum mortali non permiscetur. Donec mortalia contemplamur, cœci sumus. Et dum in his occupamur, æterno cognatione nullâ addicti sumus. Si verò oculi nostri longiùs prospiciant, tunc demum magnalia Dei nobis reuelabuntur. Hoc ergo fine lumen naturæ nobis datum est, vt in illo versemur. Sed vt cœci sumus, si conferamur ad æternum: ita cœci etiam sunt elementares, si comparentur ad sydereos. Quique secundum corpus sydereum ambulat, huic manifestantur, quę fecit Deus magnalia. Vtrique tamen cœci sunt quoad æternum. Cœcus verò ideò nascitur, vt visum recipiat, & contempletur magnalia Dei, adeóque Deus propter illuminationem & visus restitutionem celebretur, eiusque potentia nota fiat: Denique vt cœcus viso recepto de elementari corpore admiretur. Propter crassitiem autem sydereum corpus elementari potius est. Caro & sanguis cœlum impetrare non possunt. Ex elementis enim caro & sanguis prodierunt, quæ æterna non sunt. Si cœlum impetrare non possunt: multò minùs sydereum. Aliud ergo requiritur ad virtutes elementares, aliud ad sydereas, aliud ad æternas. Quæ autem mysteria, magnalia & arcana Deus cuilibet contulit, ea perfecta sunt. Itaque elementare corpus indignari non debet, quod sydereum corpus ipso plus sciat. Habet enim elementare corpus, quod suum est. Suum habet etiam sydereum. Licitum autem Deo est, cuilibet largiri, quod ipsi lubet. Licitum est etiam eidem conferre cuilibet, quod debet. Quid id ad te? Quid læua curat, quod facit dextra? quódue Deus huic plura largitus sit? Habet læua, quæ sua sunt. Nec ob id reprædendi paterfamilias debet, si vni plus det quàm alteri. Sic placitum est ipsi bona sua dispensare: & nihilominùs ob dispensationem talem bonus iustúsque manet, cùm tamen interim inuidi oculis nequam fiat. Et sciendum est, corpus nullum inuidere præter elementare. Hoc enim scholas duas alteras odit, solum nimirùm pollere & eminere quærens. Interim nō cogitat, per ignem sibi penetrandum esse, cùm tamen bina cætera corpora, discipulus nempe ætherei cœli, & discipulus paradisiaci cœli probè inuicem consentiant, nec inter se dirimantur.

[Margin notes: Elem. Mathematicus quid differat ab Adepto. — Instrumenta Elemēt. & Syderea, vt differant. — Dei libertas in bonis distribuendis.]

Sed hæc ad probationem scientiæ Mathematicæ adeptæ, quantum hoc de adeptis caput requisiuit, iam sufficiant. Quę sequūtur, ad reliqua membra, quæ dona sunt, non artes, non scientię, spectant.

CAP. IX.

De Astronomicis donis diuinationis, Auguriorum & Ebriecatorum.

QVantum ad naturalia Astronomiæ describenda, eiúsque membra declaranda & manifestanda

manifestanda attinet, placuit mihi ipsa tali ordine comprehendi. Restat iam deinceps quoque dona natæ Astronomiæ similiter intelligi, attendique, quid natura ipsa per seipsam sine ope aliarum scientiarum operetur agátque. Ea qualianam sint, & quî donum vnumquodlibet intelligi debeat, in sequentibus tradetur. Sed & hîc nouem membra constituentur. Nouem enim illa dona nouem modis formisque dantur. Itaque iam explicabimus, quomodo donum quodlibet per seipsum intelligi debeat.

De Dono Diuinationis.

POrrò contingit, Astronomiam quandam seipsam gignere, veluti de donis dictum est, & deinceps etiam dicetur, quânam ratione natura ipsamet sine arte & auxilio humano, actu proprio Astronomicas operationes perficiat, quæ nullâ arte aut diligentiâ, hoc est citra indagationem humanam manifestantur per se, vltróque. Quanqum id non eueniat omnibus sed iis tantùm, qui astro in hoc genere præeunt, quales sunt industrij & bonæ indolis homines, erga astra rectè constellati, purgati & approbati, qui nimirùm in cibis & potibus temperanter sese gerunt. Ebrietas enim Diuinationem non fert. Et in intemperantibus operatio nulla conspicua est alia, quàm quæ ab ebrietate editur, cuius proprium est tumultuariè & inconsideranter erumpere aut eloqui. Sic & astra intemperanter diuinare possunt. Sed ea res mira & peior futura est, quàm quæ à sobrio editur. Operatio nimirùm frequens apud illos est, qui modestam & honestam vitam degunt, qui simplices & conditionis abiectæ sunt, quorum verba non admodum curantur. Quod enim arte caret, id proditur per homines simplices, vt Prophetas & alios. Contrà, quod arti cognatum est, editur ab industriis hominibus. Magnâ curâ in hoc incubuêre veteres, vt ne sua corpora ac animos contaminarent, quò operationes huiusmodi in illis perficerentur, siue per somnum, siue per speculationem, siue per animum. Et curâ istâ suâ veteres magnam sapientiam, multas artes, & admiranda vaticinia assecuti sunt, quæ per lasciuiam & intemperantiam nunquam impetrantur. Cœlum enim sibi sumit & proponit quendam. Is prout idoneus est ad artes, ad sapientiam & prudentiam, ita astra in ipsum operantur, velut Præceptor in discipulum. Et hæc ingenita Astronomia est, seipsam ad cœlestem operationem dirigens & prouehens. Hoc idem est ac si dicas: Si stella aliqua matura est, & concepit intra se fructum, dotémue, vel opus, vel scientiam, aut morbum, vel quicquid sit, tunc suum coniunctum tangit, perque id operatur. Coniunctum autem illud, quod homo est, nescit ipsemet, vndenam id proueniat. Hoc modo firmamentum ipsum in lucem profert homini, quod homo iste nec inquirit, nec animo suo expendit. Hæc iam species vocatur *Diuinatio*. Cùm enim homo sine scientiâ Astronomicâ operationes eiusmodi firmamentales exerceat, & loquatur, quæ ignorat vnde sint, quò spectent, &c. & cæteris hominibus multò sublimius loquatur: Hinc factum est, vt qui tales essent, à populo in magno pretio haberentur, adeóque pro Diuis colerentur. Ita priscis sæculis innati artifices emerserunt tam fœminæ quàm viri, qui stupenda quædam ex astrorum influxu operati sunt, vt Sibyllæ, & his similes, quæ vaticinatia sublimiora sapientissimis omnibus protulerunt, non ex sapientiâ & industriâ congenitâ, sed longè supra hanc. De hoc effectu statuendum ita est, quòd per somnum, per agitationem mentis, per speculationem edatur, per modum nempè talem, qui nulli curæ aut attentioni est. Quando autem tales diuinationes fiunt, metuenda est pœna aliqua in populum incubitura, qui per illas quasi admonetur, ne admittat non admittenda, & non rideat negligátque quæ prædicuntur. Apud veteres diuinationis magna dignitas fuit. Si enim aliquando concordantia incidit, vt operatio cœlestis alicui forte conueniret, & per somnum intentionem mentis, speculationem, cogitationem & similia perficeretur: prisci ad Diuinationis illius finem euentúmque sedulò attenderunt. Reliqui autem contemptores, ad quos res pertinuit, cùm Diuinationem non intelligerent, prædictis fidem derogârunt, & incredulitate suâ secum multos in errorem abripuerunt. Etenim ad illos præcipuè præsagia pertinuerunt, qui gratiam seu donum intellectus non habuerunt. Qui cùm viderent sine scientiâ talia fieri ac arte, suâ opinione freti considerârunt, quòd astra ipsamet per se operentur, & ex astris vniuersa naturæ opera procedant ac manifestentur. Natura enim sui creatoris instrumentum est, sicut etiam fuerunt Prophetæ. Itaque Diuinatio ars non est, sed sponte nata operatio, quam cœlum ipsum manifestat, & protrudit, sicut terra fructum, donec decidat. Res enim si maturescere vult, suos prodromos & prænuntios habet.

Vulgari prouerbio iactari solet passim, *Hoc meus mihi Angelus præsagiit.* Vbi operatio vocatur *Angelus*, more sic recepto. Erratum autem hoc ex illo est, quòd donum Diuinationis non rectè intellectum sit. Donum autem hâc de causâ est, quia Deus ipse in Diuinâ prouidentiâ constituit, vt natura id præsagiret, idque non citra medium, sed per medium omninò fieret. Medium itaque est astrum, quod consentit & vnitur cum eo, qui loqui, & in lucem porrò proferre rem potest. Persuasum autem est aliis, talia fieri per Deum sine medio astrorum: adeóque imputantur illa angelis, quasi Angeli inter ipsa & Deum medium essent, cùm tamen cœlestes illæ opererationes sint, à Deo tamen ita institutæ & directæ. Causa autem & origo huius diuinationis ita se habet. Homo intra se corpus sydereum habet astris externis cognatum. Hæc duo inuicem confabulantur, si corpus sydereum ab elementari non molestatur: Elementari enim corpori dona illa non dantur, sed tantùm sydereo. Velut in somno, si corpus elementare quiescit, sydereum corpus in operatione suâ versatur, quia somnium id & quietem non capit. Sydereum enim corpus tum demum quiescit, si corpus elementare vincit & prædominatur. Quiescente elementari, incumbunt somnia. Velut enim operantur astra, ita eueniunt somnia, ac eorum etiam

Diuinatio in quibus accidat.

Ebrij Diuinationi inepti.

Astronomia ingenita seu sponte nata qualis sit.

Diuinatio vnde dicta.

Diuinatio olim magna dignitatis fuit.

Natura Dei instrumentum.

Diuinationis quæ causa & origo.

etiam reuelationes. Et prout astrum benè vel malè instructum aut præparatum est, ita etiam incumbunt somnia. Vt enim commemoratum est, nimiùm cauto & per se intelligenti astra nihil conferunt. Ambitio námque seu sapientia vltronea operationem firmamentalem impedit, & astris reluctatur. Ideò firmamentalis operatio euenit tantùm in illis, qui locum cedunt astris.

Et multoties accidit, vt per huiusmodi dextrum sydus, pérque benè natum corpus sydereum futura omnia prædicerentur, quæ deinceps ita reipsa euenerunt. Ita vaticinatæ sunt Sibyllæ & alij plures, qui circa futurorum prædictionem versati sunt. Eodem modo multa quoque remedia sunt inuenta, quib. ægroti restituerentur. Similiter thesauri quoque multi & alia abscondita, inuenta fuerunt, vt summæ huic arti nihil ferè comparari possit. Astra námque futurum omne prænuntiant, nec quicquam vel præteritorum vel præsentium ipsa latet. Vbi ergo corpus sydereum tam aptum ab astris inuenitur, & ipsa astra præparata sunt: mirabiles res tam ex præsentibus quàm præteritis reuelantur. Ita multoties vaticinatæ sunt fœminæ, & alij item senes, nullis artibus instructi, qui quæ longis antè sæculis diuinârunt, ea tandem ipsa re vera facta sunt. Et diuinationes illæ certæ sunt, sed tamen cognitu difficiles sunt, quinam isti sint per quos natura ita operatur. Sunt enim plerunque vilissimi, & nullius æstimationis homines.

[Margin: h astris ... præparata, ... præsentia la... [illegible]]

Hoc pacto multi quoque in viros doctos euaserunt, qui corpus sydereum aptum & industrium accepêre, & in influentiâ sese exercuêre natiuâ, tandémque inclinationem sui astri attraxerunt, velut radios de Sole. Sicut autem de nutritione diximus: ita per similem speculationem in rebus stupenda sapientia & doctrina inuenta est, attamen saltem animaliter, non è supernis, sed tantùm ab astris. Sub eiusmodi enim cœli positũ & constitutionem, si cœlum sibi ipsi corpora syderea genuit, multi eximij *Auctores*, *Scriptores*, *Doctores & scripturarum Interpretes*, multi Philosophi & similes alij, quilibet pro constellationis suæ ratione emerserunt. Rem ita intelligite. Vt semen erumpit è terrâ, ita sydereum corpus nascitur ex sydere. Ex semine profert terra fructum, ita etiam sydereum corpus ab astris protruditur. Quod terra operatur in semine: id erumpit & manifestatur. Sic etiam ex homine Astra proferunt, quod in ipso latet, hoc est, qualem astra ipsum requirunt, sine additamento hominis. Et verè credendum est, multa huiusmodi in mundo manifestata esse, quæ non ab hominibus, sed hoc diuinationis genere reuelata sunt. Ita subindè hoc modo noua opera emerserunt: Non tantùm vaticinia, & similia: sed & rationem, ac scientiam astra citra hominis opem protulerunt. Et huiusmodi diuinationis fuerunt, quæcunque homines prudentiâ, sapientiâ & similibus aliis in scripturis subindè attentârunt.

[Margin: Eximii ... [illegible]]

Cæterùm de fine quoque istarum rerum & diuinationum attendite. Sicut tale quid ex sydere emersit: ita cum eodem etiam interiit. Nihil enim hæreditarium facit cœlum, sed id in vno terminatur. Vnde non iniustè censeo, astra probiùs noscenda esse, vt talia præueniantur. Quod fieret, si homo cognitionem illam non ex Deo, sed ex astris esse, statueret: ac diuinationem illam sydereè, non æternè intelligeret. Sed quia homo nihil nisi luxum & libidinem sectatur, ideò id minus intelligit. Et sic seductio ab vno transit ad alterum. Hinc iam patet, pro sanctis multos, qui scripserunt & concionati sunt, adeóque signa & similia ediderunt, habitos fuisse, quorũ tamen omnia opera tantùm fuerunt syderea. De quorum scriptis si diiudicetis, nihil aliud inuenietis, quàm firmamentalem operationem, quam simplicior quis intelligere nec vult nec potest. Quorum quidem auctoritas etsi magna sit, pro sanctis tamen illi habendi minimè sunt. Tales enim peperit Firmamentum & Influentia. Alia iudicandi ratio est, an sancti sint, vel non sint, & ex quibus viribus prodigia fiant. Et examine maiori, quàm simplici iudicio opus est. Spiritus iste Naturæ est, non Dei. Quod discrimen obseruabis sedulò. Discernendum enim est inter id, quod facit diuinatio, & inter id, quod facit diuinitas. Nomina quidem similia sunt, non autem prodigia, quæ ex vno etiam fonte & causâ non promanant.

[Margin: Diuinationis opera distant ab operibus diuinitatis.]

Frequenter etiam accidit, vt huiusmodi operationes ex animo hominis mirabiliter procederent, hominibus pectus & animum suum mutantibus, & instar sanctorum se gerentibus, cùm tamen illud nonnisi ebrium astrum fuerit, quod in fide, in scientiis, in moribus, in gestibus & omnibus negotiis, peculiare subindè aliquid molitur. Sicut enim vinum hominis mores mutat: ita tales etiam mutati sunt. Et quia nonnullis etiam vini deliramenta probantur: ideò oblectantur etiam nonnulli huiusmodi astris, & ebriis Scriptoribus, Concionatoribus, Ludimagistris, Alchimistis, Opificibus, Circumforaneis, &c. quorum quilibet profert, quod in ipso Astrum operatur. Astronomiam itaque rectè intelligi necesse est. Huiusmodi enim scriptores ebrij multos seducunt homines, tam in spiritu Dei, quàm lumine naturæ errando, & somniorum more vagando, quorum aliqua gaudium mouent primâ fronte lætum, sed ipso recessu inane. Persuasum autem cuilibet sit, admodum necessarium esse, vt sydera scriptura ac doctrina rectè intelligatur. Contortus enim serpens Leuiathan peruersis illis astris vtitur pro instrumento seductionis suæ inuehendæ. Ita multiplices doctrinæ prodeunt, pro sanctis habitæ, cùm tamen illæ nihili & mancæ sint. Seductores enim isti in causâ seriâ obmutescunt, & ad mortem properant, suisque scriptis immoriuntur, hi nimirùm ipsi existentes, qui religiones omnes corrumpant. Sciendum itaque distinctè est, quidnam astra operentur, & cuinam operatio illa seruiat. Consultum ergo mihi visum est, de istis perspicuè docere, vt fundamentum cuiuslibet cordis reueletur.

[Margin: Leuiathan &c.]

DE DONO AVGVRII.

POrrò sciendum est de auguriis, quòd in solis animalibus illa fiant, quódque per animalia

[Margin: Augurium quid & vnde fiat.]

animalia præsagiantur præsentia, futura, & alia plura. Qui ex animalibus vaticinari potest, ac ipsa cognoscit intelligitque, is augur est. Id donum seipsum exerit sine additâ ope hominum: ac saltem discendum noscendúmque est, quando & quomodo huiusmodi prophetiæ fiant, & vndè cognoscantur. Pro his itaque sciendum est, quod astra ita sint potentia, vt bruta quoque animalia trahant regántque, & eò compellant, vt, quantum quidem per animal fieri potest, auguria reuelent, &c. Coguntur enim animalia per operationem illam ad arbitrium astrorum. Sed & qui inter homines sunt simpliciores, si easdem operationes patiuntur animales, cum brutis communes.

Brutus homo & animal idem est.

Brutus enim homo & animal, quoad astra, vnum sunt. Astra itaque cùm vniuersa sciant futura, sed eadem proloqui non possint, per formas, figuras & similia alia, ipsa innuunt, aut corpus sydereum in animalibus compellunt, vt signa edant, prout quodlibet animal dispositum fuerit. Omne námque viuens Spiritum habet sydereum, per quem astra agunt ac operantur. Et hoc verum est tam de sentientibus, quàm sensu carentibus.

Auguria quæ sint, & quid genere portendant.

Auguria ergo illa omnia sunt, quæ fiunt præter naturam & consuetudinem rei cuiuslibet. Sic pauonibus suum à naturâ datum tempus est, quo clament. Si clament præter id institutum naturæ, Augurium id est secuturi alicuius damni, quod passura sit domus aut vicinia illa. Ita & canis, si præter caninam consuetudinem frequentiùs oscitet, funus aut simile quid portendit domui isti. Ita pica si præter naturæ suæ modum canat, damni alicuius & noxæ index est. Idem similiter de omnibus animalibus iudicandum est, vt *Coruis, ciconiis, hyrundinibus, passeribus, &c.* vbi vulgatissima illa probatio viget, quòd Astra non tantùm in homine, sed in omnibus etiam animalibus suum corpus habeant. Istius corporis vi operatur cœlum, & per animal illud prædicit, quidnam regioni illi, domicilióue, aut domino, vel populo ac hospitibus euenturum sit. Nec verò de sensilibus tantùm hoc verum est: Verum etiam de sensu destitutis, vt *herbis, seminibus, fructibus, ligno, lapidibus, &c.* vbi cogitandum est, hæc omnia suum quoque sydereum corpus habere.

Corpus sydereũ etiã inanimatis inest.

Ex dictis iam liquet, astra de talibus augurari per signa. Sic interdum fructus aliquis reperitur, à genere suo euarians vel magnitudine, vel formâ, vel re aliâ. Interdum figuræ formæue in ligno aut aliis inueniuntur, ab illorum naturâ deficientes: quæ omnia astrorum operatio sunt, alienum quid portendens. Sic aquarum exundatio, tonitru, grando, nix, &c. & quicquid præter naturam contingit, præsagium ac augurium est illius regionis, mutationis, persecutionis, aut pœnæ alterius, &c. Hinc sequitur, quòd si cœlum in coniunctum incidat, & coniunctum sit animal, res eodem loco habenda sit, ac si fieret per hominem. Sic si pauones aliâ quàm consuetâ voce clament, domui illi malum præsagiunt. Continent enim in se coniunctum naturale syderei spiritus Augularis. Sic etiam vi eiusmodi generationis factum aliquoties est, vt lignum cruentârit. Quæ omnia futuræ calamitatis & epidemiæ, vt aliàs quoque dixi, auguria sunt. Quotiescunque enim huiusmodi excessus acciderunt: toties calamitatem sequi obseruatum est. Sic anno nonagesimo nono ingens à me obseruata inundatio præsagium fuit mutationis futuræ in religione, in imperiis, in regionibus, in hominibus. Et in genere persuasum cuilibet sit, huiusmodi auguria formidabilia esse, nec sine calamitate insigni vanescere.

Lignorũ cruentatio &c.

Hominis vniuersa præsantis signis indicantur.

Sed pergamus in his. Nemo hominum moritur, cuius mors non præsagiatur: nec verò præsagitur tantùm mors, sed omnia etiam acta & consilia hominis, quæ is tractaturus est. Quæcunque enim facturus est, prænuntiis suis indicantur. Quóque excellentiùs quid homo designaturus est, eo illustriora præsagia sunt. Sic si (exempli causâ) designatura aliquid ciuitas est, augurium clarius erit, quàm si faciat pagus. Idem respectus est regionis ad vrbem, Magnatum & Principum ad populum, denique Regum & Cæsarum ad inferiores. Ita námque comparatum cum homine est, vt ipsius natiuitas, mors, facta & consilia, vita ac opera, per prænuntios indicentur. Id verò quod præcurrit aut prænuntium est, non tantùm consistit in auguriis, sed & in omnibus aliis membris & speciebus Astronomiæ, vt sunt Cometæ, Ascendentes, &c. Sed in hâc tamen probatione tractare saltem instituti de Auguriis, hoc est, tantùm de animalibus & crescentibus naturæ.

Deus sollicitus de homine, præsagia facit.

Tantâ enim hominis curâ afficitur Deus, vt ne vnus quidem in ipso capillus sit, quem Deus non numerârit. Si hoc, iam etiam curæ Deo fuerit, vt præsagia condat de hominis ipsâ natiuitate, morte, vitâ, & fine, sicut ipsius etiam Christi aduentus à stellâ & Prophetis &c. prædictus est. Hæc enim omnia venturi filij Dei, velut & iam nati certa præsagia fuerunt. Iam sicut per præsagia illa Christus venturus, per stellam aut nunc præsens prænuntiatus est: ita cum quolibet homine exemplo eodem agitur. Quę autem per animalia ac per inanimitas res alias reuelantur, Præsagia Augurina sunt.

Præsagia Augurina quid.

Et nemini hæc talia stupori aut contemptui sint. Hæc enim operantur Astra: non Diabolus, non Spectrum, non Spiritus Infernalis, sed natura ipsa talia præsagit & preindicat. Tanti enim respectus apud Deum homo est, vt tam prosperis quàm aduersis illius rebus prænuntia astra mittat. Quæ scienda & noscenda sunt homini, vt intelligat, quid faciat, & quid opera eius in futurum portendant.

Præsagia Augurina cur noscẽda.

Id enim si non intelligat, operabitur vt mutus, vt brutum aliquod aut furiens bos, sine omni intellectu & ratione humanâ. Eius námque præsagia Augurina indicant hominis probitatem, nequitiam, finem & exitum, errorem & imprudentiam, improbam vitam, leuitatem, libidinem, superbiam, degenerationem, & cætera. Necessarium itaque est, vt homo sciat præsagia discernere. Ex illis enim perspiciet suum cor ac animum, dolum ac fraudem, sapientiam & dementiam, errorem & seductionem: denique quæ Monarchia, quæ Democritia, quæ fœderea, quæ

quæ conſpirationes, quæ renouationes, quæ alterationes præſagiis illis portendantur. Ea námque omnia calamitoſi exitus indicia ſunt. Quiuis ergo, qui nouum quid molitur, attendat, quid præſagia illi denuntient. Ad hominis enim actiones Deus illa omnia diſponit, ſicut fur ſtat iuxta patibulum, & patibulum iuxta furem, vbi vnum ex altero noſcendum eſt. Beatus ille verò eſt, qui gratiam à Deo datam habet, vt præſagia, qualia oſtenduntur, diſcernere & intelligere queat. Sed multò tamen beatior ille eſt, qui ad præſagia eiuſmodi erectum animum concipit, & emendationem, curámque & prouidentiam inſtituit. Quoniam verò à de ò ſtupidi ſumus, & corpori elementari tantopere indulgemus, imaginariam ſapientiam noſtram vero lumini præponentes: hæc cauſa eſt, cur de aſtris nihil ſolidè intelligamus, ſed videntibus oculis turpiter cœcutiamus. Hæc nimirum cœcum eſſe apertis oculis pœna eſt à Deo nobis immiſſa, indignis ſcilicet qui admonitionem intelligamus, ne fors conuertamur, & reſipiſcamus.

De auguriis porrò hoc quoque notate. Si moriturus homo eſt, ſydus ipſius, hoc eſt, ipſius aſcendens, & figura cœli, ante illum frangitur. Etſi enim cœlum ſuam per ſe figuram retineat: cœlum tamen adhuc aliud eſt, in quo conſiſtit homo cum omni ſuâ eſſentiâ. Iam ſi moriturus homo eſt, non niſi vi fit, vt cœlum illud quoque frangatur. Cum homine enim ipſius quoque figura cœli frangitur, cum illo interit, vt cum illo generata eſt. Si homo generatur, cum ipſo generatur etiam ſtellatus ſpiritus. Et quicquid, in homine eſt, cum ipſo generatur, cum ipſo diſſoluitur, in ipſo & extra ipſum. Nec ſine gaudio & prænuntiis id euenit. Quæ enim nato homini euentura ſunt, de illis totum firmamentum gaudet. Et vt ſua ratio gaudij humani eſt: ita etiam aſtralis. Ac veluti ſua mœroris apud hominem indicia ſunt: ita etiam apud aſtra. Exemplo vobis ſit *Stella natiuitatis* Chriſti index, quæ lætabunda in cœlo ſtetit. Documentum etiam capeſſite ex morte Chriſti, quam ſigna lugubria & formidabilia conſecuta ſunt, nempe tenebræ, terræmotus, diſciſſio veli in templo, mortuorum ex ſepulcris eruptio & apparitio. Per truculenta iſthæc ſigna mors Chriſti nuntiata fuit. Eodem modo cuilibet etiam homini mors ſua quadamtenus præſagitur, non tamen æquè euidentibus cum Chriſto ſignis. Talibus enim Chriſti mors indicata fuit. Sic etiam pro cuiuſlibet hominis conditione prænuntij mittuntur, vel Cometæ vel viſiones, hoc eſt, non tantum per auguria, ſed & per alios modos, quorum nullus negligi temere debet. Adeò enim horrenda mors eſt, vt concutiantur & contremiſcant quęcunque ipſam nôrunt, vidéntque, quis abrepturus hominem ſit. Quatitur autem cumprimis ipſius cœlum, aut coniunctum, & ſi quid aliud cum homine moriturum eſt. De Auguriis itaque hoc ſtatuendum eſt, quod res magnas portendant, tum futuras, tum præteritas, tum præſentes, inſuper ſapientiam, prudentiam, ſcientiam, & ſi quæ alia in naturæ theſauro latent. Non ergo admirationi vobis ſit poſſibilitas, quæ in

Figura cœli homini ſimul in generatione cum eodem interit.

Christi mortem quę ſecuta.

Mortis præſagia.

ſpeciebus auguriorum eſt, ſiue fiant per inſomnia, ſiue per animalia, ſiue per animum, ſiue per cogitationem & ſpeculationem. Hæc enim omnia exercent & operantur in homine ſtellæ ſydereæ, & influentia aſtrorum ſuperiorum propter coniunctionem, quę cum homine vnita adeò eſt, cum ipſo vt ſimul vnà frangatur. Antequam verò frangitur, præſagia promit de ſe. Exemplum. Si decumbens æger moriturus eſt, ſigna lethalia in corpore emergunt, vnum ſubindè poſt alterum. Sic erumpnnt etiam ſigna in ipſius figura & coniuncto, quod cum ipſo ſimul frangetur. Hinc demum oriuntur miracula, quę homo per eiuſmodi res edit ac profert. Et rerum mirabilium iſtarum inuentores olim pro diis habiti fuerunt, qui ſcilicet auguriorum cognitionem & intellectum habuerunt. Docet autem Aſtronomia, ipſos haudquaquam Deos, ſed luminis Naturæ & Auguriorum peritos exſtitiſſe. Deus enim hominem, cœlum, terrámque vniuit, & lumen naturę cœlo infudit, vt homo illud indè acciperet. Hæc ergo particula ars eſt naturalis, homini meritò acquirenda, ſcienda & diſcenda, veluti portio magnæ ſapientiæ, quam homo poſſidere debet.

Augures olim pro diis habiti.

DE DONO INEBRIECATO.

ANtequã probationẽ hanc in donũ ebriecatũ deducam: neceſſariũ eſt vt probationem illã per exemplũ intelligatis, quo puto vos rectiùs informari poſſe. Itaq; de ebriecato mẽbro ita iudicandũ eſt, quod diſlocata inſana ratio ſit, quâ homo nõ more humano agit, ſed vt furioſ⁹ & Maniac⁹, cui intellect⁹ õnis eliſus ſit. Iã ſi quid & quomodo homo operetur, intelligi debet: per exemplũ vtiq; id intelligendũ eſt, quod ſumetur de vino, & ebriis hominibus, ipſorúmq; morib. & geſtibus. Eodẽ enim modo ſe res etiã habet cũ ebriecatis. Pro exẽpli faciliore captu hæc notate. Sobrius homo ratione pollet, quali à Deo donatus eſt. Si is ſe vino inebriat, perdit illã & abit in pecus, & pecoris more ſe gerit. Vinũ autẽ vel aſſumere, vel omittere is poteſt. Si non aſſumit, à vino minimè inebriatur. Si aſſumit, expectãdus ipſe euẽtus eſt. Eadẽ ſors eſt etiã ebriecatorũ ab aſtris, quos haud neceſſe eſt fieri furioſos & agreſtes: ſed tamẽ ſi de illis biberint, expectãdũ eſt, quis finis, quæ opera ſecutura ſint, quæ plùs ſẽper mala quã bona ſunt. Sic & de ebriis ruſticis plus mali quàm boni expectandum eſt, quoniam humanâ ratione exuti ſunt. Vnde conſideratè pręcepit *Paulus*, ne vino inebriemur, quia in ipſo omnis luxuria eſt. Hoc vt intellegeretur, placuit mihi probationem hãc inſtituere, quidnã vinũ operetur, & cur id, & quib. ex viribus faciat: vt deinceps exemplo finito etiam doceamus, quidnã aſtra, quę vinũ ſunt, agant in homine, quid operẽtur, & vbi ſeſe exerãt. Quæ explicatio huc cumprimis mihi viſa eſt facere, vt, quid ſobrij, quid ebrij agant, intelligatur. Rem hoc diſcurſu ordiemur. Coit in vino compoſitio ex omnibus proprietatibus ſenſuum, & indè potus vnus tantùm fit, ita intelligendus. Videtis nimirùm, quod in cibo conueniant omnifariæ ſpecies & naturæ carnis, & corporis humani. Si homo cibũ ſimplicẽ edit, ex illo

Ebriecatã quid.

Ebrij plus ſẽper mali, quã boni.

Cibus vinus alimentum omnibus mẽbris.

illo suppeditatur alimentum, cuilibet membro suum & peculiare, carni caro, ossi os, cartilago, venæ vena, oculo oculus, &c. Iam si in cibo tot alimenta, & tam variæ species carnis sunt, cùm tamen cibo simplex & vniformis sit: vtique & in vino tot Naturæ & species ne suum erunt. Sicut cibus abit in carnem & sanguinem: ita & vinum abit in sensus. Etsi verò vinum primò sit nutrimentum: præter id tamen continet etiam in se plenitudinem, hoc est Spiritum repletionis, sicut & quiuis cibus spiritum repletionis habet. Iam si corpus suum nutrimentum assumpsit, repletio abit in ventrem, & venter repletur, seu inebriatur. Ita & vinum, si nutrimentum deposuit, eóque orbatum est, repletio penetrat in sensus hominis, sicut repletio cibi in ventrem. Et sicut repletionis cibi varia signa, ex quibus noscatur, sunt, ita propria quoque sua signa habet repletio in sensibus & cogitatione hominum. Iam erumpunt signa repletionis in ventre, iam sua se signa etiam exerunt in sensibus. Porrò verò ab vsu & experientiâ constat, quæ natura hominis ebrij sit. Quicquid sibi is proponit, confectum dandum est. Quicquid meditatur, rectum est super omnia. Sobriorum nemo quicquam nouit, nouit ebrius solus, non vnum tantùm, sed omnia quæ dicuntur, quæ disceptantur. Cæteris omnibus obmutescendum est. Interim ipse ebrius immemor est sui, non attendens ad mendacia, quę deblaterat, non considerans se contra rationem loqui, non recordans suam conscientiam, suúmque errorem & fatuitatem minimè agnoscens, &c.

Ebriorũ qui mos sit.

Quod iam exemplo de vino & alimento, de repletione alimenti & vini docuimus: id eò referendum est, quod nonnulla etiam sint crescentia, quæ, si assumantur, maniacos, insanos, furiosos & feros reddant, vt sunt *Cicuta, Harmel, Versatilis, &c.* Sunt etiam nonnulla quæ acuunt memoriam & sensus vltra donũ & mensurã suam. Eiusmodi proprietates sunt etiã in astris. Nõ enim minùs homo ad astris alitur, ac ab elementis. Pars námq; quælibet in corpus ac essentiã suã abit. Hâc ratione vini proprietas etiam in astris est. Et vt est vinũ terrę, sic etiã vinum olympi, vt panis terræ seu agri, ita etiem panis firmaméti. Sicut nutritur homo ab vno, sic etiam ab altero. Alterum visibile est, alterum inuisibile. Iam quod in principio dixi, repetite vobiscum, posse nempè terrenum vinum hominem vel bibere, vel non bibere, cum modo, vel supra modum. Æquè libertatem similem is habet etiam in vino olympico potando vel non potando. Nam humani arbitrij est, alium iugulare, vel non iugulare: furari, vel non furari. Hoc arbitrium autem frangit & inhibet mandatum, quod est: *Non furaberis, non occides.* Præterea mandatum etiam nobis est, ne vinum bibamus, in quo est luxuria. Ex hoc mandato elicitur, viuendum nobis esse sobriè, nec vitio nobis congenito locum moremue dandum esse. His qui paret, nihil mali facit, & probam vitam agit. Qui autem viuit ad impulsum voluptatum, is illis inebriatur, nec pedem figit in eo gradu, in quo se continere debebat. Hoc modo vinum & quiduis aliud vel assumere; vel nõ assumere possumus. Quâ verò ratione per appetitum à nobis assumitur elementare: ita & firmamentale per appetitum in nos penetrat. Sicut enim vinum notorias suas vires exerit: ita & firmamentum, si Mustum est, vino multò promptiùs & efficaciùs operatur. Firmamentum enim est subtilius, purius, promptius, & plenum sensibus ac cogitatione.

Cicuta Harmel, &c. herbæ maniacæ.

Vinum & panis duplex.

Firmamentum elementis efficacius.

De musto ergo firmamentali, quomodò inebriet, cognoscite. Homo non ampliùs loquitur, sed loquitur mustum. Repletio enim triplex est: Terrena, ex vino: Firmamentalis, ex astris: Æterna, ex cœlo. Iam quæ cœli ebrietas sit, manifestum est. Sicut enim Christus inquit: *Caro & sanguis nihil prodest*, hoc est quod ex terrâ enascitur ad nihil prodest, hoc est ebrietas vini nihil prodest. Præterea nec ebrietas firmamentalis prodest. Illius enim omnia carni & sanguini similia sunt, & carnis ac sanguinis nomine intelligi debent. Et cum *Spiritus sit, qui viuificat*, hoc est, solum id, quod desuper à Spiritu venit, bonum sit: hinc patet, solam ebrietatem illam è supernis frugi esse, & cæteras omnes ceu nihili sordere, velut & Apostoli ebrij à populo habiti fuerunt. Cęteræ ergo repletiones geminæ, sub carnis & sanguinis vocabulo comprehensæ, nauci sunt. Euidens enim ac in propatulo est, quid terrena ebrietas faciat. Sic etiam notum est, quid faciat ebrietas firmamentalis. Illud enim vinum qui bibit, is humanam naturam exuit, ac euadit Maniacus, Phreneticus, &c. sicut manifestum est ex illis, qui choreâ Viti affliguntur. Hi enim cantillant, subsiliunt, discurrunt, tripudiant, iubilant, non quidem ex iudicio humano, sed ex vi musti firmamentalis, à quo concitantur & impelluntur, veluti & aliàs euenire solet ebriis ex vino. Et hoc membrum cumprimis accuratè explicandum est. Multi namque sunt huius membri ignari, qui naturam vini aut musti Olympici minimè nouerunt, sed illos, qui ex musto illo loquuntur, pro doctis & insignibus Doctoribus habent, cùm tamen nonnisi temulenti blaterones & fanatici consiliarij sint, ex vino ebrij & sapientes, & in illo luxuriantes, sicut & alias temulentos, quibus suus mos, sua ratio tantùm probatur, facere, passim animaduertimus.

Ebrietas triplex est.

Chorea Viti qualis morbus.

Huius classis sunt Theologi, Concionatores, Iuristæ, Rabulæ, Medici, Empirii, milites, aleatores, &c. quorum quilibet suo genio ac naturâ peculiari vrgetur. Hic plorat, ille deuotus est, iste gemit, alius ridet, nonnemo feriatur, quidã in hanc, alius in aliã partẽ inclinat, & sic quiuis per seipsum doctus fit, sed non ex dono Dei. Hi enim soli ex Deo docti sunt, qui à musto Spiritus sancti inebriantur. Musta reliqua duo nõ sũt nisi sensus erronei, capita distorta, seductores & clamosi, ex seipsis omnia intelligentes, contemnentes libros, respuentes consilia, & oblata auxilia, sibi persuadentes omnia. Et sydereorum huiusmodi ebriorum quouis tempore magnus numerus exstitit. Sed petulantiæ & temulantiæ suæ speratum euentum non semper assecuti sunt. Tales nostrâ etiam memoriâ fœdè eruperunt, quolibet ex musto suo loquente, & id

Ebrietas æterna quid sit.

id blaterante, quod natura illius vini suggessit. Hoc modò patefacta fuerunt corda hominum, quolibet musti sui insaniam proferente. Quo enim aspirabant, eò à vino suo adigebantur. Sicut autem temulentia elementalis proba non est, cum sanguis sit & caro: ita nec illa syderea quicquam profuit. Et sicut alias ebrij in proposito suo pertinaces sunt: ita ebrij Olympici mustei Concionatores, Iuristæ, Senatores, &c. quoque capitis præfracti sunt. Consultum mihi verò visum est, vt *Donum naturæ inebriecatum* distribuerem, & hîc necessaria enumerarem, quò videatur, qualenam illi (*) antecessores, patroni & asseclæ fundamentum habeant, ex quo loquantur: quorum certè opera, signa, & facta nos de ebrietate certos faciunt, quod non ex sobrietate, sed fœdâ & indignâ temulentiâ nugentur. Quilibet ergo hinc discernere discat, quænam opera ac doctrinæ sint temulentiæ, quæ sobrietatis, & qualis sit ebrietas musti Spiritus sancti, qualis musti Olympi, qualis terre. Ex fructibus enim ac operibus omnes diiudicantur. De syderei ergo vini probatione sic statuite, quod sensus repleat peruertátque, & quod mustum, non homo loquatur. Et sicut ebrius aliàs sibi quiduis persuadet: ita hi quoque sibi persuadent se illos esse, quos tamen nullo documento præstare vel in minimo possunt.

CAP. X.

De Dono Inclinationis.

INsigne hoc Dei donum est, quòd ex astris inclinetur, quod ad perfectum naturalem hominem spectat, interiùs in carne, in animo, in spiritu, in corde, in intellectu, ita vt homo luminis naturæ cognitionem capiat in iis rebus, quas ex naturæ lumine operari debet. Hoc istâ ratione probatur. Scitis nimirùm, corpora omnia vtilitatem in se aliquam continere. Id, quamdiu in corpore subsistit, nec quicquam præter corpus adest, emoritur. Si verò accesserit motor, aut cocus, ac elaborator, prodit & emergit id, quod latuit, & erumpere debet. Dabimus exemplum. In terrâ multa & admiranda arcana latent. Porrò autem Sol, & Luna, dies & nox, ros & pluuia, totum denique firmamentum motor est, est præparator, est ignis, vt vniuersum, quod in terrâ latet erumpat, pérque ignem in lucem producatur. Elementum enim firmamenti est elementum ignis. Hæc iam vt vera esse constat: ita probant, similem quoque operationem in homine esse, qualis est in terrâ, ac certam terræ hominisque similitudinem esse. Discrimen tamen vtriusque tale est. Quod ex terrâ prodit, est corporalis substantia, crescensve aut fructus. Quod verò prodit seu emergit ex homine, est doctrina, sapientia, scientia, ratio, iudicium, quousque quidem lumen naturæ extenditur. Sic ergo iam constat, quidnam ex terrâ elementum ignis proferat, quid item ex homine elementum ignis eliciat. Vnum est corporeum: alterum est simile spiritui. Porrò sicut in terrâ varia dona, naturæ, formæ, species, substantiæque conduntur, quarùm nulla similis est alteri, probè tamen & sapienter omnes factæ: sic etiam in homine multæ naturæ, proprietatésque sunt in sapientiâ, in scientiâ, in intellectu, &c. quod multis modis confirmari potest. Homo ergo ad seipsum attendat, vt ne operationes eiusmodi aut pruinâ, aut niue, aut eluuione obruat ac corrumpat: sicut enim corruptio eiusmodi attingit terram: ita damnis illis etiam homo obnoxius est, quas tamen ipse tempestates auertere & declinare potest.

Corpus omne, vtile quid cō. tinet.

Homo & terra in quo conueniat.

Tot támque mirabiles res creator Deus corporibus indidit, vt satis omnes explorari aut enumerari non possint. Corpora omnia sunt elementaria. Quod autem in ipsis mysterium est, est super elementare, subiectum astris & vi eorundem elicitum. Deus autem in hominem admiranda mysteria multa coniecit, quæ se habent vt semina in terrâ. Sicut semina terræ verno tempore erumpunt: ita iustæ ætatis tempore erumpere debent flores & fructus, quos in hominem Deus conseuit. Fructibus hisce terræ æstate suâ erumpentibus, & fructibus etiam hominis messis horâ prodeuntibus, Deus singulariter gaudet, quia scilicet creaturæ ipsius nihil supprimunt, sed omnia protrudunt. Ita enim Deus in suis operibus laudatur. Iam si terra, quæ minoris est, nihil retinet, sed omnia erumpere facit: quantò magis erumpere debent in homine dona, quæ Deus illi implantauit, vt Deus in Sanctis suis celebretur? Sancti enim sunt illi, ex quibus enascuntur, quæ Deus inseminauit. Sedulò autem operam det homo, ne dormiendo quid transire sinat, sed æstatem suam iugi operatione exigat, nec hyemem vllam admittat. Et memores vos hîc esse velim ficus arboris, ad quem veniens Christus, sterilem ipsam offendit. Etsi enim fructus tempus nondum instaret, ei tamen nihilominùs maledixit, vt in momento illicò exaresceret. Quod si ficui etiam ante tempus, maledixit Christus: quantò magis homini, quem quouis momento maturum & frugiferum esse decet, maledicet, si sterilem illum, ac thesaurum creditum defodientem inuenerit, sicut de talento legimus? Hâc ergo probatione opus est, vt inclinationes intelligantur, quænam iudicandæ sint, cur in nobis existant, quid ex nobis protrudant: vt hinc videamus, sciamúsque, quænam in hominem Deus collocârit, quid sit talentum id, quod inclinatio protrudat. Sicut enim inclinatio protrudit flores & folia, rosásque: ita indies etiam in nobis eruptio fieri debet.

Corpora & mysteria quo differant.

Sancti qui vocandi.

Ficus maledicta a Christo.

Naturalis sapientia & lumen naturæ, quod in nobis est, amœnissimum subindè & florentissimum rosetum parere debent. Vt homo intelligere potest, quomodo natura pyrum faciat ac præparet, quod, cùm initio nihil sit, paulatim tamen ac indies augescit, & processu temporis formatur in pyrum, pyrumque reuerâ est, pyri materiam, gustum, & omnes proprietates habens: ita sydereum quoque lumen in homine fabricat doctrinam, mechanicum opus, quod nec tangibile nec visibile est, vt ex opere illo, intra hominem fabricato, opus visibile fiat & prodeat. Dabimus exemplum. Qui fructus ex homine prodeunt, sunt doctrinæ, & scientiæ, & ipsarum species. Iam si similem scientiam homo

fabricaturus

fabricaturus est, necesse est, vt ipse eam machinetur. Nec enim ipsa natura operatur, sed tantùm homo fabricare debet. Pone, loco pyri fabricandam esse equi ferream soleam, loco pomi, ollam, &c. Hæc iam faciet homo. In ipso quidem natura ferrum omnium optimè facit aut ollam. Sed per hanc fabricationem eius homo adeò industrius fit & peritus, vt vltrò manibus suis, & corporeis instrumentis faciat, quod natura in illum inclinauit. Est ergo inclinatio occulta operatio in homine, quâ per ipsum fabricatur, quod natura fabricare minimè potest. Et quæ huius classis sunt, ab inclinatione fiunt. Qui attentus ad furta, prædationes, aleam, scortationem, &c. ab inclinatione syderum tales esse autumant, hallucinantur. Propensiones eæ non sunt ex astris, sed à spiritu quodam in homine latente. Extra quidem inclinationem & cooperationem naturæ propensio ad talia, non est vis ex naturâ promptâ, sed ex spiritu hominis citra naturam præsente, de quo in hâc probatione minime dicturus sum. Porrò etsi quidem inclinatio in hominem dirigatur ita, vt astrum benignum habeat is, ad quæcunque velit: ipsa tamen hoc casu ideò deficit, quia homo ipsam assumere potest, vel non potest id facere vel non facere, nec ab astro cogitur. Et licèt astrum quidem in homine cudat faciátque ferrum, faciat fabrum, faciat carbonarium, faciat figulum, faciat tornarium, &c. is tamen id facere vel non facere potest, potest vsurpare vel non vsurpare. Ac quamuis naturæ institutū voluntásque sit illa, cuius gratiâ etiam in homine talia inclinat: penes hominis ipsius tamen arbitrium stat an voluntati naturæ assentiri, & intra se occultatum producere velit vel nolit. Solius enim naturæ illa inclinatio est, conferentis in hominem, quod ipse postea suo arbitratu tractare & dirigere possit.

Inclinatio quid.

Inclinatio cur nō semper necessaria.

De inclinatione itaque in carnem scitote, inclinationem illam procedere ex elementis. Inclinatio autem animi dependet à syderibus: & inclinatio spiritus prouenit è supernis. Inclināt autem elementa in carnē dispositionē eam, quæ carni debetur, vt est *Natiuitas & Actus Corporei*. Hoc loco inclinatio est idem quod separatio puri ab impuro, quâlibet naturâ carnis secedente in suam sortem, & inclinante in complexionem elementorum. Si non separetur non cōplexionabitur. Sic nimirùm ex elemētari inclinatione mores & ingenia hominum oriuntur. Ergo, qui melancholicus est, complexionis illius suæ causam non habet melancholicam: sed potest quidem tristis esse; & tamen cholericus: potest verberare, & tamen esse melancholicus: potest lacrymare, & tamen sanguineus esse. Mores enim hominum ortum suum sumunt ex inclinatione. Et inclinatio est sydus elementale, non terræ, non sanguinis, non phlegmatis, non choleræ effectus. Eodem modo si quis sublimior sit animo, quàm in genere natura fert: id ab inclinatione syderei corporis est, animum inclinantis, non secus ac si quis rem quampiam concludat in vas, quod vlterius ad loca peregrina transmittatur. Sic si ex luto conficiatur olla, ollæ illius inclinatio est à figulo. Non aliter & animus doctrinâ, industriâ & scientiâ, &c. imbuitur. Itaque inclinationes huiusmodi sunt instar vasis, ex quo eximium quid emergere & inueniri queat. Sic & de inclinatione in spiritu, desuper veniente iudicandum est, quod fiat & inclinetur eodem modo in quolibet, nemine interim sciente, vbi, quomodo, quid, vnde & quò inclinatio fiat. Inclinatur autem in hominem virtus quædam, non secus, ac si doctrinam Christi aliquis audit, vbi spiritus ille è supernis discit ac concipit intra se cœleste, ita vt homo intra seipsum intellectum supernaturalē adipiscatur, nec sciat vndè, quorsum, &c. Iam verò internæ inclinationis eadem est ratio, quæ externæ. Qui quod aure vnâ admittit, per alteram emittit, is nihil retinet. Hoc modo fit inclinatio à spiritu interno. Spirituale autem hoc exemplum affero, vt ex ipso intelligatis, binas etiam naturales inclinationes similiter pertransire, impingere & manere: cuius momentum situm est in eo, in quem inclinatio transit aut penetrat.

Inclinationum singularum quæ origo.

Inclinatio quid sit.

Porrò autem de dono inclinationis sciendum est, illud ratione duplici à Deo magnum datum esse. Vnum est per spiritum ipsius Sanctum: alterum à sydere & elementis naturæ. Nemo autem admiretur de eo, quòd, sicut inclinatio multiplex est, ita multiplex etiam semen in hominem seminatum sit. Primò enim quiuis homo inclinationem vnam, vnum inclinationis donum habet, sicut scilicet se habet rosa in suo semine, aut lilium in suâ radice, aut arbor in suâ fronde. Et de hoc tantùm agitur, vt homo inclinationi pareat, aut locum det, nec, quod datur, abiiciat, concordans scilicet cum Psalmistâ dicente: Qui plorant semper plorabunt, deferentes semen suum, idque profundendo dispergentes. Quæ verba de hoc semine intelligenda sunt, quòd nimirum inclinationi suum incrementum non permiserint illi. Vnde semen apud ipsos exaruit, ipsique iam plorant & eiulant eo loco, vbi non nisi stridor & rigor dentium gliscit. Qui autem semen per inclinationem accrescere sinunt, hi cum gaudio plenos manipulos domum portabunt. Ita nimirùm & in lumine naturæ Deus nos dotat, vt nostri rationem aliquam habeamus, sciamúsque inclinationem esse bonam, vt quæ proferat rosas, lilia, caryophyllos, &c. à Deo in nobis plantatos. Quod si de inclinatione rectiùs inquiratur, Pædagogum illam esse inueniemus, talem nimirum, quæ in priuatis nos informet & doceat, secus quàm alius Præceptor naturę. Quid enim per se sciret homo? Nihil quicquam. Et sicut in homine nihil esse potest sine numine diuino: sic etiam ne quicquam sine lumine naturæ. Numen enim & lumen hominem perficiunt. Ab his duobus omnia descendunt. Et illa in homine insunt. Homo sine illis nihil est: ipsa autem extra hominem aliquid sunt. Homo per se nihil quicquam est. Quicquid autem esse debet, id ab hospite intra se habitante est. Sine hospite illo nihil agit, nihil est.

Donum Dei duplex est.

Homo sine lumine naturæ stipes.

Itaque

Itaque de inclinatione hactenus dictum satis est. Ad cuius probationem quæ requiruntur, vnà quoque satis declarata sunt. Nescimus autem vndenam inclinatio spiret, & cur huic illiue incumbat. Et cur hic ad hoc, ille ad aliud electus sit, carnem ac sanguinem nostrum latet. In his námque rebus dominatur libera voluntas, &c. Et vbi inclinationes volunt, ibi spirant. Ipsarum námque liberum arbitrium est.

De Dono Impreßionis.

QVONIAM de *Libero arbitrio* paulò ante constituimus: deinceps iam de illâ Astronomiæ specie dicendum quoque est, quæ liberum arbitrium frangit & elidit, vt homo facere cogatur ea, quæ impressio vult, non quæ vult ipse. Ea vocatur prædestinatio. Hoc idem est, ac si quis dicat: volo, vt iam hoc tu facias, tu exequaris illud. Ita enim fieri oportet: nec quicquam negligi. Necesse enim, est, huiusmodi res successus suos habere complerique & perfici per eos, qui, cùm aliâ pergere viâ velint, hàc vt transeant, omninò opus habent. De dono autem vt probationem addamus, omnium primò notandum est, rem sic se habere. Pone scilicet aliquid propositum esse, quod perficiatur per hominem, quod tamen homo suo arbitratu non faciat: id iam est *Compelle intrare*, hoc est, impressio. Petrus auersabatur id, ad quod prædestinatus erat. Impressio iam ipsius est, abire eò. Itaque cogebatur ad id, quod impressio ferebat. Sed & ipse Christus petiit, vt impressio, hoc est, prædestinatio in calice ab ipso auferretur. Veruntamen, quia prædestinatio & impressio diuina instabat, huic parendum erat, nec calix auferri poterat. Cùm ergo impressio in sacrâ scriptura prædestinatio vocetur, ex illâ sciendum est, impressionem esse violentam perfectricem in lumine naturæ, ad ordinem illius complendum. Iam verò naturæ ordo est, vt inter homines sint fabri, sint agricolę, sint molitores, sint pistores, &c. Homo autem per se adeò piger & ignauus est, vt ex se horum nullus fieri possit. Præpollet enim in homine ignauia adeò, vt nec moleretur nec pinseretur quicquam. Vt verò ignauiam hanc exuat, & liberum arbitrium, à quo instigatur, facessat, facit impressio, à cœlo causata, quasi ita illa mandaret: Tu hoc fac, tu illud. Et hoc illi facere coguntur, quia nihil est, quod obstare illis possit. Hoc modo opificia & exercitia ab hominibus continuantur. Citra impressionem hanc interciderent omnia, & eò deuenire- tur tandem, vt homo calceos instar marsupij indueret more Hungarico, & vinum ab vuis biberet, & carnes incoctas ederet. Hæc omnia inhibet impressio, quæ cogit seu compellit.

Vult ergo Deus, scientias seu artes exerceri ab hominibus in terrâ, nec quicquam sine artibus fieri. Sic rem trutinate. Iussit nos Deus orare de pane quotidiano, non de semine, de pane inquam, qui iam euaserit manus agricolæ, molitoris, pistoris. Ita scilicet nos solicitare perfectum iussit, non imperfectum. Si perfectum: necesse est, id arte à nobis impensa perfici, sine quâ perfici nihil potest. Quem enim præstaret vsum lana, si non esset, qui illam duceret texeretque? Quomodo suis discipulis bibendum dare potuisset vinum Christus, cùm dixerat: *Bibite, hic est sanguis meus &c.* si non arte ceu culturâ vineæ, calcatione & despumatione, &c. vinum paratum fuisset? Nec enim vinum natum, sed factitium bibendum Christus dare voluit. Ex quo etsi multa sequantur: attamen non omnia scienda sunt hîc, aut explicanda. Exemplo allato hoc docere saltem voluimus, rerum scilicet eiusmodi certam quandam necessitatem existere. Cúmque diuina prouidentia talia ita ordinârit, hominique tam supina insita sit ignauia, vt aut gramine aut quâcunque aliâ re crudâ vesci, quàm motu proprio huiusmodi artes exercere velit: ne communem is cum brutis vitam viueret, Deus in astra impressionem implantauit, quæ ignauos incitet & stimulet ad laborem, ad artes, ad scientias, ad omnia, quæ in lumen naturæ in gratiam hominis congesta sunt, ne quid horum per supinitatem hominum obscurum & reconditum maneret.

Impressio itaque ætherea instigat & quasi calcar addit ad eruendum & exercendum, quod opus est. Nam & Petrus cingebatur & coërcebatur, vt eò iret, quò nollet, etsi iam aliquotiés erupisset. Veruntamen, vt frumentum, si maturuit, ad molam defertur: ita & Petrus. In suâ ergo probatione impressio non est, nisi instigatrix & instillatrix artium sapientiæ, & rerum illarum omnium, quæ ex lumine naturæ in hominem transferri decet. Citra impressionem hanc homo nihil quicquam faceret.

Illa verò, quæ homines cogunt & instigant, non sunt nisi potestas superiorum astrorum, quibus Deus vim contulit agendi & ordinandi id, quod, vt fieret, in naturâ prædestinatum est. Sic enim ex terrâ nunquam vel Lauendula vel Spica, vel Cupressus enasceretur, nisi vi quâdam ex illâ protruderetur. Quid verò est, quod protrudit? Sol nimirum & astra. Hæc enim ex terrâ proferunt, quicquid in ipsâ conditum est. Nam & isti sua insita ignauia est, non minùs ac homini. Solis tamen ac cœli calor calcaris more ipsam ad edendos fructus stimulant, sicut eques adactis calcaribus virtutes equi profert, alias occultas futuras. Et impressionis quidem eadem est conditio, quæ vini. Id enim si largiùs potetur, ex potatore expellit, quicquid in ipso virtutis aut vitij latuit. Sed & exemplum aliud huc quadrat. Pone nimirùm, virum quendam frigidum esse, ac Veneris pertæsum. Is nisi ab impressione quâdam in complexum fœminæ pelliceretur, instinctu naturæ ipsius tardè eò pertraheretur. Sic semper & vbique est aliquid, quod instiget, & impressio pertinet ad vniuersos homines, etsi non omnes vincat ac coërceat. Nam & hîc verum est illud Christi: *Multi vocati, pauci electi*: quasi dicatur: Vos omnes vocabimini: non autem omnibus dabitur, quod petunt. Numerus enim præ- destinatus est, in quo implebitur, quod impressionis officium est. Quisquis ergo sumere potest, sumat, hoc est, cui aliquid datũ est, is id præstet. Porrò sicut Christus tria Eunuchorũ genera constituit:

Margin notes: Prædestinatio quid. — Impressio quid. — Impressio est calcar & stimulus. — Impressio quid. — Impressio est similis calcari & vino &c. — Eunuchi sunt triplices.

constituit: sic pariter & in lumine naturæ intelligendũ est, triplex terræ seu mundi genus esse. Terra vna est fœcunda. Ea sumere potuit, & sumpsit. Deinde sunt scopuli. Hi nihil sumunt, nihil habent. Denique est Vligo, nec ipsa quicquam habens. Eadem etiam sors hominum est: quorum non omnes coniugio ac procreationi sobolis prædestinati sunt, sed quidam etiam regno cœlorum. Et hi quidem fœminis inutiles. Quidam etiam steriles sunt à naturâ. Quos autem ad hoc opus Deus vocauit, ab illis impressio perficitur & completur.

Sic ergo prouidentię diuinæ placuit, vt non quilibet volens, curreret, aut, quod appetit, faceret. Id enim is saltem potest, qui impressionem habet. Et quod placet Deo, id requirit ab eo, quo delectatur, non ab eo, se ipsum qui offert. Nemo enim nouit, quid velit: nemo scit, quid futurum sit ex eo, quod petit. Quod etsi sibi ipsi quidem probetur: non tamen idem probatur etiam Deo, qui ipso homine multò rectiùs quid futurum sit, præuidet. Et consultius multò est, voluntatem acquiescere in eo, qui omnium hominum corda explorauit, quàm illo, qui nullius gnarus est. Illius ergo voluntati & arbitrio obsecundemus. Huius rei exemplum afferamus. Coniugum omnibus & singulis concessum est, ex priuilegio hominum primæuo. Hinc fratres & sorores vno matrimonio coalescunt. Ea iam libertas sublata est, quia displicuit Deo, deinceps promiscuè singulos in coniugio viuere. Vnde potestatem hanc duplici hominum generi ademit. Primi sunt, qui Eunuchi nati sunt. Secundi, qui propter regnum Dei castrati sunt. Duobus his ordinibus nihil datum est, sed re illâ orbati sunt. Qui à naturâ Eunuchi sunt, hi nihil faciunt, nihil appetunt, nihil gignunt. Similiter & propter regnum Dei castrati copulari coniugio, & ante Deum gignere minimè debent. Hoc enim ipsis ademptum est. Horum fructus Deo non placet. Requirit autem ab ipsis fructum illum, quem requisiuit à Petro, cuius illi ordinis sunt, nimirum cingi, duci, quò nolunt, ad Martyrium nempè, ad supplicium mortis, non ad vbera mulieris. Hoc Dei placitum est. Quòd si verò ordini suo non obsecundet, impressioni & prædestinationi contrariantur. Est autem libera prædestinatio, libera impressio, non cogens. Nam sub mandato viuere, est liberum arbitrium frangere. Itaque mandatum, *vt diximus*, prædestinatum est sub potestate mandati, quod non seruatur. Quid ergo persuadeat sibi homo, delectari Deum fructu isto, qui contra ordinem ipsius in peccato transgressionis producitur? Nam in solis tertiis ipsi beneplacitum est.

Coniugiũ quibus non liceat.

Fructus qui Deo grati sint

De impressione ergo sic statuendum est, oportere rem, quæ fieri debet, perfici per eos, per quos impressa est, hoc est, per illos, in quos impressio egit, & non per alios. Res ex exemplo euidens erit. Dirigitur impressio in medicinam, ita vt certus numerus Medicorum fiat. Hi iam Medici ex naturâ producti sunt. Alius autem numerus iam est eorum, qui otio & commodo medicinæ capti, & ipsi fiunt Medici. Sed hi ad perfectionem penetrare minimè possunt. Ita suus etiam est numerus Apostolorum, cui sese ingerere nemo vltra potest. Nec enim numeratum est, alios Apostolos esse. Doctores illi quidem sunt, sed non Apostoli. Hinc iam sequitur, illum qui in dono, ad quod natus est, non manet, esse spurium, nec per rectam portam intrare. Sicut enim electio à solo dependet Deo, prædestinante quos vult: ita etiam dependet à naturâ, cuinam illa imprimat. Cui enim illa imprimit, huic confert scientiam & potestatem, omnia huc facientia. Idem & Christus fecit, tribuendo discipulis potestatem eiiciendi Dæmonia. Sic ergo Diabolos nemo eiiciet, qui potestatem istam non habet. Similiter & cœcis visum nemo reddet, claudos ambulare nemo faciet, leprosos nemo mundabit, &c. nisi in numero isto comprehendatur. Qui autem extra hunc numerum constitutus idem facere ac æmulari conatur, huius iam opera fructu carent, vt notum est. Sciendum itaque est, impressionem esse donum, quod cogatur perfici per illos, qui ad hoc deputati, electi & ordinati sunt. His enim illud concedendum est, nec ipsis contrariari oportet. Quicquid enim à Deo & Naturâ est, in solis illis inest, quibus datum est. Itaque quod à Deo est, id manet, nec perit. Quod à naturâ est, id in naturâ manet, nec contra naturam interit. Quod autem à Deo non est, id à vento difflatur, sicut puluis terræ dispergitur. Et quod à naturâ non est, id à naturâ ipsâ proditur ac reuelatur, ac in seipso perit velut impij, quos vento instar pulueris terræ dispergit, solo illo durante & manente, quod datum est.

DE DONO GENERATIONIS.

Fieri quidem posset, vt nos vniuersi homines citra generationem existeremus, solo verbo suo nos perferente & sustentante Deo, generatione omni sublatâ. Sed cùm Deo visum aliter sit, voluntati ipsius necessariò acquiescendum est. Etsi autem verbo eius facta omnia sint: verbum tamen illa manserunt minimè, sed facta sunt *Generatum*. Exempli gratiâ. Si Deus nos verbo suo cibare vellet, iam carere possemus frumento, agro, molâ, pistore. Sed præter ipsius verbum fit, vt panis fiat ab agro, à molâ, à pistore. Vult ergo Deus, res omnes homini necessarias, hoc modo nobis accommodari, panem scilicet, instar panis, vinum instar vini, &c. quod similiter de naturalibus crescentibus omnibus statuendum est. Exemplum ex re maiore ducemus. Dedit Christus Petro claues, & potestatem soluendi ligandique omnibus suis discipulis, vt venenum sine damno biberent, vt impositis manibus infirmos sanarent. Hæc iam potestas solius Dei est: nec præter Deum quisquam id potest. Vult autem Deus requiri quoduis, eo loco, vbi est, & tamen per id Deo nihil decedit, velut exemplum sequens docet. Quem fames vrget, ad Deum non festinat petiturus panem, sed ad pistorem. Iam si panem à pistore accipit: quid per hoc potestati diuinæ derogatur? Nihil quicquam. Et pistor acipit à molitore, molitor ab agricolâ, agricola ab agro, ager à terrâ, terra à Deo. Et licèt Deus ipse quidem posset esse pistor, molitor, agricola, ager, &c. placuit tamen ipsi ordo iste, ac diuina illa institutio. Etsi autem Christus

Deus ordine & medio gaudet.

ipse

Petrus ipse petra sit, non Petrus: ac, sicut panem pistor, ita Petrus petram accipiat: hæc tamen regula Deo placuit, vt Petrus esset Petra, sicut panis est pistoris. Et tamen rerum omnium principiũ primum Deus est. Vbi autem is principium est: ibidem est quoque finis. Et finis ex principio æstimandus est.

Deus omnium principium.

Porrò, quænam ex illa imperitia, quod dicunt homines: Rem Deo committam, & remedia negligam. Si enim me Deus euadere sanum volet, id ipse faciet. Non equidem inficior, voluntatem Dei fieri, siue mediceris, siue non. Vult tamen idem interim ac requirit, vt morbi medicinis adhibitis pellantur, ipso tamen nihilominùs agente Medicum. Vult inquam, hunc morbum hoc, illum alio remedio profligari. Eiusmodi ergo cùm voluntas diuina sit, adeóque Medicina ex terrâ creata sit: cur homo quæso contra Deum insurgat, & præstitum ab ipso ordinem contemnat? Si famelicus es, non expectas Deum, dum te cibet, sed adis pistorem, ac culinam. Si ergo panem à pistore requiris, nec per ventos assatam columbam allatam expectas: cur non & aliàs ad ordinem diuinitus institutum attendis, & facis, quæ Deus vult, non quæ tibi videntur? Ipse nimirum dominus est: in manu eius posita omnia sunt, & imperium eius nos omnes sequi fas est. Quòd siquidem nostrum etiam arbitrium interdum præferri velimus: consilij tamen successus nullus est: ipse solus Doctor est. Sic nimirum Petrus petra, & id, ad quod à Deo vocatus est. Manet & terra id, quod à Deo facta est. Et ex Petro procedunt fructus Petri, ex terrâ fructus terræ. A fructibus his non oportet cibari, potari, satiari, &c. nec ordinem istum transilire possumus. Sic nimirùm puta. Si ad ciuitatem quandam decem milliarium interuallo absitam contendis, passibus continuis, vt pergas, opus habes, nec transilire passum vnicum potes. Sic, si esuris, dispiciendum tibi de pane est: nec hunc ordinẽ transilire potes. Sciendum verò est, Deum omnia, quib. homo opus habet, creâsse, & addidisse insuper artes, quib. quoduis præparetur & optimè conficiatur. Secundum institutum hunc ordinem, Deus hominem sustentaturus est. Et tamẽ nihilominùs potestatẽ in sua manu retinet, & pro suo nutu Medicinam dirigit, vt vel prosit: vel nõ prosit: & panẽ tibi largitur, vel non largitur: Petrum tibi concedit vel non concedit. Is solus etiam, non homo, ordinem hunc inuertere potest. Is ex lapidibus producere potest panem, is, vt loquantur ipsi lapides, facere potest.

Deus omnia homini necessaria produxit.

Constituit ergo Deus ordinem, secundum quem sustentaremur, nec vult nos otio ac desidiâ torpescere, sed victum quærere secundum illud dictum: *In sudore vultus tui comedes panem tuum: & opere manuum tuarum vesceris.* Quòd si ergo secundum præscriptum illum ordinem nobis viuendum est: desistere vtique debemus ab illis verbis, quibus ita loquimur: *Si Deus velit, me sanabit: Si velit me edere, vtique & panem dabit.* Res ita se minimè habet. Nec enim ipse pistor aut triturator est, qui in vultus sui sudore panem comedat, sed nostromet labore & sudore, quæ commoda & vtilia sint, comparanda sunt. Iugum hoc nostris ceruicibus impositum est, & addita sunt simul omnia, quæ ad laborem hunc requiruntur, ferrum nempè aratri, & ars ferrum ex lapide, & ex ferro aratrum faciendi. Hoc fine quatuor à Deo elementa creata sunt. Quatuor ea elementa sunt matrices, ex quibus homini proueniunt vniuersa, & quasi in manus eius induũtur, vt per illa ad sudorẽ ducatur, & manuũ suarum opere vescatur. Quanquam plurima etiam citra laborẽ, vltrò, hominis manibus offerantur. Omnia enim citra opem humanam crescunt. Metalla sine auxilio humano proueniunt: similiter & flores. Istis autem, si vti velit homo iam id laboris principium est. Ferrum quidem ferrum est: nondum tamen est aratrum aut securis. Frumentum panis est: sed vicem panis nondum præstat. De generatis itaque sciendum est, dedisse nobis Deum donum, quod manu tractantes pro regulâ ac tenore artis quærendo victui impendamus. Vnde liquet, decere nos, vt cognitionem & sciẽtiam habeamus omnium naturæ crescentium, & calleamus artes diuinitùs nobis concessas, illásque exerceamus tempus nostrum in hoc mundo secundum lumen naturale naturali charitati impendentes, ne quâ fors torpidi & ignaui inueniamur, sed tam in æterno quàm corporali laboremus, ac subindè occupemur, ne pars vlla ferietur. Iste enim nostri sudoris labor Satanam ac eius complices longè à nobis profligat, nullibi durantes, vbi labore & curâ res agitur.

Deus ordine gaudet.

Elemẽta 4. matrices sunt rerum omniũ.

Hominis quod sit officium.

Labore Satanas abigitur.

Cæterum Deus id ita distribuit, vt quicquid, vbiuis enascitur, ex gratiâ solâ proueniat citra opem hominis additam, ex quatuor nimirum elementis. Itaque ex terra proueniunt herbæ, ligna, &c. tantâ copiâ, vt necessitatib. humanis omnib. sufficiant. Ex elemento aquæ producuntur omnia mineralia & lapides, & gemmæ, & metalla, eáque ex elemento aquæ homo accipit. Sed & elementum ignis seu firmamentum in nostros vsus Deus creauit non minùs ac terram aquámque, vt scil. debito modo omnia prouenirent & humanis necessitatibus succurrerent. Talis etiam aër est, omnia patefaciens, seruans & conseruans, instar Balsami creaturarum omnium, sine quo nihil subsistere aut fieri potest. Istis iam omnibus gaudet homo, aliúsque in elemento terræ occupatur, ac suam ibi voluptatem quærit. Alius gaudet aquâ, & inquirendis mineralibus oblectatur. Tertius voluptatem ex igne seu astris astrorumque operationibus venatur. Quartus in aëre Tereniabin mannámque, ceu fructus ipsius inquirit. Hoc modo omnia conduntur, constituuntur & cognoscuntur, nec inexploratum quicquam manet. In sua regione quærit Europa: quærit in sua regione Asia, Africáque: quærimus vbiuis locorum, quæ naturæ Arcana sint, idque impulsu naturali. Cùm ergo citra opem nostram donum eiusmodi à Deo nobis insitum sit: illud certè minimè negligere, sed ad sudorem accommodare debemus, sedulò operam dantes, vt ad fundamentum finémque, quem generata habent, penetremus. Quod si fecerimus, tum demum verò gaudio efferri, ac cum Psalmistâ exultare poterimus, qui inquit: *Labore manuum*

Elemẽta in vsum hominis condita.

Aer Balsamus est rerum creatarũ.

manuum tuarum vescere, & beatus eris. Quod si ergo ad beatitudinem hæc via est adeóque elementa quatuor laborem manibus nostris suggerunt: in mundo hoc vtique gaudium aliud nullum, ad beatitudinem illam nos ducere potest, quàm quod per sudorem partum sit.

Sudor via ad beatitudinē.

Ex hâc iam probatione elucet, cur creata sint vniuersa, & quomodo sese circa vniuersa gerere debeat homo. Creata sunt autem omnia hâc de causa, vt homo per illa ad sudorem ducatur, & in sudore corpus suum exerceat, nec temerè ferietur. Per huiusmodi enim laborem liberum arbitrium hominis frangitur. Omnino námque conuenit, nos in sudore, non in vmbra versari: non in voluptate propriâ, sed eius, à quo sumus, quique nos tales esse requirit. Cùm enim huius voluntatem fieri necesse sit, non nostram: sequitur, liberum nostrum arbitrium omne veluti captiuum dependere à voluntate supremâ, cuius summa est, vt generata cognoscamus, eáque plantemus, præparemus & per laborem sudorémque nostrum variè tractemus. Sed in ipso tamen opere liberum adeò nobis arbitrium est, vt possimus variare, aliud opus aggredi, ex multis, quod placeat, eligere: sed omnia tamen per laborem & sudorem. Sic ergo generatio donum est, circa artem à Deo nobis quidem datum, ex generationibus tamen nobis discendum & cognoscendum. Itaque elementis explorandis vnicè nobis opera danda est. Illa enim hoc à Deo fine creata sunt, vt nobis sint vice librorum, ex quib. discamus, id nempe, quod oculorum fides stabilit, non quod phantasia aut speculatio nobis suggerit. Quicquid enim natura substantialiter & corporaliter offert: id eodem etiam modo cognosci debet. Quod autem inuisibile, impalpabile, corpore & substantiâ caret, id alterius libri rationem habet, & in practica horum donorum, vt sæpiùs dictum est, pertractatur.

Generatio quid sit.

Elemēta sūt libri hominū.

Sed iam abundè satis dictum est de Natura & virtute huius Doni, quod & ipsum est membrum Astronomiæ, adeóque species Philosophiæ, & ideò, quia vtræque partes hîc simul sunt, cœlum nempè in firmamento, & Globus in Elemento.

DE DONO INANIMATORVM.

VT de Inanimatis probationem exordiamur, opus est præmitti explicationem aliquam, quomodo *Lemures Vmbragines, Gnomi, Gigantes, Syluestres & Vulcanales* generentur. Nec enim generatio illorum similis est generationi cæterorum hominum nec ipsi ex Adamo descendunt Vnde nec in numero hominum comprehenduntur. Etsi enim homines & ipsi suo modo sint: in censu tamen cæterorum minimè continentur. Iidem nec morte Christi redempti sunt, nec mandatis etiam Dei cæterorum hominum more subiiciuntur. Et vt ex fundamento loquamur, carent illi animâ, creaturæ quidem homini similes, sed tamen animalia, non homines. Apprimè ergo refert de his cognosci, qualisnam ipsorum sit generatio, habitatio, victatio, mors, multiplicatio, negotiatio, &c. Creaturæ autem mirabiles à Deo conditæ sunt, homini ante omnia considerandæ. Pars enim illarum in vndis habitat. Et has in vndis viuentes, non suffocari, mirum videri debet nemini. Hanc enim naturam cum cum piscibus communem habent. Et sicut in terra communiter, veluti in conclaui aliquo ac mansione simul habitant homines & gallinæ: Sic vnà etiam habitant Nymphæ & pisces. *Gnomi* intra ipsos montes, non extra habitant. Quod nec ipsum nouum est aut incredibile. Nam & talpa intra terram habitat. Huius naturæ sunt etiam ipsi Gnomi. *Salamandra* in igne habitans, exemplo est, nec ipsos quidem Vulcanales in igne comburi. *Vmbratiles* in aëre habitare posse, docent volucres, quæ & ipsæ in aëre versantur degúntque. Gigantes, hominibus similes, hominum more super terram degere posse, verisimile est. *Syluestres* in deserto habitant, nec illud egrediuntur. Quod si enim feræ in desertis plus voluptatis, quàm extra capiunt: idem quoque similiter de syluestribus credi par est. *Lemures* habitant apud homines. Vbi enim degere possunt homines: ibidem etiam Lemures.

Inanimati non ex Adamo.

Quales sint.

Vbi habitent. Nymphæ, &c.

Gnomi.

Vulcanales. Vmbratiles.

Gigātes, Syluestres.

Lemures.

Inficiari autem nemo potest, huiusmodi res & Generata visa multoties esse. Nam & ex Bibliis constat, illis temporibus in terra ambulasse Gigantes. Tum & monumenta quædam passim ac membra Gigantum, tam muliebris quàm virilis sexus, inuenta sunt. Visi sunt etiam Lemures Dominis suis seruitia præstantes: Conspectæ sunt etiam Nymphæ, viri & fœminæ. Sed & vmbratiles visi sunt: quanquam frequentiùs fœminę quam viri. Et illæ sese etiam matrimonio aliis iunxerunt. Inuenti sunt etiam Gnomi cum hominibus confabulantes, & illis pecuniam aut alia quædam erogantes. Similiter & Vulcanales toti ignei, aut in igne spectati sunt, postea pro spectris habiti. Visi sunt & syluestres, hirsuti, feri inhumani, sine voce & loquelâ, cum quodam latratu.

Ipse quidem Deus admirabilis est in suis operibus, quod quidem ante omnia seriò considerari debet. Deinde, substantialiter non omnia creata sunt: sed progressu temporis generationum diuersitas huiusmodi monstra peperit. Non enim Gigantes, vt herbæ, gramina, ac homo, & animalia terræ creati sunt, veluti nec Nymphæ, & his similia genera alia: Sed generatio illorum ex contrario, ex incongruo processit. Id ergo quînam factum sit, & adhuc fieri possit, explicandum est Astronomicè vnà cum Philosophiâ. Primò autem omnium difficillimum est disserere de ipsorum anima. Probari enim non potest, hanc illas habere: sed moriuntur instar pecudum. Notum quidem est, ipsos genuisse liberos. Sed tamen non par ex ipsis iunctum illud fecit, sed aut fœmina aut vir homini copulatus. Vbi per naturam ipsam patet, huiusmodi generationem esse possibilem, sicut doceri exemplis multis posset. Si in fructu illo seu sobole anima est vel generatur, ex numero hominum censeri non immeritò potest. Res tamen illa admiranda, ac oppidò stupenda est.

Dei opera mira.

Gigantū generatio qualis.

Cæterùm de generatione ac ortu illorum tenendum est, patrem omnino aliquem, ac matrem requiri. Pater autem est ex firmamento; mater ex elementis. Exempli gratiâ.

Inanimatorū generatio quæ requirat.

Mater *Nympharum* est in elemento Aquæ: pater in firmamento. Mater Gnomorum est in elemento terræ: pater in *firmamento*. Mater *Vulcanalium* degit in igne: pater in firmamento. Mater *Syluestrium* in elemento aëris, velut & *Gigantum* mater viuit: Vtrorumque autem pater in firmamento. Mater *Lemurum* velut & *Vmbraginum* in elemento aëris agit: Pater in firmamento. Sic ergo duo illi Monstrum gignunt, degenerans in illam naturam, ex quâ & in quâ mater ista constat. Et sicut homo, ex terrâ constans in terram rediturit: ita idem etiam in Monstris verum est. Cur autem homo intra terram non viuat, in causa est ipsius officium. Cætera autem omnia oportet esse in eo, ex quo sunt viuentia. A morte enim nihil deprehendũtur esse aliud, quã genitã à monstris, instar hominũ, in terra habitantib., velut *Syluestres & Gigantes*, & quicquid homini copulatur, hominũmq; ritu moritur. Sed hæc tamen rariùs eueniunt. Quicquid autẽ moritur in eo, in quo habitat, & ex quo constat id omnino perditur & interit. Illiusmodi námque corpora in viuis tantùm vigent: & post mortem nihil sunt. Dissoluuntur enim instar niuis obiectæ Soli. Sed & ipsorum ossa nihil sunt, quorum nihil post mortem superstes est. Vtuntur humanis opificiis, artibus, cibis, potibus, pro ratione elementi, in quo habitant: velut piscis in aqua, Salamandra in igne, &c. Simili etiam vtuntur vestitu, simili habitatione. Vestiti autem sunt panno, more & formâ hominum, non tamen vt corpora nostra, quibus mortuis vestes exuuntur, sed cum illis moriuntur ac pereunt etiam vestes pecudum ritu, vt quæ cutis more etiam cum illis crescunt. Et sicut corpora illorum post mortem non supersunt: ita nec vestes superstites manent. Habitatio autem illorum superstes manet in aqua, in igne, in terra, in aëre: exemplo testæ cochleæ, quæ superstes manet, ipsâ cochleâ exemptâ & perditâ. Opera ipsorum humanis sunt similia, omnium tamen subtilissimè confecta, ita, vt exquisitam illam subtilitatem nullo ingenio æmulari ipsi homines possint. Quod quidem mirum obuenire nulli debet. Quod si enim animum ac oculos conuertatis ad cochleas, ad araneas, ad paguros, ad testudines marinas, &c. videbitis vtique illas omnes suas secum domos circumferre, cum ipsis simul natas, vt alij animali cutis connascitur, nemine interim cuiusnam materiæ illa domus sit, effari sciẽte. Idem eodem etiam modo iudicandum est de Gnomis, de Nymphis, de Vulcanalibus, qui domicilia sua in suis elementis habeant. Sic Gnomi domos, fornices, & ædificia mirabilia exstruunt, & nemo, qualinam materiâ vtantur, compertum habet. Aliud enim ac diuersum à nostro est ipsis Alabastrum, Marmor, Cæmentum. Sic Araneæ aliud linteum, testudines marinæ aliam tunicam habent. Adeóque per Naturam huiusmodi ædificia intra terram, velut & alia plura in aquis reperiuntur. *Lemures* in nullo ædificio habitant, sed in aëre oriuntur, & cum aëre intereunt. *Gigantes* & habent & faciunt sibi domos, & hominibus quamproximè conueniunt, cum illis similiter ædificant, loquuntur, habitant, negotiantur, amicitiam colunt, cæterùm nullam Dei notitiam, præterquam quæ animalis sit, habentes. *Syluestres* habitant in syluis, desertis, & montium cauernis. *Vmbragines* hominum cohabitatione contenti sunt, nullam peculiarem domum curantes. Omnium enim versatio in aëre est. Sed quantũ ad concordantiã attinet, quâ respiciunt homines, alius illorum ordo, alia ratio est.

Inanimatorũ corruptio post mortem.

Inanimatorũ vestitu.

Habitatio qualis.

Opera qualia.

Gnomi ædificia qualia & ex qua materia extruunt.

Porrò autem in hac præsenti probatione de Inanimatis præcisè tradi singula minimè possunt, sed in alio volumine, scil. in Practica addentur, vbi nihil eorum, quæ scitu necessaria sunt, omittetur. Hoc saltem in hac probatione tenete, huiusmodi res naturam parare & gignere, & fortassè etiam multò plures alias producere, quàm quæ nobis cognitæ sint. Quicquid tamen huius vspiam est, in genere sic statui debet, omnem illorum naturam, vitámque ac habitationem & vestitum habere eandem rationem, quam habent testudines. Sed tamen secundum hominem illi formati sunt, etsi homines minimè sint. Conclusiuè autem de prima illorum materiâ, ex quâ fiunt, qualésue sunt in probationis huius fine, pauca hæc attendite. Mater est elementum, Pater est firmamentum. Ex geminis his oritur huiusmodi generatio. Ita videtis scarabæos, pulices & pediculos, &c. etiam citra sui propagationem ex eo corpore, in quo habitant, & præterea ex ipso firmamento enasci. Hoc in aliis etiam monstris verum est. Scarabæi generatio est ex stercore equino. Stercus ergo equinum & Sol scarabæum producunt. Ex illis geminis oritur animal viuens. Nec verò scarabæus tantum, sed & Bruchus, & genera eiusmodi brutorum alia eodem modo quoque oriuntur. Simile sperma conditur etiam in elementis, in Aëre, &c. ex quo vi Solis huiusmodi monstra prodeunt ac generantur. Homines ergo esse non possunt, sed Bruta sunt. Quæ licèt quidem gignant, geniture tamen illius ratio alia non est quàm quæ de eiusmodi brutis intelligitur. Primæ materiæ est eadem generatio quę scarabæorum & pediculorum. Nam vt ex terrâ & elementis corpus hominis desumptum est, ita & Brutorum illorum corpora ex elementis producuntur, excepta animâ & spiritu, qui à Deo procedit, & ad eundem redit. Brutorum ac inanimatorum Spiritus ac anima vnà cum corpore transit, mortalis existens, æterno carens. Rarò existunt, quod quidem nobis euidens fit. Quoq; hominum numerus maior est, eò minùs ipsis illi cohabitant. Et quò maior hominum inscitia est, eò minùs ipsorum illi familiaritate vtuntur. Fugiunt indoctos, temulentos, temerarios, bardos & pugnaces homines: & gaudent simplicibus ac infantilibus. Quóque minùs imposturæ ac fraudis sentiunt, eò promptiùs sese proferunt in lucem, aliàs ferarum instar fugaces & pauidi. Et sicut vnicornu in virginis gremium recumbit, ita & illi promptiùs conuersantur his, quorum intellectus simplex est. Cæterùm, vt quærendi sint, & vbi inueniantur, ac quomodo vel vbi nascantur, quæ ipsorum sit operatio ac potestas in terra, in igne, in aqua, in aëre, apud homines, in desertis, &c. ea vniuersa alio volumine ipsa Practica expediet. Quantum ad probationem huic primo volumini debitam, iam verborum à nobis factum satis est.

Inanimatorũ qui parentes. Scarabęi, pulices &c. vnde generentur.

Inanimatorũ ortus ex quali semine.

Qualis anima.

Qualis natura.

CAP. IX.

DE DONO METEORICO.

DOnum Meteoricum seipsum probat in eo, dum sua opera prodit & hominum oculis obiicit gignendo pluuias, niuem, tonitrua, pruinam, grandinem, & alia his similia. Causa tamen tactæ hic à nobis probationis hæc est. Compertum nimirùm vobis est, firmamẽtum esse elementum ignis, vnum nimirùm quatuor elementorum, vnum inquam quatuor matricum. Quòd verò contrariæ generationes à firmamento producantur, quæ nimirùm ipsius complexioni & qualitati aduersentur (dum nimirum aqua ab igne, nix ab igne, &c. profertur) id per seipsum contra elementa est. De his principiò tale exemplum notate.

Firmamentum est elementum etiam ignis.

Terra ipsa quoque elementum est, per se frigida & sicca. Iam si fructus ex hoc elemento productos consideretis, videbitis, alios asse frigidos & humidos, vt Barba Iouis & Solatrum, &c. alios frigidos & siccos, vt verbena: alios calidos & siccos, vt piper, cardamomum: alios calidos, & humidos, vt melissa, pulegium, &c. Similiter & aliæ naturæ ex terrâ erumpunt, quæ terræ complexioni oppido aduersantur. Ita flammula vesicas in cute suscitat, velut & *Linum Aquaticum*. Ita multiplicia quoq; sunt laxatiua, vt hermodactyli, Capatutia, Esula, quorum vis terræ ipsi contraria est. Hæc enim per se constipat, miniméque laxat. Huius census sunt etiam illa, quorum origo ex aquâ est, vt sunt mineralia, sulphur scil. Salia. Saturnina, Martialia, quæ omnia aquæ contrariam complexionem habẽt, etsi ex illius matricibus orta processerint. Cùm ergo contrarietas hæc matricis elementi euidens sit: sciendum est, generati ipsius hunc ordinem statúmque esse, vt non matricis naturam induat, sed ipsius firmamenti conditionem subeat. Nonnulla quidem matricem sequuntur, sed ea paucissima. Huius rei exemplum addemus. Si quem filium fœmina peperit, vides vtique, quam parum is similis matri sit. Ita nec filia similis est patri, etsi ex ipsius semine genita sit. Vbi vero gentium inuenies infantem, naturam, substantiam & proprietatem patris sui adeò exquisitè referentem, vt in nullo quicquam diuersi sit? Quilibet enim infans adeò nascitur, vt seipsum in sua natura, non parentem exprimat. Vúltque ipsa natura, aliud fœtum habere, seu aliud in fœtu, quàm in parente educari. Necesse est ergo, illum à naturâ eius degenerare in aliam: sic nimirum omnia in aliam proprietatem à naturâ patris & matris desciscunt, sicut de elementis iam confirmatum satis est, quod ex ipsis contraria nascantur, veluti ex aquâ videmus nasci lapides & metalla. Tu verò iam attende, quàm intra se diuersa sint aqua & ferrum? Similiter etiam quantò interuallo seu discrimine distent *Rosa & Terra*, *Terra & Spina*? Hæc tamen vniuersa diuinæ ordinationis opera sint.

Terra cuius cõplexionis.

Barb. Iouis, Solatr. f. & h.

Verbena f. & s. piper. card. c. & s.

Melis. pulegiũ c. & h.

Mineralia ex aqua oriuntur.

Naturæ mira varietas.

Intellectus horum ex fundamento ita petendus est. Res quælibet seorsim talis creata est, qualis esse debet, non alia. Iam si talis illa creata est, quid ei addet aut dem et mater? Nihil vtique. Nec enim ex matre aut patre, sed ex semine infans conditus est. Si enim secundum cursum naturæ concipi & gigni debet. Sic multa ex eâdem terrâ enascuntur, quorum tamen complexio ac qualitas inter se planè contraria est. Ita nimirùm quoduis ex suo semine generatum est, & ex semine, non ex matre, suam proprietatem ac essentiam adipiscitur. A matre res hoc tantùm habent, quòd terra sint, & in terram lutúmque reuertantur. Nam de terra aliud nihil habent. Eadem ratio illorum quoque est, quæ ex aquâ nascuntur. Ab aquâ nihil habent aliud, quàm quod vltima materia in aquam, ceu primitus fuit, redeat. Ex his iam colligite seminum formam & proprietatem ita creatam esse, vt talia sint, & non alia: posita autem seu coniecta esse in matricem (quæ elementum est) vt in illa secundum cursum naturæ perficiantur, saluis tamen manentib. proprietatib. semini cuilibet concreatis. Nam si quodlibet desciscere oporteret in naturam sui patris & matris, in terra vtique existerent duo tantum capita, duæ sapientiæ, duæ naturæ, duæ proprietates. Quod tamen cùm aliter fieri conueniat, ac filium alium diuersúmque à patre esse deceat, ideò alia natura, alia sapientia, alia proprietas emergit. Vult enim Deus hominem vnum ab alio diuersum esse, & tamen vniuersos secundum legem & voluntatem eius viuere. Neronem fuisse, fuisse Pilatum ac Iudã, omnino oportuit ac necessum fuit. Idem puta etiam de Petro, Andrea, Iacobo, Stephano, &c. Necessum etiam fuit, exstitisse Romanos, Iudæos, Gentes, quorum tamen semper alij ab aliis diuersi fuerunt. Sic nimirùm per eiusmodi proprietates tempus naturæ consumi oportuit. Ipsæ quidem herbę aliæ esse vel fieri non possunt, quã quales sunt. Et siue bonæ, siue malæ, siue pulchrę siue deformes sint, tales eas manere vtique necesse est. Hominis tamen sors eadẽ non est. Is enĩ ex Nerone potest fieri pius, ex lupo ouis &c.

Proprietas cuiuslibet rei ex semine, nõ matre.

Neronẽ, Pilatum, cur esse oportuerit.

Ex cõmemoratis ergo hactenus exemplis euidens est, quod similiter etiã ex igne res diuersæ & contrariæ produci queant, nempe ex igne nix, ex igne pruina, ex igne grando, ex igne pluuia, &c. sicut per opera Meteorica satis clarè demõstratur. Horum autem origo ita se habet. Ipse ignis etsi quidem calidus & siccus sit: non semper tamen vrit, sed in communi naturâ est calidus & siccus. Non enim vrit instar ignis in ligno, qui elementaris ignis spurius est, quoq; ceu seruo, homo ad suum emolumentum vti debet. Originale ac genuinum elem. ignis minimè vrit, calidus tamen & siccus est ignis ex proprietate natiuâ. Sol omnium calidissimus est. Huic proximus est Mars: & sic successiuè. Nec verò omnia calida tantum & sicca sunt: Sed quemadmodũ diuersa temperamenta terræ sunt, vt alia calefaciat, alia humectet, alia siccet, &c. ita etiam stellæ aliter sunt, quæ calidæ & siccæ, & tamen in calore & siccitate constitutæ. Ita Luna stellarũ est frigidissima, huic proximus Saturnus. Quæ nisi subindè renouarentur & renascerentur, frigiditatis eò degenerarent, vt omnia frigore tabescerent, Sole per se calorem non effundente. Iam, de proprietate Solis, qui præ ipso elemento potius considerandus est, dictum est: ita consectario intelligetis, ipsius elementi ignis semen eiusmodi habere proprietatem,

Ignis operatio sibi contraria.

Ignis elem. nõ vrit.

Sol omniũ calidissimus.

Luna omnium frigidissima.

prietatem, vt ex semine quodam oporteat nasci niuem, non secus ac rosa vel lilium, &c. enascitur ex terrâ. Cuiuscunque enim conditionis terra sit, seminis certè hæc natura est, vt huiusmodi colores, speciem, odorémue gignat, imò etiam aliam naturam, quàm terra ipsa habet. Sic etiam ex stellis oportet procedere proprietatem seminum, in illis latentium. Ita nimirùm semen aliud ad proferendam niuē dispositum est, idque semen per vniuersum firmamentum diffusum est. Ita semina quædam etiam ad solas pluuias directa sunt: quædam ad grandinem tantùm, quædam ad tonitru, & generationes alias, sicut desuper illæ in nos incumbunt, & sese manifestant. Quæ verò seminum illorum origo, essentia, generatio, &c. in prima materiâ sit, & quomodo in vltimam materiam deducantur, ac vbinam vita eorum vel mors sit, id Meteorica in altero meo volumine expedit.

Nix ex elem. ignis.

Semina celi ratio & ratioi efficien. sa sunt.

Iam verò elementares operationes ignis in sublime collocatæ sunt, vt desuper in nos cadant & destillent. Sic ergo desuper in nos destillat, quod sursum per sublimationem non asscendit. Similiter & semen sursum ex terrâ in altum asscendere videtis nempè arborem & plantam quamlibet. Asscenditque, quod minimè descendit, velut naturæ etiam ordo est, vt descendat, quod in sublimi est, & asscendat, quod in imo est. Inferiora hominis potestati commissa sunt: superiora non item. Causa hæc est, quòd inferiora homini sint vsui: non item superiora. Horum verò creationis hæc causa est, quòd illa scilicet vsui sint fructib. terræ, qui iterū vsui sunt homini. Si ergo crescentia terræ, superiora crescentia elem. ignis sibi pro alimento & sustentatione requirunt. Et sicut homo, siti correptus ex alto potum infundit deorsum: ita sitis terræ etiam requirit desuper infundi, vt tota proluatur terra, & madefiat, sicut potu madefit, quicquid interiùs in homine subsistit. Contrariæ enim matres seu matrices vnà consistere minimè possunt: sed necesse est, eas à se inuicem dirimi. Ita terra & elementum ignis in vno corpore permixta stare nequeunt, sed necesse est corpus vtrumque seorsim collocari, & in transmittendo mutuas operas præstare. Rem dilucidiorem faciemus proposito exemplo. Sol in terra defigi aut stare non potest: nec tamen illa Sole carere potest: Solē ergo adipiscitur per ipsius radios. Idem etiam de generatione pluuiæ similiter intelligendum est. Terra opus habet pluuiis. Corpus autem, in quo pluuia generatur, propè terram subsistere nequit: pluuiam tamen interim per descensum deorsum destillat in terram. Sic ergo quatuor elementa sunt quatuor corpora, in quibus omnia condita sunt, & ex quibus omnia oriuntur ac proueniunt. Quâ de causa etiam vocantur quatuor matrices, hoc est, 4. genitrices rerum omnium creationis naturalis. Quicquid autem in quolibet elemento est vel generatur, quod alteri vsui est ad corporis sui commodum, id ad locum illum deducitur & deriuatur, velut patet ex allato exemplo de Sole & pluuiâ. Denique si ad vltimam materiam deductum est, vniuersum gratiâ hominis factum est, soliúsque hominis manibus inditum, vt cum illo veluti ludat, hoc est, per naturam sese recreet & reficiat.

Ignis operationes cur in sublimi sunt.

Ignis & terra cur non vna consistūt.

Elementa cur vocantur matrices.

Ex Meteoricis ergo impressionibus liquet ac probatur, quòd in igne illarum matrix sit, ipséque ex igne prodeant, non secus ac fumus ex igne erumpit. Quod exemplum huc accommodabimus. Lignum, quod in ignem conijcitur, ardet. Iam ignis est operatio, hoc est matrix. Lignum est semen. Cuius? nimirum fumi, cineris, carbonis, qui omnes ex eo semine procedunt. Eiusmodi sunt etiam generata in firmamento, in medium nempè ipsorum corporis collata. Et hinc procedit operatio. Ea incipiente, erumpit id, quod in igne firmamenti latet. Pro conditione enim illius seminis illa eruptio fit. Etsi verò membrum hoc in membro de generationib. quoque comprehendatur: hic tamen peculiarem meteoricam probationem institui nihilominùs conuenit. In altero autem volumine libri 4. constituentur. Vnus scil. *de Meteoris*, alter *de Plantis*, tertius *de Mineralibus*, quartus *de Manna*. In illis, quæ hic desiderantur, pleniore tractatione refundentur. Fas autem ac conueniens cumprimis est, Physicum, Medicum seu naturalem Astronomum huiusmodi Meteoricas impressiones rectè intelligere ac cognoscere. Illæ enim porrò deducunt in microcosmum, qui sine ipsis probè cognosci non potest. Quod quidem hoc fine hîc inculco, quia Meteoricam & ipse Aristoteles tradidit, & hanc commentariis vberrimis alij amplificârunt, in quib. tamen omnibus Meteoricæ causæ, rationes, originésque veræ ne quidem in minimo attinguntur, sed contra genuinas causas & materiam veram omnia docentur. Nequaquam enim pro ipsorum opinione Meteoricæ impressiones fiunt ac oriuntur: sed doctrina illorum ex meris futilibus & inconditis rationibus consuta est: cui similia sunt etiam interpretum cōmentaria, quæ plurimorum errorum fons ac scaturigo sunt. Ex meteoricis námq; rationibus, rationes alias multas intelligi oportet. Quòd si ergo in principiis (quod aiunt) aqua hæreat: quanti quæso errores committentur in medio, ne quid de ipso fine dicam? Sed modo de Meteoricis impressionibus probationem claudamus. Quæ supersunt, in alio volumine tradentur.

Ignis matrix Meteoricarū impressionum.

Lignū est semē fumi, &c.

Arist. & eius interpretes damnantur.

DE DONO ÆGRORVM.

TRansgrediamur iam deinceps ad probationem *Membri ægrorum*, quod & ipsum donū est, & ex seipso gignitur. Sicut ergo externę 4. matrices sese habēt aut cōstitutę sunt in suis operationib., ita signa exhibentur in homine adeò vt præsentia, præterita & futura in homine cognosci queant, quantum quidem in elementis ipsa operatio struit ac dictat. Quo pacto ex vino in cella condito sciri potest, quando vitis in agro floreat: sic pariter ex homine iudicium fieri potest, quando & quidnam externa elementa operatura sint. Etsi verò ex quolibet homine coniectura talis desumi possit: in ægrotis tamen, quàm in sanis, eædem sunt multo planiora & euidentiora. Et licet operatio quidem externa vel ad bonum vel ad malum vergat, altera tamen cognoscibilior & manifestior est. Doceamus hoc exemplis. Impendente pluuia

Ægrorū quam sanorū signa planiora.

pluuia & mutatione aëris hancomnium promptissimè præsentiunt ægri. Idem etiam accidit Lunâ vel Nouâ vel plenâ fiente. Sunt etiam, qui præsentiant appropinquantem diem, noctem, coniunctiones, Aspectus, & operationes his similes & alias, vt Eclipsin Solis aut Lunæ, Æstatem, Hyemem, & horas anni. Nam ista omnia præsagit homo alius tamẽ alio procliuius. Quicquid enim externa Elementa operatura sunt, illius documenta in homine exhibentur, ex quibus iudicium Astronomicum fieri adeóque cursus cœli & Elementorum omnium, vt ita dicam, prognosticari possit. Dubium quidem non est, donum hoc seipsum generare. Potest tamen idem etiam ex parte esse scientia quatenus homo Astrologus & Mathematicus sit ad iudicium æquè idoneus ac alter, qui practicam condit. Nec verò cœli tantùm, sed cuiuslibet etiam Elementi cursus ac natura in homine præsagitur. Si cœli & Elementorum positus sinister sit, ipsius quoque hominis res sinistro loco est. Si illa morbida & pestifera sunt, talis etiam homo est. Si sana sunt: & homo. Nec enim ab illis disiunctus est. Sic per coniunctiones eiusmodi sæpiùs fit, vt sanus ægrotet, aut per operationes eiusmodi ægrotus coualescat; hoc est, si illa malitiosa sunt, bonum in malum statum vertunt: si beneficia sunt, malum in bonum commutant.

Cœli ac Element. motus in homine conspicuus.

Porrò, sicut iam satis demonstratum est, homo compositus est ex quatuor Elementis, & in eadem reuertitur. Qualis fuit is in materia prima, talis fit denuò, quando vltima materia in primam reconuertitur. Sicut ergo de prima & vltimâ materiâ nulla mutatio est, quia sunt necessaria: ita Medium inter primam & vltimam materiam esse oportet: hoc est, commotio non est in materia primâ, nec est in materia vltimâ, sed est in medio inter vtramque materiam. Iam verò commotionis ea conditio est, vt vnum subinde cum altero commoueatur, quæ quidem cohærent inuicem seu cognata sunt. Sic nimirum Equus & Currus inuicem congruunt: vnde etiam vnà commouentur, vnum scilicet ab altero. Sic currus commouetur ab equo. Currui similis est homo. Ipsius motor sunt operationes externæ. Quæ quò vergunt, eò concedit & homo. Sic nimirùm, quò pergunt equi, eò sequitur currus: adeóque ex curru intelligi potest, quò tendant, & quid faciant Equi. Et veluti ex terrâ & crescentibus terræ, quidnam operetur Sol ac Firmamentum, cognosci potest: sic etiam ex ingenio & studio hominis, astrorum ingenium cognosci potest. Quoniam enim Astra hominem (ceu *Impressio* docet) pellunt: commotio certè incitabit etiam ægrotos & sanos, vt, quidnam externa operentur, prodant. Et huius eadem est ratio, quæ Ignis, ad quem aqua ollâ concepta stat. Ex hâc enim Aquâ coniici potest, an ignis plùs minúsve flagret. Sic nimirum homo in medio mundo versatur, cinctus & circundatus, instar ollę tripode medio exceptæ, ac supernè ac infernè adeóque per omnem ambitum igne obseptæ. Et veluti ollæ reique in ipsa contentæ faciendum omnino est, quicquid ignis imperat, siue tepere, siue ebullire, &c. is iubeat: ita ratio eadem etiam corporis est. Et ex commotione istâ

Homo ex 4. Element. cõpositus.

Cõmotio quid.

Homo similis currui.

Homo similis aquæ in olla.

deprehenduntur signa eius, quod commouet. Ex quo iam liquet, possibile etiam esse, vt ex Microcosmo quoque per ipsius proprietatem, naturam & indicia prognosticon condatur, non minùs, ac ex scientiis & speciebus Astrologicis. Quæ omnia hâc præcipuè de causa indico, vt homo eò rectiùs cognoscatur, & in ipsum diligentiùs intendatur, ne quà temerario cum errore circa ipsum versemur iudicandum. Quò enim ipsius cognitio certior est: eò feliciore cum successu circa ipsum versamur.

Hominis cognitio quo fiat.

In homine autem commotiones sunt multiplices, prout Elementa multa, hoc est, quatuor numerantur. Et commotio quælibet presagiendo intendit in id, ex quo commotio procedit. Porrò, commotiones aliæ sunt spirituales, aliæ corporales. Causam huius hanc tenete. Elementorum omnium operationes in duobus consistunt: In corporib. & non corporib. Sic tempestas, ventus, Luna, &c. operantur corporaliter. Quod corporaliter operatur, corporaliter etiam in corpore commouetur. Sed præterea alia quoque operatio est, non *corporalis*, sed spiritualis, quæ signa exhibet non corporaliter, sed spiritualiter: hoc est. Processus ex homine duo, duæ etiam operationes sumuntur: vna ex visibilibus, altera ex inuisibilibus, signis. Qui commotiones sentit in corpore, corporalia signa & indicia promit. Qui autem visiones habet, is iudicat spiritualiter. Exemplum. Cui stato tempore membrum aliquod dolet, is Astronomo suggerit, commotionem illam externam esse. Quæ quo modo emergat, & quidnam ipsam cieat, id Astronomus ex ægri relatione cognoscet, ac dicet: Iste Aspectus, hæc coniunctio, illa oppositio, &c. hoc facit. Et quotiescunque concordantia talis in externis coincidet, toties ægro tale iterum continget. Sic ergo per talem ægri relationem necessaria omnia prognosticari possunt. Porrò, spiritualiter etiam cognoscendum est, somnia esse visiones. Sicut ergo visiones somniales sunt & eueniunt: ita sciendum est, Elementa suas operationes præstare & commouere. Exemplum. Pone, visionem tibi offerri, hoc vel illo loco ac monte, &c. latere metallum, tale vel tale, &c. Iam scias, somnium id vanum non esse, modo meditatio diurna phantasticum id somnium tibi non oggesserit. Sic nimirum homo somniat aquam, quia aqua ibi commouetur, sicut tempestas in Lunaticis, aut sicut in ægrotis dirigitur operatio ad concordantiam Elementorum) quæ in visionibus apparuerunt. Multi insignia somnia patiuntur, quæ visiones nocturnales mera dona sunt, ex inclinatione natiuâ profluentia, & seipsa prodentia seu exerentia, sicut vinum in dolio florere vitem indicat prodítque. Nec enim harum reuelationum alia ratio est.

Cõmotio est duplex, & qualis vtraque.

Hoc certum est, eum, qui per nocturnalem visionem aquam somniat, præsagium præ cæteris peculiare habere, & in aqua ipsi aliquid obuenturum esse, quicquid sit, si modo præsagium sequi, & visioni morem gerere possit. Somniorum interpretatio scientia est ardua. Nec enim suis indiciis carent, vndecunque offerantur, siue ab Elementis, siue à Phantasiâ, siue à reuelatione

Somn. interpretatio ars præstans.

uelatione aliâ emergant. Sic si terra reuelationem offerat: donum ex seipsa spiritualiter per suum spiritum exhibens; visio vtique illa vana adeò non erit, quin aliquid portendat. Eadem & aëris ratio est. Si enim quis somniet se volare, aut in sublime scandere, &c. meræ tempestates & commotiones illæ sunt aëris, significantes, Elementum aëris in illo, cui visio apparet, commotionem & communionem habere. Et ludicrum est, dicere, somniantem aquam vel pisces, ob id phlegmaticum aut piscinorum esse: vel somniantem Ignem, Cholericum, &c. existere. Veritas longè alia est. Quænis enim complexio contraria somnia experitur. Non enim ex ipso homine vel ex internâ naturâ visiones emergunt: Verùm extrinsecus influunt, sicut Sol per vitrum, calor per fornacem. Quòd si verò ab insitâ naturâ ac proprietate suscitarentur, alia omnino causa & ratio foret: quod tamen haudquaquam fit. Sciendum enim est, propriam hominis naturam somnia nulla ciere, sed ea omnia aliena esse. Iosepho oblatum est de *Maria* somnium, non ex qualitate interna, sed causâ externâ. Iosephi in Ægypto somnium non ciebat natura interna, sed externa Elementorum, quæ annonæ caritatem futuram præindicabant. Somnia & visiones huiusmodi multæ sunt. Necessarium itaque est, ipsas rectè cognosci, cùm prognosi suâ non destituantur. Quòd verò scientia visionum naturalium nondum satis rectè constituta sit, in causa est, quòd hactenus illæ contemptæ & neglectæ fuerint. Vbi verò contemptus viget: ibi sciendi auiditas alget: & cum nauseâ hâc paulatim etiam obliuio obrepit. Membrum ergo hoc duobus modis intelligendum est, nimirùm secundum prognosticationem corporalem, & spiritualem.

Somniorum causa externa est.

Iosephi somnium quale.

Scientia somniorum cur parum culta.

Adducemus nonnulla exempla. Pone, somniare quendam aquam aut pisces, aut simile quid aliud, quod ex aquâ oriatur. Hoc significat perfectionem alicuius operationis, quam Elementum edidit. Nam ex aquâ oriuntur omnia mineralia & salia, & metalla, ac Gemmæ, lapidésque & arenæ, & quicquid huius generis est. Iam verò successiuè vnum post alterum subindè maturescit, cùm nondum omnia simul maturuerint satis. Ex prædictis ergo si quoddam maturuit vel perfectum est: tunc in seipso quasi tempestate quâdam concutitur: quas postea tempestates sequuntur visiones nocturnales in coniunctis. Ex hoc iam id sequitur: si perfectum est, & bene successit: somnium captat pisces, & eos coërcet. Si illi effugiunt, opus minimè successit, sed intercidit. Si pisces perfecti non sint, sed informes, nec ordinarij: tunc & generatum (crescens) similiter malè cessit. Dictum iam exemplum Elementis etiam reliquis accommodari potest, nempe aëri. Si quis somniat se volare, & captare aues, aut seipsum auem esse: tunc genus aliquod Tereniabin in exaltatione est. Is autem si cadat, nec feliciter volet: ipsum quoque opus in Elemento aëris non probè cessit. Idem verum est etiam de terra. Cui offertur visio, quod alacriter & expeditè ex loco procurrat: indicio est, ipsum quoque Terræ Elementum simile, & in sua operatione expeditum esse. Si vero is currere quidem a nnitatur, currere autem non possit, nec se ex loco proferre: tale etiam in sua operatione Elementum erit, prout coniunctum se habuerit. Sic si Elmentum Ignis altè flagrat, ædésque ac domicilia absumit; ipsius etiam operatione eiusmodi erit. Si viuidè non ardeat, nec operatio eius viuida est. Hinc ergo patet, somnia & visiones homini ipsi haudquaquam imputari debere, quandoquidem ex ipsis Elementis oriantur: sed statuendum est, eodem quoque modo operari id ex quo visiones oriuntur. Quæ autem visiones ad hominem attinent, ex visionibus Elementaribus minimè procedunt, sed in suis apparitionibus conditionem aliam habent, de quibus tamen plura hic verba facere non institui. Saltem enim illa, quæ ad Membrum Ægrorum probandum requirebantur, hoc loco afferre volui: vt nimirùm dona, ex seipsis procedentia, pro donis haberentur, nec temerè contemnerentur, vel ex aliis principiis causisque deducerentur.

Minera salia & c. ex aqua.

Somnium aquæ aut piscium quid indicet.

Somnium volans, & quid notet.

Somnium cursus, & quid portendat.

Somniũ Ignis quid præsagiat.

DE DONO NOVALIVM.

MEmbrum Nouale omni iure singulari probatione confirmandum est. Natura námque in suis Mysteriis multa exhibet, quæ scire ac cognoscere hominem decet. Iam verò exhibentur aut indicantur multa, *Naturalia, ordinaria & intelligibilia ex artibus*, seu per artes inuenta. Hoc tamen loco Nonalia se aliter habent. Quia enim hoc Membrum Donum est, & scientia; ideò per ipsum etiam plùs, quàm per scientias perficitur. Siquidem si Natura per seipsam, Prophetiam aliquam indicare, aut præsagium annuntiare constituit, sine omni defectu tota perfecta secundum omnia puncta incidit. Quâ de causa Nonalia ista approbè cognoscenda sunt. Iam verò Monstra eiusmodi à Naturâ producuntur. Ipsa qualis est: tale etiam est opus ipsius. Quod hoc modo intelligetis. Si Natura futuri alicuius euentûs præsagium molitur, sui ipsius ideam more pictorum & statuariorum sibi proponit, formátque Monstrum, cui opus illud simile futurum sit: quod industriè adeò & ad viuum exprimit, vt pictor ex speculo imaginem fingere non possit rectiùs: sed id tamen citra additam omnem manum ac operam humanam. Natura námque est *Fabricatrix*, scientiam ac artem genuinam callens effigiandi, vltra omnes artes & acumina. Negare autem non possum, ad Donum hoc intelligendum, singularem artem ac industriam requiri. Nec enim quiuis inspiciens, id intelligit. Hoc opus est artis & scientiæ. Sed tamen & hoc verum est, Naturam in huiusmodi Monstris certam explicationem nullam contulisse, aut de iis firmas regulas constituisse: sed huius multum in Fortuna positum esse. Et si verò vel ex tempore ac in continenti etiam intellectus inde hauriri minimè fallibilis possit: nemo tamen sibi ipsi facilè fidit. Id enim quia citra artem fit, nemo sibi ipsi credit. Vnde fit, vt illius etiam nulla cura sit. Tandem verò vera forma ex qua monstrum desumptum ac delineatum est; prodit. Ars illa exprimit vel effigiat hũc vel hoc, quod nondum est id, quod deinceps fieri

Naturæ ostenta quotuplicia.

Natura mõstrorũ genitrix.

Natura fabricatrix solertissima.

fieri debet. Sic Noualista effigiare potest suum sanguinem, qui tamen nondum conceptus aut generatus est. Oportet Noualistam, regnum aut imperium gubernantem, effigiare illum, qui post ipsum regni possessor futurus est. Ita se habent Noualia, quæ membrum sunt Astronomiæ, & Dona, mirabili opere effigiantia futura, quorum forma ac species tamen nondum existit.

Natura ipsa mõstrorum prototypa.

Sed ad exemplum diuertemus. Si Natura productura stultum est, necesse est, vt seipsam primum in stulti formam induat, in naturam, scilicet talem, qualis futura est illa, quam producere satagit. Sic si statuarius sculpturus est stultum, necesse habet, vt suum Ingenium prius in stultum transformet. Si facturus est Leporem, ingenium suum prius in Leporem cõuertet. Idem quoque ipsi Naturæ facto opus est. Ita stulti stultos, &c. producunt. Sed ad propositum. Si Natura præsagiturit aliquid, formam illius induit, & ideam eius in se effingit. Hinc demum fit, vt ex effigie illa materia futuri cognosci possit. Monstra huiusmodi multiplicia sunt inter ea, quæ in aquis degunt, vt pisces admirandi, & similia alia, quæ talia non sunt secundum solitum naturæ ordinem ac cursum. Quæ enim genuini ordinis & modi sunt, ea ad Noualia minimè referuntur, sed ea, tantùm, quæ contra ordinem fiunt, siue sint volucres, siue quadrupedes, siue alia generata, contra naturam emergentia, monstrosáque, ac formam, figuram, speciémque alicuius imaginis, sed ipsam tamen distortam & contrariam habentia. Nec verò in dictis tantùm, sed & in ipsis hominibus huiusmodi peruersiones nascuntur. Vbicunque autem tale quid euenit, insignis ærumna ac calamitas futura impendere putanda est. Conueniret vtique, nos, quidnam huiusmodi Monstra portenderent, inquirere, rimari, & venari, etiam cum sudore & vitæ impendio certissimo. Pestes enim ac Epidemiæ omnes, omnia bella, discordiæ, lites, miseriæ, quibus diuino iudicio ipsimet ceruices nostras oneramus ac torquemus, per huiusmodi monstra manifestantur, triginta, viginti decémve annis antè, quàm calamitas ipsa ingruat. Quæ quò emanet seu differtur diutiùs, eò cumulatiùs postea incumbit, afflictione, peste, bellóve vno subindè aliud excipiente, nec malorum fine sese proferente. Et hæc præsagia hominibus quidem summa sunt, & latissimè diffunduntur. Vnde etiam fas esset, quemlibet Astronomum huiusmodi præsagia studiosè euoluere, declarare, cœlique concordantiam ad hoc genus sequentibus annis rectè accommodare. Quisquis autem palmarij huius articuli ignarus est, is non Magis est Astronomus, quàm Requiem canens clericus Sacerdos est. Membrum vero hoc ista de causa equidem figuræ inserui, quia nimirùm Donum, adeóque præsagium maxime formidandum est.

Ad noualia quæ referantur.

Mõstrorum cõsideratio vtilis & necessaria.

Nec verò in Monstris tantum præsagia huiusmodi eueniunt, verum etiam in genuinis proportionatis corporibus: ratione tamen diuersâ, licet ab eâdem æqualiter Naturâ. Ponemus exemplum. Cuculo adueniente, præsagimus æstatem. Idem facimus etiam visâ ciconiâ, hirundine, &c. Illis à nobis auolantibus, scimus impendere hyemem. Et hæc omnia ipsarum Naturæ conuenire compertum habemus. Iam si præsagia Naturæ in Membro Noualium manifestanda sunt, citra monstra quidem; æquè violenta & maligna minimè existunt. Nec prædictiones quidem sunt in genere, sed ex parte tantùm. Quòd si enim simul ac vnà Ciconię omnes gregatim vno ordine vel aduolent vel auolent, moribus quidem à naturâ ipsarum alienis: id pro præsagio habendum est. Quod, etsi non rarò eueniat, minùs tamen, quàm ipsa Monstra portendit. Nimirùm si quid à fœminâ nascatur, diuersam ac alienam ab homine imaginem exhibens, si id non à spermate fit, intra fœminam assumpto ex quo postea aliquid minus naturale gignitur: Certè ex peruersâ eâ minúsque naturali formâ præsagium constituendum est. Sed & hoc notandum punctum est, quòd scilicet id, quod ex Elemento Aquæ oritur, de aqua calamitatem prænuntiet. Quæ ex Elemento Terræ procedunt, vt Monstra vermium, præsagiũt de terra, & eius veneno. Quæ monstra fiunt in Aëre, illorum præsagium in aëre perficitur. Quæ in Igne oriuntur, in igne & per ignem cõplentur. Ita vicissim, quæ ex homine, qui Quintum esse est, non Elementum aliquod, sed medium potius ac centrum oriuntur: ea in homine perficiuntur, ab homine promota, sine concursu quatuor Elementorum externorum. Et iudicia quidem accommodantur illorum vel multitudini vel paucitati. Quòd si præsagia eiusmodi homo rectè dignoscat & euoluat; is mirabilia prenuntiabit. Nec enim vno tantùm modo prognostica fiunt, sed planè multis. Et ad regnum hoc non vna sed multiplex via est, ad cœlum quidem vnicâ tantùm via est. In Natura verò viæ sunt multiplices. Res euidens est in Medicina, quæ non simplex, sed multiplex est, velut multiplices etiam morbi sunt. Sed potenti â Christi sanare, tantum hoc est: *Surge & ambula.*

Cuculus, ciconia, & hirũdo temporis indices.

Præsagia accõmodanda (?) ...

Porrò, inficiari nemo potest, quin multa ac varia piscium genera in mari versentur. Generationes enim admirabiles ibi fiunt. Interim, quia instar terræ mare non vniuersum ab homine obsidetur, generationes illæ omnes miræ non etiam cognoscuntur: licèt de illis aliquid interdum appareat ac conspiciatur. Quoties autem monstrorum eiusmodi quoddam visitur, rarum quidem & insolens; sciendum est, Noualia quoque simul adduci ac prænuntiari. Similiter & in terra contrariæ generationes fiunt in animalibus & vermibus, naturales quidem, & tamen nihilominus præsagæ. Sic etiam in Firmamento & Aëre. Quæ in aëre fiunt, iudicia velocia præsagiunt. Quæ in Aqua, pestes rapidas, diuturnas, frequentes, &c. Quæ in Terra, bella grauia, longa, damnisque insignibus truculenta. Quæ in Igne, mortes veloces, grauia bella intestina, peregrinos hospites, tam amicos quàm inimicos portendunt. His apparentibus, præsagium non desinit, ac finitur, donec perficiatur eo loco, vbi origo eius fuit. Monstra huiusmodi, vt dictum est, iudicium quoque diuinum extremum prænuntiant, hoc est, damnationem & iudicium æternũ illis omnib. præsagiunt,

Maris monstra cur non omnia nota.

Elem. singulorũ monstra quid præsagiunt.

præsagiunt, qui monstris illis depinguntur.

Monstra enim eiusmodi indicant, illos gratiâ Dei excidisse, Deúmque in ipsos calamitatem, sulphur & picem immissurum esse. Et licèt quidem eiusmodi monstra corporea ac materialia sint: ipsi tamen Apocalypsi in significationibus suis minimè disconueniunt: non quidem, quòd Natura ipsa hæc omnia perficiat & compleat, sed quòd Instructio diuina ea dirigat, & monstrosæ illius formæ nuncios præmittat, attestantes, monstrosam talium vitam tragico fine destructum ac abolitum iri, ipsósque non plus misericordiæ sensuros esse, quàm experta est Sodoma ac Gomorrha: denique ipsos nullis honestis negotiis ac contractibus liberè ac securò gauisuros esse. Hi nempè in suis nuptiis discordiam experientur. Cùm enim ex Deo non sint, virga eos in medio gaudio opprimet, sicut factum legimus tempore Nohæ, cum inundatio terram obruit, quòd Deo vniuersi aduersarentur, & nullis se bene factis ipsi commendarent.

Sic ergo vos Astronomi, vósque cæteri omnes, qui circa Naturalia illa discenda & tractanda versamini, oculos tandem vestros aperite, & videte propiùs, quonam fundamento de venturis iudicetis. Nolite quæso oculos vestros tantùm ad Cœlum & Eclipses coniunctionésque conuertere, sed &, quæ ante pedes vestros iaceant, attendite, vt, quæ oculi vestri videre, digiti tangere queunt. Nec enim Cœlum in Firmamento suo Deus assiduè polluturus est, sicut gesta terræ poscunt. Firmamentum inquam suũ damnatis illis hominibus & morti adiudicatis, velut Sodoma & Gomorrha, minimè maculabit, sed impollutum id relinquet, & præsagia aliis locis ac finibus exhibebit ac perficiet. Quò ergo sese conuertit Deus: eodem sese ingeret etiam Astronomus, ad Dei præsagia attendenda. Hęc enim ab interpretis oculis procul non erunt absita, sed oculis & aurib. ipsius adeò propinquè subiicientur, vt longè faciliùs, quàm in firmamento eadem videre, audire, adeóq; tangere etiam possit. Et non vnitantùm loco aduertendi oculi sunt, sed per loca varia & diuersa illi circumferendi: Sed & auribus attentis arrectisque noua subindè audienda sunt. Nec enim in orbe quicquam vacuum & inane est ita, vt aures & oculi non multa vbiuis habeant, quę audiant & videant. Id ab exemplo notoriũ est. Quò longiùs te pedes tui in exteras terras proferunt, eò plùs oculi tui vident, aures tuæ audiunt. Vbiuis locorum in Dei opera & miracula incidis, quorum inspectio te politiorem & illustriorem facit. Debent ergo oculi auresq; per omnium scientiarum & artium, sapientiæque angulos pervagari. Nec enim in vno campo omnes fere, ac in vno horto omnes fructus visuntur & leguntur. Quisquis ergo Astronomię cognitionem affectat; hunc necesse est errare ac diuagari per omnia genera creaturarum, vt eadem quàm optimè ac rectissimè à principio (quod aiunt) ad finem cognoscat. Operatur enim Deus in Terra, in Cœlo, in Aëre, in Igne, quicquid vult. Eò ergo te conuerte: & quære ibi, vbi is operatur.

[Left margin: ...tinoo ...sci. d... ...ntia.]

[Right margin: Dei opera vbiuis manifesta.]

[Right margin: Peregrinatio Astronomo apprime necessaria.]

CONCLVSIO.

Hvnc ordinem quo modo incepi: ita filo eodem illum deducere & pertexere, vtile mihi visum est. Ordinis autem hanc metam seruaui vt species vniuersas, quæ Astronomiæ cognatæ sunt, & per ipsam fiunt vel sponte vel arte, iusta & debita serie distinctè describerem. Interim dum in hoc labore versarer, visum mihi est necessarium, breuem quandam instructionem & informationem addi de origine hominum, vt rectiùs intelligeretur, quidnam cognationis, fœderis ac concordiæ exteriores essentiæ, tam Elementa scilicet, quàm Astra, cum ipso homine aleant: quod quidem sufficienter & perspicuè, quantum Astronomia ipsa requirit, me definiuisse & constituisse arbitror.

Postea res ipsa docuit, requiri etiam, vt non tantùm describeretur Astronomia cum suis membris, in ipso Naturæ Lumine fundatis, sed cùm præterea alia quoque genera Astronomiæ essent, quæ & ipsa similiter de membris Astronomiæ tractarent, certè & ista, quæ ad idem genus pertinerent, describenda omnino esse visa sunt. Præter illas autem, quas ope diuina iam compleui; tres insuper aliæ operationes Astronomicæ sunt: Duæ scilicet supernaturales, tertia Naturalis quidem, sed quæ tamen supernaturaliter perficitur: Duas illas supernaturales naturaliter describere minimè possum. Quantum me verò de supernaturalibus tradere decuerit, necessarij nihil quicquam omittam. De prima, iam-dum perfectâ, ex lumine naturæ docui naturaliter. Quæ autem secutura est vltima, vt quidem figura denotat, hanc tractabo naturaliter, cùm ipsius etiam operatio fiat Naturaliter. Sed cur Astronomias quatuor ponam, adhuc planiorem causam faciam, quòd nimirùm ex illis constituuntur quatuor Magicæ, quatuor Nigromãticæ, quatuor Nectromanticæ quatuor Astrologiæ, quatuor Signatæ, quatuor artes Incertæ, quatuor Philosophiæ Adeptæ, quatuor Medicinæ Adeptæ, quatuor Mathematicæ Adeptæ. Porrò, de primis quidem nemo forte mihi litem mouebit, velut & ex parte de vltimâ. Mediæ vero duæ an omnibus placituræ sint, dubito. Sed quid istud ad me? Causa, quæ me ad eas statuendas compulit, hæc nimirùm est. Constitutum est apud me, per quatuor Astronomiæ genera Lectorem eò cognitionis deducere, vt proximè rectéque intelligatur, quidnam faciat Natura, quid Deitas, quid Fides, quid Sathanas. Distinctè enim internosci debent operationes Naturæ ex ipsa Naturâ, velut & ex propriis suis fontibus operationes Dei accuratè discernendæ sunt. Eodem modo etiam, quænam opera sint fidei, quæ Sathanæ, discretè noscendum est. Quorum omnium cognitio si certa & infallibilis haurienda est: conuenit vtique nos processui instituto insistere, & principio illi finem ipsum rectè accommodare. Ipse quidem ego fateor, Christum non esse Astronomũ, nec Deum patrem esse Magum, nec inter hos recenseri posse. Ipsa tamen opera in fine consentiũt, nosq; dicere possumus, hoc vel illud non ex isto, sed ex alio fundamento procedere. Res plana erit in sequenti exemplo, Quæ operatus est Christus, ea Iudæi ipsũ ex Diabolo facere pronuntiarũt. Sic etiam Diabolus multa signa

[Right margin: Astronomiæ quatuor cur ponantur.]

signa edit, quæ homines dicunt Deum facere, aut ex Deo fieri. Similiter operatur etiam multa fides: Quæ si ex Diabolo operetur, Deum illa fecisse homines affirmant. Si fides operatur ex Deo, ista per Diabolum fieri homines plerunque asserunt. Iidem etiam dicunt, omnia esse naturalia, cum opera merè sint mortalia. Vt ergo discrimen omnium distinctè teneatur, rectéque internoscatur, qualenam & cuius quodlibet opus sit, ex quóue procedat aut processerit: quadruplicia illa opera peculiariter ac seorsim tradi explicarique necessum est, vt nimirum hoc pacto verùs fons ac origo genuina cuiusuis ad vnguem, quasi sciatur & discernatur. Quòd si ergo demonstrare velim Iudæorum verba hæc (quod scilicet Christus Dæmonium habeat, & ex virtute Beelzebub, Diabolorum principis Dæmonia eiiciat) falsa & mendacia esse: ad id certe requiretur explicari naturalem operationem ex suá Astronomiá: deinde etiam Astronomiam Beelzebub, & Fidei, seu bonæ seu malæ, verè, accurateque describi explicarique. Eo facto, iam clarum ac manifestum erit, Christum suá virtute id facere, & virtutem hanc discretè internosci posse. Præterea nihil etiam Diabolicum esse censeri potest, nisi primò tria genera cætera cognoscantur. Sic nimirum instituti mei initio hæc breuis & plana ratio fuit, describere nempè Naturam secundum suam Essentiam, opera, potestatem, vires, quas habeat ipsa respectu Elementorum & rerum cæterarum omnium in Elementis consistentium. Item quasnam natura vires, quam potentiam habeat respectu hominis, quem cursum teneat, quousque & quomodo excurrat. Posteà necesse etiam est, describi potestatem Dei, & ipsius filij ac vtriusque Spiritus sancti, quid & quantum in homine possit velitve perficere sine auxilio Naturæ aut ope alia qualicunque, cuiuscunque Naturæ. Insuper & vis fidei, vel ad bonum vel ad malum cognoscenda est, quam scil. ipsa sit industria, quis operetur, & quo modo operatio fiat. Tandem etiam potestas Sathanæ expendi debet, quid satagat in hominem, quídve præstare possit erga Elementa & creaturas vniuersas.

Sanationis modi quatuor.

Cæterùm causas etiam alias mei instituti cognoscite. Ponite nimirum, conualescere aliquem ex morbo quodam Is æger vt conualescat, per solum quendam hominem præstari potest, nimirùm per Medicinam. Iam verò modi ac ordines quatuor sunt, quibus ægrum sanare Medicus potest. Primus refertur ad Naturam, ad eius vim, virtutem ac potestatem, prædestinationémque & ordinationem, quá Deus prudenter & efficaciter morbis omnibus prospexit. Hanc virtutem Medicus vsurpare, ac per illam ægrotum sanare potest.

Secundò, si non per Naturam, attamen per virtutem Dei ægrum idem sanare potest, velut per impositionem manuum, dicens: Surge, tolle lectum tuum, & ambula, *vt videam te videre. Hæc medicatio extranea operá nulla sed solius Dei potentiá perficitur.*

Fides duplex.

Tertiò, si horum modorum nullo Medicus vtitur, sed accedit ad fidem. Iam fides duplex est: vna, nitens Deo: altera, Diabolo. Si rectè credit ad præscriptum Euangelij, montem in sublime elatum, in profundum mare deturbare potest. Quantò autem faciliùs sanare ægrotum? Hæc ipsa quoque medicina nulla operá aliena fit, sed solùm respicit Deum, in fide. Si in Deum non intendat, sed fides dirigatur ad inferos: fides illa operatur per Infernalem virtutem, cuius in officina Mysteria Naturæ omnia recondita sunt, quæ ipsi administrant.

Diabolus sine permissu Dei nihil potest.

Quartò, si prædictorum nullum adhibeatur: necesse est operationem perfici per ipsum Diabolum, sine omni medio. Si per hunc: iam ægrotus sanatur, permissu Dei plenario accedente. Qui enim in vinculis captiuus detinetur, is citra permissum eius qui vinctum ipsum detinet, nihil quicquam perficere potest. Si autem religetur & dimittatur, tam is fit Naturalis, viresque Naturæ assumens, per illas omnia perficit. Quatuor hæc genera, & quadruplices Medicinæ ex hac conclusione absolutè & integrè intelligi non possunt. Quæ verò omnium rerum origo & causa sit, ex præscriptæ figuræ ordine, ac toto libri discursu plenariè cognosci queunt. Hoc modo institutum meum deducere & complere aliubuit. Etsi verò hoc tantùm quod iam dum perfecimus, Astronomia sit, ac cæteri tres ordines & genera Astronomia verè non sint: attamen, cùm vnum ad alterum referri, adeóque ad alienum fundamentum referri possit ac soleat, non solum describendæ Naturæ gratia opus considerandum est quodlibet, sed sui ipsius quoque causa, quousque nimirum extendatur ac procedat, nimirùm ad ea omnia, ad quæ Natura conuerti & extendi posse videatur: & præterea, vt alia quoque per ipsam rectè cognosci possint. Solemus eandem herbam non pecori solum, cui ea cibus creata est, pro alimento proiicere: sed eandem etiam impendendo vsibus aliis, hoc modo medicinam ac alia inuenire consueuimus. Hoc modo etiam deprehenditur ac inuenitur potestas diuina, virtus Dei in herbis: postea idem etiam finitur in Deo. Ita oportet etiam ædificari domum non tantùm ad habitationem pecudum, sed etiam ad diuerticulum & hospitium egentis, aduenæ, &c. Itaque etsi initium quidem cum Natura fiat: ex eo tamen haud sequitur, in Natura desinendum illicò & quiescendum esse: sed pergendum & inquirendum vlteriùs, ac in æterno, hoc est, in Diuina essentia & natura desinendum est. Naturaliter enim nos homines quidem nati & procreati sumus Moriendum autem esse ob id in eo, in quo & ex quo procreati sumus, longe à vero abest. Abiicienda potius vestis illa est, & vetus fermentum deponendum, vt nouitate induamur, & à veteri generatione in nouam transeamus. Eadem ratio sit etiam nostri huius scripti: quod non in Natura, sed in eo, quod natura plus & potius est, finiri debet. Itaque qui cum Naturæ lumine incepi: iure in Deo, domino nostro, qui lumen est æternum, iam finio & concludo.

Conclusionis Finis.

LIBER SECVNDVS PHILOSOPHIAE SAGACIS MAGNÆ ASTRONOMIÆ, DE SVPERNATVRALIBVS VIRTVTIBVS seu operationibus Cœlestis Astronomiæ.

PRÆFATIO.

In Philosophiam Cœlestis operationis, Libri Secundi.



ONSVLTVM mihi visum est, vt post absolutum librum de Naturalibus cœlestibus operationibus, iam deinceps de supernaturalibus operationibus, cœlestis voluntatis etiam explicatio instituatur. Hanc enim primò describi inidoneum fuisset, hác de causa, quia conuenit, hominem omnium primò suam naturam cognoscere, quid nimirùm & qualis sit, & ad quid conditus sit Postea sequitur id, quod supra naturam est, & in ipso operatur. Id explicabitur hoc secundo libro cœlestium occultarum operationum, quo ea saltem traduntur, quæ cœlum æternum in nobis Astronomicè operatur.

Dei opera per medium aliquod fiunt.

Rem illustremus exemplo. Quæ Deus operari & perficere in homine vult, ea per aliquid perfici necesse est, siue sint Elementa, siue corpora alia, & quidem sub specie operationum naturalium. Sic si præsagium aliquod ex cœlo interno dirigitur in hominem: necesse est, vim illam ex interno cœlo deriuari in externum, & in externo manifestari. Stella nimirùm Christi super Bethlehem stans ab externo cœlo orta minimè est, sed processa est ex cœlo interno in externum & in conspectum hominum prodita. Huc facit etiam exemplum Gedeonis, vellius suum rori exponentis. Ros iste non ex cœlo externo, sed interno genitus est, generationis, scilicet illo modo modo, ita destinato. Similiter interdum etiam ingentes & insoliti cataclysmi ingruunt, quales nullo seculo visi auditíve sunt, eiusmodi impetum Natura ipsa generare haudquaquam potest, vt potè ad quem nec materiæ, nec formæ, nec virtutis satis habet. Eiusmodi tamen interim nihilominus fiunt, producta nimirùm, ex cœlo nouo, in quo, quæ interna cœlestia Astra latent, effectum talem in cœlum externum, in Elementum, scilicet Aquæ, protrudunt. Exemplo nobis est Diluuium factum tempore Noë, quod nullâ cœli externi virtute cieri potuisset. Hoc tamen producere potuit cœlum internum, in sua Astronomiâ. Eadem ratione decidit etiam ignis de cœlo, hoc est, de interno cœlo, velut in Sodoma & Gomorrha. Hinc etiam decidunt de cœlo lapides, sanguis, & similia alia: Cœlum námque internum operatur in externum. Sic cum Sol stetit, cœlum internum rexit externum, & veluti manu sua id direxit.

Stellæ Bethlehemiticæ vnde nata Vellus Gedeonis.

Diluuiũ Noe, &c.

Sodomæ & Gomorrhæ ignis vnde.

Ad hæc iam consequitur. Quoniam ergo processus ac ordo interni cœli, quoad operationẽ, similis est externo: fas vtiq; ac æquum est, internũ etiam cœlum secundum ordinem exterioris cœli describi, hoc est, in decem partes Astronomiæ similiter distribui. Velut in Magiã, vbi tamen discrimen est inter Magiã Naturæ, & Magiam cœli interioris. Talis etiã est Nigromantia, Necromantia, Signata, Astrologia. Discrimen tamẽ vtriusq; hoc est, quòd exterius cedere cogitur interiori, quódq; exterius inferius sit interiore, & respectu eius adeò crassum, quã crassum est ferrum, si auro, aut silex si carbunculo, aut olla lutosa si vasi aureo conferatur. Sic nimirũ virtus vna inferior est altera, vel superior. Itaq; Stella Bethlehemitica, Christum intendens, ad cæteras stellas sese habuit, sicut stella externa ad carbones nostros terrenos: & ignis fulmineus ad nostrũ ignẽ sese habet, velut ignis noster se habet ad ventum calidũ: & ros Gedeonis ad cæteros rores, velut noster ros ad succũ prunorum se habet. Similiter & fortitudo Samsonis ex interno cœlo, ad nostram fortitudinẽ se habuit, sicut nostra fortitudo se habet ad murem. Ita & Magia Moysis ad Magicam nostram collata, fuit instar effigiei, respectu eius, cuius est effigies. Eadem distantia & discrimine nimirùm differunt inter sese, omnia, quæ exempli loco de geminis cœlis proferri queunt. Quæ quidem diuersitas rectè noscenda & declaranda est, vt, vndenam generatio quælibet sit orta, sciatur, & rectè sincereq;, quænam illarum rerum sit generatio, euoluatur. Si operatio aliqua est cœli externi, hominis est, eam explorare, cognoscere, & rimari, vel ad extremum vsq; Iota. Idem similiter etiam de operationib. interni cœli, quales sint, & quid notent, statui debet. Et hanc quidem sapientiam qui callet, is sanctior est regib. de Saba, Tarsis & Oriente, qui internum cœlum cognouerunt, qualisnam ipsius operatio in externũ fuerit. Quam qui secuti sunt, meritò Sancti vocantur. Dionisius Areopagita Eclipsin solis, Christi crucifixionem secutam, ex interno cœlo, non ex externo cognouit. Qua de causa etiã dixit: Aut mundi creator patitur, aut mundus interiturus est. Quisquis ergo internas huiusmodi operationes considerat, dignus est, vt sanctus in Christo vocetur. Hoc ergo sciendum & discendum homini est.

Cœlũ interi' externo nobilius quanto sit.

Reges Sabai sancti. Dionysiĩ Areop. dictum.

Iam porrò verò, vos, fideles simul & infideles, apud animos quæso vestros expendite, quidnam tandem omnibus seculis externum cœlum in homine operatum fuerit, quid significarit, & hinc oculos vestros conuertite ad cœlum internum, ac euoluite, quanta iam ab initio mundi admiratione id operationes suas exeruerit. Ista omnia, inquam, penitiùs trutinate, & miracula Dei, quæ omnibus seculis operatus est, & nec dum feriatur, altiùs expendite. Quòd si ea, quæ Deus & Creator noster quotidiè exhibet probè consideraueritis, attendetis etiam eadem opera, quare & quibus ex causis talia fiant. Quæ si seriò meditati fueritis, adueniet vobis paracletus, sensum plenum & cognitionem integram cordibus vestris infundens. Hac etenim ratione quilibet a Deo doctus euadit, in eo, quod inquirit. Qui quærit, inueniet, hoc est, Qui quærit in cœlo interno, nihilominùs tam inuenit, quàm qui quærit in cœlo externo. Iam si vos, tam fideles quàm infideles, quidnam operationes illæ interni cœli significent, attendatis: inuenietis vtiq;, quãtã in terra gubernet Diabolus, quidve malum aut bonum sit. Si enim cognoueritis, quod ignis in Sodomam & Gomorrhã ex cœlo interno irruerit, & quinq; ciuitates vastarit ac oppresserit: iam intelligetis etiam, quid

Sodomæ & Gomorrhæ igni perditæ.

Luxuria,

Luxuria, voluptatibus corporis effera, iam à Deo damnata, & æterno igni adiudicata sit. Hinc ergo iam interpretatio elicitur, cauendum nobis esse & Luxuriam abdicandam pœnámque vitandam, quæ ex irá Dei, quæ cœlum internum est, procedit. Ita videte etiam, stellam Christi indicare Filium Dei, in Bethlehem natum. Adspicite Eclipsin factam Christo in crucem sublato. Ea notat damnationem eorum, qui filium Dei damnarunt, ipsos nimirum æternis tenebris immorituros esse. Et cognitis hoc modo interni cœli operationibus, cognoscimus vna, quod inter nos supernaturale est, quod alias ; nec nosse nec intelligere possumus. Sic enim confirmatur scriptura, per potentiam cœli interni, in illis, quæ omnibus sæculis euenerunt in testamento veteri simul & nouo, operante scilicet Deo, per medium cœli naturalis, per medium hominum &c. Sic enim media deprehenduntur esse sancta, ideò, quòd per illa Deus cœlestis sui Firmamenti cursum perficiat. Ita nimirum. Medicus per herbas sanat ægrotum. Herba est medium, in quo medicina latet. Ipsa quidem herba medicina non est : & tamen herba sancta seu beata est. Hanc enim ornat Deus in sui laudem, propter id, quod in ipsa latet, quódve Deus in herbam condidit, ac tanquam thesaurum quendam abdidit. Eodem modo beati etiam sunt Diui, per quos Deus visum cœcis restituit, mortuos resuscitauit, claudos ire fecit, &c. Ex fructibus enim ipsorum cognoscimus Diuos & Sanctos Domini.

Interim cœli cognitio quam vtilis.

Media Dei sancta.

Quicunque ergo in mundo viuitis homines, altè ac seriò apud animos vestros expendite totis viribus, quæ de conflagratione & euersione Sodomæ ac Gomorrhæ, ne fandam ac incestam ipsarum libidinem secutâ vobis antea desserui. Quæ ruina vobis exemplo sit, vt ne vos ipsos iisdem quoq; peccatis polluatis, sed iram Dei declinetis, à malis desistatis, & mandata Dei sedulò seruetis. Attendite insuper etiam, quod Satanas instar rugientis Leonis nobis insidietur. Is nimirum fuit, qui Sodomam gubernans, in peccatum eos præcipites egit, sibi nimirum obsequentes, & Deo aduersantes, contra hominum naturam sese permiscentes, ac ordinem mandatúmq; Dei securè ac oscitanter elidentes. Fas enim est, naturæ ordinem vbique seruari, & mandato diuino homines morem gerere. Nec vero iste mundus cœlum ad hanc tantum Influentiam & operationem perducit: sed & omnia bella præposteras huiusmodi naturæ & spreti mandati Diuini noxas sequuntur. Quoties enim bella surgunt, pœna ista regioni alicui immittitur, vt per ipsam mundus renouetur. Hostis enim mensuram illam retribuit, quam malignè Deo cœlesti ad mensi sunt. Qui contra Deum facit, is metitur suam malitiam cumulatã vltra mensurã. Ita superuenit deinde alius qui eidem etiã supra mensuram metitur. Quáque parte is peccauit in Deum: eâdem peccat etiam ac vindictas parat illi hostis. Si peccamus luxuria eadẽ nobis remetitur, adeóq; aliena flagitia nostris flagitiis accumulantur, & voluptas nostra fit voluptas nostri hostis, ac ex ( )sequitur miseria ac ploratus. Et tamen ne sic quidem finis erit, nisi finis nostrorũ peccatorum præfuerit. Nostris enim flagitiis sublatis, tolluntur demum etiam aliena. Ad operationes itaque interni cœli animus conuertendus est, & repetendum paulò altiùs, quàm sæpè & multipliciter illæ nobis exhibitæ sint, & hinc colligendum, eas non temerè ac fortuitò, sed propter ingentia & enormia nostra peccata nobis ostendi. Sermo námque Christi ad cœlum internum directus est, quo inquit: Erunt signa in Sole, Luna, Stellis, &c. *Signa ea non erunt ex cœlo externo, sed interno ; cuiusmodi etiam signum fuit Eclipsis facta post Christum cruci suffixum. Signa tamen illa in cœlo externo apparebunt. Sicut tenebræ damnatio fuerunt damnantium Christum : ita damnatio quoque sunt Signa, ex interno cœlo in externum producta, eorum scilicet, ad quos illa spectant. Ex internis autem signis, in cœlo externo apparentibus, deprehenduntur crimina mundi, ex vniuersis scilicet ne vnum quidem probum esse. Peccati ergo manifestata conuersio & renouatio mundi meritò sequi debet. Hoc enim fine peccata nobis ostenduntur, vt visis illiusmodi supernaturalib. signis cogitemus, Deum illa nostris obiicere oculis, quasi diceret: Vestrorum peccatorum (quorum finem non facitis, sed eadem indies grauiùs cumulatis, ac corda vestra obduratis, ita, vt de nulla gratiá & veniá me sollicitetis) signa in cœlo externo vobis proposui, sicut filij mei verbum papyro inscriptum apud vos est, vt videatis & intelligatis, peccata vestra ad me clamare. Et hoc est signum eius, quod vobis stipulatus sum, postquam signum videritis. Hic ergo iam fas ac operæ pretium est, nos intelligere, quænam illius signi cognitio sit, nimirum desistere, & cum Niniuitis pœnitentiam agere.*

Sodomæ euersæ quæ causa.

Diabolus. Leo rugiens.

Rationẽ refundit Deus improbis.

Signorũ cœlestiũ quis finis.

His omnibus mecum cogitatis, commodum & vniuerso mundo vtile quid me facturum esse censui, si interim quoque cœli operationes describendo explicarem. Hanc autem operationem voco cœlestem, ideo, quia operatio illa externo cœlo similis est, ordine & processu. Aut enim procedit illa secundum Elementa aut elementorum morem, aut secundum vires stellarum, aut secundum Naturam hominum, secundũ quæ vniuersa, cœlum quoque externum operationes suas habet. In omnibus enim corporibus operatur externum cœlum, velut & internum. Hi autem vtrique cœli à se inuicem separabuntur, vt liceat homini seorsim cœlũ externum secundum suam naturam cognoscere, & seorsim etiam secundum suam naturã cœlum internũ. Quæ quidem digná ratione explicari hominibus, conducit ad consecrationem & illustrationem Christianismi, quolibet nimirum suscitato ad cognoscenda & attendenda ea, quæ ad ipsum pertinent. Nam si pluuia in terram decidit scire debet homo, ex quonam illa cœlo oriatur. Si illa ex cœlo naturali oritur : homo Deum laudet., illius datorem. Si prouenit ex cœlo interno: cogitet de sua miseria. Pluuia enim illa notat Diluuium, factum tempore Noë. Et licèt pluuia quidem non vniuerso orbi inundationem afferat : satis tamen inundationis nobis sunt pestis, bella, fames, annonæ caritas, & mutua contrarietas. Quamdiu enim vitam nostram trahimus, nos inuicem iugulamus, & peccatis nostris immorimur, vt nemo inficiari queat, hoc modo vniuersum tandem mundum interire posse, sicut factum est tempore Noë; quo homines epulabantur, potabant, vxores ducebant, quorum tamen omnium finis ac exitus tragicus subsecutus est. Quòd si imperia mundi, adeóq; singulorũ hominũ vita & facta attentius considerentur, quis negabit, æquè funestis miseriis & ærumnis plena hæc esse tempora nostra ac fuerunt illorum, tempore pluuialis inundationis? Et nisi dies abbreuiarentur: quis in cœlũ penetraret? Abbreuiatio autẽ hæc non est diei cœli externi, sed diei cœli interni. Abbreuiatióq; ista fiet in illis, à quibus peccata & flagitia emergunt. Quærunt enim hi seductionem etiam iusti. Qui seducuntur

Tractatus hui⁹. quæ sit vtilitas.

Tẽpora moderna priscis similia.

duceretur etiam vtique, nisi dies abbreuiaretur eâ horâ, quâ putaturi illi sunt, quod iustum iam euerterint. Cùm enim vix dum iustus saluetur: necessarium est, vt à tentatione & seductione praseruetur à Deo, qui nos ita orare iussit: Ne inducas nos in tentationem (in doctrinam malignantium) sed libera nos à malo (ab illis, qui aduersantur Natura & Doctrina Christi, quibus tamen ad modestiam & pietatem opus est.) Certum verò iam est, nos esse illos, quibus Deus misericordia fauet. Ipse enim natus & homo factus est: vnde misericordia & remissio peccatorum sequitur. Qui si natus non esset, impossibile foret, eiusmodi peccatis nostris, qua contra Deum passim ab omnibus in omni mundo, nullo excepto patrantur, Deum non quotidie grauiter irasci & intonare, sicut mundum puniuit in testamento veteri, ante tempus natiuitatis & incarnationis sui filij. Qua indulgentia & misericordia testimonium est, Dei Filium iam natum esse, & ob hunc, Deum deinceps nostri miserere. Itaque qui bona faciunt, & misericordia Dei freti moriuntur, in regnū cœlorum penetrabunt. Cateri autē deturbabuntur in Gehennam, cuius non est finis.

(Iudi.) Dei in homines bonitas. Messiæ nati argumentum.

Caterùm, Lector, cùm ex hac prafatione intelligas, me philosophiam interni cœli, ope diuina, tradere aggredi: mirum ac alienum videri tibi non debet, cum potius Theologiam quàm Naturalem Philosophiam tradam. Causa hac est. Cœlum nimirum externum diuisum & separatum ab interno. Philosophia ergo naturalis nulla hic adhiberi potest, sed opus est Theologica. Cœlum enim id est supremum, ac à Deo regitur, nec aliena manui committitur. Cœlum autem externum prastitutum suum ordinem sequitur, & munus sibi destinatum complet, prasentia Solis diem, absentia noctem producens, omnia, scilicet sua vicissitudine, dans pluuias & serenitatem, astatem ac hyemem, & nullum tempus transiliens. Cœlum autem internum mouetur & cietur pro voluntate Dei: Voluntas Dei pro nostris factis & patratis. Hoc ergo si describendum sit: necesse est iudicium fieri ex eo, ex quo Impressiones illa emergunt. Deus autem est is, qui fundamentum primum ponit, sicut Astronomia cœlestis superorum Diuorum intelligi debet. Ex illo fundamento desumitur postea explicatio. Fundamentum porrò id sola sacra scriptura est, ex qua sola etiam descriptio petenda est. Iam, qui de Influentia cœli loquitur, is Theologus est. Loquitur námque de Deo, & loquitur ea, qua ex Deo sunt. Quòd si simplicior quis Theologus fors obiiciat, Medicum, Astronomúmve aut Philosophum de Deo loqui minimè decere: is sciat pro responso, talia neminem aut statuere aut obiicere, nisi qui Dei sit hostis, & studiosè hoc agat, ne opera Dei hominibus innotescant, ex quorum notitiâ postea propria illius vitia & flagitia detegi possint. Interim Christus ipse dicit: Nihil adeò occultum esse, quod non reueletur. Hoc ergo fundamento freto mihi liceat, vt Theologi vices agam, & per Deum reuelem, quod in multis abditum est. Et nemini isthac fastidio aut nausea sint ob id, quod hic vel iste scripta mea reiiciat.

Quin imò fas est, hac auidiùs eò legi & euolui, quoniam externum natura lumen ipsum ait: Sapientia osorem non habet, nisi insipidum. Sic & veritas osorem non habet, nisi mendacem. Similiter & qui ex & de Deo scribit, hostem non habet, nisi illum, qui ex Deo non est. Cursum ergo prafationis hic inhibens, deinceps illum procedendi ordinem modúmque tenebo, quem in describendo libro primo de Astronomia Natura seruaui. Inter quem & hunc discriminis hoc intercedit, quòd ille de externo, hic de interno cœlo supernaturali doceat. Qualis verò cœli interni vis sit, & quo modo illius membra diuidantur, deinceps conuenienti serie & ordine planiùs explicabitur.

ARGVMENTVM.

IN ORDINEM TOTIVS LIBRI SECVNDI ASTRONOMIÆ MAGNÆ THEOPHRASTI HOHENHEMII D.

De operatione cœlesti.

ORDINEM huiusmodi instituere mihi placuit. *Primò*, quid Anima sit, quæ eius proprietas, natura & conditio sit. *Deinde*, intelligendum est, quæ ratio vnionis sit corporis & animæ. *Tertiò*, de ortu, causâ & generatione carnis immortalis. *Quartò*, de coniunctione & compositione carnis mortalis & immortalis in imaginem vnam. Quatuor hisce capitibus tandem argumentum vlterioris diuisionis libri subnectitur.

CAP. I.

De ortu & generatione Animæ, quæ eius essentia, quis spiritus, quæ natura sit.

Homo ex cœlo & terra compositus.

IN præcedente libro de mortali seu terrena incarnatione & materiâ cognouistis & didicistis, hominem, scilicet non tantùm ex Limo terræ constare, sed non minùs ex cœlo, quàm ipsâ terrâ compositum esse. Quicquid enim ex terrâ constat, in terram reuertitur. Quicquid autem ex cœlo constat, in cœlum quoque redit. Homo autē non ideò tantū homo est, quia est Microcosmus: sed homo est is, qui ex vniuersis rebus cōposit⁹ est, ex cœlo, inquā, nō minùs quā ex terrâ. Quia enim propter cœlū homo cōdit⁹ est, necesse est, de cœlo ipsū aliquid participare, cui⁹ merito in cœlū perueniat. Nā quod de terrâ est, id animal est, & in terra moritur. Nō ergo satis est de cōpositione illa scire, qualis ex natura homo sit, & quinâ cōpositus & digest⁹ sit in imaginē vnā, carnis & sāguinis, ceu antea descripsimus. Limus enim minimè sufficit ad cōstituendū hominē integrū, aut ad ipsū cognoscēdū, quasi nihil aliud in homine existeret, quā quod de Naturâ ipsi Natura sumptum sit. Quod enim de Naturâ ipsi Natura sumptum sit. Quod de cœlo süpadest, id omniū minimū est. Quod de cœlo supsit, id super ōnia est. Sicut enim scriptura ait: *Spiritus (scilicet hominis) redit ad illum, qui ipsum dedit.*

Homo quis homo dicatur.

dedit: hoc est, à Deo ipse adest, ad Deum ipse reuertitur. Quod de Limo terræ est, redit ad terram, de quâ est. Partes ergo in homine duæ sunt: A terrâ Forma: à Deo spiritus, de quo in hoc libro tracto. Iam de formâ imaginis scitote, quòd in ipsa Spiritus à Deo datus, asseruatur,& velut in hospitio quodam ac domicilio retineatur. Omnium, scilicet primò de terrâ Deus hominem formauit. Postea inspirauit ipsi Spiritum per spiraculum vitæ, cuius medio homo fit capax superiorum, ex quibus descendit. Ex ore enim Dei egressus, ad idem reuertitur. Et hoc accuratè quidem vos tenere velim, hominem secundum suam Essentiam esse inuisibilem, hoc est, id, quod homo est, esse inuisibile. Non autem inuisibile, sicut de Naturâ sydereí corporis docui: sed inuisibile ideò, quia est spiritus, à Deo datus, qui inuisibilis est & immortalis. Ita inuisibile etiam est corpus sydereum, sed tamen mortale, quod per id, ex quo constat seu fit, iterum consumitur, & in nihilum redigitur. Sicut enim cinis & puluis fuit: ita in puluerem denuò reuertitur. Interim tamen nec Elementare, nec sydereum corpus in cœlum peruenit, sed homo saltem, qui Spiritus est, is autem Spiritus, qui ex Deo est. Dixit enim Deus, *Faciamus hominem secundum imaginem nostram.* Porrò ex hoc noscendum est, imaginem humanam non incipere in vel ex inferiori, sed præ ipso iam exstitisse. Et imago Adæ, originem suam formamque ac speciem sumit ex Deo, qui imago prima est. Eius imago similis est imagini hominis. Ideò Christus homo primus fuit, ante ipsum Adamum, non minùs ac ad Iudæos testatus est: *Prius quàm Abraham fuit, ego fui.* Imaginis itaque ortus ex Deo est. Secundum illam factus est homo, ab ipso Deo, cui soli imago cognita fuit, non vlli alij. Et licèt Christus quidem post Adamum ac Abrahamum venerit: ante ipsos tamen fuit, hoc est Deus non ex Limo, sed sine Limo exstitit. Quòd si ergo ex Limo Deus non exstitit: vtique nec imaginem suam ex Limo habebit, sed citra ipsum, hoc est, Deus non secundum vel post Limum factus est homo, sed ante ipsum exstitit. Ideò Christus filius est hominis, id est, primi hominis, illius hominis filius, qui ex Limo terrę hominem secundum imaginem suam fecit. Quanquàm verum sit, nec me nec quenquam alium compertum habere de Imagine Dei, qualis illa sit, nisi quantum de Christo & sacra scriptura colligere & iudicare possumus. Illam enim hoc fine accepimus, vt ex ipsâ illius inuisibile cognosceremus & addisceremus. Est enim illa inuisibilis. Verum interim est, *Deum esse personam.* Datâ personâ, dabitur etiam Imago aliqua. Persona enim imagine carere nequit: Et Imago est forma ac figura. Qualis forma hominis est, talis etiam forma Dei est, secundum cuius imaginem homo factus est. Sicut autem Deum nemo vnquam vidit, præterquàm filius: ita ex Deo etiam adest seu inest in homine, quod nemo videt, totum inuisibile. Videtur autem à Deo, cui nihil quicquã inuisibile est. His positis, negari non potest, hominem secundum Dei Imaginem conditum esse: hoc est, sicut homo dat inuisibilem personam Dei, dari etiam personæ Dei. Quod idem est, ac si diceret Deus: *Personam meam nemo videt, quæ inuisibilis est. Per Limũ tamen hunc faciã ipsam visibilem.* Sic procedere oportet formam imaginis, vt homo formam habeat ex specie, sicut dictũ est. Et sermoni huic eatenus saltẽ credendum est, quatenus Deus dixit: *Secundum imaginem nostram facimus hominem.* Hinc homo potest homo surgere ex Limo, secundum imaginem Dei factus seu formatus. Cæterum hæc hactenus nondũ spectant ad id, quod hoc loco intendo dicere. Intelligendũ est enim aliquod inuisibile, quod inuisibile simile sit ac conforme visibili, hoc est, sit instar animæ, qualis ipsa est, quę nimirũ est alterũ, ex quo homo constat. Et sic homo est homo ex Naturâ, sicut in precedenti tractatu docuimus: & iam est homo ex Æterno, ex ore Dei, quod est spiraculum vitæ, quod spiraculum est Limus cœlorum, ex quo homo de cœlo est, & respectu eius virtutem etiam ad cœlũ habet. Sic ad Naturam abit, quod ex natura est, & ad Deũ, quod ex Deo est. Probè enim hoc notandum est, nihil quicquam, quod de Terrâ est, resurrecturũ. Solum enim id resurget, quod ex Deo est. Ideò resurgemus in Christo. Si autem in Christo non erimus, resurgemus quidem, sed non in Christo, non in Naturâ, sed in spiritu inferni, de quo peculiaris tractatus plura suggeret.

Hominis partes duæ sũt.

Terrenũ est diuerticulum spiritus.

Homo qua homo qualis sit.

Imago hominis vnde & quid sit.

Christus fuit ante Adamũ.

Christus quomodo sit filius hominis.

Imago Dei quatenus cognoscatur.

Porrò autem sic attendite. Si corpus formatũ est secundum imaginem Dei, & Deus est persona, eaq; per humanam imaginem in suâ imagine cognoscitur: iam necessarium est scire, etiã extra imaginem oportere aliquid esse inuisibile, quod æternum in homine sit, & æternum maneat: Caro nãmq; Limi terræ æterna non est. Deus autem hominem ad vitam æternam condidit. Propter hoc ergo æternum requiritur. Vt de æterno idem etiam aliquid habeat, & nõ totus naturalis sit. Nullum enim naturale æternum est: sed quicquid huius est, morti obnoxium est & subiectũ. Et æternum id tantùm est, quod ab æterno dimanat. Itaq; si æterni aliquid homini inest: homo vtique non tantùm secundum naturale homo perfectus erit, quoniam in naturâ æterni nihil est. Contrà verò, quia homo æternus est, necesse est, aliquid aliud in homine inesse, quod sit æternum. Id non est desumptũ de Limo terræ, sed & omnino aliquid, quod Deo simile sit in spiritu. Non enim id satis est ad imaginem, nos ad similitudinem Dei factos esse: sed insuper de Deo aliquid accedere oportet, cuius gratiâ imago condita est. Nam non, vt edat ac bibat, &c. homo factus est, sed vt regni Dei hæres sit. In regno autem Dei hæres nõ est, quod de terrâ est. Terra enim in cœlũ non peruenit. Itaque hæc sola homo minimè est: sed multò magis homo erit id, quod in ipso est, ad hæreditatem regni cœlestis destinatum. Quod intelliges de spiritu. Spiritus nullus visibilis: sed vniuersi inuisibiles. Iam si spiritus inuisibilis est, solus autem spiritus est æternus: ex hoc iam necessariò exstruitur, ipsum hominẽ quoq; oportere esse spiritum, & spiritum quidem talẽ, qui ex Deo sit, & ad Deum redeat, ac è nobis emigrans in manum Dei, ex quâ processit, reuertatur. Porrò, Deus mundum condidit, non vt visibilis esset, sed visibilis, hoc est, condidit ipsum,

Homo vitæ æternæ destinatus.

Naturale omne corruptibile.

Homo qua homo.

Spiritus inuisibilis.

ipsum, qui antea nihil fuit. Ex hoc, quod nihil fuit, creauit cœlum ac terram, adeóque suum verbum, quod inuisibile fuit, visibile fecit, verbo nimirùm facto id, quod iam tangimus & videmus. Deus enim non minus delectatur visibili, quàm inuisibili, in eo, scilicet, quòd verbum ipsius materiale & substantiale factum est. Ideò placuit etiam Deo, quod fecit: Inuisibile námq; factum est visibile, & impalpabile factum est tangibile. Postquam autem visibilitatē constituit, inuisibili nimirùm facto visibili: diuisionē postea etiam molitus est in spiritu. Alium enim fecit seu reliquit inuisibilem, alium visibilem. Visibilis est homo. Ipsum enim fecit de visibili. Id autē quod inuisibile esse debebat, de æterno sumpsit, & illud inuisibile manere voluit, vt homo non tantùm constaret ex terreno, sed simul etiam ex æterno, cuius gratiâ spiritum vitæ Deus ipsi inspirauit, vt non esset animal secundum naturam, velut simia, sed vt esset homo ob æternum, quod super omnia est. Secundum hoc viuere & operari debet homo, nec secundum animale quietem & voluptatē sibi quærere. Qui enim in terreno quiescit, is terrenam habitationem & generationē quærit, similem se faciens ei, qui secundum terrenum epulatur & potat. Vt verò plenè intelligamus rem, sciamúsque hominem finaliter factum esse secundum Deum, & ipsius imaginem, propter quam etiam ab animalibus separatur & discernitur: demonstratur id verbo Dei, quo dixit: *Secundum imaginem nostram faciamus hominem.* Vnde colligitur, hominē non tantùm constare ex terrâ, sed & ex creatione spiritus, eo discrimine, quòd, quia simul visibilis & inuisibilis existit, domum suam acceperit de terrâ, alterum verò, quod in domo illa est (nempe Anima) ex Deo. Vnum à Deo est, ad mortem tamen destinatum, quia ex morte est. Alterum destinatum est ad æternum, quia ex æterno adest. Caro autē ex morte est, & ex morte prouenit. Quàm quidem liberam esse, ita vt spiritui suo aut animæ nihil noxæ inde emergat, quicquid faciat, fieri ratione nullâ potest. Carni enim vniuersa Dei mandata incumbunt, quæ omnem illius libertatem elidunt, vt nihil liberi & soluti iu ipso homine amplius maneat, quo in carne visibiliter facere audeat vel bonum vel malum, citra animæ noxam ac damnum, sicut nonnulli fecerunt spiritus cœlestes, nimirum Boni, vt *Gabriel, Michael, Raphael, & Mali, vt Lucifer, Satanas, &c.* Ex his Boni libero suo arbitrio vsi non sunt, sed isto excusso, voluntati Dei paruerunt. Hæc enim, non nostra facienda est. Itaq; penes nos voluntas nulla est. Qui tamen eam aut habet aut sibi sumit, is similis euadit Sathanæ & Lucifero, quem liberum suum arbitrium in abyssum inferni præcipitem dedit. Cùm enim homines nos Deus voluerit esse secundum suā imaginem factos, & ex se nobis spiritum infuderit: vult etiam, vt secundum hunc viuamus ad ipsius voluntatem non ad voluntatem carnis & sanguinis, quæ nihil nisi ad terrena prosunt. Quod in cœlo inuisibiliter factum est, id in hâc terrâ fit visibiliter à carne, hoc est, Luciferi præuaricatio & eiectio nobis visibilis non est. Quod autem nos facimus, visibile est. Sic factus est visibilis lapsus Adæ. Nam in inuisibili, Deo obeditum non est, nec voluntati eius satisfactum, quod exemplo Luciferi constat: nec etiam in visibili, quod notum est in Adamo. Tales ergo vult Deus esse spiritus, alios corporis expertes, alios corpore donatos. Qui corpore donatus est, est homo, caro scilicet & sanguis. Qui corpore carent, sunt Angeli, in cœlis habitantes, sicut nos in terrâ.

Spiritus duplex. *Homo animus gratia factus.* *Homo ex terra & spiritu creatus.* *Caro mandatis Dei.* *Angeli, qui boni & mali.* *Homini voluntas libera nulla est.* *Luciferi & Adæ collatio.* *Spiritus duplices sunt.*

De homine ergo si loquendum sit, intelligi oportet, per ipsum, Deum multa efficere, & ipsius gratiâ multa præstare, sed omnia hoc fine, vt ad æternum is perueniat. Is enim cùm in carne infirmus, in spiritu autem promptus, facilè iram Dei incurrat, ob id varia ostendit Deus, quibus admoniti vitam nostrā ad ipsius, non propriam nostram voluntatē dirigamus. Nostra námque voluntas nos damnat: Solius autem Dei voluntas nos conseruat, vt de Gabriele, Raphaële, &c. constat. Voluntatem autē propriam nos damnare, exemplo est Lucifer. Iam, cur id fiat, inquirendum est. Id autem non fit propter carnem, quæ tantopere ipsi placeat, sed propter Spiritum, qui æternus est, & ad regnum Dei prædestinatus, etsi in hâc terrâ, velut in Paradiso viuamus. Si enim, quid Paradisus sit, scire volumus: dico, Paradisum esse id, in quo versamur. Et in eo tantùm ex Paradiso eiecti sumus, quòd mors in nos intrauerit, vt iam in sudore vultus nostri victum parare, & cum dolore liberos gignere, adeóque variis morbis subiecti esse cogamur. Quòd si mansissemus in Paradiso, hoc est, in eo, in quo iam versamur, quale ante fuit retento, mortem vtique non haberemus, nec sudore vultus noster difflueret. Cùm ergo ille æternus sit, non item etiam caro: hoc est, In carne de terrâ nihil sit æterni, æternus autem homo sit: Afflictio, quam in terrâ sustinet, crux est sudoris vultus ipsius. Qualis est caro, talis etiam Spiritus: hoc est, Si homo, quæ vult facit, anima in ipso nihili est, & quiescit, non item caro, vt Spiritus, nisi homo carne suâ secundum spiritum viuat in voluntate Dei, tunc corpus Spiritui obsecundat. Id námque debet esse homo, quod est è supernis. Quod ab infernis est, homo esse non debet, sed saltem hominis reseruaculum & imago. Spiritus autē debet esse homo. Caro dies breues habet, citò infirmatur, & vitiis omnibus subiicitur, per quæ homo in perditionem, ad illum, qui Spiritus est, de cœlo eiectus est. Breuiter itaque notandum est, quòd Deus hominem condiderit de terrâ, & de cœlo, vt suo corpore ad æternum de cœlo se accommodaret, & in eo Deum suum redemptorem videret. Talem si sese homo non gerit, spiritus ad Deum reuertitur, homo autem abit eò, quò à Deo iubetur. Id enim hîc serio monendi estis vos hoc loco & vice, quidnam homo perfectè & absolutè sit, planè cognoscere non posse. In conclusione autem huius libri de humanâ compositione, integrum hominem, prout is cognosci debeat, planiùs intelligetis. Porrò ipsum hominem ex creaturis omnibus Deo dilectissimum esse, etiam præ ipsis Angelis, testatur ipsius Mors, quam hominis non Luciferi gratiâ passus est. Ouis námque perdita, & rursus inuenta, Deo gratior est nonaginta nouem cæteris manentibus. Discrimen inter hominem & Angelum

Voluntas hominis perdit: Dei seruat. *Paradisus quid.* *Homo cur de cœlo & terra conditus.* *Homo Deo dilectissimus.*

hoc est, quod nos simus oues, Lucifer autem ouis minimè sit. Nos inuenimur, non item Lucifer. Super nobis gaudium est, super Lucifero minimè. Cur autem hominis misertus Deus, pro ipso mortuus sit, causa hæc est, quia is æternus est. Qui cùm breui isto tempore, quo in terrâ viuit, æternum damnari, & propter solam carnem omni luxui obnoxius esse deberet: id ne fieret, Deus pro ipso in cruce mortuus, gaudium æternum impetrauit iis omnibus, quorum spiritus peccati carnis pœniteret. Nam in spiritu veritatis ipse nobis adorandus est, corde contrito & humili. Ex his iam liquet, in homine esse spiritum, & carnem ipsius esse corpus, esséque ipsum visibilem ideò, quia caro est. Deus enim hominem ipse ita considerauit, quòd caro sit. Spiritus autem à carne exit ad illum, qui ipsum dedit, nec apud ipsam manet carnem. Caro redit in id, quod fuit. Ex massâ, vnde vermes nascuntur, factus, in eandem iterum conuertitur, hoc est, in vermes denuò abit. Quod autem in vermes abit, non manet amplius corpus Spiritus. Spiritus autem afflictiones suas experitur à carne. Ideo redit ad dominum, qui ipsum dedit, & caro sortitur portionem suam ad somnum, ad æternum, aut ad mortem; ad resurrectionem, ad æternum, aut ad mortem.

Deus pro homine cur passus.

Hîc autem in terrâ caro & Spiritus res vna, vna substantia sunt. Quia verò mortem Deus creauit, diligenter attendite, cur ipsam crearit. Nempè, cùm caro nihil prosit, mors separat eã à Spiritu, hac de causâ. Nihil ad cœlũ aut Deum peruenit, nisi de Deo venerit. Spiritus verò solus à Deo est. Ideò ad Deum redit, qui ipsum desuper de cœlo immisit. Caro autem cum sit terra, cinis, aut puluis, ad illa etiã reuertitur. Sicut ergo carni vitam inspirauit per spiraculum vitę ita eandem rursus, eximit per spiraculum mortis, spiritu manente, quod erat ante, hoc saltem addito, quòd corpori coniunctus fuerat. Cuius additamenti respectu differt ab Angelis, a spiritibus cœlestibus, veluti diremptu peculiari. Pro capiendo planiore intellectu horum, vltimum huius secundi libri tractatum, *De humana compositione* euoluite, vbi dilucidius ista omnia declarantur.

Spiritus hominis quo a spiritib. reliquis distet.

Quod autem scriptura ait: *In carne mea videbo Deum & redemptorem meum*: verè rectéq; illa loquitur. Et hoc fundamentum solidum est totius huius nostræ Philosophiæ. Quod tamen vt superuacaneum, hoc loco non explicamus, sed ad tractatum vltimum referimus. Sensum tamen breuem addimus, memores nos esse oportere regenerationis, quæ fit per aquam & spiritum. Sic enim caro æterna de cœlo nascitur, in quâ carne nos Deum redemptorem nostrum visuri sumus. Porrò, cùm à me dictum sit, solum spiritum esse illum, qui ad Deum vadat, ac ipsum videat, non etiam carnem: scriptura autem carnis expressam mentionem faciat, & quemlibet in suâ carne Deum visurum esse testetur: id quomodo conciliandum sit, pluribus verbis hâc ratione expediendum est. Hactenus à me tractatum est de Carne mortis. Iobus autem disserit de Carne vitæ, de qua seorsim ego hîc nihil attingo. Caro enim in terrâ duplex est: vna ex Adamo, altera ex regeneratione per Christum. Caro Adamica Deum non videt. Caro autem regenerationis per Christum, Deum videt. Ita enim Iobus seipsum explicat, dum ait: *Scio quod resurrecturus sim in nouissimo die, & scio, quod redemptor meus, id est, Christus, viuat.* Caro, in quâ Deum visurus est, est caro, quam per redemptorem suum acceptuius est, in regeneratione. Visurus ergo Deum est in illa carne, quæ per regenerationem nascitur. Respicit enim Iobus ad solum redemptorem, seu Christum Dei filium, non ad Deum patrem, quem in suo vaticinio suum Deum appellat. Sic enim intelligenda sunt verba: *Scio, quod redemptor meus viuit*, id est, *Christus*. Hunc verò sciuit viuere, & se in nouissimo die resuscitaturum, ac propria cute, id est, corpore suo cincturum esse, non corpore Adamico, sed corpore regenerationis, sicut dixit, *Et cingar iterum cute meâ*, hoc est, sicut 3. Iohann. affirmatur, *Nos omnes regeneratum iri, aliàs regnum Dei minimè esse ingressuros.* In illâ carne Iobus Christum redemptorem nostrum videbit, & vnâ cum ipso nos vniuersi quoque, qui ex Deo sumus, veluti omnes Patriarchæ ita vestiti sunt etiam ante regenerationis institutionem. Suis autem tantùm oculis hæc talia videbunt illi, qui resurrecturi sunt in Deo, suo redemptore, vel Christo. Huius ergo paragraphi limitatio hæc sit, quod de Carne ex Limo terræ natâ in Prophetia Iobi mentio nulla fiat, sed de carne tantum futurâ in regeneratione, quæ à Spiritu S. concipiétur, quam omnes sancti in promissione habuerunt, non minùs, ac post creationem nouæ carnis ipsam habent hi, qui ex Deo renascuntur. Hic enim nouissimi erunt primi. Seriò ergo cogitare secum debet homo, quis sit in præsenti, quémue deinceps ipsum fieri ac esse necesse sit. Compositio enim generationis humanæ latè patet, & ex multis coagmentatur homo in effigiem vnam, sicut deinceps subindè clariùs explicabitur. Nec enim hominis, qualis sit, cognitio facilis adeò ac obuia est: sed quò quisque seipsum rectiùs cognoscit, vndenam oriatur, quísve sit, eò circumspectiùs is attendet ad æternum.

Regenerationis effectus.

Contra dict. conciliatio.

Caro duplex est.

Caro qua visura Deum sit.

Notitia sui quid prosit.

Sed vt de generatione animæ (aliud enim est anima, aliud spiritus) nonnihil etiam deinceps disseramus: primo tenendum est, inter animam & spiritum hoc discriminis intercedere. Si spiritus carni infusus est, vocatur *Anima*, hoc est *Spiritus*, qui post formationem hominis inspiratus est à Deo, nempe *Vita*, & est *Spiraculum vitæ*. Cæterum spiritus etiam alius est, *Naturalis*, homini cum brutis communis. De hoc nullus hîc sermo habetur. Is enim vitam naturalem habet, non æternam, moriturq; in naturali corpore, & cũ ipso interit, carni naturaliter cõgenitus. Spiritus autẽ carni cognatus, vocatur spiritus quidem, sed eo discrimine, quia is mortis est: cum alter quia à Deo datus est, sit vitæ. Alter *Naturæ*, naturaliter nos ducit ad cognitionem. Alter ex Deo, diuinam cognitionem impertit. Hi vtrique spiritus per mortem ab homine secedunt: alter tamen moritur, alter manet viuus.

Anima & spiritus vt differant.

Spiritus est duplex.

Spiritus naturalis quæ conditio.

Generationis autem animæ hæc ratio est. Si fœtus

Anima quid, & vt generetur. foetus in carne concipitur, hoc est, ex semine in conceptione illa carni ex Deo egreditur verbū, quod carni suam animam indit. Iam notate, animam esse hominis centrum, in quo iam omnes alij spiritus habitant: tam boni quàm mali. Addemus exemplum. Corpus est domus animæ. Anima est domicilium spirituum, homini consitorum, bonorum malorúmque. Quod deinceps planiùs alio exemplo illustrabimus. Pone, Regem quendam præsidere Senatui, qui ex multis consiliariis constet, quorum alij boni, alij mali sint. Illi consuluntur omnia, quæ bona & mala sunt. Ea consilia spiritualiter Regem ingrediuntur, & sic ille ipsa habet intra se. Agitur iam aut laboratur de electione, vtrius partis suasui obsecuturus sit. Sic omninò est is alius, quàm sunt consiliarij, vt penes quem sit arbitrium, eligendi quod volet. Simili ratione anima quoque vicem regis in homine gerit, in senatu legum naturalium; quidnam facere homo debeat. Hoc suadet spiritus à Deo: hoc alij spiritus, vt deinceps differetur. Hinc intelligendum, quòd, si spiritus ita in animâ conueniant, viuum hominem constituant. Et sicut nouus vetus est, qui antea non exstitit: ita noua quoque est anima, vt quæ antea non fuit. Ipsa tamen manens ac immortalis est. Quòd si mortale à morte aufertur, spiritus naturalis abit in naturam, consumitúrque: spiritus à Deo reuertitur ad Deum. Similiter & cæteri redeunt, vnde prodierunt. Vnum emergit ex naturâ carnis, vitam sortitæ, modo naturali: Alterum oritur ex Deo, ex spiraculo vitæ, & à morte iterum demitur, sed non vincitur, verùm ad Deum pergit. Anima oritur ex verbo Dei, ad quod etiam postliminio redit. Vnde æternùm viuit. De animâ ergo sciendum est, ipsam esse halitum ex ore Dei, per naturam incarnatum, carne nimirum mortali, quæ creata est in fidem ad viuentem carnem regenerationis. Sic nimirùm Deus constituit vt quoties foetus, toties spiritus. Itaque quilibet homo peculiarem spiritum habet: adeóque peculiarem animam, cum suâ proprietate & omni essentiâ. Sic nimirùm imago de Deo fecit naturalem vitam in naturali spiritu, consiliarium Dei in spiritu, qui ad Deum reuertitur. Anima constat per seipsam.

Corpus est animæ domicilium: anima spirituum.

Animæ definitio.

Animæ quæ sedes sit. Post hæc iam attendite ad sedem aut solium animæ. Nimirum sedet illa in corde, in medio hominis, & consumit inditos spiritus in sese, qui bonum & malum sciunt occupántque hominis illum locum, in quo vita, (contra quam mors pugnat) hoc est, cor, viget: animaque, est cor in homine, de quo scriptura ait: *Ex toto corde tuo diliges Deum.* Anima enim sedens in homine, cor obsidet. Iam si dilectio seu amor in Deum ex toto corde procedere debet, necesse est, vt ibi ab animâ exulet, quicquid Deo aduersatur: Et quicquid diuinum non est, recedere oportet, vt anima tota pura sit, ac ab extraneis omnibus impolluta, separata, purgata, denique in seipsâ tota munda. Sic demum erit homo, qualis requiritur, si anima in ipso omni maculâ vacat, ac in omnibus suis viribus & toto pectore pura est. Ibi enim anima sola dominatur, corpore in Deo renouato, instar regis, cuius cor in manu Dei positum est. Verè enim rex est huiusmodi cor purum, quod perfectum hominem reddit, & similem patri nostro, qui est in cœlis. Polluta autem corda Reges non sunt, hoc est, in manu Dei non consistunt. Sedet ergo anima in corde, vt nulla manus, nullus pes ipsi præcidatur, sed necesse sit, ipsam vitam totaliter elidi ac tolli. Tunc anima pertinet ad eum, qui ipsam contulit. Sic ergo sese habet generatio hominis de carne, sicut in tractatu primo declaratum est: & de spiritu ex Deo, velut iam comprehendimus. Et velut ex terræ omnibus generibus & proprietatibus in naturâ conditis, & ab elementis omnibus homo in carne, naturam vnam, vnúmque intellectum omnium concipit, veluti satis tractatu primo ostensum est: ita vicissim tenendum est, hæc omnia esse spiritus, animam & spiritum, animam & angelum. Vnde anima bono iure spiritus, & spiritus ex Deo angelus hominis idoneè veréque vocari potest. Omnes enim ex ore Dei & ipsius manu procedunt, hoc est, spiritus cum omnibus suis spiritualibus viribus ex Deo generatur, sicut caro à mundo omnibus viribus, quæ quidem homini debentur, donatur. Quòd si vires omnes, naturales ac cœlestes debito modo impendantur & confirmentur in voluntatem Dei: tunc in vnâ animâ omnia sunt vel consistunt, & in vnâ animâ manent in æternum. Sic nimirùm proferunt vtræque partes suam sapientiam, intellectum, &c. ex eo, ex quo sunt, eâ ratione, quâ sese habent: diuinum ex Deo, naturale ex naturâ. In animâ autem conueniunt in vnum opus, veluti consilium à rege in rem vnam cogitur.

Anima impartibilis.

Anima Angelus hominis

Porrò autem cognouistis etiam de essentiâ & proprietate syderei spiritus in homine, de cœlo concepti, quidnam in homine operetur. Est nimirùm in illo homine humana ratio, & terrena sapientia, nihil participans de carne, nec de illo corpore, sed de firmamento, quod in homine est instar spiritus sine corpore, sub figurâ tamen humanæ imaginis, velut homo apparet in speculo. Posthæc ergo scitote etiam de animâ in homine, quod homo habeat tertiam quoque sapientiam: primam nempe sapientiam carnalem, hoc est, animalem: secundam autem sydeream, hoc est, scientiam & intellectum terrenum hominum: tertiam denique spiritualem, de spiritu illo, quem Deus homini in conceptione indidit.

Sydereus spiritus quid.

Sapientia hominis triplex.

Primæ sapientiæ duæ mortales sunt, hactenus satis declaratæ. Vt autem de sapientiâ, quæ in spiritu tertio consistit, loquamur, sciendum est, ipsam prodire ex Deo. Si ex Deo procedit, vnà secum etiam afferet diuinas virtutes, sicut spiritus carnalis, carnales virtutes secum fert, & sydereus sydereas. Ita enim diuinus spiritus diuinas etiam virtutes secum omnino attrahet. Cæterùm nos deinceps iam de virtutibus diuini spiritus hoc modo disseremus. Cùm placuisset Deo, hominem post mortem in regnum cœlorum transire: eiusmodi ipsum etiam intellectu donauit, vt intelligere posset, quâ ratione in regnum Dei intrare

Dei in homine beneficentia.

intrare posset ac deberet. Rem exemplo elucidabimus. Sydereus spiritus nouit, quæ in astris sint ac omnia sydera cognouit, scitque quid agere ac moliri debeat, vt benè vel malè ipsi succedat. Iam vt sese intellectus hic habet ad istam cognitionem: ita spiritus etiam, à Deo datus, similiter sese habet, nempe quòd doctrina & verbum Dei, firmamentum & sydus interni cœli sit. Ex spiritu ergo, ipsi à Deo dato cognoscit & intelligit illud sydus. Impossibile enim foret nobis hominibus scire, quid in cœlo esset, vel in regno Dei, si nullus desuper de cœli illâ sede venisset, qui id nobis suggereret. Tantum de terrâ si simus, de

Sp. Diuini opus quod.

eâ etiam tantum loquimur. Cùm verò omnibus etiam compertum esse debeat de cœlo, quod est regnum Dei: necesse vtique est, nos de eodem etiam doceri & informari. Iam primò requiritur intellectus, quo sciamus, si nobis dicatur quid aut suggeratur, nempe per spiritum, quem de cœlo datum in nobis circumferimus. Iste autem est, qui ad Dominum reuertitur, qui nobis omnibus lux æterna est. In spiritu autem illo tantum intellectum habemus, si de regno Dei audimus. Tunc enim per ipsum cognoscimus. Sequuntur deinde Prophetæ scripturæ Biblicæ, &c. Quos si audimus aut legimus, ipsos intelligimus per spiritum, qui nobis à Deo ex cœlo datus est. Sine illo enim res omnes terrenè saltem intelligimus Itaque diuiditur hic intellectus hominis in spiritum naturalem, variis donis insignem; & in spiritus alios, quorum alius à Deo, alius à Diabolo adest. Penes hominem itaque positum est, secundum quem spiritum velit intelligere. Ita enim illius euadet anima, vt ipsam tinxerit. Et fructus eius ac opera talia erunt, qualia ipse intra se conceperit. Quomodo enim animam suam tingit, ita sequuntur opera. Homo námque aliàs inuisibilis est in suo corde: cùm tamen interim fructus & opera animam prodant ac manifestent. Et nihil adeò absconditum est, quod non ante Deum & hominem reueletur, per opera scilicet ac fructus. Itaque sciendum est, debere naturam explicari per spiritum naturæ, verbũ autem Dei per spiritum Dei, Diabolum etiam per suum spiritum. Si quis autem erroneus, seductor aut apostata futurus est: ille satis quidem ex suis operibus & fructibus prodetur. Sic nimirùm Christi verborum quoduis seorsim intelligitur. Scire præterea etiam debetis, hominem, terrenum non intelligere, non intelligere sydereum, quænam ipsorum natura sit, quidue inclinet in hominem. Et qui hæc ignorat, quæ cumprimis scire debebat, is nec de naturâ, nec de Deo quicquam intelligit, quia nimirùm est ebrius, & Epicureus, locum non cedens doctrinæ & experientiæ in illis rebus, in quibus natus est, sed agens scortatorem, helluonem, aleatorem, fœneratorem, &c. quæ omnia bonum spiritum ex homine elidunt, & in ipsius locum spiritum Satanæ sufficiunt. Hæc causa est, cur nihil ille inueniat, cur nihil intelligat, cur denique nihili sit. Eadem etiam ratio est spiritus à Deo egressi. A quo, si quæ in ipso sunt, homo discere & experiri recusat: nihil vtique est, quod in ipso est. Nec enim ipsi vtile est. Debent spiritus ad summum & vltimum vsque cognosci & intelligi: per ipsos debent omnia deliberari & tractari per ebrietatem: per scortationem: per fœnus & auaritiam tale nihil conficitur & impetratur.

Porrò de animæ officio tali discursu dicere pergemus. Quicquid nimirum homo in se cõtinet, hoc est, quicquid scit nouitq; id ab externis habet. Quod carnale est, ab elemẽtis habet, quæ quotidianũ conferunt. Sapientia humana ab astris est. Et hanc homo ab illis quotidie accipit. Duorum horum corpora in homine sunt. Ideò ita inclinant, vt ab externis in interna id penetret, quod in externis est: & à se ipsis nihil conferunt, nisi apud ipsa quæratur. Debet nimirùm pomum in arbore quæri: id enim sponte suâ in os non inuolat. Eodem modo se res quoque habet cum naturali mortali intellectu, hoc est, cum sapientiâ caducâ. Porrò ergo sic attendite de simili. Quod ex Deo est, in id se confert, quod de Deo in homine est. Vnumquodlibet enim operatur in suum

Simile agit in simile.

simile, hoc est, in suum corpus, elementa scil. in suum corpus, & sydereum in suum corpus. Similiter & diuinum in suum Deum. Cæterùm de homine peculiariter notandum hoc est, ipsum intellectum habere, etiam ab his omnibus diuersum. Debet enim is rogare, quærere, & pulsare: Sic inueniet, & voti compos fiet, ipsique aperietur. Sic per Angelum, ei qui diuinum operatur, alimentum æternum confertur, velut & elementare, qui spiritu naturali laborat. Nec enim illius saltem spiritus, qui à Deo est, sed & aliorum geminorum hæc ratio est erga suos Præceptores, ex quibus præsto sunt, vt ab illis discant, & inquirant de hoc aut illo, ad quod quidem nati sunt, hoc est, ex elementis homo est, ex illis discere debet, *Naturale* quod est, Musicam nempe ex Venere, bellum ex Marte, œconomiam ex Saturno, &c. Similiter & ex Deo discere debet, quæ ad æternum spectant ac faciunt. Istius autẽ dicti puncti hæc summa est, *Multum orare, pulsare, quærere.*

Conscientia omnibus innata.

Prima doctrina est, persæpè nobis quærendum esse, cum ipsum nos sectaturum minime sit. Et hoc nobis per conscientiam nostram constat, congenitam scil. nobis ab elementis, ab astris, à spiritu, quem Deus indidit. In primâ enim illicò creatione Deus nobis conscientiam indidit, quâ vniuersi ex lumine naturæ & vi consitæ sensationis, nullo magistro accedente agnoscimus, fas omnino ac æquum esse, vt, quæ nolis tibi fieri ab aliis, eadem nec tu quidem aliis facias. A spiritu, quem Deus nobis indidit, conscientiam hanc habemus, vt intelligamus, quid rectum, quidúe prauũ sit, idq; ex nobismet ipsis citra omnem aliorum doctrinam & institutionem. Et in corde nostro positum est *Esse Quintum*, à Deo nobis congenitum, sine virtute quidem de prædictis istis spiritibus. Itaq; si iudicẽ in nobis reconditum habemus: conueniens vtique est, nos, quod nobis bonum inest, quærere, & malum omittere, atque ab illo discere, à quo sumus, non contrà ab illo à quo minimè sumus. Et cùm à Diabolo minimè simus, ab ipso etiam nihil discere debemus.

Quando-

Quandoquidem ergo hanc conscientiam nobis congenitam habemus, scire facilè possumus, quòd, sicut nos erga naturam gerimus, ita eidem aliquando etiam rationem reddere cogemur. Si donis vtriusque naturæ malè vtimur, iam ipsi intelligimus, rationem certam à nobis omnino extortum iri. Et licet Sol quidem ac Luna Venúsue aut Iupiter rationem à nobis non efflagitabunt: ipsorum tamen loco exiget illam is, qui illos creauit. Venus enim casta est. Illa si lasciuiæ impenditur, responsum de culpâ admissâ dandum est, non aliter, ac si quis alterum gladio percutit & interimit, facti illius rationem reddere cogitur. Et pax non Martis, sed eius est, qui ipsam creauit. Ex hisce exemplis patet, nos Spiritum habere à Deo & illi simul coniunctam conscientiam, secundum quam nobis viuendum est, vtpotè virtutibus diuinis insignitam. Homines enim sumus. Quod si conscientiæ nobis nulla cura est, obliuiscimur vtique Spiritus, & ipsius virtutum. Sic nimirum ad generationem peruenimus deputatam. Quòd si, quæ spiritus in nobis perficere debet, non fiant: dandum de illis responsum est, non spiritui sed Deo. Itaque, si quid à Deo quærere volumus, quærendum id per spiritum est. Is enim ex Deo est, & à Deo per ipsum bona in nos descendunt. Sic ab externis in nobis discimus per ea media, quæ dicto modo in nobis sunt. Sciendúmque est, nihil à Deo in nos penetrare, nisi nobis inesset Angelus, qui à nobis ad Deum, internum cœleste nuntium afferret: quod quidem medium omni cogitatione velocius est. Et tale quidem medium inficiari homo minimè potest. Expresse enim scriptura ait: *Et spiritus redit ad eum, qui dedit ipsum.* Quin imò, priùs quàm cogitationes in nobis oriuntur vigéntue, iam ad Deum pridem itum, & ab eo reditum est. Sic nimirùm, quod Deus in nobis esse requirit, in nobis gignit per spiritum, qui inter nos & ipsum mediator aut interpres est. Similiter & natura in suo lumine. Hoc saltem agat homo, vt conscientiam suam sectetur suúmque spiritum in illius scholam compellat. Quòd si talem se præstiterit, & doctrinæ sese accommodauerit, discet vtique illa, quæ nullius hominis sensus concepit, nedum inuenit.

Spiritus [illegible] Dei [illegible]

Hoc ergo munus est animæ, vt sit etiam post hominis mortem, sine carne quidem terrenâ. Si est propter electos, in carne redemptionis resurget. Sin minùs, nequaquam. Damnati enim solatium resurrectionis non habent, nec spectaturi sunt Deum redemptorem suum. Non enim hi: sed benedicti visuri Deum sunt. Præterea animæ etiam officium est, vt sit Angelus. Et homo isto Angelo vti debet. Est enim is homo, citra quidem mortale. Est autem is homo, à quo est ille, aut in quo est, & qui est.

Damnatorum qualis [illegible] sit.

CAP. II.

Quomodo hominem ex mortali corpore, & corpore immortali constare, intelligendum sit.

ET si, quæ hactenus commentatus sum, humanam compositionem satis quidem declarent, addenda tamen & illa videntur esse quæ ad ipsum quoque præ cæteris rectè intelligendum hominem requiri videntur. Quid enim porco prodest Margarita? Homo, qui seipsum non nouit, sus est. Huc respiciens Christus, *Margaritas* dixit, *non proiicietis ante porcos, ne eas conculcent.* Quasi diceret: *Vos Apostoli, illis hominibus, qui suillam vitam agunt, Euāgelium meum non prædicabitis, quia illud pedibus conculcant.* Ne autem homo euadat porcus, operam det. Porcus enim nemo nascitur, ita quidem asserente Christo. *Paruuli mei sunt: sinite eos ad me venire.* Et alio loco idem asserit: *Melius esse tali, si lapis molaris de collo eius suspendatur, & in altum mare eiiciatur, quam vt vnum ex illis offendat.* Hinc euidens est, homines quidem porcos fieri posse. Si porci facti sunt, nihil eius proferendum est, vtpote iam maledictioni obnoxiis illi, vbi dicitur: *Nolo eos conuerti, vt ne salui fiant.* Tanto odio Deus flagrat erga eos, qui exuto homine fiunt *Porci*, & his similes, *Lupi, Vulpes, viperæ, Dracones & Basilisci.* Vt ergo seipsum homo exactiùs cognoscat, profusiùs de ipso, quidnam sit, explicandum est. Spiritum namque, quem cum carne Deus vniuit, & animam vnam creauit, Deus protectione suâ multipliciter fouet tuetúrque, eiusque causâ plurima facit, vt, cum homo vitæ breuis sit, in illa breuitate reuerti possit ad illum, de quo egressus est, die scilicet resurrectionis. Porrò post mortem homini in carne & sanguine manendum ac die nouissimo resurgendum, vt homini, non vt spiritui, & cum carne ac sanguine in regnum Dei intrandum est. Satis clare verò iam ante probatum est in prioribus capitibus, quòd caro & sanguis quæ ab Adamo homo accepit, in regnum Dei minimè penetrent. Nihil enim ascendit in cœlum, quod de cœlo non descendit. Caro verò Adamica de terrâ est. Cœlum ergo non intrat, sed in terram iterum conuertitur. Mortalis námque est, & morti subiecta. Mortaléque nullum in cœlum venit. Tum & terrena caro in cœlum penetrare non potest, quia nihil illa prodest, ad nihil conducit. Iam quod nihili est, in cœlum non ingreditur, quia omni fœditate, crimine & luxu plenum est. Et nullus ignis est qui illud à suis expurgare sordibus possit ita, vt ad capiendum cœlum idoneum sit. Id enim nec ignem nec glorificationé admittit, sed omnino ab homine, id est ab animâ auferri: debet quod quidem per mortem, quæ hominem à carne separat, fit. Scire ergo conuenit, carnem, ex semine Adami natam: totam mortalem & nauci esse. Homo autem cœlum ingredi non potest, nisi caro & sanguis sit, vt homo. Carne enim & sanguine seiungitur homo ab Angelis, aliàs vtrorumque essentia eadem foret. In hoc autem Angelis homo plus habet, quia carne & sanguine præditus est, & propter hominé Dei filius natus, mortuus & cruci affixus est, vt hominem ita redimeret, & regni cœlestis ipsum capacem faceret. Horum nihil Christus subiit propter Angelos ex cœlo eiectos, sed tantùm propter homines. Tantò ergo ipsis Angelis plus hominem Deus diligit. Quandoquidem ergo tanto amore hominem Deus prosequatur, caro autem mortalis illum è regno cœli excludat: hâc de causâ aliam carnem, alium sanguinem

Margaritæ porcis non dādæ.

Deus porcorū osor.

Homo quo modo resurrecturus sit.

Caro Adamica cœlum non ingreditur.

Igne non purgatur.

Homo vt ab Angelis differt.

Christus pro quibus mortuus.

sanguinem ipsi dedit, vt homo in vno corpo-pore, carne & sanguine esset. Caro ea à filio condita est, & filij creatura cœlum ingreditur, non creaturâ patris, respiciendo ad carnem & sanguinem. Caro namque mortalis, vt est Adam cum posteris, à patre est, & in id redit, vnde sumpta est. Quòd si Adam non peccasset: caro Adæ immortalis in Paradiso perstitisset. Nunc verò per ipsius peccatum morti ea obnoxia facta est. Sortem hanc autem miserans Christus, homini corpus nouum dedit. Caro enim Adami nihil proderat, sed mortalis erat. Spiritus autem est, qui viuificat, hoc est, ex spiritu caro viua egreditur. In illo mors non est, sed vita. Hæc iam caro est caro illa, quâ homo opus habet, vt nouus homo sit: & in carne eâ ac sanguine eo die nouissimo resurget, & vnà cum Christo regnum cœlorum possidebit.

Caro quæ cœlum ingret.

Cùm ergo mortalis caro deserenda sit, & sola vivifica caro, hoc est, caro, quæ resurget, regnum Dei ingrediatur: de nouâ illâ creaturâ seu creatione plura à nobis disserenda sunt. Cùm enim, quales simus, omnino nobis constare debeat: necesse est, vt etiam nouæ creationis explicationem suscipiamus, vt tandem homo, quisnam per omnia sit, à quo sit, & quid sit, accuratè plenéque exploratum habeat. Quę omnia hoc fine clariùs expedientur, vt, quis aut quid homo sit, ac fieri possit, planè intelligatur. In præcedente autem paragrapho dictum est, spiritum esse, ex quo caro viua egrediatur, & nascatur. Hæc iam caro, quomodo nascatur, probè explicandum est. Carnem nimirum ac sanguinem spiritualem habemus, à spiritu, qui viuificat. Caro enim Adamica nihil prodest. Res à principio ita se habet. Ex virgine nascitur nouus partus, & non ex vxore. Hinc sequitur, virginem illam, ex quâ noua generatio egressa est, filiam fuisse ex Abrahamo secùndum promissionem, non Adamo, hoc est, ex Abrahamo fuit nata sine virili semine, in virtute promissionis, sine omni mortali naturâ. Ex virgine hâc, quæ non est ex Adamo, non ex ipsius semine, tantùm ex eius carne, natus est Christus, conceptus à spiritu sancto, & à sancta carne incarnatus, non secundum ordinem carnis mortalis, sed secundum nouam generationem, ex spiritu sancto procedentem. De carne Adæ iudicandum non est aliter, ac de vino, quod in vas conditur. Id enim ex vase promitur, etsi ex vase non sit natum. Hoc respectu iam, quod à Spiritu incarnatur, de cœlo est, & in cœlum redit. Quod autem à Spiritu non incarnatur, in cœlum non venit. Et sicut Christus solus ex virgine natus, & sine virili semine ex Adamo homo factus est, ac in virgine incarnatus, per Spirit ũ sanctũ homo factus est: ita nos etiam homines, qui ad regnum cœlorum aspiramus, mortalem carnem ac sanguinem exuere, & secundo nasci debemus ex virgine & fide, à Spiritu sancto nimirùm incarnati. Sic enim regni cœlestis capaces erimus. Hominem enim oportet esse carnem & sanguinem in æternum. Itaque caro duplex est. Adamica, quæ nihil prodest. Et Spiritus sancti, qui carnem viuificam facit. Desuper enim is incarnat: quæ causa etiam incarnatio ipsius per nos in cœlum redit. Baptismus ergo locovirginis est, in quo à Spiritu sancto incarnamur, ab eo scilicet. Spiritu sancto, qui super Christo apparuit, cùm ipsum Ioannes Baptista baptisaret. Is & nobis præsto erit, nósque in regenerationem, in quâ non mors, sed vita est, incarnabit. Quod si in generatione hâc non nascimur, non vitæ, sed mortis filij erimus. Nam in carne illâ, quam à Spiritu suscepimus, Christum redemptorem nostrum spectabimus, non in carne mortali: & in carne viuâ resurgemus, ac regnum Dei ingrediemur. Qui autem non baptizatur, & Spiritu sancto incarnatur, damnationi obnoxius est. Necesse ergo nobis est baptizari. Si non baptizemur, æternam carnem & sanguinem non habebimus. Etsi enim filius quidem Dei aliquis sit, & crescat, iustámque ætatem ac intellectum illi conuenientem adipiscatur: sine baptismo tamen corpus illud non habet. Baptismus ergo in hoc primarium est, quoniam Christus ipse ait: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Huius ergo verbi mandato Christum imitari, & verbo illi, quæ de baptismo & reliquis Christus dixit, cætera omnia includere debemus. Hæc conclusio est sermonum omnium, qui baptismum concernunt. Cuiuslibet ergo Christiani principium à baptismo inchoari debet, à quo caro Christiana nascitur, idque propter incarnationem, à Spiritu sancto in baptismo, qui corpus resurrectionis confert, factam. Qui autem de sanguine Christiano non sunt, repugnant fidei: hi primò ad fidem duci & conuerti debent. Fide conceptâ, baptizari demum debent, non eâ vel dum exulante. Vt ergo iam comprehensum est, debet homo secundò nasci ex virgine, non ex muliere, per aquam & per spiritum. Spiritus enim viuificat carnem illam, in quâ mors nulla est aut esse potest. Caro ea, in quâ mors est, nihil prodest, nihil homini confert ad salutem æternam. Quoniam ergo homo renascitur, aliámque carnem assumit à spiritu, qui æternus est, quæ caro in regno Dei, sicut mortalis caro hic in terrâ facit, ambulatura est: per eiusdem carnis virtutem alius quoque erit & progenie Adamicâ præstantior. Per huiusmodi homines nascuntur Astronomi cœlestes, qui de Deo loqui & disserere queunt. Mortale corpus nihil scit, scit solum corpus æternum. Hoc sui domini Dei cognitionem habet. Hoc est Theologus, est Propheta, est Apostolus. In hoc corpore sunt Martyres, in hoc sunt sancti Dei, hoc est, in generatione nouâ, non veteri sunt. Noua est, quæ viuificat. In veteri moriuntur omnes. Sancti autem in veteri generatione in spiritu reseruati sunt ad generationem nouam concipiendam, vt in hâc videant Deum, Christum nostrum dominum & redemptorem. Hunc videt, qui in generatione versatur: nemo alius. Spem hanc Patriarchæ fouerũt in sinu suo, hoc est, in cordibus suis, quod scilicet renascituri sint in die resurrectionis, & in carne generationis nouæ resurrecturi, redemptorémque suum Christum in corpore virgineo non à muliere genito, visuri. Hanc spem in sinu suo recondarunt.

Caro hominis spiritualis, vnde nascatur.

Caro hominis duplex.

Baptismus est virgo renatorũ.

Baptismi dignitas.

Homo renasci debet.

Astronomi cœlestes qui sint.

Patriarcharum quæ spes fuerit.

Quoniam ergo Deus voluit hominem esse imortalem, hinc consecutum est, vt caro

de

de terrâ immortalis fieri minimè posset. Immortale námque nihil est, nisi quod è supernis descendit. Homo autem ex inferioribus, non superioribus, factus est in carne & sanguine. Dedit ergo Deus ipsi animam, quæ ex Deo ipso egrederetur. Descendit illa è supernis, vt propter animam seu spiritum homo æternus esset. Huius causam vitâ, hoc est, animam, Deus ei inspirauit. Ea vita caro non est, nec est in carne sed est anima, & est in anima. Et anima ea est vita hominis. Sic ergo homo propter vim animæ immortalis fieri debuit. Sciendum autem præterea est, carnem & sanguinem habuisse hominem, minimè immortalem. Veruntamen vt mulier Ethnica Christiana fit si Christiano nubit marito: ita & caro cum anima facta est æterna, & in Paradysum collocata. Interim, cùm Adam Dei violaret mandata, quæ vel in minimo violari Deus seriò vetuerat: per peccatum hoc postea corporis & animæ separatio introducta est. Anima immortalitatem suam retinuit: corpus autem ex libertate suâ excidit in mortem, non secus, ac fœmina Ethnica, viro Christiano copulata, si adulterio polluitur, Christiana amplius non est, sed beatitudinem, à Christo sibi partam amittit. Scitote ergo Deo beneplacitum fuisse in omnibus suis operibus, quæ fecit, & omnia benè facta esse vidit. Solus homo præuaricatus, in integritate suâ, quâ à Deo donatus erat, non perstitit, sed eâ perditâ periit, & ex parte vnâ mortalis factus est. Ne ergo propter hunc lapsum homo damnaretur, nouam Deus generationem per filium suum instituit, per quam homo Paradiso restitueretur, & recuperaret, id, quod Adamus perdidit, per Christum nobis scilicet iterum partum. Hinc iam deinceps caro & sanguis æterna sunt, à mortéque exempta in illis vniuersis, quæ cœlestis nostri parentis voluntatem faciunt. Nuda ergo in posterum anima non est, sed veste carnis & sanguinis à Spiritu sancto induta est. Debuit enim carnem & sanguinem habere homo, vt inter ipsum & Angelos discrimen esset. Debuit inquam carnem & sanguinem habere, qualem habuit Christus, qui de cœlo descendit. Huius exemplo & nos è supernis descendere debemus per generationem nouam, in corpus scilicet à Spiritu sancto, in quo manet anima, nec separatur ab illo, quamdiu secundum voluntatem Dei viuit. Si à Deo, instar Luciferi, deflectit: sibi ipsi vestem induit æternæ damnationis. Ad damnationem facit etiam indigna ex manu Christi facta manducatio, &c. Cibus námque & potus huic vesti admodum similes sunt, sunt res vna, processus vnus, vna ratio, vnum est tanquam aliud, & minimè separabilia.

Iam si generatio ista noua à Trinitate, quæ longè supra Angelos in cœlo est, antea deliberata non fuisset: quìnam pater suum filium gignere, & in mundum mittere decreuisset? Nisi enim generatio noua instituta fuisset: quæ per Christum facta sunt, irrita vniuersa euasissent. Nunquam enim homo cœlum intraret in suo congenito spiritu, qui neque caro nec sanguis esset, sed opus fuerat ingredi illum in eo spiritu, qui caro & sanguis esset. Hominis caro & sanguis ex terrâ & elementis sumpta sunt. Per talem hominem Christus nihil efficere poterat, sed omnia frustranea erant. Itaque per generationem nouam carnem immortalem introduxit, hominésque fecit esse vitæ æternæ participes, esse filios Dei, esse ipsius fratres & sorores. Per illum acquirere potuit homini æternam salutem. Sicut enim aurifaber ex ferro catenam aut vas aliud aureum conficere non potest, sed ad hoc omnino aurum requirit. Sic nec Christus per Adamicam carnem quicquam efficere potuit. Necessaria fuit caro & sanguis qui è supernis per Christum generaretur, in quo numero primogenitus Christus est, primo genitus nempè in generatione nouâ, nos autem omnes eius posteri seu successores sumus. Soli ergo illi, qui in carne antiquâ perstiterunt, & in eâ sapuerunt, à salute excluduntur. Vt enim, qui in carne antiquâ manent, regnum Dei ingrediantur, tantò minùs fieri potest, quantò minùs ex silice fieri potest carbunculus. Iam si opifex seu magister quilibet requirit, quæ opificio suo accommodata sunt, & insuper etiam opus habet seruis, qui operas illas apti tractent & vrgeant: quantò magis requirit Christus hominem, sibi commodum & idoneum? Adamica proles in suo semine pro Christo minimè faciebat. Caro enim (Adamica) non potest quicquam. Et intelligendum est, hoc modo Apostolos cum nouo corpore genitos fuisse, veri omnino obliterato. Qua causa deseruerunt etiam vxores, liberos, agros, prędia, &c. quia nouum corpus hæc omnia nihili fecit. Per ita compositos suos discipulos officium Apostolicum Christus facile administrare potuit. Quòd si verò illi naturalis corporis voluptatibus indulgendo secum traxissent vxores, commeâssent ad fora, & pensiones, salaria, ac stipendia exegissent: ac sine horum certitudine noluissent esse: Apostoli tunc, Christo nulli vsui fuissent. Nec enim tales is Apostolos querit, qui eiusmodi res sectantur, sed potius fugiunt. Illi enim in naturali corpore captiui tenentur, & in naturali spiritu noui corporis apparent. Sed quæras: *An Apostolicum officium à naturalibus, voluptatibus necessariò impediatur, si interdum recreatio adhibeatur, siue in statu coniugij, siue cœlibatus?* Respondeo, discrimen esse inter commissarios, & non commissarios, quapropter ad officium illis multa sunt interdicta. Illis non concessa sunt omnia, quæ concessa sunt nõ commissariis. Quæ ideò hic expedio, vt sciatur, qualenam corpus nouum esse deceat, quidque vetus sit, ac quid per hominem Deus efficiat, qualémque ipsum esse requirat. Plura nimirùm ille largitur & confert, qui sua, hoc est, ius naturale deserit, ipsúmque sequitur, quã qui hoc non facit. Res hæc in Apostolis & horum similibus euidens est. Vtræque sapientiæ confundi non debent, hoc est, nemo duobus dominis seruire potest, alterum corpus remouendum est, & officium oportet esse liberum, & curis vacuum. Alimenta expectanda à Deo sunt, non ex quæstoris loculis petenda. Nouum enim corpus hæc officia à Deo administranda accepit. Alterum est mercenarium, de carne, scilicet, hoc est caro est infirma. Et hinc sequitur, vbi caro infirma est ibi etiam spiritum esse celerem ad huc vel illuc volitandum. Iam

Homo æternus propter animam.

Christus regenerationis primogenitus.

Apostolos quales esse oporteat.

Officia corporis noui qualia sunt.

Iam statum expendite hominum. Factus homo est, vt breui tempore in hoc mundo versaretur. Quicquid hoc tempore imperat, id sequitur ipsum in æternum. Iam si adipisci bonum velit, in compositione hâc ipsum benè versatum, ac cœlestis operationis gnarum esse decet, vt sit cœlestis Magus, cœlestis Apostolus, cœlestis Missus, cœlestis Medicus, &c. & denique Dei dona, ad quæ vocatus est, rectè cognoscat, vt ea secundum placitum Dei probè administret. Quicquid enim ad cœlestia spectat, id omne ac totum ex generatione nouâ, nec quicquam ex generatione terrenâ, promanare debet. Generationem hanc oportet esse puram, illibatámque, nullius terreni ac naturalis iuris affectantem, sed id vniuersum repudiantem. Hoc verò præstare nemo potest, nisi is per generationem nouam factus sit. Qui ex carne Adæ sunt, etsi quidem honeste viuant, flagrant tamen (etsi & iste malus non sit) appetitu coniugij, sani cibi, potus, &c. Porrò, si voluntas Dei in nobis perfici debet, per solum regeneratum hominem ea perfici potest. De cæteris enim spei non multum est, etsi & ipsi honestati addicti sint. Et hanc tantùm gratiam habent, vt Euangelium audiant, & id auditum vel admittant vel repudient. Si id recipiunt & baptizantur, per generationem illam nouam filij Dei fiunt. Sin minus, spe istâ orbati & filij mortis facti sunt.

Hominũ Adami totũm & renatorũ discrimé

Filij Dei, & mortis qui sint.

Commodum ergo mihi visum est, omnium primò hominem secundum naturam & conditionem suam describi, vt propiùs intelligatur, quidnam in mortali corpore quærendum sit, nempè merum mortale: Item, quid quærendum sit in corpore sydereo, merum scilicet mortale. Postea cognoscenda etiam est anima, quæ mortalis minimè est, sed est homo æternus. Sciendum quoque est, animam esse carnem & sanguinem, eámque in carne & sanguine consistere: carnem autem duplicem esse, mortem nempè & æternam. Mortalis essentiam suam assumit à carne mortali. Æterna est perfecta caro & sanguis, ad vitam æternam. Quò si istâ ratione homo, quisnam & quid sit, & quæ eius futura conditio sit, apud se considerat: facilè inde intelligit, quòd in corpore isto, à spiritu sancto incarnato, Deum, redemptorem suum visurus sit, & quòd, quicquid Deus redemptor noster in nobis operatur, id per hominem nouæ generationis faciat, quia is non mortalis, sed æterni corporis est. Solum hoc corpus à Diabolo securum est. Alterum ab Adamo, est instar arundinis in aquâ. Corpus illud ad opera diuina faciendum idoneum est. Mortale enim corpus, nihil eorum quæ cœlestia sunt, facit. Terrena saltem & firmamentalia id curat, & in naturali lumine gnaros ac peritos homines gignit. Hinc iubet experientiam vberiorem desumere ab eo, quod naturale conditum est, ac ab vno ad aliud transire, naturámque æmulari docet. In nouo autem corpore ac in cœlesti Philosophiâ vita æterna est. Mors enim in viribus naturalibus hæret: vt è contrà vita in viribus cœlestibus consistit. Sic enim Christus ait: Qui ex infernis, de terrâ est, de terrâ loquitur, quasi dicat: *Natura de naturâ disserit, nullius præterea Dei conscia, nisi quòd in homine illa admiretur eum, qui talia creauit.* Hunc tamen nec secundum naturam nec in naturâ cognoscunt illi. Licet enim sublimem in naturâ cognitionem habeant: nihil tamen de creatore & redemptore nostro, quod dicant, habent. Qui autem natus ex supernis est, is de supernis disserit. Horum primus Christus est. Hunc sequuntur omnes renati in carne & sanguine, à spiritu sancto concepti & incarnati. Hi rerum superiorum cognitionem habent. Sunt enim ex illo, qui de supernis venit. Hinc iam duæ in terrâ scholæ sunt. Schola terrena de rebus terrenis disserit, præceptore vtens naturâ, in ipsâ naturâ, éstque natura ipsamet, docens seipsam, hoc est, eos, qui ex ipsâ nati sunt. Schola altera è supernis est, quam docet, qui ex supernis est, ex quo nos sumus, cuius nos caro & sanguis sumus, qui informat regeneratum, non vetus corpus, homini renato instillans sapientiam cœlestem, per eum, qui ex cœlo est. Ex hac schola prodeunt Apostoli, Prophetæ & cæteri à Deo docti, quorum fructus & opera de ipsis testantur.

Caro est duplex.

Mortalis & æterni corporis quæ diuersitas sit.

Corpus naturale Dei ad... ...

Scholæ huius mundi geminæ sunt.

Sed vt de his pleniùs vos instituam: sciendum est, scripturam, quæ cœlestem sapientiam tradit, per naturalem rationem capi minimè posse, sed in spiritu intelligendam esse: non quidem in spiritu per se, sed in eo spiritu, qui in carne & sanguine incarnatus sit: hoc est, sicut corpus naturale, sapientiam naturalem in se habet: sic corpus spirituale, sapientiam spiritualem, hoc est, cœleste corpus, cœlestem sapientiam in se continet. Hinc iam sequitur, scripturas illas per naturalẽ sapientiã explicari non debere: nec per intellectũ, spirituale naturales. Quilibet suo corpori suam sapientiam attribuat, & in eâ condignè versetur, nec quicquam spiritu vertiginis agatur. Verum quidem est, naturam ipsi scripturæ non subiici, sed scripturæ sapientiæ cœlestis cognatam esse. Quod verò ea sufficiat, aut margaritam eruere possit, probari non potest. Corpus enim naturale in scripturam domini nihil aut iuris habet. Solum autem renatum corpus ex spiritu sancto, est margarita collata ad aurum habens se instar carbonis ad solem. Notate exemplum, ex scripturâ promptum: *Famelicum cibabis, & nudum operies vestibus, &c.* Hoc ipsum etiam natura mandat, idque ius ac fas esse agnoscit, ideò, quia nos tales constituti, idipsum etiam ab aliis præstari peteremus. Hæc iam interpretatio non est margarita Euangelij: Sed si hoc præstamus egenis à Deo vtique præstamus, non pauperibus, Christo, inquam nostro redemptori, quem natura in sapientia suâ non agnoscit. Iam qui Christum cibat vestitque, hunc Christus ipse iterum cibat centies largiùs, non in hâc quidem terrâ, sed in illo regno, quod natura nescit. Licèt ergo naturæ lumen Euangelium quidem non reiiciat, sed agnoscat, talia rectè omnino dici: id tamen margaritæ simile non est, nec per ipsum etiam Margarita inuenitur.

Sapiẽtia naturalis cœlestẽ nõ capit.

Adhuc minùs cum non agitur, quòd nihil naturalibus operibus det, sed interdum totum silere cogitur, vt de natiuitate ex virgine, de generatione nouâ, &c. quorũ natura ex suo lumine cognitionem

fiem nullam haurit. Quæ omnia hoc saltem fine affero, vt discatur ab homine discrimen, quo sapientia quælibet ab alterâ distet, & vtraque seorsim in suo corpore consistat, neutra alterius sapientiam in suâ interpretatione inueniente. Sic ergo duæ in homine scientiæ seu sapientiæ relinquuntur, *Naturalis scilicet & cœlestis*.

Ad hæc iam deinceps sequitur descriptio compositionis cœlestis, cuius hominem peritum gnarúmque esse decet, vt Magnalia Dei apud nos explorata & comperta habeantur. Sic nimirùm breuis hæc in terrâ vita insumenda est. Sic si viuimus, ad voluntatem Dei ambulamus. Geminæ námque hæ sapientiæ, naturæ & cœli, sunt dona illa à Deo nobis data, quibus in hâc terrâ vitam nostram & temporis breuitaté exerceamus. Insuper duæ etiam Astronomiæ sunt, homini cũprimis cognoscendæ. Vna modis & viribus omnib. vsurpanda est. In istâ enim vis ac robur omne Christianorum operum consistit. Altera vsurpari non debet, sed tantùm cognosci & intelligi, vt homo ab eâ ibi cauere sciat. Ad hanc sapientiam pertinet maledictio æterna, includens eos omnes, qui in ipsâ ambulant ac viuunt.

In primo huius Philophiæ tractatu didicistis quænam ab externis elementis & astris homo ad naturalis corporis sustentationem acquirat, cibum nimirùm potúmque & cætera corpori necessaria, quæ largè & multipliciter ipsum ad votum elementa suppeditant. Cognouistis etiam, quomodo hominem illustrent in scientiis & subtilitatibus luminis naturæ, & eiusdem admirandis Magnalibus. Summa ergo voluptas homini, viuere. Summus dolor, mori. Mors enim considerationem naturalium *Secretorum* & *Arcanorum* tollit. Morte nihil abominabilius, ad cuius recordationem Christus ipse sudorem sanguinolentum stillauit, cùm eam à nobis auferret. Porrò de naturalibus experientiis, & cœlestis cursûs vtilitate in regenerato corpore etiam intellexistis, quòd ab eo cœlesti & æterno motu, influentias cõcipiamus, ita, vt linguæ nostræ vnum idioma loquantur, quod ab omnibus hominibus & nationibus intelligatur, non secus, ac si per se diuinum idioma vel lingua esset. Nec verò lingua saltem apud nos sublimis est, sed, quod linguâ maius est, vnâ etiam Manna cibamur, quæ cuilibet cibus optimus & desideratissimus obuenit. Sic scilicet regeneratũ corpus cibatur, & potũ accipit ex petrâ, quæ aquam fundit, vnicuilibet, quantam qualémque desiderat. Hoc est. Cibus & potus, est ille, qui nos redemit, seque ipsum obtulit, velut Sampson problema suum Philistæis proponit: *De comedente exiuit cibus & de forti egressa est dulcedo*. Sed & summa illuminatio, ex cœlesti scholâ emanans, cognitio est summæ sapientiæ, sapientiæ inquam diuinæ, cui resistere nihil potest, coram quo creaturæ omnes contremiscunt, adeóq; ipse etiam infernus. De hâc sapientiâ Paulus loquitur, cùm exclamat: *O Altitudo diuitiarũ sapientiæ scietiæ Dei*: quasi diceret: quis est, qui eam scrutari aut penitus explorari queat, quâ sublimior nulla vnquam fuit, nec esse poterit? Adde quod per hanc sapientiam redempti à morte, à Satanâ, à carne vermium, &c. ac ad regnum cœlorum renati, vinclis infernalibus exempti simus.

Quis autem est, qui ista Dei magnalia satis dignè commemorare queat? Quis vspiam similis ipsi est Medicus? Huic similem Prophetam quid fugit aut latet? Huic similem Doctorem quis superat? Ex talibus enim radij igniti effulgurant, hoc est, suis operibus similes sunt igni. Vt igni nihil resistit, sed ab eo omnia consumuntur: ita nec talibus viris quicquam resistit, quod non perrumpant consumántque, tam in inferno, quàm terrâ. Penes hos sunt claues regni cœlorum: penes hos est remissio, est benedictio. In his lucet lumen mundi. Ex his procedit via & veritas. Ex his fiunt Apostoli & Sancti. Hæc vniuersa fiunt in corpore generationis nouæ, non Adami, quod nihil prodest. Deinceps ergo cœlestis cursus fundamentum ac origo cognosci debet, quem processum ac ordinem secundum suas distinctiones iam proximè subnectam.

CAP. III.

Quomodo se hominibus Deus accommodet, qualem se erga illos gerat, quæ per ipsos in futuro nimirùm mundo perficit.

COmpertum nobis est vniuersis, mundum æternum non esse, sed omnino interiturum, quia scelera indies non secus ac temporibus Nohæ inualescunt. Illa autem dies non erit inundationis, sed erit dies iudicij, quo de suis peccatis quilibet examinabitur, & eorum decretam pœnam audiet. Eo tempore homo amplius non renascetur, sed regenerationis eius finis erit. Dum ergo caro Adæ & mundus interibunt, nihilque mortale superstes erit: circulus terræ replebitur æternâ habitatione, in quâ mors nulla erit: sed Paradisus sine fine in æternum, aut Paradiso similis Ebron. In hoc non erunt scortatores, vsurarij, periuri, mendaces, denique nihil, quod Deo auersetur. Erit ibi populus, liber & purus impudicitiæ, doli, flagitij, mundus inquam & purus instar Angelorum in cœlis. Populus iste ecqualis erit? Erunt regenerati, erunt ex virgine nati, non ex fœmina. In his nulla gliscet libido, nullum mendacium. Sunt enim ex castitate & veritate, à spiritu sancto incarnati. Huius pudicitiæ oportet esse hominem, non alium. Ea autem ex Adamo non manat: sed carnem oportet esse aliam, ab Adamo alio, qui Christus est. Et quia alius imo secũdus Adamus est, ex eo liquet, nomen Adami ideò hîc poni, vt intelligatur caro alia, quæ de Adamo nihil participat. Immaculatis hisce hominib. Paradisum suum Deus elocabit: in quem à Christo introducti, Adamo nostro sese similes exhibebũt. Ibi prodibunt Electi, & probati, non verò, qui tales non sint. Sic vnum ouile, vnus grex erit & pastor, hoc est, vna conditio in nouo corpore, non autem in Adamo veteri. Et scriptura nihil loquitur de corpore Adæ, sed de figurato corpore generationis secundæ, corporeis accidentibus Adami carente, sicut virgo Maria mater nostra pura fuit, expérsque sanguinis ac carnis Adæ Euæque, quales vtique & nos esse oportet.

Hâc de causâ & hoc hîc tenendum est, quòd & de mundo nihil futurum reliquum sit, neque elementa, nec ipsa astra, nec quicquam ipsis cognatum.

Mundus tur interiturus.

Mundi alterius incolæ quales futuri.

Mundo intereũte omnia simul interibũt.

cognatum. Et, quod prædictum est, mundus per ignem consumetur, nec vim ignis effugient vel aqua, vel lapides, vel metalla. Et quicquid antè fuit, id renouabitur, prout scriptura loquitur: *Spiritus Domini ferebatur super aquis.* Sic nihil fiet, quod ire poterit aut moueri: sed spiritui Dei omnia similia erunt. Sicut vitellus in albumine continetur: ita perspicuum erit chaos, in quo feremur instar vitelli in ouo. Perspicuum illud chaos erit aqua, de quâ scriptura ait: *Super ipsâ spiritus Dei ferebatur.* Sic omnium renatorum, qui in Christo resurgent, & in nouæ creationis mundo habitabunt, conditio similis erit stellis in cœlo, quæ nulli rei incumbunt, à nullo pendent aut sustinentur nisi solo Deo, qui in chaos illas collocauit, sicut vitellum in ouum. Potestas enim Dei ipsius arbitrio accliuis est. Is vt ea creat, ita constituta sunt. Quandoquidem ergo dicto modo, quicquid mortale creatum est, vniuersum interiturum, solum autem immortale superstes futurum sit: renatum vtique corpus erit id, in quo Sancti resurgent, sed excitabuntur, & ad iudicium sistentur. Resurgit enim id, quod in Christo resurgit ad vitam æternam. Damnatorum resurrectio est descensio in abyssum inferni. Et in passione Domini legimus, quòd Christo supplicio affecto multa sanctorum corpora visa sint, & hominibus apparuerint.

Resurgere qui dicantur

Damnatorum autem corporum & animarum resurrectio nulla fuit. Quod ergo factum est horâ illâ apparitionis sanctorum in suis corporibus: id horâ resurrectionis quoque fiet. Et corpora ea sanctorum, fuerunt corpora nouæ generationis. Nam & ipse Iobus testatur, *quod in carne suâ resurrecturus, & redemptorem suum, Christum visurus sit.* Et nemo CHRISTVM deinceps, quàm sancti, videbunt: nullúsque in illo mundo sanctus erit, terrenâ aliquâ contagione imbutus, sed omnes ab illa liberi, ac ex altero Adamo renati erunt. Ita surget nouus mundus, nouus homo, & virgo: ac deinceps nulla amplius generatio erit. Numerus enim sanctorum completus erit, & illi angelis in cœlo assimilabuntur.

Damnati nō resurgēt.

Tædium fors nonnullis creo, quòd ex Astronomiâ tam prolixè dissero de vtroque corpore & illorum proprietatibus. Sed de homine scienda sunt omnia, quidnam is sit, & qualis futurus sit. Et hęc non à solis Clericis describi debent: sed eadem licentia data quoque vniuersis est, qui donum scribendi à Deo acceperunt. Is personam non respicit, sed suam voluntatem. Et quò vult, eò spirat spiritus. Sed iam aliam afferemus explicationem corporum, nimirum talem. Homo liberum habere arbitrium dicitur. Id habere ipsum, verum est. Cùm verò corpora gemina sint: distinctè intelligendum iam est, quâ ratione liberum arbitrium intelligi debeat. Nam liberum arbitrium in mortali carne inest, sed cum præceptis. Quod verò liberum id arbitrium est, quod præceptis illicò ligatur & adstringitur? Si quis, quod vult facit & contra præceptum peccat: iam tale faciens morti & damnationi adiudicatus est. Quid libertas confert captiuis? Ea enim nihil est. Rectè ergo dici potest, voluntatem liberam nullam esse. Dici etiam hoc potest liberam voluntatem esse quidem, sed nemini conferentem. Cæterùm de libero arbitrio porrò scitote, nouam generationem liberam voluntatem habere, minimè restrictam, nulli astrictam rei, sicut habuit illam Adam, sed cum interdicto, quod ipsum perdidit. In nouâ generatione nihil exceptum, nihil interdictum erit, sed omnia erunt libera. In illâ enim nemo erit, nisi soli electi, qui iam probati sunt. His liberum dabitur arbitrium ad quæcunque voluerunt. Non enim cupient libidinosi esse. Casti & Puri erunt, non voluptuarij. Non delectabuntur aleâ, ludis, voluptatibus, &c. Naturâ enim ad hæc ducente orbati erunt. Hoc modo qui nihil mali appetunt, liberam voluntatem habebunt. Quicquid volent facient, quicquid volent, rectum erit. Mali nihil corde ipsorum versabitur, sed ad voluntatem Dei omnia composita erunt.

Liberū arbitriū an homo habeat.

Lib. arbit. quid sit.

Lib. arbit. quæ opera sunt.

Iam attendite, quidnam sit id, quod quis ex libero arbitrio facere ausit? Non furari, non latrocinari, non mentiri, non scortari, &c. Hi liberi arbitrij fructus minimè sunt. Fructus eius sunt, vt alius alium sanet, quando vult, & mortuos resuscitet, quando vult, & opera diuina faciat, hoc est, quæ Christus fecit, & si quæ alia à Christo dicta sunt. Qui similis Christo est, is quæ vult, facit ex libero arbitrio: mortui nempe resurgunt, leprosi mundantur, cœci vident, claudi ambulant, &c. quinque panibus multa hominum millia cibantur, loquuntur linguis flammeis, potestatem à Deo habent per Christum voluntatem eam perficiendi. Talis nimirum liberi arbitrij homo est.

Ratio eadem etiam prædestinationis est. Quod enim mortale ad prædestinationem prædestinatum sit, vanum est. Quid enim moueat Deum vt corpus, quod vitiis, & peccatis plenum adeóque turgidum est, prædestinet, aut per ipsum multa efficere conetur? Permittit Deus id suo arbitrio agere vel bonum vel malum, vel cum vel contra conscientiam. Quid velit Deus si non velit homo? Sunt ordines, & naturales operationes ex carne & spiritu, ex elementis & astris. Talis est etiam ipsorum proprietas, natura, & essentia. Sic pro suo arbitrio faciunt, quod volunt. Cùm talis homo sit: quid & quò prædestinet ipsum Deus? Qui iusta facit, regni Sanctorum consors est. Qui mala faciunt, gehennę mancipia sunt. Iam ergo operæ pretium est sciri, quidnam prædestinatio comprehendat possitque. Deindè, in quemnā prædestinatio abeat, hoc est, quid prædestinatū sit. Nimirùm, quod Christus ex virgine natus est, prædestinatum vtique fuit, vt virgo hęc generationis Abrahami, nō Adami esset. Prætereà, quod filius Dei sanguine suo hominē redemit: Item qui in hunc credit, & ipsum imitatur, vt in cœlum perueniat, hæc iam prædestinatio est. Porrò autem aliàs quendam liberè fieri posse sutorem, sartorem, fabrúmve ferrarium &c. quæ hæc anilitas est? Ea voluntas libera naturalis est, nec est illa, de quâ loquimur, quâ dicere liceat, hic ad sartorem prædestinatus est. Minimè. Ipsum naturæ lumen suo ordine ita disponit, vt hic calceos suat, ille ligna exasciet, iste pisces capiat, quæ omnia naturæ influentis impressio, inclinatióve sunt, haudquaquam

Prædestinatio, quid & qualis, sit.

Christi ex virgine natiuitas prædestinata.

quà verò prædestinatio. Quod Apostoli & Sancti ex Deo operati sunt, prædestinationis fuit. Sic quod Dei est, est prædestinatio. Quicquid vult, facit. Prædestinatio etiam hoc est. Si quis sibi benè esse vult, is orat vt impetret, is quęrit vt inueniat, is pulsat, vt sibi aperiatur. Qui patrem nostrum cœlestẽ in nomine filii sui rogat, vt hęc non faciat, hoc ipsi nõ detur: iã prędest. est, illud ipsi nõ dari, nihil ipsũ inueniri, ipsi nõ aperiri, &c. Prędestinatio *est iudicium Dei, vt quisque facit ipsi fiet ita.* Qui sequitur carnem, is peccat contra Deum suum, quod ipsamet eius testatur conscientia, & euincit, quod, quò bonum, quò malum ordinatum est, ibi prędestinatio quoque sit, & sit *scientia rerum vltima.* Homo ergo iure dicere non potest, quod ex prędestinatione factus sit fur, sutor, scortator, miles, lupus, ouis, &c. Talia impressit ipsi natura, quę legi subiecta esse debet, & operam dare vt suo Domino Deóque obsecundet, non ad mala res omnes conuertat, sed ad ordinem à Deo præscriptum dirigat. Mandatum enim prædestinationem secum trahit, hoc est, ipsius iudicium. Qui bona operatur, bona via ingreditur. Qui mala facit, hunc quoque prædestinatio suâ via deducit. Iam hoc pacto prædestinatio post regenerationem est vita æterna. Constitutum námque ita est, vt cuilibet secũdum suam voluntatem eueniat. Præsente voluntate, prædestinatum iam est, quod ipsa vult vt fiat, vt montes transflocentur, & in mare demergantur.

Cum ergo talis homo à Deo in regeneratione constitutus sit: sciendum est, huius gratia hominem adhærere Deo, & Deum homini, & vtrosque naturam vnam habere, hac scilicet ratione cõparabilem. Homo ex terra est. Hinc sequitur, *terræ naturam ipsam participare.* Porrò in regeneratione est is ex Deo, itaque hac ratione naturam Dei habet. Et sicut homo à sydereis Spiritibus illuminatur ad cognoscendam naturam: ita illuminatus est etiam à Spiritu sancto ad cognoscendũ in sua essentia Deũ.

Hinc nemo Deum cognoscit, nisi qui ex Deo est: nemo naturam nisi qui ex natura est. Quodlibet adhæret ei, ex quo ortum est. Sic etiam quodlibet redit ad id, ex quo processit. Homo nimirum ex primo Adamo in terram, ex secundo autem Adamo in vitam æternam, ex quo regeneratio egreditur. Hinc constat, *nobis terrenis hominibus non tantùm corpus naturale cognoscendum esse, nec putandum, nos nihil habere præterea aliud, quàm illius corporis clarificationem, quam tamen id ferre minimè potest, quia regni cœlestis non est capax.* Nec enim ex supernis, sed ex infernis præsto est, nec de cœlo, sed de terra disserit. Et quia hanc naturam non deserit, ad cœlum idoneum non est. Quod in terra Deo peccauit, in cœlum non intromittitur: Id verò corpus facit & fecit, scatens flagitiis & mẽdaciis. Itaque illud ineptum est, & indignum iis locis, vbi pax, tranquillitas, gaudium, & voluntas Dei saltem, non etiam hominis dominatur. Non ergo naturali corpori, sed æterno, non terreno, sed cœlesti viuere debet homo, & cœlesti prærogatiuam attribuere. In hoc enim visurus est Deum, nostrum redemptorem, dominúmque & creatorem. Nec verò nos tãtùm, qui post natum Christum in ipsum renati sumus, sed & qui in veteri testamẽto sancti fuerunt, hi erunt, qui post nos induẽtur vita æterna cum corpore nouæ generationis. Nos ergo post mortem Christi renati in introitu regni Dei die nouissimo, quem Iobus & Patriarchæ expectarunt, primi erimus. Ingredientur deinde in regeneratione noua Patriarchæ: vbi verificabitur illud dictum, *vltimi erũt primi & primi vltimi,* hoc est, si nos post mortẽ Christi præcedemus, primi erimus. Sancti autem qui ante nos fuerunt, nos sequentur. Id docet dictum Iobi, spem defigentis suam in vitam sui redemptoris, quòd iterum induetur carne sua, ex nouâ generatione producta, cuius omnes Patriarchæ participes facti sunt. Sic illi erunt vltimi, etsi fuerunt primi. Hoc modo inter Sanctos post resurrectionem pastor erit vnicus, nimirũm Christus, ouibus omnibus veteris & noui testamenti sanctis prefectus, vbi etiam vnicum ouile constituetur, hoc est, vna mandra, vna essentia, eadem cõditio veterum & recentium, nullo altero meliore, prioréue existente. Tale quid in terra fieri non potest: nec caro Adamica eò dirigi se patitur, vt vnum ouile ingrediatur, & vnum pastorem audiat. Sola caro renata eò peruenit, nulla alia.

Iam homo admirari non debet, quod cum Deo commercium habeat, & ipsius virtute in terra miracula operetur. Naturam enim Dei participat, dicente quidem scriptura: *Dii estis, & filii excelsi omnes,* quasi diceret, *nos esse illius generationis è supernis.* Ex hoc est, quod Heliseus maledicit liberis ab vrsis deuoratis, cùm caluitiem ei exprobrarent. Caluities enim Helisæus non erat, sed Helisęus erat noua generatio, quã in spiritu promissionis accepit. Deus enim sanctos sui cœlestis corporis contemni non patitur à corpore terreno, hoc est, cœleste à terreno eludi Deus non permittit. Sic in noua generatione post Christum nemo admiretur, sanctos ita operatos esse, vt Helisæus. Deus enim maledixit ficui. Sic quilibet etiam sanctus potest maledicere damnato, qui in cõspectu suo contra cœleste peccat. Hoc fecit Petrus, maledicens viro & vxori eius, propter dictum mendacium, cùm ad pedes Apostolorum, nulla necessitate compulsi pecuniã deponerent. Illorum enim cor terreno, non cœlesti abundat. Cùm ergo ęternum perdere mallent, & per mendacium sese sanctorum numero inserere ac falsi Christiani esse satagerẽt: nouæ generationis virtute Petrus, ex potestate illa, quæ solus Deus est, potestatem à natura habuit, hoc crimen initio ita puniendi. Sicut enim Astronomus in firmamento Magicam, & cœli ( ) operationem hic in terra adhibere potest eâ vi & ratione, quia ex firmamento est, sic & vos de cœlo non minus operationes illas cognoscere potestis, modo ex cœlo sitis, sicut ille alter ex terra aut firmamẽto est. Virtus enim illa semper inhæret ei, qui ex illa est. Sic sanarunt homines, claudos, cœcos, mortuósque resuscitarunt: Vnaque omnino ac eadem est virtus maledicere & sanare. Execrari enim lasciuum, eque necesse est, ac sanare ęgros. Et dolendum est, tantum mali & irrisionis

[Left margin notes, partly cut off: ...ad... sicut &... ... | Prædest. est iudi... Dei, &c. | ...s & ... | ...mo ... | ...mo ...]

[Right margin: Vltimi in cœlo erũt primi, &c. | Homo naturæ diuinæ particeps | Act. 5.]

irrisionis inferri Christo & ipsius regenerationis, & damnatis mancipiis. Cæterùm quòd iam nemo faciat ea, quæ fecerunt sancti, causa hæc est, quòd nemo regenerationi adhæreat. Quod etiam Psalmista testatur, dum inquit: *despexit desuper de cœlo, & ne vnicum quidem vidit, qui bonus esset,* hoc est, qui virtutem haberet (*) sanandi, aut citra mendacium concionandi. Hæc enim omnia ex illo & per illum proficiscuntur hominem, qui in noua generatione, nouæ vitæ versatur. Hisce potestas data est, vna asini maxilla mille viros cædendi, Gigantes prosternendi armis ludicris, sicut Goliam strauit Dauid. Hæ enim præfigurationes omnes Christum respiciunt, & robur virtutémque ipsius concernunt. Nec verò Christum saltem, sed eos in super omnes, qui ex ipso nati, & per eiusmodi adumbrationem præfigurati sunt.

Piorum rarus numerus.

Piorum virtus quanta.

Tales ergo nos in terra prestare debemus, vt in prefiguratione illa, in Christum directa, comprehendamur. Cur enim & nosmet nō instar Dauidis Gigantes prosterneremus, cùm æquè Deus nobis ac illi cognatus sit, quæ cognatio ex sola regeneratione dependet? Si dicere nobis licet ad montem, transfer te ex loco isto, & in mare conside, hoc certè robur multò est præstantius, quàm Gigantem fūdâ prosternere. Omnis verò veterum fortitudo, omnis sapientia Salomonis & cæterorum, fortitudo & sapientia generationis est nouæ, in quâ versamur per Christum adducti aqua & spiritu qui nos incarnat ex nouo Adamo, qui est Christus, vt adeò puri in nouo nostro corpore reddamur, quàm purus fuit Christus in suo, quod ex virgine natum est, eaque non quidem ex Adamo, sed Abrahamo, non ex carne Adæ, sed ex carne promissionis, ex qua nihil impuri nasci potest, progenita. Sic nimirùm noua Eua communis omnium mater est, & Spiritus sanctus, qui Christum incarnauit, caro & sanguis noster est, & loco virginis habem⁹ nos Baptismum. Iam ergo in Incarnatione habemus Spiritum sanctum, quemadmodum Christus inquit, *Nisi quis renascatur per aquam & spiritum, regnum Dei minimè ingredietur.* Hic nimirùm est iste Spiritus, qui hominem viuificat, hoc est id corpus dat, in quo nulla mors est. Caro enim, in qua mors est, nihil prodest.

Pios Christo similes esse docet.

Eua, &c. communis omniū mater.

Ioan. 3.

Velim vos hic recolligere, quæ in primo Astronomico libro diximus, qua scilicet ratione astra suam Influentiam & nutum corpori terreno imprimant, ita vt homo admodum sui Astri (liceat verbū fingere) naturetur, seu disponatur. Sic homo nascitur in animam, in qua genitus & conceptus est. Sed ille seipsum corrūpit, & ingenium aliud adsciscit: aliàs operatio vna, vna essentia esset in homine & in astris. Quæ sicut prædicto libro de congenitis proprietatibus annotastis: ita scire debetis, corpus nouum quoque similiter nasci, Deo nimirùm secundum suam influentiam cum homine procedente. Hinc filij etiam nascuntur ad vitam æternam, qui vel in cunis sancti sunt manéntque. Sic nimirùm dona Dei cœlestis motus, filiis imprimuntur & inferuntur, ac cū illis succrescunt vsque ad statutum tempus vel horam. Et nemini absurdum videri debet, à Deo liberos etiam in vtero materno sanctificari. Christus enī filius primus est: sic etiā Ioannes Baptista. Si Christus & Ioānes tales, tales vtique & alij esse poterunt, quod de S. Nicolao & aliis iure dici potest. Si enim Natura in vtero materno ad nutum suum liberos inclinare, & tales seruare potest: multo id magis poterit Deus in generatione nouâ, vt, quò nutus ipsius intendit, is ibi perficiatur. Dona sua Deus distribuit pro arbitrio suo. Nouæ enim generationis homo ipsius, cœli, & inclinationis, & essētiæ. Húc, quò vult, dirigere potest: potest ipsum cinctum huc non illuc conuertere, sicut Petro Pauloque fecit. Hoc tamen omne efficit in carne nouâ. In carne namque veteri nulla est constātia, nulla fiducia. Ea non compescitur, non regitur, sed fluxa & variabilis instar arundinis est. Super hominem antiquum, quia arena est, ædificari nihil potest. Ideò Christus etiam super veterē hominem Ecclesiam nō exstruit, sed super Petrum, qui nouæ generationis est, doli omnis expers. Hinc regenerati etiam ex natis veteribus discere aut audire nihil debent, sed ex Petro, qui ipsorū esse pastor debet. Nouam enim generationem portæ inferorū non euertent. Nolite quærere terrena sed quærite, quæ Dei sunt. Qui quærit, quod terrenum est, is Satanicus est. Ideò & Petrus carnali amore ex primo Adamo Christum prosecutus est, cùm vetaret, ne Hierosolymam, vt crucifigeretur, pergeret. Ista enim ex carne regeneratâ non deprompsit. Quâ de causa à Christo etiam Satanas appellatur. Regeneratam carnem Satanas minimè gubernat. Carnem autem Adamicam ducit, quò vult. Itaque Christus carnem Adamicam omnino repudiat. Vult autem in carne noua nos sibi seruire, & ex illa animum roburque desumere, quò Deum ex toto noui corporis pectore celebremus. Mortale enim cor, res mortales amat. Iam si mandatum in nobis perficitur, vt Deum ad modū præcepti sui laudemus: ipsius vtique instrumenta & sancti sumus, isque per nos mirabilia in terra hac perficit, modisque multis in sanctis suis sese exerit, per opera, miracula & signa. Quorum quòd hodie pauca fiant: causa est, quòd generatio vetus carni veteri quàm maximè obsecundat. Et quia carni nouæ locus nō datur, ideò diuina miracula nulla eduntur. Per terrenum enim cœleste nihil perficitur. Suo instrumento quoduis perficitur. Eo deficiente, per id nihil elaboratur.

Sancti à natiuitate qui.

Deus inclinat, quot & quo vult.

Vetus homo arena & nihil est.

Petri consilii de fuga Christi Satanicum.

Hac de causa operæpretium me facturum existimaui, si non naturalem tantùm hominem describerem, quod in primo libro præstiti, sed multò accuratius & maiori cum alacritate hominem etiam æternum, hominem cœlestem & nouæ generationis consortem, vt vetus nimirùm homo, quidnam homo sit, videret, & sese ad illum accommodare posset, ac quanta talis regeneratus homo hic in hac terra, & post hanc vitam illic in æternitate præstare & conficere queat, penitiùs introspiceret.

CAP. IV.

De Membris Astronomiæ cœlestis, & ipsius speciebus.

PRimo libro diuisionem institui membrorum & specierum Astronomiæ secundū lumen Naturę. Distinctio illa hoc quoq; loco nō mi-

minus, ac in lumine naturæ obseruanda est. Diuersitas tamen Astronomiæ cœli & alterius, est in Interpretatione. Alia enim huius secundæ Astronomiæ est Magia, ac est Naturalis: alia est Nigromantia, alia Nectromantia. Sic etiam omnes reliquæ species cum suis nominibus & ordinibus sunt: alius tamen est intellectus & operatio. Nulla itaque necessitas postulat figuras eas hic poni. Sufficit interpretatio præsentis Astronomiæ, vt naturalia & cœlestia inter se distingui possint. Iam ex ordine tradetur, quæ eius membra, & quæ species sint.

Quid sit Magia cœlestis, quid Magus cœlestis, & quænam vtriusque operatio.

PRo cognoscenda cœlesti Magica, Mago ipso, & totius huius negotij summa: sciendũ primò est, Magicam sex speciebus comprehendi. Prima tradit interpretationem stellarum non naturalium, vt stellę Christi, & cæterarũ, quę sub nomine signi à Christo includũtur dum inquit: *Erunt signa in Sole & Luna ac Stellis, &c. & pressura populi, fames, sitis, terræmotus, pestis, &c.* Hęc, quę verbo Christi comprehendũtur, præter naturam omnia eueniunt, nec explicatione naturali definiri queunt, sed supernaturali, seu cœlica, hoc est, ex cœlesti Astronomia explicanda sunt. Qui, quænam pestis naturalis sit, quæue ex maledictione oriatur, exploratum habet: is Magus est cœlestis. Si enim naturalis non est, prędicere potest, pestẽ hanc signum esse dissolutionis mundi, hoc est, centenos aliquot annos ex numero annorum illorum, quibus mundus duraturus erat, excẽptos & ablatos esse. Ad quodlibet enim huius Euangelij signum numerus certus annorum ætatis mundi deciditur.

Secundò, Magica naturalis in hac specie ita se habet, vt vnum mutare possit in aliud, ferrum in cuprum, homines in lupos, Saphyrum in Adamantem, &c. Iam qui per virtutem Dei, inuisibilem se facere potest, sicut Christus: qui veste ea, qua transfiguratus est Christus, indui potest: is Magicæ alterius speciei peritus est.

Species *tertia est*, quę ex influentia cœlesti facere potest id, quod facit naturalis. Sic naturalis facit characteres & consecrationes. hoc est, potest verba promere eiusmodi, surge, & lectũ tuum assume, ac ambula, Surge Lazare, &c. Hic tertię speciei Magus cœlestis est.

Quartò, qui characterem (TAV) facere, aut TAV simile, rebus aliis auertendis adhibere potest, is Magus insignis est.

Quintò, qui facere potest, vt asinus loquatur, sicut locutus est asinus *Balam*, qui potest facere, hominem nasci ex Deo, ex Deo doctũ fieri, qui facultatem habet ex virtute diuina faciendi, quod vult, Magus est.

Sextò, qui loqui potest à terra vsque ad cœlum, vt Deus ipsum internoscat & audiat. Itẽ, qui quę Deus ipsi respondet, hic in terra audit, &c.

His præconceptis, omnium primò sciendũ est, quod Spiritus naturales in lumine naturæ præstare possunt, id ipsum respectu Dei quoque, ex Deo, diuinitus, hoc est, secundum voluntatem & opera diuina eos præstare posse. Et hoc discrimen est *Naturalis & cœlestis operationis.* Quod natura per suas operationes facit, id Magica est naturalis. Quod in nobis operationes cœlestes efficiunt, & quidem per nos, Magica cœlestis est. Quod ex natura procedit, naturale est. Quod est ex Deo, diuinum est. Sic duæ Magicæ inter se differunt, naturalis scilicet, & supernaturalis, vtræque ex vno fonte natæ, sicut per ipsarum probationem, quæ cuiusque operatio sit, & vnde emanet, constat.

Magicæ naturalis & cœlestis quod discrimẽ.

Quid Nigromãtia cœlestis, & cœlestis Nigromanticus sit.

PRincipiò, opus est, vt intellligatis naturale, quale id primo libro traditum est. Ita fiet, vt facilius etiam hoc alterum intelligatis. Iam luminis naturæ Nigromantia species quinque habet. Totidem habet etiam Magia cœlestis. Prima in lumine naturæ species est, spiritus mortuos cognoscere. Ita Nigromantia cœlestis spiritus viuentes cognoscere docet. Magus enim cœlestis scire potest, qui spiritus mortui vel viui sint. Inter hos geminos enim certũ discrimen est. Nullus hominum est, qui post mortem apparitionem aliquam dare non possit, vel mortuam, vel viuã. Ita sydereus spiritus si ambulat, cognoscitur à nigromantico naturali. Id verò corpus sydereum non est, sed est sanctus, à Deo excitatus. Talia fuerũt sancta corpora, qui tẽpore passionis & mortis Christi multis Hierosolymę apparuerunt. Ea enim mortuorũ ambulatio seriò expendenda est.

Species magiæ quę & quot sint.

Nigromãticus cœlestis quis sit.

Secundò, Naturalis Nigromantia potestatem habet cum spiritibus illis tractandi. Sic qui à Deo potestatem habet, cum sanctis hominibus colloquendi, eos interrogandi, & respondendi: is Nigromanticus est cœlestis. Et hęc non minus pręstari possunt per Deum, quàm per naturam in naturalibus.

Tertiò. Nigromantia luminis naturæ est, quæ astra gubernat. Ita qui astra supernaturalia gubernare potest, is Nigromanticus cœlestis est, qualis fuit is, qui Iosuæ moderatus est Solem, vt punctis aliquot quiesceret.

Quartò, Naturalis hominis corpus potest lędere citra apertionem. Sic qui scientiam & potentiam habet, hominibus maledicendi, quod fecit Helisæus Prophetarum filiis, & Petrus viro vxorique pecuniam Apostolorum pedibus obiicientibus, &c. is Nigromanticus est cœlestis. Similiter & qui ex virtute Dei alicui maledictionem immittit, quæ citra causas naturales in effectum deducatur, is Nigromãticus est cœlestis.

Quintò, Naturalis Nigromantia per simplicia quędam præstare potest, vt, si illa huc illúcque ponantur, res ea, cui illa apponuntur, minimè conspiciatur. Ita qui hanc artem callet, vt Diabolus ipsum non videat, is Nigromanticus est cœlestis. Et huic valdè bene est. Nimio enim plus potest.

Sciendum ergo est, multum in natura gratiæ contulisse Deum homini. Nec in Natura tantũ, sed multò magis in natura cœlesti admiranda facere & apparere docuit. Et placuit Deo, hoc modo cum hominibus colludere: cum his quidem, vt in naturali lumine anxiè laborent, & sublimes appareant his, qui luminis Naturæ ignari sunt, cum illis autem, vt ex cœlesti In-

Influentia altè illuminati, admirationi sint Naturalibus, vt qui pluris sint & maiora faciant, quam in omni Natura demonstrari possit. Hoc discrimine duæ hę Nigromantiæ, mortalis & viua, inuicem distant.

Quid cœlestis Nectromantia & Nectromanticus sit.

Nectr. natur. species 14.

PRædicto modo ipsa quoque Nectromantia & Nectromanticus cognoscantur. Nectromantia Naturalis species quatuordecim habet. Totidem habet etiã cœlestis. Prima est apparentia specularis, & species exhibita in Berillis & in carbonibus, &c. & si quid similiter specie speculari apparet, vbi videatur, quod ibi videri Natura constituit. Iam istarum rerum species cœlestis similiter quoque cõstituta est. Cuius etsi tres sint species, modus tamen vnus est, in visione corporis varians. Cœlestis ita se habet. Si quis per parietem transpicere potest, quid in montis altera parte, aut medio sit, quid sit in homine, quid in eius corde: huiusmodi cœlestis Nectromanticus, nullo speculo, nullo carbone, nullis Berillis opus habet.

Thesaurinella cœlestis quid doceat.

Secundò Species cum dictis prirs tribus quarta docet naturaliter inuenire Thesauros, aut res perditas, absconditasque, vbinam lateant. Cœlestis Thesaurinella docet quęrere thesaurum scripturæ, & quid in ea occultum est, scire, cognoscere, intelligere. Nec verò scripturam tãtum, sed etiam cor Dei erga hominem, eiusque voluntatem, propositum, decretumque scire docet, velut & ipsius verbum, doctrinamque quam Deus abscondit, nec vult eam homines scire. Sic qui thesaurum suum defodit, is ipsum alteri inuidet, ne habeat, quod luxui suo impendat. Ita multa sunt in scriptura, quæ nos omnia scire Deus non vult. Si enim malè collocamus, quod minus est, quanto magis, quod præstantius est? Hęc autem qui nouit, is Thesaurinella cœlestis est.

Quinto, Nectromantia Naturæ res furto sublatas restituere docet. Ita Nectromantia cœlestis docet nos recuperare, quæ Deus nobis abstulit, vt cum dicit: Quicquid habet, auferte ab ipso, etiam id, quod non habet. Ablatum illud bonum recuperare, cœlestis Nectromantiæ species est.

Sexta, Species est, res absconditas inuenire, hoc est, quas quis secum habet: nec se habere nouit. Hanc inuentionem Natura docet, vt quilibet sciat, quomodo id, quod Natura ei dedit, exuscitare & proferre debeat, vt sunt artes & (*). Talis etiam est cœlestis, docens dona, timorem Dei in homine, &c. qui aliàs sine arte Nectromantiæ cœlestis eo penetrare non posset, vt seipsum vel leuiter saltem nôsset, aut, quod in ipso est, quidnam sit, & quò conducat, intelligeret. Talis sine hac specie omninò inutilis foret.

Adech. Plũbeus: & virgulta Directa.

Sic duæ aliæ adhuc sunt species conueniẽtes, vt *Adech Plumbeus, & Virgulta Directa*. Duę hæ species in corpore naturali intellectũ proprium indicant, sciũtque id, de quo rogantur. Altera est plumbum, altera est Lignum. Vtræque per sua signa responsa dant. Duæ hæ species indicant, nobis opus etiam illis esse, qui viam nobis monstrent ad salutem. Hi sunt homines, & hominum ritu agunt, ex Adamo orti: ad vitam æternam inutiles, in carne illa tantum intellectus habentes, quantum habet plumbum ac lignum. Cæterùm per ipsa operantur Astra: vnde sunt *Adech & Virgulta*. Similiter & Deus per hominem ex Adamo operatur, vt suum ipsius sanguinem ac carnem indagare non possit. Caro & sanguis non loquuntur, loquitur autem is, qui carne & sanguine plus est. Caro autem mortalis loquitur, & seipsam non intelligit, sicut lignum & plumbum: Est etiam Ars Lucis, si fax apud thesaurum extinguitur. Sic etiam extinguitur caro mortua, si ex illa Deus loquitur. Hęc in numero species nona est.

Ars lucis quid.

Præterea, duę alię species sunt, vt *Artes transuersæ, superstitiones indirectæ, Scientiæ peruersæ*, hoc est, à Lumine Naturæ errores introducuntur, qui id obscurant, & in genuino suo fundamento peruertunt. Sicut enim ea hominum diuersitas est, vt si viginti rem eadem viderint, nemo tamen idem cum altero de ea sentiat: ita etiam Nectromanticus cœlestis est, quando is apud seipsum errat, & sereno puroque die nihil videt. Idem in cœlesti quoque Nectromãtia fit, si perfectio non est in eo, quod Deus dat, & in fine id subtrahit.

Artes transuersæ, Superstitiones indirectæ, Sciẽtiæ peruersæ.

Vltima & decimaquarta est, quod Natura Artem literatam dedit dum nimirum ingeniũ ducit, & scribere sinit Sic si Deus pennam ducit & scribere sinit, *ars ea literata cœlestis est*, in qua nulla ambiguitas est.

Hoc modo Nectromantia cœlestis intelligenda est, quę omnia in probatione euidentiora inueniuntur: multò autem dilucidiora in illa arte, in qua illa discitur.

Quid Astrologia cœlestis, & cœlestis Astrologus sit?

SI, quid Astrologia & Astrologus cœlestis sit, scire desideratis: cognouisse antea debetis, quidnam sit Naturale, & quot ipsius species sint, nempe, 13. De prima sciatur, Summum Motorem esse illum, qui omnia mouet, & in sua potestate habet. Etsi enim illam Naturæ quidem concesserit: ipsa tamen adeò libera non est, vt, quid velit, facere ausit, sed facere cogitur, quod vult is, in cuius ipsa manu posita est. Hæc si ad Astrologiam cœlestẽ referuntur, summus motor tantùm Christus est, qui inquit: *Omnis mihi à patre meo data Potestas est, in cœlo & in terra.* Hinc colligitur *Christum esse eum, in cuius manu noua omnis Astrologica operatio consistit,* sicut ipse ait: *Erunt signa in Sole, Luna, & Stellis & pressura in populo.* Talia in nouo cœlo fiunt. Id suum motorem habet, proferentem ea, quando & quomodo vult, eaque vel maturat, vel retardat, & in cœlo, quod placet, exhibet. Sicut ergo vetus coelum suũ motorem in Deo patre habet: sic in coelo nouo motor est Deus filius.

Motor Summus quid

Naturæ quæ potestas sit.

Deus Pater cœli veteris. Deus filius, noui motor.

Secundò Qui nouorum illorum signorum cursum tenet, motum eorum cognouit, scitque quònam & qui Christus, summus motor ea agat, is Astrologus est coelestis in consideratione nouarum stellarum, dum compertum habet, quorsum noua signa, vel pestis, vel terræ motus, vel fames, &c. pergant, quamdiù & quibus locis, duratura sint, quiue homines

mines illis subiiciantur, in quibus non minùs ac in naturalibus operentur.

Tertiò, Si hoc modo firmamentum nouum supernaturale est, antequam operatio eius incipiat, sciat Astrologus cœlestis, quænam eius natura sit, hoc est, quidnam id operaturum sit mortali, an penetret in homines aut pecudes, an desinat in terræmotum & similia. Qui, qualis ea natura sit prædicit, is Astrologus est cœlestis. Exploratum namque habet, quidnam summus motor Christus, & quomodo & contra quem operaturus sit.

Quartò Ea operatio naturalis est, vt sciatur, quidnam naturale operetur, hoc est, in actum producat, & quod sibi mandatum est, perficiat. Hoc qui intelligit is scit, quinam homines auferantur seu abripiantur, quique superstites maneant, & quale illud opus si confectum est, futurum sit. Ponamus exemplum. Video fabrum ferrum ignitum facere. Ferrum illud malleo quidem tūdi video: sed quid in fine futurum sit, nondum scio. Vel tignarium conspicor exasciare lignum, sed quid ex eo structurus sit, ignoro. Eodem modo, si pestis, terræ motus, fames, bellum, &c. impendet, videmus quidem in illa officina aliquid fabricari. Nemini autem constat, quid in fine fabricationis eius futurum sit. Qui autem in peste, cuiusnam postremò futura domus sit, perspectum habet: is Astrologiam cœlestem nouit, hoc est, scit finem belli, famis, & quicquid fabricatum, aut deinceps etiam fabricandum restat.

Quintò Exploratum etiam habet, quidnam cœlestis cursus pro officio suo seorsim in quolibet operetur, sicut id in suis ipsa etiam natura indicat. Hunc inclinat ad ignem, illum ad aquam, istum ad fidibus canendum, alium ad aliud. Qui ergo, quònam Deus in natiuitate aliquem collocet, nouit, is cœlestis est Astrologus, & de instituto Dei differere potest.

Sextò, Quomodo Deus cum homine & creaturis omnibus concordet, vbi manum suam aperiat, vbi eandem claudat, qualem se cuiuis præbeat, qualis quolibet anno, mense, die, horâ sit, vbi propitium ac benignum se præstet, vbi talem se non præstet, vbi rerum terrenarum copiam det, vel non det, quantum det, quam parum & quam multum det.

Septimò, Sciat Astrologus cœlestis regna cœlorum nouorum & veterum, videlicet chorum Angelorum, chorum Sanctorum, chorum Trinitatis, chorum Virginum, &c. sicut Astrologus naturæ nouit, quomodo terreni omnes cœli in sua proprietate cōstituti sint: similiter, vbi cœlum credulum vel non credulum sit, vbi huc, vbi illuc inclinet. Sicut enim cuilibet homini sua peculiaris est proprietas: sic eadem etiam peculiaris est, cuilibet domui, regioni, ciuitati, pago, &c. Hoc in cœlesti Astronomia vocatur *cœlum*. Eiusmodi cœli distinctio ( ) Astrologica cœlestis est, veluti, vbi crocus, vbi triticum, vbi frumentum nascatur, &c.

Octauò, Cœlestis Astrologia cognoscere docet futura præsagia noui motoris & signa futura, vt fiant. Sic naturalis prædicit, *hoc die, hac hora Eclipsis Solis vel Lunæ fiet.* Similiter & cœlestis prædicit; *Hoc die, hoc tempore apparebunt signa in Sole, Luna, & Stellis, Pestes, terræmotus, &c. in cœlo nouo.*

Nonò, Quoniam secundum naturam omnia mouentur, seque proferunt, vt cognosci queāt: eadem ratione etiā cœlestis scire potest, quidnam laturum tempus sit.

Similiter & decimò, quod ferat iudicium, quod Deus pronuntiat, quando & quàm grauis pœna hominibus incumbat.

Vndecimò, Quid extra hæc omnia, coincidat & concurrat, sine prædicto supernaturali ordine, aut supernaturalibus signis & operationibus omnibus absconditis: Item, quomodo cataclysmus Noæ, à Deo hominibus omnibus abscōditus acciderit, & quo modo ignis Sodomā Gomorrhámque ignorantibus omnibus hominibus & prophetis inuaserit, &c.

Duodecimò, Quomodo Deus homines plagis infirmet, quas natura sanare nullo modo potest, vtpotè naturalibus omnibus remediis inuictas, dum iam status melior, iam iterum peior incidit.

Postremò, Cœlestis Astrologus appropinquationem quoque diei nouissimæ ex signis præteritis prænoscit, dum cōsiderat, quantum detractum sit de diebus finis mundi, & quando nouum cœlum Dominaturum sit. Hæc omnia comprehendit Astrologia cœlestis, quæ à solo Deo homini confertur. Solus enim Deus hanc docet & communicat. Sine ipso nemo quicquā est, sed in his rebus vniuersi cœci & obturati existimus.

Quid Signatum Cœleste, & quid Signator Cœlestis sit.

Similiter nobis etiam compertum est, quod natura suos signet, vt quod in homine interiùs lateat, per signa externa cognoscatur. Nihil namque adeo reconditū est, quod hoc modo nō manifestetur. Iam qui hominem per addita ipsi à natura signa hoc modo cognoscere potest: is quod naturaliter in corde eius lateat, perspectum habet. Hic similiter & in cœlesti cognouit, quidnam homo intra seipsum in cœlo supernaturali sit: nimirùm dolosus erga Deū & homines, fallax, aut verax, iustus aut iniustus. Signorum huiusmodi, quæ natura quidē assignauit, genera principalia 4. sunt: totidem etiam in homine supernaturali. *Chiromantia cœlestis* in manu constituta est. Quę vt se habet, ita indicari debet. Ipse enim Christus ait: *Nesciat læua quod facit dextra.* Illa si id nescit: iam manus proba est, & virtus eius facilè cognosci potest. Si talis nō est, sed cum dextra læua cognata est: scitote ipsam esse dolosā, hypocriticam, falsam, inconstantem, prout & fructus eius indicant, & consideratio illius hominis pleniùs demōstrat. Sic & *Physionomia* interiorum & abditorum hominis exploratrix est: velut æquè etiā hominis supernaturalis, qualis is sit erga Deum, erga suos, in corde supernaturali, vbi oculus nequam sit, vel non sit, vbi lingua dolosa sit, vel non sit, vbi aures bona audiant vel non audiāt. Ex his iam cognoscitur homo, quomodo cor eius se habeat erga Deum aut proximum, an Deo proximóue propēsus vel infensus sit, quare contra Deum loquatur, faciat, audiat, videat.

Externa interiorū signa.

Signaturæ genera 4.

Ex his signis omib. cor eius innotescit. Quod enim in corde abundat, id ex ore exudat. Quod cor desiderat, id audiunt aures, id quærũt oculi. Physionomia itaque cœstis per terrena & cœlestia opera, quale cor sit, prodit. *Ex fructibus enim propriis cognoscetis eos.*

Tertiò, Substantia quoque hominis cor manifestat. Qualis homo à naturâ constitutus est, talis etiam est signatus, sicut de his, pluribus libro primo traditur. Eodem modo & Deus signat eos, quos signari opus est. Sic qui dolosus erga Deum est, & fraudes alit, is vestem gerit lupinam, vt distractè præ aliis internosci queat vestitis. Notandum enim est, quod Deus hominem signârit in substantia, quasi deformitate quadam suæ speciei, signum contra naturam corpori eius appendens. Nonnullos non in corpore sed in vestibus signat, ex quib. ipsius substantię cõditio tamẽ facilè cognosci queat, quasi cœlũ supernaturale dicat: Videte, qui signatus iste sit. Secundum hoc signum iudicate, ipsius quoque corpus simile esse. Et quale corpus: tale etiam cor. Vestitus ergo suus cuilibet homini liber relinquendus est. Hæc namque signa sunt signati cœlestis. Et signator cœlestis ex his nobis, quid in corde eius lateat, intelligit.

Denique quartò, natura etiam in moribus & gestibus hominem suum naturaliter signat. Similiter & cursus supernaturalis suos quoque notat. Exemplũ. Qui de terra est, terrenus est, & terrenè operatur. Qui de cœlo est, cœlestia facit. Iam viæ in hoc quarto signato geminæ sunt, velut *Mores* & *Consuetudo*. In moribus videndum, an Sanctis conueniant. In consuetudine, an & hæc Sanctis conueniat, hoc est, mores nobiscum nascuntur, & in moribus educamur. Prout educamur, ita consuetudo nostra est. Hinc iam consideratio instituenda est, an mores illi Deo & proximo seruiãt, vel minus: Itẽ, an consuetudo constans sit, aut instar arundinis mobilis. Pro hac obseruatione, ex moribus de homine illo indicari satis potest. Scitote ergo, æternũ hominem per externa congenita & consita signa, prout ea exterius patent cognosci & indicari posse. Externa namque signa, quę interius occulta sunt, produnt.

Quid in Cœlesti Astronomia artes incerta, & quid Cœlestis ille exercitator sit.

Porrò verò etiam notate, quo pacto artes incertæ (quarum quatuor sunt) in lumen naturæ illatæ sint, & in eo sydereum astrum regnet quantum vtriusque concordantia quidem permittit. Hoc etiam in astronomia cœlesti membrum est, non tamen astris subiectum, aut ea forma imbutum, quam naturales artes exhibent. Hęc autem supernaturalia sunt, nec sunt artes incertæ, verùm certę, iis cumprimis, qui illis in cœlesti Astronomia vtuntur. Fundamentum enim ipsarum in hoc positum est, quòd Deus elementa non assumat, per quæ aliquid efficiat: sed is assumat sibi hominem, & per ipsum id compleat. Iam Deus suæ voluntatis certus est. Et quod requirit, id fit. Is verò, per quem id perficitur, sperat quidem, sed tamẽ ex parte aliqua dubitat, vnus alio quidem magis minúsue. Sic Gedeon ob vellus ambiguus erat, donec tertiò rẽ confirmatam videret. Fiebat interim, quod fieri debeat. Gedeonis historia.

Nec hoc saltem modo, verùm multis etiam aliis pactis ex incertâ spe homines vaticinati sunt, sibi quidem ipsis non omnino fidentes, sed fidentes tamen Domino, quod is non falleret. Et tamen cùm operatio illa per Ionam in Niniue fieret, IONAS ipse ob suum vaticinium terrefactus erat. Ipsius enim verbo euentus minimè respondit. Hinc ergo sunt incertę scientiæ & Prophetię, quoniam fieri vel non fieri possunt. Siue autem eueniãt, vel non eueniant, nihil verbo Dei decedit, sed saltẽ pronũtiatori. Cuius euentus causa hæc est, quòd per contritũ & pœnitẽs cor ista auerti possũt, ne in actũ deducãtur. Omnia ergo vaticinia, quę per homines fiũt, quæq; per humile & pœnitens cor Dei gratia tolli possunt, incertæ Prophetiæ existũt. Is enim quem illę spectant, emendare sese & conuertere potest, vt constituta pœna ab ipso auferatur. In Deo tamen Prophetiæ illæ omnes verę sunt. Ipsius autẽ Prophetæ ea conditio sẽper non est, vt certum prædictionis euentum experiatur, quod & ipsum in Niniue Ionas experiri coact⁹ est. *Incertista* huiusmodi multi adhuc in mundo sunt, qui ex diuina Geomantiâ Pyromantia, Hydromãtia, & Chaomantia presagiunt, non per signa in elementis fixa, sed per seipsos in verbis, viua voce annuntiatis. Hęc tamen illis, quibus dicuntur, sunt elementaria, in ipsis autem Prophetarum horum vaticinia cõplentur, nisi Deus humilitatem ipsorum respiciat. Multi hoc sũt sæculo, quorum Prophetias tales indicãtia verba nemo curat. Quibus, quę dicuntur, ea partim omnino auferuntur, partim nihil deciditur de illis, sed suum ipsa successũ habent, & interdum dictis etiã peiora eueniũt. Si enim humiliatio & contritio pœnam auferre queunt: superbia vtique ac contumacia malorum numerum etiam cumulare & intendere possunt. Hoc iam, prout indicatum est, in homine cæleste incertum est. Ionas, &c. Ante incertę cur dicatur.

Quid Philosophia adepta cœlestis sit, quid item cœlestis adeptus Philosophus.

Iam antea in naturali Philosophia explicui, quidnam Philosophus Adeptus sit. Cũ verò sciam, per mortale lumen eò penetrari non posse, quò penetrare hominem decet: rem paulò meliùs & exactiùs expendendam censui. Vt autem, quidnã cœlestis adeptus Philosophus sit, explanem, res ita se habet. Notum vobis est, Deum lumen naturale condidisse. Hoc verò vnius modi non est, sed multiplicis. Vnum naturale est, vulgarioribus etiam comprehensibile. Aliud non vulgarem, sed eruditum virum requirit, hoc tamen & ipsum intra naturæ limites conclusum. Tertium adhuc sublimiorem hominem, qui naturæ accuratam cognitionem habeat, exposcit. Sic natura in suo lumine se ipsa semper sublimior & excellentior est. Quod si ergo Philosophiæ adeptæ naturalis est conditio, vt non nisi cum exquisita subtilitate tractanda sit: multò magis conueniet id Philosophię adep. cœlesti, quæ nihil de eo, in quo versamur, disserit, sed de eo considerat, quod oculis nunquam aspeximus, sed omnis nostra spes eò vergit, quòd is, qui nos creauit, nolit nostri quicquam perire, sed omnia conseruari. Lumen naturæ a Deo cõditum. Philosophię adeptæ cœlestis circa quæ versetur.

ri. Hoc cum ipsius verbum sit, fas est, nos paulò quid altiùs, quàm hanc mortalem vitam, & eius Philosophiam adeptam curare, & ei, quod postremò considerauimus, ita prouidere, vt quiete fruatur, & suauiter domiat, ac in gaudio viuat sine afflictione, quando caro mortalis ab ipso separabitur. In mortali námque corpore quies quærenda nulla est, vt in qua miseriâ & ærumnis omnia squalent. Caro itaque quærenda alia est, in qua gaudium & exultatio sit: Tale inquam gaudium, quod, si Deo placet, placeat etiam nobis. Iam si etiam in lumine mortali multum sentitur gaudij, quod natura iis omnibus, qui ipsam sectantur, ex lumine naturę percipiendum offert per inuēta varia artificia, industrias, doctrinas, prudentiam, eruditionem & intellectum, &c. quot gradibus illud quæso altius erit, dum (quod in capitis initio dixi) alius in hoc, alius in alio illuminabitur? Vtut autem ista se habeant, si Philosophiam consideramus terrenam, deprehendimus vtique nos nihil esse aliud, quàm cinerem & stercus, adeóque nostra omnia rixis, dissidiis, miseriâ & eiulatu vndiquaque turbari. Si inquam, quales ex Adamo simus, seriò expendimus, quid aliud quæso apud nos ineniemus, quàm iram, inuidiam, mœrorem, odium, discordiam, denique totius vitæ nostræ statum planè plenéque afflictum. Quid ergo tandē in hoc corpore quæremus, in quo queri nihil potest? Quidue illi attribuemus sublimitatis, cum ipsius ne quidem capax sit? Et tamen per se æquūm est nos cogitare, quòd patientiâ omnia vincantur, donec mortale corpus obeat & secedat: post quam secessionem in corpore æterno quæri tandem id debet, in quo viuere desideramus, in eoque ea vniuersa compleri, quę Philosophus præcipit, hoc est, cogitandum est de paradiso, in quo nouus mundus viget, & alius fructus, ac aliud officium aliúsque ordo, alia vita, alius Dominus & pater. De isto loco philosophari, eáque Philosophiam nouo mundo prætendere non possum, nisi in lumine naturæ. Expecto tamen finem meæ spei & factæ promissionis, quàm primùm ad expectationis meæ symbolum per fidem in illum, & ad illum, qui me redemit, post resurrectionem meam illo loco cum aliis comparuero, & satis ista omnia expertus fuero. Ex quibus iam dictis velim ita statuatis, Philosophiam cœlestem eò directam esse, vt de eâ differere nihil possimus, antequam ipsi illic experimentum certum fecerimus. Isto tamen loco nihil ampliùs discendum extabit. Quilibet enim à Deo, non ab homine docetur, quod in hac quidem terra minimè fit.

Quid Medicina Cœlestis adepta, & quid adeptus Medicus sit.

[illegible]

COelestis & Mundana Medicina inter se distant, eo, quòd Mundana Adepta & non Adepta ex naturali ordine & virtute procedant: Cœlestis autem sine herbis & stellis operatur. Hoc ita accipe. Si Apostolus digitum capiti imponit, æger conualuit. Item, si mortuo dicit, *Surge*, tunc surgit & viuit. In summa, ex verbo Dei vires hæ omnes emanant, & verbum Dei virtutes has omnes in se continet, tantas quidem, vt in vniuersa Natura tantum virtutis non sit, quantum in vnico verbo latet. Virtus hæc est Medicina Cœlestis, præstans ea, quæ præstare Natura minimè potest. Hæc enim nec mortuos resuscitat, nec leprosos mundat, nec mortuo oculo visum reddit, nec mortuum profluuium sanat, nec mortuum morbum quocunque modo expugnat. Hæc tamen omnia Cœlestis Medicina per verbum efficit. Porrò autem sciendum est, Cœlestem Medicinam in terra nullum agrum habere alium, in quo nascatur, aut iaceat, quàm in solo nouo corpore, in quo verba omnia efficacia & felicis in hac terra successus sunt. Facit ea, quæcunque homo nouæ generationis, in qua vires conditæ sunt, expetit. In corpore enim mortali nihil operatur, sed tantùm in ęterno: nihil in Naturali, sed tantùm in Cœlesti. Itaque etsi homo quidem faciat ea, quę Petrus, Paulus &c. fecerunt: expendendum tamen ibi est, quod isti non in mortali corpore, aut ex eius viribus, sed in viuente corpore, à spiritu regenerato, talia præstiterint. Ex eo procedunt, in eo sunt, fiuntque vires eę. Et licèt vetus quidem corpus præsto etiam sit, nihil tamen cum illis commercij habet. Homo ergo ad seipsum attendat, vt Cœlestem Medicinam assumat, mortali ardētiùs amplectatur. Quod enim Natura hodie exstruit: id crastino iterum corruit. Nec quicquam tam solidi natura condit, quod mors non aboleat. In Cœlesti autem Philosophia mors nihil destruit. Is enim qui nouam generationem peperit deditque mortem ipsam quoque vicit. Itaque multò accuratiùs ea consideranda, nec in mortali tantùm corpore potentia illa inquirenda est. Hi quidem, qui ex ęterno sunt, in mortali corpore eam non quærunt. Qui autem ex mortali corpore sunt, suo corpori, hoc est, terreno ascribunt id, quod in æterna vita est, eique iure attribuitur: adeòque mortali corpori, quod variis phantasmatis sursum deorsum agitur, honorem hunc & potentiam effingere conantur. Obiiciemus exemplum. Quod ex virtute Dei Moses fecerat, idē ex sua arte sinister quoque Magus faciebat. Hoc tantundem est, ac si dicatur, voluisse ipsum in nouo corpore cōstitutum Moysen annihilare, ipsumque mortali corpori annumerare, quasi mortale quoq; corpus idem posset, quod posset viuens. Quia verò mortale corpus aduersus viuificum nihili est: hac de causa etiā Magi incantatoriæ artis contra Moysen nihil efficere poterant. Virtus enim viuentis corporis vbique prępollet. Sic etiam intelligi debet in Medicina operationem ex Cœlesti Medicina adesse, quæ naturalem omnem superet. Quod si quidem vulgaris Naturæ, terręve aut firmamenti Medicus Cœlesti sese æquare annitetur: nihil tamen efficiet. Cogitet is potius, Medicinæ suæ eandem conditionem esse, quæ fuit Magorum incantatorum ad Moysen collatorum. Mortua est nostra Medicina in Natura limi terrę. Medicina autem vitę consistit in generatione noua. Ex illo corpore verus & genuinus Doctor emergit. Doctor Naturalis adhibet *Arsenicum, Auripigmentum, Mercurium, &c.* in quibus mixtim sūt bona, mala, ipsa mors. Talia cōtinet

Cœlestis Medicinæ virtus ex verbo est.

Cœlesti Philos. a morte libera.

Medicina Cœlesti naturali superior.

Natura corporis mortalis. Æterni corporis vniuersa sunt salutaria,& nimis quàm optima.

Quid Mathematica Adepta Cœlestis,quid item Cœlestis ipsius Mathematicus sit.

IAm conuertite vos ad Mathematicam & Mathematicum sydereum. Hæc omnia etsi probè contemplemini,ac opera Dei impendio admiremini,omnia tamen nihili & nauci sunt. Sicut enim Salomon (licèt non ex seipso) hæc omnia vana & nihili esse dixit:ita reuera se res habet. Respexit enim ad mortale, non ad æternum.Si ergo locutus is de mortali est:id exemplo sit homini,vt nihil conetur ædificare super illud corpus,quod mera vanitate fluxũ est: sed potius exstruat super corp⁹ aliud à quo vanitas exulat.Postquam ergo Naturale in prioribus cognouistis: hic etiam supernaturale vobis expediendum est, quidnam sit Cœlestis Mathematica & Mathemathicus. Mathematica Cœlestis ita constituta est,vt de eâ exclamet Paulus: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei.* Quòd si ergo Paulus qui multa vidit,tanti eam æstimauit:cur ego præsumam fieri Geometra,qui demetiar altitudinem Cœlestis Firmamenti,& ipsius fodinarum, aut Cosmographiam) Si paulus inquit, *Quam incomprehensibilia iudicia eius*: cur de iis plura ego differam, cum sileat is, qui me multo plura vidit? Sed tantundem & me visurum cum( ) & conscientia,spero. Hoc iam hic expresse dico,quòd in Mathematica Cœlesti hic scribere aliud nõ possim,nisi quòd ex nouo corpore, & ex spiritu,qui in nouo corpore latet,omnia discenda & cognoscenda sint. Nam nouum corpus suum lumen habet etiam naturale. Æternum autem est nouum,& mortale vetus. Præterea mortale corpus æterni nullius notitiam aut experientiam habet. Oportet ergo simile versari in simili, sic omnia rectè succedent. Si verò de Cœlesti Mathematicâ dicendum sit, id commodè ita fiet. Si sublimitas Dei, & bona illius mundi conscientia noscenda est: debet id omne proficisci tãtùm ex corde, ex medullis, ex omnibus viribus nostris, eo modo, vt Deus ipse ad hæc cognoscenda nos illuminet. Ad certam quidem notitiam non penetrabimus, quæ impossibilis est non tantùm angelis ipsis, sed & nouo corpori. Tantum enim Deus sibi reseruat. Et de hoc notate exemplum. In naturalibus abscondita nobis sunt summa arcana, quæ expiscari minimè possumus. Quantò ergo magis is, qui naturalia sua arcana homini abscondita esse voluit, arcana sua cœlestia reticebit? Hoc autem ex lumine missi spiritus per naturalem sanguinem,in quo vermis conscientiæ latet, multa indicans & reuelans, dictu humanum est, debere nempe hoc cumprimis ab homine seriò expendi, quod multæ in regno Dei habitationes sint.Ipse enim Christus ait: *In domo patris mei multæ habitationes sunt.* Quæ enim mundo conditio est, vt multæ passim mansiones reperiantur, quarum semper alterius alia est natura, proprietasque: Sic idem etiam in regno cœlorum ita se habet. Cúmque oremus, *Pater noster qui es in cœlis*, ex eo conuincitur, Deum in omnibus mansionibus Dominum Deú nque esse, nec præter hunc quenquam alium. Cœlum enim & mansio vnum sunt. Hoc modò *Cosmographia cœlestis* intelligitur, velut & Geographia, quæ discriminis gratia *Cœligraphia* dicitur, qua homines etiam alij atque alij subindè cognoscuntur secundum naturam cœlorum, & mansionum, quæ variè distribuuntur pro voluntate Dei in æterno corpore nonæ generationis. Et hæc omnia perficientur pro iudicij seu sententiæ pronunciatione, vbi partes separabuntur, alia ad regnum Dei, alia ad infernum. Quemlibet autem sua opera sequentur. Et opera diuina ad regnum Dei concedent. Qui autem opera Pharisaica fecerunt, hi in æternam damnationem abripientur.

Terrena omnia vana.

Mathemathica nat. & cœlestis quo differant.

Mathematica cœlestis non tota perceptibilis.

CAP. V.

Quomodo virtutes cœlestes nonnulla membra faciant & constituant sine imploratione humana.

IAm deinceps sciendum est, non tantùm in dicta cœlesti operatione secundum prædestinatum odinem talia perfici vt sunt cœlestis Magica, cœlestis scientia, cœlestis Nectromantia &c. & sic deinceps: Sed insuper & hoc notandum est, cœlestia quoque dona esse, eáque non in prædestinata scientia, sicut nonnulla membra recensita sunt: sed alia ac totidem membra, quæ Deus ipse per se constituit, vt vult, cui vult, per quem vult, & quando vult. Cœlesti enim potestati suus ordo est, qui est *Fiat*. Hoc *Fiat* non tantùm instar imaginis est, sed *Fiat* est omne id, quod ad imaginem spectat, eique adhæret & cognatum est. Exemplo rem docebimus. Elocat quis filium suum, eique dotem assignans, in pactis matrimonialibus concludit, ita vel ita seruari contractum debere, hoc iam *Fiat* est: quo non intenditur tantùm ad coniugium sed ad dotem etiam,& pacatam vitam, mores amabiles, & similia. Sic & homo conditus est, vt ante omnia imago sit,& imago vna cum sapientia, plena gratiæ & veritatis. Hoc *Fiat* est. Hoc iam est *Fiat* prędestinatum, hoc est, quod *Fiat* adhæret, nec ab eo separabitur. In hoc *Fiat* in nouo mundo consistunt, qui noui corporis sunt, vnà cum nouem membris cœlestibus in prædestinato ordine. Porrò præter hanc prędestinationem liberum in Deo arbitrium est.Scriptura enim, *Spiritus*, inquit, *vbi vult, spirat.* Quæ verba hoc sonant. Si prędestinatio nõ sufficeret: Dei potestas quidẽ imminuta nondum est,sed is ipsemet est libera voluntas, nec præter ipsum alius quisquam, quæ vult facit,quæ vult,frangit.Is potest facere,frangere,prohibere,concedere, dare, auferre,&c.Hinc euidens est ex libero arbitrio Dei, quod in solo Deo est,quòd homini quidem extra prædestinationem attribuantur,& per ipsũ perficiantur multò maiora & admirabiliora, quã prędestinationis ordo complectitur.Deinceps ergo necesse est,talia quoq; deduci ex Spiritu liberi arbitrij, qui, quò vult,spirat, & quo spiret,aut vndè,nemo tamẽ nouit.Sic nimirum vniuersã Philosophia cœlestis ex fũdamẽto intelligitur,si velut in naturali lumine procedatur.Figura hęc lib.primo cõtinetur.Quod verò

Fiat est potestatis cœlestis ordo

cœlestis

cœlestis & Naturalis discrimen sit, deinceps in explicatione traditur, qualenam quodlibet donum ex libero arbitrio cœlestis artis sit. Vbi subnectemus etiam probationes, quas cum gaudio & alacritate aggredior.

Quid sit Diuinatio & Diuinator cœlestis.

SIcut in naturali lumine, diuinationis species sex sunt: ita totidem etiam in coelesti diuinatione numerantur. Et sicut lumen naturæ ipsum suas operationes manifestat, perque hominem arcana reuelat eiusmodi, quæ aliàs ab homine, nec cognosci nec manifestari queunt: ita coelum quoque in Donis cœlestibus idem perficit. Ponamus exemplum. Si coeleste quid in homine fieri debeat, coeleste autem id non habeat Prophetam, non Apostolum, non Legatum alium, qui aut ore aut re factoque illud expediat, tunc id specie Diuinationis fit. Quod autem diuinationis specie fit, id plerumque ambiguum & dubium cadit, ac pro instituto Dei ægrè intelligitur, priùs quã fiat seu factum sit. Sic apocalypsis est diuinatio ex ( )ex somniis, velut & sõnia Danielis & his similia alia, vt somnium Iosephi, iusti &c. Et peculiaris operatio est, quæ ( ) à Deo præsto est. Beatus qui eam intelligit. Caiphas ait *Melius esse vnum ex populo mori quàm populum vniuersum interire.* Sermo hic non ex ipsius intellectu promptus est, sed per sapientiam coelestem ille diuinauit. Sic si quis in coelestibus phantasias exerceat, illorum verò fundamentum non didicerit, tandem tamen ad fundamẽtum penetret, ita vt in animo, ac phantasia seu speculatione coelestis sit: Verum id quidem & rectum est, sed non intelligibile. Hoc enim modo multa sublimia Arcana & Magnalia Dei inueniuntur. Quæ tamen, quia nimis ardua sunt homo eas omittit, & negligit. Qualis picta imago in illius corde: talis quoque potest ( ) animus fieri, vt maiora præstet, quã animo possibile sit in corpore viuo, eundo in ignem, in mortem in angustias & exilia, in medios hostes, sicut Dauid ad Goliathum. Hæc omnia, sicut diuinatione comprehenduntur, ex potentia & virtute diuina fiunt. Si verò, ceu debebat, homo perfectus esset: tunc quoties vellet, talia præstare posset. Quia autem plus ad generationem veterem, quàm nouam inclinat: ideò vmbræ tantùm specie talia ei exhibentur. Vbi facta sunt, demum intelliguntur. Antequam fiant, sensu nullo eorum pollet.

Quid Cœlestia auguria, & Cœlestis augurator sit.

SIcut in lumine naturali Auguria ex Firmamento sumuntur: sic ex diuina ordinatione & reuelatione etiam fiunt in illis rebus, si Augurium pro instituto Naturæ operationem suam perficit. Nimirum per Auguria aues se ingesserunt, de quibus satis iam dictum alibi est. Sic aues etiam à Coelo æterno reguntur, per quas Augurium fit. Similiter & alia animalia, monstra, &c. vt Asinus Baalami, &c. Sic & hoc Augurium est, quod interdum aues quoque apparuerunt, speciosę & deformes, &c.( ) non ex natura, sed ex cœlesti reuelatione, pro signo & confirmando vlterius hominis intellectu, quem is habet, aut habere potest. Nam quia noua generatione homo satis indutus & ornatus non est, horum intellectum solidum non habet, sed obiter & quasi per transennam saltem illa asspicit, nec asspicit tantùm, sed plerunque etiam comtemnit & irridet, sicut ipse quoque Christus à Iudęis contemptus est, quasi dicerent: Cur non veros Prophetas & Apostolos Deus ad nos mittit, qui ore eloquantur, quid Augurium portẽdat? Nec cogitant fatui, Prophetam ipsis nullũ missum iri. Si nolint legere veteres, sed illos negligant & careant. Plerũque enim, quæ Deus ex peculiari amore largitur & ordinat ad informationem hominum, quàm maximè ea negliguntur, comtemnuntur, eluduntur. Nec Magnale tale pluris æstimatur, quàm æstimatus Christus fuit à Iudęis, dicentibus: *Si filius Dei es, descende de cruce: alios sanare & saluare potes, non teipsum.* Itaque quò quodlibet apud Deum maius est: eò apud homines est abiectius & contemptius. Hinc à Deo gratia hominibus subtracta & obscurata est. Cęterum, magni ista talia fieri debebant. Sunt enim prodigia minimè fallentia, adeóque sedulò obseruanda.

Quid sit Ebriecatum Cœleste & Ebriecator Cœlestis.

QVa ratione in lumine Naturę à vino homo inebriatur: ita idem inebriatur etiam ab Astris, omnia occulta effutiens, & longè se doctiorem putans, ac est alio tempore ieiunus seu sobrius. Vino autem euicto & excocto, ac Astris elapsis, ad seipsum ac naturam pristinam redit, præteritorum nihil memor. Simili ratione in homine est etiam *Ebriecatum cœleste*, cuius vi homo loquitur, nec tamen seipsum intelligit, etsi ardua proferat. Hoc modo multi ex viribus cœlestibus somnij specie diuinam sapientiam elocuti, seipsos minimè intellexerunt. Talis fuit *Iesus Syrach Cœlestis ebriecator*, ac Salomon. Hi enim seipsos non intellexerunt, ex ebrietate & vino cœlesti locuti. Donec ebrii quidem essent, seipsos intelligebant. Vino autem eo excocto aut subtracto nihil actorum recordabantur. Hac occasione ipsi etiam Apostoli, cùm à Spiritu sancto incitati concionarentur, à populo musto & vino temulenti dicti fuerunt. Sic ergo Spiritus sanctus in operatione sua vinum & mustum esse intelligitur. Sciendum autem est, quæ vi cœlestis musti dicuntur, ea cœlestem esse sapientiã. Quod vi vini terreni dicitur, terrenum est. Hoc iam variis modis accidit. Nonnulli in lumine Naturæ Maniaci fiunt, ac multis modis à solita naturali sapientia deficientes delirant, communique opinione deserta, sententias nouas sectantur. Similiter & Inebriecarii cœlestes aliter ac aliter sese produnt, vt temulenti & vino pleni esse videantur, cùm tamen tales non sint, nec biberint. Huc facit illud, quod obiectum Christo est. Dęmonium habet, &c. quasi dæmonium ex ipso loqueretur. Cum verò sapientia loquatur diuina, non Diabolus, non vinum: iudicare de his homo non debet, nisi sciat, quis loquatur, & quid dicatur. Et cum hominis ea imbecillitas sit, vt nolit ex nouo corpore loqui, sed malit garrire ex veteri: hac de causa intellectu suo orbatus est, & ea facit, quæ ex terra ipsi cõgenita sunt, quæque ipsum ad damnationem agunt. Homo enim etsi quidẽ terrenus sit: sub æternæ tamen pœnę intermitationem regno cœlesti operá dare debet. Sunt non pauci, qui

Ebriecatum coeleste quid.

Iesus Syrach qua ex vi locutus sit.

Spiritus sancti operatio musto confertur.

qui ex cœlesti ebrietate locuti fuerunt. Sed ruditas populi ea non obseruauit. Vt ergo per aurem vnam illa admiserunt, sic per alteram iterum emiserunt, nihilque in hominibus reliquum mansit, sed in lapides & sentes omnia ceciderunt.

Quid cœlestis sit Inclinatio & Inclinator.

CÆterum, vt &, quid inclinatio cœlestis sit, compertum habeatis, cogitate apud vos, quomodo Astra influant, & hominem ad peculiaria quædam inclinent, quibus oblectetur ille. Sic alius ad metalla, alius ad lapides, alius ad ligna alius ad agriculturam, alius ad venationem singulari impetu & amore rapitur. Per huiusmodi amorẽ ab homine conceptum, influxus & inuentio excitatur, qua excogitantur & proferuntur varia, sicut hoc modo artes omnes inuentę & erutæ sunt. Eodem modo etiam à cœlo eterno, similis Influentia & Inclinatio fertur in hominem, ita, vt inclinetur alius ad hoc, alius ad aliud donum & studium, prout Deus quemque ducit. Ipse enim est Inclinator, & ex amore hominem inclinat. Sic alius amore rapitur mortis Christi, alius eius crucis, alius resurrectionis, alius doctrinæ, alius huius vel illius Euangelij articuli, vt hoc modo quilibet articulus suum peculiarem amatorem habeat. Sic symbolum nostrum inter duodecim discipulos articulatur. Sic quadruplici modo Euangelistę scripserunt. Sic peculiares etiam, & à cęteris diuersos articulos ipsi inter sese Prophetæ habuerunt. Similiter sunt etiã Inclinatores ab Inclinatore summo, vt hic capiatur amore huius ( ) in nomine Christi, alius alterius, &c. Vniuersi autem ex Deo, & in Deo. Præterea hic inclinatus est ad considerationem cœlestis symphoniæ, alius ad expendendum initium mundi, alius ad perscrutandum ea, quę ante conditum mundum fuerunt. Alius considerat Trinitatem, alius virginem Mariam, aut Angelos, aut Infernum, aut Spiritus. Quicquid autẽ horum quilibet meditatur & expedit ex inclinatione, id omne ab ordine diuinitus dato proficiscitur, qui non vult, vnum solum onus omne suo dorso baiulare, cæteros autem otiosos astare. Iubet imò, vt quisque suam crucem suscipiat, & ipsum sequatur. Sic fiet, vt sapientia diuina cognoscatur in omnibus habitationibus, articulis, moribus, naturis, Essentiis, &c. à quolibet scilicet aliquid. Hi autem omnes iuncti sunt Ecclesia, cuius caput est Christus, fundata scilicet super Petram, quã Diabolus non concutiet. Et sicut Petrus victus non fuit, sed in suis donis perfectus inuentus est: ita ipsi simile nos quoque esse debemus. Petrus enim super Christum ædificatus est. Christus ea Petra est, & Petrus manet in Petra, vnde etiam Petrus vocatur, sicut homo appellatur ab humo, in quo is manet. Hoc modo Inclinatio cœlestis, & Inclinator cœlestis intelligi debent.

Inclinator cœlestis quis.

Ecclesia quid Ecclesię caput Christus.

Christus est Petra.

Quid cœlestis sit Impressio, & Impressor.

HIs iam enumeratis proxima est Impressio. De hac ex lumine naturæ iam dictum satis est, Impressionem cogere, impellere, & instigare. Vbi Impressio dominatur, ibi falsum est Prouerbium, *Vir sapiens dominabitur Astris.* Impressio enim est res necessaria. Sic oportet esse ferrum, quod fit per impressionem, non per inclinationem. Cuprum oportet esse: eius mater impressio est. Aurum oportet esse: hoc filius est impressionis. Impressio enim facit lapides, metalla, herbas, omnia. Si talis est impressio in Natura: similis est etiam in cœlo, quę & quomodo vult. Cœlum est Impressor. Opus est impressio. Hæc per quod fit, est *Athanat.* Sic ergo (.) qui hæc omnia in vno quolibet secundum suam essentiam facit. Sciendum autem porrò est, quod etiam coelestis impressio sibi proponat id, quod placet, & ex eo faciat, quod visum est. Ita sydus sumit Mercurium, Sal & Sulphur, & ex iis metalla facit. Sumit sibi semen, & facit, vt, quod in ipso conditum est, perficiatur. Nihil enim fit ex quoquam, nisi id in se semen contineat. Cùm ergo Natura hoc faciat, & semina in se creata habeat, sine quibus nihil efficere ea potest. Sciẽdum porrò est, semina etiam creata existere, in quæ Impressiones coelestes per Impressorẽ operentur. Sed dictum habemus Christi, quo ad Petrum ait: *Cingeris Petre, & cogeris facere, quod non vis*, quasi diceret, *Tu iam semen es, ex quo plantem, quod volo. Si semen es, me non te sequeris, proiicieris, non in saxa, non in vepreta, sed in agrum bonum.* Sic ergo inuiti trahuntur, qui nolunt. Sic tamen oportet fieri, quia Impressio adest. Ponamus aliquem semen esse ad paupertatem destinatum. Is etsi totius quidem mundi thesauros inueniret: cogeretur tamen mendicare, aliis thesauros inuentos deuorantibus. Sic Lana detrahitur ouibus. Ita quodlibet sua sorte contentum esse oportet, nec eam facilè declinare potest. Hæc est Impressio coelestis & homo est semen. Si inclinatus est, agit secundum inclinationem. Inclinationi enim suũ liberum est arbitrium, quam homo sequi potest, vel non potest. Impressio autem coactionẽ habet. Sic tu ad hoc idoneus es, nemo alius. Hoc ergo facies tu, non alius. Hinc iam patet, quid sit Inclinatio, quid Impressio, &c.

Impressio est necessaria.

Athanat, &c. Sine semine nihil producitur.

Quid sit generatio, & quid generatum Cœleste generet.

SIcut generata habemus ex 4. elementis: ita generata habemus etiam in hoc mundo, quæ nos alunt, & corpus nutriunt. Corpus enim duplex beati habent: Mortale & Æternum. Vtrumque cibari necesse est. Mortale cibum suum petit è mortali: Æternum ab æterno. Corpus mortale quomodo cibetur, perspicuè satis in primo libro iam traditum est. Corpus alterum cibum suum petit, ac omne alimentum ex æterno, ex quo constat. Quodlibet enim in eo, ex quo constat, suam oblectationem, habitationem, & nutritionem habet. Sicut autem constat de figura in prodigio exhibita, quòd maiores nostri de Manna ederint, & de rupe biberint, ita sciendum etiam est, nouo corpori terrenum nihil dari, sed illud à solo supernaturali cibari. Tale fuit Manna, panis cœlestis, & aqua à Moyse ex Petrâ extracta. Hoc modo nouum corpus è supernis cibum ac potum suum accipit, nimirum panem vitæ, qui de cœlo descendit. Iam verò æterni regni corpus cognationem nullam habet cũ terreno

Beatorũ corpus duplex.

terreno cibo potuque, hoc est, cum generatis ex quatuor Elementi cibis, sed cibatur illud extra omnia Elementa ex Spiritu. Ex quo nona generatio procedit, ex eodem procedit etiam nonę generationis nutrimentum. Is enim est *Paradysus*, est Ebron regenerationis, in quo crescunt omnia, quæ nouo corpori debẽtur. Is ergo qualis cibus potúsque sit, & quomodo mortalibus oculis absconditum est, ac per solam sapientiam intelligi debet. Hanc qui accepit, nouit etiam illius alimentum. Sapientia hæc imperatur ab eo, apud quem conditur. Apud hunc de ea solicitandum, orandum & pulsandum est, vt conscij fiamus æterni, nec in mortalibus voluptatem nostram quæramus, sed cognoscamus potius vtilius & nobilius, cibum nempe morbi expertem. Quæ de generatis cœlestibus noscenda sunt satis iam explicauimus hoc loco. Sic quę supersunt, quæ dubium aliquod mouere possint, ea in probatione decidentur. In futuro namque mundo nulla terra, nullus ignis, nullus ventus erit, sed tantum *Ebron* (   ) Essentia & placida vita, ac veluti ex omnibus cœlestibus gaudiis extractũ quoddam, instar Margaritæ.

Quid Cœleste inanimatum, & quæ eius origo sit.

IN lumine Naturę cognoscitis, aliquid vtique existere, quod ex Adamo quidem non est, sed tamen hominibus simile est. Sic etiã in illo mundo aliquid erit, non ex hominibus quidem natum, sed tamen hominibus simile. Sunt nimirum Nymphæ, sunt Pygmei, sunt Sylphes sunt Gigantes, &c. de quorum ortu in primo libro satis dictum est. Inter illorum & nostram naturam discriminis multum intercedit. Aspicite Nympham, & cum ea fœminam ex Eua conferte: ibi vtriusque discrimen videbitis. Aspicite Gigantes, & nos Adamicos. Videte, quæ diuersitas sit vitæ Nympharum in aquis, & nostræ in aëre. Sic distant à terrenis nobis etiam, qui in montibus versantur & degunt. Similiter & inter corpus nouũ & vetus Adamicum, quantum discrimen sit, euidens est. Eodem modo & in futuro regno alia ac alia creata erunt, ab hominibus diuersa & discrepantia. Talia possunt esse Angeli, sicut dici solet, nos similes fore Angelis, sed nõ fore Angelos. Et res eadem est, ac si Nympha aut Lemur (   ) aut simile quid aliud ad nos accederet. Nam & nos ita ad Angelos veniemus, & ipsis similes erimus, sicut dicta inanimata similia sunt nobis. Ibi tamen terrena mortalisque natura & conditio nulla futura est, sed æterna & perfecta creatura. Accessus tamen istius nostri ad regna cœlorum ex hac terra, eadem ratio erit, quę est, si Pygmæi ex cauernis & scrobibus ad nos proreparent. In cauernis enim lumen nullum est. Et illorum oculi in terra, similes sunt oculis talparum, vt Solis radios ferre non possint. Si in Solem illi egrediuntur, vltra omne Paradisum illis est. Porrò Inanimata animam non habent. Animas autem habemus nos homines, pro quibus Christus in cruce mortuus est. In nouo autem corpore animæ amplius non vocamur, sed homines. Anima enim, & sanguis caroque vnum sunt, quod separari non potest, sicut (   ) à niue aut frigore. Sed quamdiu in terra versamur, anima vocatur, corpus enim hic ab anima separari potest, vt anima solitaria sit. Si resurrectionis particeps est, à Spiritu sancto corporata est. Si resurrectionis particeps non est, iam Deus nouit, quis ipsius exitus, quis ploratus & dentium stridor futurus sit. De mortuis autem, vt scribam, mandatum non habeo, cùm penes illos nec gaudium, nec salus sit. Scribendum est de illis, quorum est resurrectio. Scriptura quidã loquitur de *Animabus Sanctorum.* Sed hi sunt illi sancti, penes quos mortale adhuc est, qui nondum resurrexerunt, sed diem domini expectant. Post resurrectionem Imagines Dei sumus, sumus homines diuini & creaturæ cœlestes.

Vitæ æternæ quis futurus sit. (left margin, partly cut off)

Quid cœlestis Meteorica, & Meteoricus sit.

CVr de cœlesti Meteorica doceam, admirationi vobis ne sit. Pro causa nobis est series luminis naturæ, quod iam ante explicatum est. Cœlestis autem Meteorica duplex est. Altera cum terrenis hominibus Medium quærit: altera cum æterno corpore, quod Medium non sit, conuersatur. Nam (   ) est Medium, sed tantùm in mortali. In æterno similia omnia sunt, filij, fratres, &c. in terra: non fratres, si voluntatem cœlestis mei Patris non facturi estis. Ea si fit; iam fratres sumus. In illo ergo mundo medium nullum est. In hac autem terra in lumine naturæ, & in lumine cœlorum medium habemus, donec resurrectio fiat. Hæc eò dico, vt sciatur, in Meteorica cœlesti operationes geminas esse: vnam scilicet, in hac terra, & alteram, vlterius quàm hanc terram concernentem. Iam naturalis illa est, quæ in motu naturæ aliud indicat, quàm cursus naturalis secundũ suum ordinem dictat, hoc est, sua signa exhibet, sed tamen omnia ex natura promit. Cœlestis verò supra naturam est. Qua de causa diligentiùs etiam considerandum est, hanc Meteoricam donum esse, non scientiam. Nec enim nos hanc scientiam callemus, sed à solo Spiritu sancto ea manat. Vbi is sit, vos iam plerique nescitis. Sicut enim nescimus, vnde veniat, & quò vadat ac tendat: ita pariter etiam ignoramus, in quo versetur, ex quo procedat, aut per quem veniat. Quod si ergo per naturalem ordinem constat aliquid de iis, quæ per naturam fiunt, sed ipsius intellectu capi satis non possunt: iam hinc concluditur, in cœlesti Meteorica aliud & diuersum esse. Ponit ipsa signa *in Solem, Lunam & Stellas, & Populum*, quæ (al. Meteorica) Mathematica omnium maxima est. *Mathematica enim totius Astronomiæ compendium est. Iam verò Meteorica cœlestis nihil aliud, quã verba Christi intelligere docet, quæ hęc sunt: *Erunt Signa in Stellis, & in populo pressura, &c.* Hęc ita euenire, in cœlo decretum est. Qui enim nos redemit, finẽ etiam prædixit. Beatis quidẽ signa ea proposita sunt pro admonitione: dãnatis verò pro annunciatione pœnæ. Sed operæ pretiũ est quî signa illa appareant, & quid denotent, deinceps explicari. Hîc enim Meteorica cœlestis sicerta est, quam nemo nisi beatus, & salutis certus cognoscere potest. Et tamen de eâ disserere nihil potest. Quid ergo de ea scribam ego? Signa autem ea, quæ fient in Sole, Luna, Stellis, popu-

Meteorica cœlestis est duplex.

Cœlestis Meteoricæ operationes geminæ.

populo,&c. & quæ ista à Christo prædicta sequentur, oculis nostris abscondita erunt. Solus is ea scit,cui datur. Et sicut tempus diei nouissimę nemo nouit, & ne filius quidem, sed is tantùm,cui pater id dedit:Sic etiam, quæ cœlestis Meteoricæ sunt,quid signa dicta in Sole, &c. significent,nemo scit, nisi cui Deus dedit. De Meteorica itaque cœlesti hic aliud dici non potest,quàm ipsam omittendam, eiúsque intellectum petendum esse ab eo, qui ipsum habet, & aliis impertire potest.

De Cœlestibus ægrotis,& eorum Medico.

NAtura ipsa probat nonnullos esse morbos, imò non aliquot, sed omnes peculiarem naturam habentes, vt naturæ futurum institutum, tempestates,pluuias, niuem, ventos & similia præsciant.Iam ea naturæ est potentia, vt hominem gubernet,& ex eo in damnum proprium Prophetam faciat. Porrò ipsa quoque Natura ægrotos producit, & illis suum addit Medicum, & insuper aliquot etiam socios.Eadem ratio etiam cœlestium est. Cœlestes morbos nulla natura sanare potest,nisi cœlestis.Iam patet,cœlestes morbos in terra vigere. A terra autem non sanantur, sed tantùm à Cœlo.Sic si Donum aliquod indicant à Natura ex cœlo promptum, si quis ægrotus à cœlo grauatur: tunc morbus iste presagium est, directum ad illum locum, quem respicit. Porrò vsu receptum est,vt dicatur, *Hic est S. Valentini morbus.* Is Valentini non est,sed est eius, qui ipsa laborat. Si huius est,& non appellatur secundũ nomen id, secundum quod apellari debet, sed appellatur nomine cœlesti:iam huius morbi cognoscendi ratio alia quàm naturalis est. Cùm enim tot dona & species concurrant, hæc rectè cognosci opus est. Ipsum enim nomen probat, hoc loco aliud esse, quàm esse debebat. Cùm ergo natura suos morbos modis multis exhibeat,per tempestates,pluuiam,niuem,&c.hinc colligi debet, in illis etiam morbis, quos Deus infligit, verum & proprium nomen homini nõ semper indicari, sed vt ipse illis nomen imponat, liberum relinqui. Quilibet enim ex nomine seu appellatione hominum, vnde morbus sit, cognoscere potest. Vltima ergo explicatio hæc sit. Ex naturalibus morbis discitur, qualis astri cursus sit. Iam si hoc in impossibilibus verum est, penes Deum etiam ita erit, vt ex morbis,à Deo inflictis cognoscamus, quid Deus moliatur ac minetur. Ægrotus tempestalis, pluuiam niuémque &c. præsentit. Sic & ægrotus cœlestis, quid animi Deus habeat, nouit: ab hoc tamen temulentus fit, & ebrius, vt id eloqui nequeat. Hoc discrimen est inter æternum & mortale. Et gemini morbi sunt: quorum vterque sui genitoris,naturam ac proprietatem prodit.

Quid cœlestia sint Noualia: quis item sit, qui ea intelligere doceat,

SIcut natura noua profert, ex quibus, qualem se præstitura sit, prænoscatur, ceu iam antè de naturalibus Noualibus dictum est: ita sciendum est, etiam in cœlestibus operationibus Noualia fieri & sese exerere.Quod Naturæ per creata indicat & prænuntiat:id cœlestia Noualia indicant per verba. Sicut autem Natura adhortatur hominem, quoties ei aliquid ostendit in suis,creatis, ipsius oculis obuersantibus: ita occulta quoque operatio in homine à viribus cœlestibus fit, hominem tacitè vellicans, ita, vt obiter & fortuitò in scripturam incidat, ibique aliquid offendat, quod legat, atque attentiùs quàm alia meditetur & euoluat. Hoc modo quicquid inuenit, certum Nouale est, quod ita euenturum sit. Probemus exemplo. Pono, lectitare quendam in Bibliis sacris, & incidere in dictum Prophetę Amos cap. 6. *Væ vobis diuites &c.* Iam si lectori strenua & pertinax sententia oriretur, seriò,quidnam id & vnde esset meditandi: pœnam diuitibus immissum iri, certum est. Idem fit,si aliud etiam inueniat.

Porrò si *Noualia* huiusmodi quocunque modo incidant, timorem in populo suscitant. Si autem causa dependet ex scriptura,vt diximus, *Nouale est*, certo euenturum, vt si legatur, *Væ vobis Scribis, Hypocritis,& Pharisæis*, iàm hic sensus iste est: Si verbum æstuat, hi attinguntur, qui in Euangelio nominantur. Qui indicantur, hi sunt Scribæ, Hypocritæ, Pharisæi. Insuper si talia fiunt, plus subinde damni sequitur per signa, quæ huiusmodi Noualia confirmant, eaque plenè indicant ac intelligenda offerunt. Cœlestis ergo Noualis probè memor esse debet, quònam amor eius vergat,aut quò ipsum spiritus rapiat. Hinc enim constat, singulare quid loco illi euenturum esse. Huiusmodi sunt Cœlestia Noualia, in solis Reformationibus, ex diuina prouidentia institutis apparentia.

Et his quidem, non tantùm naturales vires sed etiam cœlestes in nobis operantes describi, consultum mihi visum est: non quòd hęc sufficiant, sed vt pars secunda constituatur, quæ deinceps duabus adhuc aliis partibus cõplenda erit. Cùm enim contra hominem quatuor viæ ineantur, seu quatuor is modis inuadatur; proponi hæc talia opus fuit,vt sciatur, qua tandem ratione is viuat conuersetur & ambulet.Et sedulò danda cura est, vt ne nimiùm natura amet,sed amet adeò, vt etiam Cœlesti plus voluptatis & amoris offeratur, nec hæ saltem duæ in sese ita perficiantur, sed etiam pars tertia perfecta sit,nimirùm viresex fide procedentes, vt hæ sine medio integrę perfectéque penitùs ipsis rebus & factis sint. Cũ ergo ad horum trium præscriptum nobis in hac terra viuendum ac ambulandum tempúsque deterendum sit: hinc emergit occasio, cur Satanas hominis odio flagret, quia scilicet contendit ad illa loca homo ex quibus Satanas expulsus est & quod nobis regnum promissum est. Nihil ergo is intentatum relinquit,vt nos in irã Dei coniiciat,ac omnes homines promiscuè sibi similes faciat.Quod vt impetrare possit,vias varias aggreditur.Vt nos decipiat,operaNaturę velut etiãCœlestia adulterat,& sedulò vbiuis id allaborat, vt nos à recto seducat. Satan cur h[ominis] hostis.

Signa ergo operatur in Natura, in fide,sed omnia spuria.Hæc qui ab illo instituantur, volum.4. exponitur.Mihi propositum est persuadere, Deum id daturum esse, quod suum est:& suum etiamDiabolo attributurum esse,hoc est, daturum esse nobis intellectum, cuius agitatione scire possimus, quæ à Deo, quæ à Diabolo

bolo fiant, vt vtriusque opera discernantur & cuilibet, quod suum est assignetur. Sic in nouo corpore sumus Dei: in corpore mortali sumus carnis, hoc est iustitiæ Naturalis.

Cæterùm iam deinceps proponendæ erunt probationes Cœlestium membrorum & donorum, vt declarationibus suis conuenire omnino videantur. Eas in sequentibus ordiemur, vt Lector intelligat, contra scripturam nihil adduci, sed omnia depromi ex Dei verbo, & eius doctrinâ ac illustratione, quæ ex Deo & æterno paracleto procedit.

CAP. VI.

Probatio in cœlestem Magicam & Magum.

ANte omnia rectè cognoscendum est, quidnam Magica sit Cœlestis. Oritur ergo ex virtute diuinâ, primò. Deindè, quod Moyses fecit idem faciebant etiam malefici. Hinc iam multiplices esse Magos constat. *Est Magus Naturæ*, vt dictum est. *Est Magus Cœlestis*, qualis fuit Moyses. *Est Magus fidei*: Tales sunt, qui per suam fidem conualuerunt. *Est Magus Infernorum*. Tales sunt malefici, quos præsenti exemplo cum Moyse allego. Probaturus autem hic Moysis saltem Magicam sum, & Magicam eorum, qui Moysis more Cœlestes Magi sunt, rem in id collaturus, vt demonstretur Cœlestem Magicam non artem, sed potestatem diuinam esse. Si Deus ait: Hoc fac: & si id is facit, cui dicitur, iam omne factum est. Probari autem facilè potest, id, quod Deus vult, necessariò fieri, modò fides firma & non ambigua sit, qualis fuit Abrahæ & aliorum. In hoc vno rhombus versatur, vt; quod Deus iubet, firmiter credamus, ita esse, non aliter. Quicquid ergo ex mandato Dei fit, per fidem eius, cui mandatur, id huius Magicæ est. Sic, quod filij Israel sicco pede per mare transierunt, factum est per fidem mandato Dei fultam. Pharaoni autem hæc Magica data non erat: vnde etiam cum suis submersus periit. Quòd vellus Gedeonis madidum & siccum euasit, Magicum fuit. In ipso enim vigebat fides, credens, quæ Deus iuberet, malè cadere non posse. Quod Ionas in ventre piscis iacuit Magicum cœleste fuit.

Moyses qualis Magus.

Hæc ergo Magicæ Cœlestis probatio est. Quod Deus vult, fit per medium illud, quod fides est. Quid ergo est, quod fidei resistere possit, cùm creatura Dei simul adstet, & per creaturam fides, velut etiam eius virtus ac debitum roboretur? Ita Helisæus, qui vrsos creauit, vt filios deuorarent, Magus erat. Ex fide enim, quam ille in Deum iactabat, vrsi supra naturam producti sunt, vt filios laniarent. Huiusmodi multa in veteri testamento ex Magicâ cœli designata fuerunt, omnia cumprimis bella ferè, & miracula similia alia, sicut aliquot iam Magica opera enumerauimus. Tales Magi fuerunt etiam in nouo testamento, & vel dum hodie sunt, vt Christiani, vt Magi ex Oriente, Saba, & Tharsis. Ita enim scriptura dictat, ipsos non ex vnâ regione, sed ex tribus diuersis Insulis confluxisse. Vnde conijci potest, magnam passim hominum copiam hanc Magicam operationem secutam esse: & non tres saltem hos Magos, sed plebem vniuersam ex Herode quæsiuisse, vbinam Rex Iudæorum natus esset. Non enim naturali intellectu impulsi sectati sunt stellam, quæ Christi Cœlestis ascendens fuit: sed præcepto Dei, cui crediderunt, acti infantem visitârunt, & Magicè equitârunt, vecti sunt, & ambulârunt, quod iam adeò præcisè sciri non potest. Ars Magica sola per Deum auriga & Comes fuit. Sic etiam ficus, cui maledixit Christus, Magicè exaruit. Præsto enim præceptum fuit Christi. Cui cùm Natura crederet, arbor exaruit. Si enim ad Naturam conuersus Deus dicat: *Tolle te mons in medium mare*: tunc mons credit, quòd extra creationem suam sese inde emouere, & in mare præcipitem dare queat. In Naturâ enim est fides, quæ terrena est, & Deo sui creatori credit. Terrenus homo, qui nouæ generationis non est, credit & ipse in Deum, quòd omnipotens sit, vt, si dicat morere, moriatur ipse, hoc fac, facere cogatur. Hæc fides similis est illi, quam habuit ficus, carens amore, carens spe, carens opere: estque mera & simplex fides, quam omnes lapides habent. Cùm Deus inquit: *Crescite & multiplicamini, &c.* Caro id credidit, & mandatum fecit, sine vlteriore consideratione perfectæ fidei, in fide scil. Naturæ, non in fide beatitudinis. Cum tempore Iosuæ Deus Solem ad Gabaon statueret seu inhiberet, factum id est Magicè. Deus enim Soli id imperauit, Solq; credidit & fecit, stetitq;. Sed ista fides solius est luminis Naturæ, quæ etiam in terreno homine inuenitur. Hæc iam Magica attendenda non est: sed considerанda est Magica Cœlestis noua. Vetus enim Magica Cœlestis finita, in Christo & Ioanne Baptista desiit: & noua deinceps agnosci debet, à Christo scil. vsque ad diem extremum iudicij. Cœlestis hæc Magica iam nobis est Magica Beata in nouo testamento comprehensa. Quod Magica noua operatur, in eo est Beatitudo, vt cum Christus sanans dixit: *Fides tua te sanauit, surge, &c.* Hæc sanatio non ad corpus tantùm pertinuit, & illius bona, sed & ad animam. Item, post Apostolos & ascensionem Christi hactenus similes Magi, sancti & pij viri multi fuerunt, per quos Cœlestem Magicam Deus mirabiliter perfecit. Talis fuit etiam Samuel, qui lacum intactis ab vndâ pedibus transiit, & alij plures, qui nane ipsius mare transnauigârunt. Item illi, qui per verba inimicorum suorum corporibus stigmata impressêrunt, tamdiu durantia, quamdiu durauit illa familia. Multis enim familiis hoc modo maledictum est, vt stigmata illis adhæserint, donec totus ille sanguis interiret. Horum multa per Cœlestem Magicam patrata sunt, & hodie adhuc patrantur non minus ac primo die, si Deus sanctos & pios homines habet. Is enim immortalis est in suis operibus, & in suis Sanctis, iugiter ac continenter operans per viros & fœminas, iuniores & seniores, modis & speciebus planè multis. Sed sciendum est, huiusmodi Cœlestem Magicam fieri etiam per defunctos, vt scilicet ipsa monumenta & sepulchra, &c. Magicas operationes edant. Et hæc causa est, quod sancti sint immortales. Nec enim ista facit corpus terrenum, quod terra est. Cæterum quia vniuersorum resurrectio die vno futura est: tantisper illi à nobis separati non sunt,

Naturæ seu terrenorũ qualis fides.

Fides etiam in lapidib°.

Cœl. Mag. vetus in quo desiit.

Cœl. Mag. noua quando incepit.

Magia stigmata inurens.

Magi ex Oriente &c.

Magica sepulcro &c.

sunt, sed, quæ fecerunt, dum adhuc in viuis, hoc est, in mortali versarentur, eadem iugiter & instanter facere possunt. Hic tamen discrimen aliquod est inter virtutes sanctorum, dum in terreno corpore consistunt. Ex hoc enim digressi, non amplius tam puri ad populum intellectus sunt, ac fuerunt in corpore terreno. Hinc etiam ex tali simplicitate terrenum corpus plus præstare potest ad emolumentum hominum, quàm postea: hoc est, corpus separatum corda hominum melius internoscit, & scit, an illa in hoc vel illo obtenturum sit, vel non sit. Si fieri bonum est, fit. Sin minus, non fit. Viuens autem sanctus in terreno corpore cognitionem illam non habet. Multa ergo facit, quæ minime faceret, si sciret. Sic etiam propter Magicam cœlestem sancti in terreno corpore ab igne, ab oleo & similibus intacti & illæsi manserunt. Quæ omnia probant, hominem si Deo placeat ( ) diutius viuere, quàm si non placeat. Ipse enim vitæ præest, nec mori finit, quando terrenus homo vult, sed quando ipsemet vult: nec permittit: quam mortem homo eligit, sed quam ipse destinat. Quæ autem absolutè & simpliciter in hominis manu & voluntate sita sunt: ea non semper bona signa aut indicia haberi debent. Deus enim sanctos suos aliquandiu sustinet, & à multis casibus eos eripit. Talia ergo signa vel non signa probè consideranda sunt. Porrò autem operam dare debemus, vt Cœlestem Magicam altiùs expendamus. Eam enim si contemnimus, ingens gratia Dei à nobis sublata est, nec minùs ipsis Iudæis cœci sumus, qui in mediis signis & miraculis insolenter Deum despexerunt. Hinc iam æternam maledictionem circumferunt. Idem accidit vniuersis etiam cœcis, à quibus Deus cognitionem suorum Sanctorum sustulit, quique ipsius opera minimè agnoscunt & considerant. Hâc de causâ, Cælestis Magica probè ac seriò ruminanda est. Ex ea enim indies deprehendemus ingentia miracula, quæ Deus edit, vt sunt terræmotus, cataclysmi & alia, quæ Magica signa sunt. Ex Magicâ Cœlesti plura, quam Natura potest, proficiscuntur. Et quoties tale quid apparet: toties calamitas aliqua sequitur, de quâ nullus Astronomus ex lumine Naturæ prædicere potest. Potest autem is qui in lumine cœlestis proprietatis versatur.

Mag cœlestis cõtemptus fugiendus.

Probatio in Nigromantiam Cœlestem, & Cœlestem Nigromanticum.

COeleste à terrenis hominibus probari non potest, nisi per Cœleste. Et Cœleste in nostro intellectu plus non est, quàm quantum videmus. Demus exemplum. Quis in terrâ Christum cognouisset, nisi per opera? Hæc sola terrenum hominem excitant. Quis spiritum sanctum nosset, nisi is per Apostolos ignitis linguis locutus esset? Quis Christi doctrinæ & Euangelio crederet, nisi per opera stabilita fuissent? Ea enim doctrina non est, quæ non facit opera. Nisi ex pari coniugum liberi nascantur coniugum id inutile, nec voluntati diuinæ conforme est. Sic & iste nauci Doctor est, cuius doctrina, & doctrinæ opera non consentiunt. Qui docet, non adulterandũ esse: is si non simul idem caueat, Diabolicus est. Qui docet, non occides, & ipse interim latrocinatur, is ex Diabolo loquitur. Nam & qui ex Diabolo sunt, bona & idonea & Euangelica prædicare possunt. Cognoscuntur tamẽ ex hoc, quòd opera verbis dissentiunt. Ideò in Euangelio dicitur: *Super Cathedrá Moyses sedent Scribæ & Pharisæi: quæ dicunt vobis facite*, hoc est, nihil aliud vobis mandabunt, quàm ego facio. Sed Christus porrò inquit: *Secundum opera eorũ non facietis*, hoc est, fructus doctrinæ suæ illi nõ facient. Ex Diabolo enim sunt. Ideò opera eorũ fugietis & alia facietis. Hæc iam ad Cœlestem Nigromantiam accõmodemus. Quæ si nostris non obuersaretur oculis: cuinam de eâ quicquã constaret? Sicut enim ipsa natura de suâ Nigromantiâ satis testatur, prout dictum est: ita Cœlestis etiam Nigromantia reuelatur, vnde, qualis sit, notitiam eius capere possumus. Adde ipsum Christi testimoniũ, in Euangelio promptum, quod illud confirmat: vt iure mihi liceat, Nigromantiã Cœlestẽ describere & explicare.

Cùm ergo Nigromantia Cœlestis in corporibus consistat: ante omnia necessarium est hominem scire, quînam illud se habeat. Res ita habet. Homo corpus terrenũ habet, quod ex vnâ parte tangibile est, ex alterâ tangibile non est. Horum corporum quæ ratio sit, in primo Naturalis luminis libro pridem explicatum est. Vbi cùm intellexeritis, quid Nigromantia sit, & quid operetur: iam in hoc altero Cœlestis luminis libro scitote, regeneratum quoque corpus similiter apparere posse: sic etiam corpora damnata. In initio cognouistis, post mortem hominem terrenum amplius non esse, sed tamẽ Cœlestem. Hinc sequitur, terrenũ corpus interire, & lucere tantum vsq; ad consummationem suam. Corpus Cœleste est æternũ, fine carens. Id verò non ampliùs in terrâ, sed in suo Ebron habitat. Hi tamen apud nos suas apparitiones habent, vt, quid ibi agant, quî habeant, nobis renunciari facilè possit. Quod hoc modo experimur. Nigromantiæ Cœlestis est. Ponamus exemplum. *Diues in infernum deferebatur. Lazarus autem in sinum Arahæ.* Alter versabatur eo loco, vbi nulla resurrectio est. Lazarus sedebat in Ebron, & in pace diem resurrectionis expectabat. Hoc vt sciamus, Nigromantia Cœlestis facit. Hæc ita esse Christus ipse pandit. Quòd si iam per hanc reuelationem scimus, etiam in hâc adhuc terrâ constituti, vbi sit habitatio diuitis, vbi pauperis: poterit idem etiã crebriùs fieri, & nobis reuelari, non minùs ac illis, qui primi ad ea cognoscenda digni fuerunt, maximè cùm ad petitionem diuitis, (*Mitte pater Abraham ad meos fratres, vt admoneantur.*) Abraham responderit: *Non habent Prophetas, hos legant, &c.* Quòd si ex Prophetis illa cognoscere possumus: nihil vtique tam occultum in Hebron aut inferno fuerit, quod cognosci non possit, plenè de nostris, quid agant, non tantũ vt scripto acquiescamus, sed vt rem ipsam tam accuratè intelligamus, ac si ea nostris oculis obiecta esset. Potest enim Nigrom. Cœlestis rem quamlibet, & sinum Abrahæ, infernúmque tam præsenter videre, quẽ suis illa oculis spectaret.

Diuitis & Lazari historia.

Nigromantiæ cœlestis facultas.

Sed pergamus. De æterno corpore iam notum est, ipsum esse in Ebron post separationem,

nem, quâ per mortem à terreno corpore segregatur. Nihil autem abditum est, quod non reueletur. Adam ac Eua in paradiso erant. Ibi quid egerint, cælari non potuit, quin resciremus. Ita nec occultari hodie potest, quod vel hâc hora in Ebron fit, si Prophetæ tales existant, aut vir ipse Propheta sit. Qui n. abscondita eiusmodi reuelant, Prophetæ Nigrom. Cœlestes sunt. Sic etiam fieri non potest, vt ignoretur, quid nostri agant aut in Ebron, aut in Inferno. Et licèt eò quidem non transpiciamus, nec propiùs accedamus, vel oculis vel pedibus: possunt tamen manifestè ista omnia nobis exhiberi non secus ac in speculo & Adamante. Hæc iam cùm fieri posse, probentur abundè satis: Nigrom. Cœlestis peculiaris conditionis est, quâ, qui Cœlestes Nigrom. sunt, admirando modo explorant, quæ in Ebron agantur. Sed tamen Satanas confusionem molitus, sua mancipia ad Nigrom. Diabolicam pellexit, qui de mortuis concionati sunt, non secus, ac si ex Cœlesti Nigromãtia loquerẽtur. Hoc modo varij Pseudoprophetæ surrexerunt, enormia mendacia fingentes, nec seipsos tamen in damnationem abripientes, sed etiam alios à verâ fide auertentes, dum intercessionem, & liberationem per intercessionem commenti sunt: quod religionis Christianæ venenum est. Opera enim ipsos, non intercessiones sequuntur. Sed hæc hîc latiùs deducere, mei iam instituti non est. Alibi plura. Miseranda autem ea ad impiam ac infernalem Nigrom. defectio est, de quâ ipsâ etiam alibi. Nostram materiam vt clariùs explicemus, sciendum est, fieri etiam posse, vt qui in Ebron sunt, nobis appareant, & plenam sui status cognitionem sine omni dolo & fraude vobis cõmunicent. Apparitiones enim eiusmodi ipsorũ statum & conditionẽ satis nobis reuelare possunt. Id fieri hâc ex causâ potest, quòd ex amore sancti conueniant. Sic illi apparent sanctis tantùm, hoc est, illis, quibus præparatum Ebron est, non aliis. Sic ex eâdem causâ damnati etiam apparent, quærentes sui similes, damnatos. Iam verò accidit, vt damnatus interdum videatur à damnato, interdum à non damnato. Hoc si fit, ideò fit saltem, quod Prophetarum scripta à populo non intelligantur. Itaque si scriptura populo nõ annuntiatur: per huiusmodi apparitiones Deus eam annuntiat. Eâdem de causâ Christus etiam signa exhibet in *Sole, Lunâ, terra, Elementis, &c.* Si enim populus concionatores non habet: signa ea populi oculis ipse rectà proponit.

Nigromantia diabolica.

Apparitiones [illegible]

Hoc facit non semel, vt damnati verè oculis spectentur non in sydereo corpore, sed in vero, vt ex damnatis istis rationẽ sancti ineant, qualesnam & quam præstantes sint ipsi, qui liberati, resurrectionem expectent. Quæ de apparitione mortuorum dico, ea admirationi nemini sint, quasi fieri nõ possint. Loquor enim de potestate Dei, quòd talia per hominem, seu ipsius propriam potestatem non fiant, sed per operationem Dei. Sic Christo in cruce pendente multa Sanctorum corpora ex sepulcris surrexerunt, & hominibus passim apparuerunt. Id si pro Euangelistæ dictamine tunc temporis factum est: poterit aliâ ratione, idem fieri etiam frequentiùs. Gratia enim Dei præcisa non est, nec potestas ex manu eius excussa. Res autem ipsa comprobat, hæc potestati Dei facilia esse. Et non saltem ita potest, sed etiam facit, in signum & miraculum. Iam si corpora Sanctorũ ex sepulcris egressa semel sunt: poterit idem etiam denuò fieri, si miraculis opus erit. Si conditio ea Sanctorum est: damnati quoque miraculi diuini causâ apparere poterunt. Si Christo de damnatis loqui placuit: id non ore tantùm dicere, sed & facto comprobare potest, vt veritatem verborum Christi ipsismet nostris oculis aspiciamus. Quòd si in Deo deuoti essemus: multò his maiora videremus. Cæterùm, sicut scripturam non intelligimus, ita nec opera scripturæ & verborum Christi videmus, sed ea contemnimus. Nihil ergo credimus, sed arcana Dei spernimus, & contemptores manemus. Quòd si aliquid apparet, & apparens damnatus est: non apparet, vt pro eo intercedamus. Iam enim iudicatus est. Si beatus est, non apparet, vt pro ipso intercedamus. Non etiam sine nostrâ intercessione per Christum redemptorem nostrum saluatus est.

Probatio in Nectromantiam & Nectromanticum Cœlestem.

SI Cœlestis Nectromantiæ à me probationem requiritis, recurrite ad ea, quæ de Naturali à me scripta sunt. Iis repetitis, sic deinceps attendite. Si in Naturâ possibile est, ipsaq; re demonstratur, in Crystallis ac similibus aliis, hîc minimè percensendis visiones apparere: possibilis etiam erit Nectromantia Cœlestis, donis vtique maioribus, quam Naturalis locupletata. Probatio autem hæc prima est, quòd Natura præstare possit, vt res inuisibilis, in mõte abdita latens, per artem illam manifestetur Naturaliter. Hoc ita esse, res ipsa comprobat. Iam quid sequitur? Hoc scilicet quod Cœlestis etiã Astronomia Cœlestem Nectrom. habeat. Iam ante enim satis confirmatum est, Cœlestia habere eadem membra, quæ lumen Naturæ habet, licèt alio modo. Hinc sequitur, Crystallos etiam ac specula &c. esse cœlestia, hoc est, si Natura mediũ habet, per quod nobis ostendit, quid intra se occultatum habeat: nos quoque media in Cœlestibus habebimus, indicantia, quænam intra sese conclusa habeant cœlestia. Sed cœlestia media ex Exemplo cognoscite. In lumine Naturæ habemus Motorem, qui nos mouet & eò adducit, vt Media nostris votis satisfaciant. Motor iste in Naturâ est Scientia artis. Similiter & Motor cœlestis est, qui & ipse nobis talia perficit. Motor iste est Scriptura sacra. Ipsa enim cœlestem Nectromantiam ita in manus nobis indit, vt nihil nobis absconditum maneat, sed per medium omnia inueniri & cognosci queant. Sed porrò, quid Medium sit, disserendum est. Sciendum primo est, quid desideremus, vel habere optemus. Nempe in cœlestibus non quærimus aurum, argentum, merces, fodinas, &c. Sed ea, quæ in cœlestibus sunt, vt exempli causa Scire aueo, quibus moribus, ritibus, rebus, vitâ, vsurus sim. Id iã Nectromanticè videre expeto. Hic visio mea est in Christo, Ioanne Baptista, Apostolis, Prophetis, Sanctis, &c. Porrò si sublimes artes per Nectromantiam cælestem videre & addiscere cupio: exemplo mihi sunt Salomon, Apostoli, quæque illi

Motor naturæ quis.

Motor cœlestis quis.

illi docuerunt. Ibi inuenio, quis ipsos priùs docuerit. Idem præceptor mihi quoque quærendus est. Si eruditus fieri, & doctrinâ cæteris precellere studeo: tunc quæro & pulso: ita mihi aperitur, & voti compos fio, & inuenio. Hoc quæro in speculo Euangelii. Quę hactenus probationis loco attuli, pro institutione vobis seruiant, vt sciatis, qualia specula, quod Mediũ Nectromantiæ cœlestis sit, in quibus cœlestia spectari debeant. Non enim per media terrena, sed cœlestia quærendum est. Porrò, si in suâ Nectromantiâ multa media Natura habet: multa media habebit etiam cœleste, nempè somnia, Angelos, Figuras, Visiones, Spectra, in quibus multa videre possumus non solùm quid in cœlo sed quid etiam in terrâ cœlum operetur. Nam & hæc Nectromantiæ cœlestis visio est, si quis viuus apparet, siue propria persona. Sic si imagines videntur hominibus similes, non tamen ipsorum personâ præsente: hæ omnes Nectromanticæ species cœlestes sunt, in solius Dei manu, non in hominum potestate sitæ. Sed ad probationis notitiam pleniorem rẽ ita intelligite. Notorium est, Christum à suis discipulis pro spectro habitum fuisse, cùm in mari ambularet. Sed hoc non fuit spectrum, verum visio, in quâ Christus fuit. Hæc Nectromantica cœlestis visio fuit. Præterea Nectromantica cœlestis visio etiam fuit, cum Moyses & Helias apud Christum apparuerunt, & cum ipso collocuti fuerunt, Petro dicente: *Domine, faciamus hic tria tabernacula.* In visione námq; illâ Moysen, & Heliam viderunt. Sic cum Spiritus sanctus specie columbæ visus est, visio ea Nectromantica fuit. Æterna enim videri, naturale non est, nisi fiat per ea, quæ recensuimus, media. Sic & Christus transformatus, Nectromanticâ specie Apostolis visus est, vbi cum Moyse Heliâ loqueretur. An verò hoc satis probationis non est, videri in illo mundo eos, qui nobiscum amplius non sunt, vt Heliam & Moysen, qui ante multa sæcula cum patribus suis obdormierunt, & sepulti sunt? Ita etiã, si causa adsit, fieri potest, vt alij quoque viri, his dictis inferiores, appareant. Et, si Spiritum sanctum ipsum, qui tamen omnino inuisibilis est, in specie columbæ vidimus: quantò magis vnâ specie videre poterimus nostros cognatos in illo mundo, qui in sinu Abrahæ sedent? Si ex cœlo Angelus in terram descendere, & nobiscum verba terere potest, sicut Gabriel Angelus cum Mariâ & Ioseph in somno locutus est: cur non similia etiam in aliis fieri queant, cùm tamen hæc omnia à Deo perficiantur? Quinimò, ipse quoque redemptor noster ex mortuis resurrexit, & se fœminis ac Apostolis spectandum exhibuit. Si ipse velut exemplum solus hâc specie visus est: possibile id erit etiam alij per virtutem illam, quâ Christus resurrexit. Christus enim apparuit pro confirmandâ suâ resurrectione, vt nos, qui in ipsum credimus, sciamus, vereque testari possimus, ipsum visibiliter apparuisse, ambulâsse, locutum esse, edisse, denique in cœlum ascendisse, vbi est manetque vsque ad diem resurrectionis. Probationes itaq;, quæ Nectromantiam firmiter stabiliant, oppidò multæ & numerosæ sunt: vt fieri omnino possit, adeóque factum sit, vt illi, qui ex nobis abierunt, & mortui sunt, quorumque corpus terrâ obrutum in terram abiit, visibiliter nobis apparuerint, séque ipsos verè spectandos obtulerint. Et sicut Thomas suos digitos in vulnera Christi immisit: ita apparitiones etiam illas sine omni dolo factas esse credi debet. Hisce iam satis luculenter probata sit apparitio mortuorum in hâc terrâ in nouo, non in veteri corpore facta. Sic Moyses & Helias non in veteri, sed in nouo corpore apparuerunt. Sic Christus non in veteri sed nouo corpore, hoc est, non corpore mortali, sed in corpore à Spiritu sancto incarnato, tactus fuit. Si insuper Spiritus sanctus ipse in hâc terrâ fuit, velut & Angeli à Deo missi, vt ad Lothum, &c. cogitandum est, tam mirabilia etiam deinceps omnino fieri & videri posse. Hæc enim Magnalia Dei sunt, quibus mirabiliter se Deus cognoscendum offert in suis operibus, vt quotidie videamus, Deum Creatorem nostrum adhuc viuere, nec mortuum esse, sed admirandum semper, sicut à mundi initio, ita ad ipsum mundi finem perpetuò manere.

Nectromantiæ cœlestis quæ media.

Christus in mari ambulauit.

Miraculorum Dei quis finis.

CAP. VII.

Probatio in Cœlestem Astrologiam & Astrologum.

IN confesso est, omnem sapientiam humanã, terreno corpori necessariam, in lumine naturæ consistere. Hoc si verum est: consequitur indè, debere hominem in illâ ambulare, vt ipse vult, si modò illâ frui, & ex ipsâ, quod cogitur, viuere velit vt exempli gratiâ: Æstate appropinquante, ad æstatem se componere homo debet. Adueniente hyeme, ad hyemem. Hæc iam manifesta sunt, ac per se probant, ipsam æstatẽ ac hyemem hominem cogere, vt ad ipsas respiciat potiùs homo, quàm ad seipsum. Hæc probatio etsi euidens sit: tamen similes etiam sunt aliæ, minimè negligendæ. Nec enim eæ tantùm Stellæ, qui æstatem & hyemem moderantur, huius sunt generis: sed insuper sunt etiam Stellæ aliæ, quæ sapientiam & mundanam rationẽ gubernant, quibus sese accommodare homo cogitur, modò in lumine Naturæ alicuius pretij esse velit. Sydereæ námque operationes gignunt fabros, serarios, tignarios, denique opifices omnes, quos lumen Naturæ requirit.

Lumen naturæ humanæ sapientiæ parens: cœlesti cœlestis.

Porrò autem homo non tantum eo fine conditus est, vt faber sit, &c. Sed vt simul etiam sciat, se à sydereis Astris ita dispositum esse, vt artes illas Mechanicas, quæ cœlestes sunt, addiscere possit. Ab illis enim gubernabitur, illis obsequetur. Ibi liberum arbitrium non relinquitur, sed in Naturâ, homo Naturam sequi cogitur, nisi stipes aut Asinus manere malit. Eadem etiam in lumine cœlesti ratio est: vbi homo cogitur osequi Astris illis, nisi antè Deum maledictus & damnatus esse velit. Hæc vnica via, non alia est. Iam si cœleste Astrum hominem gubernat: homóque illi obsequi cogitur, hæc causa est, quòd iste vel iste bonus Iurista euadat, non tamen ex eorum numero, de quibus Christus dixit: *Væ vobis legum peritis.* Hi enim ex scriptis discunt, Dei auxilio non egentes. Sic etiam regitur quilibet sapiens, qui in Deo doctus est, dum Astrum cœleste in ipso, quę vult operatur, sicut æstas & hyems etiam hominem cogunt. Si enim secundum illud cœli Astrum

Hominis conditi finis.

Homo Astris obnoxius.

Astrum viuimus: tunc completur, quod Christus dixit: *Fiat voluntas tuâ.* Ita & Natura suam à nobis voluntatem extorquet: quæ voluntas bona est, & Deo non aduersatur. Mala autem illa est, quæ illi apponitur, quæ ipsius non est. Sic iam intelligitur, aliquid omnino esse, quod hominem regat, tam in cœlesti, quàm Naturali. Et homo in terrâ suæ voluntatis est, quam liberam habet, vt facere possit aut quæ Astra velint, aut ipsemet. Sed hæc hîc omittimus. Quantum verò ad cœlestis Astrologiæ probationem attinet, breuiter ita informandi estis. Prout sydera inter se conueniunt seu concordant, ita affectus sequitur. Iam non omnia inuicem concordant, sed vnum huc, aliud aliò vergit. Quodlibet tamen suum effectum edit. Suas agunt Synodos, Concilia, Iudicia, condunt præcepta, &c. & ista omnia in lumine Naturæ. Plus autem à Deo potestatis non acceperunt. Iam si hoc sydus ita intelligitis: etiam de cœlestibus Astris, similis operatio credenda est, talis scilicet, quòd Deus ex nobis hominibus Stellas faciat, suam cuilibet stellam cœlestem assignans; quæ omnes in ipsius nomine congregantur. Hinc iam alius talis, alius talis est. Ex Deo autem est, quòd quilibet ab alio diuersus sit. Ita sancti Dei naturas multiplices habent prout à Deo quilibet dispositus est. Accidit quandoque, vt non consentiant, quolibet interim pergente in eo, quod Deus ipsi imposuit, quolibet etiam, sese rectè agere, persuasum habente. Iam si fiat interdum, vt conueniant: nonnunquam consentiunt, interdum dissentiunt, vt *Sutores & Sartores, Feles & Canes, &c.* In hoc momenti nihil positum est, si litigent, pars scilicet quælibet de suo dono. Quam Natura feli indolem dedit, felis est. Quam cani, canis est. In suâ manet vterque. Vtrumque creauit Deus, quemlibet ad id, ad quod visum fuit. Et ipse noluit Deus, vt altera pars alteram vincat, aut exuat, quod datum est. Sic tam in lumine cœlesti quàm naturali quodlibet in suo persistit. Hinc factum est, vt sancti etiam viri inter se conuenire non potuerint, non magis, ac canis & felis. Cuius rei causa est, quòd Deus requirat talem esse quemlibet, qualem ipse vult, non qualem se præbere homo studet. Hæc ergo belligeratio magni momenti non est. Quilibet donum à Deo acceptum tueatur, ita Dei voluntas fiet. Quòd si nostra voluntas non fit, nihil interest. Non ea nostra, sed Dei est. Deus ipse ait: *Necesse est crimina & flagitia venire, &c.* Sic etiam necesse est, bona fieri. Quare bonum etiam non est, nos omnes fieri Medicos, aut Apostolos, aut Prophetas, aut Martyres. Quilibet suo officio præsit. Quòd si non omnibus quidem conuenit, quid interest? Stultitia ipsorum est. Cur Medicus infensus sit Apostolis? Cur Apostolus oderit Medicum naturalem? Quilibet ægros, à Deo sibi commissos sanet, ita voluntatem Dei faciet. Lis ipsorum ad scripturam non pertinet. Quid Lunæ interest, quòd obscuriùs Sole luceat? Quid Stellarum interest, quòd Luna ipsis maior sit? Quâ re Sol præstantior est Luna? Si quilibet sibi commissa expediat, bene est. Lis ista nihili est. Diuersitas hæc in rebus omnibus necessaria est. Sed deinceps porrò de harum rerum ( ) nempè de Astrologiæ cœlestis probationibus attendite. Sicut Astra inter sese mouentur, sic nos etiam ex virtutibus astralibus. Ita non ineptè dicere possim, Petrum & Paulum sibi inuicem aduersos fuisse, & sic etiam de cæteris. Petrus enim peccauit in Christum. Paulus post ipsum. Et hæc non de his saltem vera sunt, sed ea continenter omnium Apostolorum aut Sanctorum conditio est. Quilibet est ASTRVM, Cœlum, Stella. Et ipsi sunt ASTRVM, quod nouum mundum regere debet, sicut sydus Naturæ Naturam. Hinc etiã scriptura, *Vos,* inquit, *Lumina estis mundi.* Si lumina sunt mũdi, nõ terreni, sed cœlestis: ideò noui mundi Astrum sunt. Quilibet, quod faciat, habet. Nemo altero dignior est. Quilibet sit & maneat in suo. Sic lites tollentur. Si enim hæc litis causa foret: quis euitaret? Exempli causa. Ioannes Baptistá nihil edebat, nihil bibebat. Christus in publico cum peccatoribus sedebat, edebat, bibebat. Hi duo interim inter se non digladiabantur. Nam qui duo vnquam sanctiores viri exstiterunt, & vbi? Responde. Horum ergo duorum concordia nobis exemplo sit, vt lites vitemus, etsi hic talis, ille alius sit. Quales quales sumus: tales omnes in Deo simus. Hoc respiciens etiam Paulus dixit: *qui carnem edit, domino edit: qui non edit, & is domino.* Sic etsi dona quidem sanctorum dissimilia sint, hæc tamen non est discordia, sed concordia, imo probatio, quòd vtrique commodi sint, modo maneat quilibet in eo, quod à Deo impositum accepit. Hanc probationem Astrologiæ etiam cœlesti accommodemus, statuentes, eã in cœlo & in terrâ esse, déque cœlo deorsum tendere in sanctos Dei. *Et hoc est sydus cœleste, hæc est Astrologia cœlestis, hic cœlestis Astrologus.*

Sancti sunt Astra.

Christus & Ioannes duo sanctissimi viri.

Probatio in Cœlestem Signaturam & Signatorem.

HVius membri probatio prima indè sumitur, quòd omnibus in confesso sit, Naturã signare suos, & nihil quicquam, quod non signet, relinquere. Idẽ facit etiam signatura cœlestis, quæ ipsa quoque suos omnes signat, vt, qualis quisque in suo corde sit, cognosci possit. Et hæc omnibus scitu necessaria sunt. Hæc enim qui nouit, is scit, vbi fallatur, vel non. Sed pergamus. Natura suos signat seduló ( ) signis, quæ hominis naturale cor produnt. Similiter & signatum cœleste suos signat fructibus & operibus, per quæ noscantur, sicut Christus testatur: Ex fructibus & operibus cognoscetis eos, an à Deo, ex Deo, & in Deo sint, vel minùs. Iam signatum cœleste per Christum probatum satis est, quod id in operibus consistat, & fructibus, non insignis corporis, veluti in crinibus, specie, formâ & similibus. Fructus aspiciendi sunt: & per illos homo æquè ( ) accuratè signatur. Naturæ is qualis sit, ac natura signat suos. Sic mos est, vt per aërem signet Nationes. Aër crinibus discernitur Italus à Germano. Aër enim illo loco nigros facit capillos: in aliis facit rubros: in aliis flauos. Eodem modo etiam formæ hominum diuiduntur: vna secundum Æthiopiam, naso: alia ore, vt in Alacutâ. Tale discrimen est omnium nationum

Signatura cœlestis in quibus consistat.

Nationes qua signatura diuersæ.

tionum, euidens vel in staturâ, vel crinibus, vel barbâ,&c. Vnde Turcæ dissimiles Germanis. Sic sciendum est, ipsa quoque opera minimè abscondi posse; quæ ex formâ non procedant. Operibus enim ex formâ procedentibus, si formæ sunt Turcicæ, ipsa quoque opera Turcica sunt: si sunt Germanæ, Germana etiam opera sunt. In cœlesti autem signato opera ex formâ non desumuntur, sed ex corde nouæ generationis: Et ex illis fructibus homo cognoscitur, an ex Deo sit, vel non sit, hoc est, an filius sit naturæ, an Dei, an sit generationis nouæ vel veteris, hoc est, an sit ex beatis, vel damnatis, ex iustis, aut iniustis, ex Electis vel non electis. Et hæc cognitio omnino necessaria est. Hoc enim est Principium fidendi alicui vel diffidendi. Si in principio erramus: multò magis in medio, & maximè in fine. Hoc respectu Christus dixit: *Cauete vobis ab his, qui veniunt ad vos in vestitu ouium: interius enim sunt lupi rapaces.* Ex fructibus iam & ex operibus vestitus ouium cognoscitur. Et qui vestitum ouium cognoscit: is commentatorem & expositorem legat, quid is de illo dicat. Expositor est Christus, dicens, *Interius eos esse lupos rapaces.* Interpretatio ergo Christi docet, quod sub vestitu ouium lupum rapacem occultare sciant; & fructus vestitus ouium tantum in initio dent, non luporum. Si iam vestitus ouium prius cognosci debet: conuenit, nos Christum sequi ne ab eo tam procul abscedamus, vt ab ipsis ceu lupis corripi possimus. Christus hoc dicturus erat. Primò sedulò attendite ad vestitū ouium. Si deprehenderitis: missos eos facite. Illo namq; habitu vos in laqueos adducent, & postea lupi facti vos deuorabunt. Quòd si semel innassati, opera lupina, quidem postea animaduerteritis: de vobis tamē iam actum erit. Laqueis enim suis vos constrictos habent, & rapiunt, quò volunt.

Fructus testantur de homine.

Christū sequi tutum est.

Sed iam sciendum etiam est, quomodo fructus aspiciendi sint. Statuendum ergo primò, signatum cœleste esse in suis fructibus. Hoc antevertendum, tanquam signatum falsum, quod non Cœleste, sed infernale sit nósque voret. Opus ergo est Cœlestia signata cognosci: nempe vestes ouinas tamdiu ad se trahere, donec lupinę fiant. In initio sunt catuli luporum, ludentes saltē, & lupinæ naturę adhuc ignari: Postea quò adultiores fiunt, eò lupi rapaciores. Si rapiunt: id signum est, ipsos, quò grandiores fiunt, eò rapaciores fore. Si c in initio vel iuuentute lupum cognosce ex fructibus, scilicet, rapinâ. Non enim rapere, sed dare, beatius est. Quod dat, lupinæ naturæ non est, sed quod aufert, non solum in vno ( ) in omnibus. Luporum enim natura multiplex est. Similiter & Christus inquit: *Genimina viperarum.* At viperæ non sunt in personâ. Sic nec illi in personâ lupi. Vestitus est ouinus, at cor lupinum. Est enim Animal compositum ad naturam suam. Et componitur ex quāplurimis coloribus, pellibus, moribus diuersis, prout multis nequitiis refertum est. Genimimis viperatum eadem est ratio. Viperæ non sunt: sed ipsarum mores. Qui fructus viperarum nouit, is eosdem etiam in hominibus cognoscit, non ex formâ, imagine, figura, &c. sed ex moribus. hoc est, eorum fructibus. Ita & alibi Christus inquit: *vos lumina estis mundi*, non faces sebaceæ aut Cereæ, sed lumina, quibus noua generatio hîc in terrâ formatur in his tenebris, ne tenebræ illam obducant aut obscurent. Constat ex his, Cœlestem signaturam in solis operibus consistere, non in figurâ seu Imagine. Imago enim hominis ad similitudinem Dei composita est: sed cor non est, vt Dei. Non ergo imago, sed cor, considerari debet. Quanquàm etiam vestitus cor hominis prodat: si nimirum homo aliter se vestiat, quàm natura ipsum docuit. Itē, si quis se secundum naturam, secundum labores, ad quos natus est, vestiat, quæ vestes etiam eius negotio maximè conueniant. Qui verò occulta sua vestibus velare, non corde, velit: is vestes ouinas parat.

Lupi signatura est Rapere.

Dare beatius, quam accipere.

Non enim parari solent formâ prædonum, latronum, militum, vt cor & persona ad primū conspectum noscatur, sed formâ ouium, ne interiora pateant. Decipiuntur autēm per notitiam vestiū ouinarum, per Cœlestem signaturam, quæ ipsos rectà prodit. Quilibet ergo homo sciat, qui fructus boni sint, vt ab occultis cordibus sibi cauere possit. Et vt cognitio certior sit, opera bona hæc sunt: ægris imponere manus, vt sanentur sine pecuniâ, cibare famentes: vestire nudos, proximum nostrum sicut nos ipsos diligere, &c. Hæc omnia ex charitate illâ, quam in Deum habemus, & deinde ex naturâ quâ proximum æquè ac nos ipsos amamus proficisci debent. Si hoc ex corde procedit, tibi, velut idem expectas ab alio: iam omni fraude cares. Extra hoc fieri non potest, quin lupus sis, siue in statu Ecclesiastico seu mundano viuas. Et hoc iudicium ad vniuersos pertinet. Nam si Mercator merces vendit, quo pretio sibi eas vēdi vellet: iustus est. Si Oenopola eo pretio, quod aliis numeraret, vinum vendat, iustus est. Et sic deinceps. Hæc bona opera sunt. Deinceps ergo sciendum est, Cœlestem Signaturam per Christum tantùm probari. Christus autem intendit ad opera, & de illis dicit, quòd lupina sint. Contrà de se ipso ait: *Ego pastor bonus sum, ponens animam meam pro ouibus.* Vnde iam dignosci possunt opera, quæ Christi vel Lupi sint. Sic quando dixit: *Ego sum vitis vera*, hoc voluit: *De me solo bibitis & editis*: Cæteris à vobis dandum est. Hinc concluditur. Qui dat, iustus est. Qui accipit, iustus non est. Dare enim magni momenti est. Qui dat proximo, idq; ex corde, quale id perfectum esse debet: huic à Deo tantum subrogatur, vt habeat, quod egenis largiatur. Miris enim interdum modis dona sua hominibus Deus confert. Hic in thesaurum incidit: illi fauent fodinæ: isti locuples vxor datur, egestatem eius expians, vt habeat, quod libenter det. Et licèt quidem Datori illi Deus in hoc mundo nihil daret: citiùs tamen ex lapidibus factos panes eidem offerret ad cordis sui voluntátem declarandum, quàm pateretur, vt cor ipsius propter famem egeni non satiatam ploraret. Quod si latro satis subindè hominum iugulandorum habet, vt cordis sui voluntatem perficiat: quanto magis nos, qui cor nostrum Deo & proximo deuouemus, faciendi boni copiam promptam semper habituri præ latronibus sumus? Sed & seipsum exemplo nobis Deus dedit. Is quod fecit, facere nostrum quoque

Opera bona quæ sint.

quoque est. Misertus ille est populi, non habentis, quod ederet. Cibauit ergo illos, vt plus superesset, quàm initio adesset. Hæc vestigia si sequemur: inueniemus subindè, quod largè & abundanter demus, non de eo, quod ex ouibus ingenio lupino corradimus, sed de hoc, quod ab omni corde lupino immune est. Hæc opera sunt, quæ hominem insignato cœlesti cognoscere docent. Etsi autem probationes adhuc multæ huc congeri possent: tamen hæc iam ad confirmãdam Astrologiam cœlestem satis sint. Cætera Theologiæ committo, quæ ex textu Euangelistarum verum fundamentum eruet.

Probatio in artes Cœlestes Incertas.

INcerti quid & lubrici in manibus habere, homini molestum est. Iam, cùm in hoc mundo bonis multis sæpè abundet homo; illorum autem adeò certus non sit, vt, quomodo & quamdiù ipsis vti possit, indubitatò sciat: ecquìnam is in inuisibilibus rebus certi aliquid sibi promittat: Si certò non habet visibile, si inquam, non tantùm, quod visibile est, sed etiam, quod substantiam habet, ex manibus hominis excutitur: quantò magis fugax & volatile, quod substantiam non habet? Itaque etsi non semper res ita certa sit, vt retineri possit: quis cauere poterit id, quod fortè cadit? Gladium quis habet. Is ex manibus eius elabitur. Et licet ad retinendum eum satis validus sit: nihilominus tamen gladius ei excidit. Quòd si adeò incerta naturalia sunt: cur inuisibilia in cuiuslibet animo ita firma stent, vt per illa præstari queant, quæ alius vult aut expetit? Hæc iam probatio est, quod non, vt homo vult, tale aliquid fiat, sed vt vult is, in cuius manu homo positus est. Ec quomodo homo dicere potest, se certum esse, ideò, quod illi homini multa desint vel deficiant? Imo incertus est. Nec enim mortem suam nouit, nec vitæ & sanitatis vllam horam scit. Si hoc ignorat: multò paucìora sciet in artibus & rebus cœlestibus. Nam sine certificatione conditus est. Itaque cum in lumine Naturæ tam incertæ artes sint: incertæ artes inueniendę etiã erunt in Astronomiâ cœlesti. Producendũ exẽplum est. Nouistis, Deum sibi quotidie in homine aliquid proponere, & quotidie operari. Hoc Dei propositum non semper procedit, sed interdum retrocedit & exorbitat. Quomodo ergo res aliqua certa dici potest, cùm vel propositum non semper certum sit, vt finiatur, sed interdum frangatur? Deus creauit hominem. Et hoc ipsi placuit. Tandem verò malè cessit res. Nec enim successit ipsi Deo, vt succedere debebat. Quis ergo tum temporis certam artem habuit, quæ non falleret? vt si quis dixisset: *Adamus versatur in paradyso, nec in mundum vnquam veniet.* Deus enim ipse in paradysum illum induxit. Hic iam falsus fuisset. Imò quæcunque Deus instituit, ibi resistit ipsi Diabolus, qui in rebus omnibus aduersator est. Et cum huic Deus id permittat: quis quæso, quid cras futurum sit, scire possit? Etsi quidem Angelus ex Deo esset: tamen nesciret. Itaque cœlestes etiam artes & scientiæ incertæ sunt. Quòd si quidem alicui de voluntate Dei constet: de hac tamen certò prædicere non potest. Multa enim incumbunt impedimenta & obstacula, quæ illam infringunt. Sic Ionas Niniuitis annuntiare debuit, quæ euentura essent. Ea ita certa annuntiauit ille, quæ tamen non euenerunt. Obstitit enim Niniuitarum pœnitentia: quæ mandatum illius irritum fecit. Si quis peccatori dicit: *Tu damnatus es*: res ita habet. Id enim scriptura ipsa dictat. Quod autem ille dicit, certum non semper est. Contritio enim & pœnitentia certitudinem illam tollunt, & scripturæ iudicium frangunt. Horum ergo nihil certum est, sed dubia sunt omnia, quæ de futuris dicuntur. Quæ præterierunt, certa per se sunt: sic etiam quæ præsentia sunt. Futurorum autem certitudo nulla est. Nam & ipse Deus incertum se fieri patitur, ac propositum suum infringi fert. Quanto magis nos mortales incertitudinem ferre æquum est: Nulla in natura res aut ars est, quæ ordinarij sui finis perpetuò certa securáque sit. Sic ignis est, res exurere, consumere. Quot autem Sancti sunt, qui carnificis certum institutum incertum fecerunt, dum ignis ipsos nihil lædere potuit? Quot passim certæ morti adiudicantur? Et tamen non omnes moriuntur. Morbis multi ad mortem tentantur: Sed & hoc incerto. Itaque, vt semel dicam, quamdiu hic mundus durat, siue naturalia siue cœlestia spectes, omnia incerta inuenies. Certi enim & incerti permixtio, certi nihil euincit. Cœleste certum est. Incertum autem terrenum. Hæc duo si concurrant, vnum alterum certum & dubium reddit. Sublato autem mortali, alterum omnino certum est: aliàs minimè. Ex lumine Naturæ exemplum depromite. Rex aut Princeps sibi aliquid proponit. Iam scriptura ait: *Cor regis in manu Domini.* Quicquid autem dicatur in cuiuscunque manu id sit, ferenda omnino illa erit practica, quam moliuntur illi, ad quos negotium id, quod rex tractat, attinet. Hinc euidens, oportere illud institutum valdè forte esse, si futurum sit certum & infallibile. Dependet enim ab eo, in cuius manu est.

Hæc autem terrena omnia tam strenui cordis nunquã sunt, sed plerunque arundo est, ventorum vi quòquo versum agitabilis. De vno saltẽ hìc dicam homine, cuius res certa erat. Is erat Ioannes Baptista, Præcursor Christi. Is sui negotij ipse certus fuit. Vtut tamen sit: qui eiusdem cum ipso iuris & conditionis non sunt, incertitudinem suam nõ semper declinare ita possunt, vt certi sua omnia exequantur. Quoniam ergo vir ille, qui in nouâ vitâ tam fortis & sublimis fuit, talia fecit: cõuenit vtiq; nos, etsi aliquid fit, nõ illicò sequi & attolli, sed id potius apud nos cogitare: Etsi quidẽ vir iste in rebus certis persisterit, venit tamen, nõ, vt sibi soli. Itaq; hoc loco probationẽ istã iure effero, quod in cœlestibus artibus incertis nihil agendũ sit, siquidẽ omnia incerta existãt. Hoc res ipsa confirmat non tantùm hic in terrenis: siquidẽ & ipsum cœleste intùm certũ est, donec in terrâ versamur. Qui in hisce rebus volet esse certus, is certissimum sibi proponet, hoc est, vt in nouum mundum intret, & () tũc certus erit, eóque casu minimè falletur.

Sons ... (left margin, partly cut off)

Tempora ... (left margin, partly cut off)

Dei voluntas interdum impeditur.

Futura omnia incerta.

Ioannes Baptista, solus certus.

Non vt conditio eius sit, qualis Adami. Is ipse quoque () suæ mansionis incertus erat, In posterum autem certum id est. Et quod iam est, id manebit, & certum erit. In probatione ergo Artium Incertarum Cœlestium per se id satis est, quod in dubio versemur. Ideò spem habemus. Vbi spes: ibi nihil certi. Et licèt quidem certum sit, certò tamen non scimus, ita esse, vt est. Hinc speramus, & spe confidimus, meliore viâ omnia processura esse. Si huius certi essemus: spe nullâ opus haberemus. Satis ergo stabilitum sit, nos in hâc terrâ certò cum incertitudine conflictari. Nec enim, quæ secutura sint, ipsimet scimus, nec nouimus, quales simus, boni an mali, & quæ denique nos mansura sint. Cùm ergo, quales simus, ipsimet ignoremus: nec quisquam seipsum nôsse possit, præter Deum: eo demonstratur, omnia incerta esse. Qui certus esse velit, differat se ad diem iudicij. Ibi quod vnicuique cessurum est, id certum habebit.

Vbi spes: ibi nulla certitudo.

CAP. VIII.

Probatio in Cœlestem Philosophiam Adeptam.

QVid Philosophia Adepta sit in Naturalibus iam antè cognouistis, deinceps etiam, quid Philosophia Adepta Cœlestis sit, attendite. Philosophia autem Adepta Cœlestis non hæc tantùm est, quæ, quid in Ebron sit, nouit: sed etiam scit, quæ Philosophia Cœlestis Adepta sit apud nos, donec mortalem hanc vitam trahimus. De futuris enim noui mundi nihil scire possumus, nisi futura huius caduci mundi sciamus. Sed hæc non est Philosophia, verùm aliud. Cæterùm quid Philosophia Cœlestis iam sit apud nos in hoc mundo, sic intelligemus. Hoc pono, *nos homines in terra non solo pane viuere, sed quolibet verbo, quod ex ore Dei egreditur.* Hoc dico propter illud: *Dixit insipiens, non est Deus.* Cur id dixit? Ideò, quia nihil aliud potest, quàm vorare, helluari. Hominum autem genera duo sunt: Destinati saluti, & Damnationi. Vtrique pane viuere debent, hoc est, eo, ex quo prodierunt. Pars autem altera eo viuit ad damnationem: altera ad salutem. Vtraque pars Philosophiâ Adeptâ Cœlesti indiget, non minùs ac terrestri. Non enim solo viuit pane, sed quolibet verbo, ex ore Dei egrediente. Sic ergo cibus & vita non de terrâ sunt, sed ex Deo per verbum. Si verbũ non esset, sed panis tantùm per se: Terra noster Deus esset. Sic autem minimè. Non ex terrâ, sed ex Deo per verbum. Hoc iam probationis satis est, quòd nos homines non ex naturali tantùm Philosophiâ, sed etiam ex Cœlesti viuamus. Et licèt panis quidem ex terrâ enascatur: hominis tamen cibus ad vitam aut sanitatem non est. Panis est quidem. Sed virtus, quę in pane est, est verbum Dei. Ab illo est nostra vita, in hoc mundo, tam mortali quàm immortali. Etsi enim peccator & insipiens dicat, *Minimè, ego de terra edo, nec edo verbum,* nihil tamen dicit aliud, quàm hoc, *Non est Deus.* Quid in terrâ est, quod à Deo benedictionem non habeat? *Benedictio hæc est verbum, & benedictio est vita.* Benedictionem suam quamprimùm Deus ab aliquo aufert, id illicò arescere incipit, & marcescit. Sic diuites ad pauperta-

Homo quibus viuat.

Hominũ duo genera.

Panis cur hominis cibus non sit.

Benedictione Dei omnia sustentantur.

tem præcipitantur. Sic exarescunt agri: Sic grando verberat hortos. Etsi panis quidem abundet, & palato omnia sapiant plenissimè: Dei benedictione ablatâ omnia tamen venenum & morbus æternus hîc & illic sunt, quibus à nullo præstari medicina medico potest. In hâc probatione nemo admiretur, quod dico, non id solùm, quod de Terrâ est, hominem sustentare, sed vnà cum illo etiam verbum oris Dei. Hæc enim medicina, medicina est, & est terrena, nihil efficere valens, nisi Deus cum ipsâ sit. Deus ergo ægros sanat, non terra, non Elementum. Scriptum in Euangelio legitur, discipulos adhibuisse oleum, & eo ægros inunxisse: Christum item applicuisse saliuam suam terræ permixtam, & eo remedio cœcum sanasse. Cur hoc factum sit, iam causam expendite. Causa hæc fuit, quòd voluerit Christus indicare, seipsum esse Medicum, non oleum, non terram. Ipsius est virtus & potentia, prout terræ eam indidit, vt cœcus inde videret, & oleo ægri sanescerent. Hinc concludite, Medicinam omnem ex Deo esse. Et nisi ipse verbum suum addat, *Vtere, & sanare*, nemo quisquam sanabitur. Docendi estis exemplo. Videtis, nos omnes esse doctos, id, quod quilibet nouit potéstque. Sed quid id est, quod quilibet doctus est? Nihil est. Talem enim oportet esse doctrinam, vt non ex carne, sed ex Deo promanet. Compleri enim debet illud dictum: Quilibet ex Deo doctus est. Hoc si verum est, iam naturale lumen nihili est. Si ex Deo procedat, satis est. Quid ergo prodest panis, verbo Dei destitutus? Inefficax est. Exemplum aliud. Christus ait: *Hoc est meum corpus, hic est sanguis meus.* Item: *Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, &c.* Hæc ad Philosophiam cœlestem spectant, & ex illâ intelligi debent, hoc pacto. Si panem editis & vinum bibitis, non putabitis satis esse, quod carnem & sanguinem terrenum retinetis: sed cogitate, quod vnà cum pane illo & sanguine, etiam edatis & bibatis æternum panem, & sanguinem in pane illo & vino latentem, vt nimirũ ex pane illo æterna vestra caro, & ex potu æternus vester sanguis crescat. Vt summatim dicam: non venter tantùm, qui terræ est, implendus est, sed edendus est etiam cibus vitæ æternæ, noui corporis. Itaque panis per se panis est: & verbum in pane panis etiam est, sed non pistoris, verum Dei, quem Deus ipse pinsit. *Philosophia ergo Adepta cœlestis* ita consideranda est, vt non terrenum saltem intelligere nos doceat, sed etiam æternum, hoc est, æternum cibum edere, cum mortali, in mortali, hîc in mortali vitâ. Et quod in hoc mortali corpore de æterno edimus, id manemus in Christo, & Christus in nobis velut secundus Adam, hoc est, Adam nouæ generationis. Iam si in omnibus expendimus, quid nobis naturale lumen præbeat: nihil aliud quicquam, quàm terrenam rem deprehendemus. In terreno autẽ nihil virtutis est: sed est in verbo. Quod enim Sol sterit, stare iussus ab illo, qui ipsum, vt moueretur, creauit: id Sol habuit ab illo verbo. Quamdiu verbum viuit ac vult, tamdiu Sol in suâ potentiâ perseuerat. Sic etiam nos vniuersi ex verbo viuimus, terreni & cœlestes. Ideò dicere non possumus, *Non est Deus*, hoc est, si panem ex terrâ, & vinum ex vite

Medicina sine Deo nulla.

Doctrina omnis Deo esse debet.

Christus est Adam secundus, &c.

vitæ habemus, quid opus nobis Deo est? Non ita. Mali bonique à verbo alimentum & vitam habent, non tamen omnes ad vitam æternam. Itaque vt etiam de terreno consideratio aliqua instituatur, Philosophia cœlestis iure proponi debet, nec terrenæ tantùm describendæ herbæ sunt, verùm etiam æternum & cœleste, hoc est, is, in cuius manu omnia consistunt. Si enim quis commentatur de Chamomillâ & eius viribus, & obliuiscitur eius, qui ipsam condidit, is de ipsâ mentitur. Hinc enim in Medicinâ remedia falsa euadunt, quod fatuus medicus præcisè illa præstare conatur, quæ natura Chamomillæ indidit. Interim non expendit, chamomillam in manu Dei positam agere, quod ipse velit, non quod Natura. Et in eo multi seducuntur Medici; quòd plus herbæ & semini, quàm ipsi Deo fidant. Si enim se haberet res, vt natura dictat, operatio certa foret. Sic autem minimè. Qui in altis est, ad suam voluntatem & nutum illa dirigit. Hâc de causâ docuit nos orare: *Fiat voluntas tua*, Tua, inquit, non Naturæ. Etsi enim ipsa multum possit, & insigniter dotata sit, implenda tamen voluntas est eius, qui Naturæ dominus est. Ex hâc etiam probatione liquet, non satis esse, si naturalis Philosophia intelligatur, sed huic adiungi etiam supernaturalem debere. Hoc modo Deus cum suis creaturis operatur.

Probatio in Cœlestem Medicinam Adeptam.

PORrò negare nemo potest, quin Medicina, quæ per verbum Dei sine omni medio summa medicina est, à Deo singulariter nobis data & concessa sit, sicut à Sanctis hoc multoties comprobatum est. Cœcis enim restituerunt visum, mortuos vitæ reddiderunt, leprosos mundârunt, &c. Hæc cum reipsâ ita comprobentur, iure Medicina cœlestis Adepta admittenda est. Sed consideratione paulò altiore opus est, nempè, quod Medicina cœlestis Adepta sit illa, quæ ægros sanat, quos sanare Naturæ impossibile est, hoc est, quæ sanat illos morbos, qui propter sola Dei miracula creati sunt, per quos Deus celebretur. Nam cum ex Christo quæreretur: *Quis iste cœcus natus est? an peccauit, ipse, an eius parentes?* Respondit Christus: *Neutrum, nec ipse, nec eius parentes: sed vt Dei gloria in hoc manifestetur.* Iam si huius morbi nulla alia, præter dictam iam, origo est: exstruitur inde, hunc cœcum nulli alij Medicinæ subiectum fuisse: ac soli medicinæ cœlesti. Mulier, quæ duodecim annis profluuio sanguinis laborârat, & bona sua Medicis impenderat: à nullo tamen Medico sanari poterat. Hinc patet, morbum eius ad Cœlestem Medicinam, non ad naturalem pertinuisse. Huiusmodi morbi in mundo adhuc hodie multi sunt, quibus curandis sola Medicina cœlestis apta est, non item Naturalis. Morbi enim in classes duas digeruntur: In naturam, & in virtutes cœlestes. De Cœlesti medicinâ iam sciendum est, eam sine omni naturali corpore fieri, saltem hoc modo: *Lectum tuum sume, & abi, &c.* Sed & hoc verum est. Sanctos suos Deum manifestari non velle, sed eos occultare. Hinc elicitur, quod contra naturalis medicinæ modum multi sanescant, qui à Naturâ sanari non poterant. Summè ergo expendenda sunt arcana Dei. *Is operatur, vbi vult, in quo vult, & quando vult.* Ideò nos iussit quærere, pulsare orare, hâc nimirum de causâ quia ex Naturâ impetrare non omnia possumus, sed ipsius auxilio quotidie indigemus. Itaque quotidie ipsum rogare & quærere debemus, vt, quod natura largiri nobis nequit, ab ipso accipiamus. Et in nullâ re sine impetrato eiusmodi auxilio perfecti esse possumus. Verbum enim necesse est concurrere. Nam nullum Elementum esset, nisi verbum id fecisset. Nulla vspiam creatura esset, si non esset verbum. Sic hoc ipso momento vniuersa nihil sunt, nisi verbum adsit. Ipsum enim est vita & virtus. Vbi hæc medicina est, ibi est Medicina Cœlestis Adepta. Dici solet, nec præter veritatem, morbos cogenitos, & à naturâ insitos, naturali Medicinæ non subiici. Huius generis sunt, *Nati cœci, muti, surdi & similes.* His similes etiam morbi alij sunt, non ex naturâ, velut Lepra cum suis speciebus. Hos qui curare aggreditur, nihil in Naturâ quærat, sed quærat in cœlo. Ibi virtus posita est. Ideo honorari debet Medicus Deus enim per ipsum operatur, etiam cum nescit id, cum dormit, eique ministrat medicinam ex terrâ, & verbum è supernis, sine quo nihil præstari potest. Sed & de peste dicendum est, Morbo, non Naturæ subiecto, sed cœlo & eius medicinæ. Iam quæstio est: si verbum tantum sanat cur non æquè etiam per aut vt sunt Diaphoretica? hoc est. Cur verbum non omnibus simile est, vt proximum quodvis manu rapiatur, & eo auxilium præstetur? Causa hæc est. Vbi morbus est, eius origo duplex est: Vna est Naturæ: altera est cœlum. Verbum sanat cœleste: Natura Naturale. Pestis itaque morbus duplex est. A cœlo itaque cœlestis medicina: Et quē in Natura corripit aut lædit, is Naturaliter sanandus est. Hęc enim causa est, cur() quæ naturæ cognata sunt, vsurpari debeant. Sic Deus suos etiā Prophetas aliter docuit, hūc in Prophetiā, illum in alio. Ita & Angelos præfecit hunc huic, illi aliū. Idem dic etiā de eius Apostolis & Euangelistis. Hunc nim ordinem in omnibus seruauit. Idem verum etiam in medicinâ est. Cui enim quodlibet prodest, id ei datur. Et dicto modo probatio Medicinę Adeptę Cœlestis intelligēda est. In omnibus enim operationē cœlestē cōcurrere oportet eamque vbiuis oportet esse, quę operetur & finiat.

Dei in operādo summa libertas.

Verbo omnia facta sunt, & sustētantur.

Obiectio.

Morbi sunt duplices.

Pestis est morbus duplex.

Probatio in Mathematicam Adeptam Cœlestem.

DE Cœlesti Mathematicâ scribere, periculosum est. Quis enim ibi est Cosmographus, Geographus, Geometra? Et sic de cæteris speciebus. Mihi verò, quantū ad eius probationem necessariū videtur, tantū est. Possibile est, hominem vniuersū mundum pugno includere, cum omni cognitione & fundamento solido. Hoc si verum est, vt verum esse per lumen Naturæ patet, adeóq; re ipsâ cōprobatur: Verū idem etiam hic erit in cœlesti. Quod vt intelligatis, ita accipite. *Vt Cœlestis Mathematica* pugno vno comprehendatur, primò necesse est adsit is, qui Mathematicā illā illuminet. Naturale enim lumen id intelligere nequit. Quia verò nō è naturali tātùm lumine, sed etiā ex verbo Dei viuim⁹; ideò possibile nobis est, vt Mathematicam Cœlestem

intelligendi

intelligendi fundamentum assequamur. Etsi enim in carne quidem mortali simus: viuifica tamen nobiscum est, quæ plenis viribus ex nobis loquitur & operatur. Iam Cosmographia Cœlestis nihil est aliud, quàm videre hominem in Ebron. Angeli aliud habent. Sic Geographia nihil est aliud, quàm descriptio loci, in quo peccatum non est. Hic qui Geometriam aggreditur, is metiri nihil potest. Ibi enim nec Principium, nec finis est, & de medio nulli constat vllo. Hæc ergo cœlestis Mathematica à mortali corpore auidè arripienda est, vt hinc intellectum suum acuat & augeat. De probatione autem ita comparatum esse videtis. Si nec principium nec finis est: iam probatum est, in illis locis nullam artem valere. Si etiam nullus numerus adest, non vnum (vnum enim numerus non reperitur) non etiam numerus vltimus: quis ibi poterit Arithmeticum agere? Ibi nulla ars, nulla subtilitas valet. Omnia principio & fine carent. Quî ergo homo in Naturali lumine euadet. Et licèt quidem in æterno versetur, informationem tamen aliam nullam habet, quàm quòd nec Principium, nec finem in vllâ re sciat. Quòd si ergo hæc expendimus; tunc fundamentum hoc est vnicum, quòd non creaturæ, sed Deus considerandus sit. Is si mensuratus est, mensurata omnia erunt. Et hoc corpori nouo, non minùs ac veteri impossibile est. Quantum verò ad Mathematicam cœlestem, probatio est, ibi finem non esse, nec quenquam vel de A. vel de O. vel de principio, vel de fine cogitationem suscipere debere. Sic etiam nihilo magis Mathematica in suâ Cosmographiâ, Geographiâ, &c. ac Deus in seipso; qui est omnia in omnibus, nullo excepto, perscrutabilis est.

Cosmographia cœlestis quid sit.

Probationum in Cœlestia Membra.

FINIS.

CONCLVSIO.

Contrarietas in omnibus rebus.

IN probationibus cœlestibus me hactenus assecuti estis. ( ) His autem multi aduersari possent. Quis enim se aduersus omnes tueri queat? maximè cum hominum verba & cogitationes adeò veloces sint? Et in discordiâ omnia versantur, qualiacumque sunt. Primò, Deus nos vniuersos creauit, & per creationem sibi ipsi dissidium & aduersitatem creauit, sicut in propatulo est. Iam si Deus ipse in dissidio viuit, nec pax ei seruatur: multò minùs homo, Dei creatura, dissidio & contrarietati exemptus erit? Si filio proprio non pepercit, sed discordię ipsum subdidit: crucem certè etiam nobis omnibus imponet, & in eo voluntati suæ parebit, quicquid de voluntate nostrâ agitur. Hæc igitur mihi admonitioni sunt, hoc cûprimis sæculo, quo viuo. Hâc enim meâ ætate tot dissensiones sunt, vt, quæ tempore parentum meorum pax erant, iam hoc meo sæculo discordia sint, & contrà. Et si omnia despicias, mera est *Pressura gentium.* Vnus aduersatur alteri: nec in suo lecto quisquam iam securus agit, aut in molâ, aut apud aratrum. Si nulla securitas est in lecto, in molâ, apud aratrum: ecquis Diabolo aduersante carebit in publico? Hanc rationem ipse mecum iam inij, me sorti communi non exemptum fore, sed crucem mihi quoque subeundam esse. Contradictionem ergo Philosophiæ meæ iam ferre cogor, cum commodissimum est. Tempus autem erit, quo in pace illa dormitura est. Horum passim multa multis accidunt. *Multi vocati, pauci Electi.* Multis quidem clamare licet: pauci verò clamant vtiliter. Omnibus rogare licet; pauci autem impetrabunt. Quilibet suo fungitur: ego itidem meo. Suum cuique ingenium mihi meum. Quilibet autem seipsum probet, quid clamet, quid iactet. Et prout se probauerit: ita clamare, ita se efferre pergat. Nam in eo situ erit, quomodo in Fulminatione Saturni quilibet subsistat. Sors eadem etiam luminis Naturæ est. In eo aduersarij multi sunt, ipsi inter sese dissidentes. In causa est Ambitio, Luxus, superbia: Et tamen præter duas vias nulla est, Dextra & Sinistra. Ac superbiâ incitatus homo, æstimare fastidit, quænam vera vel falsa via sit: sed neglectis omnibus bruto suo impetu quòcunque proruit indiscretè. Interim tamen probi nullius est, sibi ipsi patrocinari & applaudere. Æquius est, quemlibet se fateri peccatorem; sic spiritus humilitatis in ipsum ingredietur, docens ipsum verum à falso discernere, vt rectam terere viam possit. Hæc autem à nemine curantur. Nec extra capitis ambitum ratio & intellectus quæritur; quod improbum est. Multa hoc meo sæculo de rebus sacris passim iactantur. Sed ista mera hypocrisis est. Is spiritus vt rectè cognoscatur, scriptionis meæ vnicus ferè finis est. Eloquens non sum. Et quamprimùm vnicum ore verbum emisi: decem illicò insultant, qui verba mille fundunt, quorum nulli probor. Silentium itaque mihi tutius est. Loquentem me, qui bonus est, deseret. Si verò parùm loquar, mecum is manebit. Metitur enim is mea scripta, & de illis iudicat. Apud talem vinco. Qui autem garritum & multa verba præstolantur: hi à me deficiunt. Hæc mihi gratia data à Deo est. Cum hâc durabo, & moriar. Cœlestem vim pro Astronomiâ habendam esse: multis aduersatur. Non autem displicet his, quos suâ gratiâ Deus nondum priuauit. Cur non ponam Magicam Cœlestem, cùm tamen Magus Deus sit, non in suâ personâ, sed per suos? Et tamen is primus est. Alter est secundus. Deus non vocatur Magus: is tantùm, cui is dat. Cur eodem modo non etiam Nigromanticus, cùm Deus subiectum Nigromantiæ tamen proponat? Et de eo non disserere liceat? Omnibus modis. Idem iudica & de Nectromantiâ, quod ex Deo ipso profluat. Nomen ergo tantæ ęstimationis non sit, vt æquiparetur tanto auri ponderi, quod nemo soluere possit. Qui enim est Nectromãticus, aut Magus, aut Nigromãticus cœlestis, is est Sãctus. Simile iudiciũ ferendũ est etiam de Astrologiâ Cœlesti, quod Firmamento Deus non omnia attribuerit, sed tantũ sibi ipsi reuersârit. Vt omniũ dominus sit, nec manum vnquã vacuam habeat. Quis ergo iustius hos homines signet, quàm Deus? An nõ ipsius signũ Naturali plus est? Omnino. Eo ergo maior necessitas est ipsũ quoq; signare. In nullo enim errat: sed exactã amussim tenet. Et ex ipso iudicare bonũ est, vbi nemo mentitur,

mentitur. In artibus etiam incertis, vbi quàm maximè certi esse volumus, omnium incertissimi sumus. Itaque pergendum, quò ducit alius. Idem accidit etiã in Philosophiã Cœlesti. Quinam homo sublimiorem Philosophiam habere possit, quàm in nouã generatione ex Deo? Quæ de Naturalibus tractamus, meræ tenebræ sunt: non tenebræ quidem damnationis, sed luminis naturæ, quod in manu Dei adhuc est, in quo nemo etiam Deum offendit. Quid insuper nostra est Medicina? Huius qui peritus admodum est, & herbas omnes, radicésque ac morbos, &c. nouit, & ex artis suæ præscripto operatur, quid quæso agit aliud, quàm vt ipse aduersetur ægro, æger Medico. In illo autem mundo ista medicinæ conditio non est: sed, quæ ex Deo profluit, medicina illicò præsto est, vbi Medicus sanctus est, & æger Beatus. Hic mederi bonum est. Et () Naturæ quidnam est? Nihil. Si omnia scimus, nihil quicquam scimus. Si enim morimur, actum de omnibus est, superstes nihil manet. Præstantior ergo illa habeatur, quæ nec finem, nec principium, nec medium habet, & æterna est.

Hæc scribere & commentari intermittere non potui, non vt semel saltem calamum admouerem, sed vt inceptam telam renouarem & denuò aggrederer secundò, tertiò, vsque ad vicem septenam: vt, quemadmodum aurum probatur igni: sic mea etiam scripta examinarentur & purgarentur, probè limarentur. Hoc mihi bonum visum est. Vos ante natas alas ne volitetis. Res pulchra est rosa. Sed anno integro eget, dum prodeat & floreat. Eadem cæterorum omnium ratio est. Qui fruticem pro rosâ habet, rosam non habet, nec ipsam nouit. Qui nodum pro rosa decerpit: quid habet? Qui autem tempus expectat, dum Natura rosam explicet, & ad suum terminum deducat, is rosam suauem adipiscitur. Si Natura ita ordinariè agit: multò magis Cœleste supernaturale. Nemo ergo ante tempus quicquam iactet, sed maturitatem expectet. Nihil enim ante iustum tempus maturescit. Qui temporis ignarus est, is corruptor & seductor est, decerpens, quod nondum maturum est, auferens, quod ipsi non mandatum est. Et hæc ad probationem Membrorum Cœlestium allata sufficiant. Dona Cœlestia ad conuenietem locum differemus. Quibus dictis, iam probationes finiamus.

DE PROBATIONIBVS IN DONA Cœlestia, Theophrasti Paracelsi

PRÆFATIO.

Reliqua huius Libri secundi desiderantur omnia.

AD LECTOREM.

LIBER TERTIVS SAGACIS PHILOSOPHIÆ MAGNÆ

ASTRONOMIÆ, HOC EST, DE VIRTVTIBVS Olympi noui seu fidei.

QVARTVS LIBER

SAGACIS PHILOSOPHIÆ

PRÆFATIO THEOPHRASTI

In Quartam Astronomiam Infernalium.



RES hactenus magnæ meæ Astronomiæ partes descriptas vobis communicauimus, in quibus rerum absconditarum arcana tractauimus, Naturalis nempe luminis potestatem in Astronomia: Præterea quomodo cœlestis quoque Astronomia similiter Astronomicè operetur: vna cum Astronomiâ Fidei.

Sequitur iam quarta Astronomia, indicans, quomodo Infernalis Astronomia operationem suam perficiat. Ante omnia autem in præfationis huius vestibulo demonstrabo, quomodo hæc nec cum fide pugnent, nec aduersentur ordini creatorum, si statuamus, Diabolum aut ei addictos nouem Astronomiæ species perficere posse. Negant enim, Diabolũ aut ipsius mancipia esse Magos, qui tamen Magi nullâ contradictione esse possunt. Sic etiã sunt Nigromantici, sine incantatione, hoc est, præstigiis. Similiter & in tribus speciebus sunt Necromantici. Sunt etiã Astrologi, & Astrologiã ex fundamẽto callent & intelligunt. Ita etiã signatis & signaturis subiecti sunt, nõ minùs ac homo, aut animalia: vt discrimina inter ipsos non minùs sint certa, quàm hominũ & animaliũ, vbi, quis niger, ruber, paruus, magnus, &c. sit, apparet: Itẽ quid porcus, vacca, serpẽs, &c. sit. Porrò & Artes Incertas æquè ac nos, & nobis quidẽ certius præparare possunt. Spiritus enim sapientior est carne. Sic etiam per omnia Philosophiam intelligunt. Denique quæ ad Mathematicam pertinent, eorum nihil ignorant.

Cùm ergo istiusmodi operationũ gnari sint, & ad eas excercendas perficiendásq; habiles ac potentes, iam deinceps pãdenda causa est, cur hanc potentiã habeant, huiusmodi effectus manifestò producendi: quod quidem

dem homini scitu vtile,& cognitu conueniens est. Cur enim in hâc terrâ viuit homo, nisi vt peritiam habeat operum diuinorum, quo modo vniuersa ex Deo procedant? Et licèt Diabolus quidem cum suis infernalibus, Deo & Deo addictis aduersetur: satis tamen compertum est, quòd nos, vt Leo rugiens sequatur, quemlibet in suo genere statúque Mercatori Mercator est. Deus autem & ipse Mercatori Mercator est: sed alter est ex Diabolo, alter ex Deo. Sic Diabolus Regi est Rex, Prophetæ Propheta, Apostolo Apostolus, Doctori Doctor, Militi Miles, Equiti Eques, &c. Similiter & Deus Regi Rex est, Prophetæ Propheta, Doctori Doctor, Equiti Eques. Hoc modo duplices sunt Reges, Prophetæ, Doctores, Apostoli, &c. hoc est; verus in Deo, falsus in Diabolo. Hominis ergo est, probè accuratéque perspectum habere, quidnã ex Deo, quid ex Diabolo sit. Itẽ, quãquã diuina regia dominatio sit, quid diuini Prophetæ sint, &c. qui itẽ Diabolici. Valde enim mihi vtile videtur, mercatorem Diabolum cognouisse, adeóq; quẽlibet scire, quomodo Diabolus doceat mercatorẽ, Doctorẽ, Prophetã, & quib. artib. ipsum alliciat ac capiat. Hæc inquã cognitio homini valdè necessaria esse videtur, vt caueat, ne quoquã modo ab ipso ad malũ deducatur, cuius causa æterna damnationi obnoxius fieri possit. Nam (vt exemplo vos doceam) homo, dum tenellus est, audiens seniores discit ex illis, & ab illis se informari patitur. Quòd si homo id præstare potest, vt puerum vel ad verã vel ad ad falsam viam ducat, & instituat: multò magis id præstare poterit diabolus, qui ipsis hominibus lõgè senior est. Et annosissimus quisque senex respectu huius est infans in cunis, & iunior, quàm in vtero materno fuit; iunior inquã recentissimè quouis nato Diabolo. Itaq; tam bonas quã malas artes expeditè callet. Quod bonũ est, deserit, & eo cõuertit, vt alterũ, quod bonũ est, per id corrũpatur. Ars nimirũ est, & ars quidẽ diuina, cõparatio victus. Hãc etiã diabolus nouit, & quidẽ exactiùs, quàm homo illã ex Deo didicit, hoc est, ipse docere potest hominẽ, qui otiando is victũ parare queat. Docere ipsũ potest, vt decẽ florenos lucretur, vbi pro præscripto diuino decẽ Cruciatis ipsũ contentũ esse deceret, &c. Hoc verò potest nõ tantùm in informãdis mercatorib. & agitãdis cõmerciis: sed docere etiã potest, vt, vbi Christus Apostolos adhortatur, ne baculũ aut perã habeãt, &c. asinos cõparet, qui illa portẽt. Et vbi Christus inquit, Quod proponitur vobis, edite, ibi docere ille potest, vt omnia, tã cocta quam cruda illis proponãtur. Vbi Christus inquit, Tu es Petrus, &c. ibi docere potest, etiã aliũ ibidẽ intendi & intelligi. Mihi autẽ impossibile est, annotare eã vniuersa, quæ ipse peruertere potest, & docere contra & supra id, quod à Deo habemus.

Hæ Causæ ad scribendum me impulerunt, vt homo in animo ac intellectu suo certius sit, sciátq; an officiũ suum, quod Deus ipsi imposuit, vltra Dei voluntatem intendat exerceátve, vel minùs. In hoc enim periculum æternæ damnationis positum est. Videte enim astutiam diabolicarũ artium saltem in sartorib. Deus & natura docent, vestes ad necessitatem & humilitatem parare. Diabolus autem docet easdem concinnare ad luxum, prætendens, eum mundi ornatum esse, tam viris quã fœminis dignum. Hac persuasione ornatus Deo & Naturæ gratus contemnitur, diabolicus autẽ receptatur. Peruersionem hanc etiã obtrudit nobilib. ciuib. rusticis, clericis, Monachis, &c. vt decenti ornamẽto statúque deserto, aliena & se maiora sectentur. Et hæc saltem apud sartores præuaricatio est, non cogitantes, quod præter ornatum à Deo & Naturá constitutũ nihil admitti debeat. Vniuersiq; adeò homines obliuiscũtur illius vnitatis & æqualitatis, de quá Propheta ait: Ecce quàm bonũ, & quàm iucundũ, habitare fratres in vnũ: qui versus nihil docet aliud, quàm vniuersos homines figurã vnã, vnã formã habere, quam à sartore quoq; obseruari deceat. Eadem & Sutorum conditio est, qui calceos alios pro fœminis Principum, alios pro fœminis nobilium, ciuium, rusticorum, &c. suunt, & tamen æquè omnes fœminæ sunt. Sic virorum calcei sunt, dissecti, ex holoserico, ex auro constructi, hos osculari oportet, &c. Nec verò de his tantùm, sed de vniuersis opificiis hæc intelligenda sunt. Quo fine aurifaber à Deo & Natura factus est? Vt in eo dona Dei appareant, & nihil mali fiat. Sed & hi suos limites transgrediuntur. Quid Phrygio? Dotib. à Deo acceptis abutitur, ad hominem diabolico ornatu corrũpendum. Et ex longá serie hîc percenseri posset, quomodo artes vniuersas vltra constitutam metam, modúmque & finem, Diabolus extendat. Et cuius vita spectandu & expectandu omnib. sufficiat? Ipse enim est Mille artifex, introducendis excessib. tam opificem, quàm ornandum ipsum in æternam damnationem præcipitans.

Sed vt in hâc præfatione de Infernalib. paulò planiùs & vberiùs disseram: sciendum est, ea, quæ iam dixi, à Solis Infernalib. descendere. Et nemini admirationi sit, Diabolum posse eò impellere Doctorem, vt scientiã doctrinámque rebus ac officiis diabolicis impendat. Similiter & Propheta ac Apostolus. Quod enim de falsis Prophetis & Apostolis Christus inquit, id falsũ à solo est Diabolo. Iam apud vos ipsos de his iudiciũ concipite. Cõparate inter se Prophetã verum & falsum, Petrum primum & secundum, Apostolos primos & secundos, Prophetas primos & secundos. Quos si probè expenderitis: tanto inuicem interuallo distabunt, quãto Lazarus pauper, in sinu Abrahæ sedens, à diuite, in abysso inferni torto. Tale Chaos etiã hîc deprehendetur. Ne autẽ homo per nimiã industriã, quæ à Diabolo additur, in infernum seducatur: legendi sunt Prophetæ, &c. Ex quib. discemus, eos, qui Deo obsequuntur, in hac terrá sub Lazaro comprahendi, & diuitem, in inferno sedentem, historiá suá à Lucá descripta, exprimere & repræsentare eos, qui in additione diaboli viuunt, nec subtractionem ferre volunt. Quá de causá etiam damnantur.

Nec verò hi tantùm duo exemplum sunt, Lazarus, scilicet Beatorum, & Purpuratus Damnatorum: sed plura huiusmodi vbiuis prostant, quæ omnia quidem recenseri non debent, ex hoc autem exemplo commodè intelligi possunt. Videre & inter se conferte bellatorem Samuelem, & bellatorem Dauidem: aspicite bellatorem Neronem, & Alexandrum & similes. Quis bellorum ab his gestorum finis? Sine insigni gloriá obierunt. Attendite ad Sapientiam Salomonis, quæ ex Deo fuit, & ad sapientiam Cæsaris Constantini, qui regnum suum Constantinopolim transtulit. Alter laude dignus est; alter ne dignus quidẽ est, vt ipsius mentio fiat. Nimium enim metam trangressus est. Vellem ergo, hinc modum metámq; veram cognosci: vltra Terminum enim costitutum pergere nemo potest, nisi sapientiam Diaboli, sequi velit, quam, quomodo finitura sit, nemo explorare potest. Semel verum hoc est, finem nullum bonum sequi posse. Est enim arbor mala, fructus bonos nullos proferens, ideóque igne, hoc est, infernali flamma in sua exaltatione digna.

Sed vtut hæc sint, sciendum nobis est porrò, omnes Astronomiæ species hoc modo in Infernalibus perfectas esse, vt ad hanc etiam pertendere metam possint, ita tamen, vt, ceu dictum est, vltra ipsam quoque

lucere possidet. Et si autem hactenus saltem de ductu aut tractatu eorum disseruerim: sciendum tamen nihilominus est, quòd etiam per se ipsos Magi naturales, Nigromantici, Nectromantici, &c. sint, velut in vestibulo à nobis constitutum est. Nec id his humana semper illi opera vtuntur, sed eadē per se interdū exercēt. Si Naturalis Magus Magiam per se exercet: per se etiam illi quamlibet Astronomiæ speciem vsurpabunt.

Vt Magica Infernalium vnà cum aliis Astronomiæ speciebus rectè intelligatur, hac de causa explicare aggressus sum, quomodo agant, quiue in sua Essentia operentur, vt quæ Impressiones Diabolicæ sint, vel non sint, distinctè sciri possit? Vbi tamen omnia naturaliter, & ex fundamento deducturi & demonstraturi sumus. Magni enim momenti est, creatorum Dei consideratio, quòd nempè Angeli ipsis hominib. multò sublimiori sapientiâ prædit & dotati sint. Diabolus autem, qui Lucifer fuit etsi multum quidem perdiderit, locum tamen saltem, conspectúmque Dei regnum perdidit, artes sapientiámq; retinuit. Harum enim priuationis scriptura non meminit. Iam hæc cognitio plana est. Qui artem seu scientiam retinet, is retinet etiam artificium, etsi à Rege expellatur. Quanquam hoc eius officium non fuerit: sed illud, vt ad conspectum Dei staret, & rerum terrenarum curam non haberet. Quibus tamen cùm iam amotus sit: terrena deinceps ipsis palmaria facta sunt. Sequentem ergo, Lector, Infernalium potentiarum Astronomicam Philosophiam euolue, vt, quid infernales vires & potentiæ sint, intelligas, & intra modum metámque te cohibeas, ac errores vites. Datum ad S. Vitum in Carinthia.

Finis Præfationis in quartam partem Magnæ Astronomiæ THEOPHRASTI HOHENHEMII, *de Infernalibus viribus secundum Naturæ facultatem tractantis.*

CAP. I.

De Compositione Infernalium.

SVPERIVS in prima parte docuimus de Compositione hominum, ex quonam à Deo creatore illi conditi sint. Vbi diximus, ante creatum hominem omnia condita & ex creaturâ, hoc est, ex Limo terræ, tandem ipsum hominem productum fuisse. Hoc idem est ac si dicatur. *Homo factus est ex materia.* Hoc autem loco in creatione Infernalium terrena materia corpus non est, sed verbum tantū, quod inuisibile est, illos creauit. De his autem primò notate. Si notitiā principij Infernalium habere desideremus: necesse est nobis de initio & origine Angelorū ante omnia constare. Sicut enim ex terreno homine, nouus natus cœli fit, & alius nouus natus Inferni: ita hîc etiā scire conuenit, Angelos creatos esse speciosos ac supra modum venustos. Nihil tamen quicquam à Deo aut conditum aut splendidè dotatum est, quod inobedientiâ à Deo statu suo non deiiciatur, si Deus manum suam subducat. Sic Iudas fuit Apostolus. Quem cùm Deus desereret, in desperationem is actus seipsum suspendit, & medius crepuit. Petrus cōstans māsit: cui Deus claues regni cœlorum tradidit, nec ab eo iterum abstulit. Christus enim ipse pro eo orauit, vt ne fides eius deficeret. Quos ergo Deus protegit & gubernat, hi Dei viâ incedunt. Qui ex hoc ordine non sunt, hi student vigiliis, ieiuniis, & precationibus, vt ne Deus ipsos in tentationem inducat. Creata enim omnia, nisi vigilent, & ieiunent, & orent, à Deo deseruntur, & præcipites ruunt in adulteria, furta, latrocinia, idololatriam, superbiam, insolentiam, &c. donec manus Dei ipsos obruat. Quæ profero, vt intelligatis, Infernales conditos non fuisse, vt Infernales, sed vt Angelos. Cùm verò non timore Dei flagrarent, sed superbiâ inflati turgerent, è statione suâ eiecti & expulsi, quicquid habuerunt, perdiderunt.

Maioris perspicuitatis gratiâ, antequam de ortu Angelorum pertractare pergam, velim ad hoc vos exemplum attendere. Creauit Deus hominem, Mundum & vniuersum Firmamentum, sicut hæc ambitu suo includuntur. Euidens autem est, in mundo duas omnino Naturas esse in omnibus rebus, *Bonas* & *Malas*. Sic homines boni sunt, sunt mali, beati, reprobati, sancti & damnati. Duplices hæ naturæ sunt etiam in animalibus: sunt in Elementis; sunt in Firmamento. Cùm verò in mundo initium rerum omnium bonum & Deo placens fuisset: Tempus postea bonum corrupit, & id in malū conuertit. Hæ naturæ etiam in cœlo citra contradictionem repertæ sunt. Initio enim Angeli fuerunt supra modum formosi & boni. Horum pars peccauit: pars non peccauit: Et cum Dei voluntas esset regnum suum à non pollutis incoli, sed ab illis, qui pure patrifamilias ministrarent: hinc factum est, vt polluti ex regno Dei exturbarentur, puri autem retinerentur. Et prouidentia diuina deinceps etiam in elocando suo regno hunc morem obseruat, vt, priùs quàm homo cœlum ingreditur, velut aurum in igne probari cogatur: Vbi probationis hæc summa est, vt carnem mundo relinquat, & nouam carnem nouæ generationis induat, conceptam nimirùm à spiritu sancto, sine quâ carne cœlum intrare nemini licet. Commodum enim prudentiæ diuinæ visum est, vt creaturæ nulli sideret, nisi ea de cœlo & ex cœlo regenerata esset. Similiter etiam de Angelis intelligendum est, quod scilicet illi, qui Infernales facti non sunt, accuratè rigidéque priùs probati, & demum, postquam in perfecto Examine rectè steterunt, ad regnum cœlorum confirmati fuerint. Sic etiam soli confirmati homines nouæ generationis regnum Dei, cæteri tartareum infernum possident.

Regnum Dei qui possideant.

CAP. II.

PORRò autem homo, vt homo, ex mundo notitiam nullam haurire potest creationis eorum, qui aut in regno Dei versantur, aut ex illo eiecti sunt. Nemo enim de supernis disserere potest, nisi ex supernis sit, hoc est, nisi per Spiritum Dealem in homine. Quantum autem æqualis similitudo & experientia, & à multis seculis prompta historia ac reuelatio dictat, intelligitur quidem, æquè in cœlo ab initio extitisse bonum & malum, peccatum & non peccatum, probum & non probum, iustum & non iustum. Vnde autem Deus bonum & malum in suum regnum assumpserit, homini absconditum est. Hoc tamen ita se habere, hic in terra demonstratum satis est. Admiratione quidem dignum est, quod Deus sibi ipsi & domui suæ, ex

Lapsus Angelorum quã horrendus.

ex se, Angelos creauerit, qui tamen puri, perfecti, mundi, & sine peccato non fuerint, sed in horrendum peccatum inciderint, cui peccato simile non fuit, quod *Sodoma ac Gomorrha* patrauit, aut mundus, qui cataclysmo totus inundatus est. Quale hoc fuerit corpus spirituale, in quo tantum peccatum in cœlis exortum est: id ex se homo suo iudicio capere minimè potest,

Homo cur peccabilis.

Caro namque caro est, & insuper infirma, ex luto facta in lutum rursus abitura. Vnde in peccatis nascitur. In cœlo autem ratio alia est. Ex tali luto creati Angeli non sunt, sed ex purissimo purissimè facti sunt. Et tamen ingens ipsorum numerus in peccatum lapsus est, vt iam omnis infernus illis repletus sit. Hinc facilè cogitatu homini est, quod Deus in omnibus suis creatis, quib. rationem indidit,

Contrarietas in omnibus rebus reperitur.

contrarium concurrere permiserit: quasi diceret. *Ecce, ego solitarius sum, penes me nemo est, consortium mihi creabo, seruos, &c.* Hi ratione pollebunt, me cognoscent, voluntatem meam intelligent. Vt verò videam, qui constantes futuri sint vel non sint, libertatem ipsis relinquã, & quales se erga me gesturi sint, attendam. Qui probi erunt, hos retinebo. Qui mali, eos expellam. Sciendum ergo, creaturas omnes, quib. rationem Deus concessit, in statum hunc collocatas esse, tam in cœlo, quàm in terra. Iam si ratio ambigit, & veluti in arboris ramo, quẽ ventus sursum deorsum agit, considit, nec in statione firmâ permanet: Deus manum suam subtrahit, & rationem suo arbitrio relinquit.

Liberum arbitriũ quid sit.

Voluntas ea libera ei, qui taliter in manu Dei non consistit, libera est, vt vel labatur, vel maneat. Et de libero arbitrio exemplum notate. Nemo liber est, nisi qui dominum non habet. Iam, qui Deum non habet dominum, quem Dominus suâ manu non ducit, sed liberum relinquit: is facere potest, quicquid vult. Ideò à Christo docti sumus orare, *Ne nos inducas in tentationem.* Ea enim tentatio est, si manum suam nobis Deus subducit, liberos nos esse sinit, & nos libero nostro arbitrio committit. In hanc ne incidamus, oramus,

Tentatio Dei quid sit.

Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Et hoc malum id est, si in libero arbitrio versamur. In hoc versati similiter sunt etiam Angeli. Horum pars sapiens fuit, creatorémque suum considerauit, nec malo se addixit. Pars altera superbiâ elata, Deũ creatorẽ suum deseruit, qui illos fecit, creauit, & ordinauit, ceu Psaltes ait: *Deseruisti eum, qui te creauit, & Dei tui creatoris oblitus es.* Postquam ergo Deum deseruit & oblitus eius est: abstrusit ipsum Deus ad Tartaros, & puros secum retinuit. Et tantum nec plus homo de cœlestibus creatis, eorum principio, & corporibus spiritualibus, ceu iam explicuimus, intelligere potest.

CAP. III.

CÆterùm de iam commemoratis rebus paulò clarior explicatio adducenda est, & cumprimis de hoc, quod Ratio debeat habere notitiam boni malíque, & insuper etiam Electionem huius vel illius, quando manum suam Deus subtrahit, & ex ratione arundinem facit.

Ratio humana quando firma sit.

Hic ergo notandum est, oportere rationem cognationis nonnihil habere cum spiritu sancto. Hoc enim absente, ratio nuda & infirma est, vt per seipsam brutalis existens. Et licèt quidem insigni intellectu, sapientiâ, prudentiâ, perspicacitate & indole polleat: sapientia tamen illa non nisi stultitia est, apud Deum.

Sapientia hominis apud Deũ stultitia.

Præterea nec ipsa Angelorum sapientia apud Deum aliud, quàm stultitia est, nisi spiritui sancto cognata & vnita sit. Id comprobatur ex eo, quod iam tradetur. Quando nimirùm Angeli in libero arbitrio examinationis steterunt, manus Dei adeò absens fuit, vt seipsum quilibet, qualisnam esset, solidè & verè cognoscere posset. Non tamen in ipsis Lumen fuit, sed propria tantum cognitio,

Angeli quinam seducti.

quæ nonnullos eorum seduxit, nimirùm Angelos omnium ditissimos, maximè & splendidissimè dotatos, qui sibi ipsis adeò complacuerunt, vt iam sibi persuasum haberent, nullo se Deo opus habere, sed ipsum etiam à se superari. Cæteri, vt (quod opinabile est) pauperrimi, in humilitate suâ persistentes, loco suo perstiterunt, & postea eleuati sunt, sicut Beata virgo canit: *Deposuit potentes de sede,* (Luciferum intelligit ceu Angelorum potentissimum) & exaltauit humiles, id est, pauperes Angelos humilitati addictos, in locum illorum surrogauit.

Diuitiarũ quis effectus.

Nam & in hoc mundo vsus docet, diuitias facere aduersarios Dei, & parere insolentiam, contemptúmq; eius, qui illas largitur, adeóque incitare ad inobedientiam & ingratitudinem aduersus eum, qui opes creauit & contulit.

Hinc iam, quod dicetur, liquet. Quamprimũ Deus manum suam subtrahit, nihil facit aliud, quàm quod Spiritum sanctum ab homine auferat, ipsúmque suæ rationis arbitrio committat.

Liberum arbitriũ hominis duplex.

Vbi Spiritus sanctus non adest, ibi libera voluntas viget. Vbi Spiritus sanctus est, ibi omnia ad ipsius arbitrium dirigi necesse est. Sed & hîc libera volũtas est in tali homine. Qui enim Spiritum sanctum habent, habent sapientiam diuinam. Talibus accepta est sapientia Dei, vt liberâ suâ voluntate doctrinam S. spiritus non transgrediantur. Et ea libera voluntas directa est ad bonum, minimè ad malum. Quib. autem Spiritus sanctus totus ademptus est, veluti damnatis, hi ipsi quoque liberum habent arbitrium, sed ad malum, vt faciant, quod velint, prædentur, furentur, decipiant, &c. Itaque verum liberum arbitrium consistit in probatione & tentatione, facta à ratione propriâ, sine concursu Spiritus sancti.

Hæc eo fine adducuntur, vt per illa constet, Spiritum sanctum initiò, cum Angelis in examinatione non fuisse. Fidei autem consentaneum est, quòd postea illis Angelis, qui iusti & humiles manserunt, Spiritus sanctus datus sit.

Angeli cur non denuo labantur.

Ipse námque est confirmatio & constantia, quæ non labascit. Nullus ergo deinceps Angelus lapsurus est, quia apud ipsos lumen Spiritus sancti habitat. Id probatur ex eo, quod ad Apostolos, qui cum Christo fuerunt, post examinationem ab ipso Christo dictum fuit: *Vos mecum habiturus sum: Vt vbi ego sum, vos quoque vnà sitis.* Hæc post Ascensionem Christi obfirmata fuerunt, postquam Spiritum sanctum ipsis misit, & eâdem operâ ipsos etiã confirmauit. Ante id tempus Spiritum sanctum ipsos habuisse, nullibi legitur. Mandatum quidem & potestatẽ à Christo acceperant, sed ipsam tamen in ratione propriâ consistentem.

consistentem. Quâ etiam de causa non semper sapientes exstiterût, sed iam vel in fide vacillantes, vel minus illustrati. Sic Thomas credere noluit: sic Iudas proditorem se præstitit. Post missionem autem Spiritus sancti, omnia in ipsis illuminata, ipsiq; in amore adeò incensi fuerunt, vt nulla deinceps infirmitas in fide, aut defectus in æterna sapientia, aut in vlla re ruditas apud ipsos remaneret, sed ad omnem Dei voluntatem perfecti promptiq; illi existerent. Idem de probatis etiam Angelis intelligendum est, quod tādem Spiritum sanctum acceperint, vt in æternû à Deo non ampliùs deficere possent, veluti & Apostoli à Christo adeò non desciuerunt, vt deserere maluerint vxores, liberos, parentes, agros, prata, ipsum denique corpus suum. Itaque deinceps in omnem æternitatem à Christo deficere amplius non poterunt. Virtus námque huius constantiæ à Spiritu sancto manat.

CAP. IV.

Agitur deinceps de Spiritibus Infernalibus, cœlo eiectis.

CVm Lucifer iam non amplius in cœlo versetur, sed indè coniectus in Infernum sit, quæ huius expulsionis causa sit, iam satis expositum esse arbitror. Pulchritudo ipsius, & serenitas, & puritas Angelica tota in contrariû versa est, vt excreta abierit in carbonem, ex carbunculo degenerârit in tophum. Quicquid enim Deus dat deditve sine confirmatione Spiritus sancti; istud vniuersum à Deo iterum adimi potest. Nec enim ex manu Dei id remotum est, sed in ea adhuc positum est. Quod verò post confirmationem Deus dat id nunquam iterum aufert. Sic Petro claues regni cœlestis dedit: eas iterum non aufert ab ipso. Dedit enim eas post examinationem, probationem & confirmationem: cui etiam post examinationem oues tradidit, quas ab ipso iterum non aufert. Affirmo ergo, Luciferum supremum spiritualium infernalium auctore confirmati nihil habuisse, vt qui ad probationem factam illicò delapsus sit in superbiam & mendacia erga Deum, & veraciter cum Deo nihil tractârit, quamdiu in cœlis fuit. *Ipse námque Christus fatetur, Mendacem ipsum fuisse ab initio, & cum veritate nunquam stetisse.* Quibus verbis Christus fatetur, cœpisse ipsum illicò in cœlo mentiri, & à veritate abhorrere. Hinc iam consequitur, illud, quod is contra Deum assumpsit, in ipso confirmatû esse à Deo, vt scilicet mendax in æternum maneret. Iam cum mendax maneat; mendacium autem in cœlo tolerari non possit, sed sola veritas: ideò foràs ex cœlo ipsum eiici, necesse fuit. Indutus ergo est veste, mendaci conueniente, sicut fur induitur laqueo, latro rotâ, &c. Hæc iam est furtiua & mendax natura, quâ post amissam claritatem indutus est, ita vt Angelici nihil ampliùs ipse cum suis complicibus habeat. Ex die abiit in tenebras. Qui lux erat, factus est nox: qui Sol, abyssus abominandâ caligne horrens. Abstrusus ergo est in ipsa Elementa, ambulans in splendore Solis, in omnibus corporibus, etiam in inferno. Sol tamen eidem nihil prodest: Sed sors eius similis est ei, qui anhelanter potum sitiens, illum quidem ad manus habet, sed ipso tamen potiri nequit, & ob præsentiam multò graniùs affligitur. Porrò de sapientia eius sciendum est, eam omnem mutatam esse ad promouendas ipsius fraudes, mendacia, & deceptiones, ita, vt nulli iam, siue Angelus siue homo sit, ea vsui esse possit, nec ille Angelicam suam sophiam nisi ad malum, hoc est, ad id, quo Deo aduersari annisus est, impendere queat. Nam Angelicam sapiētiam Deus illi non ademit, sed in malum & scelus conuertit. Sicut enim, si quis dominus Præfectum aliquem habeat, cui potestatis multum commissum sit, potestate autem acceptâ Præfectus abutatur ad exigendum & opprimendum dominum, à domino tamen superiore subiugetur & vincatur, ac ab eodem canicida & carnifex constituatur: iam præfectus iste omnem suā sapientiam, vafritiem & prudentiam in hoc cōferre debet, vt rectè canes cædat, furésve suspendat, cùm ad res alias vtilis non sit. Tali iam graue obuenit, quod, cùm suâ sapientiâ & versutiâ ita vti possit, vt cuilibet domino æqualis sit, ipsam tamen cædendis canibus & purgandis cloacis impendere cogatur. Idem eodem modo etiam Lucifero accidit, vt vestem iam, gerat non domini, hoc est, Angeli, sed carnificis, & vt sapientiam suam impendere cogatur rebus turpibus, friuolis & pestilentibus, &c. Mallet enim esse Angelus, quàm Diabolus. Et tamen diabolus manere cogitur, & in diabolicis occupatur, etsi Angelicam sapientiam rebus cœlestibus potiùs, quàm infernalibus impendere mallet. Subiectus cogitur esse illi loco, vesti, & operationi, quam omnium maximè odit. Cogitur illa facere, quæ maximè respuit. Cogitur iacere in illa foueâ, in quam præcipitare Deum annisus est. Ita nimirum Angelica ipsius sapientia conuersa est in Diabolicam: quod quidem maledictissimum & turpissimum inter Dei creaturas omnes iure habendum est.

Lucifeti sophia quo mutata sit.

Diaboli & carnificis collatio.

CAP. V.

De Infernali, vbinam cum suis habitet.

OPus est, vt initio exemplum vobis de diabolorum habitatione, proponam, & tale quidem. Constat hominibus omnibus, nobis Solem conferre diem, qui luce suâ creaturas vniuersas serenat, & in quo opera Dei omnia, sensibilia & insensibilia oppidò gaudent, Deóque gratias de suis operibus agunt, quod is nos tales condiderit. Porrò autem creaturæ, prout se habent, ita solis lumine fruuntur. Quæ bonæ sunt, his illud gaudio est, quæ malæ, terrori. Malum námque, nihil vtile à Sole expectare potest. Ita ligno putrido, & terræ lumbricis Sol minime vtilis est. Sed iam pergamus de his. Sol lucet, & vires suas in omnia corpora, quoquò versùm penetrando, vsq; ad ipsum centrum, transfundit. Quáq; ratione splendor solis transit per vitrum: eâdem ratione vis eius transit per mare vsq; ad imum fundum. Sic etiam per terram. Sic per aëris vniuersum corpus. Sic denique quoquò versùm per ignem. Imo per generationes vniuersas, ab elementis descendentes, illa penadit, vt per metalla, per montes, per lapides, per saxa; per ligna, &c. ita, vt nec quidquam in medio sit, quod Solis viribus inaccessum sit. Ad Solem enim corpora omnia collata instar vitri sunt. Et licèt

Habitatio Diabolorum vbi.

Solis vis quoquo versû penetrat.

licèt oculi quidem nostri id non comprehendant, sed veluti tenebrosa quædam corpora sint, ipsius tamen Solis respectu omnia sunt Diaphana & perspicua. Eodem modo & Aër per omnia penetrabilis & meabilis est. Exemplum allatum iam ita accommodabitis. Vbi Sol est, ibi sunt Diaboli. Vniuersus enim creaturarum ambitus est mundus, est infernus. Iam vt de mundo creaturæ gaudent (sic nimirum crescentia terræ, sic pecora omnia ob cœlum & diem lætantur) ita de die congaudent etiam cætera omnia, vt homo, & quicquid vbique est.

Infernus vbi.

Sed Diabolis, qui in die versantur etiam, Sol tenebrosus est. Hi Solem adspiciunt, sed ad ipsum exhorrescunt. Vident creaturas, sed ad conspectum earum expauescunt. Et quod homini creaturisque cæteris gaudio est, id ipsis est dolori. Quod hominibus voluptati, id ipsis nauseæ est. De hoc ponamus exemplum. Apud animum tuum concipe, quendam in carcere captiuum teneri, propediem capitis pœnam luiturum. Cōcipe etiam alium, ante fores carceris saltantem & lætabundum. Hi quanto interuallo distant? Qui ad patibulum ducitur, is ad lucem exhorrescit, nec vllo gaudio afficitur. Alter saltat, iubilat. Vtrique sub Sole eodem sunt, non similiter tamen vtrique animati. Alter lætabundus est, & subsilit, potat, & voluptatibus plenis se proluit. Alter est eneruatus, & mortis horam cum dolore, seu angustia expectat. Horum discrimen valdè magnum est, velut & Christus inquit: *Duo in mola sunt, alter suscipitur, alter minimè. Duo sunt in agro, alter suscipitur alter minimè, &c.* hoc est, alter gaudio, alter mœrore afficitur. Et licèt in vno quidem sint loco, in vno lecto, in vna molâ, in vno agro, non tamen vnius gaudij & sortis participes sunt, sed alter ridet, alter plorat. Multò maius & euidentius discrimen est creaturarum in hoc mundo versantium & infernalium. Duo enim sunt, nos ex parte vnâ in Sole: Infernales ex alterâ parte, sub Sole. Maior autem est horum sub Sole ploratus & stridor dentium, quàm illius, qui sub Sole supplicio afficitur, angustia: tātò inquam maior, vt Christus ipse dicat, *Solem ipsis tenebras esse, de extremis tenebris dum loquitur.* Eæ tenebræ non noctis sunt, sed præter has sunt etiam aliæ, in circulo tamen & ipsæ comprehensæ. In tenebris illis habitant Diaboli. Sed vt cœco Sol est tenebræ, quas non videt: ita Sol etiam est tenebræ Diabolis, tantò grauior, quantò illi acutiùs vident, & tamen videntibus oculis cæci sunt, audiuntq; & multi surdique sunt. Hæc illa miseria & ærumna Diabolorum est, quòd frui non possint præsentibus, sed ipsis omnia contraria sint, velut meretrix in conspectu ferenda. Si enim dilectæ coniugis suæ probra & flagitia videre & tolerare aliquis cogitur, dolor ille nullis verbis satis exprimi potest. Multò grauior iste Diabolorum dolor est, quòd iis, qui vident, frui non possint, aliúsque ipsorum episcopatum occupârit, cùm ipsi interim tam Angelorum quàm hominum otiosi spectatores sint, quæ afflictio ipsis omnium maxima est.

Dies gaudio est omnib., nisi Diabolis.

Diaboli collatio cũ fure.

Sol est tenebræ.

CAP. VI.

De eorum Confœderatione, & Regimento, & Exercitiis.

Ratio diuersis diuersa.

QVæcunque creata Deus Ratione dotauit, ea illam diuersam habent. Quot enim personæ, tot etiam rationes & intellectus. Et hoc non de terrenis saltem hominibus ac pecoribus, sed ipsis etiam Angelis & Infernalib. verum est. Cùm ergo ratio secundum sapientiam suam in infinitas partes distributa sit, adeò, vt quodlibet per se ab alio diuersum sit: hinc iam patet, alia etiam ad alia facere, ac conducere, vt pro cuiuslibet intellectu diuersa à diuersis expectanda sint. Sic ex Angelis in cœlo alius est *Gabriel*, alius *Michael*, & sic deinceps. Sic cum constet, in Deo tres Personas esse, Patrem, Filium, & Spiritum S. ita aliud est officium Patris, aliud Filij, aliud Spiritus sancti. Idem euidens etiam inter nos homines in hoc mundo discrimen est. Hoc ergo discrimen, non in Deo solùm, sed & Angelis, & hominibus, ac animalibus, denique crescentibus vniuersis ratum est. Iam cum Diaboli (qui iam spiritus sunt) Angeli fuerint, & Angeli olim quidem boni, nunc verò mali existant: conditionem tamen Angelorum in se retinent adhuc eo modo, quod velut Angeli boni Angelicâ sapientiâ in rebus & essentiis Angelicis vtuntur, sic illi Angelicam sapientiam reb. Diabolicis impendant. Discretus tamen, vt dictum iam est, ordo & ratio seruatur in officiis, seruitiis, constitutionibus, &c. secundum quæ à Diabolis vniuersa non ad cœlestes virtutes, sed ad infernales, non ad cœlum, sed ad infernum conferuntur & diriguntur. Angelicæ itaque sapientiæ tanta profunditas est, vt illuminatio eiusdem à nullo terreno satis indagari queat. Hoc quidem scire possumus, nullâ ipsos terrenâ sapientiâ vti. Versantur námque in cœlo, non in terra. Nullis ergo terrenis cognoscendis vacant. Nec Medici sunt, quia nullis morbis affliguntur: nec Iureconsulti, quia pace gaudentes litibus carent, nec tignarij, quia domicilio nullo opus habent. Id de terrenis vniuersis æquè intelligite. Hęc vt vera sunt de Angelis ita malis etiam Spiritibus conueniunt. Morbis carent: ideò & Medicis. Spiritus námque, ossibus & carne carens, ægrotus non fit. Regnum turbatum & diuisum non habent: itaque non Iuristis egent. Non coquunt, quia non edunt: ergo nec figulo opus habent. Insignem & illustrem sapientiam quidem habent: sed eâ, non vt volunt, vti possunt. Idémque hoc casu patiuntur cum eo, quis coquendi artis peritus est, sed eam cum exercere nequeat, cruda deuorare cogitur. Hîc vos velim attendere tamen, quòd illi quidem possint coquere, mederi, patrocinari seu ius dicere, quod, inquam, quicquid vspiam in terra artium & opificiorum est, calleant, ipsis hominibus longè meliùs & subtiliùs, adeò vt nihil ipsis absconditum sit, nec quicquam homo excogitare possit in natura, quod ipsi non sciant sine defectu. Sed ista tamen nôrunt non vt Angeli vel Spiritus, hoc est ex naturâ propriâ: sed in terra eadē didicerunt & cognouerunt, isto temporis interuallo, quo ex cœlo deturbati, apud nos commorati sunt. Hoc vt rectiùs intelligas, animo concipe, quendam ex hominibus, qui exteras terras noscendi gratiâ ex patriâ suâ proficiscatur. Is, si quo loco educatus est, callidus, prouidus & prudens fuit: eò plus alibi cognoscit. Eodem plus modo, quia Spiritus maligni Angeli fuerunt, Angelicam sapientiam secum exportantes, quouis homine exactiùs ipsam Naturę cognitionem haurire

Angeli boni & mali, quomodo secũdum sapientiam differãt.

Angeli terrena non nouerunt.

Spiritus quomodo terrena nouerint & vnde.

haurire potuerunt. Taceo, quòd Spiritus montes quoq; & saxa, adeóque elementa omnia pertranseat, eadem penitissimę contempletur, ac spirituali suâ indagine vniuersarum rerum *Anatomias, Secreta, Arcana, illustria Magnalia Dei & Mysteria Naturæ*, promptissimè explorare & assequi possit. Qui cum per montem, tanquam per vitrum perspicit, plus in monte illo cognoscit eo, qui forinsecus tantum illius muscum aspicit. Si quid in monte sit, videre cupiat, opus habet, vt foramen sibi moliatur: & tamen eo facto plus non videt, quàm quod foramini propinquum est. Quærit itaque, & quid certo adsit vel absit, ignorat. Sic ergo ipsi sunt Medici, sunt Iuristæ, sunt Figuli, sunt tignarij, &c. Horum tamen, nullum ipsis vsui est, cùm nullo etiam Mysteriorum illorum indigeant. Itaque nullum inde emolumentum capiunt: ista tamen callent & nouerunt.

CAP. VII.

De eorum Operationibus, & Artificiis Naturalibus.

POrrò, etsi quidem, ceu dictum iam, naturalium cognitio ipsis nihil prosit: se tamen in hoc similes præstant morionibus, aut alij cuipiam malitioso homini, qui multos lapides in aceruum vnum congerit, quorum tamen nullum vsum habet. Interim vt alios persequatur ac lædat, aceruum adit, & lapides in obuios coniectat. Cuius suæ malitiæ etsi nullum quidem fructum, attamen gaudium percipit. Illis enim nauci & nihili creaturis hoc ita innatum est, vt, si quidem sibi nō commodantia tamē aliis nocentia temerè moliri satagant. Idem ingenium etiā spirituum malignorum est. Hinc iam ergo coniicere licet, quod, etsi quidem comprehensarum scientiarum nullum vsum sentiant, eas tamen lædendis hominib. studiosè impendant. Hoc ergo fine Astronomi sunt, & cœli cognitione pollent, vt hominem, qui Astronomus est, seducant, impediant, auertant, deniq; sibi similem mendacem faciāt. Hoc modo etiam Medici sunt, vt Medicum aliter, quàm ipsa artis præcepta tradunt, informent, quò scil. is ad mendacia abreptus, medicinis suis ægrotum iugulet, & homicidæ patri seu præceptori suo similem se præstet. Eadem etiam Iurisprudentiæ conditio est. Quid enim iustum fasq; sit, probè quidem illi nouerunt: sed iurisperitū interim à recti tramite seducunt, & ad inanē garritum, ac damnosa diuerticula adigūt, vt lites & dissēsiones exacerbentur subindè mendaciis dolisq;, donec Iuristam sibi similem mendacem reddant. Similiter & Mercaturâ ac negotiationibus omnib. ad suum arbitrium omnia illi dirigunt, seducentes incautos ad vsuram, ad iniustitiam, ad proximi expilationem, ad fastum, insolentiámq;, ad luxuriam, deniq; ad vitia & crimina omnia, quæ Deo aduersantur, vt ne quidquam in nobis supersit hominibus, quod Deo placeat, sed, quoties is de cœlo deorsum spectat, toties hominum fraudes, imposturas, Sodomiam ac Gomorrham, &c. videat. Talia moliuntur illi apud Monachos & Ecclesiasticos: talia apud consiliarios & præsides, Reges, Principes, apud viros, apud fœminas: quos vniuersos vno hoc fine seducit, vt ne quis latè, qui Deo placeat, reperiatur. Ad hæc impetranda Naturali scientiâ, sapientiâ prudentiâque vtitur. Nouit enim, quid curæ cordiq; sit homini, & cognoscit illud ex Physionomiâ, Chiromantiâ, cœliq; statu & positu. Hoc ingenio hamum impositâ escâ abscondit, vt hominem à Deo seducat. Huius ergo seductionis vitandæ gratiâ, Deus quotidie adorandus est, vt ne nos seduci sinat, vt ne nos in tentationem agi sinat, sed à malo nos liberet. Vbi iuxta etiam sine intermissione nos decet vigilare, hoc est, in Deo viuere, ac in mandatis eius ambulare, oculos aperire ne ergà Deum obdormiscamus, sed vigilemus, hoc est, in Deo maneamus. Nisi enim vigilauerimus, & intentis oculis Deum aspexerimus, in somnum labemur meridianum, quo somno oculi ad infernum diriguntur, & à Deo penitus discedunt. Quantum ergo ad sapientiam Diabolorum, scire conuenit, ipsam initiò fuisse Angelicam, & postea eius auxilio luminis naturalis notitiam Diabolos comprehendisse, vt iam vniuersi ea artificia, quæ exercent homines, ad summum calleant, vno tamen in hoc, alio in alio pollente. Ipsi autem inter sese cum meris ærumnis & miseriis conflictantur. Quò impensiùs enim in cœlo gauisi sunt: eò grauiùs iam torquentur in inferno, hoc est, in tenebris, in quib. versantur, quę nobis tamen sunt iucundus splendor & lumen maximè amabile. Quantæ autem ipsorum in inferno sint tenebræ, Deus solus nouit. Ipsi autem Dei & Sanctorum eius splendorem ab eiectionis suæ, & humanæ creationis tempore nunquam viderunt.

Hominē vigilare decet.

Diaboli omnes artes callent, interim miserrimi.

CAP. VIII.

De Simplicibus Naturæ, Dæmonibus subiectis, & quomodo.

INficias ire nemo potest, quin de operib. malignorum spirituum concedat, posse ipsos ciere tonitrua, pruinam, grandinem, niuem, ventum, pluuias, figuras in cœlo varias, & si quæ huius generis alia sunt. Porrò autem, & in hoc confesso est, nobis, si in hac terrâ aliquid operari instituimus, materiâ, omnino aliquâ opus esse, quam tractemus. Sic laboramus in metallis, in lapidibus, in lignis in aliis. Nihil enim est, quod alicui artificio non sit vsui, aut ad aliquod non destinatum sit. Ita se nimirùm nostra in hoc mundo artificia habent. De Firmamento idem similiter intelligendum est: nempe quòd ex illis etiam, quæ in Firmamento sunt, fructus crescant, non minus ac ex illis, quæ in terra sunt. Sic gramen & herbæ, &c. ex terrâ crescunt sursum versus cœlum. Econtrà, *Pluuia, Ros, Tereniabin, Tonitru, Grandò, &c.* ex firmamento crescunt deorsum versus terram. Et sicut gramen terræ indolem & conditionem refert: ita & in firmamento Meteoricarum impressionum eadem est ratio. Iam quod ex terrâ crescere debet, suum requirit principium, in quo sit id, quod ex ipso crescit: Et hoc est semen, radix, &c. Similiter & in firmamento aliquid sit oportet, ex quo pluuia, nix, grando, fulmen, ros, pruina, &c. enascantur. Principium ergo hoc, ex quo res enasci oportet, sedulò hic expendēdum est. Rei hæc causa est. Si enim nobis constat, quonam ex semine fiat tonitru, pluuia, grādo, deniq; reliqua omnia: ex

Diaboli tonitrua &c. ciere queunt.

Ars omnis certā materiā requirit. Fructuū terræ & firmamēti comparatio.

ex eodem etiam scire ac cognoscere poterimus, quibus ex causis Diabolus cùm suis spiritibus eiusmodi tempestates concitare possit.

Impress. firmamẽtales ex trib. reb. fiunt.

Hæc enim Philosophia Meteorica est, quòd ex tribus rebus firmamentales impressiones generentur, scilicet ex *Sale, Sulphure, & Mercurio*. Hæc tria prout à Naturâ mutuò componuntur, ita prodit generatum Archeo firmamenti operante & fabricante. Iam si hæc tria firmamentalis impressionis principium sunt & corpus, & materia: idem vtique fit, ac si quispiam semen sumeret, illúdq; aliò transportans ibi seminaret, ac plantaret. Et si debita omnia facit is, emergit ex illo semine, quod emergere debuit. Porrò verò, sicut in mundo homines circa terrena se gerunt: ita se gerunt etiam in firmamẽto spiritus, illius scilicet simplicia sumendo, & ex ipsis tonitrua, grandinem, tempestates, &c. componendo. Id enim eâdem facilitate possunt, quâ lapicida exstruit turrim, requisita omnia sumens, eáque ad turrim coaptans. Tales ergo tempestates & impressiones fabricant spiritus, quas vtiq; Natura minimè produxisset, aut composuisset: velut etiam, si Latomus non esset, lapides ad turrim non construerentur. Itaq; cùm Naturæ arcanorum omnium spiritus conscij sint, eiusque modum & materiam cognitam habeant: hinc iam sequitur, eosdem posse omnia, quæ potest Natura. Habent enim semina, habent materiam, & locum, vbi illa præparari oporteat. Hic tamen vos scire velim, Deum ista non semper permittere, sed aliquando impedire. Nisi enim potestas diuina ista declinare posset: nulli vtique hominum in terra durare licet. Si verò fiant eiusmodi: suas habent causas, nimirùm vt Diabolicæ illæ tempestates & hos sequentia damna sint præsagium & indicium horrendi alicuius futuri mali, quod mitius nõ fit eo, qui tempestates illas fabricat. Quæ enim præsagia Deus immittit, de iis gaudet; quòd homini damnum portendant. Et quale opus est futurum, quod præsagitur: tale est etiam præsagium; talis eius artifex. Nec enim constat, Diabolum aliàs talia operari potuisse, nisi quando futurum aliquod malum indicandum fuit. Necessarium itaque est, distingui rectè opera manus Dei, ab operibus manus Diaboli. Diuina namque præsagia virtuosa sunt & amabilia, vtpote quale etiam futurum opus est. Quòd autem ex Diabolo egreditur, Diabolicum est. Quę eo fine adduco, vt intelligatur, Diaboli potestatem ac scientiam extendi etiam ad firmamentum & elementa, eâ ratione, quâ id fieri iam explicatum est.

Diaboli naturę secretorũ conscii.

Tẽpestates Diabolicæ quid præsagiant.

Præsagia Dei & Diaboli vt discernenda.

CAP. IX.

De Spirituum malignorum Concordantiâ cum Deo, & Angelis, & Sanctis in Paradiso; cum omnib. deniq; hominibus in terra, quomodo scilicet inter ipsos conueniat.

PRiusquàm huius libri argumentum finiatur, dicendum priùs aliquid etiam est de concordantiâ Diabolorum cum Deo, cum Angelis, cum Sanctis in paradiso, cum hominibus, cum pecoribus seu brutis, deniq; cum crescentibus omnib. ex elem. productis. Id quod probè expendendum est. Duo enim contraria concordare, tam Theologiæ quàm Philosophiæ repugnat. Et tamẽ id fieri, euidens est. Factum id nẽpè est inter Christum & Diabolum, cùm iste Christum tẽtaret, & Christus vicissim cum ipso colloqueretur. Idem fieri etiam solet circa Sanctos, circa homines, &c. quod ex eo patet, quia ipsos obsidet, seducit, ac à proposito bono auertit. Ita seducit etiam bruta, eaq; occupat, velut etiam alias ex 4. elementis productas creaturas. Quæ nisi ita manifesta essent, vt etiam manib. tangi & palpari possent, nemo vtiq; crederet, ausum fuisse Diabolum cum Christo loqui, adeóque ipsum seducere voluisse. Quâ re docemur, Diabolum, etsi quidem Angelus fuerit, ac Deum nouerit, quo quidem lumine iam orbatus est, nihil tamen quicquam nunc notitiæ Cœlestis habere, nisi quod tentando explorat. Etsi verò persona Christi nõdum nata fuerit, nec ipse homo factus eo tempore, quo Lucifer esset Diabolus: tamen etiã per Prophetas aduentum Christi rescire potuit: ita tamen obscurè, vt in Christo planè sapiens non fuerit. Iam porrò exemplum Christi & Satanæ docet, permittere Deum Satanæ, vt curiositati suæ satisfaciat. Hoc enim Diaboli ingenium est, vt omnia exploret, indaget, rimetur, expiscetur, vt sic etiam à se aliena explorata habeat. Indies enim captiuationem sui regni metuit. Cum enim signa diei nouissimi (licèt obscurè) cognita habeat, quo nimirùm damnatio eius in summo constituta erit, iugiter ac perpetuò attendit, quomodo illa sese exhibeant: adeóq; quid vbiuis in omnib. angulis fiat, numero quasi vno comprehensum habere satagit. Et nullus quidem vel extremus angulus, nulla solitudo est, vbi ipse non intersit. Nihil à quoquã verbi editur, quod ipse ignoret. Nullus denique hominum est, quem ipse non tentet. *Ipse enim qui non pepercit Christo, quinam is parceret homini?* Et curiositas illa anxia à Deo permissa est ipsi, sicut spiritui, qui rebus omnib. adest. Sicut enim aër omnia peruadit, nec ei quicquam durũ obstat: sic duri etiam nihil obstat spiritibus: sed cũ illis ita comparatũ est, vt, velut solis splẽdor fines omnes ferit, sic illi apud homines versentur. Cur verò nos lædat, vel non lædat: hæc causa est. Si corda nostra Deo addicta sunt: nec nocere nobis, nec plus nos seducere quã CHRISTVM potest, sed vel nolens à nobis discedere cogitur. At si homo in viis Dei non ambulat: tunc ipsius gubernator ille spiritus est, eum reddens talem, qualis ipse est. Tales fiunt obsessi, hoc est, falsi Doctores & dolosi negotiatores. Hâc causâ multi etiam omnino ratione priuantur. Sicut exempla passim obuia sunt.

Cõtraria non pugnãtur quomodo intelligatur.

Diabolus curiosus.

Diabolus est in omnib. locis.

Quantum ergo ad concordantiam, sciẽdum est, Diabolo nec cum Deo, nec cum Angelis, aut Sanctis conuenire. Iuxta se quidem stant: nullus tamen in alio. Quod autem in numero Sanctorum, Trinitatis, Angelorum non comprehenditur: id quidem in alio consistere potest, hoc est, Spiritus malignus in sibi simili homine esse potest. Extra hæc duo semper spiritus iuxta se stant, hoc est, hominis Angelus aut spiritus: & malus iuxta ipsum. Vbi enim non est spiritus, qui vitam habet: eo se Diabolus non confert. Consentire enim ac se vnire cum nullo potest, quod spiritum non habet. Sic spiritus agit cum spiritu: aliàs cum nullo agere potest.

Dei & Diaboli cõueniẽtia nulla est.

Diabolus cũ quib. conueniat.

potest. Is ergo non cum Christi carne & sanguine, sed cum eius spiritu, quem dicente scripturâ in cruce emisit, collocutus est. Ita quilibet homo spiritum habet: vt simile ad simile, hoc est, spiritus ad spiritum, veniat. Concordantiæ tamen duorum spirituum ipse homo auctor fieri potest. Is prout à Deo declinat, vel non: ita spiritui aditum præbet, vel non præbet. Eadem est ratio brutorum, quæ obsidet. Similis etiam ratio est crescentium, quoniam spiritus illorum Naturæ in vita est.

Hæc iam est ratio concordantiæ Satanæ, cum homine, cum Sanctis, cum Angelis. Nullus enim de Cœlo descendet Angelus, nullus Propheta, iuxta quem se non statuat Diabolus. Videntibus autem oculis non videt Margaritam, & apertis auribus verbum nec audit, nec intelligit. Curiositas tamen illum agit seu ducit ad omnia, quæ in mundo fiunt.

CAP. X.

De Concordantia Mortuorum & Dæmonum.

Requirit locus præsens, vt Diabolorum quoque concordantia cum mortuis rectè intelligatur. Etsi verò passim aliàs quoque de istis tradiderim: hic tamen ex ipso fundamento res illa pleniùs deducetur. Videtis nimirùm, hominum cadauera præter Naturam longè aliter interdum mutari, quàm Natura illa corpora mutare possit. Præterea aliquando etiam spiritus ambulare scitum est. Horum nihil contemnendum est, hâc de causa. Qui in Domino moritur, is beatus est, & nulli malo obnoxius. Quod in Domino non moritur, moritur in Diabolo. Iam verò Diuos etiam in suo regno Diabolus facere potest. Quibus rebus homo à putredine præseruetur, quouis homine exactiùs nouit, vtpotè veri Balsami gnarus. Facile ergo ipsi est, de suis aliquem sumere, & ita eum conseruare, vt viuentibus suis mancipiis per illum seductionem moliatur. Potest etiam hoc præstare, vt post hominis mortem in spiritu eius aut alterius obambulet. Nam quod dicitur, rectà quemlibet peruenire ad locum sibi destinatum, vel ad cœlum vel infernum: ea opinio vera non est. In Receptaculum quidem quilibet peruenit: Sed ante mortem Christi mortuorum Receptaculum peculiare fuit: aliud autem receptaculum est eorum, qui post mortem Christi defuncti sunt. Qui nempe in Domino moriuntur, perueniunt in Paradisum, qui moriuntur in Satanâ ad suam cistam recipiuntur, vsque ad diem iudicij. Sic ergo Diabolus, qui in terra adhuc est, & suum Condum in terra habet, in cista illâ seu horto, suum *receptum* seu *conseruatum* facilè circumducere potest. Similiter & ex præseruatis illis sui regni *Diuos* facilè constituere potest, qui signent. Quæ omnia, quibus modis fieri possint, in propriis probationibus explicatur. Sciat autem homo, hoc loco talem concordantiam Diaboli intelligi debere, quòd scilicet is continenter iuxta beatos stet, eos citra immissionem tentet. Qui ex numero beatorum non sunt, in illis habitat, eos ducit, prout commodissimum ipsi ad seductionem maiorem fore censet. Posset. sc. is quandoq; etiam prophetã vsq; adeò tentare, & affligere, vt catenis ille vin-

Diabolus suos Diuos facit.

Mortuorũ receptacula diuersa sunt.

Diabolus circa beatos instanter tentat.

ciendus sit, exemplo eorum, qui apud Christum comparuerunt. Sed consultius ipsi est, si non obsessi hominis, sed probi alicuius Diui, in quo nullus Diabolus versetur, apparitionem moliatur. Interim tamen verba ipsa alterius, sunt malignus spiritus, suntq; ea verba, de quib. Christus inquit: *Cauete vobis à fermento*, quasi dicat: Cauete vobis ab obsessis, qui Diabolum occultant. Sic is nec in Mercatorib., nec mendacib. ac impostoribus manifestè est, sed tantùm operibus: ex quib. plus lucri accipit, quàm si eos in catenas compingat. Quod ad alios inutile est, id ingerit obsessis, & furiosis. Et hæc de Concordantia hactenus dicta satis sint. Quæ ideò hic repetij, vt in probationib. concordantia & practica eò meliùs intelligeretur. Sicut enim de his hactenus tradidimus: Species Astronomiæ Infernorum arbitror satis abundè probatas esse. In probationibus practica ipsa præcipuè traditur.

Obsessi duplices.

CAP. XI.

De ordine Spirituum & differentia eorum.

Certum in cœlo Angelorum esse ordinem, euidens ex eo est, quod alius alio superior sit, alius huic, alius alij officio adhibetur. Eodẽ pacto etiam constitutum in mundo est, vt aliud alio dignius & superius sit, nec extra ordinem quicquam adeò remotum est, quin id alteri cuidam subiectum sit. Inter solos diuos ordo nullus est. Hi enim nec ordine nec magistratu opus habent, cùm quilibet, quod facere debet, etiã sine magistratus iussu faciat. Diui ergo exempti & ex lege sunt. Nõ itidem verò etiam Angeli, qui subsunt Deo ad seruitia. Diui autẽ serui adhuc non sunt, nisi quod Christus ipsorum caput sit, in quo gaudent & lætãtur in vnitate. Porrò ordines ita intelligendi sunt. Ordo alius Magistratus est, cui cæteri subiecti sunt, qui ab vno capite omnes reguntur, ita, vt non multa sint capita, sed vnum tantũ, multa autẽ membra seu caudæ. Alius præterea ordo, est ordo sapientiæ, ostendens, quomodo in lumine versari; & esse prudentem oporteat, vt non ille saltem ordo cõseruetur, verũ etiã intellectus, ratio & sapientia adhibeatur, quomodo in sũmo bono, hoc est, in sũmo gaudio viuendũ sit. Vtriq; hi ordines in cœlo existũt. Vnus, quod Deus solus sit potestas, contra cuius voluntatẽ nemo in cœlis est. Secũdò, ratione sapientiæ supremus est Christus, & intellectus eorũ, qui Christi sapientiã per spiritũ sanctum audiunt: Itẽ, qui Deo obediunt, hi obediũt in Illuminatione spirit' sancti, & per illũ intellectũ sapietiæ assequũtur. Similis ordo etiã in mũdo est. Caput vnũ hominum est Cæsar, testante Christo, cui mũdus vniuersus obedire debet. Huic quod non obedit, simile est Lucifero ad Deum, & cũ ipso similem mercedẽ accipiet. Sed præter ordinẽ istum insuper etiã alius est, nempe cognitio Luminis naturæ, ad Cæsarem non spectans, per quod naturæ secreta omnia indagantur. Simile etiã in inferno est Lucifer enim in cœlo supremus fuit, vnde nomẽ quoq; fortius est. Ex quo patet, ipsum alios quoq; sibi subiectos habuisse. Et quia cũ complicib. suis præuaricatus est, Deóque se opposuit: colligi facilè potest, ipsũ quoq; peccatorẽ fuisse. Iam si in cœlo peccatores fuerunt: necesse fuit, in ipso etiam esse Cæsarem, qui

Ordo apud omnes, nisi Diuos.

Ordinũ quot differentiæ. In cœlo Deus.

In terra Cæsar Caput mundi.

In Inferno Lucifer.

Deus est. Suam ergo ille potestatem, suum ordinem, qualem in cœlo habuit, etiam in inferno retinet. Christus enim dum mendacem ipsum ab initio fuisse dicit, de supremo saltem diabolo loquitur, qui cæteros seduxit, quem præterea etiam patrem mendaciorum appellat: quæ omnia euincunt ipsum solum esse supremum. Post hunc cæteris quoq; sua potestas est. In nomine enī diabolorū arguebatur Christus eiicere dæmonia. Præterea Legio diabolorum, quos ex obsessis Christus profligauit, euidenter docet, alios quoq; diabolos & aliorum munerum esse. Sicut enim in nobis habitare spiritus sanctus debet: ita cum suis cogitat diabolus quomodo loco illius in nobis habitet. Hoc id peccatum est, quod in æternum non remittetur. Sic ergo non minùs ac in cœlo terráue, potestas est etiam apud diabolum, quâ ipse cæteris omnib. ceu superior imperat. Consequenter itaq; ordo etiam secundus apud illos viget, nempè sapientiæ, quoniam singulari concilio coacti diaboli deliberant, quibus fraudibus hominem seducere queant. Ea sapientia est Infernalis, & ita se habet. Sicut in cœlo ea in solo Christo ad æternam vitam est: ita in Inferno est ad mortem & damnationem. Hæc ratio est duorum ordinum Inferni & Infernalium. Quæ reliqua ad hoc caput conferri poterant, ea in probationibus & practicâ, &c. tradentur.

CAP. XII.

Diaboli cur & quomodo actionum humanarū gnari.

IAm deinceps sciendum etiam est, quod discrimen sit diabolorum & hominum quoad intellectum. *Nouerunt illi hominem*, non tamen ex spiritu diabolico, sed eo tantùm, quod vident. Sic etiam, si alius videat alium furari vel orare, quid is fecerit, iam nouit. Diximus autem diabolos in omnem mundum diffundi, sicut Solis splendor. Iam sicut Sol omnem mundum: sic etiam oculi diabolorum aspiciunt. Quid ergo hic vel iste in occidente faciat, nôrunt, & huius factum vno oculi momento in Orientem renuntiare possunt. Hoc autem aliter accipi non debet, quàm quòd ea saltem sciant, & alibi enūtiare possunt, quæ ab hominib. fieri vident: nec verò hominum tantum facta, sed & crescentia terræ vniuersa, & quicquid aspici potest. Cæterum antea quoq; indicaui, nihil in lapidib., quod ipsi non sciant. Spiritus enim perspicax est. Hominis tamen ea conditio non est, vt ipsum trāspicere diabolus possit. Ipsius quidem hominis naturalem Essentiam, totam Anatomiam, & vniuersum lumen naturæ cognita ille habet: Quantum verò ad cœleste attinet, id ignorat. Sciendum tamen est diabolum illa colligere & experiri ex externis operibus & indiciis. Insuper attentat etiam artes, per quas lumen sapientiæ æternæ in homine explorare studet, veluti *Magiam, Nectromantiam, Geomantiam, Astronomiam, & Astrologiam*. Sicut enim per artes illas nos in hoc mundo lumen naturæ indagamus: sic is in hoc mundo æmulatur, quod tamen assequi non potest. Sicut enim fieri non potest, vt per *Berilisticam nos videamus Deum* vbi sit, quid agat, quæ paradisi ratio sit (nam hæc omnia impossibilia sunt) ita nec diabolus hominis Christianum cor, quid in illo erga Deum inclusum sit, inspicere potest. Vsq; adeò autem sese intendendis illis artib. excruciant, vt persuasum habeant, se totum hominem explorare, quod tamen non fit. Si quis tamen furari, aut aliud quid contra Deum designare cogitat, hoc nouit ille. Harum namque rerum notandarum Grammatophylacium ipsi commissum est. Is actor & accusator est, & quid in quolibet prauum sit, cognitum habet. Quod autem in Christiano pectore conditum, & à Deo obsignatum est, id experiri minimè potest. Sciendum ergo illos inter sese mutuò Astronomiæ deditos esse. Quamprimum infans nascitur, natiuitatem seu Genethliacon ipsi erigunt, in qua *practicâ valdè* industrij existunt. Is infans prout constitutus reperitur, ita hi illi postea insidiantur. Sic tentatio Christi, quâ diabolus ipsum exagitauit, *orta est ex stellâ illa, quæ super Bethlehem stetit, & ex antegressu actis*. Stella ea naturalis non fuit. Ideò de ipsa indiciū facere non potuit. Illa vero Christū secūta causa fuit, quòd Herodes infantem voluerit occidere. Nihil enim boni de Christo sperauit, nec tamen ab ipso discessit priùs, quàm ipsum tentaret: quod similiter etiam facit in obsessis, &c. Itidem etiam in aliis infantibus. Vbi ergo infantes cum importunitate nascuntur, velut *Alexan. Magnus*, id prodigiosi partus indicium est, in quo gaudet Diabolus, quod per infantem illum multæ dissensiones excitabuntur, quibus diabolus oppidò gaudet.

Diabolus hominē nō vt saxa perspicit, per omnia.

Diabolus cordis abscōdita videre nequit.

Diabolus est cancellari⁹ malorū factorum.

Diaboli boni Astronomi.

Alex. Magni partus prodigiosus.

His ergo comprehensis, hactenus initium libri describendæ Astronomiæ infernalis ex debito deductum, & in genere satis explicatum mihi esse videtur. Deinceps nunc opus est, eadem etiam particulariter tractari & compleri, vt Infernalium potestas eò pleniùs & rectiùs intelligatur.

CAP. XIII.

ADeóque vt finem huius initij, infernalium sapientiam & potestatem eò rectiùs intelligendi vobis proponam: sciendum est, Facultates nouem penes ipsos esse, seu in partes seu membra nouem illas diuidi, per quas nouem facultates eos se præstant, qui omnia, quæ hominis sunt, vsurpare & explorare conantur. Quæ vt faciliùs intelligeretur, breui tabula memoriæ gratiâ illas complexus sum. Quanquàm in primo libro figura hæc clariùs proponatur, vbi etiam faciliùs intelligi poterit. Figuræ ipsius constitutio hęc est.

Hic ordo est infernalis Astronomia.	Magica.	Species quarūlibet in prima figurâ plenius exponuntur.
	Nigromantia.	
	Nectromantia.	
	Astrologia.	
	Signatum.	
	Artes incertæ.	
	Philosophia adepta.	
	Medicina adepta.	
	Mathematica adepta.	

Proximum ergo nunc est, initiò Infernalium Magicam, & sic consequenter facultatem vnam post alteram ex præscripto ordine proponi ac tractari, vt melius cognoscatur, qualianam Miracula Deus operetur in suis creaturis omnib., tam malis, quàm bonis: quorum nihil denegatum est nobis, vt sciamus, quàm quod in cœlo est. Et tamen cùm scriptura dicat: *Nihil adeò absconditum esse, quin reueletur*, facilè indicari potest, id in resurrectione sanctis minimè absconditum iri.

FINIS.

NOBILISSIMI, CLARISSIMI,
ac probatissimi Philosophi & Medici,

D. AVREOLI PHILIPPI THEOPHRASTI BOMBAST, AB HOHENHEIM, DICTI PARACELSI,

Operum Medico-Chimicorum SIVE PARADOXORVM,

Tomus Genuinus Vndecimus,

E Philosophicis verò Quartus, continens Astronomiam Magnam Artibus incertis, transmutationibus Metallorum, Magicis aduersus morbos figuris, & Planetarum sigillis.

Recenter Latinè factus, & in vsum Asseclarum Nouæ & Veteris Philosophiæ foràs datus.

ELENCHVS OMNIVM LIBRORVM IN VNDECIMA PARTE OPERVM PARACELSI CONTENTORVM.

EXPLI-

EXPLICATIO TOTIUS ASTRONOMIÆ DOCT. THEOPHR. HOHENHEMII.

PRÆFATIO

DOCT. THEOPHRASTI PARACELSI IN SCIENTIAM ASTRONOMICAM.



I de Astronomia, qualisnam scientia sit, quidue contineat, ex fundamento ac prima quasi origine disserendum sit, cum artium omnium nobilissima habeatur, & sola illius gnari Sapientes vocentur, secundum vniuersas suas species ipsam describi, vtique necessarium est. Vsque adeo enim lacera, ac ex limitibus suis euulsa illa est, vt iam cognoscibilis prope nulli sit. Species namque septem continet, quæ singulæ iunctæ, Astronomiam integram constituunt, vnde quilibet admirando modo, præterita, præsentia & futura, quid item Naturaliter vel Supernaturaliter in mundo ab hominibus fiat, inuenire ac iudicare potest. Hactenus autem à primis sæculis vsque ad hanc meam ætatem species hæ omnes, quas ego propono, repudiatæ & neglectæ iacuerunt, præter vnam Astrologiã quæ sola pro integra Astronomia & Mathematica cum habita tum appellata fuit. *Ceteræ species omnes omissæ fuerunt. Nec vero omissæ tantum, verum etiam reiectæ, contemptæ & annihilatæ fuerunt, quæ iactura thesauri maximi iure dolenda est. Hinc factum est, vt scientiæ illæ obliuione mergerentur, & fundamentum ipsarum penitus obliteraretur, cum tamen præcipuæ semper & dignissimæ habitæ fuerint. Tales nimirum illæ fuerunt, in quibus summa quæque Arcana syderum abdita laterent, & per quas sublimia* Secreta reuelarentur. *Hac de causa iure Astronomi veteres, Sapientes dicti fuerant, quod solidam & perfectam cœli sapientiam callerent.*

Sciendum vero est, non in prima tantum specie, vt Astrologia, *quam ipsi totam Astronomiam iudicarunt, Astronomum finire ac subsistere, nec quicquam vlterius inuestigare debere: sed vt longius procedat, omnino opus esse, hoc modo. Sciat primo, Astra quinque esse ex quibus quinque Astrologi emergant. Eas qui omnes nouit, is Astronomus est. Astronomia ergo quinque sub se species complectitur, & quælibet ipsius species peculiarem suam Astrologiam continet, vt sunt* Astrologia Firmamenti seu Olympi, Astrologia Magiæ, Astrologia Diuinationum, Astrologia Nigromantiæ, Astrologia Naturæ. *Iam constat vobis, quinque esse, quæ Astronomum constituant. Quinque hæc nisi vniuersa coniungantur, ibi integra nulla Astronomia, sed species pro toto traditur.*

Mihi ergo constitutum est, ordinem totius Astronomiæ, prout quinque speciebus finitur, explicare, & docere, quid, & qualis quælibet sit, quod illarum inter se discrimen sit, & quomodo vniuersæ figura vna concludi debeant. Præterea etiam, qualisnam cuiuslibet sit operatio, quidque finaliter terminet, hoc est, qualis in suis operibus & virtutibus sit. Quibus subnectemus probationem, quod veræ genuinæ & naturales sint, quod non sint scientiæ impostoriæ, aut inanes, aut naturæ aduersæ, quod imperiti iudicant & nugantur. Hæc vt obtineamus, deinceps iam ordo, Definitiones, Effectus & Probationes addenda & subnectendæ sunt. Et tale quidem primum initium, ac fundamentum, vt diximus constituendum est, sine quo Astronomus fieri nemo potest.

Finis Prœmij.

ASTRONOMIA 7. in se Definitiones continet, quæ vocantur. — *Harum expositio sic se habet.*

- ASTROLOGIA, *tres in se species continens: vt*
  - *Figuram cœli.*
  - *Proprietates Stellarum.*
  - *Modũ particularẽ.*
- MAGIA, *species 5. complectens: vt*
  - *Imagines.*
  - *Gamaheos.*
  - *Similitudines.*
  - *Verba.*
  - *Herbas.*
- DIVINATIO, *species 4. habens: vt*
  - *Somnia.*
  - *Bruta.*
  - *Animum.*
  - *Speculationem.*
- NIGROMANTIA *species 4. habens: vt*
  - *Berillisticam.*
  - *Fata.*
  - *Visiones.*
  - *Phantasmata.*
- SIGNATVM: *cuius tres species.*
  - *Chiromantia.*
  - *Physionomia.*
  - *Habitus.*
- INCERTÆ ARTES, *quartum 4. species sunt: vt*
  - *Geomantia.*
  - *Pyromantia.*
  - *Hydromãtia.*
  - *Austromãtia.*
  - (*Imaginatio.*)

MATERIALIS.

MATERIALIS. { Globus. Instrumentum. Geometria. Cosmographia. Mathematica. }

FIGVRA COELI: est scientia, docens, quæ cœli singulis momentis constitutio sit, adeoque totius firmamenti cognitionem impertiens.

PROPRIETATES STELLARVM, Scientia est, docens Essentiam & proprietatem omnium stellarum, quænam cuiuslibet natura sit.

MODVS PARTICVLARIS, cœli cursum exactè & præcise in vniuerso iudicio & consilio cognoscendum dat.

IMAGINES: sunt effigies Metallicæ vel cereæ, in quas cœlestes virtutes operantur.

GAMAHEOS, Sunt lapides, in quos cœlestis constellatio impressa est, quique secundum artem præparati sunt.

SIMILITVDINES: Sunt figuræ cœlestes, similes iis rebus, quas referunt.

VERBA aut CHARACTERES, Sunt verba, quæ aut scripta aut dicta vim habent.

HERBÆ, Sunt eæ, quæ præter suam naturam virtutes cœlestes continent.

SOMNIA: Hæc est operatio Astrorum in somno facta.

BRVTA: Hæc est vis, quam influentia per bruta reuelat.

ANIMVS: Sunt operationes cœlestes, in animum incidentes.

SPECVLATIO: Quod cœlum operatur in eo, qui speculatur.

BERILLISTICA: Sunt artes, quæ in Crystallis, vnguibus, perspicillis, speculis, &c. conspiciuntur.

FATA, Sunt operationes, fortuito incidentes, præter consuetum cursum Naturæ.

VISIONES, Si spiritus aut animæ vel alia spectra videntur.

PHANTASMATA, Sunt generationes, sine homine productæ, & tamen pro hominibus habentur, quorum etiam gestus imitantur.

CHIROMANTIA, Est scientia, qua manus & pedes vna cum omnibus venis in vnum iudicium consumuntur.

PHYSIONOMIA, Est scientia de hominis facie & omnibus membris supra humeros positis iudicium faciens.

HABITVS: Est scientia, qua totum corpus in proportione & statura sua secundum artem Geometricam mensuratur.

GEOMANTIA, Est ars, punctis vtens: sine fundamento naturali, in imaginatione posita, an fiat, vel non fiat.

PYROMANTIA, Est scientia, indicia sua ex igne sumens fundamentoque ac certis notis carens.

HYDROMANTIA: Est ars circa aquam occupata. Vim tamen maiorem non habet, quam quod Imaginatione præstat.

AVSTRIMANTIA: Est scientia ventorum, cadens pro Imaginationis permissu, non pro artis ductu.

Iam cur figuram Definitionis proposuerim, quod scilicet eius species sint, & quomodo quælibet à cæteris diuersa sit, hoc id à me factum fine est, vt Astronomia eo fundamentalius cognosceretur. Membrorum ergo sunt 28. in quibus positæ sunt omnes vires, intellectus, operationes, denique omnia, quæcunque Astra possunt. Suntque ipsa Medium, per quod Astra operantur.

Initio autem octo existentium Astrorum mentionem feci. De quibus hoc notabitis, quod simile quodlibet in suo simili Medium quærat, & sine eo nihil quicquam perficiatur. Exempli loco: Probitas per probos perficitur. Quod autem furto alienandum est, id per furem præstari oportet. Probus nullus furtum facit: nec probitatem facit fur. Sic simile quodvis in suo simili manet ac operatur. *Sine Medio nulla operatio perficitur.*

Sic nimirum in Firmamento Astrum est, quod dominium in omnia possidet, in quo arcana Naturæ omnia condita sunt. Estque id primum, quod operatur, trahit, & regit cetera. In hoc Astro animalis omnis scientia latet. Et velut ex terra carnem & sanguinem habemus, animaliter ita carnis quoque Rationem, Sapientiam, Scientiamque ex his Astris habemus. Sunt enim illa, quæ mortali corpori talia dant & distribuunt, prout quisque concipitur. *Astrū in Firmamento, quod, principium. Et quæ eius ratio.*

Astra 4. cætera in 4. cōsistunt Elementis. Habet enim & terra suum Astrum, suum cursum, ordinem, non minus ac Firmamentum, sed ad Elementum tamen specificatum. Sic & in aqua non minus ac in terra Astrum est. Similiter & in igne ac aere. Hęc causa est, quod Astrum superius hæc Elementorum Astra pro Medio habeat, & per ea operetur, seu prædestinatas operationes perficiat. Ibi enim est Inclinatio, quæ auerti non potest. Et per Operationem illam Superiorum & Inferiorum Astrorum res omnes fœcundantur, & ad finem suum deducuntur. *Astra 4. elementorum 4. sunt Mediū Astri Firmam.*

Sic nimirum Astra 8. sunt: Supremum, & inferiora quatuor, vna cum tribus, supremum, vt *Operatio*, Inferiora 4. vt *Medium*. Hoc modo simile operatur in similia. Præter hæc, tamen aliud adhuc Astrum & Medium est, simile superioribus, quod compositum, ipse Homo, Homo inquam, quem Astra genuerunt. Elementa enim partem vnam in homine complēt, nimirum corpus animale. Partem alteram, videlicet sapientiam seu intellectum animalem, integrant astra. Quę hoc loco ideo adduco, vt sciatur, in ipso etiam homine astrum esse, cuius causa similitudo quædam & concordantia intercedat inter astra superiora & inferiora. Homo tamen simul cæteris etiam 4. subiectus est, qui in ipsum etiam aliquid regiminis habent. *Homo Astrum compositum, & quomodo.*

Hoc modo ex astris oriuntur 4. complexiones, *Melancholia*, *Phlegma*, *Sanguis*, *Cholera*, non in corpore quidem, sed essentia. Et sic 5. astris homo ceu ex illis genita soboles, subiectus est. Sed hæc de astrorum conditione iam sufficiant. *Complexiones 4. vnde & vbi.*

De Compositione Humanæ Generationis.

QVandoquidem vniuersa Astronomia solius hominis causa facta data & inuenta est:

est vt eandem homo quoque sciat & intelligat, operæ pretium est. Quam quæso pulcrum suæ & decorum est, si homo penitę seipsum nouit, & intelligit, quomodo interius conditus sit? Admodum enim id homini vtile est, si, quisnam & quid sit, in numerato (quod aiunt) habet, & quomodo sapientia æterna omnia moderetur, intelligit. Sic enim, quæ retinere, & quæ omittere debeat, cognoscit. Omnium ergo primum est, vt, quantum ad astrale corpus attinet, id per Astronomiam inueniatur. Vbi requiritur, vt ante omnia sciatur, vnde primus homo, ex quo nos omnes geniti sumus, ortus sit. Is autem fuit opus. Opus autem & nos vniuersi sumus. Nos opus sumus parentum nostrorum, retro vsque ad primum hominum numerando. Iste homo alterius hominis opus non fuit, sed Dei. Hac de causa Euangelista Lucas de Christo tradidit, ipsum esse filium Ioseph, quod pro opere tantum habendum est. Filius enim quilibet opus est sui parentis. Ita Ioseph filius, opus fuit sui patris Heli, &c. Hoc modo quilibet filius sui parentis opus fuit, si enumeratio retro instituatur vsque ad primum hominem, Adamum, qui opus fuit Dei. Hoc iam opus quomodo factum sit, paulo altius nobis expendendum est. Factus homo est a manu Dei. Nemo ergo, nisi Deus, hominem fecit. Factus enim is est primus & vltimus. Deus ipsum etiam formauit ad imaginem suam, & nemo ipsum, nisi Deus format. Et vltimus formatus est cum primo, Fecit autem ipsum ex Massa, ex Limo, ex puluere: Quod ita intelligas. Primo, creauit Deus omnia. Postquam creata omnia fuerunt, ex creatis omnibus fecit Deus hominē. Id cognoscamus ex exemplo. Primo facti sunt colores: post hos pictor. Ita colores seu pigmenta pictorem faciunt. Exemplum aliud. Ex 60. vel 70. ingredientibus componit Medicus Medicinam vnam, & sine his coniunctis Medicina fieri non potest. Quod si ergo in mundo homo facere nihil potest, nisi totam habeat concordantiam, hoc est, integram & vniuersam materiam ad opus requisitum: multo magis cogitandum est, ipsum etiam Deum ad opus suum, hominem scilicet magnam compositionem assumpsisse. Nempe ex omnibus suis creatis sumens, Massā vnam confecit, & ex massa illa hominem finxit. Cętera omnia Deus verbo suo ex nihilo fecit. Hominem a. fecit ex corpore, quod Massa seu puluis vocabatur. Eodem modo & Christo solo verbo alias ægros sanauit: alias autem cœcum etiam addita saliua sanauit, quod solo verbo, etiam sine saliua facere potuisset. Sic tamen facere ipsi placuit. Hoc iam Massæ etiam, ex qua factus homo est, accommodari debet.

Quoniam ergo homo a Deo factus est: composuit ipsum Deus ex omnibus simplicibus cœli & terræ. Nam ex omnibus, quæ Deus fecit quintum esse extraxit, hoc est, quintum esse factum est Massa, quæ Massa vocatur microcosmus. Ex microcosmo etenim velut in pugillum vnum congestus est. Et homo est Microcosmus. Sic ergo minor mundus est homo, & maior mundus, est mundus, in quo homo habitat. Homo ex magni mundi quinto esse factus est. Quintum illud esse fuit massa, & Massa facta est homo. Præterea quintum esse nullum est, nisi solus homo. Vocatur autem quintum esse, quod ex 4. extractum sit, & 4. illorum essentiam retinuerit. Multa quidem alias etiam de quinto esse prædicantur. Sed id tantū separatio quædam est, & extractio puri ab impuro, non verum quintum esse. Et rectius arcanū vocatur. Homo autem talis non est. Nam in extractione nihil relinquitur. In Massa autem relinquuntur 4. essentiæ incorruptæ, & 4. illas essentias Massa in se perfectas continet. Opus ergo Dei in Adamo ita perfectum est, vt Machina mundi euaserit homo, & in carnem & sanguinē mutata sit. Sic macrocosmus factus est Microcosmus: sic iam Microcosmus est homo: sic homo est caro & sanguis.

Porro vniuersa mundi Machina hominem ambit, & in eius medio homo creaturarū omnium centrum est, quod sedulo obseruandum est. Quoniam ergo homo centrum est, ideo externæ sphæræ & circuli omnes in centrum abeunt. Vnde consequitur, essentias externas versus centrum contendere, & in hoc suum terminum constituere. Propter centrum enim omnes creatæ sunt. Itaque quia homo centrum est, essentias omnes participat seu concipit, quoniam ad centrum omnes diriguntur operationes tam exteriores quam interiores. Et veluti Sol ex sphæra sua radios in centrum effundit: ita pariter Planetæ omnes a sydere operantē suam influentiam per radios ipsi imprimunt.

Dictum hactenus est, de primi hominis ortu, quod nempe ex Massa factus sit. Postea vero per generationem fieri hominem oportuit. Deinceps ergo Philosophia in partes duas dispescitur: vna in substantiam corporis sensibilis: altera, in substantiam corporis insensibilis. Sensibile factum est ex corpore 4. elementorum. Insensibile ex astris: quæ duo coniuncta Massam vnam constituunt. Massa hæc est semen, quod in patre & matre operatur. Sic homo & sydus prolem vnam generant. Et proles ea sequitur astrum, non patrem & matrem, hoc est, sequitur Massā ex qua facta est. Hinc sciat Astronomus, hominem esse Microcosmum, esse totius Machinæ mundi quintum esse, esse centrum, in quod, sphæræ omnes suos radios effundant, esse illum qui ex istis omnibus conceptus & genitus sit. Dicto ergo modo in sua essentia cognoscendus est secundum generationem. Hoc enim initiū Astronomiæ fundamenti est. Hoc modo suum subiectum nouisse Astronomus debet.

Pro his iam cognoscendum etiam est. Quomodo astra cum homine, & simul cum eodem, etiam elementa cognata sint. In homine mors nulla est. Mors est in astris & elementis: quatenus vero ex illis generatus homo est, eatenus ex iisdem etiam veluti hereditario mortem sortitur. Hæc nimirum illa duo sunt, quæ hominē iugulant. Quæ quidem eo fine indico, vt primū ac ante omnem Astronomiam sciatis, vnde nā homo constitutus sit. Sic postea etiam exploratum habebitis, quidnam elementa & sydera in homine operentur. A patre & matre accipimus humanitatem, imaginem, carnem & sanguinem. Corpus autem est elementorum: & illius sensus est firmamenti. Tales ergo nos ex patre & matre sumus homines, corpore ex elementis, sensu ex astris. Vtraque hæc coniugata, perfectum

Cognitio sui ipsius.

Cognitio hominis vnde hauriatur.

Adam opus Dei: non Adami.

Christus non Ioseph.

Homo factus ad imaginem Dei.

Homo factus ex limo.

Hominis massa ex vniuersis creatis facta.

Hominis massa ex quinto esse cœli & terræ.

Quintū esse cur dicatur & quid sit.

Arcanū quid: & vtraquinto esse differat.

Ad centrum omnia contendunt.

Philosophia hominis duplex.

Homo, quid sit.

Homo vnde morti obnoxius.

Homo ex quib. constituatur.

perfectum hominem constituunt. Sicut enim vir & fœmina copulan tur: ita copulantur etiam astra cum essentia elementorum. Quale coniugium: talis natura prolis, & sicut ex patre & matre homo homo est, parentibus suis similis: sic idem etiam generatio vna est ex astris & elementis, iisdemque similis. Influit ergo in hominem externi mundi insita Natura, essentia ac proprietas, humana nempe Natura in hominē tanquam centrum. Nam ad centrum omnia contendunt: Et homo est centrum totius mundi, instar essentiæ quintæ ex vniuerso mundo extractus. Secundum figuram tamen mundi factus non est, sed secundum imaginem Dei. In nulloque alias homo a mundo differt. Terra enim est & in terram conuertetur. Iam si terra is: & cinis est, est essentia quinta, est Microcosmus, est centrum. In forma tamen mutatus, imaginem Dei habet. Hæc de ortu hominis hactenus dicta sufficiant. Ex quibus cuilibet euidens est, quod astra & elementa in homine sint, & quomodo inuicem copulentur. Hinc iam procedit Astronomia, quæ congenitam illam Naturam, & illius vires, essentiam proprietatemque expendit.

Homo cinis.

Probatio Particularis in Scientiam Astrologicam.

POstquam de Generatione hominis disseruimus: deinceps etiam de eiusdem sustentatione agendum est. Hoc modo Astrologia satis probata erit: Istam hoc modo intelligite. Videtis nimirum, virtutem quandam congenitam in homine existere, quæ forinsecus ex sphæra externa intro in hominem attrahat. Ex eo, quod attrahitur, homo sustentatur: ex eo sanus vel æger fit, prout attraxerit. Exemplo rem docebimus. Virtus attractrix duplex est: vna corporis elementaris: altera corporis syderei. Ea fames est, ac sitis, ita intelligenda. Radij ex sphæra externa vsque ad nos penetrant. Reliquum intra nos perficitur. Sic sphæra fructum fructus suos, ex medio suæ radicis vsque ad externam locustam porrigit. Hinc iam consequitur porro, Naturam quandam (ea est *Fames & Sitis*) nobis inesse congenitam, quæ nos fructus illos edere cogat. Et ita huius sphæræ radij nos ingrediuntur. Idem similiter etiam iudicanduū de pane est. Hunc sphæra terræ nobis dat, & attractrix nostra virtus illum in nos adigit. Sic & potum ex sphæræ suæ locustis intra nos trahimus. Sciendum itaque est, per talem prædestinationem hominem ali & sustentari, ac vitam suam producere.

Attractrix vis in homine duplex.

Corporis dupli cis duplex alimentū.

Ceterum cum hactenus comprehensum sit, quo pacto corpus ex radiis externis per virtutem attrahentem, quæ specie famis & sitis in nobis est, sustentetur: deinceps iam intelligendum est, corporis quoque syderei hanc rationem & legem esse, vt necessaria sua ex sphæra externa conquirat, per famem scilicet & sitim, sydereo corpori insitam. Itaque velut in omnibus elementis corporeus cibus hominis conditus, vsque ex illis petendus est: ita Deus etiam syderi indidit Naturalem omnem scientiam, sapientiam, prudentiam, artes, denique quicquid homo animaliter & mortaliter scire debet. Et hominem hoc pacto constituit, vt is ex firmamento omnem suam scientiam hauriret, & conquireret, velut pyra decerpit ex arbore, triticumque colligit ex agro, & vuas legit de vite, &c. Hic scilicet nata est Musica, sic ars nata est Metallorum, sic Medicina, sic plantatio, sic denique, quicquid terrenum corpus requirit, id in sapientia Astrorum inuenit. Quicquid enim sapientiæ, siue bonæ siue malæ, homo habet, id ex Astris accipiat necesse est. Duæ tantum, Iustitia scilicet & sacra scriptura, immediate ex spiritu sancto procedunt.

Astra alunt corpus hominis sydereum.

In Astris iam ergo vniuersum Naturæ lumen conditum est, quod inde homo petere debet. Sicut enim cibum petit à terra, in quam natus est: ita etiam ab Astris, in quæ similiter natus est. Et hoc pacto duplex est sapientia, ad quam nascimur. Vna est animalis. De altera Christus ait: *Ego in hoc natus sum*, quasi diceret, *Ego in æternam sapientiam natus sum*. Sapientiam ergo caducam rei alij nulli impendere debemus, quam corporis necessitas requirit. Alteram sapientiam, in quam natus Christus est, discemus & impendemus ad normam verborum Christi, dicentis: *Qui sitit, veniat ad me, &c.* quasi diceret: *Per famem & sitim satiabitis vos de terra: per famem & sitim sapientiam animalem acquiretis: & per famem & sitim sapientiam etiam æternam accipietis.* In fame namque & siti virtus attractiua sita est, per quam vos nutrietis. Hac ratione triplex in nobis fames ac sitis est. Sed de eo, quo sapientia æterna attrahit, hoc loco disserere non constitui. Dicam saltem de Natura animali, vt solidiùs eo intelligamus, vndenam animalem rationem habeamus, quoue modo illa in nobis consistat, vt nimirum animalis & æterna eo rectius discernatur. Sapientia namque syderea coram Deo stultitia est. Vnde conuenienter admodum sapiens ille dixit, *Sapiens dominabitur Astris*, eo nimirum sensu, quod sapientia æterna gubernet animalem.

Sapientia hominis duplex.

Fames & sitis hominis triplex.

Pro his ergo sciendum est. Naturalē sapientiam corpori, & non animæ datam esse. Ea ergo quæ ad animam spectant, lumine naturæ minime polluenda sunt. Hoc enim in Natura tantum vsurpari debet. Sic per lumen naturæ artificia & opificia omnia inuenta sunt. In mansionibus enim Planetarum sunt fabri, qui fabros ceteros omnes docuerunt. Et illi quidem sunt omnium optimi, quoniam artem sibi congenitam habent. Qui si homines essent, ferrum vtique cuderent & tractarent vt ceram. Quod arcanum quidem mortales nondum didicerunt: discerent tamen, si de vero fonte biberent. Similiter & Latomi in Planetarū habitationibus versantur, ex quibus Latomi cæteri omnes discunt. Qui si illos rectè cognoscerent, statuas suas instar imaginū ex luto factarum fingerent. Et hæc de ceteris omnibus etiam vera putanda sunt. Sapientia enim admiranda firmamentum Deus condidit, & illud nobis communem in omnibus arrtibus magistrum perfecit, modo verum fontem sectemur. Sic summus etiam medicus in Firmamento est, qui morbos omnes cognouit, videns etiam ea, quæ nostris oculis abscondita sunt, & peruidens omnia, quæ in herbis ac lapidibus latent. Hunc enim talem creauit Deus, vt Medicus terrenus ex illo gigneretur, & ex illo fames

Lumen naturæ in quibus locū habeat.

Firmamentum anium Magister.

mes eius ac sitis abunde satiaretur. Ex paucis his allatis exemplis intelligere debetis ea omnia, quæ naturaliter intelligi possunt debentque.

Sed hic iam de fontibus etiam malis nonnihil docendum est. Multi etiam vulgares & rudes fabri in cœlo sunt, velut & imperiti Latomi, & inepti Medici. Hanc vero imperitiam & inscitiam sapientia animalis ipsamet discernere potest, quæ hoc fine data est, vt bonum, & non malum, seligeretur. Potest enim illa seipsam adverum fontem ducere. Quod si homo ad verum fontem luminis naturalis contendere recusat, & de cisternes ac sentina firmamenti bibere mauult, tunc is asinus manet. Lumen enim naturale semper ad optimum deducit. Ita sciendum est, lumen Naturale gignere etiam Doctores, sapientia omni, in qua quidem animalis homo viuere debet, instructos. Docet etiam fidem, qua credamus in eum, qui ista talia creauit. Docet iustitiam, vt, quod velis tibi fieri, idem facias alteri. Et his quidem plura mandata credere aut scire animali homini opus non est. Deo enim intellectu eo sic satisfecit. Porro, quoniam Lucifer in cœlo cum suis sociis alium se fecit, quam factus erat: sciendum est, idem etiam in stellis euenire posse. Inde conceptiones etiam contrariæ fieri possunt, vt artes aduersariæ & peruersæ, & Medicina, velut etiã scientiæ aliæ hiulcæ. Non ergo cuilibet spiritui credendum est cum illi sint duplices. Et sicut angeli in cœlo sunt duplices, quorum alij, quales facti fuerunt, manent, alij defecerunt a suo statu: ita similiter & sydera faciunt ita & homo. Astrorum filius, si iudicio luminis Naturæ parere detrectat.

Notandum itaque est, scientiam Astronomiæ esse admodum necessariam, & homini sedulo cognoscendam. Ipsa namque geminos spiritus in lumine Naturæ, vel verum & falsum lumen discerniere docet, velut & sacra scriptura docet discernere Deum & Diabolum, veros & falsos Prophetas &c.

Vere affirmare possum, scientiam Astronomicam ingens arcanum continere, nec sine ea quicquam addisci posse: quod hac ratione confirmaturus sum. Sapientia est *Æterna & Naturalis*. Æterna immutabilis est, & constans. Naturalis autem per mutabilem suam conceptionem spiritum falsum gignit. Genitus iste spiritus sapientiam æternam gubernare aggreditur instar Luciferi. Hinc iam oritur contorsio scripturæ, quolibet, prout generatus est, illam ceu nasum cereum flectente, nec vno cum altero consentiente. Quod si Astronomia per horam natiuitatis talia cognoscere, ac simul intelligere potest, qualis ipse homo Massæ sit qualesve ipsum parentes genuerint, qualis homo filius sit: & denique si nihil adeo absconditum est, quod per scientiam istam Astronomicam non reueletur: quis quælo ipsam summis laudibus non extolleret? quis ipsam condignis Encomiis late non illustraret? Per hanc cognoscuntur illi, qui soli numerum pseudoprophetarum adimplent, per hanc cognoscuntur etiam falsarij opificio rum, Medicinæ, denique omnium scientiarum.

Ostensum hactenus est, quo modo factus sit, quodque famem ac sitim in se habeat, elementare ac sydereum corpus secundum appetitũ nutriendi: denique quod is propendeat ad id, quod ipso conceptionis momento ei inditum ac implantatum est. Ex isto iam consequitur virtutem eam, Naturam, proprietatemque ac conditionem, denique vniuersam concordantiam ac constellationẽ ab Astronomo describi posse. Hoc enim modo variæ Natiuitates, tã in probis quã improbis filiis cõstitutæ sunt. Quod tem per sapientiam gubernatur, id scientiæ diuinæ, non humanæ, Angelicæ non carnalis est. At qui secundum naturam viuunt, quod plerique omnes faciunt: hi nihil intra se absconditum habent, quod Astrologia ignoret. Et sic ad generationem hominis figura cœli erigitur, proprietates stellarum velut & modum particularem cognoscendi. De Astrologia ergo hoc iudicandum est, intelligere ac cognoscere ipsã omnem Naturam, sapientiam & scientiam stellarum, quomodo nimirum hæ suam in conceptione operationem perficiant, & animalem hominem constituant. Et Astrologus hominem ceu animal facile describere potest, propter coniunctionem talem & ingenuinam (al. genuinam) concordantiam. Quod si Astrologia ex fundamento condigne intelligeretur, & natiuitates infantum recte, ac ex solido iudicio, secundum modum influentiæ, conderentur seu erigerentur: multa vtique mala euitarentur, quorum causa alias constellatio est, per quam ad mortem illi contendunt.

(*CENTRVM: quomodo inclinatio hominem ingrediatur a circulo scilicet in centrum.*)

Probatio in Scientiam Magicam.

HOc loco primum, quidnam Magica sit, docendi estis. Est autem Magica quæ virtutem cœlestem in medium cogere & ex eo suam operationem perficere potest. Medium id est centrum. Centrum est homo. Sic ergo per hominem vis Cœlestis in hominem traduci potest, ita, vt in homine illo inueniatur operatio illa, qualem constellatio ipsa edere potest. Præterea in Magica alia adhuc operatio est, quam ea ipsa perficit, dum nimirum hanc artẽ vsurpat, hoc est, dum Natura syderis ipsa hoc facit, quod facere Magus debebat. Et si vero Magus medium ipse sit ac centrum, adeoque operationem syderis homini per hominem perficere possit: tamen hoc etiam huic arti datũ est, vt aliud medium, quod loco subiecti intelligatur, producere queat, per quod subiectum operatio illa æque perficiatur, ac per hominẽ, qui medium verum est. Sic iam in Magica scientia operationes duæ sunt: vna, quam Natura ipsa edit, proponens sibi hominem, per quem operetur, aut cui suam influentiam, siue bonã, siue malã communicet, altera si subiectum sibi producit, per quod operetur, vt statuas, lapides, herbas, verba. Item Cometas, similitudines, Halones, & si quæ aliæ syderis supernaturales generationes sunt. Sic ergo Natura ipsa vires Magicas præparare, & per eas operatiões Magicas perficere potest: non secus, ac si apud rudem populum miraculum aliquod fieret,

Luminis natura quid.
Stellarũ & angelorũ collatio.
Homo Astrorũ filius.
Astronomia vires & spiritus.
Sapientia duplex est.
Magica quid sit.
Operatio Magicæ duplex.

quod signum sanctuario annumeretur, cum tamen Natura Magice tantum operata sit. Multa namque talia fiunt, quæ male postea intelliguntur.

Sed velim vos rem adhuc planius intelligere. Quicquid Natura in corpore peregrino perficere potest: id ipsum potest etiam homo, vt operationes eo adigat, quo adigi conceptio potest, vt inquam, imago, quæ nec carnem nec sanguinem habet, similis sit Cometæ, vt verba & characteres suas eque, vt remedia, vires habeant. Similiter & herbas ac Gamaheos eo deducere potest, vt subiecta illa similia sint Planetis & ipsorum inquilinis, ac denique vniuersis firmamenti stellis. Et talia hominem præstare posse, vobis quidem admirationi non sit. Si enim verum est, quod scriptura dicit: *Vos Dij estis*: multo vtique plus ipsis astris erimus. Si filij sumus altissimi: longe etiam superiores astris erimus. Si filius patris heres est, eius etiam *Locum tenens* ac *Vicarius* erit, & in bona illius iusque ac potestatem habebit. Quanquam alicui videri possit iniquum, quod astra homini dominentur, eumque regant ac gubernent. Sed quotnam exstiterunt homines, ex Deo & Dei loco locuti? Quot homines excitarunt mortuos, & eosdem vitæ reddiderunt? Quot cœcos sanarunt? quot mundarunt leprosos? Hæc facta omnia sunt per Deum, qui talia ipsis contulit. Quod si ipsa quoque Natura iam artem suam distribuat & conferat iis, qui ipsam quærunt, suasque vires per attractiuam virtutem impertiat: cur quæso & cuinam impossibile videatur, vt cœlestes virtutes Magus in terrenum crescens cogat, quod postea ad similitudinem syderis operetur, non minus ac illi operantur ad similitudinem Dei? Sicut enim ex Deo refecti fuerunt mortui: ita & ex natura vis & potestas illius sanctis & ad hoc electis confertur: cum inter Sanctum & Magum discrimen aliud non sit, quam quod alter per Deum, alter per Naturam operetur. Vt autem ne quicquã de Astronomia aut scriberem, aut cum aliis conferrem, diu equidem me cohibui, dum quas vires & potestates cœlestis operatio haberet, expenderem, & cum hic hominum ruditatem & inscitiam, qua doctrinas omnes respuunt, conferrem. Quibus enim ipsa Astronomia cum suis speciebus cognita non est: quo pacto hi vtrumque lumen intelligent? Quomodo vtrosque spiritus cognoscerent? At quis lubens conferat cum illis, qui sui syderis influxum tantum sequuntur, & cum conscientia nihil expendunt? Multi multa de Magica scientia nugantur, & ex mera temulentia de ipsa iudicium faciunt. Magica res sublimis est, & propter sua opera admodum ardua. Cogitandum est de Christi verbo durabili, quo dixit: *Hoc si credideritis, plura facietis* Christus aliquid præstitit, & tamen discipulos plura præstituros esse promisit. Quod si ergo per suam artem Natura, quoque aliquid præstat: cur nos quoque plura, quam ipsa præstare non possimus? Ipsa propter nos creata est, ideo nobis in ipsam potestas est. Sapiens moderatur ipsam, non ipsa sapientem. Quod si, teste scriptura, per fidem plura præstare possumus, quam ex caritate erga proximum fecit Christus: cur quæso nos plura non præstare possemus astris, cum tamen promissum id & mandatum ad nos, non ad astra pertineat, ac nobis omnia subiecta sint? In nobis enim debet vigere sapientia ea, per quam vniuersa gubernemus non tantum Firmamentales virtutes, sed viuentia etiam animalia, quæ tamen ipso homine longe robustiora sunt. Imperium hominis cum ad abyssum maris, tum ad firmamenti summum extenditur.

Homo cur eadẽ cum natura facere possit.

Homines Dii, & filij altissimi.

Sanctus & Magus vt differãt.

Hominis quãta sit potestas in omnia.

Cæterum vt ex lumine Naturę porro de Magi potestate differere pergam: præ cæteris hoc quoque sciendum est, ipsam etiam *Naturam* per se *Magam* esse. Quę, si quid annunciatura est, prodromos & prænuncios sibi gignit, vt cometas & visiones cœli alias, de quibus hic fusius differendum non est. Quinam vero homo fieri vel esse Magus queat, ex sequenti exemplo discite. Nouit scilicet Medicus vires omnes, quæ in herba hac vel illa conditæ sunt. Sic nouit Magus, quid in stellis conditum sit. Medicus ex herba vires extrahit, quas Remedium vocat. Illud pondere exiguum est, sed multa in se prata continet. Eodem modo & *Magus* multa cœli prata in exiguum lapillum cogere potest. Et is vocatur *Gamaheus*, &c. Porro sicut Medicus propinare remedium ægroto potest, vt eo morbus expugnetur: sic in hominem vires illas etiam ingerere potest Magus, prout easdem extraxerit. Medicina quotannis renascitur. Stellæ autem suas exaltationes loco æstatis habent. Nemo autem hanc potentiam admiretur, quæ vires illiusmodi deorsum in Medium induci ac adigi possunt. De hac re exemplum vos doceat seques. Sol in se proprietatem aliam non habet, quã quod naturalis ac diurni luminis summus gradus sit: sed adde ei calorem. Vbi enim lux diurna: ibidem etiam calor. In calore namque lumen diurnum viget. Iam quomodo fieri potest, vt lux ista diurna vna cum sibi congenito calore deorsum per hominem in subiectum cogatur, ita, vt oculi nostri eo lumine superentur, & sensus ipsius calorem ferre non possit? Id fit per rotunditatem crystalli, qui deinceps *Berillus* vocatur, qui splendore suo oculos nostros occæcat & incendit, aduritque. Aliter enim sol agere non potest.

Natura est Maga

Medici & Magi collatio.

Gamahe' quid

Solis quæ sit proprietas.

Quod si ergo Magus quoque virtutem stellarum quamlibet similiter deorsum allicere & dispositum subiectum cogere potest: an quæso non etiam possit idem facere imagines, ad sanitatem vel morbum ducentes, & carnem naturalem horsum vorsum mouentes, aut penitus mortificantes? Nam si velut ex terra, sic etiam ex cœlo oriri potest. Venenum, &c. Cur non etiã similia fiant casu iam dicto, siue subiectum sint imagines, siue herbæ, siue lapides, siue verba? Prout enim sydus imprægnationem suam habet, ita conceptio eidem correspondet. Et non ipse homo tantum talia operatur: verum Natura quoque vario sese modo exercet? Quod si id possibile est Naturę, cur non etiam Homini? Ipsa nobis exemplo est. Sicut operatur ipsa: sic eandem nos imitari debemus. In ipsa latent scientia medica & omnia artificia: in ipsa latent omnes artes, omnes industriæ animales. Frequenter ergo euenit, vt ipsa quendam, præterquam quod is ex homine discit, proferat, qui

Naturæ opera omnia imitari potest homo.

qui artificio & industria ceteros omnes superat. Talis homo instar Cometæ nascitur. Ideo alia etiam eiusdem, quam alterius stellæ ratio est. Sic etiam fieri potest, vt Magus quoque per scientiam Magicam talem industriũ hominem instar Cometæ gignere possit. *Et hæc Dei Mysteria ac Magnalia sunt. Sic cœlum Dei laudes prædicat. Sic firmamentum opera sua per Magos annuntiat. Sic quoque per Magos ex Saba & Tharsis per ascendentem Christi in Bethlehem proditur, quidnam firmamentum & cœlum in Arcanis Dei reuelet.* Sed ad probationem Magicæ hactenus dicta iam satis sint. Si quæ supersunt: de illis in practica seorsim tradetur.

Probatio in scientiam Diuinationis.

PORRO fit etiam, vt Astronomia seipsam gignat, & ex seipsa Astronomicas operationes perficiat, arte & industria carentes. Hoc etsi non quidem in omnibus fiat: sæpius tamen euenit in illis, qui bonæ & probæ indolis sunt, vt qui modum exquisite seruant in cibo & potu, & honestam vitam degunt. Et veteres quidem studiose hoc operam dederunt, ne corpus ac animum suum polluerent, quo operationes huiusmodi eo felicius in ipsis perficerentur. Et hæc Astronomia seipsam gignit: hæc seipsam ad operationes cœlestes deducit. Ista species diuinatio appellatur. Cum enim homines sine Astronomiæ cognitione huiusmodi operationes Firmamentales exercerent: miraculosi ab homnibus habiti fuerunt, quasi Dii exsisterent. De operatione hac tenendum est, eam reuelari per somnium, per animum, per speculationem, & per animalia. Apud Priscos magni pretii diuinatio fuit. Nam si aliquando concordantia incidit: qua cœlestis operatio se cum quodam vniuit, & per ipsum operata est: tunc per ignorantiam diuinationi non crediderunt, & ob incredulitatem eam multi homines seducti, & multi errores inducti fuerunt. Si enim istiusmodi hominibus non creditur, & astrum fallax est, multa indecenter ponuntur, quæ alias minime fierent. Ea quidem Astronomię pars est, sed non est scientia, verum ex seipsa enata operatio.

Populari sermone passim ita iactari solet: *Meus hoc mihi Angelus dixit.* Hîc operatio vocatur Angelus, quasi illa per Deum fieret: adeoque Angelo imputatur, quasi is inter Deum & talem hominem Medium esset; cum tamen omnis ea operatio mere cœlestis sit. Causa autem & origo Diuinationis ita se habet. Homo corpus sydereum habet, cum externo sydere vnitum. Hæc duo inuicem confabulantur, quando sydereum corpus ab elementari non afficitur. Sic in somno, si elementare corpus quiescit, corpus sydereum in operatione sua versatur. Hinc insomnia: quæ eueniunt talia, qualia sydus ipsa operatur. Qualiter enim vel bene vel male, sydera disposita sunt: taliter etiam se habent insomnia. Multoties euenit, vt per ita dispositum sydus, & per recte natum sydereum corpus futura prædicerentur, quæ reuera deinde ita facta sunt. Hoc modo multa quoque remedia, ad morbos certos expugnandos, inuenta fuerunt, velut etiam abstrusi thesauri, adeoque res absconditæ etiam aliæ, vt maxime huic scientiæ nihil propemodum conferri potuerit. Futura enim omnia Firmamentum præscit, necquicquam ipsum latet tã præteritorum, quam præsentium. Tam aptum huiusmodi sydereum corpus, si a syderibus inuenitur, & sydera parata sunt: res vtiq; admirandæ manifestantur, tam præsentes, quam præteritæ. Hoc modo sæpius vetuli, & fœminæ, adeoque alii nulla scientia imbuti, quasi per simplicitatem & fatuitatem vaticinati fuerunt ea, quæ euentus mira ratione vera cõprobauit.

Eodem modo multi quoque in viros doctos euaserunt, qui cum aptum & idoneum sydereum corpus nacti essent, in influentia insuper natiua sese etiam strenue exercuerunt. Quo factum est, vt tandem sui syderis inclinationem ad se attraherent velut Radios a Sole, sicut exemplum de alimentis superius adductum comprobat. Isto modo admiranda scientia, doctrina & sapientia inuenta est, sed omnis tamen animalis tantum, non e supernis, sed ex astris tamen hausta. *Cœlo ita constituto, & sibi ipsi sydereum corpus gignente, multa emergunt stupenda capita, multi Scriptores, multi Doctores, multi scripturarum interpretes, multi Philosophi, &c.* Prout quisquẽ a sua constellatione fingitur. Horum scripta & doctrinæ sanctæ habendæ non sunt, etsi auctoritatem quidem singularem præ se ferant. Sydus namque ac influentia illas dederunt, Spiritus inquam Naturæ, non Dei. Operationes huiusmodi nonnunquam etiam ex animo hominis stupendo modo processerunt, quando homines ipsi cor suum ac animum mutantes, sanctis se similes præstiterunt: cum tamen tales non nisi ab Ebrio Astro facti sint. Sicut enim vinum alias homines mutat: ita mutati etiam isti sunt. Operæ ergo pretium est, Astronomiam istam recte intelligi. *Huiusmodi enim ebrii scriptores multos seducũt homines, & in Spiritu Dei velut & in lumine Naturæ errones sunt, somniorum more obuolantes.* Multa enim perferũtur ab illis, quæ tamen nec alicui[9] momẽti sũt, nec ab aliis intelligi possunt.

Syderis ea vis & efficacia est, vt in bruta quoque animalia suas operationes imprimat. Quicquid enim viuit, Spiritum sydereum in se continet: & vbicunque operationes sunt, ibi manifestantur, sicut de pauonibus narratur, quod, si intempestiuius clamitent, suis dominis mortem portendant. Iam vero nullus hominum moritur, nisi id per prægressos prodromos aut signa præindicetur. Si enim moriturus homo est, tunc Sidus in ipso suam operationẽ perdit, & perditio seu amissio illa fit per signum & magnam mutationem. Sumamus exemplum de morte Christi, *vbi velum templi discissũ est, & totus orbis contremuit, & Sol vniuersus obscuratus est.* Nam astra ad mortem Christi horruerunt. Nemo itaque hominum sine prodromis moritur: & semper in Natura aliquid mouetur, ex quo hominis mors prænosci queat. Sic mortuorum saltationes visæ, luridã futuram pestem indicarunt. In domibus nonnullis interdum etiam audiuntur, qui instar hominum laborent ac operentur, Paulo post obire solent illi, qui similia opificia exercent. Et sciat hoc loco homo, illa minime esse spectra, sed operationes naturales, quæ taliter in hominibus per astra perficiantur. Hoc enim notatu

Marginalia (left): Sera... ... Magis... [illegible] | Diuinatio quid & quæ sit. | Somnia ... origo & ... | Diuinatione ... thesauri ...
Marginalia (right): Constellationis vis quanta ad mutandos homines | Constellatio etiã bruta afficiunt. | Homo nullus moritur sine prægressis signis. | Christi mortem quæ comitata sint. | Cœlum cum homine comparatur.

tatu admodum dignum est, quod astra hominibus singulariter compatiantur: siquidē talis a Deo homo conditus est, vt communi cum ipso dolore firmamentum vniuersum afficiatur, ac dolori illi ex compassione sua præsagia præmittat.

Probatio Particularis in scientiā Nigromanticam.

Nigromantia pars Astronomiæ.

EX partibus Astronomiæ etiam vna est, quę Nigromantia vocatur. Ea vero hoc nomen sortita est, quod noctu potius quam interdiu exercetur, & quod illi, qui noctu eam primi vsurparunt, ea, quæ interdiu fieri possunt, assumpserint. Scientia hæc passim ab omnibus ceu Diabolica damnata & reiecta est, sed a solis tamen ipsius ignaris. Scientia enim hæc est Naturalis, ex astris nata. Sed ante omnia notate proprietatem Berillorum. Hi sunt, in quibus spectantur præterita, præsentia, & futura. Quod nemini admirationi esse debet, ideo, quia sydus influentiæ imaginem & similitudinem in Crystallum imprimit, similem ei, de quo quæritur. Id fieri oportet per coactionem constellationis, velut in Magica traditur. Sicut enim Solis splendor in Crystallum influit: ita Sydus quoque deorsum in subiectum impingitur. Præterea syderibus nota sunt omnia, quæ in Natura existunt. Cumque Astra homini subiecta sint: potest is vtique illa in subiectum ita cogere, vt voluntati eius ipsa obsecundent. Pro scientiæ enim modo ipsa sese operatio exserit. De fide passim iactatur, ipsam plurima præstare, quod quidem a vero minime abest. Sic namque de ipsa etiam Christus testatur. Et prout fides operatur, euidens est, ipsam nihil esse aliud, quam robur seu efficaciam. Robur id operatur in verbo. Et verba mortuos faciunt viuos. Simili ratione quidnam in Astris est aliud, quam quod per fidem Naturæ, ea vincantur? Et sicut per fidem verbo mons in mare exturbatur: ita circa fidem etiam Naturalem sciendum est, quod per verba astra deorsum trahantur, vt operationem suam secundum nostram imaginationē perficiāt. *Sapiens enim dominatur astris*, is inquam sapiens, qui virtutes illas ad sui obedientiam cogere potest. Hoc modo in *speculis, perspicillis, vitris, aquis seu vndis, & vnguibus: &c.* constituuntur visiones, pro conditione roboris, & vnionis in conceptione factæ.

Cur ita dicta.

Nigrom. est ars Naturalis.

Berilli quid.

Fidei quæ efficacia.

Fides duplex, vt duplex etiam operatio

Fit etiam interdum, vt transuersim (quod aiunt) vel fortuna vel infortunium incidat, ex coniunctione Astrorum, vt si quis forte aliquid inueniat, quod nō quæsiuit. Demus exemplum. Finge, quendam emere domum, & in illa de nouo aliquid exstruere, adeoque hac occasione thesaurum grandem reperire. Id fit ex coniunctione Astrorum, quæ tali bene volunt. Similiter & peregrinus sæpe, ad terras 200. milliaribus distantes proficiscens, vxorem sibi commodam inuenit. Hunc astra eo adduxerunt. Sic fortuito casu multa passim eueniunt. Ista autem sunt scientiæ, hic sub Fato comprehensæ. Et eiusmodi operationes astrorum Astronomo omnino cognoscendæ sunt, vt, vbi fortuna ista vel infortunium lateat, hominibus indicet, quo eadem vel sectari, vel fugere ipsi possint. Hæc scientia olim pretij maximi fuit. Sed qui mortuos vorant, illam damnarunt suasque nugas orbi vendiderunt, vt nemo quicquam iam aliud, quam ipsorum fermentum Pharisaicum docere aut degustare ausit. Quos tamen hoc quoque præcipue contemptos fecerat, quod, si quæ post obitum hominis vel animæ vel spiritus apparuissent, ad illas redimendas multum operæ impenderent. Hæ vero animæ vel spiritus quid sint, ita nosce. Dictum superius est, hominem habere Spiritum vel corpus sydereum, & insuper elementare. Hæc corpora duo hominem vnum constituunt. Iam si homo moritur, corpus terræ mandatur id, quod ex Elementis natum & productum est, & putredine consumitur. Putredo hæc requirit tempus, alia quidem longius, alia breuius. Similiter autem & *sydereum corpus*, vt elementare, putrescere & consumi debet. *Id vero in cadauere* non manet, sed in propinquo se continet, aut in illis locis, in quibus defunctus habitare solebat, obambulat, donec suæ putrefactionis tempus præteriit. Tunc enim & corpus consumitur, & spiritus. Sydereus iste spiritus pro homine ipso habitus est ab illis, qui syderei corporis proprietatem intellexerunt. Et spiritus huiusmodi varij sunt, quos videmus vel non videmus, audimus vel non audimus, cum noctu, tum interdiu. Vtcunque autem appareant: ista non nisi cœlestis operatio est corporis syderei, ad nihil vtilis, nisi vt ita consumatur.

Nigromantia a quibus hodie dānetur.

Hominis corpus est duplex.

Corporis syderei quæ conditio post mortem.

Sed & alia Phantasmata apparent, quæ pro hominibus habentur, quorum tamen ortum nemo exploratum habet. Huius classis sunt *Gigantes, Nymphæ, Gnomi, Vmbragines*: quorum quatuor generatio admodum insolita est. De his initio sciēdum, *Gigantes* non ab hominibus descendere, velut nec *Nymphas, nec Gnomos, nec Vmbragines*. Ex Adamico pro generatione non sunt, & tamen omnino sunt homines, suis peculiaribus tamen naturis dotati. Gigantum, qui olim in terra ambularunt, ortus & obitus humanę generationis limites excesserunt. De ortu illorum nulli constat: cum hominibus tamen conuersati & negotiati sunt, cum iisdem ederunt & vixerunt. Vt orti sunt: ita etiam interierunt. Similiter & Nymphæ in aqua & supra eam habitarunt, sed ortum & interitum illarum nemo vidit. Gnomi etiam in cauernis montium domicilia & fornices, staturæ suæ conuenientes sibi condiderunt, & raro cubiti vnius longitudinē superarūt. Similiter & vmbragines hominibus seruierunt, & opera mirabilia exsecuti sunt. De ortu horum repetenda sunt ea, quę docet Philosophia, nēpe quod homo & sydus hominem faciant, veluti de generationibus hominum traditur. De his breuiter ita iudicandum est, generationem illam ex elementari & syderea proportione seu Massa fieri, ab homine seminata, sicut ex sua Massa ipse etiam homo factus est. Ex hoc iam sequitur, quod Massa ea etiam citra hominem in conceptionē vi Influentiæ abire queat. Astra enim comprimunt & impręgnant. Sed imprægnationes vt multiplices sunt: ita multiplices sunt etiam conceptiones, ac consequenter multiplices Generationes. Si enim virtus imprægnatiua Influentiæ citra hominem generat, & ex coniunctione illa Massa vna cogitur: tunc Massa illa induit eam formam, quam imago illa in

De insanimitis Theophrasti iudiciū.

Gigantū &c. generatio miraculosa.

Nympharum ortus, &c. incertus, &c.

Gnomorum itidem

Et vmbraginū.

Inanimata vt generentur.

in suo sydere habet. Sic varia gignuntur animalia, quæ in prima creatione producta non sunt. Hoc modo in firmamento Massæ exstiterunt, quæ per operationem syderum in *Gigantes* conuersæ sunt: nonnullæ in *Nymphas*, quædam in *Gnomos*, aliquę in *Vmbragines*: quæ postea cum constellatione illa iterum interierunt. Verum quidem est, nos ex Adamo vniuersos descendere, & esse illos, qui vocantur homines, quorum patrem sine Astris Deus suis manibus effinxit. Nam ea vera hominis creatio est. Filij tamen Adamici vniuersum orbem minime occuparunt. Ideo terræ quædam abditæ filios Adami etiam non nouerunt, sed creaturas alias, hominibus similes, & præter Adamicæ creationis modum natas acceperunt. Nihil enim Deus inane passus est relinqui, sed admirando consilio abstrusas terras aliis hominibus impleuit, sicut hæc fusius de generationibus docentur. Nobis autem id satis quidem affirmato constat, quod 4. prædicta hominum genera ex sola cœlesti *Influentia* per sponte ordinatam massam ac *Sperma*, ad ea loca, in quibus habitant, prædestinata & collocata sint. Sciendum insuper & hoc est, quod 4. prænominatæ Generationes animam non habeant, sed homines sint anima carentes, in quibus nihil æterni est, nisi fors Deo placeat animam illis infundere præter consuetum modum filiorum Adamicorum, quod penes Deum stat. Nam & illos homines, qui in abditis terris habitant, ex Adamo descendere, probari non potest: sed credibile est, ipsos post diluuium ibi natos esse, fortassis anima etiam carentes. Et sermone conueniunt cum psittacis, animæ expertes, nisi Deus vinculo coniugij ipsos copulet cum his, qui animam habent.

De Nigromantia, tanquam Astronomiæ Specie, quam mirabiliter constellationes generent, hactenus traditum est. Iam deinceps etiam tractandum est, quomodo coniuratores circa hæc versati fuerint. Hi nimirum ex distantissimis terris, per interualla longissima fecerunt, aduehi vinum, & alia plura fieri, quasi opera illa fierent hominum, non tanquam per spectra & similitudines, sed re vera & ipso facto. Hi tali ratione ista compararunt. Astronomi nimirum non fuerunt illi, sed *Exorcistæ*. Ideo *Exorcistæ* etiam vocantur, non *Nigromantistæ*. Per corpora quidem Astrorum operati non fuerunt, sed per Diabolum, in corporibus illis conditum, hac scilicet ratione. Hominem obsideri posse, Christi testimonio constat. Idem verum etiam est de brutis. Multo ergo promptius syderei Spiritus obsideri possunt post mortem hominis, veluti etiam cætera sine sanguine hominis genita corpora, velut sunt *Onagri*, & his similia alia. Quod si, qui animam habet, obsideri potest, multo facilius obsidebitur anima carens. Et tamen vere nemo adhuc exploratum habet, an Vmbragines, Gigantes, Gnomi & Nymphæ animam habeant, vel non habeant. Cum ergo generata eiusmodi obsideri possint, ex eo iam sequitur, Spiritum malignum, illa obsidentem, voluntatem Exorcistæ perficere, quantum ipsius malitia permittit fieri in illis defunctis sydereis spiritibus, velut Onagris & similibus. Si vero Generatum illud consumitur, tunc etiam illius artificis scientia perit. Hæc pro planius cognoscenda Nigromantia adduco. Circa quam quomodo se gerat exorcista, satis hactenus ostensum est.

Probatio in scientiam signatam.

QVicquid Natura generat, id secundum *Essentiam virtutum formatur*. Quod ita intelliges. Prout animus, proprietasque ac Natura hominis alicuius est: secundum id constituitur corpus. Nam idem etiam prouerbio iactatur: Quo distortior, eo nequior. Adamus initio creatus erat, vt nec in anima, nec corpore eius quicquam vitij hæreret. Vbi vero bonum & malum cognouit, cœpit deinceps Natura quemlibet pro sua constitutione signare. Prius, quam sciret Adam bonum & malum: Deo placebat. Postea vero, vbi id cognouisset, facti hominis Deum pœnituit. Homo ergo sub potestatem Naturæ redactus est, ita, vt iam Natura ipsum tractet velut florem in campo, quem signat, & cuilibet cognoscendum offert. Floris instar, inquam, etiam homo ipse signatur, vt alius ab alio discerni queat, velut inter se discernuntur omnes flores & crescentia: Et cum nihil adeo in homine abstrusum sit, quod non reueletur: illud modis tribus fieri sciendum est: vel per signa Naturæ, vel per proprium indicium, vel per Dei iudicium. Duobus posterioribus missis, dicam de primo, de signis videlicet a Natura propositis. Notum est omnibus, quod, si semen in terram coniiciatur & abscondatur, suo tempore Natura seminis illius abscondita extra terram proferat, vt quilibet manifesto iam videat, qualenam semen illo loco iacuerit. Hoc respectu cor & semen hominis: & Natura ex illo semine profert corpus, vt quilibet videat, qualenam ibi cor fuerit. Et licet ingens quidem discrimen sit inter herbas seu ligna & hominem: tamen & in homine ars illa satis demonstrat & detegit.

Homo cur potestati Naturæ subiectus.

Abscondita tribus modis reuelantur.

Homines nos in hoc mundo exploramus omnia, quæ in montibus latent, per vestigia & signa externa. Peruestigamus etiam omnes proprietates herbarum & lapidum, per ipsorum signum signatum. Eodem modo nihil quicquam etiam in homine latere potest, quod extrinsecus in ipso non signetur. Sicut autem cognitionem suam habet Medicus: ita ex signato etiam explorat Astronomus. Iam vero tria sunt, per quæ Natura hominis & cuiuslibet crescentis reueletur. *Chiromantia*, considerans extrema locustarum in homine, vt manus, pedes, venas & lineas ac rugas, &c. *Phisionomia*, aspiciens constitutionem faciei, & partium ad caput referendarum: *Habitus* denique, totius corporis conditionem expendens. Hæc tria coniungenda sunt. Secundum tria hæc creatum quodlibet cognosci potest, a *Medico* nimirum *Remedium*, ab *Astronomo Homo*, a *metallario metallum*, quolibet suum subiectum tractante. Talis conditio est matris, quæ, quid in qualibet re lateat, manifestat. Qui vero hæc tria intelligendi ineptus est, is nullum Naturalem, vt, nec Naturalem Astronomum nec Naturalem Medicũ, nec denique Naturalem Philosophũ agere, aut quicquã arcanorũ & mysteriorũ Naturę scire, aut de illis disserere poteſt. Fundamentum ergo in

Scientię Signatę tres partes.

in hoc positum est, quod omnia semen habeant, & in semine omnia contineantur, & fabricator ad formam Natura sit, denique ipsam essentiam rei, quæ abscondita est, prodat, & reuelet. Tria ergo hæc ad Astronomiam coniunguntur, vt in conceptione dicto modo aptentur & complicentur. Vnde ipsa etiam explicatio ex Astronomia procedit, vna cum cæteris, quæ sub eodem Horoscopo generantur.

Probatio in Artes incertas.

Res, quæ secundum principij fundamentum incerta est, hoc est contra naturalem ordinem pugnat, & tamen ad verum finem contendit: eius scientia petenda est ex fide, & in fide debet versari, & denique per fidem perfici. Per fidem enim impossibilia multa operabimur. Quid vero aliud est impossibilia facere, quam incerta certa facere, & dubia stabilire, aut præstare, quæ præstare non potest Natura? Multis hic videri absurdum queat, fidem scilicet tantum posse, vt Naturam contra Naturam cogat, fortitudinem contra fortitudinem roboret, vires supra vires conferat. Itaque hæc probatio sedulo attendenda & deducenda est. Hominem siquidem per fidem aliquid operari posse captu difficile est. Notandum autem primum est, quidnam Christus in Euangelio dicat, præstare posse in Deo seu Dei virtute illos, qui in ipsum credunt: nempe quod *fides illa montes transponat, resuscitet mortuos, & cæcis visum reddat*. Sic ergo ipsa Natura vincitur & superatur, dum, quem mortuum vult & facit Natura, fides resuscitat, & cæco a natura visum restituit. *Fides* nimirum *illa est, quæ saluos facit.*

Fidei vis quanta & in quibus.

Fides fortior natura.

Iam si fides illa est, quæ saluos facit: sciendum est, quidnam operetur. Primo fidem in Deum operatur ex Deo: Et vicissim, quod ipsa in Deum credit, Deus operatur. Nec enim Deus vlla alia machina, quam fide, vinci potest. Qui in Deum credit, is id operatur per Deum sicut veteris & noui testamenti dicta satis declarant. *Si credis, fies saluus. Si credis*, inquit Christus, *me te mundare posse: iam mundus es.*

Deus sola fide vincitur.

Cum ergo Deus ibi operetur, & Deo omnia possibilia sint: iam quo modo ista fiant, disquirendum vlterius minime est. In Deo enim operari, & impossibilia possibilia facere, quid id sit, indagare & scrutari satis nemo potest.

Porro credere in rem, est credere in id, quod fidem promouere potest. Sic credere, mortuos velle resuscitare, est sese dirigere ad id, quod mortuos resuscitare potest. Hoc iam nemo, nisi solus Deus potest. *Fides ergo resuscitandi mortuos, claudos restituendi, cæcis visum reddendi, leprosos mundandi, &c.* respicere Deum, qui ista potest, debet. Eadem ratio est etiam fidei in Diabolum directæ. Nam & hinc procedunt opera, quæ Diabolus præstare potest, prout fides tua te ducit. *Fides enim vnum tantum opus est, opus eius in quem creditur.* Fides qualisnam esse debeat, satis iam notum est.

Pergamus iam porro ad scientiam artium incertarum probandam. *Qui artes incertas vsurpare vult, huic opus est, vt credat, non in Deum,* hoc est, *vt per Deum aut eius virtutem operetur, veluti mortuos resuscitando: sed vt credat in Astra*, a Deo condita, quod illa ex prouidentia diuina vires ac potentias eiusmodi habeant. Hoc modo qui credit, is credit naturaliter, hoc est, credit in naturale. Exemplum. Medicus credit in suam Medicinam, & recte facit. A Medicina enim sanatur æger. Huius iam fides dirigitur in Naturam, in opera Dei. *Et vult Deus credi in Medicinam, quam sapiens non aspernabitur.* Eodem modo is quoque, *qui artes incertas vsurpat, in constellationem credit. Remedium incertum, est & tamen est certum.* Sic hæc quoque scientia certa est, & tamen incerta, finem dans, sed tamen ex dubio initio, cui nemo certo fidere possit vel debeat.

Ad artes incertas qualis fides requiratur

Fides in naturalia à Deo probatur.

Iam deinceps sciendum est, quomodo fides in Naturam operetur, hoc modo. *Fides dat imaginationē. Imaginatio dat sydus: sydus dat effectum. Sic Fides in Deum, dat imaginationem in Deum: Et Deus finē seu exitum dat.* Exemplū aliud. *Fides in remedium, dat spiritum remedij: spiritus dat cognitionem remedij: remedium dat sanitatem.* Hinc ergo ceu dictum est, sequitur, Medicum constitui ex fide. Prout credit, ita ipsum promouet spiritus, spiritus Naturæ, sydus remedij. Prout creditur in Deum, ita per Deum agitur. Similiter etiam, prout fides iactatur in sydus incertum, ita *certum* id fit, nec incertum manet. Fides in Deum incerta est. Quis enim scit, quomodo consistat? Si probe consistit: bene finitur. Sic & Medicina incerta est, dum medicus sui finis seu euentus incertus est. Si bene consistit in spiritu Medicinæ, in fine bene stabit.

Fidei in naturam qualis processus.

Fides in Deū & naturam qui incerta sit.

Incertæ res sunt, quæ in fidem ponuntur, quoniam, quomodo in fide stemus, incerti sumus. Nec os fidem stabilire potest, etsi quidem dicat, *credo, fides sita est in animo, in corde, in summa hominis scientia, vbi homo totus apud se est, vbi vniuersum eius cor vna est.* Itaque si fides vera, integra & perfecta est, tunc in illa corde operatur is, in quem fides dirigitur. Incertæ ergo artes, quales sunt quatuor, per mentem & cor, hoc est, per summum hominis bonum reguntur. Rem sic accipe. Finge, sibi quendam proponere, hoc videre se velle in aqua, vel illud cognoscere velle per cretam, per ignem, per aerem, &c. iam fides illius nouum sydus gignit, quod nascitur ex superioribus, in quę ille credit. Qui enim tale quid facere vult, necesse habet, vt credat in id, in quo illud est vel esse potest. Astra autem sunt in elementis, in quæ tu fidem tuam ponis. Sic iam imaginatio & id astrum cōiugio copulantur, & in fœdus vnum coeunt. Hæc copulatio causa est generationis. Generatio causa est operis. Opus est in eo, in quod tu credis. Nimirum si in Deum credis, per fidem illam opus tuum perficitur, etiam in eo, in quod tu credis: *vt si credas resuscitationem mortui, iam facis id, non quod in mortuum credas, sed in Deum, per Deum autem datur opus, quod fieri vel futurum, credis, adeoque fit id in sepulcro, in feretro, &c.* vbi ille resuscitatur. Sic fides nimirum naturalis est sydus: & naturaliter sydus operatur generationem, ratione, quod idem etiam naturaliter operatur ibi, vbi vis. Sydus enim te sequitur, non tu ipsum. Sic etiā per fidem in mortuum Deus mortuum adit, descendens deorsum de cœlo.

Sic

Sic iam aliud est credere in Deum, aliud credere in Diabolum, aliud credere in Naturam. Quodlibet operatur, quod potest. Deus potest omnia. Natura potest naturalia tantum. Diabolus potest, quod ipsi permittitur.

Iam Deus scit & potest omnia, quæ in cœlo & in terra sunt, quæ sunt in suo regno & in inferno. Natura tantum Naturę lumen callet, quod a Deo ipsi datum est. Diabolus instar Angelorum sciens est, vt qui post DEUM omnium maxima sciunt. Permissum autem Diabolo non est facere, quod Angelicum, sed quod Diabolicum sit. Sic vere in Deum credere, miracula operatur. Credere in Naturam, ingentia Naturæ lumina profert. Bene credere in Diabolum, impossibile est. Nec enim ipse bonus, sed leuis: qualis ipsius etiam fides, & illi, qui in ipsum credunt. Quod in DEUM credit, id oportet esse integrum immaculatumque: alias nihil fiet. Quod autem in Naturam credit, illud fit, prout fides est, in hoc aut illud intendens. Sed & hoc oportet esse non mancum & maculatum. Ita tota operatio procedit.

Ita ratum sit, incertas artes per fidem dirigi. Nam prout fides est, ita & illæ. Prout fides se habet: ita & imaginatio: prout imaginatio, ita & sydus. Prout sydus, ita & operatio, hoc est, incerta & dubia sunt, nec certo omnino sperari possunt. Et licet finis quidem certus sit, in initio tamen omnia sunt dubia, & ambigua, & incredibilia. Hic hoc vnum requiritur, vt firmiter credatur, & de nullo dubitetur: ita finis tuæ fidei respondebit. Dubitatio namque bonum sydus non gignit: nec ea fides est, sed leuis operatio. Quis autem harum artium processus sit, vt generationes & operationes eiusmodi pro fidei tenore (quæ in his artium gubernaculum est) sequantur: id peculiari suo libro traditur.

Probatio in Scientiam Cosmographicam & Geometriam Astronomicam.

NEcessitas ipsa requirit, vt certa nobis notitia sit locorum, ac finium sphęræ superioris ac inferioris, hoc est eorum omnium, quæ illis includuntur, quæ cuiuslibet conditio, status, situs, & mansio sit. Sic, exempli gratia, de terra sciendum est, vbi hæ vel illæ regiones iaceant, quales sint, quam proprietatem, mores, &c. habeāt. Consideratio enim diuinorū operū nobis digna est, nec in ea defatigari debemus. Quod si de terra, multo magis de Firmamento Marique ac Aere inquirendum est, quo pacto omnia creata & locata sint, Sol scilicet hic, Luna illic, hoc eo, illud alio. Negari vero non potest, in aere esse loca & materias, ex quibus oriantur venti: Sciendum ergo nobis hoc quoque est. Sic loca sunt in mari, ex quibus pluuiæ oriuntur. Sic loca sunt in Terra, ex quibus proueniunt Fructus. Sic loca sunt in Firmamento, ex quibus proueniunt Influentiæ. Cœli & terræ cognitio quā vtilis & necessaria.

Hæc cum ita se habeant, multum refert nos scire, quo modo se erga nos illa, & vicissim erga sese inuicem habeant. Nam ob harum rerum propinquitatem vel distantiam, aliæ ac diuersæ operationes fiunt: Instituti ergo nostri est, hoc loco scientiam Cosmographicam & Geometriam Astronomicam explicare, quo scilicet modo credenda & cognoscenda sit. Quod enim nos pedibus ingredimur & ambulamus, artis nō est. Artis est, id scire quod pedibus obire, aut digitis metire non possumus. Duo ergo sunt, Sciētia & Non scientia. Nō scientię inueniūtur per scientias, quas nos scire Deus voluit & constituit. Hæ scientiæ etiā docent, ac inueniunt, quænam forma mundi sit, & quæ cœli; quænam ratio sit & conditio ipsius Chiromantiæ, Physionomiæ & Habitus, denique quæ omnis eius Essentia & Natura sit. (*Plura de hac probatione non scripsit Auctor.*)

CONCLUSIO.

SIc ergo me operæ facturum esse pretium existimaui, si Astronomiam cum suis speciebus describens, eandem claris additis probationibus constabilirem. Indignum enim erat, eam destitui, quæ tanti apud veteres momenti & dignitatis fuit, vt propter ingentia miracula, quæ præter omnem naturam esse videri possent, a solis Regibus & sacrorum Antistitibus olim disci & tractari soleret. Ipsa tamen tandem succedentium principum incuria tota obliterata est. Ex illorum ordine fuerunt Magi Orientales, ex Saba & Insula Tharsis, qui Christum visitantes, ipsum ex Stella Regem Iudæorum esse dinouerunt. *Prout Magica docet nosse & discernere stellas noui cœli, in quo signa ea sunt, quæ Deus quotidie producit; & de quibus Christus dixit, inquiens:* Erunt Signa in Sole, Luna, & Stellis, &c. *Hæc ad Magicam Interpretationem referenda sunt.*

Astronomia ortum suum accepit in Oriente Solis. In tribus cæteris partibus Astronomia nulla nata est. Cum mundus impleretur populis, Sapientes in centro manserunt, cæteros distribuentes, non tamen simul cum ipsis etiam sapientiam. Decreuit ergo seu defecit mundus omni sapientia, scientia, iustitia, doctrina, &c. Etsi hoc nostro sæculo multi, hæc omnia ad summum ascendisse, inaniter contendant. Verus quidem est sermo Christi, qui dixit, Parentem fore contra filium, & filium contra patrem, & regnum vnum contra aliud, & charitatem in multis sopitum iri. *Hoc enim vaticinium omne completum est, nulla tamen mundi cum gloria. Et quando vnquam quæso sacra scriptura in superiore gradu fuit, quam cum linguæ loquerentur flameæ? Quando Medicina sublimius, nisi tempore Hippocratis floruit? Quando Iustitia maiore in loco habita fuit, quam cum Cæsar pro suo filio sibi ipsi alterum elidi oculum passus est? Quando sapientia sublimior exstitit, quā tempore Salomonis? Sola gentiū pressura ascendit, præterea nibil. (Sequitur de spiritu vertiginis, de falso viagio stellarū.) Hæc eo dicta velim, vt sapientia huius mundi habeat, nō de quo glorietur, sed potius se ad humilitatē submittat. Nunquā enim, quā hodie infirmior Astronomia exstitit: cum tamen scientia oppido necessaria sit, qua carere hominē non decet. Docet enim ipsa gloriam, quam Cœlū annuntiat, apud hominem deprædicare, & stellarum præsagia ex operibus diuinis primi & secundi Cœli commonstrat. Per hanc scientiam Spiritus vertiginis cognoscitur, & malus a bono discernitur: Quod quidem arduum mihi videtur multos, si vellent, a seductione præseruaturū. Ex hac disci potest finis*

finis omnium scientiarum, medicinæ, metallorum, herbarum, opificiorum, denique rerum omnium existentiam. Ex hac cognosci etiam potest natus animus hominis. In initio huius scientiæ liberi omnes Astronomiæ adiudicabantur, vt secundum Influentiam suam discreti, à malis auocarentur, filiique communiter ita informarentur, vt ne quidem à Spiritu vertiginis sese regi paterentur, sed in via recta ambularent.

Sic ergo hactenus, quaenam Astronomiæ facultas & potestas sit, satis à me probatum esse autumo. Deinceps autem sequentur septem alij libri, totam Astronomiæ practicam expedientes, quomodo, scilicet quælibet species seorsum ad perfectum Iudicium deduci & erigi poßit: quibus septem libris tota Firmamentalis virtus panditur & reuelatur. Hæc autem ad huius mundi capita & Magnates potius, quam plebem spectant, vt multa hoc medio auertantur, quæ alias per ignorantiam multas secum ruinas trahunt. Ex Christi tamen vaticinio constat, vnum subinde alij aduersarium fore, & liuorem potius odiumque hominum, quam artes & scientias auctum iri. Itaque Magnates sese hisce non valde aggrauabunt, sed scientiæ hæ diuertent apud vulgares, qui sese litium oneribus euoluere studebunt. Dolendum autem cumprimis est, hominem vsque adeo seduci, vt non sectetur ea, in quibus Deo beneplacitum.

PRACTICA
IN
SCIENTIAM DIVINATIONIS.
Secundum caput probationis.

Diuinator qualis esse debeat.



T Diuinatio in practica sua recte intelligatur: hoc modo illa discenda & cõprehẽdẽda est. *Primo*, vir, qui tractat eam, phantasia extranea careat. *Secundo*, crapulæ & gulæ deditus non sit. *Tertio*, careat libidine & tetro amore fœminarum, aleæ, &c. Omnia contra dirigat eo, quo ipsum Naturale lumen spectat. Hoc modis quatuor assequetur: Insomnio, animo, speculatione, denique cognitione cæterarum personarum, siue simplicium, imo, etiam brutorum. Non enim Diuinatoris est, insomnium sibi suscitare externa Phantasia, aut animi a iussu alieno coactione. Speculatio eius debet esse libera ab omnibus illis rebus, quæ lumini Naturæ aduersantur. Purus sit animus, somnus, speculatio, sicut de paruulis Christus inquit: *Nisi paruulorum similes fiatis, &c.* hoc est, *nisi complantata vobis sapientia exsulet, sapientiam cœlestem nunquam accipietis.* Sic hoc etiam loco, nisi extraneam sapientiam deponamus, ipsum Naturæ Lumen cum sua efficacia non acciperemus. Quisquis enim sapientiæ Diuinæ compos esse satagit, is reliqua omni sapientia carere debet. Idem iudica esse de satagente Lumẽ Naturæ. Duo quidem Lumina hęc, Dei & Naturæ, vna consistere facile possunt. Nec enim ita differunt inter se, vt vnum alterum tollat. Lumen Naturale, vires naturalis corporis gubernat secundum voluntatem Dei, in prima creatione insitam. Alterum moderatur animam, æque ad voluntatem Dei, sine quidem Luminis corporis detrimento. Sed de Lumine naturæ porro tractare, mei propositi est. Cæterum, qui per Insomnia scientiam, sapientiã, lumẽque Naturæ addiscere possitis, ita expediam. Sydus ipsum per hominem operatur, si Astralis in homine spiritus prædicta moderatione diætę & regimini studet. Exemplo est Daniel, & alij plures, qui ex somniis Naturalia prædixerunt. Taliter namque spiritus sydereus dispositus fuerat. Diuinatores huiusmodi in mundi principio multi exstiterunt. Sed somnia ea talem interpretationem sortita sunt, quasi quod alius quoque somniabat, idem etiam significaret: quod tamen fieri nequit. Quiuis imo ad sua ipsius somnia attendat. Suorum enim quiuis etiam interpres est, nisi fors fieret, vt constellatio similis constellationi Danielis incideret, atque illæ inter se concordarent. Sicut enim interdum accidit, vt duo in persona sibi similes existant: ita fieri etiam potest, vt nonnulli sibi in constellatione mutuo similes reperiantur.

Lumen Dei & Naturæ nõ contrariãtur

Diuinatores in mundi initio multi.

Iosepho, pingues & strigosos boues somnianti bene voluit sydus, dum somnio illi Iosephum interpretem addidit. Res spectabat Naturale quiddam, hoc est, annonæ fertilitatem, & difficultatem. Ideoque Lumen Naturæ id interpretatum est. Alius enim, qui alterius somnium interpretatur, ex sydere id desumit, sicut ex sydere ipsum etiam somnium oritur. Et vtrique diuinatores sunt: Vnus instar Cometæ: alius instar interpretis. Sciendum itaque est, somnia ideo euenire vt sydus seipsũ reuelet. Illorum ergo sedula ratio habẽda est, quia futura præsagiunt, quæ præscire hominem cõmodum est. Per somnia, multa quoque modis aliis reuelata sunt, non tamen per sydus, sed per Angelũ Dei: quod Iosepho accidit cum Maria. Iam si cum homine in somno per Angelũ agere Deus potest: poterit idem etiã Natura. Deus reuelat id animæ in somno, corpore quiescente, & a sua Phantasia libero. Ita etiam corpus sydereo suo spiritui suas vires manifestat.

Ioseph &c.

Somnia diuina seu Angelica.

Hoc modo Apocalyseos liber reuelatus est, in quo nihil continetur, quod nõ etiã leuissimis in mundo hominib. arduum & miraculosũ, videri debet. Iam si Deus in tam abiecta, & vt videri posset ludicra specie, per somnũ sua arcana reuelat: ipsa quoq; Natura simili forma per sydereũ suum spiritũ res suas manifestabit. Modo tamẽ prædicto non nisi per Astra ipsa id fit. Itaq; hoc casu practica nulla, sed tantum Interpretatio institui debet, quolibet seipsum explicãte, aut diuinatorem aliũ eligẽte, qui Interpretationẽ suã Influentiæ signis accõmodet. Practicæ tamen ipsius causa exẽpla quædã cum suis interpretationibus, secundum quę exempla somnia omnia explicari debent, subnectam, vt.

Apocalypsis, &c.

De Bonibus Iosephi.	*Somnia luctuosa.*
Eques Gracensis.	*Somnia ægra.*
Somnia ludicra.	*Somnia Fortunæ.*
Somnia seria.	*Somnia Infortunij.*

De bouibus Iosephi hoc tenendum est, quod quoties bos in somnio offertur: toties annus

Bos in somniis anni index.

annis indicetur. Quæ natura eius bouis est: similis erit etiam anni. Meminimus, Diuinatorem quendam somniasse futuras diuitias: Huic constellatio proposuerat 15. *boues macros*; vnum pinguem. Inde concludebat is, 15. boues macros ipsi datum iri, quos saginaret, & tandem pinguefactos venderet. Interim idem 15. annis strigosa cute deformis oberrare cogebatur. Anno 16. incidit in bouem pinguem, opulentam vxorem. Cum hac vixit vno anno, & postea obiit. De pecudibus ergo, quid significent, attendi decet. De bobus iam dictum est. Pecudes minores aliæ significant anni quadrantem, quædam mensem, nonnullæ septimanam, hæ diem, illæ horam.

II.

Eques Græcensis, &c. Huius interpretatio est, constellationem hominis in sua cogitatione tam magnam esse posse, vt sydereum spiritum in somno alio amandare possit, sine ope corporis Elementaris. Astrale id corpus vim habet veneno inficiendi, infirmandi, distorquendi, excœcandi, occidendi, afflandi, & aspirandi, & verberandi, idque vno momento: & postea ad Elementare suum corpus redeundi. Notorium namque est, per tam fortem Imaginationem veteres vi Astralis corporis contra hostes suos multa huiusmodi molitos esse & præstitisse, ita vt nonnulli derepente in lecto paralytici redderentur, nulla naturali causa concurrente. Quidam visu orbati, quidam leprosi facti, quidam penitus strangulati fuerunt. His similia mala alia multa inflicta sunt, quæ vix longo & diuturno tempore sanari iterum potuerunt. Quibus ergo Medicis huiusmodi morbi occurrunt, hi sciant, horum nihil vel Elementa vel ipsam naturam genuisse, sed hæc solius syderei corporis aliorum opera esse. Somnia autem & hæc sunt, quando hic vel ille tale quid somniat. Secundum hoc somnium alterius morbum iudica.

Item vidi fœminam Landouiæ, quæ viro suo hoc pollicebatur, &c. Interpretatio est, sydereum corpus id præstare posse. Et licet corpus quidem ac anima & spiritus sydereus simul vna non sint: Cogitatio tamen, & speculatio Imaginatiove manet in illo spiritu, quantum ad Naturam. Vnde sæpius cum eiusmodi cogitationibus videntur. Quoniam ergo viri cogitatio ita constituta fuit; propterea per syderei illum spiritum id ita effatum quoque est, & significatum per somnium, quale spiritus vnus habet aduersus alium ante consumptionem: Quod & hic factum est. Nec enim hoc saltem fieri potest: verum etiam in Montanis, in vepretis & Alpibus, huiusmodi sydereorum spirituum magnus interdum numerus visus est, qui pecora & alia læserunt, quod illorum vicinorum syderei spiritus contra hos vicinos, quorum pecora erant, alerent, & vindictam post mortem exsequerentur. Anima autem Imaginis Dei & ad Deum, qui illam dedit, contendit.

III.

PORRO Ludicrum etiam somnium aut permixtum offertur, cuius interpretatio in ambiguo est. Hic sciendum, in sydereo illo spiritu perfectionem non esse, sed esse tantum illusionem illius hominis, & somnium illi fors beatum vel fœlix. Nihili ergo hoc est, & somniũ tale spiritum sydereum habet fatuum, volare conans, quo peruenire non potest. Vbi huiusmodi cogitationes sunt: ibi Imaginationes incumbunt. Primo ergo sic statui debet, huiusmodi somnia in illis fatuum amorem & phantasias volaticas, quæ ad fundamentum non quadrant, indicare. Oportet enim eum, qui somnia huiusmodi interpretari velit, syderea ratione luminis naturalis instructum esse, nec circa phantasias rerum impossibilium, aut superbiam, &c. versari. In eiusmodi enim somniis effici nihil potest.

Somnia interim multa sunt, quæ verificantur. Vidi enim, qui per somnia thesauros inuenerint, coniugia inierint, ad honores ascenderint. Vidi etiam, qui per illa, miseria, ærumnis, afflictioneque obruti fuerint, prout syderum constitutio, & cuiuslibet prædestinatio, ac superiorum beneuolentia sese exhibuit. Somnia itaque curanda & non negligenda sunt.

Porro negari non potest, somnia suam habere practicam per quam syderea corpora cogantur, vt alicuius intentum reuelent. Eius practicæ ratio mira est, nec cuilibet obuia aut accepta. Facit tamen, vt per somnia (quorum nonnulla sunt) sydera manifestent, quod rogatur. Fit autem, dum Imaginatio, fiducia, spes, charitas, aut persuasio sydereum spiritum adeo intuetur, vt nihil illis negare possit. Et licet precatio in Deum quidem dirigatur, non tamen est ex anima, sed ex lumine naturæ. Practica ergo illa collocata est super fundamentum Imaginationis, dilectionis, spei, expectationis, & seriæ amicitię. Hic quærendus limes est.

Præter hanc, practica etiam alia est, vtens verbis & characteribus, similibusque aliis. Ea proba est. Verba namque ex cœlo nata sunt. Ideoque id, ad quod nata sunt, perficiunt. Sunt enim verba ad animam efficacia: & sunt alia verba, efficacia ad corpus. Sic quoduis verbum ex suo cœlo, ex quo est, exit. Et licet illi, qui Apocalypsin tractant, ex Angelis habeant somnia certissima, & cum intellectus, tum solatij plenissima: hic tamen de Lumine Naturæ agitur, quod supernis istis inferius est.

Speculatio sua per se practicam habet, ea ratione, vt probe exerceatur, dum sibi aliquis perficere proponit id, quod ignorat. Rei conditio hæc est. Spiritus Astralis speculationem habet. Ex ipso speculatio perficitur. Is enim ipse speculatio est. Iam spiritui omnia explorata sunt: & de hoc saltem agitur, vt speculanti indicentur. Practica iam est, nihil ad nos pertingere nisi cũ labore. Sic panem oportet arari, seminari, meti, moli, coqui ac pinsi; & horum quodlibet cõmodo tempore. Sic hic quoque tempus istius speculationis primo requiritur: Postea accedit labor speculationi illi conueniens. Et sicut ad frumentum & vinum, &c. commoda tempestas requiritur: sic hic etiam requiritur diligentia & occasio, &c. quæ speculationẽ promoueat, sicut Sol cum pluuia, &c. semen terræ promouet.

Et

Et semel hoc dictum velim, speculationis magnum momentum esse. Ex ea enim emanat bonum & malum. Ex speculatione oritur. *Vsurarius, scortator, aleator, blasphemus, &c.* Ex eadem tamen etiam oritur, quod bonum est. Adde, sicut hæc duo ex speculatione emergunt; sic ex eadem etiam emergit Inuentio Scientiarum, siue sint Mechanicæ, siue aliæ: Similiter & Sapientia ac Intellectus. Sciendum hic est, multos quidem circa hæc speculari, velut circa Alchimiam, &c. Sed nihil inueniunt: quia Astrales Spiritus ante tempus debitum nihil discunt. Multę quidē Scientię iam ante ipsis comprehensæ sunt: vnde illas facilè discere possunt. Interim tamen, non omnes sunt Alchimistæ, aut Medici: in quibus tamen discipulos agunt, quorum tempus perfectionis hominibus inexploratum est. Eiusmodi ergo speculatio nihil confert, sed inanis est. Speculari enim nemo potest, nisi quod Astralibus Spiritibus compertum & comprehensum est.

Eadem etiam ipsius *Animi ratio* est. Si quis, quod ipsi incidit, facturus est: idipsum etiam à sydereo, quod animum instar speculationis regit, prouenit. Practica ergo animi est, vt quis mente concipiat probitatem, honestatem, veritatem, bonitatem, & in his sese obfirmet. Ita ei succedet. Animus enim noster gubernat sydus, ita, vt sydus animum sequatur, & cum eo concilietur. Sicut, si quis crocum iniicit aquæ, aqua vniuersa flauescit: ita cum sydere etiā comparatum est, vt instar croci illud in hominem penetret, & cum homine vniatur, homoque ita tingatur. Sydus enim est Tinctura speculationis animi, hoc est, vniuersorum quæ hominis sunt. Quoniam ergo Sydus Tinctura est, homo autem corpus quod tingitur: nemini id admirationi sit, quod Astrum in homine multipliciter operetur. Sic etiam peculiaria Astra sunt, quæ pecora respiciunt & regunt. Est tamen ea Influentia & constellatio alia, non talis, quæ hominem attingit.

Practica itaque est, vt homo versus astra se inclinet, cumque illis se vniat. Sic fiet, vt illa omnia ad suam essentiam mutet is & cogat. Ergo de Diuinationis practica statuendum est, quod Inuentrix sit magnarum artium, scientiarum, & opificiorum. Et bonum esset, mundanos homines tale Lumen naturæ accepisse, & non intricatis phantasiis, aut studio fallendi, decipiendi, scortandi, &c. occupari, sed illis omnibus valere iussis, genuinum sydus amplecti, eidemque obsecundare, ad terreni corporis recreationem & honestatem, sine animæ & ipsius imaginis detrimento.

INTERPRETATIO

TOTIVS ASTRONOMIÆ,

Scripta à

Doctore Theophrasto Hohenhemio.

PRÆFATIO.

IN VNIVERSAM ASTRONOMIAM DOCTORIS THEOPHRASTI HOHENHEMII.



COMMODVM simul ac æquum me facturum existimaui, si, quis totius Astronomiæ ordo sit, & qua ratione ipsa doceri ac cognosci debeat, explicare equidem aggrederer. Nec enim hoc mihi citra causam necessarium visum: quandoquidem vniuersa scientia fœdis opinionibus tota corrupta & polluta est, vt vero genuinoque sensu iure illustrari debeat. Prout autem hæc sæcula sunt, non dubito, quin conatus iste & labor meus multis absurdus & inutilis obuenturus sit. Sed horum ipsorummet causa hæc scribo, vt inscitia ac temeritas eorum in iudicando detegatur, simulque ac eadem opera demonstretur, ipsos non esse tanti, quanti se venditant. Quanquam id hodie admodum familiare est, vt quilibet se latè iactet, & de illis ambitiose nugetur, quorum tamen magna ex parte ignarus est. Ea iam mundi cœcitas est, vt vbiuis nomen potius, quam id, quod nomen designat, sectari malit. De his Sophistis & Clamacibus, quod nec seipsos nouerint, nec, quid tractent, sciant, nec quam artem calleant, intelligant, breui discursu, qualem quidem præfationis Lex feret, vobis expediam. Astronomia facultates seu Religiones in se septem continet. Quas qui non vniuersas nouit, & callet, is se ne quidem Astronomum dicat. In Religione & facultate illa quilibet maneat, in qua sese exercet. Sic Astrologus circa Astrologiam versatur. Qui Magiæ Religionem tractat, per se Magus manet: qui Diuinationem considerat, manet Diuinator: qui Nigromantiam, Nigromanticus: qui Signatum, Signator; qui Incertas artes, Incertus: qui Materiam, Materialis. Ne dicat Astrologus, Magiam non esse Astronomiam, veluti nec Diuinationem, nec Nigromantiam, nec Signatum, nec Incertum, nec Materialem. Hæc enim omnia sub Astronomia comprehenduntur non minus, ac ipse Astrologus. Alia quidem est Astrologia, alia Magia, alia Diuinatio, alia Nigromantia, aliud Signatum, aliud Incertum, alia Materialis: Attamen omnia non nisi Astronomia sunt, sunt species & filiæ aut Facultates Astronomiæ, Naturales scilicet & Essentiales scientiæ Astrorum, sicut deinceps clarius docebitur. Hos omnes qui callet, Astronomus est. Qui callet duas, potior est callente vnam. Qui tres nouit, maior est sciente binas, & sic deinceps.

Porrò quod Astronomus facit, id in sola Astronomia manet: Quod Magus, in Magia manet: quod Diuinator, in Diuinatione: quod Nigromantista in Nigromantia: quod Signator, in Signato: quod Incertus, in Incerto: quod Materialis, in Materiali. In suis sese limitibus quilibet contineat, & alium præ se non contemnat. Omnia enim ad Astronomiam pertinent, & ex parente vno & matre vna sorores sunt. Etsi vero sorores sint, hactenus tamen cognationis suæ ipsæmet ignaræ fuerunt. In causa est ipsorum stolida

Genealogia,

Genealogia, ob quam suam familiam ipsamet non nouerunt. Quilibet ergo id agat sedulo, vt scientiam alterius non contemnat aut rideat. Ea enim dementia est, si Astrologus sex reliquas suas sorores & consanguineas rideat, aut si Magus Astrologum cognatum suum contemnat. Idem & de cæteris iudica. Multum ergo refert cognationes illas cognosci, vt aliæ ab aliis non despiciantur. Proponamus Exemplum. Ferrum artifices multi tractant. Ex eo alius fabricat pro equis soleas, alius arma, alius seras, alius serras, alius malleos, &c. Hi iam, quales sunt inuicem? An non omnes ferrum recte tractant? An non tractando ferro quilibet sufficiens est? An non omnes nobis vsui sunt? Omnino. Quod si ergo faber malleos cudens, eiusdem bonitatis est cum fabro armorum & solearum: Cur non & Astrũ loco ferri habeamus, vt eidem ceu ferro multos artifices assignemus? Inter quos quis bonus vel nihili, optimus vel pessimus sit, ecquis vspiam affirmare possit? Quilibet enim respectu eius, cuius gratia factus est, est bonus, est verus, est integer. Quilibet suo occupatur subiecto, nec quicquam est inane, sed omnia sunt vtilia, commoda, necessaria. Ita varias Deus operas hominibus diuersis imposuit, vt in illis desudarent, atque hoc remedio flagitia, scelera, crimina, scortatio, aleatio, belluatio, &c. euitarentur; ac in solis viis domini, hoc est, in Naturæ scientiis quilibet seorsum per se versaretur, ibique suam voluptatem captaret, alius scilicet in Astrologia, alius in Magia, alius in Diuinatione, alius in Nigromantia, &c.

Hæc ergo me causa impulit, vt explicandam & in ordinem redigendam Astronomiam aggrederer, si forsan conatu meo id effectum dare posse, vt inutiles doctrinæ, studia, bella, & similia flagitia deinceps vitarentur, & scientiis veris ac genuinis opera impenderetur. Ipse quidẽ auguror annosiores, qui sunt, hoc meo sæculo de opinione sua recessuros non esse. Vtinam vero saltem iuuentus eorum manibus excuti posset, ne (quod aiunt) patrisarent aut matrisarent & ipsi. Quæ enim pro sapientia huius mundi hodie effertur, vera sapientia non est, sed est stultitia coram Deo. In Lumine autem Naturæ, quænam summa est Sapientia, nisi sola Astronomia? Et post hanc Medicina? Ecquodnam homini ceu mortali sublimius datum donum est, quam naturalis luminis thesaurus? Isti interim clamitant aliud, & hoc summum bonum dicunt, si Tuum Meum faciam. Hoc qui callet, is hodie Luminis filius est: imo vero Pharisæus, qui aliud ore profert, quam ipso opere demonstrat. Ea iam mundi est sapientia, sed apud Deũ mera maledictio. Væ enim vobis Legisperitis, væ vobis Scribis, Hypocritis, Pharisæis. Eo vero deuentum nunc malitiæ est, vt geminæ hæ scientiæ (ita loquor) vniuersum iam mundum, iuniores & adultiores promiscue occuparint. De progressu ergo Astronomiæ spes concipi nulla potest, donec anni 20. numerentur ab eo, qui ipsam reformaturus, restauraturus & renouaturus est. Quod si ergo mortales nos insania huiusmodi ad æternam damnationem ducit: fas vtique est, nos eam deserere, & Lumen naturæ ipsum, quod Deus nullo modo repudiauit, amplecti. Interim etsi hæc quidem Astronomia nobis mortalibus pro sapientia summa sit: ad vitam tamen æternam minime ducit. Qua de causa nec ipsam pro summa sapientia vendito hominum, sed tantum mortalium, in Lumine Naturæ.

Præter hanc sapientia alia est desuper data, extra creatum subsistens, quæ mortalem sapientiam omnẽ longe vincit. Sed quid vos mihi respondebitis? Pater & Lumen Naturæ, & hominem ipsum fecit. Bene isti homini, qui in Lumine illo, ad quod conditus est, ambulat: quoniam ex patre est. Sed quid præterea? Filius Lumen æternæ sapientiæ dedit homini, vt in eo ambularet. Horum iam, vtrum alterum contaminat? Qui in patre ambulat, bene ambulat. Qui in filio: & is bene. Bene in patre: bene in filio. Viuendum in vtroque est: in vno ad mortale: in altero ad æternum. Quod si pater non irascitur filio, nec filius patri, sed vtrique vnũ sunt, filius in patre, pater in filio: quo quæso iure separari poterit lumen Naturæ, a lumine æterno? Vnũ manet in altero. Hæc tamen interim separantur ab illo, qui hoc agit, vt Meum Tuum faciat, quique ore eloquitur, quod ipsius cor non nouit.

Donum suum cuilibet in hac terra datum est, ad quod cum prædestinatus sit, ex eo operari ipsum fas est. Donum hoc in lumine Naturæ respicit proximum. Præter hoc sunt etiam Dona Spiritus sancti, Prophetica scilicet, & Apostolica. Illi ergo donum diuinum non habent, qui proximi bonis inhiant; Et qui hypocrisin loquuntur, dona Spiritus sancti non habent. Hoc aperte profiteor, Prophetas me aut Apostolos vidisse nullos. Vidi tamen illorũ scripta, sapientiam æternam dictantia, vt hac de causa ipsi Lumẽ Naturæ præferre minime possim, sed iure pro scabello pedum subiiciam. Vaticinati sunt Prophetæ, quæ nullus vnquam potuisset Astronomus. Sanarunt Apostoli tales ægros, quos nulla vnquam medicina restituere potuisset. Iam ergo qui se habet Medicus ad Apostolum: ita se habet Astronomus ad Prophetam. Quis Medicus in vitam reuocare potest mortuos? Sic quis Astronomus vaticinari, quæ Dauid potest? Medicina fallax est: non itẽ Apostoli. Fallax est Astronomus: non etiam Propheta. De nobis ergo mortalibus tantum in Lumine Naturæ dissero, hac limitatione, quod sapientia ex Deo supra omnes sit. Astrologus quidem cœli figuram, formam, speciem & essentiam nouit. Magus Cœlum nouum & vetus deorsum agere potest. Diuinator ex Astris non Consultus loquitur. Nigromanticus sydereа corpora cogit. Signator Microcosmicã constellationem callet. Incertus Moderator Imaginationem Materialis componit. Et hæ Astronomiæ sapientiæ sunt. Quæ tamen omnes nihili sunt, si conferantur cum schola, ex quo docti facti sunt Apostoli, cum linguis loquerentur ignitis. Nostra sapientia ex carne & sanguine orta non est, sed ex Astris. Sed nec Apostolorum sapientia ex carne & sanguine est, sed ex Spiritu sancto. Solius ergo Naturæ thesaurum summum hic aggrediar, Christiano meo corpori nihil temere vel addes vel detrahes. Lumen enim Naturæ a patre procedit, in quo, volente Deo ambulo citra errorem. Interim hoc minime affirmo, sapientiam summam, quæ nos ad æternum ducit, ob id deserendam & negligendam esse. Qui enim in hac terra faces in lumine Naturæ lucent, hi per Christum vt stellæ in æternũ fulgebunt.

Hoc autem librum hunc ordine contexam. Primo de Astris docebo, quid sint. Deinde Generationem hominis explicabo. Duas has partes enumeratas sequetur distributio, Astronomiæ secundum figuram suam, in singulis facultatibus & religionibus, sufficienti explicatione, quid religio quælibet sit addita.

His vero traditis, nedum omnia expedita erunt: Sed requirit ipsa rei necessitas, vt subnectantur etiam Probationes, quo pacto Religio quælibet in seipsa Naturalis, vera & integra inueniatur & cognoscatur.

Hic enim tuendarum Religionum præcipuum asylum situm erit, quod non sint illa ex Diabolo, non ex malignis spiritibus, nõ ex superstitiosis sed quod in ipso Naturæ Lumine fundatæ sint, sicut in discursu plenius cõprobabitur. Ad finem descriptionis Luminis naturalis, definiam etiam de Astronomia æterna, vt correctius Astronomia vtraque secerni, & quæ cuiusque seorsim dignitas sit, cognosci possit. Faxit autem Deus, vt turba illa, quæ, quod suum non est, quærit, & vbi non seminauit, colligit, hoc meæ vitæ tempore excæcetur ac obmutescat, ne vel mihi, vel illis, quos seducit, impedimento sit. Quòd si turba illa balbutiret & membris suis distorqueretur, quia non loquitur, quod in corde conditum est: Vah, quam suauis demum futura vita esset? Sed quid imprecatio hæc mea, nisi inanis aer, & vmbra sine corpore? Quilibet ergo hæc mea eo legat animo, vt plura ex illis colligat, quam scripta sunt. Semen conijcitur in terram. Sed alius est, qui ipsi incrementum dat. Semen equidem vobis propono. Qui in Iulio herbas & gramina, & in messe frumentum profert, is vos ad finem ita deducat, vt ex vite optima large defluatis. Vale Monachij.

Finis præfationis Doctoris Theophrasti, vocati Paracelsi.

INTERPRETATIO DE ASTRIS Doctor. Theophrasti Hohenhemii.

VT ante definitionis & probationis aggressum, institutionem plenam vobis communicem, de Astris pũctum peculiare hoc notate. Vniuersa mundi machina in partes diuisa duas est: nempe in corpus *visibile*, & in corpus *inuisibile*. Visibile & tangibile est corpus mundi, constans ex tribus primis, *Sulphure, Mercurio, & Sale*. Hoc iam corpus mundi est, Elementale, ipsaque Elemẽta id corpus sunt. Quod corpus tangibile non est, sed impalpabile, & inuisibile, est Sydus seu Firmamentum. Etsi autem Firmamentum quidem videamus esse corporeũ, visibile & materiale: id tamen, quod videmus Firmamentum non est, sed ipsius corpus. Firmamentum nemo vnquam vidit: sed eius corpus, velut nec anima in homine visibilis est. In duo hæc, in corpus & Firmamentum mũdus vniuersus digestus est. Porro Firmamẽtum duarum partium est: Vna est in cœlo, in stellis: altera est in globulo terrę. Hinc duæ Essentiæ Firmamenti exstruuntur. Peculiaris est in Firmamento cœli: & peculiaris etiam in Firmamento globuli & sphęrę. Firmamentũ sphęræ globuli eius est naturæ, vt ex eo crescat, quicquid corpus Terrę, Elementorumque dat seu constituit. Sic ex terra Firmamentum globuli fructus protrudit, quod sine Firmamento minime fieret. Eadem pariter ratio est rerum omnium, ex terra nascentium. Alterũ Firmamẽtum in cœlo, peculiarem suam operationẽ habet, hoc est, ad solum hominem attinet. Etsi vero vtraque Sydera *Superius* & *Inferius*, inuicem copulata, cõiugataque & vnita sint, ac vna currunt: hoc tamen ipsorum discrimen est, quod Sydus superius sensus, & inferius crescẽtia gubernet, hoc est, superius constituit intellectum Animalem: inferius autem crescentia, ex sphæra prodeuntia.

Mundi partes duę sunt

Mundus corporeus constat ex trib. primis.

Firmamentum nemo vidit, & quid sit.

Firmamentum duplicis est naturę.

Ceterum præter iam dicta, de Firmamento globuli nihil disseram, nisi de fructibus tãtum & eius crescẽtibus. Hæc enim ipsius Philosophia est. De sẽsifico autem sydere talia proferam, vt ex illis sciamus, ipsum quoque hominem in se diuisum esse: Nempe in *Corpus globuli*, & in *Corpus sensuum*, hoc est in corpus visibile & palpabile, & in corpus inuisibile, impalpabile: vel in corpus Elementare trium primorum, Salis, Sulphuris, Mercurii, & in Sydereum. Quousque hominis corpus pertinet, sanguis & caro est. Quod in ipso est impalpabile, vocatur Spirit⁹: Hoc modo homo est Caro, Sãguis, & Spiritus. Porro Caro & Sãguis homo nõ est, sed in ipso existens Spiritus. Spiritus enim est hominis sapientia, sensus, intellectus. Et hæc sunt homo. Corpus est brutum. Pręterea, Spiritus est subiectum Syderis: & corpus subiectum Spiritus. Ita regit hominem in spiritu sydus, & spiritus regit corpus in carne & sanguine. Spiritus iste mortalis est, ob id, quia nõ est anima. Aliud enim Anima est. Anima est supra Naturam, de qua hic non loquor, sed de eo tantum, quod in Adamo creatum Naturam attinet, carnem scilicet & sanguinem, & illum spiritum. Qui ergo non renascitur, is moritur, nec spiritus ipsum sustẽtare potest. sed in mortem rapitur. Sic ergo quædam est coniunctio Syderis & Hominis, & Elementorum ac Hominis. Ibi vnica coniũctio est, vnum fœdus, vt partitio aut separatio nulla inueniri queat, Hoc tamen fieri potest, vt Anima discedat & separetur, & quod ex Machina mundi natum est, deserat, & eternum sibi asciscat. Hæc eo indico, vt sydus recte cognoscatur in supernis cœli cum sua Essentia, & in globo mũdi: & vt vna probe intelligatur etiam quomodo pars vtraque cum homine vnita sit, vt scilicet hoc modo concordantia & operatio Astri, vnius cũ altero sciatur, & exploratum habeatur, quidnam externa Astra in homine faciant, & quid ea, quæ in homine sunt in externis operentur. Verum namque est, externa Astra in hominem, & interna Astra hominis in externa operari, re & opere, hoc est, plena actione, vnum subinde in aliud. Nã quod in nobis Mars potest: idem potest homo etiam in ipso si in virilibus suis operationibus se contineat. Ita se nimirum gemina Astra mutuo habent. Nec enim minus in cœlum agunt homines, quam in hominem cœlum.

Hominis partes duę sunt.

Homo quid sit.

Spiritus hominis quis mortalis.

Anima vt separabilis.

Astra externa & interna mutuo in se agunt.

Iam deinceps desserẽdum est de Medio, inter Astra Principalia & corpus. Astrum vnum est, quod omnia regit, in homine intellectum animalem: in brutis, sensum in Elementis, operationem eorum. Astrum id est supremum creatum destructionis seu dissolutionis: & est in Olympo quod sub se ista omnia habet. Huius officium est, operari in homine, operari in Elementis, operari in animalibus, & horum sensus ac animum vertere ac mutare. Hoc iam sine Medio aliquo præstare nequit. Medium hoc

Astri sũmi quæ natura & officiũ.

hoc & ipsum est ac esse oportet Astrum, situm in illis, in quæ supremũ operatur. Per hoc Medium editur Effectus, in substantiam & corpus. Rem intelligamus ex exemplo. Si in hominem operari Mars debet, facere id non potest sine Medio, quod Materiale Astrũ sit. Per hoc postmodum Mars operatur. Sic si superius Astrum in psittacum acturum est, opus est, vt in psittaco Astrum tanquam Medium sit, per quod superius operetur. Hinc iam patet, Astrum quoddam esse in homine, esse in auibus, esse in omnibus animalibus. Et quicquid hæc faciũt, faciunt impulsu superioris Influentiæ, per constellationem acceptæ, & inæqualem concordãtiam directæ.

Medium quid.

Præterea simile Astrum etiam in Elementis, velut in terra, est, idque efficax. Illud Astrum Impressionem concipit ex superiori, & postea per seipsum operatur in terra, ita, vt ex terra eliciatur, quicquid in ipsa consistit vel latet. Idem iudica etiam de Elemento Aquæ, & cæteris. Ideo primum est Astrologus ex Astro superiore: & alius ex Astro hominum: Est Astrologus ex Astro Elementorum, est Astrologus ex Astro animaliũ. Hoc modo Astrologi quatuor sunt Elementorum: duo Astrorum hominum & animalium, qui iam sex sunt: denique vnus, Astri superioris, qui septimus. Præter hos alia etiam superest Astrologia, ex Imaginatione homini nata, reliquis omnibus superior, ex ordine octaua.

Hæc velut & aliæ ab Astrologis neglecta & omissa est. Quisquis vero Astrologus haberi velit, is omniũ octo cognitionem habeat. Quãquam vero nec particularium periti contemni debeant, etsi vniuersaliter minime procedatur: attamen Astrum in octo partes distributum est: Vnum est Efficax: Sex sunt subiecta: octauum etiam ipsum efficax est, & simile primo, & in nonnullis punctis primo superius seu præstantius, sicut de nouo cœlo & Firmamento deinceps clarius demonstrabitur. Fas autem est, Astronomum Olympi de cæteris etiam scire, quomodo Media Astra operentur, sequantur & consentiant, ne quid de superiore Astro prædicetur, cui perficiendo Astrum inferius dissentiat, & aliud, meliusve peiusve, &c. intendat.

Hinc euidens est, Astronomiã magni semper æstimatam fuisse a priscis, à tempore dilunii vsque ad natum Christum. Omnes enim Astronomiæ species valde excultas fuisse, in propatulo est. Sub Christo autem eæ interciderunt. Et dolendum est, sub Christo intercidisse id, quod pater ipsius singulari opera proposuerat hominibus, vt eo tempus tererent, & alia inutilia omitterentur, quorũ tamen multa sub Christo orta auctaque, postea vniuersũ mundum inundarunt. Sed, vt recte hæc intelligatis, scire vos velim, Christum æternam sapiẽtiam docuisse, & consuluisse animæ non immerito, sed vt imago Dei ad regnum sui creatoris promoueretur, adeoque sapientia inferior negligeretur, superiore nauius culta. Etsi vero hæc hoc libro Ethnice scribam, qui tamen Christianum me profiteor: Ethnicus tamen gaudere potest in patre, qui contra filium non est, vt nec Ethnicus est, si in dicto Naturę lumine ambulat, Sapiẽtia tamen interim Christi, vniuersa Naturæ sapientia melior est. Adeo que hoc ipse fateor, Prophetam vnum certius ac vna hora plus veritatis loqui, quam multis annis Astronomi omnes: & Apostolum vnum Magis omnibus in veritate longe præstantiorem existere. Quid enim resistere possit scholæ illi, quæ igneis linguis loquitur? Sed tamen, vtut hęc se habeant, sub Christo secta surrexit quædam, sapientiæ æternæ specie sese venditans; quam etsi minime calleret, præualuit tamen & late eminuit. Hæc inquam Secta nobilem Astrononomiæ scientiam abscidit, & locum eius occupauit, non aliter ac stercus equinum occupat locum pomi. Hinc factum est, vt progressu temporis non solum æternæ sapientiæ fundamentum & Lumen, verum ipsa quoque vera Astronomia obliteraretur, vniuersumque Naturæ lumen corrumperetur tandem & obscuraretur. Hoc nimirum illud dolendum malum & peccatũ est. Væ autem eis, qui in Spiritum sanctum peccant, quod faciunt illi, de quibus hic queror. Fateor autem melius esse loqui, ex Deo, quam ex Astronomia: melius esse sanare ex Deo, quam per herbas, melius esse, concionari ex Deo, quam Pseudoprophetis, quod peccatum in Spiritum sanctum est. Quod enim ex Deo est, mancum non est, sed (vt dicitur) pedes ac manus habet. Quod ex Natura est, plerunque est verminosum & corruptum. Non tamen omnia per Deum. Sed quædam etiam per Naturam. Non omnia per Naturam, sed quædam etiam per Deum. Si Magi, si Astronomi, si Signati, si Nigromantici, si Incerti, si Diuinatores, desertis suis scientiis Prophetas, Apostolos, ipsum præcipue Christum sectati sunt: ecquis quæso vitio id ipsis dabit, quod à minori ad maius, a Natura ad Christum aspirarint? Sed tamen hoc dolendum est, quod ipsi nec ad scholam illam, in qua flammeis linguis loquerentur, penetrarint: & tamen iuxta quoque ipsum Naturæ lumen perdiderint. Hinc factum, vt illi iam vtriusque sapientiæ ad summum osores sint.

Astronomia a quibus oppressa.

De Astris ergo hoc trado, esse illa, quæ omnem animalem intellectum conferant sicut corpus a Globulo: ita intellectus ab Astro. Vnum sine altero esse nequit. Fateri autem etiã cogor, quod partem facti hominis, quem filius regenerat, pœnituerit. Consultius ergo est, continere se cum filio, quam cum patre: & tamen patris lumen minimè deserendum est. Pater enim filio aduersarius non est, nec filius patri: Væ tamen illi, qui in Spiritum sanctum peccat Sed & hoc agnosco hominem esse puluerem. Nam sumptus ex Elementis est. Quid Elemẽta sunt? Nihil. Quid est Homo? Nihil. Fas ergo est, sectari non id, quod nihil est: Sed id quod est aliquid. Attamen cũ miracula Dei cognoscenda sint: me in illis laborare, æquum est. Data namque sunt Dona Prophetis: Data sunt Dona Apostolis: Data Dona Sanctis. Sic etiam data sunt Dona *Medicis*; ac *Astronomis*, omnia per Deum, ex Deo. Quicquid prædestinatum est *Prophetis & Apostolis*, succedet. Quicquid prædestinatum est *Astronomiæ & Medicinæ*, succedat & ipsum: omne tamen per Deum, & ipsius opera. Non omnia æternũ:

Corpus a globo: intellectus ab Astro.

Homo cur pulnis?

non omnia Naturam. Quodlibet suum spectat. Itaque, quod hominem, animalem, seu corpus ex Elementis, & Sapientiam ab Astris habere dico, id re ipsa verum est. Et cum homo, qualis initio informatus est, maneat: ideo talem ipsum describo, nullam hoc loco mentionem nouæ generationis faciens. Quod si generatio vetus & noua vna consistere non possent: vtique nec illam describerem, sed vana omnia censerem. Interim, quod, qui Christianus sum, Ethnicum tractem: si patri & filio inter se conuenit, & vnus in altero est, litem, spero, nec hæc res vlli motura est. Quod si non obstaret secta illa, quę Lumen Christi simul cum Lumine Naturæ obscurauit, & intra duas sellas nos residere fecit: magna pol alacritate ad hæc scribenda aliquis accingi posset. Interim tamen si Renouatio mundi instabit: verificabitur demum dictum ab ęterna virgine pronunciatum: *Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* Luc. 1.

Finis ortus & considerationis Astrorum, Doctoris Theophrasti Hohenhemii.

De Massa & Materia, ex qua homo factus est.

QVi fiat, vt caussæ externæ adeo potentes in homine sint: ratio iam subnectēda est. Sciendum est initio, condidisse Deum creata omnia in cœlo & terra, diem & noctem, omnia Elementa, omnia animalia. His omnibus creatis: fecit tandem Deus hominem. Hic in creatione duo notanda sunt. Primo, omnia condita esse ex Nihilo, per solum verbum, præter solum hominem, quem ex Aliquo Deus condidit, nimirum ex Massa, quę corpus, & substantia, vel Aliquid fuit. De hac Massa, quid sit, breuiter disquiremus.

Homo vltima creatura.

Homo solus ex aliquo creatus.

Quoniā Deus ex illis rebus sumsit corpus (ex quo hominem condidit) quod ex Nihilo in aliquid creauit: Massa ea Extractum fuit creaturarum omnium in cœlo & Terra: quasi quis ex corpore extraheret animam aut spiritum, & spiritum illum aut corpus sumeret. *Exemplum.* Homo constat ex carne & sanguine, & præterea ex anima, quæ homo est, primis illis longe subtiliori. Hoc modo ex omnibus creaturis, omnibus Elementis, omnibus Astris in Cœlo & Terra, omnibus proprietatibus, Essentiis, Naturis, &c. extractum est id, quod omnium subtilissimum & præstantissimū fuit, & in vnam massam coadunatum est. Ex hac Massa postmodum factus homo est. Hinc iam Homo est Microcosmus seu paruus mundus, ideo, quia Extractum est omnium stellarum, Planetarumque totius Firmamenti, terræ, Elementorum: adeoque ipsorum Quinta Essentia est. Quatuor enim Elementa vniuersus mundus sunt. Et ex illis homo constitutus est. In numero ergo Quintus est, hoc est, Quinta Essentia, extra Elementa quatuor, ex quibus ceu nucleus extractus est. Inter Macrocosmum autem & Microcosmum, vel inter Elementa & Quintam Essentiam hoc saltem discrimen intercedit, quod hominis alia sit forma, imago, species & substantia. Nam in homine Terra est caro: Aqua est sanguis: Ignis est calor ipsius: Aer est Balsamus. Ipsæ quidem proprietates mutatæ non sunt, sed substātia tantum corporis. Ideo Homo Homo est, non mundus, ex mundo tamen factus, factus ad similitudinem non mundi, sed Dei. Mundi tamē omnes proprietates in se homo continet. Vnde rectè scriptura inquit: Puluis & cinis sumus, & in cinerem reuertemur, hoc est, Etsi homo quidem secundum imaginem Dei cōditus sit, & sanguinem ac carnem habeat, nec mundi instar sit, sed mundo plus sit, & mundum gubernet: nihilominus tamen is terra est, est puluis, est cinis. Et hoc probe considerare debet, ne a figura sua se seduci patiatur, sed cogitet, quis fuerit, quis iam sit, & quid denuo futurus sit.

Massa quid & qualis.

Homo cur Microcosmus.

Homo mundi Quinta Essentia

Microcosmi & Macrocosmi quæ differentia

Homo cinis.

Itaque ad hæc exempla attendite. Cum homo nihil sit aliud, quam id ipsum quod erat hoc, ex quo ipse factᵘˢ est, ne in imagine sua seducatur: cognitio iam huius eo facit, vt fateri is cogatur, se nihil aliud esse quam Massam, ex magno mundo extractam. Et cum talis sit, sciat sibi opus esse vt ex illo sustentetur & nutriatur. Corpus ipsius ex mundo est. Ex illo ergo mundo, ex quo est, ali quoque & nutriri debet. Panis ergo eius & potus, velut alimentum omne ex terra crescit: & magnus mundus minorem cibat alitque. Si homo ex magno mundo non esset, sed ex cœlo, tunc ex cœlo Cœlestem panem sumeret cum Angelis. Sumptus autem est ex terra, ex elementis. Ex illis ergo etiam nutriendus est. Ex qua sine magno mundo viuere non potest, sed sine eo mortuus est: ideoque magni mundi instar puluis & cinis est. Scitum ergo iam est, ex 4. elementis hominem sustentari; & sumere ex terra cibum, ex aqua potum, ex igne calorem, ex aere spiritum. Sed hæc omnia ad solius corporis, carnis scilicet & sanguinis sustentationē faciunt. Iam vero homo non tantum caro & sanguis est, sed eidem etiam inest, *Intellectus*, qui non, vt complexiones, ex elementis prouenit, sed ex Astris. Cæterum Astrorum hęc conditio, est, vt animalis omnis sapientia, intellectus, industria, artes denique omnes, hominis propriæ, in ipsis contineantur. Ex astris autem eadem homo habet. Id vocatur *Lumen naturæ*, nimirum quicquid in lumine Naturæ homo inuenit. Rē illustremus exēplo. Corpus hominis ex terra sumit suum cibū, ad quē secundū conceptionem & concordantiam destinatus est. Hæc causa est, cur alius hoc, alius alio cibo delectetur, vno quolibet ex terra suam voluptatem sugente. Idem animalia faciunt, suis corporibus insitum terrę cibum potumque venantia. Sicut ergo in homine proprietas est, corpus suum, hoc est carnem & sanguinem sustentandi: ita & de *Intellectu* inteligendum est, ipsum æque suo cibo ac potu familiari sustentari oportere non quidem ex elementis, cum sensus corporales non sint, sed sunt spiritus, sicut ipsa etiam astra spiritus sint. Per suum ergo spiritum syderis attrahit, in quo conceptus & natus est. Spiritus enim in homine æque ac corpus nutritur. Eanim Natura homini in creatione indite est, vt, licet Diuinę quidem imaginis consors sit, Diuino tamen cibo non alatur, sed elementali. Et diuisus is est in duas partes: *in corpus elementale,*

Homo ex quo constet, ex constrictus.

Elementa 4. quo modo hominem sustentant.

Intellectus hominis ex astris.

Lumen naturæ quid.

Intellectus hominis quibus nutriatur.

Hominis Partes duæ.

tale, hoc est, carnem & sanguinem, vnde & eodem etiam corpore nutriri opus habet,& in spiritum, ex spiritu syderis, vnde etiam spiritum suum ex spiritu syderis sustentare cogitur. Puluis enim & cinis terræ est, ac ipse homo. Hominis ergo ea conditio est, vt ex magno mundo cum elementis, tum astris egeat, hac de causa, quia & ipse talis est.

Cæterum deinceps etiam de conceptione hominis, quomodo gignatur & fiat, differendum est. Primus homo factus est ex Massa, extracta ex totius mundi Machina. Præterea ex ipso condita eius est fœmina, quæ mundi similitudine ipsi correspondet. In posterum ergo ex viro & fœmina procedit generatio omnium liberorum, omnium hominum. Porro manus Dei hominem primum fecit secundum imaginem suam admirando modo, sed in carnem tamen & sanguinem constitutum, vt iam homo sit. Deinceps vero primus homo,& ipsius fœmina Naturæ subiecti, & ex manu Dei sepositi sunt, ita, vt iam non per manum Dei miraculose homo condatur, sed per naturam. Naturæ itaque hominis generatio mandata est, & in vnam Massam congesta, ex qua ille prodierat. Ea Massa in Natura *Semen* vocatur. Proinde sciendum est, virum tantum ac fœminam hominem iam gignere non posse, sed vna cum ipsis geminis etiam elementa, & spiritum Astrorum. Quatuor hæc hominem constituunt. Semen non est in homine, nisi quatenus elementaliter in ipsum ingreditur. Vbi in conceptione non operantur elementa, corpus nullum gignitur. Vbi non operatur Astrũ nullus spiritus fit. Quidquid autem absque elementis, & spiritu Astrorum fit, id monstrum est, est Mola, est Abortus præter Naturam. Et qua ratione Deus Massam sumpsit, eique vitam infudit: sic oportet compositionem procedere in æternũ ex istis quatuor, & Deo, vtpote in cuius manu omnia posita sint. Præsto autem esse opus est corpus & spiritum. Duo nãque hęc hominem vnum constituunt, hoc est, homo, seu vir & fœmina, semen, quod extrinsecus aduenit, sicut & alimentum, quod intra se homo non habet, sed extrinsecus attrahit, velut & potum. Iam quæ ratio cibi ac potus est: eadem est etiam Spermatis, quod elementa extrinsecus ad corpus conferunt, tanquam Massam. Astrum per suum spiritum confert sensus. Pater & Mater, sunt externorum instrumenta, per quæ illa perficiuntur. Pro re intelligenda simile adducam. In terra nihil crescit, nisi Astra superiora suas vires conferant. Hę vires iam quid sunt? Tantũ sunt, vt vnum sine altero esse non possit, sed necessario vnum cum altero operari debeat. Hęc vt extra fiunt: sic etiam intra, in homine. Hinc iam elicitur, primum hominem mirabiliter factum esse, adeoque Dei opus exsistere. Ab eo homo Naturæ subiectus est, vt cum ipsa liberos gignat. Natura autem est mundus externus, in elementis & Astris. Iam euidens hinc est, ipsa elementa suum cursum & operationem habere: velut quotidianum suum cursum habent etiam Astra. Currunt ergo in quotidiana sua concordantia, & singulis momentis noua Natura prodit. Iam si hęc operatio, pater & mater, cum hęc concordantia in conceptionem vnam conueniunt, tunc fœtus sortitur Naturam eorum, ex quibus genitus est, nempe ex quatuor parentibus, patre, matre, Elementis, Astris. A patre quidem & matre similem Imaginem & Essentiam carnis & sanguinis. Præterea ab illorum Imaginatione, quæ Astrum hominis est, sortitur intellectũ, prout concordantia & constellatio sese exhibuerit. Sic ab elementis complexionem & Naturæ qualitatem. Sic etiam ab externis Astris suum intellectum. Vtut hæc congrediantur, Influentia, quæ fortior est cæteris, excellit in fœtu, aut mutua omnium permixtio fit. Sic homo fit Microcosmus. Pater enim & mater ex mũdo facti sunt, & mundus iugiter confert ad hominis generationem. Hoc pacto corpus vnum constituitur, sed duplex natura, vnus spiritus, sed duo sensus. Postremo redit corpus ad primum corpus, & sensus ad primum sensum, moriunturque ac intereunt, & abeunt, nec reuertuntur. Cinis enim lignum fieri denuo non potest: nec homo ex eo, quo cinis, ad hominem reduci potest.

Imaginatio est hominis Astrum.

Cæterũ Generationem hominis huc adduximus tanquã generalem ac vniuersalẽ probationẽ totius Astronomiæ, vt ex his intelligatur, cur Astronomus hominem per astra consideret seu cognoscat, nempe quia is ex Astris est. Sicut enim quilibet filius per patrem noscitur: ita & hic. Et hæc sciẽtia oppido vtilis est, si homo nouit, quis sit ex Cœlo, ex elementis, ex patre & matre. Cognitio ex patre & matre est stirps. Cognitio ex elementis, est Medicinalis. Cognitio ex Astris, est Astronomica. Cur autem cognitiones hæ vtiles & bonæ sint, causę multæ prostant. Multi enim brutales sunt, qui se Angelos faciunt. Multi ex Matre loquuntur, qui se Samueles & Machabęos vocant. Multi ex terrena complexione ieiunant & orant, & se diuinos nominant. Multi ea tractant, quę talia non sunt, qualia esse dicuntur. Qui ASTRONOMVS est, is scit, quis spiritus loquatur & videatur. Et dolendum est, eos, qui inter vtrumque lumen intersidunt, ab vtroque decerpere & spoliare, vt conspicui fiant. Vtrique quidem spiritus cognoscuntur, sed tamen in spiritu alieno, quem esse non decebat. Vtut hæc se habeant, tamen homo est opus Dei: sed vnus tantum ipsius est filius, nimirum Adam. Cęteri sunt filij Naturæ, velut Lucas in sua Genealogia recenset de Iosepho, filio Heli, qui Helus filius erat MATHAT, qui MATHAT filius erat LEVI, & sic retro vsque ad Adamum, vbi nullius Dei filij mentio fit. Homo itaque est filius in Natura, nec suum genus deserit, sed naturam sequitur suorum parentum, Astrorum. Iam qui patrem & matrem Astrorum & Elementorum cognouit, velut & patrem & matrem carnis & sanguinis: is facultatem habet differendi de fœtu illo, de eius natura, essentia, proprietate, denique omni conditione. Et veluti medicus simplicia omnia congerit in vnum, ex omnibus remedium vnum concinnãs, quod sine numerosis illis ingredientibus compleri alias non posset: ita miraculum suum Deus mul-

Epilogus

to fecit illustrius; hominem in vnam compositionem omnium elementorum & syderū concinnando, ita, vt ipsemet sit cœlum, firmamentum, elementa, denique omnis Natura totius mundi, in exili corpore conclusa & abscondita. Et licet ipsum etiam hominem ex nihilo facere Deus potuisset per verbum *Fiat*: placuit tamen eidem, ipsum in Naturam condere, & Naturæ relinquere seu subiicere tanquam filium: ita tamen, vt eidem etiam Naturam subiecerit, sed tanquam patrem. Hinc manat, quod Astronomus per patrē hominis cōceptionē cognoscit. Hęc etiam causa est, cur ex Natura homo per Medicum sanetur, tanquā pater filium suum iuuat, in foueam delapsum. Hoc modo Natura subiecta est homini tanquam carni & sanguini suo, tanquam filio suo, tanquam fructui ex se genito: In elementorum quidem, corpore, in quo morbi subsistunt: in corpore spiritus, in quo intellectus & ratio viget: Et elementa quidem per Medicinam, Astra autem per suam scientiam & sapientiam. Cæterum cum sapientia hęc omnis coram Deo nihil sit, sed Diuina sapientia omnibus pręemineat: ideo nomina sapientiæ diuersa sunt, Quę sapientia ex natura est, animalis vocatur, quia mortalis est: Quæ ex Deo, nominatur æterna, quia mortis expers est. Hæ duæ partes ita mihi pertractandæ videbantur prius, quam de ipsa Astronomia commentarer, vt ex vniuersalibus illis probationibus fundamentum omne eo plenius excerpi posset.

Finis generationis hominum.

Hi sunt numeri, Religiones ac facultates totius Astronomiæ, quæ naturaliter & artificiose tractantur. His nec plures, nec pauciores sunt ac cōsistūt in lumine Naturæ, essētialite & spiritualiter. Nomina autem ac discrimina earū hæc sunt.	I. *Astrologia.* II. *Magia.* III. *Diuinatio.* IV. *Nigromantia.* V. *Signatum.* VI. *Artes Incertæ.* VII. *Manualis.*	*Quid in qualibet religione tractetur, & quid ipsa sit, in sequentibus inquire.*

ASTROLOGIA, Scientia hæc docet ac tractat de toto Firmamento, quomodo se id cum terra & homine secundum naturalem & primæuum ordinem habeat, & quænam hominis, terræ & Astrorum cognatio sit.

MAGIA, Scientia hæc cœlum cum viribus suis deorsum in lapides, herbas & verba, &c. ducit ac cogit: docet etiam mutationem vnius in aliud, velut & cognitionem Astrorum supernaturalium, Cometarum, &c. quæ illorum significatio sit.

DIVINATIO, Scientia hæc citra institutionem cœlitus homini data est, ita vt loqui ille sciat de futuris, præsentibus & præteritis, quorum tamen nullum per se exploratum habet, nec quicquam de illis aliud loquitur, quam quod cœlum ipsi imprimit. Hæc omnium maxime apud homines simplices visitur.

NIGROMANTIA, Tractat hæc de sydereis corporibus, corpore, sanguine & carne carentibus. Hæc operatio se habet ad nigromanticum, sicut se habet seruus ad suum dominum, quorum hic illi imperat.

SIGNATVM, Docet hæc scientia cognoscere Astra quodnam ipsorum cœlum sit, quomodo cœlum hominem in conceptione sua produxerit, eodēque modo illum constellarit.

ARTES INCERTÆ, Hæ scientiæ fundamento & principiis suis quibus nitantur, aut ex quibus procedant, carent, reguntur que ab imaginatione, offerētes nouum Spiritum & nouum firmamentum, per quod operantur.

MANVALIS, Scientia hæc docet confectionem instrumentorum totius Astronomiæ: & exili materia exprimit seu continet syderum formā & in figuram vnam cœlum & terram cogit.

Plenioris intellect. gratia addem⁹, quot species qualibet religio habeat hoc mod.	*ASTROLOGIA, tres species habet, erga*	*Hominem. Inferiora corpora. Animalia.*
	MAGIA, species 6. habet. Est enim vel	*Cometarum. Imaginum. Gamaheorum. Characterum. Spectrorum. Incantationum.*
	DIVINATIO species 5. habet.	*Somnia. Bruta. Animum. Speculationem. Phantasiam.*
	NIGROMĀTIA cuius tres species.	*Visiones Materiales, spectra. Spiritus Astrales. Inanimata, Phātastica corpora, id est, assumpta a mortuis vel rebus.*
	SIGNATVM habet species 3.	*Chiromantiam. Phisionomiam. Proportionem.*
	ARTES INCERTÆ: quarum species 4. sunt.	*Geomantia. Pyromantia. Hydromantia. Ventinina.*
	MANVALIS habet species 5.	*Arithmeticam. Geometriam. Cosmographiam. Instrumentum. Sphærā. (Mathematicum Instrumentum.*

Interpretatio Specierum secundum quamlibet Religionem.

ASTROLOGIA.

Prima Religio.

Scientia hæc 3. species complectitur, in quib⁹ occupatur. Operatur enim cōtra hominē, contra elementa, contra animalia. Cū enim cœlū & inferiora inuicem connectantur: cœlū docet inferiora cognoscere per figuram, quæ cœlum totum repræsentat. Ex illa coniicitur proprietas inferiorum, & quod cœlum operetur in Inferioribus.

MAGIA.

COMETARVM. Species hæc supernaturalia signa omnia in cœlo cognoscere docet, ac in-

ac intelligere quidnam significent. Huius classis sunt Comete, Halones, & reliquæ cœli figuræ. Hæc scientia est fundata super Apocalypsim, somnia, & Christi dictum: *Erunt signa, in Sole, Luna & Stellis, &c.* Hæc quia omnia sunt supernaturalia, ad Astrologiam non spectant, sed Magiam.

IMAGINVM. Scientia hęc cœli proprietatē effingit & impellit in imagines, ita vt componatur imago magnæ efficacię, mouens se, & significans. Imagines huiusmodi præsignes morbos curant, & casus admirandos multos auertunt, vt vulnera cæsim punctimue facta: quibus similis virtus in nullis herbis reperitur.

GAMAHEORVM. Hi sunt lapides, secundum faciem cœli sculpti. Ita pręparati prosunt aduersus vulnera, venena, veneficia, incantationes faciunt homines inuisibiles, & alia multa præstant, quæ sine hac scientia nec ipsa quidem Natura præstare possit.

CHARACTERVM. Hæ species sunt verba, quę aut dicuntur aut scribuntur. Vim habēt aduersus omnes morbos, quos etiam auertunt: declinant infortunium & omnes casus, liberant captiuos, vt vinculis soluantur, & ea efficiunt, quæ Natura efficere nequit ipsa, sed sola scientia Magica.

SPECTRORVM. Species hec similitudines exhibet hominum, vt appareat, quod tamen non adest. Visiones autem hę cum suis indiciis noctu fiunt, non interdiu, & carent corpore, sanguine, carne, anima, spirituque hominis.

INCANTATIONVM. Docet hæc species ex hominibus facere canes, feles, &c. docet hominem in quascunque species & formas se cōuertere, facit inuisibiles hominum mutat animos ad arbitrium artificis, ac impressiones & generationes superiores secundum voluntatē suam impellit, ducit, dirigit.

DIVINATIO.

SOMNIA. Si cui aliquid offertur per somnium, siue præsens sit, siue futurum, siue præteritum, siue scientia, siue thesaurus, siue aliud quicquam secretum, id ad hanc artem spectat. Astra enim dirigere in somnium potest, vt per ipsum quid reueletur.

BRVTA. Species hæc animalium vaticinia cognoscere docet, ita, vt ex animalibus homo videat & intelligat, quid cœlum operatur, aut operaturum sit. Et hoc operatur in stultis, in animalibus, aut hominibus simplicibus aliis.

ANIMVS. Species hæc circa solū hominis animum occupatur, ita vt fortuito non pręmeditate hominis animo suggeratur, quid facere debeat. Species hæc magni momenti est, & homini comprimis cognoscenda, vt sciat, quidnam animus ipsi ex vero fundamento suggerat.

SPECVLATIO. Si quis rem sedulo tautinat & speculatur, & per fortem imaginationem, quod querit, inuenit: id ad hanc speciem referri debet. Hæc oritur ex Astris, quæ circa hominem occupantur, ac ipsum docent.

PHANTASIA. Si quis ludendo aliquid inuenit, aut cognoscit, hoc ipsum quoque ex Astro est, quādo maturuit. Hoc multa sępe reuelat, thesauros, fodinas, & alia abscōdita, operās scilicet sine prænotione, aut facta inquisitione, & largiens non quęrenti.

NIGROMANTIA.

VISIONES. Species hæc in Crystallis, Speculis, Vnguibus, &c. videt, quæ abscondita, quæ secreta, quæ futura, quæ præsentia sunt, vt illa non secus ac ipso corpore præsentia appareant.

SPIRITVS ASTRALES. Hæc species docet cum Sydereis spiritibus, a corpore separatis tractare, vt instar seruorum hominibus seruire cogantur.

INANIMATA. Sunt homines, expertes animæ, ab Astris geniti, & cum hominibus habitātes ac conuersantes, idemque cū ipsis facientes.

SIGNATVM.

CHIROMANTIA, qua Astrum exhibetur in homine ea facie, qua cœlum fuit tēpore ipsius natiuitatis. Apparet autem in manibus, pedibus, & cæteris corporis lineis venisque, varie in corpore apparentibus.

PHYSIONOMIA. Species hæc docet hominē dignoscere ex vultu, moribus & gestibus, quæ & ipsa causam habet horam natiuitatis, quę signat hominem, & per signa illa naturam eius efformat.

PROPORTIO. Species hæc diiudicat proprietatem ex vniuerso habitu hominis, siue claudus, siue æquolongior aut breuior, &c.

ARTES INCERTAE.

GEOMANTIA. Sciētia hæc libero animo absque fundamento & scientia certa aut tesseris exercetur: indicio autem conuenit cum Astrologia.

PYROMANTIA. Hæc species est sortilegium per Ignem, quoad Ignem videtur, quis cœli motus, quæ eius natura & conditio sit. In hac vero Luna pręcipue adhibetur.

HYDROMANTIA. Species hæc docet videre in aqua, secreta quædam & abscondita, occlusas & obsignatas literas, & in terris distantibus peregrinantes, viuos vel mortuos. Hęc operatio procedit ex constellatione noui firmamenti per imaginationem.

VENTININA. Hæc ex vento docet cognoscere, quis cœli aduersus hominem status futurus sit, bonus vel malus, fœcundus an sterilis, & similia futura alia, quæ per Naturam explorari nequeunt.

MANVALIS.

ARITHMETICA. Hæc species cœli & terrę numerum inuenire docet in stellis & similibus.

GEOMETRIA, docet metiri altitudinem cœli & terræ, & in illis contentorum.

COSMOGRAPHIA, docet rerum omnium situm, distantiam, populorumque mores & naturam

INTRVMENTVM, Species hæc docet conficere Instrumenta, quibus, quomodo cœlum & terra cognationem habeant, cognoscitur.

SPHÆRA, Species hæc per Instrumentum cognoscere docet, quę cœli & terræ cognitio & correspondentia sit.

Hoc breui discursu de religionum speciebus disserere volui, vt ipsa Astronomia eo rectius intelligeretur. Hæ autem omnes Astrono-

Astronomiam constituunt. Cæterum quo pacto quælibet probetur, deinceps traditur, hoc fine, vt de Astronomia constet, ipsam minimè inconstantem & mendacem scientiam esse, sed solido fundamento ex ipso Naturæ lumine prompto niti, quod quidem in qualibet scientia & veritate stabilienda requiritur.

Quæ iam sequuntur, ab Auctore præcedentibus non fuere connexa, sed sparsim foliis peculiaribus annotata.

PROBATIONES IGITUR IN ASTROLOGIAM MAGICAM, DIUINATIONEM HIC DESIDERANTUR.

IN NIGROMANTIAM.

Nigrom. qualis sit, exemplo docetur.

PRimum Nigromantiam huc spectare sciatis, vt sydereos Spiritus, & eos, qui animam non habent, ex natura syderea cognoscere & iudicare promptum sit. Iudicium autem ad hoc dirigitur, quod dicemus. Qui homo thesaurum defodit & abscondit, is toto animo illi inhiat. Is si moritur, & elementatum ipsius corpus sepelitur, corpusque sydereum ab ipso secedit, & vsque ad consumptionis suę terminum in terra ambulat, hoc autem corpus defuncti hominis cogitationes & cor circumfert: hinc iam intelligitur, ipsum sese continere circa locum illum, vbi thesaurus deffossꝰ est, & cui defūcti hominis cor inhiauit, Iā ergo syderei eiusmodi spiritus apud vel circa thesauri illius locum videntur aut inueniūtur. Idem fit etiam in rebus aliis, quibus aliquis toto pectoris desiderio inhiauit, siue fuerit cibus, siue potus, siue scortum, siue alea, siue venatio. In his enim omnibus spiritus agit pro illius cordis Imaginatione, & vmbratice post mortem eadem facit, donec sydus spiritum ipsum quoque consumat, sicut corpus elementa absumpserunt. Hinc iam consecutum est, vt Nigromantici sydereos eiusmodi tantum Spiritus cognoscerent, & qua causa hic vel illic obambularent, sciscitarentur: similiter etiam Lemures, Gigantes, Gnomosque, quinam essent, explicarent. Est enim Nigromantia Philosophia spiritualium sydereorum corporum, & inanimatorum, qui tamen homines sunt, vt *Onagri*, *Nymphæ*, *Lemures*, *&c.* De his qui disserit, Nigromanticus est. Sicut autem de Exorcistis dictum est, qui huiusmodi corpora & inanimata adiurant: illi a Nigromāticis in hoc differunt, quod Exorcistæ versentur circa corpora a Diabolo obsessa: Nigromantici vero cum illis, qui obsessi non sunt, rē habeant, naturaliter & Philosophice. Inscitia tamen hominum Exorcismum & Nigromantiam confudit, ac pro vno eodemque habuit. De illorum tamen discrimine iam constitutum est. Porro de Exorcistis nihil constitui hic tractare, sed satius est, relegari ipsos ad Diabolum, cui seruiunt. Nigromantiam tamen ceu insignem naturalem scientiam vobis commendatam esse velim, quæ versatur circa admiranda quædam, dum per defunctorum sydereos Spiritus produntur corda illorum hominum, quo inclinent, quid desiderent, quidue affectent.

Nigrom. quid sit.

Nigrommantia & Exercismus quo differunt.

Iucundum sane ac suaue est, recte Nigromantiam intelligi. Nympharum enim cognitio, velut & Lemurum, Gnomorumque ac Gigantium inuentio, subtilis plane & ingeniosa est. Et sane quatuor istorum sine anima Generatorum Philosophia vere nobilis est: quam tamen clamaces illi penitus obtundunt, & nugas suas illi anteferunt. Interim, cum in suis operibus Deus admirabilis sit: forsan horum quoque temeritas in apricum aliquando proferetur, & suo tempore palam innotescet. Porro vsi sunt Nigromantici etiam Berillis, ex hac causa. Quod scilicet, attinuit ad Spiritus Astrales, familiaritatis nonnihil habuerunt cum Magis quoad visiones, quas tamen Magi minime admiserunt: cuius rei caussę in tractatibus illis cognoscentur. Sic ergo hoc discursu, quid Nigromantia, & quodnam ipsius subiectum sit sufficienter a nobis declaratum est.

IN SCIENTIAM SIGNATAM.

BOnis tam amplis lumen Naturæ Deus illustrauit, vt scire possit omnia, quę sunt in eo, qui lumini addictus non est. An hoc non magnum est, quod signa externa hominem cognoscendum offerant? Et hoc Deus ita ordinauit. Tu, qui fiat, mirari fors possis. Sed admirationi finem imponet sequens Exemplū. Tignarius est semen suæ domus. Qualis is est: talis ipsius domus. Huius namque Imaginatio domum facit, & manus perficit. Imaginationi similis domus fit. Iam si Imaginationis ea conditio est, vt domum faciat: Imaginatio etiā Natura erit, faciens filium, & quidem secundū suam Imaginationem. Sic forma & essentia res vna fiunt.

Ad quod aliquid vtile est, ad id assumitur & aptatur. Ita si natura hominem facit, suo instituto illum aptat. Et hic fundamentum positum est. Signato ergo iure merito suus relinqui locus debet. Natura enim quodlibet suo debito aptat.

Si quis Dominus aut princeps ciuitatem exstruit, muros omnes, omnes turres, acarces, &c. ita condit & exstruit, vt instituto suo quā aptissime conueniant. Id si facit homo quanto magis Natura, homine superior? Alium ergo facit claudum, quia talem claudis rebus adhibitura est. Alium facit cæcum, rebus cæcis destinādū, &c. vt verbo vno dicam: Qualem ipsa quemlibet esse requirit, talē producit.

Cum ergo Naturæ is mos sit, vt talem hominem producat, qualem ipsum esse velit: vestigia vtique illa in homine manifesta & plana erunt. Per illa intelligitur, quibusnam rebus natura talem adhibitura sit.

Quandoquidem ergo palam adeo Natura operetur, opusque suum in publicum edat: fas ac conueniens est, occurrere ei quendam, qui videat, qualem ipsa quemlibet instruxerit, & produxerit, hoc est, quomodo nebulonem opponat viro probo, & versipellem lupum opilioni, &c.

Signatum ergo est, quod versatur circa consideranda signa, quibus quilibet alterū cognoscere potest, qualis interius sit. Nihil enim adeo absconditum est, quod Natura non manifestarit, & palam proposuerit.

Signatū quid?

Iure ergo signato suus locus concedi debet, quia

quia Astronomia est, hac de causa quod Astrũ condat hominem ad suum placitum, cum notis illi cõuenientibus. Quod nigro tincturũ est, id natura nigrum facit: quod cœruleo, cæruleum. Quod vsturum est, vrticam facit. Quod mundaturum est, facit Equisetum. Quod leuigaturum & politurum, facit smiridem: & denique cuilibet rei peculiarẽ suam formã assignat, per quam noscatur, ad quidnam à Natura condita ea sit.

Quicquid rei cuilibet inest, secundum suam proprietatem, qualitatem, formam, speciem, &c. reuelatur, in herbis, seminibus, lapidibus, radicibus, &c. Nam per signatum omnia cognoscuntur. Per signatum eruditi indagarunt, quid latuerit in herbis, seminibus, lapidibus. Postquam vero signatum in exilium actum, & nugæ in eius locum suffectæ sunt: ibi de omnibus iam actum erat, omni vna Philosophia cũ Medicina pessũ eunte.

Passim it clamor, odio me flagrare eruditorum virorum, Doctorum, Magistrorum, Baccalaureorum, Senatorum, Consulum, &c. Quę causa est? Natura eosdem nimis manifeste signauit. Cuius farinę cum ipsos esse videam: ideo domum quamlibet, quę pluuiam transmittit, odi.

Pariter etiam accusor, quòd Medicos & chirurgos oderim. Cur? Ideò, scilicet quòd ad professionẽ suam signati non sint, sed adne bulones & impostores. Idem verum est etiam de aliis. Quorũ multos noui, si eloquitutum esset.

Qui vero fauere possim tali, qui tot stigmatibus ac flagitiosis notis inustus est? velut consul Augustanus, *Niger*, & Norinbergensis, *Muffel*. Quot vero etiam alii sunt, his similes? Ideo nimirum hanc artem oderunt, quia homines nequam nimis certo prodit.

PROBATIO IN SCIENTIAM ARTIVM *incertarum*.

NAtura viam ac ordinem euidentem proponit, quo homo consideret, quæ ad Naturam & eius proprietatem spectant. Sic Astrologia Solis Naturam cognoscere docet per ordinem stellarum solitum. Sic qualis Luna sit, quæ eius sit Natura, Astrologus eius ex cursu discit, quem regularem videt. Idem etiam de cęteris iudicandum stellis est, Similiter & Philosophia discitur ex eo, quo apparet, quomodo Natura terræ sese proferat, vnde cognoscitur, eandem etiam Philosophiæ esse rationem debere. Sic omnium rerum sua euidens est comprobatio & comprehensio. Ita nimirum omnes artes, velut Medicina & cæteræ naturali ordine concipiuntur. Præter hunc ordinem nihil quicquam fieri, aut ad perfectũ finem deduci potest.

Ordo naturæ.

Porro autem incertæ artes, quarum 4. in figura comprehensæ sunt, hunc ordinem & processum non tenent, qui materialiter probari & demonstrari possit: sed is a dicto ordine diuersus est. Cæterum de hoc ita statui debet, alia quoque plura esse, quæ illi ordini non quadrent quidem, sed tamen naturę ob id non aduersentur, verum diuersa tantum sint ab ordine materialis Naturę, prout Deus illam stabiliuit. Id vero, quod ordine eo plus est, in incertis artibus hoc modo comprehendi debet. Firmamentum & cœlum nouum constituitur per Imaginationem. Et sciendum est, Imaginationem eam esse efficacem, & multa præstare, ac mirifice operari. Sæpius enim fit, vt imaginatio parentum, patris & matris, fœtui, in illa creatione genito, aliud cœlum, aliam figuram, alium ascendentem, præter quam Astrologia dare potest, cõferat. Sic namque frequenter accidit, vt contra astrum fœtus gignatur, aliter quam figura cœli dictat, constitutus. Et vi huius Imaginationis multi docti viri persæpe nascuntur.

Incertarum artium processus.

Probationis ergo in incertas artes loco nihil præsumi debet, quam operatio, quę fit ex imaginatione per nouum cœlum, nonum Ascendentem & Firmamentum. Illa prout bona, fortis & iusta in operatibus est, ita etiam Iudicia cadunt. Proferamus Exemplum. Ipsius speculatio est, hoc vel illud scire velle. Speculatio hæc parit imaginationem, imaginatio operationem, operatio iudicium & sententiam. Iam vero Imaginatio in carne & sanguine non versatur, sed in Spiritu Astri, cuilibet homini inexsistente. Spiritus is multa nouit, futura, præsentia, pręterita, omnes artes & scientias. Caro autem & sanguis est rudis & crudis, vt, quod vult spiritus, per ipsum efficere nequeat. Si vero caro & sanguis sensibus subiicitur, & per illos purgatur: tunc per ipsum operantur spiritus, modo corpus consentiat. Et hi in incertis artibus sunt optimi. Hinc vocantur *Artes incertæ.* Quis enim scire potest, qualis Imaginatio in ipsis sit? Quid spiritus imaginetur & operetur, qui ei datus est? Nihilominus tamen ars ipsa certa est. Incertus autem Artista, qui eam vsupat, ad nouorum cœlorum creationem & firmamenti generationẽ, inidoneus esse potest. Quia ergo de his dubitandum est, sentẽtiæ ipsi credi non potest, sed euentus exspectatur. In fine tamen vis & efficacia harum rerũ deprehenditur. Porro contra Deum id non pugnat, si futura explorentur extra illum, quem Deus Naturæ firmamenti indidit. Pone, exempli gratia, quẽdam pugione perfossum iri. Hoc iam illi per alium prędicendum est. Præmonitiones enim eiusmodi multoties verę fuerunt inuentæ, etsi obstinationes minime paruerint. Id si per artes incertas fiat, Deus ipse vaticinium, prædictionem & admonitionem multiplici ratione suggerit. Sic multi Prophetæ etiam per somnia talia pręmonuerunt. Sic per somnium commonefactus Ioseph est, quænam Maria sit. Et quia ista carni & sanguini naturalia non videbantur: ideo annihilabantur, donec euentu respondente tandem crederentur. Iam vero artes incertæ æque ac somnia & reuelationes aliæ intelligibiles sunt. Vult enim Deus in suis operibus mirabilis videri. Qua de causa incertę artes improbandæ minime sunt: quia in fine demum cognoscuntur. Nec enim Deus vult, nos certa semper futura præscire, sicut per ordinem Naturæ fieri potest. Vult nos quidem scire, sed tamen nonnihil ambigere, vt videntes non videamus, velut ipse quoque Christus a Iudæis cognitus & non cognitus, visus & non visus, auditus & non auditus est.

Artes incertæ cur ita dictę.

Dei opera mirabilia.

Dictũ superius est, de imaginatione, quod ad se trahat

se trāsfat astrum, & illud regat, ita, vt ex imaginatione operatio ipsa in sydere inueniatur. Qua ratione homo corpore suo terram ad arbitrium suum excolit: ita etiam imaginatione sua ædificat cœlum in suo sydere. Artistæ itaque imaginatio in incertis artibus ars & caput primarium est. Præterea autem imaginatio quoq; confirmatur & perficitur, per fidem, ita vt venera fiat. Dubitatio nāque omnis opus frangit, & imperfectum illud in spiritu Naturæ reddit. Fides ergo imaginationē stabilire debet. Fides enim terminat volūtatē. Iā vero tio fides triplex est. Est fides in Deū. Hæc quod credit, præstatur. Sic traiiciuntur montes, vitæ restituuntur mortui, cœcis visus redditur, claudi ambulant, &c. quæ admiranda fides præstat, si Imaginatio in Deum respicit plena fiducia, quæ integra & non mutila fit. Exemplo nobis sunt sancti tam veteris quam noui testamenti, quorum, quæ crediderunt, voti compotes facti sunt, vt in nullo defectus esset. Est alia fides in Diabolum aut eius vires. Hanc ipsam qui habet: ei, prout credit, contingit, si modo Diabolo id præstare possibile sit. Denique fides etiam est in Naturam, hoc est, in lumen Naturę. In hanc qui credit, tantum à Naturę lumine impetrat quantum credit. Iam vero a Natura impetrari plus non potest, quam a Deo ipsi datum & collatum est. Est itaque Imaginatio, qua quis cogitat, prout intendit, vel in Deum, vel in Naturam, vel in Diabolum. Imaginatio hęc requirit fidem. Sic opus concluditur & perficitur. Quod Imaginatio cōcipit, id ad operationem deducitur.

Fides imaginationem stabilit.

Fides est triplex.

De his notate exemplum. Medicina Imaginatione vtitur, valide intenta in Naturam herbarum, & sanationem. Hic opus est fide, vt Imaginatio eiusmodi in Medico operari possit. Ea præsente, Imaginatio concipit & gignit spiritum. Spiritus iste est Medicus, non corpus. Hinc æstimate, idem similiter in omnibus artibus contingere. Porro sunt etiam *Medici* citra Imaginationem, citra fidem, vocati phantastæ. Phantasia autem non est Imaginatio, sed est limes stultitiæ. Hi in omnem euentum operantur, nec in ea schola erudiuntur, in qua debebant. Qui autem in Imaginatione nascitur, is inuenit vires Naturæ, quæ in ipsa latent, quas per suam phantasiam corpus inuenire nequit. Imaginatio enim & phantasia inter se differunt. Imaginatio est in perfecto spiritu. Phantasia est in corpore sine perfecto spiritu. Iam qui imaginatur, cogit herbas, vt abdita in illis natura prodeat. Sic etiam incertarum artium Imaginatio compellit Astra, vt faciant, quod vult is, qui imaginatur, credit, & operatur. Quia autem homo non semper perfectę imaginatur, perfecte credit: hoc iam in causa est, cur artes vocantur Incertæ, etsi certæ sint, & vere præstari possint. Cæteræ autem Astronomię scientiæ ordinem suum obtinent, etiam citra fidem & imaginationem, non secus ac Mechanicus, qui si suum in operando ordinem sequatur, imaginatione & consideratione nulla opus habet, & tamen opus perficit.

Imaginatio & phantasia qui differãt.

Sed notandum est, per fidem sępe aquas trāscendi sine suffocatione & madefactione. Idem homo etiam potest sine fide, si ponte aut naue aquam transeat. Sic etiam sanatio ægrorum fit per medicinam, sine fide. Ex fide tamen inuenitur, quid Medicina sit. Ante omnia præcedit Imaginatio. Hæc quod inuenit & dat, id vsurpat alter, qui phantastice agit.

Cæterum non corpus homo est, sed cor est homo: & cor est integrum sydus ac Astrum, ex quo conditum est. Si ergo in corde est integer, & perfectus homo, tunc nihil in toto Lumine Naturæ ei absconditum est. Sic ex vno puncto in Geomantia voluntas eius perficitur. Similiter & in Austrimantia, & Pyromantia, ac Hydromantia, recens natus ac ex seipso genitus spiritus suam scientiam ac intellectum adumbrat in figura, & per figuram, prout homo imaginatur, & in illa citra omnem dissolutionem constans manet. Eo namque modo illarum scientiarum gignitur spiritus, qui demum operatur & perficit id, quę quæritur. Initium ergo est, gignere spiritum ex Astro aut sydere per Imaginationem, vt ille perfectus adsit. Postea etiam perfectio in artibus incertis adest. Vbi vero spiritus ille non est: ibi nec iudicium, nec scientia perfecta adest. Hinc iam admiranda ab hominibus inueniuntur in futuris & absconditis rebus, quę ab imperitis ridentur & contemnuntur, apud se non expendentibus, quantum Natura in suo spiritu possit, eo inquam spiritu qui dicto iam modo genitus, & ad hoc a Deo datus & tributus est. In Diabolum quidem credere, dubii euentus est, & res fraude permixta est. Cuius ratio a Deo petenda, qui voluit, vt omnes qui in Diabolum credunt, ad ipsius normam quoque mendaces sint fiantque. In Deo autem fides hæc perfecta & defectu carens est. In Natura talis est, qualis illius est potentia. Sic ergo incertæ artes scientiæ sunt, ea tamen conditione addita, vt noua generatio spiritus Prophetici & Sibyllini intercedat, a quo manus & ars regatur, & perducatur. Incertarum harum artium quisnam Inuentor sit, compertum equidem non habeo. Hoc scio, artes istas admodum vetustas esse apud veteres in magno pretio habitas, & pro singularibus secretis absconditas & traditas. Tempus enim suum impenderunt Imaginationi & Fidei, quibus summa multa indagarunt & commonstrarunt. Hodie vero inter homines tanta Imaginatio & Fides non viget: sed plerique homines intendunt illis, qui carni & sanguini suauiter faciunt. Ea sectantur, illis operam dant. *Artes* ergo hę vel ob id etiam incertę sunt, quod homo intra seipsum adeo dubius sit. Qui ambiguus est, certi nihil instituere: qui dubius, constans nihil perficere: qui corpori studet, solidi nihil in spiritu assequi potest. Quemlibet autem decet esse perfectum in eo, circa quod versatur. Sic enim spiritus integer erit, & vincet corpus, quod nihili est. Spiritus frugi est: hunc in se perfectum habere, ac carnem sanguinemque omittere homo debet.

Homo cor est, non corpus.

Incert. art. quis inuētor.

Homines quibus hodie studeant.

Finis probationis super artes incertas.

IMAG.

Imaginatio habet Impressionem, & Impressio facit Imaginationem. Ergo eb Impressione descendit Imaginario. Nũc sequitur, qualis impressio, Influentia, constellatio, sydus: talis est Imaginatio.

Inde sequitur, quod Imagiaatio parit nouũ cœlum super Impressionem: Et qualis imaginatio, talis est figura cœli.

PROBATIO IN SCIENTIAM MANVALEM *Mathematicam.*

Etsi omnia totius Astronomiæ videantur & inueniantur: oportet tamen esse singularem numerationem, dimensiónem, occasionem, & instrumentum. Hæc sunt principia omnium scientiarum; hoc est, sunt illa, quæ cum scientiis omnibus concurrunt.

Porro autem intelligi ægre potest, quo modo numeratio in astris adhiberi possit, propter infinitum stellarum numerum, quarum pars maxima aut nũquam aut difficulter spectatur, quæ tamen omnes etiam in numerum conferendæ sunt. Sed has impossibile est numerare ei, qui non nisi oculis vtitur. Qui autem plura quam oculos adhibet, is eas numerare potest, non item alius.

Eadem etiam Geometriæ ratio est. Dimensio enim altitudinis, profunditatis, & amplitudinis, &c. longe difficilior est, quam vt de omnibus capi queat. Non autem hæc Geometria est, quę in septem liberalibus artibus traditur. Nostra Geometria est astralis, non terrena, soli isti cognita, qui Magice, non elementaliter, sed extra elementa dimensionem facit.

Similiter & Cosmographiæ labor materialis est. Ipsa vero artis inuentio materialis non est, non elementalis, sed plus Nigromantica & diuinatoria. Illi enim conditionem rerum omnium in cœlo & terra explorant, quo situ omnia posita & constituta sint, quaue coniunctione &c. conueniant. Et illa quidem tanta subtilitate inueniuntur, vt inferius etiam in globum, instrumentum, sphæramue describi possint.

Iam si Manualis Mathematicus tam peritus est Numerator in Arithmetica, & Dimensor in Geometria, & Explorator in Cosmographia, & Præparator in instrumentis: tunc optimo iure sese prędicare Mathematicum potest. In his enim quatuor Mathematica consistit: & quatuor hęc Mathematicum constituunt. Hoc modo scientię Astrologicæ inuisibile corpus, sapientibus cognitum, deduci possunt.

Sed tamen & aliæ sunt Mathemathicæ, quę solos Magos respiciunt: qui & ipsi ad instrumenta Magicæ facienda apti sunt, veluti sunt Gamahei, Imagines, Characteres. Nam & hæ res, Instrumenta sunt. Ars autem quæ hoc facit, ex Magica petenda est. Ipsa præparatio, est Mathematicæ. Oportet ergo illos esse certos ac probe constellatos, ac idoneos ad illa præparanda & suo loco disponenda, hoc est, oportet eos esse virgines.

Sic etiam in Nigromantia, Mathematica est, necessaria eius prępar ãs. Diuinatio & signatum Mathematica nulla indigent. In Nigromantia autem opus est, vt Instrumẽtum certitudinis, & Regale vna cum aliis Defensiuis vsurpetur. Nam spiritus valde obsidentur. Necesse ergo est, quemlibet contra eos sese recte munire, quia in promptu periculum. Vbi autem genus illud (vt ita loquar) obsessile sit, cognosci operæ pretium est.

Artes Incertę & ipsæ instrumentis vtuntur in suis indagationibus. Illi tamen Mathematici signa tantum & figuras disponunt, prout rei cõditio postulat, fundamentũ captantes ex arte speculationis, per Diuinationem inuentæ. Fundamentũ enim, quod instrumenta hæc cõficere doceat, aliud non est, quam recta Influẽtia Diuinationis.

De Mathematicis itaque, quę ad scientiam Astronomiæ, vt dictum est, requiruntur, ratum ac constitutum hoc sit, eas exquisita prudentia intellectu & experiẽtia opus habere. Vulgato more nihil fiet. Oportet adesse talem, qui illa sublimius quam ex lumine Naturę vulgato & terreno inueniat. Opus est inquam altiore Lumine, Lumine nempe superartificiali.

Hoc modo Mathematicæ in Astronomia per sua Instrumenta, quæ cum magno mundo concordent, probantur. Præter autem hæc omnia, Instrumenta illa cum Elementis & Astris ita cognata sunt aut deuincta, vt similitudinem exhibeant velut Microcosmus, qui & ipse ex maiore mundo factus est, licet minore corpore constet, mundum tamen vniuersum in se continente instar Essentiæ quintæ ex illo extractę.

Sequuntur quædam Fragmenta & Schedula, ejusdem cum præcedentibus materia.

De cognitione Astrorum.

Docendi ante omnia estis de Astris, quidnam sint illa. Ad sola enim Astra non ad aliud, directus est Astronomus. Itaque sciendũm, hoc loco corpora Elementaria nihil negotii habere: adeoque carnem & sanguinem hic nihil operari, sed tantum Astra. Quod vt probe intelligatis, scire vos velim, sensus in homine corporis expertes esse. Quicquid corporale non est, est Astrum, sydus, aut Æther. Eorum autem quę corpus non habent, species multę sunt in homine. Vtut tamen ista se habeant sensus certę hominis caro & sanguis non est. Corpus ergo est aliud, aliud sensus. Corpus est caro & sanguis. Sensus est Anima. Anima est subiectum Astronomię, non corpus. Corpus autem ab anima regitur. Ideo & corpus Astronomiæ subiectum est, quia corpus animę subiacet, eique obsecundat, ac ab illa regitur. Porro, anima non est æternum in homine, nõ est summum bonũ, sed est in hominę mortale existens, est homo in Adamo cõditus. Quoniam ergo anima Astronomię subiecta est, & Astronomia solum sydus dominũ agnoscit: scitote iam, in sydere multas esse essentias, hoc est, non vnum tantũ astrum, sed plura. Scitum nimirum est, Astrum vnum existere, reliquis omnibus superius. Hoc est Astrum Apocalypticum. Secundum Astrum est ascendẽtis. Tertium est Elementorum, quorum sunt quatuor. Ita Astra 6. constituuntur. Pręter hæc adhuc

Sensus hominis incorporei sunt.

Sensus quid.

Anima in homine quid sit.

Astra quotuplicia sint.

adhuc aliud est Astrum, Imaginatio, quæ nouum Astrum, & nouum cœlum gignit.

Astrologus vere. Etsi vero, vt iam comprehensum est, Astra septem sint: Astrologus tamen eius conditionis non est, vt in hisce septem Astrologum agat. Alius enim est Astronomus Astrologiæ super Natura: alius super ascendente: alius super quatuor Elementis: alius super Imaginatione. Quilibet de sua Astrologia differit, quilibet est Astrologus, quilibet est in seipso sufficiens. Iam qui est Astrologus, in vno non quiescit, sed in omnibus versatur, si non speciem suā exponat, circa quam versetur. Ille autem non tolerandus error est, quod Astrorum speciebus neglectis, solum Horoscopum, ascendentemque & figuram cœli tractent: cum tamen interim vesania sit, ipsos sex reliquarum specierū ignaros esse. Etsi autem ab Astrologo Horoscopi ceteræ non intelligerentur; id tamen parum referret, modo hoc profiteretur ille, ipsas bonas esse & esse Astrologiæ quoque species. Est enim Astrum Firmamenti, id est, Ignis, ad Horoscopum nihil spectans. Est Astrum terræ, quia Terra suum Astrologum non minus ac Olympus habet. Sic Aqua æque ac Æther proprium suum Astrum habet. Similiter & Aer &c. Nemo cogitet, astrum vnum tātum esse. Sunt plura. Præter dicta omnia est vnū, numero Quintum. Præter quintum iterum aliud supernaturale. Et præter hoc sextum vnum, quod in homine ipso conditum est, septimum.

Astra numero 7. sunt.

Loquor de 7. Astronomię speciebus quæ integrum hominem constituunt, velut antea indicatum est. Porro hæ septem species, ad septem astra non seruiunt: Sed hoc dico, quod Astrologia hæc septem sub se sola contineat, ac ob id intelligere debeat, quomodo septem astra essentialiter se gerant. Hinc enim perfectum iudicium Astrologicum emergit, quod alias fieri non potest. Oportet enim esse Medium, per quod supremum operetur, & alterum post primum in quatuor, adde etiam in vltimo. Quod eo saltem instituto narro, vt intelligatur, apte ac sufficienter in Astrologia non dici, Martem in cœlo cognoscendum esse; qui tamen carboni ardenti tantum similis apparet. Nam præter istum Martē Mars alius etiam existit, & insuper quatuor alij in quatuor elementis, denique vnus adhuc in *Imaginatione*. Qualis vero iste Faber est, qui soleam ferream cudere, nec vero cudere clauū potest? Qualis iste est tignarius, qui asciare saltem, non etiam aptare potest? Scientia debet in omnibus perfecta esse, nec quicquam excipi. Quæ iungenda sunt, iungantur.

Mars vnus, sed multi.

Hoc loco cumprimis considerandum est, quod ante diluuium maiores nostri vsque ad natiuitatem Christi tot sudoribus ac indefesso labore sapientiæ inueniēde studuerint, & nunc post aduentum Christi illa omnis interierit & extincta sit, ita, vt nihil eius iam vbiuis reperire superstes facile sit. Cuius rei hanc vobis causam expediam. Sapientiam æternam Christus mundo obtulit. Hac ergo oblata, fas omnino ac æquum est, minore repudiata superiorem agnosci. Sed & hoc equidem fateor, gentiliter me scribere, etsi Christianus sim. Iure namque inferior sapientia cedit superiori. Et melior est sapientia Christi, sapientia Naturæ. Sic melior est Propheta, melior Apostolus, quam Astronomus, quam Medicus. Melior est prognosticatio ex Deo, quam ex Astronomia. Melior est medicatio ex Deo, quam ex herbis. Prophetæ loquuntur, quę nō fallunt. Per Apostolos sanantur infirmi, & quæ mortui sunt, resuscitantur. Et nec hoc fallit.

Etsi ergo Astronomia quidem cum suo lumine sub Christo obliterata est: quis illud criminabitur? Sed porro etiam loqui mihi mādatum est, Infirmi opus habent Medico, non omnes autem Apostolis. Sic etiam prognosticationes opus habent Astronomo, non omnes autem Propheta. Distributione facta, pars alia cessit Prophetis, alia Astronomis: pars alia Apostolis, alia Medicis. Sic suas meras quilibet habet. Ideoque Astronomia nobis quidem Christianis adempta aut interdicta non est, sed, vt ea Christiane vtamur, mandatum est. Nam a patre ad Naturæ lumen procreati sumus: vnde ęquum est, nos illud scire & callere. A filio ad æternum vocati: vnde & hoc sciendum est. Sic ergo hęreditario ad nos a Deo patre lumen transfertur, & lumen de Deo filio hic in mundo ad æternum. Neuter alterum impedit, non patrem filius, non filius patrem. Hac ratione homo vtrobique discere, cognoscere & operari potest.

Astronomia quomodo Christianis necessa.

Hoc ergo discursu facto Astronomiæ iam finem impono, vt sciatis, quid Astra sint, quāque potestatem Astronomus, Astrologusue habeat, & vndenam vterque differat, ac vti Astra sita sint. Nam septenorum mentionem feci, interim non cogitans de vno adhuc Astro quod est Signatum Microcosmi, vt merito octo recenseantur. In sequente tamē explicatione & probatione vniuersa illa iuncta inuenietis & cognosceris. Optarem equidem, eos, qui in Christi locum se collocarunt, genuinos se Christi discipulos pręstare. Sic fieret, vt Naturę lumen rectius cognosceretur, hoc est, Miracula Dei patris multo curiosius inquirerentur: cum interim meræ nugæ & offuciæ obtrudantur, in quibus nullus succus, nulla medulla, nulla sapientia latet. Cuius oscitantiæ & nequitiæ si suus successus concedit tur: quis successus esse possit nobilis sapientiæ Naturæ? Interim hoc modo, nec sapientia Naturæ nec æterna consideratur, sed vtræque vna opera vilescunt. Et is iam mundi mos est, vt vtrique sapientię aduersetur. Quę cum ita se habeant: consultum mihi visum est, scribendo nihil fatigari, sed omnino pergere. Nam Renouatio mundi incumbet. Tunc demum inuenietur, quod iam quæritur, & ita proponetur, vt nihil quicquam eius pereat. Thesaurum enim præseruari hęredibus ad id, ad quod is prædestinatus est, bonum est. Is Thesaurus commodus est, qui hoc fine defoditur. Nemo arbitretur, hic me plura, quam de Astris tractaturū esse: quæ quidem iam satis explicata sunt, addito eo, quod scientiam hactenus obtudit. Quæ necessaria visa sunt, ea inter se copulauimus. Et sciendum hic est, ipsum quoque medium recte intelligi debere. Sine ipso enim nihil fit. Quod ita se habet.

Signatum Microcosmi astrum est 8.

Astrum

Astrum superius inferiora omnia gubernat. Iam sin terra nullum Astrum est: superius Astrum in terram nihil operabitur. Astrum autem terræ concipit vim Astri superioris, & illud huius capax est, quod alias, minime fieret. Eadem ratio etiam Aquæ est, &c. Vt supra.

Alia Schedula.

Triplex hæc operatio Astrologiæ modum vnum in figura Cœli habet: per
I. hanc reprehenditur, quomodo Cœlum erga inferiora se habeat: vt perfectum inde fieri iudicium queat.

Cometa, Quos intelligimus, sunt recens genitæ stellæ, non in prima creatione productæ, sed à Deo ipso nouiter exhibitæ. Talis fuit stella Christi, & similes.

Imagines, conficiuntur ex rebus terrenis, in quas induuntur vires cœlestes, vt morbos sanent, vt vulnera auertant, vt designent, &c.

Characteres sunt verba, quæ sanant morbos, & imaginum more operantur. Ex astris enim superioribus trahuntur, & inferioribus induntur, per artem.

II. *Terrena crescentia* similia sunt Caracteribus & Imaginibus. Interdum etiam arbores eo adiguntur, vt flores pariant: interdum crescentia illa mutantur in ranas, serpentes, asiones, scarabæos, dracones, &c.

Spectra, sunt visiones interdum hominibus apparentes. Portendunt bella, & alia futura mala, exemplo Cometarum, &c. Magice explicari debent.

Somnia, hoc est, si cœlum sydereo suo spiritu cum homine ludit, iocatur, &c. de præteritis, præsentibus, & futuris.

Bruta, hoc est, si cœlum operatur per bruta, & præsagit futura, ex quibus præsumi potest, aliquid impendentis mali ac infortunij.

Animus, hoc est, si animus ipse in homine exspectat vel bonum vel malum.
III. Origo est ex cœlo, quod animum ita gubernat, & ipsi vel fortunam vel infortunium imprimit.

Speculatio est, quando homo apud se speculatur & imaginatur, eoque imaginatio vnitur cœlo, & cœlum in ipso operatur ita, vt plus inueniatur, quam humanitus inquiri posse videatur.

Phantasia est, si morio aut fatuus speculatur, cœlumque simul coniunctionem habet, & per illum operatur ita, vt ex morionis phantasia influentia cœlestis cognoscatur.

Visiones, sunt apparitiones artibus exhibitæ in Speculis, Crystallis, Vnguibus, &c.

Spiritus Astrales, sunt spiritus, in homine terrene habitantes, & ab homine separabiles, eidemque seruientes, quamdiu existunt.

Inanimata, sunt homines, qui citra
IV. semen Adami gignuntur ex operatione Naturæ, vt sunt Gigantes, Lemures, Nymphæ, Gnomi, &c.

Chiromantia est scientia, Astra in manibus & totius corporis lineis demonstrans, velut & in pedibus. Vt supra in libello, &c. vsque ad finem.

Schedula de probatione Magiæ.

Ex quo fundamento Magia procedat, & quomodo interpretetur noua signa, *Erunt signa*.

Præterea, quomodo impressiones deorsum impingant in inferiora corpora. Porro, Quale cœlum sit cum suis viribus, velut terra cum sua Medicina. Vt fundamentum intelligatis, ex quo Magia interpretationem sumat, ita attendite. Scientiæ omnes, omnes notitiæ hominum ex Deo sunt. Scientiæ hæ vel sunt ex lumine Naturæ vel addiscuntur institutione, vel à Deo secreto instillantur, &c.

Modus primus est, quo homo ex seipso discit citra institutionem hominum. Magia enim ex interpretatione non discitur, nisi ea ex altis afferatur.

Magus nascitur, sicut omnes artes nascuntur, vt illi, qui inueniunt nouas artes, vt Literas, vt Montanica.

Magi habent Spiritum nouum, non creatum ab homine isto. Ille Spiritus nascitur per Petitionem, per Quærite, per Pulsate, ex Corde, per Spiritum.

Nota. Quæ Deus loquitur, illis addit interpretem. Nemo ergo quærat, vnde hoc? Nam ex Deo. Ipse, exempli gratia dixit: *Erunt signa in Sole & Luna, &c.* Hæc interpretatione indigent. Natura ea interpretari non potest, quia ipsius limites transcendunt. Spiritum ergo cum dicto concurrere opus est. Id qui interpretatur, Magus est.

Spiritus sunt in Stellis. *Plura hic non addidit Auctor.*

Alia Schedula.

In hac præfatione tractatur de ordine Astronomiæ, & ipsius vtilitate, quam cæteris artibus eas perficiendo impertit, velut Medicinæ, discernendo æternam sapientiam à mortali, & manifestando naturaliter congenitos animos & corda: præterea, quomodo scientia limes sit, à stultis reiectus: & quod qui eam non cognouerunt, improbe circa religionem suam versentur. Porro, vbi Astronomia desinat, vbi incipiat. Vlterius, de discordia in Astronomia gliscente, Insuper de inutilibus studiis. Præter hoc de duplici mundi sapientia. Adde, Lumen Naturale & Æternum vna recte consistere posse. Denique, de doni explicatione in Lumine naturali.

Alia.

Vt Astronomia eo certius intelligatur, figuram Astronomiæ cum suis speciebus vobis expediam, vt Astronomiæ cum suis filiabus cognationem sapiatis. Postea religiones illas & species declarabo, quid sint, quæ illarum virtus & potentia sit, vt omnia recte comprehendantur. Post figuram subnectam orationem de vniuersali

vniuersali illa probatione. Denique in qualibet peculiari specie probationes aggrediar, vt omnes vobis intelligibiles reddantur. Porro ergo attendite ad figuram.

Post declarationem Astronomiæ, vt Magia & aliarum.

Oratio collecta ex omnibus prætermissis & oblitis, ad formam omnium expositionum.

Astrorum species sunt quatuor ex Elementis, & vna prædominatur, quæ in omnibus mouetur. Ergo 4. Elementorum Astra.

Astra Elementorum. — Astra sensuum.

Terræ, Ignis, Aquæ, Aeris, — *Hominum, Salamand. Pecorum, Piscium, Auium.*

Astrum, quod hæc omnia mouet, creator.

Astra Elementorum, — Astra sensuum.

T. I. Æ. A. — H. P. A. P.

Et ad huc vnum Astrum, Imaginatio.

Stellarum. — *Hominum.* — *Animalium.*

FRAGMENTVM DE DIVINATIONE.

* (Hæc) ad Biblia spectant, & sunt voluntatis diuinæ. Deus sibi sublimiorem librum reseruauit, in quo continentur prophetiæ, hominem singulariter concernentes, eius scilicet fortunam, infortunium, pœnam, odium, ascensum, descensum, mutationem sectarum & statuum, interitum regnorum, politiæ, denique omniferas miserias. Attamen magni æstimari debent. Omnia enim ista sunt opera diuina, a Dei consilio pendentia. Artis autem est, reuelationes illas intelligere. Et de eo quærendum non est, ex quo fundamento manent, sed de eo, quis intellectus sit. Scientiæ diuinationis autem ea est conditio, vt explicentur aut indicentur ab hominibus simplicibus, rudi & in accepto ex fundamento, vt ne conuertantur illi, qui conuersione digni non sunt. Diuinationis ergo fundamentum ita tractandum est, vt videntes non videant, audientes non audiant, &c. rebus tamen ipsis nihilominus oculis ipsorum expositis. Æquum ergo est, diuinationes eas, quas sine Medio Deus dat, recte intelligi, non vt à Prophetis, sed vt à Spiritu, qui in stellis est, & tamen præter ipsius naturam & conditionem. Exempli gratia. Christus cogebat Petrum, vt pergeret, quo nollet. Sic Ionam mittebat in Niniuen. Similiter & alios Prophetas, qui omnes contra morem & naturam suam egerunt. Qua de causa etiam contempti, pro insanis habebantur. Finis autem testabatur de veritate. Et à sepultura demum illi magni fieri cœperant. Ea cæcitate percussi erant, vt viuos Dei legatos spernerent: mortuos honorificis sepulturis afficerent. Quod si ergo Spiritus stellarum immittuntur per somnia, per speculationem, per animum, vt figuris rem aliquam denuntient: fas omnino est, denuntiationes illas prudentibus reuelari. Et licet hora quidem aut dies non designetur: Summa tamen materiæ, in futurum incubituræ prænoscenda est, vt innocens & iustus de sua liberatione gaudeat. Quicquid ergo scientia interpretationis docet, peculiari libro tradetur. Id vt singulariter expendatur, omnino æquum est.

PRÆFATIO IN LIBRVM MAGIÆ.
Hic deficiebat manus Auctoris in medio folij.

ARS SIGNATORIA.

Prologus in Artem Signatoriam. Theophrastus.



PROVIDENTIA *diuina in creatione hominis præuidit, ipsum successu temporis multum mali designaturum esse: quod & Christus testatur, inquiens: Ex abundantia cordis os loquitur, quasi diceret: Erumpat necesse est, quicquid in homine latet, nec id abscondi potest. Cæterum enim talia abscondita sint, ac tum demum reuelentur, vbi ab homine facta & patrata sunt: tunc id minus serum est. Quicquid enim aduersus proximum admissurus homo est, id non cum præmonitione designat, sed insperato velut fur per superiora domus illabitur, ne quid vicini sentiant aut subodorentur. Hac de causa stigmata cordibus humanis Deus immisit, vt ex exterioribus fructus cognoscerentur, in corde illorum latentes, ne oscitanter, dum actum sit, exspectaretur. Hoc ergo absconditum Deus singulariter manifestari voluit, scientiam suggerens, qua talia noscerentur, vel per Astra, vt dictum est, vel per aliam quæ in Astronomia traduntur: omnia tamen hoc fine, vt quilibet seipsum probaret ac alios, ne fors quid fiduciæ temerariæ ponamus in illos, qui ita in cordibus suis signati & constellati sunt, à quibus nulla salus, nullum solatium exspectari debeat. Cum ergo indicia multa Arcanorum hominum noscendorum a Deo data sint, inter quæ hæc quoque signatoria non minima est: ipsam à me describi, necessarium visum est. Ea ad hominem ipsum attinet, docens, quid intus in isto sit, in quo signa ea inueniuntur, velut in manu, in pedibus, in corporis venis. In tribus his consistit ars signata. Quæ vt plenarie addiscatur, breuiter & compendiose à nobis explicabitur.*

Finis Præfationis.

ARTES INCERTÆ.

Prologus in Artes incertas.

CVm ex tempore multa incidant & eueniant, quæ exp rimi Iliastri ordinatione non fiunt, sed modis aliis accidunt: ex vsu rei est, horum etiam scientiam præter reliquas hic proponi. Hic sedulo attendetis. Accidit nonnunquam, vt consilium quoddam ineant nonnulli, diuersum ab eo, quod Influentia Naturalis suggessit: Quæ etsi illius quidem procuratrix sit: non tamen ita subiicit ipsum, sicut homines deliberant.

Hic deficiebat manus Auctoris.

Aliud Fragmentum.

DE ARTE SIGNATA.

* Hoc habitu incedit latro.
Hoc fur. Hoc scortator, &c.

Qui latrocinari cogitat, hoc scilicet animo ad operationem fertur. Ea operatio oritur ex natura. (vt luxuria) Et veluti luxuria innata est & repræsentata: ita etiam latrocinium, furtum, &c. Porro id est, in carne, & ex carne, id est, ex terra, quia de terra sunt elementata.

Primo autem sciendum est, cur ex terra omne latrocinium, &c. beneficium & maleficium emergat naturaliter, cùm tamen illa insensibilis sit, carens intellectu, ratione, &c. vt lignum, nihil est, &c. ex eo tamen nascuntur vermes. En vero, hîc vna natura fit ex alia. Velut Grylli ex luto, quibus nulla inest similitudo: ita homo ex elementis & astris creatura fit. Item ex stercore equino scarabæi, pediculi, pulices, &c. Deinde, quia hæc ita nascuntur, & ibi generatur sensus, intellectus, animus, sapientia, &c. quod Naturale est: in hoc iam est bonum, malum, fraus, mendacium, veritas, &c. Prout Horoscopus demonstrat. Iam signatum etiam additur, qualis is sit in sensibus & animo. Vt Scarabæus signatum suum habet, &c. Porro ex operibus cognoscimus hominem, scil. æternum.

Fragmentum.

Ex Philosophia, super Esaiam Prophetam.

Ille est Augurista, qui seipsum vatem facit, & signa exhibet. Hi scientiam futurorum vndecunque sumunt per diuinationem, per somnia, per nebulas, per Geomantiam, Hydromantiam, Chaomantiam, &c. aues, &c. Harum artium notitiæ non sunt nisi spiritus, qui dirigunt ista ad lubitum suum, ad veritatem aut mendacium. Auguristæ hi à populo magni habiti fuerunt, quorum multos Philistæi habuerunt, ac sibi persuaserunt, illos ex cœlo prodiisse, cum alias talia scire nequeant. Et vnus subinde altero superior fuit, &c. Augurij species est vna, quæ inspicit vnguem pollicis, aut manum, aut Berillum, prius secundum ipsorum artem præparatum. Ad res huiusmodi Iudæi asciuerunt non suos, cum ad illas satis idonei non essent: Vnde etiam crediderunt, Auguristarum liberos Deo propiores esse. Et per Auguria huiusmodi inuenerunt thesauros, aurum, argentum, in fluminibus, in montibus, vt omnis ipsorum regio auro argentoque plena esset: velut & hodie sunt qui per Auguria eiusmodi ferularum diuinatoriarum, Berillorum &c. metalla, thesauros, &c. inuenerunt, ad quæ Auguristæ instinctu spirituum deducebant, vt Dei veri memoria obliteraretur, quod quidem spirituum studium est. Iudæi Auguristas Deos fecerunt, & post mortem quilibet illi, qui opem sibi contulisset, statuam pro memoria posuit, persuasum habens, in illa istius Auguristæ animam conditam esse, quasi spiritus ipsius, ibi præsens esset: quorum tamen locum Diabolus subiit. Idem & hodie fit, si à Deo discessione facta ad alios properatur: vnde homo in superstitionem abripitur.


AZOTH
SIVE
DE LIGNO ET LINEA
VITÆ THEOPHRAST. BOMBAST AB HOHENHEIM.

CAPVT I.



QVISQVIS Arcana omnium absconditarum rerum scire desiderat, is notitiam illarum alibi non quærat, nisi apud Deum qui solus creator & conscius omnium secretorum est. Nemo enim sciturientibus & quærentibus arcana omnia melius reuelare & manifestare potest eo solo, qui omnium arcanorum & scientiarum, cœlestium & terrenarum auctor est. Arcana apud Deum quærenda.

Primo autem opus est indicari librum, in quo literæ arcanorum visibiliter & noscibiliter, expresse & palpabiliter descriptæ sunt: quo libro omnia, quæ desiderantur, longe expressius digito Dei expressa inueniuntur, quam in vllo alio libro eadem inueniri possint. Cæteri libri omnes, si cum hoc probe lecto, conferantur, non nisi mortua litera sunt. Et hæc quidem in nullo alio libro, quam homine, inuestigari debent. Is enim liber est, in quo arcana omnia descripta continentur. Illius autem interpres Deus est.



C. Hæc est æstiua, hoc est, dextra pars cranij hominis.

B. Est craniũ sinistræ; hoc est, hyemalis partis.


A. Est sutura cranij humani.

D. Homo charactere isto à manu Dei signatus est. Hic ergo character nobis principium sit, omnia Arcana Naturæ, quæ Deus creauit discendi. Hinc etiam cognoscitur Magister, hoc est, Deus, qui omnia bene fecit. Ex fructu enim noscitur,

noſcitur, quæ arbor illam protulerit. Sic ex opere cognoſcitur Artifex, vt pellio ex pelle, ſutor ex calceo, ſartor ex tunica, faber ex ferro, aurifaber ex auro & argento, &c. & ſic deinceps.

Lignum vitæ.

Auris dextra.



Auris ſiniſtra.

Muſica etiam, hoc eſt tonus huc pertinet. Ex illo enim menſura intelligitur.

I

ID. *velut punctum, quod menſor aut menſura vocari debet.*



Quoniam ſine aëre nullus ardere ignis poteſt: ideo iam diſſerendum eſt de elemento ignis, quod per ſe nihil eſt aliud, quam corpus animæ, aut domicilium, in quo anima hominis habitat. Et ſic ignis iſte eſt verus homo, de quo in vniuerſa noſtra Philoſophia diſſeretur. Cumque, vt dictum eſt, nullus ardere ignis ſine aere poſſit: Velim me hoc loco diſtincte ita intelligi, quod ſcilicet, per illud ardere, nihil aliud deinceps, quam ipſam vitam complectar: vt, ſi dicam, *Ardere non poteſt, idem ſit, ac hoc, non poteſt viuere.*

Ardere quid Theophraſto.

Sic ergo ſuperior linea, E ſignata, eſt linea vitæ, ianua aeris, aut perſpiraculum, quo reſpiraculum vitæ ſuum aerem attrahit, in quo viuit, tanquam piſcis in vnda.

Iam cuilibet notum eſt, quod res mortua, & vitæ expers, iugulari aut occidi non poſſit, cum iam antea mortua ſit. Quod cum ita ſe habet: velim ex diſcurſu meo intelligi eiuſmodi vitam vel ignem, hoc eſt, corpus animæ, quod ex triplici igne cõſtitutũ eſt, nẽpe ex igne ſulphuris, ex igne ſalis, ex igne Mercurij. Eiuſmodi enim ignis triplici corpore ex Yliaſtro opus habet.

Corpus ex 3 conſtat.

Yliaſtrum eſt prima Materia, ex qua 🜍 🜔 ☿ condita ſunt. Ex quo intelligimus quomodo verbum *Fiat* materiale, tangibile & corpus factum ſit, in quo nunc prædeſtinata omnia, quæ deinceps ex Yliaſtro per *Cagaſtrum* Necrolice, Necromantice & Necrocomice gignuntur, abſcondita ſunt.

Yliaſtrũ quid.

Cagaſtrũ quid.

Sed notandum eſt, *Cagaſtrum* alias à nobis etiam S. Nitri vocari: vt, ſi Cagaſtrum aut S. Nitri dicimus, idem ſit, ac ſi dicamus, Yliaſtrum eſt genuinum Argentum, ſed Cagaſtrum eſt *Mica*, aut Yliaſtrum eſt verus Propheta, & Cagaſtrum eſt falſus Propheta, aut verius Prophetæ Monſtrum.

Hoc modo Caro vel Limbus Adami primi poſt lapſum factum eſt Cagaſtricum ex Yliaſtro verbi *Fiat*. Qua de cauſa etiam vita hominis dupliciter intelligenda erit, vt: *Vita* Animalis eſt *Cagaſtrica*, & vita Dealis eſt vita Yliaſtrica. Hinc patet de Linea vitæ omnium primo philoſophandum eſſe.

CAP. II.

COr hominis eſt domicilium animæ hominis animalis, hoc eſt, vitæ aut corporis, quod animale eſt, in quo vera anima, à Deo Adamo inſpirata, habitat. Rem ita intelligite, quaſi Terra magni mundi eſſet Cor, Aqua eſſet vita animalis hominis: Aer eſſet vera anima, Aer autem ſemper inſtar venti ſuper aquis fertur. Itaque ſicut aer ſuper Aquis fertur, quaſi vnitum, & tamen impalpabile cor: ita vita quoque & ſpiritus animalis hominis fertur ſuper aquis, ſeu capſula cordis, & capſula cordis inſuper alia adhuc eſſentia circundata eſt. Rem ſic concipe, quaſi homo in aqua ambularet, & ſupra ipſum in aere volarent aues, poſt, infra, & ante ipſum in aqua piſces natarent: iam is certe variis animalibus, & rebus viuentibus circumdatus eſſet. Eodem modo & animalis vita vel ſpiritus, ad ſimilitudinem hominis formatus, licet paruus, & minor hominis corde, fertur ſuper aqua capſulæ cordis, cui ceteræ cohabitant vitę vt muſculi omnium membrorum, ceu manuum, pedumque, dorſi & ventris, vniuerſi carne & ſanguine veſtiti. Spiritus vero aut anima, Rexque animalis hominis, carne & ſanguine veſtitus non eſt, ſed libere fertur ſuper aquis capſulæ. Et ſpiritus iſte non eſt anima ſeu viuens Dei ſpiritus, ſed eſt anima Elementalis, & animalis hominis vita, habitans in aqua, & ſuper aqua, circa cor collecta. Sic ergo ſpiritus iſte iuxta cor, intra tenuem membranam capſulæ intra cor, ſuper aqua habitat. Vera autem hominis anima, quæ ſpiritus Dei eſt, occidi non poteſt vel igne, vel aqua, vel terra, vel aere, mortis expers (niſi quod imaginatio mors ipſius ſit) habitans in centro noctes atque dies, cuius tam ſublime officium eſt, vt de eo Philoſopho Theologice non naturaliter diſſerendum ſit.

Anima hominis duplex.

De animali ergo, & non vera anima iam tracto, Quod ſi de vera anima Cœleſtis vitæ philoſophamur, tunc vocamus *Necrocomicum*. Si autẽ philoſophamur de anima & ſpiritu genuini animalis hominis: intelligimus illum ſpiritum & animã, quæ in aqua capſulæ habitat, & parua eſt, non maior minimo cuiuſlibet hominis manus digito. Huiuſmodi animam ac ſpiritũ vocamus *Necrocomicum*. Cum vero tres vitæ aut Eſſentię ſint, quæ omnes diſcrete ſpiritus vocari poſſunt (vt ſpiritus Cœli, & ſpiritus Microcoſmici cœli, qui ſpiritus eſt hominis animalis, & Muſculi totius hominis, qui multiplicẽ vitam habent) ideo multiplicem hanc vitam vocamus Necrocomicum, hac de cauſa, vt ex diſcreto quolibet nomine intelligatur eſſentia eius, de quo ſeorſim philoſophamur.

Necrocomicũ quid.

Necrocomicũ quid.

Nam dubito, quin hic poſtulaturi multi ſint, vt ſcripta ac Philoſophiam meam de vtraque tam Necrococomica quam Necrocomica

anima

anima ex sacra scriptura probem ac confirmem. Nam & ipse cogitare facile possum, inscitis & imperitis hæc minime probatum iri. Quibus etsi nihil ad palatum dictari sapidum satis possit: Philosopho tamen sublimi & à Deo illuminato satis fuerit, si sententiam meam ex historicis sacrarum literarum libris stabiliam. Meæ autem velut & Philosophorum vniuersorum rationes hæ sunt. *Moyses* creationem mundi & hominis describit. Iam vero bonus ille & à Deo doctus *Moyses* creationi mundi & hominis coram non interfuit: & tamen nihilominus vere, accurate & solide creationem cœli & terræ descripsit. Iam inter nos Philosophos lis agitatur, quanquam sobria & consulta, vndenam Moyses creationem mundi sciuerit, vt tanta perspicuitate illam describeret. Iam vero Naturalibus omnibus, solidæ, firmæ & cuilibet rationali homini acceptabiles & immotæ causæ sunt, cur Moysi in illustri mundi mundi & hominis creationis descriptione iure merito credere & astipulari cogantur. Qua etiam de causa vniuersi Naturales Moysen agnoscunt authenticum & à Deo summe illuminatum virum seu Philosophum, Physicum aut Prophetam, qui velut Naturalis Magus & Yliaster Diuinus, nostra in Adepta Philosophia Necroleus & Antesignanus factus sit. Vnde etiam Necrolice, Necromantice, & Necrocomice historiam creationis Macro & Microcosmi nobis scribit & proponit.

Moyses Necroleus.

Iam quæritur: si Ethnicus, paganus aut infidelis, insignis viris Moysis scriptis assentiri recuset, quo tandem adminiculo ad assensum ille adduci & compelli possit? Nam & ipsi hoc scimus, non cuilibet promiscue hominis satis tuto credi: multo minus vero à Deo datum omnib. est, vt Moysis scripta capiant. Nec enim scripta sua Moyses librorum aliorum auctoritate confirmauit.

Moysis scripta non pro simplicibus.

Hoc quidem nobis constat, Moysen instinctu & afflatu spiritus sancti, vniuersi mundi velut ipsius etiam Adæ ac Euę creationem intellexisse & sciuisse. Et licet vere quidem ac insigniter ad veritatem omnia descripserit: scripta tamen eiusdem adeo sublimia sunt, vt simplici nulli satisfaciant, cum interprete accurato potius, quam simplici Lectore opus habeant. Id demonstrat Physica vna cum sociis scientiis, quæ sunt Astronomia, Astrologia, Pyromantia, Chaomantia, Hydromantia, Geomantia, Alchimia, Spagyrica, veluti Matrices nobilis scientiæ Cabalisticæ. Super has prædictas scientias omnes fundatur Magia Naturalis. Quod si *Magia Cagastrica more Necrocomico à Necroleo* recte addiscatur & cognoscatur: tunc cognita etiam erit Magia Necrocomica more Yliastrico & Aquastrico. Hinc ad Nicodemum Christus ait: *Si nescis, de rebus terrenis quid dicas: quid tandem de rebus intelliges diuinis?*

Si ergo ab homine acquiritur intellectus rerum Naturalium per Magiam Cagastricam: tunc Aquaster viam ipsi commonstrat, qua Magicam Diuinam indagare possit. Quando autem Aquastricus Magus Aquastricæ & Pyromanticæ sciétiæ scopum assecutus est: licet eidem *Trarames, Durales*, & postea *Turbam magnam* adire, pro fundamento Theologiæ comparando, vt Cœlestem *Thesaurinellam* addiscere possit, cuius quidem partem magnam ac præcipuam calluit *Sampson, Dauid, Salomon, Helyseus, Elias, Enoch, Adam, Moyses.*

Aquaster, &c.

Trarames, &c. Durales, &c.

Turba magna, &c.


His ita obseruatis, iam facile intelligetis, vbi, & quomodo, ac vnde Philosophicus Theologus nascatur, qui Cœleste & terrenum per Cœlestem Thesaurinellam & Spagyricam Caballiam discernere possit. Qui ista potest: hunc nos *Necrolei* pro Theologo habebim⁹ *Necrolei* enim nomen Christianum nomen notat, vnde id suũ ortum nanciscatur. Ad id confert etiam Necromanticus. Alauda namq; insigne nobis fundamentum manifestat, quod *Scayolicus Aquaster* ope *Traramum* nobis & nostro Cagastrico intellectui ponit. Quisquis ergo Moysi credere vult: is ipsum etiam intelligat. Hoc enim tota Biblia ipsum vocant. Quæ enim Propheta Moyses miracula operatus est Necrocomice & Aquastrice, dum aquas in sanguinem conuertit, petras dirupit, vt aquam funderent, & si quæ alia *Necrocomice & Aquastrice* miraculosa facit, ad id viam ipsi monstrante *Trarame & Turba magna*: ista qui non intelligit, aut taceat aut discat, aut Theologiam ne attingat. Turba namque magna à Deo mandatum habet, Trarames instigandi, vt Cagastricum tuum intellectum ex Aquastrica Necrolica schola exstinguant, & facem lampademque tuam abs te auferant & alij tradant, *Vide & Lege* Apocalypsin. Porro si hoc capitulum deducendum mihi est Necrocomice, Pyromantice, sicut *Necroleum* decet, & non Cagastrice, auxilio Aquastricæ scientiæ: opus mihi erit, vt causam Charactericam proponam, quæ me impulerit. *vt de Ligno & Linea vitæ* philosophari aggrederer. Hoc enim scholæ *Necrolicæ* principium est. Deus enim literas & characteres hominibus proposuit, vt ex illis Alphabetum (quod vocant) addiscerent. Eo percepto discent postea artem illam legere, & tandem de illa scribere, quod & ego feci, & nunc facio.

Necroleus.

Deinceps ergo adeundum ipsum cor est, ex quo Linea à Turba magna signata est, hoc modo. Notum vobis est, mandasse Paulum, vt mulieres capita sua velent: vir contra capite nudo & intecto sit. Id citra euidentem causam factum non est, quam tamen Carnales Theologi ne quidem olfaciunt, quod notabitis. Suum etiam mulieribus mandatum datum est. Ne quid sacræ scripturæ tractent. *Aquaster* enim in ipsis *Cagastricus & S. Nitreus* factus est. Etsi enim ante lapsum quidem Necrocomicus exstiterit, diabolice tamen Turbæ magnæ adeo iam subiectus est, vt nihil firmi in Cagastrico ipsorum Aquastro inueniri liceat. In cuius rei testimonium Nicrolicum *Alpha*, quod æque ac vir antea in fronte gerebat, retro ad occiput conuersum est: ita, vt iam characterem suum & Aquastricam fissuram cranij in anteriore capite occlusam, & in postico cranio apertam gerat, quod in viro contrario modo fit. Hoc vobis, o Naturales Necrolici, principium & momentum magnum fit, cur Aquastricam scientiam sectemini, donec *Aquastrum Pyromanticum* scrutari possitis. Huius namque Aquastricæ rimæ ea conditio est, vt pro malo

Aquastrica rima similis pomo Medico.

B. Est rima, de qua loquor. B.



malo Granato habenda sit quod quidem ab initio vsque ad suæ maturitatis tempus occlusum crescit. Si vero maturuit, vt aut remedio eligatur, per medium funditur rima, qua similitudine hiscit etiam nux iuglans, ad diductionem tempore maturitatis naturaliter propensa.

Hinc iam causam æstimate, cur mulieri findatur venter, si ad fœtus sui maturitatem peruenit. Hinc tibi scientiæ Necrolicæ calumniatori ansa porrigetur ad exactius trutinandum, cur mulier B. Aquastricam rimam posterius & non anterius gerat. Vir enim illam gerit ante, & gignit Necrocomicam animam vel spiritum vitę Microcosmi, non Cagastrice, sed necrocomice, spiritum inquam vitæ Yliastricum in suo corde. Quamprimum per Imaginationem fit, vt *Turba* magna Cagastricum homunculum & Aquastricum incitet ad Necrocomicum Yliastricum spiritum tuum vel Pyromanticum spiritum & animam Cagastrica carne inuestiendũ: tunc euestigio Natura seu genitura homini defluit, quę flos est & essentia Limbi Cagastri. Qua causa mulier etiam Cagastricam Matricem in sinu suo gerit. Matrix enim ante lapsum Euæ nondum data erat; Sicut enim nec virgines mamillas suas secum in lucem afferunt: ita nec matricem ad partum necessariam, sed ea demum sub ætatis vigorem non secus ac mamillæ enascitur ac protuberat.

Eua ante lapsum matricē non habuit.

Sic ergo ante lapsum Eua secundum matricem, velut & Adam in magna matrice, quę ipsis paradisus fuit, Necrocomice puris & plane impollutis membris fuerunt. Post lapsum autē dictu ocyus omnia ad terrenam generationem excreuerunt. Hac de causa etiam homo in lucem editus nudus prodit. Vbi adolescente ipso primum crines oriuntur in capite, mento, sub axillis, ad pubem, velut & cætera omnia, quæ ad animalis hominis decus seruiũt. Sic enim oportet Cagastricam essentiam post, non ante Yliastricam nasci. Sic etiam Necromantico suum semper deputatum manet. Hac de causa etiam Necrocomica (al. Necromantica) nobilior anima est, & à Deo plus quã Cagastrica dilecta. Hoc modo Deus in rubo ardente illusit Moysi modo Necrocomico, & siuit eum Cagastricam suã natiuitatem cognoscere ratione corporis. Et quia Christus quoq; corpus suum per processum spiritus sancti ex cœlesti Aquastro accepit, ideo in Tabor monte secuta quoque est transfiguratio. Similiter, etsi Christus quoque in cruce mortuus est, Cœlestis tamen parens per officiũ spiritus S. ipsum resuscitauit. Nisi enim mortuus fuisset, prædestinationi suæ vtiq; non satis fecisset, qua Cœlesti patri multos liberos per semen suum suscitaret, qui Christi fratres & sorores essent. Et quoniã Christi pili, vngues, manus, &c. vna cum corporis incremento simul enatæ sunt: ideo iam vlterius ad Lineam & Lignum vitæ pergemus.

Maria quo diuersa fuerit à ceteris fœminis.

Christi enim corpus cagastricũ nihil habuit. Sic etiam corpus Marię Aquastrice & Necrocomice, haudquaquam cagastrice natum est. Qua causa etiam Maria nec ante, nec retro in capite fissuram suam habuit. Odit enim luxuriem Cagastricæ Naturæ, quod non ex terreno Aquastro verbi. *Fiat S. S.* nata esset. Itaq; & Cranium ipsius ante & post occlusum fuit, & Cagastricus Spiritus ac Anima animalis hominis hoc nobile pudicitiæ & virginitatis vas in desideriũ Cagastricæ procreationis minime egit, sed ad vniꝰ Christi Iesu conceptionem, quē pareret, & præterea nullum. Sic ergo adhuc Craniũ ipsius ante & retro indiuisum manet, in ternario sancto absconditum. Et hoc Spiritus sanctus aduentu suo nobis commonstrabit, vbi terræ omnes generationes plorabunt, plangent & eiulabunt. Si viderunt, quam grauiter in natiuitatem & ortum Mariæ peccarint & impegerint, quod castissimã hanc virginem, in qua omnis virginitas (mortua) est, Cagastricam generationem seu partum esse crediderint. Notandum enim est, quod non frustra persona ipsius super Luna stans pedibus suis præfigurata in Apocalypsi sit. Illo enim indicatur, ipsam Cagastricum, quod plenũ peccatis est, pedib. conculcare, & odisse. Yliastrum vero amat, hoc est, Solem, quo amicta est. Vnde nec mẽsuram Cagastricæ personæ similem habuit. Virgo enim quælibet corporis sui proportionis mensuram amittit, si imprægnata est. Maria autem, non Eua, mensuram illam non amisit: vnde etiam ex Yliastro Aquastro prodiit, & partum suum concepit. Amandatos ergo vos volo ad 11. caput Apocalypseos Ioannis: vbi plura inuenietis, qualenam templum Ioannes mensus sit. Offeretur enim vobis passio morsq; Christ ad viuũ expressa & depicta, quo scilicet pacto Cagastricum corpus Yliastricæ passionis æterni corporis Christi causa fuerit, vt in cruce moreretur. Quãquam Christus quidem secundum prędestinationem æternam verum & tangibile corpus habuerit, ac à *Longino*, cœco Iudæo, latus eius hasta traiectũ sit, vt illico aqua & sanguis proflueret. Aquastrum enim oportuit fieri visibilem. Itaq; ad Aquastri explicationem intelligendam, porro de linea vitæ tradenda pergam. *Linea illa & Lignum* vitæ dupliciter intelligi debet. *Linea* vitæ Necrocomici corporis peculiare suum Lignum vitę habet, pro quo ipsi suus cibus crescit. Et Linea vitæ Cagastrici corporis & ipsa peculiare suum Lignum vitæ habet, per quod viuit. Itaq; à cibo exordium facientes, rem accuratius explicando vnicuiq; corpori suũ desiderium supplebimus. Quodlibet enim sibi simile cibũ appetit. Tum etiã quodlibet animal, qualē stomachũ habeat, ex cibo noscitur. Quid erga per ista velim, paucis iam deinceps vobis explicabitur.

Maria cur in Apocaly. psi Lunę insistat.

Longinꝰ Christi latus perfodit.

Linea & Lignum vitæ duplex.

Notum vobis est, quod scriptura dictat, hominem non solo pane viuere, sed quolibet etiã verbo, quod per os Dei egreditur. Memores etiam estis eius, quod Christus cum suis discipulis ederit de fauo & piscibus assis. Itaq; etiam edere duplex est, Ieiuniũ enim Christi occasionem nobis amplam suppeditat, cur deinceps hoc fundamentum accuratius expendamus. Ista quidem omnia posterius plana fient. Linea saltem ac Lignum vitæ nobis præ oculis iam obuersetur. Est enim illa Iris, ex aduerso Solis ideo nobis apparens, vt videamus, quod etiã in Luna lucente (al. homine)

homine) in supremo Lunæ cœlo eiusmodo Linea sit. Et iste ≡.p. est etiam Lignum & Linea vitæ, vbi Cagastricus spiritus vitæ inde nutritur: idemq; fit in homine, quod in magno mũdo: estq; *Vu Mercurij*, sicut *Necrolei* omnes sciunt. Est autem quadruplex: vna in aqua: vna in terra: vna in aere: & Maxima visibilis in cœlo. Vnde etiam cap. 10. Ioannis Apocalyps. mentio fit, Angeli caput Iride cinctum fuisse, quod ibi prolixius legetis. Iris enim rimam *Cagastrici Aquastri* in Microcosmo denotat. Aquaster enim Naturaliter homines punire coactus est, postquam *Turba* magna hominũ vitam & flagitia diutius intueri non potuit. Ideo Iris in signum posita est, vt nos homines vniuersi non secundum Cagastricum Aquastrum, sed potius secundũ Necrocomicum Aquastrum viueremus. Itaq; ad explicationem Lunę paradigma vobis tale proponã.

Si mulier quæ inconsideranter & nullo sui respectu habito Cagastro vtitur, intẽtius aliquid intuetur, velut caput ouinũ, aut quicquid sit, aut si rem aliquam profundius imaginatur, siue cibus sit, siue quid aliud: iam præsto causa est, cur fœtui in vtero vestigiũ imprimat, quod toto vitę suæ tempore ille circumferre cogitur. Hoc exẽplum vos cõmonefaciat, vt penitius euoluatis, quidnã sit, quod edat. Si enim edere vel appetitus edendi à corpore elementari esset: tũ & mortuus homo ederet, quod colligi facile potest. Iã vero nihil edit, nisi quod viuit. Ipsa enim vita, hoc est Cagastricus Aquaster edere appetit, & edit de *Ligno vitæ*, quod *Iris* est, alias Linea vitæ vocata. Et sicut Iris illustrib. suis colorib. in Macrocosmo inuitat ad se conspiciendum: ita accidit etiam in Microcosmo, vt Linea vitæ secundum cursum temporis Microcosmici syderis singulis 24. horis semel nascatur, vnde Aquastricus homunculus edit more Cagastrico Lignum vitę, & eodem quidẽ loco, vbi Linea vitæ patens est. Iam quæritur, quis iste cibus sit? Sic attendite iam. Homunculus aut Aquaster, hoc est spiritus hominis animalis, edere debet, & non solo Cagastrico pane viuit, sed etiam quolibet verbo quod per os Dei egreditur. Verbum autẽ quod per os Dei egreditur, est Æternum, id est, verbũ *Fiat*, ex quo anima Adami cõdita est, velut in Euangelio Ioãnis clare scribitur, quod *Deus verbum* fuerit, & adhuc sit. Et illud verbum caro factum est.

Porro vobis etiam constat, qui flos ex herba enascatur, & in se contineat nobilissimum odorem & rorem, ex quo nobili rore apes mel cõficere admodũ auidæ sunt. Eædem etiã auidæ sunt multum mellis cõgerere, quia ex melle sunt & nascuntur. Itaq; mel iterum edunt, & denuo se tingunt ex eo, ex quo suũ corpus habent. Et veluti exiles mole, magnũ tamen mellis thesaurũ cõportant: ita & Aquaster, ipse inquã, non alius, tẽporalis Cagastrici cibi auidus est. In caduco tamẽ illo cibo Cagastrico, cib⁹ Aquastrici corporis, *verbum Fiat*, *Cagastrico* primũ Homunculo per Mercuriũ vitę administratur, & in illo Mercurio est verbũ Fiat, quod ex ore Dei egressum est, & adhuc egreditur. Sic quoniam anima ex Cœlesti Aquastro condita est, hoc est, ex eo corpore, ex quo factus Christus est: sequitur inde, quod etiã Necrocom. anima quotidie verbũ Fiat edat. Et sic non solo pane, sed quolibet verbo, quod per os Dei egreditur, viuat. Verbũ Fiat sustentat eius vitam dissolubiliter, nisi secũdo tingatur per Limbum Adami secundi, hoc est, per aquam & spiritum in cœna Christi. Alias enim de æterno moriens abit, & ex Paradiso eiicitur. Id enim, si non credit, ei mors fit. Quanquã fides non Cagastrico Aquastro, sed Yliastro imponatur. Eius autẽ, quẽ Cagastricus Homunculus, instituit seu perficit, cibi tantum aspectus est, & similis apparet Homunculo in forma Iridis. Quod si deinde Cagastricus cibus in hominis stomachum descendit, alimentum optimũ more Mercurij instar fumi sursũ dat. Tunc in Oesophago vapor & fumus ille ascendit, & secum tacite latentẽ spiritũ Limbi, ad Cagastricũ corpus Cagastrici Aquastri ducit aut vehit. Priusquã autẽ Cagastricus Homũculus illud concipit, columellam in collo attrahit instar nobilis ex rosa odoris. Tum demũ sub Linea vitę separatur, vbi Cagastricus spiritus sibi simile, Fiat, assumit, & Necromãticæ animæ prębet verbũ Domini. Vt ergo Homunculus & Cagastricus Aquaster publicum suum ius exsequi possint, ideo Deus prohibuit nimia crapula se implere, quo verbũ Fiat, quod æternũ, & cibus anima est, non in abusũ vertatur. Fermentũ enim est Christus, & verbũ Domini est verbum patris, quod factum est materiale, & materialiter est cibus animæ. Et sciendum est, verbum id essentialiter, substantialiter, in re qualibet inesse, & habitare, quemadmodum & anima. Sic anima Necrocomica edit Mannã cœli, hoc est, materiale, substantiale verbũ Domini: & anima Cagastrica, hoc est, media & vera anima animalem cibũ edit: & anima, quæ ex Deo ac ipsius materia, edit ex Limbo, ex quo facta est, hoc est, ex Deo: Et Tertiũ esse, Salis Nitri dictum, sunt musculi omniũ partium, qui edunt cibum Salnitreũ, particulariter, non vniuersaliter. Qua de causa etiã particulariter incipiam de proportione corporis philosophari, vnius cuiusq; musculi proportionẽ descripturus, & peculiarem propriumq; cuiusuis cibũ explicaturus. Particulare id ideo primum proponã, quia est multiplex per quaternariũ & ternarium. Salnitreũ autem illud esse distribuam in partes quatuor, etiã in partes tres vbi Sal, Sulphur & Mercuriũ descripturus sum. In quatuor partib. esse elementorũ quatuor expeditũ. Hoc autẽ volo, vt ne credatis quatuor Elementa esse. Minime enim quatuor, sed vnum tantum est, in quatuor tamẽ corpora diuisum, hoc est, pars vna habitat in terra: pars altera elemẽti habitat in aqua: pars tertia in aere: pars quarta in cœlo. Stultus ille homo est, qui vel 4. vel 3. vel 2. Elementa credit. Hoc enĩ nihili est. Rei causa hęc est. Homo viuit ex omnib. quatuor virib. vnius elemẽti, & easdem etiã essentialiter in suo corpore habet, hoc modo. Terrenam Elementarem essentiã in carne habet, in musculis, in sanguine extra venas. Aqueam autem Elementi partem habet in sanguine venarum. In sanguine magnam etiam partem habet essentiæ aeris: Maxima autẽ pars aeris est in stomacho & intestinis. Et de aere omnium maxime & exquisitissime philosophandum est, plus quidem quam de vlla alia parte, vt Physica de corpore Physico integre & non mutile cognosci possit. Qua de causa etiam omnium prolixissime de aere tractaturus, & discursu illo caput integrũ consũpturus sum, quod fusius in aliquot volumina distrahetur. In aere enim est vis vitæ omniũ siue ea Cagastricæ vitæ sit, siue alterius, quam SS. Nitri appellamus.

Elementũ tantũ vnum non 4.

Quantum ad quartam Elementarem essentiam, ignem attinet, habitat ille in omnibus ossibus, & in eorum medullis, fines & vltimam regionem habens in corde & capite, vnde Elementũ scaturit, in oculos ad visum, in Cagastricum Aquastrum, ad vitam eius, in Essentiam Salnitream, ad eius vitam, sanitatem, morbos, denique omnia accidentia, bona & mala.

DE LIGNO ET LINEA VITÆ PER △ Ternarium.

DE hoc tali Philosophia disquiramus. Sulphur est Lignum vitæ, habetq; ac facit Lineam vitæ in homine, & extra hominem, hoc modo. In homine multiplex Sulphur est, quia is ex multiplici sulphure compositus est. Vnius sulphuris ea est Natura, vt officium suum versus orientẽ exsequatur. Aliud in homine sulphur reperitur, quod suam naturam, essentiã ac officium præstat versus occidentem. Tertium versus meridiem. Quartum versus septentrionẽ.

Itaque de Linea & Ligno vitæ tractaturus, initiũ faciã à meridie, & fissura magni characteris hominis, anterius in fronte viri. Nam hinc Philosophiæ nostræ exordium dabitur.

Fissura quomodo in Elemẽtis. Fissura ea non in solo homine, aut eius cranio, sed etiam in omnibus herbis reperitur, velut & in Elemẽtis omnib. Vt in Aqua est Linea, quam Ileidam (al. Mediam) vocamus, vbi duæ aquæ diuiduntur, & lineam constituunt, quod in Oceano & Mari videre est. In Aere & Igne est Iris. In terra sunt Motus terræ, id est, pulsus fiunt. Cur vero in homine is toties fiat, hæc causa est, quod Aer Microcosmi vno die, ne quid de anno dicam, frequentius & iteratus reuoluatur, quã in Macrocosmo 1000000. annorũ circuitu vertitur. Is nimirum pulsus est, & est vita Cagastrrica, ita, vt Sal nitri, velut Musculi peculiarem etiam ac particularẽ vitam ac pulsum habeant, Hinc si putredo in brachio, pede aut aliquo corporis musculo oritur, tunc vita aduersa gignitur, quam nos morbum vocamus: alias vocatur Hirbel. Si consistit in Venis, vocatur *Hirbel Aquastri Cagastri*. Si est in sanguine extra Venas, hoc est, in carne, est *Hirbel Igneus*. Si est in stomacho aut intestinis, aut aliis membris aeris, vocatur *Hirbel Ares*. Quid autem Ares sit, dicere hic nihil attinet, cum ad Philosophiam aliam spectet.

Pulsus cur in semine frequentior terræmotu.

Hirbel quid & quæ eius species.

Pergens itaq; de Linea, dico, in qualibet herba est Linea versus Meridiem. Non tamen in qualibet herba est Linea occidentis & orientis vel Septentrionis, quod studiose obseruandum est. Hic breuis introitus sit pro herbis. Porro ipsa quoq; animalia cum sua forma spectate. Pisces nimirum Aquastricam suam rimam aut Lineam vitæ gerunt pone, ad occiput. Fere gerunt rimam Igneam. Ibi variorum eiusmodi animalium capita inspicite. Sed & animalia fera volatilia rimam hanc duplicem ferunt. In capite & cauda. Notatis id in pauonibus, qui pennarum fulgore colorem Iridis referunt, vnde etiam caudam suam in orbem concinne rotant. Et sicut pennæ Pauonis Imaginationem eriguntur, ita etiam per imaginationem animæ maioris mundi, Iris in cœlo apparet in aqua: Aquæ æstuant & intumescunt, quod à Luna fit. Ideo linea vitæ maioris mundi sese exhibet.

Sic etiam omnes colores, omnes flores nihil sunt aliud, quam indicia terrenæ rimæ & Iridis. Et numerus foliorum cuiuslibet floris indicat ad quam regionem flos pertineat. Sic quinque folius flos aut ipsius vis refertur ad Quinarium. Paulo post de cœlo Lunæ numerare incipiemus, quodnam Quintum cœlum post Lunã in Microcosmo sit. Porro ergo virtus florum, quatuor tantum folia habentium, ad cœlum Quartum spectat. Hic ordo Cabalæ erit, vt 3. ad 3.4. ad 4.5. ad 5. referantur, quolibet numero, suo cœlo assignato, quod quidem cognitu facile ac promptum est.

Sequitur iam in Linea vitæ consideratio cuiuslibet herbæ altitudinis, quę Cabala est. Huc facit baculus mensuralis. Porro in homine duo cœli reperiuntur: Luna cerebrum, cœlum Cagastricum, & cor hominis, Yliastricum Necrocomicum cœlum. Cœlum in corde hominis modis omnib. est verũ cœlum Essentiæ æternæ, vnde anima ne semel quidem egressa est. Vera enim anima semper in suo folio immota sedet. Sicut nauis quidem à loco vno subinde ad aliam mouetur, nauta tamen in naui immoto manente: ita & anima, ex Deo Patre suam substantiã sortita, radice sua semper in corde defigitur & tingitur Manna cœli per verbum, *Fiat*. Manna ea à Cagastrica anima ipsi preparatur, velut apes preparant homini mel. Et sicut in melle verbum domini Substantialiter, Materialiter, Essentialiter adhuc est, ex quo Cagastrica anima formatur: ita etiam Cagastrica anima in capsula cordis Cagastricum suum cibum, quem Mannam vocamus, retinet, & veræ animæ Mannam cœlestem porrigit. Vnde sequitur, ipsam quoq; animam per corpus Christi tingi & fermentari oportere. Corpus enim Christi est summa & genuina Manna & fermentum ad vitam æternam.

Cor hominis cœlũ Essentiæ æternæ.

Hæc iam sit sententia (introitus alias) Physice tradita de anima Microcosmi Essentiæ, arboris cognitionis Boni. Cagastrica namq; anima cognitionem boni integram non habet. Vnde etiam Cagastrica natura à Christo arbor scientiæ mali vocatur, & sic in Adamo ac Eua Cagastrica ac animalis anima ante lapsum à Deo Patre nondum creata fuerat. Adam enim non genitus, sed creatus erat, secundũ animalem rationẽm loquendo. Cæterum de Philosophia nostra hoc vos indicare velim, intendere nos ex Angelica & Cabalistica scientia vobis tradere fundamentum, quod Adam per animam maioris mũdi conceptus sit per verbum *Fiat*, non secus, ac quilibet homo à viro & fœmina per fœminam concipitur. Matrix enim animæ maioris mundi, & matrix animæ minoris mundi nullo discrimine distant, sed vnum sunt, non distincta, quod tali discursu probamus.

Arbor scientiæ boni & mali est Cagastrica Natura.

Compertum vobis est, Animam Cagastricam maioris mundi, quæ Sol est, in causa esse, vt, quoties Sol nouum signum ingreditur, toties fœmina Menstruum emittere cogatur. Quoties enim anima maioris mundi menstruum patitur, quod nos Ares paruum vocamus: toties quoque minor mundus hoc est minoris mundi compatitur. Nam idem sunt. Et notate. Sicut Aquaster Salis nitri, hoc est vita musculorum hominis super vrina vesicæ fertur, & vir aduersus Lunam maioris mundi aquam reddit, maxime si id in

Ares paruum quid.

in oppositione & coniunctione fit, ita tunc Luna ab Ermel linea sulphuris, Salis & Mercurij partem vnam lineæ vitæ oblique attrahit in vesicam. Itaque quælibet etiam fœmina, quæ à tali viro impregnatur, filium concipit, qui nec Cagastricam nec Necrocomicam animam habeat. Vnde etiam dierum 30. spatio ex corpore & matrice fœminæ expellitur. Est enim Salnitreum, & non Cagastricum. Et sicut mare ac vesica Microcosmici corporis cadauer nullum vltradiem naturalem intra se retinent, quin id eiiciant in terram: ita mulieris quoque matrix Salnitreum illud menstruum retinere non potest, sed mensis spatio foras in auram eiaculatur. Matrix enim Macrocosmicæ & Microcosmicæ mulieris eadem est. Vnde sequitur etiam, quod Enur matricis minoris mundi mortuum sit, si Enur matricis maioris mundi granum vnum vitæ amittit, cuius rei explicationi breue caput debetur.

ENVR est vis & robur, & spirituale semen roboris, vniuscuiuslibet arboris radicis. Quamprimum enim arboris radix periit: tunc & rami, & fructus, adeoque tota arbor periit: Similiter & matrix, quæ nihil est aliud, quam ramus Veneris in cœlo. Enur enim matricis maioris mundi est Venus & Luna: & illius radicis ac arboris ramus est quælibet matrix cuiuslibet fœminæ, id est, Veneris, maioris mundi. Et sicut pyrum est fructus arboris, ita etiam matrix cuiuslibet fœminæ pyrum est & fructus suæ arboris, & arbor ista est Venus & matrix maioris mundi, in partes tamen 4. distributa secundum 4. Elementa. Et matrix parua minoris mundi fructus est & ramus matricis aut arboris, quæ matrix est. Et sicut homo non nisi hominem generat: ita matrix etiam maioris mundi nihil aliud, nisi matricem minoris mundi generat. Et sicut ex vna arbore pyra multa dependent, quorum vnum altero citius decidit, cum vnum altero citius etiam maturescat; eodẽ plane modo quadruplex etiam arbor matricis maioris mundi multos ramos & fructus fert, qui nihil quam matrices minoris mundi sunt. Itaque oculos conuertite ad arbores maioris mundi: hic interdum arescit ramus, vt fructus non proferat: illic interdũ arbor à grandine aut re alia verberatur, vt rami nonnulli decutiantur & emoriantur, vt arbor non quidem penitus sed suprema tantũ parte exarescat. Sic etiã interdum accidit, vt & minoris mũdi radix instar matricis maioris mundi fructus non ferat, aut tota emoriatur, Ramus enim seu frons radicẽ suam quã proxime apud caudicẽ habet, ex quo frons enata est: Id nos vocamus *Enur Cagastri & Ili*: Necrocomice. Itaq; si *Enur & radix* frondis matricis maioris mundi exarescit & emoritur, fit, vt matrix etiam minoris mundi sterilescat & emoriatur. Quod quatuor modis fieri potest, vt supra dictũ est. Et quemadmodũ magni mundi radicis noxa ac venenũ, matrici quoq; minori veneno & morti est: ita nec minor matrix, quod mortuum est, tolerare potest. Quam enim ipsi grauis mors ipsa est: tam grauis eidem etiã est res mortua. Et quẽadmodũ viuens odit mortuum: ita Adamus etiã in viuo suo semine mortiferam tentationẽ serpentis sustinere non potuit, sed mortale eiecit, & eiectus ipse quoque est. Sic iam Adam rimam in fronte contraxit: & rimam contraxit etiam maior mundus. Ea est Linea vitæ nostri principij.

Deinceps iam vobis doctrinam aliam impertiam, cur ni mirum hæc linea sit, quid denotet, quo modo in creatura qualibet noscenda, & ad quid vtilis sit, & quomodo per characterem huius lineę id noscatur non in viuentib. tantum, sed etiam mortuis rebus, velut in herbis, arboribus, & omnibus terræ fructibus. Rem sic in vnum conferemus. Certa prostant indicia, Mundi animam ingenio adeo miro & solerti esse, vt imaginatione omnia exprimat, quæcunq; homo noua & inaudita operatur, facit aut proponit, siue in pictura, siue sculptura, siue artificiis aliis similibus sit. Hæc omnia quoque anima maioris mundi per similis fructus & viuentis creaturæ generationem æmulari solet, quicquid sit, nullo excepto. Exemplo nobis sunt mulieres. Quæ si noui quid aspiciunt, & adeo admirantur, vt sui ipsius obliuiscantur: tunc per imaginationem illam fœtui quoq; suo signum illud imprimunt. Anima ergo Cagastrica animæ mũdi maioris; & anima cagastrica minoris mundi eædem & similes sunt sibi inuicem, & quoad imaginationem, inter se omnino conueniunt, Vt Simia, quæ ab homine fieri videt, omnia æmulari studet: ita ingeniata est etiam matrix animæ maioris mundi cum suo fructu in aqua, vbi recens natus piscis signũ ferre cogitur eius, quod anima maioris mundi vidit. Et imaginatio ea fit in quatuor Elementis, aliusque fructus gignitur in aqua, alius in aere, alius in terra, alius in cœlo. Iam si anima mundi aliquid noui imaginatur: fit, vt signum illud, ceu Cometa, in cœlo appareat. Sic & in aqua prius inauditi pisces prodeunt in aere antea non visæ volucres, in terra insoliti vermes: quæ præsagia sunt, prout ab homine cognoscuntur. Et quemadmodum recens natus fœtus suę matris immoderatam imaginationem expiare cogitur: ita Adam etiam ac Eua in vna carne filij fuerunt matricis & animæ maioris mundi, quantũ ad corpus terrenum. Vnde circumferre etiam coguntur signum, quod Imaginatio & anima maioris mundi ipsis impressit. Vtriq; enim erant in aqua. Ibi assumebant prima signa imaginationis Matricis suæ maioris mundi, quod nulla eiusmodi creatura ante Adamum & Euam à Mundi anima, ceu dictum est, prius visa esset. Sic Adam ac Eua animæ maioris mundi admodum noui & insoliti fuerant. Vnde etiam Macrocosmi anima in duobus illis creaturis sese nimium intuendo ipsam oblita est. Et sicut minor anima Microcosmi in muliere fœtui tale signum imprimit, vt is monstrosus fiat: ita Adam etiam ac Eua, filius & fructus Matricis Macrocosmi erant; & monstrosum in suo corpore signum nanciscebantur. Illud quidem ex matrice Macrocosmi super aqua in Adamo ac Eua nondum apparebat. Quamprimum vero in terram producti arborem attigerunt, notam eam adepti sunt, & Aquatile terrenumque signum vna conspiciebantur. Sic & in Microcosmi sobole vestigium nullum apparet, quamdiu intra matris vterum clauditur. Vbi autem in mundum editur terrenum signum illico ipsi imprimitur,

mitur, vt appareat. Similiter & Adam ac Eua, postquam instinctu serpentis arboré attigerunt, terrenum signum illius imaginationis adepti sunt. Et Macrocosmi anima æque ac anima Microcosmi fœtus erat. Qua de causa Satanas geminos istos fœtus facile seducere potuit.

Porro notandum est, Adamum omnium ante se creatorum animalium Imaginationem, animam, naturam ac formam sibi quidem insitam habuisse, nullum tamen particulariter in ipso cum sua natura erupit, aut in Adamo se exserere potuit. Ipsorum enim multa in vnum composita fuerant. De hoc deinceps ita attendite. In Adamo ac Eua omnium etiam herbarum formæ & Essentiæ Essentialiter creatæ fuerunt, & adhuc sunt. Iam sicut videtis, eas omnes in hominis vsum creatas esse, vt corpus eius tingant ex infirmitate ad sanitatem: sic quoniam Diabolus id sciuit, nec mandati insuper à Deo Adamo ac Euæ dati, ne de arbore vetita ederent, ignarus fuit, prooterea magno molimine conatus est arborem vetitam adulterare. Cuius rei conditio hæc est. Creauit Deus hominem non ad vitam hanc terrenam, sed cœlestem, vt is sui creatoris maiestatem aspiceret, cognosceret, & prædicaret, sine fine in æternum. Intra seipsum ergo deliberans dixit: *Non est bonum, hominem esse solum, faciam ei adiutorium.* Eo verbo Deus, metuens lapsum Adæ & Euæ, filium suum Christum adiutorium intellexit, vt damnato & eiecto Diabolo aduersarium suscitaret, qui duobus hominibus Adamo ac Euæ opitularetur, vt illi eo fortius Diabolo resisterent. Et hoc factum est, propter nouam generationem, & nouum corpus. Præsciuit enim Deus fraudem Satanæ, adeoque metuit, vt creaturam suam decipere conaretur. Vt ergo terrenus homo solus non esset: Deus creator ipsi Adamo adiutorem creauit & fecit in cœlesti Aquastro, qui Christus erat. Is non carni terrenæ Adami adiutor factus erat. Minime. Caro enim terrena nihil est, nisi cœlum & domicilium veri cœlestis hominis & ipsius Necrocomicæ animæ, quod & adhuc est. Et verbum illud, *Crescite & multiplicamini*, non terreno, sed nouo cœlesti homini dictum est. Hanc multiplicationem & incrementum expendens Satanas, lapsus sui & eiectionis terrore perculsus, impedimentum illi obiicere molitus est. Respexit enim ad radicem arboris cœlestis noui hominis, animam nempe Necrocomicæ & cœlestis naturæ. Itaque radicem illius arboris, quæ est anima ex Deo, ex qua fructus ad vitam æternam enasci debebat, adulterare & corrumpere, conatus est, hoc modo.

Adam ad vitã æternã creatus.

Christus adiutorium Adami.

Nullum semen ferre fructum potest, nisi in agro aut terra intra seipsum emoriatur. Post mortem seminis, multa illius grana proueniunt. Ea vero seminis illius mors vera non est, sed potius auctio quædam & multiplicatio vocanda. Iam si mors illa debet esse multiplicatio: agrum certe oportet esse bonum. Qualecunque enim semen sit, fructum bonum in malo agro ferre minime poterit.

Sic ergo Adam est caro terrena, seu ager, in quo semen, tanquam in bono agro fructus proferre, debet. Hunc agrum Satanas corrumpere cogitauit, cum arborem *Coralli* inficeret. Id qui factum sit, peculiari capite explicabitur.

Porro opus est, vt quælibet arbor vitam in se contineat, modo fructus ferre debeat. Vitam concipit arbor ex agro. Quod si ager ipse vitiosus & mortuus est, tunc & semen moritur, nec fructus profert. De agro ergo & semine hoc notate. Satanas agri S. Nitri, & illius vitæ satis gnarus fuit. Sed de vita & anima Cagastri, sibi non cauit: ideo deceptus est, ita. Constitit ipsi de multiplicatione Necrocomicæ animæ, cuius anima est verbum Domini, & excrementum eius est cibus animæ Yliastri, sicut apes nobis præparant mel, quod nobis & Cagastricæ nostræ animæ admodum sapit.

Iam vero vita hominis est triplex: Necrocomica, Cagastrica, & Salnitrea. Sic etiam triplex cibus est. Ideo Salnitreum hominis cibum corrumpere tentauit. Cagastricum enim corrumpere non poterat, quod nesciret, illius cibi essentiam esse verbum domini. Credebat ergo, Salnitreo cibo corrupto, ipsum quoque Cagastricum corruptum iri. Et cum secum expenderet, duplicem hominem Adamum, non tantum quouis verbo ex ore Dei egresso viuere, verum etiam cibo Salnitreo: cogitauit allicere hominem ad cibum Salnitreum, & non cœlestem. Hinc videtis, quomodo ipsum Dei filium ad Salnitreum cibum sollicitarit. Cum enim ipsum videret esurire cibum cœlestem, ad cibum caducum ipsum deducere voluit, ita iubens: *Dic, vt lapides hi panes fiant*, Ideo Salnitreus cibus ingestus nimium noxam accersit: cum copia illius cibi homini impedimento sit. Mandauit ergo Christus hominibus, vt ieiunarent & orarent, metu Diaboli, vt ne vita cibi Salnitrei Spiritum Cagastrici cibi suffocet, & sic corporis Salis nitri incrementum pergat. Hac de causa Salnitreo corpori modus ac mensura data est, quantum & quousque crescere debeat. Cagastricæ autem animæ modus plene nullus datus est, nec magnitudinis, nec temporis. Et hæc est mensuratio, quam Ioannes in Apocalipsi in templo fecit. *Lege 10. & 11. cap. Apocal.*

Vita hominis triplex, vt etiam cibus triplex.

Solum autem Salnitreum corpus Essentiæ Salnitrei cibi capax est. Hinc iam sequitur, quod & Cagastrica anima finem nullum vitæ temporalis habeat. Ideo solum Salnitreum corpus mensuram suam post lapsum amittit in collo. Imaginatio enim animæ Yliastri est semen, quod à Cagastrica anima concipitur, & in matrice, hoc est stomacho matricis Cagastri emoritur, & digeritur ac corrumpitur ab Archeo, *Yliastri & Cagastri*, vt multos fructus & grana proferat. Sic iam matrix est Stomachus Cagastri minoris mundi, quem fœmina in sinu & matrice spiritualiter gerit extra capsulam suam eo tempore, quo fœmina semen in spermate Salnitreo concipit, Matrix ergo illa scortationi impendenda non est. Cæterum Adam dormiit, cum Eua ex ipso conderetur. Ibi semen Yliastri sibi ipsi matrix exsistit, sui agri, in quo Yliastricum semen mortuum, putrefactum & multiplicatum est. Ibi enim ex vnario factus est Binarius: & sic vnarius, id est, semen

semen Yliastri, Agrum Cagastri genuit. Hoc factum est dormiente Adamo. Eua ergo in capsula concepit animam Cagastricam, velut & corpus Cagastri: Stomachum autem Cagastri ante lapsum in capsula habuit, vt Adam. Post lapsum vero semen id Cagastri in vterum asciuit ab Adamo. Matrix enim aut Stomachus digerere semen nullum possunt, nisi id prius stomacho detur. Sic nec Stomachus quicquam digerere potest, nisi id habeat. Hoc modo digestio illa & Archeus animæ Cagastri in matrice existit. Materia tutem corporis Cagastri non est in matrice & stomacho animæ Cagastri sed ei à viro demum inditur. Et notandum est, virum ferre semen Animæ Cagastri: fœminam autem, non nisi semen S. nitri autem S. nitri animam Cagastricam concipit. Et hæc est compositio Limi hominis.

Res ergo hoc se modo habet. Si mulier sola, sine viro, imaginando emitteret Sperma. S. nitri: matricem suam impregnaret fœtu salnitreo, qui Mola est, & monstrum. Qua de causa etiam serpens Satanas adeo sollicite fœminas impellit Basiliscicas imaginationes ipsis imprimendo, vt ad Salnitreum Sperma animam & materiam intendant, & appetant. Nouit enim sibi concessum esse, monstrosa animalia per Imaginationem maioris & minoris mundi obsidere, & in ea sese ingerere. Studiose ergo id in coniugio agendum est, vt ad normam precationis Dominicæ illud colatur, vbi oramus: *Domine tua voluntas fiat, non nostra.* Tenendum etiam est, Imaginationem vsque adeo esse fortem, vt si vir de speciosa fœmina tantum cogitet, cogitatio & imaginatio eius illico tam valide tingatur, vt noctu per somnium aliter ei non fiat, ac si cum speciosa fœmina rem haberet: quo actu semen quoque Cagastri & S. nitri ipsi decedit. Sed & hoc ipsum Deus quoque auersatur. Nam quam primum homo huiusmodi Imaginationem concipit, & in actum deducit, tunc in Cagastrica ipsius anima quidam veluti somnus oboritur. Et somnus iste est mortificatio Cagastrici grani & seminis, estque pars de Paradiso, in quo Adam ac Eua fuerunt. Nam, sicut per Imaginationem suam nouit homo hortum, in quo fructus boni & suauia poma crescant, ipse tamen hortum ingredi non potest, vel ex causa non audet, quia hortum adire ei interdictum est: tunc fructus ille quidem auide expetet, ingrediendi tamen licentiam non habebit. Precando autem apud hortulanum id impetrat tandem, vt manum vltra septum exserendo, fructus aliquos decerpere ei liceat. Etsi autem is hortum quidem ipsum ingredi minime audet, sed tantum forinsecus immissa manu fructum carpit, seque illo cibat, ac ex ipsius fructus gustu percipit, illum in isto horto enatum esse, ex quo fructum petiit: attamen fructus iste gustus naturam terræ horti refert.

Hociam accommodemus Adamo ac Euæ. Hi in tali horto, Paradiso, poma & fructus ipsi erant, ex Limbo Domini, qui est arbor Coralli producti. Sapientibus autem vniuersis notum est, Adamo ac Euæ interdictum fuisse, ne de arbore illa gustarent. Et tamen illi instinctu Satanæ mandatum id transgressi sunt. Hac de causa ex Paradiso eiecti, & extra hortum, in quo boni fructus creuerant, exclusi fuerunt: velut & paulo ante Exempli specie diximus: & tamen illi ipsimet fructus erant. Post eiectionem hanc Adam ac Eua, vbi Satanæ paruissent, Essentiam arboris sibi imaginando, scientiam boni & mali consecuti sunt, ac tum demum, quidnam perdidissent, nimirum suauia poma & fructus, apud se penitius expenderunt: velut & somnium Paridis ad hoc intelligendum non parum conferet. Quod equidem lapsui EVÆ & ADAMI accommodabo, eique peculiare caput assignabo.

Sic ergo Adam ac Eua appetitum & desiderium cœperunt ad fructus in horto seu paradiso, cui adhuc obnoxij sunt. Appetitus iste quomodo se in Adamo habeat, quilibet in se iuuenis sentit ipso, si speciosam fœminam intuetur. Eadem & fœminæ ratio est. Ipsa enim hortum, in quo Adam creuit, natus ac genitus est, secum adhuc particulariter fert in sinu suo, qui est matrix minoris mundi. Porro Eua in sua matrice gustum ad huc habet Essentiæ Terræ *Limbi Cagastri*, quæ & ipsa pars de horto est, in quo Limbus Animæ Yliastri Necrocomico more creuit. Adam autem partem optimam de Essentia Limbi æterni habet, si cum Eua conferatur. Qua de causa Adamum etiam tantopere amat, hoc est, amat tantopere id, quod in Adamo est Limbus æternus. Nam & Adam spiritualem Cagastricum Limbum, & stomachum Cagastri Matricis amat. Limbus enim iste Limbum æternum adhuc resipit. Sic Adam semper aspirat ad horti pomum, hoc est, ad matricem, ex qua egressus est. Nouit enim gustum pomorum, quæ in bono fundo Paradisi Dei creuerunt. Et quia Adam partem aliquam de Limbo æterno retinuit: ideo & Eua appetitum desideriumque habet limbi æterni, qui in Adamo est. Et hunc appetitum male impendi Deus prohibet. Hoc namque modo quilibet infans ex matrice expellitur, ex paradiso minoris mundi. Sicut autem superius diximus, hortum hunc Adamo fuisse interdictum: attamen, etsi quidem ingredi non audeat, manum tamen potest immittere per septum, & poma carpta degustare. Itaque etsi Adamus manum quidem suam, virgam Aaronis, in hortum, Matricem, Paradisum inserat: ipse tamen toto corpore minime ingreditur. Sic ergo matrix minoris mundi hortus est. Septum autem ipsum cingens, est totum Salnitreum corpus Euę, conditione Microcosmica. Porro sicut homo lapidem manu compressum abscondit, eumque cum manu in aquam immittit, manum autem extrahens, lapidem in aqua relinquit: sic etiam Adam semen Cagastrice, Necrocomice, & Yliastrice ex virga Aaronis elabi sinit in matricem, in hortum & paradisum, hoc est, in stomachum Cagastri, qui spiritualiter in matrice mulieris est, manumque, virgam Aaronis, inde rursus extrahit.

Sed alia adhuc abscondita Philosophia detegenda est, vt sensus huius Philosophię planior sit, & magis acuatur, hoc modo. Dixi de homine, qui manu lapidem pręhendit, ipsumque cum manu in aquam abdidit, & manum rursus

rursus extrahit. De hac aqua curiose attendite. Spiritus Dei, in creatione mundi & Adami ferebatur super aquis, & aqua erat sepes Paradysi. Spiritus autem Dei erat appetitus & fructus bonæ arboris ad illum hortum. Et semen fructus illius arboris, boni fructus animæ Yliastri, cinctum erat regno (*al. consilio*) Dei, & regnum Dei cingebat spiritum Dei: spiritus Dei erat semen animæ Yliastri: Regnum Dei autem est & erat verbum Domini, *Fiat*, quod omnibus adhuc inest. Ideo Deus etiam non vult, vt verbum Domini meretricum semen circumdet. Spiritus enim Domini est Sol, per quem spiritus Dei, semen Yliastri animæ Nicrocomici hominis maturatur. Verbum Domini est regnum Dei, quod nullum semen meretricium cingere vult. Quod si fiat: grande peccatum est. Porro, vt spiritus Dei ferebatur super aquis, & matrice maioris mundi: sic etiam fertur semen Adami Cagastri in quo Limbus æternus & spiritus Dei, semen animæ Yliastri occulte habitat & considit, super aqua & matrice matricis minoris mundi. Et hoc primum fit in Adamo. Semen id prius in Adamo ipso fertur super aqua capsulæ cordis, putrescitque & moritur in Paradiso, hoc est, capsula cordis, quæ matrix animæ Yliastri est & fit Necrocomice, moriturque in momento, & putrescit repente in capsula matricis Adami, & velut granum in agro multiplicatur, quod surgens multa grana in caule suo & Ares fert, prout Archeus animæ Cagastri Ares Yliastr. præparat. Hoc modo anima Yliastr. seminatur in agrum & stomachum animæ Cagastr. ibique putrescit, & moritur. Et licet terra nullum fructum intra se fert, sed illum protrudit, & in conspectum profert: corpus tamen fructus saltem videtur, cum Essentia Archei fructus à nemine conspiciatur. Sic verbum DOMINI est Archeus, quem non videmus. Ita Archeus animæ Cagastri ex capsula, ex Paradiso ADAMI protrudit semen Ylia: ex aqua in aquam capsulæ super vesicæ aquam, per peculiarem ad id paratum ductum. Et quoniam ob insignem perspicuitatem semen Ylia: in Diaphano semine & spermate animæ Cagastri videri potest, ob id Archeus animæ Cagastri, id est, verbum DOMINI præsto est, & semen ex vesica per virgam Aaronis, in qua coralli creuerunt, exigit in matricem & Paradisum, & vice tertia ad quam redit, & tertio fertur, spiritusque ac verbum Domini semper præsto sunt, vt ne meretricij actus instituantur. Vide exemplum Tobiæ, & lege totam historiam, quæ frustra annotata non est.

Sic ergo semen hoc regno Dei, hoc est, verbo Domini circumdatur. In fœmina porro iste Limbus non est: inest tamen ipsi Limbi spiritus. Iam ergo docebo vos quomodo spiritus ille inuisibilis sit. Nos enim matricem illius spiritus in hac vita non videmus. Quis enim videat, quod ante ipsum fuit? Nos omnes ex matrice processimus: nemo tamen illam vidit, præter solum Deum, & Adamum ante lapsum. Hæc tamen notitia post lapsum ipsi excussa est. Matrix ergo hæc ante ipsum hominem fuit. Et licet homo ex ipsa egrediatur, continenterque ex illa producatur: nobis tamen omnibus ea inuisibilis est. Maior & minor mundus quoque ex matrice natus est: & sic consequenter omnes creaturæ. Pro his ergo vobis explicaturus sum quid matrix sit, idq; gratia Lineę vitæ.

Est ergo MATRIX, ex qua homo nascitur & producitur. Oportet itaque ibi inuisibile esse, quicquid in quatuor Elementis continetur. Matrix enim malæ arboris Diaboli est extra Elementa, de qua re peculiarem librum conditurus sum. Et matrix verbi Domini est in Elementis. Et quemadmodum vniuersus Macrocosmus Matrix est rerum omnium crescentium, ita etiam matrix est in corpore mulieris. Has duas matrices eadem Anatomia tractare, nos vniuersi sciamus. *Nota.* Antequam cœlum & terra crearentur, spiritus Domini ferebatur super aquis, & supra se hoc verbum Domini, spiritum Domini, portabat. Aqua hæc erat Matrix, aqua viuens, non quam oculi vident, sed verbum Domini, quod Cagastr. oculi non vident. De hoc hęc Philosophia tractat. In ea autem aqua, quam nos videmus, genuinum aquæ Elementum est, hoc est, verbum Domini, Fiat, quod naues in aqua portat seu suffert, &c. Matrix quid.

Hæc ferebat etiam spiritum Dei, & in Aquositate illa creabatur cœlum & terra, & in nulla alia matrice. In hac ferebatur spiritus Dei, hoc est, spiritus Dei, qui in homine est, quem ceteræ, omnes creaturæ non habent. Propter hunc spiritum, ne solus esset, dicebat Deus: *Non est bonum, hominem esse solum, faciemus ei adiutorium.* Iam sibi ipsi, spiritui in Adam, Eua adiutorium facta est, hoc est, Maria ooo ooo ooo. & spiritus DOMINI, in ipsa, in ipso. Ideo spiritus Dei in hominem penetrat, & ex Deo est, & ad eundem reuertitur. Cum ergo mundus nihil esset, nisi aqua, & spiritus Domini ferretur super aqua: aqua ea facta est mundus. Ea iam matrix est mundi, & in eo omnes pręterea creaturæ. Iam vero, omnia adhuc in matrice hominis erant. In hac creabat Deus spiritui suo domicilium, in carnem illius hominis. Matrix vniuersus mundus. Eius semen erat Limbus, semen in quo totus mundus consistebat. Et hæc primi hominis origo est. Deinceps autem homo ab illa matrice separatus est, & ex illo ipso facta matrix est, quæ est fœmina, quæ in posterum nihil est aliud, quam matrix, totus mundus, & in illo est spiritus domini, qui se imprimit, & in fructum collocat. Qua ratione ille portatur super aqua: sic nos homines portamus illum super terra, & aqua, quem spiritum nemo vnquam vidit, aut videt. Et est is, qui est in matrice hominum, nempe in fœmina, vnde ad scortationem illæ adhibendæ non sunt. Ibi enim spiritus est, à Domino egrediens, ad quem etiam reuertitur. In fœmina quidem, non est Limbus, sed tamen spiritus. Quid Limbus est, nisi semen? Quemadmodum ex Deo ille sumptus, & ex ipso homo factus est: ita in suum, hoc est, Dei locum substituit virum, vt ipse sit Limbus, & hominem ipse faciat, &c. secundum imaginem, quam Deus primo fecit. Cumque non conueniret. Adamo, vt ex elementis magni


gni mundi, vt terra, aere, aqua, igne; hominem faceret, & vitam ei inderet: ideo matricem peculiarem Deus ei ordinauit, quam ipse & Eua habent, & alium etiam Limbum, ad illum ita seminandum. Hoc pacto homo in Natura mundi manet. Et sicut Deus cœlum occlusit, & in cœlo fuit, cum in cœlo hominem faceret: ita sciendum est, nos hominem gignere non posse, nisi in matrice simus, prout potentia admittit. Deus enim in creatione illa non se totum solio suo extulit, (*sed tantum manum*) Ita nec homo totus ex solio suo in hortum aut matricem ingreditur, sed ad id tantum ordinata manu, id est, virga Aaronis.

Matrices quæ. Sic iam tres Matrices sunt: *Prima* est aqua, super qua ferebatur spiritus Dei. Ea aqua est matrix (*al. Et ea erat prima matrix*) in qua cœlum & terra, & matrix Adæ, qui per manum Dei factus est. Et viro fiebat fœmina, matrix omnium hominum, vsque ad mundi finem. Quid claudebat primam matricem? Regnum Dei circumdabat spiritum Dei. Sic etiam maiorem mundum & matricem claudit æternum, quod illam ambit. Fœminam claudit cutis propria. Quicquid enim intra eam est, est matrix. Corpus ergo illius cum viris conferendum non est. Quia tamen à viro est & procedit, imagine similis ipsi est. Imago enim & similitudo conuenire debent. In cæteris omnibus differunt Essentiæ, Proprietate, Natura, conditione.

Finis declarationis vitæ Yliastri, Cagastri & S S. nitri.

PRACTICA LINEÆ VITÆ.

CVm in prægresso capite dictum sit, tria esse, per quæ homo nascatur, vt Macrocosm. & Microcosm. Adami, & Microcosm. Euæ: iam omnium primo Matricem Macrocosmi explicandam suscipiam, physice descripturus materialem Limbum, quem Deus Matrici Microcosmi implantauit. Deus enim semen illud sumebat ex Elementis, & ex omnibus mundi partibus in locum vnum illud congerens; ex eo faciebat hominem, quod fiebat super aqua. Hæc erat matrix maioris mundi. In hac matrice erat cœlum: & Adam ac Eua in hoc cœlo creabantur ex Limbo, qui multiplex erat ex multis millenis partibus, materiebus & viribus conflatus & compositus, veluti superius docuimus, Deum ex omnibus totius mundi locis, ex omnib. maioris mundi partib., vno loco congestis partem vnam constituisse, quæ erat Adam. Sicut circulus in planitie descriptus, in sui medio punctum habet: ex vno tamen puncto lineæ multæ egrediuntur ad ambitum seu extremitatem circuli. quæ reconuersæ in vnum punctum redeunt: ita Deus ex omnibus locis vires omnes omnium viuentium, sese mouentium, fixarum & non fixarum creaturarum sumens, rem vnam, vnas vires ex illis Adamo fecit. Vires hæ omnes per verbum



Fiat pars fuerunt vna, quæ vocabatur, AZOT; & erat 🜂 □ ☿ 1. 2. 3. velut in arca conclusa. Pars ea vnica primo erat per se in sua materia prima ▽ △ ⊖ & ☉.



Deus autem inde faciebat 🜍 □ ☿.

🜍 Prædestinatum erat ad multas 1000. formas recipiendum. Et tamen sulphur, cabalisticum vnarium in se reconditum habebat, semperque iam vocatur vnarius, ab ipsa etiam Natura nota 1. signata.

□ Continebat in sese Cabalisticum Binarium. Notatur nota 2. ad multas T 1000. formas prædestinatum.


Sed Azot Mundi est ☿, habens Cabalisticum ternarium, notata. 3. aut △ aut ▽. & ad multas 1000. formas destinatus sine fine.

Et hæc de Materia Limbi Hominis dicta sint. Quomodo vero Elementa inde oriantur, vt multiplices inde vires emergant: id nomen △ZOT indicat, quod rebus, formis, creaturis omnibus per Dei digitum inscriptum est. Et signa ista non sunt literæ scripturæ hominum, sed est ea scriptura Cœlestis Dei creatoris.

Itaque primum attendite ad signa Azot. Hic enim abscondita latent omnia arcana & secreta, iis, qui quærunt. Hoc est Arcanum sanctum. Ab hoc Arca fœderis Iudæorum suum nomen habet, ab Arcano. Itaque animum aduertite ad signa 🜍 □ ☿, quomodo nempe suis propriis characterib. designentur. Quod si enim in textu hoc signum ⦶ pono, intelligo sulphur: si hoc ⊖, puto salem. Si vero istud ⊕, est

△ZOT MERCVRIVS.

Linea hæc ω ideo ab inferiore sede sursum ducitur, vt sciatur, quodlibet sulphur Ignis ascendere, & subleuari. Quia corpus igneum est, & in igne omnium promptissime sentitur, quomodo in sublime tolli cupiat. Quod sursum est seu sublime intelligitur à puncto, vbi punctum X sui circuli est. Itaque figuram aspicite.



Etiam de Menstruo cogitandum. NB.

Eua animam ab Adamo hereditario post lapsum accepit, quod punctum magnum est.

T

NB. O Z est Linea vitæ, à sinistra aure hominis vsq; ad dextrã. T△ est linea vitę à naso vsq; ad lineę vitæ mediũ: hæc est Triualis linea. Tũ ab vno puncto egrediuntur tres lineæ, vna ad leuã, Z est: vna ad dextrã, est O: tertia nec ad dextram nec ad sinistram vergit. Medium enim occupat inter Z & O. Ideoque hanc formam inspice.

His Ternarius apertus est, quod est in Adamo. Itaque & illum in honorem Dei apertum, non tectum esse decet.

Hic Terminus clausus est antica parte capitis fœminæ ; & postica apertus. Hoc si non esset nullus homo morte temporanea interiret. Hæc enim est arca Naturæ, Linea 4. dotata per instinctum Sathanæ. Videte itaque, quid hoc signum velit, quod considerandum vobis proponitur.



Eua, Frons

Adam, integra aut vera arbor.

Linea vitæ . Euæ, non intendit ad Lineam vitæ V- liastri, sed ad Lineam vitæ S. Nitri. Nam linea centri vitæ mulieris pone in occipite stat, & ab Yliastro abducit. Hoc quid sit, deinceps inuenietur. Sulphur habuit primam materiam suæ Essentiæ, vbi ignis & aer sunt. Sal primam materiam suæ Essentiæ habuit vbi aqua erat. Et hæc duo prima erant materia MERCVRII. Sic in Sulphure erant Ignis & Aer, nulla autem terra. Quia vero. Eua hereditario accepit lineam vitæ ante & retro in capite occlusam ante lapsum, non vtique ex terra ea prodierit, ex qua Adam est. Ipsi enim Limbus alius datus est. Adam erat ex Terra aut Limbo maioris mundi. Sed Eua erat ex Terra & Limbo minoris mundi. ex Limbo Adami. Vitam hic voco Hominem, Adam aut Euam, & non corpus. Hoc cur fiebat? Eua virgo erat in spiritu suo & vita. Lucifer autem virginitatem ab initio odit. Nam & ipse secundum rationem suam in cœlo creatus erat, vt virgo esset, & nulli malo assentiretur: ipse autem violauit eam. Quæ vero huius violationis causa fuerit, character Naturæ Cabalisticus inspiciendo vos docebit. Et non in verbis, sed in sensu id capiendum est.

Lucifer ab initio virgo.

Sciat autem hoc etiam homo, quod ex caducis rebus corpus suum acceperit. Ideo Deus etiam illico à creatione, Adæ & Euæ mandatum præfixit, vt non terrenis, sed cœlestibus rebus operam darent. Et Lucifer iam dum eiectus, & in terram expulsus erat, ipsiusque ratio cœlestis in terrenam commutata est, hoc est, loco æternæ sapientiæ, sapientiam caducam pœnæ vice accepit, quia creatorem suum debito honore non affecerat. Itaque etsi quidem creaturæ Dei, Adam & Eua boni, & in se integri creati fuerint; venustas tamen & elegans species Adami Euam tam potenter allexit, vt oculis suis in desiderium abtureretur. Sathanas namque ipsi in ea Adami forma, qualem post lapsum adeptus est, apparuit. Ante lapsum enim, virgam Naturæ Adam non habebat, qua de causa eius desiderio etiam abrepta non est. Quali enim membro virili iam spectatur Adã: id in illo primo signum monstrosum erat. Cæterum, cum serpens animal glabrum sit à capite ad caudam sicut in Melosinis apparet, superne hominibus, inferne piscibus ideo singularem philosophiam & arcanum hic latere credibile est.

Adam ante lapsum virga caruit.

Audite ergo, & attendite. Membrum virile punctum simplicem Vnarij, in duas partes diuisum indicat. Id ex hoc signo deprehendetis: Vnde etiam duo Renes in homine inueniuntur, cum tamen ante lapsum talem formam Adam non habuerit, quoad virgam & renes. Hoc & commonstrat fructus Aquastricus, velut piscis & Melosina. Videte oua in pisce, & Lactes, quid sint. In illis Magna Naturę præfiguratio. Aspicite etiam aues, quæ membrum peculiare nullum habent, quo aquam emittant. Ex quibus colligi potest, homines quoque sese inuicem procreaturos fuisse, etsi tale quidem membrum non habuissent. Cibum etiam & potum emittere potuissent, etsi caducum cibum comedissent. Et hoc apprime obseruandum est.

Procreatio etiam sine pudendo.

Præterea, cum alia quoque multa animalia sint, quæ non nostro more inprægnantur, seq; procreant: mandatum illud vtique *Crescite & multiplicamini*, etiam sine tali membro obseruari potuisset. Quod enim piscis (al. cetuus) generet, etsi non hominum ritu concipiat, id in propatulo est. Et qui Arcanum de Vnicornu & Basilisco non intelligit, is de Theologia sileat, cum tempus est. Vnicornu autem mentionem facio, vt per id castitas Adæ ac Euæ indicetur, quomodo ex inspiratu Sathanæ illa violata sit. Quod enim Lineam vitæ tractandam mihi proposui: factum hac de causa est, quod pecora cornua gemina soleant habere, vnicornu autem tantum vnum: quod ita frustra constitutum non est. Lineæ enim fractio per bicornes bestias indicatur. Per vnicornu vero indicatur forma Adami. Vnicornu enim cornu suum in fronte media gestat: cætera bicornia, vtrinque vnum. Itaque Monocerotis cornu recta in linea vitæ figitur, vbi Yliastrum ad Cagastrum Caos intendit. A Cao enim & casu Linea illa nomen habet. Et Monoceros castitatem suam suo cornu indicat, & tuetur. Iam porro audite, quid de Melosinis vobis explicaturus sim. Hæ natant super aquis: Viuunt tamen ex aere, non ex aqua. Pudendum non habent. Legenda hic est historia de vera Melosina, quæ in Galliæ arce quadam Losinier dicta, cum viro Christiano cohabitans, liberos peperit, & singulis diebus Saturni in monstrosum animal conuersa est. Infra piscis, supra homo erat, Hec qui credere nolit, & simul Deum creatorem suum mendacij arguere velit, is videat, qui de temeritate dignam Deo rationem reddat.

Vnicornu arcanũ quale.

Melosinæ &c. historia vera.

Vt vnicornu æternam Mariæ castitatem: ita Melosina primorum parentum nostrorum lapsum indicat. Hæc enim anima à Raymundo expetiuit: vnde matrimonij vinculo sese quoq; cum ipso iunxit. Ethnicas has mulieres, si Christianos maritos habuerint, regni Dei coheredes fore, putatum est. Et Ionas quidem Propheta in ceto, ex quibus Melosinæ oriuntur, id perspicue vidit. Nam illic Mysteria admiranda conspexit. Eadem fors etiam conscripsit, si modo ipsius scripta superessent. Et in Apocalypsi multa horum arcanorum reuelata sunt. Quod si Theologus ego Esdram explicaturus sum, quid ibi de Elemento aquæ tradatur: tum pro necessitate ista omnia designabuntur.

Melosinæ quomodo saluæ fiant.

Porro

Porro peculiare genus hominum est in quolibet Elemento, qui pudenda non habent, quo se impraegnent & multiplicent. Nec enim eo opus habent. Præterea comedunt etiam, & tamen alvum non exonerant, sicut nos facimus, & tamen vt nos viuunt.

Hæc omnia hactenus recensui propter eos, qui fors negatiri fuerant, Adamum & Euam sine pudendo conditos esse, ante lapsum: & vt vna intelligeretur, quod nihilominus multiplicari, edere, bibere potuerint, etsi nullis delectionibus lacesserentur. Sed omnia fusius adhuc demonstrabuntur.

Vt autem in Linea vitæ describenda & explicanda pergamus, de Monocerote adhuc plura cognoscite, cur à veteribus in sinum Mariæ depictum, figura de Christo exstiterit. Ea enim præfiguratio singulariter ad Christum & castitatem Mariæ spectat. Nam quod scribunt, Phœnicem seipsum exurere, & ex cinere eius pullum emergere: id eo modo intelligi non debet. Vbi autem, & quid, Phœnix vere sit, attendite. Multis ex causis & circumstantiis euincitur, Salamandram hunc esse Phœnicem, in Igne degentem. Animalis vita est quadruplex: quadruplex etiam est vita Yliastrica. Et hoc de anima dictum est, quæ viuere non potest, nisi sit in quadruplicibus viribus & viris (al. corporibus) quatuor Elementorum. Sicut ignis ardere non potest, nisi habeat lignum, aerem, &c. Talis est etiam vita Salamandræ, quæ est Phœnix magnæ Naturæ Igneę. Ignis Phœnici cibus & refectio est: cur ergo ignis Phœnicem exureret? Si ipsum Ignis comburerer: ignis eius mors foret. Euentus autem docet, Ignem Phœnicis vitam esse. Cur vero hanc vobis Philosophiam expediam, hæc causa est, quod velim, vos Naturæ Mysteria recte intelligere. Multo enim hodie accuratior & sublimior Philosophia est, quam fuit tempore Aristotelis & Platonis. Virum enim esse oportet, qui talia intelligat, qui à Deo ità donis cumulatus sit, vt expresse sciat, & nihil fingat ex Cagastrica sua Philosophia, aut speculatione, aut Phantasia. Scitote ergo, Phœnicem esse animam Yliastri. Anima viuit in Igne, hoc est, in corde, vbi summus calor Ignis Microcosmici sedem elegit, & habitat. Sed plura. Anima ideo habitat in Igne, quia nihil sentit, & nullis armis aut iniuriis lędi potest. Cagastrica autem anima Spiritum sensibilitatis habet, ideoque sentit mortem, dolores, morbos. Qua de causa ipsam etiam oportet super aqua Capsulę obnatare, vt sese refrigeret & reficiat. Ideo etiam pulmo cordi toties aerem affiat. Cagastrica enim anima opus habet aere & frigore. Vnde, si vel calor eius vel frigus immodice præter temperamentum intenditur, excessum non semper ferre potest. Et licet frigus ipsius vita sit: idem tamen, si gradus nimium excedatur, ei aduersum est. Yliastricæ contra Animæ ea natura est, vt nullo frigore nulloq; calore afficiatur: Sed calor est eius vita & cibus, & aer, & recreatio, & gaudium, &c. Hic est Salamandricus Phœnix, qui in Igne habitat, & est anima Yliastri in homine. Hinc sequitur, quod anima crescat in formam hominis, suamque radicem in corde habeat, licet ramuli distribuantur in sanguinem & venas, vbi spiritus igneus, & ignis ipse habitat, velut alia arbor cum suis ramis. Vera itaque anima sedem & habitationem suam habet in sanguine venarum. Tantum de Phœnice.

Vnicornu in sinu Mariæ figura Christi.

Phœnicis historia quid.

Phœnix et Salamandra.

[illegible]

Phœnix est anima Yliastri.

Vnicornu Philosophia hæc est. Intra se gerit Limbum, ex quo Cagastrica anima desumpta est, particulatim, ad testificandam Castitatem Euæ ante lapsum, velut & Mariæ post lapsum Euæ; vt ex eo videant homines innocentiam castitatis Mariæ, & præfigurationem, innocentiæ Dei, qui nihil culpæ habuit in violatione Castitatis Euæ & Adami, aut mandatorum diuinorum transgressione. Neminem enim Deus punit ob id, ad quod faciendum aliquem cogit. Prædestinatio namque Adami & Euæ non erat, vt viueret animaliter ritu Salnitreo, sed more Yliastrico. Itaque ad generationem Monocerotis deuenimus. Quo modo generatur Monoceros, eodem generati etiam fuissent homines. Videtis, Solem creaturis omnibus vitam impertire, ope stellarum. Testantur hoc scarabei & vermes, muscæ, culices, muresve, qui per Solem in aere vitam concipiunt. In Hispania ad Oceanum orientalem si fasciculum straminis longa hasta surrigas in altum: aer eiusmodi mures gignit, qui ope Solis vitam accipiunt. Sic Leo rugitu matris viuificatur. Sic Anseres arborei vitam per aquam accipiunt. Nam si in aquam illabitur, hæc ei vita est. Si in terram, illa ei mors. Sic & anser arboreus vitæ humanæ & mandatorum violationis figura est. Vita Adami in cœlo erat, velut Yliastricæ animæ & Phœnicis vita in Igne. Et Adami vita, quam ex Aqua accepit, in aqua similis erat vitæ anseris arborei, in aqua. Sicut Anseri arboreo ad mortē & formę mutationē causa Terra est: ita etiā Adamo Terra causa est mortis & trāsmutationis formæ & proportionis corporum. Arboreus enim anser putrescit, & in nonnullis locis ex ipso fit testudo. Harum multas equidem in Hispania, & locis aliis septentrionalibus, vt Lappia, Suecia, Finmarchia, Curlandia, Finlandia, &c. vidi.

Monocerotis Allegoria.

Sol vita rerum.

Murium in Hispania mira generatio.

Cæterum arborei anseris mentionem ideo feci, quoniam testudo ex ipso gignitur. Vobis enim notum est, etiam ranam ex anate, & murem ex anguilla nasci. Anguilla enim corpus suum ex aere & aqua habet: id quod ex muris generatione colligi potest, qui ex stramine in aere generatur. Si vero stramen ex dimidio in aqua, ex dimidio in aere est, ex ipso generatur Anguilla, & ex anguilla in terra postmodum generantur mures.

Testudo ex Ansere.

Rana ex anate. Mus ex Anguilla.

Anguilla ex stramine, &c.

N B. Anguilla sectatur terrenos cibos, sicut mus aut volucris. Idem & rana facit; ideo ex aqua pabulatum ad gramen pergit, velut & Anguilla. Cur id faciat, vobis absconditum est. Rana vero ideo facit, quia cum cauda generatur. Et sicut Anguilla sine pedibus in terra sese volutando promouet: extra aquam, sic se etiam rana volutat, & post, ea vi terræ quadrupes fit.

Sic etiam *Behamoth*, vnicornu ex aqua genitum est, & tamen quadrupes fit, ex vi terrę. Nam in aqua vnicornu habet caudam & squamas,

Behamoth seu Behamond. &c. quid.

squamas, quas tamen in terra amittit, & quadrupes fit, & loco caudæ vnum, non duplex ei enascitur. Itaque plura attendite. Anser arboreus est in terra. Ideo etiam in terra mortem suæ formæ adipiscitur. Et tamen vitam suam non perdit, sed ex illo generatur testudo Sic etiam *Behamoth* (al. *Behamond.*) secundum formam & vitam transmutatur in terra. Itaque de Behamoth legite *capitulo quadragesimo, libro Iobi*. In Cabalistico enim volumine Iobum explicaturus, dicam, quid in ipso de vnicornu, nouo corpore, & Maria præfiguratum est. Nam ad lapsum Adæ & Euæ omnia directa sunt. Sic Linea vitæ explicanda est.

Iam vero Adam ac Eua Imaginem Dei, hoc est, Imaginem Animæ Yliastr. in Paradiso amisit, & per hunc lapsum cœlum quoque velut habitatio (quæ pro creaturis animalibus facta non est) ei ademptum est. Sic Adam & Eua locum saltem cœli, & imaginem figuræ cœlestis amisit: Vita autem cœlestis Yliastri exstincta penitus non est, sed imago tantum vitiosa euasit, sicut pluribus de vnicornu tradetur.

Porro Yliastrum in loco capitis Adami simile est cornui, quod recta in media fronte super Yliastr. Behamoth enatum est. Duo enim cornua lasciuiam denotant: & bicornia animalia omnia lasciua sunt. Vnicornu vero ad notandam pudicitiam creatum est. Vnde nullam multiplicationem & libidinem notat, sed castitatem: & non est Mas & Fœmina, sed tantum Mas. Vnde aliam etiam ferre personam nullam potuit præter Mariam, veram virginem. Postquam enim in Iudæa Maria visa est, ibidem etiam vnicornu apparuit, & in Mariæ sinum decubuit, attestans, partum nullum animalem bicornem in sinu eius decubiturum esse, qui per terrenum Sal nitreum semen & bicorne corpus se multiplicaturus sit. Itaque Christum indicauit per Mariæ partum proditurum.

Bicornia omnia libidinosa. Vnicornu signũ castitatis.

Sed pergam differere de Testudine, quæ solido & firmo domicilio ac osse donata, vniuersa sua carne abscondita latet ita, vt nihil eius appareat. Testa enim cum ipsa crescit, sicut cum homine vngues, & pili. Et licet sint quadrupedes, cum testa tamen sua ex ouo, velut gallina seu pullus enascitur aut excluditur. Exclditur autem à Sole, diuturnitate temporis. Si enim testudo oua, quæ in aqua concepit, paritura est, in arenam, solis radiis maxime expositam, eadem deponit. Sol itaque cum stellis tamdiu calore suo operatur, donec pulli maturescant, & fracta teste prodeant. Eadem & hominis Adami ratio fuit. Is perfectam suam staturam & proportionem statim accepit, & tamen infans ac noua creatura exstitit. Et quemadmodum testa oui testudo non est, sed pulli domicilium tantum: sic etiam testa seu Cranium Adami & Euæ oui testæ simile fuit. Et quemadmodum pullus viuificatur radiis solis, ita vt testa frangatur & pullo egressum præbeat: sic etiam Sol Microcosmi per Diabolum dissolutionem accepit in excludendo, vt Cranium in Adamo rumperetur. Vnde etiam Crux dimidia T in Adami Cranio apparet. Et licet quidem in generatione particulari gallinarum pullus ex testa erumpat, quod tamen in Adamo & Eua factum non est, qui in sua testa manserunt: testa tamen rimam egit, quam forma mediæ crucis Adamus adhuc circumfert. Alteram partem mediam Eua fert. Quod si duo homines, mas & fœmina, oculis & faciebus sibi obuersi simul inspiciantur: tunc Eua rimam & signum Yliastri posterius, Adam vero anterius habebit. Et sic signa ipsa arcanam interpretationem & accusationem, qua vnus alterum violationis mandati Dei insimulat, secum ferunt. Horum autem omnium causa Diabolus est. Vnde euidens est, in veteri corpore fructum nullum quæri debere. Quiuis enim vel simplicior ac rudior facile intelligit bonum, quod ex corpore veteri prodit, nihili esse. Hinc etiam in nullo, vtcunque venustus sit, respectu pulchritudinis probitas quærenda est. Nec enim secundum formam, sed cor, homo iudicandus est.

Testudinis qualis generatio.

Iam sicut calor Solis creaturarum omnium pullos excludit: ita sciendum est, creaturam nullam, quæ excludi debeat, esse, quæ Solem essentialiter sibi non innatum habeat. Ex quo etiam consequitur, pullos vitam suam aliter non adipisci, quam per exclusionem Solis suæ Naturæ: cuius rei explicatione magnum capitulum insumpturus sum.

Eo autem tempore, quo Adam ac Eua creati sunt, Sol alius, creaturas illas excludens, nullus fuit, quam Deus. Sicut enim in prima parte huius Philosophiæ dictum est, isto tempore salnitrea vita, Essentia ac Spiritus, velut & Castigatricum ipsum nondum exstitit: Et tamen Phœnicem ac Salamandram, quorum vita in Igne est, hoc est, Animam Yliast. excludi oportuit. Et Deus pullos suos in testa velut Sol illustrauit, sicut & Spiritus sanctus obumbrauit Mariam, cum conciperet. Et sic Deus creaturas suas excludere incepit. Præsensit autem Diabolus, duas has creaturas cœlum, ex quo ille eiectus fuerat, occupaturas esse. Ideo Solem Iustitiæ, hoc est, Deum patrem turbare & obscurare cœpit, & suis præstigiis irrepens, Euæ faciem serpentinam proposuit, à qua decepta Eua, desiderium animale concepit, sicut porro fusius explicaturus sum.

Attendite. Quotquot pulli à suis parentibus gignuntur, hos omnes oportet per extraneos parentes excludi, cuius rei exempla multa tam de bipedibus quam quadrupedibus prostant. Cuculi pulli per auem aliam excluduntur. Si nec Testudo suos pullos ipsamet excludit, & tamen illi viuificantur. Ita etiam notandum est, Cuculum in aere volitare, & alis suis exclusionem Spiritus sancti, qui hominem creauit, demonstrare. Idem etiam facit alauda, quæ in sublime euolans, voce sua S. spiritus & Solis exclusionem testatur.

Præterea cum compertum vobis sit, tonitru lædere fructus, vt verminosi fiant, sicut in nucibus & aliis euidens est: velim ad sequentem meam Philosophiam vos sedulo attendere. Cum Adam ac Eua crearetur, Anima mundi AZOT specie spermatis in Matricem Maioris Mundi, instar roris, prout semini conuenit,

conuenit, illa ipsa est. Sed & hoc palam notum est, quod, si semen in vitiosam matricem incidat, Ex ipso monstrum gignatur. Iam ergo, sperma & ros, tanquam semen ex terra, aere, aqua, Igne in Matricem corruptibilem incidit, quæ Matrix polluta & defœdata fuit monstroso partu, qui Diabolus est. Is impediuit lumen, hoc est, exclusionem S. spiritus, & ipsius visum, sicut gallina aut anser de suis pullis sollicita est, quamdiu ouis incubat. Intelligit enim, proposito ipsius remoram & impedimentum iniici posse. Simili ratione Diabolus matricem terreni quoque hominis contaminauit. Ipsa enim matrix est, quæ Diabolum in se continet. Diabolus namque in matrice adhuc habitat, in magno mundo: Vnde etiam maioris mundi matrix Infernus vocatur, & est. In ea enim Diabolus habitat. Res ergo ita intelligatur. Quoniam filius Dei in mundum venit, & patriarchis seu maioribus nostris, qui in Messiam sperauerunt, nouum corpus dedit: ideo ex inferno educti & egressi sunt, ex quorum numero sunt Dauid Enoch, Elias, Moyses, Aaron, &c. Quoniam ergo matrix illa, in qua creatus Adam est, cœlum erat super aqua, adeo lucidum, vt creationem aspicere diabolus facile potuerit: vidit & audiuit Deum dicere, *Creata sua bona esse*. Quo audito, vsque adeo incanduit & ira percitus fuit, vt nunquam à condito mundo furiosiorem & sæuiorem se præstiterit. Sciuit enim, bonas illas creaturas cœlum occupaturas esse. Ideoque Euæ, etiam dum virgineæ imaginationi vacaret, adeo horribilis apparuit specie serpentis, specie Adami, hoc est, Adamum, aut arborem, in qua Adam creatus est, obumbrauit, id est, occupauit, vt Ouidius inquit, homines in arbores, ceruos, vrsos, mutatos esse, &c. Fraudulentus nequam sciuerat, Adamum terrenos cibos manducaturum esse, & in terreno cibo, verbum Dei ipsi vnitum iri. Ideoque in Principio illico radicem & semen arboris obscurauit, & cum eam cogitaret deiicere in illam sese insinuauit. Sic ergo Eua monstrosum fructum esitauit, & in peccatum lapsa est. Hoc ita intellige. Verbum Domini debebat Animæ esse cibus, & adhuc est. Non autem obsessus, sed purus & impollutus debebat esse cibus. Verbum enim Domini est panis Angelicus, est Manna, &c. Illam adhuc hodie Diabolus adulterat. Quia enim nouit, Christum eam esse *Mannam*, similem *Elixiri & Fermento*, futurum cibum & panem animæ: ideo cogitauit hunc cibum, quo victurus esset homo, inficere & venenare. Non enim solo pane viuit homo, sed quolibet verbo, quod ex ore Dei egreditur.

Cæterum, quia iam incidimus in mentionem hominum cibi à Deo concessi: ad eius explicationem Theologia mihi assumenda est. Nam Linea vitæ, Yliast. & Cagast. alias intelligi diuisa non posset. Cagast. enim & Yliast. animæ mens & sensus ante lapsum, vnum, & non duo fuerunt, quod factum est per cibum, dicente id scriptura. Ante autem à me dictum est, commode potuisse viuere homines, etsi aluum minime exonerassent. Nec etiam ad sui multiplicationem pudendis opus habuissent: vt quæ post lapsum demum illis enata fuerunt, sicut nonnullis videmus oboriri strumas, si certas quasdam aquas bibant: de quo accuratius philosophandum est.

Iam quærere aliquis posset, hoc modo. Si ergo homines non debuissent in magnum stomachum edere seu cibum ingerere, nec etiam aluum ponere: cur Deus tam varios cibos creauit, & illis vti vescique hominem iussit? Sed qui ita quærit, is de lapsu Adami & Euæ nihil compertum habet, quales scilicet ante lapsum fuerint, quales apparuerint. Hoc si nescitis: nescietis etiam, quomodo Adam & Eua in peccatum lapsi sint. Nemo enim adeo cœcus est, qui non videat, quod vel adhuc hodie Imaginatio in multis prægnantibus, fœtibus monstrosa signa & vestigia imprimat, vt multa passim monstra gignantur. Ranam intuere: ea sine pedibus nascitur, & pedes nanciscitur. Pecora omnia sine cornibus nascuntur, suo tamen tempore illa demum adipiscuntur. Ideo dico, Adamum & Euam lapsos esse antequam eiusmodi ipsis membra enata sint. Et licet quidem cornua ipsis non eruperint: monstrosa tamen membra, qualia sunt *Virga Aaronis, & pudendum muliebre, &c.* ipsis enata sunt.

De cibo porro discursum Theologicum attendite: etsi Philosophiæ nihil ademptum velimus. Theologia enim nihil est aliud, quam Philosophia de lapsu Adæ. Cabala docet, creasse Deum hominem, vt non animaliter, sed Angelice viueret. Vnde etiam ad Iobum Deus ait: Behemoth fœnum, vt bos edit, quo vnicornu intelligit. Ideo cibum etiam Angelicum creauit, velut ipsos Angelos, qui cibum Angelicum esuri essent; Et hi fuerunt Adam ac Eua. Tales cum essent, Deus ipsos bonos vocauit. Quia autem Angelice edere & viuere illi debuerunt: ideo opus est, vt hoc loco prius panem Angelicum describam, quo vos quoque credere possitis, debuisse Adamum Angelice manducare & viuere cum sua coniuge. Hoc fine etiam mandatum acceperunt, ne de arbore Animalis scientiæ, ex qua Animale corpus tingeretur, ederent, sed manducarent cibum cœlestem. Hæc mandati diuini summa erat. Et si pro mandato Dei Angelico ritu edissent: vixissent vtique quolibet tantum verbo, quod per os Dei egrederetur. Hoc autem à Diabolo impeditum est. Sed quo modo, id ignoratis. Quare de Manna.

De Manna, cibo, Angelico.

PHilosophia probat, hominem viuere posse, etiam si in ventriculum nihil edat vel ingerat. Id docet ars separationis, hoc est, Alchimia, tam hominum quam brutorum, naturaliter à Deo creata. Videte enim Apes. Mel illæ conficiunt ex Manna nobilissima omnium florum. Id non illarum, sed noster cibus est. Apes namque alium & peculiarem cibum habent, qui mel non est. Etsi enim mel quidem in corpore habeant: cibis tamen aliis vtuntur, quibus corpus sustentant. Oportet enim omne mel prius in corpore apum digeri in mel, quod nobis postmodum ab apibus suppeditatur. Sicut vacca lac fundit nobis pro cibo: sic etiam mel apum Nutrimentum non

Mellis materia, Manna. Mel apū cibus non est.

non est, sed cibi nostri & medicinæ, vt ita dicam, præparamentum.

Ioannis cibus quis. Voluntas autem Dei fuit, vt homo Angelice ederet. Id docet Ioannes Baptista. Ipse enim locustas & mel *syluestre* edit, locustas ab arboribus decerptas in mel intingens, non, vt multi somniant, cicadas comedens. Iste Ioannes Angelice edit, in ore, non in stomacho. Nec enim aluum deposuit. Ita nos etiam vniuersi similiter cum Ioanne edere possumus. Os enim non minus ac stomachus corporis suum ad coquendos cibos Archeum & stomachum habet, quod illico Magice à Natura adumbratum est. Quod si quis rudior his contradicere cupiet: is aspiciat simiam, quæ quod assumpsit, prius ore concipit, vt notum est. Illud autem si in ore edit, tunc demum in stomachum demittit. Idem etiam facit vacca ruminando. Qui esus etsi demum verus sit, est tamen animalis. Homo autem visceribus & intestinis non eget, multo minus membris cæteris. Arduum enim hoc consideratu est, quoniam Adam ex imagine Dei in aliam transmutatus est.

Edere duplex est: oris & stomachi.

Esus quis Angelicus, quis Animalis.

Fortunati historia quid indicat. *Etsi* enim historia de Fortunato, fors fidem non inueniat, vbi narratur, quod *Andolosia* in sylua poma ederit, postquam Agrippinam virginem, quam rapuerat, perdidisset: credibile tamen est, historiam illam à sapientibus sanctisque viris Poetice descriptam, duorum primorum hominum lapsum præfigurare. Poma enim, quæ Andolosia edit, ex quibus cornua ipsi enata sunt, indicant, ipsum formam animalem induisse. Per hunc simul intentum fuit quasi digito in Adamum, qui per esum suum monstrosam formam adeptus est. Sed quod Andolosia per fraudem Agrippinæ poma vendidit, vt ei cornua erumperent. Sicut euenisse legimus: per id intellecta Eua fuit. Cumque historia tradat, id ita institutum fuisse propter pileum optionis recuperandum, quem Agrippina secum auexerat: sciendum est, rei sensum istum esse. Quod Andolosia per liberum aerem tranauit, & in eo illico loco fuit, in quo esse voluit, quoties pileo illo tectus optauit: figmento eo præfiguratum est, Adamum ac Euam, ante lapsum, cum optionis pileo adhuc tecti essent, hoc est, antequam lineam vitæ violassent, similes esse potuisse Angelis, modo voluissent, & non animalem potius quam Angelicum ingressum elegissent. Sed per lapsum linea ea fracta est. Et sicut in historia narratur, Andolosiam suum pileum recuperasse: ita Adamum quoque, quod perdidit, per Christum recuperasse intelligi debet. Et sicut Andolosia marsupium vna cum pileo recuperauit: ita figmento eo notatur, Adamum quoque tam æternum quam mortale recuperaturum esse, si de admisso peccato pœnitentiam agat. Marsupium enim bona temporalia & opes notat. Sed etsi quis omnia vniuersi mundi bona haberet, & pileum optionis redimere illis vellet: Pretio tamen nullus emi posset. Itaque nec cœlum opibus redimi potest, sed thesauro marsupij æterni hominis, qui est, purum humileque cor, & Fides. Pileus namque fidem notat. Membrum enim nullum videre potest, quam caput, aut eius oculi. Historia ergo illa lapsus Adæ præfiguratus est, ceu totam historiam deinceps melius enarraturus sum.

Iam vero Mannæ ea est conditio, vt homo, qui semel de ea ederit, denuo non esuriat. Et Christus ipse panis is ac potus est. De quo qui semel edit, amplius non esuriet. Rem porro ita cognosce.

Qui edit homo, edere ita potest, vt vel minus vel plus æquo edat, ac paulo post famem iterum sentiat. Temporalis enim cibus corpus æternum non dat. Præterea mundanus cibus ita etiam vsurpari potest, vt per illum homo peccet. Et tamen hoc viuere non est nisi animale, haudquaquam Angelicum: Et animalibus quidem peccato non est, quia ipsa anima carent. Quia vero homo animam habet; ideo Deum immoderatione cibi potusque offendere potest. Hinc & Adamo esus ille ad peccatum imputatus est.

Æquum erat, Adamum Angelico modo edere, & mandati diuini memorem esse, nec id transgredi. Angeli autem edunt Mannam: & esus iste ipsorum nihil est aliud, quam Dei Maiestatis intuitus. Oculos namque nunquam claudunt, sed Deum creatorem suum perpetuo intuentur, diligentia quam accuratissima. Hinc etiam in oratione dominica Deum ita appellamus: *Fiat voluntas tua, sicut ab Angelis in cœlo, & in terra à nobis hominibus.*

Porro voluntatem Dei Angeli perpetuo faciunt, oculos namque suos à Deo creatore suo nunquam auertunt. Hanc Mannam panes oblationis indicauerunt, quos Exemplo fuisse in Bibliis legimus. Sed & de Manna Diabolo compertum erat, quod boni intuendo Deum & eius Maiestatem illa satiarentur, tanquam cibo suo. Ideo de terreno pane tentationem quoque Christo obiecit: licet ars ipsum fefellerit. Christus enim panem terrenum non esuriit, sed sitit calicem, quem cum suis Apostolis bibiturus erat; adeoque cœlestis Aquaster & Archeus passionis suæ appetitum habuit, qua cœlestis parentis voluntati satisfaceret. Vnde etiam discipulis suis dicit: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Non autem cibum corporalem, sed cibum sui Martyrij Christus intellexit, vt passione sua restauraret, quod per lapsum Adæ & Euæ perditum erat. Luc. 22.

Insuper de terreno cibo hoc constat, quod hominis somnum conciliet ac induicat. Id temere non fit. Hominis enim somnus, mortem notat. Etsi enim terrenus cibus hominem aliquandiu sustentet: nihil tamen hic solidi & perfecti est. Ea enim mera sartura est, qua fames nunquam ita compescitur, vt secundo aut tertio die non redeat. Cibus autem cœlestis & Angelicus hominem ita satiat, vt nouum hominem fames deinceps nulla vnquam premat. Vnde & Christus inquit: Qui de pane meo (Christus seipsum panem vocat) semel

ducedit, denuo non esuriet, nec mortem gustabit in æternum. Vbi Christus dicit, mortem æternam hominem sensurum minime esse. Vnde euincitur, velle Christum, nos Mannam, quæ ipsius corpus est, edere. Vt autem Angeli corpus Christi edant, nulla necessitas est. Non enim pro Angelis Christus mortuus est, cum ipsi non peccarint, nec, quo peccent, corpus habeant. Carnem & sanguinem instar hominis non habent: Et tamen non sunt spiritus, quia corpus habent: non quidem corpus ex carne & sanguine, sed corpus ex Essentia cœlesti conflatum, corpus peculiaris Limbi, de quo in alio capite Philosophabimur.

Homo Adam, ac Eua, Angelice quidem cum Necrocomica anima creati fuerunt: Sed Limbum peculiarem habuerunt, eumque separatum & diuisum à Limbo Adami terreni. Et sciendum est, vel dum nobis potestatem datam esse fieri filios Dei, Angelos & fratres Christi. Vnde Angelicus etiam cibus nobis concessus est. Cumque Christus dixerit: Sanus non opus habet Medico, sed ægrotus: per sanos intelligit Angelos, qui nihil peccarunt. Lucifer quidem peccauit: sed & ob id damnatus, & extra cœlum exturbatus est. Si Deus non pepercit istis: quid faciat nobis, qui sumendæ medicinæ tempus habemus, vbi Angelicum cibum spreuerimus.

Porro de Manna Deum non sciuisse, quod Diabolus ipsam voraturus esset, credi non potest. Nam & Adamo ac Euæ Deus interdixit, ne panem illum ederent, per quem mortem corporalem contracturi essent. Sic enim inquit: *De arbore scientiæ boni & mali non comedetis, &c.* vbi Philosophiam meam attendetis.

Scriptura inquit, Deum suas creaturas aspexisse, & eas bonas esse dixisse. Hic videtur esse contrarietas, cum & Moyses dicat, Deum arborem scientiæ boni & mali intellexisse, quando Adamo interdiceret, ne illius fructibus vesceretur. Itaque Philosophia tali opus est. Deus res omnes secundum naturam suam bonas vocauit: sic & Diabolus bonus fuit, quia Deus ipsum creauit. Ipse autem malus factus est, & malo se polluit, qua de causa etiam ex cœlo exturbatus est. Porro Diabolo Deus minime vetuit, vt ne ederet. Nam Angeli nihil edunt, sed illorum iste cibus est, quod vultum Dei intueantur: nec ab initio cibus vllus, quam intuitus pro Angelis creatus est. Ideoque animum aduertite ad serpentem, quem Moyses in deserto erexit. Factum enim hoc est propter *Aspectum*. Quod autem ille in cruce erectus est: id denotat T in fronte Adam enatum post lapsum, nimirum propter Aspectum serpentis. Valde ergo diligenter considerandum est, cur Moyses serpentem præfigurauit. Cum enim serpens figura Christi fuerit: notum vniuersis est, Christum non esse vermem. Nam serpens vermis est. Interpretatio hæc est. Moyses ideo serpentem erexit, quia sciuit, pro genere humano Christum passurum esse. Ideo crucem pro signanda Christi passione finxit. Serpens autem significat lapsum primorum parentum, qui Aspectu serpentis decepti sunt, vt mandatum Dei violarent. Sic & Basiliscus serpens est, omnia, quæ intuetur, interimens, quod experientia testatur. Et licet serpens quidem ab Eua conspectus sit: ipsa tamen Diabolum esse ignorauit. Angelica namque & cœlestis natura Diabolum non nouerat: vsque adeo Deus non vult, homines noscendo malo operam dare. Adam ergo ac Eua à Basilisco Infernali per Aspectum seducti sunt, quia instar recens natorum infantium erant. Nisi enim intellectum puerilem habuissent, Diabolus ipsos seducere minime aggressus fuisset. Vt summatim dicam, prodeundum Basilisco erat. Vnde prodiit, iam notum est. Per Imaginationem primo peccauit in Deum, dum sibi ipsi, vt Deus, pulcher videretur. Sic factus est Basiliscus, & Angelicam speciem amisit. Formam enim habuit, qualem Adam ante lapsum. Et sicut Adam veram imaginem & formam diuini hominis amisit: ita suam formam etiam Diabolus perdidit. Et sicut Basiliscus monstrum est, sic & Adam monstrum erat post lapsum. Sicut mulieres vel dum semen suum monstrosum faciunt: ita semina omnium fructuum monstrosa fiunt propter tonitru Maioris mundi, verbum Dei, in quo sermo Dei erat verbum *Fiat*, quod bonum erat, & per quod homo vitam suam cœlestem accepit. Deus enim Matrix erat Animæ Yliastri: vnde & in verbo Caro & Limbus cœlestis hominis caro facta est. Cæterum cum ipse quoque Diabolus sermonem habeat, & sermo ipsius tonitru sit: sciendum est, matricem macrocosmi quoque tonitru habere, quod eius sermo est, sicut hominis sermo tonitru microcosmi est. Itaque quemadmodum tonitru poma ac pyra æstuosa sua grandine, & fulgure vermiculosa facit, quod in nucibus videre est: Ita Diabolus quoque suo tonitru & & sermone, veluti verbo Fiat, cibum hominis infecit. Et primum oculos fœminę Adami monstrosos fecit, veluti fœdam imaginę nostris quoque mulieribus fructum suum fœdare & monstrosum facere videmus. Deceptus autem est Adam cum Eua in cœlo, & ex dimidia in terra. Nam capite suo & corpore dimidio Adamus in cœlo fuit: inferiore autem parte ipse cum Eua in matrice maioris mũdi super aqua fuit. Cum vero æternũ & mortale in vno consistere non possint, adeoq; cibus æternus & mortalis sese inuicẽ non ferrent: Sathanas ex Deo audiuit, Deũ ipsi omnia animalia proposuisse, vt ipsis nomina inderet. Ibi Adamus terrenus & cœlestis erat, velut & Eua. Sic Adam Euę quoq; nomen dabat, dicens: *Hoc os est de meo osse: ideo vocabitur virago.* Insultans ergo Diabolus, & ipse de sermone cogitabat. Cœleste enĩ Fiat intelligere nõ poterat. Cum vero Adam *Fiat* suũ Microcosmi pronunciaret: minoris terreni mũdi id tonitru, is sermo erat, quẽ Diabolus intelligebat, seq; Adamo, ac ante hunc Euæ proponebat, & suũ Fiat faciebat. Famẽ namq; vtriusq; hominis videbat, ac per suũ Fiat aut sermonem, Euam vt fœminã, non vt virginem decepit. Quomodo enim manere virgo potuit, cum deberet gignere liberos? Et tamen si filios

si filios genuisset, & fructus arboris non infecto modo inspexisset, virginitatem nihilominus retinuisset. Nec enim animalem, verum humanam imprægnationem passa fuisset. Iam vero conceptio & imprægnatio monstrosa facta est, contra imaginem Dei, quare ipsam etiam monstrosam voco. Hinc etiam omnes mulieres non tantum per inspectionem ciborum terrenorum, verum etiam per eorundem fortem imaginationem & frustrationem fœtibus suis talem formam imprimunt. Porro autem Deus maiori mundo sermonem & imaginationem dedit, & Imaginationem illam, terrenam matricem Elementaris corporis Adami fecit. Ibi matrix & anima maioris mundi hominem generare admodum desiderauit. Verbum autem Domini, *Fiat*, Factum est caro, & caro cœlestis. Sed verbum Domini incitabat *Fiat* & Imaginationem Animæ maioris mundi: & tunc aquea matrix & anima quoque imprægnabatur & terrenam carnem gignebat. Hæc simul omnia facta sunt: & Diabolis cum suo *Fiat* se quoque permiscuit. Hoc modo Eua euasit monstrum: non quod Eua de *Fiat* aliquid Diabolici concepisset, quod minime asserimus; sed quod Anima & Matrix maioris mundi inde facta sit secundum terrenum Limbum, arborem scil. quam vos corallum vocatis, quasi diceretis *Carollium*, à carne. Hæc arbor erat, super qua Adamus creabatur, sicut arboreus anser indicat.

Oportet autem Phantasiam hominum prius imprægnari & concipere. Phantasia hac Adam ac Eua donata fuit, vt multiplicarentur per ipsam sicut tignarius domum, Imaginatione & forma prius concipit, & eam qualis esse debet, fingit facitque, sic etiam Animam mundi in Imaginatione & Phantasia terreni corporis prius imprægnari oportet. Vtræque enim humanæ (Microcosmica & Macrocosmica) Imaginationes secundum terrenum Aquastrum vnum sunt, ex multis causis. Ideo etiam animam maioris mundi matricis Aquastrum appello. Est enim Luna in qua Fiat animæ mundi absconditum est. Ad hæc porro consequitur, Aquastrum maioris mundi omnia etiam imaginari & videre, velut homo omnia in somnio videt. Iam Deus expresse homini vetuit, vt sculptile sibi non faciat: quod nec ipsum citra euidentem causam factum est: vt ne scil. animæ mundi ea gloria assignaretur, quæ ipsa hominem formasset, aut in formam humanam compegisset. Is honor Deo patri debitus est in omnibus. Nam verus Yliastricus cœlestis homo ante lapsum à mundo formatus non est, aut per eius animam in Imaginem coaluit: sed Adam ac Eua præcise ad similitudinem Dei facti sunt, ac in illa etiam mansissent, nisi imago serpentis in arbore delituisset. Intellexit ergo Diabolus, *Azoth* mundi hanc habere virtutem, vt omnia imaginando in viuentem potestatem deducere queat. Quicquid homo facit, formatue: idem formar & facit etiam Azoth ad viuentem creaturam in aqua, in terra, in aere, in igne, vt illam videamus. Eandem vim etiam anima mundi habet, sicut id in aqua notum est, etsi oculis minime videatur: vbi multæ huiusmodi creaturæ ex vi & imaginatione animæ mundi prodierunt, sicut in mari euidens est.

Porro sicut imaginando non sibi, sed fœtui suo imprimit: ita & matrix animæ Azoth & imaginatio maioris mundi, imaginando non seipsam monstrosam fecit, sed fœtum suum & sobolem, Adamum ac Euam.

Eua enim ac Adam in *Matrice Paradisi*, seu in matrice Macrocosmica adhuc erant. Notum vero est, quamlibet mulierem, si fœtum monstrosum paritura est, aliquid monstrosi intueri debere. Quoniam ergo Imaginatio & anima mundi maioris, cum Imaginatione minoris mundi vnum est, Eua autem monstrosum serpentem, qui formæ & imagini Dei contrarius erat, aspexit: aspectu illa seipsam offendit Eua, & tamen nihilominus animæ & matricis maioris mundi fructus fuit. Sic ergo iunctim Imaginatio magna & parua monstrosum serpentem aspexit, & intuitum illum damnum secutum est. Sicut iuuenculæ mulieres oculis primum luxuriant: ita etiam maioris mundi anima & matrix, velut & minoris, Eua, instar infantum erant, nec pauciorum annorum esse poterant. Cumque anima & Imaginatio Macrocosmi & Microcosmi vnum essent, & Eua Macrocosmi secundum terrenum corpus infans esset: ideo serpentem vtrique inspiciebant. Sic nimirum Eua in Imaginatione monstrosa euasit, velut & Adam, Aspiciendo enim serpentem Eua fiebat monstrum, sicut & monstrum fieri fœtus solet, quoties mater monstrosa imaginatione afficitur. Quod si ipsorum oculi tam per aspectum, quam per sermonem serpentis non fuissent facti Basilisci: esus ille nec Euæ nec Adamo quicquam nocuisset. In plena autem imaginatione Eua edit, & monstrum euasit, & arborem ipsam monstrosam fecit, velut & bolum, quem comedit, non secus ac Necromantista vuam arte sua in mensa crescere iubet, in quam, si quis assidens cultrũ iniiciat, sibi ipsi nasum incidit, quod quidem per Imaginationẽ *Necromantista* facit. Sicut ergo vuam præcisurus homo, sibi ipsi monstrosum nasum facit: sic eadem etiam ratio fuit esus Euæ, cum ante ipsam simili facie arbor staret.

Ita in Philosophia sic deinceps pergo. Quicquid seipsũ edit, monstrũ fit. Yliastrica autẽ anima Euæ Angelica erat, ex eodem Limbo ex quo serpens producta. Et angeli perpetuo apertos habent oculos, nunquam clausos. Quod sciens serpens, Angelicæ imaginationi sese exhibuit, & non terrenæ.

Porro narrant, Basiliscum si in speculo seipsum intueatur, mori. Hoc verum esse, vetus experientia docet. Ideo Eua vidit Limbũ, hoc est serpentem esse monstrum. Sicut quælibet mulier terrenum Limbum videt esse monstrosum ex quo secundum terrenum corpus facta est: ita & Eua Cœlestem Limbum, ex quo Necrocomica ipsius anima & corpus prodiit, monstrosũ quoq; vidit. Qua ratione mulier terrenos cibos intuetur, & fœtus adipiscitur signũ eius, quod mater aspexit: aut veluti virgæ Iacobi variegatæ in causa fuerũt, vt per imaginationẽ oues varios fœtus conciperent; quod quidẽ super aqua fieri oportuit: sic & Eua serpentẽ aspexit, & mõstrosa euasit. Quanquã nõ anima aut Necrocomicũ corp⁹, sed

sed terrena animalis anima, homo, fructus matricis verbi Domini instar infantis fuerit. Ideo terrena quoque & animalis anima Salis Nitri monstrosa facta est, quæ debebat effigiata esse secundum imaginem Dei, hoc est secundum imaginem illam, quam anima & angelicum corpus ante lapsum habebant. Et quemadmodum fieri potest, vt vtræque animæ iunctim imaginentur N. S. ita etiam, vtræque, Salnitreæ animæ sese mutuo monstrosas fecerunt. Cumque soli angelici oculi, non etiam cæteri aperti essent: serpenti, cum ipsum Eua intueretur, angeli oculi adempti fuerunt. Solum namque terrenum Limbum in Eua vidit, non Cœlestem aut angelicum. Angelici enim oculi in serpente fracti erant. Quod autem serpens Cagastricis terrenis oculis, hoc est oculis animalibus viderit, id ex nostris oculis patet, quando ceu animales à nocte obscurantur: tunc enim animæ & Necrocomici corporis visus viget, & fraudem serpentis adhuc metuit. Ideoque in tenebris sollicitudo curaq; animæ verè sentitur. Qua causa etiam animalia omnia, quæ cœca nata sunt, valde imaginationi nostræ aduersantur, & passim multis timorem incutiunt. Et Basiliscus in Paradiso tantum nocuit animæ, vt mortales fieri, fecerit, vnde etiam mors peccati stipendium factum est, hoc est vt terrenum corpus per mortem iam deponendum sit. Quia vero verbo Domini cibamur, per Mannam in Eucharistia: ideo Imaginatio nostra est Matrix, & imprægnatur corpore & sanguine Christi, hoc est Limbo vitæ æternæ, & in hac vita nouum parit corpus, quod adolescit, ex terreno agro in horreum æternum, hoc est nouum separatur à veteri, & gloriam creatoris ingreditur. Itaque qui credit, is iam pregnans est, & corpus Christi vere accepit, hoc est quotidie apud Deum Mannam manducat. Sic nimirum filij Dei gemini enascuntur. Talis seminator (al. semen) est Christus.

Sed pergamus de pane Angelico, seu Manna. Nullus angelus edit ore: sed quilibet angelus edit scientia in Imaginatione. Ideoq; oculos etiã perpetuo apertos habet, quia somno nõ opus habet, cum ad vigilandũ creatus sit. Quod si fieret, vt angelus ad quendam hominẽ visibiliter accederet, ille autem homo mortalis honorem ei deferret vel genua inflectendo, vel aliud quid faciendo: angelus tamen id minime admitteret. Sic enim illico responderet: Deum honora, eius honor est. Angeli namque perpetuo in spiritu suo Imaginationis cogitant & loquuntur de illa maiestate. Vnde etiam ipsorum hæc cantio est, *Sanctus, sanctus Dominus.* Hinc etiam angeli, velut *Raphael.* qui iunioris Tobiæ comes fuit, non nisi ministros, & haudquaquam Dominos sese prædicant. Humiliant enim se ad potentiam, virtutem & maiestatem Dei: quæ humilitas ipsorum cibus est, ad voluntatem Dei complendam. Itaque humilitas, & mandatorum Dei complendam. Itaque humilitas, & mandatorum Dei impletio angelorum æterna Manna est. Vnde etiam Elementarem panem nullum esuriunt.

Itaque cum etiam in oratione Dominica precemur: *Domine fiat voluntas tua, adueniat regnum tuum, &c.* eo vtiq; fatemur, quod nostræ quoq; Imaginationi ad Christum perpetuò respiciendum sit. Is enim perpetuo noster cibus esse debet, vt nunquam amplius nos terreni cibi Dominos arbitremur, sed humiles nos seruos præbeamus, qui voluntatem Domini exequantur. Sic enim in humilitate etiam angeli manent, dum voluntatem Dei perpetuo considerant, & oculos suos ad maiestatem Dei semper intendunt. Et hæc scientia angelorum visus est. Vnde etiam ipsorum oculi non horsum, vorsum ad dextram vel sinistram contorquentur: sed sicut se habet scientia: ita & oculi. Rei documentum captari potest à quolibet homine sedente in mensa, qui, quo delectatur cibo, eum appetit, & ad illum oculos suos conuertit.

Sic etiam, si vir speciosam fœminam, aut fœmina venustum virum amat, oculos suos eo dirigit. Angelorum autem oculi simpliciter suum cibum aspiciunt, Deum scil. creatorem, & hoc vnum cogitant, vt prompta obsequentia voluntatem Dei expleant. Hic est ipsorum panis, seu Manna Cœlestis. Sic enim corpus ipsorum in forma Angelica inuiolatum conseruatur.

Et hæc de Manna Angelorum, in terreno corpore creatorum, dicta sint. Adami vero ac Euæ ratio longe alia est. Corpus enim terrenum ipsi habuerunt, ex viribus quatuor Elementorum conflatum, quod iam pridem demonstratum est. Multum ergo discriminis intercedit inter Angelum & hominem: vt alia etiam vtrobique Philosophia opus sit.

DE PANE HVMANO, PRO CORPORE Hominis in paradiso creato.

CVm Deus hominem crearet, homo in cœlo fuit cum corpore suo Angelico, hoc est, ea parte, quæ supra cingulum est: altera parte sui fuit super aqua, sicut herba aut arbor radice sua defigitur in terram, parte autem altera in libero aere promanet. Vniuersam ergo Physicam hoc sensu explicaturus sum. Mihi namq; ceu Physico iure ac omnino explicandum est, quidnam inter cibum humanum & Angelicum discriminis sit.

Moyses Physice nihil tractauit: sed particulariter tractat Theologica. Ideo noui quoque testamenti fundamentum omittit, quod per Apostolos & Euangelistas proponendum fuerat. Et Christum oportuit prius implere, quicquid Prophetæ ante eius natiuitatem vaticinati fuerunt. Itaque Moyses donum intelligentiæ Creationis particulariter tantum habuit, non totaliter, qualiter id pro rei necessitate describendum fuerat. Rem eam forsan exactius non nouerat.

Nec enim mentionem facit illius proportionis, qualitatis, primæ materiæ Limbi æterni & Limbi Elementorum: sed tantum indicat Materiam terræ, ex qua homo factus est, tantum secundum vnam partem. Tres reliquas partes, aerem, aquam & ignem subticuit. Nec enim à puero (quod aiunt) Physicus fuit: sed à Deo vocatus est Dux &

& Antecessor filiorum Israel, more Theologico. Itaque descriptio etiam illius Laicis comprehensibilis non est. Valde enim infirmum id Physico fundamentum futurum sit, si textui secundum creationem citra Interpretationem Moysis credat. Nec enim Physicus, vt Theologus, fidei acquiescit, sed ipsius operis probationi & experientiæ euidentiæ Moyses autem Theologice ad fidem pro simplicioribus scripsit, quod notandum est.

☉ Adam vmbilicum non habuit, qualem nos nunc homines habemus. Causa autem hæc est: Adam à nulla fœmina genitus, sed à Deo creatus fuit, & formatus per & ex radice Matricis Microcosmi. Nec enim cultro aut nouaculæ adacta à sua matrice liberatus est, veluti vmbilicus infantum præcidi solet. Et in hoc quidem Arcanum singulare conditum est, cur Adam illico à creatione locutus sit, quod tamen minime fecisset, si per sectionem vmbilici ab vtero liberandus fuisset. Hic Rhombus & neruus veri Physici situs est. Sed hanc rem ita expediemus. Infans, qui fortiter clamat, rumpitur, & tumidum vmbilicum adipiscitur. Idem similiter etiam accidisset Adamo, illico locuturo, si vmbilici tam longum ductum habuisset. Id autem factum non esse, ostendit. *Nymphæa aut Nenuphar, Corallis, Carabe, & Vnicornu, &c.* vbi Paradisus in aqua fuit, & adhuc etiam, etsi Adam humanum membrum non habuisset (sicut ipsum non habuisse certum est) secundum quod rumpi potuisset. Inde sequitur ipsi fuisse moriendum, si sub aqua loqui debuisset. Cur autem liberi adhuc hodie baptizentur, reuelari omnibus tutum non est propter secuturum abusum.

Imaginationis vis exemplum.

Iam descendemus ad causam imaginationis per visum & cogitationem. Duplici ratione mulier sæpius fœtui suo deformitatem & monstrositatem imprimit. Exemplum adducemus cuiusdam in Bohemia degentis: cuius mater cum propendens membrum equi attentius inspexisset, tale pudendum filio impressit, quod equino aliquanto grandius esset. Id credent, qui viderunt, hoc nimis molestum fuisse ferre ei, qui illud habuit, quique ob familiæ præstantiam nominari non debet. Hac ergo ratione homo formam ac imaginem suam amittere, & monstrosam speciem matris imaginationem suscipere potest.

Hic si quis respondeat, verum id quidem esse de matre & infante, sed adultis quoque idem similiter euenire non posse, rem ridiculam is proponere iure videatur. Fieri enim potest, vt in regione quadam pestis grassetur, & illa exstinguantur cognati, fratres, sorores, &c. eius, qui in terris exteris moratur, aut aliquo negotiorum causa profectus est. Si huic absenti sano, vel à nunciis, vel per literas significetur, peste grassante cognatos, fratres, sorores, &c. abreptos esse: tunc ille perculsus pestis tam fortem imaginationem concipit, vt & ipse vlceribus aut bubonibus illico corripiatur, sicut hoc modo multos interiisse euentus docuit. Ex quo conijcere licet, per Imaginationem multa homini euenire posse, quæ minime credi solent, quæ omnia reuelari, satis tutum non est. Nam & per Imaginationem fide saluamur, quod plus est. Exemplo autem vobis sint vngues hominis: ex quibus videte, quidnam creturum sit, si vngues præcidi non deberent, quod crassiorum & rudiorum causa adducimus. Vngues enim ante lapsum Adamo dati non fuerunt, vt nec dentes, eo modo, & forma, qua nunc apparent, sed integri & indiuisi. Duo saltem ossa fuerunt, vnum superius, alterum inferius, sicut & tali habitu alios quoque homines post Adamum natos esse, historiæ comprobant.

Quod autem dentes in ore diuidantur, velut & linguæ tempore Nimrodi: id Arcanum qui & cur accidat, satis nobis compertum est. Sed de labore Sophiæ silendum est, quoniam mundani Deunculi imperant: quod nobis non leui dolori est. Itaque si fundamentum Imaginationis à nobis ita explicandum est, vt intelligatur: attendemus primum ad brutalem Imaginationem Animalium. Cur auibus cuiuscumque generis sint, rostrum iugiter crescit? Citra Magiam hic nec vos, nec ego, quicquam intelligemus. Nam ex acuendo intelligitur, quamdiu creturum sit rostrum siue gallinis, siue passeribus siue ciconiis, &c. Si non terendo illud quocunque modo acuerunt: cuius consideratio quidem momenti haud leuis est. Auiculas Syluestres aspicite, quomodo rostrum acuant, si cibum sumpturæ sunt. Cur id fiat, ignoratis. Cur autem maiora volatilia idem similiter non faciant, quod minora, in causa est *Cubitus Linearum Vitæ, & longum senium illorum.* Quod quidem Cabalistice explicari posset, si propter euidentes explicationes non illico Diabolici iudicaremur. Quia autem Apocalypsis pro libro Diabolico habetur, silendum nobis est. Illius enim etiam Propheta Hesekiel & Esdra mentionem faciunt. Dolendum vero est, abscondita hæc Arcana non concedi explicanda illis, quibus ea intelligenda à Deo data sunt. Nam & ex hoc vno fundamento deducitur Regeneratio Phœnicis, Halcyonis, cancrorum & aliorum infinitorum animalium. Cur ergo prohibitum sit, veritatem Regenerationis & Imaginationis describi: quia transfiguratio Christi sua causa non caret?

Integrum non esse hunc librum, ex locis aliquot superioribus conijcere licet. Hæc igitur boni consulere æqui Lectoris est, donec & reliqua in lucem prodeant.

PHILIP-

PHILIPPI THEOPHRASTI PARACELSI MEDICI ET PHILOSOPHI.

ARCHIDOXIS MAGICÆ.

LIBER I.

Dubium mihi non est, quin si scripta hæc nostra in lucem proferentur, quam plurimi oppido admiraturi sint insignes has & abscônditas virtutes, in metallis, artificio manuali præparatis, latentes. Pars namque alia illas pro superstitiosis, Magicis & supernaturalibus habitura est: Pars alia inter abominanda & idololatrica media illas recensebit, quasi coniurationibus Diabolicis ad illarum rerum confectionem opus esset. Sic enim illi instabunt: Qui quæso fieri posset, vt metalla cum suis assignatis Characteribus, literis & nominibus eiusmodi virtutes operarentur, nisi Magica & Diabolica opera interueniente præpararentur & conficerentur? Sed his responso tali occurro. Credis ergo, vt audio, quod, si Diaboli ope talia conficiantur, suas virtutes & operationes habeant? Quin igitur hoc credis, quod Creator quoque Naturæ, Deus in cœlis habitans, adeo potens sit, vt virtutes & operationes illiusmodi metalli radicibus, herbis, lapidibus & similibus aliis similiter indere & conferre possit? Quasi vero Diabolus fortior, ingeniosior, omnipotentior & valentior sit vnico, æterno, omnipotente & misericorde Deo, qui dicta hæc metalla, lapides, herbas, radices, similia omnia, quæ supra & intra terram, in aquis & aere viuunt vigentque, in salutem & commoditatem hominis creauit, & gradibus suis exegit? Præterea certum omnino, ac per ipsam experientiam euidens est, mutationem temporis singulares vires & operationes habere, maxime si metalla quædam peculiaribus temporibus mutuo confundantur & elaborentur. Nam hoc multis modis per experientiam constat, & in propatulo est. Porro etiam demonstrare nemo potest, metalla ipsa mortua & vitæ expertia esse. Illorum namque olea, salia, sulphura, Quintæque Essentiæ, quæ Reseruatiua summa sunt, ad vitam humanam fouendam & sustentandam vim maximam habent, & in hoc cæteris simplicib. omnibus præpollent, sicut hoc in omnibus nostris remediis euidens est. Quicquid si illa vitæ quidem expertia essent, quo quæso pacto in ægris & iam prope emortuis hominum membris ac corporibus recentem, viuidamque vim resuscitare, & quasi postliminio restituere possent? Notum enim hoc est, de resolutis & contractis, de Calculosis, de Gallicis, de Hydropicis, de Epilepticis, de Maniacis, de Podagricis, & cæteris omnibus, quos breuitatis causa hoc loco omitto, Audacter ergo assero, metalla ac lapides æque ac radices, herbas, & fructus ceteros vita sua pollere, discrimine tamen interueniente illo, prout metalla secundum tempus præparantur & elaborantur. Tempus enim notoriam efficaciam ac vim habet: quod multis quidem doceri argumentis posset, nisi illa, ce u publice iam nota, omitti hic satius esset. Quæ enim communia, & publice nota sunt hoc loco tradere minime decreuimus: sed tantum illa, quæ difficilia, & sensibus incomprehensibilia & propemodum aduersa occurrunt.

Porro suas vires & efficacias habent etiam Signa & Characteres, & literæ. Iam si metalli natura ac proprietas, cœli item ac Planetarum Influentia & operatio, characterum denique, signorumque & literarum significatio & conditio, vna cum obseruatione temporum, dierum & horarum consentiunt ac concordant, quid obstaret obsecro, cur confectum huiusmodi Signum aut Sigillum suam vim & operationem non haberet? Cur hoc suo tempore non prodesset capiti, aut suo tempore illud non cōmodaret visui? aut istud suo tēpore non vsui esset renibus & calculo? Et iis quidem comprimis, qui intro in corpus assumere remedia alia fastidiunt? Nihil tamen horum fieri aut sperari debet sine addita ope aut auxilio ipsius Medicinæ parentis, *Iesu Christi*, veri & vnici Medici. Christus vnicus Medicus.

Insurgunt hic illi, & obiiciunt, Verba siue Characteres vim nullam habere, & Nullam (*ceu vocant*) æque efficacem esse, ac est crux, cum mera signa seu figuræ sint. Obtendunt præterea ὀδοχύνδοξ in Græca lingua plus non sonare, quam in Latina, *serpentes occidere:* Sic apud Germanos Heiß/ idem esse quod apud Latinos *Ardens*. Sed responde tu mihi, vndenam sit hoc, quod serpens in Heluetia, Algouia aut Sueuia Idioma Græcum, *Osy, Osya, Osy, &c.* intelligat, cum tamen nec apud Heluetios, nec Algouios, nec Sueuos hoc seculo adeo vulgaris lingua Græca sit, vt venenosi vermes eam addiscere queant? Dic, inquam, mihi, qui, aut vbi, quibusue ex causis, serpentes verba hæc intelligunt, aut quibus in Academiis ea didicerunt, vt ad primum illico illorum auditum cauda retorta aures sibi obstruant, ne iterato verba illa audire cogantur? Quamprimum enim illa audiunt, præter suam naturam & ingenium, euestigio immoti iacent, & morsu venenato nullum hominem insectantur læduntque, cum tamen alias, ad quemlibet ingressum hominis auditum derepente aufugiunt, & ad cauernas suas deserunt. Si responderis mihi. Id quidem facere naturam: Bene est. Hoc vnum enim abs te exspecto. Si ergo natura id facit in serpentibus, cur similia non faciat etiam in aliis? Si respondes aliud, in causa esse terrorem, quo serpentes perculsi, hominis aspectum vereantur, obmutescant, & quieti iaceant: iam mihi respondebis etiam, cur, si magno cum tumul-

ὀδοχύνδοξ quid.

Osy, Osya, Osy ligamentum serpentum.

tu, vel clamitans, vel tormentum elidens, vel aliter alte crepitans, homo incedat, non simili quoque modo serpens immotus iaceat? vnde euincitur, characteres, verba, & sigilla reconditam latentemque in sese vim habere, quæ naturæ ipsi minime aduersetur, nec cum superstitione coniuncta sit. Quod si tu vrgeas, non ipsa per se verba, sed concurrentem hominis clamorem talia præstare: iam aperte tibi contradico. Nam etsi verba hæc tantum in membranam seu pergamenum aut chartam idoneo tempore describas, & illam serpenti imponas, tamen non minus immobilis ille iacebit, ac si alta voce verba eadem ingeminares. Præterea mirum admodum & incredibile tibi videri nõ debet, à Medicina iuuari posse hominem, etsi intro illam in corpus non assumat, sed sigilli modo & more de collo tantum suspensam gestet. Vides enim similem operationem fieri etiam in vesica à Cantharidibus. Nam vrina sanguinolenta fit, si cantharides saltem manu contineas, cum tamen vesica, quæ conceptaculum vrinæ est, interius in imo corpore consistat, manus vero, extra corpus posita, à vesica quam longissime absit.

Cantharides vrinã cruẽtam faciunt.

Quod vero mortuis etiam rebus vis aliqua insit, alcedinis adducto exemplo probo. Illius enim mortui cutem si distringas, & suspendas: videbis, ipsam etiam resiccatam quotannis plumas veteres excutere, & eiusdem coloris alias recentes producere. Nec vno tantum id anno, verum continuis aliquot fieri obseruabis. Hic si tu porro quæras, apud quemnam scriptorem auctoremue ista legerim, & talia reuera fieri comperterim. Sophistæ tibi, & diuinorum operum contemptori ita respondeo. Dic, amabo, mihi, quisnam vso inspirarit, vt quoties ex immoderata sanguinis copia hebetari sibi visum intelligit, ad apum alueos festinet, & ab apibus venas turgidas sibi pungi vndique expetat, donec humorum & sanguinis copia extracta, visum acutiorem recipiat? Quis ceruo, Diptamum sibi medicinam esse, prodidit? Quis angui serpentariam, quis cani gramen, theriacam sibi ac purgationem esse, ostendit? Quis Ardeam docuit, vt aqua marina rostro hausta, & in anum profusa, veluti clystere anum sibi proluat? Et animalium quidem istorum, quæ singula singulas suorum morborum curas norunt & moliuntur, nullus plane numerus est. Quæ vbi nam illas hausisse artes dices? Si dixeris, istos instinctus Naturæ esse: laudo proboque. Interim si in animalibus ista Natura præstat, quanto magis in homine, qui secundum imaginem rerum vniuersarum creatoris factus, cerebrum insuper etiam rationale ad hæc omnia consideranda & effingenda accepit? Cæterum, res quidem extra corpus positas, pro sanandis morbis nihil facere, id vero falsum & temerarium est. Sol enim splendorem & lucem nobis afferens, res occultas quoque ita penetrat, vt vel intimas quasque sedes, & cauernas calore suo late feriat. Nemo enim inficiari potest, verno tempore penitissimas etiam terræ partes vndiquaque incalescere: cum tamen supernas & extimas tantum Sol collustret. Vnde crescentia omnia vim suam, succumque ac veluti nouam vitam suscipiunt. An non

Mortuis etiã vim occultã inesse rebus.

Halcedinis mira Historia.

Vrsarum sagacitas.

Diptamus, &c. Serpẽtaria, &c.

Homo creatura rationalis.

igitur Naturæ quoque ver, & Influentia cœlestium Astrorum ac Planetarum, vna cum remediis aliis, quæ ex metallis, herbis, lapidibus & similibus aliis depromimus, intro in corpus fulgere queat, ad abdita scilicet membra, neruos, venas, & ipsos morbos, qui in carne & sanguine hominis vndecunque progressu temporis ex causis variis colliguntur & fiunt? Vt enim morbi & accidentia sunt varia: ita variæ quoque sunt curationes & auxilia, quæ ipsis opponuntur secundum qualitates, & peculiaria tempora, & dies.

Tẽporis obseruatio quãi momẽti.

Quæ morbis sunt contraria, veluti metalla, alia sunt alio tempore, quoad præparationem vsumque. Quod si lepram auro expugno, quid obstaret, quo minus & oleo, ex auro præparato, ac lepræ illito, malum id emendari posset? Aut si oleum Mercurij lui Gallicæ illinerem, putasne illam eo remedio sanatum iri? Haud dubio, isto tamen discrimine, vt debitum tempus diligenter obseruetur & æstimetur. Sine hac enim cautela, inunctio omnis irrita foret. Et licet totus quidem in oleo Mercurij lauissem, alia tamen remedia, quæ viribus Mercurij in nonnullis casibus aduersarentur, adhibenda essent. Quod si non fieret: non saltem obseruatio temporis, sed omnis etiam inunctionis labor & opera irrita esset, & æger subinde infirmaretur.

Absolute enim verum est, quod ab astris superioribus, & horum viribus maxima morborum pars hominibus infligatur, & in corpora illorum penetret. Hi tamen nec adeo violenter, nec tam sensibiliter irruunt, vt confestim sentiantur, veluti à percussione aut horrore Epilepsia concitatur: Sed colliguntur illi sensim, citra manifestum sensum, donec collecta labes inualescat, sicut oleum, quod guttatim stillat, & tandem iusta mole collectum sentitur. Sic enim & homo tandem malum suum persentiscit, nempe vel paralysin membrorum, vel in appetentiam cibi, vel auersionem potus, vel quemcumque alium affectum, pro cuiuslibet natura & conditione, prout longo temporis protractu astra operata fuerint adiuta aliis accidentibus, per attractum aerem præparatis.

Astra plerique morborũ causæ.

Astra sensim agunt in corpora.

De Cephalia seu dolore capitis.

Dolores capitis multiplices sunt. Alios nobis ipsimet immoderatione cibi potusque conciliamus. Alij oriuntur à malignis exhalationibus & vaporibus, à male coctis cibis exspirantibus, ac ex ventriculo in caput ascendentibus, &c. Sed hos silentio prætereuntes, capitis grauiores & sæuiores affectus aggrediemur.

Dolores capitis varii.

Contra Morbum caducum seu Epilepsiam.

OBseruandũ diligenter est in hoc morbo, an Epilepticus singulis mensibus, & iisdem dieb. horisq; & quoties cadat, an æquali vel in æquali tempore sternatur, an ante lapsũ prius aliquantũ titubet, aut derepẽte & illico deiiciatur. Istis obseruatis, ita rationẽ tecum inito. Si certis horis cadit, derepente, & vno quasi momento minime id faciet. Si vero incertis horis ac momentis cadit, contrarium eueniet, nimirum, vt subito ac derepente prosternatur. Primi modi

Sigill. ad tẽporis dium adaεss Epilepsiam. Epileptico rem quæ differentia.

di Epilepsia est lethalis, nimirum si sonticus ante lapsum nonnihil tremit, quasi malum præsentisceret. Quæ vero subito prosternit ægrum, pessima non est, sed saluberrima. Prima à natura est. Vltima cum natura commercij nihil habet, ac complexionem omnium minime labefactat. Prima mentem & sensus elidit seu obscurat: non item vltima. Huic tali ope obuia.

Epilepsiæ cura. Primo curiose dispice, qua die, quaue hora, nouissime ceciderit. Id si annotaueris, de hora illa obserua, ad quemnam planetarum pertineat. Attendes etiam, quo in signo ac gradu Luna versetur. Hisce cognitis, ægri ætatis annum vtcunque supputa, & an vir vel fœmina sit, ascribe, ac discerne. Tandem curam incipe, & quotidie mane sequentem Medicinam ei edendam offer, nempe.

De Spiritu Vitrioli, gutt. v.
De 5. Essent. Antimonij, gutt. v
De 5. Essent. Margaritarum, gutt. iiij.

Mixta iniice in cyathum plenum aqua rosarum optima, & in Paroxysmo propina, qualibet aurora. Post haustum te iuuet horis quatuor. Continuetur diebus viginti nouem. Interea Laminam hanc conficies.

℞. Auri puri seu fini ℥ ß.

Quod si Luna gradum duodecimum cancri occupauerit, liquefac illud in fictili, & in aquam puram effunde. Sedulo autem obserua, quando duorum Planetarum in cœlo coniunctio incidat. Ea hora aurum denuo liquefac, & in congressu Planetarum auro in fictili fuso, adde ℥ ß. argenti fini, ita vt massa ex dimidio aurea, ex dimidio argentea sit. Effunde, & malleo in laminam tunde, vt transuersæ manus latitudinem habeat. Illam circumcide, vt triangularis fiat, & formam infra descriptam sortiatur.



Postea in igne candescat, & extracta relinquatur, donec linei idem signum, & eundem gradum occupat, quem occupauit antea, cum paroxysmus insultaret. In illa hora inspice, & designa vel incide præsentes Characteres, signa vel literas, (vt supra) in laminam ex auro argentoque confectam. Festinabis tamen, vt prædicta illa hora designatio illa absoluatur. Alias enim res irrita erit. Signum Planetæ illius, in cuius hora paroxysmus insultanet, omnium primo in laminæ medium consignabis.


Hic descripta figura directa est ad *Iacobum Seizen*, Principis Salisburgensis aulicum, qui in hora ☿ cecidit. Signa cætera colloca, vt in figura annotatur. Si tamen laborans, fuerit mulier huius signi [sign] loco tale [sign] substitue. Hic continetur etiam ætas ægri. Tot enim annos habuit dictus Jacobus Seitz/ quot reperies eo loco, vbi numerus xxiv. designatur. Hunc annorum numerum cuilibet paroxysmo in figura assignabis: ita tamen, vt cuilibet sua priuatim ætas ascribatur.


Jacobus Seitz/ Epileptica, &c.

Figura iam dicto modo præparata, post paroxysmum pro magnitudine laminæ derades in capite capillos, & quamprimum senseris ægrum cadere, prædictum Arcanum, dum adhuc prostratus iacet, ægro infundes, ipsumque, donec deglutiat, arcte tenebis, & laminam confectam capitis rasæ parti impones ita, vt sculptura nudum caput tangat. Ipsam fasciis deliga, & ægrum ad lectum produc. Hac cura adhibita, denuo haud dubio non cadet, etsi morbus ille 30. annos durarit. Laminam hanc semper super capite gestabit. Et si renascantur pili, singulis elapsis mensibus, illos tondebis, in ea mansione seu meta, qua antea illi rasi sunt.

Ad conseruationem visus Figura.

Sigill. ad visum. Ex probo puroque plumbo rotundum tibi sigillum confice, in hora Veneris, Luna in signo arietis versante, & in hora Veneris signa (qua forma inferius describuntur) hæc incide. Postea hora Saturni conficies laminam ex cupro, eadem cum illa ex plumbo magnitudine. Præterea Saturni hora, Luna signum capricorni tenente, sequentia signa insculpes. Hoc facto, vtrasque relinques, donec ♀ cum ♄ coniunctione coeat. Tunc ipsius coniunctionis hora punctoque, bina hæc signa coniunge, ita, vt Characteres, & signa sibi inuicem obuertantur. Ipsa obducito cera, ne humectentur. In sue insericum, & suspende de collo hora Mercurij, die etiam Mercurij. Sigillo hoc visus amissus recuperatur, & dolor oculorum omnis arcetur, senumque oculi, non secus ac iuuenum perspicere redduntur. Sequitur Forma.





Contra Consumptionem seu Tabem Cerebri, & alios Cerebri morbos.

Sigill. ad cerebri tabem.

℞. Sequentia metalla, omnia prius depurata nimirum.

Aurum ʒ ß.	*Argentum ℥ ij.*
Cuprum ʒ j.	*Iouem ʒ iij.*

Mixtim omnia liquefiant eo momento, quo Luna in Cœlo renouatur. Effunde & ex massa fac nummos, quantos voles. Semel autem liquata, denuo in ignem non indes. Quod si Planeta ♃ in sua domo, hoc est, in piscibus versatur characteres & signa hæc sculpe in nummos, vno quidem latere, sed in altero describe illa verba, sicut in sequenti figura inuenies. Margini nummi circulum adde ex auro puro factum, & decrescente luna agglutina, vt ex ipso suspendatur.





Nihil inter est qua hora id fiat, modo fiat hora Solis. Sic numisma paratum est. Postea suspende id de collo ægri in ipso nouilunij puncto. Sigilli huius vis admiranda est contra varios morbos capitis & cerebri. Forma hac est.

Contra Paralysin arcanum præstans.

Sigill. ad Paralysin.

QVos apoplexia semel corripuit, in horum gratiam remedium præsens conferam, ne frustra Archidoxum vocetur. Id enim curis omnibus præpollet. Veteres quidem (sed falso) putarunt, Apoplexia semel correptum, curam nullam admittere facile. Quos ergo truculentum hoc malum feriit, hi modum hunc seruent. ℞. *Auri fini ℥ ij. Plumbi ʒ ij. bene purgatorum & mundatorum. Primo si Sol infra terram mouetur, ea hora (supputabis autem pro tempore anni) aurum in nouo ac id parato fictili liqua. Facto descensu plumbum in aurum coniice, & repente effunde.* Plumbum enim cum auro primo illico momento vnitur. Massam hanc reserua. Deinde Luna in signo Leonis, gradum circiter duodecimum peragrante, materiam illam Solis & Saturni iterum liqua, quæ similis erit æri caldario. Huic adde ʒ iij. ♀. nec diu vrge, sed repente effunde, & reserua. Porro Luna Scorpij signum tenente, & eius gradum fere duodecimum, prædictam materiam iterum funde, & in liquefactam ipsam iniice ℥ j. ♃ ac iterum subito effunde & reserua. Ita tamen effundes, vt late diffluat. Nam massa alias nec ducitur, nec scinditur. Sole autem Arietis signum intrante, quod plerunque quotannis circa diem Martij decimum euenit: signa hæc in fusum numisma incides, sicut deinceps describentur. Sculptura autem ipsa hora Solis inchoari, & in eadem perfici debet. Diei nullum discrimen est, modo Sol in Ariete constitutus sit, vt diximus. Signum hoc modo præparatum, asseruare potes. Quod si quem Apoplexia inuasit, tempus, diem, & horam inuasionis diligenter explorabis, vt eodem tempore seu eadem diei hora sigillũ appendas. Hoc misteriũ magnum est. Ægro tamen interim auro quoq; potabili, à nobis descripto, nõ léte opitulaberis &c.


Contra Renum Calculum & Arenas.


Sigill. ad Calculũ.

NVmmus hic paratur pro calculosis, ex auro, argento, stanno, plumboq;, hoc modo.

℞. *Auri ʒ iiij.* *Argenti ʒ. iij.*
Stanni ʒ j. *Plumbi ʒ j. ß.*

Metalla hæc omnia mixtim in nouum fictile (quali aurifices vtuntur) coniecta, liqua die Saturni, hora decima ante meridiana, augescente Luna, & metallorum fusioni iniice Salem petræ Tartaro permixtum, hoc fine, vt promptius duci & scindi possit. Fusum quod est, hora ♂. diei Veneris scindes & limabis ea forma, quam expetes. Nummo autem nihil dum incides. Annulum seu auriculum non agglutinabis, sed limando finges, ne post fusionem igni iterum indi necesse sit. Massam ergo eo latiorem facies, vt auricula & nummus pars vna sit. Seduloque operam dabis, vt ita fundatur. Ex permixtione namque metallorum, plumbi comprimis & stanni, dura admodum, aspera & impenetrabilis materia oritur, quæ facile malleo duci aut scindi non potest. His omnibus dicto modo præparatis, attendes ad plenilunium, Luna in ipso fractionis puncto versante in cœlo. Tunc incipies in orbem illum signa sequentia incidere, & operam maturabis ita, vt in hora vna vniuersa sculpta sint, vni lateri litera A addita. Hunc nummum probe asserua & custodi, donec die Iouis Luna benignum aspectum habeat à quodam Planetarum, vt sunt ♃. ♀. aut ☿. Hoc facto lateri alteri, litera B. designato hora ☿ sequentes characteres integros, vt hic finguntur, incides. Hunc nummum ægro, Lithiasi torto die Lunæ, Luna decrescente, ipsa Lunæ hora, appende. Auricula autem ex qua sigillum dependet, ferrea sit. De hoc sigillo patiens quoq;





bibere potest, si per noctem in vino suspensum sit, ac mane vinum bibatur, sigillum autem denuo appendatur. Hoc modo, mira efficacia arena & tartarus in renibus comminuetur, huc quoque singulariter facit spiritus vitrioli Romani, &c. Sequitur forma characterum & & sigilli.

De Membris Genitalibus.

Sigill. ad impotentiam.

ERectio pudendi, est sympathia quædam, orto à flatu crasso, spasmi more corpus extendente. A variis autem causis appetentia hæc & purigo interuertitur: Aliquæ sunt Naturales, vt si cui virilitas adimatur, &c. pro naturali ffecti sequenti remedio vtimur. In pergamenum recens sequentia verba & signa describe, & id peni circumliga, &c.


AVGALIRTOR βαλιχοκόμφιλι.

Membranam hanc renouabis quotidie, & continuabis nouem diebus, faciendo id mane, antequam Sol terram irradiat. Obuolues autem membranam illi loco, qui patescit præputio nonnihil retracto. Sine ibi per diem & noctem & semper sub auroram renoua, vetus autem quod aufers, combure, cineremque relictum in calido vini haustu ebibe remedium hoc præstans simul & non magni sumptus est. Quide malo hoc sibi metuit, is verba & signa hæc, in lamina argentea incisa de collo gestare potest: ita tamen, vt ante Solis ortum ea desi-

gnata

gnata sint. Cui libet, laminam ex auro parare, & characteres incidere potes. Nam, & sic certum iuuamen est, &c.

Quod si per præstigias & veneficium, malitia ac arte perditorum hominum virilitas adempta sit: ex solea ferrea equi, in via inuenta, ferream furculam tricuspidem, die Saturni, ipsa hora ♄. fabricari curabis, ita.



Ei fabricatæ tres ipsos characteres & verba die solis, mane ante solis exortum, tribus cuspidibus suos deinde etiam characteres manubrio, incides. Eo facto furcam in fluentum defiges ita, vt nulla parte manubrium emineat ne facile inueniatur. Sic dierum nouem spatio liberaberis, ac illi, qui te læsit malum aliud infligetur, quod tam cito ab ipso non recedet. Sic nimirum per Naturam Diabolicis illis artibus occurrendum est, quemadmodum Christus in deserto Diabolum citata scriptura repressit, &c.

Vt Equus diu durare seu viuere possit.

Sigill. pro e. quis. SVspicabuntur fors aliqui, me præstigias aut alia similia Magica tradere. Affirmate autem semel attestatus sum, me nihil quicquam hic scripturum esse; quod ex Natura, & virtutibus Cœlestibus, ipsisque influentiis demonstrari non possit, aut cuius ipsi experimentum non fecerimus. Idem de re præsenti etiam repetimus. Quod si enim frænum ex pelle Leonina tuo equo facias, & verba characteresque istos iusto tempore addas: videbis equum illum non equo saltem, sed ipso etiam homine viuatiorem & durabiliorem fore. Nec eius etiam virtus, vt alias solet, deficit. Vteris tamen eo debito modo. Vi fræni huius roboratum, triginta vel quadraginta annis, præter communem equorum ætatem, vsurpare poteris. Frænum hoc ita fiat, vt vice capistri quoque sit, quo, si oream remoueas, frænum maneat &c. Frænum hoc parandum est ex pelle Leonina. Coriarius autem pellem sub horam Iouis macerabit. Corio à coriario præparato, ephippiarius hora Solis lorum scindet. Frænum autem concinnabit, quando volet. Fræno confecto, ex stanno hora Mercurij laminas tales addes [characters] S.V.R. [characters] L.R.E.E. Et has quidem assues fræni partibus capitalibus. Sequentes autem laminæ parari debent ex ♀ hora Lunæ, ita vt sint in [characters] anteriore parte frontis scilicet & nasi regione [characters] TO. SELE. Hæ autem sequentes laminæ ex argento confici debent. Z. 55. A. K. R. X. X. X. X. X. Porro hæ sequentes ex auro hora sagittarij oreæ affigi debent. [characters] 3. 9. n H. Frænum hoc hora ♀ equo indue, & videbis quantum Natura per signa, characteres, & verba præstare possit, si debiti temporis ratio obseruetur.

Vnguentum Vulnerarium.

SYmpathia seu consensus rerum multorum euentuum causa est. Id experimur verum etiam esse in vsnea, reperta in cranio humano aliquandiu sub cœlo relicto: Ex hac remedium tale componitur. Vnguentum ad vulnera.

℞. Vsnea huius ℥ij. Mumiæ ℥ß.
Adipis humani ℥ ij. Sangis humani ℥ß.
Ol. Lini ℥ ij. Ol. Rosar. ℥ j. Boli Armeni ℥ j.

Hæc omnia in mortario tunde tamdiu, donec in purum vnguentum redigantur, quod recondes in pyxidem. Quod si tibi vulnus exhibeatur, sangine eius tinge lignum, idque cruentum defige in vnguentum postquam sanguis in ligno prius resiccatus est. Vulnerati autem vulnus quotidie mane deliga fascia noua, in ægri lotio prius imbuta, & sanabitur vulnus vtcunque magnum sit, sine emplastris & omni dolore. Hoc modo sanare potes etiam illos, qui 20. milliarium interuallo à te absunt, modo sanguinis ægri copiam habere possis. Hoc idem remedium aliis quoque malis prodest veluti dolori dentium, & aliis. Quicunque enim dolores sint, sanabuntur, si cruentum lignum in vnguentum defigas, & ibi relinquas. Quod si clauo profundius adacto equus corruptus sit, lignum sanguine tinctum in vnguentum mitte, & nullo damno equus afficietur. Quę certe omnia miracula & dei dona sunt.

Vnguentum Armorum.

HOc modo vnguentum quoque parare potes, quo vulnera citra omnem dolorem sanescant, si arma, quibus aliquis vulneratus est, vnguento illo oblinas. Hoc vnguentum idem est cum superiore, saltem addas ℥ j. *mellis, &* ʒ j. *pinguedinis tauri.* Cum vero arma non semper ad manus sint: cura, quę per lignum fit, optima est. Vnguentum Armorum.

Contra Podagram.

Primo ℞. *Mumiæ. Masticis. Myrrhæ rubeæ. Olibani Ammoniaci. Opopanacis. Bdellij. an. ʒ ij.* Sigill. & arcanum ad podagrã.
Vitrioli ℔. j. Mellis ℔ ij. Tartari ℥ j. ß.
Aquæ vitæ ℔ ½.

Ex his omnibus destillatis fiat oleum. Postea.


℞. *Inferiorem mandibulam equi, redige in tenuem puluerem, & fac oleum.* Huius olei equini ℞. ℥ ij. *Olei superioris ℥ iiij.* Misce, & vna adhuc semel destilla & reserua. Insuper characteres ita confice.

℞. *Auri fini ʒ j. Argenti ʒ j.*
Limaturæ Martis ʒ j. Saturni ʒ ij.

Metalla hæc colliqua hora nouæ Lunæ ad fortem ignem, vt limatura Martis fusa simul coire possit. Tarde namque fluit. Itaque cum momento *(vt vocant)* *Borracis* liquanda est, quo promptius diffluat. Omnibus liquefactis liquamen effunde in latum lapidem, vt lamina tenuis fiat. Nec enim facile tunditur. Martis enim limatura ductioni ipsam ineptam reddit. Postea si Saturnus Marti coniungitur, ea ipsa hora characteres, verba & signa imprime, & absolue. Nummorum horum, qui sequentur, duo erunt, quorum quilibet seorsim in vno latere tantum incidetur & consignabitur, hoc modo.




Prædicti duo nummi si constituta hora coniunctionis Saturni & Martis signati & absoluti sunt, separatim vtrosque ita reserua, vt neuter alterum contingat. Postea sigillum fac ex puro laudatoque auro, non admodum crassum. Et si Venus Cœlestis Marti aut Saturno coniungitur, hos characteres, vel signa ac nomina in sigillum incide. Quod si vero sigilla propius complicueris, ad hoc potissimum attendes. Nempe si Venus coniunctionem habuerit cum Saturno, id numisma, quod numero 2. signatum est, in superioris sigilli, num. 4. notati, faciem seu latus conuertes. Si autem Venus vltimam cum Marte coniunctionem habuit, marginem nummi inferius numero 2. designati ad nummum, num. 5. signatum applicabis. Quod si Luna 6. gradum Cancri ingreditur, tria dicta numismata omnia iuxta sese ex ordine pone, ita, vt aureum in medio sit & verte ipsa ratione prædicta. Postea per tria illa sigilla in medio foramen pertunde, & ferreo filo transmissa ac veluti conglutinata de collo patientis suspende, ac membra illius prædicto oleo inunge. Sic fiet, vt operationes naturæ insignes etiam in sexagenariis animaduertas. Sequitur forma nummi aurei.




Vnguentum Sympathicum ad Podagram.

Vnguentum ad podagrā

QVod si homini, hoc morbo laboranti, vel sanguinem miseris, vel cucurbitas affixeris, sanguinem emissum, ipso inscio, asserua, vt nesciat, quem in vsum id facias. Hunc vice tertia destilla igne lento, aut Balneo aquæ. ℞. *Huius aquæ* ℥ vij. *quibus adde, adipis humani* ℥ j. *Olei rosat.* ℥ ß. *Saponis Venetiani tenuissime liquati* ℥ ß. *Adipis vrsini* ℥ j. *Succi sedi maioris* ℥ j. *medullæ tauri* ℥ ß. Mixtim omnia inde in cacabum cupreum, coque sensim, donec crassitiem pultis adipiscantur, agita continenter admota spatha. Si vnguenti crassitiem accepit, coctionis satis est. Postea singulis septimanis semel augescente Luna scalpello ægri plantam, & vbi podagram sustinet, vulnera, & in loco calido vulnusculis vnguentum illine. Sic fiet, vt nouem septimanarum spatio podagra expugnetur. Vnguentum hoc, quo euadit vetustius, eo fit præstantius. Integris viribus durat 10. annis, si in loco frigido asseruetur.

Contra Resolutionem aut Contracturam.


COntra hanc remedium principale est Oleum Sulphuris, minime contemnendum. Hoc ita parabis. ℞. *Subtilissime pulueratum Sulphur quantitate* ℔ ß. Conde in vas fictile, cui vitreum alembicum impones, & sublimabis. Quid quid sulphuris ascendit in Alembicum, & remanet repone in cellam humidam, vt soluatur. Ita fiet vt temporis successu resoluatur in oleum. postea compositionem hoc modo concinna. — Remedii præparatio.

℞. *Ol. sulphuris* ℥ ij. *Saponis Hungarici* ℥ iij. *Aq. vitæ* ℥ iiij. *Ol. Oliuar.* ℥ j. *Rosat.* ℥ j.

Coque omnia vt superius de vnguento Podagrico ostendimus. Cauendum tamen est, ne flagrare incipiat. Prompte enim flammam concipit. In balneo sicco vnguento hoc inunge membra dierum 30. spatio. Apprime confert membris immobilibus.

Contra Contracturam Sigillum.

℞. *Auri quantum voles, pondere scilicet aurei Hungarici.* Id purum, & omnibus sordibus expurgatum sit, & per Antimonium tertio transmissum. Adde nonnihil Boracis, vt vocant, & liqua, si Luna 19. aut 20. grad. capricorni pererrat. In liquatum eadem hora grana 30. limaturæ Veneris iniice, & effunde. Sic sine donec Luna in similem gradum Scorpionis intret: Liqua iterum. & adde 30. grana limati ferri. Effunde denuo, & reserua, donec Leonem Luna intret. Postea tunde, & perfice, vsque ad signa, quæ incidi debent. Id facito hora Iouis. Hic enim ad Lunam amplius non respiciendum est, donec sigillum appendi debeat. Si hora Iouis instat, signum in vtroque latere sculpi curabis, prout deinceps tradetur. Hoc sigillum linteo inuolutum seu insutum tecum gestabis, ita vt nullibi adhæreat. Appendi autem debet die Iouis, hora Iouis, augescente Luna. Formæ sigilli hæ sunt. — Sigill. ad paralysin.





Ad Menstruum Mulierum.


VItium hoc minime leue est, quo persepe & peculiarib. annis sexus muliebris tentatur. Hæ tamen eo saniores & fortiores sunt, quæ constituto tempore menstruis aut abundant, aut carent. Modi ergo curationis duo sunt: vnus, vt menstruorum fluxus immoderatus coerceatur, & ad modum Naturæ reducatur. Alter, vt si menstrua deficiant, promoueantur, & cieantur. Vtriusque finis est, præparatio ad mortem, si contra naturam fiant. — Sigill. ad menstru.

Primo vt restitantes menses promoueantur, ex cupro puro & probo omnis metallicæ additionis experte sigillum conficies hora Veneris, ea ratione, vt iam demonstrabitur. Quod

si hoc vna hora absolui non possit relinque, donec hora eadem redeat. Tunc opus inceptum integra. Sigilli forma hæc est.



Sigillum hoc ex fragmento vno ita limari debet. Id mulier vtraque auricula filo transmissum ita alligabit, vt pone in dorso iuxta os sacrum in fine spinæ dorsi figatur. Scriptura autem seu literæ introrsum ad corpus conuerti debent. Hoc faciendum est hora Lunæ, ipsa aut deficiente aut iam silente. Si immoderatius quam pro naturæ modo menses fluant, characteres hos ex puro argento hora Solis confice.






Hunc nummum mulier non in nuda cute gestabit sed in serio inuolutum & super vmbilicum deligatum, ita vt margo nu. 10. signatus, corpus respiciat. Si profluuium adhuc tardetur, iterum 30. diebus sigillum gestabit, & postea remouebit. Si enim diutius gereret, menses omnino subsisterent. Quod si fieret, res postremo multo peiore loco esset, quam primo.

Ad Lepram.

Sigill ad lepram. QVi ab vtero materno leprosi sunt, his præsentibus remediis auxilium non facile ferri potest. Sunt tamen nobis alia etiam remedia, quæ huc faciunt. Certum est, lepram solo potu, cui aurum iniectum erat, repressam quidem, non tamen ex sanguine radicaliter expulsam esse. Huius rei hæc causa est. Homo purus quilibet, peculiarem in sese Balsamum continet. Leprosus vero nullum habet. Vnde etiam sanus non est: Nullum Balsamum habet etiam membrum perfrigeratum. Vnde non sentit etiam, si vis auri in ventriculum descendit. Is si aurum postea in membra distribuit, humor quidam (quem aurum reddit aut de se fundit) Balsamo similis emergit. Generatio itaque ac incrementum lepræ tam diu differtur, donec vis auri exspirauerit. A Medicis lepra cognosci non potest, si triduo ante inspectionem seu visitationem æger aurum adhibuit. Non autem hic loquimur de omnino corruptis, sed de illis, quos lepra contaminatos esse ambigitur. Quo casu, si remedia & sigillum iunctim seu simul vsurpentur, de auxilio nihil dubij erit. Sigillum hoc maiusculum fit ex puro finoque auro, hora Saturni ducto. Characteres autem hora solis insculpuntur, Luna ac Sole in Leone versantibus, quod mense fit Iulio.

Leprosi ... auro.





Sigillum hoc leproso appende, hora Veneris, augescente Luna. De eodem in potum coniecto potest etiam bibere, & idem denuo appendere. Quotannis autem mense Iulio renouari debet. Vis enim eius post annum marescit, ita valide operatur lepra in corpore humano, quod semel obsedit & occupauit.

Ad Vertiginem.


Quos vertigo corripit; his cœlum ac terra in orbem agi videntur. Sunt alij, quibus muscæ aut fumi volitare præ oculis videntur. Qui talia patiuntur, proni sunt aut in Epilepsiam, aut in Apoplexiam. Ista namque peruersio est cerebri, qua spiritus vel oculorum vel sensuum aliorum à crasso vapore, ex stomacho, per neruum opticum deorsum ex cerebro in stomachum descendentem, sursum in caput ascendente, obscurantur. Contra affectum illum sigillum tale concinnato. Sigillum ad vertiginem.

In hora Martis, diei Iouis, Luna versante in Ariete (Martis enim nullus benignior aspectus est, nec ab vllo Planeta tum temporis male respicitur) hora inquam dicta.

℞. *Auri ℥ ß. Martis ʒ ij. Lunæ ʒ v.*

Tria hæc pura & exquisita colliqua. Post fusionem malleo duc in laminam tenuem, & auriculam seu annulum adde. Luna gradum Tauri tertium occupante, signa sequentia insculpe, & hora Plenilunij in puncto mutationis appende.





Gestato sigillo poteris etiam hoc remedium addere.

℞. *Origani gr. iiij.*
Vnicornu gr. ij.
Musci gr. j.
Spiritus vitrioli g. vj.


De hoc quotidie propina in cochleari argenteo, mane circa horam tertiam, spatio dierum tredecim, ita, vt semper postea horæ vnius spatio quiescatur.

Ad Spasmum.

EX Auro, Luna, Venere & Marte confice mixturam, quam malleo duces in longum & latum. Fac inde sigillum hora Saturni, Sole infra terram latente. Postea hora Iouis incidi Characteres, signa & verba. Appende hora Solis, Sole infra terram latente, &c. Ex prædictis etiam metallis annulum facere potes, eique signa sequentia incidere, ipsum denique digito auriculari sinistro proximo indere. Fieri au- Sigill. ad Spasmum.

nnn 3 tem


tem debent omnia prædicto tempore, die, & hora. Signa autem hæc sunt.



Contra tremorem Cordis.

Sigill. ad tremorem cordis.

COr hominis aliquando sensibili motu palpitat, quem nos tremorem cordis appellamus. Malum hoc proceribus præcipue ac Principibus familiare est, ac in plebeis non facile animaduertitur. Vnde liquet, cuilibet ordini mira prouidentia Deum sua mala ac passiones peculiares contulisse, nec vllius parcendo respectum habere. Morbus hic adeo leuis non est. Si enim radices egit, non saltem crebra syncope lancinat ægrum, sed ipsum deniq; totum interimit. Sedem habet suam in reticulo cordis, quo cor obseptum est. Contra id considerato tempore, sigillum tale para. Primo ℞. *Die Lunæ, hora Lunæ Argenti* ℥ß. Coniice in fictile fusorium, & relinque, donec instet hora Solis, id est, quatuor horis in ordine horarum inæqualium. Hoc momento dictum argentum pone in ignem, & liqua. In liquatum iniice ℥ij. auri boni finique, & vna vrge simul, nec effunde. Sine, vt in fictili vna refrigerentur. Sepone, vsque ad horam Veneris. Postea iterum liqua, & ʒij. Veneris Puræ iniice. Eo facto effunde, tenuiter tunde, & ad signaturam præpara. Attende postea, quando Veneris & Lunæ benignus aspectus fit. Sub istum priora duo signa incide post verbum pannositam, nec quicquam aliud. Finge ea ad Formam præscriptam. Postea sub nouilunij punctum tria inferiora sequentia signa insculpe inferius, ita vt præcedentia duo superemineant. Elapso nouilunio relinque, vsque ad plenilunium proximum. Deinde iterum in puncto plenilunij supra hæc omnia signa in eodem latere describe sequentia verba, quæ figura subnexa præsentabit.



Post hæc omnia attende, quando Sol in Leone versetur, & sub primum illius ingressum in latus alterum Characteres & signa hæc incide. Dicta autem hora omnia incipi simul & perfici debent. Sigillum hoc integre præparatum & absolutum appendes ęgrotanti supra præcordium nudum, hora plenilunij, in puncto fractionis. Contra tremorem hunc cordis, aurum nostrum potabile, velut & Quinta Essentia Margaritarum, nostra arte præparata, præstans Arcanum sunt.

Præparatio Olei Corallorum & Succini.

Ol. Corallorum & Succini quæ præparatio & vt fit.

℞. *Corallorum* ℔ j.
Salis commun. M ij. *Contunde vna, & in tenuissimum puluerem redige. Inde in vitrum, & luto sequenti obline.*

℞. *Luti communis aut argillæ. Ossa de capitibus quadrupedum. Linaturam ferri. Vitrum. Salem commun. Cerussam. Simul madefiant.*

Postea lutatum vitrum pone in capellam (*vt vocant*) arena refertam. Subiice primo ignem lentum. Hunc postea intende sensim, donec Spiritus & radij in Recipientem ascendant. Auge subinde ignem, donec nulla amplius aqua supersit. Oleum hoc corallorum insignis præstansque medicina est etiam ad prædictum tremorem cordis, si solitarium sine additamento vsurpetur.

Ad fracturam Ossium.

Remed. ad fracturam.

Quomodocunque confracta, contusa, & comminuta ossa sint, sicut varie ipsa affici solent: ista coniuncta iterum & vnita sequenti vnguento illine. Et sic fragmenta omnia probe iterum consolidabuntur.

℞. *Mellis* ℥ij.
Antimonij ol. vitrioli ʒ ij.
Adipis Melis. ℥j.
Seui ceruini ℥j.
Ceræ ℥ ij.
Saponis ℥ j.
Terebinthin. ℥ j ß.
Adipis vrsini ℥ j.

Vnguentum hoc mirifice sanat, si in loco calido, calida manu probe illinatur, ita vt penetret.

LIBER SECVNDVS ARCHIDOXIS MAGICÆ.

De Sigillis duodecim, Signorum & Secretis illorum.

ARIES.



COELI motus rotunditate eius perficitur secundum signa duodecim, quibus cœlum, velut corpus circulo cingitur, quod cingulum seu quandã viam, nos Zodiacum appellamus. Signum primum est *Aries*, quod vndecim deinde alia consequuntur ex ordine; velut.

♈ *Aries.*	♌ *Leo.*	♐ *Sagittarius.*
♉ *taurus.*	♍ *Virgo.*	♑ *Capricornus.*
♊ *Gemini.*	♎ *Libra.*	♒ *Aquarius.*
♋ *Cancer.*	♏ *Scorpio.*	♓ *Pisces.*

Sigilli Arietis præparatio.

Arietis sigillum ex rebus sequentibus concinnatur, nempe.

℞. *Ferri* ʒ ß. *Auri* ʒ ij.
Argenti ʒ j. *Cupri* ʒ ß.

Quatuor





Quatuor hæc metalla hora & die, si sol in signo Arietis versatur, quod decimo fere die Martij accidit, in puncto ingressus Solis in primum gradum Solis, per validum & fortem ignem colliquari debent. Ferrum oportet esse limatum. Alias ab igne minus liquefieret. Fusis & præparatis omnibus, sigillum die Martis, Luna signum Arietis occupante (quod singulis mensibus semel accidit) circa gradum nonum vel decimum Arietis signari, eademq; hora perfici, ac demum appendi debet, quando Mars in die nono domicilij cœlestis in octauo cœlo errat. Sigilli Characteres hi sunt.

Sigillum hoc certum est Experimentum contra defluxiones omnes, à capite in ceruicem & scapulas descendentes. Purgat enim cerebrum, & phlegma eius vniuersum resiccat. Hæc præstat, si proxime contingens caput gestetur die & nocte, signo Arietis deorsum à cerebro spectante.



TAVRVS.

[Si]gilli [Tau]ri [cõfe]ctio.

Sigillum hoc ex metallis deinceps tradendis conficitur.

℞. Veneris ℥ j. *Iouis* ℥ j.
Martis ℥ ß. *Solis* ℥ ij.

Metalla hæc vniri, & vna liquefieri debent, Sole Taurum ingrediente, quod quotannis circa diem Aprilis octauum euenit. Fieri autem hoc debet, recta sub solis in hoc signum introitum. In eodem puncto sigillum incipiendum, signandum, & totum denique perficiendum est. Alias inefficax foret. Luna autem decimum gradum Tauri tenente sigillum hoc appendendum est. Conficiantur etiam signacula ferrea similia iis, quibus monetæ signantur. In illa incidantur, quæ oportet: vt postmodum sigillo fuso, illico & quasi in momento imprimantur inferius præscripti Characteres. Sic enim expeditius opus procedit. Hoc obseruari etiam in aliis omnibus sigillis potest. Hora enim nonnunquam effluunt citius, quam sigilla parari queant. Vnde impedimentum illis non leue accidit. Notandum enim est, solius temporis in hisce rebus efficaciam esse maximam. Figura.

Huius Sigilli ea est natura & proprietas, vt remedij præstantis loco sit illis, quibus adempta virilitas est. Si enim ita suspendatur, vt ad vmbilicum vsque pertineat, & Tauri signum corpori obuertatur: certo tam viris quam fœminis auxilio est.

GEMINI.

Sigilli geminorum cõfectio.

Geminorum sigillum parari debet, ex metallis Auri & Argenti an. ℥j. pondere per sigillum transmitti debet arundo longiuscula, quæ recipiendo calamo scriptorio satis sit. Ita vero transire debet, vt signa in numismate stent, & calamus immittatur, isque ex altera parte mastiche obturetur, & calamus Mercurio viuo impleatur, & postea superius quoque foramen occludatur. Hoc primum est, quod post elaboratum nummum fieri debet. Prædictum aurum argentumque vna liquabis, Sole signum Geminorum intrante, quod fieri solet die 10. aut 11. Maij pro ratione anni. Id enim non semper ita euenit. Attendi ergo debet ad conditionem anni, si tale quid faciendum est. Signa & literas sequentes incides, Luna signum





Leonis & piscium pererrante. Appendes autem, Planeta Mercurio in prima cœli domo versante, ipso cœlo claro, puro & limpido existente. Gestari autem debet ita, vt signum Geminorum versus corpus conuertatur. Mercurius autem die ☿, horaque eiusdem decrescente Lunæ in calamum immitti debet.

CANCER.

Sigilli cancri cõfectio.

Sigillum hoc ex bono, exquisito finoque argento conficitur, ea magnitudine, quam eliges, hora ingressus Solis in signum cancri. Id contingit die circiter 10. aut 12. Iunij. Quod si inter Lunam & cæteros Planetas nullus malignus aspectus intercedit hora Lunæ hoc signum incides. Fieri tamen debet Luna crescente, & eadem hora cum inchoari tum perfici debet. Alias enim frustraneum foret.





Hoc sigillum hora decrescentis Lunæ, ipso die Lunæ, appendas. Munde autem seruandum & gestandum est. Peregrinantibus pro fido comite, & hydropicis pro tuto remedio est. Prodest etiam contra corporis affectus omnes, ab humorum & phlegmatis immoderatione genitos.

LEO.

Sigilli Leonis cõfectio.

Sigillum Leonis singulari diligentia tantum, mense Iulio, quando Sol propriam domum, die nimirum 13. aut 14. dicti Leonis scilicet, ex puro finoque auro conmensis ingreditur, ex puro finoque auro confit, si nimirum in dicti signi gradu primo funditur,

ditur, & postea in eadem hora signatur. Postea si Planeta Iupiter in propria domo, scil. in piscibus versatur, signa hæc tantum in vnum latus incidenda sunt. Signatura autem alterius lateris fieri debet, Luna in domo Iouis nempe in piscibus versante. Studiose vero cauere oportet, vt ne post fusionem sigillum denuo in ignem ingeratur. Alias lusa opera & oleum erunt.




Latus alterum signari debet modo, iam in figura præscripto. Hora & die Solis suspendatur de collo. Sigillum hoc si gestetur, vim admirandam præstat in omnibus iudiciis, fauorem & gratiam gestatori suo apud omnes tam viros, quam fœminas concilians. Iuuamentum etiam singulare est febris Quartanæ. Super illo etiam bibere licet, pro peste ita facit mira opera, illa comprimis, quæ interius grassando iugulat. Est etiam inflammationi oculorum, & ardorum corporis aliorum, quos nos vagantes seu inconstantes vocitare solemus. Contra ambusta, sigillum parti læsæ imponendum est, & ardor miro auxilio extrahetur. Hoc modo M. Nicholai Schereri conterranei nostri vxori in Villach, cum feruida metallorum materia combusta esset, ardorem extraximus, citra remedia alia omnia, ita vt locus affectus nec inflammaretur, nec suppuraret. Sigillum tamen vsque ad plenam conualescentiam postea gestauit.

VIRGO.

Sigilli virginis confectio.

Virginis sigillum ex cupri ℥ j. Aur. ℨß. Argenti ℥ ij. Stanni ℥ ß. præparatur. Metalla hæc 12. 13. 14. Augusti, hora ingressus Solis in signum virginis fundenda, & eadem illico hora, post fusionem tenuiter tundenda sunt. Quod si Mercurij cum alio Planetarum aspectus benignus sit, & ipsius hora insuper instet secundum indicium horarum inæqualium Planetarum in cœlo: hæc signa & nomina prædicto sigillo insculpes, ita tamen, vt eadem hora perficiantur.




Planeta Mercurio in prima domo cœli stante, & tempestate cœli placida, pura & lucida (hoc enim melius) vigente, sigillum hoc appendi debet. Appendendo autem hora Mercurij exspectanda est, modo tempus cursus cœli ratione primæ domus id ferre possit. Sin minus eiusdem horæ tantum momentum non est. Illud tamen conducibilius foret, si appensio in horam Mercurij incideret.

LIBRA.

Sigilli libræ confectio.

Libræ cum suis signis & sigillo hæc conditio est. Ex puro & exquisito cupro hora, qua sol libram ingreditur, liquatur & funditur. Ingressus iste solis in libram fit mense Septembri, die 12. 13. & 14. post initium anni. Sed ad hoc attendi oportet. Si Venus hoc anno dominus aut reseruator est, sigilli huius vis mirifica deprehenditur esse in illis hominibus (comprimis qui ex natiuitate soboles Veneris sunt) qui gestant illud ratione dicta cœlatum & præparatum. Si Venus in signo libræ versatur, Characteres hi ac verba signaque cœlari, ac deinceps hora Veneris, diei eiusdem circa nonam aut primam horam (quæ horæ sunt regentis Veneris) appendi debent, vt sequitur.




Sigillum hoc efficacissimum est contra omnes mulierum incantationes, quibus virilitatem viris adimunt. Prodest etiam contra omnia mala pudendorum, &c.

SCORPIO.

Sigill. Scorpionis confectio.

Scorpionis sigillum ex puro ferro fac hora & die Martis, quando sol Scorpionem intrat, quod fere quotannis fit die 12. 13. aut 14. Octobris. Facies vna illico signanda est. Postea Sole ingrediēte Arietem, signa faciem alteram & appendente quando voles.



Remedium hoc singulare est contra morbos omnes venenatos. Mirabilia operatur apud illos vniuersos, qui de collo ipsum gestant, veluti sunt milites, capitanei, & qui perpetuis dissidiis aut bellis obteruntur. Hoc enim casu vim mirificam prestat. Vt dixi, sigillum hoc ex ferro præparandum est, & prædicto modo formandum, si Mars illius anni dominus est, & Sol eiusdem anni Scorpionis gradum primum intrat. Postea si Mars in domo propria, Ariete scilicet, consistit, signa, vt prædictum est, & hora Martis appende. Hoc si in domum inferatur, scorpio viuus ibi nullus manet. Iuuamentum etiam præstans est contra ictum Scorpionis: & robur insigne addit in pugnis militibus. Peculiariter tamen prodest leprosis, si gestetur, & simul de auro bibatur. Alterum latus ita descriptum est.


Caudæ



Caudæ extimæ assui debet auricula ex puro auro, ex quo deligatum gestetur ita, vt caput deorsum vergat. Hoc experimentum certum est contra cimices, si ex sponda suspendatur.

Sagittarius.


Sigill. Sagitt. confectio. Sagittarij sigillum para hora introitus Solis in Sagittarium (Id quotannis fit 12. vel 13. die Nouembr.) & eius quidem gradum primum. Signa hora Iouis, & eadem hora appende, Luna crescente. Hoc sigillum alterum est, quod post longa demum tempora comperi, & ad artis leges expendi.



Hoc sigillo sæpius vsus sum ad aduersariorum meorum elusionem: cuius vi instar onagrorum obstupuerunt, ita vt ne hiscere quidem auderent. Annulus ei debet esse argenteus, ipso alioquin toto ex stanno, citra aliorum metallorum additionem, concinnato. Mundum seruari & gestari expetit. Nam si congressus tempore non seponatur, vim & efficaciam suam perdit.

Capricornus.


Sigil. Capricorni confectio. Hic negotium nobis est cum Saturno, & eius genere. Sigillum conficitur ex auro. Plumbum enim cæteris metallis operationis vim nullam confert. Auricula debet esse cuprea. Para hora introitus Solis in capricornum, Sole longissimum à nobis distante. Signa die Saturni, & eiusdem hora. Postea si forte fortuna Saturnus cum Planetis ceteris bono aspectu pollet, decrescente Luna ipsa aspectus hora appende. Perinde enim est, seu Luna sit, seu Planeta alius. Posset iure vocari nummus



fauorabilis ad plebem. Sigillum hoc fine dubio Lupum, quem vocant, in cruribus persanat. Cuius maiores quidem nostri ignari fuerunt, persuasum habentes, nullam medelam contra morbum illum præstare, cum tamen hoc vnicum etiam, citra aliorum opem, remedium certissimum sit.

AQUARIUS.


Sigill. Aquarii confectio. Sole in Aquarium intrante mense Ianuario sigillum ex mixtura tali facito. ♃. *Auri* ℥ß. *Argenti* ℥j. *Saturni* ʒ ij. *Martis* ʒ j. prædicta hora fundatur, signetur, cæletur. Planeta vero Saturno in nona domo cœli versante, signa & verba ex ordine festinanter incide. Appendere autem non debes, nisi Sol infra terram sit constitutus. Sic demum obseruabitur hora Saturni. Hoc sigillum proderit tibi contra paralisin, & podagram frigidam, ac tensionem neruorum tendinumque. Facit etiam ad con-



seruationem memoriæ & gestatores hominibus gratiosos facit. Remedio etiam est contra omnia venena. Documentum deprehenditur in araneis. Quas si propius sigillo admoueas, rapide cedunt, nec loco illo persistunt.

PISCES.

Sigillum piscium mense Februario, Sole piscium signum intrante, ex huiusmodi metallis conficiendum est, nimirum ex *Auri* ʒ j. *Argenti* ʒ ij. *Stanni* ʒ iiij. *Ferri* ʒ j. *Cupri* ʒ j. Eadem hora parari & fundi debet. Postea si benignus Iupiter domum octauam cœli occupat, die & hora Iouis sigillum appendi debet. Hoc instrumentum efficacissimum est ad domandam & reprimendam iram, quam alias sequuntur contractura, Apoplexia, colica, & morbi alij. Hæc omnia auertit gestatum sigillum tam à fœminis quam viris. Lenit Podagram, Spasmum, & dolores omnes alios pedum. Sigill. piscium cōfectio.



Sigillum hoc adeo promissum dependere debet, vt infra vmbilicum proxime ad ventrem hæreat, &c. Et sic finitur liber de duodecim signis & illorum secretis.

LIBER TERTIUS ARCHIDOXIS MAGICÆ.



ITEM, si, coniungi in cœlo Martem & Saturnum videris, sume ferrum, & finge formane ex eo Murem, operamque da, vt perficiatur, antequam coniunctio vanescat aut finiatur. In ventrem ipsius hora Iouis hæc verba signa ALBAMATATOX. Postea Luna in Cancro versante, & eius quidem gradu nono vel decimo, in latus sinistrum describe I Y K O E M O XAXIX. Luna deinde decrescente & in piscium nono vel decimo gradu versante, scribe in latus sinistrum [illegible]. In dorsum autem sub plenilunium & ipsius punctum,

punctum, recta per spinam dorsi vsque ad caudam, locum cum hoc signo ⊶ quod spectare caput debet, ⊶ NATVRA SVA.

Postea ex mero plumbo monile seu millum fac pro collo muris, & crescente Luna, die Saturni, horâ primâ nocturnâ (quæ hora Saturni prima est) insculpe illi hos characteres IL CON. ʒ. ♃. ΑΒΕΛια. Quibus omnibus confectis, muri monile innecte, coniunctione Saturni & Martis, vt ante existente. Murem in medium circiter domus colloca, & abigentur fugientq; omnes glires muresque ex ædibus. Quod si mus quidam extraneus irrepat, vltra horam intus non manebit. Si murem viuum, ad hunc murem metallicum filo deliges, vltra horæ momentum non viuet, sed illico morietur, & intumescet, quasi venenati quidpiam deuorasset.

DE OVIBVS.

Sigill. pro sanitate ouiũ, boum, &c.

Contra vero, vt non expellenda tantùm, sed etiam conseruanda & acquirenda discamus: attendendum est ad tempus, quo quasi contagione quadam oues confertim moriuntur. Tunc ex archilla agnum vel ouem tibi confice, vt iam docebimus. Ex villæ seu prædij tui confinio terram triplicem sume, & ex flumine deprome arenam, illo scil. quod villæ tuæ vicinum est: & in quod plerunq; potatum aguntur oues. Omniáque pinsendo subige, Luna decrescente. Ex terra hac vel luto figuram tibi concinna similem oui, & hora decrescentis Lunæ passim & discretè in oue hæc signa describe, ⊓ EFFERET. ⊶ HOGERET.

⊶ πυρωτε ⊶ βαλετε ⊶ γαρωλ.

Sanor. Panor. Tanor. ιλωνφ.

Ouem hanc colloca in ⊶ stabulũ, consperge ipsam sale, vt inde lingant oues, & salem instratum delibent. Sic fiet, vt non ægrescant facile aut moriantur. Quę verò iam ante ægrotæ sunt, hæ lambant salem, & conualescent. Tantum nimirum potest in huiusmodi rebus natura.

Hoc modo Tauris quoque, & porcis, animalibusque cæteris remedia parari possunt, cuilibet tamen pro sua conditione, tempore & die. Si boues sanguine (vt vulgò aiunt) laborant: morbus is æquè ipsis pestilens est, ac equis est morbus, quem Germani Feiffel vocant.

Ad sanguinem ergo in recens partum ouum ita inscribe.

Ambramo ⊶ Corelis ⋎ Vortix ⊶

σελμυωπαεσχ ⊶ παμωχ ⊶

Deduc os pecoris, & inhiatu eius ouum ita frange, vt liquor per linguam deorsum in fauces manet. Ita conualescet ex tempore. Cauendum tamen, ne 12. horarum spatio superbibat.

Idem fac equo prædicto morbo laboranti. Confringe in eius collum ouum, hoc tamen præobseruato, vt pro verbo AMBRAMON, prioris crucis verbum & signum facias aut substituas KVPFAMILON: ⊶ Sic equus illico vomet. Postea pabulum ipsi offer cum Sale & aceto, & elapsis 12. horis potet. A consumpto pabulo illico equum foras ambulatum age, vt sudet: deinde quiescat. Et hæc Naturæ arcana sunt, quæ præstat per dies & tempora: quorum nullum sine temporis obseruatione continget.

Ad Muscas.

Sigill. aduersus muscas.

Muscæ persæpe molestant hominem, & damno insuper in æstate sunt eduliis. Si tibi tædiosæ sunt, sume frameam seu acum, ex mero chalybe factam, & sub plenilunium præparatam. Illius capulo seu manubrio hęc signa inscribe.

⊶ Nu suspen ... ⊶ Heber

Postea à manubrio vsque ad cuspidem, tres oblongas virgulas duces, vnam in nouilunio, Deinde si Coniunctio ♄ & ☾ sit, verba hæc secundum longitudinem frameæ describe, vt sequetur.

⊶ nasuspen ⊶

Frameam hanc si in parietem quampiam defigas, vbicunque sit, & per ambitum eius creta circulum ducas latitudine disci seu orbis, in hunc muscæ omnes conuolabunt, & morabuntur, donec frameam iterum extrahas. Id enim si facias, effundent se iterum quocunque, & homines more suo torquebunt, &c.

LIBER QVARTVS ARCHIDOXIS MAGICÆ.

DE TRANSMVTATIONE METALLORVM & Temporeorum.



Si aurum mutare vis in argentum, aut argentum in aurum, aut quoduis aliud metallum in aliud: ad sequentem tabulam sedulo respicies. Nec enim momenti leuis est, quoad finem propositi promptius & honestius peruenire queas.

Tabula

Tabula transmutationis Metallorum.

Ad transmutandum Solem in					
	☾ ♀ ♂ ♃ ♄ ☿	Incipe, Luna in sexto gradu versante.	♎ ♉ ♈ ♓ ♒ ♍	Semper in hora Planetæ illius in quem ☉ aut cætera mutas.	☾ ♀ ♂ ♃ ♄ ☿
♄	☉ ☾ ♂ ♀ ♃ ☿	Incipe ☾ in 20. gradu agente.	♌ ♏ ♎ ♉ ♃ ☿	Hora	☉ ☾ ♂ ♀ ♓ ♍
☿	☉ ☾ ♀ ♂ ♃ ♄	1. Gradu	♌ ♍ ♎ ♉ ♓ ♒	Hora	☉ ☾ ♀ ♂ ♃ ♄
☾	☉ ♀ ♂ ♃ ♄ ☿	12. Gradu	♌ ♎ ♏ ♐ ♈ ♊	Hora	☉ ♀ ♂ ♃ ♄ ☿
♀	☉ ☾ ♂ ♃ ♄ ☿	9. Gradu	♌ ♎ ♑ ♒ ♓ ♐	Hora	☉ ☾ ♂ ♃ ♄ ☿
♂	☉ ☾ ♀ ♃ ♄ ☿	81. Gradu	♌ ♎ ♉ ♐ ♏ ♍	Hora	☉ ☾ ♀ ♂ ♄ ☿
♃	☉ ☾ ♀ ♂ ♄ ☿	3. Gradu	♌ ♎ ♎ ♍ ♒ ♓	Hora	☉ ☾ ♀ ♂ ♄ ☿


Exemplum.

Si aurum mutaturus es in argentum, initium facies hora Lunæ, Luna 6. gradum Cancri occupante. Sic præcedentem tabulam de mutatione metallorum quoque intelliges. Terrena enim omnia, molimina, negotia & commercia omnium commodissime & felicissime perficiuntur secundum motum cœli & Planetarum. Vniuersi enim homines, ordinante ita Deo supremo, vi & operatione firmamenti regimur ac ducimur vel ad morbos vel ad sanitatem. Et ad operationem hanc in medendo cumprimis attendendum est. Simplicia enim persæpe pro ratione temporis suas vires exserunt, &c.

LIBRI

LIBRI PRIMI ARCHIDOXIS
Magicæ Sigilla, à ſuperioribus Euariantia.

Contra Caducum.



Ibid.




Pro viuacibus & Durabilibus Equis.



Ad Conſeruationem Viſus.






Ad Tabem Cerebri.






Ad Podagram.





Contra Paralyſin.





Ad Podagram.






Contra Calculum.






Ad Contracturam.





Ad Membra Genitalia.


AVGALLIRIOR



Ad profluuium Menſtrum Mulierum.




Ad profluvium Menstrum mulierum.





Ad Lepram.





Ad Vertiginem.






Ad Spasmum.





Ad Palpitationem Cordis.





LIBRI SECVNDI SIGILLA nempe 12. Signorum Zodiaci.

ARIETIS.





TAVRI.





GEMINORVM.






CANCRI.






LEONIS.





VIRGINIS.





LIBRÆ.





SCOR-

SCORPIONIS.

IRDE
lebu
Πασγιμω
19
Conimorat
ex

SAPELOR

SAGITTARII.

NOMASOAPYO
Silo
XIL OV
SILOA
Siloa
χαχος
MAPARIS.

CAPRICORNI.

PARET.
APELS.
REION.
EMILI
TONAT
ιοβταλε.
Virtus suæ.
πωιελι:
IMO

AQVARII.

IX AX
PER ELI
Jore bamostis.
capram.
AVGVRAS
τφωσεβελχς
Amilo
Weres.

PISCIVM.

Jou Garot
σιλωεσ
1534
Caλεx EBR
ιηω τα. 9.
ISSVBRIOR

LIBRI TERTII CHARACTERES à superioribus quodammodo variantes.

Contra Mvres.

ALBOMATATOX.

Λοβεγγωραλιξ.

וורשתנ

IO. NATVRA SVA.

IL. Con. 3. ♃. A B Ελια

Pro Ovibvs.

EFFERRET. HOGERET.

IAGEREL. συμωτι.

Γαλετι γωυρωλ. Sanor. Panor. Tanor.

Ιλωυφ.

Ibidem.

Ambrammis *(al. ambrabo. Ambrammo.)* *Gorelis*

Vortix σελμυω σαρχ

σκμωχ

Ibidem.

Kupfamilon.

Contra Mvscas.

Ala suspen

Ibidem.

LIBER QVINTVS ARCHIDOXIS MAGICÆ.

De Speculi Constellatione.

Regii huius Instrumenti præparandi principiò ratio hæc est, vt singulis mensibus per vniuersum annum incoëtur, modo sedulo dispiciatur quodnam in cœlo signum a scendens sit. Diligenter etiam obseruandum est initium cuiuslibet signi, & huius gradus super Horizonte, vnà cum signis meridionalibus, quod Medium cœli nuncupatur. Prętereа noscendum etiam est, in quanam cœli parte Planeta quiuis versetur, horâ & die initij seu incoationis huius mysterij. Item, an Planeta supra vel infra terram sit, & quando sit ascensurus supra horizontem nostrum. Insuper sciendum etiam coniunctiones Planetarum quóue in signo aut gradu Sol vel Luna consistat. Exquisitè etiam compertas esse decet facies & mutationes Lunę quaslibet, sicut & ipsa Æquinoctia, licet haudquaquam secundùm regulas aut tabulas Ptolomæi computata huius rei causa est. Tabulę Ptolomæi confectæ sunt Anno à nato Christo 140. Illo tempore Æquinoctium fuit die 31. Mart. hora 2. minut. 4. à meridie. Itaque hoc nostro seculo, nimirum Anno 1537. dies fere 5. horæ 7. minut. 36. interciderunt. In machinatione ergo huius tam præclari operis ad verum quoque æquinoctium attendendum est, locusque æquinoctij sumi debet in Ecliptica cœli octaui, quod ergo appello initium Arietis, propter diuisionem seu partitionem. Pars enim prima apud æquinoctium ex Ecliptica continet 24. Minut. declinationis. Et hunc habemus diem Æquinoctij. Æquinoctii hodierni quanta diuersitas à veteri.


Ibi

ibi Solis locus propinquus est Eclipticæ diuisioni, & Æquinoctij sexti circuli in cœlo octauo. Et hoc punctum certum est. Vbicunq; ergo ponitur Sol, siue in Ascensu, siue in medio cœli, siue etiam in occasu; ibi initium erit Arietis & Signorum: Et Sole in hoc loco constituto, expresse cognoscitur hora diei, ex quo postmodum initium Arietis & Signorum, vbicunque in cœlo consistant, secundùm sensibilem locum sciri, ac deinceps secundum id per vniuersum annum ex motu & loco Solis ascendens in Oriente inueniri potest. Loca etiam nonnulla Planetarum sumi debent secundùm æqualitatem Eclipticæ. Quæ æqualitas distributionis in cœlo octauo à me Theophrasto descripta est. Sed his omnibus suo modo & ambitu comprehensis, iam ad ipsum artificium progrediemur. Septem hæc sequentia metalla pondere præscripto sumuntur, ita tamen, vt quoduis debito suo modo, vt deinceps tradetur, purgatum sit & depuratum.

♃. Auri partes seu semuncias decem,
Argenti part. decem.
Cupri part. quinque.
Stanni part. duas.
Plumbi part. duas.
Ferri part. vnam.
Mercurij part. quinque.

Horum purgatorum metallorum quoduis seorsim in papyro asseruandum est. Hic etiam de vno tantùm speculo mentio fit. Tantùm enim auri assumitur ad vnum speculum, cuius magnitudo hæc ferè est, quam deinceps designabimus.

Magnitudo Speculi.



Semper autem horum speculorum tria esse debent. Nam in vno spectantur omnes imagines hominum, vt furum, vt inimicorum & aliorum. Similiter & formę seu figuræ pecudum, armorum, pugnarum, obsidionum. Præterea omnia quæ homines patrant, faciunt, aut fecerunt. Et siue dies siue nox sit, id in hoc speculo spectatur. In altero spectantur omnes scripti & dicti sermones, verba, consilia, vbi & à quo ea dicta & instituta sint, cum illis omnibus, quę in consiliis illis decreta & conclusa sint, cum causis illorum omnibus. Sed hæc iam facta & præterita esse oportet, nihil namque futuri ex illis videri & cognosci potest. In tertio spectantur omnia scripta in literis librisque, & quicquid calamo consignatum est, vtcunque secretissimum & abditissimum sit. In summa, homini illi, ad quem huiusmodi specula directa sunt, apparent omnia, quæ sub Horizonte fiunt aut facta sunt, tam in distanti, quam propinquo, siue diu, siue noctu, siue clam, siue palàm facta sint. Specula hæc pro certis & definitis hominibus confici debent. Cæteri, pro quibus specula confecta non sunt, nihil ex illis spectare possunt. Sciendum etiam est, quod, si specula ampliora fieri debent, plus etiam metallorum sumendum sit. Quóque maius speculum est, eò plus in illo spectari potest. Si enim congregationes magnæ, quales fiunt in bellis, conflictibus & congressibus aliis similibus, videndæ sunt: tam arcto complexu, nec personæ, nec equi, nec pecora ac res aliæ adeo distinctè videri possunt, quæ tamen in speculo spatiosiore multò grandiora omnia offeruntur. Et tamen in speculo spatiosiore multò grandiora omnia offeruntur. Et tamen in speculo arctiore non minus quàm in ampliore parando laboris insumendum est. Hoc discriminis est, quod minus metalli, minusque in poliendo laboris requirat speculum maius minore.

Postquam metalla formata, purgata & depurata sunt, debent deinde ad hoc opus ita purgari. Multum etiam conducit, si metallum quodlibet in Planetæ appropriati horâ ipsâ purgari incipiatur, & insuper Aspectus ad illum Planetam, boni vel mali, bonorum vel malorum Planetarum obseruentur. Sigill septē metallorum seu planetarum cōfectio.

Aurum.

Aurum si ter per Antimonium fundatur, & postea per Saturnum transmittatur & depuretur, purgatione alia nulla opus habet. Hoc saltem agendum, vt tenuiter tundatur, & horis 24. in aqua salis maceretur, & tandem aquâ purâ abluatur, lintéoque puro exquisitè abstergatur, & ad tempus vsus reseruetur.

Argentum.

Purgandi argenti hęc ratio est. Postquam in laminam tenuem ductum est, coquitur in aqua, in qua solutum sit Tartarum & Sal. Coctio duret, ad horæ circiter partem quartam. Extrahatur, & purâ aquâ abluatur, pannóque mundo abstergatur, & seorsim seruetur ad tempus vsus.

Cuprum.

Cuprum ponendum est in Aquam Vitrioli (al. Camphoræ) permixtam aceto, horarum sex vel octo spatio. Ita purgabitur. Abluatur mundè, & siccetur, reseruetúrque.

Ferrum.

Hoc debet esse limatum. Puluis tamen studiosè abluendus, idque super prunis iterum siccandum est.

Plumbum.

Liquefac plumbum in cochleari ferreo. Iniice ceram quantitate fabæ, vt ibi comburatur. Postea effunde in aquam puram.

Stannum.

Stannum liquefac, & iniice seuũ, cerã aut mel, quæ super illo comburantur: Stannũ effundatur in aquam purã, postea, resiccetur, & seruetur.

Argentum viuum.

Hoc ter per corium exprime in vas ligneum purum. Quod transmittitur, bonum & purgatum satis ad hoc opus est. Quod in corio relinquitur, nanci est. Horum metallorum quodlibet seorsim per se asseruandum est. Sic ergo ad initium omnia præparata sunt.

Hoc facto, studiosè & exactè noscenda est cõplexio personæ, siue vir siue fœmina sit, cui hoc speculũ fabricandũ est, nimirum per erectionẽ natiuitatis sicut ante clarè docuimus. Nec enim, quod nonnulli faciunt, decernendũ de complexione est ex erecta hora partus: Sed tum demũ verè de illa constituitur, si iudicium fiat ex hora & puncto illo, quo Deus omnipotens fœtui in vtero materno immisit animam viuentem, adeóque primò viuere incipit. Quæ quidem

horæ ex fundamentis illis, quæ ego Theophrastus posui & reliqui, exactè & verè cuilibet homini, siue senex siue iuuenis sit, præsagiri seu diuinari possunt. Porro Natiuitate hominis erectâ, eiusque complexione vnà cum Planetis & signis percognitâ, iam ad hoc opus adiumenti satis comparatum est. Nec attinet hoc loco scire, quæ ipsius fortuna, quod infortunium, quæ mors, quæ vita, qui morbi sint, satis est sciri reuolutionem anni, in quo homo natus est.

Sequitur deinceps tabula, ex qua patet principium speculi erga quemlibet hominem, cuiuscunque ille Planetæ sit.

♄	♒ 12. Grad.	12.7.	☉ 5. Grad.	♒ ☽ 12. Grad.
♃	♐ 11. Grad.	11.3.	☉ 13. Grad.	♐ ☽ 19. Grad.
♂	♈ 10. Grad.	10.8.	☉ 19. Grad.	♈ ☽ 10. Grad.
☿	♍ 3. Grad.	6.2.	☉ 13. Grad.	♍ ☾ 7. Grad.
☉	♌ 12. Grad.	1.5.	☉ 12. Grad.	♌ ☽ 4. Grad.
♀	♉ 7. Grad.	9.7.	☉ 1. Grad.	♉ ☽ 20. Grad.
☽	♎ 6. Grad.	4.1.	☉ 20. Grad.	♎ ☽ 6. Grad.
Si homo est soboles Planetæ; tunc principium est in gradu huius signi.	Gradus signorum Planetarum.	Domicilia cœli.	Sol in gradibus signorum.	Luna in gradibus signorum.

SI homo soboles est Saturni, primum initium fieri debet, si Planeta Saturnus in propria sua domo, hoc est, in Aquario est; aut si ratione temporis, Saturni non sit, ita tamen, vt ad minimum in 12. domicilio cœli, hoc est, in domo infortunij, inimicitiæ, inuidiæ, omnium denique malorum constituatur, atque insuper Sol in 5. gradu Aquarij, Luna verò in medio, seu gradu 12. Aquarij versetur: tunc accipe prius ponderatum & purgatum plumbum, eo ipso puncto & momento, quo Luna apparet in primo limine 12. gradus Aquarij, & nouo fictili fusorio inde in ignem, quæ omnia iam ante prompta & parata esse oportet. Liquefiat plumbum; sic quamprimum fluxile factum est, remoue ab igne, & fictile diligenter contege, sepositumque relinque tamdiu, donec Planeta Iupiter attingat 11. domicilium cœli, aut 11. gradũ Sagittarij, & Luna 19. gradũ Sagittarij teneat; Sol quoque in eiusdem signi sagittarij 13. gradu cursum suum faciat. Tunc enim sumitur Stannum, ante ponderatum & purgatum, vt ad manum sit. Cúmque prædictum plumbum fusum, in fictili, denuò igni dato, de nouo ita liquescat, vt fluat: iniicitur ipsi stannum quoq;, vt vnà colliquentur. Quæ si ligno bene agitaueris, vt exquisitè fluant, eximes & conteges, vt ante, sinesque stare, vsque ad Martem, more iam dicto. Ita agitur etiam cum cæteris metallis omnibus secundùm tenorem tabulæ, donec metalla omnia congerantur & coeant.

Si autem Domina natiuitatis Venus sit, initium fit à cupro, & processus talis seruatur: Venus, Mercurius, Sol, Luna: & superiùs à Saturno iterum numeratio fit per Iouem, per Martem, vsque ad Venerem, numerandóque omnes repetuntur, si modò semper à domino complexionis aut natiuitatis initium fiat. Mercurius Solus, si dominus natiuitatis est, semper vltimus est, ideò, quia metallum ipsius in igne non permanet, sed vniuersum effumat. Aliàs tamen semper suum tenere ordinem debet, si modò non est natiuitatis dominus. Tunc enim vltimus est, suo tamen tempore.

Septem metallis omnibus, dicta ratione, congestis, læuigatæ duæ tabulæ ferreæ in promptu sint; & primùm ferreo filo claustrum seu repagulum ita stringes seu reduces, vt speculi amplitudo requiret: vt, si intra duas ferreas tabulas immittatur, speculum ipsi infusum, iustam & optatam latitudinem acquirat. Ipsius tamen orificium seu introitus supernè angustus sit, vt metalla infundi queant, vt sequens figura, quæ Lagenæ similis est, exhibet. Tabulas autem ferreas ante infusionem calefacies, & seuo inunges, vt metalla non adhærescant, & speculum glabrum, approbéque lucidum euadat.

Forma Lagenæ fusoriæ, in quam speculum effingitur.



His omnibus confectis, ad tempus diligenter respiciendum est. Quod si Dominus natiuitatis infra terrã, hoc est, in 1. 2. 3. 4. 5. vel 6. domo cœli versatur, Luna verò in domo Domini natiuitatis grad. 10. tenet, & præterea malignus nullus alius aspectus, vt sunt □ & △ aut ☍ adsit: hunc metalla, quæ omnia in fictili mixtim congesta sunt & in nomine Domini in formam illam effunde. Hoc iam primum speculum est, in quo spectantur vniuersa, quæ corporaliter & substantialiter videri desiderant, velut homines, Imagines, ædes, animalia. Fusio tamen fiet eo præcipuè puncto

puncto & momento quo Luna gradum decimum attinget. Id siue diu siue noctu fiat, perinde est.

Postea speculum exime ex forma, & seorsim colloca. Reliqua autem metallorum grana seu detrimenta confunde in fictile, nec tamen priùs, quam coniunctio fiat Domini Natiuitatis cum Luna. Huius coniunctionis horâ metalla iterum in massam vnam confunde. Ita confusa, relinque in fictili, & formam adorna. Et si natiuitatis dominus decimam in cœlo domum occupat hoc est in medio aut summo cœli versatur, speculum secundum funde. Tum temporis Luna in altera domo seu signo Planetæ eius, qui natiuitatis dominus est, cõstituta esse debet. Et sicut antea Luna in grad. 10. Capricorni fuit: ita iam in grad. 10. Aquarij versari debet. Si enim Saturnus natiuitatis Dominus esset: Domicilia duo haberet, nempe Capricornum & Aquarium. Si Sol & Luna natiuitati præsunt, vtrique vna saltem domus est, Soli nempe Leo, & Lunæ Cancer. Hoc modo omnia tria specula fundenda sunt, si nimirum Luna in decimo gradu Leonis, aut in decimo gradu Cancri incedit. Dicta iam ratione speculum conficitur secundum, ex quo cognosci possunt omnes sermones, verba, cantuique iam præteriti, adde & dies, tempora horasque, quibus quodlibet horum factum est.

Postea metalla iterum in vna coniunctione confunde, recta cum Domino natiuitatis in illa comprehenso: Quod si Planeta alius cum Luna coniunctionem habet, res eadem est. Exemptum speculum seorsim asseruatur, & rursus ratione dicta sua forma adornatur. Si Planeta penetrat in 7. 8. 9. 10. 11. aut 12. domum, supra terram iam versatur. Insuper si Luna iterum primum signum seu domum, Planeta autem gradum 10. tenet, & nullus aspectus teter intercidit, speculum tertium funditur. In hoc videntur omnia scripta, delineata, picta, in literis & libris, ac summatim res abscondit omnes, quæ viuunt, & à viuentibus factæ sunt. Post hæc si quid metalli superstes est, id impendere potes, quò voles. Specula autem suis numeris, 1. 2. 3. signata seruari debent.

Porro, si Sol in signo aut domo natiuitatis domini à 5. ad 7. gradum versatur, specula ex vno latere super cotem exquisitè læuiganda & polienda sunt, ita vt nulla amplius asperitas ac macula deprehendatur; hoc enim inspectioni valde officeret. Eo facto, nullum deinceps alteri apponendum est, sed quodlibet per se seorsim asseruandum: Initium autem læuigationis fieri potest, quandocunque tempus concesserit. Licèt enim nondum omnia tria tum temporis fusa sint, id tamen nihil incommodat, modò tempus instet. Læuigatis illis, attendendum est, quando primum post læuigationem nouilunium futurum sit. Tunc enim poliuntur. In puncto, quo Luna noua fit, molli ligno adiecto puluere aliquo, primum speculum molliter fricandum est, ita clarum & nitidum euadet. Proximo nouilunio sequente in ipso fracturæ puncto, poliendum est speculum secundum & tertium, quæ à politura ita dirimantur, vt nunquam ampliùs conueniant seu coniungantur, sed vtrunque seorsim asseruetur. Quod si præterea natiuitatis Dominus in domo quarta, hoc est in domo omnis secreti & absconditi persistit, Sol verò vel Luna tum temporis adhuc in domibus Domini natiuitatis morantur, insuper duorum benignorum Planetarum coniunctio accedit, tunc specula hæc tria in claram, puram, fluidamq; aquam fontanam coniunctim ita poni debent, vt sub aqua demum iterum conueniant. In hac iaceant duarum circiter horarum spatio donec coniunctio præterierit, post eximantur inde, & linteo puro inuoluantur, ac ita asseruentur.

Sic ergo Regium hoc Instrumentum tredecim mensium spatio præparari potest, si idoneo tempore initium fiat, & temporis proba ratio obseruetur. Id autem quotannis fieri potest. Vnus tamen annus altero ad hoc commodior est, maximè si Dominus Natiuitatis gubernator illius anni, aut præfectus partis Fortunæ est.

LIBER SEXTVS ARCHIDOXIS MAGICÆ.

De compositione Metallorum.



INficiari nemo potest, quin compositiones Metallorum res miras in supernaturalibus operentur, quod rationibus multis stabiliri potest, sicut deinceps clariùs docebitur. Quod si enim omnia septem metalla commodâ serie & iusto tempore componas, & veluti in massam vnam colliques: tale vtique metallum habebis, in quo virtutes omnes metallorum septem consertæ & reconditæ lateant. Has vniuersas in hoc vnico metallo, quod nos ELECTRVM vocamus, inuenies. Id verò non purorum saltem metallorum naturales vires in se continet, sed preter has accepit etiam alias supernaturales. Pura namque & simplicia metalla plures per & in se virtutes non habent, quàm quas Deus & natura illis indidit, quæ tamen omnes tantùm Naturales existunt. Ita compertum vobis est, aurum, quod metallorum omnium nobilissimum, præstantissimum & excellentissimum est, cum omnibus suis speciebus sanare Lepram: & Cuprum Mercuriumq; omnia externa vlcera & vulnera consolidare. Similiter & metalla cætera peculiares suas vires habent, quas hoc loco non recensemus, sed de virtutibus metallorum ponimus. Et tamen indissolutâ & inalteratâ suâ metallicâ Essentiâ, citra noxam in medicina nihil quicquam præstare aut expedire. Sed necesse omnino est, vt, si vires suas medicas exserere debeant metallica ipsorum Essentia prius destruatur, & in aliam speciem ipsa mutentur in sua nimirum Arcana, velut Olea, Balsamos, Quintas Essentias, Tincturam, Calcem, & similia: ac tum demum patienti administrentur. Et citra præparationem eiusmodi, natiuis suis dotibus, supernaturali modo, auxilij nihil quicquam afferre possunt, sicut nostrum facit Electrum: quod secundùm cursum cœli compositum & coagmentatum est, sicut deinceps in illius practica disseremus.

Electrũ quid.

Aurum lepram. cuprum vulnera, &c. curat.

Metalla non destructa nil boni agunt.

Electro itaque nostro non immeritò amplam laudem assignamus. Virtus enim ipsius magna, & nimis magna est.

Arbitror autem apprimè necessarium esse, vt vires & facultates Electri nostri describantur, &, de puris metallis tractatione omissa, de hoc solo nobis commentari proponamus. Nec enim vel in minimo cum Electro nostro conferri possunt, quod luce meridianâ clariùs constat. Si poculum vel patina ex hoc Electro concinnetur, nemini vel venenum propinari, vel veneficio & incantatione noxa inferri potest, si res animaduertatur. In nostro enim Electro ineffabilis quædam sympathia, quam cum homine, cooperantibus 7. Planetis & Astris superioribus, habet, latet: ita, vt ob consensum & condolentiam singularem cùm sudet tùm maculetur, quàm primùm ab homine contingitur, aut manu prehenditur. Et hæc causa est, cur à priscis Electro nostro multa attributa sint: ex quo etiam multa vasa pro cibis ac potibus capiendis confecerunt: quorum nonnulla etiam nostro seculo ex terra, in quam reconderunt, ipsa eruta & producta sunt. Ex eodem Electro alia quoque olim ornamenta ac clenodia concinnata fuerunt, vt Annuli, armillæ, numismata, sigilla, Imagines, Figuræ, Campanæ, Specula, monetæ, &c. quorum nonnulla celandi arcani causâ argento interdum auróq; obducta sunt. Sed mos iste nostrâ ætate omnino exoleuit, resque ipsa in contemptum & obliuionem abiit.

Electri mira cū homine sympathia.

Vasa ex Electro ex terra eruta.

Vt verò tantùm Naturæ Mysterium, ac præstantia illa Dei Magnalia postremis his temporibus diutiùs in occulto non laterent, sed publicè innotescerent, & in apricum reproducerentur: non facere, potui quin, quæ in Sophistarum tenebris iam diu oppressa & obscurata hæserunt, explanatione meâ describerentur & patefierent. Quamquam fas non videatur esse, vires ac virtutes vniuersas nostri Electri hîc recenseri: Id enim si fiat, studium nostrum calumniabitur Sophista, inscius eo offendetur, Idiota irridebit, proteruus & impius abutetur. Contra hos omnes silentio se munire tutius est.

Interim tamen hoc loco non possum non indicare admirandas quasdam vires virtutesque Electri nostri, quas fieri his nostris oculis vidimus, adeóque cum hora veritatis conscientia proferre attestarique possumus. Vidimus enim huius generis annulos. Quos qui induit, hunc nec spasmus conuulsit, nec Paralysis corripuit, nec dolor vllus torsit, similiter nec apoplexia, nec Epilepsia inuasit. Et si annulus huiusmodi, Epileptici digito annulari etiam in paroxysmo sæuissimo insertus fuit: remittente illicò paroxysmo æger à lapsu illicò resurrexit. Vidimus etiam ac comperimus, quòd, si quis huiusmodi annulum in digito annulari gestans, occulto aliquo morbo corripiendus iamiam fuerit, annulus desubito non modò sudarit, sed ob ingentem sympathiam etiam maculas & deformitatem contraxerit: sicut hoc ipsum adhuc clariùs in libello de sympathia deducimus.

De Electri vi quædam exēpla.

Porro autem & hoc sciendum est, Electrum nostrum spiritus malignos omnes arcere. In Electro enim nostro cœlestis Operatio, & Influentia omnium 7. Planetarum recondita est. Ideò veteres in Persia Magi & Chaldæi, huius opera multa præstiterunt & inuenerunt. Quæ omnia si sigillatim vobis recenserem, Chronicam mirãm vobis conderem, quam tamen vitandi scandali gratiâ omitto. Fieret enim, vt à Sophista maximus & summus Magus incantatorque proclamarer.

Silere hic etiam non possum miraculum summum, quod vidi in Hispania fieri à quodam Nigromantico, qui Campanam habebat, duarum librarum pondus non excedentem. Quam quoties pulsaret, plurima ac varia spectra visionesque spirituum ciere ac allicere poterat. Quando enim libebat, verba nonnulla ac Characteres in Campanæ superficiem internam describebat: Illam postea si impellebat & pulsabat, spiritus illico prodibat, quacunque ipsum forma & specie volebat. Eiusdem Campanæ sonitu multas alias quoque visiones & spiritus, adeóque homines & pecudes vel ad se allicere, vel à se abigere poterat, sicut multa horum ab ipso fieri his oculis conspexi: Quotiescunque tamen aliquid noui moliebatur, toties verba quoque & characteres renouabat. Arcana tamen illa verborum & characterum mihi reuelare nolebat, donec ipsemet profundiùs rem trutinans & rimans, fortuitò tandem illa inueni. Quę tamen aut quorum exempla studiosè hîc dissimulo. Iuxta tamen haud obscurè animaduerti, plus momenti in Campana, quàm in ipsis verbis situm fuisse. Nam Campana ista certè omninóque ex hoc nostro Electro concinnata fuerat.

Historia Hispani cuiusdā Nigromantici.

Hinc etiam inuenta est Campana Vergilij, cuius sonitu adulteros ac adulteras omnes in Regis Artus aula agentes adeò perterrefecit, vt constellata vertigo ipsis obreperet, qua de ponte in subiectam aquam non aliter ac fulmine percussi præcipites exturbarentur. Nec enim ista fabula est, sed res verè gesta, & Chronico digna. Itaque nec vobis creditu indignum id videatur: cum Naturę talia omnia possibilia sint. Si enim visibilis homo alium sono sui verbi vocare, ac ita cogere potest, vt, quod iusserit, ille faciat, cùm tamen nudum verbum, adeóque nudus verbi & fluxilis sonus adhibeatur, citra omnem armorum aut alterius violentiæ interuentum: multò certè faciliùs idem poterit homo inuisibilis, qui visibilem simul & inuisibilem non verbo tantùm, sed etiam verbi cogitatione cogere potest. Semper enim inferius superiori obsequi ac subiici oportet. Nam quid inuisibilis homo est, aliud, quam ipsum Astrum, inuisibilis hominis animo & cogitationibus latens, & per Imaginationem hominis sese prodens & exserens? Iam si Astrum homini inesse & per olympicum spiritum duci ac deportari potest in alterum: tunc idem poterit etiam inesse metallis, & suam impressionem edere, ita, vt longè sublimiùs exaltentur vi & ope syderum, quàm à Natura ipsa exaltata sint: Sicut in aliis huius Archidoxis Magicæ libris docemus. Exemplo vobis est Aurum, & Mercurius viuus. Quæ duo metalla si per Amalgama in coniunctione Solis & Mercurij componantur & vniantur, adeóque in coniunctione illa Sol super Mercurium dominetur:

Cāpana Vergilii miræ virtutis.

Verbori quanta vis sit.

Inuisibilis homo quid sit.

minetur: facilè deinceps vnà fixari possunt, ita, vt Tincturam reddant ad Mercurium viuum, quæ deinde vberiùs cum Mercurio viuo in tali coniunctione augmentari possit, quod secretum Naturæ maximum est, &c.

Similiter & citra hanc coniunctionem Aurum & Argentum cum Mercurio Fulgi componi & vniri potest, hoc pacto. Si aurum supra Mercurium Fulgi teneatur, tunc Mercurius fumi specie totus ascendit in aurum, & illud facit album, fragile & fluxile instar ceræ. Eodem modo tractari quoque argentum potest. Hoc vocitare solemus Magnesiam Philosophorum, in qua quidem inuenienda Philosophi comprimis Thomas de Aquino, & Rupescissa cum suis sectatoribus anxiè laborarunt, sed frustrà. Et hoc arcanum memorabile omninò ac singulare est, Mercurium viuum cum ægrè fluidis metallis, argento, cupro, ferro, chalybe, &c. in igne ita vnire, vt vnà liquescant, & facilè fluant. Hoc modo multæ tincturæ & Elixiria pro mutandis metallis præparantur, sicut aliàs fusiùs in libris de transmutationibus Metallorum docemus.

De Mercurio autem Vulgi porro hoc quoq; tenendum est, quod, quemadmodum ille fumo suo metalla omnia penetrat, calcinat, & ad suam naturam disponit, ita metalla quoque fumo suo Mercurium viuum coagulent. Compertum namque habemus Mercurium interius caloris maximi esse, & nullâ ratione aliâ, quàm frigore maximo coagulari posse, quod plenè & perfectè in igne & fusione specie fumi ex metallis defluit seu exspirat. Nihil enim in igne ac calore minimè tolerari potest ex Metallis defluit. Huius generis est Arsenicum metallorum, qui instar spiritus ex metallis liquescentibus ascendit.

Insuper hoc quoque sciendum est, Mercurium esse spiritum Metallicum. Et sicut spiritus plus est corpore: ita Mercurius etiam cæteris metallis. Ac veluti spiritus muros omnes penetrat: ita Mercurius peruadit metalla. Mercurius enim admirandâ operâ præstat & operatur in metallis: quod tamen vniuersum hîc non explicamus, sed in locum alium reiicimus. Vidimus enim ac comperimus ipsimet, quòd Mercurius viuus, si ex calcinato metallo aliquoties, vt cinnaberis sublimetur, & postea calcinatum metallum in fundo iterum in suum metallum reducatur, deinceps quouis plumbo fluxilior fiat, siue exstiterit aurum, siue argentum, siue cuprum, siue ferrum aut chalybs, ita vt ad candelam seu cereum ceræ modo fluxile fiat, ac ad solis ardorem instar niuis ac glaciei liquescat, & deinceps per digestionem aliquanti temporis totum in Mercurium viuum vertatur. Huius autem mentionem etiam facimus in libello de Resuscitatione rerum naturalium, vbi de Mercurio metallorum loquimur.

Sic nimirum præparatur Mercurius auri, Mercurius argenti, Mercurius cupri, Mercurius ferri, Mercurius stanni, Mercurius plumbi, &c. de quibus Arnoldus, Aristotelesque ac Philosophi cæteri multa quidem tradiderunt, sed ea aut rarò aut nunquam oculis conspexerunt: Hoc ergo pro summo & nobilissimo Arcano ac Mysterio naturæ habendum est, studio summo celandum, nec in manus aduersariorum meorum, vtpote indignorum, temerè committendum. Quid enim anseri prosit gemma ac Margarita? Hanc enim nec internoscit, nec vsurpare potest, sed ei quoduis rapum præfert. Idem ingenium etiam sophistarum est. Ideóque arcanis his digni minimè sunt. Id enim ni fiat: margaritæ obiicientur porcis, & sacrum canibus. Quod ne fieret, Deus seriò prohibuit.

Porro autem vt ad practicam nostri Electri, de quo loqui superiùs incepimus, quodque secundùm motum cœli, & coniunctionem septem Planetarum compositum & concinnatum esse debet, tandem redeamus, processus illius practicæ hic est.

Primùm attende coniunctionem Saturni *Electrum quomodo præparandũ.* ineuntem cum Mercurio; eâ incipiente, iam instrumenta omnia in promptu habenda sunt, vt Ignis, fictile fusorium, plumbum purum, tenuiter in laminas aut grana comminutum, Mercurium viuum, &c. ne quicquam impedimenti habeas. Incipiente, vt dixi, coniunctione, plumbum fluat frigide, vt, si Mercurius superfundatur, non exiliat, aut exspiret. In primóque coniunctionis puncto fictile fusorium cum plumbo liquefacto exime ex igne, & infunde Mercurium, postea vnà frigefieri permitte: Postea similiter attende ad coniunctionem Iouis cum Saturno, aut Mercurio. Ac si dicto modo omnia prompta & parata habueris, sedulò operam da, vt sub coniunctionis punctum vtrunque metallum, purum stannum Anglicum & plumbum cum Mercurio vnitum, seorsim in peculiari fictili diffluat, quæ postea ex igne extracta frigidè confunde, & permitte, donec vnà refrigerentur. Hoc modo tria fluidissima metalla in vno corpore coniuncta habebis, quæ primò semper coniungi oportet. Postea iterum attende ad coniunctionem aliam, an cæterorum Planetarum quispiam, siue Sol, siue Luna, siue Venus, seu Mars sit, cum reliquorum Planetarum aliquo, vtpote Saturno, Mercurio aut Ioue coniungatur. Tunc enim iterum dicto modo in promptu sint, & seorsim vtrunque diffluat, ac in coniunctionis puncto confundantur, ac reseruentur. Eâdem arte metalla omnia tractabis, donec omnia septem secundùm debitam coniunctionem Planetarum in vnum metallum confuderis, & vnieris. Tunc enim paratum Electrum habebis. Sed his perceptis, iam libellum hunc claudamus.

LIBER SEPTIMVS ARCHIDOXIS MAGICÆ.

De Sigillis Planetarum.



CERTVM est, ipsis quoque sigillis *Sigillis certæ vires insunt.* Planetarum, si idoneâ horâ ac tempore secundùm Planetarum cursum debitâ ratione concinnentur & gestentur, vim ac virtutem magnam inesse: Inficiari namque nemo potest, quod Astra superiora ac Influentiæ cœli in caducis ac mortalibus rebus plurimum possint. Quòd si enim superiora Astra ac Planetæ hominem

minem animalem moderari, regere, ac ad ſuum arbitrium cogere poſſunt, ipſum tamen ad Imaginem Dei factum, ac vitâ rationéque dotatum: quantò magis poterunt eadem regere minus quiddam, nempe metallum, lapides, Imagines, quibus ſeſe imprimunt, aut quæ cum omni ſua virtute ac efficacia ſecundum Influētiæ modum ita occupant, quaſi cum omni ſua ſubſtantia illis ineſſent, quemadmodum inſunt ipſi Firmamento: Et ipſi etiam homini poſſibile eſt, eadem in Medium aliquod ita inducere, vt in illo efficaciter operentur, ſiue Medium id ſit Metallum, ſiue Lapis, ſiue Imago, ſiue quiduis aliud ſimile.

Aſtra inferiorib. reb. dominātur.

Sed & hoc plurimùm ſcitu dignum eſt, Planetas ſeptem in nullo vires maiores habere, quàm in ſuis metallis propriis, Solem ſcilicet in auro, Lunam in argento, Venerem in cupro, Iouem in Stanno, Mercurium in hydrargyro, Martem in ferro, Saturnum in plumbo. Ipſorum ergo ſigilla huc congeremus, & cuiuſlibet Planetæ ſigillum ex proprio ſuo metallo conficere docebimus.

Planetæ cuiuſlibet quod metallū ſit.


SIGILLVM SATVRNI.

Sigill. Saturni materia & confectio.

Sigillum hoc fieri debet ex puro finóque Svillacenſi plumbo, ita vt rotunditas eius quadratura deſignata ſit; Quadratura hæc tribus plagis diſtincta, ſit, & plagæ cuilibet trinis numeris quindecim inſcribantur: In altera Sigilli facie ſculpenda eſt Planetæ Imago, ſenex nimirum Barbatus vir, cum Ligone, eo habitu, quaſi terram foderet, cuius capiti incumbat ſtella, addito nomine, Saturnus. Pro Sigillo autem hoc imprimendo, ferra ſignatoria gemina tibi parari & cœlari curabis, vt inſtante obſignandi Sigilli tempore Sigillum imprimas, eâ ratione, qua monetæ obſignantur, vt nimirum hoc pacto expeditius opus procedat. Deinde attende, quando die Saturni Luna Tauri vel Capricorni gradum primum ingrediatur, & Planeta Saturnus boni curſus & naturæ ſit. Tunc ſigillum funde, & intra gemina dicta ferra ſignatoria tundendo finge. Sigillum autem diligenter in mundo nigróque panno, ex ſerico facto aſſerua.

Forma.

Sigillum Saturni.



Sigill. Saturni operatio quæ ſit.

Primò, ſigillum hoc prodeſt prægnantibus. Quod ſi ſecum geſtant, in partu nihil difficultatis ſentient. Deinde, cuicunq; ſigillum hoc apponitur id multiplicabitur & augeſcit. Quod ſi eques, idem in ocrea ſiniſtra ſecum ferat, huius Equum nemo lædere poteſt. Si verò ſigillum hoc conficiatur Saturno retrogrediente, die, & hora Saturni: inceptis bonis omnibus reſiſtit. Et ſi cui apponatur, id in dies deficit, minuitur & perit. Idem ſi in bellis defodiatur loco eo, vbi milites morantur, hi nulla fortuna vtentur, ſed feſtinanter caſtra mouebunt & recedent.

SIGILLVM IOVIS.


Sigill. Iouis materia & cōfectio.

Hoc ſigillum ex probo Anglico ſtanno conficiendum eſt. In alterius lateris rotunditate extendi debet quadrangulum, quaternario numero multiplicandum, cuius linea quælibet 34. complecti debet. In ſigilli altero latere Planetæ imago fingenda eſt, ſacerdotalis nempe & literatus vir, in libro manibus prehenſo legens, cuius capiti ſtella & nomen Iouis addita ſint. Pro hoc quoque ſigillo inſtrumenta duo percuſſoria præparari debent, modo prædicto. Porro die Iouis Luna Libræ primum gradum intrante, & Planeta Ioue bene conſtituto, finde & percute ſigilla, eáque in Cyaneo ſerico aſſerua.

Forma.

Sigillum Iouis.

Sigill. Iouis quæ vis.



Sigillum hoc ſi geſtetur, gratiam, amorem & fauorem apud vniuerſos conciliat. Cui apponitur, id multiplicatur, & indies augeſcit, geſtoremque ſuum in omnibus negotiis felicem facit, & abigit curas omnes, metumque.


SIGILLVM MARTIS.

Sigill. Martis materia & fabricatio.

Sigillum hoc ex optimo & tenaciſſimo ferro Carinthio in orbem cudi, & ad iuſtum tempus aſſeruari debet: Sigilli latus vnum quadrangulum, & hoc numero 5. multiplicatum eſſe debet, vt linea quælibet vel latus 65. compræhendat. In latere altero ipſius Planetæ imago conſpici debet, nimirum armatus miles, læua clypeum, dextra gladium vibrans, ſupráque caput ſtellam & nomen Martis præferens. Pro ſigillo hoc facienda ſunt duo peculiaria inſtrumenta percuſſoria, optimè indurata. Illis factis attende diem Lunæ, quando Luna gradum aut punctum primum Arietis, aut Sagittarij intret, & Planeta probum motum, ſtatumque ac aſpectum benignum habeat. Tum temporis cuſum ante ferrum in fornace ignitum fac vt melius ſignetur; Signatum, & refrigeratum in ſerico rubro cuſtodi.

Figura.

Sigillum Martis.



Sigillum Martis quid præſtet.

Hoc ſigillum geſtori ſuo confert robur & victoriam in pugnis & certaminibus, vt in omnibus præliis triumphet, & minimè lædatur. Si ſigillum idem in caſtellum vel arcem ali-

quam

quàm defodiatur, in expugnando eo hostes vniuersi confundentur, tantum virium Planeta iste huic sigillo confert. Si autem sigillum paretur, Marte retrogrediente, sub aspectu feruido, maligno & infelici, contrarium accidit. Hoc vbicunque deponatur, meta ibi bella, dissidia odia & inuidiæ, denique infausta omnia gliscunt.

SIGILLVM SOLIS.

Sigill. Solis materia & fabricatio.

EX optimo lectissimóque Arabico vel Hungarico auro hoc sigillum conficiendum est, ex altera parte quadrangulare, cuius quadratura numero 6. multiplicetur, ita, vt in qualibet linea transuersum crucis modo numerentur III. Et scire debetis, numeros in quolibet sigillo secretos & absconditos esse numeros cęterarum stellarum, illi Planetæ subiectarum & à Deo attributarum, sicut de hoc lib. de stellis docemus. Planeta enim dicitur præcursor, aut stella primaria. Ideò oportet alias quoque stellas sub se habeat, quas moderetur, &c.


Forma.

Ex latere sigilli altero Imago Planetæ ipsius sculpi debet, coronatus nempe Rex, in solio regali sedens, maiestate regiâ fulgens, sceptrumque manu dextrâ premens, supra caput solem & nomen Iouis, ante pedes autem imaginem Leonis ostendens. Ad hoc etiam sigillum duo signa requiruntur. Postea obserua, quo die Solis Luna primum Leonis gradum intret. Quod si tum temporis benigni motus Planeta est, imprime sigillo imaginem. Impressum autem sigillum in sindone lutea conserua, &c.

Sigillorum percussio quid præstet.

Sciendum verò est, percussionem sigillorum non tantùm ideo institui, vt temporis ratione nihil impedimenti intercidat, sed expeditè & festinanter omnia perficiantur: sed hæc ipsa impressio simul est impressio virtutum cœlestium. Sicut enim impressiones cœlestes & Astrorum superiorum influentiæ celerrimè & vno momento fiunt supernaturaliter, vt non telum ab arcu, aut glans à tormento rapidiùs feratur: ita celeriter quoque ac festinanter hanc quoque impressionem fieri oportet.

Sigillum Solis.



Sigil. Solis efficacia.


Gestatum hoc Sigillum, gratiam & fauorem conciliat apud Magnates, Reges, Principes, Cæsares, &c. ac indies hominem extollit, ita vt tam bonis quàm honore subinde auctior, apud omnes homines magni fiat.

SIGILLVM VENERIS.

Sigil. Veneris paratio. Sigil. Veneris forma.

SIgillum hoc ex cupro fabricatur, facie alterâ figurâ quadrangulâ designatum, numero 7. multiplicatâ, qualibet lineâ 152. circiter complectente. Alterâ facie exhiberi debet figura Planetæ, nimirum fœminæ, cui astet infans cum arcu & telo igniuomo. Fœmina gestet Læua psalterium aut instrumentum aliud Musicum. Supra caput stella stet, & nomen Venus. Pro hoc Sigillo vbi duo instrumenta percussoria feceris, & postea die Veneris Luna in Tauri aut Virginis primo puncto versetur, Planetæque commoda constitutio sit: Sigillum obsigna, & in Sindone viridi asserua.

Sigillum Veneris.



Sigil. Veneris vis.

Gestans hoc Sigillum, miræ & insignis gratiæ est, & amorem tam à viris, quam fœminis sibi comparat. Idem omnem inuidiam ac odium propulsat. Si iubeas, vt infensus tuus hostis de hoc sigillo bibat, amicus tibi certissimus fiet, nihil malitiæ amplius cogitans, sed omnia bona moliens. Industriam etiam & felicitatem confert proficiendi in Musica.

SIGILLVM MERCVRII.

Ductilia sola obsignari queunt. Sig. Mercurii confectio & forma.

SIgillum hoc ex coagulato Mercurio fundi debet. Nullum enim nisi ductile metallum percuti potest. Ita nec coagulatus hic Mercurius (nisi præscripto à nobis modo conficiatur) duci potest. Requiritur itaque forma ex duabus partibus: in quarum vna numerus, in altera imago spectetur, sicut de metallorum reliquorum percussione diximus. Hoc quoque sigillum in facie altera quadrangulare est: cuius quadrangulum numero 8. multiplicatum est, qualibet lineâ 260. circiter continente. In altera facie stet imago ipsius Planetæ nimirum Angeli pone in dorso & calcibus alati, & dextra manu baculum geminis serpentibus crucis in modum intortis obseptum ferentis, in capite autem stellam & nomen Mercurij exhibentis.

Mercurii coagulatio vt fiat.


Porro Mercurium coagulabis cum plumbo. Nullum enim metallum Mercurio affinius est plumbo. Coagulatio ista hoc modo fit. Accipe plumbi fini ℥ij. Fluxile fiat in fictili fusorio. Inde eximeex igne, & sine nonnihil refrigescere. Si condensationi iam vicinum est, infunde Mercurij viui ℥ij. Insuper attende, quando die Mercurij Planeta benignus fulgeat, Luna primum gradum Geminorum aut Scorpionis intrante. Sine Mercurium viuum fluere frigidum, & infunde ipsum in formam, quam concute, vt subtiliùs elabatur. Is in forma refrigescat probè. Forma hęc etiam primùm ad cereum seu facem ardentem præparanda est, vt de Mercurio fuso formæ nihil adhærescat, sed lubricè & promptè effluat. Si verò Sigillum in fundendo non satis purum & exquisitum

euasit,

euaſit, pro tuo arbitrio id incidere licet. Poſtmodum aſſerua in ſindone purpurea.

Sigillum Mercurij.

8	58	59	5	6	62	63	1
49	15	14	52	53	11	10	56
41	23	22	44	45	19	18	48
32	34	35	29	28	38	39	25
40	26	27	37	36	30	31	33
17	47	46	20	21	43	42	24
9	55	54	12	13	51	50	16
64	2	3	61	60	6	7	7



Si ſigillum hoc geſtetur, magnam gratiam & intellectum confert ad diſcendam Philoſophiam, & cæteras naturales artes vniuerſas. Si quis de hoc ſigillo bibat, felicem memoriam concipit, & liberatur à febri. Si ſubſternatur capiti dormientis, quicquid is precatus ſit Deum vt videat, id verè videbit & experietur.

SIGILLVM LVNÆ.


Sigill. Mercurii vis.

Sigillum hoc ex puro argento conficitur, quadratura eius numero 9. multiplicato, ita vt quælibet linea 369. circiter contineat. In ſigilli altero latere ſtet Imago Planetæ, nimirum fœmina veſte vagabunda & laxa, ſtans in Luna dimidiata, & Lunam dimidiatam etiam manu ferens dextrâ. Supra caput eſt Stella & nomen, Luna. Ad hoc ſigillum duo ſimiliter inſtrumenta ſignatoria parata haberi oportet. Deinde attendendum eſt, quando Lunæ benignus curſus & habitus ſit die Lunæ, Lunâ in punctum capricorni aut virginis ingrediente. Tunc ſigna ſigillum, & in ſindone candida aſſerua.

Sigill. Lunæ materia & præparat.

Sigillum Lunæ.

37	78	29	70	21	62	13	54	5
6	38	79	30	71	22	63	14	46
47	7	39	80	31	72	23	55	15
16	48	8	40	81	32	64	24	56
57	17	49	9	41	73	33	65	25
26	58	18	50	1	42	74	34	66
87	27	59	10	51	2	43	75	35
36	68	19	60	11	52	3	44	76
77	28	69	20	61	12	53	4	45




Hoc geſtatum præſeruat à multis morbis. Prodeſt etiam peregrinantibus, & agriculturam exercentibus, præſeruans à latronibus & prædatoribus. Facit etiam omnia conſtare, & in vna natura perdurare, quibus apponitur.

FINIS.

INDEX





INDEX
In Libros Sex Posteriores Medico-Chymicos THEOPHRASTI PARACELSI.

Numerus paginam, litera *a* primam paginæ columnam, *b* verò secundam indicat.

iratus

vltima

K.

L.

mysterij

consilium

Promissa

Q.

R.

vt

T.

 rrr 2 duobus

in

FINIS.

AVR. PHILIP. THEOPH.

PARACELSI

BOMBAST AB HOHENHEIM,

MEDICI ET PHILOSOPHI CELEBERRIMI,
Chemicorúmque PRINCIPIS,

Operum

VOLVMEN TERTIVM,

CHIRVRGICA OPERA COMPLECTENS,
Duabus Sectionibus distincta,

QVARVM PRIOR CHIRVRGIAM MAGNAM,
Posterior verò BERTHEONEAM *siue* CHIRVRGIAM
MINOREM *cum Libris adiectis continet.*

EXTAT IN VTRAMQVE PRÆFATIO,
singulæ Librorum ELENCHO & INDICE
generali sunt instructæ.



GENEVÆ,
Sumptibus Ioan. Antonij, & Samuelis De Tournes.

M. DC. LIIX.

CVM PRIVILEGIO.

[illegible]


[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]



FRIDERICVS BITISKIVS LECTOREM DENVO SALVTAT.



I laudes à laudatis promeruisse viris gloriosum, at easdem è reluctanti inimicorum eripuisse ore summum gloriæ culmen semper fuit æstimatum: omnem profectò imparem censeo laudis cumulum gloriæ PARACELSI, *è Chirurgiis suis, & à viris omni exceptione maioribus, & ab ipsis aduersariis, lætam amplissimamque melioris famæ segetem metentis. Nec immeritò illæ prima & præcipua ingenij eius à plurimis habentur monumenta: cùm prior, buccinæ instar, auditores Basileam conuocando nascenti famæ non mediocre incrementum dederit, posterior Imperatori dedicata, imperium in Chirurgica Medicina ipsi acquisiuerit. Quid? quod ipsemet* PARACELSVS *non eat inficias, se huic præcipuè parti, vt pote certiori & euidentiori, sensu teste & iudice, animum adhibuisse, & singulari cum felicitate eam exercuisse. Non excurro in horum operum laudes, ne pretium culpâ deteram ingenij: quin & quamcunque orationem excellentiæ rerum æquandæ imparem experietur doctrinam in iis contentam praxi explorans. Spatiosissimum foret emetiendum pelagus amplissimæ Facultatis Medicæ vniuersas lustraturo plagas, ac pro* PARACELSO *aut contra Galenicos facientia adnotaturo. Præcedentibus in præfationibus iam fortè, nimis audax, papyraceâ hâc cymbulâ altum temerè petij, & communi refragans opinioni tot scopulis syrtibusque nomen exposui, vt naufragij euitandi nisi spirante Diuini fauoris & beneuolentiæ tuæ, ô Lector, aurâ, excitatasque à maleuolis tempestates dissipante, vix spes vlla supersit. Contractis igitur velis littora hîc lambere grauioris momenti suadent rationes, & veluti in Tabulâ Geographicâ itineris commodiori tempore suscipiendi tractus ducere ac notare præcipiunt. Mens erat hac præfatione Medicamentorum Galenicorum compositiones intentiori oculo lustrando examinare an in comparationem cum Chymica arte, absque fraude, præparatis venire queant. Absque fraude dico, quia, dolendum! & huic præclarissimæ præuaricatores se immiscent arti, quæ tamen non propterea nigro notanda calculo penitusq; abominanda, vt liuidi inferunt, nisi cum Iurisprudentiâ,*

[Margin notes:]
Paracelſ. ab aduerſariis laudatur.
Insudauit multũ Chirurgiæ.
Non ſatis laudanda hęc opera.
Periculoſum receptæ opinioni ſe opponere.
Quæ reſtabant hac præfatione examinanda.
Præparationes pharmacorum Galenic.

 rabulas

rabulas alente sempiterna in liquidissimo iure litium spargere atque fouere semina doctos, & Medicinâ morborum artifices habente repullulantem in exanguibus ægrotorum corpusculis sanitatem intempestiuis pharmacis deprimentes, aut saltem lenta subleuantes manu, quò diuturnior morbus copiosiorem producat mercedem. Adiecta volebam euidentia argumenta, remedio vnico vniuersali omnes in vniuersum demeti morbos conuincentia: illo scilicet naturam excitante ac confortante, vt hæc in morbos insurgens quemcunque inimicum, siue calidum, siue frigidum, è finibus suis exterminet; confirmeturque illud Hippocratis (iure nobis magni æstimati) dictum: Naturam morborum esse medicatricem. Fatemur quidem ex multis millibus vix vni huius Thesauri copiam fieri: at PARACELSVM *nostrum dum in septentrionalibus plagis adhuc iuuenis peregrinaretur eo donatum fuisse constat; nimirum postquam sub initium regni Christiani* II. *Daniæ Regis relictâ Sueciâ, in qua fodinas æris ferriq; lustrauerat, in Moscouiâ profectus & in finibus à Tartaris captus cum Chami filio Constantinopolim venit, in hoc inquam itinere & peregrinatione tanti medicaminis possessor factus in Germaniam rediit, & illo, non solum in desperatis vulgo medicorum morbis miranda effecit, verum etiam, quamplurimos ex mortis ferè faucibus eripuit. Tertiò tractanda erat Controuersia, in quâ totum Methodi Medendi caput consistit, nimirum, an morbi contrariis, vt Galenici volunt; vel similibus, vt Theophrastus, curentur; quorum vtrumque cum micâ salis accipiendum. Adiecissem quædam de Physiognomia (cuius cognitionem* PARACELSVS *in Medico requirit) summè necessaria ad Pathologiæ notitiam, cum non tantùm omnia per corpus hominis diffusa exundent in vultum, & certis in partibus præsentiæ suæ præbeant indicia, verum etiam cuncti corporis animique affectus in oculis solis, tanquam in purissimis speculis, sint conspiciendi. Mirabilis videlicet in operibus suis Deus, latè patentem Vniuersitatem in hominem contraxit, & huius iterum stupendam epitomen orbes oculorum fecit; adeò vt in illorum consideratione temperamenti rationem, morborum minas vel assultus, vitia virtutesque, ingenij aciem pathemata animi, cordisque singulos affectus, tanquam ex pellucida Momi fenestra, contemplari liceat. Exhibuissem quoque rationem quomodo & quatenus vtraque Medicina coniungenda. Verùm hæc & plura alia, non vna præfatione comprehendenda, aliàs faciente Deo enucleatiùs à me discutientur, magnis nunc curis manum etiam ab hoc opere necessariò abripientibus, sibiq; vendicantibus. Quapropter, Lector amice, dum pollicitis defungar meis, tuam interim obsecro humanitatem ac æquitatem, vt illapsa typothetarum errata benignus condones & emendes. Vale.*

Fraus in Iurecon-sultis.

Fraus in Medicina.

Vnico remedio omnes morbi curabiles.

Paracelſ. dono hoc remedium in septẽtrionalibus oris accepit.

An morbi contrarijs vel similibus curentur.

Medicus debet esse Physiognomus.

In oculis omnia patent.



AD SERENISSIMVM, POTENTISSIMVMQVE PRINCIPEM, DIVVM FERDINANDVM Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regem, Archiducem Austriæ, Dominum suum clementissimum.

D. THEOPHRASTVS PARACELSVS.



CVM Clementissime Cæsar, Deus Opt. Max. nullo personæ respectu habito, omnes æquo iure naturæ legibus incluserit, vt iam summi ac infimi, potentes simul & debiles vnâ omnes morbis, ipsiq; morti subesse cogantur. Ipsius tamen prouidentia ante humani generis creationem cùm præuidisset futuros morbos, miserta huius labis, medicum ac medicinam ad præcauendos ac curandos morbos creauit etiam. Hinc Sapiens medicum ac medicinam colendam, suspiciendam, honorandam propter necessitatem præcipit: nam væ illi, qui necessitatis tempore, auxilio destituitur. Relinquitur ergo, medicinæ legibus neminem exemptum esse.

Harum difficultatum magnitudine permotus ego, Princeps Potentissime, studio iuuandi genus humanum, hoc Chirurgicum opus conscripsi: nam vulneribus cùm nemo non expositus sit, neminem ab eorum curatione addiscenda liberum esse patet. Quamobrem cùm singulis ista solicitudo incumbat, summum inter mortales ac primarium caput subditis eam deferre ac publicam facere decuit. Quo nomine ego quoque sub Augustæ Maiest. tuæ titulo in publicum prodire volui, non dubitans, T. Maiest. gratum me fecisse, qui hunc tantum laborem, non solùm huic ætati, sed & toti posteritati vtilem futurũ, subire non dubitauerim. Etsi enim & alij quoque simili labore defuncti sunt, quid tamen ego præstiterim, quid alij commiserint, tua Maiest. dijudicabit facilè. Nam hoc de tua Maiest. certò mihi polliceor, Patrem patriæ eam fore, ac in errores medicorum, qui tanta multorum pernicie regnant, grauiter animaduersuram, veræq; medicinæ patrocinium contra Pseudomedicorum calumnias suscepturam. Nam cùm bestiis hoc


natura ingenerauerit, vt prolem suam à ferarum iniuriis tueri conentur, quis dubitet, T. M. subditorum suorum corpora à pestilentibus medicorum erroribus tutam esse cupere? Quare cùm T. M. ad errores expurgandos ac vera dogmata plantanda diuinitùs suscitatam persuasum habeam, veræ medicinæ fundamenta, quæ ab antiquis medicorum coryphæis ad nos vsque pertinuerunt, pauca ipsa quidem, sed assidua nouarum inuentionum accessione mirificè à me locupletata, excolere animum induxi. Nam cùm Deus Opt. Max. per naturam vberrima plurimarum rerum experientia supra reliquos mortales omnes me donauerit, vt iam Empiriæ veræ titulum per varios casus, per tot discrimina rerum, bello, inquam, pace, egestate, miseria comparatum, mihi legitimè vsurpare possim, diu iam suppressos labores, vsu, exercitio, varia ac multiplici experientia comprobatos ac confirmatos, tandem in publicum proferre non dubitaui. Quo in opere cùm ea prima mihi cura fuerit, vt certa, vera, probata omnia essent, altera T. M. solicitudo nunc erit in tuenda propagandaq; veritate, ne ea malignitate pseudomedicorum denuò obscuretur, vel ab ipsis, tanquam labor suus esset, vsurpetur, quanquam mea nil admodum refert, quis eo fruatur, modò fideliter, verè ac piè tractetur. Neque interim aduersariorum calumnias admodum exhorresco, Cl. Cæs. nam quantus quantus eorum numerus est, minima tamen eorum experientia, fides, ac in curando infelicitas me consolantur, ac satis confirmant. Adhęc cùm T. M. experientiæ tutelam susceperit, non dubito illis ruinam imminere: etenim si chirurgica nostra hoc opere descripta præcepta vsu suam veritatem comprobauerint, vt probatura non dubito, ipsos palmam mihi concessuros vel inuitos oportebit. Itaque in bonam spem venio, me T. M. imò toti orbi hoc meo labore in perpetuum (donec ex cœli huius conuersionibus noua omnia renascantur) non mediocre commodum conciliasse. Interim me sub T. M. tutelam recipi humilimis votis expostulo.

Datum in Munchrath VII. Maij, anno CIↃ IↃ XXXVI.

Tuæ Rom. Reg. Maiest.
subditus

Theophr. ab Hohenheim,
Vtriusq; Med. Doctor.

DOCTIS-



DOCTISSIMO VIRO D. DOCTORI WOLFGANGO TALHVSERO, AVGVSTANÆ REIPVBLICÆ MEDICO ET PHYSICO.

THEOPHRASTVS PARACELSVS S. P. D.

TRES sunt causæ, Wolfgange amicißime, quæ ad opus Chirurgicum conscribendum me impulerunt maximè, vt ambitionem, quæ omnibus ferè Medicis, quoscunque videre, vel ex scriptis cognoscere potui, familiaris est, interim omittam. Primaria causa ea est, quod omnia omnium medicorum, qui ante me fuêre scripta, tam ruinosis innitantur fundamentis, vt in summis periculis, nulla planè salutis spes expectari ex illis poßit. Altera, immensum ac intolerabile damnum, quod paßim ex chirurgicorum imperitia ægris quotidie conciliatur. Tertia causa est symptomatum, quæ vulneratis accidunt, varietas, in quibus præcauendis ac curandis, cùm thesaurus medicinæ lateat, mirum tamen ne verbo quidem veteres eorum meminisse. His, inquam, causis permotus ego, multiplicem meam experientiam publici commodi causa non vlterius supprimere, sed studiosis fideliter potius communicare volui. Hoc onus dum mihi ipsi impono, iam meorum antagonistarum cogitationes, quales sint futuræ, auguror. Sed nil me ista permouent, ad istos clamores iam dudum aures meæ occaluerunt. Te ego arbitrum ac sequestrum hac in causa exopto, quem scio iudicio pollere, nullarumq; partium studia sequi, sed ex æquo & bono omnia ponderare. Potuissem hoc opus meum secretioribus remediis, longo vsu à me comprobatis, refertum ac exornatum in publicum emittere: verùm quia ferè ab imperitioribus hoc æuo Chirurgia tractatur, ad illorum ingenium & captum me accommodare malui. Maiora illa remedia separato opere de Morbo Gallico, tum in Chirurgia nostra minore descripta inuenies, quæ tibi probata iri non dubito. Deum precor, omnium vt medicorum vnà tecum mens fiet: multo namque melius ægrotis consultum foret, nec tam malè forsan audiret ars nostra. De te ego hoc mihi polliceor, arbitrum huius causæ æquißimum me habere. Vale feliciter in Christo.

Augustæ, Pridie Calendarum Augusti,

Anno M. D. XXXVI.



THEOPHRASTI PARACELSI, IN CHIRVRGIÆ MAGNÆ TRACTATVS

PRÆFATIO.



AB inæunte ætate, Lector humanissime, in indagandis sacræ medicinæ fontibus, accuratiorem semper diligentiam adhibui, vt qualis quantaque ea esset, atque an Artis nomen mereretur cognoscerem: quod vt facerem, variæ extiterunt causæ. Mouebat me in primis operationum incertitudo, qua alij malam, alij planè nullam artis opem sentiebant, quidam etiam omnino ex ea morerentur, idque non vni alicui morbo peculiare erat saltem, sed omnibus in vniuersum commune. Adeò vt nostro seculo ne vnicus medicus quidem esset, qui vel Odontalgiam, imò quod in prouerbio est, reduuiam curare posset. Ad hæc tanta in veterum scriptis apparebat simplicitas, tantus contrà in aulis principum ac potentioribus rebuspublicis medicorum fastus cum summa ignorantia coniunctus, vt dum purpura, gemmis ac auro ornati isti incedunt, tamen ditissimos quosque, qui vim maximam auri pro redimenda sanitate offerebant, planè desperatos relinquerent &c.

Istis ego inductus rationibus, altius de hac re cogitare cœpi; subibat nonnunquam in mentem opinio, fabulosa omnia esse quæ de hac arte circumferrentur, ac excogitatas saltem emungendarum pecuniarum technas, quin solam fidem, seu superstitionem, potius omnia efficere non rarò persuasum habui. Itaque sæpius ista studia reliqui, recepi sæpius, meæ quoque imperitiæ mihi conscius, non quid mihi videretur sentiendum esse, sed quid alij sentirent, addiscere oportere, colligebam. Quamobrem omnibus Germaniæ, Galliæ, ac Italiæ Academiis peregrinando inspectis ipsorum dogmatibus assentiri planè multis de causis inconsultum videbatur: verùm vlterius quoque Hispania, Potugallia, Anglia, Borussia, Lituania, Polonia, Pannonia, Valachia, Transsyluania, Croatia, Illyrico, imò omnibus totius Europæ nationibus peragratis, vndique non solùm apud medicos, sed & chirurgos, tonsores, aniculas, magos, chymistas, nobiles ac ignobiles, optima, selectiora, ac secretiora, quæ vspiam extarent remedia, inquisiui acriter. Sed hoc effeci solùm, vt denuò medicinam artem incertam inconstantem ac vetitam esse crederem, eamque Dæmonum saltem illusionem quandam esse opinarer, totamq; relinquerem, alia capessens studia, donec tandem perlecto Euangelico illo Christi dicto, Sani medico non indigent, sed ægri: intelligere cœpi, non posse non artem hanc, iuxta Christi verba, constantem certam, perpetuam & veracem esse, nihilq; hîc casui, nihil superstitioni, nihil dæmonibus adscribendum. Itaque iterum resumptis ac relictis ijs quæ olim audiueram à professoribus, tum quæ ab antiquis in re medica memoriæ tradita erant, intellexi veram ac genuinam medicinæ radicem à nemine illorum vnquam intellectam vel descriptam, sed circa riuos omnes, circa fontes neminem occupatum fuisse, & quòd ipsi quæ docerent in scholismet non intelligerent, quodq; in suis apud ægros consultationibus neque morbum, neque morbi aptum remedium cognoscerent: sed vnius ambitionis ac superbiæ studium dominari apud omnes perspexi: vt rectè cum Apostolo parietes dealbatos eos appellandos censeam.

Quare ad inquisitionem nouam veræ medicinæ fontium detrusus, eius in chirurgia periculum feci, quòd eius certitudinem hactenus accuratius, quàm vllius alterius medicinæ partis vsu didicerim.

Quamuis


Quamuis autem de repurganda penitus Medicina hoc seculo certi quid polliceri mihi non possim: nam vetuli isti canes, errores suos mordicus retinere, proque iis ceu pro aris & focis decertare sustinebunt, tamen non dubiam de futuris temporib. spem concepi, fore vt aliquando næniis, nugis, fabulis, erroribusque istis relictis, posterior ætas veram medicinam capessat. Huius quoque hîc admonuisse vtile videtur, eam consuetudinem, quam in consultando Medici, Chirurgi, Tonsores, &c. obseruant, friuolam ac inanem esse. Siquidem omnibus luce meridiana clarius est, nullum hoc tempore extare Doctorem medicum, qui vel simplicissimum vulnus curare possit, cùm tamen interim magno cum fastu vtriusque medicinæ doctores se scribant, ac salutari velint. Itaque cùm ars ipsa per se perfecta sit, aio, nil opus esse istis medicorum consultationibus: nam quemadmodum architectus artem perfectè discere, non de ea consultare debet; etenim nisi artem calleat, quantumcunque consultet, nunquam ædificium parabit. Sic Medicus sola artis peritia, non de ea consultationibus ægros curare poterit. Eam ego artem hoc libro complexus sum, in quo etsi horrido dicendi genere vtor, nil refert. Medicina enim ars sanandorum morborum est, non Rhetorica. vos de verbis parum soliciti, rem vt intelligatis studete.

Itaque hunc nostrum laborem medicis in vniuersum omnibus dedico, doctis ac indoctis. Doctos enim quosdam esse, quique singularia quædam remedia habeant, non ignoro, nec eos me docere velle præsumo, si verò quandoque acrius in quosdam inuehor, vt nil doctos illud remorabitur: sic indocti se notari statim sentient. Itaque vniuersos ac singulos denuò ad excolendam medicinam hortor, & vt velint, ex animo precor. Moneo etiam vt in timore Domini ambulent: nunquam enim illos tum remediorum copia destituet. In summa, perfectionem capessite artis vestrę: nam eam perfectam creauit Dominus, sicque vestra opera cedent ad laudem & gloriam diuini nominis, Amen.

ELENCHVS

ELENCHUS SECTIONIS PRIMÆ LIBRORUM IN TERTIO Volumine Operum THEOPH. PARACELSI contentorum ideam CHIRURGIÆ MAGNÆ exhibens.

V. *Chirur-*



PETRVS RAMVS
DE
PARACELSO.

THEOPHRASTVM PARACELSVM Basiliensis Academia Medicinæ lingua Germanica Professorem habuit, qui in intima naturæ viscera sic penitùs introiuit, metallorum stirpiúmque vires & facultates tam incredibili ingenij acumine explorauit ac peruidit, ad morbos desperatos & hominum opinione insanabiles percurandum, vt cum Theophrasto nata primùm medicina perfectáque videatur. Tanta Asclepiadi fama Romæ in populo militiæ studiis dedito contigit, vt totam veterem medicinam abrogaret, nouámque sectam conderet, qua sæpe vino, aliàs abstinentia cibi viníque, fricatione corporis, ambulatione, gestatione, morbi omnes curarentur. Itaque cùm ea fama excitos Mithridatis regis legatos & pollicitationes spreuisset, hominémque è funere relatum seruasset, vniuersum propè hominum genus in se conuertit. Theophrastus nempe Germanicus hîc Asclepiades fuit, quem Adamus Abodestenius Basileæ suscitat, sicuti tota Germania plerique excellentes Medici.

Sequitur SECTIO PRIMA *siue* CHIRVRGIA MAGNA.



CHIRVRGIAE MAGNAE PHILIPPI AVREOLI PARACELSI, vtriusque Medicinæ Doctoris,

PARS PRIMA

DE VVLNERIBVS.

Tractatus Primus, de iis quæ ad Chirurgum pertinent.

Caput Primum.

Quid ad primum Vulneris intuitum Chirurgum & scire, & iudicare oporteat.



NTER plurima quæ Chirurgum nosse decet, primum ac præcipuum illud est: vt quocunque tandem oblato vulnere, primo statim intuitu, quale nam illud sit, cognoscat: quo de curationis possibilitate, ac fine, certi quid prædicere queat: ne forsan magno suo artisque dedecore ac incommodo, aliquid quod naturæ impossibile sit, polliceatur: vel agendo citra id quod natura præstare poterat, non sine ægri magno malo subsistat: omnino enim naturæ vim ac virtutem prædictionum normam constituere medicum decet. Siquidem omnes conatus irriti euadunt, ac oleum & opera luduntur, si quid attentemus naturæ viribus superius: sin minus quàm natura ossit promittamus, duplex est periculum: nam vel ægri damno, naturæ non, vt decet, auxiliamur: vel nostram ipsorum ignorantiam detegimus, dum naturæ potentiam nos non cognouisse ipsi prodimus. Itaque vt & Artis & Naturæ, tum sui ipsius rationem habeat Medicus, necessariū est, quod tria hæc non nisi simul subsistant, ac vno deficiente, reliqua statim corruant quoque.

Cognitio. Prædictio.

Naturæ iis norma præfictionū

Memineris itaque Naturam sic comparatam esse, vt sui similis semper permaneat, nunquam vim sibi fieri à medico patiatur: sed sic arti præesse, vt ad ipsius nutum ac voluntatem, te & artem tuam mutari necesse sit. Curabis ergo, vt talia illi remedia adferas, quæ ipsa non respuat: constitutum enim iam hoc est, te naturam, non ipsam te imitari ac sequi oportere, artis itaque summum mysterium erit in naturæ & remedij conuenientis cognitione: hæc enim celerem efficiunt curationem. Membrum in totum resectum, nunquam agglutinabis: abscissum, non tamen plane, nemo est qui sic reponere possit, vt nihil supersit incommodi: paralysis ex neruorum vulneribus nunquam tolluntur, quemadmodum & læthalia vulnera curationem non admittunt. Istiusmodi ergo curationes caue aggrediaris, quòd earum pollicitationes ridiculæ & sint, & habeantur: sufficiat tibi, inspecto vulnere quid per naturam fieri possit, cognoscere, ac artis beneficio efficere: cuius particulares præceptiones, vt sunt quæ ad glutinationem pertinent, quòd eæ vsu ac experientia quàm ex scriptis cognoscantur rectius, scribere intermitto: hoc tamen obserues velim, ne tua inscitia naturæ damnum inferas. Sæpius enim Chirurgos ac tonsores iactabundos audias, qui nasum triduo ante abscissum, & sero tandem in niue repertum: digitos etiam præsectos, & alia portentosiora quoque, gloriantur se restituere posse. Ego quoque memini, cùm apud Forum Iulij essem, me tonsorem vidisse, qui magna omnium admiratione, cuidam, cui auris præsecta erat, eam cemento adglutinarit, verum gloria ea breuis ac inanis fuit: nam altero post die suppurata, statim decidit, ipseque vulgi fabula factus est. Huiusmodi iactantiam quis probet? Ego in medico veritatis studium, industriam, grauitatem, præ omnibus aliis virtutibus requiro: orationem quoque naturæ congruentem, quæ apud rerum peritos fidem mereatur, gloriosam esse medico notum esse puto.

Vulnerū generalia prognostica.

Signorum præterea cognitio, ac symptomatum quæ vulneribus quotidie superueniunt, peritia, admodum necessaria est: vt quid ea mali portendant ac designent, cognoscas: & symptomatum difficultates præcauere possis: etenim si saniorum corpora tot casibus sunt exposita, quid in ægro sperandum putas? vbi syderatio, atrophia, apoplexia, comitialis morbus, vulneribus superuenire sæpissime conspiciuntur: quæ nisi tu cognoscas, & præuideas, tua inscitia magnum & tibi & ægro conciliabis malum: quoniam maius sæpe damnum videmus

Signorum ratio.

videmus ex incuria medici, ac symptomatum contemptu, quàm ab ipsomet vulnere nasci, quæ mala facile auertes, si & signorum & symptomatum gloriosam habueris cognitionem. Cognitionem non simplicem, qualis fabrorum & cerdonum est in sua arte: sed absolutam, & scientificam: quam nisi habeas, artis operationem ne aggrediaris; in qua non opinio, non iactantia, non contentio, non superbia, sed vna, ac sola scientia & cognitio dominatur: sed antiqua est hæc artium pestis, quòd earum praxin theoriæ præponunt plerique, & ferè apud chirurgos coniugio artis magisterium comparatur.

Erga vulneratos verò indulgentia quàm sit noxia, non admodum scribere opus esse puto, cùm & optima remedia infamari, & diligentem operationem confundi, ægrorum inobedientia experiamur quotidie, quemadmodum vicissim ægrorum obedientia medicum magno sollicitudinis onere leuati quandoq; videmus. Itaque semper videris vt tu imperium in ægrum obtineas: præstat enim illum quàm te dolere: quod nisi facias, cogeris quandoque illi blandiri, ac concedere quæ non careant periculo, & propter quæ inscitia ab aliis argui possis. Accedit ad hæc, quòd homo occultas multorum morborum causas in se continet, quæ leui indulgentia in actum deduci facile possunt, in quibus cauendis, in excessu quàm in defectu peccata leuiora sunt: cùm tot sint vulnerum symptomata, vt eorum ratione omnia penè vulnera læthalia pronunciare ausim. Nam & tempus, & natura, & temperamentum in ægrotis, singula ad interitum declinant. Itaque primum omnium circumspicies de omnibus quæ ad operis perfectionem pertinent methodicam: ad quam rem plurimum iuuabit sequentis capitis lectio, ex quo symptomatum rationem, antequam curationẽ aggrediaris, addisces: nolo enim te, vbi iam vulnus offertur, tum demum discere velle, sed vt antea quæ vtilia, quæquè noxia occurrere possint, cognoscas: nam in ægrotantibus experiri, discere, remediorum periculum facere, semel licuit, & vni licuit, à quo te discere decet, non denuo experiri: ne forsan, quod ille ait, Per mortem experimenta fecisse dicaris.

Vulnera omnia symptomatum ratione lęthalia.

CAPVT II.

De Methodo curandorum Vulnerum, ac de Iuuantibus & Nocentibus.

PRimum itaque scire oportet, quænam sit efficiens causa curationis vulnerum: ea enim conueniens remedium indicare potest. Scias ergo naturam corporis, carnis, ossium, neruosarumque partium radicalem ac congenitum Balsamum in se continere: qui vulnera, puncturas, omnemque continui solutionem curandi facultate præditus sit, quod sic intelliges: Balsamus naturalis fracta ossa conglutinat: balsamus naturalis in carne reconditus, carnosum vulnus sanat: sicque omnis humani corporis pars curationis efficientem causam, id est, naturalem medicum in se continet, qui ipsius continuitatem solutam denuo coniungat. Quapropter meminerit Chirurgus, non se, sed Balsamum, qui in corpore consistit, vulnera curare: non enim leuis error est, si medicus sibi curationem adscribat. Hoc solum namque chirurgi officium est, ac chirurgiæ opus, Naturæ curam gerere in loco affecto: ne scilicet vulnus à causis externis irritetur, ac Balsami curatrix facultas impediatur: sed vt ipsa absque impedimento suo munere fungi possit, medici industria adiuta: vt iam rectè dicatur, bonus Balsami custos, bonus Chirurgus esse. Definiemus itaque Chirurgum custodem naturæ (balsami radicalis) ab actionibus externorum elementorum. Elementorum siquidem ea natura est, vt naturæ, vbi ea debilitata est, vim facere conentur: quorum actiones si per medicamenta impediat medicus, suo munere defunctus esse ritè dicetur, atque interim natura in suo Balsamo non impedita fœliciter actionem perficit (maximè si decenti ac industri deligatura adiuuetur) perficit autem, dum carnem aut neruum, aut id in quo vulnus consistit, generat. Exemplo res illustrior fiet. Carnem, adipem, axungiam, sanguinem, medullam, &c. non sane hominem generare quisque est qui dicat: neq; à cibo generari consentaneum est, sed natura vim obtinet nutritiuam, ac augmentatricem, qua idipsum perficit: istæ tamen facultates cibo & potu conseruantur; quemadmodum nec pluuia, nec terra lignum generare dicuntur, sed arbor: nec tamen ipsa sine terra vel pluuia durare potest. Exemplo itaque terræ vulnerũ curationem declaremus: Balsamus vulnera curat; quam tamen actionem, nisi nutriatur, nunquam perficere potest. Nutritionis ergo necessitas Dieteticen medicinæ partem fecit. Est & alia nutritio Balsami, per medicamenta vulneri imposita, qua & melius & celerius curat: est enim & medicamentum aptum Balsami nutrimentum. Adeò vt in hoc tota ars consistere videatur, si medicus naturæ conueniens nutrimentum offerat: quo si ipsa destituatur, statim vulnus peius euadit, omnisque generis symptomata subito ingruunt: vulnus putrescit, ac fœtidum exhalat, quæ duo signa nutrimenti errorem certò testantur: nec verò nutrire solum, sed & mundum conseruare vulnus oportet, quòd in putredine Balsami vires deperdantur. Notabis quoque hic duplicem puris differentiam: pus enim in vulneribus detentum aliud à putredine est vulneris, aliud à nutrimento medicamentoso, quod excrementitium pus dicitur. Balsamus enim ex medicamento vbi nutrimentum attraxerit, reliquum ceu fæces & stercora depellit: nam ipsum vti omnis cibus excrementum in se continet. Hinc discat Chirurgus in vulneribus, non pus, non putredinem, sed excrementum generari debere: vt hinc etiam pateat, quàm noxium dogma sit illud, quo vulnera obstruere, & ad suppurationem deducere iubemur. Monitos quoque Chirurgos volo, vt in posterũ vulgatum suendorum, ac albumine oui oblinendorum vulnerum morem abijciant, tanquam naturæ aduersissimum: stultum namque est (quod multis rationibus comprobare possem) istis incumbere, cùm hoc solum requirat natura, vt à putredine libera sit, atque medicamentis eo quo dictum est modo iuuetur, ac ab excrementis, singulis deligaturis exoneretur. Hæc nunc dixisse sufficiunt

Balsamus radicalis.

Chirurgi officia.

Balsami custos Chirurgus.

Nutritio Balsami duplex.

Puris in vulneribus differentia.

Vulnera non sunt consuenda.

sufficiunt de efficiente causa curationis vulnerum, ac de iis quæ iuuant: cætera omnia extra hunc catalogum, inter nocentia referentur.

Excrementa vulnerum. Medicamenta autem ea (vt & hoc moneamus) quæ non generarint excrementa, non sunt medicamenta dicenda, sed venena potius, quare si medicamento aliquo adhibito nulla excrementa appareant, iam periculũ imminere scias: imprimis autem si ea prodeant, in dignoscendis illis te exerceto. Non raro enim Chirurgos vidi, quibus fœtor ac putredo vulnerum in deliciis essent, & ex quibus optima sibi pollicebantur: verum exitus acta probabat. Tu hoc præceptum ex me habeto: quandocunque contigerit vulnus aliquod fœtere, instar vlceris putridi: neque te nec medicinam tuam, neque vulnus ipsum proficere. Quare cognitio medicamentorum necessaria est medico: vt quæ excrementa generent, quæ minus, quæ bona, quæue mala sit, sciat: nisi enim horum peritiam habeat, casu agit, quocunque tandẽ euentu agit. Quod si sors cura proficiat, iam omne id arti suæ tribuunt isti homines, & in multos annos id prædicant, Excrementa & Saniem deblaterant, cùm præter voculas istas sciant nihil. Hoc potius studeatis moneo, vt & vulnus cognoscatis, & eius curationis internam causam intueamini: exterius verò ipsum & mundum seruetis, & ab iniuriis tueamini. Hæc namque vera est curandorum vulnerum methodus.

Cognitio simplicium necessaria.

CAPVT III.

Quæ Vulnera Lethalia sint, quæ minus: tum vbi Paralysis metuenda sit.

Conuenit verò etiam & de vulneribus maturè iudicare posse, num ea lethalia sint futura, nec ne: ac an resolutio membri secutura sit, pronunciare: tum quatenus in pristinum statum membrum affectum reduci queat circumspicere, cuius rei sequentia capias documenta.

Vulnerũ prognostica. Primùm, quicquid perfectum est in totum, vel sic vt ex cute tantum adhuc pendeat, hoc nunquam curari posse certissimum est. De profundioribus verò vulneribus tale erit iudicium: brachij (exempli causa) diameter in decem partes diuidatur, nunc quicquid vltra nonum punctum perfectum fuerit, etiamsi rursus agglutinetur, nullum tamen eius vsum fore speres. Si verò vulneris profunditas citra nonum punctũ subsisterit, quantò puncta pauciora erunt, tantò confidentius de salute pronunciabis.

Vulnera carnosa. Vulnera in partibus carnosis, nisi arteriarum ac musculorum ratione id fiat, periculo semper vacant: horum tamen ratione vel resolutio, vel mors aliquando subsequi potest. Vulnera quoque trãsuersim facta, nisi studiosè percurentur, resolutionem minantur.

Vulnera transuersa.

Neruorũ Vulnera. Neruosarum verò partium vulnera, nisi medicorum errore id accidat, non efficiunt paralysin: nam nec neruus, nec ligamentum, nec tendo præsectus, quà neruus est, ligamentum vel tendo resolutionem facit: sed quia vel in medicamentis, vel diæta, vel in aliis casibus error commissus est.

Articulorum vulnera. Articulorum autem vulnera, deperdito osse, vel patella aliqua, vti periculum non mediocre minantur: sic si nihil horum abscissum sit, facile restituuntur, cauendum tamen vnicè erit, ne phlegmone incidat: hæc enim si accidat, spes nulla curationis integræ superest: sic si in locum ossis deperditi caro succrescat, desperatum malum est, ac membrum ipsum necessario resoluitur.

Vulnera artuum. Atque vt summatim dicam, artuum vulnera omnia, seu punctim vel cæsim illata, longa, transuersa, profunda, facilè à resolutione & contractura liberantur, si conuenientes medicinæ in promptu sint: tales autem non sunt eæ, quæ in æreis chirurgorum theculis ac capsis latent, quibus ipsi sæpius plus damni dant, quàm commodi adferant: vnde ego non immeritò ipsorũ relicta medicina, aliam ac meliorem, qua istis malis occurrere possim, sequor.

Capitis vulnera. Capitis præterea vulnera grauia quandoque adferunt symptomata: apoplexiam, mortem subitam, epylepsiam, sensuum ac loquelæ imminutionem ac abolitionem: non quidem in omnibus, sed pro natura eorum qui affecti sunt. Horum itaque curatio pro tempore, sexu, complexione, natura, & proprietatibus patientium variatur: medicamenta etiam quæ præ manibus habentur, curationem immutant: sunt qui mania, sunt qui phrenesi corripiantur, quibus & sua singularis curatio competit.

Oculorũ & auriũ & c. vulnera. Notandum quoque organa sensuum, ac linguæ vulnerata, nec apoplexiam nec paralysin causare, sed simplicitate esse vulnera, quæ curationem non admittãt, nisi admodũ exigua sunt.

Vesicæ vulnera. Vesicæ vulneratio lethalis est, quòd ipsa glutinationem non admittat.

Cordis & pectoris vulnera. Corde etiam ac pectore vulnerato, salutis omnis spes adempta est. Intestinorũ verò vulnera quamuis curationem nullã admittant, non tamen lethalia putantur, quòd ope peritorum artificum ipsorum actio aliò transferri possit. Distinguenda tamen ea sunt ratione situs, quòd ipse aliquantisper iudicium mutet.

Splenis vulnera. Splenis vulnera ac puncturæ nec lethales sunt, nec periculosæ, ac quicquid ibi mali subesse posset, hoc omne venæ sectione præcaueri potest.

Vesicæ bilis vulnera. Vesiculæ bilis vulnera contrario modo se habent: nam & indubitatam ac miserandam mortem adferunt.

Pulmonum vulnera. Pulmonum verò vulnera quamuis lethalia non sint, curationem tamen nullam accipiunt, sed in phthisim, tussim, dispnæam, & similes affectus transmutantur.

Ventriculi vulnera. Ventriculo autem vulnerato, etsi mors certa consequatur, vita tamen quandoque in longum tempus adhuc protrahitur: situs verò ratione alia aliis velocius interimunt: ea namque quæ à latere ac dorsi regione infliguntur, pessima quidem sunt, sed anteriora magis lethalia habentur. Hepatis vulnera sequuntur, quæ etiamsi curari impossibile sit: nam semper ad deterius inclinant, diuturnos tamen magis morbos faciunt, quàm vt lethalia habeantur: ferè enim totius corporis consumptio, ea excipit.

Hepatis vulnera.

Renum vulnera. Renum vulnera Hepaticis respondent, nisi quòd salubriora existant, facultatem insitam renum destruunt tamen.

Vulnera in emũctoriis. Obseruare verò & illud conuenit, vulnera ad radices & emunctioria partium principũ facta,

A 2 lethalia

lethalia esse, celerius verò vel tardius interficere, pro dignitate partis cui ministrant.

Latentia vulnera.

Latentia autem vulnera (si intus ad radices sunt) difficillimè iudicantur, ob id quod sensibus non sunt exposita. Contingit etenim non rarò miranda vulnera sanari: contrà, quæ extra periculum esse credebantur, necem adferre, cuius rei causa est locorum ac partium dignitatis diuersitas: nam vulnera tum pectoris, tum ventris profunda ac penetrantia quandoque lethalia non sunt, quòd forsan in obtusum ferantur.

Capitis vulnera.

Vulnera capitis, siue ea magna sint, siue parua, periculosa sunt omnia: caput namque, cùm variorum morborum irritabiles causas in se contineat, quid mirum eas per vulnera exacerbari, maximè verò si & ægrotantis natura ac vires, tum medicamentorum malignitas concurrant? Sin ad cerebri substantiam vulnera penetrauerint, omnis iam curationis spes præclusa est.

Cerebri vulnera.

Vulnera etiam quæ extentis ac porrectis artubus accidunt, iis quæ flaccidis vel pendentibus membris infliguntur, & curatu difficiliora, & magis lethalia existunt, quin & præsentaneam mortem non rarò adferunt. Præter iam memoratas vulnerum differentias, aliæ plures species inueniuntur, quas peritus Chirurgus ex iam dictis signis facilè dignoscet ac iudicabit. Sed experientiæ stulta persuasio multis turpiter imponit, à quibus cauere tutum est: horum namque opinio ægrorum est perditio.

Vulnera placida cur fiant lethalia.

Ad hæc tempus, horæ, cœlestium corporum influxus, motus & natura, vulnera aliàs curatu facillima, lethalia efficiunt: homo enim singulis horis mille casibus expositus est, quorum cognitio non subitò, sed paulatim comparari potest.

CAPVT IIII.

Chirurgo quid præcipue metuendum in vulneribus: ac quid influxus cœlestium corporum noceat.

SCire verò & Chirurgos conuenit, quid maximè in vulneribus metuendum veniat. Nam vt maximè videantur quandoque salubres esse plagæ, tamen quia pluribus casibus expositæ sunt, periculum ferè subest: vulnera siquidem iratis inflicta, & periculosa, & curatu difficillima existunt, methodicamque curationem inuertunt, quòd iræ nullum (præter consumptionem) existat remedium, bilis verò feruor difficilimè contemperetur.

Iratorũ vulnera.

Sic mulieres prægnantes vulneratæ, de abortu & partus doloribus periclitantur: quin conuulsiones & tormina non rarò superueniunt. Iisdem quoque malis expositi sunt iracundi, infidi, odiosi, Saturnini, ac Martiales.

Prægnãtiũ vulnera abortũ faciunt.

Sunt qui solo venenoso intuitu vulneribus mala symptomata conciliare possunt: vti in mulieribus apparet, quæ intuitu inficiunt, quemadmodum & à sudore & afflatu quoque venena ac morbos communicari videmus: isthæc itaque omnia, antequam curationem auspiceris, tollas oportet.

Intuitu solo quidam nocent

Vulnera præterea recens pastis ac potis illata: maximè si fuerint cibi concoctu difficiles, vti suilla caro &c. curationem retardant: nam quia & concoqui, & distribui in vniuersum corpus eos oportet, vulneribus nocere manifestum est.

Suilla vulneratis noxia

Cæterùm, quia quandoque hæreditariis vel periodicis morbis, vulnerati obnoxij sunt: Conuulsioni scilicet, Epilepsiæ, & similibus: huiusmodi certè mala principio studiose præcauere oportebit, quòd iis ingruentibus, natura obruta nisi adiuuetur, vel plane concidat, vel curationem longiorem efficiat.

Hæreditarij ac Periodici morbi.

Quemadmodum & vulneribus, quibus alij morbi complicantur: vt Atrophiæ, Fistulæ, Cancri, vlcera, curatio nulla adhibenda est, nisi istis (quæ omnem curationem ad se pertrahunt) prius sublatis. Itaq; & morbum ipsum, & symptomata considerabis, ne & te & ægrum perdas: nisi enim ista præuideas, summum tibi conciliabis malum. Neq; enim suprà quàm natura ferat, quidquid in istis attentandum erit, ne ex vulnere non vulnus, sed difficilius quoddam morbi genus conficias.

Fistulæ & cancri in vulneribus.

Cœlestium verò corporum influxus, ac impressio, quàm efficaciter operetur in istis, iam ostendendum erat: sed quia disputatio ista & prolixa & difficilis est, Astronomis eam relinquemus. Certè si pestilentiam superiora efficere possunt, quis dubitet cœlestia vulneribus sua influentia nocere posse?

Cœli influentia in vulneribus cõsiderãda.

Quamobrem studiosus ac diligens Chirurgus cœli situ inspecto, si eum infaustum viderit, & ægro periculum pronunciare poterit: de cætero verò sic iudicabit, vt cum astris pugnare temerarium putet, nisi mutatis eorum dispositionibus: nam medicinæ (quemadmodum & in peste accidit) nisi hoste superiores sint, parum proficiunt, quare & hostium vires, & medicamentorum potestatem accuratè conferet medicus, quòd ob subiecti (hominis scilicet) inconstantiam ac mutabilitatem iudicia periculosa existant.

Chyrurgus cœli situm inspicere debet.

Contingit præterea vulnera ipsa malignitatem quandam contrahere, quemadmodum lutum, non debito tempore effossum, cicadas producere, ligna cæsa cariem extrahere videmus; quod si accidat, memineris huiusmodi dispositiones, non nisi singularibus Arcanis tolli posse, quæ sic se ad vulneris naturam habeant, vti herbas quasdam ac semina cicadis & cariei aduersari nouimus. Hisce ergo Arcanis supra vulgatam medendi rationem vteris: nam sæpissime accidit aptis etiam adhibitis remediis, vulnera in deterius prolabi (veluti quandoque cæsa ligna, vel factas incisiones non regerminare ob temporis iniurias) cuius rei causa solis cœli conuersionibus rectissimè tribuitur.

Vulnerũ ingenita malignitas solis Arcanis curatur.

Ista quamuis rarò accidant, accidunt tamen aliquando, horum itaque gratia in Astronomicis exerceri Chirurgi officio consentaneum esse iudico: ne ei quod sutoribus quibusdam euenit, contingat, qui cùm calceamenta omnis generis suere nouerint probè, ea tamen inuertere nequeunt.

Astronomiæ peritia Chirurgo necessaria.

CAPVT V.

Recentibus vulneribus tum inueteratis, quæ & quales Medicinæ conueniant.

DEligandorum autem vulnerum rationem nouisse decet, tum in recentibus, cùm in inueteratis plagis: apta namque ligatura vti inueteratis mirifice prodest: sic inconcinna recentibus

Deligatura vulnerũ apta quid efficiat.

centibus etiam officit. Recentia itaque vulnera à symptomatis primùm præcauenda sunt, quod nisi fiat, non mediocre malum ægro conficies. Hoc autem singulari capite admonere placuit, propter ineptos quosdam Chirurgos, quos subinde gloriari audias, se huiusmodi admonitionibus posthabitis, etiam felici successu vulnera curasse: esto ita sanè, sed illi interim quantis doloribus ægros excruciarint, quantos errorum aceruos cumularint, reticent. Curandi ratio illorum talis est: vulnere oblato, ipsum albumine oui emplastrant, sicq; tertium diem expectandum præcipiunt, qui error ipsorum primus est, & neutiquam tolerandus: tu verò hunc vt deuites, vulnus plane ne consuas, sed iuxta doctrinam secundi tractatus, ipsum suo nutrimento alito. Sin inueteratum & sordidum occurrat vulnus, à pure & fœtore ipsum mundabis prius: hoc enim solo differunt, curatio sordidi ac mundi vulneris. Vulnus itaque vel mundum antea, vel iam demum mundatum, singulis diebus bis deligabis, præcisè semper duodecim horis interpositis: horas autem studiosè obseruabis, quòd post duodecimam horam cuiusuis medicamenti & actio, & nutritio elanguescat, ex quo vulnus ipsum postea paulatim in deterius prolabitur: nam ab externis elementis non amplius tutum existit: hac ergo methodo ad finem vsque curationis progredieris: vbi tamen iam ad cicatricem ducendam perueneris, sufficiet forsan viginti quatuor horis semel deligare: ne nimium autem confidens sis, moneo. Secundus Chirurgorum error est, quòd elapso triduo, & albumine consumpto, pice, cera, seuo, oleo, inuicem mixtis, adiectis quandoque thure, mastiche, viridi æris, gummi, & similibus, vulnus implent: quæ remedia quia nimium calefaciunt, vulneribus non conueniunt: ad hæc tam pueriliter cocta sunt, vt ne vel minimum quidem nutrimenti vulneri adferri possint: taceo quòd naturales facultates nimia sua attrahendi potentia inuertunt, vnde phlegmones, tumores, erysipelata, calores vehementes, punctorij dolores, atque infinita alia contrahuntur. Quare si his malis obrutum vulnus tibi offeratur, statim illi medicamentis mūdificatiuis vocatis impositis, aptam deligaturam adhibebis: dicta autem medicamenta talia quoq; sint, quæ partis temperiem conseruent: hac ratione lethalia nedum periculosa vulnera percurabis. Vulnera verò cùm pro sexus, temperaturæ, temporis, ac symptomatum ratione, nunc lethalia, nunc curabilia existant (videas enim non rarò idem vulnus in hoc salutare, in illo lethum afferre) ego rectissimè omnia lethalia potius quàm salutaria dicenda esse existimo, quòd propter ea quæ dixi, de salute difficillimum iudicium existat: nam symptomata omnia ferè latenter subeunt. Lethalia tamen vulnera sine exceptione dico, quæ cerebro, cordi, ventris orificio, vesicæ, intestinis exilibus, occipitio, ac tracheæ arteriæ infliguntur: reliqua quæ pulmonibus, epati, & similibus visceribus accidunt, lethalia quoque existunt quidem, sed perdurāt longius, & ferè aliis morbis tandem complicantur. Eodem modo diuturna & mortalia sunt vesiculæ bilis, ventriculi, arteriarum, & venæ portæ vulnera: tum ea quæ transuersim musculis incidunt, & quæ extentis membris infliguntur, quamuis ista minus periculosa esse non inuitus concesserim. Ii quoque quorum venæ, nerui, arteriæ, ac viscera (quod non rarò accidit) à naturali situ euariant, vulnerati peius habent, difficiliùsque sanantur. Morbi etiam lethales, vt apoplexia, & similes vulneribus coniunctæ, præsentaneam inducunt necem. Quinetiam cœlestes influentiæ, terrores subiti, & negligentia medicorum, tum temporum mutationes mortis sunt concausæ.

Recentia vulnera curanda.

Error astigantii chirurgorum.

Vulnera inueterata vt sint mundanda.

XII. horę in ligaturis obseruandæ.

Alter error.

Mundificatiua medicamenta.

Vulnera omnia lethalia ferè dicuntur.

Notandum interim est, capitis vulneribus phrenitim, opticis neruis oblæsis cæcitatem, organorum auditus transpūnctionibus surditatem succedere. Generationis verò membrorum vulnera si non lethalia sint, sterilitatem tamen inferre. Articuli autem transuersim dissecti, resolutionem faciunt, alio modo læsi, conuenientibus remediis non difficulter restituuntur. Ligamentorum verò ac tendonum Balsamus si pereat, membrorum resolutionem facit vti & atrophia si vulneribus complicetur, idem mali genus inducit. Sunt præterea multa vulnerum genera, quæ paralysin efficere possint: vt ea quæ ad radices ligamentorum consistunt, aliaque infinita, quæ etsi ex sui natura talia non sint: tamen temporis, horarum, ac symptomatum adminiculo talia euadunt: quibus etsi Medicum quandoque resistere impossibile sit: tamen harum rerum cognitione exercitari necesse est. Contrà resolutiones multæ remediis aptis præcauebuntur quandoque, si phlegmoni oxyrrhodino imposito, deligationē aptam feceris, medicamentis mundificatiuis adhibitis, & stictico emplastro superimposito, ad finem vsque curationis progressus fueris, abiecto tonsorum vnguento albo.

Vulnerū partium propria symptomata.

Genitalium vulnera.

Paralysin quæ vulnera faciant.

Est & tertius Chirurgorum error, quo Sinoniæ, id est, albi glutinis fluxiones concitant: quod vbi accidere videris, tum eorum medicamenta cum theculis æreis per fenestras deijcito: tempus enim & necessitas aliam medicinam expostulant. Itaque vulnus aceto rosaceo abluito statim, ad calorem temperandum: emplastrum sticticum superimponito, ad fluxionem sistendam: fluxione & intemperie sublatis, mundandum vulnus suscipe, ac tandem iuxta rationem iam commemoratam cum emplastro stictico curationem perfice. Sunt præterea errorum multæ centuriæ, imperitis Chirurgis ac medicis familiares. Nos ex iis paucos, præcipuos tamen, annotare voluimus, quo eos propter periculi magnitudinem deuitare studiosius possis, nostramque methodum cognoscere accuratius. Huius etiam certum te esse volo, nullam curationem putrefactione perfici posse, vel debere: per ea etenim vulnera curari debent, quæ putredini resistunt maximè: nam remedia curandis vulneribus destinata, Sal referunt. Sal enim Balsamus quidam externus est: is autem balsamus ex ijs parari debet, quæ partis vulneratæ, vt visceris, nerui, ossis, articuli, &c. nutrimentum in se continet. Hæc est illa nostra diuina methodus, sine qua nullam gloriam in medicina consequi datum est.

Tertius error.

Putrefactio cauenda in vulneribus.

CAPVT VI.

Vulnerum accidentia Temporis ac Cœlestium motuum ratione euenientia, &c.

MAnifestum illud est, ac præter demonstrationem fidem meretur, cœlorum conuersiones varia morborum genera in nobis causare: nam sanorum etiam corpora infici ac defœdari ab iis, nil refert commemorare, adeò vt illius actiones declinare impossibile videatur: nam admirandi sunt cœlestium effectus, quos si sani non effugiunt, quis dubitet vulneratos iis subiectos quoque esse? sed hæc à quibusdam, nisi experientia conuincantur, incredibilia habentur. Notabis ergo, cœlum quemadmodum in sanis febrium efficiendarum vim habet: sic in vulneribus febres excitare posse, & tales quidem febres, quæ statis periodis rigore & calore paroxismum perficiant, quæ quotidianarum ac tertianarũ typos obseruent, quæq; non prius ægrum relinquant, quàm vulnus ipsum coaluerit: hasce ergo affectiones, Chirurgus non symptomata vulnerum, sed veras febres esse pronunciabit. Contigisse etiam hominum memoria scimus, grassante peste, vulneratos (qui præter vulnus plane nil incommodi sentiebant) sine bubonibus ac carbunculis tamen, peste correptos fuisse, alios biduũ tantum, alios paulò diutius superuixisse. Sunt vulnera quibus causonicæ febres superueniunt, quæ ferè lethalia conspeximus. Vidimus in castris, cùm milites ex febribus ardentibus epidemicis linguarum asperitate laborarent, vulneribus asperas cuticulas superuenisse, similes iis quæ linguas molestabant, ita vt fauces & vulnera inuicem referrent. Hæc & alia vt non infrequenter eueniunt, sic curationem non admittunt, nisi per ea remedia quæ morbis ipsis specifica habentur, vt pestilentialia vulnera pestilentialibus, causonica causonicis remediis (id est, quæ pesti & causoni adhibentur aliàs) percurari obseruabimus. Obseruatum & illud aliquoties est, hæmorrhagiam vulneribus superuenisse, non quidem genuini sanguinis, sed materiæ cuiusdam quæ sanguinem referret, qui nullis remediis curari poterat. Sed cum eo tempore Dyssenteriæ epidemicos grassarentur, quarum deiectiones illum sanguinem referrent, eosdemque periodos vtrumq; malum seruaret, tandem exhibitis Dyssenteriæ specificis remediis, & vulnerum hæmorrhagia sanata est. Istiusmodi casus Chirurgum sedulo obseruare decet: mihi non raro occurrerunt, occurrerunt olim, occurrent & postea. Oblatus mihi aliquando est quidam seruus ex eorum numero qui metallis effodiendis destinati sunt, qui ex vulnere quotidie ter quaterque rigore corriperetur, aderat & spasmus, qui membrum nunc in hanc, nunc in illam partem conuelleret: huic ego exhibito vitrioli liquore (quòd epilepticum quiddam subesse videretur) sanitati restitui. Hanc historiam ob id narrare volui, vt ostenderem, in huiusmodi casibus medicos à Chirurgis in consilium aduocari debere. Etsi enim Chirurgos decebat istarum quoque rerum peritiam habere: sed vt ob horum inertiam à periculo tuti simus, præstat medicos quoque in consilium adhibere. Superueniunt ad hæc vulneribus affectiones quædam, quorum radix non in ipso vulnere, sed in toto corpore continetur (vt sunt phreniti des, epilepsiæ, & similes passiones) has iam non vulnerum symptomata, sed verè morbos appellabimus, quòd percuratis etiã vulneribus permaneant. Istis itaque malis consilium ex medicina quærendum erit quorum quia pauca vel nulla adhuc reperta sunt, omni studio in id incumbendum erit, vt ea inueniamus, si modo ægris consultum velimus. Et certè Chirurgos chirurgorum nomen vsurpare non decebat nisi hæc & vidissent & curassent aliquoties, ne subinde ad medicos recurrere cogerentur: etenim cùm ex vulnere originem duxerint hi morbi, Chirurgorum erat eos tollere posse. Nam Chirurgus dicendus non est, qui solum suere, deligare, carnem secare, rodere, ac radere didicit: sed qui omnia ea quæ vulnus circumstant, cum ipso mali fonte tollere potest.

Febres in vulneribus à cœlo fiunt.

Pestis in vulnere.

Prunella

Dyssenteria vulnerum.

Historia memorabilis.

Epilepsia in vulneratis vnde.

CAPVT VII.

De morbis Internis, qui Vulneribus complicantur, ex quibus Cancer, Fistula, & Syreon &c. generantur.

CAusas ac radices ex quibus paulatim Fistulæ, Cancri, vlcera depascentia erysipelata, gangrænæ ac phagedenæ nascantur, in corporibus absconditas detineri sciendum est. Quæ si in aliquem locum decubuerint, & iam erũpere conentur, accedente plaga, vel cæsim vel punctim illata: tum demum se produnt manifestè, ac cum vulnere complicantur. Vnde summa vulneris malignitas oritur, nullis, etiã nobilissimis vulnerariis remediis superabilis, nullásque cicatrices agnoscens. Itaque quia vulnus non simplex est, sed fistulosum, cancrosum, &c. non simplex medicamentum, sed fistulas, cancros &c. curare valens adhibendum erit. Est in quibus medicamenti vis, antequam hæc mala perfectè elaborata appareant, ipsa absumat. Quòd si iam in statu sint, vulnere relicto, ista tractanda veniunt: vtrisque enim simul incumbere non licet, quòd contraria requirant remedia: difficilius itaque prius curandum. Quare vellem Chirurgos non simplicia tantum vulnera, sed & tumorum, & vlcerum: vt Cancri, Fistularum, Phagedenæ ac Syrei curandi rationem callere: ne & suo dedecore, & ægrorum malo, turpiter inchoatam iam curationem intermittere cogerentur: vel saltem vt meminissent in huiusmodi casibus relicto vulnere, curationem inuertendam esse. Obseruandum præterea est, vulneribus luxuriantibus sæpius carnem increscere, fungorum ac spongiarum instar, quam dum imperiti Chirurgi (qui rarissimè sine damno operantur) nunc corrodentibus medicamentis tollere, nunc sectione aufferre, conati sunt: Lerneæ hydræ capita repullularunt, vt sine dolore scribere etiã nequeam miserias, quibus ægros afflixerunt. Causam harum spongiarum paulò altius repetere libet. Verrucarum quoddam genus est, quod abscissum subinde maius ac copiosius prorumpit, & quò sæpius vel abscissum, vel arrosum fuerit, eò luxuriat magis: ex quo genere & fungos, & spongias, de quibus iam diximus, esse putandum est. Etenim huiusmodi verru-

Fistulosa & cancrenosa vulnera vt curanda.

Spongiæ ac fungi vulnerũ.

Verrucæ fungos creant.

verrucarum radice vulnerata, consentaneum est fungos & spongias tales, à luxuriante natura protrudi. Accidit & illud, sed rarius, ex cicatricibus iam olim ductis, similem carnem enasci, vtut sit, verrucarum ratione id accidere manifestum est. Idem mali genus non rarò scyrrhi & œdematis specie se prodidit, quæ quamuis minus periculi habeant, tamen sedulum ac diligentem requirunt artificem, vt & dignoscere, & expertis remediis malo subuenire possit. Hæc eo nomine hîc dico, vt singuli sibi ab istis asinis cauere possint: qui cùm morbum nunquam viderint antea, gloriantur tamen se curare posse, ad quam rem pestiferis planè vtuntur remediis. Ista autem mala vulneribus complicata tam sunt varia, ac aspectu miseranda, tantam in curando requirunt sedulitatem, vt verbis explicare vix queam. Itaque tu qui te Chirurgum profiteris, isthæc curare scias: sin nescis, adhuc Laureatis annumerari te ne pigeat: es enim semidoctor saltem.

CAPVT VIII.

De Vulneribus quæ Venenatis telis inferuntur.

TEla quamuis venenis inficere omnium memoria turpe habitum sit: tamen hominum malignitas hoc flagitij genus subinde non intermittit, vnde & vulnus ipsum, & venenosa materia intolerandis affligunt cruciatibus: quare istis quæ auxilia competant, scribere conuenit. Inficiendi genera varia sunt, quæ silentio præterire præstat. Inficiuntur ab hostibus enses, gladij, hastæ, tela: domesticis verò vsibus venenum contrahunt instrumenta mechanica: vt falces exempli gratia, quę vsus tempore dum incalescunt naturam eorum quæ secant vt herbarum rubetarum, serpentum, aranearum, murium, ac locustarum, facile recipiunt: sic vomeres à terra quam secant, veneni quiddam contrahunt: ista itaque sedulo considerandа, & ab ijs studiose cauendum: nam quamuis ex attritu, & dum acuuntur, aliquod rursus veneni deperdant, nunquam tamen ipsũ totum perit. Dissimilis ratio est eorum instrumentorum quibus fabri lignarij vtuntur, vt securis & dolabræ: isthæc namque salubritatis quiddam contrahunt potius, ex lignis quæ secant. Vitrum quamuis venenum sit ex sui natura, tamen nisi intra vulnus permaneat, ipsum inficere nequit. Fusorum verò ac aliorum instrumentorum, quæ frequenter manibus versant homines (mulieres præcipuè) virus admodum pestiferum vulneribus existit, quod ea ex frequenti vsu venenum in se recondant vehementissimum. Lapides ac metalla veneni nihil habent, quamuis non negauerim ferri quandoque essentiam à Dyphrige non probe purgatum, inficiendi vires seruare. Venena huiusmodi quomodo extrahere conueniat, quia secundo tractatu suis locis remedia scribemus, nil opus est hîc commemorare: illi itaq; remediis fac instructus sis: si nisi enim ea cognoscas, sed vulgatis vti pergas, sero tandem summo cum dedecore ad ista confugere cogeris. Obseruare quoque acuratè oportet, num huiusmodi symptomata, ex veneni communicatione orta sint, vel an ab alia aliqua causa originem duxerint: nam ob signorum similitudinem difficilis est dijudicatio. Sed telorum studio, quàm casu infectorum, maiora existunt nocumenta. Calores vrentes, phlegmones, decoloratio partis, laterumque punctiones, (præcipuè in sclopetorum globis) accidunt, quibus mitigandis, frigidum aliquod oleum vulnerarium infundes. Reliquorum verò symptomata mitiora sunt; nisi casu vel aranearum vel buffonum venenum conceperint, vulneriq; communicauerint: ea itaque iuxta canones tertij tractatus curabis, reiectis æreârum thecularum inutilibus vnguentis.

Tela variis modis infi ciantur.

Instrumentorũ mechanicorum vulnera venenosa quæ sint.

Vitri vulnera.

Instrumenta muliebria venenosa

Veneni symptomata.

CAPVT IX.

Cibo Potu, Venere, exercitiis, &c. quomodo ægri seipsos perdant.

SEd Medico omnia secundum rationem operanti, ægrorum tamen inobedientia quandoque omnem curationem confundit, vt non raro accidat: vulnera salubria aliàs, in paralysin abire: membra vulnerata atrophia consumi, innumeráque alia huiusmodi symptomata euenire, ne dicam mortem quandoque subsequi: in ista ergo intentum medicum esse conuenit, vt causam mali declarare possit. Libertate namque ægrorum videmus naturam sic irritari ac concitari, vt nunquam postea suo munere fungatur, sed extra suos limites exspatietur, nec se contineat amplius. Exemplo sit venereorum vsus, quo membrum passum sic inflãmatur, vt ad omne morborum genus dispositionem acquirat, maximè si situs vulneris concurrat. Itaqua quo pacto istis malis subuenire possis, distinctione cognosces. Vidimus veneris vsu membrum sacro igne correptum, syderatum, ac gangræna affectum resecari oportuisse: alios statim mortuos, alios lethalibus febribus, alios conuulsionibus, quosdam erysipelate captos obiisse. Quare in huiusmodi casibus, memineris libidinem hanc nullis remediis extirpari posse: sed donec à seipsa sedata fuerit, relinquendam, ac tum demum acuratiore medicatione vulneri inuigilandum. Sic immodicum exercitium vulnerati membri, quamuis nõ tam grauibus periculis subiaceat, non tamen periculo res vacat: nam & phlegmones, ex quibus successu temporis gangrænæ, vel febres symptomaticæ, vel atrophiæ, vel resolutiones nasci possunt, concitari solent quandoque. Curabis itaque ægro quietem illius membri, ne ex cõtemptu leuis mali, aliud maius oriatur. Similiter in diætæ legitima administratione, hoc est, cibi ac potus ordinaria quantitate aliquid studij ponendum est, ne forsan repletione, quæ vulneribus nocentissima existit, aliquid damni ægro concilies: nam natura vbi aliquo morbo grauata est, non vult ab eo abstrahi, sed modum & auxilium desiderat, quo morbum euincere possit: quod si impediatur, ad quandã iracundiã concitata, toto corpore furere incipit, à quo furore consequenter tabes, febres, phlegmones, alijq; ingentes dolores concitantur. His ergo de causis horũ inquã periculorũ metu, conuenit medicum, nõ quod ægri petulantiæ libuerit, sed quod salus & ratio iusserint, sibi licere putare. Meminimus quoq; præter prædicta mala, maiora sæpius, à veneris intempe-

Intemperantiæ ægrorũ fructus.

Venere vti vulnerato interdictum.

Febris à venere facta.

Exercitium immodicũ improbatur.

Natura à morbi curatione non abstrahenda.

intemperantia accidisse, Apoplexiam puta, syncopen lethalem, epilepsiam, hydropem, quibus nulla medicina sufficeret; sed certissima mors subsequeretur. Præterea in cibo & potu legitimis exhibendis magnam requirunt ægri medicorum diligentiam: nam si vulnerariis cibis, ac potionibus vulnera glutinantur quid prohibet, ipsis vulneribus aduersantibus exhibitis, rem deteriorem effici? cùm semper vltrò in deterius ruat natura. Itaque flagris ac cruce digni sunt Chirurgi, qui contempta Diætæ regula ac norma, quiduis ægris licere sinunt, cùm tempus & occasio tantum periculi tamen in se contineant, vt summa quandoque prudentia ac diligentia non sufficiant, ad præcauenda symptomata, quibus ægri expositi sunt.

Delectus ciborum

CAPVT X.

De Symptomatis quæ ægri Temperaturam seu complexionem sequuntur.

Alij aliis facilius curātur.

MEdici verò rationes & in id intentas esse oportet, vt meminerint homines alios εὐελκεῖς esse, alios δυσελκεῖς: ista enim consideratio medici, curæque velocitatis scopum continet. Nam quemadmodum, vt exemplo rem declaremus, lignum aliud alio secatur, sculpiturque facilius: aliud alio durius, pluribusque germinibus ac ramis præditum est, omne tamen fabri ac artificis industria tandem euincitur, ac perpolitur (sic quoque de gemmis ac lapidibus intelligas licet) Eodem modo de hominum corporibus indicare conuenit: etenim cùm ex terra omnes pronati simus, ipsa autem & durum & molle, & crassum & gracile &c. in se contineat, simile autem generet simile: nos quoque inuicem diuersos esse, pro ratione eius ex quo orti sumus, quis dubitet? Quapropter istis animum aduertere Chirurgos decet, vt an facile vel ægrè curationem admittat subiectum corpus, cognoscant, similiter ac fabri tiliæ lignum quàm abietis nodosos truncos facilius subigi ac secari norunt. Sunt qui admodum tenera ac subtili natura prædití inueniuntur, vt ijs vel minima vulnera (quæ aliorum corporibus nihil negotij facesserent) lethum adferant, naturarum itaque ista diuersissima diuersitas sedulitatem maximam requirit. Quare hæc non minima causa est, quæ me coēgit, vt vulgatis medicamētis relictis, noua quæsierim: nam, etsi ea vni quandoque salubria existant, tamen postea vix decimo vsui sunt: moneo itaque vt repudiatis istis, formulas sequenti tractatu annotatas recipiatis: habebitis namque calipodium singulis calceamentis aptū (quod aiunt.) Nam etiam si quandoque videbuntur dysepulotica esse vulnera, omnia tamen tandem istis remediis nostris curari cognoscetis. Ad hæc iubeo Chirurgos præparata medicamenta singulis partibus conuenientia asseruare. Empyricorum enim transitus ille ad similia mirè medicinam conspurcauit: sed boni isti homines, hoc solo se defendunt, dum contemptis meis remediis, obiiciunt, iam olim antequam ego extitissem, vulnera curata esse. Esto ita sanè: nam vulnera ante me curata esse non inficior, hoc tamen dico, meis remediis, in magnis cladibus ac oppugnationibus, me (quantum natura ferebat) ex mille non vnum spe sua frustrasse, vel perdidisse, cùm ipsi interim vix vigesimum quemque restituerent, quare meum institutum cuiuis prudenti probari mihi persuadeo. Volui autem hoc loco ista cōmemorare, quò hominibus ostenderem differentiam veræ ac fucatæ medicinæ: nam veræ medicinæ tantus olim honos habitus est, quantus & iam habetur: falsæ verò tam omnes fuerunt infensi, quàm iam sunt, sed non dignoscunt eam homines: non enim antiquitas hanc illa meliorem facit, alioquin & lolium tritico æquiualeret: vnà enim oriuntur, nemo tamen tam stupidus est, qui lolium quàm triticum malit. Ista hominibus patefacere mihi propositum est, vt tandem (cùm æquè facile rectum ac falsum addiscatur) veræ medicinæ studio flagrare incipiant aliquando.

Remedia antiquorum repudiata.

Trāsitus ad similia Empyricorum.

Antiquitas ad commēdandam artē non sufficit.

CAPVT XI.

De Vulneribus quæ Mulieribus menstruis laborantibus accidunt.

SYmptomatum magnitudo & varietas, quam huiusmodi in casibus accidisse memini, admonet de istis scitu & iucunda & necessaria quædam annotare. Vidi cuidam vulneratæ, sanguinem menstruum non per consueta loca, sed per vulneris sinum effluxisse: alias vidi, quibus Epilepsiæ, conuulsiones, aliaque symptomata superuenirent, neque intermitterent, donec Menstrua fluere desinerent, ac vteri anarhopia & katarhopia sedarentur. Quibusdam phlegmones, cephalalgiæ, dyspneæ, nausea accidunt, vnde vulneris curatio impeditur ac difficilior redditur: hisce ergo malis si mederi velis, menstruorum inordinationem prius tollas necesse est, quò medicamenta suas actiones perficere rectius possint. Obseruare & illud conuenit, mulieribus singularem quandam iracundiæ speciem accidere, qua si correptæ vulnerentur, omnia iam dicta grauiora euenire: conuulsionibus namque totius corporis corripiuntur: vnde vterus molestatur quoque, sicq; duplex malum nascitur: quorum vtrumque sua habet grauia symptomata: nam conuulsionibus paralysis, vterinis malis matricis suffocatio succedit. Sciendum itaq., quoniam istiusmodi mala circa vulnus ferè sæuiunt accerrimè, primùm omnium de sedanda matrice & tollendis conuulsionibus consilium quærendum esse: quæ res autem apud medicos, non qui Doctoris titulo superbiunt (venalis namq; est) sed longo rerum vsu peritos. Remedia hic scribere decebat, sed nostra lingua difficulter redduntur, & singularem tractationem requirunt: hîc igitur negotium hoc intermittamus. Illud hîc obseruemus potius, iam dicta mala tum hemorrhagiæ ac phlegmones, si concurrant cum memoratis malis, si non lethalia, certè curatu difficillima efficere vulnera: ista itaque studiosè præcauebis prius, vel si præcaueri impossibile est, ne in prædictione à scopo aberres obseruato.

Sanguis menstruus per vulnus effluxisse visus

Iracundiæ muliebris symptomata.

CAPVT XII.

Signa vulnerum, eorumque Significationes.

SYmptomata omnia vulneribus superuentura præcedentibus quibusdam signis cognoscuntur. Quamobrem chyrurgici officij

cij erit, quibuscunque signis apparentibus quid ea præmonstrent ominari posse. Medici enim est quidem, vulnus clementer, tuto, ac celeriter curare, quod si omnibus ritè administratis, id non eueniat, argumentum certissimum est, aliquid mali superuenturum esse: quod quomodo arte dignosci possit, hoc capite aperiemus. Simiotikin namque medicinæ partem ego summum secretum existimo, de qua neque medici, neque chirurgi veteres quidquam fide dignum memoriæ prodiderunt, nos quæcunq; longa exercitatione experientiaque comprobauimus, ea fideliter depromemus: laudabile namque videtur, neque cuiquam vitio dandum, veterum inuentis sua superaddere velle.

Simiotica medicinæ pars summum est secretum.

SIGNA.

Artuum vulnera, quibus ex dolore, phlegmone est concitata, si circa axillæ articulum (vulnere in brachio existente) vel coxendicem (si pes vulneratus sit) noctu, vesperique ac in mutationibus tempestatum: tum si Luna noua vel plena fuerit, dolores ac fluxiones augeantur, iudicabis ea membra, vulnere clauso, in tabem abitura.

Artuum atrophia praenoscitur.

Similiter vulnere ad glutinationem apto apparente, si circa ipsum versus membrorum extremitates, vel retrò ad articulos tumores fiant, qui paulatim indurescant, nec digeruntur, sed glutinato iam vulnere persistunt, id est, si singularis sit affectus factus, periculum est, ne abscessus colligatur, vulnere ipso longè deterior, ex quo vlcus fiat: imò syderatio ac caries ossium, totiúsque membri subsequatur. Ichores quoque (seu cambium) si fluere incipiant tabes membri certissima subsequitur, quæ curationem nullam admittit, nisi iusta quantitate eius quod defluxit, regenerata, alioqui membrum ipsum cæsæ arboris instar exarescit, fitq; membrum aridum vocatum.

Abscessus vulneri superuenientes.

Vulnera præterea quæ somnum impediunt, vigilias ac inquietudines inducunt: item quæ punctionibus assiduis molestant, maximè vbi sitis inexhausta accesserit, lethalia sunt, nisi forsan medicamentorum malignitate id accidat, quod excipio: loquor enim hîc de naturæ impotentia, non de medicorum erroribus. Item vbi oculi conuelluntur, vbi lingua balbutiunt, auditúsque deprauatus est, atque vbi loquuntur tardius, lethale est. Sin vulnera humida subinde sint, nec pus generent, nec glutinari pergant, sed subsistant (si nec cordis palpitatio, nec membrorum debilitas coniungantur: hæc enim lethalia sunt) certum est hoc indicium, ea in Cancrum, Fistulam vel aliud vlcus malignum abitura. Sic vbi vulnus ipsum curationem libenter receperit, corpus autem tristetur, id est, si vulnus benè, corpus autem malè habeat, signum hoc est lethale. Phreniti-dem in vulneribus superuenturam, minantur trux aspectus, oculorum inuersiones, loquela audax & vehemens, membrorum agilitas, febris, maximus circa caput æstus, hæc eadem signa Maniam, vel aliam aliquam rationalis animæ læsionem, pro subiecti varietate, minantur. Stridor autem dentium (nisi id à verminatione fiat) si cum mentis ab alienatione contingat, minatur lethalem aliquem casum superuenturum. Vbi verò spuma circa os appa-

Vigiliæ quid portendant.

Oculorũ conuersio quale signum.

Phrenitidis futuræ signa.

Stridoris dentium significatio.

ret, spiritus difficulter ducitur, stertor adest, oculi conuelluntur, artus spasmantur, indica vel conuulsiones, vel Epilepsiam in propinquo esse. Si in somnis vulnerati membrorum apprehensiones sentiant, nisi ab insomniis vel terroribus id accidat, puris collectionem ostendit. Vbi verò tumores fiunt, qui tarde curationem admittunt, ostendit membrum mox sensum amissurum esse. Quod si ventriculi supinitas superueniat, vomitus ac nausea, cum siti immodica, signum est venas ac neruos abscissos loco & officio motos esse. Huiusmodi signa alia permulta restant enumeranda, sed horum capita enumerasse sufficiat: sufficiant quoque ista ad omnia symptomata superuentura præcognoscenda, sed discere & experiri, totius huius considerationis fundamenta sunt.

Epilepsiæ futuræ signum.

CAPVT XIII.

Vulnera Desperata, vel Perperam curata, quomodo tractanda sint.

QVamuis præsenti tractatu recentia tantum vulnera expedire propositum fuerat: tamẽ cùm inueterata plura occurrant, de iis etiam proprio capite disserere placuit. Nam si quis tonsorum ac veterinariorum istorum artes inspiciat, mirari subeat, quomodo lentiginem, nedum grauiora vulnera ipsos curare possibile sit. Istis itaque in vulneribus hoc primùm considerabimus, an medici errore, an à morbo quodam vel symptomate vulnus ipsum deprauatum sit: isti duo enim sunt deprauationis modi: vbi à morbo malum est, & Chirurgus id non agnoscit, sua imperitia ægrum perdit: sin absque morbo, rursum suæ artis incertitudine damnum conciliatur: quod vbi contigerit, erroris causam inquire. Si à morbo complicato vulnus deprauatum fuerit, eius curandi rationem ex aliis nostris chirurgicis libris addisces. Potes quoque, si placet, alios scriptores ac pseudomedicos inspicere, in quibus tamen spei parum ponendum existimo, quòd effectu rarissime potiantur, cùm tamen Deus Opt. Max. medicinæ effectum constituerit curationem ipsam, quam illi non consequuntur. Vnicum est quod hic docere placet, à nullo vnquam veterum proditum (cuius quoque gratia præsẽs caput scribere instituimus) quodque ex nostra schola primum extitit: vnum scilicet esse medicamentum vniuersale, in omnibus istis malis, quæ à morbis complicatis oriuntur: vt sunt, Cancer, Fistulæ ac similia, Realgaris scilicet sal, vti Alkali, cuius conficiendi rationem hic docere nolo, sufficiat meminisse, si eam desideras, suo loco reperias descriptam, quo omne genus Fistularum ac Carcinomatum, Phagedenarum, Syreon tum Fungorum cum vulneribus complicatorum extirpare funditus, tandemq; vulnus ipsum cicatrice claudere potes. Cuius remedij inuentor primus quia ego extiti, meritò proprio capite illud cõmemorare libuit. Gloriari enim non præter decorũ possum, de mea multiplici rerum experiẽtia, qua omnes qui extiterunt ante me superare me scio. Vnde nõ immeritò id iuris mihi sumpsi, omnia scil. naturæ secreta publicandi. Cogit verò me ad iactantiam summa experiẽtia mea, dum

Realgaris salis vsus à Paracelso inuentus.

dum Doctores istos, Chirurgos ac tonsores nulla experientia, minimo vsu, summa infelicitate morbos curare, imò ægros perdere video: multos malleos habent isti fabri, vim tamen & vsu eorum ignorant, at quid porco magarita prodest, cùm nil sciat quàm vorare? Ego Alchymiam prædico, quę secretas medicinas conficit, quibus omnia desperata mala sanantur: hanc ipsi cùm ignorent, nec Chymistæ, nec Medici dicendi sunt. Nam aut remedia penes Alchimistas sunt, vel penes Medicos: si penes hos, ea ipsi ignorant: si penes illos, iidem ea non didicerunt: quomodo igitur laudem aliquam merentur isti homines? Eum ego summis laudibus euehendum indicauerim potius, qui naturam eò deducere potest, vt ad auxiliandum apta sit, hoc est, vt extractis salubribus inutilia eiicere sciat, tum qui ipsius efficaciam cognoscit: nam præparatio & scientia, id est, Chymia & Medicina, vt à se inuicem separentur, impossibile videatur: quod si quis ea se iungere instituerit, nil nisi meras tenebras in Medicinam introducet, ac vera sanè stultitia foret, quòd hac separatione omnia medicinæ fundamenta ruerent. Vt autem mearum rationum certitudinem cognoscatis, non multum laborandum mihi puto: hoc vnum moneo, vim remediorum istorum pseudomedicorum inspicite, quibus vulnera primùm perdunt, vbi iam deprauata sunt, nunc hoc, nunc illo experimento adhibito, miserè ægros excruciant, tandemque vbi omnia nihil profecerint, omni salutis spe adempta, ad mortem miseros adigunt. Sed de complicatis morbis satis. Nunc medici errores intueamur. Vulnera à Medico deprauantur, remediis inconuenientibus adhibitis, sectione scilicet, vstione, lotionibus, vnctione, medicamentis erodentibus, aliisque hoc genus pestiferis artibus, quas tu cum omnibus aliis Chirurgorum venenosis remediis (quibus subinde in deterius abire solet malum) reiicies, obseruatis interim cautelis secundi tractatus de purgandis & claudendis vulneribus. Sed Deo Opt. Max. (cuius beneficio medicinas hasce inueni, laus sit in sempiternum, cui quoque pro iis gratias ago, quacunque tandem ratione eas nactus sim. Verum quia latrochymista sum: vtrumque enim scio & Medicinam & chemiã, liceat mihi errores qui committuntur detegere, ac pestifera remedia ista repositis in eorum locum salubrius reiicere, quod vt faciam lubentius, ardens iuuandi studium ac prompta voluntas iubet. Sed de istis & aliis malis ac deprauatis vulneribus curandis, Deo dante, secũdo huius operis libro vtilia documenta tradam, quibus ad eminuendam istorum doctorum ac pseudomedicorum iactantiam vti possitis: plura enim ab illis perperam curata vulnera, & quæ desperata habebantur, ego persanaui.

Alchymiæ laus.

Alchymia à medicina non separatur, vti nec præparatio à sciẽtia.

Paracelsus latrochemista est.

CAPVT XIIII.

Suendorum vulnerum ratio: ac suturas non acu sed medicamentis fieri debere.

PRodere vero ipsorum & in consuendis vulneribus stultitiam, imò reiicere conuenit, itaque reiectis acubus, aliisque quibus ad rem hanc isti vtuntur, ne pigeat meliora discere. Vulnera consuendi mos antiquus est, adeo vt primus eius author ignoretur, aiunt isti, firmam hanc rationem videte, stultitia tam antiqua est quàm prudentia: ergo non reiicienda, quis non rideat? Frigidum argumentum est, cùm antiquitate errores excusantur. Stultitia tam est antiqua quàm sapientia: nihil hoc ad virum sapientem pertinet, filius an ne sequatur parentis fatuitatem? Sed pergamus, si vulnus consuas, scias ipsam suturam inutilem esse: quia putrescit mox & decidit: quod si rursum consuas, denuò decidit, & cogeris tandem dehiscere sinere vulnus ipsum: nam semper in idem recidit siue suturam facias, siue intermittas, hoc saltem interest, quòd illa vulgata ratione magis excrucientur ægri, quare stultitiam istã ex qua malorum tanti acerui oriuntur (quæ omnia iã scribere non vacat) vt dolores, phlegmones, de fluxiones ad partem affectam &c. intermittatis quæso. Vt autem consuendi meliorem ac certiorem rationem teneatis: ista vos fundamenta obseruare vellem. Nimirum naturam ipsam tantum quantum singulis diebus glutinat suopte marte intrinsecus contrahere ac suere, sicque progredi paulatim, donec ad labia & extremitates ipsius vulneris peruentum sit, totumque glutinetur, fabrorum instar, qui duos asseres glutino iungunt. Cicatricem verò æquè angustã facit, ac si sutorio filo consuisses. Memini me interfuisse vulnerũ curationibus, vbi tonsores audiebam, qui filo sutorio ac porcinis setis vulnus consuendum esse consuleret, quòd metuendum putarent, ne sericum filum non sufficeret, hinc videre liceat stupiditatem horum hominum. Sed tu hoc facies, cura vt remediis bonis instructus sis, iuxta nostros canones, quibus obseruatis, neruos, ligamenta, tendones, cutem, carnem, legitimis remediis adhibitis, (sine errore) naturæ suenda ac glutinanda relinques. Hoc nisi feceris, chirurgi nomen nunquam mereberis, sed eius qui naturæ aduersari studeat: adeo vt nisi Diuino magis quàm tuo auxilio iuuarentur ægri, nunquam sine damno tuo vterentur consilio tuaque opera. Natura enim sic comparata est, vt iucundã & quæ sine dolore fiat curationem ipsa desideret: nouit enim talem præstari posse, exhorrescit verò ad tortorum istorum ingressum. Hinc ego suendi rationem non solum vt ab arte alienam, sed & vt dolores & fluxiones concitantẽ improbo, & doleo tam inartificiosam operationem inter artis secreta numerari: sed de his idẽ est cum vrinarum inspectione iudicium, vbi lucri quàm salutis ratio maior habetur, quòd si non spectaretur, facilè ab arte exularent suturæ istæ miserandæ. In quarum locum si substituerẽtur pulueres glutinatorij ac aquæ colleticæ, de quibus sequenti tractatu disseremus, quarum & artificiosa est præparatio, & admirabilis efficacia, non vulnera solùm, sed maiora quoque mala curarentur facillimè, quæ isti incurabilia proclamant. Sed errorum semper plus quàm verorum canonum extitit, quos ij loquacitate tegunt, sub qua vulgus artem latere existimat, sicque tandem in verorum locum falsa substituuntur remedia.

Antiquitas errores non excusat.

Suturarum vulgarium incommoda.

Natura ipsamet vulnus suit ac glutinat.

Lucrum errores fouet in Medicina.

CAPVT XV.

Deligandorum Vulnerum Ratio.

QVamuis secundo tractatu cuiusuis remedij adhibendi rationem, ab initio ad finem vsque curationis, describemus, hîc tamen loci commoditate illecti deligandorum vulnerum modum annotabimus. Deligaturus initio vulnus primum omnium ipsum Oleo vel Balsamo vel vnguento vulnerario tepidis, vna cùm his quæ in iis intabuerint, implebis, dein Emplastro stictico imposito accuratè deligabis, circa vulneris autem regionem eadem ipsa adhibebis, vel si mauis oxyrrhodino ipsum membrum irrigabis. Et istud continuabis in nouem vel octo dies, prout vulnus ipsum magnum vel paruum extiterit: immutabis autem seu iterabis singulis XII. horis. Istis ritè perfectis, maiore cura nil opus est, nisi vulnus admodum amplum sit, vel in quo tendo vel ligamentum aliquod vulneratum, maiora symptomata minetur: tum enim pro tua industria maiorem adhibebis diligentiam. Vbi vulnus punctim factum est syphone, oleum aliquod ex prædictis injiciendum erit, vulnusque vt dictum est curandum. Semper autem prima deligatio accuratissima esse debet, quòd tum necessitas maximè postulet. Capitis autem vulnera curandi ratio hæc est: petiam lineam vel cottum imbue calido oleo vulnerario (à Balsamo autem, id est, destillatis oleis abstineto) pòst herbis ac floribus, qui oleo intabuerunt, imple, impletam in vulneris profunditatem immitte, deuitatis tamen menyngibus (quas tangere piaculum est) quo facto, emplastrum superimpone, ac tandé deliga. Capiti autem ea maximè emplastra conueniunt, quæ Gummina & Lythargirum, non autem Resinam, vel Colophoniam, vel Camphoram recipiunt, huiusmodi remediis & curandi methodo ferè circa nonum diem vulnera omnia tertia parte sanantur, nam curam in tres partes distingue, initium, medium, & finem. Vbi autem vulneratus iam vires recollegerit, omisso oleo, Balsamum substitues, tanges verò vulnus penna in Balsamum intincta, postea emplastro imposito, curam continuabis, donec nerui, articuli, &c. antea nudati, iam tecti apparuerint. Vltima postea deligatura subsequetur, quæ solis emplastris sticticis absoluetur ad cicatricem vsque hæc curandi ratio mihi familiaris est, in vulneribus ossium, neruorum ac similium, in quibus de curatione desperant alij. Sin vulnera non admodum periculosa sint, sufficiet vno ex prædictis modis, assumpto vulneris curationem perficere: nam si in istis initio statim recta deligatura fiat, commodumque remedium adhibeatur, nil periculi amplius metuendum erit. Supersunt alia remedia, vulnerarij pulueres, potiones vulnerariæ, sublimata, destillata & similia, de quorum vsu suis locis copiosè disseremus.

Deliga-tur. vuln. ratio. *Tempus ligaturæ.* *Capitis vulnera curandi ratio.* *Emplastra capiti conuenientia.*

CAPVT XVI.

De quibusdam Moris qui Vulneribus curatis succedunt.

VVlnus curare artis esse facilè concedo, perfectioris tamen artis opus esse affirmo, & vulnus ipsum curare, & ne morbus aliquis curato vulneri superueniat, diætæ legitima ratione præscripta præcauere posse. Exempli causa, scarificatio vel venæsectio naturæ oppressæ subuenit, quæ nisi adhibeatur, alij morbi succedunt: sic in magnis vulneribus, vbi non scarificatio seu phlebotomia sed profundiss. vulnus spectatur, cauendum ne alicui morbo occasio præbeatur, cauebitur autem, si per vulnus ipsum naturam exonerauimus (quemadmodum venæsectione futuros morbos præcauemus) id autem quo pacto fieri debet, pro tua industria cognosces, temporis, loci, occasionis semper habita ratione: fere namque aliàs tumores ac abscessus interni fiunt. Notandum etiam, magnam sanguinis profusionem aliquando dispnæam, quandoque hydropem efficere, aliósque tumores, non raro quoque complexionis seu temperaturæ mutationis causam existere in ægris, succedunt quandoque etiam vulneribus vertigo, ventriculi imbecillitas, similesque passiones à quibus vt sibi ægri curati caueant, admonebis, vbi diætæ formulam præscribes. Ista quamuis ad medicos pertineant, nil tamen de istis memoriæ ab ipsis proditum est, frustráque ipsorum scripta consuluntur. Tu ista vt præcaueas, & scarificatione & phlebotomia, prout situs vulneris expostularit, vteris & ad purgandum sanguinem Aquam Cichoreæ & Camædryos exhibebis: hæ enim omnem sanguinis noxam tollere aptæ sunt. Obseruatione præterea dignum est, vulnera inflicta, magnorum morborum qui iam generabantur medelam esse, maximè vbi magna venarum vasa aperta fuerint: nam si phlebotomia tantopere commendatur, quid prohibet ista vulnera phlethoræ curam nominare? Ego agrestem hominem noui, qui cum à multis annis surdaster fuisset, tandem cùm casu in tumultu quodá auris illa cum mala parte abscissa esset, auditum recuperauit: sic debilitate visus, diuturnas quartanas, quæ nullis remediis obedirent, curatas esse, meminimus. Vidi quoque in præliis, quibus pestes ac febres ardentes successerunt, eos qui in prælio vulnus accepissent, euasisse, cùm reliqui perirent. Sic erysipelati obnoxios obseruauimus post vulnus acceptum ab hoc malo liberatos esse. Quin & Arthritide molestatos vidimus, post vulnera nil mali aliquot annis sensisse. Quamobrem medicum tam vsum quàm noxam vulnerum obseruare decet: nam non raro accidit, per se pestiferum, ex accidenti tamen vtile ac salubre effici.

Sanguinis profusio immodica quæ mala faciat. *Camædryos & Cicoreæ vsus ad purgandum sanguinem.* *Vulnera sunt remedia imminétiū morborum. Surditas à vulnere curata.* *Quartana per vulnus curata.* *Arthritide post vulnus curata.*

CAPVT XVII.

In Vulneribus quid Locorum ratione obseruandum sit.

PRæter ea quæ superius commemorauimus loca, genitalium locorum vulnera omnium periculosissima sunt, quòd summis ea doloribus affligant. Istorum tamen deligandorum eadem est ratio quæ superius dicta est, nisi quod ob intensissimos dolores ac phlegmonum vehementiam anodyna seu paregorica remedia requirant, conficientur autem ex farina fabarum, in vino & aceto cocta, quam subinde recalefactam cataplasmatis instar impones,

Genitalium vulnera periculosissima.

impones, donec dolor mitigatus remittat, vel loco fabaceæ farinæ lutum furnarium, eodem modo præparatum adhibebis, tum doloris sedandi, tum defensionis (quam ista loco desiderant maximam) gratia. Quod si istis dolor non acquiescat, tum ℞ *fl. camomillæ, verbasci ana M. 1. olei q. s. coquantur & fiat cathaplasma, imponatur calidum.* Si nec istis dolor mitegetur, ad Ebulum in vino coctum & cathaplasmatis forma præparatum, tamquam ad sacram anchoram confugies. Sin Oseus (id est, scrotum) exeat, tum difficulter retinetur, retinetur tamen per terram sigillatam, non eam vulgatam officinarum, ex quouis luto confectam, sed nobis singulariter notam. Sunt præterea intestinorum ac paritonei vulnera, quæ quia glutinationem vti diximus non admittũt, argenteis fistulis cõtinuanda rursus erunt, quod si præstari potest, vt aliquando contingit, salus speranda est, quo pacto autem id fieri debeat, exercitatione, quàm ex scriptis disces melius. Recti quoque intestini exitus à vulneribus causatus, eodem modo non difficulter sanatur. In huiusmodi casibus miram quandoque chirurgorum ac tonsorum audias iactantiam, qui non ista saltem, sed & membra, aures, nasum, digitos, &c. triduo ante abscissa se restituere velle gloriantur. Sed quia nugandi tempus habent: non enim aliis occupantur, quis non illis ignoscat? Verùm cùm minora non curent, de maioribus fabulosa eos dicere mihi persuadeo. ego experientia edoctus, quantam fidem ista mereantur, scio, sed pergamus. Capite vulnerato ocymum in vino coctum imponitur, magno successu, similiter Lauendula, Maiorana, Saluia, propter mentis alienationem ac vertiginem, atque syncopas adhibentur. Similiter de Pulmonibus, Epate, Splene, ac Renibus sciendum isthæc, viscera Auro potabili sustentari ac nutriri debere, quod præparatum omnes medici asseruare debent, quòd nullius pretij medicus sit, qui illud non habet. Ego quidem & preparationem noui, ipsumque habeo, sed iam non publicari præstat, tempus forsan reuelabit.

Cataplasma ad phlegmonas genitalium. Ebuli vsus. Osei exitus per terram sigillatã retinetur. Intestinorum vulnera vt curentur. Ocymi vsus in capitis vulneribus. Aurum potabile Paracelsi

Peroratio primi Tractatus.

CVm hactenus omnia theoremata medicæ artis, quæ extra remediorum formulas chirurgum nouisse oportet, ac sine quibus minimum vtilitatis ex Rescriptis seu Receptis, quæ vocant, reportaturus est medicus, oratione explicuerim, repetere denuo debet quod in proœmio scripsimus, memini enim ibi, quomodo, aliquando cum persuasione ductus putauerim vulgata medicorum theoremata vera ac absoluta esse, ipsam artem fastidire cœperim, Verum ego tandem, eorum imperfectione cognita, nil prius, nil iucundius habui, quàm hanc sentinam expurgare, ac medicinam suo nitori restituere. Sed meum propositum dum considero, sentio illud pseudomedicis istis nunquam probatum iri, at contrà dum video nil spei in illis ipsis cũ fructu poni, illos me impedire non patiar. Non inficias eo, præclara esse quorundam Germanorum nostrorum ingenia, quæ si huic arti excolendæ inuigilarent, non inutilem operam præstituta forent. Et doleo certè, ea studiis iis corrumpi & frangi, quorum minimus in hominũ conuersatione vsus existit. Isti viri si vsum Medicinæ accuratius considerarent, plus operæ in ea ponerent. Si enim charitatem proximo præcipuè debemus, an ne maius dilectionis opus est, quàm si proximo id quod ille charissimum habet (sanitatem scil.) restituamus? Eos ego ad medicinam capessenda adhortor, quo eam ex istorum Thessalorum manibus, qui eam tam fœdè conspurcarunt, tandem eripiat, istaq; inutilia studia, nec à Deo nec à natura imperata relinquant, sed discant Christianæ charitati magis consentanea exercere: quid enim ista studia (quæ illi humaniora appellant) aliud sunt nisi vanitas, quorum nec vsus nec fructus vllus, neque in seipsos, neque in alios redundat, sed nil nisi sonus quidam tibiæ agrestis sunt, qui dum auditur aliqua ratione animos afficit, at vbi desierit, nullius momenti amplius habetur? Sed fucatis studijs semper inuigilamus accuratius, quòd popularem applausum mereantur. Hinc medicinæ studium tot sæculis incultum remansit, quòd nemo sine contẽptu ei vacare posset: quin & ipsum Deum Opt. Max. qui diuino ore suo ægros medico opus habere protulit, ludibrio habent, totamque Euangelij doctrinam contemnunt irrisores isti. Quamobrem in eam denuo sententiã deuenio, Medicinã non in cuiusuis eruditione stabiliendam esse, quòd eruditi ferè omnes Cathedram Pestileutiæ possideant, loquor autem hîc de vulgata illa & fucata scholastica eruditione. Me interim illud scripturæ testimonium consolatur, quod expressè innuit Medicum à Deo creatum esse, itaque ego istorum blateronum loquax auxilium, non desidero amplius, ad expurgandam Medicinam, sed opera perfecta cordatorum hominum, quibus integritas cordi sit, mihi sufficiant.

Humaniores vocant literæ vanitas sũ. Medicinæ contemptus vnde sit.

Veruntamen intelligo quemadmodum plures se ministerio Euangelij immiscent, & nemo est qui non de Deo loqui præsumat, eos tamen qui in vineam vocati sunt cum fructu eam colere solos, reliquos vero Sues & bestias esse, quæ diruta macerie in vineam domini irruerunt, eamque diruerunt, qui suo tempore quoque meritas pœnas daturi sunt. Sic magnũ esse Medicorum aceruum, peritorum autem ac fidelium minimum numerum: nullus enim porcus est qui non hanc vineam diruerit. Hinc Apostatæ monachi, qui desidiæ, crapulæ, scortationi assueti erant, cùm viderent ad faciendam medicinam (vulgaris vsus) præter loquacitatẽ artis parum desiderari, quo suo ventri prospicerent, Medicinæ se immiscuerunt, atque sic Medicinæ sacratiss. scientia, fertilis ager fuit omnibus iis qui laborum pertæsi, otium captabant. Nec verò apostatæ soli, sed & carnifices, cæterique eius farinæ homines, quibus probum virum, annumerari pudeat, hanc lucri fœcundam artem captarunt. Istis tamen Medicum animo frangi non decet: nam si Prophetæ pseudoprophetas, Apostoli pseudoapostolos iuxta se tolerarunt, medicum quoque pseudomedicos ferre non iniquum erit, sedulo autem illud dictum Christi, medico obseruandum est, cum inquit: Nemo venit ad me nisi quem traxerit pater meus cœlestis, eadem namque ratione Medicum

Medicinæ ager otij fertilis.

Germanorum commẽdatio.

Medici & ægri duplices.

Medicum à Deo creatum, æger consulit, quem eò deduxerit Dominus: nam & Medicorum & ægrorum duplex genus existit, iustorum & iniustorum, sui ægri itaque suos medicos quærunt, & vicissim, interim tamen inuicem permixti omnes viuunt, quemadmodum nunquam triticum sine vicia vel lolio accreuisse videmus. Sed isthæc iam sufficiant, properemus iam itaque ad sequentem tractatum.

FINIS LIBRI TRACTATVS I.

PHILIPPI PARACELSI PRIMAE PARTIS CHIRVRGIÆ MAGNÆ TRACTATVS SECVNDVS.

Procemium.



HARITAS *proximi iubet, vt qui in publicum quid emittunt, scripta sua, sine fuco & prastigiis, sed certißima experientia nixa aliis legenda prabeant, ea quoque obseruata conditione, ne nimia copia luxurient, vel penuria frigeant, sicuti & agros planè incultos, vel nimium cultos fructum non ferre videmus. Quamobrem, commendandis scriptis accommodatißimum est exceßum & defectum cauere, quod istis non obseruatis, vel inutilia vel pestifera euadant opera, cuius rei argumentum manifestißimum sunt Barbarorum quorundam scripta, qui cùm de omnium morborum curationbus à capite ad calcem disseruerint, tamen interim nihil egerunt, quàm vt vera cum falsis iungerent, omniaque confunderent: nam cùm non publici commodi, sed popularis aura captanda gratia scripserint, ea operibus suis inseruerunt, quorum ne decimam quidem partem experientia comprobarunt. Sunt qui mihi vitio vertant, quòd non vtar authoritatibus scholasticorum medicorum, quasi verò ob id minus docti viri nomen merear. (Cùm tamen omnes isti quotquot sunt, siue Germani, siue Itali, non digni sint qui corrigiam calceamentorum meorum mihi soluant.) Ego vero hoc testor, nil me scribere, nisi quod Deo teste aduocato, comprobare poßim, hoc mearum vigiliarum fundamento posito, mirum quot crabrones irritauerim, volunt vt illorum scriptis citatis res comprobem, cùm hoc medio nunquam optato fine potiri queam: quia enim ipsorum libri mendis scatent, quomodo non nisi mendacia scriberem? vix enim vnicum theorema apud illos inuenias, quod fuco vel contradictione careat. Atque vt scribam quod sentio, sic ego iudico omnia ipsorum scripta, dubia consultationes sunt, nulla hic demonstratione, nulla experientia quidquam comprobatur, ac vel cæcus videre queat Auicennæ magnos Canones, Mesuei atque reliquorum Barbarorum commentarios (quos tamen vulgus quasi sanctos habet) mendaciorum plurimum, veritatis nimium continere. Multi morborum centurias describunt, cùm tamen vix decuriam viderint, nedum curarint, istis ne ego nitar istos mihi imitandos proponam: quorum asseclas, video ex centum vix decem curare, & consultationum centuria descripta vix quinque ægris prodesse posse, ac qui vna garrulitate ac superbia, quarum fœcundßima altrix est Italia, nituntur, vnde id quoque iuris sibi sumunt, vt quiduis, quod ad exornandas suas nenias facere poßit, pro vero ac certo scribere audeant. Sed dæmone praceptore vtuntur, qui cùm Rhetor sit, quomodo non orationis illecebra ipsorum phantasias exornaret sed væ fatuo, qui hæc pro Euangeliis reputat. In omnibus quamobrem scriptis non Medicis solum sed Chronicis atque Historicis summa ac vnica virtus est veritatis studium, quod si non adsit, non scripsisse prastiterit, sed mentiendi occasio ampla est, & vulgus tenebras quàm lucem mauult. De hac difficultate rescindenda tale meum est iudicium. Spiritus viuificat, litera interficit, inquit scriptura. Spiritus & literæ diuersa ratio est: Spiritus vnicam veritatem continet, hinc qui veritatem saltem scribit, non literas pingit, sed veritatem per se quidem inuisibilem, sed quam scripto vel voce percipere poßumus. Litera verò (scripturæ) est cùm quis veritatem non scribit, sed per consequens mendacium: hinc sequitur literam, id est, mendacium interficere, quare qui scribunt, veritatem scribant, alioqui hominem interficiunt, homicidij verò pœna à Deo constituta est æternum supplicium. Imitandos itaque nobis proponamus Prophetas & Apostolos, qui fœcunda breuitate veritatis fontem descripserunt, qui nil nisi quod Diuino ore notare iußi erant, scripto prodiderunt: horum exemplo & nos veritatem, cuius simplex est oratio, proponamus, nec patiamur inanis gloriæ studio in loquacitatis vitium nos detrudi; nam si illi summum bonum sine orationis pigmentis describere potuerunt, nec nobis difficile erit in tenuiori materia idem præstare. Non sum etiam ignarus eius, quod Christus dicit. Vbi receptus fuero ex hoc mundo, mittam vobis Spiritum sanctum, qui omnia docebit vos. Qui si nos (vti non dubitandum est) docebit, certè præter veritatem nil docebit, veritas autem tenui oratione contenta est, quæ mundo qui pompam spectat non sufficit. Itaque si loquacitatem spiritui sancto tribui audiueritis, ne credite: nam si sermonis prolixitas veritatem efficeret, fateri cogeremur, Christum non omnia quæ necessitas requirebat dixisse. Ista scripturæ loca eo nomine citaui, vt ostenderem Medicinam iam sola loquacitate ac interficiente litera descriptam haberi, vt præter casum nil certi in ea habeatur amplius. Hanc literam dum à spiritu separare conor, stultus ab omnibus habeor, nec forsan immeritò: Oceanus enim immensus est, ex quo enatare impoßibile videatur. Margaritas porcis non proiiciendas, neque sanctum canibus porrigendum aiunt, ac consequentiam faciunt: ergo veritas scripto non est publicanda, bene dicunt: nam ipsi porci sunt ista margarita indigni, quorum vnicum fundamentum est, litera mendax & interficiens, quasi vero non imitandus nobis esset Christus, qui veritatem ab Euangelistis scribi, ab*

Barbarorum scripta qualia sint.

Authoritatibus cur non vtatur Paracelsus.

Veritas in omnibus scriptis spectanda.

Apostoli in scriptis breues sunt.

Apostolis vniuerso orbi annunciari ac prædicari voluit, cui si baptisati fidem habeamus saluabimur. Itaque si porcos ab ouibus separauerimus, porcos nos deterrere non patiemur, quin cæteris veritatem scribamus. Sequitur ergo secundus operis nostri tractatus, Medicamenta & remedia continens, quibus omnia vulnera tam cæsim, quam punctim facta (quantum natura patimur) curare docebimus. Quod si nostras compositiones cum veterum rescriptis, quandoque concordare videritis, nolo vos ea isthinc exscripta putare, sed quia Medicina à mundi origine vsque, certißimo semper fundamento innixa est, nos illud tenere, cæteros vero fabulis ac fucis, si non vndique certè plerisque in locis consburcasse iudicabitis: nam vbi illi quod tamen rarißimum est, Medicinam incorruptam reliquerunt, nil mirum erit, si inuicem concordemus. Mihi itaque multiplici experientia exercitato, liceat medicinæ imperfectionem sarcire, vel aliorum in ea errores notare, tu interim sequentia remedia & disce & exerce, posthabita omni loquacitatis pompa, quæ nihil ad artem facit: Et eris, perfectus Medicus.

Argumentum secundi tractatus

VULNERATORUM DIÆTA, seu victus ratio.

Diæta curat vulnera.

RErum non naturalium administrationem indebitam, vulneratis periculosam esse extra dubium omnia esse puto, cùm eandem sanis nedum ægris noxiam esse quotidiè experiamur, itaque cùm videamus diætam curare vulnera, victus rationem inconcinnam vulneribus nocere negare non possumus, neque tamen vera victus ratio sine remediis aptis, vel optima remedia absque legitima diætæ ratione, quidquam laude dignum postulabunt, sed semper ista coniuncta esse oportet. Quam pseudomedici in ptisana, alica, iusculis diætam obseruant, explodenda est, quòd ab istis natura integra abhorreat, nedum læsa quamobrem digestiuæ virtutis facultas in præscribendo victu inspicienda erit, sic si ebrius aliquis vulneratus sit, ante sobrietatis tempus nil ferè offeres, sed vsque in tertium & quartum diem, sola tenui victus ratione, ptisana scilicet, &c. contentus eris. Sobrius vero si vulnus acceperit, huic certe euchymis, & plurimi alimenti cibis succurres, quod in eo concoctrix facultas integra adhuc sit, ebrius vero dupliciter læsus sit, continui scilicet solutione, & naturalium facultatum noxa. In victu vero offerendo varietatem captabis, quòd ea ægris grata sit, quibus quandoque gratificari licet paulò deteriore victu, cauendum tamen à carne suilla, ansere, anate, & volucribus aquatilibus, &c. quos cibos quiuis vulneratis obesse nouit. Vnice autem illud obseruandum erit, vt & sæpe & modicum offeras, repletionem nimiam, famē ac sitim caueas. Sitis etenim (vt reliqua taceam) Epatis ratione euenit, quòd cùm vulneri alendo sanguinem mittat, ad attractionem humidi incitatur, quare vulneratis potus non prohibendus, quòd eius tanta sit necessitas: sitis enim medicina quædam est, & propter medicamenta euenit ferè, neque etiam siue vehementer siue leniter vulneratus, quisquam ad cibum vel potum capiendum cogendus est, nisi vbi ventriculus refrixit, vel appetentia ob frigiditatem illam concidit: tum enim victum calidum, vt ius carneum vel auenatum offeres. Præter iam dicta in vsu alimentorum quędam pauca considerantur, vt puta, ætas & natura ægri, ciborum bonitas ac malignitas, temporisque ratio. In potu autem vulneratis exhibendo accuratior quædam ratio obseruanda erit: nam siti quàm fame magis molestantur ęgri. Epar siquidem (sitis origo) magis, quàm ventriculus (in quo fames residet) afficitur: hæmorrhagia enim Epati communicatur maximè non sic ventriculo: quamuis enim ventriculi actio ferè debilitetur in vulneratis, cui & epar postea consentit, tamen cùm potus nil admodum in ventriculo commoretur, de eius offensa nil metuendum, tum etiam Epar inde iuuari certò cognoscimus: nam potus in vulneris nutritionem alteratus, ab Epate ad vulnus transmittitur: quòd si potus multum sanguinis generet, minus damni inde metuemus. Itaque quiuis Chirurgus potionum delectum habeat, iis in locis in quibus Medicinam facit. Cætera quod attinet, ægri membri, ægro quietem imperabis præcipue, & vt ab ambientes aëris mutationibus sibi caueat monebis: quòd si contingat vulnus cum morbo alio, scilicet conuulsionibus, Epilepsia, colico dolore, complicari, (vti primo tractatu admonuimus) caprinam, in Febribus oua deuitabis, & similiter de aliis. Cibos vero condimentis, aromatis, destillatis cinnamomi ac caryophyllorum aquis condire ac temperare licebit. Quin & carnes sine aqua in duplici vase coquere vtile erit, potes si placuerit, ad Epatis & ventriculi confortationem carnes cum vino vel aqua, cinnamomo ac caryophyllis eodem modo decoquere. Notandum quoque est inter initia humido quàm sicco victu magis iuuari ęgros: nam Epati tum temporis potius, quam ventriculo prospicere oportet Nec illud ignorandum, in magnis capitis vulneribus potiones fortes, vinum sublimatum & similia intermittenda esse, vtendum vero aqua in qua panis maduerit, mixta cum succo cinnamomi.

Vulneratis diuersus cibus competit.

Suilla vulneratis nocet

Potus vulneratis quis sit præscribendus.

Quies membri affecti.

Carnes vt ægris sint coquendæ.

ALVUS ASTRICTA, VRINÆ suppreßio, & vomitus, in vulneratis, quomodo curentur.

VVlneratis aluus dura redditur variis de causis: quandoque enim natura nimio sanguine profuso, ad expulsionem impotens redditur, quandoque constipatio ex diuturno decubitu oritur, præterea quoniam appetitus deperditur, atque concoctio vitiatur, pauca excrementa generari manifestum est, quin & febres ac phlegmones, quæ superueniunt, excrementa dissipant. Adhæc & illud patet, in multa siti pauca excrementa fieri. His de causis si aluus adstricta sit, ante tertium vel quartum diem nil admodum eam soluere laborabis, nisi pectoris quandam angustiam senserint ægri, atque

Quinque de causis alu' sup. primitur in vulneratis.

atque tum etiam glande. vti sufficiet: quod si glandes nil promoueant, Cassiæ medullam, electuarium de succo rosarum, Diaphænicon vel Benedictam laxatiuam exhibebis: neque verò planè contemnenda sunt, apozemata & diluta, vt foliorum senæ, polypodij & similium, quorum descriptiones vt vulgo notas iam prætereo. Nunquam tamen naturam ad excretionem cogere, Clysteri vel simili aliquo remedio attentabis: neque enim vnquam tantum cogendo proficies, quantum natura per se efficere potest, viribus non plane destituta, itaque ne nimium præceps sis, in aluo mouenda moneo.

Vomitus vulneratorum.

Vomitus præterea vulneratis superuenit quandoque, qui quoniam & periculi minimum habet, & ferè vbi natura vires recollegerit solutur, nullam curationis indicationem propriam habet verum ne plane sine remedio sis, ℞ *fermenti M. i. succi menthæ cum aceto extracti q. s. coquantur in formam cataplasmatis vel Emplastri, calidum imponatur ventriculo, vbi refrixerit eodem succo rursum calefiat, finatur per tres horas à pastu.*

Vrinæ suppressio.

Similiter vrinæ suppressio ægris accidit, quam vt tollas, ℞ *lapi. cancrorũ, exhibe in succo vel aqua raphani*, quod si nõ perficiant, ℞ *croci q. s. factus sacculus imponatur inguinibus vel da glandes siccatas in pul. redactas in potu. &c.* Verũ de istis, ista scripsisse sufficiat, quod ea vna cum curatione vulneris per se abeant.

SECVNDI TRACTATVS CHIRVRGIÆ MAGNÆ PARACELSI, DE REMEDIIS VVLNERum, telorum, & Sclopetorum componendis.

CAPVT I.

DE COMPOSITIONE REMEDIORVM *præcepta generalia.*

ABSOLVTIS hactenus iis, quæ ad cognitionem ac theoriam curandorum vulnerum pertinebant, præscripta quoque generali diætandi formula, tum quo pacto symptomatis vulnerum succurrendum sit ostenso, tempus postulare videtur, vt tandem quibus remediis curatio absoluẽda sit aperiamus, quod priusquam aggrediamur, hanc generalem componendorum quorumuis remediorum methodũ obseruare conueniet.

Actio est anima medicamenti.

Quemadmodum in homine anima, qua tamen homo, homo est, inuisibilis existit, sic in medicamento, & corpus est medicamenti, & eius veluti anima, quædã actio seu energia, quæ etsi sine corpore nõ existit, (nã per corpus necessario agit) corpus tamen ipsum ad sanandũ nihil cõducit, nisi quòd actioni subest. Verum cùm aliquod corpus necessario adsit, videtur cuiusque medicamenti duo corpora cõstituẽda esse, purum alterũ, alterum impurũ (hoc illius quasi subiectum) in quorũ separatione, ars componendorũ medicamentorũ vniuersa constituta est. Separatio autem fit, non sine corruptione eius, quod est corporis, quã subtilis deinde præparatio (suo loco dicenda) cõsequitur. Obseruandum tamen, quædam medicamenta esse, quæ absque separatione, vel corporis corruptione adhiberi postulãt, quibus singularis quoque mistio conueniet.

Actio medicamenti in separato corpore. I. In suo proprio corpore. II. In alieno corpore. III. Ex præparatione nata. IIII.

Sunt & tertij generis medicamenta, quæ actionem suam in alieno corpore melius quàm in proprio perficiunt: horum ergo corpora permutanda erunt. Vltimum genus est, eorum quæ per se nullam vim vel actionem obtinent, subtiliore tamen præparatione adhibita, admirandas facultates nanciscuntur. Hæc noua videntur, ab antiquitate non recepta, magno damno & dedecore tamen ignorata: dum enim non considerant veteres, medicamenta quædam separatione, quædam subtiliore præparatione, quædam alienorum corporum inductione actiones meliores habere, imò omnino habere, duorum, trium, pluriúmue compositione, pueriliter defectum suũ sarcire conantur, quod tamen nunquam quisquam consequetur, manente eo quod est impuro corpore. Generalissimum itaque hoc sit medico in medicamentis considerandum, quanam præparationis formula medicamentum ad summum actionis suæ deduci possit, quod qui ignorat, subulcus non Medicus habendus est. Isto igitur canone obseruato, notandum deinceps est, CALORIS multas esse differentias: CALOR ENIM EST INSTRVMENTVM OMNIVM PRÆPARATIONVM, atque ob id singulariter contemplandus.

Calor est instrumentum omnium præparationum.

Caloris differentiæ.

Caloris differentiæ sunt ignis, sol, fimus, calidum innatum, &c. differentia autem in actione consistit: nam medicamento aliquo in cucurbita ad solem posito, alia erit eius vis, quàm si vel igne, vel carbonibus, vel in fimo præparatum fuisset, & vicissim. Sic aqua, sic arena, etsi ambo extrinseco calore agant, diuersimode tamen agunt quamobrem vt cuiuis medicamento competentem adferas calorem, hasce differentias studiosè notabis quas veteres medici dum contemnunt, vnico calore contenti, omnia permiscent, summa cum imis confundunt: tu caue sic agas, imò quæ ad solem pertinet, ad solem prepara: sic quod in Reuerberatorio parari debet, illic præpara. Sunt ex antiquis medicis, qui ab Alchymistis edocti, isthæc non planè intermittunt, sed quia fundamentis Chemicæ artis destituuntur, pauca suo loco agunt, nos in præsentiarum quantum ad curationem vulnerum pertinebit, commemorabimus, reliquia suis locis non omissuri, monentes interim, vt stultas pharmacopæorum præparationes abijciatis.

CAPVT II.

POTIONES VVLNERVM QVOmodo parandæ ac corrigendæ.

VVlnerariarum potionum vis ac facultas ea est, vt auxiliante natura, intrinsecus omne vulnus tã cæsim, quàm punctim illatũ percurare possint. Etsi enim natura per se morbos curat, tamen si confœderati medicis auxilijs adiuuetur (auxilia autem naturæ cognata sint oportet) facilè opus perficiet. Huiusmodi ergo auxilia potionum forma maximè commendantur: nam cùm natura vegetalia quædam habeat, quæ si in alia corpora redigantur & applicentur: vulnera curant, certè nulla meliore forma, quam in potiones redacta actionem perficient: etenim potionem natura ceu alimentum recipit, cui quæ inest medicamentosa vis

Potionẽ natura ceu alimentum recipit.

vis non respuitur à natura etiam. Vulnerariæ istæ potiones, quamuis omni ætate in vsu fuerunt, tamen pauci veterum ex legitimis simplicibus legitimè eas confecerunt, sed ferè pro more suo sordide ac oscitanter pararunt. Sciendu n. quoque huiusmodi potiones, non solum medicamenta, sed & alimenta esse, itaque eadem ratione licebit cibos vulnerarios parare, scilicet vt ea ipsa remedia, vna cum cibis percoquantur: verum quia tardius distribuuntur, & ferè ventriculi aliqua imbecillitas subest, omittuntur, mihi sanè non displicent, si ventriculus eos concoquere possit. Varietas potionum vulnerariarum ex ingredientium diuersitate desumitur, huius generis simplicium ferè centum numero sunt, quorum v. vel vi. circiter ad vnam potionem assumuntur, quarum vires in aliud corpus, vinum exempli gratia, traducendæ sunt, ante omnia tamen delectu opus est, quòd alia melius, alia celerius, alia deterius, alia tardius suam operationem perficiant. Est vero & alius quoque harum potionum vsus, quod ingruentibus malis ea occurrant: conseruant enim naturale temperamentum, omnemque intemperiem corrigunt: adhæc naturam sic alunt, vt planè nil ipsa præterea desideret, quod nullo extrinsecus adhibito medicamento quisquam effecerit, quamobrem huiusmodi cognoscendis, & legitimè comparandis, sedulam operam nauabit medicus. Vidi præter inferius notata, mirandos effectus consecutos esse huiusmodi medicamenta. Belgradi cum essem memini me vidisse Thracem seu Vualachum quendam, qui vnico haustu exhibito quoduis vulnus curaret, ego tamen cùm eius periculum facerem pro locorum ac temporis varietate non pepetuo valere didici. Sic in Croatia Zygum quendam (vulgo Zyginer) vidimus, qui cuiusdam herbæ succo in potu exhibito omnes punctutas, in quibus symptomata grauia nulla adhuc essent, sanaret. Stockholmij quoque in Dania erat matrona quædam nobilis, quæ omnia vulnera (neruorum vulneribus & iis in quibus ossa fracta essent exceptis) tertio haustu dato glutinaret, sed istis (quia ferè in simplicibus tantùm ac carnosarum partium vulneribus prosunt) medicus contentus ne esto, sed certiora inquirat. Obseruauimus veruntamen exorcistam seu Magum quendam ossium fracturas ac neruorum vulnera huiusmodi potionibus curasse, sed vbi rem penitus inspeximus, non potione, sed extrinsecus adhibitis remediis (suo loco dicendis) id eum effecisse cognouimus. Priusquam autem potionum formulas præscribo, simplicia ex quibus eæ parantur ordine annotare placet, notabo autem ea saltem, quorum ope omnis generis vulnera, quocunque tandem modo facta, curare possis.

Cibi vulnerarij. *Potionũ vires.* *Historiæ aliquot memorabiles.* *Magi cuiusdam mirandæ curationes.*

Sanicula alba.
Sanicula syluestris.
Alchimilla.
Dracunculus.
Ophioglosson.
Sapo.
Senecta Serpentis.
Trifolium.
Consolida media.
Telephium.
Pastinacæ satiuæ alterius herba.
Limonium vtrunque.
Mumia.
Sperma ceti.
Noctua.
Terra sigillata vera.
Rhabarbarum.
Buxi folia.
Cyclamen.
Peryclimenum.
Tuber.
Aristolochia.
Agrimonia.
Symphitum.
Persicaria.
Beta vtraque.
Pauonis pennæ.
Polytricum aureum siue Apuleij.
Lilium conuallium, id est, Ephemeron non lethale.

Præter cõmemorata simplicia, etsi plura sunt, sufficiunt tamen ista, quin hoc scire sat sit, inter iam dicta tria esse, quorum succo epoto, omnia vulnera ac puncturæ curentur. Item duo notata esse, quorum vtrunque prius aquæ intinctum, si vulneri imponatur, ipsum vulnus prius glutinari, quàm herbæ computrescant. Est & vnum ex his, quod ter potum vulnera, omniaque vulnerum symptomata glutinare, ac tollere efficax est sed ista admiranda naturæ cognitio non nisi laboribus cõparatur, estque secretior quàm quæ scriptis publicandã sit. Sunt & ex commemoratis, quædam quæ intestinorum vulnera non aliter quàm carnosarum partium vulnera glutinãt. Discendum itaque ac experiendum, strenueque laborãdum in horum inquisitione, quòd si ego ista omnia tibi communicarem, iniurius tibi forem. Sed ad descriptiones ac formulas potionum progredior, quibus si instructus fueris, Medici nomen magno ægrorũ cõmodo tuleris, &c.

Notandas. I. II. III.

PRÆPARANDI MODVS ANTIQVOrum, tum recentium.

SOlenne fuit antiquis potiones hasce ex vino ad tertias cum remediis cocto parare, stulta ac insulsa ratione, quòd scilicet gustus, facultas, & natura vini, huiusmodi coctura planè deperdatur: quod vt præcaueamus, vinum in cantharum cum remediis imponemus ac commissuris vasis, probè circumlitis in duplici vase decoquemus: sic enim de vini substantia, ac viribus non solum nil perditur sed & in illud omnis facultas herbarum decoctarum transit. Nostra hæc preparandi ratio eo nomine gratior esse debet, quòd eo modo paratæ potiones, non vt reliquæ tormina ac nauseam concitent: maximè si ex austeris vinis, qualia Kelhamium Tigurinum, ac Brigantinum sunt, parentur. Diligendum autem ad hanc decoctionem erit vinum antiquum, album, tenue. Vitandum vero rubrum ac crassum, quòd alienæ facultatis non facilè particeps fiat. Possunt vindemiarum tempore, sine coctura, potiones tales parari si herbæ

Error Medicorum. *Potiones vulnerariæ vt coquendæ.*

herbæ enumeratæ in musto deferbuerint, ac post tertium mensem, aliæ recentes impositæ fuerint, vt vinum omnem eorum qualitatem induat, quoddeinde absque vlteriore præparatione, potionis vulnerariæ loco dari poterit. Contingit quandoque vino nos destitui, vel patientes abstemios esse, vel aliàs vino facilè lædi, vti vbi caput grauiter vulneratum fuerit, in huiusmodi casibus parabuntur potiones ex herbis contusis & in cantharo, vt dictum est, in diplomate coctis: fundunt namque de se liquorem qui potionis vulnerarię loco esse potest, quia tamen fere ingratus est liquor, cinnamomum adiiciemus, tum gustus commendandi, tum restaurandarum virium gratia. Tres jam commemorati modi singulares, in omnibus casibus sufficere possunt, est tamen & quartus non minus elegans, cùm herbarum loco succi eorum in duplici vase, cum aromatis decoquuntur. Simili ratione alimenta vulneratis parabimus, si carnes vel pullos ac gallinas, &c. cum aqua quantum sufficit adiectis herbis vulnerariis in duplici vase decoxerimus; vel si aqua displicuerit, in vino decoques, ac gelatinam parabis: huiusmodi enim alimenta mirum in modum vulnerum glutinationem adiuuant.

Potionū sapor ingratus vt emendetur.

Gelatinę

FORMVLÆ POTIONVM VVLnerarium.

℞ Saniculæ, Vincæ peruincæ, Centaureæ Bethonicæ ana M. 1. Consolidæ regalis M.ß. Agrimoniæ M.2. decoquantur vt præscriptum est.

ALIA.

℞ Ophioglossi M.3. Alchimillæ M. 2. Vincæ peruincæ minoris M.1. Periclimeni M.1. ß. Rhabarbari ℥ 1. Rhapontici ℥ 3. coquantur vt dictum est.

ALIVD.

℞ Angelicæ ℥ ß. Mummiæ ℥ 1. Spermatis Ceti ℥ 2. glandium ℥ 2. Telephij M. 2. Ciclaminis ℥ 2. Limonij vtriusque ana M. 3. Vini quantum sufficit, fiat decoctio in duplici vase, potes si placuerit tertiam partem aquæ assumere.

Sunt & alij præparationum modi, si herbæ in aquis destillatis intabuerint, ac postea in duplici vase coquantur.

VT.

℞ Aquæ Limonij sextarium vnum, herbarum Limonij M.1. Diapensiæ M.ß. Vincæ peruincæ M. ß. fiat decoctio eo quo dictum est modo in cantharo.

Nobilissimæ vero huius generis potiones arte Chemica parantur, simili modo quo oleum arceutidum album conficitur, nimirum si iisdem herbę vulnerariæ iungantur: est namque in baccis iuniperi, singularis ac secretior quædam facultas vulnera respiciens, hic modus elegantissimus est, sed cùm hîc chemica docere non sit propositum, faciliorem, ac simplicem rationem parandi potiones ex baccis iuniperi præscribemus.

Baccarū Iuniperi virtus.

VT.

℞ Baccarum Iuniperi contusarum lib. 2. Limonij vtriusque, periclimeni radicis Diapensiæ albæ ana M. ß. Ophioglossi M. 1. ß. Symphiti aristolochiæ ana ℥ 5. Persicariæ ℥ 4. destillentur arte chemica, aquæ destillatæ rursus immergantur, herba dicta tum Baccæ Iuniperi cum cinnamomo, & fiat decoctio in diplomate vase bene occluso,

Similiter ex floribus vulnerariis cum Spica (vti oleum de Spica) paratur pinguedo quædam quę parua dosi, tam in cibo, quàm in potu sumpta, vulneribus prodest.

EXEMPLI CAVSA.

℞ fl. spicæ M.j. hyperici M.iiij. fl. Verbasci M.ij. fl. Bethonicæ, centauri minoris, Prunellæ ana M. ß. fiat more solito.

ALIVD VNIVERSALE.

℞ Rad. Symphiti ℥ ij. aristolochiæ ℥ iij. Calami aro: ℥ j. Ireos ℥ ß. herba vincæ peruincæ M. iiij. Saniculæ albæ M. ß. pennarum extremitatis caudæ pauonis ℥ ij. Myrrhæ, Masticis, Thuris, Mummiæ ana ℥ ß. Rhabarbari ʒ vj. coquantur in vino vel aqua destillata, vel succo Limonij, vel aqua communi, prout necessitas postulauerit. Hæc de formulis potionum vulnerariarum dicta sufficiant, quarum etsi apud quosdam plurimæ asseruentur, tamen præparandi inscitia in vsum non veniunt. Vix enim vllum remedij genus minus vsurpant Chirurgi istis potionibus, partim ob negligentiam, partim componendi ac præparandi inscitiam, cùm tamen tam certa ex iis speranda sit salus in puncturis. Dosis harum potionum ex viribus laborantis, tum ea ipsarum vehementia diiudicatur.

CAPVT III.

Vnguentorum vulnerariorum parandorum ratio.

Vlneribus curandis, vnguenta omni ætate adhibita esse experientia didicimus: nam vnguentorum mentionem apud antiquos fieri audias, cùm omnium reliquorum ne verbo quidem meminerunt remediorum. Istorum namque vsus vulgatus, & domesticus fuit semper: antiquitus enim nemo non ea domi suæ, ad vsum subinde asseruabat præparata. Illis autem temporibus ea, quæ corpus dabant duo tantummodo fuêre, Mel scilicet & Butyrum: ea autem vulgus, eo nomine præcipue delegerunt, quòd Apes ac Boues omne genus florum ac herbarū exugere & depascere viderent, existimantes (nec sine consilio) iis varias herbarum facultates communicari. Verum successu temporis, cùm sophistica Medicinam quoque inuasisset, isthæc quasi rustica & nimis simplicia contemni cœperunt: atque horum loco alia fucata magis, minus tamen vtilia substitui. Ego vero candide hortor medicos, hæc ne contemnant, quæ veteribus in vsu fuerunt, ac pseudomedicorum istorum fucatas compositiones, vt summas pestes defugiant. Et vt (quantum in me est) veterum compositiones in vsum reuocentur, ipsorum aliquot rescripta seu formulas in medium adferam, quod si non Græcorum, Arabum, Mauritanorum, ac Ægyptiorum vtar ingredientibus, non statim ea abiici velim: erunt enim illis, si non superiora, saltem viribus paria, & talia quæ vulgo succedanea vocantur. Ea autem quæ corpus constituunt promiscue assumere licebit, vt pro melle butyrum, & vicissim, vti occasio & tempus iusserint.

Vnguentorum vsus antiquus.

Corpus vnguentorū quę dent.

Antiquorum inuenta commēdantur.

Quid pro quo.

EXEMPLA.

Recipe Butyri maialis recentis lib. j. Arnoglossa, Limonij vtriusque, Betæ cum radicibus ana: M.j. Ophioglossi M.iij. contundantur & permisceantur cum Butyro, & insolentur per menses aliquot, pòst percolentur, ac seruentur ad vsum.

ALIVD.

Recipe Butyri maialis lib. iij. Rad. Symphiti maioris lib. j. Ophioglossi lib. j. ß. intestinorum terræ mundatorum lib. ß. Aristolochia rec. quartarium vnum, contundantur omnia & fiat pulticula. quam vel insolare, vel in fimo digerere, vel frigido aliquo loco, ad humiditatis separationem reseruare poteris. Huiusmodi compositiones plures passim existunt, sed istæ duæ ad quoduis vulneris genus curandum sufficient: quò autem diutius à putredine tuta sint vnguenta ista, butyrum aliquoties in aqua salsa lauare, vel salis modicum toti compositioni adiicere conueniet. Licebit etiam ex vnico medicamento vnguentum parare, vt ex Melle & Ophioglosso, vel floribus Hyperici, Butyro & Rad. Aristolochiæ, vel Symphiti maioris: in istis autem delectus adhibendus pro regionum & cœli varietate. Hactenus antiquitatis monumenta protulimus, sequitur recentior modus non minus elegans, à nobis primum inuentus & vsurpatus. ℞ *radices & herbas ex commemoratis, quæ placuerint, eas adhuc virides contunde in formam pulticulæ, postea affunde vini, tantum vt paululum supernatet, coque in duplici vase cantharo inclusa, per horas decem; dein exempta rursus commisce, & percola, ac adiectis mellificij apum recentis vel Butyri, quantum sufficit mixtisque omnibus imponantur in cantharum, & coquantur vt prius, cocta iterum percolentur, ac praelo exprimantur, denique Alembico induta insolentur, vsque ad iustam consistentiam, ac reseruentur ad vsum, & habebis vnguentum, in quo confidere possis, in summis difficultatibus: deligere autem poteris, vt efficacissima Rad: Symphiti, Aristolochia, Ophioglossum, Limonium, & intestina terræ.*

Vnguenta ne putrescant.

Vnguentorum noua compositio Paracelsi.

Collectica præstantissima.

Admiratione insuper digna est hominum antiquorum industria, in indagandis humanæ naturę conseruantibus remediis: nam singulis suarum regionum peculiaria simplicia in vsum adhibuerunt, hinc quidam Melle & Butyro relictis, Gummina & Resinam, pro vnguentorum corporibus receperunt. Resinæ autem cum diuersæ sint, alia aliis magis minusúe placuit. Quamobrem vt horum quoque rationem diuersitatemque cognoscas, paucas quasdam formulas exempli gratia describemus.

Vnguenta ex Resinis pręparata.

Resinarum nobilium apud Germanos duo tantum genera reperiuntur, Laricea & Abiegna, ex Laricea paratur vnguentum tale, vt:

Recipe Resinæ Laricea lib. j. albumina ouorum numero 20. agitentur benè, ac subigantur, fiat vnguentum colore subflauum, cui permisce pul. Rad. Symphiti maioris ℥ ß. aristolochia rotundæ ℥ j. farinæ hordei ℥ vj. subigantur omnia, & fiat vnguentum perfectum in omnia vulnera.

ALIVD EX RESINA ABIECTIS.

Recipe Resinæ abiegnæ lib. j. liquefiat paulatim, & à sordibus perpurgetur: pòst adiice medulla vituli parum, radicis symphiti, vel intestinorum terræ, tantundem, vel quantum sufficere videbitur: contundantur omnia, & permisceantur in mortario calido, & imponantur vulneri.

Alij quibus ista non sufficiebant, vnguenta parabant ex resina & cera, cum oleo temperatis, adiectis herbis, ac radicibus, omnibusque inuicem mixtis, sed ista quia vulneribus magis prosunt, alium in locum reseruabimus: tum etiam quòd cera ad corpus constituendum minimum virium habeat, eam libenter omittimus. Quę hactenus de istis vnguentis diximus, non paucos mouebunt scio: nam hoc mirandum est, Medicos minus quàm idiotas curando proficere, sed pseudomedici sunt non Medici, quos subtilitas seducit, cum simplicitate non minus efficere possimus: hinc rustici felicius curant, quòd simplicibus contenti sint; Medici verò dum subtiliora scrutantur, ex vno errore, in alium prolabuntur, maximè verò in præparatione peccant isti homines, quæ tamen vnica ferè in medicamentis consideranda venit.

Cera, ut dat bonū corpus.

CAPVT IV.

De oleis & balsamis vulnera curantibus.

Oleorum quàm Balsami vsus antiquior, compositioque simplicior existit: nam Balsami confectio Chemiæ singularem peritiam requirit, & ab Alchymistis primum inuenta est. Olea vero vulneraria ab antiquis dudum ante in vsum recepta sunt: nam cùm quibusdam vnguentorum forma ac mellis, corpus non vsque adeo placeret, de commodiore forma remediis cogitarunt, & an oleum facultates florum, radicum, ac herbarum, sic quoque combiberet periculum fecerunt, nec sine successu quidem: nam experientia edocti sunt, commodius hic quàm illic fieri posse, breuique tantum creuit horum oleorum vsus, vt omnia reliqua remedia in desuetudinem, ac contemptum venirent. Vbi ea in vsum adhibebantur, lauandum prius vulnus erat, pòst infundendum oleum, ac demum deligandum, huius curandi rationis Christus in Euangelica parabola, de vulnerato & Samaritano, meminit quoque, magno argumento huius artis antiquitatis & pręstantiæ. Posterioribus seculis Chemistæ cùm destillatis oleis, plus quàm simplicibus tribuendum putarent, reiectis simplicibus, destillata pararunt, & ob artificiosam præparationem Balsami nomine appellarunt: Quibus etsi plus virium tribuam quàm simplicibus, experientia tamen diuturna didici vulgatam Chemistarum destillandi rationem, per laterum commixtionem reprobãdam esse, & eam vsurpandam, qua sine omni admixtione aliorum corporum per Retortam destillantur: in quo opere perficiendo, accuratè spectandum, vt vbi Spiritus progredi, vel color olei in magis rubicundum mutari cœperit desistamus, ne alieno colore, vel sapore, aut odore ipsum imbuamus. Eadem ratione Chemistæ in olei Terebinthinę extrahendo peccarunt: nam illorum more paratum, calidius est, quàm vt carnis generationem in vulneribus promouere possit. Itaque si tu id parare velis, vti de oleis monuimus, destillabis, & habebis Balsamum nobilissimum pro neruorum

Balsami compositio ab Alchymistis primum reperta.

Oleorũ vsus vnde tantopere creuerit.

Olea vt adhibenda.

Balsami nomen vnde.

Chemistarum error in pręparatione Balsami.

Oleum Terebinthinę vulgare improbatur.

neruorum vulneribus curandis.

Attentatum quoque idem est in Gummi, cera, Resina, &c. destillandis, sed sine successu. Itaque huius formæ remediorum, quatuor sunt differentiæ: oleum scilicet simplex, & destillatum: item Terebinthina simplex & destillata, nos singularum specierum, quasdam formulas selectiores exempli causa annotabimus.

OLEVM ET TEREBINTHINA *simplex pro vulneribus, quæ & destillari possunt.*

Recipe Corporis, id est, olei vel terebinthinæ lib. j. fl. camomillæ Rosarum rub. prunellæ ana M. j. fl. Hypericonis M. iij. fl: centaureæ, chelidoniæ ana M. ß. mixta omnia ponantur ad solem per duos menses. Hoc oleo seu Balsamo mira præstantur in vulneribus præter omnem dolorem, si placuerit poteris sequenti anno, eosdem flores, in eodem oleo denuo macerare, & habebis medicamentum nunquam satis laudatum.

ALIVD.

Recipe Herbarum Ophioglossi, Limonij minoris, Agrimoniæ, Saniculæ ana M. j fl. Hyperici M. ij. rad. Symphiti M. ß. vermium terrestrium mundatorum numero 100. olei vel terebinthinæ, quantum sufficit pro maceratione omnium, sistantur ad solem, ad tempus legitimum digestionis, & vtere. Possunt istis oleis imponi quoque Mummia, Mastiche, Thus & Mirrha, sed in istis modus servandus est (quòd olea flores lubentissime recipiant: maximæ verò facultatis sunt flores Hyperici.) Quidam viride æris, limaturam ferri & similia (quæ tamen suis de causis mihi displicent) iniiciunt: ab istis vt tibi caueas moneo.

Fl. Hyperici commendantur.

Notare & hoc conuenit, semina earum plantarum, quæ oleis iniiciũtur, si contusa per hyemem calidiore in loco in oleis macerentur, ea multo efficaciora reddere.

Semina.

BALSAMI VVLNERARII FORMVLA.

Recipe olei oliuarum liq. ß. Terebinthinæ quartar. j. flor. Hyperici quantum sufficit ad implendum, florum Verbasci tertiam partem ad fl: Hyperici, Vini albi generosiss. sextarium vnum & semis, decoquantur ad consumptionem vini, postea ad tempus legitimum insolentur, Hoc Balsamo nunquam te sine mirando successu vsum tibi persuadeas. Quemadmodum diuersis temporibus varia remedia inuenta sunt, sic vernicis præparatio singulare remedium humano generi aperuit. Namque ij qui Fernicem parabant, eius experimentum vtile in Mammarum inflammationibus, & aliis vlceribus malignis, fecerunt: atque hinc vlterius progressi, enumeratis herbis ac floribus impositis, ad vulnerum curationem felicissime adhibuerunt hęc formula quia crassior, diuturniorem insolationem requirit: nihilo tamen reliquis deterior est, si Mastiche, thure ac Myrrha adiectis digeratur: & vbi aliquandiu in digestione perstiterit, Mumia quoque ei adiiciatur. Obseruandum quoque, Fernicem, si ex oleo vulnerario, cum vino, Carabe, ac Mastiche percoquatur, multò generosiorem reddi.

Fernicis vsus in vulneribus.

Mammæ inflammatio.

Progressu quoque temporis, nec istis contenti homines, medullas quoque cum dictis herbis permistas, ad solem in oleosam quandam formam reducere conati sunt, quod dum faciunt, alter alteram præfert aliis, tandem experientia edocti, humanam optimam esse, post hanc ceruinam, in harum defectu vitulinam præferendam didicerunt. Sic & axungiam seu pinguedinem animalium, simili ratione in olea resoluere optimo successu tentarunt, atque in hoc genere humanam primas tenere, pòst caponis & gallinæ non inutiles esse cognouerunt: inter pisces tamen nullius axungiam præter quàm Thymalli vtilem repererunt, ex qua præstantiss. oleum vulnerarium parari consueuit. Fernicem, cuius superius meminimus, si ex oleo vel Terebinthina destillatis confeceris, nobiliorem experieris, quod & hîc monere placuit. Formulas Balsamorum ac oleorum plures non describo, quòd sciam me præstantissimas omnium proposuisse, tu si alias desideres: obseruatis superioribus canonibus, facilè necessitate postulante eas conficies.

Humanæ medullæ vsus.

Axungia humana

Thymalli piscis axungia.

CAPVT V.

De vulnerum curatione per Medicamenta expurgantia (vulgo mundificatiua dicta.)

Qvandoquidem natura ipsa, Balsamum qui vulnera curat, interius in se reconditum circumfert, vt nihil præter mundationem, ad vulnus curandum deesse videatur: de ea quoque pauca admonere non inutile forsan fuerit. Videmus enim canes lingendo vulnera sua curare, nulla alia ratione, quàm quòd ea expurgent, quos imitati prisci homines, vulnera sua, manuum præcipuè, frequenti linctu pulcrè curarunt: verum successu temporis delicatiores facti, à linctu abhorruerunt, ac vrina vulnera lauare cœperunt: sicque carnosa vulnera facile curauêre: sed quia fœtorem vulneribus conciliabat, & frequentem deligationem requirebat, pigritia ducti, & hanc reliquerunt, ac ad vinum confugerunt, quod etiamsi non contemnendum esset, tamen in magnis vulneribus sufficere non poterat, tandemque ad aquam salsam progressi, eam vtiliter tum hominibus, tum bestiis adhibuerunt: verum ne hæc quidem diu durauit etiam, sed in eius locum successerunt sequentia mundificatiua.

Canes linctu vulnera sua curant.

Mundificatiua Varia. Vrina.

Vinum.

Aqua salsa.

Primum, in vino decoxerunt aliquas herbas vulnerarias, modico salis adiecto, eoque decocto, vulnus ipsum lauarunt, tandemque emplastri loco fauos contusos imposuerunt.

Alij aluminata aqua, adiecto pauco atramento, vulnera curarunt. Quidam succo plantag. ac Chelidoniæ pauco sale adiecto vulneribus medicari solent: sunt enim non paucæ herbæ, quæ solo succo vulnera glutinãt. Arabum vulgus sale cum melle ad vulnera sananda vtitur. Istiuismodi curationes etiamsi

iamsi tardè fiant, tamen, quia periculo ferè vacant, vulgò gratiores existunt, contempta interim pseudomedicorum curandi ratione. Sunt & alia, quæ secretiore quadam natura vulnera expurgandi prædita sunt, vti Persicaria, quæ si in aqua lota vulneri imponatur, ipsum sanat ex insita salis facultate, sed de ea plura in capite de operationibus cœlestium dicere animus est.

Persicaria occulta vi vulnera expurgat

Huiusmodi vilia remedia videntur, viles tamen operationes non habent, sed plus istis effeceris quandoque, quàm magnificis illis ac prolixis pseudomedicorum descriptionibus. Huius tamen te meminisse volo, hoc capite, notatam curandi rationem in iis tantum vulneribus sufficere, in quibus nulla grauiora symptomata ægros molestant, vel quæ nõ nimis magna sunt, nisi forsã æger optima sit corporis cõstitutione.

CAPVT VI.

De Emplastris pro vulneribus, & puncturis curandis.

EMplastrorum compositio, etsi ferè exotica simplicia requirit, nihilo minus tamen præstãtia apud nos fieri possunt emplastra, quod Diuina gratia, sic regiones omnes totius orbis inter se cõparatæ sint, vt altera alterius defectus facile restituat, ac cõpenset. Horum ergo compositionem in præsentiatũ docere placuit, quòd etsi iam antea enumeratæ medicamentorum formæ, ad omne vulneris genus tollendum sufficiant, tamen singularem quandam vim contra ingruentia symptomata emplastris inesse cognouerimus. Quoniam verò & nostratia quædam simplicia symptomatis non minus occurrunt, ea nos singulari libro paruæ Chirurgiæ descripsimus: hîc de Emplastris solum sticticis locuturi. Inuentionem & originem multorum remediorum, vti ad mechanicos artifices superius retulimus, sic in Emplastrorum inuentione plurima illis accepta ferimus: namque figuli Lythargiri vires, fabri ferrarij Crocũ Martis, ærarij fabri Squammam æris primum docuerunt, ac huiusmodi documenta, Experimenta vocarunt. Alchimistæ quoque mira istis in rebus didicerunt, ac docuerunt, expertique sunt, vt in Minio ac Cerussa, aliisque quæ hîc scribere nil opus est. Hos secuti philosophi, qui horum simplicium vires describere, & compositionem machinari ausi fuerunt: ac primum quidem ex cera & oleo simplicia parauerunt emplastra, quibus deinde (quod minimum efficaciæ iis inesse perspicerent) alia, vt Minium, Cerussam, rubiginem ferri, Squammam æris, ac Lythargirum, cæteraque similia adiecerunt, cerotaque confecerunt: postea cùm ne his quidem contenti essent, Gummina & Magnetem, quod attrahendi vi prædita scirent, cum sarcoticis pulueribus: vt Thure, Masticha, Myrra, similibusque admiscuerunt, sicque paulatim progressi, subinde meliora confecerunt, donec miraculosas etiam curationes istis emplastris præstarent. Verum sophistarum ac pseudomedicorum malitia hæc quoque tandem corrupta sunt & adulterata, quorum vt nequitia prodatur, antiquorum emplastra conficiendi rationem in publicum proferemus, indigna enim sunt, quæ diutius lateant: nam medicum à Deo ad salutem ægrorum, non pro thesauris reponendis, (quod pseudomedicis istis peculiare est, cre:tum scimus. Sed iam ad emplastra pergamus.

Emplastra Germanica.

Sticticum emplastrum aliàs pro punctura Germ. Stichpflaster.

Experimẽta Mechanicorum artificum.

Vulgatissimus emplastra conficiendi modus, apud antiquos fuit talis. *Recipe Ceræ lib. j picis Græcæ quartarium j. colliquatis inuicem, & adhuc modice calentibus insperge pul. rament. lap. Carneolæ, Corallij vtriusque Magnetis, Molybdenæ ana ℥ß. Carabe, Mastiches, Thuris ana ʒ vj. Myrrhæ, Mumiæ ana ℥ß. post adiectis ℥j. Terebinthinæ agitentur, dum refrixerint omnia, tandem malaxentur, pinguedine thymalli piscis, ac reponatur ad vsum.* Poteris hoc emplastro vti optimo successu, non in vulneribus solum, sed etiam in quibusuis vlceribus malignis.

Emplastra antiquorũ, parari solita.

ALIVD.

Recipe Ceræ virgineæ lib. j. picis Græcæ tantundem. Terebinthinæ quartar. j. colliquatis ad ignem insperge pul. Masticis ℥ iij. succini ℥ ß. stent ad lentum ignem quarta horæ parte, postea adiiciantur pul. Myrrhæ, Thuris ana ℥ ß. Mummiæ ʒ ij. Aloes Epaticæ ℥ j. ß. Camphoræ ℥ ß. agitentur probe, donec refrigescant omnia, tandemque iam dicta pinguedine malaxentur, ac reponantur ad vsum. Valet mirifice ad puncturas curandas. Aliud quod glandes, tela, ac armorum fragmenta extrahit. *Recipe autem Ceræ lib j. colophoniæ, picis sutorum ana quartar. j. liquefactis adiiciuntur Gummi Ammoniaci ℥. ij. Bdellij ℥ j. Magnetis subtilißme puluerisati ℥ v. succini ℥ iij. mixta omnia malaxantur cum oleo ouorum, ac reseruantur ad vsum in extremis, tum pro vulneribus perperam curatis glutinandis.* Præter iam dictam rationem, alius est emplastra conficiendi modus, scilicet, cum cerotis alia medicamenta adiiciuntur, eaque in emplastra rediguntur: vt sequitur.

Alius cõponendi modus.

Recipe Ceræ, Lythargiri, olei communis, ana lib. j. fiat Cerotum, cui adiice.

Ammoniaci, Bdellij ana ℥ ß. Galbani opoponacis ana ʒ. vj. dissoluantur in aceto, ac percolata, rursus ad iustam spißitudinem recoquantur, & cum ceroto, superius vnitis ac permixtis iniice, pul. Molybdenæ, Corallij vtriusque, Magnetis ana ℥ j. ß. Thuris, Mastiches ana ℥ j. Terebinthinæ ℥ iij. olei anethini ℥ ß. fiat emplastrum secundum artem. Vel.

Recipe Opoponac. quart. j. perpurget (vt dictũ est) ac cum Ceroto misceatur: tum ℞ Mummiæ ʒ iij. Aristolochiæ ʒ ij. Mastiches, Thuris, Myrrhæ ana ʒ ß. Terebinthinæ quartar. j. Olei Laurini ʒ j. Camphoræ ʒ ij. malaxentur oleo camomillæ, & fiat emplastrum. Vel. *Recipe Ammoniaci perpurgati ʒ v. sang. draconis ʒ ij. Colophoniæ ʒ iij. picis naualis ʒ j. Thuris, Mastiches ana ʒ vj. Myrrhæ ʒ j. Terebinthinæ ℥ iiij. malaxentur oleo laurino.*

Hactenus prosecuti sumus emplastrorum, tum inuentionis modum, tum duplicem componendi rationem, ea facilitate, tantoque compendio, vt iam cuiuis promptum sit, reiectis erroneis pseudomedicorum compositionibus, alias præstantiores excogitare. Ego certe præter dicta emplastra, longo vsu hoc quod sequitur comprobaui efficacissimum esse.

Recipe Ceræ virgineæ, olei vulnerarij nostri ana lib. j. ß. Lythargiri auri lib. j. plumbi loti lib. ß. fiat Cerotum, cui adiice Fernicis cum herbis parati (de quo supra) lib. ß. Terebinthinæ quartarium j. gummina ac pulueres superiorum descriptionum

Emplastra Paracelsi vnialia.

ptionum quæcunque placuerint, malaxentur cum Balsamo vulnerario, ac fiat emplastrum secundum artem. Alia præterea stictica emplastra, multa experientia comprobaui, quorum descriptiones, in secundum nostri operis tractatum de vlceribus reseruabimus, quòd ea non tam vulneribus quàm vlceribus curandis prosint. Decebat quoque emplastra pro depranatis, ac perperam curatis vulneribus sanandis describere: sed quia de iis copiose in minori chirurgia disseruimus, eò studiosum lectorem ablegamus. Cæterum obseruandum, mala, quæ istis non vincuntur remediis, alio modo possibile sit: namque ad impossibile non extendit medica ars, vt exempli causa, latentes tormentarios glandes, latentiaque tela, nec emplastris, nec aliis remediis extrahi posse scimus: ab istis ergo abstinendum. Hæc itaque de emplastris dicta sufficiant: nam de istis hoc certò polliceri possum, eorum vsu nunquam non optato fine potiri posse Medicum. Illud quoque in more positum habeo, vt emplastrum compositurus, prius Lythargiri satis magnam copiam cum Fernice ad horas 10. decoquam in massam, quæ in puluerem redigi possit, ex eaque Cerotum parem, hincque emplastra, eo quo meminimus modo.

CAPVT VII.

De pulueribus traumaticis.

TRaumatici pulueres, olim in vsum recepti sunt, à serpentum exemplo, quos quandoque dissectos, cùm semetipsos rursum conglutinare herbis quibusdam homines viderent (quas deinde ab effectu SERPENTARIAS vocarunt.) Eas herbas dein in puluerem redactas, ad glutinandas etiam abcissas corporis partes vsurpandas putarunt, puerili certè ratione, quòd rem male distinguerent: nam hominis partes, motus, atque vitæ principium non seorsim obtinent, quemadmodum in reptilium diuersis partibus fieri videmus. Ad hæc serpentes seipsos vel linctu, vel masticatis huiusmodi herbis impositis, curare supicio est: mirandis enim virtutibus à natura donati sunt. Quos etiam si Empirici studiosè imitari sunt conati, operam tamen luserunt: etenim viuum cum mortuo nullam planè communionem recipit: interim tamen dum in istorum inquisitionem intenti sunt homines, hoc repererunt Senectæ anguium mirificam quandam vim inesse ad vulnerum curationem: vt hinc non dubiam coniecturam facere liceat, serpentes magis senecta sua se curare, vel aliqua insita vi, quàm herbis, cùm id ante receptum sit, naturalem Balsamum vulnera curare. Hoc argumento ducti Empirici, Senectæ anguium (quod nullas alias huiusmodi herbas cognoscerent) suendorum vulnerum vim tribuerunt: nec istis contenti, alia quoque experimenta fecerunt: ea enim ætate, nullus erat fili & acus vsus in suturis faciendis: verum cùm & hanc suendi formam recepissent, nec ea tamẽ vtilis esset, perrexerunt alia, quibus labia vulnerum contrahendi vis esset, inquirere, tandemque voti compotes facti, pulueres ac succos tales repererunt, qui vulnerũ labia cõtrahendo sibi contigua redderent, naturamque in glutinando adiuuarent. Eo autem nomine pulueres isti potiores sunt habendi, quòd vna opera, summum, imum, ac mediũ vulneris, per eos natura glutinet, quod in potionibus, oleis, vnguentis, ac emplastris non præstare potest, sed saltẽ ab imo, & intrinsecus exteriora versus facere cogitur. Notandum vero, in vsu horũ puluerũ illud est: Quòd etsi eorũ operatio velocissima existat (nulla enim alia remediorũ forma citius glutinat) ab iis tamen abstinendũ esse, vbi symptomata aliqua grauiora vrserint, vtputa phlegmone, febris tumor durus, hæmorrhagia, &c. quòd istis scilicet actio medicamẽti impediatur: vel igitur intermittẽdi pulueres sunt, vel istis symptomatis prius incumbendũ. Pulueres isti in triplici differẽtia sunt: vel enim ob siccitatẽ constringũt, vt Bolus Armenus: vel alia de causa, vt Acatia, id est, succus prunorum agrestium immaturorũ astringunt, vel glutinis instar coniungũt labia vulnerũ, vt Tragachantũ. Nec verò bases solũ harũ compositionũ considerãdæ veniũt: sed & alia corrigentia & ingredientia, quæ naturali balsamo nutrimentum suppeditant. (Sequuntur formulæ triplices.)

I. *Recipe Boli armeni veri quartariũ j. dissoluatur in aqua Aluminis, quantũ sufficit, destilletur, dein alia superfundatur aqua, ac denuo elabicetur, iteretur que toties, donec Bolus in oleũ degeneret, qui ad Solẽ dein exiccatus, ac in puluerem redactus misceatur cum ℥j. Thuris, ℥ß. lap. Carneoli ʒj. Mumiæ: omnia in pul. redacta, bis quotidie vulneri inspergãtur, ac emplastrũ stícticũ superimponatur.* Valet ad vulnus sanandũ, & præcauẽda symptomata supradicta. Oleũ iam dictũ, quemadmodũ, & oleũ Saturni, & oleũ de croco Martis, ac de ære vsto tãtæ sunt efficaciæ, vt verbis exprimere non possim, præcipue in cauendis symptomatis.

II. Alius: *Recipe Acatiæ, succi Gallarũ immaturarũ ana partes æquales, coquãtur ad cõsistentiã Electuarij, pòst insperge pul. rad. Symphiti maioris octauam partẽ, coquantur in aqua aluminis, deniq; ad Solem exiccẽtur, redigaturque in puluerem.* Hoc puluere nunquam vteris sine emplastro: quòd de Symptomatis superuenturis periculum sit.

III. De Tragagãto quod diximus, exempli causa, verius diximus: nam in huiusmodi puluerẽ redigi nõ potest. Ego nõ raro & certe optimo successu, latomorum lutũ linimẽti instar vulnerib. adhibui, lutum autẽ Ægyptio more paratũ esse debet, scilicet, vt in humore actionẽ suam perficere possit. Soleo loco olei lini, oleũ traumaticũ ex oleo lini paratũ, tum loco calcis, Corall. alb. vstum recipere. Sunt & alij pulueres, qui etsi nõ admodũ artificiosi sint, tamen quia in aliorũ defectu vsurpari possunt, aliquas paucas eorũ formulas describã: non enim delector copiosis Receptarũ descriptionib. *Recipe Thuris, Myrrhæ, Masticis ana ℥ß. Corall. rub. ʒij. aloës Epat. ʒij descriptionis superioris pul. ad pondus omniũ fiat puluis.* Alius.

Recipe Acaciæ, succi Gall. immaturarũ, succi Saniculæ, succi Clematidis, succi Ophioglossi ana ℥v. exsiccentur ad solẽ, interim dum siccatur, adiice Gũmi Ammoniaci perpurgati ʒij. õnia exiccata redigantur in puluerem.

In vsu puluerũ horum præscribenda erit egris diæta ad siccũ declinãs, cum pauco potu. Cætera simplicia quæ vulnera cõstringunt, quia ferè arte Chemica parãtur, ad suũ locũ reseruabimus.

Sen. | Serpentariæ. | Senectæ anguium. | Puluerũ præstantia. | Puluerũ differentia triplex. | Lutum lapicidarum. | Victus ratio.

CAPVT

CAPVT VIII.

DE VVLNERVM CVRATIONE per cœlestes operationes.

Artes quædam Chirurgicæ, à primis Astronomiæ cultoribus inuentæ sunt; quibus admiranda (virtute æthera) in vulneribus præstabant. Verum ex post obitum antiquorum Magorum sic deperditæ sunt, vt vix aliqua vestigia supersint amplius. Ars autem cœlestium impressionum erat, vt actionem influentem in corpoream aliquam substantiam deducerent, in qua deinde vigeret. Res exemplo declaretur. Semen Rosæ, virtutem & naturam rosæ obtinet, nec tamen Rosa adhuc est, sed vbi ipsum in terram coniectum germinauerit tum demum Rosam producit. Eadem ratione cœlestes quædam virtutes ac actiones existunt, quæ in gemmas, quæ Peantides & Gamahij (alias gemmæ huyæ) vocantur à priscis Magis sunt seminatæ, hincque ortæ postea, non secus, ac semen quod ex arbore decidit ac regerminat. Hæc illa veterum Ægyptiorum, ac Persarum Astronomia extitit, qua gemmas cœlestibus virtutibus ornarunt. Neque verò ista statim adynata reputanda sunt: namque si cœlum pestem aliosque morbos nobis immittere credimus, cur non benignitas eius virtutes nobis communicari speremus? Similiter si in hominum corpora agit cœlum, cur non in lapides quoque tela sua torquere putemus? Huiusmodi cœlestibus spiculis plurimi tanguntur, quæ Magus qui firmamenti peritiam habet, facile si noxia sint deuitabit: vel si benigna fuerint, posito aliquo corpore eidem communicabit, vt iam illud corpus vim illius teli, seu influentiæ plane in se obtineat. Hinc reperti sunt apud Ægyptios lapides, qui gestati morbos quosdam efficerent: vicissim vero alij, qui eosdem morbos persanarent. Sic Gemmas Huyas, id est, Peantides vidimus, quibus sagittarij insculpti essent aduersus tela, quibus Enses aduersus vulnera valuisse. Magos etiam lapides, ad curandum febres efficaces reddidisse scimus: nec contra morbos solum, sed & vulnera, eorumque symptomata, hæmarhagiam scilicet, Sinoniam, conuulsiones ac Epilepsiam, pugnantes fecisse. Sed vt illa ætate, horum vsus frequens, & authoritas magna fuit, sic paulatim pseudo-philosophorum sophisticè adaucta, in desuetudinem ac contemptum venerunt, aliaque puerilia in horum locum sunt substituta.

Magica experimenta antiquitus excelluerunt.

Ægyptiorũ virtuosi lapides.

Peantides lapides contra vulnera vtiles.

Lapides autem isti, qui adhuc extant ab antiquis parati (quòd alius plane iam sit cœlorum situs ac influxus, quàm olim fuerit) non amplius tam sunt efficaces, quàm tum erant, quamobrem conuenit eos de nouo præparare.

Extant quidem magni veterum Centones in Medicina, Astronomia, rebusque naturalibus, sed nil nisi meræ nugæ sunt, & verba sine ratione: in horum locum præstabat, hanc artem maioris vsus ac certitudinis substituere: verum surdis fabula.

Ars magica quòd secretior esset, nec vulgaribus philosophis cognita, tum quòd non solum lapidibus, sed & verbis huiusmodi vires mirabiles ingenerabant, Magi, odioso vocabulo Præstigiatrix appellari cœpit. Nam imperiti harum rerum homines, qui tamen artis titulum sibi vsurpabant, ad artificiosas operationes Cruces, ac Exorcismos addiderunt: hinc deinde vulgus Magicę artis imperitum Exorcismis, characteribus, preculis, signaturis, aliisque friuolis rebus, eam vim tribuere cœpit. Verum aliter se res habet: nam constellatio, sub qua parantur lapides, ac verba, vires inducit, non Exorcismus. Hoc quoque errore ductæ Sagæ ac Striges, mulieres in eum, in quo adhuc versantur, errorem inciderunt. Exemplo, Deum naturaliter variis modis, facultates ac operationes rebus concedere docebimus. Quædam terræ nascentia præparatione adhibita, ad omne morborum genus Catholica remedia effici possunt, quæ deinde in substantia applicantur. Simili modo medica vis inest cœlo, quæ & ipsa tripliciter nobis communicatur. Primo per corpora terrestria, vt Persicariam vel Gemmas, vt Peantides vel Gammahy. Secundò per verba, vel scripta, vel pronunciata, non tamen scriptura verbo efficaciam dat, sicut nec terra Persicariæ, sed sola cœlestis influentia. Tertio operantur sydera per Fidem nostram, si cum cœlo ea concordet, nec de Incantatione hîc aliquid suspiceris: naturalis enim cœli hæc est actio, diuersa tamen ab actionibus Elementaribus. Sed de omnibus istis copiose in nostro libro Magico desseruimus. Admirari itaque amplius tantopere non debemus, cùm iam naturaliter ista fieri non negemus vltra, manifestum etiam est, Carneoli virtutes non à terra ortum ducere, sed cœlitus implantari, sic Saphyri, sic vngulę Onagri, sic cornu Monocerotis, plurimorumque aliorum corporum vires solummodo cœlestibus influentiis tribuendæ veniunt. Hinc illa dubitatio dissolui potest, cur idem remedium in morbo, diuersis corporibus non similiter efficax sit. Nam nõ omnes morbi cœlestes sunt: itaque vbi Elementares morbi sunt, Elementaria remedia, vbi cœlitus demissi, cœlestia adhibenda erunt. Patet ex hoc loco etiam, cur cùm tot aduersus pestem Experimenta habeamus, in paucissimis tamen ea prosint. Etenim vel cœlum adeo vehementer, ac quasi violenter agit, vel remedium est, quod contra cœlum non pugnet, sed tantum agit solummodo, quantum ex Elementorum crasi agere natum est. Opera igitur danda est Chirurgo, vt vires Gemmarum, herbarum, Radicum, ac seminum cœlitus infusas accurate cognoscat: nec horum solum, sed & characterum ac verborum quoque istis namque & glandes scloppetorum latẽtes, tum telorum ferramenta, quæ nullis aliis remediis cedunt, extrahuntur mirabili plane artificio. Nec quemque deterreat vulgi de istis opinio quòd præstigiatricem superstitiosam, ac prohibitam hanc artem proclamat, non inficias eo, exorcismos, cruces, &c. odium mereri: nam & ego ea ab arte exulare iubeo. Nam in Radicula operationem perfici sine exorcismo manifestum est. De istis hæc hactenus publici cõmodi caussa admonere placuit: quæ, etiamsi paradoxa sunt vera sunt tamen & perfecta: omne enim Perfectum à Deo, à quo omnia sunt creata, & sine quo nihil existit.

Ars Magica cur male audiat.

Exorcismi improbantur.

Persicaria et Catholica remedia.

Magicus liber Paracelsi.

Pestis cur tot antidotis non cedat.

DE SVBLIMATIS QVIBVSDAM AC *destillatis ad vulnerum curationem pertinentibus.*

CAPVT IX.

[illegible]

CHemicam artem ad naturę defectus sarciendos inuentam esse, nemini dubium esse putamus. Nam natura etiamsi præstantissima plurima suppeditet remedia, quædam tamen produxit imperfecta, ac cruda, quibus perficiēdis separatio adhibenda est, qua purum ab impuro liberatur, vt tandem vires suas perfectè ostendere possit. Hanc artem sic callere Chirurgum volumus (vti sutorem rationem atramenti parandi scire oportet) quam nisi sciat, Chirurgi nomen nunquam merebitur. Plurimum namque refert quomodo medicamenta præparentur, vtque ad summum actionis gradū perducantur: etenim non quemadmodum res est, sed vti esse debet (id est, perfectiss.) vsurpanda venit. Deus enim non vult tam oscitanter Medicinam tractari, ipse quidem Remedia creauit, sed à nobis præparari voluit. Siquidem in labore ac sudore faciei pane vesci nos iussit. Itaq; ars Chemica non repudiāda erit Chirurgo.

Posito nunc eo, medicamentis præparationem adhibendam esse. Notandum, quòd etsi præparationis modi plurimi sint, duos tamen Sublimationem ac Destillationem ad vulnera curanda sufficere. Nam etsi Reuerberatione, Calcinatione, ac Dissolutione magna vis medicamentis accedat, Arcana tamen illa, quia ad alias curationes referuntur, alibi scribenda sunt. Paucas harū descriptiones hic annotaturus sum quòd paucus earū hactenus vsus fuerit, & apud vulgus ieiuna experientia. Nam donec Medici, pharmacopæorum præparationibus contenti erunt, nil laude dignum vnquam proferent. Et Alchymistæ (nam isti admiranda experiuntur) dum morborum cognitionem sibi comparauerint, nil suis remediis etiam præstantissimis, efficient. Omnino enim coniunctas artes esse oportet Medicinam & Chemiam, si modo fructum aliquem inde speramus. Sequentibus igitur verbis sedulo animum aduerte. Antimoniū itaq; miranda virtute pollet in sanandis vulneribus quibus Carcinomata, Fistulæ, ac Syreon, &c. complicantur. Cuius secretū quia penes me est (non enim puto extare in istis casibus, præstantius, nobilius, certius aliquód remedium) publicare non dubitaui, verum quoniam praxis difficulter scripto profertur, moneo vt præparandi modum apud Chemistas addiscas: nam te indignum foret, præmansum mandere. Videbis illic ex lib. j. parari ℥ ij. olei Antimonij. Recipiūt autem illi Antimonij lib. iij. Salis gemmæ in calcem redacti tantūdem, destillant per Retortam, in Athanar, id est, igne fortissimo per 3. dies, & 3. noctes, & prodit oleum rubicundū Antimonij præstantissimū, artis Chemicæ secretū nunquā satis laudatū, in desperatis vulneribus. Ab huius tamē vsu abstinendū, vbi non cōplicata fuerint, Carcinomata Fistulæ, &c. Similiter Venerē sublimatione tātas vires acquirere experti sumus, vt iam cū Antimonio de præstantia certare audeat. Eius præparatio talis est: Venus cū Mercurio, in calcem redigitur, calx deinde aquæ fortis aliquantum cōbibere sinitur, pòst denuo exiccatus, cum duplo salis communis in Reuerberatorio sublimatur, & ascendet puluis viridis, leuis ac subtilis, qui in vulnera inspersus emplastro stictico imposito, omnia vulnera curat, quibuscunque tandem malis ea granata sint. Huiusmodi virtutes pluribus aliis Metallis, ac Mineralibus insunt, quæ sola præparandi ignorantia ignorantur: quàm vero Medico turpe sit, ista ignorare, quilibet ipse iudicet. Hinc certè medicinæ contemptum originem duxisse certum est: hinc Medici præstigiatores ac improbi homines habiti sunt. Incumbendum igitur omnibus in id est, vt suæ artis perfectionem sibi proponant, quam studio, opera, ac sedulitate se cōparare posse sibi persuadeant. Ante omnia verò experientiam comparent, qua si destituantur, & artem & Artificem contemni sciant: comparabunt autem eam non in anilibus artibus, sed in præstantibus illis, quales de Venere & Antimonio annotatæ iam sunt, tum in iusto adhibendi modo: nam ridiculum est præsentibus nobilissimis remediis eorum genuinum vsum ignorare.

Alchy. [illegible] Medici, Medici [illegible] Alchy. [illegible]

Destillatio Antimonij.

Sublimatio Veneris.

DE SANGVINE SISTENDO *in vulneratis.*

CAPVT X.

Quæ cōsiderāda antequā sanguinē sistas.

SAnguinis fluxum prohibiturus, ante omnia ægri complexionem, naturam, venarum situm, tempus, horam, iram, vulneris dispositionem, &c considerabit, nam si in sano corpore, quanto magis in ægro hæc cōtemplanda erunt: siquidem quandoque contingit, vt huiusmodi fluxum sistere impossibile sit: quod si quis eum violenter supprimere conetur, symptomata aliquod accerset, hemorrhagia lōgè grauius, quamobrem in istis casibus naturalis virtus omninò spectāda erit. Cōmune itaque axioma Medico obseruandū: quòd sublata causa, tollatur effectus. Quare si EX IRA vel VENERE hemarrhagia concitata sit, cùm in huiusmodi dispositionibus natura remedia respuat, Iracundiam ac appetitum prius sedare necesse habemus. Si motus causa, sit quies, sit repletio, inanitio imperāda erit, sicque semper contraria dispositio inducenda, quemadmodum si cælestis constellatio in causa sit, eam prius finiri oportet. Nisi enim ista prius curentur, lethales fieri possunt hemarrhagiæ. Nemo eum curabit, qui ipse curari non vult: nemo cuiusquam iram sedabit, nisi ipsa remittat, & sic de aliis: res exemplo clarior fiet. Ebrius si vulnus accipiat, vapores tum magis caput petunt, capitisque venas replent, & ipse sæuit magis: Ebrietatem tamen nemo est, qui interim curare possit. Et per consequens hemarrhagiam ab Ebrietate natam curare difficile erit. Ista Chirurgos obseruare decet, ne impossibilia & arti & naturæ polliceātur. Ex dictis colligitur sanguinem nunquam sistendum, vel sistere attentandum, vbi ex commemoratis causis fluxerit: nam hic nec amuleta, nec characteres, nec cauteria, nec deligaturæ quidquā prosunt. Et etiamsi nonnunquam sistatur sanguis, vel grauiora symptomata ingruere, vel tabem, aut paralysin mēbri subsequuturam esse sciendū erit. Si enim in sanis venæsectio inconcinna, paralysin, tabē, atrophiā, &c. efficit, an nō in vulnerib. idem fieri credamus? Vulnere vero sanguinem profundente, vbi ista mala non adsunt, sistere ipsum licebit, nec tamen prius, quàm iustam aliquam sanguinis copiam profuderit: eam autem quanta

Hemarrhagiæ lethales.

Sanguis in quibus sistendus, vel minus.

quanta esse debeat, diuturna experientia te docebit. Et vt summatim dicam, quando & quomodo sanguis sistendus sit, scias, omnem eam mensuram, in medicamento, vulnus curante sitam esse, siue oleum, siue vnguentum, siue emplastrum, siue tandem Balsamus illud sit: nam ipsum si legitimum sit, sanguinem tum demum fluere prohibet, vbi eius quantum satis est profluxerit. Nam omnia quæ hic fiunt suo marte salubria, quæ coacte, periculosa putanda sunt.

Plethoricorum euacuatio per fluxum sanguinis.

Accidit quoque non raro, vbi corpus plethoricum est, non prius sanguinem sisti, quàm plenitudo ad vasa euacuata sit: item in calidiore temperatura, idem quandoque euenit. His in casibus, supprimere nec difficile, nec periculosum est; quod si non succedat, cogere etiam licebit, quòd inter duo mala, mortem scilicet & periculum minus malum deligendum sit: facilius enim remedium contra symptomata, quàm contra mortem reperitur. Ante omnia verò membra calida seruare, & ambientem frigidum deuitare, semperque Emplastro stictico tectum seruare vulnus conuenit: ipsum enim & symptomata præcauere, & sanguinem, vt facilius sistatur temperare efficax est. Notandum quoque si casu varices, aut alioqui intortæ venæ aperiantur, nil admodum de sistendo sanguine cogitandum esse, quòd huiusmodi euacuatione plurimum prauorum humorum natura deponat. Memoratis conditionibus obseruatis, si ars iubeat hæmorrhagiæ occurrere, etiamsi plurima sanguinem sistentia ad manus sint, tu tamen vt summam spem in Stycticis emplastris reponas moneo. Cæterum (vt & hoc moneam) in temperatis corporibus, nunquam sollicitum de istis esse oportere, cùm natura per se sanguinem vtilem reseruet, extra dubium esse putamus.

Varices si sanguinem fundat quid agendũ.

SEQVITVR SIMPLICIA SANGVInem cohibentia.

1 Crocus Martis subtilissimum: Reuerberatus.
2 Æs vstum instar Croci Martis paratum.
3 Farina volatilis inspersa, vt cum sanguine mixta obstruat.
4 Pili leporini, & præcipue sub cauda.
5 Muscus craniorum cadauerum.
6 Carneolus suspensus vel in manu detentus.
7 Cinis Ranarum.
8 Hæmatites lapis.
9 Dysenterica remedia.
10 Lana seu Xylon in putamine nucis alligatum vulneri.

Characteres sanguinem sistunt.

Qui istis remediis non cohibetur sanguis, præcipue vero duobus prioribus, difficulter vel nunquam sistitur: quamobrem tum nil tentandum vlterius, sed expectandum donec vltrò fluere desinat.

Neque interim contemnenda erit cœlestis operatio, quæ characteribus perficitur, quam in extremis tentare quoque licebit. Obseruandum & illud est, si dum sistitur sanguis ad interiora confluere velle videbitur, statim à proposito discedendum esse, ne forsan abscessus circa interiora fiant. Hæc hactenus de hæmarrhagia sistenda dicta sufficiant, quam facile colleticis remediis consequi licet, etiam cõsentiente natura.

DE SINONIA SEV FLVXV GLVtinis albi sistendo.

CAPVT XI.

Fluxus iste duabus de causis in vulneribus accidit: vel enim ægrorum libidine ac inobedientia concitatur, vel Chirurgi errore, tum in medicamentis, tum in deligaturis cõmittitur. Hasce ergo causas si vel prohibuerimus, vel emendauerimus, fluxus iste facillime præcauebitur: sin iam adsit instar sanguinis fluentis, de quo iam dictum est, sistetur: si enim commodis remediis adhibitis apta deligatura fiat, facilè natura ad officium redit, ac ad pristinum statum reducitur. Hinc discas licet quæ medicamenta Chirurgici remedij nomen mereantur: nempe ea saltem, quæ non solum vulnus glutinare, verum & omne genus symptomatum, ac fluxionum arcere possunt. Experimenta ac formulas remediorum, quibus fluxus iste cohibetur, quia passim descripta reperiuntur, annotare intermitto, tum quòd plerunque fallacia sunt, tum quod ego plus spei in traumaticis oleis, vnguentis, ac emplastris ponendum putem. Quod ad causas & symptomata huius fluxionis attinet, idem de iis iudicium est, ac de fluxu sanguinis: itaque similis consideratio naturalis potentiæ tibi incumbit. Cætera quæ ad hunc locum pertinent, alibi copiosius descripsimus. Prognosticon fluxus Sinoniæ, nisi ante statum sistatur, atrophiam, ac paralysin membri facit. Quod succinctius de hisce scribam, nec operandi modum mihi notum ac familiarem ostendam, ne mireris: nam res non periculo vacat, siquidem enim omnis salus in medicamentis sita est illa, vt tibi compares moneo: nam illis omnia effeceris, sin his destituatis, malum ægro conciliabis. Itaque non de singularibus experimentis, quæ fluxum hunc sistant sollicitus sis, sed de iis tibi prospicito, quæ præter hoc, & vulnus ipsum curare queant.

Deligatura præstantium facultas.

DE CALORE, FRIGORE, phlegmone, tumoribus, duritia, decoloratione partis, carne supercrescente, vulnerum scilicet symptomatis compescendis.

CAPVT XII.

Frequens admodum hactenus facta est mentio symptomatum, quæ vulneribus superueniunt: ea itaque quomodo declinanda vel compescenda sint, præsenti capite edocere proposui. Vulnera siquidem placidissima, & aspectu laudabilia, etsi imperitis medicis periculo vacare credantur, talem tamen semper diathesin obtinent, à qua facilis ac præceps in deteriora lapsus sit. Etenim vniuersali corporis harmonia oblæsa, certe speciales integras manere incredibile est: nam exempli causa, si quis sympotas plures irritet, is & totum conuiuium dissoluit, & compotorum quemque ad iram concitat: sic gladius tum totius corporis, tum singulorum membrorum harmoniam ac tẽperiem corrũpit: nam & hic, vti in exemplo diximus,

diximus, singulæ partes per se fremunt. Sed vt-ut sit, cuique vulneri malitiam coniunctam esse, etsi plane aliàs symptomatis vacare credatur, putandum est. Quia ergo vulneribus ex huiusmodi agitatione congenita quasi malitia communicatur, de ea breuiter quædam admonere haud inutile fuerit, quo vulneri ab ea cauere possitis, huius itaque malignitatis, etsi variæ sint species, nil tamen artificiosa distinctione opus est, generaliter ea cognouisse sufficiat. Cognoscitur autem multa obseruatione ac inspectione: aliam enim cognitionis formam meliorem nullam scripto exprimere possum. Symptomatum summa genera tria sunt, ad quæ omnia cætera tanquam ad capita referuntur: Phlegmone, Spasmus, ac Caro luxurians, ea vero non solum per vim illatis vulneribus, sed & studio factis, vt quæ à Lythotomis in Hernia, ac calculo vesicæ curando fiunt, (quin istis maxime propter loci, ac partis naturam ac situm) superueniunt. Ad * Phlegmonem tanquam ad caput, & calor & frigus referuntur, quibus dein durities ac decoloratio subsequuntur, omnibus istis vnica curatio competit, quæ in generalem vulneris sanationem includenda venit. Curatio horum etsi multifariam ab aliis pertractata fuit, ferè tamen erroribus scatet. Nostra ratio excellentissima est, quæ per Iusquiamum absoluitur, vel papauer, aut Lolium. Etsi enim Hyosciamo plurimum tribuam, nil refert tamen eius loco ista sumere, pro conditione scilicet & occasione ægri, ac remediorum. Scio hæc nostra mitigantia paucis placere, sed alios ego non curo: experientia enim didici, sine istis non placari naturam.

*Intemperiei [illegible]

Intemperiei calidæ curatio.

Nam huiusmodi in casibus natura parum admodum, præter quietem, ac doloris sedationem postulat, itaque vt naturam adiuues, ægro somnum procurabis: is enim dolores compescit, vti & in ebriis ebrietatem edormiri videmus. Canon curationis huius est, vt membro quies, corpori somnus concilietur. Formula vero remedij talis.

Somnus dolores cōpescit.

Recipe Rad. Hyosciami quantum sufficit digeratur in aceto rosaceo ad Solem, fiat epythema, in eo madeant petiæ lineæ, imponantur loco dolenti tepidæ, donec dolor quieuerit. Ego Iusquiamum cuius vires mihi perspectæ sunt, maxime commendo, possint qui volunt eius loco alia anodyna recipere.

Epythema anodynum.

Spasmus insuper (cuius meminimus) frequentissimè vulneribus complicatur, quem per ea quæ neruos confortant pellere poteris, inter quæ primum locum obtinent oleum Terebinthinæ, (quod primò profluit) tum oleum oliuarum quibus locus affectus & partes adiacentes perungi sedulo debent.

Spasmus vt curetur. Olei Terebinthinæ vsus.

Luxuriantis præterea, seu supercrescentis carnis memini superius, non quòd ei singularem curationem deberi putem, sed vt aliorum ea in re errorem detegerem: cùm enim illa non permanentem dispositionem habeat, sed vltrò siue ob medicamenti vim, siue ob ægri plethoricam constitutionem fiat, abeat ac absumatur, nil opus est, eam singularibus remediis absumere, quod tamen pseudomedici stulto proposito attentant, per Corrodentia medicamenta, quorum cùm maligna natura sit, actio quoque violenta & naturæ inimica existit. Quidam alumine vsto, alij vitriolo, nonnulli Auripigmento, sunt qui Mercurio sublimate ad eam rem vtuntur. Sed hoc efficiunt isti carnifices, vt dum carnem arrodunt, tantam malignitatem vulneri concilient, vt postea vel nunquam, vel difficillimè curationem recipiat. Ego de his hoc præceptum do, vt vbi huiusmodi caro, vel Sireon ortum habuerit in vulneribus, siue ex plethora, siue alia de causa, iuxta receptas hoc libro annotatas, eam tollatis: sic enim nec dolore, nec periculo ægrum cruciabitis. Cætera symptomata vel sub iam dictas regulas referuntur, vel iuxta canones x. & xj. capitum curantur.

DE MEDICAMENTORVM Delectu, & adhibendi modo.

CAPVT XIII.

Medicamentorum vsus non solum in legitima adhibendi ac deligandi ratione, sed & in optimorum aptorumque artificioso delectu consistit, de quo etsi sæpius hactenus, nunquam tamen ex professo dictum sit, pauca quædam scribere constitui.

Obseruabis itaque remediorum profectum, hunc in modum. Si ex imposito medicamento, dolor ac alia symptomata, præter ea quæ vulneribus necessario superueniunt, accrescant, statim illud amouendum scias, verum distinctione hîc opus est: accidit enim frequentissime ex inconcinna deligatura, dolores ac symptomata excitari: quare tum non medicamentum abiiciendum erit, sed expectato deligandi iusto tempore (quod ferè xij. horarum est,) ligatura emendenda. Dolores enim si quid aliud studiosè præcauere Chirurgum decet: semper namque mali quid portendunt.

An vtile sit remediū quomodo cognoscatur.

Dolores semper sunt mali signum.

Sæpius etiam monuimus hactenus, puris generationem, ac fœtorem in vulneribus prohiberi debere, quod certè non nisi per medicamenta fieri poterit. Itaque si ista generari videbimus, medicamenti vim intendendam esse coniiciemus: nam pus ac fœtor eo generatur, quòd ipsum medicamentum à malo superetur ac euincatur. Quinetiam si in deterius prolabi vulnus videatur, de immutando medicamento cogitandum erit, namque mutationes eiusmodi si fiant in vulneribus, certissimum sunt superuenturi symptomatis signum: hinc nisi medicamentum prospere agat, mali quid suspicari possumus. Quapropter obseruandum, quòd oleis traumaticis confidenter vti liceat, quòd eorum vsum fœlicissimus in huiusmodi malis consequatur successus, similis quoque efficacia est potionum traumaticarum, maximè vbi eæ ex iis simplicibus paratæ fuerint, quæ omnia membra respiciunt, ac anodyna sunt. Vnguenta operationes quoque non vulgares obtinent, verum in iis deligandi tempus xij. scilicet horarum obseruandum erit, sed viij. horæ quandoque sufficiunt etiam. Catholicum autem hoc esto in omnibus remediorum formulis, vt ea quæ vulneri aduersari videbuntur, remoueantur, atque si refrigeratione vulnus opus habebit, vt refri-

Pus ac fœtor in vlceribus vnde sint.

Refrigerantia remediis omnib. adiungenda.

refrigerantia ipsi remedio admisceantur. Nam etsiamsi (quod verè dicere possum) omnium præstantissima remedia hoc tractatu descripta sint, qualia vix tota Europa inueniatur: tamen tam vniuersalia esse non possunt, quin quandoque vulneri aliquid accidat, quod ipsa compescere nequeant: maximè vero in omnib. refrigerantia desiderari manifestũ est. Quin nec illud negauerim, alios oleis, alios vnguentis, alios Emplastris, alios potionibus, alios balsamis, alios sublimatis ac destillatis, alios cœlestibus impressionibus magis obedientem naturam obtinere: atque hinc singulas singulorum naturas spectandas esse, nec statim pronunciandum istis hoc profuit, ergo huic conducet: nam quemadmodum, hominum varia temperatura existit, sic Deus Opt. Max. multa remediorum genera creauit, quibus medicum animum aduertere oportet. Idem intelligendum de iusto medicamentorum exhibendorum tempore, tum ægrorum ad perferenda medicamenta dispositione, in quibus omnibus considerãda morbi cum remedio, tum nutrimenti cum medicamento conuenientia ac vnitio, vti & puris, fœtoris, ac verminationis generatio prohibita, mirificam in operando fœlicitatem præstant. Cætera hanc rem concernentia suis locis commodè absoluentur: hîc tria Capita obseruanda. I. Ægri cum medicamento conuenientia. II. Deligandi ratio respectu excrementi. III. Puris, fœtoris, doloris, ac similium præcautio: ista tria namque rem totam absoluunt, vt negotium nulla iam vlteriore declaratione indigeat. Vnum restat notandum, si in profundioribus punctionibus ac vulneribus, pus colligatur, Lauamento illud expurgandum esse: parato scilicet ex vino, Myrrha, & Sale coctis, ac per syringam iniectis: iniecto autem lauamento, vulneratum membrum pronum æger habebit vt pus effluere possit, ne forsan interiora rodat: verum artificium hoc, experientia artium magistra docebit.

In remediorum adhibitione tria spectanda.

Lauamenta.

SALVBRIA AC INSALVBRIA *Vulnera, quomodo cognoscenda sint.*

CAPVT XIV.

Fortunæ rota.

QVid casus ac fortuna in vulneribus possint, non alienum esse à Chyrurgia consideratione putamus. Fortunæ enim rota, cœlestibus motibus, signis, ac astris subiecta est, sic, vt omnes ipsorum operationes excipiat, siue eã à retrogrado, siue progrediente motu, siue bonæ, siue malæ imprimantur. Vicissim nos in terrestri globo, motu, illi motui aduerso mouemur, occurruntque nobis varia atque diuersa, à quibus alteramur, motus autem iste alius est à vulgari illo Astronomorum motu.

Itaque si quis vulneratus sit, si mala aliqua fortuna superueniat, vulnus magis infortunatum efficietur: nam quemadmodum ventum morbosis magis noxium videmus quàm sanis, sic constellationes vulneratis quàm sanis plus obesse iudicandum est. Vocamus autem huiusmodi constellationum aduentum, FORTVNAM, vel INFORTVNIVM: nam ista non necessariò, sed quasi casu eueniunt, quòd scilicet bonum bono, malum malo vel bonum malo, fortuito iungatur. Itaque vulnera sub Geminis, Virgine, Capricorno inflicta, deterrima sunt: minus noxia quæ sub Tauro & Leone, pòst sub Ariete, inde sub Aquario, Piscibus ac Cancro accidunt. Omnium verò saluberrima sunt sub Libra, Scorpione, ac Sagittario accepta.

Fortuna quid Paracelso.

Signa cœlique salubria, insalubria, & neutra sunt effectu.

Sic horę planetariæ, siue inæquales quæ vocantur diuersæ sunt, salubritatis respectu: nam Solis hora omnium saluberrima est, pòst Iouis, hinc Veneris, dein Mercurij, postea Martis: insaluberrima autem Lunæ ac Saturni horæ existunt.

Planetariæ horæ.

Vulnera verò quæ post Nouilunium fiunt, si sub Hypochondriis sint, deteriora sunt, quàm quæ Luna plena accidunt: quæ verò supra diaphragma sunt, meliora sunt crescente, quàm decrescente Luna. Sic nocturna diurnis, pomeridiana antemeridianis periculosiora habentur. In mensibus, Martio, Aprili, ac Augusto malignitas summa; Maio ac Iulio salubritas primaria, reliquis omnibus mediocritas tribuitur. Istæ conditiones eo nomine accuratè notandæ sunt, quòd per eas vulnera etiam placidissima, læthalia euadant. Infortunia hæc tamen facilè deuitabuntur, legitimo vsu nostrorum remediorum, quæ præsenti tractatu annotauimus. Sin vulgatis pseudomedicorum formulis vti pergas, non solum non declinabis isthæc mala, verum maiora etiam capiti ægri accerses. Itaque fortuna ac infortunium ratione temporis quomodo accidat, exemplo disce. Viator, dum in itinere est, malis simul ac bonis expositus est, quæ vel nolens si occurrant, recipit, quæ si non iter faceret, nunquam occurrerent. Similiter astra, tempus, ac motus nobis occurrunt, prout nos sub iis versamur ac deprehendimur, vnde dolores, symptomata, aliaque mala oriuntur: quibus omnibus Chirurgum intentum esse oportet, ne res inter se confundat, remediaque præstantissima aliàs, contemptui exponat. Non solum enim is Medici nomen meretur, qui simpliciter curare nouit vulnus, sed is potius, qui omnia quæ vulneri accidere possunt, futura præcauere, vel facta tollere potest. Sed istis dum vulgus animum non aduertit, in facultatem medicam ea relata sunt, vt iam omnia ista penes Medicos esse, vel ad Medicos pertinere credantur, verùm tantum abest, vt hæc cognoscant isti medici, vt nec scripto, nec opere Medicos se esse testentur, vt Chirurgos & Tonsores taceam interim.

DE CLAVDENDO VVLNERE, *ne aperiatur amplius.*

CAPVT XV.

VVlnus simplex, quod in carnosa tantum substantia consistit, glutinare facillimum est, paulò difficilius glutinantur, quę in neruosis ac osseis sunt partibus. Id verò difficillimum est, quæ vulnus comitantur, eique superueniunt, curare ac præcauere posse: hinc enim perfecti Medici titulum consequi licet. Quoniam verò multa hactenus symptomatum mentio facta est, præsenti loco ea quæ vulneris ad cicatricem perductionem impediunt, vel consequuntur, commemorabimus.

Artis enim est, vulnus sic claudere posse, ne fungi, atrophiæ, vel rupturæ subsequantur, de quibus malis præcauendis, (quoniam nihil à quoquam hactenus perscriptum est) nostra secreta publici commodi gratia proferemus. Imprimis igitur quædam obseruanda erunt in medicamentorum administratione, quibus obseruatis nil horum malorum amplius metuendum erit.

Fungorum præcautio [illegible].

Ac fungorum generationem quod attinet, superius monuimus, fungorum causas in verrucarum radicibus contineri, ex quibus ad aliquot pondo vsque fungos enasci vidimus, quibus qualis curatio conueniat, & alibi multis in locis, & in Chirurgia minori singulari capite pertractauimus. Verum quia & præsenti opere & vulnera, & vulnerum symptomata curare docemus, de iis regulam quoque præscribere decet. Itaque si vulneratus quispiam sit per vel iuxta varices: earum radices lauamento quodam eluere, pòst puluillos in eo madefactos imponere, sicque vulnus deligare conueniet.

Lauamentum pro fungis.

Parabitur autem lauamentum ex Sale Armonico aliquoties per Tartarum sublimato, ac super Marmore in aquam soluto. Nec est quod salis Armoniaci acrimoniam atque malignitatem hîc verearis: namq; sic paratus omnem acrimoniam deponit, fitque singulare huius mali remedium, quo si vtaris, optimo successu vulnus claudes. Monendi etiam mihi hic veniunt Chirurgi, vt subinde si occasio dederit, imò semper vulnus inspiciant, quò certiores fiant, quæ & qualia mala illis succedere possint. Nam quod sæpe hactenus diximus, Medica ars non simplici curatione, sed & præcautione ac prognostico absoluitur.

Præcautio, prædictio & curatio Medicinam absoluunt.

Frequens & illud est, vulneribus glutinatis ea denuo rumpi, iisque postea Carcinomata, Syreon, ac Fistulas subsequi, sed hæc facile antequam radices agant, extirpantur, si vulnus priusquam primò deligetur, viridi oleo Vitrioli abluatur: illud enim mali originem per pus expurgat, ac omne genus carcinomatum, Phagedenarum, ac Herpetum radicitus euellit: verum origo mali, aliquanto difficilius discernitur, non tamen diutius periti medici iudicium defugere potest.

Viride oleum Vitrioli.

Viride vero Vitrioli oleum non est, cur expauescas: ipsum enim vnicum est, ac sacrum curandorum carcinomatum, Fistularum ac Phagedenarum remedium, id est, secretum, cuius virtutes qui ignorat, indignus est qui Medici titulo gaudeat.

Typici raumhi.

Quinetiam vulneribus curatis defluxiones typicæ (id est, quæ tempestatum ac motus Lunæ ratione periodicè infestant) succedunt, quæ nisi deriuentur, membri vulnerati atrophiam, paralysin, forsan etiam arthritin efficiunt. Sed quia hæc mala superuentura, manifestis signis in curatione deprehenduntur (nam ferè pro motu Lunæ crescunt, ac imminuuntur) ea facile declinabimus, facta euacuatione per pilulas Artheticas, habito personæ quoque respectu, tum oleo laterino in vulnus infuso, si scilicet dolores succrescant.

Vniuersam symptomatum rationem (quantum eius ego experientia didici) mihi oratione prosecutus esse videor, nihil enim hactenus scripto prodidi, quod non diuturno vsu verissimum esse comprobauerim, præsenti tamen capite præcipue illud tractauimus, quo ne cicatrix denuò rumpatur præcauendum putamus: nam non raro Chirurgos, ac tonsores monui, ista vt præcauerent: sed ferè responderunt, sua parum interesse, se nouo vulnere facto, nouum præmium cupidiss. expectare: sicque stultè in sua nequitia gloriabantur.

CAPVT XVI.

Telorum vulnera quomodo tractanda, & quid à cæteris differant.

Telorum vulnera profunditate à cæteris differunt.

QVamuis abundè hactenus de puncturis dictum à nobis sit, tamen cum telorum vulnera, hoc quoque singulare habeant, vt ob nimiam eorum profunditatem, ima vulneris difficulter sub visum se proferant; isti quoque difficultati, quomodo occurrendum sit, declarare conuenit: nam etsi magna vis est emplastrorum sticticorum: tamen cum magna sit horum diuersitas casuum, distinguere hîc non inutile fuerit, siquidem non minimum periculi hinc oriri possit.

Lauamentum pro teli vulnere.

Itaque si sors tale vulnus offerat, duplici remedio ei succurrendum erit; primò per Emplastrum ac potionem vulnerariam: deinde per lauamentum per syringam iniectum, quod ex melle, vino, aqua, alumine & sale commode parabitur: dosim singulorum ingredientium, si medicus es, tu pro rei varietate immutabis commode, itaque nil opus est, eam multis verbis exprimere. Lauamentum autem toties iterabitur, donec illud purum rursus effluat, quo absoluto opere, oleum aliquod traumaticum, eodem modo per syringam iniicere vtile erit, tandemque emplastro sticto deligare.

Lapides astacorum.

Obseruatione autem dignissimum est, quòd lapides astacorum (siue cancrorum fluuialium) poti, mirandam in istis efficaciam habeant, nec in istis solum, sed in omni etiam inflatione præcauenda. Hac (quàm scripsimus) methodo in omnibus tum puncturis, tum telorum profundis vulneribus, siue ea in carnosa substantia, siue etiam in ossium iuncturis sint, progrediendum tibi esse memineris.

Characteres iuxta cœli influentias confecti.

Verum omnia ista Characteres iuxta cœlestes influentias confecti, multò facilius curabunt, si vel in intestina penetrassent vsque.

Situs membri affecti.

Decubitus verò in huiusmodi vulneribus, vel maximè spectandus venit: nam si membrum supinum teneat æger, gurgitem purulentum faciet, qui in prono situ non fieret. Itaque semper membra vulnerata prona tenenda, hoc est, vt fundus sursum, labia verò vulneris deorsum spectent: namque sic facillimè curationem recipient, eo tamen dempto, vt si Balsamum vel oleum vulnerarium infunderis, supinum membri decubitum ægro imperes. Aliud adhuc præter iam dicta in telorum vulneribus (supra communium vulnerum symptomata) symptoma est, debilitas scilicet vitalium facultatum, quę in istis multo maxima existit: quamobrem accuratiore tum in victu præscribendo, tum in restaurandis viribus, diligentia opus erit, maxime si fœtor aliquis, vel principia gangrænæ, vulnerisque labiorum decoloratio apparuerint: vel vbi vlceris cum vulnere complicatio-

Virium lapsus præcauendus.

nem metuemus. Quamobrem in sanguine grumoso dissoluendo, ac aluo lenienda sedulam operam nauabis. Quæ porrò ad vulnerum profundorum curationem sequuntur, ex generali vulnerum curandorum Methodo petenda erunt, qua obseruata, omnia vulnerum genera percurabis facile: namque tam perfecta est à Deo creata ars Medica, quàm quæuis ars alia sit, verum quòd non semper fine potitur, non artis, sed subiecti defectu hoc accidit: quemadmodum cùm nodosum lignum enormiter secatur, non artis ligni causa id accidisse dicimus.

CAPVT XVII.

De telorum ferramentis latentibus extrahendis.

Tela duobus modis extrahũtur.

EXtrahendorum telorum, quæ infixa corporibus intus hærent, duplex est modus: vnus quidem per attractionem, alter per protusionem seu impulsionem, quæ ambæ indicationes ex telorum forma petuntur: nam vbi teretes ac oblongæ telorum formæ sunt, per attractionem ea eximuntur: vbi vero hamis prædita tela fuerint, (quæ nunc vulgò barbulata vocantur) quia quo pacto ea retrò extrahantur, nondum inuentum est, per impulsionem ea protrudere in aduersam partem cogimur: similiter de scloppetorum glandibus, quæ in ossa ac ossiũ articulationes penetrarunt, extrahendis, cùm nihil adhuc repertum in rerum natura sit, ferè ad occultas herbarum, ac radicum proprietates recurritur: sed quia eæ saltem valent, vbi extractio non per contrarium nixum impeditur, vulgatam medendi rationem tenere præstiterit. Nam quæ autor Herbarij de viribus radicum ac herbarum (quæ videlicet seras recludant, ac clauos extrahant, tum de gemmis,) prodidit, fabulosa sunt: nam horum omnium attractio similis est ei, quæ in Herculeo lapide conspicitur, qui ferrum liberum attrahit quidem, non sic fixum: itaque hic distinctè loquendum erit. Etenim non inficias eo seras iis reclusas esse, clauos extractos, aliaq; similia perpetrata. Verum hæc arte Magica præstita sunt, qua Magnes terrestris, cum Magnete Firmamenti coniunctus fuit, sicque per eum non ista saltem, sed & hamata telorum ferramenta retrorsum educta sunt. Eadem ratione vires attractrices herbis, ac radicibus à Magis implantatæ sunt, dum ij simplicia ea cœlestibus astris subiecerunt. Quamobrem perperam ex istis concluditur, hoc huius speciei indiuiduum id præstitit: ergo omnia iisdem viribus pollent: nam nisi arte Magica constellentur, frustra eum effectum ab illis expectabis, quin & hoc obseruandum est, constellatas huiusmodi facultates successu temporis deperditas iri.

Telorum differentia.

Herbarii autor notatus.

Magnes vt attrahat ferrum.

Magnes Firmamẽti cũ terrestri, arte Magica iunctus.

Veruntamen vt tandem de educendis hoc genus telorum ferramentis, ac scloppetorum glandibus aliquid in medium adferamus. Sciendum vnicum restare iis de rebus remedium, quod in quibusdam verbis constellatis consistit, quibus præsentibus nullo negotio, omnia telorum genera duobus digitis ex vulnere eximere licet. Sed Sophistarum inuidentia hanc artem obscurauit, vt quam sub pœna anathematis, ac ignis supplicij, exercere interdictum esset: cùm tamen nullæ hîc plane subsint præstigiæ, nulli exorcismi, nihil necromanticum, sed omnia sint naturalia, ac ex iis rebus, quas Deus ad vsum hominum creauit, parata: per quæ Diuina miracula palam fiunt, sed ea est Ignorantiæ labes, vt Diuina opera Dæmonibus: & vicissim, ascribat.

Constellata verba tela extrahũt.

Iamdictum remedium si contemnas, ægrum necessariò excarnificabis: nam vel circumiacentes partes putrefacere prius oportet, vel secare (quo vel retrosum educas vel propellas) necesse est, vel ipsa tela intus per quædam instrumenta confringere (quo per partes eximi possit) cogeris, verum quantis ista doloribus proficiantur, ij sciunt, qui in horum manus aliquando inciderunt. Ego certè non minus, quàm isti hypocritæ, Diuinæ voluntati obedire satago, nil tamen detereor, quin iis quæ illi execranda putant, vtar, vt quæ non prohibita esse sciam. Denique ad huius tractatus conclusionem illud admonendum puto. Si præsentis tractatus canones obseruentur, ac eiusdem præscripta remedia adhibeantur, telorum extractionem plus quàm Chirurgorum instrumentis adiuuari, maxime si dolores ac phlegmones fieri prohibeantur, quæ tamen mala concitantur ab huiusmodi instrumentis.

III Modi extrahẽdorũ telorum vulgares.

Peroratio secundi Tractatus.

QVod in præsentis tractatus procemio monuimus, eum, scilicet qui scripta in publicũ emittere velit, sic de artis quã docet certitudine, veritate, cõstantia, ac perpetuitate scribere, ac certum esse debere, vt nullũ hic dubiũ, nullã opinionem, nullam spem, vel persuasionẽ dominari, sed meram veritatem præcellere sciat. Hoc ipsum sine iactantiæ nota nosmetipsi de nobis gloriari possumus. Et enim quæcunq; præsenti hoc nostro Chirurgico opere prodidimus, omnia ea longo vsu certaq; experientia comprobata esse, vel eorum quoque testimonio, qui nostra ope adiuti sunt, testatum facere possemus. Itaque scripta nostra non tam ex nostra authoritate, quàm operum præstantia fidem merentur, quæ laus, Diuina gratia, nunquam ea, quod spero, destituet, quantumcunque æmuli ac obtrectatores nostri contra tumultuentur. Namque doctrinam nostram nõ quasi cereo naso præditam effinximus, vt pro libito eam cuiuis torquere liceret, sed certam ac constantem: etenim non quod placeret: sed quod res ipsa doceret, scribendum nobis proposuimus, quòd ea docendi ratio vel maxime Medica, id est, certa esset: Medicina enim non cerea est, non iuncea, vel quæ loquacitate comparetur, sed talis, quæ experientia & vsu nitatur ac constet, iisque comprobanda sit. Quamobrem de experientia, & quod ea fideliter à me scriptis mandata sit, iure gloriari possum, nec quisquam est, qui mendacij vel erroris hic nos arguere queat, cum non quà nobis videretur, sed quà ars & experientia iuberet, omnia direxerimus, quod à paucis aliis obseruari videas. Et quamuis quod vulgo fertur, Margaritas non proiiciendas

Paracelsum nemo potest erroris conuincere.

tiendas porcis esse, nos à scribendi munere deterrere poterat: maiorem tamen rationem publici commodi habere oportuit: nam etsi eorum qui ista contemnent, ingens erit numerus, erit tamen aliquis etiam eorum, qui ea amplectentur: etenim quemadmodum sanitas non omnib⁹, sic ars quibusdā nec competit, nec contingit: non enim qui speciosos oculos, vel aures habet, statim videt vel audit bene: sed Deus est, qui isthæc bona quibus vult, impertit, qui quibus Medicinam concesserit, eos quoque perfectos efficiet: contrà qui sine Diuino permissu Medicinam sibi vsurpant, produntur non ita multo pòst. Qui non rogat, non accipit: qui non quærit, non inuenit: non pulsanti non aperitur, inquit scriptura: itaque ab iis qui non orant, quærunt, pulsant, id quod habent auferetur, hoc est, nequitia illorum vltione diuina tollitur.

Memoratas ergo ob causas secretiora, longo vsu tamen & experientia à me comprobata, remedia hoc tractatu publica feci, non ignarus, quosdam pseudomedicos, hypocritas, & pharisæos in simili scripti genere laborasse, ac indies adhuc expecto empyricum huiusmodi scriptum ab Empyrico ac hypocrita non vulgari nominis consarcinatum. Verum illi experimenta sua mirè paltiant, ac ad multa extendunt, iisque suam hypocrisin celant. Mira sanè res est hypocrisis, quæ non in aliquo mechanico artificio, sed in solis scientiis phantasticis locum habere potest: nimirum quòd hic laborum nimium, lucri plurimum suppetat. Sic in medicina Empyrici hypocritæ sunt, qui vno experimento ad omne morbi genus vtuntur. Cauendum itaque in omni artium genere ab hypocrisi erit: hæc enim vnica omnium artium pestis est, quæ apud plurimos arti prævalet, quemadmodum & Hypocritas semper maioris quàm Christum & Apostolos habitos esse videmus, & scortatorem scortum publicum ardentius, quàm coniugem amplecti experientia docemur, qui error donec durabit, difficulter vera Medicina clarebit.

Empyrici cuiusdā liber chirurgicus.

Interim lubens fateor, non exotica, sed domestica ferè remedia à nobis prodita esse, tamen hoc polliceri possum, ad vulnerum, tam cæsim, quàm punctim factorum, tum telorum ac glandium, perfectam curationem nihil hîc desiderari: nisi forsan tuos proprios defectus, inexperientiam nimirum, experientiæ stultam persuasionem, opinionum portenta, nobis ascribere velis. Sed ab istis cauendum tibi est, vtpote de quibus sit in extremo iudicio ratio reddenda.

Domestica remedia à Paracelso descripta.

FINIS SECVNDI TRACTATVS.

PRIMAE PARTIS CHIRVRGIAE MAGNÆ PHILIPPI PARACELSI TRACTATVS TERTIVS.

DE MORSIBVS VENENOSIS, ET OSSIVM FRACTVRIS, aliisq́; ad vulnerum Chirurgiam pertinentibus.

PRÆFATIO.

PRÆTER *armorum ac telorum plagas, hucusq́; pertractatas, aliæ supersunt adhuc vnitatis solutiones, quæ nullibi rectius quàm sub vulneribus collocantur: nam Morsus Canis, vel alterius bestiæ: item ossis fractura, etsi vulnera verè non sint, tamen aliquid vulneribus simile obtinent. Sic quoque ambusta, cutis excoriationes, atque sanguis concretus (siue ex plaga, vel casu ex alto fiat) partiumq́; refrigeratio, ad Chirurgiam referuntur. Non sic gangræna, pestis, Antrax, Carbunculus, &c. ea enim mala rectius ad tumorum, ac vlcerum curationem, quam ad vulnerariam Chirurgiam accommodantur. Quæ itaque præsenti tractatu docebo, ea omnia vna cum punctionibus & vulneribus absolutissimè cognosci à vulnerario medico, præcipio; nam horum absolutiorem notitiam, quàm Gangrænæ, Apostematum, Carbunculorum, &c. consequi datur, vt quæ omnia in naturæ possibilitate constituantur: nam omnia ea quæ extra hanc posita sunt, suis locis annotabimus. Hic verò ea saltem commemoraturi, de quibus astantes etiam iudicare possint, an ad medicinæ possibilitatem accedant, nec ne, (hoc est, an salutaria vel lethalia, curabilia vel curatu impossibilia sint.) Nā in cæteris quibusdam etiam lethalia quandoque salutaria videntur, & vicissim: nam ius omne malum Medicamentis tolli posse falsò persuasum est, vnde postea artem contemptui habent Centauri isti. Verum hic obseruandum, in impossibilibus frustra laborari: itaque possibilitas Medicinæ norma constituenda erit, in qua tamen vita & mors æquè dominantur, itaque hanc præcauere, illam conseruare Medici officium erit.*

Fractura & morsus ad vulnera quaten⁹ referantur.

Possibilitas est Medicinæ norma.

Hoc itaque tertio tractatu Remedia pro affectibus iis, quos commemorauimus, ad vulnerariam Medicinam pertinere, scribemus: quæ quomodo ad nos peruenerint, ostendere tempestiuum videtur: isthæc enim vlterius clam habere publici commodi causa nolui. Remediorum omne genus ab hominibus successiuè inuentum esse, sine dubio est: aliud enim casu, aliud inquisitione, ac industria repertum, ac publicum factum est, ad quos duos inuentionis modus, LVMEN NATVRÆ *quoque accessit, adeo vt & canibus certum fieret, lingendo vulnera eorum curari, ac homines qui hoc Lumen suspicerent, mira in morbis fugandis cognoscerent. Verum Pharisaici hypocritæ ac literatores medici, omnia hæc remedia Lumine naturæ reiecto, ad se rapuerunt tandem, vt iam vulgus nil commodi amplius sperare posset. Quemadmodum Christus in Euangelica parabola vulnerati in Hiericho, idem ostendere voluit: ibi enim etsi Sacerdos ac Leuita etiam misericordiam exercere potuissent, vnus tamen Samaritanus præstitit, causa est, quòd illis* LVMEN NATVRÆ *concessum*

Lumen naturæ.

concessum à Deo non erat, huic vero à Deo Opt. Max. donatum, itaq; ibi salus quærenda ægris, quo ea à Deo reposita est, id est, ij soli curandi officium præstare possunt, quibus Naturale Lumen datum est. Sic vbi Spiritus Domini non est, nihil spirituale efficitur: nam quæ sine illo fiunt, Prodigia à Pseudochristo sunt, vti & curationes extra Lumen Naturæ factas, à Pseudomedicis fieri dicimus. Itaque vno verbo dicam, Remedia nostra per Samaritanos, hoc est, veros Medicos ad nos peruenisse.

Lumine naturæ præditi soli curare possũt. Samaritani veri Medici.

Veruntamen hi quandoq; in vsu, & adhibendorum remediorum ratione non parum aberrant, ob exercitationis nimirum defectum. Medicina enim & diuturnam & diligentem exercitationem requirit: nam remedia non in vno, vel aliquibus, sed in centum vel pluribus etiam ægris experta ac comprobata esse necesse est: qua in re summa diligentia ac obseruatio requiritur, vt nimirum morbi natura, & ad remedium habilitas & dispositio accuratè cognoscatur, quam naturæ ac morbi cognitionem, qui sibi comparauerit, iam medici nomen immeritò vsurpabit. Mihi sane plurima huiusmodi remedia, à vilibus ac imperitis hominibus communicata sunt, qui ipsi cum in adhibendis ijs peccassent, fine sperato frustrabantur. Ego verò eorum vsum longa exercitatione edoctus, iis postmodum optimo successu vtebar. Adeo vt non immeritò me horum experimentorum Correctorem, ac examinatorem gloriari possim, quiq; eorum legitimũ vsum ostenderint: nam apud Pseudomedicos neque exercitio, neq; vsu satis comprobata extabant: cuiusuis enim remedij comprobatio sufficientem requirit numerum ægrorum, ij interim re non satis cognita, tumido spiritu scripturiunt, totosq; codices nugis suis replent, verum o miseram scriptionem, quæ ante sufficientem experientiam prodit, nemo Chronica de factis scribit, quæ nondum contigerunt, sic autores isti nunquam tantos remediorum centones comportassent, si de iis saltem quorum vsum cognitum habuere, scripsissent: sed stulti de rebus futuris sibi scribendum putarunt.

Empyricorũ corrector Paracelsus.

Antiqui stulte de rebus futuris scripserunt.

Veruntamen quia diuturna experientia horum loquacitatem vsu longè superat (nil enim verba inania ad sanandum conferunt) hanc explodere, ac in eius locum experientiam substituere æquum videtur. Etsi enim plurimi hoc ægrè ferunt, me meis principiis per veterum autoritates fidem non conciliare, mea parũ refert, cùm antea eam mihi rerum experientiam tribuam, qualem nemo veterum habuit. Etiam hoc experientia didici, speculationes quibus isti se macerant, nil ad Medici perfectionem facere, sed artem solam. Ars autem ista experientia est, non speculatio, quæ ipsa Theoriam præcedit: nam vbi quid expertus fueris, tum demum eius naturam contemplari conueniet, & post hanc iterum experiendum. Hæc vera Empyria est, non Chirurgorum ac tonsorum vulgarium, sed artificiosa Nam Medici Theoria Experientia est, &c. Sequitur iam descriptio eorum vulnerum, quæ sine telis inferuntur, quæ & Diætæ formulam ac curandi rationem continebit.

Ars medica experientia est non speculatio Theoria est Medica Empyria.

DIÆTÆ RATIO HORUM VULNERUM DEMORSORUM A CANIBUS

Diætæ ratio.

Victus ratio quã præscribimus, etsi in omnibus morsibus obseruandam est, Canum tamen rabidorum morsus eam accuratissimam desiderant, Summe autem in hac spectandum erit, vt Bilis seu Choleræ rabiem attemperemus, ne ea radices agat. Namq; vt primum quis à cane demorsus est, statim Caninæ rabiei natura occulta quadam vi, Choleræ communicatur, quæ furere incipiens, omne genus Biliosorum morborum excitat. Verum hic nil admodum laborandum, quod in Biliosis alias factitat Medici, sed sufficit Frigidam frequenter propinasse, ac reuomuisse, tum à vini potu prohibuisse. Neque est vt metuas, ne potus altius venenosam materiam deducat: nam vel iam deducta est, antequam diætã præscriberes, vel nil amplius vereri opus est. Exhibebis itaque præter aquam, si ita videatur, Cereuisiam, vel potiones paratas ex pomis prunis syluestrib., vel oxyacantha. Cibus erit Brassica, muria condita, & omnia refrigerantia, tanta copia oblata, vt reuomant.

Frigidæ vsus cholerã cõpescit.

Brassica demorsis vtilis.

Vtile quoque fuerit folia Rosarum & Senæ, ad s.q. in sero lactis incoxisse, ac addita pauca Benedicta Laxatiua in potu frigidè exhibuisse. Nil tamen est quòd vulgatum Medicorum dictum te remoretur, cùm dicunt Senam Melancholiam educere, sufficiat tibi scire, materiã peccantem in hoc affectu per eam deiici, siue ea Melancholia est siue quid aliud. Acetaria quoq; cum multo oleo, Acetum rosaceum, in quo cõseruæ Rosarum modicum dissolutum sit, prosunt maxime vbi fœuit malum. Cauendum etiã vnice erit, ab aromatum ac odoramentorum vsu, maxime vbi ea calida fuerint. Vbi febris crescere inceperit, Acetum rosaceũ cum succo oxyacanthæ in potu: dabis nam tũ de rabie ingruẽte metus est. Sciendum quinetiam est, hoc modo vulneratos Caninam planè naturam induere, itaque duram illis medicinam competere: optimum igitur erit eos aliquandiu in frigidam immersos continere.

Sena quid purget.

Acetaria.

Aceti Rosacei potus.

Obseruandum præterea, demorsos non omnes rabiosos fieri, sed aliis quibusdam morbis corripi aliquos, maxime qui natura Biliosi non sunt: intentum ergo medicum esse oportet in ægri complexionem, vt qui morbi illi ingruant, discernat.

Rabiem non omnes demorsi sentiunt.

A Serpente, Vipera, lacerta, vel alia venenosa bestia demorsis, quæ victus ratio præscribenda.

Venenum bestiarum, siue punctione, siue morsu, casu vel ira, quod peius est, pessimum per exorcismos communicatum, deletur si in cibo offerantur ea, quæ cordi, Epati, ac Ventriculo confortandis appropriata sunt: nam cùm Venena principes maxime partes petant, eas munire ac confortare, ad frangendam illorum malitiam necesse erit. Quare vbi venenum Cor petere ex signis cognoueris, exhibebis Oleum in quo calybs candens aliquoties restinctus sit, ad lib. j. pondus, cum puluer. Corall. rub. ℥. ij. El. de gemmis ℥. ſs. singulis verò dieb. quinquies bibet æger, prima vice tepidum, postea frigidum.

Venena principes partes petunt. Venenũ vt à corde arceatur.

Potus alias erit Vinum rub. astringens calybeatum, cum modica Theriaca, singulis vero vini haustib. ℥ ſs. Corall. rub. admiscenda, hocq; potu vtendum, donec salutaria signa appareant. Quod si inter Olei vsum sitis inexhausta excruciarit, Lac calidũ cum pl. Corall. dabis Laudanũ vocatum

Laudanũ Theophrasti.

vocatum Arcanum nostrum, quod omnia ista superat, vbi mors in propinquo est, suo capite, describemus. Nos, quidquid aliis videatur, Philonium Persicum dum oleum bibitur, datum, mirifice caput aliasq; principes partes tueri testamur. Sciendum etiam, sitim immensam, quæ crescentis & cor petentis veneni certiss. argumentum est, quia potu restinguere non datur, extrinsecus adhibito Epythemate ex aceto Rosaceo cum Camphora, & Sandalis parato, attemperandam esse. Quæ ad victus rationem pertinent vltra, suo capite annotabuntur, hic scire sat est, Tenuitatem victus primarium scopum esse.

Philonium persicum.

Fractis ossibus ac Sanguini concreto qualis diæta conueniat.

POtus & cibus in fracturis indicationem singularem non habent, saltem hoc cauendum in hoc malo, ne calida victus ratio calores ac febres faciat & augeat: frigidiori ergo diætæ intendendum, quæ & modica sit, & ad roborandas vires comparata.

Frigidus victus in fracturis ossium.

Grumoso vero ac intus concreto sanguini dissoluendo, cibus conuenit, cui aliquid purgantium medicamentorum adiectum sit, vt Ptisana cum Rhabarb. vel rad. Asclepiadis, aut fol. Senę, Terebinth. vel Lacca. Sic cibatiis Mummiam ac Rheon Ponticum vtiliter incoquemus. Verum medico prudenti ac prouido, moderabitur mali magnitudo, vt præterea specialibus regulis nil opus habeamus.

Purgantia in cibo exhibita.

Ambustis quis victus exhibendus:

VBi adustio lethalis non est, nil admodum necesse habemus accuratiore diæta ægros macerare. At vbi mortis periculum imminet, ea contemnenda non erit. Itaque extrinsecus imponenda non erit. Itaque extrinsecus imponenda, quæ calorem extra attrahant. Sin malum in tantum auctum est, vt ea non sufficiant, per intrinsecus exhibita, is quoque restinguendus erit, dabimus itaque succum Sedi cum aqua mixtum, vel succum cancrorum fluuialium extractum, cum aqua fl. tiliæ aut simili, &c. Aceto quoq; rosaceo, vti dictum, est, vtemur, donec periculi magnitudo imminuta sit.

Succus Sedi & cancrorum.

Refrigeratorum victus ratio.

QVi ob refrigerationem de gangræna periclitantur, adiuuantur maximopere Rosaceo aceto, & pipere longo, vna cum vino generoso, in potu datis: quin & ea conducunt, si cibaria iis quoque condiantur. Qui vero iam morti propinqui sunt, Aqua vitæ cum Theriaca & radice tussilaginis contemperatæ, sunt nutriendi, iisque in satis magna copia vtendum. Vbi ista ad manus non sunt, Zinziber. Garyophyll. Cardamom. Grana Paradisi, &c. vino incocta ac calida pota, proderunt maxime, si dein ad sudandum se composuerint, quo frigus extra efferri denuo possit.

Aqua vitæ cum Theriaca.

CAPVT I.

De morsu Canis rabidi.

CAnum morsus triplices sunt: Rabiosorum, Iratorum, ac Ludentium. Omnium periculosissimi Rabidorum sunt: nam rabies per morsum ad interiora fertur, sicq; duplex malum iunctum est. Post hos iratorum morsus periculosi sunt: nam & ira cum vulnere iungitur quoque, vnde venenum existit. Sine insigni periculo sunt, qui à ludentibus inferuntur: namq; curationem facillime recipiunt. Idem iudicium erit de morsibus Luporum, Aprorum, ac similium bestiarum, verum omnes ij ad Morsus iratos referendi erunt, eodemq; quo canini modo curandi.

Canum morsus triplices. Rabiosorum. Iratorum.

Ludentium.

Rabidi vero homines efficiuntur, ex morsu rabiosi canis, hac ratione. Canis rabiosi omnes cogitationes, omnisq; malignitas, dum mordet ad hominem, atque locum in quem morsum infert, intentæ sunt: vicissim homo dum mordetur, metuit, omnesq; speculationes ad eundem locum refert: iam morsus tempore eodem in loco sunt, ac iunguntur canis imaginatio, ac hominis speculatio, atque tum hæc ab illa per contagium inficitur, quemadmodum fumus seu exhalatio iucunda à fœtida corrumpitur: nam etsi imaginationes istæ tactiles non sunt, sunt tamé corporeæ, (id est, aëreæ, vti ventus) atque sic earum mixtio accidit. Imaginatrix seu phantastica facultas interim in homine, Magnetica quadam attrahendi virtute pollet, qua alias imaginationes (vt caninas in hoc casu) ad se attrahit, non aliter quàm colorem ac sonum, quem alter communi sensu percepit, alter per visum ac auditum in se recipit, eodemque reponit. Sic præsenti in casu Imaginatio humana, per vulnus attrahit caninam imaginationem venenatam, atque vicissim ab ea inficitur, eiusq; naturam induit. Nam quemadmodum aquam multam, pauco croco tingi videmus, sic hominis totam rationem, à canina phantasia corrumpi putandum est.

Rabies vt fiat in demorsis.

Imaginationes corporeæ.

Imaginatio Magnetica.

Hæc humanæ rabiei origo est, quæ his signis cognoscitur. Canum instar obuios mordent, canina appetentia corripiuntur, aliisque malis exagitantur, quæ à nulla causa intrinseca excitari possunt, sed à sola ista quam dixi praua imaginatione. Quamobrem morbus iste naturalis nullo modo dicendus erit, imò naturæ aduersiss. appellandus, neque morbus solum, sed & omnia eius symptomata, calor, phlegmone, intemperies, &c. Quin & ij qui superueniunt morbi, diuersiss. sunt ab iis, qui aliis vulneribus iunguntur. Itaque in curandi ratione, tantum à vulgato modo declinabimus, quantum hoc vulneris genus, cum suis symptomatis, ab aliis euariare videbimus.

Signa rabid.

Itaque in curanda rabie, primum scopum esse Bilis euacuationem superiora testantur: verum cùm cholera in tantum inficiatur in rabie, vt nisi eam detrahas, summum periculum metuendum sit. Eam non per aluum solum, sed & supra vacuare oportebit, quantò valentius, tantò melius: nam hic mediocritas nil promouet. Purgandum vero per ea quæ bilem solam, eamque potenter trahunt: vt sunt Rhabarbarum, Colocynthis, Agaricus, succus corticis sambuci, Esula, &c.

Curandi ratio.

Bilem purgantia remedia.

Interim etiam dum Bilis ex toto vacuatur, parti prospiciendum quoque erit, quæ affecta est. Vtilissima autem ad hunc scopum erunt, ea quæ Paronychiis sanandis adhibentur: vt sunt de stupefacientium genere Sperniola, oleum Mandragoræ, &c.

Stupefacientia parti adhibenda.

Quibus tantisper vtendum erit, donec dolorem sedatum esse cognouerimus. Vulnus verò ipsum Emplastro stictico (cui tamen pix Græca admixta non sit) deligandum. Hisce tribus remediis, Catartico nimirum, Emplastro stictico, ac Anodynis quemuis canis rabiosi morsum percurabis; facile Obseruandum tamen, rabiem, quæ difficulter cedit, Opiatis exhibitis medicamentis (inter quæ Sulphur vitrioli chemico modo paratum, aliaque multa numerantur) sedandam atque curandam esse, quidquid deblaterent contrà vulgares Practici. Descriptiones purgantium opiatorum, ac stupefacientium remediorum, etsi plurimæ annotari possent, sufficit tamen simplicia, ex quibus ea componuntur, ostendisse: compositionem enim vsus ac exercitatio ipsa docebunt.

Sulphur vitrioli opii vim refert.

Iratorum vero canum morsus, sciendum intrinsecus assumptis medicamentis nil opus habere, sed extrinsecus iam commemoratis facile percurari. Ludentium autem morsus curabis vulneris simplicis instar, quemadmodum II. Tractatu iam ostendimus. Catholicum tamen in omnibus canum morsibus esto, Emplastra primum locum in iis curandis obtinere: dein Choleræ rabiem per opiata temperandam esse: tum cauendum maximè, ne vulnus siue morsus, in aliud genus morbi, vt vlcus &c. abeat.

Opiata Bilis furorē tollunt.

CAPVT II.

De Morsu Serpentis, Viperæ, Lacertæ, similiúmque Bestiarum.

Duum generū morsus venenosi sunt.

Iratorum curatio.

Singularem quandam malignitatem obtinere, hoc genus vulnera obseruandum: Quæ omnia in duplici differentia reperiuntur. Nam vel ex ira, cùm irritantur: ex Rabie, dum coniurationibus, id est, Exorcismis vrgentur. Itaq; iratarum serpentum, ac viperarum morsus, quia ipsis & ira, & venenum à natura implantatum est, morsus seu vulnus quoque naturale habendum est. Verum quod à Coniurationibus ortum habet, longè est à natura alienum. Etenim nihil quod secundum naturam est, exorcismis vincitur: nam natura iis non subest, sed id quod coniurationibus cedit, incantatum est, & id quod ex incantatione adest, Exorcismis pellitur. Hinc venari licet causam, quamobrem quædam viperæ Exorcismis domentur, quædam non: & cur quidam serpentum domitores, optato fine potiantur, alij minus. Nam exorcismus vnionem spirituum desiderat, qui ex corpore non pelluntur, nisi per ieiunia & preces, id est, per Diuinam virtutem ac fidem, cui nihil denegatum est, sine qua quæ fiunt coniurationes, exorcismi veri non sunt, sed inutiles, quibus exorcista cùm multum tribuat, nihil tamen efficit. Sciendum ergo, viperas dum coniurantur, in rabiem agi, non aliter quàm porci in Euangelio, qui à dæmonibus obsessi erant, quos eo ablegauerat Christus: nam in Viperis dæmones habitant, qui per exorcismos fatigati, ipsas in rabiem agunt, ac exagitant: ex qua dein venenosissimi morsus oriuntur. Et vt summatim dicam, nil coniurationibus domatur, quod dæmone obsesso non sit, vel vt ipse exorcista dæmonium habeat oportet: habent autem serpentes dæmonia in se, quæ tractari se patiuntur, non ex vi Exorcismi, sed spe occasionis, ad maius malum comparandum.

Naturales morbi ab exorcismis non vincuntur.

Vnio spirituū in exorcismis necessaria.

Viperæ à coniuratione in rabiem aguntur.

Serpētes dęmonia habent.

Itaque obseruandum in rabiosis istis morsibus, (cùm demorsa pars colorem, figuram, &c. viperæ quæ momordit induat) præternaturalem quandam affectionem adesse, à dæmonibus coniuratis inductam, sic porci illi, qui à dæmonibus obsessi in mare se præcipitarunt, si aliquem momordissent, morsum inflixissent contra naturam, quemadmodum de serpentibus dictum iam est. Quin & hoc contradictione vacat, rabiosos canes à dæmonibus exagitari, vnde deinde homines demorsi rabiem incurrant: quia enim canibus non raro homines plus quàm pauperibus ac mendicis benefaciunt, ac misericordes sunt, non dubitandum est, ad vltionem huius peccati, Deum Opt. Max. canibus dæmonia immittere, hæc etsi capite priore annotanda fuerant, quia tamen illic naturalia tantum tractauimus, hunc in locum reseruare maluimus. Coniecturam itaque de tali dæmonio facere poteris, si præscriptis remediis nil concedat malum. Contingit etiam non raro Lupos inueniri, qui homines simul ac iumenta mordeant, lanient, ac deuorent, non Luporum more, sed plane dæmoniaca specie, vt iam dubium non sit, à dæmone obsessos esse: nam & reliqui lupi eos auersantur & fugiunt, quemadmodum & nos à dæmonibus obsessos homines deuitamus. Etenim cùm venationibus nimium indulgeant homines, animarum etiam salute posthabita, credendum est, Diuino permissu hæc accidere, quare in omnibus mediocritas obseruanda, & meliora semper priore loco absoluenda. Quæ istis in rebus dubitatio alicui succurrere posset, hoc argumento facile tolletur. Etenim cùm hominum corpora à dæmonibus obsideri videamus, quis dubitet, bestiarum, maximè Serpentum, quibus Deus suo ore maledixit, à spiritibus malis occupari? Itaque studiosè cauendum ab obsessis istis animalibus: nam dæmones ea tractabilia, & hominibus morigera faciunt, quò ipsi tandem eorum imperio potiantur. Verum vt de naturalibus tandem iterum loquamur, considerandum quomodo venis læsis venenum in corporis intima penetret: nam aperta aliqua vena, per venenosum huiusmodi morsum, statim iuxta venæ rectitudinem, per cōtagium intro serpit venenum, quod si itaque caput ea vena respiciat, in cerebrum: sin pectus, in cor: sin hypochondria, ad hepar statim venenum fertur, vnde periculi magnitudinem dein metiri in promptu est. Quare malo huic præcauendo ac curando, vtile erit statim per assumpta, cor ac principes partes munire ac roborare: Extrinsecus vero vulneri attrahentia, ad oras vero vulneris Defensiua applicare, veneni inhærentis, ac phlegmones quæ accessit gratia. Cæterum vbi ea per malignos spiritus facta sunt vulnera, quomodo curanda sint, hîc à me non docetur, sed saltem vbi naturalia sunt, quæ experientia didici prodesse, propono.

Rabidi canes à dæmone exagitantur.

Lupi dæmonibus obsessi.

Coniurationem cur ferāt obsessæ bestiæ.

Veneni quomodo intro rium petat.

Statim roborandum.

Medicamentum intrò assumendum tale est: *℞. Metridatij ℥ij. Theriacæ bonæ, ℥j. pul. Coralliorum rubeorum ℥j. ß. detur quantum necessitas postulare videbitur: nam vera dosis, non nisi experientia addiscitur.* Quod si hæc parum proficiant, dabis auri

Diaphoreticum

Diaphoreticum, vel Laudanum, materiam perlatam, vel gemmam dissolutam: hæc namque summa sunt in istis malis secreta in quibus certam salutis spem ponere potes.

Exterius vulneri commodissimè impones, ℞. *Emplastri stictici ex Lytargiro, gummi & mummia confecti quartarium j. gummi ℥ij. mixta denuo coquantur in Emplastri formam.* Hoc Emplastrum iuxta communem canonem impones, ac deligabis, donec in melius inclinare vulnus videbitur: tum enim sufficiet simplex sine gummi adiectitio vsurpare. Optimum verò fuerit, celerrimè omnia adhibere, propter celerem veneni motum. Defensiuum quoque remedium, toti membro affecto impositum plurimum iuuabit, parabitur autem ex fl. Verbasci, hyperici, Ruta, Rosis, in aceto ad tempus maceratis in Sole, epithema hoc calidum lineis pannis imponetur, donec intemperies, phlegmone, &c. in totum recesserint.

Quæ à spiritibus fiunt vulnera, curandi consilium apud me nullum inuenêre adhuc: vnum hoc scio & moneo, ab exorcismis abstinendum esse: nam etsi non inscius sim, non nisi naturaliter venena transire in corpus vulneratum, tamen interim ista persuasio apud paucos exoleuit. Itaque Deum propter superstitionem istam, multa dæmonibus concedere credendum est. Nam vti Scortatori scortum, Aleatori telum, furi occasionem, prædoni viatorem: sic Exorcistæ spiritum suum offerri diuino permissu (ad induranda corda infidelium ac flagitiosorum) manifestum est. Verum ista opera suum quæque artificem iudicabunt, ac testabuntur in nouissimo die.

CAPVT III.

De Araneorum, Rubetarum ac similium animalium Venenis.

PRæter hactenus memoratas bestias, alia supersunt animalia, quæ etsi vulnus facere non sufficiant, tamen veneni sui contractu aliquid huic simile efficere possunt. Itaque venenorum imprimis natura, ac diuersitas consideranda, tum in animalibus, tum in terræ nascentibus, quorum, cùm infinitam varietatem existere non inscius sim, aliquorum vt Rubetarum ac Araneorum, &c. vt quorum natura mihi perspectior est, describere opere pretium putaui: nam eorum quorum natura mihi incognita est, non meminisse præstiterit, quòd de iis nihil experientia didicerim.

Hoc vnicum de venenis pronuntiare possum, nemini adhuc eorum naturam exquisitè cognitam esse, adeo vt dicere ausim, experientia me didicisse aliquod veneni genus existere, à Theriaca inuictum. Quid de ipsorum diuersitate dicam? Scorpio veneno inficit, sed sui ipsius mali remedium est, an vero aliquod huic simile inuenias. Arsenicum & idem interficit, non tamen seipsum curat. Sic Mercurius venenum est, multis tamen medicina, vt iam ista enumerare nil attineat, cùm impossibile sit omnia memorare: quoniam omnibus venenis, quæuis alexipharmaca non repugnant. Ego quæ vsu ac experientia addidici, contra Araneorum, Rubetarum, ac Salamandræ venena facere fideliter proponam. Verum Salamandram paulò aliam curationem obtinere puto: nam nullum vnquam ab ea demorsum vidi, sed Chemistas quosdam sciò, qui cùm tincturam quandam, ad Rubrum ei inesse crederent, eam fictili cui canalis ferreus adhærebat inclusam igne vrgebant, denique per canalem illum Mercurium infundebant, vnde postea fœtor, seu halitus venenosissimus prosiliens, sic miseros illos auriquærulos inficiebat, vt quandoque cùm facie totum corpus intumesceret, non raro etiam mors subsequeretur. Pro hoc mali genere quod expertus sum valere, breuiter & quantum Chirurgicum negotium patitur, annotabo. Ad hoc caput tamquam ad summum genus referendi erant omnes ij morbi, qui in aurifodinis, ac fusoriis tabernis ob metallorum venenosam vim, endemij habentur: verum quia singulari, & ad hoc deputato libro (de morbo metallico, seu subterraneo, Bergkranckheit) tum in minori Chirurgia, omnia huc pertinentia absolutissimè docuimus, eo diligentem lectorem remittendum putauimus. — *Salamandræ venenosus halitus.* — *Salamandræ tinctura ad Rubrũ.*

Remedia itaque ad Aranei, Rubetæ, ac Salamandræ venena, præstantissima sunt Terra sigillata, & Solis axungia: hæc in Salamandræ, illa in Araneorum ac Rubetarum venenis, posterius remedium suo capite, id est, sub titulo de Arsenici ac Mercurij veneno tollendo annotatum reperies, hîc pauca quædam de terra sigillata obseruanda ostendemus. Terra Sigillata nostra, non ea est officinarum vulgaris, ex luto albo eloto parata, qua omnes totius Germaniæ ac Italiæ, imò Europæ officinæ scatent: non enim tam copiosa extat vera, vt omnibus vbique ac semper eam nancisci promptum sit. Nam hæc terra subtilis est, ac Mineralibus annumerata, metallorum instar subterraneos ductus, ac venas obtinens, inuentu difficilis, cognita paucis, multis prædicata, ea in trociscos minutissimos redacta sigillo notatur, ac TERRA SANCTI PAVLI nominatur: quæ quia etiam iam adulterari cœpit, ex præscriptis notis censenda erit. Bis mihi eam videre licuit, semel in Croatia apud Arabem quendam agyrtam: tum apud Siculum quendam rerum Metallicarum peritum, ad Mariam Lauretanam, quæ suos ductus, tanquam metallum obtinebat. Sed hanc nostram paucitas, ac pretium, illius vero copia obscurarunt, dolendum tamen, neque Germaniæ, neque Italiæ doctores Medicos, tantum adhuc didicisse, vt suum lutum, à vera sphragyde antiquis tantopere prædicata, discernere possint. — *Terra sigillata est corpus Minerale.* — *Terra S. Pauli.* — *Terra sigillata vera rara est.*

Vsus terræ sigillatæ nostræ est, vt ea cum sputo in pulticulam redacta, Aranei ac Rubetæ veneno imponatur, sanat sine periculo, non ista solum, sed & aliarum venenatarum bestiarum morsus, si initio statim adhibeatur. Axungia solis intrinsecus & extrinsecus vsurpatur, si Salamandra momordit vel læsit, exhibetur fere in vino dissoluta bibenda, &c. — *Axungia solis.*

CAP.

CAPVT IV.

De ossium fracturis curandis.

Causæ fracturarum sunt omnes Procatarticæ. Fracturarum differentiæ & origo.

CAusas fracturarum ossium, scribere nil admodum referre puto, cùm externas ac violentas eas esse omnibus manifestum sit: nam quemadmodum calybis, sic & ossis fractura vehementem causam desiderat. Fracturæ vero origo ea est, quòd ossium substantia instar Talci vel Auripigmenti assellata seu foliata existit, vnde ea non per transuersum solum, vt calybs rumpuntur, sed & per longitudinem finduntur. Verum de curatione potior nobis sermo est, in qua considerandum læsa quoque sit cutis: nec ne: nam vbi ea integra adhuc est, accurata operatione opus est, vt singula iterum suum in locum reducantur, quo facto, tum demum ad ea quæ ossa conglutinant, progrediendum erit. Sin ossi fracto vulnus quoque complicetur, Emplastris ac Oleis Traumaticis vnà cum fracturas glutinantibus medicamentis vtendum erit. Constitutæ ergo iam duplices fracturæ, earumque duplex curatio: simplex scilicet, & cum vulnere complicata. In omni vero fractura, bis in die deligandum esse præcipimus, omninoq; spleniis ac ferulis abstinendum, verum nostris vtendum instrumentis, circulo nimirum trochleæ incumbente, (quem modum quosdam ex discipulis nostris docuimus, aliàs scripto explicatu difficilem) quo commodissime omnem fracturam repositam suo legitimo in situ conseruabis. Nam hoc Catholicum in fracturis putamus, siue sint cum vulnere complicatæ, siue non, vt scilicet quotidie bis ipsa deligetur, (ad euentandum nimirum calorem) loco non moueatur, ferulis non cingatur, &c. Quæ si non obseruentur, varia subsequuntur mala, phlegmone, putredo, post hanc gangræna, non raro etiam mors, pro loci nimirum diuersitate, & morbi magnitudine, auctis & imminutis omnibus. Intemperies itaque omnium maximè præcauenda: nam eam subsecuta putredo difficulter soluitur, sed ferè in Fistulas ac vlcera profunda, & fœtida abit, præcauebis autem commodissimè, si dietim bis malum inspicias, nec tertio die deligaturam intermittas, quod Chirurgorum vulgus factitare solet: nam etsi aliquos eo modo curaris, præstat tamen maioris mali deuitandi causa nostram methodum sequi.

Fractura cum vulnere. Fracturæ duplices.

Circulus Paracelsi pro curandis fracturis.

Ferulis cur abstinendum.

Ferulis vero abstinendum eo nomine præcipimus, quòd iis vti sine commotione, ac repositi ossis dislocatione non possimus. Ad hæc ferularum vsus, fortem deligaturam requirit, fasciarum quoque copia, phlegmones atque intemperiem necessariò quasi facit. Quin contingit non raro tumorem ex phlegmone ortum, mane in se residere, ex quo non potest non fascia laxari, ac os repositum dislocari. Itaque propter duo hæc incommoda, intemperiei nimirum phlegmones, ac putredinis concitationem, tum fracturæ dislocationem, (ex qua claudicatio vel intortum membrum sequitur) ferulas necessario reiiciendas putamus. Cætera quod attinet, scias, non vsque adeo excellentis artificij esse fracturam curare maxime in iuuenibus, in quibus vnica Symphiti radix contusa, cocta & imposita callum facit: sic Aristolochia, serpentariæ, ac Traumaticæ herbæ quæuis vino incoctæ ac impositæ sufficiunt.

Symphiti radicum contusa fracturas curat.

Herba Sophiæ.

Est præterea herba quædam, Herba Sophiæ dicta nobis, quæ tam cruda, quàm cocta omnem fracturam sanat. Idem de nostris Oleis, Balsamis, Vnguentis, Emplastris, Traumaticis tibi confidentissime polliceri poteris, saltem vt præscriptos canones obserues: namque natura leuissimo auxilio adiuta, plurimum per se efficit. Duo præterea in fracturis studiose spectanda erunt, nimirum vt vulnus cum fractura complicatum post ossis repositionem demum curemus, sic vti vulnus curandum præcepimus, dein agamus per Symphitum, Aristolochiam, &c. vti diximus: semper vero mane ac vesperi deligemus. Tum vt Ecchymosin (de qua capite sequenti) si quæ fiat, ex qua Tussis, Sternutatio, Punctorius dolor, &c. oriuntur, quàm citissime soluatur, ac ex corpore depellatur. Sciendum quinetiam est, naturam in locandis ac reponendis quibusdam ossibus, vt costis, &c. nostra ope minimum indigere, in aliis, vt artuum, &c. nostrum accuratum auxilium desiderare. Symptomatum autem, vt caloris, tumoris, &c. ex quibus putredo, curandorum hæc ratio est, vt Oxyrrhodino calido restinguantur, ac oleo hyperici, vel florum Verbasci, (quemadmodum in Oleis vulnerariis docuimus) ac similium tumor discutiatur: nam cætera primarij scopi, vltrò secum trahunt, vt de iis multum disserere nil opus sit. Sin, quod ob medicorum imperitiam frequentissimum est, Ignis sacer, vlcus cacoëthes, vel fistula, &c. subsequatur, sciendum nil spei amplius superesse, sed vel membrum amputandum, vel certissimam mortem expectandam esse. Denique obserua, idem plane quod de fractis ossibus diximus, in comminutis ac contusis iudicium esse, nisi quod hîc ossa libera plane remouenda præcipiunt Chirurgi.

Vulneris cum fractura complicati curatio.

Repositionis necessitia.

Symptomatum fracturarum curatio.

CAPVT V.

De curatione ecchymomatis.

Ecchymomatis causæ & curatio.

ECchymosis seu Ecchymoma, causas catarcticas habet, ruptionem, contusionem, casum ab alto: nam istis de causis sanguis extra vasa effusus, in parte dolente colligitur, in grumos abit, ac tandem putrefactus, vicinas partes erodit, ac vlcus facit, pro loci natura varium. Itaque Ecchymomatis primarias differentias nos statuimus à partium diuersitate, vt aliud sit partium internarum, aliud externarum, vt artuum, &c. hincque duplex quoque nascitur curandi ratio. Nos ambas seorsim paucis absoluemus. Sanguis concretus exteriorum partium vti periculo plerumque vacat, ita in interioribus collectus, propter apostemata, quæ minatur, ferè mali maioris author est, itaque & propter hæc, tum propter impendentes obstructiones, in omni etiam leuissima ecchymosi interna, de dissoluendo grumo, sine mora cogitandum est. Sciendum quoque in contusione tam artuum

Sanguis concreti duplex. Prædictio.

artuum quàm viſcerum, ſemper de mundando ac expurgando ſanguine conſilium ineundum eſſe: nam ſemper (niſi forſan in admodum iuuentibus) maius aliquod malum in propinquo eſt, niſi hoc fiat: ſin præſtetur, iam omne procul eſt periculum. Itaque ſemper primo grumi diſſoluendi, fundendi, digerendi: nam iis manentibus, ſi curationem conficere pergas, Ignem ſacrum putredines, inflammationes, &c. excitabis, malæque medicinæ, quæ ferro perficitur, autor eris.

Diſſoluendorum autem grumorum duplex eſt modus: per interiora remedia alter, alter per extrinſecus admota, tam in interiorum, quàm artuum, ecchymoſi.

Grumi diſſoluendi.

Oleum ad Sanguinem concretum in artubus.

Recipe fl. Verbaſci M. j. Fl. Hyperici M. iij. Rad. Aſclepiadis M. ß. Mummiæ ℥ j. olei oliuarum recentis lib. ij. Terebinthinæ lib. j. Vini rub. opt. ſextarios duos, coquantur omnia per horas vij. pòſt vaſe vitreato probe occluſo macerentur ad ſolem, ad tempus, ac exprimantur, & habebis oleum ad hoc malum incomparabile, ſi eo pars affecta vngatur manè & veſperi.

Puluis ad diſſoluendos Grumos Sanguinis circa interiora collectos.

Recipe Rhabarbari electi ʒ ij. Mummiæ ʒ ß. Laccæ rub. Spermatis ceti ana ʒ j. Boli Armeni, Terræ ſigillatæ ana ʒ ß. rad. hyrundinariæ ʒ iij. fiat puluis ſubtilis, exhibeatur ʒ j. in aqua fl. tiliæ vel conſimili. Valet ad ecchymoſin, tam intrinſecam quàm extrinſecam tollendam: nec eſt vt plura remedia requiras, duo hæc nunquam te, etiam in ſummo periculo, deſtituent, certò ſcio.

CAP. VI.

Ad Ambuſta ex Lignorum flamma.

Aduſtionis differentiæ variæ ſunt, atque hinc eius curandi rationes diuerſæ. Nam quemadmodum medicamenta ad ſolem cocta alias vires adipiſcuntur, quàm ad ignem parata: alias ad flammam, alias in prunis cocta, vtque alia eſt ſulphuris, alia aquæ vitæ, alia lactis, alia mellis flamma in præparandis remediis: ſic aduſtiones à flamma ſimplici, lacte, aqua, puluere tormentario, ſulphure, metallis, fulmine, fulgure, &c. aliæ ſunt ab iis, quæ à vapore, metalli fuſionibus, aqua ſalis, vitrioli Aluminis, &c. fiunt, imò omnes à ſe inuicem diuerſæ putandæ ſunt diuerſamq; curationem requirunt, quam etiam commodioris doctrinæ gratia, ſuis diſtinctam capitibus proponemus. Et flammæ ſimplicis lignanæ curatio quidem talis eſt. Primum omnium calorem, ad exteriora attrahes hoc modo. Recipe Butyri recentis, quantum ſufficit, calefiat, calidiſſimum aquæ frigidæ infundatur, ac agitetur, donec niuis inſtar inalbeſcat, pòſt abiecta aqua ſeruetur ad vſum, in forma vnguenti, valet ad omnem aduſtionem ſimplicem à ligno, Lacte, Oleo, Butyro, Reſina, &c. factam. Vſus tempore quotidie bis, ter, quatérue, aut pluries locum affectum eo perunges, ſtudebiſque ſemper pinguem ex butyro ſeruare partem affectã, nec vnquam patieris exiccari, donec plane percurata ſit, hoc vnguento quamuis maximum calorem facillime extrahes: quin vbi aduſtio tanta fuerit, vt vlcera fiant, ipſum ſufficiet ſi Emplaſtro ſtictico iungatur; nec opus eſt multum aliis inſudare remediis inquirendis, hoc vnico, ſed certiſſimo, tuto contentus eris. Obſeruabis tamen in aduſtione per pingues res, vt Oleum, Butyrum, &c. factas, maiorem paulò Emplaſtri ſtictici vſum requiri.

Pinguis vſtio vt curetur.

CAPVT VII.

De aduſtione ex metallis, aquis mineralibus, ac ſimilibus curanda.

Metallica ac Mineralia, ſingularem quandam veneni communicandi rationem obtinent, ipſis à propria natura implantatam, atque hinc propriam quoque curandi methodum, quæ etſi ad omnia metalla generalis eſt, in particularibus tamen quandam diuerſitatem obſeruat: nam reſtinctio caloris diuerſa eſt, in Mercurio, Sale, Vitreolo, ac Alumine, tum in rubigine, quibus etſi ea, quæ ad ſimplicem aduſtionem præſcripta eſt (priore capite) etiam conuenire poſſit, tutior tamen eſt, quam pòſt annotabimus. Venenum de quo diximus, metallis peculiare ſimilem quodammodo peſtem adfert, ac Rabioſi canis venenum itaque non ſolum de calore extrahendo, ſed & de veneno extirpando, cogitandum, namque ipſum quod à Vitreolo, Alumine, Sale, ære, &c. generatur, fere vlcerum, quæ cachoëtæ vocantur, cauſa exiſtit, non raro quoque lepram faciunt: Lepram non veram quidem, ſed ſpuriam, legitimæ non abſimilem, à qua totius temperatura diſſoluitur. Ad extrahendum autem, ac reſtinguendum calorem, ſeu vſtionem Metallorum, &c. Adipis ſuillæ, id eſt, lardi quantum ſufficit, liquefiat ac incaleſcat, pòſt calidiſſ. infundatur in aquam Solani, agitetur dum conſiſtentiam vnguenti nactus fuerit, hoc vnguento perunctum malum, ſine aliorum remediorum acceſſione percuratur.

Metallicarum aduſtionũ curãdarũ vna Methodus.

Lepra ſpuria ab vſtionib. Alum. Vitrioli, Salis, &c.

Vbi à Mercurio quis vſtus eſt, locum affectum in lacte calidiſſimo intinctis pannis, vicies vel vltra fouere conuenit, ſic vt vbi refrixerit ſemper immutetur, pòſt vnguẽto ex Butyro parato calorem extrahere, Emplaſtro de Colophonia, cicatricem facere oportebit. Hic vſtionis modus rarus eſt, contingit tamen ſi Amalgamata quæ vocant parentur. Singularia hic affectus ſymptomata habet, Odontalgiam ac Tremorem, quæ abſtinentia à contactu Mercurij vſu Aquæ vitę in lotione manuum, tum gargariſatione ſeu oris collutione, cum aqua Lauendulæ, ſine negotio curantur: frequentia hæc ſunt iis, qui Cinnabarim parant, Mercurium per deſcenſum præparant, Metalla ſeparant, aliiſque Metallorum artificibus, &c. Vſtiones porro ab aquis ſalinarum, fontium Aluminis & Vitrioli, quocumque tandem modo eæ fiant, periculoſiſſimæ ſunt: niſi enim accuratè empyreuma, id eſt, calor extrahatur, grauiſſima ſubſequuntur mala. Nos pro his certiſſimum remedium, ſub vnguenti forma proponemus. Habe autem Olei nucum, lib. ß. Seui ceruini, lib. j. Butyri præparati vti præcepimus, lib. j. ß. miſce, fiat vnguentum, vtatur quotidie bis, mane & veſperi,

A Mercurio vſti vt ſanẽtur.

Symptomata huic vſtioni ſingularia.

Empyreuma Salis Vitrioli, &c. vt tollatur.

vesperi, donec nihil doloris, phlegmones, ac caloris supersit. Denique si istis non plane cedat: Balsamo, vnguento, vel puluere traumatico, cicatricem facias, deliges autem medicamenta, quæ maculas quoque fieri prohibent. Hæc remedia iis quoque vstionibus, quæ tinctoribus accidunt non incommode adhibebis.

DE VSTIONE PVLVERIS TORmentarij, Salnitri, sulphuris, & aquæ regalis curanda.

CAPVT VIII.

ADustionis ista species, præter cœlestem vstionem, longe omnium periculosissima est, quemadmodum & ea quæ à vehementibus Chemicorum aquis, vt Mercureali, Gradatoria, Regali, &c. excitatur: hæc tamen magis ob Corrosionem, quæ à venenorum acrimonia excitatur, quàm alia de causa grauis est. Illa vero multis modis: nam & admodum penetratoria est, & restinctu difficilis, propter Salnitrum & Sulphur, quorum calor non nisi à seipsis consumi potest. Nos de istis singulari capite disserere non infrugiferum putauimus. Itaque vt primum quis à puluere tormentario vstus fuerit, vtile erit hoc vnguento locum passum perungere.

Tormẽtarii pul. vstio cur curatu difficilis.

Recipe Butyri lib. j. Ol. nucum, Seui ceruini ana lib. ß. Medullæ Tauri quartarium j. liquefacta ac feruida infundantur in aquam Nymphea ter quaterue, agitentur probe & fiat vnguentum, quo vngatur æger, vbi incaluerit, renouare conuenit, donec dolor quieuerit, ac denique vt vulnus simplex curare.

Vnguẽtũ pro vstionib. pyrici pulueris.

Sin à Chemicis aquis, vstio facta sit, præter hoc, oleis traumaticis, vel stictico Emplastro, Corrodentem vim frangere enitendum est, tandémque curare. Ego in huiusmodi casibus, si quis alius, remediorum varietate abundo, sed istis quæ scripsi, vim primariam tribuo, expertus.

Chemicarum aquarum vstio.

DE AMBVSTIS A FVLMINE & fulgure, curandis.

CAPVT IX.

MAteria huius ignis ex qua Firmamentale Sulphur ac Salnitrum est: quemadmodum ex terra prodeunt Sulphur ac Salnitrum, ex quibus deinde in vnum coactis singularis oritur substantia: si cœlestes materias huic respondentes esse, omnino putandum est: si enim pluuia & nix in cœlo generantur, quid prohibet ignem quoque ac Salnitrum illic nasci? Itaque Fulmen eiusque ignem, cœlestem quandam compositionem esse ad exemplum huius terrestris, à syderibus comparatam pronunciamus. Quamobrem sciendum, quemadmodum cœlum elementa superat, sic huius ignis malignitatem longo post se spatio, omnes reliquas Elementarij ignis vstiones relinquere. Nam ferè vel præsentaneam mortem adfert, vel indubitatam alicuius membri iacturam: quidquid enim contigerit, vel destruit totum, vel corrumpit, ignis nostri exemplo, qui ligna vel omnino in cineres redigit, vel in carbones mutat: nunc vti ex carbone, nedum ex cinere, lignum fieri impossibile est, sic huiusmodi membra vix in pristinum statum reduci posse putandum erit, ne impossibilia pollicemur, ac in artis operibus aberremus. Duplex ergo fulminis curatio est: nam iis, quæ iam quasi in carbonem abierunt, omnimoda ablatio, reliquis quæ mediocriter se habent, alteratio, ac pristini status inductio competit. Hoc interim meminisse decet, quandam huius ignis speciem esse, quam extinguere ante Sulphuris & Salnitri consumptionem impossibile sit. Ego quæ quinta vice, (pluries enim huiusmodi casibus non interfui) expertus sum, fideliter proponam.

Sulphur & Salnitrum cœleste.

Similitudo pulchra.

Fulminis duplex curatio.

Medicina itaque in hoc malo sit, quæ antequam empyreuma extrahatur, vehementiss. refrigeret: nam nisi ea adhibeatur, vrendi nullus finis est, quemadmodum hoc ipsum in puluere tormentario sæpiss. experimur. Restinctorij illius medicamenti formula talis est: *Recipe Spermatis ranarum, succi Sedi, Astacorum fluuialium, ana partes æquales, Myrrhæ, Vitrioli modicum, mixta omnia, imponantur membro affecto, donec calor remittat, quo restincto, vnguentis præscriptis ad vstiones, curationem perficito.*

Refrigerans remedium optimũ.

Sin eousque malum sæuiit, vt iam omnia instar carbonum vsta sint, hoc emplastro vtere, tum pars emortua à sana abscedet ac decidet.

Recipe lib. j. Colophoniæ, lib. ß. Picis communis, quartarium j. Ceræ olei, & Terebinthinæ modicum, malaxetur, & fiat Emplastrum, quod impositum, viuum à mortuo separat: tu dein ad curationem absoluendam Emplastro stictico contentus esto.

Vt pars emortua à sana abscedat.

DE EMPYREVMATE A GLANdibus tormentariis facto restingendo.

CAPVT X.

EMpyreuma siue vstio hæc periculosa existit multis modis nam eius calor diuturnus est, & metallicam quandam venenositatem comitem habet, tum ex violento ictu difficultatis quid contrahit. His curandis malis primum omnium ad refrigerandum glandem, restinguente medicamento vtendum erit, cuius etiam vsus erit, quamuis non in corpore amplius glans inhæreat. Huius generis autem sunt, Acetum rosaceum, Succi Solani, Nympheæ, Semperuiui, &c. succus Astacorum, tum Sperneolæ si per syringam iniiciantur sæpius, donec calor resederit, quo facto, vnguentis, balsamis &c. vulneratis, tamquam puncturam simplicem curare conueniet: verum tum propter ea, quæ vnà cum glandibus penetrarunt extrahenda, tum aliis multis de causis emplastrorum Sticticorum vsus contemnendus non erit.

Glandis calor restinguendus.

Verum refrigerantium magna vbique copia est, vt Limacum, Ranarum, Astacorum, intestinorum terræ, succus Sperneolarum, & similia: Succi tamen herbarum Nympheæ, Solani, Semperuiui potiores habentur, neque contemnendum etiam attramentum sutorium. Omnium

Succi refrig.

Omnium verò præstantissimum parabis, ex aceto rosaceo, & succo Astacorum inuicem mixtis: horum vero non hîc saltem sed & in pulueris tormentarij vstionibus vti licebit. Accidit quinetiam non rarò vulneratos perterrefactos aquæ se immergere totos, vel frigida vulnus fouere, quod vbi factum fuerit, sufficiet vnguento ab ambusta superius præscripto curationem perficere. Sciendum denique hanc vstionis speciem interim lethalem fieri, si calor interiora ac principalia membra, vt cerebrum &c. petat, quo in casu salus nulla speranda amplius. Sin lethale adhuc malum non est, intrinsecus per potiones datas calorem restinguere enitendum est. Potiones autem in totum refrigeratoriæ sunto, aqua, lac, zythum, succus pomorum, præcipue vero commendatur aqua prunorum Cypricorum minorum (quæ Germani Cepartem vocant) pota à vino autem omnino arcendi erunt ægri.

Lethalis vstio.

CAPVT XI.

Aurium Tinnitus, Visus Hebetudo ex vsu Tormentorum Bellicorum nata, vt curentur.

MAiorum tormentorum fragor, Campanarum sonitus, Molendinorum tumultus, vtpote excellentia & vehementiora sensibilia audiendi facultatem corrumpunt, quandoq; & aurium quendam tinnitum efficiunt: nam auditus organi structura subtilissima, iucundos tantum, lenes & harmonicos sonos sine iactura cepit, à reliquis acutis nimiumque grauibus illæsum vix permanens. Simile de oculis est iudicium, qui cùm tantum luminis saltem requirent, quantum ad discutiendas tenebras sufficit, ab excellenti quoque fulgore, vt Solis & Ignis, &c. facile destruitur. Hinc ignis subitus è tormentis erumpens, etsi corporaliter oculos non subeat, quia tamen subitus ac præfulgidus est, eos non potest non lædere. His itaque incommodis quomodo mederi oporteat, paucis aperiam. Vbi aures tinniunt, Auricularum frequentes scarificatus fieri, Luna inferiora signa percurrente, vtile erit, quibus si nil perfeceris, cucurbitulas post aures appones: quod si ne sic concedit malum, ad venæ sub lingua sectionem tamquam ad vltimum remedium confugiendum erit.

Auricularum scarificatio.

Oculis præterea affectis, conueniet frequens fomentatio ex viciarum vel hordei farina à furfuribus non mundata, vt nimirum ea in aqua coquatur, & calidus vapor in oculos recipiatur, donec lachrymas fundere desinant, quo facto in canthum maiorem, aliquoties mane guttam Olei laterini immitere haud infrugiferum fuerit.

Oculorũ affectorũ curatio.

Olei Laterini vsus.

Refrigeratorum Curandi Ratio.

CAPVT XII.

DVpliciter quis refrigerari potest: nam refrigeratio alia est ex diuturno vsu frigidarum rerum, vt inambulatione in aqua frigida, quæ non potest non consequenter defluxiones in artus concitare. Alia refrigeratio est, ex hyemalis frigidi ambientis gelu facta, quæ finita hyeme, fere in manifestum morbum degenerat. Est & tertia species, quæ effectum suum statim prodit, vt cum mors statim eos apprehendit, vel membrum aliquod in totum perit.

Refrigerationis species.

De refrigerationibus, quæ vel hyeme, vel mora in aquis frigidis contrahuntur, quæque paulatim in alios morbos abeunt, quia Medicorum potius, quàm Chirurgorum opera sanantur, nihil hîc præcipere animus est. De ea tamen specie quæ manifestum malum statim facit, non tam medicis quàm Chirurgis propria, in præsentiarum quædam docere conuenit. Quoniam autem fere iis in locis, quibus morbi frequentius ac peculiariter quasi fiunt, optima mali remedia habentur, tamen in hoc affectu longe alia ratio est. Nam apud Alpinos, Heluetiços, & Monticolas, rude hominum genus, hic affectus frequentiss. est, apud quos tamen nullum adhuc vtile reperias remedium, anilia, puerilia, stulta omnia sunt, quæ apud ipsos expiscari mihi licuit. Ego quæ iis in locis aliquandiu commoratus, expertus sum, proponam. Membrum ergo extremè refrigeratum, mortuum esse dubium non est: nam ad pristinum statum reducere illud impossibile est, sed putrescit ac decidit, quasi in lepra. Etenim sine controuersia constat, lepras frequentes ob refrigerationem fieri. Quamobrem ista membra cùm sui ablationem necessario ostendant, nil in eorum curatione sudandum erit, sed omni studio in id incumbendum, vt emortuum à sano separemus, ne pars syncera trahatur: quin hoc tentandum, vt quamprimum ad deperditi restitutionem properemus, si modo id restitui possibile sit: nam in digito vel simili membro, frustra hoc tentari quis ignorat.

Lepræ frequentes ex refrigeratione.

Medicamenti autem eius quo vtimur descriptio hæc est. ℞ *Piperis longi, Cardamomi, Granorum Paradysi ana ℥j. Euphorbij ʒ ij. Mastiches, ℥j. ß. redigantur in puluerem, ac coquantur in Vrinæ pueri, vel hominis Ruffi sextariis duobus, donec octaua pars supersit, pòst colentur, ac eo quod superest, membrum refrigeratum, ter quotidie vngatur, & abscedet mortuum a viuo.* Pòst per vnguenta vulneraria claudatur vulnus. Mira huic vnguento calefaciendi vis inest: nam eo aliqua parte perunctus, mirum si illa die frigus sentiat. In præcauenda vero refrigeratione, à variis varia vsurpantur, pelles ab aliis, ab aliis corium, sed omnia ista longe superat, Papyrus complicata, calceamentis ac tibialibus imposita, omnem aëris inclementiam in extremo gelu arcet, omnes pelles, ac coria antecellit, sed ne humectetur, cauendum.

Vt viuum à mortuo abscedat.

Papyri vsus contra frig.

Quibus omnimoda refrigeratio ad mortem vsque penetrauit, iis Theriacam & Camphoram cum aqua vitæ mixtam exhibere, ac in stratis componere vtile est. Zinziber quoque & Calamus vino incocta mirifice pota prosunt. Item aqua vitæ, in qua crocus intabuerit. Aromata præmansa frigus arcent, &c. Præter hæc nil de refrigeratione curanda, vel præcauenda penes me est, sed sufficient ista sine dubio in omni casu. Notandum denique quandam refrictionis speciem esse, quæ tam periculosa, quàm ipsa est, esse non cernitur, sed ea detenti, plerumque per somnum extinguuntur. Membra denique refrigerata leprosorum instar insensibilia efficiuntur, ac magnis refrigerationib.

Aromata frigus arcent præmansa.

frigerationibus ferè cutanea mala scabies scilicet, Psora, &c. succedunt.

CAPVT XIII.

De singularibus Quibusdam Chirurgicis obseruationibus.

ETsi summa fide, accuratissimaque diligentia, tribus his libris totum vulnerum curandorum negotium tradidimus, tamen quia & alij quidam idem stadium decurrerunt, sua singuli placita proponentis, admonendum duximus, nostrum scriptum, & certissimis fundamentis niti, & absolutissima experientia contineri. Nam etsi Chirurgorum, quædam cautelæ nondum à nobis expressæ sunt, tamen nihil de operis perfectione detractum puto, cùm vsus, exercitatio ac experientia, quàm scripta de iis admoneant rectius. Nam quæ ex libris discuntur, verarum cautelarum, seu obseruationum nomen non merentur, sed quæ vsu & exercitio comparata sunt. Ego quæ hoc seculo certissima, optima, nobilissima sunt, scripsi, non inscius posteriora secula plura obseruatura esse. Nam hora, dies, annus, seculum, noua semper produnt, quæ omnia scriptis mandari nequeunt, sed ad obseruationes referantur. Itaque si tu illis nostram Medicinam applicaueris commode, obseruationum vsum cognosces. Sic miranda sæpe vulnera fiunt in cladibus, de quibus nil apud antiquos, vel recentiores scriptum inuenias, iis particulariter mederi etsi non docuerunt alij, generaliter tamen descriptam methodum, tu si specialem feceris curandi modum inuenies. Nam hic artis vsus elucescit, si temporis, ægri, &c. imò omnium particularium ratione habita, medicinam feceris. Quin non raro vidi, adeo miranda vulnera, quæ nulla vnquam medici industria curari potuissent, nisi optima remedia præsto fuissent: verum ea est naturæ industria, vt si aptis remediis adiuuetur, sic omnia disponat, vt medici diligentiam plurimum superet. Quare sedula nauanda opera in præstantibus remediis conquirendis, post in experientia ac naturæ cognitione non minus laborandum. Obseruandum etiam, hydropicorum, Ictericorum, Arthritide, ac Podagra laborantium vulnera exiccandæ aquæ, ac sedandorum tumorum rationem requirere: nam vbi humiditas persistit, nunquam sperauerís vulneris glutinationem. Sic Paralyticorum, ac Podagricorum vulnera, magnam medici industriam requirunt: nam pro subiecti diuersitate euariant. Nunc salubria sunt, nunc noxia: nunc curatu facilia, nunc difficilia, quamobrem Medicos peritos in consilium adhibere tutissimum fuerit.

Particularis methodus vt ex vniuersali deducatur.

Humiditas glutinationi aduersatur.

Hactenus omnia quæ ad Chirurgiam pertinent, absoluisse mihi videor, tanta quidem diligentia, vt nihil desiderare possis. Nam vsu, exercitatione, experientia, tantum mactus sum peritiæ, vt plus nemo vnquam pauci tantundem adepturi sint. Nil ergo te moueant, quæ Doctores bullati contra me eblaterant: nugæ enim sunt & næniæ, ac de rebus illis inexpertis, inania verba, quibus nil nisi Doctoris titulum prætendere possunt: sed de his satis.

PERORATIO.

ABsoluta iam nobis est Diuina gratia vulnerum Chirurgia, non quidem omnibus placitura: sed eos ego qui meliora sciunt, vt ea proferant, etiam atque etiam rogo. De meis ego scriptis, hoc vere pronuntiare possum, satis superque ea vsu, ac exercitatione comprobata esse, & illum qui paria possit, videre vt liceat opto. Gloriari ac iactari familiare est, & promptum alios præ se contemnere: verum si rei natura, ac experientiæ magnitudo pensitentur, illis forsan non minor ero. Vnicum hoc studium Deos testor mihi fuit, damna ægrorum præcauere, quod dum conor, variis me expono iniuriis, verum Pharisæorum, ac Hypocritarum istorum calumnias nil moror, quibus nil nisi controuersias serere propositum est. Medicis præsenti opere me satisfecisse persuasum habeo. Etsi enim polito, ac arduo dicendi genere vsus non sum, nil admodum refert, patria, ac vernacula lingua, quæ Heluetica est, quàm Rhetorico stylo vti malui, cùm non linguam sed artem docere institutum esset, tum quod sufficeret ad experientiam meam, toto orbi proponendam, qua & Medicis & ægrotis innumeris adhuc prodesse animus est. Rogatos interim Medicos omnes velim, meam in illustranda medicina operam meliorem in partem interpretentur. Ego vicissim illis omnia fausta fœliciaque in Practico opere, tum veram veræ Medicinæ cognitionem ex animo precor.

Paracelsi studia.

Paracelsus Heluetius fuit.

FINIS PRIMÆ PARTIS CHIRVRGIÆ MAGNÆ Philippi Paracelsi, Medici & Philosophi summi.

CHIRVRGIAE MAGNAE PHILIPPI PARACELSI MEDICI CLARISSIMI, PARS SECVNDA, DE VLCERIBVS COGNOSCENDIS, ET CVRANDIS.

SERENISSIMO AC POTENTISISIMO PRINCIPI, DIVO FERDINANDO, DEI GRATIA Romanorum, Vngariæ ac Boemiæ Regi, Archiduci Austriæ, &c. Domino suo Clementißimo.



CVM Deus optimus maximus nullo habito Personæ respectu, à mundi vsque origine, morbos earumq; causas mortalibus omnibus communes esse voluerit. Hinc Iulium Cæsar. Augustæ Maiestatis tuæ antecessorem, grauiß. morbo conflictatum esse Historiæ testantur, eius successores omnes morbis, plerosque vulneribus extinctos esse, docent, omnes remediis indiguisse, neminem à Medicinæ ditione liberum fuisse legimus. Quia, inquam, omnes sub iugum medicinæ missi sumus, imò ipsi quoque Medici ei subiecti sunt, rationi consentaneum est, Medicos maximè in morbis præcauendis, ac curationibus eorundem, occupatos esse debere. Quòd officium Medici cùm sit, REX INVICTISSIME, Imitationem Medico, nisi vbi genuinæ Medicinæ fontes perspexerit, necessariam non esse, extra dubium esse puto: nam cùm opinionibus, contradictionibus, ac sectis Medica facultas abundet, interim autem de ægri corio res agatur, manifestum est, eam quæ vulgo in scholis traditur, ac in chartas refertur, veram medicinam non esse. His de causis ego hunc secundum Chirurgiæ nostræ librum scribendum suscepi: in quo absque omni errore, vel contradictione, & artis & naturæ poßibilitas declaratur. Et quamuis non ignoro, qualia sint aliorum de istis iudicia futura, maxime vbi originem, & causas vlcerum quas nos aßignamus, censebunt: nedum curationes quas plane non intelligent. Verum cùm considero erranti nil nisi suum dogma placere, & omnes sui similes fieri in votis esse, ipsorum nugas ne pili quidem fecero.

Iul. Cæsar ægrotauit.

Omnes sub iugū Medicinæ missi sumus.

Imitatio à Medicina exulari debet.

Ego Canones ac Methodum, aliaq; Pseudomedicorum scripta, aliquando & colui, & honoribus prosequutus sum. Sed cùm & alios mecum viderem frustra sudare ac laborare, de alia ratione cognoscendæ, ac faciendæ medicinæ inuenienda cogitare cœpi, quam multis tandem laboribus ac vigiliis consecutus sum, quibus parcere maluißem, si vulgatam Medicinæ methodum certam ac firmam perspexißem. Verum enimuero, indulta ac priuilegia Medicis collegiis, iam olim ab imperatoribus concessa, iam ab iis vsurpantur, quos adhuc erroribus intricatos esse manifestum est, quos in ægrorum perniciem agere quotidie experimur, adeo, vt si iam certo constet, ægrum medici inscitia periisse, tamen Rescripto legis Aquiliæ excusetur Medicus. Priuilegia non damno, sed ab immeritis vsurpari doleo. Consulem Romanum quondam Medicos interfecisse, ac vrbe expulisse memoriæ proditum est, quòd impunè quemquam interficere nemini licere vellet: quod idem si & iam caueretur, de multis ægris melius ageretur. Verùm donec huiusmodi immunitatibus imperiti gaudebunt, nemo ad Medicinæ perfectionem vnquam aspirabit. De meo scripto vt loquar iam, Clementißime Cæsar, nollem quemquam putare, me contradicendi studio, vel ex petulantia aliorum canonibus reiectis hæc scribere: sed hoc potius sibi persuadeant omnes cupio, me quem metipsum meorum operum rationem reddere oportet, quam longißime ab errorum labyrinthis, abesse cupere, tum pubici commodi gratia, meam diuturnam experientiam aliis quoque vtilem reddere conari. Hos autem labores meos, sub tuæ Augustæ Maiestatis nomine apparere volui vt meæ erga tuam Maiest. obseruantiæ pignus essent: tuq; vicißim mei meorumq; laborum patronum ageres. Sperans, me & T. M. & Reipubl. laborem nec ingratum, nec inutilem sumpsisse. Datum Augustæ 11. die Augusti, Anno 36.

Priuilegi Medici ab imperatoribus concessa, noxia.

Lex Aquilia.

Medici olim Roma expulsi.

T. Rom. R. Mt.

subditiss.

Theophrastus ab Hohenheim, vtriusq; Medicinæ Doctor.

THEOPHRASTVS PARACELSVS LECTORI BENEVOLO S.



QVIA ab ineunte ætate salutis ægrorum supra quàm dici possit, studiosiss. fui, quomodo illis impendentia pericula auerterem, semper meditatus sum, ac quo pacto salutis comparandæ rationem, quæ Diis ac mortalibus placeret, ostenderem cogitaui. Quo in labore dum versor, omnia omnium, qui ante me fuerunt

Antiquorum scripta cur reiiciat.

scripta relinquere coactus sum: nam nil vtilitatis ex iis consequi fas erat, quòd nullis certis inniterentur fundamentis, sed omnia rimarum ac ruderum plena essent. Nauseam forsan hæc tibi mouebunt amice Lector, sed mihi crede, omnia facile certiss. argumentis confirmarem, si tibi molestum non esse scirem. Ad hæc Medico cui ægrorum salus cordi sit hæc forsan auditu non ingrata sunt, vtpote vera. Iudica quæso L. beneuole, aduersarij mei quales sint, odij causam inquirere ne pigeat: neminem sanè inter omnes reperies, qui ægrorum salutis causa, me odio habeat. Deum precor meliorem illis mentem infundat, se metuo ne illorum corda indurare velit: tam enim bilis in illis turget, vt nil supra. Ego odij radices paucis exponam. Non medici isti, sed pseudomedici, si tantum lucri ex me haberent, quantum incommodi ex detectis à me illorum erroribus sentiunt, nunquam, mihi crede inuiderent, sed tamquam Dianam quandam colerent. Tu macte virtute Lector, ad laudem ac Medicam perfectionem summam enitere, ac nostra scripta sine stomacho iudica, inuenies quæ legisse non pigebit, Vale.

Paracelsus cum Medicis exosus.

THEOPHRASTI PARACELSI IN VLCERVM CHIRVRGIAM.

Præmium.

Contrarius Paracelsus.



DVM Chirurgica scribo, plerique me Medicis CONTRARIVM appellant, meque illis ex opposito semper constituunt. Ij quidem mea sententia bene dicunt: nam illis contrarius sanè sum, at naturæ interim familiaris, vestrum iam iudicium esto, an si naturæ familiaris sum, non immerito illis contrarius dicar. Malo ego tamen naturam me non accusare, quàm eos qui naturæ contrarij sunt. Verum ostendat quis, quomodo contrarij nomen mihi conueniat, Medicinam artium præclarissimam constituo, eam ex summis artibus, Philosophia, Astronomia, Chimia, Physica, ceu è fontibus petendam assero: an non hæc naturæ consentanea sunt? relinquitur igitur iis tantum me contrarium esse, qui non ex Lumine naturæ medici extiterunt.

Medicinæ veræ fontes.

Ad hæc illud frequentissimè mihi vitio verti audio, quòd permanentem mansionem nullam habeam, quòd scilicet non post fornacem, quod mei contrarij faciunt, domi desideam. Sed cùm à Cl. I. C. ac amico intimo Dn. Zacharia Pirer intelligam, Medicum in Iureconsultorum libris perambulanum appellari, ex vi vocabuli colligere possum, medicos non intra mœnia nasci, sed peregrinationibus perfici. Itaque vt paucis dicam: tantum inter me ac illos interest, quantum inter nigrum & album. Ars hæreditate non comparatur, non sola lectione librorum, sed Ruminatione ac masticatione, hoc est, vsu ac experientia, quæ non domi, sed extrà fieri debet, perficitur. Quare si quis me illis contrarium dicat, ad alium iudicem non prouocabo, quòd tale iudicium mihi honori, illis vitio sit.

Medicus Perambulanus esse debet.

Dicat quis, recte ne fecerim, an peccarim, quòd peregrinationibus meis didicerim morbos ac vlcera curare, ac quæ à meis aduersariis male curata sunt, restituere? Ista ne contemptum mereri quis putet? esto, contemnat quis, contemptum hunc non ex rei indignitate, sed inuidia ac scientiæ odio esse, quis non cum ipsorummet philosopho pronunciet? Qui scientiæ vnicum hostem esse ignorantiam prodidit.

Quamobrem cum Diuina benignitate, tantam rerum experientiam adeptus sim, quam & vtili proposito aliis communicare animus est, quis æquior iudex non meos conatus commendet, ipsorumque calumnias reprimendas iubeat? Verum illos nil moror amplius, si nostra non placent, suam pingant ac fingant sibi Lucretiam, vel si malunt, Troianam Helenam: sed cùm non scriptis saltem, sed & opere artis cognitionem testatam facere medicus debeat, nil illi impedient, quo minus vinum mihi sapiat. Te Lectorem monitum ac rogatum volo, rem, non verba: opus, non loquacitatem vt spectes, & eris nobis æquior.

THEORIÆ VLCERVM PARACELSICÆ FONTES.

Consuetudo nõ est Ars.



NOVA dogmata temerarij ingenij argumenta esse, omnibus decantatum est, nec mihi ignotum, sed æquitas in istiu normæ loco esse debet: nam consuetudo ars non est, sed Ars illud verè dicitur, quod opere ipso demonstratur. Itaque consuetudine relicta, non statim ars repudiatur. Verum hîc mox nobis obiiciat quispiam, & ante me etiam vlcerum curandorum ac cognoscendorum rationem cognitam fuisse, nec medicinam solum mihi, sed ante hæc secula multis, ac nunc quoque pluri-

mis cultam esse. Huic nos respondendum hac ratione ducimus; Originem & causas vlcerum à nemine vnquam ante nos ex veris fontibus traditam esse, quod consequenti sermone patebit: Ad hæc vlcera curata non negamus, at quomodo? vt ex decem vix vnus curaretur æger: ad hac tanta temeritate in ægrorum perniciem, quiuis quoduis attentaret: quæ mala extirpare, nostra oratio sibi proponit. Præterea, quæ de causis & origine vlcerum ab ipsis prodita sunt, tam pugnant cum eorum curandi ratione, vt nil supra. Verbi gratia, remedia quibus vtuntur, sunt Mercurius, Lythargyrum, Alumen, Vitreolum, Minium, Ærugo, Terebinthina, Resina, Gummi, &c. Ista quis mihi intueatur simplicia: Mercurius quomodo in Choleram, Pituitam, Melancholiam & sanguinem agit? (& similiter de reliquis.) Iterum, si Choleram cathartico deiicias, an vlcus curasti, edoce, quem vlcere laborantem, tuo Rhabarbaro, cortice sambuci, Clystere, Rosarum syrupo, &c. curasti? Quomodo ergo dicis, causam veram te ostendisse vlcerum, cùm iuxta tuos Canones, ac Regulas vlcus curare tibi sit impossibile? Purgas, sed causam non tollis. Clystere aluum soluis, at mali radicem non attingis: per podicem inutilia extrahis, interim noxio corpore ad vlcus confluente.

Causas vlcerum veras Medici ignorãt.

Catharticis vlcera non curãtur.

Sed originem seu primum vlcerum fontem quem facis? Epar nimirum. At dicas nunc, si in Epate mali radix est, cur non illic vlcus fiat, vel in splene, si eò originem referas? verum vel sub axillis, vel ad inguina, &c. certo scilicet aliquo in loco? cur quæso si à capite humor defluit, pituita scilic. & bilis, vel alius, cur non potius in capite, quàm subiectis partibus vlcus facit? an ne inter defluendum eam nanciscitur acrimoniam? Sed respondes: sic scriptum in meo codice est: Ergo, &c. Item sic pro lectione professorem asserente audiui: itaque sic se habet. O miseram consequentiam, si sic res comparata est, vt in libro descriptam legis? quid causæ subest, quòd non sanentur ægri? Verum remedia vestra contra vlcera (vt tandem fucum aperiam) ab aniculis, rusticis, agyrtis, carnificibus, qui vestros Canones ne viderunt quidem, didicistis, emendicastis, suffurati estis. Si tam certò originem tenetis, cur non ex vestræ artis fundamentis formulas remediorum descripsistis? an emendicari oportuit? Sed quia fundamenta claudicant, illinc nil boni eruere potuistis. Vestros codices tantopere prædicatis, sed mihi credite: Si Lignum (nam totam ligneam fecistis artem) Si Mercurius non essent, tam rari essent Medici, quàm est Asinus cæruleus rarus. Itaque si ista duo remedia sola artem perficiunt, quid tanto librorum aceruo opus est? D. Brandt, certe sæpissimè me vestrarum Bibliothecarum admonet, in sua ad Narragoniam nauigatione. Ridiculum sane est, propter duo hæc remedia Lignum, scilicet & Mercurium tot chartas commaculatas esse, cùm minimo libello tota ars vestra comprehendi potuisset.

Medicorum probationes ridiculæ.

Vulgares Medici vnde sua remedia habeant.

Guaiacũ & Mercurius sunt Medicorum tota Medicina.

SECVNDAE PARTIS CHIRVRGIÆ MAGNÆ PH. PARACELSI, TRACTATVS PRIMVS.

DE ANTIQVORVM MEDICORVM TAM VERORVM QVAM PSEVDOMEDICORVM AD VLCERA EXPERIMENTIS.

DE VVLNERARIORVM REMEDIORVM vsu inutiliter in vlceribus attentato.

CAPVT I.



POST inuentam vulnerum curationem, cùm & vlcera paulatim fieri inciperent, remedia vulnerum in vlceribus vsurpari cœperunt, secundo quandoque, quandoque improspero successu. Maxime vero potiones, olea, vnguenta, traumatica, ac Emplastra, in in vsum recepta sunt; inter omnia tamen plurimum valere Emplastra experientia docuit, vnde non mediocris laus illis conciliata est. Verum enim domesticum hoc semper malum fuit in Medicina, rerum causas & origines ignorari, quod & hic contigit. Eius mali causa fuit in Medicina, rerum causas & origines ignorari, quod & hic contigit. Eius mali causa fuit semper, oscitantia, lucri & voluptatis studium inter medicos, qui tibias, Cytharam, cantum, magis quàm ægrorum salutem sectati sunt, quod in aliis mechanicis artibus non contigit: eæ enim semper cultores habuêre, quibus virtus ac laus maiori quàm emolumentum curæ esset. Hic vero proximi dilectio statim extincta est, ac præceptum quo non tam nostræ quàm proximi salutis studiosi esse iubemur, omnino neglectum: cùm tamen hoc præceptum omnibus sanis inquirendi consilij pro ægris, necessitatem imponat. Quin ipsemet Deus naturæ huius author, quærere vt inueniamus præcipit, cùm inquit: Discite ex me, quia mitis sum, & humilis corde. Quamobrem diligens remediorum indagator nunquam desperare debet, sed eius quod quærit inuentionem sibi certò polliceri: nam nihil tam secretum natura habet, quod ipsi denegatum sit. Hinc in paucis quibusdam fraternæ charitatis scintillæ enituerunt, qui canum exemplo ægrorum vlcera lingere non exhorruerunt, ac sanitatem summum bonum posuerunt, omni pompa ac voluptatis studio posthabitis: diligens dein indagatio ista docuit, acriora ac vehementiora vlcerum, quàm vulnerum remedia esse debere: edocti quinetiam hinc sunt, magnam vlcerum varietatem esse, suamque singulas species curationem propriam desiderare: tandem per indicationem contrarij remedij, vlcerum putredinem, aqua salis, fabrorum ac similium, arcere tentarunt: non ita multo pòst Chelidoniæ, fol. quercus, ac musci, cranio rum, resinæ, ac Terebinthinæ

Medici. æ domesticũ malum.

Vulnera quidam lingere nõ exhorruerunt.

Putredo vlcerum quibus arcenda.

binthinæ vsus innotuit. Verũ curationis perfectio semper desiderata adhuc est. Donec tandẽ adulterata ac Sophistica Medicina, nugis ac loquacitate, sic falsa remedia palliauit, vt passim pro veris haberentur: sed quia Sophistæ ventris ac gulæ tantum commodum quærebant nil solidi indagare solliciti fuerunt, sed ruinosis fundamentis contenti, nescio quas nænias superstruxerunt. Isti tamen vt maxime vulgata remedia extenuare conati sunt, tamen Deus Opt. Max. ea tali effectu donauit, vt passim iis vti quàm fucatis (quæ medici falsarij obtrudebant) vulgus mallet.

CAPVT II.

Dolor vlcerum, quas inquirendi remedij occasiones dederit.

Mala Medicina. DOloris magnitudo, malam medicinam, vt scilicet contrarium contrario, malum malo pelleretur, primum omnium induxit. Hinc illa per acres ac rodentes medicinas, Salem, Vitreolum, Lixiuium, ex herbis Radiculam & Chelidoniam, &c. curandi ratio orta, sed ferè vbi grauius aliquod malum erat, inutilis ea fuit, quamuis in vulgaribus non omnino contemnenda esset. Post hæc ad sectionem ventum est: verum quia radix mali resecari non potuit sua ipsorum explodenda temeritate cognita, mox eam abiecerunt, ad Vstionem se conuertentes, in qua tanta luserunt varietate, vt nil supra, alij candente Metallo, auro scilicet, argento vel ferro: alij liquefactis, Plumbo ac Stanno in vlcera infusis, mali radicem frustra exurere conati sunt. Et sane meo quoque tempore fuerunt, qui ipsum attentarent, sed frustra omnia, nam nisi quandoque Natura ipsis remediis efficacior vlcera curasset, nullus vnquam sanitati ab illis restitutus esset. Fuêre qui non irrito conatu, Mercurium calidum vlceribus infunderent, & sane non spernenda salutis spes in hoc remedio apparebat, nisi Tremor & odontalgiæ quæ sequebantur, curationis hanc rationem coëgissent. Atque sic subinde in eo laboratum est, quomodo minus malum, per maius incommodum tolleretur, sed à Medicinæ veris theorematis, hoc alienum esse, facile palàm fecero. Contrarietatis ista indicatio certe non malum remedium ostendit (nam malum malo simile potius est, quàm contrarium) sed bonum, clemens, benignum: nam iram patientia, non ira vincit: iram à maiore ira vinci ac pelli contrà dicunt illi ita sane: nam nec ego hoc inficias eo, sed cruenta victoria est: etenim si fortis à forti vincatur, victoria non sine incommodo paratur: sic si malum vlcus à malo remedio superetur, talem hæc curatio memoriam post se relinquit, vt æger se non curatum mallet. Quamobrem omni studio in id incumbendum, quo pacto leni remedio malum euincas, qua in re quid ego præstiterim, sequentes tractatus testabuntur.

Rosio.

Sectio.

Vstio.

Mercurii ca idi infusio.

Malum m lo n recte pellitur.

CAPVT III.

Alchymistarum in Medicina vlcerum labores & inuenta.

CVm Alchymistæ didicissent, Medicos per acria, ac rodentia medicamenta vlcerum curationem tentare, ipsi Chemico more remedia illa parare cœperunt, ac summas illis rodendi vires inducere, sunt conati. Sic salem communem, & salem petræ ac gemeum per Reuerberatorium in calcem redegerunt, Vitreolum quoque calcionatum, medicis vtendum exhibuerunt, qui deinde ad vsum adhibitis remediis, non parum virium ad sanandum inesse illis experti sunt, maximè vbi ea mali radicem attigissent. Verum cùm varietas quædam vlcerum appareret, istis particularibus relictis, ad vniuersalia animum adiecerunt, inter quæ Mercurius sublimatus palmam tulisset, nisi ob intensissimos dolores quos creabat, contemptui habere cœpisset. Secundum locum Arsenicum meruit: pòst Realgar aliaq; deinceps Corrosiua, quibus omnibus in quibusdam singularibus personis, suas vires non deesse obseruatum est. Atq; hinc Physici perspecta varietate ista, iuxta diuersitatem remediorum vlcerum differentias quasdam meditati sunt, sed omnia manca, ac mutila erant, quòd originem morbi non intelligerent: originem dico quam Astronomia ac Genealogia, non hominum modò, sed & cœli indicant. Nam cœlum (in cuius consideratione Medicum perpetuo versari decet,) subinde mouetur ac senescit, suasque operationes senis hominis instar, accuratius ac seuerius perficit. Humana vero Genealogia, semper in deterius abit, veneno per parentes communicato, vt iam posterior priore semper morbosior, sit & habeatur. Hæc huius secretioris philosophiæ ignoratio, omnium illorum errorum mater est.

Alchemistarum præparationes.

Mercurius.

Arsenicum Realgar.

Astronomia & Genealogia nouum morborum causæ primæ.

Verum sciendum omnibus seculis Medicinæ vehementiam affectatam esse, hoc est, malo malum pellere attentatum, sed decebat considerasse iram nullam, quamuis maximam sibi opposita patientia non euinci. Etsi enim vlcera venenata esse, certum erat, non tamen ideo venenis ea curare statim oportuit, cogitandum potius erat, duo contraria, iram scilicet ac lenitatem in eodem corpore inesse posse. Sic in Mercurio, (qui in vlceribus curandis primas tenet) duas contrarias facultates, dulcem scilicet & corrodentem inesse videmus itaque per Mercurij dulcedinem non corrosionem curandum esse scire debebant, sed quia dulcedinem ignorabant: nil mirum est si hoc modo egerint. Scorpio item, veneni sui medela est, sed certe non qua venenosus est, sed quia duas diuersas naturas obtinet. Hæc in eum finem protulimus, vt ostenderemuss, vulgatum illud quasi Axioma, Malum malo pellendum esse, in Medicina non valere: sed cum in quouis corpore bona & mala quædam natura insit, malam separandam ac bonam Medicinam faciendam esse.

Venenũ non statim veneno pellendum.

Mercurio duæ aduersæ insunt qualitates.

Scorpio suimet veneni est remedium.

CAPVT IV.

De compositis Medicinis ex Corrodentibus & vulnerariis, earumque vsu ac noxa.

COgnita iam ac perspecta corrodentium medicamentorum natura, quomodo scilicet ea Escharam facere nata essent: porrò illa vulnerariis medicamentis admiscere tentarunt, ac vtilissime ea Resinosis ac Emplasticis remediis, iungi & misceri didicerunt: vnde postea innumeræ Emplastrorum, ac vnguentorum descriptiones extiterunt. Sed quia nec ista vera Methodus erat, qua vlcera curari oporteret, varia & hic acciderunt aduersa seu mala, quæ curationem

Corrodentia escharã faciunt.

tionem turbarent. Namq; immensus hic est errorum Oceanus, enauigari impossibilis. etsi enim Eschara satis magna decidebat, nil tamen de radice mali adhuc ademptum erat. Nam in origine ac radice mali inquirenda ac tollenda, omnes, & Physici ac Medici à scopo aberrarunt, in quo tamen attingendo scriptores plurimi strenue laborarunt: verum quia ex iisdem fontib. argumenta sua (ex quibus & priores) haurirent, non minus quàm illi spe sua deiecti sunt. Interim si quando Naturam per se vlcus curare accideret, illi iam persuasum habebant, rem acu se tetigisse.

Sciendum porrò vulnerariam medicinam hîc magnum vsum præstare, Corrosiuis dulcibus iunctam, sed semper ad originem respiciendum, quod nisi fiat, oleum & operam ludes: nã nulla plane medicina proficiet, fonte mali neglecto, sed si hic vlcus sanes, alibi aliud protrudet natura, priore longe peius. Itaque & illa quorundam persuasio stulta & ridicula est, qua, quidam vlcus in vstionem, vel vulnus trãsmutare conati sunt, ipsumque dein tamquam vulnus vel vlcus curare: nam rosio, sectio, vstio, non sunt legitimi curandorum vlcerum modi, quemadmodum Physici ac Chirurgi nonnulli prodiderunt. Neque ea curandi Methodus: quã abstinentia & vsus Ligni Guaiaci imperatur, vera ac cum mali fontibus consentiens est: nam nisi vltrò iam natura curare velit (tum enim non contemnendum auxilium putamus) nil ea proficies. Hæc eo nomine dicimus, vt admoneremus, curationem quæ tempore, occasione, ab ipsamet natura perficitur, non expectandam. Ea enim vera Medicina est, quæ & ipsam naturam celeritate præuertit.

Vulneraria Corrosiuis [illegible]

Vlcus nõ [illegible] in vulnus transmutandum.

CAPVT V.

Quomodo artifices quidam studio sanitatis, varia remedia inuenerint, per quæ multorum morborum causa innotuerunt.

VEterum Chemistarum tanta fuit in inueniendis ac inquirendis remediis diligentia & industria, vt eam non celebrare ac memoriæ mandare indignum videatur: nam etiamsi non semper quod sperabant consequebantur, tamen hac occasione Magnalia Medicinæ innotuisse manifestum est. Per ipsos enim metallorum viliorum transmutatio tentata est, quam etsi naturæ impossibilem esse non asseram, pluribus tamen difficultatibus obrutam constat. Nam ferrum in Cuprum, Venerem in Saturnum mutari, nemo est qui ignoret, &c. Illi ergo miranda hac specierum transmutatione obseruata, eam in medicum agrum transferre voluerunt: nam cùm Tincturas suas malè curatas, à gallinis domesticis deuoratas, id efficere casu obseruassent, vt plumæ deciderent, nouæq; succrescerent, (quod & ego testari possum.) Experiri placuit, an in humano corpore superflua, sic quoque absumpta irent, vnaque vlcerum radices tollerentur, & sanè, vti in tractatu de curatione vlcerum ostendemus, non plane irritus conatus fuit. Huiusmodi experimenta facere, naturæ non inconsentaneum est, sed maxime gratum: nam & illa ipsa quandoque hac ratione vires suas ostentat. Etsi autem per huiusmodi experimenta curatio vlcerum, non plane inuenta est: nam statim ea per sophisticam quatuor humorum commentationem, adulterata sunt, partim omnino contemni cœpta (etenim quamprimum loquacitas in medicina dominari cœpit, veræ Medicinæ fontes turbari sunt.) Tamen donec istis Arcanis inquirendis inuigilatum est, lumen quoddam naturæ illuxisse credere licet. Nam quid maius in tota medicina esse possit, ista expurgatione, qua omnes superfluitates totius corporis radicitus euelluntur, consumuntur, resoluuntur. Illa enim vulgata purgatio, an purgationis nomen meretur, cùm ea saltem detrahat, quæ paulo temporis momento regenerari possunt: In summa, si semen primarium mundum reddatur: tum iustam purgationem factam esse dicendum est. Nam etsi ab antiquis quæ singulos humores purgent, descripta inueniantur, scripta tamen inania, & sine pondere sunt, eo argumento, quòd etsi humores purgasse se glorientur, morbos tamen curasse testari non possint. Verbi gratia. In quartana, etsi Melancholiam vel Choleram adustam expurges, non tamen cedit febris. At si antiquatum sanguinem expurges, regeneres, nouum facias (quod in Liene effici oportet) iam quartanam curasti, quod nisi præstes, nunquam quartanarium quemquam sanitati restitues. Similiter Hydropis curatio contingit, si nouus sanguis generetur, qui deinde reliquum corruptum inueteratumque expellit. Sic dentes erosos, putrefactos, quo nullis remediis curare possibile erat, per huiusmodi Arcana ex aluolis extractos, ac nouas dentium radices regeneratas scimus, atque eadem ratione sciendum in quartana Lienem sic renouari debere, imò in omni morbo; maxime vero in vlceribus semen illud, in quo morbi radix latet, expurgandum esse: nam sine hoc medio curatio omnis irrita erit.

Metalla transmutari.

Expurgatio seu renouatio.

Purgatio quæ vera sit.

Quartanæ curatio quomodo fiat.

Hydropis curatio vt fiat.

CAPVT VI.

Causæ Vlcerum quam variis modis inuentæ. Et cur radices eorum quandoque loco cedant.

MAla illa Medicina de qua superioribus capitibus sermo fuit, quæ malum peiore malo pellit: etsi per se noxia esset, egregiarum tamen inuentionum ac experimentorum occasionem præbuit. Nam Aquæ Gehennæ & Mercuriales, cùm in vlceribus vsurpatæ essent, ob nimium quem faciebant dolorem, etiam vlcerum causas ac radices ad superficiem eduxerunt. Ea enim est Corrodentium medicamentorum (ob spirituum quos continent penetrationem, ac tenuitatem) vis, vt per vlceris occultos meatus intrò ferantur, illicque mali radices discutiant ac resoluant, extraque ad vlceris oras pellant. Sed quòd sæpe hactenus monuimus, non mediocre periculum subest: nec nisi à rerum peritissimo artifice (qui superuenturis symptomatis resistere possit) ac in robustissimo corpore, iis vti licet. Ego sanè, qui periculorum illam multitudinem expertus sum, omnes, vt iis abstineant, hortor. Est insuper alia quoq; Naturæ actio, quę Magnetica quasi facultate per assumpta medicamenta, vlcera curat: nã assumpta medicamenta causas vlcerum intrò ad

Aquæ Gehenæ.

Corrodentium facultas.

ad se trahunt, vt postea leui admodum remedio cedant, sed pseudomedicorum ambitio, ac auaritia huic arti exitiosæ fuerunt. Quamobrem hortor, vt denuo omnes in recolendis huiusmodi remediis operam locent suam. Nam prodigij certe instar est, tales morbos exteriores per intrinseca pharmaca non aliter quàm alium aliquem morbum, Icterum scilicet, hydropem, aut similem alium, percurari posse, obscurata autem hæc medendi ratio est, per pestiferum illud medicorum dogma, quo extrinsecos morbos, exterius saltem adhibitis remediis curandos præcipiunt, quo dogmate recepto, vstio, sectio, corrosio, ac aliæ mille ægrotum carnificinæ, ac pestes introductæ sunt. Ad hæc in vsu corrodentium remediorum, alius adhuc intolerandus error dominatur, quo omnibus persuasum est, officinarum medicamenta non artificiosas Chemistarum præparationes vsurpandas esse, cùm tamen luce Meridiana clarius sit, pharmacopolia ista nil nisi pestifera medicamenta suppeditare. Sed sic res nunc sunt comparatæ, vt si quis medicamentum etiam præstantissimum habeat, nisi ipsum à pharmacopæo præparatum sit, pro veneno habeatur ac explodatur.

Error medicorum explosus.

Pharmacariorũ remedia pestifera.

CAPVT VII.

Nouorum morborum Origo, vt cœptam curandi rationem inuerterit.

NOuorum morborum, ac prius ignotorum ortus, tum ipsorum inter se complicationes seu syndromæ, nouorum remediorum inquisitionem cùm requirerent, variorum iterum errorum seminaria præbuerunt: quemadmodum enim humanum genus nouitatis studiosum est, & varietate delectationem capit: Sic facultates illæ morborum effectrices, noua subinde machinantur mala. Itaque similiter vt Mechanici artifices noua ac varia opera, quæ placeant & delectent architectantur: ita & Medicos, perpetuo in inueniendis nouorum morborum remediis occupatos esse decet: nouus enim morbus nouum desiderat remedium. Vt iam veterum scriptis nemo contentus esse possit ad medicum opus faciendum, nisi forsan in vulgato, ac antiquis noto morbi genere, sed ad initium redeat oratio nostra. In ortu nouorum morborũ Chemistæ ac Empyrici homines diligentes ac laboriosi, quo pacto noua remedia experirentur ac inuenirent, operam dederunt: & certè institutũ eorum fructu non caruisset si non sophistica illa ac loquacitatis studiosa Medicina, vnà irrepsisset: sed de singulis effectus satis superque testatur.

Veterum libri ad cognoscendam & faciendam medicinam non sufficiunt.

Morbum Gallicum, iam verbi gratia, consideremus, vnde is originem duxerit. Ex coitu nimirum Leprosi Galli, cum scorto impudenti, Bubonibus venereis laborante, quod deinde scortum contagio omnes infecit, qui postea in eius amplexus venerunt, atque sic ex Lepra & Bubone venereo, Gallica ista Lues orta, per contagium totum perreptauit orbem, quemadmodum ex Equi & Asinæ coitu Mulorum genus extitit. Neque vero inter initia alio quàm per venereos amplexus contactu, malum contagiosum fuit. Luis venereæ exemplo, quis dubitet per coitum alios quoque morbos mixtos, ac complicatos extitisse? Cùm omnibus manifestum sit, veneris vsum multorum morborum hæreditariorum matrem ac radicem esse. Hos itaque morbos, si cum vlceribus complicentur, accuratè distinguere oportebit, quo facilius aptis adhibitis remediis curationem recipiant. Nam hoc iam experientia docuit, in omnibus vlceribus cum morbis venereis complicatis, Mercurium tamquam sacram anchoram ac Patronum esse, & vnicum Arcanum, de quo Venus gloriari possit.

Morbi Gallici prima origo.

Mercurius est Arcanũ Veneris.

CAPVT VIII.

Vniuersalia quædam veterum medicorum secreta pro vlceribus remedia, quomodo reperta.

DE vlceribus hactenus sermo fuit, cum quibus quia per venereos amplexus, Gallica lues complicata quandoque est, quidam luem gallicam iisdem cum vlceribus remediis curandum magno errore putarunt: cùm enim alia huius origo sit (venus nimirum) alia vlcerum reliquorum, non potest non diuersa remedia ab iis desiderare. Semper tamen Mercurius sublimatus in hoc casu pro vniuersali seu catholico remedio habitus est, quòd eius mirifica facultas omnibus nota esset. Hoc de eo experientia manifestum fecit quoque, illum per os assumptum ptyliasmo concitato malum curasse, non quòd causa morbi saliua esset, sed inerat in ea tamen, quemadmodum croci aquæ iniectum, aquam tingendi virtute donat: nec tamen aqua tingere dicitur, sed ex ambobus mixta essentia. Mercurij virtutibus hac ratione publicatis inuidum Sophistarum genus, vt eas obscuraret, correctiua quædam medicamenta, nil ad rem pertinentia (Nam in solo vnico Mercurio (mihi crede) totus curationis thesaurus conditus est, qui correctione nulla eget) adiecit: sicque eius vsum verum ex manibus medentium excussit, vt iam sola Gallicæ luis remedia in omnibus vlceribus vsurparentur, sed quanto malo norunt omnes: nam cùm venerea non essent, hoc remediorum genere iuuari neutiquam potuerunt. Hæc propterea admonere placuit, vt ostenderem, Gallicæ Luis curationem, tanto mortalium multorum incommodo in vlcerum chirurgiam introductã, rursus eiiciendam, ac intra suos limites pellendam esse. Etsi enim vlcera quoque variantur, commiscentur, ac cum aliis morbis complicantur: tamen nisi venerea aliqua concausa accesserit, neutiquam Luis Gallicæ curationem iis adhibendam esse manifestum est. Imò etsi veneris vsu vlcera quodammodo immutata viderentur: nullum tamen manifestum morbi Gallici signum apparet, Mercurio abstinere præcipimus. Gallica enim lues non solum ex naturalibus causis, sed Diuino permissu originem duxit: sicuti enim Pestis non solum naturaliter sæuit, sed pœnæ loco à Deo immittitur: sic luem veneream, diram Scortatoribus pœnam à Deo Opt. Max. constitutam esse putandum est, adeo

Lues Gallica aliã quã vulgare vlcus curationẽ requirit.

Mercurij verus vsus & abusus.

Mercurio quando abstinendum.

Lues Gallica scortatorum pœna.

adeo vt persuasum habeam, Sophistas ac Pseudomedicos istos quoque ceu carnifices diuinæ pœnæ adiunctos esse, vt scortatores falsis suis curationibus magis adhuc excrucient ac torqueant. Verum in vlceribus aliis, solum naturales causas agere certum est, nihilque pœnarum adesse.

CAPVT IX.

Vlcerum causas minerales esse, nec humoribus adscribendas.

BReuem hîc ac succinctam causarum vlcerum explicationem, non prolixam disputationem expectabis, amice lector, vberiorem omnium tractationem sequenti libro accepturus. Corrodentem itaque quandam vim ipsi quoque sensui non absconditam, in humano corpore consistere, mirum quosdam non animaduertisse: ego planioris doctrinæ gratia, eam quàm possum, dilucide exponam. Sudorem hominis salsum sapore esse, nemo est qui ignoret: at sudorem Sal non dixeris recte, Salis tamē excrementum si appelles, nil à vero abberraueris. Sal ille vbi lateat inquirendum vlterius est. nam ex eodem fonte, & vlcera fieri, & sudorem emanare consentaneum est: quia autem ex venis sudor prodit, venas salis illius receptacula esse, vna & vlcerum primas origines continere manifestum est. Iam vero Salem istum in venis contentum, iustam multitudinis portionem, ad opus suum perficiendum obtinuisse, & quidquid superfluum est, per sudorem deponere, à natura edoctum esse, credibile est. Quoniam autem fatalis quædam ataxia seu inordinatio omnibus rebus inest, quæ ad corruptionem deducit, eam quoque Sali huic natura imposuit, quam præcauere, vel factam immutare, medici officij fuerit. Ista itaque inordinatio si humanum corpus apprehenderit, eius quandam efficientem causam adesse constat, quę aptam temperaturam destruat, eam autem sanguinem esse, conuincere non difficile foret, sanguinem dico salsum ac Mineralem, in quo Sal iam præualet, quamobrem non est, humoribus hanc actionem tribuamus, sed Minerali corpori: quàm vero absurdum sit, Mineralia humores appellari, quis ignorat? non minus quoque temerarium est, cùm vnica sit vlcerum causa materialis, quatuor tamen eorum differentias iuxta humorum diuersitatem, constitui. Nam neque Melancholia, nec bilis, nec pituita, vlcerum causam continere comprobari potest, verum in sale, qui per sudorem ad locum effectum defluxit, eam residere ex iam dictis puto manifestum esse. Cur vero certum aliquem locum occupet Sal iste, causa est, cùm per inordinationem illam quam dixi, Harmonia totius corporis dissoluta est, Sal ille turgens in eum locum decumbit, qui propter excellentiorem inordinationem ad suscipiendum aptissimus est. Quò vbi peruenerit, contra naturam pugnans, si superior euadat, iam in illius loci venas se insinuans, illic radices agit, vnde postea paulatim illius loci temperie corrupta se prodit, vixque tandem à natura, nisi præsenti auxilio, euincitur iterum.

Sudor est salis excrementum.

Sudoris & vlceris eadem [illegible].

Salis corruptio fatalis.

Vlcerum vnica causa materialis.

Vlcera quomodo fiant.

CAPVT X.

De Semine Senij causa efficiente, quodque ad futuros morbos faciendos prædestinatum est.

STatim in primo nostro ortu, ipsaque etiam conceptione ad mortem nos prædestinari, notum omnibus est. Ex quo sequitur, nos in morbos incidere, qui non ex nostra natura, seu essentia proueniant, sed extrinsecus nobis ingenerantur. Verbi gratia, Pestilentiam contra ac præter naturam esse scimus omnes, itaque semen eius ab extrinseco nobis contigisse patet, sicque de reliquis morbis iudicandum quoque, singulos scilicet à suis colonis, quorum infinitus numerus existit, nobis implantari. Homo enim ad Dei imaginem sanus ac perfectus creatus primo est, in qua perfectione cùm non perstitisset, tantum miseriarum sibi contraxit, vt Deum etiam, quòd eum creasset, pœnituerit: post illum ergo lapsum; Deus hominibus omne morborum genus inseminauit, vt iam quiuis homo in suum morbum prædestinatus oriatur seu nascatur.

Ad mortem omnes sumus prædestinati.

Coloni morborū

Cùm ergo ortus ille, morbum seminarium fato quodam secum adducat, illum primam omnium morborum causam, hunc finem ac terminum vitæ rectè dicemus. Hæc autem nil ad eum morbum, circa quem medicina versatur, pertinent: nam morbus is quem medici obiectum facimus, ortus sui causam, extra istam prædestinationem habet, seminaturque à nostra corruptibilitate. Sed vt & in materia vlcerum, negotium teneatis, sciendum est, nullam ἀταξίαν in humano corpore esse, quàm quæ à semine primo excitatur, quod tamquam seditiosus in republica, sic ipsum in humano corpore, agit: nam quemadmodum seditionum origo insensibilis est, sic vlcerum primam causam videre impossibile est: nam vti conceptus mentis sensibus, sic & naturæ istæ operationes nobis incognitæ sunt. Est ergo quiddam, quod nemo verbis exprimere potest, quod habilitatē illam ad actiones suscipiendas efficit, verbi gratia, Sal, quid in sanguine continetur, habilitatem habet, ad cutem & carnes erodendas. Itaque quantum Lumen naturæ de istis colligere concedit, in eam sententiam deuenio, interiorem quendam hominem in nobis esse, à Deo Opt. Max. ea industria donatum, vt nocendi varias artes calleat: vult enim Deus variis nos calamitatibus affligi. Vtut sit, hoc indubitatum esto, aliter quàm demonstratum est, primas morborum causas indagari non posse, hocque certum esse, ex Sale vlcera nasci. Vnde vero illam habilitatem Sal nactus sit, vt hoc vel illo modo agat, aliter explicare nescio, quàm quòd occultos quosdam harum actionum architectos imaginari oporteat: nam & in semine ex quo arbor nascitur, quis illum certæ formæ sculptorem, aliter quàm imaginatione concepit vnquam? Itaque intrinsecum quid omnium rerum habilitatum præstans in homine, mente concipiendum est.

Morbus qualis Medici sit obiectum.

Homo internus nos destruens.

Architecti occulti.

CAP.

CAPVT XI.

De Elementis, eorumque in humano corpore actionibus.

IN humano corpore quatuor humorum harmoniam antiqui somniarunt: istam autem commentationem vanam esse, multis argumentis conuincere promptum est. Etenim cùm humanum corpus ad exemplum maioris illius mundi creatum sit, quatuor elementa non humores in se continere manifestum est. Elementum dico non calidum, humidum, frig. sicc. &c. qualitatem scilicet, sed veram substantiam, quæ non vnicam tantum qualitatum syzigiam obtinet, sed omnes vnà comprehendit. Vt verbi gratia, Elementum terræ voco, non quod frigidum & siccum saltem in ea est, sed & quod, frig. & hum. cal. siccum: calid. & humidum est, omnia scilicet quæ terra continet, Elementi terræ nomine veniunt. Sic, aqua, quæ ex aqua fiunt, quæque in aquam resoluuntur, aquæ Elementum dicuntur. Aër, ventus, &c. aëris elementi nomen ferunt, non complexionis solius, sed totius substantiæ ratione habita. Item ignis elementum voco Firmamentum, & quæ in eo insunt omnia: calidum scilicet, & frigidum, vt Sol ac Luna: humidum item ac siccum, vt nix, aqua, &c. Idem de homine iudicandum est, ex quatuor scilicet Elementis ipsum compositum esse. Vt verbi gratia. Ignis in homine est anima: Terra, quidquid è sicco corpore nascitur. Quòd vero ex Liquore nascitur, Aqua est Elementum: sic quod ex vacuo, vbi nulla substantia est, oritur. Aëris Elementum voco; ex quo sequitur colicam ab aëre fieri, & Melancholicos rectius Lunaticos, Cholericos Martiales, Phlegmaticos Aquarios appellari, sicque de reliquis, quæ in præsentiarum memorare nil refert: sufficiat quæ vlcerum negotium attinent tetigisse. Sciendum quoque, Epatis morbos Epati, Capitales capiti, Spleneticos Lieni, non Bili, Pituitæ, Melancholiæ, Sanguini, &c. ascribendos esse: siquidem multi istis in partibus morbi accidunt, nullo istorum humorum præsente. Quamobrem phantastica illa humoralis Morborum origo explodenda est. Longè alia etenim causarum morbificarum ratio est, quàm hæc in istorum cerebro enata phantasia. Siquidem in confesso quasi iam est, Stellas Morbos inducere posse, & quidem omnes, valeant ergo humores illi: nam Morbi ex hominis corpore, tamquam plantæ ex terra existunt, quomodo ergo ex Melancholia, &c. morbum esse dicis? Intolerandus est error dogmatis illius apud medicos, quo ex temperaturæ similitudine morborum causas arguunt, verbi causa, Morbus iste Melancholicus est, inquiunt, causa: quia frigidus & siccus, eiusdem scilicet cum Melancholia temperamenti. O insignem philosophiam, quasi vero Elementi, & Elementari diuersa non sint temperamenta. Flammulam ex terra natam, quis quæso dixerit frigidam? filium diuersi à parente temperamenti esse, quis non sexcenties obseruauit? Itaque sic ego iudico ex terræ, quod in homine est, elemento, calidum, ex Aquæ Elemento siccum (exemplo lini palustris in maiori mundo) morbum nasci posse. Similiter quæ rationis oblæsionem in homine efficiunt, ex suo Firmamento veniunt: nec est vt quispiam dicat ab aliqua quatuor qualitatum malum extitisse, sed diuersitas ex stella effectrice auguranda erit, Luna scilicet vel alia aliqua, quare in curando non humores purgare, sed contra stellas pugnare intentio esto. Nam quemadmodum ferrum vulnerat, non quòd ipsum frigidum calidúmue est, sed quia acutum, ac ad vulnerandum prædestinatum: vel sicuti lapis, inter volucres aut canes coniectus, eos ad fugam vel iram concitat, non qualitatis ratione, sed quia lapis est: sic de morborum causis tam internis, quàm vlcerum externis iudicandum erit, neque quidquam Humoribus acceptum ferendum.

Elemēta non humores in nostro corpore ponēda.

Terræ Elementū quid.

Ignis Elementū.

Lunatici. Martiales. Aquarii.

Stellæ morbos inducūt.

Error Medicorū explosus.

Contra stellas est pugnandum.

CAPVT XII.

Empyricorum Secretiora, per fidem ac imaginationem, tum naturalium facultatum considerationem, inuenta.

QVia experientiæ in constituenda medicina primas me tribuere non semel professus sum, tempestiuum fortasse iam fuerit, eorum qui idem sensere, sententias adducere: itaque artes illas per quas illi sibi rerum experientiam compararunt, breuiter enarrare instituo. Superiori capite antiquorum dogmaticorum experientiæ adulteratos fontes, satis superque aperuimus, vt iam in illis confutandis, nil operæ amplius ponendum esse videatur. Quare experientiam liberam à rationis imperio esse debere, cùm iam ostensum sit, modos comparandæ eiusdem hos tenete. Primum omnium magna in istis Fidei autoritas est, hinc quidam visiones per lapides, Berillum scilicet, & similes affectarunt. Verum sciendum hic quid illud sit, quod in huiusmodi visionibus apparet. Nil hic contra naturam est sanè, neque quidquam contra creaturarum essentialem proprietatem: at num sic se res habeat, vel minus, ipsorum Fidei relinquitur. Tantum hic admonuisse sufficiat, quòd constellatus ascendens, eius qui secreta naturæ (quæ Dei opera sunt, studiose inquirit: quia cum ipso artifice (si modo bonus artifex sit) cognationem habet, iam omnia illi secreta aperit, pro cognationis magnitudine nimirum, hinc summi ac integerrimi artifices, qui experimenta per Berillos, Specula, vngues, volucres, &c. inquisiuerunt, quia excellenti fide præditi fuerunt, suos vicissim Ascendentes habuerunt, qui fidem ipsorum præclarissimis inuentionibus remunerarunt. Hic modus varia, salubria ac insalubria, certa ac incerta remedia suppeditauit, iuxta cuiusuis artificis, ad suum ascendentem, genituram. Hæc qui intelligit, non iam ignorat pseudomedicorum experientiam, vtpote matri experientiæ oppositam repudiandam esse. Quinetiam & ipsamet natura per Anatomiam, Chiromantiam, Physiognomiam, seipsam satis superque contemplandam proposuit, dum hostem eiusque victorem semper coniungit: nam nullus morbus est, quin suam

Visio per lapidem.

Ascendēs est spiritus conspiratus.

formam

formam habeat, quæ forma suum quoque remedium ostendit statim. Exempli gratia: Oculorum Anatomia, & Euphragiæ herbæ anatomia similem plane rationem obtinent: nam ex eodem plane semine oriuntur, soloque visu discernuntur, quæ cognatio iam ostendit Euphragiam omnia oculorum vitia præcauere ac curare. Quamobrem sedula opera nauanda erit medico, in Anatomiæ studio cognoscendo ipsa enim cuiusuis morbi remedium ostendit cognationem hominis, cum exteriore natura innuens. Nam quiuis morbus cum suo remedio similem Anatomiam, Physiognomiam, ac Chyromantiam obseruat. Quod nisi quis consideret, oleum & operam in inquirendo ludet. Etenim si inuenire propositum est, certe per medium id fieri necesse est, medium autem illud Lumini naturæ cognatum sit oportet, siue Astronomicum illud sit tandem, vt Fides, siue naturale per formarum similitudinem: nam propter istos duos inueniendi modos, nullus artificialis superest, nisi casum (de quo sequentibus capitibus docebimus) etiam annumerare placeat.

[illegible] Euphragiæ [illegible]

Duo sunt inueniendi remediorum modi [illegible].

CAPVT XIII.

Remedia vt Mirabiliter inueniantur, & quomodo is qui ea prodit, ignotus lateat.

PSeudomedicorum, in gradibus medicamentorum inueniendis, de quibus multa Dioscorides, Auicenna, Serapio &c. conscripserunt commenta: etsi ad ostendendam vlcerum curationem non plane nullam coniecturam continere videantur: tamen si quis penitius rem introspiciat, artis fundamenta ridicule ab ipsis tractata cognoscet: nam per illorum gradationes quibus diu noctuque defatigantur, nemo vnquam artis opem sentiet, cùm & arti & naturæ aduersissimæ sint. Qua de causa ego aliam inueniendorum remediorum rationem ostendere permotus sum, & quidem de iis quæ casu inueniuntur, sic sentiendum existimo, à summo bono ea proficisci, quod tamen pro datore (liceat sic loqui) haberi non vult. Quemadmodum enim eius, qui eleemosynam dat, sinistra nescire debet, quid faciat dextra (hoc est, prædicari beneficium suum, à nemine debet) sic huius præcepti autor Deus, idem quod iussit obseruat, hoc est, clam beneficia impertit, ex quo patet hypocrisin vitandam esse. Nam & Deus secreta sua, ac natura mirabiliter, sed clanculum hominibus patefacit: hinc quosdam Chemistas vidimus, qui nec vsu, nec eruditione præditi, sed vnica spe, ac simplicitate, nixi admirandorum operum inuentores fuêre: quorum dein vsum alij excoluerunt. Hæc eo nomine prolixius proponere placuit, vt ostenderemus pseudomedicorum, in remediorum experientia comparanda, errorem, tum vt nostræ methodi certitudinem, testatam faceremus. Quamobrem, cùm Deus Opt. Max. clam remediorum inuentionem largiatur, omni studio in id incumbendum erit, vt ea quocunque tandem modo id fiat, experiamur: vt iam & Astrologiam ac Geomantiam non omnino repudiandas horum causa putem, etsi enim artes ipsæ per se ridiculæ sunt, si tamen iis mediantibus vtile aliquid præstari possit, quis eas plane contemnendas dicat?

Gradus [illegible] Auicennæ [illegible].

Casu quomodo [illegible] remedia.

Spes Chemistarum.

Astrologia & Geomantia non [illegible] remediorum [illegible].

CAPVT XIV.

Medico ante omnia morbos creaturarum maioris mundi, post humani corporis inquirendos esse.

CVm omnes medicorum scholæ, in vlcerum causis explicandis, ad vnam Humorum τετραρχίαν suam recurrant, quæ tamen nusquam ad radices mali ostendendas sufficere potest, aliam illis viam monstrare (Per Philosophiam scilicet exteriorum terræ nascentium) haud inconcinnum fuerit. Nam & illa terrestria suos morbos habent, humani corporis affectionibus respondentes, vt iam in eo solo, Philosophi ac Medici differentia consistat, quòd ille in cognoscenda exteriorum natura & affectione, hic in homine morbos & naturas indagando occupatus sit. Quamobrem qui bonus Medicus esse volet, philosophiæ cognitione instructus sit oportet: idem enim quod ligna, herbas, frutices, &c. lædit, in homine idem causare putandum est. Verum quemadmodum in herbis, &c. nemo humores inesse recte dixerit, sed vnica illic humiditas adest, quam nos liquoris nomine afficimus. (namque omne corpus ex liquore, Sale, & Sulphure constructum est, neque ipsorum vnum abesse, neque quartum aliquod superaddi posse manifestum est.) Sic in homine Liquor, non humor aliquis inesse dicetur, qui cum reliquis duobus, quæ totum corpus constituunt, omnium morborum interna causa constituendus erit. Atque hæc de morborum materia in præsentiarum dicta sufficiant. Quæ vero ipsorum efficiens causa ponenda sit, primum Philosophicis, post Physicis rationibus indagandum veniet: etenim nisi per Physicas rationes, ad veræ Medicinæ fastigium euadere datum est, quòd si alia via in Medicam artem quis ingrediatur, irruisse, non venisse: furtiuè ac clanculum, non precario eam occupasse dicemus. Quare philosophiæ ante omnia studendum erit: nam quemadmodum is causas putredinis, cariei, &c. in ligno explicat, sic Medicus in Microcosmo, hoc est, in homine morborum efficientes causas ostendit.

Philosophus quid à Medico differat.

Liquor non humor recte dicitur.

Physica ad Medicinam necessaria.

Itaque Philosophicis rationibus manifestum est, vlcera alia à Sale fieri, alia ab astris imprimi. Illa philosophus, hæc Astronomus considerat, sed quoniam Medicus non vnice speciali, sed omnibus vniuersalibus causis inhiat, præter philosophiæ peritiam, Astronomiæ quoque cognitionem eum habere decet. Hæc paucis proponere placuit, tum vt fontes veræ Medicinæ monstrarem, tum vt Humorariam illam Medicinam, nullis principiis veris innixam, explodendam meritò esse ostenderem, quæ hîc præterea dicenda fuerant, ex Philosophicis nostris libris, ad quos te remittimus petes.

Astronomiæ peritia medico necessaria.

CAPVT XV.

Medici Generationem, vt Rationalis ex irrationali esse.

HOminem sine vllo sapientiæ, intellectus, artiumque habitu in hanc lucem prodire mirabilium tamen operum autorem ac effectorem fieri, atque in artibus, tum vtilibus, cùm noxiis (omnes enim æquè ex ratione proficiscuntur) mirum in modum proficere manifestum est. Contrà tamen pseudomedici hoc nobis persuasum volunt, nullas deinceps inuentas iri posse, sed eas, quæ iam extant, saltem excolendas esse iubent. Verum rectius sentientes Medici, subinde in requirendis nouis versantur, non ignari posteriora secula prioribus semper aliquid superaddere posse: nam pictores modernos primo pictore, &c. præstantiores esse pronunciare quis dubitet. Sed nihil horum admittit Medicorum vulgus, imò hoc vrgent, Auicennam eiusque sequaces, sic in Medicina suspiciendos esse, vt vel latum vnguem ab iis discedere nefas habeatur. Verum quia nobis constat illorum doctrinam imperfectam esse, iam tandem fundamenta humanæ sapientiæ, eiusque doctores declarare tempestiuum videtur. Cœlum ac terra homine mediante, hominem generant: nam terra corpus, cœlum mentem suppeditat: corpus, vt ex terra est, sic in eam rursus abit: at Mens, quia cœlestis est, & in firmamento consistit, ac in idem mutatur. Veruntamen propter ista tertium adhuc superest, Diuinum scilicet donum, quo homo non iuxta firmamentum, sed per illud viuit. Verum de naturalibus nobis hîc sermo est. Etsi enim Dei Opt. Max. dona ista sunt, tamen interim ex naturæ præscripto quodammodo fieri intelliguntur. Nam homo artes discit, ac fallitur vicissim ab astris: namque & ab astris homo sic procreatus est, vt ad artes, vel non artes, ad sapientiam vel stultitiam inclinatus videatur. Ex quo manifestum fit, quamobrem homines alij plurimarum artium inuentionibus inclaruerint, atque adhuc clareant, alij Sophisticis nugis se intricauerint. Nam Firmamenti natura bona vel mala, hoc ipsis suppeditauit. Sic Christus ad bene faciendum natus est, Iudas ad proditionem, sed his non nasci melius erat: nam ex malis astris nati sunt, quorum instinctu scribunt quoque, docent, omniaque iustorum exemplo faciunt. Sed Christi regula nos ipsos discernere docet, qua iubemur ex operibus illorum ipsos iudicare. Quamobrem (vt iam de Medicis loquamur) eum Medicum imitandum (ceu iustum) nobis proponemus, qui opera sua ad verum finem deducit, prædestinationemque consequitur: namque ex his iudicabimus, ex bonis astris eum natum esse: vti contrà ex malis astris ortum esse dicemus, cui contrarium acciderit. Sed sciendum, virum sapientem, omnia astra siue bona sint, siue mala, cùm ex Deo sit, superare, solique Theodidacti, non etiam naturæ periti, hoc præstare possunt. Nam qui à Deo docti sunt, doctissimi sunt, multoque spatio post se relinquunt eos, qui ab astris instructi fuerint: medio inter hos spacio sunt, qui ex LVMINE NATVRÆ Docti euaserunt. Tres itaque modi discendi sunt, seu vt rectius dicam, Doctores, à quibus discimus. Iis tamen semper à latere adhærent falsarij, à quibus Pseudomedicos suam artem edoctos esse, pronuntiare non dubito: nam nec de astris, nec de Lumine naturæ quidquam; paucissima verò de Deo in ipsorum scriptis inuenire possis.

Auicenna non est Medicinæ princeps habendus.

I. Deus docet.

II. Astra docent.

III. Lumen naturæ docet.

CAPVT XVI.

Antiquis Medicis insignioribus, quomodo multorum remediorum vsus innotuerit, absq; principiorum etiam cognitione.

ASTra sic medicos in Lumine naturæ constitutos genuerunt, vt suopte marte, cogitando ac ratiocinando varias artes indagare non desisterent, in vlceribus curandis præcipue. Primus autem fons inuentionum istarum, in constellationibus ac influentiis erat, qui in Alchymiam deriuatus, non mediocri accessione artem Medicam locupletauit. Est autem Alchymia Pyrotechnia quædam Medica, qua mirandæ præparationes, transmutationes, transsubstantiationes, &c. rerum medicarum artificiose producuntur. Hac itaque ratione inuentis remediis, accessit quoque dispositio quædam remedij inuenti, cum ipso vlcere. Talis enim est Firmamenti constellationis; cum terrestrium corporum natura, cognatio, vt is qui cœlesti doctrina instructus sit, terrestrium rerum cognoscendarum studio non destitutus sit: quibus coniunctis, tandem cœlitus influentia illa copulatur, sicque ex tribus istis simul iunctis, verus medicus existit: quo modo si Medicus generatus sit, numquam illum remedia etiam subitò, ac in rem præsentem necessaria, destituent. Sed aliud genus Medicorum iam ad artis gubernacula sedet, quod sophismatis inani loquacitate, magnis conscriptis centonibus, suas nugas tuetur, verum ij Astronomiæ nullam nisi voluptatis causa operam impendunt, cùm tamen præ omnibus aliis artibus illi studendum esset. Ea enim ars, si quæ alia, certissima est, maximumque ad communem vitæ vsum, commodum præstat: ipsa namque cuiuslibet hominis siue senis, siue recens nati, naturam ac inclinationem monstrat, cuius respectu postmodum ad quasuis actiones aptitudinem suam cognoscunt homines. Et sanè si nostro seculo (nam priscis temporibus hoc præstitisse astronomos, testantur tot admirandæ magnorum ingeniorum inuentiones) accuratius Astronomiæ cognoscendæ inuigilaremus, multo sapientiores, doctiores, ingeniosiores homines euaderent, quàm fiant aliàs: nam si quis ad suæ inclinationis, ac naturæ contrariam artem detrudatur (quod non potest non sæpissime accidere ex Astronomiæ ignorantia) peruersus, hebes, stupidus potius, quàm artificiosus, seu ingeniosus euadet. Atque hæc omnis mali in omnibus Religionibus, Facultatibus, Artibusque radix, atque

Astra medicos generant.

Alchymia quid.

Origo veri Medici.

Astronomiæ vtilitas

atque origo ſemper extitit, cuius mali deuitandi gratia, maiore certe ſtudio in Aſtronomiam incumbendum eſt: hæc enim vnicus theſaurus totius orbis exiſtit, ſed hominum oſcitantia, magno malo iſta in deſuetudinem venerunt.

CAPVT XVII.

De nouorum remediorum inter Medicos vero vſu, ac abuſu.

MEdici vulgares non ita pridem repudiatis antiquorum, ac ſuorum præceptorum remediis, alia in eorum locum receperunt reſcripta, Ligni nimirum, vnctionum, fugimationum, ac lotionum vſum. Sed non quemadmodum verè geniti (vt priori capite monuimus) medici, ſed vt ſpurij re male conſiderata, hoc perpetrarunt. Nam quaternitate humorum propoſita, iuxta eam ſua remedia partiti ſunt; veruntamen cùm cauſam mali non ad humores, ſed ad Sales referenda ſit, ipſos toto cœlo erraſſe; non poſſumus non pronunciare. Hinc & ſuis remediis, vel nouos induxêre morbos, vel illos ipſos longe grauiores efficêre. Remedia ipſorum primaria ſunt Guaiacum & Mercurium, qui non iuxta humorum differentias, ſed pro Salium varietate diuiſionem ſortiuntur. Itaque Salium diuerſitate conſiderata, iam dicta remedia ſuis ſingula ſpeciebus, applicata proderunt, atque Medicina à calumniis libera reddetur, quibus illa iam pridem notata fuit, ob inconcinnam curationem, quæ non aliunde, quàm ex Humorum quaternione orta eſſe videtur. Quamobrem tandem Humoribus repudiatis, vlcerũ differentias pro Saliũ diuerſitate conſtituamus: hinc enim cognoſcemus, quæ vlcera vſum ligni, vel in aquæ vel in liquoris forma, eumq; cum vel ſine abſtinẽtia poſtulent, quæ Mercurio per ſuffumigia, vnctiones, loturas, &c. hoc vel illo modo iuuentur. Hæc in medium adduximus, vt Pſeudomedicis peruerſam ſuam mentem aliquo modo emendaremus, quo abiecta ſua Humoraria quaternitate, aliquando reſipiſcerent, ac noſtram diuidendorum morborum, tum præparandorum remediorum rationem, æquiore iudicio cenſerent: nám ea vnica eſt, quæ certam ſalutem polliceri ægris nos patitur.

Humori quaternitas.

Remedia iuxta ſalium diuerſitaté ſunt partienda.

CAPVT XVIII.

Non qualitatum contrarietatem, ſed actiones, in curando ſpectandas eſſe.

CVm morbus omnis non ex Elementi qualitate, ſed ab actionibus eius, curationem recipiat, quid opus eſt frigidus ne vel calidus ſit morbus, multum inquirere? Exempli cauſa Febris calida eſt, quam tamen frigus non pellit, ſed Medicamenti actio potius, in hanc igitur inquirendum accuratius erit: nam frigus in calido morbo, calor in frigido, potius ad diætam, quam ad ipſum medicamentum referri debet. Itaque in omni morbo Medicus virtutes, ac actiones primum omnium conſiderabit: eæ namque ad curandum ſufficient. Atque idem ſpecialiter in vlceribus præſtabit quoque: etenim quòd antiquitus ipſorum alia frigida, humida, calida, ſicca, &c. iudicata, ac per contrarias qualitates curata ſunt, quàm ſit inconcinnum, curationis ipſius finis teſtatum facit. Quamobrem ſi vlcus calore exuperet, non ipſum vlcus, ſed Salem, qui vrticæ inſtar vrit, calidum dicemus, cuius actio ſi euicta ſit, iam vlcus curatum erit. Sic humiditas non per ſiccitatem tollitur, ſed coagulatione curatur. Sciendum ergo, Exiccationem à coagulatione non parum diuerſam eſſe: nam illa ſaltem ad riuos, non vt hæc, ad fontes (liceat enim hoc exemplo vti) penetrat. Iterum, ſiccitatis curatio non in humectando, ſed in diſſoluendo nobis conſtituitur. In ſumma, omnis curatio virtuti ſeu facultati, non qualitati accepta ferenda eſt. Quo falſo dogmate, dum medicina imbuta eſt, plurimorum errorum occaſiones non deerunt. Quis autem tam ſtupidus fiet, qui non humiditati potius quàm frigori, vim extinguendi ignis tribuat? Simili ratione nec Incarnandi, Purgandi, &c. vim quiſque ad frig. cal. hum. ſicc. retulerit. Itaque omnibus modis Medicos admonitos velim, ne multum in qualitatum contrarietatibus inquirendis operæ ponant, vel maxime tamen in vlcerum curatione eam auerſentur: etſi enim iſtis quandoque aliquid moueant, nil promouent tamen, verbi cauſa, Camphora in vlceribus, quibus phlegmone iuncta eſt, calori auerſatur quidem, verum non extinguit, quemadmodum Atramentum ſutorium, Myrrham, Thus, &c. id efficere videmus, quare omni ſtudio in id incumbendum erit, vt non qualitatum ſaltem reſpectu habito, medicamenta conficiamus: imò potius vt vbique vniuerſalia remedia adhibeantur, efficiamus, quæ & Salium acrimoniæ primum reſiſtere, tum incarnationem promouere nata ſunt, quibus procuratis, omne genus ſymptomatum ſine negotio, poſtea tollemus. Quæ dicta hactenus ſunt, de morbis, non ſymptomatis intelligi volumus: nil enim prohibet ad mitigandum calidum dolorem frigidis, ad frigidum calidis vti: ſic phlegmonas quæ vulneribus, fracturis, &c. ſuperueniunt, tantum abeſt, quòd curare prohibeamus, vt etiam refrigerantibus mitigari non ſemel præceperimus hactenus. Diſtinguendum quamobrem inter morbum, & ſymptoma erit. Nam Morbi per ſe elementa ſunt, pugnant autem inuicem ignis & aqua, aqua & aër, aër ac terra, &c. Itaque in morbis ipſa elementa, non qualitates inuicem opponi debent, at in ſymptomatis quæ morborum (vt fumus ipſius ignis) excrementa ſunt, qualitates non omnino aſpernamur. Quemadmodum autem fumus ignem, ſic ſymptoma morbum oſtendit: atque vt nemo ignem reſtincturus de fumo ſollicitus eſt, ſic nemo de ſymptomate curando laborare debet.

Febrem frigus no pellit.

Coagulatio humiditaté curat.

Coagulatio ab exiccatione differt.

Diſſolutio ſicci curatio.

Cāphoræ vſus.

Morbi ſunt Elementa per ſe. Symptoma & morbus vt differant.

CAPVT XIX.

Singularia quædam in vlcerum cognitione obſeruanda.

SImultates quæ mihi cum pſeudomedicis exercentur, cùm hinc ortæ ſint, quòd faſtu ac ſuperbia, quibus ſuam velabant inſcitiam, manifeſtatis, ipſorum reditus non parum imminuerim (cùm tamen ipſis præmia laborum non inuideam, ſed id agam potius, vt virtutis, quàm inſcitiæ præmia malint) Hoc præſenti libro

libro veterum, de vlceribus sententiam commemorare: sequenti verò, ex Astronomiæ ac Philosophiæ fontibus demonstratam postliminio in scholas medicorum reducere propositum est. Itaque quòd sæpius antea, & iam quoque monendum putamus, sine cognitione Philosophiæ, (quæ Elementorum ac Elementatorum Maioris mundi contemplatio est) neminem in perfectum medicum euadere posse. Eam itaque primum quis sibi comparabit, pòst per Physicam (physiologia aliàs) humani corporis absolutam cognitionem, quæ illi exteriori mundo, omni ex parte respondet, venabitur, verum quia & vtriusque cognationis scientia ad curandos morbos mirificè conducit, hanc quoque (quam Astronomiæ nomine nos afficimus) ad Medici perfectionem pertinere, affirmare non dubitamus: nam altera hominis pars terrea, ex terra per Physicam, alter cœlestis ex cœlo per Astronomiam cognoscenda est. Verum vt de Physica (quæ vna ad Medicinæ cognitionem plurimum facit) dicamus, ea quadruplex est, iuxta Elementorum numerum: vna eius species Hydromantia, id est, aquatilium corporum, Philosophia est. Altera Pyromantia de igneis corporibus, Astronomia est. Tertia species, quæ de terræ nascentium naturis solicita est, Geomantia dicitur. De quarta parte quæ Aërearum rerum contemplationem continet, nil admodum ab antiquis annotatum inuenias, nihilo minus tamen reliquis addiscenda. Hic autem non possum non animaduertere, in quorundam sophistarum ridiculam physiologiam, qui Geomantiam in punctis, Hydromantiam in aquatilium sortilegiis, Pyromantiam in igneis quibusdam Auguriis constituerunt, hisque nugis magnum Philosophiæ malum conciliarunt, contempto plane NATVRÆ LVMINE. Sed istis nugis Medicus nil moueatur moneo: hoc illi curæ potius sit, quomodo Deo suam artem, omnesque actiones (quæ certe de huiusmodi rebus friuolis esse non debent) comprobet. Cùm enim Deus nos ratione, atque intelligentia præditos voluerit, rerum optimarum (qualis humanæ naturæ est) cognitione nos exerceri vult, &c.

Philosophiæ definitio. Physica. Physica quadruplex. Hydromantia. Pyromantia. Geomantia. Sine Lumine naturæ crassissimi errores committuntur.

CAPVT XX.

Adhortatio ad nouam hanc Medicinam vlcerum capescendam.

MEdicinam descripturo, quot, quantæque difficultates obstent, vel vnica ista quam iam attulimus Philosophiæ quadripartita diuisio manifestum facit: etenim nulla eius pars hactenus (ne vel minima quidem) sine erroribus tradita esse inuenitur, cuius rei causam nos omnem ad LVMINIS NATVRÆ contemptum referimus, quòd nisi nobis scopum proponamus facillime in summos errores impingemus: illius ergo tenebras discutere, si Deus faueat, animus est. Scio tamen, quantam impatientiam quorundam subire cogar, in istarum quatuor partium declaratione, sed nil istis permoueor. In hunc quaternionem medicæ perfectionis, Chemiam refero quoque multis de causis: ipsa namque est, quę vera, simplicia, Magnalia, Arcana, Mysteria, Virtutes, Vires, imò omnia, quæ ad Remediorum scientiam pertinent, suppeditat, multò quàm vulgata Pharmacopœia pefectius. Sed apud omnes Alchimia male audit, obiicis: bona verba quæso: aliæ quoque artes, Astronomia sc. Philosophia &c. contemptæ sunt, nihilo tamen ob id imperfectiores. Ad hæc de illa saltem Chemia, quæ in præparationibus Magnaliũ, extractionibus Mysteriorum & Arcanorum, tum in separationibus puri ab impuro consistit, sermo hîc est, per quam Medicinam habere datur, omnibus modis absolutam, puram putam perfectamque. Nam etsi Deus Opt. Max. omne genus medicamentorum de terra creauit: non tamen statim ea perfecta voluit, sed illi placuit, vt in illis perficiendis, & nos aliquam operam poneremus. Nam vt panem quotidianum, quem oramus subinde, largitur: non tamen sine nostris sudoribus colenda terra est, serendum, metendum, molendum, pinsendum, &c. sic medicamenta nobis præstat, quæ nos ad perfectionem dein, ad quam prædestinata sunt, deducere tamen vult. Perficiet itaque medicus remedia sua, ope Alchimię non Pharmacopœię, quæ vile tantum ac inutile Medicinæ seruitium est. Nec est vt mihi quis vitio vertat, quòd tam varias artes, facultates, scientias ad Medicinam refero. Si enim in medico vniuersarum rerum scientia requiritur, certe Philosophiam, Physicam, Chemiam, vt potissimas artes Medicum callere necesse erit: nam omnium hominum in rerum natura, naturæque Lumine, medicus perfectissimus existit, tum consilio, tum auxilio.

Sine Lumine naturæ crassissimi errores committuntur. Chemiæ præstantia. Chemiæ contemptus. Deus nos remedia perficere voluit. Cur tot artium peritiam in Medico requirat.

Peroratio.

QVæ hucusque præsenti de vlceribus opere à nobis commemorata sunt, prima huius Medicinæ incunabula, tum theorica, tum practica, continet. In eo vero qui mox subsequitur tractatu, Causas atque originem omnium vlcerum copiosius describemus, in quo si ab aliis dissentire visus fuero, ne mirere: nam vt maxime virulentis in me conuiciis detonare soleant antagonistæ mei, manifestum tamen faciam, illorum istis de rebus scripta nil solidi continere, sed mera figmenta, erronea dogmata, hominumque pestes esse. Etenim cum Exitus acta probet (quod aiunt) haud difficile mihi erit, nostra tum dogmata, tum remedia ipsorum nugis potiora esse demonstrare. Quamobrem, humane lector, ne præcipiti iudicio in censendis nostris scriptis, vt sis, oro, sed opera quæ de scriptis abunde testari possint, expecta ac inspice. Cæteros qui vel rerum ignari, vel ex desidia, vel auaritia artem conuiciantur, nil moror: cum enim non in ea palestra, in quã nati sunt, se exerceant, indignos iudico qui responsum mereatur. Itaque Lector optime sine bile ac stomacho ista legas velim, amore potius erga ægros permotus ista intelligere accipere, in votis sit tibi, quo si præditus sis omni superbiæ, odio, inudię, auaritiæ valedices. Argumentum sequentis tractatus.

FINIS PRIMI TRACTATVS SECVNDÆ PARTIS.

DE ORIGINE ET CAVSIS VLCERVM, D. PARACELSI TRACTATVS II.

PRÆFATIO.



VAMVIS multi multa hactenus de origine, causis, materia, essentia, ac curatione vlcerum scriptis tradiderint: tamen cùm duabus præcipuis in rebus mihi non satisfaciant, nostrum laborem inutilem fore non mihi persuadeo. Alterum est, quòd iis fundamentis, quibus Medicina nititur, vt sunt Philosophia, Chemia, Astronomia, &c. destituti penitus, penitusque fuerint, fidem dictis faciunt nugæ illorum, quas in chartas retulerunt. Alterum vero, cur in vlcerum medicina seueriorem censuram non sustineant, est illud, quòd nulla plane rerum experientia prediti, magnos centones ex tonsorum, ac veterinariorum tantum placitis deblaterarunt, in quibus si forte quid insit laude dignum, non ex seipsis, sed ex aliis suffurati illud habent: fuit enim hoc ab liquot seculis scriptoribus solenne, vt alienis plumis corniculas suas ornarent. Verum non tam hoc detestandum, quàm illud admirandum est, tanto tempore neminem extitisse, qui fucum subolfaceret: nam vnanimi consensu ab omnibus in horum verba tanquam ad sacra Euangelia iuratum erat interim non inficias eo, quædam ab ipsis (quorum tamen parum semper extitit) recte intellecta, bona fide proposita fuisse. Omnium vero maximè medicinæ nocuit illud, quòd Imperatorum etiam edictis, ad horum Magistrorum placita, discipuli astringebantur, atque istis canonibus ea authoritas tribuebatur, vt quæ iuxta eos administrata essent, etiam in ægrorum perniciem, rata rectaque haberentur. Verum sic ego iudico, quòd magis ex re Medicæ artis foret (siquidem Euangelia non sunt, quæ de ea scripta inueniuntur) si in inquirenda veritate, cuilibet laborare licitum esset, atque nouis ad vetera subinde adiectis artem locupletare. Etsi enim quod Christus inquit: Discipulus non est supra magistrum, tamen cùm vnicus sit Magister, pater scilicer qui in cœlis est, nec isti Magistri nobis (quos superare conari non liceat) habendi erunt: imò in Medicina sic agendum, vt ipsemet Christus præcepit, cum inquit: Exemplum dedi vobis, vt sicut ego facio, sic & vos faciatis. Si ergo Christus nobis imitandus est, dicta cum factis iungenda erunt: nam & ipse, & verba, & opera adhibuit simul. Itaque qui inani loquacitate sophisticis disputationibus, nullo adhibito opere, tempus terunt, Christi imitatores non sunt: hinc nec veri Medici habendi, ac plane relinquendi. Alia quinetiam Medici ac Theologi ratio est: nam qui diuina loquitur, etsi diuina non faciat, Theologus tamen habetur. At Medica qui dicit, nisi medica faciat, Medicus dicendus neutiquam erit. Ars ipsa perfecta est, nos vt perfecti simus, vt & pater noster cœlestis, studeamus quòd si ob nostram naturæ corruptionem, neque ab hominibus, neque ex Lumine Naturæ consequi eam possumus, ab eo discamus, qui dixit Discite à me omnes, quia mitis sum, & humilis corde. Hæc hactenus.

Duabus in rebus qui de vlceribus scripsere deficiũt.

Preuilegia Medicinæ nocuerunt.

Christus in Medicina imitandus.

Medicus à Theologo vt differat.

DVPLEX ADDISCENDÆ MEDICINÆ METHODVS: HINC DVVM GENERVM Medici existunt.

CAP. I.



VPLEX via seu Methodus addiscendarum omnium artium est: altera quæ ad certitudinem, altera quæ in errores deducit. Errorum causæ mens ac ratio aberrantes existunt: aberrant autem, si nimium sibi tribuant. Certitudinis causæ sunt, ea quæ experimentorum nomine veniunt, quæque naturæ consona habentur, talesque actiones producunt. Hinc alij Medici autodidacti sunt, alij à natura edocti. Atque his duobus modis omnia quæ in Philosophia, Medicina, Astronomia, &c. scripta sunt, tractantur. Vtriusque methodi originem ac causas ostendimus, quò manifestum faceremus, Medicinam, quæ & ipsa Methodo tradenda est, non phantasmais ac speculationibus, sed per experientiam docendam discendamque esse: non enim decet, vt homo qui ad Dei imaginem factus est, Medicinam quæ & ipsa diuinum opus existit, pro libito ac rationis suæ iudicio torqueat. Expellendi itaque ex medicorum scholis erunt, qui animi tantum gratia de Medicina disputare, ac pro & contra arguere solent: cætera nil opus est, eos refellere, cùm suammet inscitiam celare non possint. Sunt præterea quemadmodum Methodi, duo discipulorum genera alij enim phantasmatis se seduunt, alij Empyriam sectantur, quæ sanè vnica veritati, perpetuo iuncta est, quòd vero ratiocinatio colligit, non raro vacillat. Sensibilibus namque obiectis solis natura cognosci vult ac potest, nil ratione indigens. Exempli causa: in montis visceribus quid contineantur, neutiquam ratiocinatione, sed sensibus cognoscimus, qui manifestè ab obiectis mouentur, rerumque naturas nobis patefaciunt. Sic in religionis quoque negotio beatitatis, seu vitæ sempiternæ negotium aures à Christo hauriunt, nec opus est nostra vt ratio plura confingat. Similiter in cœlestium motuum doctrina, sane nil nisi quod experientia manifesto sensu prodidit (reiectis ratiocinationibus) dominatur. Itaque quidquid homo dicere, vel scribere vult, vt alios doceat, illud non nisi mediante experientia facere debet quod vt in aliis omnibus, sic maxime in iis, quæ vitam ac sanitatem concernunt, obseruandum erit. Constat itaque naturam non rationem nos artes docere. Exemplo rem manifestiorem reddamus. Scripsit Aristoteles

Certitudinis artium causæ.

Medici autodidacti.

Disputationes medicorum explosæ.

Empyriæ laus.

Astronomia experientia nititur.

Aristotelis Meteorologici libri mendaces.

Aristoteles de cœlestibus impressionibus librũ, quem de Meteoris inscripsit, in quo à capite ad calcem vsque nil nisi mera mendacia, anilibus ratiocinatiunculis confirmata, prodita inuenias: quorum Mendaciorum cultores habuit, Petrum Tartareum, &c. & sexcentos alios huius farinæ philosophastros, ne dicam fatuos. At certè si ex naturæ penetralibus Meteororum causæ, vt sunt pluuiarum, niuis, tonitrui, &c. eruantur, multò aliæ eæ apparebunt, quàm ab Aristotele proditæ sint. Huius generis phantasmata Astronomicam quoque scientiam inuaserunt, eiusdem cum Aristotelicis Meteoris valoris, vt sunt quæ de Auguriis, Geomanticis, aliisque id genus sortilegiis prodita habentur. Sic de Metallorum generatione Albertus: sic de morborũ causis Auicenna disputarunt, ratiocinationibus nimirũ, cum experiẽtia ex diametro pugnantibus vsi. Quamobrẽ cum Medici subiectum sit corpus humanum, animæ sc. domicilium, consideranda illi erit eius nobilitas: nam cùm ipsum Deus crearit, Medicoque subiecerit (vt & sanitatem sc. & morbos in eo conseruet, vel depellat) nihil opus est, nouis excogitatis phantasmatis ac ratiocinationibus id perficere, siquidem ars Medica non in contemplatione, sed in actione potius constituta est. Ideoque nõ tam rationibus, quam experientia firmanda. Cùm enim medicina instar omnium actiuarum artium, per experientiam nata sit, Experientia duce perfecta opera in ea efficere, & quæ de eius veritate testentur, conueniet. Est itaque primus iam Medicinæ Magister, corpus ac materia naturæ, ex quibus non ex temetipso discendum, si discere animus sit. Sic etiam in rebus metallicis, per experientiam admirandæ artes innotuerũt, quas nemo vnquam ratione consecutus esset: hinc ex ipsis metallis, plurimæ artes extiterunt. Itaque cùm Medicina in natura consistat, sic vt natura ipsa sit Medicina, sane illa ipsa nullibi, quam in natura disci ac inquiri debet: nam quemadmodum ex luto & igne figulorum ars: ex ferro & igne fabrilis (per malleum) extitit: vt inquam ex igne, ac cineribus vitriarorum artificium, ex lana & fuso textrina, ex argento & igne aurifabrorum ars nata est: sic per experientiam natura Medicinam, omnesque artes absque ratiocinationum adminiculo produxit. Hæc Sophistæ, qui repudiata experientia, suis rationibus quoduis confingunt, accuratius considerent velim, vt tandem Lumini naturæ tenebras offundere desinant. Meminerintque Medicum à natura per ignem generari: nam ignis & in ignẽ labor, naturam manifestam faciunt: itaque vt Fusores ex ære aurum & Argentum, sic & Medici, mediante igne ex corporibus Arcana, Mysteria, Magnalia, essentias, &c. producere debent, per separationem aliaque vulcania opera. Quin & Microcosmus ad medici generationem plurimum quoque confert: nã per ignem resolutio, ex quibus ille (tribus primis videlicet) compositus sit, manifestum facit. Ex igne ergo Medicus quid homo, quid medicamentum sit, discit, & extra ignis disciplinã nulla alia schola est, per quam Medicinam addiscere liceat. Quare non immerito forsan ad operis nostri, limen duplicem discẽdẽ medicinæ methodum explicemus: contemplandi enim ac cogitandi ansam, de repurganda ab erroribus medicina, Medicis nos dedisse persuasum habemus.

Astronomia corrupta. — *Albertus de Metallis.* — *Medicina per experiẽtiã nata.* — *Medicinæ primus magister.* — *Medicus ex igne generatur.* — *Microcosmus ad Medici generationẽ valet.*

CAPVT II.

De omnium morborum generalibus causis.

IN morborum, vlcerum vero precipue causis indagandis, multi variis rationibus laborarunt, multorumque erroneorum dogmatum semina sparserunt, cùm tamen vnica omnium sit causa Corruptio, quàm Deus Opt. Max. omnibus Elementaribus, ac sublunaribus corporibus sic implãtauit, vt omnia corrumpi, interire, morte dissolui, experientia doceat. Huic corruptioni cùm homo assidue subiectus sit semper occurrere debemus: quod si ea ingruat, Morbus iam à Medicis appellatur. Itaque corruptio ista, quæ ineuitabilis contrarietatem consequitur, omnium morborum mater dicenda erit. Ea autem quibus modis fiat, Anatomia plurimarum partium, ex quibus hominis compages constat, edocet: partes illæ, quia temperaturas cõtrarias inuicem obtineant, non possunt nõ corruptionis seminaria fouere: nam omnes vnica cutis mẽbrana cõclusæ, certã, tum qualitatem, tũ quantitatẽ obtinent quidem, sed complexione, essentia, actionibus, mirum quàm inuicem pugnent. Aliud Epatis, aliud Pulmonum, aliud ventriculi, aliud vesicæ munus est, aliaque substantia, alia humoris, alia partis ratio est, alio loco hoc, alio illud continetur ac subsistit: hæc tanta diuersitas, quomodo non corruptionem aliquando moliatur? Cæterum non ista solum, sed & hæreditaria à parentibus seminaria per generationem communicata, ac subinde in natos propagata, Morborum manifestas occasiones præbent: nam semper nati parentibus, quod sanitatem attinet, deteriore fuerunt conditione. Sic Abelus & Cain, minus quàm Adamus & Eua, illi filiis magis, hi nepotibus plus valuerunt. Adeo vt nisi Deus auertat, coniiciam fore, vt aliquando futuri sint morbi (ex ista hæreditaria veneni communicatione) plane incurabiles, suspicionem Pestilentia auget: hanc enim iam crebrius fieri, pluresque quàm olim corripere apparet, sic vt iam quinto ferè anno recurrat, cùm olim vix quinquagesimo repetere visa sit: tum mille iam eo corripi videas, quorum vix 110. antiquitus correpti fuissent. Accedunt ad hæc tot morbi Epidemij, tantaque vlcerum frequentia.

Corruptio omnium morborum causa. — *Morbus est corruptio.* — *Parentum seminaria morbi.*

Quamobrem cùm ea sit humani corporis conditio, vt tum generationis, tum creationis ratione perpetuo ad corruptionem declinet, adeo vt si ões actiones optime quis proficiat, sibique probè valere videatur, corrumpi tamen pergat, necessario tamen morbũ aliquãdo incidit, hinc nõ inconcinne OPORTET, omniũ morborũ causã, dixerit quispiã: nam tam ea quæ intrinsecus insunt, quàm ea quæ extra ipsũ corpus circũstãt, sic in corruptionẽ cõspirant omnia, vt vnica Medicina excepta illis resistẽdi omnis spes adempta sit. Itaque Medici officium erit, corruptionis modum, & differentias, & ad curandũ, & ad præcauendum necessarias memoria tenere: discet autem eas quemadmodum faber ignẽ ac ferrum per ignem addiscit, hoc est, per sensũ &

Oportet est omniũ morborum causa. — *Medici officiũ.*

& experientiam, sine omni ficta & fucata Physicæ iactatione. Ex quo sequitur, cùm nimirùm corruptio, tam sensu percipi possit, quàm ignis calor tactu percipitur, vlterius naturam Microcosmi inquirendam esse, vt quomodo morborū causas effectrices in se contineat, sciamus: nam cum contra illas medicamēta pugnent necessariò cognoscendæ erunt. Sic vbi morbi ab Astris facti sunt, ex astris eorum cognitionem venabimur, ex eo nimirum corpore in quo insunt: est enim hoc in omnium rerum scientia comparanda vniuersale, vt illinc vbi res inest, petatur: sic Piscationem aqua docet, cœlum cœlestia, terram terrestria, morbum morbosa, iustitiam iusta, ignem ignea ostendunt, quidquid verò aliter, vel docetur, vel discitur, stultum est, ac repudiandum: nam nemo qui ex Diabolo est, de Deo loquitur, nec infernales de vita beata disserunt, sed ex eo omni in quo est, addiscitur. Patet ergo duo esse, ex quibus generetur medicus: Morbum & Medicamenta: Morbum per morbum cognoscit, Medicamenta verò per Medicamenta: hoc est, vnumquodque ex eo quod est. Cognoscit autem Anatomiæ ope: hæc enim apertum illi hominem, Corpus physicum scilicet omnibus suis partibus absolutum proponit, quod corpus Physicum si cognoscat, iam verè Medico-philosophus erit. Atque tum vbi philosophus desinit, ibi incipit Medicus, hoc est, vbi morbum cognoscit, philosophus adhuc est: at si morbum curet, iam verè Medicus practicus appellabitur. Hi ergo duo modi sunt comparandæ Medicinæ, ad quorum priorem Anatomia mundi, ac Astronomia: ad alterum, Alchymia & virtutum naturalium cognitio referendi sunt. Nam quòd alij de rebus medicis scripserunt, cùm in Theoria solos humores, in Praxi solum Macrum cum Lumine Apothecariorum sciant ac proponant, nec fidem nec laudem vllam merentur.

Anatomiæ vsus.

Vbi Philosophus desinit, ibi incipit Medicus.

Lumen apothecariorum.

CAP. III.

De Causis Naturalibus Corporis Ægri.

VT autem aliquando naturam corporis ac materiæ, ex qua vlcera oriuntur, quantum eius in Physico corpore natura, ac experientia nos docuerunt, aperiamus. Sciendum hominis corpus eiusque singulas partes, ex tribus corporibus, Liquore, Sulphure & Sale cōponi. Ex quibus Sulphur siccarum rerum, Liquor humidarum est, & vtrorumque coagulatio per Salem facta, Physicum corpus continet. Atque hæc cuiusuis corporis, tam animati quàm inanimati compositio est: humidum scilicet Liquor est, quod ardet Sulphur, quod verò post vstionem remanet Sal, omnia iusto pondere, quouis in corpore creata à Deo, quæque Vulcani beneficio, qui quidquid in Physico corpore est, eruit, ad oculum demonstrari possunt, siue ex igni, siue aqua, seu aëre, vel terra sit: nam in vniuersum omnium corporum tria ista prima materia, vltima materia, initium, medium, finisque sunt. Hæc etsi philosophica magis quàm medica sunt, tamen quia omnium vlcerum causam Salem constituimus, de eo breuibus disserere oportuit. Cùm autem omne corpus, siue viuum sit, siue mortuum, vt à putrefactione tutum sit, causam requirat, Balsamus quidam omnibus rebus perfusus à Deo creatus est, qui si non esset, statim putrefactio subsequeretur. Sic in cadaueribus quæ Balsamo peruncta sunt, putredinem arceri videmus: sicque in Physico corpore naturalem quendam ac congenitum Balsamum esse augurâmur, qui si homini non inesset, viuens integerque à putrefactione tutus non foret. Balsamum hunc nemo nisi mors aufert: differunt autem inter se Balsamus iste, ab illo verè vocato Balsamo, quòd alter viuorum, alter mortuorum conseruationi inseruiat. Quò autem rectius Balsami huius naturam sciamus, intelligendum est, Salem de quo diximus, vitæ necisque Balsamum esse, cuius dein variæ species iuxta corporum diuersitatem existunt. Itaque quemadmodum carnes Sale conditæ, à corruptione immunes esse videmus, à Balsami virtute, qui in Salis naturam abire solet: sic intrinsecus in nobis Sal gustu percipitur: cuius beneficio à putredine conseruamur. Hæc de Sale vlcerum causa dixisse sufficiat, quæ Corollarij vice in vnam summam colligemus. Tria corpus nostrum constituunt: Sal, Sulphur, & Liquor, quorum hæc ad vlcerum generationem nil præstant. Sal vero Balsamus corporis Physici, vlcerum causa hoc loco constituitur. Est tamen & hoc notandum, Salem coagulare, duritiemque conciliare omnibus corporibus, metallis, scilicet lapidibus, lignis, homini, omnibus nimirum iuxta coagulationis mensuram. Verum cùm nil tam præstans in rerum natura inueniatur, quod labe ac vitio careat, Huic quoque Balsamo duo inhærent non vulgaria mala: vnum quòd ipse interitui, ac corruptioni æquè ac alia sublunaria (quorum nullum suæ corruptionis terminum transgredi potest.) subiectus sit. Itaque si corruptio illi Balsamo accidat, iam causam vlceribus præbet: namque vt primum ille alterationem senserit, illius membri seu corporis putredo sequitur, membri dico: nam Balsami variæ species sunt, quemadmodum & partes variæ, hinc Epar, hinc pulmones sine aliarum partium detrimento putrescere quandoque videmus. Alterum Balsami vitium est, quod ipse Sal est, Sal inquam diuersus, nunc dulcis Sacchari vel mellis instar, nunc acer & acetosus, in summa, tam multiplex quam sunt sapores varij, quæ temperamentorum diuersitas in causa est, vt Balsamus iste Corrodendi nonnunquam facultatem adipiscatur, quam dein calor, febris, phlegmone, &c. consequuntur, pro natura scilicet salis peccantis. Hæc generalis theoria est causæ ac peccantis materiæ in vlceribus, ex qua particularia multa, eaque vtilia documenta haurire licet, verbi causa: vlcerum diuersitas, in forma, figura & imaginibus magnam Salium differentiam innuit, eamque in Physico corpore, accuratè à Medicis discendam & inquirendam monet, vt ex formæ habitu de materia peccante pronuntiare possint. Sed de istis in singulorum generationis modo, specialiter & accuratius disseremus postea. Hic notabis, vti aquarum variæ species sunt, omnes tamen aquæ generaliter dicuntur, sic hominum

Corpus hominum ex Mercurio, Sulphure & Sale compositum.

Liquor quid. Sulphur. Sal quid.

Balsamus à Deo creatus.

Balsamorum differentiæ.

Sale à putredine tuti sumus.

Balsami vitium.

Balsami vitium alterum.

num varia genera inueniuntur, quę tamen omnia hominum nomen merentur, ita vlcerum varia genera existere, quæ ex naturæ diuersitate formam, ex Physionomiæ differentia alios mores habent: nam alia figura aliam significationem, alia forma aliam essentiam, alia imago aliam proprietatem ostendit.

Physionomia vlcerum.

His quæ de Salibus dicta sunt, non sine vsu excrementorum rationem subiunxero fortasse. Itaque sciendum, Liquorem sua excrementa per Poros, Sulphur per intestina, Salem per vrinam deponere. Vrina itaque si in terra nitrescat, Salem nitri efficit percocta: hoc quidem in animatis Salis excrementum est, in animatis vero Salis excrementum dicitur Alkali: extrahitur autem Alkali hoc ex eo quod post Salis, Sulphuris, Mercurij separationem residuum mansit corpore. Hæc ad ostendendam Salis & Balsami naturam in medium adduximus, quæ multis aliis adhuc rationibus confirmare non difficile fuerit. Nam cùm in nutrimento & nutrito similitudo quædam insit, omnia autem nutrimenta ex Sale, Liquore, pinguedine seu sulphure constent, manifestum est, illud quod nutritur ex similibus compositum esse. Simile enim simili nutritur, itaque Sulphur Sulphure, Sal Sale, Liquor Liquore nutriri dicimus: fit autem nutritio, cùm ingesto in ventriculum alimento, Archeus vi Vulcani coctam materiam digerit, & ad sua loca transmittit.

Liquor vt excrementa deponat Sulphur. Sal.

Alkali est Salis excrementũ.

Nutritio vt fiat.

CAP. IV.

Remedia Quomodo à Formæ & imaginum similitudine ostendantur.

VLcerum generationis modum, etsi aliqua ex parte in Physico corpore ostendat philosophia, sciendum tamen alios adhuc duos modos, quibus vlcera fiunt superesse: Impressionis sc. & Fontis, quos sic intelliges. Homo variis externis iniuriis expositus est, corporalib. Spiritualibus, Elementis, Firmamentis, visibilibus & inuisibilibus, ex quibus facile corrodens influentia sequi potest, à Firmamento & syderibus exagitata. Etenim si Solis calorem in tantum augeri quandoque vidimus, vt nemora & segetes adureret, & in flammam conuerteret: si conspicillis cutis cauterisari, ac pustulæ excitari possunt: certe & ab astris hominum corpora sic affici per influxum cogitandum est, quasi actuali cauterio cutis vsta esset. Et sane huiusmodi impressiones consideratione dignæ sunt: nam quemadmodum fulmen turrim, vel arborem, vel (quod non raro accidit) hominem tangit, sic & huiusmodi impressiones fieri solent, quę ob id Metaphoricè fulmina, ac fulgura dici poterunt.

Impressionis vlcera.

Corrodens influentia.

Cutis cauterisatio per conspicilla.

Fontis vlcera quę vocauimus, vt fiant, exemplo, & analogia declarabimus. Fontes ex petris quemadmodum erumpere videmus, sic in humano corpore fluxionem oriri posse, quæ aliquem in locum decumbens, tandem erumpat, cuius fons & origo nemini nota sit, atque hinc seminaria, ac radices mali eruere impossibile habeatur, credibile vtique est. Atque vt verorum fontium alij calidi sunt, alij frigidi, alij Sulphurei, alij Aluminosi, &c. sic & in humano corpore factas fluxiones analogia quadam partiri licebit. Sunt autem & præter iam dictas, ac superius commemoratas, vlcerum causæ aliæ, quæ in corruptione Salis ac Balsami radices habent, adeo vt ex seipsis malitiæ suam causam habeant; huius generis tres sunt: Pestis, Bubo, & Pleuritis.

Fontis vlcera.

Pestis, Bubo, Pleuritis, quæ causam habeant.

Alia insuper vlcera sunt, quæ Balsamo vim faciunt, cuiusmodi ea quæ à bestiarum morsibus, vulneribus, & Erysipelate fiunt. Superest & sextum genus, quod ex raucedine ortum habet. Vltimo denique loco vlcerum duo adhuc habentur genera, Gangræna scilicet: & Elephantiasis. Atque hæ in vniuersum sunt vlcerum differentiæ, quæ extrinsecus apparent. Sunt qui & viscerum vlcera his annumerare velint, Hepatis puta, Pulmonum, Renum, Vesicæ, Oesophagi, &c. verum istis, quia accuratior eaque medica magis curatio competit, nil admodum immorabimur, cùm hic exteriora tantum, & quæ Chyrurgi opera curentur, tractemus, verum ne nihil de iis dixisse videamur, vnico saltem capite ea edisseremus.

Viscerũ vlcera ad Chirurgiã non pertinẽt.

Notandum insuper ad vlcera cognoscenda, maximopere conferre ipsius affectus, operationem, formam, figuram & imaginem accuratè contemplari: nam nihil in rerum natura sine forma generatum, perfectumque est, nihil est, quod operatione careat: itaque per formam ac operationem cuiusuis corporis, suam essentiam expiscamur, sic omnia quæ terra marique generantur, suas essentias per formam ac operationem produnt. De operatione exemplum tale esto. Salia corporis Physici exterioris vnam eademque cum salibus Microcosmi (si ea ad vlcerum generationem pergant) operationem habent, atque ob id similitudo operationum, inuisibilem ex visibili indicat, hoc est, exterior figura, interiorem quandam præfigurat, vt salia exteriora, internorum indicationem habent. Atque sic quæuis exterior figura imaginationem, id est, æqualem formationem de interiore quadam ostendit. Per hasce ergo operationes, earumque signa cuiusuis vlceris differentiæ manifestæ fiunt, vt scilicet ex quo genere salium, vitriolato scilicet, Aluminoso, &c. vlcus ipsum sit, cognoscamus, ad quam cognitionem mirificè quoque conducit formarum contemplatio: nam qualis forma salium exteriorum à coagulatione fit, talis quoque in homine efficitur, sed tamen in forma resoluta: est enim formæ ad formam sua similitudo, ac coagulata forma significatur à forma resoluta, itaque cuius generis fuerit forma exterior coagulata, eius generis censebitur forma interior resoluta: coniunges ergo formarum syzigias cum operationum similitudinibus. Hæ namque concordantiæ expeditam atque ab erroribus tutam habent dignotionem, nec vlla phantastica indigent ratiocinatione: sunt enim hæc (formam & operationem puta) ex lumine naturæ desumpta: imò ipsũ lumen naturæ sunt, iuxta quod iam tandẽ morbis nomina impones, nimirum

Affectus ipsius forma.

Salia corporis Physici & Microcosmi eandem operationem obtinẽt.

Figurata cogitatio.

Obscura sunt hæc.

Nomina morbis vt imponenda.

nimirum qualem formam ac operationem inuenies in physico corpore, tale nomen tibi confinges; atque sic ab omnibus erroribus te liberum constitues.

Obseruandum autem & hoc sedulo est, nihil plane naturam produxisse, cui non suæ effectionis signum impresserit, pro exemplo hominem sumamus, huic nulla inest facultas animalis, naturalis vel vitalis, quæ non exteriore aliquo vel gestu vel habitu, vel mẽbro, lingua scilicet, oculis, auribus &c. consignata sit: sed ista iam relinquo, vt de quibus in libro de Proportionibus Physiognomiæ disseruerim, tum quòd hunc ad locum non omnia pertineant. Quæ diximus, etsi in homine appareant manifestissime (est enim homo pluribus affectibus refertus) non desunt tamen in aliis quoque corporibus. Sic plantago quæ neruis referta est, suam virtutem ostendit. Sic Sauinæ forma vsum ipsius prodit. Atque etiamsi in homine visus manifestissime de appetitu, aures animi voluptate, Lingua de cordis agitatione ac affectu testentur: tamen hæc omnia, & in floribus, & iis, quæ linguarum loco sunt, inueniuntur. Quamobrem qui in Medicina experientiæ titulum ambiunt, ij studeant hanc artem, qua natura in exterioribus interna designat, addiscere: hæc enim sunt Medicæ artis Scholasticalia quibus si quis principio destituatur, verum ac optatum artis finem nunquam consequi poterit.

CAP. V.

De Morbis qui ex temporum alterationibus fiunt.

ANtequã particulares vlcerum descriptiones aggrediamur, pauca quædã ad rem facientia præmittere visum est. Itaque notandum, naturam in omnibus metallis producendis, antequam ea perficiat, alteratione temporis florida reddere, sicuti arbores antequam fructus producant, florere videmus, hoc & omnibus mineralibus, commune est, & à Salis generatione non alienum: nam & ipse dum generatur, ante perfectionem floret, quod illius tempus studiose medicis est obseruandum. Quod de exteriore mundo dictum est, in homine similiter se habet: cùm ergo talis in homine minera contineatur, ea si floreat (quod tempestatem hîc appellat) certe agitata, ad corruptionem inclinat, quod tamen in exterioribus non accidit: nam ea si floreant, fertilitatem potius quàm corruptionem portendunt: nam ea hominis cũm maiore mundo cognatio non semper materiata est, sed ferè spiritualis, qui spiritus etsi corpus contineat, differt ab illo tamen, vt caro à ferro; quorum vtrumque corpus quidem est, diuersa tamen existunt. Ex quo sequitur, si hominis minera efflorescat, corpus concuti (concussio illa accidit tum propter sensum, tum ea ratione, quòd in tam minuto corpore, vniuersæ maioris mundi proprietates conclusæ sunt,) itaque si homo tum obstructionibus laboret, rigores ac horrores fiunt. Vbi itaque talis tempestas ingruit, frigus sentitur (nam omnis tempestas cum frigore incipit) quod totum corpus peruadit, similiter vt Boreas aërem refrigerat: hinc itaque horrores oriuntur, qui eousque durant, donec huius venti omnis essentia absumpta sit, qua absumpta, tandem ex ea quæ in rigore facta est, agitatione, calor corpus apprehendit, isque etiam totum corpus peruadens, non prius remittit, donec omnis materia absumpta sit. Quòd si supra modum corpus incalescat, fumi ad caput feruntur, atque quandoque rationem oblædunt, quandoque soporem faciunt, maximè vbi illa tempestas stupefaciente natura participet. Vt autem tandem quomodo vlcera fiant ostendam: obseruandum est, vbi ventus ille vehementissime materiam exagitarit, in eum eam locum decumbere, vnde locus statim in tumorẽ attollitur, phlegmone accedit, rubedo accrescit: quòd si tantum virium nondum habeat, vt erumpere possit, locum relinquit, ac turgens huc illucque fertur, rubicundo colore se prodens, quare si tempestas illa adhuc debilis sit, solutu facilis est: sin iam radices egerit, aliquo loco fixa hæreat, negotium medico facessere solet, atque fere sub hypochondriis firmari solet, & illic partem aliquam rodere ac exulcerare. Tempestates hæ ferè in sanguine consistunt ac fiunt primum, sed paulatim etiam in solidiores partes agere incipit, ibique venas neruosque erodens, tumorem facit, ac vlcus, sæpe cum vento totum corpus peruadens. Eius varia nomina apud Germanos sunt, Latini Erysipelata appellare solent.

CAP. VI.

De Signis ac Generatione Fistularum.

EST vlcerũ quoddam genus, quod ex Sale Petræ oritur, is Sal clemens est, nec vsque adeo acris ac erodens: nascitur autem in hunc fere modum. Terra Salis Balsamum in se continet, quæ si purum ab impuro separet, & excrementa deponat, contingit ea quandoque foras erumpere, atque tum ab aëre & sole exiccantur, & in nihilum abeunt: sin in terræ meatus ac rimas detrudantur, quâ nec aër, nec calor, nec Solis radij penetrant, tum formam quãdam turbinatam, & oblongam deorsum propendentem nanciscuntur, indurantur, ac in Salem Petræ mutantur. Itaque Sal petræ terræ excrementum est, ex Sale & Balsamo natum. Simili ratione in homine Sal (qui Balsamus est) existit, qui corpus conseruat, cùm excrementa sua per poros deponere diximus: quòd si pori illi obstructi sint, vel natura non excernat, corruptio quædam subsequitur: nam illa excrementa intrinsecus in lacertorum cauitates decumbunt, ac cum iis in locis propter calorem coagulari in turbinem non possint, resoluuntur, & ab intrà exteriora versus rodunt, ac depascuntur circumiectas partes, donec ad cutem peruenerint, ibi demum vlcusculum, vel pustulam faciunt, quod sensus indicio leuem curationem requirit: vbi curationem aggressus fueris, tum demum morbus se prodit, intus basim extra conum ostendens, non aliter quàm de Sale petræ

Plantaginis forma. Sauinæ forma. Minera in floribus. Horrores interni ab exteriori differentia. Rigor & horror vt fiunt. Febris vt fiat. Sopor & paraphrenitis vt fiant in Febre. Erysipelas. Fistula ex Sale petræ fiunt. Sal petræ quid.

petræ diximus: nisi quòd Salpetræ corpus est, hoc cauitas. Verum loca in quibus generari possunt, multa sunt, verbi gratia iuncturæ omnes, contiguæ diuersæ partes, (id est, vbi ligamenta, nerui, tendones, &c. carnem contingunt) nares, oculi, aures, costæ, malleoli, in summa, nullibi ferè non generatur. Vbi ergo iam aliquo in loco vlcus factum est, subinde excrementa eo deponuntur, non solum naturalia, sed & quæ ex inconcinna diæta auctiora fiunt, perpetuòque madet locus, ac ferè vbi iam confirmatum malum est, nullo dolore amplius molestat. Hoc mali genus à Fistulę similitudine Germani cum Latinis Fistulam appellant.

Fistulæ quibus in locis fiant.

Fistulæ dolore carent.

CAPVT VII.

De Vlceribus quæ ex Sale nitri corporis fiunt.

SVperioribus capitibus monuimus Salem sua excrementa per vrinas deponere (eum Salem nimirum, qui principium partium conseruationi subseruit) Excrementum hoc, vrina scilicet, vbi in terra copiosum collectum fuerit, in pultem abit, qui Nitrum Latinis appellatur, quod si coquatur, Salem quendam ex se fundit, quem Salemnitri dicunt, eius prima origo ex Balsamo animati corporis est: iis enim Balsamus cùm subinde se expurget per vrinam, causa est illius Salis, qui acrimoniam Balsami obtinet. Quamobrem sciendum, cùm necessario corruptio nobis incumbat, & huius excrementi non debitam euacuationem destructionis causam fieri: nam nisi per vrinam deiiciatur, in carnosas partes decumbit, illicque paulatim alienam naturam contrahit (quemadmodum de Nitro ostendimus) donec tandem ad effectum suum perueniat, quem antequam contingat, Scyrrhosos multos tumores excitat, qui paulatim magis magisque indurantur, ac attolluntur, non aliter quàm in nitri præparatione conos fieri, & magdaleones apparet. Itaque vbi iam aliquandiu hic detenta ista excrementa fuerint, & sua ipsorum acrimonia, tum insiti caloris accessione rodere incipiunt, donec tumores illi singuli, in singula caua vlcera abeant, quæ omnia coaceruata videntur, quemadmodum & Salnitri gleba plura tubera ostendit. Familiare istis vlceribus est, vt nunc humida, nunc sicca sint, pro symptomatum nimirum varietate: hoc tamen à prioribus differunt, quòd hæc non vt illa perpetuò madeant, sed ferè vbi humectata fuerint, ad exiccationem se iterum accingunt. Hoc mali genus Schrophulas Latini nuncupãt, sed rectius quis forsan Nitri vlcera ea quis vocauerit, à materia scilicet, quæ illa facit.

Nitrum ex vrina fit.

Schyrrhi vt fiant.

Vt ab aliis vlceribꝰ differant.

Schrophulæ.

Vlcera Nitri.

CAPVT VIII.

De Vlceribus quæ dolore nullo molesta sunt.

QVamuis acris & calida Salium natura est, tamen quandoque calor ipsorum superatur: nam cùm ad summum suæ malignitatis peruenerint, nec vltra progredi possint, ipsamet emoriuntur, maximè vbi ea ad Salis Gemmæ naturam accesserint: horum namque ea est proprietas, vt vires suas non exerant, nisi vbi iam interficere volunt: itaque eorum actio non vitalis, sed lethalis est, & quod dolore perficere debebat, hoc insensibilitate efficit. Huius rei ea causa est, quòd Salis spiritus vt animalia noxia, semper negotium differunt, quò tandem subito ingruentes: ægrum opprimere possint. Sed cùm ex improuiso mors accidat, nec ipsi quod propositum erat, efficere possunt. Sciendum quapropter est, vlcera hæc ex morte eiusque operatione (quæ putrefactio est) originem ducere: non quòd totus homo moriatur, sed vnum solummodo membrum emoritur, quemadmodum manus abscissa sine totius corporis interitu, emori videtur. Quapropter obseruandum medico erit, vt omnium rerum quæ in homine sunt, scientiam habeat, vt si contingat aliquod membrum ad interitum suum inclinare, nec per vitales actiones, sed per lethales corrumpi, sciat in huiusmodi casibus nil contra vitales actiones attentandum, si vitales sint nec contra lethales si lethales sint: in hoc enim vlcerum curationes differunt maximè. Sed huiusmodi vlcerum causas manifestius declaremus. Coquitur in nobis suopte marte quidam sal, quem gemmæ salem vocant, qui purgandi tum sui ipsius, tum aliorum humorum facultate pollet: in quam actionem dum non satis intendit, ab aliis euincitur, quæ victoria ipsius interitus, ac mortis causa euadit, qua occasione ex Sale gemmæ fit Alumen scissum, quod si emoriatur, Entali appellari solet. Veruntamen etiamsi operatio ipsa emortua sit, non tamen ab operationibus statim quiescit omnino: nam mortua æquè ac viua, quadam actione participant: nam donec aliquid plane in nihilum abierit, ipsum nunquam à generando quiescet. Etenim mors nil nisi primum vitæ spiritum aufert, manente interim secundario spiritu, qui pro sua natura agere non desistit.

Salis spiritus corpus destruens continue. Putrefactio est mortis operatio.

Sal gemmæ in homine.

Sal Entali.

Itaque in humano corpore ad huiusmodi generationes vlceratio sequitur, quæ sensu omni vacat: nam ferè illic colligitur, vbi tangendi vi minimum homo pollet, verbi causa: sub genu, & intra cubitum: quia autem Sal gemmæ naturam Grandulationis obtinet, pluribusque lapillis, & angulis scatet, idem ergo & in hac resolutione fieri videmus, vt nimirum ad exemplum grãdulationibus sparsim per totum membrum vlcera parua fiant. Quapropter in curatione sedulo obseruanda erit ista mortis differentia, quæ neglecta multis imposuit, multis grande malum conciliauit: nam etsi lethalis aliqua operatio ingruat, nihilominus tamen operatio alia non quiescit: nam mors primæ operationis vires frangit quidem, statim tamen alias generat: mors enim nullam morbi causam aufert, morbi propositum si frangat, è vestigio aliam producit causam. Hæc ratio etsi Sali gemmæ singularis, ac propria non est, sed & omnibus Salibus communis, tamen quia reliqui Sales, hoc modo affecti, non vnam aliquã partem, sed simul vniuersũ corpꝰ occupãt hic vni Sali gẽmeo eam facultatẽ tribuere placuit. Istorum vlcerum

Grandulatio.

Mors causam morbi non aufert.

nomina

nomina cùm tam varie in medicina vsurpetur, vbi reticemus, sufficiat tibi ea vlcera ex Sale gemmæ orta nuncupare: hæc vera nominis ratio est: nam ipsa ex Sale gemmæ per putrefactionem generata sunt, cùm ipse in summo gradu, sua operationis morte præuentus esset.

Salis gemmæ [illegible]

CAP. IX.

De vlceribus ex Physico Vitriolo.

FIunt etiam vlcera, quæ & forma & operatione sua Vitriolum referunt. Est autem vitriolum minerale corpus, ex coctura ad eam quam refert consistentiam percoctum, maioris vsus gratia. Huius inquam similitudine vlcera in humano corpore oriuntur, in tibiis ferè firmata: nam si Sal ille Vitriolatus corrumpatur, ista in loca decumbens, primum varices facit, quæ Vitrioli domicilium factæ ipsum retinent, donec ex seipso Erodentem vim nanciscatur, quam vbi nactus fuerit, paulatim partes illas in tumorem attollit, dein tumores illos erodens, caua vlcera facit, quæ postea instar Vitrioli circum iacentes partes depascuntur. Et notandum hic, vitriolum raro absque dolore agere, nisi forsan vbi iam ex corpore effluxerit, quod etsi factum sit, tamen statim iterum coaceruatur, nec prius æger intermittit, quàm vniuersam tibiam in vlcus conuerterit, ac si quid vlcerationē effugiat, illud ipse stupidum reddit: nam omne vitriolum Sulphur stupefactiuum in se continet.

Varices vitrioli domicilia.

Vitrioli stupefactiuum Sulphur.

Euenit tamen non raro, huiusmodi Salia & Vitriolum ad Erosionem non peruenire, propterea quòd ad tantam acrimoniam, quæ corrodere possit, non euadant: quòd si fiat, facile Spasmi ac punctiones accidunt. Vitreolum enim intus conclusum Sinoniam inflammat, quæ inflammatio postea Spasmos, ac puncturas causare efficax est. Quin non raro accidit, Vitriolum superiora versus per illas venas ferri, donec ad earum radices peruenerit, vbi dein consistens lethale vlcus facit. Ad hæc cum ea Vitrioli forma sit, vt in lapillos concrescat, etiam in humano corpore multas stramas, ac scyrrhos lapillorum similes & forma, & duritie efficit: quorum dein alij, qui corrodendi vi pollent, in vlcera abeunt: alij qui ea destituuntur, integri permanent. Operatio Vitrioli sequitur quæ numquam non (ob prohibitam euentationem) putredinem ac fœtorem facit: ea enim omnium Salium natura est, vt quò calidiore ac humidiore loco sunt, eò citius putrescant: contrà in loco calido, sicco, accidit, vtut sit, Vitrioli ea semper natura est, vt caua vlcera facere ac fluere desideret.

Vitrioli conclusū Sinoniā inflammat.

Scrophia Vitriolo efficiuntur.

Similis plane vitriolo, in carabe operatio existit, eo saltem differens, quòd pauciorem inflammationem, nullumque spasmum, maiorem vero dolorem efficiat: cognoscuntur vlcera hæc ex defluente aqua citrina, cui quandoque sanguis concretus copulatur: aqua enim illa sanguinis grumos vnà educit secum. Peculiare huic vlcerum speciei est, quòd ea laborantes, acerrimo visu, capiteq; integerrimo sint, antequàm tamen ea aperiantur vlcera, capitis dolores, ac visus debilitas ægros habent, cuius rei causa non ad decumbentes fluxiones, sed ad sursum elatos vitrioli vapores referenda est: at vbi iam apertum vlcus est, vapores non ascendunt amplius, itaque morbi soluuntur. Atque hinc patet, vlcera hæc claudenda non esse, nisi prius omnis vitrioli substantia radicitus euulsa sit.

Succini [illegible] operatio.

Vitriolata vlcera non sunt claudenda.

CAP. X.

De vlceribus aluminosis.

SVnt porrò vlcera quæ primū cum tumore, ac inflatione sine calore & erosione se produnt. Primum enim tibiæ in tumorem humidum attolluntur, humor is facile exiccationem admittit, successu tamen temporis putrescere incipiēs, ex qua putredine postmodum fœtor, ac fluor, vlceraque oriuntur: vlcera hæc Alumini comparantur: etsi enim per illud neque tumor, neque putredo causatur: imò ad eorum curationem non mediocre auxilium præstat: tamen eatenus, qua calore quodam participat, putredinis causa fieri per accidens potest: omnis namque putredo à calido est, & rectè calor Mater putredinis nuncupatur. Vlcera quæ tractamus hic, raro dolore molesta sunt; insignem tamen tumorem, humiditatemque præ se ferunt, non in schyrrhos vel œdemata excrescunt, sed potius ex diuturna putredine inuicem ortus causam præbent: ampla & profunda sunt, non raro totum crus occupantia, diuturna omnium vlcerum maximè sunt, ac si non debitam victus rationem præscribas, fere in hydropem vniuersalem conuertuntur: at vbi diæta legitima obseruata fuerit: prospera admodū valetudine homines sunt, his vlceribus laborantes: ad hæc magnam quoque in Peste, Pleurisi, ac Lue Venerea, præseruationem præstant.

Alumen vlcera curat per se, facit per accidens.

Calor mater putredinis.

Aluminosa vlcera in hydropē abeunt.

Vlcera quinetiam inueniuntur (vt iam antea meminimus) quæ diuturnitate temporis in syderationem abeunt, quam intensissimi dolores consequuntur, frequens hoc est in vitriolatis: etenim vbi Alumen, ac Vitreolum semet ipsa in calcem redigerint, vi insiti caloris, aliam plane quàm antea adipiscuntur essentiam: at moram requirit hæc calcinatio, qua humor omnis absumitur, solumque alumen siccum relinquitur, non aliter quàm Alumen & Vitriolum vi ignis in calcem redacta, acriora, rodentiora, magisque dolorifica fieri videmus: sic & hic intrinsecus vitreolum calcinatum, subter cutim cauitatem facit, ossa arrodit quæ omnia mala primum quidē à fluxione fiunt, at ea postea exiccata, exarescunt vlcera, nisi quando ex improba victus ratione, collecta excrementa illac euacuantur: tum enim & humida apparent. Similiter de Alumine in calce redacto iudicandū, quòd si iuxta calcinationis suæ naturam agat, hyderū non facit, sed exiccat potius, sitimq; inexaustā efficit. Huius generis vlcera à Sale communi fiunt quoque, si ipse corrumpatur, humida ea primum apparent, mox intrinsecus exiccātur, maiore quàm Aluminosa dolore affligunt, calore vero nullo participant. Causa horum vlcerum est corruptio Salis communis, à calore humido, quem natura dum expellere conatur, in artus detrudit, vbi si exitum inuenerit, à fonte ipsius, vsq; ad ostium illi natura viam præparat, per quam subinde effluere solet. Salium horum non vnum genus est,

Sitis inexhausta ab Alumine. Salis cōmunis vlcera.

est, omnes tamen communes appellantur, eodem omnes modo agunt, eodemque curantur. Qui si suopte marte (vti illis peculiare est) exiccentur, facilem curationem faciunt: sin calcinentur omnium difficillime sanari solent. Considerantur itaque vlcera Aluminis, vitrioli, ac Salis communis bifariam: vel cruda enim sunt, vel calcinata.

CAP. XI.

De vlcerum pessimo genere, quod difficillimè restinguitur.

SVnt præterea Sales quidam, qui in principibus humani corporis partibus consistunt, quemadmodum in Auro & Luna Arsenicum. Sales isti, si sua ipsorum virtute à partibus, quibus insunt, segregantur, (vti per ignem Realgar ab Auro) tum spiritus Microcosmi vitales, eos, in exteriores partes propellunt, ceu ventus à Deo excitatus, fumum (qui & ipse mobilis est) exagitare solet: sunt enim Realgaria hæc simili quoque natura prædita, vt à corde ad exteriores artus facile se propelli patiantur: imò vltro ferantur, tot tantisque affectionibus, ac periculis expositus homo est, vt vel eo nomine iustissimè Microcosmum illum appellemus, vt qui omnia maioris mundi pathemata in se contineat. Atqui Realgaria ista in homine creata substantialiter esse putandum non est: nam postmodum in eo generari contingit, vt exempli causa: Realgar, Aurum, Chymus, tria hæc æs vnum sunt, quorum quoduis singularé virtutem, obtinet, quam tamen dum vnà consistunt omnia, neutrum exerit. Similis planè in in homine Orizon est, substantia non viribus. Sed ad exemplum redeo. Homo itaque à diuina prouidentia, ac prædestinatione per artem impellitur, vt Aurum per suum Fulmen, Chymum in Scoriam, Realgar sub forma fumi in sublimatum corpus separet, vt iam Aurum, Realgar, Chymum, loco viribus, substantiaque separata ante oculos constituat. Quæ de exterioribus dicta sunt, de internis etiam accipienda sunt, vt scilicet intelligamus, intrinsecus in nobis esse aliquem, qui corruptionis huius efficiens causa fiet: hunc nos destructorem Archeum vocamus, nouo vocabulo & inaudito hactenus: nam nunquam adhuc vsque Medicina per Philosophiam adoleuit, vt destructorem hunc, quisnam esset, intelligeret ac agnosceret. Notandum itaque hunc Archeum intrinsecus in homine omnia Vulcania artificia disponere, facere, ac perficere, ac quamuis rem in vltimam suam materiam deducere. Vltimam autem alicuius rei materiam voco, si ipsa ad suam iubilationem, ac exaltationem perueniat, vt in superiore exemplo, Aurum in suam virtutem, à reliquis duobus separatum in vltimam materiam deductum esse dicimus. Hac ratione per Archeum in igne Vulcani, ab orizonte Realgar quoddam separatur, quod dein pro ea qua pollet natura vlcus facit: sunt namque variæ Realgaris species: nam præter dictū, aliud est Realgar Lunæ, aliud Mercurij, aliud Iouis, aliud Veneris, aliud Saturni, itaque quot Realgaris species, tot sunt horum vlcerum differentiæ, diuersis proprietatibus præditæ: sunt

Realgaria in homine substantialiter non insunt.

Archeus destructor corporum.

Realgaris plures species.

quæ bulimiam quandam congenitam habeant, adeo vt carnes ipsas in quibus consistunt, vel etiam alias exterius admotas, aliaque edulia depascantur: alia corrodentem venenosam materiam nacta, pro eius veneni natura agunt, quasi exterius admotum Realgar esset. Quinetiam sunt Realgaria quæ ex Salibus fiunt, simili modo, ac in artificialibus seperationibus Sales produci videmus: nam dum illi expurgantur, sordes suas à se expellunt: itaque aliud Realgar à sale communi, aliud à vitreolo, aliud ab Alumine se expurgante generatur. Realgar ergo hoc singularia quædam vlcera producit, quorum symptomata pro materiæ diuersitate euariant: nam vlcus à Realgare vitriolato factum bulimiam: ab aluminoso, corrosionem comité habet. Quare quamcunque partem Archeus præparauerit ac separauerit, ea excellit, atque in operationem erumpit, realgarinum vlcus pessimum ac venenatū efficiens, cui nemo vnquam per officinarum putidas compositiones auxiliabitur: nam antiqui cùm originem mali non intellexerint, nec remedia iis adhibere docere potuerunt, &c.

Bulimia à Realgare vitriolato causata.

CAP. XII

De vlceribus faciei, aliarumque partium arsenicalibus.

ADmirabuntur scio, & ridebunt non pauci, si viderint me in Microcosmo fusorem (quem Archeū appello) ac fusoriam officinam constituere, ij admirari quæso desinant: nam ista in ægrorum commodum (cuius omni ętate studiosissimus fui) facilius probauero omnia, quàm mei antagonistæ vel vnicum, de humoribus ac sex rebus naturalibus dogma confirmare queant: qui cùm tot sectas, hæreses, Schismata, inter se alant, mirum si quid certum constansque apud illos sit: sed missos istos, qui contra ius fasque in Apollinis cathedra sedent, faciamus. Vlcera de quibus hic nobis sermo instituitur, variis modis Medicorum vulgus partitur, variisque nominibus insignita profert: sed nullus istarum distinctionum vsus est: vos isthæc signa obseruate potius, quæ Realgarinorum vlcerum patognomonica sunt. Dolor intensissimus si vexet, si comparatione aliorum vlcerum maxima deformitas adest, si caro, cutis, ossa, nerui, ligamenta, &c. exeduntur, si statim ac aliquem locū materia occupauerit, varij colores apparent, iudica Realgarinum vlcus esse, quod omnibus veterum remediis resistit. Quamobrem ego, qui à natura ab istis Hæresibus separatus sum, atque ad desperata restituenda donatus, per vulcanicam pharmacopœiam, istorum auxilia inquirere vt queam, omnem mouebo lapidem, vti infra apparebit.

Fusor & fusoria officina in homine.

Apollinis cathedra.

Signa vlcerū Arsenicalium.

Post signorum explicationem tempestiuum fuerit locum affectum quoque ostendere: itaque sciendum vlcera hæc variis in partibus consistere ac enasci posse: nam quæ à Realgare Lunæ ac Veneris fiūt, faciem ferè occupāt, labia, nasū, mētum, malas, &c. nō raro oculos auresque depascentia: quæ vero à Realgare Iouis fiunt, & Mercurij, omoplatas & sternō exedūt: Martis realgar in dorso ac ventre vt plurimū sæuit: Saturni deniq; ab inguininib. ad plātas vsq; tota crura obtinet. Vlcera hęc etsi omnia periculosa sunt, & nō nisi

Locus affectus varius.

nisi artis auxilio pelluntur, alia tamen aliis remedio magis obediunt faciliora curatu sunt ergo, quæ à Mercurij, & Solis & Iouis existunt: quæ vero à Veneris, Lunæ, Saturni, & Martis realgare facta sunt, accuratissimam artificis industriam requirunt: alioquin spiritus vitales inficiunt, mortemque ineuitabilem inducunt. Generationis modus, quo hæc vlcera fiunt explicandus adhuc superest, qui talis vt plurimum est. Primum, si Realgar per caminum Vulcani euadere conatur, nec exitum inuenit, pustulas paruas, cum perpetua scalpendi necessitate excitat, quæ nunc tardius, nunc celerius ad maturitatem perueniunt, prout vel scalpendo, vel inconcinnis remediis magis minusque irritantur: quòd vbi factum fuerit, illo loco centrum suum nanciscitur, cui adhærescens dein Realgar incipit partes exulcerare, vrere, dolore torquere, ac vel in latum, vel profundum depascere, pro suæ nimirum essentiæ proprietate, vnde quoque horum vlcerum differentiæ constituendæ sunt. Itaque quæ in facie & collo sunt, Syreia appellantur: quæ inter clauiculas & inguina, ante & retro sunt, Cancrum vocare solent: quæ vero sub hypochondriis sunt omnia Malum S. Ioannis nuncupant Germani, forsan ex eo, quòd diuinam potius quàm humanam opem requirant. Atqui non raro euenit, verrucas ac dura tubercula eadem ex causa oriri, quæ tamen vtilia potius quàm noxia putanda sunt, itaque non vt vulgus Medicorum facit, Corrosiuis irritanda sunt, sed relinquenda: siquidem tentata statim efferantur: est enim ea Realgaris ex Salibus natura, vt ab huiusmodi externis obiectis inflammetur ac sæuiat, non secus ac de Realgare metallorum iam dictum est. Vltimo loco sciendum, præter iam dicta Realgaria speciem adhuc existere, quæ nunc ex Antimonio, nunc Plumbagine, nunc ex Margasita, vel Thalco, vel Kakimia, aliisque huius generis Mineralibus ortum ducat: verum cùm ab ea effecta vlcera, eandem cum superioribus curationem requirant, nil opus est multum de ea laborare.

Caminũ Vulcani.

Syreon quid.

Malũ S. Ioannis.

CAP. XIII.

De vlceribus transmutatio.

ITerum quoddam vlcerum genus explicandum est, quod exemplo hoc innotescere poterit. Cùm homo in exteriori mundo, tam variis artibus instructus sit, vt etiam ipsas rerum formas transmutare possit, cuius rei locupletissimum testimonium in melle crudo & præparato, quæ & substantia, & viribus, ex diametro quasi pugnant, habemus. Si, inquam, in exterioribus talia perficit homo, quantò magis intrinsecus in minori mundo, in quo omnes thesauri reconditi sunt, & ex quo omnia quæ exterioribus efficit, proficiscuntur, talia præstare ipsum posse putabimus? Si itaque homo extra se naturas contra naturam transmutare potest, & illa ars ab intra procedit, quæ in attendando consistit, quam dein experientia comitatur. Sic enim artes inueniuntur: primùm dum homo ex se attentationem, ex maiore mundo experientiam assumit, atque tam diu laborat, donec vtriusque similitudinem comprobarit: quare nemo vitio mihi vertat, quòd hominem intra corpus ad transmutationem naturarum tantum, quantum extra, laborare dicam: nam de interioribus quàm de exterioribus maior mihi sollicitudo est. Ad hæc sciendum, hominem dupliciter agere: in exterioribus corpore, in interioribus spiritu: illic externarum rerum, hîc humani corporis decorem ac vsum respiciens. Spiritum interius agentem distinctionis causa, Adech vocare soleo.

Mel crudi cum præparato viribus pugnat.

Remedia vt inueniantur.

Adech spiritus in homine laborans est.

Itaque sunt in exterioribus Sales quidam, magno artificio compositi, vt Alkalia, & Sales sublimati, hi sales ad naturæ defectus sarciendos, necessario ab arte fiunt: nam natura non omnia simplicia perfectè creauit, sed aliqua etiam arti perficienda reliquit, pro libito, & ad eum quem desiderat finem, consequendum, vt iam ars rectè altera natura sit, & dicatur. Hæc si in maiore mundo fiunt, etiam argumento sunt, in minore, mundo, ab Adech huiusmodi transmutationes tentari: atq; hac ratione quandoque vlcera non simplicia, sed composita (nam ad transmutationes compositionem molitur natura) oriuntur, de quibus meritò hoc loco paucis edisseremus. Itaque (vt iam dictum est) si homo in exterioribus bona malaque, vtilia & noxia efficit, quid prohibet, idem intrinsecus fieri, dicere? quare si ita intrinsecus laboret Adech pro loci natura simplex vel compositũ, mite vel corrosiuum vlcus facit, cuius dein forma, formam illius Salis, à quo factum est, imitatur. Formas hasce nil opus est hic multis depingere, atque ab inuicem distinguere: infinitus namque labor foret, parumque ad curandum vtilis. In hoc genere mali describendo antiquitas (pro more quem in obscuris rebus semper tenuit) mira verborum inutilium profusione multis paginis disseruit. Ego negotium paucis expediam. Artifices interni, dum ad opus aliquod se accingunt, loca sibi deligunt, in quibus simplicia compositis suis idonea inueniant, quæ vbi nacti fuerint, talibus formis exornant, quales & ipsorum naturæ, & instrumentorum habilitas ferunt. Spirituales isti artifices variis arcanis ornati sunt, bonis scilicet ac noxiis, quę pro loci natura diuersa fabricant. Operum horum iam prognostica paucis aperiantur. Si itaque contigerit homines multo quàm ipsorum ferant prudentia, mores, ac naturæ, morosiores euadere (quod fieri non raro animaduertimus) variisque morbis incognitis antea conflictari, Cœlum malè dispositum iudica, à cuius peruersa operatione non ita multò pòst Pestem causatam iri, metuendum. Quod de vniuersalibus dictum est, in particularibus quoque considerationem meretur itaque si vlcera cacoëthe appareant, internos artifices in opere aberrare scias: etenim quandocunque exterioris mundi negotia claudicant, interiorem periclitari non potest non verum esse. Hæc de morbis transmutatis hactenus dixisse sufficiat, in quibus non tam vniuersaliter, quam de vlceribus specialiter admonendi mihi fuistis

Natura non omnia perfecte producit

Artifices seu fabri in homine.

Pestis à cœli infausto positu oritur.

CAP.

CAPVT XIV.

De vlceribus quæ cœlitus imprimuntur, ac influunt.

COelum eiusque influxus contemplari, (propter eos morbos quos à Firmamento imprimi omnibus in confesso est,) Medicum debere, non minus quàm simplicia ea, quæ ad remediorum compositionem adhibet, ex eo manifestum est, quòd cùm quatuor sint, quæ Medicum perfectum reddunt, Philosophia, Astronomia, Alchimia & Medicina: Astronomia, quæ circa cœlestium versatur contemplationem, eam nobis ad Medicinæ perfectionem necessariam ostendat. Sunt qui tribus repudiatis vnà, Medicina contenti esse velint, eo argumento, quòd nusquam Galenus de cœlestibus impressionibus (etiam in Pestis consideratione, quæ tamen omnibus ad cœlum refertur) verba fecerit. Quasi vero non vitio potius quàm virtuti tribuendum sit, eum, qui principatum Medicinæ affectarit ac vsurparit, ista ignorasse, sine quibus in Medicum perfectum euadere non datur. Sed noxium hoc artis Medicæ dogma est, quod vni homini tantum tribuitur, atque imitationem rationibus præfert: ex eo enim accidit, vt omnes impunè Medicos se esse profiteantur, ac ex arte rem faciant, qui alias artes vel desidia, vel ignorantia relinquere coacti fuêre. Verum iam tandem ostendam, quomodo cœlum vi sua attractrice multorum vlcerum efficiens causa sit. Magnetem, Succinum, Mastichem, Resinas, aliaque huius generis: ferrum, sordes ac similia attrahere videmus. Sic in cœlo stellæ plurimæ existunt, quæ in homine recondita, ac sibi familiaria (siue humores sint, siue quid aliud) ad exteriorem corporis regionem educunt atque attrahunt: certum enim est, nihil in hoc sublunari globo esse, quod non Stellis aliquid de sua natura communicare cogatur magno suo malo: vti enim solem ex humidis humida extrahere eaque arefacere videmus: sic quælibet stella ex suo corpore cui dominatur, attrahit quædam, quibus deperditis, ipsum corpus ad interitum inclinare apparet. Huc respicere manifestum est eos, qui non nisi inspecto prius cœli situ, ligna cædunt, ac lutum fodiunt: quippe non ignari, cariem, aliaque vitia à superioribus accidere. Quin & illud experientia docuit, Saphirum gemmam Anthracem aperire attrahendo, donec vlcus fiat manifestum: quod si ea lapidis natura est, eaque in astris quoque tribuere, vt scilicet ab ipsis Carbunculum, Anthracem, Apostema, &c. fieri dicamus, cùm Gemmæ eam virtutem non nisi ab astris habeant. Longè alias harum affectionum causas adferunt pseudomedici, verum quia omni occultioris naturæ cognitione destituuntur, quid mirum cœlestium influxionum effectus illos non intelligere? Iterum, cùm angelicam vrsinam iis quos Radiis suis apprehenderit, omnem virtutem subtrahit, non video quomodo non Firmamento illam quoque vim tribuamus: siquidem iam constitutum sit, nil in Elementari orbe esse, quod non in Firmamento existat quoque. Quamobrem notandum, si vlcera fiant lethalia, vel quæ methodicam curationem non admittant, curandi rationem inuertendam esse, aliaque remedia vsurpanda: nam in iis cœli influxum prędominari certissimum est, in hoc ergo vlcerum genere nil sane spei in vulgatis medicorum libris ac pharmacopœorũ officinis ponere licet: putida enim ac inutilia sunt, quæ ipsi præscribunt, ac componunt remedia. Itaque ad Astronomicæ Medicinæ canones recurrendum erit, illicque remedia petenda. Quæ diximus hactenus, vberiore explicatione non indigent: vnicum enim argumentum à maiore omnem dubitationem tollit nam si cœlum pluuiam, niuem, tonitru, fulgur, &c. efficit: si cœli tempestas alterationem corporibus inducit, vt iuxta eam magis minusque valeamus: manifestum est, cæterorum quoque morborum, maximeque vlcerum efficiendi potestatem ei tribuendam esse, quidquid Galenus eiusque sequaces deblaterent.

Medicã quatuor artes perficiũt.

Galenus cœlestiũ impressionum non meminit.

Cœlum quomodo vlcera faciat.

Stellę ab inferioribus nutriuntur.

Saphirus Anthracem aperit.

Angelica Vrsina est Cardo patia seu Carlina.

Astronomica Medicina.

CAPVT XV.

De Vlceribus fontis (appellatis.)

VLceris hoc genus, quod fontis appellauimus superius, explicaturus, exempli loco adducam illud. Fontium calor frigusúe, siue ex cœlo sunt, siue à terra, à calido & igneo fonte sub tera latente, suasque actiones perficiente, consistunt, augenturque. Atqui nihil in his inferioribus, vel calidum, vel frigidum est, quod non caloris frigorisue sui causam cœlum agnoscat: at terram interim ceu concausam istarum qualitatum augmentum ac decrementum procurare non negauerim, Radix tamen, vt dixi, in cœlo est, quæ in prima rerum creatione sic vt apparet, est segregata, iterumque terrestribus mutua cognatione iuncta. Simili plane ratione, de fluxionibus humani corporis iudicandum est, eas scilicet à cœlestibus operationibus dependere, vt dirimi facile non queant. At vt maximè difficulter ab iis alienentur, atque medelam accipiant, tamen hominem coactè illas impressiones ferrre non fatemur, sed per Astronomicam Medicinam resistendi præsidiis confirmari posse, contendimus. Generationis quoque horum modus fontibus aquarum omni ex parte respondet: nam quemadmodum illæ ex Petris scaturiunt, ortus tamen sui rationem, ac semina manifesta non habent, sed perennes fluunt semper, sic & istæ fluxiones humani corporis, ex nullo, vel saltem obscuro semine emanantes, perennes quasi sunt. Istis sanè singularem curationem adhibendam esse, differentia horum ab aliis vlceribus (quæ ortus sui manifesta seminaria habent) innuit. Homo cùm ex terra ortus sit, terrę quoque naturam refert, atqui terra Flammulam, Linum Aquaticum, &c. caustica & pustulas excitantia producit. Ergo in homine similia quædam germina nasci possunt, quæ huic sensu molesta sunt, illi ob crassitiem insensibilia.

Caloris frigorisque cœlum causa est.

Catharrhi à cœli influxu dependent.

Flammula vim causticam habet.

Itaque fontium hac analogia constituta, notandum deinceps est, quemadmodum fontium varia genera sunt, tempérie, actionibus, accidentibus variis inuicem differẽtia, sic & harum fluxionum non vnam esse distinctionem, sed plurimas, quas curandi ratio studiosè obseruandas

tandas innuit: nam frigida, stupefaciensque defluxio à calida longè aliam curandi methodum requirit (CVRATIO.)

Etsiamsi autem istis fluxionibus curationem adhibere,& impossibile sit, & inconueniens: (nam nemo fluminis impetum in fonte suo remorari potest, vti radicitus ex semine ortam plantam euellere licet) tamen non desunt ad sustentationem remedia, neque Medicum est, statim de curatione desperare. Et si enim pseudomedicorum decreta incurabiles istas fluxiones pronuncient, tamen eæ consultationes, quæ cœli influxum præsupponunt (quas neque apud Galenum, neque alios eius farinæ logodædalos inuenias) aliquid spei adhuc superesse quandoque ostendunt.

Curatio in prædictione obseruanda.

CAPVT XVI.

De Vlceribus Quæ cum Vulnere, fractura, ac morsu complicantur.

Causa.

VLcerum quæ vulneribus, fracturis, morsibus, aliisque non bene curatorum vulnerum symptomatis superueniunt, hinc fere radices trahunt, quòd dum illis medicamur, nisi probè ab externis iniuriis ea muniamus, ex sua natura, vulneris scilicet in alienam abeunt, ac in vlcera transmutantur. Veluti ouum cuius putamen confractum est, facile quoque putredinem contrahere apparet. Sic & homo si ab extra illius corpus apertum fuerit (id est, vnitas soluta) tum externa elementa, ac aër circumstans in interiora agere incipiunt, eaque corrumpere: est enim exteriorum multo quàm interiorum natura durior, adeo, vt inter ea similis ac inter Silicem ac Carbunculum gemmam comparatio sit, itaque corruptio facilis existit, ac studiose præcauenda. Etenim cùm ea sit immundorum natura, vt mundis semper quoque labem aliquam inferre conantur, summo sane studio in tuendam mundiciem incumbendum erit, maxime si à Firmamento alterata esse Elementa intellexerimus. Ex quo sequitur, humani corporis continuitate soluta, siue per Arma, morsum, vstionem, fracturas, &c. ipsum corpus externorum & circumstantium Elementorum iniuriis expositum esse, & in vlcerosam dispositionem facile prolabi. Quamobrem Medicamenta parietis instar collocanda inter corpus & circumstantia, Elementa erunt: quod nisi & ipsa medicamenta sint ritè præparata, sed æquè ac externa elementa immunda, facilior multò erit ad vlcus transitus. Atq; hinc nata putredo corruptionis vehementis causa euadit, quam auferre, nisi tota ea parte, quam ipsa occupauit, ablata, impossibile est. Actiones istæ Elementorum externorum summa diligentia propter curandi rationem obseruandæ sunt: nam ab impressionum ac Salium actionibus non parum diuersæ apparent, quas quia Humoristæ illi medici ignorarunt, non est vt multum vtilitatis ex ipsorum lectione reportaturos nos speremus. Etsi enim non negauerim, ipsorum curationes confirmari posse, si eæ essent causæ quas illi assignant: verum illi eas indemonstratas assumpserunt, atq; hac sumptione totam artem fœdissime conspurcarunt. Vos hoc axiomatis instar habete. Quemadmodum respiratione ac inspiratione corrupti aëris, hominis interiora inficiuntur, sic & per vulnera non probè munita, venenum ambientis aëris communicari nobis posse. Atque hoc vt in quauis vnitatis solutione catholicum est, sic in venenatis morsibus, ac vulneribus ab intoxicato telo factis, vnicè considerandum: etenim veneno cum ambientis intemperie conspirante, celerrima ingruit destructio. Quin & in fracturis, (vbi eæ perperam curatæ fuerint) cum vlcere complicatio admodum periculosa existit, ac fere curationis spem adimit. Itaque vbi tale vlcus oblatum fuerit, sciendum, curationem per Elementa (id est, ipsorum Elementorum remedia) faciendam esse: semper enim ex eadem classe, è qua morbus est, remedium petere conuenit, quod qui non intelligit, sed semper contrario remedio cogitat, is vt à curatione abstineat, admoneo.

Corpus vulnera tum Elementorum iniuriis expositum.

Causas nec demonstratas Humoristæ assumunt.

Curatio per Elementa.

CAPVT XVII.

De Vlceribus qui ex propria constellatione generata sunt.

ACcidunt quandoque vlcera, quorum infectio ex sua ipsorummet constellatione originem ducit, nulla accedente vel cœlesti vel Elementari causa procatarctica, huius generis sunt vlcera mammarum, quæ ab vtero oriuntur, verbi gratia, Cor suam constellationem habet, habet & suam vterus quarum sicut Archeus interior ad exteriorem se habet vtraque. Vteri itaque Syderea virtus si à vero tramite aberret, totam illius regionem, quanta ea est, ad destructionem disponit, ac inficit, haud aliter quàm Anthracem à cœlo accendi videmus: nam & sic quoque vterus, hîc ex intrinseca illa sua influentia vlcera creat, putredinem in lacte vberibus &c. efficiens. Simili ratione Bubones fiunt, corrupta scilicet Osei constellatione. Nam Osei operatione suummet Sydus corrumpente, ac quasi efferata destruente, Pesti simile hoc malum oritur: etenim quemadmodum cœlestis illa influentia partem sibi cognatam inflammat, sic radios Syderis Osei hîc se habere cogitandum est. Pesti simile malum dixi: nam sunt quædam singularia loca, in quibus frequenter Bubones pestilentiales fiunt, cuius generis & Osei regio est, Quin & sydus Osei interna quædam pestilentialium stellarum constellatio est: verum superiori tandem constellatione accedente, tum demum exterioris Osaicæ Pestis causa euadit (obscura omnia sunt.)

& Cordis constellatio.

Bubones Venerei vt fiant.

Osaica Pestis.

Itaque quod supra monuimus, scilicet in Physico corpore totum contineri Firmamentum, ipsumque iuxta cœli Physici regiones diuidi, hic denuo memoria reddendum est, ac obseruandum præterea. Quod si ex cœlesti constellatione pestis fiat, suo ad quem eam influxus destinauit loco, eaque lethalis non sit, sed loco cedat ac soluatur, nec plane tamen, quod, inquam, nisi ea concinne ritis adhibitis remediis, percuretur, vlcerosa ac fistulosa sequatur dispositio: ac dein interiore destructo sydere alia superueniat pestilentialis constitutio, ab illa diuersa quidem, ex ea tamen orta. Quamobrem moneo in pestis curatione sedulo in consolidatione laborandum esse, quod sine

Bubones pestilentiales in Fistulas abeunt.

sine ea nulla curatio absolui possit. Pauca hæc exempli quasi loco ad ostendendam constellationis vim, in medium attulimus, monentes interim, & huius generis alia innumera existere, & istis consideratis facile cognosci, quid Æther Olympius, ac Physicum sydus possint. Hæc scio Medicos Firmamenti ignaros non intelligere, sed ipsimet huius inscitiæ causa sunt.

Æther Olympius.

CAPVT XVIII.

Vlcera quædam per incantationem à Lamiis fieri.

VLcera per incantationem à Sagis fieri posse, vel facta deteriora effici, etsi vulgo incredibile ac fabulosum putetur, sapientioribus attamen non plane fictum videtur. Et sane duo omnino modi sunt quibus ista fiunt: vel enim à spiritibus, vel ex incredulitate accidunt, quæ ambo cùm extra LVMEN NATVRÆ posita sint, naturaliter, seu ex naturæ fontibus, de iis disserere nemo poterit. Spiritus autem quomodo huiusmodi operationes perficiant, scitote, quòd Sacræ literæ admonent de hoc casu in Historia Iobi: is enim antequam à diabolo tentaretur, integra & fortuna & sanitate fuit, sed potestati diaboli subiectus, toto corpore vlcerato esse cepit, à satana nimirum percussus. Hæc si concedamus, vt certè inficiari nefas est, quis dicat iam tum huiusmodi tentationes desiisse, nec ad hæc vsque tempora, imò ad finem seculi durare ac duraturas esse? Sane non contemnenda Satanæ potentia est, vt qui mille fallendi ac tentandi artibus præditus sit, & qui, Scriptura teste, semper rugiens obambulat sicut leo quærens quem deuoret. Quamobrem firmiter credendum, non tantum animæ, sed & eius domicilio, corpori sc. nostro ipsum acriter insidiari, cum & experientia constet, & Euangelium doceat, ipsum corpora nostra obsidere, ac miris modis deformare posse. Stat itaque sententia, Satanam diuino permissu omnis generis plagis humanum genus afficere posse. Atque quemadmodum homines variis artibus præditi sunt, quas omnes ex rebus à Deo creatis, ac per sensum & rationem cognitis, faciunt, exercent, perficiunt. Sic Spiritus homines longo interuallo superare constat: ij namque simplicia ac species suas non ex corporeis, sed ex incorporeis, cœlestibus, ac Firmamentalibus, quibus æque ignis, sulphur, ac Salpetræ inest, ac istis Elementaribus corporibus desumunt. Quod si ergo vt hominibus, sic & Satanæ scientiam componendi largitus Dominus Deus est, certum est ipsum ventum excitare, ignem accendere, ex salepetræ & sulphure grandinem ac fulmina efficere, quibus omnibus nos fortunis exuat, posse: nam quò ars à Deo reposita est, illic ipsam vigere probabile est. Sic ergo Iob, sic alij, in tentationem induci Deus permisit, à Satana afflicti, tractati, percussi sunt. Sciendum itaque est, eam quorundam hominum peruersitatem esse, vt cùm toto corde, & ex tota anima Deum diligere deberent, ad satanam conuersi, eius mancipia euadant, ac odio proximi flagrare incipiant. Qua dein maleuolentia cum malis spiritibus iuncta, eorum sibi scientiam vsurpat: atque sic spirituum ministerio conceptum odium in proximos euomit. Sed præmium huius nequitiæ æquale cum Iuda proditore ferent omnes ij, & sanè quicunque tales sunt, sub exitum vitæ huius rei manifestissima indicia produnt: est enim æqua cum labore ipsorum merces. Veruntamen nec in illis quibus mala à spiritibus infliguntur, sine diuino permissu quidquam proficit hostis maleuolentia: at ille ipse qui proprio Filio non pepercit, nobis quoque crucem ac afflictionem à proximo imponit, ac conciliat, &c.

Spiritus quomodo vlcera faciant.

Imaginatio seu incãtatio vt lædat.

Iudæ proditoris præmium.

Porrò nunc incredulitas, quæ horum malorum causa altera nobis constituta fuit, expedienda superest, qua de re dilucidiss. Christi verba in Euangelio extant, cùm inquit. Si fuerit fides vestra, sicut granum sinapis, & dixeritis huic arbori, &c. Ex istis enim consequitur, si fidem habuerimus in Christum, fore, quæ ille pollicitus est: sin fidem in Satanam habeamus, itidem illius promissorum participes futuros: vtroque enim modo Diuina operatur potentia, teste Christo, cùm loquitur de Pseudoprophetis & Antichristo. Signa & miracula facient (inquit) per Satanam, & ego Satanæ scientiam ac potestatem tribuam, vt ipsorum miracula de illis testentur: nam propter fidem ipsorum Satan talia perficiet miracula per ipsos. Quapropter, in Satanæ potestate asserenda, nemo nimium sit incredulus: nam quemadmodum Deus de piis testimonium perhibet per miracula, sic de impiis Satan. Itaque non immerito de incantatione & similibus, per quæ vlcera quandoque infliguntur, hoc loco disseruimus.

Incredulitas est vlcerum causa.

CAPVT XIX.

De Vlceribus quæ ex Elementis duobus, igne & glacie fiunt.

VLcera quæ ex Elementorum manifestis qualitatibus, (id est, intemperie) oriuntur, cùm singularem curationem requirant, singularem quoque theoriam non immerito sortita sunt. Quapropter quod initio diximus, hominem tribus è rebus compositum esse, quarum vna Sulphur est, sciendum, hoc genus vlcerum in Sulphure radices suas habere. Itaque si Sulphur inflammetur, iam operationem suam auspicabitur, ac in igneam degenerabit naturam, igneasque actiones producit, hoc est, caustica sua vi pustulas excitat quandoque membrum, non raro totum corpus adurens. Neque est, vt quis admiratione ducatur, si audiat Sulphur me in humano corpore constituere. Etsi enim ad oculum non apparet, inest tamen in omnibus suis facultatibus in corpore Physico, non aliter quàm de Salibus dictum est hactenus, quorum essentia quoque etsi conspicua non est, tamen virtus & actio latere nequit. Sic etenim in prima rerum creatione comparata sunt omnia, vt Sulphur quandoque caro sit, quandoque lignum, &c. Sed omne id quod ab igne euincitur, Sulphur putandum est: reliqua vero duo (Sal scilicet & Mercurius) igni resistunt, ac in vltimam materiam reducuntur. Quia ergo ex carne, ossibus, & similibus Sulphur generari diximus, quod dein inflammatum vlcera faciat: Scitote, quod corpus ab initio omne Sulphur fuit, à quo dein

Sulphuris inflãmatio.

Sulphur quid in homine.

Corpus primo sulphur fuit.

Caro & sanguis media materia corporis sunt.

Caro & sanguis media materia corporis sunt.

dein in mediam materiam perductum est, vt iam caro, sanguis, &c. esset, vnde illæ partes corruptibiles effectæ, intrinsecas concitarunt incommoderationes, vt iam homini suæmet ipsius substantiæ aduersentur, ac subinde appetant rursum reductionem ad primam materiam: nam media creatio primæ omnino inimica est, ambæque mutuam corruptionem satagunt, atque prima alterius in se reductionem machinatur, qua facta, homo denuo in terram ac puluerem, ex quo (media creatione) factus erat, redit. In quo puluere etsi manifeste Sulphur non apparet, nil refert: nam & ex terra lignum fit, cùm tamen terra lignum nec sit, nec dicatur. Itaque omnibus modis primum corpus, in quo morbus inhæret, cognoscendum est: pòst, causa morbi, & quæ rursum ad primam materiam corpus reducere cogitat, contemplanda: sic namque omnes prædestinati sumus, vt variis modis corrumpamur, ac in primam materiam relabamur, corruptionis inquam: huius quædam species Sulphuri quoque inest, qua à media creatione ad primam inclinat, ac Elementariam inflammationem contrahit, vt rectè ignis isto in casu corruptionis materia dicatur.

Affectus locus & conspiratam cognosci debent.

Ignis ergo iste per quem Sulphur hoc accenditur, variis modis nascitur, quemadmodum & externi ignis ortus varios esse conspicimus: hic ex silice excutitur, alter per speculum adurens concipitur, tertius ex motu (quod in funiculis apparet) nonnullus alia ignifera arte comparatur. Eodem dico modo ignis interior inuisibilis exoritur: nam silicum ignem refert is, qui fit per cœlestes impressiones, Solis interioris, qui Sulphur accendit. Solem illum, vt qui nec diem nec noctem faciat, Galenici medici non intelligunt, quippe cuius naturam nunquam didicerunt. Verum si sol externus lignorum Sulphur accendere potest, rectè interiori nostro soli eandem vim tribuimus. Sunt porrò in homine motus quidam, qui pro natura sua Liquorem exiccare valent, ac Salia in calcis formam adurere, à qua postmodum membra in Sulphuream naturam deducta, vi caloris inflammantur. Accensionum genera etsi plura existunt, iam commemorata duo tamen præcipua quasi sunt, & reliqua in se continent omnia. Quæ ambo (vt summatim omnia quæ diximus colligam) corpus primum inflammant, & ad primam materiam retrudere conantur (vnde postea ad conspiciendam flammam aptum redditur, &c.) Quòd hominem ab igne consumendum pono, non vsque adeo insolens putandum est: nam & huius rei tertia quoque documenta manifesta prodit: quoties enim terrestres ignes emicant? qui sane medicum commonefaciunt de hominis igne. Etsi enim non eadem ratio est primæ ac mediæ creationis, ac materiæ, terræ scilicet & hominis, ignis scilicet terrestris, ac humani, attamen eorum æquales Operationes esse, experientia docuit: nam vt maxime ignis terrestris, qui corporeus est, ac visibilis, interno hominis igni (qui soli ei in quo est sensibilis, omnibus inuisibilis cognoscitur) æqualis non videatur, est tamen iuxta hanc differentiam amborum essentias metiri facile. Verbi causa, Montes

Ignis internus variis modis exiit. Sol in homine internus.

Alter mod. inflammationis Sulphuris.

plurimi sunt perpetuo igne deflagrantes, alij non perpetuo quidem, sed eousque durante, donec omnimoda ad primam materiam reductio facta sit. Sic in Styria vidimus ex male curato igne nocturno totos campos deflagrasse, cùm ad ignis restinctionem frustra concurreret plebs, verum istas ignis externi causas indagare philosophos relinquimus, sufficiat nouisse hæc quandam ad Medicam artem præfigurationem habere. Simili ratione igneas operationes quæ in Adoptis fiunt Chemiæ (cuius Medicum peritum esse volumus, antequam ad artem accedat,) considerandas volumus. Harum conflagrationum exemplo, contingit in humano corpore, post diuturnas vlcerationes, Sales quandoque calcinari, atque Sulphurea corpora in primam materiam reduci tandemque accendi. Quin & idem ex inconuenientibus adhibitis remediis accidere videmus, maxime à Mercurio viuo: itaque Medicos hortor, vt Chemico studio ipsius venenositatis scintillas tollere discant. Ad hęc post diuturnas ægritudines huiusmodi inflammationes accidere possunt, verum vbi in sanis factæ fuerint, atque vbi nulla in remedio culpa est, sciendum mali causam eam esse, Sydus illac influere, ac impressionem facere velle: sumus enim superiorum influxibus recipiendis non aliter subiecti, quàm elychnium ad ignem è silice excussum excipiendum, quæ dico noua ac impossibilia non sunt: etenim si arbores, ædificia, &c. cœlo fulmine tanguntur, an non & nostra corpora huiusmodi ignes excipere queant? hoc saltem interest, hîc inuisibiliter fieri, illic omnia ad sensum apparere.

Historia.

Operationes in Adoptis.

Mercurij venenosæ scintillæ.

CAPVT XX.

De causis & Generatione Lepræ.

AD vberiorem Lepræ intellectum, ante omnia Leprosæ putredinis, à quauis alia differentiam obseruare conuenit. Est enim Leprosum corpus putridum, omni Balsamo ac Sale priuatum, vita tamen, Sulphure, & liquore non destitutum. Reliquæ vero putredines sine Balsami vel Salis interitu accidunt, quamobrem minus periculosæ habentur. Sciendum itaque, vbi in Balsamo vita non inest amplius, iam & Salem quoque deperdi, quo deperdito, reliqua duo, Liquor scilicet & Sulphur, pro sua natura, ac conditione agere incipiunt, & sic sine Sale generant, quod generatum nos LEPRAM appellamus: quæ etsi in putredine consistat, omnis tamen adeo diuersa est, vt nunquam in duobus similis appareat. Diuersitas hoc se modo habet, artifex manuarius iuxta varias dimensiones opera diuersa producit, ex insita sua virtute. Sic putredo hæc pro varietate complexionum ac conditionum, diuersi generis venenositates concipit: sunt enim corruptionis nostræ causa miris modis differentes, veneni diuersitas omnis ad insitam refertur dispositionem, quarum omnes quidem vnam causam habent, sed variis modis se produnt. Dicimus itaque Lepram fieri per putredinem sine Sale & Balsamo causatam, ab operationibus

Leprosi corporis descriptio.

Lepra quid sit.

II. Sulphuris & Liquoris: duo enim hæc si tertio (Sale scilicet) destituantur, non possunt nisi Lepram efficere. Neq; vero hoc saltē modo Lepra generatur, sed & si sal naturam suam deperdat, quod per cœlestes quandoq; influentias accidit, III. Lepra quoq; fit omnium pessima. Quin & vbi Balsamus per magnas corporis refrictiones congelatus corrumpitur, Lepra fieri potest, vti & in vino per magna frigora abeunte, corruptionem quandam inemendabilem fieri videmus. IV. Lepræ denique nonnullæ fiunt in generationi subseruientibus partibus, quæ si in posteros propagetur, omnino incurabilis est. Nam vbicunque Balsamus corrumpitur, vel absumitur, nulla amplius sanationis spes superest: nam quemadmodum cinis, non amplius in ligneam substantiam reduci potest, sic nec vllum corpus cuius Balsamus assumptus est, pristinæ sanitati restituere Medicus poterit: etenim sine eo tanta est reliquorum trium corporum malignitas, vt eo absente, viuum corpus sic putrefaciant, vt cadauera post mortem putrescere solent. Itaque magna huius morbi varietas & malignitas existit, quandoque vniuersim corpus, quandoque vnicum membrum, sæpius solos pulmones, vel manum solam inuadens. Ea tamen malignitate est, vt etsi vnica in parte consistat, integram tamen corpus inficere, sensu priuare, ac stupefacere queat, atque hoc in correptis infallibile signum futuræ in aliqua parte lepræ est, si illa pars stupore corripiatur, deinde sensum paulatim amittat. Sciendum tamen Balsamum (qui lepræ causa dictus est) corpus suum non amittere, sed vim saltem, id est, formam solum abire per putrefactionem) cùm autem forma quæuis à Salis corpore fiat, Salis corruptionem fieri debere manifestum est, ex qua vlcera, pustulæ, duri tumores &c. oriuntur, omnia pro loci & temperaturæ diuersitate euariantia. Est autem Lepra talis affectus, qui etiamsi pro sua natura omnibus animantibus accidere queat, vni tamen homini euenire solet, vel quia vnus homo ad talem corruptionem constitutus est, vel quia ciborum quorundam talis effectus est: hinc videmus porcos qui temperie ad humanam naturam bestiarum omnium proxime accedunt, ab hoc malo non vsquequaque tutos esse. Sed plura de lepra hominis, vt quæ nec præcaueri, nec curari possit, scribere supersedeo. Attamen quæ ex perfrictione fiunt, tum ex cœlestibus influentiis, lepræ per Medicinas cœlestes curationem admittere videntur: illæ vero quæ vel hæreditario factæ sunt, vel diuinitus immissæ (vt immitti non dubitamus) ad mortem ferè comitantur.
V. Denique non ignorandum, intrinsecas quasdam lepras esse, quæ vix post duodecimam generationem se prodant, ac si prodeant, finiuntur, & in perfectam sanitatem abeunt: veruntamen frequenter raucedinem, scabiem, mala vlcera efficit, quæ quia ex lepra (etsi imperfecta ea erat) originem habent, curationem non admittunt. Itaque Medico accurata consideratio adhibenda est, in huiusmodi incerti iudicij occultis morbis, ne forsan sanabiles pro incurabilibus, & viciſsim pronunciet, cuius generis erroribus multas occasiones præbent falsa & inconcinna Pseudomedicorum, de Lepræ iuxta humores differentiis scripta, itaque ab illorum lectione abstinendum iubeo.

Lepræ quæ incurabiles. *Lepræ futuræ signum.* *Lepra soli homines corripiuntur.* *Lepræ interiores.*

CAPVT XXI.

De Vlceribus quæ Chaos intrinsecus in nobis generat.

Flatuum ac aëris retentionem (est autem aër chaos quoddam, corruptionis causam continens) vlcera facere, exterioris mundi theoria ostendit. Aër namque exterior Firmamento circumscriptus, intra eius circumferentiam coactus est, ibique omnia quæ sunt peruadens, etiam in hominem agit: nam cum ipse corruptionis causa sit, imò ipsemet corruptus venenum concipit, quod dein omnibus corporibus, quæ ipse contigerit, communicat: hinc in pomis putredines, in arboribus caries, in homine vlcera oriuntur. Sic in homine cutis exterior firmamentum est mundi minoris, in quo chaos æquè ac in maiori mundo insunt, & ex seipsis, & à maiore mundo corrumpi idonea, ex qua corruptione interiorum partium vlcera nascuntur, multò quàm in exterioribus frequentiora, ac grauiora: nam illic sensus vegetior est, & facilius immundicies colligitur. Generatio putredinis in hunc ferè modum contingit: vbi pars aliqua venenum illud concepit, iam inflammari incipit, ac suppurari, vnde vlcus oritur, quod interius saltem consistit, nec vnquam extrà fertur, hinc morbi isti periculosi, ac lethales habentur. Et quò maior partis dignitas ac cum corde cognatio est, tanto periculosius malum est: nam dignitatis partis ratione morbi Acuti, Chronici lethales ac sanabiles euadunt. Porrò quæ de generatione ac virtutibus ventorum alibi diximus, ad hominem quoque hic referenda sunt: nam & in homine venti generantur, qui cum ventis maioris mundi cognationem habent: hinc sequitur, exterioribus corruptis, interioribus quoque illam corruptionem communicari, neque tamen exterioribus ventis vim generandorum vlcerum tribuimus, sed interioribus solum: verum nisi hi ab illis irritarentur, nec isti operarentur, perinde ac Silicis ignis, igni pulueris pyrici iunctus, flammam facit, hoc est, in silice ignis est, est & in puluere tormentario, attamen nisi ille in hunc coniiciatur, ignis non fiet, simili plane ratione de ventis iudicandum est. Notandum etiam, ventorum quamuis multæ differentiæ sint, vnicam tamen saltem esse vlcerationem, cuius tamen differentiæ ex hoc petendæ, quòd alia aliarum partium substantia acessentia est. Verum quòd ventus ille externus non omnibus ex æquo nocet, causa est diuina prouidentia, quæ membraneam cutem pro propugnaculo opposuit, tum quod regiones earumque situs magnam diuersitatem habent, vt in vnica nostra Germania centuplex & vltra inueniatur, omnis à cœlestibus constellationibus dependens. Quamobrem Medicus iuxta constellationum diuersitatem Astronomicis rationibus mundum partiri debet, totiusque mundi, iuxta easdem descriptionem conficere. Nam in populosis vrbibus cœli cum hominibus conspirationem videre est, vt iam vbi venti illi climata illa persuaserint, eos homines

Chaos est Aër. *Cutis hominis est firmamentum Microcosmi.* *Venti in homine generantur vt in maiore mundo.* *Mundus iuxta constellationũ diuersitatem partiendus.*

nes inficiant: sin nulla conspiratio illic sit, fine noxa illas regiones transit. Atque hæc de vlceribus internis, earumque ex Chao ortu dixisse sufficiat.

Peroratio.

QVÆ hactenus de causis ac generatione vlcerum prodita à nobis sunt, quàm difficulter locum apud plerosq; inuentura sint, non me latet: tam enim mordicus tot seculorum consensu confirmatam quatuor humorum in vlceribus theoriam, plerique retinere conantur, vt satis mirari nequeam, neminem hactenus extitisse, qui fucatam illam, ac Sophisticam humorum quaternitatem accuratius censeret. Sed mali causa ea est, quòd cùm ad capessendam Medicinam maximopere necessaria sit Philosophiæ cognitio, passim omnibus persuasum sit, ex Aristotelicis eam libris hauriendam esse, cùm tamen pro Græcorum more, quibus mentiri non insolens est, nil nisi meras nugas, ac mendacia in libros effuderit Aristoteles ille. Ad hæc Astronomiæ imperitia, ac Alchymiæ ignoratio, eiusdem malis causam præbuére: nam sine Alchymia Medicinam facere velle, perinde est, ac si Architectus sine norma, & perpendiculo ædificium construere animum inducat. Fundamenta itaque nostræ Medicinæ experientia iam confirmata sunt, nimirum quòd Salium corruptio, & ex ea corrodens nata virtus omnium vlcerum causa existat, adeo vt si plane ferreus homo esset, hac corruptione facta, ab vlceribus tutus non foret. Etenim tanta, vel non minor huius Salis resoluti malignitas est, ac illa Aquæ fortis ex alumine & Salenitri præparati, nec vllus Sal calcinatione, præparatione, vel sublimatione vehementior parari potest, Sale corporis Physici: hinc tanta vlcerum diuersitas, tot distinctionibus ab inuicem discreta, quæ tamen ad pauciora capita facile contrahi posset, curationis descriptionem diu multum ex antiquis me haurire posse persuasum fuit, sed in cassum omnia. Itaque stultum est, quòd tantum scientiæ antiquis tribuitur: nam si docta iuuentus fuißet, forsan erudita senectus iudicanda foret, sed quale senium rudem iuuentutem consequatur, omnibus manifestum est: hoc ego verè pronunciare possum, omnes antiquos iis rebus ætatem triuisse, quæ scientiæ ac sapientiæ primaria sunt impedimenta. Quamobrem vos iuuenes senesq; iam tandem labia comprimite, & me audite de morborum causis, ac curatione præsenti opere disserentem.

Humoraria vlcerum theoria. Aristoteles pro more Græcorũ mendax.

Salium corruptio omnium vlcerum causa.

Antiquorum inutilia studia.

FINIS SECVNDI TRACTATVS.

PH. PARACELSI

DE VLCERVM CVRATIONE

TRACTATVS TERTIVS, IN TRES PARTES DIVISVS: QVARVM PRIMA EST.

DE VNIVERSI CORPORIS RENOVATIONE.

Prooemium.

SVMMVM mysterium ac pretiosissimum thesaurum in hac corruptibili vita esse Medicinam, quæ in tollendis humani corporis morbis consistit, ex eo manifestum est, quòd post summum bonum (quod in dilectione Dei consistit) nil maius sit Dilectione proximi: an vero quidquàm est in hoc mundo, quo proximo tuo magis gratificari, ac commodare queas, quàm si auxilio artis Medicæ, dolores ac morbos illi molestos, & tantum non iamiam vitam eripientes depellas? Itaque cum huius dilectionis nos moneat Deus, imò eius gratia creauerit, summo studio manibus pedibusq; enitendum medico erit, vt in officio sit, hoc est, morbos ab ægrorum corporibus pellere discat. Ægri vero magnitudinem huius doni diuini, quo mediante à pœnis peccatorum ipsos liberari permittit, metiantur (esse autem morbos ac vlcera peccatorum pœnas, Morbus Gallicus argumento est,) nam Deus Opt. Max. dissimulata peccatorum labe, Medicinam humano generi largitus est, quo Lazari rediuiui instar, è faucibus Erebi eripiantur: hinc rectè proximus illorum Medicus, Medici Deus habetur. Medici ergo cùm ægrorum proximi sint, exemplo Samaritani in Iericho, qui non solum vinum & oleum vulnerato infudit, sed iumentum, pecuniamq; suppeditauit, ac pro ipso fideiussit, ægros vt semetipsos diligant, quod nisi fecerint, rationem non præstiti officij, in nouissimo iudicio reddere cogentur.

Medicina præciosiss. thesaurus.

Morbi sunt pœnæ peccatorũ.

Medici ægrorum proximi.

CAP. I.

De Tincturis Sanguinem gubernantibus, ac renouantibus.

Philosophorum antiquorum studia.

ANtiquorum Philosophorum in indagandis causis longæ vitæ, quantum studium, quantúsue labor fuerit, ex ipsorum in rerum natura indaganda collocata opera colligere licet, quo omnia omnium generũ remedia, eorumq; vsum indagarunt, atque eo nomine sapientiæ studiosi appellati fuére. Verum perfecta componendorum, ac præparandorum medicamentorum scientia destituti, eam ab Alchymistis petere non sunt veriti, atq; sic vtrorumque coniunctis laboribus, tandem genuina præparandorum remediorum scientia exorta est, quæ dein variis Chemicis experimentis, in Medicinam transfusis, mirificè aucta propagataque est. Ante omnia vero Tinctura, quam vocant, excelluit, cui tamen deinceps non mediocrem infamiam

Tinctura summũ remediũ

De Chrysopœia Paracelsi iudiciū. infamiam conflarunt Aurifices ac Chrysopœi, qui eam ad metallorum transmutationem imprimis vtilem censuerunt: sed quantum & quid de istis quiuis sibi polliceri possit, ac debeat, ex Naturæ lumine demonstratum nobis alibi est, itaq; hic sicco pede transeundum. Tincturam illos confecisse, qua metallorum colores transmutarent, sordes purgarent, &c. satis constat, vnde deinde de ea in Medicinam transfundenda cogitare cœperunt: sic & Metallorum flores maioribus quàm ipsa Metalla virtutibus præditos videntes, eos Medicis vtiles facere sunt conati. Itaque illis temporibus, siue ex cœli conuersionibus benignis, siue ex ingeniorum fœcunditate hoc accidit, Tincturæ illæ inuentæ excultæq; sunt: quarum quanta fuerit efficacia, antiqui ea de re codices testantur, quos diu à pseudomedicorum turba suppressos, nos publicos facere non dubitauimus, nobis sane experientia cognitum est, ad sanguinem purgandum mirificam illis facultatem inesse. Verum cùm ego de vlceribus curandis in præsentiarum agere constituerim, non præter rationem erit, si remedia nostra, vnde ea sumpserimus, ostendamus. Itaque ex Chemistarum ea scholis prodiisse fateri non dubito, attamen quæ in Chrysopœia, & Argyropœia conspexi vtilia ad renouationem corporis esse, sola, (repudiatis inutilibus) prodidi. Et quoniam Chemica ars infinitis erroribus scatere visa est, qui vel ex transpositione, vel omissione inuidiosa irrepserunt, vnde postea artifices, dum scripta sequuntur, seducti, alias semitas, prioribus relictis, ingredi coacti, varia, noxia ac innoxia, & vtilia inuenerunt, illud quoque Augiæ stabulum repurgandi pro virili nobis laborem sumpsimus. In quo eò facilius mihi versari licuit, quòd ab ineunte ætate, magno artis studio captus, summa diligentia sub excellentissimis præceptoribus, adeptæ Philosophiæ peritissimis, arte huic studuerim. Præceptores fuerunt primum Vuilhelmus Hohenhemius, parens meus fidelissimus aliiq; infiniti, qui ea qua debebant fide nil me cælabant. Ad hæc plurimorum doctiss. hominum scriptis non mediocriter adiutus sum, Settgahij nimirum Episcopi, Erhradi Lauentalij, Nicolai Hipponensis Episcopi, Matthæi Schachtij, suffraganei Phreisingensis, Abbatis Spanhemij, aliorumque doctiss. Chemistarum. Quin & Chemistarum variis experimentis locupletior factus sum, inter quos honoris causa nominandus mihi venit, nobilissimus vir Sigismundus Fueger Schvvatzensis, qui magnis sumptibus pluribus ministris sustentatis, magna artem Chemicam accessione locupletauit, alios, ne longior sim, enumerare omitto. Quamobrem cùm experientia primū, pòst philosophiæ cognitione, tum Vulcanicæ artis, ac corporis Physici scientia non fucata, præditus sim, corrigendi hosce errores mihi non immerito partes sumpsi. Laboris nostri specimen ac rudimentum in Tincturis hic proponimus.

Metallorū flores.

Remedia Paracel. Chemica sunt.

Chemia medica à Paracelso repurgata.

Vuilhelmus Hohenhemius Paracelsi pater.

Paracelsi in Chemia præceptores.

Sigismūdus Fuegger nobilis Chemista.

SIMPLICIA EX QVIBVS TINCTVRÆ præparantur, sunt hæc.

AVRVM.
MERCVRIVS.
ANTIMONIVM.
SAL PHILOSOPHORVM.
BALSAMVS.
CORALLI RVB.
MVMIA.
MELISSA.
CHELIDONIA.
VALERIANA.
GAMANDRÆA.
CICHOREA.
HYRVNDINARIA.

Omnium horum (ab auro initium facientes,) Tincturæ vt sint extrahendæ, breuiter ac methodice docebimus, quo labore, si nos leuassent antiqui, quibus nugas quàm seria tractare semper magis arrisit, magnas illis gratias deberemus: verum cùm illi deficiant, nos defectum restituere conabimur.

CAPVT II.

Tinctura Auri pro Curandis vlceribus vt separetur.

Tincturam auri voco, ipsius corporis colorem, quem si à corpore separauerimus, vt corpus album remaneat perfectum opus erit. Sunt enim color ac corpus res ab inuicem differentes, atq; ob id separari se patiuntur, hoc est, purum (quod color est) ab impuro, (id est, corpore) seiungi, quod nisi primum fiat, omnis labor inutilis euadit. Separatione ergo facta, statim ad coloris clarificationem, ac ad summum gradum exaltationem, properandū erit. Gradus autē ad quem tinctura exaltari potest, quinquies duplus est, id est, quinquies in bis xxiiij. nā sublimior non euadit. Tinctura hæc summum in expurgando, renouando, restituendo, tum mēbro affecto, tum vniuersi corporis sanguine, mysterium continet, cuius administrationem docebimus infra, iam præparationem dixisse sufficiat.

Tinctura quid sit.

Color est accidens corporeū separabile.

Summus auri gradus.

PRAXIS.

Corpus auri primum per aquam Salis, à Malleatione, ac natura Metallica remoueatur, id est, corrumpatur, dein residentia per Aquam dulcem abluatur, color per Spiritum vini extrahatur, spiritus denique à colore eleuetur, & in fundo remanebit tinctura quam optas. AQVÆ SALIS COMPOSITIO. ℞. *Salem (absq; artis accessione ab ipsa natura) albissimum, quem aliquoties fundes, pòst in puluerem tenuissimum redactum, cū succo raphani mixtum agitabis, post resolutionem destillabis, destillatum cum aqua portione succi Sanguineæ, destillabis adhuc quinquies. In hac aqua laminæ solis per Antimonium repurgatæ in puluerem facile resoluuntur. Puluis deinceps hoc modo praparatus, aqua dulci destillata abluendus eousq; est, donec nullum amplius Salem resipiat: nam Sal cùm in ipsius substantiam non penetret, facile lotione abluitur* SPIRITVS VINI COMPOSITIO. ℞. *vini generosissimi sextarium vnum, infundatur in vas circulatorium iustæ magnitudinis (hoc est, in quo vinū facile agitari possit) ponatur in Balneum Maris, ad profunditatem quam vinum occupat, ac fiat decoctio ad dies 10. commissuris vasis optime circumlitis, ne quid expiret: dein cucurbitæ indatur, ac lento igne Spiritus abstrahatur, qui vt primum transierit (quod ex suis signis cognosces) vrgere desine: nam reliquum nil nisi vnum sublimatum est.* Hunc itaque spiritum superiori pulueri, qui instar Alcool esse debet, infunde, vt palmum superet, ac vitro inditum, probeq, munitum in Balneo calido per mensem digerito, & separabitur color, ac Spiritui commiscebitur, atq; in fundo remanebit

Aqua salis vt fiat.

Spiritus vini vt fiat.

nebit puluis albus, his omnib. separatis funde puluerem, ac transmutabitur in aquam Metallicam, cuius spiritus iuxta artem euaporentur, & residebit in fundo liquor optatus: Cuius deinde gradationem auspicaberis, quam in Retorta iustæ magnitudinis quinquies, hoc est, ij. iiij. o. facies, fiet autem commodissimè per eleuationem, quæ valde attenuat.

CAP. III.

Tincturæ Corallorum pro mundificatione sanguis extractio.

Corallorum tinctura sanguinem purgat.

CORallorũ seu tinctura mundãdi sanguinis, tam secretam ac arcanã continet facultatẽ vt cui eius vsus perspectus sit, Lepræ præcauendæ ac curandæ maximum teneat mysterium: tanta namq; illi virtus est, vt ne vel minimum vlcusculum generari patiatur, sed omnem omnium venarum sanguinem exquisitissime perpurget. Tincturæ autem corallorum extractio, sic attentanda, vt solum id vnde coloratæ sunt, separare conemur: nam illud tincturam dicimus, non ipsum corpus. Itaq; studiose considerandum medico, vt tincturas iis ex rebus quærat, quæ excellentibus coloribus præditæ sunt: eæ namque summam mundificãdi sanguinis vim obtinent, quod in corallis facturus sic procedes. Primum omnium ex Corallis in subtiliss. Alcool redactis, per spiritum vini color abstrahitur, dein præparetur ad summum suæ bonitatis gradum.

Tinctura à corpus differt.

PRAXIS.

Corallorum color simili vt Auri fatione extrahitur, qui deinceps sedecim vicibus igne aperto ascendat, ac denique in Balneo M. sexies à fæcibus oleum abstrahatur, seruetur q; vsui; Exhibetur scrupuli instar cũ ℥ j. Aquæ Theriacalis.

Dosis.

AQVA THERIACALIS.

℞. Spiritus vini ℥ v. Theriacæ bonæ ℥ i j. ß. Myrrhæ Romanæ rubeæ ℥ j. ʒ ij. Croci Orientalis ʒ ij. mixtis omnibus fiat destillatio, per alembicum, &c.

Hac ratione exhibita Corallorum tinctura, seu mysterium, omnis generis Fistulas, Cancros, Syreia, Phagadenas, &c. radicitus curat.

CAPVT IV.

De Tinctura Balsami extrahenda & præparanda.

Vlcera in Lepram decenunt.

ACcidit non raro vlceratos vbi longo tẽpore vlcera persliterint, vel male curata fuerint, in affectis partibus Lepræ similem quãdam dispositionem contrahere, vnde nullũ deinrestaurans vel renouans remedium, propter summam putredinem, proficere videmus, in quo casu omnis deinceps spes in Arcano Balsami constituenda erit: ipsum enim solum, & hoc genus mali, & alia corrodentia vlcera, percurare potens est. Itaque Balsamo mirificam facultatem inesse, si vt docebimus administretur, dubitandum non est.

Arcanũ Balsami

PRAXIS.

℞. Balsami ℥ ß. Spiritus vini lib. j. ℥ ij. circulentur in vase circulatorio ad mensem vnum, dein alembicum (qui in hoc remedio Retortæ præstat) destilletur, ac denuo cum ℥ ß. Balsami commixta digerantur, commissuris vasis probe curatis. Et orietur mixtum quoddam a priore corpore alienũ (hoc enim in omnibus reb. Gradandis catholicũ est, vt sui corporis naturam ac essentiã amittant.) Idq, quater reiterandum erit, si ipsum volatile factum sit.

Medicamentum hoc Balsami tanta penetrandi facultate pollet, vt nulla sit humani corporis particula, quam non penetret, nullus morbus, nullaue corruptio quam non curet: corruptio enim necessario accidit, ac medici subiectum est: nam Deus est qui corrumpit, Medicus qui restituit: vult enim Deus hoc medio nos ad secreta naturæ perquirenda instigare, &c.

CAP. V.

De Tinctura Antimonij Restaurante ac renouante.

INueniendorum remediorum, eorumq; naturæ indagandæ rationẽ, vel vnius Antimonij exemplo, quis facile addiscere possit. Quẽadmodum enim primum arte Chemica, ipsi soli virtutem repurgandi Auri inesse, ac perfectam, quæ nullas relinquat sordes inesse cognitum est. Sic Medici eiusdem vires in humano corpore experturi, illius Arcana inquirere non sunt veriti. Atque hinc didicerunt tincturam, quæ illi inest, extrahendam esse, quæ idem in humano corpore expurgando præstet, quod in Auro mundificando efficere ipsum apparet. Exempli gratia, Vrticæ, Flammulæ, Cantharides, vi caustica pollere videntur, qua pustulas excitant, at Chemica arte si præparentur, non solum aquam in pustulas: sed certum quemuis humorem attrahent. Sic Magnes arte Chemica præparatus, ferramenta telorum è vulnerib. attrahit, hinc stictica emplastra ex eo præparanda præcepimus. Atq; sane huiusmodi subtilib. secretis primã nostræ chirurgiæ partem ornare animus erat, sed Alchymię contẽpt⁹, ac Pseudomedicorum Sophismata à proposito nos absterruerunt: at ne quid indictum nobis abiret, in minorem Chirurgiam ea reseruauimus.

Mercuriũ Sol purgat.

Caustica per Chemiã parata meliusagũt.

Sciendum præterea est, quemadmodum Antimonium solum aurum purificat, reliqua metalla omnia consumit, (adeo vt argento adhibitum, eius pondus mirum in modum minuat) sic solum humano corpori expurgando dicatum esse, non ita reliquis. Homo enim quoad vires ac perfectionem maximã cum auro similitudinem habet, atq; hinc Stibium Aurum tantum & hominẽ ad summum vsq; puritatis gradum euehit, reliqua omnia absumit: instar ignis enim est, qui quædam purgat, penitus absumit. Antimonij huius itaq; natura cathartica est, sine fæcum ac excrementorum reiectione: etenim illud solum pellit (supra omnia reliqua Arcana) quod immundum hominem reddit, eumq; expurgatis omnium morborum ac vlcerum causis ad summam sanitatem reducit. In elaborando illo summi Philosophi desudarũt, sed in cassum omnia: nostra tandem ætate, nostra inquam opera elaboratus perfectusq; est. Itaq; istud secretũ est, quo omnis curatio auspicanda erat: multorũ namq; perditio per illud præcaueri posset, quam Pseudomedici ac Opinionistæ nostri ægris conciliant. Eius præparandi rationem Chemiæ peritis: (nam iuxta vulgatas pharmacariorum regulas tradi nequit) nos impertiemur.

Antimonium auro excepto omnia metalla corrumpit.

Mercurij natura purgatoria, & qualis.

PRAXIS.

℞. Antimonij in subtilissimo Alcool redacti quantum sufficit, in clauso reuerberatorio, ad spacium vnius mensis reuerberetur, & euadet volatile leue, primò album, mox luteum, dein rubrum, postremò purpureum, seu violaceum: quo facto, ab ipsius Lilio essentia sua per spiritum vini, qui viginti digitis supereminеat, extrahatur, dein separetur: separatus iste vini spiritus namq; nobilissimam,

Tincturæ Antimonii præparatio.

Paracelsus Antimonii tincturæ primus inuenit.

bilissimam, pretiosissimam, & tantum non diuinam Lilij essentiam ad omnes morbos percurandum præsentissimam continebit. In quo perquirendo remedio omnium qui ante me vixerunt Philosophorum ac Artistarum labores vani fuêre.

CAPVT VI.

De Tinctura Salis Philosophorum.

PHilosophi veteres quàm indefesso studio in perquirendis Arcanis naturæ, ad sanitatem facientibus, laborarint, omnibus manifestum esse puto, sed an ij ad optatum finem vsq; peruenerint, apud plerosque dubium est, præparationis sane ignorantiam intra metas ipsos continuisse certum est: itaque ad nos vsque perfectionis finis pertinuit, quamobrem nobis acriter in perficiendis ipsorum principiis incumbendum est: neque est vt quisque de Humoristis me loqui existimet: ipsorum namque ars (si modo artis nomen meretur) iam dudum inuenta perfectaque fuit. Ad priores nostra iam redeat oratio: illi, inquam, quàm in excolenda Medic. sudarint, (quia oscitantia illius seculi annotatum non est,) nobis satis non constat. Ingentium tamen laborum certissima argumenta in Salibus habemus. Hos etenim cùm viderent, quicquid vspiam est, à putredine tutum asseruare, non temere ratiocinati sunt, ad humani corporis putredines præcauendas quoque vtiles futuros. Itaque Sales præparauerunt, ex primariis Arcanis inuicem, ac cum Sale mixtis, vt Florib. Auri, Antimonij, & Corallorum, &c. (quos à se Philosophorum sales appellare placuit,) eosque ægris cum cibo exhibuerunt. Quin non ita multo pòst ex omnibus rebus, Sales istos conficere didicerunt, quorum singulorum vires, cùm illis perspectæ non essent, plures inuicem miscuerunt, ac ægris exhibentes eorum effectus obseruarunt: huius generis sunt Sales Valerianæ Melissæ, Chelidoniæ, Angelicæ, Eryngij, &c. de quibus mox plura.

Sales antiquorũ Philosophorum.

Quoniam autem inuentiones variæ fuerunt, variæ quoque descriptiones ac formulæ Salium istorum sparsæ sunt, in quibus deligendis accurato iudicio opus est, nec sufficit ad commendandum remedium, Salis philosophici titulum habere. Salomon loquaci homini peccatum non deesse pronunciauit, per peccatum Mendacia intelligens, itaque si aliqua huiusmodi formula occurrit, verborum lenocinijs fucata, Mendosam illam esse iudicabis: siquidem simplex est veritatis oratio. Verum quod superius monuimus, optima quæque Salium composit: adhibita esse præcipuè vero Flores Antimonij, admonitos tamen vos velim interim, Fl. Antimonij vulgatam præparationem, vt & quintæ essentiæ Auri, à Rupecissa loquacissimo Monacho proditam, & à Raimundo Lullo haustam, genuinam non esse: nam vt verum fatear, nulla eorum descriptio ad me pertinuit, quam vsurpandam consulam, nisi ea quam nos inuenimus, forsan alicui arrideat: sed ad Sales redeo, quorum ex nostra correctione ac præparatione duas formulas proponemus. Vt,

Loquacitas Mendacii argumẽtũ est.

Rupecissa Monachus. Raimũdus Lullus.

Sal I.

Recipe Salis Auri, Salis Antimonij, Salis Melissæ, ana ℥ ß. Salis communis ℥ viij. misceantur, ac singulis matutinis cum mica panis torrefacta modicum vtere. Ne mireris quòd Salem Solis, & Salem Antimonij dicam, cùm tamen Sales non sint, si scires quæ scire debebas, admirari desisteres. Alius.

Sal II.

Recipe Salis Gamandreæ, Salis Cichoreæ, Salis Valerianæ, ana ℥j. Salis absynthij, ʒ ij. Salis Vitrioli, ʒ j. Salis communis lib. j. misce ac vtere, vt supra. Reliqua quæ supersunt in administratione docebimus.

CAPVT VII.

Cur ista arcana Prodiderit Paracelsus.

TInecturas reiuuenescere facere, dictum iam aliquoties est, quod quidam sic intelligentes putabant, vti Gallinis ac volatilibus pennæ deciduæ fiunt, sic cutem, pilos, vngues, &c. hominis abscedere ab earum vsu debere: verum non sic accipiendum erat, sed potius id eas pellere, quod pennis volatilium in homine respondet, humores puta, vlcerum causas effectrices. Itaque humores istos, tamque noxios ac superfluos à tincturis pelli credendum est: nam ridiculum foret, de partibus corporis nostri, quæ aliqua functione ac vsu non carent, quales sunt cutis, pili, vngues, &c. intelligere velle. Etenim natura interim non paucis in locis quid in hoc casu in homine possit, testatum facit, vt in Serpentibus senectas exuentibus apparet, (sed hæc præsentis loci non sunt.) Sic Ispida auis, cuius cutis quotannis post mortem etiam, nouas plumas producit, argumentum huius renouationis esse potest. Sic etiam Merulæ, Turdelæ, aliæque aues, araneis vescuntur ad corporis sui renouationem ac restaurationem.

Tincturæ vt intelligẽ facere dicantur.

Ispidæ auiculæ miracula natura.

Quia ergo in homine, qui & ipse eiusdem cum bestiis (quoad materiam substantię est, aliquid hisce respondens inesse, extra dubium sit, (nam satis superq; hoc testatũ fecimus hactenus) quod scilicet à tincturis istis edometur, dico illud residuam humiditatem esse à Sale resoluto (nam de vlcerib. nobis sermo est) pronatam: humor namq; iste humori pennarum similis plane existit, quod ex eo innotuit, quòd eodem Medicamento, & ista humiditas in homine, & gallinarum pennæ deciderent ac eiicerentur. Hęc etsi ridicula plurib. videbuntur, quia tamen sensu & experiẽtia confirmata sunt, fidẽ merebuntur. Nã si in effectu Medicinæ perfectio cõsistit, necesse est Medicũ per exteriora obiecta rerũ causas venari: huiusmodi ergo experimẽtis mirifice locupletatus, ergo aliã Medicinæ cõstituendæ rationem ingressus sum, quàm in Medicorum scholis hactenus factitatum sit, quam etiam tueri mihi facile erit, cùm vel Cæsare iudice, saltem per effectus, facta, signa &c. non verbis inanibus causam tueri, & actor & reus cogatur.

Tincturæ quid in homine efficiant.

Quamobrem præsentis huius tertij Tractatus primam partem, quæ curationibus consecrata est, eo direxerimus: vt quo pacto vniuersali ratione quorumuis vlcerũ causæ ex suo loco radicitus euellantur ac noua substantia generetur, ostenderemus, confidentes, omnibus cordatis medicis rem gratam nos fecisse: inscios enim ac ignaros non moramur.

CAPVT VIII.

De Virtutibus ac Operationibus Tincturarum.

Homo solus Aurum est.

CVm inter omnia animalia, homo solus aurum sit, hoc est, Auri similitudinem gerat, rationi consentaneum est, ipsum vt aurum tractari debere, ex quo sequitur, quemadmodum Aurum à suis sordibus perpurgatur, sic & hominem à suis excrementis emundandum esse. Quod si analogiam istam deserat Medicus, ac per solos Clysteres, syrupos, potiones, &c. humanum corpus expurgare instituat, iam in crassissimo versatur errore: nam non causam morbi, sed stercora sola pellere tentat. Cùm enim duo sint in homine, quæ morbos efficiunt, corruptio nimirum trium primorum corporum, quam nos destructionem vocamus, & Stercorum collectio, inter vtraque accuratè distinguendum erit: nam vt stercora euacuentur, omnes omnium Humoristarum Medicorum libri scatent: at Destructionem quomodo tollere oporteat, nemo discere nedum scribere, vel per somnum cogitauit, cùm tamen hoc vnicè in omni morborum genere considerandum sit. Verbi causa, Laboret quis vlcere, quid prodest singulis diebus stercora euacuari? quid confert tenuem diætam præscribi? an ne stercora morbum fouent? an crapula morbum fecit? minime gentium, itaque aliò se conuertit medicus, vt nimirum per tincturam expurgare animum inducat: ea enim genuina curatio est, & vtilis. Itaque cùm destructio quàm stercorum collectio causa vehementior sit, magis quoq; in renouatione quàm purgatione Medico laborandum erit. Atq; hæc præcipua causa fuit, qua permoti destructiones omnes accuratius pertractauimus: hinc quoque manifestum euadit, purgationem, clysterem, abstinentiam &c. genuinas curationes vlcerum non esse: nisi enim Tincturæ renouatio fiat, curatio nulla dicenda est: nam quæ aliàs fiunt curationes, fortuitæ sunt, verbi causa: si ea in illud tempus incidat, quo ipsamet natura renouationem moliebatur (vt in Serpentibus & Merulis &c. apparet fieri) tum enim expeditiorem curationem fieri non inficior, si stercora subtrahantur: at huic euacuationi curationem acceptam ferendam esse plane pernego. Exempli nobis loco Mercurius esse potest, qui omne vlcus, etiam à morbo Gallico factum, curat radicitus: ipse enim purgat, ipse reiuuenescere facit, ipse inuertit, ipse renouat, atque propter has causas ipsum curare dicimus, non quia virtus incarnatiua illi insit: illam namque Balsamo naturæ acceptam ferimus, sed quia illum ipsum purificat, renouat, ab omnibus sordibus expurgat: quo expurgato, purificato, renouato, vera sequitur curatio, vti de curatione morbi Gallici manifestius patebit.

Destructio & stercorum collectio sunt omnium morborum causæ.

Renouatio quàm purgatio magis opus.

Mercurius quomodo omnia vlcera curare dicatur.

Necessaria itaque Tincturarum consideratio est: eæ enim non hominem, hominem faciunt, id est, ægrum sanum efficiunt: nam qui excrementitiis ac noxijs humoribus scatet, iam homini vero non æquipollet. Quemadmodum ergo Aurum si ipsum finum non sit, per Antimonium expurgatur, donec ad summum suæ bonitatis gradum perueniat: sic Medico hominum corpora consideranda veniunt, distinguendum scilicet illi est, quoto gradu sanitatis quisq; constitutus sit: eo enim cognito, facile per Antimoniales Tincturarum virtutes quemuis hominē ad summam sanitatem exaltare poterit. De gradibus istis à nemine hactenus quidquam proditum est, nos de iis scitu dignissima in nostris Archidoxicis paragraphis annotauimus, ista sane consideratio & vtilis, & necessaria admodum est, nisi parum referre dicamus, quantum quis ab optimo statu declinarit nouisse. Immunditieς illæ, de quibus iam antea locuti sumus, in duplici inueniuntur differentia: aliud enim ab aurea natura hominis, aliud à nutritione excrementum prouenit: etenim quemadmodum in auro sordes quædam sunt, quæ ab optimo gradu ipsum declinare faciunt, quæque per Antimonium expurgari debent: sic in homine excrementa quoque ab Auro, (liceat perpetuam analogiam obseruare) prouenientia latent. At cum homo in hoc aurum superet, quòd nutritione opus habeat insuper, aliud quoque excrementi genus colligere necesse habet. Hac itaque excrementorum differentia obseruata, facilis erit superioris dubij solutio: vbi enim minerale excrementum fuerit crapula, morbi causam augebit: atq; hinc curatio per abstinentiam ac purgationē inutilis erit: nam in Minerali excremento expurgando, Mineralis medicina, quę in solis tincturis, vtputa, Sole, Mercurio, & Antimonio, &c. consistit, necessaria est, quo expurgato, sponte reliqua stercora euacuantur. Tincturarum autem operatio (vt & illud aliquando annotemus) in hunc ferè modum fit. Veluti ignem videtis, ligna ac similia corpora, quæ nullam vt aurum &c. hominis figuram gerunt, in vniuersum facit absumere: sic & tincturas operari credendum est. Sic & quemadmodum Antimonium omnes auri sordes expurgat, ipsumque perficit, ad summum gradum exaltat per cementationem. Similiter cementi similem naturam Tincturas ipsas obtinere manifestum fit, ex eo quòd huius ac ignis plane similes operationes perficiat. In tincturis cum igne coniungendis mire defatigarunt se antiqui artistæ: videbant enim ex istorum coniunctione plane sacra Medicinam prodituram, sed frustra omnia.

Humanū corpus, vt à Medico considerandum.

Excrementa duplicia auri & nutritionis.

Tincturæ quomodo operentur.

Tincturarū cementatio.

CAPVT IX.

De Tincturarum Vsu & Administratione.

VSVS TINCTVRÆ AVRI.

ADministratio tincturæ Auri, ad tollendam vlcerum radicem huiusmodi ferè est: ʒ eius cum ℥ Theriacæ optimæ commiscetur, mixturæ huius ℈ j. ieiuno exhibetur, & in lectum composito sudor imperatur. In administrationibus obseruandum, vbi eæ factæ fuerint, noxios humores statim per ipsum vlcus, vel per hæmorrhagiam, vel alium fluxum effluere, adeo vt in ipsomet vlcere tincturæ operationem videre liceat. Sciendum tamen tincturam

Sudor.

non

non diutius exhibendam, quàm donec humores per vlcus effluere desinant, quod ferè x. vel xij. die accidit, atque tum curationẽ vlceris leuissimo quouis remedio perficere promptum est.

De administratione Tincturæ Corallorum.

Arcani Corallorum vsus is est, vt in ℥ x. aquæ Cichorij vel Chamædrios ℥ j: ß. tincturæ Corallorum dissoluantur, ac vbi vsus expostularit, eius mixtura ʒ ij. 5. horis ante prandium, ac 5. à cœna exhibeantur, continuando per 6. vel 7. dies. Interim tamen accuratè cibandus æger est, eduliis Euchymis, à potu vel planè arcendus, vel sola aqua Cichorij, vel fumi terræ sitis compescenda. Cætera quod attinet sciendum, si ex vlcere subito copiosus humor effluat, ac ipsum deinceps exiccetur, ac dolere desinat, iam ab exhibitione tincturæ desistendum esse. Sedulo verò mali magnitudinem considerabis: nam iuxta illam dosim tincturæ attemperare oportet. Victus ratio.

Administratio tincturæ Balsami.

Balsami tinctura exhibetur in substantia, dosi v. granorum, aliàs vino albo veteri permixta exhibetur, bis quotidie à sumpto cibo: vsus eius continuandus est, donec plane exaruisse ac exiccata vlcera videamus: nam fonte mali sublato, tanta varietas vlceribus accidit, vt in contrarium plane statum transiisse videantur, atque illius operationem ab intra extrorsum fieri apparet, cuius obseruandum etiam, Balsami tincturam solam ad vlcera curanda exhibitam sufficere, & leui remedio extrinsecus imposito, ad tegendum saltem vlcus, curationem perfici posse.

Administratio tincturæ Antimonij.

Vindemiarum tempore, ℞. *musti boni, quantum sufficit, ac singulis xx. sextariis, impone ℥ ß. tincturæ Antimonij, deferbeant omnia, ac reseruentur ad vsum.* Atque vbi necessitas postulauerit, ægros ad Mensis spacium hoc potu sustentato, nec quidquam bibant præterea. Miram illius in repurgando, mundificando, incarnando, ac claudendo vlcere virtutem experieris: nam vlcus ceu vulnus ipsum esset, instar potionis vulnerariæ perfectè consolidat, nec opus est extrinsecus, nisi vulgato emplastro vti. Optarim sane omnium Receptarum ac compositionum vulgarium, hanc vnicam potionem substitui, forsan non tam malè audiret Medicina, minusque periclitarentur ægri.

Tinctura Salis philosophorum administratio.

Salis nomen meruit hæc tinctura, quod Sal sit, & Salis instar vsurpanda veniat, itaque eo cibi omnes qui ægro exhibentur, condiendi erunt: nam eius vsu radix ac origo mali penitus extirpatur, ipsumque vlcus ab omni veneno repurgatur, vt deinceps recens sanguis, qui affluit paulatim, ipsum consolidare possit. Paulò diuturnior ista, quàm reliquarum Tincturarum curatio existit: tam vero certa ea est, vt nec Cancer, nec Fistula, nec Syreon, &c. ipsi diutius resistat, sed vt primum mali radix extirpata fuerit, sine negotio consolidatio ac incarnatio subsequuntur. Sal quomodo agat.

Cap. X.

Vt post curationem factam sanitas conseruetur.

Cvm sanorum ad morbum prolapsus in procliui sit: multò magis eorum qui neutra sunt constitutione præditi: morbis accommodæ naturæ habentur, itaq; præcautionem seu prophylacticen illis præscribere officij Medici erit. Itaque sanitatis conseruatio in iis qui vlceribus obnoxij sunt, vel fuerunt, hoc ferè modo fit. Sole in primum punctum Arietis ingrediente, tincturæ (quamcunq; tandem eligere placuerit) dosim præscriptam ea quo in administratione docuimus ratione adhibe, non secus ac si iam ex vlcere laboraret æger, idque quotannis itera, & erit ab omni vlcerum genere tutus. Et si autem præter enumeratas tincturas aliæ plures habeantur, vt Asclepiadis, Mumiæ, Camedrios, Mercurij &c. eas tamen certis de causis describere omisimus: etenim Mumiæ eadem cum Balsamo præparatio est, Irundinariæ verò, Gamandreæ &c. Melissæ, Antimonij, vel Salis Philosophorum tincturam referunt. Ad hæc cùm illorum operatio minus efficax sit, eas consulto reticuimus. Veruntamen Mercurij tincturæ summum secretum, etsi hic commemorandum fuerat, propter vlcera, tamen commodior de ea tractandi occasio in vlceribus morbi Gallici offeretur. Neutra dispositio in morbum est prona. Æquinoctiorum obseruatio. Tincturæ aliæ cur non perscriptæ. Mercurij Tinctura.

Epilogvs.

Fvndamenta artis extrahendarum tincturarũ ex Sole, Corallis, Balsamo, Antimonio, & Sale philosophorum, omnibus cognoscenda esse, vel ex vsu ipsorum excellenti manifestum est, quæ etiam pro eo ac potuimus dilucidissime proponere studuimus. Etsi autem non sint defuturi, qui nostram in his obscuritatem calumnientur: tamen cùm Medicis scripserimus, medicos autem ista intelligere deceat. Atqui si nil aliud sciant, quàm in Medicorum scholis hinc inde didicerunt, nil mirum, etsi ista non intelligẽt, multò minus Chirurgi ac Veterinarij vsum ex istis percipient, si saltem æreas suas thecula variegatis coloribus pueriliter exornare sciant. Summa hæc est, eritq; semper Medicinę pestis, quòd Doctoris titulus omnium rerum scientiã perficere creditur, cùm tamen illi nugas tantum per omnem vitam didicerunt: quemadmodum & Chirurgos artis suæ magisteriũ consecutos vulgus persuasum habet, si æream suam pyxidem vnguentis vario calore distinctis implere didicerint. Proinde si quis Medicus perfectus esse velit, plura scire, discere ac cognoscere eum oportebit, quàm ij omnes, à quibus ipse didicit, sciuerint, ac cognouerint: quod si fieri debeat, ante omnia illis persuasum esse debet, Pharmacopœiam ancillam saltem esse veræ illius præparandorum remediorum artis, ipsumque Auicennam in censura seueriore Medicinedum Principis nomen sustinere non posse. Sed erunt plures, quib. hoc paradoxum videatur, Pharmacopœiam verã componendi medicamenta Obscuritas vnde. Pharmacopœia vulgaris est Chemiæ ancilla.

camenta artem non esse, ac Sophistas illos pseudomedicos dici: verum illi meminerit, solos ignorantes scientiam hostes habere. Ignorantes dico, qui de scientia sibi cognita falso gloriantur: nam nisi illis persuasum esset negotium se tenere, de addiscendo vlterius solliciti essent, nec tantopere in defendendis suis fucis laborarent. Sed Magistratum aliquando seuerius in istos socios animaduersurum confido: quòd si & huius quoque negligentia omnia, omnibus in posterum, vt hactenus licebunt, mirum si non deteriora ægris accidant. Ego summum bonum in istis pono, integritatem ac puritatem conscientiæ.

FINIS PRIMÆ PARTIS TERTII TRACTATVS.

PH. PARACELSI

DE CVRANDIS VLCERIBVS,

TRACTATVS TERTII, PARS II.

Procemium.

Etsi ab illa prima curandorum vlcerum per Tincturas ratione, vtpote longe omnium tutissima ac certissima, ne latum vnguem quidem discedere decebat: tamen quia difficilis ea est, & à paucis hactenus cognita, tum quòd non raro contingit, radicem vlceris non intra corpus latere, sed eo ipso loco quo vlcus est, consistere, (vnde illa tinctura exhibitio frustranea esse poterat) particularem iam tandem omnium specierum, eo quo præcedenti tractatu enumeratæ sunt ordine, proponemus: ac quia sine morbi cognitione curatio inutilis est, paucis quoq; signa singularum vlceris specierum prosequemur. In qua tractatione, si non ea Methodo vtar, qua antiqui parum refert: nam & de iis reb. tractare me videbitis, quarum ne verbo quidem mentionem fecerunt illi, nedum vt perfectè descripserint: ad hæc cùm nulla in ipsorum scriptis certitudo insit, Medicina autẽ certis innitatur fundamentis non immerito istas partes mihi sumpsi. Etsi autem tantum oneris me perferre posse non mihi tribuo, spero tamen non defuturos homines cordatos, qui auxiliares operas mihi sint locaturi, difficile esse conceptam de pseudomedicis opinionem ex hominum animis euellere scio, maximè cùm tantam nostræ Medicinæ amplitudinem perspexerint: nam eius cognitionem intra 24. ætatis annum nemo facile sibi comparauerit, quod in ipsorum Medicina solenne est: nam illic oportet intra 24. annum Doctoralia insignia consequi, quia autem oportet Doctorem fieri, sine & nihil scire Doctorem oportet: nam iij. iiij. vel vt annis omnes Medicinæ partes, vel per transennam inspicere, nedũ penitus cognoscere impossibile est: nã quomodo tantulo tempore Philosophiam, Astronomiam, Alchymium, Physicam, &c. quis addiscatur? vt interem illud omittam, quòd Parabolanum esse, plurimasq; regiones, peragrare ac perquirere illum oporteat. Proinde omissis illis, nostra de vlceribus experimẽta depromamus.

Tincturæ vbi inutiles. Curationem dignotio vtilem facit.

Medicina Paracelsi longo tempore addiscitur.

CAP. I.

De Primo vlcerum genere (iuxta diuisionem secundi tractatus) curando.

SI æger tibi occurrat, qui vlcus, vel plura etiã vlcera ostendat: primum omnium de inuasione inquires: quod si respondeat, Primum omnium rigorem, mox æstũ (idq; aliquoties) inuasisse, ac nunc hoc, nunc illo loco ruborem excitasse, tandem certo loco constitisse, phlegmonem, duritiem, vlcusq; effecisse, hoc responsum si feras, iudica vlcus efflorescens seu tempestuosum esse. Curandi illius rationem tripartitam facimus, alia namque tumori, alia vlceri, tertia conseruationi deputata est. I. Si rigor corripiat, etsi pestilentiali simillimus sit, nullam manum admone, sed expecta, donec calor ingruat, ac quem in locum videris materiam decumbere velle, & morbi Centrum facere, eum hoc Epithemate fouebis: quod *Recipit Myrrhæ rubeæ ℥ ß. Thuris albiss. tantundem, singula seorsim duob. sacculis in puluerẽ redacta includantur, ac in aceti opt. sextario semis, vini albi opt. sextario vno, percoquatur, linei panni in eo calido madefacti, subinde imponatur Centro, donec calor omnis remittat,* præstantissimum est in omni efflorescentia remedium, ac quod vnicum ad perfectã curationẽ sufficere possit: nam sic calorem omnẽ extrahit, vt de cætero nulla amplius sollicitudo supersit. II. Quòd si iam factum ex tumore vlcus sit, eodem remedio phlegmonẽ, si quæ adsit, remouebis, ac dein an sordidum illud sit, considerabis, quo ipsum si necessitas expostulet repurges, ad quod sequens mundificatiuũ conuenientissimũ erit. ℞. *Aluminis vsti aceto restincti ℥ j. ß. Aloes hepat. ℥ j. mellis ℥ v. puluerisatis, puluerisandis fiat mixtura ad modum Emplastri, imponatur mane & vesperi.* Sin iam inueteratum vlcus fuerit, Calcinati modicũ adiicies, & repurgabitur optime, fietq; ad consolidationem aptissimum, quæ fiet in hunc modum.

Vide cap. secundi tractatus.

Efflorescentis ulc.

Centrũ morbi.

Mundificatiuum

℞. *Emplastri stictici lib. j. cui malaxando commisce, Calcinati ℥ ß. croci Martis ℥ j. ß.* deligetur vlcus bis quotidie, donec perfectè curatum sit, &c. III. Curato deniq; vulneri, ne recrudescat prospiciendum erit, quod fiet, si quotannis aliquoties venæ varicosæ, siue in suris eæ sint, siue in malleolis, aperiantur. Quin & curationis tẽpore, si efflorescentes venæ putridæ ac leprosæ apparuerint, frequenter eas secare vtile fuerit.

Præcautio.

CAPVT II.

De Fistularum Curatione.

SI æger quispiam foramen paruum, seu strictam cauitatem, perpetuo madẽtem, in corpore ostendat, eam initio immisso syphone explorato si namq; cauitatem intrinsecus ampliorem sentias, quàm extra appareat, porrò interrogandus æger erit, an ex vlcusculo aperto primũ extiterit: si enim affirmet, certò scias fistulã esse.

Fistularũ exploratio.

Quod

Fistulæ nullæ à natura sanantur.

Quod mali genus cùm nec prisca nec præsens ætas, suopte marte coaluisse meminerit; solis Medicamentis iisque præstantissimis curatio perficienda erit. Nos remedia eius in intrinseca & exterius admota partiemur, intrinsecus exhibito potu, exterius admota aqua, vel emplastro, vel linimento &c. nos fistulas curare solemus absque omni victus ac diætæ accurata obseruatione. Sequitur forma potionis.

Potio.

Recipe Ciclaminis M. ij. Saniculæ alb. M. j. consolidæ mediæ M. ß. fiat decoctio in vino albo, vase duplici occluso, dein adiice ol. Garyophyllorum, per Alembicum præparati ℥ j. ß. bibat æger ter singulis diebus, iusta olei dimsione procurata: hoc solo potu recentes Fistulæ curantur penitus: inueteratis verò præsens quoque linimentum adhibendum, quod recipit.

Oleum.

Olei laterini ℥ iij. ol. Terebinthinæ, lib. ß. olei Caryophyllorum ℥ j. ß. Thuris, Masliches, Myrrhæ ana ℥ ß. Mummiæ, ℥ iij. vrgeantur omnia igne fortiß. ac destilletur oleum, quod per syringam quotidie bis iniiciatur, ac cauitas vino, vel aqua Salis subinde eluatur. Extrinsecus impones Emplastrum ex Calcinato præparatum. Sunt præterea & alia præstantissima, ac certiss. in Fistulis curandis remedia, oleum Saturni & Mercurij, cum aqua Mercuriali, &c. aliaq; plura.

Notandum insuper est, vbi loci incommoditas Emplastrum non fert, vt verbi gratia: si in oculis vel auribus fistulæ fiant, potionem & iniectionem illam sufficere. Nec est præterea vt aliis remediis sollicitus sis, omnia ea præsenti capite descripta sunt, qui nescit, discat.

CAPVT III.

De Vlceribus nitrosis curandis.

Signa. Dignotio. Scyrrhi nō sunt curatione irritandi.

SI in ægro vlcera caua coaceruata vnum in locum plura occurrant, eaque sicca sint, cum modico pure, originem eorum inquirito: nam si primum in pustulæ minutæ fuêre, deinceps autem in Scyrrhos transmutatæ sunt, paulatimque in vlcera degenerarunt, hoc qui sequitur modo curabis. Obseruandum tamen ante durationem est, ne Scyrrhos curare attentes, siue per digerētia, siue per corrodētia: periculo enim recidiuę ambo nō vacant, sed potius expecta, donec ex ipsis vlcera percoquantur à natura.

Consolidandum vnà & mundificandum est hoc remedio. ℞. *Vnguenti de vitellis ouorum, quartarium j. olei de Mercurio ℥ j. misce, vtere de horis xij. in xij. donec absoluta penitus curatio fit: vel si mauis, loco olei recipe duplum, id est, ℥ ij. Calcinati maioris: imò si sticticum Emplastrum magis arriserit, eo vti poteris: omnia enim æquè conducunt.*

Forma affectus huius.

Forma horum vlcerum plurimum euariat, tum & situs: quandoque enim in ventre cinguli instar corpus ambiunt, quandoq; in artubus colliguntur, sed ista curatiuas indicationes non immutant, si omnia ex Scyrrhis extiterint: istud enim quàm illud considerare potius oportet. Quæ de istis vlceribus antiqui prodiderunt, ridicula, friuola, ac plane puerilia putanda sunt, qui si nostra remedia tenuissent, non tam in distinguendis illis lusissent: tot enim species eorum quilibet numerauit, quot remedia inutilia conficere potuit, &c.

CAPVT IV.

De Vlceribus emortuis curandis.

SI æger quispiam vlcus ostendat, eiusq; generationem, ac symptomata enumeret, ac dicat inter cætera, nunquam antehac, nec in præsens etiam dolorem se sensisse, curationem vt sequitur aggredieris. Primum mundandum vlcus, dein incarnandum, vltimo claudendum: mūdabis per Calcinata, incarnabis per Emplastrum sticticum simplex, claudes croco Martis: istis tribus curandi modis ac remediis, nullum vlcus est, quod resistere queat, nos vberioris doctrinæ gratia specialius omnia docebimus. Mūdificatio.) ℞. Vnguenti de melle, quantum sufficit, Calcinati modicum, deligetur vlcus, donec nullus fœtor, nullaque putredo supersit amplius, quod fere intra vj. diem accidet, quo facto consolidationem cum Emplastro Stictico de Lythargiro vel Colofonia auspicare, ac continua, donec consolidatum sit, renouando Emplastrum quinto quoquo die: quod si interea temporis maiore mundificatione opus fuerit consolidationem aliquamdiu suspendes, ac eius loco mundificatiuo vteris. Tandem vbi claudendum vlcus erit. Recipe Crocum Martis per reuerberationem præparatum, eumq; quotidie bis insperge, quando autem secunda vice eum inspersurus es, locum eluere sequenti lauamento conueniet. ℞. *Aquæ fontis ℥ j. Aluminis ℥ j. salis communis ℥ ß. mixtis omnibus lauetur locus, ac denuo insperge Martis crocum, donec cicatricem feceris.* Denique victum ægris præscribere accuratissime conueniet, sanguinis missionem, ac Thermarum naturaliū vsum imperare.

Curationis Scopi 3.

I

II

III

Lauamenti.

CAPVT V.

De pedum Vlceribus manantibus curandis.

SI sub genu in tibia magnus tumor appareat, cum multis fumis, ad hęc plurima vlcera serpentia ac erodentia cum duritie, aliisq; in figura affectibus, quæ mali prima origo fuerit, interrogabis: si ex pluribus pustulis coaceruatis, atque paulatim auctis primum extitisse audieris, talem curandi rationem ingredi properabis: nā malum hoc à seipso numquam curatur, sed subinde peius euadit. Curandi ratio quinq; capitib. absoluitur: fumigatione, tumoris ablatione, mūdificatione, consolidatione, & cicatricis inductione, non ignorandum tamen, si forte ex peccato in victu, fluxio quoq; complicetur, aliam curandi viam, de qua deinceps tractabimus, ingrediendam esse. Fumigatio.) *Recipe rad. Asclepiadis ℥ ij. Saniculæ, Potamegeti, Musci lapidum, & fl. Sambuci, ana M. j. coquantur in aqua fontis, & excipiatur fumus, non tamen lauandum esse ægrum memineris,* quod si efficacius remedium desideres, adiicere poteris fl. Camomillæ M. ij. stercoris columbini, M. iij. Gallinarū M. ß. fumigandum quotidie bis, mane & vesperi, antequam deliges.

Curationis Scopi quinque.

I.

Vt autē pes detumescat. ℞. *fl. tapsi, hyporiconis ana M. ij. fl. Sābuci M. iij. fl. camœmeli M. ij. fiat decoctio in vini & aceti, ana partib. æquis, exprimatur materia, ac cataplasmatis instar calida imponatureousq; donec de expurgando consilium capere tempestiuū fuerit.* Mūdificaturus deinceps vlcus, ℞. *vnguenti de vitellis ouorum quantū sufficit, acuatur cū Calcinato, ac quotidie bis imponatur, sordesq; studiose detergantur, dū in fundo recens caro appareat,* quo facto, ad consolidationem progredieris, in hunc modū. ℞. *Emplastri stictici de Colofonia quartariū j. de Lithargyro lib. ß. Resinæ mūdatæ ℥ j. ß. coquātur lēto igne, ac cū croco Martis malaxetur, fiatq; magdaleon: poteris, si ita visum fuerit calcinato acuere.*

II.

III.

IV.

vsus

vsus eius est, vt quotidie bis renouetur, omissa fumigatione, &c. Denique vbi claudendi ratio iusserit. *Recipe putaminum ouorum vstorum ℥ ß. Aluminis vsti cũ aceto restincti, ℥j. Croci Martis ℥j. ß. Thuris, Mirrhæ, Masticis, ana ʒß. fiat puluis subtilis; inspergatur, donec vera cicatrix fiat.* Quoniam autẽ nõ raro accidit, vt pes tumere nõ desinat, sed perpetuo morbus in magnitudine sit, nil adeo de eo laborandum consulo: nam diuturnitate morbi hoc accidisse certum est. Interim tamen subinde ægri monendi sunt, vt tempore conuenienti phlebotomia vtantur. Deniq; obseruandum, si ex intemperantiore victu cum vlcere fluxio complicata fuerit, curationem euariare. Exhibenda ergo tum erit theriaca de Corallinis, vt supra infraque deijciant, ac confortandi ægri cum Electuario Diacubebe, singulorum dosim ex ægri natura, habitu, ac temperatura ipsemet metieris. Ad hæc vt acuratissima victus ratione vtantur, precipies.

Venæ sectio imperanda ægris.

CAPVT. VI.
DE PVTRIDO AC FOETENTE *Vlcere curando.*

SI ægrotus offeratur, cuius pes putrescat, cũ magna fluxione, sine tamen Errodentis alicuius materiæ signo, adsint quoque phlegmone, tumor, fœtor, ac sordes, eum de principio mali interrogabis, si ex violenta aliqua causa, vt vulnere, punctura, contusione, &c. primum contigisse cognosces, hoc modo curationem aggredieris. Mundabis primum, pòst consolidabis: in istis namque duobus tota curãdi ratio consistit. Mundificatio hunc in modum fit.

Curatio putrid.

I. ℞ *Recipe Conorum seu Locustarum abietis recentium, Maio mense, adhuc humore turgentium, collectarum, numero xxx. fiat decoctio, donec resina omnis exierit, tum fiat expressio. ac reiectis inutilibus, coquatur resina reliqua, vsque ad aquæ consumptionem. Resina remanens cum ouis aliquot redigatur in formam vnguenti, cui prout res postularit, calcinati adijcere poteris, & sic pro mundificatiuo adhibere.* Mundato vlcere, ad consolidationem procedendum.

II. *Recipe ergo Ceræ lib: j. Colophoniæ lib: ß. picis superioris, quartarium j. liquefactis ad ignem, insperge Aristolochiæ, symphiti maioris ana ℥ ß. Masticis ʒij Myrrhæ ℥v. Succini ʒj. ß. Fernicis ʒij. fiat vnguentum, quo vngatur pars affecta bis quotidie.* Sin inter consolidandum mũdificatione rursus propter collecta excrementa indigebis, omnino illam nõ intermittendam scias: nisi enim fundus vlceris semper mundus seruetur, frustra consolidationem molieris. Sic vbi alia vlcera complicata fuerint, distinctione quoque opus erit, & sua quoque singularis cura proprio capite descripta adhibenda. Denique curatione absoluta, vtile fuerit, ægro balneũ Salinarum imperare, ad putredinis reliquias (quæ ex humida aluminis frigiditate prouenerant) absumendas.

Fundus vlceris mundus seruandus.

Salinarũ balneũ.

CAPVT VII.
DE VLCERE CACOETHE *curando.*

VLcerum hoc genus nullo alio signo, quàm ipsius met ægri relatione optime cognoscitur. Proinde si æger de perpetuis, summisque doloribus, quales in Phagedena, cancro, &c. fiunt, conqueratur, curationem à mitigante remedio auspiceris: cùm enim ob intensissimos dolores imposita medicamẽta nulla ferat affectus iste, manifestum est, dolorem ante omnia mitigandum esse, quod non considerantes nonnulli, turpissimo errore ista vlcera incurabilia pronunciarunt: nam cùm nec remedia tenerent, nec doloris causam scirent, vt suę inscitiæ tegumentum haberent, Medicæ arti hanc notam inurere non sunt veriti. Sed ad mitigationis formam pergo, quæ *Recipit, Garyophylorum quartarium j. baccarum iuniperi quartariũ ß. sulphuris vitriolati ℥ j. ß: destillentur, vase probe occluso, oleum, cui adde olei laterini dimidium, trium mitigantium maiorum ana duodecimam partem, destilletur iterum.* Oleo hoc quemcunque dolentem locum oblinieris, omnem dolorem statim remittere senties. Mitigato dolore, ad renouanda vlceris interiora properandũ, quod vt efficias, *Recipe olei de Arsenico fixo ℥v. olei de Gariophyllis ℥ iiij. Realgaris clari, perspicui crystallini ʒ j. misceantur omnia, in mixtura intingantur petiæ, ac loco passo imponantur, renouando post duodecimam horam, idque ter iteretur,* & videbis Escharam abijci à natura, sub qua carnem viuidam inuenies, in qua quoniam sordiũ aliquid ferè adhuc inest, mundificatiuo cum calcinato superius descripto, ter, quaterue vlcus deligabis, & sic ad consolidationem descendes, quam simplici Emplastro stictico facile absoluere poteris. Obseruandum tamen frequentissime, pessima symptomata hisce vlceribus superuenire: nam ferè venæ ac nerui eroduntur, ossaque cariem contrahunt: si itaque huiusmodi ossa cariosa occurrant, caue ne lima vel alio instrumento ea atterere vel frangere, iuxta carnificum tonsorũ vulgatum modum, attentes: sufficiat tibi ea mundasse, & si vsta vel inflãmata fuerint, extinxisse: nam facile deinceps carnem ossi superinducere tibi erit, nec est vt sic miseros ægros excarnifices. Remedium nostrum quo ossa erosa, inflammata, &c, restituere solemus, *Recipit olei de Camphora, per albumen oui præparati, olei Caryophillorum, ana ℥ ß. mixtis inuicem, iuxta reliqua remedia, vtor felicissime.*

Mitigatiuum præstantissimum.

Fundi vlceris renouatio

Ossa cariosa vt sint tractanda.

CAPVT VIII.
De Vulnere depascente Curando.

SI æger quispiam vlcus ostendat, in facie, omoplata, pectore, costis, vel simili aliqua humani corporis parte, quod circumiacentes partes carnosas omnes depascitur, atque ad aures, dentes, maxillas, costas, scapulas, &c. vsque penetrat, omnium vlcerum pessimum genus esse indica. Quæ duobus præcipue remediis euincere possibile est, oleis scilicet Metallorum, ac dulcedine Mercurij: istis namque quotidie bis si perungatur vlcus, Salem morbi causam radicitus extirpari obseruauimus. Precipua autem virtus est olei Saturni, dehinc Lunæ, post Martis, deinceps Veneris, vltimo loco Iouis: omnia autem ista longis interuallis superat dulcedo Mercurij, & ipsa olei formam referens. Sunt tamen & alia remedia, quæ istis malis medeatur quoque, vt Arcanum Regis,

Olea Metallorũ. Dulcedo Mercurij.

Arcanū Regis. gis, Aquæ mercuriales, &c. sed ea vt recentia vlcera curant, sic in inueteratis sola non sufficiunt, sed vt morbus magnus est, sic vehemēs requirit remedium. Proinde Medicos adhortatos volo, iis comparandis animum adiiciant. Sed præparatio subtilior est, & magnam laborantis industriam requirit, quam quia isti Medicastri fastidiunt, explodendam è Medicorum Scholis vociferantur, at vt primum nomen talis remedij audiunt, Alchimicum est, clamitant, reiicite: quasi vero eorum non intersit ista nouisse: sed an isti Medicorum nomen mereantur, suum cuilibet relinquo iudicium. Preparandi rationem breuibus aperiam: Metalliorum Arcanum fit, si ipsorum essentia destruatur, quemadmodum de Auri tinctura præparanda superius admonuimus. Mercurij vero dulcedo, quæ oleitatem quandam omnis rosionis expertem refert, vt extrahere conueniat, posterioribus libris ostendemus. Realgaris vero ac Aquarum Mercurialium compositionem, vtpote vulgo decantatam, nil refert commemorare.

Arcanū Metallorum.

CAPVT IX.

De Vlceribus Transmutatis curandis.

SI æger conqueratur, vlceris sui formam primo talem fuisse, mox aliam factam, iterumque aliam, sicque perpetuo mutari, nec vnquam ad pristinam formam redire, sed nouam semper semperque fieri, iam sufficiunt ista tibi ad affectus speciem cognoscendam. quamobrem statim ad id quod iam sub sensum cadit, non ad id quod olim fuit, curandum animum adiicies. Curationem Mercurio ac Colophonia, Lythargiro, ac Gummis perficies ista enim perfecte consolidant, ille vero ex centro etiam vlcus mundificat, ac ad recipiendam consolidationem aptum reddit. Itaque Mercurium coagulato per aquam Aluminis, coagulatum in tenuissimum puluerem conterito, ac cum vnguento fusco permisceto, atq; vlceris totam interiorem regionem perungito, donec interiora viuida plane appareant, tum ℞ *Emplastri de Lythargiro lib. j. olei communis, Ceræ ana lib. j. Colophonia tantundem liquefiant ad ignem, liquefactis insperge pul. Thuris albi ℥j. ß. Vernicis ℥ij. ß. malaxentur, & fiat magdaleon de quo pro more vulgato emplastra facies, & impones*, nec sollicitus vlterius sis de curatione: ista enim ritè adhibita, facile eam perficiunt: nam & ipsum vlcus è sua natura curationem facile recipit: vt maxime autem tuta sint vlcera hæc, tamen cùm de vna forma in aliam subinde degenerent, nisi præcaueamus, impossibile est illa non tandem in Lepram abire: itaque hic Medicum sui officij studiose meminisse decet.

Mercurij præparatio.

Lepræ periculū præcauēdum.

CAPVT X.

De Curandis vlceribus à cælesti influentia impressis.

VLcera hæc non nisi Astronomica ratione cognoscuntur, itaque ab ægro annus, mēsis, dies, ac hora inuasionis perquirantur, & ad illud tempus thema cœleste erigatur, atque tū apparebit, num ab aliqua cœlesti impressione vlcus factum sit: quod si cœlestis impressionis vi effectum esse vlcus apparuerit, de curando illo cogitandum erit. Ita que vel influxio à cœli iniquitate, vel transiit ac desiit iam, vel durat adhuc si illud sit, vt simplicis vlceris curationem institues: sin hoc remedium indagandum tibi erit, quod iuxta cœlestes impressiones comparatum sit. Apparet itaque duplicem curandi methodum esse: naturalem scilicet, & supernaturalem, naturalis consolidādo ac mūdificando perficitur: itaque hoc genus vlcerum ad aliud quoddam caput referes, ac iuxta illius canones percurabis. Si vero impressio adhuc duret, per ea operandum est, quę occulta quadam vi (vulgus incantationem esse putat) agūt, vt sunt Persicaria, Serpentaria syluestris, Consolida media, id est sophiæ herba) adhibentur autem in hunc modum: primum eas frigidas abluas, post vlceri imponas, dein sub fimum seu terram pinguem sepelias, ac lapide contegas, vt cito putrescant: nam vt primum putrescere incipiunt, vlcus quoque curationem auspicatur: vbi autem iam plane computruerint, & ipsum vlcus percuratum erit. Neque per incantationem ista fieri quisque credat, sed virtute potius cœlesti, quam Deus Optimus Maximus sic disposuit, verum istis curationibus malum nomen conciliarunt Pseudomedici, qui cum Astronomiæ ac Magiæ ignari penitus sint, ista quomodo intelligerent?

Astrologica vlceris dignoio.

Duplex curandi ratio.

Persicariæ super naturalis actio.

CAPVT XI.

De Fluxionibus Humani corporis curandis.

VLcera ex defluxionibus nata sic distingues: si quis à parentibus hæreditario malum contraxit, à defluxione factum pronuncia: itidem si ęger aliàs humida complexione fuerit, iudicandum: contra vero si diuersum appareat De horum curatione longe quam de reliquorū aliter cogitandum: nam quemadmodum fontem nemo supprimere, nisi in ipsa scaturigine potest, sic etiam in hoc casu aliquid nobis deesse credendum est. Atqui sicuti sæpius à sole fontes exsiccari videmus, adeo vt plane nullus humor effluat, eodem modo soles quidam sunt, (id est Medicinæ) qui harum fluxionum exsiccandarum vim similem cum Sole habent. Adhæc sunt quorundam hominum constitutiones admodum siccæ, vt facile istas humiditates dissipent, sicque vlcerum causas tollant. Duo itaque modi sunt exsiccandarum fluxionum, à Sole alter, alter à propria natura, de quo nihil in præsentiarum. Curaturus ergo vlcera à causa ista pronata, ante omnia tenuem victum præscribendum scias: quid enim proderit solem exsiccare, si statim pluat iterum? deinceps exsiccandum per crocum Martis erit: is enim naturalem Solis operationem in homine perficit: præter illum in huiusmodi fontibus exsiccandis nil cognitum habeo: at sufficiet iste, scio, saltem eo procurato, vt subinde vlcus mundū ac apertum seruetur, pro fluoris euacuatione, siue fluat, siue minus.

Vlcerum ex fluxione orationum dignotio.

Fluxiones duobus modis exsiccantur.

Superest & alia curandi ratio, per deriuationem ad alia loca, sed ferè stabilis ac diuturna non est: imò sępius priore malo peius aliquod nascitur. Quin & purgationes ad exsiccandos hosce fluxus non improbarem, nisi ea alio loco damnum forsan darent, priore peius.

Fluxionum deriuatio.

Curatio

CAPVT XII.

Curatio vlcerum cum fractura, vstione, Vlcere, &c. complicatorum.

VLcerum istorum causæ, quia manifestæ sunt, facile ex ægri relatione cognoscuntur: generationis tamen modus ferè ab inscitia Chirurgorum prouenit, qui vulnera, fracturas &c. dum inconcinnis adhibitis remediis curare tentent, in vlcera pessima ea transmutant. Membrum proinde affectum, vel os ipsum fractum, an restitui suæ integritati possit, ex iis quæ in vulnerum curatione dicta sunt, diiudicabis: quod si ob corruptionem nequeant, sanum ab ęgro, mundum ab immundo, iuxta pręcepta primæ partis separabis, ac tádem eius impressionem per Sophiæ herbam, Persicariam &c. vt monuimus, curabis.

Causa.

Iudicium.

Curatio

CVPVT XIII.

Vlcera ex Constellatione nata vt curentur.

COgnoscendorum vlcerum huius generis hæc vnica ratio est, vt si nullis naturalibus remediis, qualia sunt, Mumia, Consolida, Emplastra, vnguenta, &c. ea obediant, Constellata esse, ac huiusmodi quoque remedia desiderare cognoscas. Remedia hæc à suamet natura constellata esse debent: verbi gratia: vt Chelidonia, Folia quercus, Plantago, &c. hæc enim certiss. ac tutissime curant: quod si in substantia adhibita non prosint statim, tum *Recipe: Chelidoniæ M. iij. fol. quercus M. ij. contundantur, & putresiant in fimo, destilletur que oleũ, quo vlcus abluatur, atque vt incarnetur, etiam eorundem exsiccatorum puluerem insperges, donec curatio absoluta sit.*

Constellata remedia.

Peroratio.

IN curandis vlceribus quibusuis quatuor summa capita obseruanda esse monuimus: primo Doloris scilicet sedationem, secundo mundificationem, tertio consolidationem, ac quarto clausionem, eaque omnia absoluta nobis hactenus sunt, quorum rationem si Chirurgi tenerent, nullum plane vlcus esset, (nisi forsan diuinitus inflictum) quod curationi ipsorum non obediret. Verum cùm auaritia, superbia, inuidia, aliisque vitiis laboret, non illis, sed ægris potius ista scripsisse volumus, quos etiam monédos duxi, ne temere ab huius farinæ hominibus remedia recipiant, etsi sub meo nomine circumferantur: cùm enim eorum præparatio sit artificiosa, non facile nisi à rerum istarum peritiss. hominibus ea confici posse sciendum est. Doctis itaque hæc, non rudibus ac tyronibus scripsisse nos meminerint omnes.

Quatuor sunt qui bus omnia vlcera curátur,

FINIS SECVNDÆ PARTIS TERTII TRACTATVS.

Ph. Paracelsi

DE CVRANDIS VLCERIBVS, TRACTATVS TERTII, Pars vltima.

Procemium.

QVAMVIS *secunda huius Tractatus parte, omnia ad vlcerum curationem pertinentia abunde satis explicata nobis sunt, tamen cùm ea subtiliora ac difficiliora sint, quàm quæ vulgus medicorum assequi poßit, ad ipsorum me captum accommodare, amore ægrorum per motus, ac periculorum quæ illis ex perperam facta curatione imminent, territus, placuit, non quod ipsorum hac in re pigritiem ac inertiam fouendam duxerim, sed quia intelligo hebetiora ac rudiora quorumdam ingenia illis, quæ supra dicta sunt, percipiendis non sufficere. Proinde si qui sunt Medicinam exercentes, qui ante dicta non intelligunt, ij iuxta subsequentes canones opus Medicum faciant, quo, si non omnino ex parte tamẽ ægri leuamen ac curationem sentiant.*

Quas autem descripturus sum remediorum formulas, ab antiquis quandoque mutuatas, magno iudicio delectas, multa ac diuturna experientia à me comprobatas, artificiosa mixtione locupletatas sciás velim: nam cùm ab antiquis quondam prima ætate mihi communicatas, & ego & non pauci alij in vsum adhibuissemus, tam periculosas, inutiles ac putidas eas experti sumus, vt de alia componendorum pharmacorum ratione cogitandum mihi putarim: itaque ad illam animum adijciens, imminutatis plerisque, sic excolui, & experientia comprobaui, vt eorum vsu, quantum natura fert, ad omnia vlcera percuranda, non mediocre auxilium Medicis, ægrisque accessurum sit. Quia autem magni quidam morbi, vt Cancer, Fistulæ Syreon, Mordax, Phagedena, &c. vniuersalia Arcana ac Mysteria requirunt, (nam ista particularia ferè contemnunt) moneo vt vel ab eorum curatione desistant Chirurgi, vel Remedia secundi Tractatus præparare ac adhibere discant.

Paracelsus antiquorum formulas excoluit.

Itaque sciendum, quæ deinceps descripturi sumus, particularia omnia esse, atqui vt particularia describerem, vestra me coëgit ignorantia. Duplici autem ratione vti placuit: quarum prior omnibus vlceribus curandis communis est: altera particularium quorundam malorum, vt Cancri, Fistulæ, &c. curationem ostẽdit, quibus eo modo vtaris hortor ac moneo, vt si non lubet, vel licet difficiliora illa cognoscere, iuxta hos tamen canones procedendum tibi putes, ne si illa vulgata medicorum via incedas, contra naturam in ægri perniciem laborasse videaris.

Particularia remedia.

CAPVT I.

De Vlceribus per mundificatiua curandis.

ANtequam autem cuiusquam morbi, seu vlceris curationem aggrediaris, distinguendum tibi sedulo, inter morbos & remedia erit, ne quod vulgus medicorum factitare solet, dum varia, tibique incognita adhibes, vel damnum inferas, vel, si forte succedat, casu curasse dicaris. Quamobrem si vlcus Corrodētem Salem, caussam non habuerit, hoc remedij genus adhibere tempestiuum erit: quod *Recipit, Terebinthinæ lib. j. vitellorum ouorum, numero xx. agitentur, ac cum æqua portione mellis coquantur ad ignem, fiat vnguentum, quo mane ac vesperi deligetur vlcus, & mundabitur ab omnibus sordibus*: quia vero non solum mundare, sed & perfectè cōsolidare, ac claudere vlcus oportet, sequenti quoque remedio ad operis perfectionem vteris: quod *Recipit, Vnguēti prioris lib. j. Terebinthinæ lotæ, ac agitatæ lib. ß. calidè (ne ferueant tamen) coquantur ad ignem. ac iniiciatur Galbani, Opoponacis, Bdellij in aceto dissolutorum, ana ℥j. pul. Aristolochiæ ℥j. ß. fiat mixtura. quæ omnia vlcera, sine Corrosione facta, curare promptum est.*

Mundificatiuū.

CAPVT II.

De curatione per calcinata.

CAlcinata (ea intelligo, quę corrodente vi carent) singulari curandorum vlcerum, ex ipsis fontibus, facultate prædita sunt. Atqui in eorum vsu distinguendū prius inter vlcera est: nam iis solum conducunt, quæ à Sale Corrosiuo, iā olim emortuo, facta ac relicta fuere. Apparet enim non raro nimborum instar, in aliquem locum materiam quandam irruere, ac subitò vlcus amplum, ac latum efficere, quod si indebitis remediis quis curare attentet periculo non vacabit, ne Sal Balsami iflammetur & aduratur, fiatque vlcus diuturnum. Tu, si simile occurrat, per Calcinata in hunc modum curabis. *Recipe vitellorum ouorum, numero x. Terebinthinæ ℥ vij. ß. fiat vnguentum, cui adiice Calcinati ℥ ß. deligetur hoc vnguento bis quotidie, & mirandū successum experieris.* Atque vbi iam claudendum vlcus est, Emplastro sequenti vteris: quod *Recipit, Resinæ lib. j. ceræ lib. ß. picis Græcæ quartarium j. liquefactis accommixtis adiice Calcinati ℥j. vtere.* Hoc Emplastro omne genus vlcerum recentium, ne ita profūdorum, facillimè curatur: atqui vbi in latum ac profundum serpere visa fuerint, superius vnguentum in puluillis quoque adhibere vtilissimum fuerit. Sciendum quinetiam est. curationem non aggrediendam, nisi materia furere ac turgere desierit: etenim videas vulgares Medicos, dum initio statim curare volunt, dolorisß. ac maximè diuturna vlcera efficere. Proinde Canonem hunc studiosè obseruabunt Medici.

Calcinata quibus vlceribus conueniant.

Vnguentum ex Calcinato.

Emplastrum ex Calcinato.

Non curandum dum materia adhuc turget.

CAPVT III.

De Curandis Vlceribus per Corrodentes Sales Calcinatos.

EST & tertia curandi ratio, per Corrodentes Sales Calcinatos, cuius generis sunt, Alumen, Vitriolum, &c. quorū vsus ferè est, in perperam facta ante vlcerum curatione restituēdacum enim absque fundamento viuido, nullum vlcus curari possit: (nam si eo destituatur, cui rei caro increscat?) de deprauato illo restituendo per isthæc remedia cogitandum erit. Obseruandum quinetiam est, hoc genus vlcera frequenter curata facilia apparere, nullis tamē interim remediis obedire, in quo casu inspiciēdus quoque vlceris fundus erit: nam ferè putridus est, atque sui ablationem ostendit: quamobrem nisi illum antea remoueris, ab istis remediis abstineto: nam tantum abest (eo persistēte) aliquid vt proficias, vt etiam officias plurimum. Remedij formula cum correctione hæc est.

Quando vtendum Calcinatis rodētibus.

Fundus vlceris mundādus.

Recipe Aluminis vsti aceto extincti, Olei de Arsenico à propria resolutione facti, ana quantum sufficit, misceantur. Iterum fiat vnguentum ouorum cum alumine mistum: vel, ℞ *Calcinati, Vitrioli ana quātum sufficit, misceantur cum vnguento de Cerussa, vtere.*

Quia vero plerumque de vlceris profunditate putrida non constat, curationem ab vnguento de alumine calcinato auspicari vtile fuerit: quod nisi intra quatriduum ad curationem inclinare vlcus videbitur, ad vnguenti de oleo Arsenici & Aluminis vsum descendes: sin ne istis concedāt malum, tandem vnguento, de Vitriolo vteris: neq; verò putes ordinē hunc, ob id quod posteriorum quàm priorum curatio velocior est, inuertendum esse: vt maximè enim cito cures, tuto tamen vt cures potiore loco reponendum erit, &c. Sciendum porro est, si necessitas posterioris vsum imponat, Escharam fieri, quàm vt proiicias oleo Laterino, post hoc Butyro (ad dissolutionem) vteris: veruntamen etsi statim non abscedat, nō tamen ab vsu Calcinati desistendum erit, sed pergendum, donec Eschara vltrò decidat, quo facto, nil nisi cicatricem ducere supererit amplius. Sunt huius generis Corrosiua alia, vt Mercurius sublimatus, Arsenicum, &c. verum ab eorum vsu, ac carnificina omnes, vt abstineant, moneo.

Eschara vt decidat.

Neque vero clam te habere possum, tutiorem vtiliorem, ac magis artificiosam curationem horum vlcerum superesse, quam etiā publici commodi causa supprimere diutius nolo: modus est, vt absque eschara fundus putridus abscedat, quod bifariam accidit: vel enim putrefacere, vel si venenosa materia illi insit, eam extrahere sine carnis oblæsione licet. Putrefactionem hoc remedio percurabis.

Putrefactio. I.

Recipe aluminis vsti, aceto extincti ℥ß salis armoniaci ℥j. vitellorum ouorum numero iiij. mellis cochleare vnum. farinæ hordei ℥ß. misceantur omnia ad formā vnguenti, quo singulis viginti quatuor deligetur vlcus, ac impleatur, & ne denuò effluat, vnguentum panno crassiore caueatur, idque iteretur quarto, & abscedet omne, quod putridum est, relinquetúrue in fūdo caro viuida, quā incarnantibus curi adequare deinceps licebit. Alter modus sic habet. *Recipe succini in pollinem redacti quantum sufficit, vase occluso, ad lentum ignem liquescenti tertia pars terebinthinæ infundatur, misceatúrque toties iteretur, donec pro singulis ℥ß. succini, Terebīthinæ ℥ij. habeas: huic materiæ si crassior videatur, aliquantulum olei lini adiicies, vt linimenti formam acquirat*, vsus eius est, vt cum puluillis adhibeatur, & extrinsecus vlcus emplastro stictico de colophonia contegatur, & absolues curationem in diebus quatuordecim: poteris, si ita videbitur, post quintū curationis diem aliquid calcinati adiicere, sed illud tuæ industriæ relinquimus.

II.

CAPUT IV.

De Curatione vlcerum per Tartari Balsamũ

Balsami vsus obscuratus duobus erroribus.

PRæstantissimi huius remedii vsum, nõ mediocri infamia ac suspicione onerarũt duo præcipuè errores: alter, quòd tempore, & loco indebitis, rerum ignari eum usurparunt: nam cùm saltem curat vlcera, quorum radix in ipso loco (non intrinsecus in corpore) existit, frustra quis eo vtatur, si alibi mali origo consistat. Alter error in præparatione eius commissus est: pauci enim vt illũ natura desiderabat, conficiebãt, id est, solum calcinabant, calcinatum in olei formã resoluebant, & hoc sufficire putabãt.

Balsami Tartari vires.

Præparati certè legitimè Balsami huius mirifica facultas est, (si cuius alius remedii) in abmendis superfluis humiditatibus, phlegmonis, carne supercrescẽte, &c. ante omnia verò in pedum putridis ac manantibus vlceribus excellens remedium est: vt maxime enim tumeant, putrida, antiqua, caua, atque erosa ea sint, vnico tamen hoc remedio perfusa, vncta, illita, &c. ex ipsa vsque radice longè lateque percurantur: nam tumorem laxum primo absumit, ac miranda sua exsiccandi facultate morbum in vniuersum enecat, adeo vt nullus Sal tam vehemens sit: qui illi resistere queat, sed omnia ab eo exsiccantur, non secus ac solem paludes maximas quandoque combibere videmus.

Etsi autẽ multa passim ab antiquis remedia descripta inueniuntur, ad ista vlcera sananda, opinione hominum, ac prædicatione illorum, qui ea describunt, vtilia: tamen quia nec illi ipsi, multo minus ipsorũ discipuli in iis curandis, vtilem aliquam operam ponunt, satis constare puto, ipsos rerum fontes non intellexisse, sed saltem, vt de omnibus scripsisse viderentur, mendacissimo ore effusisse, vel quia de rebus incertis consultandum sibi putabant, hunc laborem suscepisse. Atquia consultationes saltẽ sunt, non demonstrationes, licebit nobis, relictis illorum nugis, meliora inquirere. Itaque de Balsamo nostro hoc verè affirmo, ipsũ, si vlcus pedum manans sit (nam de cæteris non tã certa est mihi experientia) non tantum superficie tenus, sed ex ipso fonte percurare. Præparatur autem in hunc ferè modum. *Recipe salis petræ lib. j. Arsenici ℥ j. calcis viuæ ℥ iij. tartari, quartaria iij. puluerisentur omnia minutissime, & vase non vitreato calcinentur, calcinata soluantur, ac per filtrum destillentur, solutum illud deinceps vtatur tribus vicibus, quod fiet ipso coagulato, & cum æqua portione Salis petræ calcinato, idque tertia vice: vltimæ calcinationi affunde aceti destillati quantum sufficit, abstrahatur igne fortissimo ad dulcedinẽ vsque.* dein-

Balsami Tartari usus.

Recipe olei huius quãtum sufficit, aluminis calcinati aceto extincti tantundem, misceantur, & fiat pulticula, quæ (fomentato prius pede) imponatur ac deligetur, post circa duodecimam horam locum considera, qui si rubeat admodum, caue ne properes: imò sufficiat tibi viginti quatuor horis semel deligare: continuabis autẽ huius vsum, donec rubedo ac phlegmone vltro remittat: quo facto.

Recipe olei superioris quantum sufficit, tragaganti in aqua rosarum dissoluti pro libris ij. camphoræ ℥ ß. mixtis omnibus vngatur, ac perfundatur vlcera, eorũque cauitates, ac sine dolore ac periculo videbis pedem suæ pristinæ formæ restitui ac exsiccari. Quod si caua quoque adsint vlcera, quæ incarnationem desiderare videbuntur: tum *Recipe olei præcedentis ℥ v. Mumiæ ℥ j. croci Martis ℥ j. ß. olei ouorum ℥ x. misce, ac vtere, donec clausum fuerit.* Penitus absoluta curatione, iubeo, vt adhuc ad spacium decem dierũ quotidie semel præfati Balsamo (sine adiectione pes vngatur: quin singulis annis poplitis vel malleoli venam (ex consilio periti medici) incidere, atque semel vnctione vti, magnum ad præcautionem auxilium præstat. Venæ sectio.

De Curandis vlceribus per præsectionem neruorum & venarum.

FRequenter hoc in ægris euenit, vt superiores partes excrementa sua inferioribus trãsmittant, hinc quandoque in tibiis vlcera eueniunt, mali origine in superioribus existente. Si ergo Saltes non venenosa qualitate, sed sola quantitate peccare contingat, nimirum quia copiosi in alieno loco continentur, manifestum est, alio in loco, quàm in quo consistunt, curationem faciendam esse. quia autem curationis intentio est, ne in partem affectam defluant amplius humores, primi rerum inuentores considerato eo, quòd in affecto loco non ita in superioribus partibus materia peccaret, secundũ eos ductus retrogredientes supra affectum locum, venas & neruos per ac iuxta quos defluxiones fieri animaduerterunt, non inutili inuẽto præciderunt.

Sciendum tamen, hoc curationis genere vtẽdum non esse, nisi in defluxionibus quæ supra affectam partẽ, nulla venenosa qualitate participant: etenim aliâs vsurpata, duplex periculum exoritur: námque vel alio suprâ loco denuo erumpit, atque tum cordi propinquius malum est, quòd natura fortior antehac in distãtiores partes detruserat, vel si forsan efflorescentiæ Paroxismus ingruat, si non ad necem vsque, certe ad summum periclitabitur æger. Quamobrem distinctio illa sedulo obseruanda erit, ne tuum Medicari sit potius dicendum Latrocinari. Vbi hæc curatio conueniat. Paroxismus efflorescentiæ.

Modi huius curationis varij sũt, ferè supra genu venæ cõmodissimè se produnt, vbi eas scalpello, cauterio, vel corrosiuo medicamento diuidere, ac vulnus amplum facere, atque inter vtrasque vulneris oras callum generare solent, qui fluxioni viam præcludat. Atqui frequenter hoc contigit, fluxiones in alias venas decubuisse, vel alterum latus, non raro vtrumque occupasse, vel intro pulsas, cachexiam fecisse, ventriculũ, Epar: &c: oblæsisse: imo ipsam quadoque mortem attulisse. Proinde monitos Chirurgos volo, meminerint ab inueteratis, atque consuetis fluxionibus omnino abstinendum esse, recentibus vero magna sollicitudine prospiciendum atque vtilem phlebothomiã præscribendam. Tres modi præsecandarũ venarũ.

Incisionis modum nil opus est præscribere, cùm nullo artificio perficiatur, quemadmodum & vstionis rationem vt quæ rusticis quoque nota sit: hoc potius notandum, cauendum ne reliquo malo paralysin quoque membri superaddas, quod in incisione frequenter accidisse Incisio. Vstio.

memini. Corrosiuorum tãdem vsum (inter quę Mercurius sublimatus primas tenet) quibus Eschatam generant, quid opus est annotare? cùm carnificinæ istæ plus satis Chirurgis notæ sint, nec nisi summa necessitate vrgente, vsurpandæ. Quæ si iis vti cogat, ad curationẽ perficiẽdam meo cõsilio exhibebis potionem traumaticam vulgaris vsus, quæ rursus per vlcus emanare apparebit: si ergo incorruptam eã iterum effluere obseruaueris, scito fontẽ ab vlcere non ita multum distare: itaque in propinquo venas præcidendas esse: nam quò propius, eò res habet melius: & ferè præstat sub genu quàm supra eas præcidi, quo facto, vnguentum parti vulneratæ impones, dum callum faciat, qui quarta siue quinta perficietur hebdomade.

Potio vulneraria vulgaris exhibenda.

Istis absolutis ad ipsius vlceris curationem descẽdendum erit, quæ Emplastro stictico, alióue vulgari quouis remedio facile perficitur. Quin non rarò vidi absque vllius medicamenti vsu quandoque vlcera sanata esse, at aliis in locis denuo erupisse, quæ facile quoque Martialibus remediis postea curarẽtur. Sed de istis omnibus docti Medici iudicabunt accuratius an ex morbi benignit., vel naturę efficacia acciderit.

Martialia remedia.

CAPVT VI.

Vt Per Balnea Aerea Aquæ Dulcis, & pedilotia vlcera curentur.

PArticularis huius remedij ea est natura, vt si illud vlceribus adhibeatur, quibus hoc curationis genus non competit, ea multò deteriora efficiat, atque multo periculosissimam hæmorrhagiam conciter. Proinde accurato iudicio opus est, ne in remedij huius delectu aberremus. Sunt enim sub hanc curationem, ea saltem vlcera referenda, quæ sub poplite sũt, ampla, putrida, carne luxuriante abũdantia, ac crebra hæmorrhagia (quæ leuissimo quoque contractu exasperatur) molesta, neque in tibia saltem, sed & alio quocunque loco si fuerint, hãc curationem admittunt. Cognita ergo affectus specie sciendum quid remedium hoc præstet, nimirum putredinem omnem, ac sanguinem superfluum extrahit, neque quidquam præterea efficit, itaque statim ac ab eius vsu desistemus (quod fiet vbi iam bonus ac vtilis sãguis fluere inceperit) consolidandum erit. Remedij formula hæc est. *Recipe conorum abietis recentium, ac succi plenorum M.ij. locustarum iuniperi, corticum fagi arboris, ana M.j. Chelidoniæ, potamogeti, fol. quercus ana M.ß. rad. Asclepiadis, Aristolochiæ, ana lib.ß. fiat decoctio sufficiens, in eo lauentur pedes mane & vesperi quotidie.* Aliud:

Balnei natura.

Balnei formula.

Recipe Saniculæ, Limonij, Opioglossi, fol. quercus ana M.iij. rad. Vincetoxici M.j. symphiti, Aristolochiæ ana M.ß. conorum abietis M.j.ß. fiat decoctio, in qua per triduum lauentur pedes. Absoluta lotione, Emplastris consolidantibus ad operis perfectionẽ laborandum: non enim simplex lotio sufficere potest. Interim dũ lotionibus vtemur, curabimus, vt ad manus sint sanguinem sistentia remedia, aliáque ad hanc rem facientia, quo in omnem euentum præparati simus.

Cõsolidatio.

CAPVT VII.

De Vlcerum Curatione per Destillata Olea, gummi, & aquas.

EST vlcerum quoddam genus punctorio dolore supra modum molestum, in quo curando, nulla nec corrodentia, nec calcinata remedia, vt Vitriolum, vt Alumen &c. sufficiunt: quin nec vnguentis, oleis, emplastris, cæterisque hoc genus remediis cedit; sed medium, quod aiunt, digitum porrigit, ac subinde deterius euadit. Huic ergo solis destillatis remediis auxiliari possumus, nec iis solum, sed semper consolidantia præstantissima cõiungere oportet: nam sola destillata cùm saltem vlcus ad curationem suscipiendam habile efficient, hoc meminisse te volo, ea saltẽ vlcera sub hæc remedia pertinere, quæ aliis non obediunt remediis, sed calore, pũctione, summisque doloribus, die noctuque affligunt.

Destillata quid in vlceribus efficiant.

Remedia destillanda pauca sunt, inter quæ excellunt oleum commune, Petroleum, Terebinthina, Caryophilli, Zingiber, Nux Muscata, &c. Ad hæc faciunt quoque omnia ea, quæ fluxum Sinoniæ sistunt, quęque ad Solem destillata habentur olea: omnia namque hæc mirifice dolorem sedant, atque ad curationem suscipiẽdam aptitudine inducunt.

REMEDIORVM FORMVLÆ aliquot.

Recipe Cariophyllorum ℥v. Zinziberis ℥j. Nucis Moschatæ ℥ß. destillentur per Alembicum, fiat separatio per gradus, & pro magnitudine doloris alterentur.

Aliud.

Recipe Olei cõmunis lib.j. Thuris albiss. ℥ß. Caryophillorum ℥ij.ß. fiat destillatio per alembicum, & separentur per gradus.

Aliud.

Recipe Terebinthinæ lib.j. Petrolei quartarium ß. destillentur in Alembico, iuxta gradus.

ALIVD PRÆTEREA INCARNANS, consolidans, & claudens.

Recipe Thuris, Mastiches ana ℥j.ß. Caryophillorum ℥j. Mummiæ ℥ij.ß. Bdellij, ℥ij. Galbani ℥j. destillentur, & inter destillandum fiat separatio per gradus, dein destilletur oleum oliuarum quoque per gradus, ac mutui singuli oleorũ gradus commisceantur. ac floribus Hyperici vasa impleantur, seruenturque ad vsum. Vtendi ratio est, vt cum penna oleo intincta totum vlcus, ac circumiacentes partes tingantur quotidie bis, mane ac vesperi, quod si interea temporis dolor, ac calor recrudescant, nil prohibet remedium iterare. Extrinsecus autẽ imponendum erit Emplastrum de Calcinato, primo cap. descriptum: sufficiunt namque ista ad curationem perficiendam. Sciendum ergo, cũ hæc vlcera nulla Attractiua (ne Terebinthinã quidem) Emplastra, vnguenta, &c. siue anodyna ac paregorica ea sint, siue minus, perferre, exceptis per destillationẽ paratis: itaque nõ immerito in Medico Chemiæ peritiam requiro; vt siquidem pharmacariorum coctura non sufficiunt, ipse defectum sarcire queat.

Vlcerum horum malignitas.

Sunt prętereá Collyria, quę cùm ad oculos parata sint, tamen excellentem vsum in istis vlceribus persanandis præstant: nam cum pinguia ac destillata sint (ea enĩ præcipue cõmẽdo)

Collyria.

Corrosini Salis compescendi vim obtinent. Quineriam Balsama nonnulla ex Corrosiuoru destillatione composita, mirifica in hoc casu virtute pollent: etsi enim corrosiuam vim non plane exuunt, tamen diuturnitate temporis eā mirum in modum temperatam acquirunt.

CAPVT VIII.

Vt per Thermas Vlcera Sanentur.

Thermis seu aquis natura calidis, magnam ad humanæ vitæ sustentationem vim inesse nemo est qui dubitet: etsi enim aquæ nulla pene autoritas est, tamen eius vsu certe quàm vini, meliora omnia conseruari animaduertimus: sic potus ceruisiæ quàm vini salubrior habetur quoque, vt qui non tam frequentium morborum causa existat. Quòd si vulgaris aquæ tanta virtus existit, quantò maiorem efficaciam iis tribuemus, quibus aliquam manifestam qualitatem impressit natura? quales sunt Calidę, Sulphureæ, Vitriolatæ, acidulę &c. Experientia sanè docuit, quemadmodum terræ nascentium variæ ad humanæ naturæ morbos curandos virtutes existunt: sic Aquarum, & quæ illis insunt, salium varias facultates haberi, illis quasi respondentes, verum negligétia Medicorum (qui ea quę maximè cognoscere debebant, flocci pendunt) aquarum virtutes, hactenus ferè incognitæ latuerunt. Nos de thermis, quantum ad presens negotium facere videbitur, breuissime disseremus. Itaque sciendum, eos solum vlceratos ad thermas mittendos esse, qui vlcerum radicem non intrinsecus in visceribus, sed in ipsa affecta parte habent, hac distinctione, vt Aluminosum vlcus, Aluminoso balneo, &c. curare velimus: nisi enim ista concordantia obseruetur, frustra omnis curatio attentabitur. Veruntamen istud quoque remedij genus tum recentibus (nam ea statim curat) tum inueteratis plane, non incommode adhibebitur, maximè vbi illic nulla fluxio, nullumque vehementius symptoma adfuerit. Cùm autem ipsæmet thermę, Incarnandi, Consolidandi, &c. vires satis manifestas faciant, non difficile erit Medico diiudicare, quę cuiuis commodissimæ sint futuræ. Sciendum quoque vt maximè quis euelcis sit, tamen nisi in ipso vlcere origo consistat, à balnei vsu eum plane arcedum esse, nisi mortem quàm vitam malit. Sed ne ille auxilio plane destituatur, inspice an typicum malum sit; quod si cognoueris, frequentes ac tempestiuas illi venæ sectiones ad præcauendam recidiuam imperabis.

CAPVT IX.

Quomodo tempus, Quod Ipsum Medicus est, vlcera curet.

Qvemadmodum (quod aiunt) post nubila Phœbus redit, sic quãdoque vlcera apparent, quæ cùm diu, multùmque sęuierint, tandem desęuiunt quoque, atqui non plane remittunt: etsi enim tempus diuturnum, causam vlceris tollat, vlcus tamen ipsum plane curandum Medico relinquit. Proinde in hoc casu vnica hęc consideratio relinquitur, quomodo vlcus ipsum consolidetur, siquidem de causa sollicitum esse, nil refert amplius. Huius rei ignorantia ducti Medici quidam sexcenta in vlcerum curatione experti sunt, sine fructu tamē omnia: siquidem tempus legitimum nondum præterierat, quibus deinde succedentes alij eque imperiti leuissimis remediis, fumigio scilicet, vnguento, lotione, vsu ligni, alisque huius farinæ medicamentis adhibitis, vlcera illa percurarunt: hinc videmus quoque leuissima vlcuscula ab accuratiss. ligni vsu non euinci: vicissim maximos morbos anili remedio sanari, temporis scilicet ratione curationem cōcedente vel prohibente. Vbi ergo tempus elapsum de curatione monuerit, leuibus saltem remediis vteris, vnctione scilicet, fumigiis, ligno; prę omnibus autem vnguenta traumatica, ac stictica emplastra commendantur: ea namque vbi vlcus sęuire desierit, quale illud sit, curare sufficiunt. Dignotio sic ferè in hoc casu habet. Si videris vlcus antea dolorosissimum ac peruicacissimum à doloribus & malitia sua subito desistere, tum curationem aggredi tempestiuum erit: habebis enim auxiliantem naturam, quod si succedat, ne statim de quouis vlcere curando glorieris: in omnibus siquidem singulare quiddam inest.

CAPVT X.

De Vlcerū curatione per Sparadrapum.

Vlcera quæ in tibiis consistentia, causam fouentem intrinsecus in corpore latentē, illac tamen effluentem, habent, singularem quandam curationem obtinuerunt, quæ presectioni venarum superius explicatæ, quodammodo respondet: impediuntur namque deligaturis arte factis fluxiones, ne ad vlcus decumbat, atque sic vni vlceris curationi inuigilatur: verum fucata quædam Medicina hæc est, & in paucis vsurpanda: etenim ferè periculum est, ne alibi erumpat iterum, priore longè deterius malum. Itaque sciendum Sparadrapi vsum solummodo conferre, si à manifesta, ac procatarctica aliqua causa fluxio concitata fuerit, vt à scalpendo, contusione, &c. atque si hinc fluere illuc humores incipiant. Sparadrapi vsus modernus, qui per tænias seu fascias simplices fit, antiquitus incognitus fuit, & penitus omni artificio caret: antiqui namque preparabant ex sanguinem & Sinoniam sistentibus remedijs: nos vt ea in vsum reuocentur, vnicam descriptionem dabimus. *Recipe putaminum ouorum vstorū, testarum cochleæ vstarum ana ℥v. lap. hæmatitis ℥j.ß. Boli Armeni ℥iij. terræ sigillatæ. ℥ij.ß puluerisentur, ac cum tragaganto in rosacea dissoluto commisceantur in formam pulticulæ, qua fascia inducta vbi fuerit, fiat deligatura ab infernis sursum versu, iuuat mirum in modum.* Facta deligatura quia necessario supra eam humores colliguntur, de iis educendis cogitandum erit, siue per purgationes, siue abstinentiam, siue vsum ligni, &c. id fiat, exsiccari certe oportet, nec antea fascias dissoluere: quàm omnis humor absumptus sit, omniaque pristinæ sanitati restituta: verum hoc numquā sperare licet, si fluxio à toto corpore fuerit, quamobrem moneo, vt antequam curationem aggrediaris, de prima ac fouente causa cogites;

Corrosiuorum Corrosina. | Ceruisia quàm vini potus salubrior est. | Vlcerati qui sint ad thermas mittendi. | Thermarum delectus. | Temporis consideratio. | Dignotio | Sparadrapum quibus conueniat. | Purgatio.

Epilogus.

Descripsimus hoc tertio tractatu vlcerum remedia, quibus ferè vulgus medicorum abutitur, eo fine, vt sublato abusu, cuiusq; remedij genuinũ vsũ ostenderemus, monẽtes, ne vno remedio omnia vlcera curari posse sibi persuaderent: sed vt singula singulis conuenientia adhibere discerent, ne sibi ignominiam, aegro damnum (si sine delectu operentur) concilient. Sunt particularium horum remediorum x. quibus etsi plura quis adiungere posset, tamen quia commodiore loco (quarto nimirum de curatione morbi Gallici libro) describi possunt, eò reiecimus. Optarim sane, omnes qui Medicinam facere cogitant, in istis Particularibus studiosè exerceri, forsan melius & aegris & medicis consultum foret, Rogatos quoque medicos omnes volo, si modo exorari se patiuntur, ne ipsos pigeat, ea quæ scribimus, perlegere ac discere: siquidẽ hoc solo fine scripsimus, vt ex ipsorum animis falso conceptos errores euellere mus.

Decem particularia Paracelsi.

FINIS SECVNDÆ PARTIS CHIRVRGIÆ MAGNÆ.

CHIRVRGIAE MAGNAE THEOPHRASTI PARACELSI, PARS TERTIA.

DE VLCERIBVS ET TVMORIBVS præter naturam, septem libris absoluta.

LECTORI BENEVOLO THEOPH. Paracelsus S. D.



CVM æquum sit, omnes medicos ea quæ ipsi experientia didicerint, in aliorũ quoque vsum publica facere, siue eam multam habeant, siue paucam. Hos de tumoribus præter naturam libros describere eadem causa permotus sum: maximè cùm Medicus, nisi singulari ingenio præditus, in solis aliorum scriptis fidẽ ponere nequeat: nam non nuda litera, sed praxis, multarũque rerum experientia, in arte nostra fidem facere solent. Ad hæc praxis quàm theoria in Medico prior esse debet: ad illam námque hęc consequitur; non in Medicina solum, sed in philosophia etiam: ad hæc igitur principia sequentes libri, vt artis nostræ initia, perfectionémque ostendant, conscripti à me sunt. In quibus si breuior sum, (nam quæ antiqui sæpe triginta, quadraginta, imò infinitis capitulis descripserunt, ea ego vno atque altero capite absoluo) causam scias eam esse, quòd confusionem deuitauerim: verbi causa: vlceratio ex Abscessu seu Apostemate facta, vlcus verum non est, itaque sub vlcerum descriptionem non referenda. Sic Pestis, Antrax, &c. non ad vlcera, sed ad pestilentiæ descriptionem referenda est. Similiter ex Hydrope facta vlcera, ad suum caput reseruanda. Quamobrem sequentibus libris titulum fecimus, de vlceribus, quæ æquè ac pestis singularis morbus existũt. Et quemadmodum arbor quæuis singularem, tum theoriam, tum praxin requirit: sic vlcera suam singularem Theoriam & praxin hoc libro sortita sunt: quámque est inconcinnum lapides, & ligna eadem theoria describi, tam est inconueniens vlcerationes priores cum vlceribus istis coniungi. Etsi enim in praxi quodammodo concurrunt, tamen in theoria necessario disiungẽdæ mihi fuerunt. Vlcera autem præsenti opere appellabo eas saltem continui solutiones, quæ ex Corrosiuis tam viuentibus, quàm emortuis, támque ex suo semine enatæ sunt: nam non secus, ac ex semine suo Maiorana, ex flore suo Anthera existit, de morbis iudicandum quoque est, vt scilicet ex seminibus suis describantur. Porrò monitos Medicos velim, ne intricatis speculationibus posthac se inuoluant, sed simplici Theoria, quæ ex empyria primum extitit, contenti sint, qua vtilia, noxia, præsentia, præterita & futura, instar naturalis Prognosticatoris, non tam in morbis (id est, philosophia) quàm curatione (id est, Medicina) ipsorum diiudicare facile erit. Neq; quisquã cogitet Neotericus vel Modernista, qui ex antiquis hausta profundunt solùmodo, vel autoritate antiquorum, vel contradictionũ reconciliatione litem nostram dirimi posse: nam in ipsa radice diuersi sumus: ipsi namque cæcam Theoriam faciunt, hoc est, vt vno verbo dicam, Sophisticã: ego verò sensibus preditam, id est, quæ à sensu ac experientia rationes producit. Medicinæ enim fundamenta sine sensu ac experientia nulla sunt: nam sine illis veritas consistere nequit. Differimus præterea in eo, quod ipsi Praxim ex theoria architectentur: nos vicissim ex Praxi theoriam. Requirimus etiam in Medico non solum naturæ Microcosmi, sed & vniuersæ naturalis philosophiæ cognitionem, non ex phantasmatis ac speculationibus, sed sensuum ac experientiæ iudicio exortam: hæc enim veritatis, illa Sophismatum studiosior apparet. Itaque si meæ Medicinæ ab illorum medicina differentiam intelligere placet, quantum somnia à rebus veris absint, considerate: similis namque planè inter nos diuersitas existit. Quamobrem Lectores humanissimi, quæ vel breuitate, vel obscuritate difficilia in hoc opere vobis videbuntur, vberius in opere de Apostematibus explicata inuenturos vos, polliceamini vobis. Interim rogatos omnes volo, ne sine experientia diuturna quisquã de istis iudicare præsumat: nam Sophisticis illis medicis quàm ingrata sint futura bonorum de nostris scriptis iudicia, animus præsagit: sed nil istos tenebriones ac im-

Paracelsus cur in libris breuior sit.

Vlceris nomine quid hic intelligat.

Paracelsus recõciliationem non admittit.

Praxis theoriã præcedit.

Medicinarum duarum differentia.

ac impostores, qui nil nisi nugas ex suis cathedris, instar canum (qui noctu expergefacti latrant causam latratus ignorant) detonare solent, moror: siue Doctores sint, siue Magistri, parum refert. Experientiam & candorem non inanes titulos triente redemptos, desidero. Vale. Colmariæ 8. Iulij. Anno 1528.

Pseudomedici canibus comparati.

PRVDENTISIMO VIRO D. CONRADO VVIKRAMIO, VRBIS Colmariensis Cos. Dn: suo obseruantissimo,

THEOPHRASTVS PARACELSVS S. D.

EXCELLENDI ac dominandi studium diuinitus hominibus implantatum esse, neminem puto inueniri qui dubitet: cum enim sibi soli nemo natus sit, nulla ratione pluribus prodesse quis potest, quam si ipse ad Republicæ gubernacula constitutus, publicum primùm commodum, postea singulorum ciuium honorē ac emolumentum procuret. Atqui vt hoc præstet, iuuandi ardens studium requiritur, quo antiqua & noua, præsentia, præterita, & futura omnia considerando, quid quoquo loco conueniat, curet, ac promoueat. Quo studio quia tuam dominationem mirificè excellere animaduerti, eam hoc loco alloqui visum fuit. Functiones varias a Deo Opt. Max. mortalibus demandatas esse in eum finem constat, vt quisque dilectionis præcepto cōmodius obedire possit: sic pauper à mendico beneficium non sentit, sed à diuite, nudus solius vestimētarij, æger vnius Medici opera indiget, vt iam quicunq; functione ac officio careat, ei benefaciendi facultatem deesse certum sit. Cùm itaque omnia in vsum proximi accommodanda veniant, manifestum est, Medico etiā vt excellat studendum esse: is enim vnicus artis nostræ triumphus est, vt quod Deus à nobis requirit, præstemus. Triumphus iste in tribus potissimum emicat: in Politia nimirum, Medicina, & Theologia: hanc suis patronis, illam tibi, viro scil. Politico commendo. Medio loco constitutam, in qua ego natus sum, quæ vnica, dilectionis præceptū abunde præstare occasio est, ego pro virili excolere semper studui. Diligentiæ itaq; eius testimonia, hos septē de vlceribus libros cōstitui in quibus experientiæ potius quàm veterū authoritati studui, vnde forsan non mediocri odio me onerari continget: verū T. D. ego testem aduoco, de nullius contemnendi studio, sed iuuandi ægros, tum abusus ac errores, qui in Theoriam ac Praxin irrepserunt, detegendi causa permotum ista scripsisse. Quod si inuidiæ stimulis exagitentur, cuiuis iudicandum relinquam, an immerito crassissimos illorū errores detexerim. Etsi enim non ignoro, lolium infœlix, ac Zyzania ex tritico penitus extirpari non posse, quemadmodum T. D. in Repub. administrāda, idem experitur quotidie, tamen aliquid præstare si non potui, certè volui. T. D. spem mihi facit, se pro viribus vera dogmata propagaturam, errores ac Zyzania extirpaturam (hoc enim viri Politici officium esse nemo ignorat) cui me commendatum etiam atque etiam cupio. Data Colmariæ 8. Iulij. Anno 1528.

Dominādi studiū diuinitus datū.

Functionum varietas vnde.

Medicinæ Triūphus.

Paracelsi studium.

TERTIÆ PARTIS CHYRVRGIÆ MAGNÆ PARAcelsi de Vlceribus.

LIBER I.

CAVSAS corruptionis sanitatis, in continui solutionibus, quę ad Chirurgiam pertinent, externorum corporum exemplo discere licet: illic enim Erucæ, vermes blattæ, aliięq; sexcentę pestes, quomodo continuū soluatur, ostendunt. Etenim nisi in ligno (verbi causa) corrosiua quædam vis inesset, ipsúque ex tribus primis compositum constaret, nūquā morbus fieret. Nam putredini vlcerationē acceptā ferre quàm sit inconueniens, hinc patet, quod putredo nullum plane dolorem humano corpori inferre possit, cùm omnia putrescentia sensū destruat. Itaque vbi dolor, ac Erosio persistunt, virtute Salis operātis, qui in parte dolēte plurimus collectus est, omnis putredo abest. Atqui si liuida, nigra, fœtentia, &c. putrida quis dicere forsitan velit, is Medicè nō loquetur: siquidem etiā admodū à Corrodente Sale pars decoloretur, nisi tamen sensū omni plane priuetur, putrida dicenda neutiquam erit, cūm nec illud putredinis veræ nomen mereatur, vbi omnis omnino vita euanuit: verum late patens putredinis significatio est, ac ferè pro cuiúsque arbitrio vsurpatur. Ego vero vlcera nullo modo à putredine originē duxisse, dicēda puto, vt maximè quidam contendant dolorem illū, qui ea comitatur, putredinis principiū esse: at illi Salis permixtionem esse non intelligūt: posset quidem putredinis rudimentū dici: propterea quod ōnis huiusmodi contrarietas mortē efficere queat, cui postea putredo subsequeretur: sed arte caret ista loquendi ratio. Exulare ergo ab vlcerū theoria putrefactiones, à Praxi purificationes ac mundificationes iubeamus. Consideremus potius cōcordantiā ac cōtrarietatem Salium ac remediorum, ex quibus noua temperies dolore ac calore lōge expulsis inducitur. Veluti enim igne lignū depascente, aqua affusa restinctio fit, ac vlterioris corruptionis causa præcauetur: sic in Microcosmo hic accidere putandū est: imò quanto homo ligno præstat tantum perfectius omnia effici. Proinde cū veteres causam & effectum in vlcerū theoria omnino ad putredinem referant, eoque in Praxi omnia dirigant, iuxta suas scilicet Choleræ, Melancholiæ, &c. acidæ, salsæ, adustæ, &c. distinctionum rationes. Ego nil horum credendū penitus affirmo: siquidem & ratio & experientia docent, omnia cùm sensibilia, tùm vegetabilia corpora ex Sale, Sulphure, & Mercurio, tanquam principijs mirio extitisse. Ex ijsdē his tribus sanitas ac morbus diuersimode causatur: itaq; omnia theoremata Medica ac Philosophica, iuxta ternariū hunc metienda sūt, repudiatis quatuor humoribus, quos etiā speciosa quadā ad numerum ac temperaturā Elementorū analogia palliant, tamen à Philosophia ac arte Medica plane abhorrēt, ac aliena sūt, cùm iuxta eā morbos

Causa vlcerum Corrosio statuenda.

Vlceratio non fit à putredine.

Putredinis ampla significatio.

Omnia ex Sale, Sulphure, & Mercurio cōposita.

morbos partiri impossibile sit: quod enim de calido frigido,&c. dicunt illi, inconueniens omnino est: nam quomodo Salem cal. sicc. Sulphur calidum siccum, Mercurium cal. siccum, vicissim verò Mercurium, Sulphur, Salem, frigidum & humidum, iuxta eos dicemus? quamobrem Elementa quæ in suo gradu fixa consistunt, nec augentur, neque decrementum suscipiunt, in assignandis morborum causis omittamus. Siquidem non secus, ac Sol omnia corpora eodem calore afficit, sic & Elementa in omnibus hominibus æqualiter se habere constat. Verum quod complexiones attinet, duæ sunt: Calida, scilicet, & frigida: hæc constans ac immutabilis, ceu nix: illa vt ignis permanet à quibus omnium rerum vita existit, nullaque ægritudo causari potest. Friuolum ergo est, morborum causas ex iis desumere, vt videlicet dicamus, hunc hominem illo frigidiorem vel calidiorem esse, cùm omnes æqua caliditate ac frigiditate participemus: quin multò magis temerarium illud est, iuxta hunc calorem, vel frigus hoc morborum gradus metiri velle, sicque morbos ipsis Elementis subiicere, cum tamen in eo vitam ac sanitatem posuerim antea: quomodo ergo egritudinem tu illis cõstituis? Sane, sanis omnibus æquus complexionum gradus est, ægris vero (vt qui iam à natura & calore declinant) admodum inæqualis: sunt enim in alia iam dispositione, orta à prima materia. Itaque sanum corpus Elementis non sine ratione contulerit quispiam (si complexionem spectet) non ita ægrum, quod ab horum essentia diuersum factum est. Quis enim ignẽ Persicum, ex igne ortum dicat, cùm eo loco ignis nullus sit? sed morbus saltem, qui absque igne venit, & quo veniente, ignis Elementum aufugit. Cedunt enim morbis Elementa ipsa, & vbi morbus est, ibi nullum Elementum superesse scimus.

Elementa in suo gradu sunt fixa.

Complexiones duæ solũ.

Complexio omnibus vna &c. æqualis est.

Ignis, Persici ignis est Sal nitrum Sulphuris, ex eo ceu ex silice erumpens, & instar ignis artificialis nostri omnia depascens, imò ipsum omni ex parte referens. Quemadmodum namque ignis ex silice excutitur, in silice tamen non esse constat, sic ex corpore morbi existũt: item veluti ignis, è silice erumpens, Elementũ non est, sed arte factus ignis, illiusque tantum imaginem ac ideam referens: * at corruptibilis interim contra elementorum naturam, cum nullum Elementum intereat, ante cœli terræque dissolutionem quod Maris exemplo addiscere potes: ipsum siquidem nõ consumitur, ac etsi in cacabo eius portionem concoquas, donec nil supersit amplius, non tamen absumptam rectè dices: nam per cocturam in Chaos, ex hoc iterum in aquam transmutatur. Sic terra, lapides &c. vsta, frixa, &c. quocunque tãdem modo tractata, semper in se redit. Similiter & aëris elementum consumi nequit, quamque est impossibile elementum consumi, tam quoque difficile est de nouo fieri. Verum lignorum ignis corrumpitur, quia Elementum non est, sed Sulphureum corpus, vento quàm simillimum: qui & ipse aër verè non dicitur, sed generatum quoddam corpus corruptibile. Elementum namque ignis illud

Ignis, ignis Persici.

Digreditur à proposito pro more.

Mare nõ cõsumitur.

Redit ad propositum.

Ignis nostri cum vento similitudo.

verè est, quod Firmamento excepto nemo nec corrumpere potest. Sic Sol cum suis astris Elementum est: nam illius calorem nemo augere, vel minuere potest. Itaque toto cœlo aberrant medici, cùm Elementa quæ nil nisi vitam tribuunt, corporaliter nobis inesse imaginantur. Quia enim sine calore, ac frigore vita non consistere potest, siue in sensibilibus, siue in vegetabilibus, mirum eos, sic delirare vt in iis ipsis morbos constituere velle, varisque nominibus humorum, qualitatum, complexionum &c. afficere considerandum erat, morbos omnes corruptibiles esse, ac instar flammæ vel scintillæ consumi, manentibus interim Elemẽtis ac complexionibus illæsis. Elementa enim vt in hominem ingressa sunt: sic ex eo rursus abeunt, terra scilicet in terram, aqua in aquam, chaos in aëra, ignis in Solis calorem, ibique perstant, donec cœlum ac terra dissoluetur. Ista inquam vera Elementa sunt, quibus friuole admodum morbos adscribitis, iuxta ea morbos calidos, frigidos, humidos, siccos &c. dicentes. Atqui non hæc, sed id quod euanescit, morbum efficit: imo morbus ipse est Elementorum insensibilitatem efficiens.

Sol est Elementum.

Elementa perpetua sunt.

Quod si omnino quis vrgeat, omnem morbum calidum, vel frigid. vel humid. vel sicc. &c. esse, hoc est, cum complectione seu natura Elemẽtari consistere: ei sic responsum volo: ea quæ frig. & cal. &c. sunt, vera elementa non esse, alioqui nil sub cœlo esset, quod Elementum nõ foret: siquidem cõstat omnia Sublunaria corpora, seu vita prædita sint, seu eadem destituta, necessariò vel frig. vel calida esse. Interim non inficias eo, in corporibus nostris quatuor Elementa consistere, verum in sanis hoc est, non perinde in egris: nam præsente morbo calor ac frigus, &c. aufugiunt, sicque corpus Elemento destitutum Mortis imperio subiectum est. Calor natiuus qui in nobis est, ignis Elementarius est, non sic calor præter naturam. Caro ergo quæ iam corroditur, viuit adhuc, ac tum demum vbi abscedit à corpore, id est, quod vos illam facitis. Sin illa erosa caro alia carne restituatur, ei calorem naturalem, seu Elementarium inesse non rectè quis dixerit, cùm calor ille non consistat, non nisi in iis quæ ex spermate generata sunt, sed calorem, si quem habet, aliunde ex vicinia mutuatur. Atqui vt de calore ac frigore præter naturam, seu morbido loquamur, sciendum variis modis accidere: primo ab exercitio vehementi, quandoque ab oppilationibus seu obstructionibus vehementibus, alijsque multis modis: verum istos calores, &c. nec complexiones, nec Elementa esse cogitabis: si enim complexiones forent, complexionem leui momento immutari posse contingeret, quod impossibile esse ostensum est. Perinde se ac in putrefactionibus res habet: illic enim stercus, etsi duplo calidius euadat (vt incalescere apparet) quàm ab æquo reiectum sit, nemo tamẽ calorem illum Elementum appellat, &c. sed digestum solummodo. Hæc pauca protheoremata ad vestibulũ operis de vlceribus præmittere placuit. Sunt & alij errores, qui incautis facilè impo-

In egris corporibus 4. Elementa non insunt.

Calor natiuus est Elemẽtaris.

Calor præter naturam variismo dis fit.

imponunt, verbi causa, Sales Elementum in se habent, cum tamen iuxta illud non operentur, non recte quis Elementum illis curandis administrauerit: nam virtutibus Sales vacui sunt, solamque vitam, non operationem ab Elemétis habent: quæ enim illis differentia inest, exempli gratia: quòd Alumen Roche à Plumoso, Sal Armoniacus à Sale Maris differt, non superabundantis Elementi ratione hoc fit, cùm omnibus æqualis insit, imò potius propter acerbas, dulces, acres, salsas, &c. qualitates. Itaque salsedo, amaritudo, dulcedo, ponticum, acerbum, acetosum, &c. inter qualitates, non inter complexiones numerari debent: qualitates enim ęquè sunt, ac in homine pulchritudo qualitas est, quam, quis est, qui ad Elementa referat? Sic Sal gemmæ actior est, quàm Sal Anathron, eòque pulcrior quoque, ceu homo homine, lingua linguâ acrior conspicitur, etsi in vtrisque eadem forma eademque insit materia. Hinc apparet cur diaphanes sit: cùm enim in sua sit exaltatione, necessariò quoque purum ac pulcrum est. Discere quoque hinc licet, cur Sal Sale, homo homine fortior ac acrior existat, Camphoræ quis frigiditatem inspiciat, ea ab elemento certe non est, sed à qualitate: item, Cantharidum caustica vis an elemento afscribenda? minime vero, cùm ne grij quidem ignis plus habeant, quàm camomilla. Sic vrtica vrit non elementi ratione, sed propter formæ subtilitatem. Hæc, hęc, illa diuina mysteria ac Magnalia sunt, quæ si ex veræ Philosophiæ fontibus hauseritis, facile vobis morborum originem, ac causas assignare fuerit. Atqui, illa Philosophia non est, quam Aristoteles, Auerrhoës, Albertus, &c. docuerunt, qui Medicinæ nil, vel minimum tenuerunt: imò quæ in chartas effuderunt, omnia absque experientia eblaterarunt. Itaque verum illud dictum nostrum esse apparet, cum Philosophũ ex Medico (non autem vicissim) generari debere pronunciamus. Sed fidem dictis faciunt ars vestra, opera vestra, facultates vestræ.

Sales sedem viti ab Elementis habent.

Separes sunt qualitates non complexiones.

Camphoræ frigid.

Philosophus ex Medico generari.

THEOPHRASTI DE VLCERIBVS.

LIBER. II.

Salium differen. &c.

EX iis proinde quæ præcedenti libro dicta sunt, manifestum euadit, vlcerum causas non complexionibus, non Elementis, non qualitatibus, sed Salibus, quorum differentiæ sunt, Corrosiuum, acutum: acerbum, acetosum, &c. adscribendas esse, ea obseruata ratione, quòd cùm nullum plane vlcus absque corrodente virtute consistere posse dicamus, Corrosio autem extra Sales nulla sit, omne vlcus Salibus acceptum ferendum esse: neque tamen putandum est, Sales seipsis meliores, vel deteriores euadere (quemadmodum de suis complexionibus fabulantur pseudomedici) sed certò sciẽdum, pro cuiusque Salis natura, atque mixtionis varietate, nouum subinde vlcus, ante incognitum oriri. Itaque obseruandum, corporis sani constitutionem seipsa meliorem numquam euadere, sine naturæ propriæ corruptione, verum deteriorem facile fieri, propter congenitum corruptionis seminarium, quod dum Microcosmus separatus nódum est, in optima cócordantia consistit: verum vbi separatus fuerit, à sua temperatura alienum euadit, hæc ergo causa est, cur morbo ingruente totum corpus horreat: propter dissolutam nimirum illam corporis concordiam: nam vt primum aliqua species separata est, iám viribus suis integra existit, quas in illa harmonia ostendere non poterat. Illud itaque quod separatur, Salis species necessariò est, (si de Chyrurgicis istis morbis, ac vlceribus loquamur) cùm ergo constet, Sales vlcerum causas existere, eorum plus cẽtum species in corpore nostro inesse, ignorãdum non erit, ex quorum malignitate ac mixtione vlcera diuersa euadunt, alia curatu faciliora, alia difficiliora, ista hac, illa alia forma ac natura prædita: quemadmodum enim alia est Salis Vrinæ, alia ferruginis, alia Aluminosi, &c. natura: alius Vitrioli, alius Salis communis, Nitri, Aluminis, &c. sapor: sic alius à liorum dolor est, si à concordantia vniuersi Sales separati fuerint, instar Salis mineræ. Obseruandum tamen, antequam Sales separentur, talem illorum temperiem esse, vt salem gustu diiudicare nequeas, non secus ac variis succis inuicem permixtis, de certa aliqua saporis specie pronunciare impossibile est: at vbi ad separationem inclinare cœperit, quò fini propior, eò facilior diiudicatio apparebit: tandẽ verò separatione absoluta, manifestissime Salis sapor apparet: etenim in omnibus tam terreis, quàm aqueis corporibus, integra manente compositione, vt certa species animaduerti non potest: ita facta separatione illa, latere nequit: separatio enim species Metallorum, Gémarum, Salium, &c. prodit. Quæ hactenus de Salibus dicta sunt, ad omnes Catholica sunt: iam ad specialia descendendum. Sales ex Realgare progredientes, quales sunt Arsenicalis, Auripigment. Vsneæ, Petreus, Aluminosus, Vitriolatus, Maris & huius generis alij, pro sui veneni malignitate tumores & punctiones vehementiss. in vlceribus excitant, quos omnes sales in humano corpore existere ignorandum non est: tot namque Microcosmus Salium species obtinuit, quot maior mundus ostendere potest. Sic quemadmodum per proprium Salem Venus in viride æris conuerti cernitur, eodem modo Sales separati corpus destruentes, extrinsecus vlcera faciunt: verum ceu in ære argentum, plumbum, bona, mala, vtilia, inutilia, &c. nemo ante separationem discernit: facta autem separatione, Arsenicus, Realgar, Auripigmentũ, Antimonium, Sulphur, &c. ad oculum apparent, quę in composito venenum non erant, resoluta autẽ, vel pisi magnitudine lethale venenum existunt, (sic Sales ante & post separationem se habere intelligendum.)

Sanum corpus seipso melius non euadit.

Salium plus centum species.

Sale, ante separationem quales sint.

Separatio quasnis species producit.

Quamobrem iam tandem separationis (quę vlcerum antecedens causa est) modum ostendamus. Sunt Sales quidam subtiles ac liquorosi, qui in corpore consistentes cũ reliquis, ex sua ipso-

Separatio Salium vt fiat.

ipsorũ subtilitate corruptionẽ efficiunt: quod exemplo vini clarum euadit, Vinum integrũ, salso omni sapore destitutum, sed insigni dulcedine gustui adplaudiens apparet, quod tamen diuturnitate temporis Tartarum accerrimum, scilicet Salem generat: simili modo in humano corpore cutis dolium est, liquores verò vinum, qui si Salem (qui Tartaro respondet) deponant, is ad vsque cutis membranam decurrit, cuius cùm non tanta (quæ lignorum in dolio est) durities sit, ab illis erosio oritur, sicque vlcus. Iterum vinum acescens consideremus, quod amisso spiritu acorem contrahere scimus, at acetosum saporem quis animaduertit prius? nemo: vnde ortus autem? ex separatione nimirum: consimile ergo plane de liquoribus corporis nostri iudicium est, quorum cum sit infinitus numerus, aliquo tamen eorum acescente, corrosiua facultas exoritur. Sed tantum salium numerum admirabitur forsan aliquis: verum mirari desinet, si vlcerũ varietatem intueatur, quam ab vna aliqua Salis specie extitisse impossibile est. Phagedenam quis inspiciat, ea si in viginti hominibus sit, viginti Salium instar ab inuicem different, quam diuersitatem stultum ac puerile est, ad Choleram, Melancholiam, complexionem, &c. referri: tam enim cholera ac melancholia non sunt, quàm inconueniens est ad lupum transferri, varietas illa aliò referenda est. Auri varię species sunt, Arabicum, fluuiatile &c. sic ferrum, sic stannum aliud alio durius ac malleo magis obediens: huius diuersitatis causam si cognoueris, vnde tam varia vlcera sint, scies etiam. Corrosiuorum itaque salium separatio quomodo vlcera efficiat, exemplo Tartari & aceti dignoscere facile fuerit: velut enim vinum vino acrius ac durabilius est, sic Sal Sale tardius vel citius, acrius, vel remissius ad suam exaltationem peruenit: atque vt Minerale vnum alio velocius perficitur (quẽadmodum in opere de generationibus demonstrauimus) sic morbus morbo citius maturescit. Cùm itaque nil vlcus faciat, nisi corrosiuum sit: nil corrosiuum sit, nisi ipsum & sal existat: quomodo non istis potius fundamentis, quàm inanibus Auicennæ & sequacium deliramentis Medicus fidem adhibeat?

Tartari Sal acerrimum.

Cutis hominis est doliũ.

Phagedena in omnibus est dissimilis.

Liber Paracelsi de generationibus naturalium.

Ne pigeat quæso, naturę operationes in ipsis elementis considerare. Aquam primo tibi propone, ac considera obsecro, quot Sales illa producat: Alumina scilicet, Vitriola &c. Terram dein inspice, quàm varios Sales illa ostendat in Pipere, Zinzibere, Arona &c. vt interim de Tereniabin & Nostoch nil dicam. Atque isti Sales, horumque Salium species, tam ab inuicem diuersæ sunt, vt vnam ab alia differre, & in quo differant, dijudicare promptiss. sit: non secus enim se habent, ac omne hominum genus: ceu enim illic vnum ab alio facile dignoscere est, sed duos inuicem omni ex parte similes inuenire impossibile: sic & Sales, ab ijsque procreati mobi dignotionem facillimam obtinent, similitudinem verò plus quàm difficilẽ. Consideretur etiam, corpus omnes elementorum formas in se continere: quod si est, vt verè est, quomodo licet ergo in calidis, frigidis, humidis, siccis morbos fingere? hoc eò dictum est, vt meminerit quiuis in corpore vim producendi fructus, ac Mineralia bona, mala, vtilia, noxia, non secus ac reliqua Elementa obtinere, vti luculentiss. in lib. de sanat. & ægritud. Microcosmi & Elementorum demonstrauimus. Aurum fructus sui Elementi est, Smaragdus item sui, atque hi fructus sunt sanitatis, perinde in homine res habet: alius enim alio longioris vitæ est, ob id quòd fructus sanitatis huic crescant, ille vero nulli. Sic aurum dicimus Lepram curare, aurum illud fructus sanitatis est eorum, qui Lepram non patiuntur. Eodem modo si dicã: hic Elixir habet, pro vita longa, in eo Smaragdus crescit, non lapis, sed Smaragdus tamen. Medici ergo officium fuerit, horum fructuum (si alicubi fit) defectum resarcire: cõtra vero generationem prohibere, vbi morbosi fructus generentur: nam & illos corpus producit. Verbi causa, Arsenicum maior mũdus habet, quod & in homine est: illud ergo si separetur, mors superuenit, vt in Prunella: eodem modo qui Ictericia laborat, eius crocum Auripigmenti generatum dicimus. Quia ergo corpora quædam exterioris mundi incorruptibilia quasi sunt (velut aurum) quis non eũ cui fructus talis nascatur, longioris vitę futurum pronunciet? Vicissim si veluti in Elementatis, vt in ferro rubigo, & lephanteo caries, sic in corpore similis fructus nascatur, sanitatem quis hic polliceatur? Atque sic in vniuersum de omnibus Elementis iudicandum est, quòd scilicet & noxia & vtilia producunt: ipsa tamen per se noxam non sentiunt, propter singularem suam Anatomiam, quâ insensibilia corpora existunt. verum quia corpora nostra sensu pręditа sunt, non ita horum fructuum venenum latere potest, sed vbi separationis tempus aduenerit (quod exemplo Tartari & Aceti cognoscere potes) morbi subito prorumpunt, haud aliter quàm quandoque ex Elemento quopiam vnico die Mineram prodire videmus, quæ vti se produnt, sic & morbi proueniunt, itaque hos iuxta illorum ortum artificiose distingues: si enim cognoscas tempus efflorescentiæ Mineræ alicuius, facile morbos ex ea oriri solitos prognosticabis, quæ efflorescentia quia ex separatione oritur, manifestum est, morbos quoque ipsos ex separatione existere. Nisi enim separatio in maiore mundo esset, nullum Metallum: in minori vero si nõ esset, nulla nec sanitas, nec morbus oriretur, sed omnium æquabilis, ac perpetua temperatura foret. Ex quo patet, quantam operam Medicus in separationis recta cognitione ponere debeat.

Sales Sales. terræ.

Liber Paracelsi de sanitate & morbis Microcosmi & Elementorum.

Aurum fructus Elementi.

Aurum vt Lepra curare dicatur.

Prunella est ex arsenico separatio.

Anatomia Elementorum.

Separatio si nõ esset, nulli morbi, nec vllum Metallũ foret.

Porrò nũc ostendendũ superest, quomodo homo Elementum esse, ac quatuor Elementorum formas in se cõtinere dicatur: ea enim de causa ipse quintũ cœlũ, ac quintũ esse appellatur, nõ quòd hac vel illa complexione preditus sit: nã complexiones Elementum non constituunt, & proinde nec quintum cœlum. Mineralia vero quę inde nascuntur, ea in quã sunt, quæ Elemẽtum constituunt. Atque sic homo Elementum dicitur, cuius Mineralia sũt, sanitas & ęgritudo, quæ ex corpore ceu ex matrice producuntur: semen

Homo quintũ cœlum dicitur.

Similia & morbis sunt Mineralia hominis.

Aristotelis Lyra.

semen autem matricis illud est, ex quo omnia Mineralia existunt: sed de semine hîc tractare omitto, quòd ad Philosophiam quàm Medicinam pertineat rectius. Etsi autem non Aristotelis ac Artistarum lyra hîc cano, parum refert, natura mihi potior testis est, quæ vti hæc fiant, manifestè ostendit: verum exemplo sequenti diuisio manifestior euadet. Elementum aquæ corpus suum in aqua habet, ac sua Mineralia ex se in aliud Elementum, terram videlicet producit. Similiter & terræ Elementum sua Mineralia ex se in aëra protrudit. Atque sic Elementum corporale sua quoque Mineralia in alia educit Elementa, vt iam quæ ex Elemento aquæ prodeunt, consistant in Physico Elemento corporeo: quæ vero in isto, ea iam in lucem prodeant. Stante ergo eo quòd vlcera Mineralia sint, sciendum, quòd veluti in terra, quę Mineralium corpus est, (materia rectius) hîc Aluminosa, illic Vitriolata, alio loco Salia, non nullo loco nihil produci apparet. Sic in humano corpore facta Elementorum separatione, sanitatem vel morbum fieri: corpus enim instar Elementi terræ est, suscipiendis reliquorum trium Elementorum actionibus subiectū. Sumus itaque vniuersum nos humanum genus, vnum corpus morborum, in quod pro regionum varietate Mineralia variè diuisa sunt. Atqui vt in vno homine solo non consistunt, sed in variis diuisa, sic sciendum, tot diuisiones eorum esse, quot venæ sunt in hominibus: itaque prout in venam aliquam inciderit, eatenus sanus, vel æger homo videbitur. De quibus omnibus vberius in Philosophia de Generationibus naturalium disseruimus, quam consules.

Omnes homines vnum corpus sunt.

THEOPHRASTI DE VLCERIBVS.

LIBER III.



Apostemata quid sint veteribus.

Vlcus & apertura Paracel. sic differunt & non differunt.

ANTEQVAM ad Morborum diuisionem descendamus, docendi ratio postulare videtur, vt antiquorum de istis rebus scripta & placita producantur. Sciendum itaque, vlcera veteres Apostemata appellare solitos fuisse, magno sane errore: nam ex illo deinde innumeri alij pullularunt, vt vere dicere iam possim, hanc primam omnium qui in Receptis illorum sunt, errorum radicem esse. (Admonendus mihi lector es, vlcus hîc Paracelso esse, quod alibi aperturam cutis, nouo apud Latinos Chyrurgos vocabulo appellat: etsi autem hîc vlcus ab apertura Germanis offner schaden distinguat: tamen cùm vlcus non raro hucusque appellauerit, hanc continui solutionem nos quoque per totam hanc tertiam partem, vlceris, quàm aperturæ nomine vti maluimus, quod semel admonuisse sufficiat.) Quapropter si istis nominibus confusè forsan vsus fuero, scias causam in libro de suppuratione à nobis redditam esse. Nam alioquin apostemata sub vlceribus pertractare animus non est, ne forsan in eam difficultatem me quoque coniiciam, in qua omnes tum antiqui, tū recentiores inextricabiles hærent. Quinetiam sunt quæ sub vlcera retulerunt antiqui, quæ nos sub Syronibus maluimus comprehendere: vicissim de nodis quædam habemus, quæ ad Apostemata ipsi referunt. Quamobrem etsi contingat, quandoque nomina veterum excedere, seu studio à me poni, memineris hac sola causa id fieri, quòd plerique vestrum illorum nominibus vti assueuerint: itaque ne in nominibus remora esset, cauere studui. Alioquin illa nomina non vsurpo, quòd ea tueri velim, vel defendi posse existimem, cùm non me fugiat, nomina ipsorum quandoque cum rebus conuenire, vt album cum nigro: namque ea perpetua sunt, cùm interim infinitis vicibus morbus mutetur. Ad hæc ex variis linguis, Arabica, Syriaca, Caldaica, Hebræa, &c. consarcinata, quarum hæc isto, illa alio nomine eundem morbum exprimit: cuius rei simile quiddam inter Germanos accidit, vbi eiusdem morbi nomina in locis etiam proximis inuicem varia existunt: vt interim taceam, Rusticos quandoque morbis nomina imponere, nulla similitudinis, causæ, vel curationis habita ratione. Quamobrem omnia peregrina nomina repudianda nobis duximus, & ea solum vsurpanda, quæ latina sunt, & vel ex curatione, vel causa, vel similitudine ad alium aliquem morbum extiterunt: nam reliqua quæ antiqua fuerunt, quia alia nunc morborum ratio est quàm olim, cur reseruari oportuerit non video? qui eorum Patronos agunt, ipsi viderint quomodo defendant. Sane, si Astronomi eam sibi merito licentiam sumunt, vt pro libito signis cœlestibus nomina, ab hominibus & bestiis desumpta imponant, cùm tamen sola figuræ similitudine, non ratione formæ substantialis inuicem conueniant: quid prohibet in re medica morbis nomina affingere, iuxta suas cum Mineralibus, quæ ex quatuor matricibus fiunt, similitudines? cum non hîc formas seu corpora intelligam, sed saltem cognationem quam in operando videntur obseruare. Etenim in Microcosmo huiusmodi formas ac corpora non rectè quis constituat, cum ipsorum tantum naturæ & affectiones insint. Itaque Corrosiua Microcosmi Salibus, Vitriolatis, Aluminibus, Arsenicis, &c. similia nomina rectissimè obtinebunt.

Nominibus antiquorum cur vtitur.

Germanorum consuetudo.

Astronomorum licentia in fingendis nominibus.

Sciendum itaque, primam morborum diuisionem ratione materiæ instituendam esse, dein ratione loci, post iuxta motus diuersitatem subdiuidendum. Hinc enim similitudinem morborum cum motu, ac natura exteriore cernere licebit. Alia enim vlcera vt ventus fiunt, & abeunt: item quemadmodum signa Firmamentum percurrunt, sic quædam mineralia totum corpus peruadunt: item veluti quidam fructus statis anni temporibus florent ac crescunt, sic non pauca vlcera certo tempore florent, sed hæc loci ferè ratione accidunt, itaque Anatomia sedulo Medicis perdiscenda est, vt motu illo durante, vbi vlcus futurum sit, præiudicare queant: ex anatomia enim Medicus discit morborum metas, semitam, motū, &c. vt in sua arte Nauta, tabellio, venator. Ad hęc augmenta & declinationes morborum, tā frigide ab antiquis distincta sunt, vt ex eorum

Diuisionum varietas.

Anatomia cur sit discenda.

ſcriptis te extricare nequeas: nam cæcum principium faciunt, ſtatum & decrementum oculatum, hoc eſt, illud ſola coniectura, hoc ipſo ſenſu manifeſtari aſſerentes. Sed ad mineralium materiam progrediamur tandem, & oſtendamus quomodo ea cum Mineralibus exterioribus conſentiant. Si ergo dicam: hoc vlcus ex Realgare eſt, progrediendum vlterius erit, & quot eius ſpecies ſint, indagandum. Et apparebit Realgaris exterioris quatuor ſpecies reperiri: nam terreſtre Realgar ſpongia eſt, aqueum Arſenicus, aëreum ſeu ex Chaos Tereniabin quarta, Igneum coniunctio Saturnina: his itaque quatuor Realgaria Microcoſmi reſpondere neceſſarium erit, itaque ſpecies diſtinguere facile. Quæ de Realgare dicta ſunt, ad alias quoque Mineralium ſpecies transferre licet. Diſtinctio originis morborum in duobus capitibus conſtituta fuit: in materia nimirum, & in materiæ motu: prior iam explicata, poſterior adhuc explicanda ſupereſt. Quamobrem obſeruandum, morbos quandoque fieri inſtar Venti, adeo vt vlcera quandoque centrum faciant in loco, in quo cauſa multò, quàm in radice debilior exiſtit: cauſa huius rei eſt, quia morbus Elementi eius, in quo eſt, verbi gratia, ignis, motum ac materiam repræſentat: motum inuaſione, materiam conſiſtentia. Ex quo manifeſtum euadit, cur quædam luſtra in Microcoſmo Nymphalem curſum (ſeu motum) aliquot tempora terreſtrem, quidam Menſes igneum, nonnulla minuta, ipſius Chaos obſeruent: itaque in prædictionibus ac inquiſitionibus morborum, non iuxta vnum aliquod Elementum, ſed iuxta omnia quatuor pronunciandum eſſe conſtat, ſiue de præſentibus, ſiue de futuris ſententiam feras: etenim motus ac impreſſiones in multiplici ſunt differentia, quemadmodum & coniunctiones: ſed quò & ante dicta, & pòſt dicẽda de ſeparatione rectius intelligas, Exemplum adducemus. Ferrum inſpiciamus, quo pacto diuturnitate temporis, Elementa rubiginem ex illo extrahant, quæ poſt ſeparationem manifeſtè ſe prodat: cauſa huius eſt, Motus quo ex non ente ens factum eſt: ſimiliter, inquam, in humano corpore, ſi talis motus ingruat, accidens quoddam ſuperuenit, à quo corpus exceditur (vt à rubigine ferrum) veluti in Noli me tangere, accidere videmus. Iterum aquam intueamur, quæ perpetuò ipſa decurrit, corpore aquæ perſiſtente, ac veluti fluxus ille creſcit, ac decreſcit: eadem ratione illud Elementum in Microcoſmo, moueri, augeri, minui, &c. putandum eſt. Sic & Chaos varie alterari videmus, varieq; agere: iam labia findit, iam cutim, vt in leoninis, &c. huic itaque exteriori actioni, interioris ac ſibi correſpondentis actio ſimilis apparet. Atque quemadmodum terra aëris iniuriis, pluuiæ, niui, pruinæ, &c. ſubiecta eſt: ſic humanum corpus ſui quoque Liquoris actiones ſuſcipere cogitur. Iſta exempla abunde oſtendere cauſas, ac originem, loca & principia vlcerum mihi perſuaſum habeo: proinde Medicum decet, ex quatuor Philoſophiis, & natura Microcoſmi expertum loqui, vt vbi ad curationem ventum fuerit, proprietates matricum perſpectas habeat. Sequitur ergo iam tandem vlcerum diuiſio, non ab Elementis, ſed à materiarũ proprietate deſumpta. Sunt itaque Materiæ tres in vniuerſum, Materia ſcilicet Salis, Materia Realgaris, & Materia Kakimiæ: hæ inquã omnes omnium vlcerũ ſubiectæ materies ſunt, quæ & alias iam ſubdiuiſiones ſortiuntur, nam Sales ſunt tres, Alumen, Vitreolum, Sal. Realg. duo, Arſenicum & Auripigmentum. Kakimiæ itidem tres ſpecies habentur, Marchaſita, Thalcum, & Kakimia: harum ſpecierum deinceps aliæ habentur magis ſpeciales, verbi cauſa, ſub Vitriolo ſunt Cuperoſum viride: album, ſub Alumine, Rochum, crudum, plumoſum, entali &c. Sales itidem varij ſunt; vt Sal gemmæ, Petræ, Nitri, Alkali, quemadmodum & Arſenicum aliud Rubrum eſt, aliud album, flauum, &c. Thalci ſpecies ſunt Aureum, Argenteum: Marchaſitæ, Aurea, Argentea, Mineralis, Granatoſa, &c. Ad hæc ſpecies iſtas, tam multipliciter inuicem complicari contingit, atque pro loci ac regionis varietate alterari. Itaque pro iſtius diuiſionis trimembris ratione, iam deinceps tres libri ſequuntur, cauſas ſigna, & curationem ſingulorum vlcerum continentes, in quibus oſtendemus quoque rationem, quamobrem alia Mineralia Metallica, alia Diaphona appareant: iſta enim explicatio ad cognitionem cauſarum vlcerum, non mediocre adiumentum præſtabit. Etſi autem vlcerum diuiſionem, iuxta doloris rationem inſtituere potuiſſemus, vt alia doloroſa, alia dolore carentia conſtitueremus: tamen quia Corroſiuorum natura, operatio, motus, &c. ferè diatheſin ad mortem obtinent, imperfecta fore videbatur huiuſmodi diuiſio. Notandum præterea de Corroſiuis hoc eſt, ea ex quibuſdam ſimplicibus fieri, quæ ſua natura aliàs non rodunt, vt Alkali: cauſa eſt, quod cùm omnia in tribus primis conſtituta ſint, nequeant tamen abſq; ipſius ſimplicis deſtructione ſeparari: nam in ſeparatione, virtus Mercurij, Sulphuris, Salis euaneſcit, ac retrò in primam Materiam abit, vti extra Microcoſmum videtis, Mercurium in fuliginem, Sulphur in oleitatem, Salem in Alkali transmutari: nam Oleum, Fuligo & Alkali, à tribus primis differunt: materiam enim primam, in vltimam materiam, ſine medio nõ tranſire manifeſtum eſt. Quamobrem non tã primam quàm vltimam materiam contemplari medico incumbit, quod ex exemplo patere perſuaſum habeo.

Vbi itaque prima Materia trium primorum in vltimam eorundem materiam in Microcoſmo abiturire cœperit, fiet hoc iuxta naturam Elementorum, hoc eſt, Alkali corporis ceu terra, Alkali liquoris inſtar aquæ, Alkali Chaos inſtar Tereniabin, & Alkali ignis velut grãdo: nam omne corpus, quod ex materia prima fit, in vltimam abire tandem cogitur. Itaq; vltima Magna materia principium ſuum habet in fine augmenti primæ materiæ: proinde ſi corpus Microcoſmi in ſuam materiam tranſeat, tum vlcera fiunt ex tribus primis Salibus, qui tribus primis inſunt, quæ quidem virtus diatheſis dicitur: ſic ſi liquor Microcoſmi alteretur, ſuum Alcali facit, Chaos & ignis itidem ſuum: nã veluti Æthna terram in Alcali reducit, Elementum ſuum Diaphanon incinerat: Chaos ſuam Mannam:

Realgaris quatuor ſpecies.

Nymphalis curſus.

Noli me tangere.

Chaos varie alteratur.

Diuiſio vlcerum à Materia.

Salis ſpecies.

Kakimiæ ſpecies.

Thalci ſpecies.

Mercurius in primam Materiã abeat.

Vltima magna materia.

Mannam: ignis suum Crystallum in calcem redigit: sic de inuisibilibus istis finalibus operationibus iudicandum quoque est. Hucusque proposita diuisio vlcerum, quæ in Mineralibus Corrosiuis magnam quoque differentiam inesse innuit: nam Saccharum dulce est, Acetosa acerba, Gentiana amara, Piper acre, Vitriolum rodens, &c. ista tamen omnia Sales sunt, ob id corrodendi facultate prædita. Veruntamen hæc posterior diuisio, vt in Theoria, propter distinctiones necessaria est: sic in praxi non vsque adeo singularem vsum habet. Cæterum obseruare quoque conuenit, non pauca vlcera in desuetudinem venire aliis insuper nouis ac superiori ætati incognitis superuenientibus: cuius rei ratio, etsi ab elementis nulla adferri potest; sufficit tamen Microcosmi sensus & experientia, qui in generationibus omnes reliquas coniunctionibus suis longo interuallo superat: nam vegetabilia ac sensu carentia corpora impossibile est, tantas vires continere, quantas Microcosmus obtinet. Etenim vt de morbis recens ortis ac exoletis dicamus, sciendum Microcosmi virtutes aliorum corporum efficaciam longè anteire: nam Elementa duo (vt exemplo res clarior fiat) extra Microcosmum coniungi, nedum, generare, simul impossibile est: nam singula per se seorsim manent, ac seminum suorum diatheses seruant, at non perinde in Microcosmo res habet: nam is non solus, sed alio accedente generat. Ex hac autem coniunctione, duo elementa in suo procreato vnum elementum producunt: hæ ergo, ac huiusmodi aliæ mixtiones nouorum morborum causæ euadunt. Nam contradictione hoc omnino vacat, ex duorum coniuncta operatione, procreari tertium ac nouum aliquod. Etsi non inficior quosdam morbos Elementis implantatos esse: sed illud nil attinet, istam de causis morborũ ex coniunctionibus tractationem. Ista quę diximus magnam ad intelligendũ diligentiam requirunt: sunt enim abstrusiora.

Microcosmi excellentes virtutes.

Morbi aliqui elementis sunt implantati.

Atqui iam tandem quid Sal sit, Realgar, vel Kakimia explicare tempestiuum fuerit: Sunt itaque Realgar & Kakimia, sales quoque & Salium nomine veniunt: etenim quòd paulo aliter superius ea distinximus, illud propter curationem fieri oportuit. In summa, quæcunque in vlceribus, ac carnis erosionibus, causę vim obtinent, omnia Sales vocantur. Sic salium quoque nomine appellantur iã dictorum species, vt Sal petrę, gemmæ, &c. Arsenicum, Marchasita. Verum omnes ab inuicem ferè differunt, ratione accidentium: nam quod formam Arsenici refert, Sal Saturni vel metallorum est: quod acido gustu prævalet, Aluminosum dicitur. Sic Marchasita, Sal Sulphuris nuncupatur &c. Atque sic de reliquorum dignotione Iliadus docet. Denique notandum ex tribus primis quoque singulos sales produci: est enim Sal Mercurij alius à Sale Sulphuris, hic rursus alius à Sale Salis corporalis, ex quibus singulis singulæ quoq; vlcerum species existunt. Istam prolixã theoriam, non semper opus est in Praxi obseruare: sufficit quandoque ad solam vim corrodentem, qualis qualis ea sit, respexisse. Cæterum si cui forsan nomina Realgaris, Thal[?]i, Kakimiæ, &c. negotium facessant, vel odiosa fuerint, is hoc suæ inertię, non nostræ obscuritati tribuet. Quæ præterea ad Medicinam vlcerum pertinent, sequentibus libris accuratè describentur.

Arsenicũ & Marchasita sunt Sales.

Sales triũ primorũ diuersi.

THEOPHRASTI DE VLCERIBVS

LIBER IV.



IAM porrò de operationibus Salium disserere necessitas postulat: septem modi operationis ac dolorum in illis obseruari in vniuersum sunt, iuxta nimirum saporum diuersitatem: etenim doloris ac saporis specierum numerus vnus idemq; est: itaque ab amaro & acerbo diuersi dolores, ab acido & acri itidem dissimiles fiunt: atqui quemadmodum sapores linguæ aduersantur, sic & reliquæ carni: etsi enim reliqua caro gustu non vt lingua prædita est, attamen dolorum perinde ac illa differentias dijudicat. Intelligendum proinde est, Morbos sub Sale acido (ceu Alumen est) comprehensos, quales sunt Syreon, Fistula, Esthiomenos, Polypus, &c. astrictorum quendam dolorem repræsentare. Quæ vero mala à Salibus acribus fiunt, vt sunt Ignis Persicus, Prunus, Cancer, Antrax, &c. aquis fortibus ac Mercurialibus æquiparantur. Vicissim quæ ex vrentibus Salibus existunt vlcera, velut Formicæ, Esseræ, malum S. Ioannis. S. Quirini, &c. dolorem faciunt, qualis à Cantharidibus, & Vrtica excitantur: contra vlcera Rodentia, perinde ac Arona, & Zingib. doloris speciem efficiunt. Vlcera dein putrida, & perpetuo manantia, quia à Sale amariss. fiunt, sub gustum Colocynthides & amarissæ referuntur. Quæ vero sub Salibus corrodentibus continentur vlcera, Erisipelas scilicet, Cancrena, Cambucca (ex parte) Lupus, vlcera cum magno tumore & adustione, &c. Realgaris & Colchotaris instar dolorem inferunt. Denique si quę sunt vlcera quæ ex dulci Sale fiunt, vt sunt Scrophulæ, Fistulæ, vlcera ex Scyrrhis, &c. facta, cũ dolore carentia, Liquiritiæ ac Polypodij saporibus comparantur. Dolorum hasce species sic diiudicabis, qualem scilicet dolorem res illa, si in vlcus coniiciatur, fecerit: eiusmodi dolor à re illa nomen accipit: verbi causa, Liquiritia quia sapore nullo molesta est, sic vlcera quoq; dolore carentia sub eam referuntur, ac ab eadem nomen accipiunt: è contra Corrosiua vehementiora vti crura integra depascantur, sic à Salibus corrodentibus nomina sua meruerunt, in omnibus scilicet similitudine obseruata.

Doloris septem species.

Dolores ad gustus seu saporum differentias accommodantur.

Sales acres.

Sales vrentes.

Sales dulces dolorem non faciunt.

Notandum pręterea est varias ipsorum in vlcerum effectione operationes existere, quemadmodum & coloris, formæ, ac proprietatum ratione magnam quoq; differentiã animaduertimus: nam colorem & formam omnino à Salibus effici putandum est: nam vbi Sal non est, color nullus esse potest, quod in colorũ ac tincturarum extractione manifestissimè patet. Etenim perinde ac à Sale, color, herbarũ, lapidũ, aliorumq; corporum differentias sortitur, sic in

Forma vlcerum à Sale ortum ducit.

Color à Sale est.

in homine siue sano, siue ægro, à Sale prædominante colorem causari necessarium est. Quamuis autem nonnunquam ex putredine coloris alteratio accidere videatur, tamen illic non de vlceribus ac morbis, sed de sola putredine contentio est, quod ex fœtore testatum euadit: nam vbicunque fœtor est, ibi & putredo, vt in stercore: ipsum enim vbi à colore intestinorum putrificatum est fœtorem ac colorem contrahit, quo antea dum in ventriculo adhuc esset, omnino carnerat: atque veluti homines, inter se variis modis differunt, sic fœtor & color diuersiss. euadunt. Formæ autem quod ex natura Salis prædominatis variæ sint, Crystallus, Citrinolus, Saphirus, Granatus, &c. variis & abinuicem differentibus formis præditi ostendunt: sicuti & Alumen, Vitriolum Sal. &c. humida, sicca, granulosa, &c. formis, à Sale donantur. Exemplo horum in corpore, vlcera alia longa, lata, rotunda, angulosa, &c. euadunt, formam disponente Sale prædominante. Sed formarum non adeo necessaria descriptio est, cùm doloris species peccantem materiam satis superque demonstret. Ad hæc Salis natura incorruptibilis est, simili ratione, ac in Elementis apparet, ex quibus quæ prodeunt omnia ab inuicem differunt, adeo vt in Elemento terræ non liceat ostendere duas plantas, omni ex parte inuicem æquales, in Elemento aquæ nunquam duos lapides omnino similes inuenias, &c. Omnia namq; suam proprietatem à Sale suo sibi implantatam retinent, vt in externis, sic etiam in homine.

Optarem sane, vt ex Pseudomedicorum aliquo liceret mihi colorum ac formarũ causas audire. Si Melancholia est, si Phlegma est id; vnde color est, ostende quæso colorum causas in generatione. Metallorum, arborum, herbarum ac similium: color enim in homine, & aliis quibusuis corporibus ab vna communi causa efficitur. Vnde humores prodierunt, vt formam, colorem, proprietatem, &c. tribuant? ex prima certe materia ista prodeunt, & ex vltima materia mores: quomodo ergo proprietates ex posteriori describentur, cùm posteriora ex prioribus dependeant? namq; omnis vltima materia ex prima operatur. Exempli causa: vinum sui generati vltima materia est, cuius prima materia, Sulphur, Sal & Mercurius sunt. Ex quo sequitur, Ebrietatem faciendi vim, non vino sed Sali Mercuriali adscribendam esse, qui & Lupulo eandem facultatem communicat. Item Aqua quod humectat, certe Sali Resoluto hoc acceptum fert. Itaque tam inconuenienter Vino & Aquæ sine tribus primis quis ista tribuat, quàm inconcinnè vos vlcerum radices humoribus adscribitis: Atque si omnino humores constituendos vrgeatis, sequeretur certe tot humores constituendos esse, quot sunt morborum species: siquidem pro confesso habetur, quemuis morbum ex suo singulari semine prodire, vno eodemque hoc argumento concidit quoq; dogma illud vestrum, quo Chyrurgicales morbos instar aliorum morborum, ex iisdem internis causis deducitis: verum errorem istum aliis scriptis libellis nos refutauimus, ad quos lectorem ablegamus.

Humores innumeri statuẽdi.

Cæterum accidit non raro Sales inuicem diuersimode misceri, ex quo dein formæ, colores, dolorum species, omnia scilicet mirabiliter permiscentur: itaque in causarum distinctionem sedulo tunc Medico intendendum erit, maximopere autem conducit doloris speciem animaduertere. Etenim vbi dolores punctorij accidunt, quibus ægri se ceu cultro secarentur, vel pungerentur, affici dicunt, certissimum argumentum habebis permixtorum Salium: dum enim inuicem permiscentur, in se mutuo agunt etiam, ac furere incipiunt, ex quo furore ebullitio, ex hac dolor ille punctorius existit. Hinc ergo illa vlcerũ inæqualitas, quæ iam in profundum, iam in latum serpunt, nec vllam certam vlceris speciem referunt, oritur: pugnantia enim illa nullam certam admittit generationem. Etenim perinde ac Mineraliũ, sic & vlcerum magna varietas existit: quod si omnia Mineralia in idem centrum concurrere contingit, necesse est cuiuslibet speciei proprietates in forma, dolore, colore, &c. cũ congenitis sibi tumore, calore, ariditate, humiditate, &c. vnà apparere. Itaque detestandus error est, quo tam grauis morbus ex Sale ortus, sub putidos humores refertur: quos tamen ad eum finem peruenire impossibile est, ad quem illi eos cogere conantur. Siquidem corporis regiones ante omnia partiri oportet, ex qua partitione deinceps manifestum euadit, quinã Sales Corrosiui in quauis regione generari ac consistere queant, namq; veluti orbis regiones aliæ, alios fructus producunt, sic & corporis partes aliæ aliis abundãt. Atque quot in mũdo Salium differentiæ notantur, tot quoq; in Microcosmo ostendere licet: itaq; formam vlcerum, humorum differentiis plane non respondere credendum est. Præterea sciendum, vlcera non esse Emunctoria statuenda, seu loca quedã appellanda per quæ corpus exoneretur. Nam non aliter hic se res habet, ac si corrodẽte medicamento os sanum excaues ac erodas, in quo, donec corrodens virtus operatur, omnis curatio inutilis est. Iam porro de foraminibus seu vlceribus aluminosis, quorum in profundum serpere proprium est, dicere conuenit. Horum ergo radices in generibus Aluminum figutur: atq; velut Aluminum variæ species sunt, sic & horum vlcerum magna varietas existit. Namq; si Alumen à suo corpore separetur, iam statim corrodentem facultatẽ asciscit, qua (iuxta Salium corrodentium naturã) carnem subiacentẽ depascitur. Separatio hæc quomodo fiat, sic intelligendum est, cum nil tam noxium sit, quod non suum quoque singularem vsum obtineat: veluti Araneam videmus, præter suam venenositatem, mirificam quandam vim ad omnes Febres chronicas percurandas obtinere: similiter Creticum vinum, (saluberrimus aliàs potus) summe corrodens acetum, quod nil nisi Alumen est, in se continet, &c. Cum inquã sic à natura comparatum sit, sciendum est, semper ad Arcani constitutionem bonũ æque ac malum requiri: tã enim venenũ quàm antidotus, tam dulce quàm austerum corpori inest: nam corpori colores omnes, omnesq; sapores in esse demonstratum est. Etenim quemadmodum

Punctorij dolores Sales permixtos arguunt.

Vlcera non sunt emunctoria.

Separatio vtra fiat.

Malum item vinum acetum acerrimũ habet.

Saturno

Saturno tres colores insunt, flauus, albus, ruber: in Marte itidem tres, purpureus, ruber & niger neque tamen Saturnus vel Mars color est, Sic de Salium coloribus per separationem indicandum est: atque veluti rubedo Saturni, rubro, flauedo, flauo colore tingit, virtute scilicet separationis: eodem modo Alumen, vt Alumen, Sal, vt Sal hîc in vlceribus agit. Quod si admirari subeat, quomodo sic inuisibiles Sal, Alumen, &c. in corpore subsistere queant; statim ad acetum recurres: illud enim dubium tibi soluet. Quis enim in vino incorrupto acetum inesse sensu iudicauit vnquam? attamen quis inesse dubitauit? Similiter in Venere Calchantum inest, imò ipsa Calchantum est, atque separatione in Calchantum reducitur, nemo tamen Venerem Vitriolum esse recte dixerit. Quamobrem sic de separatione iudicandum est, eam formæ esse non speciei, quin & illa alia separatio, Veneris, qua Venus in Sal, (quod Vitriolo multò vehementius rodit) conuertitur, non speciei, sed formæ quoque est, & dicitur. Sed separationem iam tandem missam faciamus. In eum itaque (quem diximus) modum separatione facta, constat pro natura separationis corrosionem diuersam esse, aliúdque dolorem, aliud vlcus (seu foramen) dici. Itaque Aluminis à viridi æris, ipsius crudi, ac vsti differentias consideres velim: perinde enim ac in his vlcerum differentiæ se habent. Veruntamen hoc omnibus commune existit, vt in profundum serpant. Quod si malignitate sua Saturnina vlcera superare videantur, iam certo statuendum est, symplocin quandam variarum causarum subesse, à qua non raro Lupum, Esthiomenum, Fistula, Scrofulas, aliáque huius farinæ vlcera exorta esse animaduertimus.

Separatio non est speciei sed formæ.

Sales porro qui transmutationem à corporibus aliorum mineralium suscipiunt, similem ferè ac prædicti dignotionis rationem habent, verbi causa: Sales qui corporibus Metallicis extrahuntur, magnam cum Alcali cognationem habent. Sic in ægritudinibus quibusdam in quibus Sola Planetarum loca obsidentur, vt in Noli me tangere, in Ærugine &c. prima causa Sal est: at talis Sal, qui Martis naturam sequatur. Atqui quemadmodum ex Marte tres vel quatuor Salis species extrahi arte possunt: sic plures vna tentiginis (puto ferruginis legendum esse) species occurrere constat. In hoc itaque vlcerum genere curando (si quidem vulgata curandi ratio non sufficit) sedulo loca Planetarum in homine, tum ægritudines quæ illis in locis fieri possunt distinguere medicus debebit. Nos propter sequentes curationum canones breuiter loca & ægritudines planetarum distinguemus, Mars faciem occupat, Sol vmbilicum eiusque circumiacentes regiones, Luna spinam dorsi, Venus genitalia ac in mulieribus vterum, Iupiter occiput, ac posteriora cranij, Mercurius interiora viscera, Saturnus vero artus. Præter vmbilicum autem, obseruandum Solem quoque suo imperio complecti collum, pectus, hypochondria, & quidquid inter inguina & clauiculas continetur. Lunam verò præter spinam costas quoque scapulas & lumbos obtinere. Martem autem cum facie omnes reliquas partes carnosas faciei respondentes: vt sunt manus interiora, plantæ pedum &c. vna cum vulua muliebri sibi vsurpare. Saturno insuper tribuuntur etiam, canales omnes, ligamenta, nerui, medulla, iuncturæ, occiput, nucha, cranium, frons ac oculorum cauitates cum superiore nasi parte. Venus tamen præter pudenda Oseum & quæ generationi subseruiunt membra nil admodum singulare habet. Mercurio denique sine exceptione interiora omnia subseruiunt, Lingua gingiuis ac paucis aliis; quæ Marti tribuuntur, exceptis: quamobrem autem Mars interiora quædam sibi vsurpet, suis locis in cu rationibus non indictum nobis abibit. Iam enumerata partitio maiorem in praxi, quàm in theoria vsu habet. Itaque si cui ex arte opus medicum facienti (iuxta scilicet superiorem Salium simplicium partitionem) res successu careat, certò statuendum esse, à Sale transmutato, qui à corpore Metallico separatus, certum locum occupauerit, malum originem duxisse. Sic hæmorrhoides, sic Saphenam, sic Saluatellam, &c. aliis quàm suis locis vlcera causare obseruatum est: imò sanguis quandoque, ac Liquor carnis (corpus Metalli non soluens) alius apparet, quàm esse debebat: itaque ista distinctio non floccipedenda à quoquam est: nam sanguis, medulla, Sinouia, cæterique Liquores respectu Metallorũ diuersa ratione, causæ sunt. Etenim Morphea quandoque naturam Metallicam referre videtur, cùm tamen reuera eiusmodi non sit. Verum praua tentigo plane Martialis sanguinis est. Non raro Hydrops in vlcus mutatur, atque sic curationem suscipit, non sine opinione concurrentis virtutis Metallicæ. Ad hæc Ictericiam sæpius vidimus virtute Mercurij sæpissimè per poros cutis expulsam in scabiem & pruritum abiisse, cuius rei causam quoque rectissimè ad Metallicam vim Mercurij retulimus. Atque sic in pluribus vlceribus Physica curatio cum Chirurgica coniungenda erit, maximè vbi morbus Physicus in Chirurgicum transmutatus fuerit: itaque Medicus primum Physicum morbum, pòst Chirurgicum expellere tentabit, semper Sales transmutatos in Remediorum delectu, ac compositione præ oculis habens: etenim in hoc maximè curandi ratio differt, quòd aliam methodum curandi Alkalia, ac Sales Metallorum requirant, veluti sequentibus libellis manifestum euadet.

Planetarum regiones in homine distinguuntur.

Solis regio.

Lunæ regio.

Martis regio.

Saturni regio.

Veneris regio.

Mercurij regio.

Morphea metallica.

Ictericia Mercuriales.

D. THEOPHRASTI DE VLCERIBVS.

LIBER V.



VT causas sanationis vlcerum cognoscamus, sciendum ante omnia est, corpori nostro Balsamum inesse, cuius virtute ipsum à putredine tutum existat. Balsamum illud singulare omnibus corporis partibus inest: aliud namque in sanguine, aliud in medulla, aliud in arteriis, ossibus, &c. ostendere licet. Balsamo hoc integro & incorrupto permanente, impossibile est cutis apertionem fieri: at vbi per Salium separationem (veluti iam ante monuimus,)

Balsami officium in homine.

nuimu) ipsum corrumpi contigerit, iam corrosionis principia iacta sunt. Itaque in curatione hoc vnice, vt id quod de Balsamo corruptione absumptum est, restituamus, studendum erit: hæc námque totius curationis summa existit. Balsamum per quod iacturam illam resarcimus quia nostro corpore insufficiens inest, ex aliis Elementaris corporibus extrahere necesse habemus, illuc inquàm Balsamum in exterioribus Elementis reperitur, estq; id, à quo & reliqua generata se à putredine tuentur. Quamobrem rectè quis Mummiam exterioris Elemētorum corporis, (id est, suorum fructuum) ipsum appellauerit: itaque vbi Balsamum Microcosmi ad curanda sua vlcera non suffecerit, ad Balsama corporum Elementarium recurrendum erit, quæ in radicalibus quorumcunque nascentium Matricibus congenita inueniuntur: omne námque vita præditum corpus, ex Balsamo hoc, vitale est. Quocirca in Balsami extractione primum hoc spectandum erit, quantum, scilicet eius in subiecto corpore insit: etenim non corpus, non forma, sed vnicum Balsamum in corpore delitescens, ex quo ipsum viuit, inquirere animus est.

Mũmia Elementorum est Balsamus.

Extractio horum Balsamorum ferè separatione absoluitur, nimirum dum Arcanum à corpore, quod ipso Balsamo sustentabatur, aufertur. Sciendum autem, Balsamum Elementare nil aliud esse, quàm quod in tribus primis Liquorem Mercurialem appellare solemus, ex quo consequitur, omnem curationis vim in Mercurio inesse, Mercurius huiusmodi manifestissimè in Thereniabin, & Nostoch apparere solet, tum in Mineralibus aquæ, fructibus terræ, atque in astris. Hinc ratio elucescit quoque, quamobrem tantam vim ad vlcera percuranda Antimonium contineat, nimirum quia Liquore Mercuriali magis, quàm reliquæ Marcasitarum species abundat. Hinc itidem Auri vis curatoria spectatur, etenim nullum corpus ex aquæ Elemento productum copiosiorem, ac subtiliorem Liquorem Mercurialem obtinuit. Sic ex terræ nascentibus non est secretius remedium, Liquore Mercuriali Realgaris Cheirini, atque Similiter de Chao ac Firmamento, pro ratione suarum operationum iudicandum erit. Ad cognitionem autem cuiusuis Liquoris Mercurialis, scire oportet, metalla in huiusmodi quandam materiam transmutari, vt Ferrum in Crocum Martis, Venus in florem æris, Stannum in spiritum Iouis, &c. atqui isthæc veri Liquores non sunt, sed accuratiore iuxta suos canones separatione opus est, qua ad vlcera quęuis persananda ea apta reddas. Balsamorum variæ formæ, ac descriptiones iuxta classes Mineralium quatuor Elementorum, apud antiquos extant: alij sub Emplastri, alij sub pulueris, alij sub olei aquæ & impressionis, &c. forma describere solent. Verum illas ego descriptiones vt ineptas, artificio omni carentes, & naturæ plane repugnantes, atque vnica diæta (seu vt vocant regimine) obsignatas (quæ tamen naturæ hostis verè est, & dicitur) omnino reiiciẽdas putaui, quid enim opus est tanta cõfusione, & ægrum & lectorem spe sua fallere? cùm vnius Balsami vsus, id quod separatum est, perfectè expurget ac remoueat, ac corpus accessione noui Balsami, in pristinam dispositionem reducat. Quæ commemorata sunt hactenus omnia, quomodo præparare, ordinare applicare, &c. conueniat, tum addiscemus, vbi Generata omnia, quæ Balsami specie ornata ac dotata sint, cognouerimus, ac separandi modum genuinum tenuerimus: veluti consequentibus exemplis abunde manifestum euadet. Itaque Balsamum Solis extracturus, ipsum absque spiritu Salis, Realgare: & similibus in puluerem, oleum vel aquam transmutabis, id est, vt ex natura Metallica in corpus Resinæ, seu Mirobalano simile conuertatur curabis. Eadem plane ratione aliorum Metallorum corpora tractanda erunt. Etenim sine hac transmutatione, id est, ex sua natura in naturam mediam, inter primam & vltimam Materiam reductione, impossibile est aliquod Minerale perfectam operationem, suæ naturæ conuenientem, perficere: etsi enim quandoque ad speciem actionem suã perfecisse videantur, tamen non ex veris causis ac fundamentis ea progreditur. Quia enim omne generatum ad suam prædestinationem pergit, necesse erit Medicum illud ipsum ex sua prædestinatione in ARCANVM deducere. Quamobrem Aurum per Crudum Thereniabin in succum quendam reducitur absque omni destillatione: etenim per destillationem Sal exaltatur, qui in Auro neutiquã prædominari debet, vel in puluerem, &c. sic vt Metallicam essentiam amittat, nec in primam vel vltimam Materiam conuertatur, sed in vtramque medio consistat, in hunc modum. *Recipe Solis foliati ℈ iiij. Alcool vini de Pino, de Melissa, ana ℥ ij. digerantur ad spacium vnius mensis, pòst Butyrum abstrahatur, ac per mensem digestum, tempore balnei destilletur, & prodibit Balsamum Solis, etiam vlceribus grauiores morbos persanans.*

Extractio Balsamorum.

Liquor Mercurialis.

Metallorum migrationes.

Balsami Solis extractio.

Prædestinatio Arcana sunt reducenda.

Quòd si forsan precium remedij nimium accusent aliqui, eos nil moror: etenim fucum, si ita velint, minoris facere possunt: verum vbi ægritudo ac necessitas postularint, neminem laborum, ac sumptuum pigeat, pœniteátue, quo ægro (qui absque Balsamo sanitatem consequi non potest) certum ac indubitatum auxilium præstare possit: maximè cùm æque magni sumptus quandoque pro Albo cocto, Oxycroceo, & similibus inutiliter expendantur.

Simili ratione ex ferro balsamum extrahemus, ipsum cum aceto destillato reuerberantes in crocum, & ab illo croco octies vel nonies Salem Armoniacum abstrahentes, donec in oleum abeat, quod dulce efficiemus arte. Vsus balsami Solis & Martis eiusmodi est, vt illud singulis septimanis ter, hoc post duodecimam subinde horam vlceri imponatur. In cupro deinceps eiusmodi quoque balsamũ reperitur: si ipsum in vitriolum, hoc in aquam, huius colcothar in oleum rubicundum redicatur, ambo hæ miram in quibusuis difficilioribus morbis Cancro, Lupo, Fistula, (in quibus pro speciei proprietate nil reliqua proficiunt remedia &c.) percurandis efficaciam præstant.

Balsamus ferri et fini.

Plumbi quoque spiritus ex cinere eius per acetum destillatum extractus, ac in oleosam dulcedinem reductus, non in vlceribus solum, sed & in vulneribus & apostematibus mirifice conducit.

conducit. Similiter ex Argento viuo oleum extractum, Balsamo auri viribus plane respondet. Ad hæc coagulatum à colchotar, & cum aqua Parthenionis adhibitum, reliquorum mineralium Balsama longo spacio superat: Quin etiam ipso in florem vel Crocum conuerso in horum vlcerũ curatione non infeliciter vteris. Sanè si pseudomedici qui scientiam Metallicæ artis sibi solis ascribunt, ista penitus introspicerent, intelligerent forsan maius in fabrorum officina quam Francofordianis Myropoliis, commodum (ad curandum) inesse: verum cõpatriotæ, affines, veteres Pharmacopœorum consodales, ac amici sunt, nec facile amicitiam hanc sibi relinquendam putant, cùm tamen fusoria fornax tinnitu mortarij longè præstaret.

Balsa. ex Mercurij.

Crocus & flos Mercurij.

Superioribus remediis viliora non sunt, quæ ex Realgaridibus præparantur: nam Arsenici ea virtus est, vt omne vlcus qualecunque illud tandem sit, percurare solum possit; verum acrimoniam veneni sui prius auferre oportet in hunc modum: nimirum vt per Salem vrinæ figetur, tum enim vltro in Oleum resoluetur, ea qua diximus virtute preditum. Antimonium quoque aqua Vitrioli in pultem coctum, ac per Salem armoniacum purificatum: crassum, ac purpureum, seu fuscum liquorem fundit, superioris viribus parem. Ne mireris huiusmodi simplicibus vlcera persanari, vt quæ virtutes suas ab ipsamet natura compositas acceperint, nam Auro supra lx. virtutes, Cupro xx. Realgari xxx. &c. natura concessit, vt iam meritissimo iure Pharmacariorum inutilia Remedia, à Medicis stupidissimis composita, repudianda duxerint: nam & naturam ipsammet Compositorem esse ignorantes, naturæ defectus resarcire conati sunt, & ex suis, thecis arculis, & pyxidibus, ea depromere voluerunt, quæ natura in suis Arcanis recondiderat.

Oleum Arsenici. Antimonij oleũ.

Simili modo Sales in vlceribus vsurpati, curatoriam facultatem sibi inesse ostendunt. Itaq; si Alumini corrosiuum demantur, & absq; stipticitatis corruptione (non tamen per calcinationem) in liquorem reducantur: Vitriolum non in liquore, sed in oleum transmutetur, Salis viriditas reiectis reliquis extrahatur, eam quam diximus virtutem illis vsus testabitur, qui regimini Thermarum omni ex parte respondet; nam & Thermæ ex huiusmodi Salibus separatis primum extiterunt: hinc per virtutes hasce aquæ frigidæ incalescunt, ac ad curanda vlcera efficacissimæ euadunt: latet enim hîc causa ob quam Thermæ calidæ sentiuntur.

Aluminis stipticitas quid faciat.

Modus extractionis Balsamorum, ex generatis Elementi aquæ, Metallis scilicet, reliquisue mineralibus Antimonio, Granatis, &c. ad generata Elementi terræ, commode quoque adoptari poterit nam Liquor Mercurialis hic æque, ac in Auro, serpentinam ac Consolidam facit, producitque. Atque quemadmodum Cesius Balsamo suo, reliqua in suo genere (ceu & Aurum in suo) superat, sic iuxta Cesij naturam omnia transmutare opus erit, consolidam scilicet serpentinam, &c. Etsi autem Cesius extra separationem quoque vlcera persanare solet, nihili tamen ea est ratione suæ latentis naturæ: cum in desperatis vlceribus eius vsus certissimus, ac indubitatus plane sit, at non perinde in mediocribus. Quamobrem necesse quoque habebimus hic ex prædestinatione in Arcana naturas cogere: in Arcanis enim herbæ exaltantur. Modus transmutationis sic ferè habet, vt sæpius per calidam reiterentur aquâ ac perfundantur, donec liquor à fæcibus separari se patiatur, tum enim exiccari ac sub pulueris forma reseruare vtiliss. fuerit. Atque hic generalis modus est, quo omnes serpentinæ ac consolidæ, quæ sub forma Herbæ sunt, in suam potentiam reducuntur. Modus in radicibus ac seminibus consimilis plane est, nisi quod prius ad tempus ea digerere oportet.

Herbæ in Arcanis exaltantur.

Ex lignis autem sic extrahes, ligna in suum Alcali reducito, cuius Sulphur asseruato, latet enim in eo Mercurialis Liquor, quem separare impossibile est. Itaque obseruandum quantum Balsami in huiusmodi consolidis insit, ne pro Mercuriali alium forsan Liquorem asseruetis: verbi causa, si quis Buxum pro Botin accipiat, hoc ei eueniet. Resinæ verò, Gummina, & similia per digestionem, vt correctionem suscipiant, similiter transmutari debent: sed istis nemo nimium tribuat, siquidem perfectum Balsamum non contineant. Elementi aëris generata perinde ac terræ, præparari volunt: verum cùm iis Thereniabin eiusque species desint, difficulter myrobalanus extrahitur. Generatorum insuper ex igne (ea puto quæ materialiter ex ipso generantur) operationes difficillime transmutationem accipiunt: itaque vt in Arcana conuertas, frustra tentaueris. At quæ materiatæ sunt, non ita inobedientes se artificis industriæ præbere solent, & facile ipsorum Arcana ad potentiam quiuis deducat, veluti in impressionibus manifestum euadit: verbi causa, si vlcus Lentiginosa conspergatur, ipsa dein sub lapide putrefacta curationi occasionem præbeat, hanc curationem, Impressionem super cælestem vsurpant, & ignis Elemento plerique tribuunt, admirationem ista forsan alicui mouebunt, sed maiora his, ignis præstare obseruatus est. Est & supercælestis alia impressio, qua ægro non animaduertente, absque omni remediorum vsu, per (coniunctionem scilicet supercælestem) morbi curantur, perinde vt de Lentiginosa dictum est. Coniunctionum harum peritiam singularem nos in medico riquirimus, ne forsan superstitionibus tribuere velit, quę illas non attinent: hinc enim fontes sunt Figuratorum & Signaculorum, quibus vlcera curantur: ad hæc preculæ hinc confirmantur, quæ immeritò à quibusdam superstitionis calumniam sustinent, cùm Cabala precularum & Signaculorum, tum Lentiginosæ, de qua diximus, operationes neutiquam Magicas esse, sed naturaliter ab Elemento ignis proficisci comprobet. Operationes hæ à Medico cognosci debebant, sed plerique quia incorporea ista sunt, in his hallucinantur, vel planè cæci sunt. Hactenus tradita de præparationibus Balsamorũ quatuor Elementorum, accuratè à Medicis perpendenda & excolenda sunt,

Lentiginosa.

Signaculorum virtus

Cabalæ vsus.

& ad specialiora accommodanda, vti in sequentibus magis elucescet.

Natura autem Balsami, quod extrahitur dulcis, & temperata nullâque excellenti qualitate prædita esse debet: nam in curationibus vlcerum ridiculum est, per siccam qualitatem, humiditatem: per frigidam, caliditatem curare velle: cum ista potius impedire quàm curationem promouere animaduertatur. In vlcerum curationibus enim, Balsami temperies & dulcedo, frigus, calorem, humiditatem, siccitatem, dolorem, omnia omniaq; mulcet & curat. Itaque summum in hisce curationibus est, vt Medicus verum Balsamum extrahat, ac superantes qualitates corrumpendo attemperet: nisi enim hoc fiat, omnis curatio inutilis futura est. Ad hæc attractiua vis Balsamo inesse nulla debet, cum attractio summum sit venenum in istiusmodi curationibus: atque materia peccans in centro abscondita, per purgantia non attrahentia pelli debeat. Itaque si aliqua talis attrahens virtus, vel etiam corrodens vis, tuo Balsamo inesset, eam destrues: verbi causa, Arsenicum ac Mercurius sublimatus primaria consolidantia sunt, atqui eorum Corrosiuam vim prius corruptam iri oportet, ne scilicet vrant, tumorem vel puncturas excitent, sed æquabili temperie lactis vel mellis instar mitescant ac dulcescant. Quocirca moneo in præparatione Balsami, solam illius virtutem consolidatiuam spectandam esse, cui nulla insit virtus Diaphoretica, nulla caustica vel rodens facultas, vel ab Elementis orta complexio. Atque hæc temperies in causa est, quamobrem tantum Auro ac Lentiginosæ tribuamus: sic Consolida crassa, quàm rotunda ad incarnationem aptior est, etsi vtrique vnus, idemque Balsamus insit: itidem Mumia sicca Mastiche in curatione præstat (quod non vt hæc calore excellat, etsi ambo parem Balsamum obtineant. Itaque hoc vniuersale in omnibus nostris formulis remediorum esto, etsi non semper moneamus, nullam hic complexionem, nullam virtutem (siue ea attractiua sit, siue alia aliqua) considerari debere, sed in omnibus corruptionem machinandam, quo absque omni qualitate sola dulcedo ac temperies applicari possit.

Balsamũ dulce esse debet.

Balsamos vis attrahẽne insit.

Iñ Balsamo vis consolidatiua spectatur.

D. THEOPHRASTI DE VLCERIBVS.

LIBER VI.

De Syronum Ozenarum & Fistularum ortu, & curatione.



SI in faciei ea parte, quæ Marti subiacet, naso puta, labiis, genis &c. vlcus fiat: Ferrugo nuncupari malum solet, nimirum quod instar ferruginis in metallo, ab extra introrsum, non autem contra subiectas partes depascatur, vbi scilicet per poros cutis materia peccans expulsa, diutius illi adhæserit. Malum hoc faciei solum, non item reliquis Marti subiectis partibus, volæ scil. ac plantis pedum, &c. propter singulare quoddam venarum genus accidit. Causa mali est coniunctio duarum diuersarum essentiarum, liquoris scilicet Metallici, qui Sal sanguinis est, & liquoris Martialis, qui Sal Martis dicitur: ex istis inquam duobus Salibus coniunctis, huiusmodi malum existit, in hunc ferè modum incipiens. Si nares sanguine abundent, vel ipsum copiosum gingiuæ profundant, vel denique sanguine caput repletum sit; eiusq; fluxus supprimatur, tum sanguis ille in Martis partem decumbens, illic erosa vena, morbi centrum facit. Alia quoque occasione fieri quandoque conspeximus, cùm nimirum inscitia medicorum, verrucæ labiorum, nasi, faciei, &c. erosæ essent, radice verrucarum in venis existente, venas illas in morbi centrum degenerasse.

Ferrugo.

Locus affectus.

Causa.

Distinguendum inter ista hoc ferè modo est: si enim ex regione nasi progrediatur, Cancer nasi, sin è genarum medio, Fistula, sin prope aures fiat, Syreon appellatur: ferè tamen in omnibus istis ad labia, & nasum vsque extenditur malum: sunt enim illic locustæ illarum venarum, quę hoc morbi genus efficere aptæ sunt. Si itaque ex immodico fluxu vena erodatur, (vti monuimus) scitote illud à Sale Colcotharino fieri: namque vbi iste cum Sale Martis iunctus fuerit, vnà operantur ac ferruginis initia faciunt. Operatio eius vbicunque tandem fiat, semper sui similis est: perpetuo namque Sal Colcotharinus per poros extruditur: ac ab exteriore ambiente nos aëre, cui cùm interno nunquam vel raro conuenit, irritatus furere incipit, ac pro quantitate & acrimonia vtriusque Salis, tum natura affectæ partis, ac sanguinis copia, cutem, carnem, omnésque subiectas partes erodit, quemadmodum in affectis sensus optime diiudicat. Furor iste acrosio durat, donec omnia quæ Martis imperio suberant abolita sint, quod si huius quoque limites serpendo transgrediatur, iam lethale malum est. Lethale quoque, vbi aures occupauerit: nam ea eius natura est, quod si nil in superficie quod depascatur supersit amplius, interiores quoque Mercurij partes subingrediatur, ac dentes cùm gingiuis erodat, vbi scilicet iam nasum, labia, genas, &c. deuorauerit antea. Subiecto dein omni absumpto, Salis quoque acrimonia & venenositas perit tandem, ex quo sequitur, quod vbi Sal Colcotharinus & Martis suam venenositatem non exerunt amplius, retro iuxta venarum rectitudinem ipsa feratur & mortem efficiat. Sæpissime quinetiam accidere solet, vt huiusmodi coniunctio tardè & occultè admodum fiat, nec vllis certis signis, sed sola eschara, pustula, &c. se prodat, atque tũ hunc Syronem periculosissimũ &, curatu difficillimũ pronunciabis, nam horrẽda symptomata ob Sales se mutuo pellẽtes expectare oportet.

Cancer nasi. Fistula. Syron.

CVRATIO.

Curandi scopi duo potissimum sunt: alter vt furorem illum temperemus, vt facto iam affectui medeamur. Ille duobus modis perficitur: vel enim Salium malignitas (perinde ac Arsenici virulentia per butyrum tollitur, vel ignis ab aqua restinguitur) compescenda est, vel venæ illæ præsecandæ. Prior modus

modus hisce quinque pinguedinibus Oleo & Camphora, liquore corallorum alborum, Liquore Lithargirij, Resina de Marte & axungia cupressi, perficitur, si nimirum illarum vna affecto loco imponatur ac deligetur, donec dolor omnis remittat. Posteriori modo perficiendo necessario Anatomiæ peritiam præfiximus: hæc namq; venarum ductus ostendit, quibus cognitis quæ vena, quo loco præsecãda veniat quod ipsum variis quoque modis fieri potest, cauterio, lectione, Escharæ procuratione & similibus modis, quos iam velut & Anatomiæ rationem in præsentiarum non doceo, cùm lectorem requiram iam in artis principiis abunde edoctum.

In facto iam affectu curando, ista potissimum obseruanda veniunt: primum absumptã iam partem restitui, & adimpleri amplius non posse: dein reliquum quod adhuc superest per Oppodeltoch, vel aquam, vnguentum, puluerem &c. eidem adscriptum, curandum esse. Notandum tamen remedia aliqua existere, quæ vtrumq; scopum adimpleant: huius generis sunt Realgar fixum, Operimenta fixa, Aquila fixa, quibus obtinendis maximopere studere medicus debet, propter ingentia pericula quæ priori modo frequenter iuncta sunt: nam venas præsecare, earum impetum diuertere, iuxta Anatomicos canones, maioris certe & difficilioris artificij est ipsamet curatione. Obseruandum denique est, curationem istorũ vlcerum diuturnam esse, si quorum aliorum: nam ratione ætatis vlceris ferè curatio longa existit: itaq; festinare nullo modo consultum videtur: nisi forsan Balsamo Solis, Mumia Mercurij, &c. remediis quæ radicitus Syrones curare possunt, instructus sis. Remedia reliqua quibus Sycones percurantur, sunt Emplastrum quod *recipit, Resinæ abietis, Colofoniæ, Terebinthinæ, ana lib. ß. Ceræ virgineæ lib. iß. Armoniaci, Mirrhæ ana ℥iß. Realgaris fixi ℥iij. fiat emplastrum pro more,* quod quotidie bis renouatum ad finem vsque curationis impones. Quod si debile nimis sit, & tardius agere videatur, sequenti vnguento vteris quod habet. *Olei Realgarini, de aquila fixa, ana ℥ iß. olei de vitellis ouorum ℥j. Terebinthinæ lotæ ℥ ij. Litargirij acetosi ℥ß. fiat vnguentum subtile.* Sequens quoque puluis quemuis Syronem qui intra suam regionem consistit procurare sufficiens est. *Recipit autem Croci Martis, florum aris ana ℥ß. Operimenta fixæ tantundem fiat puluis.* Similiter aqua Lentiginosa ab Aquila vel Realgare destillata mirifica expurgandorum vlcerum facultate pollet si quotidie locus affectus semel ea lauetur. Verum præstat in omnibus speciebus iuxta Anatomicas rationes venas præcidere, ad præcauendam recidiuam &c.

Pinguedinum quinque vsus. *Realgar. Operimenta Aquila fixa.* *Emplastrum Oppodeltoch.* *Aqua lentiginosa.*

De Carcinomatum ortu & Curatione.

Si in mulierum mammis, vel virorum scapulis, ampla rubedo, cum apertione, pure fætida, magno calore, multisq; cauitatibus ac fistulis intrò pertinentibus, tumoribus, Scyrrhis, &c. appareat, ægerq; de punctionibus conqueratur, Cancrum appellabis vlcus hoc, à similitudine Cancri fluuialis cocti. Atque etsi non omnino ista statim loca occupentur, sed lumbi, brachia, venter, costarum regio, spina, &c. similiter vt dictum est, afficiantur, nil prohibet affectum Carcinoma quoque appellare. Hoc tamen ab inuicem differunt, quod quæ in mammis & scapulis fiunt Carcinomata, Lethalia semper sunt: at non perinde de reliquis pronunciandum statim est, cùm illic salutis spes non omnis præclusa sit. Carcinomata quæuis pro sexuum varietate causas diuersas obtinent, nam quæ viris accidunt, hemorrhoidalem sanguinem causam agnoscunt, & posteriora corporis occupant, vt sunt spina omoplatæ &c. quin non raro in artubus conspiciuntur. Quæ vero Mulieres affligunt, ferè in anteriore corporis parte resident, à sanguine menstruo originem ducentia. Obseruare quoque conuenit, occultos quandoque Cancros fieri, quales sunt, qui vterum, anũ, mammarum interiora affligunt, atque eos fore Lethales, esse meminimus. Sed vt de Cancri materia aliquid admoneamus, sciendum vtrumque ex Realgarino sanguine fieri, menstrualem tamen hæmorrhoidali venenosiorem esse: est enim Sal Mercurialis, qui in mulieribus frequentius quàm viris coaceruatur. Et sane cuiuis mulieri ratione menstrui Carcinoma fieri potest, cùm ob hæmorrhoides quæ rariores apparent, in viris paucissimis Cancri generentur.

Cancri descriptio. *Cancri nomen vnde.* *Mulierũ carcinomata.*

Principium Cancri ferè ex redundantia, quam natura Mineralium expellere conatur, oritur: quod si expulsio per oppilationes impediatur, iam sanguis ille retro fertur (virtute expulsiua alium exitum quærente) & pro natura Salis Mercurialis, rodere incipit, ac dictis signis, quæ omnia Mercurialis salis naturam sapiunt, se prodit: accidit tamen quandoque oppilationes istas Cancrum non producere, maximè vbi illud Realgar Mercuriale non excelluerit, verum vel Colcotharinum, Aluminosum, Sal Zuccharinum, &c. primas tenuerit, ex quorum deinceps naturæ varietate, clementia vel periculosa vlcera existunt. Quamobrem sciendum ab oppilatione Cancrum Lethalem euadere, vel non euadere. Etenim si hæmorrhoidalis vel menstrui sanguinis retentio fiat, Lethalis est, Lethale quoque vbi in partem aliquam incubuerit, illiusque viæ, seu meatus obstruantur: retrò enim tum fertur, & aliis locis vlcera facit: quod si in mammis & scapulis ea fiant, præsentissima mors est. Itaque summo studio enitendum erit, vt congenita vis expulsiua, ab oppilationibus liberetur: nam virtus ista seu naturaliter, seu præter naturam agat, certis periodis recurrit: quod si ergo tempore motus illius ea per oppilationes impediatur, illa certè impeditio mater mortis euadit: nam virtus expulsiua non quiescit donec mors finem ei faciat. Quocirca sedulo ista in curatione consideranda sunt, maxime vbi morbi magnitudo dilationem non concedit. Sciendum autem Carcinomata in mulierum mammis à lacte prouenire, siue album illud sit, siue rubeum: quæ verò in ventre fiunt, non ab hoc, sed à Menstruo illarum venarum sanguine nasci: omnium autem periculosissima sunt, vteri ac pudendorum

Causæ & origo carcinomatum. *Oppilatio in cancro quid faciat.* *Lac causa cancri in mammillis.*

pudendorum Carcinomata, nimirum omnibus menstrui speciebus ad illius generationem concurrentibus. Possibile tamen etiam est, antequam cancer fiat, multo retrò tempore scyrrhos, chærades aliosque tumores duros extitisse, qui sero admodum aperientur, atq; hoc genus Carcinomatum omniū tutissimum esse solet: nec est quod aliis nominibus mala hæc (vbicunque in corpore ea sint) nominanda putes quàm Carcinomatis: nam omnium vna eademq; causa, sanguis scilicet, seu Sal hæmorrhoid. & menstru. est, omnibusque vna curatio conuenit.

CVRATIO.

Summum quod in curatione spectare conuenit, illud est, vt hæmorrhoidum ac menstrui fluxus in suam potentiam deducatur. Etenim menstruum quod in sua potētia non consistit oppilationes efficit, sic & hæmorrhoides agūt: itaque horum Salium legitima temperies procuranda erit, certis quibusdam remediis: nam sanguis menstruus, sicut & hęmorrhoides, dum suam essentiam obseruant, nullius mali effectrices esse possunt. Curatio etsi duplex est, Physica altera, altera Chyrurgica: tamen vtrāq; Chyrurgum tenere conuenit, tam eam quæ in suam temperiem humores reducit, quàm illā quæ ei quod iam à corrodentibus absumptum est restituere intendit. Itaque remediorum duo quoque genera constituenda erant, vt sint quæ intrinsecus incommoderationem emendent, & quæ foris adhibita, curent: hęc tamen non agunt, absq; interioris Medicinæ accessione: ad hæc non adeo difficile foret, hanc quoque Medicinam sic comparare, vt perinde ac illa insensibiliter ageret. Curaturus itaque Cancrum, ante omnia hæmorrhoides, ac menstrua in suas potentias deduces, atque nihil constrictionem, fluxum album vel nigrum, spissum vel tenue curabis, neque multum de aperiendis oppilationibus sollicitus eris: etenim illis ad suam potentiam deductis, ista vltrò euanescunt. Post hæc ad restitutionem eorum, quæ Corrosio absumpsit descendendum erit, sed ferè vt in Syronibus, sic & hoc loco procedere conueniet, itaque parum de illa sollicitum esse necesse est. Atqui hoc non inficior, in Carcinomate quædam Arcana esse, quæ in Syronibus venenorum instar sint. Ad hæc sciendū, exteriora Arcana interioribus nihil conferre, itaque de solis internis sollicitum esse oportet, quod iis procuratis à quauis deinde Serpentina, Cancer curetur. Quamobrem interna Medicina, non solum potentias duarum interiorum causarum roborare potis esse debebit, sed vna quoque vt consolidatiua sit necesse erit. Sic namq; in re medica comparatum est, vt vbicunque morbus ab erosione est, illi specificum consolidatiuum opponatur, hinc nos non immerito reiicimus ea medicamina, quæ solum deopilant, probamus verò quæ vna & consolidare possunt. Ex hoc sequitur in externis remediis, nos vulgaris contentos esse debere. Verum interna, menstrua & hæmorrhoides attemperare debebunt, Veluti est Resina auri, quæ non solum eos, qui in artubus, sed etiam qui in scapulis & mammis fiunt Cancros, simpliciter absque vllius alterius medicamenti admixtione curare sufficiens est. Verum si dicto remedio destituamur, eius loco vsurpabimus gluten aquaticum, vulgo Sperma de piscibus nuncupatur, nimirum cum Spermate de aquatico. ipsum in aquam redigentes, & epithematis loco parti adhibentes: omnes namque Cancri malicias tollit, nisi vbi puncturæ molestant, hæ enim si adsint, Lethale malum pronunciandum erit.

Curatio duplex.

Hæmorrhoides & Menstrua in suam potentiam deduci debent.

Resina auri.

Gluten aquaticum.

Sperma de aquatico.

De Reliquis Vlceribus & Aperturis in vniuersum.

Sunt insuper plus viginti aperturæ species, variis nominibus appellatæ, variisq; causis attributæ, ab antiquis, quas tamen omnes cùm ab vnica causa proficiscantur, vno nomine afficere, vnoq; remedio curare nihil prohibet. Principio ergo nil sollicitum esse oportet, æqualis ne vel inæqualis vlcerationis forma sit, profunda ne vel superficialis tantum: nam ista pro loci natura euariant: ad hęc etsi Salium omnium variæ species existunt, omnium tamen vna eademq; origo est. Cùm itaque formæ ac signa vlcerum tam diuersa sint, neque considerandum admodum, Aluminis ne, Nitri, Vitrioli, Plumosi, Entali, &c. sint nec ne, vel an sub Euforbio, Pipere, Flammula, Vrtica, &c. comprehendantur, vel denique an iuxta Metallorum, vel Marchasitarum species diuidi oporteat: nam hæc Theorica magis sunt, eaq; de causa suis Paragraphis descripta: sed sufficiat cuiusque generis species vnis iisdemque signis dignosci, verbi causa: quemadmodum Mineralia cum quatuor Elementis efflorescunt, sic & quatuor Alumina, &c. constituuntur: quibus tamen omnibus dignoscendis, communia quędam signa sufficiunt, sicq; in reliquis Plumosi, Entali, &c. vlcerum speciebus agendum quoque erit. Neque admodum anxium esse conuenit, in præcedentibus & coincidentibus signis cognoscendis, fallacia namq; sunt, & ex accidente originem ducunt: accidente dico, quod antea locum passum occupauerat, vt si Apostemate, duritie, Sephyro, vel Sclyrosi ea parte molestatus antea fuisset, eaque mala iam tandem in aperturam, seu vlcus abirent, constat enim necessario vlcerationem fieri, itaque anxie de istis inquirere, nil opus erit, cum in Theoria nil admodum conducant, minimum vero in Praxi.

Morbi antegressi.

Vlcerationes istæ vbicunque in corpore consistant: consistunt autem frequentissimè in capite, Scapulis, humero, brachio, lateribus &c. initio magno calore ac rubore apprehenduntur, mox minutiss cauitates exoriuntur, quæ successu temporis in vnum amplum vlcus degenerant: vlcus hoc siue in brachio, tibia, lumbis, spina, capite sit, perinde est: veluti & causa, Sal nimirum etsi multiplex existit, nulla admodum distinctione indiget: nam sufficit in theoria nouisse, Salem causam esse, nec refert an gemmę, Nitri, Perę &c. sit, nec ne: verum Sales iuxta suam acrimoniam partiri non vsq; adeo inutile in opere practico foret, vt scil. primum Sal salis, dein Sal gemmę, pòst Sal nitri, vltimo loco Sal vrinę cōstitueretur: nam iuxta hos gradus de calore dein iudicare facile fuerit,

fuerit, vt scilicet postremo summum calorem tribuamus.

Exoriuntur quoque vlcera Plumosa: his ferè signis dignoscenda, scalpendi desiderium adest, calor, rigor, pustulæ, similes iis quæ ab Vrticis fiunt, ingruunt: quæ vbi ad tempus perstiterint in vlcera caua transmutantur, multò quàm antea calore magis molesta: sicque ex Alumine Roche, Iameno &c. vlcera, non tamen perinde vt ex Plumoso dolorosa: quæ denique ex alumine glaciali fiunt, omnium sunt mitissima & clementissima. Huiusmodi proprietates & signa in inquirendis ac dignoscendis vlceribus ex ipsorum simplicibus & simplicium gradibus desumes, caue tamen, putes, morbi quantitatem ex gradu te metiri posse: pugnant enim cum theorematicis Medicinæ principiis, vt ex humoribus eorundemque gradibus morbi magnitudinē deducamus, sed cæcorum quorundā medicorum commentum hoc est, itaq; explodendum.

Simili modo ex Vitriolatis diuersa oriuntur vlcera, quæ vbi aperta fuerint, copiosam aquam cum multa spuma subinde profundunt. Signa, quibus dignoscantur, ista fere sunt; cauitas parua apparet, primùm profunda quidem, & vndiquaque ceu factis cuniculis subtus excauata, quam circa dein & alia oriuntur, similia huic, à quibus deinceps & ossa cariosa ac putrida redduntur, tandemque vlcerum labia decidunt, nouamq; figuram adipiscuntur. Omnia huius formæ vlcera nos Vitriolata appellamus, omnibusque æqualem curationem adhibemus: differunt ab inuicem non gradu, sed colore, qui alius in Colcotharino quàm Glaciali inest Vitriolo, ruber scilicet ille, hic albus: cæteri colores qui ferè à pure & carne putrescente caussantur, cum diuersis temporibus diuersi incidant, in Theoria difficilem caussarum assignationem habent. Omnium mitissima huius generis vlcera à sale Zucchari no fiunt: nam ea rarissimè dolorem comitem habent, Reliqua vlcera quæ vniuersalia dicuntur, non facile ad certam aliquam normam partiri quispiā queat. perinde enim res habet ac si 1000. semina eiusdem speciei, quis in terram proiiciat, quæ certè inde enascentur plantæ, vix duæ inuicem similes inueniantur: eodem plane modo vlcera quæ vniuersalia vocantur, omnia eiusdem generis sunt, diuersarum tamen interim specierum, veluti malum & pyrus diuersa sunt quidem ab inuicem: at vnicam primam materiam obtinent: hac ergò ratione Medicum suam theoriam instituere oportebit, si de vlcerum curatione ex arte disserere velit: quælibet namque curatio ex vltima materia oriri debet, nec ex illis falsis ac inutilibus distinctionibus, quibus tota Medica ars turpissimè conspurcata est producenda.

Vitriolata vlcera.

Sacchari Salis vlcera.

Vniuersalia vlcera.

Sed ad curationem pergamus, tandem in hac spectandum erit, vt remedium aquæ instar præparetur, quæ omnia suffocat insensibilia, qualiacunque ea tandem sint, atqui veluti quædam aquæ subesse possunt, veluti lignum lapides, &c. quæ ab aqua non suffocantur, (id est, euincuntur:) sic quedam arperturæ sunt, vt cancer, Syrones, &c. quæ hisce remediis itidem nō cedunt: vicissim quemadmodum lignum aquā putrefacit, sic quædam vlcera sunt exempli gratia, vt Lupus Herisipyla, &c. quæ tantum abest, vt istis obediant, vt etiam longè deteriora ab vsu horum remediorum euadant. Quamobrem obseruandum erit, quomodo aquæ potentia operetur, vt & sic sensu carentia vlcera ad germina, insensibilia comparantes, sciamus quæ vlcera sub hanc curationis legem collocanda sint. Nam si quid aliud hoc à Medico accuratè obseruandum erit, vt virtutes exteriorum naturalium, ad internas comparet, (nam istæ iuxta naturam illorum disponi volunt) atque miserandam illam Humoristicam Theoriam reiiciat. Etenim vlcerum Anatomia sic comparata est, vt illas humorum distinctiones, approbationes plane respuat. Sed curationis leges, & remedia iam tandem scribere tempestiuum est. Vlcus sub aliqua harum Salis specierum constitutum, sequenti Mundificatiuo primum omnium eluito. *Recipe succi. Lentiginosæ, lib. ij. Realgaris fixi ℥ ß. Croci Mercurialis ℥j. ß. digerantur vnà per triduum.* Mundificatiuum Mercuriale appellamus, cuius vsus est, vt quotidiè bis mane, scilicet & vesperi eo vlcera lauentur, ac deinceps Oppodeltoch imponatur, donec satis mundum vlcus appareat, quo facto per Oppodeltoch, tandem curationem absolues.

Lupi & Erysipelatis malignitas.

Mundificatiuū Mercuriale.

Oppodeltoch.

MVNDIFICATIVVM ALIVD.

Recipe Operimenæ fixæ, ℥j. Aquæ Culiculæ lib. j. vtere vt prius. Quod si suspicio adesset, alicuius superuenturi mali, vel noui vlceris, ad priorem modum recurres: ea enim vlcerum singularis, quædam proprietas est, vt si ipsa non iam existerent, tamen tandem orirentur. si ergo talis casus occurrat, tamquam verum vlcus non vt symptoma curabis. Accidit denique vlcus à natura vltro mundificari, proinde solo Emplastro vtendum esse manifestum euadit. Caue autem festines vel naturam cogere præsumas; nam vim ac coactionem natura non patitur, si verè curari vlcus debebat.

D. THEOPHRASTI DE VLCERIBVS

LIBER VII.

DE IGNE PERSICO.

IGNIS Persici eiusque specierum explicationem instituturi considerationis principia paulò altius repetenda erunt. Fundamenta in duobus primis Sale & Sulphure insunt: quod enim vrit & ardet Sulphur est, quod vero accendit, potentia Salis appellatur: ex hac namque potentia quoduis lignum accenditur: lignum enim sua natura Sulphur est (illud intellige quod conflagrat) sic ignis ex Silice, marmore, &c. excutitur, nimirum ex ipsorum Sale. Notandum ergo Salium discrimen, alius namque Alabastrinus est, & igne caret, alius Marmorinus ignem continens. Atq; veluti Salis durities ignem dat, non tamen vrit, sed in ligno, id est, in Sulphure suam operationem perficit: itaq; quemadmodum si lignum flammam

Potentia Salis.

Sal Alabastrinus

Sal Marmoreus.

flammã conceperit, illud iam ad corruptionem suam properat: sic si in Microcosmo microcosmica huiusmodi inflammatio accidat, de corruptione corpus periclitatur: verum sicut lignum ligno, conflagrat velocius & vrit vehementius, vt faginum abietino, &c. sic pars vna corporis, quàm alia ad concipiendam inflammationem aptior existit: causa huius rei Coagulatio est, quæ in corporis partibus consistit: quiuis namque gradus ignis, ex coagulatione Salis omnes progrediuntur: etenim quãto Sal vehementior est, tanto Gangræna maior, quo tenuior ac purior eò calidior existit. Hinc ratiocinari licet, quamobrem ea quæ paucam coagulationem habent, paucam quoque flammam contineant, nam quæ ex puris consistunt Salibus, vt sunt Resina, Colofonia, &c. citissime flammam concipiunt, dant enim suum gradũ ex natura Salis Diaphani. Quòd autem Sal Petræ, Sal Nitri, Argentum viuum, &c. tantam habent tempestatem: causa est excellens perspicuitas Salis, & humiditas, quæ illi ægrè dissolubilis inest: ea enim cuiusuis salis natura est, quod ex sua humiditate furorem illum habeat: atque hinc varij oriuntur vstionis modi, pro Salium nimirum diuersitate, sic Sal Petræ respectu Sulphuris furit, Sulphure quiescente, sic inquam in abiete Sal Petræ, & Sal Sulphureus in Fago inest. Quæ de Sale accensionis Sulphure, flammæ causa in vniuersum dicta sunt, specialiter omnia ad humanum corpus in Igne Persico adaptari poterunt.

Coagulationẽ multam multa flamma arguit.

Quemadmodum ergo Elementata exteriora ab igne exuruntur, sic de igne Persico in humano corpore accenso iudicandum est: nam quatuor Astra æquè in humano corpore, seu Microcosmo insunt, ac in maiori mundo conspiciuntur. Sunt autem accensionum duo modi, alter cum ex Silice ignem excutimus: huic modo respondet Ignis Persicus: qui causam extrinsecam habuit contusionem, fracturam, aut illegitimi remedij vsum. Altera accensio ex Astris est, id est, ex natura & fit in hunc modũ, vt si à sole quid exsiccatum ab ipso accenderetur & exureretur, rarum hoc est, itaque raro quæ ab astris ignis Persicus excitatur, nam perinde vt de Sole dictum est: sic & Sulphur Microcosmi ab interiore Astro accenditur, accensio hæc pro diuersitate partium, intensior ac remissior esse solet.

Astra in homine.

Sulphur Microcosmi ab Astro accenditur

Est & tertia inflammatio illi respondens, qua montes & saxa conflagrant, ignem à nostro igne inextinguibilem concipientes, in quo casu tamen aliqua Saltem pars (quæ subiectum est) ardet, reliqua illæsa: talis est cùm Esthiomenos & Carcinoma ex facili aliqua causa calorem præter naturalem concipiunt. Item quemadmodum, in fodinis Zinnabrij, Mercurij, Salis Nitri, &c. à vento quandoque illa Mineralia accenduntur, sic & per Chaos nostrum materia peccans aliquo in loco consistens inflammatur. De affecto loco inquirendo nil admodum sollicitum esse oportet, ferè in digitis pedum, iuncturis, medulla, carne, intrinsecus in iis regionibus, quæ suprà & infra Diaphragmati adiacent, non raro in capitis regionibus malum consistit. Hinc variæ ignis Persici species sunt: alius enim montano igni respondet, vt Lupus, qui verus Ethna est: alius cum pustulis & Erysipelate incipiens, sero admodum flammam concipit, respondens diuturno, at debiliori igni: tertius subito ingruit, & vnius horæ spacio totum membrum exurit, veluti Prunus: alius per contactum seu contiguitatem vrit, & ignis Persicus verè dicitur. Plures horum species antiqui Apostematum nomine affecerunt, atque ad portentosas causas retulerunt, sed res vt diximus se habet. Mirabuntur scio imperiti Medici, quo pacto Sol & Ethna in hominis corpore consistant, verum illi suos humores, quos fingunt, admirentur potius. Nostra sane Theoria, hæc principiorum firmamenta ex tribus primis certissima habet, ex illis namque omnia Mineralia perfectè continemus. Ad hęc cum quatuor quoque Elementa in nobis insint, ipsorum etiam potentias in nobis dominari manifestum euadit.

Ignis Persici species.

Lupus est Ethna.

Sol & Ethna in homine.

Sed vt de Gangræna aliquid dicamus, sciendum ipsam Anodynam quandam vstionẽ esse, inde ortam, quod initio partes Microcosmi à natura Narcotica stuporem contraxerunt, abolito sensu: his ergo membris si præternaturalis aliquis calor superueniat, iam ea Gangrænam habere dicuntur: huius nos ignis singularia remedia in curatione seu praxi describemus. Sed ad Theoriam reuertamur, in qua sciendum à calidis & vrentibus herbis ac simplicibus, Ignem hunc persicum excitari posse: remedia talia sunt, imò deleteria medicamenta, vrtica, flammula, Cantharides, Realgar, Arsenicum &c. Fit etiam ignis Persicus Iliado aliquod Minerale ex sua cathena protrudente, omnia namque mineralia in nostro corpore continemus. Itaque quicunque pedem seu tibiam prurientem habent, cum multis pustulis, eorum morbus virtutibus vrticæ respondet: quæ verò mala, pustulas aqua plenas habent, virtutibus flammulæ conferuntur. Si itaque flammula talia in corporibus nostris efficit, an non mineralibus quis easdem imò maiores virtutes tribuat? cùm omnia velut in theoria & praxi extrinsecus in maiore mundo, sic & in iisdem intrinsecus eadem eueniat: itaque reijcienda omnino erit illa fucata inutilis ac anilis humorum, coleræ, phlegmatis, & Melancoliæ theoria, vt quæ contra philosophiæ principia, contra naturam Microcosmi, contra ipsammet experientiam, ceu ex Diametro pugnet.

Gangræna quid sit.

Ignis Persici efficitur simplicib.

CVRATIO.

In curando igne Persico illa in primis ratio tenenda erit, quæ in restinguendis exterioribus ignibus obseruari solet, vt nimirum quemadmodum in theoria illos restingui diximus, sic & in praxi hos extinguendos tibi proponas. Itaque ignem ex lignis suscitatum quam facile affusione simplicis aquæ extinguant homines, at eadem ipsa aqua non ita in igne Persico operari obseruata est, itaque penitus medico introspiciendum in aquæ essentiam erit, & cognoscet eam nil aliud esse, quàm Alumen resolutum dulce, ex quo eruitur Alumen ad restinctionem ignis Persici adhibendum esse: alia tamen ratione quàm in lignario igne, vt maxime eadem sit materia.

Aqua est Alumen resolutũ dulce.

Cognitum

Cognitum præterea est Ethnæ ignem à nulla penitus aqua extingui posse: quòd si ergo similis passio in humano corpore foret, frustra sane Alumen Zuccharinum adhiberetur, itaque quia Sulfuris lacte Ethnæ ignis restinguitur, illud ipsum quoque ad ignem Persicum accommodari debebit. Itaque sedulo specierum ignis persici meminisse oportet: nam alius comparatur lignario igni, alius montano seu Ethnæo, tertius Salis Nitri, alius Resinæ, &c. Hac ergo ratione in extinguendo Sulfure Microcosmi progredieris, nec vlla alia compendia ex Medicinæ fontibus excogitare licebit illis ipsis exceptis quæ de Mineralibus annotata sunt. Itaque non mirum est, pseudomedicos ac chirurgos ignes istos non modo non extinguere posse, imò malum deterius sæpius efficere, adeo vt ex partis alicuius inflammatione, non raro totum corpus in maximum discrimen deducant, cum veros medicinæ fontes legitimáque remedia tantum adest, vt affectent, vt auersentur etiam maxime. Denique obseruandum morem illum rescindendarum Gangrænosarum partium plane inartificialem esse, atque omnino cum Medicina pugnare, medicina dico non vestra ficticia, sed vera, certa, ac legitima: verum vt maximè cùm arte pugnet, tamen quandoque vbi imperitia Chirurgi malum conflatum est, Ense rescindendum est, ne pars sincera trahatur. Nos non serra vel instrumento, sed subscripti emplastri vsu emortuas partes ab integris separare solemus. *Recipe Colofoniæ lib. iij. Liquorum Myrrhæ ℥ vj. Ex quatuor Gummis lib. ß. fiat emplastrũ, quod ea parte applicetur qua sanum emortuo contiguum est:* verum vbi os ex vstione nimium induruisse constaret, non præter rationem putarem, ipsum serra discindi, sed à sanis partibus sedulo cauendum & abstinendum. Hac ratione emortuæ partes auferuntur, integris etiam quandoque manentibus ossibus. Consolidatio denique per aquam Salis & Oppodeltoch auspicanda erit, sed inter omnia præstant quæ sequuntur. Aqua, sanans sanam partem, ægra iam remota. *Recipit aqua Salis ex raphano ℥ j. ex Culicula ℥ iij succi plantaginis digesti ℥ v iij. mixta mane & vesperi adhibeantur.*

Lac Sulphuris Ethnæũ igni extinguit.

Præcisio membrorum putrium.

Vt pars emortua cadat.

ALIA.

Recipe Succi chelidoniæ, aquæ Aluminis Rochi, lameni ana ℥ j. ß. Nitri resoluti ℈ ij. misce & vtere vt prius.

EMPLASTRVM.

Recipe Olei de frumento, de ouis ana ℥ ij. ß. de Glandulis ℥ v. Ceræ, picis communis, ana ad pondus omnium, fiat cerotum secundum artem, adhibeatur pro more vulgato. Gangrænæ autem Salnitrosæ per solum Vitriolum resolutum, quod curentur, ignorandum non est: Ethneæ deinceps per bituminis naualis, & Camphoræ resolutæ, equa pondera curari consueuerunt: Gangrænæ autem igni lignario respondentes Thure & Myrrha: Sulphureæ vero, ac Resinosæ, per Lac virginis ex Sulphure paratum curantur plerumque; in vsu autem omnium horum curandum est, vt subinde noua imponantur, nec vnquam pars sicca relinquatur, sed perpetuo humectetur. Verum vbi tarde nimis vocatus fueris, & iam malum inueteratum sit, procedes vt supra edoctus es.

Gangrænæ variæ species quibus remediis sanentur.

DE VLCERIBVS DEPASCENTIBVS.

Depascentia vlcera formam ac materiam ex Salibus habere, vt plerisque dubium non est, sic modus generationis paucissimis cognitus, explicandus nobis relictus est. Intelligendum ergo, generatum nullum absque Resina existere, dempta ea quæ Sulphuri adest pinguedine. Resina hæc liquor quidam est, generatis omnibus præter tria illa prima, congenitus. Atqui quemadmodum in non paucis arboribus, imò in quibusdam herbis etiam, Resinas erumpere videmus, cum interim in reliquis plantis latitent: Sic etiam in Microcosmo Emunctoria sua, quandoque nanscisci, Resinas hasce contingit. Atque veluti isthic à forma specifica eruptio fit, eodem modo in Microcosmis formam quandam specificam dominari credendum est. Hinc ergo manifestum euadit, quamobrem Resina ista Salis, vbi ad suam exaltationem peruenerit, in aliis plantis sub forma picis, in aliis forma Resinæ, Gummi, Terebinthinæ, &c. erumpat. Nimirum similiter in Microcosmo res habet, vbi varia quoque forma vlcera huiusmodi prodeunt nonnullis scabiei, quibusdam pruriginis, aliis pustularum formæ, (quæ singula tandem in vlcera abeunt) proueniunt. Præterea quibusdam (quemadmodum de Resinis latentibus dictum est) Resinæ non erumpunt statim, nisi vbi ad exaltationem suam peruenerint, atque tum nulla (ex commemoratis) signa in illis inuenias: hæc ergo catholica horum vlcerum sunto. Porro autem ignorandum non est, quod in Resinis, Gummis, Terebinthinæ speciebus, &c. natura quædam seu proprietas Salis plumosi insit, qua de re considerandam vobis vrticam proponite, quæ acuitatem ac malitiam suam, non in profundo suæ substantiæ, sed extra eam obtinet: similis affectio in hoc vlcerum genere mente & imaginatione concipienda erit, cum differentiis quoq; iis, quæ in Iua Rubea, Pipere, Zinzibere, Cubebis, &c. (quorum omniũ singularis quædam proprietas vrticosa in substantia mortua quasi, extra vero eam efficacissima existit) insũt. Sal itaque iste extraneus in Gummis & Resinis, peccans Materia cum sit, atque Microcosmus similes quoque extraneas passiones, pruritum scilicet, scabiem, tineam, aliásque similes, ad oculum ostendat: quis non Theorematis nostris, iam antea propositis fidem habeat? Etsi autem non inficior, isthæc Apostematibus aliisq; hactenus commemoratis vlceribus accommodari posse: verum cum finalis materia, in qua Medicus concludere debet, separationem faciat atque curationem, signa, materiam atque dictarum causarum concordantias distinguat, tandémque per vltimam materiam ea confirmet, quis non singulari huic affectui, singularem quoque causam tribuat? maximè cum hinc eximia illa ratio fidem mereatur, qua in depascentibus vlceribus Salem extraneum, quem rectè in hoc casu Plumosum quispiam dixerit, Vrticosum etiam esse, neque vllius alterius speciei asseritur.

Resina Microcosmi quid.

Sal Plumosũ in Gũmis & Resinis.

Separatio fit à materia finali.

Sal extraneus est Plumosus.

Signa autem dignoscendorum vlcerum, istorum vsu atque experientia potius quàm ex

scripto quis addiscat: veluti & resinam abietis à Botin & Pini, &c. sensu quàm ratione rectius dignoscimus. Sed diuersa paulò in Microcosmo ratio est, ob ipsius formam corpoream, & naturalem, ac insitum calorem, quo externa generata destituuntur. Signis istis ferè dignoscuntur tamen, quod Estiomena gummata, vlcera resinata, &c. naturam Colophoniæ, ac Picis repræsentare scimus: quæ vero pustulas, vrticam, scabiem quæ, plumosum, &c. sequi, veluti & Iuæ Rubeæ sua quoque peculiaria signa nemo ignorat. Atque sic velut omnes Sales ærugines, &c. ac quidquid in vniuersum virtutem Corrosiuam participat, in exterioribus agere conspicimus, intrinsecus quoque vbi in Microcosmo & in actum eruperint, ex forma, colore, calore, dolore aliisq; symptomatis, facile dignoscuntur.

Iua Rubea.

Neque verò est, vt ad vnum certum locum morbum alligemus, vel generali aliquo nomine à loco sumpto appellandum putemus: nam nullum Chirurgicum nomen à loco ducitur, nisi vbi loca Planetarum morbus aliquis occupauerit, vti in Syronibus: atqui longa alia in Esthiomenis ratio est: Veluti enim arbores variis locis Resinas protrudunt, sic & Liquores in Microcosmo pelluntur, atque vt maximè & in arboribus, & in Microcosmo certus quandoque erumpentis fluxionis locus existit, nil tamen opus est noua nomina, noua remedia excogitare, vnum omnibus generale nomẽ, vnum omnibus Esthiomenis, Catholicum remedium esto. Etsi autem hic naturæ refragari difficile est, quæ (particulariter) non rarò vno aliquo simplici, Esthiomenum cruris curat, eo ipso vero brachij non curat: tamen cum Medici officium requirat, vt vno nomine appellatum morbum, vno remedio percuret, siue in supernis partibus ille sit, siue in infernis, nil nostris rationibus hanc obiectionem obstare puto. Itaque nominum multitudinem causarúmque diuersitatem ab Humoristis Medicis assignatam in hoc affectu, ab arte nostra exulare iubeamus.

Chirurgica morborũ nomina non ducuntur à loco.

In Esthiomenis vnũ esse debet remedium generale

Porrò quemadmodum exteriora generata videmus corpus nostrum afficere, tum vbi illa in materiam peccantem abeunt verbi causa, si Arsenicus in corpus nostrum agit, tum illud exulcerat, sic alumen plumosum, sic vrtica longo vsu cutem exulcerant, velut omnia cætera corpora quæ salis naturam participant: similiter de intrinsecis Mineralibus iudicandum est. Proinde ipsorum naturas accuratè distinguemus, quo si ea in actionem erumpant, illis perinde ac extrinsecis mederi possimus. Veruntamen externa generata ab internis differre, in eo quod illa ad tempus solum, hęc verò perpetuo agant, paucis incognitum esse puto: quin interna fixa esse, externa autem mobilia perinde manifestum est. De vlceribus denique depascentibus, vberiore sermone differere, eorúmque signa, ac differentias assignare conueniebat: verum quia hæc materia nimis ampla, copiosa, & intricata est, nec nisi summa experientia præditis peruia, negotium hoc ad secretiorem quandam Philosophiam remittimus.

Arsenici in corpus nostrum actio Corrosiua.

Generata intranea vt ab externis differãt.

Curandi autem ratio hoc ferè modo se habet: Prima vt Sal exterior extrinsecus, non intrinsecus auferatur. Dein vt more Chirurgorum vulgato vlcus claudatur. Remedium anodynum, & restinguens pro doloribus ac vlceribus depascentibus, id est, Esthiomenis tale esto.

Curatio.

Recipe Salis Metallorum ℈ ij.

Aqua de Bitumine veris ℥ vj.

Mixta digerantur per quatriduum. dein hoc remedio per quatuor vel quinque dies, seu donec dolor omnis remiserit, vlcus lauetur, quo facto, sequenti mixtura ad consolidandum vteris (quæ sic habet.

Recipe Cinerum de Saturno lib. ß. Olei oliuæ albi lib. vj. Lithargiri præparati in viscum quartaria iij. fiat mixtura, coquatur in calidis cineribus ad horas x ij. imponatur mane & vesperi.

ALIVD PRIORIS FORMÆ.

Recipe Salis vrinæ ℥ iij. Salis Metallorum è Saturno ʒ v. coquantur & digerantur in aceto destillato, donec fiat fermentum simile Elixiri, cui deinceps adiicies decimam sextam partem Camphoræ liquefactæ, & vteris velut dictum est: post huius vsum ad claudendum vlcus recipies Oppodeltoch, vel Emplastrum pro Fistulis sequenti capite descriptum.

Oppodeltoch.

DE FISTVLIS.

De causis & origine Fistularum varia, & fabulosa ab antiquis memoriæ prodita inuenias, quæ recentiores quidam obstinatè defendere non dubitant, & ea maximè quæ ad Fistularum differentias pertinent: quasi vero Fistularum plures essent differentiæ, nec omnium eadem penitus natura, quamuis enim loco quodammodo à cæteris lachrymalis differant, tamen vna omnium essentia, ac originis ratio est. Itaque quod omnibus vlceribus cõmune est, hoc ipsum quoque ad Fistulas referemus, nimirum quod Salem Corrosiuum causam agnoscant. Neque est quod doloris ratione aliquam differentiam statuendam hic esse, quis sibi persuadeat: siquidem Sales etsi omnium formarum causæ sunt, non tamen statim dolores efficere quoque necesse habent, cum experientia edoceamur, Sales quosdã sine omni dolore corrodere posse: itaq; nil opus est de noua Theoria cogitare, vlcerationis ratio sufficit, nec plura requiruntur.

De Fistulis antiqui fabulosa scripsere.

Formæ à Sale dantur.

Sal itaque is qui Fistulas efficit, idem ille est, qui in Cassia est, in arundine, &c. ac ex quo Conchilia, & Æthites lapides fiunt: est enim excauationis omnium corporum, vna quædam ac communis causa, quam tamen in curatione non admodum respicimus, cum dolor & natura Corrosionis, ferè curationem ad se pertrahant. Etenim quamuis vlceratio nulla fiat sine forma, tamen ipsa sola ad inuertendam curationem, insufficiens est. Formarum quidem absolutam cognitionem in Medico, quatenus Philosophus est, ac Theoricus, omnino requiro, vt sc. differentiam omnium formarum tam in vlceribus, quàm externis generatis, Granato sc. & Marchasita, vnde ea sit ostendere queat, non tamen sic in curatione procedendum. Sed ad exemplum redeamus. De Cassia & arundine similitudo nobis

Simile.

proposita

proposita fuerat, ex quo Fistularum Theoriam nos deducturos polliciti sumus, sic vt materiam ac ipsorum cauitatis causam ostenderemus. Proinde scitote, quod veluti arundinum variæ differentiæ existunt, sic non vnum genus Fistularum esse, atque vt illæ variis de causis, varias formas nanciscũtur, sic Fistularum formas diuersas, diuersis à causis produci. Neque tamen præter Salem, alia aliqua causa afferri potest: qui cum omnibus communem formam largiatur, ex ea ipsa formarum æqualitate, non potest quod ipse materia primitiua sit, semetipsum prodere. Quapropter Medicos hortor vt formarum differentias sedulo discernant, quo accuratius de morbi materia peccante pronunciare queant, namque (vt crasso exemplo rem confirmem) veluti nemo marem à fœmina distinguet, nisi formarum ratione, sic causas morborum nemo sine formarum diuersitatis cognitione internoscet: causam autem morbi necessario cognosci ad rectam curationem, quis est qui dubitet? Notandum porro est, quemadmodum formæ ratione arbor ab arbore, lignũ à ligno differt, quæuis vero arbor, ac quoduis lignum ab igne absumitur; sic in curandis Fistulis, quæ varias quidem formas quandoque sortiuntur, tamen vnam communem curandi methodum sufficere. Curatio enim ignis consumentis instar se habere debet, qui velut in comburenda pyro alius non requiritur quàm in fago, pino, tilia, &c. sic curatio vna, omnibus Fistulis accommodari potest: itaque illa subtilis & accurata disquisitio, Medicum non vsque adeo sollicitum tenere debet: nam que qui huiusmodi subtilitatibus se exercent, nunquàm veræ Medicinæ absolutam cognitionem sibi comparabunt. Illud certe fateri omnino cogimur, sensus nostros non intra cutem hominis penetrare: at contra nimiis speculationibus indulgere, æquè cognitioni officit. Proinde recte ego subinde moneo & inculco, vt in naturis quatuor Elementatorum indagandis (quæ vera experientia est) sedulo laboremus: illic enim experientiæ matrix quasi est, quæ sensuum iudicio penitus sese subtrahere nequit. Itaque cognatio hominis cum quatuor Elementatis obseruetur, sin & de locis sollicitus esse quis velit, is Cassia fistula, Aristolochia rotunda, Zuccharum &c. quatenus locis differant contempletur, & intelliget quomodo Fistulæ aliæ pone oculos, aliæ post aures, aliæ aliis in locis generentur: neque tamen quisquam cogitet, nouam ob id Theoriam, vel nouam curam excogitandam esse vna omnibus Theoria, vna Praxis sufficit & abunde est.

Sal est materia primitiua Fistularum.

Fistulæ omnes eodem modo curãtur.

Matrix experiẽtiæ.

Sal autem quem diximus Fistularum causam esse, Sal petræ est: is enim non potest sine cauitate consistere: proinde si ipse ab Iliado separetur, intrinsecus in corpore, vel etiam extrà perinde vt in Arundinibus, ac Aristolochia rotunda (quæ & ipsa intrinsecus caua est (cauitates efficere solet, quæ operationes Salis petræ etsi vniusmodi non sint, tamen à Medico distingui (quantum ad curationem attinet) necesse non habent. Quemadmodum autem in arundinibus contenti succi, alij dulces sunt, alij austeri; sic Humores qui per Fistulas effluũt, varios quoque sapores obtinent: humores verè illi nil aliud sunt, quàm nutrimentum medullarum, ad quas cùm ob affectum corpus peruenire nequeant, per Fistulas extrà deriuantur, in pus mutari. Quapropter sciendum quod vbi Sal in materiam peccantem abierit quòd Cuniculos agere incipiat, cui si deinceps præternaturalis calor copuletur, iam ad efficiendam putredinem nil amplius deesse. Sin calor externus nullus accedat, tum nulla fluxio nullumue pus apparet, sed simplex cauitas existit. Itaque sciendum, calorem præternaturalem finalis formæ corruptorem esse, ac intentiones Salium, in operando impedire posse. Preterea loci ratione (quod sæpius iam monuimus) memineris, nullam in curandis Fistulis differentiam obseruari: est enim Salis natura à calore liquefieri, quod cùm omni corporis parte fieri possit, vbique quoque Fistulæ generari poterunt, verum quemadmodum in plantis, aliæ aliis plurem humiditatem requirunt, sic in Fistularum genere, pro loci varietate Humor copiosior, vel paucior effluere solet, pro Salis scilicet multitudine vel paucitate.

Sal petræ est causa Fistularum.

Humorum è Fistulis fluentiũ varietas.

Fistulæ in omnibus corporis partibus fieri possunt.

Quod si verò cui ista ratio non sufficiat, sed planius causas ac originem Fistularum sibi explicari velit, eum secretiore quadam Philosophia dotatum huc accedere volo, quo sequentia penitius introspicere possit. Itaque ceu quis eam teneret rem explicamus. Quemadmodum omnia quæ in rerum natura crescunt, ex suo semine crescunt: sic Fistulę quoque suum ex quo crescant semen habent, semen illud materia peccans est: peccantem autem materiam non voco, omne id quod per cauitatem effluit, sed id quod intus latitans fluxionem causatur: idipsum verò (veluti omnium rerum semina) minutum admodum est. Proinde sciendum, morbum non esse omne illud quod ex semine nascitur, sufficit radicem ipsam quæ seminis naturam maximè seruat, morbum appellasse. Ex quo curatiua intentio oritur, in curatione radicem euelli debere. Cæterum quod ad causæ causam (hoc est ad seminationis rationem) inquirendam attinet, tam est Medico factu impossibile, quàm rationem reddere, cur si quis ex fractura fistulam contraxerit, cur ipsum crus fractum sit, sc. vtrinque occultæ causæ sunt, hic fortuitæ, illic fatales.

Omnia ex semine fiunt.

Radix mali in curatione est euellẽda.

Ad curationem autem Fistularum progredientes, obseruabimus, primò Fistularum quoddam genus esse, quod vel membri affecti atrophiam, vel totius corporis consumptionem efficere natum sit: cuiusmodi est illud quod ex perperam facta curatione primitus natum est. In hoc genere curatio fere desperata est maxime si membrum intumescere inciperet, verum quid facto opus sit in symptomatis vulnerum explicatum est supra.

Curatio Fistularum.

At si Fistulæ legitimæ fuerint, tum *Recipe Olei de ferro, de Saturno ana ℥j. Olei Mercurialis ℈j ß. misce*, vngantur labra fistulæ per dies nouem & curabitur, nec sollicitus sis de fundo fistulæ: præstat medicinã eo peruadere quàm oculos tuos. Aliud simile sub forma emplastri. *Recipe Ceræ, Colophoniæ ana quartarium vnum, ex maioribus*

Vnguentum.

Emplastrum.

quatuor gummis ana ℥ j. ex quatuor Resinis ana ℥ ß fiat magdaleon, temperetur cum oleo Lauri & Terebinthina secundum artem.

Aliud sub forma Potionis.

Recipe Aquæ foliorum cerui, foliorum tinearum ana lib. ß. Aquæ sophiæ ℥ iij. misce, singulis diebus bis, mane & vesperi hauriatur vncia vna cum vino ad mensis spacium, & sanabitur. Plura remedia non desunt: verum ista mihi vsualia sunt & præstantissima quibus contentus eris. Potio.

Peroratio.

Causis ac curatione vlcerum ac aperturarum omnium absolutis, iam Medicos fideles monendos duxi, vt nostram Theoriam, quæ in causarum inquisitione, Praxim quæ in Remedij legitimi inuentione ac visu descripta nobis est, sedulo legant ac relegant. Ego quidem non inficias eo, vicies pluribus dictis, & causas & remedia describi potuisse, ac debuisse. Verum prolixitas si in aliqua alia arte in Medicina certe locum non habet, verba pauca, sensus perfectus, remedia succincta, virtutes immensa in arte nostra probantur; quæ omnia sane sedulo Medicos considerare decebat, vt ex paruis magna depromere possent: tantis enim nos thesauris donauit natura, vt nil supra, adeo vt ne Thymi, quidem (maiora iam prætereo) virtutes omnes describi poßint. Quapropter præstare vnius herbæ virtutes absolute cognitas habere, quàm omnium dotes per transennam saltem inspexisse, affirmo. Sed plerique Medicorum nostros labores corrugata fronte inspicient, non quod artem veram proditam videant, sed quod suam nequitiam detectam doleant. Verum illos rubros & nigros Galeros nemo sic suscipiat moneo, vt ipsorum superbia se seduci patiatur. Loquacitas à Medicina debet exulare.

FINIS TERTIÆ PARTIS CHIRVRGIÆ MAGNÆ.

Aureoli

Aureoli Theophrasti Paracelsi
CHIRVRGIAE MAGNAE PARS QVARTA, DE
TVMORIBVS, PVSTVLIS, AC VLCERIBVS MORBI GALLICI, CONTINENS
Chyrurgiam Minorem.

In decem libros distincta.

CLARISSIMO AC PRVDENTISSIMO VIRO HIERONYMO BONERO, vrbis Colmariensis Dictatori Theophrastus P. S. D.



EXPERIENTIA, omniumque magnarum rerum, quæ inde à protoplasto ad nostra vsque tempora exstiterunt, cognitio, quàm grata sit, quámque iucunda Deo, hominibus, & cuiusuis propriæ ac singulari memoriæ atque menti, nemo vt existimo est, qui ignoret: maximè si quis mente recolligat, quantis donis genus humanum Deus Opt. Max. ornarit: etenim Prophetarum scripta euoluentibus, manifestum euadit, quibus secretis Spagyros donarit. Reliquæ verò historiæ lectio docet, quibus virtutibus Monarchæ ab ipso dotati fuerint: quanta enim virtus bellica in Alexandro Magno, Iulio Cæsare, & Machabæo enituit? quàm perspicax Augusti ingenium fuit? nec in istis solum, sed & inferiorum quoque Politiarum contemplatione mirificè mens hominis exercetur, dum quomodo singulæ virtutes, artes, &c. à singulis artificibus inuentæ, excultæ, ac propagatæ sint, cogitat: quod si à terrenis istis dein animum quis ad cœlestia illa & supern aturalia conuertat, tum demum præstantissimorum, innumerabilium, ac penè fidem excedentium Arcanorum atque Magnalium contemplatione sic afficietur, vt, miraculorum diuinorum non possit non recenti subinde voluptate reminisci. Verum Clariss. ac Sapientiss. vir, quid istis commemorandis te detineo, quin potius ad artem Medicam, artium omnium maximam, & plus quàm præstantissimam, nostra decurrit oratio? Eius siquidem vnius beneficio omnium antedictorum bonorum cognitiô & vsus nobis contingit, confirmatur fide, excolitur obedientia, perficitur summo illo erga proximum dilectionis præcepto, imò medicinam ipsissimam esse Dilectionem rectè quis dixerit: etenim si vsus magnitudo etiam apud Deum præualet in actionibus nostris: quid quæso vtilius, quid magis necessarium, quid ad laudem & gloriam comparandam accommodatius Arte medica quis inueniat? vt iam extra controuersiam sit, Magnalium Dei præstantiss. esse Medicinam, & ipsam pluribus quoque magnalibus abundare. His ergo rationibus C. V. (tum quòd intelligam te secretioribus Medicis studiis libenter vacare) permotus ego, hos decem libros de causis morborum recentium cognitu maximè necessarios, sub tuo nomine in publicum prodire volui, sperans me Deo Opt. Max. laborem non ingratum, Reipub. verò vtilissimum, quique æquiora hominum iudicia meritus sit, sumpsisse. Interim diligentiam meam atque indefessum pro excolenda medicina studium toti orbi beneuolus offero. Vale.

Historiarum cognitio.

Medicinæ laus.

Colmariæ 11. Iunij. Anno 1528.

LECTORI BENEVOLO
D. Theophrastus ab Hohenheim Salutem dicit.



Paracelsi studium.

D refrenandam ac compescendam audaciam eorum, qui magno fastu, insano clamore, atque insolentibus titulis, Medicinæ gubernationem sibi stolide iam ab aliquot seculis vsurparunt, Lector beneuole, Errores qui in morbi Gallici dignotione ac curatione inter illos accumulati sunt, infinitos, prodere animum induxi: etsi verò ipsorum merita atque fatuitas sic omnibus cognita est, vt vel me non scribente, nemo illis fidem adhibeat amplius, tamen vt legitimam cognoscendi ac curandi morbi Gallici methodum rectius ostendere queam, in illorum erroribus redarguendis non inutiliter aliquando commorabor.

Nominis ratio.

Morbi hanc speciem, Gallicum morbum aptissimo nomine à patrio solo, in quo primùm extitisse hominum memoria annotatum est, appellare soleo: nam magnarum rerum nomina à natali loco confingere non infrequens scriptoribus esse memini. Pustularum nomine si forsan quis contendat malum appellari debuisse, is certè & suam in arte medica inscitiam prodet, & quod Generalius illud nomen sit, se non intelligere ostendet. Accedit ad hæc, quod nouum morbum (qualis Gallicus est) inconcinnum foret antiquo nomine notari, mihi quoque non competebat nouum nomen, antiquato eo quod vsitatum erat, substituere: itaque imitatione Latinorum, qui malum hoc SEMEN GALLICVM *appellant, secundum Gallos, à quibus originem duxit, Gallicum morbum nuncupare placuit. Cætera quæ ad instituti nostri explicationem pertinent, sic breuiter accipe. Remediis vtor vulgo vsitatis, tum etiam mihi peculiariter notis, in quibus tamen assequendis paucissimi scopum contingent. Germanica lingua dein vtor, nimirum quia tanta nostrorum medicorum eruditio est, vt ne hanc quidem sint assecuturi, nedum si Latina vel exoterica aliqua scriberem. Stylus ad hæc insusitatus est: atqui talem requirit Experientia nostra. Remediis præterea ac simplicibus exotericis, ac singulari artificio præparatis, vti necessitas cogit: siquidem vulgata omnes nostras spes frustrantur. Denique noua quandoque vsurpo vocabula, non tamen sine causa. Medicinæ enim varietas hoc iubet, subiecti nouitas cogit: namque nouus morbus cum nouo nomine, nouum remedium, nouumq; Medicum parit.*

Semen Gallicũ.

Germanicè scripserit.

Exoterica remedia cur vsurpentur.

Quæ dicta sunt hactenus, omnia ad eum scopum à me referuntur, vt Morbi hoc genus absque omni errore percuretur: nam perinde ac in teli iactu, sic in curatione res se habet: illic etenim non qui orbem tetigit, sed qui scopum attigit, artifex habetur: sic & in arte medica non is qui amplum malum curans, & iuxta illud paruum quoque curandum existimans Medicus dicitur, sed is qui vtrumque suo modo curare potest. Quod si non initio statim cuiuis satisfactum fuerit, is sciat in progressum omnem defectum resarciri: interim monitos Lectores volo, noua nomina, noua simplicia, nouosque morbos, noua diligentia addiscere ne dubitent: etsi enim spero quosdam fore, quibus nouitas ista molesta futura non sit: tamen interim cæteri excitandi ac confirmandi mihi sunt: nam cùm non omnes similiter ad artem medicam instructi accesserint, diuersa oratione in ipso statim operis limine compellare placuit. Itaque rogatos omnes volo, si qua in re meam requirent vlteriorem fidem, vel explicationem, de ea candide moneant, relaturi sine dubio expectatiss. responsum. Vale. Colmariæ.

Simile.

THEOPHRASTI PARACELSI
DE TVMORIBVS, PVSTVLIS, ET Vlceribus Morbi Gallici
LIBER PRIMVS
IN QVO
Errores Theorici & Practici antiquorum Medicorum deteguntur.

CAPVT PRIMVM.

Naturæ quanta benignitas.



ATVRÆ ea est benignitas, atque erga humanum genus clementia, vt si quã ipsa pauperiem fecerit, de recompensatione statim sollicita sit, si quod naufragium fecerit, eidem portum in quem se recipiat, subitò offerat. Huius inquam naturæ suæ memor optima parens nostra, Natura, cùm primum morbum Gallicum produxisset, ex suo ipsa Lumine Medicos curandi mali gnaros progerminare vouit. Verum ea est rerum humanarum infelicitas, vt nunquam sine zizania atque infelici lolio triticum proueniat: simili itaque malo inter medicos illos ex chemicis fornacibus prognatos, pestis quædam, pigritia, arrogantia, & auaritia defœdata prorepsit, ex quo factum deinceps est, vt horũ hominum iniquitate & sceleribus pressa sanctissima ars magnam ruinam traxerit: etenim fucata & palliata speciosis quibusdam nominibus remedia, etiam à cerdonibus, rusticis, fullonibus, alijsq; huius farinæ hominibus nequissimis circumferrentur. Græcos, Arabes, Latinos, ac Barbaros sectantes medici, vt aliquid supra

Latrochemistæ

supra vulgus scire putarentur, non dissimili fraudis genere vnguentorum, fumigiorum, ac ligni Guaiaci vsum introduxerunt, absque quorum notitia nemo Doctoris, vel Magistri titulum sibi vsurpare auderet:ipsis verò cognitis, Medicus absolutissimus quis diceretur.

Posteriorum studia.

Cùm ergo natura Microcosmi fato quodam hisce Medicis (qui de morbi essentia etiam cum ipsa rerum natura pugnantem Theoriam exædificauerant) subiiceretur, ipsorum astutia, imò nequitia factum procuratumque est, vt ipsorum opinionibus contradicere capitale haberetur, cùm tamen eo ipso quòd opinionibus nituntur, contradicendi occasiones in manus tradant, & satis superque testatum faciant, suam Medicinam fucatam penitus penitùsque esse, ipsisque verissimis Medicinæ ac Philosophiæ fontibus contradicere, vt iam huiusmodi Medicinam tam Theoricam, quàm Practicam, nil nisi Carnificinam, emungendarum pecuniarum officinam, atque ægrorum certissimam perniciem, quæ etiam naturæ vim faciat, pronunciare non dubitem. Et quod peius est, eo dementiæ progressi sunt stupidiss. homines, vt de errore admoneri nolint, imò pertinacissimè, tanquam pro aris & focis contendant, suam artem medicam veram esse, sua remedia certa, & vsu comprobata, ab omnibus esse amplectenda, cùm interim ipsi naturam cogere, Microcosmum pro arbitrio excarnificare non desinant, hanc suam tyrannidem quia ipsi acriter tuendam putant, ego contrà viriliter oppugnandam publici commodi gratia mihi sumpsi, quod dum facio, nemo mihi vitio vertat, si quando virulentiore calamo in illos inuehor: siquidem ea est causæ turpitudo, vt clementem non ferat accusatorem.

Medicina vulgaris est carnificina.

CAPVT II.

PRincipio itaque, cùm in eum modum de morbi essentia disputaretur, ad Remediorum quoque inquisitionem transgredi cœptum est. Morbum nullus eorum viderat antea, quem vt cognoscerent, varij varios codices perlegebant. Hic Galenum, ille Auicennam, alius P. de Argillata consulebant, si forsan aliquid cum suo morbo consentiens illic descriptum inuenirent: sicque ex diutina lectione varia variorum iudicia extiterunt, dum alius Serpiginē, alius Lepram, tertius Esthiomenon esse pronunciat. Primum ergo illinc exportatum est vnguentum de Cerussa (aliaque à veteribus pro scabie vsurpata) atq; in vsum adhibitum, cuius impotentiam postquam cernerent, atque naturam neque calefieri, nec siccari velle intelligerent, sua ipsorum ignorantia considerata, cristas paulatim demittere cœperunt. Sed ne nihil planè agerent iuxta Auicennæ & Galeni canones, ad digerentia, laxantia, & cathartica decurrerunt, neque illic eadem omnes vsurpabant, aliis Fumariam, aliis Senam, aliis Mannam, quibusdam Rhabarbarum præferentibus: quin inuenti etiam sunt, qui ab Elleboro, Colocinthide, Esula, Cataputia, Vitriolo, atque Scammoneatis non abstinerent verùm hanc curandi rationem frequentia funera, manufactæ Paralyses, aliáque huiusmodi dira mala, non ita multò pòst inuerterunt. Atque iam parum spei in arte superetat, nisi Diuus P. de Argillata miseris istis sociis vnguentum contra scabiem, pruritum &c. suppeditasset. Vnguenti forma & præparatio operosa admodum erat, in qua nec ipsimet consentiebant: Lullianis namque Mercurius, Empyricis Euforbium, & Staphisagria. Dogmaticis Lythargirum & Sandali præferebantur. Denique qui omnium peritissimi sibi videbantur, ij Zinnabarin decantabant, iamque passim huiusmodi schedæ circumuolitabant. *Recipe Euforbij, Staphisagriæ, Lythargirij ana, Mercurij cum sputo extincti ad pondus omnium, aruinæ quantum sufficit*: ex istis inquam simplicibus, simplicia, id est, quæ nullam penitus artem saperent, vnguenta conficiebant, donec tandem & rustici linguæ latinæ ignari intelligerent, Remedium sic se habere. *Recipe Lythargiri pro sex cruciatis, Axungiæ porcinæ Massam dimidiam, Manubria cultellorum ex sandalo numero ij. Zinnabari ℥ ij. ß. Mercurij ℥ v. agitentur benè & fiat vnguentum quo vngantur partes optimè*: & sanè nisi calida & aurei annuli eorum prodidissent, neutiquam Crœsi diuitias consecuturi fuerant. Vnguenti vsus huiusmodi erat: primùm pars affecta, & quæ vicinæ illi circumpositæ erant vngebantur, vsque dum etiam per os erumperet cum malo ipsum remedium: bone Deus, quantus terror eos occupauerat, cùm cernerent ægros in cœmiterium confugisse. Attamen quo pacto hanc defluxionem auerterent, speculari non desierunt, qui Doctores titulo superbiebant, semen plantaginis masticandum præcipiebant, Chirurgi Mel rosatum & Alumen decoquentes, malo mederi conabantur. Monoculi medici aquam mororum præscribebant. Tandem ex Herbario Prunellæ vsus innotuit. O præclaros medicos.

Dissensiones medicorum de specie morbi.

Simplicia quæ curando malo sūt adhibita

Vnguenti forma vulgarium medicorū contra scabiem Gallicā.

Rustici fucum sentiūnt.

Prunella

CAPVT III.

CVm ergo istiusmodi vnguentis parum admodum proficerent, aliam interim curandi rationem, æquè ac prior fuerat, naturæ contrariam ingressi, quo pacto fluxionem à dentibus purgatione auerterent, cogitabant: sed circulo isto absoluto, semper priores recurrebant vnctiones. Interim tamen frequentissimi sepeliebantur ipsorum ægri: itaque ne forsan propter vnius funera alterius quoque Remedium contemneretur, paulatim in sectas scissi sunt. Quarum hi illos incusabant, quòd Mercurium non rectè extinguerent: isti vicissim hos, quod coagulandi artem non callerent: quidam transmarina simplicia sua declamabant (post caulam scilicet, & in plateis passim nascentia) nonnulli qui se Alcumistas appellant, nescio quam coagulationem per herbas profitebantur. Hos dein subsecuti alij in locum vnctionum Tenuem victum substituerunt, mira ieiunia, Quadragesimas, Aduentus, &c. confingentes, omnia nimirum in eum euentum, vt si vnius remedio non respondisset euentus, alter à calumnia liber esset, interimque pecunias ab ægris tuto emungeret, verùm exitus seu opus, quod de artifice testatur, non admodum diuturnam hanc curandi normam passum est: itaque & hîc spe sua deiecti, ad fumigationes confugerunt, atque vndique quà corporis aliquis meatus

Sectarū occasio.

Tenuis diæta instituitur.

meatus patebat, fumigantes, miror quomodo culum ac cunnum præterierint. Basis fumigiorum erat Mercurius, quem ne omnes similem haberent, miris formis eum repræsentare annixi sunt: alius in calcem redactum ostendebat, alter axungia vrsina enectum, sed vulgus maturè admodum fucum sensit, ac remedij hoc genus repudiare cepit, atqui malo quodam fato Cinnabaris tandem emersit, cuius virulentia cùm initio vulgo incognita esset, huic aucupio ad tempus accommodata esca fuit, multósque orco demisit. Omnium istorum in locum tandem lotiones successere: nam hoc illis peculiare est, deteriora fere melioribus substituere: deteriora dico ipsorummet iudicio: breui etenim, at nimis maturè tamen, quis huius remedij vsus esset, ægrotum periculo didicerunt. Itaque & hoc repudiato, ad Corrosiua progressi sunt, eo successu, vt dum sanas partes læderent, ægras relinquerent, ex simplici malo duplex existeret, atque ægri præ nimio pruritu ac dolore inuiti saltare ac tripudiare cogerentur. Remedia forsan requiris, audies, sed (ob dictas causas) diuersa: alius namque alumine vsto, alius Rubro henricho (quem vocant) alius Sale Armoniaco, vt Mercurium sublimatum, & Realgar non dicam, negotium suum exequebatur: sudatoria, stuffas, clibanos, & id genus pecuniosas ipsis artes, iam breuitatis causa omitto.

Mercuriusbasis fumigiorum.

Cinnabaris violentū remedium.

Lotiones.

Corrosiua.

Tandem cùm in omnibus istis næniis nil spei amplius superesset, alia quæsita sunt homicidiorum excusandorum remedia, itaque alij Ecclesiasticas dignitates ambiuerunt, alij institorum ac mercatorum se negotiis immiscebant, maximè quæ ad Lignum sanctum pertinebant, scilicet & illic aliqua adhuc lucelli spes emicabat, Mercatores illi non sanitatis, sed lucri causa Lignum importarant: quippe non ignari, ne in natali solo quidem hoc malum curandi vim ligno inesse: nam & illic passim in plateis & compitis infinitum viderant ægrotorum numerum. Sed quid multa, idem hîc quod alibi illis euenit, atqui non planè sine specie erat hoc remedium: etenim vt commendatius esset, tenuem diætam eius vsui coniunxerunt, eamque sex septimanis continuandam præscripserunt. O ieiunium, ô miserum pascha, scilicet per dies quadraginta omnia ex voto successerant: sed heu post Dominicam Palmarum hic angor perpetuus incipiebat, & boni illi fratres cum Dominica tertia cantassent Lætare Ierusalem, in Paschate re male considerata, pro Resurrexit, canebant Requiem æternam, &c. & suos ægros mittebant in Emaus. Tantum scilicet in vniuersum est, quicquid in huius curatione ab illis attentatum est hactenus, quod si suo modo pergere velint, monitos eos volo omnibus modis considerent, quantum naturæ in istis possibile sit: namque quicunque non considerata prius Natura, ex suo cerebro Medicinam facit, vel manifestè naturæ repugnat, vel casu curat, quæ dein curatio Mercurio, non Medico accepta feretur.

Lignum cur à mercatoribus allatum.

Requiē pro resurrexit Ægri in Emaus abeunt.

CAPVT IV.

Maiorem sanè apud nostros atque Italos Medicos prudentiam sperassem, quàm illi re ipsa præstiterint. Nam dum omnia inuertunt, & lumine naturæ se destitutos ostendunt, & suarum formularum bonitatem suspectam reddunt: etenim ex iis manifestum euadit, illos nulla de morbi causa habita contemplatione, statim ad ipsam curationem properasse, sicque Praxin Theoriæ præposuisse, verum non ignoraris forsan ex Praxi Theoriam primum extitisse, scilicet cùm ex experientia progrederetur: atqui aliud est experientia, quàm vsus vestrorum remediorum, vnctionum dico, Lotionum, Corrosiuorum, Ligni, &c. ista namque multorum periculo abundè comprobarunt, cuiusmodi ipsa experimenta sint: itaque & vos omnésque qui vos sectantur, plurimum à scopo deuiatis, cùm vel vestro ipsorum testimonio experientia vestra incerta sit, atque putida, quod si Praxis huiusmodi est, qualem Theoriam hinc exædificari quis cogitet? Sin isthæc remedia vestra authoritate scholarum & Doctorum, à quibus toti dependetis, defendere conemini: quid aliud erit hoc, nisi inanis sermo, ad ægrotorum perniciem comparatus. Istud potius ex me scitote, Theoriam non minus quàm Praxin actionem quandam esse: est enim Theoria cuiusuis rei, nil nisi speculatiua quædam praxis, veluti & ipsa praxis est actio operatiua: quid ergo vos effecturos putatis, si speculatio operi seu actioni non respondeat? vtraque sanè vel vera, vel falsa sint oportet. Architectum intueamini, is in mente domum exædificat, vnde verò illud ædificium assumit? vtique ex practica operatiua, quæ nisi prius extiteret, nunquam speculatio ipsa foret. Itaque vtramque praxin ex experientia progredi iam demonstratum est, vos quomodo vestræ speculationes cum demonstrationibus conueniat, ipsi videritis. Verùm sic res vestræ comparatæ sunt, vt solo habitu ac titulis à rusticis differatis, cætera per omnia similes, adeò, vt mirari subeat alicubi in rerum natura Academias existere, quæ tales suppeditent Medicos, qui à rusticis, quàm à suis præceptoribus plura didicisse se fateri cogantur. Sed perinde vobis ac Cherioni euenit, qui pro pernis rosas in fumo exsiccare volebat: nam gladium quem natura nobis in manus tradidit, ad vsum accommodare imperiti estis.

Theoria ex Praxi primum extitit.

Theoria est etiam actio.

De ideis

Titulis à rusticis differunt pseudo medici.

CAPVT V.

Neque verò ignarus sum, quosdam Italos ac Germanos editis libris de pustulis disseruisse, veruntamen quibus rationibus illi nitantur, sic breuiter accipite. Sunt qui Choleræ pustularum Gallicarum generationem tribuant, suæque opinionis rationem requisiti respondent, Paragrapho siquidem, &c. Atqui quis vnquam in medica arte autoritatem tanti æstimabit, vt ex paragraphi allegatione dubia decidi posse cogitet? experientia potius, demonstratio, atque veritas ipsa præualeant. Cętera istorum hominum mendacia tacitus prætereo, qui cùm non vereantur antiquorum authorum authoritates ad nouos, atque antiquitati incognitos morbos vi quadam traducere: quomodo non quiduis sine iudicio ad confirmandas suas opiniones producent? Numquam sanè mihi persuaderi

Scripta aliorum de lue Gallica censentur.

deri passus essem, eos qui partim Realistę partim Moderni nuncupantur, tam omnis philosophiæ atque transmutationum ignaros esse, nisi reipsa experiret. Parisiensium, Montispessulanorum, Coloniensium, ac Viennensium, etsi tanta ruditas non existit, talis tamen est, vt quis iure in illis maiorem eruditionem requirat.

Realistæ & Moderni.

Atque vt tandem quod sentio proferam, sic liberè ego pronuncio, Humorum illam quaternitatem merum figmentum contrà omnem naturam excogitatum esse, tantùm abest vt pustulas Gallicas ex illis deduci confirmari possit. Admittam, siue Paragraphum, siue Sparagraphum contrà alleges, parum mea interest: tam miserè enim vestros tractatis humores, vt & ipsamet natura hac in parte vos reformidet. iam sale conditur humor, estque vobis phlegma salsum, iam aceto perfunditur, & euadit phlegma acetosum, atque huiusmodi sexcentas nugas fœcundissima vestra capita cōminiscuntur. Subtilitates istas (liceat vestra bona venia sic appellare) Artistæ primùm in medicam artem transfuderunt, qui cùm secundum olidam suam Logicam medicinam distinguendam præciperent, fœdissimè artem pulcherrimam conspurcarunt, adeò vt iam non quod veritas iuberet, sed phantasia deliraret, rectum putaretur. Accesserunt insuper authoritates huiusmodi, Hęc dixit Isaac, hæc Hugo, &c. quid ista ad Hugonem, Trusianum, Sillanum, Azatarium, &c. an illorum aliquis Gallicum morbum cognouit, vel curauit? scilicet Gentilis & Iacobus de Partibus tuam contegent ruditatem: tute te consule, an istæ authoritates sufficiant. Sed vt paucis rem concludam, sic de omnium eorum qui Morbum Gallicum descripserunt centonibus iudico, nullum penitus Theorema vel Medicamentum vtile totis illorum libris descriptum inueniri. Itaque si quisquàm est Medici nominis studiosus, is ab istis allegationibus (quibus nec Coloniæ, nec Parisiis honestè vti licet) abstineat. Siquidem iam demonstratum est, omnium tum Germanorum, quàm Italorum scripta authoritatibus antiquorum innitentia, inutilia, putida, pestifera, atque explodenda esse.

Ex humoribus pustulæ non causæ demonstrari nequeunt.

In Logicam incidunt.

Authoritates in medicina nil probant.

Cap. VI.

Iam ergo documentum vniuersale, ac vtile vobis tradere institui, scilicet vt humorum illum quaternionem, quem tantoperè Medica ars (eam dico quæ pontificum diplomatis munita stultè superbit) prædicat ac vrget, tamquàm pestilentissimum dogma abiiciatis: dictis meis scio tùm demum fidem adhibebitis, vbi cognitis ægrorum, tam salutis quàm insalubritatis causis, dogmata ista naturæ planè contraria esse, neque vlla ratione defendi posse obseruabitis, atque tum quoque quātum signis, atque dignotionibus scribentium, tribuendum sit, manifestum euadet.

Humoribus quaternio reiicitur.

Quod si humani corporis cognitionem quis affectet, is non istis perpetuo inhærebit, sed vlterius progressus, cuiusuis lapidis, ligni, &c. atque omnium quas natura produxit rerum virtutes addiscere non subterfugiet. Virtutes illæ, non sane ex humore aliquo, vel aliquo quatuor Elementorum (ad quod Asylum perpetuo recurrunt illi) referentur. Quin & illud in Mespilo non ignorandum quamobrem ille contra ac pyra formatus, ac vicissim quamobrem horum putredo secus ac illius in vitio sit. Sed istarum differentiarum causas, quonam referri debere putas? ad Melancholiam vel Choleram dices: quasi verò rerum omnium causæ in quadratura illa lateant. Circulum mihi considera, an ne ille cùm trigono vel tetragono aliquam habeat similitudinem? maiore sane prudentia Medicinam vestram, omni experientia destitutam, tractare nos decebat.

In humani corporis naturam quæras sit inquirendum.

His ergo quæ diximus mente comprahensis, iam deinceps omni scientia vos destitutos esse, non amplius vrgebo: nam ista Medicinæ fundamenta sunt, sed ea tam in mundo exteriore, quàm in ipsomet homine æquè sunt consideranda: amborum námque eadem est ratio, eandémque vtraque admittunt vel respuunt in quaternionem illum diuisionem? verum exterior mundus, quàm homo prius est considerandus: nam nisi penitus perspectis, quarumuis terrarum aquarum, ignium atque aeris cuiusuis, naturis, contentis, generibus & speciebus, nemo vnquàm Medici nomen sibi vsurpare poterit. Terram nobis exempli causa proponamus, primum quot eius species toto orbe sint post quomodo & quamobrem hæc pinguis, illa sabulosa, hæc lenta, illa friabilis, hæc tali, illa alio colore prædita sit, an non tibi cognoscendum putas? vtique, nam ex istis conceptionibus carnis, dein natura innotescit, Atqui ista cognitio non inanibus vestris contēplationibus, sed veræ Philosophiæ beneficio comparatur. Similiter de aquarum diuersitate iudicandum: nam perinde ac huius variæ species existunt, sunt enim aquæ aliæ salsæ, aliæ acidæ, nonnullæ dulces, &c. sic & in humano corpore liquores diuersi repeiiuntur.

Mundus exterior, æquè ac homo est considerandus.

Terrarū differentię.

Aquarū differentię.

Eodem modo in lapidum naturis res se habet, nec in istis solum, sed & plantarum, arborum, Metallicorum corporum, & quidquid vspiam natura ex superioribus quoque Elementis, Tereniabin & Nostoch produxit, sic in te recondita habeas, veluti in Iliado illa cōsistunt: in hoc enim singulæ species singulæ separatim compræhenduntur. Vbi denique ista omnia mente complexus fueris, tum demum ad Anatomiam Microcosmi progredieris, vbi si didiceris, Morbos non ex humoribus, sed veluti poma in arboribus, sic eos ex hominis corpore germinare: iam in verum Medicum euadere poteris.

Aeris & ignis diuersitas.

Anatomia Microcosmi quando sit temptanda.

Cap. VII.

Assumpto proinde eo quod iam demonstratum abundè est, quod scilicet in humano corpore omnes maioris mundi species insint: iam altius in illum quaternionem, quem vos Medicinæ fulcrum cōstituitis, inquiramus. Cum sanitas ac ægritudo corporum in partium ipsarum dispositione consistat, partes autem plus centuplices inueniantur, quomodo consistere posse humorarium illum quaternionem putas? Sane nisi Mineralium partes intueamini, numquàm vel leuissimæ diariæ febris causam reddere, vobis possibile erit, nisi Vitriolatum

Mineralium consideratio necessaria.

triolatum

triolatum aliquem humorem magno vestræ artis dedecore confingere velitis. Verum nil istis meis argumentis etiam firmissimis, permoueri Germanos ac Italos Medicos, tribus ex rationibus intelligo: alij namq; eorum iam senes ac laboribus fracti, quietem quærunt. Alij crumenæ quàm ægris medentur accuratius meaque scripta, ob id parui pendunt: Vltimi nouitatis pertæsi, tam pigri ac vecordes sunt, vt vix seipsos loco moueant. His inquam de causis perpetuò dominabuntur in arte vestra errores: interim tamen non dubito fore aliquos, qui meis vestigiis insistentes, acriter vestris Mendaciis contradicant. Primum enim naturæ imperitos esse, eique manifestè contradicere cum vitiosum non putetis: dein, morborum descriptionibus (etiam inuita Minerua côsarcinatis) quia vna antiquitate cõmendantur, sine iudicio pertinaciter fidem adhibeatis, cur non ad detegendos vestros errores me compelli paterer.

Tribus de causis Paracelsi scripta negligũtur.

Calumnias, conuitia, atque blasphemias quibus me petituri sunt isti, (eos dico qui corpus ac animum cùm mihi debeant furtiuè ea mihi abstulerunt) non tam metuo, quàm vereor, ne illi ipsi magna multorum hominum iactura, imò vitæ periculo nostris remediis abutantur, quod vt magis metuam, facit ipsorum cum reliquis suæ farinę nequam hominibus inita familiaritas, in quam nunquam (mihi crede) descendissent, si vel scintillam pietatis adhuc reliquam haberent. Veruntamen silentij nostri causa non ea est, quòd illos pertimescam, sed quia scio plagiaros ac fures istos, crimen ac inscitiam suam non posse non vultu ac opere prodere, à respondendo supersedeo. Huius generis nebulones plurimos Basiliensis Academia cùm illic Medicinam profiterer suppeditauit, qui cùm ad tempus coniunctissime mihi conuixissent, cognitis quibusdam nostræ artis secretioribus remediis me deseruerunt, atque pro officiis meis erga ipsos infinitis, tantum abest vt aliquam gratitudinis significationem dederint, vt etiam manifestè mihi contradicere, mendaciis atque conuiciis me petere non dubitarent. Sed quod ad initium operis in prooemio polliciti sumus. Theoricos errores & remediorum abusum quæ magno ęgrorum incommodo apud vos radices egerunt, quantum in nobis est præcauere, tollere, abolere, omnibus neruis atque viribus conabimur: nam ista prius expurgata sentina omnia posthac erunt faciliora ac magis peruia. Quod si forsan ob virulentiorem stylum, maledicentiæ crimen, quis mihi obiiciat, atque scurrilitatis accusare velit, ei si candidus est, (nam cæteros nil moror) sic breuiter respondeo: si ipsi tam perspecta essent quàm mihi cognita sunt istorum hominum scelera, duplo vehementiore calamo ea persequenda præciperet. Neque tam sum rudis rerumque imperitus, vt non facile coniectura assequi possim, me à paucissimis intellectum iri, à pluribus verò contemni: quippe non ignarus, falsum cum vero neutiquam consistere posse. Denique quod fortunæ ac virtutis comitem esse intelligo, omnes omnium calumnias facile contempsero.

Basileæ Medicā profession in Paracelsus sustinuit.

Errores tollere est Paracelsi studium.

Stili vehemẽtia defenditur.

CAP. VIII.

QVò autem errores vestros tam theoricos quàm practicos facilius homines cognoscant, occasiones quibus in eos illapsi estis aperiendæ mihi iam sunt. Principio ergo ab agyrtis ac experimentatoribus edocti, Mercurium in istis morbis summum misterium esse omnem in illum spem vestram coniecistis, & sanè vt quod res est fatear, vni Mercurio omnis curatio debetur: namque sola vis Mercurialis curare apta est, siue in plantis ea sit, siue in aliis rebus, verum in præparandi ratione error vester latet, in qua cum rectè intelligatis, extingui illum primum deberes, non tamen quemadmodum id præstari debeat cognoscitis: etenim donec suam in apprehendendo Auro naturam conseruat, integer est: itaque hinc manifestum euadit, axungiam vrsinam ac sputum ad illud præstandum non sufficere, cùm verò alios extinguendi modos, neque in Galliæ vel Italiæ academiis didiceritis, ipsi iudicate qua fronte Doctoris titulo superbiatis: maximo certe damno vos ægros afficere constat, cùm eos non rectè præparato Mercurio vltro qualituros aliàs si non enecatis, certe paraliticos facitis, cæteros veterinarios iam prætereo, quibus forsan talia non sunt æque ac vobis vitio danda. Inscitiam quoque vestram hîc non commemorabo, quam ipsi celare non potestis, dum soli Argento viuo mineralem illam vim tribuitis, quasi vero non singulis ea plantis congenita foret, sed vnico huic minerali implantata, quis quæso eam in Tereniabin desiderat? quis in Locustis? quis in Galbano? Cætera quæ Mercurij vim attinent, in ipsius præparatione dicentur: iam ad cæteros errores pergamus, inter quos primus sese offert in laxatiuarum medicinarum abusu consistens, quæ dum Mercurio commiscentur, in morbi quoque declinatione tantum abest vt proficiant, vt etiam nouum morbi augmentum, ipsamque denique mortem inducant, est namq; ea vis Euforbij ac Scammoneæ, vt sensim in corporis intima penetrantes, facultates vitales dissoluant, vt successiuè imminutis viribus tandem mors consequatur, neque istis contenti quidam, Arsenicum ausi fuere laxatiuis iungere, cuius vt venenositatem corrigerent, species de gemmis adiecerunt quos vsus ipsi sciunt. Similiter in vnguentis aberratum turpissime à plerisque est, dum scilicet Axungiam porcinam, cerussam, Minium, Lythargirium, & alia huius generis simplicia, etiam natura contradicente commiscuere: nam hoc solum ab iis effectum esse obseruabimus, vt oppilatis cutis spiraculis morbi fucatam quandam repræsentarent curationem, quæ tamen vltra subsequens plenilunium non duraret. Sed errorum omnium illa radix est, quod Mercurij minerali virtute incognita difficile est inquirere, quibus correctiuis eius venenositas sit tollenda: quo ignorato, qualia euadant composita quilibet Practicorum ac Theoricorum canonum gnarus facile iudicabit. Consequitur ad hæc & illud etiam quod affecto loco incognito qua parte remedium applicandum sit difficile assequamur, adeo vt iam optimis præsentibus

Mercurij vis in lue Venerea.

Mercurij inepta extinctio.

Mercurius crudus nimibus [illegible]

Euforbij Scammoneæ malignitas.

Arsenici prauâ concoctio.

Mercurij virtus vniuersalis cognoscenda.

bus remediis nil efficiatur, nisi vt si non mors, certe paralysis curationẽ absoluat. Nõ secus de fumigiis actum est: námque Montispessulani ac Salernę Medici cinnabrio in fumigiis adhibito iam perfectam se curandi morbi rationem assecutos esse opinantes, præpropero concepto gaudio subsequentem calamitatem grauiorem reddiderunt: ô lepida capita, istos ne quis homines dignos iudicat, quibus contradicat? cum simplicia nondum dignoscere didicerint? námque illi cinnabarim à Mercurio alienum esse opinantur, cùm tamen eadem plane sint: sed ista iam ommittamus. Stante verò eo quod Cinnabaris Mercurius sit, sequitur duobus tãtum ligamentis ipsum posse ac debere accommodari, vestrámque vulgatam administrandi rationem (qua Thuri, Aliptæ, sulfuri &c. permixtum fumigando intra corpus impellitis) friuolam ac Mercuriali naturæ plane aduersam esse. Verum ista detegere forsan me non debuisse contendent quidam, parcendúmque fuisse existimationi primùm ipsorum, tum coniugum ac liberorum incommodis, sed bone Deus, quasi non liberis & coniugibus, ægrorum potius, quàm vestris prospiciendum fuerit.

Montispessulanorum & Salernitanorum error.

Cinnabaris duobus tantum adhibetur ligamentis.

In lotionibus deinceps perinde ac in istis mira nouitatis affectatione ludunt impostores Medici, sed ferè secunda consilia deteriora sunt, quòd in Mercurij ac Arsenici vsu manifestum euadit: in lotionibus namque adhibiti crudam quidem superfluitatem absumunt, sed ea certis periodis deinceps recurrere non desistit, cùm locus recipiens aliunde superfluitates influentes, ab istis vehementibus remediis debilitetur.

Lotionum defectus.

CAP. IX.

SEd iam tandem in Corrosiua animaduertere tempestiuum est. Primum, Colcothar adhibito non inficior corrodi partes: nam non ægras solum, sed & sanas absumere ipsum vltrò confiteor. Sed an curandi vim participet, hoc est, quod in dubium reuoco, & sane cùm Mercurialis non sit, nemo conuincet eam illi virtutem tribuendam esse. Quis non Asinam vestram admiretur stoliditatem, quòd cùm ipsamet natura Liquorem curationis opificem crearit, nondum tamen tanto tempore eóusque progressi sitis, vt quisnam ille esset, vobis inquirendum putaretis? Atqui vt vestram inscitiam vulgus quoque intelligat, curandi methodos vlterius prosequar. Arsenicum, Calcinata, & Sublimata magno animo adhibetis, at priusquàm tempus appetat, quo absolutam medicamenti operationem pollicemini, iam in Elysiis campis versantur ægri, ipsimet de vestris canonibus censuram ferte quæso: si morbus quadrifarlam se habet, quamobrem simplicia adhibetis? cur non & ipsa medicamenta in quatuor classes partimini? Verum Mercurius & Cinabaris satis testantur, ac edocent, cuiusmodi componendorum medicamentorum artifices sitis: imò & vos ipsi egregiè vobis conscij, ne nimia ac subita noxa sit venenum, per partes adhibere didicistis, &c. Atqui Nouerca certe natura esset, & iniquus pater Deus, si non alia pellendi mali remedia, præter venena constituissent. Adhæc in illo non mediocriter peccatur, cùm Corrosiua non integræ adhuc cuti (namque huic aperiendæ ipsa destinata sunt) sed apertæ iam adhibentur, vnde dein ipsa facile ad interiora penetrare queant. Itaque obseruandum hîc discrimen est inter apertam & aperiendam cutim: nam illa in Corrosiuis differentia, qua solis coloribus diuersa repræsentantur remedia, puerilis, friuola atque inanis est, & digna quę explodatur.

Colcothar partes corrodit sanas.

Liquor est curationis opifex.

[illegible]

Error in vsu Corrosiuorum.

CAP. X.

VErum plenius vestram comprobemus inscitiam atque inertiam, Medica arte ad hunc modum ab agyrtis ac impostoribus occupata. Doctores qui præter purgationem parum admodum intelligunt, vt aliquo modo eam vindicarent, sibiq; restituerent, pontificio diplomate muniti, curandi rationem ex Auicennæ, Galeni, ac Rasis canonibus deductam, in digestionem, purgationem, laxationem, ac mortificationem retulerunt: atque perlectis omnibus Regulis (iuxta iniurandi tenorem) ex Platearij centonibus, copiosissimas simplicium ac compositorum classes, ac descriptiones effuderunt, cõniuentibus imò approbantibus Philosophis, Theologis ac Iurisconsultis, qui ex præscripto legis Corneliæ, homicidia non difficulter tuebantur. Remedia posthæc vt morbis aptius adhiberentur, in causam accuratius inquisitum est, quam alij Coleræ, alij Sanguini, alij Melancholiæ, alij Phlegmati acceptam ferrent: tandem consensu Montepessulanorum ac Parisiensium veterinariorum (non contradicentibus quoque Germanis) sententia obtinuit, quod Morbus Gallicus à phlegmate, Turbetho ac Hermodactilis transmarinis: à Sãguine, Cassia & Manna: ab atro humore, lapide Lasuli (asini dicere volebam) curaretur: an ne in stercore morbus Gallicus est, quod purgationi curationem tribuitis? sed scio ad digestionem recurretis, & ad vestram Cichoream, cuius exemplo à mane ad vesperam vsque (vt illa solem imitatur) nunquã delirare desistitis, confugietis. Sanè si digerendo & purgando malum hoc curandum est, vel alia ægrorum testimonia vobis proferenda erunt, vel alia simplicia inquirenda: etenim si Diacridium, si Scãmonea, si Esula, &c. aliaq; species iuxta Dominum Plateariam, & D. Doctorem de purgandis, vniuersales in morbo Gallico Medicinæ sunt: si inquàm tantum purgatio conducit, ægros à vobis sanitati restitutos producite, & vestræ subscribam opinioni, sed heu stercorariorum silentium: contra ergo ex me hoc habetote, quod Morbi Gallici, ARCANVM, sit Remediũ.

Platearius.

Lex Cornelia de homicidiis.

Humores singulos purgantia medicamẽta.

Esula & Diagridium in Lue Gallica nil prosunt.

Arcanũ morbi Gallici est Remediũ.

CAP. XI.

TAndem verò ægris omnibus de salute desperantibus, neminéque amplius vobis nummos subministrante Lignatũ profecti partim, partim Cardinalitio Galero ornati, pristino statui restituti estis: ô superbenedictam Syluam quæ victum suppeditat, sed væ lignorum baiulis, váh quam vtile lignum hoc? quot peregrinationum laboribus Medicos leuauit? nam cur Romam quis iret petitum indulgentias, cùm præ foribus vænales prostent, cur non potius in proximum Iubileum, quis iter differat? noua audite, cùm illa regione

Medici lignatũ profecti.

vnde

vnde lignum hoc conuehitur obambularem, passim in plateis sparsos ægros cernere erat: si ergo tam nobile lignum est, cur non sanitatem recipiunt ægri? si raritas virtutem adauget, væ pauperibus: sin multitudo & copia vires imminuit, væ Theophrasto: sed breuibus concludam, quoniam solius ligni fama, omnes vestros præceptores Hyppocratẽ dico Galenũ, &c. ex manibus vobis excussit, cur non ego cum ipsis, vos atque lignum vestrum reijciam? námque cum multis annis hinc inde in Academiis ac Gymnasiis Medicinæ insudaueritis, tamen tandem ad lignum, támque ad sacram Anchoram confugitis, ista ne vestra Doctoralitas est? iste ne vestrorum studiorum finis? siccine forum lignarium, vestras Scholas superauit, vt plus illinc lucri expectandum vobis putetis, quàm ex vastis Hyppocratis, & Galeni codicibus? Atqui quoniam lignum importatum in officinas nostras est, non tamen virtutes quibus illud commendatur obtinet, condimento illud tingere, vt Carpobalsamum referret necesse habetis, nisi vestras execrandas in Mercurio, Cinnabari, purgationibus æstuariis, vnctionibus, Corrosiuis, &c. nequitias antea intelligerem, non possem non admirari vehementer vestras lances, quod non æquè à querno ligno deprimantur, quódque repudiatis aromati: Mineralibus transmarinis, &c. lignum omnibus istis præferre conemini. Sed rusticos plurimos noui, qui ex ligno, non eius virtutibus, perinde ac vos rem facerent.

Galenũ eiusque sequaces cur reijciat.

Lignum quernũ pondere pugnat cum Guaiaco.

Cap. XII.

SEd ad præparationem ligni pergamus, Eius quinta essentia, an in ligno, vel in cerebro nostro consistit, quod tam difficulter eam ostendatis? vbi eius separatio est? ô Philosophos, ô miseram Empyriam, quamobrem ieiunia instituitis, ac tenuem diætam si ligni tanta vis est? scilicet eadem in Buxo, Terebotin & Robore non existit. Si in Guaiaco tria prima insunt, quid decoctione opus est? Sin virtus ac forma specifica sunt, inutilis rursus decoctio erit: sin Arcanum, quid prodest componere? veruntamen lucri cupiditas omnibus istis facile medetur: sed quid lucrum dico, vel pecuniæ iacturam, aliud maius damnum est, quod vt vobis contradicam me cogit, scilicet quod tam male mulctantur ægrorum corpora.

Ligni vulgatus vsus improbatur

Præterea, quis est, qui eam vim Ligno inesse ostenderit? vel vnde eius virtus vobis innotuit? an color? pondus? durities? sic excelluit? nihil minus: nam contra afferri possunt, quibus hoc facile cedat, atqui forsan occulta illi facultas inest, concedo: at quid tum correctione ac compositione opus est? Sed lubet iam quid mihi olim contigerit commemorare. Cùm inter Transsyluanos agerem, atque Oppodeltoch meum paulatim contemptui haberi inciperet, de Aquarum virtutibus commentari cœpi, atque sic vulgus, Aquarum efficaciæ tribuere volebat, quæ tamen ego ab Oppodeltoch meo proficisci non ignorabam, perinde itaque iam vestræ res habent: etenim vulgo persuasum est, at non perinde vobis, quamobrem in id iam vobis incumbendum sedulo erit. Itaque vt tandem concludam, vnicum hoc exquirere ex vestrum aliquo optarim, vnde nam virtus illa quam tantopere effertis (adeo vt Microcosmicam eam esse pronunciare non dubitetis) vobis innotuerit? atque quamobrem tam accurata ipsum indigeat decoctione, sed iam responsum tale audire mihi videor. Sic aiunt qui illud ad nos conuehunt, bene habet, intelligo, propediem sc. vbi præ copia ipsum vilescere incipiet, quernum lignum de primatu certabit.

Oppodeltoch Paracelsi

Ligni virtus Microcosmica.

Cap. XIII.

VT tamen in omnibus hactenus commemoratis erroribus res sese habeat, veniam facile impetrabitis, si hoc vnicum vos præstitisse video: ne sc. post absolutam curationem, primogenio affectu duriora atque grauiora subsequantur symptomata. Quod dico expertus dico: namque remedium quod vel symptomata non cum morbo plane tollit, vel symptomata ipsis morbis peiora creat, non remedium, sed venenum, & huiusmodi Medicus non medicus, sed Carnifex dici ac proclamari debet: quomodo enim medicus quis dicatur? quomodo remedij nomine veniet illud? à quo non cum morbo symptoma tollitur, vel antea præcauetur? quasi tam nuda esset natura, vt non queat vno eodémque remedio, vna eadémque operatione ambo præstare? non sane natura tam pauper est, sed vos adeo rudes estis, non natura symptomata generat, sed vos arte facitis: sic nimirum multos conspeximus, vestra inscitia intumuisse, syderatos esse Phthisicos euasisse, ac tandem extremum diem clausisse, lucro vestro interim non imminuto: nam siue quis euadat, siue succumbat, præmiũ vos accipitis: nam támque in desperatos vestram operam vos contulisse astute infertis: adhæc tam excæcatum vulgus est, vt vltro pro homicidio pecuniam numeret: nam Vir bonus est, inquiunt, laboribus nullis pepercit, fecit quod potuit, scilicet, hoc est, curare, vel si malius curuare. Hactenus prologi instar errores pseudomedicorũ notauimus, quem prologum, etsi textui cõnumerari nolim, textu tamen non minorem haberi velim: etenim non minoris operæ est, quid falsum quàm quid verum rectúmque sit ostendere: etsi enim ad curationem istud propriè non pertinet, tamen vsu non caret, cùm egros cautiores efficiat, nos sane vbi cum ætate eruditio accreuerit, in hoc scripti genere accuratiorem operam posituros pollicemur.

Remedia non dicenda sunt quæ peiora faciunt.

Malaque incon[...] sequitur curatio[nem].

Prologi instar se habet hic primus liber.

D. THEOPHRASTI PARACELSI DE PVSTVLIS, TVMORIBVS AC VLceribus morbi Gallici,

LIBER SECVNDVS, OSTENDENS

QVEMADMODVM IVXTA ANAtomicas rationes in omnium morborum causam materialem inquirendum sit.

Caput I.

PRopter singularẽ in omniũ morborũ inquisitione, Anatomię vs^9, incõueniẽs duxi antea quã de causis morbi Gallici sermonem

E[...] hic Liber [...] à Bodenstein[...] [...]

sermonem instituam, de Anatomia verba facere: quandoquidem quod nobis hoc loco scitu dignum est, oculis quoque percipi debeat, id quod in primis ad Chirurgiam pertinet. Nam hinc planè sequens prodit, quæ ad illarum originem respicit ratio. Extra enim primam materiam nihil nobis incumbit aliud, quàm quod hæc sola indicat. Quoniam autem eo res Anatomica rediit, vt existimatum sit hactenus, ex hominis mortui cadauere omnia quæ ad Anatomiam pertineant: abunde demonstrari posse, (vnde deinceps illud de quatuor Humoribus pestilentissimum dogma pullulauit quoque) ego tamen hoc secandorum corporum studium plane puerile existimo, si ad illa maiora artis mysteria conferatur: etsi interim non pauci sint, qui maximi illud faciunt, & ad morborũ dignotionem plurimũ facere contendant. Qua quidem ex re Medicina in Theoricam deducta, neque sine magnis erroribus adhuc suffulta est. Quædam enim rationes idipsum agnoscunt, nempe multo alia quàm corpus mortuum esse dissecanda: localem namque etsi Anatomiam intelligam, nondum tamen Icteritiam, Hydropisim, aliósue morbos agnosco. Quamobrem, (quia Anatomiam Medicum perficere constat) Anatomiam duplicem constituimus Localem alteram, alteram essentialem seu essatam. Cùm itaque Localis vna esse debeat, qua ratione in cadauere deprehendi possit, non video, nisi præcedente Anatomiæ exterioris cognitione, quam demum extincti corporis Anatomia sequi debet. Quòd si quantulacumque saltem in vobis esset artis Medicæ ratio, ipsi profecto fateri cogemini, nullam in eo neque naturam, neque essentiam reperiri vnquam posse, quemadmodum & vestrum nonnulli hoc quoque admirantur, quod corpus mortuum rationis loco proponi debeat, vnde aliquid quod viuenti conducat depromi queat, non expendentes, Essentiam proprietatem, ac virtutem omnem, quæ Anatomiæ præcipua sunt desiderari in eo, ac plane simul esse defuncta. Proinde vos admonitos velim si tantisper vobis viui corporis conseruatio curæ est, eius in mortuo salutem nullam quæratis. Altera vero quæ Essentialis est, hactenus quidem intacta permansit, præcipuum tamen ac professionis Medicæ summam plenè intra se continet. Verum quemadmodum communis iam consuetudo inoleuit, vt omissis melioribus, deteriora studiosè excolantur, sic & in hac artis Medicæ parte torpor & ignauia præualuerunt. Optima quæque etenim contemptui habentur, ac vobis ea vatiniano odio prosequi solenne à multis iam annis fuit, vnde etiam quasi actis cuniculis iste error vester, omnes tam Theoricos quàm Practicos canones perreptauit.

Anatomia mortuorũ et localis nõ addiscitur.

Anatomia Essata.

Optima fiunt odiosa.

CAPVT II.

PRincipio ergo propter animi vestri caliginem, Localem anatomiam accipite in hunc modum, vt ex hac nonnihil quod sequenti rationi conueniat intelligatis: quod quidem aduersus eos est, qui huic tantummodo student, & abunde sufficere arbitrantur, scire pulmonis ac epatis aliarumq; humani corporis partium situm atque cum aliis connexionem. Nam si in huiusmodi rebus medica ratio versaretur, fieri non posset, quin aliquis hinc in vos redundaret vsus. Atqui cum corpus quidem viuum viuam quoque è regione Anatomiam obseruari desideret, viua certe corpora atque huic quidem æquilibrio conuenientia accipienda declarat. Quod si Anatomiam hinc inde probè contemplemini, locum mihi detis necesse est, quo par pari comparem: habitus enim ac euiusque membri substantia ei tantum signo conuenit in quo minimum delitescit. Quocirca Anatomiam vos quærere decet, vltra eam quam cadauer præscribit. Neque hoc mihi vitio vertatur, quasi vero Diaphragma nesciam, aut vestris adstipulari nugis cogar: nam euidens est ratio quod multo plura ostendit vitæ Anatomia ad aliam vitam, quàm si in defuncto inquirere velim, id quod ad vitam attineat. Quapropter in hoc potius Anatomia obseruanda est, quo pacto morbi in hac se spargant, quique loci aut regiones suis peculiaribus morbis conueniant aut non: cuius quidem Anatomiæ rationem si habueritis, gloriari haud immerito poteritis, aliquo modo philosophiæ vos nomina dedisse: probe nimirum & exactè indagando id, quod ad Medicum pertineat proximè, nec non & pomorum quoque contemplari generationem, quæ in peculiaribus suis nascuntur locis, similiter vt cupressi, atq; ea in aliis locis. Nam quî hoc, an nõ ex Anatomia proficiscitur? proinde obseruandum quo pacto se ita confluentia iungat vt eius exactam cognoscatis & rationem & originem. Viuam igitur Anatomiam vobis proponite, non illam quæ cum laruis est luctam; ex qua nihil elicere potestis aliud quàm quod natura extrinsecus repræsentauit. Quare hoc opus, hic labor est, vt maiori nunc quàm hactenus studio in eam incumbatis. Vbi enim primum in hoc erratum fuerit, actum planè, nisi forsan præsens vobis ac propitius suppetias tulerit Mercurius. Ad hunc igitur modum Anatomia Microcosmi dignoscenda est, vnà cum suis locis & regionibus in dictis morbis, non quod morbos locis accommodem, verum quo & vobis officium finam, & res clarius appareat eadem toties inculco, saltem vt Anatomia quo pacto in flore suo ac suis exaltationibus pergat non omittatur.

Viuum corpus viuam Anatomiã requirit.

Verus vsus Anatomiæ.

Viua Anatomia discẽda.

CAPVT III.

PRæterea vero & in specie Anatomia dignosci debet, veluti de Auro quod Anatomiam suam exhibet, hoc est, membro suo, in tot regiones, nihilo tamen secius vniuersum in vno est corpore, tametsi multis milliaribus à se inuicem distent ac longe lateque dispersum sit. Quemadmodum igitur aurum sic sparsum iacet, membra tamen eius candore diuisa, ita quoque Anatomia cognoscenda venit. Sicut totus mundus est vnum corpus, ita & omnium hominum morbi vnum corpus existunt. Sed quemadmodum diuisio extenditur, nempe quod in vna quidem vena sæpe aurum latet, vltra tamen hanc minime, eodem modo & morbi sese habent. Veluti quoties homo, toties item eiusdem venæ minera. Hinc impossibile esse satis claret, vt vno eodemq; morbo vniuersi homines laborent, non

Auri Anatomia.

Anatomiæ multitudo.

secus atque impossibile est omnia terrarum genera auri esse feracia: Eius rei hoc sit exemplum. Quotquot enim sunt loci & regiones in quib. se metalla produnt, idque variè quemadmodum omnes procreationes suum habent exitum, similiter & in homine euenit. Sicut ergo nec bolus nec lephanteus auro potest esse conspersus, ita nec idem ille habitus in homine existens Cardiacæ obnoxius esse potest. Neque hoc mihi malignè interpretandum quod in Anatomia vos tam diu detineo: nam eò me vestra cogit ignorantia, ac immensæ veterum scriptorum nugæ, quod si peculiariter de sola hac (quemadmodum instituceram) sermo nobis esset, errores vestros clarius in medium producerem, ac plane vlcus vobis, vbi maxime doleret aperirem. Cæterum hinc non alius tantopere colligendus est fructus, quàm vt aliquando relicta mortua hac Anatomia consideretis ac rem æqua quod aiunt lance ponderetis, quàm falsè quamque ineptè hactenus scriptitarint, quicunque ad nostra vsque tempora de Anatomia sermonem texere sunt conati, qua quidem & vos & illi, sic professionem conspurcastis medicam, vt tantum non in vniuersum extincta sit, tametsi nihil vobis restat amplius quàm vt de Ferrariensium columnarum structura ac Parisiensibus tantisper histrionibus gloriemini. Verum huiusmodi præstigiis Itali frequentissime vtuntur, quibus perpetuus est ac indefessus ad fucum faciendum animus, quibusque nos Germani ceu Barbari nummum (quod aiunt) contemplandum subinde ac non difficulter porrigimus, non considerantes, quidquid cum laruis negotium habet laruam quoque esse. Quocirca non tam Medicina quàm nefandus quidam fucus ac impostura hæc est merito nuncupanda.

Lephanteus non est auro conspersus.

Anatomicorũ scripta cẽsentur.

Italorum præstigiæ.

CAPVT IV.

QVapropter non immeritò eiuscemodi differentias Anatomiæ adscribendas esse censeo, sed & eandem Medicæ professionis basim esse existimo, quandoque tam varia terrarum genera sunt, quod nihil aliud ostendit, nisi tam varias esse hominum quàm terrarum diuisiones: è diuerso quoque, quemadmodum quæuis tellus peculiari quadam fertilitate pollet, & alia aliud producit, sic etiam ex hominibus quiuis proprium suum ac peculiarem morbum profert, id quod in hanc sententiam accipiendum est, quod eadem ratione corpus humanum in tam varias dispositum est naturas & essentias. Vnde tam impossibile ex aliquo corpore in quo eiusmodi natura fuerit profluuium procreari, quàm lutum producere aurum posse. Et quemadmodum vnicuique terræ peculiares sunt destinati fructus similiter & tam varia sunt in Microcosmo corpora, tamque varij subinde producuntur morbi. Cæterum quidquid corpori æquale est exhibet item æquales morbos non aliter, atque æquale quidem solum æqualia poma. Atque hæc quidem Anatomia est, cui vos & fidem & studium adhibere conueniens est, non solum considerantes quia hîc pirus nascatur, alibi malus, ac rursum alio loco aut quercus aut fagus, verum potius quo pacto confluentia huiusmodi quidem simul atque vnà propagari permittat. Summum enim ac præcipuum hoc esse in Medico duco, vt confluentiam Anatomiæ probè intelligat, quo sc. pacto loca & morbi inter se conueniant, non quia id citra exteriorem Anatomiam fieri debeat, verum potius vt per eandem in confluẽtiam deducatur, cuius quidem rationem, ac intellectum vbi habueritis, haud difficulter in vestram me sententiam deducetis. Nam vt apparet, quatuor sunt essentiæ quæ vnicuique semini suum dant profectum, sic eodem ipsæ vniuersam Anatomiam conflent, necesse est, nec vllam posthac mentionem faciatis vel corruptionis, vel putrefactionis, vel eiusmodi somniorum, quibus hactenus ita fuistis obruti, vt pessima quæque pro optimis nulla habita ratione delegeritis. Porro tametsi posset fortè Anatomiæ diuisio contingere, vt altera Chirurgiæ tribueretur, altera vero Physicæ, rem tamen ipsam non vsque adeo ad vnguem attingere ea diuisio videtur. Anatomiæ siquidem Geometria intellectum, alia ratione præbet. Sed & Iliadi habitus idipsum aperit, præsertim cum vnum corpus existat.

Terrarũ diuersitas consideranda.

Morbi seu fructus ex Microcosmo prodeũt.

Semina singula à quatuor essentiis fiunt.

Anatomia alia Physica est, alia Chirurgica.

CAPVT V.

POrro essentiarum Anatomiam intelligere potissimum est, idque tantum influentiæ gratia. Quid enim ex omnib., quæ ad Medicum attinet, hunc confluentiæ intellectum æquipollet? cum præsertim citra Anatomiam natura ferè protulerit nihil, hinc est quod omnia genera, & species separauit in semetipsa. Quonam igitur pacto, mortuum cadauer secantes, extendentes, ac miserè laniantes, quidquam ex eo consequentur, quod viuenti vtile futurum sit? cùm hîc quod captatis nusquàm adsit amplius? Veruntamen quemadmodum decem sunt pomorum genera, decem item genera pirorum, idque vniuersum sub vna solum Anatomia: similiter quoque & totidem Ictericiæ genera sunt, ac item paralyseos & omnium præterea aliorum morborum. Atque eius generis morbos, vnum & vos in vestra Anatomia reperitis? an hac ratione (nisi forte quod coniicio vobis Gallis, ita Germanos deludi volupe est) plures quærere languentes conamini? quin potius id quod dudum hinc aufugit peruestigatis? quamque & hoc, & omnes alij morbi sub vna eademque consistunt Anatomia. Hæc duntaxat aduersus quatuor Humores dicta sint, qui nullum neque locum, neque rationem Anatomiæ pati queunt, neque vlla via, quemadmodum feruntur, ex his morborum origines contingere possunt. Cur igitur tantisper de vestris humoribus gloriamini? quid sic ampullas ac sesquipedalia verba subinde proiicitis? quandoquidem non aliter, atque poma in suis locustis prodeant morbi, & perinde vt illic sic etiam in morborum generatione sanguinem, aut phlegma considerare ridiculum est. Nam hoc loco sinapium summam rei, & quidquid tandem hîc scire conuenit abundè proponit. Hoc itaque si caueritis quisnam à vobis tandem fatuum abiget, cùm tam profundè radices egerit, vt euelli à quoquã vllo pacto nequeat, quin & hoc certum est, eum qui pomis suos dare & adimere nucleos potest, eum non minus & morbis

Anatomiæ est latior ratio.

Pomorũ decem genera.

Humores quatuor nullã ferunt Anatomiam.

Sinapi.

morbis quoque, non tamen consultis prius quatuor humoribus dominari posse. Harum igitur ægritudinum ratio ex sola debet Anatomia ferre iudicium, non autem ex Humoribus. Contemplemini quæso vos vel mespila poma, crescunt enim ea neque ex colera, neque ex Melancolia, verum potius ex confluentia Anatomiæ. Hûc hucadhibete nares, & olfacite, quidnam sit specificum, quod hunc fructum in radice adoriatur, idque etiam his comparate ægritudinibus. Nam & eodem pacto morbi nascuntur, non secus atque ex tellure fructus, quapropter corpus ipsum omnium ægritudinum quasi fundus est, ex eo namque non aliter quàm ex terra fructus procreantur. Cùm igitur corporis fructus morbi sint, circumspicite vbinam inuestigari debeat Sinapi, quod pro Eruca hactenus, sed falsò accepistis. Verum quemadmodum soletis vtilissima quæque spernere, ita etiam hac in re pristinam obseruastis consuetudinem. Cosmographiam quæso Anatomiam esse sinite, nec non Tropicum Cancri & Capricorni, & lineam Meridionalem, &c. Similiter quo pacto quatuor matres in suapte sint Anatomia sitæ, contemplemini. Has enim si exactè cognoueritis, Microcosmum in suo esse, integrum habebitis. Contemplamini Anatomiam, quàm concinnè in ipsa tum manus, tum pedes sint: quinetiam considerate quid in hac sint digiti, quid membra principaliora, atque his similia. Et tametsi non omnia confestim ad peragendum iter, vel etiam tactum composita sunt, nihilo tamen minus eius Elementi membra sunt. Sicut enim manus & pedes suis peculiaribus funguntur officiis, ita idipsum & fructibus iniungitur, quæque eorum regiones sunt eodem quoque pacto, & in terra regiones percipiuntur. Aquæ porro Anatomia quale corpus habeat vide, quemadmodum enim eius membra sunt Mineralia, sic quoque & Tereniabin Chaos membrum est, & Galaxia spina ignis.

Mespila unde oriantur. | Astronomia quædam | Simile.

CAPVT VI.

PRincipio obserua quod ex Elemento aquæ procreentur gemmæ, hoc est sui Elementi membrum, metalla quoque, idque aliud est membrum, mineræ porrò aliud membrum demum & lapides & hoc ipsum aliud membrum, &c. Sicut igitur ea membra in suis regionibus ab aliis differunt, ita etiam in homine se res habet: proinde totum mundum sui Elementi corpus esse considera. Verumtamen vt se metallorum membrum spargit in suis nimirum regionibus dissectum, nonunquam centum milliaribus æres ab ære distans, interdum aliquot stadiis saphyrus à Saphyro situs, similiter sulfur à sulfure, marmor à marmore longè lateque diffitum, nihilo tamen secius vnumquodque hoc vnum est membrum. Eodem modo & in corpore obseruanda sunt eiuscemodi loca, nempe quemadmodum Mineralium, fructuum, vel impressionum loca inter se confluūt, simili pacto & in corpore eius generis loca nonnullis ægritudinibus destinata sunt, vt omnes quidem homines, similiter vnum corpus sunt, inter hos tamen multæ ac variæ regiones existunt. In alia quidem regione hydrops cadit, quæ est impressio ignita, in nonnullis hominibus Cardiaca prodit, hoc est, Manna Chaos, in aliis erumpit febris, & est impressio terræ. Similiter quoque Anatomia cuiusuis hominis potissimum per se in eiusmodi regionibus sic se habet, quemadmodum regionum aliquot centuriæ sunt, in quibus mineralia latitant, ita & in corpore aliquot centum partes existunt, in quibus vlcera corrosiua continentur. Et quemadmodum nec extra illas regiones prædictæ mineræ, ita neque vltra has partes corrosiua vlcera vspiam amplius reperiuntur. Nam vt hac in parte Bolus siue lutum corpus est, in quo nullum minerale locum habet, simili quoque pacto & principaliora membra in seipsis tale quid minime patiuntur.

Gemmæ ex aqua fiunt. | Saphyrus. | Homines omnes vnū corpus sunt. | Manna Chaos. | In Bolo nullum inest Minerale.

CAPVT VII.

QVum autem Medicinæ ad amussim iuxta Anatomiæ rationem expertum esse conueniat aliquem, quid tandem eximij fructus cadauer vobis in vestris gymnasijs, quidue selectioris iudicij daturus sit? & tamen ob id tam male in me affecti istis, quod viuam Anatomiam tantisper commendo, id quod à me dictis rationibus non immerito fit, quare corrosiua in principalioribus membris non perinde vt in exterioribus exulcerent. Hoc ipsum si vt vos arbitramini, ex solo loco capere possem, haud iniuria gloriaremini vagabundum ac erronem me nuncupantes, meamque experientiam sinistrè vt cætera omnia interpretantes, cui tamen in hoc potissimum hactenus incubui, ne philosophia in vniuersum destitueret, & mundana Anatomia clarior aliquanto magisque perspicua redderetur. Possum quoque haud immerito huc vos in nostrum ordinem vocare, vt à fundo vsque altius quàm sunt vlli putei cognitionem habeatis, possitisque vnum quodque lutum ab alio probè discernere, quamlibet item tellurem ab alia, quę videlicet mineralium plus compos sit quā alia, quæue sit ea tellus in qua cedrus locum habeat & alio in loco pinus, aut vbinam ex Elemento aquæ Adamas producatur, vel vbi se Iaspis exaltet. Hanc cosmographiam si non secundum literam solum, verum iuxta normam naturæ apprimè cognoueris, quî dicere queam non esse te Medicum, quo tamen nomine hactenus plerosque indignos habui. In hanc autem nassam me haud vnquam pellicietis, vt aliam credam esse in physico corpore Anatomiā loco eius quæ mundana est, aut non posse comparari impressiones ægritudinibus: & quemadmodum hactenus non permisistis inexpostulatam membrorum chaos fixationem, ita nec hanc mihi fomitem vnquam extinguetis. Quod si vero nullam apud vos spem habuero reliquā qua pedibus in meam sitis ituri sententiam: in causa est, quod vos intus & in cute obsidet nequam, facitque vt perinde animo sitis affecti ac mendicus aliquis, cui valetudo prosperior odiosa sit. Quemadmodum autem localem prius Anatomiam posui, vt in hanc sententiam intelligas velim quod ad ægritudinum loca attinet, quænam in vno morbo consonent membra: veluti quæ in pruritu patiantur, quæue in Alopecia, quæ in hydropisi quæ in Ascite &c. intelligendum:

Anatomia cadauerum improbatur. | Adamas ex aqua producitur. | Alopeciæ differentia.

gendū:similiter etiā quæ vermes & Ascaridas foueant:ité quæ loca vitæ & quæ sint mortis, quib. in locis Mumia delitescat, in quibus caducus lateat, vbinam paralysis gubernet, vbi letargicus morbus vbi reliqui deniq; omnes, quod quidem vniuersum idcirco indicatū volui, vt hoc pacto localem Anatomiam intelligatis: quemadmodum Aurum in sua delitescere minera scitis, ita è regione calybis quoque ac ferri inter se differentiam probè dignoscatis, & quonam corpore Rubinus floreat, aut quo se Berillus abscondat, quoue pacto Karabe & coralli exoriantur, quemadmodum sua vbique corpora non indifferenter habeant: & in hanc sententiam conclusum volo, quot, quamque variæ sunt ægritudines totidem quoque esse corpora & loca, sicuti externæ Anatomiæ vnicuique procreato suum corpus idque proprium ac peculiare conferunt, vt enim Duelech argentum non producit sic nec hydropisim epar. Quocirca mortuum cadauer haud iniuria reiici sperniq; potest, ceu ad hanc rationem capessendam minimè idoneum, quandoquidem cognitio ista non ex physico corpore proficiscitur, verum potius ab externo eius quod intrinsecus est corporis, agnitionem capias necessum est.

Caducus vbi lateat.

Berillus.

Duelech non producit argentum.

CAPVT VIII.

Essata Anatomia canitur.

CÆterum & de Essata Anatomia nonnihil dicendum est, quod cur fiat, hæc est qua mouemur ratio: quod multa subinde in subiecto inquirere conamini. An hactenus non tantum in vobis habuistis iudicij, quod nunquam vllum in vita subiectum fuit? Quidnam in eo quæritis, cùm sciatis maius aliquod esse à quo subiectum pati oporteat. Respicite quæso terram, ea pino velit nolit suum exitum cogitur concedere. Quid igitur Epar tandem prohibere possit? an quidquam iudicij habet vestra medendi ratio, cùm subiectum perinde ac morbum contemplemini, putetisq; cognito subiecto rem (si diis placet) optimè gestam? Iam opinor rationem scitis. An non vos pudet tam crassa Minerua præditos, quod subiectum pro materia & causa morbi accipitis? Nunquam nè vobis suboluit an præ vini copia subolere non poterat, quod vnumquodq; subiectum accidenti sit obnoxium? id si concedatur quid quæso in subiecto remanet, quando adhuc accidens superest? hæc ob id dico, quia quod quodlibet accidens Essata Anatomia existit, quantumuis in subiecto circum volutemini; id quod vestris præceptoribus acceptum feratis, cùm nec ipsi à vobismet melius quid reperire possitis, illorum tantum verbis addicti. Hoc igitur ita se habente, quod subiectum operiri accidens oportet, quò se vestræ quadripartitiones conferent? quorsum vestra cholera? quorsum vestri humores? quorsum qualitates? quorsum etiam sex res naturales & totidem innaturales? Hæccinne Medicæ professionis ratio esse debet? Itaque iam tandem tantam passim ægrorum ac languentium copiam admirari desinam. Quomodo quæso tam impudenter humores, complexiones, qualitates &c. considerandas in morbis clamatis, cùm ista ad morbos nihil attineant? Namque nemo mihi vnquam persuadebit, sufficere, signis aduersum me si agatur, quibus solis hactenus innixi estis: respondebitis enim ac concedetis tandem, Theoriam vestram ac difficiles illas vestri fundamenti subtilitates præter subiectum nihil esse aliud. Vbi igitur permanebit Essata Anatomia vnde morbus exorietur? Negotium profectò vobis non paruum incumbit, cum omnibus vestris codicibus quibus tantopere confiditis, vt cuius Microcosmum insimulatis, re ipsa sic habere conuincatis, qui tamen hoc Nam codices vestros & autores, vobis, vestris vxoribus ac liberis, popinæ ac cellario vtiliores esse quàm vel me, vel mea scripta lubens concedo. Verum hinc vel vobis honoris aliquid, vel malè affectis corporibus nonnihil commodi accedere, hoc est, quod ego nego. Summatim autem & conclusiue rem expediendo, semel dico præter mera mendacia nihil esse aliud, nec vlli sinceræ Medicinæ veritati vllo modo finitima quæcunque vobis hactenus tantopere arriserunt, huic nostræ rationi contraria. Tametsi vos modo corpori & culinæ prospectum sit, quo pacto & animæ consulatur parum torquemini. Præcipuum autem quod me de vobis Experimentatoribus malè habet, est quod sic vno eodemque ephippio (quod aiunt) ad omnes vtamini equos. Quod si alicui Franco equiti vsu ueniret, vocaretur planè insulsus ac suæ artis parum expertus. Atqui vos Pileones? sic enim vocare vos libet, cùm rubris tantisper pileis gloriemini) multo estis insulsiores magisque inepti, quod vbi semel res prosperè cesserit, vbique sic procedendum citra omnem rationem arbitramini: id vero quàm ridiculum est!

Complexiones improbantur.

Simile.

CAPVT IX.

VErum quo tandem Essatam Anatomiam aggrediamur hoc summum ac præcipuum rei argumentum est, quod corpus Physicum nullo modo considerari oporteat ad morbi originem, nec in subiecto quidquam agi, neque in eo morbum inquiri. Sed perinde est, vt de pomo, quod vndenam crescat, promite quæso, si quid habetis. Num ex terra dicitis? erratis, primum est enim subiectum: an ex ligno? neque hoc verisimile, nam rei subiectum est. Non aliter profecto hac de re loquimini, quàm si caput per fenestram protendente aliquo, dicat quis ex domo eum vel fenestra nasci. An quia Gallinæ pullus ex testa caput rostro exerit, ex ouo eum procreari statim dicetis? toto certè quòd dicitur cœlo erratis: quamquàm rudiores rerumque naturalium ignari, haud difficulter vobis adstipulari forsan soleant. Verum vos egregij Domini Doctores, omnia & credere, & agere vobis probè licere putatis. Neque Aristoteles quidem mecum sentit, neque hi mihi credunt, aut vnquam credituri sunt, qui me toties deceperunt, quiue id adhuc conantur, quique suæ tantum rei student. Sed ij duntaxat fidem mihi habent, à quibus vtraque Anatomia dignoscitur, plus quidem eruditionis in vestris esse Bibliothecis existimassem, quàm vt idiotas demum vestræ causæ testes adducere cogeremini: si quis ex specu aliquo prodeat, inde eū procreatum esse statim hominibus persuaderis. Dicite obsecro vndenam

Physicū corpus quatenus sit considerandum.

Poma vnde crescant.

Vrina & stercus vnde proueniant.

nam vrina prouenit? vnde stercus? vtrum ab Epate vrinam produci ais? quo pacto sic esse probabis? an ex renibus? tum enim profecto admones me militis cuiusdam, Mantua Neapolim proficiscentis, dicentisque se venire à Capua. Cæterum de stercore, vtrum ipsum ex stomacho venire dicis? quo ergo tandem pacto habet stomachus, aut quale nam est vas illud, in quo tantum subinde est stercoris? vtrum ex intestinis? hæc esse eius hospitium nequeunt, vt ne dicam interim huiusmodi generationem Anatomiæ Essatæ conuenire, non Cosmographiæ. Neque vero miror, quandoquidem dicitis puerum in matrice nasci, nec aliam habere causam, quàm vt per pudendum muliebre egrediatur, tam insulsa vos in medium argumenta producitis. Quid tandem de plasmate isto vobis videtur? vtrum ex subiecto proficiscitur an ex Essato? aut quonam pacto in matrice nascitur? an hactenus numquam animo volutastis, quod quidquid ingreditur suum quoque habere exitum oporteat? Sic igitur poma nascuntur, sicque nascuntur & morbi. Dispicite ergo qui morborum sit parens, nempe Anatomia.

Puer an in matrice nascatur.

CAPVT X.

VT autem sciatis vnde vrina & stercus proueniant; ex patina nempe & poculis, vnde autem puer? ex Oseis, vnde vero poma? ex centro seminis: Hæ res omnes sunt inuisibiles, solum enim corpus subiectum est. Itaque consultemini quînam pomum in arboris truncum & ramos perueniat: quiue arbor ex terra prodeat, & quo pacto in matricem puer? Quando si præmansum in os vobis inferatur, nullis plane dentibus opus habebitis. Nisi enim per os ingrediatur, vnde quæso aut vrinam accipias, aut stercus? quidnam igitur tibi cum subiecto negotij est, cum tam nullam prorsus habeas Essati notitiam? Id vnum à vobis scire percupio, vndenam est in vesica lapis? An ex loco cui inest eum prouenire dicitis, tum corpus iam quidem mortuum, quod in vita satis firmum efficere non poterat, in tumulo plane perficiet. Vndenam Tartarus prouenit? vnde arena? vtrum à renibus, aut regionibus suis? quinam hoc accidit? edissere quæso. Aut si hoc non vultis, vel à me edoceri non pudeat, quod nisi pes os ingrediatur, aut inde Mineralia separentur, numquam fore vt vel Tartarus, vel Arena, vel Lapis generentur. An non miramini cur eiusmodi vobis argumenta proponam: adigunt huc me tam immensa vestra mendacia, quod adeo obliuiscimini, quænam corpora Mineralia in cibo delitescant multoque minus animaduertitis, quo pacto separationes Tartari in Microcosmo contingant. Numquid igitur tales vos doctores estis? Atqui vt tandem rem expediam & summatim dicam: omnes sanè morbi, ab extrinseco veniunt in subiectum, ex quo sequitur, quot poma, quot nuces, quotquot fructus alij, totidem etiam esse morbos, interim tamen vos non pudet omnia quadrifariam partiri, sc. hoc Melancholia est, hoc cholera &c. Considerate elementum ignis ex quo tam nix quàm calor prouenit, tam frigus quàm calor. Similiter etiam quotquot huiusmodi accidentia

Præmansum studiosis nō est ingerendum.

Tartarus cur fiat.

Morbi omnes ab extrinseco veniant.

Nix ex igne generatur.

sunt ignitarum impressionum, totidem sunt etiam ægritudines in Microcosmo, & quotquot Mineralia totidem etiam morbi. Quid igitur vos de humoribus, putrefactionibus, corruptionibusque philosophamini: nunquid satellites estis, qui ad hunc modum corrumpitis? Quando morbos tam studiose indagare curiositas est, edocete me quæso vnde Sauina nascatur: vtrum quid ex cholera dicitis? tum certe tellurem afficitis iniuria. Si enim omnes quatuor ex terra nasci posse affirmatis, tum & vosmetipsos & vestros languentes decipitis, vt taceam quod mihi forsan obiicere poteratis, quis Calcedonio suos tribuat colores? vtrum Melancholia an sanguis? Quis Melissæ suas virtutes? num phlegma? nequaquam. Sed forsan obiiciat quis, quid hæc ad humores: respondeo non minus vos, vel illud latere, quàm morborum quorumcumque originem. Nam in vtrisque idem est intellectus. Sed quia nec extrinsecum quidem cognoscitis, quisnam illo vnumquodque disposuerit, qualecumque tandem vestræ ignorantiæ operculum phantasia suppeditat ex quatuor videlicet humoribus. Item vos quàm estis scilicet probè instructi.

Melissæ virtus vnde.

CAPVT XI.

NVnquam ne intellexistis cur Astronomus astrum declaret, cum de natura planetarum loquitur, & ascendentium, deque coniunctionibus, cometis & his similibus. An existimatis de corpore eum loqui, hoc est, de eo quod nomenclaturam habet? ne quaquam hoc: proponit enim sibi suum Essatum, veluti de Sole, cuius pulcritudo colorem non dat, neque Lunæ rubedo eandem tribuit naturam, perinde atque flaua Cæsaries aut citrina nullum corpori calorem, aut emolumentum adiicit, ita etiam hoc Essatum iuuat. Quod si corpus assumerent vbinam permaneret earundem natura? Naturam ergo assumunt & corpus missum faciunt. Quum vos igitur in Microcosmo aliter agendum ducitis quàm eiusmodi processus indicat, in omni vestro conatu errore vos circumduci (id quod certè fit) necesse est. Contemplemini hominem qui viuit, an ipsum caro foueat an ipse carnem, vtrum vita & corpus vnum sunt an duo? quodnam igitur illorum sustentat alterum? An non hoc verum est, id quod amittimus nec vnquam amplius visuri sumus, hoc ipsum est quo de loquimur. Alterum enim, quod manibus contrectamus quidnam habet quod in vsum Medicum venire queat? quemadmodum cum Antrax nascitur, quid eum perficit num sanguis & caro? quonam igitur pacto in Antracem ingrediantur audire vellem. Vbinam suum est tempus? vnde eius proficiscuntur signa? Si autem neglecto corpore diceretis, prouenire eum ex spiritibus vitæ tum demum rem acu tangeretis. Verum huius rei vniuersæ summa hæc est, quod ex morte id agnoscimus in hanc sententiam, quia hoc quod nobis effugit vtramque & prosperam & aduersam præstat valetudinem. Proinde non est quod miremini cur in cœlo cancer sit, quotue præditus pedibus, nec qui in cœlo est caper, viridibus ne sit cornubus insignis an lazuriis,

Sol calorem quomodo dat.

Antrax vt nascatur & perficiatur.

Signa cœlestia vnde.

zuriis, quin potius vitam eorum expendite quæ formas illas excellit omnes. Hinc enim & sanitas proficiscitur & infirmitas. Quod si vero quoquam pacto bonos medicos vos esse nauaretis operam, id quod tamen vestra scripta & receptorum descriptiones minimè declarant, tum hasce differentias etiam in simplicibus obseruaretis, ita vt relinqueretis corpus solamq; eximeretis virtutem. Nam vtrinque tam in Microcosmo quàm in professione Medica, vtrinque dico, corpus nullius est vsus, verum potius vita in vita. Atque hæc est Anatomia, de qua nobis in præsentiarum sermo est.

CAPVT XII.

SEd quid hoc sibi vult, quod Iuristas, Theologos, Artistas, Sophistas & eius farinæ homines in me irritare contenditis? quid enim mihi cum illis, aut illis mecum negotij est? quod si mihi vt Medico essent similes, sat profecto à me responsionis quod suffecturum eis esset acciperent: tametsi fateor, omnes professiones quandam habere in se artem Medicam industriàm, non tamen alia ratione, quàm nonullis vetustis inhæret: alius enim perlegit, alius auscultat, & quo quisque studio ducitur, eo & hanc fingi debere existimat. Verum vos ipsi circumspicite quo pacto hanc clauam mihi è manibus extorqueatis. Neque enim terrebitis me, quia peregrinis quibusdam vocibus vtar, ex quibus tamen plus honoris quàm ignominiæ adepturum me non diffido, non enim aliam ob causam peregrinæ vobis sunt, quàm quia nunquam cœlum mutastis, domi perpetuo instar testudinum desidentes, si quid à quotidiano vsu paulisper discrepet, aut præter consueta singulis septimanis negotia quid contingat, extemplò, neque hircos, neque captas inter se dignoscitis. Quin semel nundinas accediti Franckfordianas, ac cathedram apud Moschouitas inspicitis, quidque toto penitus orbe remoti agant maris incolæ? Tum enim vestrum prouerbium facile vobis excidet, quo subinde vtimini: ego nescio: non est in vsu: ego numquam audiui, neque legi. Hæc enim omnia vbi primum experti fueritis, quàm à Galeno seducti hactenus, ac perditi sitis facile animaduertetis, nec tamen idcirco magis quàm vetulus aliquis canis lori impatiens ad meliorem frugem reducemini: tantum scilicet in erroribus adolescere dispendium est. Nam vt meliorem à me instructionem, non dico postuletis, sed expectetis tantum, pudor prohibet, ac ridiculum planè foret, nec præter ignominiam, si vestrum à Vienna sceptrum, nec non tam pulcre dispositum Montis pessulani ordinem sic negligatis. Meum autem consilium perpetuo fuit, neglectus & nominis & colorum, idque quo minor fraus esset. Tametsi probè scio vos à vestris ægrotis liberalius & longè melius munerari, quàm à vobis ipsis. Hinc enim facilè conijcio, rem vestram solum ob id institutam esse. Proinde cum tantisper vester animus respiciat eò, ad æs nimirum & crumenam, non hinc planè retrahere vos consilium est: quandoquidem fateor, non parum vobis inde frugis acquiri, nempe ex apparatu illo ædium, vestimentorum, aulæorum, tam pretioso & ambitioso, pulpitis item omni genere codicum refertis, ac lingua denique tam fœliciter eloquente. Veruntamen hinc accidit vt minus mirer, lenones, carnifices, profugos ac deploratos apostatas, aduocatos & quidquid tandem eius est generis, quod præ segnitie victum vltra quærere nequit, in vestrum se conferre sodalitium, cum vtrorumque ratio tam vestra quàm illorum ita pulcrè conueniat vt fermè sit eadem. Eloquar hoc ingenuè magis ex vsu reipublicæ fore Medicos huiusmodi è medio tolli, quàm sic impunè tolerari, cum conseruato vno atque altero sexcentorum mors procuretur languentium. Quàm prospere eius farinæ fex commista est, vt Arabes, Græci, Chaldæi, Latini quoque tam pulcrè conueniant, ô quàm aures mihi tinnient, simul ac hæc mea scripta pellecturi sunt: poteratis vel purpuram potius quam eiuscemodi viles contexuisse pannos, ac ita Centones ostentare, tametsi ne sic quidem alicuius momenti futuri.

Vocibus peregrinis cur vtatur.

Medici vulgares è medio tollendi.

D. THEOPHRASTI PARACELSI DE PVSTVLIS, Tumoribus ac Vlceribus morbi Gallici.

LIBER TERTIVS. QVI EST DE TRANSPLANTATIONE.

CAP. I.

POST explicatam Anatomiam, iam deinceps de transplantatione sermo nobis commodissimè instituetur: namque ad pustularum dignotionem ac Theoriam maximopere conducit nosse transplantationis rationem, perinde namque ac ex ligno, tinea: sic & ex corpore Morbus Gallicus transplantatur. Atque etsi & alij non desunt morbi, qui & ipsi ex transplantatione originem ducunt: tamen quoad originem, interim differunt: namque in Lue Venerea à Luxu semper incipit transplantatio, non perinde in reliquis: itaque transplantatio in simplicem: ac in Luxalem diuidetur, quæ in Morbo Gallico omnino necessaria est. Interim tamen obseruandum eam esse huius mali naturam, vt in nullum corpus transplantetur, nisi ipsum iam ad alium aliquem morbum dispositum sit, siue is externus sit, vt Æstiomenos, Cancer, Morphea, Alopecia: siue internus, vt Febris, Arthritis, Paralysis, &c. neque vero absolutum perfectum morbum esse necesse est, sufficit enim vel scintillula vnica. Etenim cum primum accedente Luxu ab eodem, ille prior morbus in actum deducitur: hinc ergo pustulæ aliæ Æsthiomenæ sunt, aliæ Paralyticæ. Verum antequàm de transplantatione corporis disserere incipiam, prius transplantationes quatuor matricum explicare, haud inutile fuerit: nam harum exemplo etiam illæ generari solent. Nam veluti plurimæ herbæ, ac plantæ repe-riuntur,

Morbus Gallicus transplantatur.

Luis Venereæ transplantatio, quid à reliquis differat.

Morborum differentiæ.

Pustularum differentiæ.

riuntur, quæ primum non ex semine extiterunt, sic plurimæ hominum formæ sunt, quæ suo protoplasti caruerunt. Atque hæc omnia quidem aptissimè transplantationi accepta feruntur, quod & in pustulis manifestum: ipsæ enim non secus ex alterius morbi transplantatione extiterunt prius: ac quandoque per insitionem salicem in persicum arborem degenerasse obseruauimus.

CAPVT II.

Naturam autem transplantationis in hunc modum intelligere promptum erit. Primum cum natura omnia quæcunque ipsa produxit vnquam formis similibus in eadem specie ornauit semper: sic semen quodlibet sui similem fructum Mineram suæ naturæ corpus semper & perpetuo generare videmus: identidem in Tereniabin aliisque impressionibus cernere est, vbi non ætas, non tempus, non intempestas vlla à suo tramite naturam detrudit. Veruntamen coniunctio superest, quæ istum naturæ decursum interrumpere potis esse cernitur. Namque primum protoplastum intueamur, atque dum illo varias creaturas conferamus, apparebit certè ipsas ab illo non parum euariare. Item astrorum impressiones contemplemur, quàm formis inuicem ipsæ, tum ab illis euarient? sic herbarum ingens multitudo apparet, quam semina in prima creatione habuisse credibile non est. Denique quot sunt bestiarum genera, quæ in prima creatione non extitere? sed deinceps in natura rerum apparuerunt, vt de Monstris interim nil dicam. Si ergo transplantatio nouarum huiusmodi formarum causa statuatur certè Transplantationis causam, Coniunctionem haud immerito ponemus, cuius ea est conditio, vt ipsa ex duobus contrariis eiusdem generis, inuicem mixtis, (extra corpus animatum tamen) nascatur, neque vero duobus saltem sed & tribus, quatuor, quinque & deinceps: namque quò magis varia ac multiplicia semina inuicem commiscentur, eò magis compositi fructus emergunt. Ex hoc sequitur Medicum non solum eorum morborum cognitionem habere debere, qui ex suis propriis seminibus oriuntur, veluti in herbaceo genere, Ocymum ac Maiorana, sed & eorum qui ex transplantatione oriuntur, sicuti in eodem genere Spica & Angelica: Atque quemadmodum quandoque duo semina non vsquadeo ab inuicem diuersa commixta fructum aliquem singularem producunt, sic duos congeneres morbos inuicem mixtos, tertium producere, cui dein singula sua Theoria adaptanda sit, non ignorandum. Etenim veluti Mulus, Equi vel Asinæ naturam non refert, sic nec tertius ille ex transplantatione natus morbus reliquorum similis existit, vnde dein quoque is singulare ex se semen fundit. Veluti autem in monstrorum genere, alia dein sui simile generant, vt Rhinoceros, alia pereunt vt Mulus, sic de morbis hic, & de quatuor matricibus iudicandum erit. Quin & possibile illud putamus, vt illa transplantatio in tertiam vel quartam iteretur vicem: nam hoc medio Gigantes primum ex-

Coniunctio naturæ vim frangit.

Monstra sunt ex transplantatione.

Coniunctio quid.

Spica & Angelica sunt plantæ transplantatæ.

Gigantes sunt ali.

titisse coniectura est, nam tempore mutantur non solum colores, sed & formæ & fructus aliæque impressiones, sanæ, ægræ, rationales & irrationales. Hæc hæc illa naturæ Magnalia sunt, quæ tempus ipsum vel producere, vel abolere gaudet. Hominem primum nobis contemplandum proponamus, is ex se totum humanum genus transplantauit, in quo cùm tanta formarum varietas existat, Transplantationem inuersam constituere necesse habemus, nisi enim ea esset, nulla ratione formarum varietatem saluare possibile foret, tantum abest, vt diuersitatem substantiarum demonstrare possemus. Transplantatio vero præter naturam, (ex ipsa tamen natura ducta) ea est qua à tramite suo declinans natura, monstra, Cyclopes, Gigantes, Mulos, &c. producit.

quoties transplanti homines.

Transplantatio inuersa.

Transplantatio præter naturã.

CAPVT III.

Sciendum autem insensibilia semen suum, siue duo sint, siue [illegible]ura, non nisi adiumento sensibilium commiscere posse: itaque insensibilium Transplantationes plantante aliquo sensibili necessario perficientur, quod dico de duobus Globi Elementis, terra, & aqua intellectum volo, nam ex duobus reliquis, hoc Cometas, illo Loram, coniunctione quadam produci scimus, quod ipsum ea ratione euenit: illa enim duo Elementa liquida ac fluida sunt, itaque non secus, ac tres quatuor pluresue Liquores inuicem commiscentur, sic & ista inuicem iungi possunt, vt tertium aliquod corpus repræsentent, quod in reliquis duobus Elementis, in sicco consistentibus, contingere neutiquam potest. Atque veluti commixtis variis liquoribus variorum saporum potus emergunt, sic & in præsentiarum magna illa corporum, ac formarum dissimilitudo causatur, accedit ad hoc quod in aëre quandoque hominum formæ appareant: nam in aëre homines quoque sunt, siquidem omnes ex eodem facti sumus. Quin & in cæteris quoq; Elementis simile quiddam accidit quandoq;: hinc enim ex transplantatione Nymphæ terrestres extiterunt. Hæc etsi ad morborum praxim non pertinent, tamen in Theoria vsu non carent, itaque quicumque Medici nomen assumere volet, istarum prius rerum cognitionem sibi comparabit, atque ab ineunte ætate in discernendis generationũ modis versabitur, secus enim si quis in medicam vrbem veniat irruisse, non præcario venisse dicendus est, itaque qui ex triuiis, Myropoliis, Musicorum collegiis, &c. in Medicinam ruũt, quomodo Medici dicentur? Sed ille vnicus fons est corruptæ medicinæ, ad quem expurgandum omnes qui reipublicæ consultum volunt adhortor. Namque cum Medicus nascatur, quis illas subito transmutatas bestias Medici nomine dignè afficiet? etenim quàm est impossibilis specierum transmutatio: quàm difficulter ex malo, pyrus efficitur, tam præter omnem veritatem est, huiusmodi neque homines in bonos Medicos euadere.

Sensibilia ad transplatationẽ requiruntur.

Homines sunt in aëre.

CAPVT IV.

Sed ad fundamenta propositi negotij accedamus. Elementa singula, multas sub

Elementorum species.

sub se species specierumque genera habere constat, Constat & illud, ægritudines inuicem, & specie, & genere diuersas inueniri, tamque latè patere sanitatem, quàm ipse morbus pateat. Consequens ad ista est, quod vbicumque species inueniuntur: illic composita fieri ope transplantationis posse: quin & illud indubitatum est, quamuis speciem in semetipsa compositum transplantatum efficere posse. Hinc singularis quædam sanitas est Pini ad Cupressum, Cedri ad Libanotidem, foliorum ad flores, & vicissim, itaque tot sanitatis species sunt, quot in vnoquoque genere rerum differentiæ. Sic & de Morborum ex transplantatione originem ducentium natura inquirendum, quod non fiet, nisi ab incunabulis qui naturæ vim ac specierum exaltationem addiscat. Quamobrem non sufficit ad singulos morbos singula nouisse experimenta: siquidem transplantatio ista, morbos in eodem semper gradu consistere non sinit: Verum vt laboribus parcatis variis ad elabendum elenchis [illegible]imini. Atqui longè alia philosophia ad artem medicam adferenda est, explodendaque vestra sunt somnia. Sed ad transplantationes ex terra factas properamus, vbi sciendum, Lauendulam primum quoddam semen esse, sed ex proprij sui Liquoris transplantatione, Spiculæ herbæ rudimenta ponere, eaque deinceps confirmare: sic Ostrucium primum quoddam semen est quoque, ex cuius transplantatione Angelica (suo dein singulari semine prædita) emergit: itidem Graphoij transplantatio Rhaponticum suppeditat: Gariophylli denique flore & radice ex Aquilegiis transplantantur, accedente succo Vrticæ vel Melissæ. Atque huius generis sexcenta naturæ peritis cognita sunt, veluti in Arboreo genere, pini cum iuniperi semine transplantatio, tertium quiddam ab vtrisque diuersum producit: sic Terebotin & Zirbus commixti, Terebinthum rub. efficiunt: sic Sauinæ & spicæ transplantatio, Rosmarinum: sic Liquoris terræ cum frumento commixtio Cyanum: cum Zizania papauer producit. Similiter de Raphano ac Napo iudicandum, quorum alter ex Rapo, alter ex Pastinacta transplantatis extitit primùm. Atque de speciebus transplantationis hactenus.

Sanitatis multæ differentiæ.

Lauendulę trāsplātatio.

Gariophyllorū transplātatio.

Cyani transplātatio.

CAPVT V.

IAm deinceps de transplantatione ex putrefactione eueniente, sermonem texere tempestiuum videtur. Ex putrefactione quasdam insolentes formas existere, lignorum caries & ex stercoribus prognati vermes ac insecta ostendunt, atque pro putrefactionis varietate, diuersas transplantationes fieri, putrefacta in fimo ligna, commistæ cum stercoribus vrinæ, indeque generati lumbrici manifestum efficiunt. Similiter ex putrefactis in terra seminibus, insolentes, ac nouæ plantarum formæ exoriuntur, vt in Agalia videre est, quæ ex degenerante ob putrefactionem Aquilegia generatur, atque velut Zizania & infelix lolium ex putrefactis Leguminibus nascentia testantur. Quamobrem reprehensionem merito incurrunt ij, qui herbarum virtutibus describendis occupati, non etiam vnà earundem generationis modum declarant. Lolium etenim ad minus ex sex Leguminum degenerantibus speciebus fieri potest, atque hinc tot virtutes stupefactiuę ei quoque insunt, licet vnica eius forma tantum existat. Terræ igitur omnis ea vis tribuenda est, qua per putrefactionem formæ transplantari possunt. Verùm quæ ex pluribus speciebus generari debent formæ non nisi accedente sensibilis alicuius operatione, fieri possunt, nam veluti hoc forma ab illa differt, sic & aliam eius substantiam efficit. Ista theoremata Medicum ad vnguem intelligere singulare artis ornamentum est: nisi enim istis quis incumbat sed vulgatis illis contentus sit, nil planè à Monacho qui nil nisi dixit dominus domino meo, &c. boare nouit, vel Sophistica cui semper in ore est, est, non est, differet. Insolens scio iste meus stylus plerisque videbitur, & sane pluribus plebeiis qui Medicinam affectant admirationem quoque commouebit. At hoc ex te quæro, cur quandoque Cerui, corui, monedulæ albo colore sint? an causa est casus aliquis cum ipsa transplantatione coniunctus? An non & eodem modo Icteritia alba ac Morphea prassina existere posset? sc. non semper iuxta vestri præceptoris præcepta decidendum, qui naturæ ne vel minimam habuit scientiam. Quoties quęso Bronchocale fit? quoties vertebrarum luxatio? an non & ista mala cum Ascite iungi possent? Sæpe in partu errores fiunt, vt proles hominem non referat, an non similiter morbi quidam fieri possunt, quorum similes nulli in vestris codicibus sint descripti? Sanè pro Ascaride quandoque insectum aliud generari, aut per os lumbricum Lazurium reiici impossibile non est, hoc ego pro certo affirmare possum, tantam in nostris corporib. esse sentinam, vt cuiuscunque speciei, cuiuscunque etiam coloris, bestiolas in nobis generari posse impossibile haud sit, verum vestro more semper stercus, vrinam, Choleram vel Melancholiam pro causa assignare oporteret. Atqui si trāsplantationum aliquam haberetis notitiam, non sic subinde vestros humores prætenderetis, non etiam Caducum, Phrenesin, Maniam mala simplicia constitueretis, cùm à quouis accidente transplantari queant.

Agalia ex Aquilegia fit.

Lolij virtus stupefactiua [illegible]

Ascaridis multiplex generatio.

CAPVT VI.

SImiliter ac de terrestrib. transplantationib. explicatum iam est, sic & de iis, quæ in Elemento aquæ contingunt, paucis disseremus. Transplantatio itaque in aquis facta semper accedente extractione conficitur: sunt enim perinde vt in homine, sic & extra ipsum Matrices quatuor. Neque est vt quisquam putet vnius saltem generis esse huiusmodi extractiones, variæ enim sunt atque singulæ nouis repręsentandis formis destinatæ. Sic ergo intelligendum, Lasurium lapidem nil esse nisi transplantatum Argentum, vel extractionem ab Argento transplantatam: nam argenti naturam amisit, & ab argento iam aliud atque diuersum quiddam existit. Topasius extractio est ex Minera Martis, estque ferrum transplantatum. Saphyrus vero ex quinta Lazurij transplantatione facta est gemma. Adamas autem ex secunda Saturni transplantatione. Smaragdus denique

Gemmæ vnde sint transplantatæ.

deniq; cuprũ transplantatum est; vt de reliquis iã verba non faciã, quæ ex fructib. Elementi aquæ, extractiones sunt. Veluti Aurũ quod Sulphuris, Argentũ quod Mercurij, Argentũ viuum, quod similium Metallorũ extractum existit. Sic Cinnabaris extractũ è Saturno & Marte per Mercurium est, Chalcedonius ex Sale, extracta gemma. Sed species iam omnes, quia ad Medicam artem non pertinent, enumerare superuacaneum videtur. De Mineralibus etiam paucis explicemus. Marchasita, Kakimiæ extractum est, Kakimia Thalci, Carabe extractio est Resinæ sui Elementi, Sulphur Marcasitæ, Asphaltum succini nigri, Marmor & Chalcedonius ex Amethisto: singulæ vero tres gemmæ ex Sale extracta sunt, veluti silex ex mucilagine Salis quoque extrahitur. Omnia iam dicta etsi vnam eandemque materiam nacta sunt, tamen pro diuersitate separationis multas inuenerunt differentias, vt iam extractio huius, illa alterius coloris appareat. Quærendum iam vlterius est, num & & simili ratione Pustularum origo, atque causa ex Mineralibus Microcosmi deduci ac demonstrari queat. Et sanè cum tria prima Mercurius, Sulphur & Sal, curationem pustularum ostendant (nam formæ ac colorum in pustulis varietas ex illis dependent) hinc eam comprobare non admodum operosum fuerit. Sunt enim quatruplices matrices tam extra quàm intra Microcosmum, ex quibus quomodo Cambuccæ vlceratio ex Bubone, & Cambucca extractio quædam sit, manifestum euadit, sic Morpheosæ pustulæ ex Morphea extractæ sunt, sic ex tentigine praua Pustulæ prauæ extractæ quædam sunt, cum dictis affectionibus magnam cognationem habentes.

Gemmarum variarum extractiones.

CAPVT VII.

PORRÒ autem, quemadmodum in Mineralibus Aurum ab ære, sic in humano corpore morbum à vita separari sciendum est vicissim veluti non raro in huiusmodi separationibus Mineralium, purum ab impuro omnino non secedit, sic quandoque ægritudines cum vita ad mortem vsque complicatæ permanent. Denique perinde ac artifex, in separationibus, naturæ impotentiam, ac defectum arte resarcit, dum purum ab impuro perfectè separat, sic & Medicus quod natura in Microcosmo imperfectum reliquit, perficere debet. Itaque Medicus non solum vt Mineralia, Martialia, Vitriolata, &c. cognoscat, sed & separare queat, operam dabit. Hinc euenit vt quandoque natura suo marte, pustulas protrudat, Escharam faciat, eamque tandem abiiciat, solaque malum perfectè curet, veluti nonnunquam integra auri ramenta ex ære decidunt, vel Mercurius à Cinnabrio abscedit, aut fulgur ex Saturno emicat, in huiusmodi casibus, vt tua opera nil opus est, sic ea maximè requiritur, vbi ad actionem perficiendam natura ipsa non sufficit. Sed in istis nil admodum laboratis vos, sin vltrò natura curet, hic omnis in vestrum lignum, suffumigium, vnguentum, &c. magno fastu, ac clamore laus confertur. At melius ego de vestris curationibus sentirem ac loquerer, si veluti Metallorum fusores impurum à puro perfectè separant, sic & vos

Morbus et à vita sæpe ab iis separantur.

post curationem absolutam perfectè sanum hominis corpus repræsentare possetis. Sed quod antè diximus, si vltrò morbus curetur verba vos deficiunt, in Guaiaco extollendo, cùm interim si verum fateri velitis, ipsimet negare non possitis, citius absq; vestra opera curatum iri morbum, quàm ea accedente.

Cur medicis contradicat.

CAPVT VIII.

OBseruandum præterea est in Mineralibus aquæ, duas, tres, pluresuè species vt Antimonium, Marchasitam ac talcum, quandoq; Arsenicum, Realgar & Auripigmentum in vna simul consistere malitia, quæ singula accuratè Medico inquirenda erunt; vt huiusmodi compactionem relaxare queat. Quod si istiusmodi mineralia duo, tria quatuorуè in vnum concurrisse vos videatis, iam choleram, iam Pituitam, iam Bilem, iam Melancholiam esse statim pronunciatis, cùm tamen origo pustularum satis superque testatum faciat, non ab Humoribus sed à Mineralibus malum procreari, atque ad corpus Elementatum aquæ referri debere. Esto autem concedamus, Choleram vt mali causam dicatis; si iam ego contra Plumosum, ac vitriolum dicam an reprehensione dignus sermo meus erit: vtrum quæso recto magis consonum est, vt Sal dicamus vel Choleram? sine si medico dignum est, non quòd opinio ac phantasia iubet, sed quod Philosophia verè docet proferre, vtique non Choleram (quod phantasticum est) sed Salem, iuxta philosophicas rationes pronunciabitis: Hæc eam saltem ob causam monuisse voluimus, vt quoniam Microcosmus corpus habet substantialibus Elementis refertum, medicus intelligat, sibi hoc corpus perfectè cognitum esse debere: verum quia vestris propositis successus non respondet, argumento hoc esse potest, naturam Microcosmi nunquam penitus vobis perspectam fuisse. Nam quod Choleram, quòd Melancholiam in humano corpore constituitis, qualisnam ista philosophia est? Salem videre oculis, contrectare manibus possum, non ita vestros humores. Salem dico, Phlegma dulce & salsum quem aliquando vos appellatis. Præterea Choleræ portentosas diuisiones in Prasinam, Vitellinam, &c. facitis, quasi vero differentiæ à colore & non à forma petendæ sint, taceo quod trium primorum in quibus tamen fundari Medicinam oportet, ne verbo quidem mentionem facitis. Microcosmi naturam pro modulo vestrarum speculationum dirigere conamini, cùm interim ipsius vim ex Globulo, & Testa addiscere vos ipse velit: nam quemadmodum in istis sic & in Microcosmo omnia comparata sunt.

Humores repudiantur.

Sal pro Cholera.

Similiter in tertio Elemento obseruandum, quonam locorum Chaos suum Thereniabin reponat, quàm absque vlla lege Thereniabin cadat, adeo vt planè nullam constantem in illo naturam inuenire detur: cùm nunc laxandi, modò confortandi, aliàs stupefaciendi, modo penetrandi, modò mundificandi facultatem participet, vt non dicam quandoque aromaticum, quandoq; dulcem, pinguem,

Saporum differentiæ vt distinguantur.

acrem,

acrem, austerum, &c. saporem repræsentari. Istas certè Mannæ, seu Thereniabin differentias studiosè perpendere Medici debent, vt quamobrem non eadem semper facultate, vt Opponacum & Camphora, &c. polleat: sed nunc hæc, nunc illa excellat. Itaque cùm Chaos ad constitutionem Microcosmi concurrant, pro diuersitate eius pustulas variare dubitandum non erit, nam perinde vt Mannæ iam hæc, iam illa qualitas præcellit, sic pustularum symptomata diuersa euadunt, quædam cum Laxatione, quædam cum vi Diaphoretica, quædam cum Anodina virtute, multis cum in colore, tum primis qualitatibus differentiis comitatæ ingruentes, vti manifestius deinceps patebit.

CAPVT IX.

QVapropter pustulas quæ quandam cum impressionibus cognationem obseruant contemplari conuenit. Verbi causa hyemalibus infestantibus pustulis per Solem, id est, per Medicinas resoluentes curationem aggredie-mur: è conuerso æstiua ingruente influentia, per hyemalia, id est, Coagulatiua remedia malum tollere adtentabimus. Sin aliæ forsan intempestiuæ ingruant impressiones, vt sunt grandines, ros, pruina, &c. nil admodum laborare oportet, cùm vltrò successu temporis aboleantur. Quod si verò astrali Elemento generaretur quodpiam Cristallo ac Berillo simile, tum ipsum quod generatur ferè fixum est, nec tam facilè loco mouetur, nisi illa coagulatio in tantum infringatur, vt nunquam deinceps ad coagulationem peruenire queat: namq; eiusmodi Elementi ignis proprietas est, talemq; naturam quandoq; Pustulæ referre cernuntur: namque sic corpus penetrant, vt sine negotio nunquam deinceps euellantur, sed omni ex parte Berillorum naturam referant. Simili planè ratione, nimirum ventorum instar, dolores, punctiones, vectigationes &c. contingunt, itaque in curandis illis obseruandum, ne quidquam attentemus nisi prius exitu qua erumpere possit præparato. Quamobrem si (ad eum comparatis pustulis) suffocando curationem perficere quis vellet, tantum abest vt optatum contingeret scopum, vt etiam repulsa ad centrum suum materia omnimodam corruptionem, ipsam sc. mortem procuraret, quod cùm non raro vobis accidat, mirum tamen quàm concinnis rationibus vos excusare possitis. Verum ista nostra Philosophia exterioris atque interioris mundi elementorum proprietates ostendens propediem si quid benè ego iudico Montagnanam ac Sauanarolam ex Medicorum scolis explodet.

Sol est Medicina resoluta.

Ignis proprietas.

Curatio per suffocationem improbatur.

CAPVT X.

ISTis quæ hactenus commemorata sunt maximam considerationem deberi, atque longè extra artis nostræ pomeria, præstigias, nugas, atque næuias vestras quibus artem conspurcastis, expellendas esse. Denique si modo Medicorum nomen non indignè vsurpare velitis, ne in Aristotelis Platonis, Scoti, Alberti cæterorumque hoc genus hominum scriptis, (ex quibus nil nisi meras nugas haurire licet,) tempus teratis, conuenire: omnes sanè, qui integræ sunt ratione non inuiti fatebuntur, nam nisi quis studiosè perlectis saniorum medicorum scriptis, atque per iudicium ignis tamque ad Lesbiam regulam experimentis comprobatis, ad reliqua illa Theoremata accedat ac quemadmodum illa cum Anatomia, Physica ac Philosophia conueniant accuratissimè ponderet, sed in salebrosis illis scholasticorum speculationibus ac opinionibus volutari pergat, nunquam sanè Medici nomen mereri poterit. Siquidem qui aliorum autoritatibus nituntur, non ipsi suam experientiam produnt, sed suam inscitiam aliorum nominibus palliare student, honestius certè ac vobis magis dignum erat, ipsorum scripta exquisitiore trutina censere, nec sic absque iudicio vestris sententiis confirmandis adaptare: Thomistarum namque hoc, non Medicorum scholis conuenit: neque enim Medicus cuiusquam autoritate niti potest, nisi ipsi æquè ac authori res cognita perspectaque sit. Siquidem pictores quoque videmus, (licet nunc eos in exemplum adducere) eos qui in mente concepta operis sui idea fœlicius pingere, quàm eos qui aliorum etiam artificiosissimas picturas imitantur: nunquam enim is qui imitatur ad illam quam antecessor habuit perfectionem, euadere potest.

Aristotelis & Platonis lectio prohibetur.

Autoritates in Medicina non valent.

Imitatio perfecta nunquam esse potest.

D. THEOPHRASTI PARACELSI DE PVSTVLIS, Tumoribus ac Vlceribus Morbi Gallici.

LIBER QVARTVS, DE MORBORVM TRANSMVTATIONE.

CAP. I.



ANTEAQVAM de morborũ transmutatione sermonem instituamus, haud infrugiferum fuerit, de tempore quatenus ipsum salubritatis vel insalubritatis causa existere potest, paucis disserere, non tamen vltrà quàm impressiones exteriores requirere videntur, nam ex supradictis demonstrationibus omni iam contradictione vacat: similiter ac in cœlo Cometæ generantur, ac messis tempus causatur, sic & intrinsecus in hominum corporibus idem euenire. Sed cœlum iam inspiciamus, omnesque quæ in illo sunt stellas, & intelligemus nullam penitus esse, quæ non ratione sui motus, bonum aliquid, vel malum in istis inferioribus, efficiat: ad quam tamen actionem non potest non tempus concurrere, hinc itaque dierum varietatis, & nostræ in illis alterationis, causas eruere promptum est: namque omnibus iis quæ astra attingunt mutationem quandam adferre manifestum est, Quinto nostro cœlo excepto, cui illud dominari non assero: illud vero concedo, perinde vt in exteriore mundo, sic & in nostris corporibus, nostra

Stellæ singulæ suos effectus habent.

Stellis quinto nostro cœlo non dominantur.

ſtra Aſtra nouas ſubinde mutationes efficere. Namque nil in rerum natura creatum eſt, quod in ſummo faſtigio fixum maneat, ſed omnia æquis legibus ſub defluxum ad corruptionem natura concluſit. Quamobrem Medicos adhortor, vt per Aſtronomiam interiora iuxta externa diiudicare diſcant, vnà cum reliquis tribus artibus ad Matrices pertinentibus, nam quemadmodum externus mundus in quatuor Matrices diſtributus eſt; ſic eædem ipſæ intrinſecus in noſtris corporibus conſtitutæ ſunt: itaque hîc Philoſophiam quæ in naturis ſubſtantiarum conſiſtit, ab Aſtronomia, in qua prognoſticationi potiſſimum ſtudemus, diſtinguere oportet. Similis conſtitutio Elementati corporis terræ eſt: ipſum enim ſemina ſuppeditat, ex quibus deinceps arbores fructuſque generentur. Atqui quæ eſt rerum creatarum infelicitas; vix decima quandoq; pars ad frugem peruenit, nimirum tot caſib. expoſita ſunt omnia vt non ſolum generanda impediatur, ſed ipſa quoq; generata non rarò penitus corrumpantur: iam calor, iam frigus, iam ventus, iam pruina, pluuia, &c. obſunt: pars putreſcit, pars à vermib. arroditur, & ſexcentæ huius generis peſtes infeſtant. Quia ergo in Microcoſmo quatuor illa corpora ſubſiſtunt, ſimilibus planè ſymptomatis intrinſecus expoſitus eſt: namque generatum ipſius corporis, non ſecus à grandine, pruina, &c. interioribus, corrumpitur, vt ipſum iam putridum, iam carioſum, iam alio modo malè affectum reddatur. Non enim conuenit dicere corpus ſuo generato deſtitui, nam ſuppeditat æquè meſſem, vindemiam, niuem, æs, aliaque ac exterior mundus, vnde dein ab iſtis intra cutim concluſis, morbi efficiuntur, ſic vt vnicum exemplum adferam. Pleuriſis promorum putrefactionem refert. Hinc ergo accidit, vt aliis aliiſque temporibus, älij atque alij prodeant morbi: namque quemadmodum certis temporibus fruges, de pruina ac grandine periclitantur, ſic & generatum humani corporis,

[illegible] Aſtronomia [illegible]

Pleuriſis ex tempo- rū putre- dinē.

CAPVT II.

HOc idem in tertio corpore aquoſitatis ſcilicet obſeruandum eſt, quod nimirum ipſius generata Mineralia, ab aliis matricibus ac caſibus, incidant in coagulationem, reſolutionem, calcinationem, &c. iam in Sulphur abeant, iam in Realgar, pro varietate nimirum actionum. Elementorum namque quatuor illa, etſi niſi vnà conſiſtere non poſſunt, tamen in ſe mutuo agere non deſinunt. Pro numero ergo quatuor Elementorum, quatuor ſumma morborum genera conſtituimus. Itaq; vbi Salia vel alia corpora Aquoſitatis Microcoſmi, ab aliis corporibus exacerbata fuerint, iam ipſa in actionem erumpunt, & ſubito morbus exiſtit, hinc in exteriore mundo, inſtar horum morborum aliquando inauditæ formæ æris Salium ac Gemmarum reperiuntur.

Elementorum actiones neceſſariæ.

Sales exacerbati morbos efficiunt.

Similiter in Tereniabin obſeruandum, quod is quamuis ſemper eodem modo cadat, non tamen ſimiles ſubinde virtutes habeat: nam Mannam atque Chaos, ſuum nunc diaphanum, nunc alio quodam modo inſignem proiicit. Eodem planè modo intrinſecus ſemper in periculo verſamur: nam vbi Chaos actiones ſuas ſupra modum exerere incipit, ſingulis horis noui quid producit, & ſanè niſi hoc foret, ſemper omnia eodem modo ſe haberent, neque ſanus in morbum incidere periclitaretur; neque æger ſalutem ſperare vnquam poſſet. Verum ſic res comparatæ ſunt, vt nil in eodem ſtatu (neque in homine, neque extra ipſum) perpetuò conſiſtere ac permanere queat, ſed neceſſario antequam penitus corrumpatur, aliquid aduerſi perpetiatur. Cum ergo in exterioribus Elementatis, huiuſmodi fiant transmutationes, quis dubitet ſimiles in noſtris corporibus accidere poſſe? quis non vltrò concedat corpora noſtra ſuopte ingenio noua quædam architectari poſſe? Itaque vt de morborum deſcriptione quid ſentiam ediſſeram, ſic ego iudico nullum penitus morbum deſcribi certò poſſe, ſiquidem non datur morbus etiam ſpecie idem, qui non aliqua ſaltem in re à priori differat, quocirca omnes quotquot veræ Medicinę cognitionem affectant, ex animo hortor, vt Philoſophiæ Mineralium ſedulam impendant operam, quò omnium nouarum generationum cauſas (quæ illinc hauriuntur) reddere addiſcant. Contrà autem quomodo non cæteros Doctores vilipendam, qui harum rerum cognitionem nec poſſunt, nec volunt aſſequi, ſed ſimplici autorum allegatione contenti ſunt, quique non ſecus ac mendici, ruſticos liberales ſimilacium vel ſincomiſtum panem, carnes vel caſeos miniſtrantes commemorare, ſic ſuos paragraphos, folia, capitula, &c. allegare ſolent.

Morbus nullus certo poteſt deſcribi.

Philoſophia Mineralium nouarum generationum cauſas oſtendit.

CAPVT III.

SI itaque iam deinceps mihi ceu Medico, cauſas ac originem Luis Venereæ aperire licet. Ex natura Microcoſmi (ad quam tamquā ad ſcopum ſemper collimare ſoleo) atque veris veræ Medicinæ fontibus, ſic ego pronuncio, Morbum Gallicum quemadmodum ſingulos reliquos morbos, à tempore primitus procreatum fuiſſe accedente tamen ſpermatis corruptione: tum temporis enim varij generis Mineralia quandam à ſpermate corruptionem contraxerunt. Fidem dictis facit, quod inde à prima vſque mundi creatione, nulla vnquam ætate maior luxus maiorq; in rebus Venereis, licentia, turpitudo, atq; commixtio fuerit, quàm illo ſeculo, quo primum in hominum corporibus hoc mali genus apparere cœpit: illud tempus incidit in annum reparatæ ſalutis, 1478. & circiter, quo ratione temporis, illa transmutatio contigit.

Morbus Gallicus à tempore eſt procreatus.

Anno 1478. primū extitit morbus Gallicus.

Sanè, luxum huius mali cauſam eſſe, nemo niſi qui experientiæ contradicere velit inficiabitur. Itaq; hoc in præſentiarum, tamq; futuræ diſputationis fundamentū certiſſimum & nos conſtituamus Morbum Gallicum ex Venerearum rerum intemperantia tamq; à cauſa ſine qua non, primum extitiſſe: cui dein fundamento, Medico ſtylo, hoc eſt, modeſto, & naturæ lumini conſentaneo reliqua attexemus.

Venus Morbi Gallici cauſa ſine qua non.

CAPVT IV.

APpetitus rerum venerearum in muliebri vtero, partim in virilis membri Oſeo conſiſtens, ille eſt, qui prima huius morbi rudimenta

Appetitus coitus eſt in vtero & Oſeo.

dimenta posuit, qui cum annotato supra tempore tam vehemens tamque frequens & inordinatus grassaretur, omnes morbi tamquã coniuratione facta in hunc vnum conspirarunt. Proinde in actu venereo sciendum est, vterum qui tamq; ager hîc se habet, omne id quidquid in viro venenosum, infectum ac contagiosum est, attrahere, atque sic attracta illa materia in se reseruata eo loco morbi primitias facere, cum qua dein fœmina si quis alius congrediatur, in ipso attractione forti existente, contrahit & ille contagium. Contagij enim communicatio sic se habet, veluti in amphoram aquæ modicum croci coniectum totam aquam tingit, sic illa parte contracta lues paulatim in totam corporis substantiam subintrans grassatur, integrumq; corpus depascitur. Verum hîc quis mihi obiiciat, & ante hæc tempora per venereas commixtiones, contagiosos quoque morbos inuicem communicasse viros ac mulieres, neque tamen vnquam Morbo Gallico, simile malum comparuisse, huic ego sic breuiter respondeo, ab nulla vnquam hominum memoria tantam fuisse in veneris vsu intemperantiam, quæ tantum malum excitare potis fuisset, quàm illo ipso seculo, quo Pustulæ Gallicæ primum extiterunt. Quocirca extra dubium esto, Morbum Gallicum, malum esse ex omnis generis contagiosis affectibus conflatum, non secus ac pictores quandoque plures inuicem colores commiscere, ex quibus tandem vnicus oriatur, cernimus. Quod si vero quis Diuinitus immissum hoc mali genus hominibus esse dicat, huic non vsque adeo contradixero, verum de naturalibus causis, hic agimus non de illis, quæ supra naturam sunt.

Vterque in Venere tamqu ã ager se habet.

Contagium vt serpat.

Obiectio.

Responsio.

Morbus Gallicus ex omnib. contagiosis est conflatus.

CAPVT V.

Atqui temporis contemplationem iam omittamus, atque ad negotium ipsum accedamus propius. Verum vt Theoriam nostram rectius intelligatis, scitote hunc mihi primarium scopum propositum esse, vt ostendam, Morbum hunc nouum esse, ex variis tamen antiquis, accedente luxu compositum, veluti iam prioribus capitibus abunde demonstrasse me persuasum habeo. Quia vero ex aliis eum morbis componi concessum iam est, ex hoc manifestum euadit, neminem illo affectu corripi posse, qui sano sit corpore, sed vt is morbosus sit necessario requiri, neque necessum est tamen eo ipso pustularum morbo quêque affectum esse: sufficit enim quilibet alius morbus qualiscunque ille tandem sit nam luxu accedente facile illa complicatio per contagium efficitur, morbusque transmutatur. Paucis adductis exemplis negotium clarius reddamus. Esto podagricus quispiam qui eum affecta iam in vtero muliere congrediatur, is tum dum in actu est, illud venenum ab antecessore suo immissum in se attrahet, ex quo dein tophi ac paralyses fiunt, atque symptomata ea quæ podagram prius comitabantur, iam morbi Gallici facturæ fient, quod si interim plus minusuè signa podagræ perdurent, ad transmutationis magnitudinem causam referemus. Sic si Esthiomeno quis confl.ctetur, & cum infecta commisceatur, quia Esthiomeni operatio, vlceratio est, vlcera Gallica generabuntur. Similiter Colica in paralysin abit cum Morbo Gallico, scabies in pustulas &c. Vicissim si per illum congressum alius contagiosus morbus, vt materia podagrica, Esthiomeni salsedo, dulcedo aliaq; huius generis communicetur, iam compositum euadet malum ac variis symptomatis pustulis, vlceribus tophis &c. comitatum prodibit. Similiter & de Morphea ac Lepra iudicandum: omnes namq; materiæ pro varietate luxus transmutantur. Etenim spermatis infectionem siue ea à Physicalibus siue Chirurgicalibus morbis facta sit, necessario constituere oportet. Etsi enim quandoque pruritus, Erysipelas, gonorrhæa, vel cambucca primum videatur saltem esse, tamen per seminis resolutionem tandem illò degenerant. Per illam namq; resolutionem ac commixtionem coniunctione quadam in suum medium, hoc est pustulas transmutantur, manentibus tamen semper illius transmutati affectus signis, forma, natura, &c.

Sani absolutè contagiũ nõ suscipiunt.

Podagra in luem veneream vt abeat.

Vlcera Gallica vnde sint.

Spermatis infectio necessaria est ad huius mali generationem.

CAPVT VI.

Obseruandum ergo est quod vbi luxus ac libido suam iam matrici nequitiam impresserint, sic vt ex illa compositione nouus morbus generetur: de triplici in vniuersum morborum genere periclitentur ægri. Etenim qui defluxionibus obnoxij sunt, ij vnà cum pustulis, paralysin, stuporem, podagram, arthritim, tumores, tophos aliudue aliquod simile malum, ne interim Guttam omittamus, contrahunt, quibus dein defluxionibus per luxum à matrice dolores complicantur, Morbusq; gallicus copulatur. Hinc illa specierum morbi Gallici varietas existit, vt vix duos eodem modo affectos inueniri possibile sit. Similiter de internis morbis iudicandum est, verbi causa, in hydrope quædam internorum viscerum corruptio est, cui tamen si pustulæ gallicæ complicentur, pro ipsarum more actiones suas exerere solennè ac peculiare est, huiusmodi namque morbi, (nisi iam in sua iubilatione ac exultatione consistant) nihil præter dolorem mali vlterius inferre possunt. Secundò si materia spermatis à scabie, pruritu, cicatricibus, malo mortuo &c. infecta fuerit, tum istæ finales ostensiones cum suis coæqualibus, in similis naturæ pustulas abeunt. II. Denique si ab Esthiomeno, Cancrena, vndimia, sclyrosi, infectum semen sit, tum Corrodens natura in hexin abit, quod ipsa sua natura vlceratiua fuerit, tum vlcus facit: sin minus, nullum vlcus fiet. III. Hæc ergo causa legitima est, propter quam tumores, tophi, vlcera pustulæ, herpetes, paralyses & similia in Morbo Gallico fiunt, quæ tamen omnia cum mille modis eueniant, pro varietate eorum morborum qui cum contagione in vtero concepti sunt, distinguenda erunt. Quamobrem quicunque ex huius morbi curatione laudem affectant Medici, omnibus modis in id incumbent, vt primum species accuratè à se inuicem distinguere, tum suis certis signis internoscere addiscant: ad quam considerationem

Defluxionum status.

Varietas Luis Gallicæ vnde.

Species luis Gallicæ vt distinguantur.

nem apprimè vtilis erit lectio libelli nostri, cui titulum fecimus de morbis inueteratis.

Liber Paracelsi de morbis inueteratis.

CAP. VII.

CVm itaque pustularum (meo iudicio) peculiaris aliqua origo non sit, nisi quatenus ex resolutis in sperma morbis, commixtio quædam facta, dein vniuersum corpus perreptauit, (nihil enim perinde per totum corpus, ac ipsum sperma permeabile existit) non inconueniens videtur omnium reliquorum morborum signa, antequam ad huius inquisitionem quis accedat, cognitione perquirenda esse. Atque etiam si morbus qui significatur, non statim in oculos incurrat, indubitatum tamen esto, nullum penitus esse morbum qui non multò ante malignitatis suæ fundamenta iecerit. Sunt namque morbi, qui cùm ante viginti annos non dubiis signis se prodiderint, postea tandem ab ipsis ægris, atque medicis contempti plenè eruperunt: alij verò etsi diu latuerint, tamen nunquam penitus sub conspectum se dant, sed vltro ab ipsa natura absumuntur. Itaque si hoc genus morbi ingruat, ex Medici officio erit, vt iuxta illius signa illud dignoscere queat. Processus autem resolutionis illius de qua diximus in hunc ferè modum habet. Cùm in illo actu Luxus quis est, tùm morbi qui in hominis illius corpore insunt, per appetitum resoluuntur, atque vnà cum spermate in aliud muliebre scilicet corpus transeunt: verum non nisi vi, eos resolui posse, ignorandum non est. In hunc ergo modum in sperma, seu quod ex spermate generatum est, propagato morbo; ipse, donec per multas generationes paulatim absumatur, perpetuò hæreditarius est; absumi paulatim dico, quia nihil à corruptione immune est, nec morbus, imò ne ipsa quidem mors. Obseruandum ergo in semine latere sperma cum omni sua malignitate, atque ex eo causam omnium ægritudinum ac impressionum prouenire. Hinc in prole morbi seminarium est, ob eam que causam in liberis morbi fiunt qui debebant parentes afflixisse. Vt iam lepra, lues Gallica, asthma, peripneumonia, distortio, aliaque sexcenta mala (quæ vix calamus fundere potest) liberos affligentia, sanitatis parentum certissima signa existunt. Verùm de hoc pustularum genere, in praxi copiosiùs edisseremus, nam cùm illic in signorum explicatione prolixior sim futurus, commodius quàm in Theoria omnia addiscentur. Sed quemadmodum illo modo venenum communicatur, sic hoc loci multò vehementius, adeò vt quandoque à parentibus totum abscedat, soli que fœtui implantetur. Quin & possibile est, vt etsi à parentibus abscedat, nil tamen incommodi proli adferat, maximè vbi admodum calidi veteri sunt, vt venenosam illam materiam dissipent, vel si forte in ipsum vteri fundum, in quo fœtus receptaculum est non pertingat. Denique ob nobilitatem suam quandoque à maligna illa materia separatur, atque tum malum in parentibus remanens fœtum non affligit, quemadmodum & vbi essentia illa malitiæ in vtero subsistens ad prolem non penetrat, quod ferè fit vbi bilios vteri sunt: namque post sperma nihil est, quod æquè celeriter corpus vniuersum peruadat. Quòd si præterea & ipsa pars imbecillis sit fieri vix potest, quin mulier, illa morbo Gallico corripiatur: veluti è contra, si vir illud ad se attrahat, periculum est ne eodem morbo capiatur.

Sperma totum corpus facillimè permeat.

Morbi diu latere possunt.

Hæreditarij morbi ex corruptiolis.

Contagium quandoque plenè quandoque penitus non procommunicatur.

Bilis celeriter corpus peruadit

CAP. VIII.

VBi itaque materia ex matrice absoluto actu cum natura effluit, non ignorandum iam per totam corporis substantiam materiam dispersam esse: in illa tamen abscessione singulares aliquas partes, præ cæteris occupari, atque deinceps exedi, in tumorem attolli vel exulcerari, pro natura scilicet materiæ priorem morbum causantis: namque quilibet morbus suum peculiarem locum obtinet, in quo exaltetur. Ad hæc in pustuloso affectu nulla vis inest, qua ipse per se sine adiumento & accessione alterius morbi, vlcera, tumores, tophos, &c. efficere possit. Itaque si aliquis talis affectus erumpat in hunc modum procedendum erit. Si ipse in paralysin abeat, argumento est prius defluxionem quandam fuisse à qua morbus seu dolor excitatus sit, atque cum nec pustulæ, nec tumores fiant, dulces defluxiones esse pronunciandum.

Morbi omnes singularibus in locis exaltantur.

Paralysis defluxionis est argumentum.

Sin Pustulæ, Phlictenes, ac Herpetes erumpant, sciendum ipsas extrinsecus coagulari virtute morborum antecedentium, id est, extra locum suum obtinere, non tamen sine luis Gallicæ dispositione, qua à reliquis morbis discernuntur. Denique quæ in vlcera abeunt affectiones, inueteratum morbum Chirurgicalem arguunt commixtum esse: quorum sanatio facilis vel difficilis ex natura ipsius morbi diiudicanda erit. Verbi causa, si lepra commixta spermati quemque infecisset, iuxta eius malignitatem pronunciandum foret, atque incurabilitas prædicenda, similiterque de podagra prognosticandum, nisi forsan quispiam Lepram ac Podagram, seorsim subsistentes curare posset. De Lethalibus quoque morbis simile penitus iudicium esto, veluti in reliquis quoque morbis agendum diximus. Quò autem prædictiones certiores fiant, omnes qui ei rei student admonitos volo, vt quintem librum nostrum de signis morbi Gallici sedulò legant & relegant: non enim fœliciter prædicent saltem sed & optimo successu Medicinam facient. Iudicium dein confirmabit quoque lectio libri de vlceribus, in quo quemadmodum singula vlcera primo exoriantur, ac in se mutuò transmutentur ostensum est, ad eos itaque libros sedulum lectorem remittimus, ne hic actum agere videamur.

Lepra & Podagra cum Lue Gallica complicatæ non curantur

Liber Paracelsi de vlceribus.

CAP. IX.

QVemadmodum itaque nos hactenus de causis & origine præsentis mali disseruimus, sic omnino volumus & iubemus, vt quicunque de huius morbi causis etiam disputationem instituere volunt, priùs omnium reliquorum morborum causas ad vnguem teneant: dein vt quomodo per luxum transmutatio fiat in Gallico morbo ex ipsa rerum natura petitis principiis, edisserant: nam de iis qua diuinitus immittuntur, morbis in præsentiarum nobis sermo non est. Atqui aliam quàm natura-lem

Causa luis Gallicæ solùm est naturalis.

lem huius mali causam esse nostram sc. in rebus venereis intemperantiam, non possum non affirmare, cum ipsa experientia edoceat neminem hac lue corripi nisi qui immoderatius res venereas sectetur. Ad hæc cum Medicina nos penitus non destituat, sed mali curationem largiatur, certissimum est, si quo modo curationi euentus non respondeat causam non præstiti auxilij nequaquam Deo, sed inscitiæ Medici adscribendam esse: namque etsi Medicus remedium teneat, nisi tamen accuratè morbos distinguere sciat, neutiquam rectè curare poterit. Quocirca non immeritò quispiam in hoc genus Medicastros inuehatur, qui cum Linguarum Græcæ ac Hebraicæ nonullam cognitionem habeant, ob id quoque in medica arte primatum sibi vsurpare conantur sc. vt sic miseræ plebeculæ tutius imponere queant, nam eo saltem nomine, Doctoris vel Licentiati nomen ambiunt, ac nationes plurimas peruagantur, vt omnes impunè excarnificare audeant, verum quanta artis Medicæ pestis illa sit, quod plerique medicorum sola lectione contenti nullo prius adhibito vsu, quemuis morbum curare aggrediuntur, paucos esse puto qui non intelligant: nam etsi remedium qualenam sit sciant: tamen nisi quoque qua forma, quomodo, quando, quibúsue illud conueniat experientia prius didicerint plus damni dabunt, quàm ægris tolerandum sit. Summum certe illud in empyrica Medicina malum est, quod ferè cui affectui remedium conueniat ignoratur. Quàobrem nos deinceps ea quæ in Practica Medicina hactenus desid eratasunt, summo studio, & quanta possumus fide conficiemus: namque quæ hactenus alij de facienda Medicina conscripserunt volumina, nil nisi ad emungendas pecunias, non autem ad curandos morbos faciunt. Hucúsque vero à nobis commemorata, támque Prodromos quosdam ac Prolegomena Practicæ Medicinæ esse volumus: itaque de principiis nil admodum solliciti erimus amplius, cum tempus ac natura subinde varia atque diuersa, tam sensibilia quàm insensibilia, producere non desinant, quæ cùm inter homines Adamum, Abrahamum, Dauidem, atque ipsum ex parte Christum diuersissimo ingenio præditos produxerint, quis dubitet, in morbis etiam nouas ac diuersas formas effici posse: namque omnes sectæ, substantiæ, partes & quicquid vspiam in rerum natura existit, sic inquam omnia comparata sunt, vt subinde noui aliquid producere, nulli prohibitum denegatúmue sit. Atque perinde vt ingenia variis modis immutantur, iam illis delectantur, iam ista amplectuntur, sempérque posteriora, recentiora habentur: sic in transmutationibus essentiarum, formarum, colorum, in morbis res se habet. Sed ista ad librum de signis reseruemus.

Morbi nisi discernantur etiam optimis remediis non cedunt.

In remediorum vsu legitimo quæ sint consideranda.

Nouos morbos vt homines natura producit.

CAP. X.

Itaque ante omnia omnium morborum Minerales naturas, tam Physicas, quàm Chirurgicas distinguemus, in eum qui sequitur modum. Minerales naturæ, vel sunt Corrosiuæ, vel Mellifluæ: quæ Corrosiuæ sunt, illæ in depascentes nouásque formas abeunt, Pustulas, Phlyctenas, Escharam, Herpetem, vlceráque his similia efficientes. Quæ verò Melliflua sunt Mineralia, nihil horum penitus producunt. Etsi enim quandoque Melliflua Corrosiua ipsa imitantur, tamen in huiusmodi casibus Corrosiua mortua, ac viua in sua operatione esse intelligendum est. Itaque Melliflua ea dicantur, quæ in defluxiones, dolores articulorum, Paralyses ac Tophos transmutantur. Ex quo sequitur duplicem curandi rationem existere: Physicalem Mellifluis, Chirurgicalem Corrodentibus destinatam, proinde cauendum ne hanc cùm illa & vicissim confundamus, nisi forsan Melliflua cum Corrosiuis complicata duplicem curationem requirere viderentur, tum & illud sedulò cauendum, ne ea quæ fixa iam sunt in transmutationem deducere conemur, siquidem omnia transmutata in membris, non autem in Mineralibus subsistunt, quantum ad fixa attinet. Veluti enim duo Mineralia vnà sunt, aliud dulce, aliud austerum, sic & duæ fixæ essentiæ se mutuò comitantur, quæ nisi resoluantur, omnem curationis spem præcludunt.

Mineralium diuisio: Corrosiua Mineralia.

Melliflua Mineralia.

Curatio Mineralis duplex.

D. THEOPHRASTI PARACELSI DE TVMORIBVS, PVSTVLIS AC VLCERIBUS Morbi Gallici,

LIBER QVINTVS.

DE

SIGNIS MORBI GALLICI Ex Chirurgicis morbis nati.



CAP. I.

ABSOLVTIS itaque iam tandem transmutationum modis, ad Signorum contemplationem tam Theoriæ quàm Praxi Morbi Gallici cõsentaneã, descendemus. Signorũ siquidem is vsus singularis existit, quod per ea externorũ internorumq; morborũ, tum à se inuicem, tum à morbo Gallico, dignotio petatur. Sciendum proinde, infectionem seu contagium tribus modis accidere, itaque signorum rationem trifariam quoque sese habere. Primus modus quo Pustulæ Gallicæ concipiuntur, per Luxum fit: alter cum hæreditario iure in sobolem propagatur: tertius quando ex contactu corporum infectorum ac contagiosorum malũ communicatur. Primus modus explicatus iam nobis est, sequitur nunc alter, in quo (veluti ex proximo libello patet) obseruandum, etsi iuxta naturas parentũ iudicentur liberi: tamen quandoq; tam præstans semen esse, vt non statim venenũ illud concipiat, liberiq; à morbo immunes euadant. Sin ex contactu nascantur Pustulæ, vt vestimentorũ, stragularũ, vasorum, instrumentorum, vel quod in eodẽ lecto cùm contagioso quis recubuerit, tũ ferè ante anni spatium Morbus Gallicus non iudicatur, nisi forsan Chirurgicus aliquis morbus occasionem præberet, vt æquè

Signorũ vsus.

Contagium tribus modis fit.

I.

II.

III.

Contagium ex hæreditate.

Contagium ex contactu.

æquè ac per luxum subitò vniuersum corpus inficeretur: Aliàs enim ante elapsum anni spatium, de malo certi quid non pronunciatur, námque natura à solo contactu, tam subitò corrumpi nequit. Quòd si Cossi in corpore lateant, ij tum protruduntur aliàs multo quoque tempore non prodituri. Quamobrem etsi ex huiusmodi luxi Cossi nascantur, non tamen Pustulæ Gallicę appellari merebuntur: veluti si Podagra vel Paralysis, (quę aliquandiu latuissent) à luxu proritatę erumpant, non statim Morbi Gallici, sed suo potiùs nomine afficientur. Si huiusmodi morbi Remediis lui Gallicæ destinatis, intra anni spatium non curentur, vel saltem repellantur, tum non amplius Cossi, Podagrę, Paralyses, &c. Sed Gallici Morbi, vocabuntur. Itaque non nisi prę-mediatè ad curationem pustularum accedendum est, sedulóque inquirendum, ex quo modorum genere affectus existat. Etenim pręter tres modos commemoratos quartus aliquis non datur. Quin ea naturę benignitas est, vt etiamsi quis ad morbum dispositus sit, imò eo iam quasi laboret, non tamen statim morbum sequire vel adaugeri patiatur: non enim omne quod ruinam minatur ipsa deiicit, sed omnibus modis suffulcire conatur. Quocirca nolim quemque existimare me sic categoricè pronunciasse, vt quicunque vel luxu, vel contactu, vel parentum vitio, morbi primitias posuerit, statim contagiosus proscribatur. Siquidem naturam constat vbicunque possibile est, corporis nostri structuram sartam tectámque seruare conari, in aliis tamen atque aliis fœliciùs, pro temperamentorum scilicet bonitate.

Cossi.

Natura in nos demen-tia.

CAP. II.

QVo autem fœlicius in signorum explicatione versemur, obseruandum erit Morbũ Gallicum, non vnius modi esse, sed omnino varium, variisque formis insignitum, quas nos breuitatis gratia in quinque omnino differentias retulimus, quę sunt. Herpetes, Pustulę, Paralysis, Tumores, Vlcera, &c. quę singulę deinceps in varias iterum dispescuntur species: varij namque Herpetes sunt, varię Pustulę, varię Paralyses, varij tumores, variáque vlcera, nimirum quia multi morbi existunt, qui herpetas, vlcera, tumores, & similia producant. Quod si ergo pro illorum morborum diuersitate ista distinguuntur, quomodo non ratione Luis Gallicæ quoque separari debebunt? Singulas itaque differentias quàm fieri poterit breuissimè in suas species subdiuidamus. Herpetes sub se continent Serpiginem, Guttam rosaceam, Cicatrices, & similia. Pustulæ, species habent, Exanthemata, Pruritum scabiem, &c. Tumorum genere comprehenduntur Podagra, Tophi, Scyrrhi, &c. Sub Paralyses autem referuntur à defluxionibus nati morbi, Arthritis, Ischias, fluxus mensium inordinatus, mineraliumq; fluxus. Vlcera denique diuiduntur, in Esthiomenon, Phagadenam, Ignem Persicum, & his similia mala. Hasce differentias accuratè in medendi ratione obseruare conuenit, siquidem pro horum affectuum ratione curandi, rationem immutari contingit. Verbi causa, si quis vlcere Gallico laboret, considerandum iam est, cuius generis illud sit: ponamus Esthiomenon esse, hinc vtique manifestum euadit, cum vlceris Gallici remedio, medicamentum Esthiomeno sanando destinatum, commiscendum esse. Hinc etiam causam cognoscere licet, quamobrem vno eodemque vnguento Herpetes, Pustulæ, vlcera, Tumores &c. non curentur: cùm tamen omnia morbus Gallicus sint: nimirum singulis speciebus, singulæ remediorum formæ conueniunt: & veluti in simplicibus vlceribus, Phagadena Esthiomeni, vlcus sordidum, Lupi remedio non curantur, sic in Gallico morbo suas quasdam differentias esse intelligendum est. Sic quoque tumorum remedia cum podagricis medicamentis commiscenda sunt, si aliqua participatio subesse intelligatur. Sic exanthemata cum Serpigine, pustulæ cum Alopecia confusæ, mixturam remediorum indicare cernuntur. Summa itaque cura in distinguendis Luis gallicæ speciebus adhibenda erit, & quæ species cum quo genere implicetur inquirendum sedulò: nam Gallicam luem esse, ad curationem non sufficit scire, nisi etiam quænam species sit cognoscatur. Itaque non immeritò vulgaribus Medicis huius mali curationem nimis arduam affirmamus, siquidem illi sua remedia non vni alicui speciei destinata, sed omnibus in vniuersum, sub eodem genere consecrata adhibent.

Morbi Gallici quinque summa genera.

Herpetis species.

I. Pustularum species.

II. Tumorũ species.

III. Paralyses species.

IIII. Vlcerum species.

Remedia vt sint permiscẽda.

CAP. III.

QVo autem differentiæ quibus à se inuicem quinque species euariant rectiùs intelligantur, ab Herpete auspicati aptissimo ordine singulas definitione explicabimus. Est itaque Herpes, Morbus Pustulosus, cuius tres sunt differentiæ: quandoque enim cutem depascitur, quandoque instar exanthematum apparet, sine tamen cutis noxa: nam non per poros cutis, sed per ipsam cutis substantiam erumpit. Hinc euenit quod Herpetes sæpe crustas faciant, sæpe verò vomicas excitent, (nimirum quia crustosa aliqua materia innata est) sæpius Rhagades, pruritum, &c. generent, idque certis quibusdam & ad generationem aptis locis. Quamobrem de Herpete sciendum, ipsum cum intra corpus operationem nullam perficere possit, per cutem erumpere, ibique rubiginis instar consistere, atque non secus ac rubigo solet, exteriores partes depascere, quod non ipsi solum, sed & omnibus exanthematis commune est: itaque ad exprimendam illius naturam cum nomine Gallico, ipsius speciei nomen coniungatur.

Herpes quid.

Herpetis differentiæ.

Herpes est instar rubiginis.

Tumores verò Gallici non rarò verrucarum similes fiunt: hinc si illarum materia commisceatur Condylomata fiunt, in ano & pudendis aliisque corporis partibus: differunt tamen à Condylomatis & Verrucis reliquis, quatenus contagij quædam signa habent. Sunt dein tumores, qui in altũ attollunt affectas partes, veluti sunt ij qui in Arthritide & Podagra fiunt, quique à defluxionibus corpus inuestantibus, attolluntur: hi inquam signis quoque Lui Gallicæ propriis distinguuntur.

Tumores.

Pustulæ autem, per se suáque natura, nil nisi crustæ, seu Escharæ sunt: ex vna enim eadem

Pustulæ.

materia ista fiunt, quamobrem cum Cossi, Saphati, &c. similiter se habeant, ipsorum naturam quandoque Pustulæ imitantur: nam ex natura Salis, ex qua omnes crustæ fiunt, singula ista generantur, differentiæ verò ac proprietates quibus singula insigniuntur, ex spermatis ac Mineralium variis corruptionibus ortum habent.

Paralysis quid? Paralysis deinceps est dolor quidam ossium, nam fluxiones solummodo istis in partibus (articulis scilicet) sæuire solent, quòd si in contracturam abeat membrum, vel aliud quippiam aduersi illi accidat, ab alio quodam externo Liquore, vt verbi gratia in Lue Gallica, tum naturalis illa materia, per se conficit quandam venenositatem, veluti manifestum est duo contraria nunquam secum conuenire, (non complexionis tamen causa) vt in Tartaro & Alumine apparet.

Vlcera quid sint. Vlcera denique sunt nihil aliud quàm erosa Mineratum emunctoria, sed num ea Gallica sint, singularibus quibusdam signis manifestum euadit, obseruandum tamen quæ ex Physicalibus morbis fiunt, clementiora esse iis quæ ex Chirurgicalibus morbis generantur. Ad hæc quæ ex resolutis, quàm quæ ex coagulatis rebus fiunt, mitiora quoque solent esse. Sed de signis Physicalium ac Chirurgicalium morborum sequentibus duobus libellis accuratiùs pertractabimus.

CAP. IV.

Quia verò ad Praxim iam propiùs accedere ordinis instituti ratio iubet, atque ad praxin quibusdam hactenus constituta Theoremata, sufficere non possent, omnibus notum esse cupio, aliam nullam Theoriam mihi probari præter eam quæ Praxi ceu certissimo fundamento innitatur. Theoria vera ex Praxi proficiscitur. Iterum, quoniam non pauci erunt qui deuitata prolixitate rem ipsam breuiùs sibi explicari cupiant, iis hoc loco gratificari proposui. Quodsi itaque breuitatem spectans, quandóque quorundam consimilium morborum mentionem nullam fecero, omnes vt in æquiorem partem studium meum interpretentur rogatos volo: non enim inscitiâ sed breuitatis studio quædam sicco pede transiliemus, aliàs enim non ignarus sum. Quod si singulos morbos pro eo ac res requirit sermone prosequi vellemus multæ chartæ non suffecturæ essent, néque nostrum propositum est, ex quouis Apostata vel exule, Medicum facere: quamuis non desint, qui suo vitæ genere relicto nostris scriptis nequitiosè abutentes Medicorum titulos sibi vendicent. Itáque ad ipsum centrum radicémque morbi idiotis incognitam accedamus, atque morbos quantum in se sunt explicemus: nam si quæ extrinsecùs morbis ipsis aduenientia intacta prætermissa fuerint, sic singulos æquos lectores iudicaturos existimo, tantam esse Morbi Gallici varietatem, atque malignitatem, vt verbis totam comprehendere vix possibile videatur. Morbi Gallici mira varietas. Exemplum. Verbi gratia, si de tentigine praua loquamur, quatenus ea faciem occupare solet, ea autem præter hanc & crura vel brachia molestare cognoscatur, sufficiat hîc partem prosequutos esse, cùm illa in practico negotio nobis non reticeantur. Accedit ad hoc quod quiuis affectus quacunque corporis parte consistens, alias quoque partes in consensum trahat, adeò vt supra vires humanas sit, omnia methodo comprehendere velle. Morbi per consensum. Quoties enim tentigo praua, dum in itinere est, vt in malas irruat, pedes, crura, brachia, &c. infestat? has tamen partes aliter quàm consorti lege ac per accidens affici quis affirmet? Sícque de augmento etiam morborum iudicandum, nam si praua tentigo per se drachmæ instar sit, si ipsa cum pustulis copuletur, iam decuplo maior, ac vehementior euadet, vbicúmque tandem in corpore consistat. Quod si ergo alij morbi signa sua pathognomonica non statim obseruent, non est vt quis nouum statim morbi genus fingat: vnica enim Gallicæ luis complicatio adhibita facile nodum ac dubium tibi eximet, sed illud vobis disceptandum iam relinquamus, ne dum nos publici ac ægrorum commodi gratiâ, desudamus: vos otiosi domi desideatis, ad quam rem vnicè conducent in vtráque medicina scripti libelli nostri, ex illis námque absolutam signorum cognitionem petere licet, quæ nos propter horarios Medicos & nummorum Doctores silentio præterimus. Libelli Paracelsi de signis.

CAP. V.

Vt ergo considerationis huius fundamenta intelligatis: primùm leuissimam morbi Gallici speciem contemplandam nobis proponamus: nam iuxta hanc & de grauiore pronunciare promptius erit. Apparent itaq; quandóque pustulæ Gallicæ à pruritu & scabie non ita multùm differentes, non rarò squamarum instar apparent alio atque alio loco copiosiores, eas primùm pro scabiei variis generibus distinguere addiscas: nam hæ cũ supra id quod scabies sunt, Lues, seu contagium quoque sint necessariò quàm saphati, furfures, tineæ, prurituis, squamæ, &c. deteriores quoq; erunt. Pustularum differentiæ. Quocirca priùs quid saphati, quid furfures, &c. sint, inquirendum, & quia eas in sua natura non contigisse certum est, non ignorandum maiorem illis malignitatem communicatam fuisse, adeò vt iam per se veri morbi non sint, sed saltem præsagia quædam futuræ Lepræ, Morpheæ, ac similium passionum.

Sin Lues Gallica illis complicetur, per contracturas, tumores, herpetes, & alia id Morbi Gallici peculiaria symptomata, tum ad inquisitionem speciei, istis quinque quasi capitibus veteris, Contractura scilicet, Morbi Gallici peculiaria symptomata. Pustulis, defluxionibus, vlceribus seu abscessibus, febribus, tumoribus, cutis exesionibus. Ea enim sunt quæ quémcunque morbum, qualisnam sit, certissimè indicant. Itaque si contractura, Pustulæ, Tumores, Vlcera, &c. istis complicentur, iam indubitata de Lue Venerea sententia pronunciari potest. Saphati. Verbi gratiâ, si saphati, furfures, tineæ, squama, pruritus, istis concomitantibus signis incidant, de Pustulis Gallicis certissimum indicium erit. Sin squammæ decidant, vel pruritus quasi turgente materia hinc inde replet, furfures, tineæ, saphati, tumores, herpetes, aliáque id genus simpliciter habeant, ad sua genera morborum Chirurgicorum facile referentur. Hæc autem in eum finẽ præsenti loco commemoro, vt pro

ratione.

ratione complicatorum morborum Luē Gallicam curatu faciliorem, vel difficiliorem euadere intelligatis. Dehinc notandum quoq; Pustulas in multiplici differentia inueniri: nā perinde vt formis sic & symptomatis, infinitis modis à se inuicem distinguuntur. Sic variæ ex Esseris natæ Pustulæ sunt, aliæ turbinatæ, aliæ albicantes, vtræq; tamen dolore carentes. Aliæ verò ex Formicis generatæ rubicundæ sunt, calore summo molestæ. Quæ verò ex Coffis fiūt, amplæ sunt, duræ, ac robustæ, inuicem tamen vt ipsamet Coffi multis modis euariantes. Similiter ex Tuberibus plurimæ differentiæ emergunt, quarum aliæ sublimes, aliæ tumidæ, aliæ rubicundæ, omnes tamen per summam superficiem crustosæ sunt. Denique Variolarum instar, quædam Pustulæ sunt, caput, pectus, ac pudenda maximè occupantes, hæ nigræ Gummosæ ac pruriginosæ ferè sunt, ac diuturnæ. Eū itaq; in modum si Pustulæ sese habentes occurrant, licèt non omnino concordantes, pro ratione signorum ad aliquod genus iam enumeratorum morborum, eas tamquā in suam classem referes: in quibus autem contractura quoq; inuenietur, quia omnimodam primitiui affectus corruptionem ostendit, eas simpliciter sub Luē Veneream collocabis: aliæ enim sine hac subsistere possunt, istæ autem non possunt non illam ceu causam & matrem agnoscere. Proinde in contemplationem signorum sedulò incumbendum, quo in opere practico, singula à se inuicem mala accuratè distingui possint.

Pustulæ ex Esseris natæ.

Ex Coffis natæ Pustulæ.

Ex Tuberibus natæ Pustulæ.

Pustulæ Gummatæ.

Cap. VI.

SVnt dein Pustulæ Gallicæ, quæ secus ac cicatrices, Herpetes, impetigines ac panni se produnt, veluti sunt exanthemata, quæ iisdem ac illa locis erumpere solent, (quemadmodum & cicatrices quæ toto quandoque corpore apparent.) Sin ea infecta contagio fuerint, tum durioribus symptomatis vt sunt, contractio, tumor, vlcus. &c. conflictantur. Nullus enim omnino morbus, qui si cum hac Lue complicetur, non maiorem subitò contrahat malignitatem. Itaque si cicatrices in corpore appareant, quib. contractura complicata sit, de Morbo Gallico pronunciato, similitérque in Herpete, impetigine, serpigine ac pannis agito: sin contractura non concurrat, tāmque simplices morbos curato. Hinc cùm argentum viuum ad istos morbos curandum quandam virtutem participet, ignobiles quidam agyrtæ magnam illi remedio laudem conciliàrunt, cùm hoc genus mala pro pustulis gallicis curanda suscepissent. Quò autem Herpetem ab Exanthematis distinguere queas, primum ad morborum descriptiones recurrito, quibus si crustæ copulentur, etsi nullū præterea signum adsit, præter fissuras seu Rhagades manuum, pedum, labiorum ac auricularum, tum audacter pronunciabis Pustulas Gallicas esse, ex Herpete, impetigine, serpigine, panno, cicatricibus, hisque similibus malis, natas. Quin hoc catholicum esto quod vbicúmq; aliquis affectus, supra id quod talis est, aliquid amplius est, (id est, malignior existit) statim ad Morbum Gallicum referri debeat, inter omnia autem auctæ malignitatis signa, vel vnæ Rhagades maximè excellunt.

Morbi omnes si cum Lue Gallica complicantur maligniores euadunt.

Agyrtæ Mercurio magnam laudem per accidens conciliàrūt.

Herpes vt ab Exanthematis distinguatur.

Canon.

Præterea Morbus Gallicus nonnunquā formam suam miris modis transmutat, iam vt verruca, iam ceu bronchocale, iam vt varix, iam vt vlcus scliroticum, iam vt scrophulæ sese repræsentans, atque huius sanè speciei, dubia & tardè prodeuntia signa sunt, suis tamen modis discernenda, quandoque enim bothor, porros, polypum, nactam, natam, naptam, formicas, Chiolos, medenas, exituras vel aliud quidpiam his simile referunt. Veruntamen quemadmodum monuimus, in prædictione is modus esto, vt si (verbi causâ) varices appareant, signa tamen & proprietates varicum omnino non obseruent, sed non obscuram malignitatem comitem habeant, Pustulas Gallicas ex Varicibus natas esse pronuncies. Sic Pustulas Gallicas, verrucas repræsentantes, ex Verrucis natas dices, sic de nodis sicq; de callis iudicandum quoque. Ad hæc in Gallica Lue frequenter tumores duri, ac Scirrhosi reperiuntur, magnitudine multū ab inuicem differentes, Malignitate apostemata simplicia adir odum excellentes. Formarū differentiæ ferè istæ sunt, quod nunc glandulas, modo schrophulas, modo testudines referunt: quarum omnium distinctio vt & ipsius morbi Gallici, ex primaria morborum partitione petenda erit. Multitudinem harum distinctionū miraberis scio, verum re vera varietas Chirurgicalium morborum quæ singulorum affectuū ferè singularis est, non saltem hasce distinctiones, imò absolutissimam atque omnibus modis perfectam cognitionem requirit. Itaque non cuiuis Medicastro Luem Gallicā tractare prōptum esse manifestum euadit, cum tantum subsit periculi vt centies etiam quandoque desperet peritus medicus antequam optatū contingat portū. Quocirca non immerito toties moneo atq; inculco, vt morborum omnium causas inquiratis, vt vnde porri, nacta, nata, napta, furunculus, chiadus, bothe, polypus &c. generentur, intelligatis: nā singuli isti morbi in matricē deriuari ac accedentibus pustulis tumorib., vlcerib. herpetib. & in morbū gallicū transmutari possunt, &c. quemadmodum iam & antea abundè demonstratum fuit.

Formarū varietas in Lue Gallica.

Varices vt malū portendant.

Tumorū differentiæ.

Causæ morborū sedulò sunt inquirendæ.

Cap. VII.

VEluti antè notū vobis est, vlcera alia corrodentia esse, alia virulenta: & illa rursū, ambulantia, lata, cancrosa, cauernosa, esthiomena &c. Sic eadē ipsa quo pacto sub Gallicæ luis classem referenda sint non est ignorandū. Itaq; vbi illa vlcerū corrodentiū species, præter signa pathognomonica, aliáq; longa experientia obseruata, adhuc maiorē aliquam malignitatem cum contractura ostenderint, tum sine cunctatione Luem Gallicam esse pronunciandū erit. Namq; vbi materia illius morbi ad concipiendam luem hanc, disposita iam est, tum centuplo vehementiùs meatus illos per quos aliàs fertur, afficit, adeò vt vbi vlcus corrosiuū est, corrosio vsq; ad xxxv. gradum extendatur. Sin ambulatiuum sit, centuplo maiore dolore (accedentibus signis morbi gallici) partes subiectas erodere solet. Similiter vbi lata, cancrosa, esthiomena aut cauernosa fuerint, iisq; lues gallica copulata sit, & dolorem maiorem esse, & curationem ex simplici componendam fore intelliges. Proinde si in hunc modum vlcus Gallicū generetur,

Corrosio in Lue Gallica ad xxxv. gradum extenditur.

sciendum relicta illius antiquati morbi causa, aut proximam quæ vlcerationem fecit, tollendam accedes.

Lues Gallica ex Elephantiasi vt cognoscat. Vicissim Elephatiasim contemplem', quo pacto ea si in Lué Gallicá abeat internoscenda sit. Principio ergo si in Lué Gallicá degenerare incipiat Elephantiasis, tum variæ pustulæ ac contracturæ fiunt, quæ pro more Elephantici morbi (cui tardè increscere peculiare est) tardè augentur, corpus exsiccant, & sideratum reddunt. Elephas tardè increscit. Proinde antequam contagium in Elephantiam abeat, hoc est, priusquam Gallicus morbus perfectè factus sit, difficilis est prædictio, quemadmodum & de Lepra, Elephantiasi, similibusque diuturnis morbis, periculosæ sunt prædictiones, sed vbi iam Elephantiasis per totum corpus serpsit, ac in locustas decubuit, vel vbi Elephantica lues iam in pustulas abiit, tum de confirmato malo, non vsque adeò difficile est pronunciare. Nam in hoc affectu quanta miseria sit, explicari verbis vix potest: etenim cum per se morte grauior morbus sit Elephantiasis si eidem supra id Lues Gallica copuletur quoque iam centuplo cumulatior miseria euadit. Siquidem manum, pedem, latus vel aliam aliquam partem occupans exsiccando, erodendo, in tumorem attollendo, vlcerando (instar lepræ) tam miserè excruciat vt Elephantia iam exoptanda foret. Mirum. Quin in tantam quandoque magnitudinem locustas ab hoc malo excreuisse obseruauimus, vt qua corpus aliàs naturaliter se habens maximum existat, mole hac multis modis superaretur.

CAP. VIII.

Similiter de Morpheá quæ solam faciem aliàs occupare consueuit, iudicandum. Atqui quoniam Morphea non nisi vitio totius corporis fieri potest, & facies minimum ad eius generationem confert, manifestum euadit quòd si Morpheá recipiat Gallica Lues, non possit nô, antequá in suum Centrû decumbat, totû prius corpus perreptasse. Morphea. Etenim perinde vt omnia membra peruadit Morpheæ materia, sic & Luis Gallicæ totum corpus peragrat, proinde si illis in locis pro ipsorum natura, contracturæ vlcera, tumores, &c. fiant, facilis curatio existit, quia propria morbi sedes illic non est, ac in facie, hoc opus, hic labor. Quia itaque totum artificium in Morphea faciei versatur, scias ante omnia signa Morpheę (ante dicta) cum signis Luis Gallicę conferenda ac ponderanda esse, atque colligendum an curatio facilis, vel impossibilis futura sit: nam pro eo ac signa te docuerint, in curatione deinde procedendum erit. Similiter de Gutta Rosacea iudicandum, sed interim hęc ab illa accuratè propter curationem distinguenda. Fistulæ & Cácer. Quin & Fistulæ ac Carcinomata, vbi patognomonica sua signa non tenuerint, commodè sub Luem Gallicam referentur, & proinde quia venenum auctarij loco cõcepisse intelliguntur, singulari seu peculiari methodo sub curationem venient. Tentigo praua. De tentigine praua verò sic ego iudico, quoniam per se singularia signa pauca habet, si tamen dolores omoplatarum dorsi, ac spinæ, contractiones artuum, tumores tandem in vlcera ac pustulas abeuntes eam comitentur, tum omnibus modis Gallicæ Lui annumerandam & adscribendam eam esse: neque hîc scrupulosa aliqua distinctione opus est, sufficiat in arte Medica naturam nobis imitandam proposuisse, quæ & ipsa nullam hîc distinctionem adhibuit. Denique de Syreo sic res habet, vt etsi morbus hic in Gallicum abeat, suam tamen peculiarem curandi rationem requirat. Syreo. Similiter Phagadena si in Morbum Gallicum his vulgaribus signis degenerâsse cognoscatur, sub Gallicam curationem, cui tamen specificum Lupi remedium coniunctum sit, referetur, huius mali malignitas, etsi quandoque tam vehemens non sit, vt statim accuratam curandi rationem requirere videatur, tamen quia subinde in circumiacentes partes occultè grassari non desinit, celerem curationem indicare solet. Phagadena.

Prunus & ignis Persicus. Prunus autem & Ignis Persicus, etsi rudimenta quædam suæ malignitatis posuerint, tamen prius non erumpunt, quàm Lues Gallica aliqua ex parte imminuta esse videatur, atque hac occasione illis malis causa suppeditata: verum vtut sit in Medendi ratione, harum passionum specificum remedium cum curatione Gallica coniungendum esse manifestissimum est. Simili planè ratione Gangræna nisi Pustulæ adsint numquam accidit: Gangræna. hæc hactenus: vos autem quod attinet, omnes & singulos monitos velim, vt istis quinque generibus contenti, quemuis morbum specialem, qualis ille sit, ad aliquod horum referre discatis, qua in re accurato iudicio multaque lectione opus est, ne forsan ex deprauato iudicio, ægro damnum, mihi, nobísque ignominiam concilietis.

CAP. IX.

Deniq; quod hæmorrhoides attinet, quacúmque corporis parte erumpentes, si Pustulæ ac contractiones eas comitentur magna contagij suspicio est: itaque inspiciendum an quâ illæ erumpunt, vlcera efficiant, hoc enim si sit de Lue Gallica hæmorrhoidibus complicata audacter pronunciabis. Hæmorrhoides quando Luem Gallicá ostendát. Curatio vtrorúmque eadem est, idémque morbus, sub duabus tamen formis. Secus paulò de condylomatis iudicandum est, ipsarum namque locus specialior est, Gallicæque illæ pustulæ in illo saltem loco consistere solent verrucis implicatæ. Similiter in vteri seu vuluæ Rhagadiis seu scissuris, quia ad communicandum contagium aptissimę sunt, signa Morbi Gallici nobis cĺá haberi difficulter possunt. Rhagadiæ cum Lue Gallica. Quib. Cambucca respondet quoq.: nam nisi & ipsa simili modo extitisset, haud talis apparere posset, Cambucca. multò verò magis Bubo, verùm quia intestina inhabitat, atque ipsis emunctoriis tam vicinus est, Bubo. tum quia vt Anatomicæ rationes ostendunt, difficulter vlteriùs serpere potest, ferè vltrò euanescit, nisi forsan intempestiuè adhibitis repellentibus medicamentis, vi quadam in alienum locum depulsus sit: tum enim si sæpius iam assignata Luis Gallicæ signa, ipsum comitarentur, aptissimè ad Morbû Gallicum referri poterit. Singulare huic speciei est, vt formis ac loco multum euariet, quandoque sub Herpetis forma, locum Buboni proprium obtinent, nonnunquam alia forma, hunc vel alium aliquem humani corporis locum occupans, sed ferè in proprio loco increscente malo, alibi ipsum diminuitur, aliàs si terminum suum trans-

transgrediatur, properare nil prodest.

Panaritius vt morbum Gallicum transfiat. Porro & Panaritius si ex luxu exacerbetur, in Gallicum morbum transmutari potest, veluti & Zimiæ, Vndimia, Atrici, Moræ, atque omnis generis Condylomata, nam si ista, vel vnico saltem Morbi Gallici signo comitata appareant, non amplius suam singularem curationem requirunt, sed cum Gallico vnus morbus (sub duabus tamen formis) facta, vnà cum Morbo Gallico curatione extirpari desiderant. Quòd si verò Pustulæ vno aliquo peculiari loco erumpant, vt in Alopecia, vbi solum caput infestatur, tum Alopeciam esse prædicendum est, nullis etiam apparentibus adhuc Pustulis. Quamuis non inficiar sæpius aliquem morbum, sic in Luem Gallicam transmutari, vt ipse penitus non agnoscatur amplius, sed mera Lues sit, quæ quandoque in solo capite consistens, nec vlterius reptans, quia Alopeciæ quædam signa habet, non inconcinnè eius nomine afficietur. Simili ferè ratione malum mortuum in Luem veneream degenerare putatur, sed rudimentum Lepræ potiùs quàm Lues venerea dici meretur, propter noxæ magnitudinem. Lepra verò vbi in Luem hanc transmutata fuerit, membrorum stuporem, ac efflorescentiam efficere solet, semperque res in deterius inclinare cernitur. Proinde Luis venereæ, quæ ex hoc genus morbis magnis ac contagiosis oritur, naturam addiscere conuenit: nam ferè vbi Lepram in Luem Gallicam abiit, ipsa quasi euanescit, manentibus adhuc signis ipsius, vlceribus scilicet, tumoribus, maculis, hydrophorbia aliisque similibus, nec vllum deperditur signum, præter ea quæ ad examen lepræ pertinent, ea namque cùm sub iugum huius Luis veniant, deperduntur, & ipsius magnitudine obscurata, Lepram esse pronunciare non in procliui sit. Itaque in examine Leprosorum Medici cauebunt, ne, vbi Lues Gallica Lepræ complicata est, solis signis confidant, sed potius ad operationes medicamentorum, Realgaris Corrosiuorum ac Oppodeltoch frustraneas respiciant. Etenim cum malum hoc genus remediis non euincitur, vel irritatur saltem, tum certissimum Lepræ signum adest, itaque huiusmodi Lues Gallica veluti & Lepra pronunciari debet. Interim tamen non rarò accidit, Pustulas non sic omnino istis remediis inobedientes esse, sed curari se patiuntur: verùm non ita multò post recrudescunt, & aliquoties curatæ subinde tamen reuertuntur, proinde accurato iudicio opus est, ne pro lepra Luem veneream, vel pro hac illam pronunciemus esse. Sed iam tandem enumerationi finem facio, nam omnia genera morbi Gallici, quæ ex morbis Chirurgicalibus pronascuntur sermone prosequutus esse mihi videor. Quod si forsan aliquis omissus foret morbus, eum vos ex Chirurgicis nostris libris facilè restituetis.

Alopecia

Malum mortuū in morbū Gallicum transiens.

Cautela in examine leprosorū obseruanda.

D. THEOPHRASTI PARACELSI DE PVSTVLIS, TVMORIBVS AC Vlceribus Morbi Gallici,

LIBER SEXTVS.

IN QVO SIGNA MORBI GALLICI EX MORBIS PHYSICALIBVS facti explicantur.

CAP. I.



Descriptis hactenus Chirurgicalibus morbis, atque quo pacto per signa in cognitionem morbi Gallici inde nati deueniamus, rationibus demonstratis, ordinis ratio postulare videtur, vt deinceps de Physicalibus morbis sermonem instituamus, nimirum quibus rationibus ex ipsis Lues Gallica generetur ostendentes. Ad quam tractationem antequàm ingrediamur, priùs differentiam inquirere qua à præcedentibus signis ista separentur non inutile fuerit. Itaque hoc genus morborum quod internorum nomine afficimus in hoc maximè à Chirurgicis differt, quod ipsum ferè lethum adferat, hæc verò in multum tempus protrahantur, proinde in curatione accuratiùs animaduertendum in internos morbos tanquam periculosiores. Atqui iuxta vulgata Medicinæ theoremata mihi quis hîc obiiciat forsan Febres quæ & ipsæ inter morbos internos numerantur rarò lethales esse, verùm breuiter sic ego contra, vt maximè lethales per se non sint, tamen huius mali accessione non posse non periculosas euadere, atque etiamsi quandoq; lethales morbi salutem inueniant, tamen non de casu sed de morbi materia quidue ea in corporibus hominum efficere queat, vobis sermo institutus est. Veruntamen vt de eo quod in Physicalibus morbis primum locum obtinet signo, primùm dicamus, Mensium fluxum ante omnia contemplari conuenit. Itaque si mulier in actu Venereo cum vno vel pluribus (fere tamen plures requiruntur: nam Lues Gallica non ab vno sed à pluribus morbis prouenit, siquidem iuxta Cambuccosam vtrinque existentem dispositionem ea accidit, hinc etiam patet prius præparatum luis Venereæ venenum esse debere antequam morbus exoriatur &c.) perpetrato, mensium fluxum inordinatum hoc est, qualitate vel quantitate peccantem, patiatur: vel maiores quàm pro more dolores sentiat, atque contractura, herpes, tumor, vlcus vel simile quidpiam subsequatur, tum pronuncia, eam in Luxu Venereo menstruum suum infecisse, illúdque contagium retrò per meatus illos quà menses defluunt serpsisse. Quòd si ergo serpendo ad ossa vsque penetrauerit, tum symptomata iam enumerata omnium vehementissimè sæuire cernuntur: nimirum quia omnia mineralia in menstruo recondita latent, maxime verò Sales: hinc itaque pruritus quandoque euenit, quandoque scabies, pustulæ, vlcera &c. infestant, non rarò alcola, serpigo, & scyrrhus fiunt. Quin & hoc

Argumentum huius libri.

Physicales morbi vt à Chirurgicalib. differāt.

Febres cum Lue Gallica sunt periculosæ.

Mensiū fluxus.

Menstruum in Luxu inficitur.

Mineralia omnia in menstruo latent.

peculiare est, quod ferè Paroxismus subsequitur vbi fluxerũt menses, pro temporis nimirum dimensione, quòd si verò periodos certas non obseruet defluxio illa, certũ est corruptorũ mẽsium indicium: sin certis periodis menses fluãt, corrupti tamen sint, tum herpetes aliæq; corruptorum mensiũ soboles generantur. Ad hęc si eius acuitas exaltatioq; multa vel pauca, dulcis vel corrodens appareat, tum vel pustulæ fiunt, propter salsedinem, vel vlcera, ob audactam corrosionem, omnia tamen iis locis erumpere videntur, quib. menses, vel naturaliter vel præter naturam suũ emunctorium habuerint. Cæterum cùm omnib. notum sit menstruum sic dispositum esse, vt cuiuis morbo occasionem prębere possit, manifestum hinc quoq; euadit, ipsũ siue in iuuenculis sit, siue in vetulis, nisi probè clarificetur ac mundetur nullam vnquam absolutam sanationem admittere morbi eius quem causauit. Itaq; non iuuenib. saltẽ, sed & iis quib. fluere iam desierunt, semper in illum paroxismũ intendendum est. In quo negotio à chirurgicis regulis non digredior, sed ad illos vos remitto, sufficit mihi si quæ illic descripta sunt, eorum certas causas hîc reddere queam.

Corruptorum mensiũ signum. *Mensiũ emunctorium.* *Paroxismus mẽstrualis obseruãdus.*

CAP. II.

Similiter de hernia iudicandum, etenim perinde ac Menstruum solis mulieribus, sic hernia soli virili sexui conuenit. Etsi autẽ hernia morbus antiquus sit, atque cum Lue Venerea nunquam comparatus, neque vicissim hæc cum illo comparetur, attamen signa non pauca sunt quæ magnam affectuum cognationem testentur: ad hæc & illud est, quòd Curatæ lui gallicæ hernia succedat, quod certissimum signum est, chronicos huiusmodi morbos, causam habere venenum, ab illa lue contractum: licèt nullum amplius restet aliud indicium. Herniæ verò signũ exquisitum est, quod malũ subinde increscit, neque vnquam locũ mutat: nam Hernia præter quam quod genitales partes in tumorem attollit, signum pathognomonicum aliud nullum habet. Sin ipsa cum lue gallica complicetur, tum mixta sunt, ac fluctuantes aquas, tumores, vlcera, verrucæ, &c. superueniunt, hæc inquam, signa sunt, quæ herniam cum morbo Gallico implicitam esse ostendunt, quandóque omnia illa quinque supra commemorata adsunt quandoque aliqua. Sin intrinsecus ea consistant per penem lacteus succus vel pus redditur, accedentibus iisdem quæ memorauimus signis.

Hernia solis viris accidit. *Hernia post Luẽ Gallicã.* *Herniæ signum Patognomonicum.* *Herniæ internæ signum.*

Porrò autem etsi hernia, atque corrupta illa vrina alios quosdam vrinariorum meatuum ac vasium morbos ostendere possint, tamen non curato eo, semper herniam pustulosam esse dicito: etenim istis signis in pustulis apparentib. scito morbum hunc iam transmutatum esse, nec nisi curata lue Gallica medelam recipere. Eodem planè modo in non paucis aliis affectibus, extra ipsorum Centra, vlcera vel dolores fiunt: & quamquam morbi illius locus ille planè non est, tamen efficacia Luis Gallicæ illic procreantur, siquidem tanta huius mali virulentia est, vt si vsquã aliquid est, quod omnib. modis sanum perfectúmque non sit, illud inuadat atque exulceret. Sic Hernia etsi suâ naturâ saltem in genitalibus fiat, tamen si reliquo corpore aliquod ex annotatis quinq; Luis Gallicæ signis appareat, iam Gallica appellabitur, non secus ac herniam ventosam, humerosam, carnosam &c. aliàs appellare solemus. Curandi modus est, vt specificis depellantur, aliàs enim ferè perpetuò durant.

Hernia Pustulosa. *Hernia quando Gallica sit dicenda.* *Specificorum vsus necessarius in Hernia.*

CAP. III.

Qvin etiam vehemẽtissima quandoq; lues ex podagricis defluxionibus concitari solet, vbi illæ quod non vsque adeò difficile est, in Gallicum morbum transierint. Etenim cùm vtrumque malum hęreditarium sit, hic morbus omnium maximè contagiosus proinde efficitur, atq; cùm tumores ac tophi in podagra frequentes sint, in hoc genere vehementissimè quoque sæuire hæc lues solet. Nam vlcera, ac herpetes, cùm de essentia podagræ non sint, hîc procreari nequeunt: itaque dictis saltem modis affligere potest. Species hæc omnium quotquot vspiam sunt, dolorosissima est, multo calore magnisque tumoribus comitata. Namque omnes morbi qui ex liquoribus naturæ fiunt inter quos podagra primas tenet, si à spermate corruptionem aliquam concipiant, paroxismos nanciscuntur non secus ac in podagra videre licet. Proinde si podagra à luxu in morbum Gallicum transplantetur, tum vehementissima symptomata eueniunt, quæ ab influentiis cœlorum ac intemperantia in otio, cibo, potu, luxu, ac venere, (veluti in podagra accidit) augmentum assumunt: non enim cœlum solum suas influentias habet, verum & quilibet potus immoderatior defluxiones concitare potest. Si itaque Podagra ex vini immoderatiore ingurgitatione primum extitisset, tum à vini temporibus (non secus ac aliæ quæ à cœlestibus influxibus natæ illorum periodos obseruant) ipsa gubernatur. Quapropter ante omnia influxus à quanam causa fiat considerandum, dein prædictio ac curatio subiungendæ, sic in podagra in Luem Gallicam transmutata initio signa, quæ vinum vel influentiam cœlestem indicant perquirentur, quo facto facilis, causæ morbi Gallici dignotio subsequetur. Ex quo sequitur, tumores illos multò quàm natura podagræ ferat, vehementiore dolore affligere: ad hæc podagræ destinatis locis non contenta, lues hæc, omnes cæteras totius corporis partes dolore ac tumoribus diuexare conatur.

Tophi Podagrici. *Lues Gallica ex Podagra summũ dolorem coniũctum habet.* *Potus immoderatior fluxiones concitat in Podagra.*

Quod si podagræ corrosiua aliqua vis coniuncta sit, coniuncta autem est, vbi ea simplex non manet, sed aliis morbis complicatur, tum Herpetes generantur, qui dein si materiæ multitudo & acuitas tanta sint, in vlcera degenerant. Namque ex Podagra omnes quinque Luis Gallicæ species germinare possunt, (sic tamen vt non morbi sed symptomata tum dicantur.) Etenim podagra talis affectus est, qui cum omnibus aliis morbis complicari queat. Curationem quod attinet, sedula opera danda est, vt curandæ podagræ rationem ante omnia teneamus: namque hoc genus morbi Gallici nemo vnquam curabit, nisi podagræ curationem aliquoties præstiterit: nam podagra cùm suapte natura curatu difficillima existat, an quisquam putet aucta illis per luem, malignitate non difficiliorem reddi?

Podagra quando vis Corrosiua iũgatur. *Podagræ curatio necessaria.*

di? Itaque discamus, vel morbum morbo, vel quemuis affectum per se depellere; vterque enim modus necessarius est. Quamuis non inficior, Podagram & Luem Gallicam eodem in corpore, locis saltem distinctas consistere posse ac solere: veluti quispiam podagricus, cum contagiosa concumbens non statim etsi contagium contrahat, vnico saltem morbo laborabit: namque seorsum à lue Gallica, alium morbum consistere posse impossibile non est. In quo casu, duplici curatione, non vt aliàs mixta vtetur, cuius hîc lectorem admonere necessarium duxi.

Podagra & morbus Gallicus, idem corpus locis tamen diversis occupare possunt.

Cap. IV.

Similimodo si catarrhus in corpus Luis Gallicæ transmutetur, per signa ipsius naturam cognoscere poterimus. Itaque contingit non rarò contracturam accidere iis membris, in quæ aliàs decumbere Catarrhus solebat, causa huius symptomatis est, quod Lues Gallica vnà cum Catarrho mouetur, augmentum ac decrementum suscipit, atque nisi Catarrhus esset, contractio illa neutiquam accideret: quod eo argumento fidem meretur, quia Catarrho desinente, vltrò illa contractio abolebitur. Pustulæ quæ in hac specie erumpunt mites sunt & ferè aquosæ, nisi vbi salsus Catarrhus est: tum enim pruriunt Pustulæ. Sed ad signa pathognomonica huius affectus progrediam', inter quæ primum locum obtinet, gargareonis ac faucium inflammatio ac exulceratio, dein erosio ossis Basiliaris ad palatum ac nares vsque, sic vt quandoque per nares cibus potúsq; reddantur, post hæc, parulides ac epulides, atque musculorum laryngis inflammationes exoriûtur. Vbicumque ergo huiusmodi erosa vlcera apparuerint, cum signis propriis Luis Gallicæ, Catarrhum cum Lue Gallica complicatum esse prædicito: quamuis enim successu temporis in subiectas capiti partes quoque grassetur, tamen signa oris, faucium & laryngis, ad prædictionem sufficiunt, nam huius speciei natura ea est, vt ferè sua regione desideat. Quod si alias quoque occupare contingat, aliam speciem huic complicatam esse, potius quàm hancaliò migrasse dicemus. Quandóque cum squinantia, aliàs cum branca, nonnunquam cum folio (prout Reuma ipsum ceciderit) cognationem habere videntur, nullúmque planè morbi Gallici genus existit, quod celeriùs ac vehementiùs putrescat, quàm Reumaticum hoc. Quapropter in curationis modo, necessitas postulare videtur, vt vnà cùm pustulis Catarrhum ipsum depellamus. Accidit præterea quandòque, lachrymæ oculos, venenosi Humores aures, vt erodant ac exulcerent, adeò vt Fistulæ fiant: eas proinde iuxta signa Morbi Gallici distingues, & si aliqua illorum concurrant, tum Medicamentis non Fistulis appropriatis, sed quæ Luē Gallicam curare valeant vteris: sin nulla adsint, suo eas modo curari nil prohibet. Quamuis nō rarò obseruauimus, Luis Gallicæ remedia huiusmodi simplicibus Fistulis adhibita, non mediocre commodum attulisse: est enim in curandi ratione magna Luis Gallicæ cum grauissimis quibúsque morbis cognatio, quæ res multis in arte Medica erroribus occasionem præbuit. Etenim cum hoc genus morbos Luis Gallicæ remediis curari cernerent pseudomedici, promiscuè deinde quibusuis affectibus ea adhibere cœperunt. Simili ratione si quid in gingiuas decumbens eas exulceret, erodat ac absumat, dentésque mobiles faciat, vel planè proiiciat, sufficiet, medicamento putredinem illam prohibente vti. Verùm non rarò, naturæ benignitate hæc Luis Gallicæ species vltrò curatur, quod non intelligentes Medici curationem suis remediis magno fastu tribuunt.

Catarrhus in corpus Luis Gallicæ transmutatus.

Pustulæ aquosæ i Catarrho.

Symptomata huius speciei.

Squinantia.

Catharrhi cum Fistulis curatio.

Luis Gallicæ curatio cum grauiorum morborū curatione cognationē magnam habet.

Cap. V.

Ad eum modum si hydrops eiúsque species in Morbum Gallicum transplantentur, qualis qualis eius species sit, omnes eodem modo dignoscere licebit: tumor enim quilibet, etsi pro hydropisi non definiatur, si particularis sit huius mali indicium esse potest, sic tumefacta crura, membra grauata, vlcus serpens, color faciei pallidus, labia decolorata, pustulæ curatu difficiles, amplæ, humidæ, aquosæ: atque vbi in vlcera degenerârint, multam aquam fundentes: si complicatum aliquod signum ex iis quæ Lui Gallicæ ascribimus habeant, certum efficiunt Medicum, corpus huius Luis ex hyposarca primitus originem duxisse: sin ex Ascite ortum habeat, eiusdem signa perinde ac isthinc manifestum facient, similitérque de reliquis hydropis speciebus in Gallicam Luem transmutatis sentiendum. Cognita itáque hunc in modum affectus specie, altera iam consideratio Medico incumbit, nimirum vt inquirat, num huiusmodi Morbus Gallicus lethalis sit nec ne? Namque qui ex hyposarca originem duxit, mortem certissimam minatur, etsi enim hydrops, accessione Luis Gallicæ malitiam suam, aliqua ex parte amittat, tamen aditum ad mortem subinde machinatur. Proinde Medicus semper in eum scopum intendat, vt in lethalibus morbis, veluti hydrops est cum Gallico complicatis, certissimā mortem expectet, nisi aliàs simpliciter subsistentem illum morbum curare valeat: tum enim salutis spes omnino præclusa non est: tamen vtut sit, si contagiosorum istorum hominum vrina pauca ac rubra fit, atque malum pro motu lunæ, nunc increscere nunc decrescere videatur, admodum præsens mortis periculum esse scias. Quapropter in signis prognosticis sedulò se medici vt exerceant hortor, quò quantum ipsis artique possibile sit intelligant, nec quámquā luem támquā curabilem assumant, vel suscipiant: nam qui secus medicinam facit, solo casu nititur, veluti cæcus qui quandoque casu rectam viam attingit, vt non immeritò quandoque admiratio me capiat, quomodo vestro ligno vestrísque vnguentis, dum nullam obseruatis distinctionem non dico aliquid præstare, sed non omnes qui fidei vestræ se credunt orco demittere possitis.

Hydrops cum Lue Gallica complicata vt dignoscatur.

Ascites.

Lues Gallica ex hydrope quæ & quando lethalis.

Vrina pauca & rubra malum signum.

Cap. VI.

Icteritia dein suis quoq; colorib. in luē Gallicam transmutata ex solo ferè colore signorū ad internoscendū abundè satis suppeditat. Itaq; si pustulæ, tumores, vlcera, herpetes &c. cum croceo vniuersi corporis colore appareant, Morbum Gallicum ex Icteritia pronatum esse dicito. Quin etsi toto corpore color luteus non statim

Lues Gallica ex Icteritia vt cognoscatur.

statim fit, sed vel solæ pustulæ croceæ sint, vel cutis qua malum grassatur tincta, vel denique vlcera flauam aquam solummodo funderent, nullis accedentibus aliis Icteritiæ signis, nil te moueat, quò minus idem pronuncies: namque Icteritia quæ ante toto corpore apparuerat, omnis ad locum contagio affectum confluxit, atque cum Lue commixta est. Quod si curata huiusmodi Lue Gallica, non omnino quoque Icteritia abiisset, sed aliqua adhuc corporis parte fixa hæreret; periculum est de recidiua, atque signum certissimum. Verum hoc Icteritiæ peculiare non est, sed omnibus complicatis morbis commune: nisi enim radicitus vterque morbus euellatur, subinde remanes, alteri recrudescendi occasionem præbet.

Icteritia ex vniuersali specialis.

Recidiuæ impendentis signũ.

Obseruandum præterea est, quod si hunc in modum affectum corpus, tabe absumatur, sitisque increscat, lethale malum pronunciandum sit, maximè si vrinæ lethales appareant, ac contractura remittens vlceribus occasionem præbeat, hoc inquam certissimum mortis signum est, ostendit enim Icteritiam ad cor vsque peruasisse, atque vitalem spiritum inquinasse. Quapropter quid icteritia sit, quomodo ea increscat, quóue pacto si ipsa Luem procreârit, ipsius sulphur (acuitatis ac Corrosionis causa) absumendum sit, ante omnia addiscet Medicus, siquidem istis ignoratis impossibile est mortem deuitari posse, quidquid tuo Guaiaco ac vnguentis mendax tribuas interim.

Tabes lethale signum.

Sulphur in Icteritia absũmi debet

CAP. VII.

AB ineunte ætate mirari subiit, vos qui & titulis & galeris rubris tam splendidè ornati estis, tanto opere quo artem exercuistis, nondum tamen cuiusuis speciei Luem Gallicam curandi rationem inuenisse, verum cum dein cernerem vos non vt extrà, sic in mente ornatos esse, sed intus, magnam inscitiam, ruditatem, ac stultitiam alere, mirari desij, intelligens vestram medelam, dignum esse vasi operculum, nam ligno medemini lignei stipites. Quando tandem resipiscere animum inducetis? an non naturæ satis refragati estis? an nondum satis damni dedistis ægris? nondúmne vestram ipsi agnoscitis ruditatem? ô tempora ô mores. Febres distinguere, ac infinitis chartis commaculatis describere nouistis? Pustulas verò quas intelligere pluris interest nondum scitis? in hoc malo omnis vestra opera collocanda erat, hîc laus quærenda: sed vtrimque eadem eruditio est, hîc muti estis, illic blaterones: studia vestra sæpius puerorum me admonent, qui euoluendo libros, picturas, asteriscos, ac rubricas solum spectant iisque delectantur: consimili planè ratione vestra studia se habent. At si hæc Doctorem decent, non video quid inter Doctorem & Calfactorem intersit. Itaque si modò veritas cordi vobis est, omnibus modis symiotikin amplectemini, vt ex hac de corpore ac morbo sententiam ferre possitis, verum metuo ne si ista addiscere demum oporteret, ad triuiales scholas vobis redeundum esset, magno certè animi dolore: Gonorrhæa ergo exempli loco contemplanda proposita esto: quid hîc considerandum venit primò? scilicet an ipsa Pustulosa esse queat, dein si possit, quatenus cum Lue Gallica consistat, quibus locis, qua forma, &c. Hæc si vos audiatis, heu quantus terror vestra pectora occupat? Similiter in strangoria, Ischuria, mictu sanguinis, aliisque huiusmodi cum Lue Gallica complicatis, quàm accurata distinctione quàm sedula præcautione in curando opus esse putas? ne pigeat ergo Theoriam hanc nostram addiscere, cùm aliter paulò maioréque experientia ac diligentia, quàm vestri codices descripta sit, sed stultis ac pueris sua semper placent. Si vestra Theoremata vera sunt, cur non fœlix praxis subsequitur? Contemplando hæc innotescere non inficior, hoc verò est quod contendo, Theoriam ex praxi non ex inanibus phantasmatis hauriendam esse. Theoriam singularem ac speculatiuam habetis, quâ præclara illa, scilicet in syrupis & purgationibus praxis sequitur. Vel cæcus vestram stultitiam animaduertere possit, verùm in corradẽdis pecuniis sat sapitis. Quotquot vnquã Gallica Lue infectos, curandos suscepêritis, nõdum tamen symptomatum rationem, ac signorum vsum in præsenti malo addidicistis. Si itaque signa non intelligitis, quomodo morbos qui à singulis signis demonstrantur dignoscetis? Signa, signa inquam distinguite, ne audiatis hanc vocem sæpius D. Doctor vos ægros multos conficitis.

Lignei Medici ligno medentur.

Gonorrhæa quatenus Pustulosa esse possit.

Theoria ex praxi haurienda.

Signorum vsus ad [illegible] ignotus.

CAP. VIII.

SVnt denique morbi Gallici nonnullæ species, quæ varios secum morbos auferunt, quarum corpora per se ac singulariter non agnosci possunt. Verbi gratia, vbi ex paralysi factus morbus est, ibi paralysi abolita ne minimum quidem eius signum amplius superest. Proinde summo studio in signorum cognitione laborandum est, vt si de huiusmodi morbis suspicio oriatur, paralytica membra suo modo curare possimus, atque ne Lue Gallica corripiantur præcauere. Reliquæ verò passiones articulorum, vt arthritis, sciatica, cum vnà cum membri extenuatione, grauissimos dolores excitent, non sic occultè præter nostrum iudicium labi possunt. Itaque si in aliquo membro vlcus, tumor vel contractura vltrò fiat, scito ex hoc genus morbi originem duxisse, vel à paralysi eò decubuisse, vnde dein morbus Gallicus prognatus sit. Sin Lethargus in luem Gallicam abeat secus res se habet: nam primò lethargus per se curandus est, dein passio ipsa, hoc est, coniunctim ambo depellantur: nam Lethargus vbi in Luem hanc transmutatus fuerit medelam recipit. Sic de Caduco sciendum est, quod vbi meatus illi in quibus causa morbi subsistit, Lue Gallica correpti fuerint, magna capitis vlcera fiant, quibus mederi non liceat, nisi ipso quoq; caduco morbo in curationem deducto. Signa huius mali sunt, spasmus, tremor, mentis oblæsio aliáq; Epileptici morbi Symptomata. Quocirca quæ de signis dicta sunt hactenus ante aggressionem operis Medici, sedulò cognitione sunt inquirenda. Quin si epidemicæ febres, pestis atque horum similia accidant, pro locorum varietate, de salute pronunciandum erit, atque de curatione cogitandum. Etenim veluti iam sæpius monuimus vnà cum Lue Gallica auferri debent, namque si singulis

Lues Gallica multos morbos abolet.

Lethargus in Luem Gallicã.

Caducus in Luem Gallicã transmutatur.

Pestis & Lues.

gulis singulas curationes, quis adhibere vellet, accidere posset, vt altero sublato, alter adhuc restaret: verbi gratia abolita Lue, pestis adhuc subsisteret. Denique accidit non rarò, vt dum Chronicis morbis detinentur homines, alij atque alij superueniant morbi, adeò vt in eodem corpore plures vnà grassentur aliquando, quod si accidat, sedulò ab inuicem eos distinguere studebis. Nam Asthma, tussis, fœtor oris, diabetes, hemoptoe, lethales sunt morbi, nisi quis arte eos eò redigere valeat, vt cum Lue Gallica in vnum corpus coalescant, atque tandem per commune aliquod Emunctorium propellantur. Mulieres verò ex Mola, suffocatione, præparatione, retentione, profluuio, &c. similibus in casibus maximè periclitantur: namque ferè corpus ad tabem redigitur. Itaque antequam curationem aggrediaris, per signa ista, Luem Gallicam ab omnibus cæteris morbis segregabis, sic vt vnicum Gallicum malum, obiectum tuum sit: neque cogites te priùs Luem auferre velle, dein reliquos: præposterum namque illud foret, & illi morbi interim tale venenum conciperent, quod non nisi summo præsidio, expelli non sine periculo posset.

Chronicorum morborum cum Lue Gallica complicatio.

Lethales morbi Chronici qui sunt.

Mulieres affectas.

CAP. IX.

IAm tandem finem symiotices faciamus, quod si signa omnia descripta à nobis non sunt, vestræ industriæ hoc tribuendum putanimus: interim vnumquemque admonitum volo, vt corpus ipsum morbi eiusque in matrice generationem cognoscere sedulò addiscat, vt inde quemadmodum contagium communicatum sit colligere queat. Quin & hoc accuratè obseruandum, num aliquid fixum redditum sit nec ne: nam pro temporis ratione curationis possibilitas decerni solet. Proinde non sufficit Practicos nos esse, Physices quoque cognitio requiritur, nec interni solum corporis, sed ex externorum natura cognita nobis esse debet. Cogitandum quoque horam producere morbos prout Astra ipsa disposita fuerint, itaque non morborum saltem signa, sed & cœlorum ac Elementorum impressiones spectandæ sunt: hæc namque quid in illis attentandum sit admonent, normæque instar sunt. Quoniam autem signa à tempore immutari contingit, illius quoq; meminisse decebit, namque istis in rebus perinde vt coniunctio, oppositio vel aspectus se habet: quod si ergo signa ista in deterius vergant, non admodum multam salutem exinde sperare poterimus. Verbi causa, Ictericia in Cardiacam, alius quiuis morbus in Cacheriam transiens, maius periculum ægro conciliant, quod si secundarij isti morbi Fixi fiant, iam & de ipsa Lue melius aliquid sperare similiter non licet, & ferè mors in olla est. Ex Renib. quoq; lethale signum habetur, si cum ipsorum arenis vel calculo Lues Gallica complicet'. Quemadmodū & vbi aliquis morbus antea cum Lue commixtus denuò in suam essentiam, ac propriam formam regreditur: verbi gratia, si hydrops vel Caducus antea cū Lue compositi, iis ad suos proprios paroxismos redeat, tū de morte certissima audacter pronūciabis, maximè si penitus remiserint dolores Gallici morbi. Quæ præterea de huiusmodi signis explicanda supersunt, ea ex vestris scholis facilè supplebuntur, vel successu temporis (si errores forsan ingruant) appendicis loco à me describentur.

Corpus & generatio cuiusque morbi cognoscenda.

Astrorū vires in morbis.

Ictericia in Cardiacum cum periculo transmutatur.

Ex Renibus lethale signum.

D. THEOPHRASTI PARACELSI DE TVMORIBVS VLCERIBVS AC PVSTULIS Morbi Gallici,

LIBER SEPTIMVS.

VIAM STERNENS AD CVRATIONEM EIVS AFFEctus, ex morbis tam externis quàm internis prognati.

CAP. I.

PRIMO propositi operis libro, errores vestros in opere practico, tum contradictiones vestras, quibus ipsi naturæ repugnatis, quanto potuimus candore deteximus: verum maiore vestro cum dedecore quàm commodo, nimirum cum tantus vestrûm numerus sit, nullam tamen adhuc in Lue Gallica receptam seu compositionem ostendistis, quæ iuxta vestros canones consarcinata, aliquam in opere practico præstiterit vtilitatem. Proinde non immerito cum tantopere libris vestris confiditis, nec tamen spe vestra potimini alia præsidia, quib. hominib. fucum faciatis: inquiritis, vt interim reliquā turbam medicorū, pharmacopœorū, xyloiatron, &c. mentionē nullā faciam, qui præcario impetratis à me quorundam vnguentorum, Cerotorum, Emplastrorum, &c. descriptionibus, meo primùm nomine dein ipsis remediis turpiter abutentes, perinde ac venator apro, sic illi rusticorum crumenis laqueos ac insidias ponebant, nulla sanitatis ægrorum, vel suæ ipsius virtutis, existimationis, vel salutis habita ratione. Sed medica arte ceu mercibus quibusdam, vitam sustentant isti agyrtæ, qua ægris ceu adulterato aromate, imponentes, magnas passim strages faciunt. Interim quanta turpitudo sit, quémq; vestrum (nullum enim excipio) ne id quidem quod ante pedes modo est non agnoscere, vt de secretioribus ad Physicam pertinentibus nihil dicam. Sed in pompa, iubilatione, speculis, atque tinnitu pilæ ac mortarij omnis vestra ars sita est, quam dein simiæ imitantur, tonsores, hos rustici, adeò vt etiam vsq; ad ambitiosos Monachos, (inter quos sanctimoniæ specie Carthusiani & Obseruantes excellere volunt) pestis illa propagetur, qui dein vbi aliqua remedia emendicari fuerint, ea mendaciter sua venditant, & quò fauorem sibi concilient, ac donaria consequantur, Pharisæorum instar expendunt, hoc saltem efficientes, vt cum remedia aliàs per se damnanda non sint, ipsa tamen contemptui habere vulgus incipiat. Sanè si imposturæ ad Medicam artem faciunt, Andouerpiæ ac in Frankfordianis nundinis, potius quàm in libris vestris studendum esset, optimúmque comparandæ huius Medicinæ medium

Paracelsi apostatæ

Monachi notantur.

medium foret, existimationis propriæ nullā habere rationem: hoc vnico nāmq; fundamento iacto, vltrò aduolant remedia. Neque opus est addiscendæ Medicinæ gratia exteras Academias adire, sufficit cum Agyrtis illis Theriacam rusticis vendentibus ad tempus hinc inde migrasse. Hinc non immeritò in vestra tribu numerantur, Monachi, Apostatæ, Iudæi, Nebulones, carnifices, atque ferè qui de vestro sodalitio sunt, vel Pharisæi sunt, vel Nequam, dij velint ne vtrumque vnà sint. Sed Mechanici artifices restant, qui laborum pertæsi in Medicum agrum, perfricta fronte irruunt, & homines ceu bestiæ essent reputantes, in quosuis nullo respectu suis remediis grassantur. Eos ego satis admirari nequeo, tanta omnis honestatis atque humanitatis obliuione captos esse. Sed paucis rem expediam, si quis virtutis amor in illis esset, in sua arte gloriam quæsiissent.

Pseudomedicorum tribus.

CAP. II.

Guaiaci vsus incertus.

QVidnam subtilitatis Guaiaco inest quod sic illud promiscuè quibusuis morbis adhibetis? de hoc sanè omnibus constat, eos qui semel curam ligni subierint, pristinæ sanitati nunquam penitus restitui posse: etsi enim videatur morbus curatus esse, nihilo tamen tutius viuunt ægri: namque vel de præpropera recidua periclitantur, vel si diutius ea differatur, capitis affectus aliaque mala paulatim radices agunt, ac ingrauescunt, morbúsque priore duplo peior erumpit tandem. Verum si rem accuratius expendam, patebit vosmetipsos virtutes ligni ignorare. Quid Pandectarius vester & Herbarius dicunt, an experimentum est? vbi ergo Philosophia remanet, ex qua experientia operatur? Siccine in Academiis eruditi estis vt à Mercitoribus artis vestræ summa mysteria addiscenda vobis sint? vt præceptores Cardinales agnoscatis? qui sine dubio de hac re pauca obliuioni tradidere? Similis planè in sectionibus vestra prudentia elucet, in qua integri lacerti quandoque præsecantur: ô malam medicinam: caro illa si bona est, atque aliquam adhuc corpori vtilitatem præstare potest, quamobrem abscinditur? sin planè putrida & inutilis euasit, cuius quæso culpa nisi vestra hoc accidit? verum nouacula optimus vester Medicus est, quis tamen vsus qualis sanitas subsequatur ipsimet decernite. Fumigia deinceps perpendamus, an non meritò præstigiæ à me appellentur. Mercurius si alia ratione quàm instar cibi adhibeatur, nil nisi venenum est: hoc tamen de aqua Mercuriali nostra non dico, sed de vestro sublimato correcto. Veluti enim vinū bibi, non per vapores in corpus humanum impelli desiderat, vtque caro deuorari non fumo excipi vult, sic quoque Mercurius in cibum præparari, non fumigij instar adhiberi debet. Summum certè in arte Medica mysterium est, scire qua forma quodlibet simplex corpori adhibendum sit, quo ignorato, non possunt non illa grauia symptomata quæ tantopere vos subinde in ægris vestris terrent, euenire. Veruntamen cùm vulgus decipi velit, vosque ceu Deos veneretur, bona quandoque fortuna Argentum viuum vobis supra captum vestrum successum largitur. Denique si forsan quis occurrat, qui veterum in hoc affectu remedia vsurpanda esse contendat, eum meminisse velim, cum illa ad luem Gallicam præscripta non sint, haud posse quoque illum scopum contingere. Sin quid pro quo ponere velitis quod vobis vsitatum est, merdam pro musco recipietis. Verum boni medici estis, vbi vltro morbus declinat. Sed hoc ex me scitote. Omnem curandi morbi Gallici virtutem in vnica & sola VIRTVTE MERCVRIALI reconditam esse, non in vestro Argento viuo suppositio. Quomodo autem vis Mercurialis omnium rerum Guaiaci, cupressi, Buxi &c. cognoscatur, non nisi per digestionem ac separationes virtutum mercurialium innotescere potest. Itaque per separationes istas non in Guaiaco solum, sed & in Abiete & Pino ligni Guaiaci virtutes reperiuntur. Proinde qui vim Mercurialem ex rebus quibusuis extrahere non nouit, pro tritico stipulam ægris porrigit.

Sectiones improbantur.

Nouacula bonus Medicus.

Mercurius in suffumigiis adhiberi non debet.

Veterum remedia in Lue Gallica non prodesse.

Virtus Mercurialis.

CAP. III.

HAsce ergo separationes cum aliquando animum induxissetis addiscere, atque virtutes corporum exaltare, bona à malis separando cogitaretis, cum omnem viam vobis præclusam esse, nisi eam quæ per Artem Chemicam patebat intelligeretis ad Alchymistarum scholas vos contulistis: in quibus quidquid attentabatis, Asini eratis ad Lyram, ô præclaros Alchymistas qui cum alembicum cucurbitæ nondum agglutinare didicerint, summa artis mysteria tractare audent, si iactantia curandis morbis sufficeret, vel si coram cæcis Alchymia tractanda foret, iam optimi Medici & Chemistæ essetis. Si Philosophia eloquentia est. Rebis ori tuo imponamus, sed ad rem. In Mercurij præparatione mirum quanta formarum varietate ludant, hic assat, alter elixat, hic rubrum alter chrystallinum Mercurium ostendit: scilicet vterque inutilem Fermentum ostendant, Elixir depromant, tum eos Artistas esse dicam: Mercurium arcanum morbi Gallici esse scire vos non inficior: at cū nec ipsum morbū cognoscatis, nec Mercurij præparandi rationem teneatis, in perpetuū vos Medicos esse nō pronunciabo, nam quod vbi planè desperatum malū est ad Aquam regalem cæteraq; corrosiua confugitis: carnificina est nō Medicina. O inexplicabilē vestrā sapientiam, quā in Capite mortuo, florib. Iouis, croco Martis &c. ostenditis, sc. illa artis secreta & mysteria sunt. Ea ego si quis alius magni facio, ad luem Gallicam quoq; non nihil facere confiteor, sed componendi primùm rationē, dein adhibendi modū quo vtimini non probo. Si praxis ex Hermetis codicib. Reymūdi & Nequam Rupecissæ libris ac Quinta essentia addiscenda esset, hoc tamen pro certo affirmare ausim, neminem vestrûm adhuc proferre posse quidnam quinta essentia sit; etiamsi vita illi hoc responso redimenda esset. Multa quæritis, sed inuenitis pauca, ad hæc inania Macri, Plinij, ac Dioscoridis nugamenta (experimenta dicere volebam) non libenter deseritis. Miror sanè tantopere vos antiquorum authoritates defendere, cùm tamen ex ipsis vestras actiones & operationes nullo modo penitus tueri possitis. Ad hæc in Hypo-

Mercurij varie & inutiles præparationes.

Reimundus & Rupecissa notantur.

Quinta essentia quid sit medici ignorant.

Hypocrate medici non leguntur. Hypocrate qui tam frequens vobis in ore & lingua est (non autem in cerebro) nondum tantum profecistis, vt si ille reuiuiscat, vel ad abiectissimas operas vestro seruitio vsurus esset: parum namque honoris illi ex vestra commendatione ac allegatione accedit. Si medicina noua est ad quid antiquorum codices euoluitis? ô quàm vtilis vobis ad præstigias vestras eloquentia est? quæ artem non secus ac Philomelæ cantus cornum exornat. De Plinio vestro eloquentiss. hoc iudicium est meum, ipsum cum omnibus artibus ac experimentis cum tegulario Ehrestettano neutiquam comparandum esse, qui si idiotam non superat, vt certe non superat, vos ergo qui illo nitimini cui comparabo? quem vtut legatis sic tamen intelligitis, vt maximè necessaria vos obliuioni tradere non animaduertatis. Itaque iam tandem vos Experimentatores qui hostiatim emendicatis remediis Medicos se profitentur esse pronuncio & proclamo, ac artem perinde vt remedium, hoc est, vtrumque præposterè intelligere: nam qui morbo alicui medetur morbi autem causam, essentiam ac naturam perspectam non habet, is Experimentator est, quod cum & vos faciatis, quomodo non eodem nomine vos compellabo? Experimentatores ergo estis, non Doctores, quidquid interim vulgus, quod vobis decipere facile est, de vobis sentiat.

Plinius notatur.

Experimentator quis sit dicendus.

CAPVT IV.

VEruntamen omissis iam istis ad curationem ex qua omnes Medici Theorici æquè ac Practici nascuntur, accedamus, quam nos duplicem statuimus: altera est quæ intrinsecus in corpore radices & causas euellit: altera quæ exterius facta, vlcera, tumores, herpetes, contracturas &c. tollit. Quod vero medici cæteri cuiuis curæ suam abstinentiam annectunt, id nos penitus in lue gallica reiicimus, & profitemur præscriptam in hoc morbo abstinentiam certissimũ imperitiæ medici argumentum esse. Est enim omnis diæta per se vel Medicina vel venenũ. Itaq; si Medicina aliqua tam efficax non est, vt maliciam ventris seu partium naturalium non præcaueat, tum sanè legitimum morbi remedium inuentum nondum est: namque omnis recta medicina sine diætæ præscriptione suum cui deputata est, morbum absolutè curare valet. Et sanè si quid ego iudico, diæta saltem in eum finem in artem introducta est, ne dum quid facto opus sit ignorant, medici nihil agendo in contemptum venirent: proinde si cætera mutus sit medicus, de ciborum ac potus delectu apud ægros disserere incipit. Adhæc sciẽdum morbos per abstinentiã curatos, recrudescere, nisi ea deinceps perpetuo obseruetur: verum non sic de recidiua periclitatur curati, si curatio per conuenientia remedia sine abstinentiæ accessione facta sit. Itaque de curatione sic agere mihi propositum est, vt remediũ & morbo & cibo ac potui aduersum sit, adque omnia quæ insalubria esse poterant medicinæ subiecta sint.

Curatio duplex morbi Gallici.

Abstinẽtia ad curationem non pertinet.

Diætæ regulam cur præscribant Medici.

CAP. V.

ANtequam autem curationis modum auspicemur, necessarium videtur esse admonere vt simplicia quibus morbi curantur, cognoscere addiscatis, veluti & quemuis morbum singulariter cognosci debere iussimus: nam morbo qui cum lue Gallica complicatur cognitio, componendorum simplicium ratio manifesta euadit. Itaque in furfuribus & squamis Radices vrticæ ac Thapsi singulariter prosunt, atqui furfures & squamas accuratè à cæteris morbis consimilibus discernere oportet, ne effectus non respondeat. In Saphatis Rad. hermodactylorum & Satyrionis commendantur, In scabie & pruritu Acetum, Sulphur, & sem. Plantaginis conferre creduntur. Verum externa remedia hæc sunt, & ad Chirurgiam pertinent, proinde ab iis quæ sequente libro describentur separanda. Si itaque iam commemorati morbi cum Lue Gallica complicarentur, iam enumeratis quoque remediis curandi forent, adiecto tamen Realgare purpureo, non autem Mercurio, Zinnabari, vel aliis hoc genus vehemẽtibus remediis, quib. vulgus medicorũ vti cõsueuit. Simili ratione in Cossis vapor Flãmulæ, in Variolis, aqua rutæ, in Tuberibus aqua Canapi, in Esseris & Formicis liquor aluminis, adiecto Mercurio nõ extincto prosunt. Sin Serpigines & Cicatrices aliaque hoc genus mala appareret, in Brioniæ radice summã spẽ collocabimus: atqui cum complicata cum Lue isthæc mala fuerint, Mercurius Christallinus adiicietur maxime cum fructu. In Herpete, Panno, Impetigineque, aqua Cyclaminis cum Realgare rubro (propter luem) proderit. In varicibus, Nodis (Verrucis, &c. ex Sigillo) polygonato) remedium petetur. Callus vero, Sephyrus, Schlyrosis, &c. Resina Locustarum Abietis curabuntur. In Scrophulis autem ac Glandulis Opponacum magnam curandi vim obtinet, quemadmodum & Salem gemmæin Testudinibus, ac Bothor, non sine magno successu quidam vsurpant. Denique in Furunculo, Chiado & Nacta simplicibus, Vitriolum per se, cum Lue vero complicatis, adiecta Aquila rubra prodest. Simili modo Melli & Aloe epaticæ, quæ in vlceribus aliàs curandis sufficiunt, vbi morbi Gallici signa quoque aderunt, Realgar Crystallinum commiscebimus. Atque ista in omnibus affectibus catholica sunto, nimirum vt intelligamus cuiuis affectui duplicem competere curationem, vnam quæ morbum auferat, alteram quæ membrum affectum pristino statui restituat, verbi gratia, in cauo vlcere aliud remedium ad implendum adhibemus, aliud quod membrum suæ naturæ ac essentiæ planè restituat.

Simplicium cognitio necessaria.

Realgaris purpurei vsus.

Brioniæ vsus.

Realgar rubrum.

Vitriolũ.

Aquila rubra.

Realgar christallinum.

CAP. VI.

SImilis planè de internis affectibus cautio obseruanda erit, veluti, in Ictericia, Perula summum quidem arcanum est, at nisi Aquila rubea ei adiiciatur, nunquàm ipsa ad euellendas morbi Gallici radices sufficiet: in Catharrhosis pustulis, Cardo cum aquila non mutata radicitus malum euellere potest: sic in Caduco, Camphora: in Paralysi, Liquor, Auri: in Gamorrheis Balsamus, cum Colchotar rubeo ex Calybe præparato remedia salutifera sunt: componi tamen isthæc simplicia inuicem debent, quod

Perula.

Aquila non mutata.

quod neutrum eorum seorsim, vtrumque affectum persanare valeat. Stultè itaque nonnulli purgationibus, vnctionibus, vsu decocti ligni sancti, aliisque his similibus ad Elephanticas pustulas, vtuntur, cum ista non arcana sint, neq; quemque vsum præstant, sed potius certissima ægrorum pernities sint. Atqui forsan in Squinantia, vuula, Catarrho &c. certiora quàm nos remedia tenetis. Esto ita sanè, iā ego mea vobis non obtrudo, vestris vtamini licet, sed male metuo ne & nostra non intelligatis, nec vos quoque singularia habeatis. Sane nisi mensium ciendorum ac sistendorum absolutissimam rationem quis calleat, numquam nisi oleum & operam ludere velit, ad Luem Gallicam cum mensium inordinato fluxu complicatam, curandam accedet. Lignum Guaiacum intueaminini quæso an per se seu specifica quadam facultate Elephantiasim, Icteritiam, Hydropisin, aliosque affectus curet, vel minus, quod si ita sit, quid prohibet ipso in Lue Gallica quoque vti? Sic vnguenta vestra qua quæso virtute morbos curant? siccine vno ephippio omnes equos integere conuenit? Sed stultitia ac superbia occæcati plures species esse pustularum noncernitis?

Guaiaci vsus improbatur.

CAP. VII.

Quid in curatione Luis Gallicę spectandum.

ANtequam autem ad Luis Gallicæ curationem quisquam accedat, consideret prius moneo, an illud corpus seu illum morbum exquo primum Lues extitit, vel cum quo primum complicata fuit, curare possit, nec ne nam si illud teneat, iam omnino spe vacuus non accedet ad mali huius curationem. Sin curare corpus illud nesciatis (quod fore non dubito) à morbi quoque Gallici curatione abstinebitis, nisi marsupij tumorem, quàm honorem vestrum malitis. Verum alia insuper signa ac symptomata quandoque apparent & ingruunt, quorum rationes cum non calleatis, non miror, vestros discipulos vobis eruditione vel pares vel superiores esse. Sed ista vt vt sint, Medicus, (qui medici nomine abuti non vult) Experimentis (experimenta autem voco cuiusuis generis remedia multo vsu comprobata) ne temerè vtatur moneo, sed prius quatenus se ad morbi causam habeant perpendat, ad quam rem illi signorum ratio magnum auxilium præstabit: nec hoc solum, sed ostendet etiam num morbus in medici potestate sit nec ne. Proinde ad symioticen Medicinæ partem cognoscendam omnes adhortor: ea enim docebit quantum spei in curatione ponendum sit, nolo enim quemque magna sibi de meis Practicis scriptis sibi polliceri, nisi ipse signorum absolutam cognitionem, ad lectionem adferat. Itaque sciendum quasdam Luis Gallicæ species non nisi certis temporibus curari posse: aliàs vero nullo non tempore curationem admittere, verbi causa, Lues cum Hyposarca complicata, in morbi augmento: cum Icteritia, Gutta, catharrho, &c. commixta, sub augmenti initia curari vult, cum interim reliquæ species Cossi, Formicæ, &c. in ipso statim principio persanari possint. Similiter Serpiginosæ pustulæ, antequam vehementi pruritu ægrum excruciarint, inutiliter curantur, quòd vel curari omnino non possunt, vel quod etsi curatæ sint, tamen subinde recrudescunt. Est namque temporis singularis quædam in curando virtus, adeò vt audacter pronunciare liceat: Fixam sanitatem vni tempori acceptam ferendam esse. Varices, porro Verrucæ, & quicunque alij Sclyrotici affectus apostemata & exituræ, omnium optimè vbi in sua exaltatione perstiterint, curari possunt. Vlcera vero priusquam sat multum puris effluxerit, atque malitia ipsorum attemperata fuerit, ferè sine vsu curare aggrediuntur indocti Medici. Exemplo res manifestior euadet. In Lue Gallica si abscessus vel vlcus fiat, veluti in Lupo, Cauernosis, &c. tum frustra omnia remedia adhibentur, quæ vel vlcus præcauere, vel morbum ipsum penitus percurare queant, sed oportet omnino vlcus fieri. Proinde in vsu remediorum sedulo obseruabit Medicus quâ natura expurgari velit, aut vbi ipsa emunctorium quærat, ipsius enim motum, si quis vi impedire velit, atque pustulas seu vlcera repellere conetur, is certe nouos morbos prioribus longè grauiores efficiet, velut sunt Paralyses Scyrrhi, vlcera maligna, &c.

Signorū consideratio necessaria.

Lues cū Hyposarca complicata vt sit curanda.

Serpiginosę pustulæ quando commodè curentur.

Tempus quid ad curationē faciat.

Vlcus fieri quando sit necessarium.

CAPVT VIII.

Resolutiones periodice spectandæ sunt.

SImiliter obseruandum in Resolutionibus est, an ipsæ iuxta ambientis nos aëris alterationes mutentur, an pro motu Lunæ varientur, an denique aspectuum infaustorum tempore augeantur ac increscant: ista namque si appareant numquā confidas te penitus ac sine reliquis morbum curare posse, atque sic multò minus luem illi complicatam. Eodem modo si paralysis illa hæreditario iure ab aliquo homine incurabili morbo detento communicata esset, certum est absolutæ curationis spem omnino abiiciendam esse: potest enim semper quod huic aufertur alteri adiici, itaque in huiusmodi curationibus non eam modo quæ præ oculis est affectam personam contueri decet, sed etiam illam aliam quæ contagium cōmunicauit sedulo examinari debere præcepimus: est enim Luis Gallicæ curatio talis, vt restitutionem omnino requirere videatur. Sic si pustulæ ante paralysin curentur, ac euanescant, certissimum est reliquias morbi, numquam curabiles superesse. Sin paralysis ante pustulas curetur, iam certissimum argumentum habemus, fore vt pustulæ in vlcera manantia & fætida abeant. Perinde etiam de Scyrrhis ac vlceribus iudicandum est, vnà namque si consistant vlcus ac tumor, illud vero priusquam iste resedeat, curetur, incurabilis morbi certissimum signum esse pronunciabimus. Sin Herpes dein erumpat, siue paralysis, siue tumor: siue vlcus prius fuit, quidquid fuit illud mali, ne dubita Recidiuam prognosticare: nam certum est fore, vt malum recrudescat, etsi ad quartū etiā lustrū sanitas perdurasse videretur. Non secus in Cholera florida (quam vos insolēti nomine sic appellatis) iudicandū est, atq; omnino in istam signorū rationē accuratè intēdendū, vt sine qua, curationē fœliciter aggredi numquā possis. Quòd si vero in vestro Valesco, ac Mesue illa signorū series non descripta sit ne miremini, ieiuna namque illorum experientia eis ad hanc rem sufficere non potuit.

Curatio Luis Gallicæ qualis.

Signum periculosum.

Cholera florida.

CAP. IX.

Accidit quinetiam non rarò, vt illa paralysis seu lassitudo, non in exterioribus musculis sit, sed intrinsecus in ipsa medulla inhæreat, in quo casu non nisi post multum tempus futuram curationem polliceri licet. Veluti & vbi ex aliquo Luxu ea est, (quod intelligimus si à Veneris vsu increscat) non secus difficilem sanationem pronunciabimus. Itaque obseruandum in morbis, qui remediis aliis non cedunt, nec tolluntur, ad abstinentiam recurrendum esse. Abstinentiam dico à potu, cibo, Venere, &c. neque tamen abstinentia tamquã remedio, sed solummodo vt mitigatione quadam vteris. Perinde quoque in vlceribus desperatis, vbi à Crapula dolores increscere obseruauerimus, abstinentiam ægro imperare vtile erit. Est enim abstinentia Mitigatorium crapulosarum affectionum remedium, neque tamen abstinentia rectè dicitur, sed Diæta appelletur potius, quæ medium quiddam est inter Crapulam & omnimodam abstinentiam, & qua non ægri solum, sed & sani vti debent.

Lues quando à Luxu esse dicatur.

Abstinentia non est remedium sed mitigatorium saltem.

Diæta quid.

Vlcera porrò quæ non carnem solam, sed & ipsa ossa depascuntur incurabilia penitus sunt: malignus namque ille spiritus omnia exedens, vbi ad ipsas vsque medullas subierit, tantas illic subito radices agit, vt omnis statim curationis spes concidat. Proinde medicus si Fistulosa ossa illi offerantur, non nisi cum impossibilitatis præfatione curationem aggrediatur: potest enim quandoque spiritus ille exedens non genuinus esse sed extraneus atque aduentitius quod si sit, penitus non desperandum erit.

Malignus spiritus depascés.

Faucium dein vlcera & ipsa curatio difficilia sunt, quemadmodum & ea quæ in ligamentis consistunt, itaque si post tertiam curationem illa recrudescere videbis, insanabilia posthac ea pronunciato: signum enim adest totius corporis infectæ ac venenatæ constitutionis. Item si aluus inordinatè deiiciat, periculum aliquod subesse intelligimus. Vbi denique inusitata coeundi libido ægros exercere intelligetur, indicandum Elephantiasim cum Lue Gallica complicatam magnum ægro malum cõciliaturam, quod si insuper & anhelitus fœtere, ac lacerti subtus cutem exedi videbuntur, nullam vnquàm medendi peritiam ad tollendum morbum, suffecturam pronunciandum.

Faucium vlcera. Ligamentorum vlcera.

Alui fluor malum signum in Lue Catharrali.

Accidit insuper non rarò ter quaternè morbũ Gallicum regenerari, in eodem etiam corpore, iam forma Herpetis, iam paralyseos, iam tumorum, iam vlcerum, & itaque vbi post tertiam factam curationem recruderit, quarto malum à curatione ceu opere inutili abstinebis. Reliqua signa quæ ex coloribus petuntur omnia ad Physionomiam pertinent, proinde hic omittenda. Neque verò putes ex pulsu vel vrina de morbi Gallici essentia certum aliquod argumentum desumi posse: namque tam incomprehensibili modo Lues hæc in corporibus consistit, vt vrinam alterare vel tingere penitus nequeat: itaque mera stultitia est, si quis in hoc affectu manu in carpum missa vel inspecto vrinali prædicere quippiam conetur. Illud potius cognoscere studeamus, qualenam corpus morbi sit, an Lepra, an Elephantiasis, an alius aliquis huiusmodi affectus ex eo enim an curabilis incurabilisue morbus sit, certius quàm ex istis nugis prædicere poterimus. Insaniam vestram satis mirari nequeo, quod Theoriam ac Praxim huius affectus conscribentes nullam testari possitis experientiam, vnicum vnguentum habetis, & ipsum quoque putidum ac inutile. Atqui ægrè forsan feretis, quod ista vobis obiicio, ac quasi ex me vos discere, vellem me profiteri, at toto certè cœlo erratis: magnus enim numerus eorum, qui discipuli mei fuerunt (veluti Iudas Apostolus erat) effecerunt, vt ego vos doctiores efficere, nil admodum laborem: ex huius enim farinæ hominibus, qui intus & in cute nequam sunt, quis fructum aliquem speret? Plerosque vestrûm non dubito eruditionem excellentiorem exoptare, nec puderet forsan ex Theophrasto aliquid cognoscere, scilicet si vt alij ipsum fallere possent. O Phantasias vestras, ô miseram medicinam, vbi plus lucri ex morte, quàm salute ægri speratur. Sed surdis fabulam.

Tertia curatio si inutilis sit malum.

Vrina à Lue Gallica non tingi potest.

Quomodo cognoscendum an morbus curabilis sit.

Discipuli Paracelsi nequam.

D. THEOPHRASTI PARACELSI DE TVMORIBVS VLCERIBVS AC PVSTVlis morbi Gallici,

LIBER OCTAVVS.

DE CVRATIONE PHYSICAlium morborum Luis Gallicæ.

CAP. I.



Elvti in Theoria antehac remedia vestra explosa à nobis sunt, Argentum viuum puta & Guaiacum, sic iam in Praxi eorum adhibendi rationem non possum non in ipso statim limine reprobare, quanta enim insania est vnguentis, non Luem Gallicam solum, sed & Hydropisim quoque perturare velle: Ipsi quæso vobiscum reputate, quantopere ista cum veris medicinæ fontibus pugnent: Confessum hoc apud omnes est, quemuis morbum per suum emunctorium expellendum esse: cur ergo per os hydropem pellere vultis Argento viuo? an illic hydropis emunctorium est? An hoc quoque modo vnctionibus podagram curari posse quis putet? Emunctoria itaque ante omnia inquirenda sunt, dein circumspiciendum quoque quâ Medicamentum, ceu per emunctorium suas actiones exerere queat, denique si ambo hæc concordent, tum demum ad curationem progrediendum. Simile peccatum in Guaiaco committitis, dum Alcolam, Scyrrhos, ædemata, &c. eius vsu sanare conamini, non considerantes, huiusmodi tumores numquam absumi posse, interim nescio quam renouationem somniantes. Edocete quæso vnde illa regenerandi vis ei inest, vel tanta forsan non est, vt decidentes pilos, ac vngues regenerare queat? sed ne ad Kalendas græcas

Morbus quilibet per suum emũctorium expellẽdus

Guaiacum ad tumores absumẽdos frustra adhibetur.

cas quidem responsuri estis, si transmutationis illius causas quæram. Atqui non in Mercurio & Guaiaco solum errores committitis, imò quidquid vspiam conamini, errorem effugere præ ignorantia non potestis.

Mercurij Chaos non corpus vsurpãdum. Mercurius operationem suam per Chaos suum efficit, quod vt vos adhibeatis non chaos solum sed totam eius substantiam recipientes ineuitabili damno ęgros afficitis: nam sic adhibere debet, ne corpus eius, humanum corpus subingrediatur. Annuli ex argento viuo mira facultas. Hinc annulorum ex Argento viuo vsus primùm originem duxit, quorum, mira facultas fuit: nam ipsum metallicum effectum ac in annulum conformatum à gestante pituitam quotidie expellebat, purgante scilicet humorem Chao ipsius annuli. Quin ab iis qui metallicum efficere Mercurium non poterant, sacculis saltem inclusis ac digitis circumligatus eandem vim reseruare obseruatus est. Fumus Mercurij ad articulorum pituitam deiiciendam vtilis. Denique à quibusdam extinctus ac in pomambra naribus adhibitus nihil de eadem facultate remisisse edocuit. Fuere etiam qui calefacti Mercurij fumum excipientes, copiosam ex articulis pituitam deiicerent. Errorum ergo summa in eo consistit quod corpore Mercurij in quo Leprositas quædam recondita est adhibito, ipsius chaos omiseritis, proinde nos sequentibus capitibus chaos mercurij pro varietate morborum quomodo variè vsurpandum, edocebimus. Leprositas quædã Mercurio inest.

CAP. II.

De Curatione Pustularum ex Hydropisi.

Duplex curandi ratio. SI methodo à nobis superius descripta in cognitionem causæ morbi deuentum sit, atque cognitum corpus pustularum ex hydropisi originem duxisse, de duplici remediorum genere cogitandum erit interno scilicet & externo seu Chirurgico: de illo in præsentiarum: de hoc vero sequentibus libris sermonem instituemus. Initio sciendum qualis qualis Lues fuerit, siue cum paralysi, siue cum vlceribus, Herpete, tumoribus, &c. in omnibus vnam eandemque curationem sufficere. Itaque si corpus interius à pustulis liberatum, atque expurgatum fuerit, facilis tum erit per Chirurgica remedia externarum pustularum curatio. Prout autem pustulæ copiose, venenosæ, virentesque fuerint, eatenus in administratione sequentis remedij modum augendum, minuendum vel seruandũ esse, memineris. *Recipe Liquoris tartari ℥j. Vitrioli ℈ ß. Aquilæ liquefactæ grana xv. mixta dentur potui:* expurgat pustulas per sua emunctoria, maximè vero per vrinam, iteretur quotidiè haustus hic donec omnia morbi Gallici signa ac symptomata euanescant. Obseruandum hîc obiter est, istis tribus remediis Liquori Tartari, Vitrioli & aquilæ, specificam quandam ad hoc genus pustularum percurandum, vim inesse. Tartari, Vitrioli, & Aquilę vis specifica. Itaque si his non euincatur, malum nil admodum spei in reliquis ponere licet. Vsus decocti Ebuli. Post horum vsum, si ita videbitur ac ægri constitutio ferat, poteris decocto Ebuli, sudorem prouocare in Laconico. Quòd si Herpes, tumor, vlcus, paralysis, vel aliud aliquid simile residuum permaneat, iuxta canones sequenti libro descriptos curationem absolues.

CAP. III.

De Pustulis Podagricis curandis.

SI Lues Gallica cum Podagra complicata & permixta sit, vnicum saltem remedium, vnica per Mummiam versam (ac correctam) & Aquilam Hematinum, curandi ratio concessa est. Mumia versa, &c. Ista namque Luis species sic artus & articulos subiit, vt non nisi à vehementissimis remediis expelli possit. Atque illa quidem expulsio talis esse debet, vt vtrumque affectum simul, neutrum vero seorsum tollat. Vehementia remedia necessaria.

Recipe Mummiæ versæ lib. ß. axungiæ vulpis, lib. j. fiat vnguentum per se, vngantur per biduum omnes artus: dein. ℞ *Liquoris hermodactilorum, Ellebori foliorum ana ℥ ß. Aquilæ Hematini grana vj. bibat mane quinto quoque die, & præscripto vnguento vngatur, donec nullum morbi signum supersit amplius,* videbis morbi materiam retrorsum magno naturæ impetu per destinata emunctoria propelli. Quòd si vlcera quoque adsint, ea ex præscripto canonum subsequentis libri curabis. Vnicè vero in hac affectus specie cauendum ab vsu dulcium, tum vehementiorum catharticorum, qualia sunt Euphorbium, Scammonea, & lapis Lazuli: ista namque purgant eos humores solum quos in corpore reseruari præstat. A Vehementib. purgatibus cauendum.

CAP. IV.

De Pustulis ex Catharro curandis.

VBi paraliticæ pustulæ corpus occuparunt numquã sperabis te illud sanitati restituturum, nisi vsu Aquæ vitæ, Liquore Lauendulæ, Laudano & Mercurio corporali. Hunc vero (Mercurium corporalem intellige) ex Saturno extrahere oportebit. Mercurius corporalis ex Saturno. Sin vniones ad curationem adhibere forsan mauis, instar auri eas dissolues, vt sequitur. *Recipe Auri soluti ℈j. Mercurij corporalis hæmatini grana vj. mixta quinto quoquo die exhibeantur, idque tribus vicibus,* purgant corpus à Lue hac vt nihil penitus sordium remaneat. Interea temporis exhibebis in aqua vitæ, Laudanũ vel Perlas, ad confortationẽ resolutorum membrorũ. Duplex namq; hîc indicatio est, altera qua membra affecta ac debilitata corroborare iubemur. Indicationes duæ. Itaque ad horum simplicium præparationem addiscendam totum sese accinget medicus, præstat enim in istis anni spatio exerceri, quàm vel centum annis lectione nugacium vestrorum authorum defatigari.

CAP. V.

De Pustulis ex catharrho curandis.

IN Lue vero Gallica Catarrhali, seu ex Catharro nata veluti in præcedentibus singulare quoddam remedij genus est, Mercurius nimirum corporalis ex Luna; huic namque super omnia cætera Mercurij genera specialis quædam vis ad hoc genus vlcera percuranda, congenita est, neque tamen solus per se,

se, sed cum Garyophillata composita essensificata vsurpandus. Est autem Garyophillata composita, liquor quidem ex Benedicta destillatus, in forma Aquæ vitæ. Vsus eius est, vt *Recipiantur illius Aqua vitæ ℈ ij. Mercurij corporalis ex Luna grana v. atque inuicem in Liquore misceantur, atque ad septimum vsque diem quotidie diluculo exhibeantur*: mira huius remedij vis in expellendis Catarrhalibus defluxionibus cernitur. Quòd si nullum amplius Catharrhi signum supersit, tamen idem remedium adhuc semel non inutiliter exhibebis, quò certior fias iam planè substitisse illam fluxionem. Hoc namque modo Catarrhus, Rheuma & quidquid est huius generis abundè percuratur, atque fons Luis Gallicæ radicitus euellitur, adeo vt iam solus Naturæ Balsamus ad perficiendam curationem sufficiat. Sin vlcera forsan adhuc subsistant, eaque celerius percurari exoptes, canones sequenti libro descriptos sequere. Proinde obseruandum quoque in omnibus Luis Gallicæ speciebus, nisi corpus prius totum expurgetur, frustra curationem attentari. Neque vero de vulgaribus digestionibus, laxationibus, &c. hîc me loqui putes, nostra namque iam annotata Medicamina, non vt illa certum aliquem humorem ducunt, sed id efficiunt potius vt peccantem materiam è corpore propellant: non immeritò ergo Syrupos, Pillulas, Diaphenicon, Benedictam laxatiuam aliaque huius classis medicamenta reiicio, cum morbum ipsum pellere nequeant, neque etiam aliquid singulare ab illis expectare liceat, etiamsi centum sedes moueant, cum materiam morbificam non aggrediantur.

Garyophillata composita essensificata.

Naturæ Balsam⁹.

Catharctica pillulas Catharcties nõ curare possunt.

CAP. VI.

De Lue Gallica ex Icteritia curanda.

VBi ab Icteritia Lues gallica originem duxerit, vtrumque malum subsequenti remedio depellere conabimur. Velut Asalliæ in Icteritia, sic Mercurius Martis in Lue gallica inde nata secretum quiddam obtinet. Atqui neutrum horum seorsum malum istud curare valet, itaque necessario ambo in vnum compositum seu corpus rediguntur, quod & Luem ipsam & Icteritiam curare queat, in hunc qui sequitur modum. *Recipe Asalliorum ℥ vj. Mercurij Martis hematini ʒ ij vitro imposita permittantur donec in oleitatem declinent, post colentur per pannum sericum, atque huius colati guttas iij ad quinque vel sex dies in ouo sorbili exhibeto*: videbis paulatim Luis signa euanescere, quod si fiat, præscripto remedio ad finem vsque curationis progredere: expellit namque per sudorem ac vrinas quidquid in corpore venenosum inest, memineris tamen normam remedij ex morbi magnitudine dependere, atque præter iam dictum medicamentum nullum præterea esse quod morbi Fixationem impedire possit. Denique si quæ supererunt vulgata symptomata, vlcera scilicet, tumores, pustulæ, herpetes &c. iuxta regulas subsequentis libri ea percurabis.

Asalliæ in Icteritia vtiles

Morbi Fixatio.

CAP. VII.

De Pustulis cum Gonorrhea curandis.

SI gonorrhea, vel alia generationis partium affectio cum Pustulis Gallicis complicata sit, perinde vt in superioribus curationibus ad mali radicem euellendam Medicus omnes neruos intendet Scopum itaque omnium optime attinget, vsu Mercurij Veneris & Balsami Mumię, hoc modo *vt Balsami Mumiæ ʒ ß. cum ℈ j. Mercurij Veneris permisceantur, ac cum ℈ j. Aquæ raphani maioris exhibeantur, vsque donec neque foetor neque sanies neque sanguis per vrinas effluat amplius, neque quidquam præterea Leprosæ libidinis ægrum exerceat.* Tanta huius remedij vis ac energia est vt omne genus symptomatum atque ipsa etiam vlcera Gallica absque vlla accessione alterius remedij perfectè persanare possit. Non te moueat compositionis simplicitas, sufficit Remedium (quod de hoc certissimè polliceri tibi potes) morbum depellere qualis qualis tandem illius compositio sit. Alia insuper specialia remedia passim vsurpantur, atqui hoc super omnia excellit. Mirari non raro subit quid vobis in mentem venerit, quod hoc genus Luis Gallicæ vnctionibus ac stomachicis remediis curare animum induxeritis, nulla loci ratione nullo remedij Mercurialis respectu habito, sed pro vestro modulo omnia præposterè tractatis.

Mercurius Veneris.

Leprosa libido, est satyriasis.

Stomachica remedia inutilia.

CAP. VIII.

De Lue gallica ex caduco curanda.

HVius Gallicæ luis speciei (hoc est, cum corpus pustularum ex epylepsia originem duxit) singularia ac specifica remedia sunt: Liquor Vitrioli maior, Sanguis separatus, Oleum camphoræ cum Mercurio Auri. Isthæc scilicet remedia Caducum absolutè curare cum valeant, adiectione Mercurij corporalis, pustulosum Caducum curare posse manifestum ex antedictis est: caue tamen putes iis simpliciter adhibitis finem te consequi posse: nam neque Mercurius corporalis per se, vel illa sine isto quod exoptas præstabunt. Vsus eorum talis est *Recipe Sanguinis separati ℥ j. vel olei Camphoræ ℈ j. vel liquoris vitrioli grana v. vtrum libuerit, dentur mane ac vesperi ad dies nouem vel decem, quo elapso tempore, cum alterutro horum Mercurij corporalis grana iiij. exhibeto, ad corpus pustulosum per sua emunctoria expellendum.* Quod si adhuc aliqua luis signa superesse videantur, easdem potiones iterabis, sic tamen vt in qualibet potione insint Mercurij corporalis grana duo. Nullis dein amplius signis apparentibus residuis tamen adhuc vlceribus ac tumoribus pro ratione canonum sequentis libri ipsorum curationem absolues, quamuis rarum sit, vt alterutrum sine altero curetur, nisi vbi admodum maligna & exedentia fuerint vlcera.

Sanguis separatus. Oleum Cãphoræ. Caducus pustulosus.

CAP. IX.

De Menstrualibus Pustulis curandis.

Menses quatenus ciendi in Lue isthinc nata.

VBi à mensium vitio pustulæ originem duxerunt, prima consideratio erit in fluxu mensium in ordinem reducendo, ac iisdem mensibus mundandis ac expurgandis: neque tamen quantum ad Luem attinet admodum sollicitus eris, an nimium vel minimum fluant, an rubra vel alba sint quæ emanant. sufficiat tibi ad curationem omne illud vitium pro vnius morbi corpore assumere. Itaque ad vnam clarificationem menstrui se conuertet medicus, hac enim procurata iam res omnes saluæ erunt. Ad hæc cùm confortatiua mensium inordinationem corrigere sufficienter possint, constat nil constrictiuis vel prouocantibus opus esse, Liquor auri & Liquor Melissæ sufficiunt, si iis propter pustulas gallicas Mercurium Iouis adiungamus, hoc modo. *Recipe Liquoris Auri ℈ j. Mercurij Iouis liquefacti grana xv. liquoris Melissæ ℥ iij. misceantur, ac digerantur ad dies viij. dein singulis matutinis huius mixturæ grana iij. in aqua Pulegij adhibeantur*: ex huius vsu nimius fluxus restringitur, resistentes menses euocantur, discolorati ad suam genuinam temperiem redeunt. Ad hæc per illud ipsum emunctorium Lues hæc sic expellitur, vt posthac nil eius superesse cernatur: quin & omnes intrinsecas passionees, pustulas, exanthemata &c. absolute persanari huius vsu obseruauimus. Si vero peractis istis ob breuitatem temporis externa vlcera nondum curata essent, iuxta sequentes regulas curationem absoluere facile foret. Alia præter hæc remedia quæ mensium vitia corrigantur superesse non dubito, ea itaque suæ cuiusuis experientiæ relinquo.

Confortatiua mensiũ inordinationẽ corrigũt.

Mercurius Iouis.

Per emunctorium Mensiũ Lues Gallica expellitur.

CAP. X.

De Pustulis Erraticis curandis.

SI pluribus inuicem mixtis morbis lues Gallica, modo hac, modo illa forma se prodat, curationis tota ratio ad Mercurium Saturni referenda erit, tum ad confortatiua ac mundificatiua. Confortatiuum præstantissimum est essẽtia vini ex Chelidonia extracta: illa namque omnes Erraticas pustulas, si non penitus curare, certè ad curationem suscipiendam aptas reddere potest: etenim ipsa corpus primum renouat, vt Mercurius Saturni hæmatinis quaquauersum illud peruadere ac mundificare possit. Procedendum autem hunc in modum. *Recipe Essentiæ vini de Chelidonia ʒ ß. Mercurij Saturnini hæmatitico more præparati ℈ j & ℈ ß. altero quouis die exhibeantur*, & videbis quo pacto natura corpus morbi per sua emunctoria expellat. Obseruandum etiam tum erit, qua morbus pellatur: si enim per os exeat, signum est concomitantis Podagricæ vel Paralyticæ defluxionis. Sin per vrinas exeat, Ictcritiæ, Menstruorum, Hydropis vel Gonorrheæ simile quiddam concomitari coniicies. Si denique per sudorem prodeat, Caduci morbi concurrentis quædam suspitio erit. Ad hæc vbi frequens vomitus ægrum excruciauerit, signum erit illud, radicem, ac corpus morbi in Stomacho inhærere. Notandum præterea Luis Gallicæ reliquas species, quæ nunc cum Sciatica, nunc cum Arthritide, nunc aliis doloribus affligere solent, omnes ad hanc erraticarum pustularum classem referendas esse. Quod si Febres quoque concomitari contingat, eas vnà cum pustulis purgandas & auferendas esse memineris: nisi imperfectam curationem esse velis. Velut & ophtalmiæ, odonthalgiæ, othalgiæ, &c. nisi vnà (si adsint) cum pustulis abeant, futuræ recidiuæ minacia signa esse intelliguntur.

Mercurij Saturni vsus.

Essentia vini ex Chelidonia.

Notabilia quædam signa.

Caduci morbi signum.

CAP. XI.

De Residuis Pustularum speciebus curandis.

SI autem (quod sæpius accidere solet) post factam curationem iuxta præscriptos canones, aliquid adhuc superesse cernatur, vt verbi causa pustulæ aliquæ, si adhuc reliquæ sint, quarum extrema malitia euinci adhuc non potuisset, in hunc qui sequitur modum eas auferre tentabis. Recipe Olei Realgaris quantum sufficit, vngantur pustulæ singulis diebus ter quaterue, & sine cicatrice, vel macula decident. Alia huius generis quoque sunt, vt Aquæ fortes, vnguenta, &c. quæ suo cuiusuis iudicio relinquo: hoc admonendum potius; si Cicatrices, maculæ, scissuræ, residuæ fuerint, eas oleo Saturni vel Mercurij, semel atque iterum lotas vltro obliterari. Perinde quoque vt de Cicatricibus dictum est, Scyrrhos curare conabimur.

Pustularum curatio.

Cicatrices vt tollendæ Tumorũ curatio.

Sin vlcera residua adhuc, iuxta vulgatam medendi rationem Emplastro de Gummis, vel de Cinnabari curationem absolues. Caue tamen putes vnctionibus, ligni Guaiaci vsu, vel aliis huius farinæ remediis reliquias istas extirpandas esse, cùm istis modis facta curatio vix diuturna esse possit.

Vlcerum curatio.

D. THEOPHRASTI PARACELSI, DE TVMORIBVS, PVSTVLIS ET VLceribus morbi Gallici,

LIBER NONVS.

TRACTANS.

DE CVRATIONE CHIRVRGIcalium morborum Luis Gallicæ.

CAP. I.



QVAMVIS Physicalium ac Chirurgicalium Luis Gallicæ morborum, non nulla sit differentia, tamen tota illa diuersitas in hac vnica re solummodo consistit, quod Physicales ferè intra corpus consistant, (licet accidere possit, vt extra corpus quoque appareant, veluti in Icteritia & Hydropisi, nemo tamen huiusmodi morbos Chirurgicales rectè dixerit.) Itaque differentiam talem

talem constituamus, quod Physicales morbi vbi vbi consistant intra corpus, Chirurgicales vero extra corpus in extima cutis superficie effectum suum exerant. Hinc patet horum quàm illorum aliam curandi methodum describendam esse. Etsi enim nullo habito internorum respectu, curationes fiant iuxta Chirurgiam minorem, tamen in hac magna Chirurgia, vnà cum externo morbo, internum quoque malum considerari necesse est. Nollem tamen quisquam putaret me hîc magnam Chirurgiam insolenti nomine appellare velle acervum aliquem ac copiam Receptarum: sed sic quiuis sibi persuadeat, me ea de causa hoc nomine vti, vt ostendam magnam tam externorum quàm internorum morborum, considerationem probato medico incumbere: nolo enim vt (quod hactenus ab aliis factitatum est) morbi hi, ab illis separentur, sic, vt quis alterutrum eorum genus seorsum curandum, existimet.

Physicalia & Chirurgica [illegible]

Magna Chirurgia quid sit.

CAP. II.

VT autem ex Chirurgiæ fontibus, ac principiis sermonem contexamus, & genuinam differentiam huiusmodi curationum constituere possimus, obseruandum initio est, duas dispositiones intrinsecus in nostris corporibus consistere, ex quibus omne genus morborum ad effectum suum perueniat, atque proinde legitime duplicem curationem constitui. Altera enim dispositio in corpore intus consistit, itaque illic inquiri vult, altera verò exterius permanet. Etsi vero quandoque in illa priore signa quædam cernantur, quæ innuere possent quandam Chirurgicam curationem, tamen nil illa vos moueant: namque quidquid ex illis extra corpus proruperit, iam lethale amplius non est. Sic vicissim illa altera, etsi quandoque intrinsecus aliquid non lædere videatur, tamen iterum extra corpus solum labor, dolor & periculum consistunt. Exemplum vtriusque adferamus. Hyposarca pustulosa, etsi exterius appareat, tamen radicem interius habens intrinsecus periculum conciliat. Sic Ignis Persicus interius malum facere putatur, periculum tamen exterius solum adferre potest. Itaque manifestum euadit, cum duplex sit morborum genus, externum & internum, duplicem quoque curandi rationem constituendam esse. Variæ insuper virtutes in vtroque morborum genere sunt magna quoque sedulitate à Medico obseruandæ. Quandoque enim interiores variis modis extra erumpunt, nunc ad locustas vsque progredientes, hinc paralysis: nunc vsque ad poros, hinc pustulæ: denique ad gluten album, atque tum Scyrrhi, ædemata ac vlcera fiunt. Non sic Chirurgici morbi agunt: quippe qui ab intra extrorsum peruadentes non quiescunt, donec exteriorem cutis superficiem attigerint. Stat ergo sententia, quemadmodum morborum duo genera sunt; sic curationis duplicem rationem constituendam esse, nil tamen impedit, me Chirurgum, de Physicis, quoque sermonem texere.

Dispositiones duæ omnium morborum [illegible]

Persicus ignis est morbus externus.

Symptomata [illegible]

Morborum [illegible]

CAP. III.

POrrò autem quod curationem attinet, notandum initio est de Squamis Saphatis, Furfuribus, scabie, & pruritu, accuratam disquisitionem instituendam esse, vt causæ mali rationem rectè intelligamus: namque ea incognita, curatio sperari nequit. Quod si ergo in simplicibus affectibus ea difficultas est, quantam diligentiam adhibendam putas, vbi compositi illi fuerint. Itaque si Lues Gallica cum his complicata sit, considerandum erit quodnam in quouis affectu pellendo Arcanum sit, eo cognito, illud cum Mercurio Saturnino ad faciendam curationem commiscebimus, neque opus est porrò multum laborare de cæteris, quæ affectum ipsum concomitari quandoque solent, istis contentum esse præstat. Accidit tamen quandoque istos affectus, scabiem puta, pruritum, ac Saphatos lepræ quasdam soboles esse: proinde cauti sint medici in signis discernendis, ne forsan lepram stultè conentur curare, dum hunc simplicem affectum se oppugnare putant. Præter dictas rationes nil hîc opus est in istis affectionibus multa ad curationem inquirere cum causæ ac origines ipsarum abundè in libro de vlceribus à nobis describantur. Proinde simpliciter vt dictum est, (per Mercurium Saturninum) vel sequenti formula curationem absoluamus, quæ recipit. *Liquoris resinæ terræ, ℥j. olei Mercurij, Saturnini ʒj. fiat mixtura, qua vngantur semel, atque iterum furfures, Saphati, Squamæ, scabies, &c.* & absolues curationem. Multa alia hoc genus remedia annotari possent, verùm ista propter suam excellentiam sufficiunt.

Vide supra caput v. libri vij.

Cautela obseruanda.

Oleum Mercurij Saturninum.

CAP. IV.

VLcerum quæ calore, fœtore corrodendo ac depascendo molestiam pariunt, cuiusmodi sunt Cancrosa, Sordida, Esthiomena, curatio in eo consistit, vt initio cognoscamus ex quonam minerali illa origiginem duxerint: nullum etenim vlcus fit sine aliquo corpore (minerali.) Hinc patet Chirurgicos morbos quosuis ex aliquo Minerali originem ducere. Sic Cancer ex Colchotar; Tentigo praua ex ærugine, aliaque vlcera ex aliis veluti in libro de vlceribus abundè demonstratum est, oriuntur, quæ deinceps per Luxum in Luem gallicam transmutantur. Si itaque huiusmodi transmutationem fieri contingat, manifestum tum est, curandi modum (haud secus ac Physicalibus morbis annotatum fuit) compositum esse debere, hac tamen distinctione, vt quemadmodum illic Physicalia sic hoc loco Mineralia auferenda nobis esse intelligamus. Hoc itaque vlcerum genus etsi depascens sit, tamen remedia vlceribus esthiomenis destinata non recipit, ea nimirum de causa quod Luis Gallicæ complexus quidam adsit, itaque curationem depascentis vlceris in curationem Luis Gallicæ transmutare oportet. Proinde

Vlcus nullum fit sine aliquo Minerali.

Curationes compositæ quando necessariæ.

Realgar subtilicum.

cum Realgar subfuscum, basis sit curationis depascentium vlcerum ipsum (vt Luem Gallicam curare valeat) in Mercurium Martis transmutare necesse habebimus, sicque eo vti: neque vero de visceribus internis in eius vsu multum sollicitos esse conuenit, cum Chirurgicum malum sit (id est externum), atque sufficiat eo ipso loco quo illud consistit, Mineralis malignitatem contriuisse. Etenim ea est Mineralium natura, vt dum intra cutem ipsa consistunt, incorrupta penitus maneant: at vbi aperta ac erosa cutis fuerit, iam externum chaos cum interno iunctum affectus spacium circumscribunt. Proinde de symptomatis punctione scilicet lateris aliisque similibus ne sollicititus sis, cum ea per consensum saltem sint non primogenio affectu molesta. Nostri remedij formulam pro æstiomenis pustulis iam annotemus, cuius breuitatem ne mireris, sufficit namque ad omnem corrodentem malignitatem compescendam. *Recipe Liquoris Parthenionis ℥ vj. Spermiolæ ℥ ij. mixta imponantur loco pacienti per horas xij. quibus completis, per alias xij. horas Realgar subfuscum cum Mercurio Martis hæmatino superligabis, hancque vicissitudinem vbi ad tertium diem iteraueris, iam tuto cum Emplastro Oppodeltoch ad claudendum vlcus curationemque perficiendam accedes.* Hæc methodus ad omne genus Pustularum depascentium sufficit, itaque cætera quod attinet amplius nil sollicitus eris, cum huiusmodi pustulæ ab illis symptomatis, paralysi, herpete &c. immunes ferè sint.

Mala per consensum facta per se à medico non spectantur.

Liquor Parthenionis.

Cap. V.

Noli me tangere.

LVpus deinceps & ea affectio quam NOLI ME TANGERE vulgo dicunt, vtut difficilè curationem subeant, tamen à perito medico Metallorum fumo facile persanantur. Verum cautio est ne Lues Gallica complicata sit: ea siquidem cum in hisce duabus passionibus, comites nullos habeat, paralysin puta, herpetes, tumores & alia his similia, difficulter cognoscitur: itaque accuratius inspicienda. Concesso autem eo ac cognito quod complicata inuicem mala sint cum specifico Lupi ac Noli me tangere, remedio, Mercurium Martis coniungemus, quod neutrum eorum seorsum, ad perficiendam sanationem sufficiat. *Recipiemus itaque Fumi metallorum ʒ j. Mercurij Martis hæmatini ʒ iij. Liquoris Bdellij ad pondus omnium, digerantur ac superfusa aqua Parthenionis ad lib. ij. vsque, in puluillis deinceps adhibeantur, renouando singulis duodecim horis remedium, tertio denique die Oppodeltoch id lib. de Vlceribus descripta adhibebis, donec omnis curatio absoluta perfectaque sit.* Hic genuinus modus curandarum pustularum Gallicarum, quarum corpus ex Lupo vel noli me tangere, originem duxit, tibi sufficiat.

Fumus metallorum.

Cap. VI.

Cambuca cum Luequomodo curanda.

SI pudendi Vlcus, seu Cambuca tibi offeratur, quæ per Luxum ad Luis Gallicæ malignitatem vsque exacerbata accreuerint, tum mixtam curandi rationem, mixtaque remedia vsurpanda esse intelliges: itaque ad omnes genitalium partium affectus curandos, siue vlcera, tumores, paralyses, pustulæ, &c. coniungantur siue absint, Mercurium Veneris vsurpabis. Commiscebis autem oleo Vitrioli (non rub.) vigesimam quintam partem, corporis Mercurij ex Venere confecti, atque in Aqua Parthenionis haustibus duodecim exhibebis. Ex huius vsu ipsummet Sperma Curatiuam quandam vim nanciscitur, qua dein omnia vlcera, omnes tumores, omnesque Herpetes partium spermaticarum absolutè curare potest: interim tamen non infrugiferum fuerit, Oppodeltoch, vel vnguentum Mercurij hæmatini extrinsecus imponere, ac deinceps de siccando vel calefaciendo amplius sollicitum non esse. Etenim harum partium affectus calefieri vel siccari, nec volunt, nec desiderant, imò ex ipsa mali radice cui debent.

Mercurius Veneris in omnibus genitalium partium morbis vtilis. Spermatis in curatione vade.

Simile planè iudicium de Bubone est, quem si Herpetes, Paralyses, tumores, &c. comitentur, omne id quidquid tandem fuerit Buboni ceu radici, ac causæ acceptum feremus. Causa itaque cognita, ad remedium quod ipsam tollere queat, inquirendum accedamus. Tale est Lapillus Vini, si cum Aquila ex Saturno commisceatur: neque est vt vnquam speres futuram curationem, si illis lapillis destituaris, vel illis præsentibus Aquila careas. Apparet ergo quàm stulto consilio, vnctionibus, fumigationibus, Ligni Guaiaci decocto, quidam ad hanc affectionem sanandam vtantur. Sed signorum rationem isti non curant, itaque Bubonem à Cambuca non discernentes, nil mirum si in curando aberrent.

Bubonis curatio.

Cap. VII.

NE autem forsan quis existimet, me vestra Remedia non intelligere, quemque vestrum hæmorrhoides, quæ Mensium instar certis periodis fluunt, considerare iubeo: hæ namque non secus ac Menses suppressi vel inordinati, quandoque in Luem Gallicam transmutatæ, Herpetas, Tumores, Vlcera, Pustulas ac Paralyses producere conspectæ fuerunt: in quibus curandis, quales vos præstiteritis ipsi intelligitis, cum simplicium hæmorrhoidarum remedium nesciatis, quomodo ipsas complicatas vos curare posse, quis sibi polliceatur? Itaque rem apertius declarandam suscipiamus. In hæmorrhoidibus, Spodium specificum remedium est: in iisdem cum Lue complicatis, Mercurius Lunæ, vsurpandus. Hoc si vos iam pridem intellexissetis, melius sanè vestræ existimationi consultum fuisset. Namque cum nesciretis, ab Hæmorrhoidibus hoc pustularum genus originem ducere, Axungia porcina, Staphisagria, Euphorbio, ac Mercurio in vnctionibus adhibitis curationem absoluere attentastis, non animaduertentes sine Spodij vsu conatus omnes irritos esse. Similes errores in Condylomatis, Rhagadiis vuluæ

Hæmorrhoides fluunt quibusdam periodice.

Spodium specificum in hæmorrhoidibus.

vuluæ atque aliis hoc genus malis curandis, à vobis commissi sunt. Si Condyloma curare potes, adiice Mercuriũ Lunæ, & Luem isthinc natam curabis, sed malè metuo, ne & hoc destituaris, & illud non possis, sed ad rem ipsam. *Recipe Spodij ℥ iij. Mercurij Lunæ ℥ ß. mixta inuicem, in vino potui exhibeantur*, omnem hæmorrhoidum inordinationem penitus penitúsque tollunt: si deinceps pustulæ supererunt, ex præscripto canonum præcedentis libri eas persanare attentabimus, similiterque cum vlceribus agendum. De Paralysi denique nil sollicitos esse necesse est, cùm vltrò abeat simul ac in suam ordinationem hæmorrhoides reductæ fuerint. De Condylomatis autem etsi similis ratio esse possit, tamen aliter rem se habere constat; vbi iam illa exulcerata ac excauata fuerint. Itaque tum eodem ipso remedio vteris quidem, at diuturnius: nam eo ipso tres hæ affectiones Rhagadiæ, Condylomata ac Hæmorrhoides, absolutè curantur, curatione quidem Chirurgica, etiamsi videatur Physicalis esse. Proinde longe abeant vestra decocta, vnguenta, suffumigia, & alia hoc genus puerilia nugamenta. Spodium, Spodium inquam, hoc est, quod omnia vestra superat remedia.

Mercurius Lunæ ad Condylomata vtilis.

Vno remedio tres affectiones curantur.

CAPVT VIII.

IN Morphea & Rosacea gutta percurandis, quamuis exterior illa forma multo maiorem indicationem præbeat, quàm internum corpus, nil tamen extrinsecus imponendum esse scias: siquidem ea est mineralium illorum ex quibus ista duo mala nascuntur, malignitas ac virulentia, vt extrinsecus adhibitis remediis impossibile sit illam compesci. Quod si paralysis in fronte, nucha, ac omoplatis maximè affligere videatur, omnia sub vnam curandi rationem reduces. Sciendum tamen, si Paralysis in Gutta rosacea, ac Morphea curetur, manentibus ipsis secundariis affectibus, multò peius esse, quàm si ipsa adhuc præsens foret. Itaque in curatione spectandum, vt ea perfecta sit, nullamque post se relinquat sobolem, quod duplici potissimum ratione cauebimus. Primò, si Realgare Alcalizato nucham aperiamus, & attrahere non desinamus, donec nec color, nec humor supersint amplius. Altera ratio est, vt Mercurius Iouis cum Liquore Lilij Conuallij (qui singulare ac specificum in hoc affectu remedium existit) adhibeantur. Vsus autem ac componendi ratio huiusmodi est.

Paralysis videntur sic applicare secundariorum.

Vt curatio perfecta euadat.

Recipe Liliorum Conuallium lib. ß. Mercurij hæmatini prædicti ʒ j. digerantur ad Solem, ac per Alembicum destillentur, huius destillati ℈ j. diebus singulis exhibe, donec nulla morbi vestigia supersint amplius. Hæc remedia cum cura Cancri magnam cognationem habere videntur. Si nimirum Realgar Alcalizatum per triduum carcinomati imponatur, ipsum deinceps cum destillato præcedenti lauetur per viiij dies, tandemque cum Emplastro de Zinnabari percuretur. Huiusmodi curandi ratio Fistulis quoque quæ ex Lue Gallica originem duxerunt, non inutiliter adhibetur. Quamuis consultius videatur, perinde vt in Morphea, ac Gutta Rosacea potu quàm lotione vti: etenim præstat id omnibus hisce affectionibus intrinsecis quã extrinsecus adhibitis remediis vti.

Curandi ratio.

Fistularũ curatio.

CAP. IX.

NOn est vt Receptarum seu descriptionum nostrarum breuitatem miremini: etenim hoc sanctè affirmare possum, plurium compositione vires specificarum medicinarum obliterari potius, quàm ad actum melius produci, proinde vestrarum compositionum canones non immerito reiicio, cùm eos fructu carere constet. Ad hæc morbos hosce intrinsecus cum eorum radicibus præscindi, quàm exterius exacerbari præstat. Elephantiasin exempli causa nobis proponamus quantus quæso morbus hic est vbi in Luem hanc degenerauerit? an externis remediis ipsum sanari posse quis credat? sanè ne dolores quidem aliaque symptomata, nedum morbum ipsum istiusmodi remediis quis curauerit. Elephantiasis certe & Lepra consimilem curandi rationem obtinent, per Mercurium nimirum Solis, si ille in primam materiam redactus absque omni adiectione adhibeatur. Etenim in Elephantiasi ac Lepra summum specificum in pustulis inde natis, primarium Arcanum existit, si ipsum in suum Mercurium reducatur. Itaque ipsum in solidam seu consistentem reducemus materiam, atque singulis diebus scrupuli dimidij instar exhibebimus, veruntamen non ignorandum curationem quandoque vltra anni spacium protrahi, causante idipsum malignitate morbi, quam breuiori temporis interuallo euincere impossibile est. Proinde quoque abstinendum ab aliis remediis, vnguentis puta, emplastris allisque quæ extrinsecus adhiberi solent, quod ea frustra adhibeantur, & non nisi vsu Mercurij Solis hæc duo mala curari velint vel possint. Reliqua quæ ad hunc locum pertinere possunt, in libro de vlceribus descripta inuenies.

Compositiones multæ specifica vim obtundũt.

Elephas & Lepra similiter curantur

Mercurius Solis.

CAP. X.

ALopeciæ, Mali mortui, Cossarum, variolarum ac cæterarum hoc genus affectionum curationes, quamuis quantum ad morbi causam attinet (quæ Mineralis est) Chirurgicam curandi rationem (id est quæ extrinsecus adhibitis remediis perficitur) postulare videantur, tamen facilius intra assumptis medicamentis, curationem admittere videntur: non secus ac vulnerariis potionibus fœliciter vulnera curari animaduertimus. Proinde si malum mortuum vel alia similis cutanea affectio, Serpigo, Cicatrix, Pannus, Tuber, Esseræ, Fornicæ &c. cum Lue Gallica complicari videbuntur, de duplici curandi ratione, vna extrinseca, alia intrinseca cogitãdum

dum erit. Interior eo fine adhibenda vt Minerale peccans alteretur, qua alteratione facta, vltrò Squamæ ac Escharæ decident. Notandum interim quoque ex iam commemoratis affectionibus nullam penitus esse, quæ non aliquã cum Lepra obtineat cognationẽ: proinde sine Mercurio Solis desperata quoque erit ipsarum curatio. Atqui quamuis quandoque ex vnctionibus, Cossi, pustulæ, Serpigo, Cicatrices, &c. decidere videantur, tamen diuturnam sanitatem sibi polliceri nemo potest, cum interius adhuc immundum sit corpus: etenim fere isthæc mala grauius intra cutem quàm extra affligunt. Itaque velut diximus, isthæc mala perinde vt Lepra & Elephas curari debent, accedente quoque balnei vaporarij cum Galeolis præparati, quod singulis diebus bis mane scilicet ac vesperi adhibere licebit, donec pustulæ omnes euanescant. Quod si vlcuscula caua fiant, quod in Alopecia & malo mortuo frequenter accidit post vsum prædictorum non inutiliter pro incarnandis ac claudendis illis Emplastrum de gummis imponemus. Externam quidem curationem ad sensum ac decorem sufficere non inficior, verum ad carnem mundandam ea inefficax est, itaque necessarius est, velut antea quoque admonui, Mercurij Solis vsus: ipso namque adhibito adeo clarificatur ac nobilitatur corpus, vt nullum amplius in eo comparere queat. Non raro quoque accidit ex vsu Guaiaci, vnguentorum ac suffumigiorum palliatas huiusmodi affectionum curationes præstari. Verum morbi Paroxismum, cuius ego ablationem multò quàm illam palliationem maioris facio, non attingunt isthæc medicamina. Denique notandum Vndimiæ, Chondylomatum, Artrici, Moræque vnam eandemque cum superioribus curationem esse, nimirum vt isthæc mala intrinsecus poto, exterius vero inuncto Mercurio Solis persanentur.

Cautio.

Curanei morbi interius magis quàm extra affligunt.

CAP. XI.

Sephyrica vlcera vt curanda.

SEphyrica dein ac Sclirotica & quæcunque est huius generis Gallica Lues, in hunc modum omnium optimè sanabitur, nimirum, vt initio locus affectus per Realgar Alcalizatum expurgetur ac mundificetur, dein Mercurius Martis Hematinus adligetur quatuor vicibus, deniq; curatio ceu in vulgaribus vlceribus absoluatur. Est namque ad omnes Varices, Verrucas, Glandulas, Polypos, Botios, hisque similes affectiones catholicum remedium Realgar illud Alcalizatum: hoc namque medicamento omnes defluxiones (etiam pustulosæ) Minerales diuertuntur vel exiccantur. Hic vero magna accurataque sedulitate in discernendis ac disponendis remediis opus est: nam velut Natha ad Bothor, sic Nacta ad Exituras se habet, sic quoque Chiadus ad Nactam refertur, omniũ interim vna eademque curationis methodo existente, quæ solo processu, solaque administrandi ratione differat. Atqui hæc in administrãdo industria difficulter calamo exprimitur, verum forsan opus non est, cum ex coruo cygnum facere impossibile sit, vicissim si quis cygnus sit, quid verbis opus est?

Realgar Alkalisatum.

CAP. XII.

ACcidit quandoque pustulas diuturnis doloribus excruciatas, vel multis defluxionibus infestatas virtute Mineralium fluxionum exacerbari succendi, atque in ignem Persicum transmutari. Quòd si fiat omni præscripta curandi per Mercurium (aliaque specialia) ratione relicta ad solam atque vnicam Curandi ignem Persicum rationem te conferes: est namque ignis Persici ea vis, vt Luis Gallicæ fluxiones, pustulas, & quidquid huiusmodi malorum est, penitus extirpare queat. Singulare hoc huic affectioni est, etiamsi idem videatur accidere in Lepra, verum longe aliter Lepra se habet: ea enim exaltata seipsa longè deterior euadit, quod in hoc casu non euenire solet: siquidem Ignis Persicus vnum eundemque malignitatis gradum perpetuo obtinere cernitur. Curatio tota in hoc consistit, vt ignis restinguatur, dein cataplasmate imposito, emortuum à sana carne separetur, quod si Arteriarum ac Ligamentorum constitutio nouæ carnis generandæ spem faciant. Sarcoticis id facile efficies. Sin spes nulla supersit, omne illud quidquid incendio defœdatum fuerit, penitus auferri præstabit. Cætera quæ ad horum absolutam curationem pertinent, in nostro de curandis vlceribus opere abundè demonstrata reperies.

Arteriæ & Ligamenta specialia.

D. THEOPHRASTI PARACELSI DE TVMORIBVS, PVSTVLIS, AC VLceribus morbi Gallici,

LIBER DECIMVS.

CONTINENS.

EXPERIMENTA QVÆDAM extra præscriptos Canones obseruatu dignißima.

DEcimo ac postremo huius operis libro, amice lector, Methodicam capitum distinctionem nullam instituimus, simplici experimentorum commemoratione contenti. Namque experimentorum natura ea est, vt Theoricos canones ferè transgrediantur, ac quasi extra artis limites constituta videantur. Monitum proinde lectorem volumus, ne in horum causis inquirendis dogmaticas rationes speculetur, sed irrefragabili experimentorum natura contentus sit. Experimenta siquidem non secus, ac arma se habere cernuntur: veluti enim in horum genere hastilia ad punctiones, enses ac gladij ad vulnera cæsim inferenda apta solummodo sunt. Sic experimentum quoduis ad vnam aliquam actionem efficiendam destinatum esse intelligimus: atque velut claua ad punctionem, hasta ad vulnus faciendum inepta est, sic experimenta inutilia videtur, si extra suos limites educantur.

Experimentorũ natura.

Simile.

Summa

Summa itaque artis in eo consistet, vt cuiusuis Experimenti genuina virtus cognoscatur.

[illegible] Morbi [illegible] & co-gnoscenda.

Experimentorũ sane vsus peritum ac exercitatũ hominẽ requirit, atque Experimentũ vt in manu periti medicina Dei manus est, sic in rudi venenũ præsentissimũ esse solet, stante proinde eo quòd experimenta correctionibus, ac separationibus non indigeant, manifestum euadit, morbi quoque naturam absolutè cognitam Medico esse debere, quo intelligat, quo remedij genere morbus pellendus sit, non secus ac statuarios necesse est variarum rerum materiei, instrumentorum, &c. cognitione instructum esse, antequàm ad opus faciendum accedat. Non inficias eo, sæpius me experimẽtis contradixisse: proinde si quis contradictionis me arguere vellet, is sciat me ad Experimentorum conuitiationem magno ipsorum abusu permotum esse:
I. vidimus namque qui Ferrariæ, ac Lutetiæ Doctores creati sunt, cùm duo, tria, vel quatuor
II. saltem experimenta tenerent. Adhæc dum experimentis suis singuli Diuinas virtutes tribuũt, nil amplius sibi discendum putant, sicque magno ægrorum incommodo passim in miseros
III. patientes grassantur. Tertia denique causa est, quòd ij qui experimenta callent, etsi iis non vbique cum successu vtantur, non tamen ab eorum vsu desistunt, non intelligentes sola Experimenta ad absolutas curationes non sufficere. Hosce abusus si quis perpẽdat, quomodo non meritò eos qui experimẽta iactitant, reprehendẽdos ac coercendos putet? Itaque fateri cogor, me huius farinę experimentatoribus magnas peccandi occasiones præbere, veruntamen propter vnius vel aliquorum noxam, reliquos tam vtilibus inuentis priuari nolo, cùm sperem fore vt infelix istud lolium aliquando ex tritico excribretur præterea in non dubiam spem erigor, non sine fructu plerosque hæc nostra scripta lecturos ac vsurpaturos.

Experimentorum præterea hoc quasi singulare est, quòd subtiliter præparari non desiderent, non Spagyricas rationes, non quinti cœli artificia hîc requiruntur, (ipsamet enim ceu alimentum perfectè coctum absoluta sunt) non exquisita ratio, non matura ætas, non linguarum, Græcæ, Hebraicæ, Arabicæ, &c. cognitio, non multa lectio, sola sola Prexis sufficere potest: lectio etenim ad Medicum faciendum mediocre vel nullum adiumentum adferre potest.

Paracelsus viua voce docuit.

Sed quòd sæpe hactenus mihi accidit, hoc & nunc mihi euenturum metuo. olim multos per Germaniam ac exteras nationes, ex omnium conditionum hominibus, medicos docendo ac profitendo effeci, quorum non pauci degenerarunt, nunc etiam in Praxi idem eueniet, si quispiam non vsum, sed solam lectionem adhibere velit: itaque obseruari volo, multum in coniunctionis Remedij & Morbi exercitatione situm esse, proinde & nostra scripta exercitatis, solummodo medicis dicata esse volumus. Hoc interim pronunciare non verebor, omnes quicunque ex meis scriptis aliquem fructum se consequuturos sperant, ante multorum annorum exercitationem nil admodum profecturos, vtut multi futuri sint, qui antequàm ego dicere desinam, perfectam praxin sibi sint pollicituri. Atque hic non possum non trium meorum discipulorum magno animi cum dolore reminisci, qui cùm desperata cognitione, ac perfectione artis medicæ (quàm ex libris Galeni, Hippocratis, Rasis, Sauanarolæ, Auicennæ, Azararij, &c. nunquam se adepturos videbant) meæ se fidei commisissent, pauca experimenta à me edocti, ea dein subitò sine iudicio magno ægrorum discrimine passim languentibus exhibuerunt.

Paracelsi discipuli perfidi.

Quòd si isti de quibus ego tam bene sperabam, sic meam fidem fefellerunt, quid quæso de reliquis monachis Iudæis, apostematis, qui & ipsi illotis, quod aiunt, manibus in Medicum agrum irrumpent, mihi pollicear? verum an culpa mea hoc accidit? an ego pectora hominum inspicere possum? serui æquè ac discipuli nequam fuerunt, adeo vt de profectu ac fide omnium quis desperare posset: atqui interim boni nostris vigiliis defraudandi fuerant? minime. Itaque medicos hoc mihi vitio vertere nollem, quòd candidè aliorum fucos detego, interim tamen non cuiuis quæ experientia didici impertiar: etenim auaritiam ac iniudiam nostris laboribus fouere animus non est. Liberalibus non auaris scribere, mitibus non superbis inseruire placet, & vellem sanè vulgus quoque Medicinam intelligere, quo Thrasonum istorum arrogantia aliquantisper imminueretur, vel penitus euanesceret: dum enim lucri causa medicina addiscetur, numquam fucis ac næuis illa carebit, atque sanè magnum argumentum est, medicinam lucri causa constitutam esse, cùm omnes qui eam exercent priuati commodi sint solummodo studiosi. Proinde paruam mihi polliceor de vobis gratiam: scio enim duo sectarum genera ex meis scriptis enascitura esse: alterum nequitiis refertissimũ, nec Diis, nec hominibus pro acceptis beneficiis gratum: alterum vero si ex nostris scriptis profecerit, præ gaudio referendæ gratiæ officium intermittent. Verum omnibus notum est, quò maiora beneficia sunt, eò ingratitudinem maiorem esse, & fere inter omnes actiones medicina maximam ingratitudinem experitur, atqui ingratitudo forsan ceu vulgatum vitium tolerari poterat, si non ea calumniis quoque oneraretur. Quomodò queso non me laborum pœniteat, si mente recolo tres istos nequam seruos, qui victu, amictu, alimonia, à me sustentati, meis practicis experimentis adornati, subitò ceu noui quidam Galeni, conuitiis me incessere cœperunt, cùm ex me, præceptore suo candidiss. ne minimum quidem verbum conuitiatorium didicissent. Istos ne homunciones* ad tantam peruicaciam euadere fas est? ipsos ne Galeni maledicentiam imitari decet? Vtinam omnes qui ex scriptis meis Praxim facere, vel defectus suos resarcire volunt, non ante tempus debitum nimium sibi pollicerentur, hoc est, ne ante multam comparatam sibi experientiam opus medicum aggrederentur, quid enim conferre ars sine vsu ac exercitatione possit? ad hæc necessarium omnino est quotidiana exercitatione semel comparatam experientiam

Medicina lucri causa primum reperta.

tiam confirmare. Verum sat scio lucri proprij, non publici commodi causa, meam medicinam, meaque experimenta plerosque vsurpaturos, vtinam illi finem considerarent, quo non de istis solum, verum & multo minoribus rationem reddere oportebit. Antiquitus medica ars penes eruditos, cordatos ac prudentes viros erat, atqui quod in riuulis accidit, vt procul à fonte quàm in ipsa scaturigine turbidiores sunt, hoc & nostra in arte euenit. Omnes passim nequitiosissimi homines, Monachi & Iudæi Medicinam artem impunè exercent, & artem iam non ex fine, sed ex superbia, fastu, ac librorum ostentatione homines æstimant. Itaque omnes ac singulos monitos ac rogatos volo, vt pro suo modulo, non pro vulgata superbia suam peritiam metiantur: interim vero ad cognoscendos ac excolendos Medicinæ fontes omnem suam operam strenuè conferant.

Ars antiquitus à bonis tractata.

Inter cætera Experimenta Thermæ principem fere locum occupant, non in Chyrurgicis solum, imò & in Physicalibus quoque morbis, vt in vlceribus, Febribus, ac similibus. Vis autem illa illis inest, non quòd illæ per Mineralia transfluant, verum potius quòd ipsæmet Mineræ sunt: etenim perinde ac Plumbum, Ferrum, Cuprum, &c. generantur, sic & Thermæ ceu singularia quędam Mineralia nascuntur, quarum facultas proximè accedere solet, ad Vitrioli & Aluminis naturam. Hinc euenit (quoniam mineralis naturæ sunt Thermæ) vt in harum defectu arte tales conficerentur, verum ars naturam imitari vel assequi nequit, accedere tamen aliquo modo ad naturæ illam perfectionem conatur. Itaque vbi ad expellendam scabiem, ac Pruritum cum Gallica Lue complicatam Thermæ deerunt, *Recipiemus Aluminis lib. x. Vitrioli lib. j. Tartari calcinati lib. ß. Salis fusi lib. iij. omnia in Cacabum aquæ feruentis, in qua Lupulus intabuerit, coniiciantur, ac digerantur. Post ægrum Lue Gallica infectum in ista aqua balneabis, sed memento in pustulosa Herpetica ac Plyctenica saltem Lue remedium hoc efficax esse.* Quod si nimis inueteratum malum est, in quarta parte Vitrioli restingues Mercurium candentem quatuor vicibus: hac nam ratione etiam pruriginosam Luem curatam esse vidimus: veruntamen sciendum, nisi ex Cicatricosa specie, Lues ista sit, curationem perfectam nunquam fieri. Ego cùm aliquando Medicinam faciens, circumferre tantam molem commode non possem, materiam hanc in coagulatam huiusmodi massam reduxi, hoc modo.

De Experimentis Thermarum.

Thermarum vires vnde.

Mercurij restincti vsus.

Recipe Aluminis calcinati, Plumosi ana ℥ j. Tartari calcin. Vitrioli colchotarini ana ℥ iiij. Aluminis, Rochæ, Salis Nitri, Vitrioli crudi ana lib. j. Casei præparati in viscum ad pondus omnium, mixta inuicem redigantur in pulticulam, quæ in corneam duritiem in aëre induretur; vsus tempore in calidam iniiciatur, & vis illa ex cornu in aquam transmeabit. Fuere non pauci, qui istam artem à me edocti, dein turpiter eam falsis pollicitationibus prostituere non sunt veriti, cum eam ad Lepram etiam (inutili tamen conatu) vsurpare auderent. Quidam quoque sacrilegi homines, vt diuinam existimationem huic remedio conciliarent, for tibus quos deinde sacros dixère, ea iniecerunt, illa dein aqua pro Thermis vsi.

Quilibet dein Sal ex Parthenio, Serpentina ac Prionia confectus, ac in hanc aquam coniectus, scabiem ac pruritum ex lue gallica natas curat, sed huiusmodi herbæ plures inueniuntur, eandem vim participantes. Preterea quiuis succus ex Vrtica ac Culica expressus cum modico salis fusi pedum manantia vlcera, lauamēti instar adhibitus curare valet, hoc remedij genus cùm quidam ex me didicissent, illud ad omne morborum genus stulte & inutiliter adhibere ausi fuerunt. Omne etiam Phlegma ex Nitro destillatum si cum aqua Thermali commisceatur, vltra Mercurij virtutes longè antecellit in curandis Hydropicis, Luis Gallicæ vlceribus. Idem & oleum Tartari rectificatum præstare solet. Phlegma vero vitrioli idem in herpetibus, Phlyctenis, pustulis &c. Gallicis valere experti sumus, sed illud Oleum Vitrioli multis interuallis superat in quocunque vlcerum genere persanando. Tartari deinceps aqua pota ab intra Ictericam luem, ac eam quæ ex Menstruis originem duxit curat: quin & Lepræ principia ab eadem insigniter opprimi experientia cognitum est. Huius generis experimenta innumera adhuc supersunt, partim quia omninibus nota, partim quia ob veneni suspicionem periculum minantur, omittenda. Huius generis sunt. Aquæ Fortis, Regales, Corrosiuæ &c. atque eæ quæ ex Realgare & cæteris sublimatis extrahuntur. Quæ ipsa etsi insignes virtutes obtinent, tamen quia à nonnullis meorum discipulorum turpi abusu infamata sunt, præstat silentio præterire: hoc interim monens, non cogendas experimentorum virtutes ac facultates esse, verum frustra Experimentatores monentur, qui sine iudicio omnia audent.

Salia herbarum.

Succus vrticæ & culicæ.

Phlegma Nitri.

Oleum Tartari.

Sunt deinceps vnguenta quædam experimentorum nomine merito afficienda, à quibus vlcera Gallica (vbi ea fluere ac humorem fundere desierunt) feliciter curata esse meminimus tale est hoc quod sequitur. *Recipe Litargyrij, Minij ana ℥ß. Olei Mirtillorum ℥ iij. Aloepatici ℥ j ß. Florum aëris præparati ʒ iij. Terebinthinæ ℥ ij. mixta coquantur ad consistentiam vnguenti.* Huiusmodi descriptiones variæ sunt, in quibus tamen Aloepaticæ ac Flori æris iure meritissimo omnis virtus tribuitur, cùm sine incommodo reliqua duo omitti posse animaduersum sit. Sic vicissim vnguentorum quorundam descriptiones quę reperiuntur, in quibus Basium loco sunt, Mumia, Thus, Myrrha, &c. in his ergo reliqua quæ medicamenti solummodo molem adaugere videntur, quoque non inutiliter quandoque omittuntur. Huiusmodi nos descriptionem (vt nulla in re vobis deesse videremur) subiunximus ad omne genus inueteratorum vlcerum Gallicorum vtilem, quæ *Recipit, Olei de Mumia ℥ ij. & ʒ j. Floris æris ʒ ß. Mastiches, Myrrhæ, Thuris, Mummiæ ana ʒ ij. & ß. Aloepatici quantum sufficit Terebinthinæ lotæ ℥ iij. & ß. fiat decoctio ad consistentiam vnguenti.*

De experimentis vnguentorum.

Sunt deinde vnguentorum quædam descriptiones, in quibus Basis est Argentum viuum, hæc ad [illegible] ac pruritum, aliaque cutanea vitia vngus adhibet, veruntamen sciendum Mercurium virtute salis Nitri in oleitatem quandam

quandam prius reducendum esse: hoc namque modo præparatus quibuscunque tandem vnguentis commisceatur, ad omnia cutis vitia (vna Elephantiasi excepta) per sananda sufficiens est: vtendi ratio est vt inueteratorum vlcerum labra vnguento perliniantur: sanantur namq; subito, atque quò plus de lue gallica participant, eò velocius sanationem recipiunt.

Praecipitatus Mercurij est remedium inueteratum. Conficiuntur ad hæc vnguenta quædam ex præcipitato, cuius inuentionem plurimi iactitant, atque sibi adscribunt, cùm tamen omnes ex veterum Artistarum ac Spagyrorum scriptis eum sint suffurati, à quo mendacij vitio nec Vigo immunis fuit. Præcipitatus certe Mercurius vetus remedium est, sed Medicorum perfidia multo tempore delituit, sciendum proinde omnia cauernosa (corrodentibus & ambulantibus exceptis) eius vsu perfectè sanari: verum oleum Argenti viui in Chirurgici curationibus extrinsecus multo maiore cum fructu vsurpari experientia docuit.

Vnguenta vero ex Mercurio coagulato confecta, Argenti viui maximam virtutem in coagulatione amisisse videntur.

Vulneraria vnguenta. Fiunt etiam vnguenta ex herbis quibusdam, quarum potissimæ sunt Serpentina picta & Serpentina maculata: hæc enim ingredientia omnia vlcera corrodentia & vaga, imo & ipsam Phagadenam curare valent. Idem, sed paulò minus efficaciter præstare videntur Chelidonia, Ciclamen, Consolida pontica, Aristolochia acuta: harum itaque herbarum quæ maxima suppeditant experimenta accuratam obseruationem Medicus habere debebit. Nos vnicam hîc annotare formulam voluimus, vt, *℞. Serpentinæ vtriusq; ana numero vij. Aristolochia acutæ, Consolidæ ponticæ ana lib. ß. contundantur, ac cum lib. j. ß. Terebinthinæ lotæ ac ℥ iiij. olei ouorum, fiat mixtura ad modum vnguenti*, tanta huius remedij vis ac efficacia est, vt si qua cutanea affectio est, quæ ab eo non persanetur, fere desperata illa sit.

De oleis Experimentis. Sunt dein & olea aliquot, quæ & ipsa experimentorum instar se habent, qualia sunt quæ ex Mumia, Vitellis, Mastiche ac Lateribus conficiuntur, sed ad absolutas curationes sola sufficere non possunt, non contemnenda tamen vbi curatio promouenda, dolores mitigandi, vel aliud aliquid huiusmodi efficiendum erit. Sic & olea ex Metallis confecta mirificam vim obtinent, alia aliis maiorem quidem, maxima tamen auro vis inest.

Oleum Auri. Petrolium cum Serpentina præparatum magnum certe remedium est. Sic axungia humana cum Mumia commixta itidem ad leniendos dolores vtilissima censetur. Huius generis innumeræ aliæ circumferuntur descriptiones, quas omnes enumerare nil opus est, itaque Medici magnas compositiones ex iam dictis basibus conficere contenti sint.

Mellis vis. Similiter in melle vis mirifica inest, si ipsum cum Aloe epatica vlceribus quæ madida non sunt, vel quæ in partibus osseis seu carnis expertib. (vt verbi gratia in Rasceta) consistunt, adhibeatur.

Resinæ vis in Syronib. Sed de Resina ratio alia est: ea namq; etsi in Syronibus prodesse conspiciatur, tamen ad absolutam perfectamq; curationem faciendam non sufficit, nisi ex supra enarratis simplicibus aliquod illi adiiciatur. Huiusmodi mea vnguenta cùm alij non pauci æmularentur, eaq; ad varias affectiones vsurparent, dum ipsorum materiam non intelligunt, inutiliter adhibuerunt quidem ex colore Cinnabarim, alij ex odore oleum Laurinum, nonnulli suffumigando Mirrham, alij denique calidæ ac auri experimentis Mercurium esse suspicabantur ac coniiciebant, quasi vero tam rudis ego sim, vt Mercurium abscondere seu celare nesciam. Fuerunt qui sub meo nomine nouas compositiones confingerent, cum ne minimum quidem simplex intelligerent, verum quo successu ij testari poterunt, qui ipsorum se curæ commiserunt, hi si iam nostra scripta perlegerint, ipsimet suam admirabuntur inscitiam ac ruditatem.

Ex natura Ceræ ac Terebinthinæ emplastra primitus extitisse manifestum omnibus est, quæ deinde accessione ac commixtione variorum simplicium, ad varia vlcerum ac affectionum genera adhiberi cœperunt. Cera quidem ad omnes in vniuersum continui solutiones persanandas, catholicum quoddam remedium existit, verum non sic Therebinthina: ipsa enim solis humidis vlceribus conuenire conspicitur, itaque quidam, istis vsi sunt, commixto Colcothar, ad Phagedenas, alij adiecto Lytargiro ad pedum manantia vlcera, sicq; varij variis simplicibus variè luserunt. Post hæc incarnatiuis commixtis, tam diu vsi fuerunt, donec cuiusuis vlceris naturam absolutè perspicerent. Hinc dein error ille originem duxit, vt qui in Scrophulis eam vsurparent, eandem in Cancro ac Fistulis sibi vsurpandam putarent, sicq; in multis aliis, quæ in Lue Gallica vsuuenire solent, insolenter peccatum fuit. Veluti ergo Lues Gallica ab aliis morbis distinguitur, sic & remedia ab inuicem discernenda erunt. Notandum tamen, quod si vlcera in Fistulas abeant, ea remediis ad Fistulas pertinentibus curari posse, tum scilicet, vbi Lues Gallica vires suas aliquomodo amiserit: etenim tum Lues morbus amplius esse non videtur. Sin affectus recrudescat, ac noua Lues appareat esse, tùm infinita sunt, quæ supra descripsimus remedia, à quibus perfectè sanari morbum difficile non sit; idq; mirum esse non debet, cùm Lues tantas vires non habeat, vt remedio vel lenissimo resistere queat: itaq; ad euincendum malum sufficiant, Emplastrum de Minio, Emplastrum de flore æris & Oppodeltoch nostrum: sin altiores forsan radices egisset malum, difficilior curatio erit, nisi remedium aliquod contra lepram faciens, vnà cum cæteris commixtum adhibeatur.

De Experimentis Emplastrorum. Ceræ vsus singularis. Colcothar. Vlcera si in Fistulas abeat quomodo sint curanda.

Quapropter Medicos omnes & singulos monitos volo, vt hoc genus receptas, ac experimenta nulla alia ratione, quàm quæ dicta à nobis est vsurpent: scilicet vt prius de morbi natura certi, ea quæ diximus imitentur, ne quod tonsoribus ac balneatoribus quibusdam accidit, qui ea quæ à nobis didicerant remedia, sine discrimine omnibus ex æquo exhibebant, plus damni quàm commodi miseris languentibus adferant. Sed frustra insolentes isti homines, quibus iudicium ac conscientiam, auaritia & inuidia eripuerunt, admonentur, & opus

opus fere de artifice suo abunde testatur.

Non defuerunt quoque, qui nostras descriptiones emendare ausi fuerunt, tamquam eruditione multò quàm ego superiores, persuadentes sibi, eò quòd Historiarum ac Græcorũ codicum lectione ornati essent, nec medicamenta sibi resistere posse; sed in ipsorum gratiam nullum non mali genus curatura. Similiter & Pharmacopæi, ad quos nostræ descriptiones quandoque pertinuerunt, insolenti proposito faciendæ Medicinæ ius sibi ob id vsurpantes, sic voti compotes facti sunt, vt postea eandem operam iterare ausi non fuerint. Itaque, si quid mali ex nostris scriptis euenerit, illud non Receptis, sed medicorum imperitiæ omne adscribant.

Pharmacopæi Experimẽtis Paracelsi abusi.

Sequuntur Descriptiones Emplastrorum quæ Experimentorum instar esse poterunt.

℞. *Olei Mirtini, Ceræ, Minij ana lib. j. ß. Zinobrij Fl. æris, Mummiæ ana ℥ j. ß. Oppoponaci ℥ ij. Terebinthinæ lib. ß. fiat Elplastrum secundum artem, quod malaxetur oleo ouorum.*

ALIVD.

℞. *Floris æris lib. j. Olei anethini, Ceræ communis ana lib. j. ß. Colophoniæ ℥ iiij. Olei Laurini ℥ ij. Terebinthinæ lib. ß. Mummiæ, Masticis, Thuris, ana ℥ ij. Serapini, Galbani ana ℥ j. ß. fiat Emplastrum secundum artem, & malaxetur oleo verbasci.*

ALIVD.

℞. *Spumæ Saturni, rubeæ Ceræ Olei ana lib. iij. Celidoniæ, Serpentinæ, Guttosæ, ana ℥ ß. Masticis Oppoponaci Myrrhæ, Mummiæ Galbani ana ℥ j. Aristolochiæ rotundæ, Thuris, Ammoniaci ana ℥ j. ß. Terebinthinæ ℥ vj. f. Emplastrum, & malaxetur oleo de Spica vel Lumbricorum.*

ALIVD.

℞. *Ceræ Medionis lib. j. Colophoniæ ℥ iiij. Coralli vtriusque, Magnetis, lapidis Calaminaris, Carabe, Antimonij ana ℥ j. Mummiæ, Thuris, Myrrhæ Masticis ana ℥ j. ß. f. Emplastrum quod malaxetur oleo de Camphora.*

Artificium horum Emplastrorum, decoquendorum hîc non describimus, tum quòd vulgatum est, tum quòd ex Cerotorum compositione facile innotescat, quo pacto ista decoquenda ac præparanda sint: quæ namque illic incidi ac dissolui debent, eadem & hic incidentur ac dissoluentur, sicque iuxta vulgatos canones commiscebuntur. Vlteriores compositiones necessariæ nullæ sunt: istæ enim ad omnia vitia sufficere possent, si rite adhibeantur: adhibebuntur autem ritè, si non plus quàm ipsorum fert natura (experientia comprobata) ab iis sperauerimus, hoc est, si non ad quosuis affectus singula sine iudicio vsurpentur, quod Balneatoribus, Apotecariis aliisque hoc genus indoctis medicis facere solenne est.

De experimentis puluerũ.

In puluerum quoque censu, velut & in omnium reliquorum formarum medicamentorum ordinibus obseruata quædam sunt, quæ experimentorum nomine iure optimo appellari possunt. Notandum tamen de pulueribus est, quòd eorum quidam componi velint, reliqui extra compositionem asseruari malint, singuli scilicet pro suæ experientiæ natura ac ratione, non autem pro modulo canonum pharmacopœiæ, ac reliquarum quæ conficiuntur receptarum. Verbi causa: in Mummia ac in Culicula in quolibet nimirum per se excellens quædam vis seu Experientia inest, quæ ambæ vnà consistere possunt, incarnatio scilicet in Mummia: mundificatio autem in Culicula. Sunt dein quæ per se sine vlla alterius remedij acessione, sola sufficiunt ad vlcera sananda, veluti Serpentina maior, & Flos Martis, quorum hoc bona simul malaque curat, clauditque sine incommodo, illud autem mundificat simul ac curat. Alia præterea sunt quæ sub forma Corrosiui medicamenti, vt Fumus Caminæ, alia ex suæ naturæ bonitate, vt oleum de Medullis, vlcerum malignitatem pulcherrimè euincunt. Itaque obseruandum vbi vel æger, vel medicus, Corrosione, mundificatione, &c. vti maluerit, fœlicitatem in agendo, ac industriam in præparando spectandam ac exoptandam esse. Est & in administrandi modo sua quædam diuersitas: alij enim pulueres mutari ac iterari volunt, alij principio solum, alij in fine tantum adhiberi.

Flos Martis.

Caminæ alia.

Verum quanta quanta in Experimentis vis constituatur, obseruandum tamen exiccationem ac hæmorrhagiæ præcautionem vel ablationem experimentorum loco haberi non posse: etenim natura quæ istis remediis inest, manifesta qualitate in corpus Microcosmi agere videtur, non secus ac Sol in terram agit Proinde in experimentis ad Chaos (experimentorum scilicet omnium parentem) solummodo respiciet medicus. Quemadmodum autem varij pulueres numerantur, sic duas saltem eorum differentias esse non ignorandum: dulcem nimirum & acidam, qui ergo pulueres dulces sunt, vt Medullarum ac Serpentinæ, ij simpliciter curant: qui vero Acidi instar Realgaridum, Sublimatorum, Calcinatorum, Destillatorum, &c. conferre vlceribus creduntur. Itaque in vsu puluerum diligenter inspiciendum, cuiusnam generis puluis sit, dulcis ne vel acidus: siquidem Acidi pulueres, ac Corrosiua vis Realgaris, nisi obliteretur, nihil commodi ad faciendam sanationem conducere potest. Quia ergo vis Realgaridum non in acrimonia consistit, manifestum est in dulcore eam quærendam esse, magnus itaque error est, quòd in Experimentis ea quæ manifestiores actiones habent, potiora ac præstantiora esse ducuntur. Sed hoc vitio ac imperitia medicorum accidit, qui pro qualitatum magnitudine omnia metiuntur, non intelligentes naturam malle amicè quàm inimicè, dulci quàm acri medicamento corporis passiones subleuare. Medicorum imperitorum tota actio in rosione consistit, quam si non satis crudelem faciant Arsenicum ac Mercurius, ipsi non dubitant, carnificum instar, ferro ac igne corpus lacerare. Itaque in experimentis Catholicus canon esto, vt in experimentis, quæ dulcia sunt, tota substantia vsurpentur, quæ vero acria, non nisi adempta prius veneni acrimonia, adhibeantur.

Saturni etsi stationa ac siccatiua experimenta nõ sunt.

Pulueris duo genera.

Realgaridũ vis non in acrimonia quærenda.

(Sequuntur

(Sequuntur experimenta Dulcia.

Mumiæ Experimenta. Mummia consolidatiua plurima in se continet, quæ singula ad quæuis vlcera (quæ Fixa iam sunt) curanda sufficere possunt.

(Primum experimentum.)

I. *Recipe Mummiæ quantum sufficit, imponatur vitro, ac ad tertium ignis gradum ad quatriduum in fornace vratur, post vase aperto sine vt euaporet, denique exiccetur, ac in puluerem redactum seruetur, vt decet.*

II. *℞. Mummiæ quantum sufficit, affunde Olei de vitellis ouorum trientem, exiccentur, ac per descensum destillata denuo in calce siccentur.*

III. *Recipe Mummiæ probè contusæ, quantum sufficit, cui Olei de semine lini tantundem affundatur, digerantur biduum, post ad quantitatem vtriusque affunde Alcool vini, iterumq; stent biduum, tandem vinum euaporare sinatur, ac reliqua materia in puluere redacta seruetur.*

IV. Vltimo loco: *℞. Mummiam satis iusta quantitate, quam aduras, donec colorem album acquirat cinis ille, ex quo dein lixiuium paretur, quod decoquatur donec consolidetur.*

Carabes experimenta. In Carabe seu Succino, duo quoque experimenta antiquitas obseruauit, alterum pro cauis, alterum pro depascentibus vlceribus. Hoc sic habet.
I. *Recipe Carabes, Petrolei, vtriusque quantum sufficit, dissoluantur coquendo in Liquorem, qui deinceps exiccetur.* Illud vero hoc
II. modo præparandum. Vt Carabe artificiose destilletur, atque denuo exiccata adhibeatur, isti duo pulueres ad omnia vlcera, siue cutim, siue carnem depascantur, conducunt.

Myrrhæ experimenta. Alia duo Experimenta in Myrrha insunt, pro fœtidis vlceribus curandis, quorum prius sic
I. habet. *Recipe Myrrhæ quantum sufficit, cum Vitellis ouorum in oleitatem resoluatur, & quintuplo Alcool vini adiecto, per quinque dies digerantur,*
II. *digesta denique exiccentur.* Secundum est, vt Myrrha per descensum destillata cum Tragaganto exiccetur, Myrrha hæc omne genus vlcerum putridorum curat ac claudit, siue intus, siue extra consistant. Sunt præter hos multi alij pulueres, quos ceu vulgatos & omnibus notos hic describere intermittimus.

Sequuntur Experimenta corrosiua.

Tartari experimentũ. Inest in Tartaro Mummia quædam, quæ omne genus manantium vlcerum curare apta est, dum ipsorum Corrosiuam vim, ipsa attemperat ac tollit: namque nisi corrosio in vlceribus impediatur, etiamsi sanatio in propinquo videatur, tamen subito quandoque malum suo principio longè deterius euadit. Tartari ergo dulcedo sic conficietur vt supra, legitimum calcinationis tempus vigintiquatuor horis, ipse adhuc vratur, dein per aquam culiculæ dulcoratus exiccetur, atque iterum 15. vel 16. vicibus cum vino rectificato destillatus, super Marmor in aquam omni pinguedine ac oleitate carentem resoluatur, aqua hæc adeo dulcis euadit, vt ad vulnera quoq; sananda sufficiat.

Vitrioli experimenta. Vitriolo vis curatiua quoq; inest mirifica, quam eo quo sequitur modo extrahere, & à sua Corrosione separare poteris.

Recipe Colcothar vitrioli, & abs eo abstrahe cum aqua pluuiali rubedinem, quam dein coagulabis, & à coagulato rubedinem denuo extrahes, idque quinquies, vel sexies iterabis, donec in durissimum lapidem illa materia induretur, qui linguæ admotus dulcedinem quandam referat, hoc remedio Syrones, aliaq; grauissima vlcera sine mora sanantur. Obseruandum tamen, summam dulcedinem illi vitriolo inesse, qui ex cupro arte Chemica paratur.

Antimonii experimenta. In Antimonio deinde similiter Balsamus quidam inest, quem vt extrahas ipsum prius cum Sale Armoniaco resolutum pluuiali aqua dulcorabis, dein exiccatum iterum supra marmor resolues toties, donec limpidissimo rubore conspicuus euadat. Isto remedio Fistulæ, Carcinomata, aliæque grauissimæ affectiones cum Lue Gallica complicatæ facillimè sanantur.

Balsam. Argenti vini. Non secus Argento viuo quoque dulcis Balsamus inest, qui sic præparandus est, vt nec sublimatio, nec calcinatio accedat, sed per aquam ouorum supra suam calcem (in qua Mercurius extinctus sit) destillatam in rubicundum puluerem reducatur, hac præparatione tanta vis tantáque dulcedo comparatur, vt vulnera & vlcera (quæ in vesica consistunt, etiam aliàs incurabilia) perfectissimè curet: quin & caua vlcera, quæ fauces & œsophagum occupant, eodem medicamento sanantur. Hinc error ille in præparatione Mercurij primum originem
Erroris causa. duxit, dum quidam Præcipitati hæmatinam rubedinem eandem ipsam de qua loquimur esse putarunt. Atqui Præcipitatus Mercurius

Præcipitatus Mercurius improbatur. numquam perfectum remedium esse potest, eò quòd perpetuò corrodens vis ab Aqua forti impressa ipsum comitetur. Sed quales medici, tale remedium, itaque nil mirum si ipsis agentibus Mercurius non id efficiat, quod aliàs efficere potest, siquidem ipsi de auferenda corrosione solliciti non sunt.

Arsenici Balsamus. Arsenicum vim quoque participat (iuxta suum Balsamum) qua caua vlcera ac vulnera non secus ac Mercurius perfectissimè sanat, verum sic ipsum dulcorari prius oportet, vt instar butyri in vulneribus dolorem nullum inferat, quòd fiet, si ipsum Sale Nitri figamus, fixatum soluamus, solutum in Alembico sublimemus, ac in aquam pinguem reducamus. Per hoc Arsenici magisterium, cuiusuis generis corrodentia vlcera, Fistulas, caua vlcera, &c. curantur:
Eius vsus. namque veluti, vbi ipse venenum adhuc est, dolores grauissimos infert, sic vbi veneni vim amisit, nullo penitus dolore affligere solet.

In Auripigmento similis planè virtus inest, similisque præparandi ratio adhibenda.

Sal Armoniacus. Verum Sali Armoniaco, etsi non minor virtus inesse videatur, tamen absolutam ex eo curationem sperare nemo debet. Sic & Alumen ad claudenda vlcera insufficiens est, etsi non mediocrem vim obtinere credatur. Non secus

Corallorũ experimentum. de Corallis iudicandum, quod ad perfectam curationem obtinet, attamen sine illis vbi hæmorrhagia in vlceribus molesta fuerit, non facile sanguis sisti potest. Sic Carnedus, sic Hematites agunt, nisi quòd præparatione nulla indigeant, sed in substantia sua adhiberi velint.

Balsamus ferri. Ferri quoque Balsamus, si in Resinam reducatur, vtilis ad vlcera est, quò rubicundior autem

tem is fuerit, eò melior esse cernitur: conficitur vero per Aluminis aquam, opera autem danda, ne ipsius oleitas deperdatur, studendumque ne dum opus reiteratur, illius crassities nimium accrescat. Hoc Ferri oleo omne genus humidorum, fluentium, ac Flaccidorum vlcerum, ea etiam tumida ac rubicunda labra habent, percurantur, atq; quò magis inueteratum malum est, eò promptior ac facilior curatio existit. Crocus etiā ferri, si per Reuerberatorium in Alcool redigatur, eadem vlcera si fluere desierint, atq; ad legitimam ætatem excreuerint, curare creditur.

Oleum ferri.

Crocus Ferri.

Balsam. Plumbi.

Plumbi Balsamus, qui cum aceto ex ipsius cineribus per destillationem extrahitur, corpus autem illud vbi exaltatum fuerit, per Reuerberationem in Minium redigi debet, vel per aquam Serpentinæ pictæ in Cerussam reduci. Ex istis tribus experimentis originem ducunt curationes vlcerum depascentium, Phagadenarum, ac ignis Persici: verum ex deprauata horum trium remediorum, Plumbaginis, Minij, Cerussæ (quæ secreta remedia in istis affectibus putantur,) præparatione plurimi errores à Pseudomedicis committuntur, vnde magnum plumbo conuitium conciliatum fuit.

Flos Cupri.

Cupri flos, qui ad curandas Corrosiuas exulcerationes vtiliter adhibetur, bifariam præparari solet. Alter modus est, vt viride ex eo per Botim destillatum extrahatur, atque illud Botim iterum abstrahatur. Quamuis non negem, Veneri languidam satis vim adesse, nisi coniungatur Vitriolum. Vitriolum illud puto quod ex corpore Veneris extrahitur: namque in illo Vitriolo, altera illa vis inest, si eo quo dixi modo præparetur.

Venus si in Vitriolo non efficax satis est.

Vitriolū ex Venere.

Balsamus Auri.

Auri Balsamus omnes quotquot vspiā sunt, solutæ continuitatis species curare tā efficax est, vt ne Lepra quidem ei resistere queat. Sed plura quàm eius præstantiam commemorare hoc loco animus non est, tum propter medicorum imperitiam, tum propter præparationis difficultatem. Balsamus certe hic in morbis plus quàm quisquam hominum cogitare posset, efficere potest: cuius nos præparandi rationem cum aliis quibusdam præstantioribus experimentis, in Archidoxis nostris describemus.

Archidoxa Paracelsi.

Sunt denique experimenta quædam caustica, id est, quæ per vstiones fiunt, nimirum cùm cutis vel pars affecta vritur, atque vstio illa tamquam simplex aliqua alia vstio curatur, quam ego rationem omnino penitusq; improbare non possum. Verum curandum vt totum simul vlcus dictum & factum omni ex parte vratur, vnumq; vlcus seu vna crusta efficiatur: nisi enim hoc fiat, operam & oleum ludet medicus, frustraq; æger tantos dolores perpetietur. Obseruandum quinetiam & illud est, siue auro, siue pice, siue resina, de metallis vstio fiat, in carbones illam vim quoq; referendam esse, qui dein cum vnguentis (ad vstiones) curationem absoluunt. Caue autem, ne vlcera ex superioribus Mineralibus orta hoc modo curare aggrediaris. Alia caustica, quæ per Cantharidas, Flammulam &c. efficiuntur, quia ex vlceribus Fixis humiditates superfluas educunt, quoque improbare nequeo, maximè si dein dicta curandi ratio ad finem vsque continuetur.

Vstiones quatenus conueniant.

Fixa vlcera causticis curantur.

Quæ vero per sectiones fit curatio, vsurpanda nunquam erit, nisi totus affectus vnà eodem in loco consistat: nisi enim hoc fit, frustra ac magno cum incommodo ægri sectio administrabitur: etenim si totum morbi dominium non resecetur, ad hæc sectio hæc tam grossum remedium est, vt an ad artem pertinere possit, merito dubitetur.

Sectiones improbantur.

Sunt qui corrodentibus remediis magnum operæ pretium faciant, verum quia corrodentem vim antea in experimentis tolerandam non esse monuimus, inter experimenta Corrosionem non numerabimus, maximè cùm peritum ac exercitatum Medicum ea requirere videatur. Plures præter has Experimentorum formæ sunt, quibus vlcera sanari conspiciuntur, sed quoniam omnes sine iudicio me insectantur, in præsentiarum ea scribere intermittimus in nostris Archidoxis accuratius de singulis disputaturi, vbi de Caracteribus & Adeptis (quæ æmuli mei superstitiones appellant) sermonem instituemus.

Experimentum dici non debet Corrosio.

De Caracterib. & Adeptis Paracelsi.

Sunt denique ad fracta, luxata, ac sphacclata ossa, & in iis consistentia vlcera, sua quoque experimenta, quæ nos dante Deo in libris de vlceribus describemus.

EPILOGVS DECEM LIBRORVM PARACELSI.

Eloquētia ad curationē nihil cōfert.

PERORATIONIS tandem loco Lectores beneuolos rogatos volo, ne elatum dicendi genus requirant, Experientiam potius tam Theoricam, quàm Practicam spectent singuli rogo: namque eloquentia in arte Medica nil aliud est, quam crumenæ euacuandæ fucatum quoddam medium. Itaque cum non compta oratio, sed Experientia in arte medica dominentur, (Experientiam autem eam intelligo, quæ à veris Medicinæ fontibus aliena non est, Humiliore stylo vti visum fuit. Quod si cui nimis succinctus videar, ei liberum esto maiora commentari: sin prolixiorem quis me fuisse causetur, is poterit ea quæ non intelliget (quorum plurima erunt.) sicco pede transiens, breuiorem me facere, quòd si denique mirabilia nimis cui videantur, eum discat hortor, quo admirari desinat. Multum quidem à veterum dogmatibus me recessisse fateor, verum causa in promptu est, quòd ipsorum practica scripta mihi sufficere non possent, itaq; non dubito etiam eos qui antiquos hactenus sectati sunt, posthac ab ipsorum sententia discessuros, quorum tenuitati vt consulam, librum de præseruatiuis pustularum conscribere animum induxi. Hoc etiam scriptum ad eos solum Medicos pertinere volo, qui ægris quàm crumenæ melius prospectum cupiunt: proinde si qui ipsorum vlteriorem explicationem desiderabunt, si me eius certiorem reddiderint, ego mea opera illis non deero. Cætera quæ adhuc ad absolutionem operis de Morbo Gallico pertinebunt, in libro de Præseruatiuis pustularum copiosius explicabuntur.

Prolixitatē, breuitatē & nouitatē excusat.

FINIS DECEM LIBRORVM DE VLCERIBVS AC PVSTVLIS, ETC.

CHIRVRGIAE MAGNAE D. PHILIPPI THEOPHRASTI PARACELSI, PARS QVINTA.

DE IMPOSTVRIS IN MORBO GALLICO, LIBER PRIMVS.

Procemium.

Contradictiones in cunstis operis limine diluenda Argumentū huius libri.

QVICVNQVE aliqua de re explicationem conscribere animum inducunt, ij meo iudicio rectissimè in ipso statim operis limine, contradictiones, si quæ in aduersum faciunt, dissoluere debent. Etenim donec eæ saluæ & integræ consistunt, perpetuò iis qui hauriendorum puriorum fontium cupidi sunt, scrupulos facere solent, sicq; numquam perfectè ars ipsa conscribi addisciq; potest. Namque contraria argumenta simultates professorum perpetuo excitant: hinc discipulorum quoque animi incertis fundamentis innitentes, numquam ad aliquam frugem perueniunt. Proinde constitutum quoque apud me est, præsenti libro Imposturas quæ nostro proposito aduersari poterant enarrare, tandemq; refutare, quò ij qui nostræ sectæ sese addixerunt, his perlectis habeant, quibus se tueantur, argumenta. Itaque omnibus in vnum coaceruatis meorum antagonistarum imposturis, quarum aliæ adhuc firmæ consistunt, aliæ nutant, aliæ penitus conciderunt, vno fasce complexus proposui, vt ij qui vel mea secta relicta, suæ se manciparunt, vel ab illis prohibiti, meam cognoscere noluerunt, quidquâq; in re sequendum fugiendumq; sit, intelligant. Etsi autem non statim optatum finem consecuturum me præuideo, spero tamen post obitum maleuolorum quorundam hominum nostram medicinam auctam iri.

Interpres Lectori Salutem.

Galenum Dogmaticæ sectæ inter Medicos principem, paßim acerbius in suæ ætatis pseudomedicos inuehi qui nescit, hunc Galenicæ medicinæ sectatorem dici indignum est. Atqui ex iisdem sectatoribus audire vellem quid commodi ex inuectiuarum illarum lectione, lectori accidere poßet? quid ex primo Therapeuticæ Methodi aliud addiscas, quam Theßalus quis fuerit scire, aliisq; maledicere? quod consyderans ego præsentium duorum librorum argumenta solummodo afferre volui, quod maledictis (neq; tamen illis plane iniquis, dignis tamen quæ omittuntur) scaterent: quæ enim hic dicuntur, vel sæpius aliàs à Paracelso annotata inuenias, vel parum commodi præstare poßunt, itaque mutilum opus ob id neminem dicturum puto, si nil nisi vtilia in eo contineri, in tuam rem, volui. Vale, & nos ama.

PRimo de præseruatiuis Pustularum libro Paracelsus noster rei indignitate permotus, quoscunq; potuit errores pseudomedicorum in tota medicina, non solum in curatione Luis Gallicæ, in viginti classes seu capita retulit, quos dein errores cùm hoc libro variis scommatis (quæ nos quia non histrionicam, sed medicam artem iuuare volumus) exsibillasset, firmissimis rationibus sequenti libro corrigit ac refutat. Nos classium nomina saltem annotare, atque breuiter saltem argumenta, quibus errores exploduntur, commemorare vtilius duximus, quàm inutili lectione studiosos onerare.

Capite

I. Doctorum errores ridentur.
II. Vnguentorum abusus ostenditur.
III. Suffumigia taxantur.
IV. Corrodentia exploduntur.
V. Lauamenta censentur.
VI. Sectiones partium improbantur.
VII. Balnea ac sudatoria expenduntur.
VIII. Caustica tolluntur.
IX. Chemicorum empyrica ridentur.
X. Tonsorum tota ars ridetur.
XI. Ij qui diuinitus à sanctis immitti morbos vulgo persuadent, seuerissimè corripiuntur.
XII. Serui ac discipuli desertores, qui Paracelso contradicere ausi fuerunt, accusantur.
XIII. Abusus in Ligni Guaiaci decoctione commissi, aperiuntur.
XIV. Iudæi qui medicinam se facere Mosis præscripto falso iactitant, conuitiis incessuntur.
XV. Ij qui Linguarum studio ac peritia superbiebant, quasi ea ad Medicinam faceret, ridentur.
XVI. Pharmacopæi qui sua arte relicta medicinam faciunt, miris salib. condiuntur.
XVII. Sparadrapum improbatur.
XVIII. Vstio per actualia ceu crudelis exploditur.
XIX. Laminarum plumbearum abusus ostenditur.
Vltimo. Præsectio venarum ac arteriarum, quòd mala sit, docetur.

LECTORI SALVTEM.

Quæ istis capitibus præter iocos, sales, scommata, & Ironias continentur, lector humanißime, ea omnia sequenti libro, in quo errorum classes corriguntur, repetita inuenies, itaq; eius lectione te saturabis.

D. THEOPHRASTI PARACELSI DE CORRECTIONE Imposturarum in curatione Luis Gallicæ,

LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

Argumētū huius secundi libri.



LTERA propositi nostri parte ad vmbilicum deducta, enumeratis scilicet illis erroribus ac dogmatib., quæ nostris principiis aduersari videbantur, altera iam superesse videtur, vt videlicet, cùm non desint impostores, qui istis nugis se tueri, easq; penitus reprobandas non esse arguere conabuntur, iis contradicamus. Cùm enim ad speciem videantur ipsorum non planè inutilia inuenta esse, quod (quamuis raro) aliquoties successus respondisse visus sit, atq; proinde laudem mereatur, veruntamen vbi causæ cardo vertatur, isti ignorāt: itaq; errores suos, ac ignorantiam, quam tueri illis impossibile est, suis quæ videntur propugnaculis denudare constitutum est. Quoniam autem intelligo technas illas specie boni palliatas, non statim ab omnibus reprobatas iri, quòd mihi displiceant, præsenti libro, quatenus imposturæ sint ac dicantur, aperiam, quo apparet, quomodo arcanis ac præstantib. remediis illis abutentes impostores sese nobis præbuerint. Quod vt sincerius efficiam, imposturas ipsorum candide refutabo, ostendens vbi illi errorib. occæcati vel liberi fuerint, quantumq; virtutum Deus Opt. Max. remediis ac simplicib. medicamentis implantarit vt iam impostores, solo contradicendi studio me illis aduersari, conqueri non possint, cùm ipsorum quoq; vtilia inuenta produces, ea saltem, quæ improbanda videntur, redarguero.

Contradictionibus Paracelsus nō est addictus.

CAPVT II.

Anatomiæ morborū cognitio necessaria.

PRiusquam autem ad sequentium capitum lectionem accingamini, necessarium erit, Anatomiæ quandam cognitionem vobis comparari. Anatomiæ dico non cadauerum, sed corporum morborum. Siquidem frustra medicus morbo remedium adferre conabitur, nisi & affectum ipsum, & locum patientem cognoscat, itaq; hæc magnorum in curationib. errorum radix est. Icteritiam enim exempli causa nobis proponamus, hanc nisi loco patiente cognito, quis curari posse cogitet? contrà loci affecti cognitio planè facilem curationem reddet. Hæc eò à nobis dicuntur, vt vestros errores in adhibitione remediorū detegam: namque si verbi causa, vnguentum ad lauamentum affectui alicui adhibeas, neq; morbi vel remedij Anatomiam prius consideres, horum alterutrum incurres vel nimis vehemens remedium adhibebis, atq; tum non medicinam sed veneficium committes, vel debilius quàm par sit vsurpabis sine fructu remedium, itaq; non longius latiusq; quàm ipse affectus esto. Hic, hic primus fons, hæc prima Practicæ Medicinæ origo est, proinde in hoc cognoscendo sedulò laborandū, quodcunq, tandem remedium adhibere velimus, ne Anatomia remedij quam affectus latius serpat. Ex his sequitur, arborem morbi ex suis signis seu ramis cognoscendam esse, qua cognita, nil deinceps laborare, sed simplici opinione contentos esse decebit. Verbi causa, si morbus sit in venoso genere, vt in Saluatella, tum morb. in solo loco (nec vllo alio) consistit, illeq; solus (nec vllus alius) remedij vim sentiet ac experietur, sicq; de reliquis quoq; humani corporis partib. iudicandum erit. Hæc ceu omnium Imposturarum radicem in præsentiarum proponere in medium consultum visum fuit, tamē quomodo Anatomia morborum ac corporum intelligenda sit, hîc repetere nolumus, cùm de iis abundè in libris de origine vlcerum disseruimus.

Icteritia sine Anatomiæ cognitione non curatur.

Practicæ Medicinæ fons & origo in quo consistat.

Arbor morbi cognoscenda.

Morbus in Saluatella cōsistens vt curetur.

CAPVT III.

COnsequenter autem addiscendum, vt Remediorum diuersitatem internoscamus, & vt Bases singulorum remediorum seu Arcana omnium morborū intelligamus: hoc namq; cognito, error ille qui in falsis correctionib. & compositionib. remediorum committitur, deuitari poterit, atq; si quæ sunt deprauatæ compositiones, reiectis inutilib., corrigi, magnus certè error iste, & latè ab imperitis Medicis propagatus, itaq; omni studio & opera extirpandus.

Bases compositionū cognoscendæ.

Sciendum itaq; in Lue Gallica atq; isthinc natis morbis Arcana seu remediorum Bases esse, Mercurium, Marchasitam, aliaq; Metalla, sine quib. Luem Gallicam percurari impossibile sit: proinde alia simplcia, quæ vulgus adiicere solet, repudianda ceu inutilia erunt, cùm ad curationem perficiendam non sufficiant. Quia ergo sola Mercurialis vis ea est, quæ ad curationē exoptatur, vt ea accuratissimè cognoscatur studendum erit. Cognoscenda autē non vno modo sed variis omnino rationib.: nimirum, quomodo virtus illa insit, quo loco vehementior existat, quomodo deniq; adhibenda sit. Quamuis autem in aliis quoq; simplicib. magnas vires perquirere ac indagare antiqui conati sint, nihil tamen vtile inuentum est, nisi quantum temporis commoditas, ac morbi clementia ad curationem absolutam concessisse videri potuerūt. Itaq; sciendum hanc imposturam abolendam esse, nihilq; posthac sine vi Mercuriali, illius Mercurij dico, qui ex Mineralibus extractus est, attētandum esse. Extrahetur autem non ex Metallis & Marchasitis modo, verumetiam ex Talco, Cakimia, aliisq; vitriolaris & Aluminib.: namque Mineralia hæc mirificas vires obtinere in hoc genere affectuum obseruatum est. Quomodo autem illæ specialiter cognoscendę sint, in libris nostris de generationibus naturalium, ad cuius lectionem te remitto, scriptum inuenies: isthinc namq; disces, quomodo horum medicamentorum imposturæ corrigendæ sint.

Arcana seu bases Luis Gallicæ.

Mercurialis vis morbum Gallicū sola curat.

Mercurialis vis ex quib. extrahatur.

Paracels. de generationib. naturalium.

CAP. IV.

De Prima Impostura.

CEnsuimus supra primum Doctorum errorem, quem in purgandis quatuor humorib. committunt, dum in illis morbos quærunt, qui illic tamen neutiquam consistere possunt. Causa certè Luis Gallicæ ex Auicennæ scriptis, aliorumq; eius sectatorum commentationibus produci vel demonstrari nequit. Proinde si ab ipsorum scriptis recedatur, iam maximæ imposturæ remedium inuentum erit: namque

Ex Auicenna nil de Lue Gallica produci potest.

quod illi ligni vsum Auicennæ canonib.coniungentes, maxima sibi in curationibus pollicentur, manifestus error est,cùm Auicennam luis gallicæ(cuius notitiam penitus nullam habuit) curationem descripsisse docere nemo possit. Similiter in suffumigiis, lotionibus,vnctionibus, &c. præsidia ab Auicenna quærunt,ac ex eodem præcipiunt ad meliorem faciendam medicamenti actionem, prius digerendum ac purgandum esse: verum hoc non ars,sed ipsorum esuriens ac famelica crumena loquitur, cui vt subuenirent,in quibusuis erroribus pecuniosam purgandi rationem commiscere conati sunt. Arqui meritò cathartica à nobis reiiciuntur, cùm nullum penitus purgans medicamentum depromere possint,quod vel minimam luis gallicæ speciem,non dico sanare,sed saltem occultare valeat. Quoniam autem omnino necesse est purgante medicamento luem Gallicam oppugnari, Mercurialis certè facultas ea erit,à qua effectum illum sperare licebit: siquidem absque ea nulla Lues curari possit, veruntamen obseruandum, per purgationem non intelligi hic solam alui solutionem:in ea enim minimum præsidij ponere licet,sed & omnes reliquas euacuationis species,vomitum,vrinas,sudores,insensibilem transpirationem &c. Hoc enim veri remedij nomen meretur, quòd morbum ipsum sic, vti ipse expelli postulat, purgat: vicissim illud maximè improbandum, quod morbum pro suo more cogere conatur, quemadmodum coloquintida facere conspicimus, quæ per aluũ expellere morbum conatur, vbicunq; tandem morbi emunctorium constituatur. Sic Veratrum quoque omnibus modis superna petit,vt maximè morbus aliò feratur: itaq;in purgationibus hoc vnicè spectandum erit, vt tale illud purgans medicamentum sit, quod morbum per suum emunctorium educere possit: nisi enim hoc fiat,oleum & opera ludentur.Si itaq; purgandum sic est,vt non medicamenti verum morbi emunctorium spectandum sit, vt certè spectandum esse extra dubium est, manifestum hinc euadit, ex Mesue, Rasi, Auicenna, Lumine &c.frustra remedia ad Luem Gallicam quæri: noui ergo morbi, nouum remedium,Minerali Morbo Minerale remedium perquirẽdum: quemadmodum autem Mineralium tres differentiæ sunt,sic tres quoq; morbi species aptissimè constituentur. Quicunque itaq; Gallica lue ac isthinc natis vlceribus conflictantur, ij omnibus modis studebunt,vt radix morbi per emunctorium suum educatur, medicamento purgante,emunctoria autem quia varia sunt,variæ quoq; purgantium formæ constituendæ erunt. Inter omnia itaq; purgantia medicamenta principem locũ tenet,Essentia Mineralis, seu Mercurialis, si ipsa in virtutem Laxatiuam deducatur,cuius species variæ sunt,in eum qui sequitur modum.

Pecuniosi remedij purgatio. *Purgatio non est simplex alui deiectio.* *Vera Purgatio quæ sit.* *Veratri natura.* *Morbi, nõ medicamenti emũctorium in purgationib. spectandũ.* *Mineralis differentiæ tres.* *Essentia Mercurialis vis Laxatiua purgat.*

PRIMI ORDINIS SVNT.

Sulphur Vitriolatum,Vitriolum liquefactũ.

SECVNDI ORDINIS.

Mercuriale seua, Laxa Chimolea.

TERTII ORDINIS.

Mercurius Metallorum, Mercurius Mineralium præcipitatus, Extractus.

Paracelsi Chirurgia Magna.

Explicatio Horum Nominum.

Sulphur Vitriolatum, Sulphuris quædam species est ex Vitriolo excocta, eius dosis est, vt Ellebori nigri.

Vitriolum liquefactum est Calcanthum ex ære excoctum, quod numquam deinceps coaguletur.

Mercuriale Seua humor quidam est, seu aqua ex Aluminibus, in quibus Mercurius generatus sit, extracta.

Laxa Chimolia est, abrasus à floribus Salinarum.

Mercurius Metallorum præcipitatus, est reductio metallorum in suam primam materiam, quæ dein deorsum propulsa sit.

Mercurius Mineralium oleitas quædam est, extracta ex Metallis Auri, Argenti, &c.

Isthæc arcana & remedia impostorum inuidia hactenus suppressa, postliminio in medicorum scholas reducimus, errorum illas sordes interim expellentes, quo naturæ Arcana omnia aliquando innotescunt, sed male metuo, ne inueterata vitia difficile eximantur ex animis eorum, qui semel conceptas opiniones difficulter reiiciunt.

CAPVT V.

De Correctione Imposturarum in Argento viuo.

QVicumq; medicinam facientes Argento viuo,ceu remedio vti posthac volent, ij ante omnia temporis rationem habebunt accuratissimam:cùm enim omnia tempori obediant, omnia temporis ratione alterationes subeant, morbos quoque pro temporis diuersitate sui dissimiles euadere manifestum est, vt scilicet morbus hoc quàm illo tempore ad suscipiendam medicamenti actionem promptior esse appareat: proinde & pro temporis varietate ipsum Medicamentum immutari poterit: nisi enim hoc fiat,tum perinde est, ac si æstas ante tempus legitimum remitteret. Si itaque de hoc constet,medicamentum ad morbum,vt Solem ad terram se habere,tum hoc in Mercurio maximè obseruandum erit:nihil enim velocius ad actionem suam properat Mercurio, illius ergo maximè temporis(quo scilicet vehementissimè agit) nullo habito caloris vel frigoris respectu, rationem habebit diligens Medicus: quo morbo ad legitimum tempus producto, tandem vtiliter remedia ægris adhibeat.Repudianda itaque illa impostura erit,qua quidam opinantur iuxta Mercurij diuersitatem morbi tempora metienda esse: etenim contraria ratione ad hæc ille distingui dedet. Proinde quicunque in vnguentis, lotionibus, fumigiis, aliisq; hoc genus remediorum formis,Mercurio vtuntur, ij maximam sui erroris causam esse intelligant, temporis scilicet contemptum:etenim etsi ille alius error,qui in non legitimo remedij delectu cõmittitur, nil nocumenti adferret, tamen iste si admittatur, non potest non præsentissimam ægro necem conciliare. Omnino enim moram ac festinationem morbi non admittunt, sed medicinam morbo legitimo tempore adhiberi oportet, considerandumq; quantum de remedio morbus tolerare queat. Similis error in loci affecti non legitima ratione ac cognitione commissus à quibusdam est, dum hunc

Morbi temporis ratione mutatur. *Mercuri' velociter agit.* *Erroris radix in vsu Mercurii.* *Loci affecti cognitio necessaria.*

hunc perinde, ac illum, scilicet omnes eodem loco perungere conati sunt: itaque & iste error deuitabitur, si prohibeamus ne cum ægris sanæ quoque partes vnguentis Mercurialibus obliniantur, quod nisi caueatur, posterius malum priore multò deterius euadet. Itaque qui ad curationem Luis Gallicæ cum Mercurio sese accingent, ad isthæc duo respiciet, potissimum vt temporis rationem accuratam & exquisitam loci affecti cognitionem sibi comparent. Imposturæ autem quæ in Receptis committuntur, cauebuntur, si nullum Gummi, nullum Laxatiuum, Constrictiuum, Repercussiuum, Opilatiuum, Stupefactiuum adiiciatur, sed solæ ipsæ per se Bases vsurpentur. Quale autem illud corpus Mercurij esse debeat, sic intelligendum est, Mercurius in se tria corpora continet. Primum est, illud ex quo generatur, antequam perfectè sit id quod esse debet. Alterum, quo est id quod est. Tertium quod est, sic vti arte præparatur.

Mercurius tria corpora in se continet.

Præparatio.

I. Primum recipiendum est in sua minera dum floret, præparandumq; sic, vti ars præparandi Mercurium præcipit.
II. Secundum æs à Mercurio separari artificio ignis requirit.
III. Tertium est, vt ille Mercurius in formam adusti metalli præparetur, Ex istis inquam tribus corporibus isto modo præparatis omnis curatio, quæ Lui Gallicæ per vnctiones, lotiones, fumigia &c. adhibetur, originem ducere debet.

De Vnguentariorum Formulis.

Loco affecto, atque legitimo curationis tempore in eum vti diximus modum cognitis, inquisita etiam conuenienti medicina, quæ per contrarium expellere morbum possit, tempestiuum dein erit ad præparationem remedij progredi, idq; in hunc modum. Recipe æris illius ex quo Mercurius generatur, vti ipsum in prima coagulatione consistere inuenitur: sic tamen coagulatum esse oportet, vt in durum ac solidum corpus nondum abierit, eius inquam æris, lib. 20. recipe, easq; contunde, ac in aqua pluuiali decoque, donec recrementa supernatent, verumq; corpus subsideat, quod dein per cribrum traiectum cucurbitæ impones, ac igni vehementissimo distillabis, inter distillandum videbis limpidissimum succum ascendere, quem reseruatum, per Balneum maris rursus destillabis, donec in fundo cucurbitæ oleitas quædam (insigni vt Mercurius pondere) subsideat: huius succi seu olei dosis est granorum duorum, cum sex granis olei de spica, adhibendi ratio seu modus non secus habet, quàm alius cuiusuis argenti.

Præparatio mercurii pro vnguentis.

Medicina autem corporis Mercurij hanc ferè præparandi rationem requirere videtur. *Recipe Mercurij corporalis, Stanni ana partes æquales, amalgamentur, & instar aquæ fluida reddantur, dein recipe huius aquæ, quantum sufficit, sulphuris tantundem, destillentur, & ascendet oleum coloris lactei, oleum perinde vt prius ponderosum, omni tamen acrimonia destitutum.* Vtendi ratio ac dosis perinde habent, vt prius.

Præparatio corporis Mercurii.

Tertio sciendum cuiusuis Mercurij præparationem eousq; progredi debere, donec acrimoniam suam ac mobilitatem amittat: hoc vno namq; præstito vulgatos adhibendi modos vsurpare nil prohibet.

In præparatione Mercurii quid sit spectandum.

Suffumigiorum Formulæ.

Quemadmodum autem antea demonstratum est, vestras suffumigiorum receptas vsurpandas non esse: sic illud certum esse ex iis quæ iamjam dicentur intelligetis. Etsi enim quandoque successus respondere videatur, tamen quia sine omni ratione id fit, & summum periculum coniunctum habet, tolerandum omnino non erit. Interim non inficias eo Mercurium variis modis vires suas exerere, nunc in vapore, nunc in exhalatione, mox in Chaos, vel in fumo. Etenim Mercurij essentia tam tenuis est, vt perinde vt fornax calorem, vapores suos exhalet, atque quemadmodum ad fornacem sedentes, etsi ipsam non attingant calorem sentiunt tamen: sic Mercurij corpus, etsi nostri corporis substantiam non subingrediatur, solo tamen vapore suo illud alterare potest, quà enim Mercurij vapor penetrare potest, eò omnis ipsius quoque vis migrare solet. Nihil enim in rerum natura est, quod tam variis modis administrari queat, ac Mercurius, neque tamen ob id quòd admirabilis ac varius est, tutius eo vtemur, quemadmodum vulgo persuasum esse videmus.

Mercurius multis modis agit.

Mercurius plurimis modis vsurpari potest.

Sciendum præterea in adhibitione vaporum, Emunctoria morborum spectanda esse: namq; qua defluxiones extra corpus feruntur, illic suffumigandum erit, itaque spectandum quoque an singulares meatus natura fecerit, per quos morbi materia pro loci commoditate euacuari possit, vel an arte & coniectura alij inquirendi: pro istorum namque diuersitate actio Mercurij euariat, cùm non sic in his ac in illis Mercurius fluxionẽ impedire vel promouere possit.

Emunctoriorum delectus.

Proinde si fumo Mercurij aliquid vtile præstandum sit, necesse ante omnia erit, Mercurio attractiuam vim arte conciliare, atque certe in hac Medica Praxi maximum secretum est, scire Mercurio eam vim ac naturam inesse, quòd arte præparari possit, vt Constringat, Purget, Laxet, Consolidet, Mundificet, Corrodat: imò quascunq; actiones edere queat. Itaque scire necessarium est, quo modo in singulis Luis Gallicæ speciebus ipsum præparari oporteat. Sunt namque pustulæ quædam quæ laxatione, aliæ quæ consolidatione, nonnullæ quæ virtute diaphoretica curari velint: quapropter istam diuersitatem accuratè spectare Medicus debebit. Ad hæc sciendum, Mercurij fumum aliam nullam actionem efficere posse, quàm alia sublimata, quæ ad cor penetrantia subitam mortem inferunt, vel toti corpori noxam insignem adferunt.

Mercurio vis attractiua concilianda.

Pustularum differentiæ ratione curationis.

Itaque si suffumigij forma Mercurio vti velis, eius singularem præparationem, qua ad opus hoc commodissime efficiendum aptus redditur, prius vt addiscas oportet: hoc namque cognito, obseruatisq; loco & tempore; vti supra monuimus, facilis curatio subsequetur. Præparatio itaque Mercurij, prout in præsentiarum eo vtendum præcipimus, in hunc vt sequitur modum adornanda erit. Mercurij satis magna quantitas cum Sulfure extinguatur, vt Cinnabrij similis euadat. Dein ad pondus omnium Sale petræ adiecto ambo à Sulfure sublimentur. Pòst *recipe Mercurium, ac impone instrumento Chemico, cuius longitudo sit duarum spithamarum, materia*

Præparatio Mercurii pro suffumigiis.

materia vigulina, fundus amplus, orificium angustum, ordineturq; in hunc modum. Vasis orificium Emunctorio illi qua morbi materiam commodissimè prolici posse sperabimus, adhibeatur, ac subtus instrumentum ignis accendatur, quo Mercurius incalescat, non tamen euaporet, hoc modo adhibitus Mercurij fumus (moderandum tamen remedium est, pro ægri, morbi, ac temporis diuersitate) non secus ac si ipsa Mercurij substantia corpus subiisset, sanationem procurare sæpissimè obseruatus est. Caue ergo Mercurium in substantia, id est, Mercurium corporalem vsurpes, ne quod cæteris euenit, tibi quoque accidat: namque si Mercurij corpus nostrum corpus subeat, non potest non grauis alicuius morbi causa esse.

Artificiosus fumigandi modus.

Mercurius corporalis non est vsurpandus.

CAPVT VI.

De Lotionibus.

SImiliter de Lauamentis sciendum Basin illorum esse Mercurium. Si itaque sine Mercurio nulla vis remedij esse potest, quid opus est, Piper, Cardamomum, Flammulam, aliaq; quæ impostores adiicere solent, illi commiscere? maximè cùm constet ab istis simplicibus Mercurij malignitatem vehementius irritari. Proinde neque vinum adustum, seu aquam vitæ quam vocant, adiicere licebit, cùm ab ea celerrimè ad cor deferantur Mercurius, atque hinc Febres & alui fluores concitentur. Ad hæc sciendum, nulla alia de causa Mercurium adhiberi, quàm vt eo loco quo affectus est permaneat, neque vlterius progrediatur. Quod si ergo vlterius quàm morbi complexus est, Mercurium ferri non licet, sequitur ex hoc penetrantem illius vim venenosam ante omnia obliterandam esse. Præterea obseruandum, quibusnam Luis Gallicæ speciebus hæc remedij formula aptissima sit, & sanè in Paralysibus ac cauis vlceribus omnium commodissimè vsurpari posse obseruatum est: cauendum tamen, ne remedij multitudo, ac neglecta temporis ac loci ratio, quam toties spectandam esse iam monuimus, aliquid periculi ægro concilient. Mercurij ergo præparatio ac adhibitio, sic ferè in lauamentis se habet. ℞. *Mercurij per se sine omni commixtione sublimati quantum sufficit, sublimetur denuo aliquoties à sale fuso, dein cum vino sublimato destilletur toties, donec omnem corrodendi vim amisisse, Mercurius videatur. Dein Mercurius hoc modo præparatus in aqua Chelidoniæ, vel Persionis elixetur, ad horæ dimidiæ spatium, ac percolatus solo spiritu suo in aquam transfuso, non autem in sua substantia vsurpetur.* Hinc error ille impostorum originem duxit. Quòd Mercurij corpus non in aquam resolutum, sic vti decebat, adhibere voluerunt: namq; nisi hoc modo corpus Mercurij auferatur, non potest non in ægrorum corporibus vehementissima symptomata, imò ipsam quoq; mortem causare.

Mercurius quid in Lotionibus præstare debeat.

Lotiones quibus morbis aptissimæ.

Mercurii preparatio pro lauamentis.

Erroris causa.

CAP. VII.

De Corrodentibus Remediis.

MAximus error qui in corrodentium remediorum vsu committitur is est. Quòd cùm Corrosio in hos fines potissimum excogitata ac inuenta sit, vt vel superflua absumantur, vel venenosa, si quæ sunt, extirpentur: multo tamen aliter impostores ea vsi sunt. Atq; vt rectius rem intelligatis: altius paulò omnia repetamus. Quæ in vlcerib. ac tumoribus vulneribusq; generantur, superflua ea non in ipso vlcere originem habent, sed intrinsecus in corpore radices suas obtinent. Ex quo sequitur Corrosionem frustraneam; ac inutilem esse, vbi radix mali intus in corpore recondita est. Iterum quemadmodum quandoq; à defluxionibus carnem, sanguinem, venas, ligamenta, neruos, &c. infici cernimus, sic commodissimum huic noxę tollēdæ remedium esse Corrosionem non ignoramus. Veruntamen quòd vulgato illo modo facienda non sit Corrosio, sic intelligendum. Caro si veneno infecta videatur, quasi iam emortua esset, venenosa tamen adhuc non est, sic os si Sphacelatum, ac quasi carie exesum, colore nigro appareat, etsi tale videatur, nondum tamen auferri postulat, cùm perinde ac in pannis res sese habeat: si enim nigrore, cruore, vel alio colore tinctus albus lineus pannus sit, ipsum tamen lotione ad pristinum colorem reduci cernimus: quid prohibet à veneno alterato carnis vel ossis colore, ipsum concinnis adhibitis remediis, qualia sunt Emplastra ac Vnguenta venenum attrahentia, genuinum ipsis colorem denuo conciliari? neq; statim necesse est corrodentibus, quæ sana perinde ac ægra rodiunt ægros excarnificare. Sin pars aliqua sit, quæ istis remediis non obediat, iterum reiecta corrosione, talia vsurpanda erunt, quæ putrefaciant, ac putrefactas partes (iuxta supra descriptos canones) abscedere faciant. Omnino ergo ac sine vlla exceptione Corrodens Impostura repudianda erit, eiusq; in locum recipienda erit Medicina, cuius descriptionem hic subiunximus. ℞. *Mellis crudi lib. j. Aloepatici quartarium ß. Aluminis vsti, ac aceto restincti singulis vicibus ℥ j. Vitellos ouorum numero 20. Terebinthinæ lib. ß. agitentur ac commisceantur in pulticulam, quæ ad ignem coquatur donec crassitudinem Emplastri ac colorem fuscum acquirat.*

Corrodentia in quem finem reperta.

Caro infecta; veneno vt curanda.

Color carnis deperditus vt restituatur.

Corrodentis impostura loco vsurpandum remedium.

Emplastra dein quę oleū & Gummi recipiunt, & instar Apostolici præparantur, non secus ac iā à nobis descriptum, conferre scias namq; sine Melle, Gummi, Ouis, Terebinthina, Lythargyro, Cera, Oleo, vno nimirum ad minimum ex istis nullum penitus vlcus mundificari potest.

Quæ sint mundificatiua præcipua.

Mundificatiua autem, quamuis passim apud quosuis plurima sint, tamen confidentiam nullam in illis reponunt vulgares Chirurgi, hac quoq; de causa, ne scilicet impostoribus peccandi occasiones præbeam, nulla ex Gummis Emplastra in præsentiarum descripsi.

CAPVT VIII.

De Vstione.

QVemadmodum de Corrosione iamiam dictum à nobis est, sic & in vstionibus non secus impostores peccare solent. Atque sanè nil admodum discriminis inter vstionem ac Corrosionem inuenias, quantum ad finem attinet, itaque solo manus artificio differre videntur, quoniam autem sine ratione, ac vsu esse hoc remedij genus obseruatū est, indignū visum fuit, aliud in eius locum substituere, cùm correctionem penitus nullā admittere posse videatur. Quamuis autē quādoq; vstionē, ac rosionem sanationem subsequi contingat, non tamē vstioni vel rosioni hoc acceptū quisquam ferat, cū per accidens quandoq; morbi aliquod granū auferatis;

Vstio & Corrosio quatenus differant.

Obiectioni occurrit.

auferatis, quo sublato, deinde subsequatur. Quapropter in istis morbis eorumq; curationibus, nil nisi stultitia mera est velle vstionibus vti: proinde consultum videtur, vt iis morbis, quos vstionibus curari vobis persuasum est, ante descriptis remediis (in capite de corrodentibus) sanare conemini, aurúmque ac ferrum, &c. repudietis.

Vstionis succedaneum.

CAPVT IX.

De Sectionibus.

SImile peccatum commissum ab impostoribus est, quibus cùm artificium deesset, visum fuit martificiale curandi genus ad manus sumere, hunc errorem ceu crassimum, non corrigere, vel argumentis refutare, sed penitus explodere vtilius est: namque sectio tantum abest, vt morbum curet, vt etiam antiquo morbo nouum necessario superaddat, etenim quod illis persuasum est, nouum morbum priorem obliterare ac obtundere, hoc supra quàm dici possit friuolum ac insolens est, cùm impossibile sit, ex creta carbonem facere. Interim tamen experientia docuit, non paucos quos desperatos Medici habebant, Sectionibus, ad quas ceu ad sacram anchoram confugerant, curatos esse, cui certè experientiæ nobis contradicere animus non est. Atqui distinctione consulere huic malo facile est. Etenim hi qui sectionibus curati sunt, cùm sub cura imperitorum medicorum aliquoties ad desperationem vsq; periclitati essent, nil mirum tandem ex malo remedio bonam opem sensisse: namque si primitus sub peritis medicis auxilia bona experti fuissent: multo antè quàm mala sectione vti cogerentur, curationem recepissent. Itaque vt de tota sectione verba faciam, ea nil à rosione & vstione differre videtur, nisi quòd hic immodica sanguinis profusio ad curationem aliquid commodi (per accidens tamen) quandoque adferre videatur, etenim vbi in vlceribus multum venenosæ ac malignæ materiæ collectum est, manifestum euadit, apertis sectione meatibus, per quos ea erumpere possit, aliquid ad faciliorem curationem præstari. Neque vero ob id remedium statim conuenire sequitur, cùm alia ratione, ac absq; membri iactura idem præstari queat: namque venenum, vti de rosione ac vstione dictum est, tolli potest: copia vero sanguinis venæ sectione ad radices mali facta imminui, quemadmodum in tractatu de phlebothomia à nobis demonstratum est.

Sectio ex vno duos morbos facit.

Sectio quatenus morbos curet.

Sectio vt à rosione & vstione differat.

Sectionis loco quid vsurpandum.

CAPVT X.

De Causticis remediis.

VSitatum hoc vulgo est, vt qui inscitia ac ignorantia conflictantur, nouis subinde, & ex sua phantasia excogitatis inuentionibus suæ ruditati ac inertiæ consulere conentur: hoc idem in excitatione pustularum per caustica remedia accidisse videmus. Persuasum enim huius remedij inuentoribus fuit, cùm manus perpetuo in actione non sit, dolorem propterea quoque continuum non fore: adhæc cùm pustulæ magnæ fiant, multumque aquæ effluat, morbi statim materiam etiam extractam esse, atqui non leuis error iste est, prioribus tamen paulò tolerabilior: etenim vbi frigidus affectus est, causticis membrum calefieri extra dubium est, attamen interim de nimia membri exiccatione periclitantur ægri, atque radicalis humoris absumptio neutiquam toleranda causatur. Veruntamen vbi in loco dolente nullus humoris immoderatior affluxus appareret, hic ego causticorum potentialium vsum non plane contemnendum putauerim, hac interim obseruata conditione, vt Attractiuis ipsum opus perficiatur: simplex enim pustulæ exiccatio ad peccantem humorem educendum non sufficere potest, nisi sordes quoque, Attractiuis fortioribus coniunctis vi extrahantur: proinde si à caustico cutis aperta fuerit, Attractiuum affectui illi destinatum superimponendum fuerit, vt sequitur.

Cauteria in frigidis morbis conueniunt. Ne nimis exiccent cauendū.

Attractiuum Cauterisatæ cuti, per Canthariàes flores vel Flammulæ, conueniens.

℞. Conorum abietis recentium numero 20. coquantur in lebete, donec viscus ab iis separetur, cui dein æquas portiones Resinæ ac Terebinthinæ adiicies, decoque ad iustam consistentiam, eoq; vtere vt decet.

Causticorū attrahentiū formulæ.

Aliud vehementius ac perfectius attrahens.

Recipe Gummi Opopponacis ℥ ß. Serapini, Galbani, Ammoniaci ana ʒ ij. Bdellij ʒ vi. in aceto liquefacta percolentur, & adiectis Rhabarbari ʒ ij. Radicum Ephemeri non lethalis ʒ ß. Carabes puluerisatæ ℥ ß. fiat Emplastrum secundum artem, cuius vsum tandem experientia abunde docebit.

CAPVT. XI.

De Balneorum ac Sudatoriorum Correctione.

CVm sudatio per Emunctoria fiat, atque quædam species Luis Gallicæ, hocce remedio curari possint, contradictione certe ipsum vacare videtur, omninóque non repudiandum esse, cuiquam in mentem subire posset. Veruntamen intelligendum, huiusmodi curationes non per vsum Theriacæ ac aquarum pestilentialium, verum per Mercurium perfici debere. Proinde omni studio in id incumbendum erit, vt Mercurium ad suam vim diaphoreticam deducamus, quo prestito, non vsque adeo difficile erit, quasdam Luis Gallicæ species per sudorem percurare.

Mercur. ad vim diaphoreticam deducendus.

Quapropter curandum, vt Mercurij naturam in Balneum conuertamus, hoc est, vt absque stuffa sudatio procedat: namque vt primum à Mercurio sudor concitatus fuerit, iam in propinquo sanitas esse conspicietur, itaque absque Mercurij virtute omnis sudor inutilis penitus fuerit. Quamuis non desint qui absq; Mercurio sudorib, factis quosdam curauerunt, tamen fundamento res caret, & fere deterius malum minari videtur, adhæc numquam profuisse huiusmodi sudores visi sunt, nisi vbi iam vltrò natura ad morbi expulsionem insurrexisset. Itaque nisi vltrò natura ad sudores promouendos accincta sit, omnia Diaphoretica, solo Mercurio excepto, ad Luem Gallicam persanandam frustra adhibebuntur. Mercurij præparationem nos digito quasi demonstrare volumus, in modum qui-

Absque stuffa Mercurius sudorem excitet.

Mercurii Diaphoretici præparatio.

qui sequitur: *Recipe Mercurij cum Stanno Coagulati quantum sufficit, redigantur in tenuißimum puluerem, qui dein puluis in aurea scutella in aceto vini optimi constituta, ac vino sublimato repleta aliquandiu asseruetur, tandem vinum illud Alcoolizatum accendatur, idq; aliquoties iteretur, & videbis vinum, Mercurium, ac Stannum in quandam oleitatem resolui*, olei huius vsus est, vt eius Granum vnum in vino Tramineo vel Alsatico exhibeatur: atque æger stragulis optimè intectus ad sudorem se componat: sudoris autem normam ac modum experientia abundè docebit, vt hoc loco præceptis nil opus sit.

Dosis Mercurii Diaphoretici.

CAP. XII.

De Sparadrapi correctione.

FVerunt quæ vsu Ligamentorum magnorum quandoque morborum, eorum præcipuè qui ex defluxionibus orirentur, vel incrementa caperent, occasiones tollebant, atque illi sanè longo tempore nobis aduersati sunt, quòd illorum curandi ratio ad speciem videtur, penitus non improbanda esse. Verum quamuis nec à nobis omnino contemnatur, tamen pro pedum vlceribus vsurpanda solummodo esse videtur, ad hæc etsi ad reliqua manantia vlcera conferre credantur, tamen nisi ad superne defluentes humores, qui difficulter sanè auertuntur, adhiberi commodè potest. Itaque impostura ista penitus abolenda erit, nisi vbi manantia forsan pedum vlcera curare animus erit. Quin & hoc cauendum, ne in huius vsu fluxiones retro pulsæ intrinsecus vlcera, abscessus, ac tumores faciant, ad quæ dein mala mors subsequatur: quod vt præcaueatur, Mercurio Laxo vtemur: eius namque ea virtus ac efficacia est, vt omne genus pustularum Gallicarum ex contagiosis defluxionibus intrinsecus in corpore exortarum, penitus perfectéque curare ac resoluere valeat. Itaque Sparadrapum pro singulari ac artificioso remedio neutiquam reputandum erit, cum deriuatio ac obstructio solummodo sit, atque facile post huiusmodi obstructionem humida vlcera exiccentur. Atque proinde error in eo solummodo consistit, quòd huius remedij vsu causæ ac occasiones futurorum vlcerum non abscindantur: namque facile post factam per Sparadrapum curationem vlcera recrudescere videntur. Quapropter isthæc duo impendentia mala per Mercurium Laxum auertenda erunt, in modum qui sequitur. ℞. *Mercurij puluerisati quantum sufficit, destilletur ab aqua ouorum donec Coralletur, huius dein Corallati grana viij. in aliqua confectione aromatica exhibeantur*, ad fluxiones à Sparadrapo collectas exiccandas, neque ad has solum fluxiones, verum ad quasuis quæ toto corpore colligi possunt, hoc remedio exercitatus Medicus commodissimè vtetur.

Desiganturpedum vlceribus cōfirmat.

In Sparadrapo quid cauendum.

Mercurii Laxi præparatio.

CAP. XIII.

De Correctione Quintæ essentiæ.

LIbrorum qui sub nomine quintæ essentiæ circumferuntur, non puto quemquam esse qui corrigere & ad meliorem frugem perducere possit: namq; ne ipsi quidem librorum authores, quid quinta essentia sit, intelligunt, vt non dicam, præter meras nugas, crassissimaque mendacia in illis codicibus nihil contineri. Testantur hac Arnoldi Villanouani, & Ioannis Rupecissæ quinta essentia mendacissimi libri, ex quibus dein insolenti titulo exornatum opus, Cœlum scilicet Philosophorum, consarcinatum est, verum qui hosce libros legere volet, is confestim intelliget, neq; præceptores, neque discipulos minimum eorum quæ conscripta sunt, intellexisse. Etenim ex eo quod singularem ac nouam Praxim extruxerunt, colligere facile est, ipsos morborum essentiam non intellexisse, cùm omnium morborum vnam quasi formam confingant, ad quam dein mira excogitarunt, suasq; istas cogitationes portentosis titulis ac encomiis adornarunt, in quibus tamen nullam Philosophiæ, Medicinæ, ac Astronomiæ mentionem fieri audias, sed merus nugarum ac mendaciorum cataclysmus est. Ex Chemica certè arte admirandas inuentiones primum in artem Medicam traductas esse constat, verum Sophistica eas mox adulterauit: fuerunt enim qui vbi semel aliquam præparationem chemicam inspexissent, in quadringentis aliis eam æmulari conarentur, sicq; veritatem cum mendaciis stultè confunderent. Itaq; scitote, istius imposturæ tutissimam correctionem in eo consistere, ne pollicitationibus ac superbis titulis quidquam tribuamus, sed tantum solummodo credamus, quantum sensus & experientia docuerunt: etenim si quis istis remediis (quæ maiorem quā Monachiac pseudochemistæ profitentur, experientiam requirunt) inconsultè vtatur, grauissimorum morborum occasiones concitare poterit. Obseruandum præterea in arte Chemica secreta præparationis Mercurij contra Luem Gallicam contineri, quin & omnia remedia quæ in huius morbi curatione Bases seu Arcana sunt, absq; Chemiæ singulari peritia præparari nequeunt, itaq; frustra hic pharmacopœi suas decoctiones venditabunt, nisi Salia Vitriolata, Aluminosa, aliaq; his similia artificio Chemico conficere possint: namque in istis remediis recondita sunt secreta, quæ ad curationem luis Gallicæ facere possunt. Horum autem nouam correctionem conscribere nil opus est, sufficit modum legitimæ præparationis tenuisse, neque fidem falsis Alcumistarum pollicitationibus adhibuisse, isti certè homines plura sibi tribuunt, quam vnquam opere præstare queant, verum hoc Alchimiæ cum non paucis aliis facultatibus commune est, vt eius professores antequam sementem fecerint, de messe glorientur.

Arnoldus de quinta essentia. Rupecissa de quinta essentia. Cœlum philosophorum.

Chemia multum medicinæ profuit & obfuit.

Remedia quæ ad luē gallicā adhibentur, sine Chemiæ peritia non cōparantur.

CAP. XIV.

De Chirurgorum Correctionibus.

CHhirurgorum ac tonsorum, (qui non libris vel arte, sed æreis splendentibus thecul is mecum certare conantur) erroribus remedium vel correctionem adferre, ferè impossibile est: namq; in opere Practico, tam rudes ac imperitos sese præbent, summa cum superbia ac iactantia, vt pigeat illos dignos responso reputare: maximè cùm ipsimet inter se, siue domestici sint, siue agyrtæ, ipsorum imposturas mutuo conicientur, vt nostra animaduersione non

Chirurgorum theculæ ridētur.

vsque

Chirurgici difficulter correctionem admittant. usque adeo opus sit. Ad hæc adeo consenuerunt in suis erroribus, vt cùm optimam ætatem fricando ac pectendo, sub indoctis præceptoribus consumpserint, difficulter in senio correctionem admittant: imò si vltrò optima illis communices, non ea recipiunt tamen, sed pro suo modulo semper peccare pergunt. Verum si omnino correctionem conscribere necesse sit, id omnium primo procurandum erit, vt illa stultitia, quam in disponendis pro colorum varietate vnguentis, quæ in suis theculis circumferunt abrogetur: namque nulla paulò melior Medicina sic circumferri vult, ceu pictores suos colores circumgestant, itaque per fenestras deiicienda illa putida vnguenta erunt, cùm ægris non plus emolumenti adferre possint, quàm Requies à sacrifico decantatas, animabus in purgatorio afflictis prodesse queat.

Requies sacrificorum vnguento comparatur. Chirurgus therapeuticen totã cognoscere debet.

Quòd si tamen omnino medici esse dicique velint necesse erit non solum Chirurgiæ sed totius therapeutices cognitionem sibi vt comparent, maximè eius quæ cum vulnerum medicina quandam cognitionem habet: etenim si oblato grauiori vulnere maiorem necessitas cognitionem postulare videatur, quàm quæ vulgarib. vulneribus sufficiat, atque tum Doctorem medicum consulere oporteat, væ vulnerato: namque nec doctor vulneris, nec Chirurgus symptomatum cognitionem habentes, neuter quidquam quod vtile sit in medium consulere potest. Quapropter Chirurgos istis sedulam operam nauent adhortor: nemo enim tondendo sanus efficitur, neque sufficit scarificare posse, vel signa Zodiaci discernere, vel denique scire quo pacto Emplastrum Apostolicon decoquendum sit: maior itaque, maior inquam diligentia ac experientia ad deuitandos istos errores requiruntur. Præterea vulnus curare posse, vel fracto ossi callum superinducere: quid ad Luis Gallicæ sanationem conducat? alia certè ars requiritur, quàm theculas variis coloribus exornatas circumgestare: quid multitudo instrumentorum sine eorum vtendi scientia prosit quæso? quid conferat refrigerare posse, sine vsu? Fundamentis ergo ac primis principiis cognoscendis, incumbite, & vltro istas nugas ridebitis: aliam namque correctionem, quàm vt meliora discere velitis, iam vobis adferre impossibile est.

Erroris origo.

CAPVT XV.

De Iudæorum imposturis corrigendis.

Iudæi medicinã nunquã intellexerunt.

IVdæos verò quid corrigere opus est, cùm ipsi nulla vnquam ætate Medicinæ fundamenta cognouerint? nam quod aliquando singularia callent remedia, non ipsorum scriptis vel industriæ tribuendum, hoc est, cùm ferè ab aliis ea suffurati sint, vel casu, vel præcario adepti. Siquidem quod linguam ipsorum attinet in ea neque in Theoria, neque in Praxi tantum inuenias, vnde simplicissimæ scabiei originem ac curationem demonstrare & præstare queas. Verum sic illis vulgóque persuasum est, quòd quia lingua Hæbraica rara sit, atque in ea Patriarchæ claruerint, denique ipsa antiquitate commendetur, ob id plus in ea, quod ad Medicinam faciat, descriptum esse, sed summum quo se tueantur argumentum est, Argentum per fas & nefas corrasum, quo dein preuilegia ac immunitates sibi comparant.

Erroris origo.

Sciendum præterea, ipsos in arte medica nihil vnquam præ cæteris nationibus à Deo electos, vel dotatos esse: voluit namque Deus à prima mundi origine Medicinam omnibus ex æquo communem esse, neque plus Iudæi quàm Gentiles, vel hi quàm illi, de arte Medica à Deo acceperunt. Ad hæc nulli quoque linguarum aliquam prærogatiuam concessit, sed æquè Germanicam ac Hispanicam, Sarmaticam ac Chaldaicam dotauit, vt iam si quæ sibi plus tribuere velit, non verè sed saltem iactabundè id faciat. Neque vna certa aliqua lingua morbos continet, ac intelligit: veluti nec ipsorum remedia, sed omnium par ratio est, cùm Deus Opt. Max. non secus ac Solem, Medicam artem communem esse voluerit.

Iudæi in Medicina nihil singulare à Deo acceperũt.

Medicinam pariter vt Solem omnib. cõmunem esse Deus vult.

Quamuis hoc inficiari nolim, nec possim, quasdam linguas esse, in quibus quæ experientia cognita sunt, diligentius annotata ac conscripta sint, quod in aliis quæ Barbaricæ ob id nuncupatæ sunt, non accidit, attamen eam ob causam hanc illa potiorem ducere, superbum ac insolens est. Ad hæc superbia ista omni fructu caret, cum nihilo plus ad curationem faciat, siue plura, siue pauciora remedia in ea lingua, in qua æger decumbit, descripta sint: nisi quoque ipsorum perfecta cognitio accedat.

Barbaricæ linguæ.

Itaque de Iudæis sic iudicandum, siue vngant, siue lauent, siue fumigent, siue purgent, siue denique vrinas inspiciant, meris præstigiis miseris Christianis imponere: imponunt autem facilius, quod ij simpliciores sint, imò quandoque circumueniri, ac falli velint, malintque ab alienis decipi, quàm à suis humaniter tractari: & sanè Iudæi, si toto anno vnum sanitati restituant, centum quos orco transmiserunt nostra culpa, facilè excusant. Itaque vt rem paucis concludam, corrigi Iudæi meo iudicio non possunt, nisi ipsi fundamenta artis, prout scriptis mandata sunt, addiscant.

Iudæi nisi præstigiis exercẽt. Christiani à Iudæis decipi volunt.

CAP. XVI.

De Græcorum Medicorum Imposturis.

VEluti supra dictum est, linguam vnam altera, quantum ad Medicinam attinet, ne gry quidam potiorem esse, attamen linguarum studium non nullo modo sectari Medicus debebit: namque si morbus aliquis multo tempore, aliqua in regione grassetur: verbi gratia, si Persiam diuturnus morbus affligat, is deinde Græciam, mox Pannonias, vicinásque Italiæ, Germaniæ, Galliæ ac Hispaniæ nationes peruagetur: tum Linguæ Persicæ cognitio eatenus Medico conferre potest, quòd cùm illa in regione vulgatus morbus sit, eiusdem cognitio ac curandi ratio ipsi perspectior euadat, ipséque illum aliis cognitum facere possit. Similiter Persis vicissim accidere potest, vt Germanicæ linguæ, Anglicæ vel Gallicæ cognitionem habere ipsos oporteat. Ex hoc tamen non sequitur, adhuc artem vel penes ipsos, vel penes nos solos esse: namque sic res nostræ à Deo comparatæ sunt, vt vbi morbus est, illic & remedium inueniatur, & vbi remedium est, illic medicus qui illud adhibeat, nascatur.

Linguarum studii quatenus sectandi Medico.

Morbus Medicusq; & Remedium eodem semper loco inueniuntur.

Quomodo

Quomodo ergo Rhenanus Medicus ad Nilum, vel Niloticus apud Danubium nascetur ac fiet? certe millies hic æger periret, quàm isthinc Medicus aduocaretur: non sane sic Deus Optimus Maximus nouerca nobis fuit, vt homini alibi habitationem, alibi victum, amictum, quæ ad sanitatem faciunt, crearet sed in nostrum commodum in vnum locum collecta singulis clementer impertiuit. Quam diuinam contemnentes gratiam, linguæ quædam atque eæ maximè, quæ Homeri quoque testimonio nugis ac mendaciis addictæ sunt, Medicinam sibi vsurparunt, suasque nugas si, linguæ dulcedine adeo mellitas reddiderunt. vt cæteræ quoque linguæ omnes sua relicta bonitate, hanc delingere velint, puténtque singuli, isthinc solummodo medicinam cognosci posse, cùm Deus meliora illis domestica remedia suppeditarit, quàm illinc vnquam haurire queant. Medico vtile esse non inficior, vt intelligat, qui morbi Græcos, qui Arabes, qui Sarracenos, qui Gallós, qui Germanos, qui Italos potissimum affligant: quid terræ, quid Mari, quid Cœlo, quid Elementis quotidie nouum ac recens accidat: quid item antiquitus acciderit. Hæc inquàm omnia in Medico requiruntur, non tamen necesse est, in Græca lingua, cæteris omnibus relictis, ista cognoscere velle, namque iis in regionibus vbi subiecta Græca non sunt, quid opus est Græcanicis remediis vti, quæ plus forsan damni quàm emolumenti ægris adferre queant? Sed facilis excusandæ inscitiæ modus est, vt cùm in Germanica lingua rem non intelligas, Græcè apud Germanos loquar, vel Latinè nesciens Indica lingua vtare: fere enim quæ rara & incognita sunt, opinionem singularis scientiæ merentur. Itaque vt correctionem huius imposturæ paucis aperiam, consultum mihi videtur, vt patriorum seu endemiorum morborum cognitionem, ac curandi rationem quiuis sibi comparet: interim autem cæteros morbos, qui exteras nationes affligunt, aliquo modo intelligere discat: etenim Rhenani ægri à Græcis medicis, Thuringi ab Arabibus parum auxilij sperare possunt. Neque Deus Opt. Max. Mendaces illos Græcos terrestres deos constituit, vel in arte medicâ quasi Euangelistas esse voluit: quamuis enim in sua regione fidem illis plane non derogem, tamen in Granata vel Portugalia minimum ipsis crediderim. Sed idem quod Romæ Græcis accidit, qui perinde vt illi salutem, sic medicinæ peritiam ipsi sibi solis ascripserunt: namque quemadmodum Latia lingua Romam, sic græca Græcorum Imposturas palliare cogitur, quòd si illæ linguæ suam praxim in Germanicam quoque transfunderent, actum certè iam de ipsarum authoritate esset.

Græci mendaces, Homero teste.

Correctio huius imposturæ.

Græci nõ sunt Euangelistæ Medicorum

CAPVT XVII.
De Ligni Correctione.

AD tollendos errores qui in vsu ligni cõmittuntur, maximum auxilium præstabit, naturam ac vires ligni prius accuratè cognouisse: namq; si rationibus addiscas, Incarnatiuam vim in Guaiacano ligno præualere, iam statim, nisi planè rudis sis, intelliges, magno ægrorum incommodo impura ipsorum corpora huiusmodi curandi rationi subiici: hanc itaq; si imposturam tollas, iam correctionem maximam huic errori attuleris.

Incarnatiua vis in Guaiaco præualet

Hoc autem incommodum cùm ipsimet animaduertissent, ne planè impuris corporibus mederi velle viderentur, ad ligni vsum abstinentiam quoque adiecerunt, putantes in defluxionibus Luis Gallicæ, ac vlceribus manantibus, hanc genuinam medendi rationem esse, cùm tamen fucata saltem sit: hunc ergo errorem vt corrigamus, consultum videtur, ægros euchymis, ac multum nutrientibus cibis pascere, quo imposturæ illi dieteticæ remedium inueniamus. Sciẽdum tamen præparationem huiusmodi alimentorum, non vulgata ac magyria ratione fieri debere, sed in vase duplici incluso, scilicet in Cantharum vel vas clausum nutrimento decoquendo: in potu vero ea ratio, quam de potionibus vulnerariis præscripsimus obseruanda erit; quemadmodum in nostro libello de vsu ligni copiosius disseruimus.

Abstinẽtiæ vulgatæ correctio.

Paracelsi liber de vsu ligni Guaiaci.

Omnino autem ignorandum non est, tantas, tamq; copiosas virtutes, ligno non inesse, quantas clamosi isti agyrtæ ei tribuunt, atque ad multo plures affectiones ipsum vsurpari, quàm virtutes eius patiantur. Itaque in impostura ligni corrigenda, summum erit illud, vt quid certo de ligno sibi polliceri quis possit, intelligamus, veluti nos in correctione ligni copiosè demonstrauimus.

Error hic vt sit corrigẽdus.

CAP. XVIII.
De superstitiosis sanctorum medelis corrigendis.

IMpostura hęc non Medicina solum, sed & puriori religioni omni ætate plurimum semper negotij fecit, licet nulla vnquam ratione demonstrari possit, sãctos vel immittere, vel curare morbos posse: cùm enim vel ipsorum testimonio, sancti summa nos charitate complectantur, quomodo illos grauissimorum dolorum causas constituemus? quamuis non negauerim, incantationibus ac maledictionibus morbos conciliari posse, verum multò alia ratione accidere, in nostro de superstitionibus libro demonstratum inuenies. Verum vt erroris huius originem adferamus, sciendum sacrificos impostores auarissimos homines sanctis primum hoc tribuisse, vt vulgo persuaderẽt, Sãctos morbos immittere, qui vel à Superstitione, vel etiam à naturalibus causis orti excitatique essent. Atqui imposturã hac abolere impossibile est, nisi sacrificorum totum genus, quod superstitionem istã pertinacissimè defẽdit, funditus extirpetur: namque sophismatis ac elenchis, sic vulgus circũueniunt nequã isti homines, vt etsi hodie errorẽ hunc quis cõdemnet, ab ipsis persuasus, cras obtriis, quod aiũt, vlnis cum denuo apprehendat. Tolerandũ hoc fortasse erat, nisi & illi qui se à sanctis affligi autumant ægri, medico dein omnino inobedientes sese præstarent, vnde deinde ex falsis imaginationibs sic morbi trãsmutãtur, vt cùm antea naturales fuissent, iam nullum penitus

Sancti morbos immittere non possunt.

Liber Paracelsi de Superstitionibus

Sacrificorũ imposturæ.

Ægri se ipsos affligunt superstitione.

typum obseruent amplius. Namque ex istis imaginationibus, defluxio, locus, aliaque signa, per quæ in cognitionem causæ morbi deueniitur, planè immutantur: tanta nimirum sophisticès in loquendo, ac superstitionis in credendo vis existit, vt & ipsam naturam de suo tramite deiicere queat, itaque professio ista omnino explodenda est, vt ex qua non morbi solum, sed & desperatio, ipsaque denique mors oriantur. Quòd autem Sancti morbos infligere non possint, vel saltem non infligant, certissimum argumentum est, quòd non apud Christianos modò, sed apud Turcas quoque, cæterosque gentiles ista superstitio dominetur, si itaque Turca aliquo morbo conflictetur, suo certè Deo ille malum hoc adscribet, Christianus verò sancto alicui: iam ergo vel duo idem malum infligent, vel alterutri crudelitas falsò adscribetur, vt certè sanctis demortuis falsissimè tribuitur.

Imaginatio mutat morbos, eorúmque signa.

Veruntamen curandi rationem quod attinet, intelligendum est eam in hunc ferè modum contingere. Æger cui persuasum est se à sancto affligi, omnibus certè modis nititur illum sibi reconciliare, qua fide dum nititur, donis ac precibus eum honorat, quod vbi præstitit, iam sibimet persuadet, sibi sanctum placatum esse, sicque sanitati restituitur, fide scilicet, vel potius superstitione sua, quam secundò concepit, quod si primam non cõcepisset, numquã secunda indiguisset: namque primum morbum sibimet conciliauit, itaque constat sanitatem, veluti nec morbum, à Sancto non esse, sed solum euenire prout æger semetipsum ligat vel soluit.

Morbi, qui sanctis tribuuntur vt sanentur.

Sciendum propterea hanc imposturam eiusque autorem penitus aboleri debere. Sin quis æger sit, is ad Christum confugiat, apud quem pro sanitate impetranda nil opus est sumptus facere in missas, preces, ieiunia, sodalitia, annuos redditus, aliaque huius generis onera, quibus miseros mortales affligunt auarissimi ac sacrilegi sacrificuli, qui si Christi ac Apostolorum exemplo aliquando hominibus mederi vellent, ipsimet suum errorem facile corrigerent.

Pia sententia Paracelsi

CAP. XIX.

De Pharmacopæorum Imposturis.

NOn leuis impostura est quæ Pharmacopœos exercere solet. Etenim quiuis apud se reputet velim, qualesnam illi sint scholastici ac beani, in illud pristinum detruduntur, neque illic meliore aliqua conditione sunt, cùm nil faciant vel discant aliud, quàm coquere & mortario tinnire: quod si ergo huiusmodi onagro quid in mentem veniat, quis speret aliud ipsum sibi persuasum iri pati?

Multa quidem experimenta illos nancisci dubium non est, sed ratione perpetuo destituũtur, cùm tamen ipsi magnam sibimet tribuant eruditionem. Ex quo sequitur, ipsis persuasum esse suam opinionem omnes artes longo spacio anteire. Atqui morbi cognitio tantam exercitationem ac peritiam requirit, vt si quis eam animo reputet, non sit facile crediturus, ex receptarum ac experimentorũ multitudine ipsos in veros medicos euadere posse: proinde cùm superbiam ac auaritiam apud ipsos dominari omnes facile cernant, nil opus est in correctione huius imposturæ multum insudare. Sunt tamen Pharmacopœi quidam, qui se cognitione Latinæ linguæ aliquo modo tueri conantur, quam consecuti sunt, cùm Conuentores, Pædagogi ac Procuratores essent: itaque cùm postea ductis viduis, libros, nomina ac officinas hæreditario iure recepissent, nõ secus ac si præstantissimi Medici essent, solę linguæ peritia superbiunt, putantes eò quòd sciant cuius casus sit Ioannes, intelligant quoque cuius generis sit Lignum Aloës &c.

Morbi cognitio operosa.

Lignum aloes cuius generis.

Ad hæc quantus error sit, ex hoc quoque colligi potest, quòd cùm primum species Bertholdi cognoscere didicerint, Venetias mittantur, ad importandas merces, quo vbi venerint, ex optimis pessima deligunt, ac pro recentibus cariosa & inueterata exportant. Aliquid prę cæteris in Medicina ipsos scire, omnino negari non potest, sed manca ac mutila omnis ipsorũ cognitio est: namque quemadmodum qui piscem probe coquere nouit, Piscator ob id non est, aut qui strenue bibit, vites bene colere scit: sic & in Pharmacopœia res se habet. Optima ergo horum errorum correctio est, vt quiuis sua sorte contentus, suam artem exerceat: namque qui suæ vocationi pie vacare volet, sat habebit quod agat, nec aliis sese actionibus immiscebit.

Pharmacopœorum inscitia ridetur.

CAP. XX.

De Laminarum Plumbearum correctione.

IMposturæ huius radix ex eo originem duxit, quòd Philosophi Minerales plumbi naturã similem efficere conati sunt naturæ Argenti viui: atque sane inuentio hæc authorum suorum magnam perspicaciam arguit, verum plus damni in medicina, quàm vsus ægris attulisse obseruata est: itaq; à medicina exulare iubeatur. Quin & in hoc errore alius est qui corrigi desiderat: nimirum quod ij qui hoc remedij genere vtuntur, morbi naturas sibi cognitas perspectasque nondum habent: hinc alij ad liberandas obstructiones, alij ad calidam intẽperiem emendandã plumbeis laminis vsi sunt. Verùm nihil horum considerari necesse est, sufficit natura Mercurij, ex quo lamina illa plumbea cõfecta est, perspectam habere. Cauendum ergo, ne Mercurium istum plumbi eundem esse putemus cum Mercurio vulgi: namq; Mercurius vulgi ille est, qui naturam ac essentiam suam, etsi in metalla transmutetur, incorruptam non seruat, ex quo cognoscere licet, quòd quantum Metallis virium inest, tantundem huic Mercurio tribuendum sit, atque proinde morbos pro varietate sua variis generibus Metallicarum laminarum curandos esse: hinc aureæ, argenteæ, cupreæ, stanneæ, ac ferreæ laminæ præparatæ à quibusdam fuerunt. Sed omnes istas magno interuallo superat Mercurius Fabricatus, quem dum intelligit, nisi quoad laminas plumbeas attinet, magna impostura committitur. Veruntamen si quis omnino vsum laminarum plumbearum vrgere velit, is correctionẽ aliqualem saltẽ admittere cogetur: nimirum vt Plumbum cum vigesima parte

Laminarum plumbearum origo.

Laminarum vulgaris vsus.

Mercurius vulgi quid.

Mercurius fabricatus.

Mercurij

Mercurij vulgi amalgetur, ac dein non plumbi instar solummodo, sed in cuiusuis metallis substantiæ sub vicesima parte administretur: metallum autem deligendum erit, parti affectæ ac morbo consentiens, vnico ferro excepto. Cæterum non ignorandum, metallum corruptum quàm integrum plus efficere, sic minio ac cerussæ maior quàm plumbo virtus inesse cernitur. Hinc causa elucescit, quamobrem Emplastrum de Minio ad curationes tam efficax sit: nimirum quia ex Saturno primitus confectum fuit. Sic Lythargirus nil aliud est, quàm Spuma Mercurij. Quocirca laminarum plumbearum inuentionem, quæ magnum secretioris philosophiæ argumentum est, non improbamus, eam vero imposturam summè abolendam ducimus, quòd nullius præterea rei cognitionem necessariam ad curationem esse quidam opinantur. Itaque si quis laminis istis vti velit, eum monitum cupio, vt totius naturæ Mercurij cognitionem prius consectetur: hæc enim comparata, omnes dein imposturæ facile deuitabuntur, eæ etiam, quæ ab antiquis magno applausu vsurpatæ fuerunt.

Emplastri de Minio.

CAP. XXI.

De Arteriarum, Neruorum ac venarum præsectione cauenda.

IMpostura hæc non secus meo consilio ac Sparadrapi error corrigenda erit, eo dempto, quod nullius partis apertio subsequatur, intrinsecus tamen non illic de obstructione dictum est, omnia perficienda erunt. Interim autem non raro paralyses, luxationes, inflammationes, atque atrophiæ partium accidunt: similiter & scyrrhi, phygettæ, herniæ, bubones, vrinariorum meatuum affectiones, renum ac vesicæ vlcera; &c. euenire solent, quaproter correctio, imposturæ huius erit, vt non exterius præsectione, sed intrinsecus in corpore per Mercurium Laxatiuum defluxiones auertantur: namque præter Mercurium hunc nullum aliud superest remedium, quod malo huic mederi queat. Sin aliquæ ex supra commemoratis affectionibus, Herniam puta, Bubones, vel alias vlcerationes affligere videantur, tum sciendum erit, eas nisi aperta cute sanari non posse, atque quemadmodum si vlcus illud singulariter per se curandũ fuerat, sic eius simptomata quoque curanda fuerint: namque amborum vna eademque forma, origo, ac substantia existit. Quapropter ad hanc imposturam tollendam vtilissimum fuerit, (quemadmodum & de quibusdam aliis dictum est,) vt error qui in præsecandis meatibus committitur, præcaueatur.

Mercurius Laxatiuus.

CAP. XXII.

De Seruorum suorum perfidia.

VArij ac multiplices morbi dum Medicinam facerem, omni tempore oblati sunt, in quibus curandis cùm antiquorum canones mihi proposuissem consectandos, minimum tamen eius quod sperabam consecutus sum. Tandem coactus, varia hinc inde ponderare, expendere ac dimetiri, in tantam coniectus sum dubitationem, vt inter plurima quæ contigissent experimenta, vtrum potiore loco habendum esset; planè dubius hærerem: in qua inconstantia dum versarer, serui mei omnia bona malaque (quorum tamen paucissima ego vtilia esse expertus fueram) experimenta corraserunt, eaque sub meo nomine vsurparunt, magnas cum iis imposturas committentes, me tamen illa, ceu putida ac inutilia repudiante. Viderant quidem magnas à me curationes præstari, quas omnes æmulari stultè conabantur, atque vt id tutius facerent, Magisterij ac Doctoratus insignia ambiuerũt itaque si quid damni ex huiusmodi experimentis ægris conciliabitur, id non nobis, sed illorum nequitiæ adscribendum erit namque illorum quidam cum ad tempus ludimagistros egissent, nostra perspecta industria, famelicorum canum instar nobis adblandiri cœperunt, vt aliquid illis largiremur: qui vt primum duo, tria, quatuorue experimenta secretiora à nobis extorsissent, nobis turpiter relictis, suo commodo studere cœperunt, sed quo honestatis titulo, quiuis facile iudicabit, Similiter in mea familia magnis sumptibus Chirurgos ac tonsores alui, iisque secretiora quædam remedia bona fide communicaui, qui statim ac Stictica emplastra à me accipissent, desertorum ac Apostatarum more, me relicto, mihi debitam laudem vsurpare, meque summis conuiciis incessere cœperunt, atque quamuis non diffitear præstantia aliquot remedia furtiuè vel præcariò à me ipsos extorsisse, tamen singulos candide admonitos volo, ne huiusmodi experimentis, quæ isti miris laudibus euehere non verentur, nimium tribuant: siquidem nisi experientia ac multiplex vsus ad ista accedat, inutilia ferè sunt huiuscemodi secreta; quemadmodum hoc discipulis meis non infrequens esse, experientia quosdam magno suo cum periculo edocuit. Neque vero omnes meos discipulos in hoc censu haberi velim: fuerunt namque quorum singularis in me fides extitit, quos ego frequenter in meis scriptis compellare soleo, reliquorum vero nomina rarissimè in nostris scriptis consignata inuenias. Sic nos libros quosdam in nostri Secretarij honorem conscripsimus, aliquos Doctori Cornelio, Doctori Petro, Doctori Andreæ, Doctori Vrsino, Licentiato Pangratio, ac Magistro Rhaphaeli transmisimus hos ergo vt omni laude dignissimos censeo, sic cæteros qui me perfide deseruerunt, omnibus modis rogatos & admonitos volo, vt quæ nondum apud nos addidicerunt fundamenta, magna diligentia consequi, vel nunc tandem conentur: interim Saturninam illam, ac Lunaticam, qua scorpionum instar nos consectantur, maledicentiam deponant, atque mente recolligant, quanta fide, quantoque candore, nihil ipsos celare, vel clam habere voluerim. Sed male metuo, ne postremi hi impostores omnium posthæc imposturarum cultores ac fautores futuri sint.

Chirurgorum seruitio vsus Paracelsus.

Paracelsi Discipulorum duo genera.

Amici Paracelsi

QVINTAE PARTIS CHICVRGIÆ MAGNÆ PARACELSI,

LIBER TERTIVS.

DE MALE CVRATIS ÆGRIS restituendis.

CAP. I.



OMNINO operæ pretium esse duximus, huius tertij tractatus propositum paucis aperire. Tractabimus igitur in præsentiarũ, quantum incommodi, quantumque morborum ex imperitorum Chirurgorum temeritate ęgris conciliatum sit. In qua dissertatione primum omnium obseruandum erit, quid Medicamenti inconuenientis inconcinnè adhibiti, venenositas cum pestilentis luis contagio coniuncta, mali efficere queat: hinc enim discere licet ex antiquorum scriptis, neutiquam Luis Gallicæ causas originem ac curationem deduci demonstrarique posse: quod certe omnes & singulos qui Medicinam artem sectantur vnicè obseruare consulimus. Dein spectandum quoque quomodo ægri qui perperam à veterinariis istis curati sunt, restitui pristinæ sanitati possint. Admoneo interim Chirurgos studiose, caueant, ne morbos sua imperitia ex simplicibus compositos, ex clementibus malignos faciant, atque discant, quo pacto morbis non ritè curatis subueniendum denuo sit. Sed malè metuo, ne, quoniam plerique Medicorum, artem, non alieni commodi sed sui priuati potius lucri gratia exercent, pauci sint futuri, qui nostris monitis mentem adhibeant. Namque manifestum hoc est, multos non propter ægrorum morbos Medicos esse dicique velle, sed ferè pigritiæ, superbiæ ac pompæ occasiones quærere. Ad hæc omnes facile coniicere possunt, cum tanta sit præstantissimæ artis amplitudo, támque exquisitam requirant morbi sui cognitionem, impossibile esse, vt Aniculæ, Monachi, Apostatæ, Agyrtæ, tonsores ac veterinarij, vel leuissimi, quod circumferũt remediis, causas ex artis principiis ac fundamentis deducere ac demonstrare possint, vt maximè interim clamoribus, iactantia, ac sophismatis, suam imperitiam celare conentur.

Argumẽtum libri huius.

In medicos suæ ętatis inuehitur.

CAP. II.

QVo autem propositi nostri fundamenta constituamus, primum, omnium vtile fuerit, enumerare, quæ, qualia, quantáue mala ex perperam adhibitis Lui Gallicæ remediis oriri possint, quæ aliàs neutiquam comparerent. Atque primum quidem dum purgando, laxando, syrupisando, aliisq; pharmacopœorũ artibus ægros excruciant, hæc ferè mala concitare solet. Morbos nimirum latentes (& qui forsan numquam produturi erant) concitant: dum enim Hermodactilis, Turpetho, Diagridio, Silere montano, Rhabarbaro, ac similibus, quorum nullum causam Luis Gallicæ propellere aptum est, purgant: quoniam Luem Gallicam curare purgantia non possunt, necessario alium aliquem in corpore latentem affectum aggrediuntur, siue is maturus iam sit, siue adhuc crudus. Quòd si ne latens quidem morbus adsit, sed omnia integra & salua videantur, tum ne sanguini quidem, carni, medullæ ac humido radicali parcunt vehementia isthæc remedia, sed omnia sine discrimine depascuntur, vt posthac ad nullam perfectam actionem obeundam corpus satis virium habere possit. Ex qua dein virium iactura, occasiones nouorum morborum oriuntur, qui numquam aliàs illum egrum afflicturi essent: cuius generis sunt Apoplexia Hydrops, Pleurisis, aliique putridi morbi, quos tamen illi non imminutis viribus, sed malignitati remedij adscribunt, sed felium instar faciunt, qui donec possunt, defendere se summis viribus conantur. Verum vbi isti aliquando resipuerint, cognoscent erroris sui magnitudinem non in purgationibus modo, sed etiam in suis pulueribus Diaphoreticis, quos admodum temere ad educendam Luis Gallicæ materiam ægris exhibent, non intelligentes penitus non resistere hasce formulas ideæ morbi Gallici: interim tamen vbi subolfaciunt erroris sui causam (quod tamen raro euenit) ad solium aquæ dulcis recurrere solent, vnde aliæ quoque morborum causæ concitantur.

Morbi latentes a purgatione irritantur.

Lypothimiæ effectus.

Pulueres Diaphoretici improbantur.

CAP. III.

SImiliter de externis remediis iudicandum erit, quorum omnium Basis est Argentum viuum, sine quo nulla vnguenta, suffumigia, lauamenta, imò nulla penitus remedia confici possunt. Morbi autem, qui à Mercurio inferuntur, quamuis aliquot iam enumerati sint, tamẽ vberioris doctrinæ gratia copiosius nobis describẽtur. Itaq; sciendũ, triplicem argenti viui naturã esse. Prima ea est, quæ purgat. Altera quæ putrefacit. Tertia quæ artus refrigerat: ex istis inquam tribus omne genus morborum procedit. Ex purgatione nimirum virium deiectio oritur, vel totius corporis, vel principis alicuius partis: etenim siue supernè, siue per aluum, purgatio procedat, vbique imminutarum virium occasiones reperiuntur: namq; naturalia simul ac præternaturalia, noxia æquè ac vtilia propelluntur. Secundo quod putrefactionẽ attinet, ea est Mercurij natura, vt principalia viscera, pulmones dico, epar, lienem, ac ventriculũ subiens, magnas illic putredines efficiat, quarum dein quàm difficilis sit curatio, quilibet vel mediocriter in arte exercitatus facile cognoscet: itaque studiose cauebũt medici, ne in hunc crassum errorem incurrant, in quem certe admodum procliuis casus est, vbi vngendum ac lauandũ est: namq; istæ duæ formæ remediorũ omniũ celerrime ad interiora viscera penetrare solent, vnde deinceps post multos annos, grauissimi morbi ingruere solent, quorũ causa ad medicorũ imperitiam rectissimè refertur. Tertio deniq; ab Argenti viui refrigerante qualitate duplex morborum genus causari solet: vnum cum pinguedo ac adeps intrinsecus in corpore nostro congelatur, sic in pulmone eius adipe congelato trisses, ac peripneumoniæ generantur, in epate ac liene pingue-

Mercurius omnium externorum remediorum Basis.

Mercurij triplex natura.

Purgationis effectus.

Putrefactio à Mercurio facta.

Mercurij vis refrigerans quos morbos faciat.

pinguedine meatus obstruente, incogniti, & inauditi antea morbi fiunt. Alterum morborum
II. genus fit, cum nerui ac ligamenta, ossa, ac periostion refrigetata doloribus affligunt. Cæteri denique morbi, qui hinc oriuntur, specialius alibi nobis enarrabuntur.

CAP. IV.

SEd quæ hactenus commemorauimus, quãtum ad præsentia symptomata attinet, dicta sufficiant. Itaque de futuris quoque & ingruentibus malis, iam deinceps sermonem instituamus. In qua dissertatione ante omnia obseruandum erit. Veneni seu contagij Luis Gallicæ, eam esse naturam atque malignitatem, vt omne genus morborum in aliam essentiam transmutare possit: accidisse hoc animaduersum est, antequam morbus vulgaris euaderet, tum etiam, cùm iam Epydemicos grassaretur: namque cùm Lues hæc adhuc in fieri esset, quosuis morbos mali moris reddidit, donec tandem penitus veneni malignitas elucesceret. Influentiæ certè huius (quæ luem hanc peperit) tanta virulentia fuit, vt totum terrarum orbem peruagata, omnes mortales, vel Lue hac vel si qui ad eam inepti essent) alio non minus graui malo affligeret, & sanè non Europa, non Asia, non Africa, imò nulla penitus orbis regio huic coniunctioni subiecta non est, neque prius sæuire hoc malum desinet, donec omnes totius orbis regiones peruagatum sit. Itaque maxime ex re medicorum erit, vt Luis Venereæ initia ac exitum sedulo contemplentur: intelligent enim ex eo, neque sui Principis Auicennæ vastum canonem, neque magnos Iacobi de Partibus, vel humilis Trusiani Centones, ad faciendam Medicinam quidquàm adiumenti adferre posse. Sin omissa ista contemplatione veterum nugis immori maluerint, & se & posteros suos in ægrorum perniciem armabunt. Quia ergo nouum contagium est, nouumque venenum, apparet, nouos atque inauditos morbos necessario existere: sic nouæ Pestes, nouæ Pleurises, nouæque Febres iam obseruatę sunt: quos omnes morbos occulta quadã cœlesti influentia vel de nouo producit, vel ex aliis medio transmutationis generat. Proinde nouam Theoriam, nouamque Praxim exædificare oportebit, quod tamen sine singulari Astronomiæ peritia nemo facile præstiterit.

Contagii Luis Gallicæ natura.

Luis Gallica totū orbē affligat.

Noui morbi necessario fiunt.

Noua Theoria nouaque Praxis.

CAP. V.

HInc ergo causa elucescit, quamobrem pestes nostro seculo, tam malignæ, inordinatæ, ac mali moris fiant, adeo vt generalem earum curandarum methodũ præscribere impossibile sit. Quod si eadem nunc, quæ olim fuit, cœli facies esset, ab antiquorum remediis ac præceptis neutiquam discedendum esse consulerem. At quia mutata iam syderum constitutio est, quis putet eandem curationem vsurpandam esse? Atqui non desunt ex rudioribus nonnulli, qui opinentur, immutabilem cœli agendi modum esse, sed hoc facile ipsorummet ratio cõuincit. Quemadmodum ergo cœli conuersio, sic & Medicina Mercurij venenosã quãdam vim ex se fundit, quæ efficit vt dein pestis tempore ingruente quicumque illam Mercurij contagionem conceperint, ad patiendum dispositi euadant, iique tandem efficiunt quoque, vt toties malum recrudescere videatur. Itaque vbi sic dispositi homines plurimi fuerint; ibi diuturnam pestem sæuire mirum non est: donec enim Mercurialis natura in homine recondita est, eousque pestis causam ipse secum circumfert. atque etiamsi iam desiisse videatur, tamen isti superstites adhuc, non possunt non eandem quoque concipere, sicque regenerare morbum qui iam euanuerat. Non secus in Lue Gallica res se habet: latet namque in Mercurio alia quædam venenositas, quę ad omne genus impressionum à Planetis suscipiendum aptissima est, continetur. Cùm itaque Mercurius huiusmodi coiunctionibus ineuitabiliter subiectus sit, manifestum est, inuasionem, signa, typumque Morbi pro Mercurij diuersitate euariare. Hinc si Mercurialis illa vis ad expulsionem præparata sit, salutem: sin ei resistat, diuturnum portendere intelligitur. Quæ iam de peste exempli causa proposuimus, ad alios quoque morbos referenda erunt: cætera verò quæ ad originalem causam pertinere videbuntur, ex libro De origine nouorum morborum naturalium petetis.

Pestes cur mali moris fiant.

Cœli status nouam Medicinam requirit.

Mercurialis natura causa pestis est.

Prognosticon.

CAP. VI.

PRophylactice, Medicinæ non infima pars: quoniam ex contrariis describi, iisque cõstitui debet, quæ occasiones morborum præcauere possunt. paucis de ea disseremus, in modum vt sequitur. Principio, quia cœlestem influxum, dein terrestrem Luxuriam causas morbi esse constitutum est, extra dubium esse videtur, ex istis duobus deuitatis, regimen seu præcautionem constitui debere: namque præter actionem Naturæ, & exaltationẽ Veneris pauca admodum sunt, quæ insignem aliquã morbi occasionem præbere queant: etsi enim cibi quidã sint, qui prodesse vel obesse exhibiti vel prohibiti possũt, tamen illi ipsi, morbi Gallici causa nõ sunt, sed forsan alterius symptomatis, quod ingruere posset: illi verò symptomati competens regimen, nil ad Luem Gallicam attinet, cùm Lues Venerea, solis illis duobus pũctis prohibitis, arceri velit possitq;. Quapropter sciendũ, si qui morbi ex alimentorũ, quorundam exhibitione vel prohibitione augmẽta capiant, eos iam sic confirmatos esse, tantasque radices egisse, vt ægrè postea loco moueantur, veluti in lepra cernere licet. Obseruandum præterea de commemoratis duabus causis generalibus, hoc est, quòd, quoniam Morbus hic ex Venere, Firmamenti & Terræ ortum ac incrementum capit, eam esse quoque eius malignitatem, vt ad propagationem suę virulentiæ magis magisq; ad Venerẽ, homines eo correptos concitet, veluti enim morbi alij somnũ, alij vigilias faciunt, sic hic quoq; naturæ ordo immutatus esse cernitur. Itaque in prophylactice primum erit, vt potentia Veneris confringatur, non in terra solum, sed etiam in Firmamento, idque donec minimum de Lue Gallica superesse videbitur, interim autem & cæterorum Planetarum operationes contemnendæ non erunt: namque Actus Veneris cum Marte, multum alienus est à Saturni actu illi coniuncto sicque

Prophylactice quomodo instituenda.

Actio naturæ & exaltatio Veneris causæ sunt morbi Gallici.

Venus terræ & Firmamenti.

Actio veneris varius.

sicque de actionibus reliquorum etiam Planetarum iudicandum erit.

CAP. VII.

QVia ergo ex cognitione duarum iam dictarum causarum communium, regimẽ describere necessarium est, manifestum euadit, quàm necessaria sit ad præcauendos morbos Astronomiæ peritia. Venus enim, etsi Morbum generet, tamen morbi magnitudo, malignitas, multa paucaue non ex sola Venere dependet, cùm ista à commixtionibus reliquorum Planetarum gubernari Astrologicæ rationes doceat, nos coniunctionem illam seu commixtionem in præsentiarum IMPRESSIONEM appellabimus: namque hæ coniunctiones saltem per consensum fiunt. Nimirum si quis Exaltationem veneris tribuat, exaltationi Saturni vel Mercurij, vel alterius alicuius, is iam fingere solummodo coniunctionem videtur. Itaque omnino curandum erit, vt istis repudiatis coniunctionibus regimina describantur. Operationem autem (quæ sine Impressione fieri nequit,) quod attinet, cauendum erit, ne ea sine iis quæ reliquos ingruentes morbos arcere possunt, inchoëtur. Etsi enim sint quæ huiusmodi coniunctiones subsequi conentur alimenta, (hoc est, quæ irritent) cibi, potus, ocium, exercitia, &c. aliæque causæ quæ constellationes huiusmodi irritent, tamen omnia hæc præcauere oportebit: nisi enim huiusmodi diætam quis obseruet, non potest curatio perfici: atque etiamsi aliquando perfecta curatio esse videatur, non tamen ei confidendum erit, cùm perpetuo mali radices aliquo modo restent, neque patiantur se, nisi prædicta diætæ formula obseruata, expelli. Perinde etiam ac Veneris actio celerrima est: sic morbi aduentus recessusque celerrimè fiunt. Itaque si morbi iam inueterati recrudescant, recidiuæ causam soli inordinatæ victus rationi tribuendam esse.

Venus morbum Gallicũ generat.

Impressio quid.

Diætæ formulæ necessaria.

CAP. VIII.

POsthac ergo morborum curandi rationem aggressuris, necessarium videtur, ostendere quanta Astronomię peritia in Medico requiratur. Astronomiam autem intelligo, quæ Medicam solummodo considerationem contineat. Similiter Luminis naturæ experientia omnino ad Medicinæ perfectionem spectare videtur: quoniam enim quæ perficiuntur à Medico actiones, ex Lumine Naturæ proficisci debent, manifestum euadit, sine absoluta Luminis huius cognitione Medicinam non artem, sed imposturam esse. Quapropter cùm Medicinæ perfectio ex istis dependeat, non ex Auicenna, Valesco, Argillata, Landfranco aut Guidone, sed ex sola vi Mercuriali omnis curatio speranda erit, vt iam facile cognoscere liceat, an Medicus in Pharmacopæorum officinis, vel in Chemicorum laboratoriis nasci, crescere, perficique debeat: non enim statim qui dictare nouit, aptus ad Medicinam faciendam censendus est. Tales ferè antiqui fuerũt, nugatores scilicet, verum non sequitur vt antiquos iuuenes imitentur: cùm enim morbus nouus sit, antiquam medicinam non videtur requirere. Proinde nouitatis studium in arte Medica nemini vitio vertendum erit, cùm nemo verè affirmare possit, Medicinam omnibus modis absolutam perfectamque esse: namq; nouorum morborum exitus nemo adhuc perspexit, eaque de causa illi absolutè describi non possunt. Itaq; hoc verissimè dictum omnes intelligant, in nouis morbis antiquorum figmenta prorsus reiicienda esse, cùm constet in eas in quibus nunc versamini augustias ab iis vos coniectos esse. Est enim Medicinæ in terris non alia quàm Nauis in mari ratio: velut enim hæc nullo certo loco consistit, sed ibi semper est, qua illam nauclerus dirigit, non pro hesterni, sed pro hodierni venti ratione: sic Medicina iuxta nouorum morborum diuersitatem euariare solet.

Astronomię necessitas in arte Medica.

Lumen Naturæ.

Vis Mercurialis causa omnium curationum.

Nouitas nõ semper est in vitio.

Simile.

CAP. IX.

CVratio ergo illorum morborum, qui ex deprauata curandi ratione originem duxerunt, duplici ferè ratione fieri solet. Prior est, vt illa remedia quæ inconuenienter corpori adhibita in substantia sua adhuc intra corpus abscondita latent, expellantur. Altera, vt spiritus à Medicamenti venenositate inquinati, atque in Fixum seu Chronicum morbum transmutati, recteque cogniti, suo quem specialiter requirunt modo sanentur. Prior rursum modus varius admodum est: variæ namque sunt venenorum, quæ intra corpus impulsæ fuerunt substantiæ: alia Lythargiri, alia Cerussæ, alia Euphorbij, alia denique & multiplex Mercurij malignitas conspicitur ad horum ergo venenorum substantiam expellendam, magna loci affecti cognitio necessaria esse videtur. Sunt deinceps medicamenta quædam, quæ corporis substantiam subingressa (qualia Cathartica sunt) ipsius substantiam dissoluentia, eandem vna secum expellunt ac deiiciunt, quam illorum incommoditatem vt tollas, accurata circumspectione opus est. Summa itaque huius praxeos erit: vt remedij substantia primum è corpore expellatur, siue ea cùm vnctionibus, siue suffumigiis, siue quibuscunque tandem formis corpus subingressa sit. Dein vt spiritus Mercurij corporalis (qui etsi corporalis sit, inuisibilis tamen existit) à corpore humano separetur: donec enim ista corpora intra corpus substiterint, impossibile est vtilem curationem præstari.

Duplex ratio curandi morbos deprauatos.

Subdiuisio curationis.

Loci affecti cognitio ad curationem necessaria.

Corporalis Mercurius est inuisibilis.

CAP. X.

De Quibusdam Incurabilibus Morbis.

SCiendum quoque malignorum ac venenosorum remediorum vsu, morbos quandoque conciliari, qui nullo vnquàm tempore deinceps curationem admittant, sic ex vehementioribus remediis, in Lue Gallica vsurpatis, obseruatum est morbos extitisse, qui nunquam curari se paterentur: iique etsi quandoque manifestè non appareant, intrinsecus tamen tanta malignitate corpus affligere solent, vt salutis spes nulla vnquam expectari possit. Sic remedia Luis Gallicæ inconcinnè adhibita, variarũ Lepræ specierum causas fuisse obseruauimus: non enim quatuor saltem, sed plus quadraginta Lepręspecies existunt, contra quam vulgus imperitorum medicorum opinetur, proinde sciant Medici, in Mercurio rudimenta quædam

Morbi quidam manu facti incurabiles sunt.

Plures species lepræ

quædam Lepræ contineri, maximè si ipse cum principiis Luis Gallicæ complicetur, hinc omnia quæ deinceps generantur, Lepræ aliquam speciem referunt. De ista ergo occulta Lepra sciendum sæpe Phagadenas, Cancros, Syrones, Hecticas, Phtyses, &c. Leprosas esse, quos tamen affectus vulgares medici, non nisi pro simplicibus Cancris, Fistulis, Syronibus, &c. iudicant ac reputant, cùm tamen Lepra certò illos comitetur, verùm ea paucis iisque obscurioribus signis cognoscitur. In hisce ergo morbis vnicè spectandum, vt an Lepra adsit cognoscamus: ea etenim præsente, frustra curationem molieris, quæ alias nò tam difficilis foret. Quin & multi morbi lethales incidunt, vt Hydropes, Quartanæ, horumque similes, qui si vel leuissimis signis adesse cognoscantur, certissimam perniciem imminere ne dubitato: namque etsi morbi expulsi esse cui videantur, tamen radices fixas hærere certissimum est. Quapropter istis animũ aduertet medicus, cùm difficillimũ sit naturæ impetus remorari, solumque naturæ minister rectissimè medicus dicatur, non autem illius dominium sibi vsurpare debeat. Proinde quicumque hanc Lepram, hosque grauissimos morbos accuratè perpenderit, Monachus Institor, Ludimagister, Architectus, manebit potius, quàm vt se difficillimæ huic arti implicet.

Hydrops & Quartanę lethales.

CAP. XI.

Post Factam curationem, an ea diuturna sit futura, quomodo considerandum.

ANtequàm autem restitutionem eorum qui perperam curati sunt describamus, signa quædam, quibus intendendum sit, antequam curationem aggrediamur, proponere necesse erit. Namque vbi deprauatus aliquis morbus est, is certè per se solus non consistit, sed plurimos post se habet æquè ac ipse cognitu necessarios, itaque tot quot sunt in corpore morbi, cognoscendi erunt, ne dum visibilem te ac manifestum curare putas, occultos alios & numquam prodituros, palàm facias, posteriusque malũ priore multò grauius euadat. Itaque si paralysis accidat, statim iuxta Anatomicas rationes regionem illam in qua affectus consistit expendes, vnaque occulti morbi quantæ sint vires considerabis. Similiter in vlceribus quandoque catarrhi accidunt, qui efficiunt vt ex vno vlcere octo vel nouem affectus progredi videantur: isthæc ergo consideranda sedulò erunt, ne quoniam simplex tantum vlcus apparet, simpliciter solum illud implendum esse putemus, cùm latentes & occulti morbi multò plus negotij facessere soleant, quàm ipsummet vlcus. Quamuis autem isti morbi Gallicis vlceribus non appareant, illos tamen per ea expurgari manifestum est: proinde si quis nullo ipsorum respectu habito, meatum illum obstrueret (facta curatione) tum necessario affectus retrò ad suum fontem regurgitaret, alioque loco erumperet, nemo tamen rectè huiusmodi affectum à Lue Gallica initium duxisse affirmaret, etiamsi antea per illam expurgatus, protractusque esset. Simili omnino ratione de signis omnium reliquorum morborum iudicandum erit: namque signorum ratio edocet, quid quoquo loco cauendum metuendũmue sit, vt & posthac intelligamus, qui morbi inter nouos & ex deprauata curatione ortos connumerandi sint: neque vero hic de omnibus huius generis affectibus disserere animus est, sed de iis solum, qui veneoso contagio molesti sunt: cæteri namque ex vulgatis præcautionis ac curationis regulis, curandi quomodo sint, facilè elucescet.

Deprauati morbi semper aliis complicantur.

Catharrorum casus

Signorũ vsus.

CAP. XII.

Quid optimum in Medicina.

CVm in prima propositi nostri parte, is nobis scopus propositus fuerit, vt errores Medicorum, eorumque ex prauis curationibus ortas noxas describeremus: est enim tanta horum pseudomedicorum ruditas ac imperitia, vt ægros non dico non curare queant, sed ne ab imminentibus quidem periculis liberare, cùm eò angustiarum res ægrorum frequentissimè deducant, quo numquam morbus per se quantumuis malignus, detrudere potuisset. Hanc ergo horrendam ac miserabilem ægrorum lanienam, ex medicorum imperitia sequentem, quis non hominum, execrandam ac detestandam putet? An ne aliquis humanitatem sic exuere potuit, vt erroris sui effectum præ oculis conspiciens, eundem tamen agnoscere nolit? sufficereque hanc excusationẽ putet: QVANTVM POTVI PRÆSTITI, QVANTVM RATIONE ASSEQVI POTVI, CONSVLVI OPTIME. Ista ne excusatio Medico digna putanda sit? quomodo quæso optime consuluerit quis, qui quid optimum sit ignorat? Optimum certe ex optimo originem ducit, hoc est, illud optimum consilium est, quod ex optima affectus cognitione prodiit, de optimo sane gloriari is non poterit, qui quid optimum sit non intelligit. Itaque Medicus nullus verè dicere potest, se optimum præstitisse, nisi quod illi affectui conuenientissimum remedium sit, cognouerit, adhibueritque, qua in re certe non leuis Impostura committi solet. Nemo enim ex suamet ratione suisque speculationibus, quid optimum sit assequi potest, neque quisquam æger, medici speculationibus ac ratiocinationibus sese concredit, sed ipsius potius experientiæ, ex qua salutem sibi pollicetur.

Qui optime consulet.

Medico cur se concredant ægri.

CAP. XIII.

INtueamini quæso Imposturarum vestrarum colluuiem, quot modis, Dij boni, ægros excarnificetis, iam Mercurio, iam Ligno, iam purgationibus contra naturæ artisque præcepta, contra vestras conscientias, contraque vestrorum præceptorum, quorum authoritatibus nitimini, canones, magno humani generis incommodo, in languidos debacchantes: inspiciatis moneo quid vestro optime consulendo efficiatis, nimirum corporis constitutionem intrinsecus corrumpitis, sanguinem contagioso veneno inquinatis, quatuor elementorum temperamentum, in quo sanitas tota consistit, dissoluentes, efficitis, vt nec syderum, nec alimentorum benignitas, quidquàm emolumenti ad restitutionem amplius adferre possit.

Mercurij vsũ quæ mala sequantur.

Particularium remediorum noxæ. possit. Sed ista vniuersalia sunt, in Particularibus autem membris ac visceribus, Pulmones quidem putredinem, Epate corruptionem, cæterisque membris venenositatem conciliari videmus, non ligno solum ac Mercurio, sed omnibus in vniuersum quibus vtimini remediorum formis, tantos tamque inauditos excitantes morbos, vt vel nomina ipsorum meditari ac confingere vix quisquam possit. Horum inquã malorum omnium vos causa estis, perpendite obsecro, quomodo figuram corporis, rosionibus, sectionibus, aliisque remediorũ formis, quibus mobos obstruere ac obruere conamini, deformaueritis, vt iam pro vno vlcere quod curandum susceperatis, decem alia multò deteriora eruperint, ex minutissimo amplissimum euaserit. Ad hæc vestris corrosionibus extrinsecis, intrinsecus tam vehementes corrosiones vos concitasse animaduersum est, vt minerabiliter manibus, pedibus, ossibusque decidentibus, tandemque nouis ac inauditis morbis erumpentibus, ægri iugularentur. Ista quæso humanitatis ac officij vos admonere patiamini. Si me odio prosequemini, ob id quòd ista detego, vicissim vos in vestri odium deducant, mala ac damna quæ vestra inscitia miseris ægris conciliastis. Atque si Dei Opt. Max. gratia plus ego in arte consecutus sum, quàm vestrûm aliquis, ne illud vna cum persona odio prosequamini: non enim perinde in remedium ac personam vos affectos esse decet, remedio vtamini bono, quod si in mea persona quid vobis desit, vbi ad concertationem deuentum fuerit, illud forsan corrigetur.

Pia admonitio Paracelsi

CAP. XIV.

Argumentũ prioris capitis.

PRoposita hactenus argumenta sunt eorum primum, qui se optimum consuluisse profitentur, tum nostra, quibus ipsorum vanas assertiones confutandas putauimus, summa eorum hæc ferè est, quòd nemo se tueri possit, affirmando, se optimum quod cognouisset, consuluisse, cùm id quod in illo affectu optimum esset, ignoraret, atque æger non quod ipsius rationi videretur, sed quid experientia didicisset confirmatumque esset, ex ipso speret, verùm cùm languens quid ex ipsius cerebro natum sit vel quid vsu ac experientia, cognitum ignoret, sed subinde opinetur, id optimum esse quod inscius Medicus consulit, quanta ipsum iniuria affici, quantisque dolis circumueniri quis putet? Quanta quæso impostura sit, si quis optimum se consulere velle profiteatur, interim autem quid optimũ sit ignoret? Ille solũ qui quid optimum sit, nouit, optimè consulere potest, eiusque errores Deus excusatos habebit, si qui accidant. Multi namque ægri sunt, apud quos ne præstantissima quidem remedia commodũ aliquod efficiant: quis enim est, qui diuinam prouidentiam intelligat? Hinc accidit, vt morbi remediis etiam optimis non obediant, scilicet Deo nolente sanitatem adhuc largiri: huius generis ægros medici periti, velut suis remediis lædere nõ possunt, etsi lędere videatur: sic impostores medici ægros non aduerso Deo languentes, etsi lædere non videatur, lædere tamen possunt. Itaq; vt quid cuiq; medicus optimũ faciat

Optimũ non cõsulit, qui quid optimũ sit non intelligit

Morbi cur quandoque bonis remediis non cedant.

præstetque aperiam, propositum mihi est, præsenti tractatu, quomodo ea quæ ab impostoribus corrupta sunt, restituere oporteat, quod vt faciam commodius, primo quo pacto Impostura lædere soleat: dein quomodo morbos ex deprauata curatione ortos cognoscere deceat edocebo: tertio denique loco, quemadmodum curatio præstanda sit, non quantum ego possum optimè (vt vulgus loquitur) sed quantum natura & ars admittunt, quantum terræ ac regionis constitutio admittunt. Itaque quæ describo, non ex me, sed ex natura in qua & ego sum, profecta esse singuli sciant.

Propositum huius tractatus.

CAP. XV.

ET primo quidem ægrorum deprauatio quam vos committitis, ex regimine seu diæta ligni originem ducit: in præsentiarũ autem naturam ligni, vt de qua pluribus hucusq; locis mentionem fecerim, intactam relinquo, canones vestros examinaturus. Salis vsũ quod interdicitis, hoc vero est, quod medicinæ nomen numquam mereri potest, cùm veneni instar sit: namque ex Salis defectu necessario corpus corrumpitur, bonaque eius temperies perit, nos eius incommoda in tres classes distinguere solemus. Primo enim sine sale concoctio absoluta fieri nulla potest, neq; in ventriculo neque in hepate, vnde corporis humidior constitutio ad hydropem, Catarrhos, Paralysin, Apoplexiã, subitamque mortem suscipiendam aptum subsequitur. Secundo, corpori subtrahitis id, quod sanis ac valentibus mẽbris deputatũ est, hoc est, alimenta exhiberis quę corpori aduersantur, iam vero si quid corpori aduersum sit, quod ad nutricationem ineptum sit, non puto quemquam esse qui non intelligat: namque curatio omnis in eum modum fieri debet, vt nulli membrorum suum aptum nutrimentum subtrahatur, ne scilicet vi res imminuantur: eæ namque semel deperditæ, vix posthac in integrum restitui possunt. Tertio, quòd tenuem victum præscribitis, id quidem efficitis, vt cum hostibus omnibus qui vnà cum morbo vobis resistunt, vires subtrahitis, eos subegisse quodammodo videamini: verum vbi corpus vires receperit, tum vnà cum augmento virium morbi quoque recrudescunt, multique quàm antehac fuerint grauiores euadunt: namque ex immodicis istis exiccationibus sanguis refrigeratur, viresque adeo debilitantur, vt cibum potumque posthac imperfectè concoquant, vnde deinceps necessario sanguis, caro, adepsque frigidiora generentur. Hasce autem noxas quis vestrûm putat se excusare posse? cùm palam sit, vestra culpa euenisse, nullamque defensionem recipere posse.

Salis vsus cur interdicendus non sit.

I.

II.

Curatio bona quæ.

III.

CAP. XVI.

SIc in purgationibus non minus periculum conciliatis: non enim didicistis adhuc tutam purgationem conficere, sed sic vobis persuasum est, si multum excernant, viciniosque parietes concacent ægri, vtilem faustamque purgationem esse, verum vos vtilem corporis substantiam vehementibus catharticis in aqueum humorem resoluentes, ac extra corpus deiicientes, audetis pronunciare, ea forma

Purgationes vulgares nõ tutæ.

ipsam

ipsam in corpore latuisse, eique noxam intulisse. Purgationes certè vestræ perinde vt sol niuem in aquam reducit, vtilem corporis substantiam, sanguinem, carnem ac medullas resoluere solent, vnde postea ipsorum quantitate ac legitimo pondere imminutis, omne genus morborum originem ducere solet.

Purgationum noxa.

Similiter quoque nulla omnino purgatio est, quæ non nouos subinde in hominum corporibus morbos generare possit: eadem namque purgantium, quæ & morborum materia existit: itaque purgante aliquo in corpus subingresso morbi necessario multiplicantur, quod in Mercurio addiscere exempli causa licet.

Purgatio quæuis nouorum morborum causa existit.

Ille enim intensissima sua frigiditate neruos, tendones, ac ligamenta in tantum alterat, vt numquam postea ad naturalem ac congenitum sibi caloré, velut nec sangnis ac caro recuperare queant. Ex hoc itaque frigore tremores artuum fiunt, nec artuum modò, sed & internorum viscerum: hinc in ossibus medullæ, in pericardio cor, in Epate bilis vesicula, in pulmone spiritus &c, intrinsecus contremiscere quandoque animaduertuntur.

Mercurij frigiditas quid efficiat.

Quocirca de intensissimo hoc frigore non aliter quàm de vehementi hyeme iudicandum est, in qua corpus ac mens quandoq; tremunt: similiter inquam in Mercurio hyemis quædam est frigus atque nix.

Simile.

Obseruandum præterea de isto frigore est, ipsum Stupefaciendi totum corpus virtutem participare: namque perinde atque ab hyemis frigore manus vel nasus &c. in stuporem præ frigore deuenit, sic interiora viscera à Mercurij frigiditate naturalem sensum amittant, vt nec esuriant, nec sitiant nec attrahant, nec expellant tempore legitimo, itaque quemadmodum frigus externum, sic & Mercurij natura corporis cõstitutioné corrũpit.

Frigus Mercurij stupefaciens.

CAP. XVII.

QVemadmodum itaque de frigore dictum hactenus est, sic ipsum contradictione omnino vacare videtur: etenim vbicumque frigus tale intus in corpore latuerit, necessum est calorem internum contra ipsum insurgere, ex qua dein lucta morbi recẽtes subinde necessario prodeunt, qui dein vitam breuiorem reddunt, etsi lethales statim non sint: ad hæc omnes agentes facultates interiores in stupidã quandam naturam abeunt, vnde postea calore à frigore deuicto, putredo illius membri seu visceris oritur.

Ex lucta caloris & frigoris morbi noui exoriuntur.

Nam vbicunque calor naturalis extinctus est, illic necessario putredo subsequitur: ista ergo noxa vsu Mercurij cõciliatam, quis dubitet, vt tollatur, ad Medicum pertinere?

Putredo calore imminuto sequitur necessario.

Sed interna mala forsan, quàm externa tolerabiliora fuerint, externa dico quæ ab extrinsecus adhibitis remediis inferuntur, qualia sunt quæ ex retensione fluxionum efficiuntur: ex illis namque sequitur, vt quæ extra affligere volebant, intrinsecus molesta iam sint: etenim ea vis quæ exterius corrodit, nec intra corpus remittere potest. Sic etiam in affectibus ex Corrosione ortis, agendum: siquidem vbi à corrodentibus medicamentis in rabiem acta natura fuerit, morbus multo suo principio deterior euadit, qui corpus subiens, venas, totamque corporis compagem inficiens, ac succendens, illic ad tempus reconditus latet, donec tandem ex illa infectione contagiosus iterum morbus erumpat, ad necem inferendam satis efficax.

Corrodentium maligni effectus.

Hæc itaque damna à vobis illata, quo pacto restituere oporteat, ne quæso pigeat ex nostris scriptis legendo addiscere, neque statim maleuolentiæ hoc tribuatis, si quando errorem aliquem vestrum detego, cùm si omnes imposturas excutere vellem, pro singulis singuli tractatus, deque singulis Simplicibus singula capita conscribenda essent, quæ tamen omnia tegendæ turpitudinis vestræ causa, ac breuitatis studio in paucas classes reduximus: in tres nimirum externos, ac tres internos errores. Interni sunt, Purgatio, Exiccatio, ac vsus Mercurij. Externi verò, fluxionum auersio, sectio, ac corrosio: cæteri denique si qui fuerint errores, illos ad hos sex, tamquam ad genera sua commodè referemus, itaque consequenter de iis tamquam de sex nouorum morborũ certissimis causis disseremus.

Errorum classes.

CAP. XVIII.

LIbri huius partitionem quam supra tradidimuss puto vos adhuc memoria tenere: itaque nil opus esse puto admonere, secundæ partis nos hic initium facturos esse, proinde sermonis initium faciamus. Notum vobis est ex deprauata curatione hydropem quandoque oriri: vt quomodo ista à vulgari hydrope (hoc est, ea qua viscerum vitio accidit) differat, non sic forsan cuiuis obuium est, neque est vt quisquam putet, vtramumque eandem naturam esse, cùm magnis ab inuicem distent interuallis.

Hydrops naturalis & deprauata quatenus differant.

Itaque de proposita hydrope sic paucis pronuncio. Vbi ex Mercurio Hydrops originem duxit, sic omnino sentiendum, à Mercurio resoluta esse Mineralia corporis: ille etenim corpotis substantiam in puram aquositatem reducit, carnem, sanguinem, medullas, aliaque quæ indies de nouo in corporibus nostris accrescant, liquefaciendo hęc itaque Mercurij natura, naturæ Firmamenti quàm simillima existit: est enim in eo curriculum totius anni, Æstas dico, hyemsque: quemadmodum ergo dictum antea est, Hyemis naturam referre Mercurium, sic eundem Æstati similem esse propter resolutionem, iam quoque intelligendum: quidquid enim frigore eius cõgelatur hyeme, hoc æstate ab eiusdem calore resoluitur, quę dein resoluti Hyposarca Mercurialis dicitur, ex quo differentiã huius ac naturalis hydropis internoscere facillimũ erit.

Mineralia corporis à Mercurio resoluuntur. vt hydrops.

Hyposarca Mercurialis.

Notandum quoque ex purgatione corruptioné in corpore humano accidere, quæ nullã omnino ex vulgaribus affectionib. referat: non enim vt purgationes vires imminuũt, sic morbũ inuenire licet, qui simili ratione virib. humani corporis efficiat, neq; vlla est sicca intẽperies, quæ siccitati ligni Guaiaci respõdeat. Quapropter in huiusmodi casibus antiquorũ cõmentationes reiiciẽdæ erunt: namq; illæ hosce morbos cum recentibus nullo modo conciliare posũt. Itaq; quemadmodum in hac hydrope, sic in omnibus reliquis morbis distinguendũ erit: sic tremor manuum ex contactu Mercurij, à tremore ex reliquo corpore exorto discernendus.

Ligni Guaiaci intensissima siccitas.

Tremor ab argento viuo.

CAP.

CAP. XIX.

SEd iam ad Praxin properemus, vbi ante omnia propositi nostri rationes explicandæ erunt. Constitutum ergo nobis est, morborum Theoriam non iuxta ordinem morborum, qui ex inueteratis originem duxerunt, deducere, sed ad manus sumpta Mineralium natura, iuxta ipsorum rationem Receptas seu remediorum formulas describere. Quia ergo nouam Theoriam hic machinari oportet, nil opus erit posthac compositorum rationem habere ei qui Theoriæ Mineralium imperitus fuerit. Neque est vt quisquam insolitam Methodum receptarum accuset: nam sic morborum ratio postulare videtur. Vellem sanè reliquas quoque descriptiones, quæ in istis affectionibus à cæteris vsurpantur, hic annotari posse: satis enim intelligo plerisque hanc nouam Theoriam, ac Praxim initio difficilem futuram ad hæc cùm in cognitione vulgarium morborum, tam miris modis peccent Medici, an ne mihi pollicear in istis difficillimis affectionibus ipsos erroribus vacaturos esse, male certè metuo, ne cum morbis ipsorum quoque negligentia accreuerit.

Propositum Paracelsi.

CAP. XX.

SCire etiam de nostra sequentis Practicæ methodo conuenit, nos quorundam morborum mentionem facere, qui singularibus ac specificis remediis cedant, cùm alij communibus facile percurentur. Postulant enim hoc & ipse stylus, ac morborum natura & series: processus enim inconstans, inconstantia symptomata subsequi videtur, hinc quandoque iuxta naturam Mercurij, quandoque iuxta naturam Constrictionis procedendum esse necessitas iubet, prout nimirum Mineralis illius natura tulerit, quam nos rationem in libro de origine nouorum Morborum, accuratè & abundè describemus, idque eo lubentius, vt impendentia pericula in curatione nouorum morborum, aliquo modo deuitentur, quæ ab iis qui subinde nouas remediorum formulas componunt, aliàs conciliarentur, quod si quæ interim silentio inuoluerimus, ea nostræ Theoriæ gnari facile dein eruent, quibus nos quoque potestatem facimus, si qui hiatus apparuerint, eosdem resarciendi.

Liber Paracelsi de origine nouorũ morborum.

CAP. XXI.

DE NOVA HECTICA.

HEctica est consumptio totius corporis, ac substantię carnosarum partium imminutio, cum alternatim ingruentibus calore ac frigore. Originem fere ducit, ex eo quòd longo tempore non curata Lues Gallica naturales vires imminuerit: namque vbi morbus diutius afflixerit, assimilans nutrimentum facultas ferè euanescit, qua deperdita impossibile est, quod de substantia corporis defluxit rursum apponi. Hæc ergo curationis procrastinatio ac mora, Medicorum imperitia accidit, qui dum morbum curare conantur, non curant tamen, sed saltem distrahunt, vnde dein vires necessario imminuuntur, atque Hectica generatur.

Hecticæ definitio.

Causa.

DE NOVA PHTHOE.

Quævis corporis refrigeratio à Mercurij frigida intemperie, vel diuturna inedia causata sanguinis massam refrigerare solet, sic vt omnis eius substantia in mucum ac pituitam conuertatur, quæ subinde ad reiectionem nos irritare solet, vnde postea copus absumitur, deficiente nimirum nutricante sanguine, quo si corpus destituatur, necessario in atrophiam incidit, ad hæc perinde vt à frigore, vbi calor accreuerit, membra stupore corripiuntur, atque pituitosum sanguinem generant: omnis enim stupidus calor, omneque frigus ex medicamenti venenositate natum, corporis habitum in deterius transmutare potest.

Phthoe vt fit.

DE NOVA HYDROPE.

Vbi à Mercurio coagulata fuerit corporis nostri, siue multa siue pauca substantia, tum idem ipse illam denuo resoluit, sic vt ipso recedente per suam naturam, id quod coagulatum antea fuerat, non secus ac glacies iterum resoluatur, qui dein humor in infernas partes decumbens, accedentibus flatibus, in tumores illas attollit, quod certè omne malum Mercurio perperam adhibito in vnguentis, suffumigiis, lotionibus, &c. adscribendum erit: quin & Ligno quædã malignitas inest, qua ad hydropem disposita redduntur corpora, si quis eo inconcinnè vtatur.

Flatus cum humore hydropẽ faciũt.

DE NOVIS APOSTEMATIBUS.

Apostematum horum origo inde ferè est, quòd defluxiones quæ ad exteriora membra defluere debebant, Medicorum imperitia retrò pulsæ, obstructæ ac impeditæ, quæ in externis artubus effecturæ erant, regurgitantes ad interna, ibidem multo maiore periculo exequuntur, vbi cùm partium nobilitas non tam facile ac manus pedesque illam operationem patiantur, effectus oritur Pleuritidi omni ex parte respondens.

DE NOVA PVLMONIA.

Mercurij natura veluti per os expurgare solet, sic quoque magna vi ad pulmones penetrare, quos vbi occuparit, non secus ac in faucibus, omnes sordes quas expellere debebat, in pulmones colligit: atque quemadmodum in faucibus inflammationes, sic in Pulmonibus peripneumonias excitans, quæ vbi pulmones corripuerint, iam non ita facile vt faucium phlegmones persanantur, hinc ergo tusses, suppurationes, puris sputa, fœtor anhelitus &c. tandem exoriuntur.

Peripneumonia difficulter sanatur.

DE NOVA LYTHIASI.

Accidit quoque ex nimiũ imminuto naturali calore (à Mercurij nimirum maligna qualitate) vt Renes grauissimis morbis affligantur: namq; vbi præter omnẽ rationẽ Mercurius intra corpus

Mercurius Nephritis facit.

pus adactus fuerit, atque regiones Renum ac dorsi occupauerit, perpetuos lumborum dolores efficere solet, maximè verò vbi aliqua ad calculum inclinatione. æger aliàs affectus est.

DE NOVA CARDIALGIA, SEV nouo Singultu.

Quando ex nimio Argenti viui vsu, ventriculi regio Mercurio grauata fuerit, ferè diuturnus singultus superuenire solet: namque perinde vt manibus tremorem, sic & ventriculo infert Mercurius: est enim singultus, nil aliud quàm tremor ventriculi. Atque quemadmodum Mercurius vomitum aliàs excitare solet, sic in ventriculo dominium adeptus, nauseam cibi ac potus efficit, neque nauseam solum, sed & debilitatem quoque, atque frequentissimum vomitum. Similiter ex frequentibus purgationibus haustis ac deuoratis, ventriculi supinitas causari solet, vt deinceps quotidie ægri ceu hausto Medicamento purgentur.

Singultus est tremor ventriculi.

DE NOVA DISSENTERIA.

Non secus vbi Mercurius intestinorum Anatomiam subierit, illorum quoque morbos causare aptus est: fiunt itaque ex illo quandoque alui fluores, per quos non stercora solum aliæque superfluitates, sed & vtilis corporis substãtia per aluum descendunt, causante idipsum Medicamenti venenosa malignitate, quod si venenosam illam Medicinam in igneum conuerti calorem contigerit, alui fluores lethales ac perpetuos efficiet.

DE NOVIS LATERVM PVNctionibus.

Vehementium medicamentorum, quæ in curatione Luis Gallicæ vulgus Medicorum adhibere solet, ea est malignitas, vt nisi iusto pondere, certa mensura, aptoque tempore exhibeatur, subitò cor petunt, vnde dein laterum punctiones, anhelitus difficultas, læuiores vel molestiores, pro assumpti veneni quantitate affligunt. Quod si veneni malignitas etiam sanguinis massam occupauerit, dum isthæc symptomata non ante sæuire desinunt, donec Suppuratio fiat, morbus scilicet omnibus reliquis morbis, penitus dissimilis, quisque nil nisi ipsissima mors recte dicatur.

Suppuratio morbus pestiferus.

DE NOVA PHRENITIDE.

Vehemens inquam venenum hoc, si quando superna petens capitis ac cerebri interiora subierit, non secus ac aliis in regionibus, subitò in actiones suas prorumpere solet, atque quemadmodum veneni natura est, vt circumiacentes partes arrodat, atque singularibus quibusdam doloris speciebus sese prodat, sic quoque occupata cerebri regione, pro partis illius natura ac habitu, singulari doloris specie affligit, ad quam dein delirium ac mania sequuntur, qui affectus diuturni, an breues, tuti vel lethales futuri sint, ex eo cognoscetur, quatenus venenum illud igneam qualitatem concepisse videbitur.

DE NOVA SITI.

Veneno Epatis regionem subeunte, ab illius agente qualitate epatis siccitas causatur, ad quam sitis necessario sequitur, atque sane sitim facere, quoduis venenum aptum est, cùm omne venenum epar affligat, ipsum autem sitis sit locus quasi affectus, vnde dein multa sitis ad mortem vsque durans affligit, quæ vbi in propinquo fuerit, sitis in lethalem morbum transmutari videbitur, quem morbum ad certum aliquod genus pro sua industria quiuis referre potest: namque vniusmodi semper non est.

Sitis fit à calore Epatis.

DE NOVIS MENSTRVIS AC vteris affectionibus.

Similiter ex inconuenientibus remediis, quæ quandoque mulieribus, quæ Lue Gallica laborant, exhibentur, quemadmodum in intestinis alui fluores, sic in vtero Mensium inordinatæ ac intempestiuæ ruptiones causantur, proinde donec Medicamenti malignitas ac virulentia vteri Anatomiam occupauerit, ne speres sanitati restitui affectam mulierem posse. Non secus etiam, veluti veneni huius vsus epar, cerebrum, &c. inficit hydropem aliasque affectiones generat, sic vbi vteri internas regiones ipsum subierit, sterilitatem efficit, veneni malignitate spermatis bonitatem corrumpente. Itaque vbi à Mercurij frigida intemperie vterus refrigeratus fuerit, pro veris Mensibus, Lochia seu alba menstrua prodire videbuntur, donec omnis veneni malignitas extincta esse appareat.

Vterij affectiones vt fiant.

DE NOVA LEPRA.

Venena atque ipsorum illegitimum vsum hactenus propagatum non intrinsecus solum, sed etiam externa corporis superficie actionibus suis morbos generare posse, ij facile intelligunt, qui ab adhibitione ipsorum pustulas, escharas, partiumque decolorationes factas esse aliquando obseruarunt, generationis autem modus sic ferè habet, vbi vis veneni intrinsecus in corpore imminuta non est, tùm ea extra fertur, atque quà parte maximè illi commodum est, in conspectum prodit, lepraque efficitur. Simile quippiam accidere obseruatum est, in quibusdam corporibus, quæ cùm defluxionibus obnoxia essent, Mercurio curari attentata sunt, qui cùm fluxioni illi iunctus fuisset, non secus ac Lepra extra prorupit. Non dissimile de Morphea, Herpete, Phlyctenis &c. aliisque affectionibus cutaneis iudicium esse, facile intelligent, qui Lepræ rectam absolutamque cognitionem habuerint.

In defluxionibus abusus Mercurij.

DE NOVO ERYSIPELATE.

Noui Erysipelatis origo ex defluxionibus typicis ferè est, hoc est, vbi certis periodis solitæ fieri defluxiones, quibus tota corporis moles expurgabatur, Medicorum imperitia retrò pulsæ, meatusque obstructi fuerint, non potente amplius sese exonerare natura, tum subitò rigores, horrores punctiones, angustiæ pectoris, aliaque in inuasionibus Febriũ Biliosarum ac Pestilentium vulgata corripiunt, atq; præter hec rubri quoq; tumores, eiusdemq; coloris

Febrium symptomata vnde.

coloris maculæ erumpunt. Hoc inquam erysipelas quandoque fœliciter, quandoque minus curatur, atque ferè vbi perperam curatum est, corpetit, ac non mediocre capitis periculum conciliat.

DE NOVO IGNE PERSICO.

Quemadmodum notum vobis est, venena Arsenici, Auripigmenti, Mercurij, &c. causticam quandam virtutem participare, sic ipsa quando corpori, vt ipsum alterent, adhibentur, si ignea vi non aliquantum obliterata excelluerit, pro consueta sua natura inflammationem quandam machinantur, maximè si centrum suæ Anatomiæ occupauerint.

DE NOVA PHAGEDENA.

Vlcera depascētia. Similiter si eadem ipsa caustica vis non integram cutem, sed aliqua parte, qua ipsa vlcerata est, attigerit, vlcera depascentia Luporum instar efficit, in quorum curatione (de qua deinceps plura) nil opus est, de loco affecto sollicitum esse: siquidem omni corporis parte tale vlcus efficere, venenum hoc satis efficax est.

DE NOVO CARCINOMATE.

Cancer vt fiat. Non alia ratione in veneno depascens quædam virulentia inest, ex qua & ipsa vlcera eandem concipiunt, quam aliàs sua natura non haberent, atque hinc fore carcinomata noua generari manifestum est.

CAP. XXII.
De Fucatis Quibusdam Morbis.

SCiendum quoque venenum hoc quandoque aliquem morbum occupare, eumque sic transmutare, vt impossibile posthac sit, eum eiusque essentiam absolutè perfecteque internosci: namque à veneno & noui morbi generari, & inueterati transmutari facile possunt. Hoc in Podagra ac similibus affectionibus non difficulter animaduertitur: etenim si huiusmodi venenosum remedium in morbi alterius Anatomiam incidat, ibique dominium exerceat, procliue est Podagram cum Lupo, verbi causa, vel carcinomate, vel initiis Lepræ, vel aliis quibuscumque morbis suprà enumeratis: vt sunt Erysipelas, Gangræna, &c. complicatam generari. Possibile etenim vt huiusmodi venenum quemcunq; morbum in alium transmutet, maximè vbi plurimi inordinatè inuicem cōmixti fuerint, atqui hinc ortos morbos nemo facilè cognouerit, nisi cui venenorū vis perfectè perspecta sit. Itaq; accuratè Medici perpendere debent, an veneni aliqua portio morbum comitetur, necne, atque quemadmodum illud vires suas exerat dispicere. Namq; ex Luis Gallicæ origine ac curatione, duplex morborū genus primitus existere potest: alterum, de quo secundo libro disseruimus, alterum quod deprauatam curationem subsequitur, de quo præsenti libro sermo institutus est, quamuis non inficior morbos hîc non omnes appellari, attamen ij ferè describuntur, qui nostra ætate vulgariter grassantur, quòd si posthac alij emergent, ex iam propositis fundamentis, quiuis illorum originem, causas ac curandi rationem facilè cognoscet. Itaque iam consequenter Receptas describam pro curatione eorum morborum, qui hoc tertio libro continentur.

Podagra cum Lue Gallica complicata vt fiat.

Duo morborum deprauatorum genera.

CAPVT XXIII.

ATque vt tandem curationem Luis Gallicæ, eius nimirum quæ perperam ab Impostoribus curata, varia morborum genera produxit, describamus, tempestiuum esse videtur, verum alicui hic forsitan præter decorum facere videar, quòd meæ Facultatis homines erroris insimulo: atqui candidiores iudices meum propositum sinistrè non interpretaturos puto, cùm necessitas sic postulare videatur. Sed vtut sit, nos nostra pertractemus, vbi obseruādum, duplicem me curandi rationem instiuere, quarum prior est, in correctione communium deprauationis omnium morborum causarum, cuiusmodi sunt vnctiones, Lotiones, fumigationes, ligni incōcinnus vsus, aliaque huiusmodi: nam ab istis remediis omnibus ferè ægris, qui horum veterinariorum curæ se committūt, ineuitabile periculum imminet. Altera curationis ratio est, vt commune venenum eiusque noxam rectè dignoscamus atque curemus. Notandum autem hîc est, cæteras imposturas vt sunt quæ sectione, vstione, corrosione &c. cōmittuntur, aliam ac singularem curationem quàm supra commemoratur, obtinere: itaque singulares regulas præscribendas esse, quod nos deinceps quantum in nobis erit, accuratè præstare studebimus: alterā de vnctionibus, alteram de sectionibus, eiusque similibus tractationem descripturi. Quæ verò alia damna, ab aliis remediorum formis, ab impostoribus inferūtur, omnia hic describi ac corrigi non posse non inficior: non enim libelli breuitas hoc patitur: ad hæc si singula describere vellemus, de singulis imposturis, singulos nouos tractatus conscribere oporteret. Nostri autem propositi ratio ad Praxin vsque solummodo hic extenditur, cum alibi non desint occasiones, vbi copiosius de Theorematis disseramus: veluti in eo libro cui titulum fecimus, quid Morbus Gallicus in futuro efficere possit, quidque mali ex inconcinna curatione metuendum. Itaque hāc succinctam Praxin æquo animo suscipiatis oro, rogans interim quoq; ne nouas descriptiones nostras contemnatis, siquidem vobis ipsis conscij sitis, vos in omni vestra scientia, ne minimum quidem remedium quod nouo huic morbo aduersaretur inuenire potuisse: ne ergo pigeat quæso noua atque nostra addiscere, cogitate obsecro vestras hucusque ad vos propagatas receptas sola eloquentia ac sophistica niti, cætera nullius penitus vtilitatis esse. Cæterùm non dubito, paucos vestrûm subsequentes nostras Receptarum descriptiones intellecturos esse, cùm in iis scholis, in quibus vos Medicinæ olim studuistis casualia potius, quàm quæ reuera sic se habeant, proponantur.

Casualia scholis docent.

CAPVT XXIV.
De restituendis iis, qui vnctionibus, lotionibus, suffumigiis, &c. corrupti sunt.

ARgentum viuum quod vestris imposturis, vnctionibus scilicet, lotionibus, suffumigiis, &c. intra corpus compulsum est, illic

illic delitescens omnino, quò minus recta curatio procedat, Mercuriali sua vi prohibet: quin & nouorum morborum, (qui curationi supra quàm credibile sit, inobedientes euadũt) occasiones subinde præbet, ex quibus duobus signis, ceu tecmirijs colligere medicus potest, an ab Argento viuo malum extiterit: sunt enim qui glorientur se Mercurium extinguere posse, hic calcinationem, ille Sublimationem, tertius hoc, quartus illud profitentes, cùm tamen omnibus modis adhuc verus Mercurius permaneat. Itaque omnes hi morbi sub vnam generalem curationis rationem colligãtur: siquidem nullus morbus deprauari potest, qui non suæ deprauationis cõcausã habeat. Mercurium hinc ergo tribus in vniuersum modis extra corpus propelli posse docebimus. Primus modus per Corallatum, alter per Aurum Diaphoreticum, Tertius per Thermas Iassę absoluitur. Methodi huius nostræ, hęc ferè ratio existit, Corallatum purgatio est, qua axungia, Euphorbium, Lythargirus, aliaque in impostura enumerata, quæ vnà cum Mercurio adhibere soletis, ex corpore expurgantur: etenim impossibile est, istis non prius medio Corallati expurgatis, Mercurium ex corpore educi. Dein facta purgatione, sudor promouendus, exhibita iusta quantitate Auri Diaphoretici, hoc vero necessario exhibebimus, quòd nullũ aliud remedium inuenire impossibile sit, præter hoc Aurum. Tertio denique balneum præparandum, ex Iassa incocta in aquis Thermarum, in eoque balneandus æger, iuxta vulgatas balneaium leges. Istis ergo tribus remediis Mercurium ex corpore educi, necesse erit, quo educto, quæuis reliqua remedia pro voto actiones suas exerent.

Mercurij fabulosæ extinctiones.

Corallatum. Aurum Diaphoreticum. Thermę Iassæ.

CAPVT XXV.

Corallati itaque descriptio in hunc fere modum habet. Recipe Liquorem Aquili, quẽ exsiccatũm in Liquore Vitrioli præparato, imbibito dein, veluti à Calcinato Tartaro spiritum abstrahere Chemicorum regulæ præcipiunt, spiritum abstrahemus, atque tum Corallatum confectum erit. Cuius dosis & adhibendi modus erunt, vt granum vnum in ʒj. Theriacæ vel Metridatij, pro respectu personæ ter, quatérue exhibeatur.

Corallati usus

Descriptio vero Auri diaphoretici, huiusmodi est: ℞ Auri ʒj. ex qua duæ patellę fabricentur, ac per essentiam vini secundum artem, in primo gradu Athanaris, illæ in Liquorem resoluantur: dosis est, vt grana tria in vino semel, vel bis exhibeantur.

Post hæc: duobus nimirum istis remediis, iuxta artis præcepta vsurpatis, an tertio, balneo scilicet opus sit, circumspiciendum. Est autem Iassa, Persicaria senior, vel Aquilegium, vel denique Serpentinæ quædam species, cuius præparatio sic perficienda. Recipe Aquę sulfureæ de Thermis quantum sufficit in qua incoquantur herbæ predictę, balneenturque ægri, nulla symptomatum paralyseos, vlcerum, ac tumorum, &c. habita ratione. His hunc ad modum adhibitis, si quid in corpore de Argento viuo contentum fuerit, omne expellitur, atque artus ad suscipienda reliqua remedia vires satis magnas acquirunt. Hanc autem methodum curandi omnibus quicunque ex vsu Mercurij damnum perceperunt, medendum erit: quòd nisi præstetur, numquã ad aliquam frugem ægro perduci possibile erit: namque ceteraremedia naturam penitus non recipere sæpissimè à nobis obseruatum est. Neque quemquam Rescripta nostra terreant, quòd non iuxta vulgarem pharmacopœorum consuetudinem composita sint: namque in pharmacopœorum officinis nata non sũt: quare si quis ea non intelligat, scholas in quibus docentur (Chemicas nimirum officinas) adeat: ibique addiscat: nemo namque vestrûm suopte marte tam eruditus est: vt de istis ex suo cerebro ratiocinari possit, sed omnino tyrocinia artis medico prius ponenda sunt.

Auri Diaphoretici usus.

Mercurij incommoda vt curentur

De Ægris restituendis Qui ex purgatione, sudatione, & Chemicorum experimentis morbos contraxerunt.

CAPVT XXVI.

Qvamuis turpe sit incommoda, atque errores circa vsum ligni à Medicis committi solitos describere, tamen cùm etiam rebus pro arbitrio succedentibus periculum non mediocre concilietur, atque in non leue discrimen naturæ bonitas deducatur, in illos animaduerte operæ pretium duximus. Quis enim ferat vestra culpa naturæ semitas interrumpi, eaque dilacerari, quæ natura omnibus modis integra seruare nititur? Ex quo sequitur, post huiusmodi curationem, corruptionem illam naturæ ante omnia oppugnandam esse suoque nitori ac integritati restituendam, quoniam ista restitutione procurata, morbus ex inconcinna curatione contractus ad suscipiendam vtilis remedij actionem dispositus redditur. Corrupta autem ista multis modis euenit: ac primo quidem purgatione, naturæ corruptio infertur omnibus modis, deinceps iterum resarcienda. Secundo corrumpitur naturæ temperamentum ab immoderato Ligni Guaiacani vsu: perinde enim vt diuturnis siccitatibus flores emarcescunt, terra illis debitum alimentum non suppeditante, sic hagyoxyli vsus corporis vtile nutrimentum exsiccans, ipsum in Marcorem deducit. Quin & aliæ quoque remediorum formulę, non secus ac iam commemoratæ multis modis naturę bonitatem corrumpunt, ipsius nimirum nutrimento absumpto: namque corpus quod ad tẽpus non alitur, refrigeratur, marcescit, ac viribus imminuitur, atque etiamsi postea iterum exhibito nutrimento humectetur, illa tamen humectatio tantum abest, vt aliquem vsum præstet, vt etiam omnis putredinis mater rectissimè appellari possit. Proinde suum ius corpori tribuat: siquidem nisi concinno id tempore fit, etsi fiat postea, nil tamen aliud efficitur, vt noua generata humiditate, quascunque illa partes attigerit putredo, quasi per contagium serpat, atque noui planè morbi generentur, quibus resistere impossibile sit, nisi suo iure corpori concesso. Hos ergo vestra culpa manufactos quodammodo morbos curare atque naturæ illatam iniuriam sarcire edocturus, nil mirum si à

Purgationis noxa.

Ligni Sancti noxa.

Putredinis noxa

siâ Compositis seu Rescriptis Mesuæ, Auicennæ, Rasis, Galeni, &c. discessero, cùm nec apud illos, nec in libris de simplicibus ac Gradibus quidquam, quo hisce malis occurrere queas, reperiatur.

CAP. XXVII.

ITaque primum quod præstare oportebit, illud est, vt naturam eò bonitatis reducamus, quò alimentum sibi iure debitum iterum recipiat, atque sibi apponat, & assimilet, quod quomodo præstari possit, sic intelligendum: Humanæ naturæ ea conditio est, vt ipsa quamuis corrupta, ab Astronomicis artificibus in suum tramitem reduci sese patiatur: curandum ergo, vt naturam eò deducamus iterum, vt ipsa quod terra suppeditat remedium, à cœlo, vt libenter recipiat disponatur: nisi enim hoc procuretur, impossibile erit corruptionem illam resarciri. Quocirca Medici operam dent moneo, vt Astronomiæ cognitionem sibi comparent: siquidem absque illa nemo verus Medicus dici possit, sed Experimentator saltem. Quia ergo cœli generans vis atque facultas eiusmodi est, vt etiam ea quæ hominum imperitia corrupta sunt, restituat, sequitur hac habita, ad terrestrem Medicinam, quæ roris vel pluuiæ instar se habet, progrediendum esse: huius autem non vnum solummodo genus est, sed plura à pluribus commonstrantur: sunt qui huius vnius vsu donec cœlum suam operationem absoluerit, suam quoque perficere conentur. Nos methodi commodioris causa Medicinas bifariam diuidamus, alias viris, alias Mulieribus tribuentes, vtrisque nimirum binas: Mulieribus competunt Melissa, & Valeriana: Viris vero Lignum aloës, & Antimonium, has inquam Medicinas in suam primam materiam reducere oportet, hoc est, ab illis omnis terrestreitas remouenda. Reductionis huius seu præparationis varij modi, apud varios artifices reperiuntur, quorum nullum hîc annotare volumus, cùm rerum imperitos sciam ex suo cerebro speculaturos noua esse, quibus nostra corrigere conarentur, illi tamen aliud nil efficerent, quàm vt omnia peiore conditione facerent. Dosim quoque legitimam eruditis metiendam eadem de causa relinquo, tum quòd de his aliisue Arcanis in Archidoxorum libris nostris abunde à nobis disputatum sit. Hæc remedia vbi vna cùm cœli conuersione suum mensem adsoluerint, tum infra scriptorum remediorum vsus subsequatur: nimirum vt in viris Oleum salis viridis, in mulieribus Liquor de Carabe vsurpetur, quorum etiam remediorum præparationem vtpote vsuperitis, satis cognitam nos ad cæterorum Arcanorum præparationem reiecimus. Denique tribus istis successione quadam iunctis, cœli nimirum conuersione Arcanis, atque finali remedio, corpus suæ integritati restitutum esse, neutiquam dubitandum erit, quod si interim adhuc aliqui morbi corpore hærere vedeantur, eosdem concinnis remediis pellere non difficile erit. Sin ista vsurpata non fuerint, etiamsi à vero scopo ac tramite non aberres (quantum ad postremam curationem attinet) tamen curationem absoluere impossibile erit.

Humanę naturæ cōditio.

Astronomię vsus.

Remediorum diuisio Viris vtilis Mulieribus vtilia.

Dosis remediorū tribuitur solis eruditis.

Curandi methodus.

CAP. XXVIII.

De Restituendis iis qui à Fluxionum diuersione corrupti sunt.

IMposturæ huius rationem multiplicem abunde superius à nobis explicatam esse persuasum habemus summa ferè dictorum fuit, quod dum exitum obstruunt, fontem fluxionis intactum relinquentes, necessariam regurgitationem, atque aliis in locis fluxionis eruptionem efficiant, vnde dein posterius malum priore multis modis grauius atque deterius euadat. Propositum itaque præsente loco est nobis, fontem, qui ab Impostoribus relictus est, quo pacto demoliri oporteat ostendere, vbi obseruare potissimum conuenit, omnino ne ipse curetur vel obstruatur, cauendum esse namque fonte ac radice mali integra manente, quantumuis aliàs ad speciem curatio facta esse videatur, curatio tamen neutiquàm dici potest vel debet: namque donec morbi radix intacta fuerit, de bona curatione gloriari non poterimus, itaque ad fontem ipsum penetrandum. Sciendum præterea ex huiusmodi Impostura plurimos adhuc morbos generari, qui ad morbos Chirurgicos referri possint, quibus morbis intra simul ac extrà, varias remediorum formas adhibent Medici, non intelligentes fontem mali interius in corpore latentem potius oppugnandum fuisse, quo fonte non oppugnato, omnis in cassum labor est, ne itaque frustra laborent, quandoque Medici, sequentem methodum curandi, meo consilio vtiliter obseruabunt. Fontem ergo mali cùm ante omnia auferre necesse sit, considerandum primo medico erit, quibus occasionibus fluxionis illa via obstructa sit, hoc est, an per Mercurium hoc perpetratum fuerit: non raro enim ex vsu Mercurij fluxionum meatus obstructos fuisse obseruauimus, vnde dein multa grauia mala ortum duxerunt: an vero meatum imperitus aliquis Chirurgus obstruxerit, veluti in examine Imposturę admonuimus. Vbi ergo à Mercurio meatus obstructi sunt, iuxta præscriptos Canones Mercurium expurgare, ac ab eius inquinamento mundum corpus reddere Medicus debebit, quo facto, iam morbus solus atque simplex est, quem iuxta methodum liberandarum obstructionum infra descriptam haud difficile fuerit. Sin non Mercurius, sed Sparadrapum, aliaue forsan fluxionum curandarum vulgaribus medicis vsurpata ratio, mali causa fuerit, curationem exterioris mali intermittes, atque ad fontem oppugnandum te conferes, in quo destruendo si quid profeceris, benè est: sin frustra laboratum sit, sequenti methodo vteris. Tota obstructarum fluxionum curatio, quantum experientia hactenus didicimus, tribus istis remediis absoluitur: Auro Diaphoretico, Succo Tartari, & Colcothar. Succus quidem Tartari hoc efficere videtur, vt in Epate, Liene, Cysti Fellis, Renibus, aliisque internis visceribus, nulla penitus fluxio radices agere possit. Colcothar vero prohibet, ne illis in partibus fonte mali constituto, cæteri artus exteriores illam fluxionem recipere cogantur. Denique auri Diaphoretici officium est, vt nullam toto corpore fluxionem, quæ intus vel extrà vlceratio-nem

Fontes morborū negligūt medici.

Obstructio à quo causa fit, vt intelligatur.

Obstructorum meatuū curatio. Succi Tartari vsus. Colcothar quid faciat. Auri Diaphoretici vsus.

nem causare possit, generari patiatur. Verum ista remedia incognita forsan erunt illis Medicis, qui sola vrinarum inspectione, syruporum ac Pillularum confectione, aliisque hoc genus nugis occupantur, quorum tamen nos nil moramur conuitia, cùm numquam experientia nobiscum pugnaturi sint. Itaque commemorata remedia, non nobis solum, sed & aliis artificibus nota, corrigere vel augere visum non fuit: sufficiat admonuisse, plus ipsorum viribus: quàm vulgaris remediorum descriptionibus tribuendum esse. Iis vero qui experientia destituti sunt, multæ paginæ cùm non sufficiant, vt sufficienter instruantur, quid opus est multum defatigari? Denique Dosim horum remediorum quod attinet, quia vsuperitis, eam incognitam non esse nobis constat, eam annotare noluimus. Dosis.

CAPVT XXIX.

De Restituendis iis, qui sectionibus ac vstionibus corrupti sunt.

QVamuis proposito nostro hic, non vt necessitas postulare videbatur, satisfacere queamus, hoc est, vt id quod corruptum medicorum imperitia est, restituamus: nemo enim os fractum, cariosum, sphacelatum, &c. facilè, si maximè velit, restituet, tamen, quantum in nobis est, omnibus mobis Imposturis, quæ ossa corruperunt resistere conabimur. Imposturæ certè hæ non ossa modo, sed & artus, aliaq; membra sic extenuarunt, vt salutem sperare vix liceat, itaque hæc ceu impossibilia fato relinquenda: at vbi caro vel ei simile quidpiam abscisũ est, quod reparari natura patiatur, illud iuxta vulgares canones recomplendum denuo erit, quare de illo nihil singulare hic precipiẽdum esse duximus. Veruntamen vt de ossibus quoque sermonem continuemus, obseruandũ vbi sphacelos plane nondum radices egerit, ad officium Medici pertinere, vt morbi perfectio ac status præcaueatur. Quod fiat, Mercurium iuxta prædictos canones extra corpus exturbando, atque reliquum morbi quemadmodum de curatione noui ignis Persici, infra præcipietur, curando. Cæterum quod noua ossa in præsectorum ac exemptorum locum quidam imlocum quidam impostores reponere conatur, hoc impossibile in natura rerum est, nisi forsan defensionis causa huiusmodi quiddam fiat. Obseruandum præterea huiusmodi affectus in numero ex præscripto trium præcedentium capitum percurari posse. Iam tandem ergo finem faciamus præceptorum curationis ac ablationis primarum materiarum, quæ ceu cõmunes causæ corpus infestant, in quorum vsu obseruandum corallarij loco est, antequam curationem aggrediaris, corpus expurgandum esse, sicq; opus expediendum, cuius nos rationis aliquot exempla consequenter annotare non infrugiferum duximus.

Ossium morbi ncaueã tur oportet.

Primæ materię sunt causæ morborum.

CAP. XXX.

De nouorum Morborum ex deprauata Lue Gallica exortorum curatione.

PRriusquàm alicuius morbi curationem medicus auspicetur, antedicta expurgatione vtendum erit: dein si morbus aliquis recens adsit, considera, ad quam extirpandam canonibus veterum probatorum scriptorum vtaris, vt sequitur, in curationem sic incumbito, quasi eam perfectam cupias esse, quod efficies Recipiendo mediam dosim cuiusuis Rescripti veterum, & addendo pro reliqua medietate, in singulis morbis, singulas subscriptorum remediorum (quæ semper in promptu habere medicus debet) doses integras.

Vetæ dotes nouorum & antiquorum remediorum.

REMEDIVM IN NOVA HECTICA.

Victus esto Brodium caulium, & carnium animalium castratorum. Medicamentum verò Mummia Compacta, vtroque autem vtendum, donec absoluta curatio videatur.

Mummia cõpacta.

IN NOVA PHTHOE.

Victus ratio non admodum euariet à priore, de remedio vero, subtriplum esto ad Sulfur præparatum cum Calchothar, sic scilicet, vt humidam acquirat consistentiam, quam ad duplum augere licebit, atque vulgata dosi exhibere.

IN NOVA HYDROPE.

Victus ratio veterum obseruetur, Medicamentorum quoque ratio antiquis vsurpata non repudietur, verum singulis quatuor diebus ante & post medicamenti exhibitionem, offeratur Crocus Reuerberatus, tandémque cum Electuario Diacubebe curatio absoluatur. Dosis Croci est ℥ ß. mane & vesperi, eademque Diacubebes interdiu.

Diacubebe.

IN NOVIS APOSTEMATIBVS.

Diætæ formula immutata esto, veterúmque medicamenta curationem ex dimidio faciant, reliqua vero morbi medietas residua, cum Tartaro Correcto, quem nos Crepinum introuersum appellamus, persanetur.

Crepinus.

IN NOVA PVLMONIA.

Diæta perinde, ac veterum victus ratio obseruetur, atqui medicamenta veterum penitus repudianda sunt: exhibe vero mane & vesperi Aurum Consolidatiuum, ac Liquore Serpentinæ, donec signa aliqua huius morbi superfuerunt.

Liquor Serpentinæ.

IN NOVA NEPHRITIDE.

Regimen victus omittatur, vtere curatione veterum per diuretica, ad medietatem curationis, reliquum Alcali Crystallino absoluito: námque isto medicamento mirè gaudent Renales morbi.

Alcali crystallinum.

IN NOVIS VENTRICVLI AFFECTIBVS.

Antiqua diætę formula sarta tectáque seruetur, post cibum sumptum Galanga mane & vesperi deuoretur, ante cibum sumptum vero vtile fuerit, Conseruam Anthos cum Oleo Colcotharino Imberberisatá exhibere. Ad hæc nouæ Lunæ tempore mane & vesperi Granum vnum Auri diaphoretici exhibitum mire confert.

Galangæ vsus.

IN NOVA DYSSENTERIA.

Diæta sedulo conseruetur, atque exhibito Laudano fluxus alui sistatur, dein Croco Glauco curatio ad finem vsque deducatur. Deniq; in quartis Lunæ exhibe Rob Acetosum Colchotarinum consistentia mediocri.

Crocus Glaucus

IN NOVA PLEVRITIDE.

Venæsectio primum iuxta vulgatos canones fiat,

fiat; dein Angelica Laudina iuxta dosi exhibita, curationem (quæ nullo alio remedio perfici potest) absoluito.

IN NOVA PHRENITIDE.

Neque remedia, neque Diætam antiquorum respiciens, Cauterisationem locorum Maniæ, iuxta situm quatuor cardinalium ventorum, & motum Firmamenti, machinare, interim tamen Angelicæ Laudinæ, donec curatio perfecta sit, vsus non aspernandus erit.

IN NOVA SITI.

Succus vitriolatus. Abstinentia ac diæta repudiatis, appetitum illum Succo Vitriolato restinguito, & si commodum videatur, sub finem Diacubebe offerto quoque.

IN NOVIS VTERINIS MALIS.

Aurum Lunificatum. Vulgarem diætæ formulam nil cura, sed statim Auro Lunificato, iuxta cœlestis influentiæ canones, id est, respectu habito motus lunæ, qui legitimum exhibendi tempus moderatur, curare conatur.

IN NOVA LEPRA.

Antimonium album. Omissis antiquorum Canonibus, Antimonium album, Mercurium regeneratur, & nonnumquam etiam Liquorem solis dulcem ad curationem huius lepræ, quæ fixa ac permanens non est, vsurpato.

IN NOVO ERYSIPELATE.

Succus Tartari. Victus rationem contemne, Seca venam, Succum Tartari exhiberi ipse postulat, offer. hæc certissima ac facillima Erysipelatis curatio est, neutiquam aspernanda.

IN NOVO IGNE PERSICO.

Auspicare curatione iuxta antiquorum consuetudinem, qua media sui parte absoluta, recentem ei commiscere incipe. Noua autem qua nos vtimur Medicina, Gallreda confecta nobis appellatur. Gallreda confecta.

IN NOVA PHAGEDENA.

Curam Lupi sequere, donec quarta adhuc curationis pars supersit, dein cum Confectione de Lephanteis confecta, & vua versa vsque ad extinctionem materiæ, progredere, sicque curationem perfice. Confectio de Lephanteis.

IN NOVO CARCINOMATE.

Medicamentum Panonicol ad tres septimanas exhibe, ac extrinsecus vulgata diæta vtere. Panonicol.

IN CORRVPTIS MORBIS.

Vtere Auro Liquefacto, Angelica, Laudina, Melissa, Anthimonio vel Mercurio non vulgato, quocumq; libuerit, iuxta suam commodissimam rationem. Catholica remedia.

Atque sic nouos & manufactos morbos enumerasse sufficiat, quorum etsi curationem succinctam attulimus, tamen eruditis copiosa satis videbitur. Interim eos qui rudiores adhuc sunt, oratos etiam atque etiam volo, vt ea quæ adhuc ignorant discere non grauentur, neque contemptum negligant, quemadmodum ij quandoque faciunt, qui suam negligentiam ac imperitiam contemptu scientiæ celare volunt. Considerent quæso omnes conscientiæ suæ integritatem & animæ salutem, cuius reddenda aliquando ratio erit coram eo, cui nihil absconditum esse potest. Epilogus.

FINIS LIBRORVM DE IMPOSTVRIS IN morbo Gallico.

CHIRVRGIAE MAGNAE QVINTÆ PARTIS THEOPHRASTI PARACELSI, LIBER QVARTVS.

IN OCTO ALIOS PARTICVLARES TRACTATVS diuisus, continentes perfectam cognitionis ac curationis Luis Gallicæ Methodum.

PRÆFATIO PARACELSI GENERALIS.

PAVCIS ab hinc diebus tres de Lue Gallica libros in publicum emisimus: vnum de Impostoribus medicis maximè necessarium. Alterum de vero vsu Rmediorum, quæ impostores sua inscitia infamarunt. Tertium de restituendis ægris perperam à Pseudomedicis curatis. Quos singulos antequam de vera ratione curandi disseremus, emitti oportuit, quòd quid in medicina falsum verúmque esset internosci posset. Itaque iam deinceps octo alios conscribemus tractatus, in quibus in eorum gratiam, qui ab imposturis adhuc liberi sunt, de vera ac genuina curandi ratione, ex veris Medicinæ fontibus, disputationem instituimus. Monitos ergo cordatos medicos volo, vt ex horum octo librorum lectione vtilitatem ac necessitatem trium præcedentium tractatuum metiantur, omnibúsque modis studeant, vt quantum in ipsis est, errores ac Imposturæ omnes funditus extirpentur. Quamuis autem Medici ac Doctores, magnam ex nostris scriptis controuersiam exorituram ominentur: tamen neminem ista commoueant iubeo, cùm non arti, sed suæ crumenæ metuant isti homines, nihilq; nisi quod ipsi ignorant contemnere possunt, qui si facundiam, sophismata, vestes, ac inutilem pompam deponerent, stultis quàm simillimè esse ab omnibus iudicarentur.

Trium præcedentium librorum argumenta. Paracelsi scopus in octo libris sequentibus.

DIXI.

THEO-

THEOPHRASTI PARACELSI DE CAVSIS ET ORIGINE LVIS GALLICÆ, LIBER PRIMVS.

Prooemium.

Cœlestis & terrestris causæ in morbis spectandæ.

TRIBVS quos de imposturis Medicorum euulgauimus libris, si nil aliud, hoc certe effecimus, vt non tam procliuis posthac in errores prolapsus sit futurus, nec tam facile homines pseudomedicis istis fidem habituri sint. Namque non solum quid verum, sed etiam quid falsum sit, ad recti absolutam cognitionem pertinere videtur: etenim quomodo bona amplecti, mala deuitare oporteat, vtrumque ad scientiam refertur. Nunc autem præsenti opere primum quidem, quo pacto Medicus non terrestri solum: sed & cœlesti ratione in cognitionem morborum peruenire possit, ostendemus. Ex quo manifestum euadet, quanto errore omnes morbos ex terrestribus causis deduxerit antiquitas, cùm tanta in quibusdam efficiendis cœli efficacia sit, vt iam mirari nil amplius oporteat, veterum quoque receptas omni vsu carere. Neque quisquam est, qui se Medicum esse profiteri audeat, qui quatuor primas matrices, ex quibus omnes morbi prodeunt, cognitas perspectásque non habeat. Itaque nos causas morbi gallici, similiter quoque non corporaliter solum, sed etiam quomodo ex suis matricibus prodeant, ostendemus. Etiamsi autem Medica facultas vel Monspelienses medici mihi aduersabuntur, tamen parum illos moror, siquidem nihilo seipsis doctiores euasisse hactenus obseruauimus: multò autem minus terrent nos medici Germani, multò illis rudiores.

Quatuor primæ morborum radices.

CAPVT I.

Nomina morborũ vnde ducuntur.

PRimo autem ad nomen morbi Gallici quod attinet, obseruandum, quorumcũque morborum nomina aliquo horum trium modorum confingi. Primus modus est, cùm eruditus medicus huiusmodi nomen confingit, vt nomen atque morbus simili planè ratione sese habeant, hinc Febris nomine ineruditi medici valde abuti conspiciuntur. Secundus modus est, cùm morbo nomen inditur, à symptomatis quadam similitudine: sic Caduci nomen à Casu, qui maximè in illo affectu elucet, originem duxit. Tertio, vbi aliquis morbus alicui regioni endemius, apud exteras quoque nationes nomen suum retinet: vt cum Persicum à Persia dicimus. Veruntamen obseruandum, duos posteriores appellandi modos, vt Caduci & Persici, medico indignos esse, sed nomina potius confingenda esse, quæ morbi materiam ostendant, atque tanta quidem proprietatis habita ratione vt illud nomen affectum hunc ab omnibus cæteris morbis distinguat, quemadmodum pyri nomen, pyri proprietatem insinuans ipsam ab omnibus reliquis arboribus discernit.

Caduci nomen vnde.

Atqui in appellatione huius Gallicæ luis mirificè luserunt primi authores: primum enim quod cum variis morbis quandam similitudinem habere videbantur, rudiores medici qui affectus ab inuicem subtiliter distinguere gnari non erant, eorum affectuum nominibus quos referre videbãtur, nuncuparunt, vt Mentagræ, Pustularum, Furfurum, &c. Veruntamen inter omnia nomina regionis solummodo nomen durabile fuit: meritò enim eius regionis nomen quæ morbum primò suppeditauit, reseruandum erat, vt scilicet Morbus Gallicus, seu Lues Gallica diceretur, ad hæc illa regio illius morbi astro immediante subiecta fuit. Sed meminisse decet iuxta artẽ rectius à materia LVXVM, ab influxu VENEREM, à remedio CREPINVM dici.

Luis Gallicæ nomen vnde.

Luxus, Venus, Crepinus.

CAP. II.

QVomodo autem affectus hic primum ad nos pertinuerit, sic breuiter intelligite. Antiquorum medicorum seculis inusitatum fuit, vt omnium vlcerum species ac differentiæ apto ordine conscriberentur, atque singulis speciebus sua singularia, longóque vsu cõprobata remedia subiungerentur, qua occasione facile erat quemuis affectum subitò curare. Verum tempore consequente (tẽpus enim omnibus rebus corruptionẽ adfert) cùm iunioribus hæc curandi ratio non sic ex voto succederet, factum est, vt à Petro de Argillata, Guidone, aliisq; huius farinæ Barbaris medicis nouæ singulorum morborum curationes, nouæq; causæ ædificarentur: neq; id planè sine causa, quoniam, quod certissimis rationibus confirmari potest, illa ætate rudimenta quædam luis Gallicæ iam apparere cœperant, cui vt mederẽtur, noua certè experientia (in qua indaganda mire luserunt boni illi homines) opus fuit, quod si tam manifestus tum temporis fuisset morbus ac nunc est, forsan non tanta difficultate illius remedia indagare eos oportuisset. Etenim omnis morbus dum adhuc recens est, cognitu difficillimus existit, plurimumq; negotij medico facessit, quod si quis tum veterũ placitis omnino inhærere conetur, neq; consideret morbos alios in aliorum locũ succedere, hoc est, noua influentia ingruẽte, nouos morbos prioribus antiquatis subiti existere: is certè sui erroris met causa est, dum scripta aliorum nimium torquet: quantumq; in confundendis morbis virium habeat influẽtia, non obseruat: hinc nimirum tot Receptarum formulæ inutiles primitus extiterunt. Proinde decebit, vt medicus non corporalem solummodo naturæ cursum, sed & cœlestem influentiã ac motum, à quibus morbi gubernantur, intelligat. Itaq; si medicus motuum cœlestium ignarus sit, is necessario in sua Praxi confunderur: quod accidisse videmus Lanfranco, Brunoni, Rogerio,

Antiquorum laus.

Barbari Medici vnde.

Corporalis & cœlestis naturæ cursus.

Rogerio, Argillatæ, Valesco, Vigoni, Bartapaliæ, Guidoni, aliisq; eius farinæ practicis, à quibus certam ac explicatam vel minimi morbi rationem expectare nemini licet: quippe solam experientiam erroneam omnes descripserunt, nullo veritatis habito respectu.

CAP. III.

Quando primum lues extiterit.

ITaque cùm diu multumq; istis difficultatibus exerciti medici essent, accidit tandem sub annum Christi millesimum quadringentesimũ octogesimum, vt subito perfectus morbus Gallicus erumperet, de cuius nomine iam abũdè explicatum est. Quamobrem autem Veneris nomen illi à quibusdã inditum sit, hæc ferè causa est, quòd Venus huius morbi quasi mater quædam sit, & quòd eo ipso tempore Veneris influentia in sua exaltatione fuerit. Gaudent namque mirifice Planetę, si suas vires exercendi occasio se offerat. Verum vir sapiens dominatur astris, dum materiam illam subtrahit, vel præcauet, in quam noxã suam infusuri erãt Planetę: sciendum namq; statim ac influxerunt astra iam suas vires ea explicare. At vbi nondum influxerunt, hic irriti conatus sunt, hinc videmus quamobrem in fatuis ac pueris tam manifestæ sint astrorũ inclinationes (ne dicam actiones) Similiter intelligendum Gallos illa ætate cœlo corpus quoddam subiecisse, in quo Venus suam exaltationẽ exerere ac explicare potuerit. Nimirum vbi Venerem suam exaltationem effundere oportet, hoc nulla alia ratione fieri potest, nisi in intẽperantiore coitu: namq; vbi hic ex illius placito perficitur, tum Imaginatio, Cupido, & Actio influxum morbi causantur. Atq; sic Venus ipsa sanatur, dum morbum in corpus illi subiectum detrudit. Quapropter sciendum Luxuriam ac Veneris intemperantia (quod ex cœli situ comprobare facile est) nulla vnquam ætate magis viguisse, quàm illa ipsa, quam antea annotauimus. Itaq; rectissimè illud nomen (Veneris scilicet influxionis) retinetur, cùm Venerem huius morbi matrẽ esse comprobatum iam sit, adhæc constet, nullũ omnino hominem hoc affectu corripi, nisi qui actum venereum vel vere, vel cum perfecta imaginatione perficiat.

Sapiens dominatur astris

In fatuis & pueris manifeste influunt Planetæ.

Imaginatio, Cupido & Actio influxũ causantur,

CAP. IV.

Luxuriosi qui nõ sunt, nõ corripiũtur lue Gallica.

IN hunc ergo modum publico hoc affectu contigit, vt ille permanentem quandam cõtraheret dispositionem, atque nullum corriperet, nisi qui luxuriæ deditus esset. Atqui sequentibus seculis non semper par fuit Veneris actio ac influxus, sed eius in locum aliæ duæ successerunt soboles seu filiæ, quæ in omnem deinceps ætatem ac sexum, dirum hoc malum propagarunt: namque vel in sanguine vitium inhæret, vel contagione quadam communicatur. In sanguine morbus consistere dicitur, vbi materia quædam luis Gallicæ spermati cõmixta in ipsa cõceptione vitiũ implantauit virtutis generatiuæ beneficio, atq; sic pueri hæreditario iure morbis affligũtur. Sic multi quoque alij morbi hæreditarij generãtur. Notandũ quoque, non in conceptu modo infici fœtum, sed pòst etiam nonnunquam, nimirum vbi post factam conceptionẽ mulier cum contagioso cõcumbens, aliquid spermatis intra matricis cauitatem receperit, vel vbi mater puerum lacte immundo, vel contagione infecto, aluerit, huiusmodi ergo prima veneris soboles est. Secunda verò Contagiũ scilicet est, quod variis etiã modis contrahitur: cõtactu, sudore, affectione, aliisq; non paucis rationibus, quibus venenum conceptum intrò serpit. Hæ inquam duæ Filiæ Veneris hæreditatẽ posthac perpetuo possidebunt, morbumq; fouebunt: namq; abolitum iri hunc morbum sperandum non est, nisi ij, qui potestate harum duarum filiarum sunt, actu venereo posthac omnino abstineant: namque hac cõcausa durãte, perpetuo multiplicabitur morbus, per actum scilicet Luxuriæ, siue id per cõceptionem fiat, siue per contagium. Et sanè si illi qui primo hoc morbo laborarunt, à Venere abstinuissent, subito rursum euanuisset, atque posterioribus seculis planè incognitus foret, vt iam hinc quoque manifestum euadat, ignem hunc non astralem, sed corporalem solummodo esse, hoc est, non à noua influentia generari: namq; quod semel cœlum generauerit, hoc ipsum denuo non generat, sed oportet, si durabile esse debeat, hæreditaria illud successione propagari. Consultum itaque esset, vt lue venerea laborantes, perinde vt Elephantici seorsim ab hominibus distincti viuerent.

Post cõceptum etiam inficitur fœtus.

Contagiũ multis modis contrahitur.

Lues Gallica quando desitura sit.

Astralis ignis quid.

CAP. V.

LVxus autem nomen quod attinet, illud ab influentia, id est, efficiente causa desumptum esse intelligendum est. Est autem luxus irritatio quædam ac titillatus spermatis, ad perficiendum actum venereum, à morbis in corpore latentibus causata, itaque Veneris impressione à morbo in actu ipso facta, tum ex vulgari luxu fit luxus morbi, seu morbidus. Proinde luxus hic non naturalis, sed Satyricus dicendus erit: namq; verus & naturalis luxus inter morbidas causas rectè nõ cõnumeratur, sed ille saltẽ, qui in excessu est. Hinc elucescit, morbi Gallici non paruam cum Lepra cognationẽ esse: similiter namque ac in hoc affectu Luxus à Lepra concitatur: quin non rarò ob Veneris vsum Lues Gallica Lepræ superuenire cernitur: namque Venus Lepram gubernat. Vbi ergo Lepra corpus huius infectionis suppeditauerit, atque vtriusque consensus adfuerit, vt ex stimulatione leprę ad Venerem morbus impressus sit seu generatur. Proinde cùm Luxus mater sit huius affectionis, meritò eius nomen hucusq; propagatum, conseruatumq; fuit: atque vbi luxus euanesceret, tum pustulas abolitas iri dubium non esset. Verum vt Luxus significatio rectius intelligatur, similitudinem hanc obseruent medici. Frumentum verbi causa inspiciamus, ipsũ certe primò à cœlo generatum esse dubium nemini est: nihil enim ex terra nasci potest, quod à cœlo seminatum non sit: nec à primo solum cœlo, sed à secũdo etiam cœlo, terra nimirũ hæreditario quodammodo iure semen ipsum cõseruante: agri scilicet ea virtus est, quæ quod à cœlo seminatũ est, auget atque conseruat, neq; quidquã de agro imminuitur, siue lolium siue triticum crescat: etiamsi enim generato suũ põdus suppeditet, tamen quantitate decrescere non videtur. Similiter in Lue Gallica sine suprema causa nihil generatur, neque quidquam sine inferiore cœlo hæreditario iure propagatur. Sic nihil sine agro suam operationem perficere potest, hinc sequitur, id quod summum cœlum gene-

Luxus nomen vnde desumptũ.

Luxus Satyricus

Morbi Gallici cum lepra cognatio.

Luxus mater luis ac Lepræ.

Luxus vera significatio.

Simile.

generauerit, Venerem ceu inferius cœlum perfecisse, seminatum nimirũ in luxum ceu proprium agrum: namq; superiora sydera nõ agunt, nisi suum agrum habeant in humano corpore.

CAP. VI.

Solis omnes generationes acceptæ ferendæ.

SIc de Sole omnes intelligunt, ipsum Planetam esse, cui omnes in istis inferioribus generationes acceptæ ferendæ sunt. Veruntamẽ eius virtutem, influentiam, ac impressionem in saxis & arena frustraneam ferè esse cernimus, nimirum quia semen illic ceu in agro nullum reconditum est: inutilis quoque actio Soli est in Mari & aquis, quæ piscibus destituuntur. Sic voluntas Veneris frustranea est, vbi luxus eius impressioni locum nullum concedis, atque quemadmodum ros & pluuia operationẽ Solis accelerare cernuntur, vbi ad eam accesserint: sic intelligendum Veneris quasi socias quasdam esse Cupidinem, & Imaginationem cum Actione: namque neque ros, neque pluuia sine actione fiunt, atque veluti initio ros & pluuia nihil sunt, in tanta tamen corpora euadunt: sic Cupido ac Imaginatio in suis principiis nihil quidẽ adhuc sunt, sed luxui tamen rorem ac pluuiã suppeditant, dum in actu in corpora commutantur, ac Veneris impressionem promouent, perinde etiam ac sine rore ac pluuia Solis operatio frustranea est, inutilisq; Solis terrestris actio: sic etsi Venus luxum infecerit, atque Gallicam luem generauerit, tamen si Cupido & Imaginatio extinguantur, impressio illa exiccatur, & in nihilum abit. Itaque cùm in singulis impressionibus valere possit, hoc exemplum quod de Sole attulimus, sedulo illu d annotasse vtile fuerit. Summa autem dictorum hæc est, quòd quemadmodum vbi siligo non seminatur, illic illa non generatur: sic vbi Luxus nullus est, finis morbi Gallici nullus erit, proinde non incommode Luxus agricolæ, sperma agro in quo venerea lues actionem suam perficiat, comparatur.

Veneris voluntas quando non necessaria.

Cupido & imaginatio Veneris socię.

CAP. VII.

QVoniam dictum antea est, luem Gallicam sine aliquo alio affectu generari non posse, idq; necessariò interueniente Luxu, quomodo id eueniat, breuiter explicandum nobis est. Omnes morbi qui intra corpus cõsistunt (quos Chirurgicos morbos vulgus appellare solet, ob id quod ferè extra corpus erumpant) innaturalem quendam coitum concitant, suprà quàm aliàs fieri vsitatum sit. Coitu hoc, seu potius appetitu ad coitũ, ingruente, incredibilis prurigo, non aliter ac in scabie, serpigine, pruritu, cicatricibus, &c. affligere solet, intrinsecus euenire conspicitur. Intrinsecus ergo in hunc modum titillatione molestante, ipsa ad vasa spermatica, ac orificiũ vuluæ, aliaq; loca, in quibus Lux^e exaltari solet, maximè decurrere sentitur. Ex hac dein exaltatione irritantis naturæ tandẽ actus ille erumpit, qui ex vtraq; parte, si præternaturalis fuerit, iã necessariò noui morbi principiũ existit: in actu enim vtriusq; naturæ, maris scilicet & fœminæ commiscentur tam in bono, quàm in malo, tandemq; post absolutũ coitum quilibet id quod cõmunicatũ illi ab alio est, reseruat, ac retro per suos meatus recurrente virtute spermatica, per illos meatus illud vitiũ ad suum principiũ redit, ibiq; venenũ radices agit, atque in primo illo loco nil remanet, nisi quod initio conceptum fuerat. Ex quo intelligẽdum, quod huiusmodi retractio, seu potius emeatio, ad sua principia, prout fortis vel debilis, clemẽs vel venenosa fuerit, commodo tẽpore, celerius scil. vel tardius, certis locis morbi huius principia prodat, ac repræsẽtet. Huiusmodi ergo luis Gallicæ origo est, quòd scilicet ipsa ex inueteratis morbis originem ducat, interueniente Luxu ac Veneris constellatione, per coitum viri ac mulieris morbum ipsum transmutante.

Satyriasis morbis Chirurgicis imitatur.

Titillatio vuluę, ac Olei.

Morbi vt per coitũ generentur.

CAP. VIII.

COnstat ergo luem Gallicam per se nouum corpus nullum producere, sed saltẽ inueterata morborũ corpora immutare, quod sic intelligendum. Cõstat hydropem vnà cũ suo corpore in humano corpore reconditam iacere, atque vnum quiddam esse, aquositatẽ suam coniunctam habens, ex nullo alio genitum, quàm ex aqua seu sero in corpore consistente. Sic quoque Icterus proprium suum corpus habet. Non autẽ similiter in lue Gallica res sese habent: proinde impossibile est illam integrum ac illibatũ corpus commaculare, sed illa saltem corpora, quæ luxum faciunt: ex illis enim corporibus, illaq; materia per transmutationem fieri potest morbus Gallicus. Vbi autem huiusmodi corpora non sunt, illic morbus generari nequit. Quia ergo Lues Gallica talis solummodo morbus est, qui corpus suum in aliis morbis constituit, sequitur ex hoc varias illius differentias esse, neque certis signis, veluti hydrops, febris phrenitis, epilepsia, &c. possunt, internosci ac describi posse. Oportet itaque tot differentias luis Gallicæ cõstituere, quot sũt species scabiei, pruriginis, phlyctenarũ, herpetum, scyrrhorũ, pustularum, vlcerũ, aliarumq; continuitatis solutionum: namq; hæc morborũ genera materiæ sunt, atque corpora morbi Gallici. Itaq; studiose in id incumbendũ erit, vt intelligamus, quomodo aliquo morborũ ex prędictis pręsẽte, ipsũ cum lue Gallica coniunctũ esse prædicendũ sit: cùm enim præcedẽtis affectus signa ferè stabilẽ permanentiã habeãt, cũ recẽtib. verò cõfusa sint magnũ artificiũ erit, medicum ipsa à se inuicẽ discernere posse. Etenim noua signa nouũ, inueterata inueteratũ remediũ indicant: vtraq; tamen simplicia vetera sunt, at noua saltem præparandi ratione indigent: proinde antiqua ac recẽtia remedia medicus intelligat, oportet: namq; vetera solummodo scire non sufficit, cùm noua illis successerint.

Hydrops quid, & quomodo in corpore inhęreat.

Luis Gallicæ nulla certa signa sũt.

Signa aræ discernendæ.

CAP. IX.

QVapropter ad perfectã luis Gallicæ cognitionẽ pertinere quoq; videtur, vt omnes continuitatis solutæ species, quotquot vnquã ab antiquis descriptæ ac obseruatæ sunt, in numerato habeantur: nisi enim ipsarum originem, causas, ac curandi rationem omnino perspectam cognitamque quis habeat, is nullum in curatione morbi Gallici operæ precium facturus est: hinc tot paralyses, manufacti morbi, atque mortes etiam ex imperitia medicorũ, in huius affectus curatione conciliatæ fuerunt: namque impossibile est istis incognitis vtilem curationem fieri, ægrumque non perdi. Moniti

Omnes morbi Chirurgicales medico sunt cognoscendi.

niti ergo estote, ne ad curationem luis Gallicæ accedatis, nisi prius absolutè cognitam habeatis curandi Morpheã, Noli me tangere, Alopeciã, Elephantiasim, Polypum, Prurituũ, Naptam, Serpiginem, Hydrophobiam, Nactam, Nattam, Scabiem, Lupum, Ignem Persicum, Fistulas, Pustulas, Scyrrhos, Oedemata, Nodos, Verrucas, Scrofulas, Cambuccam, Bubonem, caua ac depascentia vlcera, vlcera putrida, ac cum calida intéperie coniuncta, Carcinomata, &c. aliásque similes affectiones: quarum omnium curationem perspectas nisi quis habeat, quomodo quæso lui Gallicæ medeatur? cùm lues in istis morbis corpus suum habeat. Quod si antiqua, quæ leuia sunt, ignoras, quid in nouorum ac difficiliorum curatione boni quis à te speret? Quoniam autem non dubito, plerisque medicis iam commemorata morborum nomina, imò ipsos morbos incognitos esse, aliis verò nomina quidem perspecta, rem autem absconditam, meo videre illi indigni sunt, qui medicorum nomen gerant, cùm impostores potius sint, & agyrtæ, architectis similes, qui nec ligna, nec instrumenta sua agnoscant. Hinc ergo discas licet, quanta temeritate moderni medici, Doctores, Chirurgi, Tonsores, Balneatores, Veterinarij, &c. in curationem luis Gallicę sese ingerant, cùm ne minimum quidem ex iam enumeratis malis curare didicerint, ne dicam possint, nisi quantum casus ac fortuna illis concedunt. Veruntamen forsan mirum non est, vulgus Medicinam sibi vsurpare, cùm meæ ætatis Doctores medici, ea sint eruditione, vt ab idiotis non parum differre videantur.

Catalogus morborum qui luis Gallicæ corpus suppeditant.

Casu curant moderni medici

CAP. X.

Cur antiquos quandoque probet.

QVod autem antiquorum authorum scriptis quandoque non omnino aduersariũ me præbeo, causa est, quòd ipsi satis concinna methodo plerorumque morborum chirurgicalium rationes descripserunt: sed hoc dolendum, reliquas therapeuticæ partes ab illis neglectas esse: ieiuna namque excusatio est, cùm se non Medicos, sed Chirurgos esse quidam profitentur, quasi verò aliquem ex suis antesignanis producere queant, qui non medicinæ Chirurgiam quoque coniunxerit. Hyppocrates certè, Galenus, & princeps ipsorum Auicenna, omnes Chirurgi quoque fuerunt, ij tamen eo nomine Chirurgiam descripsisse videntur, quòd Chirurgicales morbi omnes quoque in corpore, quod medici subiectum est, consisterent, itaque nulla penitus excusatio locum inueniet, qua quis se tueri posset, antiquorum medicorum scripta legenda ac cognoscenda non esse, primum namque antiquos affectus (qui leuiores sunt) vbi curare addidiceris, dein in nouorum (quorum magna difficultas est) curatione felicius versaberis. Ad hæc de antiquorum scriptis ac experientia hoc quiuis polliceri sibi potest, magnam ipsorum fuisse in indagatione suæ ætatis morborum, horúmque conuenientibus remediis diligentiam ac industriam, verum à Shcolasticis commentatoribus adeo corrupta ipsorum dogmata fuerunt, vt verum à falso iam non nisi difficillime discernere queas: cuius rei vnicum exemplum adduxisse sufficiat. Auicenna quæ in suo magno Canone conscripsit medicæ, non ipse quidem primus inuenit, sed ab aliis inuenta, quorum ne nomina quidem extant, vt fuit excellens Sophista, solummodo apto ordine digessit, forsan bono animo ac proposito, mala tamen fide: namque veritatem sic implicauit, vt eam discernere non nisi eruditissimi sit hominis. Consultum itaque erit, vt quod experientia suorum præceptorum comprobatum est, diligens lector decerpat, reliqua quæ Auicennæ propria sunt, nil nisi sophismata negligat. Similia quoque ab aliis quibusdam medicis perpetrata sunt, inter quos Galenus excelluit, qui ferè ex margaritis silices efficere solitus erat.

Medici præcipui Chirurgi quoque fuerunt.

De antiquorum scriptis quid sibi lector polliceri possit.

Auicenna fuit magnus Sophista.

Galeni calidit.

CAP. XI.

QVoniam autem supra pronunciatum est, luem Gallicam proprio corpore destitui, sed in homine conceptione solum generari, sciendum porro est, ipsius facilem vel difficilem curationem, longitudinem vel breuitatem ex natura eius morbi, qui ei corpus suppeditauit, metiendam esse: quale enim corpus assumit lues hæc, talis quoque ipsius malignitas vel clementia existit, veluti in lepra, Morphea, Cancro, lentigine, &c. cernere licet: accidit enim hîc duorum morborum copulatio, quémadmodum in auro igne liquefacto. Quomodo autem huiusmodi contagium corpus immutet, hoc est, quomodo exempli gratia, fluxio depascens, seu Esthiomenos in luem veneream transmutetur, in hunc fere modum intelligendum est. Crocum videmus, nisi aliud illi corpus adiungatur, tingere non posse, illo autem iuncto, magnum illius dominium esse, similiter & morborum istorum corpora habent, veluti enim crocus tingit, sic lues Gallica, atque in quantis quibúsque regionibus illius morbi dominium existit, eousque lues peruagari solet ac potest. Iterum, quemadmodum aqua à Croco tincta nihilominus aqua est, sic morbus à lue infectus idem ipse adhuc manet, qui erat prius, obseruata tamen supradicta distinctione: atque veluti variæ aquarum species sunt, variique liquores qui pingi possunt, sic quoque non vnum morbi genus est, quod à lue Gallica contagium concipere potest. Sciendum quoque hic est, tincturas non vniusmodi esse: videmus enim aquam non à Croco modo, sed etiam à Calchanto, Cinnabari, Presilio ligno, tincturam recipere. Simili omnino ratione variæ Veneris tincturæ accidere possunt, nulla tamen alia Planetarum coniunctione accedente. Quamobrem in curatione luis Gallicæ non coniunctione, sed nouarum influentiarum effectus considerabuntur, per quos vno modo plures species sanari queunt, hunc ergo in modum antiquos morbos nouis, vetera remedia recentibus concilianda erunt: nunquam enim sperare licebit aliquem ex commemoratis affectibus inuentum iri, qui à fermento nouæ huius luis penitus liber fit, vel in quo non insit venenum, quod non facile accedente Luxu, in Gallicam luem transmutari possit.

Contagium vt fiat.

Exemplum de Croco commodiss.

Contagiũ multiplex est.

Tincturę Veneris variæ.

Nullus morbus incontaminatus est sine contagia.

CAP. XII.

Morborum causis sunt constituta tempora.

VT autem tandem corpus huius morbi clarius detegamus, corpus dico, quod tincturæ luis Gallicæ subiectum sit, obseruandum, omnes reliquos morbos ex corpore originem ducere, ipsos tamen constat multo tempore ante quàm erumpant, in corpore quandoque latere. Hosce ergo occultos morbos, qui iam in fieri sunt, atque ægris met incogniti: medicus vt cognoscat, oportet: quilibet namque morbus constitutum tempus habet, quo erumpat, illo autem temporis curriculo possibile est morbi Gallici venenum communicari, itaque morbum illum ego corpus appello, quod ex Gallica tinctura morbum Gallicum contrahere possit: vbi enim corpus huiusmodi nullum est, fieri nullo modo potest, vt Gallicum venenum radices agat, cùm Luxus ex istis corporibus oriatur, inq; illis consistat, atque quod ad coitum stimulat, illud est quod venenum Gallicæ luis retinet, atque in illud transmutatur: atque quàm impossibile est marmor vel calybem à croco tingi, tam difficile est, vt sanum corpus à lue Gallica tingatur. Aliquo ergo tali corpore in hominis corpore recondito, ante omnia inquirendum, qualénam illud sit, an Tentigo, an Scrofulæ, an Cambucca, &c. Quo cognito, iam radicem mali intelligis, quam si euellere possis, per cosequentiam quandam iam morbum quoque Gallicum curare poteris, itaque facilioris ac planioris doctrinæ & curationis gratia vtile fuerit, iuxta morborū nomina, specierum morbi Gallici appellationes confingi. Verbi causa: si corpus morbi Esthiomenon in luem Gallicam transmutatum esset, illud commode Luxus Esthiomenos appellamus: ex hoc nimirum nomine quid facto opus sit, medicus colligere poterit. Luxus enim veneni latentes te admonet, quid extirpari oporteat. Esthiomenos autem admonet, illius affectus curationem cognitam esse debere. Similiter si Serpigo in luem Gallicam abeat, affectum hunc rectissimè luxum Serpiginosum appellabis: si Pustulæ, luxum Pustulosum, quæ omnia nomina aptissimè vtriusque curandi rationis medium admonent.

Pulcra Methodus.

Luxus Esthiomenos.

Luxus Serpiginosus.

Luxus Pustulosus.

CAP. XIII.

Antiquorum ratio curandi nō penitus reijcienda.

ITaque constituto eo, duos morbos in vno corpore latere posse, obseruandum deinceps est, antiquorum simplicia, composita, ac curandi rationem omnibus modis retineri oportere: namque sine illis, omnis in curatione conatus frustraneus est: antiquus enim morbus cum recenti copulatus, antiquum simul ac recens remedium requirere videtur, itaque duæ simul curationes iungendæ erunt: atque veluti duæ ægritudines vnà consistunt, suis tamen gradibus certis se mutuo superant: sic duo remedia pari excessu diuersa coniungi poterunt: hoc est, si corpus morbi lue Gallica vehementer inquinatum sit, remedium quoque ipsum, quod lui Gallicæ deseruit, remedium corpori morbi aduersum similiter excedere debet. Ex quo sequitur, gradatione morbi incognita, si vnica compositione vtamini, ægros perdi: vicissim verò ab alio quandoque curari, quem tu curare non poteras, vtroque eodem remedij genere vtente, huius rei causa est, quòd ille vel casu vel arte veram dosin seu medicamenti gradationem attigit, itaque dubium non sit, cùm omnes eodem remedio vtamini, nec tamen perfectè omnes curetis, in sola gradatione seu dosi errorem committi: quia autem complicati antehac morbi non essent, donec lues Gallica oriretur, illa ætate gradatione nil opus fuisse manifestum est: nunc autem cùm Luxus dominetur, necesse est corporum gradationem sedulò spectari: ad eam enim gradationem remediorum dein doses, metiendæ erunt, quamuis autem ista in antiquis morbis spectari non inutile foret, tamen, quia de lue solum Gallica sermo nobis institutus est, sicco pede transire illa placuit.

Gradationis ratio.

Cur eodem remedio nō æque feliciter vtantur duo medici.

CAP. XIV.

EXperientiæ antiquorum hucusque mentionem aliquoties fecimus, de qua notandum nostra ætate illorum quos nos intelligimus medicorum ne nomina quidem extare: namque cum arte ipsa nomina quoque à sophistis & Impostoribus obliterata sunt, itaque in lectione authorum modernorum diligenter in id incumbendum, vt gemmas saltem excerpamus, quas certè Scriptoribus istis non acceptas feremus, sed iis solum, à quibus illi ea mutuati ac suffurati sunt: accidit enim in medicina non secus ac in Theologia, vt quemadmodum hic Christi ac Apostolorum doctrina à Scholasticorum Theologorum sophismatis obscurata est, sic in Medica arte antiquorum quoque dogmata tenebris obfusis, splendorem suū amiserunt, atque ea quidem maximè, quæ de vlceribus posteritatis memoriæ ab ipsis prodita sunt. Itaque sciendum, artes non hominum industria, sed diuina prouidentia primùm extitisse: itaque ne illæ sophismatis corrumpantur, omni studio præcauendum esse, sed hoc potius omnes curent moneo, vt sicuti ad nos peruenerunt artes, sic sartas tectásque eas cupiant. Turpe enim est, quod benignè nostris necessitatibus natura largita est, à nobis imposturis corrūpi: maximè cùm tam imbecille sit rationis nostræ acumen, vt nostro marte ne reduuiam quidem quomodo curare oporteat, assequi possimus, nisi experientia rerum magistra adiuuemur. Ab experientia ergo omnia quibus opus habet medicus, desumenda erunt, cùm non ex litera, sed clausis ac conniuentibus oculis Medicus generetur: nam is nō humanis, sed diuinis mediis vtitur, proinde veritatis studio maximè excultus esse debet, quia non sibi, sed Deo agit, id est, non suo marte, sed sic volente ac iubente Deo Opt. Max. proximo suo medetur. Hinc discendum, non ad fastum ac superbiam, sed solum ad necessarios vsus accommodandam esse, támque peccatum esse in deum intelligas, si quis aliis medicamentis imponat ac si quis non Deo, sed propriæ industriæ tribuere velit, quod ipsius cultu terra triticum produxisset.

Medicorum veterū nomina incognita.

Veterum libri vt legendi.

Theologia & medicina vt deprauatæ.

Medicus non ex litera generatur.

CAP. XV.

DIctum antehac generaliter de duabus filiabus Veneris est, ad quas hæreditas luis Gallicæ deuoluta sit: iam itaque specialius

rem

rem expendamus, atque de priore quidem, cùm scilicet conceptionis tempore vitium cõmunicatur, sic breuiter intelligendum. Quemadmodum ad generationem & conceptionem hominis quatuor requiruntur necessaria: Corpus scilicet, Imaginatio, Forma, & Operatio. Corpus ex hæreditate necessitatis generationis, quæ in natura est, nimirùm vt corpus fiat, originem habet: namque veluti ex glande quercus necessariò generatur, sic ex homine homo fit necessariò. Secundo quemadmodum imaginatio comparata est, sic infans ratione donatur atque veluti cœlum iam melius, iam deterius, iam subtilius iam crassius in hæc inferiora influit, similiter in ratione hominis motus quidam est motui astrorum non dissimilis, ex quo ratio plus minusue acuminis acquirere videtur. Tertio, forma fit ex figuratione & plasmatione vt necesse sit generatũ generati simile euadere. Quartum est Actio, ex qua sanitas & ægritudo oriuntur. Veluti enim robustus artifex robustum ac validum opus facit, debilis verò debile, sic in conceptione actio robusta vel debilis sui similem dispositionem efficit. Priora tria ergo philosophiæ excutienda relinquo, quartum præsenti loco explicaturus. Obseruandum ergo, ex Actione morbos, ac sanitatem generari, itaque si homo laboret, omnes eius vires in illam actionem intendi, nec illas solum, sed & omnia quæ quodammodo eò referuntur, verbi causa: videns omnes suos radios ac spiritus visorios in id quod intuetur, conuertit, simili planè ratione in conceptione res se habet: perinde enim ac in visione, si aliquod vel in organo, vel in obiecto vitium sit, visio bona non fit: sic vbi id quod in conceptione alterare debebat integrum non est, vitium concipitur.

Ad conceptionẽ quatuor necessario requiruntur.

Imaginatio.

Forma.

Actio.

Sanitas & morbi ex Actione.

Cap. XVI.

SCiendum itaque, in conceptione omnes vires illius actionis in vnum Centrum coire, vires illæ tales certe, quales in corpore sunt, robustæ scilicet vel debiles, venenosæ vel incorruptæ, in generatum necessario transeunt. Vbi ergo Epar infectum est, illud venenum in fœtum traducitur, sicq; de reliquis visceribus ac membris iudicandum. Ex hoc ergo sequitur, sperma illud ex quo fœtus generatur, parentum sanitatis & ægritudinis notas impressas sibi habere, quod sic intelligendũ erit. Omnes morbi, quas non nostra in temperantiore vita contraximus, à parentum vitiosa coniunctione iure hæreditario ad nos propagati sine dubio sunt. Quod si quando proles alio quodam morbo, quàm qui in parentibus conspicuus fuerat, affligatur, tum vel mixtum vitium est, vel quod in parentibus maturum nondum erat, in filiis iam tandem perfectum erumpit: namque si qui morbi veneris vsu euanescunt, illi sine dubio prolem dein occupant, quamuis non raro accidat, vt penitus aboleantur, verum eius causa est extrinsecus aduenìens corruptio quædam. Ex his intelligere cuiuis promptum est, quomodo lues Gallica parentum vitio contrahatur: quia enim caro & sanguis à parentibus sunt, eorundemq; colorem semper repræsentent, illisq; implantatum sit omne id, quod venenosum est, dubium non est, generantibus viribus agentibus, vnà & venenum seu contagium illud in filiorum corpora transire, cuius certissimum argumentum est, quod facultates ab agẽtibus partibus separari nullo modo possint.

Sperma quomodo infectũ esse dicendũ.

Morbi non hæreditarij vnde.

Facultates à partibus nõ separantur.

Cap. XVII.

INfectio autem illa in conceptione suam singularem Actionem habere videtur: veluti enim in laboribus ac exercitiis externis copiosos quandoque sudores fluere cernimus, qui vel salubres vel insalubres esse à rerum peritis facile iudicantur: sic internis istis generationis viribus agentibus ac laborantibus, suus quidam interior sudor emanat, non secus ac prior, noxia, si quæ in corpore sunt, expellens. Quia ergo huiusmodi labor intrinsecus perfectè sudorem mouere ac expellere debet, manifestum est hunc verum sudoris illius finem esse, vt quod morbosum in spermate est, extirpetur, ac euanescat. Vbicunque ergo in actu venereo istiusmodi actio impedita est, tum fœtui qui tum conceptus est, perpetuò illa egritudo inhæret, quod exemplo planius reddemus. Actus venereus quandam corporis calefactionem facit, corpus calectum sudorem pellit, sudor antè quædã immundi à mundo, separatio est: si ergo sudor seu separatio non talis est, qualis esse debeat, tum ille actus fœtum intolerabili iugo, non luis Gallicæ solum, sed omnibus quoque cæteris corporis affectionibus submittit. Itaque si æger vel egra fœtum robustum generet, argumentum certissimum est, huiusmodi separationem bonam perfectámque contigisse. Sin à fœtu aliquid contagiosum separetur, tum illud quod separatum est, intrinsecus consistens noui morbi interni causa ac occasio euadit. Sic robusti parentes si ægros liberes procreet, coniiciendum est, in conceptione non factam esse ægri à sano, immundi à mundo separationem. Constat ergo luem Gallicam incorporatum quodammodo morbum esse ab aliis inseparabilem: siquidem demonstratum antea est, luem Gallicam corpus suum ab aliis morbis mutuari, atque perpetuo cum illis complicatam permanere.

Sudores interni contagij hæreditarij causa fiunt.

Sudor quid.

Cur robusti ægros fœtus aliquando generent.

Cap. XVIII.

SImiliter de FILIÆ actione iudicandum, nimirum ipsam duplicem esse: Actionem nimirum Veneris, & actionem Contagij, quod sic breuiter intelligendum. Esto fœtus in vtero, vterúmque gestans mulier altero coitu, à contagioso vitium contrahat, tum perinde ac externus sudor sudorem coinquinat, sic noua ista actio seu sudor internus, à noua ista actione causatus, fœtum qui antea conceptus erat (vteri interiora subiens) cõtagio afficit. Quamuis accidere posse non inficior, Menstruo in sua exaltatione consistente, ipsum Florem de se proiicere, qui dein macularum ac decolorationum quarumuis causa sit: quin si Menstruus ille sanguis contagio quoque morbi Gallici destitutus non sit, certissimum est, ipsum contagiosi morbi causam in prole existere, qua de re, qui plura desiderat, legat quæ copiose disseruimus in libro de Generationibus, inueniet illic causas omnium eorum, quæ Embryoni accidere consueuerunt malorum. Secundam actionis speciem,

Actio Veneris & contagij.

Embryo vt contagium cõcipiat.

Flos mẽstrui eiúsque noxa.

CONTA-

Contagium per sudores maxime communicatur.

CONTAGIVM scilicet, quod attinet, sciendum per sudores illam potissimum fieri: sudor enim contagiosi contagiosus est: itaque si mundo corpori adfricetur, illud in sui similem, malignam scil. & venenosam substantiam conuertit, quod si contingat, sudorem contagiosi sano adfricatum, non tamen corrumpere, certum tunc est illa parte qua sudor adfricatus consistebat, morbum non insedisse. Similis ratio est manantium vlcerum: quod enim illinc effluit, illud quidquid attigerit, ex sui natura venenosa, sibi simile facit, veluti & in pustulis obseruatum est, eas contactu suo contagione inficere. Sin venenosa illa materia de corpore in corpus non transeat, contagium neutiquam sequitur, hoc verò (si non transeat scilicet) magnæ malignitatis morbi argumentum existit. Obseruandum tamen interim est, illum qui inficitur, nisi alio quodam morbo conflictetur, non contagium contrahere: oportet enim illum morbum in sua exaltatione cõsistere, vt duabus exaltationibus concurrentibus, coniunctio apta atque conueniens fiat, non secus ac illa, quæ in corpore consistens est.

Contagium nõ omnibus [illegible]

FINIS LIBRI PRIMI DE CAVSIS & origine Luis Gallicæ.

THEOPHRASTI PARACELSI DE CAVSIS ET ORIGINE LVIS GALLICÆ,

LIBER II.

CAP. I.



NITIO præsentis libri, demonstrandum ante omnia est, omnes morbos, à quibus lues Gallica corpus suum mutuatur, in spermate reconditos esse, sicque hæreditario iure, mediante coitu, proli communicari atque qua corporis parte malum in parentibus resederit, eadem in filijs reperiri. Quando autem non hæreditatis ratione, sed iure Contagij lues Gallica communicata est, tum venenum illud retro corpus subiens, vsque ad sperma permeat illique implantatur: atque hæc secunda morbi species existit. Cœlum ergo huius morbi efficiens causa est, in materia, Luxus scilicet agens: ipsum namque ignis est, istique morbi ignei: latet namque hic elementum ignis. Non autem nisi cooperante cœlo coitus fieri potest: non secus enim ac ignem terrestrem videmus in lebete ebullire, sic etiam præsenti loco Elementaris quædam Firmamenti operatio est, qua & morbi & sanitatis ascendentes laborant, ad faciendam impressionem. Similiter in terra quædam corruptio accidit, cui etiam parte aliqua subiectum esse hominis corpus extra dubiũ est: differunt tamen hominum corpora à se inuicem, non secus ac ager ab agro, terra à terra, regio à regione differre cernitur, hæc autem in præsentiarum singulis saltem verbis attingere placuit, alibi copiosius enarraturus. Haud secus in cæteris coniunctio necessaria est, vitæ nimirum & mortis, quorum diuortium similiter quoque non potest sine alterius corruptione

Morbi in spermate omnes consistunt.

Cœlum est causa efficiens luis Gallicæ.

causari. Itaque præter hunc calorem constat, Chaos etiam in corpore existere, omnium internarum actionum opificem: nulla namque penitus in Microcosmo actio sine aëris adminiculo perfici potest: etenim in homine vniuersus mundus est, non analogia saltẽ, sed in rei veritate. Motus autem trium prædictorum augmentum recipiunt ab humore: tria namque illa singula sicca sunt, quartum ergo, humiditas scilicet Elementi est, quod ad operis perfectionem necessario requiritur: nisi enim humor sit, siccum non crescere potest: augmentum namque à solo humore causatur. Magnitudo ergo ab humore, forma à terra existunt, atque quemadmodum calorem humiditatem desiderare, humiditatem verò siccitatem prohibere videmus, sic successione quadam de omnibus motibus iudicandum erit.

Chaos corporis.

Humoris maxima necessitas in generandis rebus.

CAP. II.

PErinde ergo ac in mundo exteriore quatuor hęc suis orbibus comprehẽduntur, sic intrinsecus in nobis contineri iudicandum est; quæ omnia ab exterioribus fouentur ac conseruantur itaque noster ignis ab elementari nutrimentum necessariò assumit: aliàs enim quemadmodum focarius ignis sine pabulo pingui, vel lignis consistere nequit, sic nec noster calor, nisi ab externo foueatur, durabilis non est. Constat ergo cœlum caloris nostri ceu pabulum quoddam esse. Quod si externa elementa non necessariò corpus alerent, manifestum foret, nec illa quiddam mali corpori inferre posse: etenim velut lignum quod ignem fouet, etsi ignis per se non est, tamen varias qualitates, odores varios, &c. ipsi imprimere potest. Sequitur ex his, vt quoniam in corpore nostro terra inest, propterea terram illud nutriri oportere, atque sic terram exteriorem terram hominis, non cœli alere dicendam esse. Sic de siti intelligendum, eam non à siccitate, sed potius ab humiditate fieri: est enim humor Elementum corporis omnibus actionibus pręcauendis destinatum, verbi gratia: si vstio aliqua immineat, vel iam affligat, nõ externo humido, sed solo illo interno eam restinguere possibile erit: nõ secus enim ac in elemẽtari mundo ignẽ ab aqua restingui videmus, sic temperamenta corporis à suis contrariis alterari ac mutari credendum est. Obseruandum itaque, quod si contingat Elementi humidi pondus imminui, ipsum ab exteriore Elemento suum nutrimẽtum appetere, quò ad iustum pondus reuerti, ac suo muneri præesse queat. Itaque quoniam humiditas ante corpus occupat, illáque ad restinguendum destinata est: sequitur ex hoc, sitim ex appetione humidi nutrimenti originem ducere. Fames quoque ex eo quod corpus nutrimentum desiderat, nasci videtur, fames certè corpus est, & à corpore sustentari cupit, corpus autem illud terra est, quæ ad sustentationẽ corporis creata fuit: in fame itaq; appetit⁹ est, nõ calidi, humidi, vel sicci elementi, sed solius terræ: quia enim terrestris fames est, terram (sine qua restingui non potest) desiderat. Non secus interius cœlum nostrum ab exteriore conseruatur, vel humor internus ab externo, omnium scilicet comparatione facta tali, qualis inter ignem ac ligna esse cernitur. Panis ergo ceu

Noster ignis ab elementari nutritur.

Sitis nõ à siccitate, sed humiditate fit.

Sitis germanæ genuina causa.

Fames vt fiat.

ceu lignumquoddam est, suum Elementum sustentans. Quod verò in suo circulo corpus cõseruat, Chaos est, qui suum alimentũ, aëra nimirum, appetit. organum autem per quod nutritio fit, pulmo est: cuiusuis enim actionis quasi causidicum agit aliquod organum, sic ventriculus vniuersi corporis, epar humidarum partium, coitus firmamentalium appetitionum, pulmo aereę substantię causam agere cernitur. Huiusmodi ergo Elementorum nutritio existit.

Chaos corpora in suis circulis conseruat.

Quia ergo in spermate suũ quasi ventriculũ æther sortitus est, ventriculus autem ille à cœlo nutrimentum requirit, manifestum ex hoc est, cœlum tale quale in se habet nutrimentum illi suppeditare: nam & in Elementaribus nutritio hoc modo contingit, verbi causa: terrestrium alimentorum quę in ventriculum ingeruntur, variæ sunt in forma ac specie differentiæ: lac scilicet, caseus, pisces, aues, &c. sic aquatilium non vnum genus est: vinum enim à vino, aqua ab aqua multis modis euariant, sic varię quoque aëris differentiæ sunt: à quibus Chaos nutritur, atque veluti ista elementarium alimentorum varietas variarum generationum ac corruptionum causa existit: sic cœlum varijs modis suum Elemẽtum nutriens, variè illud afficere posse putandum est. Cœlo itaque coitum gubernante, suamque actionem in spermate, vt ignis in ligno perficiente, manifestum est, cœlo quoque tribuendum hoc esse, quòd hæreditario quodam iure, nunc patrem, nunc matrẽ proles imitetur, quodque parentum imaginationes filiis imprimantur. Quia enim & imaginatio & affectus parentum etiam à cœlo sunt, non potest cœlum huic hæreditatis propagationi aduersari. Sequitur ergo parentum affectus cœlo cooperante in sperma transfundi, atque omnes cœlestes morbos suam exaltationem in spermate, ex quo oriuntur, etiam habere.

Sperma est ventriculus cœli.

Cœlum varijs modis elementa afficit.

Fœtus ad parẽtes similitudo à cœlo est.

Ex iam dictis propositum nostrum scopum quibusuis elucescere puto: quæcunque enim hactenus dicta à nobis sunt, eò pertinent, vt quarti Elemementi (de quo iam sermonem instituimus) proprietates cognoscantur. Hîc tamen de Luxu & Venere, eorúmque morbis, quomodo ex aliis morbis per transmutationem generentur, paucis admonendum duximus: vtemur autem methodo ea, qua vtuntur qui ciborum, potuum, aëris, &c. commoda & noxas describunt. Ad hæc commodioris quoque doctrinę gratiâ, totum negotium in tres partes partiri placuit: in Vlcera, in Articulorum dolores, in Pustulas: horum dein singulorum plures adhuc reperiuntur differentiæ: quemadmodum enim non vnum genus Veneris est, sic nec vnicum Vlceris, Pustulæ, vel Arthritidis genus constituere facile posses, quas differentias etsi omnes ad vnguem descripturus non sim: tamen ea quæ dicentur, Astronomicis medicis suffectura non dubito: reliquis autem humoralibus Medicis, etsi vasto codice describerentur, ignota essent.

Diuisio huius libri.

CAPVT III.

PRiore libro morbos in se mutuo transmutari posse demonstratum est: superest itaque vt transmutationis processum seu modum describamus. Proponamus ergo nobis carnem, quę in lebete ad ignem coquitur, ea etsi aliam à coctura essentiam nancisci videatur, tamen carnis sẽper substantiã seruat. Sic Venus in coitu sperma supercalefactum coquit, ex qua coctura morbi in spermate reconditi in aliam quandam dispositionem delabuntur, adeò vt calefactionem hanc spermatis, qua morbi essentia immutatur (manente semper substantia) non incommodè igni lebetem calefacienti, ac in eo positas carnes secundum formam (manente materia) immutanti comparari queat. In hunc ergo modum sciendum quoque morbos qui in corpore latent, nullamque cum spermate communionem habent, illa tamen supercalefactione quę in coitu fit, exagitari, atque per vniuersum corpus delatos cum spermatis affectibus complicari (namque ab vniuersali causa vniuersas partes affici probabile est) atque sic difficilem curationem euadere: reliqua autem affectus huius pars in artubus hinc inde delitescens, non sic penitus corrumpitur, sed perinde afficitur, ac si lorum calida perfusum induresc at, non tamen rumpatur. Hinc etiam discẽdum pro magnitudine huius ignis Venerei symptomata maiora vel minora conspici: quin materiei quoque varietas symptomata non eadem semper finit esse, namque veluti in opere pyrico varia efficiuntur, cinis, carbo, calx, alkali, scoria &c. sic per huiusmodi supercalefactionem spermatis multiplices affectus procreantur.

Spermatis in coitu coctio.

Ignis Venerei vis.

Ex his intelligere facile poterimus proprietates Luxalium morborum: perinde enim ac ea quæ per ignem præparantur, nunc fixa manent, nunc (pro temporis ratione) putredini vel corruptioni obnoxia, finiunt: sic morbi Luxales alij curationem admittũt, alij verò respuunt: namque si qui morbi per hanc supercalefactionem spermatis Anathron vel calcinato, vel sali alicui similes euadunt, curationis difficultatem: qui verò putredini, atrophię, hæmorrhagiæ similes fiunt, impossibilitatem ostendere medico videntur.

Luxales morbi non omnes sunt curabiles.

Corporum itaque cognitionem, quæ ad Medicinam pertinent, necessariam esse exemplis palàm faciemus. Lepræ nouẽ species quæ habentur: Morpheæ duæ: quatuor Elephantici morbi: sic Saphenicæ venæ contortæ, & Varices, quæ & ipsę non vniusmodi sunt, vna cum Prurítu Chronico semetipsum Saturnante, ac Menstruo se regenerationi opponente, ac Aluminosis ad Viscum defluxionibus, tam non curari possunt, quàm est impossibile Calces: quos Artistæ vltimas materias nuncupant, in nihilum reduci, causa huius impossibilitatis est, quod omnis corruptionis penitus expertes sunt, quocirca cauti sint medici, ne fixos iam factos morbos curare aggrediantur: quando enim eousque corrupta natura est, oleum & opera in curando luduntur. Fuerunt qui in hoc genere affectuum Regenerationem quandam machinarentur, idque in Sphæristis, veruntatem quàm illis impossibilis fuit formarum, primę in vltimam, ac vltimæ in primã transmutatio, tã difficilis ac irritus erit iste quoque conatus, quod exemplo discre potes. Caro cocta

Lepræ nouem species.

Calces sunt vltimæ materiæ.

Sphæristi

vt nō ad ſuam cruditatem redit, ſic morbus iſta ſupercalefactione transmutatus non reducitur ad priſtinam formam, quis enim vnquam vidit vltimam materiam in primam redire, cùm retrogradus nullus ſit naturæ motus? Quare caueant medici ne fruſtra in iſta reductione laborent.

CAPVT IV.

SImili ergo ratione ac lignum putreſcens & corruptum in vltimam materiam non ſtatim reducitur, cauſante hoc ipſum ligni natura, quæ in perfectam vltimam materiam difficillime abit: ſic Lepræ quædam ſpecies ſunt, quæ priuſquam omnino perfectæ euadant, curationem admittere videntur, itaque maius operæ pretium erit conſiderare, quid ſit Vltimum eſſe Lepræ, quàm vulgares illos Examinis Leproſorum canones, qui ex iamdicta ratione omnes dependent, quique claudicent, niſi ea prius diligenter obſeruata. Haud aliter in extracta Lepra res ſeſe habere cernitur: perinde namque ac ex calcibus, alkali extrahitur, ſic vt reliqua materia omni acrimonia deſtituatur: ſic in humano corpore Lepra à ſuo veneno, quod antea à nimia aquoſitate quaſi obliteratum delituerat, liberari poteſt, adeò vt inſtar mineræ edulcoretur. Ex quo ſequitur, perfectionem Lepræ corrumpi poſſe, neque hanc ſolam, ſed etiam vbi corpus Lepræ per illam Veneream transmutationem ſupercalefactum, in deteriorem diſpoſitionem abiiſſet. His inquam de cauſis natura non rarò admittit curationem in Luxalibus morbis Lepræ quoque ſubiectis: impedita enim perfectione morbi, curatio non vſque adeo impoſſibilis fuerit. Quapropter ſi contingat inter perfectionem ac imperfectionem, morbum medio loco conſiſtere, nil opus fuerit Examinis Leproſorum ſuperſtitioſos canones obſeruare, cùm conſtet, nil certi ex illis pronunciari poſſe.

Lepræ quædam ſpecies curantur.

Morbi imperfecti curationē admittunt.

Neque verò eſt vt quiſquam putet, omnes Veneris differentias ſic in numerato habere medicum oportere, cùm ex ſupradictis facilis euadat horum intellectus, illud potius ſpectandum, vt varias ſpecies vlcerum quas Luxui acceptas ferre non decet, cognoſcamus, verbi cauſa. Lupus etſi in Venerea ſupercalefactione aliquam alterationem ſubiiſſet: tamen cùm ſua pathognomonica ſigna ſuū locum, ſuamq; propriam Anatomiam perpetuò obſeruet, non rectè ex ſua claſſe in aliam reiiceretur: quamuis enim nomen aliquo modo alterari poſſet, vt fluxione iuncta, Arthriticus Lupus diceretur: hoc tamen fieret non niſi ratione defluxionis, quę aliàs inter pathognomonica ſigna non connumeratur.

Lupus in totū nō ſemper mutatur.

Similiter in Eryſipelate, quia Anatomia & locus tam Chirurgiæ, quàm Phyſices ratione ſeruantur, nomen non mutatur: Symptomata tamen euariare non negauerim, verum illud Firmamenti motui tribuendum eſt, ſępius enim hactenus oſtendimus Medicum Aſtronomicum ſigna huius affectus iuxta cœli Impreſſiones metiri debere, ea nimirum de cauſa, quod Eryſipelas ex cœlo generetur, quamuis terreſtria ſigna referat: itaque ſi in illa Veneream Luxum delabatur, tum ipſa aſpectibus ſubiicitur, maximè vero aſcenſui ac deſcenſui Lunæ, ex quibus cognoſcere datur, an ex ſupercalefactione generata Eryſipelas fuerit. Haud ſecus in Eſthiomenis de Anatomiæ ratione iudicandum, habita tamen accurata obſeruatione ſupradictarum diſtinctionum, atque ſic in Carcinomate, Tentigine, Noli me tangere, Vlceribus profundis, Alberis, Condylomatis, Verrucis, Alcalis &c. ſuperioribus præceptionibus nos contentos quoque eſſe decebit. Notandum autem ſub hac forma adhuc vlcera Eſthiomena dici, at vbi iam transmutata fuerint, Eſthiomena Veneris: Lupus verò, Venus Lupi, dicentur: ſicque de cæteris vlceribus quoque iudicandum. Puſtularum ſimilis quoque ratio eſt, vt nimirum hæ puſtulæ Morpheaticæ, illæ puſtulæ Teutiginis, rurſum aliæ puſtulæ verrucarum appellentur, quemadmodum de iſtis in curandi ratione copioſius diſputabitur.

Eryſipelas ex cœlo generatur.

Eſthiomena Veneris.

Puſtulæ Morpheaticæ. Puſtulæ verrucarum.

CAPVT V.

DE arthritide ſimilis docendi ratio inſtituetur, vbi intelligendum quemadmodum reliqua corpora luxus nomen aſſumunt, ſic in hac claſſe quoque Arthritidis nomen pluribus accomodari poſſe, veruntamen vti ſuperioribus capitib. nominis abuſum ad plura retulimus, ſic in præſentia non niſi ad duo extendimus genera: Arthritidis enim ac tumorum nomine omnia quæ ad hanc claſſem referri poterant complectimur. Atque de prima quidē ſpecie ſciendum, materiam illam ex qua fit, non ſemper ſuum optatum finem conſequi, cauſa, quòd materiæ non æqua ſemper malignitas eſt, quæ vlcera efficere poſſit: namque cauſæ vlcerum videntur ſecundum magis & minus euariare: quin & hoc obſeruatum eſt, humores qui antea moleſti non fuerant, tunc tandem erupiſſe: huiuſmodi ergo vlcerum horum cauſa origo & materia exiſtit. Atqui peculiare hoc huic humori eſt, vt meatus illos occupet ac peruadat, in quibus minimum efficaciæ habere naturam putauerit, verùm quandoque ſine ſingulari noxa hoc euenit, quoniam cauſa tanta malignitas non exiſtit, neque ipſa ad eum virulentiæ gradum adhuc euaſit vt noxam inferre poſſit. Ex quo ſequitur huiuſmodi materias multum temporis quandoque in articulis deliteſcere cùm abſumi nequeant, ſeruarit tamen interdum diſpoſitiones à quibus facilis eſt in vlcera prolapſus.

Arthritidis laxa eſt Significatio.

Cauſæ vlcerū differunt ſecundū magis & minus.

CAPVT VI.

HÆc (de qua loquimur) materia arthritidis cauſa exiſtit, quæ per Luxum facillimè contagium morbi Gallici contrahere poteſt: namque quemadmodum demonſtratum eſt, vlcera venenum Gallicum contagij ratione concipere, ſic de Arthritide quoque ac tumoribus cogitandum eſt: eo dempto, quod Arthritidem efficiens materia nondum eouſque proceſſit, vt Vlcus efficere poſſet. Ea enim acrimonia quæ in arthritide quandoque percipitur, non quæ arthritis eſt, ſed quatenus venenum Gallicum contagione affecit, adeſſe ſolet. Dolores ergo iſti ſine cutis apertione conſiſtunt, Paroxiſmum ſuum pro defluxionis ratione obſeruantes: ſunt namque defluxiones quæ

Arthritică defluxionis vlcerafacere non poſſunt.

quæ Lunæ motum sequantur, aliæ quæ tempestatum mutationib. gubernentur, aliæ denique quę pro dietæ formula nunc copiosæ nunc modicæ fiant. Interim venenum Gallicum contra sui morbi corpus agere putandum non est: namque tantum abest vt illi aduersetur, vt etiam ipsum ad actionem (à qua aliàs forsan quiesceret) suam obeundam excitet ac irritet. Itaque sciendum venenum Gallicum aliud non esse quàm spiritum quendam substantiæ nostri corporis quadam proprietate occulta aduersantem, qui in frigido corpore calidus in calido frigidus sentiatur: atque huic certè contrarietati dolores, vlcera &c. atque omnia quæcunque tandem in hoc affectu molesta esse solent tribuenda esse putamus.

Venenũ Gallicũ quid sit.

CAPVT VII.

QVemadmodum autem extra dubium apud omnes est vlcerum non vnicum genus esse, sic nec dolorum neque arthritidis vnam solummodo differentiam esse cuiquam persuasum esse debet. Quin veluti loci ratione vlcera differunt, vt hęc pedum, illa brachiorum, alia pectoris, alia capitis vlcera dicãtur, sic variis quoq; modis arthritidas euariare cõtingit. Atqui non omnia vlcera sic comparata sunt vt cum arthritide complicari queant: etenim quę in carnosis partibus atque in genitalibus fiunt, quis putet rectè arthritica vlcera dici. Adhæc obseruandum sedulo erit, quæ nam dolorum causa in corpore fiet vel quidnam dolor per se sit, quod exemplis paucissimis palàm facere conabimur. Loca quædam in hominis corpore sunt omoplata seu poples cubitus &c. doloris impatiẽtissima, cuius causam reddere cuiuis promptum est. Sic in Neruoso genere similis impatientia existit, etiam omnibus notam causam præ se ferens, quæ si quis consideret, facile intelliget pro partium essentiæ varietate, dolorum causas constituendas esse. Atque qualitatum certè excessus calidi scilicet, frigidi, humidi ac sicci, si ad partium varietatem referantur multas causarum syzigias conficient. Itaq; si supra istas dolorum causas contagium quoque veneni Gallici in membro consisteret, manifestum est pro Mercuriali natura, nouum doloris genus fieri posse, quapropter hoc ceu confessum assumamus: loci ac causæ varietatem ostendere arthritidis possibilitatem: nullum enim ex iam dictis membris est, quod non queat futuri vlceris causam continere.

Arthritidis ac tumorũ differentiæ.

Neruosarum partium dolores.

CAPVT VIII.

SCiendum porro in Sinonia causas vlcerum etiam delitescere, quod si in eadem sinonia corpus quoddam veneno Gallico infectum quoque reconditum esset, neque tamen tanta acrimonia præditum, vt cutem rodere, ac vlcus facere posset, tum arthritidem atque eam supra quàm dici possit doloribus molestissimam expectare oporteret: nam Sinoniæ ea natura est, vt nihil quod sibi aduersum sit tolerare possit, atque sic de singulis corporis partib. cogitandum, dolores ac arthritidas ab iis vel in iis causari posse, vbique tamen Anatomiæ ratione habita. Obseruandum quoque in huiusmodi doloribus arthriticis summopere spectanda esse, locum, causam ac symptomata: namque omnium vna eademq; curatio esse non potest. Qui enim in articulis est dolor, aliter quàm qui in Medullis consistit, curari cõsueuit. Atqui medullarum mentio hoc loco insolens cuiquam videatur, verum non secus ac articuli, Medulla, quidquid suæ substantiæ ac temperamento aduersum est, tolerare non potest ac respuit: hinc venenum Gallicum medullarum dolores quemadmodum efficiat facile disces, si & illud obserues, dolores non ex magnitudine veneni Gallici, sed ex multitudine corporum morborum dependere: namque pro augmento corporis morbi Luem Gallicam quoque augeri cernimus.

Sinonia vlcerum causas continet.

Sinonia aduersa sibi non tolerat.

Medulla cur dolorat in morbo Gallico.

CAPVT IX.

DE tumoribus autem Arthriticis hoc potissimum obseruabis, multas defluxiones in corporibus delitescere, quæ ob paucitatem, vel immaturitatem vlcera adhuc efficere nequeant, itaque etsi adsint, iisq; venenum Gallicum complicatum sit, vlcera non efficiunt, sed tumores solummodo. Veruntamen etsi tumor saltem sit, non vlcus, tamen corpus hoc morbi simpliciter Arthritis dici nequit: plus enim est quàm Arthritis. Quomodo autem tumores attollantur, sic accipe: venenum defluxioni copulatum, quia ad vlcus erodendum non sufficit, materiam tamen illam exagitat atq; attollit, sicque tumorem facit, qui ob immaturitatem (si maximè vellet aliàs) vlcus nondum facere efficax putatur. Tumores itaque isti pro materiæ diuersitate varij sunt: alij enim curationem admittunt per digerentia, alij non nisi in vlcera transmutentur prius, curantur. Sedulo interim symptomata obseruanda erunt, dolores nimirum, punctiones, forma, &c. ista namque & futurum maturitatis statum, ac facilem vel difficilem curationem portendere videntur. Namque omnino ex tumoris natura colligere oportet, quando curationem sperare liceat: alij enim celeriter, alij ne ante obitum quidem maturantur. Quin si immoderatè augeri tumores videantur, noui corporis morbi accessione, ac subitam vlceris eruptionem ominari poterimus.

Materiæ paucitas pro vlceribus tumores facit.

Tumorũ varietas.

Tumorũ subita auctio quid portendat.

CAPVT X.

QVod etiam ex insperato quandoque tumores aperiuntur, ac in vlcera abeunt, causa est malignitas ac vehementia veneni Gallici, quod miras difficultates in curatione medico facessere solet. Namque quod immaturum est, antequam ad suam maturitatem perueniat, non nisi fucatam curationem admittit. Itaque omnibus modis vt natura morbum concoquat procurandum; necessarium namque est, si modo curationem fieri velimus vt morbus ad statum perueniat. Canon ergo certissimus est concocta medicãda esse non cruda, atq; ob id cruda concoquenda esse, quo curatio fieri possit: si enim coctio morbi facta sit fortuitò, etiam curationes fieri possunt, quo fortuito casu mirum quàm abutantur impostores medici.

Immatura curari non possunt.

dici, ij interim dum hoc non obseruant, multos morbos quasi manu faciunt, quos certè naturæ tribuere nemo sanæ mentis audebit. Sed ad tumores reuertamur. Si quemadmodum diximus à veneno Gallico tumor sit factus, iam duplex morbus adest, alter Veneni, alter materiæ ratione, quod si tumore aperto dolores remittant, de curatione benè sperandum erit: sin perseuerent, certum argumentum immaturitatis esse putato, ad quam eniti naturam iudicabis, si quasi manans ac humidum semper vlcus appareat. Hic ergo genuinus modus est transmutationis tumorum in vlcera. Reliqui qui supersunt, quales sunt cùm caro luxuriat, pus multum fluit, œdematosum malum apparet, & sexcenta alia, quia ab antiquis indubitata fide, ac certa methodo descripta inuenias, non opus est hîc multis enarrare: nolo enim is esse, qui aliorum plumis se exornet, hoc potius meum studium semper fuit & erit, vt antiquorum inuenta sarta tectaque conseruentur.

Tumor Gallicus duplex est morbus.

Paracelsi candor.

CAPVT XI.

Secundum autem Arthritidis genus quod attinet, sciendum quòd quemadmodum de corporibus suprà commemoratum est, multas adhuc alias hoc genus ægritudines fieri posse, quæ omnes à veneno Gallico occultum contagium contrahere queant, quas vt rectius intelligas, supra dictorum te meminisse decebit.

Morbi vt varij sunt, sic varias arthritides faciunt, itaque sedulo obseruandum erit, an corpora contagium contraxerint nec ne: si enim contagium Luis Gallicæ complicatum sit, dictu mirum quàm periculosa curatio euadat. Morbi autem quos in præsentiarum intelligimus, hi ferè sunt. Dolor Articulorum, Artetica, Sciatica, Podagra, Chiragra, Genugra, &c. quarum multæ dein aliæ species existunt, quas tamen omnes vno ac communi nomine Germani (Gesücht) appellant. Atqui non vt nomen, sic & res vulgata est: namque vbi lues Gallica horum affectuum alicui complicata fuerit, non facile credideris, quàm difficile sit veram affectus speciem cognoscere. Quamuis enim tumores appareant, tamen in hoc à superioribus differunt, quòd hi nunquam rumpantur, illi verò promptissimè & rumpantur, & curationem suscipiant. Occulta ergo huius veneni vis est, non sic occulta malignitas: tophi enim scyrrhi, articulationum dislocatio in senioribus, in crescentibus adhuc, figuræ corruptio augmentatrix facultas impedita, atque infinita alia incommoda, non obscuræ virulentiæ, contagiique malignitatem ostendunt. Dolores ergo ac formæ corporis dedecoratio si quid aliud, veneno Luis Gallicæ in huiusmodi casibus adscribentur, itaque hos affectus à cæteris artificiosè distinguentes, magno artificio curare conabimur: quòd si quis singularem affectum curare nequeat, is à complicato, nisi operam ludere velit, abstineat, moneo.

Articulorum morbi, in quibus corpus luis fiunt.

Veneni Gallicæ effectus.

CAPVT XII.

Svnt autem nonnullæ Arthritidis species, quæ exteriores solummodo articulos, cubitum puta, carpum, genu, pedium digitorum synarthrismos, &c. occupant, atque tumores attollunt, in quibus nunc pus, nunc albumini ouorum simile quiddam inuenias, nunc planè aqueus tumor appareat, qui omnes tamen nunquam aperiuntur. Sunt dein aliæ, quæ tophos Podagricos faciunt, qui vel tumores quoque vnà concomitantes habent, vel ossibus simpliciter incumbentes apparent, aliæ denique inordinatos ac confusos penitus tumores faciunt, quarum omnium differentias sedulo obseruans, ad curationem facilem viam tibi aperies.

Arthritidum differentiæ.

Tophi podagrici.

Aliæ autem Arthritides in internis articulationibus sunt, quales sunt quæ humerum, coxam, spinam dorsi &c. occupant, hasce omnes iuxta vniuersalem dignoscendi articulorum affectus doctrinam (quam hîc non attingo) peritus medicus facile cognoscet, ac curationi subiiciet: interim de nomine Arthritidis (quo sæpius quasi abutor) neminem sollicitum esse vellem, cùm non ex nominis, sed ex rei peritia dependeat. Paroxysmos autem harum arthritidum quod attinet, scitote, nec casum, nec maturationem hîc spectari debere: casus enim hîc penitus nil potest, maturitas autem ne sperari quidem debet, cùm perpetua ad mortem vsque cruditas comitari soleat. Itaque ad primitiuum morbum, seu corpus dantem affectum recurrendum erit: ex illo enim discetis, an lethalis vel non, curabilis vel incurabilis morbus existat: secus enim, quod maximè præcauere conaberis, inscius ac præter voluntatem promouebis. Quod si ergo spasmi conuulsiones, rigores febriles, hydropes, &c. adsint, non secus ac si vlcera quoq; molestarent, incurabiles arthritidas pronunciabis. Huc usque itaq; dicta de vlceribus ac arthritide sufficiant, iam ergo Pustulas aggrediamur.

In paroxismi arthriticis quid spectandum.

Arthritides incurabiles quæ.

CAPVT XIII.

Tertia nunc propositi libri pars, de Pustulis nimirum tractatio sequitur, in qua etsi non vsque adeo à scopo vero vulgus aberrat, tamen pro nostræ methodi ratione nos (veluti & in vlceribus ac tumoribus factitatum est) quomodo ipsarum materia ac corpus cognoscantur ac dignoscantur, breuiter manifestum facere conabimur. Sciendum ergo nullum in vniuersum corpus, Pustulas Gallicas concipere posse, nisi in ipso prius delitescat materia quædam, quæ in pustulas conformari se patiatur: ea ergo si à veneno Gallico contagium concipiat, fermentata in pustulas attollitur: manifestum ergo est, pustulas Gallicas corpus suum ab alia pustulosa materia mutuari, imò nō corpus modò, sed & formam, dolorem, omniaq; symptomata. Atqui obseruandum, secus ac de vlcerib. dictum est, in pustulis rē sese habere: Pustulæ enim semper fuerunt, non autē lues Gallica: atq; pustulæ vbi venenum Gallicum conceperunt,

Pustulæ vbi fieri possint.

Pustulæ qua lues sunt antiquiores.

perunt, & nomen & essentiam (aliter quàm vlcera quædam, quæ perpetuò nomen ac formam retinent) amittunt. Attamen etsi forma ac essentia pustularum immutetur, non tamen nisi prius materia aliqua adfuisset, generari pustulæ Gallicæ potuissent.

CAPVT XIV.

Germanicæ linguæ paupertas.

PVstularum innumeræ differentiæ, quas antiqui Medici ac Chirurgi posteritatis memoriæ prodiderunt, cùm difficulter Germanicis nominibus reddantur (nam vix duas appellationes, Scabiem nimirum & Pruritum apud Germanos rectè exprimi inuenias) non paucorum in enarratione errorum occasiones præbuerunt. Videas enim Chyrurgos, qui ad nominis alieni sonum etiam obstupescant. Itaque cùm quid mali sit, non intelligant, atque si non suo statim remedio morbus obediat, subito ad pustularum Gallicarum classem sine iudicio affectum sibi incognitum reiiciunt, quamuis ne minimum quidem veneni Gallici subesse conspiciatur. His autem malis meo iudicio facile mederemur, si differentias omnes, quas in hoc affectuum genere antiqui annotarunt, in numerato vt haberent Chirurgi operam darent, neque has solum, sed & insuper illas, quæ ex complicatione varia Luis Gallicæ cum illis speciebus nascerentur differentias, in suas quasdam certas classes reducerent, quod nisi fiat, non puto tot mortes, quas illi suis malis curationibus procurant, præcaueri posse: delitescit namque hic radix ex causa corruptionis complexionum in ægrotis. Hortor itaque singulos apud sese colligant, quantum malum ac dedecus præstantissimæ arti concilietur, si morbum qui non adest, dum curari tentas, alium de nouo ex sano corpore morbum efficias.

CAPVT XV.

ITaque rudi minerua differentias pustularum delineare solum tentemus. Videtis scabiei formam nonnihil à pruritu, hanc à squamis, hanc iterum à formicis seu minutis pustulis, differre: has autem differentias indocti Medici, si etiam verbis præeas, ne exprimere quidem voce, nedum intelligere possunt, quare illos nunc asinos missos faciamus. Pruritus ergo (nam quomodo se cum Lue complicari morbi habeant, iam ostendere incipio) vbi cum Lue Gallica commixtus est, & vehementior apparet, & curationi (quod proprium signum complicationis est) admodum inobedientem sese præstat. Sic scabies quoque complicatione hac immutari cernitur. Sunt dein aliæ pustularum accidentales differentiæ, nimirum quod aliæ siccæ, aliæ humidæ, aliæ duræ, aliæ pyramidales, aliæ copiosæ, aliæ paucæ, longæ, latæ, albæ, nigræ, luteæ, virides, rubræ, calidæ, &c. & quidquid tandem est huiusmodi, videantur. Verum de istis nil sollicitos esse oportet: omnes enim ex corpore morbi, quod satis accuratè ab antiquis descriptum est, originem du-

Pruritus in lue fit vehementior.

Pustularũ differentiæ accidentales.

cunt: itaque quod venenum Gallicum attinet, hic de eo ceu ipsum causa esset, non cogitandum: neque enim veneni Gallici specifica malignitas complexionibus seu temperamentis tribui debet, vt hæc lues Melancholica, hæc Colerica, illa Phlegmatica, alia sanguinea dicatur, sufficit pro varietate corporum morborum, Gallicum venenum distinxisse.

Lues Gallica non à complexionibus dependet.

CAPVT XVI.

SEcundum iam dicta itaque, quia & Herpeticæ pustulæ, & Phlyctenes (nimirum quia horum materia in corpore delitescit) fieri cum Lue Gallica possunt, manifestum euadit, duo, tria, quatuórue morborum corpora, in vno eodémque morboso corpore fieri posse: præter iamdictas enim pustulas, vlcera quoque arthritidésque fieri impossibile non est, verùm officij medici erit, vt ista ab inuicem exquisitè distinguat, ne omnia vna eadémque curatione pellere frustra forsan attentet. Quin & hoc obseruandum, eos qui Sanguinei sunt, & sanguinolentis vlceribus, seu Phlegmonibus obnoxij, multo alia quàm cæteri ratione curandos esse. Adhæc sciendum liquorem radicalem quorundam morborum corpus (causam rectius) fieri, atque in vtrisque factam Gallicam Luem, & hæreditario iure, ac Contagij consortio communicari posse. Ex quo certissimum argumentum quoque desumitur, hoc genus Luis Gallicæ quoddam futuræ sanitatis signum esse, acea dignitate præditum, vt futuros morbos abolere, vel si qui iam occultè agunt, manifestos facere queat: namque si quid in intimis corporis penetralibus immundi reconditum est, illud omne à corde ac visceribus ad extima propellens, non potest non oculis id subiicere.

In eodẽ corpore plures morbi esse possunt.

Liquor radicalis quorundã morborum corpus fit.

CAPVT XVII.

AD hunc quoque modum, si Liquor Epatis casu forsan quodam Gallico veneno coinquinatus, ab interioribus extrà versus de latus vlcera vel pustulas excitauerit, sperare confidenter licebit Epatis affectum intrinsecus penitus aboleri, neque in Epate solum, sed in omnibus in vniuersum visceribus sic sese res habet. Quin quandoque & illud accidisse animaduersum est, in vno eodémque viscere materiam delituisse, quæ duplici generi pustularum corpus suppeditaret, atque vnicum illorum solum venenum Gallicum conciperet, reliquo integro manente, atque sic duplici remediorum genere opus esset: magna ergo in hisce casibus cautione vtentur medici, ne plus damni quàm commodi ægris suorum remediorum vsu concilient. Obseruandum quoque, quasdam defluxiones exulceratiuas ac Arthriticas eius naturæ esse, vt antequam in vlcus vel articuli tumorem habeant, pustulas prius excitent, quas sic internosces: si vltrò pustulæ curentur, pustulosum fluxum: sin minus, vlcerantem vel arthriticum esse putabis. Sunt denique pustulæ, quas pustulas peregrinationis commodè vocaueris, quòd scilicet de loco

Liquoris Epatis infecti noxa.

Notabile.

Pustulæ peregrinationis.

loco in locum moueantur, nec semper eandem corporis regionem occupent.

CAPVT XVIII.

ANtiqui autem morbi, in quibus Lues Gallica radices agere consueuit, eo nomine ab antiquis minus rectè descripti sunt, quòd Lues Gallica illorum morborum cum quibus complicatur, signa multò manifestiora reddat: namque omnia de centro ad superficiem propellens oculorum sensui subiicit. Itaque si à nobis plura forsan illarum affectionum signa annotentur, non antiquorum inscitiæ, vel nostro nouitatis studio, sed noui morbi insolentibus moribus illud omne tribuetis, neque verò putetis velim, morbum Gallicum noua illa signa facere: namque illa excitat ac in propatulum profert solummodo, non secus ac vernum vel æstiuum calorem cernimus folia, flores, ac fructus ex arboribus producere, qui etsi antea non apparebant, in arbore tamen erant, ac rectius ex arbore quàm ex calore prognati dicuntur. Sunt quoque quædam Gallicæ pustulæ Lepram præ se ferentes, signa tamen vulgaria Lepræ neutiquam habentes: sunt enim lepræ quædam quasi pathognomonica signa, quæ quia illis scriptoribus qui Examen Leprosorum conscripserunt incognita fuerunt, non immerito vulgi opinionem in dubium vocare videntur. Interim illorum fidem neutiquam accusauerim, cùm ea quæ experientia didicerunt, scribere maluerint, quàm incertis nugis sua scripta commaculare, secus ac nunc quosdam factitare videmus, qui saltem vt magnos codices conscripsisse videantur, omnia promiscuè, quæ ipsis in mentem venerint, eblaterare audent.

Lues Gallica alios morbos perfectos reddit.

Simile.

Lepræ signa propria & communia.

CAPVT XIX.

QVocirca nemo miretur, si Complexionibus repudiatis, pro demonstrandis iis quæ scire necessarium est, noua Corpora comminiscamur: siquidem quæ isthinc de causis, origine & fundamentis docentur, facilè reiici possunt, si saltem quædam testimonia ceu honoraria pronunciata referuentur. Itaque semper ætatem morbi Gallici spectare vtile fuerit: namque ægri ætas cum ætate morbi nonnihil consentire videtur, verbi causa. Si iuuenis morbo Gallico conflictetur, tum maturationem ac coctionem celeriorem quàm in sene sperare licet. Ad hæc ea veneni Gallici proprietas est, vt si qua parte vlcus factum sit, vel etiam scabies solummodo, ipsum per se aliam luem radicitus percurare possit, excitatum nimirum à propria sua malignitate, quæ in iam maturo corpore non potest non pro expulsione laborare. Quin in iuuenum corporibus non rarò nondum matura morborum corpora, etsi non erumpant, eruptionis tamen periculum minantur, quam eruptionem nec malam nec bonam, id est, nec vtilem nec noxiam indicare possumus. Itaque summatim hoc spectandum, tempus eruptionis à tempore generationis sedulo distinguendum esse.

Complexiones meritò repudiatæ.

Ætatis indicatio.

Eruptio à generatione distinguenda.

CAPVT XX.

SIngulariter verò obseruandum, Luem Gallicam cum Morphea, Albara, vel Alopecia, &c. complicatam, insolenti quodam generationis modo erumpere. Atqui pro harum difficultatum distinctione, sufficiat admonuisse ratione loci affecti, quo huiusmodi pustulæ consistunt: satis ac abunde dubium dissolui posse: namque in capite Alopecia, in facie Morphea &c. nec vllo alio in loco reperiri potest. Adhæc si pustulæ ab vlcere alio in loco constituto originem duxerint, transmissa scilicet aliam in partem materia, tum primogenio affectui omne quidquid est mali acceptum feretur: atque simili plane remedij genere curabitur. Veruntamen parti transmittenti prius medendum esse memineris: nisi enim illic præcautione vtaris, inutilis omnino curatio fuerit, sed hoc non inficiabor quoque; non raro penitus locum genuinum mutare affectus quosdam solitos esse: sic enim vidimus Syrones in crurib. apparuisse, quos pro Esthiomenis quidam curare enixi sunt, itaque semper formam, signa atque morem cuiusuis affectus sedulo contempletur medicus.

Loci affecti indicatio quid faciat.

Syrones in cruribus.

CAPVT XXI.

PVstularum insuper quædam formæ sunt, quæ quia Idrophorbiam quodammodo referunt, difficilem distinctionem reddunt, maximè cùm Idrophorbia sit transitus quidam ad Lepram: hinc quandoque pustulæ nonnullæ Idrophorbię corpore assumpto generantur ac augentur, quę rectius ad Herpetas vel Ectymata referuntur: proinde semper loci affecti & formæ ipsius affectus ratione habita, de morbi specie pronunciandum erit. Interim quod curationem attinet, non de forma, sed potius de materia & loco affecto sollicitos esse decet: namq; quæ pustulæ singularibus quibusdam locis erumpunt, curationi minus obedientes cernuntur, quàm quę vbilibet consistere possunt. Ad hæc sciendum formas pustularum non casu fieri, cùm materię habilitatem necessariò sequantur, itaq; si forsan ex forma de materia difficilius pronunciatur, tum causa est, quòd materia non semper syncera est, sed ferè alterius alicuius corporis accessione corrupta. Proinde si qui morbi ab antiquis forsan minus rectè descripti sunt, id morbi nouitati adscribemus: medicina enim non primitus perfecta extitit, sed paulatim pro nouorum morborum generatione aucta cumulataq; vt iam non mirum sit posteriores medicos antiquis erudiriores esse. Non enim est vt quisquam putet antiquorum scriptorum ætate omnes morbos absolutè describi potuisse: namq; absoluti nondum omnes morbi apparuerant, sed paulatim in publicum prodierunt, vt vel hoc solo nomine à reliquis creaturis morbos distinguere facile sit.

Idrophorbia initium lepræ.

Morbos recentes antiqui non describere potuere.

CAPVT XXII.

QVæ hucusque de pustulis à nobis conscripta sunt, rudimenta solum futuri operis de

de pustulis esse volumus, quod etiam opus reliquis Medicis exornandum, absoluendum, & perficiendum relinquimus. Interim pustularum hanc nostram theoriam sic omnes considerarent vellem, vt intelligant, iuxta veterum canones nostra ætate impossibile esse pustulas curari: namque cùm pustulæ nostra ætate apparentes, in nullius penitus scriptoris laboribus ac libris descriptæ inueniantur, quis putet ab illis curandi rationem addisci posse? Tandem (ne hoc indictum nobis abeat) & hoc obseruandum, quasdam pustulas endemias reperiri, hoc est, quæ vni alicui regioni propriæ ac peculiares sint: ex quo factum est, vt communi aliquo remedio cognito, medici agyrtæ, casu quosdam curauerint, qui peregrina in regione peregrino morbo conflictabantur. Veruntamen vsus tandem docuit, istis experimentis confidendum non esse, cùm sæpius endemius morbus pro peregrino, & vicissim, ab imperitis habeatur.

Pustulæ iuxta veteres nō curari possunt.

Endemiæ pustulæ.

FINIS SECVNDI LIBRI de Causis & origine morbi Gallici.

THEOPHRASTI PARACELSI DE CAVSIS ET ORIGINE MORBI Gallici,

LIBER III.

CAPVT I.

TERTIO hoc libro quasi parasceuen ad vniuersam curandi rationem conscribemus. Vbi ante omnia sciendum, veteres medicos ferè omnes in hoc impegisse, quòd remediorum solummodo Emunctoria spectantes, per ea omne genus morborum malignorum expellere conati sunt, quo errore ducti, nihil in lue Gallica, perparum in aliis affectibus curandis profecerunt: quod vel vnius Quartanæ febris exemplo palàm facere possem, quàm cùm per annum stultè pellere tentarent, irritos suos conatus esse intellexerunt. Sic in hydropis curatione, purgantibus, vrinam mouentibus, paracenthesi, aliisque hoc genus nugis luserunt, cùm in neutro horum Emunctorium medicamenti consistat. Summus ergo vulgarium medicorum error est, quòd Emunctoria non rectè distinguant: namque qui morbum per catharticum expellere vult, non solum remedij, sed & morbi Emunctorium considerare debet. Duo ergo Emunctoriorum genera sunt: morbi vnum, alterum Remedij, quod morbi est, illud genuinum suum remedium existit: quod vero remedij, hoc in semetipso est. Ex quo elucescit, in Praxi non remedij Emunctorium (vt quod nil auferre de morbo queat) sed solummodo vel certè potius morbi Emunctorium considerari debere, verùm reciproca quadam ratione Emunctorium morbi, emunctorium remedij, & hoc vicissim morbi emunctorium appellari potest. Hæc ea de causa commemoro, vt stentores illi Academici, ac Polyphemi professores intelligant, se ne principia quidem adhuc artis Medicæ degustasse, cùm iam cernant se hactenus frustra suis purgationibus laborasse, cùm nondum remedium, seu medicinam morbi cognouerint quæ tantum possit, vt vel nolente natura morbum eo adigit, vt ipse Medicamentum cogat per sua conuenientia loca actionem suam exerere. Verum quia hæc aliis quoque locis à nobis attinguntur, hic copiosiùs de illis disserere noluimus, Ruminare saltem (vt ita loquar) placuit ea de causa, quòd antagonistæ nostri sic vehementer vrgent, morbum per medicamentum cogendum esse; non obseruantes Morbum sibimet quandóque mederi, & remedio sic vti, sicuti athletæ suis fustibus. Medicina enim ceu gladius quidam in manu curantis est.

Quartanæ curatio.

Hydropis curatio incō cinna.

Emūcto. ria duplicia.

Nota.

CAPVT II.

QVia itaque hunc in modum remedio morbus vtitur, necessarium videtur esse, vt plus operæ in morbo, quàm remedio cognoscendo ponatur: etenim hucusque nemo repertus est, qui quomodo remedium curationem perficeret, vel quomodo morbus remedio vteretur, ostendere potuerit. Est enim in morbo occulta quædam scientia pugnandi, qua ipse remedio sic vti illi commodum videtur, non secus ac athletas videmus quouis armorum genere commode ex artis suæ præscripto pugnare: atque veluti athleta æger factus armis amplius non vti potest, sic morbus vbi lethalis factus est, remedium amplius ad curationem non adhibet. Hæc manifestum facere puto, contra pseudomedicorum placita, remedium morbo, non morbum remedio obsequi oportere. Constituto itaque eo, quòd morbus ipsemet Medicus sit, nec quidquam à medico externo requirat quàm telum (id est, remedium) quo contra morbum vtatur, sequitur medicum externum solummodo ministrum esse, illi magno athletæ arma suppeditantem: quod si Medicus minister solum est, non potest non pharmacaria officina antrum esse, in quo arma illa à Cyclopibus cudantur. Quapropter decet, vt medicus reiecta posthac sua phantasia, consideret non quid suo stolido capiti videatur, sed quid maximè ad faciendam curationem desideret natura namque sæpe in calido morbo frigidum remedium respuit, quod certè omnibus modis adhibendum Medicus ex suis speculationibus consuleret; verùm vbi ille naturam in consilium aduocauerit, mox sentiet vanum esse calidum frigido, & frigidum calido, contrarium scilicet suo contrario curari, intelliget etiam ad curationem perficiendam Remedium specificum omnino necessarium esse. Non enim quia copiosa in hydrope aqua abundat, ob id hydragogis purgantibus vtendum fuerit: purgatio namque non naturæ, sed Medici (inutile scilicet) telum est. Itaque naturæ telum ad pellendum morbum inquirendum.

Morbū quòmodo remedium cognoscere magis interest.

Morbus ipsemet medicus est.

Contrarietatis indicatio impugnatur.

Specifi. corū necessitas.

CAPVT

CAPVT III.

CVm itaque arma Medici ad secandum incommoda sint (namque non morbi, sed saltem medici sunt) sequitur non mediocriter peccari, si quis purgatione vtatur: perinde enim est, si medici non naturæ armis vtaris, ac si pumilionem giganti quis in pugna vel lucta opponat, cùm & robore & armis inuicem pares esse nunquam possint, paritas autem armorum necessaria sit. Ad hæc mechanicum hoc est in morbis qui in magnitudine sunt (vt verbi causa in tympanite) velle putare magnitudine imminuta morbum curari. Videtur quidem à philosophia alienum non esse, vt si corpus ægri duo centenaria appendens, quod aliàs vnum appendit, sic imminuitur, vt ad vnum redeat: etenim vnum centenarium pondus corporis aliud morbi esse intelligitur. Veruntamen longè secus sese res habet: si enim hodie octo vel nouem libras de morbo adimas (namque totum morbum vna vice aufferri impossibile est) cras totidem, vel duplo plus habebis. Similitudinibus his, omnium veterum dogmatum cyclopicam ruditatem delineare maluimus: crassos enim errores crassis argumentis explosisse satis est? Quis non hanc medicinam rideat & detestetur, qua decem diebus centum libras auferri, vndecimo præmium rectè peti persuasum hominibus est? scilicet vndecimo die vel iterum morbus centenarium appendit, vel æger in cœmiterium euolauit, cuius incommodi causa est, quod morbum suo telo priuasti.

Medicina mechanica.

Cur similitudini utamur.

CAPVT IV.

INsuper & in curatione vitalium facultatum robur vnicè considerandum erit: namque cordis actio ad omnium morborum expulsionem principali fungitur authoritate, proinde alter iterum error hic se prodit, quem committis, dum in curatione per emunctoria materiam extrahere volentes, ipsam necessariò intrò ad cor compellitis, ipso corde à se pellente, sicque vos quas promouere debebatis, cordis vires ipsimet oppugnatis. Est enim ea cordis natura, vt morborum emunctoria quàm longissimè à se constituat. Si itaque à corde ad exteriores locustas morbi pelluntur, quid quæso sibi vult, quòd à superficie ad centrum vos materiam vestris catharticis deducitis? Esto sane ita, concedatur vobis morbi causam purgando extra corpus pelli, an ob id perfectam curationem factam esse quis dicat? minimè verò: namque nulla vnquam hominum memoria obseruatum est, solius purgantis medicamenti vsu perfectè aliquem morbum curatum fuisse. Accedit ad hoc, quòd si morbifica aliqua materia à superficie ad cor deducitur, non solum non morbus prior non curatur, sed etiam alius de nouo generatur. Quin ipsimet fatemini, illam materiam quam vos peccantem appellatis, & quæ in locustis recondita iacet, non sine noxa esse, sed morbi causam rectè dici, si itaque iam illam vos materiam ad ventriculum perducatis, an aliquod operæpretium vos fecisse cogitabitis, scilicet tum res bene gesta est, vbi ex manus dolore ventriculi morbus confectus est: quis quæso ignorat ventriculi quàm Locustarum affectus periculosiores esse? Herpetis materiam dic quæso an facilius in crure vel ventriculo feras? Sed scio, respondebis hic non in ventriculo consistere, verum extra corpus elabi, dignum sanè medico responsum, quasi non æqua ratione, ac multò facilius per cruris anatomiam hoc præstari potuisset: vt interim taceam in intestinis herpetem mordacem confici. Hoc ergo exempli causa adferre placuit, vt intelligeretis, quamuis medicinam sic comparandam esse, vt à corde, non ad cor morbificam materiam trahat: quod fiet, si cuiusuis morbi ac membri Anatomia accuratius obseruetur.

Virium robur in curatione spectandū.

A corde ad locustas morbi pellimus.

Herpes à crure ad vētriculū non rectè traducitur.

CAPVT V.

QVia ergo Medicina in corde constitui debet, atque per cor expelli, sequitur ipsam cum corde quadam substantiæ similitudine concordare debere. Est autem cordis ea specifica vis, vt quemuis morbum emunctorio suo tribuat, quod si præstare ob imminutas vires nequeat quantum periculi immineat nemo est qui nesciat: necessario namque morbi excitantur, cùm morbi aliud non sint, quàm quidam affectus cordis naturæ aduersantes, qui priora emunctoria dereliquerunt. Si ergo contingat iam dicta de causa aliquem morbum suo emunctorio relicto, aliud quærere, dubitandum omnino non erit, quin illud pro vero Emunctorio assumi vtile sit. Sin aliàs hoc accidat, omnino ad proprium emunctorium reduci morbum oportet: hinc enim euenit, quòd in febribus affectis ventriculo vel intestinis, nihil cathartica proficiant: nimirum quia intestina febrium proprium emunctorium non sunt, itaque si quis illud obseruet, facile etiam sine purgantium vsu leui remedio febrem percurabit. Sin forsan casu accidat, purgantia conferre illud certè non medicamento, sed viribus cordis, quæ quaquauersum agunt ac pellunt, adscribendum erit. Quæ hactenus generaliter diximus, eò pertinent, vt intelligatis, in curatione Luxus Venerei simili modo Remedia perquirenda esse, vt & facultates vitales adiuuent, & morbum ad suum naturale emunctorium dirigant: sunt enim omnium corporum duplicia emunctoria: naturalia scilicet, & præternaturalia. Naturalia quidem rarò in morbis vsurpantur, cùm solummodo quotidianis excrementorum egestionibus destinata sint, veruntamen vbi ea fortè obstruuntur, si illa obstructio liberetur, & ad curationem & ad præcautionem non mediocrè commodum præstabitur. Præternaturalia verò emunctoria vt & ipsorum morbi naturæ aduersantur, in morborum tamen arbore inueniuntur: namque si naturale est morbos fieri, naturalia quoque emunctoria sunt: sin minus, contrà.

Cordis specifica vis.

Emunctoriis mutatis quid agendū.

Emunctoria duplicia.

CAPVT VI.

QVod si radices & non locustæ in emunctoria abirent, quemadmodum hic in Luxu fieri apparet, vbi in Anatomia Osei morbus figitur, consentaneum esse videtur, vt illic curationem auspicemur, quo nimirum radix mali ante omnia expurgata habeatur: namque donec in radice succus vitiosus est, eousque vitioso alimento rami nutriuntur. Si itaque radicem prius aggredi oportet, Emunctorium autem primo loco expurgandum, consequens est, radicem cum Emunctorio idem esse: neque tamen putandum est per radicem materiam peccantem seu causam morbi expelli posse: namque sola materia in qua illac fertur. Proinde non est vt speret medicus vllum remedium prodesse posse, nisi etiam Sperma ipsum ad simile Emunctorium perducatur. Quod fiet si ea vsurpentur quæ Osei vires roborare, ipsúmque ad expulsionem irritare possunt, caue tamen putes Luxum morbi hoc præstare posse, cùm illum prius auferre oporteat, quo luxus Osei in suam operationem progredi queat: fiet autem hoc, si vitales facultates etiam ei consentiant: consentiunt autem non nisi cor sentiat nullam in generationis partibus affectionem præter naturam inesse. Est insuper hoc medicorum vulgo in more positum, vt materias morbificas digerant, quod opus Maturationem quàm mollificationem dixeris rectius: namque ea quæ natura ad maturitatem perducit, rectè quoque ab arte maturari dicuntur, si & artis & naturæ idem sit finis. Si ergo naturam contingat aliquid maturare, tunc manifestum est hoc non per ea fieri, quæ materiam peccantem maturant, sed per ea potius, quæ eandem maturant, cuius rei exemplum sunto Verrucæ maiores: in his etenim curandis si materiam peccantem digerentibus aggrediaris, frustra laboraueris: at si id vnde illa materia defluxit oppugnes digerendo, iam morbum curare aggressus es. Simili ergo ratione hoc in affectu in Oseo illud digerere attentabimus, quod luxus causa existit, idque in sua propria regione: neque enim vt genitalia cures, ventriculum vel viscera ob id male affici operæpretium est.

Radix & Emunctorium idem est.

Osei roboratio quibus fiat.

Naturalis maturatio.

Digestio in Oseo

CAPVT VII.

CVm in explicandis Elementorum qualitatibus vulgares Medici mirifice insaniant, libet in præsentiarum secretiora quædam artis medicæ dogmata paulò altius repetere. Quòd elementorum qualitates manifestas quidam dicunt, hoc vanum est, cùm qualitates omnes ab occulto proficiscantur, neque sic gradibus certis distingui possint, quemadmodum pseudophilosophis nonnullis persuasum est, atque sane magnis erroribus Medicam artem implicauit dogma istud. Primò enim Elementa in suis corporibus abscondita latere: dein vnicum perpetuò suæ qualitatis gradum seruare, quæ ceu indubitata omnes assumunt, hoc dogmate conuelluntur. Insuper quod gustus iudicio primarum qualitatum censuram subiiciunt, quàm sit friuolum ij indicent, qui sciunt calidum, frigidum, humidum, siccum, eodem gradu consistentia, neque excedere, neque excedi. Itaque quod vel odore vel gustu diiudicatur, hoc solummodo Sal est, non autem Elementum. Error itaque in hoc vertitur, quòd hactenus non Elementorum corpora, in quibus illa qualitatum acuitas latet, sed saltem Salia diiudicata fuerunt. Quem nos errorem ea de causa detegere voluimus, vt testatum faceremus, Elementari ac perfecta natura Luxum curandum esse, quæ si ad curationem adhibenda est, vt certè adhibendam esse omnes sciunt, haud immeritò illud Errorem, quò pro Elementorum naturis Salia hactenus vsurpata sunt, explosimus. Itaque vt genuinum Elementum Luxum expellens depromamus, inspiciamus Flammulam, Piper, Camphoram &c. quorum priorum duo non ratione elementi, sed salis calefaciunt, posterius frigefacit: sic & Acori siccitas, non Elementi est, sed potius Salis, sic inquam Nenuphar Salis, non Elementi sui virtute humectat, quapropter deinceps à minerali ista vulgò vsitata curatione abstinentes, Elementarem vsurpemus: decet namque elementaribus morbis elementaria, mineralibus mineralia remedia adhiberi.

Qualitates elementorum sunt occultæ.

Gustus iudicium quale.

Sal non ipsum elementi, calefacit, humectat.

Qualis morbus, tale remedium.

CAPVT VIII.

QVemadmodum videmus ignem omnia quæcunque intra sui ambitus circumferentiam consistunt, expurgare, ac consumere, vt verbi causa: aërem, in quo ignis ardet, sic mundificari cernimus, vt si possibile esset, ipsum aliquo loco concludi, vt nulla deinceps inquinamenta externa reciperet, penitus ab omni corruptione liber haberetur. Vel aurum per ignem mundificatum intueamur, hoc scilicet sic mundum, purum, putúmque est, vt quæcunque in illius liquidum sepeliuntur, nullam vnquam putredinis noxam subeant. Actio ignis quam hisce exemplis delineauimus, similis quoque in Medicamentis Elementaribus, de quibus iamiam locuti sumus, inest: illa autem Elementi natura inuisibilis est, ac insensibilis, naturam tamen ignis non secus ac Balsamus participans, cuius tanta à suo interno igne puritas est, vt nihil ab igne ad eius similitudinem mundificari queat. Huiusmodi ergo ignis quemadmodum non sentitur in Balsamo, eius tamen actione ignea manifestissima existente: sic quoque in Luxu curandum, vt ille ignis qui Balsamo illam puritatem & incorruptibilitatem largitur, Venereo corpori imprimatur ac implantetur. Ab huius namque ignis actione Luxus domatur (non secus ac ex Ligno carbonem, ex hoc cinerem, ex hoc iterum diaphanum vitrum ab igne fieri videmus) Venere nimirum in fixum, purum, ac mundum corpus redacta. Obseruandum insuper, morbos hosce ab igne hoc absumi, non secus ac pabulum ligneum ab igne vulgari, scilicet quia eius vehementi actioni resistere nequeunt. Istam tamen curationem nunquam sali rectè acceptam referes, cùm Sal non nisi palliatas curationes

Aër & aurũ ab igne purgantur.

Ignis Medicamentorũ actionis opifex.

Luxus vt per ignem curetur.

Sal quarationes faciat. rationes faciat: non secus enim ac Sal vulgaris carnes à putredine tutas seruat, sic Medicamentariis morbos in corpore latentes obscurat, ac insensibiles efficit.

CAPVT IX.

VErùm quemadmodum sal carnis putredinem quidem ad tempus arcet, ab ea tandem euincitur: sic curationes illæ à Sale Medicamentario factæ, tandem iterum à morbis separantur. Atqui cùm non Philosophicè, sed Medicè morbi curentur, hoc est, perfectæ curationes fieri debeant, non secus ac ignis ac aquæ actiones perfectæ sunt, quis ferat Medicam artem inanibus philosophorum deliramentis sic miserè conspurcari? Quis aquam quæso coagulauit, vt ex ea lapis fieret? an non ipsummet Elementum? an non ergo perfectæ actiones Elementis tribuuntur rectè? (perfecta autem opera dico, quæ reciprocare non possunt: vt carbo non iterum lignum fit, nec cinis carbo: imperfecta quæ reciprocationem admittunt, vt putredo salem euincens, &c. Tales ergo (perfectæ scilicet) in Medicina quoque actiones institui debent, quod fiet si Balsami exemplo, purissimam Elementarem medicinam adhibuerimus, quam non in Balsamo solum, sed in infinitis quoque aliis corporibus cernere licet. De simplicium quidem materia magni passim extant descripti codices, in quibus tamen euoluendis nemo adhuc tantos progressus fecit, vt intelligeret pro Sale Elementum vsurpandum, ac Salitam illam Medicinam repudiandam esse. Natura certè ipsamet multis modis horum scriptorum cæcitatem arguere videtur: namque cùm ipsi naturas rerum describere se profiteantur, illud quod maximè naturæ nomen meretur, non intelligunt quidem, nedum vt scribant: quis enim illorum vnquam prodidit Adamantis duriciei, Saphiri incorruptibilitatis, vel mundiciei Monocerotis causam? Verùm quomodo ista intelligerent, cùm ne salis quidem naturam perspectam habeant: tam crassa enim ipsorum philosophiam, vt si bos salem lingens loqui posset, Salis naturam melius quàm illi explicaturus esset.

Elementis tum perfectæ actiones tribuendæ.

Naturas rerũ antiqui nullas descripsere.

CAPVT X.

ITaque omnino cauete, ne iuxta qualitates morbos iudicetis, vt scilicet hunc vel alium calidum vel frigidum appellandum censeatis: morbi enim hoc iudicium omnino respuunt, cùm omnes ex æquo ab igne consumantur, atque veluti ignis vulgaris omnia terræ nascentia absumit, sic Medicinam omnes in vniuersum morbos qui ex corpore prodeunt, ceu ignem quendam depascere putandum est. Ipsa namque Emunctorium cuiusque morbi quærere & inuenire potest, atque veluti ignis cum pabulo absumpto euanescit, sic & remedium post factam curationem suum emunctorium iterum claudit, atque materiam educit, vt qua morbus ex corpore expulsus sit, nequeas sensu perscrutari. Proinde crassa hæc medendi ratio est, cùm materia peccans corporaliter educitur: quomodo enim morbus qui corpus non est, corporaliter curari posset? Primaria ergo hæc indicatio est, vt curatio morbo similis sit, hoc est, cùm Venus solùm tinctura sit, non autem vt corpus vel materia substantialis, sed insensibiliter in corpore consistat, vt ea insensibiliter, neque corporaliter è corpore expellatur: namque quod in corpore corporaliter non consistit, illud incorporaliter quo educi debet. Atque hoc non solum in Venereis morbis, sed in vniuersum in omnibus Firmamentalibus impressionibus locum habet: quod non animaduertentes veteres medici, dum Salem pro vero Elemento vsurpant, ac vnicam mineralem naturam (quæ corporalis cùm sit, pondus quoque augere potest) spectantes, infinitis sese erroribus implicarunt. Distinguenda ergo elementaris natura à minerali fuerit, vt hanc pondus augere, illam imminuere, & purificare dicamus. Namque ex minerali cambucca, Bubones, Strumæ, Scyrrhi, & his similia fiunt: Elementari nihil horum generante: itaque etsi ab antiquis ista distinctio annotata non inueniatur, nihilominus tamen si obseruetur, multarum difficultatum inuolucris se facile quis extricabit.

Medicamentia actio qualis esse debeat.

Venus est tinctura, nõ corpus.

Mineralis natura põdus auget.

CAPVT XI.

OBseruandum deinceps est, cœlestem illam corporis partem (quæ vna ex quatuor corpus constituentibus suprà numeratum est) huic igni subiectam esse, sic tamen, vt illi totum corpus implicatum, & commixtum sit: namque cœlestis partis corruptio ex semetipsa fit, & in eandem denuò reducitur. Iam autem Elementum hoc non solius cœli est, cùm reconditum & insensibile sit, ea autem quæ ex cœlo veniunt, ferè sensibilia sunt, quod fulminis exemplo intelligere potes. Ad hæc sciendum, hanc operationem sic comparatam esse, vt vna cum suis Emunctoriis penitus abscondita sit, semperque ad firmamentalem partem, cùm in elementaribus nil proficiat, referendam esse. Quin & hoc non ignorandum, motum morborum quandoque interrumpi, non tamen penitus aboleri, non secus ac diurnum motum ab annuo, hyemali scilicet & æstiuo motu alterationem quandam subire videmus: nemo tamen interim est, qui non diem in æstate æquè ac in hyeme esse dicat, vel qui non alium motum æstatis quàm hyemis esse velit: neque enim dies ab æstate vel hyeme efficitur, sed quod diem efficit vel noctem, illud motus est: atque quod hyemem vel æstatem facit, itidem motus est. Quod si ergo motus morborum hunc in modum mutuo transponantur, vel implicentur, vnum post alium considerabis: si enim in Febrili Paroxismo & calorem & frigus inspicias, magnis te difficultatibus implicabis, itaque alterutrum priore loco expendes, quod si feceris, cuiusuis morbi vnicam Elementarem qualitatem esse animaduertes, reliqua verò omnia quæ

Quæ ex cœlo sũt, sensuum iudicia non effugiunt.

Dies & nox vnde.

quæ in eo apparent, symptomatum in classe habenda. Motus iste, quia pars eum Firmamentalis corporis per actionem suam perficere videtur, perpetuò in corpore consistit: quod si quandoque præter consuetudinem manifestior appareat, non est vt mali quippiam metuas: nil enim periculi subest, si à morbi natura vel essentia non digrediaris. Itaque scias errare te, si in motibus firmamentalibus iuxta calida & frigida mutuò pellere coneris. Quare nisi Astronomus sis, ab istis morbis curandis abstinebis: neque enim vulgatam illam complexionum partitionem admittunt.

Motus firmamentales vt considerẽtur.

CAPVT XII.

SI itaque quemadmodum in hæc inferiora Sol agit, nos quoque in medicina agere decet. Sciendum erit in homine duplicem motum inesse, lethalem scilicet & non lethalem: hic ex eo est, quod Elementorum mutationes subit (atque hinc Microcosmus dicitur) atqui vbi is Elementorum cursum anteuerterit, tum lethalis euadit, vt iam duos motus in homine esse manifestissimum sit: vnum cùm iuxta Elementorum mutationes alteratur: alterum cùm casu quodam ille motus interrumpitur. Exempli itaque causa Luxum nobis proponamus in quo elementari motu relicto, corruptibile corpus, quod inuisibile tamen sit, assumitur, illud autem sic cognoscendum est, vt sciamus nullum illi motum peculiarem esse, cùm prædestinationi subiectum non sit: namque hæc illius æstas est, quòd homo integra sanitate fruitur. Sanitas autem hæc non à motu quatuor elementorum est, sed à motu illo exteriore, consequenti autem tempore cùm sanitatis Caniculares, Autumnus ac hyems ingruunt, tum modò hoc, modò illud corrumpi in corpore incipit, non secus ac autumno aduentante, pira, poma, nuces, mox etiam vuas decidere videmus, hunc ergo in modum corrupta hominis sanitate, vt in anni temporibus hyems multis molestiis terræ nascentia afficit, sic paulatim in homine primum Saturni malignitas, mox Lunæ motus noua subinde incommoda machinantur, quæ non nisi eiusdem motus æstate curari, vel obliterari possunt.

Microcosmus cur dicatur homo.

Sanitatis Caniculares & autumnus.

CAPVT XIII.

QVemadmodum ergo dictum iam est, si quid proficere remedium oporteat, necessarium erit illud sub certa forma exhiberi, sic nimirum, vt ipsa forma morbum ex hyeme per ver ad suam æstatem deducat, non secus ac Solem cernimus omnium terræ nascentium ortus, augmenti, ac perfectionis tempora distinguere, quod certè medico perito difficile non erit, si ipse consideret, quemadmodum omnia quæ in exteriore mundo sunt, in homine quoque constituta & comparata sint, attamen nec ex Auicennæ vel Auerrois Medicina, vel Platonis, Aristotelis ac Trinij Theophrasti philosophia ista te addiscere posse cogites, cùm isti non cultores, sed obscuratores philosophiæ & medicinæ rectius dicantur, vt Plinij interim ac Arabum mentionem nullam faciam. Quod si ergo non ex horum authorum putidis scriptis, sed ex ipsa rerum natura ista addiscenda sunt, oportebit, vt quemadmodum Thymi ac eius terræ ex qua nascitur, tum apum ac mellificij naturam is qui de melle commentatur, cognitam habet: sic si de Morbis loquamur, similem cognitionem esse, nimirum vt sciamus in corpore quædam dulcia inesse, quibus alia membra (vt apes ex thymi rore) nutriantur: namq; nihil æquè inter esculenta ac pocculenta corpus alere potest, ac succus iste dulcis ab ipsomet corpore generatus, cùm autem de nutritione loquor, nutritionem vitalium spirituum intelligi volo. Si ergo hunc in modum non ab externis, sed intrinsecus vitales spiritus nutriri necesse sit, mirum non est, tot atque tantos morbos vulgaribus medicis incognitos in corpore existere, quorum causas impossibile sit ex medicorum scriptis depromere, quomodo enim illinc discas, quæ illi met ignorant? vt iam luce meridiana clarius sit, illos non authores, sed Impostores Medicinæ esse.

Forma in remedio necessaria.

Medici ac Philosophi veteres accusãtur.

Simile.

Vitales spiritus intus nutriantur.

CAPVT XIV.

VT autem tandem remedij formam explicem, cùm hactenus à tam paucis intellecta sit. Scitote Luxum nullam curationem requirere, quàm curationem Mummiæ, in qua ipse consistit: namque corruptio corporis Mummiæ quoque alterationem necessario efficit. Si itaque Mummiam illam medicinam esse dico, hoc sic intelligendum est, quod corpus, quia ex illa Mummia nutritur, non possit sanum esse, si suo nutrimento destituatur, sed necessariò in ægritudinem incidere. Quid enim prodesset, si omnes totius mundi medicinas per Archeum in vnicum Arcanũ reduxissem, nec interim corpori suum debitum alimentum suppeditarem? quid Venus plus conqueritur, quàm defectum sui alimenti? Itaq; quemadmodum diximus flores in corpore nasci, qui vitales spiritus nutriant: sic omnino necessarium esse putandum est, vt fructus in corpore generentur, qui Spiritui Sanitatis suam alimoniam præstant: talis autẽ fructus Mummia existit. Proinde si in Lacerto vel Musculo Esthiomenum vlcus fieret, nec fames sanitatis illic esset, vel si fame laboraret, alimento tamen destitueretur, quomodo quæso possibile esset curationẽ fieri? Sed Consolidam forsan vel Serpentinam ob id quòd curationem adiuuare videntur, illud nutrimentum esse putauerit quispiam, sed reuera non sunt: nihil enim præter hanc Mummiã hoc modo nutrire potest, & consolida ac serpentina hîc non secus habent, ac ventus qui puluere tectum frumentum oculis rursum subiicit, vt eos suauiter afficiat. Esthiomeni itaq; hoc exemplo puto vltimum theorema nostrum manifestum factum esse, itaq; iam tandem Theoriam Morbi Luxalis seu Venerei concludamus, nil morati pseudophilosophorum ac Medicorum nugas & conuitia.

Curatio Mumiæ.

Mummia nutrit spiritum sanitatis.

Consolida qua tenus Esthiomeno cõferat.

FINIS LIBRI TERTII DE CAVSIS & origine Luis Gallicæ.

THEOPHRASTI PARACELSI DE CAVSIS ET ORIGINE MORBI Gallici,

LIBER IV.

CAP. I.

COMPOSITIONEM remediorum deinceps explicaturus sum: erroribus enim, qui in morborum cognitione committuntur, expositis, non inconueniens est, eos etiam qui in remediorũ compositione frequenter accidunt, detegi. Quia autem non possunt non antiquorum dogmata, vbi recepta in aliquod opus fuerint, magnam ruinam trahere, propositum mihi est, omnes antiquorum canones, ac Pharmacopœorum descriptiones repudiare, ne forsan nostro operi notam inurant: licet enim videantur speciem quandam bonitatis præferre, tamen moneo ne plus ex illis speretis, quàm sibi quis ex splendore solis in hyeme, caloris polliceri possit.

Ab antiquorum opinionibus cauendam.

Quoduis itaque corpus medicamentosum, quod nos remedij nomine iam afficimus, non secus ac reliqua terræ nascentia corpus quoddam est, ex terra prognatum, atque quemadmodum semen seu frumentum esui nondum est aptum, neque à corpore nisi iam perfectum appetitur: sic medicamentum nisi quandam præparationem subierit, vsui nondum aptum est. Iterum veluti terra vim insitam obtinet, qua ex grano spicam producit: sic homini tributum est, vt vltimum naturæ pro primo vsurpare artis beneficio queat, hoc est, vt ex crudo quod natura respuit, spicam, id est præparatum remedium efficiat. Scitote ergo cruda remedia exhibenda non esse. quod agrestæ exemplo intelligere facile potestis: ea enim vt maximè ventriculum impleat, ac famem quodammodo restinguat, quia tamen cruda est, non potest aptum naturæ alimentum esse vel dici: namque in appetitu naturæ non ventriculi morbus consistit, itaque medicamentum non ad saturitatem, sed ad naturę voluptatem exhibentes quidem felicissimè ægros sanitati restituerunt. Proinde iam deinceps de Medicamentorum compositione sic disseremus, vt manifestum euadat, quemadmodum remedia componenda sint, vt ea morbus sic recipiat ceu famelicus seu sitibundus potum vel escam, quæ rectè nutriant, non saltem ventriculum impleant ac distendant: namque huiusmodi veterum compositiones fuêre, quas ob id non immeritò ceu inutiles repudiamus. Perinde enim ipsorum medicamenta habent, quasi quis raparum esu satur, corpori tamen nutrimentum non præstaret, sed per Monocolon illas denuo excerneret.

Cruda remedia non sumpenda.

CAPVT II.

TAlis ergo vester exhibendi modus est, qualis ea quę per rapas vel agrestum fit nutritio, quam repletionem quàm nutritionem dicere rectius fuerit: putant enim ægri se sanos esse, cùm non sint, haud secus ac rapis repleti se famem compescuisse existimant, cùm ventriculum solum repleuerint, namque nutrimenta hæc Narcoticam cæteris membris imprimunt dispositionem, vt scilicet ipsorum attractio seu appetitus conquiescant: sic etiam vulgaria remedia quæ adhibentur, Narcotica sunt, proindéque hoc solum efficiunt, vt ad tempus hostis sanitatis in nobis obdormiscat. Narcoticam ergo illam vim an non meritò ego incusem? cùm ex illa Diathesi membris & nutrimenta & remedia subtrahantur ad hæc impeditur, ne corpus cœlo subiiciatur: nihil enim in corpore dormire decet, vbi aliqua corruptio inciderit, sed omnia euigilare oportet, ad recuperandum id quod absumptum fuerat. In hunc ergo modum de remediorum compositione disserentem me omnes vt intelligatis volo: namque donec impurum, ventosum, incoctúmque corpus essentiæ medicamenti iunctum permanserit, non potest non, si ipsum corpori adhibeatur, stupefactiuam suam vim, quæ essensificato iuncta est, demonstrare: quod si fiat, necessarium est nouum morbum generari, quod non animaduertentes ij qui de Febribus scripserunt, transmutationis huius quæ fit per hasce agrestosas curationes, non meminerunt: namque hæ curationes Diathesin morborum immutant, non secus ac ex Ostrutio Angelicam, ex Libistico Angelicam Laudinam (agente nimirum Narcotico Elementato) transplantari cernimus.

Narcotica vis nutrimẽtorum.

Agrestosæ curationes.

CAPVT III.

CVm itaque cruda remedia, ac alimenta Narcoticam vim participare demonstratum sit, consentaneum est, Medicamenta sic præparanda esse, vt famis illius, quæ in ægrorum corporibus inest, optatum alimentum, non autem stupefactiuum venenum euadant: quod efficiemus, si Narcoticam illam vim à Medicamentosa separauerimus. Namque velut videmus omnia terræ nascentia in medici vsus venire, ac à terra quantum in se est, perfectè produci: sic idem illud argumentum est, ex quo medicus colligere debet, sibi id muneris incumbere, vt quod natura perficere incepit, ipse absoluat penitus: nam quæ natura ceu perfecta relinquit, ea rudimenta modò artis sunt. Sic enim Medicum instructum esse decet, vt ex radice stolonem, ex hoc florem, ex flore semen sui corporis quod præ manibus habet, producere possit: omnino enim artem naturam vt sequatur, necesse est. Iterum velùti hyeme hortos non flores, terram non fructus producere videmus, scimus tamen futuro vere florem, æstate futura fructum abundè nasciturum: sic medicum remedium seu medicamentum aliquod intuens, intelligat se æstatem esse, itaque ex illo fructum aliquem producere debere. Namque etsi aurum habeas, magnásque illi virtutes insitas esse intelligas, nil tamen adhuc eo proficies,

Separatio Narcoticæ facultatis à Medicamẽtosa.

Arbor Medicinæ.

proficies nisi in Arbore Medicinæ ipsum regeneratum sit, itaque quemadmodum Archeus in terra coquit: sic in arte Medicus alter Archeus esse debet, vt quod ad opus naturale perducit mundi maioris Archeus in sua arbore, hoc idem in minori mundo Medicus artificiale opus deducat. Scilicet Aurum semen esto, tu augmentatrix Archei virtus sis, Athanar autem pro terra habeatur, & intelliges ex hac Analogia, quid ars naturam intuens efficere queat.

CAPVT IV.

Niuis quoque exemplum doctrinæ gratia assumamus, Natura quo pacto ipsam producat, dij dicantes, primum itaque nec forma, nec substantia, nec corpus, nec calor, neque denique complexio adest, generatur tamen Firmamento niuis semine existente: ex firmamento enim nix formam, substantiam, corpus, colorem ac complexionem sortitur, non secus ac ex terra Pinus. Itaque in hunc etiam modum Medicamenta ex sua forma in perfectissimam formam exaltanda erunt: in omnibus namque creatis corporibus Archeus quidam inest, qui ea ad perfectissimam formam euehere conatur, quare non secus ac in Elementis Archeus inest, & in Elementatis perpetua ad nouas generationes alteratio: sic in Medicamentorum ac hominum corporibus nunquam quiescentem Archeicam vim inesse putandum est. Quod dum multis retrò sæculis à nemine qui in re Medica excelleret obseruatum est, accidit vt Microcosmi sanitate corrupta, noui subinde morbi exorirentur. Exemplo autem niuis in eum finem vsi sumus, vt ostenderemus Medicamentorum vim ad summum euehendam esse, quemadmodum & niuem Solis calori summè aduersari conspicimus: namque sic comparatas medicinas esse oportet, vt quàm non metuendum est Cristolinam stellam non congelari, vel ignem non vrere, tam certus sis medicamentum ad euincendum morbum sufficiens esse. Nisi enim complexio perfecta sit, Elementatum esse nequit, & vbi elementatum non est, ibi nec Elementum, quod ad morbi curationem sufficiens sit. Ex his manifestum quoque euadit, quamobrem prioribus capitibus Narcotica improbauerimus remedia: nimirum quia ipsa vitæ nostræ dies decurtant, dum stupefaciendo sanitatem, quam nobis Cœlum, Chaos, & duo inferiora Elementa concesserant, corrumpunt.

Firmamentum est semē niuis.

Archeica in homine vis.

Cristolina stella.

CAPVT V.

Qvis non autem tantam artem ambiret, vel quis eam non omnibus modis expetendam esse putet, qua omnia quæ in maiore mundo Archeus efficit, nos quoque in nostris corporibus vel in ipsis remediis efficere possumus? Itaq; quemadmodum videmus Solem omnia quę in hoc sunt aspectabili mundo, suo splendore illuminare ac fouere, sic & nos Medicinam quandam vniuersalem meditemur, quæ suis viribus totam corporis molem quaquà versum illustret: atque perinde ac solem è medio sublato perpetua nox foret, nihilque quod terra produceret, augmentum caperet, omniúmque putredo immineret, Balsamo nimirum crescentium, qui à Sole fouetur, imminuto, vel corrupto. Sic comparatam medicinam oportet esse, vt instar diei aduentante, somno actionem suam perficere queat (nihil enim pondus respicere opus est) existente scilicet intrinsecus Archeo actionum omnium principe, morbíque hoste primario. Si itaque vt Sol, sic medicina se habere debet, non aliud erit, si quis cuiuis morbo particulare remedium adhibendum putet, ac si Lunæ vel cæterarum stellarum actiones, quæ respectu Solis actionum particulares sunt, omnibus terræ nascentibus ex æquo præesse putet. Lunæ splendorem non nullum esse haud inficiamur: at quantula quæso ipsius ad Solis lumen portio existit: haud itaque secus particularis medicina se habet, ac Noctuæ visio est, quæ ad Lunæ lumen fit quidem, sed obscura omnino.

Vniuersalis medicina.

CAPVT VI.

Exemplo ergo solis, qui omnium facultatum ac qualitatum augendi vim obtinet: namque omnibus plantis terræ, metallis aquarum, omni Mannæ aëris, omniq; cœli impressioni vim viuificam præstat: veruntamen quemadmodum Solis forma, calor vel splendor diuidi nequit, vt alia florum, alia arborum, alia lapidum &c. ratio Solis sit: sic omnino necesse est Medicinam diuisam non esse, vt scilicet hoc remedium huic parti, illud alteri destinatum sit: namque oportet vt quod huic salubre est, illi quoque, & quod alteri, huic etiam salubre existat. Itaque impossibile est speculationibus assequi, quid in hominis corpore particulare insit, nisi prius à maioris mundi similitudine argumento deducto, illud homini inesse cognouerimus, mundus namque maior verus Medici ac fidus præceptor existit. Atque quàm est Medico impossibile, si terram inspiciat, quid illa productura sit, pronunciare, tam etiam arduum est sine maioris mundi contemplatione certi aliquid pronunciare. Itaque cùm contradictione careat, vires solis omnes reliquorum syderum virtutes in se continere, vicissim vim attractricem plantis inesse, qua illas Solis vires sibi attrahendo proprias faciant: sequitur Medicinam nostram sic comparatam esse debere, vt omnes corporis nostri vires ac facultates (constituta nimirum in singulis partibus ac membris attrahente virtute) afficere queat. Hinc manifestum euadit errore non vacare, si particulari aliquo medicamento exhibito quis velit vnam partem roborare, cùm ipse ignoret quænam pars roboratione maximè indigeat. Summa ergo dictorum hæc est, Sanitatem à Medicina, vt Diem à Sole, non nocturnum splendorem à Luna proficisci debere.

Remedia nullis partibus certis dicata.

Particularia improbantur.

CAPVT VII.

Qvin & in prima mundi creatione, propositũ nobis nostrę medicinæ exemplũ fuit.

Etenim

Etenim velut illic luci tenebræ mixtæ, separatæ tandem fuêre, vt Lux diei, Luna ac stellæ nocti inseruirent. Sic in quouis remedio seu medicamento intelligendum, confusionem quandam lucis ac tenebrarum esse, quam Medicum separare oporteat: namque vniuersi separationem qui molitus est, Creator eandem adhuc conseruat & gubernat, particularium autem rerum gubernationem Medico commendauit, eiusque separationis quam in hisce corporibus facere deberet, magnam illam illius mundi Ideam proposuit. Itaque si Medicus separationem moliatur, talem necesse est mente concipiat, qualem à Deo in Solis lumine creando sibi propositum fuisse credibile est: nimirum vt ex suo corpore per separationem hoc Solem, illud Lunam efficiat, ac constituat: namque etsi Sol à tenebris separatus, tamen non nullam noctis vim quoque existere putandum est. Ex quo sequitur, etsi Sol Medicinæ separetur, tamē in reliquo adhuc corpore aliquid vtile inesse, Stupefactionem nimirum, quæ Somno qui à nocte causatur, aliqua ex parte respondet: etenim perinde ac Stupor ac somnus à nocte causatus quibusdam conducit, quibusdam officit: sic illa stupefactiua corporis medicamenti virtus, vt non omnibus officit, sic nec omnibus prodesse credenda est. Atqui propositum mihi hîc est, non de vsu noctis, sed de vsu Solis medicamenti disserere: nimirum quòd ille vniuersalis sit, & nunquam non ad optatum nos finem perducat.

Separatio medici.

Stupefactio non omnino inutilis.

CAPVT VIII.

DE præparatione ergo huius Solis, cui tantopere contradicunt pseudomedici, quam tamen per archeum Medici Deus Opt. Max. humano generi largitus est, non inutile fuerit paulò copiosius disserere. Quia ergo Medicus ea virtute à Deo donatus est, constat ad nullum alium finem ea vtendum esse, quàm ad curationis artificium, atque in hoc opere omnibus modis illi Magistrum suum, Deum scilicet imitandum esse. Velut ergo Deus Opt. Max. mundi maioris morbos omnes aboleuit, atque fecit etiam vt quotannis iam nix, iam flores generentur, quæ nisi Deus ipsorum generationis impedimenta, morbos scilicet, præcaueret, nunquam produci possent. Sic medicus minoris huius mundi, hominis dico, quasi Deus, quoque omnia quæ ad morborum generationem præcauendam pertinebunt, adhibebit, quod faciet facile, si consideret, quemadmodum intra CVTEM, hominis Firmamentum omnia quæ maiore illo Globo continentur, consistant, atque à Deo separata sint, ipséque illam separationem imitetur. Atqui maioris illius Globi Deus non sic in illo omnia curauit ac perfecit, vt nil Medico reliqui faceret: namque metalla produxit quidem, hominem fecit etiam, atque hunc Medico perficiendum ac curandum: illa metallorum fusoribus perficienda reliquit. Quamobrem officium medici erit, hominis expurgationi ac mundificationi studere, vt perinde ac aurifices aurum à sulphure, Antimonio, Arsenico, &c. expurgant: sic & ea quæ in homine illas sordes referunt, expurgentur, ac mundificentur.

Pensma gister medici.

Medici munus.

CAPVT IX.

QVia ergo Medicus ad imaginem Dei agere ac laborare iussus est, constat ipsum non nugacibus rebus, sed secretioribus Magiæ ac Cabalæ studiis operam suam locare debere: non enim vt Iureconsultorum vel Physicorum scientia, sic & Medicina humanis speculationibus comprehendi potest, cùm ipsa supra omnes artes admirabiles ac occulta existat: namque sic Deus Electos suos artibus exornat, vt ne LVMEN quidem Naturale ipsis æquiparari queat. Quod si tanta Medici præstantia atque sapientia existit, absque dubio Stoicorum vel Peripateticorum inanibus fabulis cognoscendis, ipsum macerari non debere, omnes facile concesserint: quid enim est, si quis speculationibus in arte Medica vti velit? scilicet non secus ac ipsi in vitio quis esset? nec disputationibus lacerari artem decet, cùm disputatio nil sit, nisi inanis ostentatio acuminis rationis humanæ, cui tamen Medicum subiectum esse omnino negamus: namque medicum non ab iis qui de natura ex suis speculationibus scripserunt, discere volumus, sed potius vt ambulet in via Arcanorum, hoc est, vt perinde ac Deus, verbi causa, sensibile ac excellens frigus in niue creauit: sic & ipse re ita postulante, possit ex sui medicamenti corpore summam frigiditatem extrahere. In hoc enim vera medicina ab illa Sophistica differt, quòd verus Medicus ex quouis igne aquam, & vicissim, efficere queat, separationis nimirum ac transmutationis beneficio, nec contentus sit pipere vel cardomomo calefacere, aut nenuphare vel rosis refrigerare.

Disputationes medicæ improbantur.

CAPVT X.

SEmper à prima vsque mundi origine, operum diuinorum corruptor ac hostis demon fuit: itaque nec Medici dignitati, quæ omnem rationis captum superat, pepercit, sed omnibus modis vt eam commacularet, conatus est, quòd cùm in multis aliis, tantum in hoc etiam maximè præstitit, cùm hominibus persuasisset, vt vlteriore inquisitione omissa, quorundam particularium scientia contenti essent, sicque factum est, vt Solatrum satis frigefacere, Cardamomum abundè calefacere posse crederetur: quin & eo rem deduxit, vt persuasum homines haberent, ex suo capite se de causis & origine morborum iuxta humorariam illam quaternitatem abunde disserere posse, suósque oculos cutem penetrare posse. Hinc scilicet factum est, vt Medici omnes mendaces facti, in omnium hominum perniciem inhiarent: atque nisi tanta Dei erga humanum genus bonitas esset, omnia ipsorum remedia venena forent præsentissima, sed benigniss. pater Deus subinde à gladio Medici ægros suos eripit. Atque tam hi errores radices egerunt, vt metuendum sit, ne cum

Diabolus corruptor operũ diuinorum.

Solatrũ. Cardamomũ.

Deus ægros è manibus medicorũ eripit.

cum tritico lolium abiicere oporteat, sperare tamen aliquo modo possumus, fore, vt aliqui tandem abiecto lolio, ipsis sint initiaturi Arcanis, adeóque ipsum Lumen Naturæ suis inuentionibus superaturi. Quod fiet, si reiecto corpore remedij stupefaciente, solam Diaphaneitatem ipsius vsurpandam esse intellexerint.

Diaphaneitas medicamentorum.

CAPVT XI.

Itaque cùm natura semen Medici generet: namque & medicus ipse minor natura est, conuenit vt veluti in magno mundo, sic etiam in minore operatio procedat, vt nimirum ipse suimet Archeus existat. Data ergo Medico Mineralia sunt, non vt illa talia qualia sunt permanerent, sed potius vt crescerent, quare quemadmodum Anthos à terra sua, ac Cheyri è sua petra, sic & Remedium à sua terra separari debet, scilicet vt hoc primum in suum vltimum reduci queat, atq; veluti terra primum in vltimum transmutat, ipsa in se incorrupta manente: sic & separatio fieri debet, vt sine corruptione id ex corpore enascatur, quod ei inest. Scitote ergo, plurima eiusmodi corpora esse, quæ talibus crescentibus seu arcanis dotata sint, haud secus ac in terra plurimas videmus esse plantas, quæ singulæ proprio & natiuo solo gaudeant, quo si priuari ipsas contingat, iam suæ perfectionis spes omnis frustranea erit. Atque iterum veluti plurimæ species plantarum in se ipsis diuersæ quodammodo sunt: nam pyrorum exempli gratia infinitæ species sunt: sic & Arcana à se inuicem multis modis differre putandum est, hæc eo nomine à me dicuntur, vt ostendam aliam esse terram Aurum, aliam Saphyrum, aliam Carabem, aliam Antheram, aliam Mannam, &c. quapropter constat talem inquirendam terram esse, qualis Medicina requiritur. Summum itaque separationis mysterium in eo situm erit, vt terra corrumpatur, atque habilis reddatur, quæ fructum quem speras producat: namque ager incultus quid vtilitatis colono præstare queat? excoli ac corrumpi terram omnino necesse est, si eam aptam reddere velimus, vt generet ea quæ nos cupimus ipsam producere. Simili plane ratione inculta terra in manu medici est, quam ipse subigere, colere, & præparare debet, vt ex ea quid nascatur simile ipsi Anthos vel Cheyri. Terræ ergo corruptio primum in præparatione est. Etsi enim Saphyrus vel Corallus maximis virtutibus excellunt: tamen eæ perfectè suas actiones proferre nequeunt, donec artis beneficio purum ab impuro separetur, terræque corruptio procuretur.

Medicus est minor natura.

Arcana varia sũt.

Terræ corruptio summũ est in præparatione.

CAPVT XII.

CVm itaque sic ad corruptionem cogatur Medicus, veluti & cœlum subinde & quotannis nouas molitur corruptiones, vt suas impressiones niuis, pruinæ, &c. efficiat: vel vt terra ad flores & fructus, aqua ad lapides & metalla producenda cogitur: sequitur quòd medicus, vbi terram confregerit, iam nil amplius admodum laborare cogatur: etenim si terra corrupta sit, vltrò vires illæ prorumpunt, nec absconditas se esse patiuntur amplius, itaque non amplius sollicitus sit medicus, quomodo semina, flores, fructus, &c. generari procuret, sinat saltem omnia vltrò crescere, veluti colonus terræ mandatum semen non curat amplius. Dum autem terra corrupta nondum est, tum Rubinus, Magnes, aliáque corpora ceu lapides hîc iacent, ostendentes quidem multas in se vires reconditas esse, quæ tamen nondum ad actionem perficiendam aptæ penitus sint: etsi enim attractiua vis in magnete aliqua videatur, tamen si eam conferas cum illa, quam tota natura obtinet, magnum sane interuallum reperies. Itaque Gradationis arti intendat Medicus oportet, quam ex frumenti similitudine discas: licet granum enim frumenti in medium deponas, quod exempli causa drachmam appendat, huius si tu vires, quæ substantificæ sunt, compares, plus quàm millecuplam obseruabis portionem. In hunc ergo modum in Arcanis etiam vires iuxta gradus metiri oportet, non scilicet pro quantitatis modo, sed pro ratione totius substantiæ virium. Folia Barbari intueamur, ea acida sunt, acida & radix, verum multò acidior fructus quem profert: sed si hanc aciditatem conferas cum ea, quæ verè inest, debebatque sentiri, si separata corpora essent, magnum senties in gustu interuallum. Sic quoque in Aro viginti sex gustus diuersi reperiuntur, quorum postremus (ceu iam perfectæ plantæ) summus est, ac excellentissimus, quare moneo in vsu remediodiorum, ne pro fructibus Barbari folia vsurpemus, id est, quæ nondum artis beneficio perfecta sunt, adhibeamus: sic enim Saphyrũ foliorum instar vsurpari magno errore obseruatum est.

Magnetis vis attractiua.

Barbari aciditas.

Arum 26. gustus continet.

CAPVT XIII.

QVid autem illud est, quod à terra separat? nimirum illud ipsum planè, quod etiam niuem à cœlo, sua scilicet insita vis vbique mundum ab immundo secernit per naturam, ac concordantiam. Videmus omnia terræ nascentia æstati, vt ea perficeret, demandata esse: æstatem itaque hoc loco artificem esse dicimus, hanc virtutem nulli alteri tribuimus, atqui hanc acceptam igni referimus actionem: namque calor semen in terra putrefacit, & aptum ad crescendum reddit. Qualis ergo caloris solis ad æstatem ratio est, talis in igne ad actionem Diathesis existit. Sol enim niuem fundit, glaciem liquat, terram calefacit, & vt æstas fructum producere queat, semen putrefacit. Contra igneus calor artificis (haud secus ac Sol niuem, glaciem, aliaq; quæ generationi obstant, depellit) corpus illud fundit & frangit, & quę sunt generationis ac perfectionis impedimenta, abolet. Huiusmodi ergo huius præparationis ratio existit, quam non solum ob Luxum & Veneream affectum, sed etiam propter quosuis alios morbos in quibus omnibus necesse est reiecta vi

Analogia Solis & ignis Chemici.

ta vi Narcotica, Vniuersale remedium vsurpari conscripsimus, cùm constet Narcoticam illam ac particularem curandi rationem vitæ nostræ terminum abbreuiare.

FINIS QVARTI LIBRI DE CAVSIS ET origine morbi Gallici.

THEOPHRASTI PARACELSI DE CAVSIS ET ORIGINE LVIS GALLICÆ, LIBER V.

Procemium.



DE administratione iam tandem differere tempestiuum fuerit: ea siquidem scientiam ac peritiam Medici prodere solet, itaque cùm hactenus causæ, origo, ac compositio descripta sint, de administrandorum ritè remediorum ratione præcepta conscribere vtile duximus, quapropter cùm speciei ac causæ ipsius affectus, tum temporis cognitio administrationem gubernent, omnes scire vellem, quam obseruarunt antiqui in describendis morborum causis, signis, ac prædictionibus, rationem mihi ceu imperfectam & mancam displicere, ideoque in Luxu, quem hîc explicare propositum est (de quo tamen ceu de vniuerso morborum genere docendi causa loquimur) aliam explicandi methodum instituere: etsi enim friuolum cui videatur, repudiatis antiquis, noua comminisci velle: tamen si quis mente recolligat, quanto errore, quantaq; temeritate illa scribendi ratio approbata sit, is facile intelliget nostrum studium inane ac inútile non fore. Itaque cùm hæc ad medicam facultatem tantopere attineant, ipsosmet medicos iudices aduocare non dubitabo. Et exemplum maioris Sphæræ proponam, in quod intueantur, atque facile sentient, quantis erroribus hucusque ars medica inquinata fuerit. Etsi autem in minori sphæra exempla non desint, tamen cùm ferè Aristotelicis phantasmatis omnes dementati sint, maioris sphæræ, quæ nondum adeò nugacibus commentis conspurcata est, exemplo vos in harum rerum cognitionem introducere maluimus. Neq; verò statim offendi lectorem vellem, si forsan (quod fore non dubito) istis nostris scriptis aliorum libros obscurari contingat: namq; si quis accuratius horum hominum codices euoluat, non difficile assequetur, quanta inscitia naturæ authoritate ipsi ad probandum suum propositum abutantur, vt interim taceam alterum alterius labores necessario suffurari. Namq; Astronomus nisi medicus sit, Astronomiam: vel Philosophus, nisi & ipse medicus sit, Philosophiam describere nequit.

Administratio ex quibus rebus dependeat.

Cur maioris Sphæræ vtatur exemplo.

Astronomus & philosophus esse debet medicus.

CAPVT I.

ET primo quidem, vt argumentum huius libri rectius intelligatis, ante omnia naturæ morborum absolutam cognitionem vobis delineare conabor. Scitote ergo cuiusuis morbi generationem Lunæ generationi similem esse. Hæc vt primum generata est, statim vtrisq; Ascendentib., maioris scilicet & minoris Sphærarum subiicitur, quib. vbi subiecta fuerit, iam eorum naturam ac mores refert, hinc sequitur, non sine causa nunc humidam, nunc siccam, nunc ventosam, nunc mixtam Lunæ naturam esse, vel ipsius subinde formam immutari. Quia itaque Luna ab ascendentibus vtrarumq; sphærarum suam generationem, naturam ac essentiá sortita est: nisi enim Luna ab ascendentibus dependeret, duplicem Lunam esse oporteret: Naturæ alteram, alteram Substantiæ, quia, inquam, Luna sic sphærarum Ascendentib. subiecta esse rectè dicitur, necesse est & morbos iis subiici: aliàs enim nullus morbus nisi continui solutio lethalis foret, atq; nos cum Luna immortales essemus. Veruntamen etsi Lunæ quasdam accidentales vires alterari contingat, tamen quia nil præter eius regimen mutatur, integris semper manentibus luce ac lumine, nil refert etsi quandoq; morborum etiam regimina mutentur, saltem vt maneat eorum essentia. Regimen autem Lunæ illud est, quod terram afficit, quod modò ventosum, modò siccum, modò humidũ euadit, pro natura scilicet illorum ascendentiũ, qui illud gubernant: etsi enim Luna semper eadem ac vna est, tamen ab ascendentium impressionib. ipsius effectus alij atq; alij esse solet, quorum tamen causas nemo facile assignauerit, nisi habita prius cognitione omnium ascendentiũ, quod quã sit arduum, nemo non videt. Qualis itaq; Lunæ, talis descriptio morbi à medico assignanda est, quam nemo sine coniunctione Microcosmi hucusque magno ægrorum incommodo adferre potuit.

In Luna solum regimẽ mutatur.

CAPVT II.

VEluti autẽ ex naturali philosophia notũ nobis est, Lunam ac firmamentũ ab initio creata esse, ac constitutũ regenerationis terminũ habere, sub quo nouis quatuor teste cardinũ Ascendentib. à quib. cœli motus gubernantur, subiiciatur, sed vtut ista sese habeant, eandẽ tamen perpetuò Lunã esse, eundẽ Iouem, eundẽ Mercuriũ, eundẽ Polum, eandem Vrsam, &c. Simili ratione & morbi suas essẽtias, ac formas, & cõplexiones reseruant semper, etiãsi regimen ipsarũ immutetur. Scitote ergo tot in spiritib. Microcosmi pũcta inesse, quot sũt in cœlo astra, ex quo sequitur, in homine omnes inesse morbos, velut omnes in cœlo stellæ constitutæ sunt: isti morbi dum suã complexionẽ propriã conseruant, morbi nondũ sunt: at vbi per regeneratiõẽ Ascendentes imprimuntur, tũ regimẽ mutatur, ex quo sequitur, morbũ regimen esse, nõ astrum, ideoq; regimini, non complexioni medicinã adhibendã. Hinc error medicorũ elucescit, qui morbos corporales ac materiatos faciunt, persuasumq; habent,

Microcosmi tot sunt pũcta, quot cœli astra.

habent, materia illa extra corpus educta, morbum curari, quasi verò possibile esset semen morbi ex corpore, vel Lunam ex cœlo dimoueri posse. Verum quemadmodum Lunæ regimen auferri impossibile non est, sic morbi corpus, etsi non aboleatur, regimen tamen illius corporis tolli potest, quam sublationem nos curationem dicimus. Sequitur ex iam dictis ascendentium concordantia, ob quam omnes sanitates, omnésque ægritudines corporibus nostris insunt, vel certè suæ naturæ semina implantata habent, ex quibus flores fructúsque fiunt, mutatísque vicibus eadem ad sua principia celeriter redeunt. Si itaque eæ affectiones in eum quem diximus modum regenerentur, tum necessarium est eas nouis illis coniunctionibus, nouísque ascendentibus subiici, atque inde noua regimina recipere, inter quæ illud quod excellentius est, vel quod maximè tinget, dominabitur, siue sanitas illud sit, siue ægritudo. Huius ergo tum sanitatis, tum morbi generatio existit: similis enim morbi cum sanitate generationis modus est, namque velut Rosæ, Lilia, Violæ, sic & Asa fœtida, Ebulus, &c. generantur.

Regimẽ, non corpus morbi auferendum.

CAPVT III.

Sanitas, & morb. sunt semina.

QVandoquidem ergo sanitas & ægritudo semina quasi sunt, quæ in corporibus hominum crescant, suis subiecta Ascendentibus, ex quibus sanitas vel ægritudo nascitur, constat ascendentis, non eius qui Ascendenti subiectus est, malignitatem morbi causam existere: ideoque Ascendentem sui remotionem ostendere: quis enim Lunam ventosam ob id (si possibile esset) ex cœlo deiiceret, quòd incommoda inferat? nemo sanè, cùm non Lunæ culpa, sed sui Ascendentis in causa sit, ad hæc Lunæ carentia incommodior multò esset, quàm si quis Ventorum vim auertendo, commodi efficere posset. Itaque Lunæ exemplo morborum semina constituamus: sunt enim semina morborum ceu stellæ quædam in corporibus nostris constitutæ, quæ necessariò nobiscum circumferimus, non quod commoda nobis sint, sed vt corporis nostri compages iis perficiatur, ceu Firmamentum suis malignis quibusdam syderibus: atque velut Luna cœlum carere nequit, eiusque iniurias illi ab Ascendentibus illatas perfert, etiam magno suo incommodo, sic vicissim terra Lunæ iniurias tolerare cogitur: namque Ascendentium ad sua subiecta similis ratio est, ac populi ad duos Reges, quorum prior clemens, alter tyrannus existit, scilicet necesse est, quidquid Ascendentes imprimunt, illud subiecta recipere, quare si Ascendens aliquis Lunæ pestilentiam imprimat, illam hæc certè perferre cogitur, neque tamen Luna vnquam moritur: sic morbos seminibus impressos perferunt quidem semina, non tamen ob id intereunt. Ex his manifestum euadit, in quanto errore versentur antiqui scriptores, cùm ipsimet sua administratione testentur, se causas morborum non intelligere, scilicet ex suo cerebro eas, non ex maioribus Sphæris hauriendas esse existimantes.

Morborũ semina vt stellę sũt.

CAPVT IV.

TAntis itaque erroribus cum implicata sit vulgata, & remediorum applicatio & causarum morborum assignatio, haud immeritò quomodo sanitas & ægritudo crescant, pluribus ostendere conabimur. Scitote ergo, quòd quemadmodum Sol & Luna principio vnum erat, tandem verò à creatore in duo diuersa corpora separata. Sic sanitatem ac morbum initio idem fuisse, separata verò postea sanitatis ac morborum astra seu semina esse. Oportet itaque vtraque in corpore existere, ad perficiendam scilicet sui Firmamenti integritatem: omnes namque partes ad integri perfectionem requiruntur: non autem necesse est de omnibus sollicitum esse Medicum: sufficiat rectam cognitionem impressionum hausisse: ea namque fundamentum est Practicæ Medicinæ, cuius ratione applicandi ratio, cui præsens liber dicatus est immutatur. Itaque constitutum esto, non astri, sed morbi semen auferendum esse: quis enim Lunæ splendorem contemnat, cùm ab ipso mali nihil proficiscatur, sed à sola impressione: namque color, rotunditas, splendor neque bona sunt neque mala effectu suo, sed impressionis effectus boni vel mali habentur, si itaque regimen Lunæ subiectum aliquod sit tum ad illud noxium, non ad imaginem tollendam properandum erit: namque imago motus non est, sed ipsius Ascendens. Quia ergo in coniunctione venenosæ inquinationis imago ipsa constituta est, constat non ipsum per se morbum, sed eam quæ ipsum effecit, causam, ascendentem nimirum in sua natura cognoscendum esse, atque non partem, epar puta, cor, pulmones, ventriculum, renes, splenem, &c. sed ipsum Ascendentem oppugnari debere. Sciendum autem, remedia ob id morbos pellere, quòd contra Ascendentes crescant, sic Anthera impressionibus Scorpionis, Basilicon impressionibus Virginis aduersatur. Sequitur ergo ex his, curationem non in Physico corpore, sed in ipsis Ascendentibus quærendam esse: crescunt namque in suis impressionibus Ascendentes exteriorum Sphærarum, haud secus ac in suis Sphæris singula medicamina crescere cernimus.

Sol & Luna vnũ fuere.

Imago non est motus.

Anthera Scorpioni resistit. Basilicon Virgini resistit.

CAPVT V.

MEdici schola cùm non in corpore, sed extra ipsum constituta sit, sequitur, nullam scholam quærendam esse, in qua per latrocinia in doctores euadere queamus: namque si quis intra corpus discere velit, illicò experimentari, tum haud secus ac si latronum consortio sese immiscuisset, latrocinia perpetrat: namque vires inquirere velle, latrocinium est, vt non immeritò vulgato prouerbio iactitatum sit, Nouus medicus nouum requirit cœmiterium: namque Salernitani ac Montis Pessulani medici, imò tota facultas medica satis & abundè testatum fecere, ex hominum plurimorum pernicie Medicos excellentes euadere. Verùm omnibus constare iam puto, medicinam ex exteriore mundo perfectè addisci posse, antequam quis corpus humanum aggrediatur: nam quòd illi in Physico corpore Medicinã inquirunt, ac per

Medicina ex mundo exteriore addisci debet.

per Saturnum medicinam intra corpus ceu fulmen impellunt (& quasi Aurum per Cineritium) hoc friuolum est: etenim Fixatio Athanar in physico corpore tolerari non potest, sed cum ipsa Cineritium ac fulmen concidunt. Itaque quod præcedentibus capitibus iam aliquoties monuimus, Exteriorem Spheram, vti ipsa in sua Testa conclusa est, Medici scholam esse pronunciamus, iuxta quam Microcosmus spiritualiter, seu analogicos cognosci potest: namque in microcosmo vti in maiore sphæra Firmamentum, Chaos, Lutum, Mineralia &c. analogiâ quadam insunt, non corporaliter, itaque stultè agunt medici qui ex horum ratione regimen ac remedia præscribunt, cùm ægri relatio non aliter habeat, quàm cæci de coloribus iudicium.

CAP. VI.

SI ergo in Philosophia ac Astronomia tantopere fundata medica ars est, sequitur medicum Philosophum ac Astronomum esse debere, ne forsan in Physico corpore, dum aliquam actionem molitur, in vitæ periculum ægrum adducat. Itaque præter id quod superioribus exemplis edocti estis, morbos ex Ascendentibus seu eorum impressionibus prognatos esse, sciendum etiam, morbos pelli, ac transmutari ab inuicem in modum qui sequitur. Lunam intueamini quæso, hæc post suam regenerationem ab Ascendentibus in humidam transmutatur constitutionem, quam dein Eurus ac Vulturnus corrumpunt: quin & Boreæ, frigiditatem à Lunæ calore quandoque attemperari obseruatum est, atque sic quoque Auster & Zephyrus, atque in vniuersum Planetæ omnes. Huiusmodi inquam varias alterationes in Erysipelate accidere cernitis: namque tam impossibile est certam formæ ac causæ morbi descriptionem constitui, quàm impossibile est infinitas illas Ascendentium varietates indagare. Ex quo sequitur, morbum eundem sibi dissimilem esse, scilicet vt modo Erysipelas cum laxo & humido, modò cùm sicco & duro tumore accidat, vtrumque tamen Erysipelas rectè dicitur, veluti & Luna vna eademque est, & dicitur, quamuis alio atque alio tempore, nunc hanc, nunc illam qualitatem participet: itaque nomen à forma, non ab accidentibus morbis imponendum est: namque forma perpetuò manet eadem, vtut inter sese euarient regimina.

Erysipelas variũ est.

CAP. VII.

QVapropter ne per viam Latrocinij ingrediamini in medicam ciuitatem moneo, cœlum ac quę sunt in maiore mundo sedulo contemplemini: siquidem ex ipso facile omnia, quæ ad humani corporis ac remediorum cognitionem pertinent, cognitione assequi licet. Proonat ergo sibi cœlum Medicus, atque illapm scholam visitet, discatque quæ sunt in homine inuisibilia, per ista visibilia cœli, cognoscere: sic namque per cœlum latẽtes dolorum causas inquirimus: neque enim alia commodior cœlo schola existit, quod toties ego inculco eam ob causam, vt tandem Latrocinio illi medicorum occurratur, verumque ostium, per quod ad culmen medicinæ euadere datum est, cognoscatur: elucescet enim tum Philosophiam ac Astronomiam sufficere ad humani corporis constitutionem, eiusque accidentium cognoscendorum rationem: namque quidquid cœlo accidit, hoc idem & homini euenire solet, & vicissim, quæ homini accidunt, eadem & cœlo: homo enim etsi mundus inuisibilis sit, visibilem tamen mundum omni ex parte refert, atque sine maioris mundi notitia cognosci neutiquam potest: non enim phantasticis philosophorum capitibus subiectus est. Hunc in modum comparatis rebus quis administrandi rationem Medicorum illorum, qui in physico corpore didicerunt, bonam iudicaret? cùm administratio ex morborũ sola concordantia dependeat, cuius ratione in diei, horæ, ac minuti, quod adhibendum aptissimum sit, cognitionem deuenire possumus. Sic quoque in administratione Luxali & Venerea ex ipsius concordantia tempus ac minutum adhibendi catholici remedij cognoscimus.

Cœlum est schola Medici.

Philosophiæ & Astronomię vsus.

CAP. VIII.

QVæ hucusque dicta sunt, tempus ac minutum administrandi remedij solummodo continent, cuius magna in vsu remediorum vtilitas simul ac necessitas existit, ad Ascendentem morbi pellendum. Sed de ægritudinis Ascendente saltem dictum est hactenus, at nihil dum de sanitatis ascendente explicatum, verum quia solum morborum curationem, non autem sanitatis conseruationem hîc conscribere propositum est, ista missa faciamus. Itaque in Luxu adhibendi remedij modum explicemus. Sciendum ergo in curatione exhiberi remedium, non vt materiam morbi extra corpus deiiciamus, sed potius vt spiritum morbi educamus: namque haud mediocris error est putare ad curationem morbi partis alicuius corpus illius partis adimendum esse: quid enim ad morbi curationem hoc attinet: id quod in parte illa inest, præternaturale hoc illud est, quod auferri postulat: alias enim à Corrosoribus medicis parùm admodum differre vos costaret, quibus persuasum est, si frustum carnis exedant, se morbum curasse. Quia ergo spiritus est morbus, spiritum peccantem, non materiam in qua ille consistit, educemus: etenim illa materia tantum est, vt noxia sit, vt etiam iure meritissimo pronecessaria corporis parte habeatur: namque si ab astris eër infectus sit, an ob id aëra ex medio tollendum quis consuleret? minimè verò, proponas enim tibi hypocaustum fumo odorifero plenum, oporteat autem odorem illum pellere, an ne aërem pellendum, vel odorem saltem, qui corpus quodammodo est, expurgandum diceres? certè odorem separandum ab aëre, non aëra expellendum omnes statim iudicabunt. Quàm igitur inconcinnum esset aërem expellere velle, tam inconueniens est velle spiritualia corpora corporis nostri expellere. Itaque in administratione sic comparata esse remedia decet, vt corpus ipsum per se illæsum maneat, spiritus autem qui corpus læsit, educatur.

Ascendens sanitatis.

Spiritus morbi.

Spiritus peccans purgati debet, non materia in qua consistit.

CAP. IX.

SScitote ergo spiritum illum Luxus ac Veneris corpus non esse, sed saltem spiritum corporalem, in Luxu ac Venere morbum gubernantem, atqui omnibus notum est, Luxum vbi se in coitu prodit, aliud oculis non repræsentare, quàm sperma: verùm aliud consideratio maioris sphæræ nos docet, nimirum sperma hoc non esse materiam illam, quam nos opinamur, sed potius corpus quoddam, quod à spiritu gubernatur: notum insuper est, alium esse spiritum fœcundi seminis, alium verò spiritum spermatis, à quo Luxus causatur: namq; Luxus non est vis generatiua, sed potius materia peccans, cum virtute generatiua concurrens, eiusque similitudinem gerens itaque appetitus non semper signum est virtutis generatiuæ, cùm non rarò Luxuria per eam malignitatem suam exerat, vnde quandoque ipsa seminare conatur, sicque spiritus ille peccans virtuti generatiuæ immixtus, egestiones impurorum corporum efficit. Sequitur ergo corporis illius albuginosi expulsionem non esse à materia seminis, sed potius à spiritu peccante, qui ex morbis generatur, quemadmodum initio quoque admonueramus, ille nimirum leprosas illas egestiones in corpore latentes, illicque sese emungentes deiicit. Curandum ergo in administratione erit sedulo, vt ille spiritus qui per vniuersum corpus dispersus est, accuratè consideretur: namque si rite remedium administretur, Luxus illius ac Veneris causa, spiritus scilicet peccans, facile omnis expelleretur, propter loci in quo Luxuria consistit, commoditatem: quamuis enim materia peccans in artubus quoque consistat, tamen illic nil laborare oportet, cùm Anatomia spermatis suum singularem obtineat locum: itaque si localem teneas administrationem, sufficiet tibi.

Spiritus corporalis.

Sperma Luxus quid.

Albuginosi corporis expulsio. quid.

CAP. X.

COntra verò fiet, si vulgatam curandi rationem per corporum ablationē quis obseruare velit: quamuis enim subinde auferas, nunquam tamen sanitatem introduci obseruabis: nam exempli causa Gonorrhæam seu inuoluntariam seminis emissionem intueamur: hanc per constringentia ac euacuantia illi curare nituntur, cùm istis omnibus nil opus sit, si spiritum peccantem ex Leprosa dispositione natum quis auferat. Neque verò istis localem administrationem significari putetis: namque Anatomiam carnis & proportionis nos ab Anatomia morborū multum diuersam constituimus: itaque si vos locali administratione contenti curationem aggrediamini, perinde facietis, ac si quis ramum arefactum, vel putridum ab arbore resecaret, radicem autem putredinis relinqueret, atque sic materia quæ priorem ramum putrefecerat, in alium qui integer adhuc est, ferretur. Quapropter morbum in Anatomia spiritus peccantis, non in Anatomia arboris proportionis inquiremus ac curabimus. Etsi autem spiritus iste ob suam tenuitatem inuisibile corpus existit, tamen non sic contemni debet: non enim paruum ob id corpus est, quia in oculos non incurrit: namque infinita alia sunt in Microcosmi structura, quæ sensuum iudicio non patent, quæ tamen corpori inesse creator Deus voluit: sunt enim in corpore nostro plus mille arborum, lapidum, mineralium, Mannæ, ac metallorum species, quas is qui magnos montes omnium oculos admiratione implere voluit, haud difficulter visus iudicio & acumini subtrahere potuit. Solem eiusque incredibilem magnitudinem intueamur, qui tamen tantillus nobis apparet: si ergo ob loci distantiam vt paruus nobis appareret, Deus efficere potuit, cur non & propè posita minora vt appareant oculis, ipsum efficere posse diceremus? Ipse qui tot ac tanta corpora testæ cœli inclusit, eadem in pugnum seu Microcosmum contrahere potuit. Itaque scitote mysteria Microcosmi mysticè capienda esse, id est, ne forsan localia iuxta proportionem, vel iuxta substantiam metiamur: namque magis ardua illic inquirere necesse est, vt intelligamus, in qua materia cuiusuis efficientis effectum sperare liceat.

Gonorrheæ praua curatio.

Anatomia spiritus peccans.

Mysteria Microcosmi vt sint intelligenda.

CAP. XI.

CVm hucusque pleraque quæ ad administrationem pertinent, explicata sint, solum adhuc medicamentorum pondus, quantum esse debeat, exponendum superesse videtur: habent enim & vulgares medici, dum corpora expellunt, certa suorum remediorum pondera, quæ Doses illi appellant. Verùm quod nos hic pondus dicimus, non idem est cum illo Dosi: etenim pondus illud quod illi intelligunt, medicum & artificiosū non est, cùm absque ponderis lege exhibenda remedia esse medicorum ars præcipiat: quis enim est qui splendorem Solis, aërem, Spiritum Arcanum, vel simile quiddam appendere certis ponderibus possit? Repudiandæ ergo Doses vulgares sunt, vt quæ nil commodi in hisce Luxus ac Veneris, tum aliis etiam morbis præstare queant. Administrandi igitur ratio nostra in hunc modum fieri debet, vt scilicet medicamentum in corpore instar ignis alicuius agat, & quidem tam efficaciter ac ignis in sicco pabulo agere cernitur. Videamus ergo, an ignis dosis certa, quæ ad comburendam ligneam aliquam structuram sufficiat, constitui possit: certè scintillam vnicam sufficere posse omnes sciunt, ad integram syluam concremandam: quemadmodum ergo scintilla hæc sine pondere est: sic medicamentum quod administratur, quantulocunque pondere sufficere debet ad actionem suam obeundam: quemadmodum etiam scintilla pro materiæ absumendæ quantitate modò in magnam, modò in paruam flammam euadit: sic & medicamentum exhibendum, vt in multo morbo valde, in modico mediocriter crescere ac agere possit. Constat ergo actionem medicamenti nullam, vel paucam, non ponderi, sed vni virtuti acceptam ferendam esse.

Doses quid.

Virtus non pondus actionis est causa.

CAP. XII.

ADministrationem itaque non ad quantitatem corporis, sed ad scintillam referri debere

debere demonstratum hucusque est: namque (vt exempla quoque superaddamus) in mutuis actionibus elementorum, etiam Elementum, si suum contrarium vincat, ipsum in se crescit, ac maius euadit: ignis enim struem lignorum magnam absumens, magnus euadit, paruam minor: gaudet enim in suo pabulo ignis: curandum ergo, vt & medicamentum in suo morbo gaudeat, magnúmque euadat, hoc est, vt si magnus morbus sit, ipsum maius euadat, quàm si paruus morbus foret. Velut ergo æquum pondus ignis ad struem lignorum esse non oportet, sed sufficit vnico loco ignem succendisse; sic quoque in medicamentorum administratione curandum, vt ipso adhibito, statim ad sufficientem pro morbi absumptione quantitatem excrescat: quod lignorum exemplo facilè addiscere possis. Quin & morbi magnitudo vel pertinacia fortius vel lenius, copiosius vel paucius medicamentum indicare videtur, veluti & aliud velocius, aliud tardius ab igne consumi apparet, itaque pro natura & pertinacia spiritus peccantis medicamentum moderabitur peritus medicus, quod dum non animaduertit medicorum vulgus, vulgi fabula quoque euadit.

Magni morbi magnū medicamentum

FINIS LIBRI QVINTI DE causis & origine morbi Gallici.

THEOPHRASTI PARACELSI DE CAVSIS ET ORIGINE MORBI GALLICI, LIBER VLTIMVS.

CAP. I.



ORIGINE causisque Luxus explicatis, quomodo per signa quædam ad absolutam cognitionem peruenire, tum ad curationem sese præparare medicus debeat, describendum nunc superest. Signa itaque Veneris cum reliquorum morborum signis nullam planè cognationem habere certum est: etsi enim quodammodo antiquorum morborum signa referre videantur, tamen origo horum signorum alia est: non enim materialem eam esse dicere possumus, quare cùm Luxus nouus sit morbus, & sic nouus, vt ex tot morborum generibus, quæ ante ipsum extiterunt, nullus omnino morbus inueniatur, qui similem cum hoc ortum habeat, non potest non alia ipsius forma esse, sed vt maximè forma sit, alia tamen signa quædam cum cæteris conuenire impossibile non est: etenim Luxale vlcus Cancrenoso vel Phagedenico vsque adeò dissimile non est. Quamobrem coacti quasi fatemur, nouorum morborum signa cum antiquorum quorundam signis conuenire. Interim & hoc accedit, quòd cùm noui morbi ex inueteratis & antiquis ferè fiant, non possit non antiqui morbi quædam signa recens sibi assumere & reseruare. Cùm itaque in omnium morborum curatione necessaria admodum sit signorum cognitio, tum maximè in hoc morbo Luxali ea summe necessaria est, adeò vt ausim pronunciare, tam referre multum hunc morbum rectè cognoscere medicum, quàm multum refert mediam totius Medicæ artis partem ipsum nouisse.

Signa Luxus af. fectus à cæteris diuersa.

CAP. II.

IN signorum igitur scientia obseruandum omnium primò est, antiquos morbos sua signa statim in ipsa generatione ostendere, hic autem res aliter sese habet: namque signa illa quæ vnà cùm morbo oriuntur, in ipso coitu statim illa supercalefactione, de qua secundo libro disseruimus, obliterantur. Itaque si quis morbus sit, qui vel ratione motus Lunæ, vel tempestatis, vel Melancholicæ imaginationis, vel vnius ex quatuor impressionibus antea mutabilis erat, iam autem & signa & formam quoque omnino transmutet, tum eum statim ad classem Luxus & Veneris referto: nullus enim alius morbus est, qui post suam generationem nouis sese submittat impressionibus. Quamobrem etsi morbus iste particeps sit cæterorum quoque signorum, tamen quemadmodum dictum iam est, illa in supercalefactione venerea extinguntur, ac deinceps supradictis impressionibus subiiciuntur, vt iam Lues Venerea, lunatica, ventosa, tempestuosa, terrestris, firmamentalis, &c. euadat: veruntamen de ista morborum transmutatione nihil apud veteres descriptum inuenias: cùm noua Veneris natura nouam hanc genuerit transmutationis rationem, vt scilicet ex sua essentia in aliam delaberetur morbus, atque Lunæ vel aliis impressionibus subiiceretur.

Antiquorum morborū signa.

Lues Lunatica, ventosa, &c.

CAP. III.

CAusa autem huius varietatis ac transmutationis ea existit, quòd Venus cum singulis aliis impressionibus coeat: quemadmodum enim publicum scortum omnibus viris sese copulat, sic & Venus hoc loco quibusuis impressionibus sese iungens, ipsarum quoque refert naturas, itaque ex hoc de signis certam coniecturam capere licet. Etsi enim vnus idémque semper in hoc affectu dolor est, tamen pro varia Coitus exaltatione non nulla penitus eius est diuersitas. Namque qui Luxus in motu Lunæ exaltantur, suæ passionis signum hoc habent, ob id quod eo loco Luna Veneri iuncta est sua impressione: quapropter Exaltationem hanc signum esse dicamus iunctæ cum Venere Lunæ. Sic quædam Venereæ passiones tempestatis ratione exaltari obseruatæ sunt: hæ nimirum Zephyro, hæ Austro, hæ Euro, illæ Borea flante, maximè affligentes, quod si quis obseruet, iam secundæ speciei Venerearum passionum indubitatum habebit signum. Similitérque de reliquis terræ, aquæ, & aëris impressionibus iudicandum. Necesse ergo est Astronomiam dein reliquorum Elementorum naturas perspectas medicum habere: hi enim fontes sunt totius symiotices medicinæ partis, quam sequentibus hisce capitibus iam accu-

Veneris coitus transmutationis morborum causa.

Luxus lunaticus.

Luxus tempestuosi.

accuratius explicabimus.

CAP. IV.

VT ergo signa præsentia cognoscas, augmentum morbi tibi proponas, in quod intuearis: namque nulla alia ratione tẽpus impressionis, & occultam Luxus naturam cognoscas, quàm hac ipsa, quam nos præscribimus: interim si forsan & alij morbi referre Luxum videantur, eos tamen ratione doloris facile distingues: namque antiquorum morborum dolores non iidem perpetuò sunt, sed modò calore, modò frigore molesti: quin & hoc peculiare habent, quòd etiamsi constellationibus quodammodo subiecti esse videantur, non tamen qualitate cum ipsis conueniant, sed ferè certent, id est, vt constellatione frigida existente, ipsi calidi sint, & vicissim, hæc calida, ipsi frigidi sentiantur at non sic in Luxu sese res habet, sed suæ impressionis hic morbus perpetuo subiectus permanet, vt vel hoc solo signo Luem Gallicam à cæteris morbis, qui semper à corporibus (non autem vt hæc à constellationibus) gubernantur, distinguere facile sit. Etenim si antiqui quoque morbi constellationibus quoque subiecti essent, tum non propriis, sed alienis signis ipsi discerni possent. Itaque dolore aliquo affligente, obseruandum an ipse suæ constellationi aduersetur: quod si sit, antiquum morbum: sin consentiant, nouam luem esse pronunciabis. Duo ergo hactenus constituti signorum fontes sunt, externa scilicet constellatio, & interna: quas constellationes si intelligas, facile tibi erit quemuis affectum ad suã classem reiicere: quod fiet, si cognoueris quid cœlũ, quid tẽpestas, quid frigus, quid calor, quid humiditas, quid siccitas, quid mutatio sexus & ætatis in transmutatione morborum efficere queant.

Doloris certa indicatio.

Ex doloribus iudiciũ.

CAP. V.

OBseruandum tamen quosdã morbos esse, qui nec Lunæ, nec cæteris constellationibus subiecti sint: itaque eos statim ab horum morborum censu eximemus, cùm nequeat in illis Luxus radices agere. Quamobrem si quis manante pedis vlcere affligatur, nec initio Luxu infectus sit, eum tu liberum posthac pronunciabis: namque qui manante vlcere laborant, ij toto corpore sic expurgantur, vt illa supercalefactio nil penitus efficere queat. Sic & ij, qui vniuersali Veneris fluxu laborant, nullis constellationibus subiecti sunt, cùm constellationes in corporibus stercora generantibus actionem nullam habeant, hinc & Diarrhea, & Dysenteria à Veneris exaltatione liberæ sunt. Similiter in Mensium fluxu tam albo, quàm rubro, cùm corpus dimidiatum ac corruptum sit, Venus quoque, quæ similibus semper gaudet, nullam exaltationem habere potest. Sic & Verminatione afflicti à Constellationibus liberi sunt, cùm Venus nulli generationi quàm suæ commisceri sese patiatur. Atque hæc de morbis, qui extra censum venereorum morborum constituti sunt, dicta sufficiant. Vbi verò excellentes aliqui in rebus non naturalibus excessus apparent, vt in ciborum, potuum ac Veneris intemperantiore vsu accidere solet, tum te certissimum signum crescentis morbi venerei habere ne dubita.

Qui morbi non sint subiecti cõstellationibus.

Veneris fluxus vniuersalis.

CAP. VI.

CVm itaque propositum mihi sit, Luxalium morborum signa describere, ne forsan morbus pro morbo, magno errore & incommodo accipiatur, proponere exemplũ vesicæ, vel inflati vtris placet: vtrem enim inflatum accipiamus, qui hominis cutem referat: in eo ergo si vel oleum, vel aqua, vel alius quidam humor antea contentus fuit, tum is extra sese prodit, quemadmodum igitur oculorum indicio idiota facile materiam antea in vtre contentam discernit: sic peritus medicus ex iis quæ extra cutem apparent, efflorescentibus rebus facile coniecturam capiet de eo quod intus est: namque virtus expulsiua nil expellit aliud, quàm id quod materiæ contentæ egestio est: & rectè dicitur: excipio tamen ex signis naturales egestiones, quæ in luxum non transmutantur: stercus enim vel mucum nemo in Luxum abiisse obseruauit vnquam. Sic nec vrina Luxalia corpora concipere potest, ideóque magnum mendacium ac intoleranda impostura est, cùm ex vrina de morbo Gallico se iudicare posse medici profiteantur. Scitote ergo meatus naturalium excrementorum penitus nihil ostendere posse vnico sudore dempto, atque ore: os enim signa intus contentæ materiæ repræsentat, non per sputum, sed per anhelitum: sed distinguendorum horum signorum rationem ex sequentibus facile addiscetis.

Vtris inflati explosio, eius documentum.

CAP. VII.

DVplici ergo existente expulsione interni corporis, per quàm quid corpus intus affligat, cognoscere possumus, distinguendum iam vlterius erit, vt intelligamus, quo modo per sua signa in suas classes quiuis Luxus referendus sit. Itaque cùm per cutem peccantes spiritus erumpunt, tum suum corpus vnà secum deducunt, in quo exaltantur: hinc manifestum euadit, tot signorum genera constituenda esse, quot sunt corporum seu partium species: aliud enim pinguedinis, aliud seui, aliud Sinoniæ, aliud epatis, aliud denique cæterarum partium, cordis, pulmonum, lienis, renum, musculorum, lacertorum, carnis, medullæ, ossium, &c. existit signum: quorum signorum diuersitas dein loci patientis diuersitatem ostendit, sed quia magna ad hanc rem experientia opus est, lectorem remittimus ad lectionem libri, quem de causis morborum naturalium conscripsimus. Cætera signa quod attinet, nulla ex re facilius ea discernes, quàm ex halitu, qui ab ægrotantibus prouenit. Sunt itaque odorum differentiæ in vniuersum tres. Odor naturę scilicet, odor putredinis, & odor fumi, primus salubritatis index semper est: alter cùm varius sit, variarum partium putredinis variis modis arguere potest: tertius verò adustę semper

Signorũ varietas.

Odor triplex.

materiæ

materiæ argumentum existit.

CAP. VLTIMVM.

Quemadmodum itaque multipliciter de signis locuti sumus, sic sciendum quoque est, signa quædam ex sua propria natura morbos quosdam ad suas formas cōpellere. Ex quibus dein signis facile sit cognoscere Ascendentes, Planetas, & Constellationes morbum ipsum gubernantes. Quemadmodum enim alias strumosos Mercuriales, claudicantes Saturninos esse dicimus, sic & signa quædam luis Gallicæ Planetam suum certò indicant: itaque ex Forma Luxalium, Bullarum, Scintillarum, Eruginis, &c. si quis Astronomiæ peritus sit, non difficile indicabit de Ascendente Planeta, vel constellatione predominante. Hinc scilicet in strumosis varios mores obseruant homines, varia nimirum quia Mercurij natura existit: hinc quoque claudos inuidos esse coniicimus, pro Saturni scilicet natura, sicque simile de reliquis iudicium esse poterit. Vnicè autem studendum, vt morborum themata seu natiuitates cognoscamus, cùm plus ægrorum intersit, ipsorum morborum, quàm hominum natiuitates sciri, quod exhortationis causa dico: vt admonerem vos, quanta esset rerum astronomicarum peritiæ in arte medica necessitas: nisi enim morborum natiuitatem quis sciat, non aliter quàm agyrtæ, quorum loquacitas tota medicina est, medici nomen ferre poterit. Hinc nimirum accidit, vt nec Lepræ, nec Tentiginis, nec Scrophularum ac Ignis persici signa conscriberentur, nedum vt Luxalium morborum, Bullarum, Scintillarum, Eruginis &c. vera signa annotari possent. Sed iam tandem Signorum tractationi finem imponamus, opúsque propositum bonis auibus claudamus, de curandi ratione aliàs copiosius disputaturi.

Natiuitates morborum.

FINIS QVINTÆ PARTIS Chirurgiæ Magnæ Paracelsi de causis & origine morbi Gallici.

DEO GLORIA.

THEOPHRASTI PARACELSI DE CAVSIS ET ORIGINE Morbi Gallici,

LIBER VII.

CAP. I.

Coepto dudum operi finem impositurus tandem, morbos pro remediorum diuersitate partiri, ac in certas quasdam classes referre conabor: requirit enim hoc & ipsemet Luxus, & cæteri ex quibus ipse originem ducit morbi. Etsi enim superioribus libris vulgatas morborum diuisiones aliqua ex parte retinui, tamen hoc ea de causa saltem à me factum esse omnes sciant, quòd scripta nostra etiam ad rudiorum ac tyronum captum accommodare conaremur. Namque vt cæteros taceam, Germani certè medici, tonsores, Chirurgi, &c. tam sunt eorum omnium, quæ in medico requiruntur, ignari vt præter crassam admodum experientiam nil laude dignum apud ipsos inuenias. Latini verò, sic omnino continuitatis solutæ, morbos à suæ artis professione remouerunt, vt multos inuenias medicos, qui vix quatuor hoc genus morborum nomina calleant, sed omne quicquid huius generis occurrit, vel scabiem, vel Cancrum, vel Fistulā appellant: plura siquidē nomina nesciunt. Atqui quàm crassa hæc sit ignorātia, quis non videt? Dolendum certè, neque Latinos, neque Grecos quę legunt intelligere: cùm enim adhuc quid Esthiomenon, quid Cancrena, quid Luxus, quid Tentigo, quid Verruca maior, quid Nacta, quid profundum vel sparsum, putridum vel putrefactum, maturum & immaturum sit, nesciant: quomodo alia magis ardua discernerent? Verùm ipsi vt ignorantiam suam celant, lumen ac nescio quam subtilitatem confingunt, quos dein fucos, vulgus medicorum mordicus arripiens, perpetuis ignorantiæ tenebris artem inuoluit, vt iam mirum non sit, pro Syrone Lupum, pro Cancro Fistulam, pro one lupum appellari: qualis enim præceptor, talis discipulus. Sed ista missa nunc faciamus, sufficiat admonuisse, quamobrem hoc loco à consueta morborum partitione digredi propositum sit.

Chirurgorum in appellandis morbis ruditas.

CAP. II.

Nouam nostram diuisionem quò facilius percipere quis possit, exemplo rem prius adumbremus. Si quis vasto volumine humani corporis fabricam delinet, an ne is ad humani corporis sanitatem comparandam vel conseruandam aliquid operæ præcium contulit? neutiquam certè: namque qui sanitatem suam sartam tectámque seruare cupit, is quomodo deuitet malum quod ei imminet, non bonum quod præsens est cognoscere desiderat, hoc est, morbum quàm sanum corpus cognoscere mauult. Ad eum planè modum ego morbos quoque describam, non omnes sub vno genere comprehendens, sed singulos singulariter explicans, quo quiuis hostem suum cognoscat, & quemadmodum eum aggrediatur intelligat: namque quia sic homo describendus est, vt non quid in homine, sed quid in hoc vel illo homine insit, explicetur, consectarium est ex hoc, vt & morbi sic describātur, vt cuiusuis morbi ideam sic delineē, quò secundum illam omnes dein omnium morborum formas quiuis peritus medicus diiudicare queat. Arqui hîc forsan aliquis obiiciat, vt maximè sic morbi dignoscantur, tamen adhuc regionis ratione semper aliqua varietas subierit: quemadmodum enim aliam videmus esse naturam frumenti Germanici, aliam Africi, aliam naturam vini Attici, aliam Alsatici: sic quoque necessariò eueniet vt lues Venerea aliter se habeat in Septentrionalibus, aliter in Australibus, aliter Orientalibus vel Occidentalibus regionibus: obiectio hæc reuera sic habet, eique contradicere difficile: siquidem hominem Microcosmum esse, & instar

Anatomia morbi quàm hominis vtilior.

Regionis ratione morbi differunt.

instar exteriorum, mutationibus obnoxium dicere velimus. Verùm nos hîc de medicamentorum actionibus agimus, quas ex hoc exemplo addiscas licet. Panis apud Germanos comestus Germanis carnem generat, Africanus Afris suam suam carnem, sicque cuiusnis nationis panis suis incolis carnem generat, ad eum modum de medicamentis etiam loqui licet: namque omnia in ventriculo commiscentur, neque vllam ventriculi actio diuersitatem habet: Asianus enim ventriculus perinde vt Europæus, Australis non secus ac Boreus, alimentum conficit: haud secus ac quemuis ventum siue Eurus ille sit, siue Vulturnus videmus stipulam attollere ac mouere. Sic inquam ventriculi actio se habet: talis medicamentorum natura est, vt vbiuis suum alimentum, suúmque medicamentum ventriculo ac morbo offerantur: sic enim in Alemannia suum, in Græcia itidem suum remedium præsto erit, quod hic perinde ac illic præparandum erit, nimirum vtrobique in eum modum, vt remedium contra morbi famem ac sitim aptus potus ac cibus sit.

Ventriculi actio qualis.

CAP. III.

Terræ cum suis generatis vnio.

QVemadmodum in terra atque eo quod ex ipsa generatum est, quædam vnio existit: namque terra eiúsque generatum vnum reuera sunt, sic etiam in morbis quædam ad corpora quibus implantati sunt, harmonia datur. Iam si generatum vel germen remouendum sit, radicitus certè illud euellendum erit, vt ipsum amplius non sit, & terra emoriatur, ex hoc exemplo intelligere facile est, quale post factam curationem corpus relinquatur: nimirum boni vel mali susceptibile. Iterum veluti terra nunquam sine zizania inuenitur, sic nunquam speres sine aliquo vitio te corpus habiturum: semper enim in deterius rerum naturæ ruunt, veluti cernere est in tritico, quod demetatum numquam regerminat, at si ex eo aliquid lolij vel zizaniæ relictum est, illud certè copiosissimè germinabit, caue ergo, ne curationem faciens, aliquod simile vitij seminarium residuum relinquas.

Corpus hominis omnium morborũ parens.

Scitote ergo, quod veluti omnium plantarum mater atque parens terra est, sic omnium morborum corpus hominis ceu parentem habendum esse. Ex quo sequitur, cuiusuis hominis morbos singulariter describendos esse. Quos vt cognoscas, primum omnium discernes, an homo ille qui laborat, Veneri subiectus sit: eo enim cognito, nomen morbi vltrò occurret: dein vlterius inquirendum erit, an forsan plures eius species forent: hoc enim insolens non est, vt vnum generale nomen pluribus interdum speciebus tribuatur, quamobrem etiam huius distinctionis meminisse decet, vt cuiuis morbo suam classem assignare possimus. His cognitis etiam certissima fundamenta iacta erunt vniuersalis curationis, non solum illius particularis, quæ vnius saltem affectus propria esse solet. Vniuersalem autem dico, quæ sui Elementi dispositionibus quibusuis medetur, verbi causa, Arcanum quod Venerem bullæ curat, idipsum si & Æruginem Veneris, & Scintillam Veneris curet, illud Vniuersale remedium dicetur. Proinde etsi deinceps propter affectarum partium diuersitatem Arcana quædam particulariter à nobis describentur, sic tamen ea intelligenda erunt, vt quæ non ad corpus simpliciter referenda sint, sed quæ perpetuò Arcanorum medicinarum instar sese habeant.

Vniuersalis curatio quæ sit.

CAP. IV.

VErum hucusque à me commemoratis, aduersari solet, imò omnem & Theoriam & praxim, omniúmque causarum indagationem maximopere impedit, quin & arcanorum operationi non mediocriter obest Imaginatio: quia plures morbi nec medicamentis, neque ipsorum qui eam fouent doctrina curari possunt. Sed nil mirum medicis ista accidere, cùm etiam ipsimet Christo acciderit, vt plurimi vel propter solam imaginationem ab ipso curationem non acceperint: quod ergo Christo accidit, hoc idem & medicis euenire solet. Atqui imaginationis negotium prolixius explicare hic, operę pretium forsan fuerit. Homo Imaginationi subiectus omnino est, quæ quamuis incorporea & inuisibilis sit, sic tamen substantias afficit, quasi ipsa per se corpus seu substantia quępiam esset quod exemplo addiscere facile est. Quid enim est quod perinde ac speculatio matris fœtum magis afficit? neque id in fœtu solum illa efficit, sed proprium quandoque corpus mirificè immutat, adeò vt rationem lædat, corpus sanum ægrum, & hoc vicissim sanum reddat. Hac inquam ratione Mania, & illa affectio, quam vos Vitistam, (Dits dants) appellatis, primùm extitere. Sic terrores quò aliò quàm ad imaginationem quis referat commodiùs? cùm & cupiditates (quæ quò sunt vehementes, eò fortiùs agunt) non incommodè ad hanc ceu caput referantur. His positis manifestum euadit, quanta sit imaginationis vis in peruertenda legitima curandi ratione. Namque posito eo quòd imaginatio, terror, ac metus morbos faciant, consectarium ex hoc est, à gaudio alijsque affectibus sanitatem causari posse. At si imaginatio bona & mala esse potest, omni quoque contradictione vacat, ipsam æquè efficacem esse in comparanda ac destruenda sanitate. Consequens itaque etiam est ex his, maiorem imaginationis quàm naturæ vim esse. Quippe imaginatio naturam quodammodo gubernare cernitur: ipsa enim hominem sic transformat, vt nec cœlestibus, nec elementaribus amplius naturis subiectus sit. Quod si horum imperio exemptus quis sit, is nec naturæ, nec artificis industriæ amplius subiectus est. Ex quo sequitur, multa Medici industriam superare, quippe imaginatione vires ipsius frangente, atque certè quò nunquam imaginationes hominum vehementiores ac intentiores erunt, eò semper Medicinæ minus

Imaginationi subiectus homo.

Terror & metus species imaginationis.

Imaginationis vis.

nus obedientes morbos, ac vicissim aduersas curationes expectare oportebit.

CAP. V.

SCitote itaque, omnes eos quicunque imaginationibus sese macerant, & aggrauant, non in Luxalibus solum, sed in omnibus vniuersim morbis curationis spem sibimet adimere: namque constitutum antea est, multos fide sanitatem, multos etiam ægritudinem sibi conciliare posse. Vtraque hęc & sanitas & ægritudo Imaginatoria, medico nec laudem nec ignominiam parare queunt. Est enim medicus inter ista quasi medius, qui nec imaginationem bonam ad sanitatem, nec malam ad morbum adhibet, sed absque omni imaginatione opus suum obsoluit. Ex istis fides (seu persuasio) oritur, non tam in medicis operibus quàm in sanctorum miraculis: namque sic forti existente imaginatione, si accedat vel naturæ robur, vel temporis benignitas, multi vltrò sanantur, qui dein sanitatis suæ causam ab imaginatione ad Sanctos transferunt. Mirifica enim vt dixi vis imaginationis existit, cui etiam admiranda nonnunquam cedere coguntur. Cùm enim Christus dicat: Fides tua te saluum fecit, constat, fidei eam vim esse, quæ talia in homine perficere possit: ea autem vel bona esse potest, vel mala, pro ratione scilicet imaginationis. Sed sciendum Medicinam illis solummodo concessam esse, qui nihil eiusmodi imaginationibus tribuunt, itaque si quis medicinæ sese subiiciat, is, omnésque qui ei astant necesse habent omnibus huiusmodi speculationibus valedicere: namque si illi de salute desperent, tum illa desperatio quæ imaginatio quædam est, efficax est ad interficiendum ægrum, vt contra bona spes conducere plurimùm ad salutem potest. Differentia porrò fidei seu imaginationis hæc quoque notanda est, scilicet quòd alia sit cœlestis, alia humana: humana est ea, de qua hucusque nobis sermo fuit: diuina vero, quia ipsa non per corporeas res perfici potest, necessariò illam humanam tollit, ac remouet. Si enim quis in Christo sibi sanitatem polliceatur, is pręter spem & charitatem ad salutem nil vltra desiderat, atque ista non ad sanitatem solum, sed ad cætera quoque bona imaginatione consequenda sufficere possunt. Atqui talis operatio fieri non potest, nisi spiritu bono cooperante: namque à malo sanitas proficisci nequit. Quamobrem si forsan pseudopropheta quispiam sic populum fascinaret, vt ad ipsum ceu Diuum quendam imaginationem suam dirigeret, tum etsi per fidem, charitatem, & spem, miracula fierent, illa tamen non illorum vi sed potius eorum qui imaginantur, facta esse diceremus.

Sanitas & ægritudo imaginatoria.

Medicina imaginatoribus nō confert.

Imaginatio etiam interficere potest.

CAP. VI.

FIdes illa de qua Christus loquitur, si in Christo radices egerit, reuera affectum suum sortitur: quòd si contrà quis non in nomine Iesu Christi, &c. dicat, surge & ambula sicque miracula faciat, de eo sciendum est, non ipsum, sed fidem potius eius (qui virtutem illam Deo tribuit) hoc effecisse itaque sanitatem illi consequuntur non dante eo à quo sperant se accipere, sed ab eo, propter quem fides habetur: nemo enim est, qui prophetam vel Diuum aliquem Deum esse ut... omnes namque nôrunt Dei isthæc opera esse, non hominum. Itaque siue verus siue pseudopropheta agat, imaginatio illa, fides ac spes ad Deum si dirigantur, bene habent. Sic per hanc operationem non inter Chirurgos solum sed etiam inter Mahometanos diui esse possunt: quapropter non personam prophetæ spectare conuenit, sed potius statam fidem eius qui sanitatem consecutus est: neque tamen hic de Idolatria intelligi volo, Deo suus legitimus honos tribuendus est, nihilque boni ex idolatria sperandum. Miracula ergo de quibus diximus, si abusu careant, explodenda non erunt: ego tamen propter imaginationis (propter quam illa eduntur,) inconstantiam hic illos morbos missos faciam: qui enim ei nimium tribuunt, vt illi qui S. Quirino vel S. Ioanni &c. suos morbos acceptos ferunt: ij enim suæ imaginationis incertitudine sic omnium Ascendentium viribus subtrahuntur, vt nullam ex medica arte opem sperare queant, quin tantundem etiam à Deo sperare possunt, cùm illi non plus quàm naturæ confidant. Medicus ergo semper initio ista consideret moneo: hoc enim hominum genus cùm à diuis se affligi putet, suæ imaginationis vi affligitur, ratóque correctionem admittit.

Mahometanos inter, diui esse possunt.

CAP. VII.

EX iam dictis elucescit morborum quoddam genus esse propter imaginationem incurabile, aliàs verò nullum in vniuersum inueniri morbum, qui curationem non admittat. Quamuis enim Lepra, Elephantiasis, &c. hucusque putatæ sint incurabiles esse, hoc tamen solummodo accidit Medicorum ignorantia, qui cùm curandi rationem non intelligerent, curationis impossibilitatem asseuerunt, non intelligentes, & Deo, & naturæ (quæ cuiusuis morbi remedium secum adfert) iniuriam facere. Sed de imaginatoriis morbis quædam adhuc dicenda restant. Membra ex motu suo morbum contrahere posse natura docet, ostendit & hoc ipsum mechanicorum in igne & aqua laborantium quotidiana experientia, hoc idem & imaginationem posse, non cuiuis forsan sic credibile est. Atqui videmus certè iis qui speculationibus detenti sunt, non raro morbos superuenire: sic qui dicendo se exercent, facile in organis voci conformandę destinatis morbum contrahunt: sic tibicini in iisdem locis, vt morbus alibi in corpore delitescens, emunctorium faciat possibile est, quæ quamuis naturaliter videantur accidere, tamen concurrentem quoque imaginationem habere possunt: siquidem sic quis colligat, quo membro peccatum commisisti, & luendum tibi erit? Hic inquam radix delitescere potest morbi, qui incurabilis euadat, scilicet imaginatione locum afficiente, quapropter impossibile est, vt eorum hominum, qui lingua ac sermone causas ac negotia sua peragunt,

Lepra nō est incurabilis.

Imaginatione ad certū locum adduci morbus potest.

gunt, similem ac cæterorum curandi rationem constituas & obserues: sicque de cæteris quoque morbis iudicandum, maximè verò hoc de quo nunc loquimur, in luxalibus morbis elucescit. Luxuriosus enim seu scortator, dum operum suorum (quæ etiam abhorrens natura abscondita esse voluit) fœditatem contemplatur, sic apud se cogitat: Intemperans es, Deus peccata isthæc tua puniet, imò mirum non esset, vt ipsemet tibi perpetuæ ægritudinis causa diceneris. Qua imaginatione ipse concepta iam subinde speculatur, sicque firmiter sibi imprimit futuri mali causam: mirum enim est, quàm celeriter imaginationes istæ, accedente maximè conscientiæ læsione, quaquauersum peruadant: conscientia etenim imaginationis spiritum concitat sic, vt corpus quasi inuertat, omninóque alteret. Itaque istarum imaginationum talis generatio esto, priusquam ad suum regimen exaltentur.

Scortator quomodo sibi morbum cōciliare imaginatione possit.

CAP. VIII.

SEd iam tandem ad propositum examen nostra reuertatur oratio. Cognito genere morbi (veluti suprà docuimus) ad magis particularia tibi descendendum erit: vt ergo morbi nomen inuenias, primùm omnium morbos antiquos ordine recenseto, quorum cui & naturæ, & tẽporis, proportionis ac symptomatum, aliorumque signorum ratione simillimus ille fuerit, eidem illum cognominem facere poteris. Hanc dignoscendi rationem ceu faciliorem, necessitate coactus vobis concedo: quia enim tam rudes estis, vt vix antiquorum etiam scripta intelligatis, nouam singulorum morborum descriptionem, quæ tamen nimis quàm necessaria fuerat, hic contexere supersedeo: maximè autem, quia labor prolixus foret, & antea à nobis quoque conscripti sunt de Vlceribus Libri, ex quibus quantum ad præsentem tractationem attinet, diligens lector facile haurire possit. Sequitur proinde nunc alia & facilior partitio, per quam promptius erit ad veram praxim peruenire: tradam enim compositionis morborum rationem, iuxta quam dignoscere quemuis affectum possis, quam diuisionem sedulo obseruare conueniet, quemque autem hic admonitum volo, ne pro suo crasso ingenio ista peruertere conetur, vel contra meas hypotheses istis vti tentet, vti aliàs vulgus medicorum in more positum habet: si enim quis talem se præstare velit, eum ego neutiquam pro discipulo agnoscam, maximè verò cupio, ne quis sua pro nostris venditet, vel ea vt quandam authoritatem acquirant nostris expunctis sua substituant: certò enim scio, fore vt ij meliora pro deterioribus, & vicissim hæc pro melioribus arripiant. In hoc censu etiam numerantur Alcumistæ, Spagyri, Artistæ, cæterique huius farinæ homines, qui suas præparandi rationes pro more solito, vel pro nostris substituere, vel pro legitimis ac salutaribus remediis venditare ac vsurpare consueuerunt: meminerint isti quæso, quantum in habendis hoc genus remediis periculi insit, metiantur quàm accurato iudicio opus sit. Monachi quoque & Moniales, & quicquid in vniuersum est hominum, quod ocij causa medicinam factitare solet, mea missa faciant, ægrisque nec prece nec precio, vel aliàs gratificandi causa, nostra (particularia excerpentes) communicent: æquè enim magna diligentia requiritur, si precario consulas, ac si sumpto precio medearis: non enim sola benefaciendi voluntas, sed vnà cum voluntate benefactum labores perficiunt, probet se quiuis, an Medicus sit nec ne: licet enim diligatis, nondum tamen expressam medendi vocationem habetis: posset namque quis aliàs de sola dilectione nescio quid sibi polliceri. Verùm sciendum non ex dilectione, sed ex experientia medicam artem originem duxisse.

Monachi remediis abutuntur.

Dilectio ad medendum non sufficit.

CAP. IX.

DIspositiones de quibus iam dictum est sumuntur potissimum ex constellatione externorum & internorum, quæ sic coniunctæ esse debent, vt externa internam referat, & vicissim interna externam: nisi enim operatio per influentias ac impressiones administretur, impossibile erit successum votis vestris respondere. Ascendentes siquidem hic aggredi nos necesse est, quæ aggressio non fit nisi per huiusmodi constellationes. Hinc ars conscribendarum formularum medicamentorum haurienda quoque erit, quàm priusquam aggredior, cognoscendorum dignoscendorúmue morborum hanc rationem non inutiliter præmittam.

Ascendẽtes per constellationẽ aggrediendi.

Si luxus occurrat in forma bullarum, quæ instar morbillorum vel pustularum magnæ sint, vel paruę, sitque adiunctus calor immodicus ac dolor, atque à calidis adhibitis exasperentur, tum hoc bullarum genus sub curam Lubricam reiicies.

Cura Lubrica.

Sin occurrant veluti squamæ, furfures, scabies, pruritus, &c. sub curam Piscium referentur.

Cura Piscium.

Quod si bullæ quemadmodum scyrrhi ac chærades, aliique duri tumores formatæ sint, vel referant formam Verrucarum, iis cura Thymi conueniet.

Cura Thymi.

Vbi exanthemata, herpetes, ac serpigines apparuerint vel fixæ, vel locum mutantes, siue vlcerantes, siue non, maximè verò illæ, si & escharam faciant, vel cutis scissuras efficiant, illas pustulas ad curam Croci vitriolati referes.

Cura Croci vitriolati.

Quatuor isthæc bullarum genera, siue humida ac madentia sint, siue minus, perpetuò iuxta suam fixam & immutabilem curationem tractabis. Medicus namque externa forma humiditatis vel siccitatis nil commoueri debet, cùm illa non pro natura morbi oriantur: imò non secus hæc eueniunt, ac nonnunquam cernimus arborem vel plantam marcescere, nullo in ipsius radice existente vitio, quamobrem sic cogitandum, ista Ascendentium ac symptomatum generationis actione fieri, veluti in hominum quoque generatione fieri videmus, vbi hic claudus, ille strumosus, &c. à prima sua origine permanet. Scitote ergo hanc siue humidi-

humiditatem, siue siccitatem ab accidentali constellatione, quæ nullum requirit remedium, prouenire, sufficit Ascendentem remouisse: siquidem illo sublato, generatio statim quoque euanescit. Singulæ hæ bullarum species singulares suos habet generationis modos, quos tamen hoc loci describere animus non est, cùm abunde eorum causas in libro de vlceribus recensuerimus, ad quem lectorem remitto: haud secus enim ac illic de vlcerum generatione disseruimus, de Luxalis morbi generatione iudicandum erit.

Ascendentes cura facilis remedii.

Cap. X.

Est præterea alia quędam collectio quorundam Ascendentium coniunctionum ad vnam aliquam conflandam speciem, quam Scintillam Veneris vocant, quæ cùm singularem requirant curandi curationem, singulariter quoque hoc loco describendas esse duximus: etenim ex harum constellationum coniunctione cognita, coniunctio Receptarum desumi potest, sicque exterior concordantia interiori tribui.

Vnum ergo genus est, cui scintillæ nomen tribuitur, cùm defluxiones ad articulos & coxendicem decumbentes, illic delitescunt, quæ omnes scintillæ sub Curam Iniuncturarum pertinere putantur. Huc referri debent omnes defluxiones, quæ articulos ex suis cotylis emouent, artus incuruant, tophos, scyrrhos, œdemata, aliosque duros tumores generant: eorum siquidem omnium coniunctio cum Receptis vnam eandémque constellationem habet, curam scilicet, Mumiacam.

Cura Iniuncturarum.

Cura mumiaca.

Porrò quæuis Influentia in penetrantibus scintillis tam crurum, quàm brachiorum, siue ad caput, siue ad radicem, siue in medio ossis ac articuli fiat, si vsque ad lacertos & musculos extrorsum peruadat, ac per venas erumpat, sub curam Virtutis Exclusiuæ referri debet.

Cura virtutis exclusiuæ.

Est deinceps & aliud scintillarum genus, quod originem ducit ex medullis, ligamentis, synonia, atque aliis humiditatibus, quorum generatio etiam abundè declarata fuit, quasi singulæ singulatim ab aliis constellationibus imprimerentur, tamen hîc nil metuere debes, quin omnes sub vnam colligas: siquidem ipsorum medicamina sic sunt disposita, vt influentiam suam eò saltem referant. Hoc genus scintillarum omnium durissimum est, ac maximè osseas corporis partes (verbi causa in tibiis) occupant. Curam autem peculiarem habent Medullatam.

Cura medullata.

Illæ autem scintillæ, quæ pro varia aëris constitutione, nunc plus, nunc minus affligunt, vel quæ ex immoderata diæta augmentum accipiunt, singularem sibi & propriam habent Curam Abstinentiæ.

Cura abstinentię.

Similiter & aliud adhuc scintillarum genus superest, quod vltrò curatum aliquando, à coitu tamen resuscitatum iterum recruduit, huic quidem speciei Cura Florum Veneris destinata est.

Cura florum Veneris.

Sunt insuper & multæ aliæ scintillarum differentiæ, quæ etsi singulariter hîc non numerantur, eas tamen pro signorum varietate discernere non vsque adeò arduum fuerit: nulla enim in vniuersum species est, quæ singulorum (præter numeratas) differentiam constituere possit: imò omnes facillimè ad has referri poterunt.

Cap. XI.

Similiter de Æruginosis etiam sentiendum est, nimirum vt intelligamus, alias atque alias hanc vel illam desiderare curandi rationem, quo scilicet vbique exterioris atque interioris constellationis coniunctio obseruetur. Quamuis autem has pro Arcanorum varietate considerare nil opus est: namque vbi actio ignis actioni similis requiritur, ibi singularem ignem non requirimus, sufficiat quasdam cautelas (quas vocant) obseruasse, ad ignem accendendum, & promouendam vstionem. Quapropter nemo existimet velim, me ab Elemento hîc longè abscedere, cùm hoc potiús studeam, vt morbus Elementi lignum euadat: siquidem constellationis ista influentia alia de causa nobis introducta non est, quàm vt morbi adustibiles, (liceat sic loqui) euadant.

Morbus ignis lignũ esse debet.

Scitote ergo, quòd quæcunque Luxus vlcera, quandam Carcinomatis & Fistulæ, Syronis faciei, Lupi, seu depascentis vlceris similitudinem obseruant, ac præter hæc subtus cutem carnem erodunt, vrunt, pungunt, fumant, tensiua rubedine turgentia labra habent, ad primam curationis rationem, quam curam Cancrenæ appellamus, reuocanda esse.

Cura cancrenæ.

Quæ verò phlemonode vlcera sunt, vel Scrofularum similia cernuntur, vel denique instar vlcerum, quæ pedes affligunt, sicca sunt, ea sub curam de Fixis reuocare conueniens erit.

Cura de Fixis.

Quibus autem pedes tument, ac physodia, quendam tumorem, seu flatulentum, coniunctum habent, præter hæc, & fœtor, putredo ac effluens sanies iuncta est, aliaque signa pre se ferant, illac potum decumbere & euacuari, ad tertiam curationis speciem, quam curam Reuerberatoriam appellamus, reducentur.

Cura Reuerberatoria.

Qui deinde bullis acri humore refertis, ac pustulis talibus quę quasi caustico ex cantharidibus confecto excitatæ essent, formam habent, affliguntur, & insuper etiam Erysipilate, vel iam detinentur, vel aliàs quotannis aliquoties ceu per periodos corripiuntur, non sine rigore atque calore febrili, atque qui ex sectione venæ malleoli auxilium sentiunt in hoc affectus genere, horum omnium eadem curatio hîc ordine quarta cura Riuolæ dicta.

Cura Riuolæ.

At vbi Ignis Persici signa calida vel frigida apparuerint, cutis autem vel fusca vel liuida fuerit, atque vngues digitorum & pedum deciderint, haud secus ac in Panaritio accidere consueuit, tum quintum curationis genus, Curam scilicet Interclusam huic malo conuenire iudicabis.

Cura Interclusa.

Verrucæ verò, & Mariscæ, seu Condylomata, tum luxurians, seu supercrescens caro,

siue acer, atque hoc genus similes tumores, fungi, &c. Curam quam nos Ingenitam vocamus, requirunt.

Cura Ingenita.

Quæcunque demum in locis generationi dedicatis inueniuntur, siue Cambuccam, siue Herniam, siue Bubonem referant, imò quidquid subter hypochondria situm est, omne id ad curam Chordarum referimus.

Cura chordarum.

Octaua deinceps curandi species Cura Cuscute omnibus qui in ossibus sunt callis & fracturis destinata est.

Cura cuscutæ.

Denique quicunque affectus Lepram referent, vel signa hydrophorbiæ, Vndimiæ & Elephantiasis obseruabunt, omnes vnam eandémque constellationem obtinent itaque nec tua ipsius pusillanimitate, neque antiquorum scriptis ad separationem permoueare, sed subinde cogita Deum Opt. Max. sic humano generi benignum esse, vt quouis in morbo quale remedium sit ostendat. Cura ergo mea erit Cura Interposita.

Cura interposita

CAP. XII.

ANtequam huic libro colophonem imponam, vnum adhuc superest (cuius nemo medicorum vnquam meminit) commemorandum: antiquis enim cùm tempora (quorum ad medici perfectionem non minimum momentum est) defuerint, & maxima ignorantia obfuerit, nil mirum ista obliterata permansisse. Quemadmodum ergo hactenus intellexistis Microcosmum in quatuor Elementorum constellatione constitutum esse, atque omnibus earum influentiis subiectum, cui neque medicus neque Esthiomenus contradicere potest. Quemadmodum inquam ista constituta sunt, sic cogitandum Microcosmi transferentias quandoque Eclypsari, perinde ac Solem ac Lunam lumine sui defectum pati cernimus. Ex hac Ecylpsi terræ vires quodammodo imminuũtur, vnde ipsa detrimentum accipit: haud secus interna quoque si Eclypsin patiantur, internam corporis constitutionem demoliuntur. Veruntamen ista ad alios magis referuntur morbos: atqui vt de iis de quibus cœpimus sermonem concludamus, sciendum terræ quandam sterilitatem coniunctam esse, vnde nec cultus sic vt debebat respondeat: sic inquam in homine quiddam est, vnde non vt sperabat medicus, successus sequitur, causante scilicet hoc Ecylpsi illa. Quamobrem nisi quis has Ecylpsationes obseruet, frustra is, & in Luxalibus & in aliis quoque morbis curationem attentabit: etenim si exterior ecylpsis magnas noxas in corpore inducit: quis dubitet in humano corpore similia accidere? An nouam Lunam exteriorem metuimus, & nostram interiorem, cui tamen corporis nostri regimen concessum est, non metuemus? Hæc quamuis ad nostrum propositum nil pertinent, tamen quia ad alia quædam confirmanda faciunt, sicco pede transire nolui, maximè cùm pictos illos medicos valdè exerceant, quibus nil nisi ille humorarius quaternio perpetuo in ore est.

Tempus ad medici perfectionem facit.

Ecylpses in homine.

FINIS SEPTIMI LIBRI DE CAVSIS & origine morbi Gallici.

THEOPHRASTI PARACELSI DE CAVSIS ET ORIGINE Morbi Gallici.

LIBER VIII.

DE BVLLIS SEV PVSTVLIS curandis.

CAP. I.



COnstellatione ac concordantia earum rerum, ex quibus morbi originem ducunt, cognitis, obseruare deinceps conueniet duplicem morborum curationem esse: alteram per Arcanum, alteram per Remedium veternum (vsitatum rectius.) Atqui præsenti loco nil sollicitum esse oportet de signis morborum inueteratorum, sufficiat tibi nomen cuiusuis speciei cognouisse. In Veneris ergo curatione remedium quoddam est, morbũ ad perfectionem deducere, ex qua dein maturitate iudicium desumere licet, nullum ex morbis inueteratis maturius quàm deceat medicum aggredi posse: namque quamprimum ac Luxus aduenerit, iam morbum ad maturitatem peruenisse certum est, neque multum laborare oportet, quomodo per corpus hinc inde sparsum malum sit, cum multis modis Emunctoria euarient. Sciendum ergo remedij compositionem huiusmodi esse debere, vt ipso medicamento simpliciter exhibito, compositionis tamen ratione operetur, sic vt omne illud quod in corpore noxium est, ceu vno fasce comprehensum educat. Neque est vt putes medici opera factam compositionem, tantopere ad actionis bonitatem valere, cùm illud rectius compositum dicatur, quod vulgus simplex appellare consueuit: ipsum enim morbificæ materiæ quantum est per se educit vt penitus nil opus habeamus tuo Recipe: adhæc ignarus omnino es, quid tandem cum radice mali complicatum in corpore lateat. Itaque in posterum nulla alia de re, quàm de curatione agere instituimus, idque duplici ratione. Vna enim curatio contra Veneream constellationem, altera contra antiquum ac inueteratum morbum comparanda est atqui hoc semper spectandum consulo, vt prius curatio Venereæ Constellationis instituatur: illa enim expulsa, facilis ac prompta dein consequitur curatio, neque verò putes velim, Veneris constellationi conueniens remedium secundæ quoque curationi sufficere: etenim vt nouo morbo nouum meritò remedium adhibetur, sic inueterato antiquis vsitatum remedium non inconcinnè tribuetur: interim tamen in antiquorum placitis euoluendis, eorúmque remediis vsurpandis iudicium desidero: pauci namque ex antiquis Scriptoribus authentici sunt, ac fidem merentur, & ferè quæ typis excusa sunt, manuscriptis minus fida habentur, neque quisquam est, qui in illorum errata seuerius animaduertat, vt dolendum sit medicinam cum religione eodem incommodo conflictari, id est, vt omnia

Remedium veternum.

Compositum quod vulgus simplex dicit.

Curatio duplex.

ex æquo rectè putentur. Verùm quomodo huic errori medendum, conabor in libro de Vlceribus veternis explicare, vbi quoque veterum Receptas, quantum in nobis erit, expendemus, corrigemus, ac supplebimus. Receptas dico non eas, quæ vulgò in scholis circumferunt, sed veras, genuinas, ac vtiles impostoribus omnino incognitas.

CVRA LVBRICA.

Nominis ratio. Lubricæ curæ nomen, antequam rem ipsam describam, sic paucis accipe. Lubrica nuncupatur ea de causa, quòd in hac specie Lubricum excrementum Luxuriæ istis in partibus prædominetur, quàm Lubricitatem si auferas, iam curationem perfecisti: corpora autem huius Lubricitatis sunt, Morbilli, Pustulæ, Formicæ, Variolæ, &c. quorum nomina teuthonica hic præterimus. Curandi ratio.) Ægrum in hypocausto calido stragulis probè contectum vt sudet compellito, atque vt melius sudor profluat, grana iij. Ostrutij Mineralis, cum granis ij. Melissæ Diaphoreticæ, diluculo crescente Luna, quater vel quinquies exhibeto, quo facto, videbis radicitus subitóque morbi generationem promoueri, haud secus ac æstatem ex inopinato ingruentem, rigidam adhuc glacie terram resoluere, & confestim ex arboribus flores gemmásque protrudere videmus, scilicet in eum omnino modum, pustulæ protruduntur ac crescunt, quòd si fluxio forsan adhuc aliqua subsit, quæ paralysin aliàs factura erat, ea statim effluit quoque. Sin primo statim die, Elementi tui ignis (id est, medicina) ob paucitatem forsan, curationem non absoluat; opus idem iterare postero die non dubitabis, in hunc ergo modum Sole tuo operante, contingit etiam ipsa excrementa à corpore separari: itaque si per sua naturalia emunctoria excrementa prodire videas, nil mali metues: namque Elementi actio contrarium non tolerat, sed necessariò quasi separationem molitur: perinde enim ac æstas infœcunda foret, nisi Solibus antea niues liquarentur, sic nisi separatione ista facta, curari sperari non posset. Neque verò vellem te ista de purgatione intelligere (cui ego tantopere contradicere soleo,) actionem enim talem ego doceo, qua excrementa separentur, non purgentur: quantum verò inter Purgationem ac Separationem intersit, nemo est qui non abundè intelligat. Prima ergo operatione (quæ ferè in tertium diem protrahitur) absoluta, conueniet iuxta antiquorum placita, ea quæ extra corpus iam propulsa sunt, exterius adhibitis remediis, vt decidant, curare: videmus enim æstatem quoque eandem quæ flores ac folia producit, eadem rursus languefacta exarefacere. Remedia extrinseca variorum experientia varia esse docuit, nobis semper arrisit Persicaria Arsenicata, qua nos humectatis Morbillis, Variolis, Formicis, Pustulis, &c. effecimus, vt ipsæ haud secus ac à magnis solis ardoribus arborum Locustæ decidunt, exarefactæ vltrò deciderent. Hæc de cura Lubrica, quæ vnica per se est (vt & vnica æstas) dicta sufficiant, quam si quis omnino non, vel non integrè, necessitate postulante adhiberet, is certus sit, fore vt Bubones subsequantur, atque quoduis genus multiplicatione specierum mirificè augeatur, ex quibus non possunt non corruptiones qualitatum internarum, humorum putredines, principia scintillarum, causæ vlcerum futurorum, enasci, atque tanta quidem malignitate, vt neque de cognitione, neque curatione certa vlla spes esse possit; hinc morbi augmentum & complicatio (haud secus ac inter frutices in Aquilegio acuto cernere licet) oriuntur curatu admodum peruicacia, quemadmodum in curationibus tertiæ partis elucescet.

Ostrutiũ Minerale. Separatio & purgatio differũt. Persicaria Arsenica.

CVRA PISCIVM.

Nominis ratio. Porrò autem vt & de hac curatione quædam pertexamus, non ignorandum est, eam curam Piscium nuncupari, tum quòd affectus species piscium squamas referat, tum quòd medicamenta quæ ad illum curandum adhibentur, tanquam desquamantem quandam operationem habeant. Quocirca veluti videmus squammas ex piscium corporibus & enasci, & alimentum desumere, illicque consistere, nec vt decidant marcescere: sic de hoc genere Bullarum, quod nos sub curam piscium conclusimus, iudicandum, cùm earum generatio perinde habeat, vt generatio corticis in arbore atqui quamuis hoc bullarum genus locum sibi proprium non teneat, tamen quia Mineralia loca eligit, suas subinde species producit.

Thimia, Furfur, Squammæ, Pruritus, Scabies, Malum mortuum, sex ista quamuis sextuplicem habeant differentiam, vnicum tamen Arcanum habent, trifariam interim diuidentibus antiquis. Arcanum illud est ARCANVM ARTIMONII: etenim quia vna generationis ratio intelligitur in squammis piscium, corticibus arborum, & hoc genere lixalium morborum, sequitur idem arcanum in istis morbis vsurpandum esse, quo & à piscibus squammæ, & ab arboribus cortices desquamantur ac excorticantur, sine corporis incommodo. Dosis ergo huius Antimonij ignis, erit pondus trium pisorum vsque ad sex: quia autem hi affectus quàm priores curatu pertinaciores existunt, maius quoque temporis spacium requirere videntur, itaque ferè nouum ad vsque diem curatio extendenda. Signa autem curationis absolutæ hæc tibi potissimum erunt, quòd vbi Thimiæ ac malum mortuum valdè multum humoris profundere cœperint, tum ad veterum experimenta descendendum sit, inter quæ principem locum apud me obtinent Realgar & Vrtica secunda. Reliquæ autem species, Furfur puta & Squammæ, nullum ex se humorem fundunt, sed vehementissimè exiccant: vbi ergo summè exiccatas conieceris, Lythargiri per acetum dissoluti experimento vtere. In pruritu denique & scabie magnum desiderium scalpendi ægros excruciat, quod vbi desierit, tempestiuũ erit veterum experimenta (inter quæ ego Vino Alcalisato plurimum tribuo) adhibere.

Arcanũ Antimonij. Vrtica secunda. Vinum alcalisatum.

Hæc

Hæc sex genera tam fortiter antiquatis morbis Venerea impressione implantari consueuerunt, vt impossibile sit illa absque ignea Antimonij purificatione extirpari, quod vbi Antimonij vires iam suo munere defunctæ sunt, tum demum non sine vsu antiquorum experimenta adhibeas: semper enim Veneream constellationem prius tollere conuenit, qua sublata, reliqua tum succedere possunt.

CVRA THYMI.

Nominis ratio. Tumorum illorum, quos nos ad hanc curationem retulimus, generatio, thymi generatum mirum quàm similis existat: perinde namque ac thymus ex paruo cauliculo magnum emittit capitulum, sic hæ nouem species ex tenuibus Locustis amplissimè solent germinare & ampliari. Adhæc ceu in thymo quædam dulcedo delitescit, quam magno studio apes sectantur: sic in istis Thymicis speciebus succus quidam delitescit, quo pediculi mirificè alliciuntur, & delectantur: quin haud secus ac ex thymo apes, sic ex istis vlceribus succum quendam exsugere consueuerunt muscæ. Hæc ergo à similitudine desumpta nominis etymologia esto. Curandi scopus primarius est dulcedinis illius, ex qua Thymus enascitur, ablatio, enascitur autem ex dulcedine, quę huius vel illius formæ opifex est, ad exemplum generatorum maioris mundi. Itaque vt hæc nouem genera curentur, necesse est, Arcano vti, quòd illa dulcedine depulsa austeritatem inducat: hoc enim præstito illa decidunt: siquidem à gustu alio alia forma introduci solet. Arcanum hoc est Arcanum Tartari, cuius dosis est pondus trium fabarum, tempus exhibendi continuum dies quindecim, singulis diebus bis, mane scilicet & vesperi: dum autem agit hoc medicamentum, magna dulcedinis copia ex thymis emanare solet, quæ vbi ad austeritatem declinare cœperit, tum admonet tempus esse vtendi remediis antiquorum. Nouem illæ species, quas toties diximus, hæ sunt. Fauus, Lerdis, Chærades, Scyrrhi, Nodi, Verrucæ, Chondylomata, Mariscæ, Polypus, quarum diuersa sunt apud antiquos experimenta: primo enim singularem habent Fauus, Lerdis, & Scyrrhus: dein aliam Chœrades, Nodi: iterum aliam Verrucæ & Mariscæ: aliam dein Condylomata: denique & singularem Polypus. (Arcanũ Tartari.)

Lycius Magnesiacus. Tres primæ species post Arcanici operis absolutionem in hunc ferè modum curantur, Lycio Magnesiaco intra viginti quatuor horas æquo circulo centrum morbi comprehendimus, quo facto, Alumen incineratum cum vnguento de vitellis ouorum imponimus, donec fundum mundum inueniamus, eo habito, solo vnguento ouorum curationem absoluimus.

Sequentes duæ species post Arcani operationem perfectam purificetur, cum Opponanaco, Galbano, Bbellio, expurgatis & mixtis cum Aloë epatica, donec decidant: quod si forsan nimis firmas radices egisse viderentur, eas donec absumantur, oleo iuniperino claro inungere vtile fuerit.

Verrucæ autem ac Mariscæ oleo purgato communi, veluti Condylomata succo de granis Arenosis, post absolutum arcanum opus, omnium tutissimè curabuntur: quod si forsan nimis inueterata hæc mala scyrrhosam contraxissent dispositionem, tunc scyrrhorum instar tractare ea medicus tentare deberet. (Succus de granis arenosis.)

Polypi curatio. Polypum autem fumo iam dictorum remediorum facile extirpabimus, imposito alumine incinerato, donec nullum in quantitate vicium supersit amplius, atque dein cum Croco Martis ducta sit.

CVRA CROCI VITRIOLATI.

Sal ille vitriolatus, qui in istis morbis (quos nos subter hanc curationis formam conclusimus) causa mali existit, eam singularem obtinuit naturam, vt coloris instar intra cutem & in eius extima superficie adhærescat. Sal iste etsi cum multis aliis magnam cognationem habeat, tamen præ omnibus maximè Crocum Vitriolatum referre videtur: crocus enim iste cùm quaqua versum serpat, nullum tamen vlcus facere consueuit, multis dein coloribus cùm refertus sit, variis quoque modis corpora tingere solet. (Nominis ratio.)

Curandi primarius scopus est acuitatis salis ablatio: ista namque abolita, radix mali iam extirpata est. Arcanum illud quod salis acuitatem extirpare efficax est, Radix est Peucedani, cuius vis ea est, vt radicem sanguinis gubernet: vsus verò, vt ad xij. dies vsque dietim in aurora & occasu exhibeatur, magnitudine quinque nucum ponticarum. Quo facto, etsi iam certus sis Centrum sanguinis vitio carere, tamen de ramis & Locustis idem statim polliceri tibi non potes, igitur vt & vitium harum partium euellas, balneo vti imperabis eo vsque, donec id quod eductum est, in grana salis amplius non coaguletur: balneum illud parabitur ex decocto radicis Sanguinarię, quod si sat multum eductum sit (intelliges autem, si in grana non amplius concrescat) tum aliud balneum parabis ex Alumine aliisque illi conuenientibus herbis, quo facto, iam arcanum illud opus ad finem perductum erit, & deinceps de vulgatis veterum experimentis cogitandum. (Peucedanum.) (Balneum ex sanguinaria.)

Species morborum quos sub curam Croci Vitriolati coniecimus, octo in vniuersum numerantur. Serpigo scilicet, Impetigo, Cicatrices, Albaræ, Scissuræ, Gutta Rosacea, Morphea, Alopecia: harum tres, Serpigo, Impetigo, & Cicatrices suum singulare experimentum apud veteres adeptæ sunt: dein Morphea & Albara itidem singulare: sic & Alopecia cum Scissuris quoque singulare habent experimentum: denique Gutta Rosacea ipsa quoque singulari remedio donata est.

In eum ergo quem diximus modum ad curationem præparatis, Serpigine ac Cicatricibus Vrticæ secundæ (ea enim inter omnia experimenta vnicè conducit) vapore à noua Luna vsque ad plenilunium fouebimus: quod si forsan Impetigo curationi minus obediens esse videretur, Vaporem Tapsi adiicere conueniens erit. (Vapor Tapsi.)

In Morphea verò, & Albaris, præter Axungiam aliud non datur remedium, cui si non concedat morbus, vtilissimum fuerit locum Croci cum substantia resecare, atque paulatim per gummata cataplasmata loco cicatricem denuo inducere, quæ vt minus turpis sit indurabitur aqua florum Fabarum, Locustarum, Sigilli Salomonis, &c. præter hanc curationem alia nulla penitus est, de qua in Morphea vtile quid tibi sperandum sit.

Haud secus in Alopecia & Scissuris procedendum est, eo dempto, quòd gummatis Cerotis hîc non vtamur: quod si quando contingat nimis profundas scissuras esse, ac à sudore in eas decumbente occultari, post administratam superiorem curationem Persicaria præparata vtemur, donec cutis planè iterum adæquata & conglutinata sit.

Persicaria præparata.

Gutta denique Rosacea per Aquam Claretæ tollitur, etsi vniuersalis illa curatio non præcesserit. Veruntamen de gutta Rosacea obseruandum ipsam quandoque etsi vnà cum Luxali morbo antea curata fuerit, tamen per se solam quandoque recrudescere. Quamobrem sedulò studendum, vt, dum Venus expellitur, iuncti quoque morbi reliquę penitus extirpentur: etenim nisi Variolæ, Morbilli, Pustulæ,& Formicæ(has enim quatuor species exempli causa adducere liceat) rectè curentur, ex iis Thymia fieri solet, ex qua dein forma Lepræ, non autem causa Lepræ generatur.

Similiter nisi Furfures, Squamæ, Tineæ, Scabies, Pruritus, &c. absolutè, & iuxta suprà descriptos canones curentur, infrequens non est eas in Alopeciam transmutari. Alopeciam dico non simplicem, sed vniuersalem: sic enim obseruatum est ab Alopecia mulieribus menstruum sanguinem in vniuersam cutim attractum esse, quin & humorem radicalem ex omnibus membris attraxisse animaduersum est, vnde dein affectus omnibus experimentis inuicti emerserunt.

Eodem planè modo, si Fauus, Nacta, Napta, Oedemata, Verrucæ, Nodi, Mariscæ, Chondylomata, &c. non iuxta Luxalem curandi rationem curentur, accidere solet, vt illi morbi in Botium externum(quem vocant) seu Strumam versam transmutentur, vnde isti dein tumore subtus cutim feruntur, & increscunt, adeo vt incurabiles planè euadant: quamuis enim non rarò ex Polypo fiat Noli me tangere, ex Botio iuncturarum Fistula, & ex Nacta carnosa, Cancer, tamen res nihilo ob id melius habet: siquidem iis quę veteres cognouerunt experimentis impossibile sit curationem perfici, cùm alij sint affectus hi ab iis quos antiqui descripserunt.

Struma versa.

Quocirca nisi quis Serpiginem, Albaram, Impetiginem, Morpheam, omnésque quos ad curam Croci vitriolati retulimus morbos iuxta præscriptam curandi rationem tollere aggrediatur, is certus sit se Lepram cum causa, Vlcera Esthiomena, Cancrenas & Ambulantia vlcera quasi manu facturum, neque id particulariter, sed toto corpore vniuersaliter, & tanto quidem cum periculo, vt impossibile dein sit hosce morbos aliquo hucusq; cognitorum experimentorum tollere.

Absolutæ nunc nobis sunt Bullæ Veneris, quas in Praxi veluti in Theoria factum est, quatuor istis nominibus appellare poteris: scilicet, vt Bullas Lubricas dicas eas, quæ sub Lubrica cura continentur. Bullas Croceas vitriolatas eas quæ, sub cura Croci vitriolati referuntur: sic denique Bullas Thymi, Bullas Piscium, &c. à curationibus Thymi & Piscium denominare poteris.

Bullarũ nomina noua.

CAP. II.

DE SCINTILLARVM DEFLVXIONUM CURATIONE.

VT defluxionum & scintillarum per sua arcana curandi rationem intelligere commodius possitis, defluxionis (Şâ ne) formam & naturam ostendere conuenit. Defluxio in corpore eiusque membris sic delitescit, vt ignis in ferro ferrum ipsum quidẽ per se incorruptum manet, nihilominus in ipso existente igne:& quod maius est,duo contraria simul subsistunt, horum alterutrum alteri vt cõcedat necesse est: namque vel ferrum ab igne consumi oportet,vel ignem à ferro abscedere: si ergo ignis discedat, tum ferrum ad suam priorem naturam reuertitur, interim tamen duo cernuntur accidisse: vnum, quòd ferri pondus diminutum est: alterum, quòd tandem ipsum in calcinatam quandam massam adurit. Quemadmodum ergo ab igni ferrum patitur, sic in hisce quoque morbis euenire solet, scilicet, quòd ossa vngues de se proiiciunt, tandémque consumuntur, haud secus ac ferrum ab igne comburitur. Quia ergo similium actionum similes causæ existunt, in igne defluxionem ponemus: quemadmodum enim in ferro accidens est ignis, sic quoque in humano corpore: ac veluti ferrum vel tale manet,vel corrumpitur, sic & hoc loco cogitandũ est, scilicet quia corpus materia peccans nõ existit: nam duæ contrariæ res sunt in eodẽ quod vnum tamen non est: causa vna siquidem constellatio est: namque quoduis Elementum in Microcosmo latet, vti sol in vitro, suámque naturam seruat: videmus namque manifestè eundem ignem siccare & humectare, dissoluere, fundere, resoluere, & vicissim coagulare. Perinde ergo ac ignis vnius variæ sunt operationes, sic intelligendum membra humectari vel siccari, non tamen à causa humida vel sicca, sicque de coagulationum ac dissolutionum causis quoque ratiocinandum. Non ergo est vt quis duritiem Melancholiæ, siccitatem Choleræ, humiditatem Phlegmati adscribat, imò omnia ad elementum ignis referenda sunt: valeat ergo omnis physica theoria vulgaris, dominetúrque Philosophia illa, quæ tam varias Elementi ignis operationes nos edocuit.

Similium actionũ similes causæ.

Veruntamen quo tandem commune ac generale in istis Arcanum inueniamus, sciendum illud haud secus comparatum esse debere,quàm est corruptio quæ in operatione firmamenti reperitur, veluti videris incipiente constellatione tonitrum fulgur & fulmen generari, huius inquam corruptio contingit virtute terræ ipsa suum

suum chaos in illam coniunctionem intrudente, per hanc scilicet intrusionem grandinis, fulminis, fulguris, &c. generatio corrumpitur. Quemadmodum ergo in exterioribus Elementis alterum alterius generationes interrumpit: sic quoque in Microcosmo fieri putandum est: sicuti enim Firmamentum terræ generationes corrumpit, sic hæc vicissim illius. Scitote ergo per huiusmodi contrarium constellationis generationem alterius impediendam esse. Constellatio hæc terminum suum habet, veluti ex Scintillis colligitur: quocirca non dolor qui iam affligit, sed illa constellatio, quæ illum peperit, pro morbo haberi debet: dolor enim vnà cum constellatione abit, redit tamen crastina die, & dolorem alium facit: dolor enim hesternus hesternæ diei, & hodiernus hodiernæ. Lebetem intueamur bullientem, eius vapores euanescunt, neque quidquam operantur, præterea: quod si præcauere velis, alia certè ratione non præstabis, quàm ebullitionis ablatione, scilicet ignis remouendus est, non frigiditate euincendus, veluti vulgares physici stultè ratiocinantur, qui ad tres libras frigiditatis duas caliditatis apponunt, vel quinque humoris ad quatuor siccitatis, &c. perinde enim est ac si quis pyram ardentem frigoribus hyemalibus restinguere ac congelare conetur.

Exemplum.

Quia ergo curatio non in euincendo, sed in auferendo consistit, sequitur curationem in Anatomia Veneris faciendam esse: quamuis enim interdum bullæ extra Veneris Anatomiam constitutæ sint, causante hoc ipsum mutua ipsorum sequendi promptitudine, tamen hic in scintillis aliter sese res habet: illę enim iis rebus immixtæ sunt, quarum Emunctoria occlusa sunt, quæ si aperta essent, illac dolor tum prodire posset, nulla interim curatione in spiritu peccante præstita, sicque subinde euaporatio causetur, verùm hîc tale arcanum non requirimus. Sed hoc potius Arcanum esto, quod ignem aufert, quo ablato, singulas dein species sub sua veterum experimenta colligemus.

Sperma non seminale.

Arcanum itaque est, vt Sperma non seminale (in quo constellatio suum opus exerit, & quinque illas scintillarum species generat) auferatur, quod præstabitur per Satyrionem diaphoreticum drachmæ vnius pondere, ad dies septem exhibitum: sic namque constellatio expellitur, & spiritus peccans promptissimè remouetur.

CVRA IVNCTVRARVM.

Vt autem & externum remedium cuiusuis speciei intelligatis, à cura iuncturarum exorsus, quid vbiuis facto opus sit, ostendam. Nomen ex eo sortita est hæc curationis species, quòd huius morbi centrum in Iuncturis sit, eiusque materia in earum cauitatibus generetur, quæ deinceps circumpositas partes ceu vento repletæ essent, in tumorem attollere consueuit: huius species in vniuersum septem sunt. Prima, quæ artuum incurationem molitur: altera, quæ tophum: tertia, quæ in coxendicem decumbit: quarta, Arthritis: quinta, quæ neruos occupat: sexta catharrhalis: vltima, nodosa: omnium tamen vnum & commune remedium existit, Mumia cremata quadrupedum contra vulpes, quæ omnes partes dolentes iunctæ ad quintam vsque iunctionem pristinæ restituuntur sanitati. Etsi non desint alia quoque experimenta, ego tamen huic quid tribuam expertus scio.

Cura Iuncturarum vnde dicta.

Species eius.

Mumia cremata.

CVRA VIRTVTIS EXPVLSIVÆ.

Huic curationi ex eo nomen impositum est, quòd non remedium, sed ipsamet natura ad expulsionem insurgat, quia ergo vis illa ab interiori natura proficiscitur, ob id à virtute expellente nomen conflatum est. Quia ergo nullum existit remedium virtute expulsiua donatum, relinquitur naturæ negocium committendum esse, & solum in id intendendum, vt Emunctoria (quæ quomodo indaganda sit, in libris de vlceribus à nobis descriptum est) aperiantur.

Nominis ratio.

Emunctoria aperienda.

CVRA MEDVLLATA.

Tertia curationis species est Cura Medullata, quæ & ipsa non anteà vsurpanda est, quàm Arcanum suam operationem absoluerit. Scintillam verò hanc Scintillam Medullæ nuncupauimus ea de causa, quòd ipsa in ossium Medullis radices habeat, vnde in neruos, artus & humores extrà fertur. Curatio autē in medullis fieri quamobrem debeat, pluuiæ exemplo discere potestis: pluente cœlo semina fructuum hoc sentiunt, quamuis à pluuia solus cortex humectetur: sic ros graminis ac herbarum extima folia tangit, virtus verò ipsius ad vsque medullas penetrat, nimirum ros medullarum illarum nutrimentum est, quamobrem si & tu medullis suum adferas legitimum remedium, nil sollicitus sis, quomodo ipsum eò pertingat. Remedium ergo in hac mali specie, sunt Mucilagines naturales crematæ exterius adhibitæ.

Nominis ratio.

Mucilagines crematæ.

CVRA ABSTINENTIÆ.

Duplex hæc curandi ratio est: altera iis qui mutatione tempestatum & Lunæ luminis defectum sentiunt: aliis quibus in diæta seu victus ratione peccato commisso celeriter noxam percipiunt, destinata. Scitote itaque primùm Arcani operationem promouendam ac perficiendam esse, dein duplicem abstinentiam: exteriorem scilicet & interiorem præscribendam. Interior est, vt crapula, si ea noxam augere sentiatur, deuitetur: vel si victus ratio qua vti consueuit æger, obsit, eam immutabis, non fame, non ponderis imminutione, sed sic potius, ne ipsa Luxuriem generet, quo curato, æger suimet medicus erit. Abstinentia exterior procuretur exhibitione essentiæ colcotharinæ: quicunque enim grana eius duo deuorauerit, is ab omni Lunæ impressione ac noxa, quę ex aëris temperie immutata oritur, liber erit. Abstinentiæ autem nomen huic imposuimus, quòd quasi carentiam impressionum exteriorum efficiat.

Abstinentia duplex.

Essentia colcotharina.

CVRA

CVRA FLORVM VENERIS.

Nomen huius curationis, quæ ordine quinta exiſtit, inde deſumptum eſt, quòd incipiente coëundi appetitu, flores quidam promanant, qui in actu Venereo inficiuntur, haud ſecus ac flores arborum ab aëris inclementia exiccantur, & marceſcunt. Hæc Scintilla Veneris ante & poſt operationem ſuos paroxiſmos habere conſueuit, cauſa eſt, quòd celerrima ſit operatio, quod ſi ad hanc celeritatem durabilitas quoque accedat, ſequitur vt quotieſcunq; poſtea ſeminis emiſſio vel cohercitio contingit, ſcintilla iſta celerrimo motu ſeſe prodat. Huius mali à ſpermate ſcabioſo orti, extirpandi certiſſimum remedium exiſtit Chriſtallinum liquidum (poſt vſum Arcani) Oleo adminiſtratum: immutat enim hoc exitum ſpermatis præternaturalem in ordinatum & naturalem. Quod niſi iſto remedio concedat malum, tum chronicæ ac variè exinde orientur ægritudines, vt eas vel diſcernere ſolùm, nedum curare impoſſibile ſit.

Nomi- nimio.

Criſtallinum liquidum.

CAP. III.

De Æruginoſis Vlceribus Curandis.

NOuem ſpecies de quibus iam nobis ſermo erit, æruginoſas ea occaſione appellaui, quod inſtar æruginis generentur: perinde enim vt rubigo ſuummet corpus conſumit, exterius ipſi adhærens, ſic & Æruginoſa iſta Venus quoque in ſuum cui adhæſerit corpus agit. Sciendum ergo, quòd ærugo quæ hanc exulcerationem facit, non eo loco in quo ſita eſt, generetur, ſed intrinſecus in toto corpore collecta, per ſudorem extrà expulſa, ibi in ſalem coaguletur, haud ſecus ac in ferro cernere eſt, quod dum rubiginoſum eſt, ſeipſumque conſumit, quæ rubigo à ſuomet ſudore prouenit, qui ſudor coagulatus in ſalem abire conſueuit. Sal certè dum adhuc aqua eſt, vim nullam habet, at in ſalem coagulata aqua tum demum vires nanciſcitur: ſic planè ſudor ferri aqua eſt in ſalem abiens. Atqui hoc porrò non ignorandum, ſalem, dum ipſe ſiccus eſt, nullam actionem perficere, ſed omnino neceſſe eſt, ſecunda vice in aquam reſolui (primum enim illud aqueum ad ſalis generationem pertinet) vt in rubiginem abire, & rodere ac conſumere poſſit.

Æruginoſa Venus quomodo generetur.

Sal Siccus nihil agit.

Similiomnino ratione intelligendum eſt vlcera Æruginoſa ex proprio ſuo ſale cauſam habere, ac originem ducere, qui centrum in propriis ſuæ arboris locis collocare ſolent. Atque vbi iam apertum vlcus eſt, ſub reiectiones excrementorum ſequuntur, quas magno errore antiquitas fluores eſſe materiæ peccantis exiſtimauit: atqui non ſic res habet: etenim quandocunque morbus emunctorium parit, tum hoc ibidem nulla alia de cauſa facit, quam propter præternaturalia excrementa: niſi enim hæc moleſta naturæ eſſent, numquam ipſa pateretur emunctorium fieri, neque innaturalia generarentur excrementa, niſi in natura quoque continerentur. Balſamus namque & mumia naturæ tolerare non poſſent, ſciendum ergo, quod ſi Hoc excrementa ſint, nullum ex illis indicium deſumi poſſe. Si itaque fluores iſti excrementa ſunt, ſequitur ſpiritum peccantem in illis non ineſſe: quantùs enim materia peccans ſint, tamen ſpiritus non ſunt: atqui ſpiritus, non materia hîc conſiderari debet. Quia ergo excrementis ſpiritus coniunctus non eſt, nullum quoque in illis venenum, atque ob id nulla Veneris curatio hic quærenda erit. Curatio ergo omnis horum vlcerum in vniuerſum duplex eſt. Vna quæ per Arcana fit ad ſpiritum peccantem directa. Altera per experimenta veterum, ad excrementa reſpiciens, interim tamen inficiari non poſſum, excrementa aliquid malignitatis ex corporibus in quibus inhærent contrahere, ex quo conîicere licet, aliquid de Luxuria in excrementis inhærere: veluti enim Rebis cineri Siberæ comparatur, ac ſimilis eſt, ſic etiam in iſto Rebis vlcerum ſimile aliquid concurrere poſſet, hoc etſi ſit, tamen contagio caret, ac perinde eſt ac ſi mulier ſemetipſa oſculetur: ſcilicet, quemadmodum illa ex illis oſculis voluptatem non percipit, ſic & excrementa quia extra coniunctionem permanent, afficere contagio nequeunt. Altera ergo curationis parte in Arcanis, altera in experimentis veterum conſiſtente, cauete ne ea quæ initio huius morbi inuenta & vſurpata ſunt, vos ſeducant: omni enim artificio carent: namque in iſtis noſtris experimentis quæ nos hic vſurpari volumus, nil opus eſt complexiones reſpicere, neque etiam correctiones, quas Montiſpeſſulani monoculi Polyphemi excogitarunt. Antiquorum autem illa experimenta quia abundè in lib. de Vlceribus à nobis deſcripta ſunt, nil opus eſt hîc denuò repetere. Arcanum autem quod ante illa experimenta vſurpandum eſt, ſic habet.

Vlcera Æruginoſa ex ſuo ſale oriuntur.

Æruginoſorũ vlcerum curatio duplex.

Recipe Theriacæ metallorum grana viij. Pharmaci Serpentini grana xxiiij. mixtis ambobus, de illa mixtura gr. vj. exhibeantur tertio quoque die, donec ſigna Venerei morbi prout ſexto Libro deſcripta ſunt, effluxiſſe conieceris, quo facto, ad curationes antiquorum deſcendere tempeſtiuum erit.

Arcanũ Æruginoſorũ Vlcerum

Atqui vt intelligatis, quo capite in libro de vlceribus cuiuſuis ſpeciei curatio tradatur, breuem tabellam ſubiicere placuit, ſingularum curationum ſpeciales quoque quaſdam affectiones commemorantes, quæ omnia & in libro de Puſtulis, ac de Intercutaneis inuenire poteris, ſi quæ hoc loco forſan deſiderabis.

SVB CVRA CANCRENÆ,

Luxus cancroſus in Capite de curatione Cancri.

Luxus Tentiginoſus in Cap. de curatione Depaſcentium.

Luxus Lupi capite de cura Phagedenæ.

Luxus Noli me tangere, Syronum, Eſthiomeni.

SVB CVRA DE FIXIS.

Luxus phlegmonum Capite de curatione phlegmonis,
Scrophularum,
Fiſtularum,
Oleinus,
Concauus.

SVB CVRA REVERBERATORIA.

Luxus inflatus.
Florum,
Putrefactus,
Digestiuus.

SVB CVRA RIVOLÆ.

Luxus Incensiuus,
Vesicalis,
Erysipelæ,
Nubeculæ,
Febrilis,
Minutionis.

SVB CVRA INTERCLVSA.

Luxus Persicus Capite de curatione ignis Sacri.
Prunæ,
Locustalis.

SVB CVRA INGENITA.

Luxus Ficuum,
Luxalis,
Fauorum.

SVB CVRA CHORDARVM.

Luxus Virgalis,
Bubonicus,
Cambuccinus,
Lumbosus.

SVB CVRA CVSCVTÆ.

Luxus Adustus,
In augmento.

SVB CVRA INTERPOSITA.

Luxus Leprosus capite de cura Lepræ,
Hydrophorbiæ,
Vndimię,
Elephantiæ.

Nominũ nouorũ rationes explicãtur.

Quamobrem verò ad curam Cancrenæ nullos alios morbos adiunxerimus, causa est, quod omnium similis Medicina est, coctum cancrum referens. Sic cura de Fixis nominis ratio est, quòd fixi illi morbi à femetipsis non curentur. Cura Reuerberatoria hinc nomen fortita est, quod nihil siccius sit iis, quæ reuerberatione præparantur. Cura Riuolę hinc etiam appellata est, quòd instar torrentis subinde humectetur & exiccentur eiusmodimorbis. Cura interclusa autem appellatur à similitudine lebetis, in quo aqua conclusa efferuescit, nemine operationem illam vidente. Curæ Ingenitæ nomen deduximus ex eo, quòd morbi varij in natura implantati, neque sanitatem, neque morbos ostendant. Curæ Chordarum appellatio à locis Chordarum in genitalibus nomen accepit. Cura Cuscuta ab effectibus qui cuscutæ instar sibi mutuò implicantur, nuncupata nobis est. Interposita demum cura dicta nobis est, quòd de illa desperandum non sit, cùm ferè aliquid boni seu fausti coniungatur. Has curandi rationes, nisi legitimè medicus administret, quiuis facilè videre potest, quantum malorum hinc conciliari possit, si modo corporum ac materiarum vires non penitus ignoret, de quibus tamen in præsentiarum loqui nil opus est.

FINIS CHIRVRGIÆ MAGNÆ.



INDEX IN THEOPHRASTI PARACELSI Chirurgiam Magnam vniuersam.

Numerus paginam, litera *a* primam paginæ columnam, *b* verò secundam denotat.

A.

Ascaridum

B.

C.

curatio-

F.

Ferula

G.

H.

M.

P

Progno-

Q.

R.

S.

T.

omnes

Z.

FINIS.



ADMONITIO THEOPHRASTI BOMBAST EX HOHENHEIM EREMITÆ,

Vtriusque Medicinæ Doctoris ac Professoris, ad Medicæ artis Studiosos.



QVVM sola omnium disciplinarum Medicina, tanquam diuinum quoddam munus, tum sacrorum tum prophanorum Scriptorum suffragio necessitatis titulo laudetur, atque paucissimi Doctorum eam fœliciter hodie tractent, visum erat, illam ad pristinam suæ auctoritatis laudem reuocare, & quam quidam à fece Barbarorum, nos ab erroribus grauissimis purgabimus. Non veterum addicti preceptis, sed iis duntaxat, quæ partim indicatione rei naturæ, partim nostro Marte inuenimus, & longo rerum vsu atque experientia comprobauimus. Quis enim nescit plurimos doctorum hac tempestate vel summo ægrorum discrimine, fœdissimè lapsos? quum nimis anxiè Hippocratis, Galeni & Auicennæ, aliorumque dictis adhæserint, perinde ac ex tripode Apollinis, hæc veluti oracula, manauerint, à quibus ne digitum latum discedere liceret. His enim Auctoribus splendidissimi quidem doctores, si diis placet, non autem Medici nascuntur. Non titulus, non eloquentia, non linguarum peritia, nec multorum librorum lectio (& si hæc non parum exornent) in Medico desideranda, sed summa rerum ac mysteriorum cognitio, quæ vna facile aliorum omnium vices agit. Rhetoris quidem est disertè posse loqui ac persuadere, atque iudicem in suam sententiam trahere: Medici autem affectuum genera, caussas ac συμπτώματα nouisse, & iis insuper sagacitate & industria pharmaca applicare, atque pro cuiuslibet ingenio ac ratione vel cunctis mederi. Cæterum vt paucis modum docendi depingam. Imprimis igitur quod ad me attinet, Ego amplo Dominorum Basiliensium stipendio inuitatus, duabus quotidie horis tum actiuæ tum inspectiuæ Medicinæ, & Physices & Chirurgiæ libros, quorum & ipse auctor, summa diligentia, magnoque auditorum fructu, publicè interpretor: illos tamen non aliorum more, ex Hippocrate, aut Galeno, aut quibuslibet, emendicatus, sed quos summa rerum doctrinæ experientia, atque labore assequutus sum. Proinde si quid probaturus, experimenta ac ratio, Auctorum loco, mihi suffragantur.


Quare optimi Lectores, si quem huius Apollineæ artis mysteria oblectant, amor desideriúmque tenent, cupitque breui admodum temporis spacio, quicquid huius disciplinæ est, perdiscere, ad nos è vestigio BASILEAM se conferat, & longe alia atque maiora, quam paucis describere possim comperiet. Sed vt nostrum institutum clarius studiosis innotescat, non piget exempli loco subiicere, nos in complexionum ac humorum ratione, veteres nequaquam imitari, qui sane omnes ægritudines illis falso acceptas ferunt. Vnde nullis aut certè paucissimis doctorum, hodie morbos, caussas, ac decretorios dies exactè nouisse contingit. Postremò hæc veluti per transennam demonstrata sufficiant, Vobisque tamen de his non, nisi audito priùs THEOPHRASTO, temerè iudicandum permitto. Valete, & hunc nostrum instaurandi medicinam conatum, boni consulite. *Dabam Basileæ Nonis Iunij, Anno* 1527.

ELENCHVS

ELENCHVS SECTIONIS SECVNDÆ

LIBRORVM IN VOLVMINE TERTIO
Operum THEOPHRASTI PARACELSI contentorum
BERTHEONEÆ siue CHIRVRGIÆ MINORIS &
Librorum adiectorum ideam exhibens.

THEOPHRASTI



TEOPHRASTI PARACELSI
IN TRES LIBROS CHIRVRGIÆ SVÆ MINORIS, QVAM BERTHEONEAM ALIAS INTITVLAVIT.

PRÆFATIO.



RINCIPIO *necessarium est Medico, sui finem operis perpendere, qui duplex est: sanitas, & satisfactio videlicet. Hoc prologo de solutione tractaturus sum, aliis & suis libellis de sanitate. Postquam ab initio Chirurgia per auaritiam & commodum proprium vt aratrum facta contra naturæ lucem extitit, ad hæc ipsa necessitas exigit, vt cum debitum finem sanitas attigerit, solutio suum pariter consequatur effectum, cuius messis pecuniæ summa cum gratiarum actione fore deberent. Non enim vt in agro messis est, à quo rusticus frumentum domum euehit, pastorque lanam: in medicina vero commodum reportat æger, frumentum & lanam sibi reseruans, paleas medico relinquit. Sanitas namque frumenti commodique loco sunt, & pecuniæ minus ad eam comparandæ, quam ad frumentum paleæ. Cum igitur incuria superiorum regiminum Chirurgia nostra (proh dolor) ad aratrum sit redacta, & in solutione minus quam aliud quoduis aratrum compensetur, minimumque pro potiori cogitur accipere, quod nullo modo reciperet iterum in commutationem æger, nec satis compensare valeret: hoc argumento primum adferemus, cuinam irrequieta vita, sollicitudo cum grauissimis experimentis medici comparentur.*

Medico dies & noctes æger in animo hærere debet, ac præ oculis imaginatione ferri, totamque mentem in ipsius defixam sanitate versari necessum est medico, præ meditatione iudicioque non immaturis. Ad grauissimas istius curas, varij momento quolibet accidentibus & nouis comitatas, accedit & alia, mercedis vt pote suæ receptionis, tum quod pessimum est, fraudum atque doli tam liberatorum, & morbi laqueos euadentium exspectationis, & quinam his præueniendum foret illi, totisque prorogationibus, astutiis, omni cum ingratitudine aduersus illum, qui tribuit eis dono Dei, quod mundus totus nequiuisset, sæpius replicatis, & non sine vilipendio. Est vtique medicus ad ægrum comparatus, vt à carceribus detentum creditor, à quo tantum exigi nequit, quod ille non polliceatur & vltra: liber iam factus nil seruat, alius prorsum existens. Æger etiam obediens est, & bonæ voluntatis in medicum, donec euaserit ligamina.

Non est quod præterea medicus despondeat animum: probus enim centum solutiones infert iterum, centumque deceptorum ex aduerso compensat probitate nequitiam. Tam bonus & iustus est Deus, vt per huiusmodi pios, rationeque præditos ægros medico satisfaciat, loco centum aliorum, à quibus deceptus fuerat. Quapropter eiusmodi contrarietates (etsi non bene tolerabiles) cordi sibi graues fore, vel animum superare suum nulla ratione prætermittere debet, at mititissime potius pati, solutionem expectando vero tempore, quo damna cuncta resarcientur. Impostoribus Chirurgos inter, instructionem hoc loco dare nullam cupio, cum isti pecunias tantum quærant, & impostores cum fraudulentis optime conueniant. Probum vero medicum ista curare, vel ob ea commoueri minime decet, nec propter pecunias, vti mercedis est conditio, fore solicitum (quod nebulones inter Chirurgos nostros faciunt, ac turpius antequam lucrati sint, accipiunt) imo potius decem impiis ter subuenire propter probum vnicum non grauari: licet etiam non sibi semper luxerit Sol, non contristari, nec audire iudices in subsidium aduocando: nam quanto maior meliusq; promerita detentaq; merces fuerit, periculosius iudicium exspectant, qui iustos labores detinent iniuste. Si reliqua iudicia nostris æqualia fore deberent, plurimi restituere cogerentur, qui iam recipere prætendunt. Hac igitur præfatione probos medicos admonitos velim, ne mentem ita prorsum in pecunias defixam teneant, at in ægri sanitatem potius, & quod reliquum fuerit, Deo committant.

Ne tamen impostoribus fauere velle videar, addam: ubi iam ægrotus coram aliquo medico, suam enarrans miseriam, dolum & imposturas medicorum insereret, conquerens, quæ sibi primum occurrissent, vt qui deprauassent aggrauassentque morbum, quem suscepissent curandum, & non intellexerant: pecunias multipliciter prius accepissent, multa fuissent polliciti, præstitissentq; nihil, forentque posteriora peiora prioribus, & imminuta cum sanitate vita: non aliunde quam ex medicorum incuria, tum ignorantia mera. Defectus vtrinque videtur. Medicus primum omnium loculos implet, vt si forte fortuna res non bene succederet, hoc nihilominus inde reportaret: ex altera parte voluit æger istius farinæ medicum habere, medicinæque fontem fugere. Quo factum, vt ab vtroq; latere miseria premat. Quare consilium ægris hoc fore cupio, medicos vt probent, priusquam admittant eos.

Periculum fieri potest (excepto nihilominus, quod nonnunquam accidere solet, vt impostor vna cum nequitia bonum aliquod, experimentum habere potest, & penes hoc imposturis facere satis) primum considerentur, qui mederi volunt, & non sunt arte medici, verum sub vmbra medicinæ vulgaribus consilium exponunt, & nonnulli fauore solo, plerique ob honoris ambitionem, alij quod eis hoc vitij genus innatum. Cæteri quidem vt sapientes existimentur, & reperti plurimum, & hoc ipso veniant in admirationem hominum, vnde sibi tantam artem compararint. Eiusmodi Medici potißimum diuites, existunt in monasteriis, & otiosos inter illos, qui iactare sese vanigloriose fuerunt assueti, gratis omnia præstant in Medicina.

Reperiuntur alij, qui medicam artem vt aratrum exercent, vel ob munera, quod statum imminuere viderentur, si pecunias acciperent, quibus Iudæi baptizati sunt adnumerandi. Similes etiam quandoque sunt apostatæ monachi, tum illi, qui carnificinam artem alias exercuerunt: non vti Medici volunt mercedem accipere: dicunt enim, se non fore medicos, librosque legisse paucos, at hoc scire, tum ab Imperatoribus & regibus habuisse. Apta iactaque te corrigialis calcee tu. Non parua quidem horum astutia est. Si moritur æger, mirum est: ars enim ab Imperatore processit, non ita contigisse debuit: si vero sanabitur, clamores audiuntur in exsulationem elati, vera & experta est, inquiunt, ars nostra, nihil de manu Serenißimi procedere mali potest: iam in sede positi sunt isti Medici, non alias imo fixius vt putant, Francone quouis equite. Talis est eorum conditio, qui mederi, nec esse volunt Medici, prout is, qui monachus fore vult, & in pellicea veste diphera medicus. Isti medias interponere solent personas, qui dicant: Medicamentum hoc domino meo plurimo quidem ære constat, quapropter domino tuo dicas, domino meo compensæ loco donet equum: vel monasterium, aut alias Dei domus est egena, fratribus eme carpiones duos, quos die Veneris inter collationandum edant, priusquam eant cubitum, & à ieiunio iam aliqua refectione solentur, sic reddetur dominus Doctor pedendo creatus ad omnia promptior ac paratior.

Non quod bonas artes impedire cupiam eius, qui alto loco rasus, vel demisso promotus vt fuerit: abusus tantum carpere volo, quo me nedum errores, verum etiam deprauationes morborum, quas video longe plures quam subleuationes ægrorum, impellunt. Post hos omnes illi sequuntur medici, qui vestes & crumenam vt cribrum foraminatas gerunt, nec vt furem exercere suum tardi sunt: ante sexaginta plus minus annos se ditißimos fuisse prædicant, nunc vero depauperatos, in dolio vini putato. Sunt alij, qui magna comitante caterua militum aut equitum viguerunt equites, at in bello pro defensione Principum, & in penuriarum conflictu cunctas amiserunt opes. Alios ex Walachia Transsyluaniaque Turca propulit. Nonnulli reliquerunt vxorem & liberos, vt liberius Euangelium imitari possent. Multi libenter vltroque pauperes existunt, quod nemo quidpiam eis dare velit. Nec desunt qui vestes multifariam immutent: nudus hic incedit, alius semiuestitus & cilicio: tertij quidem ordinis ille, soccis ligneis ambulat iste, non edit alius ossa carnium, piscium spinas item alius non: super scamnum decubare debet iste, nouumque singulis habere noctibus hospitium, &c. Qui cum ne Medicina loquuntur, Spiritus sanctus (vt aiunt) inspirauit eis, plures in herbis quam in cœlo virtutes existere. Sunt ne tales egregij medici?

Apparentia latius honesti, bene quidem induti, sed eorum vestes peßime subducta. Nonnulli suis immiscent Astronomiam, alij Geomantiam, alij Pyromantiam, Chiromantiam alij, Hydromantiam alij, plerique speculantes altius Narromantiam, id est, Nicromantiam, vel stultomantiam, vt Campiuagi de monte Veneris, vbi suam didicerunt artem, venientes, eam vino Rhetico baptizarunt. Item vna cum fratre Eckardo cantarunt matutinas, & cum Danhusianis farcimen aut botulum ederunt sanguineum: quo fit vt bestias & homines ab omnibus morbis, febribus, & caducis curare norint, item artem nobilißimam effodiendi thesauros, quæ tales non parum ornat medicos. Multi non indigent aromatibus, herbario nullo, nec Valesco, sed papyro sola, Ixis pro fixis inscribunt ei, Tetragrammaton, Ioannes in dolio, Iod, Vau, ante postque, supra tum infra crux, ne diabolus scribentem auferat. Apud rusticos Latini sunt, penes Germanos Itali, quorum nonnulli cæsi virgis vltra Alpes ex Germania pulsi fuerunt in Italiam, ex ista in Germaniam alij contra: nonnulli trans Rhenum propulsi, rursum citra virgis acti, similiter vltra citraque Danubium & Albim. Istorum peregrinatio nebulonum est mirabilis in arte Hippocratica. Apud Hebræos Græci, penes quos Hebræi sunt: apud rurales presbyteros, Theologi, penes balnearios medicinæ Doctores: apud Prætores Iuristæ: penes Histriones Poetæ: penes mechanicos Historiographi. Item in Germania sunt ex Italia, tum in ista ex illa se dicunt oriundos: in Portugalia vel alias Lusitania ex Hungaria, demum in hac ex illa natos, amplo genere semper, at parum locupletes: ex maxima familia, quæ meretrices, mœchos, fornicatores ac nebulones omnes peperit: multis artibus onustos, à quibus lucrum faciunt exiguum.

Præter eas, quas iam narrauimus, alia secta reperitur, quæ baptizatorum Iudæorum est, aliisque longe callidiores, & nequiores existunt. Non baptizatos etiam puto cum eis, qui Mercurium in vrsina pinguedine mortificare norunt. Ab istis idipsum didicerunt medici morbillorum, pustularum, qui Iudæis aptiores & meliores fore cupiunt, cum eodem corio sint obducti (licet vnus alium ex vtraque parte rideat) sandalo rubefaciunt: Mace quidem odorem suis inferunt medicamentis, quo fit, vt ad morbos omnes dicantur medici. Cum vnum, duos, aut tres curarint, priuilegiũ habent, & ius ducentis, vel trecentis imponendi postmodum. Proponunt hominibus Hebræam linguam totius medicinæ fundamentum habere. Non considerant interim, inter Iudæos nullum vnquam exstitisse medicum. Iactant sæpe

Rabi

Rabi Mosen, & librum Nebulonis, qui canones illos continet, excellentissimos, per quos Raponceoli radices è pratis eradicare docet ad acetaria conficienda. Iam dicunt, artem in sua progenie solum esse, hæreditariq; etsi fatui stultiue forent omnes. Alij tandem effutiunt, Adamum patrem suum reliquisse; Noe dicunt alias in arca fenestram inter parietem intrusisse. O mere fatui, quam frigide vos calua iactantia iuuat miseros. Iam senex Iudæus prodit, modo iuuenis, cuius mater est in prostibulo præfecta meretricibus. At isti vagabundos Ægyptiacos nebulones reuocant in memoriam, qui suam artem ex Ægypto secum attulisse dicunt: at eorum pars maxima oritur Entlibuch, vel pigrorum vbique nebulonum patria, in quam redire non ante septem præterlapsos annos audent, vt mos eorum est latrunculorum & furum, qui virgis carnificibus flagellati sunt in exilium. O vos meretricium nati, cognatique, ne deseratis vos vtrinque, sed artem vestram in summo seruetis honore, quæ si gallinæ vel pulli forent, vix puluinar minimum implere possetis eorum plumis: taceo vos Hæbreorum arcana maxima procatum ducere nosse in amicitiam contrahendam, elatos incedere vos, equitare, penes aquas & in aquis certissimos fore fatuos. At annuli Diamantes atque Smaragdi, quæ munera datis illis quos nostis, optima hæc ars vestra potissimaque. Præter hos omnes, alij reperiuntur, qui reuelatione maiore digni sequuntur illos. Isti Logices plurimum vulgaris habent, Rhetorices vero parum aut nihil: tales Theriacæ venditores existunt, quos Theriacales vocant circulatores, His quidem si Tirus ille serpens deficeret, potius in Theriacam iniiceret vespertilionem. Coloquintidam ad febres venalem habent: Reponticam ad pulmonem & eius morbos: Quercinum viscum ad mulierum infirmitates: item occultissima quædam arcana contra periculosissimos quosque morbos: artes quas Deus atque mundus ignorant, inter nos dictum, & sub silentio maximo. Gentiana fit & Astrens hæc admiranda cura. Nonnulli vermes norunt expellere, hoc est, quidam in Schlesia Vratislauiæ nempe vermem expulit, qui repertus est Argentinæ postmodum in Nundinis, & inde capsula clausum detulit Basileam: hac ratione miliaria quatuordecim expulerat eum. Aliqui vermes duabus vel tribus vlnis plus minusue longiores existunt, & foramine crassiores, per quod eruperunt, ab hominibus expellunt, quos post sepes atque dumeta reperiunt. Ad hoc accedunt alij, qui strumas auferre norunt, & sal ad hanc artem componere magistralem, & alij qui panaricium vermem è digitis expellere possunt, vbi tamen pluuiale tempus nequaquam exstiterit, nec Solis splendor vllus. Item optimi dentium fractores, & iure se dicunt: nam dentem vi rumpunt, in maxilla prorsum eius radice relicta. Similes omnes medici coram hominib. habentur, ad quos muscarum decimæ pertinet. Nonnulli creuerunt ad hos in Histrionum ac morionum scholis, qui mentiendi potestatem omnem vsurparunt, accedente per assiduum istius operis vsum habitu. Sunt & alij, qui mentiri per se nondum norunt quapropter Monspessulum se conferentes, ex Auicenna discunt: alij Parisios ex Galeno: cæteri tam prompti natura sunt vt ex seipsis addiscant. Non parum adhoc promouet hunc, magister artium, quod factus antea fuerit: illum vero, quod Apothecarius exstiterit olim: alium quod pro parte Mathematicus existat: alium quod Physicus, vel Theoricus.

Huic Montagnana placet, illi viaticus, & præ cæteris omnibus Ioannes de Garlandia. In ore terribiles: in Pharmacopolio requiem habent: sepulchris egregiis extrinsecus haud absimiles existunt. Plerique natura conditioneque iactabundi sunt: in Hollandia iuui Comitem inquiunt, alias à supremis scalæ magnæ gradibus in terram præcipitem dedisset. Alij sic aiunt: Ego Principis huius, aut illius viginti plus minus annis fui Medicus, præter me quidem & Conradum à Rosis Princeps sæpissime tristi mœstoque fuisset animo. Sunt qui viginti se dicunt annis in Vniuersitatibus legisse: quod vero si liber ipse per se præstare potuisset, illis non erat opus, Iam Græcos agunt: Epilepsia est caducus: nunc Arabicos, Alandahal, id est, Coloquintida: tredecim linguas callent, præter eas quas Pandectæ ponunt, & Germanicam omnium pessime. Iam in rerum naturis occupati, post in regimento coquini sunt. Alias generosis virginibus oculos glaucos transmutant in atros potius, quam nigros: iam ex deformibus venustas faciunt, ex obscuris splendidas: gibbosas in rectam proportionem extendunt: è naribus tandem expellunt mucos, iam odorifera poma componunt ex ambra, nec non alia delicatissima quæque munuscula, quibus optime delectantur fatui, seque Principum aulis immiscent. In Academiis autem audiri cupiunt: in calendris meis tuis. Domini auditores, quarta Fen primi de porcis scripsit noster Auicenna. ℞. Theriacæ cum longissima descriptione, scilicet Galeni (si forte boni quid in ea reperias ex improuiso) ℥ ß. specierum longarum besuardicarum (ingrediuntur etiam bona simplicia multa, sordes cum sordibus accumulatæ) ℥ j. ß. (postmodum speculare tu per te, quod longum est) specierum de gemmis, diamargaritonis, diagalanga, diarhodon abbatis, diamusci (& omne quod in Pharmacopolio reperitur) ℈ j. Conseruæ, boraginis, buglossæ, anthos, rosarum, ana ad pondus omnium: fiat sicuti est dosis. Non refert, si non iuuerit, non nocebit. Recognoscite vosmetipsos in receptis vestris, & quorum argui possitis perpendite.

Eius farinæ sectarum plurimæ sunt, hos inter Medicos, & plures quam ruinatorum vel decoctorum Pharmacopolarum, artistarum similium, mechanicorum, & rusticorum astutorum, qui nunc vrinas inspiciunt per galeam laneam, alias penes fenestrarum asseres. Hic suam artem Pharmacopoliæ probat auctoritatibus, & violenter: alius per Esulam lacte decoctam: tertius per Elleborum: nonnulli per fas & nefas, alij per lectionum assiduitatem, quod ludi literarij magistri fuerint, qui volare mox nituntur priusquam alas posuerint: alij per auditionem in lectoriis, in quibus pastorum Ascaulæ veniunt in vsum, id est, vbi tractantur clysteria, sua probare volunt. A signis medicorum istorum, quæ iam posuimus, quiuis æger sibi præcauere discat, eorum euadere manus, & sui pericula: nec est quod occæcari se permittant ab vnico fortassis experimento, quod illis in vno successit, & in ducentis postmodum eos & ægros fefellit: aut eo seduci, quia vel in vno quid possint, in omnibus valere putent, aut probata sua fore omnia.

Ab istis quos iam enarrauimus medicis, abusus omnes in medicina successerunt, vt in eorum fun-

damentis nulla sit ars penitus inuenienda. Diligenter igitur animaduerte lector: in ista namque præfatione declarabo suos errores, & enormes abusus, quo melius intelligas occasionem (quæ mihi vitiò verti posset ab aliquibus iræ vel præcipitationis) cur tam repente statim à Prologo prorumpam in eos. Principio scire te decet, medicinam à laicis initium & exordium sumpsisse: prius enim ars huius nulla fuit in vsu, si qua fuit, ignota hominibus, & postea per Ondam inuenta iuxta suas experientias. Nam quod Centaurea purget similiter & Harmel, ante sua quidem experimenta notum non, at ab experientia doctum est. Similiter vulnera curat consolida, quod ab Onda cognitum fuit, & in medicamentum conscriptum. Hipericonis etiam vires inuentæ sunt, atque descriptæ: pariter & Sophia: sic deinceps ab vnius in alterius notitiam peruenerunt. Quæuis itidem simplicia, terræque producta per Ondam innotuerunt, vt melius non potuissent, neque perfectius aut nobilius in lucem emersisse, nec esse, quam ab experientia data sunt. Pari modo purgationes, confortatiua, curatiua, mitigatiua, incarnatiua, &c. sunt inuenta, & omne medicamentum hoc tempore fuit. In ordine vero, quem à natura prius habuit, quodq; prout esse debuit, operatumque locorum vbiuis est cum honore maximo. Subsequutus est inde post abusus à receptorum Scriptore primo, de quo reliqui sumpserunt originem. Iste percepit, in hortis aliquid existere, quod vulnera curare posset: quare simul omnia collegit, quod ibidem creuit, & ex eis Cataplasma composuit, vt si forte boni quid inter cætera foret, quod fortuito casu rem attingeret. Ex his igitur abusuum occasio, tum quod Phantasticorum ingenia quædam à conditionibus melancholicis ducta dominataq;, veram & nobilem artem à natura demonstratam emendare conata sunt, & ea quæ ab ipsis non processerant, nec vires suas receperant immutare, meliora reddere corrigereque voluerunt. Eoque momento compositionum plantarum & artem, veram naturam in seipsa corruperunt, & illud quod à natura datum est, in propria cuiusuis natura destruxerunt, ac propter ista composita dictæ virtutes naturales & vires contemptæ sunt. Vt cum scripserunt isti: Recipe Centaureæ manipulum vnum, vini, mellis, zucchari, &c. fiat syrupus. Quid cooperantur ad Centaureæ virtutes vinum, mel, aut zuccharum, cum illius experientia, sine tribus his reperta sit? In incarnatiuis simile quid accidit: experientia compertum est, Consolidam ossium fracturas curare per se, nihilominus receptum hoc perperam excogitarunt: Recipe consolidæ, Aristolochiæ, Fœnugræci, ana lib. ß. Boli armeni, hæmatitis, Terræ sigillatæ ana ℥ ij. Camphoræ (æstate si sit) quantum sufficit: hyeme vero Piperis longi. Considerate quæso, quam rude sit Compositum hoc cum experientia solum in Consolida sita sit, & non in Bolo armeno, neque in terra sigillata, nec in cæteris quicquam virtutis existat, quod ossis nimium fragmentum consolidare valeat) An friuola hæc additio naturam potius non corrumpat, irritet, vt inualida prorsum reddatur à crassissimis fatuis, qui frustra conantur eam onerare? Latius est quod animaduertas receptorum istos compositores nullum vnquam ex ingenio suo reperisse medicamentum ab exordio per suam experientiam: nec Hippocratem, neque Galenum, nec Auicennam, Rasimue minus id fecisse iure iactare posse se. Verum istorum omnium, & cæterorum eius farinæ hominum, omne fundamentum, & lapidem eorum artis angularem super experientiam rusticorum positum, & ab istorum experientia collectum in paginis, scriptum, & in facultatem suam, quod aliorum est inuentum redactum. Imo probari minime poterit à quoquam istorum, Græcum aliquem vnquam (quorum cœtus mendax perpetuo fuit) Medicinæ lapidem angularem posuisse. Bene docebitur ipsos hunc lapidem vt peregrinos accepisse, iuxtaq; suam conditionem in Rhetoricam ægrorum experimenta, non secus ac Lucanus ac Salustius acta Romanorum scripserunt, in historias contraxisse. Hoccine merito Medicinæ fundamentum esse, vel dici potest? aut Græcis attribui medicinæ debet inuentum, quorum scripta per se testantur, eos in alienis experimentis versatos esse? Itidem quod per experientiam inuenerunt Arabes, hoc habent illi: & prout isti cuncta glossis in suis regionibus tractarunt, istorum etiam artem glossis munierunt. Quapropter Auicennam iactare se minime decet, aliqualem experientiam ex scriptis eius omnibus processisse, nec ex seipso: hoc iactare potest cum Galeno, bonas artes ab aliis inuentas funditus deprauasse se.

Postquam igitur Græcorum & Arabum ambitiosa gens, honorumque sitibunda, sic vt auditum est egissent in Medicina, Barbara genera gentium successerunt, vt Italia, Hispania, Gallia, & postmodum Germania, quæ glossas glossis, & commenta commentis addiderunt: & hac via sese mutuo iuuerunt, donec eo medicinam adduxerint, vt non alias quàm ordinarunt, administrata fuerit hactenus. Et ita se magistros super naturam extulerunt, verumque medicum à natura datum, & ab experientia natum eo traxerunt, vt seipsum tanquam inutilem, ignarum, & vt fatuum existimarit: imo vt à vero naturæ fundamento desierit, ambitiosus imitatus atque doctrinam eorum fuerit. Suum igitur ac sui decus & honorem isti Medici, prout Hippocrates, Galenus, & cæteri similes ab alienis expiscati sunt experientiis. Tum vt non iuxta cursum naturæ simpliciter appareret Medicina coram vulgo, sed mirum quid in ea fore videretur, & ab omnibus non intelligeretur: istorum propria ratio (quæ proh dolor non vsque adeo magna fuit) compositionum excogitauit artem. Postquam tales Medici iam surrexissent, experimentaq; rusticorum & vulgarium haberent in manibus, & vsurpassent, vnus ad Terebinthinam Dragagantum addidit: alius semen Plantaginis: tertius vero mucilaginem de fœnugræco: & ita quisq; peculiarem compositionem, vel mixturam potius consolidis adiunxit. Non alias cum Reubarbaro, vnus emendare voluit, & ex eo fabas conficere: alius excogitauit in formas tabularum fore melius: tertius apposuit restrictiua: quartus autem confortatiua. Tandem sua ratione compererunt, ex vna parte se choleram purgandi modum non habere. Sibiipsis persuaserunt, vt per specularia trans corpus humanum videre, nec non olefacere se epatis apostemata, non secus ac vultur in agris cadauera. O vos olefactores, olefacite, &c. Postmodum innotuit experientia Cubebam conferre capiti: sed quod metuerunt, ne per posteriora fortassis excideret, Moscum adiecerunt, vt descenderet ad caput: sic nuncium ex mosco sibi finxerunt. Præterea gemmarum experientiam vbi viderent, putarunt quod acidæ non forent, neque dulces, sapores eis addendos: ita cum cæteris simplicibus egerunt. Naturam suo modo regere conati sunt, æque ac si ab eis irritari non posset. Hoc fuit pileatorum hominum exordium, in quorum hactenus manibus medicinæ facultas manet.

manet. De his Plato: sub Medicorum (inquit) manibus versatur miserrima vita, maximeque miseranda: quo dicto Natura nullam iniuriam fecit.

Medicus autem ex natura nascitur, artemq; suam habet, estq; solus ille Medicus, cui natura dedit suas experientias, & non ille, qui i suis speculationibus acutis contra naturam, eius conditiones, & ea quæ sunt in illa, scribit, loquitur aut operatur. Si natura Medicum, vt supra, facit, inde sequitur, curam ex ipsa procedere, medicum etiã iuxta seriem & ordinem istius illã applicare debere, cum obseruatione tamen vtriusq; Anatomiæ. Cura dat applicationem, quod ex ea quidem oriantur Theoria, nec non Physica: hæc tria sunt vnica Philosophia. Cura morbi principium probat, & morbus curam, & hoc omne per naturã, & ex ea: nam per curam inimicus naturæ cognoscitur. Verum prædicti glossatores primo ponunt originem morborum ipsius microcosmi, demum ex eis curas: non alias naturam inuertunt isti, nec illam sibi putant irasci debere vel posse. Græci, nec non Arabes potestatem & auctoritatem habere se credunt, vt eos natura sequi debeat.

Quod isti sese violenter in professionem hanc vt patronos eius intruserint, alienas experientias vsurpauerint: item quod ea signa quæ viderunt in ægris, & occurrerunt illis, annotauerint & scripserint: quid ad medicinam attinet, curam & necessitatem? Dubiosum in arte sua medicam bene concernunt. Si dicant signa cognitionũ, aut prænuntia fore, vetularũ inde sequitur negotium: si Medicinam, quare tot igitur ægros perdunt funditus? Galenus pugnat contra naturam: & si scripta sua medicina sunt, vbi iam natura suis in experientiis erit? Si nemo domi suæ sit, quid in eo tam alto laudandum esse ducitis? Pariter Auicenna tum alij, qui defendere potuerunt stupidas illas in Chirurgia sua descriptiones? Quæ si triginta sint eas inter, trecenta continentes materialia, vel simplicia corpora, decimam ego iure partem auferam: istorum igitur virtutes ab eis conscripta, mendacio suo conficta sunt. Quid prodest hac superfluitate perperam onerare naturam? Accesserunt demum Italici, qui schedas huc atq; illuc descripserunt, articulatim declararunt, & quod illis iam non satis longũ erat, produxerunt additamentis. Inde post Romana sedes aduenit, quæ phãtasias istas approbãs, ex eis turrim ædificari voluit, vt quatuor in Academiis columnarũ vna foret, cuius abusus potestatem & auctoritatem haberent cum ægris quocunque modo vellent agendi: siue moriantur, siue priuentur oculis, recte facta sint omnia. O cœca sedes ægrorum præ cæteris miseranda conditio, deplorandaq; nimium, quod ab istis corpore, sanitate, vitaque priuatum iri debeant miseri. Si quis obiiciat mihi curam aliquam ab eis factam, isti sic responsum velim, Si præter compositionem ex suis descriptionibus accidit, à natura factam esse dico, prout ex meis descriptionibus, & absque sua doctrina: sin id compositio fecerit, vtrinque Deum laudent, quod in ea plus boni quàm mali fuerit.

Medicina tantum in abusum redacta est, vt in omnibus chirurgorum libris, propter compositiones receptorum suorum ægris inimica fore natura cogatur. Adhuc latrant isti, Græci (dicunt) veri sunt Medici. Equidem si Medicina mendacium est, & ego Græcos maximopere laudo. Sed non ita chirurgia tractanda venit, sola veritate quidem opus habet, non mendaciis. Animaduertite quæso, quod fundamentum habeat Petrus de Argilato, qui nunquam aliquod receptum suo veneno non infectum reliquit: idem Galenus, Auicenna, Rasis, Bruno, Bertapalia, &c. fecerunt. Fundamentum suum ab eis mutuati sunt, quib. postmodum inuiderunt honorem inuenti. Cum peius agere non possent, eiusmodi recepta falsificarunt, vt sibi solis tribueretur honor per suas correctiones. Hac via peruenerunt ad Græcos à Germanis, & aliis nationibus experimenta: ad Italos etiam: qui quidem omnes in alienis laboribus simiarum opus imitati sunt. Quod autem ab eis ad Germanos allatum est aut venit, in suis primis viribus mansit immotum: Germanorum siquidem experimentorum, & vniuscuiusque nationis proprij reperiuntur medici, boni vel mali: boni, cum in luce naturæ manent, & mali, qui naturam ipsam regere conantur. Ad medicinam patet ostium, per quod intrare Græcis licet, Arabibus, Chaldæis, Barbaris, Germanis, Italis, &c. bonis atque peruersis: item filiis meretricum, & aliis, qui præ nimia pigritia sese diutius alere nequeunt: estque tam ignauis ac industriis patens aditus. Hactenus existimatum fuit, Græcos hoc ostium fore, cum ipsi vero solum illi sint, qui per ostium intrantes friuolos inter & industrios morantur. Quotquot ea uia transeunt, non sine medicina redeunt, sed quisque secum aliquid reportat, siue bonum siue malum existat. Qui tamen recta cum intrant eo, tum exeunt, isti naturæ vires adferunt: alij verò multiloquium. Aliquando crediderunt nonnulli, Monospelium & Salernum ostia medicinæ fuisse, cum tamen ab eis nihil aliud rediit vnquam, nisi pileolum illud rubeum. Iudicatus quandoque fuit Auicenna, tanquam introitus ad medicam artem, cum ex eo nihil præter febrium & humorum numeros exierit: qualis tamen in medicina sit iste, poterit vtrunque genus bonum atque malum ab experientiis iudicare. Nolo contradicere, si quis inscius homo, prout supra, per experientias aliquid adipiscatur: cum hoc non alia via fiat, quam ideo quod veri medici regulam tum obseruauerit, sua ratione relicta. Multi siquidem didicere multa, scilicet ex vna viginti plus minus experientias facere, velut hi, qui sunt ex abusibus nati: non enim vnusquisque seruare medicinæ fundamentum potest, quod ad hoc inclinatus non existat: nec suam quisque superbiam valeat relinquere, naturæque seruus fieri: hac ratione multi nati sunt ex vero medico vel fundamento, qui non successerunt, præceptoresque suos non imitati sunt. Quapropter nunquam præceptor & eius discipulus bene comparari concordareque possunt, nisi manserint ambo cum natura, & in ipsa perseuerauerint. Hos ego medicos meis genui laboribus: è centum discipulis, quos ex Pannonia tantum habui duos optimos: ex confiniis Poloniæ tres: ex regionibus Saxoniæ duos: ex Sclauonia tantum vnum: ex Bohemia pariter vnum: ex Belgicis regionibus vnum: ex Sueuia vero nullum. Quamuis ex omni genere nationum plurimi fuerint: vnusquisq; meam doctrinam suo modo voluit vsurpare: suos vt impleret loculos vnus, alius in ambitionem honoris & superbiæ, quidam interpretatur glossis & commentariis, quæ cum oblatæ me coram essent, ementita prorsum erant omnia. Nonnulli plura scire sibi persuadebant, quam ferret ingenium suum, alij scire se dicebant, quod non intellexerunt. Multi quidem intellexerunt, sed quod maxime necessarium

erat, istis defecit: qui didicerint omnes hi, non bene iudicari potest, at quinam vtatur, vnusquisque videat. Quandoquidem in meam artem & medicinam plurimi subintrant, qui sibimet ex ea perperam aliquod fundamentum faciunt, quo postmodum in Archiuagabundos circulatores euadunt. Quisq; torquet iuxta patientiam ægrotantis. Ex mea patria tanquam postrema nondum nati sunt: qui tamen sese pro natis passim venditant, eos iuxta Sueuos pono, & in sectam perditorum medicorum.

Nec me sane parum angit, quod vt Bertheonicus id etiam pati debeam, sub forma cui nunquam faui: tum Bertheonea mea, iuxta morem & vsum Vniuersitatum iudicari, tanquam fideli doctrina fundamentoque populus meus seduceretur.

Eo me cogunt illi, qui recedentes à me sanguinis Academiarum, & conditionis adhærentium sibi plus satis gerunt, loculisque suis implendis, quam ægrorum sanitati magis intenti sunt. Plus me miseret adhuc, quod iuxta scholarum vsum experientias aggrediantur, præter medicinæ rationem, ac contra prorsum & æquitatem ipsius naturæ. Cogor adhuc per eiusmodi seductores Bertheonea mea processum eundem iuuare defendi. Aptitudinum aliquando ac nunc (non vt ipsi tamen) habui rationem operationum lenium, & debilium conditionum, in quibus practicandi licentiam dedi, cum experientiis eo loco necessariis, at vlterius non procedendi. Verum ipsi commodi lucriue sui quam præcepti maiorem habentes rationem, inde sibi pecuniarum arcam exstruxerunt, & sub niue collegerunt messem, hoc est, vbi morbi deprauati sunt, ægrique perditi. Istos ego non alias defendo, quam eo, quod iusserim ipsos non docere latius, at solum se tales fere, Doctores nempe.

Sed eo quod etiam præter meum præceptum & voluntatem tentarint, omnino sese compararunt prædictis medicis, & penes doctorem discipulum posuerunt. Nam etsi millies contradicatis, vnus morbus doctorem vnum exhibet, ac duo morbi doctores duos, ita consequenter, quoties experientia, toties doctor eius occurrit. Vos tamen existimatis, eos fore doctores in omnibus, qui garrulitatem vestram callent, aut vbi febres curare norit, doctor per totum existat omnia sciens. Amen dico vobis: multi sunt inter vos doctores, qui de singulis morbis, vti de gutta, deque podagra quid sint abunde disputant, interim curare minime norunt, sic ne doctores existunt? præterea pustulas aliqui, sed esthiomenon curare non possunt, nihilominus amborum Doctores fore volunt: horum pars vna Doctor, altera vero discipulus existit, amboque sub vno rubeo pileolo morari possunt. Quapropter æquum est in particularibus Doctorem ponere me, sub vno morbo Doctorem vnum, & eundem sub alio morbo discipulum, quales ipsi vos estis.

ARGVMENTVM IN TOTVM
HVIVS CHIRVRGIÆ LIBRVM D.
DOCTORIS THEOPHR. PARACELSI



FONS & origo scriptionis meæ Chirurgiæ processit eo, videlicet ex pompa, fastuque medicorum eorum, qui pluris multo se faciunt, quam reuera sint, & apparatum artis loco, tum os & linguam pro cura præ se ferunt. Secundo, quod vnus alteri nihil boni peritus optet, imo propter hæc sua tam enormia mendacia sese mutuo sic prosequuntur inuidia quadam, vt potius quam socio bene succederet curandum inter, istius ægros interire cupiat quisque fere Medicus. Tertio vero quod laicos inter tot perfecti iustique medici reperiantur à natura tales, at tot artes veræ, quæ propter dictos abusus contemnuntur, & sub pedibus iacent: velint nolint bonas fore decet eas, & si maior despectus illos millies arripiat veri quam habent.

Hac mea Chirurgia partim ex Physica (sic dicta hactenus meas demonstrationes facio, hoc est, morborum origines ad chirurgiam pertinentium declaro, scriboque, ex quo fundamento profluant: & hoc vt quisque me possit intelligere melius, binam chirurgiæ facere differentiam: ab externis procedentem vnam, & ab internis prominentem alteram, & ambas vno sub volumine concludere: maxime quod incarnatiuis vtraque subiiciatur. Theorica vero mea talis est, vt corpus minerale fore proponat, vt est, & ex salibus nonnullos Chirurgiæ morbos prodire: postmodum illa salia corrosiua posse fieri, de quibus oriuntur in Chirurgia morbi superflui. Sic me quiuis medicus intelligat, vt eum qui ex Physica, Theorica, & Chirurgia Bertheoneam vnam efficiat, in experientia fundatam, ex qua medicus nasci debet, ac ab ea tanquam à præceptore discere. Meam igitur Chirurgiam hac serie diuisam fore cupio, vt quod sub curam Balsami cadit, suo libello ponatur: item quod sub Mumiæ potentia continetur, alio: quod liquoribus conuenit item alio, tum quod à Realgare curari debet, ab aliis etiam separetur: pariter quod ex forma specifica, quod ex arcanis, quod ex elementatis, & quod ex essentiis, quodque suo loco reseruetur. Nolo per meam hanc dici

Chirurgiam

Chirurgiam librum vulnerum, sed Mumiæ, vel de Mumia: De Apostematibus non dici librum, sed bene de Balsamo: item vlcerum librum, de Liquoribus intitulari cupio: nec non de esthiomenis, librum de Realgare, prout vniuscuiusque libri præfatione continetur. Diuisio quæ iuxta veterum libros fit, nulla ratione mihi placet, cum sit contra medicinæ verum ordinem, vsum, & conditionem dicere: Capitulum de cicatricibus: at capitulum de Liquoribus dici debet, quod eo syrones omnes contineantur. Si de Mumia locutus fuero, puto vulnera cum curis eorum: si de arcanis in hac Chirurgia de pustulis intelligo: sic de cæteris.

Principio quidem scribo de Mumia, postea de Vlceribus & curis, postmodum de Apostematibus, &c. iuxta suum ordinem. Animaduerte primum humorum occasionis loco nullum, nec etiam complexiones me ponere, atque membris internis, vt iecinori, spleni, renibus, cordi, cerebro, pulmoni, felliue minus vt aliquid mali de se præbentibus adscribere vel attribuere quidpiam. Solum de minerali corpore quicquid hic à me tractatur, intelligendum est: quælibet pars per se tamen, vt quod ad sanguinem pertinet huic, & quod carni pariter huic attribuitur. Quod si capitalibus membris aliquid iuxta suam conditionem accidere valeat, hoc omne peculiariter ex propria cuiusque declaratur Anatomia. Summa totius fundamenti chirurgiæ meæ puncta sunt prima tria, postmodum Anatomia iuxta naturam & conditionem Iliadi, prout ex vno libro in alium demonstrabitur.

ARGVMENTVM IN PRIMVM LIBRVM, QVI VVLNERVM EST.

INITIO per totum librum primum docetur, qua ratione, potestate vel auctoritate medicus aut chirurgus vulnerum curam suscipere valeat, & audeat.

In quo simul attingitur, qua potestate Medico à natura sit iniunctum, vt recte, iuste & diuine vulnerum cum accidentibus curam suscipiat, eamque vi & potestate naturæ fortiter tractet, quo mors & mala futura praeueniantur. Vbi simul ac vberius explicatur, quod natura Medico in manus quasi subministret, quibus modis, rebus ac viis natura deprauata semel ac læsa restitui, reparari ac refocillari queat. Simul quoque tum veterum & recentiorum scriptorum scripta & doctrinæ examinantur, eorumque ruditas, inscitia, ineptiæ & errores crassissimi, quibus iuniores seduxerunt, demonstrantur: econtra vero solido fundamento docetur, quid Medicina, quid non sit, quid futilitas, quid fundamentum, quid pietas, quid seductio, qua Medici hactenus vsi sunt sæpissime.

CAPVT I.

Quid Mumia, hoc est, Medicina.

I.

PRIVSQVAM attentes mederi, aut medicum profitearis necesse omnino est, vt primo scias, quid id sit, quod vulnera curat. Quo cognito, tibi fidere potes ipse ægrumque audacter consolari. Principio Mumia est id, quod omnia vulnera curat, hoc est, dulcis Mercurius. Hic enim austerus & dulcis inuicem separantur. Dulcis cognitio à vulneribus: austeri vero ab vlceribus dependet. Hic enim duo mineralium instar in corpore se habent. Dulcis itaque is est, à quo vulnera curantur.

Mumia quid.

II. Ex eo, quod modo dictum est, enucleatius addisce, quod Mumia sit liquor, in toto corpore dispersus per omnia membra ea vi & fortitudine, qua requiritur: diuisus tamen hoc modo, in carne secundum naturam carnis, in osse secundum eius naturam, in arteriis & ligamentis secundum naturam eorundem: in medulla, venis vel cute, prout ipsorum ratio postulat. Ex quo sequitur, Mumiam carnis vulnera carnis, Mumiam ligamentorũ vulnera eorundẽ sanare. Adeo vt quodlibet membrum sua propria mumia indigeat. Inde enim promanat contractura ligamentorum & arteriarum, si peregrina seu aliena mumia curare debeat. Quin & inde causatur efferuescentia & putrescentia vulnerum, si nimirum alia Mumia in carnem, quam carnis attrahatur. Membrum quodlibet non nisi propria mumia conseruatur & curatur.

III. Hoc dico, naturam corporis, quæ damnum perpessa est, suam ipsius curam secum perferre, non aliter ac arbor iuuenis vulnerata læsaue, quæ sua ipsius mumia iterũ coagulatur, velut alnus & populus. Idem quoque est in homine. Quemadmodum enim arbor senex, si cædatur aut vulneretur, non iterum coalescit, ita quoque senum mumia, mãcã, flaccida & velut arida est. Ex quo sequitur illud;

illud; Senum maiorem curam, quam iuuenum habendam? Plantator seu hortulanus, qui arborem plantatam, immissa ei fronde, dissecat ac vulnerat, ille, per eandem herbam vulnus illud conglutinat, & quidem adeo, vt frons & arbor, & extus & intus inuicem coalescant: Non sane quod planta, seu cortex impositus, eiusdem naturæ sit, sed vt ab extrinsecus adueniente aere, eam præseruet, & Mumiam in sua humiditate conseruet, ex qua modo dicta sanatio profluit.

Canis lãbẽdo sua vulnera curat.

IV. Exemplum hoc vobis proponam, quo propriæ naturæ fidere melius possitis. Canem consideratо, qui linguam lambens vulnera sua curat, quod lambendo mumia in sua conseruet humiditate ac in suo tẽperamento. Quamobrem quoties mumia corrumpi cogitur ob siccitatem exterioris aeris, & accidentis, iterum lambit, eoque mumiam tamdiu sustentat in sua temperatura, donec sanetur. Itidem in serpentibus euenit, qui læsi per mumiæ conseruationem rore factam, ad herbas vulnera sua confricantes, illa curant, aut masticatis ore nec non attritis earum succis mumiam suam sustentant. Pariter & reliqua brutorum genera, quæ vulnerantur, hac via medicamentum recipiũt, & curam, Non alias chirurgus vulnera cognoscere debet, quam, vt ea conseruet in temperata humiditate iuxta prædictorum exemplorum demonstrationem atque tenorem, quodque pro suæ mumiæ competentia.

Saniei attractio mumiæ corruptio.

V. Summe vobis cauendum, ne per aliam viam vulnerum curam aggrediamini, prout hactenus contra naturæ conditiones, artem & rationem, vos attrahere saniem audetis, quæ prorsus mumiæ corruptio, tum vulnerum sanationis impedimentum existit. Non est igitur, quod aliam vobis proponatis imaginationem, quam ab exemplo iam audistis, & cane, quem propria natura decet inimicum esse vulnerum suorum saniei purisque, tum vice versa hæc sibi prorsus inimica: hinc fit, vt abstergat ea lambendo. Similem rationem habere chirurgiam decet, ne corpus humanum eiusmodi naturæ contrarietatibus perdat, à quibus accidentia quæuis originem ducunt, vt clamores, vel incendia, frigora, tumores, & similia, Quæ statim atque perceptum fuerit ab initio vulneribus adesse, concurrereque, puri causa penitus est attribuenda: quapropter vna cum suis radicibus euellendum & auferendum erit. Ab eo potissimum annotato magisterium, quo natura conseruari potest in sua temperatura melius, vt ipsamet pellat à se malum, quod ei nocet. Item considerato bouem, cui costa frangitur, propria natura curari solum. Sic etiam aliud nihil chirurgus, quam, vt arceat accidentia, procurare debet, quæ tantum in temperaturæ defectu sita sunt. Nam inter hominem & brutum hoc loco notanda est hæc differentia, quod ille sit accidentibus obnoxius: istud vero non, ob Anatomiam. Quod reliquum est, natura perficit.

Corpus humanũ naturæ cõtrarietatib. nõ perdendum.

Hominis & bruti differentia.

Chirurgus ordinem naturæ peruertens, eum corrumpit.

VI. Vbi tamen chirurgus ordinem peruertere naturæ conatus fuerit, seipsum ea sapientiorem existimans, indigereque naturam sua speculatione, statim in errorem incidit, corrumpit naturam, & eius conatus impedit, ac opus aggreditur, quod in mortem vsque naturæ contrarium est. Iam incuruatiores membrorum, contracturæ, vel indormitiones, ariduræ, nec non grauiora quædam, & futuri caduci, post apostemata sunt exspectanda, non aliunde quam ab incuria chirurgi, vel ignorantia. Verum si fortassis ad inscitiæ tuæ defensionem adferas, hominem & canem simul non conuenire, vt vnum in alterius exemplum adduci debeat, cum homo nobilius animal existat. Sic tibi respondero, quod nobilius sit, Cæsari tribuendum est, subtiliores in se continet humores, ac venas plurimas, quæ carni deficiunt: inde notabis eum tanto meliorem habere Mumiam. Calor suæ linguæ, vulnera linguæ sanat, & aurium excrementalis pinguedo, vulnera suarum curat aurium, sic de reliquis. In his omnibus crede solum, quoduis à natura productum, in se, quo damna sua propellere valeat, continere. Sed accidentia quæ præter medicamentorum vires arceri pelliue minime nequeunt, sub antiquis Mumiis comprehenduntur, euitanda vel expellenda, vulnerum ad refocillationem. Quod ad curam eorum tamen attinet, id omne Mumia per seipsam efficit.

Obiectio.

Resp.

Vulnerũ cura per naturæ mumiã fiat.

VII. Quicquid igitur latius de vulneribus hoc loco habebitur, volo curam eorum per naturæ Mumiam fieri, tum quod superponetur medicamentum, incarnatiuum nullo modo vocari, sed bene conseruatiuum. Quod autem ab externis essentiis accidit, ex quibus elementatur, virtutibus medicamentorum elementalium potentissime pellendum erit. Animaduertendum igitur antiquorum chirurgorum errorem in eo fuisse, quod putarint Aristolochiam rotundam, consolidam maiorem, serpentinam, &c. procreare carnes, aut vt crescerent efficere, cum nullum horum istius conditionis existat, nec essentiæ. Idipsum de mastice, thure, &c. falso crediderunt. Intellectus eorum hic fuit, vt vulnera stomachis ventriculisve comparanda forent, iecinoribus, & integri Archei viribus, ac si quum herbas radices, semina, panem, caules, &c. quis edit, inde nascuntur, aut vegetant carnes humanæ: pariter in vulneribus intellexerunt stomachum esse, qui virtutem haberet medicamenta superposita secundum Archei conditiones in carnes conuertendi, &c.

Chirurgorũ antiquorũ error.

Incarnatiui & conseruatiui.

VIII. Igitur ea, quæ Vulneribus conducunt, incarnatiua minime, tanquam illa, quæ carnes crescere faciunt, appellari, sed conseruatiua nominari debent, quod mumiam conseruent, & attractiua sunt, quod eandem ad vulnerum locum attrahant, quam extrinseca retrorsum egerant elementa, rursum ad se reuocant & ad vulnus: cuius exemplum hoc esto. Quod frigore congelatum est, lignum ardore soluit: non quod calor ille materiam exhibeat aut sit, quæ temperat, sed quod frigus extrahat, & in suum temperamentum corpus gelatum rursum adducat. Hominis membrum gelu rigidum, sua Mumia priuatum est. Vt igitur color Mumiam iterum infert in membrum hoc attractu suo, quo quidem cedere gelu cogitur ac solui: non secus gelu vulnus comparandum, & medicamentum virtuti ex ligno procedenti per elementum. Pariformiter & in hunc modum se disponere chirurgum decet, in sui

medicamenti

medicamenti virium cognitionem & coniunctionem, quæ ad Mumiam requiruntur.

DE VVLNERIBVS, ET QVID SIT VVLNVS.

CAP. II.

INitio quid vulnus, & qua via naturæ contrarium existat, etiam qua ratione morbus fore dicatur, probe vobis cognitum sit oportet. Quum in corpus infertur, aut incutitur vulnus, duæ statim occasiones infirmitatis adsunt. Nam per se vulnus non at accidens ipsum est morbus, Sciendum itaque duas vnicuique vulneri contrarietates agnatas esse. Corporis videlicet in sua substantia separatio, propter quam naturæ cursus impeditur, ideo, quod interna anatomia separata est, & corrupta. Altera contrarietas est, quæ cum ictu simul incidit, vt externorum elementorum, tam repente quidem, vt ab ea cauere possibile non sit. Quapropter accidens illud, quod præter Anatomiæ corruptionem fit, externo chaos attribuendum.

Vulneri cuilibet duæ contrarietates adnatæ.

II. Animaduerte iam, qua via prior contrarietas naturæ sit inimica, & quonam pacto fieri possit infirmitas aut morbus. Quod vulnus in morbum transeat, ex repressione substantiæ, naturæ cursusque sui contingit, prout in externis elementis, vbi tale quid eis accidit. Vt in ignis firmamento: si fissura lata vulneris instar in cœlo per transuersum fieret, quæ comparatione quadam ita pateret, qui possent astra cœli sui circuli cursum perficere? Ab vno labio vulneris ad ali ud saltatio non admittitur. Non alias gradum cursumque suum sistere Sol & Luna cogerentur, si circulus eorum sectus foret. Natura siquidem integro plurimum gaudet, ruptaq; prorsus abhorret. Comparatione prout astra cœli stare cogerentur, interna pariter astra corporis humani sisti propter vulnus est necessum, vt integer naturæ cursus perfici nequeat. Et prout per stationem astrorum in cœlo, sphæræ corruptio finisq; fieret, itidem & cordis naturæ casus foret, exstinctioque.

Morbus qui fiat ex vulnere.

III. Cum igitur naturam integram esse necessario, non dissectam, non aliqua parte læsam, nec impeditam in suo cursu modo quouis oporteat: inde sequitur, quoties id non fit, cursus naturalis in corpore statio vel repressio. quæ morbum infert, vulneri non attribuendum sed cursui iam retardato. Veluti quum vulnus medio brachio per transuersum aut alias illatum est: meatus vnius partis & venæ cursum ad alteram non habent, neque transitum, quo fit, vt illi membro fiat iniuria. Et nisi per Mumiam naturæ curandum inter illa membra, venæ, pori, &c. simul, vt ante fuerunt, & ex natura coire debent, coniungantur, damnum subsequitur, ex quo quidem aridura membri (quæ nihil aliud est, quam transpositio membrorum & curæ successus prauus) nascitur, ortumque sumit. Quodlibet membrum siquidem cum alio conuenire debet, idque solum industria naturæ, non sapientia Chirurgi: quapropter ego non immerito naturam voco medicam: non Chirurgum ipsum dico medicum fore vulnerum. Impossibile namque Chirurgo foret eiusmodi coniunctionem per se facere posse, cum à natura fieri tantum debeat. Propterea possum optimo iure Galenum Præfectum, Auicennam, & alios Principes medicorum inutiles existimare, vocareque medicos, qui nec sibi, nec aliis talem doctrinam dederint, aut proposuerint, qua naturam carnis in sese curandi se potestatem vllam aut industriam habere, detegere, vel intelligere potuissent vnquam.

Natura læsa morbum infert.

Aridura quid.

Natura vulnerũ medica.

Galenus Præfec.

IV. De contrarietatibus animaduerte latius: mox atque datus est ictus in vulnus transiens, adest momento simul accidens, vt ouo contingit, cuius cortex aperitur, hoc ab externo statim aere talem infectionem recipit, vt in priorem statum redire nunquam valeat, etsi testa subtilissimam fissuram accepisset, quæ quocunque modo posset accidere, momentanesq; possibile foret eam consolidare, nihilominus in perfectam suam essentiam illud nunquam redit. Latius quicquid ouo huic accidit, vt putrefactio, exsiccatio, vel arefactio, clari vel albuminis, vitellique resolutio, corticis vastatio, &c. hoc omne contingit humano corpori per apertionem vulnere factam. Ita contrarius est externus circulus interno, prout essentiæ quintæ, quæ quantumuis bona sit, aut nobilis, vbi minimam fissuram Firmamentum conciperet, quicquid eo circulo continetur intrinsecus, id est, cœlo suam essentiam nunquam retineret. Pariformiter omne, quod inuolutum testa reperitur, cortice vel pelle, mox atque minimum patuerit includens, ab externo sic inficitur inclusum aere, vt ibidem integra nunquam essentia reperiri valeat amplius.

Accidens vulneris è vestigio adest.

V. Considerate pomum, cui facta sit incisio. putrefit hoc non alio, quam aere solo, qui circulum eius intrauit. Et si talis incisio non accidisset, cortex nihilominus porosa foret ac humida contra pellis naturam: di u conseruari nequit pomum istud, quod in id exteriora penetrent elementa. Hac ratione plurimæ corruptiones hominibus accidunt eorum sanitatis, vbi contrarius circulus humanum, id est, pellem penetrauit. Est igitur Chirurgo maxime necessarium, consideratuq; dignum, ab istis exemplis, accidentia quæuis agnata fore vulneribus, & propterea affectibus eorum esse præueniendum, ne postmodum erumpant, causæque simul vna cum suis accidentibus in locum vnum concurrant, optimeque præcauendum. Vt in arbore læsa, Mumia eiusdem arboris fissuram huiusmodi replet, ac in eam se confert alioqui putrescit arbor, & arefit eo loco. Verum si per se repleatur, vulnus hoc suum præmunit atque defendit ab externo quouis aere, ne subintret, eoque sese curare potest. Simile quidem exemplum habeto: cum arbor suo priuatur cortice, non defendit eã hic amplius, nisi donec Mumia humectetur: nam, vt non externo consumetur & exsiccetur aere, nisi quid sub cortice resistat, arboris totius mox adest corruptio. Non secus igitur ac insensibilia producta naturaliter homini præ oculis existunt: sensibilia pari modo sibi proponenda putet, ac iudicanda, nec non ab insensibilium

Corruptiones qui hominibus accidãt.

Accidentib. præuenien dum.

insensibilium exemplis à natura sibi prolatis ac præfiguratis, cum sensibilibus agendum oportet corporibus. Nec est, quod curet aut imitetur ineptias, ac mendacia receptorum, ab antiquis & recentibus traditorum Chirurgis, hactenus ad mea tempora perperam fictis glossis atque commentis in experti cuiusvis & inertis auctorum & adductorum, quæ suæ potius inscitiæ testimonia sunt, ac ignorantiæ, quam sapientiæ.

Receptorum mẽdacia.

VI. Quum ergo duo contrarij circuli simul concurrunt, externus & internus, inde sequitur, vulnus fore morbum, & indigere medicamentis etiam externis, quæ ab elementis producuntur: idque propter momentaneum illud accidens & agnatum: quod nisi foret, vnumquodque vulnus percuraretur absque hominis adminiculo. Cum tamen infectio talis ab vno in alium circulum intrare valeat, inde colligitur naturæ medicamentum externum in istis accidentibus, internæ subuenire naturæ debere, quod hæc per se potens non sit, infectionem externi circuli propellere: sed natura, quam exteriora producunt elementa, bene potest. Ex his facile colligere potestis, intentionem fore meam atque fundamentum, quæ vobis in cura vulnerum propono solum, esse, quod ratione tantum accidentium adhibentur medicamenta vulneribus, non in auxiliũ naturæ corporis, at in expulsionem eorum, quæ ab externis elementis infecta fuere, siue per metallum, aut alia mineralia, per aerem, vel hæc omnia simul. Quamobrem ad auferendum accidens, latius habetur fundamentum huius operis in tota chirurgia, non in procreandis arte carnibus: in istis Anatomia non alias consideranda, quam in tollendis membrorum accidentibus. Amplius hoc libro non loquar de accidentibus effectualibus, at solum de causalibus quæ morbi sunt ipsamet vulnerum, vt exemplo hoc intelligi poterit. Si vulnus infecto veneno gladio, vel ense cuiquam inferatur, hoc ipsum inflabitur, ac tumefiet: item Balsamus & natura Mumia mox inficitur, impuraque redditur. In eo solo consistit ars, vt idem venenum à vulnere tollatur, vulnusque muniatur interna mumia, prout supra de arbore dictum est. Et non alias, quam vulnus à veneno concipit accidens, ab aeris contrarietate similiter potest infici: quapropter vacuum, aut apertum siue detectum relinqui minime debet, at Mumia semper obduci munirique, tum iuxta conditionem externarum infectionum, accidens tumoris, caloris, aut alterius contrarietatis arceri semper, vel etiam auferri.

Vuln' cur in medicamẽtis externis indigeat.

Medicamenta vulnerib. cur adhibeantur.

Scopus auctoris.

DE CVRIS VVLNERVM.

Cap. III.

PRiusquam aggrediatur curas, probe Chirurgus notum habeat, quoduis elementum Anatomiam integram atque perfectam in se continere. Quadruplicia vulnerum inde genera nascuntur, vt quædam subiiciantur igni, alia quidem aquæ, terræ nonnulla, cætera subsint aeri. Volo pariter ex suo quodlibet elemento curari, vt quæ terræ fuerint attributa, per ea, quæ terra produxit, & sic de reliquis. Nam vti quadruplicia vulnera: totidem ex aduerso Mumias fore putato. Latius istorum elementorum cognitio necessaria, quod ad medicinam attinet, ad hunc modum.

Vulnerũ genera quadruplicia.

Mumiæ quatuor.

Quæcunque in aquam transeunt, ex aqua sumpserunt originem: item, quod ex terra fuerit, huius in se Mumiam continet: quod vero Thereniabin exhibet, adhæret aeri: pariter quę sunt impressiones, ignis Mumiam dant. Ad vulnerum cognitionem intelligere nolo vos Melancholiam, Choleram, Phlegma, neque Sanguinem, quod fundamentum hoc mater sit mendosorum chirurgorum, & medicorum omnium. Similiter ex elemento terræ quid accipere vos minime volo, in quo elementum ignis operationem suam perficit: neque ex elemento aquæ quicquam sumatis, cui terram inesse dicitis (aut videtis:) nam quoduis elementum est in semetipso tantum, & non quatuor simul. Vos autem homines ad hunc modum cognoscitis, vt Aereos iudicetis, à multiloquio, Terreos à multo risu, Igneos à Veneris voluptatibus, Aqueos à delectationibus ex aqua sumptis. At quæ qualisq; horum cognitio necessaria sit, à vulneribus, & non à corpore, vel conditionibus vulnerati sumendam esse dico.

Æreos, &c. vnde quis esse dignoscatur.

Vtut hęc se habeant, recepta sumenda sunt ex temperamento quatuor elementorum, vt receptum vnicum in eiusmodi quadruplicia vulnera potestatem habeat. Nam fieri minime potest, vt aliquid absque simili temperamento curari sanarique valeat. Hoc est verum temperamentum, quum virtutes elementorum simul in corpus vnum rediguntur, vt ex eis vnica mixtura, & vnica tantum operatio, carens omni contrarietate, sic, vt ibidem vnius Mumiæ solum natura sit, ex quatuor tamen procedens. Non prout quis vinum & aquam simul confundit, eoque putat, quod cum corpore mixta sunt, eorum virtutes etiam vniantur: hoc falsum est. Aut si nenuphar in vino coquerem, scolopendriam, mannam, aut lauri baccas, &c. & hac via cuperem corporum atque virtutum eorum simul commixtionem, vel potius vnionem efficere: falsum etiam foret intentum, quod permixtio quæuis absque substantia corporum suorum fieri debeat. Quapropter vulnerum curæ nunc & in posterum assumentur, primo, quod ad manum & chirurgiam attinet. Principio medicamentorũ præparationes deinceps vulnerum cognitiones, tandem præparationes vulnerum, & postremo vulnerũ curæ, post vnum aliud ponetur: quorum quatuor intellectum ex sequentibus accipite.

Recepta vnde sumenda.

Tẽperamentum verum.

Animaduertite vos medici quotquot estis in genere, Doctores, aut quiuis alij qualescunque fueritis, qui vulnerum artem & curas habere iactabunde passimque spargitis. Penes vos, eos etiam puto, qui naturam viribus fraudant, atque virtutibus eius, imo perditus eneruant, siue textu, vel commentis Academiarum, aut aliis nugis id fiat: præcedentis meæ demonstrationis finem attigi. Verum latius est, quod vnus alteri dipteram iam concutiat melius, absque pileoli rubei, vel magni cuiusuis nominis tituliue respectu

Medicorũ reprehẽsio.

respectu quopiam. Quam Theophrasto mensuram fecistis antea, nunc est, quod eam iam recipiatis. Pugna seria centuplicata, non iocosa dimicatione vobiscum agere cupio. Si quid honesti vestra contineant recepta, vel tota vestra medicina veri tantillum habeat, prodite contra me nunc in lucem. Serio iam agetur magis, nempe receptis meis, quibus vulnera superantur, & curantur, & vestris, quibus econtra perduntur, vulnerati funditus.

Sumite primum, & resarcite simul, glauca Galeni consilia caluaque, nec non aliorum omnium patronorum, quotquot habetis eorum, qui falsa recepta vestra patrocinati sunt hactenus, occasionemque dederunt vobis iuxta suæ doctrinæ tenorem, istiusmodi vos imposturis alendi. Si quid in Græcorum, Auicennæ, vel aliorum eius farinæ scriptis hominum est fundamenti, defendite iam, & ad lucem producite. Si quid etiam vtile scriptum sit vnquam ex traditionibus vestris, & industria, proferte, videteque vos, qui Schvvollis & Monspessulum ex opposito constent.

Receptum fide dignum, & consolatione plenum ad omnia capitis vulnera, corporis, & membrorum omnium, ac similium, exceptis intestinorum vulneribus.

Ad omnia capitis vulnera.

℞. *Axungiæ, Butyri ana lib. j. Liquoris Parthenionis, Consolidæ aureæ, Consolidæ maioris ana vertonem. j. Serpentariæ, Plantaginis ana vertonem ß.* Omnia commixta simul veteri suo loco decoquito ad vnguenti vel butyri formam. Huic adde.

Visci, Lumbricorum ℥ 5. Medullæ bouis ℥ 3. Mumiæ nostratis ℥. 4. ceræ satis, ad vnguentum. In vnguenti formam reduc. Vestra voluite reuoluiteque recepta, videteque num illa simul omnia, hoc vnicum virtutib. æquare valeant. En pro vobis flocci vix facio vos.

Aliud.

℞. *Butyri crudi, Mumiæ Medullæ ana lib. v. Aristolochiæ rotundæ, Consolidæ aureæ ana ℥ v.* Simul permisce, donec liquores & butyrum vnũ fiant. En iterum, si quid valetis, huic audacter vnico, vestris omnibus receptis oculum eruite. Sed ne credatis me vos Helueticis tantum vnguentis expeditos velle, quę tamen in conflictibus exercituum, cuncta vestra pud efecerunt vnguenta, cum chirurgis vestris: hoc etiam perlegite.

Aliud.

℞. *mellis crudi lib. j. ß. Succi Parthenionis, Peruincæ, Pirolæ, singulorum vertonem j. ß.* inde mixturam facito.

Aliud.

℞. *mellis crudi lib. vi. Visci, Consolidæ maioris lib. ij. Croci Martis lib. ß.* & permisce. Si præscripta recepta præ manibus acciperetis, quod facile non feceritis scio, tum primum intelligeretis ab experientia, quam enormes errores in vestris receptis hactenus commissi ac dimissi fuerunt. Etsi fortassis illa minus digna vobis viderentur, quam, vt recipere velletis (quæ communis est vestræ farinę hominum conditio, quo meliora quæq; fuerint, vt eo minoris illa faciant) iam alia vobis proponam, quo sat sit, quod contemnatis.

Aliud.

℞. *Terebinthinæ, Olei lini ana lib. iij. Florum æris, Croci Martis, Salis fusi ana ℥ j. Liquoris Parthenionis ℥ iiij.* Coquantur in spissitudinem satis corpoream. Et quamuis ego receptum hoc non vocem balsamum, vt vestra conditio est, vestra quotquot habetis balsama colligite, quibus huic vni rursus oculum eruite, si quid potestis.

Aliud.

℞. *Terebinthinæ, Mellis cocti, Succi Parthenionis, Serpentariæ ana lib. j.* Coquantur simul in suam spissitudinem.

In his meis receptis quærite, si corpus vnicum vltramarinum inueniatis. Dico plus imposuisse vos hominibus, vestris illis Vltramarinis, quam probe cum eis egisse. Cæterum credite mihi fideliter asserenti, Græca & Arabica recepta regiones alias omnes perdite seducere.

Aliud receptum, in quo Mumia potentissime dominatur, ad omnium vulnerum curam.

Mumiæ dominiũ ad curã vulnerũ.

℞. *olei anetini, Lini, ana lib. j. Terebinthinæ lotæ, vertonem j. Carabis triti ℥. j. Colcotharis, Croci Martis, Florum æris ana ℥. ij.* fiat viscus.

Aliud simile.

℞. *olei ouorum ℥ x. Olei nucum lib. j. Olei lini ℥ ß. Carabis contusi ℥ ij.* Coquantur in viscum, & huic adde *visci Consolidæ maioris, Lumbricorum ana ℥ ß.*

Quid opus est, vt multa variaque recepta ponam, cum duo vel tria tantum ad omnia vulnerum genera sufficiant, ac mihi magis inscitię verti posset: nisi factum ea de causa, vt constaret hominibus, quam vilia recepta vestra, contemptuque digna sint, & quod minimum inter illa quæ posui, certo citius omnia, quæ scripsistis vnquam, excellat. Verum chirurgos inter varia capita, sensusque diuersi reperiuntur: vni illitus, huic vnguenta, potiones vulnerariæ tertio, quarto frixum, & quinto lixum arridet. Quapropter, vt omnium appetitui per me satisfiat, in similibus plura hæc notate recepta, quæ sequuntur in hunc modum.

Chirurgorũ dissensiones.

Potio quædam vulneraria, quæ sumentis mane vesperique haustum eius vnicum, vulnera quæque persanat intus & extra.

Potio vulneraria.

℞. *de cornibus cerui manipulos sex, Pirolæ, Consolidæ aureæ, Aristolochiæ, Parthenionis ana M. j. Agrimoniæ, manipulos duos.* pone simul omnia in vinum recens & permitte sic in fimo equinto digeri, & renouato, rursusque digeri sic tertio finito per mediam hyemem: ex vna sex mensuras hac ratione conficies.

Alia potio vulneraria priori similis.

℞. *ceruisiæ recens coctæ mensuras xx. Succi de cornibus cerui mensuram j.* & simul digerantur.

Alia.

℞. *siceræ mellis recens coctæ, mensuras xxx. Serpentinæ, Agrimoniæ ana manipulos iiij. Parthenionis manipulos vj.* &, vt supra digerantur.

Alia.

Alia.

Suprema potio vulneraria est, vt succum de cornibus cerui destilles, eiusque liquoris cochlear semis in potum administres, postea nihil amplius. Eo potu sanatur vulnus feliciter. Iam vide tu, quid potioris habeas: hoc adfer.

Emplastrum.

♃. *ceræ mellitæ lib. j. Visci prædicti vertonem j. Mumiæ ex cruribus ℥ iij. Pulueris Parthenionis, Chelidoniæ ana ℥ j. ß.* inde fiat emplastrum.

Alia.

♃. *ceræ mellitæ, Terebinthinæ, Visci præparati ana lib. j. Olei lini, lib. iij. Lythargyrij præparati, Calaminaris præparati ana lib. j.* Coquantur in emplastrum.

Pulueris ad vulnera compositio.

Vt his etiam pulueres addam, ob quos nonnulli sese iactabunde plurimum extollunt. ♃. *Croci Martis, Veneris atque Saturni ana ℥ ß. Mercurij dulcis drachmam semis*, inde fiat puluis.

Recepta varia cur ponat. Etsi minime necessarium, in vestræ tamen pompæ repressionem, operæpretium est, varia recepta ponere: cœruleum aut glaucum vnum, aliud viride, vnum ex lapidibus, aliud ex gummi vel corallis, tertium ex mastice, &c. Nec ea prætermittere volo, sed ex transmarinis etiam recepta ponere, quanquam ista centuplicato superentur ab aliis, quæ superius posui: nihilominus addita non alia de causa, quam, vt antiquorum error suis in receptis palam sit, vt infra.

Emplastrum cum vltromarinis ad omnia vulnera, nullo prorsus membro corporis excepto.

♃. *Olei oliuarum lib. j. Ceræ lib. j. ß. Lithargyrij lib. ij.* coquantur in cerotum, cui adde *Thuris, Masticis, Myrrhæ ana ℥ ij. ß.* Commisceantur, & adiice *minij ℥ iij.* pinse manib. extrahendo cum ℥. ß. *Camphoræ in oleo anetino, vel ex Verbasco.*

Aliud.

♃. *Oliuarum olei lib. j. Masticis, Thuris, Myrrhæ, Oppopanaci, Serapini, Storacis, Bdelij ana ℥ j.* Coquantur in formam. postmodum accipe *ceræ lib. j. Calaminæ præparati lib. ß.* coquantur in cerotum, & pinse cum camphora, prout supra.

Aliud.

♃. *ceræ nouæ lib. j. salis parthenionis, Mumiæ medullæ, ana ℥ iij.* liquefac igne. Iam inspice recepta scribentium veterum, & meæ conditionem scriptionis ex opposito, ambobus vtere modis, & antiquorum scribentium simplicitatem experieris.

Balsamum.

♃. *Oliuarum olei lib. ß. Olei de nucibus nostratibus lib. j. ß. Mumiæ de medullis ℥ 3. Mumiæ pinguedinis ℥. 9. Consolidæ aureæ, Florum centaureæ ana ℥ 15.* digerantur ad solem.

Balsami præstantia. Balsamum hoc altius & excellentius reperies, quam recepta quæuis hactenus scripta: reliquum hoc scite, si recepta componere vellem ex transmarinis è diuersis regionibus collectis, omnes sectas vestras confunderem, libros, pharmacopolas, atque thesauros vestros, quos ab Adami temporibus hactenus collegistis: eo vos redigerem, vt & canes vestri misereri cogerentur, quod hactenus tam egregia simplicia perperam in recepta compilastis: imo, vt muscæ vobis supersedere dedignarentur, nisi suum oletum emittendi causa. Verùm nisi tanta necessitas vrgeret, meque tam ardue sollicitéque ad hoc mouissetis: aliquoties velo paruulo dedecus hoc vestrum tegere voluissem, ne tantam in miseriam prorsum incidissetis, vt vestri tantum miserandum foret. Vt ad nos redeamus. Dico latius, supremum, in quo Mumiam pono maximam & potissimam, consistit in salibus, vt istis acredinem & asperitatem auferatis, & statim atq; dulcedinē receperunt, maxima supremaque Mumia facta sunt. Metalla similiter & Antimonium sine corrosiuis in liquorem adducta, mumias omnes excellunt. Item, vbi Tereniabin à spumis atque fecibus separantur, maiorem producere mumiam chaos minime potest istis, quæ dicta sunt. Et quicquid ex terra in purum viscum transit, hoc ipsum est mumia terræ. Item quum Nostoch in spiritum extra suum corpus educitur, ignis est mumia. Quapropter ad ista mumiæ quadruplicia genera, stolida capita primum acuite vestra: Beanicas illas veteres conditiones relinquite. Tum demum in Scholam vos conferte, quid transmutationes & præparationes existant, addiscite. Nam in istis omnis chirurgiæ supremi latet arcani fundamentum.

Medicorum reprehensio acris.

Mumia suprema præparatio.

Antimonium.

Tereniabin.

Mumia terræ.

Vulnerū coniunctio qui fiat. Declaratio vulnerum solum consistit in coniunctione suarum partium ad hunc modum, videlicet, vt membra simul coniungantur in pristinum statum, & per huiusmodi naturæ coniunctionis aptitudinem, venæ simul iterum è directo conueniant, nerui, ligamenta, ossa, carnes ac similia quæque: id ipsum per concauos asseres, quod quidem instrumentum coniuncta membra semel, suo dimoueri loco non sinit. Hoc te docet vsus cum industria cognoscere. Quapropter dicere quidem audeo, rusticos & quosuis plebeios negotium istud minime decere. Non est etiam, quod hoc loco, homini, vel arti suæ quisquam fidat, vt barbitonsores & balneatores solent, quorum pars maior huiusmodi caret industria, sed ineptitudine vulnera disslocant. Nequaquam etiam sarcienda sunt, quod vulnerum perditionis initium vnum existat futura. Quamobrem aptitudo summopere tibi quærenda est, ac appetenda vulnerum in coniunctione, vt ignorantia tua vulneratos non perdas.

Barbitonsorum stitia.

Vulnera non sarcienda.

Vulnerū præparatio. Præparatio vero vulnerum est, dum sanguis adhuc ab eis profluit, vt sistatur: post Mumia superponatur. Nec est, quod cures vtrum ossium fragmenta, vel similia manserint in illis, quæ ferramentis extrahere nullo modo tentes, quod ista pellendi purgandique munus Mumiæ relinquendum sit: hæc enim aptius, quam ferra, vel instrumenta quæuis euellere possint, expellit. Verum flauæ tuæ capsulæ hoc ipsum efficiunt, vt ferramentis fodere coactus sis, & instrumentis vulnera deprauare: superius tantummodo curare, fundo putrido per te relicto. Quamobrem ego, te merito per aliam viam ducere debeo, quam ea sit, qua graderis indies: ad hoc mouet me tui ruditas ingenij,

Ossium fragmēta non extrahenda.

ingenij, quæ balneatoribus ac tonsoribus adhæret. Isti sese tueri non alias norunt, quam eo solo, videlicet: *Magister ego Ioannes (inquit hic) vocor barbitonsor: ille magister Vlericus balneator.* Cura postmodum sequitur in hanc sententiam, vt medicamentum, quod vulneri superimponis, applicare probe notum habeas. Quod quidem experientia mumiæ conditionum acquiritur, vt in emplastris. Nonnulla manent ab exordio primæ ligationis ad finem vsque sanationis, vt vnico sub emplastro curetur vulnus. Talia sunt ex mumiis fixis emplastra, quæ tamen reuerberatæ mumiæ sunt, viginti quatuor horis duntaxat relinquuntur: & quæ sunt attractiuis commixtę, duodecim, & hoc omne cum permutatione. Sunt & aliæ Mumiæ quędam ex balsamali Mumia, quæ semel adligatæ vulneribus, per tres, vel quatuor septimanas, suas retinent vires. Pannis etiam mundissimis ligationes quum fiunt, quodque vulnus curari sanarique potest. Aliqui pulueres habentur, qui singulis octenis renouari volunt horis, quod ad superpositionem attinet. Similiter aliæ Mumiæ sunt, quarum superius multarum est facta mentio, quæ multo citius curant, quam futura fieri queat. Itidem nonnullę vulnerariæ potiones existunt, quarum haustus vnus in tertiam aut quartam septimanam operatur, donec sanetur vulnus, vti Mercurialis fert conditio. Mumiales huiuscemodi conditiones ex Mercurio possunt intelligi, qui postquam semel cœpit mundificare, per mensem integrum absque motu supplet. Ab experientia proprietates istas depromere debes, quod scriptis perfecte nequant exponi. Fundamentum namque medicinæ hoc est, vt operatio quæuis peculiariter vsu, tum experientia disci debeat. Ex Anatomia pariter quilibet Chirurgus aptus industriusque fieri, sic vt nullum in toto corpore membrum existat, quod non in mente fixum habeat, quo quum læsum aut sectum fuerit, connectere secundum eandem Anatomiam, per instrumentum concauum rite valeat. Alias quicunque chirurgus didicerit, aut rem ipsam intellexerit, medicus nulla ratione dici meretur, sed potius carnifex.

(In emplastris quę notanda. — Pannus. — Puluis. — Mumiarum citissima cura. — Potio. — Chirurgus debet esse Anatomus.)

COGNITIO FODICATIONVM
Aut Confossorum Vulnerum Iaculorum, Ictuum Casuum, Contusionum, &c.
CAPVT. IX.

Latius atque de vulnerum aliis generibus loquendum est, vti de fodicatis, iaculis, aut casibus factis, idque genus reliquis: quæ quidem ab aliis non alias differunt essentia, præter quod confossa, vel iaculis icta strictiore sint orificio, profundiusque venas & carnes aliis & sectis vulneribus intrent, quo fit, vt non ita commode curari valeant. Nam accidentis cuiusuis conditio talis est, vt circum se plurimis cauernis delectetur, & amplis. Quo fit, vt patentia magis compressis minore sollicitudine satis indigeant, & illis, quibus orificium strictius exstiterit. Et quanto supernis magis vulnus aliquod stringitur, tanto periculosius in fundo fuerit iudicandum. Quod cum fodicatis & iaculis inflictis euenire solet vulneribus, quum inflantur exterius, introque versum protendit accidens, ad eosdem lacertos atque venas. Quo fit, vt ad mortem apertis & patentibus proniora exterius sint. Animaduertendum etiam in similibus, ea quæ relicta sunt a fodicationibus, aut iaculorum ictibus ramenta extrahenda mox fore, priusquam tumores & accidentia veniant. Quod nisi fiat, ea procliuia magis ad mortem, quam ad vitam cognoscenda sint. Quare statim atque signis admodum apparentibus, tale quid ob oculos exstiterit, aut in dubio relinquenda sunt instrumenta ferrea, Mumiæque munus & officium extrahēdi committendum. Quod istorum cura quandam aliam aptitudinem habeat, idque ratione duplici: priore quidem, vt iuxta iaculum aliud vulnus incidatur, Mumia solum in attractionem permixta, manibus vero non extrahatur: quicquid enim hac via per medicinam extrahitur, vitæ nullatenus reluctari potest. Simile quid in contusionibus & casibus contingere solet, vt ibidem etiam alia studio vulnera fiant, vel arte, quo melius accidens in exitum prorumpere valeat, & introrsum ad vitam adimendam non protendatur latius: aut extrinsecus Mumia sedetur, & expellatur. Nam qualiscunque fuerit casus aut contusio quæuis, & quantumuis aspera durave, glauca vel nigra, per Mumiam à membro deletur sine incisione, vel saniei quapiam eiectione. Quandoquidem inflationes istæ corruptiones minime sunt, aut corruptæ naturæ, sed in bonis partibus tumores tantum. Quapropter ita præter amplius accidens abeunt. Si casum tamen, confossum ictum aut simile quid, ad internas regiones contingeret penetrare, vt venæ, vel quidpiam aliud ruptum foret, quo regionibus istis extranei quid accidisset: ibidem adhibenda summa cum diligentia tibi cura, simili pellendi modo, quo docebitur infra. Vbi vero ob ferrum alias reluctaretur aut hamos, exireque nollet, idipsum non retrograditur, at vltra protrudendum erit ad partes oppositas: aut alias putrefactione dilatandum orificium introitus, idque nisi vitæ præiudicium adferat: postmodum attractiua Mumia superposita, qua tumor sedatur, & aufertur accidens, attentari poterit, si cuspis alata ferreaq; retrocedere possit, eo quo subintrauit. Admonitū etiam te velim, ne quicquam ferramentis coneris agere, membrumq; labefactes, nisi fortassis extrahendum prope cutim accideret, aut esset in aliquo plano, in quo nullum foret periculum arripere: quamuis absq; Mumia raro fieri valeat. Similiter eiusdē attractiuę Mumiæ natura conditioneq; nonnunquam incussi corporibus tormentorum, vel bombardarum globuli remanentes, retrorsum attrahuntur, ni forte in alienam regionem deciderent. In quibus animaduertendum est, Mumiam in extraneis regionibus nō habere potestatem aliquam. Quapropter vbi globulus in corpus traiectus ad intestina, vel diaphragma subtus vel intus aduenerit, ab eis locis extrahi nullo modo potest. Itidem si fistulas intrarit, ac deorsum resederit, in aliam regionem transiuit. Et quamuis Mumia tam potens foret, vt globulos ad se trahere valeret, id fistulæ concauitas minime patitur. In istis igitur maxima cura diligentiaque videndum, quid & quinam agatur.

(Accidentium cōditio. — Vulnus angustū periculosum. — Relicta extrahenda. — Relicta quomodo extrahenda. — Ferramentis nihil tētandum. — Globuli tormentorum, qui per Mumiā extrahātur.)

DE PRÆDICTORVM CVRIS, ET EIS, quæ requiruntur in similibus.

CAPVT V.

Mumia attractiuis cibāda & qualibus.

ISTorum cura vulnerum processui communium haud absimilis existit, excepto solo, quod Mumia cibari debet attractiuis, & eiusmodi quidem, quæ non attrahunt humores ad se, neque liquores aut similia: sed quæ metalla solum, aut lignum, os &c. trahunt. Nam si cōmunia huncin vsum attractiua sumantur, fluxiones accurrunt. Quamuis accidere plerumque solet, vt globulus aut ferrum in lacertis post curam perfectam remaneat, id caussante bona Mumia, quæ in accidens nullum decidit, aut irrita vehementer non fuit. Inde post multos annos & successu temporis per pus & saniem erumpit, exciditque: hoc naturæ tantum est relinquendum, & nullatenus assumendum. Quod enim à natura curatur, quis emendabit, aut auferet ab ea potestatem?

Attractiua panni & liquorum &c. Attractiua nō separanda.

Attractiua quædam habentur, quæ lignorum aut pannorum fragmenta trahunt ad se, prout *Asphaltum & Carabe*: Nonnulla ferrum, vt *Magnes*: alia cuprum, vt *stannum, & amethisti coloratiores*: pleraque plumbum & lapides, vt *Alabastrum*: aliqua frustula carnium ossiumque, vt *gummi, therebinthina, & asphaltum*: quædam alia sunt omnium attractiua, vt *serpentina*. Horū omnium vires attractiuæ cum exsistant, à chirurgo separari non debent. Nam in operationibus naturæ, postquam vulneri superposita sunt, omnia simul attrahunt, vt quod extra per se, stramina lignave trahit, in vulneribus ferrum, plumbum, lapides attrahat, ossaque: contra quod ferrum duntaxat in vulneribus omnia, quæ soluta sunt in eis, ab ipsis extrahit. Nō igitur externas, at potius internas vires atque virtutes chirurgus aspicere, considerareque debet.

Quanquam hæc omnia tibi proponuntur, sinindastria, niholominus multa sita sunt ad cognitionem, vt cum globulus in caput sagittatus foret, ac sub cranium decideret, in regiones oculorum, aut quoquo sit, Mumiam eo loco scias applicare. Vel si quouis alio corporis loco iaculatio, vel fodicatio fieret, prout indies mirabiliter occurrunt, aptitudine sola hoc ipsū diiudicare debes ex supra posito fundamento. Verum quod naturali cursui reluctari volet, non attentes.

Naturæ non obuiandū.

Recepta.

Receptorum compositiones emplastris fieri debent, vt cum in fodicatis aut iaculis factis vulneribus aliquid liberi vel soluti foret extrahendum: ad emplastrorum supra scriptorum libram vnam, attractiuorum, quæ iam dicta sunt, pars octaua sumatur, mixtorum simul, aut vnius tantum. Item viscus de botin, abietis, vel de pino attractiuorum istorum loco sumi posse notandum: qui viscus ex locustis & fructibus extrahitur ad spissitudinem & formam terebinthinæ.

DE FVNDAMENTO QVODAM SYNONIæ, sanguinisque profluentium.

CAPVT VI.

Synonia quid.

VT supra de Synonia dictum est, quod intelligatur, quum ab orificiis vulnerum, iaculationum, aut fodicationum effluit: ille dolor, quem efficit hic fluxus, è frigore nascitur exterioris aeris, qui Synoniæ substantiam penetrat: ista contrarietas alterius elementi (vt supra) hoc loco plurimum etiam aduersatur, pariter vbi per medicamentum alteratur. Quapropter adhibenda cura, ne medicamenta Synoniæ sint amica, vel ad eam inclinata. Nam statim atque vulnus aliquod sub medicamento prauius redditur, & Synonia sequitur, infectioni venenoque medicamenti fuerit adscribendum, quod contra naturę verum ordinem applicatum sit. Quare merito huiusmodi præcepta reiicio, quæ similibus nempe contrariantibus permixta sunt, & falso pervulneratorum inobedientiam a chirurgis hactenus excusata, vel per signa contraria, similiaque defensa.

Contrarietas in Synonia duplici via demonstratur.

Eiusmodi contrarietas in Synonia, quæ ex aere vel ex medicamento prouenire potest, via duplici demonstratur, & apparet: priore quidē, cum Synonia resoluitur per aerem, & a sua substantia transmutatur: aut vbi nimium aere vel ipso medicamento siccatur, vt ea etiam via mutetur a substantia, non secus ac oleum tartari, quod in humiditate seipsum plus satis resoluit, ac oleitatem amittit, pariter ex vase, cui fuerit impositum: aut vtriusque causa fieri potest, vt exsiccetur atque durescat. Sciendum vtique hoc loco, exteriores cursus partim extrinsecus humectare, quandoque vero siccare, iuxta naturæ conditionem tum temporis ibidem existentem, & partis alterius. Quocunque modo fiat, est substantiæ corruptio, quam eo loci natura pati minime potest, ac sensualitate sua tam acuta, quam gustu linguæ percipitur.

Sanguis ebulliens sisti nequit.

Sanguinis tamen occasio talis est, vt quum in ebullitione fuerit, eum sistere nemo potest, si per apertionem factam effluat. Totius enim corporis partium omnium conditio talis est, vt paroxysmum ebullitionis habeat. Quo fit, vt cum sub huiusmodi paroxysmo naturæ contrarii quid acciderit, eo loco in quo fuerit paroxysmus, maximus oriatur morbus. Quapropter, vbi vulnus iaculationis aut fodicationis in venas aut membrum ebullitionis eiusmodi subiectum illatum erit, sanguis ibidem sisti nequit, vsque dum ebullitionis terminus fuerit adimpletus, etsi longe a fine, vel prope tentatū sit, periculosum vulnus, aut non exstiterit, &c. Si tamen eiusmodi paroxysmus nullus adsit, opus non est sistere sanguinem, aut retinere, quod per seipsum, vbi tempus adfuerit, cesset fluere. Verum si nimium abundaret, aut diutius æquo flueret, vel occurreret aliud, cuiuscausa plus satis effunderetur, tum demum sanguinis retentiones locum, & suas vires habent. Ad hæc non ignorandum sæpius fieri phlebotomiam, quæ in mortem effluit, quandoque retrorsum in corpus effunditur, nonnunquam contractum cum tumore membrū efficit, atque dolore maximo, Hoc ipsum accidit ex imperitia phlebotomiæ, quod sanguinis ebullitionis tempore facta sit. Quamobrem expeditius est, in suo cursu considerare sanguinem, quam cœruleum cœlum in suis temporibus.

Sanguis quando sistendus. Phlebotomiæ imperitia.

In exemplum adferemus ollam aqua bulliente plenam & coopertam, si cooperculum eius foramen aliquod habuerit, eo quidem

efferuet,

efferuet, ac tantisper effluit, quousque nihil adsit amplius aquæ liquorisve. Non alias in corpore quum ebullitio fuerit, ad vulneris orificiū efferuet, vsque dum sanguinis, quid in ebullitionis loco sit, æque late, ac extenditur. Quod si vi reprimatur, aer in modum incendit, inficitque, vt retrorsum actus in corpus, iterum quærat exitum: vt olla prius dicta, si cooperculi foramen obstruatur, in partes & fragmenta rumpitur ac dissilit. Animaduertendum igitur ne furens iste sanguis, quoquo modo sistendus assumatur at solum ad hoc apto medicamento & exterius applicato sedari potest illa bullitio, non secus ac olla bullientem aquam habens, aquæ frigidæ quum imponitur, ab ebullitione prohibetur. Ex sāguinis ineptis repressionibus error sequitur, vt similia medicamenta *sanguinis retentiua* dicta sint hactenus, quæ vulneratos perdiderunt funditus. Ea propter sistendi, vel exstinguendi rationē habere chirurgum decet.

Sanguis ebulliēs nullo modo sistendus.

DE CVRA SYNONIÆ, AC EFFLVXIOnis sanguinis e vulneribus.

CAPVT VII.

AD Synoniæ curam balsami prius dicti medicamentum, aut aliud assumendum est, iucad libram, vnciæ duodecim testaculi, & tosti commiscendę: quod vulneribus applicatum, Synoniam ex promtu sistit. Notandum etiam quoduis antea positorum vulneralium medicamentorum ad Synoniam validum ac potens fore: similiter accidens istud ex imperitia chirurgorum procedere. Quare quum vero medicamento quis vsus fuerit, Synonia reprimetur, quæ non alio quam ab inexperto chirurgo ducit originem: non immerito suam igitur inscitiam carpo.

Synoniæ repressio.

Synonia ab inexperto medico.

Quod ad sanguinis repressionem attinet, dum ebullit, administrandus est potu laudani puri præparati scrupulus vnus: eo quidem exstinguitur ebullitio & sanguis vna reprimitur. Aut præparati seminis de lolio albo vncia semis cum lacte canabis detur potanda. Similiter pannis corticum Iusquiami decoctione madidis membro superpositis extinguitur ebullitio hæc. Nullo modo repressionibus in huiusmodi sanguinis fluxionibus vtendum. Quod vero fluxionis alterius est, carneoli viribus, hæmatitis, vsneæ, & plurium aliorum committo, quæ communia sunt, quapropter hic minime ponenda.

DE CRVRVM OSSIVMVE RVPTVrarum origine.

CAPVT VIII.

VT fracturarū ossium fundamentum probe cognitum sit, animaduertendum est naturæ nihil accidere posse, quod sibi contrarium sit extra damnum ossium. Nam os tantum frangitur absque neruorum, carnis, & reliquorum præiudicio: quæ conditio naturaque rupturæ cuiusuis ossium existit, vt illi nullum a primo casu latius accidens interueniat aliud, quam in se ruptura fuerit: cuius cura maximopere notāda venit, quod in eius defectu quæuis accidentia sita sunt, vt calores, frigora, tumores, cruditates, pustulæ, nigri glaucive colores, insensibilitas, putrefactiones, fistulæ concauitates, incendia, &c. Quæ quidem ex primo casu non procedūt, sed ex accidētibus, incuria vel imperitia chirurgi caussatis in huiusmodi mēbro.

Accidentia fracturarum ossium.

Fracturarum ossium conditioni simile ponemus exemplum hoc. Non alias intelligendæ, quam vbi quis accinctus gladio super hunc decidens, illæsa vagina frangatur ensis: hoc loco de osse pariter intelligendum, ad pellem & carnes comparando, prout vaginæ gladius, cui solum adhibendum est remedium: sic & ossi rupto, non pelli vel carni quidem integris. Nec est, quod in his admiretur quispiam, quod accidentia casusque mirabiliter accidant, vt a tonitru nonnunquam arbor deiicitur integro cortice manente. Item sæpius frangitur os, medullis penitus illæsis. Pariformiter equus pedem casu perfringit, absque alio quouis accidente neruorum, alteriusve damno. Chirurgo notandum est igitur, in qualibet ossium fractura, dolorem omnem casu prouenientem, in ruptura quærendum. Fistularum siquidem & fragmentornm earum conditio talis existit, vt huiusmodi quosuis dolores ad se trahant. Quapropter in rupturis ossium accidentia minime curanda calorum, frigorum, nec alia: medicamenta non consideranda sicca nec humida: nam inter curas omnes rupturæ similes facillimæ sunt, ac minus curandæ. Quod natura per seipsam ordinem seruet huius, cumque eius in medio damnum situm sit, cui nihil accidit mali: quo fit, vt liquores illi membrum sustentantes, ossis ipsimet existant medici: hoc ad hunc modum intelliges. Ossi fracto nihil accidere periculi potest, ac curari sanarique necessario debet a Mumia corporis, in carne, ligamentis, medullis, &c. existente, cuius in medio situm os, & circumseptum est, a quibus omnibus etiam persanatur: quandoquidem apertum nil, per quod externis accidentibus pateret accessus. Quapropter apte riteque ligare, naturæque sua requies data, certissimum in istis medicamentum sunt, & indubia cura.

Dolor fracti ossis in ruptura quærendus.

Accidētia rupturarum ossium non consideranda.

Si tamen ad rupturas accedāt vulnera, per quæ fragmenta quæpiam apparerēt ossium a fistulis soluta vel disiūncta, per vulneralia medicamēta superius dicta, fac, vt extrahas, & nullo modo per ferramenta, vel alia quæuis instrumenta fodiendo coneris extrahere: nam vera Mumia, potest quicquid est naturæ contrarium elicere, tum quæ semifissuræ sunt, natura per se curat. Hac te cura non obruas, nec oneres, quod multi perdantur ad hūc modum chirurgorum imperita sapientia, retardenturque naturales vires, eo quod variis vti subtilitatibus artibusque velint, & naturam suis insanis capitibus, quam per seipsam exsistat, reddere meliorem: quo nedum sanitatem, sed membrum etiam & vitam auferunt. Notandum insuper plurimos iactabundos & gloriosos, breui tempore fracturas, herbis aut radicibus curare posse, capitibus suis persuadere subtilibus, quod omne ridiculum, vt ludus puerorum est. Membrum siquidem, vbi recte probeque rursus coniunctū, suis aptis ad hoc instrumentis fuerit, ac in tēperatura sua conseruatū, per Mumiā propriā citius multo curatur, quā herbis omnibus fieri queat.

Ruptura ossis cū vulnere quomodo curanda.

DE CVRA FRACTVRARVM OSSIVM.

CAPVT IX.

PRincipio fracturas ossium vt cures, animaduerte, concauis vt instrumentis membra conclu-

Fracturarū ossiū cura.

concludens erigas, vt supra de vulneribus diximus, vtque ab anteriore posterioreque partibus & quaqua versum libere possis accedere tangereque. Postmodum vulneralibus ligato medicamentis:& si promptus in eorum vsu fueris, hoc scito, quemlibet nempe viscum nigræ consolidæ, serpentinæ, & Aristolochiæ rotundæ rupturas optime curare, mane vesperique superligatum, non vsque adeo stricte, singulis vicibus iterum apertis ligaculis, recentem & calidum appositum. Nam alia sane medicamenta, quæ per sparadrap, fotularia ligacula, vel aliis pannis fiunt, mere futilia sunt, & membri magis ad perditionem, quam subleuationem facientia. Quod vero si curetur sub istis ligationibus, laudet æger propriam naturam, & sanam, quæ veneno sui medici resistere valuit. Sic etiam ligationibus tertio quouis die tantum factis, item suffultionibus, compressionibus nimiis, ac similibus vanis operationibus accidentium excitantur centenaria. Verum etsi vulnera forent, e quibus ossa prominerent, erige prout supra dictum est, ac ad modum vulnerum cura.

Sparadrap.

DE DISLOCATIONE IVNCTVrarum.

CAPVT X.

Dolor disiunctarum iuncturarū vnde.

DOlor, qui dislocatis iuncturis inest, non aliunde prouenit, quam ex liquore, qui extra suam Anatomiam excessit, & ex acetositate hac membri dolores oriuntur. Nam liquores iuncturarum vbi corrumpuntur, in incendium transeunt. Pariter Anatomia corporis pati minime potest, absque dolore, membrorum dislocationes, aut læsiones fieri, quod in sua sanitate rectam dispositionem capiat: eiusque natura talis est, vt prout concatenata, neruis, arteriis, venis, &c. iuxta hunc ordinem fore manereque velit, ac debet, a quo si perturbetur, dolorem concipit illi similem, qui fit ex vulnere, fodicatione, vel ruptura, &c. Quare iuncturarum dolores optime considerandæ sunt, quod nonnullæ proueniant ex acetositate, sicuti prius dictum est: aliquæ ex dislocationibus Anatomiæ: quædam ex veteri crescentia: reliquæ ex Synoniæ corruptione. Ex quibus omnibus tumores membrorum oriri possunt, ariduræ postmodum & contracturæ, &c. tum etiam internum accidens ex Anatomiæ corruptione. Considerandum etiam in istis, iuncturas peculiariter viribus esse dotatas magis, quam fistulæ, carnes, aut venæ sint, maximasque vires hominis, in veteri crescentia, neruis, & arteriis existere. Quare dolor maximus oritur, in huiusmodi iuncturis, præsertim vbi Synonia neruique simul concurrunt, in quibus vires omnes consistunt. Spasmi similiumque morborum occasio est, fluxus mineralis ex arsenico, natura cuius & conditio est excitare tumores & calores: in istis etiam suas vires exercet.

Iuncturarū dolores varij & vnde.

Iuncturarū peculiares vires.

Dolor maximus.

Spasmus vnde.

Nota.

Particularia quædam ad curas istas necessaria primo scire vos decet, vt in dislocatis huiusmodi iuncturis, istas non fore prius medicandas, quam suis restitutæ locis fuerint, eoque redierint, vnde exiuerant: quod quidem scriptu possibile non est, hoc solum scribi potest, quod sequitur.

Quicunque iuncturas optime suo restituere loco scire cupit, a carnificibus id ipsum addiscat: etsi tormentaria membrorum distractio per carnifices & iuncturarum dislocatio differant, eo, quod illud tardius fiat, istud vero momentanee.

Sæpius euenire solet, vt per tormentarias istas iuncturarum dislocationes, podagrici fluxus adimantur, & aliquando brachiorum contracturæ. Scito quoque iuncturarum suo loco restitutiones manu solum & oculis addisci posse, quod in vsu maximo, & in promptitudine consistant.

Iuncturarum dislocationes quomodo restituendæ.

Contingit etiam sæpe, dislocationes ab imperitis chirurgis deprauatas, per se ipsas ita sanari, vt concrescant, & a patientibus non existimentur amplius. Item, vt liquores illi cessent, ac ita postmodum in suum locum redeant.

Item sæpius euenire solet, vt iuncturis non dislocatis, vetus crescentia, neruique similes dolores concipiant, vt e suo loco fore putentur: & vt Synonia quandoque discedat, & membrum contractum fiat, non alias, ac si dislocatum esset. Est igitur, quod chirurgus hæc signa probe cognoscat, ne quando iuncturas præsumat restituere, quæ minime dislocatę sunt, & hac via dislocet eas, quod sæpe contingit, vt posteriora peiora fiant prioribus.

DE CVRA DISLOCATIONVM.

CAPVT XI.

SVo primum loco membrum dislocatum restituito, post camomillæ succo, vel agrimoniæ ligato. Si tamen infrigidata iunctura sit, oleo ex floribus herbæ flammæ cœli dictæ, mixtæ cum petroleo, cumque maturuerit, in locum restitue. Animaduertas etiam, ne facile terrearis reponendū inter, aut extrahendū: nam sæpe contingere solet, vt dolores huiuscemodi non transeant absque punctionibus, quod iunctura contra sit. Quæ vero subductæ sunt, curantur taxo laterino. Et si dislocatæ non fuerint, visco de consolida sedabis dolorem atque morbum.

Dislocationum cura.

DE HIS QVÆ VVLNERIBVS *contingere possunt accidentibus.*

CAPVT XII.

ACcidentium origo, contrarietatis & irritationis vulnerum, qua mumiam superant ac vincunt, & accedens malitia, naturę bonitatem expellit, ab externa essentia est: quod ad hunc modum intelliges. Duo contraria non possunt in vno consistere, quare semper vnum ab altero diuisum esse debet. In exemplum: Quicquid extra sphæram est ignis elementi, reluctatur intrinseco: tum quod in ea conclusum est intus, mundusque peculiaris existit, contra nititur externo resistere: quod quidem homo facit, cum sphæra minor existat. Et non secus ac elementa simul in vno cortice sunt conclusa, pariter & homo. Si cortex elementalis, aut eorum testa frangeretur, contrarium intraret ad eorum corruptionem. Similiter vbi hominis testa, pellis eius nempe, vulnere frangitur, externum accidens exterioris sphære, iam in illum introducit accidens, quod non vulneris loco habendum est, sed, vt infirmitas & morbus.

Contraria duo in vno esse nequeunt.

Quinam

Quinam huiusmodi contrarietas accidat corpori, sic intelliges. Externa mineralia cum internis minime conueniunt, quo fit, vt Mercurius externus internum arripiat, & realgar internum externo resistat, & anachtron ambo sibi mutuo contraria sint. Hoc omne producit impressio recedens ab elementis, quæ suam operationem perficere nullo modo potuisset, nisi corpus fuisset apertum: iam vnum cum altero pugnat, &c. Statim atque ligamina mineralibus istis infecta sunt, sequitur inde spasmus, tetanus, incuruatio, & synthena. Quum tamen ipsa caro fuerit ab externis infecta, sequetur tumor & inflatio, similiter oppilatio, calor, & stupefactio. Sic de cæteris partibus corporis, quæque iuxta suam essentiam, peculiare suum accidens ex infectis venis recipit: vnde membro punctiones intrinsecus, & postmodum apostema sequuntur, & alia quam plurima.

Accidentia vulnerum vnde.

Notandum igitur, accidens omne solum ex contrarietatibus duarum creaturarum procedere, quum Anatomiæ duæ simul concurrunt, & vnam altera concludit. His omnibus chirurgus præuenire debet, eo scilicet, vt naturam in Mumia sua conseruet per temperaturam: sic fiet, vt nihil horum incurrat. Si tamen id ab ipso, vel alio prius neglectum fuerit, accidens quoduis in sui membri temperaturam adduci debet. Vt si veniant synthenæ, ligamenta solum & arteriæ curanda sumantur: si ex inflatione periculi quid instet, vt partes carneæ tantum, sic de reliquis membris. Ex istorum namque neglectu, quinquaginta vel sexaginta plus minus accidētia possunt erumpere, semper vnum ex alio succedere. Vt inflatio, viginti potest accidētia producere, totidē & spasmus. Quapropter in vanum ambas hoc libello non est, quod putetur Anatomias ob oculos posuisse me, quæ per vnius testæ fractionem sese mutuo contingunt.

Accidēs omne ex cōtrarietatibus.

Ad hæc modo sequitur, qua via similia refelli queant accidentia, non solum ea, quæ sunt præ manibus, verum etiam illa, quæ ex eis oriri possent, vt ventris oppilatio, nec non vrinæ, Chronicus morbus, vt Hemoptoica, morbus caducus, paralysis, cœcitas visus, ac aliæ similes infirmitates, quæ gignuntur ex prædictis accidentibus. Omnes concludi sub eo medicamento necessum est, vt Anatomiæ separentur, & interna superet ac vincat externam, ordine, qui sequitur, & regulis vna post aliam infra positis.

Accidētia quomodo queant refelli.

Accidentia per imperitiam chirurgorum occurrentia plus minus sex & viginti reperiuntur. Vt sunt, *vulnerum paroxysmus, ardor, stupefactio, tumor vel saccus, vermes, putredo, foraminatio, fœtor, ignis persicus, vel pruina, cancer, consumptio membri, vel aridura, tremor, contractura, contractio, contorsio spasmus, tetanus, fistula, gluten album, vel Synonia, sanguinis eruptio, caro putrida, tubercula, verrucæ, fungus, fistula pustulosa, oppilatio, Hæmoptoica,* &c. quæ omnia proueniunt ex incuria chirurgorum, vel imperitia: hoc loco solum adscripta, vt cum vel priusquam acciderint, eis præueniatur, aut præsentia iam amoueri queant, non quod natura per seipsam huiusmodi morborum sit causa.

Accidētia ex imperitia chirurgorū.

Definitiones accidentium.

1. Vulnerum Paroxysmus est, cum primo calescunt admodum, inde post in frigus incidunt, febrium instar, & hoc alternis diebus vel horis. *Paroxysmus quid.*

2. Ardor eorum est, vbi calor oritur in vulnere, qui per totum corpus extenditur: postmodum cessat, ac determinato suo tempore deinceps redit, estque præter omne frigus. *Ardor.*

3. Stupefactio dicitur, quando vulnus dormire videtur, ac si formicæ discurrerent in eo. *Stupefactio.*

4. Tumor vel saccus est, quando vulnus cum calore tumefit, & vbi digito huiusmodi tumor comprimitur, fossam admittit remanentem, vt hernia aquosa. Tumores alij vero non sunt accidentia. *Tumor.*

5. Vermes dicuntur, cum in vulnere nascuntur vermes incuria chirurgi, vel imperitia qui tale medicamentum adhibet, vt simul vna cum vulnere putrescat, indeque vermes generentur. *Vermes.*

6. Putrescentia dicitur, vbi vulnus putrefit, & curam non admittit amplius. *Putrescentia.*

7. Foraminatio quidem est, cum vulnus æquo serius curatur, aut retardatur a sanatione, fluxus introducitur, inde foramen vnum fit. *Foraminatio.*

8. Fœtor est, quum vulnus siue sanetur, aut non fœtorem concipit, indicium est praui medicamenti, calidæque naturæ. *Fœtor.*

9. Ignis Persicus, vel pruina dicitur, vbi vulnus sub finem calore tumesceret, glaucum & fuscum, postea nigrum, colores conciperet: postremo hoc membrum incenderetur. *Ignis Persicus.*

10. Cancer est, quando vulnera calorem concipiunt, & cum eo simul fluxum, qui iuxta vulnus foramina produceret, ac circum illud exederet. *Cancer.*

11. Consumptio membri, vel aridura dicitur, quum vulnera perperam curata sunt, vt liquores per suos meatus transire nequeant, eos tunc absumit natura, quo fit, vt arescant membra. *Consumptio*

12. Tremor est, vbi membrum vna cum vulnere tremit, etiam post sanationem quiescere nunquam potest. *Tremor.*

13. Contractura dicitur, quoties membrum impotens factum est, ac debilius, quam, vt aliquid eleuare, vel tenere valeat. *Contractura.*

14. Contractio dicitur, quoties membrum erectum aut curuum remanet, vt incuruari, vel erigi non possit amplius, iuxta sui veram conditionem. *Contractio.*

15. Contorsio dicitur, quando membra simul in ipsis neruis cum tremore contorquentur, & incuruantur: item os & oculi deformiter inuertuntur, atque torquentur. *Cōtorsio*

16. 17. Spasmus & Tetanus duæ conuulsiones vulnerum existunt, & quandoque membrorum simul. *Spasmus*

18. Fistula dicitur, vbi vulnus concluditur superius, excepro foramine paruo, sed inferius omnino prauum existit. *Fistulæ.*

19. Gluten album, aut Synonia dicitur, quando clarum neruorum effluit, viscosum, vt concussum albumen oui. *Gluten.*

20. Sanguinis emissio dicitur, quum vulnera sub medicamento vice qualibet emittunt sanguinem, & nonnihil sudoris. *Sang. emissio.*

21. Caro superflua dicitur, ea quæ crescit in vulneribus præter necessitatem putrida. *Caro superflua.*

Verrucæ. 22. Tubercula vel verrucæ dicuntur, quoties in vulneribus illa copiose nascuntur, istis etiam vna cum illis sanationem admittentibus.

Fungus. 23. Fungus dicitur, quum post vulneris sanationē enascuntur verrucæ quædā, & ex eis deinceps tumor in quantitatem duarum, trium aut quatuor librarū excrescens, ac adhærēs nō secus ac arbori fungus: fœtet, ac foraminibus scatet.

Fistula. 24. Fistula pustulosa dicitur ac fit, vbi vulnus repente nimiū cōcluditur, priusquā fundamentum firmū posuerit, & ita postmodū putrescit.

Oppilatio. 25. Oppilatio quidem fit ex debilitate naturæ propter nimiam sanguinis emissionem, vt æger ventris beneficiū habere non possit, nec vrinæ.

Hæmoptoica. 26. Hæmoptoica sanguinisque sputatio procedit ex sanguine congelato, qui retentus fuisset intrinsecus, & ab exordio purgatus non foret: ex ore suum emunctorium quærit.

DE CAVTIONIBVS, AVT PRÆVENTIONIBUS *& curis dictorum accidentium.*

CAPVT XIII.

Si vulneribus Paroxysmus, Ardor, aut Stupefactio fortassis incidissent, cura talis esto.

Cura Paroxysmi, &c. ℞. *Calaminaris, Lithargyrii, Minii, ana lib.* ß. *Tutiæ* ℥ *ij. Ceræ, Olei mirtillorum ana* ℥ *ix.* Cocta simul in cerotum omnia, superpositaque, &c. Similiter oleum camphoræ vulneribus illitum mox adimit. Et vncia ß. Mithridaticæ conseruæ pota hoc ipsum efficit.

Pro tumoribus.

℞. *Nasturcii aquatici, Nenupharis, ana* quod sufficere videbitur, & coque simul in aceto rosaceo, calida superpone.

Aliud remedium.

Accipe de furnis argillam adustam, & in aceto coctam, etiam superpone.

Aliud.

Accipe melones, quos in aceto coctos etiam superpone. Ictis spongia hoc modo cocta, superpositaque id ipsum præstat.

Ad vermes, putrescentiam, foraminationem, & fœtorem.

℞. *Mellis, lib.* ß. *Aleopatici* ℥ *j. Succi chelidoniæ* ℥ *vj. Salis communis* ℥ ß Omnibus mixtis & calidis lauentur: hæc lotura vermes ac alia quæ supra dicta sunt accidentia pellit.

Aliud remedium.

℞. *consolidæ aureæ, consolidæ rubeæ, ana manipulum vnum. Mellis cocti despumati lib. ij. Salis gemmæ* ℥ ij. *Vini lib. j.* ß. simul in loturam coquantur, eaque lauentur.

Ad ignem Persicum, & cancrum.

℞. *vitrioli* ℥ *j. amborum gummi minorum ana* ℥ *ij. Ocræ* ℥ ß. *Vini & aceti ana lib. j.* cocta calidaque superligentur.

Aliud.

℞. *Lithargyrii lib. j. Aluminis lib.* ß. *Salis* ℥ *ij. Thuris* ℥ *iiij. Gummi Romani* ℥ *v. Vini, aquæ & aceti ana lib. j.* Coquantur ad quartam horæ partem, & calida superponito. Item sanguis destillatus & superpositus aufert accidētia dicta.

Ad membrorum consumptionem, vel ariduram, tremorem, contracturam, & contractionem.

Ariduræ, &c. ℞. *Galbani lib. j. Terebinthinæ lib. iij. Olei laurini, Olei oliuarum ana* ℥ *iij.* fiat oleum quo mane vesperique poteris vti.

Aliud.

℞. *vulpis adipis, & Taxi ana lib.* ß. *Mumiæ de medullis* ℥ *iij.* fiat vnguentum, quo mane & vesperi dāna hæc inungantur, & illis medetur optime.

Ad contorsionem, Spasmum, & Tetanum.

℞. *Sandali maris* ℥ *j. Amygdalarum leporum,* ℥ ß. *Fiat puluis, de quo detis* ʒ *j cum aqua Basiliconis potanda.* Si post primum haustum redire vellent, adhibe secundum. Ad collum suspendes ægro, & in manum dabis, donec optime caleat. Spasmi.

Ad fistulas.

℞. *emplastri de Mumia* ℥ *ij. Visci de botin* ℥ ß. *Cōsolidæ rubeæ liquorum drachmam j.* Fiat emplastrū, quod superpositū immotū ad sex dies maneat. Postmodum innouabis, & æque diu relinques. Fistularum.

Aliud.

℞. *Aquæ Galitheni,* ℥ *iiij. Olei vitellorum ouorū* ℥ *j. Mumiæ liquorum,* ℥ *vj.* fiat oleum quo madidi panni superponantur.

Ad gluten album, vel synoniam, sanguinis emissionem, & carnem superfluam.

℞. *Ceroti de Mumia,* ℥ *iiij. Olei de spica, drachmā vnam, Testiculi, Tosti, ana drachmas iij.* Ex omnibus fiat emplastrum. Synoniæ

Ad Tubercula, Verrucas, &c.

Accipe *oleum ardens,* quo locum singulis diebus quater inunge: hoc aufert omnia quæque similia nascuntur in vulneribus. Verrucarum.

Ad fungum.

Accipe *Filum arsenicale,* quo fungum abscindes. Postmodum siste sanguinem, & oleo ardente perunge. Consumentur hoc oleo verrucæ, fungique omnes ac rami vel radices, e quibus nascuntur. Et post consumptionem cura sanaque poros emplastro de Mumia. Verum vbi sanguis nimium abunde proflueret, laxa venam retro fungum, & refrigera prout supra de sanguinis repressione dictum. Fungi.

Ad pustulosam fistulam.

℞. *liquorum carabis, Aspalti, Armoniaci ana* ℥ ß *Ceroti de Mumia* ℥ *iij.* Misce simul in emplastrū, & applicato. Si valde putridum inferius fuerit vulnus, aperi facque latius orificium eius, at vbi non, a fundamento sanatur optime. Fistulæ.

Ad oppilationem.

Quilibet vulneratus & oppilatus Serapino purgari debet, aut per Mumiam vltramarinam iuxta suum pondus in potionibus vulnerariis administratum. Et vltra dictarū potionum vsum per se, cessandum non est a dictis purgationibus. Nā istæ longe præstantiores existunt omnibus laxatiuis, eo quod absque damno transeant. Oppilationis.

Ad sputationem sanguinis, quam Hæmoptoicam vocant.

℞. *Reubarbari, Liquorū de lacca, ana* ℥ *j. Mumiæ* ℥ *ij.* Huius drachmam j. administrabis potu, quādiu sanguinē exspuerit. Et si forte superari nollet, addes Mumiæ syluestris tertiam partem, & eius tum drachmam semis tantum administrabis. Hemoptoicæ.

Et quamuis occurrant accidentia longe plura his, quæ dicta sunt, indies & noua. Singula scribere foret impossibile. Quapropter ex prædictis, quod fore commodum, & vtile per experientiam & industriam tuo putabis vsui, selige.

Est quod etiam plura fore scias recepta, quæ cuique scriptu necessaria forent accidenti. Verū quod fundamentum eorum antea demonstratum sit: si forte quid communioribus chirurgis grauius, quam intellgere valeant, erit, aut videbitur: in exemplū assumant a fabro recens artē addiscēte, qui singulos ictus peculiariter discere, quodlibet

quodlibet ferrum & carbonum species omnes cognoscere cogitur: quo fit, vt peregrinari, seque ad eos, qui norunt, conferre debeat. Itidem Chirurge tu putato, non dormiendũ inter hęc tam ardua opera labore sine tibi, tum præter visum acquirenda, vt hactenus communioribus mos fuit chirurgis, qui crediderunt, puluinaribus insidendo, mollioribusque decumbendo suis speculationibus omnia perscrutari se posse. At ego certo vobis assero, licet in diem vsque Iudicij speculemini, si non videndo & exercendo sedulo didiceritis omnes, vestrum nemo pendet obulum, nec valet.

DE MORBORVM ORIGINE VVLNERA *subsequentium.*

CAPVT XIV.

IN his animaduertito, sæpius contingere, vt in deprauata vulnera contra naturæ cursum tam inscite curata, mors dominium acquirat, per insitos mortales in corpora & morbos: vt in capitis vulneribus, aut cum venæ capitales aliis aperiuntur membris. Euenire sæpe solet etiam, vti mineralis Anatomia docet, ex huiusmodi vulneribus morbum lethargicum succedere, caducum, phrenesim, atque maniam, nec non accidentia plurima contra visum, & auditum, item vertiginem, linguæ gustus amissionem, & quandoque narium odoratum, ac alios huiuscemodi morbos, antea non consecutos, at postmodum violenter apparentes, & in senio potissimum perceptos: qui quidem omnes per Mumiæ medicamentum auerti possunt. Non est igitur, quod ęgre Doctores ferant, si in sua placita quandoque loquar ea, quæ sibimet ipsis ad reprehensionem attribuunt. Quum huiusmodi volunt infirmitates abscribere naturæ, tanquam ipsa præter vulnera foret earum occasio, quod quidem erroneum est. Nam idipsum Anatomia docet aperte, per externa similes morbos in ipsam introduci naturam, & violenter id fieri. Sane si melius considerarent, quinam suas Mars impressiones inuehit, sanius de his rebus iudicarent. Quandoquidem vbi suam ille malitiam adimplere cupit, impressio gladius eius existit. Videte quæ somnia vestra, quamque nigriora sint carbonibus. Quoduis natura productum, ac vitam habens, per Martem læsum, tempestatis generationem recipere debet. Vos vtique naturam vituperare nulla via debetis, at medicum potius inscium, & externum accidens, ac perditionem ægroti.

Accidentia vulnerum varia.

Medic. reprehensio.

Nec etiam barbitonsores, rudesve medicos vel chirurgos ægre ferre decet, quod Mumiam extollam contra suam imperitiam, artis ac fundamenti veri prorsus ignorantiam. Hoc enim fundamentũ existimo verum, & maximã artem, vulnera sanare nedum, verum etiam ita curare sanareque, vt accidentia nulla postmodum expectanda sint. Vulnerum sanatio canibus agnata est, vt interim de hominibus taceam. At prædictis morbis & accidentibus præcauere, præuenireque, non est agnatæ conditioni tribuendum. Quo fit, vt eos existimare chirurgos minime valeam, qui sanare vulnera norunt. sed illi veri chirurgi merito vocandi sunt, qui sanare simul & alia damna diuertere possint.

Mumiæ virtus

Sartori chirurgus minime comparari potest, qui suturæ suæ nullam certitudinem habet, quum disiungetur, aliam, quam donec filum manserit integrum: tantisper & non diutius pollicetur, eiusque certus fore potest. Si medicina chirurgiaque tale foret veteramentarium opus frusticulatum, & veterum calceorum emendationi simile, quemque male habere posset, quod contra vos tam auide scripserim ac scribam: prout in chirurgia vestra hactenus existimastis.

Medic. reprehensio.

Et quod adhuc ob accidentia, quorum soli vos estis occasio, culpari nolitis pessimum indicium, & nullius causa boni. Si vos Anatomiæ vere periti foretis, experiremini fodicata, iacula, vel alia, vt pulmonis vulnera, medicamentis aliis quam alia vulnera prorsus indigere. Non quod Mumiam hac de causa mutem, aut inualidam existimem, sed, vt Asthmaticis & spirosis anhelitibus, tussi, sputationi sanguinis, aut hæmoptoicæ, pectorisque restrictioni, quæ in mortem vsque manere solent, præueniatur: sic etiam quod epati, spleni, renibus, &c. potest accidere, præcaueatur, siue sint apostemata: putrescentiæ, oppilationes, & similia.

Exterioribus membris etiam corporis tremores indies occurrunt, in spasmum incidentiæ faciles, consumptiones, aut ariduræ, nec non contracturę. Similiter intestinis a suo naturali dimotis ordine, variæ cholicæ, lacerationes, & contorsiones oriuntur. Adhuc existimatis omnes de hac medicina minime fore loquendum, vobisque fas & nefas in ius optimum esse prorsus relinquendum, ea de causa, quod medicum nomen apud vos existat, aliud vero nihil. Si culinis vestris per solum nomen satis foret, pessime quidem ederent illi, qui ex eis aluntur. Videte iã quid nomen sit, & quid ars, super quam illud fundamentum esse debet.

Sæpius etiam euenire solet, vt ex huiusmodi negligentia, vel imperitia potius febrium varię species enascantur, item hydropisis, Paralysis, Ictericia, similesque morbi, sæpe talis etiam, qui per annos aliquot latet, postmodum erumpit, non sine miseria maxima. Cum tamen præ manibus fuerint, vt indies accidere solet, in medicinam latius arripiendum, vt huiuscemodi morbi, qui peculiarem Theoricam & Practicam habent, curari queant: & qua via fieri debeat, sequentibus iam paragraphis habetur.

DE CVRIS PRÆDICTORVM ET *præuentionibus.*

CAPVT XV.

SCitote primum, quod ad capitis medicamentum in his attinet, vt quum Lethargicus ad paralysim accederet in veræ Paralysis curam non cadere, prout cura continet in vulnerationibus & incisionib. per quas Paralysis cura fit integra. Plurimi namq; morbi reperiuntur, qui per vulnera tolluntur, omnes illi nẽpe, qui ex vulneribus occurrũt, vti Lethargicus & Paralyticus, qui ex vulnerũ accidẽtib. proueniũt. Ecõtra præter accidẽtia hæc, illos curãt vulnera In Ictericia similiter, quæ curã ex vulnerib. recipit, & sano per vulnus aduenit: sic & caduc⁹ per vulnera cessat, per quæ potest etiã accidere. Nõ alias de Hydropisi, nec nõ aliis morbis corporis euenit. Quapropter hoc loco Medicina debet

Cura Paralysis.

Icteritię.

Hydropisis.

alia

alia ratione quodammodo, quam aliorum processus morborum habet, códuci tractarique que, non sub eiusdem receptis poni, prout medici veteres scripserunt, & moderni per illos intelligunt. Fundamentum hoc est, vt vnicuique medicamento vulnerum administrari mumia debeat, & per idipsum applicari. Vt in Galitheno vires curæ caduci delitescunt, verum in isto non, nisi Galithenum ad essentiam eius accesserit. Sic & Paralysis cura Balsamus est de Galbano: si tamen ex vulneribus orta mumię admisceri debet ille balsamus, vt is & mumia sint vnum. Pariter in Synthena, Sandalum maris ad mumiam accedere necesse est. In Spasmo ac Tetano, Mumia cum Amygdalis vnum efficere debet. In pulmonis defectibus Resinam terræ præparatam, cum ipsa mumia simul oportet administrari. Et in tremoribus manuum, lauendulæ cum mumia liquores.

Talis differentia, qualis de accidentibus antea diximus, intelligenda est; excepta mumia tamẽ, cuiusque accidentis curę sanationisque. Sed quum accidens huiusmodi corporalem in morbum transmutaretur, medicamentum de Mumia (sicuti meminimus) ad vsum assumendum erit. Non alias quam de cura paragraphorum in morbis demonstratum, in istis etiam intelligendum cum additione Mumiæ in substantiam vnam, iuxta processum & ordinẽ, quem huiusmodi morborũ códitio requirit. Per compositi similem in vnum concordantiam, isti, qui causantur a vulneribus morbi tolluntur: Et nisi Mumia talis adfuerit, eo loci frustra curabitur.

Chirurgorũ reprehensio & error.

Pati sane possem, chirurgos maiorem inter sese diligentiam in ægros adhibere, ne simile quid occurreret. Verum quod vulnerati duobus assibus vix maiore pretio sanari cupiant, non ita prorsus incusare possum eos, vbi tale contigerit ægris. Nam ob vilem eiusmodi solutionem, medicina vi quadam fore meretrix cogitur, & vnicuique subiici, qui præ nimia pigritia non potest alias alere se. Quapropter eos non culpo multum, a quibus id contingit: nam raro vili pretio bonæ merces emuntur. Nec ista loquor, vt vili medentes redarguam, cum pro tantilla pecunia vix aliud nil præstare possent, etsi scirent. Agere se fideliter etiam putant, interim & pauca merces hæc illis tota rarissime persoluitur. Quare melius igitur, aut altius quid addiscerent?

DE SIGNIS VULNERUM AD MORtem, vel ad vitæ retentionem indicia ferentibus,

CAPUT XVI.

Vulnera lethalia quæ.

CORporis humani conditionem fundatissime notã habere chirurgũ decet, quo loco morti magis aut minus obnoxium existat, si vulnerentur ibidem. Hoc ipsum ab aliis abunde satis antea scriptum habetur, & optime cognitum, quod cor, cerebrum, vesica, &c. quum vulnus recipiunt, ad mortem id fieri. Quinam tamen isti scripserint videamus. Alias non, quam si hunc in modum scripsissent, vbi cuiquam truncatum est caput, mortuus est. Hæc a me dicta sunt, quod membra superius allegata, & quæ notione communi per se clara sunt, libris non indigeant.

Quod vero scitu necessarium in his, & non ita communiter notum omnibus, & quæ mortem etiam inducant vulnera, quanquam dicta membra non attingant, animaduertens diligenter notato.

Vulnera neruis plurimum extensis, lacertis aut musculis illata, sunt ad mortem. Vt quum viribus omnibus membrum extenditur, eodem momento vulneratur. Artis digladiatorię potissimorum arcanorum vnum est, vt pugiles membris agiliter & facile præter violentiam agitatis aggrediantur.

Non alias fodicatio vel iaculatio, quantumuis exigua. contractionem huiusmodi vel spasmum, in suris aut alias in carne contingens, mortem infert. Quapropter summa diligentia chirurgo sunt curanda potioribus & selectioribus medicamentis.

Similiter in hydropisi vulnera mortalia sunt. In quartana vero & Paralysi, vitam retinere possunt.

Vbi cholera se receperit in arterias, tremorem & contorsionem excitarit, eoque tempore læsæ fuerint partes illæ mortem admittunt. Et vulnus omne, quod in ebullitionem fuerit illatum. Item omne, quod venas temporum pulsatiles & somniferas in paroxysmo secuerit, aut attigerit, mortale iudicandum est.

Animaduertendum etiam ex medicamentis vulnera plærunque reddi mortalia, potissimum vbi calorẽ ex eis recipiunt, ac sub eis intumescũt, aut indormiscũt: ista signa sunt corporis ac vitæ perditionis. Item quum sæpius emittunt sanguinem, tremunt, medicamento non conualescunt, & postmodum in paroxysmum incidunt, ad mortem tendunt.

Etiam quum alij calores & accidentia concurrunt alia, restrictio pectoris vel anhelitus, in vltimum signum cognoscenda sunt. Signorum eiusmodi multa quidem existunt, satisque nota: quare plurimis relictis, quæ magis notatu digna videbantur, hoc loco posuimus. Quæ vero prædictis carent accidentibus & signis, curatu facilia sunt. Notandum tamen, quum accidens aliquod in vulnus minime periculosum inciderit, vt morbi, qui dicti sunt, inciperent oriri, si per se bonum existat, id est curatu facile, medicamentum etiam bonum fuerit: est quod finis periculosus expectetur.

DE SIGNORUM AUT REGIMINIS lociue cuiusuis animaduersione, medico vel chirurgo perito minime necessaria.

CAPUT XVII.

CUm ex regimine cibi & potus caro nascatur, vel potius nutriatur, oritur quæstio, si differentia sit, aut vnius cibi caro melior existat, quam alterius? vt vtrum pulli meliorem carnem efficiant, vel capones suillis carnibus hoc loco sint salubriores? Meam percipit, sententiam ad hunc modum. Principio non ignorandum, omne, quod editur, a stomacho digeri, naturaque in vnum finem, etsi mille ciborum varietates, vnica tamen omnes caro fiunt. Quare pullorum carnes talem carnem efficiunt, qualẽ auenæ pultes. Quamuis obiiceretur, vnũ habere nigriorem carnem altero, magis rubeam &c. Hoc ipsum concernit generationem, & non ciborum igestionem.

Pullorũ caro virũ melius nutriat, quã suum.

Stomachus. omnia ingesta digerit.

Simile quid a fabris ferrariis adduci potest, quorum quilibet peculiare ferrum, equinum cudit, estque vnum alteri quodque simile: sic etiam, quæ nigra caro natura fuerit, æque sanabilis erit, atque alia quæuis. In eo tamen conditiones carnium differunt, quod si homo quid ederit, hoc ipsum caro fit hominis: & si porcus comederit, porcina caro futurum est: si canis, canina. Cum igitur caro naturam imitetur, & in eam transmutetur, quid refert quodcunque comederit æger?

Carnis nulla differentia.

Contra si quis obiiciat, ab accidentibus, quæ ex cibo prouenire credat, vt in febricitantibus, & loquatur, statim atque porcinas carnes edit, in febrem incidit, aut quoties piscibus vescitur, male mox habet. Non est, quod ægrotationes eiusmodi carni vel piscibus adscribas, at potius imbecillitati malæque stomachi dispositioni, qui non semper omne, quod iniicitur ei, pati potest. Quare hac ratione sese defendit, ac ob eius irritationem corpus vna cum eo simul abhorret. Nam hominis vulnerati plurimum, & exanguis ventriculus nihil appetit. Si tamen quid administrandum sit, hoc ipsum tale fore necessum est, vt maxime debilis æger non abhorreat: vt offæ quædam aqua, butyro pauco, vel pinguedine modica madentes, aut vino: postmodum iure gallinaceo, deinceps bubulo, vel ex bouinis carnibus, & postremo si fuerit opus ex suillis: vno sic post aliud administrato, quoad potentior fiat. Vbi iam instauratus fuerit ex seipso natura sic adiuuante, non est quod respectum vulneris habeas, at exhibe quicquid ferre stomachus valuerit.

Morbus carnine an piscibus adscribendus.

Vulneratorum cibus.

Optimo possum igitur iure dicere, vulnerum non habendum esse respectum, at stomachi per seipsum: ne disturbetur aut destruatur vulneribus namque hac via subueniri melius potest. Quapropter accidentia vulneribus antedictis adscribito causis, & non cibis. Nam eo loci caro, quæ fit ex oleribus, gallinis, auibus aut botulis; talis est, qualem natura fore cupit. Hoc tamen obseruare bene poteris, vt cibos tales atque potus administres, qui sanguinis & carnis plurimum efficiunt, vt eis naturæ citius ac melius subuentum sit. Quod ad carnium salubriorem esum, atque potuum excellentiam attinet, hoc scito. Credis suillas carnes bubulis insalubriores: eadem est ac leporum ad vulpium carnes comparatio. Qua ratione chirurgus poterit gustare, porcorum superfluam pinguedinem, & quanto pondere bubulam excedat? Sane si talis humiditas in porcinis carnibus non existeret, eas, vt saluberrimas administrares, æque ac perdicinas. Quod scire de suillis carnibus voles: ipsæ quasdam in sua pinguedine proprietates habent, quæ stomacho quodammodo contrariæ sunt eorum, qui cibum huiusmodi non appetunt. Quamobrem stomacho nihil aliud huius imputandum venit, quam ob appetitus defectum & abhorrescentiam quandam, vel alicuius cibi nauseam, & non propter insalubritatem, vel ciborum noxam.

Vulnerũ non habendus respect⁹.

Caro suillanũ salubris.

In vino quidem obseruabis, id sano homini largius sumptum nocere posse, quanto magis ægro. Si capiti sano, quanto magis noxium erit vulnerato. Contra considerato, virium nihil aquam sano tribuere, multo minus infirmo. Qua de causa medium seruabis vtrinque iuxta conditiones infirmorum.

Vinum large sumptũ nocet.

Signorum & locorum nullam rationem etiam habebis, vti de cibis antea dictum. In exemplum. Vbi conflictus millium viginti contingit, fieri minime potest, quin mille vulnerentur eodem membro, in quo signum idem extiterit eo tempore ac loco. Quid inde? Mille contra vulnerantur alio loco, qui dolores acerbiores patiuntur, moriunturque magis aliis. Quæ tandem huius occasio, præterquam de locis corporis, habitu, medicamentisque prauis demonstratum fuit.

Signorũ & locorum nulla habẽda ratio.

Quisnam phlebotomiarum determinatam horam præscribit? quis frigidum aut calidum administrat? vel condimenta more Monspelianorum? Certe nemo. Accidere solet, vt, qui suillis & vitulinis carnibus, item ceruisia vinoque repletus existat, & vulneratus capite, perquam optime sanetur, quia peritum habet medicum. Alius vacuus atque ieiunus in tibia vulnus accipiens moritur, cuius rei causæ declaratæ superius extiterunt. Signa, regimina, loci, regionum, corporisque partes hactenus imperitorum excusationes medicorum fuerunt. Si hæc, vt vultis contraria forent infirmis, ex mille vix duo sanarentur. Istæ sunt vestræ conditiones, vt iam de sereno cœruleoque cœlo fabulemini, deque rebus altissimis duntaxat, & remotissimis. Nunc in cœlo hoc habetur: iam ab Occidente procedit illud: tum demum Luna furnariæ furcæ, vel rutabuli formam habet: postmodum Septentrionalis ventus afflat (de longinquis tantum) quæ in abietibus & in patibulis sunt, ac omnia prorsus impediunt, imo quę in Hispania, septemque Selandiæ montibus existunt, vnde longinqui venti prorumpunt: postremo de magnete comparationes adferunt. O cœci vos medici, quod in homine vobisque præ manibus existit, si conspiceretis aut videretis, & quid in medicina, his vestris peregrinationibus ore factis omnino relictis, cum eo minime peruenire possitis, nec ad locos pertingere quos inculpatis: in medicina perciperetis omnia consistere.

Medic. reprehensio.

DE FVNDAMENTO QVODAM *Adustionum, & gelu.*

CAPVT. XVIII.

QVa ratione suas in corpus imprimat proprietates adustio, notandum venit, quocunque modo fiat: vtpote casum adustionis, vel accidens calorem non existere, sed subtilium spirituum asperitas vel acuitas potius corpus destruit.

Adustio.

Sal iterum accensum ignescit prorsum, & omne, quod ab igne hoc damnatum fit, nitrum efficit, & non essentiæ complexio. Sulphur etiam accensum, aliam substantiam ad se recipit: est nihilominus sulphur hoc ipsum. Quod autem absumit istud, est in eo, per accensionem tamen excitatum. Non alias de adustionibus. Quum ignis corpus aliquod arripit aduritque, non externus ignis hoc efficit, quod damnum existit: verum accenditur corpus & quicquid inde sequitur damni, solum ex eo, quod accensum est procedit, ac in accensionem incidit. Vt lignũ carbo per seipsum fit. Nã sulphur corporis,

corporis, quamuis ipsum exhibeat flammam ob fixam eius conditionem, accenditur vtrurque tamen, estque fixus ignis, & eo per externum adducitur, cui tantisper tantumque resistit, quantisper & quantum adfuerit ignis.

Cura. Quamobrem in cura sulphur accensum arripi necessum est corporis, cum in eo sanatio consistat. Item vbicunque sanatio, vel vnde surgit eius origo, materia pariter & morbi subiectum existit. Et omnia, quæ huic adhibenda sunt medicamenta, solum ad superandum sulphur corporis ordinari debent.

Adustionis differentia. Adustionis differentia duplex: vna per flammam, quę molitur consumptionem: altera quę fit bullientibus. Flamma fit siue lignorum, pulverum, resinarum, aut pinguedinum. Bullitionibus, vt calidorum oleorum, aquarum bullientium, &c. Præterea reperitur alia naturam habens vtriusque, vt ea, quæ fit liquefactis metallis, & similibus.

Ad hæc animaduertendum, vtrum ex substantia quicquam adhæreat, an non: vt ex puluere, quod sulphur, & salnitrum post se, vel sui consumptionem accensione factam, reliquam adhuc pinguedinem relinquant. Similiter oleum peculiare suum residuum, aliud metallum, aliud resina, aliud aqua, quodque proprium habet, cognitu necessarium: non propter sanationem, sed extremos dolores, quos inferunt huiusmodi reliquiæ.

Salis nitri, sulphuris, & resinarum spirituum acuitas peculiares dolores edit: nam ibidem est spiritus salis. Ex metallis etiam alios ac singulares, quod eo loco sit Mercurius. Ex aliis adurentibus adhuc alios, quia sulphur ibidē est resolutum. Huiusmodi sulphuris separationibus variantur in membro dolores, vti quibuslibet coloribus peculiariter aqua tingitur, iuxta suā conditionē atque naturam. Sed hæc omnia medicinā prorsus non concernunt. Nam prout aqua tingitur omni colore per viam vnicā, non alias hoc loco per medicinā vnicā fit alimentū. Et non secus ac aqua flāmam & accensionē in corpore quouis extinguit, medicamentum etiā adustionem pellit.

Adustionum dolores vnde. Adustionū dolores accidentalia sunt, originem ex igne ducentia: postmodum ex aere quidem exteriore mineralem conditionem acquirentia. Notandum insuper post veneni conceptionem istud per meatus, & venas in primum suum centrum penetrare, quo mortem inducit.

Iam de Gelu sciendum, vnumquodque calidum, vbi frigore superatum, id est, congelatum fuerit, postmodum in putrefactionem transire.

Lignum cur ex gelu non putrescat. Hac de causa lignum & lapides ex gelu nullam putrefactionem accipiunt.

Quæ prius bulliuit aqua, frigore superatur in congelationem, immutatur, & ex ea fit alia quædam aqua, putrefactioni plurimum obnoxia. Verum ea, quæ recens frigidaque transit in congelationem, ita non corrumpitur, quia nunquam caluit. Sic de cæteris liquoribus intelligendum.

Quanto magis quod a natura calefit, putrefactionibus obnoxium existit: vt animal aut brutum congelatum, alias ac multo fœdius eius cadauer putrefactum olet, alio, quod alia via quauis interiit. Non alias de homine, quum sui corporis aliqua parte congelatur, accidit: quod naturalis calor, qui fuit ablatus, in suum cadauer nunquam redit amplius.

Quum igitur membrum aliquod gelu prorsus rigidum fit, ab eo vita separatur, vt vbi tibia congelatur, vita moritur in ea, separarique necessum est a viuo, quod mortuum existit, a superiore parte genu videlicet. Membro congelato vita abit. Ista congelatio priusquam emoriatur membrum: eius est vehemens indormitio, postquam a vita sua decidit. Et non alias ac ignis membrum aliquod superat ac vincit, frigus idipsum etiam efficit. Frigoris in adurendo vis cedit ac ignis. Item, prout aqua feruens etiam ignis ingenti frigore congelantur ac extinguuntur, non secus & naturalis calor, quum arripitur ab illo. Extinguitur itaque primo calor, & postmodum gelu vincitur. Nam atque membrum suo calore priuatum est, ei nunquam restitui potest. Cum hoc incipit congelari, calor a carne primo recedit, ob suæ humiditatis congelationem, postmodum a neruis, & postremo quidem a medullis ossium. Quapropter euenire solet, vt caro frustatim decidat, alia non corrupta, quod istam natura vehementer defenderit. Quandoque medullæ prorsum emoriuntur, vnde postmodum nulla sanitas vera succedere potest. Item sæpe contingit etiam, vt gelu tam subtile fit, porosque penetret in medullas, quas congelat, illæsis aliis partibus: & nonnunquam intestina cæteris non tactis.

Ex huiuscemodi congelationibus oriuntur varij morbi, permanentes in mortem vsque, prout Hydropisis, contracturę, mania, lepra, &c. iuxta membri cuiuspiam arreptionem. Congelationis morbi. In quibus chirurgum decet aliud quærere fundamentum, quo similia curare valeat, & non vtveteres, vnica lyra choream ducere semper vnam ipsos imitando. Congelationibus igitur istis dummodo membrum omnino rigidum non existat, sed in via succurrendum est.

DE CVRIS AMBORVM ADVSTIONIS VIDELICET AC GElu: *vel congelationis membrorum.*

CAPVT XIX.

CVram vtriusque, scilicet adustionis & congelationis vno sub medicamēto concludā, quod ambæ per consumptionem in putrefactionem tendunt. Qua de causa perquam vtilem Anatomiam vtrinque fore certum est. Communia, quæ passim a vulgaribus & aliis medicis remedia ponuntur, huc adducere nolo, nec eorum vix meminisse, propter eorum vulgarem vsum absque vtilitate, vt sunt *florum Tiliæ, Verbascique liquores, oleum lini, butyrum & laridum calida liquefactaque, nec non alia plura.* Remedia congelationis & adustionis. Similiter ea, quæ ad congelationem vsurpata sunt remedia, magis quam ad remedium, in deprauationem vtilia, quod variorum accidentium productiua sint, in his, quæ per alia facile curari possent. Huius praui generis vnguenta sunt *Agrippinum, & de Terebinthina,* tum ea, quæ fiunt ex ouis, &c.

Cura. Cura quidem earum est, vt vnius Mumiæ per additionem conseruetur altera, nempe debilitata, hunc in modum qui sequitur.

℞. Olei

℞ Olei costi lib. j. Seui hircini lib. ß. Ceræ ℥ ix. Fiat vnguentum, quod singulis quaternis horis applicandum est, aut sæpius, quo locus melius humiditatem suam retinere valeat.

Aliud remedium.

℞. Olei ex laganis auium ℥ v. Adipis cerui ℥ ij. ß. Ceræ, Liquorum ex ouis, ana ℥ iiij. Misce simul, & vtere. Huiusmodi medicamentum ab initio curæ sufficiens est in finem vsque, nec opus alio, quod in eo mumia constituta sit, qua quidem vtraque frigoris congelatio, tum caloris adustio curatur.

Conclusio libri primi Bertheoneæ, Chirurgiæque minoris.

NOn dubito quin ante dictæ demonstrationes aliquibus, etsi æquo saltem breuiores fore videbuntur, illis puto, qui horum non ante nihil cognouerunt. Qui tamen aliquid in hac arte callet, ac medicus appellari si debeat, aperte satis intelligit omnia. Tum, qui discere cupiuerit, ex istis fundamenti satis accipiet.

Secreta quædam hoc loco subticere volui, quę plurimum existimata sunt, vt in vulneribus capitis ac intestinorum, & similibus, quæ curæ periculosioris existunt: non ob ignorantiam, sed ex occasione quadam, scilicet, quod medicinæ temerarij nebulones immiscentur, qui sese præter fundamentum intrudunt, siue docti, vel indocti fuerint, & ægros æque temere curandos, audacterque suscipiunt, ac si plurimum experti forent: quo fit, vt infirmos funditus perdant, & quandoque iugulent. Vt istorum capitibus phantasias non adferam, quibus ex seipsis aliud perperam somniare possent, quod me non intelligerent, captu suę rationis, aut alias quam scriberem, occasionē dare nolo, qua latius ægris quam sint, ab istis perdentur, aut miserius. Quandoquidem in vulneribus capitis, quæ cerebrum detegunt, vel intestinorum, aut alui, quæ fissuram, scissionem, truncationem haberent, qui per instrumenta curandum sit, argenteas testas fistulasve, quibus tegi cerebrum, aut excrementorum ductus continuari debeat: idipsum expertum propriumque requirit hominem, & non insanum stolidumve caput, vt illi, qui sese passim in medicinam per fenestras, & non per ostium intrudunt, possident, &, qui quodcunque somniant, idipsum etiam audent exequi. His igitur quæ scripsi fecisse pro hac parte de Mumia, tum excusasse me satis volo.

Nebulones medicinæ.

Medici reprehensio.

FINIS PRIMI LIBRI DE MVMIA BERTHEONEÆ, vel Chirurgiæ minoris.

ARGVMENTVM SECVNDI LIBRI BERTHEONEÆ, CHIRVRGIÆque minoris D. Doctoris Theophrasti Paracelsi.



Oc secundo libello tractabitur, quinam vlcus aut vulneris damnum (vt vocant) omne, quod ad suam partem attinet, minera sit, & ex mineralibus profluat, & isto fundamento concludatur, vt salia sint vlcerum origines: quæ postmodum vti sese iuxta mineralium conditionem demonstrant, aliqua reperiuntur acuta, quædam acida, corrosiua nonnulla & pleraque alia venena sunt: & quoties species salis, toties morbi species etiam habetur.

Scopus auctoris.

Tum quod ex Iliadi natura conditioneque, morbi nonnulli præteriti, præsentes adhuc aliqui, noui quidam & recentes, & alij plurimi postmodum, & in futurum emergent. Item qui mineralium externorum varietas ac multitudo, varietatem & multitudinem internorum demonstrent, in consumptionem vsque totius Iliadi demonstrabitur.

Postmodum vlceris vniuscuiusque peculiaris conditio sequitur & essentia, cum origine, simul & emunctorio, nec non aliqua suæ transmutationis aliquo futuroque tempore facta mentione: cumque signorum & aliarum cognitionum inclusione, quinam similitudinem cum mineralibus habeant.

Postremo curarum ordo continetur, & qua via rationeque fieri debent, & similium sanationem aliud nil præter Balsamum externarum rerum naturæ solum existere, tum qui hac ipsa, naturam superare non valeat, etiam quod Balsamum oleum sit elementorum, aut liquidum Microcosmi.

DIVISIO SECVNDI LIBRI BERTHEONEÆ, VEL *Chirurgiæ minoris D. Doctoris Theophrasti Paracelsi.*

PRæfatio quędam abusus penes medicos ortos, & in hunc diem perseuerantes continens, per quos verum sanationis & curæ fundamentum falsificatum & adulterinum factum extitit, quo factum etiam, vt natura sit in contrarietates adducta.

Postmodum, de quorumuis vlcerum originibus in genere.

De cuiusuis vlceris origine, post in specie.

De conditionibus, essentiis, & proprietatibus eorundem.

De curis eorum secundum Anatomiæ suæ tenorem.

Conclusio tandem huius libelli secundi.

LIBER SECVNDVS BERTHEONEÆ CHIRVRGIÆQVE MINORIS D. THEOPHR. PARACELSI.

DE BALSAMO, HOC EST, DE VLCERIBVS.

DE ABVSIBVS ET ERRORIBVS MEDICORVM ET Scribentium veterum, in hunc vsque diem perseuerantibus.

PRÆFATIO.



HVIVS libelli principio conceptus eius adducendus, vt qui nihil aliud, quam de Chirurgicis damnis, quæ natura per seipsam producit, hoc loco tractare solum intendat: quæque alias vlcera vel foramina vocantur. Priusquam tamen hanc meam præfatiunculam absoluero, quarundam contrarietatum & errorum hactenus a Medicis in vlceribus, quod originem eorum concernit, & curam commissorum admissorumque mentionem faciam, & qua via processerint, & quos tenuere veteres errores demonstrabo.

Primo notandum. Visum fuit istis acuitatem in corpore sitam esse, quæ tamen huic damnum inferret nullum. Qui vero post accommodarint, vt in vlcerum originem venerit, ac fecerit vlcera, non sine quadam astutia factum est; ad hunc modum videlicet. Antea dixerant acuitatem hanc innoxiam fore corpori, verum, vt vlcera, quæ contra naturam fiunt, illi tribui possent: hepar in occasionem adduxerunt, ac docuerunt hac via per vlcera nempe repurgari: quod planis etiam verbis, vt floribus ornarunt, obtegeruntque. Iecur autem, quod membrum sit ore carens, defendere se minime potuit ab iniuriis, quare falsam accusationem pati necessum fuit, cuius tamen est innocentissimum. Acuitas an in corpore, eique noxia sit.

Accesserunt alij, qui hanc acuitatem alias inuoluerunt, fluxum eam baptizantes, a capite per descensum in inferiorem petentem: & non secus ac iecinori capiti, quod rabulam non haberet, accidit. Vtrinque tamen horum expositores capitale fundamentum originis eorum, quæ asserebant, exponendum non assumpserunt, id est, Anatomiam ipsam, quæ minime consentit, neque patitur ex alterutro documentorum suorum, speciem vlcerum aliquam oriri posse. Potator strenuus vlceribus dat ansam.

Quamuis inficias ire minime nolim, potatorem ingentem vlceribus dominandi potestatem exhibere posse, medio debilis, aut læsi membri cuiuspiam, non iecinoris tamen. Dicite mihi vos Doctores, an fieri possit, vt ex hepate vulnerarius aut vlcerarius morbus oriri valeat, melioribus quam extent hactenus demonstrationibus. Docete me, qua via fluxus a capite manans lupum efficit, scrophulas, aut alia cauernosa, hisve præbet originem, siue in brachiis vel pedibus, &c. Aut respondete saltem, vtrum pars vna in alteram absque partis eiusdem coniunctione transire valeat? interea progrediar. Hepar an sit origo vlcerarij morbi.

Postmodum hæc sua redegerunt in ordinem, per enormes errores, ex specierum vlcerum varietate depromptos. Oportuit enim eos considerasse tam varias vlcerum conditiones, in suis etiam originem variare, cum tot & tam variæ demonstrationes apparuerint. Quædam vrentia, pungentia nonnulla, mitia quædam, alia sicca, & alia humida fuere, &c. Origines eiusmodi suo modo frenantur, vt sequitur. Vlcerum diuersitas.

Sua ratio quatuor humores eis inspirauit, Choleram, Melancholiam, Sanguinem, & Phlegma. *Quatuor hæc inter se concordarunt, eisque dederunt potestatem. Vnum est acidum, aliud amarum, vnum salsum, & aliud e contra dulce. Videte quæso, quinam ista cum originibus vlcerum, item cum fluxionibus & hepate conueniant, cum splene renibusque? Quaternarium hunc tamdiu cuderent in terebram, donec sub finem foramina terebrauit. Iam foramen extitit melancholicum, a colore sumpto iudicio: item cholericum ab vstione: modo sanguineum, a sanguinis emissione: postremo phlegmosum, a miti conditione, quia dolores nullos efficit. Aptere corrigialis calcee, sine te parari, vel teipsum accommodato.* Humores quatuor re probantur.

Quatuor istos humores etiam in corpore posuerunt: si verum sit, vbinam latent, vt quatuor isti sibi tam apte foramen eodem loco faciant? Item quod omnes sæpe contenti sint vnico tantum vlcerario foramine, & non pluribus? aut qua ratione cholera potest ossa, pellem, & carnem rodendo consumere? Nullus in ea canis moratur: quinam ipsa Melancholia potest acedine sua? cum æruginis ibidem nil habeatur, aut quod æruginem contrahere possit acetositate: quare id efficiet Phlegma, vel conditio sanguinis.

Pati sane potuissem, vos hanc vestram terebram in meliorem formam excusisse, mihique demonstrasse chalybem eius, & vnde veniat, item fabrum, qui tam acutam fecit eam. Si dicatis choleram esse adustam: quid hoc est, quod illam adurit? An ignoratis omne, quod adustum est, vires nullas retinere? carbones aspicite. Dicitis melancholiam adustam esse, quæ postquam sic vritur, instar Diaboli rodit. Si corrosio talis existit in adustionibus, quis adurit Phlegma? quis Sanguinem? Priusquam talia loqui vel scribere, ruminasse melius ea debuistis.

De sede quadam in splene loquimini, super quam ipsa Melancholia sedet: si sedeat ibidem, qui fit, vt in tibias veniat? Item in epate suam habere sedem Sanguinem asseritis: quantum ego iecur vel hepar vidi, nunquam in eo sedem aliquam reperi. Qui potest etiam cholera suam originem ex felle ducere: si cholera fore debeat, vbi nam est in ea fellis conditio? Phlegma suum in cerebro patrem habere, quam egregium genuisset filium nomine Phlegma? Si excrementa sint humores, oletum erit humor intestinorum Splen sedes melancholiæ. Epar sanguinis.

& vrina vesicæ. Primum amouete vos excrementum, ei suas proprietates, & loca in quibus existit tribuentes: postmodum videte melius, vbi vestri fuerint humores.

Vt de prolixitate fabulationum vestrarum taceam, quid sibi volunt illæ quas facitis coniunctiones: iam cholera melancholiam adurit, nunc illam ista: modo sanguis pati cogitur, mox medullæ iam ossa, talesque variæ passiones fiunt. Quinam id probare poteritis, nempe coniunctiones humorum posse fieri, cum humor nullus alium recipiat, non inficiat alium, nec impurum efficiat? vt interim subticeam, vos nondum humorum Anatomiam vnquam probasse, vel scripsisse, quinam differant: multo minus vnde conditionem habeant, vt ex eis tam variæ plus quam centuplicatæ species oriri possint. Non sunt elementa, nec matrices, qui probare possetis, tot acedines, dulcedines, salcedines, & amaritudines, vna cum tot ac tam variis demonstrationibus & signis ex quatuor istis enasci? Verum consilia vestra puerilia sunt, ac inania. Humorũ coniunctiones nullæ.

Docete quid sit cancer: estne Melancholia? sedes eius hac ratione foret in pectore, vel scapulas inter. At sedes eius est origo, quæ quidem locus est morbi; quo in loco matrix etiam existit. Quid melancholici foraminis igitur in tibiis esse potest? si cholera sit hoc ipsum, quid igitur in lupo fuerit? Cancrum hac ratione separamus à lupo, matricem vnam vel duas considerantes, & sub eisdem signis manemus. Quid est Esthiomenum, quid persicum; sunt ne conditionis eiusdem adustio, vel naturæ? Vnde prouenit hæc adustio: an ex humoribus? Hac ratione humor aduritur, & non lignum, aut corpus. Quid hoc est quod vritur? est minera, non humor. Humor est vniuscuiusque rei humiditas, indita naturaliter ei, ne siccetur. Quid igitur tam admirandi vultis ex humore fingere? Cancer quid. Esthiomenum.

Si progrediantur hæc vestra consilia, lupus tandem in stomachum transmutabitur; poteritis ne vos illi ventrem etiam & anum assignare, tum humores in lignum aptare mihi, quod per seipsum accendatur? Sic vnusquisque humor aptabitur, non ex intellectu naturæ, vel eius luce. Non animaduertitis ignem persicum, aut prunum esse resinam? Omne siquidem ardens aut vstionem recipiens, resinæ subiectum est. Docete me rursus: vnde scrophulæ proueniunt, an etiam ex cholera? Quare non igitur totam regionem auferunt? Estne melancholica? Quis illi similem formam indidit? Estne phlegma? Quis illi sex aut octo facit emunctoria? Estne sanguis? vbi vena, quæ hunc in modum expurgantur? Postremò persicum vlcus futurum est. Interrogo vos ergo: potestne hoc ex phlegmate, sanguine, melancholia, vel cholera nasci? Sunt igitur ista quatuor igne referta pariter omnia? Qui mihi fuerit intelligendum, quod humores & cutem in chalybem transmutent? aut qui chalybs eò peruenerit? Omnia fingite præter Ætnam, alias ad extremum redacti fingetis purgatorium, quod vestris adaptetis. Verum enimuerò quantum ego vos meis agnoui temporibus, haud miror, tam futilia sequi consilia vos, & nugas tam enormes Philosophiam existimare, Theoricam & Euangelia sacra fore velle. Poterit vnusquisque iudicare, considerareque ab his, quæ dicta sunt à me non immerito, vos minime fideliter Medicinam exercuisse: quod enormia nimium hæc mendacia vobis in fundamentum elegeritis, & considerasse non potuistis, cum cura, quæ sumitur & sequitur, ex eo fundamento sit mendosa, radicem eius esse mendacium, & eos, qui hanc amplectuntur, per eam fore mendaces. Ignis Persicus est resina. Scrophulæ vnde. Medic. reprehẽsio.

Asinus quiuis tantam discretionem habet, vt eo non redeat loco, in quo sibi mali sinistrive quid accidit: quanto vos prudentiores decet fore medicos? vtrum sapientia consistat in pileolo rubro, vel in auribus, iudicate vos ipsi. Friuola nullaque responsio fuerit, Auicennam, aut alium Patronum vestrum dixisse, Vlcus est incurabile: iuxta suam rationem & artem responsio dici potest, iudicate vos tamen, vtrum vera sit an falsa. Probate melius, & si falsam inueniatis, cur igitur talem non existimatis, vt est? Honestum foret cognoscere vos, cur Lithargyrio ad curam vlcerum vtimini, cur æque vehemens sit, ac si camphora foret in persico, cum duarum tamen complexionum existant. Et quod maius est vitium, de vestro fundamento desperare vos necessario in Theorica receptisque vestris oportere, postremò rusticorum recepta suscipere. Vtinam vos æque bene chirurgiæ negotium intelligeretis ac rustici, putarem id à vobis non ita fœdatum iri vestris compositionibus. Quod ad verum fundamentum attinet, in sequentibus latius adducetur.

DE QVORVMVIS VLCERVM Originibus in genere.

CAP. I.

Vt primo de fundamento loquamur vlcerum, ignorandum non est, vlcus aliquod in corpore præter corrosiua nullo modo posse fieri: nullum etiam corrosiuum extra genera salium reperitur. Inde quæuis vlcera suam ex salibus originem ducere sequi necessum est: non ea via quidem, vt sal transmutetur, melius aut peius reddatur, vti de complexionibus fictum. Quapropter primum hoc est, quod sciatis, in corpore nil peius reddi, sed quod malum ibidem existit, à natiuitate simul ortum esse, ac in temperatura sic permansisse, vt nulla suæ substantiæ manifestatio facta sit. Vlcus nullum præter corrosiua. Vlcera ex sale omnia. Malum à natiuitate.

Vti iam vlcerum originem salia fore dixi, hoc etiam est scitu maxime necessarium centuplicatam in corpore salium existere varietatem, quorum quodque genus peculiare suum vlcus efficit: ex quorum conditionibus iuxta salium existentiam, vlcus efficit: ex quorum conditionibus iuxta salium existentiam, vlcus peius fit, aut melius alio. Inde suam formam, conditionem & essentiam, vt externa salia sumunt. Sal quod limaturæ ferri permiscetur, peculiarem suam ferruginem habet: item sal vrinæ suam, & alumina propriam, &c. Quamquam ferrum vnum & idem existit, nihilominus transmutationes, quæ per salia fiunt, haudquaquam similes, quod in salium conditiones transeant. Et prout vnum gustu vehementius est alio, quod à differentia perci- Salium varietas centuplicata.

pitur inter vitriolum, sal commune, sal nitrum, & alumen, quodque peculiarem dolorem infert, vti gustum habet proprium. Hæc de salibus.

Non secus, imo peius ea, quæ proueniunt ex Realgaribus efficiunt, vt Arsenicalia sunt, auripigmenta, vsnea petrea, &c. vt ista pro sui conditione veneni tumefaciunt, pungunt, &c. hic etiam vbi producunt vlcera sese palã faciunt. Horum omnium primum fundamentum est, cognoscere totum corpus in huiusmodi salibus constitutum: & quantum externa mineralia comprehendunt, Microcosmum tantundem etiam concludere. Ex prædictis fiunt vlcera, non alias quam super ferrum ferrugo, quod proprium sal consumit. Sic & cuprum suo sale proprio conuertitur in æris florem, aut viride æris: non secus in sui consumptionem per salia sua transmutatur corpus.

Vlcera ex salib.

Alia nonnullorum vlcerum origo fit ad hunc modum. Salia quædam subtilia sunt, & liquorosa, quæ per propriam subtilitatem corrumpuntur, eo quod in aliis liquoribus existunt aut separantur postmodum in hunc modum. Vinum integrum & sanum videtur, & in eo sal eius non percipitur, quia dulcebonumque, nec non in sua substantia potentissimum: suo tempore post ab eo sal proprium separatur, ac tartarum producit ad latera vasis, quod sal acutissimum existit. Pariter in corpore liquor, qui necessarius est illi, temporis etiam successu talem in separationem transit: pellis eius est vas: cui tartarus adhæret, vt in dolio, cum sua differentia tamen, & corpus corrodit. Similiter vinum acescit, qui substantia sua separatur ab eo. Nam alias in corpore liquoribus accidit, qui centuplicate variantur, vbi similem in acetositatem incidunt, statim adest corrosiuum.

Vlcerũ alia origo.

Sal tartari acutissimum.

Nec est, quod miretur quispiam ob salium in corpore multitudinem, cum idipsum varietas demonstret vlcerum corporis, in quo generationes omnes elementorum existunt. Latius notandum salia corrosiua iuxta separationis tartari, nec non aceti processum à vino similiter vlcerum originem esse, quum in suam exaltationem ad hunc modum veniunt. Et prout vnum diutius altero vinum conseruatur, & acutius existit, in corpore salia haud absimilem differentiam habent. Quinam in corpore posset aliquid existere, quod præter corrosiuum vlcus forare posset? aut corrosiuum esse potest, quod sal non sit? Quam ob causam igitur medicus ab hoc fundamento recedere vellet, tum ab originibus veris vlcerum? & id quod ipsamet natura dedit, in quo posita sunt etiam omnia non erit considerandum, secundum eius tenorem ac ordinem? & in his peculiares nugæ, quas effutit Auicenna cum adhærentibus ei, forent obseruandæ.

Salium multitudo in corpore.

Vlcerum origo alia.

Inspicito naturam suis in proprietatibus conditionibusue, in elementis, quid operetur ac producat. Propone tibi elementum Aquæ, videque diligenter, quam varia salia nascantur ex eo, prout communia, tum alumina, &c. Pariter elementum Terræ, qui mirum in modum sua salia producat in pipere, zingibire, Aromatibus, Vrtica, &c. vt interim tereniabin & nosto ch subticeam. Item in quot fines salia tendant, & quam varias operationes sub finem demonstrent. Ad hæc etiam considera, corpus in se conditionem elementorum habere, tum etiam ipsummet elementa fore, non ratione frigiditatis, aut humiditatis, caliditatis aut siccitatis. Hæc dicta putato, quod aquæ bene corpus fructus & mineralia producat, ac alia elementa.

Salia elemẽtorũ.

Aspice quinam generetur aurum, quod non nisi fructus est elementi sui: aliud aspice, nempe smaragdos, qui sui sunt etiam elementi fructus, vt horum incorruptibiles nonnulli, & alij magis. Vbi tales in corpore fructus generantur, quis non iudicabit illud ad vitam longam & sanam? Contra, cum ex elementis ferrum etiam confluat, quod sua ferrugo rodit: item Lephanteus, quem edunt vermes: si corporis elementum similem fructum etiam producit, quis hominem eiusmodi sanum iudicabit? Ad hæc notandum, prout quoduis elementum in seipso bonum atque malum producit, absque damno sui ipsius (hoc Anatomiæ quidem ordine caussante) sic etiam in corpore, quum in damnum tendit ex tempore, per exemplum vini & aceti poterit intelligi.

Vt videtis accidere sæpius, ex elemento mineram tempore quodam produci, quod eo loco minime fuerat auditum antea: hac ratione pariter origines morborum intelligo: nam prout illæ sese patefaciunt, & morbi sequentes prorumpunt. Quapropter originem ad hunc modum expromito, quum inuestigare poteris, vt quum separatio metallorum suos flores emittere cupit, etiam scire poteris, quum similia produnt vlcera. Non alias enim atque se palam faciunt illa, per separationem, & morbi sese pariter manifestant. Quæ quidem separatio nisi fieret, nulla neque bona, neque mala metalla prodirent in lucem. Sic etiam in corpore nisi fieret separatio, nulla sanitas, neque morbus vllus accideret. Cum igitur in separationem ordinata sunt omnia, primum hoc fundamentum est, vt separatio cognoscatur à medico: Qua ratione homo sit elementum, & quatuor elementorum in se conditionem habeat, intelligendum, non iuxta complexiones, quæ quidem elementum nullum efficiunt: at inde quæ nascuntur mineralia, præbent elementum. Sic & homo etiam elementum existit, ac sua sanitas & infirmitas mineralia sunt: item corpus ex quo productio fit, est Matrix, & semen istius est id, ex quo procedunt omnia mineralia. Hoc de semine licet hic taceam, quod philosophicum potius quam medicum existat. Quanquam Aristotelica lyra, tum artistarum fistulæ viles, talia minime canant, propterea non est, quo moueatur medicus: nam ipsa natura demonstrat, vbi semen hoc lateat: quid sit Matrix, & quid postmodum ex istis duobus enascatur.

Morborũ origo qualis.

Separatio à medico cognoscenda.

In cuius siquidem distinctionis declarationem, exemplum hoc ponemus. Elementum Aquæ suum in aqua corpus habet, ac sua mineralia producit in aliud elementum, id est, in terram.

terram. Similiter elementum Terræ producit mineralia sua in aliud elementum, videlicet in aerem. Non alias elementum corporale sua mineralia producit in elementum aliud, sicut quod ex elemento aqua prouenit, existit in Physico elemento corporeo: tum quod ex eo latius nascitur, in lucem erumpit. Cum igitur vlcera sint mineralia, hoc ad exemplum referuntur. Terra corpus est mineralium: accidit vt vno loco reperiantur aluminosa, vitriolata quidem in alio, salia similiter in tertio, quarto vero nihil, &c. sic etiam in corpore. Sunt homines omnes corpus morborum vnum, & inter nos omnes genus omne mineralium diuisum est, æqua repartitione. Inde sequitur in vno solum homine minime, sed repartitum, vt quotquot homines existunt, partitiones totidem sint, & iuxta venas & meatus eiusmodi hominem concernentes, sanitas eius aut infirmitas erit. Ad hæc, è libro de generationibus rerum naturalium instrueris latius.

Vlcera sunt mineralia.

DE CVIVSVIS VLCERIS ORIGINE *peculiari.*

CAP. II.

SCribendi fuit penes Antiquos hic vsus, vt vlcera pro maiori parte vocauerint *Apostemata*: sed errore factum, & intellectus sui defectu. Quare non est quod quispiam curet, si quando vocem in posterum Apostema quodpiam vlcus: eius rei causa declarabitur, vbi de apostematibus agetur. Apud veteres etiam nonnulla *foramina* dicta sunt, quæ quidem ego vocaui *Syrones*. Multa *nodos* vocaui *damna*, quæ veteres apostemata scripserunt & vlcera fore, non ex eo fundamento, sed ex abusu potius. Licet in posterum etiam antiquorum ego nominibus vna cum meis vtar, causam hanc esse putes, quia vetera vobis aut aliis nomina sunt notiora. Non quod ea defendere velim, aut eorum significata curem, vel declarationes, quas vna cum textu prorsum reiicio. Quæ Latina sunt nomina, & à Latinis deprompta, illa manent: in his origo morbi fere semper includitur, aut ex cura, vel à similitudine quadam, vel accidentali morbo suo deducta. Apud veteres tamen nomina cum suis morbis valde parum conueniunt, quo fit etiam, vt hactenus plus errorum inde quam boni surrexerit.

Vlcera non sunt apostemata.

Nomina vlcerum varia.

Nomina morbis conuenire debent.

DE NOLI ME TANGERE, VEL ALIAS *Lentigine praua, vel ferrugine.*

CAP. III.

PRimum est, quod in hoc morbo notes, alibi quam in facie non produci, quia ferrugo est ex sale Calebino, quæ prorumpit per vel trans cutem, & postmodum introrsum rodit ex martiali natura carnem ferream, è septem vnam vsque ad radicem alterius carnis. Ad hæc tibi summe foret vtile, genera carnium iuxta metalla, Kakimias, margazitas, vitriolata, &c. cognoscere, quibus inest, locumque proprium habet omne, quod hunc inficit, eique nocet.

Lentiginis prauę locus.

Vlceris huius productionis tale signum habetur. Locus Martialis ad cutem sal suum expellit, crustas & scissuras, vna cum bullis & pustulis producit. Statim atque hoc apparet, adest salis istius copia, quæ violenter, & ita prorumpit in corrosiuam naturam, vt huiusmodi crustas abedat, sub naso fodiat, post ad maxillas, super & subtus labia, nasi cartilagines, maxillas, in palatum vsque, distenditur in latum, ad aures, oculos, & frontem. Et nisi remedium adhibeatur, sumit incrementum, ac ad oris interiora tendit ea corrodens, vt fame pereundum sit. Ad cerebrum vergit intrinsecus, capitis ossa rodit, ac piam cerebri matrem, subitaneamque post mortem infert. Item oculos & auiculas foraminibus circum excauat, & euellit.

Lentiginis productio qualis.

Eius vehementia.

Quod iam de lentigine praua dictum est, alia pariter similium vlcerum genera faciunt aliis locis corporis: at alia via demonstrationeque, modo formaque tamen similibus. Origo materiaque morbos huiusmodi producens, in Anatomia similis existit sali vitrioli colcotharino, iuxta Martis conditionem. Quapropter notandum atque sciendum, statim atque sal istud colcotharinum, alias quam ipsius Martis regiones arripit, signum adesse mortis.

Origo & materia.

Signa mortis.

DE CANCRO.

CAP. IV.

PRout colcotharis est conditio circum se rodere, ac abedere, quum ab eo separatum fuerit, à quo temperatur, ac tum pro situ suo corporis aliqua parte suam tyrannidem exercere: non secus colcotharinum sal acutum est materia producens cancrum, sub hac differentia videlicet viris ex hæmorrhoidalibus fluxionibus, fœminis autem ex menstrualibus. Ex his colliges cancri situs & loca non alibi fore posse, quam vbi fluxus eiusmodi sibi centrum faciunt. Nec alio sese loco ponere possunt, quam ex hæmorrhoidibus inter scapulas, & ex menstrualibus ad pectus.

Cancri materia quæ.

Locus.

Quum eiusmodi cancer exoriri cœperit, eius notanda signa veniunt. Primo sal colcotharinum separatur, & mirum in modum prorumpit in lucem, vt quandoque in verrucæ duræ similitudinem, aliquando crustarum instar: quocunque modo sit, vbi fuerit apertum: si verruca dura sit, sal corrosiuum hoc exedit carnem, & fœtore quod reliquum est, replet: si crustæ, has abedit etiam, & foramen apertum efficit, in latum protenditur, & ex corrosiuorum conditione, circum se rodit omnia cum calore maximo: ex quo rubedo prope vulnus oritur, temporis longo successu tamen summum dolorem adfert, gelu, caloremque, sali colcotharino præter situm assimulatur in lentigine praua suas operationes tyrannicas exercenti. Sub terminum sal colcotharinum hoc in regiones cordis penetrat, non alias quam lentigo praua cerebrum inuadit, & vt ista mortem inducit.

Signa.

Notandum etiam, fluxus menstruales acutissima salia continere. Quare si corrosiui salis in matrice fieret huiusmodi separatio, vt à menstruo seiungeretur: cancrum, vt supra dictum, & prauam lentiginem ibidem ori-

Menstrui sal acutissimũ.

ri posse, dubitandum non est, summo cum periculo, quod vix aut parum cognosci valeat. Est etiam in huiusmodi sale, realgaris quidam concursus qui quidem in sale Calebino minime fit: quo lentigine praua cancer iste periculosior est eo loco iudicandus.

DE GANGRÆNA.

CAP. V.

Gangrænæ materia, & locus.

PAri modo quum sal vitriolatum acutum separatur ad alium corporis locum, quam supra dictum est, vt ad pedes, brachia vel alias partes. Alia ratione duobus prænarratis vlceribus comparandum venit, excepto solo, quod huic alumen plumosum admixtum sit. Eius in carne materia sita est, & liquor existit illius, in quo est, ac mercurialis morbus. Et quamuis alios etiam locos arripiat, eius occasio salia vitriolata sunt, quæ totum perfundunt corpus.

Quum in aliquo membro separatio contingit, vt sal vitriolatum cum alumine plumoso, inciperet carnem & cutem corrodere, primo rubedo quædam oritur, & aliquando calli duri glandium instar apparent, in carnosis partibus, at super ossa rubedo maior: & non alias quam cancer & lentigo praua primum incipiunt circum se rodere: sic istud etiam, peculiaribus cum doloribus, vstionibus & punctionibus, ob salis plumosi concurrentiam. Item prout est corrosiui conditio, quæ de salibus acutis prouenit, circum se rodit in altum, ac inter cutem & carnes, cauitates facit: vbi cum se receperit, humiditate sua perquam acuta, quoduis excauat, ossaque prorsum exedit, vt eis colorem adimat, & neruos contractos reddit: infra membrum tumores excitat, sensum tactus adimit, mirum in modum exulcerat, postremo totius in corporis virulentam infectionem terminatur.

Sunt & alia salia, quæ solum in latum circum se rodunt, & locum sui centri positionísque retinent: quibus quum aliud sal admiscetur, siue ex aluminibus, realgaribus, nitris, &c. iuxta mixturam hanc dolores maiores concipiunt, & ab eiusmodi proprietate rubedinem, corrosionem, & tumorum conditionem. Quapropter notandum, vlcera quotquot similia sunt, & in corpore hunc ad modum apparent, siue lentigines prauæ, siue cancri, vel gangrænæ fuerint, vna sub cura etiã comprehendi posse cum illis, quæ sibi similia sunt apparentibus signis. Poteris etiam tribus vnicum assignare nomen, aut vnumquodque per se relinquere. Non est inter hæc alia differentia, locorum, & liquoris ex quo profluunt. Hoc etiam conclusum volo: qualecunque fuerit vlcus in corpore, superius aut inferius, originem hac via ducere suam, ex vitriolatis, vna cum salium speciebus admixtis.

Vlcera similia sub eadẽ cura.

Vlcera ex vitriolatis.

Quinam possent ex quatuor humoribus ista procedere? quæ si procedere dicantur ex eis, quare Melancholicus humor aut Cholericus, &c. iuxta situm loci corrodit, & non alibi? Vnde conditionem istam accipiunt in latum? & excepto solum eo loco, in quo panciores habetur humores, operatur? Si dixeris eo meatu acquirere, purgariq; prauum quod existit. Dic igitur quando fluere cesset: aut instrue me, num bonum vna cum prauo non effluat? Si de morborum locis loqui voletis, & origines eorum vere demonstrare, quare hoc vel alio loco simile, vel aliud vlcus existat, cur istud ab alio sic differat, ista sine Anatomia elementa probare minime potestis: nam corporis oportet regiones vobis vt proponatis. Et quum eas repartiemini, reperietis, qui mineralia suam originem ducunt, & quid ex eis procedere locis valeat: modo cognoueritis, quænam salia corrosiua quiuis producere loci queant. Nam prout exempla superius data docent, videlicet regionem vnam alia continere mineralia, quam altera, iuxta Solis differentiam in earum productis: hoc ipsum etiam in corpore non alias reperitur. Item postquam salium naturam omnium probe cognoueritis, & quæ sit eorum operatio: tantundem in Microcosmo similiter inuenietis. Quid vos ergo dicere mouit, vlcerum formas tam varias ex quatuor humorib. procedere, quos tribuitis naturæ? Est etiam quod sciatis, vlcera non fore emunctoria, nec meatus per quos aliquid repurgari debeat, vel etiam repurgetur: sed non alias intelligenda veniunt, quam vbi foramen tuis corrodentibus, vel trappanantibus sanum in os inducis: quam diu rodens in foramine fuerit, nulla sanatio potest adesse: talis est salis corrosio suis locis, & in propria sua natura semper, donec adfuerit.

Vlcera non ex humoribus prouenire.

Vlcera non sunt emunctoria.

Iam de aluminosis vlceribus dicendum, quorum conditio solum est in profundum exedere. Hæc suam ducunt originem ex aluminum generibus, & quot alumina, tot etiam eorum sunt vlcera. Quum à suo corpore sal hoc separatur, quod sibi datum erat, & illud amittit, mox inde suum in corrosiuum transit, carnesque (prout omnis corrosiui salis est conditio) rodens exedit. Separationem hanc ad hunc modum intelliges. Nihil tam execrabile vides, quod non etiam aliquid boni contineat, exemplum ab aranea, quæ summum venenum est, è contra summum arcanum in febribus chronicis. Item vinum creticum, optimum, & supremum vinum, è contra tamen in se maxime præ cæteris corrosiuum acetum habet, quod merum est alumen. Vt ex ordine constat naturæ, bonum & malum semper vnum arcanum efficiunt, & venenum æque ac balsamum, acidum æque ac dulce fore debent in corpore: nam in isto colores & sapores omnes existunt, ac similia quæque. Prout in Saturno tres colores videris latere, scilicet rubeum, flauum, & album: tamen in seipso non est color aliquis horum, in ipso nihilominus existunt. In ferro similiter colores, puniceus, rubeus, & niger latent: ferrum in seipso non est colorum istorum etiam aliquis. Ab hoc exemplo iam intelligite, non alias ac per separationem huiusmodi colores manifestantur, salia pariter in separatione cognoscuntur. Et prout Saturni rubeus color tingit in rubedinem, flauus eius in flauedinem separationem

Vlcera aluminosa.

Aranea summũ arcanum in febribus.

Vinum creticum corrosiuum.

Saturni tres colores.

ſeparationum viribus, ſic etiam alumen, & ſal in vlceribus. Quod ſi mirari te contingat, quinam alumen aut ſal, &c. ſic in corporibus exiſtere poſſet: conſidera, quinam acetum ſit in vino, vt minime percipiatur. Latius in cupro latet vitriolum, & ipſummet cuprum eſt vitriolum, & in ſeparatione tale nec non idem ſit. Nota ſuper his in forma ſeparationem exiſtere, fierique, non in ſpecie. Vna ſeparatio cupri tranſit in ſal Veneris, quod longe corroſiuius eſt vitriolo, fitque ſeparatione formæ, non ſpeciei. Per formæ ſeparationem concludentes iſta relinquemus.

Vlterius quum ſimile quid per ſeparationem oritur, iuxta ſeparationem eſt corroſiuum: alius dolor exiſtit, & foramen aliud. Differentiam inter alumen & æris viride conſpice, crudum & aduſtum, inter quam diſſimilium conditionum exiſtant: ſic & foraminum aut vlcerum eſt conditio (tamen in profundum tendunt omnia) tum eorum malitia, hoc eſt, quum peiora ſunt, quam ſalium ſit conditio, conſiderandum eſt, id à concurrentibus mixtionibus fieri, quæ magnitudinis multitudiniſque ſunt vlcerum vel foraminum cauſæ. Sic Lupus, Eryſipela, profunda Eſthiomena, Fiſtulæ, Scruphulæ, nec non id genus ſimilia naſcuntur, quibus veteres admiranda nomina dedere multa, quod quidem valde minori poterat exequi.

Alumen & æs viride quid differat.

Lupi talis eſt origo. Si corporis aliquo loco fieret ſeparatio, præſertim carnoſis in partibus, quod iſtæ ſint eiuſmodi foraminibus obnoxiæ (nam ſuper tibias, vel in ſiccis locis corroſiua non ita poſſunt ac in aliis operari) lupuſque foret: hunc aliud nil exiſtere ſcito, quam ſal Mercuriale, hoc eſt, Alumen: ex Mercurio namque ſal hoc procedit aluminoſum, quod pari modo, quo vitriolum à corpore ſalis, à Mercurio ſeparatur, nec non alumina quæque. Inde ſequitur hunc ſui centri locum eſſe, quo generatur, & manifeſtum ſe facit: quamuis hepati perperam aſcribitur, quod morbus atteſtatur per ſeipſum. Huic ſi quid ex aliis membris afflueret, aliud nihil quam ſeparationis reſolutio eiuſdem ſalis, & ex in externis partibus corporis. Aluminis igitur conditio eſt, vt quum ſeparatur, ſuam in carne petulantiam exerceat, hanc putrefaciat & exedat, aliis proprietatibus quam de præcedentibus dixerim. Qua de cauſa quum in vlcus hoc impoſita fuerit alia caro, peroptimeque ligata, miſcetur alumen iſtud alienæ carni, quam etiam edit, viua tantiſper in ſua quiete relicta. Permanentis etiam & fixæ conditionis eſt, circumferentiam ſuam indurat, ac ſi muniret aggeribus, ne quid alienum ſubintret, præter ſuum reſolutum, quod vrit abſque requie: durat annos circiter quinquaginta, ſuo loco manet, circum ſe latius non rodit, quam regia ſuo continet. Si morbus acutus, vt Antrax vel carbunculus acceſſerit, tum primum ſuam proprietatem amittit, mitiſque redditur, in ſignum tamen mortis.

Lupi origo.

Materia.

Materia.

Fiſtularum origo pariformiter exſurgit, vt quum alumina ſimul vna cum nutrimentis aliquo loco reſoluuntur. Hæ ſuum locum incluſum appetunt, hoc eſt, putrefaciunt, & non corrodunt: eſtque dulce quoddam alumen earum. In lacertis primum oriuntur, etiam in iuncturis arterias inter, aut ligamenta. Poſtquam occultam eiuſmodi putrefactionem fecerint, aut in latum extenderint, ſpiraculum ſibimet parant non alia de cauſa, quam ad reſpirationem. Ob debilitatem iſtius aluminis corrodi cutis nequit. Poſſunt etiam ex omnibus vlceribus & vulneribus naſci, ratione quam de vulnerariis fiſtulis prius enarrauimus.

Fiſtularũ origo.

Materia.

Malitia.

Huius generis alia multa foramina fiunt in corpore, quæ minora ſunt extrinſecus, quam intrinſecus. Iſtorum eſt conditio, dolores non inferre, ſed prout aluminis dulcis eſt natura, ſemper humiditatem emittere, vel in aquam reſolui ſic & fiſtularum conditio, ſpumam, aquam, & ſaniem eiicere. Vbi tamen glaciei non fuerit alumen, aut eius acuitas mortificata: nam per iſtud fiſtula cauernoſum vlcus efficeret. Cum fiſtula perſeuerat in exaltatione ſua, manet quouſque morbus ad eam alius accedat: nam ex fiſtulis mors nulla producitur.

Cõditio.

Latius in alumine conſiderandum, id quod plumoſum vocatur ſæpius manifeſtari, de quo mirabiles admodum conditiones oriuntur, vt ſcrophulæ, formicæ, & id genus alia, quæ producuntur ex alumine plumoſo: quum ſeparatur, tria, quatuor, quinque, vel plura centra facit, vſque in centum vel ducenta, hunc in modum. Quoties gutta ſeparatur, toties ea coagulatur, & hac duritie circum ſe corrodit in foraminis productionem: & vbi multæ guttæ reſoluuntur multa foramina pariter fiunt, nodi, glandeſve donec incidant. Quandoq; mitigatur per aluminis dulcis acceſſionem, vt ſua foramina dolores non ita vehementes inferant, ac per ſe: nonnunquam ab arſenico malitiam ſuam adauctam habet, qua peius efficitur, quam alias exiſteret. Quicquid ſit, ignorandum non eſt eius fore conditionem, vt multa foramina corrodat, primo bullas vel puſtulas emittendo: poſtmodum vbi ſatis corroſerit, vnaquæque foramen ſuum adfert. Huiuſmodi plumoſi conditio quum incipit oriri, duplici via manifeſtatur: Priore, nodis ac duris glandibus præmiſſis, ex quibus fiunt ſcrophulæ, nec non id genus vlcera multa, quæ ſub ſcrophulis omnia comprehendenda ſunt. Poſteriore, pruritibus & vſtionibus primum aggreditur, ex quibus non adeo magna vel profunda fiunt vlcera, ſed peiora ſatis & acutiora, iuxta mixtionis incidentiam, ſeſe multo minuſue manifeſtare poſſunt. Notandum inſuper fœtorem profunditatem, vermes, & ſimilia, quæ occurrunt in ſimilibus, occaſione carnis fieri, quæ conditionis illius exiſtit, vt iſtorum facile generationem admittat. In carne vermes quandoque naſcuntur, quandoque putrefactio nimiam in reſolutionem tendit, vt in fœtorem tranſeat: quæ tamen omnia curam non concernunt. Pariter ſi cum Gangræna quod vlcus appareat, cauſam eſſe putandum eſt, quia bonum atq; malum acidentia ſua recipiunt.

In alumine quid cõſiderandum. Plumoſum.

Plumoſi cõditio.

Vermes in carne nati.

Sal etiam vrinæ varia producit vlcera, per vrinæ viam omnia, prout in cambuca, ſimilibuſque.

Vlcera ſalis vrinæ.

busque. Sal istud vna cum vrina simul, vt acetum cum vino bibitur, effluere debet. Quum tamen in separationem transit, inde mox centrum sequitur, post eruptio manifestatioque foraminis, quod pro conditione sui salis formam habet. Simili processu cognoscuntur salia hæc omnia, quæ ex salino vero corpore profluunt, quæque plura sunt, sub fundamento comprehensa tamen omnia, prout ipsa cambuca continet.

DE CONDITIONIBVS, ESSENTIIS, *& proprietatibus vlcerum.*

CAP. VI.

Vlcerum colores.

SCiendum etiam de coloribus, qui videntur vlceribus accidere, solum ex salibus, è quibus oriuntur omnes, procedere pariter & formas. Vbicunque sal non fuerit, ibidem & color nullus, & in extractione proprietatum salis, colores fiunt manifesti: sic etiam ex forma varia curantur, idque iuxta species. Crystallum in angulos cudit aliud nihil, quam sui salis proprietas: quod citrinus lapis aliam formam habeat, alterius est sui salis causa: sal aliud in Saphyro, quam in Granato: similiter aluminis est alia forma, quam in vitriolo. Salis communis formæ variæ sunt, vna quidem aquea, cotis instar alia, granulata quædam, &c. Sic & vlcera corporis apparent, longum vnum, latum aliud, angulare hoc, rotundum illud, quod salium suorum, vt cuiusque quæque proprietas, efficit.

Formæ.

Quales in quatuor elementis formæ producuntur, vt arbor nulla sit alteri similis, herbæ semina quoque similiter: hoc in elemento terræ. In elemento aquæ lapis nullus alteri similis etiam existit: quæque proprietas manet in seipsa, prout suum sal ordinat: sic etiam in homine proprietas.

Colorũ ac formarum quæ sint origines.

Libenter autem à medicinæ Sophisticis audirem, vbi colorum origines forent, ac formarum. An in Melancholia vel phlegmate respondeant: hoc mihi demonstrent in metallorum, lapidum, & arborum generationibus. Nam vnum & idem est, quod formam dat hominib., & quod elementis. Vnde prodeunt hi humores? vnde suam originem ducunt? potestis ipsi vos considerare, corpus internum, externo corpori nullum chirurgiæ morbum introducere posse: nam hoc loco separantur ambæ medicinæ, videlicet interni corporis, & externi. Si forte putatis vni foramini quemcunque clauum adaptare, latius in mea Physica librorum paragraphorum documentum accipere poteritis, quam hoc loco, qui chirurgiæ tantum existit.

His paucis origines, materias, & causas ex quibus vlcera quæuis oriuntur, abunde satis à me declarata fore volo. Quanquam vlcera plurima, variæque formæ possunt ex salium diuersis conditionibus oriri: cum tamen cura eorum minime requiret, manere volumus. Summa cura fuerit in istis necessitas, id à fundamento probe curam intelligere.

DE CVRIS ET SANATIONIBVS *Patentium vlcerum.*

CAP. VII.

CVra sanatioque patentium vlcerum in Balsamo solum consistit, quod eo corporis loco simile Balsamum deficiat. Verbi gratia: Corpus in se Balsamum continet, quod à putrefactione conseruat quicquid in illo continetur, vbi tamen eorum aliquid à corpore separatum fuerit, huic balsamo non subest amplius. Inde sequitur medicamentum in corporis natura latius esse quærendum.

Balsamũ cura vlcerum.

Balsamum quo sanari debent vlcera, consistit in exterioribus elementis, & est id, quod alia genera defendit à putrefactione. Merito dici potest igitur, quod sit Mumia corporis exterioris elementorum, hoc est, fructuum eorundem. Quamuis etiam Mumia sit, cum tamen ab vno in aliud corpus applicatur, Balsamum est. Nam quod ex vno corpore transfertur in aliud, vel permutatur, est Mumia transmutata sub nomine Balsami comprehensa. Vt sciatur tamen, vbi lateat Balsamum, in vnoquoq; naturaliter composito fore minime dubitandum est.

Balsamũ in quib. cõsistat. Balsamũ quid.

Mumia quid.

Huius extractio Balsami fit in separatione, sic, vt hoc ipsum, quod sustentatur à Balsamo, sumatur. Iam ad hæc animaduerte, Balsamum existere, præter liquorem Mercurialem. Vnde sequitur in Mercurio sanationem omnem contineri. Similis & potentissimus in Thereniabin, & Nostoch, item in aquæ mineralibus, terræque fructibus Mercurius habetur. Ex eo colligi potest, Antimonium excellentissimum vlcerum exhibere medicamentum, cum huiusmodi liquoris Mercurij plus in se continet, quam aliæ quæuis Margazitæ, Kakimiæ, & cætera similia. Solum ex eo curam & sanationem suam recipit aurum, quod supremum arcanum & remedium habeat. Subtilior enim liquor Mercurialis inter ea, quæ per elementum aquæ producuntur, minime reperiri potest. Similiter eorum, quæ terra profert, nullum excellentius arcanum sanationis habet, quam liquor Mercurialis ex Realgare Cheiri. Sic de cæteris.

Balsami extractio.

Antimonii præstantia.

Ad vniuscuiusque liquoris Mercurialis cognitionem, animaduerte, quum in huiusmodi liquorem metalla transmutantur, vt pro parte crocus Martis existit, ex alia flos Veneris, & pro sua parte spiritus Iouis: non tamen eo prorsum adductus: quum separatio vera facta fuerit, iuxta sui recepti, vel processus potius tenorem vnusquisque liquor Mercurialis huiusmodi potentissime curat vlcera.

Mercurialis liquoris cognitio.

Plurima describuntur ad vlcera balsama, iuxta mineralia quatuor elementorum, in emplastrorum formam aliqua, nonnulla puluerum, aquarum, oleorum, &c. quocunque modo fiant, eiusdem curæ sanationisque balsama sunt. Quamuis apud veteres varia sunt recepta, nec non ordinationes cum regiminibus, quæ huc adducere minime volo,

Balsama plurima ad vlcera.

volo,

volo, cum naturæ prorsus contraria sint in vlcerum curis, ad hoc tam inepte posita sunt administrataque, tum præter necessitatem omnem regiminibus onusta, naturæ potius inimicis quam acceptis, minime consideratu necessaria, tamque varia, quæ penes antiquos scripta reperiuntur, quibus quidem seipsos, nec non alios misere seduxerunt, ac ægros perdiderunt.

Balsami natura.

Quapropter latius de Balsami curis & natura notandum, hoc ipsum fore, quod separatum adimit, & abstergit, corpusque restituit in huiusmodi naturam & conditionem, vt proprium eius balsamum rursus in pristinum locum antea corruptum redeat.

Balsamũ ex auro.

Primo quod ad Balsamum attinet ex auro productum ad hunc modum elicitur, vt aurum hoc absque spiritu salis omni, tum realgare vel similibus, in puluerem, oleum, aquam, aut huius generis tale quid adducatur: quod nedum in auro, verum etiam in quouis ei simili corpore per transmutationem fieri debet. Nam absq; simili transmutatione, minera nulla suas operationes adimplere potest, vt in se continet ac habet à natura, licet aliquam similitudinem exhibeat, ex fundamento vero non procedit. Eius extractionis processus est, vt aurum per Thereniabin crudum in succum reducatur absque destillatione quauis. Nam per destillationem sal exaltatur, quod in hoc auro nullo modo prædominari debet: nec alia via quacunque reducendum est in puluerem. Receptum eius hoc esto, quod sequitur.

Receptũ.

℞. *Auri laminati drachmam, Olei de pino drachmas quatuor.* Pone simul in digestionem septimanis quatuor: postmodum oleum ablue, manebit in fundo puluis. Hunc vna cum Thereniabin crudo poteris administrare. Vel alio modo sic facito.

℞. *foliorum auri drachmam, Olei Masticis drachmas sex.* Digerantur per mensem. Postea separabis ab oleo, sicut prius, & affundes alchol vini, digeri permittes octo diebus, postmodum abstrahatur è balneo Mariæ. Hoc oleo quidem vtere. Si dicant alij medici, hoc medicamentum nimis fore pretiosum, aut subtilius æquo, loquetur eorum inscitia. Nam leuius, minusque medico decipere volenti, vel ægris imponere, satisfacere poterit. Qui sanare vero cupit, morbos quoque rite pellendi suscipit onus, tantum accipiet pro suo medicamento, quod compensare sumptus valeat.

Oleum.

Balsamũ ex ferro.

Ex ferro similiter habetur balsamum ad hunc modum, scilicet, vt cum aceto destillato reuerberetur in crocum, à quo postmodum octies aut nouies eleuetur sal armoniacum, & inde post in oleum redigatur optime dulcificatum. Horum vsus, auri videlicet ac ferri sit, vt illud qualibet septimana ter vlceribus patentibus imponatur, ferrum vero singulis duodenis horis semel.

Balsamũ è cupro.

Pariter in cupro simile Balsamum existit, quum in vitriolum rursus conuertitur, & hoc in aquam, eiusque postea colcothar in rubeum oleum: quæ quidem ambo valent ad omnia vulneraria vlcera, sicut cancer, lupus, fistula, vel similia corrodentia quæq; foramina fuerint.

Balsamũ è plumbo.

Etiam ex plumbo poterit haberi spiritus iste, si per acetum destillatum ex cineribus eius extrahatur. Quæ dulcedo postquam in oleum venerit, nedum vlcerum patentium, verum etiam apostematum & vulnerum admirandum est remedium.

Balsamũ ex argẽto viuo.

Similiter ex Argento viuo, quum in oleum conuertitur, auri balsamo comparandum venit: & vbi congelatum postmodum fuerit à colcothare, postea cum aqua Parthenionis administratum, omnia quotquot sunt excellit balsama. Et in crocum versum, aut præparatum in florem, vlceribus eiusmodi summam curam exhibet. Si medici, qui medicam hactenus exercuerunt artem, tales forent, quales fore præ se ferunt, metallorumque proprietates cognoscerent, in fabrorum officinis metallariis meliorem fore medicinam, quam in pharmacopoliis Francofurdianis perciperent. At ipsi credunt, quo longinquius habent negotium, eo sapientiorem sub rubeo pileo stultum existimari.

Realgaridarum præstantia ad vlcera. Arsenicum.

Præstantissimum etiam ad vlcera patentia remedium adferunt ipsa realgarida, prædictis non immerito comparandum. Arsenicum enim quodcunque patens vlcus, cuiusuis etiam conditionis fuerit, validissime sanandi sufficientes vires habet, hoc suo processu tamen, vt sibi venenum quod habet, auferatur ad hunc modum. Fixandum est per sal vrinæ, demum in oleum per seipsum conuertitur, quoduis vlcus patens persanandi potentissimum.

Antimonium.

Hac via cum Antimonio feceris idem, vbi hoc in pultes aqua vitrioli decoxeris, & postmodum ab eo sal armoniacum eleuaueris, colato, & inuenies rubeum obscurum colore, liquorem & spissum, earundem, vt ante dictum virium.

Nec est quod mireris, vlcera curari sanarique simplicibus huiusmodi, quod natura per seipsam has virtutes composuerit, ac dederit mineralibus, vt auro circiter sexaginta, cupro viginti, realgari triginta, &c. Quapropter ego merito recepta prorsus inualida reiicio, quæ posuere medici nullius artis aut peritiæ. Hi conati sunt suis compositionibus integram reddere naturam: interim non considerarunt istam per seipsam esse compositricem, nec sciuerunt locum in quo pharmacopola naturæ moratur, imo naturam contempserunt, & istius medicamentis meliora se putarunt æneis capsulis includere posse, quam arcana sint naturalia.

Medic. reprehẽsio.

Salium vires ad vlcera.

Salium etiam vires ad vlcera patentia maximæ virtutis existunt, quum alumina suis priuantur corrosiuis, absque stipticæ suæ conditionis corruptione, sic, vt ab alumine liquor sumatur, non tamen à calcinatione. Contra capiatur à vitriolo suum oleum, & liquor nullus: à sale color puniceus, alio semoto. Quis præparationis eorum sit processus, optime satisque notum. Vsus tamen, vt cum eis procedatur, est vt ipsæ thermæ continent. Quandoquidem ex salibus omnia balnea procedunt. Horum etiam virtutibus aqua frigida calescit in balnea, quæ patentia quæuis vlcera curare, sanareque possunt.

Balnea omnia ex salib.

Quæ supra posita sunt, elementum concernunt aquæ: iam latius quinam elementi Balsama terræ veniant in vsum ad sanationem vlcerum audite. Primo notandum est Mumiam terræ balsamum exhibere: quum ad eundem salis vrinæ modum in alcali reducitur. Postmodum omne quod ex terra nascitur, Mumiam latius præbet. Gradus eius melior omnino redditur, vbi simul ista fuerint in mixtionem adducta, de qua postmodum extracta Mumia sit.

Balsama terræ.

At vera balsama quæ latent in arboribus, & pro parte sese patefaciunt, prout gummi non sunt, hoc loco pro balsamis habenda. Sed quod Botin & Iuniperus exhibet, partim in vlceribus aliquid potest, in vno quam in alio magis tamen: aliquando frondes, alias fructus excellunt alia. Cum tamen in particularem vsum adduci debeant, eorum hic ego præparationis meminisse nolo: quod vlcerum curationis & sanationis in eo fundamentum consistat, vt generale balsamum fiat, quod omnia curet. Non est vtique cætera quæuis, inter producta naturaliter, arbores aut herbas, aliquod Parthenioni simile, quum liquores eius in modum extrahuntur, vt sua virtus Mercurialis maneat, cum administratione sui vera: hac via potens euadit chirurgus in fistulas, vlcera corrodentia, cancrum, ferruginem, &c. quocunque modo vel forma fuerint. Et non alias ac moscus aromatum odores excellit omnes, Parthenion virtutes omnium vegetabilium, arborum, herbarum, &c. quæ terra producit. His ego Balsamis terræ Mumiæ, compositionis eiusdem & Parthenionis, omnium terrenorum balsamorum vires conclusisse volo.

Balsama arborũ.

Pari modo quod elementum aeris in suo Thereniabin exhibet, liquosa Thereniabin existit, supremi balsami. Sed pro tenore suæ conditionis, & elementi proprietate, separari debet à sua humiditate, per additionem Parthenionis non alias & Nostoch. Cum tamen ista non sint in vsu, repertu satis difficilia. Quapropter in præcedentibus curas admodum potentes posui.

Balsama aeris.

Tandem vt ad vsus ordinem deueniamus, & vnicuique morbo suum peculiare medicamentum assignemus, vt vtriusque species Anatomiæ demonstrant, prout in praua tentigine, excepta practica tamen antea data, curam eius accipe, notaque diligenter. Principio mortifica materiam, postea mundifica, deinceps cura sanaque. Mortificationem etiam notato fieri debere per dulcia realgaria, quæ nullam acuitatem vel asperitatem habeant: nam istis fieri non potest, vt recte cura succedat, quantum ipse morbus expetit: similiter in aliis vlceribus. Mundificatio fieri debet sub emplastro curatiuo, sic vt ligatione quauis eius materia sumatur, quantum hac vice docebitur. Cura talis erit, vt maturum efficiat vlcus, attrahat immunditiam, vtque natura sanare valeat: quod nisi fiat, nulla sanitas venit exspectanda. Mortificatio necessaria est ad morbi tollendam vitam. Mundificatio quidem, vt successu temporis, quod mortificatum est, auferat: cura vero facit in defensionem.

Balsami vsus.

Mortificatio.

Mundificatio.

In praua tentigine, noli me tangere, vel ferrugine talia recepta sunt.

℞. *Realgaris sublimati* ℥ j. coquatur in aceto duabus horis, & quum exiccatum fuerit, adde huic *olei Maioranæ* ℥ ij. simul commisceto. Hoc vnguento ligabis vlcus ad extensionem sui, quam tenuissime potest, & repetitis vicibus extrinsecus inunges oleo, ne siccetur. Maneat ita diebus duobus cum suis noctibus. Tandem incipiet saniem & aquam emittere, quo signo percepto, hoc emplastrum superponito, maneatque tantisper, donec nulla sanies effluat amplius, aut alia fluxio.

Noli me tangere.

Mundificatio.

℞. *picis naualis vnam libram, Visci pini & abietis ana lib.* ß. *Visci locustarum è larice. lib.* ß. *Pici larignæ* ℥ *iij.* liquefiant omnia simul cum sui omnium ceræ medietate, ac olei quantum satis fore videbitur, vt formam acquirat emplastri. Quod istud non extraxerit, alia quæque nequibunt. His peractis curam aggredere.

℞. *Ceræ, Picis communis, ana lib.* ß. *Aristolochiæ rotundæ* ℥ *iij. Mumiæ* ℥ *ij. Antimonij triti* ℥ *iiij.* ß. Fiat emplastrum, & eo mane vesperique ligabis, iuxta consuetudinem.

Aliud emplastrum.

℞. *resinæ abietis lib.* ß. *Visci consolidæ* ℥ *iij. Succi chelidoniæ quantum sufficit*, inde fiat emplastrum. Notato, maximam huius artem & curam in vnguento primo sitam, & in altero scilicet emplastro fluxus extractionis.

In Erysipela cura communis esto hæc.

Primo cape *glutinis aquatici* ℥ *iij. destilletur in aquam*, cui fimum iniice mineralium, & fiat decoctio per horam, donec in pultes vtcunque spissas euadant, quibus adde *camphuræ* ℥ *j.* ß. fiat vnguentum, quo tibias ligato singulis ternis diebus semel, tribus septimanis continuis. Postmodum vlcus hoc ablue foliorum quercus aqua mundum seruando, vel aqua salsa: sic fiet vt æque sanetur, ac si medicamentum superpositum foret. Nam conditio talis est huius medicamenti, vt septimanis tribus postmodum operetur.

Erysipelas.

Ad Cancrum.

Postquam gluten aquaticum in aquam reduxeris, huic tantundem adde colcotharis, & ad istorum singula pondo libramve, floris æris ℥ *j.* ß. adde: simul commisce, primoque super vlcus pone, putrefietque, super illud permitte, quod plerunque fieri die quarto solet. Postmodum emplastrum appone mundificatiuum, quod in tentigine praua descriptum est. Et vbi totam immunditiem extraxerit, puluerem hunc supersperge. Recipe pulueris ex succo *chelidoniæ, Parthenionis, Centaureæ ana* ℥ ß. *Mumiæ* ℥ *j.* sub istis pulueribus mane vesperique ligatum vlcus hoc optime persanatur.

Cancer.

Ad Lupum.

℞. *Realgaris crystallini* ℥ *j. Olei ardentis* ℥ *ij. Cerussæ drachmas duas*: fiat vnguentum, quod

Lupus.

quod circum lupum apponatur, vt vlcus non intret. Ligationes innoua singulis duodenis horis semel in sextum aut septimum diem. Postmodum aufer hanc ligationem postremam, & abstine tandem ab ea, tantisperque relinquatur vlcus, donec locus ille circumseptus abeat & per se. Quo facto, lauetur mane vesperique hac aqua, sequentique ligetur sub emplastro, iuxta communem vsum. Recipe *aquæ glutinis, Rosarum ana ℥ vj. Parthenionis ℥ v.*

Aliud Emplastrum.

℞. *Olei lini lib. ß. Viridis æris ℥ iij.* Ceræ tantum, vt istius posterioris, coquantur simul in cerotum. Cui gummi Bdelij colati ℥ij. adde ligaque iuxta morem, ordinis quoque tenorem.

Ad Fistulas.

Fistulæ.

℞. *aquæ de cornibus cerui lib. j. Centaureæ, Consolidæ aureæ ana ℥ iij. Parthenionis ℥iiij. ß.* His impone *Reubarbari, Mannæ electæ, Spermatis ceti ana ℥ j.* Huius optime commoti singulis vicibus mane vesperique bibatur cochlear vnum, & mox inde vini cochlearia tria. His potiunculis mundificatur interne fistula, per seque sanatur, absque medicamento latius externeque posito. Si tamen aliquid superponere velis, hoc sit emplastrum.

℞. *de gummi quatuor, ℥ ij. Ceræ lib. j.* coquantur simul, & iniice *visci botini ℥ iij.* fiat emplastrum.

Ad Gangrænam.

Gangræna.

Eodem vtere medicamento, quoad prauam tentiginem, etiam ad vlcera corrodentia, excepto quod additionem hanc facias, vt curatiuis emplastris ad *lib. j. Scammoneæ ℥ ß.* adiicias, cui peculiaris ad corrodentium virtus inest vlcerum curam.

Ad vlcera putrida cauernosa.

Vlcera cauernosa.

Primo *croci, Hermodactylorum accipe grana vj. Olei nucis grana iiij.* Permisce, ac in quinque partes diuide: quarum vnam singulis noctibus administrabis. Postmodum sequens emplastrum super totum crus pro damni latitudine, vel extensione ligato.

℞. *ceræ abietis albi lib. j. Visci de Botin lib. ij. Resinæ communis lib. j. ß.* Liquefiant omnia simul, & eis adde nucum *olei lib. iij. Minij, Lithargyrij. Lapidis calaminaris ana lib. ß. Tutiæ ℥ j. Carabis ℥ iij.* terenda conterantur, & ex omnibus fiat cerotum. Et postquam satis coctum fuerit, adde *calcis corticum ouorum ℥ vij. ß.* & in magdaliones agitato. Huius emplastrum super damnum duobus relinque diebus atque noctibus, & amoto post, recens aliud superponito, repetendo ter processum hunc. Eo crus in fluxionem peruenit, qua tota virulentia repurgatur, tumorque residet, ac sedatur dolor, & hoc deinde curatur vnguento:

℞. *butyri non cocti lib. j. Terebinthinæ lotæ lib. ß. Succi Parthenionis, Chelidoniæ ana ℥ iij. Cerussæ ℥ j. draclimasque ij. Ceræ,* quantum ad incorporationem satis fuerit.

Ad Scrophulas.

Scrophulæ.

℞. *vini ardentis ℥ v. à colcothare & fimo mineralium sua extrahas alcalia,* Deinceps *eius ardentis vini sume ℥. ß. Aquæ rosarum ℥ij. aquæ chelidoniæ ℥iij.* Intinge fila, quibus madidis vlcerum foramina mane vesperique repleto, donec sanentur vltra medietatem: postea sub vnguento, quod supra datum est ad vlcera cauernosa ligato. Pari modo si Gangrænæ his innascerentur, amoueri possunt, vel si fœtorem aut vermes conciperent. Item eadem via formicæ curantur, efferæ, circumrodentiaque foramina.

Recepta plurima reperiuntur alia: quid ad rem? cum eis melior chirurgus minime reddatur, nisi tritus & expertus in illis fiat. Recepta iam quæ satis fore possent, scripsi, diligentiam latius adhibeat medicus chirurgusque, vt eorum conditiones & proprietates intelligant, & cum eis indies progredi valeant. Optimum hoc loco habendum artificium, ea probe tenere ac intelligere, quæ quicunque nouerit, opus non erit isti multos libros voluere. Vnicum siquidem ex æquo notum receptum plus prodest, & maioris est momenti, quam tot ac tam copiosas monasteriorum bibliothecas perlegisse, ac inter millena folia vix medium intellexisse. Alia quæ penes alios Doctores scripta sunt, passimque multorum manibus volutantur, quo magis nota fuerint, eo maiores inde nascantur errores, & ægrorum infinitæ ruinæ. Quapropter notandum ea, quæ natura dedit remedia, solum in longis receptis esse consideranda.

Receptorum paucitas præstantior multitudine.

Sunt & alia medicamenta quædam, quorum hactenus mentionem adhuc nullam feci, chirurgorum excogitata nequitiis, loculis suis quam ægris vtiliora. Nonnulli chirurgiam agunt rubeo sub Henrico (prout vocant) alumine quidem aliqui, vna pars arsenico, plerique sale armoniaco, ex quibus lixiuium parant, panniculos, ac alia potius histrionum opera, quam proborum chirurgorum. Viuentibus corrosiuis vlcera sanare præsumunt, quibus omnino deprauant cum eo damna, quæ tandem occurrunt, amouere nequeunt, nec euitare. Nihil prorsus emplastrorum aut vnguentorum habent, quod bonum in finem tendat. Gloriari iactabundeque seipsos extollere, potissimum eorum est magisterium, imponere, mentirique optimum vnguentum. Huiusmodi prauis medicamentis vtuntur medici nequam, & chirurgi plurimi, cum vno loco residentes, tum campiuagi circulatores. At istorum nemo finem perfectum attingit, imo potius eo tempore, quo de fine bono sperandum esset, per idẽ foramen, quo se vaccæ conferunt ad prata, hoc est, per portam aufugiunt: nedum priuati medici, verum etiam altius intitulati, huiusmodi nequitiis ac imposturis alere se minime verentur. Quanquam eorum id etiam exigit necessitas, cum in libris suis nihil extiterit veri, tum in suis compositionibus aliud non præter imposturarum in ordinem dispositio quædam: itaque studuerint, vt quæstum in dies nouum dolo fraudeque facere possent, quod eorum est fundamentum artis. Talis medicorum fraudulentorum nequitia, confirmata & approbata est ab Ecclesia, si potestatem & authoritatem

Medic. reprehẽsio.

Medic. reprehẽsio.

authoritatem eis concedat, vt volunt imposturis vti, cum istas Auicenna, Galenus, &c. scripserint, hac de causa bene se habere debent omnia.

Hæc non admiror, cum in medicina maior impostura sit, à sanctorum vicariis vsitata, qui quidem vlcera patentia, quæ natura parit ex defectibus, in diui Ioannis pœnitentiam, & in S. Kiriaci vindictam alij, vel in ignem S. Antonij transmutant, & similia: missas legere committendas iniungunt, orationes & ieiunia, Sancti manum supra fontis aquam olefacere; nec non isti perquam humiliter offerre, perpetuum ei seruitium addicere, pollicerique, singulis annis iuxta facultates portendere manum, in societatem inscribi: Sanctum quotannis inuisere, num adhuc viuat, an celebrari sibi nuptias velit, vxoremque ducere. Similes nequitias tam auide spirituales amplectuntur aliqui, sanctosque fingunt medicos, & pharmacopœos ex aquis sibi faciunt. Cur mihi displiceat, ratio hæc est (vt intelligi facilè potest) si medicos eos fore decet, qui talia committunt, boni, veri, probique fiant medici potius, quam his trufis maculatos fore cupiant ac onustos. Quod vero sanctos excusem, & eiusmodi vicarium sanctum appellem: hac de causa factum, quod aliquando medicinam tantillum norit, vt ex chelidonia cum aqua facere decoctionem, ex quercinis foliis, & similibus aliis (de his plura, quam par sit loqui nolo) per quæ naturæ talia curare foramina & vlcera possibile est ex aliqua parte. Sed vt imposturis suis faciant satis, honorem Sanctis attribuunt, ac manus suas lauant, æque ac Pilatus innocentes. Interim ego valde maius taceo, quod reuelatione dignius foret, vtpote multis magicis operationibus eos vti, quibus aliqua sua complent opera. Nisi Theophrastus in eo Xenodochio decubuisset, mentitum esse nebulonib. istis ipsum toties quoties oporteret. Hæc & similia producit hominum auaritia, progressum dat ac defensionem. Item fritellam infernalem erga suos superiores.

Sanctorū morbi. qui.

Experimenta quædam ad hæc plurimum vtilia tum ad præueniendum accidentibus, doloribus ac deprauationibus vlcerum detegere, docereque volo. Non ea conditione vel opinione tamen, vt perditis medicis, qui fraudibus & imposturis assueti sunt, instructionem ad suis nequitiis faciendum satis, dare cupiam, sed quod ipsos minime celare queam: nam si velim ægris impartiri, cogor & illis exponere. Hoc me contra solatur, nebulonibus id prodesse parum, quo nituntur ad nequitiam vti.

Experimentum ex aloepatico sumitur ad hunc modum.

Hoc in crudo Thereniabin destillabis, quod Balsamum optimo iure vocare potes, quo curantur gangræna, cauernosa vlcera, patentiaque: hæc illi pecuniarij perditi, perdentesq; medici *S. Ioannis pœnitentiam* vocant atque vindictam. Quot homines fraudastis vos nominibus sacris, patres memorandi, scilicet. Verum necessitate ferrum perfringitur: eo vos adducunt concubinæ vestræ cum spuriis.

S. Ioannis pœnitentia.

Aliud experimentum, penes hos & pretiosos medicos habetur ad hunc modum.

℞. *Salis armoniaci* ℥ *iij. Salis communis* ℥ ß. *ponantur in aquam, & bulliant.* Postmodum adde gummi atramentarij ℥*iij.* vt simul omnia liquescant, & in duritiem excoquantur. Huius ad fabæ quantitatem in aquæ mensura particulam iniice. Laua tandem, vlcera quæuis hac aqua mundantur, fiunt recentissima, nec non ad sanationem disponuntur. O quoties fons vester hac via temperatus exstitit: sat scio vos intelligere me.

Experimētum.

Aliud experimentum ad vlcera cauernosa.

Aperiantur venæ tres ad pedes existentes. Postmodum coq; Thereniabin crudum cum aloepatico, hac decoctione lauentur vlcera. Vidi quondam Diabolorum coniuratorem, qui sacris multis exorcismis curabat vlcera, nihilominus vtebatur medicamentis etiam. Hominibus persuadebat ex tibiis Diabolum se pepulisse, tandem superponebat sal benedictum, vt in eas non rediret amplius. Hac via Medicina sua priuata fuit honore, quo diabolus ornatus exstitit.

Aliud experimentum.

℞. *Parthenionem, & Consolidam auream,* simul contusas vlceri superponito, maneantque tribus horis, abiiciantur postea, lauetur vlcus foliorum quercinorum aqua: sic periculosa vulnera sanari possunt: Plurimi sanctorum quos dixi, hoc aluerunt opere se.

Aliud experimentum.

℞. *Chelidoniæ succi lib. j. Aloepatici* ℥ *ij. Mumiæ* ℥ *j. Viridis æris drachmam j. Aluminis vsti* ℥*ij.* Terantur omnia subtilissime quæ terenda sunt, & simul cum succo digerantur in calore per dies octo. Postmodum vlcera pannis eo madidis ligentur. Plurimi Doctores aluerunt se medicamento hoc, alias per Auicennam è medicis mendici facti fuissent.

Aliud experimentum.

℞. *Quercinorum foliorum aqua lib. ij. Olibani* ℥ *j. Visci ex serpentina* ℥ *iij. Liquoris Mumiæ* ℥ *vi.* simul omnia misceto. Medicamentum istud plurimis doctoribus emit vestem nouam, & laceram quam eis dederat Hippocrates, ad sepes dumetaque suspenderunt.

Aliud experimentum.

℞. *viridis æris* ℥ ß. *Aluminis vsti* ℥ *ij. Henrici rubei quem vocant, vel colcotharis* ℥ *vi. Terebinthinæ destillatæ lib. j.* Misce simul, & vlcera perline. Melius medicamentum hoc est, quam prolixa Galeni scripta sint.

Aliud experimentum.

℞. *Olei ardentis lib. j.* ß. *Consolidæ aureæ, Parthenionis ana manipulum j.* Hoc experimentum innumeros Monspelianos Doctores perditos, atque decoctos releuauit, qui lacrymis conquerebantur de rubeo pileolo, suisque liberis, quod eos in summam paupertatem delabi siuerant, eis de hac causa postmodum inimici facti.

Aliud experimentum.

℞. *argenti viui mortificati* ℥ ß. *Cerussæ* ℥ ij. *Euphorbij* ℥ ij. *Saxifragiæ, Lithargyrij, Sandalorum ana* ℨ j. *Axungiæ porci russi quantum sufficit.* Plurimi Iudæi cum suis nobilibus hoc aluere se, per fas & nefas etiam, &c.

Experimentorum huiusmodi plura sunt, verum ego maiora docui: quæ fuerint alia non detinebuntur à suis authoribus. Etsi quæ plura forent ad hæc vtilia, libro de Liquoribus, id est, de Pustulis à me ponentur.

CONCLVSIO.

Postquam origines & curas vlcerum descripsi, pariter admonitos velim eos omnes, qui fideliter medicinam aut chirurgiam exercere cupiunt, vt breue hoc fundamentum originum & curarum huiusmodi bene considerent, ac addiscant. Potuisset quidem vnumquodque receptum augeri vigecuplo demonstrationibus, & origines latioribus verbis: verum in medicina scriptio longa minime locum habet, imo potius breuis & sententiosa, praua recepta magnis prædita viribus à quouis medico desideranda, considerandaque veniunt. Quo longior descriptio fuerit, eo minor intelligentia: quantoque receptum prolixius aut copiosius, tanto minus habet virium & virtutum. Quapropter vnusquisque medicus ex minimis maxima debet elicere: natura siquidem tantis à Deo virtutibus donata est, vt Thymus fragris abunde satis cognosci nequeat, quanto minus ea quæ Thymo longe maiora sunt. Quare decentius est vnicam in horto fundate cognoscere quantumcunque prauam herbam, quam vniuersa perlustrare prata & eorum, quæ continent nullam prorsus habere notitiam. Si quispiam hortus calendulis tantum floribus repletus esset, vel aliis, vnius cognitio solum est necessaria, quod omnes patefaciat. Quid opus est igitur medico singula cognoscere, quæ sub vna specie sunt indiuidua, si probe cognitum vnum habeat? Quapropter ego fundamentum istud in hunc modum concludo, prout extrahendum est, ex omnibus tamen balsamum vnum, quamquam ex plurimis oritur locis, vt seminibus, radicibus, &c. canistro nihilominus cariophyllis pleno floribus comparandum venit, in quo similem & vnicum odorem de se præbent omnes.

Receptũ prolixius minus habet virium.

Verum enimuero pauci medicorum quos tetigi, quibus etiam conculcaui caudam, boni consulent: non ea quidem indignatione, quod ars in lucem veniat, sed quod eorum nequitia cum imposturis palam fiat hominibus. Nemo se permittat ab his seduci, cum ex eis fundati nihil, nec veri quicquam, ex libris eorum proueniat, quo subuentum ægris iri quoquo modo possit: at solum fortunæ coguntur, & ambiguo casui suam artem committere miseri.

Medic. reprehẽsio.

FINIS LIBRI SECVNDI CHIRVRGIÆ minoris vel Bertheoneæ.

ARGVMENTVM IN TERTIVM LIBRVM CHIRVRGIÆ MINORIS, AVT BERTHEONEÆ D. DOCTORIS THEOPHRASTI PARACELSI.

Summa huius libri.



HOc libro tertió sanitatis & infirmitatis arbor comprehenditur, & quæ inter sanitatem & ægritudinem differentia: tum qua via conueniant externa mineralia cum internis, quid elementa suæ messis & autumni temporis & horæ præbeant, & quinam ista messis tempora, sint apostematum origines: item quo modo formave sese patefaciant in processu conditiones & proprietates vniuscuiusque apostematis, vna cum eius morbo.

Diuisio libri tertij Chirurgiæ minoris, vel Bertheoneæ.

Diuisio.

Principio *ponitur præfatio quædam arborum ambarum sanitatis & infirmitatis, & qua via præparat artifex ægritudines & bonam valetudinem: quod exordium est vniuscuiusque morbi.*
Secundo: *quinam tempora morborum procedant, & qua ratione generentur apostemata.*
Tertio, *quæ caussæ sint eorum,*
Quarto, *qualem processum, & signa quiuis morbus istorum peculiariter habeat.*
Quinto, *curæ ponuntur eorum singulæ.*

PRÆ-

PRAEFATIO IN VTRAMQVE SANITATIS ET INFIRMITATIS ARBOREM TERTII LIBRI CHIRVRGIÆ MINORIS THEOPHRASTI PARACELSI.

Arborũ sanitatis & morborum duæ.



RIVSQVAM *Apostematum origines declaremus, quænam sunt arbores morborum & sanitatis cognitu maxime necessarium fore duco. Harum duæ sunt; vna fructus profert sanitatis: altera vero morborum. Ad hunc modum intelligendum, videlicet prout pyra generaliter in vna considerantur arbore, nihilominus variæ pyrorum species, quodque sanum, bonum & æquum in essentia sua, prout pyrum decet. Similiter variæ spongiarum species existunt, ac vna generalis arbor, ex qua nascuntur.*

Prout etiam in exterioribus elementis arbores fructus suos edunt, sic & in homine. Et non alias quam ex radice varia nascuntur arborum genera, & quælibet arbor cum diuersis speciebus fructuum, quarum omnium numerus æquat centenaria multa. Non alias in homine variæ sanitatis & morborum conditiones occurrunt. Vnum fore morbum, aut vnam occasionem omnium, falsum est, & vnam fore sanitatem: at hoc modo bene quot species, tot sanitates.

Morborũ non vna occasio.

Errorem penes veteres medicos notato, qui scripturis minimis contenti, simpliciter eis fidem adhibent: quo fit, vt sæpe sanitatem fore morbum iudicent, non considerantes album æque sanum ac rubeum esse, nigrum pariter aut fuscum. Eius rei causam puta, quod gradum in sanitate ac in ipsa natura & in infirmitate cognoscant æqualiter, id est, nec vnum nec alterum. Quinam fit hoc? Eo scilicet, quia naturæ cognoscere lucem vnquam, neque proprietates eius didicerint: item ignorant excellentes, admirandas, & varias in sua natura conditiones, tam in malum, quam in bonum. Propter ignorantiam veræ philosophicæ naturæ, mirum non est, Auicennam ita vilem & ignaram Scholam instituisse. Quandoquidem suæ sectæ nullus, nec aliorum suæ farinæ hactenus emersit, qui primum naturæ gradum cognouerit. Imo nec eorum Patroni maiorem eis notitiam huius, at minorem habent, etsi baiularint aquam, vtrinque stipite hucusque (Deus nouerit ipse) maximo cum errore, cœcitate, ignorantiaque.

Naturæ gradum primum nemo cognouit.

Sanatio in homine varia.

Antea diximus tam variam in homine sanationem existere, tamque perfectam in seipsa, vt præ alia nulla laudanda veniat, præter solam pulchritudinem: vnus rubeum albo pulchrius existimat, hoc pallido magis laudat: in essentia viribusque naturæ tamen, omnia gradus vnus sanitatis existunt. Notato quæso quam inscite penes veteres, color non adeo gratus aspectu, vel imbecillitas conditionum; vt morbi reputati sunt. Non considerarunt isti naturam in gradibus & ornamento pulchritudinis admirandam. In auro vigintiquatuor gradus existunt: in argento mollities triginta duæ: sex & quadraginta durities in ferro: decem & octo fluxibilitates in plumbo, malleationes duodecim in cupro: tres & octuaginta proprietates aut rami sunt in Mercurio.

Gradus metallorum.

Pariter in auro viginti quatuor colores existere possunt, & infimus omnium vel maxime pallidus æque diu durat, ac supremus & pulcherrimus: in argento mollities triginta duæ non impediunt, quin vnumquodque sit argentum prout aliud: sic de cæteris. Variæ similiter in homine sanitates existunt, & maxime pallidus omnium, æque sanus & pulcherrimus. Pariformiter in Smaragdo mutationes decem & nouem existunt: septem & octuaginta colores in Saphyro: centum & triginta duo splendores in carbunculo: decem conditiones in carneolo: nouem in corallis viscositates. Et quotquot producit natura similia corpora, vnumquodque verum est, vt alterum, & æque sanum ac alterum, ad id cui deputatum est.

Sanitates in homine variæ.

Inde sequitur, hominis arbores fore cognoscendas in sua sanitate, pro generum varietate mineralium, & vniuscuiusque suis in speciebus: non alias & homo. Falso loquitur ergo medicus, qui pallidum colorem iudicat esse malum, aut rubeum fore bonum, cum ista gradum sanitatis minime concernant. Possum igitur huiusmodi medicos merito contemnere, qui conditiones hominum ex quatuor complexionibus, quas natura minime demonstrat, nec etiam habet, cognosci volunt. Istæ siquidem ex naturæ fructibus nosci res omnes debent: nam ab exteriorum demonstrationibus, interiora nota fieri necessum est. Ex istis etiam colligi potest error Astronomiæ, quæ complexiones Solis & Lunæ describit: interim obliuiscuntur conditionum auri vel argenti, Anthos vel Antheræ, Tereniabin & Kakimiæ. Quapropter istorum interpretationes & iudicia, quæ sequuntur ex eis, demonstrationes contrariæ naturæ sunt, & contra naturam.

Color pallidus nõ mal⁹, nec rubeus bonus.

Vt in homine, sanitas cognoscatur, primo sciendum est medico, stomachum vltra centum, imo plus mille conditiones habere, sic, vt si mille varij simul astarent homines, quorum quisque peculiarem suam digestionem haberet, nullaque similis alteri foret, at vna melior, aut alia peior: est nihilominus vniuscuiusque stomachus illi cuius est sanus & quamuis non æque bene digerat ac optimus, comparatur coloribus, vt supra. Non alias ac saphyrus maxime pallidus ad maxime coloratum comparatus se habet, hoc loco pariter vnus stomachus ad alium. Inde regimen subsequitur, non ratione morbi, vel infirmitatis stomachi, sed ad istius conseruationem sanitatis. Sic etiam in epate sunt centum variæ sanitates: vnusquisque hominum vnam habet.

Sanitas vt cognoscatur. Stomachi varietates cognoscendæ.

Inde

Inde fit, vt æqualiter vnus cum altero bibere non valeat, & vnus alio magis sitiat. Quod omne quidem ex ista sanitatum oritur varietate, nec est, quod eorum aliquod infirmitatibus aut formis adnumeretur. In toto corpore similis est vnicuique suæ parti conditio peculiariter ordinata, quæ conditiones, vt illæ, quæ graduum æque sunt innumerabiles. Videmus in exemplum, vnum altero semper fortiorem, & quoties natura fortiorem producit, peculiaris toties adest sanitas. Quare qui pondo quinquaginta solum eleuare potest, æque defensiuus exsistit ac ille, qui tria centenaria. Similis cognitio sanitatis ex natura sumitur, vt sciatur, vtrum ex sanitate iuxta suum gradum proueniat, aut ex infirmitate sua: nam quoties vna sanitas, contra, toties infirmitas reperitur. Veterum igitur medicorum eorum descriptio falsa est, huiusmodi sanitates in temperamentis ponentium: quandoquidem per istius arboris conditionem oritur etiam arbor morborum, quæ mors est.

Mors radix omnium morborũ

Cum igitur mors sit radix peculiaris, ex qua nascuntur omnes morbi ac infirmitates, estque penes alteram, vt pote sanam, etiam arbor in tot, ac tam varias species diuisa, quot altera, sanitatis videlicet. Hac terminum suum arripit, non aliàs, quam in conflictu quopiam, in quo per lanceam vnus moritur, alius per tormentarium iaculum. Quot externæ res homini sanitatem adimunt, tot modis ista radix in eundem, vt inuadat, irruit. Ex simili depromuntur variæ species apostematum. Nota deinceps vires mineralium penes ea, quæ dicta sunt, & quid per eas ad sanitatem illa conferant.

CAPVT I.

Quinam tempora morborum adueniant, & qua via generentur apostemata.

DEclaratis prius omnium causis morborũ, à quibus apostemata potissimum suam deducuntur originem, iam de suis temporis aliquot exépla notato primum. Arbor suos quotannis fructus profert. Item in singulos messis annos redit: nonulla tertio: quarto plus minus alia suum autumnum exhibent anno. Sed omne quod ex tempore nascitur elementi terræ, determinatum annum tempus habet.

Morbi aliquot præcise suum tẽpus obseruant, vt fructꝰ elementorum.

Non secus aliquot morbi præcisum annorũ suorum tempus obseruant, qui quidem ex elementi sui proprietate sunt inclinati. Sunt & alij similiter ex mineralibus, qui ex elemento procedunt aquæ. Quæcunque ab ista producuntur, vnum fructum proferunt sæpe, nullum amplius, quandoque in metallis: alia quędam tertium. In crudis lapidibus vnum à prima materia quidem vsque ad vltimam, tunc eorum est autumnus. Non aliàs aliqui morbi semel influxi; nunquam iterum percipiuntur.

1. Aquæ.

2. Ignis

Elementum ignis pro suis temporibus suũ fructum exhibet, quæ varia sunt: carbo quoties vnꝰ, toties peculiaris fluxus tempestiuus vnus, tardus alius, determinatis, & non temporibus. Vt sæpe cõtingere solet, ex elemẽto ignis produci ventum, qui domos diruat, arbores eradicet, quique centum annos ante, postque nũquam auditus est: item quãdoque sex, octo, nouem, decẽ terminis, breuius aut longius grando cecidit, aliave tempestas orta est, aliquando fulgur cum frigore vel calore.

3. Aeris.

Vt & alia prædicta, sic & aer exhibet quædam inæqualibus, æqualibus alia temporibus: iam decidunt Thereniabin, iam Manna, lac iam candidum, &c. quandoque semel à decem annis, aliquando semel tantum, quandoque quater, quinquies, sexies, plus minusve.

Apostematum cursus incertus ab elementis.

Prout elementis in suis fructibus simile tẽpus datum est, eisque prefixum, sic & apostematibus magis, quam aliis morbis quo ad sua tempora: quædam præcisis, indeterminatitis alia temporibus erumpunt, cuius incertus cursus in elementis existens, & hominibus ignotus, causam præbet.

Itidem in corpore morbi quidam iuxta elementum terræ cursum accipiunt, vt *prurius & scabies*, & secundum tempus determinatum terræ: fructus nascuntur: nonnulli iuxta cursum elemẽti aquę, prout *gutta paralysis*, &c. quidam iuxta certum cursum ignis elemẽti, prout *Pleuresis*: aliqui secundum elementum aeris, vt *febres*: alij per transuersum contra certos cursus omnes, vt *apostemata*: quæ suum tempus iuxta venti similitudinem accipiunt, estque vniuscuiusque nota & ignota maturatio.

Quæ sit apostematum causa.

Apostematum causa.

Sequitur inde causa, quod apostemata nonnulla quandoque iuxta cursum elementi terræ procedunt, vti *communia*: quædam secundum elementum aquæ, prout *carbunculi*: pleraque secundum elementum aeris, vt *zephirus*, &c. nonnulla iuxta elementum ignis, vt *bonarum pustularum genera quædam*; & alia per transuersum penetrant, vt *Pestis*: & est similis in corpore cursus, qualis extra procellę sunt, æstates calidæ, frigidæque hyemes.

Quare cum enormes huiusmodi cursus eueniunt, causam alicuius morbi grauissimi præbent, & corpori mirabiles contrarietates. Nam tunc fit coniunctio cursuum in suis proprietatibus, vt nondum inter se diuiserint hereditatem, quæ data fuit illis à natura, tanquam ab vnico patre. Non est itaque de certo determinatoque tempore loquendum apostematum, neque per naturam à Medicis, nec ab Astronomis cognoscendum. Cum talia suis in cursibus occulta nimium existant, vt apud nos philosophia nulla valeat perscrutari. Quapropter comparanda non sunt aliquibus morbis, qui iuxta naturam certo suum cursum habent. Potest nihilominus aliqua ex parte medicus inuestigare iuxta conditionem & cõsuetudinem regionis prout ventus aliquis eo loco magis, quàm alio flare consuetus, non est tamen huiusmodi, cognitio tam certa, vt per iuramentum affirmari debeat.

Apostematum tempus determinatum nullum.

Apostematum cognitio a conditionę regionis.

Causa materialis.

Materialis causa vero prouenit ex tempore quum realgaricus ille cursus oritur ex arbore de radice morborum proueniente, quo tempore pariter morbi similes oriuntur, vt artifex ille præparauit. Non secus ac faber, qui modo hoc, illud cras opus facit, iuxta suos cursus & negotia sibi conuenientia, & occurrentia, & ille realgar fabricat, ad negotium, quod illum concernit eo tempore.

Ad hęc scito, medicum simili cursui fabroque, non minori periculo, nec alia opponi, quam tormento bellico thorax chalybeus. Et, vt in certa natura contra suum artificem, æque medicus cõtra morbos existit. Verum vti prudentia quid in internis in bonum potest, sic & ea nonnunquam in illis resistere, iuxta morbũ vniuſ-

vniuscuiusque, vt etiam in suis conditionibu occurrit.

Medicus quæ scire debeat.

Ad huiusmodi causas de mineralibus non immerito scripsi, quod etiam ipsa Philosophia requirit. Quandoquidem ille medicus, qui naturam elementorum extrinsecus non cognouit, multo minus ad intrinseca fuerit aptus. Origines & causas vtique de mineralibus accipere debet, quæ si non docuerint eum in cognitionibus & curis morborum, accidit illi prout iis, qui suas ad patibulum aures reliquerant: vt eorum omnium communis vsus est.

CAPVT II.

DE PROCESSIBVS ET SIGNIS *cuiusque particulariter morbi.*

Eius processus ac ordo primum est, vt quũ in suum transire morbũ cupit, illud quod mespila tẽpus ac kakimiam, simili modo realgar maturescere facit: & vti fuerint eo tempore fructus varij, tot etiam apostematum varietates oriuntur.

Signa & processus apostematũ.

Quare quoduis apostema per se cognosci peculiariter debet, ex quo realgare proueniat, & quod sit huius initium. Eius processus & signa, quodlibet præ alio cognoscendi sequuntur. Nec est, quod nomina siue Græca siue Latina, Hebraica sint vel Arabica, vos moueant: signa siquidem atque processus morborum proprietates & conditiones exhibent. Quapropter anthracem & carbunculum non ex nominibus, at à suis conditionibus cognosci debent, ac inde post ex conditionibus nomina sumi, prout sequitur.

Anthrax quid. Anthraces tot, quot venæ.

CAPVT III.

DE ANTHRACE.

Anthrax est apostema, quod ex Realgare Mercurij generatur, & in radice venarum earundem oritur, postea sibi facit exitum, suo centro nihilominus in radice manente. Inde sequitur vnamquamque venã huiusmodi minerale realgar continere. Quare quot venæ, tot Anthraces, vt Anthrax saluatellæ, Anthrax medianę, cephalicæ, &c. Vbi primum in apostema transire cupit, cum calore frigoreque sumit exordium. Nam quiuis morbus venarum ex isto fluxu, corpus concutit semel tantum, postea se recipit in emunctorium: rubeam ponit vomicam quandoque nigram albedine permixtam, quæ mirum in modum dolet: somnum aufert, & si dormire contingat, grauia somnia plurimum inducit, phrenesin, &c. Quandoque nullibi dolor percipitur, quam in apostematis loco. Quum termino proximum fuerit, apostemata duo producit: vnum in radice, alterum in locustis, & nonnunquam externus dispaeet Anthrax, indeque sequitur mors.

Anthracis ortus & symptomata Signa.

De hydrophorbia.

Hydrophorbia.

Hydrophorbia est apostema separatum à sale trium primorum, estque demonstratio quædam vnius naturę lepræ, & est rubeum sal narcoticum, vtcunque leprosum. Quum id à se natura pellit, in pustulam transmutatur ad modum fellis, vel bullarum a cantharidibus excitatarum, transparentium instar aquæ, nec non, vt speculum splendentium, &c. Alia quæ concurrunt in hydrophorbia, sunt in hoc morbo, sed lepram attingit, ab hac diuisa, quod Hydrophorbia producat apostema, Lepra vero transit in morbum vniuersalem.

De Panaricio, seu Verme.

Panaricius.

Origo Panaricii, aut vermis, est in carnis locustis, vt digitis manuum, pedumve, materiæ quidem illius, ex qua nascuntur vngues. Transmutatur in duos exitus, vt in vermem, ratione putrefactionis & in apostema radicale, causa loci. Ab exordio sui centrum inuisibile ponit, & postea tumorem ardentem concipit, cũ puncturis maximis: locustarum enim dolores. Terminatur eo nempe, quod vnguem atque digitum exedit, consumptaque locusta cessat.

De Ranula.

Ranula.

Ranula est apostema quoddam ex omnibus venis, quę sub lingua sũt accumulatum, ex radice linguæ sumens originem: quare tam late, ac lingua fuerit, extenditur: estque sal resolutum eiusdem sanguinis ex debilibus venis tantum. Quandoquidem in ætate prouecta huiusmodi resolutio minime fieri potest. Signum eius est, sub lingua tumor glaucus, quanto iunioribus, tanto maior exsurgens, asper, & quandoque niger. Terminatur aliquando cum oris putrefactione, vel in saniem erumpit, quandoque per naturam absumitur, & est ea materia, de qua balbuties oritur.

De Nacta.

Nacta.

Nacta est apostema, quod mulieribus ad vbera contingit: oritur quum fluxus mẽstrualis immature lacti commiscetur, & illud in suo vase, quo continetur, separat: hæc separatio generat acedinem, quæ postmodum intumescit in carne, corrodit, & edit foramina. Lac omne, quod separatur in vberibus, asperum fit serum lactis, quod corrosiuam recipit in se conditionem, ex fluxu de matre proueniente. Quare similia foraminibus, quod ad curam, annumeratur vberum apostemata

De Vndimia.

Vndimia.

Vndimia quidem oritur ex conditione carnis, & est sal resolutum, à sano separatum hoc loco, in quo centrum suum ponit. Et quia sal est dulce, producit apostema, quod non aperitur. Sed cum premitur, humectatur, prout aliquis tumor, qui foueas à compressione relinquit. Quare signum eius est, dum intumescit apostema, quod nullum dolorem infert, ac in Chronicum tempus transiret: item compressione foueas relinqueret, Vndimiam fore dicito. Postremo terminatur eo, quod foramen ponat, ex quo fit cauernosum vlcus.

De Sephiro.

Sephirus.

Sephirus est apostema quoduis, quod cum duritie terminatur, & est fluxus ex sicco sale productus, in maturationẽ trãsire minime potest, at in sua duritie semper manet atque tumore: coloribus omnibus tingitur, curam & sanationem à resolutione recipit.

De Squinantia.

Squinantia.

Squinantia est apostema, quod ex omnibus venis, quæ ab inferioribus partibus sursum, aut à superioribus deorsum ad collũ in centrũ concurrunt: & est apostemati carbunculo simile. Terminatur in cura solum, in eo quod concernit locus ipse requirit. Ab eo loco producitur, in quo nascitur, & centrum est ibidem, vbi

vbi apostema. Protenditur in circumferentiam quantum regiones ambæ continent, colli scilicet, capitisque. In circulo nuchæ collum intumescit, ac folium etiam, vna rubefit, caput admodum calet. Postea maturescit, vt apostema: deinceps foramen post vnam incidit: inglutiegnem & eiectionem aufert. Caue tum a purgationibus, a phlebotomis, & ventosarum applicationibus.

De Carbunculo.

Carbunculus. Carbunculus est apostema, quod peculiarē locum non habet: nam vbicunque se Realgar ponit, ibidem fit etiam demonstratio. Est illud realgar huius morbi tam subtile, vt latius & magis aliis inficiat, eo que differt etiam, quod hoc loco magis in aliis rubefiat. Estque morbus, qui cum febrili paroxysmo sumit initium, eaque signa continet. Vbi foramen concipit, sperandum est de vita, alias non: in Carbunculo & Squinātia maxima cura est animaduersio, ne quid reprimatur: solum exstinguatur, & refrigeretur mundificationibus, tum demum per seipsa maturescunt.

Varia sunt adhuc apostematum in corpore genera: vnum hac via, sic aliud oritur, prout ex eorum conditionibus & natura: tum inter se differunt ea ratione, qua fructus, in quibus alia forma pisorum, alia quidem hordei, fabarum item alia, &c. Sic etiam alia forma est in Anthrace, in Carbunculo similiter alia: sic de reliquis aliis apostematibus. Hac de causa quodque peculiariter ob formam & qualitatem describere minime necessum est, vt Hippocraticorum est consuetudo medicorum. Solum animaduertendum, quinam in suis signis dolores & paroxysmi differant, ex istis tandem conditionibus fiunt recepta.

Apostematū colores vnde. Item colores in apostematibus occurrentes, ex realgaris conditione proueniunt. Nam carbunculus rubedinem suam accipit ex realgare rubeo, non ex sanguine, venis, aut carne: saphyrus etiam ex suo realgare: chiadus etiam, cum in eo nigredo contineatur, albedo, cœruleitas, & postmodum flauedo cum viriditate. Quapropter medic⁹ minime curare debet eos qui sanguinem ponunt colorum causam, ac dicunt, rubedinem ex sanguinis conditione procedere, nigredinem ex adusta cholera, vel melancholia. Similes conditiones, proprietates, & essentiæ sunt omnes ex realgaris natura, hoc est, mineræ sunt, & nullæ complexiones. Quęq; namque minera, quod ad cōplexiones attinet, ab aliis separatur: etiam quęque species ab alia. Sequitur inde postmodū cura contra realgar, per quam apostemata curantur.

DE CVRIS.

In apostematum cura tria consideranda. IN apostematum curis tria potissimum consideranda veniunt. Primum, vt spiritus vitę fortificetur, ne ab apostematibus superetur: at non alias, quam in venenato corpore medicamentis huiusmodi veneno præueniatur. Secūdum, vt venenum hoc morbos aut apostemata producēs diaphoreticis expurgetur, & hoc per specifica, quæ non solum clarificant, sed etiam mitigant. Tertium, vt locus, in quo venenum receptum est, superetur, & si caro, vel pars illa extra suam naturam, conditionem & essentiam deuenerit, omne, quod inualidum est atque destructum, auferatur. Nam per infectionem eiusmodi bonæ carni damnum infertur, non alias ac si lignum ab vna parte comburatur, & non alia.

Quanquam apostemata sub vna simul omnia communi cura minime debent apprehendi, vel vnico medicamento, quod ad vitam omnia fortificationibus non indigeant, vt illa cōmuniora demonstrant: similibus *oppodeli hoc* de Mumia superponito, hoc ipsum curat, & auertit omnia damna. Sūnt & alia pariter, quæ, vt illa minime tendunt ad mortem (nisi deprauata sint incuria, vel ignorātia perdita prorsus) illa solā mūdificatione sanguinis, carnis, aut venarum indigent. Apostemata nō vnam omnes recipiunt curam.

Quod ad peculiares curas attinet, primo notandum, vt in Anthrace, quiuis caueat a corrodentibus: siue realgare fiat: aut alia quacunque via: vel alias pro maiori parte mors istis introducitur. Ab initio huiusmodi radici venarum diaphoretica virtus est applicanda, postmodū Saphiricis circum circa fuit vtēdum, & postremo tādem ad consolidationem accelerandum. In Anthrace a corrodētibus cauendum.

Diaphoreticum medicamentum.

℞. Vini correcti ℥x. Theriaca ℥ß. Myrrę, Croci ana ʒj. Liquoris Zingiberis, Piperis, ana ʒß. Misce simul, & huius ℥ß. cum optimo vino bibatur.

De cura Hydrophorbia.

Hydrophorbia medicū exigit, a quo perquā optime cognoscatur, & ab vsu medicamentorum caueat eo non pertinentium, vt vnguenta pustularum sunt, & morbillorum. Eius cura duplex est, vna per liquorem orizontis, quo natura fortificanda venit. Postmodum applicanda est hæc aqua extrinsecus. Cura Hydrophorbię.

℞. Aquaregis ℥.j. Olei de realgare ℥ß. Olei Euphorbij quantum sufficit pro incorporatione.

De cura Panaricij seu Vermis.

Panaricij cura tripertita est, vt per characteres, qui fiunt in Carinthia, per superstitionem, & per medicamēta naturalia. Cura naturalis fit per vnguentum narcoticū ex ranarum sperniolo. Sumatur optime preparatum coriū, ex quo theca digito fiat apta, prius hoc sperniolo ter aut quater madefacta, postmodū induatur ita madida. Panaricii.

De cura Ranula.

Ad Ranulam aperi venulas, e quibus fluere sanguinem facito: postmodum illinantur aut lauentur potius aqua *Brassatella, Achimilla, Diapensia, Agrimonia, vel oleo Hypericonis, aut oleo de floribus Centaurea.* Si post curam hanc Ranula rediret, iterū fiat eadem cura: sed si Ranula magna minime foret, vtere superius dicta aqua. Ranulę.

De cura Nacta.

Nacta curari debet per Oppodeltoch ex aromatibus, ad hunc modum: Nactæ.

℞. Oppopanaci, Bdellii ana ʒj. Serapini ℥ ij. aceto contempera, liquide satis. & cola per pannum: colatum hoc in spissitudinem excoque mellis: huic adde *Mumiæ ʒj. aristolochia rotunda ℥ iij. Liquoris de Kakimia pondere tantundem,* vt reliquorū: fiat emplastrum.

De cura Vndimia.

Vndimia prouenit ex sale resoluto, siue sanguinis aut carnis, ita curabitur. Vndimiæ.

℞. Realgaris ʒ j. Calcis ℥iij. Visci quercini, quantum satis fore videris ad incorporationem: inde fiat

de fiat emplastrum. Quum apertum apostema fuerit, appone de nostro *Oppodeltoch*. Mundificatiuum eius. Accipe *colophoniæ* ℥j. *Ceræ* ℥ iij. *Resinæ de Botin*, quantum ad incorporandum satis erit in vnguentum. Post huiusmodi mundificationem, Accipe *Consolidæ maioris, Aristolochiæ rotundæ ana* ʒj. *Vitellorum ouorum, Terebinthinæ amborum æqualiter*, & fiat emplastrum.

De cura Sephiri.

Sephiri. Sphirus est nomen omnibus duris apostematibus cōmune, priusquam fiant matura & mollia, cui præstantissimum est remedium Viscus de *Botin*, & Viscus *iuniperorum*, in quibus mitigandi mollefaciendique magna virtus inest. Cura fit ad hunc modum.

℞. *Visci Iuniperi lib.ß. Fœnugraci* ℥iiij. *Aquarum iringii, Lappacii acuti ana* ℥ij. *Succi Althea*, satis ad incorporandum.

Aliud.

℞. *Olei Lithargyrii, Colophoniæ, Mumiæ ana* ℥j. *Olei vitellorum ouorum satis ad faciendum vnguentum.* Hoc Sephirum mollificat, & in maturationem adducit. Oleum ex lithargyrij fit ad hunc modum.

℞. *Alumen, Acetum, & Litargyrum*, & coque donec albescat, postmodum coque rursum eodem processu. Quum excoctum fuerit, erit oleitas: cuius Archelaus etiam fecit mentionem.

De cura Squinantiæ.

Squinantia. Squinantia, tum omnes in gutture morbi, curari suo loco debent, & non in confinibus. Quum balsamus naturæ deficit in gutture, fit in eo putrefactio sursum tendens, quæ vuulam & folium inficit. Eius cura fieri debet per gargarismum incarnatiuum ad hunc modum.

℞. *mellis rosacei* ℥iiij. *Aristolochiæ rotundæ, Pirolæ ana* ℥ ß. *Aquarum de prunis, de Prunella ana* ℥ *septē*. Fiat inde gargarismus, quo patiens gargarizet sepius, quum apostema fuerit apertum. Si tumor adesset, extrinsecus applicari debet optimum defensiuum ad mitigandos dolores, & sedandum ipsum tumorem. Defensiuum hoc esto: ℞. *mucilaginis de fœnugraco* ℥x. *Cerussæ* ℥ ij. *Caphoræ vitæ* ʒß. Misce, fiat inde Cataplasma, quod apponatur. Bene poteris capiti mitigationes prestare, pannis in aqua rosarum rubearum bursæ pastoris solatri, barbæ Iouis madefactis, & capiti superpositis atque ligatis.

FINIS BERTHEONEÆ D. Paracelsi.

AVREOLI THEOPHRASTI DE APOSTEMATIBUS Vlceribus, Sironibus, & Nodis, in Lxij. Capitula diuisum opusculum.

DE COMMVNIBVS APOSTEmatibus ex sanguine prouenientibus.

CAPVT I.

Apostemata cōmunia vnde. 
Dico quidem ego Theophrastus Paracelsus, apostemata cōmunia, cum ex sale sanguinis, tum ex vtriusque humorum abundantia suam originem ducere, tanquam ex boni superfluo, propter excessum in apostema translato, post huiusmodi superabundantis separationem a natura factam: quod cum collectum est, in corruptionem transire cogitur, per locum, in quo situm habet, quia repletus est vltra suum diametrum.

Nota.

Vbi iam in sanguine superfluitas orta est, ex qua generantur apostemata communia, si cutis eo loci naturale centri foret eius emunctoriū, transit in apostema, quod alias per nasum distillasset. Abscessus huiusmodi maximos dolores & putrefactiones præter infectionem excitat, eo quod excessus in sua puritate minime permanere possit: cum superfluum quoduis putrefactionis sit exordium. Nota.

Signa.

Si tumor sine calore frigoreque, sed cum intensione & rubedine surgeret, ac absque febrium aliqua demonstratione, iudicabis illud apostema fore commune, tam in iunioribus, quam in senioribus. Signa.

Terminus eius.

Si per seipsum terminari permittatur, maturescet, erumpetque: verum si forte natura balsami parum eo loco habeat, orietur inde, vel apostemosum vlcus, aut fistula cum dolore maximo. Si tamen balsami satis habuerit, per se, vel paruo saltem auxilio curabitur, & naturaliter. Terminus.

Cautela.

Est medice quod hic abstineas a magno magisterio, vel artis chirurgicæ nimia subtilitate, quę potius quam curabunt, inficient.

Cura.

Cura. Animaduertendum est in omnium vlcerum cura, naturam suiipsius esse medicum atque medelam, innato proprioque suo balsamo. Sed si forte balsamum hoc illi deficeret, vel aliqua parte minutum foret, balsamum erit introducendum per emplastrum oppodeltoch: quod quidem apostemata recentia maturando & mundificando curat vigesima quaque hora renouando, ligandoque.

℞. *Lithargirii cocti in cerotum* ℥iij. *de incarnatiuis quatuor* ʒß. *de gummi liquefactis* ʒij. & fiat emplastrum secundum artem. In principio tutum erit præuenire phlebotomiis venarum, a quibus apostema generatur, & situm habet: his enim aufertur illis rubedo membrorum per sanguinis diminutionem, & vna cum ea tollitur superfluitas sanguinis abundantiis, nedum in his tantum, verum etiam in omnibus aliis apostematibus.

Inter curandum admonitio.

Obseruanda tria. Tria potissimum in apostematum curis obseruanda sunt. Primum, vt spiritus vitę fortificetur, ne præ dolore debilis fiat: sicuti solet in his, qui venenum hauserunt, præseruantibus medicamentis noxæ præueniri. Secundum, vt infectio, quam introduxit morbus, diaphoreticis mundificetur, & specificis, quę non solum clarificant, sed etiam dolores mitigant. Tertium, vt locus occupatus a toxico præmuniatur. Si carnis aliqua pars a sua natura sit aliena, quod putrefactum est eius, auferatur: nam I. II. III.

ex e-

ex eiusmodi carnis infectione tale damnum infertur ei, quale combusto fit ab vna parte ligno, & ab altera sano. Quanquam vlcera communiter omnia sub vna vel eadem cura concludi minimè debent (eo quod omnibus vitæ fortificatio non sit necessaria, sicuti patet ex communibus vlceribus, quibus *Oppodeltoch* de mumia superponi debet: hoc enim accidentia quæuis arcendo curat illa) nihilominus generalis hæc admonitio non est aspernenda. Sunt & aliqua morti non obnoxia (nisi per incuriam deprauata sint) quæ alio nō indigent, quā in carne sāguinis purgatione, vel aliis.

CAPVT II.
DE ANTHRACE.

Anthrax quid.

ANthrax est apostema per sanguinem, ex venarū eius prima radice pulsum vti cōmunia, cum emunctorio proprio: & est apostema radicale, quod oritur eo tempore, quo mineralia venena solent apparere: similisque: corruptio est ei, quæ fit in mineralium concauitatibus.

Nota

Nota.

Eius inuectio priuatiua consurgit ex Mercurij mineralibus, & est mineralis cuilibet innatus venæ flos. Inde sequitur, tot anthraces, quot venæ fuerint, existere, vt anthracem saluatellæ, medianę anthracem, & cephaliæ, &c. quæ causantur ex venarum huiusmodi corruptis cauitatibus,

Signa.

Signa.

Si calor aut frigus inuaserit cum alicuius venę liuida nigredine, circumsepta rubore albicanteque centro, cum vredine, somni priuatione, grauibus somniis, & irrequieto motu, anthracem fore dicas alius membri, & pro asperitate critica lenitateque suis ad mortem est iudicanda.

Terminus.

Terminus.

Meatum suum accendit, ac retrocedens apostemata bina producit: vnum in radice, alterum in locusta: mox inde sequuntur inflammationes, laterum compunctiones, sitis absque multa bibendi potestate, labrorumque fissuræ, quę mortem indubiam indicant.

Cautela.

Realgaris, aliaque fuge cauteria.

Cura.

Cura.

Primum est virtutis diaphoreticæ medicamentum adhibitum illius venæ radici. Postmodum vstio saphirica circumcirca facta. Deinceps in eschpharā ducta cōsolidatiuis curetur.

Virtus diaphoretica, est descriptio lithontripon, si fuerit separata à sua substantia: quia tum accedit radices venarum, humectat sanguinem excitatum, & tum venit sudor, & est signum optimum. Species, quæ ingrediuntur lithontripon, debent à sua substātia separari per spiritum vini.

Diaphoretica medicina talis est.

℞. *Vini correcti* ℥ x. *Theriacæ* ℥ß. *Myrræ rubeæ, Croci singulorum* ℥ j. *Liquoris Zingiberis, ana* ʒ. ß. Misce, de quo bibatur, vncia semis in optimo vino.

CAPVT III.
DE CANCRO.

Cancer quid.

CAncer est apostema, quod ex hęmorrhagialibus effluxionibus prouenit, in viris atque mulieribus, ex menstrualium corrosiuo sale meatuum, in locustis manifestato: cuius salis duplex est, plumosi videlicet, ac arsenicalis differentia.

Nota.

Nota.

Cancrorum non est alia, quam duorum, quæ dicta sunt, fluxuum origo. Quapropter in corpore nullis aliis locis imprimuntur, quam virorum inter humeros, & mulierum ad vbera Pars eorum maxima rodendo fodit intrinsecus, externeque minime cognoscitur, donec sedem suam fixerit.

Signa.

Signa.

Quum humeros, aut in vberibus rubeus tumor exsurgit cum propria maturatione, postmodum in vlcerationem transit, rubicundis late radiis expansis, & fœtorem cum interuenientibus vredine, frigore, calore, doloreq; diutius persistenti concipit.

Terminus.

Terminus.

Successu temporis corrodit, foditque rectā cor versus, mortemque repentinam in sua molitur periodo

Cura.

Cura.

Hæmorrhagiales menstrualesque fluxiones amouendę sunt per physicum: demum per chirurgum anodyno mortificandum eis ter, vel quater, vt in Noli me tangere dicitur: postremo descriptione cōsolidatiua eodem loco posita curandum.

Alia informatio.

Gluten aquaticum in aquam, vbi reduxeris, accipe semper ad vnam libram colchotaris eius ℥j.ß. *florum æris*: proportionem hanc à quantitate colchotaris obseruando, mixta simul, vlcerique vel cancro superposita maneant, donec putrescant: quod plerumque fieri solet in quatuor diebus. Deinceps amouendo superpone mundificatum, quod in Noli me tangere describitur, & quum putridā extraxerit materiam, superpone puluerem hunc.

℞. *Puluerem ex succo chelidoniæ, parthenionis, centaureæ ana* ℥ß. *mumiæ* ℥j. mane vesperique ligabis.

Anodyni descriptio.

℞. *spernioli, succi solatri ana* ℥j. *liquoris de firnis* (vernicis puto legendum) ℥ß. & reducatur in formam vnguenti.

CAPVT IV.
DE NOLIME TANGERE, PRAVA lentigine, vel ferrugine.

Lentigo praua.

NOli me tangere, quod & *Lentigo praua* dicitur aliàs, aut *Ferrugo*, calepini salis est ærugo: quę se primum ad superficiem recipit: demum intrinsecus rodit, consumitque Martialis naturę viribus, carnem quoque ferream vnam e septem corrodit.

Nota.

Nota.

Genera carnium secundum metalla, cachymica, marchasitæ, vitriolataque notanda veniunt, vt cognoscatur vnumquodque propriū locum inficere.

Signa.

Signa.

In facie sumit exordium cum aquosa quadam scabie, bullisque minimis cum periodo, postea transit in corrosiuam, nasi cartilagines roden-

rodendo, maxillas & labia consumit, spargitur tenuiter cum fœtore.

Terminus.

Nisi præueniatur, nasũ, aures, & faciei formã à radice tollit ac delet, ad collum & fauces anterius descendit. Si latius quam sint confinia martialia progrediatur, ad mortem id iudicandum est fieri.

Cura.

Cura. Initio si ferrugo non admodum late roserit, curetur emplastro de resinis. ℞. *Resinæ abietis lib.j. Farinæ hordei* ℥ vj. *Resinæ pini* ℥ viij. reduc ad formam ceroti. At latius progressa medium aut finem si propemodum attigerit, mortificatio precedat, vt ærugini diminutum sit in origine, quod per anladar fit aqua rosarum super posita, & super hanc emplastro de resinis apposito. Notandum erit in hac cura, si ferrugo firmam radicem fixerit, vt iam secundo vel tertio cedere nollet, imo resistere videretur poti9, non est ab anladar abstinendum, nec ab vna ad aliam curam transcurrendum.

Resina abietis vnde fiat. Resina abietis fit ex eius fructu viridi in aquam posito, quoad spissitudo malignosa cõspiciatur: deinde recentem aquam affundes, & aqua decoctione ferme consumpta, materiam spissam, vt resinam habebis.

Excellentissima cura est, cum simimilibus & pernitiosis morbis materialibus medicus ab initio realgari dulcificato vitam adimere nititur (non corrosiuo quidem: hoc minime tutum, eo quod patienti foret impossibile tolerare tantam istius actionem, quanta ad curam hanc bene foret necessaria) postmodum emplastro mundificare: postremo curam eo dirigere maturationibus, vt materia putredinis ablata, naturale balsamumve ipsius naturæ curare valeat, alias frustraneè curabit medicus.

Mortificatio.

℞. *Realgaris crystallini* ℥ j. *coquatur in aceto per duas horas, & vsque ad exsiccationem, huic olei maioranæ* ℥ iij. *affundes, misce simul*: hoc vnguento super pannum pro loci continentia subtiliter extenso ligabis & oleo sæpius madefacies forinsecus, ne siccetur emplastrũ m, quod duobus diebus naturalibus immotum ita maneat. Post quos sanies & aqua profluet, quibus etiã perceptis, ea, quæ sequũtur, superposita maneãt, quo usq; nullum pus aut humida putredo promanet.

Mundificatio.

℞. *Picis naualis, Visci pini, Visci abietis ana lib.j. Visci ex locustis de latice* (puto larice legendũ esse) *lib.j.ß. Larignæ quar.j.* Mixta liquefiant cũ ceræ & olei partibus æqualibus, vt ambo sufficiant ad emplastri compositionem: quod isto non, alio quouis extrahi non poterit: eo peracto, curã mox inde sequetur.

Consolidatio.

℞. *Ceræ, picis communis ana lib.ß. Aristolochiæ* ℥iij. *Mumiæ* ℥ij. *Antimonij* ℥iiij. Fiat emplastrum, quo mane vesperique ligabis, vt moris est.

Aliud consolidatiuum.

℞. *Resinæ abietis lib.ß. Visci consolidæ quartam j. Succi chelidoniæ, quantum sufficit ad formandum emplastrum.* Maximum in ista cura magisterium consistit in vnguento primo, & in emplastro secundo profluxionum extractionibus.

CAPVT V.

DE HERYSIPILA.

Herysipila quid. HErysipila est consumptum sal vitriolatum hoc primum in rubedinem, & corrosionẽ postmodum in vlcerationem transit. Locus eius est inter genua & calces, circũcirca crus: ibidem etiam morbus Mercurialis.

Nota.

Nota. Quamuis vitriolatum sal morbum efficiat, est tamen ipsa minera Mercurialis tantum, à qua proprium recessit balsamum, & liquor salis, eiusque species pro quantitate recessus demonstrantur.

Signa.

Signa. Apparet primo rubedo cum dolore vredineque maximis, postea cum tumore, deinceps cum foraminibus fœtidis ac corruptis, vno penes aliud, & in planum subtus excauatis, nonnunquam siccis, alias flauo claroque liquore madentibus in cancri formam, aut Noli me tangere: totum crus inter duas (vt est Mercurij natura) continet.

Terminus.

Terminus. Sale resoluto fluxus eo loco producitur, & sal ibidem, ac postmodum reliqua totius corporis salia resoluit, faciei colorem aufert, operationes impedit ventriculi. Postea sal cordis, hepatis, & cerebri surripit, ac tãdem chronisatione facta per huiusmodi resolutionem subsequitur mors.

Cura.

Cura. Curæ principium est, vt ligamenta stringantur cum allahol, ne concurrant alia salia, postea sperniolo mortificandum est, deinceps amotis doloribus per oppodeltoch consolidatum.

Descriptio allahol.

℞. *Salis anathron* ℥j. *Anodi* ℥ß. *reduc ad formam cum oleo de spica.*

Descriptio Sperniolj.

℞. *Spermatis cati, Ranarum, Cerefolij, Iuniperi ana.* Fiat destillatio in sole.

Alia descriptio.

℞. *Glutinis aquatici* ℥ iij. destillentur in aquã cui fimus mineralium imponatur, & bulliant simul per horam, aut donec in formam pultium reducantur, adde *caphuræ* ℥j. fiat vnguentum, quo cum ligetur crus terno quoquo die semel, per tres septimanas continuando. Postea sæpius abluendo mundetur aqua foliorum querci, vel aqua salsa. Curabitur optime non alias, ac si medicamentum superpositum esset: nam eius est naturæ medicina prædicta, quod tribus hebdomadibus etiam operetur post eius omissionem, donec omnino curauerit. Anacthron est genus salis, quod crescit in petris, veluti muscus lapidibus supernascens, nitri similitudine: non est nitrum tamen, quod à vitrariis conficitur. Est sicut vsnea quid, ac decoctum aqua fit, vt alumen, acidum. Postremo vitri formam accipit, spumamque producit, quam antiqui falso putarunt *anacthron.*

CAPVT VI.

DE FISVTLA.

Fistula quid. FIstula est sal ex nutrimentis illius membri tantum, in quo sita est, vel eorum excremẽtorum, latius non extendens seipsum, quàm illud sit excrementum vel nutrimentum. Ad ae-

rem

rem tantum, fit apertio cutis: quia sal istud est debilios, quam, vt cutem sub qua latet fistula corrodere valeat.

Nota.

Nota. Ex omnibus apostematibus, item ex vulneribus, fodicationibus, & accidentibus, cum sal illius loci moritur, oriri possunt: etiam ex morte nutritiui salis & excrementorum.

Signa.

Signa. Angusta profundaque sunt foramina, pro maiori parte in iuncturis & angulis penes emunctoria, vel in locis deprauatorum vulnerũ fodicationum, aut accidentium, spumam & aquam emittentia, spatio duodecim horarum sese purgant, dolorem non inferunt, quia de glacie præter acuitatem sunt emortua.

Terminus,

Terminus. Mortis non est effectiua, nec alicuius accidentis, ac in statu suo chronico permanet in mortem vsque.

Cura.

Mundificatiuis & incarnatiuis præter omne corrosiuum opus est hoc loco potionibus vulneratorum, aquis localibus, aut appodeltoch. Non est, quod ventilis angustiam cures: nam trium horum quodlibet operatur excellentissime.

Potio vulneratorum.

℞. *Aquarum ciclaminis, scilicet de foliis serpentina ana* ℥ iiij. Fiat mixtura ad haustum. Dosis ℥ *iiij.* mane & sero in finem vsque curę.

Alia.

Cura. ℞. *Aquarum de cornibus cerui lib.* j. *Centaurea, Consolidæ aureæ, Parthenionis ana quartam j. ß* Quibus impone *Rheubarbari, Manna electa, Spermatis ceti ana* ℥j. Huius potionis agitatæ prius, vt bene misceatur, cochlear vnum singulis diebus bibatur mane: post quod vini cochlearia tria sumantur per os. Hoc, poro fistula mundatur intrinsecus, & per se curatur absque medicamento superposito forinsecus. Poteris tamen hoc emplastro vti exterius.

℞. *De quatuor gummi* ℥. iij. *Ceræ vj.* Liquefiat. ambo simul, & adde *Visci de botin* ℥iij. fiat emplastrum.

Aqua localis.

℞. *anodyni* ℥iij. *Crystallini preparati in lapillos* ℥j. *Aquarum plantaginis. Ciclaminis ana.* ℥x.

CAPVT VII.

DE HERPETA MORDACE, vel Estiomena, vulgo Lupo.

Lupi origo. LVpus oritur ex sale Mercuriali tantum in eo loco, in quo est, eiusque centrum figitur, vbi defect⁹ maior fuerit: & quãuis adscribatur hepati, vel per eius curam procedatur morbus tamen eam per se recusat.

Nota.

Nota. Eo, quod in musculis absconditur, in quib9 periodus mouetur, ab apostematibus est separandus lupus.

Signa.

Signa. Fixus est, & in circumferentia centrum suũ coagulat intrinsecus ad os fodiens, vrit callososque nodos tandem procreat, vsque ad mortem.

Terminus.

Terminus. Herpetæ mordacis ætas est annorum triginta, vel quadraginta, membrum non consumit, suo loco manet: verum si morbus acutus inciderit, mortalis est: pariter si carbunculus vel anthrax accesserit: de cura desperandum est.

Cura.

Cura. Refrigerio primum opus erit, demum remediis mucilaginosis, ad callos, nodosque tollendos, postea curetur per oppodeltoch.

Mucilaginosum remedium.

℞. *Liquoris de Mumia, de Mastice, de Caphura, singulorum* ℥ß. *Mucilaginis de fœnugraco, de Psillio, de Citoniis, ana quãtum sufficit pro incorporatione.* Vsus eius est, sicuti emplastri oppodeltoch. Refrigeriũ, vel infrigidatio fit sperniolo, anodyno per quinq; aut sex dies, post quos mumiam addes.

Alia cura.

℞. *Realgaris crystallini* ℥j. *olei ardentis* ℥ij. *cerussæ* ℥ij. fiat vnguentum. Circumponatur lupi circumferentię tantum, vt in medio nihil sit. Renouetur singulis duodenis horis semel, vsque ad sextum vel octauum diem: depone postmodum, & permitte. Circulus ille totus aufertur per se, quo facto, lauetur mane vesperique hac aqua, superponatur etiam infra scriptum emplastrum, secundum artem Chirurgicam.

Aqua, vel eius lauamentum.

℞. *Aqua glutinis rosarũ ana* ℥vj. *parthenionis* ℥v.

Emplastrum.

℞. *Olei lini lib. ß. eris viridis, Ceræ ana quartam j.* Fiat cerotum, cui superaddantur *Bdellij colati* ℥j. Liga secundum artem.

CAP. VIII.

DE MALO MORTVO

Malum mortuũ quid. MAlum mortuum est colchotar narcoticũ, non inter apostemata, sed inter pruritus connumerandum potius: à centro surgit in superficiem, loca sola Saturni Mercuriique solum occupat.

Nota.

Nota. Cum spiritus somniferi separantur à sua circumferentia, membrumque suum arripiunt, vti quoduis narcoticum, non aliàs & colchotar istud expellit.

Signa.

Signa. A pedibus primum incipit, ac sursum assurgit, cutemque post duos aut tres annos, vt corticẽ insẽsitiuam efficit, cum angusto foramine.

Terminus.

Terminus. In vlcerationem terminatur, sibimet emunctorium facit, & viginti permanet annis, postmodum in lepram tendit.

Cura.

A cauteriis est incipienda cura, quibus tollitur id, quod in superficie fuerat, & postea per oleum de piperibus ad menses tres administratum.

Cauterium.

℞. *Sulphuris liquefacti, liquoris de colophonia, olei de carabe ana* ℥iiij. *Thuris* ℥ij. *Resinæ abietis* ℥vij. Fiat mixtura super ignẽ, calefac optime: postea superaffunde singulis diebus duodecies, & pes bene perfusus hac pinguedine, per dies tres aperitur.

CAPVT IX.

DE SERPIGINE.

SErpigo nihil aliud est, quam sal aluminatum, ab aeris elementis extra suum chaos expulsum ad cutem secundum aereorum expulsiuorum operationem.

Nota:

Nota. Cum elementatum aëris per suum chaos purgatur, aut ad exteriora pellitur, substantiã salis aluminati relinquit in superficie sui chaos & quia sal aluminatum est minerale suum effectum habet in superficie.

Signa.

Signa. Vbi maculæ quædam nascuntur in cute permanentes, vel non: fixæ siue vel non fixę suo loco fuerint: rubeę, luteæ, vel albo permixtę colore, quamuis in parte corporis, indica serpiginem existere.

Terminus.

Terminus. Vltimo per totum corpus dispergitur, bullas prauas producendo, postea crustas, indefissuras postremo tandem vlcerationes.

Cura

Cura. Aeris purgatio præcedere debet, post vsus cauterij, sicut in malo mortuo: deinceps per plantaginem curabitur.

Mundatiuum aeris.

Succi cichoreæ, Gamandræ ana lib. j. Succi capillorum Veneris lib. ß. Mannæ ℥ij. Liquoris vitrioli ʒj. Fiat mixtura & destillatio per alembicum, vsque ad oleitatem. Dosis ʒ 3. vsque ad tres.

CAPVT X.

DE GVTTA ROSACEA.

Gutta rosacea quid. GVtta rosacea prouenit ex croco, Martis habente naturam, qui in carne subiecta Marti, per totam cutem circa poros expulsus est, & crocea tinctura, Martialisque sine tinctura sanguinis, aut carnis est.

Nota.

Nota. Caro quæuis in suæ mineræ naturam transit, pro augmento mineralium eo loco sanguinisque metallici.

Signa.

Signa. Faciei color primo flauus, deinde rubicundus, indies magis absque bullis, vel pruritu, donec coccineum colorem cutis & caro simul acquisierint.

Terminus:

Terminus. Vltimo transit in putrefactionem, quæ sal in se generat, cum pauca mordacitate.

Cura.

Cura. Eius cura sita est solum in citrinula, & fabiola, nec non in re bona destillatis, aquam in & ista cura dicitur ex tincturis.

Alia cura.

℞. *Albuminis ouorum coctorum numero x. calcis ouorum ℥vj. Destilla in aquam, & adde, Foliorum argenti, Stanni, Plumbi, Veneris ana ʒj Foliorum auri, Marchasitæ argenteæ, Aureæ, Chimoleæ ana ʒij.* Fiat digestio ad mensem, & destillatio.

CAPVT. XI.

DE MORPHEA.

Morphea quid. EST morphea trium horum, scilicet sanguinis, carnis, & cutis, per mineralia salia causata corruptio, transiens in corrosiuam putrefactionem, internam & externam.

Nota.

Nota. Cum substantia naturæ per sal mineræ corrumpitur, & figitur, per se, tunc illa tinctura secundæ generationis est initium morpheę.

Signa.

Signa. Quando pars Martis in rubedinem tingitur, & ex gutta rosacea transmutatur in alium colorem cæruleum, aut nigrum, cum bullis, nodis, aqueisque vesiculis, atque tumet, morpheam esse dixeris.

Terminus.

Incipit in fine sui putrescere nigramque ponere aschpharam in carnis medio, quo cum peruenerit morphea, est incurabilis, & in mortem vsque permanens. Terminus.

Cura.

Eius cura duplex est, prior ex tincturis, posterior ex mundificatiuis. Prior iterum fit in modum curæ guttæ rosaceæ, posterior, vt in malo mortuo. Cura.

CAPVT XII.

DE GLANDVLIS ET NAPTA.

NApta quidem ex nutrimentorum proprij membri liquoribus originem ducit, eorumque liquorum, à quibus prouenit, similitudinem recipit. Inde sequitur aliquas naptas cartilaginosas, aliquas carnosas, & ligamentosas esse nonnullas, aut aliis membris similes, vt ossibus & articulis. Napta quid.

Nota.

Quoduis nutrimentum est triplex: at si digestionem eius separatio pręcesserit, in suę formę substantiæque separationem etiam transit, & inde naptę proprius locus oritur, & generatio. Nota.

Signa.

Si globuli glandulæ, vel superfluum os pręter inæqualitatem ipsius membri nascantur sub cute recondita: mobilia vel fixa: siue doleant, vel non, dura vel mollia fuerint, naptam esse iudices. Signa.

Terminus.

Successu temporis putrefit, augmentoque suas membro vires deprædatur. Terminus.

Cura.

Aluminis plumosi filo tollenda est, in oleo de gilla prius madefacto, postmodum vngendo & excorticando venulæ per gillam consolidentur. Cura.

CAPVT XIII.

DE HYDROPHORBIA, VEL LEPRA expulsa.

EX trium primarum substantiarum centro, quæ separantur in lepræ generationem, per virtutem expulsiuam balsami liquorem expellentem, oritur hydrophorbia, rotundam in formam instar gallæ, & est de sale non acuto, sed leproso. Hydrophorbia quid.

Nota.

Quoduis resolutum narcoticum sine vlceratione manet, estque de natura vrticæ, salisque vitriolati. Nota.

Signa.

Cum bulla nascitur similis ei, quę fit à cantharidibus, aut flammulis, vel in gallæ tumore turgens, & circumquaque cæruleo colore perfusa, tanquam erumpere vellet, dura tactu sicut est aquosa vesica, hydrophorbiam esse dixeris. Signa.

Terminus.

Si penes oculos sita sit, fistulam ex se generat absque detrimento, putrescit introrsum versus ex originis abundantia suæ, colore formaque augetur indies, ac numero, vocem adimit, ac naturalem colorem corporis, inde lepra subsequitur. Terminus.

Cura.

Cura.

Cura. Duplex est hydrophorbię cura: prior, vt per liquorē orizōtis natura corroboretur: altera quidem, vt bullarum liquor exsiccetur forinsecus.

℞. *Aqua regis* ℥j. *Olei de realgare* ℥ß. *Olei de euphorbii*, quantum satis fuerit ad incerandum.

DE ALOPECIA.

CAPVT XIV.

Alopecia quid. ALopecia scabies est in partibus Iouis nascens, & ex spiritibus istius originē & materiam peccantem, dolorem, & locum simul vnico contextu ponit.

Nota.

Nota. Cum spiritus Iouis a naturalibus separatur humoribus, & in mineram propriam transit: si in metallis operabitur, in cachinam: si in arboribus, in spongiam, & in humano corpore transmutatur, in alopeciam.

Signa.

Signa. Si cutis in capite post fricationes emittat sāguinem, postmodum crustas, deinceps flauam aquam, & extenditur pro crinium terminis in ceruicem vsque, mox ad hanc vbi peruenerit, alopeciam esse dicas.

Terminus.

Terminus. Nisi præuentum sit, acquirit radices, post quas fluxio sanguinis indies subsequitur, & extremus dolor, mordaxque: nulla foramina profert, sed in mortem vsque perseuerat.

Cura.

Cura. Eius cura triplex est, vna per picem, alia per corrosiuas aquas, & tertia per gillam. Quidam tonsores auferunt pilos & cutem, primamque Iouis partem ad nucham vsque.

℞. *Picis calcificum lib. j. Colophonia lib. ß. Bituminis de cornibus* ℥j. *Casei præparati lib. ß.* & commisceatur. Primo pici colophoniæque liquefactis, alia paulatim addenda sunt, & erit factū emplastrum viscosū in fundo. Caseus, qui præparatus est, exsiccetur, & postea teratur. Hoc est eorum commune receptum.

Poteris tamen bitumen & caseum coagulari permittere sine detrimento. Quidam putantes id melius reddere posse, tantum apponunt ceræ, quantum eorum est medietas. Postquam cutis vna cum ipso morbo fuerit adempta, mox vnguento de cerussa, quod pulcram cutem generat, vtere. Nonnulli caseum admodum nigrum accipiunt quem optime lauant, ac eo, quod in fundo residet, caput inungunt. Et quāuis hoc remedio repellatur alopecia, nihilominus perfecta cura non est: nam hac ratione pulsam inde post annos duos rediisse vidi.

Alij quidem corrosiuis & calcinato solent vti tartaro, quod etiam laudare minime possum, eo, quod ad nucham vsque rodant, vnde mania subsequitur, & quandoque mors. Cura per gillam fit, vt per nouem dies continuatos caput inungatur ea, sed quia plurimum vrit, oliuarum oleo desuper illito absque intermissione dolores isti mitigandi sunt: eo temporis spatio plurimum humiditatis attrahitur in spissam crustam concretæ, quæ post eos dies nouem decidit, cutisque subtus nudatur pulcerrima.

DE ALCOLA.

CAPVT XV.

Alcola quid. ALcola carnis est quædam superfluitas, insurgens ex venis Ioualibus per Martis regiones transeuntibus, & nascitur solum in emunctorio Martis, hoc est, in oris labiis.

Nota.

Cum spiritus Iouis, qui duntaxat in alopeciam transire deberet, alio se recipit, ad Martis regiones videlicet, in generationem excrescētium transmutatur, & pro natura Iouis, fit alcola. Nota.

Signa.

Primo nascuntur in labiis porri: postea cum emittunt sanguinem per se, vel per incisionem enascitur caro quædam: quæ si spōgiosa fuerit, ac foraminibus vndique repleta, indicabis alcolam fore, non spongiam. Signa.

Terminus.

Finis eius est indies magis crescere, donec locum suum penitus occupans, os obstruat, vt comedi nequeat: in posterum phrenesin, atque maniam excitet. Terminus.

Cura.

Venarum ductus atque meatus deflectendi per transuersum secundum regionem: & postmodum hoc vnguēto fuerit inungendum, alias frustanee curabitur. Recipe realgaris pręparati succi chelidoniæ quantū sufficit, & formetur vnguentum. Cura.

DE CANCRENA.

CAPVT XVI.

CAncrenæ locus est in cruribus, inferius ad calces originem ducit ex salibus dulcibus, & operatur contra humorem naturalem ab vtraque parte pręter omnem acuitatem. Cancrena quid.

Nota.

Quoduis sal dulce balsami liquoribus admixtum, morbum fixum producit: nā in eo non est acuitas: in Mercurij superficie tantum etiam emergit, estque sal a sale separatum armoniaco. Nota.

Signa.

Dies noctesque dolor non remittitur in eo loco, in quo cancrena fuerit, splendentique rubore crus totum depingitur: annos triginta perseuerat pręter exulcerationem. Signa.

Terminus.

Cum post multos annos ad extremum peruenerit, natura præ senio deficiente, ad mortē aperitur. Terminus.

Cura.

℞. *Succorum nenupharis, Solatri, Papaueris, Lolii, singulorum* ℥ij. *Papaueris tritici* ℥iij. *Opii* ℥xv. *Mādragoræ* ʒ iij. *Succi ex radicibus hyoschiami exterioribus* ℥v. Cura.

Reduc in vnguentum cum oleo de lithargyrio. Dolor est mitigandus per anodyna. In hoc morbo nulla digestio nec purgatio, vel physica, chirurgicaque minus, alicuius momenti sunt. Poteris etiam ad cancrenam vti medicamento prauatum lentiginum, cum additione scammoneæ ℥ß. ad libram vnam illius vnguenti: peculiarem habet in vrentibus potissimum vlceribus & apertis scammonea virtutem.

DE PANARITIO PANDALITIO, *vel Passa.*

CAPVT XV.

DIco panaratiū, quod vos vermē appellatis, esse vermem & naturalē passam, quæ postquam Panaritiꝰ quid.

quam nascitur, ventile quoddam aperiendum est: hoc idem ipsemet vermis efficit animali natura, suoque loco seipsũ fouet atque nutrit.

Nota. *Nota.*

Duæ fiunt in corpore corruptiones, videlicet in humoribus naturalibus, & in mineralibus. Quæ in naturalibus fiunt, æschphares generant: quæ in mineralibus vero, panaritium: hoc in radicibus solum ad vngues locũ habet, ibi etiã est radix salis nitri: vel in eo loco, per quem transitum facit.

Signa. *Signa.*

Cum in vnguium radicibus dolor, vstio, tumor, & inflammatio tanquam ignis sæuierent, & corrosio vermium instar, panaritium esse dixeris.

Terminus. *Terminus.*

Eius hic est finis, vt postquam vermis natus fuerit, radicem vnguis & membrum totum, atque digitum cum dolore maximo, prolixoque mortificat.

Cura. *Cura.*

Triplex est eius cura, per characteres vna, quam trisomnistis superstitionalibus, ac aliis eius farinę magistris relictum velim. Secunda per naturalia, sicut sunt sperniolum & anodyna, cum ex corio sacculus digito constructus, aptusque sperniolo ter vel quater madefactus induitur. Etiam externis putrefactis curam agere poteris, vt porcorum stercore cum aceto decocto, superpositoque.

DE ASTCHACHILOS.

CAPVT XVIII.

Astchachilos quid. ASTchachilos ratione loci formæq; potius cancrena vocari deberet: est tamẽ sal minerale ex ossibus Mercurij, inde vbi minime exstiterit, originem ducit, a iuncturis pedum ad genu per crus ascendens: tactu deprauatur, & intrinsecus rodendo foramina fodit.

Nota. *Nota.*

Huiusmodi sal in ossibus, est & alumine glaciei, quod in carne consumitur, ad superficiẽ se recipit, roditque pro natura mineraliũ.

Signa. *Signa.*

Cum rubedo super iuncturas ad calcis radicem inceperit, cum vlceratione lata superficialique, plurimis etiam vlceribus ad genu tendentibus, dic astchachilos fore, quod araneum ego voco.

Terminus. *Terminus.*

Status eius annorum est viginti, non admittit accidens, manet in carnis tenuiore parte, super crura semper in eodem statu, per terminum, qui supra dictus est.

Cura. *Cura.*

In primis panaritij medicamentis vtendum erit, quibus cum curatũ fuerit, persanetur emplastro de myrrha, quod sequitur: ℞. *Olei de vitellis ouorum* ℥ij. *Ceræ* ℥ ß. *Colophoniæ* ℥ iij. *Myrrhæ rubeæ ad pondus omnium*, Fiat emplastrum secundum artem.

DE STRVMA.

CAPVT XIX.

Struma quid. STruma ex mineralibus, vt alia quæ oriuntur ex eisdem, sicut in tempestiua marchasita, vel mineralia cruda, nascitur. Inde fit, vt strumosi magis ad maniam, quam ad intellectus temperantiam proni sint, propter mineræ cruditatem in struma sitam, quæ collum occupat, in quo mineralium est principium.

Nota. Nota.

Quoduis minerale crudum prope radicem crudam generat excrescentiam illi similem, quod inde fieri debuisset: nam crudũ quodque mater & origo nodosorum est.

Signa. Signa.

Cũ in collo nodosi tumores excreuerint, cute contecti raparum instar, strumam fore iudices.

Terminus. Terminus.

In eodem statu permanet in mortem vsque, nisi fuerit elatior, quæ restringitur ante mortem, cuius etiam est præsagium.

Cura. Cura.

Strumarum cura duplex est, instrumentalis, & medicinalis: hęc per pulueres aut potiones eius fit, illa per actualia cauteria, vel

DE POLYPO.

CAPVT XX.

POlypũ dico fore carnem deuiatam, & buccellos, qui per poros extra locum suum in excrescentiam nodosam transierunt. Polypus quid.

Nota Nota.

Diuiatum quoduis nutrimentum in alio quã sui situs loco, generat eandem carnem suæ generationis in magna copia.

Signa.

Cum alicui caro nascitur in naso, quæ cum sanguine prorumpit, polypũ esse dixeris. Signa.

Terminus. Terminus.

Sub finem eius incrementi venæ confluunt, sanguinemque suum prorsus aff induut, & in vlcus transiens polypus transmutatur in prauã tentiginem, vel Noli me tangere.

Cura. Cura.

Eius, vt in alcola cura, est ambo debent incidi buccelli, nutrimentumque tolli, demum curari per oppodeltoch.

DE FICVBVS VEL VERRVCIS HÆmorrhoidarum.

CAPVT XXI.

EX hæmorrhagiali sanguine, cũ nutritiuus humor separatus est a substantia sanguinis & per porum suum emunctorialem penetrat extra materiam propriam, transit in excrescentiam, quæ ficus existunt, aut Verrucæ. Ficus quid.

Nota.

Quicquid a suo nutritiuo separatur, in suæ substantiæ similitudinem transit, ac in cancrum pro loci vitriolique salis ratione diuiditur: estque generatio talis, quæ de verrucis vuluæ. Nota.

Signa.

Si in tenasmone porri, vel polypicę demonstrationes apparuerint in sanguinei ruboris similitudinem, ficus, vel verrucas esse indicato. Si tamen & vna cum stercoribus sanguis admitus foret: cum exitus difficultate, sudore quoque, vel aliquo labore dolores excitarentur in tenasmone, ficus intrinsecus nasci indicabis. Signa.

Terminus.

Si perseuerauerint vsque ad vigesimũ annũ, in cancrum transmutantur. Si tamen eo tempore cancer non erumpat, vnaque plures exstiterint verrucæ concretæ, simul constipant anum, vel orificium vuluę.

Cura.

Cura. Ficuum cura duplex, vna quidem stercoralibus medicamentis: altera vero dulcibus fit corrosiuis.

Corrosiuum dulce.

℞. *Olei laterini* ℥j. *olei de iuniperis* ℥ß. *Olei ex myrrha* ℥ij. misceantur.

Corrosiuum dulce mixtum cum aceto.

℞. *Olei laterini* ʒj. *Aquæ aluminosæ* ℥ß. *viriditatis salis ad pondus omnium.* Fiat mixtura.

Cura de stercoribus.

℞. *Patientis deiectum stercus, misce cum oleo de vitellis ouorum,* premat patiens, vt exeant verrucæ ficusque, quibus tunc medicina superponatur.

CAPVT XXII.

DE TINEA.

Tinea quid. TInea prouenit ex salibus mineralibus cum humore carnis, & cutis liquore permixtis, postmodũ ex pulsione transeuntibus in crustas.

Nota.

Nota. Cum humor mineralis a proprio sale separatus in carnem se recipit, si hunc elementum igneum arripiat, eo per poros agitur in crustas.

Signa.

Signa. Si crustę nascantur in capite, cum capillorum fluxu, vel aliàs, sudoremque non libenter emittunt, & crustæ cadentes die tertio rursus enascantur, tineam esse dicas.

Terminus.

Terminus. Post decimum sextum, aut quartum & vigesimum annum ætatis morbi, spargitur per vniuersum corpus, & crustæ per se decidunt: cum incidentia pollicum subsequitur, lepram ex tinea natam esse iudices.

Cura.

℞. *Cichorii, Gamandreæ, Capillorum Veneris ana* ℥ij. *Cassiæ extractæ* ℥ß. *Mannæ electæ* ʒj. Reduc in haustum cum aqua artemisiæ: omni anno, mensequeMaio debet administrari, quia reuertitur.

CAPVT XXIII.

DE BVBONE VEL BVFONE.

Bubo quid. BVbo est infectio ex duorum similium commixtione proueniens, & ex tertio in apostematum generationem, ac per salia luxuriosa tandem in vlcerationem producta.

Nota.

Nota. Cum illa duo mineralia simul in matricem veniunt, inde generatur bubo, tum ex accessione tertij subsequitur bubo vitriolatus: & causa huius est, quod sperma luxuriosum scabie sua infectum est.

Signa.

Signa. Si tumor in altero sulco penes pudenda surrexerit cum rubore succedente, viresque deficiant, calor atque frigus inuaserint, eadem die transierit appetitus, bubonem adesse dicas.

Cautela.

Caue à resolutiuis, corrosiuis, & attractiuis medicamentis.

Cura.

Cura. Eius cura per apertionem fieri debet maturatione propria, postmodum per oppedeltoch curandum est.

Descriptio maturatiui.

De quatuor resinis ℥ß. *De liquoribus althiæ, Bismaluæ ana.* ℥iij. Fiat mixtura superponenda.

Descriptio oppodeltoch.

℞. *De quatuor seminibus incarnatiuis* ℥ß. *Ceræ Colophoniæ ana* ℥ij. *Picis naualis* ℥iij. Reduc in emplastrum. Oppodeltoch.

CAPVT XXIV.

DE CAMBVCA.

CAmbuca prouenit ex bubonis materia, quæ citius quam oportuit sedem fixit: eius vlceratio fit eodem loco in quem figitur. Cambucæ quid.

Nota.

Queuis cambuca bubo est, nec ab eo, quàm propter locum differt. Nota.

Signa.

Si post actum Venereum cum calore tumor exsurgeret, ac in vrina sanies aliqua cerneretur, & inde sequerentur vlcerationes cum putrefactione, cambucam esse dicito. Signa.

Terminus.

Vltimo trãsit in vlcerationem corrosiuã, quę foramina in vnũ exedit, & cãbucam putrefacit. Terminus.

Cura.

Caphurato & emplastro de mumia curetur.

Formulæ Caphurati.

℞. *Caphuræ* ʒij. *Vitellorum ouorum* ℥iiij. Fiat mixtura, quę posita super marmor in loco humido, vertitur in oleum. Curæ

Emplastri descriptio.

℞. *Mumiæ* ℥ß. *Resinæ de botin ablutæ per aquam rosarum quantum sufficit pro incorporatione*, fiat emplastrum.

CAPVT XXV.

DE VARICIBVS.

VArices oriuntur ex sale plumoso, quod cũ substantia resolutum est: illis euenire solet qui cauernosum vlcus expectant: ac mulieribus grauidis: ideo quod vlcus hoc in matrice debeant exspectare, per generationem in easdem venas expulsam. Varices quid.

Nota.

Cum sal aliquod ex operatione propria seipsum aperit, eius est sanitas: vbi non, transit ad radices huiusmodi venarum, & vlcus cauernosum intrinsecum generat. Nota.

Signa.

Si crurum venæ tumeant, qualescunque sint, nodosæque fiant globulorum instar, cum natiui coloris in cœruleum, nigrum, aut subuiridem transmutatione, velut inflata cutis præter carnis detrimentũ, varices fore indicabis. Signa.

Terminus.

Vltimo cutis in turpissimum fœtentissimumque foramen aperitur: quod si cum laterũ punctionibus accidat, morti iudicato morbum obnoxium esse. Terminus.

Cautela

Caue plurimum à corrosiuis aquis, balneis, purgationibus, ab omnibus vnctionibus morbillorum, à Mercurio & sulphure.

Cura.

Aperiantur venæ cum tempore digesto, postmodũ liquoribus gingiuarum leporum vnguendum erit per tres aut quatuor septimanas: vna tantum est aperienda vena per vicem, & postmodum altera non ambæ simul. Digestum tẽpus est, cũ per annum abfuerint, ac postea redeunt. In anno semel si venerint, & venæ semel aperian- Nota.

aperiantur, si bis & bis aperiendæ sunt ordine, deinceps leporum gingiuas, aut pinguedinem humanam superponas.

DE RANVLA.

CAPVT XXVI.

Ranula quid. RAnula est immaturum plumosum: oritur ex radice linguæ sub infantiam, antequam linguæ radix sit firmiter affixa.

Nota.

Nota. Si caro senuerit, ranula minime nasci potest quod in varices transire deberet, in linguæ regionibus fit apostema.

Signa.

Signa. Si venæ sub lingua tumuerint cum cœruleo colore, ranulam esse dicas.

Terminus.

Terminus. Vltimo cum ranula transit in maturationē, generat apostema, quod in infantibus mortale est: si vero non coagulari potest ranula, tunc infanti loquendi materiam, aut facultatem adimit, balbutireque facit.

Cura.

Cura. Venulis apertis eliciatur sanguis, postmodum illines aquis brassatellæ, agrimoniæ alchimillæ, diapensiæ vel oleo hypericonis, aut oleo de floribus centaureæ. Si post curam hanc ranula redierit, curam iterum incipias: at si parua sit, aquę prædictæ sufficiant.

DE NACTA.

CAPVT XXVII.

Nacta quid. NActa est immaturū apostema, proueniens ex menstrualibus fluxionibus, cum illæ per sal plumosum in cōgelationem tractæ sūt, & ex ea post in resolutionem.

Nota.

Nota. Omnis immaturitas admixta maturo non recipit istius emunctorium, sed proprium sale suo plumoso hoc operante.

Signa.

Signa. Si grauida vel puerpera mulier conquereretur de vberum dolore, prę tumescentia, duritia, rubedine, & eorum in foramen apertione, tum nactam esse dixeris.

Terminus.

Terminus. Sal plumosum vltimo fit corrosiuum, & in vlcerationem transit, post in putrefactionē, & postremo pro balsami naturalis, aut medici saltem excellentiam terminatur.

Cautela.

Abstinendum est ab aquis corrosiuis, à cauteriis candentibus metallis factis, ab Arsenico cum aqua rosarum, ab oleis destillatis, vt sunt *laterinum, & terebinthina.* Caue pariter à cerussa, à refrigeriis & ab oleis rosarum & violarum.

Cura.

Cura. Nactæ cura per oppodeltoch ex aromatibus fieri debet.

♃. *Oppopanaci, bdellii ana ℥j. Serapini ℥ij.* Liquefac in aceto colato per pannum, postmodum inspissabis in modum mellis. ♃. *Mumiæ j. Aristolochiæ rotundæ ℥iij.* Liquoris de chachimia ad pondus omnium, fiat emplastrum.

DE SCROPHVLIS, SCROPHIS, vel suillis.

CAPVT XXVIII.

Scrophulæ. SCrophulæ prodeunt ex sale de milio: quoduis foramen peculiare centrum habet, estque huius operatio similis operationi salis lapillati de grandine.

Nota.

Cum alumen resoluitur in aquam, & in primam redit materiam, ac postmodum in grana rursus coagulatur, gutta quælibet suum foramē edit, ac in membro collectum remanet. Nota.

Signa.

Si bullæ surrexerint in carnoso quopiam loco, rubei coloris cum flauo centro, cum vredine maxima, tumoreque, postea mirum in modum & citissime rubuerint, ac postremo foramina, quorum vnum alterum non tangat, inciderint, scrophulas esse iudicandum est. Signa.

Terminus.

Vltimum, si terminum attingere permittatur, post tres aut quatuor annos mutantur in alium colorem, cœruleum nempe nigro commixtum: postea noua crisis incidit cum vehementi calore: cutis subtus excauatur, ac in mortem vsque permanet. Terminus.

Cautela.

Caueas à pice, calidis oleis, ab aristolochia, viridi æris, ab arsenico, sale armoniaco præcipitato, auripigmento, alumine calcinato, pariter & ab vngula caballina: tum ab omnibus herbis attractiuis.

Cura.

Earum cura fit corrosiuis & consolidatiuis. Cura.

Corrosiuum.

♃. *Vitrioli albi ℥j. Aquæ rosarum ℥.iij. Lithargirij absoluti ℥.ß.* Commisceantur cum oleo rosarum, & pannis in eo madefactis, foraminum orificia quæque leniter impleantur.

Consolidatiuum.

♃. *Consolidæ regalis lib.ß. Aristolochiæ longæ ℥ij Myrrhæ ℥ß. Mumiæ ℥j.* Post triturationem. ♃. *Olei rosarum quantum sufficit pro incorporatione,* formetur in modum emplastri.

DE VLCERIBVS CAVERNOSIS

CAPVT XXIX.

VLceris cauernosi, quod ex chordis neruisque prouenit, origo, ranularum & verrucalium vlcerum origini similis est. Vlcera cauernosa.

Nota.

Quod ex vno morbo transit in alium, etiam aliud medicamentum requirit, vti hic, vlceris cauernosi cura, similis est illi quæ de varicibus. Nota.

Signa.

Si quis varices haberet, post quas & foramina succederent, cum carnis & cutis putrefactione, tandem fœtor atque tumor vna cum spasmo sequerentur, vlcus iudicabis adesse cauernosum. Signa.

Terminus.

Si terminum suum attigerit, in ignem persicum transmutabitur, hoc est, in tertiam crisim, per se, vel ex medici negligentia, vel ignorantia potius. Terminus.

Cautela.

Abstineas ab aquis corrosiuis, cauteriis, pariter & attractiuis ex gummi compositis: nam si his vsus fueris, ignis persicus subsequetur.

Cura.

Duplex est eius vlceris cura, scilicet, vna ex varicibus, & ex vulneribus altera. Sedabis igitur varices, vt in eis dictum est. Cura.

Ad vulnera.

Ad vulnera.

℞. *Lithargyrij, Minij ana lib. ß. Olei oliuarum lib. j. Ceræ lib. ß.* Reduc in emplastrum. Postmodum accipe *Puluerem aranciarum, Chelidoniæ, Aristolochiæ rotundæ ana ℥. iij.* & formetur emplastrum.

DE BOCIO.

CAPVT XXX.

Bocium. BOcium nascitur ex menstruis & hæmorrhoidibus, eodem loco, in quo ambe huiusmodi fluxiones vniuntur, & in alio fluxu proprium sibimet emunctorium facit.

Nota. *Nota.*

Cum liquor (fluxus) constipatus fuerit, vt ad locum peruenire nequeat, nec idipsum exequi valeat, quod sui fuerit officij, retrograditur donec transeat in carnis generationem.

Signa. *Signa.*

Si mulieri bullæ nascantur, postea porri, postmodum carnis excrementum sub cute, vel super eam, quæ pro menstrualium agmento progressum habuerint, bocium esse dicas.

Terminus. *Terminus.*

Vltimo violentissime tendit in finem, & omnes humores attrahens in fluxionem ad mortem conuertitur.

Cura. *Cura.*

Fluxum exiccato per deopilationem, vehementissime prouocato menstrua, vel hæmorrhoidas. Postremo sistenda est fluxio, sicut in Noli me tangere.

Prouocatio menstrui cum deopilationibus venarum est.

℞. *Liquoris pulegij, Arthemisiæ ana ℥ iij. Vini correcti ℥ vij. De liquoribus splenis castrati bouis ℥. j.* Reduc ad mixturam, dosis ℥ *ß. mane & sero.*

Additio.

℞. *Aquæ ex fructibus sauinæ, vel oleum de granis eius.*

Hæmorrhoidarum prouocatio.

℞. *Serapini solati ℥ ß. bdellij, masticis ana ℥ j.* Fiat emplastrum per se, secundum artem super locum hæmorrhoidarum.

DE TESTVDINIBVS, VEL CELSA.

CAPVT XXXI.

Testudo. TEstudinem, celsam (hoc est, id, quod huc atque illuc discurrit) ex salibus accidentalibus coagulatum esse dico.

Nota. *Nota.*

Cum celsa ex corpore suo transit in coagulatum, vagationem suam retinet secundum coagulationem.

Terminus. *Terminus.*

Postremo putrefacta in vlcus transit cancrosum in vigesimum quintum, aut sextum & vigesimum annum, & in crisin.

Cautela.

Caueas ab vnguētis, vnctionibus, & corrosiuis.

Cura. *Cura.*

Eius cura talis est, vt regio circumdatur eius alumine plumoso, & postquam æschphara deciderit, superponatur oppodeltoch: hac via testudo putrefit in eiectionem: communibus emplastris concludito.

DE IGNE PERSICO, ET PRVNA.

CAPVT XXXII.

Ignis persicus. PErsicus ignis est sulphureum corpus accensum, quod ex suo transformatum est iliado cum omnibus speciebus sulphuris, & est calx viua sicca, & calx viua liquida, quæ suam accensionem a liquido sale recipit. Postmodum vrit, consumitque membrum penitus, vti calx cadauer aliquod.

Nota. *Nota.*

Trium priorum transformatio mortalem consumptionem efficit: nam in persico, vel pruna consumptio talis impediri non potest, cum proprium & innatum in ipso calidum sit elementum occultum.

Signa. *Signa.*

Huius morbi signa sunt duplicia, videlicet ex frigido & calido. Quæ ex calido rursus duplicia, chronica & acuta scilicet. Chronica sunt, cum primo herysipela nascitur, postea bullæ flauæ penes foramina surgunt, pariter cum occulta rubedo cum vredine splendoreque tumuerit, in eoque statu per annos ternos, vel senos perseuerauerit, calidæ prunæ chronicæque signa sunt, ignisque calidi.

Acuta vero, cum repente calor membrum inuadit cum flauis vrentibusque bullis: vbi postmodum sicut in creticis color in cœruleum transit, ignem vehementissimum ibidem esse dixeris.

Signa frigida cum præcedentibus colorem nigrum induunt: at si membrum hoc antea varices habuisset cum nigredine prunam frigidam natam esse iudices.

Cautela.

Abstineas a medicamentis secundum elementa compositis, a repercussiuis, a morbillorum vnguentis, vnctionibus, suffumigiis, & guaiacano ligno.

Cura. *Cura.*

Ignis persici cura duplex est, vna priusquam natus sit morbus, altera, cū iam est vigentesimus.

Ad priorem curam.

℞. *Spermatis ranarum lib. ß. Caphuræ ℥ iij. Myrrhæ Thuris ana ℥ j.* Reduc ad destillationem solis: quod sic intelligas. Ponatur in vitrum ad solem, donec liquefiant. In hunc liquorem pannos instinctos superpone loco dolenti, cum siccati fuerint, rursus intinge, superponeque tam diu, donec sedetur.

Ad posteriorem curam.

℞. *Terebinthinæ indurata lib. ij oppoponaci lib. ß. colcotharis ℥ iij.* Reduc in emplastrum. Poteris etiam bulliens despumare mel, cui præcedentia cum imposueris, inde fiet emplastrum tenue, hoc pannis illitum secto iam pedi superponatur.

Induratio Terebinthinæ fit hoc modo.

Terebinthinam in olla coquito lente, postmodum bacillo huic immerso & extracto, videnum dura sit effecta: quo percepto, remoueatur ab igne, fiet in vitri modum vtcunque dura, quæ terenda est in mortario, &c. Postmodum in aceti mensuris duabus oppopanaci cum leuiter coquendo liquefiat, coleturque per pannum, & coquatur tam diu, donec euaporet acetum, & materia spissa fiat: quo facto, colcothar imponatur & terebinthina. Dum hæc materia calida est, fiant ex ea pinnacidia longa xxiiij aut circiter: nam frigefacta materia durescit, vt vitrum: cum his vti volueris, melli ad spissitudinem cocto despumatoque, partem eius

eius vel totum impone pinnacidium, & in emplastrum tenue resoluetur, quod secto membro superpones.

DE CINZILLA.
CAPVT XXXIII.

Cinzilla Cinzilla est, liquor salis ex diaphragmate, qui pro diaphragmatis altitudine, circulum ex suo producit excremento.

Nota.

Nota. Sal omne flammulatum in miliarem generationem transit, ac a loco suo non remouetur.

Signa.

Signa. Cum sub cingulo rubeus circulus enascitur, postea flauæ bullæ, longo post interuallo foramina cum vredine, rubore, doloreque maximo successerint, cinzillam esse dicas.

Terminus.

Terminus. Vltimo retrorsum ad radicem redit, accenditque diaphragma, postea mors subsequitur.

Cautela.

A corrosiuis abstine, morbillorum vnctionibus, ab omni pinguedine, gummi, picibusque.

Cura.

In cinzillæ cura, diaphragmatis radix est per consolidam regalem mundificanda, postmodum oppodeltoch singulis duodenis horis, vt Chirurgiæ mos est, liganda.

Descriptio oppodeltoch.

℞. *Colophoniæ lib. j. puluerum chelidoniæ, aranciarum ana ℥ iiij.* Visci de botin, quantum satis est ad incorporationem.

DE GIBBO.
CAPVT XXXIV.

Gibbus. Gibbus est ex quarta generatione concretum quid, & postmodum ex inæqualitate membrorum alicuius reliquum deformatum.

Nota.

Nota. Quicquid extra proportionem suam existit, in excrescentiam transit, quæ si vergat intrinsecus, ad membrorum principalium regiones, indicat eum, qui huic morbo fuerit obnoxius, ad sanitatem aptum non esse.

DE ELEPHANTIA.
CAPVT XXXV.

Elephantia. Elephantia producitur ex hæmorrhoidarum liquoribus, menstrui, vel nutrimenti, descendentibus ad locustas membrorum.

Nota.

Nota. Quælibet elephantia serpit in modum naptæ, solum eo differt ab hac, illa, quod eius substantia liquorque simul nascantur.

Signa.

Signa. Membra fiunt naptalia, tumentiaque plurimum, & supra iuncturas consumuntur, postremo sicc edunt foramina. Tandem si ex menstruis, vel hæmorrhoidalibus morbus iste processerit, flaua profluit aqua: si tamen ex liquoribus, rubicunda.

Terminus.

Terminus. Elephantia terminatur in vulcus cauernosum, quo membri consumptio transit ad principale membrum, & indè sequitur mors.

Cura.

Cura. Triplex est elephantiæ cura: quarum vna est hæmorrhoidarum: secunda menstruorum prouocatio: tertia liquorum exiccatio.

DE SCISSVRIS MANVVM.
CAPVT XXXVI.

Scissuræ manuũ. Manuum scissuræ proueniunt ex sale alopeciæ, hoc est, vitriolato, membrorumque locustas propter virtutem expulsiuam occupant.

Nota.

Nota. Cum alopeciæ generatio deuiat in alias quam proprias locustas, in eis fit eius etiam productio.

Signa.

Signa. Si manus bullas contrahant, quæ postmodum in crustas, & inde tandem in fissuras carnem subintrantes mutentur, in corpore nihil eius existente, alopeciam iudicabis in manibus fore.

Terminus.

Terminus. Postremo totam cutem occupant, crustisque decidentibus cessant.

Cautela.

Abstinendum est ab aquis corrosiuis, cantharidibus, a purgationibus, vnctionibus, fumigiis, & ligno guaiacano.

Cura.

Cura. ℞. *Ex quatuor gummi, Oppapanaci, Serapini, Galbani, Bdellij ana ℥ j. Colophoniæ ℥ ij. Terebinthinæ lotæ ℥ iiij.* fiat vnguentum. Liquefac illud super carbones & sic manibus calidum superponatur per duodecim horas, deinceps lauentur aqua munda, rursusque superponatur eis calefactum hoc toties repetendum est, donec liquorem amplius non emittant, quod plerunque fit in quindecim plus minusve diebus. Quatuor gummi, peculiarem admirandamque virtutem abstersiuam, exiccatiuamque habent.

DE PRVRITV ET SCABIE, DEque Sapharis, & Furfuribus.
CAPVT XXXVII.

Pruritus. Scabies. Saphare. Furfures. Quatuor horum origo prouenit ex cruoribus resolutis, quibus accessit alumen minerale scissum.

Cautela.

Caueas a potionibus, digestionibus, purgationibus, a diaphoreticis, ab exiccatiuis, & morbillorum vnguentis.

Cura.

Cura. ℞. *Aluminis repei lib. j. aluminis armeni lib. ß.* Fiat mixtura pro scabie.

Alia.

℞. *Aluminis plumosi, Entali, ana lib. ij.* Fiat mixtura pro pruritu.

Alia.

℞. *Alcali de albuminibus, Salis fusi ana* Fiat mixtura pro furfuribus.

Alia.

℞. *Vitrioli, aluminis scissi, ana lib. ß.* Fiat mixtura in sapharis.

DE FORMICA.
CAPVT XXXVIII.

Formica. Formicæ generantur ex cruoribus in virtute expulsiua deficientibus.

Nota.

Nota. Quando gradus expulsiuæ virtutis deficiunt, in eo loco centrum est morbi noui.

Terminus.

Terminus. Generatio quæuis deficiens in expulsiua virtute, morbum nouum excitat in suo centro, qui terminatur postmodum in vlcerationem, prout sua signa continent.

Signa.

Signa.

Signa. Si bullæ paruæ vna penes alterã,& ex fricationibus exeat aqua flaua, crustæ decidant, earumque loco renascantur aliæ cum vredine maxima, formicam esse indices.

Cautela.

Abstineas ab omni medicamento, præterquam a refrigerio.

Cura.

Descriptio vnguenti Astarzof.

Cura. ℞. *Lithargyrij abluti* ℥ j. *Spernioli* ℥ j. ß. *de liquoribus barbæ Iouis, Succi ex nenuphare ana* ℥ iij. Fiat cerotum sine cera, super pannum illine,& administra per noctem, infrigidat, vt nõ redeat.

Alia formula.

℞. *Aquæ rosarum* ℥ ij. *resoluta caphuræ* ℨ j. commisceantur.

DE COSSO.
CAPVT XXXIX.

Cossum. COssum est apostema, quod nascitur ex albo sulphure, saleque scisso, quæ prodeunt ex regionibus Martis.

Nota.

Nota. Cum sal scissum in parte Martis erumpit, ibidem extra cutem sua signa profert in locis, in quibus cartilagines exsistunt: nam, vbi cum carne caro iungitur, natura producit emunctorium.

Signa.

Signa. Cum nasus admodum vritur, postea fricationibus crustæ ponerentur, quæ per annum perseuerarent, cossum esse natum iudicabis.

Terminus.

Terminus. Nisi cossum auferatur, incidunt fistulæ, quarum etiam terminum habet.

Cautela.

Caueas tamen a fistularum cura.

Cura.

Cura. ℞. *Succi agrimoniæ* ℥ j. *de porris* ℥ ß. *Olei anethini ad pondus omnium.* Fiat mixtura, cui pannum intinges: hunc superponito non aspergendo, liquor exibit, ac per se curabitur.

DE BRANCO.
CAPVT XL.

Brancus. BRancus est liquor in faucibus suum centrũ ponens,& sibimet exitum facit.

Nota.

Nota. Quiuis liquor scissus descendens, cũ a vera deflectit origine, transit in emunctoriũ externum.

Signa.

Signa. Si tumor oriatur in faucibus cum dolore capitis,& postea fiat vlceratio, brancum existere iudicabis.

Terminus.

Terminus. Cum Brancus progreditur, vuulæ partem arripit, postea descendens squinantiam generat.

Cura.

Cura. Eius cura est in arcanis: & aqua brunellæ curat brancum optime.

Gargarismus ad Brancum.

℞. *Pirethri* ℥ j. *Succi hypericonis* ℥ ij. *Succi persicariæ* ℥ iij. *Oximelli scyllitici* ad pondus omniũ commisceantur.

Aliud.

℞. *Liquoris mumiæ* ℥ j. *Succi persicariæ* ℥ ij. *Aceti communis* ℥ iij. Fiat mixtura.

DE SQVINANTIA.
CAPVT XLI.

Squinantia. SQuinantia quidem oritur ex eodem loco, ex quo nascitur apostema, eiusque centrum est in apostematis situ, qui circumferentiam vtriusque regionis, nempe capitis & colli totam occupat.

Nota.

Nota. Omnis morbus in gutture proueniens, hujus loco curari debet: in confiniis alius non est inuestigandus.

Signa.

Signa. Si collum in circulo nuchæ tumuerit cum rubore cacuminis eius ac folij, caput inflammatum sit non secus ac apostema tumor iste maturescat, postmodum retró cacumen foramen inciderit, inglutionem & sputum prorsus hæc abstulerint, signa sunt eius.

Terminus.

Terminus. Si forte balsamum naturæ deficiat in gutture, putrescit exterius,& vuulam atq; folium inficit.

Cautela.

Abstineas a purgationibus, a phlebotomiis, & ventosarum positionibus.

Cura.

Cura. Per gargarismum incarnatiuum curari debet squinantia: cuius descriptio talis est: ℞. *mellis rosarum* ℥ iiij. *Aristolochiæ rotundæ, Pirolæ ana* ℨ ß. *Aquarum de prunis, de prunella ana* ℥ vij. Fiat gargarismus, accipiat in os, gargarizet: si apostema est apertum, ter vel quater in die, vt intret apostema, tunc balsamum naturæ curabit: sed si non sit apertum, non proderit: verum si magnus sit tumor, superpone defensiuum extrinsecus.

Defensiuum in Squinantia.

℞. *Mucilaginis de fœnograeco* ℥ x. *Cerussæ* ℥ ij. *Caphuræ tritæ* ℨ ß. Fiat mixtura & cataplasma extrinsecus, vt mitigetur dolores & tumores in collo.

Ad capitis calorem.

℞. *Aquarum rosarum rubearum, Bursæ pastoris, Solatri, Barbæ Iouis, singulorum æqualia pondera:* commisce,& eis immerge linteum, quod ita madidum liga super caput.

DE ALBORA.
CAPVT XLII.

Albora. ALboram ex tribus mixtam fore dico: scilicet morphea, serpigine, & lepra.

Nota.

Nota. Cum plures origine vna concurrunt in idem centrum, ibidem & nouus morbus generatur sub noua denominatione.

Signa.

Signa. Vbi cicatrices natæ fuerint in facie, serpiginũ instar, postea trasmutantur in bullas morpheali natura, tandem vox amittitur, alboram adesse dicas.

Terminus.

Terminus. Præter omnem vlcerationem terminatur, ac cum fœtore maximo, cum nasi, tũ oris, eiectionibusque. Non alias quã eius morbi demonstratio est extrinsecus, in linguæ radice pariter existit.

Cautela.

Abstinendum est a medicamentis intrinsecis, ab aquis fortibus & corrosiuis.

Cura.

Cura. ℞. *Stanni, Plumbi Argenti ana ℥j. Aquæ albuminum ouorum destillatorum lib. ß. commisceantur,* &c. Albumina ouorum cocta destillanda sunt in aquam, & huic limaturæ dictorum metallorum imponendæ, qua madefiat albora.

DE PANNO.

CAPVT XLIII.

Pannus. EX colore pannus emortuo prouenit, quapropter colorum vitam atque mortem cognoscere deberet medicus.

Nota. *Nota.*

Quicquid ex coloribus moritur, in corpore fixum manet, aliasque non est intelligendum, quam de lepra.

Signa. *Signa.*

Cum infans ex vtero matris suæ maculam aliquam luteam, cœruleam, aut nigram attulerit, pannum esse indices.

Cura tincturæ in panno.

℞. *De floribus fabarum ℥. ß. Calcis ouorum ℥. ij. Salis peregrinorum lib. j. Aquæ consolidæ, Alcool vini ana ℥ xv.* Destilla per alembicum, & hac medicina pannum inunge: fiet albior quam cutis altera.

Alia tinctura.

℞. *aluminis plumosi, Scißi, ana lib. j.* Destilla in aquam cum ista additione.

℞. *Caphuræ ℥ ß. sigilli Salomonis ℥ ij.* Rursum destilla, postea linteolo hac aqua madefacto, pannum inunge lauaque.

DE SCISSVRIS SICCIS.

CAPVT XLIV.

Scissuræ siccæ. SCissuræ siccæ sunt ex sale carnis vel sanguinis, quod cum sudore prorumpit sine corruptione: producuntur in locis, in quibus venæ fiunt, & in illa carne.

Signa. *Signa.*

Cum in plantis pedum, volisque manuum scissuræ siccæ fiunt, quæ contraherentur præter aliud quodpiam accidens, scissuras siccas fore iudicabis. Si sint in minimo digito, & in sequenti, sal est saluatellæ. Siccæ sunt omnino, crustis & sanie carent. Fiunt etiam in calcaneis scissuræ siccæ, quales habere solent milites.

Terminus. *Terminus.*

In eodem statu manent, vti cœperunt prius, & nullas ponunt crustas.

Cura. *Cura.*

Earum cura fieri debet eo loco, in quo sunt, prout sequitur.

℞. *Radicum vrticæ minoris ℥ vj. Reponticæ ℥ iij. Consolidæ regalis ℥ j. ß.* Aquæ puræ quantum satis est pro decoctione. In decoctione superpone manus, & olla sit optime cooperta, vt vapor eas melius tangat: hoc fac singulis diebus quater aut quinquies postea purgabis sanguinem, vti sequitur.

℞. *Gamandreæ, Cichoreæ ana*, bulliant in optimo vino. Hæc potio rectificat sanguinem tantum, quantus eius haustus fuerit: est enim vera & naturalis minutio sanguinis.

Alia cura.

℞. *Farinæ hordei, Siliginis ana ℥ j. Pirolæ, Agrimoniæ, Centaureæ, Prunellæ ana ℥ ß.* Aquæ puræ quantum sufficit pro decoctione.

Vnguentum ad hoc.

℞. *Petrolei, Axungiæ cati syluestris, Axungiæ cerui, Taxi ana ℥ ß.* Fiat vnguentum super carbones, mane & sero inunge.

DE MORO.

CAPVT XLV.

Morum. EX entalico scissoque salibus nascuntur mori, originemque suam sumut, sicuti scissuræ siccæ.

Nota. *Nota.*

Cum duæ species in vnam generationem concurrunt, duas inde formas oriri contingit, vti de moris. Entalicum sal non educitur per sudorem, sed ex eo, porri, & ex sale scisso fiunt scissuræ.

Signa. *Signa.*

Si porri supercreuerint fissi, præter crustas circum eos, aut humoris exitum, moros fore dixeris.

Terminus. *Terminus.*

Mox atque porri similes emiserint sanguinem per instrumentalem incisionem, aut corrosiuis: id si fiat, morus nouus enascitur, post quem sequitur fungus, & spongia duorum aut trium pondo, quæ plurimos porros carnemque durissimam habet.

Cura. *Cura.*

℞. *Oleorum ex iuniperis ℥j De spica ℥ ij. Laterni ʒ vij.* fiat mixtura. Vngantur hoc vnguento sæpius, & euanescent: exscindi non possunt, nec euelli. Minutio per gamandreæ, cichoreæque potum optime valet ad mundandum sanguinem in hoc morbo.

Alia cura.

℞. *Oleorum benedicti ℥ j. Masticis ℥ ß. misceantur,* & inunge mane & sero.

DE RAGADIIS IN ORIFICIO vuluæ, & in ano.

CAPVT XLVI.

Ragadia. RAgadia proueniunt ex sale menstruoso, cum actus venereus & menstruum simul concurrunt, seseque mutuo complectuntur: ex huiusmodi separatione ragadij nascuntur. Pariter & in ano prodeunt ex hæmorrhoidibus, quando sal hoc ad locustas se recipit.

Nota. *Nota.*

Quæuis separatio salis scissi transit in fissuras tantum, vbi cum alio mixtum non fuerit.

Signa. *Signa.*

Cum circulus in orificio vuluæ aut in ano finditur, & per eiectionem vrinæ vel stercoris proscinduntur, vruntque fissuræ tales, visibiles sint, aut non, ragadia fore dicas.

Terminus. *Terminus.*

Vltimo transeunt in vlcerationem intrinsecam, & putrefiunt in eiectionem saniei.

Cura. Pessarium in ragadiis vuluæ.

℞. *Aloe succotrini ℥j Radicis aristolochiæ rotundæ ß iij.* Terebinthinæ lotæ quantum satis est: fiat pessarium ad sufficientem longitudinem.

Aliud.

℞. *Terebinthinæ lotæ ℥ vj. Albi græci ℥ j. Ceræ ℥ ß. Puluerum agrimoniæ, Consolidæ, Pyrolæ ana quantum sufficit pro incorporatione:* fiat pessarium, quod ragadia tegat, vlteriusque non procedat, nec sit ragadiorum loco breuius.

Alia

Alia descriptio sparallij per vuluam.

℞. *Mucilaginis psillij* ℥ j. *Olei amygdalarum amararum* ℥ iij. *Succi florum tapsi* ℥ vj. Fiat sparallium hoc modo: Linteū eiusdem longitudinis, cuius ragadia fuerint, huic intinge liquori: postmodū indes in vuluā, in qua per tres horas maneat: his transactis iterū intingatur, induretur q;.

Alia.

℞. *Succorum pyrolæ, Consolidæ ana* ℥ iiij. *Florum hypericonis, Prunellæ, Centaureæ ana* ℥ j. *Betonicæ* ℥. *vij. Olei anethini* ℥ iiij. Fiat mixtura.

Puluis ad ragadia vuluæ, & ad hæmorrhoidas.

℞. *Mumiæ* ℥ j. *Laccæ rubeæ* ℥ ß. *Pulueris aranciarum, Antimonij ana* ℥ ij, *Chimoleæ* ℥ i ß. *Cachimiæ* ℥ *v.* fiat puluis.

DE ESSERIS.
CAPVT XLVII.

Esseri. ESseri proueniunt ex vaporibus mineraliū ex trisecorum, vbi calx inciderit aut cachimia.

Nota.

Nota. Extrinseca medicum accidentalia cognoscere decet, vt extrinseci spiritus cum imprimuntur, ab eo cognosci queant.

Esseri plerunq; sæuire solent in illos, qui salia montana, vitriolū, aut cuperrosā excoquunt; vel cuprum effodiunt, liquefaciuntque. Fodinarū artifices morbo simili tū pulmonis cordisque passionibus doloribusue torquentur.

Signa.

Signa. Si nodus quispiam tumorque vermiculos pediculorum instar ederet, qui postmodum in latum extenderentur, crustasque rubeas, vt sunt squamæ piscium, producerent, esseros fore indicato.

Terminus.

Terminus. Cum in spiritibus mineralium hæreat hic morbus, nullum per se terminum facit, imo potius in vno statu permanet.

Cautela.

Cauendum est a physicis: hoc est, illis, qui purgationes extrinsecas dare cupiunt: nam quiuis morbus exterius productus, exteriorem etiam curam libenter admittit, non interiorem.

Cura.

Cura. ℞. *Olei ex iuniperis lib.* ß. *Olei amygdalarum dulcium lib. j. Olei de coste* ℥ *viij.* Fiat mixtura: postremum fit sicuti oleū de gualaco, aut buxo. Oleū de iuniperis non fit per descensum: sed oleum de coste, hoc est, ex fagino ligno.

Aliud vnguentum.

℞. *Olei de spica* ℥ ß. *Olei quercini lib. iij. Axungiæ catti lib. j.* commisceantur: vngantur, & his oleis præseruabuntur a spiritibus, qui morbum hunc generant: quia vnctuositas illa non sinit huiusmodi spiritum subintrare. Natura quidem aluminis est officiumque findere. Cum tamen his cutis peruncta fuerit axungiis, tales spiritus nullos recipit, qui sibi detrimentum inferre valeant.

DE VNDIMIA.
CAPVT XLVIII.

Vndimia quid. A Sale resoluto producitur vndimia, siue carnis sal hoc sit, aut alterius, & in eo loco centrum ponit, in quo si tum est.

Nota.

Nota. Quoduis sal resolutū, acuitate carens, apostema generat absque lepra. Vndimia est apostema, quod ex compressione fossu lā remanentem concipit, vt in hydropisi fieri solet: estque morbus absque dolore prius, tandem ad putrefactionem peruenit, incipitque dolor.

Signa.

Signa. Cum apostema surrexerit absque dolore, fossam ex compressione retinens, estque sine colore, quo reliqua tincta sunt, vndimiam esse dicas.

Terminus.

Terminus. Putrefit intrinsecus prius, postmodū extrinsecus, & in vlcus transit cauernosum.

Cautela.

Abstinendum est a pharmacis physicis: nā iste morbus ad Chirurgos pertinet.

Cura.

Cura. ℞. *Realgaris* ℨ j. *talci* ℨ *iij.* visci quercini quantum satis erit pro incorporatione: fiat emplastrum super vndimiam.

Post apertionem.

℞. *Colophoniæ* ℥ j. *Ceræ* ℥ *iiij.* Resinæ de botin, vt satis sit pro formando emplastro.

Post mundificationem.

℞. *Consolidæ maioris, Aristolochiæ rotundæ ana* ℨ *ij. Vitellorum ouorum, Terebinthinæ ana* quantum sufficit: agitando fac vnguentum, & vndimiam inunge.

DE SEPHIRIS.
CAPVT XLIX.

Sephirus quid. SEphirus est fluxio proueniens ex sale sicco, quæ non potest in maturationē transire, sed in sua duritie semper manet, atque tumore, quosuis colores induit.

Nota.

Nota. Nomen est omnibus duris apostematibus commune, sephirus, priusquā maturescant, aut mollia fiant, curam per resolutionem expetit.

Cura.

Cura. Excellentissimū est ad morbū hunc remediū viscus de botin & iuniperorum, ob eorum mitigationem & maturationem. ℞. *Visci iuniperorum* ℥ ß. *Fœnugræci* ℥ *iiij. Aquarū iringi, Lappatij acuti ana* ℥ *ij. Succi altheæ,* quantum satis fuerit pro incorporatione: fiat cataplasma.

Alia descriptio.

℞. *Olei ex lithargyrio, Colophoniæ, Mumiæ ana* ℥ j. *Olei ex vitellis ouorū,* quantū sufficit ad formandum vnguentum: hoc sephirum mollificat, maturumque reddit.

Oleum *lithargyrii fit hoc modo:* alumē, acetū, *& lithargyrium,* coque simul ōnia, donec albescant: postea rursus acetum & alumen addes, & ad consumptionem vsque liquoris decoques, & sic in oleaginosam conuertetur materiam, de qua scribit etiam Archelaus.

DE FVGILE VEL FVGILICO *Apostemate.*
CAPVT L.

Fugile quid. EX Martis ferrugine producitur fugile, vel fugilicum apostema: quod est indicium principij Noli me tangere. Archelaus vocat *fuliginem*, Hermes vero *ferruginem*. Nos autem *ferruginem Martis* nominamus. Iis potissimum accidere solet, qui nondum adoleuerunt, videlicet infra quartum & vigesimum annum exsistentibus: aliis vero si contigerit eam ætatem prætereuntibus, hos, *Noli me tangere,* dixeris expectare.

Nota.

Nota. Quiuis liquor materialis appare t antea quam locum fixum ponat. Postea quicquid oritur in sui sanguinis principio, transit in prauam lentiginem.

Signa.

Signa. Cum ad auriculas bullæ cum inflatione natæ fuerint in earum circumferentia, tertio post die rubicundæ fierent, postea calor atque dolor capitis, partim vna cum squinantia concurrerint, ferruginem fore dicas.

Terminus.

Terminus. Si per se terminatur, in putrefactionem transibit, quæ vergit ad interiora, vel in alopeciam dilatatur.

Cautela.

Caueas ab aquis fortibus & corrosiuis, a purgationibus, a capitellis, aut lixiuiis acutis, quia per suum emunctorium purgari debet; id est, per anum.

Cura.

Cura. Tripartita est eius cura: vna per mutationem: per mundificationem alia: tertia per consolidationem.

Maturatio.

Nulla fieri debet apertio: nam inde sequūtur accidentia praua: per se maturescere potius erit.

Nota.

Nota. ♃. *Olei laterini* ℥ j. *Oppopanaci colati* ℥ ß. *fiat emplastrum super carbones.* Oppopanacum per acetum colatur: deinde fit iterum massa, & induratur.

Mundificatio.

♃. *Mellis, Brunellæ ana* ℥ j. *Aristolochiæ rotundæ Aloe patici ana* ʒ j. Fiat mixtura in modum emplastri, administra quum iam apostema fuerit apertum.

Consolidatio.

♃. *Vitellorum ouorum numero iiij. Resinæ de botin* ℥ i ij *Farinæ tritici, Hordei ana* quantum satis fuerit pro incorporatione: fingatur vnguentū.

DE NATA VEL NASDA.

CAPVT LI.

Nasda quid. Cum ambæ virtutes simul concurrunt in vnum latus, nasda producitur, eo, quod natura tribuit vni, quod ab altero surripit, estque naturalis concretio.

Signa.

Signa. Quando membrum aliquod ipsamet hoc operante natura maius fit altero, nullusque dolor in eo loco fuerit, nec in stomacho, nasdam fore iudices. Si ventriculus aut thorax doluerint, signum erit phthisis.

Cautela.

Noli sumere potiones aliquas, quia natura per seipsam effluit.

Cura.

Cura. ♃. *De fecibus vini* ʒ x. *Vini ardentis* ʒ iiij. *Axungiæ vulpis* ℥ v. *Olei anethini ad pondus omnium.* Fiat vnguentum.

DE PHLEGMONIBVS.

CAPVT LII.

Phlegmo quid. Phlegmo quidem est apostema, quod non tendit ad mortem, nec ad impotentiam membri, minus ad aliquod aliud accidens.

Nota.

Nota. Apostemata quæuis præter corporis detrimentum orientia, producuntur ex aluminibus liquefactis: & ab aliis apostematibus hoc solo differunt, quod non sint obnoxia morti, nec etiam accidentibus.

Cura mundificans.

♃. *oleorum ouorum* ℥. *vj. Camomelini* ℥ j *Serapini, Galbani ana* ʒ *vj. Visci de abiete aut pino ad pondus omnium. Farinarum hordei, Fabarum ana quantum sufficit pro incorporatione*: commisce in formam vnguenti. Mel rosatum & salis aquam simul permisceas, quo liquore sero maneque lauabis.

DE HERNIA AQVOSA VEL HVMOROSA.

CAPVT LII.

Hernia aquosa prouenit ex eo loco, in quo sita fuerit, estque liquor in oseo resolutus: producitur ab externis accidentibus & causis, cum quisquam læsus fuerit, vel ex abundantia spermatis putrefacti, quod in liquorem est resolutum. Aquosa Hernia quid.

Nota.

Quoduis resolutum sal in suo loco remanet solum, nisi per poros deorsum transeat, & tunc destillat in exitum, quod in oseo fieri nequit. Nota.

Signa.

Si pudenda fuerint inflata, compressioneque foueam remanentem contraherent ante maturationem, herniam esse dicito. Signa.

Terminus.

Cum hernia per se terminari permittitur, in testiculorum putrefactionem transit, & postmodum bubonis initium præbet: si per tres aut quatuor septimanas non recesserit, fit morbus incurabilis. Terminus.

Cautela.

Caue ne aperias, at medice diligenter animaduertas, an hernia sit aquosa, vel inflatio testiculorum, vt vnum pro alio non cures, indeque maximum periculum subsequatur.

Cura.

♃. *Ficuum lib. j. Olei granorum iuniperi* ʒ *iiij. Farinæ fabarum* ʒ *vj.* Fiat cataplasma super ignem, quod superponatur, quanto calidius pati valeat, mane, sub meridiem, & sero: nam ipsam materiam separat. Cura.

♃. *Farinæ fabarum lib. j. Seminum psylly, Citoniorum ana* ℥ j. *Consolidæ maioris* ℥ *iiij. vini & aceti quantum satis est*, & fiat emplastrum. Recepta quæuis euacuantia vel exiccantia hoc loco sunt inutilia.

DE HERNIA VENTOSA.

CAPVT LIV.

Hernia ventosa prouenit etiam ex accidentalibus, & est arsenicalis inflatio præter salis resolutionem. Hernia ventosa quid.

Nota.

Omnis inflatio sicca producitur ex arsenico puro, quapropter apprime considerandum est in hac cura, quod ea, quæ mitigant arsenicum, herniam ventosam etiam curent. Nota.

Signa.

Cum oseus inflabitur cum duritie, & intensione, illaque duritie, insensi tuum oseum effecit & absque colore, herniā ventosā esse iudicabis. Signa.

Terminus.

In suo statu manet, donec altero anno subsequenti rursus in crisim incidat. Terminus.

Cautela.

Cautela.

Abstinendū erit ab apertione, rebusque siccis.

Cura.

Cura. ℞.*Ficuum lib.j Olei ex baccis iuniperi ℥ iiij. Farinæ fabarum ℥ vj.* Resoluatur materia sicuti supra de hernia aquosa scriptum est: animaduertendum tamen in primis curando herniam ventosam, vt per pinguia, viscosaque procedatur, non propter duritiem, cum sit ventus: & quamuis diaciminum ad ventum in ventre clausum optime valeat, nihilominus in ista cura non est idoneum: quia tumor hic ab arsenico crudo, & realgare causatur, quæ quidem oleum amygdalarum dulcium, viscus abietis, & emplastrum ex terebinthina mitigant.

Alia cura.

℞.*Olei amygdalarum dulcium ℥ ij. Farinæ fabarum ℥ ß. Fimi columbini, Fimi caprarum ana ℥ iij, Aceti quantum sufficit:* fiat cataplasma, quod superponatur mane, sub meridiem, & sero.

Alia Descriptio.

℞.*Visci abietis ℥ vj. Mumiæ ℥. v. Foliorum ebuli ℥ j. commisceantur.*

Alia formula.

℞.*Terebinthinæ lib.ß. Cumini ℥ iiij. Seminū lactucæ ʒ vj. Ceræ* quantū satis erit: reduc in emplastrū.

DE HERNIA CARNOSA.

CAPVT LV.

Hernia carnosa quid. NOn alias quam alcola vel naphtha suam originem hernia carnosa ducit, loco formaque solum ab eis differt.

Nota.

Nota. Postquam liquor nutritiuus quo sustentatur oleus, a vera substantia separatur, & in excrescentiam transit, herniam carnosam profert.

Signa.

Signa. Si tumuerit oseus, indurauerit, ac sub cute, vel trans cutem excreuerit caro, herniam carnosam dicas.

Terminus.

Terminus. Vltimo transit in putrefactionem, & producit fistulam, & si non maturuerit infra quinque septimanas, nullam curam admittit amplius.

Cautela.

A potionib. vel curis intrinsecis a reb. pinguib. & a superpositione siccorū & exiccantiū abstine.

Cura.

Cura. Eius cura duplatur, scilicet per instrumenta, perque medicamina. De instrumentis scriptum est in vlceribus.

Descriptio curæ.

℞.*Olei laterini ℥ vj. Oppopanaci, Galbani, Bdellij ana ʒ iij.* Reduc ad formam liquidam cum ista additione. ℞. *Fabarum farinæ ʒ iij. Ficuum numero iiij. Caphuræ, Rutæ ana ʒ j.* fiat in modum emplastri: maturat, resoluit, putrefacit, crescere magis non sinit, nec etiā dolorē inferre.

Resoluentia herniam carnosam, alcolam, & naphtan, sunt ista.

Oleum benedictum, Oleum laurinum destillatum Oleum nucum, Oleum de seminibus papaueris nigri, Oleum aneti, Axungia ceræ destillata, Alcool vini destillatum cum fabis, Alcool destillatum cum seminibus psillij, Aqua flammulæ, Aqua hirundinariæ, Aqua de persicaria rubea, Aqua de eringo, Succus ex lapatio. Liquor destillatus ex vino caprino.

Notandum hic olea destillata rebus pinguibus non annumerari.

Paracelsi Chirurg. Minor.

DE TENTIGINE OBSCVRA ET *praua, hoc est, Noli me tangere, in matrice.*

CAPVT LVI.

EX superfluitate salis acetosi, quod in profluuio, vel in menstruis existit, oritur obscura tentigo.

Nota.

Si menstruum aut profluuium transeat in salis acuitatem, ex qua produceretur ferrugo, tandem ad matris substantiam se confert, ac tentiginem excitat obscuram. Nota.

Signa.

Quando sui temporis ordinem profluuia menstruaque non obseruant, ac vna cum illis fluxionibus aqua permiscetur, & cum vrina sanies dolore pudendorum effluit, torminaque fiunt in ventre, quæ tempore coitus augentur, & inde post quatuor septimanas sanguis profluit, genus tentigenis fore iudices. Signa.

Terminus.

Si per annum continuarit, mulierque sterilis fiat, in vlcerationem incurabilem transit. Terminus.

Cautela.

A purgationibus consolidationibus, & mundificationibus prorsus abstinendum erit.

Cura.

Eius cura tripertita est, vna per sparallium, alia per potiones, tertia per vnguenta parum differt hęc ab ea quę de matricis vlcerationibus cura fieri debet. Cura.

Cardonium.

℞.*Agrimoniæ, Saniculæ, Pyrolæ, Vtriusque peruincæ ana ℈ j. Aristolochiæ rotundæ ℥ j. Herbarum pastinacæ, Perdetis ana ℥ j.* Musti non maturi ex vino rubeo vsque ad centum kist, fiat cardonium, hoc est, ponatur in mustum herbæ supradictæ, macerentur, & simul repurgentur, de quo vino per medium annum continue bibat mulier. Kist vini duas mensuras implet.

Aliud cardonium.

℞.*Consolidæ regalis lib.ß. Aristolochiæ rotundæ ℥ vj. Diapensæ, Alchimillæ ana ℥ x. Serpentinæ minoris, ad pondus omnium:* fiat cardonium secundū vsum.

Salis compositio, cuius vsus sit in omnibus periculis laborantis tentigine matricis.

℞. *Salis communis lib.ß. Thuris, Mumiæ, Hæmathitis ana ℥ ij.* Fiat mixtura cum sale, quo condiatur omne quod ederit.

Sparallium in tentigine obscura.

℞.*Aquarum plantaginis, Serpentinæ, Persicariæ, Hypericonis ana lib. ß. Lumbricorum terrestriū ℥ vj. Dragacanti ʒ j. Consolidæ. Foliorum aristolochiæ longæ ana ℥ iij.* Fiat sparallium optimo Saccharo permistū, hoc, est, fiat metrenchita, vel clysteriū, vuluæ imponatur, perque tres, quatuor, vel quinque horas in ea maneat singulis diebus.

Aliud sparallium.

℞.*Succi hypericonis, Persicariæ ana lib. ß. Aquæ de prunis, de cerasis ana lib. j. Terebinthinæ lotæ in aqua rosarum ℥ vij.* Fiat sparallium pro matrice, quod indatur in vuluam, quolibet die bis, aut pluries, pro necessitatis exigentia.

Aliud sparallium.

℞.*Olei hypericonis, Persicariæ, Aristolochiæ rotundæ, ana lib. j. Olei ranarum Lumbricorum ana ℥ xij. Olei ex vitellis ouorum ad pondus omnium,* formetur sparallium, & ob suam pinguedinem, non est opus, vt in tanta quantitate hoc administres, quia

quia quicquid lubricum est, matrix ad se libenter attrahit.

Vnguentum ad dorsum.

℞. *Mercurij absque substantia frigida, & omni mordicatione correcti* ℥ß. *Boli scissi* ℥ iij. *Axungiæ ceruinæ lib. ß. Olei anethi. Olei ex vitellis ouorum ana* ʒ vj. fiat vnguentum cum cera. Ista medicamina, scilicet vnguentum, sparallium, & cardonium simul administrari debent quolibet die bis.

DE MOLA MATRICIS.

CAPVT LVII.

Mola matricis. Nihil aliud est mola per se, quam menstruum, quia istud est matricis nutrimentum, & vna spermatis.

Nota.

Nota. Quoduis menstruum spermati permixtum in generationem transit: nam in eo loco nulla separatio fieri potest amplius, præterquam nascentis impleto iam termino separatur a suo loco decoctionis. Vita molæ est in spermate: nam donec sperma habuerit, inflatur venter, quo deficiente cessat etiam tumor augeri, donec, &c. Nonnunquam in renibus generatur excrescentia, quam Friburgi vidimus in vitulo (puto in intersignio vituli esse legendum) albo nigrove coloribus permixtam.

Signa.

Signa. Si mulieris vterus ex prægnanti natura tumuerit, menstruaque fluant, & modo venter minueretur, alias augeretur, aut extra verum terminum in duram inflationem exsurgeret, vna cum, vel absque doloribus, mouereturque, molam esse matricis dicito.

Terminus.

Terminus. Crescente mola matricis, spermatibusque vehementer in coagulationem commixtis, augetur in mortem vsque.

Cura.

Cura. Duplex est medicina molæ, vna quidem in expulsione, altera in præseruatione.

Ad expulsionem.

℞. *Croci orientalis* ℥ iij. *Boracis* ℥ß. *Carabæ* ℥ß. *Scammoneæ* ʒ vj. *Lapidis lazuli* ʒj. Fiat pessarium cum oppopanaco inspissato. Animaduerte, quod huiusmodi medicamentum adhiberi nullo modo tuto possit: nisi mola praua sit adhuc, & per vuluā exire queat, ante partus veri terminū: alias mulier exponitur mortis maximo periculo, si magnā expellere molam conatus fueris.

Præseruatiuum contra molam.

℞. *Agaraci trochiscati* ℥j. *Euphorbij* ℥ß. *Oppopanaci colati & inspissati ad pondus omnium*: fac pessarium, vtere antequam habeant molam magnam: si non desierit vna tantum nocte, siste gradum in eo medicamento, quia signum est generationis prolis.

DE EXITVRA.

CAPVT LVIII.

Exitura. Exitura habet exordium ex proprio defectu, sic, vt illa tria prima, quæ continent excrementum, in putrefactionem transeant.

Nota.

Nota. Quoduis excrementum primam suam materiam habet, ab eoque separatur, quod expellit, illud: postmodum aliud nihil præter infirmitates generat.

Signa.

Signa. Cum sanies per nasum flaua fœditaque decolat, vna cum dolore capitis, vel eo sine, pariter si aurium excrementa putrida fuerint, sputumque fœteat, vrina saniem proferat, ac stercus naturalem colorem amiserit, sudor sit fœtens, vngues corruptionem patiantur, ex auribus flaua pinguisque sanies profluxerit, oculorum lacrymæ salsæ destillarint, & acutum apostema turgeat, ac menstrua fœtentia cum impertinenti colore fluxerint, præter dolores renum aut fæmorum, ex his omnibus exituram iudicabis.

Terminus.

Terminus. Si exitura sæpius abierit, redieritque per quatuor annos idipsum continuando, permansuram esse iudicabis.

Cura.

Cura. In exitura non est alia cura, nisi quod excrementum extrahatur continuate.

Descriptio ad nares.

℞. *Lolij, Seminis nigellæ, Ellebori albi ana* ℈j. *Maioranæ, Saluiæ ana* ℥ß. *Musci grana ij.* Fiat sternutatorium, quod singulis diebus mane per nasum attrahatur parum: per vicem.

Descriptio ad aures.

℞. *Diagridij* ℈j. *Bdellij* ℥j. *Ceræ* ℈j.ß. Fiat in modum emplastri: cū aures spumā aut quam emiserint, impone pinnacidium his constructum.

Medicamentum ad vrinam.

℞. *Croci orientalis* ʒ ß. *Pilorum zenij* ℥ ß *Cantharidum numero v.* Fiat mixtura, sacculusque sub canali, subtusque vesicam, vrinam prouocabit, per vnum aut alterum diem, donec sanies cesset. Zeni sunt folliculi circum leporum caudas existentes.

Medicina pro stercore, vel intestinis.

℞. *Mellis quantum sufficit, Diagridij* ℈j. *Hermodactylorum, Turpeti ana* ʒj. Fiant suppositoria secundum artem: præter sal in exitura, verum in constipatione poteris vti sale.

Medicina pro sudore.

℞. *Theriacæ* ℥ ij. *Alcool vini* ℥ij *Euphorbij grana vij.* Fiat haustus ante ingressum balnei, sudet, postmodum calide contectus decumbat in lecto, bis hoc, ter, vel quater, ac toties repetas, donec fœtor abeat.

DE CALLO.

CAPVT LIX.

Callus. Callus est arsenicalis tumor, ex liquore carnis aut sanguinis proueniens.

Nota.

Nota. Quoduis apostema per fricationes excitatum in superficie carnis ponit suum emunctorium.

Signa.

Signa. Si post fricationes aliquod exurgat apostema rubeum atque tumens, callum esse dixeris.

Terminus.

Terminus. Si fluxiones arsenicales coniunctæ fuerint, cum affluentia terminatur in vlcerationem, & postmodum in estiomenam transit, maxime cum apostema, vel foramen in crus siccum inciderit ex fricationibus, aut in alio loco.

Cura.

Cura. In calli cura postquam in apostema transierit, hac vtere descriptione. ℞. *Olei rosarum* ℥ vj. *Calcis viuæ extinctæ* ℥ iij. *Caphuræ* v. Fiat mixtura, quæ superponatur vnguenti loco. Si tamen

tamen prius in vlcus transisset callus, hoc vtere.

℞. *Sperniöli* ℥ j. *Olei de caphura* ʒ ij. *Succi papaueris, Hyosciami ana ad pondus omnium.* Fiat cataplasma, quod superponatur, calorem sedat: postea sume descriptionem hanc. *Emplastrorum apostolicorum, Diaquilon ana* ℥ ß. *Mumiæ* ℥ iij. *Cerussæ* ʒ ij. *Caphuræ* ʒ j. Misceantur, & fiat emplastrum super carbones.

DE PORRIS.

CAPVT LX.

Porrus. PORRI proueniunt ex auio liquore, qui nutrimentum radicum esse debet vnguium.

Nota.

Nota. Vbi porrus, non longe distant vngues: itaque radices earum in excrescentiam transeunt, quæ porros efficit.

Signa.

Signa. Cum in digitis pedum aut manuum porri nascuntur, quibus tactus dolorem infert, ac indies magis excrescunt in auellanæ nucis medietatem, porros fore dixerit.

Terminus.

Terminus. Vltimo simul cum carne crescunt in vnguium duritiem, & cum per corrosiuas aquas, vel incisionem aperti fuerint, in elephantiæ principium incidunt, incisioneque maiores efficiuntur.

Cautela.

Ab incisionibus & corrosiuis aquis abstine.

Cura.

Cura. ℞. *Oleum ex baccis iuniperi, Besonnæ, Agarici ana* ʒ j. *Fellis bouis quantum satis erit pro vnguento.* Vnge dies & noctes linteolo, quo magis triueris, eo melius efficiuntur nigri, siccanturque. Postea cura per oppodeltoch ad quatuor vel quinque septimanas.

Alia cura.

℞. *Realgaris* ℈ j. *Olei vitellorum ouorum* ʒ ß *Calcis exstinctæ*, quantum sufficit in vnguenti formationem, hoc etiam nigros efficit porros, & putrefacit.

DE SCLIROSI.

CAPVT LXI.

Sclirosis. SCLIROSIS est apostema, vel nodus, qui nascitur per excrescentiam nouæ generationis.

Nota.

Nota. Quando natura superfluitatem ex centro generationis producit, accumulata postmodum in excrescentiam iuxta membrum, in quo fuerit, generatur.

Signa.

Signa. Cum in corpore durus & immobilis tumor, & caro simul cum ligamentis creuerit, quod si tactu simile quid percipitur, sclirosum fore iudices.

Terminus.

Terminus. Sub finem indies magis ad suam generationem tendit sclirosis, & vltimo contorquet membrum, intestina debilitat inflationibus, & in regionibus existens membrorum, seipsum ad mortem suffocat.

Cautela.

Ab omni medicina, qua solitum est in apostematibus vti, caueas, & ab omnibus instrumentis, quibus tonsores vtuntur, & ab eorum magisterio.

Cura.

Curat sit, quod sclirosis non accrescat, nec alias curari potest. Cura.

Descriptio vnguenti.

℞. *Olei mirtillorum* ℥ ij. *Nucis muscatæ* ℥ ß. *Axungiæ iumentorum* ℥ j. *Petreoli ad pondus omnium.* Fiat mixtura, qua spermatica vasa, prout renes & fœmora, mense quolibet inungantur: hac enim scliros incrementum tollitur.

Annotatio.

Regeneratio maior est, quam vbi corpus nascitur: possibile est, vt fiat secunda regeneratio: & est pura superfluitas regenerationis. Sclirosis aliquoties in fronte nascitur, vt nodus, in ceruice, & in manibus. Quando sub costis, aut sub ventrem nascitur, tunc eius durities non bene percipitur.

DE LENTIGINE. Lentigo.

CAPVT LXII.

INexperti, nec non doctores, asserunt, ex cholera nasci lentigines: monachi dicunt ex cœlibatu. Verum ego liquoris Mercurij esse dico.

Nota Nota.

Vbi liquor Mercurij fuerit, qui vergat in sui regenerationem, oriuntur lentigines. Omni anno quiuis carnis liquor florescens regeneratur, & qui lentigines habent, illis, qui carent saniores existunt: sub axillis & sub genubus, pallent, quas vulgus pulmonis maculas appellat, multasque sub lentiginum vocabulo concludit.

Signa. Signa.

Cum in facie, vel sub genubus, aut supra maculæ nascerentur, crocei luteique colorum, siue maneant, aut recedant, lentigines fore iudicabis.

Cura. Cura.

Curandum est, vt expellantur, quo vehementius, eo melius.

Descriptio contra lentigines.

℞. *Heliotropij, Gamandreæ ana* ℥ iij. *Mannæ electæ* ℥ ß. *Spermatis ceti. Baccarum lauri ana* ʒ x. *Aquarum melissæ, Verbenæ, Valerianæ ana* ℥ v. Fiat potus, eiusque dosis a quatuor in vncias quinque sit, cum incipiunt exire, bibatur: si Reubarbarum apponas, non exeunt amplius, quod minime bonum est. Vide quæso quam egregia res sit experientia, per hoc vnicum.

Helitropium herba solaris, quę penes me est melissa, mirum in modum carnem & sanguinem regenerat, eaque nil melius.

Sunt & alia penes Petrum Arelatum apostemata, quorum ego, quod hactenus eorum experientiam non feci, nec etiam hoc loco meminisse volui. Quod eos, qui ad Physicam & Chirurgiam pertinent morbos, mihi per experientiam cognitos, descripserim, boni consule.

FINIS.

THEO-

THEOPHRASTI PARACELSI BOMBAST, Vtriusque Medicinæ Doctoris, & Philosophorum Principis, tres vtilissimi Tractatus. Vnus de *Cutis apertionibus*: de *Cura vulnerum* alius: tertius autem de *Vermibus, Serpentibus, Araneis, Bufonibus, cancris, & naturalibus a natiuitate maculis, &c.*

LIBRI PRIMI DE Cutis Apertionibus.

CAPVT I.



Homo ex tribus corporibus constat.

CVm Deus Medicum atque Medicinam creauerit, non est, quod his immoretur, at solum de rebus dicamus per se, hoc est, ex opere naturæ, quod nobis manifestant, hoc ipsum, vt suscipiamus, nihil ex propria phantasia fingentes vel adiicientes. Demonstrat ipsa natura corpus hominis cute sua conclusum, ex tribus in vnum corpus esse positum, id est, corpora tria fore, sed vnum in istis tribus, quod hominis est corpus, in quo morbi quiuis oriuntur, ex eo, quod separentur a se inuicem, aut vnum ab alio: hinc fit, vt in corruptionem transeat, quod separatum est. Corpora tria hæc sunt, *Mercurius, Sulphur, & Sal.* Quid vnumquodque per se, tum tria simul vnita, satis in chirurgia corporis enucleatum est, & in nostra philosophia latius. Iam est, quod chirurgus instruatur quo valeat ex eiusmodi principiis intelligere, quinam ex tribus illis quæ dicta vlcera, nec non cutis apertiones procedere queant. Per exemplum sic declaratur. Quoduis metallum etiam in tribus illis positum est, Mercurio nempe, Sulphure, Saleque. Sunt inter illa corruptibilia quædam, vt *ferrum, cuprum*, &c. ea de causa videlicet, quia sal consumit omnia: quod nisi foret, nihil absumeretur in similibus. Verum non consumit sal, nisi quod in corruptionem separatum est, eiusque habet initium: data sibi tamen occasione, prout si palea reperiat ignem, eam sequitur, & corruptionem ab ea sui recipit. Cum igitur sal occasione habet, corpus in quo continetur, corrumpit, & corrodit, inde fiunt æruginęs variç iuxta corporum & salium conditiones. Ærugo talis igitur a sale proueniens, corrumpit ac circum se rodit assidue, donec totum corpus absumpserit, quo continebatur, vel tam late ac potest, nisi reprimatur eius malitia. Nec solum in ferro hoc ipsum contingit, aut cupro, sed etiam in aliis corporibus omnibus ærugo generatur, quæ suum corpus absumit, hoc est, idipsum quod fore deberet, corrumpit. Non secus etiam in homine salis natura quædam habetur, quod postquam occasionem receperit, hoc loco chirurgice non declarādam, cutem, & carnes abedit, venas ac neruos: item ossa, cartilagines, &c. iuxta cuiusque salis conditionem & locum. Ex eiusmodi sale, quod vnum est e tribus illis corporibus & materiis primis humani corporis, producuntur in eo cum interna, tum externa quæuis vlcera. Satis igitur vnicuique chirurgo dictum sit, omnia corporis foramina, vel vlcera sale fieri, quod corpus tertium existit in humano corpore. Prout enim pluuia sali ferrei præbet occasionem, hoc in æruginem transmutandi, non aliter in homine iudicandum est. Qui volet æruginem huiusmodi curare, debebit instar alchimistæ fore, qui ferrum aliquod præseruare nouit, vt nulla sibi detur ad æruginem occasio, cuprum etiam ac alia metalla: quibus vbi damnum eiusmodi contigisset, optime supplere scit. Quandoquidem eiusmodi naturæ quodlibet metallum est, vt cum a Philosopho iuuatur, non secus ac in homine, quod in illo defuerit, crescentia propria repleatur. In exemplum: Homo patiens vlcus auxilio medicinæ curatur, sic metallum etiam foraminatum remedio, quod adhibetur ei fit rursus integrum: quod enim in hominis natura fieri potest, in corpore metalli possibile fuerit: vt vnum, sic etiam alterum fit. Hæc sunt mysteria naturæ, nec non magnalia artium quibus Deus dotauit & ornauit medicum. Artes istiusmodi mirabiles ei sunt oblatæ, vt ex luce naturæ depromat, quç quidē lux homo est, & corpus vniuersi, quod propter illum tantum creatum est. Sciat ergo medicus chirurgus breuiter his instructus, quod corpus & cutem aperit, & quod curat, vtrumque ex natura quærere ac reperire.

Metalla corruptibilia propter sal.

Salis virtutes.

Ærugo salis.

Sal in homine cutem & carnis exedit.

Vlcera omnia seligūt.

Vlcera curaturus qualis esse debeat chirurgus.

CAPVT II.

SAl est eiusmodi naturæ, vt rodat edatque. Proinde dicitur *ignis occultus*, quem nemo videt, neque sentit essentialiter, vt in vrtica latet. Per exemplum sal intelligi potest. Vti videntur herbæ, nec non radices, quæ carnem in bullas exurunt, vt *flammula, flos eius, & radix apium aquaticum, sinapium, vrtica*, &c. reperiuntur etiam animalia, quę tale quid efficiunt, vt *cancri, vermes*, & alia, quæ quidem occultum ignem in se continent, operatione tantum perceptibilem. Similiter vt in istis exterioribus, in homine salia quædam habentur, non aliter corpus intrinsecus vrentia, quam flammula. Vnum aliud accendit, vnde resultat, quod ex naturæ potētia fuerit. Hæc omnia sunt a creatione diuinitus sic ordinata, vt videamus quid natura, quid nos existimamus, quid ars, & quid magnalia Dei sint. Pariter arbores sua salia habent, & abilia vegetalia, sic vt in aliquibus horum talis natura salis inueniatur, quæ in vermes transiens, vt isti ligna corrodit, &c. Non secus in homine Lupus, cancer, & similia nascuntur, quæ

Salis natura est rodere.

Herbæ carnem in bullas exurentes.

Arbores sua etiā habent salia.

quæ non aliter quam animalia viuentia repunt ac circumrodunt, qualia sunt *arsenicum*, *auripigmentum*, &c. Quæ foramina per putrefactionem in cutem & carnes hominum exedunt, ea de causa, quod salia sint ex sua natura. Et prout in extrinsecis rebus naturalibus multæ videntur differentiæ, sic etiam in homine variæ salium conditiones habentur, vt vnum foramen alteri simile non existat. Nonnulla salia peruruntur instar vrticæ vel vitrioli: quædam pruritum excitant, vt plumosum, & esula: pustulas eleuant alia: prout sinapium aquaticum, cantarides, & similia, quę in homine iuxta rerum naturalium conditiones diuidenda sunt in sua genera, speciesque. Reliqua duo corpora Mercurij, nec non Sulphuris, a Sale, quod seipsum rodit, eisque permixtum est in eodem corpore, pariter exeduntur, cum sal occasionem propriæ corruptionis habet, suum etiam corpus vna cum aliis consumit. Contra similes ærugines hominibus contingentes, naturæ vires opponendæ sunt, quæ tollunt eas, modo quis expertum eligere medicum nouerit. Medicina Dei donum est, cui concessum fuerit, is etiam habet eamque propte poterit exercere. Initium doni sapientia, hoc est, artis experientia iuxta naturæ demonstrationem, vnde nascitur medicus: is enim accipit omnem scientiam & instructionem ex manifestatione operũ naturalium. Quisque medicus igitur operã dare debet, vt ex ea medicina discat, quam Deus creauit, ac dedit hominibus, & non præter istam seipsum extollat, vt putaticij præsumentesque medici faciunt indies. Vt supra de sale cœlestis ignis in rebus naturalibus dictum est, sic etiam in hominibus occultus habetur ignis, & inuisibilis, qui nihilominus ardet, postquam scintillis suis accensus fuerit ex influentia, quæ est in homine: tum existit in suis flammis, prout calx aqua perfusa bulliens. Corpus enim eo loco, vt aqueum corpus cognoscitur, in quo latet sal, rodit, vritque, prout *piper*, *alcali*, &c. quod in sequentibus capitulis narratur sæpius. Non aliter hoc sal corpus suum exedit, quam ferreum sal ferrum, & non cuprũ: item cupreum sal cuprum, & non ferrum. Ad hunc modum salia reperiuntur, *neruorum*, *carnis*, *venarum*, *medullarum ossium*, *cartilaginum*, &c. quodque iuxta suam naturam ab aliis diuisum atque differens: de quibus abunde satis ad intelligentiam exemplorum *flammulæ*, *cantharidum*, *arsenici*, *calcis*, &c. dictum. Quicunque hæc exacte cognouerit, vlcerum originem ignorare minime potest.

Foramina dissimilia ex dissimilitudine salis.

Salium diuersi effectus.

Medicina donũ Dei.

Ignis in hominibus occultus.

CAPVT III.

PRouerbium hoc inter doctos versatur: *A finis termino Philosophiæ, Medicina sumit exordium.* Hoc innuit iuxta Philosophiam rerum naturalium, in operationibus, viribus, malis atque bonis, medicinam esse nobis addiscendam, vt iudicemus ex eis in hominis corpore pariter flammulæ sal existere, sal calcis, sal boracis, arsenici sal, &c. Non est imitanda hoc loco veterum theorica, iudicans originem vlcerum non ex demonstrationibus Philosophiæ, sed ex suis opinionibus & phantasiis: super quas nihil ædificandum est, quod non inceperint, vbi philosophia desinit, at potius a seipsis, philosophicum finem ignorantes. Quinam incipiendum sita fine Philosophiæ, notate per exemplum. Videmus lac esulæ pruritum excitare: per hoc Philosophia docet apertè nos, esulam in corpus assumendam non esse, ne sit apertionis illius occasio. Post eiusmodi philosophicam rationem & instructionem, physicam ad hunc modum incipias, videlicet: pruritum in homine per esulam hominis ortum, sal esulæ fore iudicato, cum homo sit Microcosmus. Cum ergo philosophia sit ea, quæ nobis naturam suis in operibus proponit atque demonstrat, in eo naturæ fundamento medicum esse fundatissimum oportet: inde reperiuntur infinitæ rationes ac documenta rerum originum, de quibus iam scribimus. Erroneum curarum fundamentum olim positum fuit. Hoc enim curat hominem, quod exulcerat: id res naturales minime faciunt, aut efficere possunt, videlicet, vt illud, quod ipsæ produxerunt, curent. Nonnulla reperiuntur impedimenta, ne perurat vrtica, flammula exluceret, ac chelidonia cicatricet, &c. Similia perquam vtilia sunt, contra salium exulcerationes, vt quæ tollunt escaram ab arsenico, salis arsenici pariter escaram tollunt in homine, curantque non aliter quam in illis, in humano corpore: hoc ipso natura docet, vlcera medicum ex fundamẽto cognoscere, qui per ipsam, & non ipse per seipsum efficitur. Quapropter, vbi docere suis demonstrationibus natura desinit, ibidem in homine medicum operari, scire debet. Non potest igitur fore medicus ille, qui philosophus non erit, cum in philosophia fundetur ipsa medicina, nec non ipse medicus.

Medicina quomodo a fine philosophię incipiat.

Vrtica, ne perurat saliũ exulcerationes impedientia.

Medicus esse non potest, qui non sit philosophus.

Non est arti fabrili comparanda medicina, quod antiquos fecisse doctores videtur. Faber enim, vt in animo domum concipit, non ædificat: non ita medicus ex cogitare per se morbum aliquem potest, cum hunc non efficiat, sed natura, quæ pariter eum nouit. At quia medicum etiam cognoscere decet, a natura petere debet, ac addiscere quãtum ea docet, æque tantum scit, & esse vere comperit. Faber lignarius truncat arborem, eamque pro suo parat ac captat arbitrio: medicina vero præparare se non sinit pro voluntate medici cuiuspiam at in suo statu manet, in quo similiter vti cogitur ea. Discere medicum igitur oportet in his, in quibus ars consistit, vt ab exemplis, quæ quod loqui non possint, indicant ea, quæ natura continet, quæque fieri non velit, vt vnicuique sapienti, cui datum fuerit intelligere, singula tanquam per parabolas & subtilitates ad oculum proponantur, & offerantur. Docet itaque nos philosophia parabolico modo per figuras, formas, virtutes, ac similitudines, vt per eas addiscamus quæ necessaria sunt. Ad hunc modum etiam Christus locutus est, non omnibus sapientibus, at solum illis, quibus datum est intelligere. Sic medicina quidem est ars non omnibus data, sed illi tantum, qui, vt supra narrauimus, intelligit. Quare non immerito veterum theoricæ, causæ, rationes, & similia, cum suis æmulis deridenda sunt, vt ex prouerbio, *Cœcus cœcum ducit, & ambo in foueã cadunt.* Nam quod

Non est fabro comparandus.

Medicũ in quibus discere oporteat.

Medicina non omnibus data.

er.

errores, maxime cum tot in eam sese violenter & præter æquitatem indurant, non considerantes, eam peculiare Dei donum esse non concessum omnibus, conscientiam suam non examinantes, &c. Qui nullius pretij vel intellectus existunt, cor ad medicinam attentum habent, non ea de causa, propter quam a Deo creata est, quo fit, vt hoc meo tempore, post monachos, nulla gens medicis contemptior existat: non propter artem, sed personas, ex omni genere nequitiarum ad medicinam, vt ad refugium confluentes. Penes antiquos itidem accidisse non dubito, quod eorum artis fundamentum aperte satis docet: cum istorum plurimi vociferatores atque seductores fuerint.

Medicis nulla gens cõtemptior.

CAPVT IV.

Natura salis, quod in homine tertij corporis locum habet, hæc est, vt alia duo putrefieri minime sinant, & ea de causa naturaliter eis incorporatum fuit: nam vbi sal nullum extiterit, putrefactio libenter subsequitur. Hac ratione quibusuis in rebus natura sal ordinauit, atque posuit, vt corpora conseruentur in sua sanitate. Varia reperiuntur salium genera, Sulphuris, & Mercurij, quo fit, vt variæ corruptiones etiam existant. Quod gustum exhibet, sal est, quamuis acutus, vt in *Pipere, Mercurio, Sulphureque gustus*: item in Gentiana sal amarum est, in saccharo dulce, & acetosum in acetosa: nihilominus omnia salia varia, quotquot fuerint, inter se diuisa tamen, vti carnes existunt, istius vel alterius conditionis: hic, vt quadrupes animal, ibi tanquam auis, alibi sicut piscis aut vermis. Vbique tamen istorum locorum caro sui spiritus inest earundem rerum, vel anima: quamuis homines in dubiũ assumãt, an hoc vel illud carnẽ iudicare debeant, aut non. Ac si quispiã dicat, mel nõ habere sal in se, piper autẽ illud continere, cũ tamen ambo sal habeant, sine quo persistere nõ possent. Multa salia sese manifestãt, vt medicus oculariter eorũ cõditiones addiscere queat: item vt ista suis differentiis in multas species diuiduntur per naturam, non secus in homine fore iudicanda sunt iuxta specificas naturas suas & conditiones. Eorum quæ comeduntur multæ varietates existunt: aliquot ex aquis profluunt, alia quidem ex terra depromuntur, quædam lapidum instar, mineralium alia coagulantur: & postmodum ex præparatione variantur, & vnũ alio pulchrius, clarius, & purius, vti sal, gemmæ, similiaque. Sunt nihilominus hæc omnia conditionis huius atque naturę vt in corruptionem concordent. Alia vero salia corrosiua reperiuntur, quæ seipsa rursum curant. vt aluminosa: corrodit enim alumen, & sanat iterum. Vitriolata similiter efficiunt, vt etiam diuersimode per se demonstrant. Postmodum salia plumosa, quæ varia sunt, peculiarem naturam habent: item auripigmenti salia, calcis, & similium, quæ separantur ab aliis corporibus. Hoc notandum, ea videlicet in corpore per se sola non existere, sed vt tertia pars aliis permixta & integra facta. Habet enim corpus anatomiam suam, etiam & corpora metallica iuxta sua membra. Hac de causa corpora prædicta mortem citius, quam alia membra percipiunt, quod sal eorum arsenicum sit, &c. Sic de reliquis generibus corporum intelligendum erit. Prout Globulus vniuersus ex eiusmodi corporibus constat, non secus & homo, per quem transeunt meatus, id est, venæ salium repartiuntur omnes per vniuersum corpus, vt in terræ globo videre licet ex eius regionibus. Vna pars exsudat per poros, quæ pluuię de cœlo cadenti per similitudinem comparatur, quam istud per suos poros etiam eiicit. Hac ratione discernuntur in corpore duo hæc, nempe cœlum & terra. Quod ad terram attinet, per lotium emittitur, veluti ista fontes in mare profũdit ac fluuios, Danubium, aliosque: sic in vesica reperiuntur fontes corporis. Quod vero secundum corpus, vt pote cœlum exhibet, per poros exitum facit, & aere vel consumitur, prout pluuia cœli per terram absorbetur pro parte, aut euanescat in aere. Cum igitur aqua sit, & elementum aquæ, lapidem efficiunt, sic etiam in vrina lapides fiunt, & in similibus locis. Ista physicis potius quam chirurgis cognitu necessaria sunt: ignorare tamen Chirurgus minime potest salia, quę ad per se nascentia vulnera, secundum præpositum exemplum operatur in anatomiæ cursu, natura & essentia. Quicunque similia nouit & physica, tanto fundatior existit in medicina. In terra damnum ex eis non oritur, hoc est, in corpore, donec in eo manserint. Non aliter quam in terra globuli, dum in ista relinquuntur, ex eis nihil fit: nemo sal aut simile quid videt, quousque per præparationem artis hominis extrahantur illa, quæ in terra continentur, & aqua, tum primum apparent: vt per bullitionem salia ciborum, per separationem vitriola, per præparationem alumina, per inuestigationem calces, &c. Postquam extracta sunt, non prius nocent, hoc est, ad operandum potentiam habent. Similis in homine later artifex, qui præparat arte sua naturali, per cuius operationem ea resultant, quæ in corrosiuis apparent, Verum vbi tales præparationes eorum, quæ dicta sunt, non fiunt, non nisi laudabilia, bonaque fore comperiuntur. Et nisi præparatio fuerit ibidem in exaltationem paroxysmi, nullus apertionis morbus fit, at in vno corpore manent omnia, prout in terra.

Salis natura.

Salis varia genera.

Salia inter se diuisa vt carnes.

Sal etiam in melle & saccharo.

Comestibiliũ multæ varietates.

Salia corrosiua & curatiua simul.

Salia plumosa

Cœlum & terra in corpore vbi.

Lapidis vrinæ.

CAPVT V.

Prout cœlum cum suo firmamento, nec non terra cum suis elementis vtrumque duo sunt, & vtriusque partium alterutra per seipsam est vna: sic & homo duo continet in seipso, videlicet *influentiam*, quam ei cœlum præbet, cursum vero corpus administrat. Inde sequitur producta per illa terræ meliora vel peiora fieri, conseruari, aut corrumpi. Pluuia siquidem nimia destruit fructus, & pauca similiter. In proportione consistit igitur ipsa natura, medium habere cupiens. Prout ergo cœlum terræ simile quid infert, corpori pariter accidit, quæ quidem occasio tranmutationis est salis in vltimam suam essentiam. Hæc est vltima rerum essentia, cum istæ postremo sese manifestant, in ea fuerunt ab initio, sub occulta forma, velut minera, quam nemo discernit quidnam existat, donec veniat extra terræ firmamentum in

Influentia in homine.

in ignem, tum demum apparent partes eius, vna repræsentat argumentum, alia realgar, tertio vero leppamiam adest vltima dictæ mineræ essentia. Vt est istius causa, eiusmodi sunt causæ per spiritus accidentes, quorum labores hominum operibus haud absimiles existunt: item inuisibile suis in corporibus manifestum efficiunt. Isti sunt Xeni, Nephirei, qui delectantur in ipsa natura conditiones istius manifestando, quod ipsis etiam permissum est. Nihil enim tam occultum, quod hominibus non reueletur, hoc est, quin per materiam vltimam, initium & occultam essentiam cognoscant. Idipsum efficit occultus ignis in suis effectibus. Et prout videmus accendi sulphur per calcidonium vel silicem, pariter & hic intelligendum, vtpote sal recipere Nephidicos ictus & accendi, ac in seipso ardere quodam igne prorsus inuisibili. Item, vt Ætna mons lapides in calcem & cineres adurit, & omnino consumit, præter ignem existentem in ipsis, at accidente solum, non secus in sale quidam latet ignis, qui sustentatur & nutritur in sulphure. Hic ipsius est, qui corrodit, per occasionem ex accensione salis acceptam, eoque perducitur, vt manifestum fiat: eiusmodi causa non prouenit ex eo ipso: quid enim contra seipsum esse vellet? Verum, quia nihil tam occultum, quod nobis ob oculos quandoque venire non debeat: inde sequitur, quasdam esse causas, quæ similia succedant. Vti firmamentum est causa lapidum & fulminis, quod syluas atque domos accendit, cuius causa quidem ignis est: non aliter in hominis corpore tonitru, fulmen, & lapides existunt, quæ suo tempore prorumpunt in ignem suum. Itidem in calcedonio videtur, qui super terram ignem exhibet, hic præter ipsum & chalybem cum silice, nec non id genus talia non haberetur. Hoc modo manifesta fiunt omnia. Quisnam homini diceret in silice vel in calybe latere ignem, arte manifestum si non fuisset antea. Sic etiam in homine similis ars habetur, qua talia palam ei fiunt & innotescunt, vna cum suo detegente. Cœlum peste laborare posse, nec non aliis morbis, haud scire possumus, nisi nos hoc eo doceat, quod eiusmodi morbos in mundum inferiorem imprimat. Mirandum, incredibileque nobis esse videtur, ac apud nos impossibile: verum Deo possibilia sunt omnia, qui hoc ipsum etiam facit: aliud in his habere iudicium non possumus, quam in eius potestate cuncta fore. Hæc a nobis dicta putato, quod firmamentum nostrum, & existens in nobis, cum pestilentiam producit, id per sal efficiat, cui quidem & firmamento nostro pestis inest, vt ea, quæ superna influit: verum eius loco præbet *Æstiomenum, Herpetem mordacem, Ignem Persicum*, &c. Non aliter quam supra dictum, de prænarratorum originibus morbum indicare possumus, penes, quæ relinquendæ sunt. Quis enim demonstrare naturam potest apertius, quam eo, quod in tribus corporibus elementa quatuor occulta sunt, per quæ sumunt occasionem in vltimam sui transire materiam? Non secus atque lignum igne separatur in Sal, Sulphur, & Mercurium. Ad hunc modum Phionitides occasiones & causas exhibent, vt nihil maneat occultum, sed in lucem prodeant omnia,

Sal corporis qui accendatur.

Lapides in homine vnde?

Cœlum peste laborare.

Pestis à sale producta.

Elementa in tribus substantiis delitescunt.

sic, vt ocularitet appareant quæcunque sunt in terris. Sciendum vtique tam in rebus insensibilibus, quam sensibilibus vnum alteri semper contrarium existere, vt canes felibus, gallos basiliscis, sic de cæteris, vti mustelis, leonibus, Tabanis, vel asilis, equis & aliis, quorum vnum semper aliud in corruptionem & mortem persequitur. Phionitides vocantur illa quæ in corruptionem prosequuntur alia; prout ciconia ranas falco perdices, &c. Vt ista sibi mutuo contraria sunt, Physica medicum docet in suis subiectis agere. Hic enim, vt piscator fore debet, quo rerum conditiones atque naturas cognoscat, quæ in aquis existunt: item vti venator, vt sciat naturas eorum animalium, quæ in terris & in aëre sunt, &c. Si quis nouerit, quid Nisus faciat, rapiat, &c. cognoscere pariter in corpore poterit, qui semper vnum concernat aliud: nam, vt falco & perdices se habent ad inuicem, sic etiam in corpore se res gerunt vna contra aliam. Hæc est naturæ lux, de qua nascitur medicus, & non ex seipso, quamuis in seipso maneat.

Contrarium vnum alteri semper.

Phionitides quid?

Physica quid doceat.

CAPVT VI.

SAlis duo fontes habentur, vnus ex venis, id est, in sanguine, alter in liquore, hoc est, in carne. Prout in terra videntur aquæ fontium ex venis eius fluere, & non ex seipsis, at in se pariter, qui per terram in venis eius defluunt; Item quinam ipsa terra sudat, ac in se continet humiditatem præter fontes, cum non omnes aquæ fontes existant, quæ super terram sunt veniuntque? Nam vbicunque se terræ liquor aliquis recipit, & congregatur in torrentem vel stagnum, liquor est eius, & non fons: isti namque liberas habent suas origines ex ramis venarum. Non aliter est intelligendum hominem in se dupliciter continere sal, id est, penes ipsum in duabus columnis existere, videlicet in sanguine, tum in liquore: quorum vterque peculiare sal habet in operationibus, quod in sanguine est, non repurgatur, at in venis manet: similiter & liquor ipse. Verum occasionibus datis, per suos meatus & emunctoria transeunt eo, vel ad loca, in quibus conueniunt, veluti per poros cutis; per meatus renum, prout ipsa confluunt, & simul in mixtionem veniunt omnia.

Salis fontes duo.

Sal sanguinis.

Sal liquoris.

Positis itaque duabus istis columnis, adiectus est fluxus quidam assiduus, vt Nilus, qui semper fluit, hic est vrina. Ex istis tribus proueniunt salia, nec non omnes fluentium torrentium apertiones, per suos meatus vi suorum salium transcurrentium, hoc loco latius non declarandorum, quod libro de *Tartaro* satis abunde tractentur. Priora duo salia libri sunt huius argumentum, quod demonstratur, chirurgiam salis in duas diuisam esse vias, videlicet in scabiem, & in vlcera. Scabies procedit ex sale liquoris, quod in spumam transmutatur, aut in locustis exsiccatur, & super cutem non aliter, quam sal super vrticam extrinsecus adhæret. Non secus illud, scabiei nempe, vel pruritum in extremitates erumpit ex liquore varias in cuspides, prout in vrtica

Vrina comparatur Nilo.

Chirurgia in duas vias diuisa.

Scabies vnde.

rica videtur. Alterâ viâ progreditur ex sanguine sal, & rodit cutem, carnem, ac ossa prorsum vna cum venis, ligamentis, neruis, iuncturis, &c. Salia liquoris in varias species diuiduntur, similiter illa quæ sunt ex sanguine, in diuersa partiuntur vlcerum genera, iuxta cuiusque salis existentiam in ipsa natura, quæ nos per exemplum docet ad hunc modum. Quædam in latitudinem crescunt, vt *fungi*: nonnulla in fistularum formam, vt *sambucus*, *iuncus*: alia per aggregatam multitudinem, vt *lauendula*, &c. quodque iuxta suam formam: quod quidem sal efficit, cum eius officium sit exhibere formas. Quapropter vlcera nonnulla fistularum instar, & iuncorum enascuntur, vt *fistulæ*: quædam in latitudinem, prout *cancer*: in multitudinem alia, sicut *scrophulæ*, cum similibus: quædam aquosa, prout *fungi*: sicca nonnulla, vt *vsnea super lapides*, sic de cæteris: vti natura nobis extrinsecus terræ sal ob oculos ponit in mineris, in lignis, & aliis crescentibus: pariter in corpore sal per suas operationes, eiusmodi formas etiam exhibet. Inde sequitur simile per simile curari, id est, vlcera similia per similes formas: quod quidem in generibus omnibus vlcerum apparuit euidentissimè, videlicet formam similem, simili medicinam semper extitisse. Pertinent igitur ad medicum Anatomia comparationum rerum per similitudinem. Vlcerum itaque, nec non prurituum varia sunt genera, iuxta salium conditionum diuersitates: nonnulla dulcia, hoc est, absque dolore, & comparantur sali *cerebri saccari*, *liquiritiæ*, &c. quædam ardentia, quæ *piperi*, *Zingiberi*, *granisque paradisi* comparantur: alia sunt eschara, sali quidem *arsenici* comparata: comedentia quædam *alcali* sali similia, *vitrioli plumosi*: stiptica nonnulla, quæ comparantur *aluminibus*. Sunt etiam vlcera frigida, *solatrina*, *nenufarina*, &c. calida, vt *ana cardina*: sicca, vt *acorina*: humida *barba iouina*, sic de cæteris, vt supra, sal eorum acceptum, &c. Non aliter de scabie & pruritibus dolorem inferentibus, & non, cutis generis plures aliæ species existunt, vna dissimilis aliis. Tam subtiliter & artificiosè creatus est homo per manus Dei, vt si nobis ipse non manifestaret, incredibile foret hominem ex eis ita compositum esse rebus, quas in ipso philosophus atque medicus ita microcosmicè detegit per species omnes. Non potest ista cognoscere propria phantasia de humano corpore, si per naturam solam, cuius officium est eiusmodi comparationes, formas, atque similes operationes manifestandi.

Salium liquoris variæ species, vt & sanguinis.

Vlcerum diuersæ formæ vnde.

Simile per simile curatur.

Vlcerum varia genera.

Scabiei plures species vnde.

CAP. VII.

De signis etiam quod scribamus, quamuis ex rerum naturalium proprietatibus depromenda sint, vt vlcus omne, quod nigram carnem habet, ac escarizat, est ex arsenico: hinc fit, vt vna cum prædictis, tumorem, calorem, & lipotyphiam inferant, vt ex arsenici natura. Sal eiusmodi persæpe contingit effluere, quandoque non: cum verò fluit, est in operatione sua, prout salis fuerit conditio, proprietasque. Sunt & alia salia, quæ tumores concitant, emittunt sanguinis plurimum, ac vehementer effluunt, quocunque modo hoc faciant, hirundinariæ salia sunt, quæ sanguinem extrahunt instar sanguisugæ. Nonnulla reperiuntur, quæ duntaxat vrunt, & non rodunt, nec tumores adferunt, ac si commune sal vlceribus imponeretur: aliqua tumores excitant rubeos, vt *vitriolata*: pleraque alia tumores albos, vt *aluminosa*: quædam vna cum incidentibus circum foraminibus, vt *salia gemmea*: nonnulla cum caueis, vt *alcalia*. Talis est natura salium, vnius, vt ad hunc modum, & alterius manifestetur ad alium, iuxta suas conditiones, quas hoc loco non recitabo, sed philosophiæ potius committam, cuius fundatissimam peritiam habere medicum oportet in istiusmodi rerum & morborum cognitionibus. De doloribus dictum sit hactenus. Prout in sua natura salia sunt, animalia pariter in sua reperiuntur, & herbæ quædam, quorum, salia comparantur illis, vt sal colchotarinum, cancer, & persicaria salis vnius existunt, vt sal entali, iuncus, & fistula pariter vnum sunt. Quare sal colcotharinum operatione sua cancrum in corpore concitat, itidem efficit persicaria, nec non cancer aquæ. Similiter entali sal fistulam efficit in corpore, quod iuncorum & fistulosorum salis existat. Ex forma namque similia cognoscuntur, vt cum dicitur, hunc aut illum habere lupum, aut eo laborare, fit, quia sal eiusmodi est vnius, & eiusdem cum vero lupo naturæ. In lupo quidem est idem sal, quod adscribitur choleræ, vel, vt nonnulli volunt, felli: hoc ipsum est origo choleræ, seu inuidiæ, corrosiuæque naturæ. Non est istius verum cholera nomen, sed lupinum sal. In tribus enim corporibus homo positus est: Mercurio videlicet, Sulphure, Saleque, & non in quatuor at in spirituum cum quatuor elementis, ex quibus nulla hoc loco signa sumenda sunt, at ex sale duntaxat. Sal etsi nonnunquam igneæ complexionis existat, vt arsenicum: aereæ quandoque, prout vitriolum: terreæ, sicut entali: & aqueæ quandoque, vt alumen: nihilominus id non indicatur ex elementis, cum ista non fecerint illa, sed è contra sint ab eis elementa facta. Non sunt etiam elementa corpora, sed ventus, aer, aut spiritus tantum. Item non sunt operatiua, sed hoc est operatiuum, quod sal existit: istud enim operatur, & non elementum, siue frigidum, calidum, aut qualecunque fuerit, sal cum extiterit, euenit, vbi non, etiam non contingit. Complexiones ergo diuiduntur in illa tria corpora, non in quatuor, & in vnoquoque corpore quatuor illa, cum eis vltra centum gradus & essentiæ. Non sunt igitur ex illis quatuor sumenda signa, prout cùm dicitur: si cholericus existat, ex cholera: si melancholicus, ex melancholia: si phlegmaticus, ex phlegmate: si sanguineus, ex sanguine procedere: nihil minus. At si sal sanguinis occasionem habeat, sal erit eius, quod in sanguine fuerit: si autem ex sale, quod in liquore latet, erit, eiusdem etiam indicandum, & iuxta salis essentiam formabit vlcus aut pruritus. Item cuius generis sal extiterit, hoc effluet: siue sit homo phlegmaticus, melan-

Signa vlcerum.

Sal arsenici.

Sal hirundinariæ.

Salis colcotharini vires.

Sal entali.

Sal non indicatur ex elementis.

Sal est operatiuum secus elementa.

Signa vnde sumenda.

melancholicus, cholericus, aut sanguineus: ista sal non curat, sed iuxta suam naturam agit. Morborum eiusmodi signa faciunt ad intellectum eorum, vt medicus ex philosophia valeat eos cognoscere, indicaréque iuxta verum fundamentum, quod autem nisi cognouerit, iudicium præbet hominibus existimandi se fundamentum artis suæ super arenam posuisse. Pariter signorum ex philosophia cognitio, receptorum optimum compositam efficit, qui cogitur aliàs ab aliis opus emendicare suum, vnde surgunt enormes admodum errores. Inde recepta vera sumuntur, videlicet vbi quis morborum signa cognouerit. Hæc eadem eum docent origines eorum, quas vnà cum signis reperit ex luce naturæ: sic vt ex eo genere rursum in ipsam naturam iterum redeat, ex qua recepta sibi proponuntur similium cum similibus, & non contrariorum ad contraria. Non est enim ad hunc modum intelligendus homo, vt in eo contrarium contrario pelli debeat, vti per aquam ignis: quid ergo foret, quod aquam expelleret, quid aerem, quidnam terram, hyemem, quid æstatem? &c. Sal igitur suum sal habere vult, Mercurius suum Mercurium, & Sulphur suum sulphur: id natura demonstrat: in similibus expetere similia se.

Signa morborũ ad quid faciant.

Recepta ex signis sumuntur.

Cap. VIII.

Salia duplicia: alia curã, alia non recipiũt.

Vt fundamentum ac initium istius absoluantur philosophiæ, sciendum est, salia rursum in duas partita vias fore: videlicet vnam, quæ curam & sanationem recipit: & alteram, quæ non admittit eas. Nam, vt in terra fluxus aquarum existunt, qui tolli minimè possunt, in corpore pariter occasiones aliquæ non possunt amoueri: nonnullæ super terram abeunt, vt fontes aliqui, postmodum autem redeunt: non secus habentur salia, quæ hoc ipsum faciunt. Sunt etiam quæ fluxus non existunt, sed exiccantur, & reuertuntur: plurimi torrentes ad hunc modum fluxerunt antea, qui iam exiccati non redeunt ampliùs eò loci, verum aliò discurrunt: itidem accidere solet in homine. Similia multa reperiuntur, quæ medicina sua, nec non ars eius aufert & exiccat, vt per Solem, aërem, atque tempus fieri suis viribus videmus, quæ quidem omnia pariter in medicina sunt. Quare si medicus recepta componere velit, eiusmodi res quæ soli similes vel aëri comparatione sunt, & non elementis, non calida, frigida, sicca, nec humida capere, sed corpora contra corpora; hæc ipsamet sua secum deferunt elementa. Verum enimuero prout in terris aquæ multæ sisti nec exiccari possunt, non secus in homine fluxus quidam, vbi iam occasionem acceperunt effluendi, non iuuant auersiones, minus exiccationes. Quandoquidem atq; res aliqua sumpserit iter ad vltimam suam materiã, ad quam omnino corrupta sit, non potest amplius reduci, quamuis ad hoc regimina quædam abstinentiæ, exiccationes, exhaustiones, & similia sint excogitata, quæ quidem omnia diutius nõ iuuant, quàm noua congregatio fiat humorum: quibus remediis humoristarum duntaxat vtuntur consilia, sed frustrà. Nisi medicamentum aut cura fuerit conditionis eius, cuius morbus ipse, vana sunt omnia remedia, quod eis minimè curetur. Hæc est morbi conditio, videlicet, vt sit reducibilis ab vltima sua materia, cuius in via fuerit, ad primã. Vt cum lignum aliquod ardet, nisi per aquam eius ignis extingui valeat, nihil iuuat amplius, at qua præ manib. existente, iam adest remedium, sic vt lignum solum sit igne sine. Si tamen lignum amplius non fuerit, sed carbo, non iuuat extinctio, cum ad lignum à carbone redire possibile non sit, carbones enim tales manent, aut accensione transeunt in cineres. Oportet igitur materiam adhuc adesse, quæ reduci debeat ad primam, sic, vt id, quod absumptum fuerit, abeat, quod autem adhuc restiterit, seruetur. Salia similiter pondere suo diminuuntur, vt lignum pro parte iam adustum, & pro parte non: & non pondere solùm, at multa salia prorsum ab homine fluentia recedunt, quibus iam expurgatis, eorum damna facilè curantur. Quapropter medicus ista iuxta Philosophiam perpendere debet, vt cognoscat, an fluxus expurgatus sit, vel in via diminutionis, & eo finito, cura facilis erit, vt etiam per se fieri queat, quod eius materia penitus effluxit. Accidere quandoque solet vt pars vna fluat, altera non: aliquando parumper, & postea cesset, ac per se, qui terminum hunc attigerit, fœliciter, at non artificiosè curabit. Eiusmodi fluxus etiam fiunt inæqualiter: nam sæpe corrumpitur sal quodcunque fuerit, sibique foramen excauat, quousque deueniat eò quò tendit: sudore corpus ipsum penetrat vsque ad cutem, ibidem congregatur, operationémque suã aggreditur. Euenire solet etiam, vt cesset ibidem, & alio loco se recipiat, in quo non aliter operatur, quàm in priore, post ab eo recedens iterum in alium tendit: eius rei causa est, quod species eiusmodi salis per corpus huc atque illuc discurrentes, cataractas suas quærant, prout aurum & argentum in terra per venas expanduntur, in quibus inuenta sunt: hic declinant, ibidem assurgunt, ibi terminantur, illic incipiunt. Ad hunc modum genera salium fiunt, multisque locis inueniuntur, in quos erumpunt: non semper tamen, quod emoriantur, vt vno loco, vel duobus tantum reperiantur, quæ si diutius viuerent, aut vigerent multis aliis extenderentur. Similiter plurimi fluxus in corpore cessant, & in mortem vsque manent, qui si diutius vigerent, ampliarentur. Philosophia namque docet, hominem etiam in seipso globulum & sphæram esse, res prædictas omnes continentem: ei necessarium est igitur, vt microsmicorum conditiones probè cognoscat, in quibus similia cum sibi similibus conueniunt, cum in Theorica, tum in Practica.

Receptorum compositio vnde sumenda.

Medicamentum sit eius. dem cõditionis cũ morbo.

Homo omnia in se cõtinet.

Animaduertite vos igitur medici, ne cum hominibus ita leuiter agatis, at optimè ponderate prius, quid præ manibus habeatis, quidque vobis faciendum sit. Nam si fluxus eiusmodi curaueritis, necatis homines: itidem facitis, cum præter naturam eorum reprimitis eos. Si curaueritis vlcera per se curabilia, videte, vt indicare possitis ea rursum eruptura, vel aliter hominibus imponitis. Non enim propter salia medicina creata fuit, sed propter manifestationem artis in proximi dilectionem: æger siquidem vester est proximus ô medici, quapropter est, quod curetis eum ex ordine, quo Deus curas in medicina creauit. Postquam sanus fuerit

Fluxus non omnes curãdi, nec reprimẽdi.

operaa, tu proximus eius es: item est quod ipse tibi gratias referat, vt ille, qui cuperet à te sibi fieri, si tibi hoc ipsum præstitisset, quod ergo ipsum impleuisti. Medicinæ veritas igitur consistit in philosophiæ fundamento, postmodum cura feliciter succedit erga Deum & homines. Absque fundamenti huius cognitione, quid est tua caritas? quam etsi libere exerceres, ista mors est alterius. Habe cognitionem artis igitur, atque naturæ, nec non lucis istius.

Medicinæ veritas in Philosophia.

LIBER SECVNDVS DE CVRA VLCERVM.

CAP. I.



CIBVS atque potus ad ventris impletionem à Deo non sunt ordinati, sed ad naturæ contentationem: quæ si ieiunium expetat, id obseruetur: si famem, abstinentiam &c. Item non solum illi sunt ad ventriculi famem sedandam & sitim hepatis assumendi: verum etiam ad istarum corporis partium in officiis, quæ habent à natura sustentationem, & eorum, quæ corpori deficiunt supplementum. Nedum enim caulis est nutrimentum, at medicamentum etiam: sic & rapæ, caro, panis, &c. Vinum etiam & sitis appetitusque non tantum expletionem continet, sed medicamentum. Aqua similiter non sola potum exhibet, ac cereuisia, fructuum succi, lac, &c. sitim extinguunt. In istis autem hæc seruanda potissimum differentia est, vt non solum appetitus hepatis & ventriculi sedetur, verum etiam ipsa necessitas ex ordine suppleatur. Hæc est necessitas, vt corpus ea ratione cibis & potibus contentetur, vt per istos in sanitate conseruari queat, & eius morbi pelli: nam in eis arcana, mysteriaque magna latent. Hac ratione Deus tam varios dedit hominibus cibos & potus, qui tamen à medicis haud bene cogniti sunt, & peius in vsum assumpti. Morbi reperiuntur, qui repetitionem habere necessariò volunt. Scitis enim vlcus esse, quod *lupus* appellatur, hoc assiduè repletum fore carnibus vult. Non aliter etiam in corpore lupini morbi nonnulli sunt. Item varij stomachi reperiuntur inter homines, vt canini vix satiabiles, istis est danda repletio, quòd hæc sanitas eorum sit. Sunt & vrsini stomachi, qui melle delectantur, atque rebus dulcibus, istæ sibi sanæ sunt, sic de cæteris conditionibus atque naturis. Vt in brutis peculiares conditiones repartitæ sunt, stomachorum hominum etiam diuersæ proprietates existunt: aliqui libenter oleribus vescuntur, acetariis, &c. quare vaccei ventriculi sunt: alij carnibus, qui canini reputantur: piscibus alij, qui lutræ stomachi dicuntur: sic de reliquis. Hac de causa Deus, quòd hominum ventriculos in tam diuersis appetitibus posuerit, etiam tam varios cibos atque potus ordinauit. De naturalibus & agnatis natura dicta sint hæc appetitibus, & non gulosis: gulæ namque stomachi suam peculiarem sumunt originem in cibis atque potibus.

Cibus & potus cur assumendi. *Cibandi necessitas.* *Cibi cur varij hominibus dati.* *Morbi repletionem ciborum exigentes.* *Stomachi varietates belluinæ.* *Ventriculorum diuersi appetitus.*

Varia sunt vini genera, prout etiam diuersæ conditiones hepatum existunt, & potuum appetitus varij, hic ad iulep, ad hydromel alius, ad aquam ille, vel ad cereuisiam, fructuumve succos, aliosque nondum inuentos, quibus iecur delectatur, & qui medicis iuxta similes conditiones cognoscendi sunt ac ordinandi: natura siquidem hoc nos docet, ex ordine suo seruare diuersimodè.

Potuum appetitus varij.

Ad salium fluxiones accedit maxima deprauatio per sale conditarum carnium, aut similium piscium esum: nam eiusmodi sal carnibus aut piscibus admixtum vnà cum suæ substantiæ corruptione facilè præbet occasionem sui simili sali corruptionis. Idipsum etiam efficiunt acuti cibi, multis aromatibus conditi, prout zingibere, pipere, nec non aliis salibus, vt raphano, sinapio, alleo, similibusque. Hæc omnia corruptionem accelerant, quod sal accedat ad sal, Mercurius ad mercurium, & sulphur ad aliud sulphur. Sic in stomacho triplices coquuntur ex tribus illis corporibus, pariter in hepate fit ex potibus. Quapropter medici peritia consistit in eo hac in parte, vt hominem in spiritu salis cognoscere discat: postea sal vnumquodque, tum ex natura similem cibum, in eo sale constitutum, ne hunc administret: nam eo pondus augebitur, quo fieret ex abundantia quæpiam eruptio. Verùm contra sal amarum est medicina sibi simile sal, sed dulce, non amarum: contra sal asperum suum, ac mite: contra siccum simile, sed humidum, & ita consequenter iuxta proportionis demonstrationem. Eiusmodi seruata prius concordantia, tum demum adest in cibo regimen & potu, vt in his tribus continetur verè salibus ad sanitatis conseruationem adductis, & contra morbos præseruationem. Quare cum irruperunt morbi, iamque sumunt argumentum, subsequitur etiam ea, quæ dicta est, necessitas.

Carnes sale conditæ fluxiones salium deprauant. *Cibi acuti corruptionem accelerant.* *Salium medicinæ.*

Animaduertendum etiam, ad salis fluxum alios accidentales accedere, prout videtur in torrentes alias aquas incidere semper velle. Non aliter ad salis fluxum alij duo fluxus concurrunt, videlicet ex cibo & potu. Stomachus & hepar nutrimentorum sal accidentale, salis corpori naturali coaptant, ea ratione, qua nutrimentum in salis fluxum conuertitur pro parte, simulque fluunt Latius ex poris venarum & carnis liquor affluit, & sudor, qui cruor est ibidem, & guttatim in eiusmodi fluxus decidunt, ac ita propter vicinitatem in suam essentiam transmutantur cum aliis, & simile seducit hac via sibi simile. Sic triplex salis fluxus efficitur, qui corpus est pro tertia parte: videlicet ex sale ciborum & potuum ad huius tertij corporis nutrimentum existente, ex cruore, tum ex liquore & sudore, qui in carne sunt: affluxus isti tres per vnicum excitantur. Hæc à me dicta sunt, vt repletio vitetur prorsum in similib. at potius abstinentia seruetur, id est, ex signis fluxuum & vlcerum tantum ordinetur ipsa diæta vel abstinentia. Quo facto salis corp⁹ virulentiam relinquit, citiusque persanatur vlcus: nam exiccatur corpus eius, vt non valeat am-

Salis fluxus accidentales *Salis fluxus triplex.* *Repletio vitanda in similibus.* *Sal qui virulentiam remittat.*

amplius ad cutem fluere, sed suo loco manens exiccari cogitur. Similis exiccatio minimè fieri potest, nisi corpus salis mitigatum sit, aliàs iterum fluendi sumet occasionem. Non tamen hac de causa volo, vt abstinentia medicamentum sit, aut æstimetur, sed Empiria solùm, quæ aliquo tempore locum habet: nam aliquando per nimiam diuturnitatem æger moritur, aut incidit alius accidentalis morbus: tum loquuntur imperiti medici, *nisi hoc aut illud obstitisset, omnia se bene habebant*, &c.

Eremitæ. Sancti piique viri strictam in eremis viuendi rationem seruarunt, non (vt nonnulli dicunt) quod hac via sese castigare voluerint, sed potiùs, vt vitam longam consequerentur, quam etiam adepti sunt. Non per se repererunt, eiusmodi cibos atque potus ad longam vitam idoneos esse, verùm à spiritu medicinæ didicerunt per diligentem inuestigationem. Diætam igitur habuerunt ad vitam longam. Etenim quicquid homo desiderat, idque summa diligentia prosequitur, acquirit. Sic etiam Ioannes Baptista vixit ab adolescentia sua, vsque ad sui decollationis diem absque morbis, ea de causa, quia cibus eius mel fuit, non permisit, vt sal in suam transiret malitiam, neque mel cibis aliis admiscuit, nec vino, sed locustis ramorum arborum tenellis & virentibus; quare sanus admodum vixit, non ob sanctimoniam, aut meritum erga Deum, sed propter sobrietatem, quæ decuit eius officium. Huius vitę victúsque ratio medicis in exemplum esse deberet, qui consilium ad sanitatem hominibus dare cupiunt. At cum ipsi turpiter, immundè, nec non adulatoriè medicinam factitent, consilium in regimine coquinæ solùm adhibent, non autem ad sanitatem, sed in quantum videtur eis cibum non defluere. Tales medici prorsus ad chirurgiam sunt inutiles, vt in ea regimen aliquod instituant, verùm ad repletionem tantùm. Alij, qui victus rationem iuxta necessitatem intelligunt, sanos conseruant homines, & quos curant viuificant, id est, in sanitate perseuerantes efficiunt. Hoc dico solùm, vt medici per exempla sanctorum ad abstinentiam naturæ, suos admoneant quos curant, vt sani facti, perseuerent in sanitate.

Cibi ad longam vitam.

Ioan. Baptista vixit absq; morbis.

Ioan. vita medicis exemplo sit.

Medic. reprehensio.

Cùm igitur adsint exempla certorum hominum atque sanctorum, per quæ iudicare potest medicus, qua ratione componi recepta debeant, ab exemplis videlicet piorum, & non Epicureorum, sequitur inde medicamenta reperiri, quæ dictos morbos externos intrinsecùs, & extrinsecus persanant. Nam prout vulnera potionibus curantur ab internis extra, non secus & cibis fieri potest, ad hunc modum scilicet, vt *butyrum, caro, panis, herba, vinum, aqua*, &c. talia sint, vt locum potionis vulnerariæ supplere queant: nam eiusmodi cibis nutrimentum aptum sit suo corpori. Si consolidatiua sint, & mundificatiua, conditiones istas etiam in corpore seruant, idque conseruant iuxta suam naturam. In nutrimentis naturæ conditio talis est, vti medicamentum vnumquodque nihil aliud existit, quam instauratio quædam ægri membri, confirmatio, sustentatióque, nec non augmentatio sanguinis & carnis ei competentium. Cum ergo cibus nutrimentum sit, æquum

Cibis etiam morbos curari posse.

etiam est, vt ad hunc modum adhibeatur, quo membrum ægrum ab eo consolationem recipere valeat, & sui lumbi nutrimentum ibidem inueniat, auxiliúmque. Hac de causa nutrimentum continere debet, non quòd stomachus illud instar medicamenti cuiuspiam degluriat, verùm vt nutrimentum digerat: sic de iecinore iudicandum. Postquam latiùs & ad loca sua deuenerit, adest naturæ balsamum; quod hoc ipsum recipit, & potentius eo factum, absumit vna cum eius causa damnum: hâc viâ pars similis illi parti suam potestatem adimit, integramque reddit Anatomiam, ac in pristinas vires suas redit, sic vt fluxus amplius emanare minimè possint. Postmodum sanatio per medicamẽtum in cibis situm sequitur, hoc est, progreditur in finem vsque.

Nutrimentum in se habet medicamentum

Si verò sumpseris ea, quæ proueniunt ex herbis, vt ex lacte butyrũ, fac vt eisdem vaccis plurimum salis adhibeas lambendi, nec non vulnerariis herbis alis, vt *serpentina, hirundinaria, agrimonia*, &c. tandem ab ea non lacte butyrum extrahas, edendum præbeas ægris, & bibendum lac, excepto caseo: nam vires herbarum vulnerariarum non transeunt in alia lacticinia, solum in lacte manent, aut in butyrum se recipiunt. Animalium quæ lac non exhibent, carnes administrentur eiusmodi nutrimento factæ, vt supra de lacte habetur, inde nil nisi bonum oriri poterit. Hac ratione suillæ carnes Iudæis prohibitæ sunt, quod inde morbos & lepram conciperent, cum eis in escam adhiberentur. Consuetum est enim, vt omni quod immundum fuerit cibentur porci, qui si, vt supra narratum est, alerentur, quæ caro suilla vel porcina foret excellentior? Herbæ vulnerariæ pariter ad hoc optimæ sunt, vt serpentina similesque: nam isti cibi malignos salis omnes spiritus digerunt. Reperiuntur herbæ quædam, quæ sumptæ vel comestæ, quæuis vlcera persanant, cancrum etiam atque lupum: verum Latinis carent nominibus, Græcis, Arabicis, Chaldaicis, &c. Veteres enim & primi medici nullam faciunt mentionem earum, aut Pandectæ falsò, perperámque nobis traductæ fuerunt. Verum contemptui sunt habitæ, virtutes earum tamen innumeræ, nec non inexplicabiles ad vlcerum curam existunt. In Germania nascuntur absque nominibus: non est enim, qui nomina dederit, vel audiuerit hactenus: quare si noua darem eis & prima, vitio mihi verteretur. Nihilominus cum herbarium in lucem venerit, eas manifestabo formis atque figuris, quæ hoc loco poni minimè possunt, vt intelligantur. Ponam tamen inferius vocabularium sub huius libelli finem, quo quidem intelligentur admirandæ virtutes earum supra quæuis extrinseca medicamenta. Meo tempore cereuisiæ iuxta suam artem coctæ sunt, cum additione dictarum herbarum, quæ singulis diebus potæ, præter alia mirabiliter curarunt vlcera, fluxus quoque represserunt, qui prorsus incurabiles existimabantur. Item in vino suspensæ hoc ipsum effecerunt, at non tam citò, quod vinum aduersari magis, quàm prodesse conetur. Similiter hydromel excoctum fuit, vt suprà de cereuisia dictum, quod ista fuit excellentius. In iure carnium etiam coctæ, mirabi-

Carnes suillæ cur Iudæis prohibitæ.

Herbæ vulnerariæ malignos salis spiritus digerunt.

Cereuisiæ vulnerariæ.

Vinum vulnerarium.

Hydromel vulnerarium.

rabiles curas operatæ sunt, etsi prioribus decoctionibus in cura tardiores, ad anni tertiam partem videlicet: curata sunt ad hunc modum vlcera, quæ multis annis patientes suos torserant. Æquum est igitur, vt earum faciamus hoc loco mentionem, quo cum herbarius venerit in lucem, per eiusmodi remedia subuenire possitis hominibus, illa relinquentes, in quibus auxilij nihil hactenus inuenistis, ob quæ merito vilipendimini. Mirandum est sanè Germanos medicos, in præsentem vsque diem tantum expertos non fuisse, quo potuissent eiusmodi herbis indere nomina, deque suis virtutibus aliquid scribere: solùm iuxta veterem picturam dicere, siquidem est, esto. Percipere non possunt etiam aliquem fore, qui fideliter ægris subuenire cupiat: solùm id, vt pecuniam habeant, omnes curant, hoc modo curatur nemo.

Vlcerum cum per decocta carnium.

CAP. II.

POsito vero corpore prout supra, sequitur inde cura per admixtionem, quæ similis existit. Vbi verum corpus adfuerit, cura consistit in herbis vulnerariis, aliâ viâ tantùm præparatis, quàm herbarum communis præparatio fieri solet, coctione scilicet cum vino veteri, vel commixtione, repurgationéque simul cum recenti, postea potis, &c. Non ita hoc loco: fieri liquores enim debent præter mixtionem. In exemplum. Qui præparare consolidæ radicem nouit, & per se, vt bibi queat, medicamentum habet ad vlcera, sic de cæteris herbis & radicibus: excepto solo, quod sine mixtione vel additione præparentur in potionem, & bibantur, non vt in vulneribus. Optimæ sunt ad hoc negotium & opus herbæ *Consolida*, *Serpentina solida*, *Persicaria*, *Ciclamen*, *Chelidonia*, & aliæ plures quæ hactenus in vsum non venerunt. Ad hunc modum in potiones adducuntur. ℞ *consolidæ radices optimè rasas & repurgatas, contunde: postmodum adde panis tantundem, & iterum tundendo simul commisce, plusque panis adde, tandémque postea pona in vesicam porcinam bene ligatam, & in fimum equinum calidissimum in quo maneat aliquo tempore, singulis octonis diebus aspiciendo.* Fiet inde rubea materia quædam, & postremo pultium instar mollis: non prætereat verum tempus, id est, in fimo longiori tempore, quàm decet non relinquatur. Extractum postea torculari fortiter exprimatur, secus manente pasta durissima: cui pastæ plus addito panis, & putrefac, vt supra, tam diu processum hunc seruato, quousque radix & panis expressè penitus existant. Accipe tandem succum eiusmodi viscosum, & per se putrefac in vitro suo tempore, postea destilla totum in cineribus, & ab eo quod ascenderit separa phlegma per balneum, vnnllum ascendat amplius. Manet in vitro consolida, pane quidem in phlegmatis albi forma per balneum separato. Non solum in consolida processus hic seruari potest, sed in omnibus aliis herbis & radicibus vulnerariis etiam, quarum numerus magnus est, & quæ postquam in præparationem adductæ sunt, nedum vlcera manifesta, verum etiam occulta curant intrinseca, pariter ossium & pudendorum rupturas, vt per saniculæ radicem albæ, similesque. Succus eiusmodi vulnerarius aut oleum ita præparatum, administrari debet cum admixtione medicamenti salini, prout supra, vel vino bibendum, aut in aqua destillata, quo curantur vlcera quæuis, ab internis ad exteriora. Et quamuis hic nouus processus existat, & non vetus, nihilominus maioribus præditus virtutibus, quàm veteres omnes, cum in illo substantia rerum in corpus transmittitur, & spiritus eius non solum, qui minimum auxilij præstare potest in similibus. Admirandæ reperiuntur in montibus herbæ, nec non aliis in locis, quæ non sunt in vsu, rusticis magis notæ quàm medicis ipsis, & per seipsas rudi modo mirandas virtutes patefaciunt: præparatæ quidem operationes perficiunt incredibiles, vt etiam Apothecarios omnes, herbarios eorum, & medicinæ codices pudefaciant. Quapropter medicinæ discipulo nihil vtilius, qui discere per quàm optimè cupit, quàm, vt in varias regiones peregrinetur: hoc fit, vt audiat, ac vt videat ea, in quibus omnes libri surdi cœcique prorsum existunt. Quandoquidem schola medicinæ tegulis non, sed integri firmamenti, cœlique magna testudine circumtegitur.

Liquores fieri debent præter mixtiones.

Herbæ vulnerariæ quomodo in potionẽ adducãtur.

Consolidæ in potiones reductio.

Succus vulnerarius quomodo administrari debeat.

Herbæ montanæ cariumque præstantes vsus.

CAP. III.

VLcerosis ordinãdi cibi potusq; ex herbis ad id medicamen congruis, aliis prohibitis in finem vsque sanationis. Quo facto primum capitulum præsupponendum venit, ex quo diæta sumenda est. Verùm quia materia peccans præ manibus existit, eam vnà cum cibis repurgare conueniens erit. Eiusmodi purgatio fit ante cibi sumptionem duabus horis, postmodum est quod edatur, idque singulis diebus continuandum erit absque intermissione. Hæc purgatio competens vlceribus, talis non est, qualis humoristarum illa: nam ibidem humor non est, quod isti putant: quare nihil præter vlcus purgatur, non stomachus, non cutis, nec simile quidpiam. Processus istiusmodi purgationum consistit in istis corporibus, nempe vitriolo, tartaro, esula, centaurea, sylanda, iuniperique locustis. At quod ista purgent alio modo non præparata, hac de causa præparari prius debent, quàm ab ista præbeantur. Anatomiam vlcerum solum purgant, vt postmodum eâ purgatione factâ, reliqua corpora, scilicet incarnatiua, & consolidatiua suas operationes exercere valeant.

Vlcerorum diæta.

Purgatio.

Eius modus.

Purgatio eius processus.

Præparatio.

Præparatio vitrioli.

Suspendantur eius vnciæ quinque in viginti mensuris vini, & cum isto repurgentur. Eius vini sumatur cochlear vnum, vt supra narratum est.

Præparatio vitrioli.

Præparatio tartari.

Tartari liquoris destillati libra, in vini recentis mensuris quadraginta, repurgetur, vt supra per se naturaliter, & eius vini cochlear vnum detur qualibet vice.

Tartari.

Præparatio centaureæ.

Maceretur hæc in aqua ardente, postmodum extrahatur eius essentia quinta, iuxta communem vsum. Huius extracti guttas administrabis decem in aquæ destillatæ ex her-

Centaureæ.

bis vulnerariis vno cochleari, prout supra diximus.

Præparatio esulæ.

Esulæ. Huius virentis radicem & herbam, atque semen in sero lactis coquito, quousque liquorem habeas, hunc exprimito, coquendoque suauiter elixato, donec indurescat: eius administrabis aliquantulum singulis diebus manè potandum. Lac omne siquidem hoc loco sumitur, eo modo, quo tyrus in theriaca.

Præparatio sylandæ.

Sylandæ Coquatur in aqua ciclaminis destillata, cooperta quidem in vitro per horam, expressa postmodum aqua, recenti ciclaminis aquæ permixta bibatur manè singulis diebus ad quantitatem vnius cochlearis.

Præparatio iuniperi locustarum.

Iuniperi locustarum. Præparandæ sunt in liquorem cum oleo de spica: hunc vino permixtum partibus æqualibus administrabis.

Et quamuis alia multa reperiantur eiusmodi simplicia contra fluxus salium, principalia tamen enumeraui, quibus contentus esto. Medicus omnis defectus hominis cognoscens, eosque supplere cupiens iuxta potestatem à Deo concessam, per naturæ medium, primo funditus quidnam sit corpus hominis, & in quo sit constitutus hic, vnà cum suo corpore materiáque scire debet: eo cognito, facilè reperiet quid sibi faciendum sit. Absque scientia fundamentóque nemo debet medicinam aggredi, maximè Christianorum, quibus veritas insita est. Verum Gentiles atq; Iudæi quoduis pro suo præsumunt facere arbitrio. Medicinam absque fundamento nemo aggrediatur.

THEOPHRASTI PARACELSI BOMBAST VTRIVSQVE MEDICINÆ DOctoris de Cura Vulnerum, libellus excellentissimus.

Vulnerũ curæ tres viæ. IN vulnerum cura tres habentur viæ, prouenientes ex vero fundamento huius artis, quarum *prima* vulnerariis in potionibus consistit: *secunda* quidem in fodicationum emplastris: *tertia* verò sita est in Balsamis. Plures viæ reperiuntur, narratu minimè necessariæ, cùm tres, quæ dictæ sunt principaliores existant in hac artis parte. Quam igitur earum fueris ingressus, fœliciter cedet, quare fictitias alias, miserasque fugito vias.

PRIMA VIA.

De potionibus vulnerariis.

Potio vulneraria qualis esse debeat. VNaquæque potio vulneraria debet accidentia quæuis arcere, ne vulneribus incidant. Quamobrem istas habere virtutes binas oportet: vnam ad vlcera curandum: alteram ad arcendum accidentia.

Ad vulnera curandum, istæ sunt excellentiores herbæ: videlicet, *agrimonia, pyrola, alchimilla, sanicula, serpentinæ omnes, consolidæ, betonicæ.*

Ad præueniendum accidentibus istæ sunt potissimæ, scilicet *hirundinaria, melissa, veronica, ciclamen, &c.* coquatur ex istis vulneraria potio secundum vsum, & in potum administretur.

Est quòd scias in his, quanto citius vulnus aliquod curatur, tantò melius ac fœlicius operari te. Et si forte non obstantibus eiusmodi potionibus accidens inciderit, ad mortem id fieri iudicato, vel in diuturnam infirmitatem. Procede vt sequitur hoc infra posito capitulo.

Potio vulneraria.

℞. *Pyrolæ manipulos duos, Ciclaminis, Saniculæ ana manipulum vnum, Alchimillæ manipulum ß.* Coquantur in duabus mensuris vini, iuxta communem vsum. Decoctionem istam in potum administrabis manè vesperique. Verum herbas à quibus decoctionem elixasti, super vulnera ligabis, admixto pauco sale, procedesq; secundũ ordinem ad vulnera necessarium. Hæc potio curat vnumquodque vulnus sectum aut fodicatum. Caue solum ne quid alterius admiscueris medicamenti. Potio vulneraria.

SECVNDA VIA.

De fodicationum emplastris.

EST quod hunc per fodicationum emplastra curandi vulnera modum notetis. Æquum foret cætera vos fictitia relinquere, putaticiáque medicamenta, manentes in vero medendi fundamento, cum tot signis demonstrationibusque sufficientissimis admoniti sæpius estis, illa non sine plurimis accidentibus in vsum vnquam assumpta fuisse, contracturis aut morte, similibusque prouenientibus ex eis. Quapropter vsum fodicationum emplastrorum tenete, quo vos haudquaquam, nec ægri vestri seducemini.

Emplastrorum eiusmodi conditio talis est, vt accidentia quæuis auferant applicatione secunda, nihil corruptionis accidentalis aut contrarietatis admittant, &c. Quare propter hæc arcana sua notate compositionem eorum, vt eam probè cognoscatis. Melius est vnicum hoc medicamentum, quàm ars integra, quam factitatis. Emplastrorum fodicationum conditio.

Vnumquodque fodicationum emplastrum ex quadruplicibus compilari debet, quadruplici ratione. *Prima* quidem ob sanationem, quæ de cera fit. *Secunda*, vt accidentia quæ vulneribus indies & singulis horis incidunt, amoueantur, sic vt in eis nullatenus maneant: idipsum fit per gummi. *Tertia*, vt alia quibus vulnera, præter accidentia subiecta sunt, veluti putredini, vermibus, corruptioni carnis, & similibus, auferantur, & hoc per consolidatiua maiora, masticen, myrrham, &c. quicquid per ista crescit, optimũ est sub eo processu, qui positus est antea. *Quarta*, vt præseruet à spongiositate carnis, scabie, pruritu, aridura, contracturis, & similibus aliis, vt sequitur, idque per mineralia, prout lithargyrium, marchasitam, antimonium, calaminarem, & similia. In istis quatuor ars vera componendi fodicationum emplastra consistit, in quibus etiam cura sanatióque vera latet. Alia multa reperiuntur, quæ plus nominis quàm artis habent. Ex quatuor cõponitur.

Compositio fodicationum emplastri.

℞. *Ceræ, Lithargyrij ana lib. j. Calaminaris,* Colo- Eius cõpositio.

Colophoniæ, ana ℥ ij. ß. Olei communis lib. j. ß. Liquescant igne leui cera, colophonia, & oleum simul, postea lithargyrium & calaminaris contusa, tritáque subtiliter sensim iniiciantur ac decoquantur ad emplastri iustam spissitudinem, incombusta postmodum imponantur gummi hæc, vt sequitur.

♃. *Oppopanacis, Sarapini, Bdellij, Ammoniaci, Galbani ana ℥ j. ß. præparatorum tamen, & in aceto coctorum prius.* Et postquam aliis admixta fuerint, addantur isti pulueres.

♃. *Corallorum alborum & rubeorum, Mumiæ, Myrrhæ, Thuris ana ʒ ß. Antimonij ℥ ß. Croci Martis ʒ ij.* His aliis admixtis partem adiice larignæ masticis, deinceps infunde. Postmodum hypericonis oleo, nec non lumbricino cum additione Camphoræ ʒ ß. agitato manus inter, & serua.

Non est quòd excusationes quæras in descriptione hac, neque vt sumptus fugias, aut multitudinem abhorreas simplicium, aut potius adhibe diligentiam in his, quæ te securum faciunt; in omnibus vulneribus capitis, etiam fodicatis ac aliis, quæ minimè curare debes, solum relinque medicamento curam: ipsum est medicus, tu verò non.

Alia compositio fodicationum emplastri cuiusdam, ad vlcera cum vetera, tum recentia, nec non ad vulnera quæuis excellentissimi.

Compositio altera. ♃. *Galbani, Oppopanacis, ana ℥ ij. Ammoniaci, Bdellij ana ℥ ij.* Terantur omnia minutissimè, ponant per diē & noctem in ollam fictilem & vitreatam, affuso quidem optimo aceto ex vino facto. Postmodum coquantur in eo, suaui tamen igne carbonum, vt gummi liquescant, quo percepto calida in saccum effundantur, & exprimantur, vt separentur à fecibus, quæ sunt abiiciendæ. Colatura hæc iterum bulliat in olla, tamdiu, donec acetum euaporatum sit omnino: semper agitanda sunt, ne comburantur. Hoc serua mundissimè coopertum, ne quid incidat. Postea sume olei oliuarum libras duas, ceræ nouæ libram ß. quæ in ollam fictilem vitreatam & satis magnam ponantur super ignem carbonum, & sensim liquescant. Iniice tandem lithargyrij minutissimè triti libram vnam & ß. paulatim & successiuè semper agitando, quousque permixta sit, & spadicei coloris fiat materia, vel in eum incipiat conuerti. Postmodum accipe gummi prius coctum ad quantitatem nucis, & iniice qualibet vice tantundem, quousque intrârint omnia, mixtáque sint in aliis rebus & colliquata: videndum interim, ne materia plus æquo calescens efferuear, cum per se valde calida sit. Postremo hæc addes.

♃. *Vtriusque aristolochiæ rotundæ, Calaminaris, Myrrhæ, Thuris ana ℥ j. Tritis terendis, & iniectis affundatur olei laurini ℥ j. & vltimò Therebinthinæ puræ ʒ iiij.* coquantur agitando summa cum diligentia. Cum scire voles, an satis cocta sint, eius parum in frigidam aquam pones, & si non adeò mollis adhæserit, bene se habet, sin minùs, & adhæreat ipsis digitis, coquatur latiùs, donec optimè cocta sit materia. Depone pòst ab igne, & in magnam peluim aquâ plenam effunde, postquam infrigidatum fuerit, vt manibus eam tractare valeas, istis oleo camomillæ vel rosaceo perunctis, amalgama tribus aut quatuor horis, & mundo vase reconditum emplastrum hoc serua: quinquaginta post annos, æquè bonum est ac recens, vel anno primo factum.

Vsus.

Istius emplastri virtutes innumeræ sunt ad vlcera vetera, nec non recentia, siccat, mundificat, carnem bonam producit, consolidat, ac sanat vnâ septimanâ magis, quàm aliud integro mense: putrefieri non permittit, aut corrumpi, nec malam carnem excrescere: neruis truncatis aut contusis optimum est remedium, ferrum, lignum, plumbum & alia de vulneribus attrahit superpositum eis tantùm. Venenosorum animalium curat morsus, ictusque: maturescere facit apostemata cuncta sola superpositione: contra cancrum, fistulam, ignem persicum, &c. est excellentissimum, & ad mitigandos omnes dolores. Emplastri vsus.

TERTIA CHIRVRGIÆ VIA.

DE BALSAMO.

Balsamum aliud nihil est, quàm medulla Mumiæ. Mumia siquidem est balsami corpus, quare medicus vtens balsamo hoc, iuxta naturam operatur optimè. Verum est oleo præparata destillatáque vocari balsama, sed à nullis præterquam imperitis medicis: non continent enim in se Mumiam, ex qua sanatio procedit omnis. Nullam ergo friuolorum oleorum eiusmodi facio mentionem. Sal etiam balsami naturam habet, non quod balsamum existat, vel mumia, sed eorum est sustentaculum: continet enim vulnus mumiam, cui sal applicatur in sua præparatione plenum. Balsamū quid.

Haud imitandi sunt, qui dicunt, hîc frigidum, calidum, humidum, aut ibi siccum: ista quidem contra naturam adducuntur in vulnerum curis, cùm accidentia sunt. Cùm verum assumitur medicamentum, ista non occurrunt. Graue nimis atque damnosum est medicamentum, accidentibus obnoxium, quod eorum curæ contrariæ sint, contrario modo pariter succedunt. Huius rei causa latet in scatulatum variis coloribus. Humoristæ taxantur.

Descriptio Balsami talis est.

♃. *Mumiam cum æquali pondere mellis, admixtis floribus hypericonis, & aliquo vase reclusa vitreo ponatur in digestionem, per septimanas quatuor.* Postmodum seruetur hoc digestum, quo quidem humectanda sunt assiduè vulnera, donec persanata sint.

FINIS LIBELLI DE BALSAMO.

THEOPHRASTI PARACELSI BOMBAST VTRIVSQVE MEDICINÆ Doctoris de Vermibus, Serpentibus, Araneis, Bufonibus, Cancris, & Maculis ortis à natiuitate Liber.

CAP. I.

DE ORIGINIBVS ARTIVM.

CVM Deus Opt. Max. nedum cuncta, quæ necessaria sunt hominibus ad cibum & potum,

potum, ac ad sustentationem creauit, sed etiam omne, quod ad eorum sanitatem & commoditatem est vtile, nec non ad vitam longam necessarium, idque per diuinum verbum suum FIAT, vt in Genesi legimus: hæc omnia non solùm visibilia vel sensibus obiecta fore voluit, verùm etiam occultis & magnis viribus naturalibus dotauit, suaque virtute cunctipotente confirmauit, vt indubiè nobis credendum sit, immutabilia sic in finem vsque sæculorum omnium permansura. Verùm, quod parùm admodum ista cognoscamus, eius nos ipsi causa penitus existimus, eo quòd ita negligentes, desides, & mox fastidio simus affecti; cùm discere quærereque debemus: id facere nos tamen oportet, si naturam in suis magnalibus & mysteriis cognoscere volumus. Deus enim creauit eam eiusmodi viribus atque virtutibus ornatam, vt non occulta maneret in eis, vel istæ laterent in ipsa: verùm vt vniuersaliter omnibus hominibus, cunctis etiam creaturis venirent in vsum ad earum commodum & vtilitatem.

Naturæ mysteria cur nos lateant ipsissimus in causa.

Quinam tamen homo primus Adam hæc omnia nouerit, & naturam ipsam in suis viribus atque rebus supernaturalibus perfectissimè, valde miratu dignum, præsertim quod post sui creationem & ante lapsum, lucis naturæ prorsum expers foret, creaturarumque Dei nullam haberet notitiam, sed in Paradyso cum Eua sua coniuge viueret ac ambularet in summa simplicitate. Postquam Deus tamen eos in tentationem eam incidere permisisset, item serpentem seducere mulierem appetitu scientiæ, cogereque, vt morderet in pomum, istudque marito præberet comedendum, quod serpens eis polliceretur multa (prout in primo libro Moysis legimus) inquiens: *Omnia vobis innotescent, bonum atque malum, imo similes Diis eritis, vbi de fructu hoc ederitis.* Quod etiam statim factum extitit, etsi postmodùm valde pœniteret eos, effregisse transgressosque fuisse mandatum Dei, qua de causa fuerunt extra Paradysum eiecti. Serpenti minatus est vtique Deus per mulieris semen, Christum videlicet, capitis contritionem. Hac via docti fuerunt Adam & Eua, nec non in luce naturæ peritissimi facti. Horum omnium serpens ex permissione Dei causa fuit, & vti doctor eis extitit. Quapropter non sine causa in præsentē vsque diē serpentes, & præsertim Germanici, maximas, & imperitis incredibiles potentias, ac supernaturalibus virtutibus persimiles adhuc retinuerunt.

Serpentum incredibilis potētia vnde?

Scitote igitur primum serpentem in Paradyso nedum potestatem & vires habuisse solum Adamum & Euam ex peculiari permissione secretoque diuinis tam alte in luce naturæ sublimādi vel instruēdi, ad boni & mali cognitionē: verùm etiam post illum cæteri serpentes omnes, vt supra dictus in finem vsque mundi eiusmodi magnaque mysteria ex natura, & potissimùm ex voluntate peculiari Dei retinent & habent. Inde colligi potest, non sine causa tam alta mysteria naturæ serpentes in præsentem vsque diem possidere, cum etiam non præter occasionem lapsum primum, & mandati Dei transgressionem per serpentes accidisse, cùm Deus omnipotens ei plus mysteriorum & altiorum quàm aliis quibusuis animalibus, viuentibusque suis creaturis tribuerit, & appropriarit in earum creatione: quare non mirandum est magis per serpentem, quàm per aliud animal lapsum accidisse. Sciebat enim Deus penes arborem, quam summè prohibuerat primis nostris parentibus, habitare serpentem. Quamuis concedendum, in eum intrasse diabolum, & per ipsum esse locutum istum: quod etiam non sine causa fecit: optimè sciuit enim, animal hoc in luce naturæ tam egregiè dotatum esse per Dominum creatorem pro sui natura, vt ipsemet diabolus. Inde factum est (vt ex prouerbio) quod similis in sibi similem intrarit, & ita si ex serpente, nec non diabolo facta consecutio quædam.

Serpens plus habet mysteriorū, quam omnia animalia.

CAP. II.

Serpens quo pacto naturæ mysteria homini patefaciat.

QVo autem progressu tamen id fiat, vt serpens homini tam abstrusa mysteria naturaliter suæ lucis naturæ patefaciat, omne bonum atque malum, item simplicium omnium & creaturarum proprietates & vires doceat (quod inexpertis fieri supernaturali quapiam arte videtur) breuem de primo serpente vobis instructionem dabo.

Scitote, serpentem hunc per bona verba non, dulcem vocem, neque per constellationes, aut aliàs magico modo hominem in lapsum incidisse, verùm per morsum in pomum tantum: nam hic esus nisi contigisset, in peccatum non incidissent. Vnde satis colligi potest, serpentem pomo suum effectum inseruisse, nec non essentiam spiritualiter, non secus, si corporaliter in tota natura substantiáque sua fuisset in eo. Simplex in his minimum habere gustum valet: existimo hac de causa margaritas ante porcos non esse proiiciendas. Intelliget me sine dubio sapiens. In vltimo libello meo Mysteriorum non solum hunc processum perfectè prosequar, verùm etiam alia multa secreta pulcherrima propalabo. Quare his paucis hoc loco satis habeto.

CAP. III.

QVanquam antea de his scribere nolui, nec aliquo librorum meorum hactenus memini, tamen quod summè necessarium fore videam, nedum medicinam, verùm etiam omnes alias artes & secreta naturæ plantari denuò, cùm paulatim in obliuionem transeant, & ab imperitis contemnantur. Id ego veram in punitionem existimo fieri, quòd summa Dei mysteria dotaque, non vti dona diuina recognoscantur ab hominibus. Ea de causa Deus irritatus, illa nobis à manibus eripiendi quæ dederat, occasionem habet, aliisque dandi, gratiamque similia, nec non alia plura tanquam dona sua cum gratiarum actione cognoscendi.

Medicina cum paulatim in obliuionem transeat.

Cùm igitur de serpente tractare proposuerim, æquum erit, vt latius quid emolumenti sit ex partibus eius ortum enarrem. Scitote pro parte linguæ hoc admirandum plurimum in sua potentia sese demonstrasse. Quamobrem plurimi gestarunt eam ad mirabiles effectus, videlicet contra quæuis arma; visibiles & inuisibiles inimicos, eisque feliciter successit; & in maximam victoriam in bello nedum, verùm etiā ad alia negotia multa, magis quā dici queat.

Serpentis lingua ad quid vtilis.

Ad hunc modum etiam venereis famulatus inten-

Veneri excitandæ serpens succurrit.

intentionis suæ compos factus fuit; quamuis narratu nimis indignum existat, non tamen ea de causa mentionem facimus huius, vt quispiam vtatur ea nequitia, sed quòd videat, quã admirandæ naturæ vis appareat. Quanquam in istis & similibus fides cooperatur addendo vel minuendo secundùm vsum. Nonnulli partem istam hominibus ad cor exterius super nudam carnem alligârunt, qui laborarunt internis apostematibus propter eiusmodi regiones, & ita venenum citra cutis apertionem extraxit, vt instar guttarum adhærere visum fuerit, quo semper absterso, rursus illa pars applicata est, iterum, ac tam diu, donec nulla gutta prorsum apparuit: hac via patiens sanus euasit.

Bufo illigatus extrahit venenũ.

Cum bufone similiter agitur, vt alio loco dicimus, dempto solo, quod hic viuus à capite baculo perforetur acuto deorsum, & in aëre suspendatur, donec siccetur, postmodum linteo mundo prorsus inuolutus superligetur: ad hunc modum è patientibus omne venenum attraxit. Verùm vno tantùm raro satis fuit ad liberationem patientis, quapropter iuxta respectum istius & morbi toties alius bufo similis applicandus erit, quousque non inflentur amplius, aut intumescant tum demum extractum fuerit omne venenum, ac ita patiens curabitur. Non propterea quod animal sit ita horrendum, reiiciendus est vsus eius in medicina, sed vt magnum habendum in ea naturæ mysterium. Optarem pro parte mea, vt ad omnia forent attractiua, maturatiua, & corrosiua medicis in vsum: plures ad vitæ retentionem curarentur, quàm hactenus actum sit.

Bufonis mysteriũ magni faciendũ

CAP. IV.

MVlto maiora quàm supra posuimus, per dictam partem serpentis, & membrum adimpleta sunt, quæ hoc loco supra quod recitare prolixum, lectoribus tædiosum foret. Verùm vbi de curis magicis agam, nedum de hac, verùm etiam de aliis longè maioribus rebus & viribus supernaturalibus legi poterit abundè satis, & quàm varia gestârint veteres, quæ supernaturales vires atque virtutes demonstrârunt, in grauissimis ægritudinibus ac defectibus, in quibus terræ natura nihil efficere poterat, pepulerunt & curârunt. Operationes in istis ita potentes extiterunt, vt gestatione sola vires suas demonstrârint, homines mirabiliter ab armis omnis generis tutos reddendo, ab omnibus inimicis eorum similiter ipsis felices admodum successus & victorias adferendo, pluraque narratu minimè possibilia. Verba quædam inuenta sunt, characteres, sigilla, signa & mirabiles imagines in charta virginea depictæ, nonnunquam in metallis celatæ, præsertim in *Gamahi*, vt carneolis, saphiris mirum in modum, & variis formis hominum, animalium, ac diuersarum figurarum, quæ singula mirificas & supernaturales vires in suis operationibus manifestârunt, vt etiam pro parte scriptæ reperiuntur, prout à Ptolomæo, Virgilio, Alberto magno, &c. Cum tamen authorum eiusmodi libri iam extantes, à ceremonialibus ita corrupti sint, eis nullatenus fidendum, nisi quis prauum à bono separare nouerit, nucleum eliciens, abiectis corticibus.

Curæ Magicæ & supernaturales.

Vires rerum supernaturales.

CAP. V.

NEc non est, quod quispiam putet, me velle homines impellere, vt credant, aut his vtantur: ad id in cuiusque situm est arbitrio. Quanquam Virgilio, nec non Alberto magis quàm aliis scriptoribus est credendum: nihilominus optimum quod sciuerunt, sibi retinentes subticuerunt, secum in tumulum deferentes. Quare nihil excellentius præ manibus iam existit, quàm ipse Techellus scripsit, etsi minima scriptorum pars eius extet, quod penes eos, qui habent illa, contemnantur, ea de causa, quia Iudæus fuit, magnus tamen in Israël magister extitit. Verùm quòd ista parui fiant ab imperitis & insciis, ars maxima præstantissimáque Magica, nec non Cabala transierunt in obliuionem, & ab inexpertissimis contemptæ Sophistis iacent. Non considerauerunt isti rudes homines, omnipotentem Deum suo populo, Israelitico scilicet, manifestasse tunc temporis plus in luce naturæ, quàm post aduentum Christi factum sit hactenus. Quamuis in Theologia naturales & supernaturales artes omnes contentas habeamus, vt inde valeamus eas omnes addiscere, quod simplicibus hominibus occultum est, & longè difficiliùs quàm vt ab eis intelligi queat. Est etiam impossibile mihi cuiuis asino rudi, vt infãti pultes in os ponere, sed legito sũma cũ attentione Salomonẽ, & Prophetas, cum nouo testamento, & reperies ibidẽ supremum totius mundi contineri thesaurum occultum.

Techelli commẽdatio.

Deus populo Israelitico plura manifestauit, quã nobis.

Theologia omnes in se continet artes.

Vt ad propositũ de serpente redeam, scitote in ei⁹ cute vel spolio magnas latere vires, nedũ ad vulnera, cũ puluis ei⁹ eis iniectus fuerit, verũ etiam gestarũt illud plurimi super brachiũ nudũ, quo tulerũt arma, victoriáq; consecuti sunt. Inde puerperæ circa collũ aut corp⁹ opposito, victoriã in puerperij cõflictu habuerũt, citissiméq; liberatæ fuerunt. Sed nõ omne spoliũ serpẽtis id efficit, illud solũ, quod ipsemet serpens exuit & abiicit à se, prout cornua ceru⁹. Pariter de lingua putandũ, non omnẽ habere virtutes, at illa tantũ, quæ de serpente viuo adhuc eruit.

Serpentinæ cutis vires occultæ.

Serpentinum spolium quod optimum

CAP. VI.

IAm ad serpentis conclusionem peruenimus. Postremò de hoc notato, pinguedinem eius & carnem in se maximam curationem continere, non solum in recentibus vulneribus, at venenosis morsibus etiam, in vlceribus, &c. Multas alias virtutes habent, & præsertim ipsa caro medicamentum est excellentissimum, vbi primum abscissum caput fuerit, & cauda (pulso prius ab eo sudore, qui venenum est eius) truncata & abiecta simul ambo. Breuibus ista comprehendo, quod alibi latiùs tractem, quare contentus his paucis esto.

Serpentini adipis virtutes.

Serpentina caro ad quid prosit.

De consecrationibus, & serpentum adiurationibus, vt aliquid adferamus. Istæ contra Deũ atque naturam factæ sunt. Quamuis admittam eos hoc medio domitos & mites reddi vincique, tamen id fieri minimè debet, non magis quàm superstitiones & Idololatria, quæ neminem ęgrotũ aut sanum efficere deberent, cũ id vera fide per naturam facere possimus aliis quæ dicta sunt omissis. Verba quædã supra serpẽtes prolata faciles & quietos eos efficiunt, ac obedientes. Item prę seruatiua nonnulla habentur, quæ tutos vtentes eis faciunt à serpentum & alio-

De serpentum consecrationibus quid statuendum.

Præseruatiua contra morsus serpentũ.

& aliorum animalium venenosorum morsibus: quæ varia sunt, vt alibi scribimus. Quanquam de serpente cuius antea memini, parua cura habenda est, quod in suo genere sit optimus, verùm de aliis plerisque, nec non crocodilis, salamandris, atque basiliscis maxima, quæ sub genere serpentum contenta sunt omnia, hominibus inimicissima, venenumque suum in eos dirigentia. Quamuis in Germania raro vixque reperiantur, nihilominus eorum oportuit meminisse, quò meliùs ab eis cauere possint homines vbicunque fuerint. Melius præseruatiuum non noui, quam sit camphora in oleo petroleo, vel oleo de S. Quirino soluta, quantum poterit eo solui, & manus, pedes, ac aliæ corporis nudæ partes inungendæ sunt: postmodum cum serpentibus tuto poterit agi versarique. Si tamen hæc medicina præseruans contra periculosissimos serpentes, vt illi sunt, qui sagittarij dicuntur, eo quod eminus in homines irruant, non fuit sufficiens: item illi, qui mortuis vescuntur corporibus, & crocodili, nec non basilisci, qui homines aspectu solo necant: aliqui supra se *Gamahi* gestarunt, in quibus homines sub sinistro pede serpentem habentes, celati fuerunt, super quem steterunt ad caput. Hoc fuit penes antiquos optimum atque supremum ad ista præseruatiuum. De his Techellus præ cæteris optimè scripsit anthoribus omnibus. Verùm à Sophistis nebulonibus intercepta sunt istius scripta viri, vt plebs communis priuata sit eis: quæ sibi retinuerunt, aliáque friuola stultiloquia subtruserunt in locum, & falsas opiniones. Hac ratione proprium venati sunt honorem, quod summè deplorandum est. Contra quid agendum, actum est, quare Dei iudicio relinquendum.

Techelli scripta intercepta.

Vt harum finem rerum attingam, existimo, haud fore necessarium, eas hoc loco tractare latiùs, at libro, quo de Magicis agam secretis, & similibus aliis. Quare satis de tractatu serpentum, &c.

CAP. VII.

SVnt & alia præter serpentes animalia quædam horrenda prorsum, & contempta, quæ mysteriis maximis dotata sunt. Vt bufones, de quibus tertio capitulo dictum est antea, maximum in peste remedium exhibent, & in morsibus venenosorum animalium, exsiccati, nec non alligati, cito venenum extraxerunt omne, vitam ægris conciliantes, vbi cætera medicamenta nihil prodesse potuerunt. Videmus etiam per eiusmodi remedia morpheam statim à fundamento prorsus extirpatam fuisse, cum vini cocti fuerunt in oleo, quo damnum hoc inunctum persanatum est, & alia multa, quæ putatitij medici tanquam fabulas existimant, ego verò secretissima quædam arcana.

Bufones maximũ in peste remediũ habent.

Morpheæ remedium bufo.

Similiter aranea, quæ horrendissimum animal existit, quàm egregium contra febres quartanas remedium adhibet? cum inscius eam nucis corticibus inclusam gestarit æger in quartam vsque diem. Item in Salamandra, quàm varia tentarunt alchymistæ, donec repererunt artem conficiendi per eam aurum atque tincturam ad metalla: quanquam in medicina haud vtilis existit, nihilominus ob ea, quæ dicta sunt laudabilis, tractatu quidem periculosissima, quod celerrimum venenum habeat, & potentissimum, quare cauendum ab eius tactu, &c.

Aranea arcanum contra febres quartanas.

Salamandræ vsus.

CAP. VIII.

POstquam de venenosis & horrendis animalibus egimus, alia communiora quædam adducamus: puto vos non ægrè laturos, vt mos putatitiorum hactenus medicorum fuit, omnia simplicia, quæ non sunt apparentiæ magnæ, sed facilè haberi possunt, contemnere tanquam inualida: non considerantes Dominum Deum, frustrà creasse nihil, sed vnumquodque peculiaribus dotasse viribus ac virtutibus, iuxta suam voluntatem.

Medic. reprehẽsio.

Quod hæc autem ignoremus, eius ipsi nos causa sola sumus ob nostram negligentiam, incredulitatem, & in perquirendo naturæ lucem pigritiam, &c. Tum si quispiam aliùs in quærendis Dei donis maximè sudet, quo prodesse possit aliis, atque docere conetur: ita prauæ naturæ sumus, vt nedum ingrati labores eius vilipendamus, at etiam carpentes irrideamus. An hæc fideli medico displicere non debeant?

Hoc à scriptione me retraxit, quanquam antea vos inter me numeraui, sum tamen vester indagator & inuentor, qui libenter vos meam artem omnem quam apertissimè scripsissem ac declarassem, & veluti pueris in os pultes indi solent, intulissem, nisi me vestra detinuisset ambitio, nec non proprij commodi laudisque venatio, qua vobis ipsis honores adscribitis alienos, & non eis, à quibus habetis artes. Quare mea prorsum non estis arte digni, quamuis optimè sciam vos eâ plurimum indigere, si veri medici essetis, haberetisque tantillum in proximum caritatis. Cùm tamen loculorum vtilitatem, vxorum vestrarum coquinam & arcas magis quàm ægros curetis, est quod eam vob. laudem attribuam, etsi me perperam inculpetis. Nil boni de vobis loquor, non sine causa tamen, sed quia loculorum estis medici tantùm, quos meliùs curatis omnib. corporis morbis, quo fit etiam, vt splendidas domos ædificetis, vt palatia, aureos gestatis annulos, byssianasque vestes, &c. Vos mihi improperatis leues opes meas, & vestes humiles quas habui, gessique: verùm si tantas extorsissem ab ægris pecunias, easque venatus fuissem, & loculos meos potiùs quàm ægros curassem vt vos, ditior vestro quouis forem: quanquam & sic longè sum vobis opulentior omnibus. Constantiores diuitias enim possideo quàm vos videlicet artes, quæ meæ diuitiæ sunt artes optimæ: nam eas fur à me non auferet non ignis aliquis nec deprædator, nisi vitam adimat, nec propterea possidebit illas, cum in me sint occultæ nec non inuisibiles, quare mecum recedunt vti ventus. Ecce tales opes habeo, quæ domos, prædia, vestes, & pecunias excellunt, ac omnia quæ possideris, cùm sint permanentes. Et quamuis pecunias meas cum bonis viris absumam, nihil de capitali mihi deperi, hoc artes existunt, quæ nunquam auxiliante Deo me deserunt.

Medic. reprehẽsio.

Theophrasti opes.

CAP. IX.

PRoposui de quibusdam tractare simplicibus, & præsertim de quibusdam animalib., & morbis ad quos pertinet, quorum nullus medicus ante me fecit hactenus mentionem, puto quod ignorarint, aut si forte nouerint, ea con-

ea contempserunt, sic vt in obliuionem transierint. Primò scite vermem terrestrem omnium maximè vulgarem, quem lombricum vocant,& pluuialem,quod istius tempore prorumpat extra terram. Quis putaret istum virtutum & mysterium in se tantum continere, contra genus omne vermium, ex morbis orientium, & potissimum in panaritio, vel pandalitio morbo digitorum, qui vermium instar eos maximo dolore corrodit, ac intolerabili, sic vt noctes atque dies ægros torqueat, noctu maximè, quare veteres hunc morbum *rodentem vermem* appellarunt: nec sine causa, cum scirent eum verme pellendum esse, curandumque. Processus eius ad hunc se modum habet.

Vermis terrestris arcanum aduersus panaritium.

Recipe vermem iam dictum paruum aut magnum, iuxta respectum personarum atque dolorum. Nam si homo senex aut mulier existat, vel dolor ipse magnus, tanto maior lumbricus assumendus est, vt morbum eiusmodi superare valeat. Superligandus est linteolo digito, vel ei loco in quo dolor maximus existit, & maneat ibidem viginti quatuor horas, aut donec viuit: eo mortuo, curatus est morbus, & vna cum verme mortuus. Non quòd hoc per incantationem, idololatriam, aut superstitionem fiat, sed ex naturæ viribus & operationibus. Inde satis colligi potest, omnipotentem Deum nihil æquè paruum, simplex, vel deforme super terram creasse, tam contemptum nil, quod in hominum sanitatem esse non debeat.

Panaritii cura.

Cùm tamen ista paruum aut nihil vobis in crumenam aut in coquinam adferant, ea minime pati potestis, at contemnitis & irridetis, imo prorsum eradicatis, quod sane deplorandum venit. O quod ego iuui, quos medicina vestra perdideratis, à quibus nihil mercedis accepi, vt interim alios multos subticeam labores, quos in pauperum gratiam libenter impendi, nihil ab eis cupientes: contra vos Doctores, ne lotium frustra conspicitis, quantò minùs pedites vel equites ægros inuisitis, non numeratâ pecuniâ satis amplâ? Singula penes vos ordinata sunt, quibus obuenire nemini licet: cuique lotio batzius conuenit, schedulæ grossus, visitationi floreni quadrans, & equitationi super asinum florenus integer. Estne hoc corpus crumenæ magis quam curationis ægri? non sat scio quid aliud sit. Hic integer vestræ medicinæ scopus existit: vt si non ægris, crumenæ vestræ satis abunde subuentum sit.

Medic. reprehensio.

CAPVT X.

QVod de vermibus rationem absoluam, scitote latiùs eos nedum habere vires curandi panaritium & supprimendi: verùm alios vermes omnes in hominibus ortum & sustentationem habentes, quocunque nomine vocentur, vbi siccati fuerint, puluerati, nec non hominibus intrinsecus administrati cum quouis liquore: in caprino lacte melius: vermes omnes ad hunc modum expellunt ab intestinis & stomacho per successum. Per eundem etiam syrones expulsi fuerunt, aridura sanata, nec non membrorum dolores maximi. Itidem de syluestri mure putandum, hunc mysterium ad ariduram in se continere maximum.

Vermes terrestres valent cōtra lumbricos.

Syrones ariduram, colicam

Idipsum de cancro hunc in modum: aliqui ligatis ei manibus applicarunt eum super locum, in quo morbus cancer existit, ac rubedinem effecit, ibidemque mori permiserunt, pariter & morbus ille mortuus est. At si fuit apertus, vnoquoque fodicationum emplastro curari se permisit.

Cancri arcanum aduersus cancrum

Ad hunc modum etiam febris & hydropisis, vbi cancro fuerunt vngues omnes abscissi, postmodum ei super dorsum colligati, & hoc modo rursus in fluuium positus est, nulla tandem adhibita cura latiùs: hâc viâ datum est hominibus auxilium. Non quod istud superstitio fit non magis quàm quæ dicta sunt, vt puraticij præsumptiosique medici perperam iudicant, mundóque proponunt, sed per naturales operationes atque diuitias, quæ huic vel illi creaturæ tales vires ab initio tribuerunt, adimpletas. Quamuis in omnibus non inuenit eiusmodi remedia, cuius causa notanda venit, hæc nempe, quod patientis vitæ fortassis terminus instet, sic vt morbus eius mortis initium existat, à quo tendit ad finem: Id puraticij, nec non inexperti medici non considerarunt, vbi quid sciuerunt, eóque sunt vsi, frustratique spe sua, quare quod non in omnibus successerint, falsò iudicarunt, & concluserunt ea per superstitionem fieri, vt cùm homo firmam & constantem eis fidem adhiberet, absque hæsitatione quapiam iuuaret, alias non sed frustraneam esse medicinam, vbi quis imaginaretur contra, vel dubitaret.

Febrem in Hydropisin.

Remedia cancrorum cur non omnes iuuent.

Quanquam admitto imaginationem & fidem esse tam potentes, vt per eas nos ipsos redd eresanos aut ægros valeamus: imo quod maius est, possumus in æternum seruari, vel perdi, secundùm vsum in quem assumptæ fuerint. Quare non frustra Christus tantùm de fide locutus est, vt etiam infirmos curando semper dixerit, *Fides tua te saluum fecit, aut fiat tibi iuxta fidem quam habes.* His nos admonet medicinæ, medicis quoque fidem ab ægris adhibendam esse, iuuaréque posse credendum firmiter: non comprehenduntur hoc loco puraticij, sed medici fideles tantùm, & veri, qui de salute suorum patientum anxij sunt, vti Christus. Non est etiam, quod facilia media suspendantur, quorum nonnulla recitauimus. Nam legentes Scripturas sacras & exempla, quæ continent, perpendimus & videmus, Christum atque Prophetas graues admodum infirmitates leuibus curasse mediis, vt cùm ipse Christus oculos aperuit cœco simplici luto cum saliua. Propheta similiter curauit pestem, superpositione ficus vnius. Alia pleraque similia habemus in Scripturis exempla, quæ recitare longum foret. De virtutibus notate latiùs.

Imaginatio etiam sanos facere potest.

CAPVT XI.

ALiæ multæ virtutes in cancris inuentæ sunt, vti maximum in igne persico refrigerium, contusi cùm fuerunt, & ex eis succus expressus & applicatus. Aliqui conflarunt vnguentum ex eo, quo curantur adustiones omnes aqua calida, vel igne, pice, aut aliqua pinguedine factas: comperetūt hoc medicamentū alia quæuis in similibus excellere, similiter in calidis & circumrodentib. vlcerib.: in dolorib. maxi-

Cancri virtutes in igne persico, &c. Vnguentum aduersus adustiones ex aqua, &c.

maximis & intolerabilibus capitis, vt patiens, etiam putaret intellectum amittere solùm tempora capitis illinendo: pariter ad vlcerosa mulierum vbera maximum præstiterunt auxilium. Vrinam cient, & calculum aut arenam, & similes hominum defectus pellunt per vrinam: nullum in summa tartarum in corpore nasci permittit, at vehementer arcent. Quare qui vescuntur eis, ac vtuntur assiduè, non est qui calculum vel arenam curent, cùm ab eiusmodi morbis summe præ cæteris omnibus præseruent.

Aduersus calculum.

Iam de crudelibus, tyrannicis, & alienis ab omni pietate medicis aliqua dicenda sunt, qui cancrum: vermem & similia tollere præsumunt, abscisionibus, adustionibus, & corrosionibus per aquas fortes. Aliud fundamentum non habuerunt, quàm quod per corrosiua putarunt eos morbos fore superandos, quo factum, vt hominum dolores in martyria conuerterint, non considerantes eiusmodi per se defectus corrosiuos existere, sedatiuisque potius, quæ dolores mitigant, vtendum esse, quietéque sanitatem introducendam. Contra semper hæc friuola stulta nimis eorum opinio fuit, vt malum malo vincerent & curarent. Ego vero dico, dolores membrorum quosuis ad optimam quietem adducendos per sedatiua: sequitur inde sanatio. Exemplo tibi sit homo valde cholericus, qui non simili cholera verberibus & malis verbis mitigari, sedaríve potest hoc loco similiter fieri credendum. Itidem de mœstis & peccatoribus intelligendum, istorum tristitia cordisque mœror gaudio consolationéque pelli debent, vt absolutione per Euangelium: hæc est summa contra peccata recognita per pœnitentiam vera medicina. In istis etiam est quod consideretis, bono malum euincere, non è contra: negotium enim hoc non intellexistis nactenus. Curare voluistis falsa medicina vestra cancrum, & vermem occidere, quod nonnunquam accidit, sed patiens ante hos mori coactus fuit. Alij truncationibus, adustionibus, corrosionibus, & similibus tortorum operibus & martyriis eiusmodi prouinciam aggressi fuerunt, spem in auripigmento fixam, & in sublimato Mercurio habentes. Quamuis in calcinato magno, dulcique Mercurio sublimato, nec non oleo dulci Mercurij, & potissimùm in essentia quinta dicti Mercurij maxima sanatio consistat, nedum istorum, sed longè maiorum, vt syronum, fistularum, lupi, similiumque hîc non adducendorum: non tamen, vt ex montibus eruuntur ad medicinam assumenda sunt. Cum ergo vos eorum præparationem ignoretis, merito pariter ab eis abstinere vos deceret, aut priùs ab alchymistis addiscere, vt illa possetis in suum verum gradum adducere postmodum illis vti, non priùs: nam benè vobis alias minimè cedent: sed vt supra de mortificationibus dictum eueniet. Poteritis cancrum & vermem quandoque pellere, sed pectus, pedes digiti, manusq;, nasus, aures, & similia membra prius abedentur, tum oportebit eiusprius abedentur, tum oportebit eiusmodi morbos vna cum suis perire membris aut regionib. Istæ curæ non debent à magistratib. tolerari, sed maxima seueráq; plurimùm in eiusmodi medicos animaduersione tolli. Ne quid obliuiscamur eorum quæ ad ista pertinent, animaduertite, lupum sanatum fuisse similiter vnguentis & cataplasmatibus ex lupinis carnibus & pinguedinibus compositis. Curæ plures istiusmodi narrari possent, cum tamen principales posuerim, reliquas omitto, latius experientiæ tuæ committens.

Med. reprehenduntur ad cura cancri.

Mercurii sublimati magna vis.

CAP. XII.

VT in finem intentionis meæ perueniam, hoc mei præsentis libelli capitulo postremo, supremam sanè curationem & occultissimam in conclusionem patefaciam, quæ cunctas alias excellit plurimum. Notate primùm, intolerabilia nedum vlcera, quæ vermes à veteribus rodentes appellata fuerunt, vt *cancer, lentigo, praua, fistula, lupus*, &c. ad hunc modum per sibi similia persanata fuisse: verùm etiam alia quædam animalia sibi similibus ablata, prout si homo forma visibile quodpiam signum in corpore gestet à natiuitate, sine dolore, per matris imaginationem, conceptum, vel ad aliquam rem appetitum habentis, aut præ timore vel incusso metu, quæ macularum eiusmodi causa sunt, & maximè postremùm. Quânam id viâ fiat, vt per imaginationem talia mater fœtui adhuc in vtero suo existente valeat inferre tactu sui corporis, & non fœtus, suæ rationes habentur in libro, quem de imaginationibus conscripsi: quo loco nullam istarum feci macularum ab vtero matris conceptarum mentionem, quare hoc libello tractare volui, & hoc breuiter. Notate igitur processum earum per similitudinem.

Macularum natiuarum cura.

Demus te vermis imaginem visibilem, coloréque similem in maculæ forma quouis corporis loco habere. Perquirendum est à matre primũ, cuius magnitudinis, coloris, & formæ, cum tempore, die videlicet, hora, minutoque quibus accidit, ac adimpleta fuit imaginatio talis: perquirenda est istius occasio, tactusque. Si tamen exacte singula per matrem addisci nequeat, quod raro cuncta recolat: ab astronomia & Magia petendũ erit: istæ siquidem artes perfectissimã instructioné dabunt. His à te cognitis, est quod eiusdé generis vermem accipias vnũ, omni proportione correspondétem, & si viuus ille fuit, de quo mater imaginationem concepisset, viuum etiam sumere decet, si vero mortuus, & mortuum accipito, quem eodem etiam tempore, quo matris accidit imaginatio, super maculam seruata concordantia quauis ligato, & viuum in mortem vsq; relinquito, mortuum autem vsq; ad putrefactionem immotum. Et si forte matri ex appetitu contigisset, infans eo satiandus venit, & contentandus: si tamen ex timore terroreve, simile quid infanti fuerit incutiendum interea temporis quo superligatur vermis. Ad hunc modum eradicatur à fundamento vermis extra carnem, non tamen extra cuté intrinsecus. Ad hoc assumenda est aqua fortis, vel regis vehementissima, tum prius aqua recenti lota cutis, illa perlinienda, & eiusmodi cutis in octo vel quatuordecim diebus ad summum auferetur, & recens ac munda nascetur alia. Hac via

Vermis natiui cura.

Maculæ ex terrore, appetitu. &c. vt curentur.

via poteris nedum animalium quascunque maculas eius delegere generis, verum etiam fructuum & creaturarum omnium, per ei simile quod matrem ad imaginationem traxerit.

Breuibus itaque propalaui curationem occultissimam inter omnes, qualem ante me nullus posuit aut scripsit. Nec ea de causa vereor, quia primus in hac re fuerim, cum egomet expertus sim, verissimum esse remedium, quod etiam ob oculos ponere possum. Hoc ipso meum hunc libellum conclusum volo.

FINIS.

D. THEOPHRASTI PARACELSI CHIRVRGIA VVLNERVM, CVM RECENTIVM, TVM VETERVM, OCCVLTORVM ET MANIFESTORVM VLCERVM, ETC.

CVI LIBRI DVO, PRIOR DE CONTRACturis: de Apostematibus, Syronibus & Nodis alter, accesserunt, per interna & externa medicamenta curam eorum veram continentes.

TRACTATVS PRIMVS DE RECENTIBVS VVLNERIBVS.

CAPVT I.

De prima vulnerum aspectione.

Chirurgus qualis esse debeat.



APPRIME necessarium, vt in quouis Chirurgo prudentia, tum ars & experientia simul coniunctæ sint, & mox atque vulnus aliquod inspexerit, eius optimum iudicium faciat curæ finisque: ne sese temere iactans ab exordio, plus minusve quam præstare valeat, pollicetur, vel ex natura queat fieri. Verbum omne suum ex possibiltate naturæ ponderare debet. Nam si, quam ipsa patitur, maiora promittat, quo latius progressus fuerit, eo res verget in deterius, infamiæque notam incurret non exiguam: si vero pauciora nihilominus, quod artis suæ nullam habere certitudinem videbitur, dedecori sibi fuerit adscribendum. Quapropter vtrumque, scilicet ars atque natura æqualiter sibi cognitæ fore debent, alias earum altera deficiente, quicquid operabitur, frustraneum nedum erit, verum etiam in ruinam patientis. Nulla ratione cogi se natura permittit, nec in aliam proprietatem, aut qualitatem quam sibi consentaneum, verti. Si remediis itaque non congruentibus fuerit vsus, labefactabit eam. Siquidem est quod medicus omnis ipsam, & non ipsa medicos vllo modo sequatur. Hæc est ergo summa Chirurgiæ methodus, vt ea medicamenta nota sint, quæ naturæ maxime conueniunt: quib. etiam cognitis, curas aggredi quiuis tuto medicus poterit.

Chirurgiæ methodus.

Membrum auulsum ictu affigi nequit. Mortale nō curādum nec impossibile.

Membrum aliquod ictu separatum à corpore, nō potest iterum affigi. Quod si etiam vllo modo fuerit affixum, in pristinum locum restitui sine defectu minime poterit: nec id quod ad contracturam alicuius membri, vulneratum. Mortale non est in curam cum retentione vitæ suscipiendum, nec omne quod impossibile: nam fatuum foret, irrisioneque dignum.

Disce igitur tu Chirurge, quæ palam sunt oculo tuo cognoscere, quo scias quid ars & natura valeant, in hisque progredere.

Et quanquam practica manualis omni ex parte scripturis exprimi non potest, vt sunt vulnerum conclusiones, & similia: nihilominus dexteritate propria per assiduam experientiam habitum contrahente, discito non contra naturales conclusiones agere, ne monstri quid excites præter naturam, aut crescere facias.

Signa quæ in vulneribus maxime cognoscenda sunt.

Vulnerū signaque bona, quæ mala.

Ignorare nullo modo Chirurgus debet, quæ bona, quæve mala signa vulnerum existant, & quid accidentis immineat, quid illa significent, vt occurrere valeat indies, & obstare. Quandoquidem si corpus sanum ab accidentibus tutum non sit, quanto minus ægrum. Hæc si non intelligis, ipsum te fallis, perdisque patientem, cum resistere non possis accidentibus, artique fidas, quam etiam non calles. En quinam ægros & vulneratos in maius vitæ suæ discrimen ponas, cum idipsum quod contemnis, vulnere longe periculosius existat. Contra cum huiuscemodi prænuncia signa malorum & accidentium tibi nota fuerint, viam illis obstruere facile poteris, laudemque ti bi parare non exiguam. Prouenit enim ars omnis ab experientia, iudicioque præmaturo. Quare volatum ne moliaris, antequam plumæ tibi creuerint, hoc est, donec,

optime didiceris. Nihil hoc loco superbia, iactantia, vel arrogantia prosunt, at ipsa vera scientia. Hæc sentina fuit vitiorum omnium, in hac arte nedum, verum etiam in aliis quod finem exspectare vix è millibus vnus disciplinæ sui voluerit, sed fere semper in magistros euaserunt omnes, antequam veri discipuli dici mererentur.

Ægris noxia nō permittenda quod & Medico dedecori fuerit.

Ægrotis ne permiseris quod noxium esse putes: nam solent aliqui petulantia sua curam applicatam etsi felicem peruertere. Cum igitur obedientia possis à multa sollicitudine curaque subleuari, coge si potes, vt obtemperent. Potius fuerit eos lamentari, quam errorem tuum deplorare te, seque sui ruinam indulgentia tua factam. Euenire sæpissime solet, vt ex permissione vel minima, quam ipse Chirurgus noxiam fore non iudicauit, maximum oriatur damnum, quo sibi dedecus etiam, atque merito contemptum conciliat, velut artifex ignarus artis. Tam occulta est hominis natura, vt fur aut latro latens in ea percipi nequeat, qui vel minimam occasionem quærit, aut ægro vitam, vel tibi famam deprædandi. Quapropter nimiump otius quam parum esto sollicitus. Cum tot & tam varia sint accidentia, quæ circumuallant hominem, vt omne vulnus ferme diiudicari mortale magis, quam curabile debeat: nam tempus, natura, complexiones inæquales in deterius magis, quam in melius vergunt. Quapropter considera quicquid operi tuo completissime conuenit perfectius, ordinatius & minori cum defectu fabro, latomo, seu lapicida quouis. Hoc ergo quod sequitur Capitulum, summa cum attentione legas & relegas, quo maximam accidentium partem addiscas: tum demum opus aggredere. Quid boni mali ve tibi succedere possit, hac in re cognoscas oportet: non antea curabis vulnera. Noli donec præ manibus occurrant, exspectare mala, tumque prius addiscere, latronique fores, vbi iam intrauit, occludere, sed antea. Sic fiet, vt cum ea iam eminus apparuerin t, aut etiam adfuerint, quo resistendum sit illis notum habeas remedium.

Vulnus omne magis mortale quā curabile iudicandū. Notanda chirurgia.

CAP. II.

Qua via rationéque vulnus curari debeat. Quidnam sit quod curet, quid perdat. Et quid naturale sit balsamum in omnibus corporis membris.

Balsamū omnibus corporis mēbris inest, quo læsa sanātur.

IGnorari minime debet omnibus corporis membris inesse balsamum naturale carnis, venarum, neruorum, ossium, &c. quod ipsis innatum ab initio per naturam, vulnera quæuis illata sanat. Hoc est: naturale balsamum in carne situm, naturaliter carnem; & quod in ossibus, fracturas eorum. Sic de reliquis membris intelligendum erit, vt pote, quoduis proprium in se continere medicamentum, quod ipsum quoquo modo læsum persanat. Est igitur natura sibimet proprius medicus, qui quod in ipsa deficit, optime reparat.

Natura sibi medicus.

Hoc loco scitu valde necessarium est, Chirurgum non sanare vulnera, sed balsamum in corpore situm hoc ipsum efficere. Quicunque crediderit alias, aut sibi temere sanationem vulnerum adscripserit, sese, necnon alios miserrime seducet: cum artis propriæ, vel eius quod profitetur, nullam cognitionem habeat. Verum tu vulnerarie medice cognoscas, cuinam in hoc negotio rei sis aptus, & quid ars ipsa præstare valeat, est, quod audias.

Chirurgᵒ nō sanat vulnera sed balsamū.

Medicinæ manus in læsionibus curandis hoc solum est officium, vt naturam eo loci defendat ab accidentibus & inimicis externis, intrinseci balsami; ne per eos inficiatur, aut impediatur, quo minus vires suas exercere valeat naturales at potius in illis auxilio Chirurgi corroboretur. Vbi vulnus iam apertum cura diligenti non tubabitur, certissimum est, illud operationibus naturæ solis nullo modo sanari posse, prout decet.

Chirurgi officium quodnā.

Quapropter is, qui hoc loco defendere tuerique nouerit, Chirurgus erit optimus, eaque ratione protector nominandus, quod ab externis elementis contrariis atque reluctantibus illam vindicare nouit. Externorum siquidem elementorum est maxima cura, naturæ defectibus maiores adiicere defectus. Huiusmodi vires elementares inimicæ naturæ, per Chirurgum optimis medicamentis pellendæ sunt: hac via poterit comite naturali balsamo felici cum successu progredi. Nam vbi defensionibus iam dictis in sua quiete conseruatur & pace, cumque ligationibus iuuatur accommodis, ipsamet operatur, at sese perfectissime sanat, carnem ac ea, quæ necessaria sunt, pro vulnerum facultate crescere facit. Verbi gratia, Quidnam id est, quod carnes, pinguedinem, adipem, sanguinem; atque medullas ad incrementum promouet? Non homo, non cibus, aut potus. At ipsa natura vegetatiuam & augmentatiuam in se facultatem habet, quæ corpus, potu, ciboque mediantibus tamen sustentet: quibus & ipsa conseruatur & roboratur etiam. Simili ratione pluuia terraque lignum minime producunt, sed arbor ipsa, non sine psis tamen. A ventriculo sumatur exemplum hoc. Naturale Balsamum est id, quod sanat, verum, vt hoc efficiat, indiget alimento, eoque duplici. Prius administrat cibus & potus: vnde ratio victus ordinati (quem *Diætam* vocant) ortum habet, Posterius exhibet medicamentum vulneribus applicatum, aut superpositum, hoc nutrit balsamum, vt eo celerius ac solidius sanet. Est igitur vnguentum, aut medicamentum balsami conueniens alimentum.

Vires elemētares naturæ inimicæ pellēdæ.

Hoc igitur vnicum vulnerario medico restat, vt bonum & aptum nutrimentum eligat, quo perfectius ac felicius curet. Si vero hac in re fuerit negligens, aut imperitus potius, vulnera quæcunque prauiora fieri, nec non in accidentia quæuis incidere permittet. Cum etiam perceperis, fœtorem in vulneribus, facile iudicare poteris illa competens non habere nutrimentum, & hac ratione suas naturæ balsamum operationes adimplere minime posse. Quapropter est, quod

Nutrimentum bonum maxime chirurgo attendēdum. Fœtor in vulnerib. ex alimento.

munda per alimentum conseruentur vulnera, ne quid in illis putridi fœtidique reperiatur.

Purgationis differētia in vulneribus duplex.

Purgationis pariter est notanda quædam in vulneribus differentia dupliciter apparens. Prior ex eorum putrefactione prouenit, altera quidem ex sui prædicto nutrimento: hoc enim excrementum est, illud vero sanies. Balsamum siquidem ab vnguento suum sugit alimentum: quod autem ex eo superest, stercora dat ac immunditiem, vt reliqua ciborum nutrimenta solent.

Vulnera penes purgationē excrementorū conseruanda. Vulnera ligaturis non debent suffocari. Vulnera nō suenda nec conglutinanda.

Ex his igitur non est ignoranda conclusio Chirurgis, vtpote vulnera penes purgationem excrementorum, & non saniei fore conseruanda, nec in putrefactionibus Naturæ contrarium est medicamentum, quoties vulnera ligaturis fuerint suffocata, recentique nutrimento non sustentata. Huius etiam enormis erroris vestri, vos inter Chirurgos communiter vsitati (quem indies absque iudicio vel arte, sineque successu felici committere soliti fuistis hactenus) eosque præsertim, quos id vitij delectat, monitos hortatosque velim, vt abstineant, scilicet à sutura vulnerum, & conglutinationibus ouorum albugine factis, quibus naturam ipsam à sua in alienam, & ei contrariam prorsus qualitatem contorquetis. Hæc medicina vestra nullibi fundamentum habet. Hoc natura solum in sui sanationem optat, vt à putrefactione protegatur, & medicamento congruo balsamum eius nutriatur, vt supra, necnon vt excrementa vera penes vnamquamque vulnerum à vinculis dissolutionem inuenta sint.

Hactenus quid illud sit, quod vulnera sanat, ample satis diximus. Quicquid alias quam auditum est, actum cum illis fuerit, efficiet prauiora, vel ipsa penitus perdet.

CAP. III.

De vulneribus, quæ morti sunt obnoxia, vel non, aut in contracturam sui membri tendentia.

QVod ad vulnerum naturam attinet, latius cognoscenda sunt illa, quæ mortem inferunt corpori, vel suis membris contractionem, & quæ non. Quanquam id cognitu difficilimum est, & incertissimum plurimis: nihilominus pro vulnerum qualitate, Chirurgus ipsum se disponere debet in auxilium, eo loci potissimum, vbi natura sese iuuare conatur, non vt imperitus & ignarus artis eam aggredi.

CAP. IV.

De his, quæ Chirurgo metuenda sunt in vulneribus, astrorum impedimentis, & meta possibilitatis, eiusque termino.

Accidentia in curatione vulnerū conside.

ET si plerunque vulnera non sint aspectu periculosa, vel talia non appareant: contrarietates tamen, & accidentia metuenda sunt. Exempli gratia. Si quod vulnus irato, vel cholera fellis commoto fuerit incussum, tale curatu difficilimum erit, ac valde periculosum. Deprauantur enimhoc accidente vulnera sic, vt nunquam prout æquum foret, curari valeant, quousque fellis irritatio sedata sit omnino, venenumque suum desierit. Siquidem ad choleram nullum aliud remedium adhiberi potest melius, quam vt per seipsum quiescere permittatur. Nonnullorum etiam oculi suo sunt infecti veneno, vt aspectu solo vulnus quoduis inficiant: eius etiam finis est exspectandus. Cum pleno ventre cibo vel potu, quis vulnus accipit, & præsertim vbi suillas carnes edisset aut simile quid, eo minus fit sanabile. Pariter agnatæ quæuis infirmitates, vt epilepsia, puerorumque morbi curam vulnerum impediunt. In accidentibus huiusmodi cautum esse te plurimum oportebit, maxime quod à natura latius progredi minime datum sit, anteque vulnerationem exstiterit. Si pariter ad vulnus accesserint infirmitates: *aridura, fistula, cancer, foramina, &c.* non prius natura curam admittit, quam huiuscemodi malorum tollantur genera. Latius igitur agere suscipias, quam se naturæ scopus extenderit. Nam ex istis vulneribus plura nascuntur, quam vulnerum pericula, nempe morborum & plurimarum ægritudinum: oportebit ergo te cautum in his plurimum existere.

Iracūda plurimum. Choleræ nullum remedium. Oculi venefici. Vulnus pleni ventris.

Vulnera ob infirmitatem alias difficulter curātur.

Cœli impressiones quid in vulnere agant.

Cœlorum cursus etiam varius, & operationes eius potentissimæ suis in nos impressionibus efficaciter agunt. Quandoquidem si pestem imprimere cœlum valeat, & vulnus aliquod inficere diuersimode poterit. Ex his colligere debet Chirurgus, ac intelligere, cur vbi cœlum infeliciter fuerit suis in aspectibus dispositum, & eius cura sit infelix. Contra cœlum nihil naturaliter opponere possumus: quapropter in similibus, infelicitatis istiusmodi finis est exspectandus. Interea tamen aliqua mutatio fieri potest, at non efficacior eis, quæ in curis pestilentialibus nonnunquam visæ sunt. Hac de causa maius ne susceperis onus, quam valeas vulnerum inimicitias exsequi, sed mature considera, quales & quantæ fuerint. Si medicamento potentiores exsistant, impotenti validiorem te vincere posse non existimabis. Absit à te iactantia, potius ea, quæ te præstare posse nosti, postremo reserua, quam statim ab exordio proferas: nam fragile vas, & homo bulla est.

Vulnerū quorundā mira natura.

Nonnunquam etiam euenire solet, vt vulnera miram per se naturam ipsa recipiant, non alias quam lignum in signo contrario truncatum vermes concipit, argillaque non congruo tempore de fossa, grillos producit: quod cum in aliquo vulnere perceperis, aliis remediis id euelli vel auerti posse non credes, quam particularibus arcanis quibusdam: vt illa sunt, quæ nonnullis in herbis & seminibus latent, vt lignum vermes non concipere, nec argillam grillos penes quæ fuerint, aut creuerint. His enim latius in similibus vtendum erit, quam communium vsus medicamentorum & curarum habeat. Vulnera sæpius deprauari sub optimo certoque medicamento vel vnguento compertum est, ob cœlestes cursus curam impedientes. Non secus ac lignum sub infelici constellatione tonsum, amplius vegetare non potest, nec insitum aut plantatum quid excrescere: vulneribus

neribus itidem (raro licet) contingere tamen aliquando solet. Quapropter huiusmodi cœlestium cursuum disciplinam non abhorreas, at potius conare totis viribus eos discere: ne videaris astantibus vt calcearius, qui totum calceum exstruere nouit præter inuersionem.

CAP. V.

De vulneribus recentibus, & vtraque medicina sua deprauatis, cum eorum demonstratione, quæ mortalia sunt, aut saltem periculosa.

Vulnera rite ligãda. LIgandi vulnera modus non est ignorandus vt non deprauentur, & iam deprauata iuxta suam naturam debitis ligaturis inuoluantur. Recentia vulnera summopere tutanda sunt ab accidentibus, quæ damnum aliquot inferre possunt: horum enim contemptu, plurimum deprauantur. Cum igitur ista variis & prauis accidentibus obnoxia sint, operæpretium fuerit ea declarare. Ab accidentibus tutanda.

Ligaturæ chirurgorũ prima erronea. Vulnera non consuenda. Repurganda. Quoties liganda. Consuetum est hactenus istorum labia consui, demum ouorum albumine consolidari, triduoque sub ista ligatura teneri: quod omne deprauationis eorum primum est exemplar. A suturis abstine prorsus, & iuxta secundi Tractatus ordinem huius Libri vulnera per nutrimentum cura, sic primæ deprauationis labem effugies, damnorum in vulneribus radicem potissimam. Si tamen ipsa iam deprauata repereris, à fœtore corruptioneque repurga, prout in secundo tractatu docetur. Iam differentiam habes inter ea, quæ recentia sunt, & illa quæ deprauata, nec non quid cum eis agendum, & qua ratione curanda suscipere debeas. Quod reliquum est, vtere medicamentis in secundo Tractatu descriptis, & infra diem & noctem bis liga, singulis nempe duodenis horis ordinate consuetam nulla ratione prætereundo horam. Si diutius exspectaueris, operatio medicamenti propter nutrimenti consumptionem euanuerit, & cum ea defensio ab extrinsecis elementis, inde vulnus detrimentum patitur, ac deprauatur. Horam igitur obserua diligenter in finem vsque. Cum tamen conclusioni propinquum fuerit, poteris vigesimam in horam tardare, verum huic nimium ne fidas.

Hora ligaturæ certa obseruada. Ligaturæ secundæ chirurgorũ error depranatus quando corrigendus. Primæ ligaturæ deprauationem ouorum pultibus & sutura factam, altera mox inde sequitur hæc. Resinis vtuntur in altera ligatura, quandoque cera non præparata, seuo & oleo mixta: nonnunquam æris viridi, mastice, thure, gummi, &c. quæ ob nimium calorem non conueniunt recentibus vulneribus, nec alimentum præbent opportunum. Sugunt igitur ab his vulnera succum valde noxium; quo fit vt nulla sit operatio naturæ, sed contra seipsam cogatur agere, nunc tumorem, iam corruptionem, tremores cum frigore caloreque; inflammationes, aut puncturas membrorum, & similia. Cum ergo tibi tale vulnus oblatum fuerit, vt prorsus deprauatum desperatumque suscipe curandum, & statim illi, quæ mundificant, applica medicamina. Vulnera quædam aliquibus illata mortalia sunt, aliquibus non: aliquibus etiam temporibus, non aliis: quæ posteriora tamen aliquando mortalia fiunt accidentibus. Quapropter fallax est admodum indicium, quo conatum est quouis ad mortem aut ad curam vulnus agnosci posse. Quædam tamen illata principalioribus membris, vt cerebro, quibus hoc molitetur exitum, circa regiones cordis, tanquam desperata poterunt existimari: nam illæsa confinia sua cor cupit. Vulnera vesicæ pariter, & intestinorum, quæ transitum excrementorum naturalem effundunt in vterum. Item pulmonis arteriæ, follisque respirationis eius, quæ ceruicem truncant omnino, vulneraque sicca ad cordis regiones vsque redundantia, cum sanguine congelato possunt ad mortem agnosci: nec non alia multa propter accessum alicuius accidentis mortem alias inuehentis, vt in pulmone iecoreque. Splenis etiam periculosa vulnera, pariter quæ fel aperiunt, ac illa quibus, vt fodicationum ictibus, venæ iecur & stomachum intersitæ truncatæ fuerint. Quæ vitæ musculum confodiunt, in loco vitæ præsertim existentem. Quæ membris extensis plurimum & expansis infliguntur, hoc est, dum quis membrum vi quadam extenderit, ac in eo simul vulnus receperit, cum reliquis quæ dicta, mortale, non æque tamen habendum est, at minus periculosum. Vulnera quib. & quãdo lethalia. Lethalia sũtillata, Cerebro, Cordi, Vesicæ, Pulmoni, &c.

Euenire solet etiam, vt propter situm aut contorsionem corporis, intrinsecus ordo naturalis deformetur, & venæ præter consuetudinem dispositæ sint, eo tempore si vulnus illatum fuerit, ad mortem iudicari poterit. Aliquoties impinguntur vulnera, quæ repentinam inferunt mortem, & alia quæ apoplexiam, aut simile quid morbi mortalis, itidem ea mortalia sunt. Alias ob influentiam in vulnus incidentem, id est, ob signum aut cœleste sydus infortunatum.

Nonnunquam ob nimium timorem: Sępius ob curæ negligentiam. Et quandoq; iuxta mortis occasionem irrumpentis; mortale vulnus efficitur.

Obseruandum etiam est, vulnera capitis maniam producere: venarum, visus & oculorum cœcitatem: cellarum aurium, surditatem. Si genitalia lædantur, aut ad mortem, vel in sterilitatem iuxta læsionem accidisse putandum est. Sunt quædam loca, quæ læsa loquelam etiam impediunt. Vulnera quæ per transuersum illata sunt, cum truncatione venarum, ad contractionem illius membri vergunt. Si hemiplexia in vulnus aliquod inciderit, membrum quodcunq; sit, contractum reddit. Neruus omnis læsus, qui balsamo suo priuatur contractionem causat. Cum vulnus arripit aridura, pariter contractum membrum efficit. Sunt & alia multa variaq; vulnerum contractionem causantium genera: veluti cum ligamentorũ truncatę radices fuerint, aut earum venæ, totum membrum contrahunt. Variæ contracturarum causæ præter eas quæ dictæ sunt, ac locis illarum contrariæ, nihilominus etiam contracturam adferunt à tempo- Vulnerũ grauissima symptomata. Contracturarũ causæ.

ribus, & aliis accidentibus, quarum origo describi non facile potest. Est enim homo tot inuolutus miseriis ex corrupta sua natura, vt non sit opus ei temere seipsum in illas profundius coniicere (quod plerique male sani faciunt indies: (nam ipsa pronior in deprauationem, quam in emendationem est: quo fit vt omnibus istis accidentibus resistere non sit humanarum virium, nec artis. Non enim potest Medicus contra impossibilitatem ipsius naturæ quicquam adferre, sed solum quod permiserit adiuuare. Hoc vero Chirurgi fundamentum fore debet. Quanquam aliquoties medio medicamento præuenitur contracturis, aliisque similibus accidentibus, vbi tamen ipsa natura medicamentum ad curam receperit, alias non curat medicus, vt in secundo Tractatu dicetur amplius.

Tumores vulnerũ vt curandi.

Tumores calido rosarum aceto curabis, reiecto prorsus & abiecto cupreæ capsulæ vnguento albo. Postquam vulnera mundificata fuerint, curentur vnguento fodicationum, in finem vsque.

De glarea vulnerum.

Aqua glarealis.

Ex cuprea capsula Chirurgorum oritur alia deprauatio vulnerum, vtpote glarealis aqua. Statim atque hanc perceperis, capsulam eiicias per fenestram, & cura fodicationum vnguento, & aceto rosarum calido, prosequereque, propter membri calorem & inflammationem: quibus ablatis, ad mundificationem te conuertas, vt supra, post vnguento fodicationum comple, donec ea concluseris. Hoc certissimum habe, vulnerum curam veram nulla putrefactione fieri debere, sed medicamentis, quæ eam arcent & amouent: ea namque sanant vulnera, consolidantque Quicquid curare debet, proprietatem salis in se continere necessum est, quod vt balsamum extrinsecum, putrefactionem arceat: hoc ipsum oportet esse temperaturæ naturæ, compositum ex eis, in quibus nutrimentum reperitur membri vulnerati verum, tam carnis, quam neruorum, ossium, &c. Isto curabis feliciter, alias non.

Curare quod debet salis proprietaté habeat.

CAP. VI.

De vulnerum accidentibus à temporibus, & cælestium cursibus expressis, & aliis incidentiis.

Cœlũ influentiis suis variis morbos inducit.

MAnifestum est influentiis & suis impressionibus, cœlum varios morbos producere, iuxta varia sua tempora, sanosque plurimum inficere, vt isti tueri sese ab eius incursibus minime valeant, at humiliter succumbere cogantur. Cum igitur bene habentes vincat, quanto magis vulneratos. Et veluti febres diuersas in sanis gignit, in vulneribus etiam eas imprimit, quæ paroxysmorum temporibus operationes suas in vulneribus exercent frigore caloreque sæuientibus, iuxta febrium proprietates, quotidianarum vel tertianarum: quæ non recedunt ab hominib., donec sanata sint vulnera.

Febres vulnerũ.

Pestis vulnerũ.

Suo tempore contingit vt pestilentia sæuiente, morbus hic se manifestarit in vulneribus vlceris instar, & cum frigore caloreque primum inceperit, qua nonnulli correpti fuere, qui tamen albi per totum corpus nihil prætorquam in vulneribus fuerat ortum, senserunt.

Euenit etiam aliquoties inter milites, vt in vulneribus angina sit orta, non alias quam in lingua solet cum signis omnibus, & crassa cutis à vulneribus exierit, prout lingua consueuit, auelli. Innumerabilia sunt accidentia similia, qui bus eisdem ordine medicamentisque obseruatis, vt in suis locis assuetis, etiam in vulneribus medendum est. Eodem namque medicamento quo linguarum anginæ, vulnerum anginæ curatę sunt, nec alia via potuissent à vulneribus expelli quam eisdem, quæ contra pestem aut in aginam applicantur.

Angina vulnerũ

Sæpius etiam contingit, vt vulnera sanguinis profluuium eiecerint, qui verus non fuit sanguis: hunc nulla medicina sistere potuit. At cum eo tempore dysenteria sæuiret, in illis regionibus, & excrementa profluentia pariformia forent illis, quæ manabant è vulneribus, exitumque facerent non dissimilem, imo prout secessus redirent, in omnibusque responderent, collectum est & conclusum, vt idem quod applicatur dysenteriæ medicamentum, istis vulneribus adhiberetur: quod etiam factum est. Hæc & similia Chirurgo sunt optime consideranda: nam cum ea mihi contigerint, in aliquot vulneratis pluries euenire possent, ac pluribus.

Profluuiũ sanguinis in vulnerib. Dysenteria vulnerum.

Mineralium metallorumque fossorem vulneratum præ manibus habui curandum, qui tremore maximo ter aut quater quolibet die concussus fuit, contractione conuulsioneque membri huc atque illuc actus ad quartam horæ partem. Statim atque potandum oleum exhibui, bibitque, melius habuit. Verum vbi liquorem vitrioli hausisset ore, curatus est: siquidem species epilepsiæ fuit. Hæc à me tantum dicta sint vt si forte similes amplius ægritudines oriantur: cognosci queat, plus ibidem vno damno, periculosa quædam accidentia fore.

Liquor vitrioli curat epilepsiã.

In similibus itaque recurrendum est ad medicinam intrinsecam, quamuis optime conueniret, vt Chirurgus per se talia curare sciret accidentia præter aliorum auxilium.

Ex aduerso, plerunque per vulnera generantur infirmitates, non tamen situm habent in illis, at veræ sunt infirmitates intrinsecæ, veluti mania, epilepsia, &c. Quæ quidem ægritudines, licet persanata sint vulnera, nondum abeunt, at remanent. Qua de re debet alius hoc loco processus, & curandi modus excogitari, quo medicamentum inueniatur prorsus alienum à Receptis, cuius hactenus inter medicos & Chirurgos pauca vel nulla notitia fuit.

Vulnera plerũque generant infirmitates.

CAP. VII.

De morbis occultis in corpore cum vulneribus sese permiscentibus, è quibus cancri, fistulæ, lupi, frigidæ calidæque nascuntur vredines.

IN humano corpore latent causæ quædam, & corporales

corporales infirmitates, è quibus successu temporis fistulæ, cancri, foramina vulnerum, vlcerationes, vredo frigida vel calida, ferrugo vel lentigo praua, lupus, & id genus similia enascuntur. Cum aliquo in loco materia huiusmodi molitur erumpere, talis etiam patefit morbus, ex quo & vulnere simul damnum fit vnicum. Inde sequitur, vt vulnera curam omnem reiiciant, & nullis medicamentis quantumcunque bonis concludi queant: imò potius in accidentia, quæ narrauimus, erumpunt. Quamuis aliquoties ac sæpe his occurrunt, & vulnera breui curentur spatio, præsertim vbi materia talis recens adhuc fuerit, ac immatura, vel nondum enata. Verum si matura sit, incassum occurritur: erumpere necessum est idipsum, quod præ manibus fuerit. Quandoquidem vulneraria medicamina differunt ab illis quibus damna dicta restaurantur, vt ab albo nigrum. Quapropter infirmitatum huiuscemodi remedia sunt arripienda, vulneralibus omnino reiectis. Inde facile colligi poterit eiusmodi notitiam ægritudinum habere necessario debere Chirurgum, alias non sine maximo dedecore manum è tabella (quod aiunt) retrahere cogetur. Huius negotij fundamentum est, vt relictis vulnerum vnguentis, ad alia confugiat remedia, quæ dicta sunt.

Vulneraria remedia differunt à remediis infirmitatum.

Non ignoranda ea, quæ circa putridam & superfluam carnem in vulneribus orientem attinet, esse duximus. Nonnunquam in spongiæ magnæ quantitatem & similitudinem solet emergere, veluti videmus ab arboribus dependere tumores quosdam instar agarici. Ignari Chirurgi separationum aquis fortibus abrodere conati sunt: alij nouacula truncarunt, vnde prauiora multa, quæ legere quidem horrenda nimis forent, excitarunt: quapropter omittimus, & productorum istorum causam exponemus. Porri quidam existunt, qui quanto magis truncati fuerint, ac sæpius, tanto maiores turpioresq; renascuntur. Non alias faciunt cum eroduntur corrosiuis aquis, quæ quidem remedia porris minime conuenientia, quandoque fungos, vel eorum similitudinem referentes tumores excitant. Cum itaque per porros naturaliter hoc demonstretur, spongiæ vulnerum ortum habent ex porrorum fundamento, radiceque: dum huiusmodi sanguinis latebræ tactæ fuerint aperteque, postmodum ex cruoris huius malitia simile quid oritur monstri. Contingere potest etiam, vt aliquot annis postea spongiæ tales è conclusis vulneribus enascantur, est nihilominus earum fons & origo, quæ porrorum, & non alia: sed vulnerum conclusionem ante correctionem aut compescentiam istius virulentiæ, post curam imperfectam emergunt in formam similem. Nonnunquam in glandulas vel naptam excreuerunt, minori quam antea periculo. Est igitur Chirurgo summo necessarium, vt istorum accidentium cognitionem habeat, ne quando suscipiat eorum curam, quorum originis & remediorum ignarus inexpertusque fuerit. Hæc non alia de causa protuli, quam vt ægros ac vulneratos admoneam, ab istius farinæ putatitiis medicis, qui talia curare præsumunt, mere tamen deprauantibus, abstinendum esse, nisi perditum iri cupiant.

Carnis putridæ & superfluæ cura.

Porrorũ vehementia & cura.

Spongiæ vulnerũ curatorũ.

CAP. VIII.

De vulneribus infectis, & venenato ferro, vel similibus armis incussis.

AN arma, quibus vulnera corporibus inflicta sunt, veneno prius illita fuissent, animaduertendum est summa diligentia. Quanquam & scelestum & supplicio dignum est facinus, impiis tamen hominibus in vsu quandoque scitur exstitisse, videlicet pugiones, gladios, tela & omnis generis arma bellorum, vt veneno linirent, quo præter vulnera dira, dolorem eorum intolerabilem augerent, & aliquando mortem crudelius inferrent. Huius veneficij varia sunt genera merito subricenda.

Arma à liquãdo veneno illini solita.

Præter ea, quæ in quotidianum vsum veniunt instrumenta mechanica, nullo studio, vsibus necessariis venena contrahunt eorum quę secuerint: vt falces ex herbarũ variarũ in pratis (quarũ nonnullæ venenum suũ innatum, & à natura possident) sectionibus, & ferri calore tum etiam venenosorum animalium, prout serpentum, bufonum, & aliorum sub herbis latentium cruore sic inficiuntur, vt vulnus aliquod eis contractum instrumentis plurimum causa veneni sit periculosum.

Vulnus falce inflictũ veneni suspicione non caret.

Quamobrem in similibus animaduersio particulariter est habenda curationis eorum & curæ vulnerum. Et licet acuitionibus lapide factis nonnihil auferatur istius veneni non omne tamen eximitur hac ratione, vel alia quapiam. Pariter aratrorum ferramenta venenum ex terræ natura concipiunt, vulneraque venenata faciunt.

Aratrorũ ferra uẽta vulnera venenata faciunt.

Ferrum siquidem omne recipit in se naturam alienam, vt eius in quod applicatur vsu. Itidem & palæ faciunt hortenses, falcesque minores, at noxiæ minus prædictis.

Palæ itidem.

Fabrorum lignariorum tamen secures, & omne quod in lignum agit instrumentum veluti dolabræ, similiaque non recipiunt in se hoc vsu venenum, ac potius curabilem naturam acquirunt.

At nõ secures & dolabræ.

Vitrum autem ex sui natura venenum est, nec nisi frustrum eius aut fragmenta maneant in vulnere, non alias. Verum donec in eo manserint plurimum inficiunt.

Vitrũ sui natura venenũ.

Quæ tamen vulnera ligno fiunt eo maxime quod manibus indies teritur, vt fusi muliercularum, pessimum venenum accipiunt à manibus: quoniam sudor liquorq; prauus per ligni cuspidem penetrat, inficitque plurimum.

Ligna manibus quotdie trita venenosa.

Lapides necnon alia metalla veneno carent, quod ad vulnerationem attinet. Ferrum quidem aliquando suo realgate non omnino repurgatum est, vnde magis alio puriore nociuius contingit.

Lapides non.

Quinam huiusmodi venena queant extrahi, singulatim scribere superfluum foret: nam secundi Tractatus id recepta perfectissime præstant ex sua proprietate: fac igitur, vt illa habeat.

Animaduertendũ etiam tibi, num vulnerũ accidẽtia procedant ex huiusmodi venenis, aut nõ. Siquidẽ accidere posset, vt ex venenis iudicarentur, quę nata forent aliunde, tũ ista venenis ascriberentur: nam signa parum differunt. Quamuis

Accidentia vulnerum vtrum ex veneno prodeãt, sedulo considerandum.

Armorū venenatorum signa.

venenatorum armorum studio manifestum indicium in vulneribus apparet; vtpote calor exurens, inflammatissimus tumor, coloris in carne mutatio non consueta, laterumque punctiones præsertim ex telorum alatis cuspidibus. Si dolor huiusmodi nimium presserit, infunde frigidum oleum vulnerare, post superposito fodicationum vnguento prosequere: sic, venenum euinces.

Veneni cura & euictio.

Alia tamen instrumenta solis vsibus venenata, non ita crudeliter vulnerib. hominem torquent, nisi forte cruor aut pinguedo bufonis aut araneæ simul cum ferro lædente subintrasset in vulnus: tum demum vtere medicamentis, quæ tertij Tractatus receptis continentur.

Cap. IX.

De illis deprauationibus, quæ propria fiunt vulneratorum petulantia, veluti ciborum, potuum, & exercitiorum abusu, tum actu venereo.

Licet Chirurgus omnem diligentiam, & ex arte probatissima quæque medicamenta vulneribus adhibeat, vt hac de causa nihil ad sanationem requiratur perfectissimam nihilominus poterit æger sua petulantia totum hoc opus excellentissimum, & naturam ipsam peruertere. Quod sæpissime contingit, vt videlicet ex inordinato suo regimine, vulnerati sui membri sibi concilient aut ariduram, vel contracturam ægri, vel accidens aliquod in vulnere: quæ euenissent, vbi sub obedientia Chirurgi se continuissent: aliquoties etiam ipsi propriam suæ mortis causam excitant. Hæc non sine maturo iudicio considerata sunt, vt cognoscatur, vter in his culpandus veniat, æger an medicus. Ægri petulantia naturam irritat, vt non amplius in bonam dispositionem redeat, ad quam prona prius fuerat. Idipsum ex actu Venereo patet, eo nempe fic vulnus accendi, vt in quoduis accidens incidere pronum sit: iuxta situm eius. Quapropter est, quod hoc ex vulnere cognoscere discas, & præuenire. Nam sæpius contingit ex hoc vsu vulneratis, vt sibimet in vulnere Persicum ignem concinerint: qua de causa vel totum oportuit membrum aliquoties amputare, vel aruit, vel mortales febres accesserunt, aut apoplexia, vel alia morti plurimum obnoxia. Id in his tibi summe notandum erit, cum violentum accidens petulantia contractum diligenti cura superare non potueris, vt rabiem hanc quiescere permittas ac sedari: tamen diligentiori studio curam interea prosequaris.

Diætæ inordinatæ incōmoda

Petulātia ægri naturā irritat.

Venus vulnera accendit.

Vulnerati mēbri inquietudo plura accidētia accersit.

Non alias ex inquietudine vulnerati membri, plurima possunt accidentia (non ita periculosa tamen ac illa, quæ ex actu Venereo proueniunt) oriri. Nihilominus ex ea nonnunquam vulnera contrahunt alterationes ad incendium inclinatas, vel febrem vulneralem, aut contracturam, vel cum frigore, tremore, & calore, similiaque multa. Quietem igitur vulneratis impera membri læsi, contemptu huius quid peius oriatur. Ciborum & potuum rationem præscribe, ne quid edant aut bibant, quod vulneri præiudicium adferat, neve se his aut bonis obruant: nam omnis repletio penes infirmos naturam infestat: quæ modum, atque mensuram potissimum vbi defectus in corpore fuerit, quo melius ei resistere valeat. Contra si prædictis obruta sit, in choleram & irritationem commouetur, iuxta quarum naturam per totum corpus diffusa sæuit: quæ sæuitia tremorum, febrium in vulneribus, aliorumque pessimorum accidentium est potissima causa.

Repletio naturam vulneratorum infestat.

Vt hæc igitur euitari queant, æquum est Chirurgum vulneratorum non aspicere personas, at miserias & calamitates, quæ sequuntur inobedientiam eorum.

Chirurgus non [illegible]

Coitus vulneratorū accidentia periculosa.

Ex coitu nonnunquam oriuntur accidentia periculosissima, prout apoplexia, subitanea mors, epilepsia, hydropisis, &c. quæ curam non recipiunt, at in mortem tendunt.

Diætæ cōmoda.

Exquisitio ciborum & potuum particularium non est contemnenda. Nam si per cibos & potus ordinatos ad vulnera, curantur vulnerati, sic etiam potibus & cibis incongruis perduntur. Bono malum enim semper est promptius propiusque.

Cap. X.

De natura & proprietate accidentium, quæ ex ægrorum propria natura & complexione procedunt.

Homo homine curabilior.

Quod vno curabilior alius reperitur, aut ad sanationem tardior apprime Chirurgus considerare debet, ne latius quam ipsamet natura valet, progredi conetur. Aptius operi lignum est alio, vel isto nodosius, durius, aut reluctantius aliud, quaqua versum arripiatur, attamen cum tempore dolatur omne: sic etiam cum hominibus. Ex terra quidem sumus omnes, in qua durum, ineptum, aptum habetur, & molle: quapropter id, quod in ipsa reperitur, illa continent quæ producit. Cum igitur natura talis aut alia suis in proprietatibus durior aut mitior occurrit, cedere naturæ Chirurgi probum est officium, à ligno sumentis exemplum, vt supra.

Natura delicata vulnera min⁹ curabilia reddit.

Efficit etiam aliquando vulneratorum delicata natura sua, mortalia fore vulnera, quæ sanabilia forent in aliis. Est enim admiranda penitus in humano genere natura, varieque distincta, vt summa consideratione sit opus, vbi singulare corpus oblatum est, particulares etiam esse curas assumendas. Ratio hæc mihi dedit occasionem, putatitiorum Chirurgorum artem & medicamina reiiciendi, quod in vno corpore fundata sint, postmodum in decem aliis nihil operentur. Hac de causa remitto vos ad secundi Tractatus recepta, quæ cum habueritis, dolabram quibusvis aptam lignis possidetis, licet in vno quam in altero celerius agentem, suo tempore tamen in omnibus. Tarditatis etiam huiuscemodi causa non est mutandum medicamentum, at solum tempus expectandum.

Tarditatis curæ causa medicamentum non mutandum.

Videat igitur Chirurgus & diligentissime curet, simile medicamentum assequi posse,

quod

quod non vni carni tantum, sed omni sit aptum & idoneum, aliaque relinquat, quæ hactenus in Chirurgia tantas attulere tenebras, vt semper opus fuerit immutare, nunc in hoc, iam in aliud: nec tamen ad artis perfectionem aut fontem peruentum est.

CAPVT IX.

De vulneribus, quæ possunt in mulieribus offerri, sese menstruis permiscentibus.

PRætereundum non est, quod in vulneribus mulierum accidere quandoque potest, vtpote naturalis eruptio per illa menstruorum profluuij, quo tempore periculosissima concurrunt accidentia, prout epilepsia, vel species eius, quæ non prius quam sit optime sedata matrix, à patientibus recedunt. Vulnerum inde fiunt accidentia multa, nempe calores acerrimi, contracturæ, dolores capitis, restrictio pectoris, potus & cibi nausea: quæ omnia curam infelicem atque periculosam reddunt. Vt hæc tollantur accidentia, necessarium est, vt menstrua naturalem exitum faciant, & medicamina tum demum operari feliciter poterunt. Mulieribus etiam agnata peculiaris inest cholera, quæ si occurrat, multo periculosior est menstruis: nam ex cholera generantur contracturæ per totum corpus: quibus excitatis commouetur & matrix: concurrunt itaque duæ simul infirmitates, quarum vtraque particularia sua producit accidentia, prout contracturas vel paralysin in manibus pedibusque, tum ex matricis ascensu, species epilepsiæ. In his notandum est, omnes illas infirmitates per vulnera moliri transitum: quapropter considerandum est, qua ratione sedari mater debeat, & amoueri contractio, tandem curat vulnus. Huiusmodi concurrentes infirmitates non facile remouentur, at plerunque perseuerant in mortem vsque: & si remedium aliquod adhiberi potest, longo successu temporis id fieri visum est, quamobrem ab exordio, vel ante præueniendum erit.

Menstruorum eruptio per vulnera, quę cōcitet symptomata.

Mulieri agnata cholera quędam. Cholera quos morbos creat.

Matricis sedatio.

CAP. XII.

De signis in vulneribus & vulneratis apparentibus: quid significent, & quid inde sequatur.

PRiusquam accidens aliquod in vulnus incidat, apparet in eo signum: est itaq; Chirurgo necessarium, vt à signis præcedentibus cognoscat subsequentia, quo vulnera quanto lenius fieri poterit, curet. Si tamen vltra diligentiam contrarij quid præter medicaminis vsum & consuetudinem eueniat, accidens aliquod exspectandum est. Hoc igitur Capitulo, signorum tractare significationes & intellectum proposui: quod in Chirurgia summum arcanum existimo, & ipsemet expertus doceo: quodque sciam neminem diligenter obseruantem ea, quæ describam, fallere posse, licet à nullis hactenus Medicis aut Chirurgis prolata sint. Æquum est, vt si noui quid in his, quæ Rempublicam iuuare queant, ab aliquo sit expertum, in medium adferatur.

Signa in chirurgia summū arcanū.

Tumores vulnerum.

Si vulnera quatuor membrorum, vtpote scapularum, in iuncturis potissimum, brachiorumve, necnon coxendicum & crurum tumorem cum dolore concipiant, iuxta mutationes temporum aucto vel diminuto, aut secundum lunæ quartalia, plenæ præsertim, & nouæ, tum ante mediam noctem intendatur acrius, in ariduram tendunt, post conclusionem effectum consecuturam.

Tumores vulnerum.

Vulnera quæ facile curam admittunt nihilominus tumorem iuxta se tendentem ad manus vel pedes, aut retrorsum ad iuncturas emittunt, qui durescat admodum, & conualescente vulnere non minuitur, imo dolorem in se recipit omnem, indicant ibidem accumulari corruptos humores, qui magis quam ipsa vulnera vicinis membris obsunt, carnesque, nedum & venas, verum etiam ossa putrefaciunt, fistulas & foramina multa producunt, vt inde post incurabile damnum oriatur.

Glarealis aqua vulnerum.

Cum viscosus liquor ad albumen oui profluit à vulneribus, indicat accidens periculosissimum, vt membri totius & medullarum exiccatio, cui nemo poterit obstare, nisi liquor ille iusto pondere fuerit membro prorsum aliqua medendi ratione restitutus, alias exiccatur, vt lignum ab arbore sua truncatum: quod quidem accidens aridura vocatur.

Glarealis aqua vulnerum.

Aridura, quid.

Inquietudo membri vulnerati, patientisque.

Vulnus omne, quod patienti somnum impedit, ac prorsus aufert, ipsum etiam quiescere nequit, hisque laterum accedunt punctiones, indicat mortis occasionem adesse, præsertim vbi sitis intolerabilis patientem cruciet. Verum animaduerte ne forte id ab incongruo medicamento proueniat: loquor solum hoc loco de naturæ defectibus.

Membri vulnerati inquietudo.

Turbatus intellectus.

Spasmus in oculo cum apparuerit, lingua balbutiens, & ad interrogata nulla vel aliena ob turbatum intellectum responsio, mortem indicant potissimum si deprauetur auditus.

Turbatus intellectus.

Mania.

Si toruis intensisque homines oculis aspiciant, alacris tamen eorum sermo sit, vox acrior solito, & si in astantes accendantur, capitisque sit calor maximus, maniam aut furiæ speciem instantem significant, iuxta qualitatem eorum quæ dicta sunt.

Mania.

Si vulnera postmodum aquam emittant, ac ab excrementorum eiectione sui nutrimenti cessent, curamque non admittant interim, aut sanationem, in cancrum, fistulam, aut vlcerationem tendunt: vel si turbatio concurrat intellectus, cum debilitate membrorum, aut pulsatione cordis, mortem indicant.

Cancer. Fistula.

Mors.

Vulnere sanationem optime recipiente, si corpus aggrauetur, & eo magis, quo bene sit vulneri, mortis etiam est indicium. Cum vulnerati stridorem dentibus edunt, suique

suique fiunt immemores, indicant mortis occasionem aduenturam: nisi fortassis vermes in eis postmodum inueniatur, tum demum se res melius habet.

Contractura. Epilepsia. Mors. Cum ore spumam eiiciunt, anhelitumque fortiter attrahunt, ac naribus strepitum emittunt, spasmo pariter oculos manus & pedes infestante, contractionum, aut epilepsiæ, vel subitaneæ mortis est indicium, præsertim vbi seipsos incuruant, corporaq; sua torquent.

Si repentinus per se tractus in vulnere dormiendum inter, aut alias fiat, indicium est alicuius grauissimi casus vel accidentis, nisi forte per timorem aut horrendum somnium excitetur.

Indormitio membri. Si tumor ad vulnus accedat, qui pressione facta, foueam retinet, tenuisque sit admodum sanatio carnis, & plurimum tarda, membri talis indormitionis, vel in eo sensus amissionis est indicium.

Vbi ventriculus digestiuam facultatem amiserit, vt cibum retinere minime valeat, inuaseritque maxima sitis, venas & neruos sectos à proprio loco suo fore dimotos, & è directo non conuenientes iudicabis. Venæ dimotæ.

Multo plura dari possent indicia, verum hæc potissima sufficiunt, è quibus alia quæuis diligentibus innotescent: eaque hac de causa posui, vt illis quæ significant, præuenire valeant illi posterum occurrent. Non enim sine magna possunt experientia cognosci, scriptis quoque doceri complete, nec addisci: Quapropter diligentia maxima requiritur eius, qui peritus earum esse cupit rerum, quas eminus tanquam è speculo scriptura demonstrat.

CAP. XIII.

De vulneribus deprauatis.

In vulneribus deprauatis quid cõsiderandum. ETSI libellum hunc de recentibus vulneribus conscribere cœperim: quia tamen ea, quæ per imperitiam putatitiorum Chirurgorum deprauantur, indies multo plura sint aliis, breue fundamentum etiam de his ponendum esse duxi. Primo considerandum erit quid illud sit, quo vulnus deprauatum est, an accidens aliquod superueniens, vel imprudentia medici. Quod si fuerit accidens, excellentissimum remedium habetur ad omnes vulnerum deprauationes, vt ad cancrum, fistulam, similesque hoc ipsum in secundo Libro faciam, vt ista ars recenter inuenta, & hactenus ignorata, nemini collata sit. Alchimia mater est arcanorum in Medicina, quibus desperati curantur morbi, prout in sequentibus audietur latius. Alchimia mater arcanorũ.

CAP. XIV.

De sutura vulnerum, & eius vsu: deinde quid sutura vera sit.

TAM vetus est suturæ vulnerum vsus, vt eius exordium fere nemini cognitum sit: quid ad rem, si veteres vsus manere debeant, sunt & fatui cum stultus veteres: quid ad sapientem attinet. Si pater tuus aut auus pessime fecerit, vis propterea fallere decipereque homines? quid sapienti negotij est cum fatuitate patris tui? Hoc à me discito. Quamuis aliquod vulnus consueris, ipse perpendas, non diu sic manere: nam putrescit, suntque posteriora peiora prioribus, vt omittam ea, quæ subsequuntur accidentia periculosissima. Vulnera non suẽda. Vt igitur meliorem suturam addiscas, accipe fundamentum hoc. Natura per seipsam tantum connectit, ac eo die sanat, & ita consequenter in dies vsque ad supremum concludit, & melius, ac si tu filis calcificum vulnera consuisses. Sutura melior. Propter suturam enim citius aut melius non sanantur vulnera, sed longe deterius ac infelicius. Ista sutura tua sit, acusque: Bonum fac habeas medicamentum: quod cum habueris, eo consue. Si hunc vsum reiicias, nemo te merito Chirurgum existimare poterit, sed inimicum naturæ verum: & nisi Deus hominum quam tu sanitatem optaret magis, nullus curaretur vnquam. Summum naturæ defectuosæ desiderium est absque dolore suos curari defectus, quod etiam optime fieri posse nouit, hac de causa curandi processum hunc amat. Verum abhorret inflatos vtres, Chirurgorumque similium vnguenta. Nec solum ob ruditatem suturæ contrarior, at etiam propter incidentia mala, quæ per ipsam introducuntur.

Conglutinantia vulnus optima. Mirum sane, quod hominum deliria vocentur artes. Reperiuntur quidem pulueres & aquæ conglutinantes, quæ vulnus quoduis non alias connectunt, ac duos asseres optima colla. Hunc vsum ego maximam artem fore dico: nam ipso mirabiliter curantur vulnera, prout in secundo Tractatu de receptis docebitur. Si hæc ars loco suturarum venisset in vsum, aut mansisset hactenus, multa vulnera curata fuissent, quæ male sanata remanserunt. Verum destruentium semper, quam restaurantium copia maior exstitit, eo, quod vbi loquacitas, ibidem quæri solet ars, at inueniri nequaquam. Sic fundamenta ruunt artium, & construuntur abusus, qui locum earum occupant.

CAP. XV.

De ligaturis primis, mediis, ac postremis, ac aliis apprime necessariis.

Vulnerũ curandorũ & ab accidentib præseruãdorũ potior & cõuenientior via. IN Chirurgia quædam notanda sunt, ac ab initio vsque ad finem optime consideranda. Quamuis vnumquodque medicamentum eorum, quæ secundo Tractatu scribuntur, initium, medium, atque finem per se complectatur: nihilominns, vt citius curentur, & ab accidentibus tueantur vulnera, potior hic est, & conuenientior vsus. Ab exordio vulnera curans, oleis, balsamis, & vnguentis vulneraribus, imbutisque suis medicamentis ligato floribus, & istis impleto vulnera tepidis: tum demum vnguenta vulneraria, vel fodicationum superponito postremo circum vulnus olea vulneraria cum suis, quæ continent, ligato, singulis horis duodenis renouando continuandoq; nouem, vel ad minimum octo diebus. Hoc meum est consilium, vt fiat in maximis & periculosissimis vulneribus, in quibus nerui truncati sunt, aut multo peiora quæpiam secta; & vbi dubitatur de accidentium incidentiis, aut contracturis: quæ

quæ quidem euitantur omnia, si ligaturæ primæ tales fuerint, iuxta processum hunc obseruatæ. Et vbi vulnera fodicata periculosaque forent, per syringa inspuantur olea vulneralia vt huiusmodi latebris euitentur etiam accidentia. Nam principiis non tam diligenter obstare quis potest, ac necessarium est. Si capiti vero sint inflicta, linteolum tenue, vel byssinum velum, oleo vel vnguento vulnerali & calido madidum, (balsamo vulnerali nullo modo) superpone vulneri, sic vt fundum eius tangat, intacta pia matre tamen aut illæsa: postmodum imple sulcum eo medicamento, quod fit ex herbis & floribus in oleo vulnerari contentis, & prius expressis: postremo fodicationum vnguentum superpone (non tamen ex illis, quæ non ex lithargyriis componuntur) ligatoque, vt supra dictum est de aliis, donec perceperis patientem habere melius, & roboratum esse, quod plerunque fieri solet in octo vel nouem diebus. Deinceps cum feliciter patienti rem succedere videris, oleo balsamino curabis eum illito pluma leniter, & vnguento superposito, tamdiu, quousque neruorum iuncturas, aut similia non videris amplius: tum demum fere secunda ligatura finem habet. Tertia postremaque ligatura fit nudo soloque fodicationum vnguento, in finem vsque vulnerum, aut curæ. Hæc est medendi ratio, & consilium in periculosis vulneribus, quæ in ossa, neruos, arterias, & similia facta sunt, & de quorum cura desperatum fore posset. Cum tamen ita periculosa non fuerit, poteris vnico tantum medicamento vti, procedereque sine metu. Maximum est hoc negotium, in principio scilicet agere mitissime cum vulneribus, impositis medicamentis, quæ ex fundamento vero composita sunt, & veris etiam superius ab extrinsecis inimicis defendentibus. Sunt præterea quædam alia medicamenta, veluti potiones, & pulueres vulnerum, sublimata ac destillata, quorum vsus infra suis capitulis declarabitur.

Vulnerũ periculosorum in neruos illatorum cura & medẽdi ratio.

CAP. XVI.

De quibusdam intrinsecis morbis, quæ ex vulnerum conclusorum curis oriuntur.

Morbi ex conclusione vulnerũ orientes.

SOlent plerunque post vulnerum conclusionem infirmitates periculosissimæ sequi. Non solum igitur in conclusione curandorum vulnerum ars tota consistit, verumetiam præuentione quibusuis accidentibus, quæ subsequi possent, ordine, regimineque bonis opposita. Exemplum ab his, qui minuunt sanguinem, accipiamus, exitum hunc naturæ præparant in auxilium, per quem vlterius iuuari vult: quod nisi fiant, sequuntur acidentia. Cum in tam leuibus ergo hoc ipsum euenire videatur, quanto magis exitu fuerit opus illis, quibus multa fuerunt inflicta vulnera vt infirmitates intrinsecæ, quæ subsequi possent, euitentur. Industria summa requiritur, vt cognosci queat ac intelligi, qua via rationeque hoc loco naturæ præparari debeat exitus, & quo tempore congrue fieri debeat. Animaduertendum est etiam, nimiam sanguinis effusionem sæpius pulmonem inficere, quandoque hydropisin, aut alios tumores excitare, vel aliquoties complexionem in aliam à propria sua natura qualitatem inuertere quâ de causa vertigines, ventriculi malæ dispositiones, & similia in aliis membris oriuntur, latius consideranda: quam hoc loco describi queant. Cum igitur à te curatus quispiam recesserit, hoc regimen ex ordine præscribere decet, vt damna quæuis effugere possit. Nonnunquam etiam per vulnera graues curantur infirmitates. Vidi quendam ferme surdum à plurimis annis, cui fuit amputata cum frusto carnis amplo satis auricula; hoc vulnere curato ab ea parte melius audiuit. Hoc ipsum etiam aliquoties accidit oculis, vt clariores facti recuperarint aciem. Sic & in aliis defectibus ægritudinibusque euenire solet ac potest, quarum sanguis est occasio. Alij fuere, qui dysenteria sæpius in anno vexati, medio vulnerum sectorum fodicatorumq; longo tempore liberati sunt. Podagram etiam plurimis annis retardarunt. Quapropter vno plura consideranda sunt à Chirurgo, nec non æque ac vtilitates, damna cognoscenda vulnerum. Nam etsi quandoq; noxium quid esse videtur omnino, tamen alias vtile reperitur ex altera parte sæpius.

Sanguinis nimia effusio pulmonem inficit.

Surditas illuuione vulneris curata.

CAP. XVII.

De quibusdam in particularibus vulneribus, & fodicationibus animaduertendis.

IN genitalibus & pudendis vulnera plus, quam in aliis partibus, doloris inferunt. Eorum ligationis ordo minime differt ab eo, qui de cæteris dictus est, vt pote cum obseruatione principij, medij, finisque ad mitigationem doloris, aut inflationis, tumefactionisque depressionem in illis concurrentium. Istud medicamentum confici debet ex farina fabarum in vino & aceto cocta, calidumque superponi, quantum pati valeat æger: & cum refrixerit, iterum vt prius innouatum calidumque superponatur, donec sedetur dolor: vel fabarum loco farinæ sumatur ex furnis argilla vsta, præpareturque vt farina, & eodem superponatur modo, quousque dolor cessauerit. Si forte his remediis nollet cedere prorsum, accipe florum chamomillæ manipulum vnum, & florum verbasci vel taxi barbati tantundem, coquantur in oliuarum oleo, donec in modum emplastri reducentur, hoc superpone calidum. Rursus vbi non iuuerit, ebulum in vino coctum superpone: postremum hoc est in his remedium.

Vulnera genitaliũ & pudẽdorũ, vt tractanda.

Medicamentum ex fabis cõfectũ.

Intestinorum vulnera debent artificiose connecti cannulis argenteis, modo fieri possit. Euenire solet etiam, vt successus intestinum vna cum excrementis exeat, quod eo si peruenire poterit, bene est. Verum industriam id requirit maximam ab omnib. non subeundam. Præcipua quæ à Chirurgo notanda considerandaq; (præter illa quæ de receptis cognoscẽda) sũt, hactenus aperui. Quæ si quis non intellexerit, secũdi, tertijq; Tractatus recepta sibi sunt inutilia.

Vulnera intestinorum vt tractanda.

SECVN-

SECVNDVS TRACTATVS CHIRVRGIÆ D. THEOPHRASTI PARACELSI.

De medicamentis, artibus, & receptis, per quæ vulnera, fodicationes, iaculorum ictus, & similia curantur.

PRÆFATIO.



OC sequenti secundoque post primum Tractatu meo continentur omnia recepta & medicamenta, quibus verißime certißimeque iuxta naturæ verum ordinem quodlibet vulnerum genus, aut fodicationum curatur, & eo, quo peruenire debet ac potest, perducitur neglectis prorsus iis, quæ ab aliis scripta sunt. Chirurgia fuit hactenus & semper verum & certißimum fundamentum, at à putatitiis Chirurgis deprauatum & falsificatum.

Chirurgi reprehēduntur.

Quod quidem expertus sum, hoc vobis palam facere possum, quo melius, & quinam corrigendi sint. Lege igitur, addisceque recepta quæ sequuntur, quibus fideliter agere cum proximo, non alias, quam ipse tecum fieri cuperes, ex æquo valeas. Considera superbiam, vanam gloriam, pompam, & multiloquium curare minime posse, at solam artem. Quapropter abiice quicquid arti contrarium est, vt perfectus fias in Chirurgia medicus.

CAP. I.

De abstinentia, regimine, & ordine, quæ à vulneratis obseruanda sunt.

CVM sanis corporibus inordinatus viuendi modus noceat, quanto magis infirmis. Idipsum in vulneratis considerandum est, præsertim quod videamus ordine bono cibi & potus, ac regimine vulnera curari posse, pariter, & malo deprauari. Seruandus est igitur, vt in omnibus, & in vulneratis ordo bonus, qui faciat ad sanitatem, contra quem nihil admittendum erit. Nam ordo malus & medicamentum, licet optimum nihil operari boni possunt: nec medicamē cum bono regimine prauum. Inde sequitur vulneratos cibis & potibus optimis alendos esse, iuxta sui tamen stomachi digestionem. Ordinem & vsum hunc obseruato. Si quispiam potus existens vulneratus fuerit, sine talem in secundum vel tertium aut quartum diem superfluum hoc, quod sumpsit, optime digerere: interea tamen poteris illi offas aqua madidas, & auenæ farina concoctas administrare, potumque dare decoctionem ordei. At si ieiunus vel non potus aliquod vulnus receperit, optima quæque saniora dabis, quod eius natura non sit alterata in digestione, prout altera poti, qui duo iam habet vulnera, prius intrinsecum naturam corrumpens, alterum extrinsecum in carne.

Ordo bonus vbi libet seruandus.

Vulnerati cibis optimis alendi.

Vulneratus potus & nō potus, vt ambo tractādi.

Cibus vulneratorum sæpius mutandus est, eorumque varius appetitus exstinguendus, & non reprimendus, nisi talia forent ab eis desiderata quæ in omnibus ægritudinibus prohibita sunt, vt suillæ carnes, anserinæ, aquaticarum auium, &c.

Appetitus vulneratorū exstinguēdus.

Hoc loco potissimum est, vt sæpius & qualibet vice parum cibentur & potentur vulnerati: non obruantur eis vllo modo, nec diu fameant aut sitiant. Nam eorū sitis ex iecore prodit, quod à vulnere suum cogitur nutrimentum exhibere, quapropter est in vulneratis exstinguenda sitis: quæ quidem potius quam sitis medicamentum est ad curam excitatum. Est ergo potus istorum concurrens medicamentum, & in vulnere solatiū: sic de cibo iudicandū erit.

Vulnerari quomodo, quando, & quoties cibandi.

Præter necessitatem edere vel bibere non cogantur, siue grauiter aut leuiter vulnerati, nisi foret infrigidatus ventriculus, & hac de causa non appeteret cibum, propter digestionis in eo defectum: quo percepto, calefaciendi stomachi gratia poterit cibus administrari calidus & potens qualibet vice parum & sæpius: vt sunt offæ carnium iure madidæ, vel pultes, quas Germani vocant adustas. Non est quod latius de cibo vel potu scribatur, quam vt respectu personarum leues atque digestibiles administrentur, suis etiam temporibus, vt pote cum exigit ipsa natura. In potu plurimum erit animaduertendum, vt adhibeatur ex æquo: nam plus vulnerati sitiunt quam fament, ob sanguinis effusionem (vti supra dictum est) quam sitis, & non ita fames sequitur. Siquidem ex effusione sanguinis, iecori suum deficit nutrimentum, & non stomacho: quapropter sua siti nobis indicat huiusmodi restauratum cupere defectum. Quod stomacho defecit, non est ita metuendum, nec tanti momenti hoc loco: citius enim & leuius corroboratur ventriculus ipso iecore. Stomachus omnis hac ratione suam digestionem amittit, quod ex cibo suo iecur satiare non potest: attamen potum digestio parum appetit. Pluris igitur quā stomachum iecur facito, quod istud vulneri suum nutrimentum exhibeat. Et quanto magis in se potus habuerit sanguinis, id est, in eum erit potius conuertibilis, tanto magis vulnus ad sanationem promouetur. Quamobrem potissimum & optimum iuxta regionis commoditatem, quem habere valeas elige potū.

Potus in vulneratis maxima ratio habēda.

Ventriculus iecore leuius corroboratur.

Iecur pluris habendum quā stomachus.

Iubeto vulneratum quiescere, ne membrum fatiget ægrum, eo melius curabitur.

Quies vulnerato imperanda.

Etsi forte quæpiam infirmitates inciderent vt supra, scias addere vel detrahere: vt si contorsiones fierent membrorum, aut epilepsia, vel spasmus accederent, caprinas carnes ne dederis, & si febres, ouorum nihil: sic de cæteris infirmitatibus ad vulnera concurrentibus.

CAP. II.

De obstructione alui, eiectione per os, & vrinæ defectu, vulneratis aliquando contingentibus.

Alui obstructio in vulneratis vnde.

QVod vulneratis aluus obstruatur, ex sanguinis effusione fit potissimum, quæ naturam debilitauit magis, quam expellere valeat: *secundo*, longa decumbentia id etiam operatur: *tertio*, famis atque sitis defectus: *quarto*, vulnerum natura calorem concipit, qui siccat & consumit: *quinto*, sitis indicat obstructionem alui siccitate causatam esse.

An laxanda aluus.

In his animaduertendum, opus non fore laxationibus, nisi post diem tertiũ, aut paulo diutius, vel vbi cordis astrictionem senserint, quo percepto suppositoriis imprimis vtendum erit: quæ si non iuuerint, cassia fistula detur, aut electuarium ex succo rosarum, diafinicon, aut benedicta laxatiua, iuxta communem vsum.

Non sunt etiam contemnendæ potiones decoctionum, quæ fiunt ex folliculis senæ, polypodio, similibusque.

Excrementorum per os egestio quomodo curetur.

Euenire solet aliquoties, vt vulnerati per os eiiciant, aut saltem ad hoc proni sint. Cum id contigerit, accipe frumentacij fermenti manipulum vnum, cum succo mentæ, & aceto contusum, & in emplastrum coctum, ac stomacho superpositum, teneatur donec refrixerit: postmodum calefactum iterum apponatur quoties ederit, ac duabus vel tribus horis postea super ventriculi cauitatem relinquatur. Non vsque adeo curandum est istud accidens, cum non sit admodum periculosum, nec in malum finem tendens, sed vt natura fortificatur, per sese transit in nihilum.

Stranguriæ cura.

Cum autem vrina meatum sistit, da patienti cancrorum oculos in aqua vel succo raphani tritos in potum, & si non iuuerit, crocus in sacculo pudendis alligetur extrinsecus, aut glandes edat siccas, etiam cum vulnerum cura cessat.

CAPVT III.

De præparationibus medicamentorum instructio generalis.

CVius medico familiarissimum inter cætera fore debet hoc, scilicet, vt cognoscat, in qua præparatione quoduis potius ac potentius vires suas exerit, quicunque idipsum non didicit, ad Medicinam aptus esse minime potest.

Medicamẽta omnia calore præparantur.

Est enim differentia maxima calorum coquentium vel dirigentium: calore siquidem præparantur omnia, vel ignis, solis, fimi, vel naturaliter innato: quæ sic intellige. Cum aliquod medicamentum in phiala vitrea soli fuerit expositum, aliam virtutem habet, quam si calore digestum fuisset ignis ligno facti vel fimo: & in hoc postremo coctum aliam, quam in sole vel igne. Discrimen est etiam inter calorem arenæ & aquæ, licet ambo calorem ab eodem igne recipiant externo, pariter & simili modo. Cum igitur consideratu maxime necessarium, vt vnumquodque sit in conuenienti sibi calore præparatum, æquum etiam erit hoc ipsum declarare, quo digeri queat in sole, quod illi conuenit: & in reuerberatorio quicquid ab eo præparari debet: ac per se teneri, quod ex seipso præparatur: vt vinum in suo vase, nec non in fimo perfici, quod in eo potest emendari quoduis congruo suo loco, prout in sequentibus receptis habetur apertissime. Discite igitur quis naturæ sit ordo cognoscere simul & experiri, quave ratione præparari cupiat, alias quod in ipsa virtutum est, ac operationum, perficere non potest. Huiusmodi præparationum tantillam antiqui fecere mentionem, quantam ab Alchimistis & admodum sobrie sugere potuerunt absque vero fundamento: quamobrem hoc illo & aliud alio destinarunt, singula quo non pertinent: inde manifeste patet eorum ignorantia maxima.

Calor arenæ, solis fimi, & ignis differunt. Medicamentum quodlibet suo sibi calore conuenienti præparandum.

CAPVT IV.

De præparationibus vulneralium ciborum & potuum, correctionibus, viribus, & virtutibus eorum.

Vulneralium potionum vires quantæ.

TAnta vis atque potestas est vulneralium potionum, vt auxiliante natura quidem intrinseca, vulnus quodque fodicatum curet. Etenim si natura per seipsam proprius sibi medicus existat, solumque hoc vnum cupiat, vt ab extrinseca iuuetur ob communem inter sese conuenientiam, & symbolisationem (quod certissimum est) externa debet internæ coniungi naturæ. Habet itaque natura quædam corpora, quorum virtutes aliis in corporibus vsurpandæ sunt, & ex similibus fieri vulnerales potiones debent, vt in suum ea recipiat natura cibum: ea ratione sibi medicamentum associatur, vt vulnera curentur naturaliter. Quapropter apprime necessarium, vt vlnerum potiones doceantur iuxta suum ordinem, cum probatissima certissimaque sint medicamenta, quibus cum sectionum, tum fodicationum vulnera curantur omnia. Quamuis potiones vulnerales semper in vsu fuerint: in conuenientibus tamen compositæ partibus & præparationibus vanis ac innutilibus imperitia medicorum exstiterunt. Sunt itaque veræ potiones vulnerales medicamenta nedum, verumetiam nutrimenta. Pariter & cibi vulnerales fieri possunt; hac ratione videlicet, vt eadem, quæ dictas potionum compositiones intrant, vna cum cibo coquantur & edantur. Verumenimuero quod in stomacho tardius digeruntur, non ita celeriter auxilia sua præbent vulneribus vt potiones: & quia plerunque ventriculus ad digestionem est indispositus, omissum fuit istud medicamentum, vt natura non debilitetur amplius. Si tamen fieri possit bona digestio, perquam vtile fuerit, vna cum potionibus exhibere. Variæ sunt potionum vulneralium decoctiones, quod varia sint ea similiter, e quibus fiunt, vt centenarium fere numerum impleant: e quibus quinque vel sex plus vel minus eliguntur, vt in aliud corpus transferantur, scilicet in vinum. Quicquid sit, nonnulla meliora, peiora quædam, alia suis in operationibus tardiora, celeriora sunt alia, quæ prout a Chirurgis cognita medicamentum inde simile resultat. Erit igitur maxime necessarium imprimis, quæ potiora fuerint cognoscere, quibus maxima virtus ad prædictas potiones est insita, præparareque iuxta natu-

Potiones vulnerales quales & quæ esse debeant. Cibi vulnerales, non ita celeriter penetrãt ac potiones. Potiones vulneratiæ variæ.

naturalem eorum ordinem: hac via potest vnūquodque vulnus sectione fodicationeque factū, ad sanitatem adduci perfectissimam. Potiones quę dictę sunt, ac cibi simul sumpti plurimis accidentibus occurrunt, ac futuris alias damnis. Nam in suo temperamento conseruant naturā, vt mitis maneat, vtque nullam occasionem inueniat aliquod accidens vel damnū inferendi: siquidem omne quod naturā in pace conseruat, efficit etiam, vt ipsa de nutrimento minime conqueratur: quo non deficiente naturæ, mēbra sanantur præter incidentiam prauorū accidentium. Idipsum non ita facile per extrinseca medicamenta fieri potest, velut per intrinsecus adhibita. Quamobrem ad vulnerum potiones & earum parationis ordinem quiuis Chirurgus animum studiumque summa cum diligentia dirigere deberet, quod potius medicamentum eis reperiri nullum valeat, aut quo euitari melius possint accidentia praua. Præter eorum, quæ ponemus ordinem inferius, excellentissimas vidi potiones vulnerales, quæ peculiari sua natura mirabilia curarunt vulnera, naturaliter tamen, & ita supra cetera medicamenta, vt merito forent admiranda. Vidi quendam Walachum in ciuitate quadam, quæ *Alba Craca* nuncupatur, is vnico potionis haustu patientibus adhibito, vulnera quæuis, cum secta, tum fodicata curabat. Quamuis hæc non omnibus, nec in omnibus locis, neque in vulneribus omnibus valeat aut certa sit, nihilominus cum ægrotos animaduertissem eius & vulnerum situs, percepi quæuis eiusdem generis vulnera hoc modo curari posse leuiter: quod vero tale vulnus, aut ita situm non esset, fallebat: est in ipsa natura tamen virtus hæc magna. Vidi pariter in Croatia Ægyptium circumuagantem vnius herbæ succum semel in potum dedisse vulneratis, & curasse quæuis fodicata vulnera. Verum quæ in accidens erant prona, curare minime poterat. Itidem in Stockanima Daniæ vidi potionē vulneralem apud mulierem nobilem, cuius tribus haustibus, præter ea quæ sectos neruos, & ossa rupta continerent, alia quæuis curabantur vulnera. Cum tamen rarissime caro sola secetur, non est similibus omnino fidendum. Alias dæmonum coniuratorem vidi, qui tribus haustibus alicuius potionis vulneralis omnia, tā ossiū, quā neruorum vulnera curauit. Sed cum eius rei veritatem examinassem, didici non curasse potiones, at id solum quod superposuit vulneribus: quod etiam in aliis capitulis & suo loco dicetur. Interim quæ potissima sunt, ac principalia fore iudicem ad huiusce modi potiones, inferius enumerabo, quibus indubiam fidē adhibere poteris, ac illis omne genus vulnerum, excepto nullo curare. Pariter, quæ præparari debeant, cōponique, dicemus infra: numerus eorū hic est, *Diapēsia alba. Diapēsia campestris. Alchimilla. Serpentaria. Ophioglossū. Consolidæ sarracenię. Baucia flaua folia. Pirola vtraque Persicaria. Bleta alba, & rubea, Cauda pauonis. Glandes, Mumia. Sperma ceti. Terra sigillata vera. Rheubarbarum libanetis. Asarū. Agrimonia. Consolida maior. Polytriconis Apulei. Liliū conualliū.* Plura sunt & multo, quæ hoc loco numerare superfluum esset, cum inter ea, quæ superius ponuntur, tria sint vegetabilia, quorum cuiusuis succus haustus quodcunque vulnus sectum aut fodicatum curat. Etiam duo sunt inter illa, quæ recenti prius aqua frigida madefacta, vulnerique superposita, citius curant, quam herbarum alterutra putrescat.

Potionū vulnerariarum cōmoda.

Potiones vulnerariæ mirabilia operantes.

I. II. III.

Herbæ vulnerarium potionem intrantes.

Herbarū administranda. rū vsus.

Vnum est adhuc inter eadem, quod ter haustum vulnera secta nec non fodicata curat, etiā si forent periculosissimis accidentibus arrepta: his quidem ablatis illa curat perfectissime. Sunt etiam inter prædicta, quæ vulnera curant intestinorum, non alias quam carnium. Mirabilis enim est natura suis in arcanis, quæ quidē addiscere, necnon experiri, pulchrum est & vtile: non sine tamen id labore maximo, summa diligentia, nec non experientia multiplici fieri poterit. Iam ergo potiones vulnerales iuxta verū ordinem & vsum earum ponam, quas diligenter addiscito: vt bonus atq; perfectus Chirurgus factus, in vtilitatem Reipublicæ tuique laudem, artem exercere valeas.

CAPVT V.

De præparationibus antiquis, & postmodum recentioribus vuneralium potionibus.

Antiquorū modus potiones vulnerarias præparandi.

Modus Theophrasti.

ANtiquis hic vsus fuit, vt herbæ vulnerales in vino coquerēt, ad consumptionem tertię partis vel medietatis. Ista præparatio contra naturam est, & verum ordinem: quia si vinū per se bullire scias, vt supra, frigefierique sinas, reperies insipidum liquorē naturæ prorsus contrarium: euaporauit enim quod vinum erat in auras, & remansit fœtidus acidusque liquor naturæ penitus inutilis. Quapropter si hoc euitare corrigereque velis, ac retinere vinū in suis viribus, ad iuuandam naturā idoneum, in stanneū cantarum aut lagenam positum, & pultibus farina factis obstructum, in aqua bulliat per horā vnā, aut sesqui, hac ratione suas vires nō amittit, sed in sua natura manet integrum, & in id herbarum virtutes imprimuntur perfectius ac fortius, quam ex vsu veteri. Diligenter igitur quem tibi modum posui serua ne fœtidū & insipidū naturæ potum in sui detrimentū pares. Primus.

Est etiam vtilissimus vsus, vt in Septembri, cum vinum adhuc recens est, a torculari, statim reponatur in dolium vulnerariis herbis prius impletum, & ita simul digerantur per tres mēses, quibus absolutis abstrahatur, erit hoc vinum, potio vulneralis vtilissima, quæ nulla coctione præparatio neue latius indiget: nam est iam potus vulneratorum optimus. Secūdus.

Potus vulneratorum optimus.

Vsus vero meus communiter hic est, cum vinum administrari patientibus non potuit, neque debuit, vt herbas vulnerales optime dissectas & virides in cantarum posuerim obstructum pultibus & in aqua feruente coxerim octo horis: inde liquorē habui, potionemque vulneralem, quam patientibus administraui. Est hic potus vtilissimus illis, quibus vinum bibere non licet, aut in capite vulnerati sunt, &c. Trium harum quamlibet quocunque modo vulneralem potionem præparaueris iuxta proportionum ordinem, vtilis erit. Iste modus etiam non est inutilis, vt herbarum vulneralium succos in cantaro sicut prius audiuisti, coquas in aqua bulliente, fiet ex eis optimus potus, cui poteris parum aromatū addere, vt reddatur gratior acceptiorque naturæ. Itidē intelligendū erit de cibis vulneralibus. Tertius. Quartus.

Quicquid cibi voles adhibere patienti, carnes aut gallinas, in cantarū cum aquæ tanta quantitate, quantū iuris habere cupis, additis insuper vulneraribus herbis posita quæque obturato cātaro coquantur in cacabo feruente aqua pleno, suo tēpore conueniente. Hic cibus erit vulneratis vtilissimus ad curam. Poteris etiā aquæ loco sumere vinū, pro his, quibus nō oberit: cibus hic est nutriēs vulnera præ cæteris ōnibus.

Cibus vulneratis vtilissimus.

Instructio quædam ad componendum aliquas vulneratorum potiones.

Vatii cōponendarū potionum vulnerariū processus.

℞. *Diapensiæ vel saniculæ, pirolæ, centaureæ, betonicæ, ana manipulū vnū, consolidæ regalis m.ß. Agrimoniæ m.ij.* coquantur ex ordine prædicto.

Alia potio.

℞. *Dragūculi manip.iij. alchimillæ m. ij. pirolæ minoris m.j. alyssi .ß. reubarbari ℥.j. reuponticæ ℥.iij.* & coquantur, vt supra.

Alia.

℞. *Angelicæ ℥ ß. mumiæ ℥ j. spermatis ceti ℥ ij. consolidæ sarracenicæ m.ij. ciclaminis ℥ ij. pirolæ vtriusque ana m.iij.* vini quantū sat est: coquantur vt alia. Alio modo præparari possūt istæ potiones, vt pote, si destillatas aquas ex vulneraribus herbis acceperis, easque suis herbis iterū imbiberis, & in clauso cantaro coxeris, vt supra, potiones fient excellentissimæ, quarum vnum exemplum hoc habe.

℞. *Pirolæ minoris aquæ mensuram j. cui pirolæ m.j. inicias, diapensiæ m.ß. peruincæ tantundē:* coquantur, vt supra.

Est & alius processus, iuxta quē fiunt omniū excellentissimæ potiones, in modū, quo paratur album oleum baccarum iuniperi vulneraribus herbis adiunctis, & simul præparatis omnibus. Hic processus omnium est artificiosissimus, ac subtilissimus, præ cæteris etiam eligendus. Nam in iuniperis baccis latet peculiaris ad sananda vulnera virtus, quapropter suadeo quibusuis, vt præparationē hanc addiscāt. At quia per destillationis artē fieri debet, quæ hoc loco non docetur, nec eo ponendā esse iudicaui. Verū qua ratione quæuis potio cum prædictis præparari baccis valeat, in exemplum adducam.

℞. *Baccarū iuniperi libras ij. optime tritas, pirolæ vtriusque, alyssi, radices diapensiæ albæ ana m.ß. ophioglossi m.ß consolidæ maioris, aristolochiæ rotundæ ana ℥.v. persicariæ ℥.iiij.* præpara secundum artem huius destillationis. Poteris etiam easdē aquas ex huiusmodi destillatione prouenientes vulneraribus herbis affundere, necnon in cantaro præparare, sicut antea diximus: nec solū e baccis, verum etiā ex cinnamomo, similibusq; Subtilis alia fieri potest præparatio, si flores vulnerares vna cum spicæ floribus, non alias quam oleum de spica paretur in pinguedinem. Dosis tamen eius exigua cum cibo vel potu fore debet, in cuius declarationem hoc vtemur exemplo.

℞. *Florum spicæ m.j. florum hypericonis m. iiij. florum taxi m.ij. betonicæ, centauriæ, prunellæ ana m. ß.* præpara secundū vsum de spica dictū.

Alius præparationis modus.

℞. *Consolidæ maioris ℥ ii. Aristolochiæ rotundæ ℥iij. calami aromatici ℥ j. iridis ℥ ß. saponariæ m. v. diapensiæ albæ m.ß. herbæ caudæ pauonis ℥ ij. myrrhæ, masticis, thuris, mumiæ ana ℥ ß. rheubarbari ℥ j.ß.* coquantur in vino vel in aquis destillatis, vel in succo pirolæ, aut in aqua communi, prout commodius fieri potest. Hactenus de vulnerarium potionum præparationibus dictum sit. Multi reperiuntur, qui bona recepta habent, si tamen, vt supra diximus, præparentur, efficaciora forent, ac magis vtilia.

Dosis huiuscemodi potionum discretioni tuæ relinquitur, qua præparationum vires & efficaciam cognoscere debes ac indicare.

CAPVT VI.

De præparationibus vnguentorum vulnerarium, quibus in medicamentum efficacius aliis adducuntur.

Vnguēta vulneraria.

VNguenta vulneraria medicamentum sunt præ cæteris antiquissimum, experiētiaque probatissimum ad vulnera: quod in vsu fuisse priusquam alia forent excogitata, scitur. Omnibus hæc ars communis fuit ac familiaris: nam a popularibus inuenta, patribusque familias, & suis asseruata domibus: quod medicamentum compositū erat ex eis, quæ cuique suis in cāpis creuerunt, & hortis, quæque potuit vnusquisque serere metereque.

Vnguētorū vulnerariū fundamētum.

Istorum vnguentorum vulnerarium fundamentum in duobus tantum constitutū fuit, scilicet in melle, & in butyro, quæ duo vulgus potissimum elegit: quia considerarunt apes e floribus & herbis plurimas virtutes exsugere: cūque illa multas habeant, & mel habere necessū esse cogitarunt. Pariter & vaccæ pascūtur multis herbis & floribus optimis: quapropter & butyrū easdem habere virtutes debet. Hac ratione mel & butyrum electa sunt corpora, quibus medicamentū inderetur. Ex istis considerationibus ortum est, vt medicamenta, quæ in campis creuerunt, cum melle butyroque fuerint vnita, seruata, & his postmodū curata vulnera. Certissimum est, verām atque perfectam artem hanc existere, & vnguentorum vsum. At surrexerunt postea sophistæ medici & Chirurgi, qui contemnentes artem istam coram popularibus, rusticam eam appellantes, alias excogitarūnt prauissimas, & optimas abiecerunt.

Iam similia ponam recepta, vt iterum in vsum redeant. Poterit loco butyri mel, vel in istius locum alterum substitui: hoc est, quoties vnum reperitur scriptum, alterum accipi.

Vnguenta cum butyro & melle.

℞. *Butyri de mense Maio facti, crudi,* nō cocti, cui per contusionem immisceantur, *vtriusque plantaginis, vtriusque pirolæ. Bletæ cum radicibus ana m.j. dracunculi minoris vel ophioglossi m.iij.* Misceantur omnia tundendo simul, vt fiat vnguentum, quod soli clausum in vitro poterit exponi menses aliquot, & postmodū ab impuro colari, sic defecatius reddetur, ac purius. I.

Aliud.

℞. *Maialis butyri libras iij. radicis consolidæ maioris viridis lib.j. ophioglossi lib j.ß. lumbricorū purgatorum lib.ß. aristolochiæ rotundæ viridisque ℥ iij.* terantur omnia simul in pultes, & postea reponantur in locum frigidum, & si pinguedinem emittant, poteris eam abiicere: soli pariter exponi potest, vel in fimo digeri, postea seruari. II.

Hoc seruato processu, diuersimode cōponi poterūt vnguenta vulneraria, quæ per se potentia

sunt quoduis curare vulnus: addi potest etiam parum salis, ad humectationem: vel aqua salis ablui debent, aut falsa.

Vnicum potes etiam tantum assumere, prout mel & draguncul um, mel & flores hyperici, butyrum & consolidam maiorem, aut plura simul ex his, quæ vulnerales inter herbas numerantur. Et quia potior & efficacior vna est altera, meliores eligito, pro commoditate regionis & loci.

Vnguenta quædam ex resinis.

Vnguentum ex resinis.

Postquã ex butyro melleque vulgus vnguẽta vulneralia reperisset, alij resinas ex arboribus fluere conspicientes cogitarunt ex istis alia sibi conficere. Resinarum vero diuersa genera sunt, vt *abietis, laricis, &c. gummique*, iuxta cuiusque regionis & loci naturam, sibi quisque peculiaria præparauit vnguenta. Perfectissimæ sunt artes istæ, quarum aliquot recepta ponam, vt vnusquisque sumere valeat, quod in sua patria vel habitationis loco crescit, vnguentum quoque præparare.

Resinarũ varia genera.

In Germania resinarum excellentissimarum duo tantũ genera producuntur, vna abietis, altera laricis: cuius posterioris dabimus exemplũ.

℞. *Resinæ laricis lib. j. ouorum vitella xx.* contunde simul omnia, fiet inde flauum vnguentum huic impone *consolidæ maioris, optime tritæ ℥ ß aristolochiæ rotundæ contusæ ℥ j. ordei farinæ ʒ vj.* contere simul omnia, & fiat vnguentum, quo curabis vulnera quæcunque voles.

Aliud ex resina abietis.

℞. *Resinæ abietis claræ mundæque lib. ß.* liquefiat suauiter igne lentissimo, huic iniice butyri parum, & misce fortiter, contere postmodum in mortario cum æquali pondere consolidæ maioris, vt vnum inde fiat, quo vulnera curãtur.

Vnguentum ex cera.

Vnguentum ex cera.

Post istas artes exorta sunt vnguenta cerea, cum resinis mixta simul & oleo temperata, postmodum adiectis vulneralibus herbis earumque radicibus, vt supra dictum est sæpius.

Est nihilominus inter alias artes minima, quamobrem eius hoc loco paucam admodum facere mentionem volui.

CAPVT VII.

De præparationibus oleorum & balsamorum vulnerarium.

Olea vulneraria.

OLea vulneraria penes antiquos in communi reperta sunt, & postmodum ab Alchimistis balsama.

Cum veteres vnguentorum vulneralium considerassent virtutes, eademque melli butyroque miscuerunt, oleo pariter coniunxerunt, experientes vtrum vnirentur ei prout aliis. Quum & hoc sibi successisse feliciter vidissent, eo sic vsi fuerunt oleo.

Primo lauerunt vulnera vino, demum inunxerunt oleo, curaruntque. Huius etiam artis meminit Christus, vbi de Samaritano loquitur in Hiericho vulneratum a latronibus, curante. Quamobrem coniectare licet, artem hanc fore vetustissimam, & olim priscis in maximo pretio fuisse.

Postmodum aduenerunt Alchimistæ, qui æ destillata crudis olea præstare iudicantes, ea quæ crudo prius admisceri consueta fuerant, oleo destillato non feliciter addiderunt, & alterius vsi loco nomen propter destillationem immutarunt, vocaruntque balsama.

Oleũ destillatũ.

Nonnulla quidem est inter destillatum & crudum oleum differentia. Verum ego sum expertus oleum destillatum non debere hoc esse, quod ab Alchimistis *laterinum* dicitur, sed absque mixtione alterius rei destillatum per vas retortum, donec mutari color cœperit a natiuo, scilicet in rubedinem, quo percepto recipiens amouendum, & in eo reperietur oleum priore colore, nec odore vix immutatum: hoc vtere, cum balsamum voles ad vulnera componere.

Oleum crudum & destillatum differũt.

Oleum destillatũ quale.

Terebinthina vt destillãda.

Terebinthinam pariter, vt oleum nimis destillarunt Alchimistæ, cui vulnerales herbas imposuerunt: at errore suo hoc etiam non caruit. Nam vbi hæc tam acriter destillata est, calida subtilisque nimium efficitur, ad promouendam carnem in vulneribus: quapropter vt oleum destillari debet, vt in suo maneat odore, caloremque rubeum non concipiat.

Latius tentatum fuit, vtpote gummi, resinas, & ceram destillare, sed absque fructu: quare manet olei terebinthinæque destillatorum aut crudorum vsus: e quibus aliquot infra ponemus recepta.

De balsamo crudorum vel destillatorum olei cum aliis & terebinthina.

℞. *Terebinthinæ lib. j. florum camomillæ, rosarum rubearum, prunellæ ana m. j. florum hypericonis m. iij. florum centauriæ, chelidoniæ ana m. ß.* commisce simul & expone soli, spacio duorum mensium. Hoc oleo vel balsamo curare poteris vulnera mirabilia sine dolore. Potest etiam anno reuoluto hoc exprimi, nec non recentibus imbui floribus, & exponi soli sicut prius: admirandæ virtutis est balsamum, siue cum oleo, siue cum terebinthina compositum sit.

Balsami vires.

Alia balsami compositio.

Compositio.

℞. *Ophioglossi, pirolæ minoris, agrimoniæ, diapensiæ, ana m. j. florum hypericonis m. ij. consolidæ maioris coctæ m. ß. lumbricorum purgatorum numero centum.* Affunde corpus, & in sole digerantur omnia suo determinato tempore. Hoc ad omnia vulnera balsamo potes vti feliciter, & ea curare citra dolorem.

Addi possunt huic oleo, mumia, mastix, myrrha, thus, at parum, nam olea balsamaque vulneralia delectantur plurimum herbis & floribus magis, quorum hypericonis hoc loco nobilissimus est. Addi solet etiam gummi, quod fatuum: aliquoties viride æris, æs vstum, & limatura ferri: sed minime laudabile est.

Earundem etiam herbarum, quibus imbuta sunt balsama, seminibus contritis iniectisque si digerantur post herbarum digestionem, per hyemem in calido, vel in æstuario seruata, olea longe fiunt efficaciora.

Postmodum vt artium vna post aliam orta, vernicis ars reperta fuit ex carabe flauo, cuius artifices in aliquibus damnis corporis experti sunt, videlicet in vberibus mulierum exulceratis, & aliis plerisque foraminibus curam eius felicẽ esse. Quod cum animaduertissent, vernicem herbis

Vernicis vsus ex carabe.

herbis & floribus dictis expleuerunt, & vt alia balsama soli digerenda exposuerūt. Et quamuis præparatio tarda sit, ob eius tamen efficacē operationē, cum in sectis & fodicatis vulneribus, tū in vlceribus maximopere laudandum est balsamum. Adduntur huic vernici cum ad medelā assumitur & prius, masticis ter tantum quantū vernicis fuerit, myrrhæ & thuris ad eius medietatem. Etiam dum vernix adhuc est in digestione, debet adiungi mumiæ iuxta compositionē.

Medullę ossiū & pinguedinis animaliū vsus. Tentauit postea vulgus olei loco terebinthinæque medullas ossium & pinguedines ex animalibus, in his tamdiu hæserūt, donec ceruinas didicerint inter brutales excellere medullas, quas, aut bouillas (deficientibus aliis) expleuerunt herbis, eorumque floribus, vt supra, solique digerendas simul exposuerunt, quousque suo tempore vulneraria facta sint olea. Postremo reppererunt humanas medullas omnes alias præcellere, magisque fore vtiles. Non alias de pinguedinibus animalium actum est, vtpote floribus & herbis, cum in olea vulneraria redactæ sunt, quibus omnia vulnera curata fuerūt. Inter brutorum pinguedines, gallinarum & caponum optimæ compertæ sunt, verum illas ac omnes alias humana plurimum excellit. Inter pisces non est præstantior ea, quæ a Germanis appellatur Aeschenschmaltz.

Medullæ humanæ vsus.

Pinguedinum quæ præstantior.

Vernix ex oleo. Potest etiam ex oleo terebinthinaque destillatis per præcedentem additionem subtilissima vernix fieri, quæ plus alia non destillata valeat. Varia sunt quidem oleorum & balsamorum genera, quorum hic nullam facio mentionem aut paucorum, quod sciam ea, quæ tibi iam posui certissima fore, quibus te certiorem facere possum, ad vulnera quæque fore præstantissima. Poteris ipse tibi iuxta commoditatem regionis, in qua fueris, & ex ordine sequentis Capituli recepta componere.

CAPVT VIII.

De curatione vulnerum per ea, quæ munda conseruant illa, suaque mundificatione sanitatem conciliant.

Mundatio vulnerum à carne sumpta. CVm proprium natura balsamum penes se habeat, quo sua damna resarcit, & alio non sit opus, quam, vt munda conseruentur vulnera: mundationis ordinem istius æquum est vt demonstremus. A cane sumptum fuit exemplum, qui vulnera sua quæque, modo lambere possit ea, promouet magis ad sanitatem, quam curet: nam is mundat solum, & natura curat. Hoc ipsum imitati homines, manuum vulnera pariter lambentes canum instar, experti sunt in seipsis, quod in canibus apparet. Aliqui lauerunt lotio, curaruntque: verum quod hoc facile fœtorem vulneribus induxit, & sepius ista repeti debuit ablutio, latius perquisierunt ac vrinæ loco sumpserunt vinum, & quia parum in maioribus vulneribus effecit, ad salsam ventum est aquam: ista quidem & lauerunt & curarunt vulnera tam hominum, quam brutorum animalium. Communis hic vsus fuit, qui postmodum in dissuetudinem successu temporis abiit, aliique mundationum accessere modi, quorum aliquot in sequētibus enarrabo.

Lotio vrinaria vtrum vulneri cōducat.

Lotiones & mundificationes vulnerum varię recēsentur.

Acceperunt herbas vulnerars, easque vino coxerunt vel aqua, sale iuxta libitum addito: decoctione hac sæpius lauarunt vulnera, fæuumque mellis contusum vnguenti loco superposuerunt.

Alumine soluto in aqua cum modica lapidis gagatis, lauarunt & curarunt etiam vulnera. Item succo bursæ pastoris, vel plantaginis, aut aliarum herbarum cum sale modico lauarunt. Multæ sunt herbæ similes, quarum succi vulnera quæuis curant.

Apud Arabes mel & sal paucum infundere vulneribus communiter vsitatum est antea, quo curatum est remedio.

Sunt etiam aliæ mundificationes, quibus mirabiliter curantur vulnera, prout si persicaria recenti prius aqua madefacta vulneribus carnis imponatur, illa curat virtute salis in ea naturaliter insiti.

Sæpius oleo terebinthinæ salso curata sunt quæ communiora fuerunt vulnera. Nec est quod simplices artes, quas modo posui: talis est naturæ proprietas, vt per seipsam curet, vbi mundificatio seruata sit, ac potissimum, ne per medicamentum aliquod irrumpat accidens, vti plerunque solet imperitia Chirurgorum euenire, quare merito detegendū. Verum alius ordo necessarius est ad euitandum accidētia, quia communioribus illis, quæ dicta sunt, minime fieri potest: in illis autē, in quibus talia nō expectantur, simplicioribus vti poteris, vt in superfluas artes putatitiorū Chirurgorū non incidas. Tarde curare melius & bene, quā tardius superfluis artibus deprauare, quæ per se mala sunt.

Natura per seipsam curat.

CAPVT IX.

De præparationibus vulnerarium vnguentorum, & fodicationum, vna cum eorum inuentionibus, & admirandis operationibus.

CApitulum hoc peregrina remedia cōtinet, his ignota regionibus: & quia Deus nationum vicissitudines esse voluit, merito quod nobis ab exteris contingere boni potest, ac a nobis aliis: describemus. Quapropter fundamentum probatissimorum vnguētorum habe normam & compositionem, quibus arceantur accidentia, quantumuis magna, tolluntur que. Licet leuiter ac facile vulnus curari possit, vt (quod ad curationem solum eius attinet) opus non foret vnguenta similia describere: verum quia damnum vix vnquam solum esse contingit, sed vnum alteri fere semper affluit, ea patefacere volui. Possunt accidentia rebus quæ nostris in regionibus crescunt: euitari: tamen hoc loco tantum fodicationum vnguenta proponam. Ab artificibus & mechanicis quædam arcana reperta sunt, in illis quibus indies vtuntur: vt ærarij fabri sanguinis fluxum ære adusto restrinxerunt, & fluentia siccarunt, vulnera. Ferrarij quidem adusto suo ferro, quod *crocus martis* appellatur, vsi sunt ad vulnera. Figuli vero lithargyrio argenteo (quod vocant) vel aureo nonnulla sunt etiam experti. Multa sunt vulgarium inuenta, quę dicta fuerunt experimenta. Multo plura tamen ab Alchimistis varia tentantibus, & in varii s rebus hoc loco non describenda, prout minium, cerusa, simliáque reperta fuêre.

Sanguinis sistio

Crocus martis.

Emplastra. Postmodum accesserunt Philosophi, qui rerum vires & naturam scrutantes, plura in vnum corpus redegerunt, vt oleum & ceram in emplastrum cocta, quod cum vtile parum fore videretur, adiecerunt, nunc minium, alias Cerota. cerusam, lapidem calaminarem, rubiginem ferri, æs vstum, lythargyrium, &c. quæ simul cocta varia cerota facta sunt, hisque linteola fuerunt obducta. Deinceps gummi variorum proprietates attractiuas, atque megnetis cognoscentes, cerotis adiunxerunt, eisque meliora quam antea fuisse, quod perciperent, pulverem vulnerarem addiderunt ex mastice, thure, myrrha, &c. meliora tum demum exstiterunt. Sic vlterius progressi, fodicationium vnguentorum ordinem certissimum & compositionem adepti sunt, eisque mirabiliter curarūt: horum descriptionem ponimus variis, vtilibus tamen omnibus modis. Primum hoc modo communiter constructum.

Vnguenti fodicationum compositio. ♃. *Ceræ lib. j. picis græcæ* ℥ *iij.* liquefiant ambo simul, & liquefactis, non nimium tamen calidis iniiciatur puluis hic. ♃. *frusta carneoli, coralij rubei & albi magnetis, calaminaris lapidis ana* ℥ *ß. carabis flaui aut succini, masticis, thuris, ana* ʒ *vj myrrhæ, mumiæ ana* ℥ *j. ß.* trita minutissime liquidis immisceantur & his iam optime permixtis, iniice *terebinthinæ* ℥ j. ß. spatula semper agitato, donec frigescat. Postremo perunctis oleo piscium äschenschmaltz/ agitetur, & fiat emplastrum.

II. *Aliud.*

♃. *Ceræ virgineæ lib. ij. picis græcæ lib. j. terebinthinæ* ℥ *iij. liquefiant igne lento, quibus impone trita masticis* ℥ *iij. carabis flaui* ℥ *j.* maneant in igne lentissimo quartam horæ partem. Postmodum accipe ℥ *ij mumiæ, thuris, & myrrhæ ana* ℥ *ß. aloepatici* ℥ *j. ß.* trita misce prædictis, & agita prout in emplastro priori, donec frigescant. Postremo in emplastrum agitabis oleo piscium äschenschmaltz/ addendo, *camphoræ tritæ* ℥ *ß.* hoc fodicata vulnera curabis omnia.

Aliud potentißimum, ad extrahendum ferrum, globulos, telorum cuspides, ac alia quæ remanent in vulneribus, & a præcedentibus elici minime possunt.

Ad extrahendum ferrum. ♃. *Ceræ lib. j. colophoniæ, picis nigræ ana* ℥ *iij. liquefactis simul ambobus, iniice gummi armoniaci* ℥ *ij bdellij* ℥ *j. magnetis* ℥ *v. carabis flaui* ℥ *iij.* trita misce liquatis, & in emplastrum agita manibus ouorum oleo perunctis: hoc in maximis necessitatibus vti poteris ad concludenda vulnera, nec non restauranda quæ deprauata sunt.

Alia compositio cuius ab exordio mentionem fecimus.

♃. *Olei, ceræ, lythargyrij triti ana lib. j* liquefiant, & in cerotum coquantur, cui poterunt, ea, quæ sequuntur, addi.

Additio prima.

♃. *Armoniaci, bdellij ana* ℥ *ß. galbani, opopanacis ana* ʒ *vj.* soluantur in aceto, coquantur, & per pannum colentur, postea coquantur in emplastrum: hoc admisce præcedenti ceroto. Postquam simul iuncta fuerint, eis, qui sequuntur, pulueres addito: *Lapidis calaminaris, coralli, rubei & albi, magnetis ana* ℥ *j. ß thuris, masticis ana* ℥ *j. & cum permixta fuerint, admisce terebinthinæ* ℥ *iij & olei anetini* ℥ *ß.* reduc in formam emplastri oleo piscium äschenschmaltz/ vel alio, secundum artem.

Additio secunda.

♃. *Opopanacis* ℥ *iij.* repurga optime sicut audiuistis superius, & cum ceroto permisce. Postmodum adde *mumiæ* ℥ *ij. aristolochiæ rotundæ* ℥ *ij. masticis, thuris, myrræ ana* ℥ *ß.* deinceps adiice *terebinthinæ* ℥ *ij olei laurini* ℥ *j. camphoræ* ℥ *j.* reduc in formam cum oleo camomelino.

Additio tertia.

♃. *Armoniaci* ℥ *v.* præparati nempe sicut prius *sanguinis draconis* ℥ *ij colophoniæ* ℥ *iij. picis naualis* ℥ *j. thuris, masticis ana* ℥ *vj. terebinthinæ* ℥ *iij.* reduc in formam cum oleo laurino. Iam habes compositionem fodicationum emplastrorum duobus modis, eorum inuentionem atque successum. Postremum tamen hoc melius omnibus antea positis, quo citius ac potentius euitantur & amouentur accidentia quæuis, diligenter obseruato.

♃. *Ceræ virgineæ lib. j. ß vulneralis olei tantundem, lithargyrij lib. j. lapidis calaminaris lib. ß.* ex istis fiat cerotum, cui vernicis lib. ß. adde cum herbis temperatæ, terebinthinæ iuxta vulnerum naturam præparatæ ℥ iij. & iterum in cerotum coquantur. Postmodum adde gummi, nec non præscriptarum additionum quam volueris, fiat emplastrum, & reducatur in formam cum vulnerari balsamo.

Quicquid his emplastris elici non poterit, alia nempe violenta via tentari debet: vt si globuli plumbei descendissent, impossibile fuerit etiam instrumentis eruere. Quapropter impossibilia Medicinæ committenda non sunt. De fodicationum emplastris dictum sit hactenus, quibus quicunque iuxta Medicinæ verum ordinem vsus fuerit, non confundetur.

CAPVT X.

De pulueribus quibusdam, fodicationes & vulnera quæuis curantibus.

Successu temporis pulueres quidam & succi reperti sunt, & alia, quæ vulnera conglutinarunt, vt ambo latera coniuncta sint. Et vbi talis sit coniunctio, natura potest in toto vulnere facilius operari, quam vbi non: at per alia medicamenta curari debet, vt sunt vulnerares potiones: vnguenta, olea, emplastra, &c. Natura quidem non potest alibi quam in fundo solum operari, in quo connectit indies, donec ad supremum deueniat. Fodicationum tamen & vulnerum pulueres connectunt æqualiter superius, inferius, & in medio. Pulueres vulnerū & fodicationū.

Animaduertendum est, vbi vulnerum fodicationum pulueres in vsum venire queant, in his videlicet vulneribus, quæ sanguinem aut cruorem non emittunt, & calorem nullum neque duritiem habent, sed mollities in eis naturalis conspicitur: alias connectere nullo modo possunt. Si tamen accidentia iam sint præ manibus quæ dicta sunt, ea remouere scias oportet: antequam vtaris pulueribus: etiam dum vsus fueris, prouideas, ne via quauis irrumpere valeant: nam in vulneribus calor atque tumor coniuncta rursum disiungunt. Est illa celerrima ferme cura, nihilominus ab accidentibus Vbi locū habeant.

bus tutari debet quæ diximus.

Vnde illam proprietatē habeat.

Diversis rationibus proprietatem hanc habent isti pulueres, aliqui propter naturalem siccitatē, vt bolus armenus, qui cuncta per insitā ariditatem, quibus interiectus fuerit, cōnectit.

Sunt aliae omprimentia quædam præter siccitatem, vt succus prunorum sylnestrium immaturus. Alia conglutinantia, veluti dragacantum. Iuxta horum trium proprietates fiunt omnes pulueres conglutinantes. Vlterius notandum erit, non solum conglutinatiuis vtendum, sed etiam adiungenda esse medicamenta naturali balsamo suum alimentum exhibentia. Quapropter pulverum vsum iuxta proprietatem eorum, trium quæ dicta sunt, ponam, & compositionem.

℞. *Boli armeni veri* ℥ *ij.* quas in aqua nitri dissolues, postea destillatione separabis, & aliā priori similem aquam affundes pulueri, separabisque sicut antea: toties id repetendum erit quousque bolus in oleum conuertatur: hoc in sole siccandum est in puluerem, cui *thuris* ℥ *j. carneoli* ℥ ß. *mumiæ* ℥ *ij.* omnia simul in puluerem commisce, quē vulneribus insperges quouis die bis, & ligabis iuxta consuetudinem, superposito fodicationum emplastro, quo vulnera præseruentur ab accidentibus.

Alius puluis.

Succum prunorum immaturorum & sylvestriū coquito, quousque in spissitudinem electuarij sit redactus. Gallarum etiam immaturarum tantundem coques, & istis consolidæ maioris contritæ minutim octauā aliorum partem addes, postmodum in aluminis aqua pura bullire facito: postremo simul omnia siccato, post vtere prout moris est.

Colla lapicidarū & fabrorum.

Lapicidarum & fabrorum colla, qua sub aquis vtuntur, quandoque vulnera ligaui, non in forma pulueris, ac spissi liquoris: & fodicationum emplastro superposito curaui mirabiliter. Verum olei lini loco, vulnerare sumpsi oleum ex oleo lini cum cæteris compositum pro calce, corallum album in cineres adustum. Colla caseii *Keßlin*, etiam hoc loco sumpta vulnera seiungi non sinit: noli tamen eo præter fodicationum emplastrum vti.

Alius puluis.

℞. *Thuris, myrrhæ, masticis ana* ℥ß. *coralli rubei* ℥*ij aloepatici* ℥*j* ß. omnibus permixtis, & in puluerem contritis, alterutrum adde puluerum antea positorum, pro media parte prioris.

Alius.

℞. *Succorum prunorum sylvestrium immaturorum, gallarum etiam immaturarum, saniculæ vel diapensiæ, pirolæ, ophioglossi ana* ℥ *v.* siccentur in sole, donec semi sicci fuerint, postmomodum adde *gummi armoniaci præparati* ℥ *ij.* tum siccentur in puluerem.

Vulnera conseruentur in siccitate patientibus cibi modicum, & humidi valde parum administrando.

Reperiuntur & alia constrictiua, cum tamen ex Alchimia petēda sint, infra suo loco ponēda.

CAPVT XI.

De sublimatis atque destillatis mirabiliter vulnera curantibus.

QVicunque Alchimiam exercent, vtilissima reperiunt medicamenta, variaque scribentum recepta longe superantia. Verum quod morborum proprietates ignorēt, parum inde possunt emolumenti proferre. Medicinæ siquidem Alchimia semper coniuncta fore deberet. Antimonium virtutem admirabilem possidet in curationibus vulnerum, quibus accidentia corporalia mixta sunt, vt *fistula, cancer, lupus*, &c. In quibus tamen illa non concurrunt, eius vsu non erit opus, cum in aliis tantum cæteras omnes excellat artes, vt maior aut melior non possit reperiri: saluā tamen cuiusuis experientiā dictum. Quapropter summè necessarium existimo declarationem eius, tametsi præparatio non facilè scriptis addisci queat, ab Alchimistis petenda est, vt antimonium reduci possit in oleum rubeum, vt sanguis, & ex lib. j. habeantur ℥ ij. vel j. ß.

Antimonij virtutes.

Antimonium vt reducatur in oleum rubeum.

℞. *Antimonij lib. ij. salis gemmæ calcinati tantundem*, & simul destilla per vas retortum tribus diebus naturalibus, & sic habebis rubeum oleum, cuius virtutes ad incurabilia desperataque vulnera satis commendari nequeunt. Iridē de sublimatis censendum est, vt si cuprum vel æs rubeum sublimaueris, non minores in eo quam in antimonio virtutes erunt. Vt in sublimationem veniat, prius erit calcinandum, postea per separationis aquam dissoluendum, & coagulandum, in pulueremque siccandum, cui duæ partes liquidi salis, aut liquefacti sunt addendæ: postmodum ab eis in reuerberatorio sublimetur in viridem puluerē subtilissimum & leuem, quo vulnera cum curare voles, in ea spargatur fodicationum emplastro superposito.

CAPVT XII.

De sanguine sistendo, nec non eis, quæ ad hoc negotium sunt necessaria.

AD sanguinis retentionem quædam annotanda veniunt, vtpote venarum proprietates, completio corporis, natura hominis, cholerā, tempus, hora accidens, & vulneris essentia. Nam si homini sano contrarietates & accidentia varia contingant, multò magis vulnerato. Sanitas & infirmitas multis calamitatibus obnoxiæ sunt. Cum in venas accidens hoc irruerit, non facilè potest amoueri: nam sæpius euenire solet, vt sanguis nulla ratione sisti valeat in vulneribus, nec vllis medicamētis, at per seipsum sedari debet. Quamuis aliqui putent vi quadam eum retinere: quod si contigerit, aliud accidens longè deterius orietur. Considerandum igitur quid natura possit, ne præter ipsam aliquid attentetur. Non præterit fluxus, donec eius amota sit causa: vt si præ cholera factus, ea prius cessare debet: nam ipsâ durante medicamentum natura nullum recipit. Si ex actu venereo, nisi prorsus extinctus appetitus ille sit, vanum etiam est remedium. Si propter ebrietatem, expectanda est completa digestio. Si membri fatigatione causatus fuerit, quiescere prius debet. Multi sunt articuli similes hoc loco non recitandi, solùm hoc tibi notandum erit, vt amoueatur causa fluxus, tum & ipse cogitur cessare. Si fortè cōstellatione causatus foret, ea præterire debet, priusquā sanguis retineri queat: si causæ tales cōsumptæ non sint, fieri potest vt vulneratus effusione moriatur sāguinis. Nā quis iuuare poterit eum, qui nolit ipse: quis etiam

Sanguinis fluxus variæ causæ.

etiam eius choleram sedare potest, qui pacificari non vult? Causam ergo cessare fluxus necessum est, alias nequaquam sisti potest. Ebrietas ad caput ascendit, & in eo sæuit: si contingat potum aliquem recipere vulnus, huiusmodi sæuiens natura per venas in sanguinem transit, & eo non alias, quam in capite sæuit. Quis ebrio potest ebrietatis suæ proprietatem auferre, nemo: pariter ebrium sanguinem sedare nemo poterit, sic de reliquis intelligendum est. Hæc à me me dicta sunt, vt Chirurgus in istis recta procedat, & non suscipiat quæ sunt impossibilia, verùm vt prudens ea, quæ natura potest, intelligat.

Sanguis ebrius sisti nequit.

Cum igitur ea, quæ dicta sunt, violenter ita prorumpunt, ab arte sistendi sanguinem cessare debet Chirurgus, eumque solum sistere velle, qui præter dictas occasiones effluit. Nam his nullum iuuare potest medicamentum, adustio nulla, ligatio, nec corticum nucum ad collum appensio, nullus character. Et quamuis aliqua ratione sistatur, aliud erumpet accidens, & in similibus communiter sequuntur aridure membrorum, vel contracturæ. Exempli causa, venæ sæpius aperiuntur in brachio, quamobrem contractum redditur, aut aridurum vel moritur is, qui sustinuit. Si tale quid in venarum pacificis laxationibus contingit, quantò magis in aliis? Cum tamen accidentia talia contigerint, aut apparuerint, poteris permittere sanguinem effluere pro discretione. Siquidem vbi vena quæuis aperitur, sanguinis pondus amittere determinatum oportet eam, antea sistere non est vtile, donec ad pondus hoc diminutus sanguis fuerit. Ab experientia propria discere te hæc oportebit. Vt à me tamen breuem instructionem habeas, qui sanguinis repressiones ex æquo fieri debeant, non cito nimium, vel tardius quam par sit. Eius rei verùm in eo fundamento consistit, vt medicamentum quo vulnus curari debet, sanguinem etiam in eo sistat: nec est quod vtaris alio remedio. Nam medicamentum ex artis fundamento vero compositum sit (vt sunt *fodicationum emplastra, olea, balsama, & emplastra vulneraria, &c.*) sanguinem sistit omnem iusto pondere non tempestiuè, nec tarde nimis. Potissimum arcanum hoc est, vt metam iustam contingere valeat medicamentum. Sæpius etiam accidere solet, vt in sanguine lateat infirmitas: hæc si per suum quæsierit emunctorium, non sistetur sanguis, donec repurgatus fuerit. Aliquoties ob calidam complexionem sæuit fluxus talis poterit aliis quàm fodicationum emplastris, aut similibus reprimi: quorum aliqua ponimus inferius: tuæ tamen discretioni relinquitur, sistere si voles, poteris aut non. Potius tamen quam expectare mortem, sistendum esse indicamus, vbi medium offertur accidens hoc amouendi. Procurandum præ cæteris, vt membrum seruetur calidum, nec vllo modo frigeat, neque fodicationum emplastro careat: hoc enim sedantur accidentia, vt retentionem citiùs admittant. Solent etiam aliquæ venæ reliquis esse repletiores, vt neruorum instar tumeant, hoc loco fluxum liberius patere sine metu: nam cum eo multum impuritatis effluit.

Quem sanguinis fluxum chirurgus sistere debeat.

Sanguinis fluxus permittēdus pro discretione.

Sanguinis repressionis terminus ac meta.

Fluxus ob sanguinis infirmitatem.

Ob calidā complexionē

Fodicationum igitur emplastra tibi sint commendatissima etiamsi alia scires, quæ sanguinem sistere possunt, eisque valeres vti: vide tamen, vt non tardiùs aut citiùs æquo feceris. Verùm in illis quibus natura sana, mitis & pura fuerit, sanguinis fit per se retentio, quæ potissima est.

Fodicationum emplastri vsus in sanguine sistendo.

Nonnulla sanguinem sistentia.

Crocus martis optimè reuerberatus & subtilissimus. Æs vstum, vt crocus præparatum. Farina volatilis inspersa vulneribus, vt cum sanguine pastam efficiat. Pili albi, qui sub caudis leporum nascuntur. Vsnea super capita mortuorum crescens. Carneolus in manu contentus, aut à collo suspensus. Cinis ex ranis adustis.

Sanguinem sistentia.

Vbi hæc sanguinem non represserint, præsertim, ea, quæ primo descripta sunt, non facilè fieri poterit, donec pro suo pondere fluxerit in finem vsque: qui tunc metam attigerit, libenter sistet.

Hactenus de retentione sanguinis abundè satis dictum sit: quamuis alia reprimentia multa sint, cùm tamen causæ fluxus expectare sedationem & per se necessarium sit, & cursum accidentis, ne peius quid oriatur, quid multis opus est? Fac vt optima quæque medicamenta habeas, vt supra diximus, optime sistere poteris illis iuxta naturę desiderium.

CAPVT XIII.

De repreßione glarealis aquæ.

GLarealis aquæ fluxus oritur ex medicamento naturæ contrario vulneribus applicato vel ex impertinenti ligatura, vel ex vulneratorum occasione data: quapropter illis omnibus præueniendum erit, & accidentibus. Postquam tamen inciderint, eodem ordine quo sanguinis & istius aquæ fluxus amouendi sunt probatis medicamentis in hoc Tractatu positis. Hac viâ mitigatur irrita natura, & per se glarealem aquã sistit. Non sunt igitur vulneraria medicamenta, quæ solum curant, at illa, quæ pellunt accidentia, præseruant à nimio fluxu cùm sanguinis tum glarealis aquæ. Quæ similes virtutes non habet, medicamenta minimè dici possunt, nec ea, quæ deprauant vulnera.

Glarealis aquæ fluxus vnde.

Cura.

Medicamenta.

Et quamuis multa quę glarealem aquam sistere putantur, à nõnullis descripta sint: nihilominus probata non sunt omnia, nec in omnibus: at in aliquibus vtilia, in aliis vero non: aliquoties conducentia, quandoquidem non. Cum ergo tam fallacia sint, neminem ea docere cupio, sed potiùs, quæ certissima sunt, vt *fodicationum emplastra, olea vulneraria, &c.* Accidentia, quæ per sanguinis amissionem oriuntur, hic etiam per glarealis aquæ fluxum consideranda sunt, vt in isto prout in illo profluuio iuxta naturę potentiam, & non cõtra valeas operari. Quæ hoc loco requiruntur, aliis in subsequentibus capitulis reperies. Nisi retineatur, aut a nimio fluxu compescatur, aridura, nec non alia subsequentur accidentia.

Accidentia.

CAPVT XIV.

De propulsione paroxysmorum à vulneribus, caloris, frigoris, superfluæ carnis, tumorum, duritiei, nec non coloris præter naturam. Etiam de calculorum ac rupturarũ incisoribus Chirurgis.

PRæter illa, quæ dicta sunt, alia causantur accidentia. Licet vulnus ex aspectu iudicari posset à Chirurgis omnibus, carere quibusuis accidentibus

accidentibus: est nihilominus in ipsa natura propter variarum concordantiam in ea partium contrarietas orta. Nam vbi gladius membrum aliquod in corpore lædit, non solùm illud, verum etiam alia quæque membra per condolentiam: quapropter singulorum accurrit ira, misceturque vulneribus in vindictam læsionis. Vt si quis lapidem iaciat inter multos confabulantes amicos & socios, eorum nemo permanet immotus, nec in sua veteri natura vel temperie: verùm quisque cupit eorum hoc ipsum vlcisci. Non alias in humano corpore fit, cum ei vulnus incussum est. Qui potest igitur vulnus carere suis accidentibus agnatis, etiamsi non accurreret aliud.

Vulnus nullum absque accidentibus.

Cum igitur ob huiusmodi commotionem agnata sit vulneri talis inimicitia, merito ne diutiùs ignoretur, suscepi describendam. Etquamuis varia sint istius originis accidentia: tamen arte leui propulsanda sunt, alias cum ob istorum ignorantiam occurrentium, quis grauioribus medicamentis aliis magis conuenientibus vsus fuerit, vulneri nouum producet accidens, deteriusque damnum. Quapropter ab experientia debent agnata, non ex litera cognosci quæ sunt accidentia, cum describi proprie nequeant. Remedia tamen quæ his adhiberi possunt, breuibus enumerabo. Sunt agnati vulnerum *paroxysmi, spasmus, caro putrida*, quæ non solùm in vulneribus per choleram incussis, verumetiam studio vel arte factis, vt ab incisoribus calculorum, lapidum & rupturarum accidere possunt, ob locum, in quo facta sunt, periculo magis obnoxium. Quo pacto similibus agnatis erit succurrendum accidentibus, infra ponimus.

Accidentium remedia debent esse a gnata experiētia.

Paroxysmus in vulneribus.

Sub vulnerum paroxysmis concludo calorē præter naturam & frigus. Antea diximus originem, iam sedationem eorum vnico medicamento ponemus, nec horum tantum, at accidentium etiam ex eis orientium, sunt *durities, color cæruleus*, &c. In iusquiamo latet virtus, qua propulsantur ea, licet etiam in papauere vis mitigatiua reperiatur. Mitigatiuis enim plurimùm delectatur natura, sine quibus pacificari vel sedari nequit. Solam ista requiem appetit à Chirurgo sibi cieri: quid ergo proprius aut conuenientius esse potest, indormitiua natura? Hæc enim, vt ebrius in somnum agitur, & non secus ac iste, rursus ad memoriam redit, illa per membri somnum ab irritatione quiescit, ac postmodum expergefacta digestionem sæuitiæ suæ fecit: sic tolluntur paroxysmi vulnerum cum suis accidentibus optimè, nec meliùs.

Paroxysmus vulnerū, & eius nomine quid intelligatur.

Remedium vulneribus somnum inferens.

℞. *Radices iusquiami*, quas in sole cum aceto rosaceo digeres, & lintea madida hoc liquore, calidáque vulneribus appones, humectando calefaciendoque toties iterabis, donec membrum in requiem adductum sit. Multæ similes aliæ radices inueniuntur: at quia hàc te certissimum reddere possim, quid multis obruere cupiam? sat erit si vnico securus esse remedio valeas.

Vulneribus somnum inferens remediū

Spasmus.

Spasmus

Antea spasmi fecimus mentionem, quinam ipse vulneribus admiscetur. Huius expulsio fit per venarum corroborationem. Oleo terebinthinę vel oliuarum vngendæ sunt venæ his enim vigorantur.

De carne superflua.

Quod ad carnem superfluam attinet, exceptis accidentibus, peculiaribus non est remediis opus: nam ex sui natura non permanet: siue ex medicamenti superfluitate nascatur, siue ex abundantia sanguinis. Et quamuis peculiare non adhibeatur ei medicamentum, eo solo quo curantur vulnera, consumitur. Verùm quod superfluam carnem adferam hoc loco, non alia de causa factum est, quàm quod sciam, Chirurgos putatitios eius nullam habere notitiam: eo patet, quia corrosiuis auferre conantur. Eorum corrosiua pessima, sunt varia, velut *alumen vstum, vitriolum*, &c. nonnulli sumunt *arsenicum*, alij *mercurium sublimatum*, quibus abrodere putant, nec lenioribus auferri posse considerant. Non animaduertunt etiam ob nimiam suam ignorantiam, huiuscemodi praua medicamenta vulneribus intolerabiles adferre dolores, & varias infirmitates, illáque suo sic inficere veneno, vt natura nihil amplius consilij vel auxilij pati nec admittere velit. Sic ego te docebo, nempe vt cum in vulneribus caro superflua siue vlcerosa, siue sanguinolenta creuerit, aut alias quouis modo, solis medicamentis in isto Tractatu contentis vtaris, illa quidem auferent eam absque dolore.

Caro superflua.

Caro superflua vt tollenda.

Quod ad ipsam duritiem attinet, eisdem etiam remediis tollitur. Solū id te facere decet, vt optima quæque habeas medicamenta, iuxta verum ordinem & fundamentum composita, sic fiet vt accidentia nulla vulneribus incidant.

CAPVT XV.

De medicamentis vtilibus & inutilibus.

NOn solum in vulnerum ligationibus aut applicationibus, medicamentorum curæ negotium consistit, sed etiam & potissimùm in eo videlicet, vt Chirurgus cognoscat, vtrùm vtile medicamentum sit, aut non: de cuius rei declaratione Capitulum hoc ad instructionem scribere volui. Primum in vsum & proprietatem assumas, vt cum perceperis dolores aut accidentia sub medicamentis oriri (siue multis vtaris aut paucis) præter communem vsum, ab eis abstineas, ac de aliis tibi prospicias, nam quoduis medicamentum inferens dolorem vulneribus, aut permittens, statim abiiciendum est, & nullo modo superponendum. Tempus etiam inter ligaturas erit obseruandum secundum alimenti vulneris digestionem, vnam tardiùs aut citiùs altera factam. Est communis terminus tamen horarum duodecim: quæ plus minusve requirunt, illis etiam pro sua ratione fuerit conniuendum. Hæc à me dicta sunt, quia solent ex inordinato ligandi modo plurimi dolores oriri. Cùm ex medicamenti defectu non fuerint, facilius accidentibus huiuscemodi cum diligentia præuenire poteris. Vnicum consideratu maxime dignum, vt summopere dolores omnes euites, qui non sunt ex vulneris agnata natura: nam quacunque ratione sint alia, nihil boni præsagiunt. Cauendum erit etiam (vt sæpius antea dictum est) à sanie fetoréque medicamētis ea propulsātibus, quę si debiliora fuerint, quam vulnerū prauitas, ab ista vincuntur.

Medicamentum dolorem inferēs, inutile.

Ligaturę terminus congruus.

Dolores ex inordinata ligatura plurimi.

Qua-

Quapropter efficaciora fortioráque sumito, cùm ea signa videris. Sæpius accidere solet, vt vulnera mutentur, ac in deterius vergant sub optimis medicamentis: consultum erit mutare sæpius etiam ipsam edicaměta, si non, pauca requies erit vulneribus. Hoc signum est multorum accidentium, vbi medicamentum recedens a vulnere, bonum finem curæ non indicauerit. Oléa vulneraria non permittunt accidentia, nec potiones vulneratorum, præsertim si constiterint ex eis, quæ singula membra corpus inquietantia pacificant, & quiescere faciunt. Vnguenta pariter vulneraria suam in ligaturis proprietatem habent, vt singulis duodenis & octonis nonnunquam horis innouentur. In omnibus tamen medicamentis notandum est, vt ea, quę vulneribus apparent esse contraria, mutentur, & eorum loco applicentur alia. Cum etiam refrigerio fuerit opus, aut alio simili quouis auxilio, mox administretur. Quamuis ista recepta sint optima probatissimáque, nihilominus vix fieri potest, quin aliquando subuenire necessitati sit opus non magnis artibus, at solâ refrigeratione. Siquidem vulnerati quandoque naturam pronam habent, vnus ad potiones vulnerares, alius ad emplastra, & alius ad olea balsamáque pariter vulneraria, quispiam alius ad fodicationum emplastra, vel ad sublimata, destillatáque pronus erit alius. Hæc & similia consideranda veniunt, non ista nempe: *hoc medicamento plurimi curati sunt, ergo & iste curabitur eo.* Varia sunt enim genera medicamentorum, & hominum variæ naturæ: quæ quidem omnia perpendenda sunt. Medicamentorum propriorum adhibendorum & non, erit adhibenda ratio, vulneratorumque proprietatum, atque medicamentorum est facienda comparatio, nec non alimenti vulnerum ad illa. Videndum etiam, vt ex vulneribus nulla sanies, nec fœtor, neque vermes exeant. Quicunque iuxta prædictas rationes operatus fuerit Chirurgus, poterit boni quid efficere. Si quę plura desiderantur, in aliis suis capitulis enarrata sunt, experientia quoque docet indies. Hæc tria potissimè notanda veniunt, vt supra, nempe, quod infirmi & medicamenta simul conueniant: vt ligatum sit iuxta normam excrementorum: & postremò secundùm euitationem saniei, fœtoris, dolorum & similium. In his enim potissimæ curarum animaduersiones consistunt.

Medicamenta inutilia quęnam.

Oleorũ & vnguẽtorum vulnerarium præstantia.

Medicamentorũ varia genera.

Tria Chirurgo potissimum notanda

Cum vero fodicata profundáque vulnera suis in cauernis aliquam saniem congregarint, obueniendum erit hoc modo, scilicet, vt myrrha saléque vino decoctis atque solutis, per syringa in fundum vsque vulnerum iniectis abluantur & mundificentur. Item patiens tali situ iacere cogatur, vt sanies effluere valeat, & non rodat in profundum. Quæ reliqua sunt annotanda, docet vsus & experientia.

Saniei cauernosæ vt cõueniendum.

CAPVT XVI.

De conclusionibus vulnerum ita fiendis, vt post curam nihil oriatur noui, sed solidæ sint ac permanentes.

Vlnus omne concluditur: est enim sanandæ carnis ars ipsa facilis admodum, venarum autem & neruorum potissime consideranda. Nam in ista curarum totum consistit negotium, quam, qui calluerit, Chirurgus erit, non ille, qui simpliciter curare vel concludere vulnera nouit. Bonæ vulnerum conclusiones æstimatione plurima dignæ sunt, post quas nullum subsequatur damnum, quod sæpe solet, vt *aridura, cicatricum apertura, spongiæ*, nec non alia multa. Vt ab huiusmodi tuta sint accidentibus, quædam arcana sunt in Chirurgia, quibus curandum inter arcentur.

Chirurgus quis.

Vulnerũ conclusiones bonæ quæ.

Ex porris & radicibus eorum spongiæ nascuntur è vulneribus aliquot libras æquantes. Dum curantur vulnera, possunt euitari lauamento quodam à prima ligatura statim adhibendo, postquam radices porrorum apparuerint, quæ facilè cognoscuntur. In istius loturæ liquore madefiant fila, vulneribusque imponantur pro porrorum extensione. Lotura fit ex sale armoniaco sæpius à tartaro sublimato, postmodum super marmoreum lapidem resoluto. Vbicunque hoc vsus fuerit Chirurgus, optimè concludet absque periculo damnorum subsequentium, quibus præuenire maximum arcanum est. Accidere potest etiam, vt post conclusionem vulnera rursum aperiantur, & per se tandem suo tempore cancri, fistulæ, noli me tangere, vel ferrugines oriantur. His etiam inter curandum præuenire potest Chirurgus, pręsertim vbi radices adhuc tenellæ sunt atque recentes (alias enim in vulneribus patefactæ fuissent) viridi oleo vitrioli cum abluta fuerint vulnera statim à prima ligatura, quæ dicta sunt euitantur, eorumque radices mortificantur, ac per saniem vna cum excrementis vulnerum alimenti per purgationem exeunt, ab ista sanie non est quod terrorem concipias. Hic verus, fistulas, & omnia cancrorum luporumque à radice tollendi genera, nec non alia quæque corrodentia damna, modus est optimus, antequam enascantur, tam in profundo, quam in plano.

Spongiæ vulnerũ vt euitandæ.

Cancro, fistulis & vulneribus vt occurratur.

Sæpenumero solent etiam aliqui fluxus in iuncturis post conclusiones oriri, cum dolore maximo, pro mutationibus temporum aucto, vel immunito, vel iuxta Lunæ quartalia, postmodum aridurae, membrorũve contracturæ sequuntur. Istis etiam præueniendum erit statim, dum curantur vulnera, vt cum perceperis dictis mutationibus temporum, aut Lunæ, pariter augeri dolores, iudicium facias, accidentia talia cum tempore, nisi præuenias, enasci debere. Quapropter leuibus obuenias purgationibus iuxta respectum personarum oportet, vt pillulis artheticis, & similibus: & in vulnera quandoque dolorum præcipue temporibus laterinum oleum calefactum infundatur, & ita postmodum ligentur. Non alias cùm cæteris accidentibus agas, cùm apparere videris ea, præuenire mox addiscito.

Fluxui iuncturarum in vulneribus vt occurratur.

CAPVT XVII.

De animaduersionibus peculiaribus in fodicatis vulneribus habendis magis, quam in aliis, & necessariis.

Etsi de fodicatis vulneribus antea satis amplè dictum sit, nihilominus, quod aliis tardiùs

Fodicata vulnera aliis tardiùs curantur.

diùs curantur & præsertim vbi medicamentum non pertingit fundũ, aliqua consideratu necessaria iam repetemus. Quod secta fũdum vulnera palam faciant, fodicata vero non, periculosiùs cum istis quam cum illis agitur. Quanquam raròcontingere soleat, vt in illis oriatur accidens, vbi fodicationum curata sunt emplastris, quæ vetant illa: tamen apprimè notandum est, cum remedio maiori consilióque sit opus quàm alias.

Potio vulneralis. Præter ea quæ de fodicationum emplastris dicta sunt, cum eis adhuc duo maximum in vsum & necessarium veniunt: prius, vt potio vulneralis administretur: posterius, vt lotura aut lauamentum fiat immissionibus per syringam toties repetitis, donec clarum atque mundum effluat. Lauamentum hoc fit ex melle, vino, aqua, alumine, sale, &c. pro discretione iuxta necessitatem ordinatè proportionandum. Post huiusmodi lauamentum immittendum est oleum vulnerale per idem instrumentum in fundum vsque vulneris, & ligandum emplastris quæ diximus. Oculi cancrorum etiam in potum adhibiti maximæ virtutis existunt, efficaciaque mirabilis in fodicatis vulneribus.

Lauamentum

Oculorum cancrorum in fodicatis vulneribus efficacia.

Si forte vulnera deorsum fodicata sint, aut pro decubitûs ratione tendant, imperabis, vt alio modo patiens iaceat, vt lauamenta vel ablutiones prorsus eximi queant: nam per latera semper defluunt in fundum, operationesque medicamentorum impediunt. Fac igitur patiens ita iaceat, & vulneris fundus in altum sit, erectum, & orificium euis imum respciat, ni forte balsamum aut oleum immissum esset. Notandum etiam hoc loco fodicationum emplastra curare mitius deorsum, quàm sursum versa.

Est etiam aliud accidens in fodicatis vulneribus, ob quod maiorem diligentiam requirant quam alia vulnera, nempe quod ex propria sua natura magis in deprauationem tendant aliis. Cura nauiter igitur, vt ab eis congelatum sanguinem expurges, ventris naturalem conserues mollitiem, & in cibis meliorem ordinem habeas, potissimùm vbi iam vulnera fœtorem emittere cœperint putredinis, ac si persicus ignis irruere vellet, ac circum orificium cœruleum & rubeum colorem poneret: cauernosæ quoque vicinæ partes apparerent, ac si foramina quædam incidere vellent. Quod reliquum fuerit in fodicatis vulneribus curandis, inuenies in aliorum vulnerum curis, iuxta hos processus omnes fodicationes curare securè poteris, & absque dubio: nam Deus creauit completam ex omni parte medicinam, quapropter non est (quod ad eam attinet) quod anxiè cures, Nisi fortassis impossibile quid, vt lignum quod ob multitudinem ramorum nodorumve concurrentium, findi nequit, occurrat. Medicamentum à monstrosis terretur, cùm non reperit iuxta veram naturam formatos homines. In istis quidem cùm difficiles, tum dubiosæ curæ sunt, eo quod propriam naturam destructam habeant. Quid cũ his igitur potest agere Medicina?

Fodicata nauiorẽ curam requirũt.

CAPVT XVIII.

De cuspidibus telorum alatis, vulneribus adhuc inhærentibus.

Alatæ cuspides iaculorum aut sagittarum in vulneribus remanentium, vix elici possunt, ob hamos in carnem se figentes, cum extrahere quis conatur, ni forte maxima fiat industria, tali nempe, vt si torta sint in vulnere, dirigantur alæ rursus æqualiter ad orificium, non alias quàm intrarunt. Verùm vbi dum retrahuntur, infixi iam hami fuerint, hactenus ars nulla reperta fuit, quâ valeant elici. Itidem cum globulis bombardarum solet accidere, qui vi quadam in iuncturas & ossium cauitates eiaculati sunt, ac ob sui contusionem formæque rotundę mutationem ita comprimuntur, vt eximi nequeant. Quanquam de radicibus & herbis multa scripta reperiuntur, quæ propriis viribus & naturalibus attrahunt: nihilominus istorum virtus in illis tantùm operatur, quæ per incuruationem aut intumescentiam solidam non reluctantur eiuscemodi viribus attractiuis. Cùm itaque hoc impediat, penes communia medicamenta remanere compertum est vtilius.

Cuspides iaculi: ? extrahendę.

Quòd autem seræ fuerint apertæ, vel parietibus euulsi claui fixissimi, vel e vulneribus, à Magis id factum est, qui terræ magnetem cum firmamenti magnete reduxerunt, in eandem similitudinem, & hacarte clauos è parietibus extraxerunt, pessuláque forium retraxerunt, aut eleuarunt, serasque per attractionem aperuerunt iuxta magneris præparationem. Similibus etiam viribus magneticis extractæ iaculorum & sagittarum sunt alatæ cuspides. Nonnullas etiam radices ac herbas Magi præpararunt, quæ prius ex se virtutem habeant attractiuam, & postmodum vbi cum syderibus cœlestibus in similitudinem conuenerunt, non alias attraxerunt, quam de magnete supra diximus. Ex eo nullo modo sequitur vnamquamque herbam aut radicem, nec magnetem quemlibet id efficere, sed ea tantùm, quæ constellata sunt: & ista cum tempore pereunt, moriuntur, ac rediguntur ad nihilum, cùm in omnibus rebus mors existat.

Serarum apertura herbis facta est Magica.

Herbæ constellatæ cuspides extrahẽtes.

Sunt etiam verba quædam constellata, quibus ea, quæ prædicta sunt, extrahuntur, duobus digitis tantum admotis. Artes istæ naturales existunt, certæ, probatæque, nec non incantationis omnis aut diabolicę superstitionis expertes, ad hominum vsum & vtilitatem datæ.

Verba cõstellata.

Cum ignoratæ fuerint artes huiusmodi, & medicamentis fieri debet extractio, vicinæ partes omnes putrefaciendę sunt, quousque latus admodum pateat exitus: aut incisio fienda, vel protrusione sunt ad alteram partem oppositam eximenda.

FINIS SECVNDI TRACTATVS CHIRVRGIÆ vulnerum recentium.

IN TERTIVM TRACTATVM CHIRVRGIÆ RECENTIVM VVLNERVM DOCTORIS THEOPHRASTI PARACELSI.

PRÆFATIO.



Vulnera quæ alia ratione, quàm armis infligũtur.

LIA ratione, quam armis in humana corpora sæpius infliguntur vulnera, eisdem subiecta medicamentis. Nam etsi canis morsus armis non fiat, vulnus tamen efficit: sic de reliquis morsibus, & infectionibus extrinsecis. Itidem oßium rupturæ, vulnera carnis etsi non sint, oßium vulnera tamen existunt, hac ratione sub Chirurgia comprehensa. Sic etiam adustiones quocunque modo factæ, sunt vulnera pellis. Et congelatus in corpore sanguis, casu vel percußione factus, & gelu frigoréque maximo damnum excitatum, ad Chirurgiam pertinent. Horum omnium vnà cum sectis & fodicatis vulneribus intelligentiam habere debet Chirurgus, vt cognoscat ea, quæ poßit in similibus, & quæ non: poßibilia quæque, necnon impoßibilia: quid ad Chirurgiam pertinet, quid vero non: quid mortale, quid non: quid ad vitam conducat, & quid non, &c. Tandem opus est impoßibile quodque relinquere, & poßibile quoduis in sua potentia conseruare curaréque, ne fiat impoßibile: nam ad istud nulla medicina reperitur, at solum ad illud, poßibile nempe. In poßibili namque mors etiam cõtinetur, vt in impoßibili: in poßbili tamen amobilis, eo scilicet, vt cõseruetur, ne fiat impoßbile.

Summa huius tractatus

Hoc itaque Tractatu docetur de vulneribus, quæ aliis quàm armis infliguntur, & nihilominus ad Chirurgiam pertinent, quæ quidem indiget vsu maximo, diuturnóque tempore. Huius artis quodlibet experimentum in vno patiente solum comprobatum fore non debet, at in aliquot centenis diligentia maxima, nec non animaduersione ad naturales proprietates. Tum demum his vsibus continuis dicitur cognosci natura, nec priùs operari potest Chirurgus, aut seipsum talem agnoscere. Apud inutiles & nullius aut minimè saltem æstimationis homines, experimenta nonnulla reperiuntur, præter verum ordinem ab eis vsitata: quorum Chirurgus vsu longißimo tum experientia corrector & examinator fore deberet, vt in verum vsum redirent, iuxta sui tenoris potentiam & vires. Nam speculationes Chirurgorum non efficiunt, at artes, quæ pariter speculationes non existunt, sed experimenta manu reperta. Hæc postmodum sequitur contemplatio, quæ proprie dicitur ad naturam animaduersio, quinam ea sit vtendum. Postremò venit experientia similium artium, & hæc est vera magistra, non ipse tonsor aut balneator, nec eorum collegæ. Theorica Chirurgi fore debet experientia. Iam ponemus curam eorum vulnerum, quæ fiunt absque armis cum regimine, &c.

Cura vulnerũ absque armis illatorum

CAPVT I.

De ordine cibi & potus vulneratis adhibendorum similibus, & primò de canum rabidorum morsibus, &c.

Canis rabidi morsus cura.



RIMVM ad canum rabiosorum morsus hoc esto remedium, vt videlicet fel & cholera superentur, ne vincant naturam: quandoquidem vt canis rabidus momorderit, inde mox ille morsus vnitur cum felle choleráque, tum demum sæuiunt, ac omne quod ex eis oriri potuit accidens, promouent in esse, deque minimo maximum excitant. Non est opus hoc loco multis considerationibus, prout in felle & cholera, solum bibatur aqua frigida continuo, tamque magnis haustibus, vt iterum per os eiiciatur. Cauendum est & abstinendum a vino. Ceruisia tamen, quæ parum lupuli virium habeat, vti patiens poterit. Præ cæteris autem potionibus illæ, quæ fient ex oxiacanta, & prunulis syluestribus, aut pomis, optimæ sunt.

Diæta.

Itidem & frigidis cibandi sunt vt brassicis albis contusis, & acetosis ita per se confectis, vt in Germania solent, & ita copiosè, vt etiam euomant. Et vbi voles potum optimum adhibere, coquas folicula senæ, & folia rosarum in in lacte sero suo priuato, & huic decoctione benedictæ laxatiuæ parum admiscebis, & frigidam bibat, vt moderate purget. Non est quod verba medicorum communium cures, dicentium, *senæ folia melancholiam purgare*: hoc loco debitam purgant materiam. Poterunt ei lactucæ cum aceto & oleo dari comedendæ, rosarum etiam electuarium cum aceto mixtum in potum adhiberi, cum acriter agitari patiens videbitur.

Summopere cauendum est, ne quid cum aromatibus conditum edatur, aut ea per se, nihil quod bene redoleat, aut calidum fit. Nullum fiat fumigium. Si calor admodum excesserit, vt in rabiem incidatur, potus adhibeatur ex aceto rosaceo cum succo oxiacanta mixto continuus. Hæc omnia fiant iuxta conditiones patientis

Considerandum est etiam hoc loco, tales infirmitates in caninam tendere naturam: qua de re miti regimine non est opus, vt supra diximus. Patientes in aquam iacere frigidam, bonum erit.

Vbi tamen in aliam complexionem huiusmodi canum tenderent morsus, vt cum choleræ parum sunt obnoxij patientes, istorum esse debet mitius regimen. Non in rabiem incidunt omnes, quos rabidi canes momorderunt, sed in aliud accidens iuxta cuiusque naturam. Notanda sunt igitur signa, quibus in quod accidens vnusquisque possit incidere, demonstratur, & ex eo indicio regimen erit ordinandum.

Morsi à cane rabido, nõ in rabiẽ omnes incidũt.

CAPVT II.

De regimine vulneratorum à morsibus anguium, serpentum, viperarum, lacertarum, & aliorum venenati generis animalium.

Venenorū omnium remedium quid.

INter venenatos morsus periculosi magis existunt illi, qui per choleram fiunt, aliis, qui casu: periculosissimi verò, qui ex incantationibus. In his omnibus remedium est, vt in cibum administrentur ea, quæ stomachum, iecur, & cor tuetur atque præseruant. Nam venena mox tendunt ad cor: non enim cupiunt solum in membrum læsum imprimi, sed ex sua proprietate nobilissimum hominis membrum inuadere, quod quidem hac ratione prę cæteris præseruandum est.

In defensionem cordis, aliorumque membrorum principalium, statim atque perceperis venenum ad cor tendere, oliuarum oleum, in qua calybs candens aliquoties priùs extinguatur, & cui pro qualibet libra, corallorum rubeorum & minutissime contusorum ℥ i j. fuerint additæ, nec non specierum de gemmis ʒ j. calidum in potum haustumque primùm administrentur, aliis verò vicibus frigidum, hoc ipsum detur potandum, quinquies ad minimum vno die. Postmodum fit potus eius vinum rubeum calybis, sicut oleum, extinctione præparatum cui theriacæ parum admisceatur, & pro quolibet haustu ʒ ß. coralli rubei puluerizati. Continuetur hic potus, donec signum appareat euidens.

Si tamen inter potandum oleum sitis inuadat nimium patientem, detur interpositis vicibus calidum lac mixtum puluere coralli. Est etiam philonium persicum postremæ huic potioni mixtum, per quàm vtile, sæpius post olei haustus potum, in membrorum capitalium defensionem: contradicant licet omnes quotquot sunt medici.

Nihilominus vbi sitis non naturalis interuenerit, non est necessarium, vt omnino satietur: est tamen indicium verissimum, venenum cordi proximum fieri. Quapropter vtile fuerit huiusmodi sitim extingui hoc modo, nempe, vt exterius applicetur aqua rosacea cum camphora sandalóque mixta.

Quod ad cibum attinet, iuxta infirmitatis exigentiam gubernetur cibis digestibilibus & paucis admodum. Reliquum in medicamento situm est, vt in suo capitulo dicetur.

CAPVT III.

De regimine seruando in rupturis ossium, & in sanguine congelato intrinsecus.

Rupturatū ossiū cura & regimen.

IN rupturis ossium non est ciborum & potuum cura peculiraris habenda, nisi quod eis vti, quæ refrigerent oporteat, vt præ calore non incidant in febres ægri: nutritiuis & optimis quibusque moderate cibentur: &c.

Eorum tamen quibus sanguis intrinsecus est congelatus, cibus atque potus purgantibus commisceri debent, vt hordei decoctio cum pauco rheubarbaro, vel radicibus hirundinariæ, cum sene fodiculis, aut therebinthina modica, vel cum pauca lacca. Et in cibis mumia, vel reupontica coqui debet. Hic ordo simul cum pertinentibus medicamētis obseruādus erit, iuxta magis aut minus, pro necessitatis exigētia.

CAPVT IV.

De diæta regimineque pro his qui patiuntur adustiones.

Adustorū diæta.

IN communioribus adustionibus diæta minimè fuerit opus, at in illis tantùm, quæ mortem inferre possunt. In istis regimen optimum erit medicamentum: quo ab internis ad exteriora calor adustionis attrahi valeat. Verum si nimium penetrarit, externis remediis omnino retrahi nō potest, quapropter intrinsecus etiam refrigeriis & extinctionibus opus erit.

Extinctiones internæ fiunt sedi succo aquæ permixto, aut cucurbitarum succo mixta cum tiliarum florum aquâ per pannum expressâ: & acetum rosaceum cibis admixtum plurimum prodest: & alia quæ supra posita sunt. Non diutiùs tamen his vtendum erit, quàm summè necessarium fore videbitur.

CAPVT V.

De regimine eorum qui frigore congelati sunt.

Frigore congelatorū diæta.

HIs qui frigore sunt ita congelati, vt ad interiora gelu penetret, acetum rosaceum pipere longo, vinóque mixtum in potum adhibeatur: eisque cibus condiendus est, plus minusve iuxta frigoris intensionem. Iis verò, qui in mortem vsque gelati sunt, ardens aqua theriaca mixta, radicibusque tussilaginis detur potanda non modice. Hæc si haberi nequeant, zingiber vel caryophilli, cardamomum & grana paradisi coquantur simul, & administrentur calida, postmodum sudent.

CAPVT VI.

De curis morsuum a venenosis animalibus externè factorum, rupturarum ossium, adustionum omnium quibusuis artificibus accidentium, coagulati sanguinis & gelu.

De morsibus canum rabiosorum, & aliis.

Morsus canū in tres species.

MOrsus canum in tres species diuiduntur: aut rabiosi, vel cholerici, vel communes existunt. Omnium rabiosi pessimi: nam rabiosa natura simul cum ipso morsu naturam hominis inficit, vt eam rabiendi mordendíque proprietatem inducat. I. Postea choleræ morsus est, II. cum canes irritati mordent: secundum hîc ma- III. lignitatis locum obtinet, eo quod cholera cum morsu remanet in vulnere. Postremò qui fit a canibus non iratis, at subito motu, minus omnium periculosus, tum facilius curabilis existit.

Morsus luporum & porcorum.

Luporum etiam & porcorum syluestrium ac similium animalium, non alias quam canum sunt curandi morsus: non tamen sub rabidis, aut cholericis comprehendi.

Morsus canis rabidi cur rabiosū faciat hominē.

Considerandum vlterius, quanam ratione fiat, vt morsus canum rabiosorum, hominem eo vulnere possit etiam rabiosum efficere: quod ita contingit. Cum canis mordet, eo momento suam naturam integre fixam habet in hominem, & eo loco potissimùm, in quem arripit. Mox atque subitam læsionem homo sentit, retrogressus totam speculationem habet in morsu, & ita conueniunt in vnum ambæ phantasiæ momentaneæ, vt speculatio hominis imaginatione canis inficiatur, non alias quam vbi duo fumi, redolēs vnus, & fœtens alter, simul cōmiscentur. Nam licet imaginationes non sint sensibiles, corporales tamen existunt, vt venti, miscentur etiam vt isti, vel fumi.

Habet hominis phantasia vires attractiuas magneti similes, quibus alias phantasias ad se trahit, non secus ac si quis ab alio quid audiat aut videat, hoc ipsum ab istius phantasia trahitur in phantasiam alterius, vt sit in ista prout in alia: hoc loco pariter attrahit homo suâ phantasiâ canis conditiones, quarum attractionibus inficitur, ac in naturam caninam transmutatur: vt croco tingitur aqua, pariter & hominis ratio, maculatur à canis rabiosa natura, corrumpiturque, vt conditiones in homine similes fiant illis, quæ caninæ sunt. Euenire namque solet, vt homo talis rabiosus etiam fiat, & in homines irruat vt canis, stomachumque similem acquirat, & in eo modo conditionatum, vt canum instar foret, istorumque proprietates complures, quæ ex sua natura sibi minimè contingere possunt, at solùm ex imaginationibus antea dictis. Quapropter non sunt isti morbi mortales at naturæ maximè contrarij. Et cùm rabiosos homines morsus canum efficiunt, eorum est rabies canũ rabiei similis, omnibus conditionibus & proprietatibus. Accidentia quęuis etiam vt calores, tumores, paroxysmi, nec non similia, concurrentia, non sunt communibus similia, nec infirmitates accedentes cum aliis conueniunt. In istis igitur nullo modo, prout in vulneribus, operari debet Chirurgus: at eorum in cura primùm hoc sit, nempe vt fel & cholera purgentur accerrimè, ne dominentur, cholera potissimùm: nam hoc loco sic inficitur, vt nisi repressa, hominem interimat eius virulentia. Purgatio talis fieri debet, quæ fel & choleram tantùm purgent, siue coloquintida, vel agarico, esula, succo ex sambuci corticibus, rheubarbaro, similibusque constet: quanto violentiùs, tanto meliùs infernè, supernéque pellendum erit absque respectu. *Rabiosorum hominũ cura.*

Inter purgandum exterius etiam refrigerandum est, illis quæ vermem interimunt, vt stupefactiuis, ranarum cruore, oleo mandragoræ, similibusque, donec dolor cesset omnis. Ligentur vulnera morsuum huiusmodi fodicationum emplastris, sine pice Græca tamen compositis.

His tribus remediis, vtpote purgationibus intrinsecis, refrigerationibus externis, & fodicationum emplastris, poteris omnes canum rabiosorum curare morsus. Et si his cessare nollet rabies, opiatis vtendum erit iuxta consuetudinem eorum. Ab his nullius dimoueri te suasionibus permittas: nam per illa sedatur optime rabies. Inter quæ potissimum & optimum est sulphur à vitriolo per tostionem & præparationem depromptam: poteris etiam aliis vti notissimis. Varia purgationum, refrigerationum, & opiatorum describi recepta possent: verùm hoc loco non necessaria, tantùm illa, quibus fiunt, vt supra, compositionem ex vsu discere debes, & industriâ tuâ successu temporis acquisita.

Reliqui morsus canum vt cholera facti, medicamentis internis aut purgationibus non indigent, sed externis, vt superius narratum est: communes verò morsus medicamentis in secundo Tractatu positis ad vulnera. Hactenus de canum sit morsibus dictum: solum hoc restat, vt admoneamus eos, qui curam istorum agent, nisi medicamentis præscriptis vtantur, subsequi facile hæreditarias infirmitates, aut perpetuas posse, velut internas corruptiones, aut vlcera manantia crurium, &c. Curam igitur adhibete, ne simile contingat vobis & patientibus. *Admonitio.*

CAPVT VII.

De morsibus anguium, serpentum, lacertarum, & similium infectorum animalium.

VT naturaliter de venenatis morsibus loquamur, vbi iam venenum in carnem hominis introductum est, aperiuntur venæ, & hoc ipsum in se recipiunt. Est quidem veneni proprietas, vt per venarum conductus fluat vsque ad earum originem: vt si capitis & cerebri venas corripiat, capiti periculum infert: si iecoris isti: si cordis, etiam isti: sic de reliquis. In eo loco periculum est mortis metuendum, quapropter internis medicamentis vtendum erit, ad cor & reliqua interna membra tuendum, & cum eis externis attractiuis, ad retrahendum, atque defensiuis ad exterius membrum tumoribus & veneno in eo iam existente vindicandum. *Veneni proprietas.*

Præseruatiuum internum hoc esto, videlicet, vt sumantur *mithridati* ℥ ij. *theriacæ* ℥ j. quibus immixta sit ℥ j.ß. *coralli rubei*, & pro necessitate patientibus adhibeatur: nam dosis administrationis non bene describi potest: experiendo igitur addisce per te hoc ipsum cognoscere. Si hoc etiam non iuuerit, penes me non est melius quærendum. *Præseruatiuum internũ.*

Medicamentum supra vulnus applicandum est, vt fodicationum emplastrum hoc, quod ex *lythargyrio gummi, & mumia* compositum est, & ad huius ℥iij. addas quatuor *gummi singul.* ℥j. coquas omnia simul, & liquefacias, postmodum super vulnera liges, vt moris est. Animaduerte cum vulnera melius habere cœperint, vt mox inde fodicationum emplastris illa cures in finem vsque. Fac in istis vt velocissimus existas, ob veneni velocitatem. *Medicamentum*

Defensiuum ad membrum vngendum, & vulneri superponendum est, vt accipias flores taxi, rutæ, flores hypericonis & rosarum, quæ ponantur in aceto bono ad digerendum in sole suo tempore. Hoc aceto madefacta linteola, calefactáque sæpius imponantur aut superponantur membro, donec tumor & calor inflammatus abeat. Aliorum damnorum veneno bufonum, aranearum, salamandrarum illatorum optimum remedium est, vt sumatur vera terra sigillata, (non illa pharmacopolarum argilla) saliua in pultem conteratur, & morsibus dictorum animalium superponatur: hæc venenum adimit. *Defensiuum.* *Terra sigillata venenũ abigit.*

CAPVT VIII.

De cura rupturarum ossium.

CVm talis ossium ruptura facta fuerit, vt pellis aperta non sit, eo loci fieri debet industriosa coniunctio, & vnumquodq; suum locum proprium occupet. Postmodum vtendum erit suis medicamẽtis. At si in similibus rupturis aliquod vulnus apertum interueniat, fodicationum emplastris & oleis vulneraribus, vt ad vulnera dictum est, vtere, tum supra hæc eis, quæ ad rupturam idonea sunt. *Rupturarum ossium cura.*

Rupturæ quoties dietim curādæ.

Rupturæ bis quouis die curandæ sunt, compressæ tamen & extensæ ferreis annulis, iuxta Chirurgorum expertorum vsum. Hoc instrumento potest omnis ruptura curari, præter motionem coniunctionis: quod excellentissimum est in rupturarum curis. Et nisi diligentiâ summâ curentur, metuendum est, ne pessima subsequantur accidentia, præsertim in teneris complexionibus, quæ faciliùs aliis inflammantur. Et ex inflammationibus putrefactiones oriuntur, istas mox totius membri destructio sequitur, & sæpe mors ipsa, iuxta locum & accidens. Erit igitur summè cauendum ab inflammationibus maximè quod putrefactiones ex eis prouenientes, amoueri non possint, ac foramina generent, fistulas, & fœtores maximos eisdem in locis. Liga singulis diebus mundissimis pannis bis, ita securus eris ab accidentibus.

Ab inflāmationibus cauendū.

Rupturæ ligatio in asseribus qualiter administranda.

Amotione comprimentium assularum disiungitur commissura partium, alias disligando fieri minimè potest, & præter huiusmodi solutiones etiam fit. Nam si ligare voles in asseribus comprimere debebis acerrimè, pannisque suffulcire, quibus operationibus oportet necessariò tumores oriri, nec non paroxysmos. Et vt moris est istiusmodi tumefactiones mane diminuuntur, & per consequens laxantur ligacula, quo fit vt etiam disnectantur quæ coniuncta fuerant: & priusquam ea comprimas, accidit quod euitare putas. Hac de causa non potes rupturam, vt æquum esset, curare, sed potius inflammas ad putrefactionem, aut inflectis vt semper curuum os maneat. Licet aliquoties inopinate cures vnicum, non semper tibi tamen ita succedit. Est ars curandi rupturas ossium certissima, nec nisi propter Chirurgorum ignorantiam fallax.

Sophiæ herbæ prestātia ad rupturas ossium.

Ad rupturas ossium curandas, herba quędam *Sophia* nomine dicta, Sclauoniis optime nota, cum lacte cocta præ cæteris omnibus est pręstantissima. Summe necessarium foret eam ab omnibus communiter plantari, vt curæ multæ releuarentur à malis accidentibus.

Alia cura. Decoctum.

Alia cura præter eas habetur, vt rupturam postquam in ferreis annulis fuerit, optime vulneraribus oleis inungas circumquaque. Postmodum hanc decoctionem superponas. Accipe *consolidæ maioris libras duas, aristolochiæ rotundæ lib.j.* coque simul in vino, & aqua, post in pultes contundantur, & exprimantur aquâ materiæ tantum addito calidæ vernicis, vt fiat in modum emplastri. Calidum hoc ac pati patiens valeat, superponatur. Fiat id in die ligatura talis, & ita curabitur omnis ruptura ossium.

Alia cura.

Communis est etiam & certissima cura, quæ fit vnctionibus ad rupturas, oleis vulneraribus vel similibus balsamis, aut fodicationum emplastris. Quapropter non est necessarium hîc adducere multa Recepta, quæ potius ad perditionem quàm ad sanitatem faciunt.

CAPVT IX.

De cura coagulati sanguinis, qua pelli potest.

Coagulationis sanguinis varij modi.

COagulationes sanguinis vario modo fieri possunt, *vt trusionibus, casibus, percussionibus*, &c. vel in corpore, vel in membris. Cùm aliquod membrum graui nimium percussione contusum fuerit, impossibile est, vt in eo fiat iterum naturalis vnio læsi cum circumstantibus, quia mortem in se recipit a percussione vel trusione: quapropter auferendum erit separatione prius, quod mortuum est, vt à reliquo vitam recipiat.

Coagulatio sāguinis ex percussione, trusione.

At si percussionibus, trusionibus, aut casu coagulationes intra corpus contigerint sanguinis, mox in putrefactionem transeunt: nam ibidem ac in membris extrinsecis tamdiu resistere non potest, ob internum calorem in corpore, sic in deterius pronum est, vt quicquid in eo læsum fuerit, mox in putrefactionem agitur. Quamobrem celerius adhibendum est remedium eo loci, quàm in extrinsecis, ad internorum defensionem principalium membrorum, quæ facilè tali sanguine mortificari possunt. Nam vitæ radices intrinsecus existunt, extrinsecus rami. Quapropter magis metuendæ sunt internæ quam læsiones externæ: hac ratione citiùs illis, quam istis obueniendum erit, & absque mora.

Remedia. Remediū percussionis.

Sunt itaque duæ conditiones remediorum pro coagulationibus: Externarum, hoc est, percussionum vel contusionum remedium, vt locum oleo laterino perungas, postea liges cum aceto rosaceo. Non est, quod cœruleum colorem auferre cures, at resoluere, tum abeunt per se colores. Inter cætera quæque præstantissimum oleum ad omnia externa membra contusa fractaque, hypericonis exsistit, ac vtilissimum. Itidem & olea vulneraria, balsama, & ex fodicationum emplastris tracta, sunt in vsum, qui dictus est, vtilia.

Remediū coagulati sāguinis.

Ad coagulatum sanguinem intrinsecus, multa recepta possunt adferri. Sunt aliqua tamen corpora præstantissima è quibus omnia constant remedia, quorum ego tibi seligam potissima, nempe *rheubarbarum, sperma ceti, laccam, carbones tiliarum arborum, astrucium, vel brancam vrsinam, aquam peoniæ, aquam endiuiæ, bolum armenum, terram sigillatam, hirundinariam, reuponticam, lapatium maius, aquam valerianæ, aquam florum tiliæ, mumiam, diagridium, agaricum, scolopendriam, hysopum, aquam cardui Mariæ, sal gemmæ.*

Purgationes omnes coagulatum sanguinem pellunt.

Non ignorandum est, omnes purgationes aut laxationes coagulatum sanguinem pellere, cum aliud remedium haberi nequit. Locus etiam casus aut contusionis, iungi debet prædictis medicamentis ad exteriora mebra positis, ad mitigandum. Poteris etiam clysteriis vti, iuxta necessitatem. Manna pariter est excellentissimum hoc loco remedium. Animaduerte ne priusquam ad maturitatem peruenias, acribus vtaris medicamentis, at à mitioribus incipias.

CAPVT X.

De combustionibus, ignito ligno, aqua, melle, vel oleo calidis, aut pinguedine factis.

HOc capitulo ponam communiora quædam remedia, quibus vulgares vti poterunt.

Adustionum remedia.

Accipe *butyrum*, liquefac, & ita calidissimum effundes in aquam frigidam, & cochleari tamdiu

tamdiu agitabis, donec vt nix albescat. Postmodum ab aqua separabis, & emplastrum ex eo factum adustionibus appones: hoc inflammationes extrahit. Si damnum maius fuerit, vt vnico superetur, alia multa post vnum statim aliud emplastrum superpones, donec totum incendium extractum sit, atque tumor subsederit. Hoc ipsum ex larido poteris conficere: prout butyrum præparato. Iam aliquot adustionum capitula ponam, & remedia, quibus latiùs instrueris.

CAPVT XI.

De adustionibus, quæ liquefactis calidisve metallis, sale, aut vitriolo coquendis fiunt.

Adustionũ extinctiones variæ.

ADustiones metallicæ peculiarem extinctionem requirunt apud fusores & alios metallarios: aliam salium, vitrioli, & aluminum coctores. Similiter cum eis, quæ fiunt ex mineralibus, vt torrendo, liquando, euaporando, necnon illis, quę sub montibus igne subterraneo fossoribus metallorum aliquoties accidunt, & eis, qui cinnabarim & minium, ac similia conficiunt.

Adustionib. omnibus commune vnguentũ.

Primò commune fit vnguentum omnibus adustionibus vtile, hoc modo: ♃. *Nucum oleum, seuum ceruinum,* & liquefac simul, inunge combustas partes: hoc vnguento metallicę combustiones curari possunt: & quæ ligno factas curant, eas quæ metallis fiunt & curant, & econtra. Verum sub curæ finem post extractionem incendij, curabis medicamentis vulnerum, aut *siccis pulueribus, aut croco Martis, vel croco Veneris.* Si vero salium adustiones vitrioli & aluminum his extingui non possent, *aqua ex squamulis ranarum viridibus aquæ supernatantibus vtere.* Nam quoduis remedium extrahi se non permittit, nisi priùs extinguatur eo loco, in quo quidem existit, vt quod fulgurum ictibus, aut sub montibus vel coquendo cinnabarim, factum fuerit, inueteratumque. Verùm vbi mox à principio remedium adhibetur prædictis medicamentis iuuari potest: si non, profundiùs indies fixum retrahi se non patitur: quod ab initio tamen amotu facillimum erat. Caue ne impertinentibus extinctionibus vtaris ab exordio, sed vide vt simul semper imflammationes extrahas; & nisi iuuet, optimis & potissimis opus hoc exequere: postmodum si curam admittere nollet, vulnerum curato medicamentis. Fodicationum etiam emplastra combustionum extrahunt incendia: verùm ordo supra positus est optimus. Alia multa reperiuntur extinguentia extrahentiaque, sed ob eorum leuitatem relinquere volui, & solùm ea, quæ communiter omnibus adustionibus vtilia sunt, ponere.

Notandum.

CAPVT XII.

De incendiis a bombardico puluere, sulphure, nitróque factis, & similibus.

Adustio à puluere pyrio vt curanda.

ANimaduertendum est in adustionibus à puluere bombardico factis, aut eis, quibus inest sulphur, aut nitrum, ignem ad interiora penetrantem fore non leuiter extinguibilem. Quapropter vbi quæ proposita sunt remedia non iuuarent ab initio, his quæ sequuntur vtere: tandem post extinctionem incendij, cura medicamentis, vt supra.

Similia remedia fiunt ex eis, quæ sunt humida per se: hoc est, naturam habent aqueam, vt *semperuiuum, cancri, nenuphar, & linum palustre.* Horum tusorum accipe succum, & eo laua partes adustas, quarum incendia facilè non extinguuntur: nam ex propria natura vincunt adustiones omnes.

CAPVT XIII.

De extinctionibus & extractionibus incendiorum à globulis bombardicis ortorum, & aliis puluere tormentorum incussis.

Incendiũ à globulis canalium vt extinguatur.

AD extrahendum incendium à globulis canalium causatum nota remedium, hoc scilicet: *Lithargyrium in aceto coque tamdiu, donec in sal conuertatur, sed primo debet acetum præparari cum alcali. Postmodum sal istud lithargyrij soluatur in aquam, hanc succo permisce cancrorum.* Iste liquor in momẽto qualecunque sit incendium tollit. Cùm igitur à globulis incendium auferre voles, hunc liquorem immitte per syringam in vulnus, vt globulum attingat, quem vbi contigerit, mox cum dolore cessat incendium.

Quod ad vulneris oculum aut orificium attinet, si patiatur incendium, medicamentis vtilibus hoc ipsum extrahito: quo quidem extracto, nullum in oculo damnum aut accidens metuendum est. Verùm si forte neglectum fuisset quod iam diximus, vide vt alia medicamenta, quæ veniunt in vsum, accipias.

CAPVT XIV.

De congelationibus in aqua, vel in sicco contingentibus.

Mẽbrorũ congelationes quæ damna secũ afferant. Remedium.

MEmbrorum congelationes duplicia damna secum adferunt, vt *paroxysmos & tumefactiones.* Paroxysmi successu temporis nascuntur magis indies aucti: verum tumores in putrefactionem incidunt. Hoc medicamentum certò certius expertus sum. Oleum vrinæ, quod in proprio sale suo conseruatur, congelationibus in aqua natis, & similibus, omnem paroxysmum aufert.

Quod inflationes concernit, atque tumores, hoc penes me certissimum est experimentum. Vrina perungantur aut lauentur optime, postmodum fodicationum emplastris ligentur aut conseruari poterunt, præsertim vbi mox ab initio remedium hoc fiat. Si tamen caro mortificata sit, post illa, quæ dicta sunt, fodicationum emplastris, aut similibus aliis vulneraribus medicamentis erit mundificandum. Animaduertendum etiam, vbi gelu tenderet ad interiora cor versus, vt patientibus theriacam, & aquam ardentem in potum ambas commixtas administres, vt calor in membro congelato restauretur. Quicquid oleo prædicto fuerit vnctum ante mortificationem, absque damno restitui potest integrum.

Finis primi Libri Chirurgiæ Paracelsicæ.

CHIRVRGIAE PARACELSICÆ LIBER SECVNdus. Curas Vlcerum continens.

CAP. I.

De cura vlcerum sæuientium.



Vlcerum origo primum perquirenda.

CVM tibi fuerit oblatus vnum aut plura patiens vlcera, perquire primùm eorum origines ab exordio. Si dixerit à frigore priùs incepisse, tandem in calorem fuisse mutatum, & aliquoties id accidisse: post rubedinem ortam in vlceris loco, tumore cum, incendio, duritiéque, &c. huc atque illuc vagatum esse, in vno loco non quieuisse donec temporis aliquo sucessu radicem fixerit, eoque loci fecerit exitum. Nunc adest sæuiens vlceris infirmitas.

Vlceris curæ tres partes.

Istius cura diuidenda est in tres partes. *Prima*, priusquam vlcus enatum est: *secunda*, post ortum istius: *tertia*, postquam curatum erit: quinam in sanitate conseruandum.

Cura prima.

Primam ita curam aggredere: cum frigus aduenerit, nihili faciens illud transire finito per se, quamuis æque foret intensum, vt in pestilentia. Verum vbi calor irruperit, animaduerte nauiter, in quem locum ponere centrũ velit. Hoc percepto, myrrhæ rubeæ semunciam accipe mnutissimè tritæ, & albi thuris tantundem etiam contusum, per se ponatur in sacculum lineum vtrumque, & coquantur ambo in aceti mensura ß. & in vini albi mensura vna: postmodum linteum hoc liquore madidum, & ita calidum super centrum collocabis: & vbi siccatum fuerit, humectatũ iterum & calidum toties applicetur, donec omne incendium consumptum sit. Melius medicamentum ad vlcera sænientia reperire non potes: bullire permittas optimè. Calefieri sæpius poterit, ac materiæ plus & pulueru m iuxta proportionem addi, coqui latiùs, &c. Non indiges alio medicamento: nam ablato calore tantùm, cura hæc erit absoluta.

Vlceris cura secunda.

Secunda fit, vbi iam vlcus patulum os habet, origine simili cognita, quam supra narrauimus. Amoue primùm calorem atque tumorem, si adfuerint, dictis medicamentis: postmodum vlcus inspice, num indigeat mundificatione: hanc adhibe, si non, consolida.

Mundificatio.

Mundificatio talis est: Accipe *aluminis vsti* ℥ ß. in aceto quidem exstincti, *mellis* ℥ ß. *aloepatici* ℥ j. pulueranda puluerizentur, & super ignem coquẽdo modice commisceantur, & in emplastri non duri formam reducantur: hoc manè vesperíque ligentur vlcera. Si vetera sint, & praua, calcinati parum adde, & sic mundificabuntur ad fundum vsq;. Mox inde sequitur consolidatio talis: Accipe *fodicationum emplastri lib. j. secundum artẽ Chirurgia compositi*, cui croci Martis addatur ℥ ß. & calcinati ℥ ß. & inter manus cõmisceantur: hoc medicamento ligentur vlcera manè vesperíque in finem conclusionis.

Consolidatio.

Vlceris cura tertia.

Pro tertia cura videndum erit, vt quod cõsolidatum est, hac ratione stabiliatur, vt singulis annis aliquot vicibus venæ magnæ vel varices aperiantur, & venæ sæuiẽtes in suris aut nodis extrinsecus, aut intrinsecus, pro dãni respectu, naturæ proprietatisque. Animaduertendum etiam inter curandum quales venæ sæuientes appareant: si putridæ sint, aut leprosæ, tum aperiantur, & fluant pro necessitate, quoties opus fuerit. Nam laxationibus conseruantur.

CAPVT II.

De cura fistularum.

SI patiens offeratur, qui tibi foramen paruum ostendat spumans, instrumentoque reperias tentando, latius intrinsecùs, quam extrinsecùs, & profundum admodum exsistere, petas quod eius exordium fuerit, & qualis origo. Si fuisse primò dixerit apostema, quod eò se contulerit post eruptionem, aut inconueniens medicamẽtum, fistulam fore indicato.

Fistula quomodo cognoscenda.

Nunquam hactenus auditum est, genus hoc vlcerum sanatum per se fuisse, yerùm per medicamenta solùm, & optimè conditionata, vel alias minimè curabuntur. Duplex est istorũ cura, videlicet interna per potiones, & externa per aquas & emplastra, vel alias illitiones. Cùm verò semel consolidata fuerint, nunquam ampliùs erumpunt, nec indigent conseruationibus, & minus diæta.

Fistulæ nunquã per se sanatæ.

Fistularũ cura duplex.

Potio talis erit.

Potio.

℞. *Ciclaminis m ij. saniculæ albæ m. j. herbæ sophiæ m. ß.* coquantur in vino prout vulnerares potiones. Postmodum adde *caryophyllorum olei per alembicum tracti* ℥ *j. ß.* Ter quouis die patientibus dabis in potum, vt in quouis haustu iusta sit olei portio mixta & æqualis. Hac potione solâ quæ recentes fistulæ fuerint, curabuntur, at si veteres latiùs procedendum erit.

Ablutio talis fore debet.

Ablutio.

Destilla simul ℥ *iij. olei laterini*, ℥ *vj. olei terebinthinæ*, ℥ *j. ß. olei charyophyllorum, per alembicum*: & postmodum cum additione hac rursum destilla. ℞. *Masticis, myrrhæ, thuris ana* ℥ *ij. mumiæ* ℥ *iij.* Destillato hoc ablue fistulam immissione per syringam vsque ad fundum quouis die bis: & intermissis vicibus abluatur eodem instrumento sæpius vino vel aquâ salsâ, vt in eis nulla putredo maneat.

Extrinsecùs applicetur fodicationum emplastrum cum calcinato mixtum, & eo manè vesperíque ligentur, secundum vsum. Alia multa reperiuntur, quæ fistulas & similia curant efficaciter, vt *oleum Saturni, oleum Mercurii, aqua Mercurialis.* Hæc certissima sunt, & minimè fallentia medicamenta.

Sæpius euenire solet, vt accidentia similia vel alia nascantur in oculis, auribus ac locis, in quibus emplastris vti non bene conuenit, potionibus & ablutionibus contentum esse te decebit. & vtcunque poteris guttulas tres, quatuor, aut plures, iuxta commoditatem immittere.

CAPVT III.

De cura vlcerum simul accumulantium.

CVm patiẽs aliquis multa foramina tibi vnũ penes alterum ostẽderit profunda, & in latum disposita, sicca, vel paucâ saniẽ proferentia, in

in quouis loco sita corporis, pauca siue multa sint, originem perquirere. Si prius multæ rugæ fuerint, durique nodi plurimi, quæ postmodũ aperta sunt, & mediocrem dolorem inferunt, curabis, vt infra. (Vlcerum simul ac cumulatiũ cura.)

Ab eorum exordio sine, vt sibi per se faciant exitũ, quæ nodosa sunt, & nulla duritiες ibi maneat: nam curare minimè poteris, quamdiu duri nodi fuerint ibidem: & si concludatur, non permanebunt. Ad hæc noli corrosiuis vti: nam istis applicatis in aliam cõditionem incidunt, & alio loco. Noli etiam propellere quæ certò reuersura sunt. Poteris tamen duros nodos circa foramina medicamento in ista resoluere.

Vnica est eorum cura, videlicet in consolidatione sita, præcedente mundificatione: liganda sunt singulis duodécis horis incarnatiuo hoc. (Cura.)

℞. *vnguenti vitellorum ouorum ℥ iij. olei Mercurii ℥ j.* his mixtis ligando curabis ea, vsque ad cõclusioné. Vel accipe *loco oleorum calcinati magni ℥ ij. & cum vnguento prædicto misce.* Vel omnium accipe loco fodicationũ emplastrum, cũ calcinato magno mixtum, iuxta conditiones vlcerum. Quocunque horum vsus fueris, similia quæuis vlcera curabis in quolibet corporis loco sita. Quamuis talia foramina varias conditiones habeant, ac nonnunquam superiorem partem crurum occupent, inferiorem alias, aliquando latera, vel regionem ventris instar cinguli, & quandoque brachia: licet etiam aspectu similia fore non videantur, nihilominus vnius omnia generis existant, ac sub hac vna cura cõprehenduntur. Hoc vnicum animaduertendũ est ab initio, num duros nodos habeant, quibus cognoscenda sunt.

CAPVT IIII.

De cura vlcerum emortuorum.

CVm tibi patiens sui dixerit vlceris initium atque finem hæc fuisse, videlicet nunquam, nec pro præsenti sensisse dolorem aliquem. Qualecunque sit vlcus, vbi signum hoc audiueris, curabis vt sequitur. (Vlcerum emortuorum dignotio.)

Primò quidem erit mundificandum: & postea consolidandum: postremò verò concludendum, & his tribus operationibus curari poterit, alias non, nisi fortassis pusillum foret hoc damnum. Mundificatio fit calcinatis: cura fodicationum emplastris: & conclusio, croco Martis. His curantur huius generis vlcera, præter vllã resistentiam. (Cura.)

Mundificatio.

Calcinata misce cum vnguento de melle, hoc ligabis tamdiu, donec bonum fundamentũ appareat, absque putrefactione carnis, & fœtore sine, aut similibus, quod quinto ad summum die fieri solet. Post fundamentum hoc operare latius, vt sequitur. (Mundificatio.)

Cura.

Fodicationum emplastra ex lithargyrio, vel colophonia superpone, & liga: quinto quoque die renouabis emplastrum ab initio semper cõtinuando. Si tamen successu temporis maiore mundificatione sit opus, iterum ac toties mundificabis, & rursũ ligabis amplius iuxta necessitatem. Postmodum fodicationum emplastro prosequere, vsque ad conclusionem. (Cura)

Conclusio.

℞. *Crocum Martis* in igne per se combustũ, aut reuerberatione paratum, non per acetum: hunc vlceribus istis insperge quoquo die bis. Et cum secundò voles eundem inspergere, lauato priùs vlcus hac aquâ. ℞. *communis aquæ mensuræ partem quintam, aluminis ℥ j. salis communis ℥ ß.* Et vbi mundè laueris, exsicca, postmodũ insperge crocum Martis & conclude. Patienti post poteris diætam aut ordinem in cibo & potu præscribere, necnon phlebotomias conuenientes supra damni locum. Etiam in thermis balneare fuerit vtile. (Conclusio.)

CAPVT. V.

De cura crurum quæ per se aperiuntur.

SI tibi quis offeratur, sub genibus crus inflatissimum & humorosum, cum plurimis foraminibus putridis, concauis, circumrodentibus, & maxima duritie habens: origine diligenter examinata, si comperiatur ab initio bullas quasdam aggregatas fuisse, quæ longè post auctæ creuerint, incurabile damnum fore per seipsum iudicabis, & indies prauius futurũ. (Crurum per se apertorum cura)

Ad istorum curam operationes quinque requiruntur. *Prima* est in vaporibus balneatio: *secunda*, tumorum ablatio: *tertia*, mundificatio: *quarta*, consolidatio, *quinta*, conclusio: quæ omnes cum diligentia maxima perfici debent.

Balneatio in vaporibus.

℞. *Hirundinariæ ℥ ij. saniculæ vel diapensiæ, anagallidis aquaticæ, vsneæ lapideæ, florum sambuci ana m. j.* coquantur in aqua, post in vapore calido crus teneatur, aquâ non tactâ. Potes etiam addere *camomillæ m. ij. fimi palumbini m. iij. fimi gallinarum m. ß.* erit eo melius balneum. Hoc manè vesperíque fiat ante ligationem. (Balneatio.)

Ablatio tumoris.

Florum taxi, florum hypericonis ana m. ij. florũ sambuci m. iij. florum camomillæ m. ij. coquantur simul in vino & aceto. Postmodum expresso prorsus humore, flores tantum superponantur vniuerso dãno, tãdiu, donec hic humor cesset. (Ablatio tumoris.)

Mundificatio.

Vnguentum de vitellis cum calcinato mixtũ, hoc implebis quoquo die sine intermissione, donec fundamentum bonum, & fœtorem omnem atque putredinem recessisse videas, tum demum ad consolidationem transi. (Mundificatio.)

Consolidatio.

℞. *Fodicationum emplastri ex colophonia ℥ iij. & fodicationum emplastri ex lithargyrio ℥ vj. resinæ mundissimæ ℥ j. ß.* igne lento misceto simul, & in formam reduc emplastri cum croco Martis, & calcinato pro discretione sumptis. Hoc liga secundum emplastrorum vsum quolibet die bis, & renoua iuxta necessitatem. Postmodum abstineas à tumoris medicamento, & à balneo supradicto, solùm vtere hoc emplastro. (Consolidatio.)

Conclusio.

℞. *Corticum ouorum calcinatorum ℥ ß. aluminis vsti & extincti ʒ j. croci Martis ℥ j. ß. thuris, masticis, myrrhæ, ana ʒ ß.* his omnibus optime tritis vtere vt moris est. Non est, quod cures, etsi crus gibbum retineat: nam sæpius euenire solet, vt aliquoties hoc loco tanta fiat induratio, quæ per naturã auferri nequit. Animaduertas, vt post curam tuos in cõuenientibus venarũ phlebotomiis oportunis temporibus fiendis instruas. Si forte contingat ex (Conclusio.)

cibo & potu fluxus aut aliquos humores accedere, tollantur per theriacam de corallinis purgando subtus & superne simul, & electuario diacubebæ confortandum erit, iuxta personarum complexiones. Est etiam patientibus diæta in abstinentiam præscribenda prohibendáque repletio quæuis.

CAPVT VI.

De cura fœtentium Vlcerum.

Vlcerum fœtentiũ cura.

VBi quispiam habens putridum crus, oblatus fuerit, non ex corrosiuorum genere proueniens, at ex seipso putrescens, maximo cum fluxu, tumore, fœtore, putredineque perquiras originem. Si perceperis illum eo loco quandoque percussionem, trusionem, sectum aut fodicatũ vulnus recepisse, vel alias ex læsione prouenisse quocunque modo curabis, vt sequitur. In primis hoc loco mundificabis, & postea consolidabis.

Mundificatio.

℞. *Recentia pinnacidia abietis de mense Maio numero triginta, succo plurimo resinaque plena: coquantur in aqua tamdiu, donec resina tota exiuerit.* Postmodum in euaporationem bullitione cogatur aqua, vt resina pura soláque maneat in terebinthinæ formam. Ex ea cum vitellis vnguentum confice, quod cum calcinatis mixtum pro necessitatis exigentia, mundificat optimè.

Consolidatio.

Consolidatio.

℞. *Ceræ libram vnam, colophoniæ lib. ß. resinæ quam coxisti, ℥iij.* & liquefac omnia simul. Postmodum iniice *puluerem hunc, masticis ʒij. myrrhæ ʒ vj. carabis flaui ℥j. ß.* adde postremo *consolidæ maioris, aristolochiæ rotundæ ana ℥ß.* Redige simul in emplastri formam, quo manè vesperíque ligabis. At si necessarium sit in curæ medio mundificare, non prætermittas, vt semper fundamentum recens habeas, aut frustra curabitur. Animaduertendum erit, an cum damnis huiusmodi non sit admixtum aliud: quod si contigerit, iuxta signum operaberis: hoc loco non, at suo describetur. Post curam patiens mittendus erit in balneum salsum: per decem dies aut amplius, vt illa corruptio cesset: nam ex humida frigiditate procedit aluminis, quæ per salsũ balneũ calefit ac superatur.

CAPVT VII.

De cura vlcerum curatu difficilium.

Vlcerum curatu difficiliũ dignotio.

OMnium pessima & intolerabilia maxime cognosces vulnera, cum patiens de continuo dolore, nulláque requie conquestus fuerit, ob inflammationis vredinem, propriam corrosionem, vt in lupo & cancro, &c. contingere solet, ac in cruribus apertis: nulla poteris istorum alia signa habere. Cura primò fieri debet per mitigationem: secundò per fundamenti boni recentisque positionem: tertiò per consolidationem, quartò per accidentium, si quæ sint, expulsionem. Hoc genus vlcerum, non nisi quod mite sit medicamentum, patitur. Quapropter ante omnia mitigandum est, & postmodum, vt sequitur, operandum.

Cura.

Cura.

Destilla per vas retortũ hæc olea. ℞. *caryophyllorum ℥ iij. baccarum iuniperi, sulphuris vitriolati ana ℥j. ß.* clausa peroptimè destillentur in oleũ. Huic adiice olei laterini, quod mediam partem omnium præcedentium æquet, trium maiorum mitigantium, omnium cum additione quartam partem, at istorum inter se partes æquales fore debent. Hæc simul omnia secundò destilla. Quicquid vlcerum illinitur hoc oleo, dolorem omnem remittit, qualecunque fuerit. Postea mundificationem aggrediaris oportet, quæ talis est.

Mundificatio.

℞. *Olei de arsenico fixo ℥ v. olei caryophyllorum ℥ viij. realgaris clari, perspicui cristallini ℥j.* permisce, & in eo linteum humectatum superponatur vlceri, damnóque toti, singulis duodenis horis iterando tertiò, tum demum eiicit squamam tenuem, & inferiùs fundum recentem efficit. Postea sume parum ex mundificatiuo de calcinatis antea posito ad alia vlcera, hoc ipso ter quaterve ligato.

Consolidatio.

Consolidatio.

Fodicationum emplastris demum ligato solis in finem vsque. Non est quod cures admodum, si primo fueris vsus medicamento, nempe mitigatonis, & mundificationis, fundum ita recentem ponunt, vt vlcera, vulnera fiant leuissimè curabilia.

Accidentium expulsio.

Accidentium expulsio.

Animaduertendum etiam est ad accidentia quæ solent vlceribus commisceri: nam aliquoties rodunt os, aut nigrum faciunt, quandoq; neruos & venas, aliaque similia. Quod vbi percipies, ac ad fundum veneris, non est quod vllo modo radas aut frangas ossa, prout ex vsu Chirurgorum inexpertorum: at potiùs extingue calores inflammationũ refrigeriis tantùm, & post curam prosequere: nam ea via caro subducit ossa præter vllum detrimentum. Fatuum est ea radere, limare, trapanareve tortorum instar, cum Deus aliud medicamentum dederit. Hoc medicamento quæ vsta sunt ossa, vel corrosa, restituuntur. ℞. *olei de camphora per aërem clarificati, olei de caryophyllis ana ʒ ij. misce simul,* & bis liga cum aliis ligaturis, donec ossa carnibus obducta sint.

CAPVT VIII.

De Vlceribus in latum corrodentibus.

Vlcerum in latum corrodẽtiũ cura.

SI tibi quis damnum aliquod in facie, scapulis, pectore, costis, & similibus ostenderit locis aridioribus corporis: animaduerte, cum in latum extenditur, carnem erodit omnem, ac ad venas tendit vsque post auriculas, dentes & maxillas nudat, costas & scapulas ac similia corrodit, vt inter cætera quæuis vlcera prauius, nec peius fore valeat. Duo sunt, quibus istæ curantur fistulæ, videlicet oleum ex metallis, & Mercurij dulcedo si quolibet die bis abluantur aut illinantur. Oleum hoc a radice mortificat sal omne damnum istud inferens. Optimum ad hoc oleũ est Saturni, post Lunæ, postea Martis, deinde Veneris, & postmodum Iouis. Excellit hæc omnia tamẽ dulcor Mercurij, qui formam etiam habet olei. Plura sunt, quæ curant hæc vlcera in principio, vt arcanum regis, aquæ Mercuriales, nec non aliæ quædam experimenta. Verùm graues admodum sunt infirmitates, quæ leuioribus medicamentis minimè curari

curari possunt. Quapropter excellentissima quæque sunt eligenda remedia.

CAPVT IX.

De cura vlcerum, quorum vnum in aliud genus trausmutatur.

Vlcerum inuicem se transmutatiũ cura.

CVm patiens conqueritur, vlcus suum in varias mutatum esse formas, nunc in hanc, iam in aliam, & nunquam ad priores rediisse, nec in vna persistere, sed nouam semper induere: indicium hoc tibi sufficiat, vt contra præsentem formam opereris, non contra præteritas. In duobus horum cura sita est. In Mercurio scilicet, qui bonum fundum efficit absque fallacia: postmodum in colophonia, lithargyrio, & gummi quæ consolidant.

Mercurij præparatio.

Præparatur Mercurius coagulando ipsum cum aqua aluminis, & istud coagulatum in puluerem subtilissimum reducendo: hic nullum dolorem excitat. Commisceatur cum vnguento fusco, hoc illinas vlcera, donec fundum bonum acquirant.

Postea fiat emplastrum ex emplastri *lithargyrij, olei, & ceræ ana lib. j.* & in hoc emplastro siue ceroto liquefiat *colophoniæ lib. j.* Postmodum iniice *thuris ℥j. ß. & inde mox vernicis ℥ ij. ß.* Reduc in formam emplastri, quo ligabis vlcera sæpius, vt audiuisti.

Non est quod plura medicamenta cures, hoc loco tibi sufficiunt, quæ supra posuimus. Nam vlcera similia curam leuiter admittunt.

Terminus.

Vbi diutiùs ita ex vna in aliam sese transmutarint formam, vltimo in lepram libenter transeunt. Animaduerte igitur ad signa præsentia, ne maiora suscipias, quam per naturam valeas exsequi.

CAPVT X.

De cura fluxuum corporalium.

Vlceris agnati cura. Seu Fluxus naturalis cura.

SI cuipiam agnatum sit à parentibus vlcus, est fluxus corporalis, præsertim vbi iuxta complexiones & proprietates personarum correspondent. Istorum cura non est similis aliorum curis: nam fonti naturali fluxum adimere, non est facile negotium, aut impedire. Verùm sæpe visum est, exsiccatos fuisse fontes, vel ardore solis, aut ipsius terræ siccitate, vt nullum fluxum emiserint ampliùs. Sic etiam naturales inueniuntur soles, hoc est, medicamenta naturalia, quæ siccam in se naturam habent, & exsiccantem, vt sol cœlestis: hæc perquirenda sunt. Qui tamen siccæ sunt admodum naturæ, fluxus tales naturaliter absumunt, vt in vlcus erumpere non possint.

Primùm sit abstinentia remedium: nam quid prodesset exsiccatio solis, vbi rursus incideret pluuia, repleretque? Post diætam exsiccatio sequatur per crocum Martis subtilissimũ, qui naturalem operationem promouet in homine. Sufficit hoc medicamentum istis vlceribus, abundè mundificat, vbi tamen opertum semper teneatur, siue fluat, siue non, aërem expetit. Non secus etiam, vt fons per aliam viam duci potest, & corporalis fluxus, at cum summa difficultate: nam etsi quandoque sit eum sistere possibile, rursum erumpit, fiuntque posteriora peiora prioribus. Corpus euacuare non est ad exsiccationem hanc inutile, quo melius absumi fluxus valeat: at è contra metuendum est, ne purgationes alio loco noceant.

CAPVT XI.

De generibus vlcerum & eorum cura, quæ ex crurum fracturis, adustionibus, vulneribus, &c. oriuntur.

GEnus istud vlcerum cognoscitur ex eo, quod ipsemet patiens, de suorum vlcerum, vulnerum, adustionum, aut morsuum animalium cum origine, tum deprauationis successu loquitur: cuius quidem prauitatis caussa, Chirurgorum ignorantia est potissima, quod nihil addiscere cupiant, donec occurrat ac periculum adsit, vnde processit omne malum. Cognoscere quidem oportebit, vtrum eo loco potest remedium hac adhiberi viâ, vel aliâ, tum an iterum ad vegetationem adduci queat, os ruptum, vel membrum, cui damnum illatum est: quod in vulnerum Chirurgia posui. Si tamen industriâ tuâ non possis id assequi, sic facito. Primò quod impurum est mundifica, tum vt in Chirurgia vulnerum doctus, es prosequere.

Vlcerum ex crurũ fracturis & adustionibus cura.

CAPVT XII.

De cura vlcerum ex propria constellatione prouenientium.

ACcipe *chelidoniæ m. iij. foliorum quercus m. ij.* trita simul, in fimo putrefiant, & post in oleum destillentur, quo lauentur hæc vlcera: tum ad incarnationem insperge tritum puluerem ex eisdem, quæ dicta sunt factum, in finem vsque. Non est quod in hoc medicamẽto metuas, quod ad constellata pertinet vlcera.

Vlcerum ex constellatione ouorũ cura.

CHIRVRGIAE PARACELSICÆ LIBRI II.

Tractatus Secundus de Curis Vlcerum.

CAPVT I.

De cura Vlcerum per mundificationem.

NOnnvlla reperiuntur simplicia, de quibus composita fieri possunt absque dolore mundificantia. Iam consideratu necessarium est, quænam vlcera mundificationibus curari queant: nam istis minimè cedunt omnia. Quæ tamen eo referuntur, his operationibus curantur perfectissimè. Hoc te primò scire conuenit, quod medicamentum cuique sit vlceri congruum, vt propria suis appropriatis adhibeas, aut secus faciens errabis, & deprauabis omnia.

Vlcerum cura per mundificationem.

Medicamentum cuique vlceri cõgruum.

Cum sal adurens in se non continuerint vlcera, vel corrosiua, sub hoc medicamento comprehenduntur absque reluctantia.

♃. *terebinthinæ lib. j. vitellorum ouorum nu. 20.* misceantur in vnguentum, postea tantundem adde mellis vt amborum est pondus, & coquantur igne lento, spatula semper agitando (ne comburatur) donec fuscum inde pulmentum fiat. Hoc ligabis vlcera manè vesperique: mundificat enim impuritatem omnem, & fœtorem aufert. Quo peracto, fundum ad curam habes optimum, vt nihil relinquatur, quod curã impediat. Si tamen hoc fundamentũ ab initio iactum non sit, ad curã peruenire minimè licet.

Mundificans.

Notandum

Notandum est, hanc mundificationem priorem ad perfectam denique curam non sufficere: quapropter sequens hoc receptum posuimus, quod perfectam docet mundificationem, hoc modo: ℞. *mixturæ superius positæ libram j. terebinthinæ lotæ lib. ß. permiscenda simul, non tamen bulliant, & iniice galbani triti, opoponaci, bdellii ana ℥ j.* Scinde, contundeque minutim vt potes, & vt supra coque cum aceto, vt mixturam habeas omnium. Deinceps adde *aristolochiæ rotundæ contusæ ℥ j. ß. optimè commisce.* Hoc omnia curabis vlcera, quibus nullum corrosiuum inest, nec sal adurens.

Mundificatio perfecta.

CAPVT II.

De cura vlcerum per calcinata.

IN calcinatis peculiaris est operatio: hoc est, in his quæ corrosiua non sunt, vlcera mirabiliter illa curant, & vi quadam. Hoc tamen ignorare minime potes, ea tantum vlceribus conuenire, in quibus vrentia vel corrosiua salia (quæ causa sunt ipsorum) operationem suam perfecerunt, ac emortua sunt. Sæpius enim accidere solet, vt fluxus abundantia, tanquam nubis repentina laceratio fiat, indéque mox vlcus erumpat, & postmodum nihil efficiat ampliùs. Ex eo concluditur, vbi congruum non adhibetur medicamentũ, peius quid oriri posse, quod sal balsami rursus incendit, vnde permanens vlcus enascitur. Cum ergo similia tibi fuerint oblata, calcinatis cura, prout sequitur: ℞. *Vitella ouorum decem, terebinthinæ ℥ viij. ß. in vnguentum age, prout moris est:* huic adde calcinati ℥ ß. His bene permixtis, manè vesperique liga: videbis mirabiles operationes hoc loco.

Emplastrum de resina pro concludendis vlceribus.

In concludendis vlceribus his, emplastro de resina poteris vti, quo meliùs pellem obducat. ℞. *Resinæ communis libram j. ceræ lib. ß. picis Græcæ ℥ iij. liquefac simul. & his permisce calcinati ℥ j.* & vtere hoc emplastro solùm in vlceribus non vsque adeo profundis, aut magnis, & facilè curabuntur. At si profunda lataque fuerint, poteris hoc ipsum emplastrum indere filis in pinnacidium contortis, &c. Curabis omne genus horum vlcerum ex abundantia fluxuum ortum habentium.

Infirmitatũ deprauatio ex præmatura cura.

Animaduertendum in his, vt in principio sæuire permittas. Nam hæc est multarum infirmitatum deprauatio quod Chirurgi curare velint ante maturum tempus, & cum adhuc sæuiunt morbi. Quicquid eo tempore fuerit assumptum, siue ligno, fumigiis, aut vnctionibus, hoc omne deprauatur, & ita fit enorme, vt nullum amplius medicamentum non nisi post multos annos admittere velit. Quapropter Chirurgus optimè sæuientis naturæ terminum obseruare debet, antequam incipiat curam: vt non sæuientem naturam lacessat magis, dum in opere suo fuerit, at expectet finem turbationis eius, & fatigationem, postquam omnia requiem quærunt. Hoc ipsum felices curas efficit, & Chirurgus eo sibi laudem acquirit non exiguam.

CAPVT III.

De cura vlcerum per corrosiua salia calcinata.

Vlcerum cura per corrosiua salia calcinata.

NOnnulla per corrosiua calcinata salia curantur vlcera, sed ea solùm, quæ deprauata, & non sunt in proprio corrosiuo suo genere, nihilominus curam alia via factam abhorrent. Eius causã esse scias, quod fundamentũ nullum habeant, super quod carnẽ plãtare possent, aut in quo vegetare quidpiam aut crescere valeret. In his animaduertendũ est, nonnunquã vlcera curam suscipere nolle, quæ tamẽ aspectu pulcra iuxta conditiones vlcerum existunt. Hoc fit, quia fundus eorũ non valet. Quapropter amouendus est, donec bonus inueniatur. Vbi quæ diximus iam non apparuerint, isto medicamẽto non erit vtendũm: nam eo damnum fiet maius, & ita prauum, vt vero suo medicamento reluctabitur. Certissimum hoc est, statim atque medicamentum incongruum adhibitum fuerit, in deterius damnum vergit, vt longo tempore post nulli curæ morem gerat.

Cura.

Cura.

℞. *Alumen vstum in aceto exstinctum, & oleum de arsenico per propriam suam resolutionem paratũ, permisce simul in vnguentum.* Postea fac vnguentum ex vitellorum vnguento cum alumine mixto. Item fac vnguentum cum calcinato vitriolo, & vnguento de cerusa. Sic vtere.

Cum itaque scire non possimus, quàm profunde caro sit auferenda, primò nobis vtendũ erit vnguento ex vnguento cum alumine calcinato, ligandumque tamdiu, donec sanum sit vlcus, quod plerunque fit in quatuor diebus, aut citiùs. Si hoc non iuuerit, vtendum erit vnguento cum alumine & oleo de arsenico. Et si hoc secundum nihil proderit, vnguentum de vitriolo rem perficiet. Animaduertendum, vt quod vnguento primò potest fieri, fiat, & nõ assumatur ad hoc tertium, ac si crederetur isto rem absolui citiùs, vtriusque, nempe Chirurgi patientisq; damnũ erit: nam raro bene succedit hoc negotium, vbi meliùs operari præsumitur, quàm res ipsamet exigat. Chirurgo dedecus maximum est, ordinẽ Chirurgiæ nõ obseruare.

Latiùs notandum erit, vbi necessum fuerit vti postremo, quandoque eiicit escharam, hanc oleo laterino subleua, butyróque statim superposito, vt separari melius valeat. Nihilominus curandum non erit, etiamsi eschara sit adhuc in foramine, sed absque butyro & oleo ligandum vnguento de calcinato semper, aut cum eisdem calcinatorum emplastris, & eiicitur. Vbi iam ceciderit, æquatum est vlcus, & sola consolidatione, positioneque pellis indiget.

Plura corrosiua reperiuntur, vt Mercurius sublimatus, arsenicum, & similia. Verùm ab eis caueat vnusquisque. Nam ex ordine Chirurgiæ non sunt hoc loco idonea, quod martyria carnificum adferant tormentis haud absimilia. Leuius negotium hoc alia via rationéque perfici potest.

Dicam & hoc: Vbicunque talia fuerint vlcera, quæ fundum peruersum habent, corruptione meliùs & perfectiùs, præter escharam curari poterunt. Aut vbi caro bona foret, at infecta veneno, sine damno carnis erit extrahendum. Cuperem in vtilitatem patientum hanc artem penes Chirurgos omnes fore communẽ. Puncta duo hæc notatu dignissima sunt, ad euitandum intolerabiles calcinatis salibus dolores excitatos, & præsertim eorum abusus maximos. Vnum est putrefactio, & alterum a carne veneni præter læsionem extractio.

Putrefactio

Putrefactio.

Putrefactio.

℞. *Aluminis adusti per acetum correcti* ℥ß. *salis armoniaci* ℥j. *vitella ouorum numero quatuor, mellis cochlear vnum, farinæ hordei* ℥ß. in vnguentum simul omnia permisce, quo singulis vigintiquatuor horis ligato semel, foramen implendo: tum incerato linteo superius obstrues optime ne quid exeat. Hoc fac ter aut quater, & satis erit. Quod nullius est momenti, putrefit, ac separatur à bono sine corrosione, dolore, & præter escharam, ac similia: quodque remanet, bonum est, vt super hoc incarnare tutum sit.

Extractio veneni de carne, quæ adhuc bona est.

Veneni extractio de carne quæ adhuc bona est.

℞. *Carabe tritum optime, & in vase cooperto positum, igne lento paulatim liquefiat:* mox atque liquescere cœperit, iniice terebinthinæ tertiam partem, & misce. Postmodum infunde plus terebinthinæ, & misce: qualibet vice, parum huius affundes, donec in ℥ß. *carabis* ℥ ij. *terebinthinæ* miscueris. In hac materia fila madefiant: si durior exstiterit, admiscebis oleum lini, vt illiniri se permittat, & vlceribus indi calida. Deinceps fodicationum emplastra superpone de colophonia per dies quindecim, & ita venenum extrahitur in sanie. Poteris post quinque dies addere calcinatum iuxta negotij conditionem.

CAPVT IV.

De cura vlcerum per balsamum tartari.

Vlcerum cura per balsamũ tartari.

VLcera, quæ centrum habent in eodem loco, in quo sumpserunt originem, vtilissimè curantur balsamo tartari. At si origo non sit ibidem, eius erit cura frustranea. Maximi namque per abusum tartari sunt ab ignaris errores orti, præsertim cum locis quibus non conuenit, applicarunt, eóque plurimos seduxerunt. Errarunt etiam turpiter in præparatione, dum non calcinatum resoluerunt, &c.

Tartari præparati maximæ virtutes.

Maximæ virtutes in præparato tartaro latent, vt in eius balsamo, quo ad consumptionem humorum superfluorum, putredinum, inflammationum, & corrosionum, vt in cruribus putridis, in quibus operatur potentissime, qualiacunque, & quantumuis magna, tumefacta, vetera, putrida, foraminata, vel corrosa fuerint. Vbicunque Balsamum hoc vsurpatum est, instillationibus, vnctionibus, illitionibus, aut superpositionibus, ad interiora penetrat, & in os tam profunde ac origo latet vlceris, ibidemque mortificat omne quod inutile repererit, à radiceque prorsum euellit: consumit, & exiccat omnes tumores, & admiranda siccandi virtute suâ tollit omnem infirmitatem à fundamento & origine. Salia quæuis, hæc vlcera causantia mortificat, & mundissimè repurgat, vt nullus humor eo loco redire potest amplius, & vt sol aquam in terræ superficie siccat. Nihil est, quod huic balsamo comparari valeat: nam radicitus & fixè curat, & in pristinum statum adducit ea, quæ putrida crurum sunt vlcera. Verum in aliis non est eius experientia tam perfectè probata, ac in illis.

Præparatio balsami tartari.

Tartari balsami præparatio.

℞. *Salis petræ lib. j. arsenici* ℥ j. *calcis viuæ* ℥ ij. *tartari* ℥ ix. terantur omnia minutissime simul, & ponantur in ollam ad ignem, & calcinentur. Quod calcinatum fuerit, soluatur, & perfiltrum destilletur. Solutum hoc iterum calcinetur: primò coagula, & adde salis petræ tantundem, & iterum calcina, postmodum bis iterum vt priùs. Ad postremam coagulationem affunde acetum destillatum, & per destillationem separa toties, donec in dulcedinem transeat, cum calore maximo, tum demum ita compones.

Hoc oleo crus madefac optimè, postmodum cum alumine calcinato per acetum extincto, quod residuum est in vnguentum permisce, quo ligabis vlcera iuxta consuetudinem. Post horas duodecim animaduerte, qui se res habeat: si cum rubore tumoréque, paulatim progredere, & singulis viginti quatuor horis liga semel tantum, nec cesses, donec rubor & tumor abierint: tum demum ista compositione ligabis à priore non vsque adeò dissimili.

℞. *Purum hoc oleum, & lib. ij. addito draganti in aqua rosarum soluti* ℥ij. *camphoræ tritæ* ℥ß. optime permisce, & eo totum damnum vnge, tum in foramen iniice, donec apertum fuerit. Tum demum incipit operari sine damno, doloréque & exiccare, vt non secus ac à facie solis aqua dispareat. Sequere processum hunc, donec in pristinum statum crus adductum sit.

Animaduerte si foramina sint, quæ incarnari debeant, alia compositone fieri debet, vtpote ℞. *huius olei* ℥ v. *mumiæ* ℥ j. *croci Martis* ℥ j. ß. *olei ouorum* ℥ x. misce simul, & hoc ligato: nam incarnat, & concludit. Post conclusionem bonum erit, vt eodem oleo balsamóque per se præter additionem totum perungas membrum dies decem, &c. Deinceps quolibet anno vicibus aliquot venas in futuris aperire iuxta commoditatem, & experti medici consilium erit vtile.

CAPVT V.

De cura vlcerum per ablationem venarum & neruorum.

Vlcerum per ablationem venarum & neruorum cura.

COntigit aliquoties, vt ex originibus vlcerum, humores deciderint subtus genua, &c. ac ibidem vlcera generauerint: & licet eorum salia non sint infecta veneno, tamen quia sunt in aliis locis quam suis, & ob eorum abundantiam in vlcus erumpunt, quod in eo loco non potest curari, sed in alio. Quapropter factum est, vt iuxta meatum retrogressum, ac inuentum ibidem fuerit, materiam peccantem non amplius fore venenosam, indéque venarum & neruorum ablatio sumpserit originem. Hæc tamen fieri nullâ ratione debet, nisi fluxus huiusmodi peccent inferius tantum, & non superius, alias frustra futura sunt omnia, nec solum frustra, sed in dubium adferent vtrum accidere possit, nempe vt vel incurabilia reddantur, vel ad mortem tendentia. Nam si natura fluxum infra direxerit ad crura, & Chirurgus eum retrorsum ad corpus reiecerit, eo cordi fit proximior, & ad infectionem pronior. Et si cõtigerit paroxysmum intercedere, vitam impedire vel auferre conabitur omnino: aut si forte concludatur, operationem in corpore suam exercebit mortale, vel absque spe curationis, damnũ hoc relinquet. Quamobrem vide quinã operaberis, ne fias homicida. Siquidẽ curare vel medi-

medicinam agere præter artem & experientiam, latrocinio peius est artificium.

Venarũ aut neruorum truncatio vbi fieri debeat.

Truncatio venarum aut neruorum in ablationem, fieri debet supra genua, vbi proprius & conuenientius videbitur abscissionibus, adustionibus, corrosionibus, aut aliis quibusuis truncationibus, vt satis amplum vulnus fiat. Et inter ambas extremitates venarum & neruorum fluxus est attrahendus, cum superior & inferior pars coniungi nequeant, fluxus etiam quo priùs, descendere minimè potest. Contigit aliquando, vt fluxus super alias venas deciderit, ac per eas ad suum locum rursum venerit, eruperitque: alias vt in aliud latus defluxerit, illudque destruxerit: quandoque ob abundantiam ambo latera. Nonnunquam etiam per membrorum huiusmodi truncationem intrinsecæ fuerunt infirmitates ortæ, vt flaui colores, stomachi debiles, infirmia iecora: quandoque successu temporis est subsequuta mors. Admoneo te igitur, in his vt non erres, abundantem fluxum arripiendo, vel assuetum, sed mitem & recentem, in iuuenibus tantum. Phlebotomiis etiam indies curato pro necessitatis exigentia.

Truncationum istarum vsus, nec docendus, neque laudandus est, cum nulla sit ars. Alius est venas truncandi modus per adustiones etiam non adducendus, quod rustici non ignorent. Solam animaduertas, vt locum quæras proprium, ne quem contractum reddas, vna cum aliis accidentibus ex truncationibus facillimè prouenientibus. Latiùs consueuit Mercurio sublimato, & aliis corrosionibus escaram eiici: pariter non est memoratu dignum, cum vna cum cæteris præcedentibus sit carnificum ars, non nisi propter summam necessitatem vsurpanda. Latius vulnerum, post curæ modus est communis, adustio & corrosio, quæ describendæ non, at solum industriæ cuiusuis relinquendæ.

Si tamen expertum sit per truncationem venarum & neruorum vlcera talia curari, compertumque latius in damnum incidi posse, meum hoc documentum est, vt potionem vulnerarem componas iuxta communem vsum, & in potum administres, ita fiet vt ex foramine fluat egregiè: si clarus liquor exstiterit, indicium est ablationem non procul à foramine fiendam, & quantò proximius, tantò melius, & sub genu potiùs quàm supra. Cum locum scieueris, vnguentum istud superpone, tam late ac opus fore videbitur: hoc enim coagulatur fluxus intrinsecus, & in venis atque neruis, durescitque, & non amplius defluit. Maneat hoc emplastrum quatuor aut quinque septimanas tum demum certus eris nihil amplius descendere. Quod citra dolorem omnem fit, ac apertionem. Quo peracto, curabis vlcus communibus medicamentis à me recitatis antea, & cum fodicationum emplastris, per mundificationem aut alias: nam facilè post curam admittit.

CAPVT VI.

De cura vlcerum per vapores aquarum, & sudores.

Vlcerum cura per vapores aquarũ & sudores.

SVnt & alia multa vlcerum genera, quæ sub genubus accumulantur, tamen sub cura balneorum non comprehenduntur. Quapropter optimè cognoscenda sunt ea, quæ curam istam habere cupiunt, alias plurima deprauabis vlcera. Nam in isto balneo particularis conditio sita est, vt ea, quæ ad hoc non sunt ordinata naturaliter, in aliam quam propriam naturam transeant, vtpote in sanguinis maximam effluxionem, præter eorum vsum. Quæ verò sub curam hanc pertinent, ea sub genu sita magna, putredinis & cruoris ac similium plena sunt, crurum putridorum instar, & mox atque tacta fuerint, sanguinem emittunt. Illa per huius balnei proprietates curari possunt, etsi alio quouis loco posita sint, modo signa, quæ diximus, edant. Si medicamento simili voles vti, vide vt ipsum optime cognoscas: nã eius operatio talis existit, vt cruorem putridum & carnem inutilem extrahat ab vlceribus in aquam. Vbi iam fluxus omnis exiccatus fuerit, aliis medicamentis postea curandum & consolidandum erit: siquidem balneum ad euulsionem sanguinis superflui tãtum ordinatum est à carne venisque, propter quem vlcus enatum fuerat. Hoc enim ablato, cura facilis erit. Animaduertendum, ne diutius æquo balneum continues: nam vbi terminum eius præterieris, aut non repereris, in posterum & sanguinem bonum attrahit, vt non facilè, nec sine periculo sisti potest.

Cura talis est.

Cura.

℞. viridia pinnacidia abietis, quæ succi resinaque plena sint, m. ij. summitates recentiores iuniperi, corticum fagi ana m. j. chelidoniæ, cepeæ, foliorum quercus, ana m. j. radicum hirundinariæ, aristolochiæ rotundæ ana lib. ß. Coque simul in aqua tantùm, vt sat est ad pedum balneum. In eo manè vesperíque balneo teneatur vlcus.

Alia.

℞. Saniculæ vel diapensiæ pirolæ, draguncul, foliorum quercus ana m. iij. hirundinariæ radicum m. j. consolidæ maioris, aristolochiæ rotundæ ana m. ß. pinnacidium abietis viridium m. j. ß. Coquantur vt supra. Huiuscemodi balneum ad tres dies sufficit, ni fortè fœteat, tum demum innouetur.

Post balneum habeas vnguenta vel emplstra, quibus cures, optima: nam solo balneo curari nequeunt. Est etiam, quod ea, quæ sistunt sanguinem, tibi sint promptissima, vt superuenientem quandoque fluxum retinere valeas: abstine prorsus ab ista curandi via. Non sis etiam temerarius in suscipiendis huiusmodi curis, nisi cognoueris optimè, sub istis medicamentis vlcera talia comprehendi.

CAPVT VII.

De cura vlcerum per olea destillata, gummi, & per similes aquas.

Vlcerum cura per olea destillata.

ALia reperiuntur vlcera, quæ maximum dolorem inferunt inflammationibus & stimulationibus, in eis tamen corrosiuum aut calcinatum vitriolum nullum: nec alumen aut aliud quidpiam operari potest, neque medicamentum quoduis aliud optimum illa recipere vel admittere volunt, vt fodicationũ emplastra sunt, vnguẽtáque: nec ad vlcera quæuis alia perquam vtilia quicquam in eis efficere possunt, imo his omnibus indies redduntur prauiora. Ista quidem vlcera pertinẽt solùm ad curã, quæ fit

sit per destillata. Verum his cum curare voles, vide vt etiam optima consolidatiua, quæque habeas: nam per destillata solum curari non poterunt, at præparari, & medicamentis obedientia reddi. Quæ potiora sunt enarrabo: tamen est quod animaduertas sub istam ea tantùm comprehendi curam, quæ nullis medicamentis volunt cedere, quæque dolores noctes & dies inferunt cum ardore, acerrimisque stimulationibus absque requie.

Pauca sunt ea, quæ ad hoc negotium destillanda veniunt, vt oleum petroleum, terebinthina, caryophylli, zingiber, miristica nux, & similia. Vbi destillata iuxta conditionem vlcerum istis indita sunt, omnem dolorem auferunt & ita mitigant, vt libentissimè curam admittant. Pariter omnia, quæ glarealem aquam sistunt, in sole digesta vel destillata conducunt.

Cura.

Hoc loco deficere videtur aliquis liquor.

℞. *Caryophyllorum* ʒ v. *zingiberis* ʒ j. *nucis muscatæ* ʒ ß. *destilla simul per alembicum*, & separa gradus, quos iuxta dolorum gradus applicabis.

Alia.

℞. *Olei communis, vel oliuarum lib. j. thuris albi* ʒ ß. *caryophyllorum* ʒ ij. ß. destillentur omnia per alembicum, & separentur eorum gradus.

Alia.

℞. *Terebinthinæ lib. j. petrolei* ʒ j. ß. destillentur per suos gradus, & secundùm eos applicetur.

Alia quæ cum præcedentibus incarnat, consolidat, & concludit.

℞. *Thuris, masticis ana* ʒ j. ß. *caryophyllorum* ʒ j. *mumiæ* ʒ ß. *bdellij* ʒ ij. *galbani* ʒ j. destilla simul, & separa gradus inter stillandum. Postmodum oliuarum olei per gradus etiam destillati partem æqualem adde misceque, & in vitro positis ambobus oleis impone: flores hypericonis ad summum vsque digerantur, & in vsum assumantur. Vsus eorum destillatorum est, vt illinantur plumis integra damna circumquaque manè vesperique. Et si forte interea dolores inciderent aut ardores, mox iterum illinendum erit absque intermissione.

Quod ad superpositionem, optimum erit emplastrum de calcinato, vt in priori particulari ponitur, aut in secundo. Horum vlcerum conditiones attractiua nulla patiuntur, nullam terebinthinam crudam, aut emplastrum, nullum etiam vnguentum, &c. siue mitia sint, aut non, at solùm destillata, vel destillatione præparata. Quapropter, Chirurgus omnis rerum omnium destillationem callere debet optimè, vt ea, quæ pharmacopolarum coquina restaurare non potest, id potioribus efficere valeat.

Sunt etiam nonnulla collyria ad oculos ordinata, quæ in istis vlceribus admiranda pandunt quosuis dolores auferunt, corrosiua mortificat, illisque vires adimunt, & potissimũ, quæ destillata sunt, imbutaque pinguedine.

Nonnulla balsama ex prædictis destillantur cum corrosiuis, & corrosiuam naturam amittunt, fiuntque mitiora per destillationem, nihilominus etiam retinent qualitatem: ista mirabiliter operantur in vulneribus.

CAPVT VIII.

De cura vlcerum per naturalia balnea.

Vlcerum per naturalia balnea cura.

NEmo de balneis naturalibus vel thermis dicere potest, quòd vires in se non contineant, ac virtutes hominibus plurimùm vtiles, vt sunt *aluminosa, vitriolata, sulphurata*, siue acida, siue dulcia balnea. Per medicinam expertum est, ea, quæ nascuntur in terra, maximas habere vires, & nonnullas aquas illis esse conformes, ac salia plurima variàque hoc loco non adducenda. Hac de causa tantillam istorum hîc facio mentionem, vt cognoscatur viribus aliis etiam crescentibus ad curam vlcerum conducentibus, non impares aquas forre, cum vt alia productæ sint naturaliter.

Vlcera quæ non habent originem ab interioribus regionibus corporis, at ab eo loco tantùm, in quo sunt, balneis curari debent, naturâ similibus: hoc est, si vlcus aluminosum fuerit, aluminoso curandum est balneo: cum illa duo conueniunt, cura feliciter subsequitur: & vbi similis concordantia non fuerit, frustra curabitur. Est igitur hæc obseruanda Chirurgis & cognoscenda.

Vlcus omne quod fluxum prorsus eiecit, expurgauitque, facilè curari potest: quapropter vbi Chirurgus tale cognouerit, ad balnea relegare debet: nam citiùs & meliùs quam aliquo medicamento curabitur, ac illa quæ sunt adhuc recentia, & fluxu, necnon accidentibus carentia. Demonstrant etiam balnea propriam virtutem, vt quæ incarnatiua, quæ consolidatiua sunt, & quid simplex eorum sit, aut species, iuxta similitudinem vlcera sunt illis committenda.

Summe cauendum est, ne remittantur ad balneum illi, qui suapte naturâ facilè curantur, & vlcus patiuntur, quod non priùs curari debet, quàm à radice prorsus extirpetur, ac origo non sit eodem loco, in quo foramen apertùm est: nam in istis vlcerum conclusio peius accidens, & quandoque mortem adferet. Si tamen a sæuitia deprehendantur vlcera fore, similiàque, tum demum concludi poterunt, & phlebotomiis iuxta sæuientem eorum succurre naturam: his enim propulsantur accidentia, quæ succedere possent. Accuratissimè cum balneis igitur agendum est, & certissimè, ne quispiam ad sui ruinam seducatur.

CAPVT IX.

De cura vlcerum à tempore.

Vlcerum cura à tempore

NOn alias quàm pluuia diu decidens tempore suo postmodum cessat & per seipsam, vlcera quædam vbi diu satis malitiam suam exercuerunt, & adimpleuerunt, quiescunt. Verùm hac de causa nondum curatum est vlcus: id est, foramen illud a tempore solùm curari non potest, quamuis ablata radix & origo sit, remanet adhuc vlcus. Hoc loco non est opus alio quam ad vlcera medicamine, quibus nulla materia peccans inest ampliùs. Inde colligi potest, plurimos Chirurgos, qui talia conati variis medicamentis ante suum à natura tempus determinatum, frustra laborasse: at vbi tempus aduenerit leuissima quæque res ea curare potest, vt emplastra, vnguenta, fumigationes, lotiones, guaiacum, & similia, quæ nil operantur in istis vlceribus, donec tempus dictum præterierit, &

& fuerit consumpta radix eorum. Alias vbi hæc adhuc aderit, frustra sunt omnia. Hinc fit, vt multi guaiaci decoctionem bibant, vngantur, & fumigentur: quibus hæc omnia prosunt nihil, nisi tempus adimpletum sit originis consumptionis.

Tempus hoc igitur animaduertendum est, & cùm venerit, omnibus remediis vti poteris, quæ tibi sunt cognita, prout vnctionibus, fumigationibus, & guaiaco: si verò non, abstine penitus: quoniam prauiora per te fient omnia. Ea quæ diximus rudissima sunt medicina, meliora quidem fodicationum emplastra, & vnguenta vulneraria, quibus vlcus omne qualecunque sit, vbi tempus originem illius absumpserit, facillimè curatur.

Cognoscuntur vlcera hæc, vbi dolorem omnem reliquerunt, ac per se disponuntur ad curam: hoc est, vbi reluctantur, & nihilominus veterem suam reliquerunt malitiam, ad huiusmodi curam satis apta sunt: nam iuuat ipsamet natura. Non existimabis, ideo, quod vnum curaueris vlcus; & casu potiùs quàm arte, reliqua te curare posse: tempus in omnibus non est impletum: hoc te considerare decet, ne patientes vnctionibus, fumigiis, & guaiaco ruines.

CAP. I.

De cura Vlcerum per sparadrap, id est fluxuum retentionem.

Vlcerum cura per sparadrap.

VLcerum sub genubus, quorum fluxus à corpore prouenit, est alia cura non multum ab ea quæ venarum & neruorum truncationibus fit, absimilis, ac pariter intelligenda; quod in illa prout in ista fluxuum retentio fiat, ne decidant ampliùs: & postquam steterint, sub genubus curatur vlcus. Verùm considerare non solùm te oportet, quâ ratione curare valeas, at etiam, vt ea cura peius non adferat accidens, vt hoc loco per fluxus retentionem intelligi potest. Nam per seipsam ars dici nullo modo, sed potius deceptio (cui magis videtur æquiparari) debet. Nequaquam etiam istius retentionis vsus in omnibus admitti, nec vsurpari deberet, at solùm vbi fluxus eo moliuntur exitum, non ex propria malitia, sed ex occasione data. Verbi gratia, si damnum aliquod pedibus inferatur fricationibus, aut contusionibus, &c. ob contemptum vel iniuriam, apertum vulnus hoc humiditatem corporis ad se quandoque fluere cogit, quæ tamen aliàs eo non descendisset. Vbi simile quid acciderit, sparadrap vsurpari poterunt, donec foramen conclusum fuerit: in eis tamen, quibus causæ tales non interueniunt, nulla ratione vtendum est.

Sparadrap ars.

Sparadrap ars ligationum linteis & similibus executa, non fuit antiquitus, vt iam in abusu maximo: sed facta fuerunt olim ex eis, quæ sanguinem & glarealem aquam sistunt, hoc modo videlicet: ℞. *Limacum domuncularum vastarum, & corticum ouorum calcinatum etiam ana ℥ v. lapidis hæmathitis ℥ j. boli armeni ʒ iij. terræ sigillatæ ℥ ij. ß.* minutissimè terantur omnia simul, & cum draganto gummi in aqua rosarum dissoluto misceantur in pultes, quibus ligandum est ab imo ad supremum. Hæc est omnium op-

Sparadrap confectio.

tima ligatura. Nonnulli decem assumpserunt materialia, quæ superposuerunt, eo suam insciciam patefacientes.

Cum fluxus itaque recenti sunt, facilè fuerit inferiùs vlcera concludere. Verùm humores, qui superiùs hærent, absumendi sunt aut abstinentiâ, vel purgationibus, phlebotomiis, guaiaco, vel aliis exiccantibus, quocunque modo poterit. Hoc enim tamdiu fieri debet, donec omnino certus fueris, post solutionem vinculorum humores ampliùs non descensuros, at in propriam rediisse naturam: quod omnemi nime fieri poterit; vbi fluxus corporales extiterint: nam semper iterum erumpent, & constantiam nullam habituri sunt. Quapropter cognoscere te priùs decet, in quibus vtendum erit hoc remedio.

CHIRVRGIÆ PARACELSICÆ

LIBER TERTIVS

de Morbillis.

CAP. I.

De prima cura morbillorum practica.

HVius curæ communis & primus ingressus fore debet; vt anatomia cognoscatur: id est; locus, origo, finisque morbi. Maximi hîc oriuntur, & enormes errores, dum lauantur aut vnguntur iuncturæ, scapulæ, vel aliæ corporis partes, siue doleant, siue non inconsideratis accidentibus, quæ subsequi possent ea de causa. Nam si latiùs extendatur vnctio, quam ipse morbus venenum est aliis partibus: & non vngatur locus integer æque latè ac anatomia morbi comprehendit, debilis erit vnctio. Primus est huius practicæ punctus iste, quem audiuisti: nam cùm iuncturæ fuerint vnctæ, latius iam dilatatur medicamentum, quâ sit morbi locus. Est igitur arbor cognoscenda morbi; nec non ramorum eius extensio, vt in ea maneat Chirurgus, & limites non prætereat. Si morbus in venis foret, vt in vlceribus, qui procederet saluatella, in vena locus eius est quærendus, & ius medicamentum solummodo recipiet, aliud non.

Vnctiones in morbillis periculosæ.

CAP. II.

De potissimis ingredientibus medicamenta morbillorum.

IN morbillorum medicamentis primatum obtinet Mercurius, Marchasita, & metalla, sine quibus morbilli curari nequeunt. Vis Mercurij summa purgatio est præter quam euelli morbi nullo modo possunt. Eorum purgatio fit per excessum, per os, per lotium, per sudoré, &c. Nihil excellētius felicius fixiusq; purgare potest essentiâ Mercuriali, cùm preparatur in laxatiuorum ordinē & vires, quorum ista sunt nomina.

Ingredientia medicamenta morbillorum. Laxatiua.

Sulphur vitriolatum, est sulphur à vitriolo per elixationem tractum, cuius dosis est, vt ellebori albi.

Sulphur vitriolatū quid.

Vitriolũ liquefa-ctũ quid. Vitriolum liquefactum, est id, quod ex minera trahitur: & coagulari se non permittit.

Mercurialis seua. Mercurialis seua, est aqua ex aluminibus tracta, in qua Mercurius natus est.

Laxa chimolea. Laxa chimolea, est puluis abrasus à salis mineræ floribus.

Mercuri' præcipitatus. Mercurius metallorum præcipitatus, est reductio metallorum in primam suam materiam, postmodum in seipsam subsidere coacta.

Mercurius mineraliũ. Mercurius mineralium, est oleaginitas, quæ ex mineris argenti vel auri trahitur, vel ex eis, quibus immixta sunt naturaliter.

CAPVT III.

De abusibus in medicamento Mercuriali factis, & eorum correctionibus.

Morbi singuli suum habent tempus. SVa quibusuis ordinata sunt tempora, morbi etiam determinatum suum terminum habent ad curam, vltra quem accelerari minimè debent, imo potiùs medicamentum hac ratione dirigendum est, vt eius tempus cum infirmitatis tempore simul concurrat. Aliàs vbi medicamentorum tempus æquo citiùs exspirauerit, idem accidit, ac dum æstas nimis tempestiuè desinit. Hoc potissimè notandum in Mercurio, nempe nihil fore, quod potentius maturitatem promouet. Quapropter Chirurgo maximè necessarium, vt istius tempus morbi tempori valeat aut sciat accommodare: nam iste nec præcipitari, nec tempore Mercurij pelli sese patitur. Quamobrem vnumquodque non vt aliud medicamentum ordinari debet, nec sana membra Mercurialibus viribus arripi, veluti fumigationibus, vnguentis, aut lotionibus. Istorum omnium maximam habere notitiam oportet eum, qui volet vti Mercurio, vel argento viuo: pariter & corpus ita cognoscere, vt sciat, an occultus aliquis morbus, aut eius initium in eo lateat, quod in posterum erumpere posset.

In morbillorũ cura quæ nõ vsurpãda, & quæ. In cura morbillorum nulla ratione gummi, laxatiua, costrictiua, repercussiua, oppilatiua, stupefactiua, &c. sunt vsurpanda, sed penes Mercurium tanquam scopum erit manendum. Hic tribus concluditur, vtpote minera sua cum sanguine, quæ præparatur vt Mercurius. Postmodum corpus à minera separatum repurgatur igne. Tertium verò corpus est, cum in formam adusti metalli reducitur. Ex tribus istis corporibus omnis morbillorum cura ponenda est, vngendo, fumigando, lauando, &c.

CAPVT IV.

De præparatione Mercurij in vnguentum.

Mercurii in vnguẽtum præparatio. POstquam tempus morbi repereris ordine, locum, & expellendi modum, cum simili medicamento auxiliari, Mercurium in vnguentum sic præparabis.

℞. Minera, ex qua Mercurius, prout in prima coagulatione reperitur, antequam indurescat, vel in corpus facta sit, libras xx. Tere, & in aqua pluuiali coquas per horam, sic decidit impuritas à puro quod effusum reseruabis, & cucurbita destillabis igne vehementissimo: ascendit liquor albus coloreque cœruleo mixtus, hunc serua. Postea destillato phlegma, separatoque balneo Mariæ, manebit in fundo quædam oleaginitas æquè ponderosa ferme, vt Mercurius, immaturæ mineræ liquor, hoc vtere, nempe *granis ij. cum olei spica granis vj.* iuxta consuetudinem & argenti viui conditiones.

Aliud medicamentum corporis Mercurij.

℞. Mercurium corporalem, & amalgama cum tanto sui pondere stanni, fluere permittas, & in aquam verti, quam vnà cum tanto sulphure destillabis, & ascendit oleum in forma lactis ponderosum, absque aliqua asperitate. Hoc vtere cum vstione, vt supra, iuxta pondus, &c. Omnis Mercurij præparatio fieri debet tam diu, donec fatigetur, & nullam habeat asperitatem ampliùs, post vtere, vt supra.

CAPVT V.

De fumigatione Mercurij.

SI vapore Mercurij voles vti, primo præparãdus est in attractiuam naturam. Est etiam, quod scias, vsum ipsius varium fore posse, videlicet ad constipandum, purgandum, laxandum, consolidandum, mundificandum, corrodendum, &c. Istius ad fumigium præparatio talis est.

℞. Mercurium, & cum sulphure mortifica, prout ad cinnabarim fieri consueuit. Postmodum à sulphure cum tanto sale petræ, quantum vtriusque pondus fuerit, sublimato. Ponatur in vas aliquod altum palmis duobus à terra, quod latum sit inferiùs, & strictum superiùs, ab vtraque parte vel extremitate patulum. Applica damni locum extracte supra vasis orificium strictius, vt istud emunctorium, à quo fieri debet extractio, è directo conueniant. Calefiat igne lento Mercurius, vt non euaporet: fiant hæc omnia iuxta morbi respectum & personarum. Per calidos vapores, quos recipit emunctorium à Mercurio per vas sursum ascendens, operatio melior, ac si Mercurij corpus damnum subintraret, efficitur, & sine damno: quoniam ab istius corpore cauendum est, & à substantia, ne ad curam vsurpetur, alias vsus eius nouas infirmitates producet. — Mercurii ad fumigiũ præparatio.

CAPVT VI.

De cura morbillorum per lotionem.

CVm lotio præter Mercurium nullas vires habeat, nihil iuxta communem vsum addendum est, vt *piper, cardamomum, flammula,* &c. Nam ista Mercurium incitant ac inficiunt. Nulla etiam ardens aqua fuerit assumenda, quod illum ad cor vsque penetrare faciat, vnde ventris purgationes & ardores oriuntur. — Morbillorũ cura per lotionem.

Antea dictum est, Mercurium non latiùs, quã ipse morbus extenditur, applicari debere, ne venenum eius operetur, vbi non est opus. Cùm igitur lotionibus vti voles ex Mercurio, noli præterire locum infirmitatis. Hæc etiam ad contracturas plurimùm conducit.

Lotio per Mercurium.

℞. Mercurium per seipsum absq; additione sublimatũ, & aliquot vicib. à liquefacto sale sublimetur, ab eoq; destilletur ardens aqua, donec amplius non sit corrosiuus, at absq; asperitate. Coq; post in aqua hirundinariæ per mediã horã, & effundatur — Morbillorũ cura per corrosionẽ.

datur liquor, vt Mercurij corpus non permisceatur, neque assumatur in vsum, at spiritus eius tantùm.

CAP. VII.

De cura morbillorum per corrosionem correctione.

VSus corrosionis omnis est, ad superfluum aut infectum veneno tollendum. Et quicquid in vlceribus nascitur superflui, non oritur ex eis, at ex radice intrinsecùs existente. Sequitur inde, cum origo non sit extrinsecùs, omnes corrosiones fore superfluas. Nam quicquid per eas tollitur, iterum vt priùs ex intrinseca radice corporis nascitur. Quapropter frustranea sunt corrosiua, solùm ad internam originem confluendum, & postmodum externa tollenda sunt.

Ex altera parte fluxiones in vlceribus carnem, sanguinem, neruos, & ossa cum inficiunt, primum imperitorum Chirurgorum est remedium, carnem, neruos, &c. corrodere tam latè, ac infectio se extenderit: quod etiam factum est. Nam etsi caro sic infecta, mortua fore prorsus appareat, & os nigrum ac si mortuum etiam foret: nihilominus vt linteum album iam infectum & maculatum, lotionibus vt prius album & mundum redditur, non secùs etiam caro & ossa lauari possunt emplastris & vnguentis, quæ venenum extrahunt, & mundant carnem sine corrosiuis: omne tamen quod aufertur, putrefactione rebusque separantibus, vt supra fieri debet. In Chirurgia igitur, corrosiua nullius valoris existunt, eorum vero loco hoc emplastrum est vsurpandum. ℞. *Mellis syluestris libram, aloepatici ℥ j. ß. aluminis adusti & in aceto extincti aliquoties ℥ j. vitella ouorum numero xx. terebinthinæ lib.* ß. permisceantur in pultes omnia, & bulliant in sartagine, donec emplastrum croceum & obscurum fiat. Hoc vtere: nam venenum attrahit, & mundificat.

Corrosiua in chirurgia nullius sunt valoris.

Potest etiam emplastrum hoc, vt omnia, cum gummi iuxta modum Apostoliconis coqui, & optime mundificat. Nam absque melle, gummi, ouis, terebinthina, lythargyrio, cera & oleo non potest vllum vlcus mundificari. Hæc omnia Chirurgus iuxta necessitatem & respectu vniuscuiusque patientis & morbi, debet quinam ordinanda sunt, cognoscere, non in vno permanere semper.

Emplastrū loco corrosiuorum.

CAP. VIII.

De cura morbillorum erronea, quæ fit per adustionem.

NOnnulli solent adustionibus vti, quod vt corrodere fatuum est: nam ferrum vel aurum nihil ad rem adferunt. At medicamento solùm, vt supra de corrodentibus opus est.

Morbillorū cura per adustionem.

CAPVT IX.

De incisionibus.

EX ignorantia simili Chirurgorum imperitorum incisiones ortæ sunt, quibus nouam ad veterem infirmitatem adduxerunt. Dum putant antiqua recentibus loco cessura, noua curant veterum obliti. Verùm hac viâ tam possibile foret morbos in aliam adducere conditionem, ac albam cretam ex carbonibus facere. Quamuis ab incisionibus huiusmodi curæ nonnunquam promoueantur, nihilominùs corrosionibus aut illis ne pilo meliores existunt. Verùm est quod ex abundanti sanguinis effusione curæ possint accelerari, quod accumulatus & infectus ille sanguis effluat. Nullâ ratione tamen fieri deberet, at solùm per medicamenta, prout supra de corrosiuis habetur, curandum est. Ratione sanguinis venæ sunt aperiendæ, quæ ex damni radice profluunt, & vlceribus affines existunt, vt ex phlebotomiarum ordine cognosci potest.

Incisiones in morbillis nō adhibendæ.

CAP. X.

De cauterisatione pustularum ex morbillis.

PVstularum ex morbillis prouenientium cauterisationis vsus etiā est ineptissimus: tamen admittendus magis, quam illæ quæ præcesserunt operationes ob calorem, qui hac viâ frigore gelidis locis introduci potest. Contrà, quia membra possunt exsiccari, & humores eorum absumi, non facilè cura similis est assumenda: solùm in his vbi dolores congregantur absque fluxu sub loco, in quo dolores existunt, ea conditione tamen, vt post apertionem pustularum, attractiuorum applicatio fiat, vt infectio quæuis extrahatur. Cauterium in pustulis per se medicamentum non est perfectum, at apertio tantùm, cui medicamentum infirmitati congruum (hoc scilicet) applicari superponíque debet.

Morbillorū pustulæ nō cauterisandæ.

Attractiuum potentissimum ad cauteria.

Attractiuum ad cauteria.

℞. *Viridia pinnacidia abietis numero xx. coquantur in resinam, vt superiùs dictum est.* Huic terebinthinæ tantundem adde, & alterutrius medietatem resinæ foliorum: coquantur simul in mixtionem.

Aliud quod nihil relinquit.

℞. *Gummi oppopanaci ℥ ß. galbani, armoniaci ana ℥ ij. bdellij ʒ. iij. soluantur in aceto, cola, &* in emplastrum reduc, huic impone *rheubarbari ʒ duas, colchiconis ʒ ß. galbani, carabis ana ℥ ß.* terantur & immisceantur.

CAP. IX.

De cura morbillorum per sudorem.

NOnnullæ morbillorum species curantur sudoribus. Non tam efficaciter cum theriaca, vel aqua pestilentiali, atque fit, cum ipse Mercurius sudorem excitat: tum demum in sanitatem eius hominis id futurum est certissimum. In aliis sudoribus non est fidendum, quam à natura vel Mercurio pulsis hoc medio. ℞. *Mercurium cum stanno coagulatum, & postea minutissimè tritum, & in aureum vas profundum satis positum, ita mergatur in acetum acerrimum & vinaceum, cui quidem ardens aqua rectificata prius affundatur: accendatur & aduratur aliquot vicibus*: hac operatione Mercurius, vinum, & stannum in oleaginitatem reducuntur. Hanc serua. Dosis eius est granum vnum in optimo vino veteri potum. Postmodum sudor imperetur in lecto, odorque seruetur & experientia.

Morbillorū cura per sudorem.

CAP. XII.

De ligaturis per rotulas.

Ligaturarũ rotularium quis vsus.

ROtularium vsus ligaturarum est potissimùm ad crura, quibus vlcerum fluxiones retinentur. Eorum ad interiora nullus est vsus at ad fluentia solùm. In his metuendum est, ne retenti fluxus accumulentur in corpore, ac ibidem generent apostemata, post indubie mors irruat. Huic solus præuenit malo Mercurius laxus, qui resoluit apostemata morbillorum fluxuum in corpore congregatorum. Ligaturæ similes retinent fluxiones, at contrà sunt apostematum internorum origo, tum etiam post curam eruptionis. Duo hæc per Mercurium laxum modo, qui sequitur præparatum, euitantur accidentia.

℞. *Mercurij puluerem, per ouorum aquam toties actam, vt coaguletur.* Huius dosis est ʒ viij. cum optima confectione: fluxus ex ligaturis rotularibus, aut alia via simili congregatos aufert. Sæpius tamen administrandus est.

FINIS CHIRVRGIÆ PARACELSICÆ.

AVREOLI THEOPHRASTI PARACELSI TRACTATVS Prior De Contracturarum Origine.

CAP. I.

MVLTIGENVS inter homines contracturarum numerus me summopere mouit, duos de contracturis in præsentiarum tractatulos in lucem edere, partim in Chirurgorum vtilitatem, vt ex his earum originem & curam addiscere valeant: partim, & potissimùm, vt patientibus meliùs tutiùsque subuentum sit. Inprimis de Contracturis ex læsione dicemus. Earum ego differentiam quintuplicem esse reperi, quarum quidem omnes, & per se quælibet membrorum contractionem modo curabilem, aliquando prorsus incurabilem efficit. Singularem quæuis originem habet, sed non sunt vnius & eiusdem omnes principij, per eandem viam ad locum diuersum, & diuerso modo perueniunt, vna quæque pro suæ naturæ proprietate, sicuti suis capitulis infra dicetur latius. Illa quæ fit ex læsione corporis, est omnium pessima, de qua primo tractandum etiam esse duximus, externis accidentibus fit, vt pote verberationum, vel fodicationum ictibus, casu, vel alias diuersimode, iaculis, telis, bombardis, abstrusionibus, fractionibus, &c. Quandoque propter constipationem in carne, quæ nutrimentum impedit, contracturæ fieri solent, vel ariduræ, quarum suo loco mentionem facimus, vbi de aridura loquimur. Similiter accidere solet propter venarum obstructionem, quæ nutrimento suum transitum impediunt, non per naturam, sed accidentibus extrinsecis, vt si cuipiam venæ, truncatæ fuerint, nisi per competens medicamentum in vulnerum conclusione rite iungantur, quod vias atque meatus omnes aperiat: ex alteratione pororum & meatuum in arteriis, oriuntur contracturæ. Sæpius etiam euenire consueuit, vt propter abbreuiationem alicuius membri, vel curæ defectum (quod plerunque fit ex medicamentorum impertinentia, sicuti loco de vulneribus habetur) contractura nascatur, cuius cura sub ante dictis accidentaliter factis continetur, quia causa per quam lapsus iam factus fuit, carnes & venas obstruxit, atque mortificauit, vt nerui prorsus in seipsis deficiant, membroque nullas vires adhibere valeant, vnde ipsum etiam deficere cogitur: quod patebit clarius, vbi de cura per quam mortificata membra quæque refocillari, viuificarique rursus possunt, agetur in posterum.

Contractura ex læsione quintuplex.

Contractura ex læsione omnium pessima, & vnde fiat.

CAP. II.

De contracturis ex tartaro calculóve prouenientibus.

Contractura ex tartaro vel calculo.

OFfertur & alia contractura, quæ procedit ex calculo vel tartaro, sub cingulo duntaxat regionem habens doloribus quandoque maximis præcedentibus, totam illam corporis plus mediam partem interimit, insensitiuam & immobilem reddit. Nonnunquã in ventre solum torminibus intestina contrahit, quod externe videri nequit. Aliquando nates & fundamentum arripit, dorsum incuruat, & femora, feminaque super genua, tunc in fundamento contracturam facit. Aliquoties vsque ad ipsa genua extenditur, & crura postmodum totam corporis partem sub cingulo contractam, impotentemque reddit omnino. Iam de huiusmodi contracturarum origine loquemur, calculi relinquentes originem, aut renum & vesicæ tartari, quæ licet istarum sint contracturarum exordia, libro de Lithiasi tamẽ, & arenis abunde satis explanatur. Arena & lithiasis in spiritu rerum, in sanguine, & in omnibus, quæ concauitates habent, existunt, præsertim in renibus, & cum sanguine per totum corpus expanduntur. Vbi iam ista materia congelata, vel ad congelationem eo loci, quo se recepit, ex sua natura proprietatéque disposita fuerit, spiritus vitalis & humor vitæ cordisque (in quo sumit exordium) qui ad femora, crura, pedesque totos pertinent, (cum per totum corpus diffusum sit) eiusque potio, quæ partibus inferioribus competit, per loca transiens, in quibus tartarum, & calculus situm habent, ibidem sophisticatur: & propter suam humorum attractionem, per quos transitum facit, à tartaro vel calculo recipit impressiones, tartareasque proprietates, quas retinet, secumque vehit ad regiones, ad quas à natura disponitur, in singula membra scilicet inferiora. Quod si pauca fuerit huiusmodi substantia, manet in fundamento hærens, & incuruationem dorsi facit. At si paulo plus fuerit substantiæ, progreditur ad femora: si plurimum, ad extremas corporis partes, infimasque transiens, contrahit omnes, impotentesque reddit. Non omnes hac ratione, qui tartaro laborant, vel calculo, contracturas patiuntur, quod eorum calculosa, tartareáque substantia compacta coagulataq; sit, vt humori spirituique vitæ permisceri non possit, illæsique renes, & vesicam transeant.

Contracturarũ tartari quæ origo.

Incuruatio dorsi & femorum.

Calculo laborãtes cur non statim omnes cõtracturam patiantur.

Spiritus & humor vitæ cur membra cõtrahat.

transeant. Est & alia ratio, videlicet, quod arenosæ, calculosæque substantiæ paucitas, parum etiam inficiant spiritum, isque non plus damni potest, quam receperit, inferre. Hæc est indubia ratio, cur vitæ spiritus & humor, quòd nempe materiam ad se talem receperint, membra contrahant. Arenæ lithiasisque materia lapidea est, acerrimæ concretionis & coagulationis: cum igitur venis, iuncturis, ossibus, medullis, & carnibus admiscetur, horum naturam immutat, nutrimentum ductus obstruit, venas & medullam ossium frigefacit, vt instar aceti congelari fiant, &c. Natura sua tamen per commixtionem cum spiritu vitæ non immutatur, imo semper acrior euadens illum in qualitate magis falsificat, qui rursus id ipsum quod nutrire tantùm deberet, etiam falsum, non ex suo, sed ex alieno facit. Ex ista qualitate, complexionum, & naturæ contrarietate, nascitur constipatio pororum, arteriarum, carnis, & medullarum in ossibus congelatio: sic vt per acetosam & tartaream huiusmodi frigiditatem prorsus immobilia membra facta sint: nec solùm propter frigiditatem, sed etiam ob aciditatis asperitatem ipsæ venæ corroduntur. Corrupta quædam est frigiditat omnis spiritus expers, & materia spiritu carens, tanquam acetum, quod fixum est absque spiritu corpus, & membris inhærens humida frigiditat, spiritum nullum habens: quod aliis corporibus frigidis & humidis non contingit, quia viuentem ista spiritum continent, qui non permittat ea contra naturam aliquid moliri, sicuti scripsimus de acetosis, in libro de *Lapide & arena*: quorum etiam generatio, contracturarum ex arena tartaróque prouenientium est origo, spiritumque vitæ, necnon eius humorem impediens tartarea calculosaque sua proprietate membris in inferioribus dispersa diuisaque materia, prout supra dictum est.

CAP. III.

De contracturis, quæ ex colica ducunt originem, in manus atque pedes repartitis.

Contracturæ ex colica passione. Eius variæ species. Colica qui contractura rũ causa sit.

CONtracturæ quædam in colicis passionibus oriuntur, de quibus colicam & originem eius, quod in alio Libro particulariter tractemus, eam relinquentes hoc loco scribere prætendimus: quarum variæ sunt species. Nonnullæ cum aridura: aliæ cum tremore: aliæ cum membrorum & venarum attractionibus: aliæ cum venarum prominentia: cum doloribus aliæ: quædam per membrorum indormitionem: aliæ cum vomitu prorumpunt: quarum omnium colica, vt in posterum audietis, causa est. Primò cùm tormina colica ventrem exagitant, vt eorum est proprietas, eius loci natura quærens auxilium ab ipsa natura, de membris carne minùs onustis, vtpote brachiis, cruribus, & spina dorsi (quibus vitæ spiritus debilior existit, ideo facilior ad recedendum à suo loco, membrisque læsis succurrendum) attrahit humorem hunc vitæ, qui quòd in illis membris paucissimus existat, totus affluit: nõ ita quidẽ à carnosis. Vbi iam humor vitę relictis suis mẽbris peruenerit in ventre, à colica etiam materia propter coniunctionẽ inficitur, illiusq; veneno quoq; tingitur: de quo mẽtio fit in descriptionibus colicæ, & inde contracturarum tres species oriuntur. *Vna*, postquam per se iam cessauerit morbus absq; medicamento, rediens vnde processerat, victoriam adeptus humor iste vitalis, ad singula sua membra colicæ perniciem secum vehit, quæ non alias, quam arena & lithiasis est contractura naturæ. Talis corruptio, quod contra membrorum naturam illa subintrarit, aliarum instar in contracturam transit, & inde sequitur impotentia. Quod ex quauis colica non accidat, ratio est, quia substantiæ colicæ parum hoc, ab humore vitæ penitus absumitur. *Secunda* colicæ contractura fit ex insufficienti, vel impertinenti medicamento, quod omnem huiusmodi materiam consumere minimè potuit, & quod residuum fuit, humori vitæ permixtum est, qui postmodum sparsus in omnia sua membra, contracturas induxit. *Tertia* colicæ contractura nascitur, cùm sub istis passionibus intratur in balneum, quia statim atque membra calefacta sunt, calor iste rursus humorem vitę reuocat in suum locum, maximè quod eius sit proprietas, ad calorem se recipere. Vbi iam in sua venerit, secum adfert colicæ materiam sibi permixtam, & membris refrigeratis relinquit eam, quę tandem operatur ex proprietate sua, capitaliáque membra quatuor impotentia reddit. Nonnunquam inter balneandum, si talis materiæ plurimum fuerit, quia iam alias quàm assueta sit (in ventre scilicet, in brachiis, & pedibus se reperiat) continuò membra contrahit: eius namque salsedinis asperitas (cum nihil aliud sit colica, præter sal, vt ignis calore, aciditatéque vehementissimis vrens) venas atque iuncturas impotentes reddit, vt in aliis suis agnatis proprietatibus efficere solet: aliquando carnes & musculos, vt aci dorum est natura, corripit. Talis est in istis locis contracturarum origo, quæ nihil aliud esse videntur, quàm humoris vitæ in colicam attractiones, & postmodum istius in quatuor membra capitalia cum concepta malitia receptio, ibidemque manens corruptio similis tamdiu, donec per eam humor ille vitæ penitus absumatur. Ex huiusmodi corruptionibus membrorum aridura nascitur, eo quod natura retrocedere, suasque nutriendi vires cogatur luis amittere: tum propter fellis aciditatem abundantissimam, tremor in membris excitatur: in vno tamen quàm in alio magis: aliquando cum retractione membrorum, quod fellis natura sit, in quæ dominatur, ea stringere: aliquoties cum extensione superflua, propter humoris vitę fortitudinem, qua membrum læditur ad impotentiam: & persæpe cum debilitatione propter eiusdem humoris deprædationem à colica factam. Insensitiuæ contracturæ sunt emortuę, propter humoris corrosionem ab aciditate, frigiditateque materiæ colicæ temporis successu factam, sic vt stupefacta membra non sentiant. Sunt & aliæ sensitiuæ, quòd robustum humorem vitæ retineant, qui se contra morbi conflictum defendere nititur. Quæ vomitum excitant, à colica procedunt, membra nondum obsidente prorsus sed

Contracturarũ ex colica species tres.

I.

II.

III.

Contractura ex colica quid.

Aridura vnde.

Contracturæ insẽsitiuæ.

Contracturæ sensitiuæ.

sed partim in ventriculum recepta per fel, eum infestat, vti libro de *Colica* demonstratur. Quicquid præterea de prædictis contracturis scitu necessarium fuerit, capitulo de cura continetur.

CAP. IV.

De contracturis quæ ex cholera proueniunt.

Contractura ex cholera orta est omnium pessima.

OMnium est pessima, quæ à cholera gignitur contractura: nam transmutatione contra naturam, ex totius corporis accensione, cum externorum, tum internorum membrorum in cholericis tantùm, & præsertim in mulieribus, in omnia membra producitur in hunc modum. Ad excessiuam hominis choleram, fel aciditatis stipticitate sua calorem addit in corpore, quo tandem in venis omnibus accendit sanguinem, ex cuius feruore sudant venæ sub cute: sudor hic est sal, in quo viuit & conseruatur sanguis, vti de sanguine suo loco dicitur: huiusmodi sal ad venas, neruos, & carnes transit, ac ad omnia, quæ corripere potest asperitate suâ. Sic etiam ex impressissima cholera solet accidere, cum per vniuersum corpus sæuit, huius motu sudor excitatur perquam acidus, qui nulla alia motiua cogi potest in exitum, quam superfluo calore per choleram ortum habente, quo fel accenditur in amaritudinem, eam adfert, ac vnà cum sudore per venas ad sanguineum transit: postmodum acrimonia fluxionis istius, in materialem aquam sal huiusmodi resoluitur, per quam dictorum quatuor in vnicam formam essentialem fit in venis & iuncturis commixtio, sicut in aliis. Postquam sudor huiusmodi cholera motus iam cessauerit, fel ad suum locum redit, sedatur calor sed remanent illæ commixtiones in locis, ad quæ cholera sudoréq; promotæ sunt, quia non recedunt à iuncturis, in quas receptæ semel fuerint. Cholera pariter abeunte, mox adest humor vitæ, qui cum dictis commixtionibus iunctis, acrimoniæ materialem earum subtilitatem recipit, hac etiam brachia, pedes, & exteriora membra quæque reddit contractionibus impotentia. Periculosa tandem cura subsequitur, atq; difficilis, & potissimùm in mulieribus, quibus tam inordinata cholera naturaliter inest, vt sanguinem vitæ spiritu suo prorsus euacuet. Quapropter in mulieribus choleræ contracturarum curæ difficiliores existunt, quàm in viris, & plerumque mortem inducunt: maximè quod accedat inuidia, per impressionis ascensionem orta: quæ non alias ac fel ascendit, ac mouetur ab inuidia, sicuti fel è cholera. Fieri potest igitur, vt ex inuidia nascantur incuruationes, & ex istis contracturæ, prout ex cholera proueniunt. Est itaque choleræ contractura, calor ab exterioribus choleræ motibus ascensus, quo spiritus, & humor vitæ contra venas & iuncturas inficiuntur, & corpus suum in contracturam ducere, motumq; similem in his magis, quàm in aliis contracturis exferere coguntur. Inde fit etiam, vt minus aliis curabiles existant, raróq; penitus curari possint: nisi spiritus adhuc aliquid residuum sit in membris, totusq; non fuerit exiccatus, sic vt ex tantillo rursus multiplicari queat, alias frustra curabitur, vt in practica latiùs.

Cholera mulierū inordinata. Contracturæ ex cholera in mulieris. difficulter curantur. Contractura choleræ quid & cur minꝰ curabilis.

CAP. V.

De contracturis ab excessiuo potu prouenientibus.

Contractura ab excessiuo potu.

EX vino superfluè poto generantur etiam contracturæ, quæ prolixissimæ durationis, membra præ cæteris exedentes, & ex sua natura difficillimæ curationis existunt, hac de causa. Vinum spiritus habet subtilissimos: quos vbi potum fuerit, vnà cum humore vitæ permiscet, faciléque recipiuntur, cum propter similitudinem, tum etiam ad humoris vitalis nutrimentum. Permixtione facta, vini qualitas calida & sicca suas operationes exercet indomitè: propter sui subtilitatem tartarum in se resolutum etiam continet: inde fit, vt cum tempore magis atque bibitum, humorem vitę magis exiccet, absumatque, nec vegetare permittit: quod vbi perfecerit, membrum eo loco priuatur suo nutrimento, motu post, & vltimò vitâ: venæ siquidem, vt ex sua natura, stringuntur, arescunt, ariduráque subsequitur, aut crassus spiritu vitæ vacuus humor effluit. Non tamen omne vinum id efficit, potissimum illud quod subtiles admodum, tartareosque spiritus non habet. Quapropter ex aliquo podagra vel calculus oritur, sicuti libro de Podagra & Lythiasi diximus, hoc fit ex diuersitate naturæ, cum vini, tum hominis, vt libro de varietate crescentium secundum naturam ponimus.

Vinū habet spiritus subtilissimos.


Vinum quodnā cōtracturam infectat.

MEDICORUM EXCELLENTISSIMI DOCTORIS

Aureoli Paracelsi Tractatus alter, de cura, & medicamentis, quæ sunt Contracturis adhibenda.

CAP. I.

De ordine differentiaq; seruandis in practica.



VM supra quinque contracturarum origines posuerimus, æquum etiam fuerit, earum curas ex ordine describere, quod præsertim hoc Capitulo facere conabimur. Eadem, præmissæ contracturæ, non diuersa ratione curandæ sunt omnes, & in sui cura non separande, quod eundem habeant exitum, & principiorum causa medicamentis non indigeat. Nam atque morbus à membris expulsus est, & spiritus humorq; vitæ restituti sunt in pristinū suæ naturæ statum, isti per sese curant, ac omne quod vitiosum est, explodunt. Primo de cura dicimus, medicamenta quæuis ad contracturas aperitiua pororum, humorum calefactiua, humectantiáq; neruos & arterias esse debere. Hoc tamen animaduertendum est, vt in eodem gradu sint, in quo morbus ipse: nam si leuiora fuerint, inutilia prorsus futura: qualitates eorum morbi qualitatibus oportet ex æquo correspondere. Non omne calidum nec humidum quoduis, licet etiam aperitiua sint, &c. faciunt ad curam hanc: sed vt inclinationem habeant à forma specifica necessarium est, particularíterque particularibus etiam contracturis apta sint: quia viâ, non aliâ, cura possibilis. Notandum super, contracturas in supremo gradu morbi constitutas, & postremò non solùm siccitatis, humiditatis, caloris aut frigiditatis, verùm etiam exstinctionis

Medicamenta qualia esse oporteat in cura cōtracturarum.

extinctionis humoris, & mortificationis; æqualibus etiam extremum sanationis gradum obtinentibus medicamentis, & quæ ad vitam restituendam membris valeant, curari debere, non aliis. Talia proprietatum præparationibus rerum naturalium quæ sequuntur, at non omnium, acquiri possunt medicamenta. Spiritus vitæ reuocandus est, recuperandus, & renouandus, excellentissimis & confortantibus plurimùm remediis, quorum humore nouo spiritus ille vi quadam introducatur in membra, de quibus praui cum suis venenis & infectionibus humores expellantur, singulari medicinæ practicâ naturaliter hoc ipsum operante. Considerandum est vlterius, huiusmodi medicamentum, quod istis morbis resistere debeat, non commune, non crudum, nec insepa-ratum (ni forte leuis, & quæ iam cessare cœpit, contractura sit) existere debere, sed spirituale quid, corpus totum penetrans cum proprietatibus antedictis. Duobus modis ista cura fieri debet: vno quidem, vt illa membra, quæ sunt à suo loco mota, restituantur, vt decet. Altero vero, quod maximis confortatiuis, vti sunt, *Aurum potabile, Oleum Solis, Materia perlarum, Essentia antimonij, Arcana quintæ essentiæ, Aqua vitæ, Oleum vitrioli, Aqua tartari, Quintum esse gemmarum, Coralliorum, & similium*, paulatim subleuentur, confortentur, & in pristinas vires reuocentur. At licet hæc vocabula sint medicis antiquis, vel qui saltem antiquorum nomine medicorum se venditant, cum tamen antiquas denominationes & medicinas ignorent, incognita, non est quod cures aliud, quàm, vt benè cures: illa tibi clarius in libro nostro. *Quintarum essentiarum, & eorum præparationes* pro maiori parte ponimus. Nunquam D. O. M. sufficienter canere laudes, nec agere gratias totum genus humanum poterit, pro tanto medicamento, quod paterna sua liberalitate suis dedit creaturis: nam illud est ad calorem & frigiditatem, omniumque supplentissimum, humoris & vitæ spiritus ita restauratiuum, vt isti postmodum quasnis infirmitates naturaliter pellant, quæ ad finem à Deo positum impediunt corpora peruenire: verùm vnde similem efficaciam nactum sit, hoc loco non: quia libro *Quintarum essentiarum* apertissimè declaramus. Admirabilis profectò medicina, quæ pariter humidum atque siccum, calidum æquè ac frigidum curat. Hæc est ratio, cur generalem curam ad omnes contracturas ponimus, vt in auro potabili: cuius etiam non miratur quicunque verè philosophus existit, quod aurum & eius proprietates, eiusque supremum operationis gradum nouit, in confortatione totius naturæ humanæ: per quam solam omnes morbi sunt, & potissimùm illi, qui supremum gradum occupant, vt contracturæ curandi. Non alias in perlis vel vnionibus, cum præparatæ fuerint: & magis quam in illis in antimonio, qui virium in corpore est renouator omnium, vti loco de restauratione, vitæque renouatione ponimus: item in arcano quintæ essentiæ, in aquis vitæ, quæ per earum subtilitatem virtutes omnes in vniuersa corporis membra ducunt, augentque: singulariter in viribus olei vitrioli, & aquæ tartari, cum ad similitudinem essentiæ quintæ præparantur. Non minor est in corallio, pretiosisque lapidibus virtutum efficacia, quæ singula præfatis libris enarrauimus: quod magis requiritur, addemus ad hanc practicam.

Contracturæ cura duob. modis fieri debet.

Quintarũ essentiarũ præstantia.

Auri potabilis virtus.

Perlarũ vires. Antimonii vires. Aquæ vitæ & quintæ essentiæ vires.

Est & alius contracturas curandi modus, per externa medicamenta non inutilis, vt per fumigationes ex balsamis & arcanis: per balsama terebinthi, lauri: per oleum ranarum, adipum, gummi: per arcana, compositum, solidum, & elementatum: quorum descriptiones ponemus: at præparationum processus, cum in libro de Essentiis existant, hîc superfluè non repetendi. Pariter ad vnguenta nullam demonstrationem, quod in libro de *Ægritudinibus membrorum* habeantur, facimus, at solùm practicè docemus, curas cuique suam dosin & vsum adscribentes.

Contracturam curandi modus alter.

CAP. II.

De auro potabili, & oleo solis ad membrorum contractiones.

Diximus antea, contracturas alio modo curari minimè posse, quam per medicinas in supremis gradibus existentes, vt est earum aurum potabile similesque, de quibus in gradibus maioribus egimus: quamobrem earum, vt in libro de *Quinta essentia* dicitur, est habenda maxima cura.

Dicitur aurum potabile, quoties vna cum aliis spiritibus & liquoribus, in substantiam, quæ bibi possit, redigitur. Oleum eius est, cum ex sola sui substantia præter additionem, oleum iam factum est aureum. Quinta essentia dicitur auri, quoties ab eo rubea tinctura tracta separatáque fuerit à suo corpore: nam virtus, actiuáque vis in tinctura duntaxat existit. Dosis auri potabilis est ℈ j. *qualibet vice*. Olei dosis aurei pondus granorum hordei decem non excedat. Et quintæ essentiæ auri, granorum est trium similium per vicem aquæ vitæ bonæ, vel alterius aquæ subtilissimæ commixtorum, manéque, sub meridiem, & vesperi sumptorum, pro medicinæ quidem exigentia: qua sine corrosiuorum, aut corrumpentium additione fit, eius naturam immutare minimè valentium, vel cum ea permisceri.

Aurum potabile quid. Oleum auri. Quinta essentia auri.

Auri potabilis descriptio.

℞. *Auri foliati, puluerati, necnon in succum soluti* ℥ j. *& aceti destillati quantum satis est*, addito, simulque destillando toties à se mutuo separato, quoad saporis eius, quod adiunctum est, nihil prorsus maneat. Postmodum sume subsequentis aquæ vitæ ℥ v. quas in pellicanum affusas vna simul per mensem digerendo, perfectum habes aurum potabile, cuius practicam ex libro nostro de *Quinta essentia*, discas oportet: quæque licet multis coloribus non depingatur, vt moris est, par tamen hoc sæculo medicina reperiri non potest.

Auri potabilis descriptio.

Eius aqua vitæ descriptio.

℞. *Vini ardentis lib. decem, Rosarum, Melissæ, Rorismarini, Anthos, Cheiri, Foliorum vtriusque ellebori, Maioranæ, ana m. j. Cinnamomi, Macis, Nucismuscatæ, Garyophyllorum, Granorum paradysi, Piperum omnium, Cubebarum ana* ℥ ij. *Succi chelidoniæ, Tapsi, Melissæ,*

Aquæ vitæ descriptio.

lissæ, ana lib. ß. Cinerum fabarum ʒ.v. Mixta simul omnia per duodecim dies in pellicano digerantur separa tandem, & vtere, sicuti dictum est.

Olei solis descriptio.

Olei solis descriptio. Postquam succus ab auro per acetum, vti supra fuerit separatus, bulliat quindecim dies in digestione, quæ sequitur, deinceps balneo separetur, & in fundo manebit oleum spissum, quod aurum est permixtionis expers. Hoc vtere sicut supra.

Corpus digestionis eius fit hoc modo.

℞. *Succi chelidoniæ, Aquæ vitæ ana lib. j, Resoluti solis, vt supra ℥iij.* Misce simul, & operare sicut audiuisti.

Formula quintæ essentiæ.

Quintæ essentiæ formula. Accipe quantum voles auri, per cementum regale, vel antimonium repurgati, cui per aquam salis metallicam proprietatem, aut malleationem auferas. Postmodum ablue residentiam aqua dulci. Tincturam eius extrahas per spiritum vini. Postremò spiritum eleuabis ab ea, manebit in fundo quinta essentia.

Aquæ salis constructio.

Aquæ salis constructio. Sal tritum accipe mundissimum, & albissimum per se, quod sine decoctione, bullitione, vel alia quauis arte, qua sal fieri consueuit, à natura productum sit, hoc ipsum liquefacias aliquot vicibus, & subtilissimè tritum, ac vnà cum succo radicum raphani mixtum, atque solutum destillabis, & cum sanguinea dum viridis exstitit, iterum ponderibus æqualibus admixtum destillato quinquies. In isto liquore laminatum solem, vt supra diximus, in puluerem solues. Abluatur hic puluis aqua limpidissima, destillataque toties, donec omnis ab eo salsedo recedat: libenter enim sal separatur ab eo, quod non misceatur corporibus in profundo, quapropter ablato corrosiuo, manet aurum per se solum, vt oportet.

Spiritus vini extractio.

Spiritus vini extractio. ℞. *Vini mensuram vnam optimi, naturalis, & rubei potius quam albi,* quod in circulatorium vas amplum (vt melius rotetur) positum, & obstructum, ac in balneum maris ad profunditatem vini mersum, per quadraginta dies bulliat. Postmodum effusum in cucurbitam destilla frigidè tam diu, donec spiritus exierit, & postquam signum suum non dederit amplius, cessato mox (alias in secunda parte Chirurgiæ magnæ sic habetur.)

Postquam dederit signum suum, cessabis: nam quod sequitur, est aqua vita, non spiritus, vtrumque valet: quia signum hoc loco duplum apparet, vnum spiritus, alterum aqua vitæ.

Hunc vini spiritum ad residentiam effundes, quæ est pulueris instar mundissimi, sic vt sex digitorum latorum altitudine supernatet, clausaque simul omnia vitro peroptimè, digerantur in balneo dies triginta: quibus tinctura spiritum subintrat, in fundo residet puluis albus. Separa per artem, & fluat puluis, inde fiet aqueum metallum, vel aqua metallica. Spiritum euaporare permittas, vt Alchimia docet, manebit succus liquoris similitudinem habens in fundo. Liquorem hunc ad quinam vicem graduabis, per vas retortum pro quantitate materiæ, substantiæque capax: graduatio talis fit per eleuationem duntaxat, quæ subtilem reddit huiusmodi substantiam, sed vltra quintam essentiam se trahi non permittit.

Alias eodem Chirurgiæ magnæ, quo supra loco subsequitur, hoc est, ij. iiij. o. vlteriùs comburitur.

Vsus istius essentiæ quintæ est, vt superius, & libro de Quinto esse latiùs declaratur.

CAP. III.

De medicamine materia perlarum, & essentia antimonij.

Materia perlarum quid. MAteria perlarum succus est ex margaritis & vnionibus tractus, & potabilis, ita potens, vt inter spermata nullum illi simile ferme reperiatur, cuius extractionis modus talis est.

Formula conficiendi margaritarum succum.

Margaritarũ conficiendi succum formula. ℞. *lib. j. aceti destillati mundissimi, aquæ vitæ circulatæ libram semis, margaritarum mundatarum vncias quatuor,* quæ postquam pulueratæ subtiliter, & præparatæ fuerint, vnà cum aliis in circulatorio digerantur per mensem: subsidebit materia perlarum, vt pinguis liquor: qui cùm apparebit, separentur aquæ per effusionem succo reseruato, de quo dentur grana sex per vicem. Sunt & aliæ succum huiusmodi parandi, viæ, sed hæc est omnium vtilissima.

De essentia antimonij.

Antimonii essentia. Essentia antimonij est purgatio præter secessum, quæ purgat hominem excellentissime super alia quæuis arcana, radicitus euellit auferendum, ac omne quod immundum reddit humanum corpus: hoc in supremum vsque sanationis gradum purum efficit, ac ab omnibus ægritudinibus mundat, etiam illis, ex quibus oriuntur vlcera. Quidquid penes hominem fuerit impuri, delet, ac magis omne quod in homine per hominem indecentis inueniri potest. Si tu medicinam hanc vel potiùs arcanum reperias, imperito ne dederis. Philosophi, nec non artistæ plurima tentarunt in antimonio, verùm ad fundamentum eius purum & perfectum peruenire non potuerunt ante mortem, quam etiam priusquam nascerer, persoluerunt. Hæc loco præparationis eius principium non, quod in libro nostro de *Quinto esse* reperiatur, sed remediũ contra colicã ponimus, vt sequitur.

Ad colicam.

℞. *Aquarum melissæ, Vitæ circulatæ, Succi chelidoniæ ana ℥ iij. Florum alborũ antimonij ʒ. j. ß.* Digerantur dies duodecim. Postmodum in separando per balneum, inuenies essentiam antimonij, de qua dosin vnã facies ʒ ß. qualibet vice.

CAP. IV.

De remediorum arcanis essentia quintæ, sulphuris, & aquarum vitæ pro contracturis.

Arcana essentiæ quintæ & sulphuris. ACcipe *florum sulphuris lib. ß. Florum alborum antimonij ʒ j. ß. Succi auri ʒ j. Aquæ vitæ circulatæ ʒ x.* Digerantur ad mensem, & in massam duram congelentur. Huius qualibet vice ℈j. administrabis.

Aquæ

Aqua vitæ mirum in modum penetratiuæ compositio.

Aquæ vitæ compositio.

℞. *Aquarum melissæ, Rosarum, Cheiri, Saluiæ, Balsami ana lib. j. Piperum omnium, Cubebarum, Zingiberis, Cinnamomi, Masticis, Myrrhæ rubeæ, Maceris, Caryophyllorum ana ℥ ij. Succi mellis lib. ß. Aquæ vitæ rectificatæ lib. v.* Digerantur omnia simul per nouem dies, & postea separentur, & in pellicano destillentur ad spiritum. Tandem ad liquorem hunc adde pomum tostum, & fractum, & simul vnà cum subsequentibus aromatibus digerantur super cineres per iij. dies: de qua sumantur grana quinque singulis diebus.

℞. *Cinnamomi, caryophyllorum, macis ana ℥ ij. anthos, cheiri ana ℥ ß. ambræ ʒ ij. musci grana v. zibetæ ʒ ß. zingiberis, cubebarum, nucismuscatæ ana ℥ j. ß. amoni ʒ ij. zedoariæ ℥ ij. ß. granorum paradysi ℥ j. ß.* Post horum omnium digestionem separa seruáque vasis vitreis obstructissimis.

CAP. V.

De medicamento vitrioli & tartari pro contracturis.

Vitrioli & tartari medicamentum pro contracturis.

OLeum vitrioli per seipsum absque additione, sed ex proprio succo medicina est: at quia non omne vitriolum perfectum, non immeritò quod optimum fuerit eligendum, ex quo phlegma totum, & oleum exhauritur, postea rectificatur à suis fecibus toties, donec ad spiritum exaltetur: de quo tres guttas administrabis cum alia conuenienti quapiam aqua mixtas: poteris & aquarum vitæ pauxillum affundere. Non reperitur medicamen aliquod penetrantius membra citius, aut materialius isto perquires à fundamento, quam tibi iam posuimus. Est & aqua tartari tracta de vero tartaro, perquam excellens ad ea, quæ dicta sunt, vt etiam libro de Quinta essentia scripsimus.

Processus in extractione phlegmatis, & olei vitrioli, tendens ad contracturas.

Spiritus vitrioli vt extrahatur.

Ad extractionem spiritus vitrioli, qui est omnium excellentissimus & potentissimus, licet ab aliquibus phlegma nuncupetur, hoc modo procedendum est. Igne violentissimo, necnon in erecta cucurbita, vsque ad nonum alembicum, per reuerberatorium in athanar locatum ad quartum diem naturalem vrgeatur, & spiritus hic præparatus erit.

Processus ad aquam tartari pro contracturis.

Aqua tartari pro contracturis.

Tartarum optimum acerrimè destillatum, in pellicano subtilissimè rectificabis, cui quidem aquæ vitæ rectificatæ partem æqualem addes, eiusque decem guttas administrabis qualibet vice. Habet enim tartarum peculiarem vim ad membrorum contractionem curandam, & proprietatem ad penetrandum per vniuersum corpus. Sunt alij lapides, quorum liquores eandem vim obtinent à natura, prout corallia, colorataque, quorum hoc loco mentionem nullam facimus, quod pauci sunt, ac Essentiarum libro contineantur. De confortantibus & internis dictum sit hactenus, licet breuiter. Libro de Essentiis quære latiùs.

CAP. VI.

De fumigationibus membrorum contractorum per extrinseca medicamenta.

Contractorũ cura per fumigationes.

POssunt etiam contracturæ per extrinseca remedia curari diuersimodè, sicuti ponemus per suffitus & fumigia, prout sequitur. Contractum siue pedem siue brachium includes in vas appropriatum satis amplum, vt in eo constrictum non sit, ac vas cooperiri valeat, ne fumus exhalare possit. Postmodum accendes quod sequitur, & in vas reconditum cooperi, tantisper ibi maneat, donec fumus ille cessauerit: hoc fac per medium diem. Si suffimen vnum videatur non sufficere, plura fiant, vapores in vase densabuntur in liquorem, vt in alembico solent.

Huiusmodi subtilis vapor, qui proprie fumus non est, penetrat, membrum calefacit, venas & humorem vitæ refocillat, ac ad naturalem vitam reuocat. Processus hic tenendus erit, donec durabit infirmitas. Instrumenta, vas, & alia quæ necessaria sunt ad hanc rem, ponimus in libro de Curis vlcerum, vltimo cap. de vaporibus.

Receptum.

℞. *Olei oliuarum olei iuniperi ana ℥ v. masticis lib. ß. Terebinthinæ ℥ iiij. ß. Salis petræ ℥ j. & ß.* Mixta simul in cacabo succendens; accensa peroptimè super fundum vasis inferiùs, & intus pones, ac membrum teneatur supra vaporem, cooperiatur vas fundo superiore, ne vapor exeat. Cùm perceperis extinctam esse materiam, exemptam rursus accendas & impones toties, donec tempus supradictum impletum sit. Vapor iste mirum in modum calefacit ac recreat membra. Sunt & alia suffimenta, quorum hic vnum adhuc ponemus.

Accipe *taxi pinguedinis, olei oliuarum, adipis ranæ minimæ viridis, & calamites appellatæ ana lib. j. mirrhæ masticis, therebinthinæ ana lib. ß.* Ascende, sicut supra dictum est.

CAP. VII.

De balsamis, quibus & contracturæ curantur.

Contractorũ cura per balsamũ.

FIunt & quædam laudabilia balsama, quibus contracturæ curantur, & quorum magnus est numerus: nos tamen ea solum huc adducemus, quæ nobis cum vsu, tum experimento probatissima sunt. His enim calidis membra sunt optimè perungenda, singulis diebus ter, & absque intermissione.

Primum balsamum.

℞. *terebinthinæ destillatæ lib. ij. Galbani destillati lib. j. Gummi elemni destillati lib. ß.* Rursus destilla simul, & inde fac balsamum à suis fecibus & phlegmate separatum, eo demum vtere, vt supra.

Aliud balsamum.

℞. *terebinthinæ, oleorum laurini, oliuarum, iuniperi, ana li. j. masticis, myrrhæ, thuris, singulorum lib. ß.*

lib.ß. Destilla per se, quæ sunt eiusdem qualitatis videlicet olea per se reliqua tria etiam per se, quæ mixta simul iterum destilla semel, & vtere sicut audiuisti.

Aliud.

♃. *Adipis taxi, seui ceruini, ranarum adipis, ceræ ana lib. j. masticis lib. ij. thuris lib. ß. euphorbij* ʒ *iij.* Destilla sicut narratum est.

Aliud.

♃. *Gummi oppopanacis lib. j. Galbani lib. ß. Armoniaci quartam j. Bdellij quartam ß.* Simul commixta cola per acetum, & in oleum destilla, cui tandem ea, quæ sequuntur addes. ♃. *Terebinthinæ destillatæ lib. iij. Olei philosophorum lib. ß. Olei laurini destillati lib. j. Masticis, Thuris ana lib. j.* Destillentur omnia cum oleo prædicto rursus in oleum, huic ea, quæ sequuntur imposita simul, in sole digerantur vase vitreo.

♃. *Styracis liquidæ* ℥ *j. ß. ranarum numero xx. adipis taxi lib. ß. aceti destillati, vini ardentis ana* ℥ *j. ß.* Postmodum mensem exprimens, vsuique reseruabis. Notandum est insuper, ex prædictis naturalibus corporibus, quolibet per seipsum sufficiens esse, cum destillatum & rectificatum fuerit, vti per Alchimiam huiusmodi præparationum vnicam artificem docetur.

Aliud.

♃. *Lignorum iuniperi, Fraxini, Sabinæ, id est, Tamaricis, Fagini ana lib. j.* E quibus arte communi destilletur oleum, quo quidem rectificato per pellicanum, vtere.

Aliud.

♃. *Seui ceruini lib. iij. Adipum felium, Vrsi ana lib. j. Taxi lib. v. Hirci lib. ij.* Ex quibus etiam oleum destilletur, huic ranarum viuentium sex libras addito. Postmodum rursus destillato, quæque sequuntur imponito: videlicet.

Seui ceruini lib. j. Adipis taxi lib. iij. Ceræ lib. ß. Aceti quartam ß. Et vnà cum præcedentibus fiat vnguentum: hoc in contracturarum dieb. primis vtere potissimùm.

CAP. VIII.

De arcanis & contracturarum aliis medicamentis.

Contra-cturarū arcana. LAtius te lectorem facere cupio participem arcanorum, quibus non alias quam balsamis contracturæ curari possunt, quorum etiam forma non olei, vel pinguedinis, at aquæ similitudinem refert. Quâ de re dicuntur arcana, quod reliquas excellant aquas. Horum arcanorum species quatuor existunt: videlicet Arcana compositum, Solidum, Elementatum, & Metallicum.

Formula arcani compositi.

Arcanū cōtracturæ cōpositum. ♃. *Alcool vini lib. vj. Cantharidum* ℥ *x. Canapi, foliorum Tapsi, Camomillæ, Hypericonis ana m. vj.* Tere, misceque simul, & in sole, vel fimo digerantur per mensem, destillentur postmodum, & huic, ea, quæ sequuntur, impones.

♃. *Canapi, Florum tapsi, Camomillæ, Hypericonis, Centaureæ, Prunellæ, Betonicæ ana lib. ß. Masticis, Mumiæ ana* ℥ *j. ß. Thuris* ℥ *v. Lumbricorum terrestrium, Ranarum ana lib. ß.* Destillentur in circulatorio per octo dies, hoc vtere non alias quàm de Balsamis supra dictum est.

Arcanum solidum.

♃. *Succi flammulæ, ex tota substantia: hoc est, ex floribus, caula foliis, & radicibus, Succi florum tapsi ana lib. j. Alcool vini lib. ij.* Digerantur in ventre equino per decem dies, & his vtere sicut supra.

Arcanum elementatum.

♃. *Chelidoniæ, Melissæ, Erucæ, Iuuæ artheticæ, Florum tapsi, Papaueris, Centaureæ, Betonicæ, Parthenionis, Hypericonis ana m. ij.* Terantur omnia simul, & aceti parumper addito, putrificentur, & exprimantur optime, succusque per circulatorium vas decem diebus ascendat absque intermissione, quo liquore tandem vtere: nec erit inutile masticem addere, similiáque.

Arcanum metallicum.

Resolutum accipe metallum, quod circuletur octo diebus, dulcificetur postmodum, & in vsum assumatur. Metallorum tamen discrimen erit faciendum: Solis est aqua metallina præ cæteris ad contracturas præstantissima. Breuiter hoc loco discurrimus ea, quæ de Quinta essentia libro latissimè contenta sunt.

CAP. IX.

Conclusio de contracturarum curis, per quam earum vires declarantur.

IAm aliquot recepta pro contracturis posuimus, pro maiori parte non incognita, quorum si debito præparatum fuerit ordine pariter & administratum, quodlibet est ad curam sufficiens. Verùm quod aliquibus non subuentum est aliquando causa duplex assignatur. Prior atque minor, quod membro spiritus humorque vitæ prorsus relicto, nullo residuo deperiit, naturæque medentis intrinsecùs, vel naturalis balsami nihil in eo remanserit. Altera maior, est fatum à Deo sic ordinatum, de quo libro de *Fatis* agimus. Vtraque non alias innotescere medico potest, quàm ex perfectorum adhibitorum ad curam hanc medicamentorum effectuum nullâ demonstratione, per quod indicium, alteram, vtramque diiudicare poterit occasionem, cur nihil efficere possit in contracturarum cura. De cætero nulla reperitur infirmitas, quæ proprium non habeat ex aduerso medicamentum: etiam nulla contractura per infirmitatem orta, cui resisti non possit. Quapropter quoties vna morbi, toties & eius remedij causa reperitur. Quod fatalibus morbis difficilè mederi queat medicus, fidei defectus erga medicinam, & naturæ cursum id efficit. Quamobrem hîc in terris spe constantissima duci, & mortalitatis, ac medicinæ vires, vt morborum etiam occasiones, & inimicum à corpore nostro pellendi modum cognoscere deberemus. Fatum nos etiam docet, per certitudinem exspectare hoc ipsum, quod impedire nullo modo possumus, & in nobis ipsis nullam, at in eo solo spem, ad quod Pater ille noster Deus, & ordinauit omnibus in operibus nostris ponere docet: vnde proueniunt ea, quæ libro nostro de *Fatalibus* profitemur. Verùm enimuero, cum iam medicinæ tantam perfectionem habeamus, & quod magis est, misericordiam eius, qui creauit eam, spe firmissima freti

Medicaméta cōtracturæ curinterdū min' iuuent. Morbus nullus absque medicamento & remed. eius.

Morbis fatalibus cur difficulter medeamur.

freti progredimur, quantum ex eius voluntate nobis est permissum ad resistendum Fatis, medicamentis in supremo gradu, contra supremum infirmitatis gradum constitutis: in quibus etiam infirmitates superandi, post ea, quæ dicta sunt, magnam habemus fidem, vti prologo primo librorum omnium ponimus.

OPERIS CONCLVSIO.

Metallorũ essentia & origo vera quæ.

A Deorum veram & fundatam conclusionem quæ dicta sunt, notandum erit his, qui metallorum essentiam & originem ex ratione vera cupiunt cognoscere, metalla nostra nihil aliud fore, quàm lapidum communium partem potissimam, optimamque, lapidum, spiritum, gluten, seuum, butyrum, oleum, & pinguedinem, quæ adhuc in lapide mixta non bona, non pura, nec sincera minusque perfecta sunt: hæc est ratio, cur in lapidibus quæri, reperiri, cognosci, separari, & per contusionem ac liquefactionem extrahi debeant. Quo facto non sunt ampliùs lapides sed præparata completáque metalla syderibus cœlestibus comparanda: quæ quidem lapides à terrestribus secreti sunt. Postremò si quispiam inuestigare cognoscereque mineralia metalláque voluerit, est quod firmiter sibi proponat, in communibus cognitisque mineris semper non esse quærendum, nec in profundo montium: quia sæpenumero faciliùs inueniuntur in superficie terræ, quàm in eius vtero, copiosiúsque. Hac de causa quiuis lapis in aspectum oblatus, siue magnus, siue paruus, rupes integra, vel cos exstiterit, diligenter examinandus, cuius proprietatis, aut naturæ sit: nam aliquando coticula reperitur, quæ licet aspernata, vaccæ valorem excedit. Non est etiam opus considerare latiùs, vnde lapis hic originem habeat, aut à quo maiore sit auulsus, vt eius copia maior haberi queat, quia non aliunde quam à cœlo, quod habet, ortum est. Reperitur & vilis terræ puluis, aut arena, quæ ☉ & ☾ plurimum contegit secumque vehit: hæc notato.


Lapides diligẽter examinandi.

Coticula interdũ pretiosa.

FINIS CHIRVRGIÆ MINORIS.



INDEX



INDEX
IN THEOPHRASTI PARACELSI
Bertheoneam siue Chirurgiam Minorem.

Numerus paginam, litera *a* primam paginæ columnam *b* verò secundam indicat.

A.

B.

C.

Fætor

N.

O.


P.

Q.

quintarum

FINIS.





PHILIPPI THEOPHRASTI PARACELSI, PHILOSOPHI GERMANI PERITISSIMI, ac vtriusque Medicinæ Doctoris TESTAMENTVM,

Siue Libellus exhibens

MICHAELIS TOXITIS PRÆFATIO.

Reuerendo Domino Georgio Vetter, Paſtori in Bervelden, Amico meo optimo.



DEBITA ac promptiſſima mea officia tibi ante omnia offero Reuerende ac dilecte Domine Georgi. Nuntium quod præterito autumno à quodam amicorũ meorum accepi, te de vitâ & curationibus Theophraſti Paracelſi aliquid ſcribere propoſuiſſe, non parum lætitiæ mihi attulit. Cum enim Baſileæ conſuetudine Viri huius pretioſiſſimi vſus fueris eo tempore quo Canonicũ exiguo temporis interuallo in priſtinam ſanitatem reſtituit quem antea cæteri Medici nec cito nec tarde ſanare potuerunt, prout id plurimis honeſtis viris notum, qui adhuc hodiè in viuis ſuperſunt: nemo igitur te melius noſſe poteſt (ſiquidẽ præſens adfueris) hunc promiſſam mercedem Theophraſto perſoluere noluiſſe ex eo quod fuerit adeò breuis curatio, hancq; ob cauſam Theophraſtum Baſileâ diſceſſiſſe. De hâc inquam & alijs ipſius ſanationibus, nec non cæteris actionibus melius & certius teſtimonium præbere poteris quam alius quiſquam. Nihil falſi contra amicum meum Ioannem Oporinum allegare volo, at hoc mihi non prætereundum (ſiquidem veriſſimum) quòd mihi faſſus eſt, ſe nunquam fauente fortunâ apud Theophraſtum vſum, & hunc illi prædixiſſe, quòd Medicinæ ſtudio relicto aliam profeſſionem amplexurus eſſet: item præterea ſe tum temporis non nouiſſe tantâ doctrinâ Theophraſtum pollere, prout id poſtea compertum habuit; atque duorum ſe valde pœnitere ſæpius queſtus eſt, nimirùm quòd libros à Theophraſto acceptos integras, ſcilicet eius præparationes & res alias, alijs mutuo dederit: deinde quòd epiſtolam de Theophraſto ad Doctorem Wierum ſcripſerit. Idcircò Andreæ Iociſco in pomposâ ſuâ oratione paulò tenius agendum erat; ſcribit enim Theophraſtum nomina herbarum Diſcipulis ſuis referre aut declarare non

m potuiſſe

potuisse, cùm tamen fusè adeo herbarium condiderit, in quo de his & alijs rebus naturalibus tam excellenter scripsit, vt nihil tale præstantius in hoc genere vnquam in lucem prodierit: inscripsit illud signaturam rerum, docetque quomodo illæ naturaliter sint cognoscendæ. Hûc quadrat dictum illud: *Ne sutor vltra crepidam.* Alia quoque recitat in suâ oratione à veritate aliena, quæ illi ipsi cum adhuc in viuis esset Argentorati sæpiùs in os retuli. Plurima de Theophrasto sparguntur falsa, & cur ad ea sileremus? Nonnulli dicunt, eum paucos sanâsse, plurimos perdidisse; alij inquint ferè omnes qui eius medicamētis vsi sunt breui post fato functos esse, nec quemquam vltra septennium vixisse; quæ splendidæ sunt, calumniæ sunt, cum contrarium sat superque demonstrari possit. In Bavariâ eques ætate iam prouectior hydrope laborauit cùm celebris ac insignis Baro (cuius frater Historiam hanc mihi narrauit) prædicti equitis intimus, Theophrastum per literas quæsiuit rogauitque vt in sui gratiam equitem morbo detentum visitaret; quod fecit, & Dei gratiâ aquam omnem expulit, ita vt per hypocaustū flueret, ac mox morbus cessit, & restitutus postea integris decem annis firmâ fuit valetudine. Augustæ Vindelicorum vni ex præcipuis Ciuibus apud quem Theophrastus hospes agebat, Filia erat quatuordecim annorum graui morbo afflicta, Medicorum remedijs huiusque omnibus irrritis, Theophrastus absente vtroque Parente cyathum vini afferri iussit, & medicamēto imposito eum Puellæ exhauriendum præbuit, quo pacto mox cum stupore Parentum sanata, adhuc hodie superstes in matrimonio viuit: Hæc ex ore istius Mulieris ac Mariti ipsius accepi, cùm aliquoties apud ipsos in diuersorio fui. Viuit adhuc in Algouiâ vir pius atque doctus, quem Theophrastus anno trigesimo quinto non ab exiguâ infirmitate liberauit; antea (vt ipse mihi narrauit) quotannis morbo cruciabatur, à curatione verò Paracelsi hucusque sanus vixit. Plura enumerare possem, nisi breuitati studerem, vnum tamen adhuc hîc commemorare libet. In territorio Salisburgensi Nobilis totus membris captus multum cum medicis expenderat, nec tamen valetudinem recuperare potuerat, tandem consilio Medicorum Thermas Syluestres Italicas constituit adire, quum quidam Nobiles Theophrastum in diuerticulum ægroti duxerunt sub specie boni consortij, ac ansam ei præbuerunt de morbo differendi; tum Theophrastus iter susceptum dissuadet, ac numine fauente laboranti paucis diebus sanitatem restituit: prout mihi præterito anno septuagesimo tertio Saltzburgi honesti aliquot viri retulêre. Cur igitur obsecro tam imprudenter mendacia de hoc non satis æstimando Viro, qui toti Germaniæ tantum boni præstitit proferuntur? Ideòne persequendus est quòd non omnes sanauerit? quis istud potest præter Deum? At inuidia processum suum habet, feriari nequit, sed semper vsque ad scopum suum pergit. Tu scis quid tuis temporibus laude dignum peregerit, & quot morbis afflictos Deo benedicente sanitati reddiderit. Quoniam verò quidam alij contra doctrinam Christi (quamuis illi Christiani audire velint) spargunt nesciri ortum Theophrasti, illegitimè natura atque mendicum fuisse, ideò hunc libellum ex eo illis authenticis sigillatis, quæ à plurimis probis Viris visi, & mihi adhuc ad manus supersunt, collegi, & in veritatis gratiam prælo commisi. Parum quidem refert si ea non omnibus placent, veritatis amans hîc videbit qui fuerint parentes Theophrasti, quid hic post obitum reliquerit, cui bona sua legauerit, & vbi ipse paréntsque vitâ excesserint. Piè defunctus Reuerendissimusque Princeps ac Dominus, Dominus Georgius; Magister Ordinis Sancti Ioannis, Heitersheimi in Brisgovia Helvetiorū fassus est præsentibus nobilibus aliquot Honestissimis viris, genitorem Theophrasti nomine VVilhelmum fuisse filium patrui sui, attamen extra matrimonium natum, optimè se gessisse, diligentiam studiis adhibuisse ac in licentiatum Medicinæ euasisse. Hic Dominus VVilhelmus in oppido dicto Einsidlen nupsit honestæ fœminæ, Abbati ratione dominij subjectæ, ex quâ Theophrastum in coniugio concepit prout id probari potest tam ex attestatione Villacensi, quàm ex apochâ Petri Vessener. Atque ita Theophrastus non originem ducit à rustico, Monacho vel Sacerdote, sed ex nobilissimâ familiâ Bombastorum ab Hohenhaim. Quid Saltzburgi reliquerit, in Inuentario cernere est. Augustæ Vindelicorum cistas duas in quibus libri & res pretiosæ (vt de hoc,


testimonium

testimonium perhibet spectabilis Dominus N. Kesselman Cubicularius & Argentarius Principis Saltzburgensis qui adhuc in viuis est) asseruandas dedit. Etiam in oppido Leuben & alibi in Carinthiâ plura bona fidei & custodis aliorum commisit, quò Testamentarij post mortem ipsius literas misêre, & bona illa repetiêre. Sed quantumcunque reliquerit parum refert, cùm constet semper eum copiosè habuisse quò se & famulos suos vbicunque sustentaret, vt ipse Oporinus mihi fassus est: Vnde verò hoc habuerit libri eius de Tincturâ Physicorum & multi alij testantur. Hunc verò libellum Chare Domine Georgi tibi in amicitiæ sigillum dedico, vt causam habeas me reprehendendi, si in scribendo errans à verò declinauero; quod si autem non nisi veritatem ipsam (vt reuera est) dixero, eam testimonio tuo fulcire non abnuas. Atque hic Domino Christo diligenter te commendo. Datum in Hagenau duodecimâ die Martij, Anno 1574.

MICHAEL TOXITES D.
C. VV.



ATTESTATIO VRBIS VILLACH, DE VITA & obitu Patris Theophrasti Paracelsi.



NOS Iudices, Senatus, Populusque Ciuitatis Villach notum facimus diplomatibus hisce quòd honestus, doctissimus, & celebris Dominus VVilhelmus Bombast ab Hohenhaim, Licentiatus Medicinæ, apud nos in Ciuitate Villach vt municeps spatio triginta circiter annorum habitauerit, ac toto hoc temporis interuallo erga vnumquemque honestè ac laudabiliter se gesserit; ita vt in veritatis gratiam non possimus non testimonium publicum exhibere de honestâ & irreprehensibili eius conuersatione, & quòd hîc etiam præterito anno trigesimo quarto, die Natiuitatis Mariæ Virginis, vitam cum morte commutauit, cuius animæ Deum propitium optamus & precamur. Huius dicti VVilhelmi Bombast, filius naturalis & legitimus proximusque hæres est Honorabilis Doctissimusque Dominus Theophrastus Bombast de Hohenhaim, vtriusque Medicinæ Doctor, & hunc solum supranominatus Dominus VVilhelmus Bombast, pro legitimo suo Filio & proximo hærede superstite agnouit, ideoq; Dominus Theophrastus Bombast omnes ad se deuolutas hæreditates, debita & alia sibi relicta bona & possessiones, ceu filius legitimus & proximus hæres, post decessum parentis postulare & exigere potest, nec non conquirere & ad se recipere omnia & singula, vbicunque sint & quocunque nomine gaudeant, absque vllâ vllius rei exceptione ab omnibus illis à quibus ipse VVilhelmus Bombast de Hohenhaim Pater ipsius carissimus hæreditariò vel alias jus quidpiam postulandi vel exigendi habuit.

Et postquam post obitum supranominati VVilhelmi Bombast ab Hohenhaim antedictus Dominus Theophrastus Bombast ab Hohenhaim Doctor apud nos exquisiuit, & attestationem exitûs parentis sui legitimi & perchari ex hâc miseriarum valle à nobis petijt, vt post patefactam & exhibitam certitudinem obitûs paterni ipse pro commoditate suâ in posterum exigendi & recipiendi prædicti Domini VVilhelmi Patris sui relictas hæreditates, debita, possessiones ac bona alia, etiam alibi vbicunque esse possint vt verus ac legitimus filius, nec non proximus & solus hæres ipsius potestatem haberet: nos æquitate impulsi ac veritatis amore moti id ipsi abnuere noluimus sed absque morâ precibus eius cessimus, & postulatum ipsi concessimus. Atque propterea præsentes hosce codicillos testificatorios fide dignos, & majori Vrbis Villach sigillo obsignatos illi dedimus. Actum die Dominicâ Iubilate, duodecimâ Maij, à Natiuitate Christi nostri Saluatoris, Anno 1538.



CANONISATIO TESTAMENTI THEOPHRASTI.



VNIVERSIS & singulis præsentes literas inspecturis pariter & audituris, EBERHARDVS A HVRNHAIM, Canonicus Ecclesiæ, Vicariatusqúe & officialatus Saltzeburgensis Commissarius Surrogatus, Salutem & synceram in Domino charitatem. Noueritis, quòd nos nuper ad Instantiam prouidorum virorum, Magistri Georgij Teyssenperger procuratoris Curiæ, & Michaelis Setznagl Ciuis Saltzeburgensis Executorum Testamenti, Codicilli, seu vltimæ voluntatis & legatorum, per quondam venerabilem & Egregium virum Theophrastum de Hochēhaim, Medicinæ Doctorem conditi & facti, seu conditæ, factæ, atque factorum, Omnes & singulos sua communiter vel diuisim Interesse habere putantes, aut ipsorum procuratores si qui sint in Curia Saltzeburgensi, pro eisdem ad videndum & audiendum huiusmodi Testamentum, Codicillum, seu vltimam voluntatem & legata, auctoritate nostra Ordinaria cum interpositione decreti, vt moris est, canonisari, approbari, ac debite executioni demandari, vel dicendum & causam seu causas Iustas & rationabiles, Cur hoc fieri non debeat allegandum, per literas nostras citatorias in valuis maioris Ecclesiæ Saltzeburgensis de mane infra missarum solennia publicè affixas, & executas, citari, & ad nostram præsentiam euocari fecimus, & ad certum terminum peremptorium & Competentem in eisdem literis expressatum. Quo quidem termino adueniente, Comparuit coram nobis in Iudicio, prouidus vir Magister Georgius Strigl, Causarum Consistorij nostri & antedictorum executorum legitimus procurator, prout de suæ procurationis mādato apud acta dicti Consistorij legitime constat, ac quendam libellum articulatum, & in viam eiusdem Instrumentum testamenti Puplicum infrascripti tenoris exhibuit atque produxit, Citatorumqúe superius Commemoratorum nos Compatentium contumaciam accusauit. Et licet tunc quidam Petrus Vuessinger laicus de Ainsidl, dicti testatoris cognatus, per suum prælocutorem Copias præscripti testamenti decerni obtinuerit, attamen in alio termino in dicto Iudicio recomparentur: tam pro se ipso, quàm alijs cognatis suis, & à quibus mandato suffultus extitit, Canonisationi antedictorum testamenti, & legatorum expresse consensit, Quapropter nos præfato magistro Georgio Strigl instāte & petente, alias nostras literas Citatorias, aduersus omnes & singulos sua communiter vel diuisim interesse habere putantes, ad videndum & audiendum articulos in hac causa superius datos ad probandum admitti, ac nonnullos testes desuper produci, recipi, iurare, & Examinari. Et deinde illis probatis, videndum in hac causa, concludi, ac Sententiam declaratoriam in scriptis ferri & promulgari, vel dicendum & causam seu Causas iustas & rationabiles cur hæc fieri non debeant allegandum, decreuimus atque concessimus, illasque diuersis diebus Iuridicis in valuis maioris Ecclesiæ Saltzeburgensis de mane infra missarum & aliarum diuinarum horarum solennia affigi, & debite exequi fecimus atque mandauimus, quibusquidem literis citatorijs sic decretis ac executis, ac iudicialiter coram nobis reproductis. Nos dictos Citatos non comparentes, reputauimus, prout merito erat, exigente Iustitia, contumaces, & in eorum contumaciam dictis articulis admissis, & sufficienter probatis, in hac causa conclusimus, & ad nostram declaratoriam processimus Sententiam, quam visis actis & actitatis in causa huiusmodi coram nobis

habitis

habitis & factis, in scriptis tulimus & promulgauimus in modum subscriptum. Tenores verò Articulorum, Instrumenti publici, ac Sententiæ declaratoriæ, de quibus supra fit mentio, sequuntur, & sunt tales.

CORAM VOBIS Reuerendo ac Nobili Domino Eberhardo ab Huernhaim, Canonico Ecclesiæ, Vicariatusqúe & officialatus Saltzeburgensis Commissario Surrogato, Procurator, & eo nomine procuratorio prouidorum virorum Georgij Teyssenperger, & Michaelis Setznagl ciuis Saltzeburgensis Executorum vltimæ voluntatis quondam venerabilis & Egregij viri domini Theophrasti de Hochenhaim, artium & medicinæ Doctoris, Agendo in Iure contra & aduersus quemcunque in Iudicio legitime Comparentem, & se contra dictam vltimá voluntaté opponentem, pro libello & Summaria petitione, graui querela, dat & offert positiones & articulos subscriptos, pro quorum verificatione se ad probationes legitimas refert, ad nullam tamen superfluam probationem se astringendo, de quo protestatur solenniter & expresse. In primis quidem dictus procurator ponit & probare intendit, quòd de Anno Domini, &c. nunc currenti, videlicet quadragesimo primo in festo diui Matthæi Apostoli die vicesima prima mensis Septembris proximè præteriti, dictus quondam venerabilis vir dominus Theophrastus de Hochenhaim medicinæ Doctor, licet corpore láguens sana tamen mente, rationis ac memoriæ optimè compos, suam vltimam voluntatem & legata condidit, fecit, & ordinauit, iuxta vim & continentiam & tenorem cuiusdam publici Instrumenti, de manu Notarij publici subscripti, ac suo proprio signeto subsignati, quod quidem Instrumentum dictus procurator hic in partem Libelli, & in viam probationis huiusmodi vltimæ voluntatis offert. Item ponit, quod dictus testator huiusmodi suam vltimam voluntatem & legata supradicta valere voluit iure testamenti nuncupatiui, Codicilli, seu vltimæ voluntatis, ac iure legatorum, seu alio quocunque iure, quo melius & efficacius valere valeant & debent de iure, prout hæc pariter in huiusmodi publico Instrumento supradicto clare continentur, ad quod iterum se dictus procurator refert verum. Item ponit, quod idem testator huiusmodi vltimæ voluntatis & legatorum supradictorum dictos actores, executores, & fidei commissarios deputauit, constituit, ordinauit, & creauit, dans & concedens eisdem plenam & omnimodam facultatem & potestatem huiusmodi vltimam voluntanem suam & legata supradicta exequendi, & fine debito terminandi, prout pariter in huiusmodi Instrumento plenius continetur & habetur, verum. Item ponit, quod dictus olim testator huiusmodi sua vltima voluntate supradicta, minime mutata, nec reuocata, diem suum clausit extremum, verum. Item ponit, quod de præmissis omnibus & singulis fuit & est publica vox & fama, verum. Petit igitur dictus procurator nomine quo supra procuratorio, pronunciari, decerni, & declarari testamentum codicillum, seu vltimam voluntatem, & legata, supradictum & supradicta fuisse & esse Canonicum & legale, seu Canonicam legalem & legalia, ac Canonice & legaliter factum & facta, suumque debitum debuisse & debere sortiri effectum, Eandemqúe vltimam volútatem & legata supradicta dicti olim testatoris in omnibus suis punctis & Capitulis per dominationem vestram auctoritate ordinaria cum interpositione decreti, Canonisandum, approbandum, & confirmandum fore, Canonisari, approbari, ac debite executioni demandari debere, dictisqúe actoribus eiusdem vltimæ voluntatis, & legatorum supradictorum, præfati quondam testatoris Executoribus plenam & omnimodam facultatem & potestatem, huiusmodi vltimam voluntatem & legata supradicta exequendi, ac fine debito terminandi, per eandem dominationem vestram concedendum fore, & concedi debere. Et propterea omnes in præmissis se opponentes, vt se dictæ vltimæ voluntati & legatis supradictis dicti olim testatoris conforment, & eandem obseruent, nec dictis actoribus in exequendo eandem vltimam voluntatem & legata quouis modo impedimentum præstent, litisqúe expensas persoluant, condemnandum, cogendum, & compellendum fore, condemnari, cogi, & compelli debere, dominationis vestræ Sententia, & Iustitia mediante, Saluo Iure addendi, &c. de quo protestatur expresse.

TESTAMENTVM THEOPHRASTI.



N NOMINE DEI Amen. Notum sit omnibus & singulis præsens instrumentum visuris lecturis vel legendum audituris, quòd à Natiuitate Christi Domini nostri, anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo, indictione decimâ quartâ, Die S. Matthæi Apostoli, vigesimâ primâ Septembris, circa meridiem, septimo anno Pontificatûs Sanctißimi Patris & Domini Domini Pauli Dei gratiâ huius nominis Pontificis III. præsentibus, me Notario publico, & infra nominatis testibus ad hos specialiter vocatis & requisitis, comparuit personaliter Venerabilis ac Doctißimus Dominus Theophrastus ab Hohenhaim, Liberalium Artium ac Medicinæ Doctor, sedens in lectulo, debilis quidem corpore, sed sanus mente, sensibus & intellectu; ac ne ex hoc mundo discederet absque Testamento & dispositione bonorum suorum temporalium, ipse verbis perspicuis, vltrò, sciens, ac à nemine coactus, statum essentialem rerum suarum ac vltimam voluntatem tunc fassus est, ordinauitque formâ atque tenore sequenti.

Primò commendat vitam, mortem, ac miseram animam suam tutelæ & protectioni Omnipotentis Dei, indubitatâ fultus spe Æternum ac Misericordem Deum non passurum, acerbam paßionem, mortemque Filij sui vnigeniti, Saluatoris nostri Iesu Christi ipsi misero homini infructuosam frustraneamq; fore esse: Nam sepulturam prædictus Doctor sibi elegit apud S. Sebastianum propè pontem, ac præcepit, vt in Ecclesiâ Cathedrali secundùm veterem consuetudinem, primæ, septimæ, & trigesimæ in sui memoriam canerentur, & singulis vicibus in singulos egenos ante fores Ecclesiæ denarius distribueretur.

Secundò, legauit Magistro Ioanni Rappelpader huius ciuitatis incolæ sex florenos.

Tertiò, Magistro Andreæ VVendl etiam ciui & Chirurgo Saltzburgensi legauit omnes suos Medicinæ ac aliarum liberalium Artium libros; similiter Emplastra pro punctionibus, & alia Medicinam spectantia, quæ illo obitûs cui tempore penes se ac in potestate sua erant, vt de ijs disponeret tanquam de bonis eius proprijs.

Quartò, consanguineis suis proximis in Ciuitate Ainsidl Heluetiorum degentibus legat atque ordinat decem florenos monetæ; at si intra anni spatium à notitiâ ipsius mortis & huius legati, hoc non petituri essent, mandatum & voluntas Testatoris est, vt in pauperes erogetur.

Quintò, omnium aliorum suorum bonorum & possessionum hæredes in genere instituit & ordinat pauperes egenos & alios, ad victum & amictum necessarijs sunt destituti, quibus infra nominati Testamentarij reliqua ipsius bona (debitis tamen antea si quæ restant persolutis) secundùm conscientiam & arbitrium elargiri debent; atque in distributione minimè fauoris aut maleuolentiæ, sed solummodò neceßitatis & inopiæ respectum habere. Vt autem præsens ipsius Testamentum Testatore fato functo (secundùm Dei omnipotentis voluntatem) effectum deduceretur, & executioni realiter mandaretur, Testamentarios iam ab illo tempore nominauit & instituit Doctißimum præstantem ac spectabilem Magistrum Teissenperger Procuratorem Curiæ Iuratum, & Michaëlem Setznagel ciuem Saltzburgensem, qui ambo præsentes ad instantiam & petitionem Testatoris hoc onus & executionem Testamenti libenter susceperunt: His communiter & singulatim Testator plenam potestatem contulit, eandemq; virtute præsentis Instrumenti publicè confert, post obitum suum omnia reliqua bona capessendi, asseruandi, at vniuersa & singula ex præscripto huius Testamenti distribuendi; præterea cum illis procedendi & agendi prout ipsis Testamentarijs hoc in casu iure, & optimâ consuetudine id exigentum videbitur; cùm integram fiduciam in illos locauerit, ipsos hac in parte quàm optimè & prout

prout maximè conueniens est processuros. Ideòque ordinat ac legat vnicuique dictorum Testamentariorum pro labore & diligentiâ decem florenos monetæ.

Hæc omnia & singula dictus doctor Theophrastus in Testamento suo disposuit & ordinauit, voluitque vt pro Codicillo, fideicommisso, vel etiam legato ad pias causas habeatur & firmiter teneatur, eodem modo & forma ac si omnes conditiones & clausulæ requisitæ & fortassæ hîc necessariæ & inseruientes, in ipso clarè expressæ & insertæ fuissent, ac idcirco ipsemet rogauit infra nominatos vt omnium supra comprehensorum memores, testesque esse vellent. A me quoque Notario publico ratione officij mei requisiuit, vt apographa darem Testamentarijs & alijs quorum interest huius antea confecti instrumenti. Actum Saltzburgi in ædibus aut diuersorio dicto ad equum album, sito in Chay in hypocaustulo in quo tunc temporis hospitio erat sæpè nominatus Testator. Anno, Indictione, die, horâ, mense, & Pontificatu, vt supra. Præsentes adfuerunt Nobilissimus Melchior Spach Iudex ciuitatis Hallein; Etiam prudentes ac honesti Andreas Setznagel, Ioannes Mulberger, Rupertus Strobl, Sebastianus Groz, ciues Saltzburgenses, & Stephanus VVaginger ciuis in Reichenthal, nec non Claudius Fraichemaiir, tum temporis famulus Testatoris, vt testes ad prædicta vocati & singulariter requisiti.

Et quandoquidem ego Ioannes Kalbsor Clericus conjugatus Saltzburgensis Episcopatus, Imperiali authoritate Notarius publicus, prius dicti testamenti & albinæ voluntatis ordinationi, omnibusque & singulis alijs, vt superius conscriptis, vnà cum prænominatis testibus præsens interfui, eáque sic fieri vidi & audiui. Idcircò hoc publicum instrumentum manu fideliter scriptum confeci, subscripsi & in hanc formam redegi, signoqué & nomine meis consuetis consignaui. In fidem & testimonium præmissorum vocatus ad hoc & specialiter requisitus.

CHRISTI nomine inuocato, pro tribunali sedentes, ac solum Deum præ oculis habentes, habentes per hanc nostram Sententiam declaratoriam, quam ferimus in his scriptis pronuntiamus, decernimus, & declaramus testamentum, Codicillum, seu vltimam voluntatem & legata, supra descriptum & descripta, per quondam dominum Theophrastum de Hochenhaim Medicinæ Doctorem supradictum, de anno Domini nunc currenti, videlicet Quadragesimo primo, circa festum diui Matthæi Apostoli proximè præteritum, conditum & factum, seu conditam, factam & facta, fuisse & esse Canonicum & legale, seu legalem & legalia, Canoniceque & legaliter factum, seu factam & facta, Suumque debitum debuisse & debere sortiri effectum. Et propterea huiusmodi Testamentum, Codicillum, seu vltimam voluntatem, & legata dicti quondam domini Theophrasti testatoris in omnibus suis punctis & articulis, auctoritate nostra ordinaria, cum interpositione decreti nostri, confirmandum, approbandum, & canonisandum, seu confirmandam, approbandam, canonisandam, & debite executioni demandandam seu demandanda fore, prout de expresso consensu, apud acta huius causæ, descripto Petri VVessinger de Ainsidl dicti Testatoris cognati, tam pro seipso, quàm aliorum cognatorum, & eorum, à quibus sufficienti mandato suffultus extitit. Præstito ac in contumaciam omnium & singulorum interesse habere putantium ad hæc legitimè citatorum, Confirmamus, approbamus, Canonisamus, & debite executioni demandamus. Dantes propterea Georgio Teyssenperger & Michaeli SetZnagl Executoribus huiusmodi testamenti, Codicilli, seu vltimæ voluntatis & legatorum, per dictum testatorem ad hoc specialiter deputatis, plenam, liberam, & omnimodam facultatem exequendi dictum testamentum, Codicillum, seu vltimam voluntatem, & legata dicti quondam Theophrasti testatoris, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. LECTA, Lata, & in scriptis promulgata fuit præinserta nostra Sententia declaratoria Saltzeburgæ in domo Custodiæ, nobis tunc inibi, hora vesperorum & Causarum consueta, Ad iura reddendum, & causas audiendum pro tribunali sedentes, sub anno à natiuitate Domini Millesimo, Quingentesimo, Quadragesimo primo, Indictione decima quarta, die verò Mercurij decimaquarta mensis Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris & domini, domini Pauli Diuina prouidentia Papæ tertij anno octauo, Præsentibus honestis viris Matthæo Schmeckhenpfrill Substituto, & Iohanne Pirgmoser Cursore iurato Consistorij curiæ Saltzeburgensi testibus in præmissis.

QVÆ

QVÆ omnia & singula vobis vniuersis & singulis supradictis communiter & diuisim, Intimamus, insinuamus, & notificamus, ac ad vestram & cuiuslibet vestrum noticiam deducimus, & deduci volumus per præsentes, Ne de præmissis aut eorum aliquo ignorantiam prætendere poßitis, seu etiam imposterum quomodolibet allegare. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum, præsentes nostras literas exinde fieri, & per Notarium publicum, Scribamq́ nostrum infrascriptum subscribi & publicari, Sigilli quoq́ maioris Officialatus Curiæ Saltzeburgens: prædictæ iußimus & fecimus appensione communiri.

ET Ego Ioannes Kalbsor Clericus coniugatus Saltzeburgensis dioc. publicus Imperiali auctoritate, causarumq́ Consistorij curiæ Saltzeburgens: Notarius iuratus, Quia præinsertæ Sententiæ declaratoriæ promulgationi & præsentium decreto, omnibusq́ & singulis alijs præmißis, dum sic vt præmittitur, fierent & agerentur, vna cum prænominatis testibus præsens interfui, eaq́ sic fieri vidi & audiui. Idcirco de ante nominati Reuerendi ac Nobilis domini Eberhardi à Hueraheim Iudicis Surrogati mandato, præsentes literas aliena manu scriptas, exinde confeci, subscripsi, publicaui, & in hanc formam publicam redegi, Signoq́ & nomine meis consuetis, vna cum Sigilli maioris Officialatus antedictæ Curiæ Saltzeburgensis appensione consignaui. In fidem & testimonium præmissorum vocatus ad hoc, & specialiter requisitus.

HÆc præsens Copia est per me Matthæum Schmeckenpfrill, sacris Apostolica, & Imperiali auctoritatibus publicus, approbatus, ac consistorij Saltzeburgensis iuratus Notarius, collacionata, & auscultata, & cum suo vero originali in omnibus, & per omnia: in cuius rei testimonium manu mea propria subscripsi.



INVENTARIVM THEOPHRASTI.

INVENTARIVM & enumeratio bonorum & possessionum relictarum hîc Saltzburgi, à Venerabili quondam & Doctissimo Domino Doctore Theophrasto de Hohenhaim, Liberalium Artium & Medicinæ Doctore, ad instantiam & petitionem Doctissimorũ & spectabilium Magistri Georgij Teissenperger Procuratoris curiæ, & Michaëlis Setznagel ciuis Saltzburgensis, vt à dicto Doctore Theophrasto conditi Testamenti executores sunt denuntiati, per me Ioannem Kalbsorn publicum & hanc ob causam accersitum Notarium, in præsentiâ dictorum Testamentariorum, & infra nominatorum Testium factum & conditum. Sic habet.

Primò ex duabus peris in capsulâ viatoriâ in hodiernum vsque diem occlusis & asseruatis, quas quidem dicti Testamentarij antè, ego verò Notarius nomine Magistratus Ecclesiastici post obitum Testatoris sigillo obsignaui, quæ nunc attentius visæ & visitatæ à me vbique intactæ atque integræ repertæ fuerunt.

Item quindecim floreni aurei Vngarici.

Item Ducatus vnus Saltzburgensis.

Quinque aurei nummi honorarij majores, ac totidem minores, ponderant omnes septem Lotones cum dimidio, ac semiquadrantem.

Talerus Ioachinicus deauratus, ponderis vnius lotonis & dimidij cum vnâ sedecimâ.

Sex nummi honorarij argentei germanici majores & minores ponderant omnes 8. lotones cum dimidio.

In cremenulâ quâdam quadraginta quatuor Numismata antiqua maiora & minora

minora, ponderant omnes vnà septemdecim Lotones & dimidium.

Duo Annuli aurei, quorum vni Topazius, alteri verò lapillus liquefactus cyaneus inclusus erat, ponderant ambo sesquilotonem, & tres sedecimas.

Tria Frusta quæ ex auro obrizo censebantur, ponderant simul quinque Lotones.

Vnum Fragmen metalli aurei, ponderat Lotonem & quadrantem.

Catenula aurea de Müllstainen/ ponderat Lotonem & quadrantem cum dimidio.

Globulus argenteus exemptilis catenulæ argenteæ alligatus, ponderat octo Lotones cum quadrante.

Scyphus argenteus, cui nouem caliculi sunt inserti, summa, infima, & operculum est Knort/ est quoque intus & extra deauratus, vno fulcro ruptus, sed fragmenta adsunt, totus ponderat quatuor Marcas, & Lotones duos cum dimidio.

Aliud Vasculum potatorium argenteum intus & extra auro obductum operculum quoque & Knort tribus pomis suffultum, ponderat viginti duos Lotones & dimidium.

Cantharus argenteus, cælatus, deauratus, ponderat duas Marcas ac totidem Lotones.

Calix argenteus cum capitibus leoninis, ponderat septem Lotones & dimidium, cum semiquadrante.

Caliculus argenteus cum circulis deauratis, ponderat nouem Lotones, partim contortus, partim fractus.

Pixides duæ argenteæ cum operculis, medicaminibus asseruandis destinatæ, ponderant quatuor Lotones, tres quadrantes, & duas sedecimas.

Parua patera cælata, ponderat quatuor Lotones & vnam sedecimam.

Varia fragmenta argentea ponderantia sesqui Lotonem & duas sedecimas.

Corallium argento deaurato inclusum ad formam coxæ, ponderat Lotonem & dimidium cum tribus sedecimis.

Quinque Frusta Vnicornu, & Amethistus Bohemicus asper & Impolitus.

Crystallum rotundum & planum filo circumligatum argenteo, ponderant omnia septem Lotones & dimidium quadrantem.

Alia rotunda & plana Crystallus etiam argento inclusa, ponderat duos Lotones & sesqui quadrantem.

Præterea alia rotunda & plana Crystallus.

In sacculo nigro coriaceo tria fragmenta Crystalli.

Tria Steuffel æris fusci.

In pyxide ligneâ albâ lapillus elegans manufactus.

Item. In aliâ pyxide ligneâ lapillus incognitus ceræ viridi insertus. Nota: Figura illi insculpta reperitur in Inuentario ceræ impressa.

Thorax rubeus ex serico duplicatus materia quâdam nigrâ. (Kröpflin).

Tunica Damascena cinerei coloris absque manicis.

Sagum Damascenum rubeum manicatum.

Torax bonus rubeus Damascenus.

Pileolus (schläpl) damascenus rubeus.

Ejusdem materiæ crumena.

Pileolus niger damascenus Vetus & detritus.

Tunica ex lanâ rubeâ, subducta albâ quâdam materiâ (Kröpflen.)

Tunica alia nigra semiserica cuius munimentum interius est ex pellibus vulpinis.

Sagum vndulatum Bohemicum.

Pileolus laneus niger.

Tunica ex nigro cilicio.

Subligaculum ex alutis, & thorax.

Femoralia lanea alba.

Tres pileoli rubri.

Sagum vetus & detritum nigrum cum cucullo, omnia sunt simplicia.

Pallium nigrum cilicinum.
Femoralia tota ex alutis.
Pectoris tegumentum ex vndulâ.
Sagum cilicinum griseum.
Tegumentum capitis ex martibus.
Femoralia rubra pannea.
Fascia pilei aurea.
Tria indusia cum collaribus pulchris aureis acu pictis.
Item indusia tria cum fimbrijs.
Indusium detritum.
Lintea duo, tredecim vlnarum.
Vna vlna cilicij albi confecti Augustæ Vindelicorum.
Malleus & igniarium vtrumque ferreum.
Cultellus cum Furculâ, in vaginâ argento munitâ.
Tres Cultri Bohemici in vna vaginâ.
Par Ocrearum, saccus viatorius, & calcaria.
Pileus viatorius niger.
Tussäffen liquefactum igne, non munitum.
Supradicti Doctoris Theophrasti bulga viatoria ordinaria, in qua duæ claues repertæ, & vnum paruum Prächsen non munitum ei appensum erat.
Præterea sigillum argenteum dicti Doctoris.
Theca ex pelle alcis, cum vngue alcis.
Attestatio membranea vrbis Villacensis de obitu Patris Theophrasti.
Concordiæ Bibliorum.
Biblia in paruâ formâ.
Nouum Testamentum.
Interpretationes Hyeronimi super Euangelia, in duobus libellis ejusdē formæ.
Liber medicus impressus, & septem manuscripti, aliaque similia collectanea.
Præterea Collectanea Theologica, quæ à Theophrasto concepta dicuntur.
Pyxides & Cistulæ aliquot, in quibus omnis generis pulueres, Emplastra, vnguenta, & alia ad Medicinam spectantia.
In bulgâ veteri aliquot instrumenta rotunda, ferrea, corio munita, ad aquas eleuandas, vt tum credebatur, destinata; Item septem virgæ ferreæ.
In sacco oblongo instrumenta varia lignea, tornatilia, ad aquam eleuandam.
Prædicti Domini Testamentarij etiam tunc fassi sunt, se viuente adhuc Theophrasto, ac ipsius iussu, præter aurum supra in hoc Inuentario nominatum, dedisse Magistro Andreæ VVendl sedecim ducatos aureos, pro varij generis expensis necessarijs, de quibus ille rationem & computum reddere tenetur.
Actum & scriptum Saltzburgi in diuersorio dicti Michaëlis Setznagels, die S. Lucæ, decimo octauo Mensis Octobris, Anno Christi millesimo, quingentesimo, quadragesimo primo. Præsentibus Honestis, Magistro Leonardo Sultzberger aurifabro: Andreâ VVendel, & Ruperto Strobl Ciuibus Saltzburgensibus veluti testibus, ad Inuentarium hoc condendum, requisitis.
Ego Ioannes Kalbsor, Imperiali autoritate publicus & ad Inuentarium dictum requisitus & accersitus Notarius, ad attestationem & fidem omnium supra scriptorum propriâ manu signaui.

APOCHA

APOCHA
PROCVRATORIS ABBATIS de Ainsidlen.

EGO Petrus VVesner, Nosocomus venerabilis Xenodochij Beatæ Virginis in Ainsidlen, & vt Procurator Reuerendissimi Principis & Domini, Domini Ludouici Abbatis dicti Xenodochij, notum hoc scripto facio illis ad quorum notitiā perueniet, quod à spectabilibus, Honestis & circumspectis, Magistro Georgio Teissenperger Procuratore Curiæ Saltzburgensis, & Michaële Setznagl ibidem ciue, vt Executoribus Testamenti Doctissimi Domini Doctoris Theophrasti de Hohenhaim (cuius animæ Deus velit esse propitius) acceperim calicem argenteum ponderantem septem lotones Viennenses cum dimidio; ideò verò mihi hoc poculum datum, quia mater dicti Theophrasti superior huius Nosocomij fuit, & dicto Domino ac Principi meo Celsissimo ab omnibus & singulis huius Xenodochij membris post obitum debetur præstantissimus equus, aut ex armento optima pecus, vel si his careant, pretiosissima vestis vel gemma, prout Celsitudo sua in mandato ad hoc confecto indicauit. Quapropter, vt Procurator Celsissimi mei Principis Abbatis de Ainsidlen, dictos Dominos Testamentarios hac Apochâ debitò solutos agnosco, ita vt nec prænominatus Dominus meus, nec quisquam alius nomine eius, aut dicti Xenodochij, ullâ ratione vel modo, in enumerato casu eos iudicio conuenire, aut aliâ viâ ab illis quidpiam postulare vel exigere posit.

Notum quoque facio, vt suprà, pro me & omnibus consanguineis & cohæredibus qui de hæreditate vel bonis à dicto quondā Domino Theophrasto relictis, jus participandi habent, me à supra nominatis Testamentarijs florenos decem numeratò accepisse, quos prædictus Dominus Doctor, charissimus meus auunculus, suis proximis consanguineis legauit ac ordinauit, ideoque Dominos Testamenti Executores pro me & cohæredibus meis de dictis decem florenis liberos dimitto. Atque cùm ego quoque prænominatus Petrus ad instantiam meam à Dominis Testamentarijs, pro me & nomine meorum & cohæredum acceperim numerato, præter dictos decem florenos, alios sedecim ex piâ causâ prouenientes ex bonis relictis dicti Domini Theophrasti, quibus petitioni meæ satisfactum, ideò hoc scripto acceptum fateor, ac omni prætentioni vel juri, quæ ego vel Domini Theophrasti piè defuncti hæredes allegare possemus, omni modo renuncio, & Dominos Testamentarios, vel alios quorum interest, omni obligatione hâc in parte solutos liberosque pronuntio; ita vt nec mihi nec alijs cohæredibus meis actio juris in eos competere posit, cum hîc resignem & dimittam omnes allegationes hâc in parte mihi & illis fauentes. Ac idcircò hanc Apocham nomine meo & cohæredum Dominis Testamentarijs do, munitam sigillo minori Doctissimi Domini Hieronymi Fürers, pro tempore Procuratoris nostri Consistorij, de quo specialiter Dominum Fürers obnixè rogaui, absque detrimento tamen ipsius, sigilli & hæredum. Testes huius obsignationis sunt Honesti, Mathias Schmeckhenpfrill Substitutus Consistorij, & Vitus Bachsvvel ciuis huius Ciuitatis. Datum Saltzburgi, octauo Septembris, Die Conceptionis Beatæ Virginis. Anno Domini 1541.

EPITAPHIVM

EPITAPHIUM
PHILIPPI
THEOPHRASTI PARACELSI,
PHILOSOPHI GERMANI EXCELLENTISSIMI, ET UTRIUSQUE MEDICINÆ DOCTORIS INCOMPARABILIS:

QUOD

SALISBURGI IN NOSOCOMIO APUD S. Sebastianum ad Templi murum erectum, lapidiq; insculptum.

CONDITUR HIC PHILIPPUS THEOPHRASTUS, INSIGNIS MEDICINÆ DOCTOR : QUI DIRA ILLA VULNERA ,LEPRAM , PODAGRAM , HYDROPISIN , ALIAQUE INSANABILIA CORPORIS CONTAGIA , MIRIFICA ARTE SUSTULIT : AC BONA SUA IN PAUPERES DISTRIBUENDA,COLLOCANDAQUE HONORAVIT. ANNO M.D. XXXXI.DIE XXIV. SEPTEMBRIS VITAM CUM MORTE MUTAVIT.



ROCHI LE BAILLIF
EDELPHI MEDICI
DICTIONARIOLVM
VOCVM QVIBVS IN SVIS Scriptis vſus eſt PARACELSVS,
ET
POST EVM IN RE SPAGYRICA PHILOSOPHI.

A.



BESSI, *eſt vltima ciborum materia.*

Acetum *philoſophorum, eſt hac virginis, vel aqua mercurialis, quâ, metalla ſoluuntur.*

Adamitæ, *ſunt albi lapides duriſſimi, ſpecies Tartari.*

Adamitus *propriè, eſt lapis in veſicâ.*

Adech, *eſt Inuiſibilis interior homo, qui omnibus rebus formam dat in animo: quas exterior viſibiles ac omnibus tangibiles efficit.*

Agallia, *eſt aquilegia ſpinoſa vel anonis.*

Alboras, *eſt maculoſa deſœdatio plana cutis, neque in principio eſt vlla exulceratio, ſed in proceſſu temporis idem quod Morphea.*

Album *gracum, vel grammaticum.*

Alcali vel Alkali, *eſt ſal extractum ex cinere omnium corporum, idque ſiue ſint liquida, ſiue ſolida, omnibus ineſt proprium.*

Alchaeſt, *eſt mercurius præparatus in hepatis medicinam.*

Alembroth, *eſt ſal philoſophorum clauis operis.*

Alembroth *deſiccatum, eſt ſal tartari, quem magiſterium magiſteriorum vocant.*

Althea *Saturni, Vide anima Saturni.*

Amianthus, *eſt Impolutus, ſalamander lapis, aluminis plumæ ſimilis, è quo inextincta fiunt Ellychnia, aliâs linum viuum & polia, & eſt illud animal Salamandra, quod dicitur in ignis flamma viuere.*

Amnis *alcalizatus, eſt aqua per terræ calces ducta.*

Anachron, *vel* Anathron, *eſt ſpecies ſalis quod in petris creſcit, quidam ſal nitrum appellant.*

Anatrum, *eſt terra ſarracenica & ſpuma vitri.*

Anadei, *eſt futurus paradiſus, ver æternum.*

Aniadus, *eſt rerum efficacia, ſpiritualis homo, cœleſte, & glorificatum corpus ex Chriſto habens.*

Anodus, *eſt nutrimentum quod ſeparatur in renibus.*

Anima *Saturni, vel* Althea, *eſt ſuauiſſima plumbi dulcedo, quæ per acetum extrahitur.*

Anthera, *eſt ex hyacinthis medicinæ extractio.*

Aqua *cœleſtis, eſt vinum ſublimatum.*

Aqua *lubricata, eſt mucilaginoſa vt ſirupi.*

Aqua *permanens, eſt Solis & Lunæ aqua.*

Aqua *ſaturnia, eſt generata ex tribus primis in meatibus terræ, quales ſunt Thermarum.*

Aquarius *eſt ſal nitrum.*

Aquaſtor, *eſt viſio quædam rem aliquam repreſentans quæ reuera non eſt.*

Aquila *ſpagyricorum, eſt ſal armeniacum, & aliquando Mercurius præcipitatus.*

Aquila *philoſophorum, eſt mercurius metallorum quando metalla in ſuam primam materiam rediguntur.*

Arbor *maris, eſt Corallina.*

Arcanum, *eſt res ſecreta incorporalis, atque immortalis, quæ cognoſci non poteſt, niſi experientiâ. Eſt enim virtus cuiuſque rei quæ millies plus operatur, quàm res ipſa.*

Archaltes *quaſi columnæ terræ, non enim ab aliis columnis ſuſtinetur ſed ab archalte.*

Archeus, *vis eſt producens res ex Illiaſte, & deſpenſator omnium rerum.*

Archeos, *eſt oberrans inuiſibilis ſpecies & ſe à corporibus ſeparans, medici vis, atque naturæ virtus.*

Ares, *eſt peculiaris cuique ſpeciei natura, atque forma ab aliis differens, & eſt diſpenſator naturæ in tribus primis conſiſtens, vnde omnia conſtant.*

Arles *crudum, ſunt guttulæ in menſe Iunio cadentes, alias hydatis.*

Arthoicum, *vel pannonium, eſt oleum rubrum ex radicibus herbarum cum pane in fimo equino digeſtis expreſſum.*

Arſanech *Arſenicum ſublimatum.*

Aſaphatum, *eſt impetigo, & ſerpigo.*

Aſſalia, *ſunt vermes intra aſſeres creſcentes coſſi, teredines, temres, thripæ & xilophagi dicti.*

n 3 Aſtrum

Astrum, *est Sydus cœleste. Sed pro vi ac natura sumitur quam res in præparando acquirunt, vt Mercurij sublimatio, est eius astrum.*

Aurum potabile *est auri oleum, vel in liquorem redactum sine corrosiuo.*

Azoth, *vel* Azoch, *est vniuersalis medicina paucis cognita, vnica medela, lapis physicus, alij putant Mercurium corporis metallici.*

B.

Balsamus, *est ab omni putrefactione corporum conseruator, & est duplex, Internus & externus. Internus in homine est res temperata, absque salsedine & amaritudine, est sal liquoris quod à putredine preseruat, est gluten temperatissimum. Externus vero, est therebinthina nullam vim ignis passa sed digesta.*

Balsamus Elementorum *externus, est mercurialis liquor siue Elementorum Mumia, vnum ex tribus principiis.*

Boæ, *vide Bothor.*

Botin, *est Terpentina.*

Botor *vel* Cossus, *est apostema in facie album, papulæ faciei, boa, excresmata & pythedones.*

Botium, *est* aposthema *siue excrescentia in gula, vt struma.*

Brunus, *vel* Brinus, *est ignis sacer, eresypelas, & erythropelas.*

Bruta, *est vis quædam Influentia cœlestis, quæ per animalia bruta manifesta fit.*

Butiga, *vel gutta ruonia, aut rubea, est Inflatio totius faciei.*

C.

Cabala, *quasi solo auditu vnius ab altero nuncupata est. Et est ars peruetusta. Eius duplicem tradunt scientiam. Vnam de Bresith, quam & Cosmologiam vocant (hoc est) rerum creatarum naturalium & cælestium vires explicantem: & legis Bibliorumque arcana philosophicis rationibus exponentem. Quæ profectò hac ratione nil differt à magia naturali, in qua Salomonem regem excelluisse credimus. Namque in sacris Hebræorum historiis legitur illum disputare solitum à Cedro Lybani vsque ad hyssopum. Item de Iumentis, reptilibus &c. quam consequutus est noster Theophrastus Paracelsus Diuino numine afflatus.*

Alteram eius scientiam De Marcana vocant, quæ est de sublimioribus, diuinarum Angelicarumque virtutum, ac sacrarum nominum, & signaculorum contemplationibus, quædam quasi symbolica theologia. In qua litteræ, numeri, figuræ, res, & nomina, elementorumque apices ac lineæ, puncta, accentus, omnia sunt profundissimarum rerum & magnorum arcanorum significatiua.

Cabales, *Spectra hominum sunt qui immatura morte interierunt.*

Calcedonium *tartarum, est materia peccans generata à separationibus virtutis separatiuæ.*

Calcinatum *maius, est quicquid non natura, sed arte spagyrica dulce fit, quod mirabili celeritate curat, vt dulcedo mercurij, plumbi, & vitrioli.*

Calcinatum *minus, est quicquid à natura dulce fit, vt saccharum, mel, & thereniabin.*

Cambuca, *est bubo, vel panus inguinis.*

Cancer 69, *est sal armoniacum.*

Capricornus, *est alumen plumosum.*

Carbunculus, *idem fere quod antrax, nisi quod hic, illo est crudelior: vlcus è crasso sanguine, celeriter escharam faciens.*

Carena, *est vigesima pars guttæ.*

Calx, *est cinis.*

Cassatum, *est sanguis mortuus in venis, motum obstruens sanguinis boni.*

Cauda *draconis* ☊, *est mercurius.*

Cenigda *est instrumentum quo cranium humanum perforatur in epilepsia.*

Chaomantia, *quando per aërem aliquid futurum prædici ac prauideri potest.*

Choeras, *vide struma.*

Chaos, *est omnium rerum congeries atque confusio & informis materia.*

Cherio, *est accidens externorum elementorum siue natura caliditatis, aut frigiditatis, per quam omnes ægritudines sanantur.*

Cherionium, *est vbi natura alterari non potest, vt Crystallum induratum quod solui non potest.*

Cherubin, *est vis, potentia, gloriaque cœlestis, ex Deo in terram hominesque vniuersos influens.*

Cheiri, *spagiricè, est mercurius metallorum, aliquando pro auro potabili, & aliquando pro Antimonio sumitur.*

Clareta, *oui albumen*

Clissus, *est vis occulta hinc inde vagans, rediensque, vt virtus radicis primum in Caulem, deinde iterum in radicem.*

Cist vini, *facit libras quatuor*

Citrinella, *est flammula.*

Citrinolus, *est pallidus cristallus.*

Cohob, Cohobare, *vel* Cooptare, *est quum materia sæpe cum liquore imbibitur ac distillando liquor iterum abstrahitur. Item cum herbæ contunduntur & in vase putrefiunt, donec purum ab impuro separari possit.*

Cohos, *est omne quod cutis in toto corpore comprehendit ac concludit.*

Colcotar, *est vitriolum in rubedinem calcinatum.*

Colica, *est morbus fixus ex tartaro resoluto in Intestinis.*

Complexio, *est qualitas calidi & frigidi solum.*

Confirmamentum, *est corpus sydereum in homine.*

Constellatio, *est superiorum corporum & inferiorum coniunctio, & in hæc illorum operatio.*

Coostrum, *est media pars septi transuersi, vel diaphragmatis.*

Correctum, *est acetum distillatum.*

Cornu cerui, *spagyricè, est rostrum alembici.*

Corpus, *est res in qua rerum virtutes delitescunt.*

Corpora supercælestia, *quæ mens tibi ob oculos ponit, quoties vis.*

Cortex maris, *est acetum philosophorum.*

Cruor, *est sal egestum à primo sale separatum, & est vitium secundæ digestionis.*

Cristallinus, *est diaphanitas nutrimenti.*

D.

Daura, *est elleborus, alij aurum foliatum intelligunt.*

Demotinus lapsus, *est quando quis morte repentina obruitur.*

Derses, *est fumus siue vapor ex quo arbores crescunt.*

Diatessadelton, *Mercurius precipitatus*

Digestio, *est gradus spagyricus similis ventriculo, per quem gradum materia coquitur melius, vt puri ab impuro separatio fieri poßit.*

Diuertallum, *sunt elementorum generationes.*

Dubelech, *de omni apostemate dicitur in quo concauitas est manifesta cum continuitatis solutione.*

Dubelcoleph *est compositio ex corallo albo & carabe.*

Dulcedo saturni, *sapißimè pro cerusa accipitur.*

Duelech, *est in homine tartari species, lapis spongiosus, periculum, & maximum dolorem creans.*

E.

Edelphus, *est qui ex naturâ elementorum pronosticat.*

Edir *ferrum siue Chalybs.*

Electrum, *est septem metallorum coniunctio iuxta coniunctionem planetarum.*

Elementa, *sunt matrices rerum, ex quibus omnia generantur; & etiam status mundi caducus ac periturus, & quicquid in mundo est, & afflictionem patitur vsque in extremum diem.*

Elixir, *est interna corporis in suo statu conseruatrix, in quo illud reperit: est præterea medicina fermentata ex auro solo, vel ex 7. metallis.*

Elephas, *spagyricè, est aqua valida vel fortis.*

Entalum, *vel* Entali, *est alumen scissum.*

Enur, *est fumus aquæ occultus ex quo lapides generantur.*

Essarum, *est virtus in omnibus rebus existens.*

Essatum vinum, *dicitur, quando in rectificato vino, vires herbarum extrahuntur.*

Essentia quinta, *est, ex omnibus quibus vita inest, corporalis materia extracta, ac ab omni elementorum impuritate & corruptibilitate, subtilißime separata, in qua vis, & potentia est & medicina.*

Essaræ, *Pustulæ sunt paruæ, latæ sicut vesica, differunt solum in hoc, quòd vesica est aquosa, & essara similis pustulæ ab vrtica facta.*

Essodinum, *est certa futura rei iudicatio.*

Esthiomenus, *est membri perambulans completaque corruptio.*

Euestrum, *est spiritus propheticus in nobis, vel est corpus hominis sydereum, quod nobis aut mortem futuram, aut aliquod aliud malum prædicit. Aut est perpetua firmamenti stabilitas.*

Excesmata, *vide botor.*

F.

Faba *est tertia pars scrupuli vnius.*

Fabiola, *est flos fabarum.*

Fel vitri, *est vitri spuma.*

Ficus cutis, *medicamentum ad matricem, lichen plinij & Dioscor.*

Filletin *lamina ferri*

Flos sectæ Croæ, *est flos croci, vel extractum foliorum chelidoniæ.*

Fœnix, *est lapis physicus.*

Fons phylosophorum, *est balneum Mariæ*

Formicæ, *verrucæ sunt apostemata vulgo porra appellata.*

Fugile, *parotis est, abscessus secus aures.*

Fuligo *metallorum Mercurius.*

G.

Gamahei, *sunt lapides in quibus imagines iuxta corporum superiorum constellationem insculpta sunt.*

Gemini xx, *est auripigmentum.*

Gemma tartarea, *est lapis in corpore generatus ex diaphano, & perspicuo.*

Gibar, *est medicina metallica.*

Gilla, *vel* Grillus, *est species calcanthi mitior, purgans ventriculum.*

Glacies dura, *est cristallus.*

Gluten album, *vel* synonia, *est pars corporis nobilißima, subtilis, pura, alba, perspicua, sal dulce resolutum, & humor naturalis in omnibus iuncturis, & est locus tartari, & podagræ.*

Glutinis tenacitas, *est mineralis resina vt therebinthi est resina arboris suæ.*

Gnomi, *sunt spiritus terrestres humiles.*

Grilus, *vide Gilla.*

Guarini, *homines sunt ex Influentia cœli viuentes.*

Gluta *vis quædam est picis tenacis.*

Gutta rosacea, *est rubedo extranea similis incipientis lepræ rubedini.*

Gutta ruonia, *vide Butiga.*

H.

Henricus rubens, *est vitriolum in rubedinem calcinatum.*

Halcion, *vel* alcion, *alcedo, ornis actae, cerylus, est auis hybernalis.*

Haro, *est species filicis similis polipodio.*

Heliotropium, *est Melissa Theophrasti.*

Horizon, *est mercurius auri.*

Humor vitæ, *est qui omnia viuentia ne arescant sustentat.*

Hydalis, *vide Aridura.*

I.

Ignis pruinus adeptus, *est quinta vini essentia, cum tartaro rectificata.*

Ignis Leonis, *est Ignis elementum.*

Ilion, *est sol vel aurum.*

Ilech.
Ileias } *est primum principium.*
Ileadus

Ilech *primum ex astris; est superceleстis coniunctio & siderum firmamenti cum astris rerum inferiorum vnio.*

Ilech crudum, *est compositio ex prima materia trium primorum Mercurij salis & sulphuris.*

Ilech Magnum, *est astrum siue ascendens medicinæ.*

dicinæ, quam accipimus vnà cum medicina in qua occultatus est, quemadmodum superiora sydera in firmamento, & inferiora in homine.

Ileidus, *est aër elementalis vel spiritus in nobis per omnia membra transiens.*

Iliastes, *est omnium rerum prima materia constans ex tribus principiis.*

Iliaster primus, *est hominis vitæ terminus, ac ipsa vita, ac balsamus.*

Iliaster secundus, *est iam preparatus vitæ terminus quem ex elementis rebusque elementatis habemus.*

Iliaster tertius, *est terminus vitæ, quem ex quinta rerum essentia habemus.*

Iliaster quartus, *siue magnus, est mentis siue animi raptus in alterum mundum, veluti Enoch, Helias in alium mundum rapti fuere.*

Imaginatio, *astrum est in homine corpus cœleste siue super cœleste.*

Impurum tartari, *est ipsius alkali.*

Impressio, *est fructus inuisibilis, vt stellarum non Solis & Lunæ quæ videntur*

Iupiter ♃. *est stannum.*

K.

Kakimia, *est cuiuscunque metalli immatura minera, quæ adhuc in primo suo ente consistit, vt infans in vtero matris suæ eius species plus quam triginta sunt.*

Koboltum, *vel* Cobaltum, *est lapis calaminaris, cimia, catimia, lapis ærosus.*

Kymit eleuatum *Cynabrium album sublimatum.*

L.

Labor Sophiæ, *est alter mundus, vel paradisus Dei.*

Lac Virginis, *vide Acetum.*

Lapis physicus, *est medicina illa per quam veteres transmutarunt metalla, & morbos omnes sanarunt.*

Lapsus Demotinus, *vide Demotinus.*

Laudanum Theophrasti Paracelsi, *est Medicina laude digna ex duabus tantum rebus constans quibus excellentiores in mundo reperiri nequeunt qua morbos omnes fere curabat.*

Laxa Thimolea, *est sal lapidibus adnascens.*

Lessa, *est herbarum prædestinatio.*

Lessas, *est occultus & feruescens terræ fumus, per quem plantæ crescunt.*

Leo ♌, *est sol vel aurum.*

Lephante, *siue Lephanteus, est prima Tartari species, scilicet bolus, medium inter lutum & lapidem.*

Libra ♎, *est vitriolum romanum.*

Limbus, *est mundus vniuersalis cum suis quatuor elementis.*

Liquor essentialis, *est qui à membris interioribus attrahitur, & in sanguinem & carnem transmutatur.*

Liquor, Mercurij, *est balsamus rerum in quo consistit omnis sanatio valdéque potens est in tereniabin, & nostoch.*

Liquor salis, *est balsamus naturæ, qui sustentat corpus ne putrescat.*

Liquidum resolutum, *est quod ex primo ente liquidum est.*

Liquor aquilegius, *est vinum sublimatum.*

Lorcha, *est dulcedo locustarum arborum vsque ad substantiam.*

Ludus, *est lapis ex vesica excisus, qui omnium calculorum est medela.*

Luna compacta, *est argentum fixum siue Aurum album.*

Lustum, *est pinguedo lactis.*

M.

Macha, *est vermiculus volans.*

Magnalia, *sunt Opera Dei.*

Magia, *vox est Persica, Lat. sapientia.*

Magisterium, *est quod ex rebus extractum fit, sine elementali preparatione & separatione, vt fit additione aliarum rerum, in quibus quod extrahitur, conseruatur.*

Magnetinus Tartarus, *est lapis spongiosus in homine ac durissimus, veluti Magnes.*

Magnesia, *est marchasita cuiusuis metalli.*

Magnesia philosophorum, *est argentum cum mercurio coniunctum in metallum facile fluidum.*

Manna, *est syderum saliua ros excicatus species balsami, & fructus aeris, Item dulcedo ex qualibet re extracta.*

Malk Arabicum *est Latinis sal*

Marchasita, *est minera multum habens de sulfure rubeo.*

Marmoreus Tartarus, *est lapis in homine durissimus vt marmor.*

Martach *lythargirium*

Materia saphyrea, *vel* saphyrica, *est liquidum illud in quo non est materia peccans.*

Matrices rerum, *vide elementum*

Melaones, *siue* Meloes, *sunt vermiculi nigri, qui contriti odorem bonum reddunt, Mense mayo in pratis reperiuntur viridis alioqui scarabei genus, luteo auri colore lucens.*

Melissa, *sumitur aliquando pro manna ex herbis nobilioribus extracta.*

Mensis philosophicus, *est tempus digestionis Chymicæ.*

Mercurius, *est vnum ex tribus principiis, corpus in quo rerum proprietates continentur.*

Mercurialis seua, *est aqua aluminum in quibus mercurius Generatur.*

Mercurius crudus, *est qui adhuc in sua minera est.*

Mercurius coagulatus *fit, vel cum rebus metallicis, vel succis herbarum. Item metallum omne solidum.*

Mercurius cristallinus, *est qui in colorem cristalli sublimatur.*

Mercurius laxus, *est Turbith minerale.*

Mercurius corallinus, *fit vi quadam specifica, per oleum ouorum & quasdam aquas.*

Mercurius metallorum, *est mercurius precipitatus.*

Mercurius mineralium, *est oleitas extracta à mineris auri, vel argenti.*

Mercurius regeneratus, *est primum ens mercurij.*

Missadam *Argentum viuum.*

Misterium magnum, *est prima rerum omnium materia, chaos illud rude.*

Mumia, *est quicquid occisum vim habet sanandi. Inde Mumia elementorum est, Balsamus externorum elementorum.*

Mumia

Mumia transmarina, *est manna.*

Mumia Versa, *est liquor mumiæ, vt nonnullis videtur.*

Mustus, *est calx alba vrinæ, veluti pinguedo.*

N.

Nacta; *est in pectore apostema.*

Nasda *vel* natha, *est Gibbositas.*

Nebulgea, *est sal ex humiditate nebulæ, sæpius in pratis cadentis, vi solis induratum.*

Nectar, *fit ex vino rubeo coagulato, & ex vino albo.*

Necrolium, *est medicamentum prohibens mortem, & vitam conseruans.*

Neutha, *est pellicula oculis adnascens, siue auriculis puerorum, siue totam pueri faciem in partu contingens.*

Nitrialis, *est quicquid calcinat & adurit, vt sulfur & nitrum.*

Nostoch, *est stellarum purgatio: sunt qui volunt ceram.*

Nuba, *est thereniabin secunda species, siue manna colore roseo. Qualis in hibernia cadit.*

Nutrimentum, *est in ventriculo res per putrefactionem transmutata.*

O.

Obrisum, *est aurum purum, vel in castaneum colorem calcinatum.*

Oleitas, *est sulfur.*

Oleum ardens, *est oleum tartari ad summum correcti.*

Oleum colcotharinum, *est oleum vitrioli rubeum.*

Olympicus spiritus, *sunt astra in homine, quæ vmbram efficiunt in hominibus.*

Operimethiolim, *est spiritus mineralium.*

Ordeolum, *est apostema paruum ordeo simile.*

Orexis, *est ardor à tartaro in stomacho excitatus.*

Orobo, *est vitrum metallinum.*

Orizeum, *est aurum.*

Ossa paralleli, *est vniuersale in podagra medicamentum.*

P.

Pandalitium, *est apostema in digitorum extremitate.*

Pannonium, *vide Arthoicum.*

Panus inguinis, *vide Cambuca.*

Pentacula, *amuletum, quod appensum collo, amolitur fascinum & sortilegia, periamma, periaptum, apotropæum, parartema.*

Periodus, *est vita hinc inde in corpore currens.*

Phantasmata, *spiritus in locis desertis, de quibus Theophrastus in explicatione super Matheum.*

Phionitides, *sunt persecutores qui alteri insidias struunt, eiusque mortem quærunt, vt falco perdicibus*

Phœnix, *est ignis in Quinta essentia. Item est lapis Physicus.*

Phlotron, *est fluxus ex cloostro generatus.*

Pilizenij, *sunt foliculi albi circa leporum caudas existentes Alij circa collum volunt.*

Polia, *vide Amianthus.*

Primales, *sunt fallacia corpora quæ astra ob oculos nobis ponunt.*

Pruinum, *est prima tartari species.*

Pruina, *est ignis persicus.*

Pulpezia, *est attonitus stupor, syderatio, apoplexia.*

Pusta, *est digestio saniei innata.*

Pythedines, *vide, botor.*

Q.

Quartura, *est summa auri probatio.*

Quintum esse terræ *vel* aëris, *sunt animalia eiusdem elementi.*

Quinta essentia, *nihil aliud est quam natura, vita, virtus, color, spiritus, ipsa medicina & proprietas rerum, à corpore suo extracta per artem. Alij formam specificam vocant.*

R.

Rabeboga, *sunt radices flammulæ maioris.*

Realgar per se sumptum, *est fumus mineralium; aliquando sumitur pro vitiosa corporis humani natura ex qua vlcera oriuntur iuxta elementorum numerum, nam dicimus* Realgar *terræ, aquæ, aëris, ignis, quæ totidem sunt in homine. Tot autem sunt in corpore species* Realgaris, *quot in elementis.*

Rebis, *est vltima rerum materia.*

Resibola, *est arcanum ex vrina, in icteritia.*

Rebona, *est stercus adustum.*

Resolleum, *est virtus ex complexione: vt in hypericone est prima virtus, quod calida sit: accidentalis vero & occulta, quod vermibus aduersatur.*

Rillus, *instrumentum Chymicum in quod metalla liquefacta funduntur.*

Rolamandri, *vide Saldinij.*

Resina terræ, *est sulfur.*

Rubedo de nigro, *est de talco nigro.*

Rubinus, *est rubedo sanguinis.*

S.

Sagani spiritus, *sunt quatuor elementorum.*

Sagittarius, *est alumen.*

Saldinij, *ac* Rolamandri, *sunt homines ignei.*

Sal, *est vnum ex tribus primis quod rerum corpora coniungit.*

Sal aluminosum, *id est plumosum.*

Sal enixum, *est resolutum.*

Sal cristallinum, *quod ex hominis vrina fit.*

Sallena, *est species salis petræ.*

Sal Mercurij, *est spiritus vini qui inebriat.*

Sal practicum, *est mixtura ex nitro & armoniaco in olla non vitreata coniunctis partibus æqualibus, & in olla veluti pruina adhæret.*

Sal scissum, *est alumen scissum.*

Sal resolutum externum, *quando quis quod comedit sal esse arbitratur.*

Saltabari, *id est salembrot.*

Samech tartarus, *est omnium vulnerum medela*

Sanguis calcetus, *id est acris & albus.*

Saphirea materia, *vide materia.*

Sapo sapientiæ, *est sal commune in aquam præparatum.*

Saxifragus, *est cristallus pallidus citrinolus.*

Saxifragium, *est quiuis lapis qui in homine frangit tartarum ac dissoluit.*

Scacurcula, *est spiritus ossis de corde cerui.*

Seirona, *est ros autumni.*

Scorpius ♏, *est sulfur.*

Sebel, *est panniculus oculorum ex venarum inflatione.*

Secta croa, *vide flos sectæ*

Sephyros, *est apostema durum & exiccatum.*

Seraphin, *significat immensam cœli potentiam, preter Angelorum chorum.*

Serpheta, *est medicina liquefaciens lapidem.*

Sinouia, *vide gluten album.*

Sirza, *est escara.*

Spagyrica vel spagiria, *est ars quæ purum ab impuro separare docet.*

Spara, *est vis mineralis ex primis maioribus mineralibus.*

Spares, *idem est.*

Sparalium, *est vterinus clyster.*

Sperma aquæ fortis, *sunt feces illius.*

Stannaymater, *est fumus occultus quo metalla generantur.*

Stellio adustus, *est Cinabrium vel Vitriolum calcinatum.*

Struma, Botium, Choëras, *est scrophula.*

Succus albus, *argentum viuum.*

Suffo, *est panis porcinus.*

Sulfur, *est vnum ex tribus primis omnium rerum, oleosum illud quod ardet.*

Sulfur vitriolatum, *est à vitrioli ratione sulfur separatum.*

Summa, *est Syderum operatio quæ nocte fit in Somno.*

Superna medicina, *est virtus à substantia separata.*

Sylo, *est totus mundus.*

Syphita praua, *est morbus sancti viti.*

Syphita stricta, *morbus phantasticus eorum qui noctu dormientes ambulant.*

Syrenes *sunt Monstra Marina.*

T.

Tartarus, *est lapis vini vasorum lateribus adhærens, à similitudine Paracelsus arenam lapidemque appellat.*

Tassus, *idem quod Lumbricus.*

Taurus ♉, *est asphaltum, bitumen.*

Temperatum, *est quando res aliqua virtutem suam temperat, aliamque assumit, vt vinum ardens.*

Tenacitas glutinis, *vide Gluten.*

Tereniabin, *est species mannæ.*

Terra Hispanica, *vitriolum.*

Thaphneus, *est medicina mundata.*

Tronossa, *vide Tronus.*

Tinctura, *est quicquid penetrat atque tingit corpora, veluti crocus aquam.*

Trachsat, *est metallum in sua minera.*

Trarames, *est vmbra, & veluti inuisibile quid, quod tamen auditur, vt spectra.*

Trigonus, *est iuxta numerum & elementorum naturam spirituum mutatio quilibet in 200. annos durans, videlicet. Igneus, aëreus, aqueus, & terreus.*

Tronus, & Tronossa, *est species roris omnium dulcissima, densa, tenax, in albedinem colorata, & ex solo mercurio generata, & à sale, sulfureq́ separata, in vere & æstate cadit, & in foliis arborum manè reperitur.*

Truphat, *est occulta minerarum virtus.*

Turbith minerale, *est mercurius sine corrosiuo præcipitatus & dulcis.*

V.

Verto, *quarta libræ pars.*

Vitrum philosophorum, *est alembicus.*

Vinum correctum, *est alcool vini.*

Vinum essatum, *est vinum sublimatum in quo sunt herbarum vires & essentiæ.*

Viscaleus, *est viscus arboris.*

Virgo ♍, *est arsenicum rubeum.*

Viriditas salis, *est liquor siue oleitas salis.*

Viscus, *est pix cocta ex arborum locustis.*

Viscus Secundæ Generationis, *est cruor à salibus descendens.*

Vlcus æstiomenum, *est phagedena cancri genus.*

Vlissipona herba, *serpentaria dicta ad colicam præstantissima.*

Vndæ, *sunt aërei terrestresq́ spiritus.*

Vndosa, *sunt hominum pecudúmque excrementa.*

Vrina, *est sal resolutum, In hepate generatum descendens ad suum emunctorium tanquam superfluum.*

Vrina vini, *est acetum.*

X.

Xenechton, *collo aduersus pestem suspenditur alias est primum virginis menstruum Theophrasto.*

Xeni nephidei, *sunt spiritus quibus Iucundum est natura occultam proprietatem aperire: atque id eis conceditur.*

Xissimum, *est acetum.*

Y.

Yrcus, *est cuniculus masculus, cuius sanguis vitra molefacit atq; scilices, si rebus diaphoreticis pastatur. Quod Hirco ab Imperitis ad scriptum est.*

Z.

Zadir *venus aut viride æris.*

Zenium, *vide pili zenij.*

Zephena, *est circulus extremitatum labiorum & aurium.*

Zerna, *impetigo vlcerata.*

Ziniat, *est fermentum.*

Zonneti Gnomi, *sunt corpora fantastica.*

FINIS.

